Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 Q
41

R. D. D.

IOANNIS FISCHERII, ROFFENSIS IN ANGLIA EPISCOPI, OPERA,

Quæ hactenus inueniri potuerunt omnia, ſingulari ſtudio diligenter conquiſita, partim antea quidem excuſa, nunc autem ſedulò recognita; partim iam primùm in lucem edita.

Horum elenchum vide, ſtudioſe Lector, folio ſequenti.

Adiectus eſt rerum ac verborum memorabilium locupletiſsimus index.



VVIRCEBVRGI
Apud Georgium Fleiſchmannum.
Anno cIↃ. IↃ. XCVII.
Cum gratia & priuilegio Sac. Cæſ. Maieſtatis.

Bibliothecæ S^ti Honuphrij. anno 1631.

14·17·Q·4

DE CAPTIVITATE ET MARTYRIO D. IOANNIS FISCHERI, EPISCOPI ROFFENSIS, PROPTER SECVNDAS NVPTIAS REGIS, ET CONSTITVTIONEM SCHISMATICAM.

REuerendus Pater D. IOANNES, Epiſcopus Roffenſis, dum per paſtoralem curam apud oues ſibi cõmiſſas reſidens, cuſtodiret vigilias noctis ſupra gregem ſuum, tum vitæ ſanctimonia atque auſteritate, tum adminiſtrandis Sacramentis, tum aſſiduitate docendi voce ſimul & ſcriptis, denique mira liberalitate in egenos, benignitate in ſtudioſos multis annis verum agebat Epiſcopum. Hic ergo quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus noſtris, & quaſi Sol refulgens, ſic effulſit in templo Dei, errantiumq; tenebras ſuæ ſanctitatis & eruditionis ſplendore diſcuſsit. Verum talis ac tantus vir, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus, dum vrgente conſcientia, primum quidem ſecundis nuptijs, quas Rex (repudiata & ſuperſtite D. Catharina prima vxore ſua) cum quadam Anna ſuperducta, Anno Domini M.D. XXXIIII. celebrare conſtituerat, tum verbis, tũ ſcriptis contradiceret: Deinde nouæ conſtitutioni totius Concilij ſeu Parlamenti regij (quæ Regem ipſum ſupremũ poſt CHRISTVM, tam in ſpiritualibus quàm temporalibus, regni caput, ſub pœna corporum & rerum, ab omnibus ſuſcipiendum & tenendum, & omnem aliam extra regnum Eccleſiaſticam poteſtatem abnegandam, ſchiſmatica temeritate mandauerat) ſeſe Dei ſolius & veritatis intuitu, conſtanter opponeret, per ſatellites publica poteſtate apprehenſus, & in arce ſeu turri Londonienſi multis diebus captiuus detentus eſt. Hinc XV. Kalendas Iulij, Anno XXXV. productus, & ad curiam prope Weſtmonaſterium frequenti ſatellitum armatorum ſtipatu, perductus eſt, partim nauigio, partim equo, ob corpuſculi debilitatem, quam præter ætatem auxerat carceris incommoditas, licet ipſe valetudinem ſuam ieiunijs & vigilijs, ſtudijs & laboribus ac lachrymis, vehementer aggrauaſſet. Ille verò, tametſi non ignoraret eius cognitionis exitum, nihil tamẽ perturbatus eſt, ſed placito ac prope etiam ad hilaritatẽ vultu compoſito, ad tribunal euocantibus paruit. Cumq; ſuper obiectis articulis interrogaretur, iuxta D. Thomę Mori, & aliorum quibus tum quoq; patiendum erat, martyrum reſponſa, in illorũ hiſtoriis fuſius expreſſa, per omnia Catholicè reſpõdit, adeo, vt mirarentur aduerſarij conformitatem reſponſorum, neſcientes vnum veritatis ſpiritũ, vnam per omnes eloqui veritatem. Quapropter iuxta morem eius regionis, per duodecim viros, ad pronunciandum de eo (num morte dignus eſſet, qui cõſtitutioni Parlamenti obſtitiſſet) delectos, fœdo & terribili mortis genere damnatus eſt, ſimul atq; Regi viſum eſſet. Hoc adiectum creditur, ſi forte ſpe venię poſſet à ſentẽtia deduci, ſupplicio territus Carthuſianorũ, qui paulò ante, ſuſpenſi, euiſcerati, & membratim diuiſi fuere. Quod autem mitiore pòſt pœna affectus eſt Roffenſis, quam minabatur iudicum ſententia, in cauſa fuiſſe putatur, quòd metuerint, ne ſenex & exhauſto corpuſculo, ſi per viam tam longam rheda traháue tractus fuiſſet, vt alij, ſponte expiraret. Igitur noſter Roffenſis accepta tam horrendæ mortis ſententia, cum ſatellitibus ſtipatus reduceretur in arcem, vt ad oſtium ventum eſt, verſus ad ſatellites hilari placidóque vultu: Plurimã (inquit) boni viri, vobis habeo gratiam, pro officio, quo me euntem & redeuntem deduxiſtis. Dixiſſes hominem ex hilari ſuauique redire conuiuio, adeo & color erat iucundior, & ipſe toto corporis geſtu, quatenus per grauitatem licuit, lætitiam quandam præ ſe ferebat, vt nemini non eſſet perſpicuum, ſanctiſſimum virum, ceu iam portui vicinum, toto pectore ad illam beatam tranquillitatem aſpirare. Nec diu dilata eſt mors. Ad decimum Calend. Iulij productus in planiciem, quam Angli vulgo dicunt turris collem, vultu non ſolum conſtanti, verum etiam alacri, paucis allocutus eſt populum. Primum Regi Regnóque bene precatus eſt. Mox ardenti magis quàm prolixa oratione ſeipſum, Dei miſericordiæ commendauit: ſimulq́ue procumbens in genua, gracili & exhauſta ceruice ſecurim accepit. Neque enim apud Anglos carnifices gladio ceruicem incidunt, ſed damnato in truncum ad id apparatum inclinanti, ſecuri caput amputant. Quanto cum animi dolore viderint hoc ſpectaculum, quibus religio pietasque cordi eſt, & qui Chriſti ſpiritum in paſtore operantem experti fuerant, facile quiuis ex ſe poterit æſtimare.

Fertur quidem, cum Epiſcopi Roffenſis caput eſſet in ponte Londonienſi de more expoſitum, non ſolum non emarcuiſſe, verum etiam

magis efflorniſſe, viuoq́; factum ſimilius. Ea res ſeu fama, cum vulgo inerebuiſſet, ſublatum eſt atque abditum. At veriti ne idem eueniret in capite Thomæ Mori, priuſquã exponeretur, aqua feruenti decoctum eſt, quo plus haberet horroris. Heu quomodo moritur iuſtus, & nemo percipit corde: Heu quomodo ſanctus Doctor Eccleſiæ, præco Dei, propugnator fidei, verus paſtor, dans animam pro ouibus ſuis, tanquam fur & latro propter viliſsimam adulteram, pro ſuis ſceleribus poſtmodum vltimo ſupplicio, ab ipſo rege affectam, diuriſsimo carceri mancipatur, & propter vnitatem fidei & Eccleſiæ tuendam, turpi mortis genere necatur, dum Chriſtum & eius ſermones erubeſcere coram hominibus recuſat. Ioan.10.

DE EODEM REVERENDISSIMO Domino Roffenſi, ex Nicolai Sanderi lib.1. de ſchiſmate Anglicano.

Roffenſis ad tribunal ducitur An 1535.

AD decimum Calendas Iulias. Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, quo nihil aut doctius aut ſanctius Anglia protulit, penè iam decrepita ætatu, ad iudicium primò; deinde, quod Henrici Primatum Eccleſiaſticum nollet confiteri, ad mortem producitur: qui ſimul ac ſcenam, in qua glorioſum certamen conſummaturus erat, è longo conſpexiſſet, abiecto quo ſenex nixus eſt baculo; Eia, *inquit*, pedes, officium facite, parum itineris iam reſtat. *Conſtitutus autem in loco martyrij, ſubleuatis in cœlum oculis,* Te Deum *(inquit)* laudamus, te Dominum confitemur. *Quem hymnum vbi totum abſoluiſſet, ceruices ſecuri ſubiecit animam Deo reddidit, iuſtitiæ coronam accepit. Caput haſtili affixum, & in ponte Londonienſi omnium oculis expoſitum, quò diutius ibi ſuſpenſum manebat, eò magis floruiſſe, ac venerabilius factum eſſe dicitur, ob quam cauſam loco amotum traditur.*

Roffenſis martyriũ.

Roffenſis authoritas ac merita in Rempublicam.

Hoc homine, nullum, non modo Britannia, ſed nec orbis forſitan Chriſtianus, tunc ſanctiorem, doctiorem, aut vigilantiorem præſulem, habuit. Omnium enim virtutum gloria, etiam Henrici ſeptimi temporibus, ita celebris extitit, vt ſereniſſimæ principi Margaritæ, Henrici matri, diutiſſimè à conſiliis & confeſſionibus fuerit, eidemq́; author, vt duo ampliſſima Collegia in Academia Cantabrigienſi (cuius vniuerſitatis poſtea Cancellarius etiam fuit) conderet: Lectiones quoque Theologicas duas; alteram Cantabrigiæ, Oxonij alteram, in perpetuum vt inſtitueret. Huius etiam viri imprimis cura, in vniuerſitates Angliæ aſciti ſunt ſacræ Theologiæ & linguarum profeſſores noſtris temporibus peritiſſimi; adeò vt eius beneficio permulti in Anglia exquiſitam deinde ſacræ ſcientiæ cognitionem ſint conſecuti.

Ab eodem Henrico ſeptimo, nullius cuiuſquam interpoſita fauore aut gratia, ſed commendantibus eum ſua ſola incõparabili doctrina, & vita innocentia, ad Epiſcopatum Roffenſem euectus eſt, ex quo poſtea (quod beneficium tenuius quàm pro viri tanti meritis videretur) cùm Henricus octauus, ad amplius promouere voluiſſet; nunquàm adduci potuit, vt ſponſam ſuam, tenuiorem quidem illam, ſed Dei vocatione primam, & à ſe multorum annorum laboribus vtcunque cultam, pro locupletiori quacunque dimitteret: illud adiiciens, ſe per beatum futurum, ſi de hoc ſaltem minuto concredito ſibi grege, deq́; non adeò inde magnis acceptis emolumentis, in die Domini rectè reſpondere poſſit; cum & de benè curatis animis, & de rectè expenſis pecuniis tunc reddenda ſit ratio exactior, quàm mortales ferè putent aut curent; in quo genere, quò quiſque pauciores ſibi commiſſos vel homines vel nummos haberet, eo futuros in altero ſæculo ſecuriores dicebat; ſeq́; facile ſentire ex hoc tantilli paſtoratus pondere, quantum futurum eſſe maioris muneris onus.

Roffenſis locupletiorem Epiſcopatum admittere noluit.

Henricus autem octauus, qui antea Roffenſem præ cæteris mortalibus (vt ipſe ſæpe profeſſus eſt) amauerat ac coluerat; poſtea datus in reprobrum ſenſum, cùm intellexiſſet illum iam in vinculis renunciatum eſſe Cardinalem, mandauit iudicibus, ſanctiſſimum virum vt interrogarent, an id ipſe procuraſſet, vel ſaltem reſciuiſſet: Cui reſpondit, ſe nunquam eum honorem vel alium quemcunque in reliqua vita appetiſſe, multoq́; minùs hanc dignitatem in decrepita ætate, in vinculis, ac in ipſis mortis foribus expectaſſe: ita erat homo ab omni ambitione ac rerum humanarum admiratione alienus. Idem fuiſſe dicitur & author & adiutor Henrico librum illum nominatiſſimum de ſeptem ſacramentis contra Lutherum edendi; quem quoque poſtea oppugnatum eruditiſſimè defendit. Scripſit quoque ipſe omnium illius temporis iudicio, contra Lutherum, & OEcolampadium, cæteraſq́; peſtes, doctiſſimè; Sacerdotium, Sacrificium, Sacramenta,

Roffenſis examinatur de Cardinalitia dignitate.

Roffenſis ſcripta.

menta, Hierarchiam Eccleſiæ omneſq́ religionis partes incredibili luce & methodo contra hæreticos, tam libris, quàm concionibus defendens.

Opera Roffenſis in Epiſcopatū.

Rexit Roffenſem Eccleſiam triginta tribus annis, eamq́ ſanctiſſimis inſtitntis, vitaq́ ſua in continuis vigiliis, laboribus, ieiuniis, Eleemoſynis, omnibuſq́ Epiſcopo dignis operibus tranſacta memorabilibus exemplis, ita ornauit; vt tanquam virum Dei, eum omnes vbique amarent & ſuſciperent. Charitate verò Epiſcopali ac plane Apoſtolica ita ardebat, vt & ſæpè alias, & maximè in celebrioribus ieiuniis, ac ſingulis ferè ſextis feriis, ipſe non ſolum carceres & publica Xenodochia viſitaret; ſed omnium in ciuitate ſua pauperum, ægrotorum, ac quouiſmodo afflictorum priuatas ædes circuiret; conſilioq́ conſolatione, ac copioſa pecunia vbi opus eſſet ſingulos ſubleuaret. In quibus officiis, & in peregrinos, præſertim verò literatos, hoſpitalitate ſua, omnia lubentiſſimè expendit.

Quid apud Roffenſem compræhenſum ſit repertum.

Cùm eſſet Regio mandato primùm apprahenſus & in carcerem ducendus, ſatellites mox in omnem ſupellectilem inuolantes, in pecuniam quoque, quam putabant hominem ſenem & longæuum Epiſcopum copioſam recondidiſſe, inquirunt diligentius; cumq́ omnes loculos, arcaſq́ cæteras curioſè luſtraſſent, nec quicquam nummorum inueniſſent; tandem incidunt in ciſtam ferreis laminis benè munitam, variiſq́ ſeris ac peſſulis ſeptam, quam magna ſpe & auiditate perfringunt; ibiq́ cilicium, flagellum, ac cætera diſciplinæ inſtrumenta, tantummodò reperiunt, quibus Vir Dei ſolebat corpus ſuum, alioquin ſenio ac laboribus ſatis confectum caſtigare, cum aliquot nummulis, quos ſemper poſt pœnitentiam factam, ſolebat pauperibus erogare; ita expectatione ac præda fruſtrati, cum magno pudore ac admiratione abierunt.

Aetas Roffenſis decrepita.

Vixit hic grandæuus confeſſor, difficilimo in carcere, viribus etiam omnibus ſenio & ſollicitudinibus penè iam exhauſtis, addita præterea voluntariis & aſſuetis cogitationibus corporis ſui, ſupra omnem expectationem, ac ſanè non ſine miraculo, quindecim totos menſes, conſeruatus à Deo; vt tam glorioſo martyrio, tamq́ ſancti ſanguinis effuſione, Romanæ ſedis prærogatiuam contra iniqui Regis tyrannidem propugnaret.

Thomæ Mori certamen.

De illo die quo Roffenſis ad mortem ducebatur, Morus, (quod tamen Rex vetuerat) certior factus, Cùm vehementer timeret, ne fortè ipſi martyriĳ corona excideret, ad Deum conuerſus. Confitcor *(inquit)* tibi Dominc, quod tantam gloriam non ſum meritus; non ſum ego iuſtus & ſanctus ſicut Roffcnſis tuus, qucm de vniucrſo regno iſto tibi ſecundùm cor tuum elcgiſti; ſcd tamen ſi fieri poteſt, particeps fiam Domine calicis tui.

ASSERTIO SEPTEM SACRAMENTORVM ADVERSVS MARTINVM LVTHERVM, AB HENRICO VIII. ANGLIAE REGE, ROFFENSIS TAMEN noſtri hortatu & ſtudio edita.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, DOMINO LEONI X. PONT. MAX. HENRICVS DEI GRATIA REX ANGLIAE, AC DOMINVS Hyberniæ, perpetuam fœlicitatem.

Q*Vum partim bellicis, partim aliis longe diuerſis ſtudiis, reipublicæ cauſa adoleſcentiam noſtram inſueuerimus, miraturum te beatiſſime Pater non dubitamus, quòd eius nunc hominis partes nobis ſumpſerimus, qui omnem potius ætatem conſumpſiſſet in literis, vt grauem ſcilicet hæreſim pullulantem comprimamus. Sed deſinet, opinor, tua ſanctitudo mirari, poſtquam cauſas expenderit, quæ nos ſubegerunt vt hoc ſcribendi onus, quanquam non ignari quàm ſimus impares, ſubierimus. Vidimus ſiquidem in meſſem domini iacta zizaniæ ſemina, pullulare ſectas, hæreſes in fide ſuccreſcere, & tantam per orbem totum Chriſtianum ſeminatam diſcordiæ materiam, vt nemo qui ſyncera mente Chriſtianus ſit, hæc tanta mala tàm latè ſerpentia ferre diutius poßit, quin & ſtudium cogatur, & vires qualeſcunque poßit, opponere. Mirum igitur videri non debet, ſi nos quoque, tametſi poteſtate non maximi, fide tamen ac voluntate nemini ſecundi, in opus tàm pium, tàm vtile, tàm neceſſarium, vt à nemine ferme poßit abſque piaculo prætermitti, & noſtram erga tuam ſanctitatem obſeruantiam, & erga religionem Chriſti, ſtudium, & erga dei cultum, obſequium noſtrum declarare conſtituimus, maxime fidentes, etſi eruditio noſtra ſit tam exigua, vt propemodum nulla, gratiam tamen Dei ſic cooperaturam nobiſcum, vt quod doctrina nequiuimus perficere, id ipſe pro ſua benignitate, ſummaq́; potentia plenius abſoluat, ac noſtram in literis imbecillitatem, ſuo vigore ſuppleat. Quanquam in literis quoq;, præſertim ſacris, etſi certò ſciamus, nuſquam non eſſe multos qui hoc ſcribendi munus & obire commodius, & præſtare potuiſſent vberius, tamen non vſqueadeo rudes ſumus, vt in communi cauſa dedeceat nos quoq; pro noſtra virili, calamo quid poſſemus, quantulum ideunq́; fuerit, experiri. Poſtquam enim in adminiſtranda republica maximam ſemper vim, maximúmque momentum, religionem habere multo vſu aduertimus, vt primum maturiores annos attigimus, cœpimus eius contemplationi nonnihil ſtudij impendere. Plurimum profectò, poſtquam cœpimus, in eo delectati, conſecuti tamen non nos latet quàm exiguum: tantum tamen, vt ſperamus, quantum adiuuantibus præſertim, vel potius inſtigantibus iis quæ vel admodum rudem abunde reddere inſtructum poſſent, pietate ſcilicet, & læſæ religionis dolore, ad Lutherianæ hæreſis fraudes rationibus detegendas, ſit ſatis. Itaq; etiam hac fiducia rem tentauimus, & quæ in ea meditati ſumus, ſanctitati tuæ dedicauimus, vt ſub tuo nomine, qui Chriſti vicem in terris geris, publicum iudicium ſubeant. Sic enim nobis perſuaſimus, quum ea hæreſis aliquandiu inter Chriſtianos graſſata, grauiſſima ſaluberrimaque ſententia tua vi è manibus hominum ſit excuſſa, ſi quid eius in pectoribus vel captione aliqua deceptis, vel blandis pollicitationibus ineſcatis, adhuc reſedit, id eſſe iuſtis rationibus eximendum. Sic enim futurum, vt quum duci quàm trahi ſe ingenia libentius patiantur, non deſit his mitioris quoque remedij ratio. In qua promouerimuſne nos quicquam, an non, beatitudinis tuæ iudicium erit: cuius etiam arbitrio, ſi quid eſt à nobis erratum, corrigendum offerimus.*

AD

AD LECTORES PRÆFATIO.

Motus quidem fidelitate ac pietate, quanquam mihi nec eloquentia ſit, nec ſcientia copia, cogor tamen, ne ingratitudine maculer, matrem meam Chriſti ſponſam, vtinam tanta facultate quanta cum voluntate, dèfendere. Quod licet alij præſtare poßint vberius ac copioſius, mei tamen officij eſſe duxi, vt ipſe quoque, quantumuis tenuiter eruditus, quibus rationibus poſſem eccleſiam tuerer, meq́, aduerſus venenata iacula hoſtis eam oppugnantis obiicerem. Quod vt faciam, tempus ipſum, & præſens rerum ſtatus efflagitat. Nam antea cum nemo oppugnaret, nemini propugnare neceſſe erat. At cum iam hoſtis exortus ſit, quo nullus potuit exoriri malignior, qui dæmonis inſtinctu, charitatem prætexens, ira atque odio ſtimulatus, & contra eccleſiam, & contra catholicam fidem vipereum virus euomuit, neceſſe eſt aduerſus hoſtem communem Chriſtianæ fidei, omnis Chriſti ſeruus, omnis ætas, omnis ſexus, omnis ordo conſurgat: vt qui viribus non valent, officium ſaltem alacri teſtentur affectu. Nunc itaque conuenit, vt duplici armatura muniamur, cæleſti ſcilicet, ac terreſtri. Cæleſti, vt qui ficta charitate & alios perdit, & perit ipſe, vera charitate lucrifactus, alios lucrifaciat: & qui falſa doctrina depugnat, doctrina vera vincatur. Terreſtri verò, vt ſi tam obſtinata malitia ſit, vt conſilia ſancta ſpernat, & correptionem piam contemnat, meritò coërceatur ſupplicio: vt qui benefacere non vult, deſinat malefacere: & qui nocuit verbo malitiæ, ſupplicij proſit exemplo. Quæ peſtis vnquam tàm pernicioſa inuaſit gregem Chriſti? Quis ſerpens vnquam tàm venenatus irrepſit, quàm is qui de Babylonica captiuitate Eccleſiæ ſcripſit, qui ſcripturam ſacram ex ſuo ſenſu contra Chriſti ſacramenta detorquet, traditos ab antiquis patribus Eccleſiaſticos ritus eludit, ſanctißimos viros, vetuſtißimos ſacrarum literarum interpretes, niſi quatenus ipſius ſenſui conueniunt & conſentiunt, nihili pendit, ſacroſanctam ſedem Romanam Babylonem appellat, ſummum pontificium vocat tyrannidem, totius Eccleſiæ decreta ſaluberrima captiuitatem cenſet, ſanctißimi pontificis nomen in Antichriſtum conuertit? O deteſtabilis arrogantiæ, contumeliæ, ac ſchiſmatis buccinator. Quantus inferorum lupus eſt iſte, qui Chriſti gregem diſpergere quærit? Quantum diaboli membrum, qui Chriſtianos Chriſti membra quærit à capite ſuo decerpere? Quàm putris huius animus, quàm execrabile propoſitum, qui & ſepulta reſuſcitat ſchiſmata, & vetuſtis adiicit noua, & hæreſes æternis abdendas tenebris, velut Cerberum ex inferis producit in lucem, dignumq́, ducit ſe, cuius vnius verbo, poſthabitis antiquis omnibus, vniuerſa regatur, immo ſubuertatur Eccleſia. De cuius ego malitia quid dicam neſcio, quam tantam cenſeo, quantam neq́, lingua cuiuſquam, neque calamus exprimere poßit. Quamobrem vos omnes Chriſti fideles hortor, oro, & per Chriſti nomen, quod profeßi ſumus, obteſtor: vt qui Lutheri opera, ſi modò is Babylonicæ captiuitatis ſit author, omnino velint inſpicere, cautè illud, & cum iudicio faciant, vt quemadmodum Vergilius aurum ſe colligere dixit è ſtercore Ennij, ſic è mediis malis colligant bona. Nec ita, ſi quid arridet ipſis, afficiantur, vt cum melle ſimul imbibant venenum. Multo enim ſatius fuerit vtroque carere, quam vtrumque glutire. Quod ne accidat, vtinam author aliquando reſipiſcat, vt conuertatur & viuat: ac ſuos libros omni malitia refertos, exemplo Auguſtini, cuius regulam profitetur, retractet, erroresq́, reuocet. Quod ſi recuſet Lutherus, breui certe fiet, ſi Chriſtiani principes ſuum officium fecerint, vt errores eius, eumq́, ipſum, ſi in errore perſtiterit, ignis exurat. Interea nobis viſum eſt, in captiuitate Babylonica quædam loca commonſtrare lectoribus, in quibus præcipuum latet venenum. Ex quibus aperte ſatis conſtabit, quàm exulcerato animo aggreſſus ſit opus, qui cum publicum bonum prætendat, nihil præter malitiam ad ſcribendum afferat.

Lutherus matrem oppugnat.

Lutheri ſuperbia.

Lutherus caute legendus.

Vt hæc doceamus quæ diximus, haud longè nobis petendæ probationes ſunt. Nám ne quis ob eam rem ſurſum deorſum curſitet, Lutherus vltro ſeſe, atque animum ſuum primo ſtatim principio prodit. Quis enim dubitet quò tendat, quò ſe proripiat is, cuius vel hunc vnum verſum legerit?

INDVLGENTIAE SVNT ADVLATORVM ROMANORVM NEQVITIAE.

QVemadmodum animal omne
potiſſimum ex facie dinoſci-
tur, ita ex hac quoque prima
propoſitione clareſcit, quàm
ſuppuratum ac putridũ is ha-
beat cor, cuius os amaritudi-
ne plenum, tali exundat ſanie.
Nam quæ de indulgentiis olim diſſeruit, ea ple-
riſque multum videbantur adimere non modò
de poteſtate pontificis, verumetiam de bona ſpe
ac ſancta conſulatione fidelium, hominesq; ve-
hementèr animare, vt in pœnitentiæ ſuæ confiſi
diuitiis, Eccleſiæ theſaurũ & vltroneam Dei be-
nignitatem contemnerent. Et tamen ea quę tum
ſcripſit omnia, idcirco mitius accepta ſunt, quia
pleraq; diſſerebat duntaxat, non aſſerebat, ſub-
inde etiam petens doceri, ſeſeque pollicens me-

Lutheri fictio.

liora docenti pariturum. Verùm iſtud quàm ſim-
plice ſcripſit animo, homo ſanctulus, & omnia

Spiritus ſanctus effugit. Sapien. 1.

referens ad ſpiritum, qui fictum effugit, hinc fa-
cilè deprehenditur, quòd ſimul atq; à quoquam
ſalubriter eſt admonitus, ilicet pro benefacto re-
geſſit maledictum, conuiciis & contumeliis in-
ſaniens: quibus operæpretium eſt videre, quò
veſaniæ tandem prouectus eſt. Ante faſſus eſt in-
dulgentias hactenus ſaltem valere, vt præter cul-
pam etiam à pœnis abſoluerent, quaſcunque vi-
delicet vel Eccleſia ſtatuerat, vel ſuus cuique ſa-
cerdos iniunxerat. Nunc verò non eruditione,

Lutherus ſibi ipſi contrarius.

vt ipſe inquit, ſed malitia tantum profecit, vt ſi-
biipſi contrarius, indulgentias in vniuerſum cō-
demnet, ac nihil aliud eas dicat eſſe, quàm me-
ras impoſturas, ad nihil omnino valere præter-
quam ad perdēdam hominum pecuniam, ac Dei
fidem. Qua in re quàm non ſcelerate modò, ve-
rumetiam furiosè bacchatur, nemo eſt qui non
videt. Nam ſi nihil omnino valent indulgentiæ,
ſed meræ ſunt, vt Lutherus ait, impoſturæ, tunc
neceſſe eſt impoſtores fuerint, non hic tantum

Leo decimus.

Pontifex Leo decimus, cuius innocens & incul-
pata vita, moresque ſanctiſſimi ab ineunte ætatè
per orbem totum ſatis explorati ſunt, quemad-
modum in epiſtola quadam ad pontificem Lu-
therus etiam ipſe fatetur, verumetiam tot retro
ſeculis omnes Romani pontifices, qui, quod Lu-
therus ipſe commemorat, indulgere ſolebant,
alius remiſſionem annuam, alios triennem, qui-
dam aliquot condonare quadrageſimas, nonnul-
li certam totius pœnitentiæ partem, tertiam pu-
ta, vel dimidiàm: aliqui demum remiſsionem in-
dulſerunt & pœnæ & culpæ plenariam. Omnes
ergo, ſi vera dicit Lutherus, fuerunt impoſtores.
At quanta magis cum ratione creditur, hunc v-
num fraterculum, morbidam eſſe ouem, quàm
tot olim pōtifices perfidos fuiſſe paſtores? Nam
Lutherus, vt dixi, cuiuſmodi vir ſit, quàm nihil
omnino charitatis habeat, euidentiſsime decla-
rat, cum non vereatur tot ſummis, tot ſanctis
pontificibus tantum crimen impingere. Si Deus
in Leuitico dicit omnibus: Non eris crimina- *Leuit. 19.*
tor, nec ſuſurro in populis: quid de Luthero cen-
ſendum eſt, qui tam immane crimen nō in vnum
aliquem hominem, ſed in tam multos, tam ve-
nerandos ſpargit antiſtites, idemque non in vna
quapiam vrbe ſuſurrat, ſed per totum buccinat
orbem? Si maledictus in Deuteronomio dici- *Deut. 27.*
tur, qui clam percuſſerit proximum, quanta ma-
ledictione percutitur, qui palam tantis oppro-
briis inſultat in præpoſitos? Denique ſi homici-
da eſt, vt ait Euangeliſta, nec vitam habet æter- *1. Ioan. 3.*
nam, qui odit fratrem: an non hic æterna dignus
morte parricida eſt, qui odio proſequitur patrē?
Qui cum euſque progreditur, vt neget indul-
gentias quicquam valere in terris, fruſtra cum eo
diſputem, quantum valeant in purgatorio.

Præterea, quid profuerit cum illo loqui, qui- *Lutherus de purgatorio.*
bus ſubſidiis liberemur à purgatorio, qui totum
ferme tollit purgatorium? Vnde cum pati non
poſsit vt pontifex quenquam eximat, ipſe ſibi
tantum ſumit, vt neminem ibi relinquat. Quid
attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipſe ſecum?
quid argumentis promoueam ſi cum eo agam vt
donet quod ante negauit, qui nunc id ipſum ne-
gat, quod ante donauerat? Verum quantumuis
diſputentur indulgentiæ pontificis, neceſſe eſt
inconcuſſa maneant verba Chriſti, quibus Petro
claues commiſit eccleſiæ, cum dixit: Quicquid *Matth. 16.*
ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: &
quicquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum &
in cœlo. Item quorum remiſeritis peccata, re-
mittentur, & quorum retinueritis peccata, reti-
nebuntur. Quibus verbis ſi ſatis conſtat ſacer-
dotem quemlibet habere poteſtatem à mortali-
bus abſoluendi criminibus, & æternitatem pœ-
næ tollendi, cui non videatur abſurdum, ſacer-
dotum omnium principem nihil habere iuris in
pœnam temporariam? Verùm aliquis fortaſſe di-
cet, Lutherus iſta non admitter, ſacerdotem vl-
lum quicquam ligare vel ſoluere, aut pontificem
ſummum plus habere poteſtatis, quàm alium
quemuis epiſcopum, immo quàm quemlibet ſa-
cerdotem. At quid id mea, quid admittat, aut
quid non admittat is, qui quorum nihil admittat
nunc, eorum pleraque paulo prius admiſit, qui-
que omnia nunc reiicit ſolus, quæ tota tot ſecu-
lis admiſit eccleſia. Nam vt cætera taceam quæ
nouus iſte Momus reprehendit, certe indulgen-
tias ſi pontifices peccauēre qui cōceſſerunt, im-
munis à peccato non erat tota congregatio fide-
lium, qui eas tam diu tanto cōſenſu ſuſceperunt.
Quorum ego iudicio, & obſeruatæ ſanctorum
conſuetudini nō dubito potius acquieſcendum,
quàm

quàm Luthero ſoli, qui totam eccleſiam tam furioſe condemnat: cuius non modo ſummum pontificem cõuiciis inſanis inceſſit, verumetiam proclamare non veretur, Pontificium ipſum inane prorſus nomen eſſe, nec re quicquam aliud eſſe cenſendum, quàm regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robuſti venatoris: eoque lectores orat, orat librarios, vt omnibus quæ prius de Papatu ſcripſit, exuſtis, hanc vnam propoſitionem teneant.

Lutherus libros ſuos deuouet igni.

PAPATVS EST ROBVSTA VENATIO ROMANI PONTIFICIS.

Illud hercle non abſurdum votum eſt, quod quæ antè ſcripſit, flammis optat abſumi. Erant enim pleraque flammis digna, ſed multo tamen iſta propoſitio dignior, quã, exuſtis illis, iubet velut dignam æternitate ſubſtitui. Quanquã quis non hic quoq;, niſi qui malitiam nouit, miretur inconſtantiam? Nam prius Papatum negauerat eſſe diuini iuris, ſed humani iuris eſſe conceſſerat. Nunc verò ſecum diſſidens, neutrius iuris eſſe confirmat, ſed pontificem ſibi mera vi ſumpſiſſe atque vſurpaſſe tyrannidem. Sentiebat ergo pridèm, humano ſaltem conſenſu propter bonum publicum Romano pontifici ſuper eccleſiam catholicam delatam eſſe poteſtatem. Idque vſqueadeo ſentiebat, vt Bohemorũ quoq; ſchiſma deteſtaretur, quòd ſe ab obedientia Romanæ ſedis abſcinderent, pronuncians eos peccare damnabiliter, quicunque Papæ non obtemperarent. Hæc cum haud ita pridèm ſcripſerit, nunc in idem, quod tum deteſtabatur, incidit. Quin iſtud quoque ſimilis eſt conſtantiæ, quòd cum in concione quadam ad populum, excommunicationem doceat eſſe medicinam, & obedienter patienterque ferendam, paulo poſt excõmunicatus ipſe, idque meritiſſimo iure, ſententiam tamen tam impotenter tulit, vt rabie quadam furibundus, in contumelias, conuicia, blaſphemias, ſupra quàm vllæ poſſint aures ferre, proruperit, ſic vt ſuo furore plane perſpicuum fecerit, eos qui pelluntur gremio matris eccleſiæ, ſtatim furiis corripi, atque agitari dæmonibus. Sed iſtud rogo, qui illa tam nuper vidit, vnde nunc ſubitò videt nihil ſe tunc vidiſſe? Quos nouos oculos induit? An acutiore cernit obtutu, poſtquam ad ſuperbiam ſolitam ita quoque ſuperuenit & odium, & longius videlicet proſpicit, vſus tam præclaris conſpiciliis?

Lutherus ſibi cõtrarius.

Lutherus nuper Bohemos deteſtabatur.

Lutherus contrà facit, ac docet.

Lutheri conſpicilia.

Non tam iniurius ero Pontifici, vt anxie ac ſolicite de eius iure diſceptem, tanquam res haberetur pro dubia. Satis eſt ad præſens negotium, quòd inimicus eius ita furore prouehitur, vt ſibi fidẽ deroget ipſe, ac dilucide ſe oſtendat præ malitia neque conſtare ſecum, neq; videre, quid dicat. Nam negare non poteſt, quin omnis eccleſia fidelium ſacroſanctam ſedem Romanam velut matrem primatemq; recognoſcat ac veneretur, quæcunq; ſaltem neq; locorũ diſtantia, neq; periculis interiacẽtibus prohibetur acceſſu. Quanquam, ſi vera dicunt qui ex India quoq; veniunt huc, Indi etiam ipſi, tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis diſiuncti, Romano tamẽ ſe pontifici ſubmittunt. Ergo ſi tantam ac tam late fuſam poteſtatem, neq; Dei iuſſu pontifex, neque hominum voluntate conſecutus eſt, ſed ſua ſibi vi vendicauit, dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis irrupit poſſeſſionem: Non poteſt obſcurum initium eſſe tam immenſæ potentiæ, præſertim ſi intra memoriam hominum nata ſit. Quod ſi rem dixerit vnam fortaſſis aut duas ætates ſuperare, in memoriam nobis rem redigat ex hiſtoriis.

Amplitudo Papatus.

Alioqui ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam tantæ obliterata ſit origo: legibus omnibus cautũ eſſe cognoſcit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, vt ſciri non poſſit cuiuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum: vetitumq; eſſe conſtat, omnium conſenſu gentium, ne, quæ diu manſerunt immota, moueãtur. Certe ſi quis rerum geſtarum monumẽta reuoluat, inueniet iam olim protinus poſt paccatũ orbem pleraſq; omnes Chriſtiani orbis eccleſias obtemperaſſe Romanę. Quin Gręciam ipſam, quanquam ad ipſos commigraſſet imperium, reperiemus tamen, quod ad eccleſiæ primatum pertinebat, præterquam dum ſchiſmate laborabat, eccleſiæ Romanæ ceſſiſſe. Beatus vero Hieronymus quantum Romanę ſedi cenſeat deferendum, vel inde luculẽter oſtendit, quòd cum Romanus ipſe non eſſet, tamen aperte fatetur ſibi ſatis eſſe, ſi ſuam fidem, quibuſuis improbantibus aliis, cõprobaret Papa Romanus. Cui cum Lutherus tam impudẽter pronunciet, idq; contra ſuam pridem ſententiam, nihil omnino iuris in eccleſiam catholicam ne humano quidem iure competere, ſed Papam mera vi meram occupaſſe tyrannidem; vehemẽter admiror, quod aut tam faciles, aut tam ſtupidos ſperet eſſe lectores, vt ſacerdotem credant inermem, ſolum, nullo ſeptum ſatellitio, qualem fuiſſe eum neceſſe eſt priuſquam eo potiretur quòd eum Lutherus ait inuaſiſſe, vel in ſpem venire vnquam potuiſſe, vt nullo iure fultus, nullo fretus titulo, in tot vbique pares epiſcopos, apud tam diuerſas, tam procul diſiectas gentes, tantum obtineret imperium: nedum vt credat quiſquam populos omnes, vrbes, regna, prouincias, ſuarum rerum, iuris, libertatis fuiſſe tam prodigos, vt externo ſacerdoti, cui nihil deberent, tantum in ſeſe poteſtatis darent, quantum ipſe vix eſſet auſus optare. Sed quid refert quid in hac re Lutherus ſentiat? qui præ ira atque inuidia non ſentit ipſe quid ſentiat, ſed benè declarat obfuſcatam ſcientiam ſuam, & cor ipſius inſipiens obſcuratum, traditumque in reprobum ſenſum, vt faciat ac dicat ea quæ non conueniunt. Quàm verum eſt illud Apoſtoli, Si habuero prophetiam, & nouerim omnia myſteria, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. A qua quàm longè abeſt iſte, non illud tantùm oſtendit, quòd præ furore perit ipſe, ſed iſtud multo magis, quod vniuerſos ſecum trahe-

Antiquitas Papatus.

Græcia Romano paret Pontifici.

Diuus Hieronymus.

1. Corinth. 13.

te conatur in perditionem, dum omnes ab obedientia ſummi pontificis laborat auertere, cui ipſe triplici vinculo tenetur aſtrictus, vtpote Chriſtianus, ſacerdos, & poſtremò fraterculus: tripliciter à Deo viciſsim puniendus. Neq; meminit quicquam, quanto melior eſt obedientia, quam victimæ. Neq; conſiderat, ſi in Deuteronomio cauetur, vt qui ſuperbierit uolens obedire ſacerdotis imperio qui pro tempore miniſtrat domino Deo ſuo, ex decreto iudicis, moriatur: quàm atroci ſit ſupplicio dignus is, qui ſacerdoti omnium ſummo, eidemq́ue ſupremo in terris iudici, non paruerit. Nam & cum vocaretur ad pontificem oblatis expenſis, & data fide, venire tamen fraterculus, niſi munitus præſidio, contempſit, & iam, quoad poteſt, totam perturbat eccleſiam, corpuſq; totum ſolicitat ad rebellandum capiti, cui quaſi peccatum hariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Quamobrem cum Lutherus odio prouectus, ſe præcipiter in perniciem, & legi dei recuſet eſſe ſubiectus, ſuam nimirum quęrens conſtituere, nos viciſſim Chriſticolæ caueamus, ne, quod Apoſtolus aït, per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſimus multi: ſed illius iniquitatem peroſi, domino cum propheta canamus: Iniquos odio babui, legem autem tuam dilexi.

1. Reg. 15. Deut. 14.

Modeſtia fraterculi.

1. Reg. 15.

Rom. 10.

Pſal. 118.

At iſta duo capita de tollendis prorſus indulgentiis, & auferenda poteſtate ſummi pontificis, de quibus quid nobis videtur expoſuimus, quãtumuis impia ſint, Lutheri tamen non niſi præludia ſunt ad ſacramenta perimenda, quod toto agit libro. Quem librum totum fatetur præludium ad operis opinor quippiã, in quo decreuit ſeriò moliri totius expugnationem fidei. Quanquam vehementer admiror, ſi quicquam edet vnquam tam ſerium, vt plus tumere veneno queat, quàm totum hoc turget præludium. In quo protinus ex ſacramentis ſeptem tantum relinquit tria, nec ea tamen niſi pro tempore, nimirum ſignificans, illa etiam ipſa propediem ſeſe ſublaturum. Nam è tribus vnum aufert paulo poſt eodem libro, quo plane declaret, quid proponet in reliquis.

Quam in rem, viam etiam videtur præſtruere, cum ait ſe, ſi ſcripturarum more loqui velit, non niſi vnum ſacramentum, & tria ſigna ſacramentalia poſiturum.

Lutherus vnum tantum ſacramentũ admittit.

Quòd ſiquis diligenter inſpiciat, quo pacto tractet hæc tria ſacramenta, quæ ſeu tria, ſeu tribus ſub ſignis vnum ponit pro tempore, videbit ea ſic ab illo tractata, vt nemini relinquat dubium, id illum in animo moliri, vt omnia tria poſſit ſuo rurſus tempore prorſus amoliri. Quas colubri iſtius aſtutias quò facilius lector poſſis deprehendere, obſerua diligenter ſingula veſtigia eius, & ſuſpende greſſus tuos, neque nimium ſecurus, inter vepres ac tribulos, latebras & ſpeluncas eius obambula, ne ex occulto inſidiatus calcaneo tuo, exitiale virus inſtillet. Deprehenſus enim torpebit ignauus, & ſuo ipſe veneno tabeſcet.

Lutherus quò tendat.

Luth. vt coluber cauendus.

DE SACRAMENTO ALTARIS.

INcipiamus ergo vnde ipſe incæpit, à venerabili ſacramẽto corporis Chriſti, cuius primo quòd nomẽ mutet, ac vocari velit ſacramentum panis, indicat hominem non valde bene ferre, quòd ipſo ſacramenti nomine admoneamur corporis Chriſti: & ſicubi reperire colorem potuiſſet, quo nomen dare potuiſſet deterius, libenter fuiſſe daturum. Cuius ab animo perquam longe diſſidet ac diſſentit beatus Ambroſius, cum dicit: Licet figura panis & vini in altari videatur, nihil tamen aliud quàm caro & ſanguis Chriſti credenda eſt. Ex quibus verbis euidentiſſimè clareſcit, Ambroſium fateri nullam aliam ſubſtantiam cum Chriſti corpore manere permixtam, cum dicat nihil aliud eſſe quàm corpus & ſanguinem Chriſti, id, quod figura panis videtur & vini. Si tantum dixiſſet Ambroſius, caro & ſanguis, potuiſſet fortaſſe Lutherus dicere, quòd Ambroſius fatendo eſſe carnem & ſanguinem, non negaret tamẽ panem ſimul eſſe ac vinum, quemadmodum Lutherus ipſe dicit carnis ſubſtantiam cum pane, & ſanguinis vnà cum vino ſubſiſtere. Sed cum Ambroſius dicat nihil eſſe aliud quàm carnem & ſanguinem, aperte contradicit Luthero, qui ſimul cum carne dicit eſſe panem, & ſimul cum ſanguine vinum. Quanquam ſi id, quod Lutherus dicit, tàm verum eſſet quàm falſum eſt, panem cum Chriſti carne ſimul manere permixtum; tamen ne ſic quidem neceſſe fuit Luthero delere nomen corporis Chriſti ex ſacramento in quo fatetur verum Chriſti corpus eſſe. Nam ſi panis etiam ſubſtantia ſimul cum Chriſti corpore adeſſet, quemadmodum iſtę contendit, non eſt tamen ratio cur inferior ſubſtantia nomen præripiat digniori. Nam etſi rudibus adbuc populis, ad auditorum captum ſe demittens Apoſtolus, panem vocauit, nunc tamen tam diu ſtabilita fide, nomen tam venerabile, quod rem ſacramenti repræſentet audientibus, in id nomen quod auditorum animos à corpore in panem auerteret, non oportebat immutari. Nec immutaſſet haud dubie Lutherus, niſi ſecum ſtatuiſſet, populum paulatim à Chriſti corpore, à quo ipſe iam præciſus eſt, in panis venerationem traducere. qua de re paulo poſt dicemus vberius.

Lutherus vocat ſacramentum panis.

Ambroſius.

Interim verò libet excutere quàm fraudulenter per ſpeciem fauoris in laicos, conetur eorum odium concitare in ſacerdotes. Nam cum decreuiſſet eccleſiæ fidem ſuſpectam reddere, ne quid ponderis, eius haberet authoritas, atque ita facti via, præcipua quæque Chriſtianæ religionis euertere, ab ea re ſumpſit initium, cui populum ſperabat alaciter applauſurum. Tetigit enim vetus vlcus, quò pridẽ vlcerata eſt Bohemia, quòd laici ſub vtraque ſpecie non recipiant euchariſtiam. Eam rem cum prius ita tractaſſet, vt duntaxat diceret, recte facturum pontificem, ſi curaret communi concilio ſtatuendum vt ſub vtraq; ſpecie laici communicarent: poſt vbi neſcio quis

Lutheri propoſitum.

Lutherus ſibi contrarius.

illud

illud ei negauit, non contentus in eo manere quod dixerat, ſic profecit in peius, vt totum clerum coudemnet impietatis, quòd iſtud non faciant non expectato concilio. Ego de primo non diſputo. Cæterum etiam ſi cauſas non viderem, cur non decernat eccleſia vt vtraque ſpecies miniſtretur laicis, tamen dubitare nou poſſem, quin ſint idoneæ, quæ & olim fecerunt vt id omitteretur, & nunc quoque faciant ne redintegretur. Nec planè aſſentior totum clerum per tot ſecula fuiſſe tam ſtolidum, vt ſe obſtrinxerit æterno ſupplicio propter eam rem vnde nihil reportaret commodi temporalis: imò verò, quàm nihil ſit talis periculi, vel hoc euidenter oſtendit, quòd eos qui non tantum iſtud fecerunt, verum etiam qui ſcripſerunt eſſe faciendum, Deus nou modò ſuſcepit in cœlum, verumetiam voluit eſſe venerandos iu terris, & ab hominibus honorari, à quibus honoratur ipſe.

Miraculis clarent quos Lutherus damnat.

Inter quos fuit, vt de alijs interim taceam, vir eruditiſſimus, & idem ſanctiſſimus Diuus Thomas Aquinas: quem ideo libentius commemoro, quoniam eius viri ſanctitatem, Lutheri ferre non poteſt impietas, ſed quem omnes Chriſtiani venerantur, pollutis labiis vbiq; blaſphemat. Quanquam ſunt permulti, qui etiam ſi pro ſanctis recepti non ſuut, tamen ſiue doctrina, ſiue pietate ſpectentur, tales ſunt, vt Lutherus eis cõparari non poſſit, qui hac in re contrarium Luthero ſentiunt: inter quos ſunt Magiſter ſeutentiarum, & Nicolaus de Lyra, & complures alij, quorum cuilibet magis expedit Chriſtianos omnes, quàm Luthero eredere. At vide quæſo, quàm vacillat, ac ſibi repugnat Lutherus.

Lutherus ſibi repugnãs.

Vno loco dicit, Chriſtum in cœna omnibus omnino fidelibus non permittendo ſed præcipiendo dixiſſe: Bibite ex eo omnes. Poſtea vero timens ne laicos quibus in ſacerdotum odium adulatur, offenderet, hæc verba ſubiungit:

Lutheri verba.

Non quòd peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, cum Chriſtus uon præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuslibet reliquerit, diceus: Quotieſcunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis: ſed quòd illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus vti, prohibent vtrumque dari. Culpa non eſt in laicis, ſed in ſacerdotibus. Videtis apertè, quòd primo dixit eſſe præceptum, hic dicit non eſſe præceptum, ſed cuiuslibet arbitrio relictum. Quid opus eſt ergo nos illi contradicere, qui ſibi toties contradicit ipſe? Et tamen cum dixit omnia, laicos uon ſatis defendit, ſi quis rem vrgeret: & in ſacerdotibus quos tam atrociter accuſat, nihil probat eſſe peccati. Nam in eo dicit totum eſſe peccatum, quòd ſacerdotes alterius ſpeciei laicis inuitis adimerent libertatem. Hic igitur ſi quis eum percontetur, qui ſciat iſtum ritum inoleuiſſe renitente populo, non poteſt, opinor, docere. Cur ergo totum condemnet clerum, quòd laicis inuitis ademerit ſuum ius, cum id inuitis eſſe factum, nullo poſſit documento probari? Quanto fuit æquius, ſi niſi volentibus illis recte nequiuit inſtitui, pronunciare, pro tot ſeculorum conſuetudine plebis interueniſſe couſenſum? Ego certè qui video quas res à plebe clerus obtinere non poteſt, ne tantum quidem, quin ferme ſub ipſo altari ſuorum condant cadauera, uon facilè credo populum fuiſſe paſſurum, vt inuiti per contumeliam iu tanta re ab vlla iuris ſui parte pellerentur, ſed cauſis aliquot idoneis è laicorum quoque voluntate conſtitutum. At iſtud miror, tam vehementer indignari Lutherum, laicis ademptam alteram, cum nihil eum permoueat, quòd vtraque ſpecies adimatur infantibus, nam illos olim communicaſſe, nec ipſe negare poteſt.

Infantes olim ad communionem admittebantur.

Qui mos ſi recte fuit omiſſus, quanquam Chriſtus dicat, Bibite ex hoc omnes: nec quiſquam dubitat, quin cauſæ fuerint magnæ, etiam ſi nunc earum nemo meminiſſet, cur non etiam cogitemus bonis iuſtisque rationibus, quantumuis nunc ignoratis, abolitam eſſe conſuetudinem, qua laici olim, nec id fortaſſe diu, ſub vtraque ſpecie ſolebant recipere ſacrameutum? Præterea ſi eam rem ad exactam euangelicæ narrationis formam reuocat, neque quicquam prorſus permittit eccleſiæ, cur euchariſtiam non iubet ſemper in cœna recipi, imò verò poſt cœnam? Denique nou minus incommodi fuerit, in hoc ſacrameuto facere ſi quid feciſſe non debeas, quàm ſi quid non facias quod feciſſe debueras. Ergo ſi totius eccleſiæ conſuetudo rectum non facit, vt in laicis omittatur ſpecies vini, qua ratione aquam in vinum audet Lutherus infundere? Neque enim tam audacem puto, vt ſine aqua conſecret, quam tamen vt admiſceret, neque exemplum habet ex cœna dominica, neque ex Apoſtoli traditione compertum, ſed ſola eccleſiæ conſuetudine didicit: cui ſi putat hac in parte parendum, cur eam in altera tam arroganter oppugnat? Qua de re quicquid Lutherus obgannit, ego certe tutius opinor credere, laicos recte ſub altera tantum ſpecie communicatos, quàm per tot ſecula totum clerum, quod iſte diſputat, hac vna de cauſa fuiſſe damnatum.

Lutheri verba contumelioſa in totũ clerum.

Nam omnes appellat impios, & tales, vt in crimen inciderint læſæ maieſtatis euaugelicæ. Quòd ſi vtri ſint (inquit) hæretici & ſchiſmatici nominandi: nou Bohemi, non Græci, quia euangeliis nituntur, ſed vos Romani eſtis hæretici & impij ſchiſmatici, qui ſolo veſtro figmento præſumitis contra euideutes Dei ſcripturas. Si Lutherus nihil admittit aliud, quàm euideutes Dei ſcripturas, cur non iubet euchariſtiam, vti dixi, ſumi à cœnantibus? Nam ſic factum à Chriſto ſcriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, nou humano figmento, ſed eodem authore Deo factum in eccleſia ne laici ſub vtraque ſpecie reciperent euchariſtiam, quo authore factum eſt vt reciperetur à ieiunis? Placuit enim, vt ait beatus Auguſtinus, Spiritui ſancto, vt corpus domini quod poſt alios cibos ab Apoſtolis in cœna receptum eſt, ante alios cibos à ieiunis reciperetur in eccleſia.

Auguſtinus.

Videtur ergo veriſimile, quòd Spiritus ſanctus, qui Chriſti regit eccleſiam, ſicut euchariſtiæ ſacrameutum mutauit à cœnantibus ad ieiunos, ita laicos

ab

ab vtraque ſpecie deduxit in alteram. Nam qui alterum mutare potuit, cur non alterare potuerit & alterum? Hoc loco planè ſe oſtendit Lutherus, quid agitet in animo, cum Bohemos (quorum perfidiam pridèm execrabatur) nunc tam blande viciſſim demulceat. neque enim quiſquam eorum quos ille papiſtas appellat, & adulatores pontificis, ita Romano blanditur antiſtiti, quomodo Lutherus etiam fæci Bohemicæ plebis adulatur. Nec id tamen ab re. Videt enim breui fore, vt Germani, quibus pridèm per ſpeciem ouinæ ſimplicitatis impoſuit, agnitum tandem lupum ſint eiecturi: atque ideo Bohemis antè ſe inſinuat, ac ſibi quoad poteſt, amicos facit de mammona iniquitatis, vt in quorum immigrauit errores, aliquando ſua exturris, illorum immigrare ſinatur in patriam. Ad quos vt ob facinus aliquod inſigne veniat commendatior, conatur interim eccleſiaſticæ conſuetudinis omnem vim atque authoritatem extinguere: poſt, ſi id, quod omen auertant ſuperi, fœliciter ei ceſſerit, concuſſurus omnia. Longius enim deſtinat, quàm quò putatur, tendere. Atque ita cauſſam agit laicorum, vt longè meditetur aliud, quàm præ ſe fert: quibus quantumuis blande porrigat altera manu panem, altera tamen geſtat ſcorpionem. Nam multis primum verbis agit, vt laici permittantur vtramque ſpeciem ſumere. Et quis nunc non credat hoc eum conari, vt laicorum cultum erga ſacramentum adaugeat? Verum pauliſper obſerua quò tendat. Nam tandem ſic rem totam claudit, vt id quoque permitti poſtulet, ne laici communicare cogantur in paſchate, neúe vllum eis ſumendæ euchariſtiæ tempus indicatur, ſed liber quiſque ſuo relinquatur arbitrio, immò verò vt ne ſæpius in tota vita quiſquam ſumat quàm ſemel, idque non ante extremum vitæ diem, qui & incertus eſt, & cum ad eum ventum eſt, ſumere pleriq; non ſuſtinent. Ita qui videbatur id agere, vt laici recipere ſinerentur vtramque, id obliquè procurat, vt impune liceat ne ſpeciem vnquam quiſquam ſumat vllam: & hanc præclaram libertatem ducit, vt populus in toto à ſuſcipiendo ſacramento liberetur. Quamobrem vtcunque ſerpens amico blandiatur aſpectu, certò venenata iſta cauda ſpiculum quærit infigere, facitque perſpicuum, hoc magis illum torquere, quòd populus alteram ſpeciem recipiat, quàm quòd altera abſtineat. Nam quemadmodum ſerpens antiquus eiectus è cœlo, inuidit homini paradiſum, ita Lutherus quoque poſtquam ſua culpa ſic in excommunicationis incidit laqueum, vt vtriuſque ſpeciei ſalubri communione priuetur, reliquos omnes eodem laqueo cupit implicare, vt vtriuſque recipiendæ vinculo ſoluti, neutram paulatim aſſueſcant recipere. Quod illius execrandum propoſitum, quo magis in libello progrederis, eo magis magiſque pellucet. Nam ſecundam captiuitatem facit, quòd quiſquam vetetur credere verum panem, verumque vinum reſtare poſt conſecrationem. Qua in re contra quàm totus iam credit Chriſtianus orbis, ac multis retro ſeculis credidit, perſuadere conatur Lutherus in euchariſtia ſic eſſe Chriſti corpus & ſanguinem, vt tamen ſubſtantia veri panis, verique vini remaneat. poſthac opinor, cum libebit, corporis aliquando ſubſtantiam ſanguiniſque negaturus, tanquam poſt in melius mutata ſententia, quemadmodum ter antè iam fecit, nempe in indulgentiis, in poteſtate pontificis, & communione laicorum. Interea ſe fingit iſta docere, motum videlicet miſericordia captiuitatis qua populus Iſraeliticus ſeruiat Babyloni. Ita totam eccleſiã appellat Babylonem, eccleſiæ fidem vocat ſeruitutem, & homo miſericors offert libertatem omnibus qui velint ab eccleſia ſeparari, & iſtius putridi & abſciſci membri contagione corrumpi. At quibus modis inuitat in hanc plus quàm ſeruilem libertatem operæpretium eſt cognoſcere.

Lutherus fugam meditatur ad Bohemos.

Lutheri dolus deprehenſus.

Speciosa Lutheri libertas Aegyptiaca ſeruitute deterior

Lutheri hypocriſis.

Lutheri inſigne miſericordiæ.

Magnam cenſet ac primariam rationem, quòd verbis diuinis non eſt vlla facienda vis, neq; per hominem, neque per angelum, ſed quantum fieri poteſt, inquit, in ſimpliciſſima ſignificatione ſeruanda ſunt, & niſi manifeſta circumſtantia cogat, extra grammaticam, & propriam, accipienda non ſunt, ne detur aduerſariis occaſio vniuerſam ſcripturam eludendi. At vis (inquit) fit verbis diuinis, ſi quod Chriſtus ipſe vocat panem, hoc nos dicamus intelligi panis accidentia: & quod ille vinum vocat, hoc nos dicamus eſſe tantùm vini ſpeciem. Omnibus ergo modis verus panis, ac verum vinum reſtat in altari, ne verbis Chriſti fiat vis, ſi ſpecies ſumatur pro ſubſtantia, Nam cum Euangeliſtæ clarè ſcribant (inquit) Chriſtum accepiſſe panem ac benedixiſſe, & Actuum liber, & Paulus panem deinceps appellent, verum oportet intelligi panem, verumque vinum, ſicut verum calicem. Non enim calicem tranſſubſtantiari etiam ipſi dicunt.

Lutheri argumentum.

Hæc eſt ergo magna, &, quemadmodum ipſe ait, primaria Lutheri ratio, quam ego me ſpero facturum vt omnes quamprimum intelligant nihil magni habere momenti. Nam primum id quod ait, Euangeliſtas clare dicere, quantumuis clare dicant, pro Luthero tamen nihil clare probat. contra verò, quod pro illo probaret, hoc nuſquam dicunt. An non ſcribunt (inquit) accepiſſe panem, & benedixiſſe? Quid tum poſtea? Accepiſſe panem & benedixiſſe, etiam nos fatemur. Panem vero dediſſe diſcipulis, poſtquam inde ſuum corpus confecerat, hoc & nos inſtanter negamus, & euangeliſtæ non dicunt. Quæ res quò fiat apertior & tergiuerſandi minus pateat locus, euangeliſtas ipſos audiamus. Matthæus ergo ſic narrat. Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Marci verò verba ſunt iſta: Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait:

Lutheri argumentum diluitur.

Matth. 26.

Marci 14.

&ait: Sumite, hoc eſt corpus meom. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effuudetur. Lucas denique narrat hoc pacto: *Luca 22.* Et accepto pane gratias egit ac fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Ex omnibus his Euangeliſtarum verbis nullum video locum in quo poſt conſecrationem ſacramentum vocetur panis aut vinum, ſed tantùm corpus & ſanguis. Dicunt in manus Chriſtum ſumpſiſſe panem, id quod etiam nunc fatemur omnes: at cum reciperent Apoſtoli, non panis nominatur, ſed corpus. At Lotherus euangeliſtæ verba in ſnam partem conatur interptetatione torquere. *Argutula Lutheri interpretatio.* Accipite, manducate: hoc, id eſt hic panis, inquit is, quem acceperat & fregerat, eſt corpus meum. Sed hæc eſt interpretatio Lutheri, non verba Chriſti, neque verborum ſenſus. Si panem quem accepit, quemadmodum accepit, ſic tradidiſſet diſcipulis, nec antè conuertiſſet in carnem, ac porrigendo dixiſſet, Accipite & manducate, rectè diceretur porrexiſſe quod in manus acceperat: nihil enim fuiſſet aliud quod porrigeretur. At cum, priuſquam daret apoſtolis manducandum, panem conuertit in carnem, nõ iam accipiunt panem, quem ille ſuſceperat, ſed corpus eius in quod panem conuerterat. *Comparatio elegans.* Quemadmodum ſi quis cum ſemen accepiſſet, alij daret inde natuio florem, non id dediſſet, quod acceperat, quanquam naturæ communis ordo alterum feciſſet ex altero: ita multò minùs porrexit apoſtolis id, quod in manus acceperat Chriſtus, cum panem ſuſceptum in ſuam ipſe carnem tanto vertiſſet miraculo: niſi quis contendat, *Comparatio efficax.* quoniam Aaron virgam ſumpſit in manũ, & virgam proiecit è manu, ideo cum colubro quoq; virgæ reſtitiſſe ſubſtantiam, aut colubri denuo cum recepta virgula. Quod ſi cum colubro virga reſtare non potuit, quantò minùs reſtare poteſt panis cum carne Chriſti, tam incomparabili ſubſtantia? *Lutheri nugax argutia eluditur.* Nam quod argutatur, imò nugatur Lutherus, pro ſuæ ſimplicitate fidei facere, cum de vino dicat Chriſtus, non, hoc eſt ſanguis meus, ſed, hic eſt ſanguis meus: miror quid homini venerit in mentem, cum iſtud ſcriberet. Quis enim non videt, quàm nihil omnino facit pro eo, imò contra? videretur magis pro eo feciſſe, ſi dixiſſet Chriſtus, Hoc eſt ſanguis meus. *Luth argumentum de articulo retortum.* Habuiſſet enim anſam ſaltem Lutherus, qua demonſtrandi articulum referret ad vinum. Nunc vero cum vinum ſit neutri generis, Chriſtus ait, non hoc, ſed hic eſt ſanguis meus. & cum panis ſit generis maſculi, ait tamen: Hoc eſt corpus meum, non hic: vt vterque oſtendat articulus, Chriſtum neque panem propinare, neque vinum, ſed ſuom ipſius corpus & ſanguinem. Nam quod videri vult Lutherus, pronomen hoc, ad corpus referri, non Chriſto propoſito, ſed occaſione linguarum, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum eſt? Nam Hebræa lingua ſi neutrum genus non habet, non poteſt tam aperte declarare, ad vtrum Chriſtus retulit articulum, quàm Latina vel Græca. Nam in Hebræa lingua ſi articulus fuiſſet maſculus, tanquam diceret, hic eſt corpus meum, tamen res relinqueretur ambigua, quia potuiſſet ea locutio videri coacta, neceſſitate linguæ non habentis neutrum. Sed cum apud Latinos panis & corpus ſint diuerſi generis, is qui tranſtulit è græca, articulum coniunxiſſet cum pane, niſi apud euangeliſtam reperiſſet demonſtrationem factam de corpore. Præterea cũ Lutherus fateatur idem generis diſcrimen eſſe & græcis, facile potuiſſet cognoſcere euangeliſtas, qui ſcripſerunt græce, articulum fuiſſe poſituros qui referretur ad panem, niſi quòd conſcij mentis dominicæ voluerunt admonere Chriſtianos articulo corporis, Chriſtum nõ panem cõmunicaſſe diſcipulis, ſed corpus. Quamobrem quod Lotherus interpretatur in ſuã partem verba Chriſti, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, id eſt hic panis, quem acceperat: non ego, ſed ipſe Chriſtus contra docet ſua verba intelligi, nempe, hoc quod eis porrigebat, non eſſe quod ipſis videbatur, panem, ſed ſuum ipſius corpus, ſi recte Chriſti verba recenſent euangeliſtæ. Nam alioqui poterat dicere, non hoc, quod exponeretur id eſt hic, ſed apertè potiùs, hic panis eſt corpus meum: quo ſermone docerentur diſcipuli id quod nunc Lutherus docet eccleſiam, nempe in euchariſtia pariter & Chriſti eſſe corpus & panem. Nunc vero ſic locutus eſt vt oſtenderet manifeſte, corpus duntaxat eſſe, non panem.

Iam quod tam magnifice transfert ad ſe Lutherus, quòd Chriſtus etiam loquitur de calice, quem nemo dicat eſſe tranſſubſtantiatum, miror hominem non pudere tam intemperantis ineptiæ. Cum dicit Chriſtus, Hic calix noui teſtamenti in meo ſanguine, quid facit pro Luthero? *Argumentum Lutheri ineptiſſimum.* Quid enim ſignificat aliud, quàm id quod diſcipulis propinabat in calice, ſuum eſſe ſanguinem? An ex his Chriſti verbis oſtendet nobis Lutherus, manere vini ſubſtantiam, quia Chriſtus loquitur de ſanguine? aut vinum in ſanguinem non poſſe mutari, quia adhuc reſtat calix? Vtinam præludium delegiſſet ſibi Lutherus ex alia materia, in qua minore periculo potuiſſet ludere. Nam cum Bohemos & Græcos ſic excuſet ab hæreſi, vt hæreticos clamet omnes eſſe Romanos, multò magis, oſtendit ſe Lutherus hæreticum, qui non ſolum fidem abnegat, quam tota credit eccleſia, ſed etiam deteriora credi ſuadet, quàm aut crediderunt Græci, aut vnquam credidêre Bohemi. Hactenus iſta diſſerui, duntaxat vt oſtenderem, ex ipſius Chriſti verbis & euangeliſtarum oſtendi nõ poſſe, quod iſte ſe iactat oſtendere, imò cõtra liquere perſpicuè, in eucharistia panem non eſſe. Quòd in actis apoſtolorũ ait eucharistiam appellari panẽ, vellem protuliſſet locum: ego nullũ reperio qui non ſit ambiguus, &

potius

potius videatur de communi conuiuio dicere, quàm ſacramento. Apoſtolus tamen, fateor, pa-

1. Corinth. 2.

nem non ſemel appellat, vel ſcripturæ ſecutus in ſermone morem, quæ ſolet interdum vocare quippiam non id quod eſt, ſed quod antè fuerat,

Exod. 7.

vt cum ait, Virga Aaron deuorauit virgas magorum, quæ tamen tunc virgę non erant, ſed ſerpentes: vel contentus fortaſſe vocare quod ſpecie præ ſe ferebat, cum ſatis haberet, rudem adhuc in fide populum lacte paſcere, nec primum aliud exigere, quam vt quocunque modo crederent in ſacramento eſſe corpus Chriſti, poſtea paulatim ſolidiore cibo paſturus, poſtquam adoleuiſſent in domino. Idem potuit & in Apoſtolorum actis contingere, vbi nec beatus Petrus alloquens populum, & illis Chriſti fidem inſinuans, auſus eſt adhuc aperte quicquam de eius diuinitate dicere. ita abdita & populis dubia myſteria non temerè proferebant. At Chriſtus apoſtolos ſuos, quos tandiu ſua doctrina formauerat, ipſo ſacramenti inſtituendi principio docere non dubitauit, panis vinique non amplius reſtare ſubſtantiam, ſed manente vtriuſque ſpecie, vtrunque tamen & panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum eſſe conuerſum. Quod tam aperte docuit, vt plane mirandum ſit, exortum quenquam poſtea, qui rem tam claram rurſus vocaret in dubium. Quomodo enim potuiſſet apertius dicere, nihil illic remanere panis, quàm cum dixit, Hoc eſt corpus meum? Non enim dixit, In hoc eſt corpus meum, aut cum hoc quod videtis, eſt corpus meum: tanquam in pane aut ſimul cum pane conſiſteret, ſed hoc eſt, inquit, corpus meum: nimirum declarans manifeſte (vt

Contra Lutherum ex ipſis Chriſti verbis.

os cuiuſque gannientis obſtrueret) hoc totum quod porrigebat, ipſius corpus eſſe. Quod ita porrectum apoſtolis, etiamſi (quod non fecit) nomine panis appellaſſet, tamen cum ſimul admoneret audientes, idipſum quod vocaret panem, nihil aliud eſſe quàm ſuum corpus, in quod totus fuerat ipſo mutante conuerſus: nemo potuiſſet dubitare, quid Chriſtus vellet panis appellatione ſignificari, eoque circumſtantia ipſa,

Contra Lutherum ex circumſtantia.

(nam circumſtantia Lutherus admittit) declarat euidenter, vocabulum panis, cum panis mutatur in carnem, abſque vlla violentia facta verbo diuino, panis ſignificare ſpeciem, non ſubſtan-

Lutheri ſocera illuſio.

tiam: niſi Lutherus adeo inhæreat proprietati verborum, vt Chriſtum credat in cœlis quoque fuiſſe panem triticeum, aut hordeaceum, propterea quòd ipſe dicit de ſe, Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi. aut veris vuis onuſtá vitem, quia dixit ipſe, Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. aut electos denique remunerandos in cœlo voluptate corporea, propterea quod Chri-

Lucæ 22.

ſtus ait: Ego diſpono vobis, ſicut mihi diſpoſuit pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.

Lutherus multus eſt in deſtruendis neotericorum argumentis, quibus defendere nituntur & probare tranſſubſtantiationem, rationibus petitis ex Ariſtotelica ſchola. Qua in re videtur plus laboris inſumere quàm res exigat. Neque enim ideo credit Eccleſia, quia ſic illi diſputant:

Neotericorum contra Lutherum defenſio.

ſed quia ſic Eccleſia iam inde ab initio credidit, & ne quis vacillet, ita credendum eſſe decreuit: ideo illi rationibus etiam philoſophicis exercent ingenium, quibus vtcunq; docere poſſint, quòd ex tali fide nihil ſequatur abſurdum, aut conuerſio panis in ſubſtantiam nouam neceſſario tollat ac non relinquat priorem.

Nam quod Lutherus ait hanc fidem tranſſubſtantiationis iam intra trecentos annos proximos eſſe natam, cum prius à Chriſto plus annis mille ducentis eccleſia rectè crediderit, nec interim de tranſſubſtantiatione tam portentoſo (vt ait ille) vocabulo, mentio vnquam vlla ſit facta: ſi de vocabulo tantum litiget, nemo erit, opinor, illi moleſtus, vt credat tranſſubſtantiationem, modò credat panem ſic eſſe conuerſum in carnem, & vinum in ſanguinem, vt nihil neque panis remaneat neq; vini, præter ſpeciem, quod ipſum vno verbo volunt quicunq; ponunt tranſſubſtantiationem. At iſtud poſtquam eccleſia verum eſſe decreuit, etiam ſi nunc primum decerneret, tamen ſi veteres non credidêre contrarium, quanquam de ea re nunquam ante quiſquã cogitaſſet, cur non obtemperaret Lutherus eccleſiæ totius præſenti decreto perſuaſus, id nunc tandem reuelatum eccleſiæ, quòd ante latuiſſet? Spiritus enim ſicut vbi vult ſpirat, ita ſpirat &

Ioan. 3.

quando vult.

Nunc vero non eſt iſtud tam nouum, quàm fingit Lutherus, qui cum hanc tranſſubſtantiationis fidem natam eſſe dicat ab annis hinc trecentis, ne grauetur quęſo concedere ſaltem quadringẽtos. Totidem enim opinor effluxiſſe poſt editum ab Hugone de ſancto Victore librum de ſacramentis, in quo tranſſubſtantiationis etſi non verbum, rem certe & ſententiam reperias. Ait enim hoc pacto: Iam cum vnum ſit ſacramentum, tria ibi diſcreta proponuntur, ſpecies videlicet viſibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritualis. Vides vt ſpeciem ponat panis, non veritatem: veritatem corporis, nõ ſpeciem? Et paulo poſt apertius. Quod enim videmus, ſpecies eſt panis & vini: quod autem ſub ſpecie illa credimus, verum corpus Chriſti eſt, & verus ſanguis Ieſu Chriſti, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Item alio loco multo adhuc manifeſtius, cum ait: Verbo ſanctificationis, vera panis & vera vini ſubſtantia, in verum corpus & ſanguinem Chriſti conuertitur, ſola ſpecie panis & vini remanente, & ſubſtantia in ſubſtantiam tranſeunte. Clarum eſt igitur, hanc tranſſubſtantiationis fidem antiquiorem eſſe aliquanto, quàm fingit Lutherus. At vt eum aſtringamus fortius, oſtendemus, quod ille natum videri vult intra annos trecentos, fidem fuiſſe ſanctiſſimorum patrum ab annis hinc plus mille. Conſtat enim ante annos plus mille ſic credidiſſe fideles, vt faterentur totam panis viniq; ſubſtantiam in Chriſti corpus & ſanguinem veraciter eſſe conuerſam. Quo magis miror non pudere Lutherum, cum dicat hanc fidem tranſſubſtantiationis intra annos natam eſſe trecentos. Euſebium

Euſebius.

Emiſſe-

Emiſſenus. Emiſſenum quis neſcit ante annos plus ſexcentos eſſe defunctum? qui quaſi vetitus olim fore qui talia moliretur, tot annis iam præteritis clamauit: Recedat (inquit) omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui author eſt muneris, ipſe eſt etiam teſtis veritatis. Iam inuiſibilis ſacerdos, viſibiles creaturas, in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. & repetita benedictione, Accipite & bibite: hic eſt ſanguis meus. Nonne hic vir ſanctiſſimus aperte dicit, panis ac vini ſubſtantias in ſubſtantias corporis & ſanguinis eſſe conuerſas? *Auguſtinus.* Quid beatus Auguſtinus cum ait? Nos autẽ in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt carnem & ſanguinem honoramus. Quid poteſt apertius dici? Non enim dicit in pane & vino, ſed in ſpecie panis & vini. Lutherus negat panem appellandum eſſe, quod tantùm ſit ſpecies panis, & putat Auguſtinum fuiſſe vocaturum ſpeciem panis, id quod eſſet panis vera ſubſtantia? *Gregorius Nyſſenus.* Gregorius item Nyſſenus, Panis, inquit, eſt ante conſecrationem, ſed vbi conſecratur myſterio, fit & dicitur corpus Chriſti. Quod ait eſſe ante conſecrationem, hoc deſignat poſt conſecrationem non eſſe. *Theophilus.* Quin Theophilus quoq; declarans hæc verba, Hoc eſt corpus meum, hoc, inquit, quod nunc do, & quod nunc ſumitis. Non autem panis figura tantùm eſt corporis Chriſti, ſed in propriũ Chriſti corpus tranſmutatur. & paulò pòſt ait: Si carnem & ſanguinem cerneremus, ſumere non ſuſtineremus. propter hoc dominus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpecies panis & vini conſeruat, ſed panem & vinum in veritatem conuertit carnis & ſanguinis. Hic vir piiſſimus, idemque doctiſſimus, bis premit Lutherum. Nam primùm illum articulum, hoc, docet non quomodo Lutherus docet exponendum, Hoc, id eſt hic panis, ſed hoc, id eſt id quod nunc ego do, & quod vos ſumitis. deinde dicit aperte, panis & vini non niſi ſpecies eſſe conſeruatas, ſubſtantias ipſas in corpus & ſanguinem eſſe conuerſas. At quid aliud volunt qui ponunt tranſſubſtantiationem, quàm quod hic ait Theophilus, non intra trecentos hos annos proximos, quippe qui defunctus eſt aliquot annorum centenariis priuſquam tranſſubſtantiationis vocabulum naſceretur? *Cyrillus.* Quid beatum Cyrillum commemorem, qui nõ tantum dicit idem, ſed fermè etiam eodem modo? Ait enim, Ne horreremus carnem & ſanguinem appoſita ſacris altaribus, condeſcendẽs Deus fragilitatibus noſtris, infundit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis. Præterea ne quis dicat antiquos patres crediſſe ſic in Euchariſtia corpus eſſe Chriſti, vt tamen remaneat panis, non iſta tantum obſtant quæ diximus (quæ tamen obſtant apertiſſimè) ſed illud *Ambroſius.* præterea, quod ſupra diximus ex Ambroſio, cum ait: Licet figura panis & vini videatur, nihil tamẽ aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credendum eſt. Videtis vt beatiſſimus pater dicat non tantum corpus eſſe & ſanguinem, ſed etiam nihil eſſe præterea, licet panis & vinum eſſe videatur? Et illud qui dicit, non intra trecentos annos proximos hoc dixit, intra quos hanc tranſmutationis fidem exortam eſſe fingit Lutherus, ſed dixit ante annos plus mille. Nec ego certe veterum ferè ſanctorum patrum quenquam puto fuiſſe probaturum concinnam iſtam Lutheri ſimilitudinem ferri cum igne coniuncti. *Comparatio Lutheri eluditur.* Nam nemo vnquam dixit, ferrum ſic in ignem conuerti, vt tantum ferri ſpecies relinquatur, ſubſtantia ferri in ignis mutata ſubſtantiam: quod de pane & Chriſti carne veteres ſenſerunt omnes. Aut ſi quis vnus forte ſenſit aliter, tamen neque vna hirundo facit ver, & ille quiſquis fuerit, potiùs excuſandus eſt quòd in re tum non ſatis excuſſa parum peruiderit, quàm contra cæterorum omnium, contra totius eccleſiæ, contra tot ætatum fidem ſequendus, in quam ipſe quoque quiſquis fuerit, modò bonus fuerit, ſi nunc viueret, dubio procul fuerat conceſſurus. Nam quiſquis beatiſſimum Chriſti corpus ſic vt debet exiſtimat, facilius aſſentietur quaſcunque duas ſubſtantias ſimul manere coniunctas, quàm vllum corpus aliud manere commixtum cum venerando corpore Chriſti. Neque enim vlla ſubſtantia digna eſt, quæ cum ea miſceatur ſubſtantia, quæ ſubſtantias omnes condidit. Præterea olim patribus opinor multo adhuc minus fuiſſe placituram illam Lutheri collationem, qua ſic vult panem ſimul reſtare cum carne, ſicut reſtabat in vna Chriſti perſona Deus cum homine. Nam vt paſſim veterum quiſque patrum doctiſſimus atque ſanctiſſimus fatetur panem mutari in carnem, ita nemò tam impius erat, aut inſcius, vt humanitatem conuerti ſenſerit in diuinitatem, niſi forte nouam nobis perſonam fingat Lutherus, vt quomodo Deus aſſumpſit hominem, ita Deus & homo aſſumant panem & vinum. quod ſi credat, habebitur opinor hæreticus apud omnes qui non ſunt hæretici. Quamobrem vt aliquando finem de tranſſubſtantiatione faciam, ex ipſis Chriſti verbis & ſanctorum virorum ſententiis, euidenter liquet hanc quam nunc tenet eccleſia, veram eſſe fidem, qua creditur panis aut vini ſubſtantiam in euchariſtia non manere. ex qua & illud ſequitur, hoc Lutheri dogma, quod contra docet, falſum eſſe prorſus & hæreticum. Quo ex dogmate miror quid fructus populo ſpondeat. An, quod ait ipſe, ne quis propterea ſemet credat hæreticum, quòd fors ita cum Luthero ſentiat? At Lutherus ipſe fatetur nihil eſſe periculi, ſi quis hac in re ſentiat quod tota iam ſentit eccleſia. *Lutheri verba.* At contrà tota eccleſia cenſet hæreticum eſſe eum, qui ſentiat cum Luthero. Non debet ergo Lutherus animare quenquam cui bene cupit, vt ſecum ſentiat, cuius ſententiã tota condemnat eccleſia, ſed debet his ſuadere quos amat, vt accedant illis quos ipſe quoque indicat in nullo verſari periculo. Falſa eſt ergo iſta Lutheri via, contra publicam fidem non huius modò temporis, ſed etiam ætatum omniũ: nec liberat captiuitate credentes ei, ſed educens è libertate fidei, hoc eſt è

Rubem credentium Luthero.

loco tuto, quòd Lutherus ipſe fatetur, captiuat in errorem, ducens in præcipitium, & vias inuias, incertas, dubias, eoque plenas periculi: & qui amat periculum, perit in illo.

Tertia Lutheri captiuitas excutitur.

Poſtquam duas illas, quas ipſe ſibi fingit captiuitates, homo in malum liber, euaſit, ne mentem in Dei captiuet obſequium, expugnat, vt ſimulat, captiuitatem tertiã, & libertatem proponit, qua totam captiuet eccleſiam: vtpote cuius lucidiſſimam nubem diſpergere, columnã ignis extinguere, arcam violare fœderis, ſummum atque vnicum ſacrificium Dei propitiatorium, quod aſſidue pro populi peccatis offertur, homo pluſquam ſacrilegus, conatur auferre. Nam miſſam omni fructu, qui ex ea promanat in populum, pro ſua virili deſpoliat, cum miſſam negat bonum opus eſſe, aut populo quicquam prodeſſe. Qua in re neſcio, magiſne impietatem hominis admirer, an ſtultiſſimam ſpem, vel potius inſanam ſuperbiam, qui cum tam multas ipſe commemoret ſibi obiectas obices, nihil affert ſecum, quo reuellat vllam, ſed perinde agit, ac ſi rupes foret arundine perfoſſurus. Videt enim & fatetur obſtare ſibi ſanctorum patrum ſentẽtias, miſſæ canonem, totam denique totius eccleſiæ conſuetudinem, tot ſeculorum vſu, tot populorum conſenſu corroboratam. Quid ergo præſidij aduerſus tot acies tam validas, tam inuictas opponit? Vſitata via graſſatur, laborat ſeminare diſcordiam, & ſerere ſeditiones, plebem in patres excitare: & quo vulgus ad defectionem pronocet, ſtultiſſima ſolertia, & facillimè coarguenda, mentitur, totius exercitus ducem Chriſtum in ſuis ſeſe caſtris habere, & euangelij tubam pro ſe ſimulat canere. Quo ſtratagemate nullum vnquam fuit excogitatũ ſtultius. Nam quis vſquam viuit aut tam impius, aut tam omnino ſtupidus, qui eccleſiam corpus Chriſti myſticum ſic laceratam cenſeat, vt vbi membrorũ omnium compago ſit, illinc caput putet eſſe diuulſum? vt is qui carnem quam ſumpſit, nunquam deſeruit, eccleſiam, propter quam ſumpſit carnem, deſeruerit: & cum qua ſe promiſit ad finem vſq; ſeculi permanſurum, ab ea prorſus tot iam ſeculis abfuerit, atq; ad Lutherum tandem coniuratiſsimum eius hoſtem transfugerit?

Quæ ſibi Lutherus obijcit, ipſe non diluit.

Argumentũ validum ex Chriſti promiſſione.

Verùm videamus obſecro, quid afferat præſtigij, quo faciat verum videri, quòd dicit Chriſtum pro ſe ſtare. Poſt longas ambages definit miſſam, deinde ſeparat à miſſa miſſæ cæremonias, excutit cœnam dominicam, & verba Chriſti trutinat quibus vſus eſt cum inſtitueret miſſæ ſacramentum. Ibi cum teſtamenti verbum, rem videlicet tam abſtruſam reperiſſet, iam tanquam profligatis hoſtibus, cœpit ingeminare victoriã: verbis adornat inuentum, vt iactat, ſuum, & tanquam myſterium hactenus inauditum, magno ſupercilio docet quid ſit teſtamentum.

Verba Lutheri teſtamentum definientis.

Notandum eſſe clamat, ac memoria tenendum, teſtamentum eſſe morituri promiſſionem, qua nuncupat hæreditatem, & inſtituit hæredes. Hoc igitur ſacramentum, inquit, miſſæ, nihil eſt aliud quàm teſtamentum Chriſti. teſtamentum verò nihil aliud eſt, quàm promiſsio hæreditatis æternæ nobis Chriſtianis, quos ſuos hæredes inſtituit, corpus & ſanguinem ſuum velut ſignum tantæ promiſsionis adijciens. Hoc igitur decies repetit, inculcat, infigit, vtpote quod haberi vult immobile fundamentum, ſuper quod ædificet ligna, fœnum, ſtipulam. Nam hoc fundamento iacto, quòd miſſa Chriſti ſit teſtamentũ, omnem ſeſe iactat impietatem euerſurum, quam impij, vt ait, homines inuexerunt in hoc ſacramentum, & ſe dilucide probaturum, ad communionem recipiendam ſola fide veniendum eſſe: de operibus cuiuſmodi ſint, non admodum eſſe curandum, conſcientia quantò magis erronea ſit, ac peccatorum vel morſu vel titillatione moueatur, tantò ſanctius accedit quantò ſerenior, purior, & errore purgatior, tantò ſumi deterius. Ad hæc, Miſſam, bonum opus non eſſe. Miſſam non eſſe ſacrificium. Miſſam ſacerdoti tantùm, non autẽ populo prodeſſe. Nihil prodeſſe defunctis, nihil cuiquam viuentium. Impium eſſe errorem ſi miſſa canatur pro peccatis, ſi pro cuiuſquam neceſsitate, ſi pro mortuis. Inanem eſſe rem & impiam fraternitates, & annuas defunctorum memorias: abolendam eſſe talem omnem ſacerdotum, monachorum, canonicorũ, fratrum, religioſorum deniq;, quos vocamus, omniũ aliinoniam. Hæc igitur tot & tam immenſa bona ſe reperiſſe gloriatur, in eo ſolo quòd hoc ſacroſanctum ſacramentum comperit eſſe Chriſti teſtamentum. Iamq; in Sententiarios protinus, quos vocat, doctores inuehitur. Exclamat in omnes qui declamant apud populum, quòd cum illi tam multa ſcribant, hi tam multa loquantur & prædicent de Euchariſtiæ ſacramento, nemini tamen attingant quicquam de teſtamẽto, ſed impie celent populũ, bonum illud incomparabile, quod tamen iam olim ſciſſe profuiſſet: ex Miſſa nihil vnquam boni laicos neque viuos neque defunctos eſſe cõſecuturos. Ob cuius rei ignorantiam denunciat vniuerſos hodie ſacerdotes & monachos cum epiſcopis & omnibus ſuis maioribus idololatras eſſe, atque in ſtatu periculoſiſsimo verſari. Igitur iſtud Lutheri myſterium, è quo tantas efflat glorias, quòd definitionẽ teſtamenti tàm accuratè ad ſacramentum applicat, quàm verùm ſit non excutio, ſed interim certè non video cur hoc inuentum tanquam nouum tam magnifice iactat pro ſuo. Neſcio quos illic concionantes audiat, hic certè non ſemel audiuimus eam ſimilitudinem ad tædium vſque tractantes fraterculos, vt qui non ea duntaxat afferrent, quæ nunc pro nouis & exquiſitis affert Lutherus, Chriſtum eſſe teſtatorem, teſtamentũ in cœna condidiſſe, hæreditatem promiſiſſe, eandem nuncupaſſe regnum cœlorũ, heredes inſtituiſſe fidelium cœtum, ſacramentum hoc ſacrum eſſe ſignum, quod ſit adhibitum pro ſigillo: non hæc inquam tantùm, ſed & teſtium numerum, & ſyngrapham, & alios teſtamentorum ritus, ex intimis vtriuſque iuris erutos penetralibus explicarent, atq; ad amuſsim omnia applicarẽt ad ſacramentum. Hoc aliquanto concinnius, ac verius

Sacroſancta Lutheri dogmata.

Et in Luthero [illegible]

quoque

quoq; quàm Lutherus, quòd ad idem teſtamentum referebant non tantum quæ Chriſtus fecit in cœna, ſed etiam quæ paſſus eſt in cruce. Hoc vno tantùm impares Luthero, quod mirabiles, & hactenus inauditos Miſſę fructus uon inuenerunt, quibus & clerus præſentis vitæ fructum omnem, & populus futuræ perderet. Neq; enim ſacerdotibus quicquã laici temporalis boni couferrent ob Miſſam, è qua perſuaderentur nihil ſe ſpiritualis boni referre. Sed operæpretium eſt videre, qua ex arbore tam ſalubres fructus colligat Luthetus. Poſtquam ërgo ſæpius inculcauit, Euchariſtiæ ſacramentum, ſignum eſſe teſtamenti, teſtamentum vero nihil eſſe aliud quàm promiſſiouem hæreditatis, inde continuò cenſet conſequi, vt Miſſa neque bonum opus eſſe poſſit, neque ſacrificium. quod quiſquis ei conceſſerit, iam illi ſtatim admittendus erit totus ille peſtium catalogus, quo totam eccleſiæ faciem confundit. At quiſquis negauerit illi, iam tam magno molimiue nihil egerit. Nam argumenta quibus ea docere præ ſe fert, pudet propemodũ recenſere: ita ſuut in re tantæ maieſtatis uugacia prorſus ac friuola. Sic enim colligit, (nam ipſius verba recitabo) Audiſti, miſſam nihil aliud eſſe, quàm promiſſionem diuinam, ſeu teſtamentum Chriſti, ſacramento corporis & ſanguinis ſui cõmendatum. Quod ſi verum eſt, intelligis eam non poſſe opus eſſe vllo modo, nec alio ſtudio à quoquam tractari, quàm ſola fide. fides autem non eſt opus, ſed magiſtra & vita operum.

Quod miſſa non ſit opus, argumentum Lutheri primum.

Verba Lutheri.

Mirum eſt, quanto nixu parturiens, quàm nihil peperit, niſi merum ventum, quem cum ipſe tam validum velit videri, vt montes poſſet euertere, mihi profectò videtur tam languidus, vt agitare non poſſit atundinem. Nam ſi verborum tollas inuolucra, quibus rem abſurdam velut ſimiam purpura veſtit, ſi tollas exclamationes illas quibus iam velut re dilucide probata, toties in totam debacchatur eccleſiam, & nonduin collata manu tanquam ferox victor inſultat, nihil aliud reſtare videbis, quàm nudũ & miſerum ſophiſma. Quid enim aliud dicit tanto verborũ ambitu, quàm, miſſa eſt promiſſio, ergo nõ poteſt eſſe opus? Quem non miſereat hominis, ſi tam ſtupidus ſit, vt ineptiam ſuam non ſeutiat? aut quis nõ indignetur, ſi ſibi conſcius, tam ſtupidos tamen omnes exiſtimet Chriſtianos, vt tam manifeſtas inſanias nequeant deprehendere? Nou contendam cum eo de teſtamẽto & promiſſione, & totã illa definitione & applicatione teſtamenti ad ſacramentum. Non ero tam moleſtus ei, quàm alios fortaſſis inueniet, ſi qui bonã ei partem iſtius fundamenti ſubruerint, qui & teſtamentum nouum dicant promiſſionem eſſe legis Euangelicę, quemadmodum vetus fuit Moſaicæ, & teſtamẽtum iſtud negent à Luthero ſatis ſcite tractari. neq; enim teſtatori nuncupandum eſſe nominatim quid relinquat hæredi quem ex aſſe inſtituat: neq; remiſſionem peccatorum quam pro hæreditate nuncupatam Lutherus ait, idem eſſe quod regnum cœlorum, ſed viam potius in cœlum. Quas res atq; alias item aliquot, quiſquis vrgere volet ac premere, poſſet fortaſſis fundamẽti Lutheriam ſtructuram machinis alicunde concutere. Verùm iſtud eis permittam, qui volent. Ego iſtud ei fundamentum, quod immobile poſtulat eſſe, non mouebo: tantùm oſtendam, ædificium quod ſuperſtruxit, facilè per ſe corruere. Quod quo liquidius appareat, couſideremus pauliſper origiuem rei, miſſamque ad primum eius exemplar examinemus. Chriſtus igitur in illa cœna ſanctiſſima, qua ſacramentum illud inſtituit, corpus ſuum & ſanguinem ex pane & vino confecit, ac tradidit manducandum bibendumq; diſcipulis, tunc intra paucas horas idem corpus, eundem ſanguinem in ara crucis obtulit in ſacrificium patri pro peccatis populi: quo ſacrificio peracto, teſtamentum conſummatum eſt. In cœna iam morti proximus, quemadmodũ ſolent morientes, teſtamento quodam teſtatus eſt mentem ſuam, quid ſe defuncto fieret in memoriam ſuam. Inſtituens igirur ſacrameutum, cum ſuum corpus ac ſanguinẽ exhibuiſſet diſcipulis, ait illis, Hoc facite in meam commemorationem. Hoc ſi quis expendat diligenter, videbit Chriſtum ſacerdotem æternum loco ſacrificiorum omnium quæ temporarium Moſaicæ legis ſacerdotium offerebat, quorum etiam pleraque ſacroſancti huius ſacrificij typum gerebãt vnum ſacrificium, omnium ſummum, omnium plenitudinem, & quãdam veluti ſummam inſtituiſſe, quod & offerretur Deo, & in cibum daretur populo. Qua in re vt Chriſtus ſacerdos erat, ita diſcipuli eotenus repræſentabant populum, qui uon conſecrabant ipſi, ſed conſecratum de manu ſacerdotis ſui ſumebant, ſed eos ſtatim Deus in ſacerdotes elegit atque inſtituit, vt ipſi idem ſacramentum facerent iu commemorationem eius. Quod quid aliud eſt, quàm vt conſecrarent, nec ſibi tantùm ſumerent, ſed & exhiberent populo, & offerrẽt Deo? Nam ſi ibi uobis inſtet Lutherus, ſacerdotem offerre non poſſe, quia Chriſtus in cœna non obtulit: recordetur eorum quæ dixit ipſe, teſtamentum inuoluere mortem teſtatoris, nec antè vires & robur ſumere, & tota perfectione compleri, quàm eo moriente qui teſtatus eſt. Quamobrem non ea ſolum pertinent ad teſtamentum, quæ prius fecit in cœna, ſed etiam oblatio eius in cruce. nam in cruce conſummauit ſacrificium, quod inchoauit in cœna; eoque totius rei commemoratio, nempe conſecrationis in cœna, & oblationis in cruce, vno celebratur ac repræſentatur ſacrameuto Miſſæ, atque adeo verius mors repræſeutatur quàm cœna. Apoſtolus enim cum Corinthiis ſcriberet, Quotieſcunque panem hunc comederitis, & calicem biberitis, adiecit, non cœnam domini; ſed mortem domini annunciabitis.

Lutherus adulterat Chriſti teſtamentum.

Cœna dominica pulchre expenditur.

Veniamus ergo nunc ad præclaras iſtas Lutheri rationes, quibus probat miſſam neq; bonũ opus eſſe, neq; ſacrificium. & quanquam præſtaret prius tractare de ſacrificio, tamen quoniam ille primam quæſtionem fecit de opere ſequemur illum. Cum igitur ita colligit, miſſa eſt promiſſio, ergo non eſt bonum opus, quia nulla promiſſio

Reſpondetur argumentis Lutheri.

Confutatio efficax argumenti Lutheri.

miſſio eſt opus: dicemus Miſſam, quam ſacerdos oelebrat, oon verius eſſe promiſſionem, quàm fuit conſecrario Chriſti: & ſimul quæremus ab eo, an non aliquod opus tum fecerit Chriſtus? quod ſi neget, mirabimur profectò, ſi cum is opus faciat qui imagioem facit ex ligno, Chriſtus nullum prorſus opus fecerit cum caroem ſuam fecerit ex pane. Quòd ſi vllum opus fecerit, quio id booū fuerit, nemo opinor dubitabit. nam ſi booum opus fecit mulier quæ caput eius perfudit vnguento, quis poteſt ambigere an bonum opus fecerit Chriſtus, cum corpus proprium & in cibum exhiberet hominibus, & io ſacrificium offerret Deo? Quòd ſi negari noo poteſt, niſi ab eo qui in re maxime ſeria valdè velit oogari, bonum opus feciſſe Chriſtum, nec iſtud etiam negari poteſt, in miſſa bonum opus facere ſacerdotem, quippe qui nó aliud facit in Miſſa, quàm Chriſtus in cœna fecir, & cruce. Hoc enim declarant verba Chriſti: Hoc facite in meam commemoratiooem. Quibus verbis quid aliud volebat vt in Miſſa repræſentarent ac facerent, quàm quod ipſe faciebat in cœna & ctuce? Ioſtituebat enim, & inchoabat in cœna ſacramentum quod in cruce perfecit. Nam hac ratione potiſsimum oata eſſe videtur occaſio vt aqua ex eccleſiæ ritu vino miſceretur in calice, quia aqua cum ſanguine de latere morientis effluxit in cruce. Cum ergo negari non poſsit, quin bonum opus & in cœna & io cruce fecerit Chriſtus, neque etiam quòd ſacerdos eadē repræſentat ac facit in Miſſa, quomodo tamen fingi poteſt Miſſam bonum opus ooo eſſe? Quamobrem etiam com Lutherus ita rem tractet, vt quia laici communio alteri non ptodeſt laico, ideo nec ſacerdotis miſſa proſit populo, vehementer ipſe cæcutit, dum tenebras aliis conatur offundere, cum non videat hoc intereſſe, quòd laicus nuoc recipit tantum è manu ſacerdotis, ſicut primo receperunt apoſtoli è manu Chriſti, ſacerdos verò facit quod tum fecit Chriſtus. Nam idē corpus offert Deo, quod obtulit Chriſtus. Qua ex re & illud patet, quàm frigidum argumētum ſit, quo Miſſam comparat cum ſacramento baptiſmi, aut coniugij, contendens efficere, vt quoniam laicus baptizari non poteſt pro alio, aut pro alio vxorem ducere, ideo nec ſacerdos Miſſam pro alio poſsit celebrare. Nam coniugium planè ſuſtulit è ſacramentis, & recte etiam baptiſmum, cum dicit oon eſſe vere niſi vnum ſacramentum. Cur ergo nunc baptiſmum comparat & coniugium cum ſacramento Miſſæ, ſi illa noo habet pro ſacramentis? Quanquam etiam ſi vtrunque fateretur eſſe ſacramentum, (quod te vera ſunt) tamen neutrum erat ſic comparandum huic ſacramento Miſſæ, quin hoc ſacramentum, quod eſt proprium corpus ipſius qui dominus eſt ſacramentorum omnium, ſacramenta reliqua poſsit, quæ fecit ipſe, ſingulari aliqua prærogatiua præcellere, cum clare conſtet, quòd quemadmodum in omnibus aliis ſacramētis ſacerdos prodeſt miniſtrando ſingulis; ſic in hoc ſacramento dum offert in Miſſa, prodeſt & bonum cōmunicat vniuerſis. Alioqui ſi tam ſeuere Lutherus exigat vt omnia ſacramenta ſint inter ſe ſimilia, & in Euchariſtiæ ſacramento nihilo potior ſit ſacerdotis conditio, quàm laicorum, quare ooo cogit vt ſacerdos alterius manu ſemper communicet, oec ſinatur ſibi ſacramētum ſumere, quanquam poteſt conficere, quemadmodnm licet claues habeat pœnitentiæ, ſemet oon poteſt abſoluere? Nam quod affert de fide, quam à ſingulis ceoſet oportere præſtari, & ſuam cuique fidem prodeſſe, noo ſacerdotis, quemadmodum nec Abraham, vt ait, pro omuibus Iudæis credidit; iſtud quidem verum dicit, at uihil tamē magis id probat, quod proponit. Nam neque Chriſtus ipſe à ſemet oblatus in cruce, ſine ſua cuiuſque fide ſeruanit populum: ne quis id miſſam pntet cuinſq; ſacerdotis efficere, quæ tamen miſſa cuiuslibet ſacerdotis illis prodeſt ad ſalutem, quorum propria fides meruit, vt boui quod tam immenſum miſſa cōmunicat multis, poſsint eſſe participes. Quanquam poteſt & ad hoc valere nōnunqoam, vt incredulo quoq; fidē procuret infundi, quemadmodum Chriſti mors & paſsio procurauit vt gratia daretur gentibus, qua per auditum verbi venitēt in fidem Chriſti. Sed Lutherus ſatis ſentit ipſe facilè deſtrui quicquid adſtruxerat, ſi Miſſa poſsit eſſe ſacrificiū, aut oblatio quæ offeratur Deo. Hanc igitur obicem ſe pollicetur amoturū: qood qoò fidelius facere videatur & efficacius, obiicit ſibi ipſe prius quædam, quę ſibi ſentit obſtare. Iam & alterum (inquit) ſcandalū amonendum eſt, quod multo grandius eſt, & ſpecioſiſsimū, id eſt, quòd Miſſa creditur paſsim eſſe ſacrificium quod offertur Deo. Io quam opioionem & verba canonis ſonare videntur, vbi dicitur, Hæc dona, hæc muoera, hæc ſancta ſacrificia. & infra, Hanc oblationem. Item clariſsime poſtulatur, vt acceptum ſit ſacrificium, ſicut ſacrificium Abel &c. Iode Chriſtus hoſtia altaris dicitur. Accedūt his dicta ſaoctorum patrum, tot exempla, tantuſque vſus per orbem conſtanter obſeruatus.

Audiſti lector quas obices ipſe ſibi ſentit obiectas. Audi ounc viciſsim quàm Herculeis viribus aggreditur amouere. His omnibus, inquit, oportet conſtantiſsime opponere verbū & exemplū Chriſti. At quę ſunt igitur illa verba Chriſti, quæ tot olim ſanctis patribus, ac toti Chriſti eccleſiæ tot ignotata ſeculis, velut oouus Eſdras nobis Lutherus inuenit? Hoc declarat ipſe, cum dicit. Niſi enim Miſſam obtinuerimus eſſe ptomiſsiooem ſeu teſtamentum, vt verba clare ſonant, totum Euangelium, & vniuerſum ſolatium amittimus. Verba nunc audioimus, reſtat vt videamus exemplum. Exemplum ergo ſubiungit. Chriſtus (inquit) in cœna oouiſsima cum ioſtitueret hoc ſactamentum, & condidit teſtamentum, nó obtulit ipſum Deo patri, aut vt opus bonum pto aliis perfecit, ſed in menſa ſedens ſingulis idem teſtamentum propoſuit, & ſignum exhibuit. Iſta ſunt ergo verba Chriſti, iſtud eſt exemplum, è quibus nunc demū Lutherus vnus perſpicne videt Miſſam noo eſſe ſacrificium, nec oblationem. Mirum eſt igitur, ex tot ſanctis patri-

bus

Confirmatio eiſuſationis.

Marci 14.

Alia confirmatio eiuſdem.

Aqua miſcēdæ in calice, occaſio.

Aliud Lutheri argumentum.

Confirmatio eiuſdem.

Aliud Lutheri argumentum.

Alegatis eiuſdem confutatio.

Quòd Miſſa non ſit, verba formam: Lutheri verba.

Lutherus nouus Eſdras.

Argumentū Lutheri ab exemplo, vt ipſe putat, Chriſti.

bus,ex tot oculis, qnot in eccleſia tam multis ſeculis idem legerunr Euangelium, nullum fuiſſe vnquam tam perſpicacem, vt rem tam apertam depræhenderet, imò omnes etiamnum tam cæcos eſſe, vt ne adhuc quidem queant id quod cernete ſe Lntherus iactat, quanquã ipſo monſtrante, perſpicere? An nõ Lntherus hallucinatur potius, & aliquid ſe videre putat quod non videt, & digito conatur oſtendere, quod nuſquam eſt? Nam obſecro, qualis eſt iſta probatio, cum docere nititur Miſſam nõ eſſe ſacrificinm, ex eo quòd ſit promiſſio? quaſi promiſſio & ſacrificium ita ſibi mutuò pugnarenr, quemadmodnm frigus & calor. Quæ Lutheri ratio adeo prorſus friget, vt nec reſponſo digna videatur. Nam legis Moſaicæ tam multa ſacrificia, quanquam eſſent figuræ omnia futurarum rerum, tamen promiſſiones erant & ipſa. Promittebant enim ea propter quæ fiebant, non modò futura quondam illa quorum erant figuræ, ſed etiam liberationes, expiationes, purgationes, purificationes populi tunc præſentis, pro qno more ſolenni quotannis offerebantur. Quæ res cum tam aperta ſit, vt nemo prorſus eam poſſit ignorare, ridicula planè diſſimulatio eſt iſta Lutheri, cum nunc argumentetur fieri id non poſſe, qnod non ipſe tantum, ſed populus qnoq; nouit tam ſæpe factum.

Reſponſio.

Promiſſiones ſacrificiorum veteris teſtamenti.

Reſpondetur argumento Lutheri ab exemplo.

Nunc veniamus ad exemplum Chriſti, quo nos arbitratur Lntherus vehementer opprimi, propterea quòd Chriſtus in cœna ſacramento non vſus eſt pro ſacrificio, nec obtulit patri, ex quo probare conatur qnòd Miſſa quæ reſpõdere debet exemplo Chriſti, quo fuit inſtituta, non poteſt eſſe ſacrificium, nec oblatio.

Præcipuum Lutheri fundamentum ſubuertitur.

Si Lutherus tam rigide nos reuocer ad exemplum cœnæ dominicæ, vt nihil ſacerdotes permittat facere, qnod ibi Chriſtus feciſſe non legitur, ſacramentum quod conſecrant, nunquam ipſi recipient. Snum enim corpus Chriſtus in Euangelio non legitur, vbi cœna ſcribitur, ipſe recepiſſe. Nam quod Doctores aliquot eum recepiſſe tradunt, & quod idem canit eccleſia, nihil poreſt pro Luthero facere, cum ille neq; doctores omnes, neque totius eccleſiæ fides vllam faciat fidem, neq; credendum cenſeat quicquam, (nam ita ſcribit in ſacramẽto ordinis) niſi firmatum ſcripturis, & iiſdem etiam claris: cuiuſmodi certe ſcripturis, non, opinor, inueniet quòd ſuum corpus in cœna receperit Chriſtus: ex qno ſequitur, vt dixi, nec ſacerdotes debere quod conſecrant ipſi, recipere, ſi tam rigide nos obſtringat Lntherus ad exemplũ cœnæ dominicæ. Quòd ſi ideo concedat recipiendum ſacerdotibus, qnia receperunr apoſtoli, & eos contendat id iuſſos facere, quod tunc Apoſtoli fecerunt, nõ quod Chriſtus: hac ratione nunquam conſecrabunt ſacerdotes. Conſecrabat enim Chriſtus, nõ Apoſtoli. Res ergo docer non id ſolum ſacerdotes in hoc ſacramento facere, quod Chriſtus fecit in cœna: ſed etiam quod poſtea fecit in cruce, quædam etiam tradentibus Apoſtolis, quæ Chriſtus aut nuſqnam fecit, ant certe non legitur vſquam feciſſe: cuiuſmodi ſunt geſtus & ſigna quibus vtuntur dum conſecrant: quorum ego nonnulla credo ab ipſis promanaſſe apoſtolis. Preterea, quòd in canone Miſſæ quędam verba velut à Chriſto prolata recenſent, quæ nuſquam in ſcriptura ſacra leguntur, & tamen non dubitatur quin dixerit. Multa enim dicta ſunt & facta per Chriſtum, quæ nullus Euangeliſtarum complectitur, ſed quædam recente memoria eorum qui interfuerunt, velnt per manus deinceps tradita, ab ipſo Apoſtolorum tempore ad nos vſque peruenerunt. Lutherus non dubitat Chriſtum in cœna dixiſſe: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis: atq; hæc vſqueadeo pro comperto habet Chriſti verba fuiſſe, vt inde ſumat argumentum, neminem cogi ad recipiendum ſacramentum, ſed rem cuiuſque relictam arbitrio: tantùm ad hoc adſtringi, vt quoties facimus, faciamus in memoriam Chriſti. Hæc ergo verba non legit apud Euangeliſtas in cœna domini. Nam illic nihil aliud legitur, quàm, Hoc facite in mei commemorationem. Vbi ergo legit illa verba, Hæc quotieſcunqne feceritis, an non in Miſſa? Opinor certe, non alibi. Nam apud Apoſtolum alia ſunt. Igitur qui tantum fidit & vtitur illis verbis, quia reperit in canone: cur non pari fide ſuſcipit eiuſdem verba canonis, qnibus Miſſa oblatio dicitur & ſacrificinm? Quamobrem ſi ſacerdotes in Miſſa fatetur recte recipere quod conſecrant, quanquam nulla ſcriptura clara, cuiuſmodi ſolam recipir Lutherus, Chriſtum teſtetur illud nec in cœna feciſſe, nec vſqnam, non debet mirum videri Luthero, ſi ſacerdos offerat Chriſtum patri, quod nõ vno loco (clara teſtante ſcriptura) Chriſtus ipſe fecit in cruce. Nam crucem etiam ad teſtamentum in cœna factum pertinere, Lntheri quoque ratio demonſtrat, cum teſtamentum dicit mortem teſtatoris inuoluere, vtpote qua ſola perficitur. Præterea non alinnde (quod dixi) videtur & id inſtitutum, vt aqua vino miſcerernr in ſacramento, quæ res non in cœna legitur eſſe facta, ſed cruce. Deſinat ergo Lutherus argumentum nugax opponere, vt quia Chriſtus in cœna ſeſe non obtulit, ideo ſacerdos non offerre credatur in Miſſa, in qua non ſolum repræſentat qnod in cœna fecit Chriſtus, ſed etiam quod in cruce, in qua cõſummauit Chriſtus quod inchoauit in cœna.

Miſſa paſſionem repræſentat, nedũ cœnam.

Poſtremum argumentũ Lutheri

Anchora ſacra Lutheri præciditur.

Inſignis inſcitia Lutheri.

At poſtremum argumentum Lutheri, quo velut anchora ſacra ſuſtinetur nauis, omniũ eſt nugaciſſimum. Quomodo (inqnit) fieri poteſt vt ſacerdos offerat Deo, quod ipſe ſumit? Repugnat (inquit) Miſſam eſſe ſacrificinm, cum illam recipiamus. Idem ſimul recipi & offerri non poteſt, nec ab eodem ſimul dari & accipi. Deterret nos vbiq; Lutherus à rationibus philoſophicis, cum ipſe in re tam ſacra ſe firmet in meraciſſimo ſophiſmate. Nam quod vnqnam fuit ſacrificinm in lege Moſaica, qnod non ſumebant qui offerebant? An quod Deo offerebatur, ipſe comedebat? Nunquid ego manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem, inqnit Deus, hircorũ potabo? Præterea ſi Chriſtus & ſacerdos fuit & ſacriſi-

Argumentũ ſatis probabile.

Pſal. 49.

crificium, cur non potuit Chriſtus inſtituere vt ſacerdos qui idem ſacrificium repræſentaret, victimam & offerret & ſumeret? Sed hac in re, ne Lutherum videar imitari, qui nihil habet pro ſe, niſi quod è ſuo fingit capite, aſſeremus quod dicit beatus Ambroſius de Miſſa. Quanta, inquit, cordis cõtritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis caſtitate, atque animi puritate, iſtud diuinum & cœleſte myſterium eſt celebrandum domine Deus, vbi caro tua in veritate ſumitur, vbi ſanguis tuus in veritate bibitur, vbi ſummis ima, humanis diuina iunguntur: vbi adeſt ſanctorum præſentia, & angelorum: vbi tu es ſacerdos & ſacrificium, mirabiliter & ineffabiliter? Quis digne hoc poteſt celebrare myſterium, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Videtis vt hic beatiſſimus pater & oblationẽ appellet Miſſam, & in eadem Chriſtum ipſum dicat & ſacerdotem eſſe & ſacrificium, quemadmodum fuit in cruce. Cuius authoritati quantum Lutherus tribuat, viderit ipſe: quantum verò tribuerit beatus Gregorius, facilè declarauit, cum illũ imitatus ita ſcriberet. Quis fideliũ dubitare poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri in illo Chriſti myſterio, angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrã cœleſtibus iungi, vnum quid ex viſibilibus & inuiſibilibus fieri? Et alibi: Hæc namque ſingularis victima ab æterno interitu animas ſoluit, quæ illam nobis mortem vnigeniti reparat. Nec minus apertè, cum dicit: Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis iſtud ſacrificium, quod vnigeniti filij paſſionem ſemper imitatur. Videmus vt non ſolum Diuus Ambroſius, ſed & beatus Gregorius immolationem appellat miſſam & ſacrificium, ac fatetur in ea non vltimam tantùm Chriſti cœnam, quod Lutherus ait, ſed & paſſionem eius repræſentari. Nec tamen iſtud ſoli cenſuerunt illi: nam & Auguſtinus nõ ſemel idem fatetur. Ait enim de Miſſa: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit. Quia quotidie labimur, Chriſtus pro nobis quotidie immolatur. Item: Euchariſtia eſt oblatio benedicta, per quam benedicimur. aſcripta, per quam omnes in cœlum aſcribimur. rata, per quam in viſceribus Chriſti cenſemur.

Ambroſius.

Gregorius.

Auguſtinus.

Epilogus.

Cum igitur viri tam eruditi, tam ſancti, Miſſam dicant oblationem & ſacrificium, cum per eam, non cœnam tantum ſentiant, ſed etiam paſſionem Chriſti commemorari, cum inde tam immenſa bona prouenire fateantur, cum iiſdem conſentiens eadem in Miſſa tota decantet eccleſia, vehementer admiror, qua fronte Lutherus audeat clamare contrarium, Miſſam non eſſe ſacrificium, non eſſe oblationem, non prodeſſe populo, eludẽs authoritatem tot ſanctorum patrum, immò totius eccleſiæ, vaniſſimo figmento ſuo, quaſi omnia quæ de oblatione & ſacrificio fiunt & dicuntur in miſſa, intelligerentur de reliquiis Iudaici ritus, quo leuaſſe dicit ſacerdotem ea quæ offerebãtur à populo. Quod Lutheri commentum tam ineptũ viſum eſt, & tam abſurdũ etiã ipſi Luthero, vt dubitauerit, an ſanctorum patrũ ſententias, & eccleſiæ totius conſuetudinem tam futili ratione defenderet, an potius ex profeſſo contemneret. Nã quid dicemus (inquit) ad canones & authoritates patrum? Reſpondeo (inquit) ſi nihil habetur quod dicatur, tutius eſt omnia negare, quàm miſſam concedere opus aut ſacrificium eſſe, ne verbum Chriſti negemus, ſimul cum miſſa peſſundantes. tamen quò ſeruemus & eos, dicemus illa omnia reliquias eſſe ritus Iudaici. Ergo ne nihil dicatur, homo ciuilis, & honori ſanctorum patrum parcens, & honori totius eccleſiæ, tanquam officij gratia, ne ſtulte loqui viderentur, præclarum illud figmentum ſuum de reliquiis Iudaici ritus, pro velamento dignatus eſt eorũ pudendis prætexere, quod ſi quis amoueat, illorũ perfectò fecerit. Nam Lutherus ingenue nõ veretur, ſi quis eum ſtringat arctius, quicquid vnquam fuit ſanctorum patrũ, quicquid vnquam in eccleſia moris fuit, exſufflare potius videlicet, quàm cõcedat miſſam bonum opus eſſe, vel ſacrificium, hoc eſt, potius, quàm concedat verum eſſe, quod verum eſt. Nam quod ait eos negare verbum Chriſti, ac fidem ſimul cum miſſa peſſundare, quicunque dicunt miſſam eſſe ſacrificiũ, nemo eſt, opinor, qui credet hac in parte Luthero, niſi primũ doceat aut aliud euangelium legiſſe ſe, quàm ſancti illi patres legerunt, aut illud idem vel legiſſe diligentius, vel intellexiſſe melius, aut ſibi deniq; maiorem eſſe curam fidei, quàm vlli vnquam hactenus mortaliũ fuerit. At euangelium credo nõ proferet nobis aliud, neq; ſi proferet, audietur, etiam ſi angelus cũ eo de cœlo deſcenderit. Illud verò quod profert, neq; diligẽtius excuſſit, neq; perſpicit acutius quàm olim & excuſſum eſt & perſpectum ab illis quorũ nemo ſe repetiiſſe dixit illic, quòd nũc iſte iactat repperiſſe ſeſe, miſſam bonum opus non eſſe, non eſſe oblationem, non eſſe ſacrificium. Deniq; fidei cura cuiuſmodi fuit vtriſq;, non poteſt cuiquam eſſe obſcurum, qui quid vtrinq; ſcriptum ſit, non oſcitanter expertus derit. Veteres illi viri ſanctiſſimi viderunt, ſicut ſacramentorum omnium hoc eſſe ſummũ, quod ipſum ſacramentorum dominum complectatur; ita ſacrificiorum omniũ hoc eſſe vnicum, quod ſolum in loco tot olim ſacrificiorum reſtiterit: poſtremò, operum omnium quæ pro ſalute populi fieri poſſunt, longè lateque ſaluberrimum. Nam cum cætera ſacramenta proſint ſingulis ſolum, hoc in miſſa prodeſt vniuerſis: & cũ omnes orationes, quibus alius pro alio intercedit apud Deum, non impediri tantum, ſed & fruſtra fieri poſſint, hominum vitio: miſericors Dei clementia miſſam inſtituit pro ſalute fidelium, in qua ſuum ipſius corpus offerretur, tam ſalubre ſacrificium, vt eius fructum, nullius miniſtri quantauis iniquitas à populo ſuo vel auertere poſſit, vel imminuere. Hæc patres illi ſanctiſſimi cum vidiſſent, ſummam habuerunt curam, ſummam adhibuere diligentiam, vt propitiatorium hoc ſacramentum, & fide quàm maxima poſſet, haberetur, & honore quàm poſſet maximo coleretur:

Verba Lutheri.

O benignũ interpretem Lutherũ.

Lutherus vel doctrina vel ſtultitia ſingularis.

Excellentia miſſæ.

retur: eoque cum alia multa, tum hoc quoque ſedulò tradiderunt, panem & vinum in euchariſtia non manere, ſed in carnem & ſanguinem Chriſti veraciter eſſe conuerſa. Miſſam ſacrificium eſſe docuerunt, in quo Chriſtus ipſe pro populi Chriſtiani peccatis immolatur. Tum, quoad mortalibus licet, immortale myſterium venerando cultu & myſticis ornarunt ritibus. Populum, dum celebratur, in ſua ſalutis procuratione venerabundum adeſſe iuſſerunt: Deniq; ne laici diſſuetudine recipiendi ſacramenti, paulatim ex toto deſinerent, ſanxerunt vt ſemel ſaltem quotannis euchariſtiam quiſque ſuſciperet. His igitur atq; aliis eiuſmodi multis, ſancti patres eccleſiæ, alius alij temporibus ſolicitudinem ſuam circa ſacramenti huius reuerendi fidem venerationemq; declararunt. Ideo iactare non debet Lutherus, id quod iactat tamen, eos qui miſſam dicunt eſſe ſacrificium, aut alij quàm ſumenti prodeſſe, verbum Chriſti fidemque ac miſſam ipſam peſſundare.

Lutherus
ipſe
inſtitutiones eccleſiaſticá Lutheri.

At Lutherus Chriſti verbum, fidemque ac miſſam ipſam, ne peſſundentur & corruant, quo pacto ſuis humeris ſuſtinet, id vero viciſſim conſiderare profuerit. Initio, nomen ipſum ſacramenti demutat in deterius: & cum tot ſeculis appellatum ſit euchariſtia, vel ſacramentū corporis Chriſti, ille, ne nomen audientes admoneat maieſtatis rei, iubet vocari panem. Deinde panem & vinum, quæ veteres conuerſa fatentur in corpus & ſanguinē domini, Lutherus adbuc manere docet integra, vt ordinè paulatim honorem à Chriſto traducat in panem. Tum, licet nō damnet eccleſiā, quæ ritibus & cæremoniis ornauit & amplia uit miſſam, tamen cenſet quòd miſſa foret multo Chriſtianior, ſi veſtium, cantuum, geſtuū, & cæterarum cęremoniarum omniū pompa tolleretur, vt eſſet vicinior & ſimilior primæ omniū miſſæ, quam Chriſtus in cœna celebrauit cum apoſtolis: imò verò, vt quam minimū ſuperſit eorum quæ ſimplices animos plebeculæ commoueant, & in venerationē numinis inuiſibilis, viſibilis honoris maieſtate conuertant. Ad hæc docet, & omnibus modis inculcat miſſam bonū opus nō eſſe, ſacrificium non eſſe, oblationem nō eſſe, nemini prorſus è populo prodeſſe. Quorſum hæc tam ſancta & euangelica lectio? nempe vt populus totus, miſſa relicta ſacerdoti, cui ſoli prodeſſe perſuaſum habeāt, negligant ipſi, & ſuum officium rei ſibi inutili ſubducant. Denique, vt ipſi quando cōmunicantur, tantùm fidem afferant teſtamenti ſe fore compotes, qualeſcunq; conſcientias attulerint, immo quò magis erroneas attulerint, & peccatorum vel motſu vel titillatione turbatas, tantò magis ſe nouerint diuinæ promiſſionis eſſe participes, præſertim cum ſacramentum hoc ſit medicina peccatorum, prę teritorum, præſentium & futurorum, quæ nullum ſibi locum reperiret, ſcilicet in eo qui nimis anxie ſemet prius ideo à peccati morbo purgauerit, vt ſecundum apoſtoli præceptum probans ſemetipſum, conſcientia quàm maxime poteſt pura & ſyncera diſcumbat in menſa domini: vt

Lutherus populum abigit à miſſa.

Præparatio Lutherana ad euchariſtiam.

cum dicere non poſſit, Iuſtificatus ſum, illud ſaltem poſſit, Nullius mihi conſcius ſum. Lutherus ergo poſtea quàm præparationem iſtam docuit breuem & compendiariam ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, nempe in ſola fide promiſſionis, nullis operibus bonis, leuiſſima diſquiſitione conſcientiæ, poſtremò, ne quicquam deſit abſolutæ ſanctimoniæ ad ſuſcipiendum ſacramentum, ſuum votum aperit, quoties & quibus anni temporibus potiſsimum velit cogi populum communionem ſumere, nempe, prorſus nullo. Quid ita? quid? an quiſquam tam cæcus eſt, vt non videat quorſum hæc tam putida tendant? Certe non aliorſum, quàm vt populus ſenſim à communione ſacramenti deſciſcat in totum, qui primùm à quotidiana communione deflexit in ſeptimum quenque diem, pòſt in longius diſtulit, tandem deſiturus videbatur omnino, niſi patres illud veriti, ſanxiſſent, vt ter in anno quiſq; communicaret, interminati non habendum pro Chriſtiano, qui non obtemperaſſet. At nec id tamen diu potuit obtineri. Quamobrem ad vltimum eò deſcenſum eſt, vt inferius deſcendi non poſsit, niſi ferme prorſus ad inferos, nempe vt ſemel ſaltem in anno communicemus. quam conſuetudinem ſi Lutherus, vt optat, poſſet amoliri, mundus refrigeſcente in dies feruore fidei, propediem profecto redigeretur eò quò iampridem perueniſſet, niſi hoc ſolenni quotannis communicandi ritu fuiſſet retentus, vt aliquando nullum ferme remaneat in populo communicandi veſtigium, fortaſſe nec in clero quidem, ſi Lutherus obtinere poſsit vt miſſa non apparatu tantum & cæremoniis, ſed populi quoque frequētia, ſpe ac veneratione ſpolietur. Hæc ſunt ergo præclara illa promiſſa Lutheri. Hæc eſt ſpecioſa illa libertas, quam pollicetur ex eccleſia catholica venientibus ad ſe, nempe vt liberentur aliquando ab vſu & fide ſacramenti. Quamobrem ego hac de re amplius diſputare ſuperſedeo, vtpote re magis ex ſe perſpicua, quàm vt cuiquam diſputari debuerit. Tantùm indicaſſe non oberit aſtutiſsimas verſuti ſerpētis inſidias, quibus iam perſpectis (perſpicit enim non dubito, quiſquis non planè cæcus eſt) non erit opus hortari quenquam vt præuiſa mala deuitet. Nemo erit, opinor, tam vecors, vt ex eccleſia Dei deſciſcat in ſynagogam ſatanæ: è Chriſti ſeruitute fugiens, cui ſeruire regnare eſt, aſſerat ſe in libertatem propoſitam à Luthero, vbi ſolo libertatis nomine ſciens prudenſq; in præmonſtratas diaboli pedicas iniiciat pedes. Sed vnà cum pſalmiſta omnes Chriſti fideles hunc verſum clament: A iudiciis tuis non declinabimus, quia tu legem poſuiſti nobis.

Tēpora plebi à Luthero ſtatuta ad communicandum.

Libertas transfugientiū ab eccleſia Chriſti ad Lutherum.

Pſal. 118.

Reliquis ergo ſacramentis nihil opus eſt immorari, quorum pleraque omnia tollit, cum Euchariſtiæ ſacramentū, quod vnicum ferme relinquere videbatur, tamen vt oſtendimus, ita tractarit, vt nemini relinquat dubium, quin & illud quoq; paulatim machinetur amoliri. nec vllum ſane ſacramentum laudat, niſi in alterius iniuriam. Nam ſic & baptiſmū effert, vt deprimat pœniten-

 niten-

nitentiam. Quanquam baptiſmum etiam ipſum tractauit ſic, vt ſatius multo fuerit non attigiſſe. Nam primũ, quò videretur ſanctè rem ſanctam tractaturus, multis verbis docet fidem habendam promiſſioni diuinæ, qua ſalutem promittit credentibus & baptizatis. Iraſcitur, & inſectatur eccleſiam, quòd Chriſtiani non docentur hanc fidem, quaſi quiſquam ſit vſquam tam rudis chriſtianæ fidei, vt hoc ſit docendus: & tamẽ tanquam rem nouam & inauditam ferme Lutherus hoc proponit, cum inſigni cõtumelia doctorum *Luthe. mos perpetuus.* omnium. Sed hoc nõ eſt ei nouum, in rebus notis tanquam nouis nugari. Qui poſtquam hanc fidem verbis multis oſtendit, deinde fidei diuitias in hoc extollit, vt nos reddat pauperes bonorum operum, ſine quibus, vt beatus Iacobus ait, *Iacobi 2.* fides omnino mortua eſt. At Lutherus ſic fidem nobis commendat, vt non ſolum permittat nobis vacationem ab operibus bonis, ſed etiam ſuggerat audaciam qualiumcunque facinorum. Ait enim: Iam vides, quàm diues ſit homo chri*Luth. verba perniciosiſſima.*ſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas. O vocem impiam, & omnis impietatis magiſtram, ita per ſe exoſam piis auribus, vt nõ ſit opus eam redarguere. Ergo nõ damnabit adulterium, non damnabit homicidium, non periurium, non parricidium, ſi tantum credat ſe quiſq; ſaluandũ fore per virtutem promiſſionis in baptiſmate? Nam hoc dicit apertiſſimè, neq; quicquam corrigunt hanc ſententiam verba quę ſtatim ſubiungit, im*Luth. verba.*mo verius augent. ait enim: Cætera omnia, ſi redeat vel ſtet fides in promiſſionem diuinam baptizato factã, in momento abſorbentur per eandem fidem, immo veritatem Dei, quia ſeipſum negare non poteſt, ſi tu eum confeſſus fueris, & promittenti fideliter adhæſeris. Quibus verbis quid aliud dicit, quàm quòd dixit prius? ſi abſit incredulitas, cætera flagitia omnia in momento abſorberi in ſola fide, ſi confeſſus fueris Chriſtum, & eius promiſſioni fideliter adhæſeris, hoc eſt, firmiter credideris te ſaluandum per fidem, *Luth. verba.* quicquid feceris. Et quo minus dubites quò tendat, contritio (inquit) & peccatorum confeſſio, deinde & ſatisfactio, & omnia illa hominum excogitata ſtudia, ſubitò te deſerent, & infeliciorem reddent, ſi in ipſis tete diſtenderis, oblitus veritatis huius diuinæ. Cuius veritatis? nempe huius, quòd nulla peccata poſſunt te damnare, niſi ſola incredulitas. Quæ Chriſtianę ferent aures peſtilens hoc ſerpentis ſibilum, quo baptiſmum non in aliud leuat, quàm vt premat pœnitentiam, & baptiſmatis gratiam ſtatuat impune peccandi licentiam? In quam ſententiam & iſtud *Hieronymus.* facit, quòd ei non placet illud beati Hieronymi, pœnitentiam eſſe ſecundam tabulã poſt naufragium. negat peccatũ fidei eſſe naufragium, & ſic diſputat, tanquam illud verbũ prorſus interimat omne robur fidei. At quis neſcit, niſi Lutherus, peccatorem non ſolum non ſaluari per ſolam fidem baptiſmi, ſed etiam illum ipſum baptiſmum ei ceſſurum in cumulum damnationis? & merito, quia læſit Deum, à quo totam acceperat baptiſmi gratiam: & cui plus à Deo datur, ab illo viciſſim plus exigitur. Igitur cum fidem per opera mala peremerit, cur dici nõ poteſt feciſſe naufragium, qui è Dei gratia decidit in manus dæmonum, è quibus abſq; pœnitentia non reponitur in eum ſtatum, vt baptiſmus ei rurſus prodeſſe poſſit? Num hic impie ſcripſit Hieronymus? Num impie tota ſentit eccleſia, quæ non credit Luthero, ſine pœnitentia per ſolam fidem Chriſtianos eſſe tutos in mediis ſceleribus? Præterea ſic totus eſt in fide ſacramenti, vt non admodum curet de forma verborum, cum verbum tamen per quod ſignificatur aqua, nõ minoris eſſe momenti debeat, quàm aqua ipſa: in qua ſi putat adhibendam eſſe curam, vt pura ſit & elementaris, nullámne decet adhiberi ad inquirendam & exercendam veram aliquam verborum formam, quam certum ſit & nunc obſeruari per eccleſiam, & olim in vſu fuiſſe veteribus?

Poſt hæc ita magnificat fidem, vt propemodum videatur innuere ſolã fidem ſine ſacramento ſufficere. Nam interim ſacramentum priuat *Lutherus quàm tribuat ſacramentis.* gratia, dicit ſacramentum ipſum nihil prodeſſe, negat ſacramenta gratiam conferre, aut gratiæ efficacia ſigna eſſe, aut omnino quo ad efficaciã ſignificationis ſacramenta legis euangelicæ differre quicquam à ſacramẽtis legis Moſaicæ. Qua in re non multum diſputabo, ſed tamen videtur mihi, cum omnia in figuris contigerint Iudæis, quarum veritas eſt in lege Chriſtiana, nihil abſurdi conſecuturum, ſi quis credat ſacramenta quibus vtitur eccleſia, tantum præcellere ſynagogæ ſacramẽtis, quantum lex noua veterem legem antecellit, hoc eſt, quãtum corpus vmbram ſuperat. Quod ego tamen neque primus cogito, neque ſolus. Hugo de ſancto Victore, quem ne*Hugo de ſancto Victore.*mo non habet & pro viro docto & bono: Dicimus, inquit, ſacramẽta omnia ſigna eſſe quædam eius quæ per illa datur gratiæ ſpiritalis. Oportere autem, vt ſecundum proceſſum temporũ, ſpiritualium gratiarum ſigna magis ſemper ac magis euidentia ac declaratiua formarentur, vt cum effectu ſalutis creſceret cognitio veritatis. Et paulò pòſt: Quia circunciſio eas tantum quæ foris ſunt enormitates amputare poteſt: eas verò quæ intrinſecus ſunt pollutionum ſordes, mundare non poteſt: venit poſt circunciſionem lauacrum aquæ, totum purgans, vt perfecta iuſtitia ſignificaretur. Nemo negabit, opinor, hunc ſaltem Doctorem ſentire ſacramentum baptiſmi & interius purgare, & efficacius perfectam ſignificaſſe iuſtitiã, quàm fecerit circunciſio. Qua in re *Duæ opiniones de poteſtate ſacramentorum.* Lutherus duas vias commemorat, & vtranque refutat. alteram, qua arbitrati ſunt plurimi eſſe aliquam virtutem occultam ſpiritalem in verbo & aqua, quæ operetur in animo recipientis gratiam Dei: alteram eorum, qui nihil virtutis tribuerunt ſacramentis, ſed gratiam cenſuerunt à ſolo Deo dari, qui aſſiſtit ex pacto ſacramentis à ſe inſtitutis. Sed quoniam vtriq; in hoc conſentiunt, ſacramenta eſſe efficacia ſigna gratiæ,

vtran-

vtranque viam reiicit Lutherus. Ego vt neſcio
vtra via ſit verior, ita neutram audeo planè con-
temnere. Nam & illa ipſa via, cui nunc paucio-
res aſſentiunt, non omnino videtur abſurda,
quòd aqua ipſa per verbum occultã habeat ani-
Comparatio. mæ purgandæ potentiam. Nam ſi creditur ignis
in animam agere vel ad punienda vel ad expur-
ganda peccata, quid vetat poteſtate Dei, per quã
& illud fit, aquam quoque ad eluendas animæ
ſordes poſſe penetrare? In quam ſententiam vi-
Augustinus. dentur & Auguſtini verba facere, cum ait, Aqua
Beda. baptiſmi corpus tangit, & cor abluit. Et illud Be-
dæ quoque dicentis quòd Chriſtus tactu mun-
diſſimæ carnis ſuæ vim regeneratiuam contulit
aquis. Præterea videtur illud in idem vergere,
Ezech. 16. quod propheta canit Ezechiel, Laui te aqua, & e-
mundaui ſanguinem tuũ ex te. Quæ verba quan-
quam de præterito loquitur ante baptiſmum in-
ſtitutum, tamen vt mos eſt prophetarum, de fu-
turo intelliguntur: nec de corpore duntaxat ab-
luendo loquitur, in quo nihil eſt dignum quod
propheta prædiceret, nec alia ablutio vnquã ab-
luit animæ crimina, præter ſacramentum bapti-
ſmi. De illo igitur locutus videtur Ezechiel in
perſona Dei prædicentis in ſacramento baptiſmi
mundationem futuram eſſe per aquæ lauacrum.
Quod ipſum paulò pòſt idẽ propheta proſequi-
Ezech. 36. tur apertius per verbum de futuro. Effundam, in-
quit, ſuper vos aquam mundã, & mundabimini
ab omnibus inquinamentis veſtris. An non per
aquam promittit emundationem? Quanquam
multo adhuc apertius rem videtur oſtẽdere Za-
Zachar. 14. charias. Exibunt, inquit, aquæ viuæ de Hieruſa-
lem, medium earum ad mare orientale, & medi-
um earum ad mare nouiſſimũ. Hic ſermo an non
nobis euidenter baptiſma depingit? aquam vi-
delicet de eccleſia manantem, quæ & originale
peccatum purget, & actuale: quam non mortu-
am appellat, ſed viuam, vt oſtendat, opinor, per
occultam ſanctificationem Dei, elemento cor-
poreo vim vitæ ſpiritalis infuſam. Quanquam, vt
dixi, qua via Deus per ſacramenta infundat gra-
tiam, neque mihi iudicium arrogo, neque valde
Roman. 2. veſtigo, cum ſint inueſtigabiles viæ eius: ſed cer-
te aliqua via credo feciſſe Deum, vt illic aqua nõ
ſit ocioſa, vbi tam multa & tam magna prædicat
facienda per aquam, præſertim cum & aqua, &
ſal, & alia quoque corporea, ſine ſacramento
fidei per verbum Dei recipiant ſpiritalem vim,
niſi prorſus vana ſint omnia quibus cerei, ignis,
aqua, ſal, panis, altare, veſtes, annuli, vel adiuran-
tur exorciſmis, vel inuocatione gratiæ benedi-
cuntur. Quæ ſi vim vllã recipiunt, aut vllam nu-
minis præſentiam extra ſacramentũ, quantò ma-
gis credibile eſt, aquam è Chriſti latere manantẽ,
ſpiritalem vitæ vim fonti regenerationis infun-
dere? De quo Chriſtus ipſe pronunciat, quòd ni-
ſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ
poterit videre regnum Dei: ad quod, vt ait Apo-
ſtolus, vocamur in baptiſmo. Quo in baptiſmo
quod Lutherus multum tribuit fidei, non ad-
uerſor, modò ne tantum tribuat fidei, vt fides
malam vitam defendat, aut quæ formare debet,
exterminet ſacramenta. At cum certam illam &
indubitatam fidem exigit in ſuſcipiente ſacra-
mentum, ego potius optandam quam exigendã
puto. Nam & beatus Petrus cum ita populum
hortaretur, Pœnitentiam agite, & baptizetur *Actuum. 2.*
vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in
remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipie-
tis donum Spiritus ſancti: non dubito quin pa-
ratus fuerit ad baptiſmum recipere totum popu-
lum, nec tamen à toto populo repente exegiſſet
illam ſummã, certam, & indubitatam fidem Lu-
theri, quam nemo ſe ſatis ſciret attigiſſe: ſed pro-
mittebat ex ipſo ſacramẽto, omnibus qui ſe dun-
taxat offerrent, & cuperent remiſſionẽ peccato-
rum & gratiam. Nam magna quędam res eſt, cer- *Fides ...*
ta & indubitata fides, neq; ſemper, neque cuique
contingit etiam ex his fortaſſe qui ſibi contigiſſe
non dubitant. Ego profectò ſperare non dubi-
tem, quin Dei benignitas ſuis ſacramentis aſſi-
ſtat, & viſibilibus ſignis inuiſibilem infundat
gratiam, & ſacramenti ſui feruore teporem cre-
dentium adiuuet: multos per ſacramenta conſe-
qui ſalutem, qui de ſua fide non amplius polliceri
poſſunt, quàm potuit ille qui dixit, Credo domi- *Marci 9.*
ne, adiuua incredulitatem meam. Qua in re ſi cui
alij præterquam aduerſario videar nimium ſa-
cramento tribuere, ſciat me nihil definire, nihil
omnino ſtatuere, quod præiudicet fidei, cui ego
nihil derogo: ſed vt ſolam fidem ſine ſacramen-
to non puto ſufficere in eo qui ſacramenti com-
pos eſſe poteſt, ita neque ſacramentum ſufficere
ſine fide, ſed vtrunque oportere concurrere, &
vtriuſque robur cooperari: & tutius opinor ali-
quid ſacramento concedere, quàm tantum dare
fidei, quantum donat Lutherus, qui ſacramento
neque gratiam relinquit, neque efficaciam ſigni.
Præterea fidem ipſam nihil facit aliud, quàm fla-
gitioſæ vitæ patrocinium. quemadmodum antè
vberius declarauimus. Quam rem quo magis a-
ſtrueret, poſtquam ſacramenta priuauit gratia,
eccleſiam priuat & votis omnibus, & legibus.
Nec quicquam mouet illum, quod Deus ait, Vo- *Pſal. 75.*
uete, & reddite. Sed de votis non dubito quin ex-
urgent ex his, quos ille Vouiſtas vocat, & Vota- *Vouiſtæ &*
rios, qui pro ſua profeſſione reſpondeant. Nam *Votarij.*
illos ex eccleſia ſemel ferme prorſus eliminat v-
niuerſos. De legibus vero demiror hominem *De legibus.*
præ pudore potuiſſe tam abſurda cogitare, quaſi
Chriſtiani peccare non poſſent, ſed tam perfe-
cta foret tanta multitudo credentium, vt nihil
decerni debeat vel ad cultum Dei, vel ad vitanda
flagitia. Sed eadem opera & eadem prudentia *Lutherus*
tollit omnem poteſtatem & authoritatem prin- *Chriſtianã*
cipum & prælatorum. Nam quid faciet rex aut *ſummam de-*
prælatus, ſi neque legem poteſt ponere, neque *cernit licen-*
poſitam exequi, ſed populus abſque lege velut *tiam.*
nauis abſque gubernaculo fluctuet? Vbi eſt ergo *Roma. 13.*
illud apoſtoli, Omnis creatura poteſtatibus ſub-
limioribus ſubiecta ſit? Vbi illud? Si male agis, re- *Ibidem.*
gem time. non enim ſine cauſſa gladium portat?
Vbi illud, Obedite præpoſitis veſtris, ſiue regi *Hebr. 13.*
quaſi præcellenti, & quæ ſequuntur. Cur igitur
ait Paulus, Bona eſt lex? Et alibi: Lex eſt vin- *1. Timot. 1.*
culum

Coloſſ. 3.
Auguſtinus.

culum perfectionis. Præterea cur ait Auguſtinus, Non fruſtra ſunt inſtituta poteſtas regis, & cognitoris ius, vngula carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris. Habent omnia iſta modos ſuos, cauſſas ſuas, rationes, vtilitates: & hæc cum timentur, & mali coërcentur, & boni quieti inter malos viuunt. Sed de regibus dicere ſuperſedeo, ne videar meam cauſſam agere. Illud quæro, ſi nemo nec homo nec angelus poteſt ſuper hominem Chriſtianum legem ponere, cur tot leges ponit apoſtolus & de legendis epiſcopis, & de viduis, & velandis fœminarum capitibus? cur ſtatuit ne fidelis coniunx ab infideli diſcedat, niſi deſeratur? Cur audet dicere, Cæteris dico ego, non dominus? Cur exercuit tantam poteſtatem, vt fornicariam ſatanæ iuberet tradi in interitum carnis? Cur Petrus Ananiam & Sapphiram ſimili pœna percuſſit, quòd è ſua ipſorum pecunia paulum reſeruaſſent ſibi? Si multa ſtatuebant Apoſtoli præter ſpeciale præceptum domini ſuper Chriſtianum populum, cur non idem propter populi commodum faciant ij qui ſucceſſerunt in Apoſtolorum locum? Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus, vir ſanctus, & nihil arrogans, iubere non dubitanit vt per ſuam diœceſim coniuges in quadrageſima coniugalibus abſtinerent amplexibus: & indignatur Lutherus, ſi Romanus pontifex ſucceſſor Petri, vicarius Chriſti, cui Chriſtus velut apoſtolorum principi tradidiſſe creditur claues eccleſiæ, vt cæteri per illum & intrarent, & pellerentur, ieiunium indicat aut preculas? Nam quod ſuadet, corpore parendum eſſe, animo retinendam libertatem, quis tam cæcus eſt vt ſtrophas iſtas non videat? Cur ignem gerit & aquam, homo ſimplex & ſanctulus? Cur iubet velut Apoſtoli verbis, hominum ſeruos non fieri, hominnm ſtatutis non ſubiici, & tamen parere iubet pontificis iniuſtæ tyrannidi? An apoſtolus hoc pacto prædicat? Reges nihil iuris habent in vos, iniuſtum feratis imperium: Domini ius non habent in vos, feratis iniuſtam ſeruitutem. Si Lutherus parendum eſſe non putet, cur parendum dicit? ſi parendum cenſet, cur ipſe non paret? Cur homo verſipellis talibus ludit technis? Cur in pontificem, cui dicit obediendum eſſe, conuiciis inſurgit? cur tumultum ſuſcitat? cur in illum concitat populos, cuius vel tyrannidem (vt vocat) fatetur eſſe ferendam? Profectò non ob aliud, opinor, quàm vt fauorem ſibi conciliet improborum, qui ſuorum ſcelerum impunitatem cuperent, & eum qui pro libertate eorum iam decertat, caput ipſis inſtituerent, & eccleſiam Chriſti tam diu ſupra firmam petram fundatam, demolirentur, & eccleſiam nouam ex improbis & flagitioſis conflatam erigerent, contra quàm clamat propheta: Odiui eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. & vnà cum illo noſtra clamet eccleſia:

Dirige me in veritate tua, quia tu es Deus
ſaluator meus, & te ſuſtinui
tota die.

1. Cor. 7. — *Ibid. 5.* — *Actuum. 5.*

Ambroſius coniuges ab amplexibus in quadrageſima iuſſit abſtinere.

Quàm diſſidet Lutheri techna à ſimplicitate Pauli.

Pſal. 25. — *Pſal. 24.*

DE POENITENTIA.

DE pœnitentia pœnitet audite quas nugas, quæ ſomnia, quàm abſurda, quàm impia, quàm ſibi repugnantia deblateret. Primum, ſuo more, velut nouum proponit, quod omnibus eſt notiſſimum, fidem habendam promiſſioni Dei, qoa promiſit pœnitenti remiſſionem peccatorũ, & iam inſectatur eccleſiam, quòd hanc fidem nõ doceat. Quis eſt, obſecro, qui hortatur quenquam ad Iudæ pœnitentiam, vt doleat qood cõmiſit, nec tamen ſperet remiſſionem? Quis doceret orandum pro venia, niſi qui doceret promiſſam pœnitenti veniam? Quid prædicatur ſæpius, quàm Dei tam immenſa clementia, vt nulli quantumuis ſcelerato ſe emendanti claudat miſericordiam? Nemò ne præter Lutherum legit vnquam? Quacunq; hora ingemuerit peccator, ſaluus erit? Nemo legit dimiſſam adulteram, veniam prophetæ datam non adulterij tantum, ſed homicidij quoque? Paradiſum latroni datum, & eo datum tempore, quo commiſſa prius flagitia, nulla potuit ſatisfactione redimere? Tantum abeſt vt hæc non doceatur fiducia conſequendæ veniæ, quam præteritam eſſe clamat Lutherus, vt potius in eam partẽ nimij ſint qui populos docent, ita per ſe libenter in hanc fiduciam præcipites, vt magis in alteram partem ſint auocandi, qua contemplentur ſeueram atque inflexibilem Dei iuſtitiam. Decuplo enim plures inuenies, qui nimia peccent iſtius promiſſionis fiducia, quàm deſperatione remiſſionis obtinendæ. Deſinat ergo Lutherus eam rem pro noua nobis & admiranda proponere, quam nemo non nouit. Deſinat quiritari deſuetam eſſe, quia nihil eſt vſitatius.

Lutheri mos, notiſſima cen ignota proponere.

Ezech 18. — *Ioan. 8.* — *2. Reg. 12.* — *Lucæ 23.*

Populus nimis præceps in fiduciam conſequendæ veniæ.

DE CONTRITIONE.

OBliteratus, inquit, promiſſione & fide, videamus quid ſubſtituerunt in locum earum. Tres, inquit, partes dederunt pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem. Quas omnes tres ita tractat Lutherus, vt ſatis perſpicuũ faciat, nullam earum ſatis ei placere. Nam primum, in contritione indignatur, & iram Dei vocat inſuſtentabilẽ, quòd attritioni fiat locus, & credatur Deus in dolore non ſatis de ſe vehementi, per ſacramentum ſupplere quod deeſt homini. Videamus ergo quàm præclare tuetur quod dicit, quid ipſe contra ſtatuat. Magnam rem docet eſſe contritionem, nec facilè parabilem. Iubet omnes habere pro certo, & indubitanter credere, propter verbũ promiſſionis omnia ſibi peccata eſſe dimiſſa, & à Deo ſe ſolutos in cœlo, poſtquã per os hominis ſoluti ſunt in terra. Qua in re, ipſius aſſertio vel in idem recidet quod reprehẽdit, vel multò magis erit abſurda. Nam Deus aut his duntaxat per pœnitentiã promiſit peccata remittere, qui quãtum peccati moles exigit, antè conteruntur, aut his etiam qui minus, aut denique remittit, & illis qui nihil conteruntur omnino. Si non promiſit niſi quantum poſcat peccati magnitudo contritis, non poteſt Lutherus, quod omnes iubet

Lutheri verba.

Luthero nimium diſplicet attritio.

Lutheri verba.

bet

Lutherus vndequaq; conſtrictus. bet, certus eſſe & indubius ſe eſſe ſolutum. Nam quomodo ſcire ſe poteſt obtinere promiſſum, qui ſe ſcire non poteſt ſatis eſſe contritum? Nemo enim nouit mortalium omnium, quantum contritionis exigat mortale peccatum. Quòd ſi veniam promiſit Deus paruin pro ſceleris mole contritis, tunc promiſit his quos iſti vocant attritos: & iam cum his conſentit Lutherus, quos reprehendit. At ſi promiſit Deus nihil omnino dolentibus, magis promiſit attritis, hoc eſt vteunq; dolentibus. Quamobrem ſi tantum contritionem admittit, hoc eſt ſufficientem dolorem, nemo certus eſſe poteſt ſe eſſe abſolùtũ: & ſic Luthero perierit, aut falſa fuerit & erronea abſolutionis certa illa & indubitata fiducia. Sin ei dicat, cuius alioqui tepido ac remiſſo dolori peccata non remitterentur, per pœnitentiæ ſacramentum remitti omnia, fatenti ſe peccatorem, & petenti veniam, & per os fratris obtinenti: quid dicit aliud quàm ſentiũt illi quos inſectatur, qui dicunt ex attritione per ſacramentum ſuperueniens fieri cõtritionem? Sacramentũ enim ſupplere, quod deeſt homini. Aut ergo falſa eſt *Lutherus in labyrintho.* poſitio Lutheri, certum eſſe hominem de abſolutione: aut velit nolit, admittendum eſt ei, ſi nõ verbum attritionis, certe res quam iſto verbo deſignant: quàm ſi conceſſerit, (cõcedet autem, niſi velit de ſua ſententia diſcedere) hominis eſt intempeſtiue nugantis, re conceſſa, contendere de vocabulo. Rurſus magnificis verbis totã inuadit eccleſiam, tanquam peruerſe doceat contritionem, dum ex peccatorum collectu & conſpectu docemur parare contritionem, cum prius doceri deberemus, vt ait ille, principia & cauſſas contritionis, nempe diuinæ comminationis & promiſſionis immobilem veritatem: quaſi non talia paſſim dicantur apud populum, prolatis etiam in eandem ſententiam locis multis è ſcriptura ſacra *Iuſtiores cõtritionis cauſæ, quàm quas affert Lutherus.* neq; minus minacibus, neq; minus cõſolãtibus, additis præterea cauſis in procurandã contritionem neq; minus efficacibus quàm ſunt iſtæ quas Lutherus exigit, & longè ſanctioribus. Nam hæ cauſæ nihil fere proponunt præter metũ pœnæ, & ſpem præmij: quæ conuerſio ad Deum nõ tam grata eſt, ac ſi quis conuertatur amore. hoc fiet, ſi non iſta quiſq; tantũ proponet ſibi, quæ Lutherus affert, comminationem Dei, & remiſſionis promiſsionem, ſed illa etiam quę docent hi quos Lutherus tanquam nihil docentes irridet, nempe Dei in ſe benignitaté, & toties in nihil benè merentem, in toties merentem malè, amplius collata beneficia. His enim rebus ſibi à ſe propoſitis, adducetur peccator vt plus doleat offenſum tàm pium patrem, quàm tàm potentem dominum: & minùs pœnam ſuam timeat, quàm iram Dei: nec tàm cœlum cupiat, quàm fauorem Dei. Hęc con- *Rom. 2.* ſideratio bonitatis diuinæ format contritionem. An neſcis homo, inquit apoſtolus, quod Dei benignitas àd pœnitentiam te inuitat? & format, vt dixit, ſanctiorem, quàm ſi hæc, quam ex metu pœnæ & ſpe remiſsionis format Lutherus, qui *Arrogantia Lutheri.* neminem iactat illa docere pręter ſe, cum omnes & eadem doceant, & meliora.

DE CONFESSIONE.

CONfeſsionem ita tractat, vt in publicis criminibus, quæ ſine confeſsione nota ſunt toti populo, confeſsionem exigat, vbi minus eſt opus: occultorum verò confeſsionem ita verſat lubricus, vt eum non reiiciat prorſus, tamen relinquat incertum, an pro re iuſſa & demandata recipiat. Nam è ſcripturis eam negat probari, tamen placere ſibi dicit, & vtilem eſſe, ac neceſſariam, nec tamẽ dicit omnibus, ſed ad pacandas duntaxat afflictas conſcientias, opinor ſignificans, quod ſi quis habeat conſcientiam ſuæ ſimilem, quæ vel de ſua ſanctitate ſecuta ſit, vel de verbo promiſsionis diuinæ certa ſit, ei nõ ſit opus occultorum confeſsione. Alioqui ſi quis meticuloſus ſit, ad pacandam conſciẽtiam confitendum eſſe. Quamobrem quoniam tam dubiè verba ſua ſuſpendit, mihi viſum eſt afferre quædam, quæ de neceſsitate cõfeſsionis loquuntur apertius. Et quia ex ſcripturis haberi negat occultorum confeſsionem, Primo loco proponam eum locum ex Eccleſiaſtico, qui, non ſoli *Eccleſ. 38* mihi, videtur omnes tres pœnitẽtiæ partes complecti. Fili, inquit, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed adora dominum, & ipſe curabit te. auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuũ. Curat enim Deus dum ſoluit in cœlo, quod ſacerdos ſoluit in terra. dirigimus manus in ſatisfactionẽ: auertimus à delicto per cõtritionem: cor vero à delicto in confeſsione mundamus, iuxta illud prophetæ: Effundite *Pſal. 61.* coram illo corda veſtra. Tres pœnitentię partes complectitur & Chryſoſtomus, cum ait Perfecta *Chryſoſtomus.* pœnitentia cogit peccatorẽ omnia libenter ſufferre. Et infra, In corde eius contritio, in ore eius confeſsio, in opere tota humilitas, hæc eſt fructifera pœnitentia. Pro cõfeſsione facit & illud: Cognoſce vultũ pecoris tui. Quomodo enim poteſt *Prou 27.* cognoſcere, ſi non indicetur? Quid eo manifeſtiùs, quod legitur Numer: cap. 5. Locutus eſt Dominus ad Moſen dicens, Loquere ad filios Iſraël: *Num. 5.* Vir ſiue mulier cum fecerit ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſsi fuerint mandatum domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum. Huc & illud pertinet, quod in lege veteri Iudæorum, quibus omnia contingebant in figura, populus infectus lepra iuſſus eſt ſe ſacerdotibus oſtendere. Nam ſi Deus ideo ſcripſit in lege, Non *Leuit 13.* àlligabis os boui trituranti, vt nos admoneret æ- *Matth. 25.* quum eſſe, vt qui altari ſeruit, de altari viueret, (quemadmodum declarat Apoſtolus, qui illud *1. Corinth. 9.* ait in lege ſcriptum, non propter boues, ſed propter homines. Nunquid de bobus, inquit, cura eſt Deo?) non eſt cur quiſquã dubitet, per lepram illam corpoream in lege carnali, ſignificatũ eſſe peccatum in lege ſpiritali. In quam intelligentiam vt nos paulatim duceret Chriſtus, ait leproſis, (quos dum irent, non à corporis tantum, ſed ab animæ quoque lepra mondauit) Ite (inquit) *Luca 17.* oſtendite vos ſacerdotibus. Iam illud diui Iacobi, Confitemini alterutrum peccata veſtra: etiam *Iacobi 5.* ſi non

ſi non neſciam alios aliò trahere, mihi certe (nec ſoli) videtur de ſacramentali confeſſione mandatum. An noo illud quoque facit aperte pro *Eſaie 43.* confeſſione, quod per Eſaiam ait Domious: Tu dic iniquitates tuas, vt iuſtificeris? Quòd ſi quid valere debet authoritas ſanctorum patrum, vale- *Ambroſius.* re debet in primis, quòd ait beatus Ambroſius: Non poteſt quiſquam iuſtificari à peccato, niſi peccatum ipſum fuerit confeſſus. Quid dici po- *Chryſoſtomus.* teſt apertius? Præterea Ioannes Chryſoſtomus, Non poteſt, inquit, gratiam Dei accipere, niſi purgatus fuerit ab omni peccato per confeſſio- *Auguſtinus.* nem. Denique beatus Auguſtinus, Agite pœnitentiam qualis agitur in eccleſia. Nemo dicat ſibi, occulte ago, quia apud Deum ago. Ergo ſine *Matth. 18.* cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis ſuper terram: *Matth. 16.* Ergo ſine cauſa claues datæ ſunt. Verum de confeſſione ſi verbum nullum neq; nominatim neque in figura legeretur, neque quicquam à ſanctis patribus diceretur, tamen cum videam totum populum tot ſeculis peccata ſua patefacere ſacerdotibus, cum ex ea re tam aſſidue videam tantum boni prouentũ, tam nihil enatum mali, aliud oeq; credere neq; cogitare poſſum, quàm eam rem non humano conſilio, ſed diuino plane mandato & conſtitutam eſſe, & conſeruatam. *Solida confirmatio confeſſionis clãcularia.* Neq; enim vlla humana authoritate populus vnquam potuiſſet adduci, vt occultiſſima ſcelera, quorum tacitam conſcientiam horrebant, quæ ne prodirent in lucem, tanti reſerebat ipſorum, in alienas aures poſſet cum veller prodere, tanto cum pudore, tanto cum periculo tã incunctan- *Argumentũ non improbabile.* ter effunderent. Neque fieri potuiſſe, cum tam oumeroſi presbyteri boni maliq; promiſcue cõfeſſiones audiant, vt audita contineteot etiam ij qui alias nihil cõtinent, niſi Deus ipſe, qui ſacramentũ inſtituit, rem tam ſalubrem ſpeciali gratia defenderet. Mihi ergo, quicquid ait Lutherus, non ex aliqua populi conſuetudine, nec ex inſtitutione patrum, ſed ab ipſo Deo videtur inſtituta & præſeruata confeſſio.

Iam quod Lutherus reſeruatiooes peccatorum damnat, per quas interdicitur ne quilibet ſacerdos remittat omnia, ſed quædam epiſcopi requirant manũ, quædam etiam Papæ: iſtuc ſpe- *Lutherus omnia confundit.* ctat, quod homo popularis ſic exæquat omnia, vt ſummi pontificis odio, pontifices omnes in claſſem cogat infimorum ſacerdotum: tam cæcus odio, vt iuriſdictionem non diſcernat ab ordine: imò verò multo adhuc cæcior, vt qui nec ordinem videat vllum, ſed omnia plane permiſceat & confundat horrore, ſacerdotesque ipſos prorſus in laicorum claſſem redigat. Cum Deus eccleſiam hanc militantem, ad exemplar triumphantis effinxerit, cur tot gradus, tot ordines legens illinc, nullum gradum, nullum ordinem, nullum prorſus diſcrimen admittit hic? Quorſum igitur tam multa ſcripſit Apoſtolus de Epiſcopis, ſi nihil iuris in gregem ſuum pluſquam ſacerdotes reliqui, nihil pluſquam laicus quiuis *Ratio aduerſus Lutherum pro epiſcoporum authoritate, vt reſeruent peccata.* haberet epiſcopus? Sed de laicis dicemus poſtea, interim de ſacerdote dicamus. Sacerdos quilibet ordinem quidem habet, ſed authoritatem iudicandi noo habet (quæ res ad abſoluentem pertinet) priuſquam ei gregis alicuius cura committitur: idoneus tamen antè reputatur, cui cura tutò poſſit committi. Epiſcopus ergo, qui curam habet totius diœceſis, ſi cui ſacerdoti partem quampiam ſuæ curę commiſerit, an non ipſa ratio docet hunc noo amplius aut ligare poſſe aut ſoluere, niſi quatenus ille permiſerit, ſine cuius mandato nihil omnino in illius populo vel ligare quemquã, vel ſoluere potuiſſet? Quippe, quod nec ipſi licebat epiſcopo in aliena diœceſi. Quid ergo miri eſt, ſi quædam ſibi reſeruat epiſcopus, quorũ curam putat eſſe maiorem, quàm vt cuilibet poſſit (etiam non imperito) committi? Quod cum tot ſeculis obſeruatum ſit, ne populus nimis facili propoſita remiſſionis facultate, procliuius in ſcelera prolaberetur: Lutherus nunc demum, ne quiſquam difficultate pœnitentiæ deterreretur à peccando, quidlibet iubet permitti cuilibet, non ſacerdoti modò, ſed et- *Lutherus etiam mulieribus authoritatẽ permittit audiendi confeſſiones.* iam laico, in tantum progreſſus ineptiæ, vt cum vulgo mulieres malè audiant quaſi parum probè taceant ſi quid audierint ſecretius, ille mulieres etiam velit viris eſſe à confeſſionibus. At mulierem cum docere non permittat Apoſto- *1. Tim. 2.* lus, non eliget opinor io ſacerdotem Lutherus, *Patrum authoritas aduerſus Lutherum.* qui niſi prædicantem, negat ferme quenquam eſſe ſacerdotem. Ar ſacerdoti tantùm confitendum eſſe, (niſi neceſsitas ingruat) ſanctorum patrum declarat ſententia. Veniat, inquit Augusti- *Auguſtinus.* nus, ad Antiſtites, per quos illi claues miniſtrantur eccleſiæ. Non dicit, veniat ad laicos, veniat ad mulieres. Item alibi dicit apertius: Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat: repræſentet vitam ſuam Deo per ſacerdotem. præueniat iudicium Dei per confeſſio- *Luca 17.* nem. Præcepit enim dominus mundandis, vt oſtenderent ora ſacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata. Item Leo Papa. *Leo Papa.* Chriſtus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus pœnitentiæ ſatisfactio- *Beda.* nem darent. Denique venerabilis Beda: Coæqualibus quotidiana & leuia, grauiora verò ſacerdotibus pandamus, & quanto iuſſerint tempore purgare curemus, quia ſine confeſsione peccata nequeunt dimitti. Præterea quid prodeſſet confeſsio, niſi per claues eccleſiæ ſequere- *Ambroſius.* tur abſolutio? At hoc ius, inquit Ambroſius, ſolis permiſſum eſt ſacerdotibus. Quod quomodo velit intelligi, declarat alibi, cum dicit, Verbum Dei dimittit peccata, ſacerdos eſt iudex. Alio *Auguſtinus.* item loco ſcribit Auguſtinus apertiſsime: Fruſtratur claues eccleſiæ, qui ſine ſacerdotis arbitrio pœnitentiam agit. Nunc igitur indicet quiſque quàm verè ſentit Lutherus, qui contra ſanctorum omnium ſententiam, claues eccleſiæ trahit ad laicos, trahit ad mulieres: & ait, verba Chriſti, Quæcunque ligaueritis &c. non ſacer- *M. Aemilius Scaurus.* dotibus tantum, ſed omnibus dicta fidelibus. M. Æmilius Scaurus vir clariſsimus, & exploratæ probitatis, Romæ cum à Vario Sueronenſi, homine parũ ſyncero, accuſaretur apud populum, & accuſator oratione longa peroraſſet, ille breuiter,

uiter, & ſua & populi fretus conſcientia, noo dignatus oratiooe contendere, Quirites, inquit, Varius Socronenſis ait, Æmilius Scaurus negat: vtri potius credendum cenſetis? Quibus verbis applaudente populo, vir honoratus, hominis nihili futilem accuſationem eluſit. Quæ percontatio non illic magis mihi viſa eſt, quàm in præſente quæſtione congruere. Nam verba Chriſti de clauibus, laicis dicta Lutherus ait, Auguſtinus negat: vtri magis credendum eſſe cen-

Cede patribus Luthere.

ſetis? Lotherus air, negat Beda: vtri magis credendùm cenſetis? Lutherus ait, negat Ambroſius: vtri magis credendum cenſetis? Deniq; Lutherus ait, tota negat eccleſia: vtri magis cenſetis eſſe credendum? At ſi quis adeo deſipiat, vt authore Luthero, mulieri quoq; putet eſſe confite ıdum, huic non inutile fortaſſe fuerit illud

Mulieres quas Lutherus ſtatuit à confeſſionibus, remarū ſunt plenæ.

alterum Lutheri dogma ſuſcipere, quo ſuadet non adhibendum multum ſtudij ad recogitanda peccata. Non expedit profectò nimis anxie multa reoocare in memoriā, vt omnia in eius infundas aurem, quæ peruiam & patulam viam ab auribus habet ad linguam. Alioqui, cum res fieri poteſt abſque rali periculo, non dubitem Lutheri conſilio exemplum prophetæ præponere, qui

Eſaie 38.

dicit: Recogitabo tibi omnes aosos meos in amaritudine. Omnes, inquit, annos meos, ſed in amaritudine. Talis enim confeſſio non ſolum præterita diluit, ſed nouam etiam parit vbertim

Ambroſius.

gratiam, iuxta illud Ambroſij: Fidelior factus eſt Petrus; poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuir: atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm

Gregorius.

amiſit. Quem ſecutus Gregorius, Fit, inquit, plerunque gratior Deo, amor eardens vita poſt culpam, quam in ſecuritate torpens innocentia. Nam cum Lotherus ocioſos homines appellet, qui cenſuerunt cōfiteodas peccatorum circumſtantias, Auguſtinus longe cenſet aliter. Conſi-

Auguſtinus.

deret, inquit Auguſtinus, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & qoali hoc fecerit tentatione, an

Confitendæ peccatorum circumſtantiæ.

ipſius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem ſecundum excellentiam ſui ſtatus vel officij, & ſecundum modum meretricis, & modum operis ſui, & qualiter turpitudinem peregit, ſi in loco ſacrato, ſi in tempore orationi conſtituto, vt ſunt feſtinitates, & tempora ieiunij. Cooſideret quantum perſeuerauerit, & doleat, quàm perſeueranter peccauerit, & quanta victus fuerit oppugnatione. Sunt enim qui noo ſolom non vincuntur, ſed etiam vltro ſe peccato offerunt: oec expectant tentationem, ſed præueniunt voluptatem. Et pertractet ſecum, quàm multiplici actione vitij, quàm delectabiliter peccauir. Omnis iſta varietas confitenda eſt & deflenda: vt com cognouerit quod peccatum eſt, cito inueniat Deum ſibi propitium. In cognoſcendo augmentum peccati, inueniat ſe cuius ætatis fuerit, cuius ſapientiæ & ordinis. Immoretur in ſingulis iſtis, & ſentiat modū criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitij. Hactenus Auguſtinus. Quo vno haud ſcio an reperiat quemquam Lotherus ex his qoos ocioſos vocat, qui diligentius enumerarit peccatorum circumſtantias: ne putet Lutherus circumſtantiarum nihil quicquam ad confeſſionem pertinere. Quòd ſi eiuſdem peccati variæ circumſtantiæ ſint, qooad poſſumus, io memotiam reoocandæ, quanto magis graoia & diuerſa crimina colligenda ſunt, & diligenter excutienda conſcientia, vt ſi fieri poſſit, nullum nobis patiamur excidere? Nam quod Lutherus velut acutiſſimū telum conijcit, neminem poſſe omnia peccata confiteri, propterea qoòd nemo poteſt omnium recordari, telum eſt obtuſiſſimū. Quis enim neſcit, neminē, qui dixit omnia peccata confitenda fuiſſe, tam ſtolidum, vt ſenſerit etiam illa ſacerdoti narranda in aurem, quæ confitenti oon veniſſent in mentem?

DE SATISFACTIONE.

Lutherus tam verborū prodigus, vt malit multis verbis nihil dicere, quam tacere.

De ſatisfactione neſcio an ſatisfaciat aliis, mihi profectò videtur potius quam tacerer, maluiſſe multis verbis nihil dicere. Nam primum qnod ait eccleſiam ſic docere ſatisfactionem, vt populus veram ſatisfactionem non intelligat vnquam, quæ eſt innouatio vitæ, quis non videt meram eſſe calumoiam? Quis Lutherum docuit eccleſiam nō

Lutheri ſoli. ritas, qui ſolum ſecretorum admoneat.

docere, innouandam eſſe vitam? Totam non peragrauit eccleſiam, oon omnibus interfuit confeſſionibus, vt hanc audiret inſcitiam ſacerdotum. Neceſſe eſt ergo aut Spiritum ſanctum habeat in ſinu, aut dæmooem aliqoem in pectore, qui iſtud ei inſpirauerit. Sed quiſquis hic ſpiritus fuit, bonus eſſe non potuit, qui falſitatē docuit, ſed ſpiritus ille de quo dictum eſt, Diabolus

Ioan. 8.

mendax eſt, & pater eius. Nam nemo neſcit fal-

Aperta calumnia Lutheri.

ſum eſſe quod Lutherus affert pro vero. Quis enim vnquam adeo ſtipes fuit, vt ſic indiceret opera ſatisfactoria pro præteritis, vt indulgeret futura? Quis non aſſidue, cum abſoluit, illa Chriſti verba ſuccinit: Vade, & noli amplius peccare? Et illud Pauli. Sicut exhibuiſtis membra ve-

Ibidem.
Roma. 6.

ſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Quis oon legit illud

Gregorius.

Gregorij: Pœnitentiam quippe agere digne non poſſumus, niſi modum quoque eiuſdem pœnitentiæ cognoſcamos? Pœnitentiam quippe agere, eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, vt iterum alia committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat, aut diſſimulat. Quid enim prodeſt, ſi peccata luxuriæ quis defleat, & tamen adhuc auaritiæ æſtibus anhelat? Quòd ſi nihil horum diceretur, tamen cum ſacerdos indicit pœnitentiam pro commiſſis, ipſa re docet non eſſe rurſus committenda, quæ rurſus ſint punienda. Lutherum ergo manifeſte liquet nihil habere penſi quid dicat, modò verborum effutiat aliquid quo calumnietur eccleſiam. Quæ res maxime ſemper patet vbicunque velut in re maximi momenti, maxima voce declamat, quemadmodum in his verbis facit? Quæ monſtra tibi debemus

Luth. verba.

Romana ſedes, & tuis homicidis legibus & riti-

bus, quibus mundum totum eò perduxiſti, vt arbitrentur ſeſe poſſe Deo per opera pro peccatis ſatisfacere, cui ſola fide cordis contriti ſatisfit, quam tu his tumultibus non ſolùm taceri facis, ſed opprimis etiam, tantùm, vt habeat ſanguiſuga tua inſatiabilis, quibus dicat, affer, affer: & peccata vendat? Quis non arbitretur, cum hæc verba legat tam atrocia, tam tragica Lutherum in ſede Romana deprehendiſſe ingentia & abominanda portenta? At ſi quis omnia penſiculet diligentius, videbit parturiente monte natum ridiculum murem. Nam primùm, quàm ridiculum eſt illud quod exclamat in Romanã ſedem? quaſi Romæ tantùm, & non per omnem totius orbis eccleſiam exigerentur opera ſatisfactionis, & iniungatur pœnitentia: aut quaſi leges, quas ille vocat homicidas, non ſint editæ pleræque à ſanctiſſimis olim patribus, & publico Chriſtianorum conſenſu in ſynodis ac generalibus conciliis. Deinde cum dicit, quòd per opera non ſatisfit Deo, ſed ſola fide, ſi ſentit quòd non per ſola opera ſine fide, ſtulte bacchatur in ſedem Romanam, in qua nemo fuit vnquam tam ſtultus, qui diceret opera ſine fide ſatisfacere, cum nemo neſciat illud Pauli: Quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Sin opera ſentit ſuperflua, & fidem ſolam ſufficere qualiacunq; ſint opera, tum dicit aliquid, & vere diſſentit a ſede Romana, quæ credit Diuo Iacobo, quòd fides ſine operibus mortua eſt. Videtis igitur, quàm inepte ſe commouet Lutherus, qui ſic inuehitur in Romanam ſedem, vt ſemet interea vel ſtultitiæ retibus vel impietatis inuoluat. Quanquam profectò propinquius opinor vero, Lutherum ſentire, fidem ſemper abſque operibus bonis ſatis eſſe ad ſalutem. Nam id illum ſentire, tum ex aliis locis multis euidenter liquet, tum ex eo quod dicit, Opera Deus nihil curat, nec eis indiget. Indiget autem, vt verax in ſuis promiſſis à nobis habeatur. Quibus verbis quid ſenſerit Lutherus, viderit ipſe, ego certè Deum credo & fidem noſtram & opera noſtra curare, & neque operibus noſtris egere, neque fide. Nam vt bonorum noſtrorum non eget, qui Deus eſt, ita curam habet omniũ quæ faciunt homines, qui aliud ab his fieri vetat, aliud iubet, ſine cuius cura ne vnus quidem paſſer cadit ſuper terram, quorum duo veneunt dipondio. Sed quia videtur Lutherus eò vergere, vt pœnitens tantùm ingrediatur nouam vitam, ac negligat à ſacerdote pro commiſſorum ſatisfactione ſuſcipere pœnitentiam, audiamus quid in hac quoq; parte ſcribat ſanctiſſimus Auguſtinus. Non ſufficit, inquit, mores in melius cõmutare, & à præteritis malis recedere, niſi etiam de his quę facta ſunt, ſatisfaciat Domino, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis & ieiuniis. Et alibi: Ponat ſe pœnitens, inquit, omnino in iudicio & poteſtate ſacerdotis, nihil ſui reſeruans ſibi, vt omnia eo iubente paratus ſit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro vitanda corporis morte. Item alibi. Ligant quoque (inquit) ſacerdotes, dum ſatisfactionẽ pœnitentiæ confitentibus imponunt: ſoluunt, cum de ea aliquid dimittunt. Opus enim iuſtitiæ exercent in peccatores, cum eos iuſta pœna ligant: opus miſericordiæ, cum de ea aliquid relaxant. Satis igitur aperte me docuiſſe confido, quàm temere calumniatur eccleſiam, & per omnem pœnitẽtiæ partem quàm inepta, quàm impia, & quàm abſurda contra ſanctos patres, contra ſcripturam ſacram, contra publicam eccleſiæ fidem, contra tot ætatum, tot populorum conſenſum, contra ſenſum ferme communem conſtituat: quibus tamen ille non eſt contentus, ſed cum diu falſos eſſet pœnitentiam eſſe ſacramentum, tandem in fine totius libri pœnitere cœpit eum quòd quicquam omnino liber haberet veri: eoq; mutata (quod ſolet) in deterius ſententia, pœnitentiam prorſus negat eſſe ſacramentum. At idem antè fatetur ſe non dubitare, quin quicunq; coram quouis priuatim fratre vel ſponte confeſſus vel correptus veniam petierit, & emendauerit, ab omnibus occultis abſolutus ſit. Si ita ſentit, quanquam falſum in hoc ſentit, quod ait corã quouis priuatim fratre, & in hoc item quòd nihil intereſſe cenſet an confiteatur vltro, an correptus petat veniam: tamen ſi pœnitentiã etiam talem cenſet eſſe tam vtilem, cur pœnitentiam eximit è numero ſacramentorum? Non ob aliud omninò, quam vt haberetur in minore pretio, & viduata nomine ſacramenti (quod apud Chriſtianos eſt in veneratione) vileſceret. Quam in rem non alium reperit prætextum, quàm quòd pœnitentia non habeat ſignum viſibile: quaſi vel exterior pœnitentia, vel ille ipſe corporeus actus & geſtus quo ſacerdos abſoluit pœnitentem, ſignũ eſſe non poſſit ſpiritalis gratiæ qua pœniteos conſequitur remiſſionem. Sed vt aliquando finem loquendi faciam de pœnitentia, vtinam aliquando pœniteat ipſum tam maletractatæ pœnitentiæ, & cuius omnes partes conatur euertere, ſalubriter olim partes omnes adimpleat, conteratur de malitia, publicè confiteatur errores, & eccleſiæ (quam tot blaſphemiis offendit) iudicio ſe ſubiiciens, quicquid antè commiſit, quanta maxima poteſt, (nam digna profectò non poteſt) ſatisfactione recompenſet.

Rom. 14. — *Iacobi 2.* — *Verba Lutheri.* — *Deum curare opera noſtra.* — *Lucæ 12.* — *Auguſtinus.* — *Satisfactionem pœnitẽtiæ neceſſariam eſſe confitentibus.* — *Lutherus confitetur.*

DE CONFIRMATIONE.

Confirmationem adeò non recipit pro ſacramento, vt etiã mirari ſe dicat, quid Eccleſiæ in mentem venerit, vt confirmationem faceret ſacramẽtum: & in re tam ſacra ludit & nugatur homo nugaciſſimus, quærens cur non ex pane quoque faciant ſacramenta tria, cum anſas quaſdam habeant ex ſcripturis: Ideo non facit eccleſia, quia non apprehendit anſam ex qualibuſcunq; ſcripturæ verbis alia condendi ſacramenta, quàm quæ Chriſtus inſtituit, & ſuo ſanctificauit ſanguine: quemadmodum è diuerſo nullum eorum omittit, quæ à Chriſto & Apoſtolis per manus deinceps tradita ſunt, etiam ſi nuſquam quicquam de eis ſcriberetur. Nam quod ait confirmationem nullam

Lutheri nugæ.

Lutheri perpetuum mos.

operari ſalutem, nulla fulciri promiſſione Chriſti, hoc dicit tantùm, neque probat quicquam: duntaxat negat omnia. At cum loca quædam Lutherus ipſe commemorat, è quibus (quanquam id Lutherus irridet) habere non abſurde potuerit ſacramentum confirmationis initiũ, cur tam malignè de tota iudicat eccleſia, quaſi temere ſacramentum ſuſcipiat, propterea quòd in illis locis nullum legit verbum promiſſionis? quaſi nihil omnino promiſerit, dixerit, fecerit Chriſtus,

Efficax ratio aduerſus Lutherum quod recipit oportet etiã quę nuſquã ſunt ſcripta. Ioan. vlt.

quod non complectantur Euangeliſtæ. Hac ratione, ſi tantum Ioannis extaret Euangelium, negaret inſtitutionem ſacramenti in cœna domini, de qua inſtitutione nihil omnino perſcribit Ioannes, qui eodem Dei conſilio non tetigit iſtud, quo multa alia prætererunt omnes quæ fecit Ieſus, quæ (vt inquit Euangeliſta) non ſunt ſcripta in libro hoc, & quæ totus mundus non poſſet capere. Ex quibus nonnulla per Apoſtolorum ora fidelibus patefacta ſunt, & perpetua deinceps eccleſię catholicæ fide conſeruata. Cui quare non debeas de quibuſdam credere quanquam non legantur in Euangeliis, cum (vt Auguſtinus ait) niſi tradente eccleſia, ſcire non poſſes quæ ſint Euangelia. Quorum ſi nullum vnquam ſcriptum eſſet, maneret tamen Euangelium ſcriptũ in cordibus fidelium, quod antiquius fuit omnium euangeliſtarum codicibus: manerent ſacramenta, quæ & ipſa non dubito Euangeliſtarum libris eſſe omnibus antiquiora: ne putet Lutherus efficax argumẽtum eſſe fruſtra ſuſcepti ſacramenti, ſi non reperit inſtitutum in Euangeliis.

Et hic locus fortiter premit Lutherũ vt veneretur eccleſiæ traditiones non ſcriptas.

Alioqui ſi nihil omnino recipiat, quod non tam aperte legat in Euangelio, vt tergiuerſandi non ſit locus, quomodo credit (ſi modo credit, qui ferè nihil credit) perpetuam Mariæ virginitatem? De qua adeo nihil inuenit in ſcripturis, vt Heluidius non aliunde, quàm ex ſcripturarum verbis arripuerit anſam decernendi contrarium. Nec aliud opponitur illi, quàm totius eccleſiæ fides, quæ nuſquam maior eſt aut fortior quàm in ſacramentis. Ego certe neminem eſſe puto, qui ſcintillam vllam habeat fidei, cui perſuaderi

Lucæ 22. Matth. 7.

poſſit, quòd Chriſtus qui pro Petro orauit ne fides eius deficeret, qui eccleſiam ſuam ſupra firmam petram collocauit, pateretur eam tot ſeculis vniuerſam, corporalium rerũ ſignis inanibus erronea fiducia velut diuinis ſacramẽtis obſtringi. Si nuſquam inde quicquam legeretur, illi tamen verbo mentem domini poterant enarraſſe, qui præſentes verſati ſunt cum eo, de quibus ait

Ioan. 15.

ipſe: Vos teſtes eſtis, qui mecum ab initio fuiſtis. Docere poterat quid debebat fieri, paracletus ipſe, de quo dixit Chriſtus:

Eodem.

Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre meo, ſpiritus veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et rurſus,

Ioan. 16.

Cum venerit ille, qui eſt ſpiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit loquetur, & quę futura ſunt, annunciabit vobis. Eccleſia ergo cum tot & tales habuerit præceptores, tot viuos Euangeliſtas, & ſpiritum illum qui veritatem inſpirat, credetur temere inſtituiſſe ſacramentum, & ſpem in ſigno collocare nihili? Non credetur potius ab Apoſtolis, non credetur potius à Spiritu ſancto didiciſſe? Certè ſi quis nomen huius ſacramenti, ſi quis miniſtrum, ſi quis virtutem quam ſpondet æſtimet, videbit rem non eſſe talem, quam temere credatur eccleſia ſuſcepiſſe.

Hugo de ſancto Victore.

A chriſmate enim, vt inquit Hugo de ſancto Victore, Chriſtus dicitur, à Chriſto Chriſtianus: cuius ex quo nomen omnes communicare cœperunt, omnes vnctionem accipere debuerunt: quia in Chriſto omnes electum genus ſumus, & regale ſacerdotium.

De conſecratione. d. 5. c. De his.

Nec vngimur, excepta neceſſitate, niſi per epiſcopos, vt Chriſtianum conſignent, & ſpiritum paracletum tradant, quemadmodum idem ait Hugo, ſicut in primitiua ec-

In actis Apoſtolicis.

cleſia Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum dandi, ſoli Apoſtoli poteſtatem habuiſſe leguntur. Fructum quoq; ſacramenti idem Doctor declarat.

Fructus ſacramenti cõfirmationis.

Sicut (inquit) in baptiſmo remiſſio peccatorum accipitur, ita per manus impoſitionem ſpiritus paracletus datur. Illic gratia tribuitur ad remiſſionem peccatorum, hic gratia datur ad confirmationẽ. Quid autem prodeſt ſi à lapſu erigeris, niſi ad ſtandum confirmeris? Hactenus Hugo.

Ratio inſtituti ſacramẽti confirmationis.

Cui recta quoq; cõſentit ratio. Quemadmodũ enim in vita corporali, præter generationem, per quam vitam conſequimur, alia requiritur actio, per quam & creſcimus, & ad perfectionem virtutis perducimur: ita in ſpiritali vita quæ per generationẽ baptiſmatis acquiritur, opus eſt ſacramento confirmationis, per quam vita ſpiritualis ad perfectam virtutem perducitur, & Spiritus ſanctus datur ad perfectum robur. Et præter ſacramentum baptiſmi, quod adiuuat ad credendum, cõfirmatio prodeſt in adiutorium fortitudinis ad audacter confitendum. Ad hoc enim ordinatur, vt homo corã perſecutore fidem confiteatur audacter.

De conſecratione di. 5. Spiritus ſanctus.

Et hoc eſt quod ait Melchiades, In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſma confirmamur ad pugnam. Nam confirmatio ad huius mundi agones armat & inſtruit.

Deniq; vt Lutherus intelligat hoc ſacramentum neq; nouum eſſe neq; inane figmentum, ſed adeo non vacare gratia, vt ſpiritum etiam gratiæ conferat ac veritatis, afferamus in medium quid beatus Hieronymus de cõfirmationis ſacramento ſcripſerit.

Aduerſus Luciferianos.

Ait enim: Epiſcopus ſi imponit manum, iis imponit, qui recta fide baptizati ſunt, qui in patre & filio & ſpiritu ſancto tres perſonas & vnam ſubſtantiam crediderunt. Arrianus verò cum nihil aliud crediderit (claudite quæſo aures qui audituri eſtis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini) niſi in patre ſolo vero Deo, & in Ieſu Chriſto ſaluatore creatura, & in Spiritu ſancto vtriuſque ſeruo, quomodo Spiritum ſanctum ab eccleſia recipiet, qui needum remiſſionem peccatorum conſequutus eſt? Spiritus quippe ſanctus niſi mundam fidem, non incolit, nec habitator eius templi efficitur, quod antiſtitem non habet veram fidem.

Cur ſoli Epiſcopi baptizatis manus

Quòd ſi hoc loco quæras, quare in eccleſia baptizatus, niſi per manus epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctũ, diſce

Imponunt vt accipiant ſpiritum ſanctum. hanc obſeruationem ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum domini, Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit, & multis in locis idem factitatum reperimus. Hactenus Hieronymus. Cuius ſententiæ cum alia multa ſcripturæ loca ſubſcribunt, tum ille multo clariſſime, qui in *Act. 8.* actis Apoſtolorum declarat, quòd populus qui ante baptizatus eſt in Samaria, deſcendentibus ad eos Petro ac Ioanne, ac manus eis imponentibus, accepit Spiritum ſanctum. Demiror igitur, quid in mentem Luthero venerit, vt confirmationem pro ritu tantum ac cæremonia contendat habendam, pro ſacramento verò neget: quæ non ſolum ſanctorum teſtimonio Doctorū, & totius eccleſiæ fide, ſed etiam ſacræ ſcripturæ clariſſimis locis oſtenditur, viſibili ſigno manus pontificię non gratiam tantùm, ſed & ipſum gratiæ ſpiritum conferre. Deſinat ergo Lutherus confirmationis ſacramentum cōtemnere, quod miniſtri dignitas, eccleſiæ authoritas, & ipſius ſacramenti commendat vtilitas.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonium, ſacramentorū omnium primum, inter primos homines celebratū, primo Chriſti miraculo cohoneſtatum, quod propter ſacramenti nomen ipſum, tam diu, tam religioſe cultum eſt, Lutherus nunc demum, ne coniugalem fidem tanti quiſquam putet in poſterum, negat eſſe ſacramentum vllum: & cum alia ſacramenta ſic ſuſtulerit, vt in vno negaret inſtitutum ſignum, in alio negaret promiſſam gratiam, in matrimonio negat vtrunque. Nam negat vſquam promiſſam eſſe gratiam. Negat vſquam inſtitutum eſſe pro *Ratio Lutheri.* ſigno. Vnde hæc nouit? Quia non legitur, inquit. O rationem fortem, & multarum hæreſum parentem. Ex hoc fonte venenum hauſit *Heluidius.* Heluidius. Nullum ſacramentum admittis, cuius inſtitutionem non legis in libro? Quem librum vnquam ſcripſit ille, qui inſtituit omnia? De qui*Lutheri baculus arundineus.*buſdam inquit, credo Euangeliſtis Chriſti. Cur ergo de quibuſdam Chriſti non credis eccleſiæ, quam Chriſtus omnibus præponit Euangeliſtis, qui non niſi membra quædam fuerunt eccleſiæ? Quamobrem ſi fidis vni, cur diffidis omnibus? Si membro tribuis tantū, cur toti nihil tribuis corpori? Eccleſia credit eſſe ſacramentum, eccleſia credit à Deo inſtitutum, à Chriſto traditum, ab Apoſtolis traditum, à ſanctis patribus per manus deinceps pro ſacramento traditum ad nos perueniſſe, pro ſacramento per nos tradendum poſteris, ad finem vſq; ſeculi pro ſacramento venerandum. Hoc eccleſia credit: & quod credit, dicit. Hoc, inquam, tibi dicit eadem eccleſia, quæ tibi dicit Euangeliſtas ſcripſiſſe Euangeliū. Nam niſi eccleſia diceret Euangeliū Ioannis, Ioannis eſſe, neſcires eſſe Ioannis. Nō enim adſediſti ſcribenti. Cur ergo nō credis eccleſiæ cum dicit hæc Chriſtum feciſſe, hæc ſacramenta inſtituiſſe, hæc Apoſtolos tradidiſſe, quemadmodum credis ei cum dicit hæc Euangeliſtam ſcripſiſſe?

Matrimonium, inquit Lutherus, erat apud an*Luth. ratio*tiquos patres, erat apud gentiles, & tamen apud neutros matrimonium erat ſacramentum, cum tamen apud vtroſque matrimonium fuerit æquè verum, atque apud nos. De patribus qui ſub lege erant, & ante legem, non accedo Luthero, im*Reſponſio.*mo plane cenſeo matrimonium fuiſſe illis ſacramentum, ſicut fuit & circumciſio. De gentibus alia quæſtio eſt, quarum coniugium totum pendebat à moribus ac legibus cuiuſque populi: eoque talia erant apud alias legitima coniugia, qualia haberentur alibi perabſurda. Quanquam non deſunt, qui cōtra Lutherum ſentiant, etiam gentium coniugium ſacramentum eſſe. Nam & beatus Auguſtinus ait, quòd ſacramentum coniu*Auguſtinus. Sacramentum coniugij fuiſſe apud omnes gentes.*gij omnibus gentibus commune eſt, ſanctitas autem ſacramenti non eſt niſi in ciuitate Dei noſtri, & monte ſancto eius. In quam ſententiam, qui volet, Hugonem de ſancto Victore perle*Hugo de ſancto Victore.*gat. Quanquam ſi coniugium infidelium ſacramentum non eſſet, non ſequeretur tamen, quod Lutherus infert, vt ideo ne fideliū quidem coniugium ſacramentum ſit. Populus enim Dei in matrimonio quiddam habet ſanctius, habuitq; ſemper, & cum primùm inſtitueretur, & cum datis à Deo legibus honeſtaretur: porro apud *Ratio cur fidelium coniugiū potius ſit ſacramentum, quam infidelium.* gentes, quoniam humana tantùm res agebatur, adſciſcere ſibi coniuges, ac reiicere, pactis ac legibus humanis ſolebant. In Dei populo, iunctos coniugio non licuit olim diuelli. Nam quod per Moyſen Deus permiſit Hebræis libellum repudij, Chriſtus fatetur indultum propter duritiam populi, alioquin vxores animo ſuo non ſatis commodas interfecturi. Nam ab initio, inquit *Matth. 19.* Chriſtus, non erat ſic. Chriſtianos verò Chriſtus ad priſtinam reuocauit ſanctitatem, conſecrans matrimonium indiſſolubili vinculo ſocietatis, excepta fornicationis cauſa, inter eos quos non humanus error, ſed Deus rite coniunxit. Non ſequitur igitur, vt ſi coniugium non fuerit ſacramentum gentibus, idcirco ſacramentū aut nunc non ſit Chriſtianis, aut non fuerit priſcis olim patribus. Nam quod ad Chriſtianos pertinet, etiam ſi nuſquā legeretur, eccleſiæ fides ſufficeret. Et tamen vnus ille locus ex Apoſtolo, quem Lutherus cauillo conatur eludere, manifeſte docet matrimonium non nunc tantum, ſed & olim quoq; in generis humani primordiis inſtitutum pro ſacramento. Quod nemini, opinor, dubium relinquetur, qui locum illum ex epiſtola ad Epheſios perleget, & conſiderabit attentius: quem totum placuit inſerere, propterea quòd nullius interpretatione poterit res elucere clarius, quā ipſis verbis Apoſtoli, qui tam apertè quod ſenſit, explicuit, vt ineptis Lutheri calūniis nullum reliquerit locum. Ait enim: Mulieres viris *Ephes. 5.* ſuis ſubditæ ſint ſicut domino: quoniā vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſię, ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquę in

verbo

verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam ec-
cleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut
aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immacu-
lata. Ita & viri debent diligere vxores ſuas, vt
corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum
diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio
habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus
eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, &
de carne eius, & de oſſibus eius. Propter hoc re-
linquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, &
adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.
Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem di-
co, in Chriſto & eccleſia.

Videtis vt beatus apoſtolus matrimonium vi-
ri & vxoris docet vndique ſacramentum eſſe,
quod repræſentat coniunctionem Chriſti cum
eccleſia. Docet enim conſecratum à Deo matri-
monium, vt eſſet Chriſti cum eccleſia coniuncti
ſacramentum: atq; ideo virum comparat Chri-
ſto, vxorem eccleſiæ. Virum caput eſſe dicit eius
corporis quod vnum facit cum fœmina: Chri-
ſtum caput eſſe dicit eius corporis quod vnum
facit cum eccleſia. Præcipuam cauſſam facit, cur
vir vxorem diligat, non aliam, quam ne diſſimi-
le ſignum ſit Chriſti, quem repræſentat: & hanc
potiorem cauſſam facit, quàm communem ma-
ſculi & fœmellæ naturam, quæ & ipſa potuiſſet
incitare ad diligẽdum. Mulierem vero vt virum
timeat ac reuereatur, eodem exemplo prouocat,
nempe quòd illa referat eccleſiam obedientem
Chriſto. Quæ cum iterum atque iterum multis
verbis inculcaſſet, nequis hanc viri cum Chri-
ſto, & vxoris cum eccleſia collationem, putaret
ſimilitudinem eſſe quampiam duntaxat exhor-
tandi gratia deſumptam, oſtẽdit rem eſſe veram,
verum eſſe ſacramentum, à prophetarum omni-
um primo, primoque eius ipſius vaticinio, orbe
iam tum recens condito, prænunciatum. Nam
cum dixiſſet, Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum
diligit: nemo enim vnquam carnem ſuam odio
habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus
eccleſiam: quia membra ſumus (inquit) corpo-
ris eius, & de carne eius, & de oſſibus eius. Quæ
verba dixit apoſtolus, vt nos in memoriam du-
ceret eorum verborum, quæ verbis iſtis ſimilia
dixit Adam cum in cõſpectum eius primum ad-
ducta eſt Eua: Hoc nunc os ex oſſibus meis, &
caro de carne mea. Et vt euidentius oſtenderet
Apoſtolus, ad Chriſti copulam cum eccleſia
pertinere ſacramentum cõiunctionis Adæ cum
Eua, Adæ verba ipſa ſubiunxit: Propterea relin-
quet homo patrem & matrem, & adhærebit v-
xori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Hoc ſacra-
mentum, inquit apoſtolus, magnum eſt in Chri-
ſto & eccleſia. Quo modo potuiſſet Apoſtolus
euidentius refelliſſe Lutherum, quam his ipſis
verbis, quæ Lutherus inepte conatur eludere: ſe-
quitur eo quòd apoſtolus dixit, ſacramẽtum hoc
magnum eſſe in Chriſto & eccleſia, contendit
Apoſtolum abſtuliſſe ſacramentum à matrimo-
nio viri & vxoris, tanquam ſi quis ita loqueretur,
Sacramentum baptiſmi magnum eſt in ablutio-
ne animæ, negaret baptiſmum corporis eſſe ſa-

Matrimonij ſacramentũ aſſertum ex Pauli verbis.

Expẽſa Pauli verba.

Geneſ. 3.

Arguitur inepte Lutherus.

cramentum, aut ſi quis diceret ſacramentum Eu-
chariſtiæ magnum eſſe in ipſo Chriſti corpore,
negaret panis & vini ſpecies eſſe ſacramentum:
aut ſi dicat, idem ſacramentum eſſe magnum in
Chriſti corpore myſtico, ſacramentum detrahe-
ret corpori quod ſumpſit de virgine. Quis vn-
quam vidit quenquam tam nugace gloſſemate,
tanta ſe cum gloria iactantem? Nam ſi Apoſto-
lus hoc ſenſiſſet, & ſic voluiſſet accipi, vt hoc ſa-
cramentum magnum eſſet duntaxat in Chriſto
& eccleſia, neque pertineret quicquam ad viri &
vxoris matrimoniũ, imminuiſſet robur & pon-
dus illorum omnium, quibus illa comparatio-
ne duarum coniunctionum cõmendauerat ante
coniugium. Quin alia quoque ratione nocuiſſet
cauſæ quam ſuſceperat, ſi illa Protoplaſti verba,
quæ per ſe poſita videbantur coniuges in mu-
tuum amorem trahere, ſic traxiſſet ad Chriſtum
& eccleſiam, vt nihil pertinere doceret ad virum
& vxorem. Verba illa Adæ, fuiſſe vaticinium de
Chriſto & eccleſia, docet Apoſtolus, & omnes
Doctores ſancti confirmant, & ipſa res oſtendit.
Nam ad primum Euæ conſpectum protulit ea
verba, quibus patri & matri præferebat vxorem,
cum ipſe neque patrem habuiſſet neq; matrem,
neque adhuc præceptum procreandi liberos, vt
parentum & liberorum collatione cognoſceret
quid pater eſſet, aut mater. Quòd ſi illa Protopla-
ſti verba fuerunt vaticinium de Chriſto & eccle-
ſia, tunc aut nihil pertinuiſſe videntur ad matri-
monium quod agebatur, & de quo dici videban-
tur: aut illud ipſum matrimonium, velut illius
coniunctionis idoneum ſignum, ab ipſo Deo,
cuius ſpiritu formabatur Adæ loquentis os, ſa-
cramentum inſtituebatur, vt eadem verba poſ-
ſent & in id quod agebatur, & in id etiam quod
prænunciabatur, hoc eſt in hominũ coniugium,
& Chriſti cum eccleſia copulam competere: &
tanquam vnum ſacramentum, ex re ſacratiſſima,
& eiuſdem rei ſacro & congruente ſigno, com-
prehendere. Præterea vt liquidò patere poſſit,
Lutherum nihil dicere, non hoc agit apoſtolus
in illo loco ad Epheſios, vt doceret ex illis ver-
bis, quàm magnum eſſet ſacramentum Chriſtus
coniunctus cum eccleſia, ſed vt moneret cõiun-
ctos matrimonio, vt ſe ſic mutuo gererent, vt
ipſorum coniugium, rei tam ſacræ, cuius ſacra-
mentum erat, idoneum & quam ſimillimum ſa-
cramentum redderent. Lutherus igitur hoc in
loco vel oſcitat ipſe, atque indiligenter & incon-
ſulte legit illum locum, aut quod lectione com-
perit, impietate diſſimulat, cum hunc intelle-
ctum, quem attulimus, & quomodo intelligit
eccleſia, reſpondet eſſe magnæ oſcitantiæ, & in-
diligentis inconſultæque lectionis. Ergo Augu-
ſtinus oſcitanter legit Apoſtolum, oſcitanter le-
git Hieronymus, oſcitanter omnes præter vnum
Lutherum, qui vigilantia ſua deprehendit Pau-
lum ipſum non ſcripſiſſe ſacramentum ſed my-
ſterium? O hominem oculatum, qui viderit to-
tam eccleſiam Latinam perperam vocare ſacra-
mentum, id quod Apoſtolus, dum græce ſcribe-
ret, appellet myſterium, non ſacramentum: quaſi

Prima ratio probãs Paulũ ad Epheſ. 5. ſenſiſſe de ſacramento matrimonij.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Lutherus ridicule rídet eccleſiam.

 ideo

ideo Latini errarent, qui rem efferant latine, quia Paulus in lingua græca nõ vtatur latino vocabulo. Quod ſi non ſacramentum ſed myſterium vertiſſet interpres, & gręcã vocem reliquiſſet integram, non abſtuliſſet tamen argumentum quo ex eo loco Apoſtoli concluditur, matrimonium eſſe ſacramentum, cum id ita eſſe rei totius doceat circumſtantia. Nam vt maxime torqueat myſterij verbum, nunquam tamen efficiet vt etiam ſi non ſtatuat ſacramentum, ideo tollat ac neget ſacramentum: neque male aut ſentire dicetur, aut loqui, qui ſic loquatur, Euchariſtia magnum eſt myſterium. Quamobrem cum nullum ſit è ſacramentis, quod non idem ſit myſterium, vtpote quod ſub viſibili ſigno complectitur arcanam & inuiſibilem gratiã; interpres animaduertens in illis Pauli verbis ad Epheſios, totius loci ſeriem declarare planiſſime id myſterij genus Apoſtolum deſcribere, quod vere ſit ſacramentum: ac prætereà videns eccleſiam totam matrimonium obſeruare pro ſacramento, myſterium illic, vt debuit, vertit ſacramentum. Quę ſi verbum non rectè vertiſſet, neque tam oſcitantes erant lectores, aut Hieronymus, aut Auguſtinus, vt vertentis errorem non deprehenderent: neq; tam proni fautores coniugij, vt deprehenſum ſequerentur potius, quàm caſtigarent, præſertim cum Auguſtinus Græcarum literarum peritia non cederet Luthero, & Hieronymus eius linguæ ſine controuerſia doctiſſimus, adeo virginitati fauerit, vt apud multos matrimonio parũ ęquus fuiſſe videretur. Quamobrem vt omnes facilius intelligant, non eos tantùm quos per contemptum vocat Sententiarios, à Luthero nunc appellari lectores oſcitantes, ſed veteres etiam eccleſiæ patres optimos & doctiſſimos, audiamus quid ait beatiſſimus Auguſtinus. Non tantum (inquit) fœcunditas, cuius fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verumetiam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apoſtolus: Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam.

Defenſus interpres quòd myſterium verterit ſacramentum.

Vide quos appellet Lutherus oſcitantes lectores.

Auguſtinus.

Auguſtinus igitur ſacramentum vocat: quem ne dicat Lutherus oſcitanter & indiligenter legiſſe locum, iterum atque iterum, aliis atque aliis operibus in eandem ſententiam eundem locum tractat. Ait enim alibi, Dictum eſt in paradiſo: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: quod magnum ſacramentum dicit Apoſtolus in Chriſto & Eccleſia. Cur hic non explicat Auguſtinus illud Lutheri myſterium, errorem eſſe, quod Latini vocant ſacramentum, quoniam gręce Paulus appellat myſterium, non ſacramentum? Auguſtinus plus millies appellat ſacramentum connubij, & ſacramentum nuptiarum: quemadmodum & illic vbi dicit quod omne nuptiarum bonum impletum eſt in ipſis Chriſti parentibus, proles, fides, ſacramentum. Cur hic non admonuit nos non eſſe ſacramentum, ſed myſterium? Prætereà ſi verum dicit Lutherus, ſacramentum non eſſe niſi in Chriſto & eccleſia, verum non dicit Auguſtinus. Nam neque illud ſacramentum bonum eſt nuptiarum, præſertim vt accipit Lutherus, qui dixit duntaxat eſſe myſterium, neque in Mariæ nuptiis impletum eſt. Et iterum ſuper eadem Apoſtoli verba dicit Auguſtinus: Quod in Chriſto & eccleſia eſt magnum, hoc in ſingulis quibuſque viris & vxoribus eſt minimum, ſed tamen coniunctionis inſeparabile ſacramentum.

Auguſt. de nupt. & conc. ad Valerium.

Quòd ſi Lutherus dicat non vocari ſacramentum niſi in Chriſto & eccleſia, reuincetur etiam ipſis Apoſtoli verbis, ſi diligenter expendantur vel à grammatico. Nam cum Apoſtolus dicat, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & eccleſia: quod eſt illud ſacramentum, quod magnum eſt in Chriſto & eccleſia? Chriſtus & eccleſia non poteſt eſſe ſacramentum in Chriſto & eccleſia. Nemo enim ſic loquitur. Neceſſe eſt igitur vt id ſacramentum quod dicit eſſe magnum in Chriſto & eccleſia, ſit illa coniunctio viri cum coniuge, de qua dixerat: Non aliud igitur dicit Apoſtolus, quàm, hoc, id eſt illa coniunctio viri & mulieris, magnum eſt ſacramentum in Chriſto & eccleſia, tanquam ſacrum ſignum in re ſacerrima. Denique ſi pertinaciter neget Lutherus, in illis Apoſtoli verbis coniugium vocari ſacramentum, ſed tantùm Chriſti copulam cum eccleſia, ſaltem non negabit iſtud, quin illa coniunctio viri & mulieris ſignum ſaltem ſit ſacræ illius coniunctionis qua Chriſtus coniungitur cum eccleſia, idque ex inſtitutione Dei, cum primi parentes Deo ipſo copulante coniuncti ſunt, non autem humano ingenio inuentum poſtea. Iſtud ſaltem quod dixi, Lutherus ſi neget ex Apoſtoli verbis patere, negabit impudentiſſime. Nam hoc in eo loco tam ſæpe, tam aperte dicitur, vt qui non id videat, cæcum ſe fateatur oportet. Igitur ſi coniugio, quod rem tam ſacram ſignificat, conſtabit etiam conferri gratiam, tunc velit nolit cogetur Lutherus aut coniugium pro ſacramento ſuſcipere, aut omnia prorſus ſacramenta reiicere, cum ipſo fatente, ſignum rei ſacræ cum promiſſione gratiæ faciant ſacramentum. Videamus igitur an aliquo modo liquere poſſit infundi coniugio gratiam: nam id aperte negat Lutherus. Nuſquam, inquit, legitur aliquid gratiæ Dei accepturum, quiſquis vxorem duxerit. Honorabile coniugium, inquit apoſtolus, in omnibus, & thorus immaculatus. Thorus macula carere non poſſet, ſi coniugium careret gratia. Nec aliunde habet coniugium vt thorum ſeruet immaculatum, quàm quòd Deus, cuius prouidit bonitas, ne rebus iis quæ naturali feruntur ordine, etiam ſi non ratione tantùm, ſed etiam ſenſu careant, quicquam deeſſet eorum quæ pro cuiuſque captu ſint neceſſaria, ſimili benignitate curauit, vt coniugio gratiam iungeret, qua quiſquis eam nollet abiicere, & fidem debitam ſeruaret coniugi, & ex commixtione carnali, cuius alioqui fœda concupiſcentia macularetur, non ſolum non contraheret labem, ſed etiam proueheretur ad gloriam. Coniugium enim non haberet thorum immaculatum, niſi quia gratia quæ infunditur

Verba Lutheri

ad Hebr. 13.

In ſacramento coniugij infundi gratiam.

Secunda ratio.

coniu-

coniugio, verteret illud in bonum, quod aliàs eſſet peccatum. Quod ipſum & alibi quoque, cum de mulieris agit officio, Paulus deſignat apertius. *1. Tim. 2.* Saluabitur, inquit, per filiorum generationem. At ſi tollas coniugium, quid aliud fuerit generatio, per quam, vt Apoſtolus ait, ſaluabitur in coniugio, quàm mors, & æterna damnatio? *Bernardus.* Nam tolle, inquit beatus Bernardus, de eccleſia honorabile connubium, & thorum immaculatum, nónne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni deniq; genere immundorum? Si igitur extra coniugium omnis generatio damnabilis eſt, magna videtur gratia matrimonij, quæ eundem actum, ſi naturam reſpicis, ex quo macularéris in pœnam, non ſolum ita purgat vt eluat labem, ſed etiam ſic ſanctificat, vt Apoſtolo teſte reportet præmium. Nec iſtud habet priuilegium gratiæ, niſi virtute ſacramenti ab ipſo Deo in id conſecrati, vt homini ipſius cultori foret & in propagationis officium cum creatus eſt, & in remedium concupiſcentiæ cum reſtitutus eſt. Quanquam ille ipſe coniugalis actus quid eſſet aliud quàm concupiſcentia, niſi Deus illum faceret remedium concupiſcentiæ? quem nunc ſancta ſacramenti gratia ſic fecit concupiſcentiæ remedium, vt eos qui gratiæ paternæ ſubſtantiam, quam Deus infundit coniugio, negligenter nolit, vt filius prodigus fecit, *Luca 15.* effundere, non ſolum defendat ne quid aquæ furtiuæ ſitiant è ciſternis alienis, ſed etiam ne ſe inebrient ſuis, & ſobrios hauſtus efficiant tam ſalubres, vt in vitam proficiant æternam. Nam & Apoſtolus in illo etiam loco, *1. Corinth. 7.* vbi quantum potuit, hortabatur ad continentiam & virginitatem, contrariam coniugali generationi virtutem, tamen matrimonium etiam Dei donum fatetur, nimirum ex illis de quibus dicitur, Omne datum optimum, & omne donum perfectũ, de- *Iacobi 1.* ſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Et certe donum Dei, quod ideo datur, vt qui accipit, in eo vitæ ſtatu ſit, in quo ſeruari debeat, ne in eum decidat ſtatum, in quem ſi cadit, pereat; an non habere ſe docet adiunctam præſeruatricem gratiam?

Tertia ratio. Ad hęc cum ita dicat Apoſtolus, Si quis frater *1. Corinth 7.* vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Alioqui enim filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. An non his verbis oſtendit Apoſtolus, quòd cum integra quædam res ſit coniugium poſtquam alterutra pars ad fidem conuerſa eſt, ſanctitas ſacramenti totum ſanctificat coniugium, quod prius totum fuit immundum? At cur iſtud coniugium plus haberet ſancti, quàm prius, quatenus coniugium eſt, niſi propter alterius accedentem fidem accederet coniugio ſacramentalis gratia, quæ ante baptiſmum (qui ſacramentorum omnium ianua eſt) ad infidelium coniugium non potuit ingredi? Sed prætereamus Apoſtolum. Conſideremus huius ſacramenti conſecratorem Deum. *Quarta ratio.* An non ille cum primos parentes coniungeret, coniugium benedictione ſacrauit? Ait enim ſcriptura: Benedixit illis Deus, ac dixit, *Geneſ. 1.* Creſcite & multiplicamini. Cuius benedictio cum in reliquis animantibus ad corporis robur pro cuiuſque captu ſit operata, quis dubitet in homine rationis capace vim gratiæ ſpiritalis infudiſſe ſpiritui, niſi quis Deum credat, cum infimis quibuſque beſtiolis fuiſſet tam benignus, vt pro ſua cuique natura largitus ſit affluenter, homini, quem ad ipſius condidiſſet imaginem, tam parce manum in benedictione reſtringeret, vt corporis duntaxat habita ratione, animam, illud vitæ ſpiraculum, quod ipſe inſpirauerat, & quà maxime repræſentabatur, tanta benedictione præteriret intactam? *Geneſ. 2.*

Quinta ratio. Iterum, cum Chriſtus homo & idem Deus verſatus inter homines, nuptias non ſolum ſua honorauit præſentia, ſed etiam nobilitauit miraculo, *Ioan. 2.* an non docuit honorandum eſſe connubium? Quod ego certè non video quid honore dignum habere poſſit abſq; gratia. Neque illum puto ad nuptias fuiſſe venturum, niſi vel iam tum haberet aliquid gratiæ coniugium, quod ipſum Chriſto faceret gratum, vel vt coniugio gratiam ipſe conferret. Quin & miraculum quod operabatur, nos admonere video, *Eodem.* inſipidam concupiſcentiæ carnalis aquam, per occultam Dei gratiam in optimi ſaporis vinum eſſe conuerſam. Sed quid opus eſt in re tam clara tot probamenta conquirere? *Ratio 6.* præſertim cum vel vnus ille locus abunde ſufficiat, quo Chriſtus ait: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Matth. 19.* O verbum admirabile, & quod nemo potuiſſet effari, præter verbum quod caro factum eſt. Quis non putaſſet abunde ſatis eſſe, quòd primos homines initium generis coniunxiſſet Deus? Atq; id ipſum fuerat in tanta deitatis maieſtate nulli non admiranda benignitas. At nunc veritate referente didicimus, quicunque legitimo coniugio copulantur, eos non temere, neque mortalium duntaxat cæremoniis, ſed ipſo Deo inuiſibiliter adſiſtente, & inſenſibiliter cooperante coniungi. Atque ideo vetitum, ne quos Deus iunxit, vllo ſeparentur ab homine. *Repudij ius ademptum coniugibus ab ipſo Chriſto.* O verbum non admiratione magis quàm gaudio pariter & timore plenum. Quis non lætetur, Deo tantæ curæ eſſe ſuum coniugium, vt non ſolum intereſſe, ſed etiam præeſſe dignetur? Quis nó inhorreſcat, dum dubitet quomodo debeat tractare coniugem, quam non ſolum teneatur amare, ſed etiam ſic conuiuere, vt puram & ſine macula poſſit Deo, quo tradente recepit, repoſcenti reddere? Igitur cum Deus, vt dicit ipſe, coniungat omnes, quis ab illo credet coniugio non infundi gratiam? An qui ſemper copulat, ſemel duntaxat benedixit? Cur iungendi reſumit officium, niſi credatur & benedicendi repetere? An ſanctiſſimum illum ſpiritum, quem in ſpiritu & veritate oportet adorare, *Ioan 4.* putandum eſt aſſidue ſubire

miniſterium copulandorum coniugum, copulæ tantùm cura carnalis? Certe quod ad eam rem attinet, ſufficeret Deo, ſi genus humanũ, quemadmodum cætera animalia, naturæ ab ipſo inditæ, & hominis vitio corruptæ, relinqueret. Sanctius igitur aliquid ſubeſſe oportet vltra carnis propagandæ curam, quod auguſtum illud Dei numen in coniugio peragat. id eſt haud dubie quod antiſtes ſacramentorum omnium coniugibus infundit, in coniugio conſecrando gratiã. Ergo cum tot modis probauimus conferri in coniugio gratiam, coniugium vero ſacræ rei ſignum eſſe patet & ex Apoſtolo, quòd ſignum cum gratiam ſicut oſtendimus, adiunctam habeat, figura duntaxat eſſe non poſſit, conſequens eſt, vt inuito Luthero, coniugium ſacramentum ſit, etiam ſi ſacramenti nomine (quod tamen facit) non appellaret Apoſtolus. Sed quis vnquam aut veterum aut nouorum, niſi quos explodit eccleſia, matrimonium dubitauit appellare ſacramentum? In quo vno, quod Hugo de ſancto Victore commemorat, duplex inuenere ſignum. nam & coniugium ipſum ſacramentum eſt illius ſocietatis quæ in ſpiritu eſt inter Deum & animam: officium vero coniugij, ſacramentum eſt illius ſocietatis quæ in carne eſt inter Chriſtum & eccleſiam. Nam ſi magnum eſt, inquit, quod in carne eſt, multo maius vtique eſt quod in ſpiritu eſt. Et ſi recte per ſcripturam ſanctam Deus ſponſus dicitur, & anima rationalis ſponſa vocatur, aliquid profectò inter Deum & animam eſt, cuius id quod in coniugio inter maſculum & fœminam cõſtat, ſacramentum & imago eſt. Sed forte, vt expreſſius dicam, ipſa ſocietas, & quæ exterius in coniugio, pacto fœderis ſeruatur, ſacramentum eſt, & ipſius ſacramenti res eſt dilectio mutua animorum, quæ adinuicem ſocietatis & fœderis coniugalis vinculo cuſtoditur. Et hæc rurſus ipſa dilectio, qua maſculus & fœmina in ſanctitate coniugij animis vniuntur, ſacramentum eſt, & ſignum illius dilectionis qua Deus animæ rationali intus per infuſionem gratiæ ſuę & ſpiritus ſui participationem coniungitur. Hactenus Hugo. Quamobrem cum non ſolum publica fides eccleſiæ tot ante nos ſeculis, ac vetuſti patres ſcripturarum ſcientia & vitæ meritis inſignes, ſed ipſe etiam beatus Apoſtolus & Doctor gentium Paulus, matrimonium habuerint pro ſacramento, quod honorabile faciat connubium, & thorum per gratiam non ſolum ſeruet immaculatum ab adulterio, ſed & abluat immunditiam libidinis, & aquam conuertat in vinum, ſanctamque procuret voluntatem à licitis nonnunquam abſtinendi complexibus: non video quid cõtra Lutherus poſſit afferre, niſi quòd hæretici (vt beatus ait Bernardus) pro libitu quiſque ſuo ſacramenta eccleſiæ tanquam matris viſcera dente vipereo certatim inter ſe dilacerare contendunt.

Hugo de ſancto Victore.

Bernardus.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

IN ſacramento ordinis nullo procedit ordine, ſed hinc atque inde colligens omnes malitiæ ſuæ theſauros effundit. animum oſtendit egregiè verſum ad nocendum, ſi reſpondeant vires. proponit multa, aſſerit atque affirmat peſſima: ſed omnia ſat habens dicere, nihil prorſus vlla ratione confirmat. Qua ex re videre licet inſignem hominis impudentiam, qui cum toti credere non dignetur eccleſiæ, niſi rationem reddenti ſuæ fidei, ſibi vt credatur vni, ſine ratione poſtulet, idque de rebus eiuſmodi, de quibus quid credat, cognoſcere, niſi eccleſia docente, non poteſt. Et tamen ſic poſtulat ſibi credi, quo modo ſi quis credat, non aliud agat, quàm vt totam confundat atque peſſundet eccleſiam. Nam quid aliud molitur, qui conatur tollere ſacroſanctam ſacramentum ordinis, quàm vt poſtquam myſteriorum miniſtri viluerint, incipiant, vtpote quæ etiam per viles miniſtrentur, viléſcere ſacramenta. Quem vnum ſcopum toto petit opuſculo. De ordine igitur, quia nullo procedit ordine, colligemus hinc inde Lutheri dogmata, vt aceruum illum malorum lector ſemel habeat ſub oculis, quo conſpecto non erit (opinor) multum inſumendum operæ, vt illum coarguamus, cuius impiam doctrinam videbunt omnes eò recta contendere, vt omnem Chriſti fidem poſſit infidelitate peruertere. Quid enim deſtinat aliud, qui decernit inter laicos & ſacerdotes nullum eſſe diſcrimen ſacerdotij? omnes ex æquo presbyteros eſſe? omnes eandem habere poteſtatem in quocunq; ſacramento? Sacerdotibus ſacramentorum miniſterium non niſi laicorum conſenſu committi. Sacramentum ordinis nihil aliud eſſe poſſe, quàm ritum quendam eligendi concionatoris in eccleſia. Quicunque non prædicat, eum non eſſe ſacerdotem, niſi æquiuoce, quemadmodũ homo pictus eſt homo. Qui ſacerdos eſt, rurſus fieri poſſe laicum. Characterem enim nihil eſſe. Ordinem deniq; ipſum, qui velut ſacramentum homines in clericos ordinat qui prædicare neſciunt, eſſe vere, mere, omninoq; figmentum ex hominibus natum, nihil de re eccleſiaſtica, de ſacerdotio, de miniſterio verbi, de ſacramento intelligentibus. Poſtremò ſanctus iſte ſacerdos (vt quàm caſtus ipſe ſit, coniecturam præbeat) tanquam errorem ſummum, & ſummam cæcitatem ponit, & captiuitatem maximã, quòd ſibi ſacerdotes indixerint cœlibem caſtitatem. Et cum Chriſtus eos laudet eximie, qui ſe caſtrauerunt ob regnum cœlorum, Antichriſtus iſte ſpurciſſimus eoſdem cõparat euiratis olim Cybeles deæ ſacerdotibus idololatris. Iam dudum, ſcio, aures pij lectoris exhorrent impium hunc dogmatum pernicioſorum catalogum, quorum fere quoduis magis fœtum eſt hæreſibus, quàm fuiſſe fertur equus ille Troianus armatis. Sed omnium veluti quidam fons eſt, quòd ordinem negat eſſe ſacramentum: quo obſtructo cæteros neceſſe

Inſignis Lutheri impudentia.

Machina Lutheri deprehenſa.

Obſerua quò tendat Lutherus.

Lutheri noua dogmata.

Sacerdotum cœlibatum damnat Lutherus.

Matth. 19.

Lutheri verba. ſed vide quàm abſurda.

neceſſe eſt riuulos exareſcere. Hoc ſacramentū, inquit eccleſia Chriſti ignorat, inuentumque eſt ab eccleſia Papæ. Hæc pauca verba non paruum habent & falſitatis & abſurditatis aceruum. Nam & eccleſiam Papæ diſcernit ab eccleſia Chriſti, cum Papa ſit eiuſdem eccleſiæ pontifex, cuius & Chriſtus. Ait eccleſiam inueniſſe, quod non inuenit, ſed accepit inſtitutū. Ait eccleſiam Chriſti hoc ignorare ſacramentum, cum ſatis conſtet nullam ferè mundi plagam eſſe quæ rite profitetur fidem Chriſti, quin ordinem habeat pro ſacramento. Nam ſi poſſet obſcnrum aliquem angulum reperire (quod opinor non poteſt) in quo neſciatur ſacramentum ordinis, tamen angulus ille non eſſet cum reliqoa comparandus eccleſia, quæ non Chriſto ſolum ſubeſt, ſed & propter Chriſtum, vnico Chriſti vicario Papæ Romano, & ordinem credit eſſe ſacramentum. Alioqui ſi perſtet in eo Lutherus, vt eccleſiam Papæ diſcernat ab eccleſia Chriſti, & apud alteram dicat ordinem haberi pro ſacramento, non haberi apnd alteram, proferat illam eccleſiam Chriſti, quæ contra fidem Papalis (vt vocat) eccleſiæ, ignorat ſacramentō ordinis. Interim certè perſpicnum eſt, cum dicat hoc ſacramentum ignorari ab eccleſia Chriſti, & de Chriſti eccleſia dicat eos quibus præſidet Papa, non eſſe, vtraque ratione ab eccleſia Chriſti cum ſegregare non Romam tantùm, ſed Italiam totam, Germaniam, Hiſpanias, Gallias, Britannias, reliquasque gentes omnes, quæcunque Romano pontifici parent, aut ordinem pro ſacramento recipiunt. Quos populos omnes cum de Chriſti tollat eccleſia, neceſſe eſt vt aut eccleſiam Chriſti fateatur eſſe nuſquam, aut more Donatiſtarum, eccleſiam Chriſti catholicam ad dnos aut tres hæreticos redigat de Chriſto ſuſurrantes in angulo.

Luthero alia eſt Papalis eccleſia, alia Chriſti.

Sed velut ineuitabile telum promit, quòd hoc ſacramentum nullam habeat promiſſionem gratiæ vllibi, vt inquit, poſitam, cuius ſacramenti vel verbo meminiſſe negat totū nouum teſtamentum, & ridiculum ait aſſerere pro ſacramento Dei, quod à Deo inſtitutum nuſquam poteſt monſtrari: nec licet, inquit, aſtruere aliquid diuinitus ordinatum, qnod diuinitus ordinatum non eſt, ſed conandum eſt, vt omnia nobis claris, inquit, ſcripturis ſint firmata. Vtrum in nouo teſtamento nulla prorſus fiat huius ſacramēti mentio, poſt excutiemus. Interim ſic agam cum illo, tanquam nullo prorſus mentio fieret. Nam eodem telo ſe ſperat omnia fermè ſacramenta perfodere. Aduerſus quod telum ego in ſcutum mihi idipſum ferrū c niiciam, quod Lutherua ipſe fatetur impenetrabile. Sic enim ſe habent ipſius verba: Hoc ſane habet eccleſia, quòd poteſt diſcernere verbum Dei à verbis hominom, ſicut Auguſtinus confitetur ſe Euangelio crediiſſe, motum authoritate eccleſiæ, quæ hoc eſſe Euangelium prædicabat. Igitur cum iſtud habeat (vt Lutherus fatetur) eccleſia, quòd verbum Dei diſcernere poteſt à verbis hominum: certum eſt iſtud non aliunde haberi quàm à Deo, nec ob aliam cauſſam, quàm ne in his erraret eccleſia, in quibus non erratum eſſe oporteat. Sequitur igitur ex hoc fundamento, quod nobis ſubſtrauit Lutherus, vt eccleſia habeat à Deo non id ſolum quod concedit Lutherus, diſcretionem verborum Dei à verbia hominum, ſed etiam diſcernendi facultatem, qua in ſcripturis diuinis diuinum ſenſum ab humano diſcriminet. Alioqui enim quid profuerit ſi eccleſia (Deo docente) ſcripturam veram diſcernat à falſa, & in ſcriptura vera falſum ſenſum non diſcernet à verò? Denique eadem ratione & iſtud ſequitur, vt & in his quæ non ſcribuntur, eccleſiam ſuam doceat Deus, ne per errorem poſſit falſa pro veris amplecti, cum ex ea re non minus impendeat periculi, quàm ſi vel ſcripturas hominum teneat pro verbis Dei, vel è veris Dei verbis falſum eliciat ſenſum, præſertim ſi falſa ſuſcipiat ſacramenta pro veris, & traditiones hominum pro traditionibus Dei: immo non traditionea hominum, ſed figmenta diaboli, ſi ſuā ſpem in victis ac vanis corporalium rerum ſignis, (quemadmodum magi faciunt) Eccleſia Chriſti velut in Chriſti ſacramentis collocet. Liquet ergo manifeſte ex eo quod fatetur Lutherus eccleſiam hoc habere, vt verba Dei diſcernat à verbis hominū, hoc quoq; non minus habere, vt traditiones Dei diſcernat à traditionibus hominum: cum alioqui vtrobiq; poſſit ex æquo vitandus error exoriri, nec id agat Chriſtus, ne eccleſia ſua hoc aut illo erret modo, ſed ne erret vllo. Errare verò maiore cum iniuria Chriſti non poſſit, quàm ſi fiduciam in illo ponēdam ſolo, ponat in ſignis nulla prorſus fultis gratia, ſed omni bono fidei vacuis atque inanibus. Non igitur errare poteſt eccleſia in ſuſcipiendis ſacramentis fidei, non magis inquam, quàm errare poteſt in ſuſcipiendis (qua in re eccleſiam errare non poſſe fatetur Lutherus ipſe) ſcripturis. Quæ res ſi ſe haberet aliter, multa ſequerentur abſurda: ſed hoc in primis, quo nihil eſſe poteſt abſurdius, quòd pleraque omnia fidei Chriſtianæ dogmata, tot ſtabilita ſeculis, ad ſucreſcentium hæreticorum libidinem denuo reuocarentur in dubium. Nam ſi nihil haberi pro certo debet, niſi quod ſcripturis & iiſdem (vt Lutherus ait) claris firmatum eſt: non ſolum nō aſſeremus Diuę Mariæ virginitatem perpetuam, ſed & inexhauſta ſuggeretur fidei oppugnandæ materia, ſicui vnquam libeat aut nouas excitare ſectas, aut reſuſcitare ſepultas. Nam pauciſſimi fuerunt hæretici, qui non receperint ſcripturas, ſed omnes fere ex eo ſua ſtatuebant dogmata, quòd aut ea contenderent eſſe firmata ſcripturis, aut cum illis viderentur rationi conſentanea, contrarium non definiri ſcripturis: quoniam ea quæ proponebantur aduerſus ſuam ſectam, aliter contendebant intelligi, quàm orthodoxa intelligebat eccleſia, & ne clara dici poſſent, aut alio excogitato ſenſu, aut prolatis aliunde ex eadem ſcriptura locis in ſpeciem valde contrariis, omnia ſic turbarunt, vt viderentur ambigua. Itaque aduerſus Arrium niſi publica ſtetiſſet fides eccleſiæ, haud ſcio an defuiſſet vnquam de ſcripturis diſputandi materia. Nunc quoniam ex ipſius

Lutheri eccleſia, ea quæ dicitur malignantium.

Lutheri verba.

Lutheri verba.

Auguſtinus.

Victus ex ſuis ipſius verbis Lutherus.

Pleraſque omnes hæreticos ſcripturis nitı.

ipſius Lutheri fundamento probauimus, ſacramenta quæ credit eccleſia, uou aliunde quàm à Deo potuiſſe conſtitui, etiam ſi nihil inde prorſus in ſcriptura legeretur, videamus an ſcriptura tam uullam omnino mentionem faciat huius ſacramenti. Omnes vna voce fateutur, Apoſtolos in cœná domini otdinatos in ſacerdores: ſolus iſtud Lutherus negat, cum planè conſtet illic datam poteſtatem conficiendi corporis Chriſti, quod ſolus conficere ſacerdos poreſt. At non eſt, inquit ille, ſacramentum, quia non fuit illis vlla promiſſa gratia. Vnde id nouit Lutherus? Quia non legitur, inquit. Familiaris eſt iſta Luthero conſequentia, Nou eſt in Euangelio ſcriptum, ergo nou eſt à Chriſto factum. Quam colligendi formam infirmat Euangeliſtà, cum dicit: Mul-
(*Ioan. 21.*)
ta ſunt facta, quæ nou ſunr ſcripta in libro hoc. Sed tangemus ramen Lutherum aliquanto propius. Euchatiſtiam concedit eſſe ſacramentum, quod niſi fateretur, inſaniret. Ar vbi reperit in ſcriptura promiſſam in illo ſacramento gratiam? Nam ille nihil recipit niſi ſcripturas, & eaſdem claras. Legatur locus de cœna dominica, non repetiet apud vllum Euangeliſtarum in ſuſceptione ſacramenti promiſſam gratiam. Legitur
(*Matth. 26.*)
à Chriſto dictum, Hic eſt ſanguis meus noui reſtameuti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccarorum. quibus verbis ſignificauit ſemet in cruce per paſſionem redempturum genus humanum: ſed cum dixit ànte, Hoc facite in meam commemorationem: nullam hoc facienti; id eſt ſacerdoti conſecranti, aut Euchariſtiam recipienti, gratiam ibi promittir, nullam peccatorum remiſſionem. At nec Apoſtolus in epi-
(*1. Corinth. 11.*)
ſtola ad Corinthios, cum interminetur malè manducantibus iudicium, vllam mentionem facit de gratia bene mánducantium. Quod ſi quid ex capite ſexto Ioannis gratiam promittat ſuſcipienri ſacrameutum carnis & ſanguinis domini, ne id quidem quicquam iuuare Lutherum poteſt; quippe qui totum illud caput negat ad Euchariſtiam quicquam pertiuere. Videtis ergo, vt iſtam promiſſionem gratiæ, quam pro totius ſacramenti fuudamento magnificè nobis in toto promiſit opere, non poreſt in eo tueri ſacramento, quod fere ſolum relinquit, niſi (quod ueceſſe habet) præter ſcripturæ verba recurrat ad eccleſiæ fidem. Igitur quemadmodum ſatis eſt nobis quòd in Euangelio legimus, conficiendi ſacramenti poteſtatem commiſſam iis in quorum locum ſuccedunt ſacerdotes: ita ſatis eſt quòd ab
(*1. Timo. 5.*)
Apoſtolo legimus conſilium datum Timotheo, vt uemini cito manum imponeret. quæ loca plane ſignificant ordinationem ſacerdotum, non conſenſu commuuitatis fieri, quo ſolo interueniente fieri ſacerdotem poſſe Lutherus ait, ſed ſola ordinatione epiſcopi, idque certa impoſitione manuum; in qua per exterius ſignum Deus infunderet interiorem grariam: de qua gratia quid obſtat quo minus credamus eccleſiæ
(*1. Timo. 3.*)
Dei viui? quæ eſt (vt ait Apoſtolus) columna & firmamentum veritatis, quando eidem eccleſiæ neceſſe eſt ipſe credat Luthetus de gratia promiſſa in ſacramento Euchariſtiæ. Nam in hac fide cognoſcitur aut illius gratiæ promiſſio, aut certe ſiue promiſſione donatio.

Demiror profectò tam vecordem eſſe quenquam, vt dubitet an ſacerdotibus Euangelicis in ordine couferatur gratia, cum paſſim legantur plurima quæ ſignificare videntur etiam veteris legis ſacerdotibus gratiam eſſe collatam. Nam Aarou, inquit Deus, & filios eius vnges, & ſan-
(*Exod. 28.*)
ctificabis eos, vt ſacerdotio fungantur mihi. Alioqui euim quid profuiſſet exterior ſanctificatio in cultum Dei, niſi Deus pariter infudiſſet gratiam, qua ſanctificarentur interius? atq; id quoque per Chriſtum, cuius veuturi fides, robur & vim potuit indidiſſe ſacramentis præcedentibus, ſicut capacem fecit populum Iudaicum conſequendæ aliquando ſaluris æternæ. Verùm ſi quis id uou admittat, veteris legis ſacerdotio collatam gratiam, certe non eſt cur grauetur tamen admittere gratiam ſacerdotibus Euangelicæ legis infundi, quia iam per Chriſti paſſionem venit plenitudo gratiæ.

In actis Apoſtolorum, cum Barnabas ac Pau-
(*Acto. 13.* *In ſacramento ordinis cõferri gratiã.*)
lus ſegregarentur in opus iu quod eos Spiritus ſanctus accerſiuit, uon antè dimiſſi ſunt, quàm impoſitis manibus ordinati ſunt. At cur obſecro manus eis impoſuerunt Apoſtoli? an vt corpus inani tactu pulſarent, nulla ſpiritali gratia prodeſſent animæ? Quomodo poteſt ergo Lutherus hoc ſacramentum dicere eccleſię Chriſti eſſe incognitum, quo nulla natio Chriſtiana nou vtitur? Quomodo poteſt appellare nouum, quod inſtituit Chriſtus? quod in vſu habebant Apoſtoli? At uunquam (inquit) appellatum eſt ſacramentum apud veteres Doctores vſquam, excepto Dionyſio. Nihil enim prorſus in reliquis patribus de iſtis ſacramentis legimus (inquit) uec ſacramenri nomine cenſuerunt, quoties de his rebus locuti ſunt. Recens euim eſt inuentio ſacramenrorum. Egregia ſanè ratio eſt iſta Luthe-
(*Confutatur ratio Lutheri.*)
ri, quæ & manifeſte falſa eſt: & ſi forte vera, nihil tameu efficeret. Nam ſi veteres de re fortaſſis olim non controuerſa nihil ſcripſiſſent omnino, aut ſi cum ſcriberent aliquid, rem proprio tamen, nou communi ſacrameurorum nomine deſignaſſent, uon neceſſario colligeretur ex eo, aut ordinem non fuiſſe prorſus, aut uou fuiſſe ſacramentum. Nam ſi quis baptiſmum vocet baptiſmum, nec addat ſacramentum, diceret ideo non habuiſſe baptiſmum pro ſacramento? Præterea ſi ſolus ex antiquis patribus Dionyſius ordinem ſcriberet eſſe ſacramentum, vel ſatis eſſet ad euertendam Lutheri obiectionem, qua videri vult inuentionem ſacramentorum nouã eſſe. repugnat enim eſſe nouum, quod ab illo fatetur ſcriptis cõprehenſum, quem fatetur antiquum. Atque iſtud quidem verum eſſet, etiam ſi talis eſſet ſacer Dionyſius, qualem eum depingit ſa-
(*Sacrilegi Lutheri contumelia in ſacrum Dionyſium.*)
crilegus Lutherus, qui ferme nihil in eo dicit eſſe ſolidæ eruditionis, nihil eorum quæ ſcribit, aut authoritate quicquam, aut ratione probati, ſed omnia eſſe illius meditata, ac propè ſomniis ſimillima, quæcunque in cœleſti ſcribit Hierar-

chià. In theologia myſtica, quam ſic inflant (Inquit) ignorantiſſimi quidam Theologiſtię, eſt (inquit) etiam pernicioſiſſimus, plus platonizans, quam chriſtianizans. In qua, inquit, Chriſtum adeo non diſces, vt etiam ſi ſcias, amittas. Expertus (inquit) loquor, hoc eſt (vt opinor) expertus eſt ibi ſe Chriſtum perdidiſſe. Demum in eccleſiaſtica Hierarchia quid facit, inquit, niſi quòd ritus quoſdam eccleſiaſticos deſcribit, ludens allegoriis? Deniq; vt oſtenderet in re quàm leui Diuus Dionyſius luderet operam, An mihi putas, inquit, difficile eſſe, in qualibet re creata allegoriis ludere? Mihi non fuerit operoſum meliorem Hierarchiam ſcribere, quàm Dionyſij ſit. Quis patienter ferat in viri ſancti pios labores ſic debacchantem rabulam, quæ vere meritoque in ſui ſimilem debaccharetur hæreticum? Nam & indoctum vocat, & ludicrum, & ſcribentem non tantùm ſomnia, ſed etiam pernicioſa, & Chriſtum deſtruentia dogmata. Quæ tamen omnia conuicia ſancto viro cedunt in gloriam; cuius opera omnia vel hoc abunde demonſtrat eſſe bona, quòd viro malo diſpliceant. Nam quæ conſortia luci cum tenebris, Chriſto cum Belial? At quòd è piis viri ſancti libellis nihil pietatis hauſit, impium ipſius caput erat in cauſa, quandoquidem vere ſcribit Horatius: Syncerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. Nam quod ait ſibi non operoſum eſſe meliorem Hierarchiam ſcribere, quàm fuerit illa Dionyſij: poſtquam ſcripſerit, tum iſtud iactitet. Interea verò rem aggreditur multo magis operoſam, Hierarchiam alteram, quæ ſupra firmam fundata eſt petram, demoliri.

Ad Lutherũ (ſi Luthero credas) nihil eſt Diuus Dionyſius.

Horatius.

Longius aliquanto nos auexit indignatio, qua moleſte ferimus, in virum ſanctum ab impio euomita tam contumelioſa conuicia. Verùm, vt cœpi dicere, etiam ſi ſolus Dionyſius docuiſſet ordinem eſſe ſacramentum, ſuffeciſſet illud ad reuincendum Lutherum, aſſerentem nouam eſſe inuentionem ſacramentorum, cum Dionyſium non ſolum Lutherus fateatur antiquum, ſed & totus orbis Chriſtianus veneretur vt ſanctum. Cui quòd Lutherus iraſcitur, non aliud facit, quàm ſola malitia, qua nihil ferre poteſt, quod impiis ipſius hæreſibus aduerſatur. At nunc vt plane liqueat, quàm vanus vndique ſit Lutherus, oſtendam non ſolum Dionyſium, ſed etiam Gregorium, & quem ſibi patronum Lutherus mentitur Auguſtinum, ordinem habuiſſe pro ſacramento. Præterea characterem (quem Lutherus irridet) indelebilem, etiam ſi non vocetur nomine, re tamen aperte deſcribi & ab Hieronymo in ſacramento baptiſmatis, & rationem eius haberi ab Auguſtino in vtroq; ſacramento, tam baptiſmi, quam ordinis. Incipiam igitur à Hieronymo de charactere baptiſmatis, vt appareat manifeſtius character ordinis, quem & Auguſtinus & Gregorius ob indelebilem characterem cum baptiſmo comparant. Igitur ſuper illa Pauli verba ad Epheſios, Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis, Hieronymus in hunc ſcribit modum: Signati autem ſumus ſpiritu Dei ſancto, vt & ſpiritus noſter & anima imprimatur ſignaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & ſimilitudinem, ad quam in exordio conditi ſumus. Hoc ſignaculum ſancti Spiritus, iuxta eloquium ſaluatoris, Deo imprimente ſignatur. Hunc enim, ait, ſignauit pater Deus. Et paulò pòſt, Idcirco ſignatur, inquit, vt ſeruet ſignaculum, & oſtendat illud in die redemptionis purum atq; ſyncerum, & nulla ex parte mutilatum, & ob id remunerari valeat cum iis qui redempti ſunt. Quicunque ſcripſêre de ſacramentorum charactere, nullis vnquam verbis apertius expriſêre characterem (quem animæ per ſacramenta imprimit Deus) quàm verbis his beatus expreſſit Hieronymus, non humano figmento (vt Lutherus fingit, ſacramentorum execrandus irriſor) ſed ſolidis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis. Character enim eſt illa qualitas animæ, quam Deus ſibi notam, nobis incogitabilem, imprimit in ſignaculum quo ſuum gregem diſcernit ab alienis. quod ſignaculum etiam ſi vitiis maculent, & è candido reddant atrum, ex integro mutilum, è puriſſimo reddant impurum, nunquam tamen ita poterunt eradere, quin illo characteris impreſſi ſignaculo, in cuius gregem ſignati ſunt, orbi toti maneant in iudicij die cognobiles. Nec alia ratione tam conſtanter obſeruat eccleſia, vt cum alia ſacramenta toties iteret, (quod in Euchariſtiæ ſumptione facit, ac pœnitentia, coniugio, & vnctione languentium) baptiſma, confirmationem, atque ordinem nunquam iterari permittat. In iis enim ſacramentis, ſancto docente ſpiritu, didicit eccleſia characteris conferri ſignaculum: quod cum deleri non poſſit, iterari non debeat. Sed vt manifeſte pateat, ordini hac in parte parem eſſe cum baptiſmo conditionem, audiamus quid ait Gregorius. Quod dicitis (inquit) vt qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valdè ridiculum eſt. Vt enim baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem ordine non valet iterum conſecrari. Videtis vt ordinis ſacramentum nó magis iterari patiatur eccleſia, quam ſacramentum baptiſmatis, quæ res, vt dixi, pendet ab indeleto charactere. Qua de re vt os obſtruamus Luthero, ne rurſus obganniat figmentum eſſe characterem, & ſolum ex antiquis Dionyſium, ordinem vocaſſe ſacramentum: ſubiungemus, vt polliciti ſumus, hac de re etiam Diui Auguſtini ſententiam. Is igitur cum de baptiſmo & ordine diſſerit, in hunc modum ſcribit: Vtrunque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrunque homini datur: illud cum baptizatur, & iſtud cum ordinatur. Ideo non licet in eccleſia catholica vtrunque iterari. Nam ſi quando ex hæreticorum parte venientes etiam præpoſiti, pro bono pacis, correctio ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, etſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi, ſed ſicut baptiſmus in eis, ita manſit ordinatio integra, quia in præciſione fuerat vitium, non in ſacramentis,

Lutherus non iraſcitur Dionyſio.

Epheſ. 4.

Hieronymus pro charactere.

Character quid ſit.

In quibus ſacramentis imprimatur character.

Gregorius.

Auguſtinus.

Non eſſe iterandum ordinis ſacramentum.

quæ

quæ vbicunq; ſunt, ipſa ſunt. Et paulò pòſt: Neutri ſacramento facienda eſt iniuria. Et addit de ſacramento ordinis, Sicut non rectè habet, qui ab vnitate recedit, ſed tamen habet: ſic etiam non rectè dat, qui ab vnitate recedit, & tamen dat. Et rurſus ad vtrumq; reuerſus adiecit: Non ergo ideo non ſunt ſacramenta Chriſti & eccleſiæ, quia eis illicitè vtuntur non modo hæretici, ſed etiam omnes impij: ſed illi corrigendi ſunt, & puniendi; illa autem ſunt agnoſcenda & veneranda. Videtis nunc quàm verum ſit illud quod Lutherus tanta iactauit audacia, ſacramentum ordinis eccleſiam Chriſti neſcire, Characterem inane figmentum eſſe, Sacramentorum inuentionem nouam eſſe, Ordinem veteribus non habitum pro ſacramento. Quorum omnium nihil dixit, quod non videtis eorum teſtimonio reprobatum, quos neque de Chriſti eccleſia poteſt eximere (vtpote quam illi & doctrina fidei, & exemplo virtutis illuſtrarunt) neque inter nouos numerare, niſi talis ſit, vt ei mille ſint anni tanquam dies vnus. Sed ille tamen aduerſus omnes omnium rationes, authoritatem, fidem, vno ſe tuetur argumento:

Luth verba. *1. Petri 2.*

Omnes, inquit, ſumus ſacerdotes, ſecundùm illud Petri, Vos eſtis regale ſacerdotium, & ſacerdotale regnum. Sed alius alio non poteſt magis eſſe ſacerdos, quemadmodum alius alio nō poteſt magis eſſe homo.

Lutheriani ſacerdotes laici.

Igitur ſacerdotes qui vocantur, nihil ſunt aliud, quàm laici quidam ſolo vel conſenſu populi, vel Epiſcopi vocatione non abſque populo delecti ad concionandum: & ordo nihil eſt aliud, quàm merum ſine ſacramento miniſterium. Recenſuimus eius argumentum non ſolum fideliter, ſed etiam liberaliter adiicientes quod fulciat: & tamen cui non excutiat riſum, tam hebes theologantis argutia?

Plumbea Lutheri ratio.

Nam ſi ideo nihil eſt ordo ſacerdotij, quia quilibet Chriſtianus eſt ſacerdos: eadem ratione ſequetur, vt nihil ſupra Saul habuerit Chriſtus. Nam & de Saul dixit Dauid: Peccaui tangens Chriſtum domini. Nihil habuerit Chriſtus ſupra quenquam eorum de quibus dictum eſt:

1. Reg 24.

Nolite tangere Chriſtos meos. Nihil denique ſupra quenquam Deus, eorum omnium de quibus per prophetam dixit ipſe:

Pſal 100.

Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Poſtremò, quia ratione Chriſtiani omnes ſacerdotes ſunt, eadem etiam ratione reges ſunt. Non enim ſolum dicitur, Vos eſtis regale ſacerdotium, ſed etiam ſacerdotale regnum.

Nemo Luthero rex, quia illi omnes ſunt reges.

Sedulò conſiderandum eſt, ſerpens iſte quid deſtinet: quem ego certè callidiorem puto, quàm vt vllius eſſe momenti putet tam friuolum argumentum, ſed qui tantùm ideo lambit, vt mordeat. laicos ideo tollit in ſacerdotium, vt ſacerdotes redigat in claſſem laicorum. Nam ſacramentum eſſe negat, & ritum tantùm

Luth. verba.

eſſe dicit eligendi concionatoris. Nam qui non concionantur, nihil minus ait eſſe quàm ſacerdotes, nec aliter ſacerdotes eſſe, quàm homo pictus eſt homo: contra Paulum Apoſtolum, qui

1. Timot. 5.

ad Timotheum ſcribens ait: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt; maximè qui laborant in verbo & doctrina. Apoſtolus hoc manifeſte docet, quanquam ij præcipue duplici honore digni ſunt, qui cum presbyteri ſint, laborant in verbo & doctrina: tamen & qui hoc non faciunt, non ſolum eſſe presbyteros, ſed bene præeſſe poſſe, & duplicem quoque honorem promereri: alioqui non dixiſſet, maxime qui laborant in verbo & doctrina, ſed ſolum ij qui laborant in verbo & doctrina.

Luth. verba.

Præterea ne poſſit dicere Lutherus, id quod dicit, officium ſacerdotis erga populū nihil eſſe niſi prædicare, nam miſſas, inquit, canere, nihil eſt aliud, quàm communicare ſeipſum: hoc inquā vt appareat quàm falſum ſit, rurſus audiamus Apoſtolum.

ad Hebr. 5.

Omnis, inquit, pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quę ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. An non Apoſtolus apertè declarat, etiam pontificis officium iſtud poſcere, vt pro hominibus offerat ſacrificium Deo? quod cum ſcribat, quanquam Hebræis, tamen Chriſtianis, quos noluit iudaizare, clarum eſt loqui de pontifice legis vtriuſque: atque ideo bis Lutherum ſuo premere teſtimonio. Nam & miſſam docet eſſe ſacrificium, & offerri pro populo, cum eccleſia nullum offerat aliud: & docet offerendi officium præcipuam partem eſſe muneris pontificij. Et certè, niſi falſum eſſet quod dicit Lutherus, facile videtis conſequi, vt cum nemo niſi ſacerdos poſſit conſecrare corpus domini, ſi è tot ſacerdotum millibus, qui concionari neſciunt, nullus vero ſacerdos eſt, ſed tantùm vocatur æquiuoce, quemadmodum homo pictus vocatur homo: totus Chriſtianus orbis Deum populumque ferme non habet alium, quàm idololatras, panem pro Chriſto colentes, & genua ſua curuantes ante Baal.

In eligendi (vt vocat) ritu, præcipuum ius tribuit populo. Nam licet vno loco tribuere videatur epiſcopo aut populo ius promiſcuum, cum dicit quòd quanquam certum ſit omnes Chriſtianos æqualiter eſſe ſacerdotes, & eandem in verbo & ſacramento quocunq; habere poteſtatem, non licere tamen quenquam hac ipſa vti, niſi conſenſu communitatis, aut vocatione maioris: alio tamen loco ſuperiores partes tribuit populo, cum de ſacerdotibus dicit: Qui ſi cogerentur admittere nos omnes æqualiter eſſe ſacerdotes, quotquot baptizati ſumus, ſicut reuera ſumus, illiſque ſolum miniſterium, noſtro tamen conſenſu permiſſum; ſcirent ſimul nullum eis eſſe ſuper nos ius imperij, niſi quantum nos ſponte noſtra admitteremus.

Quæ duo loca ſi conferantur, oſtendunt hoc ſentire Lutherum, vt populus abſque Epiſcopo poſſit ordinare ſacerdotem, Epiſcopus ſine populi conſenſu non poſſit, cum dicit ſacerdotibus ſolum miniſteriū, nec id tamen niſi populi conſenſu permiſſum. Nam ſi hoc verum eſt, ſacerdos fieri niſi populi conſenſu non poteſt, cuius conſenſu ſolo dicit olim præfectos Eccleſiis epiſcopos.

Luth verba. *Sacramentū ordinis prophanat Lutherus.*

Negari non poteſt (inquit) Eccleſias olim à ſenioribus fuiſſe rectas abſque iſtis ordinationibus & conſecrationibus; propter ætatem & longum rerum vſum in hoc electis. Lutherus vbi

iſta reperit, oſtendat ipſe; mihi interim vera non
videntur. Nam ſi laicus quiſque æqualem habet
poteſtatem cum ſacerdote in quocunque ſacra-
mento, & ordo ſacerdotij nihil eſt, cur ita ſcribit
1. ad Ti. 4. Apoſtolus Timotheo: Noli negligere gratiam
Aduerſus quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam
Lutherum cum impoſitione manuum presbyterij? Et alibi
Paulus. ad eundem: Admoneo te, vt reſuſcites gratiam
Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuũ mea-
rum. Iterum: Nemini, inquit, citò manus impo-
ſueris, neq; communices peccatis alienis. Deniq;
hunc in modum Apoſtolus ſcribit ad Titum:
Ad Titum. 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ de-
ſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presby-
teros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Habes nunc le-
ctor, ſemel ſub oculis Apoſtoli pauca loca, & nõ
multa verba, quibus inter ſe collatis, facilè potes
deprehẽdere falſa fictaq; eſſe omnia quibus tam
inordinate Lutherus debacchatur in ordinem.
Sacerdotes Nam quos dicit populi conſenſu fieri, Paulus o-
non niſi ab ſtendit fieri ab Epiſcopo, quem in hoc ait ſe reli-
Epiſcopis quiſſe Cretæ, vt oppidatim presbyteros cõſtitu-
fieri. eret, nec tamen temere, ſed ſicut ipſe præſens diſ-
poſuerat. Vides, impoſitis manibus fieri ſacerdo-
In ſacramẽto tem. Et ne dubitari poſſit ſimul cõferri gratiam,
ordinis con- vides illam manuum impoſitione collatã. Reſu-
ferri gratiã. ſcita, inquit, gratiam quę data eſt tibi per impoſi-
tionem manuũ mearum. Et illud quoq;: Noli ne-
gligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per
prophetiam, cum impoſitione manuũ presbyte-
Quantum rij. In his te exerce. Miror igitur non pudere Lu-
delirauit therum, cum negat ſacramentum ordinis, haud
Lutherus. ignarus in manibus omnium verſari verba Pauli,
quæ doceant non niſi à ſacerdote fieri ſacerdo-
tem, nec ſine conſecratione fieri: in qua & ſignũ
adhibeatur corporeum, & tantum ſpiritalis in-
fundatur gratiæ, vt is qui conſecratur, nõ ſolum
accipiat ipſe Spiritum ſanctum, ſed etiam pote-
ſtatem conferendi aliis. Nouum vero quî poteſt
eſſe, quanquam id Lutherus ait, de quo ſcribit
Apoſtolus? Quomodo ignoratũ eccleſiæ, quod
in omnibus Chriſti legitur & nunquam non le-
gebatur eccleſiis? Quibus ex rebus manifeſtum
eſt, è tam multis quæ tanta cum confidentia pro
compertiſſimis Lutherus eblaterauit in ordinẽ,
ne vnam quidem ſyllabam fuiſſe veram, ſed per
malitiam ficta falſaque omnia.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

IN ſacramento extremæ vnctionis Lu-
therus bis ipſe ridendus, bis irridet ec-
cleſiam. Primùm, quòd Theologi, vt
ait, hanc vnctionẽ appellent ſacramen-
tum: quaſi ſoli hoc dicant ij quos ille vocat The-
ologos. Deinde, quòd appellent extremam. Et
quod ad ſecundum pertinet, obiicit ſibi tãquam
ioco, quod nunquam ſoluet ſerio. Nam & ideo
quoque verè dici poteſt extrema, quòd extrema
ſit è quatuor. Poſtea, vt doceat nõ eſſe ſacramen-
tum, obiicit ſibi primum id, quod neminem vi-
Iacobi 5. det non obiectutum, Apoſtoli Iacobi verba: Si
infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros
eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes oleo in
nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmũ,
& alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit,
remittentur ei. Hæc verba, quæ ex ipſius etiam
finitione apertiſſime declarant hanc vnctionem
ſacramentum eſſe, quæ neque ſigno careat viſi-
bili, nec promiſſione gratiæ, protinus incipit
Phormiana cõfidentia, tanquam nihil haberent
vigoris, eludere. Ego autem dico (inquit) ſi vſpi- *Lutherus.*
am deliratum eſt, hoc loco præcipuè deliratum
eſt. At ego contrà non verebor dicere, quòd ſi v- *Author.*
ſpiam delirat Lutherus, qui ferè delirat vbiq;, hic
in ſacramento vnctionis extremæ ad extremam
vſque delirat amentiam. Omitto, inquit, quòd *Lutherus.*
hanc epiſtolam non eſſe Apoſtoli Iacobi, nec A-
poſtolico ſpiritu dignam, multi valde probabili-
ter aſſerant, licet conſuetudine authoritatem,
cuiuſcunq; ſit, obtinuerit. Tamen, inquit, ſi eſſet
Apoſtoli Iacobi, dicerem non licere Apoſtolum
ſua authoritate ſacramentum inſtituere, id eſt di-
uinam promiſſionem cum adiuncto ſigno dare.
hoc ad Chriſtum ſolũ pertinebat. Sic Paulus ſeſe
accepiſſe à Domino dicit ſacramentum Eucha-
riſtiæ, & miſſum non vt baptizet, ſed vt euange-
lizet. Nuſquam autem legitur in Euangelio vn-
ctionis iſtius extremæ ſacramentum.

His verbis videtis vt Apoſtoli verba duobus
modis eneruare conatur. Primum, quòd epiſto-
la non ſit Apoſtoli, deinde quòd etiam ſi ſit Apo-
ſtoli, tamen Apoſtolus authoritatem non habeat
inſtituendi ſacramenta. Hæc duo quanquam
proponat paucis, ac ſtatim ad alia tranſiliat, ta-
men præcipua tela ſunt quibus inſtituit hoc ſa-
cramentum perimere. Nam cætera quæ dicit o-
mnia, nugamenta ſunt, ridendi occaſionem ca-
ptantia, tanquam eccleſia non rectè ſacramentũ
obſeruet. Sed hæc duo vnum tangunt. Nam ſi e-
piſtola non Apoſtoli ſit, nec Apoſtolico ſpiritu
digna, aut ſi Apoſtolo tradente vnctionem hanc
pro ſacramento, tamen nihilo magis probetur
ſacramentum, conſequeretur omnino, vt hæc
verba nihil efficerent. Si dixiſſet olim fuiſſe dubi-
tatum cuius illa fuerit epiſtola, dixiſſet vere. neq;
enim temere quicquam recepit eccleſia omnia
diligenter excuſſit: idque ipſum facit, vt certiora
deberent haberi omnia quæ receperit, etiam ſi
duntaxat humana prudentia regeretur eccleſia.
Verùm cum dicat multos aſſerere hanc epiſto-
lam non ſolum nõ eſſe Apoſtoli, ſed eſſe præter-
ea indignam Apoſtolico ſpiritu, atque iſtud non
aſſerere ſolùm, ſed aſſerere etiam probabiliter:
probabile eſt illum iſtud probare nõ poſſe. Alio-
qui proferat è multis aliquos, qui ſi ex eccleſia
ſunt, neq; tam multi ſunt opinor, neq; tã magni,
vt pondus obtinere mereãtur aduerſus reliquos
omnes. Adhuc produxit nullum. Ego producam
vnum, qui ſufficere debet aduerſus multos, bea- *Iacobi epi-*
tum Hieronymum, quo neq; doctior quiſquam *ſtola aſſeri-*
fuit in ſcripturis ſacris, neque qui veras ac ger- *tur authore*
manas acriore cenſura diſtinxit à dubiis. Is igi- *Hieronymo.*
tur cum aliquandiu de epiſtola Pauli dubitaſſet,
ſed tunc dubitaſſet, cum res adhuc non eſſet tam
pleno eccleſiæ cõſenſu firmata, Iacobi tamẽ quæ

vocatur epiſtola, ipſius eſſe ſine vlla dubitatione pronunciat. Nam hunc in modum ſcribit: Iacobus, Petrus, Iudas, & Ioannes, ſeptem epiſtolas ediderunt, tam myſticas quam ſuccinctas, & breues pariter & longas: breues in verbis, longas in ſententiis: vt rarus ſit, qui non in earum cæcutiat lectione. Idem in prologo in ſeptem epiſtolas canonicas, ſic ait: Eſt enim prima earum vna Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ. Videtis vt beatus Hieronymus idem iudicium de Iacobi profert epiſtola, quod de Petri, nec putat indignam Apoſtolico ſpiritu. Certè ſi rationes attuliſſet Lutherus, quare epiſtola non eſſet Iacobi, ſed tamen alterius cuiuſpiam, qui eodem loqueretur ſpiritu, potuiſſet vtcunq; ferri. Nunc vero dicit eſſe probabile, ideo non eſſe, quòd ſit indigna ſpiritu Apoſtolico. Qua in re non alium obiiciam Luthero, quàm Lutherum ipſum. neque enim Luthero quiſquam aut ſæpius ferme contradicit, aut validius, quam Lutherus. Is igitur in ſacramento ordinis ait eccleſiam hoc habere datum, vt poſſit diſcernere verba Dei à verbis hominum. Quomodo ergo nunc dicit epiſtolam Apoſtolico ſpiritu indignam eſſe, quam eccleſia cuius iudicium, vt ait, hac in re falli non poteſt, Apoſtolico ſpiritu iudicauit plenam? Quamobrem nunc ita ſe ſua ſapientia, conſtrinxit vndique, vt aut neceſſariò comprobet epiſtolam eſſe Apoſtoli, cuius cõtrarium dixit eſſe probabile: aut dicat eccleſiam in ſcriptura ſacra poſſe diiudicanda falli, quod eam poſſe negauerat. Quod ſi dicat velut Apoſtolico dignum ſpiritu comprobaſſe quod Apoſtolico ſpiritu ſit indignum, blaſphemus eſt in eccleſiam. Si fatetur Apoſtolum ſcripſiſſe quod Apoſtolo ſit indignũ, blaſphemus eſt in Apoſtolum.

Iacobi epiſtolã Luthero non eſſe dignam ſpiritu Apoſtolico.

Lutherus ſui ipſius perfoſſor.

Satis igitur illud confutauimus, immo ſemet ſatis confutauit ipſe, quòd epiſtolam negauit aut eſſe Apoſtoli, aut dignam Apoſtolico ſpiritu. Veniamus nunc ad id, in quo, vt fortem virum decet, aperte oppugnat Apoſtolũ, dicens, etiam ſi ſit Apoſtoli Iacobi, tamen non licere Apoſtolo ſua authoritate ſacramentum inſtituere, id eſt diuinam promiſſionem cum adiuncto ſigno dare. Hoc enim pertinet (inquit) ad ſolum Chriſtum. O noſtri ſeculi magnam fœlicitatem, quo nouus iſte gentiũ Doctor exortus eſt Lutherus, qui hoc ſibi arrogans, tanquam Pauli ſequeretur exemplum, in faciem reſiſtat Apoſtolo, quòd nõ recta via ingrediatur ad Euangelium Chriſti, ſed (quod plus eſt quàm ſi gentes doceat iudaizare) arroget ſibi facultatem promittendi gratiam, & ſacramenta condendi, hoc eſt, quòd vſurpet ſibi poteſtatem Chriſti, ad modum ſuperbientis & præuaricantis angeli, qui dixit, Ponam ſolium meum ad aquilonẽ, & ero ſimilis altiſſimo. Non eſt nunc quòd ægre ferat pontifex ab illo reprehendi, qui de tam atroce crimine reprehendit Apoſtolum. Nam cum certum ſit epiſtolam eſſe Apoſtoli, quid aliud, quàm manifeſte dicit Apoſtolum ſine authoritate, & contra fas inſtituere ſacramentum? Immo cum neget epiſtolam illius eſſe, tamen ne abſtineret contumelia, dicit id ſe

Eſaie 14.

dicturum etiam ſi eſſet Apoſtoli. Ego certè, etſi nonnullis viſum ſit, Apoſtolis non ſine Spiritu ſancto, quem Deus in Pentecoſte miſit, rationẽ traditam eſſe condendi ſacramenti, de quo ſpiritu Chriſtus prædixerat, Spiritus ſanctus quem ego mittam, ille vos docebit omnia: tamen in præſenti non diſputabo vtrum Apoſtolus authoritatem habeat inſtituendi ſacramenti, quippe quod nunc diſputari non opus eſt: ſed cum plane conſtet Apoſtolum vnctionem iſtam pro ſacramento tradere, non dubito vere ſacramentum eſſe, & Apoſtolum nõ fuiſſe tam impie arrogantem, vt pro ſacramẽto traderet populo, quod ſacramentum non eſſet: ſed ſi condendi ſacramenti poteſtatem non habuit, verbis alijs id tradidiſſe populo, quod ipſe acceperat à Chriſto, qui vt alia mundo volebat innoteſcere per Matthæum, alia per Lucam, per Ioannẽ alia, alia preterea per Apoſtolum Paulum, cur fieri nõ poſſit, vt quædam etiam doceri voluerit per Apoſtolum Iacobum?

Ioan. 14.

Lutherus poſtquã ſe tam ſtrenuè quàm videtis, geſſit aduerſus Apoſtolum, iam totũ ſe conuertit ad ridendum eccleſiam, quæ verbis Apoſtoli, vt dicit Lutherus, abutitur, quòd non miniſtret niſi ad mortem vſq; ęgrotanti, cum Iacobus dicat: Si quis infirmatur, non ſi quis moritur: quaſi ideo peccet eccleſia, quòd rem tantã, quanta eſt ſacramentum, non adhibeat temere in qualibet leui febricula, quam aliquis nimiũ fortaſſe potando contraxerit, neque in eo morbo, qui vel dormiendo paululum vel abſtinendo curari poſſit, eccleſia per ſacramentum velit efflagitare miraculum. Ne dubitari poſſit, etiam ſi duntaxat infirmum ſcripſerit Iacobus, ſenſiſſe tamen haud ægrotantem leuiter, ſed eo morbo vexatũ, cuius depulſio poſſet oſtendere, ſi ſanaretur, ſanatum ſacramento: orationes omnes quę dicuntur ſuper infirmum, (quas nemo dubitat eſſe vetuſtiſſimas, non nouum inuentum eorum quos iſte vocat Theologos) oſtendunt non adhibendum hoc ſacramentũ niſi in laborante grauiter: & tamen vt nõ promittunt certam ſalutem corporis, ita non deſperant ſalutem, nec veniunt (quòd Lutherus ait) tanquã ad eos qui iam tum ſint omnino morituri. Fruſtra enim tot orationibus orarent ſalutem, ſi certò ſibi ſponderent mortem. Non igitur id agit eccleſia (quod inepte cauillatur iſte) vt ſit extrema vnctio, licet vocetur extrema, ſed agit vt nõ ſit extrema, ſed conualeſcat ægrotus. Quòd ſi nolit eum Deus conualeſcere, id tamen non euacuat vim ac virtutem ſacramenti, cuius præcipua cura non in corpus fertur, ſed animã. Nam ratio illa Lutheri de efficacia ſigni, nihil omnino rationis habet, aut efficaciæ. Si vnctio iſta ſacramentum eſt, inquit, debet ſine dubio eſſe, vt dicunt, efficax ſignum eius quod ſignat & promittit. At ſanitatem & reſtitutionẽ infirmi promittit, vt ſtant aperta verba, Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Quis autem non videt hanc promiſſionẽ in paucis impleri? Quid ergo dicemus? (inquit) aut Apoſtolus hac promiſſione mentitur, aut vnctio iſta ſacramentum non erit. Promiſſio

Confirmatur eſt nõ ad voluiſſe Iacobum, vt in leui quolibet morbo vngeretur infirmus.

Ratio Luth.

miſſio enim ſacramentalis certa eſt: at hæc maiore parte fallit. Vel ex hoc argumēto patere poteſt, nihil curare Lutherum, quàm apertas afferat calumnias, modò ſpecie aliqua veritatis imponere poſſit incautis: quem nou puder ea contra Theologos afferre, quaſi ab ipſis dicta, quæ nuſquam dicunt. Sacramentū (inquit) vt dicunt, eſt efficax ſignum eius quod promittit: at boc ſacramentum ſanitatem corporis non efficit, quam promittit. Theolngi non iſtud dicunt, ſed quòd eſt efficax ſignum gratiæ. ſic enim definiunt. Sacramentum eſt viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ. nou dicunt ſalutis corpnreæ, quæ dari poſſit & ſine gratia. Quamobrem, quod ait conſequi, vt ſi hæc vnctio ſacramentum eſſet, Apoſtolus mentiretur: Lutherus ipſe mentitur. Nam ſacramentum quateuus ſacramenrum eſt, nō ſalutem promittit corporis, ſed animæ, per ſigna corporea. Alioqui Lutherus nihilominūs endem concludit mendacio non Apoſtolum ſolum, ſed etiam Chriſtum ipſum, quanquam vnctio non eſſet ſacramētum. Debeut enim verba & promiſſiones etiam extra ſacramenta veraces eſſe. Igitur cum Apoſtnlus dicat ſanandū per vnctionem & oratiouem, eum qui infirmus eſt, & Chriſtus ſigna illa ſecutura credentes, vt ſuper ęgros manus imponerent, & bene haberent, quis non vider, hæc ſic interdum fieri, vt tamen nou fiant ſemper? Neq; tamen falſos eſſe qui promiſerint, cum eos nemo dubiter corporalia quibuſcunque verbis promiſerint, nunquā promiſiſſe perpetua, cum corpus in quo fieri deberenr, perpetuum eſſe nō poſſit. Spiritalia verò, quia ſua natura ſpirirus æternùm victus eſt, perpetuò conſecutura pnllicentur. Nam Lutheri ſeutentia, quæ à Theologis exigit, vt ſi ſacramentum ſit vnctio, ſemper ſanet, ne ſit ſignum inefficax: eò tendit, vt ſacramentū eſſe uou poſſit, niſi reddat corpus immortale. qnod ipſe tamen fieri poſſe prnmittit per orationem factā à bonis viris nihil hæſitante fide. Nam prorſus dubium nnn eſſe dicit, hodie quoque ſic ſanari poſſe quotquot vellemus. Hoc ſi dicit verum, talis fides qualis eſt illius, bominem ſeruare poteſt immortalem. Nam cum iſta fieri poſsint per fidem, non ſolum interdum, ſed (qund Lutherus ait) perperuo (modò ſit fides indubia, quę nibil hæſiter) credibile eſt fidē iſtam, ſi cuiquam alteri, potiſsimum coutigiſſe Luthero, hominī ſic in fidem propenſo, vt fidei fauore bonis operibns multis in locis propemodum indicat bellum. Homini præterea, cui nunc tot & tanta myſteria reuelauit Deus, & qui nouam cōdit eccleſiam, quam in rem opus eſt & miraculis. Igitur veriſimile eſt, quicqnid fieri per fidem poteſt, abunde Lutherum facere. Demiror igitur, ſi vera dicit, ipſum uon curare quoſcunque morientes. Et quotidie auſcultamus rumores è Germania, qni referant reſuſcitatos etiam ſepultos: cum interim ſemper audimus nou modò ſanatum nullum, ſed etiam per illius quoſdam ſatellites, occiſos & crudeliter trucidatos eius cauſa bonos & innocentes ſacerdotes, vt exemplo doceret ordinem nihil eſſe, figmentum eſſe characterem, meticnloſum fuiſſe Dauidem, quem pœnituerit tetigiſſe Chriſtum domini.

Confutatur ratio Lutheri.

Luth. verba.

Lutheriana vnctio homines reddit immortales.

Luth fides.

Hæ ſunt Lutheri ſanationes, quas nihil vacillans eius fides operatur abſque bonis operibus. Nam quòd occidit, nou ſanat, inde planè accidit, quòd vt Lutherus ait, oratio non tantum cum fide faciēda eſt, ſed etiam à bono viro. quæ res Lutherū, qui vir bonus nō eſt, ne quenquam ſanet, impedit. Vnctio hæc ſacramentum non eſt, quia non ſemper ſanat corpus. Lutherus vir ſacer eſt, per quē & corpus, vt fuerunr, occiditur, & certe occiduntur animæ. Iacobus Apoſtolus nihil dignū ſcribit Apoſtolico ſpiritu, Lutherus Apoſtolico ſpiritu digna ſcribit omnia, & quæ ſint indigna diſcernit, idq; contra totam eccleſiam, quam in talium diſcretione ſcripturarum falli faſſus eſt ipſe nō poſſe. Qua in re, cum epiſtolam Iacobi legerem, atq; ibi tam multa conſpicerem Apoſtolico digna ſpiritu, vehemēter admiratus ſum, quid in mentem venerit Luthero, vt gaudium in tentationibus, patientiam in aduerſis, à Deo petendam ſapientiā, in Deo fiducia nihil hæſitante ſperandum, & buiuſmodi multa (nam talia ſunt, quę tota leguntur epiſtola) miratus inquam ſum, cur Lutherus putarit indigna quæ ſcriberentur ab Apoſtolo. An illa potius ſcribere debebat Apoſtolus, popnlo nihil eſſe fructus in miſſa, & ordinem inane figmentum eſſe, & alia quæ Lutherus ſcribit huiuſmodi? quę quanquam ſint omnia digniſsima ſpiritu apoſtatico, tamen contemnere non debet, ſi minora ſcribant minores Apoſtoli. Atqui licet aliquandiu (quod dixi) miratus ſum, cur Luthero diſpliceat epiſtola Iacobi, tamē vbi legi ſæpius, & oculos intendi preſsius, deſij profectò mirari. Nam ea ſcribit Apoſtolus, vt plane videri poſsit ptophetico ſpiritu prænouiſſe Lutherum: ita vitum vndiq; pingit ad viuum. Nam cum Lutherus fidei prætextn contemnat opera, Iacobus ediuerſo diſputat, ratione, ſcripturis, exemplis, fidē ſine nperibus mortuā eſſe. Præterea garrulam iſtam Lutheri petulantiā, non vuo loco verbis iuuadit acerrimis. Si quis (inquit) putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hnius vana eſt religio. Accedit ad hæc, quòd in ſuam linguam Lutherus aptiſsime vider competere, qund illic frendit legens: Lingua inquietum malnm, plena veneno mortifero. Deniq; ſentit in ſua dogmata veriſsime dici, quæ de contentioſis hunc in modū ſcribit plnribus ibi verbis Apoſtolus: Quis ſapiēs & diſciplinarus inter vos? oſtendat ex boua cōuerſatione operationē ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Quòd ſi zelum amarum habetis, & cōtentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mēdaces eſſe aduerſus veritatē. Nou eſt enim iſta ſapiētia deſurſum deſcendens à patre luminū, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauū. Quæ autē deſurſum eſt ſapientia, primū, quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis cōſentiēs, plena miſericordia, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. Fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.

Lutherus & corporum & animarum occiſor.

Iacobi epiſtola quàm ſancta ac grauis ſit, dignaq; apoſtolico ſpiritu.

Lutherus contrà digna ſcribis apoſtatico ſpiritu.

Lutherus cur tam infenſus ſit epiſtolæ Iacobi.

Iacob. 1.

Iacob. 3.

Ibidem.

Hæc ſunt, lector, quę Lutherum commouent vt ei oon placeat Apoſtolus. Hæc inquam ſunt quibus Apoſtolus aperte Lutherum ac Lutheri petulantiam, maledicentiam, impia & contentioſa dogmata, nnn ſecus ac ſi vidiſſet virum, & verba legiſſet, attingit. Cuius epiſtolam, quantumuis eam contemnat Lutherus, non dubito ſatis approbare Chriſtianis omnibus, vnctionis extremæ ſacramentum, nec tam poteotem fore Lutherum, vt vllum ſacrameotum pnſſit euertere, quod in ſalutem fidelium fides recepit eccleſiæ, aduerſus quam nec portæ præualebunt inferorum, nedum fraterculus vnus inferni ſuliginoſum poſticum.

Peroratio.

Fecimus hoc libello tibi lector, vt ſpero, perſpicuum, quàm abſurde Lutherus & impie tractarit ſacramenta. Nam etſi nõ attigimus omnia quæ liber ipſius continet, tamen quod attinet ad tuenda ſacramenta ipſa (neq; eoim aliud erat inſtitutum meum) tractaſſe rem videnr ſi non quàm multis fieri potuit, certe pluribus ferme quàm neceſſe fuit: tantum abeſt vt oporteat immorari diutius. Alioqui & rationibus, & legibus, & doctorũ ſenteotiis, & ſcripturis ipſis non fuiſſet difficile rem locupletare cumulatius, niſi & erga Lutherũ fruſtra feciſſemus, & erga cæteros ſuperuacue. Nam ſi Lutherũ docendo conemur immutare, citius & nigrorem Æthiops, & varietatẽ Pardus immutabit. Sin aliis oſtẽdere, quàm falſo & quàm malignę ſentiat, ne quis ita fallatur, vt de illn ſentiat bene, paſsim doctiſsimos viros eſſe non dubito, qui vel tacentibos nobis id multn clarius perpendunt, quàm ipſe queam oſtendere: & ſi qui ſinr qui alienam in id operam deſiderant, his abunde iam nunc opioor oſtendiſſe me. cum enim ex his quæ diſſeruimus, inclareſcat omnibus, quàm ſacrilega ſtatuar dogmata de ſacramento illo quod ipſius Chriſti corpus eſt, è quo ſacramenta reliqua quicquid habent ſacri promanat, quis dubitare potuiſſet, etiam ſi nihil adiecisſem amplius, quàm indignis ille modis tractare cætera ſacramenta non dubitet? Quæ ſicut videtis, tractauit ſic, vt præter baptiſmum vnum, & illum quoq; malè vexatũ, & omni priuatum gratia, nec in aliud relictũ, quàm in contumeliam pœnitentiæ, tollat prorſus atq; euertat omnia, in aliis ſignum negans, in aliis rem inficians: nec in tanta re probat quicquam, nec affert aliquid, quo confirmet ſua, ſat habens negare tantum quicquid recepit eccleſia. Quicquid creditur ab omnibus, ratione futili ſolus eludit, ac ſe denunciat nihil admiſſurum præter claras & euidentes ſcripturas. Quas ipſas tamen ſi quis afferat, vel aliquo repellit commento, vel authoris eſſe cuius feruntur negat. Doctorum verò nemo tam vetus eſt, nemo tam ſanctus, nemo tantæ auctoritatis in tractatu ſacrarum literarum, quem non iſte nouus doctorculus, ſanctulus, & eruditulus magna cum authoritate reiiciat. Quamobrem cum Lutherus omnes contemnat, & credat nemini, debet nõ indignari ſi nemo viciſsim credat illi. Cum quo tãtum abeſt vt diſputem pluribus, vt propemodũ pigeat diſputaſſe tam multis.

Lutherus reliquit baptiſmum in contemptũ pœnitentiæ.

Qualis in diſputando Lutherus.

Quid enim prodeſt amplius cum illo diſſerere, qui cæteris diſſentit omoibus, & noo conſentit ſibi? qui quod alibi oegat, alibi dicit: qund dicit, id rurſum oegat. Qui ſi fidem obiicias, ratinne dimicat: ſi ratinne ferias, prætendit fidem. Si philoſophos allegẽs, appellat ſcripturam: ſi ſcripturam proponas, nugatur ſophiſmate. Quem neq; pudet quicquam, neque timet queoquam, neq; legem putat tenere ſe vllam. Qui veteres eccleſię Doctores contemnit, nouos è ſublimi deridet. Summum eccleſiæ pontificem inſectatur coouiciis. Eccleſiæ conſoetudioes, dogmata, mores, leges, decreta, fidem, eccleſiam deniq; ipſam adeo flocci facit vniuerſam, vt nec eſſe ferè fateatur vllam, niſi fors eccleſiã illam, quam facit ipſe duorum vel trium hæreticorum, quorum ſit ipſe caput. Quamobrem cum ſit eiuſmodi, vt nihil ſtatuat principij, quod certum ſit ac ſolidum, quod ei cum diſputante conueniat, ſed ſibi liberum relinqui poſtulet, vt quicquid libet, quando libet, quoties libet, id illi liceat & aſſerere viciſsim, & negare, cum neque ratione ſeſe, neque ſcriptura, neque moribus, neque legibus, neque authoritate demom vel humana vel diuina patiatur adſtringi, non conſtitui cum eo diſſerendum amplius, nec aduerſus eas hæreſes quæ nulla ratione firmantur, operoſa ratiooe pugnandum, ſed admonendos potius Chriſtianos omnes, vt tanquam teterrimã peſtem deuitent illum, qui tam fœda porteota, ipſiſsima Antichriſti dngmata, in eccleſiam Chriſti conatur inuehere. Nam ſi omni modo curandũ eſt vt extirpetur qui de quanis vna re ſchiſma ſuſcitare ſtuduerit, quanto ſtudio conniti decet, vt euellatur is qui non diſsidium modo pergit ſerere, & populnm in pontificem, filios in parentem, Chriſtianos in Chriſti vicarium prouocare, totam denique eccleſiam Chriſti, quam ille moriens amore & charitate colligauit, tumultu, rixis, & contentione diſſoluere, verumetiam quicquid eſt in ea ſacroſanctũ, execrabili mente, ſpurciſsima lingua, ſcelerato contactu, reſcindere, temerare, polluere? Qui ſi quam tamẽ de ſe ſalutis ſpem, ſi quod emendandi ſui ſignum daret, hortaretur omnes, vt hominis ſic affecti curam ſuſciperẽt, & in hoc incumberent, vt mndis quàm poſſent optimis medicarentur, & ſanitati meotis reſtitutioi facerent, vt hæreſes à ſe propoſitas reuocaret. Verùm adhuc profectò quæcunque ſolent ad mortem eſſe ſigna, omnia huic eſſe video. Qood vt cenſeam, non iam morbus eius, quantumuis letalis, me mouet, quàm ipſe, quippe qui medicinam nullam, nullam prorſus manũ medicantis admittit. Qunmodo enim curari poteſt, qui ſe tractari nõ patitur? Aut quomodo tractari poteſt, quem ſi quid doces, nugatur? Si qnid mones, iraſcitur? Si quid hortaris, obnititur? Si quid placas, incenditur? Si quid aduerſaris, inſanit? Alioquin ſi curari potuiſſet, quid omiſit pientiſsimus Chriſti vicarius, qno paſtoris ſui ſecutus exemplum, ouem hanc errantem quæreret, inueniret, in humeros tolleret, ac reportaret io ſtabulum? Sed heu lupus Auerni peſsimus anteceperat, deuorauerat,

Lutherus Proteus.

Petitiones Lutheri in diſputando.

Lutherus tempeſtiue vitandus.

Lutheri ſtudium.

Lutherus immedicabilis.

Pia cura põtificis erga Lutherum.

atque in imum ventrem demiſerat, vbi ſemiuiuus adhuc in morte iacens, aduerſus inclamantem ſe paſtorem pium, & perditionem eius deplorantem, è ſpurco Tartarei lupi rictu fœdos illos latratus eructat, quos totius gregis aures auerſantur, abominantur, exhorrent. *Qua via graſſatur Lutherus.* Nam primùm, nihil omnino laceſſitus, articulos propoſuit de indulgentiis, quibus prætextu pietatis impiè traduceret ſummum pontificem. Deinde, vt per honoris eum & officij ſpeciem maiore contumelia perfunderet, eos tranſmiſit Romam, tanquam pôtificis iudicio ſubmittens, ſed auctos antè declarationibus multo quàm eſſent ipſi, deterioribus: vt planè liqueret omnibus, pontificem non à viro bono pioque conſuli, ſed à fraterculo nebulone rideri, tanquam ita ſtupidum, vt pro honore duceret inſignem, & nullius vnquam exempli contumeliam, barbamque (quod aiunt) vellendam præberet irriſori. Si nihil mali committebatur pontifex, cur filius degener immerentem patrem falſa conſperſit infamia? At ſi quid Romæ fiebat, quod oporteret immutari, tamen ſi fuiſſet Lutherus (quod haberi volebat) probus, & Chriſtianæ rei ſtudioſus, non præpoſuiſſet priuatam gloriam ſuam publico omnium commodo, nec ſcurrandi famam ſibi venatus eſſet apud improbos, *Gen. 9.* dormientis pudenda parentis irridens, & reuelata commonſtrans digito, ſed auerſus contexiſſet potius, & vel coràm vel per epiſtolam ſecretius reuerenter admonuiſſet, *1.Timot. 5.* Apoſtoli præceptum ſecutus, qui iubet vt maiores non rideamus, non obiurgemus, ſed obſecremus. Quod ſi feciſſet Lutherus, haud dubito quin beatiſſimus pontifex (tanta eſt eius nulli non explorata benignitas) expergefactus benedixiſſet filio ſuo Iaphet, & pietatis retuliſſet gratiam, non maledixiſſet iratus, qui ne ſic quidem adhuc maledixit illudenti, ſed miſertus miſeri, magiſque filij memor, quàm irriſoris, egit cum eo per viros honoratiſſimos, in quorum ille conſpectum prodire non erat dignus, vt ab iniquitate deſiſteret. Cui tam pio ac ſalubri conſilio tantum abfuit vt paruerit, vt non ſolum deriſerit legatum de ipſius ſalute ſolicitum, ſed etiam nouum librum ederet eueſtigio, in quo pontificis poteſtatem machinabatur euertere. Vocatus deinde Romam, vt vel ſcriptorum cauſſam redderet, vel temere ſcripta recantaret, quauis oblata ſecuritate non ſubeundi ſupplicij quod meruerat, oblato quod in rem ſatis eſſet viatico, tamen vt inſignem declararet obedientis viri modeſtiam, venire contempſit fraterculus ad pontificem, niſi regio inſtructus apparatu, & bellico ſtipatus exercitu. *Friuola appellatio Lutheri ad concilium.* Sed homo cautus appellauit ad generale concilium, nec tamen quodlibet, ſed quod proxime congregaretur in Spiritu ſancto, vt in quocunq; damnaretur, ibi negaret eſſe Spiritum ſanctum, quem homo ſanctus & ſpiritalis nuſquam fatetur eſſe niſi in ſinu ſuo. *Tandem eiecto Luthero immedicabili, reliquo gregi proſpicit pius paſtor.* Quamobrem iterum atq; iterum admonitus, vt ab impietate reſipiſceret, cum iterum atque iterum impietatem ad impietatem adiiceret, adactus eſt tandem pientiſſimus paſtor, ouem immedicabili ſcabie laborantem, (ne ſanas attactu corrumperet) ex ouili procul eiicere, & filij ſui Abſalonis, *2.Reg. 18.* (cuius vitam ſeruare non poterat) mortem deplorare, dum ab arbore pendentem conſpicit decora cæſarie, qua ſtulte ſuperbierat. Lutherus ergo ſentiens eiectum ſe è ſocietate fidelium, facere cœpit quod deplorati ſolent impij, qui cum in profundum venerint, contemnunt. Non ingemuit, non planxit caſum ſuum, quo ſicut Lucifer exaltatus, *Lucæ 10.* ſicut fulgur corruerat & alliſus eſt, ſed imitatus diaboli deſperationem, diabolus etiam ipſe, hoc eſt calumniator effectus, aduerſus pontificem in blaſphemias & calumnias cœpit erumpere, & reliquis inuidens fidelibus, velut ſerpens antiquus, infidelitatis laqueos tendere, vt eos è vetito ſcientiæ noxiæ ligno guſtantes, ex eccleſiæ paradiſo (vnde ipſe deciderat) *Gen. 3.* procuraret expelli in terram germinantem ſpinas & tribulos. Ego profectò tantam hominis dementiam, & miſerrimum caſum perquam moleſte fero, cupioque vt vel adhuc (inſpirante gratiam Deo) reſipiſcat tandem, conuertaturque & viuat. nec id tam ipſius cauſſa cupio, (quanquam ipſius etiam, vt qui omnes cupiam ſaluos, ſi poſſit fieri) quàm vt aliquando conuerſus, ac velut filius prodigus reuerſus ad miſericordiam *Lucæ 15.* tam benigni patris, & errorem ſuum confeſſus, in viam reuocet ſi quos effecit errare. Cæterum ſi is tam profunde ſe demerſit, vt iam ſuper eum *Pſal. 68.* puteus impietatis ac deſperationis vrgeat os ſuum, blateret, blaſphemet, calumnietur, inſaniat, *Apocal. 22.* vt qui ſordet, ſordeſcat adhuc. Cæteros vero Chriſtianos omnes obſecro, & per Chriſti viſcera (cuius fidem profitemur) obteſtor, *Regis exhortatio ad omnes Chriſtianos.* vt ab impiis verbis auertant aures, neque ſchiſmata foueát & diſcordias, hoc præſertim tempore, in quo maxime oporrebat aduerſus hoſtes Chriſti Chriſtianos eſſe concordes. Neque aduerſus Chriſti vicarium probris & detractionibus auſcultent, quas in pontificem fraterculi furor eructat: neque ſacrata Chriſto pectora hæreſibus impiis contaminent: quas ſi ſeminat, charitate vacat, gloria turget, ratione friget, feruet inuidia. Denique quibus animis aduerſus Turcas, aduerſus Saracenos, aduerſus quicquid eſt vſpiã infidelium conſiſterent, iiſdem animis conſiſtant aduerſus vnum iſtum viribus imbecillum, ſed animo Turcis omnibus, omnibus Saracenis, omnibus vſquam infidelibus nocentiorem fraterculum.

F I N I S.

CHALCOGRAPHVS LECTORI.

AD hanc aſſertionem Lutherus Regi reſpondit contumelioſiſſimè: cuius tamen reſponſionis aut verè pœnitens, pudensq́, aut certè ſimulans, vt homo erat ad omnem dolum inſtructus, hanc epiſtolam ipſi ſiue reconciliandi eius ergô, ſiue magis irritandi, ſubmiſit.

INVICTISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI, DOMINO, DOMINO HENRICO VIII. REGI ANGLIAE, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO. M. L.

GRatiam, & pacem in Chriſto Ieſu Domino ac Saluatore noſtro. Amen. Quanquam vereri meritò debuerim, ſereniſſime Rex, illuſtriſſimeq́ princeps, literis maieſtatem tuam tentare, vt qui mihi conſcius maxime ſum grauiſſime offenſam eſſe maieſtatem tuam libello meo, quem non meo genio, ſed incitantibus his, qui maieſtati tuæ parum fauebant, ſtultus & præceps edidi:

Se ſtultum & præcipitẽ vere fatetur hæreticorum princeps.

tamen ſpem, & auſum mihi facit non modò regia illa tua clementia ſic mihi literis & verbis in dies cantata à quàm plurimis, vt cum mortalem ſeſe nouerit, immortales inimicitias ſeruaturam eſſe non credam: verum etiam quòd fide dignis teſtibus didici, libellum ſub maieſtatis tuæ nomine in me editum, non eſſe regis Angliæ, vt videri volebant ſubdoli ſophiſtæ, qui maieſtatis tuæ titulo abuſi, non ſenſerunt quantum ſibi ipſis periculum in regia ignominia pararent:

Mẽtiri Lutherũ Rex infra aſſerit.

præſertim illud monſtrum, & publicum odium Dei & hominum Cardinalis Eboracenſis, peſtis illa regni tui, ita vt vehementer nunc pudefactus, metuam oculos coram maieſtate tua leuare, qui paſſus ſim leuitate iſta me moueri in talem tantumq́ regem per malignos illos operarios, præſertim cum ſim fex, & vermis, quem ſolo contemptu oportuit victum, aut neglectum eſſe.

Scilicet ſic à Paulo edoctus ſcribit.

O pudentiã & modeſtiã Lutheri.

Accedit ad hæc, quod me ſerio compulit, quantumuis abiectum, ſcribere, maieſtatem tuam cœpiſſe fauere Euangelio, & nõ parum tædere iſtius generis hominum perditorum. hoc ſane nuncium fuit vere Euangelium, id eſt latum nuncium cordi meo. Quare his literis proſterno me pedibus maieſtatis tuæ quantum poſſum humillime: & per Chriſti crucem & gloriam oro & obſecro, maieſtas tua dignetur ſeſe ſubmittere, & veniam donare in quibuſcunq; maieſtatem tuam læſi, ſicut Chriſtus orauit, & dimittere debita nos quoq; inuicem iuſſit.

Noua in Luthero humilitas.

Deinde ſi maieſtati tuæ non videbitur contemnendum, vt alio libello publico palinodiam cantem, & nomen maieſtatis tuæ rurſus honorem, det mihi clementem aliquam ſignificationem: tum in me mora non erit vlla, faciam illud libentiſſime. Quamuis enim ſim homo nihili ad tuam celſitudinem comparatus, tamen non parum fructus Euangelio, & gloriæ Dei hinc ſperare licebit, ſi mihi ad regem Angliæ ſcribendi de Euangelij cauſa, fuerit copia facta.

Non eget rex tali honoris ſui auctore.

Aduerte lector quid his rex reſpondeat.

Interim maieſtatem tuam (vt cœpit) Dominus augeat, vt pleno ſpiritu & obediat & faueat Euangelio, nec ſinat aures regias & animum occupari peſtilentibus Sirenum vocibus, quæ nihil niſi hæreticum Lutherum vociferari norunt. Tua vero maieſtas apud ſeſe cogitet, quidnam mali poſſim docere, qui aliud nihil doceam, quàm fide Ieſu Chriſti filij Dei pro nobis paſſi, & ſuſcitati, ſaluos fieri oportere, ſicut teſtantur Euangelia, & epiſtolæ Apoſtolorum.

Hoc quàm verum ſit, conſidera.

Hoc enim eſt caput & fundamentũ doctrinæ meæ, ſuper quod poſtea ædifico, & doceo charitatem erga proximum, obedientiam erga politicos magiſtratus, tum crucifixionem corporis peccati, vt itidem præſcribit chriſtiana doctrina. Quid in his capitibus doctrinarum mali eſt? Expectetur tamen, audiatur, & iudicetur primum. Cur damnor neq; auditus, neq; conuictus? Porro quòd abuſum & tyrannidem pontificum taxo, qui alià quàm iſta prædicta capita, immo contraria docent, interim cenſibus, pompæ, ventribus, immo regnis, & principatibus, omniumq́ opibus inhiantes, nónne idipſum & vulgus ſentit, & damnat, atq; ipſimet coguntur confiteri? Cur non emendant ſeſe, & recta docent, ſi odio & correptione liberi eſſe volunt?

Quia tu id facis, qui ſic iubes.

Videt ſane maieſtas tua ſereniſſima quanti principes in Germania, quot politiæ, deinde quot viri ſapientiſſimi mecum faciant, & (Deo gratia) indemnatum cupiant. Quorum numero vtinam Chriſtus maieſtatem tuam adſcribat, & ab iſtis animarũ tyrannis ſeparet. Quid mirum vero, ſi Cæſar, & aliquot principes in me ſæuiunt? Nónne vt Pſal. 2. dicit: Aduerſus dominum, & Chriſtum ſuum fremunt gentes; meditantur populi, conſpirant reges terræ, & conueniunt principes? vt mirandum potius ſit, ſi aliquis principum ac regum Euangelio faueat.

At id iam olim facit princeps iſte.

Hinc videlicet illæ lachrymæ.

Huic miraculo in maieſtate tua, quàm opto ex totis medullis aliquando gratulari. Et ipſe dominus (quo præſente & volente hæc ſcribo) cooperetur verbis meis, vt rex Angliæ breui fiat perfectus diſcipulus Chriſti, Euangelijq́ profeſſor, tum Lutheri clementiſſimus Dominus. Amen. Reſponſum (ſi viſum fuerit maieſtati tuæ) expecto clemens & benignũ. VVittembergæ 1. Septemb. anno Domini, 1525. Regiæ maieſtati tuæ ſubiectiſſimus Martinus Lutherus manu propria.

CHAL.

CHALCOGRAPHVS
PIO LECTORI.

SI catholicus es, lector, minimè profectò tibi diſplicere poterit hæc reſponſio regis Angliæ ad prædictam Lutheri epiſtolam, cum tantam præ ſe ferat vbique honeſtatem, eruditionemq́ ac pietatem. Sin vero Lutheranus, diſplicebit forſitan ſic depingi tibi Lutherum. Conſidera tamen paulisper, dum priorem legis Lutheri epiſtolam, an deceat eum qui haberi vult euangeliſta, propheta, eccleſiaſtes, vir Dei, apoſtolus Germaniæ, tanta vti leuitate vt & ſeipſum leuitatis condemnet aduerſario: & quod prius maxime seriò ſcripſit, tantaq́ cum certitudine (ſi ipſi credas) aſſeruit, vt totũ illud ſe de cælo habere iactitauerit, nunc muliebriter blandiendo ad emendicandam gratiam cum aduerſario, quem tam ferociter ac ſuperbè contra bonos mores atque adeò contra Euangelicam charitatem, manſuetudinem ac modeſtiam inſectatus fuerat, reuocare, ac publico libello palinodiam cantare libenter vellet, modò id illi placiturum eſſe, vel leui indicio intelligat. Non curans quòd principes, & reliqui quos partium ſuarum eſſe gloriatur, dicturi ſint, quòd ipſos tam nequiter deceperit, ac ſummo nunc cum rubore eorum recantare velit, vt eis tandem idem reddat præmium, quod antea ruſticis nequiſſimè ſeductis, ac miſerè occiſis, tradiderit.

INVICTISSIMI PRINCIPIS HENRICI VIII. REGIS
ANGLIAE, AD MARTINI LVTHERI
EPISTOLAM RESPONSIO.

Catalogus eorum quæ in epiſtola Lutheri ad regem continentur.

QVAS tu Luthere literas prima Septembris, Anno Domini M. D. xxv. datas, ad nos mittendas curaſti, eas neſcio vbinam terrarum diu peregrinatas, tandem aliquando accepimus. In his ais dolere pudereq́; te, quòd ſtultus, præcepsq́; librum in me tuum, non tuo quidem genio, ſed incitantibus his, qui mihi parũ fauebant, edidiſti, quo te tibi ſcribis maxime conſcium eſſe; quàm grauiter nos offenderis, atq; ob id merito verendum tibi literis nos tentare. Sed animum tamẽ, auſumq́; tibi factum ſcribis non ſolum, quòd me tam clementem intelligas, vt cum mortalẽ me meminerim, inimicitias immortales nolim gerere, verùm etiam quòd fide dignis teſtibus didiciſti, libellum meo nomine de ſacramentis editum, non eſſe re vera meum, ſicuti videri volebant ſubdoli (ſic enim ſcribis) ſophiſtæ, qui noſtræ maieſtatis abuſi titulo, non ſatis ſenſerint quantum ſibi periculũ in ignominia noſtra pararent: præſertim Cardinalis Eboracenſis, quem & monſtrum vocas, & odium publicum Dei & hominum, & regni noſtri peſtem. Hac ergo de cauſa ſic te pudefactum ſcribis, vt oculos in me leuare non audeas, qui per operarios illos iniquitatis paſſus ſis in talem tantumq́ue regem tam leuiter te moueri. Cæterum ſubiungis id te tandem ad ſcribendum compuliſſe ſerio, quòd ego iam cœperim fauere Euangelio: & tædium percepiſſe tandem iſtius generis hominum perditorum, eorum videlicet, qui ſectæ aduerſantur tuæ. eam rem vere Euangelium eſſe ſcribis, nempe lætum nuncium cordi tuo: & perquam ſancte precaris, vti ſic me Dominus augeat, vt pleno ſpiritu obediam ac faueam Euangelio, nec mihi ſinat aures, animumq́ue peſtilentibus Sirenũ vocibus occupari, quę nihil aliud poſſunt, quàm clamare Lutherum eſſe hæreticum. Poſt hæc hortaris, vt conſiderem nihil eſſe mali poſſe in doctrina tua, quippe qui nihil doceat aliud, quàm fide Ieſu Chriſti filij Dei paſſi pro nobis, & ſuſcitati, ſaluos fieri oportere. Nam hoc eſſe caput & fundamentum doctrinæ tuæ, ſuper quod ædificare te dicis charitatẽ erga proximos, & obedientiam erga politicos magiſtratus, tum crucifixionem corporis peccati, deniq; in his audiri petis, admirans admodum damnari te, cum nec auditus nec conuictus ſis. Ad hæc pro more tuo debaccharis in eccleſiam Romanam, iactans interim Germaniæ multos principes à parte tua cõſiſtere: nec mirum eſſe ſi te Cæſar & aliquot itẽ principes perſequantur, ſed potius eſſe mirandũ, ſi princeps aliquis vnus faueat Euãgelio, cum principes ſemper & populi Chriſto ſoleãt obſiſtere. Tum vehementer optas huic aliquãdo miraculo in me gratulari, vt fiam perfectus Chriſti diſcipulus, Euangeliiq́; profeſſor, & fautoribus tuis adnumerer. Obſecras præterea, & per Chriſti crucem nos obteſtaris, vt tibi condonemus, quòd tuus me libellus offenderit, pollicens vltro te (ſi mihi placiturum ſenſeris) alium protinus editum contra, & in honorem meum, palinodiam ſcilicet eſſe cantaturum: aſſerens atq; affirmans, haud parum fructus Euangelio & gloriæ Dei ſperari poſſe, ſi tibi ad Regem Angliæ ſcri-

Hoc eſt qui rem veram tacere non norunt.

Pollicita Lutheri.

ſcribendi de Euangelij cauſa facta fuerit copia.

Hæc ſunt Luthere omnia, quæ tua continebat Epiſtola, ex quibus ſicuti ſatis olfacimus non ea te ſentire quæ ſcribis, ſed perſpectũ habemus & cognitum, quò ſubdola tendat oratio, ita nos è diuerſo morem ſecuti noſtrũ, ne quid technis huiuſmodi ſimplicibus poſſis imponere, ad ſingula tibi decreuimus breuiſſime reſpondere.

Quòd ais libri te tui pudere, neſcio quàm tu iſtud vere dicas, verùm hoc vnum ſcio, ſatis eſſe cauſæ, cur debeat non illius modo libri pudere te, ſed tuorum etiam ferme omnium, quippe qui nihil penè complectantur aliud, quàm errores turpiſſimos & inſaniſsimas hæreſes, nec ratione fulfultas, nec eruditione ſubnixas, ſed quas aſſerit & obfirmat tantùm pertinax impudẽtia: dum tu tantus auctor haberi poſtulas, quãtus nec hodie quiſquam ſit: nec antehac quiſquam fuerit.

Impudentia vnica ratio eſt Luthero probandi omnia.

Nec ſatis video, qui verum ſit, vt ad edendum in me libellum tuum ſis ab his incitatus, qui parum fauebant mihi, cum res ipſa doceat ab his incitatum potius, qui parum fauebant tibi: quippe cum liber tuus ſit eiuſmodi, vt nec aliud quicquã quàm probrũ conciliare poſſit auctori, & librũ honeſtet meum, cui tuus declarat ne verbũ quidem ſani capitis vllum reperiſſe te, quod aliquãdo poſſes opponere: quæ res ſatis (vt opinor) indicat, vter noſtram cauſam habeat meliorem. Iam quantumuis te fingas credere, editum à me libellum, non eſſe meũ, ſed meo nomine ſubornatum à ſophiſtis ſubdolis, tamen & meum eſſe multi maiori fide digni, quàm ſunt tua illi fide digni teſtes cognoſcunt: & ego quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnoſco. Nam quòd eum mihi ſcribis ignominiam parere, nemo certè non intelligit (quantumlibet tu diſſimules) quàm ægre habet animum tuum, quòd libellus meus tanto bonorum & Doctorum omnium conſenſu comprobatus eſt, tum eius ſedis honorifico calculo, quæ vt tuas condemnauit hæreſes, ita ſanctiſſimo viro Hieronymo tantæ fuit auctoritatis, vt ſatis eſſe duceret, ſi ſuam illi ſedi fidem approbaret. Quibus ego tamen honoribus non admodum certè glorior, vt qui meorum operum omnium & ſoleam, & Deum precor, idem vt perpetuo faciam, gloriam & honorem omnem Deo acceptũ ferre.

Rex priorem libellum à ſe editum affirmat.

Romana ſedes quantum auctoritatis habuit apud ſanctũ Hieronymum.

Quàm Lutheri diſsimilis eſt pius hic princeps.

Verùm hoc tamen me nonnihil (vt verum fatear) oblectat, quòd qualequale fuit opuſculum noſtrum (neq; enim neſcius ſum imbecillitatis meæ) tua tamen cauſa tanto fuit imbecillior, vt libellus ille noſter (quatenus ſe porrexit argumentum) non ea tantum omnia detexerit, quæ tu ſordibus in ſacroſancta ſacramenta prius expueras, verum etiam quicquid furioſius euomuiſti poſtea: & te adegit ad eius generis excogitandum librum, ex quo totus videret orbis, præ ira atque animi impotentia factum te ex impio prorſus inſanum, vtpote in quo non eruditionis modo atque ingenij, ſed & honeſtatis omnis oblitus, nihil prorſus aliud attuleris, quàm loquacitatem ſtolidam, meretriciam maledicentiam, & pluſquam ſcurrilem petulantiam, cum meus liber contra, non

Ira quà dementat Lutherum.

in eccleſiam ſolum (cuius tu fidem laborabas euertere) noſtrum ſpirarit officium: ſed etiam (ſupra quàm tua merebatur impietas) charitatem erga te, & emendandi tui potius quàm perdendi deſiderium, idemque doctiſſimorum virorum iudicio, multiplices errores tuos & efficaci ratione reuicerit, & potentiſſimis ſcripturis, non illis quidem ex animi mei commento tractis in cauſæ commodum (quemadmodum ipſe ſoles vbique ſacras literas ex libidine tua torquere) ſed ad ſanctiſſimorum patrum vetuſtiſſimas interpretationes expenſis, & ad amuſſim congruentibus: ne quid in ea re nobis eſſet cum his commercij, quos tu ſophiſtas ſoles appellare, qui tamen ſunt viri re vera probi, & in primis docti, ſed quos non in aliud ſophiſtas vocas, quàm quòd efficaces eorum rationes, quibus tuas produnt & refellunt inſanias, ſophiſtices inuidia cupis degrauare.

Nihil eſt hoc vero verius.

Iam quòd peſtilenti lingua tam improbe ſcurraris in Reuerendiſſimũ in Chriſto patrem Cardinalem Eboracenſem primatium noſtrum conſiliarium, & Angliæ Cancellarium, magis perſpectam habeo ſingularem eius prudentiam, quàm vt eum quicquam commoueri credam ſcurrilibus eius linguæ conuicijs, quæ in totam ſcurratur Eccleſiam, quæ ſanctiſſimos proſcindit patres, quæ nullos non blaſphemat diuos, quæ Chriſti contemnit Apoſtolos, quæ ſanctiſſimam Chriſti matrem inhonorat, quæ Deum ipſum velut ſcelerum omnium fontem, authorem, impulſoremque blaſphemat: quæ blaſphemiarum tuarum deteſtanda colluuies nuſquam non euidenter patet, tum ex omni parte pernicioſorum operum (quæ tanto cum Chriſtiani populi damno conſcripſiſti) tum ex his quæ paſſim in Germania tam furioſe patrant tuis hæreſibus efferati ruſtici.

De reuerendiſsimo domino legato pulcherrime reſpondet piiſsimus princeps.

Lutherus quibus ſe exercet encomijs.

Itaque Reuerendiſſ. ille pater quanquam nobis iam diu fuit propter eximias eius virtutes chariſſimus, idem tamen eſt, eritque in dies tanto nobis charior, quanto illum tibi, tuique ſimilibus magis videmus inuiſum. Nam quòd eum regni mei peſtem appellas, non eſt conſilium fraterculo rationem reddere, ex eius viri ſingulari prudentia, fide, labore, ſtudio, & ſalubri diligentia, nos regnumq; noſtrum quanta conſequamur commoda. Verum vt omittam cætera, vel hoc ſatis indicio eſt quàm toti terræ noſtræ ſalutaris ſit, quòd ex animi noſtri ſententia demandatũ ſibi munus perquam diligenter exequitur, ditionem noſtram ſedulo purgans hæreſum veſtrarum peſtilenti contagio, quibus interdum intrant Angliam quidam vehementer ægroti: nempe ex iis venientes plagis, quas inſalubris oris tui noxius infecit afflatus: quos tamen ipſos diligenti inquiſitione compertos, eiuſdem Reuerendiſsimi patris ſalubri diligentia non ſolum arcuimus, ne quid ad noſtros eius lepræ ſerperet: verum etiam tractatos commode, & magna cum charitate curatos, fidei integritati reddimus. Nam quod ad noſtros attinet (Deo fauente) ſperamus & prudentiores eſſe, & in Chriſti fide multo firmiores, quàm quibus veſtra ſe-

Reuerendiſsimi domini legati honorifica & liberalis mentio.

Hoc eſt quod infrẽdet Lutherus, qui ſanitatem omnibus inuidet inſanus.

cta non minus impia quàm abſurda, poſsit adblandiri quantumuis tibi ſpem iniecerit ſiue neſcio quis alius nugator improbus, ſiue (quod magis arbitror) vnus aut alter apoſtata fraterculus, qui è regno meo profugi, & à fide Chriſti transfugæ, in luxu & libidine voluptuantur apud te: quibus ego regnum meum tam bene purgatum duco, vt ſi qui reſtent adhuc eiuſdem furfuris alij (quos non admodum reſtare multos ſpero) ſed tamen ſi qui ſuperſint reliqui, eos omnes optem ſimul vt habeas tibi.

In hoc cœni volutabro ſe proſtituunt ſpes.

Euangelium eſſe dicis, id eſt lætum nuncium cordi tuo, iam cœpiſſe me fauere Euangelio, tanquam hactenus nunquam fauerim Euangelio. Cæterùm quòd non tam nuper amare cœpi, & reuerenter Euangelium legere, quàm tu videri vis, vel hoc indicio poteſt eſſe, quòd iam olim (quantumuis id diſsimules) euidentibus Euangeliorum teſtimonijs, tuas aliquod peruici perniciosas hæreſes: quæ res (vt dixi) tibi ſatis oſtendit, non nunc primùm me tractare Euangeliū. Quamobrem volo cognoſcas, Euangelium nobis præcipuum ſtudium & fuiſſe diu, & ſemper futurum eſſe, vtpote cuius doctrinam intelligam maxime eſſe ſalutarem, ſed his duntaxat quicunque in Euangelij ſtudio contrà quàm ipſe ſoles, ingrediendum ſibi proponant. Nam tu in ſcripturis interpretandis aduerſus orbem totū ſemper conſueuiſti tuorum ſomniorum commentitiis inuentis inſiſtere: repudiato nimirum ſapientis conſilio, qui ſcribit: Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne ſapiens videri velis in oculis tuis. Cæterū quod ad me attinet, & noui ſatis, & libenter agnoſco, quàm ex me ipſo ſim ſacris literis intelligendis impar, eoq; ſuppliciter inuocato diuini fauoris auxilio, toto me corde ſubiicio, primùm (quòd plurimū valere debeat) placitis eccleſiæ catholicæ: deinde interpretationibus orthodoxorum patrū, quos diuina benignitas liberaliter inſtruxit literis, illuminauit gratia, ſuffulſit fide, ac bonis ornauit operibus: miraculis denique declarauit & fidem eorum ſibi placuiſſe & vitam: cum tu ediuerſo ſanctiſſimos patres contemnens, & ſcurriliter eorum blaſphemans memorias, detrahens quoad potes eorum honoribus, ne ſplendor & reuerentia tantæ ſanctitatis, facem præferret pudendis hæreſibus tuis, nullius ingenium probas præter vnius tuum: & cum manifeſtam ſtultitiam pro prudentia, aperte falſam hæreſim pro veritate defendas, nihil habes aliud cui prorſus poſſis inniti, niſi quòd velut Stentor exclamas, ſcripturam eſſe pro tua parte ſatis dilucidam, eoſque omnes quibus aliter vnquam viſum eſt fuiſſe penitus ſaxa, truncos, ſtipites, quantumuis numeroſi fuerint, quantumuis ingenio, quantumuis eruditione, quātumuis ſanctitate claruerint. Deniq, verbis hunc in modum te præclare geſta, ſubornas & propellis rudes ac rebelles ruſticos, qui ſub Euangelicæ libertatis prætextu graſſentur effrenes, & pro furioſa factione depugnent. Si quis vſqueadeo parum valeret ingenio, vt hærere quicquam aut dubitare poſſet, vtra potiſſimum via foret inſiſtendum, veſtráne iſta noua, an trita illa ſanctiſſimorum patrum, quæſtionem omnem ſeruator ipſe diſſoluit, eum dixit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nam de illis dubitat nemo, quin boni viri fuerint, & inculpatæ vitæ: qui Deo ſeruire ieiuniis, orationibus & caſtitate ſtuduerint, quorum ſcripta omnia ſpirabant charitatem. De te vero nihilo dubitant magis, cum te videant in his quæ molitis omnibus, ab inuidia atque ſuperbia cœpiſſe, cum ira & maleuolentia progredi, atque procedere, & inanis gloriæ flatu prouectum, in turpiſſimam demum libidinem deſinere. Itaque quantumuis hanc doctrinam tuam Euangelicę libertatis prætextu veſtias, tametſi mihi ſatis cōſcius ſim, quàm ſit tenuis hæc eruditio mea, non eſt tamen vſqueadeo tenuis, vti perſuadere poſſis, vt credam bono te eſſe propoſito, cum aſſidue ſpiritū prædicans, totus interim volutaris in carne: cum ſic adornas te, velut exhortaturus orbem ad Euangelicæ vitæ formulam: deinde cœlibem caſtitatem dehortaris, quam accorate nobis commēdat Euangeliū: & demum abiicis ipſe receptam olim, & voto promiſſam ac dedicatam Deo caſtitatem tuam, in quam ſeruandam omnis te ſacrarum literarum auctoritas obſtringit.

At Lutherus nihil vocat Euangelicū, niſi quod ipſe probat.

Quanquā eſt impudēs Lutherus, iſtud tamen haud poteſt negare.

Vtinam hanc modeſtiā ſequeretur Lutherus.

Hac Lutherus caret.

Cur Lutherus inuidet cœleſtibus.

Lutheri mos diſputandi.

Argumentū inſolubile.

Matth. 7.

Lutherana virtutis circulus.

Lutheranū ſpiritus indicia.

Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Pſal. 75.

Scribis Luthere vehementer pudere te oculos in nos attollere, quòd te tā leuiter paſſus ſis per operarios iniquitatis (vt ais) aduerſus nos moueri. Verùm ego profectò non paulò magis admiror, quòd te non pudet ſerio leuare palpebras, & vel in Deum, vel hominem quenquam probum oculos intendere, qui te paſſus ſis inſtigante diabolo in eam ingenij leuitatem cadere, vt ob carnis ineptas & obſcœnas libidines, cum frater Auguſtinianus eſſes, monacham Deo dicatam ſcelerato compreſſu violaris. Quid, quòd non compreſſiſti ſolum (quale flagitium ſi deſignaſſes olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viua ſubiiſſet, & tu ad mortem vſque verberibus eſſes mulctatus) verum etiam (quod nimio eſt execrabilius) publice pro vxore nuptiis inceſtiſſimis traduxiſti, atque palam ſummo cum totius mundi ſtupore, ſummo per orbem totum opprobrio veſtro, ſummo cum ſacroſancti coniugij contemptu, ſumma cum ſanctiſſimorum votorum contumelia, per nefas abuteris in quotidianum proſtibulum. Denique (quod omnium eſt maxime deteſtandum) te cum deberent tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, pœnitentiæ loco præ te fers miſer impudentem gloriam, tam longe fugiens implorationem veniæ, vt etiam in tui ſceleris exemplum paſſim pſeudo religioſos alios literis ac libris prouoces. Quamobrem Luthere cum deſignes talia, non admodum profectò miramur, quòd ſanctorum omnium cultui tam valde vis eſſe detractum: quippe quòd intelligis ex illorum honoribus & reuerentia, tuorum flagitiorum opprobrium creſcere. Nam quiſquis eos credit fuiſſe bonos, idem neceſſe eſt vt ſentiat peſſimum eſſe te, qui doctrinæ factiſque ſanctorum & doces & facis impudens tam ex diametro pugnantia. Etenim

Lutheri apoſtaſia, & impuritas vitæ qui cum moniali ſcortabatur.

Lutheri flagitium nec Ethnicis ferendum.

Baratrum ſceleris.

Dilue hoc Luthere.

quis

ſcribendi de Euangelij cauſa facta fuerit copia.

Hæc ſnor Lurhere omnia, quæ tua continebat Epiſtola, ex quibos ſicuti ſatis olfacimua non ea re ſentire quæ ſcribis, ſed perſpectũ habemus & cognitum, quò ſubdola tendat oratio, ita nos è diuerſo morem ſecuti noſtrũ, ne quid technis huiuſmodi ſimplicibus poſſis imponere, ad ſingula tibi decreuimus breuiſſime reſpondere.

Quòd ais libri te tui pudere, neſcio quàm tu iſtud vere dicas, verùm hoc vnum ſcio, ſatis eſſe cauſæ, cur debeat non illius modo libri pudere te, ſed tuorum etiam ferme omnium, quippe qui nihil penè complectantur aliud, quàm errores turpiſſimos & inſaniſſimas hæreſes, nec ratione ſuffultas, nec eruditione ſubnixas, ſed quas aſſerit & obfirmat tantùm pertinax impudẽtia: dum tu tantus auctor haberi poſtulas, quãtus nec hodie quiſquam ſit: nec antehac quiſquam fuerit.

Impudentia vnica ratio eſt Luthero probandi omnia.

Nec ſatis video, qui verum ſit, vt ad edendum in me libellum tuum ſis ab his incitatus, qui parum fauebant mihi, cum res ipſa doceat ab his incitatum potius, qui parum fauebant tibi: quippe cum liber tuus ſit eiuſmodi, vt nec aliud quicquã quàm probrũ conciliare poſſit auctori, & librũ honeſte meũ, cui tuus declarat ne verbũ quidem ſani capitis vllum reperiſſe te, quod aliquãdo poſſes opponere: quæ res ſatis (vt opinor) indicat, vter noſtram cauſam habeat meliorem. Iam quantumuis te fingas credere, editum à me libellum, non eſſe meũ, ſed meo nomine ſubornatum à ſophiſtis ſubdolis, tamen & meum eſſe multi maiori fide digni, quàm ſunt tua illi fide digni teſtes cognoſcunt: & ego quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnoſco. Nam quòd cum mihi ſcribis ignominiam parere, nemo certè non intelligit (quantumlibet tu diſſimules) quàm ægre habet animum tuum, quòd libellus meus tanto bonorum & Doctorum omnium conſenſu comprobatus eſt, tum eius ſedis honorifico calculo, quæ vt tuas condemnauit hæreſes, ita ſanctiſſimo viro Hieronymo tantæ fuit auctoritatis, vt ſatis eſſe duceret, ſi ſuam illi ſedi fidem approbaret. Quibus ego tamen honoribus non admodum certè glorior, vt qui meorum operum omnium & ſoleam, & Deum precor, idem vt perpetuo faciam, gloriam & honorem omnem Deo acceptũ ferre. Verùm hoc tamen me nonnihil (vt verum fatear) oblectat, quòd qualequale fuit opuſculum noſtrum (neq; enim neſcius ſum imbecillitatis meæ) tua tamen cauſa tanto fuit imbecillior, vt libellus ille noſter (quatenus ſe porrexit argumentum) non ea tantum omnia deterſerit, quæ tu ſordibus in ſacroſancta ſacramenta prius expueras, verum etiam quicquid furioſus euomuiſti poſtea: & te adegit ad eius generis excogitandum librum, ex quo totus videret orbis, præ ira atque animi impotentia factum te ex impio prorſus inſanum, vtpote in quo non eruditionis modo atque ingenij, ſed & honeſtatis omnis oblitus, nihil prorſus aliud attuleris, quàm loquacitatem ſtolidam, meretriciam maledicentiam, & pluſquam ſcurrilem petulantiam, cum meus liber contra, non

Rex priorem libellum à ſe editum affirmat.

Rõmana ſedes quantum auctoritatis habuit apud ſanctũ Hieronymum. Quàm Lutheri diſsimilis eſt pius hic princeps.

Ira quò deduxit Lutherum.

in eccleſiam ſolum (cuius tu fidem laborabas euertere) noſtrum ſpirarit officium: ſed etiam (ſupra quàm tua merebatur impietas) charitatem erga te, & emendandi tui potius quàm perdendi deſiderium, idemque doctiſſimorum virorum iudicio, multiplices errores tuos & efficaci ratione reiecerit, & potentiſſimis ſcripturis, non illis quidem ex animi mei commento tractis in cauſæ commodum (quemadmodum ipſe ſoles vbique ſacras literas ex libidine tua torquere) ſed ad ſanctiſſimorum patrum vetuſtiſſimas interpretationes expenſis, & ad amuſſim congruentibus: ne quid in ea re nobis eſſet cum his commercij, quos tu ſophiſtas ſoles appellare, qui tamen ſunt viri re vera probi, & in primis docti, ſed quos non in aliud ſophiſtas voces, quàm quòd efficaces eorum rationes, quibus tuas produnt & refellunt inſanias, ſophiſtices inuidia cupis degrauare.

Nihil eſt hoc vero verius.

Iam quòd peſtilenti lingua tam improbe ſcurraris in Reuerendiſſimũ in Chriſto patrem Cardinalem Eboracenſem primarium noſtrum conſiliarium, & Angliæ Cancellarium, magis perſpectam habeo ſingularem eius prudentiam, quàm vt eum quicquam commoueri credam ſcurrilibus eius linguæ conuicijs, quæ in totam ſcortatur Eccleſiam, quæ ſanctiſſimos proſcindit patres, quæ nullos non blaſphemat diuos, quæ Chriſti contemnit Apoſtolos, quæ ſanctiſſimam Chriſti matrem inhonorat, quæ Deum ipſum velut ſcelerum omnium fontem, authorem, impulſoremque blaſphemat: quæ blaſphemiarum tuarum deteſtanda colluuies nuſquam non euidenter patet, tum ex omni parte pernicioſorum operum (quæ tanto cum Chriſtiani populi damno conſcripſiſti) tum ex his quę paſſim in Germania tam furioſe patrant tuis hæreſibus efferati ruſtici. Itaque Reuerendiſſ. ille pater quanquam nobis iam diu fuit propter eximias eius virtutes chariſſimus, idem tamen eſt, eritque in dies tanto nobis charior, quanto illum tibi, tuique ſimilibus magis videmus inuiſum. Nam quòd eum regni mei peſtem appellas, non eſt conſilium fraterculo rationem reddere, ex eius viri ſingulari prudentia, fide, labore, ſtudio, & ſalubri diligentia, nos regnumq; noſtrum quanta conſequamur commoda. Verum vt omittam cætera, vel hoc ſatis indicio eſt quàm toti terræ noſtræ ſalutaris ſit, quòd ex animi noſtri ſententia demandatũ ſibi munus perquam diligenter exequitur, ditionem noſtram ſedulo purgans hæreſum veſtrarum peſtilenti contagio, quibus interdum intrant Angliam quidam vehementer ægroti: nempe ex iis venientes plagis, quas inſalubris oris tui noxius infecit afflatus: quos tamen ipſos diligenti inquiſitione compertos, eiuſdem Reuerendiſſimi patris ſalubri diligentia non ſolum arcuimus, ne quid ad noſtros eius lepræ ſerperet: verum etiam tractatos commode, & magna cum charitate curatos, fidei integritati reddimus. Nam quod ad noſtros attinet (Deo fauente) ſperamus & prudentiores eſſe, & in Chriſti fide multo firmiores, quàm quibus veſtra ſe-

De reuerendiſſimo domino legato pulcherrime reſpondet piẽtiſſimus princeps.

Lutherus quibus ſe exercet conuiuijs.

Reuerendiſſimi domini legati honorifica & liberalis mentio.

Hoc eſt quod infrẽdet Lutherus, qui ſanitatem omnibus inuidet inſanus.

cta

cta non minus impia quàm abſurda, poſsit adblandiri quantumuis tibi ſpem iniecerit ſiue neſcio quis alius nugator improbus, ſiue (quod magis arbitror) vnus aut alter apoſtata fraterculus, qui è regno meo profugi, & à fide Chriſti transfugæ, in luxu & libidine voluptuantur apud te: quibus ego regnum meum tam bene purgatum duco, vt ſi qui reſtent adhuc eiuſdem furfuris alij (quos non admodum reſtare multos ſpero) ſed tamen ſi qui ſuperſint reliqui, eos omnes optem ſimul vt habeas tibi.

In hos omnes volut abro ſe profluunt ſpes.

Euangelium eſſe dicis, id eſt lætum nuncium cordi tuo, iam cœpiſſe me fauere Euangelio, tanquam hactenus nunquam fauerim Euangelio. Cæterùm quòd non tam nuper amare cœpi, & reuerenter Euangelium legere, quàm tu videri vis, vel hoc indicio poteſt eſſe, quòd iam olim (quantumuis id diſsimules) euidentibus Euangeliorum teſtimoniis, tuas aliquod peruici pernicioſas hæreſes: quæ res (vt dixi) tibi ſatis oſtendit, non nunc primùm me tractare Euangeliū. Quamobrem volo cognoſcas, Euangelium nobis præcipuum ſtudium & fuiſſe diu, & ſemper futurum eſſe, vtpote cuius doctrinam intelligam maxime eſſe ſalutarem, ſed his duntaxat quicunque in Euangelij ſtudio contrà quàm ipſe ſoles, ingrediendum ſibi proponant. Nam tu in ſcripturis interpretandis aduerſus orbem totū ſemper conſueuiſti tuorum ſomniorum commentitiis inuentis inſiſtere: repudiato nimirum ſapientis conſilio, qui ſcribit: Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne ſapiens videri velis in oculis tuis. Cæterū quod ad me attinet, & noui ſatis, & libenter agnoſco, quàm ex me ipſo ſim ſacris literis intelligendis impar, eoq; ſuppliciter inuocato diuini fauoris auxilio, toto me corde ſubiicio, primùm (quòd plurimū valere debent) placitis eccleſiæ catholicæ: deinde interpretationibus orthodoxorum patrū, quos diuina benignitas liberaliter inſtruxit literis, illuminauit gratia, ſuffulſit fide, ac bonis ornauit operibus: miraculis denique declarauit & fidem eorum ſibi placuiſſe & vitam: cum tu ediuerſo ſanctiſſimos patres contemnens, & ſcurriliter eorum blaſphemans memorias, detrahens quoad potes eorum honoribus, ne ſplendor & reuerentia tantæ ſanctitatis, facem præferret pudendis hæreſibus tuis, nullius ingenium probas præter vnius tuum: & cum manifeſtam ſtultitiam pro prudentia, aperte falſam hæreſim pro veritate defendas, nihil habes aliud cui prorſus poſſis inniti, niſi quòd velut Stentor exclamas, ſcripturam eſſe pro tua parte ſatis dilucidam, eoſque omnes quibus aliter vnquam viſum eſt fuiſſe penitus ſaxa, truncos, ſtipites, quantumuis numeroſi fuerint, quantumuis ingenio, quantumuis eruditione, quātumuis ſanctitate claruerint. Deniq; verbis hunc in modum te præclare geſta, ſubornas & propellis rudes ac rebelles ruſticos, qui ſub Euangelicæ libertatis prætextu graſſentur effrenes, & pro furioſa factione depugnent. Si quis vſqueadeo parum valeret ingenio, vt hærere quicquam aut dubitare poſſet, vtra potiſſimum via foret inſiſtendum, veſtráne iſta noua, an trita illa ſanctiſſimorum patrum, quæſtionem omnem ſeruator ipſe diſſoluit, cum dixit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nam de illis dubitat nemo, quin boni viri fuerint, & inculpatæ vitæ: qui Deo ſeruire ieiuniis, orationibus & caſtitate ſtuduerint, quorum ſcripta omnia ſpirabant charitatem. De te vero nihilo dubitant magis, cum te videant in his quæ moliris omnibus, ab inuidia atque ſuperbia cœpiſſe, cum ira & maleuolentia progredi, atque procedere, & inanis gloriæ flatu prouectum, in turpiſſimam demum libidinem deſinere. Itaque quantumuis hanc doctrinam tuam Euangelicę libertatis prætextu veſtias, tametſi mihi ſatis cōſcius ſim, quàm ſit tenuis hæc eruditio mea, non eſt tamen vſqueadeo tenuis, vti perſuadere poſſis, vt credam bono te eſſe propoſito, cum aſſidue ſpiritū prædicans, totus interim volutaris in carne: cum ſic adornas te, velut exhortaturus orbem ad Euangelicæ vitæ formulam: deindè cœlibem caſtitatem dehortaris, quam accurate nobis commēdat Euangeliū: & demum abiicis ipſe receptam olim, & voto promiſſam ac dedicatam Deo caſtitatem tuam, in quam ſeruandam omnis te ſacrarum literarum auctoritas obſtringit.

Quanquā eſt impudēs Lutherus, iſtud tamen haud poteſt negare.

At Lutherus nihil vocat Euangelicū, niſi quod ipſe probat.

Vtinam hanc modeſtiā ſequeretur Lutherus.

Hæc Lutherus exuſſit.

Cur Lutherus inuidet eccleſiaſticis.

Lutheri mos diſputandi.

Argumentū inſolubile.

Matth. 7.

Lutherana virtutis circulus.

Lutherani ſpiritus indicia.

Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Pſal. 75.

Scribis Luthere vehementer pudere te oculos in nos attollere, quòd te tā leuiter paſſus ſis per operarios iniquitatis (vt ais) aduerſus nos moueri. Verùm ego profectò non paulò magis admiror, quòd te non pudet ſerio leuare palpebras, & vel in Deum, vel hominem quenquam probum oculos intendere, qui te paſſus ſis inſtigante diabolo in eam ingenij leuitatem cadere, vt ob carnis ineptas & obſcœnas libidines, cum frater Auguſtinianus eſſes, monacham Deo dicatam ſcelerato compreſſu violaris. Quid, quòd non compreſſiſti ſolum (quale flagitium ſi deſignaſſes olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viua ſubiiſſet, & tu ad mortem vſque verberibus eſſes mulctatus) verum etiam (quod nimio eſt execrabilius) publice pro vxore nuptiis inceſtiſſimis traduxiſti, atque palam ſummo cum totius mundi ſtupore, ſummo per orbem totum opprobrio veſtro, ſummo cum ſacroſancti coniugij contemptu, ſumma cum ſanctiſſimorum votorum contumelia, per nefas abuteris in quotidianum proſtibulum. Denique (quod omnium eſt maxime deteſtandum) te cum deberent tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, pœnitentiæ loco præ te fers miſer impudentem gloriam, tam longe fugiens implorationem veniæ, vt etiam in tui ſceleris exemplum paſſim pſeudo religioſos alios literis ac libris prouoces. Quamobrem Luthere cum deſignes talia, non admodum profectò miramur, quòd ſanctorum omnium cultui tam valde vis eſſe detractum: quippe quòd intelligis ex illorum honoribus & reuerentia, tuorum flagitiorum opprobrium creſcere. Nam quiſquis eos credit fuiſſe bonos, idem neceſſe eſt vt ſentiat peſſimum eſſe te, qui doctrinæ factiſque ſanctorum & doces & facis impudens tam ex diametro pugnantia. Etenim quis

Lutheri apoſtaſia, & impuritas vitæ qui cum monialis ſcortabatur.

Lutheri flagitium inter Ethnicos ferendum.

Barathrum ſceleris.

Dilemma hoc Lutherus.

quis probare poteſt fraterculi clauſtralis, matrimonium, qui quidem cuiuſquam faciat ſanctiſſimum & eruditiſsimum patrem Hieronymum? Nam is vouentibus (inquit) non ſolum nubere, ſed etiam velle damnabile eſt. Lege Luthere ac relege illius optimi patris epiſtolam ad monacham lapſam, & ad diaconum item, qui eam violauerat: tum ex his, & aliorum item ſanctiſsimorum patrum religioſis literis diſce miſer horum potius pœnitere ſcelerum, quàm editis inſaniſſimis libellis in defenſionem criminis inexcuſabilis, exemplo peſſimo, & ſcelerato ſuaſu tuo infeliciſſimos damnationis tuæ ſocios contrahere. Iam iſtud plane demiror, qui de ſcripturæ peritia te tam improbe paſſim & importune iactas, quomodo potes tam facilè votum tuum contemnere, cum in ea legas: Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim Deo infidelis promiſſio. & item illud: Vouete, & reddite domino Deo veſtro. Quid illud? Cum votum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur etiam tibi in peccatum. Verum tu (vt video) caſtitatis & ieiunij, paupertatis & obedientiæ vota ſanctiſſima numeranda cenſes inter Moſaicæ legis ſeruiles cæremonias. Nam & mores & libelli tui ſatis videntur oſtendere nouę legis Euangelicam libertatem non in alio (ſi quis tibi credat) quàm in libidinis licentia conſiſtere. Cæterum Eſaias propheta longe ſenſit aliter: nam is, In die (inquit) illa (denotans Chriſtianæ legis tempora) vota vouebunt domino, & ſoluent: nimirum ſignificans in Euangelicæ legis decurſo vota Chriſtianorum plus habitura virium, & ſanctius eſſe ſeruanda, quàm fuiſſent vnquam in lege Moſaica. cuius rei Deus exemplum præbuit, cum in Ananiam & Sapphiram in pecuniæ ſubtracta portiuncula præuaricatum votum tam ſeuere vindicauit. Qua de re beatus Gregorius tanquam te Luthere compellaret, ac ſcortum tuum (neque enim coniugium eſt, quo vos eſtis coniuncti) hunc in modum admonet monachos: Ananias Deo pecunias vouerat, quas poſt victus perſuaſione diaboli ſubtraxit: ſed qua morte mulctatus eſt, ſcis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abſtulit, cōſidera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, ſed temetipſum Deo omnipotenti, cui te ſub monachali habitu deuoueras, ſubtraxiſti. Quid tu Luthere? Quid tua illa miſera mulier ad hæc? Si peccatum agnoſceretis, ſi vos criminis veſtri caperet dolor, etiam ſi quid interim carnis fragilitate peccaretis, eſſet tamen ſpes reſipiſcentiæ, quemadmodum in Magdalena fuit, ac Dauide, multiſque itidem aliis. Verùm nunc quam ſpem præbes de te, ſi perſiſtas in defenſione criminis, & quod erubeſcere deberes, impudens gloriaris, cum vitia tua virtutem vocas, & aliorum virtutem vocas viciſſim vitium? An non incidis præceps in illam maledictionis voraginem, quam in tui ſimilibus deplorat Eſaias, cum dicit: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum. Iam cum ſcripturas iſtas omnes floccifacias, cum eas ad tuæ libidinis affectum detorqueas, cum earum ſanctiſſimos interpretes contemnas, & eorundem ſaluberrimam doctrinam reiicias ſanctiſſima beatorum patrum vita comprobatas, tum aduerſus hæc omnia tuam duntaxat opponas improbam pertinaciam, & argumentis plane brutalibus, & furioſis næniis aduerſus vota ſcurraris hæreſi tam inſigni, vt nec maior temere, nec manifeſtior audita ſit: tamen precaris Deum, ne meas aures occupari ſinat peſtilentibus Sirenum vocibus, quæ nihil aliud norunt, quàm clamare Lutherum eſſe hæreticum, cum ego nullam audiam (hac ſane parte) magis ſonoram Sirena, quàm libellos tuos, quippe qui meis auribus nihil occlamant aliud, quàm Lutherum eſſe hæreticum: vſqueadeo, vt certe vehementer mirer qua fronte poſſis apud me iactare, te nihil aliud docere, quàm fide Ieſu Chriſti filij Dei pro nobis paſſi, & ſuſcitati, ſaluos fieri oportere: tum ſuper hoc fundamentum ædificare poſtea charitatem erga proximum, & obedientiam erga politicos magiſtratus, & crucifixionem corporis peccati.

Eccleſiaſt. 5. *Pſal. 75.* *Deutero. 23.* *Quæ ſit Lutheri libertas euangelica.* *Eſaiæ 19.* *Actor. 5.* *Anne hîc te Luthere cōpellet beatus Gregorius?* *Eſaiæ 5.* *Quàm prudens, & ſancta precatio.* *Sic ſcilicet docuit ſuos in Germania ruſticos.*

Vtinam Luthere hæc tua verba tam vera forent, quàm falſa eſſe cognoſco. Nam (quæſo) quo modo ſuper fidem ædificas charitatem, cum ſolam fidem doces ad ſalutem ſine bonis operibus ſufficere? Etenim quanquam in eo libro, quo debaccharis in me, cum (ſic vrgebat pudor, vt te pigeret iam ea de re quicquam audire amplius) imputaſti mihi tuorum verborum calumniam, tamen non ſolum nihil omnino ad tua ipſius verba reſpondiſti, quæ nos tibi inter ſacramentorum aſſertiones obiecimus, quibus illa tam deteſtanda hæreſi ſic te ligatum conſtrinximus, vt nulla via poſſes elabi: verum etiam homo pudēs & prudens idem dixiſti denuo eo ipſo in libro, in quo falſo quereris, id tibi per calumniam falſo exprobratum prius. ſic enim ſcribis, Sacrilegium eſt & impietas velle placere Deo per opera, & non per ſolam fidem. Quæ verba non minus aperta ſunt, quàm quæ prius tibi ſcripta ſunt in Babylonica, cum hunc in modū ſcripſiſti: Ita vides quàm diues ſit homo chriſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas. Cætera omnia, ſi redeat, vel ſtet fides in promiſſionem diuinam baptizato factam, in momento abſorbentur per eandem fidem.

Inſignis Lutheri, ſed vſitata impudentia. *Verba Lutheri in lib. aduerſus Regem.* *Verba Lutheri in Babylonica.*

Hæc tua verba tam manifeſte quid ſentis indicant: vt nec vllam poſcant, nec admittant gloſſulam. Neque enim color vllus affingi poteſt, quin contra Chriſti verba, Anguſta eſt via, quæ ducit ad cœlum: tu cum Euangelica libertate tua, latam nobis ac facilem ſternis illuc, quò tibi leue vulgus concilies, docens ſatis ad ſalutem fore, ſiquis Dei tantum promiſſionem credat, abſque vllo bonorum operum labore. quod genus fidei longe

Dic aliquem Luthere colorem. *Matth. 7.*

Galat. 5. *2. Corin. 13.* *Act. 10.* *1. Ioan. 3.* *Lutheri fides cuiuſmodi ſit. Sed Paulus eam eſſe Euangelicã fidẽ demonſtrat quæ per dilectionem operatur.* *Iacobi 2.*

longè abeſt à Diui Pauli ſententia fidem tradentis, quæ per dilectionem operatur. cui aſtipulatur & illud: Si eſtis in fide, ipſi vos probate. Quæ probatio, niſi per opera bona, qui fiet? Etenim qui operatur iuſtitiam, acceptus eſt Deo. Quin & beatus Ioannes Euangeliſta aduerſus ſeductores einſmodi, qui populum inani, ocioſa, & mortua fide decipiunt, Filioli (inquit) nemo vos ſeducat: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Certè Luthere ex tua forma credere, abſque fructu bonorum operum, & in vitiorum volutabro magna cum ſecuritate viuere, fretum duntaxat iſta ſpe ſuperba, & nimis arroganti fiducia ſola, quòd fides tot obſtinatorum ſcelerum colluuiem abſorbeat, fides eſt haud dubie deterior diabolica. Nam (vt Diuus inquit Iacobus) tu credis quòd vnus eſt Deus? & dæmones credunt, & contremiſcunt: in hoc te minus mali ſunt, quia tu non times. An nõ hoc tibi nominatim Luthere locutus videtur Apoſtolus, qui per hæreſim hanc tuam, qua ſolam fidem ſufficere contendis ad ſalutẽ, omnem Dei timorem poſtergas?

Lutherus omnem Dei timorẽ tollit.

Etenim cum dicis tam diuitem eſſe baptizatũ, vt ſalutem ſuã, ſi velit, quantumuis obrutus ſceleribus, tamen nõ poſſit perdere, niſi nolit credere, ſtatim profectò conſequitur ſuperuacaneũ eſſe timorem omnem Dei, ſiue qui ab eius iudicio iuſtiſſimo, & horrendis inferorum cruciatibus elicitur, quo timoris genere ſtimulati virtutem verſus iter arripimus: ſiue qui ex eo colligitur, quòd quem adamamus vt patrem, vt filij timemus offendere. Nam quorſum opus eſt metum, rem amatam & moleſtam adiungere, ſi ſola ſeruare poteſt hominem ſuauis & iucunda credulitas? Quorſum nos aut Dei timore, aut gehennæ terrore torquemus, ſi nuda ſufficit fides omnibus exuta moleſtiis? Et profectò Luthere cum inter aſſertiones tuas omnem timorem damnationis & inferorum à præparatione pœnitentiæ ſemoues, iubens vt eam ſibi ſolo procurent amore, facis tu quidem hac in re magnam peccatoribus iniuriam, quibus videri ſtudes tenero quodam fauore miſericors.

Quæ ſecundũ Deum vtilis eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *2. Corin. 7.* *Eccleſi. 27.*

Nam illis interim id laboras tollere, quod Deus optimus ordinauit tanquã præcipuũ quoddam medium, per quod proficeretur in amorem: qui nec ipſe profectò (dũ in hac peregrinatione viuitur) ſatis tutus eſt, cum abſq; timore nimium ſecurus eſt. Nam ſi non in timore Domini tenueris te inſtanter (inquit ſcriptura) cito ſubuertetur domus tua. Etenim qui ſacras ſcrutatur literas, non vna tantum via peccatores videbit attractos, ſed plurimis atq; in his illo etiam ipſo timore ſeruili, omnibus tamen ad vnum finem tendentibus, nempe reſipiſcentiam vitæ: ſine quibus mediis peccator nõ ſtatim ſemper attingat illam ſalutis effectricem charitatẽ. Quamobrem quod aliud conſiliũ poſſis peccatoribus dare deterius, quàm quo ſuades, vt ea fugiant media, per quæ à vitiis auulſi, feliciter traherentur ad Deum? At nec alia ferme via ſæpius trahimur, nec initio certè fortius, quàm illo timore, quem incutit horror inferni: quod ipſum fuit in cauſa, vt hunc terrorem clementiſſimus omnium Chriſtus ob oculos poneret ipſis etiam Apoſtolis cum dixit: Timete eum, qui cum occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ne quis eam rem putet nihil habere momẽti miſeris peccatoribus, nec adhuc tam pœnitentibus quàm pœnitentiã meditantibus. Quibus quid poteſt eſſe ſalubrius quàm timor? qui (vt ait ſcriptura) peccatum expellit: & qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.

Lucæ 12. *Eccleſ. 1.*

Et tu timorem iudicij & pœnarum non tantum ſtudes auferre contritioni, cum ſit ille via tritiſſima, qua peccati laqueos fugimus, verum etiam quo ſecurius immoremur vitiis, freti fiducia fidei, metum omnem prorſus labores tollere ab amore Dei, cum contrà ſcriptura dicat: Timor Domini, initium dilectionis: immo (quod ſupra dixi) minetur etiam, quòd ſi non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua. ſed nec illud ſcriptura tacet, quantam vim timor habet ad fidem. Qui timent (inquit) Dominum, non erunt increduli verbo illius. qui timent, inquirent quæ beneplacita ſunt ei. Quid, quòd à timore ſapientiam quoque docet auſpicandam? Nam initium (inquit) ſapientiæ timor Domini.

Eccleſ. 25. *Eccleſ. 27.* *Eccleſ. 2.* *Eccleſ. 3.*

Ita vides vt timorem (cui tu tantum detrahis) literæ ſacræ, quibus tantum te deferre ſimulas, nõ ſapientiæ tantum & fidei, ſed (dum peregrinamur in via) etiam amori coniungit, & certè non immerito. Nam qui timore iudicij fugere cœpit atque horrere peccatum (quod vnum à Deo mentem eius auerterat) neceſſe eſt magis reddatur idoneus, qui & amet Deum, & redametur à Deo. Eam ob rem timoris tam neceſſarij propheta conſpiciens vtilitatem, cum in ſe non mitti ſolum, ſed & incuti fortiter, & cum doloris ſenſu vibrari precatus eſt. Confige (inquit) in timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.

Pſal. 118.

Et quorſum voluiſſet nos Deus admonere tartari, & inferni cruciatu terrere, niſi vt eius cruciatus timor, chami ſtenique loco foret, quibus homines à peccato reflecteret, reflexos ad ſe retraheret, retractos in charitate & ſuo fauore dirigeret? Quam ob rem cum ſit apertiſſimũ, hunc te timorem tollere, & opera bona palam oppugnare, tum in pœnitentibus ſatisfactionem contemnere, quàm impudenter facis, cum ſcribis te ſuper fidem ædificare charitatem: quando nos aperte probauimus, idque tuis ipſius verbis omnino nihil ambiguis, nihil te fidei tuæ ſuperſtruere præter opera mala, dũ doces abſq; bonis operibus fidem ſolam ſufficere: & opera bona contemnis: magnus auctor abſque metu quidlibet audendi male, dum ſcelera cuncta promittis in momẽto protinus abſorbenda per fidem:

Opera bona contemnit Lutherus.

præſertim vt tu fidem definis, cum ſcribis, quòd eſſe nullo modo poteſt, niſi ſit viuax quædam & indubitata opinio, qua homo certus eſt ſupra omnem certitudinẽ ſe placere Deo, ſe Deum habere propitium, & ignoſcẽtem in omnibus quæ fecerit, aut geſſerit. Quibus verbis inducis profectò nimis arrogantẽ fidem, ſuadẽs vt homo peccator ſibi ſic blandiatur, vti ſe non ſolum habeat de diuino fauore certiſsimum, ſed certum etiam apud Deum eſſe ſe in fauore tam eximio, vt velut

Quid ſit fides ſecundum Lutherum.

vnicum

vnicum Dei delicium, quicquid deſignarit flagitij, Deum non poſſit offeudere, tanquam Deus promiſerit propter vnius credulitatis meritum, impunitatem peccatorum omnium. Ideo nimitum quòd (vt ſcribis in Babylonica) omnia protinus in momẽto fides abſorbet ſcelera.

Babylonica Lutheri.

Sed hæc ſuperba & ocioſa fides, quantum ſola ſoli placet tibi, tantũ diſplicuit vetuſtis olim patribus. Itaque beatus Iſidorus: Fruſtra (inquit) ſibi de ſola fide blanditur, qui bonis moribus non vtatur.

Verba Diui Iſidori.

Auguſtinus.

Idem ſcribit Diuus Auguſtinus, velut occaſioue captata ex etymologia vocabuli: Fides (inquit) appellata eſt ab eo, quod fit: duæ ſyllabæ ſonant, cum dicitur fides: prima à facto, ſecunda à dicto. Interrogo te igitur vtrum credas. dicis credo. fac quod dicis, & fides eſt. Sed quid tibi verba patroni quondam tui, à quo nunc turpiter deſciuiſti transfuga? Quid cuiuſquam veterum? quos omnes floccifaciens, audes contendere nullam eſſe ad fidem viam aliam, immo uullam aliam omnino fidem eſſe, uiſi quam falſo definis ipſe, quam etſi perinde velis accipi tanquam ſit formata charitate, nunquam tamen apud orthodoxæ fidei peritos id potes obtinere: cum tuam fidem facias & bonorum operum tam negligentem, & tam facile abſorbentem ſcelera, vt ſceleratis uebulonibus indulgeat flagitioſæ vitæ ſupinam ſecuritatem.

Omnes veteres floccifacit Luth.

Galat. 5.

Nam contrà beatus Apoſtolus eam cenſet in adultis fidem veram, quæ per dilectiouem operatur. & Diuus Ioannes: Qui diligit (iuquit) Deum, mandata eius habet, & ſeruat ea.

Ioan. 14.

Ita vt vtriuſque ſenteutia, alterius de fide, alterius de dilectione, neceſſario declinare debeas à malo, & operari bouum: nec in ocioſa illa & arroganti fide quieſcere, qua te certum fingis ſuper omnem certitudinẽ te placere Deo: eumque vel approbare, vel ignoſcere quicquid omnino facis. Quod ſi verũ eſſet, bonus ille, Deoque teſte vir tam rectus Iob, vt ſimilis ei nou eſſet in terra, nõ tam fuiſſet menticuloſus, vt diceret: Verebar omnia opera mea, ſcieus quòd uou parceres delinquenti.

Iob. 9.

Iam cum ſcribis fidem oportere viuacem eſſe, fateor: ſed viuax eſſe ſine dilectione non poteſt, nec diligit (vt ait Euangeliſta) qui Dei mandata non ſeruat: nec mandata ſeruat adultus, qui non in bonis laborat operibus.

Ioan. 14.

Conſequitur igitur, vt tua fides, quæ opera bona contemnit, viuax eſſe nou poſſit, ſed plane ſit fides eiuſmodi qualem Iacobus reprehendit Apoſtolus, cum dixit: Fides ſine operibus mortua eſt.

Iacobi 2.

Hoc dicit Lutherus in quodam ſermone habito ad populum Germanica lingua.

Matth. 11.

Ad hæc ſi verum ſit aliud, quod in ſermonibus de præceptis affirmas ipſe, præcepta Dei, nonum præſertim, ac decimum, à quantumlibet etiam ſancto, nullo modo poſſe ſeruari: cõtra quæ ſentire videtur Chriſtus, cum dicit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: nec diligatur Deus niſi pręcepta ſeruentur, uec in fide vita ſit, niſi cum dilectione iungatur: an non vides ex tuis verbis eò rurſus redire ſermonem, vt fides, quam eſſe viuacem vis, viuax eſſe non poſſit? Verum iſta cum ſcribis, ſatis oſtendis aperte, quò tendas: neq; enim ſinunt quenquam libelli tui dubitare, quin horum proponas & contendas alterum: uempe vt aut perſuadeas periculoſam & arrogantẽ fidem, cuius quiſq; fiducia fretus, ferietur ab operibus bonis, & fidem faciat ſtimulum peccandi ſecurius, credens videlicet eam ſolam cuncta ſemel abſorpturam ſcelera quantumuis immania. Aduerſus quod genus fidei (ſi fides appellari poteſt tam immenſa ſuperbia) fortiter exclamat ſcriptura ſancta: O præſumptio nequiſſima, vnde creata es?

Eccleſ. 37.

Aut ideo certe fidem (quanquam rem verbis inueſtis) in tam ſublime punctum ſubleuas, quò vel pauci poſſint, vel uemo conſcendere, vt vulgus hominum iu diuerſum trudas vitiũ, uempe deſperationem conſequendę ſalutis & fidei: quæ deſperatio cum ſemel radices egerit, omiſſa prorſus beue viueudi cura, prorumpit in omnem libidinem: quemadmodum ſcribit Apoſtolus: Deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ.

Epheſ. 4.

cui ſenteutiæ ſubſcribit & illud, quod habetur apud Iob: Non credat fruſtra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus ſit.

Iob. 15.

Quam ob rem ſatis euideuter liquet peſſimam eſſe doctrinam tuam, qui medium omne diffugiens, nullam relinquis promiſſionis fidem, niſi aut eam quam malam eſſe videat cæcus, aut eam quam vix attingat angelus. Nec aliud vtraque via procuras, quàm vt vel obteutæ fidei ſecuritas, vel obtineudę deſperatio præcipitet homines in flagitioſæ vitæ liceutiam, quam ſolam prætextu libertatis Euangelicæ laboras inuehere: nec aliam charitatem ædificas ſuper fidem tuã. Nam quòd te ſuper fidem ſcribis ædificare obedientiam erga politicos magiſtratus, cui non & impudens videtur, & ridiculum? cum nemo neſciat quàm obſtinate doceas, ueminem Chriſtianum humanis vllis obligari legibus, quarum magiſtratus miniſtri ſunt, cum omnia contemnas ſacroſancta concilia: qua in hęreſi tam obſtinate progreſſus es, vt ſimul cum aliis deteſtandis hæreticis ſacroſanctos canones palam cum irriſione combuſſeris, & tuis inhortatiouibus incitati ruſtici globatim rebellarunt aduerſus magiſtratus, in miſerabilem cladem ſuam, & indelebilem infamiam tuam.

Super hoc obtetur teſtis totus orbis quin & hoc docuit experientia.

Lutherus ſacroſanctos canones publicè combuſſit.

Prætetea quo pacto poſſes (ſi quis pudor eſſet) prædicare, quòd ſuper fidem ædificas crucifixiouem corporis peccati, cum ſuper mortuam fidem ædifices uegligentiam orationum, feſtorum contemptum, ieiuniorum neglectum, caſtitatis exilium: & denique ferme omnia, quibus Chriſtiani partim ipſius Chriſti præcepto, partim eccleſiæ catholicæ conſenſu, peccati corpus ſolent crucifigere?

Lutherus omnia bona opera, quæ Chriſtus & apoſtoli docuerunt, damnauit.

Ad hæc quo pacto non pudet dicere, quòd doces, & hortaris, vt peccati corpus crucifigant homines, cum tam obſtinate doceas illam deteſtandam hæreſim, quòd nemo facultatem habet aut libertatem voluntatis, qua boni quicquã poſſit efficere? Nam quis aut ſtudebit aliquid facere bene, aut curabit quid deſignet male, qui quidem ſibi ſemel penitus perſuaſerit, ſe, vt aliquid faciat boni, neque ex ſe ſufficere, neque cum gratia Dei cooperari, aut aliquid prorſus agere: neq; maleficium,

Vide vt nihil ſecum ſentiat ſcribat Lutherus.

quod

quod ab ipſo fiat, ipſius eſſe, vt in quo nihil omnino ſua ſponte perficiat, ſed in quo ꝓducat omnia diuinæ voluntatis ęterna & nulli mutanda neceſſitas, quam ipſe nec promouere poſſit, nec impedire. Hæc hæreſis, omniũ quæ vnquam ſunt exortæ, ſceleſtiſſima, & atrociſſime blaſphemãs iuſtitiã Dei, radix ipſa videtur ex qua pullulant vniuerſa ſcelera, quibus tã numeroſis, quàm nocentiſſimis veſtra graſſatur factio: quorũ ſcelera tam audacia, ne quid trepident impietatis cõſcientia, ſollicite laboras armare excuſatione decreti diuini ineluctabili neceſſitate. Quam falſiſſimã opinionem veſtire & fucare conaris locis quibuſdã ſcripturæ partim per ſe obſcuris, partim aperte detortis per te, quibuſdam etiã in diuerſum ſatis clare facientibus, quæ ipſe nihilominus impudẽs pro te clamas eſſe clariſſima. Qua in re ſiquid aut mentis haberes, aut frontis, admirarer temeritatem tuam, qui tam abſurdam hæreſim prædicare ſuſtineas aduerſus tot ſanctorũ ſententias, aduerſus ętatum omniũ totius eccleſię catholicæ conſenſum, aduerſus innumera ſacrarũ literarũ loca tam aperta, clara, dilucida, vt in diuerſam partem nullum colorem poſſint admittere: quorũ cum tam paſſim ſcateant, incaſſum multa commemorem: vnus aut alter exempli cauſa ſuffecerit. Nam quid apertius eſſe poteſt quàm hæc verba planiſſima? Propoſui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionẽ. elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemẽ tuũ. Quæſo te, quo pacto datur electio, ſi negatur libertas? Quomodo cũ neceſſitate conſiſtit electio? Eodem modo cum ex Dei perſona bonũ & malũ, pœnam & præmiũ in electione poneuris humanę voluntatis, aperte dictũ eſt homini: Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad id quod volueris, porrige manũ tuam. tum id ſimiliter: Ante hominẽ vita, & mors: quod placuerit ei, dabitur illi. Quid hic ſibi vult voluntas, quid manus porrectio, ſi nullã habet arbitrij libertatem? Quorſum Ioãnes Baptiſta Iudęos hortatus eſt vt agerent pœnitentiam? Quorſum Chriſtus adulteram iuſſit ne peccaret amplius? Quorſum iuſſit omnes, vt eius mãdata ſeruarent, ſi nec per ſe ſeruare poſſent. nec illius adiuti gratia, quicquã ad ea ſeruanda cooperari? Cum Deus hominibus diceret, bonum & malum in ipſorum manu poſitum, verúmne dixit illis, an falſum? Si falſum dixiſſe contendas, iam omnibus eius promiſſionibus aufers fidem, in qua ſola cõtendis ſalutẽ noſtram conſiſtere. contra verò ſi verum dixiſſe fatearis, tũ te neceſſe eſt fatearis falſum dicere: cum doces aperte contrarium. Quam ob rem hac in cauſa nihil aliud in quæſtionẽ venit, quàm vtrum Chriſto credendũ ſit, an tibi: niſi forte cõtendas (vt nihil omnino tam abſurdũ fingi poteſt, quod ſi vrgearis paululũ, nõ ſis paratus aſſerere) Deum illa loco dixiſſe omnia. Sed neque iſtud in illius maieſtatis grauitatem conuenit: & hac in re mire loquutus eſt ſerio, cum illis arbitrij libertatem oſtenderet, velut iuſti ſupplicij cauſam vnicam, ſi contrafacere quàm præcepiſſet, auderent, nimirum teſtatus inculpatam iuſtitiã ſuam, ne quis de ſua clementia conciperet opinionẽ tam impiam,

Deũ authorẽ eſſe malorum Lutherus docet, quippe quæ neceſſario eueniant.

Admiranda Lutheri temeritas.

Deutero. 30.

Eccleſ. 15.

Ibidem.

Math. 3.

Ioan. 8.

Eccleſ. 15.

Nihil in quæſtionẽ venit verum Chriſto an vni heretico ſit credendum.

vt id ſibi perſuadeat, quod tu nunc paſſim prædicas, mitiſſimum illud numen natura eſſe tam tyrannicum, vt qui nihil meruiſſet mali, cum tam atroci, tam intermino miſerũ torqueret ſupplicio, duntaxat expleturũ crudelem torquendi libidinem. Quam ob rem, cum tã alte cecideris in puteum tam peſtilentis hæreſeos, vt id ſuſtineas cogitare de Deo, ꝙ nemo bonus animum poſſit inducere, vt non modo de homine quoquã bono, ſed nec mediocriter malo perſuadeat ſibi, nihil aliud ꝓbationis requirendum puto, quam caduca ſint ædificia, quę tu ſuperſtruis ſuper fundamentũ fluxibile tam infidelis fidei. Nec eo tamẽ conſilio hæreſes iſtas tuas attigi, quòd eas diſputare decreuerim: nam & tales eſſe cognoſco, vt contra quanq; poſſet afferri non quantũ vnas literas, ſed quantum aliquot iuſta volumina poſsit implere: & iam olim tã aperte reuictæ ſunt, tam iuſte paſsim dãnatæ ſunt bonis ac piis omnibus, auditu tam abſurdæ ſunt, vt amplius diſputari nõ debeant, tantum abeſt vt debeant credi, etiam ſi angelus de cœlo prędicaret eas, tam longè diſſonas Euangelio, & fidei quam Chriſtus tot ætates docuit eccleſiam ſuã. Quòd ſi, quàm ſunt indubiæ contra te, tam eſſent cõtrouerſæ & dubitabiles iam olim, tamen mihi certum eſt nihil diſputare tecum, quandoquidem ſum expertus, quàm prorſus omiſſa ratione totus vertaris in ſcurrilia iurgia. Quo ex tempore (id quod ſeruabo) ſtatui, quod ad diſceptationes attinet, deploratũ iſtud ingeniũ tuũ improbitati ſuæ relinquere. Quanquam alios nõ defuiſſe video, qui & ex Anglia, & aliis ex locis aliquot ad ea quæ in me ſcripſiſti, reſpõderint, aliqui etiã te ex meritis tuis ornarint, & tuis te tractarint artibus, niſi quòd rationẽ admiſcuere cõuiciis, quibus tu ſolis diſputas. Eorũ nemini quicquã adhuc reſpondes, non taciturus haud dubie tam diu, niſi toties tam aperte victũ, tandem oppreſsiſſet pudor: quẽ ſi quando rurſus vicerit impudentia, ex iiſdem aliquis (opinor) exiſtet, qui tibi te depingat denuo. Ego certè neque tibi ſcribam amplius, neq; nunc ſcripſiſſem quicquam, niſi tuarũ me literarũ permouiſſet ſubdolum conſiliũ, quo laboras, vt credant tui me iam cœpiſſe partibus tuis fauere. Quã in rem reſponſum retuliſſem breue: neq; tuarũ hæreſum quicquam attigiſſem nominatim, ſi non impudenter aſſeruiſſes nihil aliud te docere, quàm in fide Ieſu Chriſti homines oportere ſaluos fieri: tum fidei te ſuperædificare charitatẽ erga proximos, obedientiã erga politicos magiſtratus, & crucifixionem corporis peccati. Siquidem iſta tua tam effrons impudentia me coëgit vnum aut alterũ vt proferrem tam præclarorum dogmatum, quę facile quiſquam videat longe alterius eſſe generis, quàm eorum quicquã ſit, quæ te tam falſo iactas ſola prædicare. Nec interim tamen quicquam attigi cæterarũ hæreſium tuarum cumulũ, quæ tam pudendam impudentiã vanitatis tuæ redarguũt. Nam cũ aperte ſcribis aduerſus ſacramẽta Chriſti, cum cœlibem caſtitatẽ damnas in ſacerdotibus, cum ſacros omnes ordines deiicis, cũ panis ſubſtantiam Chriſti corpori cõiungis, cum ſcur-

Quantũ impietatis contineat Lutheri dogmã de libero arbitrio.

Galat. 1.

Prudẽs conſilium illuſtriſsimi principis.

Rex cur Luthero reſponderit.

Catalogus aliquot dogmatum Lutheri.

raris in miſſæ ſacroſanctũ canonẽ, cum fœminas iubes audire confeſſiones, & iiſdem ſacramentorum omniũ adminiſtrationem committis, cum eas iubes conficere corpus Chriſti, cum tam parum intereſſe cenſes inter intemeratam Chriſti matrem, & impudicam meretricem tuam, cum ſanctiſsimã Chriſti crucem blaſphemas, cum doces nullum eſſe purgatorium, ſed animas omnes dormituras in iudicij diem, ſpem proponens diu differendi ſupplicij, quò ſecurius peccẽt improbi, cum hæc (inquam) doceas, & mille pudendas hæreſes: præterea nõ te pudet ſcribere, quòd nihil doces aliud, quàm hominem oportere ſaluari per fidem Ieſu Chriſti, qoando re vera nihil moliris aliud, quàm vt Chriſti fidẽ penitus poſſis extinguere, qui ſi veniſſet ea docturus, quæ nunc doces tu, veniſſet profectò non auocaturus homines à malo, nec fuiſſet (quod erat) doctor virtutũ, ſed manifeſte patronus vitiorũ: à quo quàm longe abfuerit, ſatis inſigne documentum dedit, cum tã immane ſuppliciũ pertulit in cruce, quò nos à peccatorũ pœna redimeret. Quo pacto patitur (ſi quis ineſt) pudor, vt talia ſcribas ad me, conſcius in libris tuis hęreſes iſtas impias nõ modo me legiſſe, verumetiam doctiſſimorum virorum iudicio multas reuiciſſe? Quæ cum ita ſe habeant, mirũ tamen eſt videre quanta cum impudentia recurras, nunc audiri ſaltẽ poſtulans (tanquam hactenus nunquã fuiſſes auditus) & te mirari ſimulans, cor damnari debeas, qui nec cõuictus adhuc ſis, nec auditus. Nunquàm ne Luther auditus es apud eximiũ patrem Cardinalem ſancti Sixti, legatum ſummi pontificis in Germania? Nunquàm ne præbita publicè diſputãdi licentia, adhibitis etiam notariis, auditus es in Saxonia? Annõ libellis impiis, & blaſphemis vſquequaq; ſparſis, & hęreſum tuarum contagium peſtilens longe lateq; deferẽtibus plus ſatis auditus es per totum orbem? & tamen queri non pudet nondũ eſſe auditum, ſed damnatũ eſſe nullius mali conuictum. Certè quod ad damnationem attinet, licet ſecurus obdormias, ſi iure damnari non potes, niſi ſic reuictus ante, vt ipſe te victũ fatearis. Cæterum re vera ſatis ſæpe cõuictus es & ab aliis nonnullis eruditiſſimis viris, & (quòd non ſolum doctiſſimi quiq; teſtãtur, ſed & ſacroſancta ſedes Apoſtolica iudicauit) à nobis. Quod quanquam præ ſuperbia non dignaris agnoſcere, tamen ipſa re ſatis fateris & ipſe, cum nihil hactenus præter ſcurriles nænias, quod reſpõdere poſſes, inueniſti. Ego Luthere, etiam ſi nihil earum rerũ callerem, quarũ tu damnatus es, tamen quin iuſte damnatus eſſes, dobitare profectò nõ poſſem, cum te damnaſſe videam Põtificem ipſum ſummum, cum toto Reuerẽdiſſimorũ Cardinaliom collegio: quorum iuſtitiã & æquitatem nemo bonus habere debet ſuſpectã, propter ſcurriles clamores improbi debacchantis fraterculi ſua damnatione infrendẽtis, pręſertim qui ſit eiuſmodi, cui ratio minus ſatisfaciat, quem nulla mouet auctoritas, qui nemini quicquã credit, præterquã ſoli ſibi, cui vni credit præ omnibus contra ſapientis conſiliũ, qui ſcribit: Ne ſis ſapiens apud temetipſum. quod genus hominum quàm deploratæ ſit conditionis, vide. Vidiſti (inquit) hominem ſapientẽ ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiẽs. Iam cum hęreſum tuarum pleraſq; damnatas eſſe viderem inclytarum ſcholarum conſenſu, quare deberem tot & tantorũ virorum ſuſpectũ habere iudiciũ, etiam ſi ipſe (quod dixi) de re quam iudicaſſent, omnino nihil intelligerem: præſertim cum in illis eſſet famigeratiſſima ſchola Pariſiorum, cuius iudicio quondam ipſe te ſtaturũ promiſeras? Cętera poſt, cum intelligeres tam manifeſtarios eſſe errores tuos, vt nemo bonus eſſet ac pius vſquã, in cuius iudicio ſpem poſſis reponere, in conuentu Wormacenſi (vbi te pleno procerum ſenatu damnauit Cæſar) ad diſceptandum quidem obtuliſti te, ſed ea quę diſputarentur, cuiuſquam iudicio ſubmittere (qui quàm rectè cõtrà ne diſſereres, poſſet ferre ſententiam) id vero pertinaciſſime pernegaſti. Nunc cum te videam hoc te pacto gerere, vt nec in alios iudices cõſentias, nec illis ipſis obedias, quibus obtemperare promiſeras, nec Cęſareæ maieſtatis iudicio defetas, cũ tot eruditiſſimos viros haberet in cõſilio, nec reuereare quicquam & Apoſtolicæ ſedis & collegij ſacroſancti ſententiã: ſed improbus irriſor appelles ad proximũ generale concilium: nec tamen ſimpliciter proximũ, ſed adlecto cuniculo per quod poſſis effugere, nempe quod proxime congregatũ eſſe contingeret in Spiritu ſancto, vt in quocunq; eſſes dãnatus, ibi negares fuiſſe Spiritum ſanctũ, & tamen paulò pòſt generalia concilia omnia contemnere, ne quis dobitare poſſet nolli te tandem prorſus pariturum: cum hoc (anquã) pacto te gereres, quomodo potuiſſet iudicium in te redditum mihi eſſe ſoſpectum, etiam ſi de tota re nihil aut intellexiſſem, aut audiſſem aliud? Nunc vero cum res tuæ quales ſunt, tales ipſe cognoſcam, nẽpe apertas & indubitatas hæreſes, cuiuſmodi aliquot cõmemoraui tibi, quemadmodum tu te mirari fingis hactenus audiri nõ poſſe, ita nos cõtra multo miramur magis & illud te poſſe dicere, & quenquam inuentum eſſe, qui te quicquam audire dignetur: tanquã ſatis cauſæ ſit vnius fraterculi peruicax impudẽtia, cur nunc tandem oporteat dubitare, an ea demũ vera ſint, quæ pro articulis fidei tota credit, & annos amplius mille quingẽtos perpetuo credidit eccleſia Chriſti catholica, quemadmodũ euidẽter liquet ex doctrina Chriſti, & ſanctis eius Apoſtolis, necnõ multis aliis beatiſſimis eccleſiæ Doctoribus, quorũ alius alio tempore locoq; ſcribẽs, omnes fuere eadem fide cõcordes à Chriſto nato, paſſoque, vſq; ad inauſpicatam prædicationem tuam. Quorum ſanctiſſimorũ patrũ, & in ſcriptura ſacra certiſsimorũ interpretum, cum tu ſcripta cõtemnas, nõ video cauſæ quicquam, cur poſtulare debeas, aut quid fructus nobis tua ſcripta poſsint afferre, ſanctiſsimorũ virorum omniũ tot ætatibus comprobatę doctrinę tam ex diametro contraria. Quamobrem cum ſcribis haud parui fructus magnã ſpem Euangelio, & gloriæ Dei portendi, ſi tibi libera facultas detur ad nos ſcribẽdi de negotio Euangelij, oporteret tamen profectò te, quic-

Impia in Chriſti matrem blaſphemia.

Veriſſimilitum.

Lutherus quoties auditus tamen auditum ſe nondũ dicit.

Hoc vt neget Lutherus, tamẽ omnes ſciunt.

Prouerb. 30.

Prouerb. 26.

A Pariſiorũ ſchola famigeratiſſima damnatæ Lutheri hæreſes.

Stropha Lutheri.

Quàm lubricẽ ſemper agitantur Lutheri uerba.

Potius credendum his quæ eccleſia Chriſti catholica per annos amplius mille quingentos pro articulis fidei credidit quàm vnius fraterculi impudentiæ.

te, quicquid hactenus texuiſti, retexere, & longe diuerſa ſcribere iſtis ferme omnib⁹, quæ vel bucuſq; abs te ſcripta ſunt, vel ex literis ad me tuis videris eſſe ſcripturus. *Quàm perniecioſa Chriſti Euangelio hæc noua doctrina.* Nam ex his, quæ hunc vſque diem ſcripſiſti, adeo nihil fructus conſecutum eſt Euangeliũ Chriſti, vt & oris tui tam venenati peſtilenti flatu, multũ ei pulcherrimi fructus interierit, & ſpecioſiſſima gemma perquã numeroſa perierit, quæ maturuerat in dulciſſimum fructũ, niſi talis irrepens conuoluulus eroſiſſet.

Iam quòd tibi ſcurrari libet in eccleſiã Romanam, & clericos, mihi certè non eſt conſiliũ ea de re multum diſceptare cum fraterculo. Cæterum qualeſquales illi ſunt, ipſe cuiuſmodi ſis, ꝓfectò ſatis indicas. Sed quando temet haberi vis tã exactum Euangeliſtam, feceris aliquanto rectius, ſi *Matth. 7.* prius ex Euãgelio didiceris ex oculo tuo trabem tollere, quàm feſtucam in alieno deprehendere: tum ſi diligenter expendis ex his, qui per inuidiã *Cape hinc Luthere exemplum.* & malitiam murmurabant in Moyſen, & in Dauidem iaciebant conuicia, quis illos maneat exitus, qui in eos contumelioſi ſunt, quibus cum reuerentia debent obedire. Tum vt id perdiſcas etiam, ſi mutare nõnihil eccleſia videretur: temperandum tamen, cauendumq; tibi, ne tam improbè ſis audax, vt arroganter eam tentes attingere, & tuis digitis curuis & conſpurcatis regere, ne te Deus ita ciuilitatem doceat, & officium oſtendat tuum, quemadmodũ olim docuit eum, qui præter fas auſus eſt manum arcæ fœderis labaſcenti *2. Reg. 6.* ſupponere. Quanquam haud dubie tametſi te libido ſubit debacchandi ſcurriliter in Romanam curiam, tua tamen & doctrina ſimul & vita ſatis reddunt perſpicuũ, quòd ſi tam eſſet mala, quàm *Sic Lutherus crucifigit corpus peccati. Sic Gehenna agitur.* fingis, tibi diſplicere non poſſet. Etenim quando tibi peſſimi quiq; apoſtatę, qui contempto voto, & reiecta meliore vita, deſerto ſpirituali ſtudio, totos ſe carnis voluptati deuouerint, veniunt acceptiſſimi: contraq; viri boni, & ſtudioſi pietatis, paſſim è ſuis ædibus, vbi in oratione, ieiuniis, & caſtitate delegerant diuino cultui totã vitam impendere, per te quotidie, perq; improbã factionem tuã crudeliter extruduntur: & templũ quoque ſanctiſſimũ honeſtiſſimo virginei chori cõtubernio deſtitutum, ſcortatoribus impuris, & ſpurciſſimis proſtibulis relinquitur propbanandum: an nõ iſtud inſtitutum tuũ ſatis ſuperq; declarat neminẽ tibi odio eſſe quia nequam ſit, ſed eum tibi vere eſſe inuiſum, quiſquis fuerit ꝓbus, quiſquis virtuti deditus, hoc eſt inſtituto tuo doctrinæq; cõtrarius? Nec ob aliud certe magis obmurmuras aduerſum Apoſtolicam ſedem, quàm quòd ab ea vides & indignaris damnatas eſſe tam impias hæreſes tuas, vt illa tibi nõ abſurde reſpõ*Exod. 16.* derit: Nec contra nos eſt murmur tuũ, ſed contra dominũ, tum in Chriſtum, cuius vicem gerit, ſuſpiciens, aduerſus improbam ſuperbiam tuam *Iudith. 6.* clementer exaudita, clamarit: Præſumẽtes de ſe, & de ſua virtute gloriantes, humilias. Neq; enim quiſquã fere natus eſt vnquam, qui ſibi tam multum tribuat, cum iure tam parum debeat, quàm ipſe tribuas tibi. Qui ſi tã vere ſaperes, quàm tua tibi philautia perſuadet, nõ ita te comparaſſes, vt correptus à Pontifice, murmurare potius, quam emendari ſtatuiſſes. Vir prudẽs (inquit ſcriptura) *Eccleſ. 10.* diſciplinatus nõ murmurabit correptus. Vereor haud dubie, ne breui ſenſurus ſis dum tibi tã impenſe places, & ſapiens videris oculis tuis) illud in te competere, quod Apoſtolus dixit in philoſophos Ethnicos: Euanuerunt in cogitationibus *Roma. 1.* ſuis: obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum: & dicentes ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt. Ita tibi ſurgit animus, vt magna cum gloria numeres te amicis eſſe ditiſſimum, magnis præſertim principibus, quos à tua parte ſtare iactas in Germania. Sed ego te profectò vera ſenſurũ puto, quę Deus in Apocalypſi cuidam eſt minatus homini, qui niſi vitiis illum vinceres, ſimillimus erat tui. Tu dicis (in*Apocal. 4.* quit) quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus? Credo equidẽ haud ita multo poſthac (pro ſua in eccleſiam benignitate) prouiſurũ Chriſtum, cuius Euangelium conaris prętextu fauoris extinguere, machinam aliquande quampiam, quæ tam ſtolidæ ſuperbiæ tuæ cornua criſtaſq; confringat: cum te tam nudũ relinquat amicis, quàm nunc deſtituit gratia, quòd eam clementer oblatam ſæpe ſponte, non ceſſes reiicere. Quin id iam pridẽ quoq; luculenter cœpit oſtendere, niſi te ſic obcæcaret ſuperbia, vt non ſuſtineres aduertere. Nam cum tu tam valde *Principes Germaniæ quàm Luthero fauerint ſcilicet.* iactes principes fauere tibi, res longe diuerſum probat, quando miſeri illi ruſtici doctrina tua ſeducti, ſumma cũ calamitate & miſerãda ſtrage reuerberati ſunt, virtute & victoria clariſſimorum principũ: qui cum ſummo ſuo apud Deum præmio, apud homines omnes bonos laude & gloria, factioni tuę, ſectęq; ſeditioſiſſimę reſtiterunt.

Iam quòd ais nihil mirandum eſſe, ſi te Cæſar, & aliquot item principes perſequantur, allegans illud Prophetæ: Fremuerunt gentes, & populi *Pſal. 2.* meditati ſunt inania. Aſtiterũt reges, & principes conuenerunt in vnũ aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Hæc verba reciderunt in caput tuum, ſi verum eſt id quod dicis, Germanię populos & principes tueri partem tuam. Nam id quidem haud dubiũ eſt, cum factio tua tota contra Chriſtum militat. Quamobrẽ agglutinent ſe *Pſalm. 2.* vobis quicunq; volent: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. id quod *Septuaginta millia hominum qui Luthero fauebant vltione diuina paucis menſibus interempta.* iam pridem ſatis declarauit, cum plus minus ſeptuaginta millia ex his qui in tuam ſectam coniurauerant, immiſſis in eos vltione diuina principibus, paucis menſibus interempta ſunt.

Iam cum tam ſancte optas, vt Deus in me verbis ita cooperetur tuis, vti miraculo quodã conuertat in fauorẽ Euangelij: Euangelio me fauere profiteor, & idem animus precor nõ ſolum vt ſit perpetuus, ſed etiam vt increſcat in dies. Verùm cum te haud neſciam rem ſic accipere, tanquam Euangelio non faueant, qui ſectæ nõ fauent tuæ, nec ſolere Deum cognoſcam aduerſus filij ſui fidem edere miracula: certe potius quàm id prodigium in me malus producat genius, vt ego ex animi tui ſentẽtia ſub Euangelij nomine faueam impietati tuæ, optarim certe, vt tu, tuiq; omnes

ASSERTIONVM REGIS ANGLIÆ DE FIDE CATHOLICA ADVERSVS LVTHERI BABYLONICAM CAPTIVITATEM DEFENSIO:

EPISTOLA REVERENDISSIMI DOMINI EPISCOPI IOANNIS ROFFENSIS NVNCVPATORIA OPERIS.

PLVRIMVM REVERENDO PATRI ET DOMINO MEO AMANTISSIMO DOMINO ELIENSI EPISCOPO.

PRæterierunt iam anni duo, chariſſime Pater, ex quo bonam huius libelli partem legeras, & ita legeras, vt eius quod reliquum erat perlegendi magnò te ſanctè aſſirmabas accenſum fuiſſe deſiderio. Quamobrem & nec ſemel per internuncios egiſti mecum, vt quamprimum à prælo rediret, tibi communicaretur. Ego pater hactenus emittere diſtuli, partim ob alia negocia quibus eram implicitus, partim quòd nonnulla ſpes quibuſdam fuerat, Lutherum ad ſaniorem mentem aliquando rediturum. Nam rumor fuit, eum vnà cum aliquot è ſectatoribus eius meditari palinodiam, & partem aliquam eorum, quæ male prius docuerant, recantare velle. Quare vt reſpirandi ſpacium eis aliquod daretur, cenſui libellum hunc aut omnino ſupprimendum, ſi reſipiſcerent: aut impreſſionem eius in tempus aliud compereudinandam, ſi non ab erroribus ſuis interea deſiſterent. Cæterum, vt non ignoras, ipſi pergunt in amentia priſtina: iam longe, quàm pridem fuerant, inſaniores facti. Nunc enim inter ſe conſenſu mutuo, ſacrorum Bibliorum partitis diſtributiſq; voluminibus, non pudet ea commentariis impiis fœde corrumpere, & ad ſuarum hæreſum nullo non loco peruerſum contorquere ſenſum. Idque faciunt hac arte confiſi, ſe facile ſimpliciorum animis impoſituros, quos vident ſermonis lenocinio citra difficultatem trahi poſſe, vt ſuis peſtilentibus erroribus fidem adhibeant, & ſyncerum id credant eſſe ſcripturarum intellectum, quicquid ipſi fallaci blandiloquentia ſua fuerint interpretati. Sed digni profectò ſunt quibus imponatur, qui ſalutaribus documentis tot inſignium eccleſiæ catholicæ paſtorum ſpretis, quorum vita ſanctimonia pariter & eruditionis ſynceritas tot & tam clariſſimis miraculorum indiciis à Deo comprobata fuit: huic faci hominum, & (vt ne quid acerbius dicam) meris apoſtatis, animas ſuas credunt. Et quid mirum eſt, ſi fallatur in hiſce rebus vulgus, cui ſenſus in ſacris literis parum exercitati ſunt, vt diſcernant quid in illorum commentariis rectum ſit, aut quid erroneum? Nam qui fieri poterit, vt imperita plebecula ſuper iſtiuſmodi rebus iudicium vnquam ſanum ferat, in quibus & eruditiſſimi, niſi plurimum attenti ſint, crebrius hallucinantur? Sed hac de re longe pluribus infra capite vndecimo diſceptaturi ſumus. Nunc igitur auibus (vt ſpero) fælicibus prodibit hoc opuſculum, quod & dominationi tuæ dicandum cenſui, quippe quæ multis nominibus mihi chariſſima eſt, non ſolum quòd vt bonum paſtorem decet, tua præſentia diœceſim tuam exornas, & verbo Dei plebem tuæ fidei commiſſam erudis aſſiduè, verum etiam quòd ad hæc certamina fidenter obeunda nos pridem animaſti plurimum. Adde quòd & à teneris annis mihi non parua tecum in ſcholaſticis exercitationibus fuerat conſuetudo. Et quanquam in aliud ſtudij genus, nimirum vt in legibus erudireris, in quibus & ſummum attigiſti faſtigium, exercitiũ tuum commutaueris, dialecticis tamen & philoſophicis concertationibus vſque adeo cæteros præcellebas, vt ad hunc vſque diem vix quiſquam reperiatur tanto ingenij acumine præditus, qui tibi, cum ingenij vires intenderis, non porrigat herbam. Tuo igitur iudicio fretus, libellum hunc iam tandem edidimus, & tuæ paternitati nuncupauimus ve poſteritati futurum ſit amoris erga te noſtri perpetuum teſtimonium. Bene valebis chariſſime Pater

ex Roffa, per eiuſdem tuæ paternitatis

amantiſſimum.

AVTHOR HOC IN PROLOGO TAXAT LVTHERVM, QVEM AD VNGVEM VSQVE DEPINGIT, ASSERENS RATIONEM ATQVE MATERIAM, ſimul & ordinem eorum quæ proſequetur.

Cantic. 2.

CHRISTI vox in canticis eſt: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Quæ plane monet hæreticos eſſe capiendos antequã adoleſcant. Nam hi vulpinis fraudibus vineas, hoc eſt eccleſiam Chriſti demoliri ſtudent. Optarim igitur vt hanc vocem audiſſent hi, quibus ex officio incumbit hæreticos, dum paruuli ſunt, comprehendere. Neque enim hodie tam graue eſſet in eccleſia tempeſtas & rerum omnium perturbatio, ſi Lutherus dum eſſet vulpecula, fuiſſet repreſſus. At nunc euaſit in vulpem grandiuſculam, annoſam, & veteratricem tot dolis, aſtutiis, artibus inſtructam, vt medium teneri difficillimum ſit. Sed quid dixi, vulpem? parum eſt: canem dixiſſem rabidum; imò lupum rapaciſsimum, aut ſæuiſsimam quandam vrſam, quæ raptis catulis, furore quodam agitur: vel magis hæc omnia ſimul. Multas enim hoc monſtrum intra ſe beſtias alit. Sed & eiuſmodi nominis laturus apprime gloriatur. Seipſum enim appellat vrſam & leænam. Nam & vtramque ſe futurum catholicis pollicetur. Lutherum (inquit) habebitis vrſam in via, & leænam in ſemita. In eiuſmodi monſtrum euaſit ex vulpecula iam tandem Lutherus. Vulpem enim egit aliquandiu fraudibus, mendaciis, ſubterfugiis. deinde canis factus eſt, impudentia, latratu, mordacitate. Lupum poſtea ſe præbuit rapacitate, ſeritate, lacratu. Poſtremo leænam & vrſam oſtentat ſeſe, furore, ſæuitia, crudelitate. Portentoſa certe belua eſt, adeo vt nec earum beſtiarum, quas Daniel in mari vidit, horrenda monſtroſitas poterit huius vnius beluæ malitiam ſufficienter exprimere. Oculos habet quaſi hominis, quia nihil ſupra hominem videt, & tamen perinde atque ſi fuiſſet aliquando raptus in tertium cœlum, os eius ingentia loquitur: lingua præditus eſt virulentiſsima: dentibus armatur pluſquam ferreis, quibus & inſatiabiliter carnes hominum vorat, & comminuit omnia, conculcans pedibus quicquid eſt reliqui. Eiuſmodi ſane portentum Lutherus ex vulpecula factus eſt. talemq́; tam ſpeluncam in qua tuto delitеſcat comparauit ſibi, vt ſecurus omnem ſui putentis pectoris peſtilentiſsimum halitum ac letale virus hæreſum ſuarum in totum orbem efflet, neminemq́; non conuiciis, probris, contumeliis, atque id quidem quantum excogitare poterit acerbiſsimis inſectatur, ſi quis ei contradixerit, vt nec regum aliorum potentiſsimorum vllam hæc belua rationem habeat. Nuper enim, eius admonendi gratia, Rex Angliæ, non minus armis, quàm literis inclytiſsimus, quoſdam illius taxauit errores, hortatus ad reſipiſcentiam: cui cum debuit Lutherus, tam pio monitori, gratias egiſſe, nullum tamen conuiciandi genus prætermiſit, quod non in ipſum iacularetur, & plus quàm cynicè. Neque enim aut ſacræ eruditionis quam ipſe profitetur, aut reuerentia tanti principis reſpectum vllum habuit, ſed velut inſanus & rabidus omnem ſui pectoris furiam in Regem tam illuſtriſsimum effudit, vt demirer quomodo quiſquam illius dogmatibus fidem adhibeat, cum aduertat eum Chriſti mandatis tam aperto contrauenire. Sed miſeram plebem ita iactabundis aſſertionibus, ac vanis pollicitationibus allexit & agglutinauit ſibi, vt velut prophetam illum venerentur. Neque enim quiſquam aut impudentius, aut arrogantius de ſeipſo iactare poterit, quàm in eius libelli principio, quem aduerſus eruditiſsimum Regem ſcripſit, Lutherus facit. Sic enim ait. "Certus ſum dogmata mea habere me de cœlo. Quia etiam aduerſus eum triumpham, qui in vngue non ſuo plus habet virtutis & aſtutiæ, quàm omnes Papæ, Reges, & Doctores."

Prælatorũ negligentia naſcuntur errores,

Malitia Lutheri depingitur.

Plurima mala efficit Lutherus.

Appropriata Lutheri metaphora.

Vulpes. Canis. Lupus. Leæna. Vrſa.

Daniel. 7.

Luth. male à principibus defenſatur in perniciem eccleſiæ.

Regis Angliæ commendatio.

Luth. malicia & aſtu. tia vento faltæ doctrinæ ſeducit vulgus.

Lutheri iactantia.

O miram arrogantiam. O monſtrum horrendum O frontem impudentiſsimam. Quis vnquam audiuit beluam tam aperta mendacia de ſe prædicantem? Sexcentis eius libri ſcatent erroribus, & tamen affirmare non pudet ſe certum, ſua dogmata ſe habere de cœlo. Ad quodlibet improperium à ſtatu mentis deiicitur, & fit impos ſui, & tamen de dæmonibus triumphare ſe gloriatur. Cæterum ne vitia quadam apertiſsima iactantia ſuæ fidem abrogent, ea ſubdole per ſcripturas, non abſque vi contortas, tegere molitur, vti mox aperiemus. Nos ergo pro virili noſtra dabimus operam, vt huius beluæ fraudes, mendacia, calumniæ, rabies, & impudentiſsima venditatio ſui, quibus in libello contra Regem inuictiſsimum vſus eſt, quàm breuiſsime poterimus, detegantur. Sed futuram diſceptationem, quo fiat apertior, in duodecim capita digeremus, iuxta ſeriem quam ille ſeruauit in libello ſuo.

Plurimi Lutheri errores.

Lutherus contorquet ſcripturas ſacras.

Authoris intentio.

Materies & ordo agendorum.

CAPVT PRIMVM.

Lutheri iactabundam arrogantiam aperte mendacem eſſe.

SECVNDVM.

Apologiam item inanem, qua vitia quadam inſignia tegere laborat.

TERTIVM.

De communicatione plebis, eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere.

QVARTVM.

Non manere ſubſtantiam panis cum ſacroſancto Chriſti corpore.

QVINTVM.

Miſſam haudquaquam teſtamentum eſſe.

SEXTVM.

Miſſam recte ſacrificium & opus ab orthodoxis vocari.

SEPTIMVM.

Stropha quadam & mendacia cauillique Lutherani deteguntur.

OCTAVVM.

Miſſam non eſſe promiſsionem ſolam.

NONVM.

Quædam quæ Lutherus falſa impingit illuſtriſsimo regi, diluuntur.

DECIMVM.

Interpretationi quam de ſcripturis patres concorditer reliquerunt, fidem adhibendum eſſe.

VNDECIMVM.

Diiudicationem dogmatum ad patres potius, quàm ad plebem ſpectare.

DVODECIMVM.

Ordinem & matrimonium eſſe ſacramenta, conferreq́; gratiam efficaciter.

De ſingulis igitur horum per ordinem diſſeremus.

LVTHE-

LVTHERI IACTABVNDAM ARROGANTIAM APERTE MENDACEM ESSE.

Caput Primum.

I. PRINCIPIO Lutheri iactantiam expendamus, qua ſe certũ eſſe dicit, dogmata ſua ſe habere de cœlo. Neſcio quæ Lutherus hic ſua dogmata velit intelligi. Nã ſi placita decretaque Chriſti ea eſſe dixerit, nihil repugno, quin hæc e cœlo fuerit. Sin ea quæ præter ſenſum verborum Chriſti, Lutherus e ſuo cerebro perperã adiecit, hæc è cœlo nequaquã ſunt. Atq; hæc ſola dici poſſunt Lutherana dogmata. Nam reliqua non Lutheri, ſed Chriſti ſunt. Talia nimirum ſunt, quoties aut ſuas introducit hæreſes plus quàm ex diametro ſanctiſſimorum patrũ inſtituris repugnantes, aut cum ſcripturas pro ſui capitis inſanis phreneſibus interpretatur, aut demum cum ſcripturas hactenus ab eccleſia receptas, pro ſua temeritate, quodque ſuis commentis minime quadrent, vel damnet, vel ceu damnatas reiiciat. Damnat autem inprimis epiſtolam Iacobi, nempe quòd ea ſuis hæreſibus palam aduerſatur. Cauillatur igitur eam haudquaquam Apoſtolicam eſſe, cum tamẽ à ſingulis patribus paſſim approbetur atque inter catholicas ab vniuerſa numeretur eccleſia. Sed aduerte quæſo cauillum, optime lector.

Varia in libris offendũtur dogmata.

Luth. triphariam corrũpit ſcripturas.

Epiſtolam Iacobi cur Lutherus damnat.

Sic enim in commentariis epiſtolæ priori Diui Petri ſcribit. „Inde facile diſcitur, epiſtolam, Iacobi nomine inſcriptam, haudquaquam Apoſtolicam eſſe epiſtolã. Nullum enim prope elementum de his rebus legis. Summum momẽtũ habet hic articulus fidei. Nam ſi niſi reſurrectio eſſet, nihil protſus vel conſolationis vel ſpei haberemus, fruſtraque eſſent quæcunque Chriſtus tum fecit, tum paſſus eſt." Hactenus ille.

Vbi vides lector quam ob cauſam Lutherus epiſtolam Iacobi neget Apoſtolicam eſſe, nimirum quòd in ea Iacobus nullam de reſurrectione Chriſti mentionem fecerit. Verum ſi propter hunc cauillum epiſtola Iacobi non erit Apoſtolica, nec Pauli quædam epiſtolæ (præſertim ea quæ ad Philemonem inſcribitur, & vtraque ad Timotheum) erunt Apoſtolicæ, cum in his de reſurrectione nec verbum quidem vllum habeatur.

Non paſſim agit Paulus de reſurrectione.

Adde, quòd ad hunc modum neq; poſterior epiſtola Petri, quam tamen Apoſtolicam Lutherus approbat, erit Apoſtolica, cum etiam in ea nihil de reſurrectione Petrus loquatur. Quare ſi cauillus ille foret admittendus, multas ex epiſtolis quas eccleſia recipit, nos reiiceremus.

Cæterum etſi Iacobus de reſurrectione non expreſſe meminerit, meminit tamen & paſſionis, & aduentus futuri, quæ duo nequaquam abſq; media reſurrectione queunt intelligi. Meminit item & potentis verbi, quo regenerati ſumus; idque ſane eiſdem ferme verbis quibus & Petrus de eodem loquitur. Nam Petrus ita de Deo ſcribit. Qui regenerauit nos in ſpem viuã. Iacobus autem ad hunc modum. Is deſtinata voluntate progenuit nos ſermone veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ ſuæ. Simile quiddam & Paulus ad Hebr. dicit. Participes Chriſti facti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmũ tenuerimus. Hoc certe quòd à Chriſto regeniti ſumus & participes eius facti per initium ſubſtantiæ eius, vim refert & reſurrectionis, & natiuitatis, & paſſionis, atque adeo cuiuslibet alterius negocij, quod noſtri cauſa ſuſcepit Chriſtus. Quamobrem neque ſanum eſt iſtud Lutheri dogma, nec è cœlo manaſſe credendum eſt.

B Iacob. meminit reſurrectionis.

Iacobi 5. *1. Petri 1.* *Iacobi 1.* *Hebr. 3.*

In verbo regenerationis omnia myſteria humanitatis intelliguntur.

II. Alterum eſt Lutheri dogma, nempe quòd Petrus & Paulus, imò beatiſſima virgo, Chriſti genitrix, nihil plus aut dignitatis aut honoris habeat quàm quilibet alius Chriſtianus. Sic enim & in eiſdem commentariis traditur ad verbum.

„Quia vero renati ſumus filij & hæredes Dei, pares ſumus in dignitate & honore D. Paulo, Petro: S. Deiparæ virgini, ac diuis omnibus. Habemus enim eundem theſaurum à Deo, bonaque omnia tam largiter quàm ipſi. Siquidem & ipſos non ſecus atq; nos renaſci oportuit. Quare non plus habent quàm quilibet reliqui Chriſtiani." Hæc Lutherus illic.

Verum iſta ſcripturis palam aduerſantur. Nam qui fidem & gratiam præ cæteris cumulatiorem acceperunt, eos haud dubie plus accepiſſe credendum eſt, quandoquidem eatenus aut pluris aut minoris quiuis Chriſtianus habendus eſt, quatenus ampliorem fidem & gratiam eſt conſecutus. Et quanquã omnes de plenitudine Chriſti nonnihil accepimus, vti Ioannes tradit, nõ tamen æqualiter ſingulis impartitum eſt. Nam vt Paulus ad Rom. ait, Habemus dona iuxta gratiã nobis datam varia. Et rurſum ad Epheſ. Vnicuiq; noſtram data eſt gratia, iuxta menſuram donationis Chriſti. De fide quoq, Paulus ait, eam non ad eandem menſuram ſingulis eſſe traditam. Atque ideo iubet ne quis arroganter de ſe ſentiat, ſed vt cuique Deus partitus eſt menſuram fidei. Et profectò niſi fides eſſet in aliis tenuior, in aliis copioſior, non dixiſſent ad Chriſtum Apoſtoli: Domine adauge nobis fidem.

Amplior dignitas & honor debetur his qui gratia præſtant.

Ioan. 1. *Roman. 12.* *Epheſ. 4.* *Roman. 12.* *Luca 17.*

Adde, quòd fidem in Petro laudauit Chriſtus, & tamen alibi vocat eum hominem puſillæ fidei. Atqui ſi fuerint omnes renati, non tamen in ipſa renaſcentia ſinguli parem omnino

Luca 22. *Matth. 14.*

donationem acceperunt. Et conſtat item beatam virginem, priuſquam ex aqua renaſceretur, plenam fuiſſe gratia, gratiamq́ue præ cæteris peculiarem apud Deum inueniſſe, atqne eam ſane multo cumulatiorem quàm alius quiuis præter Chriſtum, inuenerit vnquam. Neqoe dubium cuiquam eſſe poteſt, quin ſi gratiæ quicquam adiici potuiſſet, poſtea pet animi ſui cōſenſum longe copioſiorem acceperit. Sed quid multis moror? hoc dogma, profectò, ſi tamen gloſſa non adhibeatur, patentioris inſaniæ eſt, quam vt egeat pluribus confutari.

Maria ante baptiſmum fuit plena gratia.

III. Suſtulit inſuper ſuis dogmatibus arbitrij libertatem Lutherus, Deumque prædicat in nobis & bonorum & malorum authorem, atque id apertiſſime contra ſcripturas. Nam, vt innumeras alias prætermittam, Petrus in epiſtola priori ſic ait. Patrem inuocatis, qui citra perſonarum reſpectum iudicet iuxta cuiuſque opus. Ecce lector, ſecundum opus vniuſcuiuſqoe, & citra perſonarum reſpectum, Deus cunctos iudicat. At quomodo non erit perſonarum reſpectus aqud Deum, ſi me Deus adigat ad peccandum, & in me nihil præter opera mala producat? Si mihi ſit malorum operum author, & contrà bonorum alteri, quomodo non illius perſonam reſpicit benignius quàm meā, aut quomodo iuſte iudicabit me ſecundum opera, quæ mea non ſunt, neq; libero meæ voluntatis arbitrio patrauerim vnquam? Conſimiliter idem Petrus in actis ait idipſum recenſens. Re (inquit) ipſa comperio, quòd non ſit perſonarum reſpectus apud Deum, ſed in quauis gente, qui timet ipſum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Ecce, ſi ego mea ſponte iuſtitiam non operor, fruſtra ſperabo me Deo fore acceptum. & contra, ſi eam operer, acceptus ero, cum apud eius tribunal nullus ſit perſonarum reſpectus, ſed operū, ſiue bonorum, ſeu malorum, quæ per eos operata ſunt, iuſtum examen fiet: atq; ita de ſingulis, iuxta diſtrictæ iuſtitiæ libramentum, iudicium rectè feretur.

Deus non eſt cauſa peccati.

1. Petri 1.

Actor. 10.

IIII. Docet inſuper, iudiciom de ſcripturis, hoc eſt, quid Euangelium ſit habendū, aut ſecus: & quid Apoſtolica epiſtola, aot non Apoſtolica, id ad omnes ex æquo ſpectare chriſtianos, perinde atq; nihil pro iudicato ſit teneodum, quicquid citra Apoſtolorum tempora maiores noſtri iudicauerint, quantauis eruditiōe fulſerint, aut vitæ ſanctimonia miraculiſve claruerint. Quod dogma quantum contineat impietatis, nemo qui non inſanus fuerit, ignorare poteſt. Nam ſi vnquam in eccleſia ſyncerum & exactū ſolidumq́; fuiſſet iudicium, profectò fuerat in his qui temporibus Apoſtolorum erant viciniores, quique pro fidei ſuæ tum magnitudine tum puritate copioſios diuinorum chariſmatum fulgoribus illuſtrati ſunt. Quamobrem ſi Chriſtianis iam extantibus licebit in dubium reuocare, quod maiores noſtri ſuis aurea iudiciis comprobauerint, quid vnquam in eccleſia certum, firmum, ſtabile, futurum ſperari queat? Sed de hac re pluribus alibi. Neque tamen iſtud interea prætermittemus intactum. Dicat velim Lutherus. An credat maiores ooſtros (de priſcis illis loqoor) fidem habuiſſe veram nec ne? Si nō credat, quis iam oon intelligit, quàm ſit ab omnibus iure exibilandus? Sin credat eos veram fidem habuiſſe, tum non effugiet, quin confiteatur eorum iudicium verum & firmum à cunctis habendū eſſe. Nam ſic in commentariis epiſtolæ Petri ſcribit.

Veteres certum iudicabant.

Lutherus aſſeruit fideles quoſq. recte iudicare.

Fides res eſt tam eximia atque magnifica, vt «
per eam rerum omnium quæ ad ſalutem perti- «
nent, certam & claram cognitionem babeamus, «
potentes iam de omnibus quæ in terra ſunt, iu- «
dicare atque libere pronunciare. Hæc doctrina «
ſyncera, illa falſa eſt. vita hæc proba eſt, illa re- «
proba. hoc factum bene, illud ſecus. Et quicquid «
iſtiuſmodi homo definit, id ita ſe habet ac verum «
eſt. Noo enim poteſt falli, ſed ſeruatur & cuſto- «
ditur virtute Dei, manetq́; iudex omnis doctri- «
næ. Hæc Lutherus.

In quibus verbis perſpicis lector, eum qui fidem habet, potentem eſſe, vt de rebos ſingulis iudicet, eius quoq; iudicium verum eſſe, nec falli poſſe. Quare cum ipſi maiores noſtri fidem veram habuerint, conſequitur etiam vel ipſius Lutheri ſententia, quòd eorum iudicium falli non potuit. Quod ſi iudicium illorum ratum fuerit & ſtabile, quomodo non per illorum iudicium cæterorum omnium iudiciis, qoicunq; diuerſa iudicauerint, penitus erit præiudicatum? Quocirca cum Lutherus adoerſus omnes illos iudicium tulerit, palam eſt eius iudicium inane, falſum, erroneumque eſſe.

Iudiciū Lutheri falſum.

Conſequitur igitur ex iam dictis, vt quicquid de ſacramentis, de contritione, confeſſione, & ſatisfactione, de miſſa, de teſtamento, de communicatione ſub vtraque ſpecie, de ſacerdotio, de votis, de primatu Romani pontificis, de præceptis, de peccato, de bonis operibus, de purgatorio, de excommunicatione, de poteſtate abſoluendi, deque cæteris id genus quibuslibet aduerſus maiorum noſtrorum vnanimem ſententiam Lutherus docuerit, id à veritate penitus alienum cenſeri debeat: tantumq́ue abeſt vt è cœlo veniſſe credatur, vt ab inferis potios & ab ipſo tenebrarum principe Sathana oentiquam dubitetur inſpiratum fuiſſe.

Corollarium. Capita errorum Lutheri.

V. Cæterum vt os eius non niſi meodaciis natū, ſuis ipſius verbis aperte conuincamus, legatur epiſtola quam calci commentariorum ſuorum appoſuit ad Conradum Pelicanum inſcripta, vbi cernes lector ipſum tria confiteri. Primū, quòd vndecimo pſalmo turpiter errauerit. Sunt enim eius verba quæ ſequuntur.

Mendacia Lutheri conuincuntur ex propriis eius verbis.

Primus error.

Si non eſt excuſus pſalmus 11. velim deleas in «
fine vltimæ paginæ literæ B. 12. verſus, cum tri- «
bus ſequentibus verſibus literæ C. Vides enim «
quàm ibi fœdè errauerim in vocabulo כבר Ha- «
ctenus ille. Ecce errorem vnum, quem nec ipſe poterit inficiari. Alium rurſus errorem fatetur ex pſalmo decimotertio. Sic enim ait io eadem epiſtola.

Secundus error.

Iam qood oblitus pſalmo 13. quicquid de ver- «
bo כבר ſomniani, per 26. verſus, dele quæſo. «
Ecce tam aperti ſuut errores iſti, vt nullis mendacio-

daciorum fucis Luthero liceat eos palliare. Et tameo hos in ſuggeſto publicè docuit.

Nam in eadẽ epiſtola paulò ſuperius id ipſum teſtatur de eiſdem commentariis loquens.

» Voce (inquit) viua multum auditoribos & lu-
» cis & gratiæ accedit, quantum chaos iſtud litera-
» rum neque habet neque capit. Quis iam affirmabit hæc dogmata è cœlo veniſſe? Sed audi lector & tertium quod in eadem epiſtola dicit. Moouiſſe videtur Pelicanos illum de maledicentia & immodeſtia, qua ferocit in omnes. Cui Lutherus reſpoodet.

Lutherus nõ eſt ſuipſius compos.

» Recte (inquit) mones modeſtiæ me. Sentio
» & ipſe, ſed compos mei oon ſum. Rapior, neſcio
» quo ſpiritu, cum nemini me male velle cooſcius
» ſim. Verum vrgent illi etiam furioſiſſime, vt Sa-
» thanam non ſatis obſeroem. Hæc Lutherus.

Hic diſce lector non eſſe compotem ſui Lutherum, oempe quòd à ſpirito Sathanico rapiatur. Et quanquam dicat primum ſe neſcire quo ſpiritu, ſubiungit tamen poſtea, ſe non ſatis obſeruare Sathanã. Nam huius haud dubie ſpiritu concitatur & agitur in has tam ioſanas furias. At vide quàm aperte mentiatur. Ait enim ſe nemini male velle, cum tamen famam, rem omnium precioſiſſimam, ſuis probris & conuiciis cuique qui ſibi contradicit, eripere ſtudeat. Cæterum hactenus iſta recenſui, vt candidus lector intelligat qualia ſint Lutherana dogmata, de quibus dicit ſe certum eſſe quòd habuerit ea de cœlo. Et ego ſane, ſi more Lutheri ſcripturas torquere vellem, poſſem etiam oſtendere Lutherum ea dogmata de cœlo ſuſcepiſſe. Nã & Chriſtum dixiſſe oemini: Vidi Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Is forte ſecum attulit è cœlo dogmata, quæ Lutheto ſubminiſtraret. Ego certe nolla prorſus alia ratione fieri poſſe comperio, quòd è cœlo tam peſtifera Lutherus hauſiſſet dogmata. Nam & Sathan ipſe eſt, aduerſus quem ſe triumphaſſe Lutherus iactitat. Aduer-

Mendacium Lutheri apertum.

Luca 10.

» ſus eum (ioquit) triumphaui, qui iu vogue no-
» uiſſimo plus habet virtotis & aſtutiæ, quàm o-
» mnes Papę, Reges, & Doctores. Quis enim alius hic intelligi poteſt quàm Sathan, quem in vngue nouiſſimo tantam habere virtutem & aſtutiam aſſerit? Quòd ſi de Sathana Lutherus triomphارit, qoid oi pariter & illius diripuerit ſpolia? hoc eſt omnia myſteria diabolica. Et profectò niſi totus eſſet ſpiritu Sathanico pleous, nunquam aduerſus optimum regem, & orthodoxæ fidei cultorem, defenſoremq; præcipuum, tantum bilis, imò fellis & veneni potuiſſet euomere.

VI. Sed procul dubio vel fingit iſta Lutherus, qoo maiorem apud vulgũ ſibi comparet aothoritatem, vel turpiſſime fallitur. Nam qua ratione certus eſſe poteſt de cunctis ſuis dogmatibus, quòd è cœlo fuerint, niſi planè fuiſſet id ei reuelatum? Imò ſi reuelatum id ei fuiſſet, reuelatioes tamen eiuſmodi plerumq; fallunt. Nam quæ putantor à Deo manaſſe, plerunqoe comperiuntur à maligoo prodiiſſe ſpiritu. An oon dicit Paulus: Ipſe Sathanas transfigurat ſe in angelum lucis? Et in 3. Reg. nonue legitur quòd dixerit

Luth. animo fallendi fingit dogma ſuum è cœlo eſſe.

2. Corin. 11.
3. Reg. 22.

ſpiritus quidam ad Dominum: Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium propheratum Achab? Sed & noſtris temporibus erat vir nõ iodoctus Hieronymus Florentious, qui multa cõſtanter Florentinis prædixit eueotura: qua ratione mirificã à populo ſimul & principibus comparauit ſibi gratiam. Cæterum quòd poſt eios obitum nihil eorum acciderit, qoæ pridem vaticinabatur, eo diſcerniculo plane iam conſtat (ſi Hieremiæ credimus) illios prædictiones haudquaqoam à Deo fuiſſe. Sic enim cap. 28. Hieremias ad Ananiam falſo prophetantem dixit. Propheta qui vaticinatus eſt pacẽ, cum venerit verbum eius, tũc ſcietur propheta quẽ miſit Dominus in veritate. Deluſus igitur (vt videri poteſt) ipſe Hieronymos fuit, tametſi vir inſignis erat, verbo que & vita (quantum humano iudicio ſciri potuit) venerandus, nec latom vnguem vnqoam ab orthodoxis patribus in doctrina ſuæ diſſidens, niſi quòd excommunicationem in ſe latam contempſerit, & docuerit ab aliis eſſe contemnendam. Quòd ſi reuelationibos ille vir tãtus & tam catholicus potuit ſeduci, qoam nos de Lutheri reuelationibos habere poſſumos certitudinem? Ille quamquam ſibi graues ab Alexandro tum ſummo Pontifice viſos fuiſſet iniurias accepiſſe, nunqoam tamen in eius authoritatem oblocutus eſt, ſed tantom io authoritatis abuſum. Fuit enim ingenti modeſtia, humilitate, patientia, charitate, præditus. Nunquam in pontificiam dignitatem, ſed in vitam & mores inuectus eſt. Neque quicquam vnquam docendom præſumpſit, quod eſſet contra communem eccleſiæ catholicæ fidem. At Lutherum haudquaquam puder eccleſiæ dogmata conuellere: patrum ſententias contemoere: Pontifices optimos & ſanctiſſimos impoſtores vocare: authoritatem quam Petro Chriſtus contulit, pro nihilo docere. Reges eximios conuiciis & contumeliis afficere: plebem pernicioſiſsimis hæreſibus inficere: cœlum & terram replere mendaciis: & tamen adeò perſtrictæ frootis eſt, vt certum eſſe ſe iactitet omnia ſua dogmata ſe habere de cœlo.

Iohan. Fran. Picus Mirandulanus in apologia ſua excuſat eum, & Florentini adhuc ſumma veneratione eum colunt.

Sed videamus primum quid habeat vulpes iſta, quod ſuæ prætexat maledicentiæ. Rex (inquit) imperiit priot. At regem id iuſtiſsime fe- VII.
ciſſe mox fiet apertiſsimum. Sed acerbius inſe- «
ctatus eſt. At Paulus ait: Bene loqoamini de iis «
qni vos inſectantur. Sed verbis iaceſsiuit aſperis. «
Quid tum? Ao non Paulos vetat ne cuiquam ma- «
lum pro malo reddatis, neq; maledictũ pro male- «
dicto? Sed iniuriã iſtam ferre non potui, nec alios «
patebat vlciſceodi modus. At potius audire Pau- «
lum debueras, qui ſic monet: Non voſmetipſos *Roman. 12.*
vlciſcentes dilecti, ſed date locũ iræ. Nunquam equidem aliquis mihi perſuadebit ſe viciſſe Sathanam, niſi prius ipſe ſeipſum vicerit. Quiſqois ab ira vincitur, is iræ ſeruus eſt & peccati, Sathanæq; mancipiom, atq; ſtulte iactitat ſe de Sathana triumphaſſe. Neq; enim Lutherus defendere poteſt, quin ira graue peccatum ſit, & maxime com alibi palam affirmet, in omni opere, quantumuis bono, peccatum eſſe. Noo poteſt igitur

Ioan. 8.
2. Petri 2.

non

non eſſe graue peccatum ira, quandoquidem &
Matth. 5. iraſcentem fratri Chriſtus gehennæ ignis reum
facit. Quòd ſi propter iram qua fratrem ſuum
quis fatuum appellat, hunc Chriſtus reum facit
gehennæ ignis, quanto magis qui principem, &
eundem optimum, ac fidei Chriſtianæ cultorem
pientiſſimum, tot blaſphemiis impetiit? Iſtud
haudquaquam ſapit Chriſti ſpiritum, ſed planè
Roman. 13. diabolicum. Nam Chriſti ſpiritus in Paulo iu-
bet, vt omnis anima poteſtatibus excellentibus
ſubdita ſit. Iubet & honorem eiſdem impendi,
cum non ſine cauſa gladium geſtent. Lutherus
verò nec principis aut regis in vlla re maiorem
quàm infimi cuiuslibet homuncionis rationem
habet. Quis enim, niſi prorſus inſanus & amens,
in abiectiſſimum homuncionem ita fureret, ac
tantis intemperiis totque furiis effreneſcentem
iracundiam effunderet, atque Lutherus in re-
gem & eundem inclytiſſimum debacchetur?
Multo ſatius eſſet profectò ſacras omnino neſci-
iſſe literas, quàm eiſdem aperte contrauenire.
Luth. omni-bus principi-bus conuitiatur. Sed quid de principibus regibúsue loquor? Cæ-
ſaris ipſius iuſſa Lutherus contemnit, neque
ſummo Pontifici quicquam cenſet honoris de-
ferendum, imò contra probris eum afficit, con-
Actor. 23. uiciis onerat, contumeliis inſectatur. Paulus o-
lim cum per ignorantiam, ei qui princeps eſſet
ſacerdotum, maledixiſſet, eo quòd is præter le-
gem iuſsiſſet illum percuti, mox tamen vt fuerat
admonitus eum fuiſſe principem ſacerdotum,
ſuam ignorantiam excuſauit dicens: Neſciebam
fratres, quòd princeps eſſet ſacerdotum. & pro-
tinus adiecit.
Exod. 22. Principi populi tui non maledices. Hanc re-
uerentiam Paulus exhibuit principi veteris ſa-
cerdotij, quod alioqui non dubitauit antiqua-
tum fuiſſe. Et Lutherus eum qui non veteris, ſed
noui & æterni ſacerdotij princeps eſt, nempe
Chriſti vicarium, & Apoſtolorum principis in-
dubitatum ſucceſſorem, omni maledicentiæ ſuæ
virulentia conſputat. Paulus admonitus humi-
liter obtemperauit, honorem illi ſacerdotio de-
ferens: at Lutherus tantum ſibi licere conten-
dit, vt nullum agnoſcat ſuperiorem, nullius po-
teſtatem reuereatur, nullis denique legibus te-
neri ſe permittat, certus quicquid dixerit, id ha-
bere ſe de cœlo, ſeq; de Sathana triumphaſſe pe-
nitus. O nimis quàm impudentem hominis ar-
rogantiam. O caput inſaniſsimum. Quis iſta non
perſpicit mera eſſe mendacia? Et tamen Luthe-
rus vſque adeo malitia eſt excæcatus, vt hac tam
arroganti gloriatione toti orbi ſe ſibi perſuaſerit
impoſiturum.
VIII. Sed neminem opinor vſqueadeo leuem eſſe,
vt iis tam craſsis mendaciis facilè fidem adhibe-
Triumphare aduerſus diabolum difficile eſt. at. Neq; enim exigua res eſt aduerſus Sathanam
triumphare, quando Iob dixerit non eſſe pote-
ſtatem ſuper terram, quæ comparetur illi. Ma-
Iob. 41. gnum eſt ſi quis ei reſtiterit, maius ſi vicerit, at
triumphaſſe maximum eſt. Vix iſtud verbum
Chriſto ſcripturæ tribuunt, niſi poſt illam exi-
Coloſſ. 2. miam crucis victoriã, quando Paulus dicit Chri-
ſtum expoliatos principatus & poteſtates oſten-
taſſe palam triumphantem illos per ſemetipſum.
Et quanquam aliàs cum Sathana conflictatus eſ- *Matth. 4.*
ſet, eundemque ter confutauerit, Lucas tamen
quid ſcribit? non vtique quòd triumphauerit de
Sathana Chriſtus, ſed quòd conſummata omni *Luce 4.*
tentatione, diabolus ab illo receſsit vſque ad
tempus. O rem mirandam. Chriſtus non niſi
mortuus de Sathana triumphauit: at Lutherus
iam triumphat adhuc in carne peccatoque vi-
uens.
Sed & ſi quis dæmoni cuipiam reſtiterit, non
iſtud ſuis viribus aſſcribere debet, ſed magis gra-
tiæ Dei. Diuus enim Paulus cum ob iuſtas cau- *1. Corin. 15.*
ſas ingentia quædam de ſe prædicarit, ſubdit ta-
men: Non ego, ſed gratia Dei mecum.
At Lutherus cum aduerſus Satanam adeo ma-
gnifice ſe triumphaſſe gloriatur, nec verbũ qui-
dem vllum facit de gratia Dei. Paulus his qui vi-
cerint, relabendi metum incutit, dicens: Qui *1. Corin. 10.*
ſtat, videat ne cadat. Et alibi: Tu fide conſtitiſti? *Roman. 11.*
ne efferaris animo, ſed timeas.
Lutherus iã triumpho potitus, perinde ſecu-
rus gloriatur, quaſi non poſſet relabi. Diuus Pe-
trus quanquam Spiritum ſanctum viſibiliter ac-
cepiſſet, non tamen vſq; adeo firmatus erat, quin
poſsit relabi: & vt Lutherus author eſt, poſtea
reuera mortaliter peccauit. At Lutherus aduer-
ſus Satanam adeo triumphauit, vt non poſsit de-
nuo captiuari.
Cæterum ex eo fortaſsis Lutherus colligit ſe
triumphaſſe, quòd deſperationem euaſerit, qua
non ſemel inſinuat ſe fuiſſe grauiter impetitum.
Verum deſperatio nemini contingit, niſi pro- *Quibus vitiis Lutherus ſit implicitus.*
pter horrenda quædam & abominanda flagitia,
qualia ſi ſe commiſiſſe Lutherus fateatur, & nunc
adhuc pergit in his quæ nihilo ſunt leuiora, hoc
eſt inimicitiis, litibus, æmulationibus, iris, con-
certationibus, ſeditionibus, ſectis, inuidiis, & his
ſimilibus, quæ Paulus ad Galatas inter opera car- *Galat. 5.*
nis numerat, & prorſus affirmat quòd qui talia
agunt, regni Dei hæredes non erunt: quomodo
non pudet eum gloriari quòd aduerſus Satanam
triumphauerit? aut quomodo certus eſſe poteſt
quòd habuerit è cœlo ſua dogmata? Nam ſapien- *Sapien. 1.*
tia quæ de cœlo eſt, ſi libro Salomonis credimus,
in animas ſanctas ſe transfert, non in eas quę tan-
tis furiis & flagitiis inquietantur. Et Iacobus a-
pertiſsime docet Lutheri ſapientiam è cœlo ne-
quaquam eſſe. cap. 3. Quis (inquit) ſapiens &
ſcientia præditus inter vos oſtẽdat ex bona con-
uerſatione opera ſua cum manſuetudine ſapien-
tiæ. Quòd ſi æmulationem amaram habetis, &
contentionem in corde veſtro, nolite gloriari &
mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt enim
iſta ſapientia è ſupernis deſcendens, ſed terrena,
animalis, diabolica. Vbi enim æmulatio & con-
tentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.
Quæ autem è ſupernis eſt ſapientia, primũ qui-
dem caſta eſt, deinde pacifica, modeſta, tractabi-
lis. Hæc Iacobus.
Ecce vides optime lector, quòd ſi Lutherus *Sapientia*
è cœlo ſuam haberet ſapientiam, eſſet caſtus cõ- *Lutheri non*
uerſatione manſuetus, & pacificus, modeſtusq; *eſt è cœlo.*
& tra-

& tractabilis, expers item æmulationis, contentionis, & omnis amarulentiæ. Quamobrem cum ille contrà prætergreſſus omnem modeſtiam ita furiat, inſaniat, debacchetur in omnes qui ſuis peruerſiſsimis hæreſibus aduerſantur, manifeſtum eſt eum non è cœlo cuncta ſua hauſiſſe dogmata, ſed à Satana potius (aduerſus quem ſe triumphaſſe iactitat) afflatum eſſe. Cæterum ad reliqua iam transeamus, quibus adhuc euidentius apparebit neutrum horum verum eſſe, hoc eſt, vel è cœlo veniſſe Lutheri dogmata, vel eum de Satana triumphaſſe.

Apologiam item inanem, qua vitia quædam inſignia tegere laborat.

CAP. II.

I. SEcundo loco Lutherus apertiſsima quædam ſua vitia tegere conatur, & de duobus in primis nititur ſe purgare, de quibus Rex illuſtriſsimus illum taxauit obiter. Altero, quòd erat ſibi contrarius. Altero, quòd conuiciis inſectatus fuiſſet Pontificem. Sed attende lector quãta verſutia rem ſuam agit verſipellis iſte. Nam cum omnino male habet, quòd hæc duo ſibi fuerint obiecta, cum ex iſto plane conſequatur victum potius a dæmone Lutherum, quàm de dæmone triumphaſſe. Ex illo quoque conficitur, quòd e cœlo nequaquam fuerint illius dogmata: In his duobus itaque amoliendis, multa verboſitate gannit & garrit Lutherus, quanquam profecerit nihil, vt poſtea fiet perſpicuum.

Luth. fruſtra molitur ſeſe purgare de vitiis ſibi obiectis.

II. Sed miraberis forte lector, cur tam enixe argumentis ſuam incõſtantiam purgare ſtuduerit. Nimirum, quòd doloſa vulpes perſpiciat, id vitium haud mediocriter apud omnes authoritatem ſibi detracturum. Nam cum inconſtantia cuiuis magiſtro turpis ſit, ei cum primis qui ſua dogmata iactitat habere ſe de cœlo, non ſolum turpis eſt, verumetiam probroſa, pudendaque, ſed & fidem cæterorum prorſus abrogat dogmatũ. Nam qui dicit omnia ſua dogmata ſe habere de cœlo, cum primum vel in minimo fuerit mendacio deprehenſus, nullam in cæteris meretur fidem. Et profectò Lutherus in ſeipſum ſententiam imprudens tulit, cum Regi pridem ſic obiecerit.

Lutherus inconſtantiæ timet argui.

Luth. proprio enſe iugulatur.

» Curandum eſt (inquit) aduerſus hæreſes ſcri-
» pturo, vt ne ſuſpicio falſi in eo deprehẽdi poſſit.
» Nunc ergo cum ſeſe totum inuoluat mendaciis,
» quis credat vlli parti ſcriptionis eius? Hæc Lu-
» therus aduerſus Regem.

Sed referemus hoc ipſum longè facilius in Lutherum. Nam ſi tantopere curandum ei ſit, qui contra hæreticum ſcribit, ne quicquam in ſe falſi deprehendi poſſit, multo magis id ipſi curandum eſt, qui iactitat omnia ſua dogmata ſe habere de cœlo: quoniam ſi vel vnum in eo mendacium deprehendatur, id ſatis fuerit ad cætera cuncta quæ docet, penitus explodenda. Cæterum quàm immunis à mendacio Rex illuſtriſsimus fuerit, quantiſque contrà Lutherus mendaciis ſeipſum inuoluerit, ex dicendis erit apertiſsimum.

Sed primum obſerua Candide lector, quibus technis hic Lutherus vtatur. Inſimulat Regem illuſtriſsimum, exemplum nullum attuliſſe, quo Lutherana conuinceretur inconſtantia. Sic enim ait; III.

Nec vnum quidem locum profert ſaltem ex- «
empli gratia, quo meam inconſtantiam conuin- «
cat. Solũ rhetoricatur glorioſus rex, hoc modo, «
Lutherus ſibi pugnat, quis ei credat? Sic dixiſſe «
ſatis fuit nouo defenſori eccleſiæ. Hæc ille. «

Cæterum vt perſpicias hic lector, non modo Lutheri ſtropham, verumetiam apertiſsimum eius mendacium, ipſius illuſtriſsimi Regis verba ſubiiciam, quibus ipſe, cum de indulgentiis loqueretur, Lutherum breuiſsime perſtrinxit, velut inconſtantem, & ſibimetipſi contrarium. Sic enim ſcripſit.

Ante faſſus eſt Lutherus indulgentias hactenus ſaltem valere, vt præter culpam etiam à pœnis abſoluerent, quaſcunque videlicet vel eccleſia ſtatuerat, vel ſuus cuique ſacerdos iniunxerat. Nunc vero non eruditione (vt ipſe inquit) ſed malitia tantum profecit, vt ſibiipſi cõtrarius indulgentias in vniuerſum condemnet.

Exempla regis de inconſtantia Lutheri.

Ecce lector exemplum viuum quod Rex ipſe protulit, quo perſpicue docetur Lutherum ſibi contrarium eſſe.

Adhuc alterũ accipe. Prius Papatum Lutherus negauerat eſſe diuini iuris, quanquam humani fuiſſe cõceſſerat. Nunc verò ſecum diſsidens, neutrius iuris eſſe confirmat.

Accipe rurſus tertium. Bohemorũ ſchiſma deteſtabatur, quòd ſe ab obedientia Romanæ ſedis abſcinderent, pronuncians eos peccare damnabiliter quicunq; Papæ nõ obtemperarent. Nunc in idem quod tum deteſtabatur, incidit.

Audi præter hæc & quartum. Quin iſtud quoque ſimilis eſt conſtantiæ, quòd cum in concione quadam ad populum, excommunicationem doceat eſſe medicinam, & obedienter patienterque ferendam, paulò pòſt excommunicatus ipſe, idque meritiſsimo iure, ſententiam tamen tam impotenter tulit, vt rabie quadam furibundus in contumelias, conuicia & blaſphemias, ſupra quàm vllæ poſsint aures ferre, proruperit. En audiſti lector quatuor exempla ſimul vno loco prolata, cum tamen Lutherus mendaciter aſſerat nec vnum quidem exemplum Regem protuliſſe. Sed neque tam breuibus eum Rex taxauit, atque Lutherus recenſuit. Sic enim regia celſitudo; Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipſe ſecum? Quid argumentis promoueam, ſi cum eo agam, vt donet quod ante negauit, qui nunc idipſum negat, quod ante donauerat? Hæc ipſe Rex. Vides ergo lector bis hoc vno loco mendacem eſſe Lutherum, ſemel, quòd negauerit regem exemplum aliquod inconſtantiæ ſuę protuliſſe: atque iterum, quòd falſò recenſuerit, ac vim argumentationis regiæ fraudulenter ſubticuerit, affirmans regem nihil aliud dixiſſe, quàm

Bis Lutherum in eodem mendax eſt.

quàm hoc modo, Lutherus ſibi pugnat; quis ei credat? Et ſubdit. Sic dixiſſe ſatis fuit nouo defenſori eccleſiæ, O perfrictæ frontis hominem, quem nihil pudet tam aperte mentiri. Ex hoc etiam collige lector, quod ipſe totus libellus mendaciis ſcateat, cum hoc vno loco bis mendax eſſe deprehendatur. Patet inſuper non vno ſolum exemplo, ſed pluribus per ipſum regem productis Lutherum ſibi contrarium eſſe:

IIII. *Luth. abſque controuerſia ſecū pugnat.*

Hic optarim, pij lectores ad memoriam reducerent, quàm conſtanter Lutherus olim, cū ſua dogmata cœperat publicare, proteſtatus eſſet.

Proteſtor (inquit) me nihil dicere, aut tenere
" velle, niſi quod in & ex ſacris literis primò, dein-
" de eccleſiaſticis patribus ab eccleſia Romana re-
" ceptis hūc vſque ſeruatis, & ex canonibus, ac de-
" cretalibus pontificiis habetur, & haberi poteſt.
" Sic enim olim proteſtabatur, nunc autē quid?
" Conteſtatos (inquit) eſſe vos volo, me pror-
" ſus nullius quantumlibet ſancti patris authorita-
" te cogi velle.

Hoc quantum ad patres. De canonibus verò & decretalibus epiſtolis quid ſentiat, apertiſsimum eſt vel inde, quòd eas igni tradiderit. Sed neq; ſacras literas admittit, niſi tantum eas, quas pro ſua vaſtricie perperam inuertere queat. Nam epiſtolam Iacobi, quam nullo modo poteſt in ſuam hæreſim adaptare, recipiendam haudquaquam ducit. O dementiam intolerabilem. Epiſtola Iacobi, quam eccleſia tot annos vt vere catholicam venerata eſt, non fuit è cœlo: at peſtifera Lutheri dogmata tot mendaciis referta certum eſt è cœlo manaſſe? Ecce vides lector optime, Lutherum tam à ſeipſo quàm à ſcripturis diſsidere. A ſeipſo, quia quod proteſtatus eſt, minime ſeruat. A ſcripturis, quoniam epiſtolam Diui Iacobi ſuis hæreſibus palàm repugnantem neutiquam admittit.

quare Lutherus reiiciat epiſtolam B. Iacobi.

Regis verba.

Rex ergo vehementer Lutherum perſtrinxit dicens: Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipſe ſecum? Quid argumentis promoueam, ſi cum eo agam, qui nunc idipſum negat, quod ante donauerat? Num non indulgentias aliquouſq; validas fuiſſe primum fatebatur, quod poſtea negauit? & Leonem decimum an non multis antea laudibus extulit, mox poſtea vocat impoſtorem, & mille malis nominibus denigrare molitur? Antea ſe, patres omnes ab eccleſia Romana receptos, admiſſurū proteſtabatur, nūc prorſus reiicit. Pridem ſe canonibus & decretalibus epiſtolis pariturum pollicebatur, nunc omnino recuſat. An non hæc omnia inter ſe repugnant? Veraciſsimus itaque rex repertus eſt, qui Lutherum vt ſuis propriis decretis contrarium coarguit. At Lutherus è regione bis etiam & hoc loco mendax erit. Semel, quòd in altero contradictoriorum quæ viciſsim docuit ac ſpopondit, non potuit non eſſe mendax: atq; rurſum, quod negarit ſeipſum in vllo fuiſſe mendacem.

Lutherus bis mendacij conuictus.

V.

Sed habet hæc vulpes multa latibula, diuerticulaq; multa. Vide quo iam diuerticulo ſubterfugium parauit ſibi. Metuit ne forte lector mendacem illum eſſet deprehenſurus, aut putaret ex hoc ſe ſibi contrarium eſſe: atq; ideo duo rerum genera diſtinguit de quibus ipſe ſe ſcripſiſſe memorat.

Diſtinctio rerū de quibus Lutherus ſcribit.

Alterum de iis quæ in ſacris literis con- "
tinentur, nempe de fide, de charitate, de ſpe, de "
operibus, de paſsionibus, de cœlo, de inferno, "
de pœnitentia, de cœna dominica, de peccatis, "
de lege, de morte, de Chriſto, de Deo, de libero "
arbitrio, de gratia, de baptiſmo, & iis ſimilibus. "
Alterum de iis quæ extra ſcripturam habentur, "
vtpote de Papatu, de Doctoribus, de purgato- "
rio, de Academiis, de Epiſcopis idolis, de cultu "
ſanctorum, de conciliorum decretis, de indul- "
gentiis, atque cæteris id genus. At hic aduerte quam technam ſtruat. Quid enim attinet hoc loco tot commemoraſſe titulos, cum de illo tantum obiiciatur quod poſtremo poſitū eſt? Quid enim ſi in cæteris omnibus conſtet ſecum Lutherus, modò fuerit in hoc poſtremo deprehenſus à ſe diſsidere? Nunquid non iſtud ſatis eſt vt ſibi contrarius eſſe conuincatur? Omnino. Sed dolos meditatur vulpes iſta. Sperat enim hac rerum vniuerſitate ſic obruere lectoris mentem, vt ad rem de qua diſceptatio ſit, nequaquam attendatur.

VI. *De indulgentiis contradictoria aſſeruit Lutherus.*

De indulgentiis (vt audiſti lector) Rex Lutherum taxauit, vtpote ſibiipſi repugnantem. atque id quidem propterea, quod eas, quantum ad pœnas, quas vel priores patres præfixerant, vel proprius cuique ſacerdos iniunxerat, prius fatebatur aliquouſq; valere: nunc autem aſſerat eſſe penitus inualidas. An non iſta planè contradicunt? Quæ (precor) magis è diametro pugnant, quàm valere, & non valere? Certum eſt vtrumque dogma nequaquam è cœlo manaſſe. Et tamē impudēter affirmat Lutherus omnia ſua dogmata ſe habere de cœlo. Sed neque tergiuerſari poteſt, quin & hoc & illud affirmarit aliquando, atque id citra quàm à maligno ſpiritu cœpiſſet afflari, hoc eſt citra quàm hæreſim inſtituiſſet ſuam. Quamobrem ſi ſpiritus ſuus eum in priori fefellit, cur non potuit identidem in poſteriori fallere? potuit haud dubie. Neque enim ſuper hoc poſteriori maiorem è cœlo certitudinem, quàm ſuper priori ſuſcepit. In vtroque ſanè fallaciſsimam ſui ſpiritus coniecturam ſecutus eſt.

A Satana deceptus eſt Lutherus.

Nam quicquid ſibi viſum fuerit nec argumentis, nec ſcripturis improbari poſſe, tametſi falſiſsimum ſit, hoc tamen ſibi perſuadet è cœlo dilapſum eſſe. Quapropter neque poteſt conſtare ſecum, neque non ſæpius aſſerere mendacia, cum humana coniectura mutari creberrime ſolet, vt quod hodie verum eſſe cenſeat, cras diiudicet eſſe falſum. Cæterum vt intelligas hunc morem Lutherum fuiſſe ſecutum, nunc euidentiam eius rei clariſsimam accipe. Fatetur enim in exordio Babylonicæ captiuitatis, quam ipſe commentus eſt, ſe beneficio Sylueſtri nouum de indulgentiis intellectum concepiſſe. Sic enim ait. Velim nolim cogor indies eruditior fieri, tot tantiſq; magiſtris me certatim vrgentibus & exercentibus. De indulgentiis ante ſcripſi, ſed ſic vt me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Nam poſtea beneficio Sylueſtri ac fratrum adiutus,

Lutherus ab hominibus didicit.

Lutherus.

qui

qui ſtrenue illas tutati ſunt, intellexi eas aliud nō eſſe quàm meras adulatorum Romanorum impoſturas. Hæc Lutherus. An non his verbis palàm indicat eo ſe de indulgētiis opinionem mutaſſe, quod Sylueſter eas tam frigidæ tutabatur? Ita quicquid Lutherus vel conuiciis, vel ingenij prauitate, aut ſcripturis per vim contortis poſſit à modeſtioribus ingeniis euincere, hoc ſibi pro cœleſti dogmate firmum habet. Cæterùm an è cœlo profluxerint ea dogmata, viderint alij: ego certè, vel ab humano, vel à maligno ſpiritu profecta potius eſſe non dubito. Tales enim è corde ſuo non è cœlo prophetant, ad quos Ezechiel dicit: Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſerto prophetæ tui Iſrael erant. Indicent igitur alij num non rectè Lutherum qui vel ſuum vel malignum ſpiritum ſequitur, vulpem appellauerimus: cum hic Ezechiel eiuſmodi prophetas vulpes vocet.

Ezech. 13.

Lutherus rectè vulpes nuncupatur.

Epilogus.

Mihi verò iam ſatis eſt monſtraſſe, parum ſibi congruere duo iſta dogmata, hoc eſt indulgentias aliquouſque prodeſſe, & eaſdem nihil omnino prodeſſe. Similiter & cum quiſquis iſta docuerit, nequaquam ſibi conſtare, ſed plane contrarium eſſe: ac proinde non habere cuncta ſua dogmata è cœlo.

VII.

Contrarietas dogmatum quæ cenſeatur.

Sed aliam adhuc aſtutiam habet doloſa vulpes iſta. Contendit enim contraria non eſſe dogmata, niſi quæ quis eodem tempore ſimul aſſeruerit, neutrumque reuocauerit penitus. Sed neque ſinemus eam in hoc latibulo deliteſcere. Nam etſi reuocarit opinionem quam pridem aſſeruit, num ob id non falſa eſt quam reuocauit, & prorſus ei contraria quam iam tenet? Neque enim ſi quis iſta quæ de indulgentiis diximus, non eodem tempore protulerit, eo minus erant contraria, quandoquidem in ipſis indulgentiis nulla ſit interim facta mutatio, ſed in eius cerebro duntaxat, quem certè conſtat in alterutro palàm aberraſſe. Neceſſe eſt enim vt in altero falſum & errorem docuerit. At quod falſum & error eſt, è cœlo palàm eſt non fuiſſe. Sed adhuc vulpes iſta non ceſſat noua ſubterfugia quærere. Paulus (inquit) mutauit ſententiam ſuam, nimirum quando ſtercora vocauit ea quæ pridem ſibi lucra viſa fuerant. Quare & damnabimus ita Pauli epiſtolas vniuerſas. Hoc Lutherus, & hac defenſione ſe tutum opinatur, quo poſſet viciſſim contradictoria dicere ſine contrarietate & quauis inconſtantia. Sed iſtinc facilè belluam hanc extrudemus hac ratione. Si Paulus alicubi in epiſtolis ſuis approbaſſet ea ſtercora, & eadem poſtea reprobaſſet, nemini dubium eſt quin fuiſſet ſibiipſi contrarius, ſuſpectaſque reddidiſſet cæteras omnes à ſe conſcriptas epiſtolas, ne putarentur è cœlo manaſſe. Sed hæc haud dubie quæ iam ſibi ſtercora videri dixerat, non citra id temporis quàm à Chriſto fuerat vocatus, neque citra quàm afflatus erat à ſpiritu, cenſuit eſſe lucra. Verum Lutherus citra quàm ſuam hæreſim inſtituit, vtrumque ſcripſit editis libellis, hoc eſt, tam indulgentias aliquatenus valere, & eaſdem nihil omnino valere. Quamobrem non modo conuincitur ſibi eſſe contrarius, verumetiam proinde cætera quæ ſcripſit, manifeſtarè cœlo nequaquam eſſe. At habet adhuc Lutherus & aliud diuerticulum. Damnabimus (inquit) & Auguſtinū, qui ſingulari libro multa retractauit, & longè contraria primis docuit.

Paulus non contrariatur ſibiipſi.

Sed neque iſtud Lutheri propugnat errorem. Nemo negat quin licuerit Auguſtino, ſua quæ pridem haud rectè docuiſſet, poſſe reuocare. Licebit item Luthero, ſi voluerit, omnes hæreſes reuocare, quas hactenus docuerit. Sed vt Auguſtini reuocatio non effecit, quin ea quæ prius aſſeruit, planè repugnarent his quæ poſtea affirmabat, ita nec Lutheri reuocatio poterit eum à contrarietate & inconſtantia penitus excuſare. Sed neque Auguſtinus vnquam vſque adeo fuerat impudens aut arrogans, vt vel aſſereret ſe cuncta ſua dogmata è cœlo ſuſcepiſſe, vel contenderet non eſſe contraria, quæ variis ipſe temporibus fuiſſet opinatus. Ecce nihil egit vulpes iſta ſtrophis ſuis: prorſus media tenetur, neque quoquam effugiet. Non elabetur niſi prius conceſſerit ſe quædam docuiſſe, quæ ſibi pugnantia planeque contraria ſint, & proinde non omnia dogmata ſe habere è cœlo, cum neceſſe fuerit alterum eorum eſſe falſum: cuiuſmodi nihil è cœlo promanat.

Auguſtinus ea retractauit, quæ malè docuerat.

Auguſtinus non excuſauit ſua dogmata contrarietatis.

VIII.

Sed attende quò iam vulpe ſcallida ſubterfugere moliatur. Subdole conatur diſputationem in aliud genus cauſæ transferre. Negat enim ſe ſibi contrarium fuiſſe in his quæ ad ſacras literas pertineant, hoc eſt in illis quæ ſpectant ad primum genus rerum de quibus antè longum catalogum contexuit. At iſtud Rex ei nequaquam obiecit. Neque enim hoc loco dixit eum quantum ad fidem, aut ſpem, aut charitatē fuiſſe contrarium ſibi, ſed indulgentias nominatim expreſſit, nimirum quòd eas pridem approbans, poſteà penitus reprobauit. Neque iam in quæſtione eſt, an Lutherus in his quæ ad ſacras literas pertinent, fuerit ſibi contrarius, ſed an in quibuslibet indiſcriminatim ſcripſerit contraria. Scripſiſſe autem contraria Lutherum Rex euicit. Atque id ſatis eſt quantum ad præſentē diſputationem attinet. Sed & dogma de indulgentiis, tametſi falſa Lutheri opinione nō ſpectat ad ſacras literas, noſtra tamen & communi totius eccleſiæ ſententia planè ſcripturis nititur. Nos enim nihil ambigimus indulgentias ex Chriſti pollicitatione ſuam vim habere. Certum eſt enim haud fruſtra Petro dixiſſe Chriſtum: Quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quæ verba tam aperta ſunt totius eccleſiæ ſententia, vt nulla poſſit in iis fieri tergiuerſatio. Si monſtrare Lutherus ex aliis queat ſcripturis, Chriſtum aut hoc non dixiſſe, aut ſi dixerit, non tamen ita ſenſiſſe, tum aliquanto iuſtius aſſeret nihil prodeſſe indulgentias. Sed neutrum vnquam faciet. vſque adeo ſunt huius pollicitationis clariſſima verba, vt nulla prorſus in aliquo verbulo vel obſcuritas ſit, vel ambiguitas. Neque dubitamus quin

Indulgentiæ nituntur diuinis literis.

Matth. 16.

eadem poteſtas quæ tunc collata Petro fuerat, iam ſucceſſori Petri ſit integrè conſeruata, quando non pro illis duntaxat, qui tum fuerant, iſtud promiſerit Chriſtus, ſed pro tota Chriſtianorum ſucceſſione. At Lutherus contendit hanc pollicitationem omnibus Apoſtolis & toti prorſus eccleſiæ fuiſſe factam.

Chriſtus non dedit paſſim omnibus ligandi facultatem.

Sed hoc Lutheri proprium dogma eſt, non Chriſti. Ego iſtud nuſquam in Euangeliis reperio. Lego palàm in iis dictum fuiſſe Petro, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quòd ſi negat Lutherus iſtud Petro fuiſſe dictum, probet quod negat, atque id ex ſcripturis, quemadmodum vrget vt nos probemus noſtra. Turpe nimirum erit ei, toties obiicere nobis, quòd abſq; probatione multa frequenter aſſerimus, cum eodem ipſe laboret vitio. Aſſerit vbiq; ſcripturas apertiſſimas eſſe, & eaſdem iuxta meram grammaticã intelligi debere. Quamobrem, cum nullus grammaticus alio quouis pacto ſcripturam hanc torquere poſſit, niſi quòd Petrus pro ſuo potuiſſet arbitrio quicquid ſibi viſum

Matth. 18.

eſſet ſoluere, & quicquid ipſe ſic ſoluiſſet, idem & in cœlis foret ſolutum: non video cur iſtud non debeat ab omnibus verè credi. Nec inficiamur quin ſimilia verba cæteris fuiſſent Apoſtolis à Chriſto pronunciata: veruntamen ea non mediocrem ab iis diſcrepantiam, vt alibi docuimus, præ ſe ferunt.

IX. At Lutherus adhuc contendit nihil prorſus in peccatore relinqui poſt cuiuslibet ſacerdotis abſolutionem, quod Pontifex deleat. Sed iſtud eum identidem oportet probare.

Poſt abſolutionẽ remanet reatus pœnæ temporalis.

Nos vtique nonnihil relinqui credimus, quod niſi fuerit in hac vita prius vel deletum vel expurgatũ, id purgatoriis ignibus tandem expiandum eſt. Et profectò nimis quàm ſtultus erit, qui prætermiſſis indulgentiarum ſalutaribus remediis velit in re tam ſeria, Lutheri nudis aſſertionibus credere.

Conſultiſſimum eſt indulgentias quærere.

Nam ſi iuxta fidem eccleſiæ receperit quiſpiã indulgentias, inde nullum ſibi periculũ imminet, neq; damni quicquam ex ea re patietur. At ſi prætermiſſis illis quidpiam in eius animo purgandum remanſerit, iſtud ſaltem incommodum ſuſtinebit, quòd ignium illorum cruciatus ab introitu in cœlum tamdiu remorabitur, quoadusq; plena cõſummataq; facta fuerit expiatio. Quamobrem & præter obſtinatam animi duritiem, etiam aperta ſtultitia eſt indulgentias omnino cõtemnere. Nam eſto fuerint indulgentiæ prorſus inutiles, nemo tamen eos in altera vita ridebit, qui iam Chriſti verbis digne crediderint.

Veterum authoritate comprobatur quippiã peccati poſt abſolutionem remanere.

Quòd ſi contra reperientur vtiles, an non earum exploſores tum merito ridebuntur, ſimul & contemptus ſui pœnas luent? Quòd etiã aliquid peccati relinquatur abſolutione iam facta, Lutherus negare nõ poteſt, ſed dicet omnem pœnam peccato debitam prorſus condonari, vt nihil poſtea ſit opus vllis indulgentiis. At iſtud neque vllis probare ſcripturis poteſt, neque id vllus patrum ante Lutherum auſus fuit vnquam aſſerere, præſertim ex his qui purgatorium affirmarint. quæ ſola res auertere debet omnium animos, ne Luthero fidant.

Sed & nos præter ſententias patrum, ex ipſis ſcripturis multa citauimus, quibus dilucidũ eſt, abſolutos à culpa manere adhuc pœnę cuidã obnoxios. At eſto, verum ſit quod Lutherus pollicetur, per ſacerdotis cuiuslibet abſolutionem ſimul & pœnæ debitum eſſe deletum penitus: an non tutius eſt peccatori, propter ſententias patrum, qui negant omnẽ pœnam tolli, indulgentias ſuſcipere, quàm eas vſque adeo temere contemnere cum Luthero? Si Lutherus cõtenderet nonnihil pœnæ debitæ manere poſt abſolutionem ſacerdotis, & idipſum per indulgentias deleri non poſſe, tum certè rectius potuiſſet aſſerere Pontificem ſtudio fallendæ plebis indulgentias excogitaſſe. At nunc, cum ſingulo cuique ſacerdoti tantum tribuat poteſtatis, vt omnem penitus delere pœnam poſſit, id quod ex ſcripturis probare nunquam poterit, quid habet in quo Pontificem accuſet, qui cum non ſolum ex priorum patrum ſententiis, verumetiam ex ſcripturis credat poſt deletam culpam nonnihil pœnæ debitæ manere, per eiuſmodi veniam pollicetur, & pœnæ iſtius debitæ ſolutionem?

Papa innixus ſcriptura ſacra, largitur indulgentias.

Tantundem enim ex vnica Lutherus abſolutione pollicetur, atque id ſine ſcripturis & patrum teſtimoniis, quantum Pontifex ex duabus, neque ſolis patrum teſtimoniis, verumetiam ſcripturis innixus apertiſſimis. Sed iam reuertamur vnde ſumus digreſſi.

Lutherus citra quàm hæreſim erigere ſuam aduerſus eccleſiam eſt conatus, indulgentias aliquouſque profuturas docuit, & eaſdem poſtea docuit nihil profuturas. Ergo & in hoc dogmate ſibi contrarius & inconſtans habendus eſt: nec vtrunque credi poteſt è cœlo manaſſe. Hunc laqueum non reſcindet vulpes. X.

Intentio authoris.

Cæterum quia tam perfricta fronte negat in prioris generis rebus ſua dogmata pugnare, quàm apertè mentiatur, iam oſtendere conabimur.

Sed primum in ſumma, quis non videt illum in hac re latiſſimũ diſputandi campum nobis obtuliſſe? Nam cum ſua dogmata (quantum ad has res attinet) nihil aliud eſſe fateatur quàm Chriſti dogmata, iam quoties illum oſtendemus à Chriſti dogmatibus diſſidere, protinus conſequetur & illum ſibi toties contrarium eſſe. At illud ferè fit in omnibus eius articulis per Leonem decimum condemnatis: quod & ei perſpicuum fore non dubitamus, qui noſtram ſuper eiſdem confutationem aliquando ſit lecturus. Cæterum & ſpeciatim in aliquot illius dogmatibus age iam oſtendamus.

Rationes quibus Lutherus probare nititur vix vnum reperiri qui fidẽ habeat.

Primùm, an non iſta palàm pugnantia ſunt? nempe vix vnus quiſpiam Chriſtianus fidem habet, & omnes Chriſtiani fidem habent? At iſta planè ſequuntur ex dogmatibus Lutheri de fide. Sic enim in libello de fide & operibus docet. Fides eſſe nullo modo poteſt,
niſi ſit viuax quædam & indubitata opinio, qua 1.
homo certus eſt ſuper omnem certitudinem, ſe placere Deo. At quis hominum certus eſt ſuper omnem certitudinẽ ſeſe placere Deo? Et maximè

cum

cum alibi Lutherus affirmet neminem certum eſſe ſe non peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium. At quiſquis dubitat an peccet mortaliter, non eſt certus ſuper omnem certitudinem ſe placere Deo. Nam qui peccat mortaliter, is gratia caret. At qui gratia caret, nõ placet Deo. Nemo ergo qui dubitat an peccet mortaliter, certus eſſe poteſt ſuper omnem certitudinem ſe placere Deo. Quare ſi fides, vt Lutherus affirmat, nullo modo eſſe poteſt, niſi ſit viuax & indubitata opinio qua homo certus eſt ſuper omnem certitudinem ſe placere Deo, nemo fidem habet, niſi forte cuipiam reuelatum fuerit ſe gratiam habere, & carere mortali peccato, ſeque ita Deo placere. Quod, opinor, non niſi pauciſſimis contigit.

II. Similiter in libello de Chriſtiana libertate docet, quòd qui fidem habet, per eam liber eſt ab omni lege, & ex mera libertate omnia gratuitò facit quæcunque facit, nihil quærens aut commodi, aut ſalutis (cum iam ſatur & ſaluus ſit gratia Dei ex fide ſua) ſed ſolum beneplacitum Dei. Hæc ille.

Quot mihi dabit Lutherus ex toto Chriſtianorum cœtu, qui faciunt omnia gratuitò, & qui ſolum Dei beneplacitum ſibi proponunt, nihil præter ipſum quærentes aut commodi, aut ſalutis? Quare ſi ſoli tales fidem habeant, iam rariſſimus eſt qui fide potiatur.

III. Rurſum in eodem libello tradit, quòd qui fidem habet, is in omnibus operibus ſuis ea debet eſſe formatus opinione, & huc ſolum ſpectare, vt aliis ſeruiat & proſit in omnibus quæcunque fecerit, nihil ante oculos habens niſi neceſſitatem & cõmoditatem proximi. Profectò ſi verum iſtud ſit, pauciſſimi ſunt qui fidem habent. Vix enim quiſquam reperitur, qui in omnibus operibus ſuis eò ſolum ſpectat, vt in cunctis quæ facit, ſeruiat & proſit aliis, nihil ante oculos habens præter neceſſitatem & commoditatem proximi.

IIII. In reſolutionibus item aduerſus Eckium ſic aſſerit: Cum fides ſit recta & bona opinio de Deo, opinio autem quælibet per ſe ſolam trahit in opera, non eſt dubitandum quin omnia opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris non ſinit eſſe ocioſum, ſed ſine lege & magiſtro facit plura quàm poſtuletur, quomodo non fides multo magis idem præſtet? Hæc Lutherus.

Et ex hoc vides lector, quòd vix aliquis eſt, qui fidem habeat, cum vix quiſquam ſit qui tanto ardore quæ Deo placitura ſint opera omnia faciat, quanto vir quiſpiam amore captus mulierculæ.

Præter hæc, inter articulos articulo duodecimo ſic ait Lutherus: Dixi per impoſſibile, quia ſatis ſupradictum eſt fidem ſine contritione eſſe non poſſe, cum gratia non infundatur niſi cum magna concuſſione animæ.

Intelligis ex hoc lector non infundi gratiam abſque magna animi concuſſione, neque fidem ſine cõtritione eſſe poſſe. Quamobtem vbi non eſt magna animi concuſſio, & vera contritio, nec gratia poterit eſſe, neque fides. At quot quæſo Chriſtianorum magnam iſtam animi concuſſionem ſentiunt, aut ſi pridem ſenſerint, non poſt id peccarint mortaliter, nec citra id temporis nouam aliam ſenſerint concuſſionẽ? Quamobtem & rariſſimus erit qui fidem habet. Ex his ergo dilucidũ (opinor) eſt, quòd iuxta Lutheri dogmata vix vnus aut alter ſit qui fidem habeat.

Quare iam ex dogmatibus eius etiam alterum oſtendamus, nempe quòd vix quiſquã ſit nominis Chriſtiani qui non habuerit fidem. Inter acta ſua ſic diffinit fidem: Fides autem nihil aliud eſt quàm illud credere quod Deus promittit aut dicit. Ecce lector, ſi fides non ſit aliud quàm Dei promiſſa dictaque credere, quis Chriſtianorum (qui credit verum eſſe quicquid in vtroq; teſtamento continetur) nõ habebit fidem, quantumuis alioqui peſſimus fuerit & ſceleratus? XI.

Hic quinque rationibus probatur vix quenquam reperiri ſecundum Lutherum, qui non habeat fidem.

Adde, quod vbiq; clamat, opera nec ad fidem nec iuſtificationem exigi debere. Quamobtem ſi neutiquam ad iuſtificationem exigantur opera, quemadmodũ aſſerit Lutherus, quid facilius erit quàm credere? Nam in opere ferme tota difficultas eſt. Audit iſta miſer populus, & facilè credunt Luthero, ſe fidẽ habere, tametſi nihil operentur.

Ad hæc ſub articulo 14. fidem affirmat in corde certiſſimè ſentiri poſſe, ſi quis eam habeat. Quis iſtud audiens ex populo non perſuadet ſibi ſe fidem habere, protinus vt in ſuo corde comperit ſe credendis aſſentire? Nam quis aliter deprehendet in corde ſuo ſe fidem habere, niſi per aſſenſum mentis, quem illic dum ſeipſum examinat, experitur?

His accedit, quòd articulo 15. dicit, nihil oportere eos qui ad Euchariſtiæ ſacramentum accedunt, orationes & præparatoria præmittere, ſed ſatis eſſe ſi credant ſe gratiam ibi conſecuturos: quæ ſola fides eos (vt ait) dignos & puros facit. Quis iam ex iis verbis non ſufficere ſibi putabit vt Euchariſtiam recipiat, modò gratiam credat ex ea ſe conſequi poſſe?

Rurſum in captiuitate Babylonica tale producit exemplum. Si cuiquam mendico, aut etiam indigno & malo ſeruo, legaret ditiſſimus Dominus mille aureos, certè cum fiducia eos poſtularet & acciperet, nec indignitatis ſuæ, nec magnitudinis teſtamenti habita ratione. Quòd ſi quis ei reſiſtens, obiiceret indignitatem ſuam, & magnitudinem teſtamenti, quid putas dicturus eſt? Scilicet, quid ad te? non ego merito meo, nec iure vllo proprio accipio, quod accipio. Scio me indignum, & maiora accipere quàm merui, imò cõtraria merui, ſed iure teſtamenti & alienæ bonitatis peto, quod peto. Si illi non fuit indignum, tanta, & tam indigno legare, cur ego propter indignitatem meam contemnam accipere? Hactenus ipſe Lutherus.

Et hic clare vides lector, ſenſiſſe Lutherum, neminem ab Euchariſtia debere abſtinere, qui credit eam legatam eſſe peccatoribus. Et quid facilius quàm iſtud credere, modo nõ deſit pſeudoapoſtolus quiſpiam, qui contra Pauli ſententiam populum inſtruat bane ſufficere fidem, cum

Corint. 11. tamen ipſe Paulus doceat oportere accedentem prius probare ſeipſum, ac deinde probatum accedere, quin & plectendum affirmet indigne accedentem. Lutherus contra contendit audacter ſufficere fidem, ſimul & eum, quiſquis credit, aſſerit ſatis idoneum eſſe, qui ſumat Eucharistiam.

Credit autem quiſque, cum Lutherus velit: & rurſum cum nolit Lutherus, nemo credit. Hæc nimirum eſt eius plus quàm vulpina fraudulẽtia, qua fit vt quicquid oppoſueris, teneri nequeat, ſed aliquo ſemper effugiat diuerticulo. Propter quod vti vides lector, duplicem Lutherus excogitauit fidei rationem. *Fidei ratio duplex ſecũdum Lutherum.* Alterã qua rudem populum ſibi doloſe conciliet, nempe quòd fides nihil eſt aliud, quàm illud credere quod Deus promittit & dicit: quam fidem vix quiſquam è Chriſtianis eſt, qui ſe non putet habere. Alterã, qua ſe tueatur à Doctoribus, hãc videlicet qua dicit, quòd fides eſſe nullo modo poteſt, niſi ſit viuax quædã & indubitata opinio, qua homo certus eſt ſuper omnem certitudinem ſeſe placere Deo. Et iuxta hanc veriſſimũ eſt, quòd hæc ſola ſufficit ad Euchariſtiæ ſumptionem abſque alia quauis animi præparatione. Nam qui certus eſt ſuper omnem certitudinẽ ſeſe placere Deo, quid prohibet hũc quoties velit Euchariſtiam ſumere? Sed iam populus miſere fallitur qui longiſſime remotus eſt ab hac fide, niſi forte cuipiam ex iis fuerit ita perſuaſum, quòd tanta ſit benignitas Dei, vt nemo Chriſtianus vel in flagitiis ſuis poſſit diſplicere Deo, quod & impiiſſimũ eſt credere. *Luth decipit vulgus.* Cæterum, vt ita ſit inſtitutus quiſpiam, quòd per viuacem quandam indubitatam opinionem certus ſit ſuper omnem certitudinem ſe placere Deo, rariſſimum eſt, nec citra reuelationem vix fieri poteſt. Secundum aliam tamen fidei rationem, quiuis Chriſtianorum facilè opinabitur ſe veram habere fidem, cum ſentiat ſe credere cuncta vera eſſe quæ promiſerit & dixerit Deus. Atque ita citra quamuis aliam præparationem, videbitur ſibi ſatis idoneus, qui ad ſacroſanctum Chriſti corpus accedat. *Concluditur inconſtantia & repugnantia Luth.* Perſpicuum igitur eſſe cunctis opinor, quàm lubricus, quàm inconſtans, quàm denique ſibi contrarius ſit Lutherus in his dogmatibus quæ de fide ſunt. Nam ſi non ſit aliud fides, quàm credere quicquid promittit & dicit Deus, quiſquis ita credit, fidem habet. Et idem ſi non ſit certus ſupra omnem certitudinem ſe Deo placere, non habet fidem, cum iuxta Lutherum, nullo modo fides ſit niſi fuerit viuax quædam & indubitata opinio, qua quis certus eſt ſuper omnem certitudinem ſeſe placere Deo. At habere fidem, & non habere, manifeſtiſſime ſibi contradicunt.

XII. *Pugnantia aſſerit Lutherus.* Sed adhuc aliud excutiamus ad eandem rem pertinens. Affirmat Lutherus nonnullis locis fidem eſſe motum aliquem, nõ qualitatem in anima reſidentem. Affirmat & fidem mereri gratiã. Affirmat deniq; & quicquid antecedat gratiam in homine, hoc eſt omnem animi conatum, omnem mentis præparationem, omnemq; actum interiorem ante gratiam, eſſe peccatum, An non iſta malè cohærent? Nam ſi fides meretur gratiam, antecedat in anima gratiam oportet. Et cum ſit motus quidam (vt Luthero placet) erit motus mentis interior, prior gratia. quamobrem & ante gratiam peccatum erit. Prolixum foret, de ſpe, de operibus, de peccato, de libero arbitrio, deque cæteris id genus ante memoratis ſimiles inconſtantias & contrarietates adducere. *In plurimis ſibipſi cõtradicit Luth.* Sed hæc quæ de fide produximus, ſufficiunt vt agnoſcatur vulpes iſta quibus dolis & artibus ſua dogmata tradat. Quare iam ad reliqua tranſeamus.

XIII. *De mordacitate Lutheri.* Ad alterum nempe vitium, de quo ſe purgat, nempe mordacitatis: vbi primũ quid ei Rex obiecerit, in medium afferemus. Poſtquam itaque Rex Lutherum inconſtantiæ ſimul & contrarietatis coarguiſſet, quòd indulgentias, quas ante probaſſet, nunc meras vocet impoſturas, ilico ſubdit. Qua in re quàm non ſcelerate modo, verumetiam furioſe bacchatur, nemo eſt qui non videt. *In Luthero Regis verba.* Nam ſi nihil omnino valent indulgentiæ, ſed meræ ſunt (vt Lutherus ait) impoſturæ: tunc neceſſe eſt impoſtores fuerint, non hic tantum pontifex Leo decimus (cuius innocens & inculpata vita, moreſque ſanctiſſimi ab ineunte ætate per orbem totum ſatis explorati ſunt, quemadmodum in epiſtola quadam ad Pontificem Lutherus etiam ipſe fatetur) verumetiam tot retro ſeculis omnes Romani pontifices. Hactenus regia maieſtas.

At nihil horum Lutherus diluit, ſed nec diluere poteſt: tantum exempla quædam attulit, quibus velit ſibi licere, quoſuis mordere pro libidine ſua.

Cur (inquit) alioqui Chriſtus ipſe Matth. 23. «
tanta vehementia ſcribas & phariſæos mordet, «
& hypocritas, cæcos, ſtultos, plenos immundi- «
cia, hypocriſi, homicidas criminatur? Et Paulus «
quoties vehemens eſt in conciſiones (vt vocat «
ipſe) ſuas, & pſeudoapoſtolos quos adulterantes «
& cauponantes verbum Dei, canes, doloſos ope- «
rarios, apoſtolos Sathanæ, filios diaboli, plenos «
dolo & malitia, deceptores, vaniloquos, faſcina- «
tores & circulatores vocat. Hæc Lutherus. «

Confutatio reſponſionis. Vides hic lector omnia congeſſiſſe Lutherum quæ vel in Paulo, vel in Euangeliis corradere potuit, quæ notam aliquam reprehenſionis præ ſe ferrent, vel à Chriſto in phariſæos dicta, vel à Paulo in peccatores & inimicos crucis Chriſti. Et tamen ille ſexcenties plura nihil eſt veritus aduerſus vnum Pontificem totius Chriſtianæ religionis principem euomere.

Cæterum non admodum congrue Lutherus ex iſtis exempla deſumpſit, quorum longè diſſimilimus eſt. Sumpſiſſet exemplũ potius à Chore, qui aduerſus Moſen & Aaron populum cõcitauit, & criſtas erexit, dicens: Sufficiat vobis quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in his eſt Dominus. *Num. 16.* cur eleuamini ſuper populũ Domini? Similiter & nunc Lutherus æquare populũ Pontifici ſtudet, atque id quidem longè atrociori contumelia quàm Chore tum fecerat erga Moſen. Sed in hoc à veſtigiis patrum ſuorum diſcedit

nihil.

Omnes hæretici criminãtur Papam. nihil. Id enim fere cunctis hæreticis in morem fuit, nempe Pontificem criminari. Propter quod & Iudas Apoſtolus in epiſtola ſua cum de illis loqueretur, In contradictione (inquit) Chore perierunt. Et paulò ſuperius, Dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant. vel, vt maiori luce traduxit Eraſmus, Dominos vero ſpernunt, in poteſtate præditos maledicta *Nemini parcit Lutherus.* congerunt. Sic enim Lutherus iam facere non veretur. Nullius enim ipſe reueretur authoritatem, ſed maledicentiſſimæ linguæ fræna laxauit in omnes. Chore igitur exemplum protuliſſet, quod & ei multo fuiſſet accommodatius, quàm aut Pauli, aut Chriſti. Ille magis phariſæorum perſonam refert, qui contra Chriſtum oblatrarunt: aut pſeudoapoſtolorum qui reſiſtebant Paulo. Recteque nos erudit illis exemplis quæ citarat, quem in modum illum inceſſamus, qui vel phariſæis ipſis vel pſeudoapoſtolis multo meretur acerbius reprehendi. Parum igitur apte Lutherus pro ſe vel Chriſti vel Pauli producit exemplum.

Deinde quis non videt Arrium, Nouatum, Neſtorium, Donatum & cæteros horum ſimiles, calumniis, conuiciis, contumeliis, quibus illi ſui temporis Pontifices inſectabantur, eadem exempla (quæ nunc Lutherus affert) ſuis improbitatibus prætexere potuiſſe? Verum quis approbaret ea? Nemo certe, niſi qui ſectis illorum fuiſſet addictus. Nam cæteri protinus exploſiſſent & exibilaſſent ea penitus.

Tertiò, nec Chriſtus, neq; Paulus illis increpationibus fuiſſent vſi, niſi prius authoritatem ſuam plane miraculis vterque confirmaſſet: quæ ſane tanta fuerunt, vt merito fuiſſet obiurgandus quiſquis eorum doctrinis repugnaſſet. Nam *Roman. 15.* Paulus ita Romanis ſcripſit: Non enim audeo aliquid loqui eorũ quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium, verbo, & factis, in virtute ſignorum, & prodigiorũ, in virtute Spi*2. Corin. 12.* ritus ſancti. Et Corinthiis item ita: Nulla in re inferior fui in cæteris Apoſtolis, tametſi nihil ſum. Signa quidem Apoſtoli peracta fuerunt inter vos cum omni patientia, & ſignis, & prodigiis, & potentibus factis. Aduerte lector, quòd dicit in omni patientia, & ſe nihil eſſe. Paulus qui tot ſigna, prodigia, potentia facta geſſit in omni patientia, ſe nihil eſſe reputauit: & Lutherus qui cum miraculis careat, impatientiſſime tamen loquitur, ſe magni æſtimat, & neminem non afficit contumeliis.

XIIII. De Chriſto quoq; notum eſt, eum priuſquam phariſæos reprehenderit, operibus, quiſnã eſſet, indicaſſe. Ioan. 5 Ipſa opera quæ ego facio, teſtantur de me quòd pater miſerit me Et 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium reddunt de me. Et eodem: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Et rurſum. Si mihi non credatis, operibus credite. Et 14. Propter ipſa facta credite. Et 15. Si opera non feciſſem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ecce primum. Luthero non licet hanc maledicentiam aſtruere Chriſti exemplo, niſi prius authoritatem ſuam claris miraculis comprobauerit: quemadmodum nec ipſe Chriſtus antea quicquam ipſis phariſæis exprobrarit, quàm oſtenderit miracula, quibus par fuit vt fidem adhiberent. Deinde, niſi Lutheri malitia prorſus eum excæcauerit, perſpicere poteſt, nos, quantumuis eius dogmata vera fuerint, à *Noua doctrina non ſine miraculis ſuſcipitur.* peccato liberos eſſe, niſi prius ea nouis miraculis corroborarit. Nam ea quæ nos credimus, abunde comprobata ſunt, non modo Chriſti verbis & factis, verumetiam Apoſtolorum & ſanctorũ patrum apertiſſimis editis miraculis; vt ſi iam fallamur, auſim aſſerere, Deum ipſum nos data opera fefelliſſe.

At Lutherus dicet: Mea dogmata nequaquã *Doctrina Lutheri longe diuerſa eſt à doctrina Euangelica.* alia ſunt quàm quæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. At iſtud falſiſſimum eſt. Nam ſic & Arrius cauillabatur, ſe videlicet nihil dicere, præter verba Chriſti, cum tamen verba Chriſti pro ſuo ſpiritu deprauabat in ſuam partem: quemadmodũ & nunc facit Lutherus. Verba certe Chriſti, iuxta Chriſti mentẽ intellecta, pro Chriſti dogmate accipienda ſunt. Cæterum iuxta mentem hæ*Verba Chriſti ſenſu hæreticorum hæreſes ſunt.* retici concepta, non dogma Chriſti ſunt, ſed hæreſis potius appellari merentur. Nam iſta verba, quibus Arrius nitebatur, nempe, Pater maior me eſt: iuxta ſenſum Chriſti, verè Chriſti dogmã ſunt, & non ad ſenſum ipſius Arrij, hoc eſt eo modo quo Arrius interpretabatur ea. Ad ſenſum enim quem de eis Arrius conceperat, non Chriſti dogma, ſed Arrianum dogma prorſus expreſſerant. Et quia patres ſenſum Chriſti ſecuti ſunt, idcirco quod Patres, & non quod Arrius docuit, eccleſia comprobauit. Sed & identidem ipſa fecit, quoties inter Patres & hæreticos fuerat controuerſia. Nam ſemper hæretici contendebant veram apud ſe notitiam ſcripturarũ eſſe. Sed eccleſia ſemper Chriſti ſpiritu ſufficienter inſtructa, repulſis hæreticorum interpretationibus, Patrum ſententiis conſtanter adhærebat.

Non eſt ergo quod Lutherus iactitet, Mea dogmata nõ ſunt alia quàm Chriſti dogmata: quandoquidẽ ipſe diſſentiat à patribus. Nam Lutherana dogmata nihil aliud ſunt quàm contra verum ſenſum Chriſti peruerſæ ſcripturarum interpretationes. Quamobrem cum adhuc Lutheri dogmata nullis corroborata ſint miraculis, haudquaquam Chriſtiani tenẽtur fidem illis adhibere: nec periculum inde cuiquam imminet, ſi non crediderit eis, præſertim cùm de ſeipſo Chriſtus dicat: Si non feciſſem inter eos opera *Ioan. 15.* quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Verum quiſquis nolit his quæ ab eccleſia catholica docentur, credere, certiſſimum animæ ſuæ diſcrimẽ incurrit, cum ea ſint tam Chriſti quàm Apoſtolorum, atque ſanctorum patrum miraculis apertiſſime comprobata.

Vt ergo veniamus ad rem: Chriſto licuit tam XV. aſpere phariſæos inceſſere, quia ſuam doctrinam *Non licuit Luthero tam acerbe obiurgare.* à Deo proceſſiſſe, per miracula manifeſtiſſimè comprobauit. Licuit & Paulo pſeudoapoſtolos & male Chriſtianos redarguere, quoniã ſui dogmatis veritatem, ſignis & mirificis operibus

 abun-

abunde teſtatus eſt. At non idem Luthero licet, qui vere pſeudoapoſtolus eſt & Sathanæ mancipium, ac plane præcurſor Antichriſti. necdũ ſuas hæreſes & peſtilentiſſimas ſcripturarum inuerſiones, vllis confirmauit miraculis, niſi forte miraculum ſit, hominem tot irarum & æſtuum furiis diſtentum non eueſtigio rumpi. Non alio certè miraculo ſuam pernicioſam doctrinam hactenus confirmauit. Quare nihil aut Chriſtus, aut Paulus in hac parte Luthero ſuffragatur: imò Pauli exemplum, quod ex Actis ante retulimus, plane condemnat Lutherum, quando ſacerdotij tum antiquati Pontificẽ Paulus agnouit, & reuerentiam ei detulit, ſcriptũ eſſe recenſens, Principem populi tui ne maledicas. Lutherus tamen haudquaquam noui ſacerdotij principem dignatur agnoſcere, ſed maledicis contumeliis inſectatur. Hoc Pauli exemplum quod imitari debuiſſet, ſimul & cætera, quæ Rex illuſtriſſimus obiecit ei, reuocare merito potuiſſent eum ab hac amẽtia, niſi plane Sathanę mancipium eſſet, & filius perditionis. Rex enim oppoſuit multos optimos fuiſſe Põtifices, quorum aliqui remiſſionem annuam, alij triennem, alij quadrageſimas aliquot, quidam totius pœnitentię partem aliquam, nonnulli plenariam tam à pœna quàm à culpa remiſſionem indulſerunt: quibus & tantam fidem adhibendam eſſe merito iudicauit, vt potius vnum fraterculum ouem fuiſſe morbidã eſſet crediturus, quàm tot olim Pontifices perfidos fuiſſe paſtores. Verum ad hoc Lutherus nihil reſpondet. Subinde rex multis rationibus euidentiſſimè docet, quàm nihil omnino charitatis Lutherus habeat, cum nõ vereatur tot ſummis & eiſdem ſanctis pontificibus tantum crimẽ impingere, nempe quòd eſſent impoſtores. Si Deus (inquit) in Leuitico dicit omnibus, Nõ eris criminator, nec ſuſurro in populis: quid de Luthero cenſendum eſt, qui tam immane crimen non in vnũ aliquem hominem, ſed in tam multos, tam venerandos ſpargit antiſtites, idemque non in vna quapiam vrbe ſuſurrat, ſed per totum buccinat orbem? Et hic omnino Lutherus ſilet.

Lutherus pſeudoapoſtolus. *Actor. 23.* *Pontificibus potius quàm Luthero fidendum.* *Verba Regis.* *Leuit. 19.*

Deuter. 27. Ad hæc rex adiecit: Si maledictus in Deuteronomio dicitur, qui clam percuſſerit proximum, quanta maledictione percutitur, qui palam tantis opprobriis inſultat in præpoſitos? Et hic omnino tacet Lutherus.

1. Ioan. 3. Poſtremo rex adiungit: Si homicida eſt (vt ait Euangeliſta) nec vitam habet æternam, qui odit fratrem, an non hic ęterna dignus morte parricida eſt, qui odio perſequitur patrẽ? At has omnes rationes Lutherus aure ſurda pertranſiit, vitium ſuum extenuans vocabulo mordacitatis, cum caninam potius iracundiam & beluinam rabiem vocare debuiſſet.

Mira eſt huius vrſę furentis impudentia, quòd cum nihil apud Paulũ damnatur crebrius quàm arrogantia, contentio, fraternæq; charitatis violatio: nihilque contra ſæpius extollitur, quàm quod iis contrarium eſt: illam tamen haud pudet è Paulo ſuæ patrocinium improbitatis & impietatis arripere. Paulus ait: Benedicite, & nolite *Roman. 12.* maledicere. At Lutherus docet non ſolum eſſe maledicendum, verumetiam rixandũ & opprobrandum, conuiciandum, contumaciiſq; & contumeliis quemque nobis aduerſarium impetendum: atq; id exemplo Pauli & Chriſti.

Hoc dogma ſi è cœlo defluxerit, alij diiudicent. Sat ſcio, doctrina Chriſti nequaquam eſt: & tamẽ audacter aſſerit Lutherus: Non mea doctrina (inquit) ſibi vlla ex parte pugnat, nec pugnare poteſt, cum ſit Chriſti. Sic mentiri non erubeſcit os impudentiſſimum, cum ferme nihil habeat cum doctrina Chriſti confine. Opinor profectò neminem hactenus hæreticorũ fuiſſe, qui non in multo pluribus cum doctrina Chriſti conuenerit, quàm Lutherus. Sed nec doctrina Chriſti eſt, quicquid Chriſtus dixerit, niſi pro Chriſti mente & ſpiritu fueris interpretatus. Quando igitur Lutherus ſæpenumero verba Chriſti contra ſenſum & mentem Chriſti interpretatur, palam eſt eius doctrinam nequaquam eſſe doctrinã Chriſti, ſed cum ea pugnare magis.

Cæterum attende lector, quid adhuc pro ſua defenſione Lutherus afferat. Sic enim de Rege loquitur. Abunde (inquit) cognouit Papatum „ apud me pro Antichriſti regno haberi, cui etiam „ Iob maledici mãdat per eos qui parati ſunt ſuſci- „ tare Leuiathan: & vbiq; ſpiritus præcipit mun- „ dum arguere de peccato impietatis, & omnino „ ſanctam & iuſtam hanc mordacitatem tum lau- „ dat, tum exigit. Hactenus ille. Nos ad ſingula reſpondebimus. Cognouit vtiq; Rex vere catholicus, hæreticum eſſe Lutherum, & male ſenſiſſe de ſummi Põtificis authoritate. Quid ergo? num propterea non debuit maledicam Lutheri linguam caſtigare, quæ ſic inſaniebat in poteſtatem quam omnes orthodoxi nihil ambigunt à Deo conſtitutam eſſe?

Deinde quod ſubdit Lutherus, Iob mandaſſe „ maledici Papatui per eos qui parati ſunt ſuſcitare „ Leuiathan: Pergit ſemper Lutherus ſui ſimilis „ eſſe, hoc eſt pro ſuo cerebro ſcripturas peruerſe contorquere. Sic enim habent verba Iob, vbi diei ſuæ maledicit. Maledicant, inquit ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan. Quis ex iis verbis colligere poteſt Iob mandaſſe quatenus Papatui maledicatur per eos qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan? niſi velit ad hunc modum Lutherus argumẽtari. Mandat Iob vt hi diei ſuæ maledicant, qui maledicũt diei, nempe qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan. ergo mandat Iob vt hi Papatui maledicant. Sic iſte qui ſe magiſtrũ totius orbis facit, ſcripturas interpretatur, vt per diem Papatum intelligat. Nam quis poteſt alioqui ſenſum priorem ex iis verbis colligere? Sed quis potius iam paratus eſt ſuſcitare Leuiathan, quàm Lutherus ipſe? Nemini dubium eſt, quin ab hæreſum vexatione multo iam tempore quieuerit eccleſia, ita vt quantum ad hoc negotium attinet, iam diu dormiit Leuiathan. Lutherus igitur quoniam ex iis eſt qui dormitãtem Leuiathan excitare conantur, quos forte ſanctus Iob ſpiritu præuidit eſſe maledicentiſſimos, optauit vt hi diei ſuæ maledicerent: nimirum qui vix ad

Hic rurſus contorquet ſcripturas Luther. *Iob. 3.* *Lutherus ſuſcitat Leuiathan.*

aliud

alind quicquam nati videntur, quàm ad maledi-
Expoſitio cendum. Cæterum Hebræi locũ iſtum aliter in-
Hebræorum. telligunt. Sic enim ad verbum reddi poteſt: Ma-
ledicant ei, maledicẽtes diei, attendentes vigilare
ſocietatem ſuam. Per maledicentes diei, magiſtri
Iudæorum intelligunt lamentatrices, quæ ad lu-
ctum & planctum pro mortuis deputatæ ſunt: &
Leuiathan interpretantur ſocietatẽ earum: vt ita
ſanctum hunc virum optare ſentiamus, Maledi-
cant diei qua natus ſum, hæ quę deputatæ ſunt ad
lugendum & plangendũ mortuos: quarum offi-
cium eſt, tam ſodales quàm alios ad luctũ & plan-
ctum excitare. Sed eſto per Leuiathan (vt Lu-
thero placet) diabolum intelligamus. Profectò
nemo magis idoneus ad hoc officium inueniri
queat, quã Lutherus. Neq; enim Sathanas quan-
do ſoluetur, facilè maiorem in eccleſia tumultũ
concitabit, quàm modo per Lutherũ excitatur.
Verum vtcunq; fuerit, nullo modo torqueri po-
terit hæc ſcriptura contra Papatum, quemadmo-
dum Lutherus facit. Et tamen cum ſcripturas ita
torqueat & corrumpat, nihil pudet eum toties
iactitare, veniſſe è cœlo ſua dogmata.

XVII. Sed iam ad illud, quòd dicit ſpiritum vbique
præcipere vt mundus arguatur de peccato ini-
quitatis, & omnino ſanctam & iuſtam hanc mor-
dacitatẽ tum laudare, tum exigere: hic profectò
ſcripturæ nihil huic magiſtro noſtro ſuffragãtur.
Mordacitas Nunquam enim in ſcripturis memini laudatam,
prohibetur. aut exactam à quouis mordacitatem, quin magis
prohibitam inuenio. Sic enim Paulus cum ad
Galat. 5. Galatas dixiſſet: Tota lex in vno verbo comple-
tur, nempe hoc, diliges proximum tuum ſicut
teipſum: ilico ſubdit: Quòd ſi alius alium viciſ-
ſim mordetis & deuoratis, videte ne viciſſim
alius ab alio conſumamini. Hic ſpiritus in Pau-
lo mordacitatem nec laudat nec exigit vt omni-
no ſanctam & iuſtam, ſed plane damnat vt vitio-
ſam & iniquam. Falſum igitur eſt, quòd vbique
ſpiritus laudat & exigit hanc mordacitatem vt o-
mnino ſanctam & iuſtam.

Aduerte quæſo lector, hunc totius orbis ma-
giſtrum, qui ſua dogmata ſe iactat habere de cœ-
Lutherus nõ lo, iam de ſcripturis plane mentiri. At hoc toties
intelligit ſe facit, & ita prorſus mendaciis aſſueuit, vt cũ men-
mentiri. tiatur, non intelligat ſe mentiri. Sed Lutherus
Iohan. 16. dicet Christum apud Iohannem de ſpiritu præ-
dixiſſe, quòd ille mundum arguet de peccato.
[...]bre Certè quòd arguet prædixit Chriſtus, ſed non
ſemper in quòd mordebit, aut mordere faciet, cum in ſcri-
malam par- pturis (quod memini) ſemper hoc verbum in
tem accipi- malam partem accipiatur. Cæterum vt illic ipſe
tur. Chriſtus locum illum interpretatur, De peccato
(inquit) arguet, quod nõ crediderint in me. Ne-
Matth. 11. que ſic diſcipulos ſuos Chriſtus inſtituit, vt mor-
Luca 12. derent, ſed vt mites eſſent & patiẽtes potius. Sed
& Paulum hac de re loquentẽ audiamus. Timo-
2. Timo. 4. theum hortatur, vt arguat, obſecret, increpet: at
eueſtigio ſubiungit, in omni patientia. Et alibi di-
2 Timo. 2. cit: Seruum Dei non oportet litigare, ſed man-
ſuetum eſſe ad omnes, & cum modeſtia corripi-
2. Timo. 4. entem eos qui reſiſtunt veritati. Et iterum iubet
vt ſectetur inter cætera patientiam & manſuetu-
dinem. At magiſter noſter Lutherus nihil erube-
ſcit confiteri ſe patientiam amiſiſſe, planeq; pro- *Luth. amiſit*
fitetur, neutiquam ſibi iam habendam eſſe pati- *patientiam.*
entiæ rationẽ. Hæc niſi dixerit in libello ſuo ma-
ledicentiſſimo contra regem, ego mentior. Sin
dixerit, æquum eſt vt habeantur eius dogmata,
qualia vere ſunt, non velut è cœlo, ſed magis à Sa-
thana promanaſſe. Chriſti ſpiritus vbique laudat
& exigit lenitatem, manſuetudinem, modeſtiam,
atq; id genus cætera. Quamobrem cum aduerſus
Samaritas Apoſtoli commouerentur, Chriſtus
eis dixit: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. *Luca 9.*

Intelligis itaq; lector, quàm citra nebulam ali-
quam aperte Lutherus & docet & facit aduerſus
Chriſti dogmata, neq; tamen erubeſcit Regem
Angliæ ceu læſæ diuinæ maieſtatis reũ accuſare,
quòd illum de rebus hiſce reprehẽderit. Aduer-
ſus diuinam (inquit) maieſtatem mentitur, & re-
gem meum, qui eſt rex gloriæ, blaſphemiis ſuis
conſputauit. Hæc Lutherus. Et cur iſta dixerit?
Nimirum ob id, quòd eum rex oſtenderit, cum
de indulgentiis loqueretur, fuiſſe ſibi contrari-
um. Sic Luthero deblaterare, mentiri, contra-
ria dicere, ſcripturas perperam interpretari lice-
bit, & quicquid velit facere, nec audebit ei quiſ-
quam hæc obiicere, niſi protinus fiat diuinæ ma-
ieſtatis reus. Luthero cunctos pro ſua libidine
mordere, lacerare, vorare, conterere liberum
erit: at qui viciſſim quicquam horũ Luthero fa-
cit, iam Lutheri Regem blaſphemiis conſputat.

Verùm quiſnam eſt iſte Rex Lutheri? Profe- XVIII.
ctò non alius, quàm is de quo Iob loquitur, in-
quiens: Et ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuper- *Iob. 41.*
biæ. Nec tamen idem Rex gloriæ dici poteſt, ni-
ſi quatenus olim in cœlo ſeditione facta, gloriam
illam per ambitum inuadere ſit conatus.

Iam nihil à me prætermiſſum eſt, opinor, quã- *Inſimulat*
tum ad hanc partem attinet, in quo non reſpon- *catholicos*
derim Luthero, præter vnum locum vbi docere *contrarieta-*
nititur orthodoxos aſſerere repugnãtia dogma- *tis Luth.*
ta. Papiſtarũ, inquit, inſanię pugnant, vbi Matth.
16. petram faciunt Chriſtum & Papã, cum Chri-
ſtus ſit ſanctus, Papa autem impius: & ſanctitu-
dini cum impietate conueniat ceu luci cum te-
nebris, & Chriſto cum Belial. Sic enim Papatus
non niſi inconſtantibus, pugnatiſſimis, menda-
ciſſimis conſtat (ſeu potius corruit) dogmatibus,
quæ vtraque ſimul docet, aſſerit & tuetur. Vide-
at itaque lector ex vno hoc argumento, quàm
aſinina ruditas ſit Thomiſtarum, vel puerilis ani-
mi impotentia, quæ non ſinat eos ſua ipſorum
verba intelligere, & audent tamen aſſertiones ſa-
cramentorum ſcribere, & magnificas ampullas
ſuæ incredibilis inſcitiæ teſtes iactare. In hoc
enim hunc libellum Regis ſcriptum arbitror, ne
ſtuporem & inſcitiam ſophiſtarum, præſertim
porcellorum iſtorũ (Thomiſtas dico) falſo à me
traduci crederet mundus. fuit enim meum iudi-
cium tali ipſorummet opere & ſigillo compro-
bandum & confirmandum. Hæc Lutherus.

Primum hic perpende lector, quanta iacule-
tur in Thomiſtas opprobria, quibus & illius di- *Thomiſtas*
ui gloriam denigrare ſtudet, cuius nomen & do- *inſectatur.*

maliciose Lutherus. ctiſſimis & eruditiſſimis viris in magna ſemper hactenus habitũ fuit venerationе, quippe quem Theologiæ florem paſſim appellarunt. Sed & expẽde ſimul quàm friuola ratione fecerit iſtud, vt de mendacio nihil dicam. Ego nuſquam legi Diuum Thomam, aut Thomiſtas, Papam aliquem prętеr vnum Petrum vocaſſe petram. Porro petram fuiſſe Petrum, non ſolum Thomas, *Petrus rectè petra appellatur.* verumetiam Hieronymus & nonnunquam etiam Auguſtinus palàm aſſerunt. Et quid iſtud prohibet, quando Chriſtus illum ita cognominandum prædixit, in Iohanne dicens: *Ioan. 1.* Tu vocaberis Cephas? Quod ſi interpreteris, lapis aut ſaxum dicetur, vt illic Euãgeliſta reſtatur. Et quid quæſo diſcriminis eſt inter ſaxum & petram? Quid ergo vetat Petrum petram dici, quando & idem ſaxum aut lapis dicitur? Et tamen idem ipſe Petrus ſe peccatorem agnouit, cum Chriſto dixerit, *Luca 5.* Exi à me Domine, quia peccator ego ſum. Nihil ergo vetat Petrum qui peccator alioqui fuit, petram ob id dici, quòd Chriſtus dictus ſit petra. Sed quid? Num propterea non erit lapis Chriſtus, quòd quis chriſtianus item dictus ſit lapis: aut viciſſim nemo chriſtianus vocari lapis poteſt, eo quòd Chriſtus lapis dictus ſit? An Petrus pugnantia dixerit, cum in epiſto- *1. Petri 2.* la priori ſic ſcribebat. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatũ, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis. At conſequetur hac Lutherana ratione Petrum hic pugnantia dixiſſe. *Chriſtianus vocatur lapis.* Lapidem enim vocat quemlibet chriſtianum ſimul & Chriſtum, cum tamen Chriſtus ſit ſanctus, at contra chriſtiani complures ſint peccatores, & ſanctitudini cum peccato non magis conueniat, quàm luci cum tenebris, & Chriſto cum Belial. Quamobrem ſi chriſtianus qui peccator eſt, dici poteſt lapis, quemadmodum & Chriſtus dictus eſt lapis, quid prohibet Petrum eadem appellatione cum Chriſto petram dici? An non Chriſtus ſeipſum vocat lucem? *Ioan 8.* Ego, inquit, lux mundi ſum. & Apoſtolos item ſuos lucem mundi nominat. *Matth. 5.* Vos, inquit, eſtis lux mundi. Num Chriſtus ob hæc, pugnantia dixerit?

Hic perſpicis optime lector, quàm friuola ſit Lutheri dialectica, ſimul & quàm iniuſte contumelioſus fuerit in Thomam & Thomiſtas, cum illi tantum de Petro dixerint eum petram fuiſſe. Et velit nolit Lutherus, ſuper hanc petram, hoc eſt ſuper Petrum Chriſtus ædificauit eccleſiam ſuam. *Ephes. 2.* Nunquid non dicit Paulus ad Epheſios de Chriſtianis, quòd ſuperædificati ſint ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu? Quis hic non videt ſummum & ſupremum lapidem Chriſtum Ieſum: deinde Prophetas & Apoſtolos tanquam lapides etiam in fundamento locatos: poſtremò chriſtianos cæteros ceu viuos etiam lapides huic fundamento ſuperædificatos? Propter quod & *Apoſtoli fundamenta.* Diuus Auguſtinus Prophetas & Apoſtolos Eccleſiæ fundamenta vocat, iuxta id quod Dauid *Pſal. 86.* cecinit: Fundamenta eius in montibus ſanctis. quanquam & vnum præcipuum non neget eſſe fundamentum, nempe Ieſum Chriſtum, quem *1. Corinth. 3.* & fundamentum fundamentorum appellat, ſicut & eundem ſanctum ſanctorum, ac paſtorem *Hebr. 13.* paſtorum alibi vocatum affirmat. Hactenus dilucidum opinor euaſit, Lutherum nec de Satha- *Epilogus.* na triumphaſſe, neq; illius omnia dogmata promanaſſe de cœlo, quin potius eum & diabolicam habere ſapientiam. Subinde monſtrauimus & in pluribus ſibiipſi contrarium eſſe, nec ſolum in his de quibus (vt contendit) ſcripturæ nihil agunt, verumetiam in aliis de quibus eędem apertiſſimè loquuntur. Tertio liquet, quòd Lutheri mordacitas nullis fucis, nulliſve rationibus excuſabilis eſt. Poſtremò, quòd apud orthodoxos, quibus tamen idipſum Lutherus impingit, nulla repugnantia eſt, nomenclaturam petræ tam Petro quàm Chriſto fuiſſe communem.

De communicatione plebis, eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere.

Cap. III.

NVnc ad ipſa capita rerum, de quibus præcipua controuerſia eſt, calamum dirigamus, quæ ſane plurima ſunt, de 1. quibus & agemus ſingulatim. Iam igitur tertio loco de communicatione ſub vtraque *Intentio authoris.* ſpecie diſſeremus. Principio tamen refellenda ſunt eadem quibus in genere ſe Lutherus diſputaturum promiſit.

Nam hic Lutherus primum opponit Regi, *Rex Angliæ nititur authoritatibus firmis.* quòd nulla authoritate ſcripturæ, neque ratione quauis vrgenti, probat ea quæ dicit, ſed vſum tantum allegat & conſuetudinem, & Thomiſticam, vt ait, diſputandi formam imitatur, nempe, Mihi ſic videtur, Ego ſic ſentio, ſic credo, oportet ſic eſſe. Quaſi Diuus Thomas nullis ſolidioribus argumentis fuiſſet innixus: quod eſt mendacium apud cunctos euidentiſſimum. Sed men- *Non pudet Lutherum mentiri.* daciis ita Lutherus aſſueuit, vt mentiri illum nihil omnino pudeat. An non & hoc quoq; mendacium apertiſſimum eſt, quòd Rex nullam vrgentem attulerit rationem? Id quod plane falſiſſimum eſſe mox oſtendemus. Cæterum illa oppoſitio Lutheri nihil eſt. Nam vbi ſcripturæ *Conſuetudo bona pro lege habetur.* defuerint ad oſtendendam aliquam veritatem, magni ſemper apud omnes maiores noſtros momenti fuit vſus & conſuetudo. Neque ſemper *Apoſtoli non omnia ſcripturis probant.* ſcripturas attulerunt Apoſtoli, quibus probarent ſua: quod tamen alibi, ſed falſo, Lutherus affirmat. Liquet enim ex actis Apoſtolicis, eos tantum dixiſſe: *Actor. 15.* Ita Spiritui ſancto viſum eſt, & nobis. Et hoc illis perſuaſum fuit à Spiritu ſancto profectum eſſe, quicquid ab illis vnanimiter eſſet approbatum. Sed & Paulus cum de velandis mulieribus Corinthios doceat, nullis eam rem ſcripturis probat, ſed ratione ſimul & conſuetudine. Nos, inquit, eiuſmodi conſuetudi- *1 Corin. 11.* nem non habemus, nec eccleſia Dei. Sed & multas non eſt dubium à Spiritu ſancto conſuetudines introductas in eccleſiam fuiſſe citra quàm ſcripturæ nobis traditæ fuerunt, de quibus in ſcriptu-

ſcripturis nulla ſit mentio. Sed & per Apoſtolos, ex ipſis ſcripturis apertum eſt, multa fuiſſe tradita, de quibus nihil in ſcripturis explicatur. Quamobrem & manifeſtũ eſt, quod vbi ſcripturæ deſunt, illic rationem aut conſuetudinem attuliſſe ſufficiet. Neq; rationes Lutheri, quas tamen in contrarium plures adducit, tanti ſunt roboris, vt vim conſuetudinis eneruent: quod mox aperte docebimus. Verum iſtud interea conſiderandum eſt, quòd inter conſuetudines plurimũ intereſt. Nam quædam bonæ ſunt & ſanctæ, quædam contrà malæ prauæque. Sed inter has nihil difficile eſt cuius internoſcere diſcrimen. Si praua ſit, iam credibile eſt eam à maligno ſpiritu fuiſſe introductam. Sin contrà ſancta ſalutariſque fuerit, & generatim ab omnibus approbata Chriſtianis, hanc ego nihil ambigo quin à Spiritu ſancto fuiſſet inſpirata. Neq; talem conſuetudinem quiſquam, niſi qui pertinax ſuæ poſitionis defenſor fuerit, audebit inficiari validam eſſe, & à Chriſtianis omnibus obſeruandam. Ac eiuſmodi ſatis dilucidam eſt hanc eccleſiæ conſuetudinem eſſe, de qua iam loquimur, nempe qua laici ſub ſola panis ſpecie communicantur. Hæc vtiq; conſuetudo tot probis conditionibus & rationi tam conſentaneis edita eſt, vt nemo, qui non omnino fuerit improbus, eam quouis modo cenſebit abrogandam.

Deficiente ſcriptura recurritur ad conſuetudinem.

Conſuetudinum diſcrimen.

Conſuetudo bona pro lege ſeruatur.

Decem enim eiuſmodi conditiones habet: quarum prima eſt, quòd eius primæua introductio, tam ex parte cleri, quàm plebis, careat omni corruptionis ſuſpicione. Neque enim ſuſpicari quiſquam poteſt aliquam ſiniſtram intentionem vel in clero, vel in populo fuiſſe, cuius gratia vel clerus alteram ſacramenti partem laicis auferre moliretur, vel ipſi laici non prorſus facto reclamarent, cum certum ſit nihil inde quæſtus aut lucri temporarii vel his vel illis obueniſſe penitus.

Secunda conditio eſt, quòd manifeſta periculorum & magnitudo & multitudo tam clerum quàm populũ ad iſtam conſuetudinem paulatim induxit. Fuit enim periculũ in miniſtratione, ne ſanguis videlicet effunderetur: quod & ſæpius accidit, præſertim cum ingens multitudo fuiſſet communicanda. Periculũ item in cõſeruatione, ne vini ſpecies in acetũ verteretur, cum parochi tenerentur eam ob ægrotos ſemper habere paratam. Periculum etiá cum ad morituros apportaretur, ſiue quis eques aut pedes eum ferret. Periculum quoq; ſumpturis, maxime his qui nauleã (vt nõnulli ſolent) ex guſtato vino facile paterentur. Periculum ob inopiã vini, cuius in pleriſque chriſtianitatis partibus magna penuria eſt: ne ſi cui defuiſſet vini ſpecies, is minime crederet ſe totum Chriſtum accepiſſe. Periculum demũ infidelitatis, ne videlicet nõ ſub vtraq; ſpecie totus crederetur Chriſtus, ſi nunquã nõ vtraq; ſpecies cunctis chriſtianis exhiberetur. Ecce quantus & quot periculorum antea metus erat, quę iam per iſtam conſuetudinem prorſus euitantur.

Pericula ſub ſpecie vini communicãdis ſunt diuerſa.

III. Tertia conſuetudinis huius cõditio eſt, quòd nulli totius legis præcepto repugnat. Lutherus enim ipſe nullum habet ſcripturæ præceptum quod prætexat, præter hoc vnum, Bibite ex eo omnes. At hoc nihil obſiſtit. Nã ſolis duodecim tum locutus eſt Chriſtus. Neq; enim aliis tum loquebatur, quàm iis quibus ante porrexerat poculũ, dicens: Accipite hoc, & diuidite inter vos. Et hi duodecim erant, vt plane ſcribit Lucas. Accubuit (inquit) & duodecim Apoſtoli cum eo. Neque enim ſi plures quàm duodecim fuiſſent, vnum poculũ tot conuiuis ſuffeciſſet. Quare tam rationi, quàm ſcripturæ conſentaneum eſt, quòd ſolis Apoſtolis illud dictum fuerat, nempe, Bibite ex eo omnes. Malè ergo ſcripturam hoc loco deprauat Lutherus, qui cõtendit iſtud omnibus Chriſtianis fuiſſe dictum, quod ſolis dictum fuerat Apoſtolis. Neq; aliam pro hac re ſcripturam afferre poterit ſeu rationem quamuis, niſi quam aduerſariis opprobrare ſolet, nempe, Sic oportet, Ita neceſſe eſt, Non poteſt aliter fieri. Renunciauit enim ſexto capiti Iohannis, quod & plane fatetur nihil Bohemis ſuffragari poſſe. Et ſanè gratiſſimum orthodoxis iſtud ſpectaculum eſſe poteſt, videre mutuas horum hæreticorum pugnas inter ſe, cum vnus dicat ſcripturas hunc ſenſum habere, alius contendit habere cõtrarium. Sed nos rem noſtram proſequamur. Clarum ex his eſt, quantum ad noſtram diſputationem ſpectat, hanc ſacræ communionis conſuetudinem ſub altera ſpecie, nulli ſcripturarum præcepto repugnare.

Nõ repugnat legi diuinæ communicatio ſub vna ſpecie.

Matth 26.

Luca 22.

Solis Apoſtolis dictum eſt, Bibite ex hoc omnes.

IIII. Quarta conſuetudinis huius cõditio eſt, quòd ei, nouæ legis exempla plurimum faueant. Fauet enim huic quod poſtremo Lucæ ſcriptum eſt de duobus illis diſcipulis, cum quibus Dominus Ieſus intrauit in caſtellum Emaus. Et factum eſt (inquit) dum accumberet cum eis, accepit panẽ, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & agnouerunt eum. Et ipſe euanuit à cõſpectu eorum. Ecce hic habes, quòd ad eſum huius benedicti panis, quem pro more ſcripturarum, panem vocamus, protinus eorum oculi fuerunt aperti. Quo nimirũ indicio Chryſoſtomus, Theophilus, a Auguſtinus, colligunt idipſum fuiſſe verum corpus Chriſti. Sed & ex verbis ipſis patet, cum & ſimili prorſus modo ſit vſus in ſui corporis conſecratione. Accepit (inquit) panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Cæterum ex eo quòd oculis eorum e veſtigio ſe ſubtraxerit, ſatis perſpicuum eſt, ſolam hanc ſacramẽti partem eos accepiſſe, hoc eſt ſub ſpecie panis, non item ſub vini ſpecie.

Luca 24.

a Theophilactus.

V. Quinta conſuetudinis huius cõditio eſt, quòd ei veteris legis figura probe quadrat. Nam quod ſub ea lege liquidum offerebatur, quod & libamen vocabant, haudquaquam à laicis, ſed à ſolis ſacerdotibus recipiebatur. Obuenerat enim id in partem ſacerdotum, quemadmodum & nunc ea ſacramenti pars quæ liquida eſt, ſolis eſt reſeruata ſacerdotibus, non item laicis exhibita.

Leuit. 6. 9. 14 & in aliis locis.

VI. Sexta conſuetudinis huius conditio eſt, quòd neminem vllo prorſus afficit diſpendio. Nam quantum ſub ſpecie panis continetur, tantundem eſt & ſub vini ſpecie. Corpus enim & ſanguis,

Tantum vna ſpecie continetur quantũ ſub vtraq;

guis, & animus, & deitas Chriſti ſub vtraque ſpecie pleniſſime cõprehenduntur. Quocirca non minus ille ſumit qui ſub altera ſpecie communicat, quàm qui ſub vtraq; , quantum ad Chriſtum attinet. Neq; enim ſpecies quicquam adiiciunt virtutis, cum ſigna tantum ſint, nec operentur quicquam in humanum animum.

VII. *Communi conſenſu introducta eſt conſuetudo communicandi.*

Septima conditio eſt, quòd nulla præceptorum vi, ſed conſenſu quodam tacito tam populi quàm cleri ſenſum irrepſit dicta conſuetudo. Nam viſis tot periculis, quæ toties pridem acciderunt per eccleſias omnium Chriſtianorum, ea res, quaſi tacitis omnium ſuffragiis recepta fuit, priuſquam vllo conciliorum decreto legimus eam fuiſſe firmatam. Iſtud quoniam euidenter patet in compluribus diuerſorum authorum libris longe ante concilium Conſtantienſe aut Baſilienſe conſcriptis & editis, nulla penitus indiget probatione.

VIII. *Conſuetudo communicandi à Spiritu ſancto eſt. Iohan. 14. Iohan. 16.*

Octaua conditio quæ neq; minimi ponderis eſt. Apud eum populum hæc conſuetudo nata eſt, qui Spiritu ſancto regitur. Nemini enim dubium eſt, eccleſiam Spiritu ſancto regi, niſi quis forte Chriſti non crediderit Euangelio. Nam in eo promiſſus eſt Spiritus ipſe ſanctus, ſpiritus inquam veritatis, vt in eccleſia maneat in perpetuum, & vt eam doceat, & ducat in omnem veritatem, annuncietque quod Chriſti eſt, & quod audierit à Chriſto, ac demum vt ſuggerat omnia, quæcunque Chriſtus pridem dixiſſet Apoſtolis. Hæc apertiſſime Iohannes ex ore Chriſti, 14. & 16. tradit. At quid eſt aliud ſuggere, quàm inſinuare ſiue ſubminiſtrare menti quicquid eſt veritatis Chriſtianæ? Certum eſt ergo quòd Spiritus ipſe ſanctus, quem & ſpiritum veritatis Chriſtus appellat, in eccleſia perpetuo maneat, Eccleſiam inſtruens, & eccleſiam ducens in omnem veritatem, eique annuncians, & ſuggerens, ac ſubminiſtrans, & demum inſinuans quicquid eſt Chriſti, ſimul & illuſtrans ea quæ pridem obſcure Chriſtus protuliſſet.

Suggerere quid ſit.

IX.

Nona conditio, quæ & plurimum conducit, nimirum, quòd ea conſuetudo talem rem concernit, ex qua non minima pendet ſalus animarum. Nam corporis & ſanguinis Chriſti communicatio valdè pertinet & ſpectat ad ſalutem animarum: quod Lutherus negare non poteſt, cum aſſerat huius rei fide remiſſionem peccatorum, ſimul & cœleſtem hereditatem conquiri.

X. *Conſuetudo communicãdi ab eccleſia approbata eſt.*

Decima conditio, quòd videlicet per totius eccleſiæ proceres, & per concilia duo generalia fuit prorſus approbata. Quoties enimuero de ſcripturis quæuis oritur controuerſia, quemadmodum per hæreticos notiſſimum eſt ſæpenumero contigiſſe, oportet aliquem vel aliquos hic in terris haberi iudices, quorum interpretationi ſtabitur: alioqui nunquam eius controuerſiæ dirimendæ ſpes vlla fuerit. Nam contendet hæreticus hanc ſcripturam hunc ſenſum habere: orthodoxus contrà negabit. Quando igitur erit contendendi finis, niſi iudices quidam huiuſce rei conſtituantur? Et horum item iudicium, niſi Spiritu ſancto regi credatur, hæreticus facillime ſubterfugiet. Quamobrem omnino credendum eſt Chriſtum in eiuſmodi fluctuationis periculo non deſerturum eccleſiam ſuam, pro qua ſanguinem fundere non eſt dedignatus. Quis ergo dubitare poteſt, cum ex omni totius Chriſtianæ ditionis loco patres congregati fuerint ad ſpiritum Chriſti conſulendum quid ſuper ea lite facturi ſint, quin aderit Chriſtus & ſpiritus eius? Et maxime quando ſic affuturum ante promiſerit, dicens: Vbicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Et rurſum: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Quando igitur nequeunt omnes Chriſtiani ſimul in vnum aliquem conuenire locũ, & patres ſemper exiſtimati ſunt ceu potior totius Chriſtianitatis pars, par eſt, vt quicquid illi in Spiritu ſancto congregati decreuerint, id ab omnibus Chriſtianis verum eſſe credatur. Cuius rei plurima ſunt in actis Apoſtolicis exempla. Nam ad ea concilia, de quibus ibi traditur, non omnes accerſebantur Chriſtiani, ſed Apoſtoli & ſeniores, qui quaſi mediaſtri fuerant inter Deum & plebem, vt quod illi Spiritu ſancto congregati decreuerint, id nõ tanquam humanum decretum, ſed vt diuinum reliqua ſuſciperet multitudo, Sic enim plane factum fuit in cõcilio quod ob controuerſiam de cæremoniis antiquæ legis dirimendam congregabatur. Nam quod ab Apoſtolis & ſenioribus illic decretum fuit, ad cæteros Chriſtianos qui tum complures erant tam Antiochiæ quàm in Syria, ſimul & Cilicia, mittebatur. Neque eius decreti rationem aliam aſſignarunt, niſi quòd ita Spiritui ſancto, ſibique viſum fuiſſet vnanimiter congregatis. Hic videre licet eccleſiæ primæuæ ritum, quem eſſent & poſteri ſeruaturi. Quanquam enim tunc haud tantus fuiſſet Chriſtianorum numerus, quin potuiſſent omnes ad vnum aliquem locum vocari, non ſic tamen factum eſt, ſed ſeniores quid ſibi viſum fuerat definierunt, ſuamque definitionem ceu legem cæteris obſeruandam tradiderunt, nullo ſacrarum literarum allato teſtimonio, nulliſve rationibus in medium productis, comperiiſſimum habentes, id à Spiritu ſancto profectum, quicquid vnanimes ipſi decreuiſſent.

Matth. 18.

Matth. 28.

Actor. 15.

Epilogus.

Atq; ita factum eſt ob huius veritatis habendam certitudinem, tam in concilio Conſtantienſi, quàm in Baſilienſi. Per vtrumq; ſanè concilium ſic dicta cõſuetudo fuit approbata, vt Patres vnanimiter adiudicarint eã à nemine violari debere. Quando igitur ea nullius occaſione corruptionis ortum accepit, & à multis diſcriminibus liberat, nulliq; repugnat Euangelico præcepto, quin magis congruat ei tam nouę legis exemplũ, quàm veteris inſtrumenti figura, neminem afficit diſpendio, nulla vi, ſed tacitis omnium ſuffragiis irrepſit, & in ea republica quæ ſancto Spiritu gubernatur, atq; in eo negocio quod ſalutẽ animarum concernit, ſitque demum per tot eccleſiæ proceres bis approbata, quis tam inſanit, vt non putet eam à Spiritu ſancto fuiſſe profectam? Sed hactenus pro conſuetudine ſtatuenda.

Iam

Lutheri inanes cauilli confutan tur.

Iam veſtigemus qnàm ſint nullius momenti Lutheranæ rationes, quas ad hanc conſuetudinem abrogandam attulerat. Primnm adducit teſtimoniũ ex Matthæo: Sine cauſa colunt me doctrinis & mandstis hominnm. Ex qua ſcriptura colligere molitur, quòd cõſuetudo per homines introducta, infirma ſit & inualida. Sed Chriſtus hanc ſcripturam diſſoluit ipſe. Nam ad eos illam attinere dicit, qui Dei præceptũ irritum faciunt propter traditiones hominũ. Verum nihil eiuſmodi fit per hanc conſuetudinem, cum ipſa nulli diuino præcepto repugnet, vt ſuperius oſtendimus. Protulit hanc ſcripturam Chriſtus è lege veteri, quæ populum obedire voluit mandatis hominum, vti liquet Num. 11. & Deuteron. 17. Erant enim ſub ea lege ſeptuaginta ſeniores, quorum præceptis & inſtitutis populus obtemperare ſub mortis pœna tenebatur. De quibus & Chriſtus ait Matth. 23. Super cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, facite. Quòd ſi Chriſtus iuſſerit vt illis obtemperaretur in omnibus quæcunq; dixerint, multo magis hanc obedientiam Apoſtolis ſuis, & eorum ſucceſſoribus exhiberi voluit, vt iis videlicet parerent cuncti: de quibus & dixit, Qui vos ſpernit, me ſpernit. Non damnat itaque Chriſtus hominum mandata, neq; vetat quenquam his obtemperare, quin iubet potius in omnibus quæ Dei præceptis haudquaquam repugnant, obtemperent penitus. Quamobrem cum iſta conſuetudo nullis Dei præceptis aduerſetur, nihil prorſus Luthero confert dictum teſtimonium: & tamen hic mirum eſt vt inſultat Lutherus, quaſi vel hac vna ſcriptura penitus triumphaſſet.

Matth. 15.

Bona conſuetudo non aduerſatur Euangelio.

Lucæ 10.

Lutheri deliramenta responſo indigna.

Secundus cauillus.

Cætera verò quæ ſubinde producit, irriſionem exigunt potius quàm reſponſionem aliquã. Nam quod de diuturnitate fidei Turcarum in medium affert, quis non rideat, cum nihil habeat huic noſtræ conſuetudini ſimile, præter ſolam diuturnitatem? Et tamen Lutherum haud pudet hanc pro ſua defenſione citare. Qua ratione (inquit) probabimus Turcarum fidem eſſe erroneam, quæ iam ad milleſimum ferè annum durat, antè orta, quàm Germania ad fidem conuerſa eſt? Hæc Lutherus. Quaſi nos propter ſolam diuturnitatem, cõſuetudinem iſtam approbaſſemus: quod falſum eſt: ſed plures alias bonas & iuſtas conditiones habere docuimus, nempe quòd à periculis pluribus eripiat, neque præceptis vllis diuinæ legis obuiet, ſitque iuſtas ob cauſas introducta in eo populo qui lege cœlitus data Spirituque ſancto regitur, & demum à præpoſitis & præſidibus illius populi communibus ſuffragiis approbata.

Crimina non excuſantur conſuetudine longa.

Cæterum Turcarum fidem, quantumuis diuturna fuerit, cæteris tamen carere conditionibus apertiſſimum eſt. Certum eſt enim eam & impiam eſſe, & contra legem Dei, neq; gentem ipſam Spiritu ſancto gubernari, quẽadmodũ de Chriſtianis apertiſſima Chriſti promiſſione compertiſſimum eſt. Proinde nec valet quicquam quod de Iudæis tertio loco producit. Sic & Iudæos (inquit) quis non merito inſtificet huius inuicti Thomiſtę exemplo, cum tanta nos ſuperent longitudine temporum.

Tertius cauillus.

Cui reſpondemus, quòd nec fidei nec legis Iudaicæ diuturnitas quicquam eiſdem ſuffragatur, cum planè cõſtet eos infidelitatis, authore Chriſto, conuictos fuiſſe, fidemq; illorum eſſe reprobatam, & legem iam olim antiquatam eſſe.

Quartus cauillus.

Rurſum de gentibus ſic obiicit: Et cur gentes per orbem nouam Chriſti fidem non dicentur, authore Henrico Angliæ, meritò fuiſſe perſecutas, cum idololatria eorum hoc pulcherrimo & Thomiſticiſſimo argumento, recta & ſana fides cenſeri debuerit, quòd tot millibus annorum, tot regionibus populorum, tam conſtanti vſu firmabatur?

Et hic reſpondemus, quòd nec idololatriæ quantumuis longa conſuetudo, ſaluarit gentes, cum aduerſus Deum non ſolum impia ſit, verumetiam per eius leges damnatiſſima. Veruntamen ipſa de qua iam ſermo eſt, cõſuetudo, nec in Deum impia eſt, neque legibus eius contraria.

Cauillus 5.

Quinto ſuum errorem communibus hominum erroribus ſtabilire molitur, ſic inquiens:

Atque eodem Henrico magiſtro etiamnum aſſeramus, impiorum hominum errores eſſe ſanam fidem, quòd ab initio mundi illorum ſuperarit multitudo & diuturnitas & potentia, piorum paucitatem & ignobilitatem.

Cui reſpondemus, quòd errores hominum, quos ab initio mundi Lutherus duraſſe contendit, nihil tueri poteſt tanta diuturnitas, cum non alium habeant authorem, quàm Sathanam, eundem videlicet quem habent Lutheri dogmata.

Vides ex iis reſponſionibus noſtris lector, quam ſolida ſcilicet is nouus totius orbis magiſter argumenta produxerit, qui ſe certum iactitat ſua omnia dogmata ſe habere de cœlo, quique de Sathana ſe triumphaſſe gloriatur. Vides quæ iam ſpolia reportarit ex tam glorioſo triumpho.

Cauillus 6.

Sed non prætereundum eſt quàm Herculeam rationem & inuincibilem poſtremo loco producit.

Summa (inquit) Si hominum dicta valent articulos fidei, cur non & mea verba faciunt articulos fidei? An non ſum homo?

Reſpondeo, Me ſanè putare quiduis aliud te eſſe præter hominem. An non tibi credam, qui teipſum vrſam & leænam appellaſti? Quando igitur vrſam aut leænam nemo rectè vocauerit hominem, ſed belluam, non mihi planè videris homo, ſed bellua. Nam ſi homo eſſes, aliquod in te foret humanitatis indicium. Non tot mendaciis libelli tui ſcaterent. Non tot conuiciis abundares. Non tot inſaniis & amentiis fureres. At iſtis miſſis, ad cætera pergamus.

Cauillus 7.

Subinde cauillatur, Turcã riſurum, ſi noſtram conſuetudinem è Spiritu ſancto manaſſe diceremus: nec proinde plurimũ à Turcarum conſuetudine differre, cum eam ſine ſcripturis aſſeramus. Primum, iſtud abſque ſcripturis non aſſerimus, imò ſcripturas ob idipſum aſtruendum antè produximus. Deinde nec ſcripturis noſtris

Turca

Turca fidem haberet, tametſi validiſſimas produceremus. Tertiò, neque Turca Luthero crederet, quantumuis affirmet ſe certum eſſe omnia dogmata ſua ſe habere de cœlo, vel ſi ſcripturis idipſum confirmarit: quod nunquam facit.

Caniſius 8. Præter hæc & verboſitate multa gānit & garrit nos aliud fundamentum præter Chriſtum ponere, qui paremus hominibus. quod etiam falſiſſimum eſt. Nam ſupremū fidei noſtræ fundamentum Chriſtus eſt, deinde Apoſtoli, quos **Ephe. 2.** & Paulus ipſe (quanquam homines erant) fundamentum etiam appellat, quod ſupra Chriſtum ſummū angularem lapidem ſtabilitum eſt. Poſt hos etiam Apoſtolici viri ceu viui lapides ſuperædificantur, quibus omnibus tandem innituntur & Chriſtiani cæteri.

Caniſius 9. Poſt hæc, Paulum affirmat magna authoritate ſancire, fidem noſtram oportere niti verbis Dei. 1. Corint. 2. Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanę ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis fuit, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

Verùm hæc ſcriptura multo magis contra Lutherum facit, quam contra nos. Docuit enim ſua Paulus, oſtenſione ſpiritus & virtutis, hoc eſt clara miraculorum operatione. Docuerunt & ſua patres qui Paulo ſucceſſerunt, ſimili modo, hoc eſt mirificis operibus è cœlo cōteſtata. Quare noſtra quæ credimus, ex oſtenſione ſpiritus & virtutis abunde ſunt cōfirmata. Nam vt ſuo tempore Paulus ea quæ docuit, claris miraculis confirmauit omnia, ita reliqui patres ſuam doctrinā ſequentibus temporibus magna vitæ ſanctimonia, multaque miraculorum luce comprobabāt. Quare ſi iam Lutherus velit alia ſuperinducere quam hactenus eccleſia crediderit, & plane diuerſa iis quæ adhuc credit, oportet eum oſtenſione ſpiritus & virtutis, hoc eſt ſignis & miraculis iſtud comprobare, potius quàm deprauatā ſcripturarum interpretatione, contra ſenſum Chriſti ſimul & tot ſanctiſſimorum atque eruditiſſimorum patrum concordes ſentētias, qui per multa ſecula nos præceſſerunt. Optarim potius vt humanæ ſapientiæ verba Lutherus proferret, quàm tot mendacia diabolica, maledictaque & conuicia congereret, quibus ferme quicquid ſcribit, refertiſſimus eſt. Nam vbiq; plus mendaciorum & conuiciorum quàm efficacium argumentorum inueniet lector.

Caniſius 10. Poſt multa igitur conuicia tandem dicit Chriſtum eccleſiam ſuam ædificaſſe non ſuper longitudinem temporum, neque ſuper multitudinem hominum, neque ſuper, Oportet ſic eſſe, neque ſuper vſum & dictum ſanctorum, denique neque ſuper Iohannem baptiſtam, nec ſuper Eliam, nec ſuper Hieremiam, aut vllum ex prophetis, ſed ſuper ſolam & ſolidam petram, ſuper Chriſtum filium Dei.

Nos etiam & hoc ipſum aſſerimus eccleſiæ præcipuum fundamentum eſſe, cui tamen fundamento propinquius innituntur tam Apoſtoli quàm prophetæ, quos & conſtat homines fuiſſe. Deinde nos item ſuperædificamur, quemadmodum Paulus ait, Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo **Ephe. 2.** angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in Domino. Sed contendet Lutherus nihil aliud per hoc fundamentum intelligi debere, quàm Chriſtum. Ego verò viciſſim iſtud negabo. Quare iudice quodam opus erit, qui litem hanc inter nos dirimat. Auguſtinus igitur hunc locum explicans Pſalmo. 86. vocat Apoſtolos & Prophetas fundamenta ciuitatis huius, hoc eſt eccleſiæ Chriſti: **Apoſtoli ſunt fundamenta eccleſiæ.** & Chriſtum vocat fundamentum fundamentorum, quemadmodum & idem paſtor paſtorum, **1. Petri 5.** **Daniel. 7.** atque ſanctus ſanctorum nonnunquam dicitur. Vides ergo lector Apoſtolos & Prophetas eccleſiæ fundamenta dici, nec eſſe de horum veracitate metuendum, quanquam homines fuerint, cum & ipſi fundati ſint in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Et rurſum ex eodem conſequitur, per petram in prioribus Chriſti verbis Petrum debere intelligi. Nam cur alioqui Chriſtus eum alibi ſaxum appellauit, nempe cum dixit: Tu vocaberis Cephas, quod ſi interpreteris **Ioan. 1.** (vt Ioannes ait) lapis aut ſaxum interpretatur? Et quid eſt lapis aut ſaxum aliud, quàm petra? Quod ſi neget Lutherus hunc locū ſic accipiendum eſſe, iudices oportet habeamus, quos neq; paucos aduerſus illum produximus articulo 25. confutatarum aſſertionum.

Caniſius 11. Sed aduerte lector quem in modum probat non ſuper iis fundamētis eccleſiam Chriſti fundari, ſed ſuper ſolum Chriſtum.

Quoniam (inquit) hic mentiri & fallere non poteſt: at omnis homo mendax. Neſcio quid hic ſibi velit, niſi forte moliatur hoc verbo ſua mendacia tegere, nempe quod non ſit pudendum Luthero ſi mentiatur, quandoquidem ſcriptura dicit omnem hominem eſſe mendacem. Nec opinor illum ſentire quòd Paulus fuerit mendax, aut Petrus aut alius quiſpiam Apoſtolorum in iis quæ tradiderunt eccleſiæ. Nam ita quicquid ſcripſerint, id totum in ſuſpicionem adducetur. Quòd ſi de illis id nolis accipi, quid prohibet eos dici fundamenta, quibus eccleſia poſt Chriſtum fulciatur?

Producit adhuc & alias duas ſcripturas, quæ **XII.** nihil inſeruiunt eius inſtituto, quin officiunt magis. Nam hæc, Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: manifeſtè Lutherum damnat, qui nihil haberi in ore frequentius, quàm conuicia, probra, maledicta, quæ magis diaboli ſermones ſunt quàm Dei. Sed ne dixerit Lutherus, nos huius rei nulla exempla produxiſſe, non grauabimur vnum aut alterum in medium proferre. An non **Diabolica Lutheri conuicia.** diabolica ſunt conuicia quæ paulò antè in fautores Diui Thomæ iaculatus eſt? Hæc ſunt arma (inquit) quibus hæretici vincuntur hodie, ignis, & furor inſulſiſſimorum aſinorum, & Thomiſticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & ſi audent, exurant me: hic ſum, & expectabo eos. cineribus ſolis poſt mortem etiam in mille maria proiectis, perſequar & fatigabo hoc abomina-

bile

» bile vulgus, Summa. Viuens, Papatus hoſtis ero:
» exuſtus, bis hoſtis ero. facite porci Thomiſtæ
» quod poteſtis, Lutherum habebitis vrſam in via;
» & leænam in ſemita. vndique vobis occurret, &
» pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras
» ceruices, & æreas frontes contriuerit, vel in ſa-
» lutem, vel in perditionem. Hactenus ſatis fuerit
» patientiam perdidiſſe: deinceps, cum pergatis in-
» durati & occæcati cornua erigere, & ſponte fa-
» cti ſitis incorrigibiles & indomiti; nemo à me
» expectet quicquam dici in vos (deplorata por-
» tenta) ſuaue aut blandum. Irritatos enim volo
» magis ac magis, donec effuſis omnibus viribus
» & furoribus, concidatis in vobiſipſis. Qui pri-
» mus alterum compeſcuerit, ſit ipſe victor: ſicut
» vultis, ſic fiat vobis.

En tibi lector ſermones Lutheri. Num tibi videntur Dei ſermones eſſe, in diaboli potius? Et rurſum de ſummi Pontificis cultoribus ad hunc modum ait:

» Tacens eos contemnam: vel ſi agendum eſt
» cum illis, quanto poſſim impetu in eos ferar, ir-
» ritaturus ſatis, imò prouocaturus tam ſtupidos
» truncos, tam rudes aſinos, tam craſſos porcos,
» cum digni alio officio non ſint, niſi vt prouocen-
» tur in pœnam ſuam. Idq; faciam in gloriam Hen-
» ricianæ eccleſiæ, & ipſius Henrici egregij defen-
» ſoris Thomiſtę, ne fruſtra meā mordacitatem ſa-
» cerrima ſua maledicentia damnaſſe queri poſſit.

Hi ſcilicet ſunt ſermones Dei, quos tam crebro Lutherus habet in ore? imò planè diabolicos eſſe quis non diiudicat?

1. Petri 4. Cæterum vt ad inſtitutum noſtrum reuertamur, docet Petrus ſuperioribus illis verbis, Chriſtianos quæcunq; loquantur, ea modeſtia ſobrietateque loqui, ac ſi loquerentur eloquia Dei. Quare nihil hæc ſcriptura Luthero confert: ſed multo minus quàm nihil, altera quā ſubinde producit. Affert enim alteram, ſed è ſuo cerebro cōfictam, quippe quæ nuſquam ſcripta ſit.

» Et omnis (inquit) prophetia ſit analogia fidei.

Roman. 12. Non hoc dixit Paulus, ſed ita: Siuè prophetiam ſecundum proportionē fidei, hoc eſt, quòd prophetiæ donum in hominibus vel maius vel minus eſt pro magnitudine fidei. Quid hoc ad rem attinet, quod nobis nihil ſine ſcripturis licebit loqui? Cæterum quanquam hoc non probent hæ ſcripturę per Lutherum adductæ, nemo

Conſentanea ſcripturis dici oportet. tamen negat, quin prophetantibus id ſit loquendum, quod ſcripturis conſentaneum fuerit: nihilq; omnino proferri ab his debere, quod ſcripturis quouis pacto contrarium ſit.

XXXI. Et quanquam nec ſcripturis nec ratione Lutherus iſta probauerit, audi tamen lector quàm iactabunde loquitur.

Ioannis in. Scita Luth. Hæc ſunt (inquit) robora noſtra, aduerſus
quæ obmuteſcere coguntur Henrici, Thomiſtę,
» Papiſtæ, & quicquid eſt fecis, ſentinæ, & latrinæ
» impiorum & ſacrilegorum eiuſmodi: neque ha-
» bent quod poſſunt hic reſpondere, ſed confuſi
» & proſtrati iacent à facie verborum iſtius toni-
» trui: & expectamus quoque quid aduerſus hæc
» mutire audeat Rex cum omnibus ſuis ſophiſtis.

An non vides lector belluam iſtam prorſus inſanire: qui cum ipſe nihil præter meras nugas effutiat & deblateret, alios tamen appellat nugigerulos: & putat oris ſui fœtorem peſtilentiſſimum adeo formidabilem eſſe, vt omnes obmuteſcere cogat?

Subdit Lutherus. Stat enim fixa ſententia, fi- «
dem non deberi niſi certo verbo Dei, ſicut dicit «
Roman. 10. Fides ex auditu, auditus autem per «
verbum Chriſti. «

Et iſtud ſanè plurimum noſtræ parti ſuffragatur. Nam ea quę nos credimus, ab orthodoxis accepimus, & hi ab aliis audierunt ſimiliter orthodoxis, atque hi viciſſim ab aliis, idque continua ſerie donec ad ipſos priſcos Apoſtolorum auditores peruenerimus. At ſi Lutherum petas quonam audito fidem acceperit ſuam, non poteſt alium indicare, quàm aut Wicleſiſtam, aut Huſſitam quempiam. Lutherus enimuero quicquid libet, ex quauis ſcriptura colligere nouit. At certe parum dialectice conſequitur, Fides habenda eſt verbo Dei, ergo ſoli verbo Dei. Fides eccleſiæ Romanæ à Chriſto & apoſtolis.

Cæterum iam donemus iſtud Luthero: Solis Dei verbis, & his quę ſequuntur ex Dei verbis, fides adhibeatur. Neque enim dubitamus quin eiuſmodi negotium iſtud ſit, de quo iam agimus. Nam hæc ſunt verba Chriſti: Et rogabo patrem, Iohan. 14. & alium conſolatorem dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Et rurſum: Cum venerit ille, qui eſt ſpiritus veritatis, Iohan. 16. ducet vos in omnem veritatem. Atque iterum de eodem ſpiritu loquens ait, De meo accipiet, & annunciabit vobis.

Ad hæc: Paracletus autem ille qui eſt Spiri- Iohan. 14. tus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis. Quis iam has ſcripturas exacte penſitans dubitare ſecum poteſt de ſpiritus huius conſolatione: maximè cum Apoſtolici viri & ſeniores in vnum locum ex toto Chriſtianorum orbe confluxerint eius conſulendi gratia, nempe quid eſſent in cauſa fidei facturi, & ea certè cauſa, quæ plurimum concernit animarum ſalutem. Nam ſi ſpiritus veritatis ſit, & maneat nobiſcum in æternum, ocioſus eſſe non poteſt in monſtranda veritate. Et ſi ducturus eſt in omnem veritatem, cur & iſtam adeo ſuppliciter imploratus non indicabit? Et ſi docebit vos omnia & ſuggeret quæcunq; Chriſtus antè dixerit, cur & hunc ſcrupum in Chriſti verbis iam requiſitus non explicabit? Hic profectò liceret nobis in belluam iſtam inſultare, & in caput eius omnia ſua conuicia regerere, & maximè cum præter illas ſcripturas exemplum etiam habeamus ex facto Chriſti, qui ſub vna ſpecie, nempe Lucæ 24. panis, hoc ſacramentum duobus è diſcipulis ſuis porrexit: neq; Chriſti modò, verumetiam Apoſtolorum eius, quos non ſemel idipſum feciſſe literis proditum eſt. Cæterum hac de re pluribus in articulorum confutatione diximus.

At adhuc blaterare Lutherus haudquaquam XXXII.
deſinit. Colligere molitur ex his quæ ſuperius adduxit; quicquid vltra verbum Dei producitur,

hoc noſtri arbitrij eſſe, ceu dominorum, credere non credere, damnare probare, ſicut ſcriptum eſt, Omnia veſtra ſunt, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue Paulus: vos autem Chriſti. Nec iſtud certè probat id quod Lutherus molitur. Neque enim ita Paulus intellexit Chriſtianos eſſe Chriſti, vt non debeant præpoſitis ſuis obedire. Nam iſtud ad Hebræos vltimo præcipit. Obedite (inquit) præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. & rationem ſubnectit dicens: Ipſi enim peruigilant quaſi rationē pro animabus veſtris reddituri. Ecce Paulus Chriſtianos obedire vult & ſubiici prçſidibus ſuis, qui Deo rationem pro animabus eorū reddituri ſunt. Et Chriſtus item iuſſit, Omnia quæ-

Matth. 23. cunque dixerint vobis, facite.

XV. Poſtremo docet noſtrum eſſe iudicare Pontificem, & non iudicari à Pontifice: Quia ſpiritualis (inquit) à nemine iudicatur, & ipſe iudicat omnes.

Cuius ſit iudicare aliū Sed hæc conſecutio planè ſtolida eſt, ni Lutherus prius doceat plebem eſſe ſpiritalem. Nam de præſidibus hoc Paulus dixit, & non de plebe: quod illic apertiſſimum eſt. Mox enim ſubdit:

1. Corinth. 2. Nos autē ſenſum Chriſti habemus. hoc de præſidibus. Et de plebe quid? Adhuc enim carnales eſtis. Et quare carnales eos appellarit, oſten-

1. Corint. 3. dit: Cum enim ſint inter vos zelus & contehtio, nonne carnales eſtis? Ecce lector, hic protſus euaneſcit Lutherani iudicij authoritas, cum tam aperte factioſus & contentioſus fuerit, ac proin-

Galat 5. de carnalis. Si carnis opera, quæ Paulus ad Gala-

Lutherus carnalis. tas enumerat, carnalęm efficiunt quempiam, Lutherus vtique totus carnalis eſt. Nam & totus conflatus eſt ex inimicitiis, cōtentionibus, æmulationibus, iris, rixis, diſſenſionibus, ſectiſque & inuidiis. Quamobrem nec ipſe, neq; ſectatores eius idonei iudices eſſe queunt.

Quod de Auguſtino denique producit, nempe quod (eius ſententia) ſolis canonicis libris is debeatur honor, vt firmiſſimè credatur nihil erroris in illis eſſe: cæteros, quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non æquo honore dignos: nihil contra nos militat. Neque enim ob id vult Auguſtinus, vt nihil omnino credatur, niſi quod in ſcripturis poſitū fuerit, cum ipſe contra Donatiſtas multa docet eſſe credenda, quæ nequaquam in ſacris literis continentur, de quibus & inter confutandnm articulos Lutheranos ipſi meminimus. Sed & generalium ſynodorum decretis Auguſtinus deferendum cenſet haud aliter quàm à ſacro profectis ſpiritu.

Modeſtia authoris. Nihil hactenus omiſimus lector, quod erat aliqua reſponſione dignum. Conuicia tamen innumera prçteriuimus, ne te nimio prolixitatis oneraremus tædio. Multis autem verbis poſt hæc

Luther. vel mentitum eſt vel ſibi contrariatur. Lutherus ſubterfugere conatur, ne videatur in laudando Leone Pontifice, & eodem rurſus impoſtore vocando, fuiſſe ſibi contrarius: ſed nihil agit. Si impoſtor fuit Leo decimus, vt eū Lutherus vocat, vir bonus haudquaquā fuit: & idem à Luthero ceu vir bonus laudatur. Luthero certè bonus & non bonus erit, niſi ſorte adulandi gratia fateatur ſe (dū iſtud ſcripſerit) fuiſſe mentitū.

De Papatu ſubinde Lutherus ogganniēns, XVI. illuſtriſſimū regem inſimulat ad ſcripturas quas attulit, magis mutum fuiſſe, quàm piſcem: cum tamen omnino nullas quibus papatum conuelleret, in toto Babylonicæ captiuitatis libello produxiſſet. Cæterum quia nos inter confutandum articulos, ſatis abunde Luthero papatum impugnanti reſpondimus, iam paucioribus agēdum eſt. Neminem opinor dubitaturum hac de re, qui verba Chriſti cum ipſo rerum euentu *Eccleſia Ro ex Petro demanans.* digne conſerat. Quis enim tam cæcus eſt, vt non videat eam quam hodie vocamus eccleſiam, ex Petro dimanaſſe? Nec inficior quin à cæteris apoſtolis eccleſiæ complures inſtitutæ fuiſſent, nimirum à Paulo, Iohanne, Iacobo, Matthæo, Barnaba, reliquiſque quos olim ad totum orbem conuertendum Chriſtus ipſe miſerat. At ſucceſſiones eorū vel penitus interierunt, vel ita ſchiſmatibus & hæreſibus ab eccleſia receſſerunt, vt ad eā haudquaquam pertinere credantur. Cum enim eccleſia non ſegregatio, ſed congregatio dicatur: qui non cum cæteris membris adunati ſunt, meritò cenſentur non eſſe de eccleſia. Retinet igitur ſola illa Chriſtianorū ſucceſſio, quæ à Petro defluxit, eccleſiæ nomenclaturam. Quamobrem cum & illi Chriſtus dixit: Tu es Petrus, & *Matth. 16.* ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & eundem alibi promiſerit vocandum eſſe ſaxū aut lapidem, quis non dilucide perſpicit Petrum illis verbis petram fuiſſe vocatum? Nam cum alibi nuſquam per totum euangelium inuenias Petrum ſaxum vocari, cumque certiſſimum ſit, Chriſti verba fruſtrari non poſſe, quibus Petro dixit, Et tu vocaberis ſaxum: reliquum eſt, vt Pe- *Iohann. 1.* trus hoc loco iure petra ſit vocatus, ſupra quam ipſe totam eccleſiæ ſuæ ſucceſſionem ædificauit: aduerſus quam ſucceſſionem hactenus inferorum portæ nec præualuerunt, nec præualebunt vnquam. Manet enim ad hunc vſque diem hæc interrupta ſucceſſio, & manebit haud dubiè quādiu mundus iſte durabit. Quid ad nos ſi Bohemi & Iodi nolint hanc petram ceu catholicæ eccleſiæ fundamentum agnoſcere, ſed vltro ſe ſeparauerint? Vnica nihilominus eſt columba Chriſti, *Cant. 6.* à qua ſe faciunt exteros, quòd ab ea ſponte receſſerint. De Hieronymo quòd ais eum Romanam eccleſiam, ſuam dumtaxat, non orbis matrem appellare, argumentum iſtud nihil efficit, cum ſit mere negatiuum. Sed & quia Hieronymus nequaquam ſub diœceſi Romana, ſed Hieroſolymitana tum degebat, non vocaſſet Romanam eccleſiam ſuam matrem, niſi quatenus & ipſa totius orbis fuiſſet mater. Cæterum de Romana quid ſenſerit Hieronymus eccleſia, iam audi cum ad Damaſum eccleſiæ Romanæ pontificem ſcribat: Quoniam vetuſto Oriens inter ſe po- *Hieron de eccleſia Romana.* pulorum furore colliſus, indiſciſſam domini tunicam & deſuper textam minutatim diſcerpſit, ideo mihi cathedram & fidem apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendā. Et rurſū ad eundē: Beatitudini (inquit) tuæ, id eſt cathedræ Petri, communione conſocior. ſuper illam petram ædificatā eccleſiam ſcio. Ecee quid Hieronymus

de

de Petro dixerit: Super illam petram ædificatam eccleſiam ſcio. Ad hæc: Si quis (inquit) cathedræ Petri iuogitur, meus eſt. Quamobrem & ingenue fatetur ſe Vitalem non oośſe, Miletum reſpuere, Paulinum ignorare, nimirum qui ſedis huius & cathedræ fuerant aduerſarij. Sed & demum cunctos affirmat ſpargere, hoc eſt ſchiſmaticos eſſe, & extra eccleſiam, qui cum ſucceſſore Petri oon colligunt. Quis ex his oon intelligit, quantum Hieronymus eccleſiæ Romanæ cenſuerit deferendũ? Non eſt igitur cur Lutherus garriat, Regem Angliæ rudem & indoctum eſſe laicum: quo vtinam nos ipſi qui ſacerdotes ſumos, non eſſemus tam eruditione quàm eloqoeotia loogè inferiores.

XVII. Ad inſtitutum reuertimur.

Sed iam tandem veniamus ad rem propoſitam, quæ hactenus per moltam Lotheri verboſitatem dilata eſt. Nam & ad ſingula reſpondendũ fuit, & ordo quem ille ſecutus eſt, à nobis teneri debuit, quo lectoribus omnia promptius occurrerent. Hic ptimùm ſcripturas & rationes diloemus, quas Lutherus ſua robora vocat, & à Rege prætericas falſo conqueritur, cum tamen ipſe tranſiliat multa quæ non mediocriter eum premunt, quibuſq; reſpondit nihil. Et hæc eſt vna, neque rara, vulpis huius fraudulentia, qua ſuum aduerſarium in eo maximè reprehendit, in quo maximè delinquit ipſe. Sed nos eius qoæ vocat robora iam recenſebimus. Septem ea fuiſſe dicit.

Confutatio ſeptem roborum Lutheri.

Ptimum erat authoritas Euangeliſtarum narrantium cooſtanti & vno ſermone, Chriſtum inſtituiſſe vtramq; ſpeciem ijs qui memoriam ſui eſſent facturi: & ſignanter ad calicem adiecit, Bibite ex eo omnes. Hic reſpondemus verum eſſe, quòd hoc ſacramentum ſub vtraque ſpecie Chriſtus inſtituit: ſed negamus quòd omnibus his qui memoriam eius eſſent facturi, præceperit ipſum ſub vtraque ſpecie dari. Nec ptobat id quod ſequitur, Bibite ex eo omnes. quod ſolis duodecim Apoſtolis, oon item omnibus Chriſtianis fuiſſe dictum, paulò antè monſtrauimus.

Matth. 26.

Secundum robur.

Secundum erat: Si ſolis presbyteris dediſſet Chriſtus in cœna ſacramentum, nõ liceret vllam partem laicis dare, cum non liceat inſtitutum & exemplum Chriſti motare.

Huic reſpondemus, quòd Chriſtus ipſe duobus ex diſcipulis ſuis nondum ſacerdotibus factis hoc ſacramentum ſub ſpecie panis duntaxat miniſtrauit. Quocirca nec ob id mutatum eſt Chriſti inſtitutum, quòd laicis idem ſacramentum ſub altera tantum ſpecie, nempe panis datur, cum hoc ipſum ipſe Chriſtus prius fecerit, laicos communicans in Emaus, quemadmodum ante diximus: quod & vltimo Lucæ manifeſtum eſt.

XVIII. Inſtituta Chriſti poſſunt immutari. Act. 2. 9 10. Matth. 28.

Dicimus præterea licere cuipiam generali concilio nonnihil è Chriſti inſtitutis ob vrgentes cauſas immutare, quemadmodum & primis ipſis licuit eccleſiæ proceribus qui baptiſmi formam immutarunt, longè aliter quàm inſtituerat eam Chriſtus.

Apoſtoli ſacramentum

Dicimus tertiò, quòd huius ſacramenti miniſtrandi modus arbitrio Apoſtolorum relictus fuit. Quod & Auguſtinus ad Ianuarium docet inquiens: Saluator quo vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorũ, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat: & ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis (per quos eccleſias diſpoſiturus erat) ſeruaret hunc locũ. Hæc Auguſtinus. Quam rem & Paulus 1. ad Corin. 11. inſinuat, nonnulla videlicet circa hoc ſacrameotum aliter ordinanda. Propter quod & cum de eodem loqueretur, ſubiunxit, Cætera cum venero, diſponam.

Euchariſtia pro ſuo arbitrio miniſtrabant.

Tertium robur.

Tertium. Si poteſt vna pars huius ſacramenti laicis tolli, poterit & pars baptiſmi & pœnitentiæ eadem authoritate tolli: & quicquid Chriſtus vnquam ſtatuit, poteſt partim tolli. Si noo poteſt, nec illa pars tolli poteſt.

Diſcrimen inter Euchariſtiæ ſacramentum & alia.

Reſpondemus, quòd de baptiſmo & pœnitentia nequaquam ſimile eſt, cum neutrum horum partes duas habeat, in quarum vtraque tota res ſacrameoti contineatur. At qui ſacramentũ Euchariſtiæ ſumit vel ſub ſpecie panis, vel ſub ſpecie vini, totum Chriſtum ſumit vtrobique. Nam qui ſpeciem alteram ſumit, tantum accipit commodi quantum ſub vtraque ſpecie compreheoditur, nihilq; maius ſub vtraque ſpecie ſuſcipit, quàm ſub altera tantum. Species enim ſigna duntaxat ſunt, & non res: neq; virtutis quicquam adijciunt quod nõ in re ſignata, nempe Chriſtus, contineatur. Adde quòd baptiſmi verba, contra quàm aperte Chriſtus præceperit, Apoſtoli per aliquod tempus in eccleſia primitiua mutarunt, vt & alia nõnulla vbi iuſtas ſibi cauſas occurriſſe conſpexerint. Quamobrem & idem à Patribus & Spiritu ſancto iam fieri poſſe non eſt dubium.

Quartum robur.

Quartum, quòd Chriſtus dicit ſanguinem ſuum fundi pro remiſſione peccatorum noſtrorũ: ideo quibus remiſſio datur peccatorum, eis noo poſſe negari ſignum remiſſionis, quod illis Chriſtus dederit.

Inualidatio.

Concedimus in hoc ſacramento contineri ſanguinem, qui fuſus erat in remiſſionem peccatorum: ſed negamus qoòd hoc eſt ſacramentum remiſſionis peccatorum, ſed eſt ſacramentum potius vnionis fideliũ cum Chriſto, & cum Deo patre per Chriſtum. Neque enim ſequitur: Hic eſt ſanguis meus qui pto multis fundetur in remiſſionem peccatorum: ergo Euchariſtia eſt ſacramentum remiſſionis peccatorum.

Quintum robur.

Quintum, ſi potuit vinum tollere, poterit & panem, ac per hoc totum ſacramentum tollere. & inſtitutum Chriſti peoitus euacuare. ſi totum non poteſt, nec partem poteſt.

Inualidatio.

Reſpondemus, quòd in miniſtrãdo hoc ſacramento ſub ſpecie panis, non ea pericula occurrunt, quæ vix vitari valeant ſi mioiſtretur etiam ſob ſpecie vini. Atque idcirco non conſequitur, vt ſi Concilio viſum fuiſſet ob iuſtas cauſas laicis hanc partem ſubtrahi debere, pars identidem altera præter omnem rationem & cauſam ſubtraheretur. Sed & ob cauſam interdum pars vtraq; ſubducitur, nimirum ipſis morituris, quando videlicet ex vomitu laborant: & inſantibus, qui

Quibuſdam vtrumq; ſubtrahitur ſacramentum.

non ſemper deglutiunt quod in os ingeritur, ſed ingeſtum plerumque reipuont.

XIX. *Sextũ robur.* Sextum robur aufugit, nec auſum eſt comparere. Metuit forte ne quod ſodalibus contigit, idem eueniret ſibi.

Septimum robur. Septimum eſt Paulus omnino obſtruens ora, " qui 1. Corint. 11. non presbyteris, ſed eccleſiæ & " omnibus fidelibus tradit totum ſacramentum.

Inualidatio. Reſpondemus Paulum recenſere tantùm Coriorhiis quod ipſe de hoc ſacramento prius acceperat à Chriſto, nimirom vt ita maiorem eis erga cibum iſtum reuerentiam incuteret, ſimulque tolleret abuſum; qui iam apud eos aliquantulum inoleuit. *Communicabantur olim ſub vtraque ſpecie.* Nec inficiamur aliquandiu ſacramentom iſtud ſub vtraq; ſpecie cunctis fidelibus adminiſtratum fuiſſe, & maximè ſæuientis perſecutionis tempore, quò ſcilicet ipſi fideles ex crebra ſumptione ſanguinis Chriſti, qoem ipſe pro eis olim ſudiſſet, quemque ſub ſpecie vini coram cernerent, magis ad martyrium pro Chriſti numine ſubeundum animarétur. *Rationabiliter mutatus eſt modus cõmunicandi.* Cæterum cum iam ceſſaſſet ea perſecutio, multaque inconuenientia quotidie magis ac magis inſurgeret, cuiuſmodi ſuperius memorauimus, quibus horrere cœperuot fidelũ animi, ſenſim conſenſu quodam tacito per omnes eccleſias altera ſpecies adempta fuerat: atque ita populus ob euitanda crebra pericula, tacitis omnium ſuffragiis, vt ante diximus, aſſenſum præbuit quatenus laicis ſub vna tantùm ſpecie ſacramentum iſtud exhiberetur.

1. Corinth 11. Adde, quòd Paulus in epiſtola ſua generalitatem illam, cui potiſſimom Lutherus innititur, nimirum, Bibite ex eo omnes, penitus omiſit, ne qoa inde fortaſſis anſa credendi caperetur à poſteris, ſibi videlicet fore neceſſariũ vt ſanguinem è calice potarent, quemadmodum & ſacerdotes iam faciunt. Præuidit forte Paulus hunc murem aliquando tandem inualiturum, quem iam prorſus inoleuiſſe conſpicimus.

Iam dilucidũ eſſe cunctis opinor, quàm prorſus omni robore careaor Lutherana robora, quibus iam pridem arrugantia ploſqoam Gigantea ſupercilium extulit, vt meritiſſime regeramus in *Conuicia in Lutherũ regerenda.* eum, quicquid in illuſtriſſimũ ipſe Regem prius euomuerit immeritiſſime. Nus verba tantum immutabimus, quibus Regis facta eſt mentio.

Intelligis lector ex bis Lutheri neqoitiam. Vide nunc an vlla ſit in tali corpore gutta Chriſtiani ſanguinis, aut in eius animo ſcintilla quæpiam boni viri. Quem rogo non vrat hæc pluſquam ſophiſtica malitia, ſimul & impudentia, quæ ex animo & de induſtria ſic aduerſus agnitam veritatem inſanit, vt non modo ſuis auditoribus, ſed & orbi toti velit tam rationabilem & ſalutarem conſoetudinem extinctam & ſepultã eſſe? Planè vas electionis eſt Sathanæ, & digniſſimus impugnator eccleſiæ catholicæ. Eo ſtudio & pleraque alia molitur in omnibus quæ ſcribit. Sed pius lector hoc ſigno diſcat eum cauere, ceu ſentinam mortis: & ſuſpectum habeat per ſingulos apices. Nulla venia dignus eſt, quia nullus error hic eſt, ſed mera nequitia, & indurata malitia ad mentiendum & blaſphemandum intenta. Hactenus in Lutheri caput, eius propria verba regeſſimus, quę rectius in alium neminé competunt quàm in Lutherum ipſum.

XX. Sed iam oſtendamus Regem abunde ſatis feciſſe cunctis Lutheri ſcripturis & rationibus: Lutherum contrà præteriuiſſe multa, quæ ſibi per Regem obiecta fuerant. *Rex Angliæ corrupit fundamenta Lutheri.* Primum quantũ ad ſcripturas, Lutherus, vt ſupra diximus, nullã attulit quæ præcipiat hoc ſacramentum ſub vtraq; ſpecie cunctis accipiendum eſſe, præter hanc vnam, nempe, Bibite ex eo omnes. At hanc ipſe Lutherus negat vrgere laicos vt ſub vtraque ſpecie recipiant: *Primi deſtructio.* quare factum eſt vt etiam ob id Rex Lutherum inconſtantiæ damnarit. Sunt enim hæc quæ ſequuntur verba Regis ad lectorem: *Verba Regis.* At vide quæſo quàm vacillat ac ſibi repugnat Lutherus. Voo loco dicit, Chriſtum in cœna omuibus omnino fidelibus, non permittendo, ſed præcipiendo dixiſſe: Bibite ex eo omnes. Poſtea vero timens ne laicos, quibus in ſacerdotum odiũ adulatur, offeoderet, hæc verba ſubiungit: Nõ quòd pecceot in Chriſtum, qui vna ſpecie vtũtur, cum Chriſtus non præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuſlibet reliquerit, dicens: Quotieſcunq; hæc feceritis, in mei memoriam facietis. *Lucæ 22.* Hactenus ipſe Rex. An noo perſpicis lector vtrumque Lutherum affirmaſſe, *Epiſcopus.* nempe quòd præceperit Chriſtus, & non præceperit: quæ manifeſte pugnant? Propter quod & Rex adiecit: Quid opus eſt ergo nos illi contradicere, qui ſibi toties contradicit ipſe? Palàm eſt igitur ex Lutheri verbis, non eſſe cunctis præceptum, Bibite ex eo omnes. Quamobrem cum ipſe nullum aliod è ſcripturis præceptum afferre queat, Regia celſitudo ſatis hoc primum Lutheri robur euertit. Et tamen ad inconſtantiam de qua tam aperte conuincitur, ſilet penitus.

Deſtructio ſecundi. Secundum etiam robur Lutheri, quod in eo conſiſtit, qnòd non liceat Chriſti inſtitutum mutare, ſatis efficaciter ipſe Rex enerr uit, docens Chriſti inſtiturum ob iuſtas cauſas mutari potuiſſe, *Eccleſia mutauit inſtituta Chriſti.* qoemadmodum aperte couſtat in pleriſque fuiſſe mutatum tam ex parte temporis, nempe quòd Chriſtus poſt cœnam ipſam inſtituit, cum eccleſia ſumendum iubeat à ieiunis: quàm quòd aquam etiam vino commiſcendam eccleſia præcipit, quod tamen neq; per Paulũ neq; per Euangeliſtas vt quiſquam faceret erat expreſſum. Protulit & ex Auguſtini verbis euidens teſtimoniũ, quo nõ eſt veritus Auguſtinus aſſerere mutationem illã à Spiritu ſancto proceſſiſſe. Sed & idem Auguſtin⁹ paulò pòſt in eodé loco teſtatur, Chriſtum Apoſtolis reliquiſſe totius ipſius ſacraméti diſpoſitioné & ordiné. Quam rem ex Pauli verbis colligit, cum is de ſacraméto hoc locutus dixerit: Cætera, cum venero, diſponã. *1. Corinth. 11.* Quando igitur perſpicuũ eſt quòd Chriſtus neutram partem omnibus Chriſtianis dari iuſſit, ſed hoc ipſum arbitrio eccleſiæ reliquit ordinandũ, quis dubitare poteſt, quin eccleſia, ſancti Spiritus (qno iã regitur) inſtinctu ſic ordinauerit, vt ſub altera ſpecie duntaxat hoc ſacramentum laicis conferatur?

Tertium

Deſtructio tertij.

Tertium item robur infirmatur ex eo, quòd docetur aliter mãdari Baptiſmum quàm Euchariſtiam. Baptiſmus enim palàm præcipitur, dicente Chriſto Apoſtolis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. (*Matth. 28.*) Verum nuſquam ita præcipitur de ſacramento Euchariſtiæ: quam rem euicit Rex ex ipſius Lutheri verbis. Lutherus enim aſſeruit non eſſe præceptum laicis vt ex calice biberent. quare non eſt ſimile de Baptiſmo & Euchariſtia.

xxi. *Deſtructio quarti.*

Soluitur & quartum robur, quia non eſt Euchariſtia ſignum remiſſionis peccatorum. Nec valet conſecutio: Chriſtus dicit ſuum ſanguinem fundi in remiſſionem peccatorum, ergo hoc ſacramentum ſignum eſt remiſſionis peccatorum. Hæc ſequela ſi bona foret, multum Bohemis ſuffragaretur, & rectè concitaret laicorum odium in ſacerdotes: in qua re vehemẽter ipſe Rex Lutherum pungit, inquiens:

Verba Regis.

Interim verò liber excutere quàm fraudulenter per ſpeciem fauoris in laicos conetur eorum odium concitare in ſacerdotes. Nam cum decreuiſſet eccleſiæ fidem ſuſpectam reddere, ne quid ponderis eius haberet authoritas, atque ita facta via, præcipua quæq; Chriſtianæ religionis euertere, ab ea re ſumpſit initium, cui populum ſperabat alacriter applauſurum. Tetigit enim vetus vlcus, quo pridem vlcerata eſt Bohemia, quòd laici ſub vtraque ſpecie non recipiant Euchariſtiam. Eam rem cum prius ita tractaſſet, vt duntaxat diceret, rectè facturum Pontificem, ſi curaret communi concilio ſtatuendum, vt ſub vtraque ſpecie laici communicarent: poſt vbi neſcio quis illud ei negauit, non contentus in eo manere quod dixerat, ſic profecit in peius, vt totum clerum condemnet impietatis, quòd iſtud nõ faciant nõ expectato Concilio. Hactenus ipſe Rex.

Deſtructio quinti.

Diluitur & quintum robur ex eo, quòd per eccleſiam infantibus adempta ſit vtraq; ſpecies, qui tamen aliquandiu ſoliti ſint communicare. Neque negat iuſte ſublatam, quandoquidem in Captiuitate Babylonica recenſet ex Auguſtino, citra ſacramentum eos manducare carnem & bibere ſanguinem Chriſti. Sed hic Regem ipſum iterum audiamus.

Verba Regis.

At iſtud miror, tam vehementer indignari Lutherum laicis ademptam alteram, cum nihil eum permoueat quòd vtraque ſpecies adimatur infantibus: nam illos olim communicaſſe, nec ipſe negare poteſt. Qui mos ſi rectè fuit omiſſus, quanquam Chriſtus dicat, Bibite ex hoc omnes, (*Matth. 26.*) nec quiſquã dubitat quin cauſæ fuerint magnæ, etiam ſi nunc earum nemo meminiſſet: cur non etiam cogitemus bonis iuſtiſq; rationibus, quãtumuis nunc ignoratis, abolitam eſſe conſuetudinẽ, qua laici olim, nec id fortaſſe diu, ſub vtraque ſpecie ſolebant recipere ſacramentum? Hactenus ipſe Rex. Hic aduertis lector quòd tametſi dixiſſet Chriſtus, Bibite ex eo omnes: infantibus tamen vtraq; ſpecies adimitur. atq; ita quoties occurrerint idoneæ cauſæ, vel altera vel vtraque per eccleſiam tolli poterit.

Sextum robur nuſquam comparuit, quo factum eſt vt Rex non potuerit illud infirmare. xxii.

Deſtructio ſeptimi.

Septimum robur etiam Rex è Lutheri manibus eripuit: quanquam ſuperbiſſime gloriatur, hoc argumentum aſſertori ſacramentorum dixiſſe, Noli me tangere. Tetigit & contriuit penitus: quod & facile fuit, cum omni robore careat. Nihil enim magis efficit, quàm quòd tempore Pauli mos erat fidelibus ſub vtraque ſpecie communicare. quod nemo negat. Atque idcirco Rex affirmauit hunc morem ob iuſtas cauſas deſiiſſe, dicens: Cæterum, etiam ſi cauſas non viderem cur non decernat eccleſia vt vtraq; ſpecies miniſtretur laicis, tamen dubitare non poſſem, quin ſint idoneæ, quæ & olim fecerunt vt id omitteretur, & nunc quoq; faciant ne redintegretur. Sed & ſubinde robuſtiſſima quadam coniectura docet, clerum nõ ſine iuſtiſſimis cauſis id feciſſe. Nec plane aſſentior, inquit, totum clerum per tot ſecula fuiſſe tam ſtolidum, vt ſe obſtrinxerit æterno ſupplicio propter eam rem vnde nihil reportaret commodi temporalis.

Poſtremò rationem adiicit efficacem dicens: Imò verò quàm nihil ſit talis periculi, vel hoc euidenter oſtendit, quòd eos qui non tantũ iſtud fecerunt, verumetiam qui ſcripſerunt eſſe faciendum, Deus non modo ſuſcepit in cœlum, verumetiam voluit eſſe venerandos in terris, & ab hominibus honorari, à quibus honoratur ipſe. Inter quos fuit (vt de aliis interim taceam) vir eruditiſſimus & idem ſanctiſſimus Diuus Thomas Aquinas. (*Laus ſancti Thomæ de Aquino.*) quem ideo libentius commemoro, quoniam eius viri ſanctitatem, Lutheri ferre non poteſt impietas, ſed quem omnes Chriſtiani venerantur, pollutis labiis vbiq; blaſphemat. Quanquam ſunt permulti, qui etiam ſi pro ſanctis recepti non ſunt: tamen ſiue doctrina, ſiue pietate ſpectentur, tales ſunt, vt Lutherus eis comparari non poſſit, qui hac in re contrarium Luthero ſentiunt: inter quos ſunt Magiſter ſententiarum, & Nicolaus de Lyra, & complures alij quorum cuilibet magis expedit Chriſtianos omnes quàm Luthero credere.

Ecce lector quàm validiſsimè Rex illuſtriſsimus robur iſtud Lutheranum penitus redegit in nihilum, & planè docuit cuncta robora Lutheri perinde eſſe atque ſagittas paruulorum quæ nihil penitus lædant.

At e diuerſo Lutherus fortia Regis iacula declinauit penitus. xxiii. Nihil enim reſpondet ad illam contradictionem quam ei Rex obiecit, nempe quod Chriſtus præceperit & nõ præceperit cunctis è ſanguine ſuo bibere. Et ne ſubterfugiat Lutherus hanc contradictionem, locos ipſos memorabimus. (*Conuincitur palàm ſibi contradixiſſe Lutherus.*) Sic enim ait in prima captiuitate ſua: Ego fateor iſta me ratione mihi inuicta ſuperatum, nec legiſſe, nec audiuiſſe, nec inueniſſe quid contra dicam, cum hic Chriſti verbum & exemplum ſtet firmiſsime, vbi non permittendo ſed præcipiendo dicit, Bibite ex eo omnes. Rurſum in principio ſecundæ Captiuitatis ſic ait: Non quòd peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, cum Chriſtus non præceperit

vlla vtl: ſed arbitrio cuiuslibet reliquit, dicens: Quotieſcunqne hæc feceritis, in mei memoriam facietis. Ecce in priori præcepiſſe Chriſtum affirmat, & in poſteriori non præcepiſſe. Sed & enm Rex nullam in ſacerdotibus culpam eſſe dicit, qnos ramen Lutherus ceu reos arguit, nihil is reſpondet. Et profectò nullam impingere ſacerdotibus culpam in hac re Lutherus iure poteſt, cum nuſquam eis præcipiatur vt dent ſub vtraque ſpecie. Nam ſi ſit alicubi præceptum, locum ipſe proferat. Si neqneat, cur abſque ſcripturis illud aſſerit, qui nihil ſine ſcripturis admitti velit? Et cum Rex planè doceat hanc conſuetudinem haudquaqnam inuitis laicis inoleuiſſe, hic omnino Lutherus tacet. Sed Regem ipſum audiamus: Hic igitnr ſi quis eum percontetur, qui ſciat iſtum ritum inoleuiſſe renitente populo: non poteſt, opinor, docere. Cur ergo rorum condemnat clerum quòd laicis inuitis ademerit ſnnm ius, cum id inuitis eſſe factum nullo poſſit documento probare? Quanto fuit æquius, ſi niſi volentibus illis rectè nequiuit inſtitui, pronunciare pro tot ſeculorum cõſuetudine plebis interueniſſe cõſenſum? Ego certè, qui video quas res à plebe clerus obtinere non poteſt tantum quidem, quin ferme ſub ipſo altari ſuorum condant cadauera: non facilè credo populum fuiſſe paſſurnm, vt inuiti per contumeliam in tanta re ab vlla iuris ſui parte pellerentur, ſed cauſis aliquor idoneis è laicorum quoqne volnntate conſtitutum. Nihil ad iſta Lutherus reſpondet.

Sacerdotes non culpantur de alterius ſpeciei ſubtractione.

xxiiii. Et cnm Luthero Romanos aſſerenti potius hæreticos & impios atq; ſchiſmaticos eſſe quàm Bohemos aut Græcos, quod illi ſolo figmento ſno (quemadmodum ait Lutherus) contra euidentes Dei ſcripturas præſumant, Rex ad hunc modum oppoſuiſſet: Si Lutherus nihil admittit aliud, quàm euidentes Dei ſcripturas: cur non inbet Euchariſtiam, vti dixi, ſnmi à cœnantibus? Nam ſic factum à Chriſto ſcriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, non humano figmento, ſed eodem authore Deo, factum in eccleſia ne laici ſub vtraque ſpecie reciperent Euchariſtiam, qno authore factum eſt vt reciperetur à ieiunis? Placuit enim, vt ait Beatus Auguſtinus, Spiritui ſancto, vt corpus Domini, quod poſt alios cibos ab Apoſtolis in cœna receptum eſt, ante alios cibos à ieiunis reciperetur in eccleſia. Videtur ergo veriſimile, quòd Spiritus ſanctus, qui Chriſti regit eccleſiam, ſicut Euchariſtiæ ſacramentum mutauit à cœnantibus ad ieiunos: ita laicos ab vtraqne ſpecie deduxit in alteram. Nam qui alterum mutare potuit, cur non alterare potuerit & alterum? Et hic Lutherus obmutuit prorſus.

Corpus Chriſti a ieiunis ſumendum.

Cæterum ne ſectatoribus ſnis nihil feciſſe videatur, duas tantnm particnlas furibundus aggreditur: quas & molitur pedibus omnino conculcare. Sed nequicquam agit. Neque enim Regis argumentum iuſte recenſuit, ſed vulpino ſuo more meliorem eius partem ſubtienit. Nam ita Lutherus: Eccleſia (inqnit Rex) manè communicat ſacramento, quod Chriſtus fecit veſperi, deinde nos aquam vino miſcemus: de qno tamen nihil meminit ſcriptura. Quare ſi eccleſia hic potuit aliud facere aut inſtituere, potuit & aliam partem ſacramenti tollere. Sic Lutherus Regem recenſet, atque ita magnis roboribus duas regias argumentationes mutilauit. Sed audi lector, quibus verbis Rex ipſe priorem extulit rationem. Poſtquam enim infantibus vtranque ſpeciem ademptam Rex in medium attuliſſet, & id bonis iuſtisque rationibus factum, ſe nihil dubitare teſtatus eſſet: collegit æquali iure fieri potuiſſe, vt adultis altera ſpecies ob iuſtas cauſas adimeretur. Iam alreram rationem prioribus adiungit, his verbis:

Lutherus detruncat verba Regis.

Præterea ſi eam rem ad exactam Euangelicæ narrationis formam reuocat Lutherus, neque quicqnam prorſus permittit eccleſiæ: cur Euchariſtiam non iubet ſemper in cœna recipi, imò verò poſt cœnam? Hic lector aduerte quid Rex moliatur, nimirum quòd ſi potuiſſet eccleſia (qnam ipſe perſuaſiſſimum ex ſcripturis habet Spiritu ſancto regi) quippiã ordinationis Euangelicæ variare: potuit etiam immutare plus vel minus prout congruentia cauſarum poſtulauerit. Neque enim cæterorum qnoduis diſtrictius præcipitur, quàm tempus ipſum. Nam vt Chriſtus ipſe carnem & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini dedit, ita & veſperi poſt cœnam dedit. Quamobrem ſi propter bonas & iuſtas rationes eccleſię licuit hanc temporis circumſtantiam variare, idque non abſque ſancti Spiritus inſtinctu feciſſe creditur: cur non potuit etiam cæterorum nonnihil, vbi æque iuſtæ cauſæ fuerint, ſimiliter immutare?

Verba Regis.

Epilogus.

Eccleſia mutat ordinationes Euangelicas.

Sed & poſt hanc argumentationem Rex alteram ſubiecit in hac forma: Denique non minns incommodi fuerit, in hoc ſacramento facere ſi quid feciſſe non debeas, quàm ſi quid non facias quod feciſſe debueras. Ergo ſi totius eccleſiæ conſuetudo rectnm non facit, vt in laicis omittatur ſpecies vini: qua ratione aquam in vinum audet Lutherus infundere? Neq; enim tam audacem puto, vt ſine aqua conſecret, quam tamen vt admiſceret, neque exemplum habet ex cœna Dominica, neq; ex Apoſtoli traditione compertum, ſed ſola eccleſiæ conſuetudine didicit: cui ſi putat hac in parte parendum, cur eam in altera tam arroganter oppugnat? xxv.

Verba Regis.

Aquam non infudit Chriſtus in cœna.

Vides hic lector longè aliam Regis eſſe rationem, quàm Lutherus iam recenſuit. Sic enim quoduis argumentum facillime diluetur, ſi liceat aduerſario quicquid opponitur, ad modum iſtũ pro ſuo arbitrio mutilare. Rex nõ aliud molitur, quàm quod huius ſacramenti diſpoſitio relicta ſit iudicio procerum eccleſiæ: quam rem pluribus argumentis in vnum collectis apertè docet. Nunquam enim (vt ait) viri tanta ſanctitate tantaq; eruditione ſimulq; miraculis conſpicui, rem tam auguſtam auſi fuiſſent aliquo pacto mutare, nec in vlla quidem circumſtantia. Nunquã certè vetuiſſent poſt cœnam & cibos Euchariſtiam ſumi, nunqnam præcepiſſent admiſcẽdam aquam, niſi planè perſuaſiſſimum habuiſſent id omnino licere

Diſpoſitio Euchariſtiæ relinquitur ſacerdotibus.

licere ſibi: ſed neq; laici tam vnanimiter vnquam conſenſiſſent vel alteram ſpeciē ſibi, vel vtramq; *Reſponſ.* ſuis infantibus adimendā. At Lutherus iſta ſeorſum & villicatim aggreditur. Et dettactis cuique argumēto ſuis viribus, iam vbi mutilatū eſt, confodere ſtudet: & ſua, non Regis argumenta, iugulare conatur. Nullum enim regis argumentū harum particularum meminit, extra ſcripturam, & contra ſcripturam: & tamen haud pudet Lutherum aſſerere regem ita fuiſſe argumētatum: *Lutherus corrumpit Regis argumenta.* Aliquid fit extra ſcripturam, ergo contra ſcripturam eſt ſentiendum. Nuſquam in toto libello ſuo Rex ita eſt argumentatus. Sed neq; ad eum modum, quem Lutherus proximè ſubdit: Vinum miſcetur aqua ex teſtimonio ſcripturæ: ergo ſcriptura alteram partem ſtatuens, damnanda. Sic bellua perfrictiſſimæ frontis nunquam non mentitur. Neq; ſolum falſum eſt, quòd iis argumentis Rex fuiſſet vſus, verumetiam quod Lutherus molitur, tam in eo quod antecedit, quàm in eo quod conſequitur in hac poſteriori collectione, falſiſſimum eſt. Molitur enim hoc Lutherus, quòd in ſcripturis vbi traditur cœna Dominica, ſtatuatur vtraque ſpecies cunctis accipienda: atque ex eo pender, quicquid multa loquacitate poſtea blaterat. Sed aduerte lector quàm fraudulenter vulpes iſta loquitur: Scriptura (inquit) alteram partem ſtatuens. Verum quidem eſt ſcripturam vtramque partem ſtatuiſſe. At nō eſt verum quòd vtramque partem ſtatuerit cunctis accipiendam: *Scriptura non ſtatuit cunctis ſub vtraq; ſpecie communicandum.* quod tamen his verbis videri vult Lutherus: imò neutram partē ſcriptura cunctis inſtituit. Quòd ſi ſcriptura neutram partem cunctis accipiendam inſtituerit: quomodo contra ſcripturam erit quòd vel altera vel vtraque pars adimatur? aut quomodo ſcripturas damnant, qui bonis & iuſtis cauſis moti, nunc alteram, nunc vtramque ſubtrahunt partem?

Sed & rurſum id quod in antecedenti Lutherus conatur, nempe quòd extra ſcripturæ teſtimonium aqua vino miſceatur, non eſt vſquequaque verum. Nam licet id in ſcriptura cœnæ Dominicæ nequaquam ſit traditum, ex aliis tamen ſcripturis colligere licet. Neque ſolum ex ſcripturis, verumetiam ex reuelatione, ſimul & Apoſtolica traditione, quemadmodum ex ſententiis veterum poſtea referemus: vt exploratiſſimum ſit, Lutherum fruſtra ſuum ſenſum opponere: contra tot & tam ſolida teſtimonia. Perſpicuum enim erit non eſſe figmentum humanum, neque ſignificationem habere peſſimam, vt Lutherus impiè contendit. Sed nunc argumentationi regię finem imponamus, quam ille ſic concludit: *Conclusio Regis. Laicos rectè communicatur ſub vna ſpecie tantùm.* Qua de re quicquid Lutherus obgannit, ego certe tutius opinor credere, laicos rectè ſub altera tantum ſpecie communicatos, quàm per tot ſecula totum clerum (quod iſte diſputat) hac vna de cauſa fuiſſe damnatum. Nam omnes appellat impios, & tales, vt inciderint in crimen læſæ maieſtatis Euangelicæ. Hactenus ipſe Rex.

XXVI. Et ſanè longè tutius erit creditu, laicos rectè ſub altera tantùm ſpecie communicatos, quàm totum clerum hac vna de cauſa fuiſſe damnatum: cum certò conſtet eccleſiam (vt ſæpe diximus) ſancto Spiritu regi.

Iam igitur ad id quod ſumus polliciti, reuertamur, vt oſtendamus videlicet aquam vino rectè miſcendum eſſe.

Cyprianus primùm, & ex ſcripturis, & ex Dominica reuelatione ſe teſtatur idipſum accepiſſe. *Aqua vino in calice conſecrationis rectè miſcetur.* Sed de reuelatione prius videamus. Sic enim in epiſtola quadam ad Cæcilium, quam de miſcenda aqua in calice ſcripſit, ſe fatetur à Domino fuiſſe admonitum, vt ita faceret, hoc eſt vt aquam vino miſceret. Nec hoc putes (inquit) frater chariſſime, noſtra & humana mente conſcribere, aut vltronea voluntate hoc nobis audaciter aſſumere, cum mediocritatem noſtram ſemper humili & verecunda moderatione teneamus. Sed quando aliquid Deo inſpirante & mandante præcipitur, neceſſe eſt Domino ſeruus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes, quòd nihil ſibi arroganter aſſumat, qui offenſam Domini timere compellitur, niſi faciat quod iubetur. Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neq; aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Hæc Cyprianus. Ecce lector, primùm hic ſanctiſſimus & doctiſſim⁹ martyr a Deo ſibi inſpirante & mandante fuiſſe præceptum affirmat, vt calicem non aqua ſola, nec vino ſolo, ſed vino mixtum offeramus. Deinde Chriſtum aſſerit idipſum in cœna feciſſe, quod & *Chriſtus miſcuit vinum aqua in cœna.* poſtea ſcripturis confirmat: & potiſſimum ex Salomone. Per Salomonem (inquit) Spiritus ſanctus typum Dominici ſacrificij præmonſtrat, dicens: Sapientia ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem: *Sapient. 9.* mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit menſam ſuam. Et miſit ſeruos conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem ſuum, dicens: Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Et ſubdit Cyprianus: Vinum mixtum declarat, id eſt calicem Domini vino & aqua mixtum prophetica voce denunciat. Hæc Cyprianus.

Adde quòd ſanguini vitulorum & hircorum, quo Moſes vetus teſtamentum cōfirmauit, aqua admiſcebatur: quemadmodum & Paulus ad Hebræos teſtatur. *Hebr. 9.* Lecto (inquit) omni mandato legis à Moſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, ipſum librum & omnem populum reſperſit. At ille ſanguis erat huius figura. Nam vt illo vetus, ita & iſto nouum teſtamentum confirmabatur. Intelligis itaq; lector, Cyprianum non modo reuelatione, verumetiam ſcriptura confirmaſſe, vino aquam admiſceri debere. Lutherus tamē & ſcripturarum & myſteriorum impudentiſſimus temerator, ſuum ſpiritum & ſenſum ſequens, concedit melius & tutius fore vt non miſceatur aqua vino: cum id (vt ait) ſit merè figmentum humanum, & ſiniſtram, imò peſſimā habeat ſignificationem. Sed væ prophetis qui ſuum ſpiritum ſequuntur. *Ezech. 13.* Et maximè væ illi, qui ſuo ſenſui con-

tra tot orthodoxorum Patrum ſententias non veretur inniti. Neq; enim Cyprianus hoc ſolum aſſeruit, verumetiam Hieronymus apertè ſubſcribit, inquiens: Dominici ſanguinis vinum aqua eſſe miſcendum, non ſolum traditione, ſed ipſo etiam genere mortis & paſſionis Dominus
Iohan. 19. noſter oſtendit, ex cuius ſacro latere ſanguis & aqua lanceæ illiſione effluxit. Hæc Hieronymus.

Ecce hic & præter Apoſtolicam traditionem ſcripturam item alteram Hieronymus adducit, nempe de ſanguine ſimul & aqua quæ fluxerunt è latere Chriſti, cum eſſet perfoſſum lancea.

Accedit huic Chryſoſtomus. Ad hæc (inquit) & arcanum myſterium conſummatum eſt. Exiuit enim ſanguis & aqua. non caſu & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt, ſed quoniam ex ambobus eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati. per aquam enim regenerati, ſanguine & carne nutriti ſunt. Hinc myſteria ortum habent, vt quoties ad admirandũ calicem accedis, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas. Hæc Chryſoſtomus.

Aſtipulatur his & Damaſcenus, affirmans in cœna Chriſtum in calice vinum aqua mixtum
Matth. 26. habuiſſe. Similiter (inquit) accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis, dicens: Bibite ex eo omnes. Hæc Damaſcenus.

Conſenſit & Ambroſius, dicens: Ante verba Chriſti calix fuit vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Hæc ille.

Accedit & his Auguſtinus illud Euangelicum
Iohan. 19. explicans: Et continuo exiuit ſanguis & aqua. Ille ſanguis (inquit) in remiſſionem fuſus eſt peccatorum: aqua illa, ſalutare temperat poculum. Et rurſum alibi: In Euchariſtia (inquit) non debet pura aqua offerri, vt quidam ſobrietatis falluntur imagine: ſed vinum cum aqua mixtum.

Roffenſis. Intelligis ex his lector, aquam vino miſceri debere, cum ex reuelatione quam Cyprianus accepiſſe ſe teſtatur, tum ex ſcripturis & patrũm teſtimoniis, quæ rem ipſam prorſus aſſeuerant. Iam ex eiſdem oſtendemus non omnino peſſimam (vt Lutherus temere dicit) eſſe mixtionis huius ſignificationem.

XXVII. Cyprianus ipſe primùm ſuam dicat ſententiã.
Non eſt parua mixtionis ſignificatio. Aquas (inquit) populos ſignificare in Apocalypſi ſcriptura diuina declarat, dicens: Aquæ quas
Apocal. 17. vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix illa, populi ſunt, & turbæ, & gentes Ethnicorum, & linguæ. Quod ſcilicet perſpicimus & in ſacramento Dominici calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt commixtio illa non poſſit ab inuicem ſeparari. Vnde eccleſiam, id eſt plebem in eccleſia conſtitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit perſeuerantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto quo minus hæreat ſemper & maneat in diuina dilectione. Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem vtrunque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur. Hæc Cyprianus. Concors huic eſt Hieronymus. Aduertimus (inquit) in aquis figuras gentium deſignari, dicente Iohanne in Apocalypſi: Aquæ quas vidiſti, populi multi ſunt. *Apocal. 17.*
In vino autem ſanguinem Dominicæ paſsionis oſtendi. Ac ſi cum in huius ſacramenti oblatione vino aqua miſcetur, eo ipſo deſignatur quòd Chriſto fidelis populus incorporatur iungiturque, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur. Hæc Hieronymus.

Sed & alij myſticam huius mixtionis ſignifi- XXVIII.
cantiam intelligunt ex redemptione populi quæ *Aqua & vini mixtio redemptionem humani generis ſignificat.* fiebat mediante ſanguine qui pro eis fundebatur. Cuius ſentẽtiæ videtur & Ambroſius fuiſſe, cum dixit prius in calice fuiſſe vinum cum aqua, poſtea ſanguinem qui redemit plebem.

Auguſtinus aquam vino miſceri putat ad ſignificandum aquam quæ cum ſanguine pariter effluxit de latere Chriſti. Deniq; Paſchaſius idem *Iohan. 19.*
ſenſiſſe videtur, inquiens: Cur in calice aqua miſceatur, illa permaximè cauſa eſt, quia de latere Chriſti, vbi paſsio completur, ſanguis pariter & aqua manauit.

Beda ſignificationem duplicem eius rei tra- *In Lucæ 22. cap. libro 6. cap. 88.*
dit: alteram, qua Cypriano Hieronymoque ſubſcribit, nimirum iſtam: Verum quia & nos in Chriſto, & in nobis Chriſtum manere oportet, *Mixtio calicis duo ſignificat.* vino Dominici calicis aqua miſcetur. atteſtante enim Iohanne, aquæ populi ſunt. *Apocal. 17.* Hæc vna quidem ſignificatio eſt. Poſtea verò ſubiungit alteram: Et [ne] vel Chriſtum (inquit) ſine noſtræ redemptionis amore pati potuiſſe, vel nos ſine illius paſsione ſaluari, ac patri offerri poſſe, confingat. Perinde ac ſi dixiſſet, Miſcetur aqua vino, quatenus aqua plebem, vinum autem ſanguinem in paſsione fuſum referat: vt intelligamus nos abſque Chriſti paſsione minime redimi potuiſſe.

Cæterum tanta eſt Lutheri temeritas, vt nihil *Luth. orthodoxos relatatur.* vereatur contra tot Patrum ſententias proprium ſenſum opponere.

Et meo (inquit) ſenſu melius & tutius foret a- "
quam non miſceri vino: cum ſit merè figmen- "
tum humanum, & ſiniſtram, imò peſsimam ha- "
beat ſignificationem. nõ enim ſignificat noſtram "
in Chriſto incorporationem: cum ſimile ſignum "
non habeat ſcriptura. Hæc Lutherus, qui certus "
eſt ſua dogmata ſe habere de cœlo: cum tamen & hic planè mentiatur. Nam & in ſacrificiis in quibus vinum offerebatur, idem aqua mixtum fuerat. Quod & Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis duxit annotandum. Notandum (inquit) quòd vinum quod Deo in ſacrificium offerebatur, aqua mixtum erat. Quòd ſi in ſacrificiis quæ offerebantur Deo, vinũ erat aqua mixtum =

ea

ea mixtio non potuit non myſticam aliquam habere ſignificationem; quæ nec erat (vt Lutherus affirmat) omnino peſſima. Sed quia ſemel in ſcripturis in malam partem vſurpatur hæc mixtio: id Luthero ſcilicet eſt ſatis, vt colligat ita ſemper & vbique fieri oportere, quaſi non ſint eiuſmodi pleraque, quæ nunc ob vnam rationem in malam partem, nunc ob aliam in bonam partem accipi ſoleant.

Epilogus. Ex his itaque patet aquam debere vino in calice miſceri, tam ex ſcripturis quàm ex reuelatione, ſimul & patrum teſtimoniis: neque mixtionem illam peſſimã habere ſignificationem. Sed *Antypophora.* hic forte quiſpiam dicet, me iam ſubruiſſe rationem regiam, quæ propterea collegit licere nonnihil aliter in hoc ſacramento mutare, quàm Chriſtus ipſum tradiderit, quòd nos aquam calici miſcemus aliter quàm feciſſet Chriſtus. Reſpondeo quòd aduerſus Lutherum ratio Regis adhuc omnino valida eſt, quippe quòd Lutherus neget aquam oportere miſceri, eo quòd in ſcripturis quæ ad cœnam Dominicam ſpectant, nulla prorſus aquæ fit mentio. Idem igitur eſt Luthero, non illic eſſe, & non debere fieri: id quod Rex omnino conuulſit, & nos antea nec ſemel oſtendimus, multa per Apoſtolos eccleſiæ fuiſſe tradita, quæ nuſquam in ſcripturis inueniuntur.

Sed hactenus aduerſus primam Lutheri Captiuitatem.

Non manere ſubſtantiam panis cum ſacroſancto Chriſti corpore.

Cap. IIII.

1\. QVarto loco contendit Lutherus, poſt conſecratam Euchariſtiam manere panem, & eundem eſſe corpus Chriſti. Et hic principio Regem inceſſit, perinde ac ſi præter Ambroſij verbum, Et oportet ſic eſſe, nihil attuliſſet quod Lutheri ſententiam refelleret. Quod ſi verum fuerit, non eſt mentitus Lutherus. Sin contrà falſiſſimum ſit, vt iam planè deprehendes lector, quis illum tuebitur à mendacio? Ex hoc iterum diſce quanta ſit hominis huius impudentia: qui cum vbique tam apertis ſcatet mendaciis, audet tamen aſſerere ſe certum eſſe, ſua dogmata ſe habere de cœlo. Perſpicies lector nihil hic noui Lutherum adduxiſſe præter conuicia, quorum ſe præbet mirum artificem, quibuſque multo magis quàm ſolidis argumentis confidit. Illis auditores ita ſe faſcinaturum ſperat, & eorum aures occupaturum, vt errores aduertendi nullum præterea ſit ocium. Sed tu candide lector aurem alteram illuſtriſſimo Regi ſerua: comperieſq; nihil eorum quibus Lutherus nititur, ſolidum eſſe, ſed cuncta funditus euerſa. Contra panis tranſſubſtantiationem in Babylonica ſua captiuitate rationem hanc primam attulit.

» Eſt (inquit) meæ ſententiæ ratio magna, in
» primis illa, quòd verbis diuinis non eſt vlla faci-
» enda vis, neque per hominem, neque per ange-
« lum, ſed quantum fieri poteſt, in ſimpliciſſima ſi-
« gnificatione ſeruanda ſunt: & niſi manifeſta cir-
« cumſtantia cogat, extra grammaticam & propri-
« am ſignificantiam accipienda non ſunt, ne detur
« aduerſariis occaſio vniuerſam ſcripturã eluden-
« di. Cum igitur Euangeliſtæ clare ſcribant Chri-
« ſtum accepiſſe panem ac benedixiſſe, & Actuum
« liber & Paulus Apoſtolus panem deinceps ap-
« pellent, verum oportet intelligi panem, verum-
« que vinum, ſicut verum calicem. non enim cali-
« cem tranſſubſtantiari etiam ipſi dicunt. Hacte-
« nus Lutherus.

Hic profectò Rex illuſtriſſimus ita neruos omnes intendit, Lutherumq; ſic proſternit, vt nemo quantumuis in ſcholis exercitatiſſimus id vel acumine, vel impetu queat efficere validiore. Sed ipſum regem audiamus. Hæc eſt ergo magna, & *Verba Regis.* (quemadmodum ait ipſe) primaria Lutheri ratio: quam ego me ſpero facturũ vt omnes quamprimum intelligant nihil magni habere momenti. Nam primum id quod ait, Euangeliſtas clarè dicere: quantumuis clarè dicant, pro Luthero tamen nihil clarè probat: contrà verò quod pro illo probaret, hoc nuſquam dicunt. An non ſcri- *Nõ remanere panẽ post conſecrationem.* bunt (inquit) accepiſſe panem, & benedixiſſe? Quid tum poſtea? Accepiſſe & benedixiſſe, etiam nos fatemur. Panem verò dediſſe diſcipulis poſtquam inde ſuũ corpus confecerat: hoc & nos inſtanter negamus, & Euangeliſtæ nõ dicunt. Quæ res quò fiat apertior, & tergiuerſandi minus pareat locos, Euãgeliſtas ipſos audiamus. Matthæus ergo ſic narrat: Cœnantibus autẽ eis, accepit Ie- *Matth. 26.* ſus panẽ, & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Marci verò verba *Marci 14.* ſunt iſta: Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberũt ex illo omnes: & ait illis, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Lucas denique narrat hoc pacto: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, *Luca 22.* & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quòd pro vobis datur. Hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Ex omnibus his Euangeliſtarum verbis nullũ video locum, in quo poſt conſecrationem ſacramentum vocetur panis aut vinum, ſed tantum corpus & ſanguis. Dicunt in manus Chriſtum ſumpſiſſe panem, id quod etiam nunc fatemur omnes: at cum reciperent Apoſtoli, non panis nominatur, ſed corpus. At Lutherus Euangeliſtæ verba in ſuam partem conatur interpretatione torquere. Accipite, manducate: hoc (id eſt, hic *Lutheri interpretatio.* panis (inquit is) quem acceperat & fregerat) eſt corpus meum. Sed hæc eſt interpretatio Lutheri, non verba Chriſti, neque verborum ſenſus. Si *Confutatio.* panem quem accepit, quemadmodũ accepit, ſic tradi-

rtadidiſſet diſcipulis: nec antè conuertiſſet in carnem, ac porrigēdo dixiſſet, Accipite & manducate: rectè diceretur porrexiſſe quod in manus accepetat. nihil enim fuiſſet aliud quod porrigeretur. At cum priuſquam daret Apoſtolis

Chriſtus conuertit panem in carnem.

manducandum, panem conuertit in carnem, non iam accipiunt panem, quem ille ſuſceperat, ſed corpus eius in quod panem conuerterat. Hactenus ipſe Rex.

II.
Roffenſis.

Lector beneuole quiſquis hæc legeris, te per eruditionem tuam precor, hic toto adſis animo, diligenterque penſites quàm verè Rex ſcopum attigerit, & quàm ineuitabile telum hic in Lutherum vibrauerit. Aduerte primum quàm efficaciter diluat id, quod iuſta argumentatione ſubſumere Lutherum oportuit, nempe quòd ab Euangeliſtis Chriſti corpus verè panis, hoc eſt triticeus panis, vocetur: id quod ipſe tam ex Euangeliſtis quàm ex Apoſtolorum Actis atque etiam ex Paulo monſtrare conabatur. Rex igitur, recenſitis tribus Euangeliſtis, Matthæo, Marco, Luca, palàm docet, ab eorum nemine corpus Chriſti vocari panem, neque ſimul fuiſſe panem & corpus Chriſti: ſed tunc panem fuiſſe, cum illum Chriſtus accepit in manus: at cum Apoſtolis dediſſet, non fuiſſe panem, ſed verè corpus Chriſti. Quamobrem & dixit, Hoc eſt corpus meum: non hic panis, vt Lutherus interpretatur. Nam interea poſtquam acceperat panem, & antequam Apoſtolis ad edendum porrexerat, conuertit ipſum in ſuum corpus: vt iam non panem acceperint Apoſtoli, ſed Chriſti corpus in quod fuerat panis antè conuerſus. Si panis iſte manſiſſet panis, nec mutatus fuiſſet in Chriſti corpus, dixiſſet Chriſtus, Hic eſt corpus meum: vt eſſet pronomen eiuſdem generis, cuius erat & panis demōſtratus, de quo iam facta fuerat mentio, nempe generis maſculini. nam huius generis panem eſſe conſtat non minus apud Græcos, quàm apud Latinos. Sed vt quod dixerat, fiat cunctis dilucidum, exemplū hoc attulit. Quem-

Exemplum Regu.

admodum (inquit) ſi quis cum ſemen accepiſſet, mox inde natum florem alteri daret, aliud accepit, aliud dedit: ſic Chriſtus (inquit) panem accepit, & panem non dedit, ſed corpus proprium, in quod panis antè mutatus fuerat. Vt igitur iſtā conuerſionem factam Chriſtus palàm faceret, noluit dicere, Hic panis eſt corpus meum, ſed, Hoc eſt corpus meum: nempe corpus proprium oſtendens, in quod erat verſus panis. Quando igitur nullus Euangeliſtarum affirmat Chriſtum Apoſtolis dediſſe panem, ſed accepiſſe duntaxat, dediſſeq; ſuum corpus, nihil pro Lutheri parte (quod iam intelligis lector) Euangeliſtarum teſtimonia valent.

Argumentū Lutheri confutatur.

Ratio igitur Lutheri, quam tamen ipſe magnam fuiſſe iactabat, iam nulla eſt, quantum ad Euangeliſtarum attinet teſtimonia, quin magis contra ſeipſum apertè pugnat. Nam ſi grammaticam ſequi debeamus, quis non videt articulo neutri generis, id quod neutri generis eſt monſtrandum eſſe, potius quàm quod eſt generis maſculini? Sed neque negat Lutherus Chriſti corpus fuiſſe realiter præſens in eo quod Apoſtolis ſuis ipſe porrexerat, & antequam porrexerit. Quid ergo prohibet quin Chriſtus oſtēdere potuit corpus ſuum, cum idipſum Apoſtolis porrexit dicens, Hoc eſt corpus meum? Quæ violentia iam Chriſti verbis infertur? Nulla profectò: cum tamen ſi ſic interpreteris, hoc id eſt hic panis, manifeſtiſſimè vim inferas. Quam rem ex ipſius Lutheri verbis apertè docebimus. Nam is affirmat cuiq; liberum eſſe quid malit ex his verbis credere, vel panem eſſe, vel non panem. At ſi ſic accipienda ſint, hoc, id eſt hic panis, iam non eſt liberum. Ergo qui ſic interpretatur, vim omnino Chriſti verbis infert. Iſtud (opinor) tam eſt perſpicuum, vt nemo niſi pertinax opinionis Lutheranæ defenſor, non planè perſpiciat. Et tamen ita conatur elabi Lutherus in hoc poſteriori libello, vt dicat regem petiiſſe principium, cum Rex eius rationi reſpondeat, & planè conuincat illum ſua non probaſſe.

III.
Exemplum Regu.
Exod. 4.

Sed & iſtud obſerua candidiſſime lector, quàm dilucido Rex ea quæ dixerat, exemplo cōprobet è ſcripturis petito. Vt enim Aaronis virga cum eſſet in colubrum verſa, & cum viciſſim ex colubro rediit in virgam, nunquam ſimul fuit & coluber & virga, ita nec panis in corpus Chriſti verſus ſimul fuit panis ac corpus Chriſti. Nam ſi cum colubro virga reſtare non potuit, vt idem ſimul eſſet & coluber & virga, quanto minus reſtare poteſt panis cum carne Chriſti tam incomparabili ſubſtantia, vt idem ſimul dicatur & panis & corpus Chriſti? Sed pro Lutheri parte

Obiectio.

quiſpiam obiectabit, contendens haud aliter fieri poſſe, quin panem verum dederit Apoſtolis: nam ſic Matthæus apertè ſcribit: Veſcentibus autem eis, accepit Ieſus panem: & cum egiſſet gratias, fregit, deditque diſcipulis. Hæc vox, panem, tria verba reſpicit, hoc eſt accepit, fregit, dedit. Panis ergo fuit acceptus, fractus, datus. Nam & Lutherus hoc ipſum iam obiecit. Textus " (inquit) ſic habet: Accepit panem, benedixit, " fregit: & dixit, hoc eſt &c. Vides hic vt omnia " illa verba, accepit, benedixit, fregit, de pane di- " cantur. Et eundem demonſtrat pronomen hoc, " quia illud ipſum quod accepit, benedixit, fregit. " hoc (inquam) acceptum & benedictum & fra- " ctum ſignificatur, cum dicitur, Hoc eſt corpus " meum. non prædicatum, ſed ſubiectum demon- " ſtratur. Non enim corpus ſuum accepit, bene- " dixit, & fregit, ſed panem: ideo non demonſtrat " corpus, ſed panem. At iſtud nihil cogit. Nam ſi-

Dilutio.
Lucæ 22.

militer apud Lucam de calice ſcriptum eſt: Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Hic tametſi calicem accepiſſe ſcribitur, & gratias egiſſe, & dixiſſe, Diuidite inter vos: palàm eſt non intellexiſſe diuidendum eſſe calicem. Sed nos obiectionem Lutheranam apertiori conabimur exemplo diluere. Tradunt hiſtoriæ Iuliam Octauiani Cæſaris filiam ouum in gremio ſuo tamdiu fouiſſe, quoad ſubſtantia tota quæ intra teſtem continebatur, verſa fuiſſet in pullum. Nunc ſi dixeris Iuliam ouum accepiſſe, & poſteaquam diu fouiſſet, fregiſſe, dediſſeque

que nutrici, verum dices: neqne tamen verum eſt quòd ouum ipſa dederit, ſed pullum ſub teſta quæ pridem fuerat oui. Sic nimirum & hic cum
Matth. 26. refert Matthæus de Chriſto, quòd panem acceperit, & gratiis actis fregerit, ac dederit diſcipulis ſuis, nihil ego dubito quin ſic interea Chriſtus hunc panem tractauerit, vt priuſquam eum accepiſſent diſcipuli, verſus eſſet in veram Chriſti
Chriſtus panem vertit in carnem ſuam. carnem. Propter quod & Chriſtus non panem oſtendit, cum dixiſſet, Hoc eſt corpus meum, ſed ſuum ipſius corpus ſub ſpecie panis qui iam conuerſus in carnem fuerat, indicauit.

Similiter & cum ex aqua vinum in nuptiis per Chriſtum fieret, verum eſt quòd ſex illis hydriis
Iohan. 2. aquam infuderint miniſtri, & rurſum hauſerint, ac demum obtulerint architriclino: ſed planè falſum eſt quod hauſerint & obtulerint aquam, licet aquam infuderint, cum interea fuiſſet in vinum aqua verſa. Sed & Chriſtus vt cum infunderetur in hydrias, dixiſſet, hæc eſt aqua: ita cum effunderetur, & propinaretur architriclino, pronunciaſſet hoc eſſe vinum, non iam aquam, quæ non remanſerat, ſed vinum prorſus indicans. His itaque duobus exemplis dilucidum eſſe puto, quòd Chriſtus non panem, ſed ſuum corpus, in quod panis erat conuerſus, demonſtraſſet. Nam
Articulorũ obſeruatio in ſcriptura. haud dubie ſi panem demonſtraſſet, non articulo neutri generis vſus fuiſſet, ſed maſculini, quẽadmodum & regium acumen ſuperius annotauit. Facit pro nobis magnopere mos loquendi ſcripturæ. Nam articulus demonſtrandi paſſim cum re demonſtrata conuenit: id quod apertiſſimè liquet per totam Euangelij ſeriem. Chri-
Iohan. 5. ſtus enim cum apud Iohannem de baptiſta loqueretur, dixit: Ille erat lucerna ardens & lucens: articulus congruit cum re demonſtrata. Et rur-
Matth. 21. ſum cum dicit apud Matthæum, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. quoniam de lapide prius erat ſermo, pronomen eiuſdem generis eſt, cuius & lapis. Quamobrem cum in hoc loco quem tractauimus, planè variatum ſit de genere, tam vbi de corpore loquitur, quàm vbi de ſanguine: manifeſtum eſt quòd voluit intelligi mutationem vtrobique fuiſſe factam, & illud demonſtratum eſſe, in quod facta fuiſſet mutatio, hoc eſt non panem, ſed corpus: nec vinum, ſed ſanguinem: quibus & aptiſſimè reſpondent articuli, cum de ſanguine dixiſſet, Hic eſt ſanguis meus: & de corpore, Hoc eſt corpus meum. Suffragatur ita reſponſioni Regis tam grammaticæ quàm etiam ſcripturæ loquendi modus.

IIII. Cæterum illud [illegible] herum fefellit, quod apud Cardinalem Camer[illegible]nſem, ſe cum Theologiam ſcholaſticam hauriret, legiſſe gloriatur, nempe multo probabilius eſſe, & minus ſuperfluorũ miraculorũ poni, ſi in altari verus panis verumque vinum, non autem accidentia ſola eſſe aſtruerentur. nam ex hac opinione nõ ſatis intellecta
Lutherus ignorantia deceptus. Lutherus in has tenebras decidit, vt opinetur eos qui cum Cameracenſi ſentiunt, eundẽ omino panem facta conuerſione manere. quod ſanè falſum eſt. Nam etſi poſſibilitatem illi doceant quomodo ſubſtantia panis maneat, non hoc tamen voluit eſſe poſſibile, vt idẽ ipſe panis reſtet, qui prior antè fuit, hoc eſt, idem ſuppoſitum panis, quemadmodum ipſi loquuntur. Sic enim nulla prorſus eſſet facta mutatio, neq; Chriſtus eſſet illic ſacramentaliter, ſed localiter duntaxat. Neque verum eſſet dicere, Hic panis quem acceperat Ieſus, eſt hoc corpus Chriſti. Hæc omnia peritis & exercitatis diſceptatoribus clara ſunt. Nam ſi non aliter eſſet Chriſti corpus in pane, quàm idem fuerat in ianua vel in muro quan- *Iohan. 20.*
do ad diſcipulos ianuis clauſis intrauit, quod & citra mutationem omnem vel ianuæ vel muri contigit, nihilo verius erit dicere, Hic panis eſt corpus Chriſti, quàm, hic murus eſt corpus Chriſti. At neminem opinor adeo rudem eſſe, vt credat, ob ſolam Chriſti præſentiam in muro, murum ipſum fuiſſe corpus Chriſti. Neq; enim ſola coniunctio, quantumuis intima fuerit, efficit vt res vna vere poſſit de altera affirmari. Nam etſi forma ſit ita materiæ ſuæ coniunctiſſima, vt vere compoſitũ vnum conſtituant: nemo tamen aſſerit hanc materiam eſſe formã iſtam, aut è diuerſo formam iſtam eſſe materiã hanc: ſed ex his vnum cõflari compoſitum. Sed & quid intimius animæ noſtræ cogitari poſſet, quàm ſit Deus? & tamen abſit vt affirmemus animam eſſe Deum, cum nec anima Chriſti, quæ tamẽ in eodem ſuppoſito ſit quod eſt Deus, poſſit dici Deus. Non eſt ergo verum, quòd idem ipſe panis quem accepit Chriſtus, & fregit, ita remanſit cum corpore, & verè vnquam hic panis dici potuiſſet hoc corpus. Nam ſi prorſus idem panis remanſit, nulla fuiſſet in pane facta mutatio.

Quæ res vt apertior fiat, tria, quantum ad præſens negotium attinet, in pane conſideremus. *V.*
Poſt cõſecrationẽ non remanet panis. Primum ipſam ſubſtantiam panis, in quo ſinguli panes conueniunt. Deinde id quo dicitur hic panis ſubſiſtere, ſuppoſitumq; (vt aiunt) eſſe diuerſum non ſolum ab alio quouis pane, verum etiam ab alia quauis re quæ non eſt ipſe panis. Tertium, accidentia quæ conſequuntur hunc panem. Iam ſi reſtẽt hæc omnia quæ prius fuerant in pane, quæ (precor) mutatio facta eſt circa panem, quo iam dici poſſit corpus Chriſti, magis quàm *Iohan. 20.*
murus per quem intrauit ad diſcipulos Chriſtus, *Matth. 27.*
aut ſaxum per quod exiit è cõſignato ſepulchro, *Lucæ 2.*
aut demum vterus virginis per quem ille ſum natus eſt in mundum? Hęc eadem exempla memorat & adducit ipſe Lutherus: vt mirum ſit eum
Aſſertio Lutheri contra eum ipſum. vſqueadeo cæcutire, vt non cernat ſeipſum ſuo iugulari gladio. Quid facient inquit? Chriſtus ex vtero matris natus creditur illæſo. Dicant & hic « carnem illam virginis fuiſſe annihilatam, ſeu vt a- « ptius dici volunt, tranſſubſtantiatam, vt Chriſtus « in accidentibus eius inuolutus tandem per acci- « dentia prodiret. Idem dicendum erit de ianua « clauſa, & oſtio monumenti clauſo, per quæ illæſa « intrauit & exiuit. Hæc Lutherus. «

Confutatio. At nos, Luthere, vt non dicimus carnem vteri virginis annihilatam, aut tranſſubſtantiatam, ita nec affirmamus eandem fuiſſe prorſus ipſius vteri carnem, & carnem Chriſti, ſed aliam, &

aliud

aliud omnino corpus vtriuſque. Neq; enim vterum virginis Chriſtum dicimus, tametſi fuiſſet in eo Chriſtus: neque ianuam domus illius per quam ad Apoſtolos introiuit Chriſtus, ſed nec oſtium denique monumenti, per quod reſurgens Chriſtus exiuit, Chriſtum audemus appellare. Abſit à nobis tanta temeritas. Et tamen ſi non aliter eſſet in ſacramento Chriſtus, quàm fuiſſet in ianua ſeu in oſtio, nihilo verius eſſet hoc ſacramentum Chriſtus, quàm fuiſſet ipſum oſtium aut illa ianua. Vides ergo quàm dilucide propria tua exempla teipſum confodiunt.

VI.
Ad alia Lutheri exempla.

Quid referam illud de ferro & igne, quo moliris oſtendere corpus glorioſum ſimul eſſe poſſe cum pane? id cui nemo reluctatur. Neque enim inficiamur corpus Chriſti ſimul eſſe poſſe cum pane abſque omni penitus mutatione panis, ſed negamus ex hoc pane prorſus immutato factum eſſe corpus Chriſti. Niſi enim immutetur panis quantum ad aliquod trium de quibus ſupra diſſeruimus, nunquam fiet panis ipſe corpus Chriſti. Sed neque ſufficit accidentium permutatio, ſicut fit in permixtione ignis & ferri: cuius exempli Lutherus quoque meminit. Sic enim (inquit) in candenti ferro permiſcentur inuicem ignis & ferrum, vt quælibet eius pars ſit ſimul ignis & ferrum. At iſtud planè falſum eſt. Nam etſi nulla ſit portio ferri quantumuis exigua, in qua nõ ſimul reperiatur & ignis, tamen ob hanc permixtionem & vnionem nondum verum eſt quòd hic ignis ſit hoc ferrum, cum hæ naturæ quantum ad ſubſtantias ſuas penitus immutatæ ſint, & omnino diuerſæ remaneant. Multo igitur minus in hoc ſacramento panis eſt corpus Chriſti, ſi, quod Lutherus affirmat, nulla prorſus facta ſit huius panis mutatio. Quando igitur, vt cernimus, accidentia panis manent, neceſſariò conſequitur, vt niſi vel depereat ipſa panis ſubſtantia, vel id ſaltem quo ſubſiſtere panis dicebatur, vel vtrumque, nunquam rectè dicetur id eſſe corpus Chriſti. Errat igitur apertiſſimè Lutherus, cum ſic interpretetur Chriſti verba dicentis, Hoc eſt corpus meum, id eſt, hic panis, quem acceperat & fregerat, eſt corpus meum.

Subſtantia ignis nõ mutatur in ferrum.

Matth. 26.
Luce 22.
Marci 14.

Ad hæc, anima Chriſti beatiſſima quanquam in vno ſuppoſito & eodem infinito ſic vnita ſanctiſſimo ſuo corpori fuerit, vt tota ſit in qualibet illius corporis parte, non tamen iſta ſatis conficiunt, vt hæc anima verè ſit hoc corpus, aut retrorſum hoc corpus verè ſit hæc anima. Quamobrem quandiu manſit idem panis qui prius fuerat, nihil immutatus, nunquam ob ſolam Chriſti realem præſentiam verè dici poſſit, quòd hic panis, quem acceperat & fregerat Chriſtus, erat ipſius corpus. Vides ergo lector nondum ex Euangeliis Lutherum probaſſe panem fuiſſe datum Apoſtolis, ſed corpus Chriſti, in quod antè mutatus erat panis. Et propterea dixiſſe Chriſtum, Hoc eſt corpus meum, non hic panis, vt falſò Lutherus interpretatur.

Tantam ſibi licentiam Lutherus in ſcripturis arrogat, vt pro mera ſui capitis inſania torqueat, addat, imminuat, inuertat. & quicquid libet faciat: ſed & quicquid ita fecerit, ratũ haberi vult, nulla reddita ratione, ſed tantum, ſic oportet intelligi: quod tamen in Regis illuſtriſſimi libro nõ ſemel damnare præſumpſerit.

VII.
Opinio Cameracenſis non vſquequaque tuta.

Quòd ſi quæſito ſubterfugio Lutherus dixerit, panem ita fuiſſe Chriſti verbis immutatum, vt eſſet aſſumptus in vnitatẽ ſuppoſiti cum Chriſto, quemadmodum & his placet qui cum Cameracenſi ſentiunt: hi tamen nec affirmant nec defendere poſſunt, quòd hic panis quem Chriſtus acceperat, ſit corpus Chriſti, quomodo Lutherus temere interpretatur. Sed & eorum opinioni reclamãt ſcripturę, ſi, quod Lutherus vult, ſecundùm grammaticã & ſimpliciſſimam ſignificationem accipiendę ſint. Nam cum iſti dicant, Panis eſt corpus Chriſti, de corpore nolunt intelligi quod eſt altera pars compoſiti, ſed de corpore quod eſt genus. At manifeſtum eſt tres Euangeliſtas, Matthęum, Marcum, & Lucam, cum recenſent verba Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum, de corpore quod eſt altera pars compoſiti, non de corpore quod eſt genus, intellexiſſe. Nam ſi de corpore quod eſt genus, intellexiſſent, ſcripſiſſent potius dixiſſe Chriſtum, Hoc eſt corpus quod ſum ego: non, Hoc eſt corpus meum. Quare nec iſtud ſubterfugium tutari poteſt errorem Lutheri. Adde, quòd Pſalm. 15. Dauid ait: Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Quem locũ omnes exponunt de corpore Chriſti. Sed & in actis Petrus, actuum 2. Paulus item tertiodecimo teſtimonium affirmat de corpore Chriſti. Nam Petrus ita: Dauid enim dicit: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, & caro mea requieſcet in ſpe: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Et Paulus ita: Quòd autem ſuſcitauit eum à mortuis, iam non amplius reuerſurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis ſancta Dauid fidelia. Ideo & aliàs dicit: Non permittes vt ſanctus tuus videat corruptionem. Nam Dauid quidem cum ſuæ ætati inſeruiſſet, conſilio Dei dormiuit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, viditq; corruptionem, nempe ſecundùm carnem. At is quem Deus ſuſcitauit, non vidit corruptionem. Ecce benigne lector, caro Chriſti non potuit videre corruptionem: quomodo ergo fieri poteſt, vt hic panis, qui ſi maneat, corruptioni obnoxius eſt, ſit hæc caro Chriſti, cum vt iam audis, caro Chriſti non poteſt videre corruptionem? Neq; enim ſemel viſum eſt ex reliquiis panis in hoc ſacramento per ſacerdotum incuriam vermes & putredinem naſci. Quocirca tutius fuerit cuiuis æquo cenſori cum eccleſia credere, quòd caro Chriſti non ſit ille panis triticeus, qui ſanè putredini obnoxius eſt, quanquam ſacerdos pridem illum benedixit: neq, quòd verè dici poſſit, Hic panis eſt hoc corpus.

Matth. 26.
Marci 14.
Luce 22.

Pſal. 15.

Ibidem.

Species panis in ſacramento corrumpuntur.

VIII.
Iohan. 14.

Accedit huc id quod ſuperius de Spiritu ſancto diſſeruimus, nimirum quòd ipſe cum iuxta Chriſti pollicitationem ſit perpetuus eccleſiæ

cuſtos,

cuſtos, ſuggeret & inſinuabit mentibus fidelium, & maximè patribus ob eam rem in vnum congregatis, veritatem verborum Chriſti, ſiquãdo quæpiam ex eis obſcuritas orietur. Quando igitur in cõcilio Lateranenſi mille trecenti quindecim patres, ob huius veritatis declarationem, ex toto orbe Chriſtiano conuenerant, iidemque ipſi Chriſti verba ſic duxerant explicanda, vt crederemus panem nequaquam reſtare cum corpore: neque vlla omnino ſuſpicio fuit patres ipſos intuitum ſuum aliò deflexiſſe, quàm ad ipſam veritatem conquirendam: Cum inquam hæc ita ſe habeant, ſi non fruſtra Chriſtus diuini ſpiritus opem in his dubiis elucidandis pollicitus fuiſſet, ſi non fefelliſſet tot orthodoxos patres ſpiritus ipſe veritatis, tam ſuppliciter ab eiſdem inuocatus, non eſt ambiguũ quin ei decreto quod ipſa ſynodus tot ſanctorum patrum Laterani tulerit, multo certior à quouis Chriſtiano fides adhibenda ſit, quàm vllis Martini Lutheri commentis, quantauis arte ſtudiòue politis. Cæterũ ſi quis ipſius concilij verba forte requirat, ſic hac de re fidelibus credendum tradidit: Vna eſt „ (inquit) fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra „ quam nullus omnino ſaluatur. In qua idem ipſe „ ſacerdos eſt & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius „ corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpe„ciebus panis & vini veraciter continentur, tranſ„ſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſangui„nem diuina poteſtate. Hactenus ex concilio. Nõ ergo rectè Lutherus nobis reſerat Chriſti verba, cum dicit, Hoc id eſt hic panis, eſt corpus meũ: cum tot patrum ſynodus affirmet panem & vinum diuina poteſtate in corpus & ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiari.

Determinatio concilij ſuper non remanentia panis.

Concilio fidendum eſt.

Cauilli confutatio.

Sed dicet quiſpiam, Lutherus pro nihilo cõcilium iſtud habet. Eſto: Et nos Lutheri expoſitionem tantidem facimus. Cæterum nemo ſanę mentis eſt, qui non Chriſti pollicitationibus fidat, quas de ſpiritu ſancto traditas, toties recenſuimus. Chriſtus nequaquã fallere poteſt. Quare veriſſimum eſt quod ipſe fuerat pollicitus, nempe ſpiritum veritatis nobis omnia ſuggeſturum, quę pridem apoſtolis Chriſtus ipſe dixiſſet.

Adde, quòd cum Lutherus cuique liberum arbitrium eſſe contendat quid malit credere, cur nõ potius tot patribus fidem adhibebimus, quàm vni Luthero? Nam Luthero non credere nullum omnino periculum ſit: ad patres ipſos contemnere nemo poteſt citra manifeſtum animæ ſuæ diſcrimen.

XX. Sed adhuc quanto ingenio rex illuſtriſſimus alteram argutiam Lutheri conuellit, aduertamus. Argutatur ita Lutherus: Nonne Chriſtus videtur huic curioſitati pulchrè occurriſſe, cum non de vino dixerit, Hoc eſt ſanguis meus, ſed, hic eſt ſanguis meus? Reſpondit rex: Quod argutatur, imò nugatur Lutherus hoc pro ſuæ fidei ſimplicitate facere, cum de vino dicat Chriſtus, non, Hoc eſt ſanguis meus, ſed Hic eſt ſanguis meus: miror quid homini venerit in mentem cum iſtud ſcriberet. Quis enim non videt, quàm nihil omnino faciat pro eo: imò contrà videretur magis pro eo feciſſe, ſi dixiſſet Chriſtus, Hoc eſt ſanguis meus? habuiſſet enim anſam ſaltem Lutherus qua demonſtrandi articulum referret ad vinum. Nunc verò cum vinum ſit neutri generis, Chriſtus ait, non hoc, ſed, Hic eſt ſanguis meus. Et cum panis ſit generis maſculi, ait tamen, Hoc eſt corpus meum, non hic: vt vterque oſtendat articulus Chriſtum neque panem propinare, neque vinum, ſed ſuum ipſius corpus & ſanguinem. Hactenus ipſe rex.

Reſponſio.

Videre licet hic miram ingenij regij viuacitatem, qui tam acutè deprehendit hallucinari Lutherum: & id pro ſua defenſione Lutherum iã in medium attuliſſe quod eum potius impugnat & euertit, quàm ei quicquam opituletur. Plus enim haud dubie pro Lutheri inſtituto feciſſet, ſi dixiſſet Chriſtus, Hoc eſt ſanguis meus, quàm dicens, Hic eſt ſanguis meus. Nam ſic cum vinum ſit neutri generis, debuiſſet pronomẽ hoc, ad vinum referri, nec facilè potuiſſet demonſtrare ſanguinem. Quoniam itaque Chriſtus dixit, Hic eſt ſanguis meus, non, Hoc eſt ſanguis meus: apertiſſimum eſt eum non vinum quod neutri generis eſt, ſed ſanguinem, quod eſt maſculi, demonſtraſſe. Et rurſum cum dixerit, non, Hic eſt corpus meum, ſed, hoc eſt corpus meum: apertè docuit ſe non panem, quod maſculi generis eſt, ſed corpus quod eſt neutri generis, indicaſſe. Quamobrem omnino contra Lutherum facit hæc propria, quam argutatio. Sed adhuc alteram audiamus. Sic enim pergit nugari Lutherus. *Mat. 26*

Quòd autem in græco & latino pronomen „ hoc, ad corpus refertur, facit ſimilitudo generis. „ Sed in hebræo, vbi neutrum genus non eſt, re„fertur ad panem, vt ſic liceat dicere. Hic eſt cor„pus meum. Quod & ipſe vſus loquendi, & ſen„ſus communis probat, ſubiectum ſcilicet eſſe „ monſtratiuum panis, & non corporis, dum di„cit, Hoc eſt corpus meum. Hæc Lutherus. cui „ rex ita reſpondit.

Rex

Quòd videri vult Lutherus pronomen hoc, ad corpus referri, non Chriſti propoſito, ſed occaſione linguarum, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum eſt? Nam Hebræa lingua ſi neutrum genus non habet, non poteſt tam apertè declarare, ad vtrum Chriſtus retulit articulum, quàm Latina vel Græca. Nam in Hebræa lingua ſi articulus fuiſſet maſculus: quanquam diceret, hic eſt corpus meum, tamen res relinqueretur ambigua: quia potuiſſet ea locutio videri coacta, neceſſitate linguæ non habentis neutrum Sed cum apud Latinos panis & corpus ſint diuerſi generis, is qui tranſtulit è Græca, articulum coniunxiſſet cum pane, niſi apud Euangeliſtam reperiſſet demonſtrationem factam de corpore. Hactenus ipſe Rex.

Lingua Hebræa caret neutro genere.

Et hic planè cernis lector Regem apertiſſimè prodidiſſe Lutheri nugas. Et primum quòd miſerit nos Lutherus ad linguam Hebræam, quæ cum neutrum genus non habeat, non poteſt

Sex rationibus corroborantur regis aſſerta. Prima.

non ob idipſum incerta nobis eſſe, vtrum panem an corpus voluerit demonſtrari.

Secunda. Adde quòd nihil ad hoc negocij ſpectans habemus in ea lingua ſcriptum, & ideo magis nugatur, cum id quæri iubeat, quod inueniri non poſſit.

Tertia. Ad hæc, certum eſt Marcum & Lucam ſcripſiſſe Græcè: & cum vterque recenſitis Chriſti verbis, panem exprimat voce generis maſculi, corpus autem voce generis neutri, demonſtrandi tamen articulum eiuſdem generis adhibent cuius eſt & corpus an non certiſſimum eſt eos corpus voluiſſe demonſtrari?

Quarta. Præterea cum ſit omnibus receptiſſimum, Marcum velut abbreuiatorem fuiſſe Matthæi, idem apud vtrumque neceſſe eſt demonſtretur. Quamobrem cum in Marco demonſtrandi articulus cum corpore non cum pane conueniat, ſic etiam oportuit apud Matthæum hebraicè ſcribendum fieri.

Quinta. Accedit his, quòd in verbis ad ſanguinem ſpectantibus, perſpicuum eſt articulum ad ſanguinem referri debere. Cum enim duorum tantum meminiſſet Chriſtus, nempe calicis & ſanguinis, neque de vino feciſſet vllam mentionem, alterum iſtorum, hoc eſt, aut calicem, aut ſanguinem oportuit demonſtrari. Sed nemo tam inſanus eſt, vt calicem dixerit fuiſſe demonſtratum, cum calix non ſit ſanguis Chriſti. ergo verè fuit demonſtratus ſanguis. Quamobrem & de corpore nec diſſimiliter ſentiendum eſt, nempe corpus, non panem fuiſſe demonſtratū.

Sexta. Poſtremò cum apud Græcos tam calix quàm ſanguis generis neutri ſint, & vinum generis maſculi, debuiſſent Euangeliſtæ vinum demonſtrantes, pronomen appoſuiſſe generis maſculi. Iſtud igitur cum palam ſit eos neutiquam feciſſe, dilucidum item erit nec vinū eos voluiſſe demonſtrare. Quamobrem cum neque calicem indicare licuit (vt oſtendimus) reliquum eſt vt ſolum ſanguinem Chriſtus ipſe demonſtrauerit: Quod ſimiliter & de corpore feciſſe non eſt dubium. Cæterum illuſtriſſimus adhuc alia ratione refellit priores Lutheri nugas, nimirum hac.

XI. Præterea cum Lutherus fateatur idem generis diſcrimen eſſe & Græcis, facilè potuiſſet cognoſcere, Euangeliſtas, qui ſcripſerunt græcè, articulum fuiſſe poſituros qui referretur ad panē, niſi quòd conſcij mentis dominicæ, voluerunt admonere Chriſtianos, articulo corporis, Chriſtum non panem communicaſſe diſcipulis, ſed corpus. Quamobrem quòd Lutherus interpretatur in ſuam partem verba Chriſti, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, id eſt hic panis, quē acceperat: non ego, ſed ipſe Chriſtus contra docet ſua verba intelligi, nēpe hoc quod eis porrigebat, nō eſſe (quod ipſis videbatur) panem, ſed ſuum ipſius corpus, ſi rectè Chriſti verba recenſent Euangeliſtæ. Nam alioqui poterat dicere, non hoc (quod exponeretur, id eſt hic) ſed apertè potius, hic panis eſt corpus meum: quo ſermone docerentur diſcipuli, id quod nūc Luther⁹ docat Eccleſiā, nempe in Euchariſtia paritar & Chriſti eſſe corpus, & panem. Nunc verò ſic loquutus eſt vt oſtenderet manifeſtè corpus duntaxat eſſe, non panem. Huc vſque rex.

Hic etiam regia celſitudo planè proſternit Lutherum. Nam omnes qui græcè latineque quicquam ſciunt, intelligunt idē in ijs voculis, nempe panis & corporis, eſſe diſcrimen tam apud græcos quàm apud nos. Quando igitur Euangeliſtæ qui græcè ſcripſerunt, demonſtrandi articulum conuenire fecerint non cum pane, ſed cum corpore, manifeſtum eſt quod idipſum dominicæ mentis conſcij fecerint, ita volentes ipſo pronomine demonſtratiuo cunctos admonere, non panem, ſed corpus fuiſſe communicatum apoſtolis: & ſimiliter corpus, non panem fuiſſe demonſtratum. Sed & Chriſtus ſi voluiſſet panem intelligi, potuiſſet æqua facilitate dixiſſe, Hic panis eſt corpus meum. atque ita per vnius adiectionem voculæ prorſus hanc litē diremiſſet. Cum igitur ita nequaquam dixit, & tamen voluit (vt Lutherus contendit) panē remanere, & eundē eſſe corpus ſuum: conſequens eſſe videtur, vt aut non præuiderit hanc tantam in Eccleſia ſua futuram hac pro re controuerſiam: aut ſi præuiderit, voluerit tamen vltrò ſuam Eccleſiam errare: quorum vtrumque falſiſſimum eſt. Et hoc vt dilucidius intelligas, hæc te quæſo lector paucula quædam expende.

Primum, quanta charitate Chriſtus dilexerit Eccleſiam, pro qua mortem horrendam ſubire non recuſauit.

Deinde, quanto ſtudio concordiam inter nos experiuerit, relicta nobis & donata ſua pace.

Tertium, quàm amanter promiſerit non modo ſeipſum nobiſcum ad finem vſque ſeculi futurum, verumetiam conſolatorem alium ſe miſſurum, quem & veritatis appellauit ſpiritum.

Quartum, quòd is ſpiritus duceret nos in omnem veritatem, & aperiret ea nobis quæ pridem ille dixiſſet breuius.

Quintum, ſi quid obſcurum videretur, id petentibus, quærentibus, pulſantibus pollicitus eſt fore dilucidum.

Sextum, grauiſſimas huius rei gratia lites & digladiationes per hæreticos excitatas Eccleſiam crebrò fuiſſe paſſam, cunctis notiſſimum eſt.

Septimum, Eccleſiam ipſam quatenus fieret certior quid in hac re creditura foret, mille trecentos quindecim patres Laterani coëgiſſe diuini ſpiritus conſulendi gratia.

Octauum, exploratiſſimum item eſſe nullam illis patribus corruptionem fuiſſe, qua permouerentur negotium iſtud tractare nō ſynceriter.

Nonum, ſi ſubſtantia panis in Chriſti corpus conuertatur, quemadmodum illi definierunt, non debuit aliter dixiſſe Chriſtus quàm dixerit.

Decimum, ſi maneat ſubſtantia panis, quanquam tunc aliter dixiſſe Chriſtus debuerat, tamen per vnius adiectionem voculæ potuiſſet totam hanc diſcordiam ſuſtuliſſe. Nam ſi dixiſſet, Hic panis eſt corpus meum, Hoc vinum eſt ſanguis meus: omnis omnino ſublata fuiſſet cōtrouerſia. Quis igitur exacti⁹ iſta ſecū penſitans, perſuadeto

Roffenſis.

Chriſtus quibus rationibus noluit panē remanere poſt conſecrationem.

Si remanſiſſet panis, id à Chriſto fuiſſet reuelatum.

ſuadere ſibi poteſt, Chriſtum, ſi manſiſſet ſubſtātia panis, voluiſſe tam obſcurè loqui, vnde tot animabus periculum tantum immineret, neque tamen poſtea mille trecentis patribus ob idipſū congregatis, huiuſce rei veritatem aperire fuiſſe dignatum, preſertim cū antè pollicitus eſſet petentibus, querentibus, pulſantibus, quòd accip-

Luca 11. erent, inueniret, aperiretur eis? Cui iā credibile fuerit, noluiſſe Chriſtū apoſtolos idipſū apertius docuiſſe, præuiſa tāta tragœdia futura, ſi tamē ſenſiſſet manſiſſe panem? Haud dubie vel tunc apoſtolos idipſum apertius docuiſſet: vel nunc, ſaltem cū à patribus tam obnixè rogaretur, per ſpiritū veritatis indicaſſet veritatē. Nihil profectò diſſimilius verò eſt, quam quòd Chriſtus hoc negotium Luthero reliquiſſet, qui iam docendæ Eccleſiæ ſibi magiſterium arrogat, ſuum ſpiritū ſecutus, & Chriſti verbum contorquens in ſuam hæreſim, contemptis patribus, contemptaq; diuini ſpiritus intra Eccleſiam reſidentis præſen-

Falſo interpretatur Lutheri verba euangelij. tia. Cum itaq; Chriſtus tam apertè loquutus ſit, vt articulo manifeſto ſanguinem non vinum, & corpus non panem indicarit, falſiſsimum id eſſe conuincitur, quod Lutherus interpretatur, cum dicat, hoc, id eſt hic panis (quem acceperat Chriſtus) eſt corpus Chriſti, niſi pariter adiungere voluerit, hic, id eſt hoc vinum, eſt ſanguis meus: quod nemini non videtur, opinor, error apertiſsimus.

XII. *Altera duo Lut. argumenta.* Cæterum ne quicquam quod alicuius fuerit momenti, Rex intactum relinquat, redit iam ad alias argutias Lutheri de calice conuellendas, quas antè prætermiſit, Sic enim eas Lutherus protulit. Et multo clarius (inquit) cum calicis miſcet nomen dicens, Hic calix noui teſtamenti in meo ſanguine: nónne videtur nos voluiſſe in ſimplici fide continere, tantum vt crederemus ſanguinem ſuū eſſe in calice? Et in fine primæ rationis Lutheranæ ſic habetur: Verum oportet intelligi panem, verumque vinum, ſicut verum calicem. non enim calicem tranſſubſtantiari etiam ipſi dicunt. Hæc Lutherus.

Has duas argutiolas regium acumen pariter vno confodit ictu, ſic inquiens: Iam quòd tam magnificè transfert ad ſe Lutherus, quòd Chriſtus etiam loquitur de calice, quem nemo dicat eſſe tranſſubſtantiatum, miror hominem non pudere tam intemperamis ineptiæ. Cum dicit

Luca 22. Chriſtus, Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine: quid facit pro Luthero? Quid enim ſignificat aliud, quàm id quod diſcipulis propinabat in calice, ſuum eſſe ſanguinem? An ex his Chriſti verbis oſtendet nobis Lutherus, manere vini ſubſtantiam, quia Chriſtus loquitur de ſanguine? aut vinum in ſanguinem non poſſe mutari, quia adhuc reſtat calix?

Roffenſis. Ecce lector & hic nihil omnino lucratus eſt Lutherus. Neque enim oportet, ſi calix ipſe māſerit prorſus immutatus, quòd idem intelligamus de pane ſeu de vino fieri. Nam calicis ad pyxidem in qua Chriſti corpus reponitur, iuſtior erit conferentia, quàm ſi contuleris ad panē: quandoquidem & tria tribus aptè reſpondeant, nempe calix, vinum, ſanguis, pyxidi, pani, corpori. In illis vtique calix manet immutatus, at vinum in ſanguinem vertitur. Et ſimiliter in iſtis pyxis manet immutata; ſed panis in corpus permutatur. Et quoniam regia ſublimitas iam apertè conuicit Lutherum haud minus impiè quam pertinaciter erraſſe, ſubdit:

Vtinam prælndium delegiſſet ſibi Lutherus *Verba regis.* ex alia materia, in qua minore periculo potuiſſet ludere. Nam cum Bohemos & Grecos ſic excuſet ab heresi, vt hereticos clamet omnes eſſe Romanos, mulro magis oſtendit ſe Lutherus hereticum, qui non ſolum fidem abnegat, quam tota credit Eccleſia, ſed etiam deteriora credi ſuadet, quàm aut crediderunt Græci, aut vnquam credidere Bohemi. Huc vſque Rex, & acutè profecto. Nam Bohemi nunquam hactenus auſi ſunt *Roffenſis.* aſſerere panem eſſe corpus Chriſti, id quod Lutherana temeritas affirmare nihil veretur. Et quoniam hactenus copioſè rex oſtendit non poſſe à quoquam euangeliſtarum neceſſariò colligi manere panem in Euchariſtia ſimul cum corpore Chriſti, nunc idipſum facit quantum ad Pauli verba: nam ea prius Lutherus obiectauit. *Lutherus.*

Et Paulus (inquit) ait: Nonne panis quem frangimus, participatio corporis Chriſti eſt? Nō dicit, in pane eſt, ſed ipſe panis eſt participatio corporis Chriſti. Hæc ille.

Regia celſitudo reſpondet: Apoſtolus panem *Paulus corpus Chriſti appellans panem.* non ſemel appellat, vel ſcripturæ ſequutus in ſermone morem, quæ ſolet interdum vocare quippiam, non id quod eſt, ſed quod antè fuerat vt cum virga Aaron deuorat virgas magorum; quæ *Exodi 7.* tamen tunc virgæ non erant, ſed ſerpentes: vel contentus fortaſſe vocare quod ſpecie præ ſe ferebant, cum ſatis haberet, rudem adhuc in fide populum, lacte paſcere, nec primùm aliud exigere, quàm vt quocunque modo crederent, in ſacramento eſſe corpus Chriſti, poſtea paulatim ſolidiore cibo paſturus poſtquam adoleuiſſent in domino.

Perſpicis & hic lector, duplici telo ſuperatum *XIII. Roffenſis.* Lutherum, altero ex veteribus deprompto ſcripturis, altero ex nouis. Ex veteribus primum; quando in libro Exodi ſerpens in quem conuerſa virga fuerat, adhuc virga vocabatur: neque tamen ſimul virga erat & ſerpens, vti Rex ipſe ſuperius meminit. Sic pariter & in hoc ſacramento, Chriſti corpus, eo quòd in ipſum conuerſus ſit panis, panis item à Paulo dictum eſt: verùm non ita quòd ibi maneat panis; magis quàm cum ſerpente manſerit virga. Et ſanè multo *Panitur panis pro ſpecie panis. S. Th.* durius ſerpens in quem virga fuerat conuerſa, virga vocatur, quàm Chriſti corpus in quod *1. Cor. 10.* mutatus eſt panis, vocetur panis, cum ſerpens nullum omnino prioris virgæ retinuerit indicium, præter ſolam fortaſſis longitudinem. At in Euchariſtiæ ſacramento prorſus omnia panis accidentia remanent. Quando igitur ſcriptura propter priorem nomenclaturam, ſerpentem virgam vocat, quæ tum non erat virga, quid mirum ſi iam corpus Chriſti panem appellet ob cōuerſionē panis in ipſū? Hoc exemplū nec adhuc

ſuis dentibus in hac reſponſione ſua contra Regem, Lutherus conterere potuit, quanquam in hac re multis verbis nugetur.

„ Sit verum (inquit) quod virga dicatur draco,
„ qui fuit virga: qua conſequentia ſequitur & hic
„ panem dici, qui panis non ſit, ſed fuerit? An hoc
„ eſt ſine ſcriptura omnibus locis ſcripturæ aptan-
„ dum, quod vno loco reperitur? Hæc Lutherus.
„ Cui reſpondemus, non id moliri Regem, vt quod vno ſcripturæ loco dictum ſit, in cæteris

Non quiſque locus ſcripturæ cuique quadrat. omnibus indiſcriminatim aptetur, ſed potius, vt quemadmodum ibi ſerpens in quem conuerſa virga fuerat, virgæ retinuit nomen, cum tamen virga non erat, ſed verè ſerpens, ita ſimiliter & hoc loco, corpus in quod panis mutatus fuerat, panis retineat vocabulum, quanquam ſubſtantia panis omnino deſierit. Quis non videt iſtud conſequi per locum ſimilitudinis apertiſſimæ?

XIIII. *1. Cor. 3.* Cæterum ex noua lege Rex rurſum aliud item deprompſit. Paulus (inquit) Corinthios ad hunc modum alloquitur: Et ego, fratres, non potui loqui vobis vt ſpiritualibus, ſed loquendum fuit vt carnalibus, vt infantibus in Chriſto. lactis potu vos alui, & non cibo. Nondum enim poteratis, imò ne nunc quidem adhuc poteſtis. *Hebr. 5.* Et rurſum ad Hebræos, Facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Hæc Paulus. Ex quibus perſpicuum eſſe poteſt, non omnia ſatis apertè dixiſſe Paulum, non quòd non fuerint dicenda, ſed quòd plebs adhuc in fide rudis myſteria capere non valuerit.

Roffenſis. Et hac etiam ratione Rex docet Paulum potuiſſe moueri vt ſacramentum hoc nomine panis appellarit, quoniã ſpecie panẽ adhuc præ ſe ferebat. Satis enim habuit Paulus, rudẽ adhuc in fide populum lacte paſcere: nec hoc initio quicquam aliud ab eis exigere ſtuduit magis, quàm vt quocunque modo crederent in hoc ſacramento *Euchariſtia quare dicta panis.* contineri corpus Chriſti. De ſubſtantia verò panis an manſerit néc ne, nihil adhuc apertè docuit: tantum panem vocauit, propter ipſius panis ſimilitudinem. nam aliquo nomine vocari debuit: neque aliud quoduis quo vocaretur erat commodius: tum quia verum panem cœleſtem in ſe continebat, tum quia panis etiam antè fuerat, & eiuſdem adhuc forinſecus referebat ſpeciẽ. Sed *Corpus Chriſti vocatur panis in veteri teſt. Hiere. 11.* & ſcripturæ, Chriſti corpus panem vocant, neque triticeum ſanè, ſed ſpiritalẽ, quomodo Hieremias dicit in perſona Iudæorum: Venite, mittamus lignum in panem eius. Per lignum, crux: per panem, corpus eius intelligitur. Ad quẽ certè modum & Tertullianus & Lactantius atq; alij complures hunc locum interpretantur. Lignũ (inquit Lactantius) crucem ſignificat: & panem, corpus eius: quia ipſe eſt cibus & vita hominum, qui credunt in carnem quam portauit, & in crucem in qua pependit.

Panis nomine, omnis cibus deſignatur, Adde, quòd in ſcripturis panis vocabulo dici ſolet, quicquid eſibile fuerit. Nam vt ſcribitur: 1. Reg. 14. cum Saulis edicto maledicebatur quiſquis vſque ad veſperam panem ederet, in hoc maledictum incidiſſe Ionathan, ſortium indicio declaratum fuit, cum is tamen non communem panem, ſed mel guſtauit duntaxat. Similiter & 4. Reg. 6. cum panem Eliſeus apponi iuſſiſſet, quũquam ille de ſolo pane loqueretur, magna ciborum præparatio fuit appoſita. Et Matth. v. cum Phariſæi diſcipulos Chriſti calumniarentur, quòd non ante lauarent manus cum ipſi panem eſſent manducaturi, palam eſt ibi panem indiſcriminatim intelligi pro quouis cibo. Perſpicuum eſt ergo quòd nomine panis omnis cibus accipi ſolet. Sed & Euchariſtiam panem poſſe vocari, communis vſus loquendi manifeſtat. Nam cum ouum de quo ſupra diſſeruimus, in carnem & ſubſtantiam pulli verſum fuerit, nunquid non adhuc pro communi loquendi more vocatur ouum, & tamen haudquaquam ouum eſt, ſed verè pullus? At propterea priorem oui nomenclaturam retinet, quia ſpecie tenus referat ouum. Atque ita pariter & hoc ſacramentum pro communi vſu loquendi poteſt adhuc panis dici, paniſque vocabulum adhuc retinet in ſcripturis, quamquam omnino deſierit ipſa panis ſubſtantia. *Euchariſtia rectè appellatur panis. Supra III. ibi. Traditur hiſtoria.*

Sed adhuc Lutherus hac duplici ſolutione nequaquam contentus, pertinaciter inſiſtit, aſſerens verè panem adhuc eſſe. Paulus (inquit) ait: XV.
Nonne panis quem frangimus, communicatio „
corporis Chriſti eſt (nec dicit, in pane eſt, ſed „
ipſe panis eſt participatio corporis Chriſti. Hic ſe „
Pauli verbis munit haud aliter quàm impenetra- „
bili quodam ſcuto, quo mox quodque iaculum *Roffenſis.*
reiiciat. Cæterum ſi Pauli verba penſiculatius excuſſerimus, nequaquam vſque adeo efficacia videbuntur pro Lutheri parte, atque Lutherus ipſe putat. Nam ſimilia quædam de calice nõ multo ante dixiſſe Paulum conſtat *1. Cor. 10.* Calix, inquit, benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et illico ſequitur: Et panis quem frangimus, non ne participatio corporis Chriſti eſt? Profecto nihil ex poſteriore parte colliget Lutherus, quantum ad panem attinet, quod ipſi non identidem ex ſuperiori colligemus, quantum pertinet & ad calicem. At in propatulo cunctis eſt calicem non eſſe ſanguinẽ: quare neque panis ex his verbis monſtratur eſſe corpus Chriſti. Cernis itaque lector, cum hanc vnicam Lutherus habeat ſcripturam cui nitatur, iam plane collapſum eſſe, quandoquidem iſta Pauli verba non magis conficiunt panem eſſe corpus Chriſti, quàm calicẽ eſſe ſanguinẽ. Quãobrem cum ſit omnibus apertiſſimum, calicem nullo modo poſſe dici ſanguinem: nec panis credendus eſt eſſe corpus Chriſti. *Quemadmodũ calix non eſt ſanguis, ita nec panis eſt corpus Chriſti.*

Cæterum quia mentionem Lutherus fecerat XVI.
de geſtis item apoſtolicis, quòd videlicet in eis hoc ſacramentum panis vocaretur: & iſtud item Rex eadem qua priorem argutiã abluit, deleuit ſpongia. Sic enim ſubiicit ipſe Rex: Idem potuit *Verba Regis.* & in apoſtolorum actis contingere, vbi nec beatus Petrus alloquens populũ, & illis Chriſti fidẽ inſinuans, auſus eſt adhuc apertè quicquam de

eius diuinitate dicere. Ita abdita, & populis dubia myſteria, non temere proferebant. Hactenus ipſe Rex.

Reſponſ. Ecce quam variè monſtrat, quomodo non omnes in primæua eccleſia protinus ad ſolidiorem cibũ admittebantur, & ad ipſa myſteriorum penetralia, ſed prius alebantur aliquamdiu lacte, *Act. 2.* ita vt nec Petrus cũ ad plebem de Ieſu ſeruatore noſtro loqueretur, quicquam auſus fuerit de diuinitate eius loqui, ſed virum eum appellauit approbatũ à Deo in omnibus virtutibus, prodigiis, & ſignis, pérque Deum ad vitam à morte reſuſcitatum. Sic pariter & quantum ad hoc ſacramentum attinet, factum fuiſſe dicit, nempe non apud plebem, alio quàm panis vocabulo ſolitum appellari, propter ipſam panis, vt diximus, *Marci 4. Luc. 8.* ſimilitudinem. Cæterum cum ad Apoſtolos, quorum erat noſſe myſteria, ſimul & ſolidiori cibo paſci, ſermonem Chriſtus habuiſſet, ipſis articulis perſpicuè docuit, non amplius remanere panis aut vini ſubſtantiam, ſed vtriuſq; ſpecie ſalua, panem in carnem, & vinum in ſanguinem omnino fuiſſe conuerſum. Quare neque panem, quippe qui tunc non fuerat, Chriſtus *Matth. 26. Marci 14. & Luce 22.* indicauit, cum dixit: Hoc eſt corpus meum. Neque vinum oſtendit cum dixit: Hic eſt ſanguis meus. Fuit enim vinum iam in ſanguinem verſum, vt ſæpius ante diximus.

XVII. Confirmat demum Rex illuſtriſſimus ea quæ *Ioan. 6.* dixit, etiam verbo Chriſti, qui ſe ipſum vocauit panem, cum tamen triticeus panis intelligi nequeat. Et quemadmodum ipſe dictus eſt panis, ita potuit & hoc ſacramentum propter ſpeciem panis quam refert, panis vocari, tametſi triticeus haudquaquã fuerit. Sed Regẽ ipſum audiamus.

Regis verba Circumſtantia, inquit, ipſa ſcripturæ declarat „ euidenter vocabulum panis, cum panis mutatur „ in carnem, abſque vlla violentia facta verbo di„ uino, panis ſignificare ſpeciem, non ſubſtantiã: „ niſi Lutherus adeò inhæreat proprietati verbo„ rũ, vt Chriſtum credat in cœlis quoq; fuiſſe panẽ „ triticeum aut hordeaceum, propterea quòd ipſe *Ioan 6.* „ dicit de ſe: Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi. „ Hucuſque Rex ipſe.

„ Cæterum hoc diluere Lutherus molitur, di„ ſtinguens panem in ſpiritualem & triticeum. De „ illo Chriſtum, de hoc Paulum aſſerit fuiſſe locu„ tum. Ipſa, inquit, conſequentia verborum, ab„ ſurditas rerum, pugnantia intelligentiarum, tum „ ipſiuſmet interpretatio, cogunt Chriſtum de „ pane ſpirituali loqui, ſicut dicit: Verba mea ſpiri„ tus & vita ſunt. Quorum nihil eſt in verbo Pauli „ de pane loquentis: imò omnia vrgent Paulum „ de pane triticeo loqui. Hæc Lutherus.

Reſponſ. Quæ quantum habeant ſolidæ veritatis, iam excutiamus. Primum illud quod dicit Chriſtum de ſolo ſpirituali pane loqui, pro nobis facit. Nã ibi quoque de ſacramento iſto loquitur, quod & veteres abundè teſtantur, ſed & ipſa quoque *Ioan. 6.* verba Chriſti palam docent. Dicit enim, Panis *Chriſtus multifariam dat ſemetipſum.* quẽ ego dabo, caro mea eſt: quã dabo pro mundi vita. Hic lector aduerte dixiſſe Chriſtum bis, dabo, ſemel pro pane quem eſſet daturus in ſacramentum, quemque carnem affirmauit eſſe ſuam: atque iterum pro carne quam eſſet daturus pro mundi vita. Datus vtiq; fuit pridem illis à patre, ad quos tũ locutus eſt: dedit & ipſe ſeipſum illis miniſtrum & magiſtrum, cui crederent. Superfuerunt adhuc alij duo modi quibus daret ſeipſum. Alter quidem vt ſeipſum adhuc ſub ſacramento daret, alter verò vt carnem ſuam daret crucifigendam: pro quibus dixit: Panis quem ego dabo, nimirum ſub ſacramento, caro mea eſt, quam in mortem dabo pro mundi vita. Hic te, quæſo, lector tecum diſpicias, an ipſa conſequentia verborum, aut rerũ abſurditas, aut pugnantia quæuis intelligentiarum, aliud vrgeant, quàm hic de ſacramento Chriſtũ fuiſſe loquutũ. Sed neq; verbũ Chriſti, cũ dicit, Verba mea ſpi- *Ioan. 6.* ritus & vita ſunt. Illis enim verba Chriſti non ſunt ſpiritus & vita, qui Chriſtum panem faciunt triticeum, nimirum qui in ventrem vadit, & per ſeceſſum emittitur. At nobis, qui Chriſtum eiuſmodi panẽ eſſe credimus, qui nos in ſe conuertit potius, quàm qui noſtram in carnem conuertatur, panis verè ſpiritualis eſt Chriſtus, eiuſque verba verè ſpiritualia ſunt. Si panis triticeus Chriſtus fuerit, profectò digeritur in carnẽ noſtram, & permutatur in ventre noſtro: quod eſt abſurdiſſimum. Et qui ſic dicunt, haudquaquam verba Chriſti ſpiritualiter, ſed planè carnaliter intelligunt. Nos igitur vt non inficiamur Chri- *Chriſtus Ioan. 6. fecit mentionem de ſacramento.* ſtum illic de pane ſpirituali fuiſſe locutum: ita prorſus affirmamus de ſacramento nonnullam feciſſe mentionem.

Similiter & falſum eſt Paulum de ſolo triticeo pane fuiſſe locutum. Sunt enim hæc Pauli ver- *1. Cor. 10.* ba: Vnus panis & vnum corpus multi ſumus: nã omnes ex vno pane participamus. Si de triticeo pane Paulus hoc dixerit: quis precor triticeus panis tantæ molis vnquam repertus fuerat, vnde cuncti participarent Chriſtiani? Quamobrẽ & hic de Chriſto, pane ſpirituali, Paulus loquitur, non de triticeo pane. Tu iam lector iudicium feras, vter potius immobilis truncus cenſeri debeat, Rexne, qui Chriſti Paulique verba ſpiritaliter intelligit: an Lutherus magis, qui tam craſſè, tamque carnaliter eadem interpretatur, vt Chriſtum panem faciat qui per ſeceſſum emittitur. Quis vnquam credat, eiuſmodi panem æternam vitam præſtare poſſe, & non illum potius vel ſolum, qui poſtquam fuerit comeſtus, nos rapit, vertit, & transformat in ſeſe, neque poterit vnquam in nos deformari?

Perſiſtit tamen adhuc Lutherus in pertinacia XVIII. ſua, ganniens in hunc modũ: Stat ergo mens Pau„ lus, inquit, aduerſus tranſſubſtantiatores iſtos fu„ tiles inuictus, & dicit: Panis quem frangimus &c. „ duplici cornu illos ferit. Primũ, quòd ſua aſſere„ re nulla ratione neq; authoritate poſſunt. Dein„ de, quòd frigidis ſuis ſolutionibus aliud non fa„ ciunt, quàm quòd principiũ vitioſiſſimè petunt: „ ac ſummum quod efficiunt, eſt, quòd poſſit ſic „ eſſe ſicut fingunt: cũ probare debuerint & factũ, „ & ius quòd ita ſit, & quòd oporteat ſic eſſe. Hæc „ Lutherus: quibus per ordinem reſpondebimus.

Primum illud Pauli, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? non probat panem eſſe corpus domini: ſicut nec illud quod proximè ante dixit, nempe, Calix benedictionis, cui benedicimus; nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? haud comprobat calicē eſſe ſanguinē Chriſti. Sed & dicam audacius: Ex nullis vnquam ſcripturæ verbis comprobabit Lutherus, panē triticeū eſſe corpus Chriſti.

Deinde teſtamur illud mendaciſſimum eſſe, quod aſſerere noſtra nec ratione nec authoritate poſſumus. Nam omni rationi penitus aduerſatur, quòd Chriſtus ſit ille panis qui digeritur in ſtercus: aut quòd panis qui Chriſti caro eſt, viderit corruptionem. Habemus etiam & præter Euangeliſtarum teſtimonia quæ ſuperius allata ſunt patrum etiam aſtipulationes pro noſtra ſententia: habemus & Concilij generalis decretum: quod & ex ſacri ſpiritus pēdet authoritate. Hæc apertè docent Lutherum non ſolum in iſto mendacem eſſe, cum affirmat nos noſtra aſſerere neque ratione neque authoritate poſſe: verumetiam in hoc mendaciſſimum, quod Chriſti verbū ſic interpretetur, Hoc, id eſt hic panis, eſt corpus meum.

XIX. Ad tertium quod adducit, nos videlicet frigidis ſolutionibus principium vitioſiſſimè petere, dicimus quòd argumentantis hoc vitium eſt, nempe principium petere, non ſoluentis.

Poſtremo, cum adiicit ſummum quod efficimus, eſſe, quod docemus ita fieri poſſe, quemadmodum aſſerimus: & iſtud ſanè non parui momenti cuiuis Chriſtiano debet exiſtimari, nempe docere poſſibilitatem credendorum. Sunt enim vſque adeo difficilia creditu, vt multo facilius impugnari queant, quàm comprobari.

Opponit adhuc Lutherus inquiens: Et miror ſapientiſſimum hunc Thomiſtam, cur non & accidentia tranſſubſtantiet, cum verba iſta tranſſubſtantiationis iuxta ſuum cerebrum, ſolū corpus Chriſti ſonent, Hoc eſt corpus meum. Ergo nihil ibi niſi corpus Chriſti erit, teſte ſuo Ambroſio: quare nec albedo ibi erit cum aliis accidentibus: aut cur non diſſerit, quidnam obſtet ne panis ibi maneat, quomodo accidentia manent? Quæ neceſſitas perimendæ ſubſtantiæ, & ſeruandorum accidentium?

Hic primum aduerte lector, quòd ex omnibus authoribus quos Rex illuſtriſſimus attulit, neminem Lutherus perſequitur præter vnum Ambroſium, & vide quonam id faciat ſophiſmate. Sic enim Ambroſium dixiſſe Rex recenſuit: Licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credendum eſt. Iam ſic argutatur Lutherus: Si nihil aliud, ergo nec albedo cum aliis accidentibus. Quaſi pueri non intelligant iſtud eſſe merè ſophiſma: cum Ambroſij verba ſolum id aliud quod quid eſt excludant, hoc eſt ſubſtantiam aliam, non autem qualitatē, neq; cætera accidentia. Et tamen ex hoc impudentiſsimè Lutherus in principio Captiuitatis huius errorē impingit Ambroſio. Vt Ambroſiū, inquit, hic erraſſe palam palpemus etiam. Ita Luthero nihil eſt mendacius, ſed neque impudentius quicquā. Ambroſius palam fatetur accidentia manere, cū dicit, Licet figura panis & vini videatur: ſed negat aliam manere ſubſtantiā. Nihil, inquit, aliud, præter carnem & ſanguinem Chriſti: hoc eſt, planè nulla ſubſtantia alia manet. Ambroſio certe, qui fuit vetuſtus author, & ante annos plus mille cæteriſque patribus ita viſum eſt, aduenienti corpori Chriſti ſubſtantiam panis euestigio cedere. Sic illi ſuis temporibus Eccleſiam erudierunt: quorum veſtigia recentiores ſecuti, ceſſionem hanc vocabulo tranſſubſtantiationis appellarunt. At nunc Lutherus exortus omnia perturbans, quærit, cur non & accidentia quoque tranſſubſtantientur? quaſi rationi conſentaneū fuerit, vt accidentia queant in ſubſtantiam aliquam verti.

Lutherus falſo ſophiſmate inſectatur Ambroſium.

Panis ſubſtantia cedit corpori Chriſti venienti.

Sed vrget adhuc Lutherus: Quæ neceſſitas, inquit, perimendæ ſubſtantiæ, & ſeruandorum accidentium? Reſpondebunt ei patres ſe metuiſſe talem aliquando exoriturum, qualis vel Vuicleſus fuerat: qui negaret illic eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti, eò quòd maneat ibi ſubſtantia panis: vel qualis iam Lutherus eſt, qui diceret hanc ſubſtantiam eſſe illam: hoc eſt, ſubſtantiam panis, eſſe carnem Chriſti: quod illis non modo falſum, verumetiam abſurdiſsimum videbatur. Patres ergo inſtinctu ſancti ſpiritus, qui moderatur Eccleſiam, errorē vtrunq; præuidentes, ſcriptum poſteris tradiderunt, non manere ſubſtantiam panis. Neq; enim de accidentib⁹ cuipiā oriri dubitatio potuit, eſſentne illa corpus Chriſti: neque metus ob hęc vllus patribus fuit, ne quis vnquam adeo craſſus hæreticus oriretur, vt ea contenderet eſſe carnem Chriſti. XX.

Subſtantia panis tranſeunte remanent accidentia.

Subiungit Lutherus: Prætereo hic rhetoriciſsimum illum contempſum, dum duas vrgentiſsimas ſimilitudines appoſui, de ferro ignito, & Deo incarnato: vbi neque igni ferrum, neque diuinitati hominē neceſſe eſt cedere. Mihi enim etiam ſi non neceſſe ſit mea aſſerere, tamen ſatis negotij fecero aſſertori, ſi ſuum figmentum aliter ſe poſſe habere demonſtrauero. Itaque poſſum dicere Corpus Chriſti ſic ſaluo pane in ſacramento eſſe, ſicut eſt ignis in ferro ſalua ferri ſubſtantia: & Deus in homine, ſalua humanitate, vtrobique ſic mixtis ſubſtantiis, vt ſua cuiq; operatio & natura propria maneat, & tamen vnum aliquod conſtituant. Sic dicere, inquam, potero, donec papiſtæ hanc ſimilitudinem nō contemptu Thomiſtico, ſed aſſertione fideli ſuſtulerint. Ipſorum eſt enim affirmatiuam probare, quam ego vna particulari poſſum labefactare. Nō enim eſt hoc aſſertionem ſacramentorum ſcribere, aduerſarij argumenta tranſilire & contemnere, vt hic facit inſulſus Thomiſta; ſed demonſtrare ea eſſe nulla & inania, alioqui ea pro inuictis haberi cogit ipſe aſſertor ſua ridicula diſsimulatione, & meticuloſa fuga.

Reſponſio.

Dixi pridem, & ita ſanè veriſsimum eſt, longe facilius eſt oppugnare noſtra, quam eadē ſtatuere, quandoquidem ex fide magis quā ex humana

ratione

rationе pendeant. Satis nobis fuerit ea ſequi, quæ patres tam eruditione, quàm vitæ ſanctimonia probatiſſimi nobis reliquerunt. Quibus ſi quis hæreticus nolit credere, hunc oportet rationem efficacem reddere, cur ita credere minime teneatur: alioqui neutiquam audiendus eſt. Neque enim ſatis eſt vt reiiciat noſtra ſi dixerit ea non eſſe ſufficienter probata: niſi rationem etiam omni luce clariorem attulerit, cur non debeant ea credi: qualem nullam hactenus Lutherus attulit. Et nunc poſt tã graues tumultus excitatos ita ſubterfugere molitur, quaſi non incumbat ei ſuarũ opinionũ probatio. Mihi, inquit, etiã ſi nõ neceſſe ſit mea aſſerere, tamen ſatis negotij fecero aſſertori, ſi ſuũ aliter ſe poſſe habere demonſtrauero. Et paulo poſt. Ipſorum, inquit, eſt affirmatiuam probare, quam ego vna particulari poſſim labefactare.

Aſſerta aduerſus fidem nihil aſſerunt ſine demonſtratione.

Et ego quidem in hoc aſſentior Luthero, quòd facilè cuiuis aſſertori negotium faceſſere poſſit, & ſophiſmatibus ſuis non nihil impedire quæ ſtatuat aſſertor. Nam facilius eſt (vt aiunt) demoliri, quàm extruere: ſed quòd ad oppugnatorem non pertineat vel aſſerere ſua, vel ab incepto deſiſtere, modis omnibus diſſentio. Quid verò per affirmatiuam ſibi velit, non intelligo. Nam quantum ad hoc negotium attinet, noſtra eſt negatiua: panem videlicet non eſſe corpus Chriſti, & nõ manere ſubſtantiã panis: ex quibus colligitur tranſſubſtantiationẽ panis factã eſſe.

Cæterum vt iam ad ſimilitudines quas attulit, veniamus:

xxi. Nil hic miror, ſi mentiatur Lutherus, qui nunquam ferè non mentitur. Dicit hic Regem contemptu Thomiſtico ſimilitudines ſuas, nempe de ferro & igne, & de Deo incarnato, tranſiliſſe: quod falſum eſſe deprehendes lector, ſi Regis librum euolueris: Sic enim de priori exemplo ſcripſit haud longe ante finem huius captiuitatis: Nec ego certè, inquit, veterum ferè ſanctorum patrum quemquam puto fuiſſe probaturum conceptum iſtam Lutheri ſimilitudinem ferri cum igne coniuncti. Nam nemo vnquam dixit ſic ferrum in ignem conuerti, vt tantùm ferri ſpecies relinquatur, ſubſtantia ferri in ignis mutata ſubſtantiam: quod de pane & Chriſti carne veteres ſenſerunt omnes. Hactenus ipſe Rex.

Verba regis.

Quibus verbis abundè confutauit Lutheri ſententiam, qua contendit ipſe panem eſſe corpus Chriſti. Quod ſi dixerit Lutherus hoc ſaltem exemplo patere, quomodo manere poſſit panis vnà cũ corpore Chriſti: reſpondet ei Rex, ſe iã de re & non de rei poſſibilitate diſputare. Neque enim quid poſſibile, ſed quid factũ ſit, diſquiſiuit.

Adde, quòd à poſſe ad eſſe, conſequentia nullius roboris eſt. Sed & paulò ſuperius rationes reddidimus cur vetuſtis patribus ſpiritu ſancto plenis viſum fuiſſet non manere ſubſtantiam panis, quorum patrum, & non minimo certè numero, ſententias ipſe rex recenſuit. Et quæ eſt iſta dogmatum conſtantia, vt Lutherus nunc aſſerat panem eſſe corpus Chriſti, nunc ſubterfugiens dicat panem non eſſe corpus, ſed manere cũ corpore? Vtrunque certè non eſt hominis habentis omnia ſua dogmata de cœlo. Quantum igitur ad exemplum attinet de ferro ignito, ſatis conſtat nec ignem ferrum eſſe, nec è diuerſo ferrum ignem: quare nec hoc exemplo conficitur vt panis verè dicatur caro Chriſti: quod Lutherus tamen per errorem aſſerit. Sed neque ſubſtantia ferri permutatur in ſubſtantiam ignis quemadmodum de pane fieri in carnem Chriſti, patres tradiderunt. Hoc reſpondiſſe Luthero, regi ſatis fuit quantum ad exemplum igniti ferri.

xxii. Cæterum quia Lutherus contendit hoc exemplo, manere poſſe ſubſtantiam panis vnà cum corpore Chriſti, Rex ex feruore fidei, quã habet erga ſacratiſſimum Chriſti corpus, nonnihil adiecit. Quiſquis (inquit) beatiſſimum Chriſti corpus ſic vt debet exiſtimat, facilius aſſentietur qualcunq; duas ſubſtantias ſimul manere coniunctas, quã vllum corpus aliud manere coniunctum cũ venerando corpore Chriſti. Neq; enim vlla ſubſtantia digna eſt quæ cum ea miſceatur ſubſtantia, quæ ſubſtantias omnes condidit. Nec hic per creatricem ſubſtantiam Rex carnẽ Chriſti vult intelligi, quemadmodum Lutherus multis verbis poſtea blaterat: ſed ipſum Chriſtum, qui cuncta creauit. Neque enim negat Rex poſſibilitatem talis vnionis (modò ſic viſum fuiſſet Deo) ſed fatetur indignitatem, vt panis corrumpendus incorruptibili Chriſto ſic miſceatur. Et quis non intelligit etiam humanam naturam indignam fuiſſe quæ verbo miſceretur? quanquam & ea præſeruata fuerit à corruptione, ne videlicet id quod verbũ olim aſſumpſit, corruptionẽ pateretur. At panis ſi maneat, ſæpe de facto corrumpitur, & ſæpe aenera dimittitur. Quãobrem & rex eam ceu rem indignam cenſet, quæ cũ incorruptibili Chriſto commiſceatur. Nec verum eſt, vt gannit Lutherus, quod accidentia permiſcentur corpori Chriſti, quemadmodum accidẽtia ignis ferro. Nam ſic & Chriſtus eſſet albedine panis albus, ſicut & calore ignis ferrum calet. Sed hactenus pro priori exemplo: nunc alterius exẽpli mentionẽ Rex continẽtur ſubiicit, dicẽs.

Creatrix ſubſtantia.

Accidentia panis non permiſcentur corpori Chriſti.

Præterea olim patribus opinor multo adhuc minus fuiſſe placituram illam Lutheri collationem, quæ ſic vult panem ſimul reſtare cum carne, ſicut reſtabat in vna Chriſti perſona Deus cũ homine. Nam vt paſſim veterum quiſque patrum doctiſſimus atque ſanctiſſimus fatetur panem mutari in carnem: ita nemo tam impius erat, aut inſcius, vt humanitatem conuerti ſenſerit in diuinitatem, niſi forte nouam nobis perſonam fingat Lutherus, vt quomodo Deus aſſumpſit hominem, ita Deus & homo aſſumãt panem & vinũ. quod ſi credat, habebitur (opinor) hæreticus apud omnes qui non ſunt hæretici.

Panis non reſtat cum carne, ſicut humanitas cum diuinitate.

Ecce lector neutram ſimilitudinem rex tranſiliit, vt falſo Lutherus mentitur: neque negat quin panis à Chriſto ſuppoſitari poſſit: modò Chriſtus ita voluiſſet. Sed quoniam patres contrarium communiter aſſerunt: non dubitat Rex, eum qui contra tot ſanctos & tam eruditos patres in re tam auguſta ſentiat, hæreticum ha-

bendum apud omnes qui non ſunt hæretici.

Cæterum hoc ſecundum exemplum longe diuerſum eſt à priori. Vniuntur enim ibi duæ naturæ diuina ſcilicet & humana ſub vno ſuppoſito verbi. Sed quoniam eiuſmodi ſuppoſitatio ſupra naturæ vires eſt, æquè vt ſubſtantiam panis in carnem Chriſti mutari, multáſque præterea ſecum habet abſurditates, & hanc præſertim, quòd Chriſtus ſæpe dimiſſurus ſit quod in vnitatem ſuppoſiti prius admiſerat, ideo cenſet eam Rex non admittendam: & maximè quia nemo patrum eam tradidiſſe legitur. Cæterum ſi talem ſuppoſitationem panis in Chriſto Lutherus de facto, non de poſſibili probauerit, nos etiam contra patres cum eo ſentiemus, & manus ei dabimus. At iſtud (ſcio) faciet nunquam. Interea nobis æquius eſt patrum ſequi veſtigia: ſimulq; quod ſpiritui ſancto viſum fuit per illos tradere nobis, æquius eſt amplecti, quã Lutheri tortuoſas ambages, cũ ſub colore libertatis nihil aliud quã nodos quærat quibus irretiantur imbecilliũ animi, quos tandẽ ad ſummã ita ducat perniciẽ.

Panis non ſuppoſitatur in Chriſto.

Multos vtique patres tam eruditione quàm ſanctitate claros, Rex pro ſua parte produxit, nimirum Euſebium, Emiſenum, Auguſtinum, Gregorium Nyſſenum, Theophilactum, Cyrillum, & Ambroſium, atque alios qui fatentur vnanimiter, panis mutari ſubſtantiam, & non manere facta conſecratione. Atque ideo Rex iſtos introduxit, quòd Lutherus contendit Eccleſiam mille ducentos annos credidiſſe manere panem, nec vſquam ante trecentos hos nouiſſimos annos patres de panis mutatione meminiſſe: quod apertiſſimè falſum eſſe Rex tot patrum teſtimoniis comprobauit: iſtud etiam adiungens, quod poſtquam Eccleſia verum iſtud eſſe decreuerit: etiam ſi nunc primum decerneret, tamen ſi veteres non credidere contrarium, quanquam ea de re nunquam ante quiſquam cogitaſſet, cur non obtemperaret totius Eccleſiæ præſenti decreto, perſuaſus id nunc tandem reuelatum Eccleſiæ, quod ante latuiſſet? Spiritus enim ſicut vbi vult ſpirat, ita ſpirat & quando vult. Hactenus ipſe Rex.

Multorum authoritate probatur panis tranſſubſtantiari.

De Panis mutatione non eſt noua opinio.

Verùm hæc aure ſurda Lutherus, ſicut & pleraque alia, tranſilit fortiter. Solum ex omnibus Ambroſium carpit, atque id quidem ſophiſmate nimis quam futili, de quo ſuprà diſſeruimus.

Multa prætereo, ne ſim alioqui nunquam finem facturus, & maxime ſi Lutheri conuicijs reſpondere vellem, quæ ſunt innumera. Nihil tamen omiſiſſe me memini quod vlla dignum eſſet reſponſione: vt nihil dubitem quin æquus lector diiudicaturus ſit Regem ſolidis & rationibus & ſcripturis innixum fuiſſe, Lutherum contrà maxime friuolis. & quanquam ita res verè ſe habeat, audio tamen in huius quarti calce Lutherum ouantem, perinde ac ſi peruiciſſet. Ne
,, ſim ingratus (inquit) magiſterio domini Henri-
,, ci, nunc modo & tranſſubſtantiare volo meam
,, ſentẽtiã, & dico: Antea poſui nihil referre, ſic, ſi-
,, ue ſic ſentias de tranſſubſtantiatione: nunc autẽ
,, viſis rationibus & argumẽtis aſſertoris ſacramẽ-
« torum pulcherrimis, decerno impiũ eſſe & blaſ-
« phemũ, ſi quis dicat panem tranſſubſtantiari: ca-
« tholicũ autẽ & piũ, ſi quis cũ Paulo dicat, Panis
« quem frangimus, eſt corpus Chriſti. Anathema
« ſit, qui aliter dixerit, & iota aut apicem vnum
« mutarit, etiam ſi ſit Dominus Henricus nouus
« & eximius Thomiſta. Hæc Lutherus.

Hic primum attende lector, hominis inconſtantiam, qui tamen gloriatur ſe certum eſſe habere ſe omnia ſua dogmata è cœlo. Si prius illud dogma de cœlo ſuſcepiſſet, quî fieri poſſit vt iſtud itẽ quod contrarium eſt, fuiſſet è cœlo? Nã certum eſt è cœlo non iam venire pugnantia dogmata. At iſta manifeſte pugnant, licet, & non licet. Prius autẽ docuit licere, nec referre quicquam, ſic ſiue aliter ſentiat quiuis: nunc autem impium decernit ſic ſentire.

Roffenſis

Lutherus ſecum pugnat.

Deinde conſideres & iſtud, nempe quod affirmat catholicum & pium eſſe, ſi quis cum Paulo dicat, Panis quem frangimus, eſt corpus Chriſti. At Paulus iſtud nunquam dixit Sic non pudet magiſtrum iſtum è cœlo nobis datũ, de Paulo mentiri. Paulus vtique dixit, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini eſt? At ex eo non colligitur quòd panis quem frangimus, ſit corpus domini: quoniam & idem ipſe Paulus ſuperius dixit: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis eſt Chriſti? Sed ex hoc haudquaquam colligitur quod calix iſte ſit ſanguis Chriſti. Quaro nec ex altero colligi poteſt quòd panis fuerit corpus Chriſti. Poſtremò videbis lector, ſi Lutherum obſerues, quàm aperto ſeipſum feriat anathemate. Anathema (inquit) ſit, qui aliter quã Paulus dixerit, & iota aut apicẽ vnum mutarit: Quãobrem cum Lutherus longe aliter Paulum receuſeat, quàm vel ipſe dixerit, vel ex eius verbis poſſit colligi, an non plane ſeipſum anathemate ligat? Et hic finis eſto quarti.

Mendacium Lutheri

1. Cor. 10.

Luther excommunicat ſeipſum.

Miſſam haudquaquam teſtamentum eſſe.

CAPVT V.

SEd iam quinto loco nobis excutiendum eſt, an miſſa rectè nouum dicatur teſtamentum. Aſtruere conatur Lutherus miſſam teſtamentum eſſe, atque id ceu fundamentum immobile, ſuper quo diabolicam ſuam ſtructuram erigat, conſtabilire modis omnibus nititur. Nos verò non ambigimus oſtendere non ſolum hoc fundamentum non eſſe immobile, verumetiam ea quæ ſuper hoc ædificare molitus eſt, nulla prorſus niti ſoliditate. Nam & ex eodem fundamento colligit miſſam non eſſe ſacrificium. Quæ res non ſolum authoribus omnibus tam recentibus quàm vetuſtis, verumetiam ipſis ſcripturis aduerſatur, vti poſtea ſuo loco docebimus.

Cæte-

Eucharistia non eſt ſacramentum remiſsionis peccatorum ſed vnionis.

Cæterum canſa totius erroris eſt, quòd Lutherus Euchariſtiam arbitratur ſacramentum eſſe remiſsionis peccatorum, cum ſit reuera non remiſſionis, ſed magis vnionis cuiuſdam ſacramentum. Noſtram enim vnionem cum Chriſto ſignificat, & eandem cum Deo patre non minus efficaciter præſtat. Quam rem non modo teſtimoniis patrum, verumetiam ſcripturis ipſis firmabimus.

Dionyſius primùm cap 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſacramentum iſtud ideo ſynaxim & communionem appellat, quòd noſtram cum Deo perficiat vnitatem.

Et Damaſcenus item communionem vocat, quia per ipſum Chriſto communicamus, & participamus eius carne & diuinitate, & quia communicamus & vnimur inuicem per idipſum.

Sed & Chryſoſtomus in epiſtolam ad Corinthios priorem de hoc ſacramento loquens, Quare (inquit) non dixit Paulus participatio? Quia amplius quiddam ſignificare voluit, & multam inter hæc conuenientiam oſtendere. Non enim participatione tantum, & acceptione, ſed vnitate communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum eſt Chriſto, ita & nos per hunc panē vnione coniungimur.

Accedit his Hilarius octauo libro de trinitate, ſic dicens: Si verè corporis noſtri carnem aſſumpſit Chriſtus, & vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, nóſque vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc, vnum erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramentum proprietas; perfectę ſit ſacramentum vnitatis?

Subſcribit Auguſtinus in hunc modum: Sicut, vt ſit ſpecies viſibilis panis, multa grana in vnum conſperguntur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait ſcriptura ſancta: Erat illis anima

Act. 4. vna, & cor vnum in Deum: ſic & de vino fratres recolite vnde ſit vnum. Grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in vnitatem confunditur. Ita dominus Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit. Myſterium pacis & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit. Et alibi: Quomodo (inquit) videtis vnum eſſe qood factum eſt, ſic vnum eſtote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam ſpem, indiuiduam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, teſtimonium contra ſe accipiunt, quia illi quærunt diuiſionem, cum panis iſte indicet vnitatem. Ex iis itaque liquet,

Euchariſtia eſt ſacramentum vnionis.

hoc myſterium vnitatis & communionis eſſe ſymbolum atque ſacramentum. At quid tot authoribus opus eſt, cum Paulus hanc rem abunde teſtetur? Poculum (inquit) benedictionis

1. Cor. 10. cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nonne cōmunicatio corporis Chriſti eſt? Quid ſibi vult his verbis aliud Paulus, quā quòd hæc ſint communionis & vnitatis ſacramenta? Et ob id ſequenti capite, poſtea quàm diſſidiorū inter Corinthios meminerit, ſubiungit: Iam non licet dominicam *1. Cor. 11.* cœnam manducare, perinde ac ſi dixerit, Dominica cœna, concordiæ ſymbolum eſt, nec diſſidentes admittit animos: at vos diſſidetis inuicem, & non communem cœnam, ſed priuatam quiſque ſuam edere parat. Adde, quòd Paulus nec verbulum quidem facit de remiſſione peccatorum, cum tamen integrè totum ipſius myſterij recenſeat ordinem, ſecundum quod à Chriſto pridem fuerat edoctus.

Quis iam ex dictis & authoribus & ſcripturis 11.
non luculenter intelligit Euchariſtiam vnionis eſſe ſacramentum, & non remiſsionis peccatorum? Nam peccata quantum ad culpam, per ſacramentum abſolutionis ante deleantur oportet. Nam & hoc abſolutus (vt Lutherus affirmat) omnino credere tenetur. Quòd ſi verè deleta ſint peccata, quid opus fuerit iam aliud ſacramētum pro culpis redimendis accipere, cum ſint per ſacramentum abſolutionis antea remiſſæ? Cæterum ob id Lutherus contendit eam eſſe ſacramentum remiſsionis peccatorum, quòd de remiſsione peccatorum in conſecratione ſanguinis facta ſit mentio. Verum iſtud quàm nihil inſtituto ſuo conducat, mox docebimus. Ex hac tamen baſi ſtruere molitur, & pertinaciſſimè quidem, vt credamus remiſſionem peccatorum per iſtud ſacramentum nobis eſſe promiſſam: atq; vt ferè ſit, vno quopiam errore ſemel admiſſo, procliuiter ad complures alios dilabimur. Ita Lutherus hoc errore poſito ſeipſum in alios abſurdiſsimos fœde præcipitauit. E quibus hic vnus & peſtilentiſsimus omnium eſt, quod ſceleratiſsimis & inquinatiſsimis hominibus ad hoc ſacramentum tutò licebit accedere.

Non licet niſi pura conſcientia ad Euchariſtiā accedere.

Quam opinionem hactenus tota prorſus orthodoxorum Eccleſiā ceu maxime deteſtandam abhorruit, Paulo ipſo prorſus reclamante, cum dicat, quod qui indignè accedit, *1. Corin. 11.* iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Quamobrem & prius oportet à peccatis reſipiſcere, ſimul & abſolutionem à ſacerdote quopiam accipere, quàm ad hoc ſacramentum accedere quis præſumat. Poſtquam autem hæc dignè fecerit, non inficior quin ad delendas peccatorum reliquias Euchariſtia plurimum conferat, & maximè quatenus velut ſacrificium Deo pro peccatis offertur.

Dignè communicanti delentur peccata.

Nam quatenus ſacrificium eſt, repræſentat illud ſummum Chriſti ſacrificium, quo patri ſeipſum obtulit in cruce, vbi & ſanguinem ſuum fudit in remiſsionem peccatorum. Id enim pridem in cœna pollicebatur, dicens: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionē peccatorū. *Matt. 26.* Ecce pro ſanguinis effuſione remiſsio peccatorum promittitur, nō pro calicis potatione. Neque enim dixit: Hic eſt ſanguis qui à multis bibetur in remiſsionē peccatorū: ſed, Hic eſt ſanguis qui pro multis effundetur in remiſsionē peccatorū. Non igitur pro potatione calicis in cœna, ſed pro effuſione ſanguinis in cruce, remiſsio peccatorum fuerat promiſſa. Quamobrem nec Euchariſtia ſacramētum

rum eſt remiſſionis peccatorum, quandoquidē & ſolis illis quibus antea ſint remiſſa peccata, conferri debeat. Nam tales idooei ſunt qui Deo per Euchariſtiam vniantur, noo autem illi qui nondum abluti ſunt, neque peccatis adhuc omnioo renunciarunt. Porro certum eſt quod effuſio ſanguiois in cruce valuit ad peccatorum omnium abolitionem. Atque ideo cum ſacrificium corporis & ſanguinis oblatum in miſſa referat ipſum crucis ſacrificium, fit vt quoties in miſſa corpus & ſanguinem Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus offerimus, toties noonihil ex rubigine peccatorum adimatur, & ipſæ reliquiæ peccatorum his pro quibus hoc ſacrificium offertur, haud dubie remiſſiores euadant. Neque tamen ob iſtud conſequitur, quòd ſordidis & ſceleratis qui non ſe prius expiauerint, hæc ſancta conferenda ſint, cum idipſum olim fieri Chriſtus apertè vetuerit, diceus: Ne detis quod ſanctū eſt canibus, oeque proieceritis margaritas veſtras ante porcos. Non eſt igitur hoc ſanctiſſimū ſacramentum cuiuis exhibendum, qui ſibi conſcius alicuius mortalis crimiois, non ſeipſum abeodē anteà diligenter expurgauerit, ſed his ſolis qui prius excuſſerint ſeſe, & quoad fieri poteſt, ab omni ſorde letaliter inficiente diligentius expiauerint. His (inquam) cibus iſte ſacer miniſtrandus eſt, non autem canibus aut poreis. Nam hi nequaquam antea ſeipſos probarunt, neque diiudicarunt corpus domini, ſed illotis pedibus in hunc ſacerrimum cibum irruunt.

Impœnitentes non poterunt dignè communicare.

Matth. 7.

III. Duó igitur ſuot quæ per ordinem refellemus. Alterum, quòd miſſa teſtamentum ſit: alterum, quòd ipſa noo ſit opus & ſacrificium. Nā vtrumque Lutherús & ſanè pluribus aſtruere conatur. Sed de teſtámento dicemus prius, quandoquidem & hoc velut immobile fundamentum totius ſtructuræ ſuæ Luthe. poſuerit. Sic enim ſcri-
„ bit in captiuitate ſua Babylonica: Stet ergo pri-
„ mum, & infallibiliter, miſſam ſeu ſacramentum
„ altaris, eſſe teſtamentum Chriſti, quod moriens
„ poſt ſe reliquit diſtribuendum ſuis fidelibus. Sic
„ enim habent eius verba: Hic calix nouum teſta-
„ mentum in meo ſanguine. Stet inquam iſta veri-
„ tas vt fundamentum immobile, ſuper quod om-
„ nis ſtruemus quæ dicenda ſunt. hoc enim vide-
„ bis, vt ſubuertamus omues hominū impietates
„ in hoc dulciſſimū ſacrameotū iouectas. Verax er-
„ go Chriſtus verè dicit hoc eſſe nouū teſtamentū
in ſanguine ſuo pro nobis fuſo. Hucvſq; Luther.

Reſponſio. Hic primum aduerte lector quàm vafre ſuum dogma profiteatur inuoluens hæc omnia ſimul, miſſam, & ſacrameotum altaris. & teſtameotum Chriſti, atque ita ex his tribus vnum facieos. Stet (inquit) primum & infallibiliter miſſam ſeu ſacramentum altaris eſſe teſtamentum Chriſti. Veruntamen poſtea nec ſemel tantū inuenies miſſam ab eo dici promiſſiooem, & ſacramentum altaris eſſe rem annexam promiſſioni. Satis vtiq; conſtat miſſam ſeu ſacramentum altaris non eſſe promiſſionem, tametſi per eius ſumptionē bona plurima promittantur, ſed de hac re mox pluribus dicturi ſumus. Porro quod ſubdit, Quod moriens poſt ſe reliquit diſtribuendum ſuis fidelibus: quis vnquam audiuit teſtamentum eſſe diſtribueoda ſint, de quibus teſtameutum cooficitur? Sed hæc eſt hominis vafricies, vt omnia cōfundat, intricet, inuoluat: nimirum vt quoties in arcto conſtitutus premitur, inuolucro quopiam è manibus elabatur protinus. Sed & verba Chriſti quæ producit, uihil ad hanc rem conferunt. Neque enim Chriſtus his verbis diſtribui quicquam iuſſit præter corpus & ſaoguinē. Quòd ſi quicquam hic legatum ſit, id oportet aut corpus aut ſanguinem eſſe Chriſti. Nam remiſſio peccatorum hic neutiquam legatur. Neque enim pro ſanguinis dotatione remiſſio peccatorū (vt diximus) promittitur, ſed ob effuſiouem ipſius in cruce. Quòd verò iam teſtamenti Chriſtus meminerit, ideo fit, vt ipſū effuſiooe ſui ſanguinis in cruce confirmatum oſtendat, non vt ſanguinem aut calicem teſtamentum faciat, quemadmodū Lutherus fallaciter inſimulat, ſed magis vt nouū teſtamentum, hoc eſt legem nouam à ſe latā, pariter & cuocta quæ in ea promiſſa ſunt, ſuo ſanguine doceat eſſe corroborara.

Cæterum quàm ſit hoc Lutheranum fundamentum immobile, & quàm firmam inde ſtructuram erigat, paulo poſt videbimus. Qoòd autem poſtremo loco dicit veracem eſſe Chriſtum: profectò verax, imò veraciſſimus Chriſtus eſt. At Luthero nihil eſt mendacius, qui Chriſto id quod is nunquam protulit, ceu verè prolatum adſcribere noo veretur. Falſiſſimum enim eſt quòd Chriſtus, ad Lutheri ſenſum, vſquam aſſeruit calicem eſſe teſtamentum nouum, quod & inferius oſtendemus. Interim videamus, quibus verbis Rex illuſtriſſimus hunc errorem taxauit. IIII.

Calix non eſt teſtamentum nouum.

Non conceodam (inquit) cum eo de teſtamento, & promiſſiooe, & tota illa definitione & applicatione teſtamenti ad ſacramentum. Nō ero tam moleſtus ei quàm alios fortaſſis inuenier, ſi qui bonam ei partem iſtius fundamenti ſubruerint, qui & teſtameutum nouum dicant promiſſionem eſſe legis Euangelicæ, quemadmodū vetus fuit Moſaicæ, & teſtamentum iſtud negent à Luthero ſatis ſcitè tractari. neque enim teſtatori nuncupandum eſſe nominatim quod relinquat hæredi quem ex aſſe inſtituat: neque remiſſionem peccatorum, quam pro hæreditate nuncupatam Lotherus ait, idem eſſe quod reguum cœlorum, ſed viam potius ad cœlū. Quæ res, atq; alias itē aliquot quiſquis vrgere velit ac premere, poſſet fundamenti Lutherani ſtructurā machinis alicuode concutere: verùm iſtud eis permittam qui volent. Hactenus illuſtriſſimus Rex.

Verba regis.

Reſponſio. Ecce quàm apertiſſimis verbis regia celſitudo breuiter ſubindicauit, quibus modis is error conuelli poſſit. Et quanquam nos id fuſius oſtēderimus inter confutandam aſſertionem articulorū Lutheri articulo. 15. nunc tamen pluſculum aliquid adiiciemus. Euoluat quiſquis volet vniuerſam ſcripturā ſacram, non plura quæ teſtamenta noua dicantur, inueniet, quam vnū. Vnicum enim eſt Paulo teſtameutum nouum, quēadmodū ad Hebræos octauo nonóq; capite manifeſtum

Vnicum eſt teſtamentum nouum.

nifeſtum eſt, & nos inferius oſtendemus. Neque opinor Lutherum poſſe ſubterfugere quin de teſtamento nouo loquatur. Nam id eius probationes manifeſtant. Probat enim ex eo miſſam eſſe teſtamentum, quòd dixerit Chriſtus: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Et poſtea ſubdit: Verax ergo Chriſtus vere dicit hoc eſſe nouum teſtamentum in ſanguine ſuo. Quamobrem nec poteſt Lutherus hic de alio quàm de nouo teſtamento loqui. Cęterum vt eſt ingenio ſatis vafro verſutoque, definitionem teſtamenti quãdã introducit, quã & miſſæ conatur accomodare: quæ qualis fuerit, primum audiamus.

Teſtamentū quid ſit ſecundum Lutherum.

Teſtamentum (inquit) abſque dubio eſt promiſſio morituri, qua nuncupat hæreditatem ſuam, & inſtituit hæredes. Neque nos iſtam teſtamenti definitionem reſpuemus, ſed & eam docebimus legi nouæ, quæ & Paulo teſtamentũ nouũ dicitur aptiſſime conquadrare. Nã in ea Chriſtus, qui pro peccatoribus erat moriturus, & ſanguinẽ ad illius corroborationem ſuſurus, hæreditatem ſuam, nempe cœleſtę regnum, promiſit. Hæredes verò pauperes ſpiritu, mites, lugentes, auidos iuſtitiæ, miſericordes, mũdo corde, pacificos, & denique propter iuſtitiam perſecutionem paſſos inſtituit.

Matt. 5.

Beati (inquit) pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum &c. Ecce definitio dicti non inepte quadrat in legẽ nouã, cũ & huic ſingula illius mẽbra conueniant. Cæterum quod Lutherus conatur eam accommodare miſſæ, tam inuitum eſt, ac ſi pec capillos repugnantem velit pertrahere. Quam rem facilè perſpicies optime lector, ſi diligenter expendas cuncta Lutheri verba, quib[us] miſſæ conatur hãc ſuã definitionẽ adaptare. Sic enim ait:

Verba Lutheri.

Inuoluit itaq; teſtamentum primò mortem teſtatoris, deinde hęreditatis promiſſionem, & hæreditatis nuncupationem.

Roffenſis.

Attende lector quàm inuolutè ſua tradit. Inuoluit (inquit) teſtamentum primò mortem teſtatoris. Profecto teſtamentum, vt certo conſtabiliatur, teſtatoris mortem exigit. Et huic Paulus aſtipulatur dicens:

Hebr. 9.

Teſtamentum in mortuis confirmatũ eſt. Cęterũ quod morte confirmatum eſt, aliud ab ipſa morte ſit oportet, mortemque ipſam antecedat neceſſum eſt. Quamobrem neque teſtamentum ſic inuoluit teſtatoris mortem ceu rem legatam, ſed tanquam legatorum confirmatricem. Lutherus tamen non ita Chriſti mortem inuolui contendis, ceu rem legatã. Nã ſubdit. In verbis iſtis clarè videmus. Mortem ſuã Chriſtus teſtatur, dũ dicit, Hoc eſt corpus meũ quod tradetur: hic ſanguis meus qui effundetur.

Ecce lector, Hic Lutherus Chriſtum facit teſtari ſuam mortem, non autem ſua morte corroborare teſtamentum, planè contra Paulum, qui clamat Chriſtum ſua morte teſtamentum ſuum corroboraſſe. Sed neq; quicquam adminiculantur ea capita quæ citauit ex Paulo, cum Paulus tam aperte cap. 9. ad Hebræos, vetus teſtamentum à nouo diſcriminet, inquiens: Ob id noui teſtamenti conciliator eſt Chriſtus, vt morte intercedente ad redẽptionẽ earũ præuaricationũ quæ fuerant ſub priori teſtamento, ij qui vocati ſunt, promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis. En lector, apertiſſimè Paulus explicuit ijs verbis prius quoddam teſtamentũ anteceſſiſſe, nempe legem veterem, quæ multarum præuaricationum occaſio fuit. Poſt quod, ſubſecutũ eſt alterum nouum, vtique lex noua, cuius conciliator erat Chriſtus, quam ſua morte ſic intercedẽte conſtabiliuit, vt etiam omnes illas præuaricationes abuleret penitus. Hoc nouo teſtamento cœleſte regnum, velut æterna hæreditas, promiſſum fuit: hæredes autem inſtituuntur ij, qui adeo vocati ſunt.

v. *Epilogus.*

Cernis itaque lector optime, diſcrimen veteris & noui teſtamenti. Cernis & mortem Chriſti non ipſum teſtamentum eſſe, ſed ipſius teſtamẽti ratificatricem. Cernis identidem qui ſint hæredes, nẽpe qui vocati ſunt. Cernis poſtremò quæ ſit hæreditas: non vtiq; remiſſio peccatorũ, quæ per Chriſti mortem abolentur, ſed æterna magis in cœlis beatitudo, ad quam niſi remiſſis antè peccatis nemo conſcenſurus eſt.

Diſcrimen inter mortem & teſtamentum Heb. 9.

Cæterũ vt mortem à teſtamento diuerſam nemo non intelligat, Paulus idipſum eodẽ loco manifeſtè docet. Vbi (inquit) teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Nam teſtamentum in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum valet cum viuit teſtator. Quis hic non videt teſtamentum pręire teſtatoris mortem, quanquam citra mortẽ omnino ſit inualidũ? Nondũ (inquit) valet quã diu viuit teſtator. Quibus verbis etiã plane conuincitur, ſacramẽta corporis & ſanguinis Chriſti non fuiſſe teſtamentũ nouũ, quandoquidem & ipſa inualida fuerant ipſo teſtatore nondum mortuo. Dilucidum igitur ex his eſt, ineptiſſime Lutherũ collegiſſe, cũ paulo poſt ſubdat:

« Vides ergo quòd miſſa, quam vocamus, ſit pro-
« miſſio remiſſionis peccatorũ à Deo nobis facta
« & talis promiſſio quæ per mortẽ filij Dei firmata ſit.

Hic niſi Lutherus exiſtimet cunctos qui ſint iſta lecturi, plane cæcos eſſe, miror quòd talem vnquam collectionem effutire non puduerit, cũ nihil adhuc anteceſſerit probatum, vnde poſſet eiuſmodi collectionẽ efferre. Inſanit profecto, ſi credat homines talibus ineptiis poſſe faſcinari. Recte nimirum iſtud Euangelio congruit, quo nobis & remiſsio peccatorum & cœleſte regnũ promittuntur: at miſſę nequaquam, cum non ob eam, ſed ob ſanguinis effuſionem ſit promiſſa peccatorum remiſsio, vt iam ante diximus, & mox dicemus apertius.

vi. *Teſtamenti noui definitio.*

Teſtamentum itaque nouum, ſi quis aptè iuxta ſcripturas definire cupiat, recte dixerit eſſe legem nouam à Chriſto latam & eius obſignatam ſanguine, cuius profeſſores heredes inſtituuntur cœleſtis regni. Ecce definitionem hic habes ex omnibus cauſis integratã. Materiali primũ, cũ dicitur, Lex, Formali, cum ſubiungitur, noua. Efficienti, cum adiicitur, à Chriſto lata. Inſtrumẽtali, cum adiungitur, eius obſignata ſanguine. Finali demum, cum apponitur, cuius profeſſores inſtituuntur heredes cœleſtis regni. Cæterum & huius definitionis membra ſingula, ſcri-

pturarum

prutatum teſtimonijs abundè roborabimus.

Teſtamentũ nouum eſt lex noua. Principio, quòd teſtamentum nouum ſit noua lex, Paulus non ſolum ex iis quæ ſuperius ex epiſtola ad Hebræos nono capite produximus; verumetiam ex octauo manifeſtius declarat, vbi docet Chriſtum excellentius fuiſſe ſortitum ſacerdotium, quam ſacerdotes veteris teſtamenti, ac proinde teſtamenti præſtantioris interceſſorem eſſe, nimirum ipſius de quo citat prædixiſſe

Hieremiæ 31. Hieremiam: Ecce dies venient, dicit dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum quod feci patribus illorum in die, cum apprehenderem manum illorum, vt educerem eos ex Ægypto: quoniam ipſi non perſtiterunt in teſtamento meo, & ego neglectui eos habui, dicit dominus. Hoc inquã vaticinium Paulus ibi citat, & pergit ex eodem propheta docere quid ſit teſtamentum nouum. Nam hoc eſt (inquit) teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit dominus Deus: dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inſcribam illas.

VII.

Teſtamentũ nouum eſt ſanguine Chriſti confirmatum. Ecce iam hic habes lector, quid ſit teſtamentum nouum, nempe leges nouæ cordibus hominum inſcriptæ. Has Chriſtus ipſe tulit ac promulgauit, nequaquam chartis & atramento, ſed cordibus auditorum inſcribens. Porro quòd eaſdẽ & ſanguine ratificauerit ſuo, Paulus haud multo poſt, nempe capite nono, palam aſtruit, vbi & docet hoc teſtamentum nouum eximio Chriſti ſanguine ratum fieri, quemadmodum & vetus illud antea pecudum ſanguine confirmabatur. Cum (inquit) Moſes omne præceptũ iuxta legem expoſuiſſet omni populo, ſumpto ſanguine vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyſſopo, ſimul & ipſum librum, & totũ populũ aſperſit, dicens: Hic eſt ſangnis teſtamenti quod mandauit vobis Deus. Hæc Paul⁹.

Comparatio pulcra. Et hic aduerte lector optime, quàm ſimilibus Moſes vſus erat verbis in teſtamenti veteris confirmatione, his quibus euangeliſtæ referunt vſum fuiſſe Chriſtum in confirmatione noui.

Exodi 24. Sic enim dixit Moſes, Hic eſt ſanguis teſtamenti quod mandauit vobis Deus. Hoc pro teſtamento veteri Moſes dixit: Matthæus autem & Marcus Chriſtum ſimilia protuliſſe verba teſtãtur, cum ſui ſanguinis poculum ſub cœnam diſcipulis porrexiſſet.

Marci 14. Nam Marcus ita ſcripſit, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Fundebatur enimuero prius in lege veteri vitulorũ & hircorum ſanguis tam pro peccato, quàm ob veteris teſtamenti confirmationem: ſed ille ſanguis nimiſquàm inualidus fuit non ſolum ad peccati deletionem, verumetiam ad perfectionem illius teſtamenti conſtabiliendã. Fuit enim impotens ad delendum peccatum, quemadmodum & Paulus teſtatur dicens:

Hebr. 9. Non potuit ſanguis taurorũ & hircorum auferre peccata. Sanguis verò Chriſti (quo & nouum teſtamentum ratificatum eſt) ſicut in remiſſionem peccatorũ effundebatur, ita verè talem præſtitit remiſſionem. Quis hic non perſpicit ſingula ſingulis vel ad amuſſim reſpondere, Moſen inquam Chriſto, calicem calici, ſanguinem ſanguini, teſtamentũ teſtamento? Nam vt Moſes accepto calice, in quo ſanguis pecudum fuit, eodem ſtabilire vetus teſtamentum eſt molitus, ita & Chriſtus accepto calice, quo proprius ipſius ſanguis continebatur, eodem prorſus nouum confirmauit teſtamentum.

Non eſt ergo ſanguis teſtamentum nouum, quandoquidem ſanguine teſtamentum nouum confirmatur. Quis enim non perſpicit diuerſa eſſe oportere duo hæc, nimirum id quo quicquam ceu quodam inſtrumento confirmatur, & illud quod ita confirmatur? Quamobrem cum calix ſanguinis Chriſti ſit id quo teſtamentum nouum corroboratur, vt ex Paulo iam oſtendimus: *Hebr. 9.* Nam ſicut vetus illud ſanguine pecudum confirmabatur, ita & nouum ſanguine Chriſti: cum inquam iſta ſic ſe habent, planè ſuam inſcitiam prodit Lutherus, qui vel Chriſti ſanguinẽ, vel ſanguinis eius calicem, nouum appellat teſtamentum. *Sanguis Chriſti non eſt teſtamentũ.* Non eſt ergo ſanguis teſtamentũ nouum, tametſi ſanguine teſtamentum ipſum fuerat ſolidiſſimè roboratum. Cui ſententiæ patres omnes aſtipulantur, quicunque putantur & ſunt orthodoxi.

VIII.

Sed & iſtud annotandum eſt, quemadmodum id quod Moſes protulit, nempe, Hic eſt ſanguis teſtamenti: ſuppleri debet per voculam aliquam quæ ratificationem ſignificat, vt dicamus, Hic eſt ſanguis confirmatiuus ſeu conſtabilitiuus eius teſtamenti, quod mandauit vobis Deus: ſic & ſermo Chriſti ſupplendus eſt, nimirum vt intelligamus dixiſſe Chriſtum, Hic eſt ſanguis meus confirmatiuus noui teſtamenti. *Verba Chriſti ſupplenda.* Dilucidum igitur eſt neque Chriſti ſanguinem poſſe nouum teſtamentum dici, ſicut neque vitulorum & hircorum ſanguis teſtamentum vetus dicebatur

Adde quòd iſtud quoque ſatis apertum eſt ex ipſius Lucæ verbis. Neque enim dixit apud Lucam Chriſtus, *Lucæ 22.* Hic ſanguis meus eſt teſtamentum nouum, ſed, Hoc poculum teſtamentum nouum in meo ſanguine, ſeu per meum ſanguinem, vt alius traduxit, Non eſt ergo ſanguis teſtamentum nouum: & multo minus calix aut poculum ita dici meretur. Quis enim ita inſaniat, vt Moſeos poculum aut crateram quam ipſe plenam ſanguine manu tenuit, vetus fuiſſe teſtamentum opinetur? Quod ſi neque poculum, neque ſanguis in poculo ſit teſtamentum nouum, palam eſt ſermonem hunc ecclipſim pati, verbóque carere quod ratificationem exprimat: ad quẽ ſenſum hactenus cuncti patres tam Pauli quàm Lucæ verba duxerunt intelligenda: neque ante Lutherum repertus eſt quiſquam, qui vel poculum vel ſanguinem auſus eſt teſtamentum interpretari. Tantum igitur hoc loco Chriſtus ob id noui teſtamenti facit mentionẽ, quòd iſtud ſanguine Chriſti ratũ habebatur, non ideo quòd miſſa teſtamentum ſit, quemadmodum Lutherus peſtiferè machinatus eſt. *Luther diſtortè interpretatur ſcripturas.* Arrogat enim ſibi Lutherus libertatem, imò licentiam

quan-

quandam interpretandi ſcripturas quaslibet pro ſui cerebri ſomniis, inſanaque phreneſi. Sic enim ſuperius Chriſti verba, cum dixit, Hoc eſt corpus meum, hoc id eſt, hic panis interpretabatur. Nunc verò dicit, Calix, id eſt miſſa, eſt nouum teſtamentum. Sed neque calix eſt miſſa, neque horum alterutrum eſt teſtamentum nouum: quę res vel cunctis dilucida eſt, qui quid ſit teſtamentum nouum, haudquaquam ignorant.

Chriſtus non meminit teſtamenti cum de corpore ſuo loqueretur.

Ad hęc, Cum de corpore ſuo locutus eſſet Chriſtus, nihil omnino teſtamenti ſiue noui ſeu veteris meminit, quod tamen ad miſſam nihilominus pertinere quàm ſanguinem, quis dubitat? Quod & ideo feciſſe clariſſimum eſt, quòd ſanguinis effuſio, mortis indicium ſit. Quoniam igitur teſtamentū (vt inquit Paulus) in mortuis ratum habetur, & mortis non inefficax ſymbolum eſt plena ſanguinis effuſio, ſanguine decuit teſtamentū conſtabiliri. Quod ſi voluiſſet Chriſtus his verbis intelligi miſſam eſſe teſtamentum nouum, teſtamenti non minus meminiſſet cum de corpore ſuo, quàm cum de ſanguine fuiſſet locutus, cum ad miſſam æquè pertineat corporis atque ſanguinis ſui ſacramentum. Liquet igitur ex his, teſtamentum nouum eſſe legem nouam à Chriſto latam, & eius obſignatam ſanguine.

IX. Iam verò quantum ad poſtremam attinet particulam, nimirum hanc, cuius profeſſores hęredes inſtituuntur cœleſtis regni, adeo palam eſt ex ſcripturis, ob hunc finem cætera fuiſſe facta, nimirum vt homines huius legis obſeruatores, cœleſte regnum velut hæreditarium adipiſcerentur: vt omnino ſuperuacaneum ſit vllas in hanc partem afferre probationes. Manifeſtum eſt igitur hanc quam attulimus, eſſe noui teſtamenti definitionem. Quod ſi contenderit Lutherus alium huius vocis vſum apud Lucam eſſe, quā apud cæteros Euangeliſtas, id nemini perſuadebit opinor. Nam etſi verbis aliis Euangeliſtæ dominicam cœnam enarrauerint, ſenſu tamen oportet fateamur omnes penitus conuenire. Quamobrem & apud Lucam nihil aliud hæc vox teſtamentum ſignificat, quàm quod apud Matthæum & Marcum.

Antypophora.

Euangeliſtæ non diſſident de cœna vltima.

Quoniam igitur apud iſtos, vti ſuperius oſtendimus, nouum teſtamentum nihil aliud eſt, quā lex noua, conficitur & apud Lucam nec aliud quicquam ſignificare poſſe, quàm legem nouam. Quamobrem & funditus corruit vniuerſa Lutheri ſtructura, quam ſuper hoc fundamentum conatus eſt erigere. Quem ergo iam Lutherum, aut quo dignum epitheto cenſebimus, qui tam falſum fundamentum & ex Euangelio ſubornare molitus ſit? Veracem hunc prophetam appellabimus, qui tantum & tam inſigne mendacium ex Chriſti verbis commentus eſt? Aut paſtorem bonum Chriſtiani gregis, qui tā pernicioſè tot ſeduxit animas? Aut ſacrorum denique bibliorum correctionem, qui ſic Euangelium corrumpere nihil eſt veritus? Quod tibi Luthere iam ſubterfugium eſſe poterit? quæ tergiuerſatio? quibus technis, quibuſue ſtrophis iā effugies? An non hæc ſcripſiſti: Stet ergo primum & infallibiliter miſſam ſeu ſacramentum altaris eſſe teſtamentum Chriſti? Et iſtud probare molitis ex his verbis quæ dixit Chriſtus, Hic calix nouum teſtamentum in meo ſanguine. Et ingeminas: Stet inquam iſta veritas, vt fundamentum immobile. At iam Luthere cernis, opinor, ea Chriſti verba nihil inſtituto tuo conducere poſſe: Neque enim ipſe per teſtamētum nouum miſſam voluit intelligi; ſed legem nouam, legem videlicet Euangelicam, quæ præcepta ſimul & promiſſa, necnon & ſacramenta complectitur omnia. O nobilis olim Germania, quę nullis hactenus Bohemorum hæreſibus fœdari poteras, quoadusque patieris hanc Lutheranam peſtem in tua viſcera graſſari? Et vos Lutherani, viri alioqui doctiſſimi pariter & eximij, niſi quòd de magiſtro tam peſtifero gloriamini, pudeat vos tandem vſqueadeo turpiter fuiſſe deluſos. Nā vt hic fœdè ſimul & pernicioſè lapſus eſt, ita potuiſſe & in aliis quibus Eccleſiæ catholicæ contradicit, labi, nemo dubitare poteſt.

Exclamatio.

Et quanquam ſit vſqueadeo fœdè pernicioſeque lapſus, non erubeſcit tamen illuſtriſſimo regi inſultare, quòd is intactum reliquerit hoc negocium. Proteſtatur (inquit) ſe relicturum intactum id, quod maximè omnium ei confutandum fuerat, nempe robur meum principale, & argumentum capitale, vbi ex verbis Chriſti probaui miſſam eſſe teſtamentum & promiſſionem, ideo non poſſe opus aut ſacrificium dici. Hæc Lutherus. X.

Lutherus.

At rex nuſquam proteſtatus eſt ſe relicturum intactum, quanquam dixerit ſe nolle multis in hac re contendere. Breuiter enim & paucis indicauit, quibus rationibus error ille poſſit refelli, & ex eo potiſſimum, quòd teſtamentum nouum ſit promiſſio quædam per legem Euangelicam facta, quemadmodum vetus fuit per Moſaicam. Nam vt in Moſaica lege terrena promittebantur, ita & in Euangelica lege cœleſtia.

Roffenſis.

Quando igitur vnicum eſt nouum teſtamentum, vti ſuprà docuimus, palam eſt non poſſe Miſſam teſtamentum nouum dici. Conuincit inſuper ipſe Rex peccatorum remiſſionem (quam pro hæreditate nuncupatam Lutherus aiebat) non idem eſſe quod cœlorum regnum, cum ſit via potius ad regnum, & adiumentum quoddā, quo paulo pòſt ipſam hæreditatem conſequimur, modò perſiſtamus in ipſa puritate. Neque enim omnis cui remiſſio peccatorum obtigit, cœleſtem hæreditatem aſſecutus eſt. Quamobrē vt nemo rectè dixerit viam eſſe terminum, aut medium ad finem ipſum finem, ita nec remiſſio peccatorum cœleſtis hæreditas dici poterit. His paucis regia celſitudo plane ſubruebat Lutheranum fundamentum, quo ſtatuere molitus eſt miſſam eſſe teſtamentum nouum. Quocirca cū hoc ipſum Lutherus principale ſuum robur appellet, & argumentum capitale, quis non perſpicit quam caduco ſit innixus fundamento?

Remiſſio peccatorum non eſt regnum cælorum.

Cæterum vt hic elabatur, multa (ſcio) diuerticu-

Variatio.

ticula quærit, ac propterea tam varius vbique eſt, & ipſo Proteo mutabilior. Nam aliquando miſſam vocat ſacramentum altaris, aliquando teſtamentum, nonnunquam teſtamentum Chriſti ſacramento corporis & ſanguinis ſui commendatum, ſæpiſſime promiſſionem, & nihil aliud quàm promiſſionem. Iſtudque nimirum ideo facit, vt cũ in horum quouis durius vrgeatur, mox ad aliud confugiat. Quamobrem & ſingula refellamus neceſſe eſt.

Sacramentũ altaris nõ eſt promiſſio.

Principio male cohærent, miſſam eſſe ſacramentum altaris, & nihil aliud quàm promiſſionem. Nam apertiſſimum eſt, ſacramentum altaris aliud eſſe quàm promiſſionem: quandoquidem ſacramentum altaris nuſquam eſt niſi ſub panis & vini ſpeciebus: quę ſi nuſquam extarent, maneret nihilominus ipſa Chriſti promiſſio. Adde, quòd ante panis & vini conſecrationem promiſſio firma ſtat. At ante conſecrationem ipſam nemo tam impudens eſt vt dixerit miſſam eſſe.

Miſſa non eſt promiſſio.

Non eſt ergo miſſa promiſſio ſola. Ad hæc, Si poſt conſecrationem, ſacramentum corporis, vt in multis Eccleſijs fit, in pyxide repoſitum ſeruetur, adhuc manet ſacramentum altaris: manet & ipſa promiſſio: nemo tamen ſic inſanit, vt dicat miſſam durare quamdiu ſacramentum in pyxide ſit repoſitum, aut quamdiu promiſſio Chriſti firma perſeuerauerit. Quamobrem neque ſacramentum altaris, neque ſola promiſſio, miſſa dici poterit: ſed nec proinde miſſa promiſſio eſt ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti commendata. Manet enim promiſſio illa ſacramento commendata, quamdiu ſacramentum illud reſeruatum fuerit. Nam vtrumque manet & ſacramentum & promiſſio, nec tamen extare tam diu miſſam, quiſquam, niſi inſaniat, audebit aſſerere. Non eſt ergo miſſa promiſſio, quæ ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti commendatur: neque proinde miſſa teſtamentum eſt eodem ſacramento commendatum. Nam Luthero teſtamentum promiſsio quædam eſt: miſſa verò non eſt promiſsio. Nam ſi miſſa promiſsio fuerit, dicat velim conſtanter cuius rei promiſsio ſit. Nam & in hoc ſe mirificè verſipellem agit.

Miſſa non eſt teſtamentũ.

Nonnunquam enim ſcribit miſſam eſſe promiſſionem mortis Chriſti, aliquando verò miſſam eſſe promiſsionem remiſsionis peccatorum. Illud verò firmare molitur ex eo quòd dixerit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, &, Hic eſt ſanguis qui pro vobis effundetur. his (inquit) verbis Chriſtus mortẽ ſuam teſtatur. Proinde cum is qui teſtatur promittat: promiſsionem mortis Chriſti, miſſam eſſe contendit. At iſtud ſtare non poteſt. Nam ipſa

Roman. 6.

mors Chriſti præteriit. Chriſtus (inquit Paulus) iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Promiſsio verò futuri eſt, & non eius quod præteriit. Quare miſſa, quæ iam fit, non eſt promiſsio mortis Chriſti.

Sed dicet Lutherus, in miſſa recenſeri promiſſionem mortis Chriſti. Fateor: & ob id, miſſam quiſquis dixerit eſſe repręſentationem mortis Chriſti per ſacramentum corporis & ſanguinis eius, meo iudicio rectè dixerit. Verùm ex hoc non ſequitur miſſam eſſe promiſsionem mortis Chriſti. Aliquando verò ſcribit miſſam eſſe promiſſionem remiſſionis peccatorum; ob id, quòd dixerit Chriſtus, Hic eſt ſanguis qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum.

Miſſa non eſt promiſſio peccatorum.

Sed neque magis validum iſtud eſt. Nam ſi Chriſtus (vt Lutherus ait) mortem ſuam teſtatus eſt, cum dixerit, Hic eſt ſanguis qui pro vobis effundetur: & ex hoc pendeat adiuncta particula, In remiſsionem peccatorum: palam eſt ob effuſionem ſanguinis, & non ob eius potationem, promiſſam eſſe remiſsionem peccatorum. Non eſt igitur miſſa promiſsio remiſsionis peccatorum, quando non ob ſumptionem corporis & ſanguinis in miſſa, ſed ob eius effuſionem quæ iam olim in cruce facta fuit, remiſsio peccatorum promittebatur. Et hæc opinor ſufficient ne miſſa nouum teſtamentum credatur.

Miſſam rectè ſacrificium & opus ab orthodoxis vocari.

Capvt VI.

Qvando igitur abunde ſatis conſtitit miſſam haudquaquam teſtamentum eſſe, iam ſexto loco diſquiremus num queat iſta ſacrificium & opus dici. Nam iſtud & pertinaciſsimè quidem Lutherus negat, inuincibili (ſi quis homini credat) argumentatione ductus, nimirum hac. Probaui (inquit) ex verbis Chriſti miſſam eſſe teſtamentum & promiſſionem, ideo non poſſe opus & ſacrificium dici.

Luther. non

In hoc ariete Lutherus ita ſpem omnem repoſuit, vt ipſum, robur ſuum principale, ſimul & argumentum capitale iactitare non vereatur. At quàm imbecillum ſit hoc argumentum capitale, quamque nutabundum fuerit hoc principale robur, nemo non perſpicit, opinor, qui ſuperiora nequaquam ſomniculoſe perlegerit. Nã ex illis apertiſsimum eſt, nondum ex verbis Chriſti conſtare, miſſam teſtamentum eſſe. Nuſquã enim Chriſtus miſſam teſtamentum vocat. Nec iſtud hactenus oſtendit Lutherus ex vllis verbis Chriſti, quæ id plane doceant. Falſum eſt ergo quòd probauerit ex verbis Chriſti miſſam eſſe teſtamentum & promiſsionem. Quamobrem cum nos hoc fundamentum radicitus euulſerimus, par eſt vt reliquam ſtructuram penitus corruiſſe neutiquam ambigamus, adeo vt, iam nihil opus erit pluribus hoc negocium perſequi, cum idipſum de quo Lutherus vnicè confidebat, ita ſuſtulerimus, & cunctis (opinor) perſpicuum ſit, id iam nihil habere ſolidæ veritatis. Quocirca nihil deinceps à nobis iure quiſquam exigere poteſt, cum apertè ſatis euerſum ſit Lutheri fundamentum.

ab Eccleſia approbata nõ oportet rur. ſum rationibus fulcire.

Sed neque tenemur aduerſus hæreticum argumentis ea ſtatuere, quæ communis Eccleſiæ conſuetudo tot annorum centenarios approbauerit: quin hæretico potius incumbit, aut pro ſua parte rationes vſqueadeo validas in medium adducere, quæ prorſus à nemine reuinci queant, aut eueſtigio dare manus orthodoxis

doxis. Nobis ergo plus quàm ſatis fuerit, ſi docuerimus ab initio naſcentis Eccleſiæ miſſam pro ſacrificio fuiſſe receptam, atque ab antiquiſſimis illis patribus, nimirum ſanctiſſimis & illuminatiſſimis viris, vti ſupremum Eccleſiæ ſacrificium vſurpatam. Quod (opinor) abunde præſtabimus. Neque tamen iſtud ſolum faciemus, verumetiam idipſum oſtendemus eſſe ſcripturis & rationibus maxime conſentaneum. Certe ſi nihil aliud pro noſtra parte ſtaret; quàm longæua conſuetudo, & ea quidem à primis Eccleſiæ incunabulis, ipſa ſufficeret, eum non ſit veriſimile, ſpiritum ſanctum qui perpetuus Eccleſiæ datus eſt inſtructor, tamdiu fuiſſe paſſum totam ipſam Eccleſiam errare in re tam neceſſaria cum tanto ſuarum animarum diſcrimine. Quantam autem vim habeat antiqua conſuetudo, non ſolum ex his quæ aduerſus articulos Lutheri diſſeruimus, conſtare poteſt, verumetiam ex authore vetuſtiſſimo, nempe Tertulliano, qui libro de corona militis, multa collegit, quæ nulla ſcriptura, ſed conſuetudine ſuum robur obtinent. Quã itidem conſuetudinem idem affirmat ex apoſtolica traditione manaſſe. Sed age nunc oſtendamus, quod ab antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus miſſa pro ſacrificio ſit habita.

Argumentũ à ſola conſuetudine.

Clemens ille, qui fuit & diſcipulus & ſucceſſor Petri, in epiſtola ad cunctos orthodoxos ita ſcribit: In aliis locis ſacrificare & miſſas celebrare non licet, niſi in his in quibus epiſcopus proprius iuſſerit. Ecce & miſſæ & ſacrificij mentionem facit Clemens. Et rurſum in altera epiſtola ad Iacobum: Præcipimus (inquit) ne vnquam extero Eccleſiæ ſiue laico de fragmentis oblationum domini ponantur ad menſam. Et item Clemens hoc ſacramentum oblationem vocat.

Dionyſius item Pauli diſcipulus cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſic ait: Oportet igitur nos, vt reor, nudata primi ac præcipui intelligentia ſigni, intra ſacroſancta tranſire, diuinamque principalis huius ſigni ſpeciem intueri: ac pontificem auguſtius cernere à diuino altari vſque ad phani nouiſſima cum odoris ſuauitate pergentem; ac rurſus ad altare ipſum conſummandi ſacrificij cauſa remeantem. Et huic, vt videre licet, miſſa ſacrificium eſt.

Ignatius quoque, qui & contemporaneus apoſtolis fuerat, in epiſtola ad Smyrnenſes dicit: Firma Euchariſtia reputetur, quæ ab epiſcopo conceſſa fuerit. Vbi epiſcopus præſens fuerit, illic & plebs cõgregetur: ſicuti & vbi Chriſtus eſt, omnis cœleſtis militia adeſt, tanquam principi militiæ virtutis domini. Et ipſe eſt diſpenſator totius intelligibilis naturę. Propterea non licet ſine epiſcopo neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque miſſas celebrare. Et is miſſam intelligit ſacrificium.

Hos ſubſecutus Origenes, vnus item ex priſcis Eccleſiæ patribus, in commentariis ſuper Iob ita ſcribit: Hanc itaque pietatis ac religioſitatis fortiam nobis omnibus demonſtrans Iob, ſurgebat mane, & mundabat filios, offerens pro eis hoſtiam ſecundum numerum illorum. Primò mundabat, purificabat, ſanctificabat, & ita demũ pro eis hoſtiam offerebat: vt cunctis in perpetuum oſtenderet quia mundos & caſtos atque ſanctos conderent* ſacrificia, vt ſanctè atque dignè immolata, ſanctè atque dignè à ſanctis accipiantur. Sic namque & apoſtolus poſt hæc dicit: Probet ſeipſum homo, hoc eſt; mundet ſemetipſũ; & ita de ſanctiſſimis Domini ſacrificiis fruatur. Hæc Origenes, qui & ſacramenta corporis & ſanguinis domini ſacrificia vocat.

**condecent.*

1. Cor. 11.

Subſcribit Chryſoſtomus homilia. 17. ad Hebræos ita dicens. Quid ergo nos? Nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multę. Quomodo vna eſt, & non multę? Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum: hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius. idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum. Proinde vnũ eſt hoc ſacrificiũ: alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam; ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens; & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus eſt, & nõ multa corpora; ita etiam & vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mandantem nos obtulit. ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite (inquit) in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut pontifex: ſed idipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur. Hæc Chryſoſtomus.

Lucæ 22.

Aſtipulatur his Damaſcenus de orthodoxa fide lib. 4. ſic dicens: Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per prophetam dominus loquitur: corpus videlicet & ſanguis Chriſti in ſtabiliſmentum animæ noſtræ & corporis. Hæc Damaſcenus.

Sed & ſexta ſynodus, quæ magnæ fuit authoritatis, teſtatur Baſilium adieciſſe quædam ob miſſæ celebrationem. Hactenus de Græcis.

Ex Latinis verò Tertullianus, qui & erat vicinus apoſtolorum temporibus: Is in eo libro quẽ de cultu fœminarum edidit, mentionem huius ſacrificij facit, obiiciens ipſis fœminis nullam eſſe foràs progrediendi cauſam, quæ non ſit grauis & tetrica. Et tres eiuſmodi memorat, vtpote aut cum quiſpiam è fratribus mala valetudinẽ laborat, aut cum Dei verbum populo prædicetur, aut cum ſacrificium Deo ſit in templis offerendum. Ecce hic ſacrificij meminit Tertullianus quòd in templis offerebatur, cuiuſmodi nullum apud Chriſtianos eſt præter miſſæ ſacrificium.

Latini doctores aſſerunt miſſam eſſe ſacrificium.

Fœminæ quãdo foràs prodire poſſunt.

Poſt hunc imitator eius Cyprianus, in epiſtola quadam ad Cæcilium ita ſcribit: Qua in parte inuenimus calicem mixtum fuiſſe, quem dominus obtulit, & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit: vnde apparet ſanguinem Chriſti

non offerri, ſi deſit vinum calici: nec ſacrificium dominicum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio & ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni. Ecce palam vocat ſacrificium. Accedit his Hieronymus in epiſtola ad Hedibiam. Dominus (inquit) Ieſus ipſe conuiua & conuiuium: ipſe comedens & qui comeditur. Illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare nõ poſſumus, & quotidie in ſacrificiis eius de genimine vitis veræ rubentia muſta calcamus. Et hic planè Hieronymus per ſacrificia miſſam intelligit. Ambroſius item in lib. de ſacramentis. 4. ca. 6. recenſet verba ex canone, quibus plane teſtatur apud veteres miſſam pro ſacrificio habitã. Sacerdos (inquit) dicit: Ergo memores glorioſiſſimæ eius paſſionis, & ab inferis reſurrectionis, & in cœlũ aſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatam hoſtiam: rationabilem hoſtiam: incruentam hoſtiam: hunc panem ſanctum, & calicẽ vitæ æternæ: & petimus & precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, ſicut ſuſcipere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel: & ſacrificium patriarchę noſtri Abrahę: & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos Melchiſedech. Hactenus ex canone recens fuit Ambroſius.

Demum Auguſt. 17. lib. de ciuitate Dei cap. 20. ſic inquit: Participẽ autem fieri menſę illius, ipſũ eſt incipere habere vitam. Nã & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: Non eſt bonũ homini, niſi quod mãducabit & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quã quod ad participationem menſæ huius pertinet: quam ſacerdos ipſe mediator teſtamenti noui exhibet ſecundũ ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Hæc Auguſtinus.

Vnanimi priſcorum ſententiæ ſtandum eſt.

Vides igitur amice lector, tam ex Græcis, quã ex Latinis authoribus vetuſtiores huic ſententiæ ſuos addidiſſe calculos. Et quid eſt quod his Lutherus queat obiicere quo fidẽ eis abroget? Nihil penitus. Neq; enim in eis vlla fuit aut ambitionis, aut auaritiæ, aut malignitatis vel minima ſuſpicio. Omnino nihil eſt quod quiſquam poſſit in iſtis criminari. Omnes enim eruditione iuxtà atq; vitę ſanctimonia conſpicui ſunt: ſed & vnamini cõſenſu rem omnes enunciant. At quis hunc conſenſũ eorũ peccatoribus inſpirauit alius, quam vnitatis & cõcordiæ ſpiritus? Cur ergo tot patribus tam priſcis, tam ſanctis, tã eruditis, tantaq; concordia rem hanc aſſeuerantibus, nõ erit maior fides adhibenda, quã vni Luthero, vt nihil dicã aliud, quã heri nato, qui tã arroganter ab illis diſſidet, nulla ſolida ratione, nullaq; ſcriptura, niſi perperã intellecta ductus, ſed ſuo ſenſui ſuoque ſpiritui prorſus innixus? Eiuſmodi ſanè prophetis Ezechiel ſeuerè cõminatur, inquiens: Væ prophetis qui ſequuntur ſpiritũ ſuũ. Si Lutherus nõ ſuũ ſequitur ſpiritũ, nemo vnquã ſecurus eſt, cum neminem patrum quantumuis doctiſſimũ, quantumuis probatiſſimũ pro ſuo ſenſu non cõtemnat, imò ſimul reiicit & aſpernatur cunctos.

III.

Lut. inſi[illegible] ſuo ſenſui.

Ezechiel 13.

Et quid illum ad hanc amentiam perduxit, niſi peſſimus ille diſſenſionis & diſcordię ſpiritus? Nam vt ſanctiſſimos illos patres diuinus ipſe ſpiritus concordes afflauit, ita non eſt dubium quin ſpiritu diabolico (qui ſemper eſt diſſenſionis author eſt) Lutherus ad hanc agendam in Eccleſia tragœdiam ſit afflatus.

IIII.

Quod ſi forte cuipiam iſta quæ produximus, parum ſufficiant, ſed deſyderet adhuc ex ipſis Apoſtolis teſtimonia quædã, is profecto nõ ſatis æquus videri poſſit, cũ iniuria temporũ deperiiſſe credibile ſit, ſi quid hac de re ſcripſiſſent Apoſtoli. Tamen ex eorum actis, quæ per maiorũ noſtrorum diligentiam hactenus reſeruata ſunt, abunde liquet quod quærimus. Nam in actis Andreę ſic is traditur ad Egeam reſpondiſſe: Omnipotenti Deo, qui vnus & verus eſt, ego omni die ſacrifico, nõ thuris fumũ, nec taurorũ mugientiũ carnes, nec hircorũ ſanguinẽ, ſed immaculatũ agnũ quotidie in altari crucis ſacrifico: cuius carnes poſteaquã omnis populus credentiũ mãducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus. In Matthæi quoque vita ſic habetur: Cumq; celebrata ab apoſtolo miſſa, vnuſquiſque ad propria remeaſſet, Apoſtolus iuxta altare remanſit. Affirmat & ſexta ſynodus, Iacobum domini fratrem modum quendam celebrandæ miſſæ tradidiſſe. Sed & opinio conſtans eſt, Petrum Antiochię primam celebraſſe miſſam.

Modum celebrandi tradidit Iacobus.

V.

Miſſa aſſeritur eſſe ſacrificium ex decretis pontificum.

Cæterum quicquid de iis fuerit, in pontificum item actis res hæc ſatis eſt dilucida. Nã in decretis Anacleti qui Clemẽti proxime ſucceſſit, 1. cã. ſic habetur: Epiſcopus autẽ Deo ſacrificans, teſtes ſecũ habeat, & plures quam alius ſacerdos. Sicut enĩ maioris honoris gradu fruitur: ſic maioris teſtimonij incremẽtatione indiget. In ſolennioribus quippe diebus, aut ſeptẽ, aut quinq;, aut tres diaconos qui eius oculi dicuntur, & ſubdiaconos, atq; reliquos miniſtros ſecũ habeat, qui ſacris induti veſtimentis à frõte & à tergo, & presbyteri è regione dextra læuaq;, contritoq; corde, & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent vultu cuſtodiẽtes eũ à maleuolis hominibus, & conſenſũ eius præbeat ſacrificio. Peracta autẽ conſecratione, omnes communicẽt, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Ecce hic affirmat epiſcopum Deo ſacrificare: & miſſam appellat ſacrificium.

Et Alexander quoq; qui Anacleto proximè ſucceſſit vno dũtaxat intermiſſo, ſic ſcribit in decreto ſuo: Ipſa veritas nos inſtruit calicẽ aut panẽ in ſacramento offerre, quãdo ait: Accepit Ieſus panem, & benedixit, deditq; diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & mãducate. hoc eſt enim corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Similiter poſtquã cœnauit, accepit calicem, dedit diſcipulis ſuis, dicẽs: Accipite & bibite ex eo omnes, quia hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remiſſionẽ peccatorũ. Crimina atq; peccata oblatis his domino ſacrificiis delentur. Iccirco & paſſio eius in his commemorãda eſt, qua redempti ſumus.

Matth. 26.
Marc. 14.
Lucæ 22.

ſumus: & ſæpius recitanda, atque domino offerenda. Talibus hoſtiis delectabitur & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quã corpus & ſanguis Chriſti. Nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit: quæ pura conſcientia eſt domino offerenda, & pura mente ſumenda. Hactenus Alexander primus.

VI. Compluſes item alios ex pontificibus memorare liceret, qui in decretis ſuis miſſam vocãt ſacrificium: ſed hos duntaxat hic duximus inſerendos, quòd ex primis erant, & ipſis apoſtolorum temporibus vicini. Subſcribunt etiam huic veritati concilia plurima: ſed vnum huc adduxiſſe ſatis fuerit, Nicænum videlicet, in quo fuerunt epiſcopi decẽ & octo ſupra trecentos. Verba concilij ſic habent: Peruenit ad ſanctum magnumque concilium, quòd in quibuſdã locis & ciuitatibus Presbyteris gratiam ſacræ communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec cõſuetudo tradidit, vt ab iis qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti corpus accipiant. Ecce concilium, quod & apud omnes orthodoxos maximę ſemper authoritatis fuit, affirmat ſacerdotes iure ſactam Eucharistiam offerre, quam poteſtatem diaconis apertè negat. Et vbi quæſo talem oblationem faciunt ſacerdotes alibi quàm in miſſa? Quę ergo tot epiſcoporũ ſubſcriptiones, vel ſi nihil aliud eſſet, ad huius rei fidem non adigerent? Miſſam igitur ab exordio naſcentis eccleſiæ fuiſſe pro ſacrificio ſemper vſurpatam, omnibus omnium patrum ſuffragiis apertiſſimè conſtat.

Concilia generalia aſſerunt miſſam eſſe ſacrificiũ.

Nicænum concilium.

VII. Iam & ſcripturis conſentaneum eſſe monſtremus, quòd miſſa dicatur opus & ſacrificium. Et quanquam ſcripturæ perparum hac de re loquãtur, in his tamen paucis nonnihil lucet, quod ad hanc rem aperiendam abundè ſufficiat.

Negat Lutherus ideo miſſam opus & ſacrificium dici, quòd promiſſio quædam ſit adiecta ſigno in pane & vino: quorũ vtrumque nobis datur, nempe tam verbum promiſſionis, quàm ſignum in pane & vino. Quamobrem & vſus vtriuſq; (vt ipſe videri vult) nequit in offerendo aut operando, ſed ſolũ in recipiendo & patiendo cõſiſtere. Atqui nos ex ipſis ſcripturis hæc apertiſſimè falſa eſſe, paucis docebimus.

1. Cor. 11. Principiò dilucidum eſt ex ipſius Pauli verbis, non ſolum dari nobis miſſam, vti Lutherus aſtruere conatur, verumetiam aliud quiddã noſtro officio fieri, cum dicat: Quotienſcunq; manducaueritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Ecce dicit, annunciabitis mortem domini, donec veniat. Nec iſtud Paulus de priuata ſumptione voluit intelligi, ſed de ea quæ fit in publico conuentu. præmiſit enim: Cum conueneritis in eundem locum. In conuentu igitur publico vbi ſacroſancta iſta myſteria tractantur, ac panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti conſecrãtur, iam repręſentatur & annunciatur dominica mors, & eius in cruce ſacrificium. Quare non ſolum donari nobis hoc ſacramentum, verumetiã eodem ſacramento Chriſti mortem, & ſacrificium (quod idem in cruce pendens obtulit Deo patri) per nos repręſentari manifeſtum eſt. Quid enim eſt aliud, annunciare mortem domini, quã ſacrificium illud crucis repręſentare? de quo Paulus alibi loquitur dicens: Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ. Quã quidem oblationem & victimam ipſe procul dubio voluit per hoc ſacramentum à nobis repręſentari, vt quemadmodum ille ſeipſum in cruce pro nobis immolauit patri, ita nos pariter corpus eius & ſanguinem in hoc ſacramento iugiter immolemus. Non igitur vſus ſacramenti ſolũ in recipiendo & patiendo cõſiſtit, ſed etiam in annunciando & repræſentando Chriſti mortem, & crucis ſacrificium. Adde, quòd ſi miſſa non ſit aliud quã promiſſio, neque præterea quicquam operis complectatur, fruſtra Paulus ingeminaſſet hoc, facite. ſemel enim poſt panis conſecrationem ex ore Chriſti ſubiecit, Hoc facite in mei memoriam; Et iterum conſecrato calice ſubdit, Hoc facite quotieſcunq; biberitis, in mei memoriam. Sed neque Lucas hoc ipſum tacuit pane conſecrato; Mox enim adiecit, Hoc facite in mei memoriã. Quid toties inculcãt hoc verbũ, facite, nõ aliter quã ab ipſo Chriſto pronunciatum, ſi miſſa tantùm ſit promiſſio, neque ſecum operis quicquã inuoluat? An vllum quæſo verbum operationem & opus magis exprimat, quàm hęc vox facite? Nullum profecto. Quando igitur miſſa non fit, niſi quod Chriſtus mandauerit faciendũ, idipſũ ſacerdos opere compleuerit, omninò dilucidum eſt, nõ poſſe niſi ab impudẽtiſſimo negari, opus aliquod noſtrum ad miſſæ ſubſtantiã exigi. Certiſſimum enim eſt, ſi nemo poſt Chriſtum hactenus conſecraſſet, neque id feciſſet quod Chriſtus fecit poſt cœnam certiſsimum (inquam) eſt, nũquam ab eo tempore miſſam fuiſſe. Quare cum apertè conſtet ad miſſæ conſiſtentiam opus noſtrum exigi, palam eſt miſſam non eſſe promiſſionem ſolam. Liquet igitur ex Pauli Chriſtiq; verbis, miſſam citra noſtrũ opus haudquaquã fieri; Liquet & miſſam non eſſe promiſsionem ſolam, cum promiſsio rata maneat abſq; noſtro opere; miſſa verò ſine opere noſtro non habeatur.

Mors Chriſti repræſentatur in ſacramento altaris.

Ephe. 5.

Vſus ſacramenti conſiſtit in annunciatione & repræſentatione mortis Chriſti.

1. Cor. 11.

Luca 22.

VIII. *1. Cor. 5.* Ad hæc, Paulus cum dicat, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: an non planè diſcriminat paſcha nouum à veteri, & noſtrum, hoc eſt Chriſtianorũ, a Iudaico ſecernit? Plane profecto docet Iudæorum paſcha ſic ad Chriſtianorũ paſcha ſe habere, quemadmodum figura ſe habet ad veritatem, & ad corpus vmbra. Quamobrem vt illorum paſcha legalis agni ſacrificium fuit, ita noſtrum, hoc eſt Chriſtianorum paſcha, veri agni ſacrificium eſt. Et quanquã is verus agnus in cruce pro nobis fuerat immolatus, non in cruce tamen edebatur, ſed in altari duntaxat. Et agnus item ipſe verus, nempe Chriſtus Ieſus, qui in cruce paſſus fuit, in altari quoq; fit noſtrum paſcha. Neque duo tamen paſchata ſunt, aut duo ſacrificia, ſed vnum paſcha, vnumque ſacrificium

Vnum paſcha eſt quod tum Chriſtus obtulit, & modo ſacerdos.

um: quandoquidem alterum alterius eſt repræſentatiuum. Nam in vtroque verus & idem agnus eſt Chriſtus Ieſus, qui vt olim in cruce per mortem fuerat immolatus, ita nunc & im̃olatur quotidie, nimirum vt apud nos mortis Chriſti memoria quotidie renouetur.

1. Cor. 10. Sed & cum de menſa domini, & de menſa dæmoniorum loquatur Paulus, eandem rem ſatis euidenter inſinuat. Sic enim ſcribit: Videte Iſraëlem ſecundum carnem. Nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatũ ſit aliquid? aut quòd idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Eſt ergo ratiocinatio Pauli hæc: Sicut qui victimas iuxta legem veterem immolatas edebant, participes effecti ſunt altaris, & conſortium quoddam inibant cum eo cui ſacrificabantur ipſę victime, ita fit & paſſim vbi tales victimę cuiuis offeruntur, ſiue Deo ſeu dæmonibus. Nã vt in menſa dæmoniorũ dæmonibus oblationes fiũt, & quiſquis ex eis ederit, conſortiũ habet cũ dæmonibus: ita & in menſa domini quod im̃olatur, im̃olatur domino: & qui talibus oblatis veſcitur, communionẽ init cum domino. Quamobrẽ omnino cauete ne guſtetis quicquã ex his quæ dęmonibus immolãtur. Nolim enim vos conſortes eſſe dæmoniorum: cuiuſmodi certe ſi fueritis, communione domini carebitis, cũ non poteſtis vnà participes eſſe & menſæ domini, & menſæ quoq; dæmoniorum. An non Paulus hic plane docet, quòd quemadmodum in menſa dæmoniorum qui participes fiant eorum quæ illic dæmonibus offeruntur, conſortium cũ ipſis ineunt dæmoniis: ita & qui in menſa Dei communicant oblatis iſtic victimis, conſociationem quandam ineunt cum Deo? Quòd ſi quis neget hunc eſſe ſenſum argumentationis Paulinæ, is plane non aduertit quid hac argumentatione Paulus efficere conatur. Molitur enim his verbis Paulus, quod omnes qui in menſa domini ſumimus Euchariſtiam, eius corpori pariter ac ſanguini communicamus. Nam proximè ſuperius admonuerat Corinthios, quatenus fugerent ab idolorũ cultura: & mox rationẽ ſubdit: Quoniam Chriſto communicamus per victimam carnis & ſanguinis ſui, quibus in eius menſa veſcimur. Et iſtud qua ratione probat? Quoniam (inquit) vt carnales Iudæos victima quã offerebant, ipſos effecit participes altaris, ita & victima quæ vel in menſa domini, vel dæmoniorum offertur, aut illius aut iſtorum conſtituit participem. Dilucidum igitur eſt ex Paulo, corpus & ſanguinem domini victimam eſſe & ſacrificium oblatur [illegible] menſa domini.

IX. [illegible] accedit, quòd in ſcripturis plerunque de ſacerdotio nouo ſecundum ordinem Melchiſedech mentio facta ſit, & quod Chriſtus ſecundum ordinem illum ſacerdos fuerit, ſæpius aſſeritur. Quod ſi verum ſit, oportuit aliquando Chriſtum in pane & vino ſacrificaſſe, quemadmodum & Melchiſedech in eis ſacrificaſſe traditur. At nuſquam id feciſſe legitur præterquam in cœna quando ſub ſpecie panis & vini ſacramenta ſui corporis & ſanguinis inſtituit. Quamobrem & in cœna verè ſacrificauit, verumque patri ſuo ſacrificium obtulit. Et quoniam Apoſtolis, vt idipſum poſtea iugiter facerent, mandauit, eoſdem etiam voluit ad eum ritum ſacrificare. Nec ab illis duntaxat, ſed ab eorum item ſucceſſoribus, quam diu foret Eccleſia duratura, ſacrificium iſtud ſimiliter offerri voluiſſe credendum eſt: cũ iam huiuſmodi ſacrificio non minus egeat Eccleſia, quàm Apoſtolorum temporibus indigebat. Quamobrem & hodie quoque ſacrificium iſtud extare dilucidum eſt.

Super hæc, cum Paulus ad Hebræos teſtetur vetus illud ſacerdotium quod ſecundum ordinẽ Aaron fuerat, iã prorſus antiquatum eſſe, oportet Apoſtolorum ſucceſſores, qui iam nouæ legis ſacerdotes ſunt, ſacrificium aliquod habere quod reſpondeat ordini Melchiſedech: quẽ ordinem & Deus pater æternum fore iureiurando confirmauit. At nihil eiuſmodi palam eſt in Eccleſia reperiri, præter hoc auguſtum & in primis adorandũ corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium, quod in omnibus Eccleſiis omnipotẽti Deo per ſacerdotum manus iugiter offertur. Id enim apertiſſime non ſolũ illam oblationem, quã ſolitus eſt offerre Melchiſedech, verumetiã ipſũ ſacrificium ſummè colendiſſimũ, quod in ara crucis Chriſtus pro noſtris peccatis obtulit, repræſentat. Quamobrẽ & manifeſtè ſcripturis conſẽtaneũ eſt, quòd miſſa dicatur & opus & ſacrificiũ. Hebr. 7.

Præterea, nulla vnquã lex abſq; ſacerdotibus, neq; ſacerdotes vnquam abſq; ſacrificio fuiſſe leguntur. Nam & in veteri lege, quæ noſtræ legis (quã nouam dicimus) vmbra fuit, erant ſacerdotes & ſacrificia, quibus & in hac noua lege ſimilia quædam oportet reſpõdeant. Nam iuſſus eſt Moſes omnia facere ſecundũ exemplar quod in mõte ſibi monſtratũ fuit. Et quanquã Chriſtus ſummus noſter pontifex templũ non manufactum, nec ſine ſanguine ſemel ſit ingreſſus, nos tamen qui ſacerdotes inferiores ſumus, ocioſos eſſe nõ decet, ſed in altaribus iſtis quæ in atrio ſunt, hoſtiam oportet aliquã immolemus, quę pro peccatis & noſtris & alienis ſatisfaciat. Cum igitur nulla talis aſſignari poſſit præter hoſtiam & ſacrificium corporis Chriſti, planè colligitur miſſam vel ob id maximè ſacrificium dici oportere. Nã præter miſſã nihil habemus, quod iuxta Lutheri rationem à nobis queat offerri. Quicquid enim noſtrũ eſt, ſordet, & indignũ eſt quod offeratur. Quicquid verò Dei fuerit, id à nobis accipitur, & nobis ab ipſo datur, vſuſq; eius (ſi Luthero credimus) in recipiẽdo & patiẽdo cõſiſtit, nõ in offerendo & operãdo. Quãobrẽ cũ omnia vel noſtra ſint vel Dei, nihil omnino relinquitur nobis quod offeramus Deo. Neq; enim Dei dona (vt Luthero viſum eſt) poſſumus offerre: ſed nec opus aliquod noſtrum eſt, quod offeramus, cum quicquid eiuſmodi fuerit, im̃undũ & ſordidatũ

In omni lege fuit sacrificiũ

Exod. 25.

Hebr. 9.

ſit,

ſit, authore Luthero. Denique noſipſos ſi moliamur offerre, cum carere nequeamus peccati fomite (quem & Lutherus verè peccatum eſſe cõtendit) ſacrificium noſtrum non poteſt non impurum eſſe. At ſacrificium quo placatur Deus, oportet omni macula carere. Quare cum tale nihil apud nos haberi poteſt præter ipſum in primis venerandum miſſæ ſacrificium, ſupereſt vt hoc ipſum apud Chriſtianos ſacrificij loco potiſſimum habeatur.

Corollarium.

Quo fit vt quiſquis hoc ſacrificium ab Eccleſia tollere moliatur, nihilo minorem ei iacturam intentet, quàm ſi mundo ſolem eripere ſtuduerit. At quiſpiam dicet: Luthero nihil eſt diſcriminis inter plebem & ſacerdotes. Fateor, Lutherus ita dicitat ſcripturæ diſcriminant inter vtroſque. Quid enim aliud Paulus cap. 3. 1. ad Corin. agit, cũ dicit, Dei cooperatores ſumus, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis? Sacerdotes, Dei cooperatores vocat, plebẽ verò cenſet agricolationẽ, ædificationemq; Dei. Num in his nihil eſſe diſcriminis quiſquã audebit aſſerere? Plebs ad modum agri ſacramentis vitalibus excolitur, neq; minus eadẽ ſalutaribus documentis ædificatur. In quo opere tametſi Paulus Deo primas partes tribuat, ſe tamẽ & cæteros comyſtas ſuos, nimirũ ſacerdotes, Deo facit cooperarios. Quãobrẽ & cum ſub Chriſto pontifice ſummo plures comperiantur eſſe minores ſacerdotes, quemadmodum in veteri lege ſub maximo pontifice minores erant haud pauci qui plebis curam agebant: conſentaneum eſt vt & illis pariter deputatum ſit quoddã ſacrificij genus, quo pro peccatis tam ſuis quam alienis Deo ſatisfieri queat.

Tacita obiectionis dilutio.

Sacerdotes à plebe diſtant

X.

Paſsionis Chriſti per ſacramenta efficaciter participes.

Nam etſi redemptio illa in cruce ſemel facta ſempiternum habeat vigorem, non tamen ſingulo cuiq; peccatori virtus eius accommodatur, niſi per media quædam. quod nec Lutherus ipſe negabit. Nam etſi Chriſtus pro peccatis omnium abolendis mortuus ſit, nemo tamen huius abolitionis particeps euadit, niſi qui crediderit, & ſacris Eccleſię myſteriis ſubmiſerit ſeſe. Hoc eſt ergo participem fieri redemptionis illius ſemper ſtantis, credere videlicet, & ſacramentis Eccleſiæ quemlibet rite initiari. Huius autem initiationis miniſtros quoſdam oportuit deſignari, quos & ſacerdotes vocamus, quorum eſt & hoc altaris offerre ſacrificium: quod quoties faciunt, etiam crucis ipſius & mortis referunt ſacrificium.

Participem redemptionis fieri quid ſit.

Sacrificare quid ſit.

His accedit, quòd cum ſacrificare nihil aliud ſit, quàm ſacra facere: vbi ſacra fiunt, illic ſacrificatio ſit oportet: atque per locum à coniugatis conſequitur & illic agi ſacrificium. At palam eſt ex ſcripturis, mandaſſe Chriſtũ, vt hæc eadẽ quę ipſe pridem in cœna fecerat, ipſi faceremus. Quæ certè cum non ſint prophana, ſed ſacra, & nos eius iuſſu ſacra facimus. Quamobrem & monitore Chriſto, quoties panem & vinum conſecramus, toties & ſacra facimus, ac ſacrificamus, omninoque ſacrificium agimus. Et quis hominum eſt, qui cum de ſacerdote quopiam audierit eum feciſſe ſacra, non protinus eundem intelligit miſſæ ſacrificium obtuliſſe? Manifeſtum igitur eſt, id tam rationibus quàm ſcripturis conſentaneum eſſe, quòd miſſa dicatur opus & ſacrificium.

XI.

Miſſæ vocabulũ omnes antiqui pro ſacrificio vſurpant.

Sed vt dicere cœperamus, Lutherus miſſam ideo teſtamentum & promiſſionem eſſe contendit, quatenus inde facilius colligere queat, nec opus eam eſſe, nec ſacrificium. Quòd ſi Lutherus iam primum hoc miſſæ vocabulum reperiſſet, liceret pro ſuo arbitrio vocem eam interpretari: neque valde reluctaret, ſi quid ipſo vocabulo vellet intelligi, nobis apertè definiret. At cum non heri & nudiuſtertius (vt aiunt) ſed ab ipſius Eccleſiæ primis vnguiculis hoc vocabulum vſurpatum ſit, omnino temerarium & impudens fuerit, aliam ei definitionem adhibere, quam quæ menti & ſenſui illorum qui primùm eam vocem inſtituerunt, conquadret. Quando igitur priores patres omnes quotquot de miſſa locuti ſint, ipſum miſſæ vocabulum prò opere & ſacrificio concorditer vſurparunt, improbiſſimum fuerit, illi definitionem vllam accommodarẽ, quæ à patrum diſſentiat inſtitutis.

Miſſa res complectitur multas.

Ex ipſis verò patrum traditionibus apertiſſimum eſt, miſſam non rem vnam ſimplicem eſſe, ſed multas in ſe complecti. Complectitur enim miſſa, multa verba ſacra, tã ea quæ Chriſtus poſt cœnam protulit, quàm cætera quæ per Apoſtolos & viros apoſtolicos ad eius ſacrificij decorem adiecta ſunt. Complectitur & verborum ipſorum ratiocinationem, ſine qua nihil omnino fit. Per hanc enim de pane fit corpus Chriſti, ſimul & de vino ſanguis. Quamobrẽ & hæc recitatio non aliter ad miſſę ſubſtantiam exigitur, quàm quod maximè. Hæc etiam prolatio ſi per idoneum miniſtrum ſuper pane vinoque fiat, iã corporis & ſanguinis conſecratio eſt. Quãobrẽ & panis ac vini præſentia ad hoc vt miſſa peragatur, neceſſaria eſt. Complectitur inſuper & repręſentationem mortis Chriſti, atq; ita per miſſæ ſacrificium annunciatur aliud, nimirum illud quod in cruce Chriſtus pro nobis olim obtulit. Complectitur item preces & commendationes tam viuorum quàm mortuorum, quemadmodum in vetuſtiſſimis patrum traditionibus apertiſſimum eſt cernere. Complectitur demum & mutuam incorporationem tam Chriſti nobis, quàm noſtri Chriſto, quę non tam efficaciter ſola fide fit, quàm per hanc realem corporis & ſanguinis Chriſti ſumptionem. Hæc inquam omnia miſſa complectitur, vt nequeat vna ſimplex res dici, ſed multiplex.

XII.

Miſſæ definitio.

Meritò igitur ſic deſcribi miſſa poterit. Miſſa eſt cęremonia ſeu functio ſacerdotis, dum in altari conficitur Euchariſtia, ſimul & Chriſti crucifixi ſacrificiũ annunciatur. Sicut enim paſchalis agni cæremonia ſeu religio (quæ ſane res non paucas exigebat) phaſe vocabatur, id eſt tranſitus: ſic & Euchariſtiæ conficiendæ cæremonia miſſa dicta eſt. Porro quantum ad etymologiam ſpectat, parum refert vnde deductam hanc miſſę vocẽ putes, an ab emittendo, an à demittendo,

Miſſa vnde deriuatur.

aus

aut à promittendo, aut demum (vt nonnullis placet) à tranſmittendo, de qua re poſtea nonnihil dicemus. Interim iſtud ad rem pertinet annotare, quòd ſicut phaſe, quanquam omnes autores tranſitum interpretentur, alij tamen aliam huius tranſitus conſiderationem faciunt: (nam quidam ideo tranſitum dici volunt, quòd tunc populus ex Ægypto verſus terram ſibi promiſſam tranſierit: alijs verò placet vt dicatur tranſitus, quòd tũ tranſierit angelus per domos Ægyptiorum, eiſdem percuſsis) ſic & miſſæ vocabulum originem variam habere poteſt. Sed quorſum iſta? Nimirum vt intelligamus argutiam Lutheri qua miſſam colligit non eſſe ſacrificium, eſſe merum ſophiſma. Sic enim argutatur: Miſſa promiſsio eſt, ſacrificium autem res eſt: non eſt ergo miſſa ſacrificium. At ſic de phaſe quiuis pariter argutari poterit: Phaſe tranſitus eſt & motus quidam, non autem res: at agni ſacrificium res eſt: non eſt ergo phaſe ſacrificium. At qui tali ſophiſmate vteretur, nonne protinus exibilaretur & exploderetur ab omnibus, cum in ſcripturis tam aperte neque ſemel phaſe vocetur ſacrificium?

Phaſe tranſitus.

1. Cor. 5. Paulus vtique dicit: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et quando precor ſacrificium illud edimus potius, quàm vbi ſumimus Euchariſtiam? Quamobrẽ & Euchariſtiæ conſecratio verè ſacrificium eſt, cum illud olim in cruce factum ſacrificium, euchariſtia palam referat. Merum itaque ſophiſma eſt: Phaſe tranſitus eſt & motus: ſacrificium res eſt: non eſt ergo phaſe ſacrificium. Et eiuſmodi profectò Lutherus ſe nũc ſophiſtam præſtat, cum ſic argutetur, quemadmodũ infra non ſemel facit: Miſſa promiſsio eſt, ſacrificium autẽ res eſt, non eſt ergo miſſa ſacrificium: ſicut neque promiſsio quæ in verbis conſiſtit, res eſſe poteſt. At iſtud ſophiſma nemo diluet apertius, quàm ſi nouam iſtam cæremoniam cum illa veteri conferat, & vocabulum huius cũ illius componat vocabulo. Nã & ad cæremoniã *Exodi 12.* illam veterem exigebantur multa, non ſolùm agnus qui debebat immolari, verumetiam panes azymi, pariter & agreſtes lactucę, quæ poſt quã agnus aſſus eſſet, vnà cum agni carnibus ederentur: poſtes item & ſuperliminaria domorum, agni ſanguine neceſſũ erat oblinire. Multa quinetiam vetabantur, ne videlicet aut crudum, aut aqua coctũ ederent, néue caput aut pedes amputarent à corpore. Nonnihil verò promittebatur, nimirũ quòd à plagis quibus affligerentur Ægyptij, tuti forent ipſius agni comeſtores. Quis non perſpicit hanc veterem cæremoniam, nouæ noſtræ cæremoniæ qua verum agnum immolamus, ferme per ſingula reſpondere, non aliter quàm vmbram aliquam ſuæ rei, figuramque clariſsimę veritatis? Propter quod & Chriſtus poſtquã in cœna veterem illam agni typici compleſſet: nouam aliam protinus inſtituit cæremoniam, qua ſeipſum verum & immaculatum agnum obtulit. Obtulit inquam gratiis actis patri: ſimul & oblatum vnà cum diſcipulis ſuis comedit: iuſsitque quatenus hanc cæremoniam exercerent in memoriam ſuæ mortis, qua ſanguis ſuus in remiſsionem peccatorum effunderetur.

Matth. 26.
Marci 14.
Luce 22.

Eat iam Lutherus, & obganniat Miſſam eſſe promiſsionem, nec ob id ſacrificium eſſe poſſe. Nihilo certe magis ipſum audiemus, quàm ſi de veteri cęremonia ſic argutaretur: Phaſe tranſitus eſt, & ob id non poteſt eſſe ſacrificiũ. Sicut enim phaſe vocabulum à tranſitu fuerat impoſitum illi veteri, ſic & nunc huic nouæ cæremoniæ, Miſſæ vocabulum inditum eſt à miſsione. Fuerunt vtique qui miſſam ab emiſsione vocatam exiſtimarunt, quòd tum emitterentur catechumeni, cum ſacerdos eſſet ſacrorum myſteriorum confectionem aggreſſurus. At aliis placet à demiſsione ſic dictam, nimirum ob id quòd à patre tum ad nos hoſtia ipſa viua demittatur è cœlis. Aliis viſa fuit à tranſmiſsione vocari, quòd per ſacerdotem, qui mediatoris vice fungatur inter Deũ & homines, preces & vota ſimul & oblationes Deo tranſmittantur. Nonnulli verò cenſent à remiſsione miſſam appellari, quòd ea finita populus ad ſua remittatur. XIII.

Miſſa vocabulum vnde dictum.

Et quanquam in Etymologia vocis ita varient, nemo tamen repertus eſt qui negaret miſſam ſacrificium eſſe, quoad iam tandem exortus ſit Lutherus, qui ceu nouitatis author, ne videatur quenquam priorum imitari, Miſſam promiſsionem facit, quòd in ea promittatur remiſsio peccatorum. Neq; nos negamus promiſsionem remiſsionis peccatorum in miſſa recenſitam eſſe, & per miſſam item pręſtari, quatenus miſſa crucis annunciat ſacrificium, in qua ſanguis effundebatur in remiſsionem peccatorum. Et quid prohibet miſſam ita nomenclaturam ſuam à promiſſione remiſsionis peccatorum accepiſſe? Neque enim iſtud impedit quo minus ipſa miſſa dicatur ſacrificium. Vtcunque fuerit, iſtud haud dubiè compertiſsimum eſt, miſſam concorditer à patribus creditam & habitam fuiſſe pro ſummo ſacrificio: ſed hos Lutherus arrogantiſsimè contemnit. In qua re profectò Rex hominem ſcitè ſimul & acute ſalſiſsima perpunxit acrimonia. Vnus (inquit) Lutherus perſpicuè videt miſſam non eſſe ſacrificium, nec oblationem. Mirũ eſt, ex tot ſanctis patribus, ex tot oculis, quot in Eccleſia tam multis ſeculis idem legerunt euangelium, nullum fuiſſe vnquam tam perſpicacem, vt rem tam apertam deprehenderet, imò omnes etiamnum tam cæcos eſſe, vt nec adhuc quidem queat id, quod cernere ſe Lutherus iactat, quanquam ipſo mouſtrante, perſpicere. An non Lutherus hallucinatur potius, & aliquid ſe videre putat, quod non videt, & digito conatur oſtendere, quod nuſquam eſt? Hactenus ipſe Rex, non minus verè quàm eleganter, quibus verbis apertiſsimè docet, non eſſe Luthero contra tot ſanctiſsimos pariter & eruditiſsimos patres fidendum in hac hæreſi, qua cenſet miſſam non eſſe ſacrificium, niſi dogma ſuum ſcripturis vſque adeo manifeſtis comprobauerit, vt nemo vel pertinaciſsimus queat contradicere.

Regis verba

Roffenſis.

Vides

Epilogus. Vides itaque lector, quanto conſenſu traditum ſit à patribus, miſſam & opus & ſacrificium eſſe. Ab illis (inquam) patribus, qui tam eruditione quàm vitæ ſanctimonia, ceu totidem aſtra, fulſerunt in Eccleſia Dei. Sed & vſu tot ſeculorũ, ab ipſis videlicet Eccleſiæ crepundiis comprobatum, neq; id ſolum, verùm etiam ſcripturis & rationibus omnino conſentaneum. Lutherum verò contrà nihil attuliſſe pro ſua hæreſi fulcienda præter meras nugas, & inania commenta. Cõtorſit enim ſcripturam illam cœnæ dominicæ tam violenter in partem ſuam, vt nemo non intelligat iniuriam Chriſti verbis illatam, atque id temerariè.

Cæterum quia diſputatio noſtra de vocabulo miſſæ iam agitur, non abs re fuerit huc citare quid amicus noſter Ioannes Capnion vir in omni literatura celebratiſſimus, hac de re ſcripſerit. *Capnion.* Sic enim in rudimentis quæ pro linguæ ſanctæ notitia digeſſit, ſub dictione מס tradidit: מס (inquit) munus perſonale, collecta, tributum, &c. Et paucis interpoſitis ita ſubdit: Inde venit per additionem ה literæ in fine מסה id eſt oblatio quæ fit ſuperiori domino propter debitum munus perſonale. Deut. 16. Oblationem ſpontaneã manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Dei tui. Quod nomen nos Chriſtiani ſacrificio noſtro impoſitum retinuimus vſq; ad hoc tempus, vt à nobis appelletur miſſa; quod à Græcis λειτουργία. *Miſſa dictio hebraea eſt. Reuchlin?* Nota igitur quòd miſſa neque græcum neque latinum eſt, ſed hebraicum, ſicut etiã paſcha neque græcum neque latinum extat; ſed ab Hebræis mutuatum. Hactenus ille. Ecce lector audis hic miſſæ vocabulum neque græcum neque latinum eſſe; ſed hebræum, quemadmodum & paſcha. Audis & Hebræis idem oblationem dici; quæ fit ſuperiori domino propter munus debitum perſonale. Audis & ſcripturæ locum ex Deuteronomio citatum, quo vocabulũ ipſum מסה, hoc eſt miſſa; per interpretem oblatio ſpontanea vocatur. Audis & idem vocabulum ab Hebræis mutuatum, hactenus apud nos Chriſtianos vſurpatum eſſe pro ſacrificio nouo, hoc eſt, pro illo quod antiquatis Moſaicæ legis ſacrificiis, in lege noua ſucceſſit. Audis denique, Latinis hoc ipſum dici miſſam, quod græcis eſt Liturgia. Et ſanè priſcorum Hebræorum complures (quemadmodum in libello quem pro ſacerdotio ſtabiliendo contra Lutherũ edidimus, apertum eſt) affirmãt futurũ Meſſiæ temporibus, vt iuxta ritum ſacerdotij Melchiſedech in pane & vino ſacrificetur. Quãobrem & hi plurimũ aſtipulantur Capnioni noſtro pariter & ſcripturæ, quæ מסה vocabulũ interpretatur oblationem. Sed & Malachias meo iudicio rẽ iſtã haud obſcurè prodidit. Nam haud multo poſteaquam ſacerdotibus Iudæorum exprobrauit quod panem pollutum obtuliſſent in altari. *Malach. 1.* Offertis (inquit) ſuper altare meum panem pollutum: non multò poſt ſubinfert: Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ecce hic munus panis per ſacerdotes Iudæorum oblati, prorſus aueſatur Deus. Sed iam aduerte quodnam aliud à gentibus oblatum, ſe ſuſcepturum pollicetur. Ab ortu (inquit) ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quænam precor eſt hæc oblatio munda, niſi panis ipſius qui de cœlo deſcendit, hoc eſt corporis Chriſti ſub ſpecie panis in Euchariſtia? *Argumentũ ad hominem ex Lutheri ſententia. Ioan. 6.* Nã quicquid aliud à nobis proficiſcitur (ſi Luthero credimus) impurum eſt, & panno menſtruatæ ſordidius, nimirũ ob peccatũ (vt ille ait) quod in nobis reſidet continuo. Quo fit vt nullum omnino ſit opus noſtrũ (ſi Luthero fidem habeamus) quod peccato careat. Quamobrem neq; non pollutũ eſſe poteſt, quicquid eſt operis noſtri. Hæc iuxta Lutheri ſententiam & hæreſin dicimus. Verum cœleſtis iſte panis, quem ſacrificamus Deo, nihil habet impuritatis, ſed eſt immaculatum ſacrificium, & idem iugiter in omnibus Eccleſiis per totum Chriſtianiſmum immolatur. Sicut igitur oblatio panis, quem ſuper altare Moſaicum ſacerdotes veteris legis offerebant, iam planè ſpreta eſt & contempta prorſus à Deo, ita ſacrificiũ panis quod ſuper altaria nomini Chriſti dicata per ſacerdotes nouæ legis iugiter offertur, acceptum erit, & magnoperè gratũ. Quis non itaq; iam exploratiſſimũ habet, iſtuc omnia conquadrare, nimirũ vt miſſa verè dicatur ſacrificium? Veriſſimum equidẽ eſt, quod Ethnicus quidam ait: Omnia verò conſonant. Nam huic ſanè veritati conſentiunt omnia. Subſcribit enim cum primis receptiſſima totius Eccleſiæ conſuetudo. Eandem item comprobat ſanctiſſimorum iuxta & doctiſſimorum patrum omnium calculus. Scripturarum etiam authoritas eidem aſtipulatur. Sed & infenſiſſimi Chriſtiani nominis aduerſarij, huic planè ſuffragãtur, quandoquidem ſuis libris teſtantur palam, quòd cæteris abrogatis veteribus ſacrificiis, hoc ſolum quod iuxta ritum Melchiſedech in pane vinoque fit, vſu perpetuo celebrabitur. Sed hæc in libello quem diximus, fuſius & apertius continentur.

Strophæ quædam & mendacia cauillique Lutherani deteguntur.

CAPVT VII.

Nunc igitur ſeptimo loco quibus ſtrophis, mendaciis, ſycophantiis, argumẽta Regia refellere conetur, expendemus. Inſimulat primò Regem vnicam rationem attuliſſe, nimirum hanc: Si miſſa non eſſet opus bonum, laici nihil pro ea tribuerent clericis temporalis beneficij. Nec hoc mendacio contentus, tandem poſt multa conuicia ſubdit: Memento lector, ab aſſertore Rege nullam aliam afferri rationem pro miſſa ſua, quàm iſtam. At vtrumque profectò mendacium eſt, & quòd Rex hac ratione molitus fuerat probare miſſam opus eſſe, & quòd nullam aliam ad id probandũ attulerat, præter hanc. Prius illud facilè conſtabit, vbi contextum ipſum totius Regij ſermonis deſcripſerimus. Sic enim Rex, vbi *Luth. primum mendacium.*

cæte-

cęteros Luthero concionatores ęquat, niſi quòd hi concinnius ac verius quoque quàm Lutherus, ad ipſum teſtamentú referebant nō tantum ea quæ Chriſtus fecit in cœna, ſed etiam quę paſſus eſt in cruce, continuò per ironiam ludit: Hoc vno tantum, inquiens, impares Luthero, quòd mirabiles & hactenus inauditos Miſſæ fructus non inuenerunt quibus & clerus pręſentis vitæ fructum omnem, & populus futurę perderet. Cuius rei rationem Rex illico ſubiecit, dicens: Neque enim ſacerdotibus quicquam laici temporalis boni conferrent ob miſſam, è qua perſuaderentur nihil ſe ſpiritualis boni referre. Ecce lector, hac ratione Rex haudquaquam molitus fuit oſtendere Miſſam eſſe opus, ſed quòd clerus omnem fructum emolumenti temporalis eſſet perditurus, ſi laici nullum ex miſſa per clerum celebrata ſpiritalem fructum ſe ſperarent aſſecuturos.

Secundum Hic igitur, vt vides, vnum mendacium eſt, iam audies & alterum. Negauit Lutherus aliam à Rege rationem præter illam quam Lutherus falſo commentus eſt, afferri: quod etiam falſiſsimum eſt. Nam ex ipſis Lutheri fundamentis docet Rex, Miſſam, & opus & ſacrificium eſſe. Verum cum Regia ratio prolixior ſit, & oratorio more fluat, nos eam in formam breuiorem contrahemus. Ego (inquit Rex) iſtud fundamentum ei permittam. quod immobile poſtulat eſſe, non mouebo: tantùm oſtendam ędificium quod ſuperſtruxis, facilè per ſe corruere. Eſto Chriſtus fuiſſet in cœna teſtatus: par tamen eſt, vt id ſit teſtatus, quod poſt mortem voluit in ſui memoriam fieri, Quamobrem & præcipua teſtamenti pars fuit, vt in ſui commemorationé hæc ipſa diſcipuli facerent. Propter quod
Luce. 22. & dixit, Hoc facite in meam commemorationé, At non tũ cœnantis commemorationem intellexit, ſed poſtea crucifixi: quod & ex verbis Pauli
1. Cor. 11. manifeſtum eſt, qui ſimul atque dixiſſet, Quotiescunque panem hunc comederitis, & calicem biberitis: protinus adiecit, non cœnam domini, ſed mortem domini annunciabitis. Hoc eſt ergo quod in miſſa repræſentatur, ipſum videlicet crucis ſacrificium: quod cum ipſa Miſſa palam referat, eadem ſatis appoſitè ſacrificium appellatur. Quamobrem & ſacerdotes qui mortem eius in miſſa repręſentant, corpus à ſanguine ſeorſum
d offerunt & immolant. Iam enim exequitur quod in memoriam ſuę mortis fieri in cœna mandauit. Mortem etenim teſtatoris, vt Lutherus ait,
" teſtamentum inuoluit: neque antè vires & robur
" ſumit, aut abſoluta perfectione conſummatur,
" quàm ſit is mortuus qui teſtatus eſt. Concludit itaque Rex, quod ſi quis diligenter hæc expen-
" derit, videbit Chriſtum ſacerdotem æternũ, loco
" ſacrificiorum omniũ quæ ſub Moſe fuerant, &
" huius ſacrificij gerebant typũ, hoc vnũ inſtituiſſe, quod & offerretur Deo, & in cibũ itidem populo daretur. Intelligis itaque lector, quandoquidem hæc ratio longe diuerſa ſit à priori, iam bis mendacem fuiſſe Lutherum.

Cæterũ vt calumniis eius reſpondeamus, quas ſacerdotibus impingit, qui tẽporarias opes pro Miſſis accipiunt: an nō in libro Geneſeos ca. xiiij. legimus vbi Melchiſedech Deo ſacrificiũ panis & vini pro Abrahæ victoria obtulerit, hũc illi viciſſim, omnium ſpoliorũ quæ conquiſierat, dediſſe decimas? Et Pau. j. ad Cor. 9. dicit: Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus? *Liturgia quæ ſa recipere temporalia.*

Sed ad reliquas Regis argumentationes tranſeamus, quas cum non ignorarit Lutherus, vtpote qui conatus eſt eaſdem refellere, non pudet tamen inficiari Regem aliam pro ſua Miſſa rationé attuliſſe, præter illã primã. Audi igitur lector adhuc & aliã per ipſum Regé introductã. *Secunda Regis ratio pro miſſa.* Quæremus (inquit) à Luthero, an non aliquod opus tum Chriſtus fecerit, quando panem & vinum in ſuum corpus & ſanguiné conſecrauit? Quod ſi neget, mirabimur profecto, ſi cum is opus faciat, qui imaginem facit ex ligno, Chriſtus nullum prorſus opus fecerit, cum carnem ſuam faceret ex pane. Hactenus ipſe Rex. Et hanc rationem Lutherus recenſet peruerſiſſimè. Thomi-
" ſticatus (inquit) in hunc modum Rex, Qui lignũ
" cædit, facit opus: ergo qui conſecrat, facit opus.
" quare Miſſa etiam opus erit. Hic perſpicis lector *Roffenſis.* Lutherũ haudquaquã ignoraſſe quin Rex aliam attulerit rationem qua miſſam opus eſſe doceat, quàm primam illam: quod tamen ſuperius impudentiſſimè negauit.

Cæterum iam videamus quanam ſtropha conetur hanc rationem eludere. Iocatur vbique duplicem acceptionem Miſſæ faciens. Alteram, vt eius verbis vtar, pro eo quod eſt conſecrare ſeu proferre verba conſecrationis. Alterã pro eo quod eſt verbum promiſſionis, adiecto ſigno panis & vini. Iuxta priorem acceptionem fatetur Miſſam opus eſſe: negat tamen ſeipſum ita vel per febrem vel per phreneſin de Miſſa cogitare potuiſſe. Affirmat etiam ad hunc modũ Miſſam poſſe multa alia dici. Nam (vt ait) ſi Miſſa, conſecrare eſt, poteſt etiam clamare, cantare, thurificare, cereolos incendere, calicé mũdare, hoſtiã leuare, forte & ſternutare, & excreare Miſſa dici.

At quis tam craſſus eſt, vt nihil inter hæc & & opus conſecrationis intereſſe iudicet? Nã ſine pluribus horum miſſa non incongruè celebrari poteſt. Neque enim cantus & clamor & thurificatio, vt Miſſa fiat, exiguntur. Verum conſecratio ſic Miſſæ ſubſtantiam ingreditur, vt ſine conſecratione Miſſa nunquam eſſe queat. Quis enim vnquã vſque adeo phreneticus eſt, aut per febré inſaniens, vt putet ſe Miſſam habere poſſe citra corporis & ſanguinis conſecrationem? *Conſecratio exigitur a[d] eſſentiam Miſſæ.* Quòd ſi panem & vinum quis habuerit, & librum in quo ſcripta fuerint ipſa Chriſti verba, niſi quis eiſdem prolatis panem & vinum conſecrauerit, Miſſa neutiquam habebitur. Vnde & perſpicuum eſt, neque ſecundum poſteriorem acceptionem (quam ſupra diſtinxit Lutherus) Miſſam definiri poſſe, quam tamen ipſe verè & propriè dici Miſſam affirmat, nempe verbum ipſum promiſſionis cum ſigno, adiecto panis & vini. Quod & paucis monſtrabimus,

 Nam

Nam & ſi præſens fuerit (vt diximus) panis & vinum, ſimul & verbum promiſſionis vel in mente vel in libro quouis ſcriptum, hauddum habetur Miſſa, niſi quiſpiam idoneus ipſa eadem verba cũ ſtudio conſecrandi pronunciet. Fruſtra ergo ſeparat iſta Lutherus, cum ad Miſſæ ſubſiſtentiam hæc tria pariter exigantur. Neque enim verba ſola, neque ſigna ſola, neque vtraque hæc ſine verborum aliqua prolatione qua panis & vinum conſecrantur, Miſſam faciunt. Ipſa nimirum ſacerdotis actio ſeu functio potiſſimum requiritur, quemadmodum in cœna Chriſtus iubebat, inquiens, Hoc facite in mei memoriam.

Prolatio verborum conſecrationis neceſſaria eſt.

Sed iam ad cauillum, quod aduerſus ſuperiorem Regis rationem obiicit Lutherus, reſpondeamus. Egit vſque Rex ratione priori non ſolum vt Miſſa probaretur opus, verumetiam vt eſſet bonum opus. Si Chriſtus, inquit, vllum opus fecerit: quin id bonum fuerit, nemo opinor dubitabit. Nam ſi bonum opus fecit mulier, quæ caput eius perfudit vnguento, quis poteſt ambigere an bonum opus fecerit Chriſtus, cum corpus proprium & in cibum exhibuerit hominibus, & in ſacrificium conſtituerit offerri Deo? Quod ſi negari non poteſt, niſi ab eo qui in ſe maximè ſeria velit nugari, bonum opus feciſſe Chriſtum: nec iſtud etiam negari poteſt, in Miſſa bonum opus facere ſacerdotem, quippe qui non aliud facit in Miſſa, quàm Chriſtus in cœna fecit & in cruce. Hactenus ipſe Rex.

Miſſa eſt opus bonum. Verba regis.

Hic Lutherus mire cauillatur. Hac, inquit, ratione Miſſa non erit bonum opus, niſi bonus ſit conſecrator. Malus enim male facit conſecrando, id eſt miſſando, itaque non licebit malo ſacerdoti conſecrare, imò neque poterit, cum Miſſam velint neceſſario bonum opus eſſe. En perſpicis optime lector merum Lutheri cauillum. Sic enim cauillatur, perinde quaſi nihil operis boni niſi a bono miniſtro prodire poſſit: quod plane falſum eſt. Nam & ſacerdos malus baptizans operis boni miniſter eſt, tametſi non bene faciat. Et malus item ſacerdos, qui peccatorem confeſſum & reſipiſcentem abſoluit, bonum opus facit, quanquam non bene: facit enim vterque male, tametſi neuter in opere ſuo malum agat. Et de conſecrante ſimiliter dici poteſt, quòd licet ipſe malus fuerit, opus tamen quod facit, bonum eſt, non ſolum pro opere operato, verumetiam pro opere operantis: quemadmodum conferens eleemoſynam, dum expers fuerit gratiæ, bonum opus haud dubie facit, quanquam non omnino bene feciſſe credatur.

Verba Lutheri.

Malitia miniſtri non officit ſacramento.

Lutherus itaque Regem hic ſtolidè carpit, ceu pluribus ſui regni negociis occupatum, quàm vt huius theologiæ recordetur, nempe de opere operato & operantis. In qua ſe planè ſuam inſcitiam Lutherus prodit, cum illa diſtinctio locum hic non habeat. Neque enim hic de fructu Miſſæ quæritur, qui ſemper vberrimus eſt quantum ad opus operatum, ſiue Miſſa fiat à bono ſiue à malo. Verum non ita quantum ad opus operantis, vbi malus fuerit qui ſacrificat. Is enim nullum ſibi fructum reportat ex opere operantis, quanquam opus bonum faciat non bene. At bonus contrà plurimum tam ſibi quàm aliis fructum parit: & non modo bonum opus facit, verumetiam bene.

Opus duplex.

Parum ſcitè igitur Lutherus dixit periiſſe magnificam illam Theologiam, qua definitum eſt, Miſſam etiam mali ſacerdotis eſſe ſemper bonum opus, virtute operis operati, licet non virtute operis operantis. Quod dico propter hanc ſecundam partem, quam nullus theologorum (opinor) aſſeret vnquam. Nam ſacerdos conſecrans, quantumuis ipſe prauus fuerit, tamen opus eius, ſiue pro operato, ſiue pro operantis opere intelligas, bonum eſt, licet ex ipſo opere nihil mereatur. Nam & conſecratio quę eſt opus operantis, bona eſt: & quod fit item ipſa conſecratione, ſacramentum videlicet corporis & ſanguinis Chriſti, quod eſt opus operatum, bonum eſt ſimiliter. At id fefellit Lutherum, quòd cum theologi negent fructum & meritum aliquod ex opere mali ſacerdotis vt operantis oriri, ille putet eos etiam omnem ab eius opere bonitatem ſuſtuliſſe: id quod ipſi neutiquam ſentiunt. Et tamen adhuc tanta eſt hominis aut cæcitas, aut impudentia, quòd non contentus hoc ſemel exprobraſſe, inculcat id denuo, Regi quaſi victor inſultans, cum ſit nihil minus. Opprobrat enim Regi, ſe ſua propria ignorare, nempe quid interſit inter opus operatum & operantis: atque ita ſe ipſum confutare, dum impugnat Lutherana: cum tamen haud dubie Rex ipſe certo ſciat eam diſtinctionem huc nihil attinere, Lutherus contrà cæcutiat turpiſſimè.

Conſecratio mali ſacerdotis eſt bonum opus.

Miſſam non eſſe promiſſionem ſolam.

CAPVT VIII.

Cæterum nec id intactum prætermittemus quo Lutherus probare molitur Miſſam verè & propriè eſſe verbum promiſſionis. Nam ſi cætera (inquit) omnia deſint, & credideris his verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, vere Miſſam integram habes. Deinde ſi acceperis ſignum eadem fide, vſum & fructum Miſſæ accepiſti.

Duo ſunt quæ iam audiſti lector. Alterum quid ſit integra Miſſa. Alterum, quonam modo fructum ipſius Miſſæ conſequi valeas. Iam illud prius expendamus. Si cætera (inquit) omnia deſint, & credideris his verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, verè Miſſam integram habes, Ergo ſi verbis illis vbilibet aut viſis aut auditis fidem adhibeam, erit Miſſa iam integra, tametſi reliqua defuerint omnia, etiam ſi panis & vinum defuerint, etiam ſi de

Multa incohærentia ſequuntur ſi ſolum credere verbis, ſit Miſſa.

verbis

verbis cæterisque ad ſanguinem ſpectant, nemo vel cogitat quicquam. Si dicta verba ſola vel inſculpta lapidi memorentur, vel à puero ſeu muliercula quauis pronuncientur, modò credam illis, iam erit integra Miſſa. Et ſi centies in die fiat illud, toties erit Miſſa integra. Hęc profecto ſatis miranda ſunt. Sed velim dicat nobis adhuc Lutherus apertius: Quid ſi dicta verba nuſquam à quouis pronunciata fuerint, ſed nec cogitata quidem, num & tunc Miſſa non erit? Si dixerit iam non eſſe Miſſam, mirum eſt, cum adhuc & verba dicta maneant, quandoquidem

Matth. 5. ſcriptum eſt: Verba mea non tranſibunt. fides quoque manet in cordibus hominum, quam & Lutherus viuum quendam actum & motum eſſe contendit. Quando igitur & verbum ipſum perpetuò maneat, & actio fidei nunquam non videat, erit iuxta Lutheri dogma Miſſa quoque ſemper extans omnibus horis atque momentis, non diei ſolum, ſed & noctis, dormientibus quoque ſacerdotibus ęque atque vigilantibus, aut ſacra facientibus. Nam ſi præter verbum & fidē nihil ad Miſſæ integritatem exigatur, & ſi per hæc ſola, quanquam cętera omnia defuerint, Miſſa prorſus habeatur integra, quis non intelligit eiuſmodi Miſſam durare ſemper, & indeſinenter haberi, quando fides & verbum ſemper & indeſinenter maneant? Sed video ſic vrgeri Lutberum, vt præter verbum & fidem fateatur alium aliquem actum exigi ad Miſſæ integritatē, quo ceſſante, ceſſat & Miſſa. Et hunc puto dicturum actum recitationis illorum verborum. Nā ad hoc vt Miſſa fiat, oportet ipſa verba recenſeantur, alioqui non faciemus aut quod in cœna Chriſtus ipſe fecit, aut quod iuſsit à nobis fieri.

Luca. 22. Hoc (inquit) facite in mei memoriam. Pronunciauit enim ipſe dicta verba ſuper panem quem ſacris acceptum manibus conſecrauit. Quamobrem & apertum eſt, præter fidem & verba, ſimul & verborum recitationem, etiam panis præſentiam omnino neceſſariam eſſe.

Longe igitur alienum à veritate eſt, quod ſupra dixit Lutherus. Nempe ſi cætera omnia deſint, & credideris his verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: verè Miſſam integram habes. Nunquam enim haberi Miſſa integra poteſt, niſi ſacerdos idipſum Chriſti verbis fecerit quod Chriſtus iuſsit faciendum, hoc eſt panem & vinum in Chriſti corpus & ſanguinem conſecrauerit. Is nimirum actus & circa panem item, ita Miſſæ eſſentiam ingreditur, vt ſine hac nec Miſſa fieri, neque eſſe quouis pacto

Fides circumſtantium nō impedit Miſſam. valeat. Et hunc actum ſi quiſpiam ſacerdos exerceat, tametſi nemo circumſtantium crediderit, nihilominus erit Miſſa: non tamen ita, quòd ſolus is actus ad Miſſæ integritatem exigatur, ſed quòd citra hūc Miſſa nullo pacto queat ſubſiſtere. Hactenus ergo pro priori aſſertione refellenda, quam Lutherus nulla ſcriptura ſeu ratione fultam, ſed propriæ innixus temeritati protulit, à nobis dictum ſit.

II. Iam excutiamus & poſteriorem, quam extulit in hunc modum: Deinde ſi acceperis ſignum eadem fide, vſum & fructum Miſſæ accepiſti.

Et hac intelligi vult, quòd ille vſum & fructū Miſſę conſequitur, quiſquis Chriſti verbis habita fide, panem conſecratum acceperit, quem & ſignum corporis vocat.

Hic primum aduerte lector, quod dicit, eadem fide. Nam ſupra dixit, Si credideris his verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, etiam ſi cætera omnia defuerint, verè Miſſam integram habes. Et protinus ſubdit: Deinde ſi eadem fide ſignum acceperis, vſum & fructum Miſſæ accepiſti. Hic lector perſpicis (opinor) quam temeraria ſit hæc aſſertio. Nam vt panis in corpus Chriſti conſecretur, non dices Fides formata non exigitur ad conſecrationem. opinor fidem formatam exigi, ſed informem ſufficere: alioquin idololatriam ſæpe plebs committeret, nimirum pro corpore Chriſti merum panem adorans. Verùm hæc eadem fides haudquaquam ſufficit, vt per eſum corporis, vſum & fructum Miſſæ conſequaris, imò iudicium ediſti potius, vt teſtatur Paulus; & dominici corporis reum te conſtituiſti. Nam adhunc ſacroſanctum 1. Cor. 11. cibum edendum accedit indignè, quiſquis citra formatam fidem acceſſerit.

Iſtud inſuper obſeruandum eſt, qua ſtropha III. ſimul viſum & fructum Miſſæ coniungit, dicens: Si ſignum acceperis, vſum & fructum Miſſæ accepiſti. quod planè falſum eſt. Nam vſus Miſſæ, Vſus Miſſæ ab eius fructu diſtat. ipſa functio ſacerdotalis eſt: qua finita, Miſſa quoque (quantum ad hoc negocium attinet) ceſſat. Atqui finita Miſſa, fructus tamen aliquis ipſius durat in ſacramento, quamdiu ſacramentum ipſum ſuperfuerit poſt finitam Miſſam. Et huius fructus particeps efficitur, quiſquis deuota mente ſacramentum ipſum acceperit, quanquam nulla Miſſa eo ipſo tempore celebretur. Quare ſic accipiens, iam non vtitur Miſſa, tametſi rectè credatur vti ſacramento.

Vt igitur negocium iſtud apertius euoluamus, non fuerit inutile quiddam exempli gratia ſubiicere. Sic Miſſam exiſtimabimus perinde atque cuiuſdam aromatarij functionem, dum is Exemplum pulchrum. medicamen conficiat quod, antè medicus quidam non imperitus pro reſtituendis ægroti cuiuſpiam viribus excogitauit. Nam fit aliquoties, vt poſteaquam aromatarius arte ſua functus fuerit, & confecerit medicamen, ipſum ægroto protinus adminiſtret, aliquando tamen ſeruet in pyxide, quoad occaſio dabitur miniſtrandi commodius. Quod ſi medicamen ex pyxide prolatum cuipiam ægroto deferatur, nemo vocabit hanc deportationem functionem artis aromatarij, cum illa per alium quemuis qui non ſit aromatarius, æque fieri poterit. Hoc exemplo certe quiuis facilè intelliget, plurimum intereſſe inter miniſtrationem Euchariſtiæ, quæ per diaconum fieri poſſit, & ſacerdotis functionem, ſacrique medicaminis huius confectionem, quæ ſola propriè Miſſa vocatur ab omnibus. Vides igitur lector hoc exemplo, medicum eſſe Chriſtum, aromatarium ſacerdotem, miniſtrum diaconū: functionem ſacerdotis, & confectionem medicaminis, Miſſam eſſe. Vſus ergo miſſæ non diu-

tius

tius durat, quàm ipſa functio ſacerdotis. Fructus tamen plurimus in ſacramento poſt finitam Miſſam viget, quemadmodum in medicamine iam intra pyxidem repoſito.

Neque tamen conceſſerim totum & integrũ Miſſę fructum in ſacramento manere. Nam cum in Miſſa ſacrificium offeratur pro ſalute viuorum, & requie defunctorum, compluresque ſacrę precationes adiungantur, quibus vota fidelium circumſtantium Deo commendantur, non eſt credibile, quòd is qui domi quantuuis fide ſacramentum iſtud acceperit, tantum ex eo fructum referat, quantum is qui pari fide Miſſæ deuotus interfuit, atque precum quæ in Miſſa dicuntur, ſimul & ſacræ ipſius communionis ibidem factus ſit particeps.

Multum referi an quis Miſſæ interſit.

Ob hæc iam latere neminem opinor, quàm ſit abſurda Lutheri ſententia, cum ex ea conſequatur, quòd quoties ex pyxide ſacramentum profertur, vel cuiuſpiam ægroti cauſa, qui morti proximus fuerit, toties Miſſam fieri dicamus. Et quis non perſpicit quantum hoc ſit veritatis expers, cum nemo tunc faciat quod ipſe Chriſtus in cœna fecit, & quod ſacerdotibus iuſſit faciendum? Nemo enim tunc ex pane & vino corpus & ſanguinem Chriſti facit, quod tamen ipſe diſcipulis mandauit vt facerent. Hoc (inquit) faci-
Luca. 22. te in mei memoriam.

Concluſio. Liquet igitur ex his Miſſam non eſſe aut ſumptionem ſignorum, aut promiſſionem ſignis adiectam, atque ideo multo minus promiſſionem ſolam.

IIII. Pergit tamen adhuc Lutherus ex prædictis illis duabus aſſertionibus colligere quod ſequitur:
„ Vnde (inquit) manifeſtiſſimum eſt Miſſam non
„ eſſe aliquid noſtri operis aut verbi, ſed ſolius
„ Chriſti dantis tam verbum promiſſionis quàm
„ ſignum in pane & vino: atq; vſum eius non poſ-
„ ſe in offerendo aut operando conſiſtere, ſed in
Apoſtrophe. recipiendo duntaxat. Et vnde (te quæſo) manifeſtiſſimum eſt? Tibi forſitan ex meris inſaniis tuis quas vel per febrem (vt ais) aut per phreneſin excogitaſti, manifeſtum eſt. At nobis tantum abeſt vt ex vlla ſcriptura (quam hactenus attuliſti) manifeſtum ſit, vt etiam neque videatur in ſe quicquam habere probabilitatis. Nos enim apertiſſimam habemus ſcripturam ex ore Chriſti prolatam, qua iuſſit vt hæc faceremus, hoc eſt vt panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum cõſecraremus: id quod citra noſtrum opus haudquaquam fieri poteſt. Et quanta eſt iſta impudentia tua, vt velis nos abſq; ſcripturis, imò contra ſcripturas, tuis nugis inſaniſſimis credere, ſomniiſque plane phreneticis adhibere fidem?

Porro quòd toties inculcas verbum promiſſionis, haud ſcio quod verbum intelligas. In hoc enim & plus quàm Proteum exhibes temetipſum, nunc vnum, nunc alterum faciens promiſſionis verbum. Nam id quod paulo ſuperius recenſuiſti, videlicet, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, nihil omnino promiſſionis in ſe continet. Promittuntur enim, quæ ſunt futura. Sed & licet Chriſtus Apoſtolos qui tum præſentes erant, certiores verbo ſuo reddidit de præſentia corporis ſui ſub illa ſpecie panis, quo (te precor) ſcripturæ verbo nobis promittitur, quòd cum nos conſecramus, idem ſit futurum? Neque enim ſcriptum eſt, quòd quotieſcunque ſuper panem ſacerdos mea verba recenſuerit, protinus ex pane fiet corpus meum. Hoc vtique verbũ promiſſionis eſſet. Sic enim ob alia quædam ſacramenta promiſſiones factas legimus in euangeliis. Nam de baptiſmo ſcriptum eſt: Qui *Marci. 16.*
crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et rurſum de ſacramento remiſſionis peccatorũ: Quo- *Iohan. 20.*
rum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hæc certè verba promiſſionis ſunt. Cæterum in his ipſis ſacramentis agendis nemo verbis illis vtitur, ſed aliis, quæ non ſunt promiſſionis, nimirum, Ego baptizo te. &, Ego abſoluo te. quæ neutiquam in ſcripturis leguntur.

At Lutherus dicet ex hoc verbo, videlicet, Hoc facite in mei memoriam, totam huius rei pendere certitudinem. Ergo hoc magis eſt verbum promiſſionis, quàm illud prius allatum. Quare ſi tanta vis in verbo promiſſionis eſt, iſtud inter conſecrandũ corpus & ſanguinẽ recenſeri potius debet, quàm cætera. quod planè falſum eſſe nemo non credit, cum omnes aſſerant conſecrationem antè factam, quàm iſtud verbũ pronunciaretur. Sed & pariter in aliis ſacramentis, vtpote baptiſmatis, & abſolutionis, promiſſionis verbũ recenſeri potius debet, quod nemo tamen vnquam facit, vt ante diximus. Nemo enim cum abſoluit, his verbis vtitur: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Neque cum abluit, ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Sed vterque tam abluens quã abſoluens in perſona ſua loquatur neceſſum eſt, & dicat ille: Ego baptizo te. & iſte, Ego abſoluo te. alioqui certe nihil fit.

Cæterum in captiuitate Babylonica Lutherus Miſſam vocat promiſſionẽ remiſſionis peccatorum. Sic nunquam ſecum conſtat, ſed eſt ingenio vſqueadeo verſatili atque verſipelli, vt promiſſionis verbum nunc vnum, nunc alterum faciat. Sic enim in captiuitate Babylonica ſcribit: Vides ergo quòd Miſſa (quam vocamus) ſit promiſſio remiſſionis peccatorum à Deo nobis facta. Quòd ſi quæramus ab eo, vbi ſcripta ſit hæc promiſſio, ſcio reſpondebit, In his verbis eſſe ſcriptam, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hic certe non inficiamur quin expreſſa ſit promiſſio remiſſionis peccatorum. At hæc promiſſio nequaquam ſit pro ſumptione ſacramenti, quemadmodum ſæpe diximus, ſed pro ſanguinis effuſione, dum Chriſtus in cruce ſeipſum immolauit. Huc accedit, quòd iuxta Lutheri ſententiam quiſque conſecrat æqualiter, ſiue iuxta Matthæum, ſiue iuxta Marcum aut Lucam, aut Paulum pronunciet. At palam eſt nec Marcum, nec Lucam, neque Paulum de remiſſione peccatorum fuiſſe locutos. Quamobrem ad conſecrationem faciendam nihil opus eſt promiſſione peccatorum.

Adde, quòd inferius in eodem impio libello teſtatur totam ipſius Miſſæ virtutem in promiſſione remiſſionis peccatorum conſiſtere. Quod ſi verum ſit, tum Paulus vſum & virtutem ipſius Miſſæ prorſus ignorauit, cum & ille Corinthios inſtruens hac de re, verbum iſtud promiſſionis omnino prætermiſerit, & tamen à Chriſto ſe teſtatur accepiſſe quæ tum Corinthios docuit. Quamobrem ſi tantum ex hoc verbo momentum pendeat, vt tota penitùs Miſſæ virtus in eo conſiſtat, profectò Paulus, & eo præſertim loco vbi myſterium iſtud docet, id ipſum minime tacuiſſet. Non eſt ergo Miſſa promiſſio remiſſionis peccatorum.

1. Cor. 11.

Sed neque vſus Miſſæ tantùm in recipiendo & patiendo conſiſtit, quemadmodum falſo Lutherus conatur aſſerere, verumetiam in offerendo & optando. Neque enim res vnica & ſimplex eſt, ſed multas (vt ante diximus) in ſe complectitur. Vt enim Pharmacopolæ functio non in vno ſolum opere conſiſtit, ſed nunc tundit aromata, nunc liquores admiſcet, deinde pariter coquit omnia: ita & ſacerdotis functio varia eſt, nunc conſecrat, nunc offert, crebro precatur, viuos item & defunctos per ipſius virtutem ſacrificij Deo commendat.

V. Poſt hæc Lutherus aliud inſuper argumentũ illuſtriſſimi Regis impugnaturus, ipſum prius omni prorſus ornatu pariter ac robore ſpoliat, atque ita ſpoliatum recenſet, ad hunc modum: Deinde pro ſacrificio Miſſæ defendendo, Rex (inquit) ita thomiſticatur. Eſto (inquit) Miſſa ſit promiſſio, non hinc ſequitur non eſſe ſimul & ſacrificium, quando in veteri lege erant ſacrificia quæ ſimul erant & promiſſiones. Rex verò ſuam argumentationem non tam inermem & elumbem protulit, ſed multo munitiorem. Nam argutiæ Lutheranæ reſpondens, Obſecro (inquit) qualis eſt iſta probatio, cum docere nititur Miſſam non eſſe ſacrificium, ex eo quòd ſit promiſſio, quaſi promiſſio & ſacrificium ita ſibi mutuo pugnarent, quemadmodum frigus & calor? Quæ Lutheri ratio adeo prorſus friget, vt nec reſponſo digna videatur. Nã legis Moſaicæ tam multa ſacrificia, quanquam eſſent figuræ omnia futurarum rerum, tamen promiſſiones erant & ipſa. Promittebant enim ea propter quæ fiebant, non modo futura quondam illa quorum erant figuræ, ſed etiam liberationes, expiationes, purgationes, purificationes populi tunc præſentis, pro quo more ſolenni quotannis offerebantur. Quæ res cum tam aperta ſit, vt nemo prorſus eam poſſit ignorare, ridicula plane diſſimulatio eſt iſta Lutheri, cum nunc argumentatur fieri id non poſſe, quod non ipſe tantum, ſed populus quoque nouit tam ſæpe factum. Hactenus ipſe Rex.

Luther. detruncat argumentum regis.

Verba regis.

Vides lector quem in modum Rex probat ſacrificia promiſſiones eſſe, duplici ratione. Altera, quòd ea certò pollicebantur veritates, euenturas quarum erant figuræ. Altera, quòd liberationes, expiationes & purificationes populi tunc præſentis (pro quo quotannis offerebantur) etiam promittebant. Non quòd Rex intellexerit, nihil inter ſacrificium & promiſſionem intereſſe, ſed quòd ſacrificiis vt plurimum promiſſiones adiungebantur, vti mox oſtendemus. Obiicit tamen huic argumento Lutherus duo. Primum, quòd huiuſce rei Rex nullum attulit exemplum. Huius (inquit) aſſertionis Thomiſticæ debuit Rex vel vnum exemplum producere.

Reſponſio. Sacrificia ſūt promiſſiones

Sacrificiis iungebantur promiſſiones

Verùm quid ſi Rex nullum exemplum produxiſſet? Num propterea non valebit argumentatio regia? Rex enim putauit ſe cum eo congreſſum, quem exempla eiuſmodi minime latuiſſent, quippe cum his exemplis abundant ſcripturæ veteris inſtrumenti, quas Lutherus præcipue callere ſe iactitat. Nam in ſcripturis, eiuſmodi paſſim occurrunt exempla, quemadmodum oſtendemus.

Primum Leuit. 4. poſteaquam Moſes, quem in modum pro peccato ignorantiæ populi vitulum ſacrificandum oſtenderet, ſcriptum eſt: Et rogante pro eis ſacerdote propitius erit eis Dominus. Ecce promiſſionem adiunctam ſacrificio. Rurſum, vbi per ignorantiam princeps peccauerit, docet hircum ſacrificari debere, ſubdens: Rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius: & dimittetur ei. Ecce rurſum peccati dimittendi promiſſionem annexam ſacrificio. Ad hæc. Si priuatus quiſpiam per ignorantiam peccauerit, docet capram aut ouem offerendam, & pollicetur ob vtrumque ſacrificium peccati dimiſſionem. Prolixum eſſet ſacrificia cætera commemorare, quæ cap. 5. & 6. ſequentibus pro diluendis aliis peccatis & delictis fieri docentur, vbi & cuilibet ſacrificio remittendi delicti promiſſio ſubiicitur. Vides itaque lector, quot iam illius rei produximus teſtimonia, nimirum quòd ſacrificia veteris legis peccatorum remiſſionem promittebant: quamobrem & iuxta morem loquendi ſcripturarum promiſſiones dici non iniuria poſſunt.

Exemplum primum. *Secundum.* *Tertium*

Neque ſophiſma Lutheri, quod ſecundo loco producit, alicuius ponderis erit. Nam & hoc alterum eſt quod obiectat. Promiſſio (inquit) eſt verbum, ſacrificium res eſt. quare impoſſibile eſt vt promiſſio ſit ſacrificium. Ecce merum ſophiſma. Neque Rex collegit quod promiſſio ſacrificium eſſet, cum promiſſio minime ſacrificetur. At retrorſum ſacrificium vocauit promiſſionem, eo quòd per ipſum remiſſio peccatorum promittatur. Nam propter expiationes & purificationes ſacrificia fieri mandabantur in lege. VI.

Ad hæc. Quoties Luthero placet, Miſſa non ſola promiſſio dicitur, ſed promiſſio ſignis adiecta, ita quòd Miſſa non modò promiſſionem, verumetiam & ſigna pariter inuoluat. Quæ ſigna profectò cum res veras, hoc eſt veram Chriſti carnem, veramque ſanguinem ipſius contineant, non minus Miſſa propter ipſa ſigna res dicetur, quàm verbum ob ipſam promiſſionem. Nam vti ſuperius de veteri quadã cæremonia diximus, quam Hebræi phaſe vocant, quòd non ſolum

ſolum promiſſionem complectatur, verum etiã ipſum agni ſacrificium: ita & de noua hac cæremonia non dubitamus aſſerere, quòd præter promiſſionem & verba, conſecrationem etiam Euchariſtiæ comprehendat, & ipſius corporis Chriſti, nimirum agni veri & immaculati ſacrificium. Quamobrem & plus quàm puerile fuerit ſic argutari: Miſſa promiſſio eſt & verbum, quare non poteſt res eſſe: cum ipſe Lutherus non ſemel confiteatur in libello aduerſus regem, Miſſam eſſe promiſſionem ſignis adiectam. Quod quid eſt aliud, quàm Miſſam verba pariter & rem eſſe?

Lutherus nihil diſcriminat inter Miſſam ſacramentum & teſtamentũ.

Sed & hæc tria ſæpe confundit, vnum pro alio frequenter vſurpans, nempe Miſſam, ſacramentum, & teſtamentum, de quibus in captiuitate Babylonica ſic ſcribit: Stet ergo primum & infallibiliter, Miſſam ſeu ſacramentum altaris eſſe teſtamentum. Ecce ſi teſtamentum de vtroque dicatur, hoc eſt, & de Miſſa, & de ſacramento altaris, neceſſum eſt vt iſta quoque alterum de altero mutuo dicantur. Atque ita Miſſa cum ſit Luthero ſacramentum, erit etiam & res.

De promiſſione verò multum hæſitanter loquitur. Nam de ipſa paulo poſt ita ſubdit: Vides ergo quòd Miſſa (quam vocamus) ſit promiſſio remiſſionis peccatorum. Hic aperte promiſſionem remiſſionis peccatorum miſſam facit. Et pluſculum inferius vbi dicit: Recte itaque dixi totam virtutem Miſſæ conſiſtere in verbis Chriſti, quibus teſtatur remiſſionem donari peccatorum. Et hic iterum Miſſam facit promiſſionẽ remiſſionis peccatorum. At in libello contra regem, Nos (inquit) in Miſſa potiſſimum vocamus promiſſionem, ipſa ſcilicet verba Chriſti ſine quibus panis & vinum eſſent neque ſignum neque ſacramentum neque Miſſa. Quid iam his verbis intelligi velit, obſcurum eſt. Nam ſi promiſſionem aliam intelligat quàm remiſſionis peccatorum, nimiſquam recte loquitur & innolute, nedum inconſtanter. At ſyncera veritas his ambiguis inuolucris tegi non quærit: lucem poſtulat, non tenebras.

VII.

Virtus Miſſæ non conſiſtit in remiſſionis peccatorum promiſſione.

Cæterum quòd nec tota Miſſæ virtus in promiſsione remiſsionis peccatorum conſiſtat, neque ſit id ſine quo panis & vinum nec ſigna ſint, nec ſacramenta, neque miſſa, iam plenius oſtendemus. Dilucidum itaque vel ex hoc ſolo fuerit, totam ipſius Miſſæ virtutem nequaquam in promiſsione remiſsionis peccatorum conſiſtere, quòd Paulus de hac nihil omnino loquatur, & tamen ab ipſo Chriſto doctus formulam corporis & ſanguinis conſecrandi tradidit ſufficientẽ. Sed & de remiſsione peccatorum ſolus meminit Matthæus vt ſi ſine hac particula nec panis & vinum eſſent neq; ſignum, neq; ſacramentum, neque miſſa, quemadmodũ Lutherus affirmat, non ſolũ Paulus, ſed & Marcus, & Lucas vehementer aberraſſent: quod nephas eſt credere. Nullus enim horum de remiſsione peccatorũ verbũ vllum facit. Sed Paulus ipſe præ cæteris grauiſsimè peccaſſet, qui magiſtrum huiuſce rei ſe pollicitus eſt Corinthiis, quibus & conficiendi corporis & ſanguinis Chriſti modũ tradidit illa ſublata particula de remiſsione peccatorum. Quamobrẽ ſi in promiſsione remiſsionis peccatorũ tota virtus miſſæ conſiſtat, vti Lutherus opinatur, Paulus haud parua Corinthios affeciſſet iniuria, nimirum ipſos fraudans omni penitus virtute totius miſſæ. Nec eſt credibile quin ipſum totum, quod ante fuerat edoctus à Chriſto, Corinthiis expoſuerit. Quo fit vt etiam non diſsimile vero ſit Chriſtum illam particulam omiſiſſe: id quod neutiquam feciſſet, ſi totius negocij virtus in ipſa promiſsione viguiſſet.

Matth. 26.

1. Cor. 11.

Adde, quòd ſi tota Miſſæ virtus in promiſsione remiſsionis peccatorum conſiſtat, ſine hac nihil omnino fieret: quod falſum eſſe Lutherus ipſe teſtabitur. Nam paulo poſt in libello contra regem affirmat non minus verè conſecrare, ſi quis forma Lucæ, Marci, Pauli vteretur, quàm qui canonis iſtius impij & falſi vtitur. Sic enim effrons audet ſacro miſſæ canoni conuiciari, impium & falſum illum appellans. Atqui certum eſt in forma quam Lucas, Marcus, Paulus tradunt, nec verbum quidem eſſe de promiſsione remiſsionis peccatorũ. Quare nec in ea promiſſione tota Miſſę virtus cõſiſtit, neq; Miſſa dici poteſt ſola promiſsio remiſsionis peccatorum. Id quod adhuc denuò confirmabimus ex ipſius Lutheri verbis. Nam ſi Miſſa fuerit ſola promiſsio, *Confutatio.* neque præter eam ſit res vlla, cur toties Lutherus Miſſam promiſsionem vocat adiectã ſignis? Quid enim ſignis opus erit, ſi Miſſa fuerit ſola promiſsio? Auferat ergo ſigna penitus, quæ planè res ſunt, nempe corpus & ſanguis Domini. Nã citra hæc, promiſsio manet promiſsio. Quocirca ſi Miſſam appellet promiſsionem ſolã, & promiſsio ſignis abſumptis nihilominus extat: Miſſam etiam oportet fateatur extare, tametſi nulla remanſerint ſigna. Nam & ante cæremoniam (quam nos Miſſam eſſe non ambigimus) & rurſum poſtquam eadem ſit finita, viget ipſa promiſsio. Nunquam enim ipſa promiſsio ceſſat; cum verbum Domini maneat in æternum: Qua- *Pſal. 118.* rẽ manifeſtum eſt nec Miſſam dici poſſe promiſſionem ſolam.

Et quanquam ſophiſticè contendat, ſacrificia vetera non fuiſſe promiſsiones, neque promiſſionem eſſe rem, negare tamen haudquaquam poteſt quin ſimul & promiſsio & res ad Miſſæ complementum exigantur. De promiſsione ipſe confitetur: & de ſignis item quæ ſunt res veræ, quin exigantur, nemini dubium eſſe poteſt ex his quæ iam diximus.

Sed & præter hęc, cum ipſa res Miſſæ, hoc eſt præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, nequeat haberi ſine conſecratione panis in corpus, & vini in ſanguinem, ſubterfugere nullo pacto licet, quin is actus pariter ad eſſentiam Miſſæ prorſus requiratur. Atque hoc eſt quod ſæpe diximus, Miſſam non eſſe quiddam ſimplex, ſed in ſe multa complecti. Neque multum refert, vnde Miſſæ nomen fuerit inditum, modò conſtiterit de re ipſa. Nam vt oſtendimus illam cæremoniam quæ phaſe dicta eſt, non accepiſſe

nomen à quauis ipſius cęremoniæ parte, ſed à tranſitu angeli qui pertranſit Hebręos dū Ægyptij percuterentur, atque ideo phaſe dictam eſſe, id eſt tranſitum: ſic & Miſſa dici poteſt ab externa quapiam ratione, neque eſt neceſſe vt ipſum vocabulum mox in fronte ſingula prodat, quę ſub ipſa Miſſa fiant & gerantur.

VIII. Fruſtra igitur Lutherus in captiuitate ſua Babylonica nobis imponere ſuis argutiis molitur, cum ex paupere ſimilitudinem hanc introducit.
,, Nullus (inquit) audet tantum inſanire, vt dicat
,, bonum opus facere eum qui pauper & indigens
,, venit accepturus de manu diuitis beneficium.
,, Quamobrem cum ſit Miſſa beneficium promiſ-
,, ſionis diuinæ per manum ſacerdotum omni-
,, bus hominibus exhibitum, ipſa non poteſt aut
opus aut ſacrificium eſſe. Hac ſimilitudine Lutherus nos fallere conatur, cum alioqui plurimū interſit inter pauperem munus accipientem à diuite, atque ſacerdotem qui conſecrat munus vtique plebi diſtribuendum. Plebs enim vicem pauperis gerit, & ſacerdos vicem diuitis agit, hoc eſt ipſius Chriſti. Chriſtus enim in cœna ſacerdotis officium vſurpauit, Euchariſtiam conſecrans, eandemque diſcipulis qui tum plebem referebant, adminiſtrans. Tunc enim diſcipuli recipiendo tantum & patiendo (vt Lutheri verbis vtar) exhibuerunt ſeſe: Chriſtus autem erat operator & conſecrator, atque etiam immolator. Quid enim aliud ſibi volunt Euangeliſtæ, cum ſinguli memorent eum gratias egiſſe, quod & Paulus non tacet? Sed & idem officium quod ipſe tunc exercuit, ſuis diſcipulis commendauit agendum. Hoc, inquit, facite in mei memoriam. Quibus verbis & Lutherus fatetur tum Apoſtolis Euchariſtiæ conſecrandæ tributam fuiſſe poteſtatem. Facere (inquit) eſt, hoc totum imitari quod ipſe tunc fecit. Quando igitur ipſe tum fuerat operator, conſecrator, immolator, illos etiam operatores, conſecratores, & immolatores huius ſacrificij conſtituit. Sacerdos itaque quoties panem & vinum in Euchariſtiam conſecrat, Miſſam facit. Plebs verò quæ dum aguntur myſteria ſacramentum accipit, non tanquam negocij geſtores, Miſſę pręeſſe, aut Miſſam facere, ſed intereſſe Miſſæ dicuntur. Quamobrem & plebs ad inſtar pauperis eſt, qui ſolum accipit: at ſacerdos qui velut hierarcha myſteriis præeſt, cum ſit inter Chriſtum & plebem ipſe mediator, nonnihil vtrinque repræſentat. Quatenus enim conſecrat ac miniſtrat, Chriſtum refert qui donat: quatenus autem accipit, eatenus cum paupere plebe communicat.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corin. 11.

Sacerdos facit miſſam, ſed plebs accipit eam.

IX. Iam igitur cunctis opinor dilucidum eſt, Miſſam præter ipſam promiſſionem remiſſionis peccatorum, alia multa requirere, quę quantum ad ipſius Miſſę ſubſtantiam attinet, longe plus habent momenti, quàm promiſſio quæuis. Nam Paulus epiſtola priori ad Corinthios, Miſſæ ſubſtantiam explicuit abſque mentione qualibet remiſſionis peccatorum. Sed & remiſſio peccatorum etiam ex veteribus ſacrificiis promittebatur, quemadmodum & hic remiſſio peccatorum promittitur, non quidem ob ſumptionem ſacramenti, quemadmodum ſæpe diximus, ſed ob virtutem ſacrificij quod in Miſſa repræſentatur, nempe ſacrificij crucis.

Multa requiruntur ad Miſſam.

1. Cor. 11.

Species vtique panis in Miſſa Chriſti corpus refert, quod exangue pendebat in cruce: & ſpecies vini ſanguinem, qui ſimiliter in cruce fundebatur in remiſſionem peccatorum. Propter quod in myſticis illis verbis dicitur, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Atque ad hunc modum vetera nouis vel ad amuſsim quadrant, quemadmodum & Moſi iuſſum fuerat, vt cuncta ſecundum exemplar faceret quod in monte viderat. Nam vt illic populus res quaſdā offert, ſubinde ſacerdos eas ipſas immolat, altare ſanguine conſpergens, mox igne quicquid eſt adipis adolet in altari, poſt hæc admiſcet & preces, atque ita promittitur remiſsio peccatorum: ſic & in hac noua cæremonia panis & vinum à populo conſueuit offerri, ſubinde per ſacerdotem igne cœlitus miſſo quicquid eſt adipis, hoc eſt intima panis & vini ſubſtantia prorſus abſumitur, pane vinóque mutatis in ſacram Euchariſtiam. Sanguis verò ſeorſum à corpore repręſentatus, quid aliud quàm iugulationem quandam & immolationem inſinuat? Calix interea madet ſanguine Chriſti: quo tametſi non reſpergatur altare, non eſt dubium tamen, quin ab illo nonnihil ſanctitudinis accipiat. Admiſcentur demum & preces: atque ita virtute tam eximij ſacrificij vera promittitur peccatorum remiſſio.

Matth. 26.

Conferuntur noua veteribus.

Exodi 25.

Quis iam non perſpicit illas figuras huic veritati prorſus reſpondere, ac viciſsim veritatem iſtam vmbris & figuris illis? Nemo tamen ex hac comparatione credat cuiquam ad hoc ſacramentum accedere licere, quem non ante verè pœnituerit. Nam ſi cum ad ipſa vetera ſacrificia accedebant, confitebantur peccata ſua domino, quemadmodum Num. 5. iubentur: multo magis ad hoc ſacrificium acceſſuri tenentur ſe prius expurgare, & dignè præparare, cum ob hoc ipſum inſtitutum ſit abſolutionis ſacramentum. Non eſt ergo quod quiſquam ad Euchariſtiam accedere præſumat cum peccati mortalis conſcientia. Nam eiuſmodi peccata per ſacramentum abſolutionis expurgari pridem oportuit. Veruntamen hic delentur peccatorum reliquię, ſimul & peccata quorum inter confitendum nō eſt habita memoria. Neque ſacramentum iſtud, vt ſæpe diximus, eſt ſignum remiſsionis peccatorum, ſed vnionis eſt ſacramentum, & incorporationis Chriſto, non remiſsionis peccatorum. Aliud eſt enim pręſtare peccatorum remiſsionem, & ſacramentum eſſe talis remiſsionis.

Euchariſtia ſacramentum non ſumenti niſi pœnitens.

Qua-

Quædam quæ Lutherus falſo impingit illuſtriſsimo Regi, diluuntur.

CAP. IX.

I. IAm ſatis abunde confectum eſt, opinor, Miſſam non eſſe promiſſioné ſolá, neque totam ipſius Miſſæ virtutem in promiſſione remiſſionis peccatorum conſiſtere. Quamobrem & à veritate longe alienum eſt quod Lutherus comminatur, nempe quòd niſi Miſſam obtinuerimus eſſe promiſſionem ſeu teſtamentum (vt ipſe falſo iactitat verba clarè ſonare) totum Euangelium & vniuerſum ſolatium amittimus. Nam & integra nihilominus erit totius euangelij veritas. Sed neque ſolatij quicquam eſt quod Lutheranum commentum hominibus queat afferre, quod non iuxta communem totius Eccleſiæ ritum & fidem idque longe cumulatius quam pro Lutheri ſomniis exhibeatur.

Corpus Chriſti fieri per conſecrationem non probatur ex nudis euangelij verbis ſine pia interpretatione.

Addam & iſtud, quòd niſi ritus Eccleſiæ tot ſeculorum vſu, pariter & patrum aſſertionibus eſſet comprobatus, nec Lutherus neque alius quiſquã ex euangelij nudis verbis aduerſus proteruientem euinceret corporis Chriſti præſentiã in ſacramento fieri per cuiuſuis ſacerdotis conſecrationem. Et quantum damnum eſſet nobis hoc ſolatio priuari, aut in hæſitationem aliquam leuiculam huius rei venire? At in iſtam inciderimus hæſitationem haud dubie, ſi cum Luthero nihil patrũ interpretationi nihilq; conſuetudini cenſeremus deferendum. Veruntamen ex euangelij verbis vnà cum aſſertionibus patrum, atq; diuturna conſuetudine; præſertim in re tanti ponderis, nihil dubito quin euinceretur aduerſum omnes, in Miſſa verè carnem & ſanguinem Chriſti conſecrari, donarique fidelibus. Sed de iis rebus poſtea copioſius dicemus. Interea certum habeamus, nullum in toto euangelio verbum eſſe, quo Lutherus valeat aduerſus proteruientem firmare Miſſam eſſe promiſſionem, quod tamen ipſe toties & tam magnifice iactitat.

II. Age iam excutiamus & iſtud quàm non erubeſcat homo impudentiſſimus Regi & mendacium & contradictionem impingere, quòd is hoc loco fateatur ſeſe ad tædium vſque de teſtamentis & promiſſionibus à concionatoribus audiſſe, & tamen poſtea cũ de ſacramento ordinis loquatur, neget vllam in tota cœna dominica eſſe promiſſionem. At in hoc plane mendaciſſimus eſſe Lutherus deprehenditur ab eo qui verba Regis illic ſcripta velit perlegere. Sunt enim hæc verba regis: Legitur locus de cœna dominica, non reperietur apud vllum euangeliſtarum in ſuſceptione ſacramenti promiſſam gratiam. Legitur à Chriſto dictum, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quibus verbis ſignificauit ſemetipſum in cruce per paſſioné redempturum genus humanum. Sed cũ dixit ante: Hoc facite in meam commemorationem, nullá hoc facienti, id eſt ſacerdoti conſecranti, neq; Euchariſtiam recipienti, gratiam ibi promittit, nullam

Matt. 26.

peccatorum remiſſionem. Hactenus ipſe Rex. Quibus verbis palam eſt regem negare vel gratiã vel remiſſionem peccatorũ in miſſa promiſſam eſſe vel ei qui conſecrat, vel ei qui recipit Euchariſtiam. Et hoc ſanè veriſſimum eſt. Nõ negat tamen quin in ipſis verbis Miſſæ recenſeatur promiſſio remiſsionis peccatorum: quæ promiſsio, vt dicit, facta eſt propter effuſionem ſanguinis in cruce, & propter ipſam paſsionem, qua genus redemit humanum; non propter eſum ſacramẽti. Mendacium igitur eſt apertiſsimum, quòd rex negarit vllam eſſe promiſsionem in Miſſa.

Luth. falſo imponit regi contradictionem.

Sed & iſtud quoque nihilominus mendacium eſt, quòd rex ſibi ipſi contradixerit: cum nihil repugnet concedere, ſe ab aliis audiiſſe de teſtamẽtis & promiſsionibus iſtiuſmodi; negare, tamen quòd in miſſa fuerit vlla gratia ſeu peccatorum remiſsio vel conſecranti vel ſuſcipienti Euchariſtiam aperte promiſſa. Rex vbiq; ſecum conſtat, & pro his quæ docet, aut ſcripturas aut rationes affert efficaciſsimas, quas vel aure ſurda Lutherus pertranſit, vel mendaciis & cauillis eludere conatur, quemadmodum & in hoc (quod proximè ſequitur) manifeſtum eſt. Nam ait regem citra vllam probationem aſſeruiſſe fieri à ſacerdotibus non modo id quod Chriſtus in cœna, ſed quod in cruce fecit. quod eſt haud dubie mẽdacium apertiſsimum. Nam rex ad id comprobandum duas affert ſcripturas, vtranque ex Paulo.

Rex bina autoritate probauit id à ſacerdotibus fieri quod Chriſtus fecit.

Sed verba regis ſubiiciam. Si nobis (inquit) inſtet Lutherus, ſacerdotem offerre non poſſe, quia Chriſtus in cœna non obtulit: recordetur eorum quæ dixit ipſe, teſtamentum inuoluere teſtatoris mortem, nec antè vires & robur ſumere, & tota perfectione compleri, quàm eo moriente qui teſtatus eſt. Quamobrem non ſolum pertinent ad teſtamentum quæ prius fecit in cœna, ſed etiam oblatio eius in cruce. Nam in cruce conſummauit ſacrificium, quod inchoauit in cœna: eóque totius rei commemoratio, nempe conſecrationis in cœna, & oblationis in cruce, vno celebratur ac repræſentatur ſacramento Miſſæ; atque adeo verius mors repræſentatur quàm cœna: Apoſtolus enim cum Corinthiis ſcriberet, Quotieſcunque panem hunc comederitis, & calicem biberitis, adiecit, non, cœnã Domini, ſed mortem Domini annunciabitis. Hactenus ipſe Rex. III.

1. Cor. 11.

Roſſenſis.

In quibus verbis lector apertè vides regem teſtimonio Pauli communiiſſe quod dixerat, nimirum in miſſa verius mortem Chriſti repræſentari, quã dominicã cœnam. Annunciabitis (inquit) mortem Domini donec veniat. Quam ſcripturam & nos ante latius tractauimus.

Verba regis.

Sed audi iam alteram ſcripturam ex Luca, quã rex ad idipſum comprobandum produxit. Verba regis ſunt hęc: Negari non poteſt ſacerdotem in Miſſa bonũ opus facere: quippe qui non aliud facit in miſſa, quàm Chriſtus in cœna fecit & cruce. hoc enim declarant verba Chriſti, Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis quid aliud volebat vt in miſſa repræſentarent

Lucæ 22.

tatent ac facerent, quàm quod ipſe faciebat in cœna, & cruce? Hucuſque rex. Lutheri tamen tanta eſt improbitas, vt nihil pudeat aſſeruiſſe regem id dixiſſe ſolum, & non probaſſe, cum tamen pro vna te duo ſcripturarum teſtimonia Rex produxerit, vt iam oſtendimus.

Cauill. Lut. Audiſti mendacium lector, accipe nunc & „ cauillum quod illico ſubiecit. Dico (inquit) ego „ contrà, manifeſtum eſſe ſacerdotes in Miſſa id „ omittere quod Chriſtus in cœna fecit, & id face- „ re quod Iudæi fecerunt in cruce Chriſto. Nec „ dico hoc ſolum, ſed probo quoque. Nam qui „ verbum Dei peruerrit & extinguit, is verè cru- „ cifigit filium Dei: id quod faciunt omnes qui ex „ promiſſione opus faciunt, cum hoc verè ſit ve- „ ritatẽ Dei mutare in mendacium. Hæc Luthe- „ rus.

Confutatio. Ego certè neminem hactenus audiui, qui promiſſionem opus fecerit. Neq; ſi quiſquam id tutari vellet, quòd promiſſio fuerit opus: nõ video quomodo veritatẽ Dei commutet in mendaciũ. At vnum ſcio, quòd ſi peruertere & extinguere *Luth. Chriſtũ crucifigit* verbum Dei, ſit filiũ crucifigere, Lutherus Chriſtum ita crucifigit, vt nemo magis. Nam ipſe tam illud, Annunciabitis mortem domini, quàm illud, Facite in mei commemorationem, peruertere ſimul & extinguere conatur penitus.

IIII. Subinde non minus impudenter & ſacrum ipſius miſſæ canonem, tot ſeculis à patribus non minori eruditione quàm vitæ ſanctimonia præditis honorificè cultum, ipſe contemnit, ac pro nihilo ducit. Canonem (inquit) ego reieci & reiicio, quòd prorſus apertè contra euangelium vocat ſacrificia, quæ ſunt ſigna Dei promiſſionibus adiecta, nobis oblata, à nobis recipienda, nõ offerenda. Primum hic audis lector, quòd ſactũ reiicit canonem, quo nihil hactenus apud orthodoxos, exceptis euangeliis, antiquius habitũ eſt, Qui contẽptus (ſi nihil aliud eſſet) abunde monſtrat quale monſtrum & quã horrendũ ſit Lutherus. At cauſſam ſubdit, nẽpe quòd prorſus apertè contra euangelium vocat ſacrificia, quæ ſunt ſigna Dei promiſſionibus adiecta. Verũ iſtud apertiſſimũ eſt mendaciũ, quòd canon prorſus apertè contra euangeliũ ipſa Dei ſigna vocet ſacrificia. Proferat velim ipſum euangelij locũ, qui canoni tã apertè contradicat, id quod ſcio nunquã faciet. Nos autem abunde ſatis produximus, cur *Signa Dei vocantur ſacrificia.* verus agnus Chriſtus Ieſus, verè ſub illis panis & vini ſpeciebus in altari ſacrificetur. Et quid prohibet ſigna Dei vocari ſacrificia? Nã & in veteri lege quæ ſacrificia vocantur, fuerunt itẽ & Chriſti per ſuam paſſionem immolandi ſigna, ſimul & promiſſionibus adiecta, quẽadmodũ ſuperius *Species panis & vini vocantur ſacrificia.* oſtendimus. Quid mirum igitur ſi panis & vini ſpecies, quæ non modo ſigna ſunt carnis & ſanguinis ipſius agni iam olim in cruce pro nobis immolati, verumetiam eundem verè præſentem annunciant ob reficiendam eiuſdem immolationis memoriam, quid inquam mirum eſt, ſi eiuſmodi ſigna ſacrificia vocentur? quando nuſquã (quod tamen ob conſequendam veram vitam oportuit) agnus ille comeditur præterquam ex hoc ſacrificio. Geminum itaque mendacium, vt *Duplex Luth. mendacium.* ferè ſolet, Lutherus huc inuexit: alterum, quòd ſigna ipſa non debeant vocari ſacrificia: alterum, quòd affirmet id tam prorſus apertè facere contra Euangelium.

Quod verò ſubdit ideo ſigna hæc non eſſe offerenda, quòd nobis oblata ſint, & à nobis recipienda, quid ſtolidius dici poterit, cum nihil penitus habeamus offerendum, quod non à Deo prius accepimus? Sic enim Dauid Deo confitetur. 1. Paralipomenon. 29. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et Paulus identidem ait: Quid habes quod non ac- *1. Cor. 4.* cepiſti? Quare ſi nihil Deo ſit à nobis offerendũ, niſi quod non accepimus, nihil vnquam offeremus. Præcluditur enim ad hunc modum omnis oblatio penitus, id quod apertiſsimè ſcripturis contranititur, quippe quæ paſsim hortantur vt hoſtiam aliquam offeramus Deo. Quod ſi poſsit quidpiam quòd à Deo pridem accepimus, Deo rurſum offerri, quid vetat quo minus hunc immaculatum agnum, tam acceptabilẽ patri, quip- *Filius patri offerendus.* pe qui pro peccatis olim offerebatur, & ad noſtram vtilitatem à Deo nobis donatus ſit, quid inquam vetat quo minus eundem rurſus offeramus patri, ceu iuge quoddam ſacrificium, pro peccatis quæ quotidie facimus, quotidie redimendis? Nam etſi Chriſtus ſemel oblatus fuerit *Meritum oblationis applicatur bonis operibus.* pro peccatis omnibus abolendis, tamen oblationis illius meritum & fructus, non niſi mediis idoneis, peccatoribus omnibus applicatus. Alioqui nemo peccatorum fieret ſaluus, ſed cuncti damnarentur.

Quod ſi Lutherus dixerit ſufficere cuique ſuam fidem, neque ego refragor, vbi cætera defuerint. Verum vbi cætera queant obtineri, nec ta- *Sola fides non ſufficit cuilibet adulto.* men conquirendi ſufficiens adhibeatur diligentia, talem fidem ego minime ſuffecturã opinor, ſed protinus ipſa negligentia deformari. Nam alioqui fruſtra non modò baptiſmus, verumetiam abſolutionis ſacramentum & Euchariſtia quoque fuiſſent inſtituta. Per hæc ergo ſacramenta, paſsionis illius fructus peccatoribus communicantur. Nihil ergo prohibet quin ſub ſignis Chriſtus verus agnus offerri poſsit, cum hac hoſtia nulla altera potior, nulla ſanctior, nulla denique patri acceptior excogitari queat.

Hic multis conuiciis, multis inſaniis, multis VI. denique puerilibus ineptiis præteritis, ad illud *Luth mentitur omnia oblata fuiſſe incenſa.* ſolenne de ſacris literis mendacium venio, quo Lutherus contendit nullum in lege fuiſſe ſacrificium quod recipiebatur, & non penitus totum incendebatur. Mihi (inquit) ſatis. In lege quicquid offerebatur, totum incendebatur. Putat enim offerri nihil, quod non igne prorſus abſumebatur, cum ſcripturæ palam aſſerant, non modo populum obtuliſſe ſacerdotum manibus, verumetiam & ipſos ſacerdotes immolaſſe longè plura quàm incenderint. Sed de populo prius exemplum producamus. Leuit. 2. ſic ſcriptum eſt: Anima cum obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio. Iſtud omnino

do

de quouis offerente quantumuis laico debet intelligi. Porro ſacerdotis officium erat, ex tota ipſa oblatione memoriale quoddam decerpere, mox ignibus exurendum, vt ibidem traditur. Nã paulo poſt ſequitur, Ac deferet ad filios Aaron ſacerdotis: Quorum vnus tollet pugillum plenũ ſimilæ, & ponet memoriale ſuper altare &c. Ecce vides lector priuatum illum de populo prius ad ſacerdotis manum offerre, deinde ſacerdotem ipſum offerre denuo. Ruſum in eodem capite ſequitur apertius: Sin de craticula fuerit ſacrificium tuum, æquè ſimila conſpergetur oleo, quam offerens Domino trades in manibus ſacerdotis, oblatio dicitur, & oblatio Domino facta. Quam (inquit) offerens Domino, trades in manibus ſacerdotis. Et prominenter ſequitur de ſacerdote: Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper altare. Ecce vides lector quòd prius quam id quod pro memoriali deſumitur exurendum, totum illud pridem oblatum à laico dicitur oblatio: & denuo per ſacerdotem oblatum, vocatur ſacrificium.

Memoriale quid ſignificet.

Cæterum ne in verbo memoriale ſcrupulus habeatur, Moſes quinto Leuitici, quid per hoc velit intelligi, docet apertius. Nam poſtquam pauperi (qui non haberet quicquam viuum offerendum) ſimilam offerre iuſſiſſet, illico mandat vt ſacerdos plenum ex ea pugillum hauriens crem et ſuper altare in monumentum eius qui prius obtulerat: quodque reſiduum eſſet, ſacerdos in ſuam partem acciperet. Ecce vides id quod incenditur, in eius memoriale & monumentum fieri, qui prius obtulerat. Bis igitur oblatum fuit, ſemel per laicum, & denuo per ſacerdotem: tertio nonnihil ipſius oblati cremabatur. Sed & in eodem capite plenius aperitur non ſolum id offerri quod incenditur, ſed totum quod apportatur ad manus ſacerdotum. Nam iubetur ibi pauper, qui pecus non habeat, duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocauſtum. Offerebatur igitur vterque, ſed alter tantùm incendebatur. At in re nimis aperta nimis laboramus; verùm iſtud ideo facimus, vt nemini non dilucidum ſit quàm ſit impudens Lutheri mendacium.

VII. Et quanquam ex his quæ diximus, aliquouſque conſtet, etiam ſacrificium aliquod in lege fuiſſe quod recipiebatur, & non totum incendebatur, quemadmodum de altero turture aut altero pullo columbarum apertiſſimum eſt; non grauabimur tamen & alia ſuper hac re producere teſtimonia. Ego certè demiror hominem, qui tantam ſibi de ſacris biblijs peritiam arrogat, contrarium aſſerere tam impudenter, cum in biblijs occurrant eius rei tam frequenter exempla. Nam Leuit. x. legitur ita ſacerdotibus dictũ: Tollite ſacrificium quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſq; fermento iuxta altare, quia ſanctum ſanctorum eſt. Ecce quòd reliquũ fuit præter oblationem domini, hoc eſt præter id quod incendebatur, ſacrificium erat, quod & ſacerdotibus in cibum fuit. Et quãquam aliqua pars totius exurebatur in memoriale, nihilominus ipſum totum erat Deo verè ſacrificatum. Nam vbi quiſpiam è populo ſacerdotum manibus rem quamuis obtuliſſet, primum, ſi fuiſſet ipſa res inanimis, cuiuſmodi ſimila eſt, ſiue cruda, ſiue cocta, frixáve, mox eandem ſacerdos in ſacrificium offerebat, vt nuper diximus: atque ita demum portiuncula quadam eius ſacrificij in altari exuſta, quicquid reſiduum fuerat, ab ipſis edebatur ſacerdotibus. Sic enim apertè iuſſit Moſes Leui. 2. Quicquid (inquit) reliquũ eſt, erit Aaron & filiorum eius ſanctum ſanctorum de oblationibus Domini. Quòd ſi pecus offerendũ eſſet à populo aut à principe, aut à priuato quouis, poſteaquam ſacerdotum manibus id ſemel oblatum fuiſſet, tum ſacerdos idem pecus immolabat in altari ſanguinem eius effundens & eodem altaris baſim reſpergens, iamq; hoſtia & ſacrificium appellabatur. Poſtremò nonnullã eius partẽ ſacerdos exurebat in memoriam ipſius muneris, ſi vel pacificorum hoſtia fuiſſet, vel victima pro peccato. Quicquid autem reliquum erat, ſacerdotibus in eſum vertebatur. Is ordo Leuit. 3. 4. & 5. patet apertiſsimè. Quamobrem & Nume. 18. dominus ad Aaron dicit: Omnis oblatio, & ſacrificiũ, & quicquid pro peccato atq; delicto redditur mihi, atque cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. in ſanctuario comedes illud. Quid poteſt apertius dici? Propter quod & Moſes, vti Leuit. 10 traditur, iratus fuit aduerſus Eleazar & Ithamar filios Aaron, quòd hircũ oblatũ pro peccato non comediſſent, ſed exuſsiſſent penitus. Cur (inquit) non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto qui ſancta ſanctorum eſt? An nõ ex his verbis palam eſt idipſum quod edebatur, oblationem & ſacrificiũ fuiſſe? Sed & Exo. 29. Panes (inquit Dominus ad Moſen) qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Ecce ipſa receptio & comeſtio panum, ſacrificium illud effecit placabile, quo manus itẽ offerentium ſanctificabantur. Et Deutero. 18. ſcriptũ eſt: Non habebunt ſacerdotes, & leuitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partem & hæreditatem cum reliquo populo Iſrael, quia ſacrificia Domini & oblationes eius comedent. Falſum eſt igitur, quòd nullum in lege fuiſſet ſacrificium quod recipiebatur, & non totum penitus incendebatur.

Sacrificium non ſemper comburebatur.

Cæterum & ex euangelio probemus hoc ipſum. Chriſtus enim apud Matthæum cap. 12. vocat ſacerdotum opera, ſacrificiũ. An non legiſtis (inquit) in lege, quòd ſabbathis ſacerdotes in templo ſabbathũ prophanant, & crimine vacant? Et quomodo prophanant, niſi faciendis ſacrificiis? Nam & hanc eorum operã ſacrificium appellat, cũ ſubdit: Miſericordiam volo, & non ſacrificiũ. At ob hæc quę incendebantur, ſolius ignis opera ſuffecit citra ſacerdotum ſudores. Sacerdotum labor erat potiſsimũ in iugulandis & excoriandis

riandis pecoribus: quod opus adeo ſacrum fuit, vt nemini alteri prætetquam ſacerdoti liceret id facere. Quamobrem & palam eſt hoc opus à Chriſto vocatum ſacrificium. Mendaciſsimum igitur eſt quod Lutherus affirmat, nempe quòd in lege quicquid offerebatur Deo, totum incendebatur. Nec enim ſolum quod exurebatur, ſed & quod edebatur ab ipſis ſacerdotibus, erat verè ſacrificium: niſi quis malit cum Luthero ſcripturas omnes peruertere, quàm aſſentire veritati.

Satisfecimus igitur (opinor) quæſtioni Lutheranæ, qua tam arroganter quæſiuit, vbi reperiretur in lege ſacrificium quod recipiebatur, & non penitus totum incendebatur. Palam igitur ex his eſt nihil omnino repugnare, quòd Chriſti corpus & ſanguinem in miſſa vocemus ſacrificium. Et eadem identidem fateamur non ſolum antè nobis à Deo donata fuiſſe, verumetiam à nobis rurſus in cibũ eſſe recipienda. Sic enim in ipſis typis factum legimus, nimirum in veteri lege, res videlicet à Deo donatas, eidem rurſum immolatas, demum à ſacerdotibus in cibum ſumi. Ex his iam diſcat lector quanta ſit vel inſcitia vel impudentia Lutheri. Inſcitia primum, ſi tot ſcripturarum inſcius fuerit, quarum notitiam vni ſibi præ cæteris vendicat. Impudentia verò, ſi non ignorauerit, & tamen diſsimulet, imò neget eas nuſquam in lege repetiri poſſe.

Corpus Chriſti & ſanguis vocatur ſacrificium à nobiſ ſumendum.

Sed prolixiores quam oportuit in re nimis dilucida fuimus. Veruntamen ſi (quæ ſequuntur) meras amẽtias quibus Lutherus haud aliter quã furiis actus infernalibus debacchatur, perſequi velimus, nimio certe lectorem quemuis afficeremus tædio. Quamobrem illis dimiſsis, ad ea quæ ſunt maioris momenti tranſeamus.

Interpretationi quam de ſcripturis patres concorditer reliquerunt, fidem adhibendam eſſe.

Cap. X.

I. HAud multo poſt hæc Lutherus controuerſiam quandam agitat, an videlicet præter ſcripturas vlla traditionibus patrum habenda ſit fides. Quam ſane controuerſiam Rex haudquaquam (vti Lutherus fingit) ſed Lutherus ipſe callidè monit, quò regiis argumentis, quæ fuerant ob aliud inſtitutum in medium allata, poſſet abuti commodius. Nam vbi Lutherus duobus potiſsimum, hoc eſt verbo Chriſti pariter & exemplo probare contendit Miſſam eſſe promiſsionem, Rex vtrumq; pluribus rationibus atq; ſcripturis confutans, docet neque verbum vllum Chriſti, neque exemplum quoduis, ſolidam eius rei præſtare probationem. E quibus argumẽtis Lutherus quædam decerpſit, aliò contorquens quam Rex inſtituerat, vt facilè quiuis lector iudicabit. Cæterum quia Lutherus hanc controuerſiam introduxerat, ex eo iuſtiſsima nobis datur occaſio iam præſtandi quod ante pollicebamur, nimirũ oſtẽdendi, quòd intellectus Euangelij certius haberi poteſt ex interpretatione patrum, & vſu nobis ab eiſdem tradito, quàm ex nudis ipſius Euangelij verbis. Simulque patebit non poſſe ex ipſo Euangelio probari miſſam eſſe promiſsionem.

Euangelij ſenſus ex patrum interpretatione petendus eſt.

II. Sed prius illud aggrediamur & doceamus, quòd citra patrum interpretationem, & vſum nobis ab eiſdem traditum, nemo probabit ex ipſis nudis Euangelij verbis ſacerdotem quempiã his temporibus veram Chriſti carnem & ſanguinem conſecrare. Non quod res hęc iam ambigua ſit, ſed quòd eius certitudo non tam habeatur ex verbis Euangelij, quàm ex patrum (vt diximus) interpretatione, ſimul & vſu tanti temporis quem illi poſteris reliquerunt.

Principio ſi quis donauerit (quod tamen Wiclefus prorſus negat) Chriſtum in cœna verè corpus & ſanguinem ſuum ex pane vinoque cõfeciſſe, nequaquam ex hoc infertur, quòd vnuſquiſque ſacerdos ita ſimiliter panem in corpus, & vinum in ſanguinem permutabit. Nam Chriſtus pleraque feciſſe non dubitatur, quæ iam nemo quantumuis aut ſanctus aut ſapiens fuerit, queat efficere. Quamobrem, niſi fuerit in dictis verbis apertè promiſſum, quòd quiſquis ſiue laicus ſiue ſacerdos eandem rem tentauerit, idem effectus ſequetur, nulla nobis aderit huius negocij certitudo. Sed eiuſmodi nihil in Euangelijs, vt patebit, eſt promiſſum. Sic enim refert Matthæus: Accepit Ieſus panem: & cum egiſſet gratias, fregit ac dixit: Accipite, comedite; hoc eſt corpus meum. & accepto poculo gratiis actis dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus qui eſt noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hactenus Matthæus, qui & ſolus teſtamẽti noui meminit. Neque vllum hic verbum poſitum eſt quo probetur, in noſtra miſſa verã fieri carnis & ſanguinis Chriſti præſentiam. Nam & ſi Chriſtus ex pane carnem ſuam, & ex vino ſanguinem effecerit, non ob id conſequitur, virtute alicuius verbi hic poſiti nos quoties idipſum tentauerimus, idem effecturos.

Ioan Vicleff negat Chriſtum conſecraſſe in cœna.

Matth. 26.

Matthæus itaque nihil facit ad huius rei probationem, ac multo minus ad Lutheri commẽtum; quo contendit ipſe Miſſam eſſe teſtamentum nouum, vti ſæpe diximus. Neque enim ſcripſit Matthæus: Hic ſanguis eſt teſtamentum nouum, ſed hic eſt ſanguis teſtamenti noui.

Marcus item nihil confert, qui de remiſſione peccatorum nec verbum quidem faciens, in cæteris ferme conſentit Matthæo. Quamobrem nec ille aut huic inſtituto aut Lutheri figmento conducit quicquã. Sed Lucas (inquit) & Paulus rem ſatis aperiunt. Iſtud iam excutiamus. Primũ, hi nil omnino de remiſſione peccatorũ loquuntur. Quare & dilucidum eſt, quantum ad promiſſam remiſſionem peccatorum attinet, nihil eos iuuare Lutherum. Quamobrem & clariſſimum eſt, non poſſe Lutherum ex toto Euangelio probare Miſſam eſſe promiſſionem remiſſionis peccatorum. Sed dicet Ex Luca pariter & ex Paulo manifeſtè colligitur, ſacerdotes ex pane ſimul

Marc. 14.

Anthypophora

Luca 22.

1. Cor. 11.

&

& vino carnem ac ſanguinem Chriſti conficere. Nam vterqoe narrat dixiſſe Chriſtum, Hoc facite in mei memoriam. At iſtud apud eum, qoi nihil præter ſcripturas admittit, neutiquam probabit inſtitutũ. Nam vt largiamur Chriſtum Apoſtolis dixiſſe, non propterea conſequitor quòd omnibus eorum poſteris eandem tradiderit poteſtatem. Nam & illis data fuit poteſtas eiiciendi dæmones, morbóſqoe curandi, quæ iam in illorum vicarios haudquaquam competit.

Matth. 10. Marc. 3. 2.

III. Adde, quòd in Euangelio nonnulla leguntur Apoſtolis dicta, quæ non conueniant omnibos; cuiuſmodi & iſtud eſt: In viam gentium ne abieritis. Quoniam igitur illud nuſquam in toto legatur Euangelio promiſſum, iam planè deeſt quo probemus, quicquid in cœna dictum erat Apoſtolis, id etiam cunctis eorum poſteris fuiſſe dictum. Quòd ſi nequeat hoc de vicariis Apoſtolorum comprobari, multo minus id de quouis alio Chriſtiano conoiici poſsit, cum & Apoſtolis & eorum vicariis multa fuerant tradita, quæ non ad omnes pertineant Chriſtianos. Non poteſt igitor per vllam ſcripturam probari, quòd aut laicus aut ſacerdos quoties id negotij tentauerit, pari modo conficiet ex pane vinoque Chriſti corpus & ſanguinem, atque Chriſtus ipſe confecit, cum nec illud in ſcripturis contineatur.

Matth. 10.

Conſecrationis fides ex priſcorum pendet traditione.

Ex iis (opinor) nemo non intelligit, huius rei certitudinem, non tam ex Euangelio pendêre, quàm ex vſu & conſuetudine quæ per tot ſecula nobis ab ipſis primis patribus commendata eſt. Sic enim ipſi, docente ſpiritu ſancto, viſum fuit hanc Euangelij partem nobis interpretari. Sicque ſuis temporibus vtendam arbitrati ſunt: vt iam quiſquis aut alium ſenſum aut vſum velit introducere, is omnino repugnabit ſpiritui ſancto, cuius inſtinctu priores patres hunc ritom & cæremoniam in Euchariſtiæ conſecratione tradideront. Nam perſuaſiſsimum eſſe poteſt ei qui non ignorat euangelium, ſpiritum ſanctum (qui datus eſt Eccleſię perpetous inſtructor) nunqoam in re tanti ponderis fuiſſe paſſum ipſam errare tanto & tam prolixo temporum ſucceſſu.

IIII.

Magis fidendum eſt conſuetudini probatæ quam nudis euangelij verbis.

Cæterum vt confirmetur illud quod diximus, nempè maiorem habendam eſſe fidem vſui diuturno, quem à primis ipſis patribus Eccleſia certò traditom confidit, quàm nodis ipſius Euangelij verbis, adiiciam exemplum aliud. In verbis Euangelij quæ ſupra recenſuimus, duo ſunt dumtaxat nempe factum Chriſti, & mandatum de ſic faciendo. Ego verò iam alia verba Chriſti producam, in quibus pręter factum & mandatum adiicitur & tertium, nempe promiſſio, nec tamen his diebus vllus ex eis effectus ſequitur. Proferam inquam ex Euangelio quiddam, quod olim Chriſtus ipſe fecit, quemadmodom illod conſecrationis opus Euangeliſtæ referunt feciſſe Chriſtũ. Deinde quòd & idẽ opus Apoſtolis iobebat facere, quemadmodum & Lucas & Paulus illic docent mandaſſe Chriſtum vt ita facerent. Denique præter hæc in eiſdem verbis oſteodam promiſiſſe Chriſtum, vt effectus ex conamine futurorum Chriſtianorum palam ſequeretor. Id qood in cœnæ dominicę verbis nuſquam ſcribitur CHRISTVM fuiſſe pollicitum. Et quanquam hæc omnia tradita ſint in Euangelio, & vnius effectus gratia, nunquàm tamen his diebus aut quàm rariſsimè talis euenit effectus. At video præſtolaris lector quidnam exempli ſim producturus. Accipe quid id ſit. docent Euangelia Chriſtum eieciſſe dæmones, illominaſſe cæcos, ægrotos ſanaſſe. Ecce factum. Apoſtolis inſuper mandaſſe, qoatenus ipſi facerent eadem opera. Sic enim Lucas ſcribit: Conuocatis autem Ieſus duodecim, dedit illis poteſtatem & authoritatem ſoper omnia dæmonia, & vt morbos ſanarent. Ecce iuſſum. Iubetur enim Apoſtolis vt ſimilia faciant. Datur enim eis poteſtas eadem faciendi qoæ fecit Chriſtus. Sed aduerte ſimul & tertium, promiſſionẽ videlicet factam effectus ſecuturi, atque coactis qui credituri eſſent in CHRISTVM. Signa, inquit Chriſtus apud Marcum, eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. ſuper ægros manus imponent, & bene habebũt. Ecce tertium, promiſſionem videlicet, quam certè nullom his diebus effectum ſortiri dilucidè cernimus. Nemo enim eſt qoi iam aut dæmones corporaliter eiicit, aut ſanat morbos: & tamen ambigimus minime quin hodie plurimi ſint qui fidem habeant. Quod ſi nullus iam effectus ex hac promiſſione ſequator, vbi tam factum quàm iuſſum Chriſti præceſſit, qoam certitudinem habebimus ex illis verbis in quibus non certo promiſerit ſucceſſuris ſacerdotibus conſecrandi poteſtatem?

Miracula Chriſtus fecit, quæ & apoſtolis facienda commiſit, cum certitudine effectus.

Luca 10. 1. Cor. 11.

Luca 9.

Marc. 16.

Sed dicet forte quiſpiam: Inanis igitor erit promiſſio Chriſti? nequaquam. Non enim voluit Chriſtus promiſsionem hanc efficaciam habere perpetuam, ſed pro tempore naſcentis & adoleſcentis Eccleſiæ. Quod tamen ex ipſis Euãgeliis haudquaqoam didicimus, ſed ex vſu interpretatione patrũ duntaxat. Communiter enim in ipſis Eccleſiæ primordiis à verè credentibus hæc facta ſunt ad corroborandam Euangelij fidem. At poſtquam fuerat euangelica doctrinà per totum orbem vſquequaque diffuſa, nihil deinceps opus fuit eiuſmodi miraculis. Veruntamen ſi nudam Euangelij lectionem ſequeremur, certum haberemus hodie neminem verè credere, niſi qoi poſsit ea ipſa ſigna facere, hoc eſt & eiicere dæmones, & ſanare morbos, cum Chriſtus tam apertè ſit pollicitus, quod eos qui crediturі forent, hæc ſigna ſubſequerentur: hoc eſt, vt per eius nomen dæmones eiicerent, morboſque ſanarent.

Promiſſio miraculorũ opportunè impleta eſt.

Non ſemper miraculis opus eſt.

Quis itaqoe non ex iis iam planè perſpicit, maiorem vſui & interpretationi ſcripturarũ nobis concorditer ab ipſis patribus relictæ, quã nudis ipſius Euangelij verbis adhibendam fidem?

Concluſio.

Cæterom qoid hic Lotherus forte cauilletur, nunc præuideamus. Fortaſſe dicet & hodie

pro

Tempora noſtra non carent miraculis ob fidei defectum.

promiſsionem iſtam effectum ſortituram, ſi non defuerit fides. At velim iſtud dicat explicatius. Nam deeſſe fidem, triphariam intelligi poteſt. aut pro ipſa fidei ſubſtantia, hoc eſt, cum nulla penitus fides in mundo fuerit: aut pro fidei magnitudine, hoc eſt, quòd non ſit tanta fides in quouis homine, quanta ſufficiat ad agenda miracula, & quantam habuerant illi priſci. aut denique pro qualitate fidei, quòd ſcilicet ob inopiam & defectum fidei viuæ & formatæ res non ſuccedat. Non eſt, opinor, dicturus primum, niſi prorſus inſaniat, quando palam eſt multos credere confiterique Chriſtum. Neque ſecundum affirmari poteſt, cum non ſit credibile, quin hodie tanta ſit fides in vno aliquo totius Eccleſiæ membro, quanta fuerat tunc in ſingulis. Nam ſingulo cuique credituro promiſſum erat, quod eum illa ſigna ſequerentur. Neque tertium dici poterit, niſi quiſquam aſſerere velit Chriſtum fruſtra fuiſſe mortuum, cum ob id ille mortem obierit, vt nos fide viueremus.

Cæterum quouiſcunque modo fidem acceperit Lutherus, ſi nequeat ipſe miracula nobis edere, ſuopte iudicio confitetur ſibi deeſſe fidem, de qua tamen alioqui toties iactitat ſe certiſsimũ eſſe quòd eam habeat. Quod ſi Lutherus ipſe tanta fide careat, nihil tamen ambigo quin iu tota prorſus Eccleſia quiſquam fuerit, cuius fides æque vera, viua grataq; ſit Deo, atque fuetat aliquorum fides, qui pridem eiuſmodi miracula patrauerant. Nam ad eiectiouem dæmonũ ſufficiebat olim fides non formata, quemadmodum ex euangeliis aperte conſtat. Multi, inquit Chriſtus, dicent mihi iu illa die, Domine domine nonne iu nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Ecce fides horum haudquaquam viua grataque fuit, & tamen eiecerunt dæmonia, compluresque alias virtutes patrarunt. Quicquid igitur Lutherus dixerit, idem periculum eueniet, ne quis iam ex pane vinoque carnem & ſanguinem Chriſti conficiat, ſicut ne dæmones eiiciamus, quandoquidem & illud opus magis arduum ſit, nimirum ex pane Chriſtum facere, quàm eiicere dæmonem. Quãobrem cum illa verba quibus in re minoris momenti Chriſtus adeo dilucidè promiſerit effectũ ſubſecuturum, iam fruſtrari videamus, nec effectum ſortiris, multo magis in re maioris ponderis, & vbi nulla promiſsio facta ſit, metus eſſe poteſt, vt ob defectum fidei non eueniat, quod iubebatur duntaxat, non item promittebatur.

Ad miraculorum operationem non requiritur fides formata.

Colligit nihil certum ex verbis Euangelij de conſecratione colligi.

VI.

Hic nonnulli refutantes patrum interpretationes, blaſphemant Euangelia eſſe nudas fabulas.

Hæc iccirco dixerim, ne quis nudis ipſius Euangelij verbis pertinacius adhęreat, ſpreta patrum interpretatione, quemadmodum Lutherus facit, vſum & interpretationem à patribus Eccleſiæ traditam nihili pendens, & nuditati verborum inſiſtens, quæ non ſufficiunt ad id quod velit conuincendum. Nam vſus quem patres vnanimiter approbarunt, plerumque multo certius doret quid ſit amplectendum, quam ipſa Euangelij verba, quemadmodum in ipſis opinor exemplis per nos ante productis abundè patuit. Nam ex priori exemplo dilucidum fuit conuinci minime poſſe, quòd vel apoſtolorum ſucceſſores, vel ſinguli Chriſtiani, vel ſoli demũ ſacerdotes conficere queant Euchariſtiam, & ex pane vinoque corpus & ſanguinem Chriſti conſecrare. Nuuquam enim hoc Wiclefus ex illis verbis admiſiſſet, neque alius quiſquam qui velit nudę literæ contentioſius inhærere.

Sed neque ex poſteriori exemplo quis effugiet, qui nudum verborum ſenſum amplectitur, quin aut concedat neminem his temporibus parem cuiuis illorum qui fuerant in primitiua Eccleſia fidem habere, aut plane iam eſſe fruſtratam Chriſti promiſſionem.

At pręcipuè Lutherus id ſubterfugere nequit, cum is tam apertè neget quicquam vel à Paulo, vel ab euangeliſtis traditum, quod non ex æquo pertineat ad omnes Chriſtianos. Quod ſi verum ſit, tum ad nos qui iam hac tempeſtate ſumus, æquè ſpectabit ipſa Chriſti promiſſio de miraculis faciendis, atque ad illos qui primi fuerant in Eccleſia. Quamobrem cum nemo ſuę fidei iam eiuſmodi fructum experiatur vel in ſe, vel in quouis alio, palam eſt aut iam non vigere promiſſionem illam Chriſti, aut ſi vigeat, non extare nunc in vllo homine tantam fidem, quanta paſsim in ſingulis olim fuerat Chriſtianis: quod neutiquam eſt credibile.

Manifeſtum eſt igitur id quod ante polliciti ſumus oſtendere, nempe quod diuturnus vſus, & concors patrum interpretatio, nemine diſsidente, ſolidiorem præbent certitudinem, quem in modum intelligi debeat obſcurus quiuis Euangelij locus, quam ipſa nuda verba, quæ variè poſſunt à contentioſis pro ſuo cuiuſque placito detorqueri. Neque enim dubito quicquam, quin is qui ſtudia conſiliaque patrum adeo fulciuit ne lapſi fallerentur in diſcernendis veris Euangeliis, ab iis quæ fuerant commentitia: eoſdem etiam illuſtrauerit, ne totam Eccleſiam per eorundem Euangeliorum vſum & interpretationem in tam impios errores abducerent. Nam quid profuiſſet Eccleſiæ, verum Euangelium à commentitio diſcreuiſſe, niſi pariter & ipſius veri Euangelij verus intellectus nobis innotuiſſet? Quamobrem vt euangeliis patrum vnanimi cõſenſu receptis indubitatam fidem adhibuimus, ita par eſt vt vſui & interpretationi per eoſdem Eccleſiæ concorditer exhibitis, credamus inhæſitanter. Neque minor certitudo nobis eſſe debet quòd recta ſit ipſa Euangelij interpretatio, quæ per patres (nemine diſſentiente) nobis tradita eſt, quàm quòd ipſum euangelium per eoſdem nobis exhibitum, pro vero ſit habendum Euangelio. Nam & idem vtrobique ſpiritus, illorum animis vtriuſque ſuggeſsit veritatem, hoc eſt tam Euangelij, quàm vſus & interpretationis eiuſdem. Errare quidem poteſt vnus aut alter patrum, non diffiteor, homines enim ſunt: ſed vt omnes ſimul aberrent, atque adeo turpiter hallucinentur in his quę ſunt fidei, neque benignitas ſpiritus, qui perpetuus Eccleſię cuſtos da-

VII.

Spiritus ſanctus inſtruxit Euangelia recepta ſunt & interpretata.

Eccleſia non errat circa fidem.

tus

tus eſt, neque verax Chriſti promiſsio de fide nunquam defectura, per tot annorum centenarios paſſa fuiſſet. Quamobrem vt per Eccleſiam & Eccleſiæ patres certò nobis innotuit quodnā ſit verum, quódve ſit fictum Euangelium, ita per eoſdem haud minus innoteſcet, qui ſit verus vſus, veráque Euangelij interpretatio: cum eiſdem inſtrumentis, hoc eſt patrum linguis ſpiritus ille ſacer tam in Euangeliorum diſcrimine quàm in ſenſuum interpretatione fuiſſet vſus. Ego ſanè cum Auguſtino liberè clamo, me nec Euangelio ſcrediturum, niſi quòd Eccleſiæ, patribuſque credam. Sed neque aut his aut illi fidem haberem, ſi non certo ſiderem & hos & illam à ſpiritu gubernari. Spiritus vtique ſic Eccleſiam gubernat, vt eam prorſus vniuerſam in rebus fidei neceſſariis non ſinat errori diuturno ſubiacere. At Eccleſiam ſpiritus ipſe non inſtruit niſi per linguas patrum. Quamobrem cum ab his edocta ſit quodnam præ cæteris euangelium amplecti debeat, ab eiſdem identidem & eiuſdem interpretationem omnino conuenit obtemperanter accipere.

Diiudicationem dogmatum ad patres potius quàm ad plebem ſpectare.

CAP. XI.

SVpereſt adhuc in loco quidam error conuellendus, de quo Lutherus haud mediocriter gloriatur, nempe quòd ad plebem ſpectat de dogmatibus iudicare. Sic enim ait: De doctrina (inquit) cognoſcere & iudicare pertinet ad omnes & ſingulos Chriſtianos: & ita pertinet, vt anathema ſit qui hoc ius vno pilo læſerit. Ecce quàm captet & aſſentetur plebi. Plebeio certè fauori, quem ſtultum iudicem nemo vnquam ſapiens non planè cenſuit, Lutherus totus innititur. Animaduertit enim callidus veterator plebem ſuis peſtiferis opinionibus applaudere, atque ideo iudicium plebis tanquam oraculum quoddam ſolidiſsimū extollit, & ſacris ipſis literis fulcire conatur. Sed de populari fauore ſatis appoſitè dixit Seneca: Malis artibus fauor popularis quæritur. Et certè peſsimis artibus Lutherus populum ſibi conciliauit, cum ſolam fidem ſufficere doceat, nec ſatisfactionem pro ſceleribus quantumuis enormibus exigat, ſed abſolutione ſimplici (modo firmiter ei credatur) non ſolū culpam, verumetiā pœnam omnem deleri, tam impudenter quā etiam pernicioſè cōtendit. Et cuius animum, quanquam alloqui rectè ſapientem, hæc tanta flagitiorum impunitas, & in omne vitium licentia permiſſa non facilè peruertat, alliciatque ad ſequelam? Ac maximè plebeiorum animos qui leues & inconſtantes ſemper eſſe conſueuerunt, atque ad deteriora paratiſsimi. Quale fuerit iudicium populare, ſatis conſtat ex Ethnicorum hiſtoriis. Neque enim Camillus aut Scipiones à Romanis, neque Lycurgus à Lacedæmoniis, neque ab Athenienſibus Solon tantā iniuriam fuiſſent paſsi, ſi iudicio integro & incorrupto fuiſſent eorum ciues. Nec de Ethnicis tantum loquor,

Exempla Ethnicorum.

verumetiam & de populo Dei, quem & Deus ipſe peculiarem ſibi fecerat. An non legimus Hebræorum populum, poſteaquam eductus fuerat à miſera qua apud Pharaonem detinebantur ſeruitute, poſt tot portenta pro eis oſtenſa, poſt tot exhibita eiſdem beneficia, nihilominus ad idololatriam declinaſſe, atque Deo vero poſthabito vitulū adoraſſe conflatilem? Hoc ſcilicet egregium & præclarum eorum iudicium fuit, quòd ſpreto vero Deo, qui tot prodigiis eos ab Ægyptiaca ſeruitute liberauerat, fictitium vitulum, Deum ſuū arbitrati ſint. Sed veniamus ad noſtra. Num idem populus qui Chriſti ſermonibus pariter & miraculis allectus credidit, omnibus honoribus illum dignū arbitratus, intra vnius hebdomadæ ſpatiū ſic ab eo fuerat alienatus, vt tollendum & affigendum cruci pluſquam inſana rabie conclamauerit? Paulum item & Barnabā cū eſſent Lycaoniæ (quod in actis refertur) populus auditis eorum ſermonibus & viſis miraculis tanto in precio habuerūt, vt vix compeſci valuerint, quin illis tanquam diis immolarent: cæterum ſequenti die ſic immutati fuerant, vt Paulum lapidibus obrutum, velut mortuū reliquerunt. Sed & Chriſtianum populum quis ignorat per hæreticorum dogmata ſæpenumerò deluſum, & à tramite veritatis abductum fuiſſe? An non Donatiſtæ gloriati ſunt multo maiorem populi partē ſibi quàm orthodoxis aſſenſum præbuiſſe? Et quoties quæſo vel ſola populi multitudine Arriani contra orthodoxos præualuerint? Tanta certe fuit inconſtantia iudicij popularis, vt nunc vera fidei dogmata, nunc apertiſſimas hæreſes approbarent. Quæ res apertior eſt, quàm vt negari queat. Nam Athanaſius dum viueret, totum Alexandrinenſem populum aduerſus Arrij dogmata ſibi coniunctiſſimū habuit, quibus & moriturus Petrum virum orthodoxum, & pro fide catholica plurima perpeſſum, ceu futurum Epiſcopum obnixius commendauit. Illi tamen (tanta fuerat eorum inconſtantia) Lucium quendam Arrianæ partis Epiſcopum admiſerunt: id quod neutiquam feciſſent, ſi recto fuiſſent ſinceróque iudicio. Sed eiuſmodi multa comperiet quiſquis illorum temporum percurret hiſtorias. Nunquā certe vel Arrij, vel Aetij, aut Eunomij veſania, Sabellij, Photini, Pauli Samoſateni, aut denique Macedonij venenum à Chriſtianis receptum fuiſſet, ſi non defuiſſet eis iudicij integritas.

Exempla legis veteris. Exod. 32.

Exemplā Euangelij. Matt. 21. 27.

Act. 14.

Exempla à populo Chriſtiano.

Sed & quomodo fieri potuit vt tam ſubtilia dogmata diſcerneret populus, quæ vix ab illis qui plurimum eſſent in ſcripturis exercitati, diiudicari valuiſſent? Perfectorum enim eſt cibo ſolido veſci, cuiuſmodi ſunt, vt ait Paulus, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni pariter & mali. Quibus verbis plane manifeſtat Paulus, non ad plebem ſuper dogmatibus iudicium attinere, vt diſcernant quæ ſana ſint, & quæ peſtifera dogmata. Paucorum ſemper & perfectorum (hoc eſt ſpiritualium) id erat officij, potius quàm multitudinis, quæ lacte magis alenda eſt, quàm ſolido cibo, quemadmodum & Paulus eodem teſta-

Iudicium de dogmatibus non eſt plebi deferendum.

Hebr. 5. teſtatur loco. Facti (inquit) eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Neque enim qui credunt cuncti ſunt vſque adeo ſpiritales, vt de fidei dogmatibus ilico iudicare queant. Nam Paulus tametſi Corinthios laudaſſet velut in omnibus *1. Cor. 1.* diuites effectos, in omni verbo & in omni ſcientia, ita vt nihil eis defuiſſet in vlla gratia, mox tamen eos velut carnales arguit, & quibus lacte *1. Cor 3.* ſit opus. Ego (inquit) fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. Ecce quos Paulus ante prædicauit vſq; adeo ditatos, vt nihil eis deeſſet in vlla gratia, iam carnales vocat, negátque adhuc veſci poſſe cibo ſolido.

Verum iſtud prorſus non de eiſdem accipiendum eſt. Erant enim in eo populo ſpirituales aliquot, apud quos Paulus & ipſe quoque ſpiritualis tanquam ad perfectos Dei ſapientiam in myſterio loquitur, quæ recondita quidem eſt.

Erant præterea carnales quidam & craſſi, & hi longe plures quàm qui perfecti ſpiritualéſque fuerunt.

De ſpiritualibus igitur & perfectis intelligit Paulus cum dicit, quòd ſpiritualis omnia diiudicat.

1. Cor. 2. De carnalibus autem & imperfectis ait: Animalis homo nõ percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, neque poteſt cognoſcere quòd ſpiritualiter ea diiudicantur.

Palam igitur ex his eſt, cum ſit carnalium & craſſorum numerus longe maior quàm ſpiritualium & perfectorum, non ad multitudinem pertinere iudicium de dogmatibus quæ ſpiritualiter fieri debent, & à ſpiritualibus, vtpote qui per longam aſſuefactionem (vt Paulus ait) exer- *Hebr. 5.* citatos habent ſenſus in ſcripturis ad diſcretionem boni pariter atque mali.

Adde quòd nec Lutherus ipſe tantum tribuiſſet multitudinis iudicio, niſi quòd in rem ſuam id plurimum facere ſibi perſuaſerit. Nam & alibi contemnit multitudinis iudicium. In captiuitate namque Babylonica dicit: Quid mihi cum multitudine & magnitudine errantium? Fortior omnium eſt veritas. Ecce hic ſoli confiſus ei (quam opinatur) veritati, pro nihilo ducit quòd multitudo ſibi aduerſetur. Sed dicet de multitudine errantium hic ſe fuiſſe locutum, non de ſuo grege, quem neutiquam errare contendit. Sed quomodo iſtud probat? Non aliter certè quàm Arrius & ſequaces ſui probant ſeipſos errore vacare. Afferunt enim ſcripturas, ſed quas ipſi pro ſuo ſenſu perperam interpretantur. Si tali- *Lutherus per vim contorquet ſcripturas.* bus ſcripturis per vim cõtorſiis fides adhibenda ſit, iam Lutherus recte docet non errare Lutheranos. Sed tolle ſcripturas, quas ita prauè contorſit, & quid aliud erit Lutherus quàm peſtilentiſsimus hæreſiarcha, Et quid grex Lutheranus, quàm populus à recto veritatis tramite ſeductus, & actus in præcipitium? Cæterùm in hac re Lutherus nihil à ſuis progenitoribus de- *Hæretici aliquando commendant multitudinë, & quandoque damnãt.* generat. Refert enim Socrates in hiſtoria tripartita, quòd cum optimi principis Theodoſij ſtudio pax fuiſſet Eccleſiæ reddita, & Nouatiani relictis erroribus ad Eccleſiæ gremiũ rediſſent, maximáque pars Arrianorum, Eunomianorum, atque Macedonianorum ab hæreſibus ſuis reſipuiſſet, paucis exceptis Epiſcopis, qui plane cõtumaciter in ſua veſania perſtiterunt: hi quamquam antea de multitudine ſui ſequacium gloriati fuiſſent, tunc tamen ab ipſis derelicti, mutuo ſe conſolabantur, illud Chriſti recenſentes, Multos quidem eſſe vocatos, paucos autem ele- *Matt. 22.* ctos. Sed operæprecium erit eiuſdem hiſtoriæ verba ſubſcribere. Sic enim illic habetur: Ad- *lib. 9 ca 19* miratus princeps, eorum (hoc eſt Nouatianorum) concordiam circa fidem, lege præcepit vt propria oratoria tenerent, & priuilegia ſuæ Eccleſiæ atque fidei poſsiderent. Verum aliarum religionum Antiſtites propter diſcordiam ſuam in repræhenſionem ſui populi venientes æſtuabant, triſtitiáque confuſi diſcedebant, & literis conſolabantur alteri alteros, vt non cruciarentur quòd plurimi deficientes ad fidem τοῦ ὁμοουσίου accederent, dicentes, Multos quidem vocatos, paucos autem electos.

Quod certè tum non dicebant, cum multum populum per poteſtatem ſibiipſis aggregarent. Hactenus ex hiſtoria. Ex quibus verbis apertè liquet Arrianorum Epiſcopos nunc quidẽ laudaſſe, nunc verò damnaſſe multitudinis iudicium.

Ad quem modum, & Lutherus nunc facit. Quando libet, & quoties in rem ſuam id faciat, multitudinis iudicium approbat: & rurſus quando non libet, eorum iudicium contemnit & damnat. Sed vt ad rem veniamus.

Si iudicio populi ſtandum fuerit, cur populo 111.
Non eſt ſtandum iudicio populi. non æquè credimus dum Arrij, Eunomij aut Macedonij dogmatibus acclamat, atque dum veram orthodoxorum patrum approbat doctrinam?

Neminem enim reor vſque adeo deſipere, vt tum cum hæreticis populus applaudat, hunc rectum habere iudicium aſſerat: & contrà cum faueat orthodoxis, iniquum.

Quamobrem cum exploratiſsimum habeamus eundem populum nunc pro orthodoxis, nunc pro Arrianis, nunc pro Macedonianis, nunc pro aliis hæreſum authoribus iudicaſſe, quis vnquam ſapiens populi iudicio ſtandum eſſe decernet, & maximè, cum nulla dari queat ratio, cur vno tempore fides illius calculo, magis quàm altero firmiter adhibebitur.

Præterea libet hic à Luthero ſciſcitari quid ſibi velit per iudicium intelligi, cum dicat populum habere ius iudicandi.

Si ius intelligat aſſentiendi verbo Dei, nihil refragor.

Populus enim eiuſmodi ius habet, vt credat & aſſentiat.

Sin dixerit eos item ius habere diſſentiendi ſi *Non licet diſſentire à recte docentibus.* velint, falſum id eſt, quandoquidem ſic aſſentire teneantur, vt diſſentire non liceat.

Nam

Lucæ 1. Nam & Zacharias ob id mutus effectus eſt, quòd verbo Dei per angelum prolato non protinus aſſenſerit. *Pſalm 17.* Et gentes in hoc laudantur, quòd in auditu auris obedierint. Sed & Chriſtus in Euangelio dicit: *Matt. 23.* Super cathedram Moſi ſederunt ſcribæ & pharisæi. omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite. Neque magis plebi Chriſtianæ iam diſſentire licet his qui docendi cathedram in Eccleſia Chriſti legitimè ſuſceperunt, quandiu nullâ hæreſeos aut falſi dogmatis laborent ſuſpicione, ſed omnino neceſſe eſt vt his præſidibus ita ritè vocatis fidem indubitatam adhibeant. *Non licet diſſentire à rectè docentibus.* Alioqui quot hæſitationes, quantas turbas, quantáſque confuſiones eam rem excitaturam quis non videt? Non de his loquor qui ſeipſos ingerunt non legitimè vocatos, aut qui manifeſte contraria docent, & ſcripturas interpretantur contra ſenſum antiquorum patrum. Nam de his intelligi poteſt quod Ezechiel ait: *Ezechiel. 13.* Væ prophetis inſipientibus; qui ſpiritum ſequuntur ſuum. Et quod apud Heremiam dicitur: *Hiere. 27* Non miſi eos (ait dominus) & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter. Nemini dubium ſit, eos qui huiuſmodi ſunt, falſos eſſe prophetas, hoc eſt qui ſeſe ad concionandum populo non legitimè vocati ingerunt, quique manifeſtè contraria docent his quæ nobis vnanimiter ab orthodoxis patribus ſunt tradita. Nec eſt quod obiiciant nobis, Multa ab eis fuiſſe dicta, quæ in ſcripturis nequaquam continentur. Nam & hoc Arriani pridem orthodoxis obiecerunt, nempe quòd conſubſtantialitatis vocabulum non erat in tota ſcriptura ſacra repertum. At hi pro ſua defenſione ſatis habuerunt, vti refert Athanaſius apud hiſtoriam tripartitam capite ſeptimo, quòd priores orthodoxi qui ſe præceſſerant, idem vocabulum vſurpaſſent. Vbi & videre licet callidiſſimas Arrianorum interpretationes de ſcripturis factas, quas à captu & iudicio populi tantum abfuiſſe conſtat, vt niſi ab oculatiſſimis & perſpicaciſſimis ingenijs vix potuiſſent deprehendi. *Orthodoxi vtuntur verbalis quæ ab antiquis olim reperta ſunt.*

IIII. Cæterum videamus quid in vtroque teſtamento patres fecerint, an ad iudicium de dogmatibus acceſſierint plebem, nec ne. Certum eſt apud Iſraeliticam gentem fuiſſe ſeptuaginta ſeniores, quibus quoties aliquid ambiguitatis emergeret, fides adhibebatur: nec licebat cuiquã illis nõ obtemperare. *Septuaginta ſenioribus reſeruabatur dubiorum determinatio.* His, vt Numerorũ. 11. traditur, impertitũ fuit de ſpiritu qui in Moſe fuerat, quatenus in dubiis omnibus diiudicandis eſſent perſpicaciores. His & Deus effigiem quandam ſui Exodi. 24. luculenter oſtendit, id quod non fecit vniuerſo populo, vt in Hebræo codice manifeſtius habetur: quod & magiſtri Hebræorum concorditer affirmant. Ad illos quoque pertinere confirmant quod de ſacerdotibus Leuitici generis. 17. Deuteronomij ſcriptum eſt, nimirum quòd in cunctis ambiguis ipſi iudicij veritatem aperirent. His tamen vnus adiungebatur Moſeos loco, ſic quòd totius collegij numerus vnum ſupra ſeptuaginta continebat. Quamobrem & cum Moſes eſſet in montem ad Deum aſcenſurus, reliquit apud eos Aaron & Hur, *Exodi 24.* qui vices eius tum abſentis agerent. Ex quibus apertiſſimum eſt, quòd in ambiguis & difficilibus dogmatibus, populi iudicium in veteri lege neutiquam expectabatur. In lege verò noua Chriſtus duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta duos diſcipulos deſignauit, *Matt. 10. Marci 3. Lucæ. 6. 10.* quibus & plebem voluit fidem adhibere, non iudicem fieri eorum quæ docerent. Nam & illis dixit (vt alibi docuimus), & non ſingulis Chriſtianis: *Lucæ. 10.* Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Spreuiſſe autem intelligas quiſquis non aſſenſiſſet illorum documentis. Et quanquam Paulus idem accepiſſet à Chriſto Euangelium, quod & cæteri, tamen quia non vt illi Chriſtum hic in terris fuiſſet ſecutus, ideo iuſſus fuit Euangelium ſuum cum Apoſtolis conferre, vt ab ipſis idem approbaretur. *Galat. 2.* Aſcendi (inquit) Hieroſolymam ſecundum reuelationem, & Euangelium quod inter gentes prædico, contuli cum Apoſtolis, ſed priuatim cum his qui erant in precio. Ecce non iudicium populi, ſed procerum Eccleſiaſticorum Paulus exegit.

Adde, quòd cum Antiochiæ quidam ex fratribus docuiſſent circuncisionem eſſe neceſſariam, Paulus & Barnabas qui huic dogmati contradicebant, miſſi fuerunt Hieroſolymam ad Apoſtolos & presbyteros ſuper hac quæſtione conſulendos. *Act. 15.* Conuenerunt igitur (vt in actis traditur) Apoſtoli & presbyteri, vt diſpicerent de hoc negocio: & re definita, ſcripſerunt his qui tum abfuerant, quid eſſent credituri. Et certum eſt complures Chriſtianos, non ſolum eos qui tum Antiochiæ fuerant, verum etiam alios in aliis orbis partibus nequaquam ad hanc ſynodum fuiſſe vocatos, nec eorum ſententiam in hoc negocio fuiſſe requiſitam. Ad ſolos enim Apoſtolos & presbyteros attinebat ſuper hoc negocio ſententiã ferre, quẽadmodum illic ſcriptum eſt. *Act. 15.* Conuenerunt (inquit) Apoſtoli & presbyteri vt diſpicerẽt de hoc negocio. Sed dicet quiſpiã: *Obiectioni diluto.* Inferius item eſt facta mentio de fratribus & de tota Eccleſia, quorum etiam nomine literæ miſſæ ſunt Antiochiam. Non reluctor. At hoc fuit humilitatis Apoſtolicæ magis quàm abſolutæ neceſſitatis, quòd ita ſcripſerint. Nam cum apertũ ſit fratres inferiores, qui tum Hieroſolymis aderant, nihilo maiorem authoritatem habuiſſe quàm qui tunc Antiochiæ vel in Syria ſeu Cilicia fuerant abſentes, neque fratrum aut diſcipulorum abſentium vllus petebatur aſſenſus, ſed tantum imperabatur, conſequens eſt vt & hi minores qui tum præſentes fuerant, ius nullum habuerint diſſentiendi. Sed & Lucas capite ſequenti ſic de illis decretis prodidit. *Act. 16.* Cum (inquit) pertranſirent ciuitates, nempe Paulus & alij fratres cum eo, tradebant illis ſeruanda decreta quæ erant ordinata ab Apoſtolis & presbyteris qui erant Hieroſolymis. Hic vides lector, quòd apoſtolorum & presbyterorum decreta facta Hieroſolymis tum ligabant abſentes omnes ad ea ſeruanda. Similiter & cap. 21. ſcribit Ia-

L cobum

eobum & presbyteros ad Paulum cum poſtremò veniſſet Hieroſolymam, dixiſſe. De his (inquiunt) qui crediderunt ex gentibus, nos ſcripſimus decernentes, ne quid huiuſmodi obſeruent. Ecce teſtantur ſe decreuiſſe: id quod ipſis inconſultis haudquaquam feciſſent, ſi licuiſſet eis Apoſtolorum decreta contemnere. Et hic item aduertendum eſt, Apoſtolos & presbyteros nihil fuiſſe veritos aſſerere ſuum hoc decretum à
Actor 15. ſancto ſpiritu proceſſiſſe. Viſum (inquiunt) eſt ſpiritui ſancto & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris.

V. Ad hæc, cum principio recepta fuerint euangelia, non eſt dubium quin præter ipſa quatuor, quæ nunc in Eccleſiis legimus, alia fuiſſent oblata, vtpote Petri, Thomæ, Matthæi, Nicodemi, necnon & illud quod ſecundum Hebræos euangelium dicitur, verùm in his vel reiiciendis vel approbandis quid valuit iudicium populi? Nihil penitus. Nam populus (vt par fuit) Apoſtolorum & diſcipulorum calculis in hiſce rebus credere tenebatur, cum ſcriptum ſit: Suſcipiant
Psal. 71. montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Montes equidem erant, qui tum velut principes in Eccleſia præeminebant non minori vitæ ſanctimonia, quàm ſcripturarum intellectu: & hos decebat pacis euangelium non modò ſuſcipere, verumetiam populo ſuſcipiendum præbere. Porro colles inferiores intelligi debent, quorum fuit reuerenter admittere, & ad iuſtitiam credere, quicquid montes ipſi credendum iudicauerint.

Cæterùm ſi iudicium plebis in hoc negocio fuiſſet requiſitū, credibilius eſt quòd euangeliū illud quod ſecundum Hebræos inſcribitur, cæteris prætuliſſent, cum tunc maxima Chriſtianorum pars fuiſſent Hebræi, neque adhuc penitus omnem humanum exuiſſent affectum. Alioqui nec
Acto. 7. murmur inter Græcos & Hebræos fuiſſet exortum propter ipſorum viduas, eo quòd in miniſterio quotidiano deſpicerentur. Vtcumque fuerit, dilucidum eſſe cuiuis poteſt quòd in approbandis aut reiiciendis Euangeliis turbæ iudicium non fuerit expetitum, ſed eius rei vel approbatio vel repudiatio ex principibus ipſis pendebat, & non ex rudiori turba. Quod ſi plebis
In elucidatione euangelij non ſtatur iudicio vulgi. iudicium in recipiendis Euangeliis neutiquam exigatur, multo minus in obſcuris Euangeliorum locis elucidandis illorum iudicio ſtabitur. Quid enim cum olim emergeret de conſubſtantialitate quæſtio, iudicium rudis populi valuit, quando multos etiam eruditos & in ſcripturis ſacris plurimum exercitatos eius rei ſubtili-
Euſebius aliquandiu errauit. tas hallucinari fecerit? Euſebiū enim Cæſarienſem virū optimū, pariter & eruditiſsimū, aliosq; plurimos aliquamdiu tenuit in errore, quem tamen poſtea clariori ſcripturarum luce depulerunt. Quamobrem cum tanti viri cæcutierint in iudicandis rebus & negociis fidei, quis tam inſanus eſt vt indoctæ plebis iudicio cenſeat confidendum?

VI His accedit, quòd [illegible] iam in quæſtionem venerit, an epiſtola Ia[illegible] ſit inter catholicas epiſtolas connumera[illegible]an, vt Luthero videtur, eximenda penitus, quis Iudex erit? populúsne rudis qui gregis obtinet vicem, an eruditi potius & optimi præſides Eccleſiarum, qui paſtores in apoſtolicis vocantur literis? Hos profectò longe magis contentaneum eſt iudices huiuſce rei quā plebem fieri, & quod illi decreuerint, abſq; contradictione recipi debere à cæteris. Nam alioqui ſi Lutherus gregi ſuo perſuaſerit hanc epiſtolam non eſſe catholicam, & hi ſubſcripſerint illius ſententiæ, iam vel erit manifeſtum ſchiſma, vel omnes tenebimur pro iudicio Lutheranorum ex bibliis noſtris diuum Iacobum euellere. Et *Male negat Lutherus epiſtolam Iacobi non eſſe catholicam.* quanquam Origenes, aut alius quiuis, ſi quis in ſcripturis examinandis repertus fuerit eo diligentior & circumſpectior, aſſeruerit hanc eſſe verè catholicam, non tamen audietur contra Lutherum. Et quamobrem? Quòd ſcilicet populus Lutheranus ita ſenſit, ita iudicabit, iudicio populi ſtabitur. Quis hic non videt latebras Lutherum quærere? Sed quid ſi Chriſtianorum cœtus longè copioſior quàm Lutheranorum è diuerſo cenſuerit, & hanc epiſtolam in bibliis reponendam decreuerit, eamque omnino catholicam aſſeuerauerit, vtpote à ſanctiſſimis & eruditiſſimis patribus hoc nomine ſibi commendatam: quis iam inter vtrumque populum iudex erit? non enim æquum eſt, vt nos, quibus legitima ſucceſſione fides à primis ipſis Eccleſiæ columnis per tot fide dignos intermediatores promanauerit, iam horum diligentia doctrináque ſpreta, dextras iungamus eorum aduerſario, qui tam ingratè ſimul & impiè lacerat eorum vitam, doctrinam & eruditionem. Sed nec ille viciſſim per nos, aut per maiorū noſtrorum ſcripta, quæ pro nihilo ducit, iudicari patitur. Quid ergo dicemus? Exiſtimabimus Chriſtum qui propter nimiam charitatē qua dilexit nos, non ſolum pro nobis naſci, verumetiam emori dignatus eſt, & carnis & ſanguinis ſui ſacramentis nos alere, ſpiritum ſuum è cœlis promittere, qui nobiſcum reſidens nos omnem doceret veritatem. Hunc inquam tā ardentem adamatorem, exiſtimabimus ita ſuum gregem, quem tanto precio redemit, in tam horrendis errorum tenebris, atque nobis opponit Lutherus, & per tot annorum centenarios iacere permiſiſſe, neq; vllum reliquiſſe nobis iudicem, & harum tenebrarum excuſſorem, præter vnum Lutherum? quem nemo, qui furias has contra regem illuſtriſſimum ſcriptas perlegerit, non planè perſpicit à dæmone quodā actū, & à diuino ſpiritu longe alienū eſſe. Præſcriptū eſt igitur aduerſus Lutheri Lutheranorumque iudicium, non ſolum quòd ipſe carnalem ſe prodiderit, cuiuſmodi Paulus nullum omnino iudicium de ſpiritualibus permittit, verumetiā quòd nobis doctrina ſpiritus integerrimo conductu per ſacros canales eruditiſſimorum atque ſanctiſſimorū patrum ab ipſis fontibus deriuata ſit. Quamobrem ſi vel contra epiſtolam Iacobi, aut aliam quamuis ſcripturam, ſeu ſcripturæ quamlibet interpretationem concordi patrum aſtipulatione factam Lutherus populuſúe Lutheranum iudicium ſibi arrogauerit,

ma-

manifeſtum eſt idipſum nullius eſſe momenti; neque licere nobis vllo pacto Lutheranam interpretationem quatenus maioribus noſtris aduerſatur, admittere, niſi velimus Paulo repugnare, qui diſtrictius monet, vt non ſimus amplius pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis vento doctrinæ per verſutiam hominũ, per aſtutiam qua nos adoriuntur vt imponant nobis. *Ephe. 6.*

VII. *Iudicium populi antiqui contra Lutheranum.* Superioribus accedit, quòd ſi momenti cuiuſpiam fuerit iudicium populare, iam plurima de quibus hódie litigamus, in rem (vt aiunt) iudicatam tranſierunt. Nam exploratiſſimum eſt, per vniuerſam totius orbis Eccleſiam has veritates quas Lutherus damnat, à præſidibus Eccleſiarum fuiſſe prædicatas, populumque eaſdem citra contradictionem aliquam approbaſſe. Quid ergo ſuper hac ré diutius contendimus, quandoquidem & iudicio populi iam olim in hoc negocio concluſum ſit? An non æqualis, vt ne maioris dixerim, authoritatis erit apud quoſque bonos & æquos iudicium populi; qui ſanctis ipſis Apoſtolis ac martyribus vicinior erat quam huius populi nunc ſuperſtitis, qui certè vix rationem fæcis habet ad purum vinum, ſi cum priori illo populo conferatur? Quamobrem ſi quicquã in hac cauſa valeat iudicium populi, iam diremptalis eſt, nec reuocari per deterioris notę populum licebit id quod per longe prǽſtantiorem fuerat approbatum. Niſi forte velimus pueriles imitari ludos, qui quod heri conſtruxerant, hodie demoliuntur. At hoc erit ſemper diſcere, & nunquam ad ſcientiæ veritatem peruenire. Nam qua ratione præſenti populo iam licet prioris populi iudicium in dubium reuocare, eadem licebit & ſubſecuturo populo præſentis damnare iudicium. Arqui iſtud quid aliud eſt, quam con- *Ephe. 4.* tra doctrinam Pauli, nunquam adoleſcere; ſed ſemper eſſe pueros, atque fluctuare & circunferri quouis vento doctrinæ per aſtutiam & verſutiam hominum? Et vt in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt, Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor? *Eccle. 34. Obiectionis dilutio.* Sed hic dicet Luth. Adempta fuerat tum populo ſua libertas. At hoc falſiſſimum eſt. Nam Lutherani nequaquam hodie conſtantius Luthero, quàm priores populi ſuis prǽſidibus adhęſerunt. Quæ res manifeſtiſſimè conſtitit in Athanaſio, Ambroſio, Chryſoſtomo, aliiſque compluribus. Nam erant eorum auditores etiam ad mortem ſubeundam parati potius, quàm eos auferri ſibi paterentur. Iſta iam ſufficiunt, opinor, vt quiuis intelligat populum omnino ius nullum habere diſſentiendi ab eorum dogmatibus qui legitimè conſtituti ſunt diuini verbi pręcones, & ſcripturarum ſacrarum interpretes, maximè in his quæ ad fidem pertinent, & quamdiu priorum patrum concordi ſententiæ ſeſe conformes reddiderint.

Sed nunc par eſt vt rationes Lutheri quibus contrarium aſtruat, in medium afferamus.

PRIMA RATIO. VIII.

CHriſtus (inquit) hoc ius ſtatuit inuictis & variis ſententiis. Mat. 7. Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium. Hoc verbum certe dicit ad populum aduerſus doctores, & mandat eis, vt falia dogmata eorum vitent. At quomodo vitare poſſunt niſi cognoſcant? quomodo cognoſcere, niſi ius habeant iudicandi? Nunc autem non ſolum ius, ſed præceptum iudicandi ſtatuit, vt hæc ſola authoritas ſatis eſſe queat aduerſus omnium Pontificum, omnium Patrum, omnium Conciliorum, omnium ſcholarum ſententias, quæ ius iudicandi & diſcernendi ſolis Epiſcopis & miniſtris tribuerunt, & impiè ac ſacrilegè; id eſt Eccleſiæ reginæ rapuerunt. Stat etenim Chriſtus dicens, Attendite à falſis prophetis.

Primum hic aduerte lector quàm violentè *Roffenſis.* contorqueat hanc ſcripturam Lutherus, cum nihil hic vel de dogmatibus vel de iudicio ne verbum quidem fiat. Neque enim Chriſtus hic dixit, Attendite à dogmatibus, vt inter ea diſcernatis quæ ſunt praua, quæúe ſalubria. Neq, dixit, Attendite à falſis dogmatibus, ne vos inficiant; Sed dixit; Attendite à falſis prophetis. hoc vero quid aliud eſt, quàm ſi dixerit, fugite conſortium falſorum prophetarum, ne audieritis eos? Vetat *Chriſtus dehortatur audire falſos prophetas.* enim Chriſtus ne tales audiantur, nimirũ quòd eorũ ſermo protinus inficiat, & facilè capiat ſimpliciores. Propter quod & Paulus Romanos *Roman. 16* hortatur, vt huiuſmodi ſeductores declinent, quòd ſcilicet per blandiloquentiã & aſſentationem decipiant corda ſimplicium. Tales etiã 2. ad Cor. 11. idẽ Paulus vocat pſeudoapoſtolos. Iſtiuſmodi (inquit) pſeudoapoſtoli, operarij doloſi ſunt, ſumpta perſona Apoſtolorũ Chriſti. Ab his metuit ibidem Paulus, ne quẽadmodum ſerpens Euam decepit verſutia ſua, ita corrumperentur ſenſus eorum à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto. Profecto nimiſquã periculoſum eſt iſtos audiri non ſolum à ſimplicioribus, verumetiam ab his qui vel mediocrem habent peritiam ſcripturarũ. Res hæc notior eſt, quàm vt multis egeat verbis. Quis ignorat Nouatum, Arrium, Macedonium innumeros corrupiſſe, qui ſi protinus vt per orthodoxos de periculo fuiſſent moniti, fugiſſent & declinaſſent ab illis, nihil omnino diſcriminis incurriſſent? Propterea Chriſtus hoc verbo iuſſit, vt à falſis prophetis caueamus; qui Chriſtianitatis nomen ceu pelles ouium prætexunt ſibi, verum intrinſecus (vt verè Tertullianus ait) lupina rapacitas deliteſcit, hoc eſt ſubdoli ſenſus & ſpiritus operiuntur ad infeſtandum gregem Chriſti. Vetat igitur hic Chriſtus ne audiantur huiuſmodi falſi prophetæ: non autem præcipit vt à ſingulis examinentur & diiudicentur eorum dogmata: quod certè longe periculoſiſſimum foret.

Sed dicet Lutherus: Ex hoc verbo plane ſe-

quitur, quòd omnes habent ius iudicandi. Nam Chriſtus hoc verbum dicit ad populum aduerſus doctores, & mandat eis vt falſa eorum dogmata vitent. At quomodo vitare poſſunt, niſi cognoſcant, & quomodo cognoſcent niſi ius habeant iudicandi? Reſpondeo, ſi vir quiſpiam vxori ſuæ mandauerit quatenus attendat ab alienis: putabimus iam vxori licere vt alienorum perſuaſiones audiat ſuaſiones ſub eo prætextu vt diiudicet eas? Nequaquam: ſed hoc molitus eſt vir, ne chariſſima ſibi coniunx in periculum incidat, atq; ideo penitus omne colloquium interdicit. Eiuſmodi profecto zelum & ſponſus noſter Chriſtus Ieſus habet erga nos. Propter quod & nolens vt ab eiuſmodi falſis prophetis ſeducamur, iubet vt ab eis omnino caueamus. Attendite inquit à falſis

Matth. 7. *Apoc. 2.* prophetis. Falſi prophetæ ſunt, qui, ſicut in Apocalypſi traditur, ſe dicunt Apoſtolos, & non ſunt; hoc eſt ſe dicunt eſſe miſſos, & nemo tamen

Matth. 24 eos miſerit. De quibus & alibi Chriſtus dicit,

Marci 13. quòd ſeducent multos. Quamobrem & qui nolit ab eis ſeduci, huic neceſſe eſt vt colloquium eorum pariter & conſortium deuitet. Nam vt

1. Cor. 15 Paulus ait, Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Non ergo iuſſit Chriſtus hoc verbo, quatenus eorum dogmata ſinguli iudicarent, id quod abſque periculo ſimplicium fieri nequit: ſed vt eos quos vel de errore ſuſpectos, vel non eſſe legitimè miſſos accepiſſent, declinarent, quoad eorum doctrina per eos quibus incumbit doctrinarum examinatio, ſolidius fuiſſe approbata.

IX. Iam etiam & iſtud aduerte candide lector, quàm ſubdolè molitur Lutherus ex illo Chriſti verbo colligere ius iudicandi dogmata. Principio ſcripturam ipſam recenſet, dicens: Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium. Deinde ſubiicit intellectum eius. Chriſtus (inquit) hoc verbum certè dicit ad populum aduerſus doctores, & mandat eis vt falſa dogmata eorum vitent. Subdit tertio loco: At quomodo vitare poſſunt niſi cognoſcant? Et demum apponit: Quomodo cognoſcent, niſi ius habeant iudicandi? Ita ſenſim & gradatim introducit ventorum. Ego verò tametſi poſſem ſingula membra facillimè ſubuertere, tamen ad hoc poſtremum reſpondeo, populum poſſe cognoſcere non dico

Falſi prophetæ varijs deprehenduntur indicijs. dogmata de quibus Chriſtus ne verbum quidem dixit, ſed falſos prophetas, vel ex eo quòd hi qui non ſint legitimò miſſi, docendi tamen cathedram vſurpent, vel quòd vehementer à probis habeantur ſuſpecti, vel quòd palam eorum doctrina condemnata ſit, vel demum ex alijs indiciis, quibus Paulus epiſtolas ſuas paſſim reſpergit. At enim (vt vnum locum exempli gratia producam) ad Romanos. 16. Obſecro vos fratres, vt conſideretis eos qui diſſidia & offendicula contra doctrinam quam vos didiciſtis, gignunt: & declinetis ab illis. Hæc certe verba non Romanis modò, verumetiam omnibus Chriſtianis haud dubiè ſcripta ſunt. quod & Lutherus (ſi tamen ſecum conſtet) non negabit. atque vtinam omnes Lutherani diguè verbum iſtud expenderent. Sed vt ad tertium redeam: Talibus vtique notis diſcerni poteſt propheta falſus vt nihil oporteat ſingulum quenque Chriſtianum habere ius iudicandi. Similiter & ad tertium dico, quòd propheta falſus vitari poteſt à ſimplicioribus per aliorum admonitiones, quamquam illius dogmata nequiuerint iudicare. Et ad ſecundum itemidem aio, quòd vitabunt falſa dogmata, qui falſorum doctorum & libros & colloquia fugerint, id quod fieri poteſt abſque dogmatum auſcultatione.

Poſtremo demitor hominis impudentiam, quòd hanc ſcripturam, quæ eum primis eum tangit, non erubeſcit introducere. Neminem

Lutherus pſeudopropheta. enim percellit hoc verbum potius quàm Lutherum: qui ſi falſus propheta non ſit, nemo vnquam fuit. Quis enim non pſeudoprophetam appellabit eum, qui Deum tam impiè malorum authorem pronunciat, qui liberum tollit arbitrium, qui neceſſitate cuncta prorſus agi non veretur aſſerere, qui tam apertè contra ſcripturas fidei totum tribuit, operibus nihil, qui ſcripturas ſacras fœdè lacerans, alias penitus damnat, alias perperam interpretatur, qui ſacra patrum concilia ſanctiſſimaque ſcripta contemnit prorſus, qui denique nullum non mouet lapidem, vt ſuam hæreſim ſtabiliat? O ſi nunc ſanctiſſimus ille Polycarpus viueret, qui quoties aliquid contra fidem audiret noui, ſolitus erat aures occludere ſuas, & in hunc modum exclamare, Deus bone, in quæ tempora me reſeruaſti, vt hæc audiam? Quid nunc piiſſimus ille faceret, tot & tā pernicioſis auditis hæreſibus? Sed & integerrimus ipſe pater & Epiſcopus Irenæus qui Florinum acerbius reprehendit, quòd is malorū authorem Deum aſſeruerit, quomodo nunc excandeſceret in Lutherum, qui veterem illam hæreſim renouauit? Legat quiſquis velit orthodoxorum pugnas aduerſum hæreticos, & inueniet

Antiqui patres aduerſus hæreticos vſi patrum aſſertionibus. illos non alio fundamento ſolidius innixos eſſe, quàm vt dicerent, Hæc à fide dignis maioribus noſtris qui ante nos fuerunt, accepimus, vt nunc hanc fidem nullis hominum aut dæmonum impoſturis nobis liceat immutare. Iſtud olim ſuffecit ad reuincendos quoſuis hæreticos. Quamobrem cum Lutherus etiam in hanc baſim impingit, vel is eſt falſus propheta, vel alius nullus vnquam fuit.

Obiectio. Sed adhuc dicet quiſpiam: Lutherus à ſectatoribus ſuis libenter auditur, & ingentem fructum ex concionibus ſuis parit, quo fructu Chriſtus pios prophetas ab improbis cenſuit diſcernendos. Ex fructibus (inquit) eorum cognoſcetis eos. Ego verò quòd libenter audiatur, nihil miror, quandoquidem licentiam tan-

Diluitio Luthero omne malum perſuadet. tam permittit omnibus. Nullis enim legibus alligari Chriſtianos permittit, neque pontificibus vllam condendarum legum ſinit habere facultatem. Quo fit vt omnem à ſubditis, quam hi præſidibus ſuis debent, auferat obedientiam & ſubiectionem. Neque id ſolum, ſed & omnem dirimit conatum obſeruandarum legum Dei: quandoquidem & has prædicat impoſ-

poſſibiles eſſe cuiuis, neminemque poſſe diuina ſeruare mandata. Relecat & omne ſtudium conterendi pro peccatis, cum contritio (vt ait) quæ non fit in gratia, deteriorem faciat peccatorem. Confitendi quoque diligentiam ſuſtulit, eam inquam quę ſacerdotibus fieri ſolet, quòd ad eam neminem teneri dogmatizet. Sed & contendit nullam pro ſceleribus vllis quæ ſecreta ſunt, ſatisfactionem & pœnam exigi debere, ſed omnia liberè condonari per fidem affirmat. Sacerdotes qui raſi ſunt, omnes fictitios eſſe clamat, cùm ſit omnis Chriſtianus (vt dicit) verè ſacerdos. Negat & opera bona neceſſaria eſſe ad ſalutem, cum nullum ſit opus quantumuis bonum quod peccato careat. Hæc nimirum & alia plurima quæ multam habent malitię libertatem, paſſim prædicat apud populum. Et quis ſceleratus eſt, qui iſta non audiat libentiſſimè? Porro fructus quos parit, omnium amariſſimi, ſunt ſchiſmata, rixæ, contentiones, inimicitiæ, furores pluſquam rabidi, impudentia, ſcelerum omnium copia, adulteria ſponſarum Chriſti, votorum fractiones, ſanctę virginitatis deflorationes, monachorum ad ſecularia negocia fœminarumque complexus, reditus: ſanctum canibus apponitur, & margaritæ porcis.

Plurima vitia ſequuntur Lutheri doctrinam.

XL. At inter hæc (dices) Deo creditur, & Chriſtus diligitur. Falſum & hoc eſt, niſi fuerint ſcripturæ prorſus falſæ. Nam Chriſtus dicit Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et rurſum: Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Et paulo poſt: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et Paulus quoque: Circumciſio nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorū Dei. Ioannes item: Qui dicit, noui eum, & præcepta eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. Fingant igitur iſti quantum velint ſe & credere & diligere: ſi mandata non ſeruent, nihil eſt quod faciunt. Sed neque credibile eſt eos mandatis obſeruandis incumbere, cum negent fieri poſſe vt vel minimum mandatum obſeruetur à quoquam. Ex fructibus ergo ſuis Lutherus qualis propheta fuerit, abunde cognoſcitur, bonus ne, an malus. Propter quod & Chriſtus ſubiunxit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Si ſchiſmata, ſi contentiones, ſi furores, ſi conuicia, ſi maledicentiæ, ſi ſcripturarum ſacrarum adulteratio, ſi ſcelerum omnium impunitas, ſi votorum fractiones, ſi ſanctimonialium inceſtus, ſi monachorum ſcortationes, ſi precationum horariarū contemptus, ſi ieiuniorum violatio nephanda, ſi blaſphemię in Chriſti & ſanctorum imagines, ſi probra in ſanctiſſimam Dei genitricem, ſi nephatius abuſus ſacræ Euchariſtiæ, ſi iſta inquam & alia innumera flagitia boni fructus dicenda ſint, iam Lutherus erit propheta bonus. Sin iſta peſſima ſint, & veribus omnibus verè Chriſtianis execranda, quis Lutherum ceu peſtem quandam teterrimam non fugiat, non horreat, non abominetur?

Non credit verè, qui nō obſeruat mādata.

Ioan. 14.

1. Cor. 7.

1. Ioannis 2.

Cæterum vt ad inſtitutum reuertar: Iam liquere ſatis opinor non poſſe Lutherum ex illo verbo Chriſti colligere, quòd populus habeat præceptum aut ius iudicandi dogmata, ſed fugiendi cauendique falſos prophetas, inter quos & anteſignanum quendam apertiſſimis indiciis Lutherus oſtendit ſeſe. Nam iudicare de dogmatibus vſqueadeo difficile eſt, vt in illis etiam hi qui eruditiores ſunt, ſępius hallucinentur, quemadmodum de Euſebio ſuperius oſtendimus. Eat igitur nunc Lutherus & glorietur quòd hæc ſola authoritas ſatis fuerit aduerſus omnium pontificum, omnium patrum, omnium conciliorum, omnium ſcholarum ſententias; quos clamat impiè atque ſacrilegè populo ius iſtud rapuiſſe. Eat inquam, & talibus adulationibus pergat ludificare populum; qui à tali propheta meritò ſeducitur, cum nec monente Chriſto dolos & fraudes huius lupi declinent. Stat enim Chriſtus dicens: Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nec eſt quòd Germani putent Romanos hic lupos vocari, quòd aurum ſibi rapiant. Neque enim aurum lupi, ſed ſanguinem ſitiunt: quod & hæretici faciunt. Rapiunt enim id quod auro quouis præſtantius eſt, animas videlicet, de quarum præda maximè gloriantur. Et eiuſmodi ſanè lupum ſub ouilla pelle ſeſe Lutherus iam pręſtitit. Et quamquam hæc authoritas (vt ſibi videtur) huic negocio vel ſola ſufficiat, tamen ex veteri teſtamento voluit eam reddere paulo cōfirmatiorem. ſed ipſius verba ſubiungam.

Matth. 7.

SECVNDA LVTHERI RATIO.

XLI. HVic ſubſcribunt ferme omnes omnium prophetarum ſyllabæ. Quid enim agunt prophetæ, niſi quòd populum monent ne falſis prophetis credat? At quid eſt hoc monere, niſi iudicandi & cognoſcendi ius penes populum eſſe, declarare & confirmare, ipſumque ſui operis monefacere & excitare aduerſus omnes omnium ſuorum ſacerdotum & doctorum doctrinas? Quare hic concludimus quoties Moſes, Ioſue, Dauid, omneſque prophetæ, in veteri lege populum à falſis prophetis vocant & monent, toties clamant, mandant, confirmant, excitant, ius cognoſcendi & iudicandi omnium omnia dogmata. At hoc infinitis locis faciunt. Habes hic Henricus noſter, aut vllus impurus Thomiſta quod iſtis ogganniat? nónne obſtruximus os loquentium iniqua? Et hic ſe rurſum oſtendit fallacem eſſe prophetam, quòd huius vocis acceptione duplici nos fallere ſtudeat circumuenire. Nam propheta bifariam accipitur. Paulo propheta dicitur, qui ſcripturas enarrat, & exponit eas populo: ad quem ſenſum Lutherus intellexiſſe videtur prædictum Chriſti verbum, quo populū admonuit à falſis attendere doctoribus, & à falſis (vt ait) dogmatibus. Cæterum cum in veteri teſtamento monemur à falſis cauere prophetis, de falſis vatibus & futurorum euentuum prædictoribus intelligi debet: ad quē modum in Deuterono. 18. capite quoddam iudicium traditur, quo diſcerni queat propheta falſus à vero. Hoc, inquit, habebis ſignum. Quod

Roffenſis.

Propheta dupliciter dicitur.

1 Cor. 14.

Primo.

Secundo.

in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus. Hoc vtique ſigno falſus propheta diiudicabatur apud eos. Et quamquam præter prophetas alij fuerint & ſcripturarum interpretes & doctores, hos tamen in veteri teſtamento nuſquam lego vocatos prophetas. Quamobrem neque hæc poſterior argumentatio Lutheri priorem illam confirmat, neque cum ea quicquam habet affinitatis. Nam in diiudicandis vatibus oportuit, vt diximus, euentum rerum expectare. verùm ad veritatem interpretum diſcernendam nihil remoratus eorum iudicium qui gratiam habent ſpiritus, & ſenſus in ſcripturis plurimum exercitatos. Quo fit vt alia ratione vates diiudicentur, alia ſcripturarum interpretes.

Sed dicet Lutherus, hi qui vates erant, etiam docuerunt plurima. Ego iſtud non inficior. At hoc nomine, nempe quòd docuerint, nequiquam prophetæ dicebantur. Neque enim per trecentos annos ante Chriſtum doctores & interpretes defuerunt apud Iudæos, & tamen conſtat eo tempore prophetas nullos fuiſſe vſque ad Zachariam Ioannis patrem. Quamobrem apertè falſum eſt quod quoties Moſes, Ioſue, Dauid, omneſque prophetę in veteri lege populum à falſis prophetis vocant & monent, toties clamant, mandant, confirmant, excitant ius cognoſcendi & iudicandi omnium hominum dogmata. Nam & veri prophetæ ſępius monent populum ne falſos quouis modo prophetas audiant. Sic enim Hieremias ait: Vos ergo nolite audire prophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & maleficos. Et rurſum: Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non ſeruietis Regi Babylonis; quia mendacium ipſi loquuntur vobis. Et paulo poſt, Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum veſtrorum qui prophetant vobis dicentes: Ecce vaſa Domini reuertentur de Babylone cito. Mendacium enim prophetant vobis. Nolite ergo audire eos. An hic tibi videtur Hieremias præcepiſſe populo quatenus ipſi falſorum prophetarum dogmata diiudicent, an magis vt auerſentur eos, & aures ſuas occludant eis penitus? Sed & Moſen quoque num opinaris tum iuſſiſſe populo vt dogmata iudicaret, cum dixerit ei: Caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te qui luſtret filium ſuum aut filiam, ducens per ignem; aut qui ariolos ſciſcitetur, aut obſeruet ſomnia atque auguria; ne ſit maleficus, nec incantator, neque pythones conſulat, neque diuinos; & quærat à mortuis veritatem. An non longe tutius iſtorum hominum dogmata Moſes exiſtimauit populum debere ignorare, quàm ſcrutatorem & iudicem horum ſibi maxime fieri periculo? Quod ſi Lutherus adhuc contendat vniformem huius vocis acceptionem in vtroque teſtamento fieri, tamen vellem aduertat quàm ſeueriter iſtiuſmodi falſis prophetis comminatum ſit vbique. Sic enim Deuter. 18. ſcriptum eſt: Propheta qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi vt diceret, aut nomine alienorum deorum, interficietur. Hic ſi Lutherus ſeipſum excuſſerit, quot errores & falſa dogmata ſub nomine Chriſti protuliſſet citra mandatum vllum ſibi datum à Chriſto, ſed ſola deprauatus arrogantia, vel ſpiritu maligno concitatus, audiet omnino ſe condemnari. Neque poteſt hanc ſcripturam in orthodoxos patres aut ſequaces eorum quouis modo retorquere, cum in compluribus eorum nec leuiſſima fuiſſe arrogantiæ ſuſpicio, neque maligno ſpiritu ad ſcripturarum interpretationes per eos editas eſſent impulſi, quin contra potius à ſpiritu ſancto, quem & ad hoc miſſum non dubitabant, vt ipſi fideliter Eccleſiam erudirent. Et quis tam impudens eſt, vt iſtos neget ad docendam plebem fuiſſe legitimè vocatos, atque inſtructos ab ipſo ſpiritu? niſi ſpiritum ſanctum fruſtra fuiſſe miſſum, & ocioſum in Eccleſia reſidere contendat: quod impium eſt vel cogitare. Quod ſi priores interpretes fuiſſent legitimè vocati, manifeſtè palam eſt Lutherum, qui non vnum aliquem horum, ſed omnes indiſcriminatim contemnit, arrogantia deprauatum eſſe, malignoque pariter afflatum ſpiritu. An non mire arrogantem in his friuolis argutiis oſtentat ſeſe? quæ cum mera blateramenta ſint, vt iam opinor intelligis optime lector, his tamen ſe viciſſe gloriatur, & Regem illuſtriſſimum ob has impurum vocat Thomiſtam, nec habere quod iſtis ogganniat, hiſque obſtruxiſſe ſe ſacrilegos loquentium iniqua. Quod ſi fecerit, mirum eſt quòd non ſuum ipſius os in primis obſtruxerit, quo nullum iniquius aut impudentius loqui poteſt. Sed iam ad ſcripturas quas attulit ex nouo teſtamento reſpondeamus.

Trecentis annis ante Chriſtum nõ defuerunt prophetæ.

Veri prophetæ deberi dicebantur à malorum auditu.

Hiere. 29.

Deut. 18.

Punitio falſorum prophetarum quadrat in Luth.

Sancti patres id ad quod vocati erãt, in humilitate docebant.

Lutherũ malignus ſpiritus afflat, & contemnit omnes.

Tertia Ratio Lutheri.

XIII.

REdeamus (inquit) ad nouam legem. Chriſtus Ioan. 10. dicens, Oues meæ vocem meam audiunt: vocem vero alienorum non audiunt, ſed fugiunt ab eis: Nonne hic oues facit iudices, & ius cognitionis transfert ad auditores? Hic primum aduertamus quanta licentia Lutherus ſcripturam iſtam recenſeat. Nuſquam equidem hoc verbum Chriſtus de ſuis ouibus protulit; Oues meæ vocem alienorum non audiunt. nam planè falſum eſt, quòd oues Chriſti nunquam audiunt vocem alienorum, ſed quòd ſemper fugiunt ab eis. Sæpius enim compertum eſt oues Chriſti ſecutas fuiſſe vocem alienorum, & maximè dum hæreſis Arriana vexaret Eccleſiam Chriſti. Tunc enim complures falſis dogmatibus erant ſeducti, quorum aliqui tamen poſtea reſipiſcen-

piſcentes, redierunt ad catholicam fidem, vti mox docebimus. Neq; deſperamus quin de Lutheri ſectatoribus idem eueniet, per quem complures ex ouibus Chriſti iam à rectâ ſemita veritatis abductas eſſe nihil ambigimus. De communibus tamen ouibus id dixiſſe Chriſtum non inficior, & de huiuſmodi verum eſt quòd non ſequuntur vocem alienorum, ſed vocem paſtorũ ſuorum cum quibus longam & diuturnam habuerunt conſuetudinem. At palàm eſt nonnullas ex ouibus Chriſti myſticis aliquam diu vocem alienorum fuiſſe ſecutas, tametſi poſtea rediiſſent ad Chriſtum. Neque enim fieri poteſt vt ouis Chriſti prędeſtinata, quamtumuis interea plaudat hęreticis dogmatibus, non finaliter ad Chriſti vocem redeat, eam auditura. Quam rem & Chriſtus teſtatur hoc ipſo capite: Alias, inquit, oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Ecce vocat eas oues ſuas, quę tamen adhuc non Chriſti vocem auſcultarunt, ſed alienam à Chriſto. Ex Iudæis etiam plurimos, qui dum hic in terris prędicaret Chriſtus, vocem eius contempſerunt, poſt ipſius tamen aſcenſionem verbo eius credidiſſe in actis apertiſſimum eſt. quare planè falſum eſt quòd oues Chriſti nunquam ſequantur vocem alienorum, neque hoc in Euangelio traditum eſt vſquam. Quod ſi dixerit Lutherus in parabola ſic haberi, non reluctor: at non oportet, vt quicquid in parabola ſit dictum, id omnino myſticam habeat veritatem. quod Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus ac cæteri patres non ſemel affirmant. Murmurabant equidem in parabola hi qui diutius laborarunt, aduerſus patremfamilias quòd parem aliis qui ſero venerant, dederit mercedem. Indignabatur item & in parabola ſenior filius aduerſus patrem, quòd redeunti fratri vitulum ſaginatum occiderit. verum à myſticis operariis aut fratribus abeſt omne murmur. Cæterum vt inſtitutum noſtrum apertius oſtendamus, proponatur exempli gratia verbum iſtud Chriſti: Ego & pater vnum ſumus. Aſſentiuntur huic ſinguli tam hæretici quàm orthodoxi, atque id quidem propterea, quòd norunt hoc ipſum à Chriſto fuiſſe dictum. Sed nunc ex ipſo verbo propter duplicẽ eius intellectum variæ ſuborta ſunt dogmata, quibuſdam dicentibus, quòd pater & filius vnũ ſunt ſubſtantialiter, aliis contra negantibus inter eos vnitatem ſubſtantiæ, ſed concordiæ duntaxat & animorum vnitatem inter eos ſtatuentibus. Orthodoxi prorſus affirmabant filium patri conſubſtantialem eſſe: at Arrius & ſequaces ſui modis omnibus inficiabantur. Sed dum ita contenderetur, periclitabantur complures ex ouibus Chriſti. Nec de ſimplicioribus tantum loquor, ſed de robuſtioribus ipſis athletibus, qui præter lumen fidei, plurimam inſuper in ſcripturis habuerunt eruditionem. Euſebius ille Cæſarienſis, quem Hieronymus in catalogo ad Deſiderium, propter exercitationem ipſius in ſcripturis, clauem appellat ſcripturarum, cuſtodémque noui teſtamenti: Is cum eſſet talis ac tantus vir; audiens tamen interpretationem ab Arrio factam, credidit illi, ſecutus aliquandiu partes Arrij: & tamen quis dubitat illum ouem Chriſti fuiſſe, cum hinc in veram fidẽ Chriſti migrauerit? Quòd ſi periclitatus eſt Euſebius, & ita collapſus in iudicio, quam iudicij, quæſo, certitudinem habet reliquus populus? At, inquies, audiuit Euſebius tandem, & credidit filium patri conſubſtantialem eſſe. non reluctor, ſed mihi ſufficit, ſuopte eum iudicio (cum eſſet ouis Chriſti) falſum eſſe, & ſic perinde ſecutus eſt vocem alienam à Chriſto. Quod ſi ius habuit iudicandi; iure ſuo tum id fecit, & bene ſibi licuit hoc ipſum facere. At nemo non videt illum in hoc peſſimè feciſſe, ſequendo iudicium proprium, cum non ignoraret maiores ſuos contrarium & ſenſiſſe & docuiſſe: Id quod ipſemet reſipiſcens confitebatur, vt in hiſtoria liquet ab eodem ſcripta.

Prædeſtinati tandem conuertuntur.

Ioan. 10.

Parabolarũ verba non habent omnẽ myſticã veritatem

Matth. 20.

Luca. 15.

Ioan. 10.

Hæreſes ex male intellecta ſcriptura naſcuntur.

Euſebius Arrij dogmate corruptus fuit.

XII. Iſtud apertiſſime conuincit quale ius in diiudicandis dogmatibus habeant Chriſtiani, nimirum aſſentiendi duntaxat, atque id non ſolum Euangelio, verumetiam omni veritati catholicæ quæ per maiores noſtros vnanimi conſenſu ſelecta eſt Eccleſiæ vt credatur. Nam in eis non eſt dubium quin ipſe Chriſtus vnà cum Chriſti ſpiritu ſit locutus.

Chriſtiani aſſentire debent & Chriſti verbis & ſanctorum patrum.

Quamobrem & hanc vocem tandem audient omnes quicunque verè ſunt oues Chriſti. Et qui finaliter hanc vocem non audierit, apertè monſtrat ſe nequaquam ouem fuiſſe Chriſti. Sed neque ius vllum habet quiuis Chriſtianus ab hac voce diſſidendi. Nam ſi tale ius habuerit, licebit item & verbo Chriſti diſſentire: id quod planè falſiſſimum eſt. Nam vnde cognoſcimus Chriſti vocem, niſi per maiores noſtros, qui nobis eam indicauerunt? Vnde (precor) ſcimus quæ vera fuerint Euangelia, quod Matthæi fuerit, aut Lucæ, aut Iohannis, niſi per illos? Quamobrem vt fidem eis habuimus in Euangeliorum decernenda veritate, ita par eſt & interpretationi per eos traditæ, præſertim vbi omnes conſentiunt, pariter adhibeamus. Nam ſi quiſque noſtrum ſuum iudicium & proprium ſpiritum ſequatur, tot haud dubie ſenſus erunt, quot fuerint capita. Quocirca ſtandum eſſe maiorum definitionibus quis non planè perſpicit? Errare quidem potuit vnus aut alter patrum, non diffiteor. At quòd omnes errauerint etiam in re ſeria quæ ad fidem pertinet, & tum cum vnanimiter de illa conſenſerint, tantum abeſt vt credam, vt etiam in hac fide mori ſim paratus. Neque enim credibile eſt ſacrum illum ſpiritum, quem & veritatis ſpiritum Chriſtus appellauit, atque ob id mittendum pollicitus eſt, quatenus ob docendam nos omnem veritatem in Eccleſia reſideret, fuiſſe paſſum, vt tot duces qui nos præceſſerunt, errarint omnes, & tanto tractu temporum, & in tantam perniciem & ſtragem animarum.

Veritatem Euangelij per patres ſuſcepimus.

Patres ſimul conſentientes in veritate fidei nõ errauerunt.

Addam & iſtuc, quòd qui maiores iſtos, hoc

eſt

eſt priores patres ſequi contemnit, neque dignatur habere ceu duces ingreſſus ſui, ſed ſuopte iudicio fretus, ſpiritumque proprium ſecutus, irruit in ouile Chriſti, euidentiſſimum indicium eſt, oſtiarium illi non aperuiſſe, neque per verum oſtium intraſſe, ſed tanquam furem & latronem aliunde quàm per oſtium & oſtiarium conſcendiſſe. Nam quis ambigit, priores patres in ſtabulum ouium legitimè fuiſſe ingreſſos, oſtiarium que ſibi perfamiliarem habuiſſe, rectáque tendiſſe ad oſtium? Quamobrem cum Lutherus plusquam ſuperbiſſimè contemnat illorum incedere veſtigiis, quis vnquam credat aut oſtiarium illi, quem ſuis familiaribus nouerit infenſiſſimum, aperire voluiſſe, aut hominem tam arrogantis animi per oſtium tam humile potuiſſe intrare? Sed vereor ne mea prolixitate nimio lectoribus tædio ſim futurus. Quamobrem & ſuccinctius ad reliqua reſpondebo.

Qvarta Lvtheri Ratio.

XV. Et Paulus (inquit) cum 1. ad Corint. 14. dicit, Vnus dicat, cæteri iudicent. quòd ſi ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat: nonne & hic iudicium penes auditorem eſſe vult?

Reſpondeo. Apud aliquot auditores iudiciũ eſſe vult, ſed non apud omnes. Nam probè nouit Paulus inter eos fuiſſe complures qui iudicare nequiuerint: id quod ex epiſtolæ principio compertiſſimum eſt, vbi & dicit: Ego fratres, non potui vobis loqui vt ſpiritualibus, ſed vt carnalibus, vt infantibus in Chriſto. lactis potu vos alui, & non cibo. Nondum enim poteratis, ſed ne nunc quidem adhuc poteſtis. Nam adhuc carnales eſtis. Quiſquis autem carnalis eſt, is (vt paulo ſuperius oſtendit) non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, nempe quod ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſpiritualiter diiudicentur. Falſum eſt igitur quod cæteris omnibus permiſerit iudicium, ſed tantum his qui verè prophetæ vereque ſpirituales eſſent. Nam & ſignificauit inter ipſos aliquot fuiſſe qui videbantur eiuſmodi, nec tamen erant, cum in eodem. 14. cap. ſubiunxerit, inquiens: Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo vobis, quòd Domini ſint præcepta. Liquet igitur ex his, haudquaquam cæteris omnibus de populo, ſed tantum his qui verè prophetæ veréque ſpirituales eſſent, permiſſum eſſe iudicium. Nam id alioqui non mediocris confuſionis & diſſidij foret occaſio, ſi quiſque iudicium ſequeretur ſuum, & de ſuo cerebro loqueretur. Propter quod & Paulus idipſum prohibens dixit: Non eſt Deus confuſionis author, ſed pacis, vt in omnibus congregationibus ſanctorum. Perinde ac ſi dixerit: Ad hunc modum omnis ordo perturbaretur, & magna fieret in Eccleſia confuſio, quæ non poteſt à Deo proficiſci, à quo pax & ordinis integritas promanat. Quæ verba ſi Lutherus exactè perpenderet, ſciret planè diſſenſiones iſtas, quas in Eccleſia iam excitauit aduerſus priores patres, cum tantam confuſionem tantamque iuſti ordinis perturbationem pepererint, nequaquam ex Deo eſſe, qui non eſt confuſionis author, ſed pacis.

1 Cor 3.

Paulus non reliquit cõmuniter omnibus iudicium.

Cor. 14

Doctrina Lutheri non eſt à Deo.

Qvinta Lvtheri Ratio.

XVI. Sic quicquid Chriſtus Matth. 24. & vbique de falſis doctoribus, quicquid Petrus & Paulus de falſis apoſtolis, magiſtris, & Iohannes de probandis ſpiritibus præcipiunt, eò pertinet, vt iudicandi, probandi, damnandi authoritas apud populum ſit. idque iuſtiſſime. Reſpondebimus ad ſingula. Chriſtus Matt. 24. dicit: Videte ne quis vos ſeducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus. & ſeducent multos. Et mox eodem cap. ſubdit: Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis. An non iam ingens prodigium eſt, magnam Germaniæ partem per vnum fraterculum ſeduci, ne tot proceribus Eccleſiaſticis qui nos præceſſerunt, quicquam credant? Cæterum quid pro illis ſubiecerit Chriſtus, palam eſt. Iuſſit enim ne quiſquam eiuſmodi pſeudoprophetis crederet. Nolite (inquit) credere. perinde ac ſi dixiſſet, State in doctrina quam accepiſtis, nec relinquatis eam propter iſtorum noua dogmata. Paulus item 2. ad Corint. 11. metuit, ne per aſtutiam huiuſmodi pſeudoapoſtolorum, quos & illic vocat operarios ſubdolos, & transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti: Metuit (inquam) ne per eorum aſtutiam Corinthij corrumperentur, quemadmodum & per aſtutiam ſerpentis Eua fuerat olim ſeducta. Et hic molitur Paulus, quòd ab his audiendis Corinthij potius in totũ abſtineant, quàm vt eorum dogmata patiantur audire. Et Petrus eiuſmodi pſeudoprophetas magiſtros vocat mendaces, qui clam inducunt ſectas pernicioſas. Et mox in eodem ſubdit, eos carnem ſequi, in concupiſcentia pollutionis ambulare, dominationem contemnere, audaces præfractóſque eſſe, nec vereri alios qui gloria præcellunt, conuiciis inceſſere. Quibus profectò verbis aut Lutherum expreſſit, aut neminem.

2. Petr. 2.

Porro diſcretio ſpirituum peculiare donum eſt, nec ad ſingulos pertinet, vti Paulus apertè teſtatur. 1. ad Corin. 12. Iohannes igitur in epiſtola. 1. cap. 4. cum de probatione ſpirituum ſic loquatur, Chariſſimi, ne cuiuis ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Hoc inquam loco Iohannes vel non à ſingulis examinari ſpiritus iubet, vel talem examinationem fieri mandat, quæ non multam aut ſubtilem exigit eruditionem. Nam hoc ſolo indicio pſeudoprophetam dignoſci vult, quòd Eccleſiã ſcindat, & ſchiſmatum ſpinas, hæreſumque tribulos introducat. Nam hi ſunt fructus quos tales arbores pariunt. Sed Iohannem audiamus. Per hoc cognoſcite ſpiritum Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Quid hic dicemus? An non Arrius confitebatur Chriſtum Ieſum in carne

Iohan. 4.

veniſſe?

veniſſe? Et Aetius, & Eunomius, & Macedonius, ſed & alij hæretici complures? Confitebantur haud dubie, ſed voce tantum, factis verò negabant, cum tamen Chriſtus in carnem venerit ob vnitatem & charitatem, quam illi ſcindunt, lacerant, diſcerpunt. Non enim colligunt cum Chriſto, ſed diſpergunt, imò ſoluunt Chriſtum, hoc eſt myſtici corporis eius dilaniant vnanimitatē. Propter quod in Iohanne ſequitur: Et omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt. Sic enim habet tranſlatio quæ communiter legitur, quā & hoc loco veriorē eſſe puto. Nā annotauit Beda, qui Theodorū audiuit natione Græcum, & in ſcripturis egregie doctū, quoſdam ex hæreticis (qui prauo dogmate Chriſti diuinitatem ab hominis diſpenſatione ſeparare conabantur) hunc verſiculum ex epiſtola Iohannis eraſiſſe. Certum eſt igitur omnem ſpiritum, qui quouis modo Ieſum ſoluit, ex Deo non eſſe. Quis ergò non apertiſsime cernit Lutherum, qui tanti ſchiſmatis author eſt, tamque miſere ſcidit & dilacerauit eccleſiaſtici corporis vnitatem, prioréſque contempſit patres, verè ſchiſmaticū eſſe, & hac notā manifeſtariū eſſe pſeudoprophetā? Hoc iudicandi ius licere cuiq; de populo non inficior, id eſt, vt quamprimum quempiam aliqua ſuſpicione ſenſerint eſſe ſchiſmaticum, eius dogmata communionemque prorſus vitarit, donec legitime fuerit purgatus. Cæterum de ſubtilitate dogmatum iudicare, nec ad plebē pertinet, nec ſcripturis vllis, vt id à plebe fieri debeat, vſquam traditur. Ioannes verò paulo poſt in dicto capite manifeſtum ſubdit indicium, quo quiuque poſsit ſpiritum erroris à ſpiritu veritatis diſcernere, idque citra magnam eruditionem, aut ſubtile dogmatum diiudicationem. Sic enim ait: Qui nouit Deum, audit nos. Qui non eſt ex Deo, nō audit nos. Per hoc cognoſcimus ſpiritū veritatis & erroris. Hactenus ille. Neq; enim cum dixerit, Qui nouit Deum, audit nos; hoc pro ſolis Apoſtolis & diſcipulis qui tunc fuerant, intelligi voluit, ſed & pro cæteris quicunque forent in Eccleſia legitime ſucceſſuri, ſeruaturique myſtici corporis vnitatem. Quomodo igitur Lutheri ſpiritus ex Deo poterit eſſe, qui cunctos apoſtolorum & diſcipulorum ſucceſſores pro nihilo ducit, & contemnit penitus?

Verſus ex epiſtola Iohan. eraſus fuit ab hæreticis.

Luth. ſchiſmaticus eſt.

1. Iohan 4. Spiritum erroris facile deprehendi tur.

An non ex hoc manifeſtè conſtat ſpiritū eius ſpiritum erroris eſſe, non veritatis? Vix potuit igitur Lutherus aliis vti teſtimoniis quæ magis eum demonſtrarent pſeudoprophetam eſſe. Neque tamen aſſecutus eſt quod molitur, nempe quod ob id ſua dogmata credantur à nobis eſſe catholica, quod talia cenſeantur à ſectatoribus ſuis, & populari iudicio pro dogmatibus verè orthodoxis comprobentur.

Lutherus habet ſpiritum erroris.

XVII. **Sexta Lutheri Ratio.**

" Nam vnuſquiſque ſuo periculo rectè aut falſe credit; ideoque cuiq; pro ſe curandū eſt, vt rectè credat: vt etiam communis ſenſus & ſalutis neceſſitas vrgeat neceſſariò iudicium doctrinæ penes auditorem eſſe.

Reſpondemus, quòd quēadmodum in emendis rebus, emptoris periculo fit ſi quid vel rectè vel ſecus ematur: tamen quia non omnes æquè periti ſunt in diſcernenda bonitate rerum emendarum ideo quicunque non planè ſtolidi ſunt, conſulunt peritiores; quibus in eiuſmodi negocio credunt, neque ſuo ipſorum iudicio fidunt, nempe quòd intelligant ſe per imperitiam facile falli poſſe: ad eum modum & ſimpliciores Chriſtiani qui falli nolunt, facere tenentur, & eò certè magis, quòd ex errore fidei maius immineat periculum, quàm ſi quis erraueris in re quapiam emenda. Nam hic ſolam pecuniā amittit, illic verò perdit & animam. Diſcriminoſum eſt igitur cuiuis craſſiori ſuum hic ingenium aut iudicium ſequi velle, ſed illorū ſequetur autius, quorum probitati confidit, & de quibus nullam vnquam audierit falſi dogmatis ſuſpicionem. Quòd ſi viuos habere magiſtros nequeat, habere poteſt vel mortuos, de quorum fide, vita, eruditione nullus vnquam bonus dubitauit: veteres ſcilicet illos quibus ipſe ſacer ſpiritus plenius & copioſius illabebatur. Hi profectò longe ſecurius audiuntur, quàm pleriq; eorum qui iam viuunt, cùm plus illi de ſpiritu credantur imbibiſſe. Porro quòd dicit Lutherus communem ſenſum & ſalutis neceſſitatem vrgere, vt neceſſariò penes auditorem ſit iudicium, apertiſsimè falſum eſt, niſi plane ſpiritualis & in ſcripturis exercitatus auditor ipſe fuerit: imò communis experientia ſalutiſque neceſsitas nos admonent, vt aliorum potius iudicium ſequamur, de quorum eruditione probitatéque confidimus magis quàm de noſtra. Sed nunc ad id quod ſubdit Lutherus.

Periculoſius conſulendi ſunt Chriſtiani.

Septima Luthari Ratio. XVIII.

Alioqui fruſtra dicitur, Omnia probate, " quod bonum eſt tenete. Reſpondemus, Id " dictum fuiſſe toti corpori Eccleſiæ, non ſingulis ipſius membris; quemadmodum ſi quis vni homini dixerit, Vide, audi, contrecta, curre: nō pro ſingulis quibuſq; mēbris hæc dicuntur, ſed aliud ad oculos pertinet, aliud ad aures, ad manus tertiū & quartum demum ad pedes. Sic cum toti Eccleſiæ dicit Paulus, Omnia probate: non ſingulis hoc dicit, ſed ſpiritualibus, quorum eſt pro toto corpore ſolicitos eſſe, rectumque ſuper dogmatibus & examen & iudicium ferre. Quicquid autem ipſi ſanum iudicauerint, idipſum à cæteris abſque ſcrupulo debet approbari. Nam quemadmodum guſtus in humano corpore pro cæteris membris diiudicat quid ſapiat, quidve contrà fuerit inſipidum: ſic & in corpore totius Eccleſiæ ſpirituales viri guſtum obtinent pro cæteris, quos & decet citra quamuis hæſitationem illorum iudicio ſtare: neque minus tutum id erit, vt oſtendimus, imò longe tutius, quàm ſi ſuo quiſque confidat ingenio, quod nec ſine periculo, neque citra deteſtabilem arrogantiam fieri ſolet. Cæterum & hic optarim Lutherus attenderet quod ilico ſubiunxit Paulus: Ab omni ſpecie mali abſtinete vos.

1. Theſ. 5.

1. Theſ. 5.

Hoc

Hoc ſi vel ipſe, vel ſectatores eius diligentius expenderent, nunquam relictis patrum priorum dogmatibus ad alia noua prorſuſque repugnantia ſeſe conferrent, maximè cum Paulus ad Hebræos iuſſerit, Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini. Hæc ſi ſpecies mali non ſit, non intelligo quid aliud ſpecies mali dici queat.

Hebr. 13.

Octava Lutheri Ratio.

XIX.

» Et iterum: Spiritualis omnia iudicat, & ipſe » à nemine iudicatus. At quilibet Chriſtianus » eſt ſpiritualis à ſpiritu Chriſti.

Paulus eo ipſo loco quo dicit ſpiritualem omnia iudicare, & ipſum à nemine iudicari, hoc & epiſtola priori ad Cor. teſtatur, eos plures Chriſtianos carnales fuiſſe, & non ſpirituales, vti ſuperius oſtendimus, ac proinde nec poſſe de ſpiritualibus iudicare. Neque enim omnis qui ſpiritum ſanctum habet, protinus eſt Paulo ſpiritualis, ſed qui dilucide mentem habet illuminatam à ſpiritu, & affectum ab eodem feruenter inflammatum. Variis enim gradibus ſecundum varia dona ſpiritus illabitur hominibus. Et multi ſpiritum habent, qui non tanta perſpicacitate illuſtrantur, vt iudicare queant de omnibus. Iſtud nihil ambigo quin ſit cunctis manifeſtum. Quàobrem & huiuſmodi ſpiritualis, qui ſic illuſtratur & afflatur, omnia diiudicare nouit, nec debet aut poteſt à craſſiori & carnali populo diiudicari. Verum iſtud nequaquam in ſingulos de populo competit.

1. Cor. 2.

Spiritualis homo non quilibet dicitur, qui ſpiritum ſanctum habet.

Nona Lutheri Ratio.

XX.

Quod poſtremò ſubdit ex eadem epiſtola, Omnia veſtra, ſiue Apollo, ſiue Paulus, ſiue Cephas: nihil ad inſtitutum Lutheri facit, cum Paulus hoc vbique agit, vt de ſe iudicare nihil ad ipſos pertineat: quandoquidem & ante ſit teſtatus ſe tenere mentem Chriſti, ac proinde ſpiritualem eſſe, nec debere à quoquam iudicari. Similiter & inferius cap. 4. dicit. Mihi pro minimo eſt vt à vobis diiudicer, aut ab humano die. Et paulo poſt, Qui me iudicat, dominus eſt. Nihil igitur ad rem attinent priora verba quæ Lutherus produxit. Sed & manifeſtè falſam attulit interpretationem, cum ſubiecit: Id eſt de omnium dictis & factis iudicandi ius habetis. Nam & ſubſequenter vetat Paulus eiuſmodi iudicia, dicens; Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus. Quare falſum eſt, quòd de omnium dictis & factis haberent ius iudicandi. Quæ verò ſequuntur in Luthero, conuicia iactantiæque ſunt, quibus ego non reſpondeo, ſed iudicio lectoris permitto: quem obnixius precor, vt cum illis conferre velit quæ ſupra diximus. Ipſa verò conuicia quiſquis legerit, intelliget ea nequaquam à ſancto ſpiritu, ſed à dæmone quopiam impiſſimo proceſſiſſe potius.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Ordinem & matrimonium eſſe ſacramenta, conferreque gratiam efficaciter.

Cap. XII.

L.

Iam poſtremo loco cum prope calcem libelli quædam aduerſus ordinis & matrimonij ſacramenta Lutherus obiecit, ad ea paucis reſpondebimus. Contendit hic Lutherus, ordinem haudquaquam ſacramentũ eſſe, quòd ſacramenti ratio quam ipſe excogitauit, neutiquam, vt ait, conueniat ordini. Ego " (inquit) ordinem negaui ſacramentum eſſe, id " eſt promiſſionem & ſignum gratiæ adiectum, " quale eſt baptiſmus & panis. Nullum itaque Luthero ſacramentum eſt, niſi quod apertam in ſcripturis habeat gratiæ promiſſionem, cui ſignum quoque ſenſibile ſit adiectum. At quid opus fuit vt Lutherus hanc nobis nouam ſacramenti rationem excogitaret? Intellige lector, ob id hunc nodum in ſcirpo ſtuduit immittere, quò ſuum errorem (quem de fide concepit) ſecurius tueatur. Nam perſpexit homo vaferrimus, ſi per ſacramenta quis gratiam aſſequi valeat, iam conſequens eſſe, vt non ſola fide iuſtificemur, ſed per ſacramentorum etiam opera. Quod ſi quis admiſerit, iam corruit funditus vniuerſa Lutheri ſtructura. At quàm ſit illud ſcripturis conſentaneum, pluribus inter confutandum articulos per illum aſſertos oſtendimus, ar. 1. Quibus iam hoc vnum adiiciemus. Si fides ſola iuſtum efficiat, & opera nihil penitus adiiciant iuſtitiæ, tum Iohannes in epiſtola prima cap. 3. non rectè iuſtum diffiniuit cum dixit: Qui exercet iuſtitiam, iuſtus eſt. Quod ſi verum ſit, vt & eſt omnino veriſſimum, oportet eum qui velit iuſtus eſſe, iuſtitiam exercere, neque ſufficit cuiplam vt credat ſolum. Nam quantumuis quis crediderit, ſi ſua ſponte peccet, iniuſtus e veſtigio redditur: quemadmodum è regione Iohannes ſubdit: Qui committit (inquit) peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. Ecce qui ſua ſponte peccat, ex diabolo eſt. Quomodo ergo non eſt ex diabolo, qui in omni opere quod facit peccat, id quod Lutherus vbique contendit? At his annectit Iohannes: Ad hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Venit ergo filius Dei, non ſolum ob id vt crederemus, verumetiam vt in præceptis eius incederemus, neque ſponte peccaremus noſtra. Quiſquis autem hæc facit, iuſtitiam exercet, & iuſtus eſt, neque ſola fides eum iuſtum reddit, ſed opera quoque præter fidem. Hortatur etiam Timotheum Paulus. 1. ad Tim. 1. quatenus præter fidem, conſcientiam inſuper bonam habeat. Habens (inquit) fidem, & bonam conſcientiam, Non ſufficit ergo fides, ſed oportet inſuper & bona fulciri conſcientia, quam & ille ſortitus eſt ſolus, quem prius admiſſorum verè pœnitet, & voluntatem habet firmam deinceps rectè operandi. Quiſquis horum ſibi conſcius non fuerit, is profectò non habet conſcientiam bonam, neque iuſtus dici poterit. Hæc diximus, vt intelligas

Definitio ſacramenti à Luthero.

Opera ad iuſtitiã conducunt.

gas optime lector, quàm inſolidæ caducæque baſi Lutherus innitatur, cum fidem ſiue operibus ſufficere doceat, nec opera iuſtitiæ quicquã fidei ſuperaddere. Super qua baſi ſtructuram hanc molitur, vt pro ſacramentis nulla conferatur gratia, ſed hanc (vt ait) ſola fide conſequimur. Nos verò vt non inficiamur quin prima iuſtificationis gratia per ſolam fidem acquiri poſſit, vbi fides valida fuerit: ita non dubitamus & in his in quibus fides admodũ tenuis eſt, per ſacramenta gratiam conferri, & per opera bona collatam augeri poſſe. Cæterum Lutherus vt ſuam hæreſim facilius aſtruat, hanc nobis nouam ſacramenti rationem excogitauit: quam ſi admiſerimus, tum vix vllum è ſeptem habebimus pro ſacramento, tum alia plura (de quibus nemo quicquam tale cogitauit) ſacramenta fore concedemus.

11. Sed ago prius illud doceamus. Euchariſtia nullam apertam habet gratiæ promiſſionem, & maxime ſi quis negauerit ſextum caput Euangelij Iohannis ad Euchariſtiam ſpectare, quemadmodum omnino contendit Lutherus. Nam de remiſſione peccatorum promiſſio quæ illic memoratur, haud dubie propter effuſionem ſanguinis in cruce fit, & non ob eius potationem è calice, quod multis verbis ante perſpicuum fecimus. Quamobrem nec erit iuxta hanc ſacramenti rationem Euchariſtia ſacramentum. Et baptiſmus quoque, ſi quis velit contentioſior eſſe, & tam Luthero nihil admittere, niſi quod palam in ſacris literis exprimatur, nuſquam habet apertam gratiæ promiſſionem ſub expreſſo nomine gratiæ. Atque ita nullum è ſeptem habebitur ſacramentum.

Quòd ſi dixerit argumento colligi poſſe, gratiam pro ſuſceptione vtriuſque promiſſam eſſe: verum id quidem: ſed non quicquid argumento colligi poteſt, id protinus conuincitur eſſe palam expreſſum. Nam pleraque ſunt quæ poſſunt argumentis induci, quæ tamen prima fronte plurimum obſcura ſunt. Sed & argumento colligi poteſt, gratiam fuiſſe promiſſam ob ſingulum quodque ſacramentum. Nam ſi gratiam recipiat quiſquis rite præparatus ſacramentum aliquod accipit, cum id citra pactum à Deo nobis factum fieri non poſſit, conſequens eſt vt hoc ipſum ante promiſiſſet Deus futurum. Ecce iam argumento colligitur promiſſam fuiſſe gratiam pro quouis ſacramento. Quòd ſi neget Lutherus ex ſcripturis oſtendi poſſe gratiam ad alia ſacramenta dari, præterquam ad baptiſmum & Euchariſtiam: doceat ipſe primùm hoc in Euchariſtia baptiſmóque fieri, & nos eadem facilitate docebimus idipſum de reliquis. Atqui ſat ſcio, niſi petierit ſuppetias è. 6. ca. Ioannis, quod ipſe palam recuſauit, hoc de Euchariſtia nunquam eſt oſtenſurus.

111. *Ad Lutheri dicta conſequitur diuerſa eſſe ſacramenta.* Sed iam alterum quod polliciti ſumus oſtendamus, nempe quod iuxta rationem excogitatam à Luthero multa alia de quibus nihil tale exiſtimatur, erunt ſacramenta. Nam eleemoſyna ſacramentum erit, & dimiſſio fraternæ iniuriæ, & precatio, atque id genus alia. Pro eleemoſyna primum eſt aperta Chriſti promiſſio dicentis: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. *Luca 11.* At ſine gratia non purgatur animus. Quamobrem & hic promittitur gratia, quæ cum abſcondita ſit & inuiſibilis, neque deſit hic ſenſibile quoddam ſignum, res videlicet quæ donatur: iam conſequitur vt eleemoſyna verum ſit Luthero ſacramentum. Dimiſſio quoque fraternæ iniuriæ ſacramentum erit. Nam promiſit Chriſtus, Dimittite, & dimittetur vobis. *Luca. 6.* Dimiſſio verò peccatorum non fit niſi per gratiam. Ecce igitur promiſſionem gratiæ. Porro ſenſibile ſignum eſt, quando verbo vel nutu condonatur fratri. Sic in precatione promiſſio eſt. Petite, & accipietis. *Luca. 11.* Senſibile ſignum eſt geſtus, & orantis verba. Quamobrem cum ſit in horum ſingulis promiſſio, & ſignum gratiæ adiectum, quis negabit quin iuxta Lutheri traditionem hæc erunt verè ſacramenta? Neque hic affirmo quòd hæc ſacramenta ſint, aut vbiuis alibi prius affirmauerim, quemadmodum & captioſe Martinus Bucerus, ſed parum prudenter mihi obiicit. Hoc tantum dixi, & dico, quòd iuxta rationem à Luthero ſuperius traditam, neceſſe eſt hæc ſacramenta dici debere. Nihil igitur oportuit huiuſmodi nouam ſacramenti rationem excogitare, ſed potius oſtendiſſe, eam quæ apud omnes communiter exiſtimatur ſacramenti ratio, nequaquam his conuenire quæ orthodoxi pro ſacramentis habent. Quod ſi non fecerit, nihil agit. Nam parum dialecticè ſubinfertur: Non ſunt ſacramenta iuxta rationem ſacramenti quã ſomnia, ait Lutherus, ideo non ſunt ſacramenta. Sufficit enim orthodoxis, ſi iuxta rationẽ quam ſchola theologorum hactenus approbauit, ſacramenta dici queant, hoc eſt, quòd ſigna ſint rerum ſacrarum, & formæ quędam viſibiles inuiſibilis gratię. *Definitio ſacramenti catholica.* Cum igitur ad iſtum modum hæc ſeptem (quæ pro ſacramentis Eccleſia numerauit) habeantur & ſint ſacramenta, incaſſum Lutherus nobis aliam ſacramenti rationem comminiſci molitus eſt. Et quanquam rex illuſtriſſimus pluribus & apertis ſcripturarum teſtimoniis oſtenderit, ordinem ad hunc modum ſacramentum eſſe, Lutherus tamen, tanta eſt hominis impudentia, nihil eorum agnoſcere dignatur, præter vnum quod ad Titum ſcripſit Paulus, de quo ſic ait: Nihil proferunt dignum reſponſione per tota ſex ſacramenta, niſi vnum illud, quod de ſacramento ordinis adducit, Paulum ſcilicet ad Titum iubentem, vt per Eccleſias ordinet presbyteros. Hoc enim loco vult inſtitutum ordinis ſacramentum. Hæc Lutherus. At Rex ipſe nunquam aſſeruit his verbis, aut hoc loco ſacramentum ordinis inſtitutum fuiſſe, ſed & locos alios ex Paulo & multo ſanè dilucidiores attulit, quibus luculenter oſtendit manuum impoſitione dari gratiam in ordinatione presbyterorum. *Gratia Dei confertur in ordinatione per manuum impoſitionem.* An non hanc rem vel digito Paulus indicat, cum ad Timotheum ita ſcribat epiſtola priori: Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſi- *1. Tim. 4.*

1. Timot. 1. poſitione manuum presbyterij? Et rurſum in epiſtola poſteriori: Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. Et iterum vbi vetat ne abutatur authoritate ſibi data, dicens: Nemini citò manus impoſueris. An non ex iſtis perſpicuum eſt impoſitionem manuum in ordinationibus presbyterorum fieri, & eadem inſuper donari gratia? Impoſitio igitur manuum, quæ & in ipſis ordinatio eſt, ſenſibile ſignum eſt inuiſibilis gratię, & perinde verum ſacramentum.

IIII. Sed hanc gratiam alibi contendit Lutherus accepiſſe Timotheum cum à Paulo baptizaretur, & non cum inſtitueretur epiſcopus. At probet iſtud prius oportet, quàm ei credamus, nempe quòd Timotheus à Paulo fuiſſet baptizatus. Doceat iſtud ex ſcripturis, quod ſcio nunquam faciet. Et niſi ſcripturas attulerit, inanis erit eius probatio. Sed dicet: Paulus in vtraque epiſtola filium ſuum vocat Timotheum. Eſtò. Sic & Corinthios vocat filios. Nam in epiſtola priori ſic eos alloquitur: Non quò vos pudore ſuffundam, hæc ſcribo, ſed vt filios meos dilectos admoneo. Nam etiam ſi innumeros pædagogos habeatis in Chriſto, non multos tamen habetis patres. Siquidem in Chriſto Ieſu per euangelium ego vos genui. Ecce Paulus & apud ipſos Corinthios gloriatur ſe per euangelium eos genuiſſe, quos vt audiſti, filios ſuos dilectos vocat, & eorum ſe dici patrem gloriatur: & tamen certum eſt eos à Paulo neutiquam fuiſſe baptizatos. Gratias (inquit) ago Deo, quòd neminem veſtrum baptizauerim, niſi Criſpum & Gaium. Et mox ſubdit: Non enim miſit me Chriſtus vt baptizarem, ſed vt euangelizarem. Nihil ergo probat Timotheum fuiſſe baptizatum à Paulo, quòd Paulus eum vocarit filium. At Lyſtris (inquit) erat Timotheus, cum Lyſtrenſes per Paulum & Barnabam conuertebantur ad fidem. Et iſtud vt donemus tibi, non tamen ob id conſequitur quòd Paulus illum baptizarit. Nam cum euangelio Corinthij primùm credidiſſent & baptizarentur, erant Corinthij alij complures præter Criſpum & Gaium & Stephanæ familiam, nec tamen (vt iam diximus) à Paulo fuerant baptizati. Adempta eſt igitur Luthero facultas omnis penitus qua monſtret ex ſacris literis Timotheum à Paulo fuiſſe baptizatum. Quamobrem & hæc tergiuerſatio nihil ei conducit. Sed habet tortuoſus coluber diuerticulum aliud, nempe quòd hæc manuum impoſitio nihil ad ordinis pertineat ſacramentum. ſic enim paulò pòſt ait:

Paulus non legitur baptizaſſe Timotheum.

1. Cor. 4.

1. Cor. 1.

V. Quæ verò de impoſitione manuum ad ordinis ſacramentum trahit, vident pueri nihil ad ordinis ſacramentum pertinere. Sed more ſuo papiſtico ſic è ſcripturis facit quodcunque viſum fuerit. Impoſitio manuum tunc erat donatio viſibilis ſpiritus ſancti. hæc Lutherus. Nos verò concedimus impoſitione manuum viſibiliter donatum fuiſſe ſpiritum, vt hi quibus ita donatus fuerat, eueſtigio linguarum donum acciperent, & etiam quibus vellent linguis loquerentur. At iſtud nihil prohibet quin ad alium effectum idem ſpiritus iterata manuum impoſitione donari poſſit inuiſibiliter. Nam ad varios effectus conferebatur idem ſpiritus, & variis item modis. In ipſo die quinquageſimo datus fuit abſque vlla manuum impoſitione, nimirum quando ſedit ſuper ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes qui tum aderant, ſpiritu ſancto. Inter quos & Stephanum & Philippum pariter accepiſſe ſpiritum nemo dubitat. Veruntamen cum iidem poſtea Diaconi fuiſſent conſtituti, impoſitione manuum denuo ſpiritum acceperunt, ſed ad alium effectum quàm vt linguis loquerentur, nimirum vt munus diaconi quod illis per Apoſtolos collatum fuerat, alacrius obirent, & adimplerent efficacius. Nam antea linguarum donum acceperant, nunc autem gratiam aliam inuiſibilem. Sic Paulus cum ab Anania, iuſſu ſpiritus, manus illi imponebantur, linguarum donum accepit, verùm poſtea cum per eundem ſpiritum iuſſus fuerat in apoſtolatum ſegregari, tum à prophetis & doctoribus denuo ſpiritum, & ad alium quidem effectum iterata manuum impoſitione concepit. Nam prophetæ ſimul & doctores qui tum Antiochiæ fuerant, vbi inter ieiunandum & ſacrificandum, de ſegregandis Barnaba & Paulo mandatum ſpiritus accepiſſent, impoſuerunt eis manus. Atque iſtud ieiunantes pariter & precantes fecerunt: vt. xiij. actorum dilucidè conſtat. Neque tunc iterum Paulus & Barnabas ſpiritum viſibiliter accepiſſe creduntur, ſed gratiam eius inuiſibilem, qua magis idonei redderentur ad officium apoſtolatus dignè exequendum. Similiter & presbyteros, qui poſtea per Paulum & Barnabam etiam impoſitione manuum creabantur, vt. 14. ca. palam eſt, bis accepiſſe ſpiritum non eſt ambiguum. Semel quidem cum eſſent confirmati, quod & commune fuerat cunctis illius temporis Chriſtianis: atque iterum, cum eſſent ordinati presbyteri. de qua quidem ordinatione ſic tradit Lucas: χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους. Et quanquam hoc verbum χειροτονέω ad plebem alibi pertineat, cum hi manuum eleuatione deligerent magiſtratus, nunc tamen palam eſt non de plebe, ſed de Apoſtolis ipſis, nempe Paulo & Barnaba, fuiſſe dictum, vt hi videlicet manibus, hoc eſt manuum impoſitione, tum creaſſent & præfeciſſent plebi presbyteros, precatique eſſent cum ieiuniis. Ecce ieiunia, præcationem, & manuum impoſitionem.

Spiritus ſanctus diuerſo modo collatus eſt.

Acto. 2.

Acto. 6.

Actorum. 9.

Presbyteri bis receperunt ſpiritum ſanctum.

Nunc cenſuram adhibe lector, vter è duobus, Rèxne an Lutherus ſcripturis verius & accommodatius vtatur. Iam vides, opinor, quàm perſpicuum ſit, impoſitione manuum creatos fuiſſe non diaconos modo, verumetiam apoſtolos atque presbyteros. Sed dicet Lutherus: Cur ergo Mathias non fuerat impoſitione manuum ordinatus? Ego rurſum percontor Lutherum, vnde nouit Mathiam non ita fuiſſe ordinatum? Si dixerit quòd in ſcripturis iſtud non traditur, At hæc argumentatio cum ſit merè negatiua, nihil efficit. hæc vtique dialectica neque rarò Lutherum fefellit. Veruntamen & ex ipſis actis videri poteſt VI.

Sanctus Mathias fuit impoſitione manuum ordinatus. poteſt Mathias etiam impoſitione manuum fuiſſe conſtitutus Apoſtolus. Nam illic ſcribitur: Et cooptatus eſt in numerum vndecim apoſtolorum. At hanc cooptationem non niſi manibus *Actorum. 1.* impoſitis per Apoſtolos fuiſſe factam credibile eſt. Sed eſtò, nulla fuerit hic manuum impoſitio. Poteſt tamen hoc in cauſa fuiſſe, quia nondum aduenerat ſpiritus, qui docuit Apoſtolos hoc ſigno donandam eſſe gratiam. At poſtquam idipſum reuelatione ſpiritus habuiſſent compertum, iam deinceps paſſim & confirmandis & ordinandis imponebant manus. *Impoſitio manuum habebat ſpiritus ſancti inſtitutum.* Nam certum eſſe cuiuis poteſt, quòd niſi ſpiritus hoc ipſum Apoſtolis inſpiraſſet, nec hi rem tam incredibilem tentaſſent vnquam, neque ſi tentaſſent, ſperare tamen effectum & tam infallibiliter ſecuturum quomodo potuiſſent? Hæc haud dubie ſpei certitudo, qua tum in hoc negotio freti ſunt Apoſtoli, palam indicat, ſpiritum cum eis ſuper ea re pactum iniiſſe, quòd ſcilicet ipſe præſto foret gratiam exhibiturus his vel confirmandis vel ordinandis, quibus illi tantæ rei cauſſa manus eſſent impoſituri. Ex quo loco, ſi non obſtinatæ mentis eſſet Lutherus, ſcire facile poteſt multa eſſe credenda, quæ ſacris literis minimè commendata ſunt.

VII. Ex his iam, opinor, manifeſtum eſt diaconos & presbyteros impoſitione manuum ordinari, ſimul & eadem illis conferri gratiam, atque id ex inſpirationis diuinæ pacto. Quamobrem cum ad peculiarem ſacramenti rationem nihil amplius exigatur, quàm ſenſibile ſignum & gratia ex pacto, quis deinceps hæſitare poterit, quin ordinatio, per quam ceu per ſenſibile ſignum confertur ex pacto gratia, ſit verè ſacramentum? Cæterum quòd populi ſuffragijs Lutherus electionem quamque fieri debere contendit, ad quem *Actor. 6.* modum & diaconi ſeptem inſtituti fuerant, non valde reluctarer, ſi populus poſſet ſepoſitis affectibus citra contentiones & tumultus de quouis vno conuenire. Verũ cum iſtud propemodũ impoſſibile ſit vt fiat, Eccleſiæ proceres ob crebra *Electio non fit ſuffragio populi.* diſſidia, pariter & ſeditiones, imò cædes quæ nõ raro contigerunt in his electionibus, dũ vna pars vni atq; altera pars alteri pertinaciter eſſet addicta, prorſus adacti ſunt negotiũ iſtud autoritate ſua incõſulto populo tranſigere. Cæterũ electio ſi per populũ celebraretur, ipſa nihilo magis aut presbyterum aut epiſcopũ facit, ſed poſtea quã quis ita fuerit electus, oportet nihilominus eundem ab iis qui autoritate pollent, rite ordinari. Quod etiam in ipſis ſeptẽ diaconis erat apertiſſimum, de quorũ ordinatione ſic in actis traditur: *Actor. 6.* In diebus illis creſcente numero diſcipulorũ, ortum eſt murmur Græcorũ aduerſus Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ ipſorũ. Duodecim itaq; cum iuſſiſſent adeſſe multitudinẽ diſcipulorũ, dixerunt: Nõ eſt placitum, vt vos derelicto ſermone Dei, miniſtremus menſis. Circũſpicite ergo fratres, viros ex vobis ſpectatæ probitatis ſeptem, plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, quibus delegabimus hoc negocij. Ecce lector hic vides primùm neceſſitatem ob quam Apoſtoli diaconorum electionem toti multitudini permiſerunt, nimirum quòd ſubortum murmur vix aliter ſedare valuiſſent, niſi populus pro ſui animi ſententia miniſtros accepiſſet. Cernis inſuper Apoſtolos ita rẽ hãc illis permiſiſſe, vt ſibi nihilominus ipſius muneris delegationẽ reſeruarint. Quibus (inquiunt) nos hoc negocij delegabimus. Porro qua cæremonia diaconos ipſos Apoſtoli cõſtituerint, palã eſt ex verbis quæ mox ſequuntur: Et cum oraſſent (inquit) impoſuerunt eis manus. De ieiunio quoq; supra locutus eſt Lucas. Nã his tribus in ordinatione quauis vſi ſunt Apoſtoli, nempe ieiunio, precationibus, & manuum impoſitione. *Tribus vtebantur apoſtoli in ordinatione.* Nihil ergo cũ actis apoſtolorũ pugnat factum Titi, qui fretus authoritate ſibi data per Paulum, presbyteros in Eccleſiis ordinauit, cum vbiq; per presbyterorum manus ordinabantur presbyteri. *Ad Tit. 1.* Sed neq; Pauli verba quicquam diſſident ab apoſtolorum exemplo, cum non populus, ſed Apoſtoli diaconis ipſum munus delegaſſent, & precatione facta manus ipſis impoſuiſſent. At populus (inquies) nominauit eos ſeptem, eoſdemque ſtatuit in apoſtolorũ conſpectu. Non reluctor: ſed hæc nominatio non fecit eos diaconos. Nam poſtea diaconi conſtituti ſunt, manibus (vt oſtẽſum eſt) ipſis per Apoſtolos impoſitis. Clariſſimum eſt igitur Apoſtolos impoſitione manuum ſuarũ tam presbyteros quã diaconos ordinaſſe. Quamobrem cum in hac ordinatione conferatur infallibiliter gratia, niſi per ipſũ qui ordinatur ſteterit, apertum eſt ordinationem eſſe verè ſacramentum: Nam in eam verè competit ratio ſacramenti peculiaris. *Ordinatio eſt ſacramentum.* Eſt enim inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ſic vt imaginem teneat, & cauſa exiſtat. Comitatur enim ordinationem illam velut ſignum indubitatum & efficax inuiſibilis quædam gratia. Cæterum cum alibi de ſacerdotio ſacrificioque miſſæ copioſius dicturi ſimus, *Pollicetur alium librum.* hic quantum ad ordinis attinet ſacramentum, finis eſto.

VIII. De matrimonio quoque, quòd & ipſum identidem ſacramentum ſit, paucis oſtendere conabor, quanquam idipſum fide quiuis multo facilius aſſequetur, quàm argumentis vllis. Mihi ſanè magnopere probatur illud Auguſtini, cum dicit: Sacramentis diuinis fides plus quã verborũ argumentatio adhibenda eſt. Et profectò ſufficere cuiuis bene Chriſtiano deberet, quòd Eccleſia nobis illa ſeptem pro ſacramentis dedit, mandans vt his fidem adhiberemus. Nam ſi reperiri queat in terris vſquam veritas, nuſquã infallibilius quàm in Eccleſia reperietur. Quæ res cum ob alia multa, tum ob tria potiſſimum ſcripturæ teſtimonia cuiq; poteſt eſſe perſpicua. *Eccleſiæ veritas tribus aſſeritur rationibus.* Et primum eſt, quòd Chriſtus qui ſe veritatem appellat, pollicitus eſt ſe cum Eccleſia futurum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi. *Prima. Ioan 14. Matt. 28.* Si Chriſtus qui eſt ipſa veritas, Eccleſiam nullo tempore deſtituet, certum eſt nec eam eſſe veritate deſtituendam vnquam. Alterum eſt, quòd *Secunda.* idem ipſe Chriſtus promiſerit Spiritum ſanctum

in Eccleſia perpetuò futurum, & eam ducturum in omnem veritatem. Ego (inquit) rogabo patrem, & alium conſolatorem dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Et haud multo poſt: Cum venerit ille qui eſt ſpiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Si ſpiritus veritatis Eccleſiæ nunquam non aderit, & eandē in omnem ducet veritatem, qui fiet vt pro veris falſa nobis tradi patiatur ſacraméta? Tertium eſt, quod primę ad Tim: 3. ſcribitur, Vt noris (inquit) quomodo te oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & baſis veritatis. Si domus Dei quæ eſt Eccleſia Dei viui, ſit columna baſiſq; veritatis, ruere is non poteſt, qui doctrinæ per eam traditæ conſtanter innititur. Iſta profectò me vſqueadeo mouent, vt non hæſitanter adhæream his quæ ſciam per Eccleſiæ definitionem eſſe comprobata. Quamobrem cū in œcumenico concilio Florentiæ habito, quò Græci pariter & Latini conuenerunt, definitum ſit, Eccleſiæ ſacramenta ſeptem eſſe, quæ gratiā dignè ſuſcipientibus conferant, in quibus & matrimonium pro ſeptimo connumeratur, nemo deinceps orthodoxus de veritatis huius determinatione ſecum dubitare poteſt.

Ioan. 14.

Tertia.

In concilio decretum eſt ſeptem eſſe ſacramenta.

12. Cæterum ne concilium illud citra ſcripturas & efficaces rationes hoc decreuiſſe putetur, nos quædam in medium afferemus teſtimonia, quibus id iure fecíſſe credatur ab omnibus. Et primum me mouet, & magnopere ſanè, Iohannis martyrium, qui pro coniugij violati reprehenſione mortē oppetiit. Fuerunt vtiq; ſcelera multa in ſpecię grauiora, pro quibus coarguendis ille pateretur, ſed nullū conueniêntius pro quo ſpōſi amicus funderet ſanguinem, quàm adulteriū, & coniugij violatio, cum ipſa potiſſimum in non mediocrem Chriſti iniuriam, qui ſponſus erat, redundabat. Porro ſponſum fuiſſe Chriſtū, Baptiſta teſtatur, inquiens: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autē ſponſi qui ſtat & audit eum; gaudio gaudet propter vocem ſponſi. hoc ergo gaudium meū impletum eſt. Hæc Baptiſta. Ecce ſponſus, Chriſtus eſt. Eccleſia, Chriſti ſponſa. Iohannes, amicus ſponſi. Sicut igitur amicus ſponſi Iohannes, impenſè gauiſus eſt de vnione ſponſi & ſponſæ, hoc eſt Chriſti & Eccleſiæ, ita non potuit non habere moleſtiſſimum, hanc iniuriam publicitus irrogatā fuiſſe coniugio, quod compertum habuit vnionis ipſius fuiſſe ſacramentū. Sed hic ſcio Lutherus dicet, nos principium petere, incumbereq; nobis primum, vt probemus coniugium huius vnionis ſacramentū eſſe. Iſtud, niſi fallor, poſtea faciemus. At interea velim expendat lector, quantum pertinuit ad amicū ſpōſi Iohannem, iniuriam ipſam vindicare, cum non potuit in hoc non lædi ſponſus, ſi coniugium quod coniunctionis Chriſti cum Eccleſia ſignum erat, quouis modo violaretur. Nam ita quiuis facilius colliget, & violationem coniugij in ipſius ſacræ vnionis derogationem redundaſſe, & Iohannem appoſitè pro violato coniugio martyrium fuiſſe perpeſſum.

Iohannes Baptiſta occiſus eſt propter adulterij correptionem.

Matth. 14.
Marc. 6.
Luce 9.

Iohan. 3.

Canisii dilutio.

13. Cæterum quòd coniugium ſiue matrimonium ſit vnionis ipſius ſacratiſſimæ ſignum, Rex illuſtriſſ. ex ipſius Pauli verbis ad Ephe. 5. hoc adeo copioſe docet, vt non videam quid facile queat addi, aut qua poſſit Lutherus tergiuerſatione ſubterfugere, quin vel inuitus herbam porrigere debeat. Neq; enim eſt quiſquam, niſi pariter cum Luthero inſaniat, qui negare poſſit ea verba de primis illis coniugibus dicta fuiſſe, cùm & Chriſtus in Euangelio Matth. pariter & Marci teſtetur idipſum. Docet enim ex illis verbis, vinculum quod eſt viri cū vxore, indiſſolubile eſſe. Ab initio (inquit) creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus. propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro. quod ergo Deus copulauit, homo nō ſeparet. Perſpicuū eſt igitur ad viros & vxores hęc verba ſpectare. Quod ſi de coniugibus ea dicta ſint, quæ vnionem illā quæ eſt Chriſti ad Eccleſiam ſignificent, quis non perſpicit primorū coniugū copulam ei ſimilem fuiſſe, quam Chriſto cum Eccleſia eſſe fatemur? Nam in illis verbis omnino Paulus aſtruit magnum eſſe myſterium. quod ſanè quanquam aliò ſpectet, nimirum ad Chriſtum & Eccleſiam; tamen ex ipſo coniugio velut è ſigno baſiq; pullulat. Coniugium itaq; mariti cum vxore, Chriſti & Eccleſię ſuæ coniunctionem inſinuat. Alioqui nec virum Chriſto, fœminâq; Eccleſiæ Paulus comparaſſet, dicens ita virum eſſe caput vxoris, quemadmodum Chriſtus caput eſt Eccleſię: iubénſq;, vt ita viri diligant vxores, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Et ſubdens quoque, ſic ex carne & oſſibus Chriſti, Eccleſię membra formari, quemadmodum olim ex carne & oſſibus primi viri, prima vxor ſumpſit originem. Quamobrem & verba quæ de primis ipſis coniugibus enunciabantur, annectit, nimirum hæc: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhęrebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Atque ita Paulus demum infert, Hoc myſterium magnū eſſe, nimirum quòd vir relictis parentibus adhæreat vxori, & fiat vna caro. hoc vtique myſterium & ſacramentum magnum eſt, quatenus Chriſti cum Eccleſia copulam repręſentat. Nec inficior tamen, ſi rem iſtā introſpectes, puſillum quiddam eſſe, nempe quod vir & fœmina coniungantur in carnem vnam: verùm ſi reſpicias ipſam Chriſti cum Eccleſia coniunctionem, quam & illud coniugium refert, certè non puſillum, ſed magnum myſterium ſeu ſacramentum eſſe cognoſces.

Matrimonium eſt ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia.

Matth. 10.
Marc. 10.

Epheſ. 5.

14. Et quanquam hæc ſint apertiſſima, Lutherus adhuc obſtinatè perſiſtit, negans matrimonium ſacramentum eſſe. Sic enim ait: Et quid dicam? " Ne nomen quidem ſacramenti voluit intellige- " re. Quod euidenter oſtendit, cum locum Pauli " Ephe. 5. tractat de matrimonio, quem Paulus de " Chriſto & Eccleſia ponit, dicens: Sacramentum " hoc magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & " Eccleſia. Neque enim ſcriptura patitur vt matri- " monium ſacramentum dicatur. "

Hæc Lutherus. Sed aduerte lector qua neceſ-

ſita-

ſitate Lutherus adigitur], vt tanto ſtudio ſacramentū iſtud damnare moliatur. Is enim & mordicus contendit in quouis opere bono peccatū eſſe: fomitem etiam in quantumuis ſanctiſſimis hominibus eſſe peccatum: quamobrem & actū coniugalem omnino negat citra peccatum fieri. Quo fit vt conſequenter matrimonij ſacramentum auferat. Cuius præcipua neceſſitas hæc fuit, vt actus ipſe coniugalis citra peccatum exerceri poſſit, & vt vir vxori, pariter & vxor viro ſine quauis in Deū offenſa, debitā redderent mutuò

Actus coniugalis non eſt de ſe malus. beneuolentiam. Non enim adduci poſſum vt credam hunc actum eſſe de ſe malum, ſic vt nequeat vllo pacto bene fieri Nā alioqui nec ipſum Deus primis ipſis mandaſſet parentibus: quod tamen feciſſe conſtat, quemadmodum apertum eſt Gene. 1. Et ne quis dicat tunc fieri potuiſſe citra peccatum, eo quòd caro noſtra nondum ſpiritui rebellis facta fuiſſet, hoc ipſum rurſus Gen. 9. pro ſtatu naturæ lapſæ præcipitur: Creſcite (inquit) & multiplicamini. Id quod ſine opere cōiugali fieri neutiquam poteſt. At quicquid Deus iubet, eo ipſo quòd iubeat, bonū ſit oportet, quēadmodum de ſpoliatis Ægyptiis eſt manifeſtum. Neq; enim Iudæis licuiſſet iſtud facere, niſi Deus idipſum eis ante præcepiſſet. Quando igitur hunc actum Deus fieri iuſſit, certum eſt non eſſe de ſe malum, ſed eiuſmodi circumſtantijs agi poſſe, vt bonus euadat, imò bene fiat, & citra quoduis peccatum: alioqui non dixiſſet Paulus:

1. Cor. 7. Si duxeris vxorem, nō peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit. ecce palam teſtatur Paulus iſtos non peccare. Et iterum paulo poſt: Si quis indecorum virgini ſuæ putat ſi prætereat nubendi tempus, & ſic oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, iungantur matrimonio. & hic iterum affirmat Paulus non peccare eos qui matrimonio copulantur. Et mox in eodem capite ſubdit: Qui elocat nuptum, bene facit. Ecce non modo bonum hunc actum eſſe, verum etiam bene fieri Paulus docet. Bene inquit facit. Vt coniuges igitur hunc actum citra peccatum valerent exercere, matrimonij ſacramentum inſtitutum fuit.

Hinc deinceps probat matrimoniū eſſe verum ſacramentū Cæterum vt ea res luculentius appareat, nos quaſdam veritates firmare moliemur ex ſcripturis, ex quibus colligemus, matrimonium eſſe verum ſacramentum, atque id iuxta peculiarem ſacramenti rationem.

PRIMA VERITAS EST.

Matrimonium perfectum, eſt etiam indiſſolubile.

xii. HVius veritas patet Matth. 5. Ego dico vobis, quòd quiſquis repudiauerit vxorem, niſi cauſa ſtupri, efficit vt illa ſit adultera: & quicunq; repudiatam duxerit, adulterium committit. Et rurſum. 19. eiſdem prope verbis confirmat hoc ipſum: & Marci. 10. Chriſtus ait: Quicunque repudiauerit vxorem ſuam, & duxerit aliam, adulterium committit aduerſus illam. Et ſi mulier repudiauerit virum ſuum, & nupſerit alteri, adulterium committit. & Lucæ. 16. Quiſquis dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, adulteriū committit: & qui dimiſſam à viro ducit, adulterium committit & Paul. 1. ad Cor. 7. Coniugatis præcipio, non ego, imò dominus, vxor à viro ne ſeparetur. Quod ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus vxorem ne dimittat. Ecce in his omnibus patet, matrimonium quod inter virum & fœminam conſenſu mutuo contrahitur, mutuo conſenſu diſſolui non poteſt: ſed quamdiu pars vtraque ſuperſtes fuerit, manet quantum ad hominem pertinet, indiſſolubile.

Is nodus indiſſolubiliter, non ab hominibus, ſed à Deo coniugum animis affigitur. *Secunda veritas.*

Et huius item veritas ex Matthæo Marcóque perſpicua eſt. Nam vt traditur Mat. 19. Phariſæi xiii. Chriſtum rogant, licét ne homini diuortium facere cum vxore ſua qualibet ex cauſa? Chriſtus autem reſpondet: An non legiſtis, quòd is qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit illos, & dixit: Propterea deſeret homo patrem & matrem, & adglutinabitur vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna? Quod igitur Deus copulauit, homo ne ſeparet. Ecce Chriſtus apertè dicit hāc indiſſolubilem coniugum copulam à Deo proceſsiſſe. In qua re ſubſcribit & Marcus ca. x. Quāobrem apertum eſt, coniuges authoritate Dei mutuo copulari, nexúque quodam ab eodem alligari, qui, quantum ad hominem pertinet, indiſſolubilis eſt.

Non eſt hæc indiſſolubilitas plene abſoluta niſi per fidem Chriſti, & tempore plenitudinis gratiæ. *Tertia veritas.*

Non antea matrimonium plenam & abſolu- xiiii. tam perfectionem ſortitur, quā pars vtraq; Chriſtianiſmum acceperit: quoniam ſi cum alter cōiugū Chriſti fidem admiſerit, factuſq; ſit Chriſtianus, pars altera nolit in Chriſtum credere, ſed Chriſti fidē penitus aſpernatur, & odio nominis Chriſtiani repudiat ſiue maritus fœminam, ſiue maritū fœmina, iam ea pars quæ ad Chriſtū conuertitur, ſui iuris eſt, nec ita ſeruituti ſubditur, vt teneatur alterā ſequi, ſed cū velit, alij cuilibet ſe cōiugare poterit. Iſtud Pau. 1. Cor. 7. docet, inquiens: Quòd ſi incredulus diſcedit, diſcedat. Non enim eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi. Ecce tā fœminæ quā marito ſi priuſquā ad Chriſtianiſmum venerit, copulā quālibet inierit, & pars altera quæ fuerit incredula, diſceſſerit odio Chriſti liberū facit Paulus vt diſcedat, nec eā ſequi teneatur. Quāobrem & palā eſt ipſum coniugiū quod antea fuerat vel inter Iudæos contractū, nequaquam plenam & abſolutam indiſſolubilitatē habuiſſe: nec obſtat quod ſuperius adductū eſt, nēpe quod Deus copulauit, homo non ſeparet. Nā hoc diuortium fit nō homi- *Matth. 19.* ne ſed authore Deo qui talē Chriſtianis præſtitit

libertatem, ne ſi partem incredulam ſequerentur, periclitaretur eorum fides. Vnde poteſt & cuiuis eſſe perſpicuum, non prius accepiſſe matrimonium completam & abſolutiſſimam perfectionem ſuam, quàm Chriſtus Eccleſiã ſibi copulauerit, hoc eſt ſub tempore plenitudinis gratiæ.

XV. *Quarta veritas.*

Quoties Deus ita coniuges alligat, gratiam item confert, qua ſeruare faciliùs queant indiuulſam vitæ conſuetudinem.

Et iſtud intelligo, ſi non per ipſos coniuges ſteterit quo minus ipſi gratiam accipiant. Neque enim ex Baptiſmo, aut Euchariſtia, aut alio ſacramento quouis gratia confertur his qui inter ſuſcipiendum mortalis culpæ repagulum obijciunt. *Matrimonij dignè ſuſcipientibus cõfertur gratia.* Nam quantum in his fuerit qui copulandi ſunt, obſtacula quæque prius amolienda ſunt, & animi præparandi: quemadmodum & Salomon in prouerbiis ait, Hominis eſt animũ præparare. *Prouer. 16.* Et apud Matth. Eſaias dixiſſe traditur, *Matth. 3.* Parate viam Domini. Si coniuges ita ſuos animos præparent, non eſt dubium quin Deus contrahentibus gratiam infundat. Et hic primum videamus quam ſit iſtud rationi conſentaneum, mox verò per ſcripturas id ipſum oſtendemus.

Ratio. Certum eſt hunc nexum quo vir vxori ſuæ nectitur (ſi quis attentè conſideret) eſſe perdifficilem, nimirum vt ab ea, ſi vel iracunda, ſiue iurgatrix aut maledica, ſi malis moribus, ſi temulenta, guloſa, vagaùe fuerit, ſeparari non liceat. Propter quod & Apoſtoli Chriſto dixerunt: *Matth. 19* Si ad iſtum modum habet cauſa hominis cũ vxore, non expedit contrahere matrimonium. Parum itaque conueniret immenſæ largitati Dei, qui tam opulentus eſt in miſericordia, tam arcto vinculo cõiugatos aſtringere, niſi pariter & gratiã donaret qua poſſent in ipſo nexu durare placidius, tribusq; bonis illis inſeruire, nempe prolis, fideiq;, & ſacramenti. Nam difficile eſt, ne dicã impoſſibile, *Sine gratia non ſeruantur bona coniugij.* vt à cunctis coniugatis citra quoduis auxiliũ gratiæ, prolis bonũ ſtudioſè curetur, fides vtrinque ſeruetur integrè, ac demum vt ſummæ illius coniunctionis Chriſti videlicet & Eccleſiæ ſignũ haudquaquam violetur. Sed dicet quiſpiã: Neq; iam iſta fiunt ab omnibus qui matrimoniũ alioqui legitimè ſuſcipiunt. *Obiectionis dilutio.* At huic reſpondeo, non id euenire, quod ſacramento matrimonij deſit gratia, ſed magis quòd illi qui ſic copulãtur, gratiæ deſunt: *2. Par. 12.* cum ſicut de Roboam ſcriptũ eſt, corda ſua nequaquã præparauerint vt quærerent Dominum. Cæterũ his qui ſe rite præpararunt, non eſt dubiũ quin gratia conferatur. Nunquã enim Deus, præſertim hoc tempore plenitudinis gratiæ, quenquã donat aliquo munere quicquã faciendi, cui nõ conferat gratiã quæ valeat idipſum implere. Quãobrem & cũ in hoc munere fœdereq; coniugali Deus marem ac fœminã indiſſolubiliter colligauerit, nemini debet ambiguũ eſſe, quin gratiam identidem largitus ſit, qua dignè queant actum illius muneris exercere. Sed age ſcripturis iſtud comprobemus.

XVI. Occurrit hic primum præter ea quæ ſuperius attulimus, iſtud, quod ab initio feciſſe legitur Deus, nimirum vbi coniunxiſſet primos parentes noſtros, benedixit eis & dixit, Creſcite & multiplicamini. *Authoritatibus probatur matrimoniũ conferre gratiam.* *Gene. 1.* Nec fuit iſta benedictio beneficentia quædam corporalis duntaxat, verum etiam ſpiritualis. Nam operatur benedictio Dei iuxta capacitatem eorũ quibus benedicit. Quanquam enim creaturæ cæteræ, quibus illic benedixerat, nullam inde gratiam ſpiritus reportaſſent, nimirum quòd non erant huius gratiæ capaces: homines tamen ratione præditos nihil vetuit, cum ipſi benedicerentur, accipere gratiam. Nam cui poteſt ambiguum eſſe, quin pueri quibus Marc. 10. Chriſtus benedixit, gratiam ex ea benedictione ſint aſſecuti? fuerunt enim gratiæ capaces. Sed & Gen. 9. cum Deus Noe pariter & filijs eius benedixiſſet, iuſſiſſetq; creſcere & multiplicari, non ſolis eorum corporibus virtus quædam ea roborans, verumetiam & mentibus gratia diuinitus imprimebatur. Quòd ſi tunc cum decurreret tempus naturæ vitiatæ, neque coniugij ſacramentum adhuc eſſet plene abſolutum, ita patriarchis illis Deus negocij cõiugalis cauſa benedixiſſet, nunc ſub tempore plenitudinis gratiæ, & cum pleniſsimè ſacramentũ iſtud abſoluatur, neauque penitus indiſſolubili coniugatos alligauerit, nulla reſperget eos benedictionis ſuæ gratia?

Tobiæ. 6. Deinde ſuccurrit & illud quod & in Tobia ſcribitur, nimirum quòd in eos qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excutiant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, dæmonium habet poteſtatem: cum e diuerſo fiat his qui filiorum amore magis quàm libidine ducti copulantur. Nam & à dæmoniis hi tuti ſunt, & in ſemine pariter Abrahæ benedictionem in filijs conſequuntur. Sic Deus coniugijs piè contractis aſpirauit, vt talem coniugibus impartiret gratiam, cum nondũ illud magnum de Chriſto & Eccleſia myſteriũ eſſet reſeratum, neq; prorſus indiſſolubile coniugiũ factũ eſſet: & nunc quando Chriſtus verè ſponſus Eccleſiã ſibi in ſponſam copulauerit, tantiſque matrimonium decorauerit præconijs, nullam his qui ſanctè coniugantur, donabit gratiam? Sed iam veniamus ad nouam legem.

Paulus priori ad Theſſa. 4. ſic ait: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à ſcortatione, & ſciat vnuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere cum ſanctificatione & honore, non cum affectu concupiſcentiæ, quemadmodũ & gentes quæ ignorant Deum. XVII. Certũ eſt his verbis non id molitum fuiſſe Paulum, vt Theſſalonicenſes cuncti viuerent cœlibes, aut qui coniugati fuiſſent inter eos, ſeſe prorſus continerent ab vxoribus. nam 1. ad Corint. 7. quid in aliis omnibus Eccleſijs hac de re ſtatuerit teſtatur, nimirũ vt ob ſtupra vitanda ſuã quiſq; vxorem, & ſuum quæque virum habeat, vtque vir vxori debitam beneuolentiã reddat, ſimiliter & vxor viro. Addit quoq; quòd vxor proprij corporis ius nõ habet, ſed maritus: ſimiliter & maritus proprij corporis ius non habet, ſed vxor. Nequaquam igitur illis verbis Paulus Theſſalonicenſibus vſum ope-

operis coniugalis interdixit. Quamobrem nec actus coniugalis obſiſtit aut honori aut ſanctificationi vaſorum, ſiue corpora virorum ſiue ſuarum coniugum per vaſa mauis intelligere. Cum Paulus itaque dicat voluntatem Dei eſſe, vt ſanctificentur, & vt ſciat vnuſquiſq; ſuū vas poſſidere in ſanctificatione & honore, quis iam dubitare poteſt an coniugatis qui nullo affectu concupiſcentiæ ducti, ſed procreandæ prolis & vitandæ ſcortationis cauſa coniugium inierunt, gratiam donauerit Deus, quâ tam mente quàm corpore ſanctos in opere coniugali ſeruare ſeſe valeant?

Atque ad hoc ſpectat & illud Pauli ad Heb. 13. Honorabile inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Ecce coniugium vocat honorabile Paulus, & eorum cubile teſtatur impollutum eſſe. Quamobrem & poteſt adeò ſanctè mutua coniugibus reddi beneuolentia, vt nec actus coniugalis eos peccato quouis prophanet aut polluat. Nam ſi labe quauis peccati vel animos polluat, vel dedecore quolibet afficiat corpora, iam non erit honorabile coniugium, nec impollutum cubile reputabitur. At iſtud quis non intelligit, præſtari nequaquam poſſe citra quoddam donum gratiæ? His item ſuffragatur & illud Pauli 1. ad Cor. 7. Sanctificatus eſt maritus incredulus per vxorem quæ credit, & ſanctificata eſt vxor incredula per maritum qui credit. Quę verba, ſic opinor accipi debent, quòd id opus maritale, quod cum vxore orthodoxa maritus incredulus exercet, non imputabitur illi ad mortalē culpam, ſed is actus à mortali culpa protegitur per vxoris fidem, & per gratiā nexus quo interim viro colligatur quam diu nolit is ab illa diſcedere. Quod ſi viro prorſus infideli cōtingat iſtud propter fidē & gratiam nexus, quo iam nec prorſus indiſſolubiliter ei copulatur vxor, quid ſperabimus vbi vinculum prorſus indiſſolubile fuerit, & integra de Chriſto fides in vtroque?

Adde quòd 1. ad Tim. 2. Paulus tantum ſancto coniugio tribuat, vt dicat etiam promereri coniuges per filiorum generationem. Saluabitur (inquit) mulier per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide. hoc eſt, ſi eo animo genuerit eos mulier, vt Chriſto infererentur. Atqui generare quis dubitat opus coniugij eſſe? Quocirca & per ipſum opus mulier quæ ſanctam & ſyncerā in Chriſto prolis educationem ſibi proponit, ſalutem æternam ſibi valet promereri: id quod ſine gratia fieri nequaquam poteſt. Poſtremò quemadmodum ſuprà diximus, 1. ad Cor. 7. Paulus affirmat non peccare eos qui ſanctè coniunguntur: Si duxeris (inquit) vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccat. & paulò poſt: Qui virginem ſuam nuptum elocat, bene facit. Verum ſi coniugalis actus nequeat abſque peccato fieri, quomodo non peccabit qui conſentit in illum? aut qui poteſt bene facere, qui ſibi conſcius eſt eo ipſo quod agit, peccare, ſimul & actum perpetrare malum? Quòd ſi bonus actus fuerit, & bene faciat is qui illum operatur, cum id ſine gratia fieri nequeat, quis non perſpicit conſequens eſſe, vt Deus cum nexum indiſſolubilem affigat, infundat pariter & gratiam? Sed hæc pro quarta ſufficiunt.

Nec iſta fiunt abſque ſenſibili ſigno, quo certò conſtet iam huius indiſſolubilis vinculi gratiam coniugibus ipſis eſſe donatam. *Quinta veritas.*

Et huius item veritas eſt dilucida. Nam & ſi vir XVIII.
quiſpiam non coniugatus rem habuerit cum fœmina ſimiliter inconiugata, niſi pariter manifeſtis verbis, aut aliis euidentibus indiciis mutuum inter ſeſe contractum fecerint, mutuoque ſpoponderit alter alteri, nullum adhuc matrimonium agitur, neque vinculo inter ſe vinciuntur quod non facile diuelli queat, ſed omnino liberum eſt vtrique quàm primum voluerint ab inuicem diſcedere. Veruntamen ſi fuerit vterque ſui iuris, & ab alieno contractu penitus liber; neque legitimum aliquod impedimentum interceſſerit, ſi iam verbis aut indiciis id palam teſtantibus ſua corpora mutuo communicauerint, ſanctè ſe præparantes ad ſacramentum iſtud peragendum, haud dubiè nodus indiſſecabilis, & gratia pariter eorum animis diuinitus infunduntur. *Signa ſenſibilia veri matrimonij.* Signum ergo ſenſibile tam nexus huius indiuiſibilis, quàm gratię qua perfunduntur coniugum animi, verba ipſa ſunt, aliaque indicia quibus contractus vtrinque fit. Nam ſi contractus claudicet ex alterutra parte, nihil agitur, nullum obfirmatur matrimonium. Cæterum quantum ad hæc viſibilia ſigna pertinet, Lutherus non admodum reluctatur. Sic enim haud procul ab eo loco quem iam oppugnamus, de matrimonio loquitur: Matrimonium (inquit) adeo non eſt res abſcondita, aut fide percepta, vt niſi palam ob oculos fiat, matrimonium eſſe non poſſit, cum ſit copula maris & fœminæ externa & publica profeſſione & conuerſatione firmata. Hactenus ille. Quæ verba ſanè quantū ad poſteriorem partem attinet, planè docent non eſſe matrimonium, niſi manifeſtis indiciis & ſignis apertiſſimis, quæ palam ob oculos facta ſint, firmatum fuerit. Cæterum quantum ad priorem ſpectat partem, quis non videt ex illis quæ ſupra collegimus, apertiſſimam in ſe continere falſitatem, nempe quod non ſit matrimonium res quædam abſcondita, fideque percepta? Nam ſi nihil aliud in penetralibus animorum geratur, quam quod palam ob oculos fiat, nulla coniugibus gratia confertur, nulloque diuinitus indiſſolubili vinciuntur nodo. *Matrimonium eſt res quædam fide percepta.* At nodus iſte ſi defuerit, quis vllum affirmabit adhuc pactum eſſe matrimonium? Quamobrem cum nodus iſte, res quędam abſcondita ſit, & non aliter quā fide percipiatur, & cum gratia ſimiliter, quæ cū hoc nodo, niſi per coniuges ſteterit, pariter infunditur, inuiſibilis fuerit, & ſola fide cognita, cum denique contractum ipſum, qui ceu ſenſibile quoddam ſignum forinſecus agitur, tam indiuulſibilis ille nodus quam gratia comitantur, quis non dilucidè cernit matrimonium quod tribus iſtis conficitur, rem quandam abſconditam eſſe, fideque perceptam, & optimo iure vo-

Matrimonij deſinitio.

catum eſſe ſacramentum. Eſt enim & iuxta peculiarem ſacramenti rationem, matrimonium inuiſibilis gratię viſibilis forma, ſic vt imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Nam palam ex prædictis eſt, contractum ipſum exterius initum, interioris nexus, qui ex Deo eſt, pariter & gratiæ ſignũ & cauſam eſſe: quandò protinus hoc exhibito ſigno, ſi nihil aliud obſtiterit, & nexus indiſſolubilis, & gratia pariter inuiſibilis à Deo conferantur.

Obiectionis dilutio

Quòd ſi quis obiecerit poſſe contractum hunc fieri ſine gratia, ſupra reſpondimus baptiſmi pariter & Euchariſtiæ ſacramenta conferri poſſe citra gratiam.

Sacramenta ſunt gratiæ ſigna infallibilia, licet non ſemper equatur.

Atqui nihilominus gratiæ ſigna ſunt, & quidem infallibiliter efficacia, ſi tamẽ illi qui ſuſceperint, nullũ præſtiterint obicẽ, ſed ad eadem ſuſcipienda ſe rite præparauerint. Atque ita de matrimonij ſacramento pariter eſt dicendum. Nihil enim dubitamus quin contrahentibus, modò ſua corda dignè præparatint, gratiam largiatur Deus. Et ſi contractum gratia nulla comitetur, non id Dei, ſed contrahentium culpa certiſſimum eſt prouenire. Et quoniam iſtud ex ſcripturis adeo dilucidum eſt, quis ambigere poterit, quin eiuſmodi pollicitationem Deus emiſerit aliquando, tametſi nuſquam in ſcripturis ipſa legatur apertè ſacta, ſicut neque pro Euchariſtiæ ſuſceptione gratia legitur vſquã apertis promiſſa verbis?

Epilogus.

Cernis ergo lector, concilium Florentinum haudquaquam temere decreuiſſe, matrimonium vnum è ſeptem ſacramentis eſſe, quæ conferunt gratiam. Et huic ſane concilio, quod vniuerſalem Eccleſiam tam ex Græcis quam ex Latinis congregatam repræſentabat, etiam citra ſcripturas meritò credendum eſt, tum propter veritatem ſpiritus, qui perpetuò nobiſcum reſidet, tum denique propter ipſam Eccleſiam repręſentatam, quam columnam & baſim veritatis nihil veritus eſt Paulus appellare. Cæterum cum res ipſa tot ſcripturis inſuper dilucida ſit, quis niſi prorſus inſanus, & omnino mentis obſtinatiſſimæ fuerit, hæſitare deinceps hac de re poterit, & eam in dubium vllo pacto reuocare?

Concluſio authoris.

IAm, quantum opinor, nihil in maledicentiſſimo Lutheri libello, quod alicuius momenti fuerit, à nobis prætermiſſum eſt, cui non abunde reſpondimus, præterquam conuiciis ipſis; quæ cum omnem modum & malitiam item exceſſerint omnem, iuſtiſſimè in caput authoris ſui ſua ſponte recidere paſſi ſumus. Neque enim quicquam ambigo, quin æquus lector, qui ſuſceptam ab illuſtriſſimo rege veritatis catholicæ defenſionem, & eiuſdem veritatis per hunc impiiſſimum hæreſiarcham virulentiſſimam oppugnationem dignè librabit, hunc omnibus illis conuiciis, & longe pluribus, fuiſſe digniſſimum arbitrabitur. Sed & tantum abfore certus ſum, vt bonus quiſquam ob vllam Lutheri maledicentiam aut conuicia Regem optimum vel tantillum lędi cenſeat, vt contrà magis ob hęc, & multo quidem clariorem, ſplendidiorem, illuſtriorem euaſiſſe diiudicet. Iam optime lector vale.

ASSERTIONIS LVTHERANÆ CONFVTATIO.

IOANNES ROFFENSIS LECTORI S.

NOlim exiſtimes Lector me tot verba protuliſſe, quòd ijs confidam Lutherum aliquando reuocari poſſe. Nam ſi mihi fuiſſet huius rei vel tenuis aliqua ſpes, aliquantò maturiùs hoc opuſculum prælo commiſiſſem. Sed omnino diffiſus ſum illum ad Eccleſiam rediturum, atque id, cum ob alia plurima, tum quòd Paulus Lutheri ſimiles planè peruerſos aſſerat, & ſuopte iudicio damnatos. Sic enim ad Tit. cap. 3. ſcribit: Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.

Tit. 3. Hæretici ſuopte iudicio damnati

Ecce Paulo quiſquis hæreticus eſt, & maximè ſectarum auctor, poſteaquam ſecundò fuerit de errore ſuo commonefactus, nec reſipuerit, iam eius emendandi ſpes omnino nulla eſt, ſed is à Chriſtianis omnibus euitari debet, ac verè peruerſus haberi, cum ſit omnino ipſius iudicio damnatus. Et hæc omnia ſanè vel ad amuſſim Luthero conquadrant. Primùm, ſi Lutherus hæreticus non ſit, nemo vnquam fuit hæreticus. Nam Lutherus aduerſus omnium orthodoxorum patrum ſententiam, ſua dogmata ſtatuere molitur. Et hoc quid aliud eſt, quàm ſectam & hæreſim introducere? αἵρεσις enim Græcis electio dicitur, ac proinde quiſquis diuerſum à communi totius Eccleſiæ ſenſu quod doceat elegit, is meritò cenſetur hæreticus, & ſectarum auctor. Secat enim electione ſua ſeipſum ab orthodoxis, hoc eſt, ab ijs, qui cum Eccleſia rectè ſentiunt.

hæreticus Lutherus ter maximus. Hæreſis quid ſit.

Porrò ſemper Eccleſiæ pars magis eximia, fuerant patres, qui non ſolùm eruditione, verumetiam vitæ ſanctimonia velut ſydera quædam effulſerunt. Quando igitur cæteri fideles illis in ſenſu ſcripturarum vnicè fidem habuerant, quis non illum qui à patribus diſſideat, diuerſumque ſentiat, ſeipſum ab Eccleſia ſeiungere fatebitur, hæreſeoſque & ſectæ meritò dicendum auctorem? At Lutherus non ſolùm patres omnes, verum etiam Concilia contemnit, atque adeo totius Eccleſiæ tot retrò ſeculis vſurpatam conſuetudinem habet pro nihilo.

Eccleſiæ pars inſignior ſemper fuere patres.

Et quid non faciet pro ſua hæreſi ſtatuenda, qui ſcripturas etiam iugulat? An non epiſtolam D. Iacobi, quòd hæreſi ſuæ palam aduerſatur, modis omnibus extinguere nititur? Et tamen ſuper ijs à pleriſque commonitus, nunc leniùs, nunc aſperiùs, quatenus ab inſania reſipiſcat, nihil emendatior, imò deterior, peſtilentior, pernicioſior euaſit. Quod & Paulus alibi de Lutheri ſimilibus futurum aſſeruit. Mali, inquit, homines & ſeductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.

D. Iaco. epiſtol. à Luthero repudiata. 2. Ti. 3.

Errat haud dubiè Lutherus, imò vehementer exorbitat, & alios vnà ſecum in parem trahit amentiam. Alioqui quotquot retrò fuerant orthodoxi patres errâſſe neceſſum eſt, atque vniuerſam protinus Eccleſiam, quam Paulus tamen firmamentum & columnam veritatis appellat, vtpote quæ Spiritum ſanctum perpetuum nacta ſit inſtructorem.

1. Tim. 3. Eccleſiæ firmamentũ & columna veritatis

Sed aiet quiſpiam: Lutherus pro parte ſua ſcripturas habet. At id falſum eſt. Non habet profectò, quanquam habere ſe prætexat. Et quis non hæreticorum pro ſuo dogmate ſcripturas habere ſe pertexuit? De ſcripturis ſemper gloriati ſunt hæretici, ſed perperam intellectis, & pro ſuo cerebro prauè, peſſimeque contortis, quemadmodum & nunc Luth. de ſcripturis ludit. At quid dementiùs cogitari poteſt, quam vt ſpretis tot, & tam eximiorum interpretum commentarijs, & iam reiecto ſenſu, quem tot ſeculis vniuerſa prorſus Eccleſia veriſſimum cenſuit, fidem vni Luthero de ſcripturis adhibeamus? Abſit hoc à Chriſtianorum animis, & maximè cum Paul. eiuſmodi hominem euerſum eſſe dictauerit, vt fidem ipſius dogmatibus præbeamus vnquam.

Tit. 3. Lutheranũ dogma cũ patrum ſententiis è diametro pugnat.

Et ſanè vel hic euerſus eſſe conuincitur, quòd cùm ea quæ docet, cum ſententiis patrum ex diametro pugnent, neque toties admonitus, redire tamen ad mentem parat. Id enim iudicij, ſeu normam quandam certitudinis infallibilis, Paul. ipſe nobis dedit, quòd cùm videremus quenquam in materia fidei diſſidentem ab Eccleſia, neque bis admonitum reſipiſcere, ſed magis in ſecta ſua pergere, certum haberemus hunc eſſe ſubuerſum. Sciens (inquit) quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt. Ob id nimirum ſubuerſus aſſeritur, quòd ſecundò commonefactus, ad Eccleſiam in rectæ fidei vnionem redire contemnit. At dicet adhuc quiſpiam, Lutherum certò credere ſe manere per fidem in Eccleſia, ſoloſque illos ad Eccleſiam pertinere, qui cum eo ſentiunt. Quid ſi Lutherus ad hunc modum credat? Nunquid non ita credidit Nouatus Arrius, Donatus, ac cæteri com-

pluꝛes hæreſeorum & ſectarum auctores? An non omnes iſti, neminem ad Eccleſiam orthodoxã pertinere contendebant, niſi qui ſimilem cum ipſis fidem profitebantur? Sed vt iſti inſaniebant pluſquam mente capti, ſic & Lutherus iam nihilo minori percitus amentia, furit. Quis enim non certus eſt, Eccleſiam fuiſſe priuſquam Lutherus natus eſſet, atque ita crediſſe, quemadmodum & iam credit? Quando igitur alia quadam noua dogmata, contra communem Eccleſiæ fidem introduxerit Lutherus, quis non planè perſpicit, eum ab Eccleſia ſpontè diſſenſiſſe, & ab eadem exemiſſe ſeipſum? At adhuc non deeſſe quod cauilletur; nimirum ſe cum primitiua Eccleſia penitus conquadrare, quanquam ab iſta quæ nunc eſt, diſſentiat. Quid ergo? Duæ ſunt Eccleſiæ? aut non eodem ſpiritu, ea quæ nunc eſt, & eruditur & regitur, atque illa quæ primitiua fuerat? Abſit. Vtrumque ſanè falſum eſt. Nam ſcriptum eſt: Vna eſt columba mea. Ad quam & Chriſtus ſpiritum ſuum miſit, qui eam omnem doceret veritatem, & apud eam maneret in æternum. Et quanquam pro temporum varietate, diuerſa fidelibus tradita ſint, vnus tamen & idem ſpiritus ita ipſa tradidit, prout ſibi viſum erat Eccleſiæ fore conducibilius. Quiſquis igitur cum Eccleſia non ſentit, alienum à veritate ſe facit, & hæreticum eſſe ſeſe planè conuincit.

Eccleſia vna. ſpiritus vnus ad Eccleſiam a Chriſto miſſus.

Propter quod & Paulus talem affirmat ſuo iudicio damnatum vel (vt græcis eſt) per ſe damnatum eſſe. Verùm fortè percontaberis, Quomodo per ſe damnatus eſt, cum ſit nullius erroris ſibi conſcius? Paucis reſpondeo, Fornicator, adulter, homicida, ſacrilegus, & id genus alij, per Epiſcopos ab Eccleſia ſeparantur. At hæreticus, qui pro mera ſui capitis phreneſi, contra totius Eccleſiæ ſenſum, ſcripturas contorquet ad ſuum dogma ſtatuendum, ipſe (quaſi contra ſeipſum lata ſententia) ſeipſum eximit ab Eccleſia, & quaſi per ſe damnatus habendus eſt. Receſſit enim ſpõtaneus à communi patrum ſenſu, & hæc receſſio propriæ conſcientiæ damnatio quædam eſt. Nulla igitur (ſi Paulo credimus) ſpes eſt, vt vllis admonitionibus Lutherus aliquando reſipiſcat. Quamobrem & fruſtrà conabitur, quiſquis illum reuocare ſtuduerit. Non igitur quòd ſperauerim illum ab errore poſſe reuocari, meam hanc opellam impertij: ſed vt ſuccurrerem infirmioribus animis, quorum fides, quaſi ſuper acie nouaculæ, iam diu ſtetit ancepſ & ambigua, cui parti ſit inclinatura magis. Legunt enim plerique Lutheri dogmata, qui non intelligunt quid ſub eis veneni deliteſcat. Audiunt'q́ multos eum habere fautores, & à pluribus mirificè commendari, ob quod, vacillantes animo ſecum hæſitant, vtri parti, hoc eſt, an Lutheranis omnia temerantibus, an Eccleſiæ patribus orthodoxis, aſſenſuri ſint potius. Ob iſtos nimirum labor aliquis, à viris noſtri potiſſimum ordinis, exantlandus fuit, cùm dicat nobis Paulus: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, ad regendum Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Nunquam enim ampliorem fuiſſe neceſſitatem opinor, quàm nunc ſit proſpiciendi Chriſtiano gregi. Nam vereor ne tempora ſpectet iſta, quòd Chriſtus apud Marc. ait: initia doloꝛum hæc. Nam gentem aduerſus gentem inſurgere, regnumq́ aduerſus regnum, peſtem quoque & rerum cariſtiam pluribus in locis vigere ſcimus. Sed & pſeudochriſtos, ac pſeudoprophetas exortos, qui multis impoſuerunt, haud ignoramus. Euigilandum igitur aliquando nobis eſt, quibus tam pretioſi gregis cura committitur, quatenus eum à lupina rabie (quæ iam ſæuit) pro viribus tutemur, ne ſi noſtra negligentia (quod abſit) depereat, ſanguis illius è noſtra manu requiratur. Et ſanè confido, quòd hæc noſtra, quiſquis attentè legerit (niſi filius omnino ſit perditionis) planè perſpiciet quam alienus à veritate ſit Lutherus. Singulos enim per ordinem articulos, quos aduerſus pontificis Bullam illum aſſere non puduit, ſic excuſſimus, vt opinemur nihil, quod pro illis aſſerendis Lutherus attulerit, non eſſe penitus à nobis hoc opuſculo conuulſum. Auerſetur igitur orthodoxus quiſque iuxta Pauli doctrinam hominem iſtum, cum ſit ſectarum auctor, & noui dogmatis aduerſus communem totius Eccleſiæ fidem αἱρετικός. Hunc, inquam, auerſetur, & fugiat, quiſquis orthodoxus fuerit, ſciens quod euerſus ſit, cum nullis velit commonitionibus reſipiſcere, ſed & per ſe quoque ſit damnatus. Nam vltrò receſſit à patrum communione, ſimul & ab Eccleſia quam Paulus (vt diximus) columnam vocat & firmamentum veritatis. Quod & idcircò inculcamus, Lector, vt tibi (quiſquis Chriſtianus es) ceu ſacra quædam anchora, ſit communis Eccleſiæ fides, cui firmiter adhæreas. Neque enim periculum eſt, ne Eccleſia (quæ quantum ad fidei veritatem attinet, Spiritu ſancto regitur) à ſeipſa diſcedat, quanquam ab ea receſſerint alij. Cæterùm qui recedunt, à veritate recedunt, atque hi ſunt quos velut peſtilentes, & pernicioſos Paulus auerſari iubet. Vale.

Mellitum venenum Lutheranũ dogma

Acto. 20.

Marc. 13.

Ezech. 3.

Lut. auerſandus et fidei ſubuerſor.

Eccleſiæ fides anchora ſacra.

IN ASSERTIONIS LVTHERANÆ CONFVTATIONEM
PRAEFATIO.

QVANDO iam tandem, cùm ex alijs, tum ex duobus præſertim libellis, quos Martinus Lutherus edidit, altero de Captiuitate Babylonica, altero de aſſertionibus omnium ſuorum articulorum, ſeſe prodidit hæreticum eſſe manifeſtarium, ac totius Eccleſiæ Catholicæ communem hoſtem, ad cunctos attinere chriſtianos arbitror, vt quibuslibet armis poſſent, illius oppugnent hæreſes. Id quod fecit (quantum ad priorem libellum ſpectat) Rex noſter illuſtriſſimus, Rex inquam Angliæ Henricus octauus, is qui dudum gladio Romanã protexit Eccleſiam, idem iam calamo totius Eccleſiæ fidem tutatus eſt orthodoxam: atq; id tam ſplendidè, tamque copioſè fecit, vt neſcias quid primùm in eo mireris, ingenium, eruditionem, an facundiã? vt de cæteris (ne captare gratiã eius videar) ſileam penitùs. Neq; ſolum oppugnauit, verumetiam expugnauit, euicit, euertit funditùs. Nos igitur poſteriorem ipſius Martini libellum, Deo (quod confidimus) auſpice, ſuſcepimus cõuellendum. Puderet enim me (qui qualiſcunque ſum Epiſcopus) aure ſurda tranſire tot iniurias, per vnum Fraterculũ non modò ſummo Pontifici, vicario Chriſti paſſim illatas: verumetiã ſcripturis quoq; ſacris perperam obtortis, ſanctiſſimorum patrum generalibus concilijs ab eodem contemptis, ſpretis inſuper interpretibus tam vita, quàm eruditione clariſſimis, venerandis Eccleſiæ ſacramentis fœdiſſimè dilaceratis, traditionibus demũ apoſtolicis, ac cæteris Eccleſiæ cõſuetudinibus, tot ſeculorũ vſu receptiſſimis, pro nihilo iam habitis. Puderet (inquam) me delicijs ex ocio literario partis frui, cum cernam ob has iniurias vindicandas, Regẽ meum illuſtriſſimũ, in ſua ipſius perſona, bellũ hoc tam potenter aggreſſum. Iſraelq; & Iudam, atq; ipſam adeo Dei arcam ſub papilionibus agere. Nec me tamẽ fugit, quantis meipſum conuicijs lacerandum obijcio, qui Lutheranas aſſertiones aggreſſus ſum confutare. Sat enim ſcio, nõ defuturos ex ijs, qui Luthero ſtuderẽt, quiq; in eius iurarint verba, qui noſtros labores canino dente rodere nõ verebuntur. Sed iſtud dico, præueniens eorum latratus: Id mihi gloriæ futurum, quicquid in me conuiciati fuerint. Nam cùm eodẽ ore me lacerabunt, quo patribus, quo Pontifici, quo cũctis orthodoxis, quo demùm Eccleſiæ, ſpiritu ſancto gubernatæ, iampridem oblatrarint, quis non gloriæ ducet quicquid in me contumeliarum, conuiciorũ, & maledicentiæ congeſſerint? De ijs calumniatoribus ipſe Paulus apertiſſimè nos præmonet ad Timotheum ſcribens: In extremis diebus inſtabunt

Lutherani ad conuicia & maledicta paratiſſimi.

Amalis vituperari laus eſt.

tempora periculoſa. Erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calumniatores. Hactenus ex Paulo. Cæteraque reſpondent omnia, quæcunque in ipſo capite ſcripta ſunt. Nullum vnquam genus hæreticorum maledictis, & calumnijs abundabat magìs: his enim vel ſolis, confidunt orthodoxorum ora ſe frenaturos. Ob quod & toties habent in ore, Sophiſtas Sophiſtas, cùm ſint ipſi ſophiſticiſſimi. Et hi præcipuè ſui amantes ſunt. Nam omnes præ ſe contemnunt, quantumuis bonos, quantumuis eruditos, ſibi vnicè placent, ſuiſque ſunt erroribus addictiſſimi. Et cur non dixerim auaros? qui pro pecunia, quam Germani pro conſequendis indulgentijs quotannis erogant, tantoperè digladiantur, vt malint omnia peruertere, quam ſinere tantæ pecuniæ fieri iacturam. Faſtuoſos, ſuperbos, maledicos ſe planè demonſtrant, cum faſtu, ſuperbia, maledicentia, cunctos qui ſuis hæreſibus aduerſantur, peſſundare ſtudeant. Parentibus immorigeros eſſe, quis non aduertit, cum ſanctiſſimis ſimul & eruditiſſimis Eccleſiæ patribus reluctentur, & ipſi cum primis patri patrum, Pontifici maximo vſque adeò contumelioſos exhibeant ſeſe. Adde, quòd in eoſdem ingrati ſunt, & impij, atq; affectu carentes, cum tot ab eiſdem acceperint beneficia, nimirum ſacrarum literarum interpretationes, quas tam fœdè lacerant. Porrò neſcios fœderis eos eſſe quis non omnino perſpicit, qui Lutherum tot rationibus Pontifici deuinctum, nẽpè voto, profeſſione, iureiurando prorſusq; aſtrictum intelligit? Acuant igitur hi calumniatores quantũ velint, ceu gladios, linguas ſuas, bonos quoſq; contumelijs afficiant, probris inſultent, conſpurcent maledictis, conuicia cõgerant, quando Paulus nobis præcepit eos auerſari, nihilo pluris à nobis illorũ latratus, quã canũ, æſtimabũtur. Opinantur equidem ſe poſſe quoſuis à dicenda veritate ſuis maledicis infamationibus deterrere. Sed puſillus admodũ noſter in Chriſtum affectus eſſet, ſi verbis deterreremur ſolis, cũ ipſe iubeat, etiam verbera nihil metuere. Ne terreamini, inquit, ab ijs qui occidunt corpus, & poſt hæc nõ habẽt quod faciant ampliùs. Illi ſanè cum inſanam rabiem, ac rabidam inſaniam euomuerint, nihil habent, quo noceant ampliùs, quanquam nec illa tantillum nocere queant. Nam pro noſtra parte ſcripturæ ſanctæ gladios vibrant, ſtant in acie ſacri patrum commentarij. Canones & concilia pro nobis dimicant, Apoſtolicæ traditiones apertè decertant, patrocinatur demũ & Eccleſiæ diuturna conſuetudo. Illi contrà, pro ſuo ſenſu aut ſcripturas inuertunt, aut inficiãtur, ſacros interpre-

2. Tim 3.

Aduerte lector, quam graphicè Lutheranos depinxit Paulus.

Timot. 2.

Matth. 10.

tes

tes contēnunt, canones & concilla dānant, traditiones ſpernunt apoſtolicas, diuturnas Eccleſiæ conſuetudines pro nihilo ducunt, perindè ac ſi non permaneret in Eccleſia ſpiritus, qui decredendis omnibus eam efficaciter inſtruat. Quid multis moror? Omnia ſubuertere, Chriſtumque ſimul & ſpiritum eius ab Eccleſia tollere moliuntur. Negant enim illic eſſe Chriſtum, vbi tenerà Chriſtus eſt, hoc eſt in Eccleſia, quæ à Beato Petro dimanauit, ſed iam vel in conciliabulū Bohœmicum, vel in Wittenbergicū ſe Chriſtum tranſtuliſſe contendunt, cum tamen ipſe planè teſtatus ſit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationē ſeculi. Cæterum idem, ne pſeudoprophetis iſtis fideremus, palā 24. Matthæi præmonuit dicens: Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere. Surgēt enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabūt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorē inducātur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto

De Lutheranis præmonuit Christus eſt, aut in penetralibus, nolite credere. Quis hic non videt, quam graphicè Chriſtus hoc loco depinxerit Lutheranos, qui multos in errorem, etiam ſi fieri poſſet, electos induxerunt, aſſerentes, vel in deſerto Bohœmiæ Chriſtum eſſe, vel in Wittenbergæ penetralibus? Nos igitur per Chriſtum & Paulum tam apertè præmoniti, Lutherum cum ſuis, velut pſeudochriſtos,

Sacroſancta Lutheri dogmata. & pſeudoprophetas auerſemur. Satis enim ſeipſos produnt, quales nam ſint, cum à cœlibatu Sacerdotes eximant, laicis Euchariſtiæ conſecrationem permittant, mulierculis identidem voto conſtrictis, licentiam indulgeant laſciuiendi. An non ex his eorum amentia cunctis innoteſcit,

2. Tim. 3 quod & Paulus ipſe prædixit futurum? Nam & totum illud caput ad Timotheum; eos adamuſſim exprimit. An non hoc dogmate mulierculas (quæ varijs ducuntur deſiderijs) captiuas reddunt, maioribusq; peccatis onerant? Et num hoc non eſt ſemper diſcere, & nunquam ad ſci-

Exod. 7. entiam veritatis peruenire? Adde, quòd hi reſiſtunt veritati, quemadmodum Iambres & Mambres reſtiterant Moyſi. Cæterùm ſinamus impoſtores iſtos, homines mente corruptos, (vt Paulus ait,) & circa fidei doctrinam reprobos, in peius proficere, dum & in errorem adducunt, & errant ipſi. Nos verò iuxta Pauli conſilium permaneamus in his, quæ didicerimus, & quæ credita ſunt nobis, ſcientes quod à patribus non minori vitę ſanctimonia, quàm eruditione pręſtantibus, ea didicerimus: & ſcripturarum interpretationes, non iuxta peruerſionē à Luthero traditam, ſed quas illi ſanctè fideliſſimeque no-

Rex Henricus 8. fidei defenſor, in acie ſtat aduerſum Lutherum. bis reliquerunt, totis præcordijs amplectamur. Cæterùm vt ad inſtitutum aliquandò redeamus: cum Rex noſter incliciſſimus, qui ſuis meritis fidei defenſor iure cognominatur, iam in acie ſtat aduerſum Lutheranos, nos etiā periculum faciemus, ſi quid in hoc negocio, noſtra poſſet im-

Luth. quibus armis ſecum velit hoſtem congredi præſcribit. becillitas opitulari. Quoniam itaque Lutherus, priuſquam articulorum ſuorum comprobationem aggreditur, prolixa ſatis præfatione præſcribere molitur, quibus armis nos velit ſecum congredi: ſimul & præſtituere nititur, nihil aduerſum articulos ſuos, præter ſacras ſcripturas à quoquam afferri debere: nos, quæ telorum genera nemini Chriſtiano, qui de rebus fidei diſceptare velit, recuſanda ſint, mox decem iactis fundamentis, oſtendere conabimur. Sed interea Lutherum ipſum loquentem audiamus.

PROOEMIVM.

Aſſertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis decimi nouiſſimam damnatorum.

Qvanquam abundè ſatis prioribus libellis meis rationem reddiderim, de articulis iſtis, nouiſſima Leonis decimi (vt vel fingitur, vel fertur) Bulla damnatis, & ipſi quicunque auctores eius fuerint, ſuæ damnationis prorſus nullam cauſam reddiderint, ne iota quidem è ſacris ſcripturis adducto. Video tamen paſſim a multis deſiderari alteram, & propriam ſuper eoſdem omnes & ſingulos declarationem, fortè quod ſpeciem illam detrahi neceſſe ſit, qua per titulum Roma. Pontificis, & nomina aliquot doctorum adornata Bulla, apud vulgum nonnihil auctoritatis inuenire poſſet, qui vaniſſima perſuaſione deceptus, quicquid nomine Papæ prodit, ſtatim credit a Deo prodire, fruſtra tot in contrarium exemplis, & quotidianis monſtris eum fideliſſimè monentibus. Quibuſdam & meæ fiduciæ magis, quam popularis illius ruditatis rationem habuiſſe videor, dum contempta Bulla iuſtitia, pauculos nuper articulos defendi, quod illis factū videri poſſit, conſcientia exhauſta vel impotentia eruditionis. Aggredior ergo illorum votis obſequuturus, & non quid mihi, ſed quid illis commodum ſit ſpectaturus, denuò reſolutiones ſcribere, fortè non inutiliter. cum hic tractare neceſſe ſit, fidei & religionis noſtræ ſumma ſacramenta, quæ vt impium eſt ignorare, ita chriſtianiſſimum eſt, ſic noſſe, vt non modò confiteri, ſed & tueri poſſis: in quam rem (ſi Chriſtus aſpiret) ſedulam hoc libello dabo operam, quando hoc temporis, quo tyrannidis ſophiſticæ nouiſſima omniumq; nocentiſſima perſequutio ſæuit, non ſatis eſt noſſe Chriſtum, ſed diuendetis pera & tunica propter gladium emendum, inſtructis armaturis etiam tueri oportet. Quod vt liberius & fælicius efficiam, viſum eſt præuenire aduerſarios, & præmonere, quo campo, quibus armis & ſignis, mihi velim eos congredi. LVTHER.

¶ Ne mireris hic Lector, quòd hoc principio, EPISCO. nihil iſtis Lutheri conuicijs reſpondeamus. Totus enim fermè libellus eiuſmodi floſculis vbique refertus eſt, vt facilè maiorem horum, quàm argumentorum vſquàm efficacium inuenies copiam. Experire, num verum ſit, quod dico. Et ni fallor, vix aliud occurret tibi crebriùs, quàm probra, contumeliæ, conuiciaque in Pontificem. In qua ſanè re Lutherus ſuam potius malitiam prodit, quàm Pontificem lædat vel tantillum. Quid enim Chriſtus eò deterior euaſit, quòd Phariſæi tot in illum maledicta congeſſerunt? Nihil profectò. Quinimo potiùs in ipſorum malum, cuncta reuertebantur. Sic neque ſummus ipſe Pontifex ex Lutheri contumelijs,

detri-

detrimenti quicquam accipit; quin Lotherus magis, more expuentis (vt aiunt) in cælum, facit, vt in ſuum ipſius caput recidat, quod expuerit. Oſtendit enim plane ſe maledictis iſtis, ad Eccleſiæ gremium haud quaquam pertinere, qui vſqueadeò contumelioſè totius Eccleſiæ principem inſectatur. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Neq; enim Paulus Synagogæ principem (ſi fuiſſet ei cognitus) conuicijs inceſſiſſet. At multò minùs Eccleſiæ principem, & totius chriſtianitatis patrem, probris tam indignis Lutherus afficeret, maximè cùm diuino ipſius ore maledictus habetur, & morte dignus, qui vel patri vel matri ſuæ maledixerit. At eſto, Lutherus nolit hunc agnoſcere patrem, nos certè non dubitamus eum, & patrem & caput totius Eccleſiæ nuncupare, quod & inferiùs opinor dilucidè monſtrabimus. Prætermiſſis igitur ijs conuicijs, re potiùs aggrediamur, & iſtud ſaltem vel paucis attingamus, quòd præſcribere nobis campum Lutherus velit, & arma, quibus cum illo congrediamur. Iſtud nimirum è re Lutheri foret, ſi tamen id liceret. Cæterùm licere nequaquam opinor. Nam ſic facillimè quiuis bellator, vel imbecilimus, victor euadet: modò ſibi liceat, & certaminis locum deligere, & arma ſecum concertaturo deputare. Rem ergo patrum quam poſtulat, quod & omnibus (qui vel ſcholaſticis, vel militaribus concertationibus exercitati ſunt) patêre non dubito. Nam vt ei qui ſe cuiuslibet reipub. conſtituit hoſtem, patrum conuenit decernere, quo quis illum petat telorum genere. Sed vniuerſi protinus in eum inſurgunt, & quibus poſſunt arreptis iaculis, illum confodere nituntur. Quòd ſi dixerit ille, gladijs duntaxat aduerſum ſe velle dimicari, nemo hominem audit: ſed vnus arrepta fuſte, alius gladio, alius haſta, alius ſagitta & arcu, alius funda & lapide, aut demum quicquid ad manum citiùs occurrit, eodem ferire communem ſtudet hoſtem. Sic pariter & nobis factitandum eſt, cùm iam emerſit Lotherus, Chriſtianæ reip. perniciosiſſimus hoſtis, cuius ſermo velut cancer, in perniciem ſerpit auditorum: hunc par eſt ab omnibus (quocunque id fieri poteſt telorum genere) celerrimè proſterni. Noſque nimis quàm ſtolidi meritò putaremur, ſi iaculis vllis, quibus ille deijci poſſet, quouis abſtineremus pacto. Non eſt igitur æquum, vt Lutherus nobis præſcribat, quibus cum illo congrediamur armis. Nos enim potiùs Luthero præſcribemus, cum priſcus auctor Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum librum ediderit, quo planè docet, arcendos eos à ſcripturis diſputandis. Hunc, inquit, potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendi eos ad illam de ſcripturis diſputationē, ſi hæ ſunt illæ vires eorum, vti ne eas habere poſſint. Diſpici debet cui competat poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit. Hoc de conſilio diffidentiæ, aut de ſtudio aliter ineundę conſtitutionis induxerim, niſi ratio conſtiterit, imprimis illa, quòd fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat,

Exod. 22. Summus pontifex pater & caput totius Eccleſiæ.

Lutherus Chriſtianæ Reip. hoſtis pernicioſiſſimus.

Tertul. hæreticos à ſacris literis arcet.

Apoſtolus prohibet cū hæreticis quæſtiones inire.

prohibenti quęſtiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum poſt vnam correptionem conuenire, non poſt diſputationem. Adeò interdixit diſputationem, correptionem deſignās cauſa heretici conueniendi. Et hoc vnā ſcilicet, quia non eſt Chriſtianus. Ne more Chriſtiani ſemel & iterum, & ſub duobus aut tribus teſtibus caſtigandus videretur: eum ob hoc ſic caſtigandus, propter quod non ſit cum illo diſputandum. Deinde quoniam nihil proficiat cōgreſſio ſcripturarum, niſi planè vt aut ſtomachi quis ineat verſionem, aut cerebri. Iſta hęreſis nō recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit. Et ſi recipit, non recipit integras. Et ſi aliquatenùs integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtilus: variæ præſumptiones neceſſariò volunt agnoſcere ea, per quæ reuincuntur. His nituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, & quę de ambiguitate cœperunt. Hęc Tertullianus. Nos igitur hoc principio paucis (vt diximus) firmatis veritatibus, edocere conabimur, quibus armis, velit, nolit, reuincendus eſt, quæ nec ipſe, nec alius quiuis (qui ſe Chriſtianum dici velit) refutare poterit. Sed iam primam ex ijs veritatem ſtatuamus.

Hæreſis quædā ſcripturas non recipit.

PRIMA VERITAS.

In ſacrarum literarum interpretatione, pleroſque ſuis ingenijs confiſos, turpiter aberraſſe compertiſſimum eſt.

Nihil magis hanc veritatem ſtabilire poteſt, quàm priorum hæreticorum exempla, quotquot retrò ſeculis nos præceſſerunt, quorū errores ex ſcripturis perperam intellectis, ortum habuerunt ſemper. Fuit enim Arrius vir alioqui doctiſſimus, & acerrimo præditus ingenio, ſpecieque religioſus, verùm ſui ſpiritus ductum ſequens, in hęreſim prolapſus eſt. In quam (opinione ſuę doctrinę, probitatiſque vitę) multos ſecum traxit, tam Epiſcopos, quam ſeculares principes: neque paucos annos huius hominis hęreſis Eccleſiam infeſtauit, donec tandē per orthodoxos patres, opitulante ſpiritu ſancto, funditùs erat euerſa. Poſt hunc ſurrexit Macedonius, qui ſuo quoque nixus ſpiritu, nouam hęreſim, & ex ſcripturis haud ſanè intellectis ſuſcitauit. Poſt hos & alij, per ſeries temporum orti ſunt, Neſtorius, Eutices, Eluidius, Iouinianus, Donatus, Pelagius, Wiclefus, ac cæteri ingenti numero, qui contortis ad ſuum ſenſum ſcripturis, peſtilentiſſimas hæreſes diſſeminârunt, quibus ingentem fecerunt animarum ſtragem. Hæc Luthere, quanquam in ſacris literis minimè prodita ſint, non es tam perfrictæ frontis, vt negare poſſis. Sed quia vis, vt tecum ex ſcripturis agamus, ſcripturas iam audi. Beatus Petrus de Paulinis epiſtolis ſermonem faciens: In quibus,

In-

Hæreſes ſunt per ſcripturas perperam intellectas ortæ.

Macedonius.

Neſtorius Eutices.

2. Pet. 3. In ſacris literis quædam intellectu difficilia.

inquit, ſunt quędam intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras
ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem Ecce
quoſdam hîc ſcripturas ob earum difficultatem,
haud ſatis intellectas, ad ſuam perditionem deprauaſſe, Petrus affirmat. Quo certè liquet, nõ-
nullos ſuo confiſos ingenio, turpiter in ſacris li-
1. Tim. 5. teris hallucinatos fuiſſe, ſed & Paulus ad Timo-
theum de ſimilibus loquens ait, eos non intelli-
gere, neque quæ loquuntur, neque de quibus
2. Cor. 4. affirmant. Et ad Corinthios affirmat ſuum Euan-
Luca. 8. gelium, in ijs opertum eſſe qui pereunt. Et quid
aliud de Iudæis intelligi voluit Chriſtus, cum di-
xit: Quia videntes non vident, & audientes non
Lapſi in hæ- audiunt, neque intelligunt? Quòd ſi ſcripturæ
reſim Hyme- tam apertę ſunt, (vt tu videri vis) quomodo
neus & Ale- prolapſi ſunt in hęreſim, Hymeneus & Alexan-
xander. der, de quibus Paulus teſtatur, quòd citra fidem
naufragauerunt. Quomodo rurſum propter
Ebionem & Cherinthum, negantes Chriſti di-
uinitatem, Ioannes Euangeliſta compulſus ſit
Magiſtri quartum Euangelium ſcribere. Sed & niſi tales
mendaces. futuros, qui perperam ſcripturas interpretaren-
tur, Petrus fuiſſet ſuſpicatus, non dixiſſet certè,
futuros in Eccleſia quoſdam magiſtros menda-
ces, qui perditionis ſectas introducerent: neque
Tit. 3. Paulus tanto admonuiſſet ſtudio, quatinus hæ-
Hæreticus reticum hominem poſt vnam aut alteram cor-
poſt vnam reptionem, deuitaremus. Ex ijs iam cunctis
aut alteram compertum eſſe puto, primam iſtam veritatem
correptionẽ ſatis lucidam eſſe, nempe quòd in ſacrarum ſcri-
vitandus. pturarum interpretatione, plerique ſuis ingenijs
cõfiſi, turpiter aberrârunt, & hallucinati ſunt
nõn mediocriter.

SECVNDA VERITAS.

Idipſum hodie quoque fieri poteſt, vt ſi quis in ſcripturarum interpretatione, ſuo ſpiritu nitatur, is facile dilabatur in errorem.

PAtêre poteſt & hæc, quando præter Conci-
lia patrum, & commentarios orthodoxorũ
auctorum, ac receptas ab Eccleſia conſuetudi-
nes, nos (qui iam hac ætate ſumus) nihil habea-
mus adiumenti, quod nõ potuit illis fuiſſe com-
Antiquorum mune. Nam fuit communis Deus gratiæ largi-
præſtantia. tor, omnibus qui ſe ritè præparârunt. Nec defu-
Quibus re- it vnquam Eccleſiæ ſacer Spiritus, citra quam
bus antiquos fuerat miſſus, ad docendam nos omnem verita-
præcellimus. tem. Ingenio pollebant illi, præſtabant eruditi-
one, literis omnibus & linguis efflorebant,
hc demum multò quàm nos viciniores erant ad
Apoſtolorum tempora. In qua iam altera (quæ-
ſo,) re præcellimus eos, prætetquam in ijs, quæ
nobis relicta ſunt ex concilijs patrum, ex probo-
rum auctorum commentarijs, & ex conſuetudi-
Suo cerebro ne, per vniuerſalis Eccleſiæ conſenſum receptiſ-
quiſpiam cõ- ſima. Quamobrem ijs poſthabitis, & contem-
fiſus facilli- ptis, quiſquis aggreditur ſcripturam ſacram, ſuo
mè halluci- cerebro confiſus, proprijque ſpiritus ductum
natur.
ſequens, facillimè poterit his temporibus in eis
hallucinari, quemadmodum & prioribus hęreti-
cis contigit, niſi tumore animi depoſito, maxi-
ma cum humilitate, ſe patrum orthodoxorum
ſententijs, & totius Eccleſiæ conſuetis myſterijs
conformârit. Quamobrem & horum potiùs fi-
dei ſtandum eſſe Tertullianus conſulit, quàm de
ſcripturis diſceptandum eſſe Tertullianus con-
ſulit, quàm de ſcripturis diſceptandum. Sic
enim in lib. de præſcriptionibus hæreticorum,
vbi vetat curioſitatem inquirendi ſcripturas, ait:
Semper quęremus, & nunquam omnino crede-
mus? Vbi enim erit finis quærendi? vbi ſtatio
credendi? vbi expunctio inueniendi? apud Mar-
cionem, ſed & Valentinus proponit. Quærite
& inuenietis. Apud Valentinum, ſed & Appel-
les hac me pronunciatione pulſauit, & Hebion,
& Simon, & omnes ex ordine non habent aliud,
quo ſe mihi inſinuantes me ſibi adducant. Et
rurſum in eodem libro: Vbi (inquit) apparuerit
eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, il-
lic erit veritas ſcripturarum, & expoſitionum, & *Nouis ſcri-*
omnium traditionum Chriſtianorum. Hæc Ter- *pturarum ex-*
tull. Ex quibus manifeſtè liquet, quòd non ſit *cuſſionibus*
nouis ſcripturarum excuſſionibus auris adhi- *non eſt auris*
benda, ſed patrum orthodoxorum ſententijs, *adhibenda.*
& conſuetis Eccleſiæ myſterijs inhærendum eſt.

TERTIA VERITAS.

Vbi de ſcripturis ſacris, aut de veritate quauis ad Eccleſiam Catholicam pertinente, controuerſia ſuboritur, conuenit vt aliquo iudice, lis ea poſſet dirimi.

ERit & hæc cunctis perſpicua, modò ſpe-
ctent intenſiſſimam curam, quam agit de
Eccleſia ſua Chriſtus. Neque enim noſtra con-
ditio deterior eſſe poteſt, quàm fuerat olim Sy-
nagoga. Porrò ſynagogæ prouidit Moſes, vt
quoties nata fuiſſet inter iudices controuerſia,
ſuper ambiguitate ſanguinis, cauſæ, aut lepræ,
mox negocium ad ſacerdotes Leuitici generis,
& ad ſupremum inter eos iudicem deferretur,
cuius iudicio ſtandum eſſet penitùs. Sic enim in *Deut 17.*
Deuteronomio ſcribitur: Si difficile & ambigu- *In ſynagoga*
um apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſan- *lis orta ad*
guinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, leprã *iudicem de-*
& non lepram, & iudicium intra portas tuas vi- *ferebatur.*
deris verba variari, ſurge & aſcende ad locum,
quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque
ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem,
qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui
iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quod-
cunque dixerint, qui præſunt loco, quem ele-
gerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem ei-
us. Sic ſynagogæ prouidit Moſes, & Chriſtus *Moſes ſyna-*
Eccleſiæ ſuæ (pro qua & ſanguinem proprium *gogæ, Chri-*
fudit) nullum ad controuerſias dirimendas *ſtus Eccleſiæ*
(quas tamen innumeras præſciuit orituras) de- *prouidit.*
reliquit iudicem? Adeſt ergo (nemini dubium
eſt) in Eccleſia poteſtas iudiciaria, ſufficiens ad

omnem controuerſiam, ſiue quæ de ſcripturis, ſeu quæ de veritate quauis alia, ad catholicam Eccleſiam ſpectante naſcitur, diſſoluendam & reſcindendam penitùs. Is iudex (quod tamen tu moliris) non poteſt eſſe ſcriptura ſacta, quemadmodum inferiùs oſtendemus. Neque enim apud Iudæos lex ipſa iudex erat, & maximè cùm de verbis legis agebatur contentio, ſed vt figuræ ſuæ reſpondeat veritas, locus adeundus eſt, quem elegit Dominus, qui nimirum apud nos, Cathedra Petri iure cenſetur. Nam vt apud Moſeos cathedram, Iudæis iudices erant quærendi, ita & nobis Chriſtianis ad Petri cathedram, pro dirimendis controuerſijs confugiendum eſt. Ad hunc modum ante nos fecerunt maiores noſtri, tam doctrina, quàm vitæ ſanctimonia ſpectatiſſimi. Sic Hieronymus fecit ad Damaſum ſcribens. Quomodo, inquit, vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicã & deſuper textam, minutatim diſcerpſit, ideo mihi cathedram & fidem apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam. Et rurſus ad eundem: Beatitudini (inquit) tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Et iterum ad eundem: Emendari cupimus à te, qui Petri ſedem tenes & fidem. Et alibi: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Quamobrem & dicit ſe Vitalem non noſſe, Meletum reſpuere, Paulinum ignorare, quippe qui ſedis huius & cathedræ fuerant aduerſarij: ſed & demum cunctos affirmat ſpargere, hoc eſt ſchiſmaticos eſſe, & extra eccleſiam, qui eum ſucceſſore Petri non colligunt. Vides hic, quantum Hierony. Cathedræ Petri cenſet tribuendum. Tribuit Auguſt. quoque quæſtione 110. veteris & noui teſtamenti. Cathedram peſtilentiæ vocans eorum, qui vel extra Eccleſiam, vel contra Eccleſiam, ſedes ſibi inſtituerunt, & ſedem aſſerit eos vſurpare Petri, cuius tamen traditionem corrumpunt. Nam & ordinem, inquit, ab Apoſtolo Petro cœptum & vſque ad tempus per traducem ſuccedentiũ epiſcoporum ſeruatum perturbant, ordinem ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt, corpus ſine capite profitentes. Vnde congruit etiam eorum ſedem cathedram peſtilentiæ appellare. Hæc Auguſt. Cyprianus item Cornelio ſummo Pontifici ſcribens, eundem animat ad perferendas minas & errores, quos incuſsêre Nouatiani, citansque præſatum teſtimonium, quod paulò antè ex Deuteronomio attulimus, tandem ſubdit: Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex, vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quicquam moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiã ſcinderet, nemo ſibi placens, ac tumens ſeorſum foris nouã hæreſim condetet. Hæc Cyprianus. Ex quibus apertè datur intelligi, quòd debeat vnus ad tempus in Eccleſia ſacerdos eſſe, quæ ſit iudex habendus vice Chriſti, cũ ſit diuino firmatus iudicio, populiq; ſuffragio, ac demum Coëpiſcoporum conſenſu. Huic ſi cęteri obtemperarẽt, nullæ hęreſes, nulla ſchiſmata, nullaq; intra Eccleſiam nata diſſidia durarent diu. Et Leo papa ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem de corpore Eccleſiæ loquens: Hęc, inquit, connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam ſacerdotum. Quibus cùm dignitas ſit cõmunis, non eſt tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De qua forma, Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione prouiſum eſt, nè omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia. Et rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem, vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret. Hæc Leo. Quid Ambroſium memorem, qui magiſtram in omnibus ſe profitetur ſequi Romanam Eccleſiam? Itaque vides ex latinis probatiſſimis, quid de ſede Romana, & Petri cathedra ſentiant. Aſtipulantur & Græci, quod tùm ex alijs, tum ex Athanaſio teſtatiſſimum eſt. Is enim noſtræ ſententiæ ad Marcum Romanæ vrbis epiſcopum ſic ait: Optamus vt à veſtræ ſanctæ ſedis Eccleſiæ auctoritate. (quæ eſt mater & caput omnium Eccleſiarum) ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere, per præſentes legatos mereamur, quatenus veſtra fulti auctoritate, veſtriſque precibus roborati, illæſi à memoratis æmulis ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, euadere, nobiſque commiſſos eruere valeamus. Hactenus ille. Mirum eſt, Luthere, cùm iſta non ignores, aut ſaltem noſſe debueras, quòd tam parum tribuis Romano Pontifici, cum vel apertiſſimum ſit ex Euangelio Ioannis, Caiapham tametſi peſſimum, & qui pecunia pontificatũ ſibi comparârat, tamen quia pontifex fuerat illius anni, verum iudicium protuliſſe. Vos, inquit, neſcitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc, inquit Ioannes, ſemetipſo non dixit ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit quia Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ecce qui Moſeos cathedram occupauit, quanquam auaritia, & ambitione, ac ſymonia, corruptiſſimus fuerat, tamen quia ſummus erat illius anni Pontifex, Iudæis protulit iudicij veritatem. Et qui Petri cathedram legitimè ſortitus eſt, non poteſt hoc facere Chriſtianus? Abſit. Et maximè cùm Petro dictum ſit: Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi (hoc eſt hæreſes) non præualebunt ad-

Qui Petri Cathedræ aduerſantur ſchiſmatici ſunt,

Cathedra peſtilentiæ.

Hæreſum & ſchiſmatum origo.

Vnus in Eccleſia vice Chriſti ſacerdos vnuſque iudex.

Inter apoſtolos diſcretio poteſtatis.

Diſtinctio epiſcoporum

Ambroſius.

Ro. Eccleſia omnib. magiſtra.

Athanaſ.

Ro. Eccleſia mater & caput omnium Eccleſiarum.

Caiaphas quia pontifex protulit verum iudicium.

Matth. 6. Tenuit Augustinū gremio Ecclesiæ successio Ro. Pontificum.

uerſus eam. Propter quod & Auguſtinus, inter cætera, quibus memorat ſe retentum in Eccleſiæ gremio, dicit. Tenet me, ab ipſa ſede Petri Apuſtoli (cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit) vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum. Tenet & ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit. Hæc Auguſtinus aduerſus epiſtolã Manichei. Cæterùm quoniam inferiùs habes articulum de Romani pontificis auctoritate peculiarem, illic fuſiùs hac de re tecum diſſeremus. Et hęc iam ſufficiant pro tertia veritate.

QVARTA VERITAS.

Non ſemper quæque controuerſia ſic exorta, ſola ſacrarum literarum auxilio diſſolui poterit, ac reuelli.

Luth purgatorium & fatetur & credit.

ET ad ſtatuendam (nè petamus aliundè ſubſidium) tua Luthere nobis abundè ſufficiet aſſertio. Aſſeris enim inferiùs in declaratione articuli 37. te credere purgatorium eſſe, & idipſum alijs conſulere, ſuadereque credendum. Sed & multò apertiùs inter concluſiones, concluſione 15. Mihi, inquis, certiſſimum eſt purgatorium eſſe, nec multum me mouet, quid blaterent hæretici. Et paulò pòſt. Nunquid ideo credendum eſt hęretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot ſeculorum, falſam fuiſſe contendendum? Catholicè nimirum iſta ſcripſiſti, atque vtinam ſic perſeueraſſes. Sed ad inſtitutum noſtrum reuertamur: Negas tamen ex ſcripturis ſacris probari poſſe purgatorium. Sic enim habet aſſertio tua 17. Purgatorium non poteſt probari ex ſcriptura ſacra, quæ ſit in Canone. Nunc cernis Luthere in hac controuerſia (quæ nobis de purgatorio cum hęreticis eſt) non poſſe ſcripturã ſacram pro nobis iudicẽ eſſe. Sed & erit potiùs, ſi te ſequamur interpretem, aduerſaria nobis. Sic enim in commentarijs tuis ſuper Epiſtola ad Galatas, explicans illud Pauli: Dum tempus habemus operemur bonũm: Scribis, monere Hieronymum, quòd vbi Apoſtolus dicit, dum tempus habemus, vitam præſentẽ eſſe tempus ſementis, ſicut & Chriſtus dicit: Operemini dum dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari. Et ſubdens ipſe: Quæ contra purgatorium, inquis, videntur pugnare. Sed & quod poſſet obijci, conſequenter diluere ſtudes. Licèt enim, inquis, doctores dicant, in purgatorio non niſi ſatisfactionem, ſeu nouo reperto vocabulo ſatispaſſionem eſſe: ego tamen non video, quomodo ſatisfactio, vel ſatispaſſio non ſit operatio bona. Quid ijs verbis aliud inſinuas Luthere, quàm ex ijs videri tibi, non eſſe purgatorium? Quid ergo relinquis nobis armorum aduerſum hæreticos, qui purgatorium negant, cùm tuo iudicio, ſcriptura tam Chriſti, quàm Pauli nobis aduerſetur, & nullam omnino ſinis pro noſtra parte militare? Contendentibus itaque nobiſcum hæreticis, nos alio

Vbi ſacra ſcriptura non poteſt eſſe iudex.

ſubſidio noſtram oportet tueri cauſam, quàm ſcripturæ ſacræ. Quęres etiam vel ex alio poteſt loco fieri perſpicua. Viſus es propemodum negare Epiſtolam Diuo Iacobo inſcriptam, ipſius fuiſſe, nimirum quòd tuis opinionibus aduerſatur. Verùm hanc, ſi tu aut quiſquam alius repudiare ſit conatus, quibus armis (quæſo) nos ad eam tuendam vtemur? Neque enim ea poteſt ex ſcripturis firmari, quàmobrem ad alia remedia neceſſariò fugiendum eſt. Ad hæc, Eluidius perpetuam diuæ virginis integritatẽ impugnans, plurimas & ipſa prima fronte perſpicuas, adducit pro ſua parte ſcripturas. Et primùm ex Matthæo narrante: quòd cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto: vbi tria notat. Primum deſponſationem, ſecundum quòd reperta eſt in vtero habere, priuſquã conuenirent, & tertium, quòd poſtea re ipſa conuenerunt. Subinde producit, quod in eodem Matthęo ſcribitur: Et non cognouit eam donec, peperit filium ſuum primogenitum. Ex quibus verbis (quantum ad ſenſum grammaticum pertinet) ſatis apertè colligit, Ioſeph poſtea cognouiſſe Mariam. Tertio loco profert ex Luca: Impletos eſſe dies Marię, vt pareret filium ſuũ primogenitũ. Vnde ſubinfert Eluidius, eam habuiſſe ſecundogenitum, propter comparationẽ primogeniti. Et hoc teſtimoniũ iunctum prioribus, nonnihil ad rem facit. Poſtremo, quod toties in Euãgelijs aſſeritur, Ieſum habuiſſe fratres. Primùm Lucæ 8. Ecce mater tua, & fratres tui ſtant quærẽtes te. Et Matt. 12. Ecce mater tua, & fratres tui, foris ſtant quærẽtes loqui tibi. Ioannes item ait: Neq; enim fratres eius tunc credebant in eum. Et Marcus ſcribit dixiſſe turbam: Vnde huic omnis hæc ſapientia & virtutes? Nonne hic eſt faber ille filius Mariæ, & frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & ſorores eius, hic nobiſcum ſunt? Hæc & alia profert Eluidius pro ſua parte teſtimonia, quòd Maria plures præter Chriſtum accepiſſet filios. Nos contrà, ne verbum quidem vnum, ex ſcripturis afferre poſſumus, & tamẽ certò credimus, eam perpetuò fuiſſe virginẽ. Quonam igitur modo (te quæſo Luthere) ſcriptura poterit hanc dirimere cõtrouerſiam? immo non augere magis, ſi quis proximo ſpiritu ſenſum (quem ex mera grammatica colligimus) ſequi nitatur? Accedit ad hęc, quòd ſcriptura ſępè trahi poteſt ad varium ſenſum, quemadmodum vſu videmus ab hęreticis fieri, qui ſenſum, quem ſemel imbiberunt, adeò mordicus tenent, vt nullius alterius iudicio ſtare velint, ſed totius Euangelij textũ rumpi ſinent potiùs quàm ſenſum (quem extorſerunt) auelli ſibi patiantur. Prohibet igitur & Tertullianus cum hiſce de ſcripturis confligari, libro de præſcriptionibus hæreticorũ, ſic inquiens: Quid promouebis exercitatiſſime ſcripturarum? cùm ſi quid defenderis negetur ex diuerſo: Si quid negaueris, defendatur. Et tu quidẽ nihil perdes, niſi vocem in contentionem. Nihil conſequeris, niſi vilem de blaſphematione laudem. Ille verò ſi quis eſt, cuius cauſa in congreſſum

Alio ſubſidio quam ſcriptura aliquando ſtare.
Eluidius Mariæ…
Matth. 1.
Luca 2.
Ioan. 7.
Mar. 6.

greſſum deſcendis ſcripturarũ, vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreſes deuerget? hoc ipſo motus, quod te videat nihil promouiſſe æquo gradu negandi & defendendi, diuerſa parte ſtatutum, certa & pari altercatione incertior diſcedet, neſciens quam hæreſim iudicet. Hæc vtiq; & ipſi habent in nos retorquere. Neceſſe eſt enim & illos dicere nobis potiùs adulteria ſcripturarum, & expoſitionem eorum mendacia inferri, qui proinde ſibi defendãt veritatem. Ergò non ad ſcriptusas prouocandũ eſt: nec in his conſtituendum certamen quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parũ certa. Hæc Tertullianus. Quid ergo fiet, duobus de ſcriptura quapiam contendentibus, altero Catholico patrum ſententiam defendente, alterò hæretico, qui proprio ſenſui pertinaciter adhæret? Quomodo, inquam, lis iſta ſopietur, præſertim cùm nihil ex ſcripturis afferri poſſet, quod vterque non vertat in partem ſuam. Quem iudicem hîc adibimus, niſi Petri cathedram? quæ profectò dubijs in rebus, & ad fidem præcipuè ſpectantibus, nunquam non erit adiuta diuinitus vt certam nobis depromat veritatem.

Hæretico orthodoxoque de ſcriptura diſceptantibus, quis adhibendus iudex.

QVINTA VERITAS.

Propterea miſſus fuerat Spiritus ſanctus, vt in Eccleſia perpetuò maneret, quatenus, cum eiuſmodi suborirentur errores, ſemper de veritate certiorem eam reddere.

Quinque Christi de Spiritu ſancto promiſſa.

CHriſtus, quantum ad hunc ſpiritum attinet, quinq; nobis erat pollicitus. Primum, quòd eſſet Paracletus, hoc eſt, conſolator Eccleſiæ ſuæ. Deinde quòd in æternum apud nos maneret. Tertium, quòd quæ futura eſſent, nobis annunciaret. Quartum, quòd verba Chriſti nobis interpretaretur. Quintum, quòd eſſet nobis ſpiritus veritatis, nosque duceret in omnem veritatem. Nihil ex iis obſcurum eſſe reor, præter quartum, cùm cætera verbis apertiſſimis Chriſtus ipſe teſtatus ſit, vt ex Euangelio D. Ioannis liquet: de quarto verò dicit: Docebit omnia, ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis. Sic enim habetur Græcè, non dixero: Sed & inferiùs de eodem ſpiritu loquens, ait: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Clarificauit filius patrem, cum ea, quæ per Prophetas loquutus ſit pater, vera fuiſſe declarauit. Clarificauit & filium Spiritus, quando ad filij doctrinam populo communicandam, doctorum corda ſecretis inſpirationibus illuſtrauit. Quæcunq; igitur Chriſtus dixit & docuit, Spiritus ille ſanctus (ſi quid obſcurum fuerit) luculentiùs erat interpretaturus. Cæterùm aiet fortè Lutherus, Chriſtum hæc præſentibus Apoſtolis fuiſſe pollicitũ. Neque iſtud negauerimus. At non ſolis, qui tum præſentes erant, exhibita hæc fuiſſe, manifeſtiſſimum eſt. Paulus enim tunc non aderat, quippe qui nondum fuerat conuerſus, & tamen is ad Thimotheũ dicit: Spiritus manifeſtè loquitur. Non ſolùm itaque propter Apoſtolos, qui tum præſentes erant: ſed propter omnes Chriſtianos quotquot eſſent futuri, quã diu militat hîc in terris Eccleſia, pollicitationem hanc à Chriſto factam fuiſſe dilucidum eſt. Ad quid enim in Eccleſia ſpiritus ille ſacer perpetuò reſideret, ſi non subortis hæreſum tempeſtatibus (quæ fluctuantem eam redderent) protinùs occurreret conſolatione ſua, claramq; veritatis ſuæ lucem, in rebus cõtrouerſis, ac dubijs exhiberet? Neq; enim ocioſus eſſe poteſt, qui ad tantum negociũ, tam inclytus, à tam eximijs perſonis, patre videlicet, & filio, miſſus eſſe non ambigitur: Sed indefeſsè negotium (ob quod miſſus fuerat) agere credendus eſt. Et quanquam ipſius Trinitatis opera ſint indiuiſa, Patris, inquam, & Filij, & Spiritus ſancti: Scriptura tamen horum cuique ſuum, & quaſi peculiare tempus ob erudiendam Eccleſiam tribuit. De Patre enim Diuus Paulus tradit, quòd olim patribus per Prophetas multifariam multiſque modis loquutus ſit. De Filio ſubinde referunt Euangelia, quomodo per Apoſtolos erudiuerit Eccleſiam. Et Spiritum denique ſanctum, eatenus à patre, filióque miſſum, Chriſtus ipſe teſtatur, quatenus apud nos in æternum maneret, docturus Eccleſiam in cunctis, quæ ad fidei neceſsitatem attinerent. Quo fit, vt propter perpetuam huius ſpiritus præſentiam, Eccleſia apud Paulum columna dicitur, & firmamentum veritatis, nimirum quòd hoc ſpiritu veritatis, tam ſolidè fulciatur, vt nequeat in errores aliquos impingens, diutiùs in eis perſeuerare.

Ioan. 14.

Clarificauit filius patrem. Clarificauit filium Spiritus.

1. Timoth. 4.

In Eccleſia reſidet Spiritus ſanctus.

Hebr. 1.

1. Timoth. 3.

SEXTA VERITAS.

Spiritus ille ſacer orthodoxorum patrum linguis ad hæreſum extirpationem, & ad plenã Eccleſiæ ſuper rebus dubijs inſtructionem, hactenus uſus eſt, & vtetur ſemper.

COnſtat & hæc ex præcedenti. Nam ſi non fuerit ocioſus in Eccleſia diuinus ille ſpiritus, per aliquos neceſſe eſt Eccleſiam erudiuit. Neque enim ſermo eius palàm cunctis innotuit, ſed aliorum linguis ad inſtruendam Eccleſiam vſus eſt, quemadmodum & de Deo patre Paulus ad Hebræos ſcribit, illum fuiſſe maioribus noſtris loquutum olim per prophetas. Filium autẽ eius identidem per Apoſtolos ſuos, totum orbẽ docuiſſe compertiſſimum eſt. Euntes, inquit, docete omnes gentes: Sic & tertio loco, Spiritũm ſanctum per Apoſtolicos viros (Apoſtolis è medio iam ſublatis) Eccleſiã in cunctis, quæ neceſſaria forent, deinceps edocere par fuit, ac omnia potiùs agere, quàm vt diutius in rebus vehemẽter ambiguis ipſa fluctuaret. Non quod ſacroſanctæ Trinitatis huius opera, ſicut antè diximus, ſint diuiſa: ſed quòd ſingulis horũ ſuum tempus in ſcripturis accomodatur, quanquã omnes indiuiſim, & ſemper operati ſint. Tunc enim quãdo patri negotiũ tribuitur erudiendæ plebis per Prophetas, Spiritus etiã eoſdẽ inſpirauit quemadmodum & Petrus teſtatur. Spiritu, inquit ſancto inſpirati locuti ſunt Dei homines. Quòd ſi

Aliorum linguis ſacer ſpiritus Eccleſiam hactenus inſtruxit

Pater per prophetas, Filius per apoſtolos orbem docuit.

tunc in Prophetis loquutus ſit Spiritus, cum non erat adhuc datus, quantò magis hoc ſuo tempore, cum ſit iam peculiariter in hoc negotium miſſus, per Pontifices & doctores, credendus eſt fuiſſe loquutus.

2. Petri 1.

Teſtantur hiſtoriæ, quòd, cùm ſacri baptiſmatis vnda, Baſilius & Eobolus abluerentur, venit ſuper eos lux immenſa ſicut fulgur, & columba ex fulgere deſcendens, turbauit aquam, & auolauit.

Præſentiæ S. Spiritus ſigna manifeſtiſſima.

Et cum Ambroſius Pſalmum 43. dictaret, vidit eius notarius ignem, caput eius in modum ſcuti operientem, & per os eius intrantem, quo facies eius ad inſtar niuis enituit. Sed & D. Gregorius, cùm electus in ſummum Pontificem, dignitatem tantam fugiſſet, quiddam in modum igneæ columnæ ſuper eum in cauerna deliteſcentem emicuit, cuius indicio deprehenſus eſt. Hæc nimirum erant præſentię ipſius ſpiritus ſigna manifeſtiſſima. Et hoc eſt, quod Damaſcenus teſtatur, dicens: Simili quoque pacto, & Apoſtolicæ gratiæ, & dignitatis ſucceſſores, paſtoreſque & doctores illuminatricem ſpiritus gratiam adepti, tum miraculorum virtute, tū ſermonis gratia, obſcuratos illuminârunt, & errore deuios conuerterunt. Et alibi rurſum: Per ſpiritum igitur ſanctum & lex, & Prophetæ, & Euangeliſtæ, & Apoſtoli, & paſtores locuti ſunt, & doctores.

Viri apoſtolici ſpiritus gratiam adepti, ſicut clarueruut. Per ſpiritum qui ſunt loquuti. Matt. 10.

Id quod ex ipſo Chriſto patet. An ad ſolos Apoſtolos dixit Chriſtus: Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis? An non præter Apoſtolos, quoſdam (vt ait Paulus) prophetas inſtituit, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad inſtaurationem, ſeu magis ad conſummationem ſanctorum, quibus Chriſtus inchoationem nouæ creaturæ dedit? Hos nimirum paſtores, & doctores, ac cæteros inſtituit (vt illic docet Paulus) in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, hoc eſt, vt miniſtrent hunc ſpiritum cæteris & Eccleſiam verbo ſpiritus ædificent.

Ephes. 4.

Sed & iſtud inſtitutum, non ſolùm ad Apoſtolorum tempora ſpectat, verumetiam ad finem vſque ſeculi perdurabit: nempe donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Sed & iſtud expendamus, quod iam tandem ſubinfert Paulus. Scopum videlicet, quem proſpexit Chriſtus, hæc inſtituens, nimirum vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris.

Paſtores & doctores, cur Eccleſiæ dati.

Ecce cur paſtores & doctores, ac cæteri miniſtri dati ſunt Eccleſiæ, nimirum vt his fidem habeamus, vereque credamus in eis Spiritum ſanctum loqui, vitemuſque cæteros, qui doceant ijs contraria: quales aliquot futuros Paulus inſinuat, cum verſutiam hominum memorat & aſtutiam, qua nos adoriuntur, vt imponant nobis, ac circumueniant in errore. Quiſquis itaque, quod doctrinæ patrum aduerſatur, docuerit quicquam, is modis omnibus vitandus eſt, ni velimus potiùs ſemper eſſe tanquam paruuli, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiæ veritatem peruenientes, ſemper fluctuantes, & omni vento doctrinæ circumacti.

SEPTIMA VERITAS.

Quiſquis orthodoxos patres non recipit, hunc doctrinam Sancti ſpiritus contemnere, neque ſpiritum illum habere, manifeſtum eſt.

TAnta nimirum eſt vnitas corporis huius myſtici (quod eſt Eccleſia) vt non modò corpus vnum omnes Chriſtiani dicamur, & ſimus, verumetiam ſpiritus vnus, propter inhabitantem Spiritum ſanctum in nobis.

Ephes. 4. Myſtici Eccleſiæ corporis & naturalis comparatio.

Vnum corpus, inquit D. Paulus & vnus Spiritus ſumus. Colligatur enim Chriſtianus Chriſtiano, nexibus quibuſdam inuiſibilibus, & quidem multò validioribus, quàm in corpore naturali membro membrum compaginatur. Et vt in ijs, vitalis quidam Spiritus diſcurrens, arcanum quendam inſtinctum operatur, ita vt membrum quodque norit ſibi congenitum membrum, paratumque ſit pro eius defenſione ſeipſum exponere diſcrimini, velut agnoſcens communem in vtroque ſpiritum. Sic & in myſtico totius Eccleſiæ corpore quiſque Chriſtianus (qui ſtudet vnitati Spiritus) ſecreta quadam vnctione, mox, vt audit proximum chriſtianè loquentem agnoſcit communem Spiritum, qui in ſe ipſo loquitur. Sic eſt (inquit Chriſtus) omnis qui natus eſt ex Spiritu, nempè qui intima quadam perſuaſione, vocem Spiritus agnoſcit, & eidem condelectatur.

Ioan. 3. Ioan. 10.

Sed alibi de ſuis ouibus teſtatur Chriſtus, quòd ſuam vocem ſint auditur æ, neque cognituræ ſint alienorum. Quoniam igitur eadem eſt vox Chriſti, quæ & Spiritus eius, oues Chriſti, hoc eſt, fideles Chriſtiani, libenter huic voci obtemperant à quocunque proferatur. Et qui recuſant hanc vocem, ad hoc ouile non ſpectare, neque in hoc corpore locum habere, credendi ſunt. Alieni profectò ſunt, & ijdem vocem audiunt alienorum, hoc eſt, hæreticorum peruerſa docentium. Quiſquis igitur Patres orthodoxos (in quibus ſacer ille Spiritus loquitur) reſpuit, neque vocem Spiritus in eis loquentis recipit, is prorſus indicat ſe Spiritus illius expertem eſſe: neque Paulum audit iubentem, vt ſolicitè ſeruemus vnitatem Spiritus in vinculo pacis.

Ephes. 4. Spiritus ſeruanda vnitas in vinculo pacis.

Nam qui fieri poteſt, vt is vnitatem ſeruet Spiritus, qui docere non veretur, ijs quæ Spiritus olim docuit, manifeſtè pugnantia? Docuit autem Spiritus ille ſanctus Eccleſiam, per priores patres, paſtores videlicet & doctores, cæteroſque miniſtros, vt ex proximè ſuperiori conſtitit. Quamobrem qui iam contrarium dogma ſtatuere molitur, is apertiſſimè diſſoluit vnitatem ſpiritus, & vinculum pacis, ac denique totiùs corporis Eccleſiæ compagem. Cæterùm dicet Lotherus priores patres nonnunquā aberraſſe. Neque iſtud ipſe negauerim. Errauerunt interdum, atque ob id errare permiſſi ſunt, vt homines eos fuiſſe cognoſceremus. Sed quid, ſi permiſſi fuerint aliquoties errare, num propterea cæteris, qui rectè dixerunt, nihil

Quare patres errare permiſſi.

hil auctoritatis erit relictum? Abſit. Errârunt aliquando Prophetæ, errârunt & Apoſtoli, neque tamen de cæteris, quæ docuerunt, quicquam dubitamus. [*Lapſus Nathan.*] Nathan (vt non ignoras) propheta fuit, is tamen conſultus à Dauid rege, ſuper opere, quod Rex animo meditabatur, num eſſet ipſum completurus, reſpondit: [*2. Reg. 7.*] Omne quod eſt in corde tuo, vade fac quia dominus tecum eſt. Sic haud dubiè reſpondit, & nihilominus eum erraſſe cunctis perſpicuum eſt. Similiter & alios prophetas aliquando feciſſe ſcripturę reſtantur. Quid igitur? Num propter hos errores, nulla cæteris, quæ dixerint, fides adhibebitur? Abſit. [*Humanum errare.*] Sed illud diuinæ pietatis diſpenſatione factum eſt, vt ad hunc modum, tam nos, quàm illi, ſe cognoſcerent homines eſſe, & à Deo, quicquid rectè dixerint, accepiſſe: à ſeipſo verò quicquid aberrauerint. [*Matth. 16.*] Petrus quoque cum (accepta priùs à Deo patre reuelatione) Chriſtum confiteretur eſſe filium Dei, veriſsima dixit. At paulò pòſt, cum eundem à morte ſtuduit auerſari dicens: Abſit hoc à te Domine, non mediocriter aberrauit. Quid ergo? Num ob id, priorem conſeſsiooem eius reijciemus? Nequaquam. Sed iam vt hominem ſibi derelictum, humano more fuiſſe lapſum agnoſcimus, tunc verò diuinitùs adiutum ſupra captum hominis, diuinitatem Chriſti fuiſſe contuitum, haud quaquam dubitamus. Sic pariter & de ſacris Eccleſiæ doctoribus, contigit, haud abſque diuina diſpenſatione, nempe, vt ſuis ingenijs relicti, nonnunquam in errores inciderint, cùm tamen certum ſit, quod in cæteris [*Quomodò deprehendi poteſt, interpretem ſemel lapſum in alijs tamen verum dicere.*] fulgore diuini ſpiritus illuſtrati, non niſi ſaluberrima dogmata ad maximum Eccleſiæ commodum prodiderunt. At obiectabit adhuc Lutherus: Si potuit interim cæcutire, & errore teneri interpres, quomodo nobis, inquit, erit exploratum, quando verum dixerit? Id nimirum fiet, mutua vel ſcripturarum ad ipſum, vel cæterorum interpretum, vel apoſtolicarum traditionum, vel generalium conciliorum, vel Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinum, vel demùm horum omnium inſimul facta collatione. Nam hæc ita ſe mutuò fulciunt, vt quicquid ab aliquo ſcriptum fuerit interprete, modò vigilanter hæc omnia ſibi mutuò conferamus, facillimè deprehendi poſſet, an verum an falſum fuerat, vt nihil oporteat propter aliquos in eis repertos errores, cætera contemnere, quæ alioqui verè catholiceque tradiderunt.

OCTAVA VERITAS.

Si per ſingulorum patrum ora ſpiritus ob eruditionem Eccleſiæ loquutus ſit, multò magis in concilijs patrum generalib. id feciſſe putandus eſt.

HÆc quanquam de ſe manifeſtiſſima ſit, ex ſcripturis tamen afferre teſtimonium haud grauabimur. In Actis Apoſtolorum traditur, quòd cum ſuborta fuiſſet inter Chriſtianos ſuper legalium obſeruatione controuerſia, mox Apoſtoli, cæterique Iudæi ſeniores (qui tum ad Chriſtum conuertebantur) eius rei gratia Hieroſolymis concilium habuerunt, [*Act. 15.*] & tandem vltrò citroque rationibus auditis, vnanimi conſenſu cæteris (qui tamen aberant) gentibus, decretum ſuum per Paulum & Barnabam miſerunt, affirmantes id Spiritui ſancto, ſimul & ſibi fuiſſe viſum: [*Concilium Hieroſolymitanum Spiritu ſancto inſtructum.*] cum tamen Spiritus ille nullo ſenſibili ſigno (quemadmodum priùs in die Pentecoſtes fecit) ſe præſentem exhibuit. Quoniam igitur idem ſpiritus, adhuc in Eccleſia neque penitus ocioſus reſidet, quis dubitare poteſt, cũ ex omni orbis parte maximus Epiſcoporum conuenerit numerus, vſque adeo, vt conſtet aliquando fuiſſe ducentos, aliquando trecentos, ſed & ſexcentos nonnunquam: quis (inquam) ambigere poteſt, quin inter tot patres, tam eruditione, quàm vitæ ſanctimonia ſpectatiſsimos, tantoque charitatis ac pietatis ſtudio congregatos, non medius affulſerit Spiritus ille ſanctus? Præſertim, cum Chriſtus antè ſit pollicitus in medio ſe futurum, vbi duo vel tres forent in eius nomine congregati. Et cui dubium eſſe poterit, illic vbi Chriſtus eſt, adeſſe pariter & Chriſti ſpiritum? Quando igitur Chriſtus duobus aut tribus in eius nomine congregatis, affuturum ſe promiſit, tot centenarijs patrum pro ſalubri totius Eccleſiæ ſtatu coadunatis, Chriſti ſpiritum (qui in id negocij miſſus erat) putabimus defuturum? [*Tot patribus ſpiritum adeſſe putandum.*] Abſit, ne vel iſtud leuiuſculè ſuſpicemur. Cæterum ijs obijciet Lutherus concilia quædam inter ſe pugnare mutuò, quemadmodum exempli gratia, Nicenum, & Africanum, Conſtantienſi concilio docet aduerſari: quamobrem nec putat ab eodem ſpiritu, ſingula fuiſſe profecta. Dicit enim in reſolutione ſuper diſputatione Lypſica, Nicenum concilium decreuiſſe, vt Romanus Pontifex curam haberet Eccleſiarum ſuburbanarum, ſicut Alexandrinus habuit Ægypti. Quibus nimirum verbis Rom. Pontifici conatur auferre primatum poteſtatis, quam tamen ei tribuiſſe dicit concilium Conſtantienſe. Cæterùm, cum Eckius reſpondit, id Niceni concilij decretum conſenſu Rom. Pontificis, & pro bono tranquillitatis factum fuiſſe, Lutherus inſurgit, contendens hæreticiſsimè tam concilium, quàm Pontificem feciſſe, ſi vel is permitteret, vel illud ſtatueret quicquam, quod contra ius diuinum eſſet quouis pacto. Nam (vt inquit) ſi ius diuinum eſt, Romanum Pontificem omnia in omnibus Eccleſijs poſſe, non eſt in eius poteſtate permittere [*Luth. de diuino iure ratio prorſus inualida.*] contrarium vel vna hora fieri. Sed hic aberraſſe Lutherum non dubito. Nam & conſtat Paulum iure diuino potuiſſe victum à Corinthijs [*1. Cor. 9.*] vendicare quibus ipſe prædicabat, quemadmodum & multis argumentis illic docet. Quis (inquit) militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt in lege Moſi:

Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Hæc Paulus &c. quæ ſequuntur: quibus manifeſtè docet ſibi iure diuino licere, quatenus à Corinthijs victum accipiat temporarium. Et tamen ſubdit, ſe non vſum hac poteſtate fuiſſe. Sic nimirum & Rom. Pontifex, quanquam ei iure diuino poteſtas quædam in omnes competeret Eccleſias, potuit nihilominus ob ſuam & Eccleſiæ quietem, aliquid ſui iuris, citra tamen omnem offenſam, ad tempus remittere. Sed iam veniamus ad conciliu a Affricanum, quod & citat ex xcix. diſtin. cap. primo. Vbi dicit, Concilium illud prohibuiſſe Romanum Pontificem, appellari pontificem vniuerſalem. Sic enim habent ipſius concilij verba. Vniuerſalis autem pontifex nec Romanus appelletur. Quibus verbis molitur Lutherus, vt Romanus Pontifex non ſit vniuerſalis, neque primatum poteſtatis habeat. Verùm iſtud ex ipſis inferre nequit. Nam quis non videt, parum validam eſſe conſecutionem hanc: Non placet concilio, vt Romanus Pontifex appelletur vniuerſalis, iccirco Roma. Pontifex non eſt vniuerſalis. Studuit nimirum ætas illa, quippe (quæ vicina fuerat Apoſtolorum temporibus) modeſtiæ ſimul & humilitati. Recens enim adhuc ſpirauit in eis Chriſti verbum: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini tanquam paruuli. Quamobrem & hos glorioſos titulos (vnde vel ſuperbiendi leuis occaſio naſci potuerit) conati ſunt amputare, id quod liquet ex verbis proximè præcedentibus eodem capite, quæ ſic habent: Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur princeps ſacerdotum, vel ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus. Ecce non placuit concilio titulus iſte tam glorioſus, vt appellaretur princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos, is qui reuera fuerat, & princeps ſacerdotum, & ſummus ſacerdos, hoc eſt, primæ ſedis Epiſcopus. Ex ijs itaque fruſtrà conatur Lutherus oſtendere, Conſtantienſe concilium à Niceno & Affricano diſſidere. Cæterùm donemus hoc Luthero, vt vnum aliquod ex poſtremis concilijs ab altero diſſentiat, num proinde cæteris omnibus fides abolebitur? Haudquaquam. Sed quemadmodum de prophetis & Apoſtolis, ac ſacris doctoribus antè diximus, eos ſibi derelictos nonnunquam aberraſſe, ſic & de concilijs, præſertim poſtremis, quæ tempore ſchiſmatis erant coacta, vbi non ſumma fortè fuerat animorum concordia, neque ſynceta mentium ſimplicitas: Sed quidam ſuis factionibus, & priuatis affectibus, quidam captandæ ſummi Pontificis gratiæ ſtuduerunt. Hi quid mirum eſt, ſi in articulo quopiã ad rem non magnoperè pertinente cæcutierint, vtpote quiddam humanũ paſſi? At nihil ob id oportet fidem cęteris concilijs derogari, præſertim cùm talis error, ſi decreta ſuperiorum conciliorum vnà cùm ſcripturis ſacris, & ſactorum interpretum commentarijs mutuò conferantur, facilè deprehendi queat. Atque hactenus pro octaua veritate ſit dictum.

Rō Pontif. aliquid ſui iuris potuit deponere.

Modeſtia antiquorũ glorioſos auerſabatur titulos.

Veritate 7.

NONA VERITAS.

Traditiones Apoſtolicas quanquam in ſcriptura ſacra nequaquã proditæ ſint, nihilominus à verè Chriſtianis obſeruãdas eſſe.

PAucis iſtam ſtatuemus. Nam Paulus epiſtola ſecunda ad Theſſalonicenſes ait: State & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. Ecce Paulus hic mandat, vt conſtanter teneant traditiones, quas ipſe docuit, aut ore tenus per ſermonem, aut calamo per epiſtolam. Quòd ſi Paulus (qui præ cæteris Apoſtolis tot reliquit Epiſtolas) traditiones etiam à ſe non ſcriptas, voluit obſeruari, nõ negari debet hoc à cæteris, qui, quò minora ſcripſerint, eò veriſimilius eſt plura tradidiſſe. Quid enim ex Petro, qui poſt Chriſtum ſuperuixit in Eccleſia circiter annos 37: quid, inquam, in eius literis habemus Eccleſiæ relictum præter duas breues epiſtolas? An non putabimus eum alia pleraque & ſaluberrima tradidiſſe dogmata, quæ literis minimè commendauit? præſertim cum tam familiariter cunctis interfuit, quæ Chriſtus vel docuit, vel mirificè fecit. Sed & de Iacobo, & Iuda, quid præter vnicam vtriuſque epiſtolam accepimus? De cæteris verò (ſi ſubduxeris Euangeliſtas) nihil, ne verbum quidem habemus ſcriptum: & tamẽ ſingulos ſalutaria reliquiſſe documenta, nemini poteſt obſcurum eſſe. Meminit D. Ioannes in calce Euangelij ſui, pleraque, quæ ad Chriſtum pertinebant, neutiquam literis fuiſſe commendata. Sunt (inquit) & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribuntur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe, eos qui ſcribendi ſunt libros. Patet igitur ex ijs, nec omnia fuiſſe ſcripta, ſed multa per ſermonem & ore duntaxat prodita de quibus ſacri doctores nos crebriùs admonent. Et inter vetuſtiores, ſic Origenes, ait Homilia quinta ſuper Nume. Sed in eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ omnibus facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cœli plagis ad ſolam orientis partem conuerſi fundimus orationem, non facilè puto cuiquam eſſe ratione compertum. Sed & Euchariſtiæ, ſeu percipiendæ, ſeu quo ritu geritur, explicandæ, vel eorum quæ geruntur in Baptiſmo verborum, geſtorumq́ue, & ordinum atque interrogationum, & reſponſionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen hæc omnia, operta licet & velata, portamus ſuper humeros, cum ita implemus ea, & exequimur, vt à magno Pontifice Chriſto, & à filijs eius tradita, & commendata ſuſcepimus. Ecce quid dicit Origenes, nos dictas obſeruationes Eccleſiaſticas implere ſimul & exequi, ſicut à magno Pontifice Chriſto, atq; filijs eius, nimirũ Apoſtolis tradita, & commendata ſuſcepimus. Et Damaſcenus aſtipulatur, lib. 4. cap. 13. de adoratione ad orientẽ ſcribens. Non ſcripta eſt (inquit) hæc Apoſtolorũ traditio. Nam multa ſine ſcripto nobis tradita ſunt. Hæc ille: Et infrà ca. 17.

2. Theſſ. 2. Quod neque traditiones modo habeas tenendas iubet Paulus.

Ioan. vlti. Multa quæ Chriſtus fecit, literis non mandata.

Multa facienda neceſſe eſt, quorum ratio nõ omnibus patet.

vbi

vbi de imaginibus ſanctorum adorandis tradit. Quòd plurima (inquit) ſancti Apoſtoli tradiderunt ſine ſcripto, ſcribit Paulus, gentium Apoſtolus. Ergo fratres ſtate, & tenete traditiones noſtras, quas edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et ad Corinthios: Laudo vos fratres, quia per omnia mei meminiſtis, & ſicut tradidi vobis traditiones tenetis. Hæc Damaſcenus. Et ſacer Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſt. Hierar. de ducibus præceptoribus Chriſtianæ fidei tradit, quòd hi multa, partim ſcriptis, partim nō ſcriptis inſtitutionibus ſuis, iuxta quod ſacras diffiniunt leges, nobis tradiderunt. Hæc Dionyſius. Et Cyprianus his accedit, ſermone de ablutione pedum. Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor & auctor, in cæteris, homines ſpiritum ſanctum habuêre doctorem, & ſicut par eſt Spiritui ſancto & Chriſto diuinitas, ità in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas & poteſtas, nec minùs ratum eſt, quod dictante Spiritu ſancto, Apoſtoli tradiderunt, quàm quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Manet ſingulis propria dignitas, & vniformis in ſuo genere ſtat actio omnium, nihil addi nihil ſubtrahi, nihil poteſt corrigi, vel mutari. Hæc Cyprianus. Hilarius quoque lib. 6. de Trinitate, poſtquam de Apoſtolis mentionem fecerit, ſubdit in hunc modum: Ab his ergo quæ teneo, edoctus ſum, his immedicabiliter imbutus ſum, & ignoſce omnipotens Deus, quia in his nec emendari poſſum, ſed commori poſſum. Hæc Hilarius. Et vulgarius item ſuper illud Pauli: Fratres ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Hinc ſanè perſpicuum eſt, pleraque Paulum ſine ſcriptis, ſermone duntaxat, hoc eſt, viua voce, non epiſtolis ſolùm his tradidiſſe: non enim ſecus illa atque hæc fide ſunt digna. Itaque & Eccleſiæ traditionem dignam exiſtimemus, cui præſtanda ſit fides, vt ſi quid ab ea ſit traditū, nihil vltrà perquiras. Hæc Vulgarius. Atque hactenus pro veritate nona.

2. Theſ. 2.

Summus ſacerdos ſui ſacri eſt inſtitutor & auctor

Eccleſiaſtica traditioni fides adhibenda.

DECIMA VERITAS.

Sed & præter traditiones, conſuetudines etiam quæ ab vniuerſali Eccleſia receptæ ſunt, nemini Chriſtiano reſpuendas eſſe.

1. Cor. 11.

HAnc & diuus Paulus firmat, qui poſteà quàm Corinthios docuerit, vt mulieres non niſi velato capite, viri contrà, capite aperto, Deum in Eccleſijs precarentur, tandem ſubdit: Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Ecce quomodo contra contentioſos conſuetudinem eccleſiaſticam decernit validam eſſe, & placet vt conſuetudini ſit ſtandum potiùs, quam vllis contentioſorum argutijs. Quem locum & D. Hiero. interpretatus, ita ſcribit: Præuenit illos Paulus ne quis diceret: Vbi ſcriptum eſt, vel alijs argumentis huic reſiſteret rationi. Nos (inquit) talem conſuetudinem non habemus, ſiue contendendi, ſiue talia faciendi. Neq; Eccleſia Dei, quæ manſuetudini potiùs, quam contentionibus ſtudet. Hæc Hieron. Ex quibus liquet, ſeruandam eſſe conſuetudinem ab Eccleſia receptam, nec eam ob aliquorum argutias & calumnias facilè deſerandam eſſe. Neque diſſimiliter hunc locum enarrat & Vulgarius, inquiens: Cùm enim Corinthij fucare hæc, fortè argumentis nonnullis vellent, enitebantur ſyllogiſmis & captiunculis, indifferens id reſ arguere. Inquit itaque Paulus: Conſuetudinem ipſi eiuſmodi nullam habemus, vel contendendi, vel virilem enutriendi comam, dum mulier careat velamento, neque ipſa Dei Eccleſia, id eſt, cæteri fideles ipſi: quo fit vt non modò nobis obſiſtere videamini, ſed Eccleſiæ ipſi. Ad verecundiã igitur auditores, hæc dicta compellunt, ne quid præter Eccleſiæ conſuetudinem, factitent. Hæc ille. Et certè quemadmodum in rebus humanis, quæ rationis lumine fiunt, conſuetudo iuris ſcripti vim obtinere dinoſcitur; ſic in Eccleſiæ negotijs, quæ pendent ex lumine fidei, conſuetudo ſemel conſenſu Chriſtianitatis introducta, parem cum lege ſcripta videtur auctoritatem eſſe ſortita. Multa nimirum pro conſuetudinis huius firmitate produximus aduerſus Iodocum, pro ſingularitate diuæ Magdalenæ dimicantes, tam in confutatione ſecundæ ſuppoſitionis per eum allatæ, quàm etiam pro confirmanda, aduerſus eundem octaua veritate. Sed præter hæc Leo doctiſſimus, iuxtà, ac ſanctiſſimus, ſermone de ieiunio Pentecoſtes ſic tradit: Dubitandum non eſt dilectiſſimi, omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ, & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de Sancti ſpiritus prodire doctrina, qui nunc quoq; cordibus fidelium ſuis præſidet inſtitutis, vt ea omnes & obedienter cuſtodiant, & ſapienter intelligant. Hæc Leo. Et Auguſtinus, de baptiſmo paruulorum contra Pelagianos. Paruuli (inquit) baptizati, in numero credentium ponuntur, & hæc ſolùm ex conſuetudine Eccleſiæ antiqua, canonica, fundatiſſima. Et rurſus. Iam, inquit, ſuperiùs oſtendimus, paruulum credere, & inter baptizatos computari, hoc habet auctoritas matris Eccleſiæ, hoc fundatiſſimæ veritatis obtinet canon: contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quiſquis arietat, ipſe confringitur. Hæc Auguſtinus. Et Caſsianus collatione 21. capite. 12. ſubſcribit eiſdem. Oportet (inquit) nos auctoritati Patrum, conſuetudinique maiorum, vſq; ad noſtrum tempus per tantam annorum ſeriem protelatæ, etiam non percepta ratione, credere, eáque vt antiquitùs tradita eſt, iugi obſeruantia, ac reuerentia cuſtodire. Hactenus ille. Ex quibus nemini iam obſcurum eſſe poteſt, quanti momenti ſit habenda conſuetudo, quæ ſemel per Eccleſiam admiſſa, receptáque fuerit, quodque nec ei minùs obtemperandum ſit, quàm legi ſcriptæ. Pro qua re, nec inutile fuerit Papæ Pij ratiocinationem in medium afferre, qua planè colligit cōſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ, nihilo minoris eſſe vinculi, quàm legem ſcriptam. Quia vis (inquit)

Conſuetudinem vult Paulus ſtandum eſſe.

Eccleſiæ conſuetudo æqualis legi ſcriptæ.

Auguſti. Paruuli baptizati ex canonica Eccleſiæ conſuetudine, in credentium numerò ponuntur.

Vis legis in conſuetudine ſubeſt.

quit) legis ex conſenſu reſultat. Conſenſus autem minor non ineſt conſuetudini, quàm legi conſcriptæ. Nam conſuetudinem longus & approbatus vſus inducit. Quæ nullius impedimenti clamore, diuino magis, quàm humano videtur recepta conſilio. Leges autem quamuis Dei nutu decerni credantur, ſæpè tamen vel populi, vel ſenatus magna parte diſſentiente traduntur. Ob quam rem non minùs plectendus eſt, vetuſtæ conſuetudinis, quàm ſcriptæ legis, præuaricator. Hæc Pius. Atque hactenus pro hac veritate ſit dictum.

Atque animaduertendum in conſuetudinis atque legis præuaricatorem.

PROOEMII LVTHERANI CONFVTATIO.

HÆc ſunt Luthere Chriſtianorum arma, quibus in Eccleſiæ publicos hoſtes vtemur. Nullum horum reijcere potes, ſi pateris te Chriſtianum dici. Satis nobis erit vel publicam Eccleſiæ conſuetudinem adducere, vel traditionem Apoſtolicam, vel generalem aliquam patrum Synodum, ſeu quempiam approbatum interpretem. Iſtis enim (vbi ſcripturæ defuerint) confodiendus es. Neq; ſemper afferre ſcripturas licet, vt ex ſuperioribus ſatis apertum eſt: neque cum afferuntur, veſtræ ſuper eas interpretationi cedere nos decet, niſi quatenus ea patribus conueniat orthodoxis. Eccleſia cui credimus, & in qua Spiritum ſanctũ reſidere non ambigimus, columna nobis eſt (vt Paulus ait) & firmamentum veritatis. Sed iam ad reliqua tranſeamus. Eram enim in illis firmandis prolixior, quod tu tot verbis hoc initio iam aſtruere conaris, ſolis ſcripturis tecum nobis eſſe congrediendum. Quod quàm fortiter ſtatuas, mox experiemur. Sic enim inquis.

Quibus telis Lut. confodiendus.

Eccleſia nobis veritatis columna.

LVTH. *Primùm ſcire, conteſtatoſq; eſſe vos volo, me prorſus nullius, quantumlibet ſancti patris auctoritate cogi velle, niſi quatenus iudicio diuinæ ſcripturæ fuerit probatus, id quod ſcio illos vehementer ægrè laturos.*

EPISC. Sed quanta eſt hæc Luthere, inconſtantia tua, vt quod iam pridem atque id quidem aſſeueratiſſimè proteſtatus es, nunc tam impudenter revoces, neque iam auſis ſtare prioribus proteſtationibus tuis. Sic enim primùm, cum tuas concluſiones obtuleris diſputandas proteſtabare: Proteſtor (inquis) me prorſus nihil dicere, aut tenere velle, niſi quod in, & ex ſacris literis primò, deinde Eccleſiaſticis patribus ab Eccleſia Romana receptis, hucuſque ſeruatis, & ex Canonibus ac Decretalibus Pontificijs habetur, & haberi poteſt. Sed & poſthac iterum in actis tuis ita continetur: Hodie proteſtor me non eſſe mihi conſcium aliquid dixiſſe; quod ſit contra ſacram ſcripturam, Eccleſiaſticos patres, aut Decretales pontificum, aut rectam rationem. Hic te quæſo primùm, quiſnam ad hæc tam temerè proteſtanda ſpiritus impulit veritatiſne, an erroris? Nihil dubito, quin erroris, cum & cunctis in his te erraſſe perſpicuum ſit. Sperabas enim tunc eas omnes concluſiones tuas, non modò ſacris literis congruere, verumetiam concilijs generalibus, orthodoxis patribus, canonibus ſacris, pontificijs decretalibus, & rectæ denique rationi. Verùm cum te iam planè cernas conuictum fore, ſi concilia patrum admiſeris, ſi doctorum authenticorum interpretationes receperis, ſi rationes denique probatiſſimas non cauillis & conuitijs illuſeris, ijs omnibus impudentiſſimè negatis, ad ſolas confugis ſcripturas, quas vt Pauli vtar verbo, inuerſurum, aut quod Petrus ait, deprauaturum te ſperas pro ingenio tuo malo prauoque. Quòd ſi ſpiritu ductus erroris, illam proteſtationem emiſeris, quod & ſubterfugere nullo modo potes, verendum tibi eſt, ne ad te ſpectet id, quod ad Timotheum ſcripſit Paulus, fore quoſdam in nouiſſimis temporibus, qui ſpiritibus attendent erroris, & doctrinis dæmoniorum. Tibi nimirum qui mordicùs affirmas, in omni opere bono peccatum eſſe, totieſque Iobum introducis, verentem omnia opera ſua, verendum eſt, ne iam ab orthodoxæ fidei tramite, ſpiritu quodam erroris abducaris. Porrò, quòd tam inſtabilis ſis, vt iam reijcias, quod pridem admiſiſti, reuoceſque quod olim aſſerueras, omnino formidandum eſt, ne te Diuus Petrus depinxerit, vbi de Paulinis epiſtolis loquens, affirmat quoſdam inſtabiles eas deprauaſſe, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Hoc vtique diuerticulo ſemper vſi ſunt priores hæretici, qui ſcripturis, ſed deprauatis, & à genuino ſenſu detortis, innixi ſunt pertinaciſſimè. Si Nouatus hoc non fecerit & cæteri (quorum ſub prima veritate meminimus) hæretici, fruſtrà te vocamus Hæreticum. Sin illi putantes, ſe verum ſcripturarum ſenſum habuiſſe, ceruicem aduerſus orthodoxos patres erexerunt ſeducti, cur & tu non poteris eadem impræſentiarum hallucinari caligine.

Palinodiam canit Lutherus.

Deſtitutus à cæteris omnibus Luth. ad ſolas ſcripturas confugit.

1. Tim. 4.

2. Pet. 3.

LVTH. *Sentient enim hac ratione ſeſe ad primum ſtatim congreſſum ruituros, vt qui conſcij ſibi ſunt, ſtudia ſua, contemptis ſacris literis, ſolùm in auctoribus humanis eſſe detrita.*

EPIS. O quantus arrogantiæ tumor. Nemo ante faciem procellæ, quæ ex ore Lutheri egreditur, conſiſtere poteſt, ſed ad primum ſtatim congreſſum eſt ruiturus. Quis hæc à ſpiritu veritatis proficiſci putabit, & non potiùs à turbine, qua nebulas hæreſum exagitari ſcribit Petrus? Nihil enim magis, quam eiuſmodi tumoris arrogantiam, benignus & mitis ille ſpiritus deteſtatur. Vnus Lutherus præ ſe contemnit cæteros. Sibi ſoli ſcripturarum arrogat notitiam.

Luth. arrogantia.

LVTH. *Dicentq; illud omnium ore & calamo vſitatum, à paucis tamen intellectum, quod in canonibus pontificum docetur: Non eſſe ſcripturas ſanctas proprio ſpiritu interpretandas.*

EPIS. Et rectè nimirum dicent. Nam hactenus in Eccleſia manens ſacer ille ſpiritus, per ora patrũ & doctorum, quantum ſatis fuerit ad Chriſtianorum ſalutem, ſcripturarum veritates nobis expoſuit, Cuius negocij gratia tam à patre, quam à filio mittebatur, vt apud nos maneret in æternum, ſimulque veritatem omnem aperiret, quoties vlla de fide ſuboriretur dubitatio. Quamobrem

Sacer ſpiritus ſcripturarum interpret.

obr em neq; iam cuiquam licet, vt contrà quàm is veritatis ſpiritus Eccleſiam de ſcripturis inſtruxit, ſuo ſenſui, ſuoque ſpiritui iam innixus, veteres Eccleſiæ conſuetudines, noua ſcripturarũ deprauatione, ſubruere moliatur, ſed iam ſcripturarum ſenſibus (quos abundè patres noſtri reliquerunt) innitendum eſt. Aduerſum quos ſi quiſquam emergens, ſcripturarum interpretationes ex ſuo capite, & proprio ſpiritu depromat, haudquaquam audiendus eſt, cum non ſit credibile veritatis ſpiritum (qui vel ob eam cauſam erat miſſus) fuiſſe paſſum Eccleſiam, aut priores illos patres aberraſſe tamdiu.

LVTH. *Cuius verbi peruerſiſſima intelligentia eò proceſſerunt, vt ſcripturas non niſi proprio ſpiritu interpretemur ipſi, contra ſuam ipſorummet ſententiam. Nam hinc ſepoſitis ſacris literis, ſolis commentarijs hominum immerſi ſunt, non quid ſacræ literæ, ſed quid illi in ſacris literis ſentirent quærentes.*

EPISC. Neminem reor ex ijs (qui iam ſuperſunt) catholicis auctoribus ita ſcripturas interpretari velle, vt traditiones à Chriſto, & ab Apoſtolis, atque à Spiritu ſancto per concilia generalia, perque doctores non minus vita, quàm eruditione probatiſſimos, Eccleſiæ relictas contemnat, & pro nihilo ducat, ſed ijs omnino ſenſum accommodet ſuum, quod qui facit non proprio cerebro, aut ſpiritui innititur, neque ſolis commentarijs hominum immergitur, ſed Spiritus ſacri magis, qui per illos verè creditur eſſe locutus, neque demum id ſolùm quærere, quid homines in ſacris literis ſentirent, ſed quid Spiritus ille veritatis per interpretationes priorum patrũ nobis traditas, enarrauerit. Nam per horum ora, Spiritus ille ſacer, Chriſti verba nobis interpretatus eſt. Reliquum eſt igitur, vt iſtis fidem indubitatam habeamus, neque iam ampliùs paruuli ſimus fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Quibus verbis apertiſſimè taxat eos Paulus, qui contra Patrum priorum ſententias, ex proprio ſpiritu doctrinas nouas introducere non verentur.

Per piorum Patrum ora Spiritus ſanctꝰ Chriſti verba nobis interpretatus eſt.

Ephe. 4.

LVTH. *Donec vni homini Ro. Pontifici, non niſi indoctiſſimis Sophiſtis circumuallato, ſoli tribuerent ius interpretandæ ſcripturæ ſanctæ, etiam de ſola poteſtatis & ſublimitatis maieſtate, citra omnem intelligentiam & eruditionem præſumenti, fabulantes, Eccleſiam, id eſt, papam, non poſſe errare in fide.*

EPISC. Quantum alij ſummo Pontifici tribuant, ipſi viderint. Ego certè plurimum ei tribuendum puto, quippe quem Chriſtus in moderandis Eccleſiæ ſuæ negocijs, ſuum voluit eſſe vicarium, cui & generatim ſuarum ouium curam, ingenti ſtudio commiſit. Neque negauerim cæteros Pontifices ſingularum Eccleſiarum eſſe moderatores, ſed Petri ſucceſſorem quiſquis is fuerit, pro ſuo tempore totius Eccleſiæ caput fuiſſe cõſtitutum. Nam par eſt, vt cum Eccleſia verè ſit vna, pontificem, auctore Cypriano, ſimiliter vnum habeat in terris, nempe vicarium eius, qui templum illud non manu factum conſcendit in cœlis. De quo, cum ſuo loco poſteriùs dicturi ſumus articulo. 25, iam ad cætera tranſeamus.

Petri ſucceſſor totius Eccleſiæ caput.

LVTH. *Quare ſuper hac re vtile fuerit pauca conferre. Primùm, ſi nulli licet ſacras literas ſuo ſpiritu interpretari, cur ergo non obſeruant, nec Auguſtino, nec vlli alij patrum idem licuiſſe? & qui ſcripturas ſecundum Auguſtinum, & non Auguſtinum potiùs ſecundum ſcripturas ſanctas intelligit, ſine dubio ſecundum hominem & ſpiritum proprium intelligat.*

EPISC. Primùm hic conueniamus oportet, quid ſit quempiam ſuo ſpiritu ſcripturam ſacram interpretari. Ergo nimirũ illum proprio ſpiritu ſcripturas interpretari dicendum puto, qui molitur ex eis ſenſum à cunctis orthodoxorum patrum ſententijs alienum, & à receptiſſima totius Eccleſiæ conſuetudine diſſentientẽ eruere. Is enim proprij capitis phantaſias, & non ſacri Spiritus ductum, qui per illorum patrum ora locutus eſt, ſequitur. Propter quod & facilè ruit in errorem, cum propria ſint hominis (vt ait Auguſtinus) mendacium & peccatum, in quæ ſtatim prolabitur, qui proprio ſpiritui nimis confidit. Dauid quoq; teſtatur omnem hominem eſſe mendacẽ. Sed & idem Auguſtinus affirmat periculoſum eſſe cuiuis, ſcripturam ex ratione exponere ſine auctoritate. Ad hæc, & Donatiſtas inſectatur, quòd ij ſcripturas contra totius Eccleſiæ conſuetudinem interpretati ſunt. Liquet igitur ex his Auguſtinum in exponendis ſcripturis ſacris, priorum patrum auctoritati, & vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudini ſe conformaſſe, quod & eos, identidem feciſſe non dubito (nec dubitare etiam quiſquam poteſt, modò recta ratione vtatur) diuini ſpiritus illuſtratione perfuſos. Id quod Paulus hortatur, dicens: Obſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſed ſitis integrum corpus, eadem mente, & eadẽ ſententia. Verùm ſi cuique liceat ſuum ſpiritum, & ſenſum, in exponendis ſcripturis ſequi, nemini dubium eſt, quin inter Chriſtianos, diſſidia ſuppullulabunt abſque numero. Cæterũ quod ait, eum qui ſcripturas ſanctas, ſecundum Auguſtinum, & non Auguſtinum potiùs ſecundum ſcripturas ſanctas intelligit, ſine dubio ſecundũ hominem, & ſpiritum proprium eas intelligere. Hoc ſanè veriſſimum eſſet, ſi diuus Auguſtinus proprio ſpiritui fuiſſet innixus, & non magis cõcordi totius Eccleſiæ ſpiritui. Sed hunc concordem totius Eccleſiæ ſpiritum, defixis oculis in conſonantia ſcripturæ ſacræ cum Patribus, & Patrum itidem cum ſcriptura ſacra, ſimulque totius Eccleſiæ conſuetudine, ſpectabat aſſiduè.

Auguſt.

Pſal. 115.

Periculoſum eſſe cuiuis ſcripturam ex ratione exponere ſine auctoritate.

1. Cor. 1.

LVTH. *Si autem ſcripturas non licebit ſecundum proprium ſpiritum intelligere, multò minùs licebit Auguſtinum ſecundum proprium ſpiritum intelligere: quis enim nos certos faciet, an rectè Auguſtinum intelligas? Dandus ergo erit alius interpres Auguſtino quoque, ne proprius ſpiritus nos fallat in illius libris. Quod ſi ita fieri oportet, dandus eſt & tertio quartus interpres, & quarto quintus vſq; in infinitũ.*

EPISC. Prior illa ſententia ſatis anceps eſt. Poteſt enim quis per proprium ſpiritum, aut ſcripturæ ſpiritum, aut interpretantis ſpiritum, intelligere.

Proprius ſpiritus.

Ego

Ego de ſpiritu interpretantis hactenus loquutus ſum, quemadmodum & canon præfatus intelligi debet, qui vetat quenquam proprio ſpiritu ſcripturas interpretari ſacras. Porro ſcripturarum ſpiritus, non eſt alius, quàm ſanctus ille Spiritus, quem in ſcripturis loquentem audit nemo, niſi qui catholicus fuerit, & perfecta ſolidatus humilitate. Is hauddubiè ſpiritus vnus eſt, ob quod non contraria, ſed eadem, & in ſcripturis & in patribus loquitur. Quiſquis itaque non ſecundum hunc ſpiritum, ſiue ſcripturas, ſeu diuum Auguſtinum intelligit, male intelligit. Ille nimirum ſpiritus, vtriuſque veriſſimus interpres eſſe creditur. Nam huic ſi intendetis, & humili fide acceſſeris, modò non defuerit eruditio, planè cognoſces Auguſtinum ſcripturæ ſacræ conformem eſſe, & ſcripturam viciſsim Auguſtino, ſpiritumq́ue illum ſacrum, in vtroque fuiſſe loquutum, communemq́ue vtriuſque interpretem eſſe, neque cæteris vſque in infinitum interpretibus opus eſſe quouis pacto.

Scripturarũ ſpiritus.

LVTH. *Et coget nos proprij ſpiritus periculum nihil vnquam diſcere aut legere, id quod certè impletum eſt dum primò neglectis ſacris literis ſoli Auguſtino inſudatum eſt: poſt & hoc non intellecto & neglecto, Thomas Aquinas regnauit. Et hunc alij ſine ſine interpretes ſequuti ſunt.*

EPIS. Satius eſſet nihil diſcere, quam ſic diſcere, vt proprio fiſus ingenio, cæteros ipſe contemnas auctores. Nam ſic, & diſcendi laborem ſuſtinebis ſemper, & nunquam (vt Paulus ait) ad ſcientiæ veritatem peruenies. Tumor enim animi tui non ſinet, vt veritatem apprehendas. Quamobrem ſi proprij ſpiritus tumore depoſito, ſacro fidas ſpiritui, is te perducet ad veritatem, quæ in ſacris auctoribus, ſacriſque ſcripturis abditur, ſolis humilibus ſalubriter cognita. Quiſquis hoc animo ſcripturas ſacras aggreditur, tam abundè proficiet, vt ſi vel milleſimam horum (quæ norit) partem, bona conetur exprimere vita, non ad ſuam ſolum, verumetiam ad multorum ea ſufficeret ſalutem. Sed plerique hodie doctrinæ magìs, quàm bonæ vitæ ſtudemus. Quo fit vt auctores etiam optimos flocci faciamus, cum tamen vſqueadeo malus auctor nullus repertus ſit, à quo non plurima licebit bona perdiſcere. Neque Thomas Aquinas vſque adeo tibi Luthere paruipendendus eſt, quem plerique in ſacris literis exercitatiſſimi, Theologiæ florem appellare conſueuerunt.

2 Tim 3.

Sacra ſcriptura veritas ſolis humilibus ſalubriter cognita.

Plerique hodie doctrinæ magis, quam bonæ vitæ ſtudent.

LVTH. *Error itaque manifeſtus eſt, hoc verbo, non licet ſcripturas proprio ſpiritu intelligere, nobis mandari, vt ſepoſitis ſacris literis, intendamus, & credamus hominum commentarijs.*

EPISC. Rectè colligeres Martine, ſi quemadmodum affirmas, ita per quempiam mandaretur. Sed neminem ego prudentem vſqueadeo deſipere arbitror, vt iubeat ſepoſitis ſacris literis, ſolis hominum commentarijs inhæreamus. Quid ſi terræ quidam vſqueadeo ſe contineant & repant, vt non auſint altiora ſe quærere. Neq; enim cuiuis (vt in prouerbio eſt) contingit adire Corinthũ. Num propterea cæteris mandatur, vt ſacras haudquaquam attrectent literas? Sacras adire literas quiſque poteſt, mox vt abſque cortice nare queat, ſed interea fulciendus eſt ſacrorum commentariorum auxilio.

Nare abſque cortice.

LVTH. *Hanc itaque intelligentiam abſque dubio Satanas ipſe inuexit, quò a noſtris, id eſt, ſacris literis longiſſimè auocaret, & deſperatam ſcientiam ſcripturæ nobis faceret.*

EPISC. Non hanc, ſed contrariam inuexiſſe Satanam auſim affirmare, cum non alio potuerit modo commodiori, ſectas & hæreſes inter Chriſtianos Satanas introducere, quàm vt quiſque maioribus contemptis, ſuum ingenium ſequeretur.

LVTH. *Cum ſic potiùs ſit intelligendum, ſcripturas non niſi eo Spiritu intelligendas eſſe, quo ſcriptæ ſunt, qui ſpiritus nuſquam præſentiùs & viuaciùs, quam in ipſis ſacris ſuis, quas ſcripſit, literis inueniri poteſt.*

EPISC. Dicas ergo nobis Luthere, cur Nouatus hunc Spiritum non inuenit, aut Arrius, aut quiſquam cæterorum, quos ſub prima veritate recenſuimus? Nimirum quia Spiritus iſte nemini ſe palàm facit, niſi ijs qui ſtudent ſpiritus vnitati, & vinculo pacis, hoc eſt, qui prioribus Patribus, per quos locutus eſt ipſe Spiritus, concordi ſenſu ſeipſos conformant. Præſentiſſimus hauddubiè ſpiritus in ſacris ſuis literis eſt, vt dicis, at non paſſim offert ſe cunctis. Legiſſe te non dubito, quòd ſpiritus diſciplinæ effugit fictum. Sed & pro ſuo beneplacito ſpirat vbi vult, & quibus vult. Hoc enim malè habuit Sedechiam filium Canaan, quòd acceperit, Micheę loquutum fuiſſe ſpiritum hunc, & non ſibi.

2 Par. 18.

LVTH. *Danda ergo fuit opera, non vt ſepoſitis ſacris literis ſolùm humanis Patrum ſcriptis intenderemus, immò contra: Primùm ſepoſitis omnium hominum ſcriptis, tantò magìs & pertinaciùs inſudandum erat ſolis ſacris, quò præſentius periculum eſt, ne quis proprio ſpiritu eas intelligat, vt vſus aſsiduus ſtudij victo periculo eiuſmodi, tandem certum nobis faceret ſpiritum ſcripturæ, qui niſi in ſcriptura prorſus non inuenitur, hic enim poſuit latibulum ſuum, & in cælis (id eſt Apoſtolis) tabernaculum ſuum. Et Pſal. 1. Vir beatus in hoc laudatur, quod die ac nocte, non in alijs libris, ſed in lege Domini meditatur.*

EPISC. Duo ſunt quæ colligis, alterum, vt non ſolis patrum commentarijs intenderemus, ſcriptura ſepoſita & iſtud rectè. Alterum, vt contrà magis, ſepoſitis patrum commentarijs, ſolis ſacris literis inſudaremus, & hoc non rectè, cum apertiſſimè conſtet, inde ſummam præclariſſimis ingenijs ortam fuiſſe perniciem. An non Arrius fuit in ſcripturis exercitatiſſimus? Num Pelagius item, & cæteri, qui tamen ſuis ingenijs confiſi, naufragium in ijs literis paſsi ſunt, tantumq́ue abfuit vt aſsiduis ſtudijs periculum euicerint, vt etiam auxerint magìs? Inde nimirum hauſto nõ ſcripturæ, ſed ſuperbiæ ſpiritu. Fateor equidem his literis adeſſe ſpiritum, in his latibulum ſuum, in his tabernaculum ſuum poſuiſſe, beatumq́ue virum illum eſſe, qui die nocteque fuerit in lege Domini meditatus, modò non contemptis aliorum auctorum orthodoxis commentarijs, ſed humiliter acceſſerit.

Arrius & Pelagius ſuis ingenijs confiſi.

LVTH. *Hinc enim hauſto ſpiritu, iudicium ſuum quiſque formabit, non modò ſuper omnia gentium, ſed & ſanctorum*

pa-

patrum ſcripta. Scriptum eſt enim, quòd Moſi facies glorificata fuit è conſortio ſermonis Domini, non vtique è conſortio ſermonis hominum, etiam ſanctiſsimorum, quotquot erant.

EPISC. Multa non minùs temerè, quàm arroganter polliceris Martine. Satis cuique fuerit, intra menſuram Patrum ſeſe cohibere, & ſapere ad ſobrietatem. Cæterùm an quis aſſequetur quod polliceris, neſcio. Vnum ſcio, non hauſiſſe ſpiritum hunc, eos quos antè memorauimus Hæreticos, qui tamen in ijs literis die noctéque meditati ſunt, & iudicium etiam ſibi firmârunt, ſuper, immo contra patrum omnium ſanctorum ſcripta. Maiorem certè gloriam fuiſſent conſequuti, ſi non ſuper cęteros extolli, ſed conformari cæteris humiliter ſtuduiſſent. Vtcunq; fuerit, palàm eſt eos nullam ex ijs glorificationem, ſed obtenebrationem magìs reportaſſe.

LVTH. *Præterea cum credamus Eccleſiam ſanctam catholicam habere eundem ſpiritum fidei, quem in ſui principio ſemel accepit, cur non liceat hodie, aut ſolùm aut primum ſacris literis ſtudere, ſicut licuit primitiuæ Eccleſiæ. Neque enim illi Auguſtinum aut Thomam legerunt.*

EPISC. Non negauerim ei qui pari fuerit ingenio prędirus, pariq; vitæ ſanctimonia firmatus, literis inſuper æquè egregijs inſtitutus, atque fuerat olim Hieronymus, aut Chryſoſtomus, quin poſſet abſque Auguſtino aut Thoma proficere. Verùm ſi profecerit, nihil ambigo, quin eadem quantum ad ſubſtantiam fidei ſpectat, ſentiet, quæ ſenſit Auguſtinus & Thomas, à quibus ſi diſſentiat, in ijs quæ fidei ſunt, ſciat ſe Spiritum ſanctum haud quaquam hauſiſſe, cum ſpiritus ille non ſit ſchiſmatis auctor, ſed vnitatis, neque repugnantia doceat, ſed concordia.

LVTH. *Aut dic, ſi potes, quo iudice finitur quæſtio, ſi Patrum dicta ſibi pugnauerint? Oportet enim ſcriptura iudice, hic ſententiam ferre, quod fieri non poteſt, niſi ſcripturæ dederimus principem locum in omnibus quæ tribuuntur patribus, hoc eſt, vt ſit ipſa per ſeſe certiſsima, facillima, apertiſsima, ſuiipſius interpres, omnium omnia probans, iudicans & illuminans, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 118. Declaratio, ſeu vt Hebræus propriè habet, Apertium ſeu oſtium verborum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis: hic clarè ſpiritus tribuit illuminationem, & intellectum dari docet per ſola Dei verba, tanquam per oſtium & apertum ſeu principium (quod dicunt) primum, à quo incipi oporteat, ingreſſurum ad lucem & intellectum.*

EPIS. *Hæreticorū conatus.* Huic opinor quæſtioni ſatisfactum eſſe, ex quarta veritate ſuperiùs firmata. Hoc in primis hæretici moliuntur, vt ſcriptura iudex fiat, quam ſciunt facilè trahi poſſe pro ſuis vafriſſimis ingenijs, in quam magis licebit partē: tantaq; eſt illis arrogantia, vt ſine fine contendant, ſenſum quē ipſi conceperunt, verum eſſe, neq; volunt in hac re cuiquam orthodoxo credere. Et quis nō videt ad hunc modum, finem controuerſiæ futurum nunquam? Nam, vt hiſtoria tripartita refert lib. 2. cap. 15. Aceſius quidam Epiſcopus tantę fuit pertinacię, vt nec CCC. illis Epiſcopis Nicęæ cōgregatis, ſubſcribere voluit. Quem cum Conſtantinus interrogauit, cur à communione ſe ſepararet, ille ſubtilitatem acerbiſſimæ regulæ introduxit, nempe non oportere eos, qui poſt baptiſma peccant, peccato quod ad mortem eſſe ſcripturæ diuinæ pronunciant, communicatione ſacramentorum fieri dignos, ſed inuitandos quidem ad pœnitentiam, ſpem verò remiſſionis, non à ſacerdotibus, ſed à Deo ſolummodo ſuſtinere, qui poteſtatem habet peccata remittere. Sic Aceſius ille, pertinaciter hæſit ſuo ſenſui, quem ex ſcripturis concepit, nec omnino cedere voluit tot orthodoxis Patribus. At hunc pulchra nimirum eluſit Imperator facetia. O Aceſi (inquit) pone ſcalam, & ſi potes in cælum ſolus aſcende. Iudex igitur oportet quiſpiam ſit, qui ſecundum ſcripturas iudicet, non ſecundum ſenſum, quem ex ijs hæreticus imbiberit, ſed quem orthodoxi patres interpretati ſint, in quibus non dubitamus Spiritum fuiſſe locutum. Hęreticus autem per hoc oſtium, de quo Lutherus loquitur, non intrat, cum arrogantia tumeat, & oſtium ipſum humile ſit, atque anguſtum, vt ille prę nimio tumore non poſſit ingredi. Neque enim oſtiarius, qui Spiritus ſacer, auctore Cyrillo, rectè intelligitur, talibus aperit, ſed excludit eus potiùs. Solis verò paruulis (vt illic ſcribitur) hoc eſt humilibus, & patrum commentarios non contemnentibus, dat intellectum. Cæterum ſi ſcriptura ſacra, ſic per ſeſe certiſsima, facillima, apertiſsima, ſui interpres ſit, quemadmodum Lutherus affirmat, quomodo non eam Eunuchus ille, Cādaces Reginæ præfectus intellexit, niſi Philippo interpretante? Cum enim is in curru ſcripturas legeret, Philippus iuſſo diuini ſpiritus illum interrogauit, num intellexerit, quæ tum legerat: reſpondit ſe non poſſe, niſi dux aliquis viæ ſibi fuerit, hoc eſt, niſi quis illi interpretaretur. Sed & diſcipulis illis duobus in Emaus profectis, vſqueadeò obſcuræ fuerant ſcripturæ, vt neceſſe fuiſſet Chriſto ſenſum earum illis aperire.

Aceſij pertinacia.

Hæreticus per oſtium non intrat.

Pſal. 118.

Act. 8.

Mar. 16.

Iterum, Principium ſeu caput verborum tuorum veritas. Vides & hic veritatem tribui, non niſi capiti verborum Dei, hoc eſt, ſi verba Dei primo loco didiceris, & eis velut principio primo vſus fueris, pro omnium verborum iudicio. LVTH.

Hic quis tam cæcus eſt, vt non cernat hanc ſcripturam nihil inſtituto tuo facere? Quid enim, ſi veritas ſit initium aut caput ſermonum Dei, nimirum vt ex veritate proficiſcantur omnia, quæ dixerit Deus, num propterea non erit veritas in orthodoxorum patrum ſcriptis, neque ex ijs debemus imbui, vt faciliùs ad ipſum initium perducamur? Quæſo te Luthere, quid tam prolixas in pſalmos ipſe paras interpretationes, ſi non per eas, maiori compendio, peruenire quis poterit ad Pſalmorum intelligentiam? Quòd ſi tuis commentarijs tantum arroges, vt per eos perſpicua fiant, quæ priùs erant obſcura, quid non ſinis ſacrorum interpretum enarrationibus idem tribui? EPISC.

Lut. ſuo ipſius gladio iugulatur.

Et quid facit Octonarius ille totus, quàm vt peruerſitate noſtri ſtudij damnata, nos reuocet ad fontem, & doceat primum & ſolùm verbis Dei ſtudendum eſſe: ſpiritum autem ſua ſponte venturum, & noſtrum ſpiritum LVTH.

tum expulſurum, vt ſine periculo theologiſſemus.

EPISC. Nuſquam in hoc octonario, ſeu quouis alio reperies, quòd quiſquam ſibi placens aut ingenio ſuo confidens, permittitur ingredi ſacrarum literarum oſtium. Porrò nimis ingenio ſuo confidit, qui cum poſſet ex alijs diſcere, qua via ſit ingrediendum, quibus & olim oſtiarius aperuit, nolit tamen eos audire, ſed per ſeipſum introire contendit. Quis huius hominis vſqueadeo pertinacia non damnabit ſtudij peruerſitatem, qui cum velit ad fontem concluſum ingredi, poſſetque ab alijs admoneri, qua parte pateat aditus, illis contemptis, ſibijpſi ſuopte ingenio viam patere moliatur? Nunquam huic Spiritum ſanctũ ſe communicaturum opinabor, neque ſine periculo talem vnquam rectè theologiſſaturum credam.

LVTH. *Hoc ſanè verum eſt, ſuperbis & impijs ſcripturam ſanctam ſemper eſſe maioris cæcitatis occaſionem, ſed quæ hominum ſcripta ſuperbis etiam non ſunt occaſio maiorum tenebrarum? aut quæ res quamlibet optima, ſuperbis & immundis non cooperatur in malum? hos fieri in ſcripturis hæreticos nihil mirum, verum eoſdem in humanis ſcriptis, plus etiam, quàm beſtias fieri nihil nouum.*

EPISC. Iam tandem rem ipſam, acu (quod aiunt) Luthere tetigiſti, ſi tamen velis agnoſcere. Iã enim confeſſus es, ſcripturam ſacram ſuperbis & impijs ſemper eſſe maioris cæcitatis occaſionem. Hìc te medium teneo. Nam vbi nunc eſt, quod paulò antè tam pertinaciter affirmabas, ſcripturam ſacram per ſeſe certiſſimam eſſe, facillimam, apertiſſimam, ſuijpſius interpretem, omnium denique quæ cæteri ſcripſerint probatricem, diiudicatricem, illuminatricem. Si per ſeſe certiſſima ſit, facillima, apertiſſima, & ſuijpſius interpres, cur hæretici, qui linguas callent, ingenio pollent, eruditione præſtant, cur inquam hi, nõ per apertum oſtium ingrediuntur? Cur non eſt ijs ſacra ſcriptura per ſeſe certiſsima, facillima, apertiſsima, & ſuijpſius interpres? Reſponde quicquid velis, id ſubruet omnia, quæ iam pridem ſtabilire tot verbis es conatus. Sed iam pro veſtro more ſuffundere moliris aquam, & fumum ob oculos excitare ſtudes. Quænam (inquis) hominum ſcripta, ſuperbis etiam non ſunt occaſio maiorum tenebrarum? Dic mihi quis vnquam ex lectione Thomæ factus eſt hæreticus, aut quis ex Auguſtino ſolo ſumpſit hæreſeos errorem? Ex ſcripturis tamen perperam intellectis, innumeros anſam aberrandi non eſt dubium accepiſſe. Quòd demum hæreticos à beſtijs ſeparas, ego certè nullam exiſtimo beſtiã eſſe truculentiorem, quàm hæreticum, cum beſtia ſolis noceat corporibus, at hæreticus immenſam quotidie facit animarum ſtragem.

Superbos & impios excæcat ſacra ſcriptura.

Mos Lutheranorum.

LVTH. *Sint ergo Chriſtianorum prima principia, non niſi verba diuina: omnium autem hominum verba, concluſiones hinc eductæ, & rurſus illuc reducendæ & probandæ.*

EPISC. Sed iſtud qui colligis Martine? Num ex eo quod ſuprà citaueras, principium ſeu caput verborum tuorum veritas? An iſta tibi vel Theologica videtur argumentatio. Principium verborum Dei veritas eſt, ergo verba Dei ſunt principia prima, & dicta interpretum non niſi concluſiones? imò potiùs ex eo colligeres, veritatem eſſe principium verbi Dei, & hæc illius eſſe concluſiones. Sed fallere nos, & circumuenire tuis ijs verbis Luthere conaris. Neque enim ſacrorum interpretum commentarij, ſemper habendi ſunt vt, ſcripturarum concluſiones, ſed expoſitiones, & illuſtrationes quædam dicendæ ſunt potiùs. Sunt enim hæ nobis magis notæ, & per eas inducimur in ſcripturarum notitiam, cũ tamen è diuerſo ſcriptura notior ſit in ſemetipſa, non autem in nobis.

LVTH. *Illa primò omnium debent eſſe notiſſima cuilibet, non autem per homines quæri & diſci, ſed homines per ipſa iudicari.*

EPISC. Aliud eſt, vt certè non ignoras, rem quampiam in ſeipſa notiorem eſſe, & aliud eſſe notiorẽ nobis. Nemini dubium eſt ſcripturam alioqui ſatis obſcuram, ſæpius per exactam enarrationem ei fieri dilucidam, cui priùs erat obſcura. Et quanquàm obſcura fuerat, fuerat nihilominus in ſe certa, licèt parùm intellecta nobis. Neque enim idem eſt quippiam in ſe certum eſſe, & eſſe nobis intellectum. Nam de ſcriptura quaque certi ſumus, quòd vera ſit, tametſi non fuerit nobis ſatis intellecta. Habent ſcripturæ ſuam certitudinis firmitatem, etiam cum parùm cognitæ fuerint. Falſum eſt igitur quod ſubſumis, nempe ſcripturas primò omnium debere eſſe notiſsimas cuilibet. Sed neque minùs falſum eſt, quòd non per homines quæri debent & addiſci. Per homines enim elucidari ſcriptura poteſt. Alioqui ſapientia nequaquam de hominibus dixiſſet: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Per homines elucidari ſcripturam.

LVTH. *Quod ſi non ita eſt, cur Auguſtinus & ſancti patres, quoties vel pugnant, vel docent, ad ſacras literas, ceu prima principia veritatis recurrunt, & ſua vel obſcura, vel infirma, illarum luce, firmitate, illuſtrant & confirmant? quo exemplo vtique docent, verba diuina eſſe apertiora & certiora omnium hominum, etiam ſuis proprijs verbis aut quæ non per hominum verba, ſed hominum verba per ipſa doceantur, probentur, aperiantur, & firmentur. Niſi enim ea apertiora & certiora ducerent, ridiculè ſua obſcura per obſcuriora Dei probare præſumerent, cùm & Ariſtoteles iſtorũ, vniuerſuſq́; naturæ ſenſus id monſtrent, quòd ignota per notiora, & obſcura per manifeſta demonſtrari oporteat.*

EPISC. Hic Martine, certum cum noto confundis, & firmum cum dilucido, cum nos ſuprà oſtendimus, hæc diuerſa eſſe, quippe quòd ſcripturæ certiores eſſent, & firmiores: interpretum verò commentarij nobis notiores & dilucidiores. Auguſtinus igitur & cæteri patres firmant & roborant ſua per ſcripturas, ac viciſsim ſcripturas per ſua declarant, & elucidant. Quæ res vt manifeſtior fiat, de tuis aliquid commentarijs loquamur. Si notior eſt Pauli ad Galat. ſcriptura, quàm interpretatio tua, quam ſuper eam edideris, parùm prudens eras, qui laborem tantum ad eam illuſtrandam inſumpſeras. At non dicea opinor, fuiſſe notiorem, quanquam certiorem affirmabis, & propterea certiorem, quoniam de ſcri-

ſcripturis nemini licet ambigere, quin veræ ſint, licet à ſe neutiquam fuerint intellectæ. De tuis tamen commentarijs hęſitant plurimi. Diuerſum igitur eſt ſcripturarum aliquam certam eſſe, & notam eſſe. Tu tamen hęc confundis, perinde atque prorsùs eſſent eadem.

Diuerſum eſt ſcripturã aliquam certam eſſe.

LVTH. *Quæ ergò eſt noſtra tam irreligioſa peruerſitas, vt ſacras literas non per ſeipſas, & illarum proprium ſpiritum, ſed per hominum gloſſas velimus diſcere, diuerſo omnium patrum exemplo, & in hac peruerſitate gloriemur, ceu religioſiſſima pietate.*

EPIS. Nihil agis Luthere. Nulla peruerſitas in ijs eſt, qui ſacrarum literarum intellectum, ex ſacris petunt interpretibus, quin potiùs in illis, qui contemptis interpretibus, ingenijs adeò confidunt ſuis, vt facto ſibi aliundè aditu, & non per oſtiũ ingredi volunt. In his nimirum eſt peruerſitas dãnatiſsima. Porrò quod ais, diuerſo patrũ omnium illos exemplo facere, longiſsimè aberras: An non Origenes Alexandrino Clementi diſcipulus erat? Et Hieronymus in ſacris literis præceptorem habuit Gregorium Nazianzenum, quo interpretante ſe didiciſſe gloriatur? Et Baſilius nonne profectus in Ægyptum, vt ſacris literis erudiretur, in Græciam reuerſus, multis philoſophis viam ſalutis oſtendit? Chryſoſtomus etiam Euſebio Emiſſeno præceptore vſus eſt. Et Cyprianus Tertulliani commentarios tam aſſiduè legit, vt nullum prætermiſerit diem, quo non aliquid ex eis audiret. Sed & Auguſtinus Ambroſium ſacras ſcripturas explanantem diligenter auſcultauit. Non igitur diuerſo patrum omnium exemplo faciunt, qui pro ſcripturarum intelligentia, ſe probis committunt auctoribus.

LVTH. *Probi auctores legendi ſunt.* *Sic enim hoc volumus, concedemus ſcripturas ſanctas eſſe obſcuriores & ignotiores, quam Patrum ſcripturas, hoc autem admiſſo, vlteriùs dabimus, S. Patres ſuis commentarijs nihil aliud feciſſe, quam cum ſua probarent per ſcripturas, notiora probarint per ignotiora, & ſic tam ſeipſos, quam nos mirè illuſerint, prorſusq; in vanum laborauerint, & erit vt plus credamus interpretantibus, quam loquenti ſcripturæ, quis ita inſaniat?*

EPIS. Ego nemini præterquã tibi dubium arbitror, quin ſcripturas nondum initiato, magis obſcuras exiſtimet, quàm Patrum cõmentarios, & ex ijs, illas faciliùs diſci poſſe. Cùmque ſic diſcuritur, magis ex illis commentarijs perſpicuæ fient, vbi prius erant obſcuræ. Diuus enim Hieronymus poſt tot vigilias & ſudores, etiam poſt tot magiſtros non erubeſcit confiteri ſcripturarum obſcuritatem. Nam 8. quæſtione ad Algaſiam quæ verſat vnum Pauli locum, Totus, inquit, hic Apoſtoli locus, & in ſuperioribus, & in conſequentibus, immò, omnis Epiſtola eius ad Rom. nimijs obſcuritatib. inuoluta eſt. Hęc Hieronymus. Porrò cum ſub inferas: Si ſcripturæ ſanctæ ſint obſcuriores, & ignotiores quàm ſcripturæ Patrum, hi ſua probantes per ſcripturas, nihil aliud faciunt, quàm notiora ſua probãt per ignotiora. Iſtud tu vafriſſimè colligis, perinde ac ſi patres probarent ſemper ſua, quod hauddubiè non faciunt. Cum enim ſcripturas interpretantur, ſua non probant, ſed illas reddere perſpicuas, auditori nituntur. Redditis autem perſpicuis, iam vtuntur ad probanda ſua, ſi quæ fuerint de quibus auditor ſubdubitare poterit. Sed neque ſic facientes, aut ſeipſos, aut nos illudunt, neque prorsùs in vanum laborant, neque demùm fit, vt illis ipſi credamus magis, quàm ſcripturis. Nam etſi per illos ſcripturas intelligamus, ſcimus tamen eas nequaquam ex interpretibus ſuam habere firmitatem, ſed contrà magis hos ex illis pendere.

Scripturarũ obſcuritas.

LVTH. *Iam quanti errores in omnium Patrum ſcriptis inuenti ſunt? Quoties ſibiipſis pugnant? Quoties inuicem diſſentiunt? Quis eſt qui non ſæpius ſcripturas torſerit? Quoties Auguſtinus ſolum diſputat, nihil diffinit? Hieronymus in commentarijs ferè nihil aſſerit. Qua autem ſecuritate poſſumus alicui niti, quem conſtiterit ſæpius erraſſe, ſibi & alijs pugnaſſe, ſcripturis vim feciſſe, nihil aſſeruiſſe, niſi authoritate ſcripturæ nos omnia eorum cum iudicio legerimus? Nullus attigit ſcripturæ æqualitatem, ſicut nec debuit, quamquam vetuſtis illis propius acceſſerint, quòd in ſcripturis diligentiores fuerant.*

EPIS. *Aliquoties errauere patres.* Et nos aliquoties erraſſe patres, non diffitemur: Homines enim erant, ſicut & nos. Cæterùm cum tantas columnas notaſſe non ignoremus; quid de nobis, infra illorum pedes longè iacentibus, poſſumus polliceri? Si tam præclara ingenia, tot ornata dotibus ex obſcuritate ſcripturarum hallucinata ſunt, quis iam ſuis viribus elatus, ſuo fretus ingenio, ſui ſpiritus fiducia tractus, præſumat ſe non errare poſſe? Neque tamen interpretes ſic errârunt; quin qui iam eruditi ſunt, facta mutua collatione tam interpretum inter ſe, quàm ſcripturarum & conciliorũ, ac cæterarum Eccleſiæ conſuetudinum, haud deprehendent, quid maximè tenendum, approbandumq; ſit. Nam ijs omnibus dignè penſitatis, & rectæ rationis iudicio ritè libratis, emerget (diuino illuſtrante Spiritu) quid pro veritate potiſſimum ſequi debeamus, quemadmodum & ſuperiùs ſexta veritate prolixiùs dicere ſtuduimus.

LVTH. *Nemo ergo mihi opponat Papæ aut ſancti cuiuſuis autoritatem, niſi ſcripturis munitam. Nec ſtatim vociferetur, me vnum velle omnibus doctiorem videri, & ſcripturas proprio ſpiritu intelligere. Hæc enim non ſunt vociferationes quærentium Dei veritatem, ſed ſuam veritatem: aut cum afferat auctorem, quem conſtat nunquam erraſſe, ſcripturas torſiſſe, alijs & ſibi pugnaſſe, dubitaſſe. Nolo omnium doctior iactari, ſed ſolam ſcripturam regnare, nec meo ſpiritu aut vllorum hominum interpretari, ſed per ſeipſam, & ſuo ſpiritu intelligi volo.*

EPIS. Quid aliud moliris Martine, quàm præ cæteris omnibus haberi doctior? Nam cæteros omnes (quantacunq; fulgeant eruditione, aut vitæ ſanctimonia) protinus, vt tuis phantaſijs non ſubſcribunt, damnas & reijcis. Solã, ais, te velle ſcripturam regnare. Sed quamobrem? Nempe quòd tã ſperas pro tuo verſatili ingenio torqueri poſſe, & trahi quò tu deſtinas. Neque iudicem alium admittis, præter ſcripturam illam, & iuxta ſenſum, quem tibi ex illa formatas. Quid hoc eſt aliud,

O

ad, quam te ſuperc cæteris cunctis interpretibus præferendum eſſe, cum neminem illorum aduerſum te iudicem admittis, ſed contrà potiùs cuiuslibet eorum te conſtituas iudicem?

LVTH. *In qua re ne iuſtè videantur vociferari, præclariſſimum exemplum habeo Auguſtini, quem ſæpius adduxi, & quia ſurda eum aure tranſeunt, ſæpiùs inculcare oportet, vbi docet in Epiſtola ad Diuum Hieronymum: Ego ſolis eis libris, qui canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, vt nullum eorum ſcriptorem errasse firmiter credam, cæteros verò quantalibet ſanctitate doctrinaq́; præpolleant, ita lego, vt non ideò verum credam, quia ipſi ſic ſenſerunt, ſed ſi per canonicas ſcripturas, aut ratione probabili mihi perſuadere potuerunt. Cur non & hunc Auguſtinum arrogantiæ arguunt? qui prorsùs omnes ad vnum tractatores ſcripturæ contemnere audet, quatenus ſcripturis & rationibus non perſuadent, & nobis idem faciendum docet lib. tertio de Trin. d. Noli meis literis velut canonicis inſeruire.*

EPIS. Hoc nimirum eſt, quod paulò ante dixeram, nempe ſcripturas tantam habere veritatis certitudinem, vt nullum in ſe penitus errorem continere, modis omnibus credendæ ſint. De ſcripturæ tamen ſingulis interpretibus, ſubdubitare cuique licebit, an verum ſit nec ne, quod ſcripſerit interpres, niſi confirmârit ſua vel ſcriptura canonica, vel ratione probabili, quemadmodum hic Auguſtinus teſtatur. Lutherus tamen memorat Auguſtinum audere prorſus omnes ad vnum ſcripturæ tractatores contemnere, quod ille nuſquam facit, ſed multò modeſtiùs de cæteris interpretibus loquitur: contentus, ſi vel ſcripturam canonicam, vel rationem per ſe probabilem afferant, cum Lutherus nihil admittere vult, præter ſcripturas. Sed & Auguſtinus demum nihil arrogat ſibi, quod non & cæteris tribuat interpretibus.

LVTH. *Et Hilarius vel inter primos patrum, in ſuo de Trinit. lib. 1 dicit: Optimus interpres hic eſt, qui ſenſum è ſcriptura potius retulit, quam attulerit, nec cogat hoc in dictis contentum videri, quod ante intelligentiam docere præſumpſerit. Ecce hic inſignis auctor, vult è ſcripturis referre, non afferre in ſcripturas intelligentiam. Non ergo hoc eſt elucidare ſapientiam (de quo gloriantur) multa patrum dicta congerere, & ex iis ſcripturam intellectam præſumere, ſed è ſcriptura intelligentia relata, & per ſui ſolius collationem elucidata, illorum dicta iudicare. Sic & beata virgo conferebat verba omnia in corde ſuo.*

EPIS. *Alienum ignem miſcere.* Vtinam idem ipſe faceres Luthere. Vtinam ipſe non alienum ignem immiſcueris. Sed tu ſæpenumerò ſenſum alienum affers, quem Spiritus ille ſacer neutiquam indidit. Neque enim Spiritus ille ſibi contrarius eſſe poteſt. At eſſet ſibi cōtrarius, ſi ſenſus mutuò ſibi diſſidentes, & penitùs repugnātes, ſacris inſeruiſſet ſcripturis. Quādo igitur Patribus, magna concordia ſubſcribētibus Spiritus ille ſenſum aliquem ſcripturis inſpirauit, quomodo tu, qui nouum & omninò contrarium effingis, non alienum potiùs attuliſſe putaberis, quàm genuinum & ſuum retuliſſe? Securior nimirum erit, ſe ſpiritus ſancti ſenſum tenere, quiſquis ex concordia Patrum illum acceperit, quàm qui ſub confuſo cerebro, petierit illum ex ſcripturis perperam intellectis. Nam de patribus non dubito, quin vbi conſenſerint, illic verè ſenſus eſt ſacri ſpiritus. Neque dubium eſt, quin illi ſcripturas inuicem diligentiſſimè contulerint, & eaſdem luculenter elucidauerint, vt nemini iam certum eſſe poſſet, ſe verum ſcripturæ ſenſum aſſecutum, cuius contrarium Patres concorditer aſſeruerunt. *Vbi patres conſentiunt, illic verè ſenſus eſt ſacri ſpiritus.* Cæterùm quòd tandē ait beatam virginem in corde ſuo verba omnia contuliſſe, nihil ad rem pertinet. Nam hæc fuerunt à paſtoribus relata, quæ nondum erant ſacris mandata literis.

LVTH. *Quòd ſi, vt hoc auderemus & deberemus, Auguſtinus & Hilarius aliiq́; non docuiſſent, nonne Paulum habemus ad Theſ. dicentem: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et Gala. primo: Si quis aliud Euangelizauerit præter id, quod accepiſtis anathema ſit? Et 1. Ioan. 4. Probate ſpiritus, vtrum ex Deo ſint, has certè Apoſtolicas monitiones neceſſe eſt omnes contemnere, ſi quælibet patrum dicta oportet abſque iudicio admittere, iudicio inquam ſpirituum, quod nullis niſi ſacris literis volunt includi & contineri.*

EPIS. *Luth. proprio telo confoditur.* Probè admones. Producis eadem quæ in teipſum conuertemus tela. Si tam exactè Patrum examinanda ſunt ſcripta, qui concordiæ ſtuduerunt, multò diligentiùs excutienda ſunt tua, qui ſcindere quæris vnitatem, quique inter pauca bona, multa peſtifera ſeris. Et ſi ſit habendus anathema, quiſquis Corinthiis aliud euangelizauerit, quam quod Paulus: tu decuplo magis anathematizandus es, qui in tot articulis ab vniuerſali deſcendis Eccleſia. Et demum ſi probandi ſunt ſpiritus, an ex Deo ſint, qualem in te ſpiritum inueniemus, qui ſacro Spiritui tam aduerſantia ſeminas dogmata? Has nimirum Apoſtolicas monitiones neceſſe nobis foret omnes contemnere, ſi contra patrum interpretationes (quas de ſcripturis diuinis illis inſpirauit Spiritus) tuas phantaſticas adinuentiones ſequeremur.

LVTH. *Atque vt latiùs, quod mirentur, dicam: legimus in Actis Apoſtolo. cap. 17. quòd ii, qui cum omni auiditate verbum Pauli audierant, quotidie ſcrutabantur ſcripturas ſi hæc ita haberent. Si ergo Pauli euangelium, ſeu nouum teſtamentum oportuit probari per veterem ſcripturam, an ita haberet, qui tamen auctoritatem habuit à Deo ſibi datam, ſicut Apoſtolus, vt eius verbo crederetur, quid nos facimus, qui patrum dicta, quorum nulla fuit auctoritas noua docendi, ſed tantùm accepta per Apoſtolos conſeruandi, nolumus ad ſcripturæ iudicium vocari.*

EPIS. Nihil eſt quod miremur, ſi Iudæi ſub tanta rerum mutatione ſcrutati ſint, an ea, quæ prædicabat Paulus, veteribus eorum ſcripturis reſponderent, maximè cum affirmabat ea ſic ſe habere. Audierunt enim gentes in gratiam eſſe recipiendas, legalis tum ceſſatura, legis ſuæ factam eſſe mutationem, ſacerdotium item fuiſſe tranſlatum. Et hæc omnia per Chriſti mortem (quē ipſimet occiderunt) contigiſſe. Sed quid illud ad nos attinet, quorum eſt iam tempus nouiſſimum, certique ſumus, ſacrum in Eccleſia reſidere Spiritum, qui nos citra Apoſtolorum tempora,

ra, per ſanctos patres, hactenus erudiuit? Nunc ſcilicet iſtorum eruditione ſpreta, quæ per tot ſecula iam in Eccleſia Chriſti durauit, tuas hæreſes hodie natas, amplexabimur, perinde ac ſi iam altero cælo Spiritus in tuum ſinum eſſet delapſus contra ſcripturarum omnium teſtimonia? Num tu paruam patribus, auctoritatem fuiſſe putas, in quibus ille Spiritus locutus ſit? Neque tamen negauerim illorum dogmata debere ad ſcripturæ iudicium vocari, vt tum demum approbentur, ſi ſcripturis conſentiant. Sed non patior te ſententiam in eos ex ſcripturis ferre, qui ſcripturas inuertere ſoles, & cæreum ex eis naſum, pro tuo cerebro plerumque facere.

Sanctorum dogmata ad ſcripturæ iudicium vocanda.

LVTH. *Denique non ſolùm ipſe Paulus ſua omnia per vetus teſtamentum probat, vt in Epiſtolis eius abunde videmus, adeò, vt in proœmio epiſtolæ ad Rom. teſtetur euangelium ſuum prædictum in ſcripturis ſanctis per Prophetas. Sed & Petrus, & omnes Apoſtoli etiam Concilio congregati, Act. 15. per ſcripturas ſua demonſtrant: quin & ipſe Chriſtus omnium dominus, voluit per Ioannis teſtimonium comprobari, & voce patris de cælo confirmari, adhuc tamen frequentiſſime ſua perſuadet teſtimonijs ſcripturæ iubens etiam Iudæos, vt ſcrutentur ſcripturas, quæ teſtimonium perhibeant de eo.*

EPISC. Nemo negat, quin ſcripturis confirmanda ſint, quæ aſſerimus, modò ſcripturæ non defuerint; quod dico propter Apoſtolorum traditiones, & Eccleſiæ orthodoxæ conſuetudines receptiſſimas, de quibus plerunque nulla ſcriptura teſtatur. Sed & tutiſſimum opinor auctoribus omnibus, quatenus ſua per ſcripturas confirment. Verùm non ita, vt ſolis ſcripturis fides adhibeatur, quod & tu moliris, ſed concilijs item Patrum, auctorum inſuper veterum interpretationibus, Apoſtolicis traditionibus, & vetuſtis demum Eccleſiæ conſuetudinibus credendum eſt haud diſſimiliter. Cuius rei neceſſitatem, & ſi nihil aliud eſſet, id quod de purgatorio tradit Eccleſia, palàm demonſtrat, & validiſſimè te conuincit, cum aſſeras te purgatorium eſſe cum Eccleſia credere, neges tamen id ex ſacris literis probari poſſe.

LVTH. *Mira ergo noſtra peruerſitas, vt alijs teſtimonijs quàm ſcripturæ noſtra velimus probare, quando Chriſtus & Apoſtoli omnes ſua volunt in ſcripturis teſtificari.*

EPISC. Profectò magis magiſque tuam quotidie peruerſitatem admiror, quem non pudet tot & tam friuolas ratiunculas accumulare, pro ſtatuendo tam peſtifero fundamento, quo poſſes erigere tuas hæreſes; quod & te facilè putas effecturum, ſi nihil aduerſum te producatur præter ſcripturas. Nam has opinaris te citra omnem difficultatem poſſe torquere pro arbitrio tuo. Sed nolumus his anguſtijs Luthere coartari, volumus vti libertate noſtra, quã nullis argutiolis à nobis auferes. Nihil hactenus, quod ſolidè tuum inſtitutum ſtabiliret attuliſti: ſed & iã etiam ineptiſsimè colligis. Nos videlicet non alijs, quàm ſcripturæ teſtimonijs, noſtra debere probare, quia Chriſtus & Apoſtoli ſua ſcripturis teſtificati ſint. Non ſic Luthere. Sed ſi ſtatuere velis, quòd non alijs, quàm ſcripturæ teſtimonijs nobis vtendũ

ſit, oportet priùs oſtendas, Chriſtum & Apoſtolos non alijs vſos fuiſſe, quod apertiſsime falſum eſt. Quoties enim exemplis, quoties rationibus, ex natura petitis Paulus vtitur? aliquando Poëtarum carminibus, nonnunquam conſuetudine. Quæ nimirum hjs (qui vel mediocrẽ in ſacris literis exercitationem habent) notiora ſunt, quàm vt egeant probatione.

LVTH. *Immò quæ ſit inſania intolerabilior. Scripturas vnde teſtimonia pro nobis petenda ſunt, volumus teſtimonijs hominum probare & tueri.*

EPISC. Intolerabilis hauddubiè eſt hæc inſania tua, qui non erubeſcis hæc affirmare. Quem enim vſqueadeo ſtupidum mihi dabis, qui ſit conatus vnquam ſcripturam aſtruere per auctorum teſtimonia? Nam ſcripturæ ſuam ex Deo ſolidam habent firmitatem, de qua dubitare non licet. Fieri tamen poteſt, vt quis hunc vel illum ſenſum ſcripturam habere doceat, ex interpretum ſuffragijs. Quæ res profectò malè te habet. Nam in ſcripturis interpretandis, alteri quàm tibi nemini credendum eſſe velis, niſi tuæ ſubſcripſerit opinioni. Atque hoc eſt, quod hactenus tot productis argutijs, & ſophiſmatibus, ſtabilire molitus es. Ob hoc concilia patrum reſpuis, Canones damnas, interpretes (quantauis eruditione aut vitæ ſanctimonia polleant) contemnis penitus, & reijcis, nimirum vt vni tibi credatur in ſcripturarum expoſitione. Propter quod & iudicem in tot clamoribus fieri ſcripturam poſtulas, vt tu ſcilicet in ore ſcripturæ, nobis quicquid velis, credendum imperes. Eius nimirum ſimilis, de quo Hieronymus ad Domnionem ſcribens, ait: Voluit S. homo peritiſsimus, vt veteranus miles, vno rotatu gladij percutere vtrumque, & oſtendere populis, quòd quicquid ipſe vellet, hoc ſcriptura ſentiret. Nunquàm ſatis hanc impudentiam tuã admirari queo, qua te putes hęc nobis perſuaſurum, vt vnius Lutheri iudicium, tot ſanctiſsimorum, ſimul & eruditiſsimorum Patrum eleuet auctoritatem, & vnus fraterculus, tot & tam eximijs præponderare putetur interpretibus.

Scriptura ſuam ex Deo ſolidam habent firmitatem.

LVTH. *Nonne hoc eſt aliud nihil, quàm velle humanis, diuina firmare & elucidare? Nonne hoc eſt gladium Spiritus, quo nos defenſos oportuit, obiecta carne brachij noſtri tueri?*

EPISC. Pridem his reſpondimus, neminem conari vt diuina per humana firmentur, elucidari tamen ex humanis diuina, quid prohibet? Non quòd diuina non habeant in ſe maiorem lucem, quàm humana, ſed quòd propter intellectus noſtri imbecillitatem, illa nobis obſcuriora videantur, vt interdum neceſſe ſit, illã obſcuritatẽ humanæ interpretationis lumine dispelli. Cæterùm & cũ quis hoc gladio ſpiritus peruersè vtitur, humanis etiam viribus, ei reſiſtendum eſſe quis non comprobabit?

Elucidari ex humanis diuina quid prohibet?

LVTH. *Non tamen per hæc, ſanctis patribus volo detractam auctoritatem, & ingratitudinem pro ſanctis eorum laboribus repenſam: ſed libertatem Spiritus & maieſtatem verbi Dei illis prepoſitam. Sint ſancti viri, & Eccleſiarum patres, ſed homines, & Apoſtolis atque prophetis*

imperes: & horum auctoritati non prælati nec æquati, ſed ſubiecti, vt quos non ipſi erudierunt aut illuſtrauerunt, ſed à quibus ipſi eruditi & illuſtrati ſunt: tantum nobis exemplo ſint; vt quemadmodum ipſi in verbo Dei pro ſuo tempore laborauerunt ita & nos pro noſtro ſeculo in eodem laboremus. Vna eſt vinea. ſed diuerſi diuerſarum horarum operarij, omnes tamen in ipſa vinea, non in ſarculis aut cultris operariorum laborant. Satis eſt è Patribus didiciſſe, ſtudium & diligentiam in ſcripturis laborandi, non omne opus eorum probari neceſſe eſt, ſiquidem & diligentia pluribus quandoque non dat, quod dat vel vni ſola occaſio, & neſcio quæ ſpiritus incomprehenſibilis impulſio.

Episc. *Suſpicaæ Lutheri arrogantia.* Tibi ſcilicet ſpiritus incomprehenſibilis impulſio tribuit, quod ſanctiſſimis ipſis non dedit Patribus? Tam perſrictæ frontis es, vt hoc te ſcribere non pudeat? Et maximè cùm ſuperiùs aſſerueras ſcripturam per ſeſe certiſſimam, facilimam, apertiſsimam, ſuijpſius interpretem eſſe. Si talis eſt ſcriptura ſacra, cur eam à Patribus intellectam neges, cum labores eorum & diligentiam non diffitearis? Niſi tibi fortè perſuaſeris eruditionem eximiam eſſe, perſpicatius ingenium, maiorem vitæ ſanctimoniam, aut demum (quod tu videris aſſerere) diuini Spiritus impulſum clariorem. Quæ tibi præ ſanctiſsimis illis arrogare, nimis quàm diabolicum eſt.

Luth. *Exemplo itaque S. Bernardi, ſi id poterimus, potiùs ex fonte ipſo, quam ex riuulis bibamus: ſic enim de ſe confitetur, ob id non rarò Patribus ſanctis reluctari auſus.*

Episc. Rectè illud adiecisti: Si poterimus. Verùm cui id non datur, ſatiùs eſt ex riuulis bibere, quàm ſiti perire. Neque enim cunctis permittitur ex ipſo fonte bibere. Quia non cuique patet aditus. Obſcuritas enim pluribus impedimento eſt, ne queant oſtium inuenire. Cæterùm ille beatus erit quiſquis riuulum fuerit nactus, qui rectà perducit ad fontem. Bernardum ego non crebrò Patribus reluctari video, quin potiùs, quæ priùs ipſi dixerint, ſuis operibus inſeruiſſe plerunque deprehendi: id quod neutiquam feciſſet, ſi non legiſſet eorum commentarios.

Luth. *Alioqui, ſi Pontificibus aut doctoribus ſolis fidendum eſt, nec ad ſcripturæ tribunal vocandi ſunt, cur non ſcripturas ſanctas explodimus tanquam ſuperfluas & obſcuriores, quàm vt eas poſſimus conſequi? eodem exemplo tandem & patres ſanctos repellamus, receptis in locum eorum, apertioribus (vt iactant) Theologicis ſcholaſticis, donec & his abiectis Ariſtotelem, & quò quiſque remotior à ſacris literis, & ſanctis Patribus fuerit, duces habeamus, ſicut reuerà habuimus, & habemus. Tum reuera erit, vt ſcripturas ſanctas non ſolum proprio ſpiritu non interpretemur, ſed nihil niſi proprium ſpiritum ſcripturis in totum incognitis, reliquum retineamus, & meritis opinionum noſtrarum turbinibus & procellis ſine fine agitemur, ſicut eſt dies hæc.*

Episc. Nemo ſolis Pontificibus aut doctoribus fidendum eſſe iubet, ſed multò magis ſcripturis, quibus ipſi ſua confirmârunt, quoties ſcripturas afferre licuit. Quod dico propter aliquas veritates, quas Eccleſia catholica multorum ſeculorum viu recepit, pro quibus tuendis priorum Patrum teſtimonijs vel ſolis innitendum eſt, & maximè, quòd ab Apoſtolis multæ manarunt traditiones, de quibus in ſpecie ſcriptura non meminit, ſed ſola Patrum relatione didicimus. Porrò ſi qui ſint, qui relictis ſcripturis, & interpretibus ſolis confidi ſcholaſticis velint, hi nimirum ex altero deuiant latere, verùm non quantum ipſe Luthere, qui reiectis ijs ambobus, ac prorsus contemptis, ſolis ſcripturis, & eiſdem perperàm intellectis, credendum iubes. *Apoſtolicæ traditiones quædam ſunt quæ literis non mandantur.*

Luth. *Hæc volui in hoc proteſtari, ne ij, qui ſanctorum Patrum alicubi dictis ſuffarcinati, præſumunt victoriam ſibi, ſeſe aliquid feciſſe putent, ſi me aduerſatum oſtenderint, vel vnum patris Eccleſiaſtici vnico alicui verbo, quòd hactenus à ſcholaſticis doctoribus ad Eccleſiaſticos ſemper prouocauerim.*

Episc. *Luth. inconſtantia.* Effingere non vales, quin magna ſit tibi inconſtantia, nunc proteſtari te recepturum patres, nunc eoſdem recuſare. Aberraſti primùm, quòd Thomam, Scotum, & cæteros repudiaris ſcholaſticos. Erraſti poſtea, cum ſacros etiam interpretes, & concilia ſacra recuſaris. Verùm cum iam contemptis traditionibus, & tam longæuis Eccleſiæ conſuetudinibus, nihil præter ſcripturas, & eaſdem pro tuo cerebro nobis exponendas relinquis, inſanis maximè. Sed iam cernis (vt ab initio diximus) tua non poſſe cum illis omnibus conuenire, quamobrem & iſta negas, negaturus etiam ſcripturas, ſi non poſſes ea ad modum Lesbiæ regulæ tuis opinionibus adaptare.

Luth. *Non enim ſic ad eos prouocaui, vt omnia eorum vera arbitrarer, ſed quòd propiora veritati ſenſerint, quam ſcholaſtici, qui ferè nihil veri habent reliquum, vt ſenſim ad fontem ipſum, riuulis ducentibus veniremus.*

Episc. Sic nimirum ad Eccleſiaſticos prouocaſti, vt tunc cum illis tua conſentire non dubitabas. At vbi diſſidium apparere conſpexeras, mox tua ſpe fruſtratus, & illos auerſari cœpiſti. Sicque iam contemptis vtriſque tuis erroribus defenſandis adminiculum ex ſcripturis paras, quibus iam vel ſolis credendum ſuades, quòd eas pro vafricie tua ſperas inuerti poſſe, & tuis hæreſibus conquadrari.

Luth. *Prohibet enim Auguſtinus quem ſemper adhibui, vllius tractatorum quantumlibet ſancta ſcripta, ſcriptis Apoſtolorum & Prophetarum æquari, id quod communis quoque naturæ ſenſus prohibet.*

Episc. Nihil pro tua ſententia facit Auguſtinus, qui Cyprianum, Hieronymũ, Ambroſium, & cæteros veteres plerunq; citat, quibus & honorẽ deferre ſtudet, quanquam nolit eorum dicta cum ſacris æquare ſcripturis. Sæpiùs dixi, ſcripturæ ſuam ex Deo firmitatem habent, vſqueadeo vt nemini liceat de ijs an veræ ſint, vel in minimo dubitare: De Patrũ verò ſcriptis aliud eſt, in quibus tametſi Spiritus ille ſacer pro maxima parte locutus ſit, tamen in quibuſdam eos labi paſſus fuit, vt homines agnoſcerẽtur. Cæterùm ab eru-

ditis

ditis & exercitatis, error ille(facta cum cæteris, quæ ſuprà diximus, collatione)facilè deprehenditur, vt non ſit neceſſe propter errores eorum paucule pauculos, cætera quæ congruenter ad communem Eccleſiæ catholicæ ſenſum enuncianerint flocci facere.

Iſtis præmonitis ad articulos veniamus, quorū

PRIMVS EST.

LVTH. *HAEretica eſt, ſed vſitata ſententia: Sacramenta nouæ legis dare gratiam illis, qui non ponunt obicem.*

EPIS. *Henricus rex illuſtris.* De Sacramentis, an gratiam necne conferant, quia rex illuſtriſſimus copioſè tecum egit, nihil nunc dicam: tuis tantummodo reſpondebo, quæ pro tua ſententia producis. Sed principiò conuellendus eſt error, qui tibi nimiū inſedit, nempè de fide, cui cuncta tribuens, nihil operibus facis reliqui. Putas enim ſola fide conferri gratiam hominibus, & nullo externo opere. Nam eò tendunt Scripturæ quas infrà citas, & inſuper in libello de libertate Chriſtiana palàm affirmas, quòd intus ſecundum Spiritum homo per fidem abundè ſatìs iuſtificatur, habens quicquid habere debet. Cæterùm de Fide tam variè, tam inconſtanter, tam verſutè loqueris, vt faciliùs anguillam cauda quis retineat, quàm te vſqueadeò lubricum & verſipellem. Nam plerumque Fidem vſqueadeo demittis, & omnibus parabilē atque obuiam facis, vt neminem qui Chriſtum quoquō modo profitetur, non putemus eam habere. At contrà, nō ſemel ita Fidē attollis, & difficilem, ac quaſi remotiſsimè poſitam inſinuas, vt vix quenquam facilè reperiemus, qui fide *Fides Lutheri labyrinthus.* præditus exiſtimari debeat. Sed agamus, vt lector quiuis intelligat vtrunq; horum eſſe veriſſimum. Et primùm iſtud, quod poſterius aſſeritur. Lutherus articulo quodā qui ſequitur, nempe duodecimo, qui ſic incipit: Si per impoſsibile cōfeſſus nō eſſet contritus. Dixit (inquit) per impoſsibile, quia ſatìs ſuprà dictum eſt, fidem ſine contritione eſſe non poſſe, cum gratia non infundatur, niſi cum magna concuſsione animæ. Hactenus ipſe. Vides hìc Lector, nec infundi gratiam abſque magna animi concuſſione, neq; fidem ſine contritione eſſe poſſe. Quamobrem, *Qui iuxta Luth. fidem habet.* vbi non eſt magna animi concuſſio, & vera contritio, nec gratia, nec fides eſſe poterit. Quod ſi verū ſit, quis non aduertit, quam pauci ſint, qui fidem habeant? Adde, quòd in libello de Chriſtiana libertate docet, quòd qui fidem habet, per eam liber eſt ab omni lege, & ex mera libertate, omnia gratuitò facit, quęcunq; facit, nihil quærens, aut commodi aut ſalutis (cum iam ſatur & ſaluus ſit gratia Dei ex fide ſua) ſed ſolum beneplacitum Dei. Atqui rariſſimus eſt, qui nihil, aut commodi, aut ſalutis quærit, ſed ſolum beneplacitum Dei. Si nemo præter hunc fidem habeat, pauci ſunt qui fidem habere credantur. Adhæc, in eo libello tradit, quòd qui fidem habet, ea debet in omnibus operibus ſuis opinione eſſe formatus. Et hunc ſolum ſpectare, vt alijs ſeruiat, & proſit in omnibus quæcunque fecerit, nihil ante oculos habens, niſi neceſſitatem & commoditatem proximi. At vix vnus aut alter in quouis hominum cœtu reperitur, qui ſolùm eò ſpectat, vt alijs ſeruiat in omnibus quæ fecerit, nihilque ſibi proponat ob oculos, præter neceſſitatem & commoditatem proximi. His accedit, quòd in reſolutionibus ſuis aduerſus Eckium in hunc modum ſcribit: Cum fides ſit recta & bona opinio de Deo: Opinio autem quęlibet per ſe ſolām trahit in opera, non eſt dubitandū, quin opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris non ſinit eſſe ocioſum, ſed ſine lege & magiſtro facit plura quàm poſtuletur, quomodo non fides multò magìs idem præſtet? Hæc Lutherus.

Quòd ſi, nemo fidem habuerit, niſi qui tam propenſus in omnia, quæ Deo placitura ſunt, fuerit: perinde atq; vir quiſpiā amore captus mulierculæ: rarus erit qui fidei ſit potitus. Præter hęc, in libello de fide & operibus ſic ait: Fides eſſe nullo modo poteſt, niſi ſit viuax quædā & indubitata opinio, qua homo certus eſt ſuper omnē certitudinē, ſeſe placere Deo: ſe Deū habere propitium, & ignoſcentem in omnibus quæ fecerit aut geſſerit: propitiū in bonis, ignoſcentē in malis. Quid enim eſt fides, quæ non eſt talis opinio? Hactenus ille. Quòd ſi nemo fidem habuerit, niſi qui talem ſortitus fuerit opinionem, illi certè nō habent fidē, qui ſibi conſcij ſunt voluntatis peccandi mortaliter: cùm hi nec gratiam habeant, neq; Deo placeant, imò ſcire teneantur, ſe diſplicere Deo. Sed & cum Sapiens quidam admoneat de propitiatu peccatorum, ne ſimus abſque metu. Et Paulus itē vt timeamus, iuſſerit. Tu (inquit) *Rom. 11.* fide ſtas, ne efferaris animo, ſed timeas. Quomodo ſuper omnē certitudinem opinari poſſumus, Deum nobis eſſe propitium & ignoſcētem? Perſpicis ex ijs opinor quiſquis hæc legeris, quantis anguſtijs Lutherus fidem concluſit, vt vix quiſquam inueniatur, qui fidem ſit nactus. Sed vide rurſum, quam facilem, communem, & obuiam eam omnibus facit. Inter acta ſua ſic diffinit Fidem: Fides autem nihil aliud eſt, quā illud quod Deus promittit aut dicit, credere. Si Fides nō ſit *Eiuſdē fidei finitio.* aliud, quàm credere promiſſa & dicta Dei, quis Chriſtianus (modò verum eſſe credat, quicquid in vtroque teſtamento continetur) non Fidem habere putabitur, quanquam nihil operū habuerit? Adde, quòd vbique clamat, opera nec ad Fidem, nec ad iuſtificationem exigi debere. Quādo igitur tota difficultas eſt in opere, quod Luthero neutiquā exigitur, quid cuiq; facilius eſſe poterit, quàm credere ſolùm? Ad hęc, cum ſub articulo decimoquarto Fidē affirmat in corde certiſsimè ſentiri poſſe, ſi quis eā habeat. At Fides non aliter ſentitur, quā per aſſenſum mētis, in ea quæ ſunt credenda. Quamobrem ſi Fide præditus eſſe putabitur, quiſquis talem intra ſe compererit aſſenſum, profectò non admodum rarus erit qui Fidem ſit aſſecutus. Accedit his, quòd in articulo decimoquinto dicit, nihil oportere eos, qui ad Euchariſtiſtiæ Sacramentum accedunt, orationes & præparatoria præmittere: ſed ſatìs eſſe, ſi credant & confidant ſe gratiā ibi conſecuturos,

quæ ſola Fides (vt ait) dignos eos, & puros facit. Quā rem & latius in libello de Captiuitate Babylonica tractans, hoc exempli ſubijcit. Si cuiquam mendico, aut etiam indigno & malo ſeruo legaret ditiſſimus dominus mille aureos; certè cū fiducia eos poſtularet & acciperet; nec indignitatis ſuę, nec magnitudinis teſtamenti habita ratione. Quòd ſi quis ei reſiſtens, obijceret indignitatē ſuā & magnitudinē teſtamenti; quid putas dicturus eſt? Scilicet, quid ad te? Nō ego merito meo, nec iure vllo proprio accipio, quod accipio. Scio me indignum, & maiora accipere quam merui, immo contraria merui: ſed iure teſtamenti, & alienæ bonitatis, peto quod peto. Si illi nō fuit indignum tanta, tam indigno legare, cur ego propter indignitatē contemnam acceptare? Vides Lector quorſum hoc exemplum tendat nimirū vt nemo quantumuis ſceleratiſſimus ab hoc abſtineat Sacramento, modò Fidem habeat promiſſioni per

1. Cor. 11.

Chriſtum factæ, cū tamē Paulus indignè ſumentes affirmet, propriam ſubire condemnationem. Sed de ijs mox plura dicemus. Nunc ſatis eſt, vt intelligas, quam variè, quàm inconſtanter, quàm verſute de Fide ſit locutus, vt quicquid oppoſueris, adinſtar anguillæ, vel hàc, vel illàc elabitur. Operæ precium igitur nobis viſum eſt, ſolidiora quædam hoc initio firmare, quę non tam verſatiliter effugiet. Et primum iſtud eſto, quòd fides apud Paul. à ſpe & charitate res diuerſa ſit. Sic enim Paulus 1. Corin. 13. Nunc manent Fi-

Fides, Spes, Charitas res diuerſa. 1. Cor. 13.

des, ſpes, & charitas tria hæc. Maior autem horū charitas. Vides igitur his tribus vocibus, tres diuerſas res apud D. Paulum ſignificari, è quibus magìs eximia charitas eſt. Quam rem & haud multò ſuprà, dilucidiùs explicauit. Si habuero (inquit) omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Expende quid dixerit: Si habuero Fidem omnem. Nullum ergo genus fidei eſt, quod abſque charitate facere te tantillum poteſt, vt ne dicam iuſtum conſtituere. Porrò Fidem hanc tantam, qua montes loco demoueantur, etiam in charitatis expertibus eſſe poſſe, Chriſtus in Euangelio Matthæi docet his verbis: Multi dicent mihi

Mat. 7.

in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dęmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: & tunc confitebor illis, quia nunquā noui vos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Ecce quantam fidem habuerunt iſti, nempe qua propheta̅runt, qua dęmones eiecerunt, qua virtutes & miracula multa fecerunt, nec erant tamen ob hanc alicuius exiſtimationis apud Deum. Palàm eſt igitur, fidem non modò

Præter fidem & alia ad iuſtificationem neceſſaria.

rem à charitate diuerſam eſſe, verumetiam abſq; charitate neminem iuſtificare poſſe. Petrus igitur 2. Pet. 1. docet præter fidem, alia pleraque neceſſaria eſſe ad iuſtificationem. Miniſtrate (inquit) in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Et ſubdit: Cui hæc non præſtò ſunt, cæcus eſt & manu tentans. Ecce præter fidē exiguntur etiam cætera cuncta, ſine quibus fruſtra de iuſtificatione quis gloriatur. Subſcribit his Ioannes, inquiens: Qui nō diligit manet in morte. Quātū-

1. Ioan. 3.

uìs igitur quiſquā crediderit, ſi non itē dilexerit, mortuus eſt: & ſi mortuus eſt, profectò nec iuſtus erit, cū animi iuſtificatio vita quoq; ſit. Suffragatur & Iacobus, qui fidem eam aſſerit mortuā eſſe,

Iacob. 2.

quæ careat operibus. Et in dæmonibus quoq; nō dubitat eiuſmodi fidē eſſe. His accedit, quòd credibile non eſt, Petrum poſt Chriſti reſurrectionem, & illum ſuum in fide lapſum, denuò fidem amiſiſſe; neq; enim dubium eſt, quin ab eo tēpore ſemper fuiſſet paratus, omnes articulos fidei conſtanter confiteri. Sed & verba Chriſti inadē idipſum. Nam poſtquam is Petro dixiſſet: Non deficiet fides tua Petre, ſubiunxit: Et tu cōuerſus, confirma fratres tuos. Quibus verbis indicat Petrum aliquam fidei iacturam fuiſſe paſſurum, ſed ex reſipiſcentia ſic corroborandū, vt idoneus eſſet, qui cæteros cōfirmaret. Ex his opinor liquet, Petrum nunquam poſt illam inſignem fidei ruinam, denuò fuiſſe lapſum, & fidē iterum amiſiſſe. Lutherus tamen aſſerit, eum perdidiſſe poſt iuſtificationis gratiā, quando Iudęorum metu ſe ſubtraxit à cibis Gentium, & ſua ſimulatione coegit gentes Iudaiſare. In commentarijs enim ad Gal. affirmat eum tunc cum cæteris efficax æternæ damnationis ſcandalum præbuiſſe, & quòd hi, qui tali ſimulatione cogebantur ad iudaiſmum, niſi fuiſſent per Paulū reducti, prorsùs perijſſent. Conſequens igitur eſt, vt Petrus, fide ſalua & integra, factus ſit iniuſtus. Quamobrem nec ſola fides ad iuſtificationem ſufficit. Adde, quòd qui fidem habet, oportet credat ijs, quæ à Chriſto dicuntur. At is planè docet; quòd qui nō habent opera, quantumuìs crediderint, ituri ſunt nihilominus in ſuppliciū æternū. Nam cap. 25. Matt. dicturus eſt his, qui nō pauerunt eſurientes, nec ſitientes potauerunt, &c. diſcedite à me maledicti in ignē æternū. Et ediuerſò illis, qui prędicta fecerint, vitā æternā pollicetur, quos & iuſtos appellat, Iuſti (inquit) in vitam ęternam. Oportet ergo quiſquis fidē habeat, credat ſe non ſola fide iuſtū fieri, ſed per opera iuſtificari, cum & ipſius fides, ſi non habuerit opera, ſeipſū condemnabit. Perſpicuū igitur ex ijs opinor, vtrūq; fieri, & quòd fides diuerſa quædā res à charitate ſit, & quòd ſine charitate neminē iuſtificat. Statuamus inſuper & tertiū, nempe quòd fides quę iuſtificat, ferax bonorū operū ſit oportet. Nā ſi ſterilis &ocioſa fuerit, nec prorūpat in opera cū datur opportunitas, eiuſmodi fides haudquaquā iuſtificat. Propter quod & Paulus ad Gala. 5. palā explicat, quā Fidem intelligit, quoties de fide iuſtificante loquitur. Fides (inquit) quę per dilectionem operatur.

Fides iuſtif. ferax bonorū operum ſit.

Ecce fidem fertilem & feracem bonorum operum, quæ (quoties datur occaſio) libēter in opus iuſtitię prodit. At Lutherus hic dicet, quòd fides priuſquàm quicquā operetur iuſtificat: ac propterea Fidē abſq; operibus iuſtificare poſſe contēdit. Et iſtud ego non inficior, nempe quòd abſq;

par-

partu operum, hoc eſt, cum nondum peperit opera, iuſtificare quempiam poteſt: at iam parturijt nihilominus, & eſt operibus grauida, nihil præter tempus partus expectans. Et quoniam poteſtate quadam intra ſe continet opera, quæ nondũ in lucem edita ſunt, iccirco per eam initiari ſolùm iuſtus dicitur, non autem conſummari. Nam conſummata iuſtitia non aliter, quàm ex operibus natis, & in lucem editis acquiri poteſt.

Iuſtus ex fide initiatus ex operibus conſummatè iuſtificatur.

At hoc eſt quartum, quod iam firmare meditamur, nempe quòd opera conſumatè iuſtificant; Fides enim ipſa, quam bonorum operum feracẽ eſſe diximus, & partui propinquam, primùm inchoat iuſtitiam: quæ tandem (vbi fœtus excluditur) ipſa dicitur conſummari. Propterea Iacobus de Fide Abrahæ dicit, quòd ex operibus conſummata fuit: Vides (inquit) quoniam Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt. Et paulò pòſt colligit. Videtis, inquit, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex Fide tantùm.

Iuſtificatio inchoata.

Porrò quantum ad iuſtificationem inchoatum, idem Iacobus ait, ca. 1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Protinus enim vt quis audito verbo veritatis eidem aſſentitur iam initiatus in Fide, per eam incipit iuſtificari, cæterum quotidie magis ac magis rectè operando iuſtificatior euadit, donec tandem ad conſummatam & abſolutam perueniat iuſtitiam.

Gala 6. Iuſtificatio conſummata.

Subſcribit Iacobo Paulus id nouam creaturã appellans, quod Iacobus initiũ aliquod creaturæ vocauit. In Chriſto Ieſu (inquit) neque circũciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed noua creatura. Homo vtiq; nouus, qui ſecundum Deum (vt idem ad Epheſ 4. ſcribit) creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Ecce nouam creaturam, & nouum hominem creatum in iuſtitia, idipſum profectò quod Iacobus initium creaturæ dixit. Et hæc eſt inchoata iuſtitia, ſed iam an apud Paulum ipſe conſummatior euadat, audiamus. Sic equidem ad Galat. 5. ſcribit: Nos enim Spiritu ex Fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Ecce Paulus quanquam ex Fide Spiritum conceperit, & in iuſtitia creatus ſit homo quidem nouus, ſpem tamen expectat iuſtitiæ cumulatioris, eius nimirum quæ bonis operibus indiès augetur. Propter quod & e veſtigiò ſubdit: Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed Fides quæ per dilectionem operatur. Eius itaque iuſtitiæ, quæ per Fidem dilectricem & operatricẽ augeſcit indiès, ſpem expectat Paulus, quemadmodum 2. ad Tim. 4. dicit: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, Fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Ecce præmium iuſtitiæ ſuæ, non fidei ſolùm, ſed pro totius vitæ benè priùs actæ meritis ſibi rependendũ expectauit. Sed dicet Lutherus duplicem his locis iuſtitiam ſeu iuſtificationem intelligi debere: vnam quæ Fide præſtatur, alteram quæ operibus. At ſi quis aliàs ita iuſtitiam diſtingueret, vbi nulla foret neceſſitas, protinùs hunc ſophiſtam Lutherus appellaret, verùm hic tantum abeſt vt ſit vlla neceſſitas, vt etiam cum ſcripturis illa aſſertio manifeſtè pugnet. Nam Paulus qui iuſtitiam ſeu iuſtificationem inchoatam, nouã vocat creaturã, eandem nihilominus augeri contendit de die in diem, perpetua quadam renouatione. Et Iacobus, qui iuſtificationem illam inchoatã initium appellauit creaturæ Dei, conſummari vult tandem ex operibus.

Quomodo iuſtificamur abſque operibus.

Adde, quòd cum præmiũ vnum ſit, quod tam fidei, quam operibus debetur, quomodo nõ erit vna iuſtitia reſultans ex vtraq;? Conueniunt igitur Paulus & Iacobus, iuſtitiam ſeu iuſtificationem quandam ſtatuentes, qua facti ſumus initium aliquid Creaturæ Dei, & noua ſecundum Deum creatura; atq; id abſq; noſtris operibus, verùm ita nihilominus, vt eadem per opera noſtra magis ac magis quotidiè perficiatur. Quæ res adhuc dilucidior fiet, ſi Paulũ attentiùs audiamus. Sic enim ad Cor. ſcribit:

1. Cor. 6.

Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ecce iuſtificationem qua ſecundũ Deum initiati ſumus, ac noua facti creatura. Sed eandem adhuc intelligit ex operibus fieri conſummatiorẽ, cum idem Paulus alibi dicat: Nõ auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.

Rom. 2.

Hæc vtiq; iuſtificatio per opera comparatur. Propter quod & Iacobus iubet, vt ſimus factores verbi & non auditores tantùm? & non multò poſtea colligit ex operibus hominem iuſtificari, & non ex fidẽ tantùm. Et Chriſtus nobis cominatur, quòd niſi abundauerit iuſtitia noſtra, plùs quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabimus in regnũ cœlorum, vnde nemo, niſi propter iuſtitiæ defectum excludetur. Et hęc nimirum eſt operũ, non ſolius fidei iuſtitia, quemadmodũ ex illis quæ ſequũtur cuiq; dilucidum eſſe poteſt. Sed & Ioannes epiſtolæ 1. ca. 3. deſcribit iuſtum eſſe, non qui credit ſolum, ſed qui ſecundum fidem operatur. Filioli (inquit) nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: haud dubiè ſeductores iſtos taxans, qui ſola fide iuſtificati Chriſtianos prædicant, & tamen vnà cum fide manere peccatũ, aſſerere non verentur, cum tamen idem ilicò ſubdat, quòd qui facit peccatũ, ex diabolo eſt: Quoniã ab initio diabolus peccauit. Sed de hoc mox plura ſumus dicturi.

2. Pet. 1.

Adde, quòd Petrus hortatur, vt per opera certam noſtram electionem faciamus. Quapropter, inquit, fratres, magis ſatagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Nec eſt quòd hîc interpretetur Lutherus, quemadmodũ in Pſal. 5. facit, nimirum vt cognitam faciamus vocationem noſtram, cum nihil illic de cognitione Petrus dixerit, ſed de firmitudine ſiue ſtabilitate: βέβαιος enim firmus; & ſtabilis dicitur. Monuit ergo Petrus, vt per bona opera, vocationem, & electionem noſtram firmam, & ratam efficeremus, atque ita traduxit Eraſmus. Quando igitur operibus noſtris electio, vocatioque Dei magis rata firmaque fit, quis non intelligit noſtram quoq; iuſtitiam ex operibus euadere conſummatiorẽ?

Apoc. 22.

Pręter hęc in Apocalypſi ſcriptũ eſt: Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. Ecce quàuis fide viua & fertili

quis iuſtificatus fuerit, tamen adhuc eundem per opera magis ac magis iuſtificari neceſſum eſt. Quam rem & Lutherus ipſe confitetur inferiùs, articulo 2. vbi de parabola Samaritani facit mentionem. Negat enim illic quenquam ſubitò, ſed paulatim fieri ſanum, & vitam hanc affirmat non eſſe iuſtitiam, ſed iuſtificationem, propterea quòd iuſtitia noſtra ſemper eſt in fieri. Nam quotidie iuſtificamur Spiritu facta caruis mortificantes, quod & iubet Paulus. Et hoc quid aliud eſt, quàm bonis operibus in perpetuam iuſtificationem pergere? quemadmodum idem alibi dicit: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, hoc eſt, vt conſummetur in vobis iuſtitiæ ſanctificatio. Ad hanc igitur iuſtificationem opera conferre perſpicuum eſt. Nec ſimilitudines quas in libello de Fide Chriſtiana producit, quicquam aduerſantur.

Coloſ. 3. Rom. 6.

Prima. *Abſque inchoata iuſtitia mereri nihil poſſumus.*

Primùm, illa de primis parentibus non obſtat, cùm in ipſis nec erant aut actualis, aut originalis peccati reliquiæ, quas expurgarent, quemadmodum in nobis fieri conſtat. Quando igitur iſtarum expiatio per opera noſtra fit, & ad perpetuum iuſtificationis incrementum multa inter nos & illos diſſimilitudo eſt: quanquam in hoc etiam ſimiles ſumus, quòd abſque inchoata iuſtitia mereri nihil poſſumus, aut iuſti quippiam operis facere, quod ſit meritorium: at ad conſummatam iuſtificationem nemo ſine operibus peruenire poteſt. Secunda quoque ſimilitudo, quam de Epiſcopo producit, nihil obſiſtit penitùs. Neque omnino ſimile eſt de Epiſcopo, qui vel altaria conſecrat, vel pueros confirmat, & de viro iuſto qui recta operatur. Nam illis agendis nihilo magis Epiſcopus efficitur, quàm ante fuerat. At homo iuſtus iuſtè operando iuſtificatior euadit, vt ſatis oſtendimus. Nec tertia ſimilitudo quicquam prohibet, cum fructuum copia, quantumuis bonorum, nihilo meliorem arborem faciat, quam quidem fuerat, immò deteriorem potiùs, cum humorem bonum, & vires eius exhauriant. At bonorum operum vbertas longè meliorem & iuſtiorem efficiunt quenque: ſicut & contrà malorum operum cumulus, quo maior eſt, nequiorem facit & iniuſtiorem. Quarta ſimilitudo, pro nobis facit. Nam ſicut faber in operis exercitio nonnullum arti ſuæ facit incrementum; ita iuſtus bene operando iuſtitiæ ſuæ lucrum acquirit, & bonis operibus indiès magis iuſtificatur, vt ſicut id, quod per operam fabrilem accreuit arti, non diuerſam artẽ facit, ſed in eandem coit penitus: ſic ea iuſtificatio, quæ per opera iuſta cooritur, non diuerſam à priore conſtituit, ſed in ipſam tranſit, & vna penitùs fit cum eadem. Palàm eſt igitur haud rectè collegiſſe Lutherum, neminem operibus iuſtificari, ſed ſola Fide. Hoc tamen nobis cùm Luthero cõuenit, quòd ſine Fide nemo iuſtificari poteſt, vt etiã in infantibus, per baptiſmatis regenerationẽ putamus eſſe Fidẽ cœlitùs infuſam, neque tamẽ vt ea ſit actus aliquis credendi, quemadmodum Lutherus de Fide opinatur. Negat enim Luth. Fidẽ eſſe quendam habitum in animo quieſcentem, ſed aſſerit eam actum eſſe viuaciſſimum. Verùm talis actus in infantibus nullus eſt, qui dici poſſit eorum actus, cum nec intellectus, aut voluntatis vſum aliquem habeant. Sed multò rectiùs à Theologis hoc Fidei donum, in paruulorum animos Sacramento baptiſmatis infuſum à Deo, qualitas quædam & habitus illorum animis inditus exiſtimatur, Nam ſi talis actus adeſſet, ipſi per actum illum credere dicerentur; quod ſanè falſum eſt, cum ipſi nullum habeant vſum ijs aſſentiendi, quæ Fidei ſunt. Habent ergo Fidei donum infantes, quod tamen haud ſolo verbo conſecuti ſunt, quemadmodum Lutherus contendit. Sic enim ſuper Epiſtolam ad Galat. illud Pauli Lutherus explicans: Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? diſquirit qua ratione fidem infantes aſſequuntur, cum ipſi nihil audiant. Et reſpondet quòd verbo Dei nihil eſt ſurdum, & ad eas loquitur aures de quibus dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat. Ideò verbum virtutis & gratiæ, ſimul dum aures pulſat intùs ſpiritum infundit. Quòd ſi Spiritum non infundit, nihil differt audiens à ſurdo. Quocirca ipſe ſonus verbi miniſterio Eccleſiæ ſuper infantem prolatus, eò faciliùs operatur per ſpiritum, quò paruulus verbi eſt capacior, id eſt, patientior, nullis rebus alijs implicatus. Hactenus Lutherus. Ex quibus verbis dilucidum eſt, eum velle, quòd ſono verbi ſpiritus infunditur. Neque nos reluctamur quin virtute verbi ſpiritus infundatur, ſed negamus, quòd ea ſola ſit infuſio ſpiritus, niſi pariter adiungatur & lotio. Verbũ enim ſi deſit aqua nequaquam id operatur, ſed verbum cum aqua, in quibus ambobus conſiſtit ſacramentum. Neutrum itaque per ſe fidem aut gratiam præſtat infanti, neque aqua, neque verbum, ſed verbum aquæ coniunctum. Sed & ſi totum Euangelium ſuper infantem legeretur, nemo poteſt ob id aſſerere, quòd infans gratiam aut fidem adeptus ſit. Non eſt ergo verbum ſolum, quod infanti gratiam infundit, ſed verbi pariter & aquæ ſacramentum. Hoc ſacramentũ quiſquis acceperit (modò non poſuerit obicem) gratiam haud dubiè conſequitur, qua iam initiatus iuſtitia, iuſtus efficitur. Similiter & adultus, de quo (tametſi credere ſe profiteretur) dubitari poteſt an ſpiritum ſit aſſecutus, protinus vt ſacro baptiſmate fuerit ablutus, iam omni dubio procul, Spiritum adeptus eſt, & gratia præditus, verè iuſtificatur. Nam plerique fidem ſe habere putant, qui tamen gratia pariter & Spiritu carent, & hos palàm eſt non eſſe iuſtificatos. Veruntamen hi (ſi nondum baptizati fuerint) confeſtim accepto baptiſmate, modò nullum obicem poſuerint, certiſſimi redduntur ſe gratiam & Spiritum eſſe conſecuturos. Ad hoc Lutherum hallucinari facit, quod toties in ſcripturis legit, purificationem & iuſtificationem imputari fidei. Quod ideo fit, non quia fides ipſa iuſtificat, ſed quia gratiam ipſa meretur, qua ſola iuſtificamur. Ad gratiam autem, duobus modis

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Nemo ſine Fide iuſtificatur.* *Non ſolo verbi ſono ſpiritus infantibus infunditur.*

perue-

Duobus modis ad gratiam perueniendum. *Actor. 10.* *Per sacramenta datur gratia.* *Actor. 2.*

peruenimus, altero per plenam fidem omni prorſus obice ſublato, quemadmodum in Actis traditur de ijs, qui Petro apud Cornelium conciunanti crediderunt, quòd cecidit ſuper eos Spiritus ſanctus, cum necdum erant baptizati. Fuit enim in eis haud frigida fides. Cæterùm vbi fides remiſſior fuerit, iam per Sacramentum præſtatur gratia, quemadmodum in eiſdem Actis liquet. Cum enim ad primam Petri concionē, plerique Iudæorum corde compuncti, rogauerunt Apoſtolos, quidnam eſſent facturi, reſpōdit Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti, quod & factum eſt.

Actor. 8. *2. Timot. 4.* *5. Timot. 1.*

Sed & cum Apoſtoli manus impoſuerunt Samaritis, conferebatur idem Spiritus, quod & Sacramento factum eſt, non ſola fide. Adde quòd Paulus vtraque ad Timoth. epiſtola ſuggerit eidem, ne negligat gratiam, quam erat ipſe conſecutus per impoſitionem manuum presbyteri. Et quid hoc aliud erat quàm Sacramento gratiam comparaſſe? Ad hæc in Actis, cap. 19. ſcriptum eſt, quòd Paulus, cum ex Corintho veniſſet Epheſum, repertos quoſdam credentes in Chriſtum, ſolo Ioannis baptiſmate lotos, interrogauit eos, num Spiritum ſanctum accepiſſent: eis verò dicentibus, ſe neſcire, Spiritus ne quiſquam ſanctus eſſet. Mox igitur vt baptizatis illis Chriſti baptiſmo, manus impoſuiſſet Paulus, delapſus eſt in eos Spiritus. Quis ergo diutius ambigere ſecum poteſt, an ſacramentis præſtatur gratia? ſed & pariter exploratiſſimum habebit, quòd non ſola fide iuſtificamur. Cæterùm quia de ijs inferiùs multò plura dicturi ſumus, iam tempus eſt, vt ſcripturis & rationibus quas pro hoc articulo ſtabiliendo Lutherus adduxit reſpondeamus. Prima igitur eſt.

LVTH. *Scriptura ſic dicit Rom. 1. & Abacuc 2. Hebr. 10. Iuſtus ex fide ſua viuet, non dicit iuſtus ex ſacramentis viuet.*

EPISC. Nullus horum locorum probat ſacramentis non conferri gratiam. Quæ res vt magis perſpicua fiat, ſingulos locos quadantenus excutiamus. Primùm apud Abacuc prophetam, vnde Paulus hanc ſcripturam mutuârit, ea ſic introducitur.

Abac. 2.

Oſtenderat illi viſionem quandam Deus, quam & aliquando perimplendam aſſeruit, voluit tamen eam interim expectari patienter. Si moram, inquit, fecerit, expecta illam, quia veniens veniet, hoc eſt, tandem haud dubiè veniet. Deinde ſubdit, quòd qui viſioni fuerit incredulus, non erit anima eius recta in ſemetipſo. Hoc eſt non perdurabit rectè agendo, ſed ſenſim probitate relicta, delabetur ad vitia. Iuſtus autem in fide ſua viuet, hoc eſt, ex confidentia viſionis aliquando perimplendæ, perſeuerabit in bona vita: hactenus pro Abacuc. Et ad eundē ſenſum introducit eandem ſcripturam Paulus ad Hebr. 10. Nolite (inquit) amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus eſt veniet, & non tardabit. Iuſtus autem meus ex fide viuet. Ecce quòd ad confidentiam, hoc eſt, firmam expectationem rerum promiſſarum, Hebræos hic hortatur Paulus, quas & eoſdem tandem adepturos pollicetur, modò voluntatem Dei fecerint, & quæ contigerint, interea patienter ſuſtinuerint. Quoniam hauddubiè remunerator aduenturus eſt Chriſtus. Monet igitur, vt iſtud conſtanter ſperent, & in huius rei fiducia bonam alant vitam, nec deſiſtant benè agere. Nam iuſtum interim ex fide ſua victurum affirmat. Ad Rom. verò Paulus eandem citat, vt doceat ex Euangelio reuelari nobis iuſtitiam Dei. *Rom. 1.* Nam poſtquam oſtenderit Dei iuſtitiam in Euangelio reuelari ex Fide in Fidem, ſubdit: Sicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuet: perinde ac ſi dixiſſet: Cum per Euangelium iam cunctis innotuerit, id præſtitiſſe Deum quod per prophetas ſuos erat olim pollicitus, iuſtitia Dei palàm omnibus manifeſtatur, quæ promiſſa ſeruat, & planè docetur non fruſtra fuiſſe ſcriptum: Iuſtus ex fide victurus eſt. Vides igitur, vt nullus horum locorum agit Sacramenta non conferre gratiam. Sed & iſtud dilucidum eſt, quòd non ſola Fide præſtatur ſalus, hac inquam ſola, quæ tam à ſpe, quàm à charitate diſcriminatur. Nam in ijs omnibus locis, vt ſatis liquet, pro ſpe fiduciaque Paulus fidem vſurpat, magis quam pro ſola credulitate.

Fides Paulo pro ſpe fiduciaque ſæpius accepta.

Adde quòd fidentem oportet identidem facere voluntatem Dei, quemadmodum antè recenſuimus ex 10. capite ad Hebræos. Vides igitur iuſtum non eſſe, niſi qui præter fidem, ſpem etiam habuerit, ac dilectionem & opera. Et hæc fides apud Iacobum, vt diximus, conſummata vocatur. Neque aliam Paulus intelligit quoties fidei tribuit iuſtificationem. Nam illa quæ à ſpe charitateque diſcriminatur, quantauis ipſa fuerit, Paulus tamen eam nullius eſſe momenti credit, ſi rectè operandi charitas ei defuerit. Si habuero (inquit) omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. *1. Cor. 13.* Aduerte quid dicat: Si habuero omnem fidem. Qui dicit omnem, nullam excipit, quantacunque ea fuerit, quæ non ſit perfecta charitate. Et is hoc dicit, cui Lutherus innititur vel ſoli. Non poſſunt igitur prophetæ verba, de nuda fide, quæ ſpem vel charitatem antecedit intelligi, ſed de ea, quæ per illas perficitur, & quæ bonis cōſummatur operibus qualem & idem Paulus fidem vocat, quę per dilectionem operatur. Alioqui dicentur & ij iuſtificari, qui vitijs illis fœdiſſimè contaminantur, quibus & illic idem propheta, væ multiplex interminatur. Palàm eſt itaque, nec Paulū, nec prophetam hunc, de nuda fide fuiſſe locutos, ſed de fide, quæ per dilectionē operatur. Interroga quos velis ex ijs, qui ſe tibi confitebuntur adulteros eſſe fraternęque charitates oſores, nū Deo credāt? Inuenies ex his pleroſq; reſpōdere, planè ſe credere, moriq; potiùs velle, quàm abnegare fidem & tamē conſtat eos, qui tātis inquinati ſunt vitijs, haudquaquā iuſtificatos eſſe. Sed iam veniamus ad ratiocinationē tuā.

Scriptura, inquis, ſic dicit: Iuſtus ex fide ſua viuet: Non dicit Iuſtus ex Sacramētis viuet. Quid inde colligis Luthere? quòd Sacramenta non conferunt gratiam. Nihil oportet. Nam ſatis intelligis neutrum etiam horum, hoc eſt, nec Abacuc, nec Paulum dixiſſe, quòd iuſtus ex charitate viuet. Et tamen haudquaquam conſequitur: Ergo charitas non iuſtificat: vt taceã quàm nullius ponderis apud Dialecticos fuerit argumentum, ex mera procedens negatiua. Sed iam ad alteram ſcripturam reſpondeamus.

Ineſſicax ex negatiuis illatio.

LVTH. *Marci vltimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur, etiamſi baptizaretur. Neque enim baptiſmus ſaluat, ſed fides baptiſmi.*

EPISC. Vides hîc primùm, ſalutem & iuſtificationem promiſſam credenti ſimul & baptizato, ita quòd ſi quis baptizetur nō autem credat, gratiam non aſſequatur, id quod tu prorſus affirmas. At nos rurſùm item aſſerimus, quòd ſi crediderit quis quantum poſſibile fuerit, baptiſmum tamen recuſauerit, iuſtificatione carebit nihilominus. Neque enim cuiquam poteſt de ſuæ fidei magnitudine certius contingere teſtimonium, quam vt montes verbo dimoueat. Quòd ſi tanta fides non conferat iuſtificationis gratiã, exploratiſſimum cuiuis eſſe poteſt, neminem ſola fide iuſtificationem adipiſci. Cæterùm is idem, qui tanta Fide præditus eſt, gratia tamen carens, percipiat iam baptiſmi Sacramentum, nec ponat (vt aiunt) obicem, is haud dubiè gratiam aſſequutus eſſe, & verè iuſtificari credendus eſt. Vides itaque non Fidem ſolam, ſed Fidem cum Sacramenti perceptione, ſuſcipientem iuſtificare. Neque enim ſine Fide iuſtificari quiſquam poteſt, cum ſine Fide impoſſibile ſit placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Verùm tamen hæc ſola Fides non illicò præſtat gratiam, ſed Sacramentum rectâ Fide ſuſceptũ, gratiam confert & iuſtificationem. Nam, vt ait Paulus de Chriſto ſuam Eccleſiam ſanctificante, Mundauit eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Porrò nihil abſque gratia mundat animam. Quamobrem neceſſe eſt, lauacro aquæ cum verbo vitæ, baptiſmum ſuſcipientibus præſtetur gratia. Sequitur tertia ſcriptura quam citâras.

Hebr. 11.
Epheſ. 5

LVTH. *Romanorum. 10. Corde creditur ad iuſtitiam non dicit, corpore Sacramenta ſuſcipiuntur ad iuſtitiam.*

EPISC. Quid ſi non dicat? Ex qua te precor dialectica, ſtabilies hanc conſequutionem? Non ita dicit, ideo nequaquam ita ſe res habet. Paulò ſuperiùs eadem vſus es dialectica. Nō dicit (inquis) Iuſtus ex Sacramentis viuet: Iccirco non præſtant vitam Sacramenta. Nihil miror Luthere ſi ſcholaſticos inſectaris. Nam horum aures has ineptias ferre non poſſunt. Rectè nimirum tuis opinionibus conſuluiſti, cùm & illorum, & Ariſtotelis item auctoritatem eleuare ſtudueris. Nam tolle Dialecticam, ſublata protinùs erit facultas, aut ſubruendi quod falſum eſt, aut ſtatuendi veri. Tolle Dialecticam, & omnes andabatarum more gladios in tenebris ventilabimus. Si dialecticam ſuſtuleris, nihil mirabor quibuſdam hæc argumenta tua videri ſolida. Cæterùm ſi dialecticam admiſeris, nemo non ea cenſebit eſſe talia, qualia verè ſunt, hoc eſt, mera ſophiſmata. Nos verò dicimus corde credendum eſſe ad iuſtitiam. Quoniam abſque Fide nemo iuſtificatur. Ex fide certè iuſtificatio noſtra ſumit initiũ Sed ex charitate (quemadmodum ante diximus) vnà cum bonis operibus, auctore Iacobo, conſummationem acquirit. Quarta ſcriptura quam adducis,

Ridicula collectio.

LVTH. *Romanorum 4. & Gene. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.*

EPISC. Primùm hic reſpondeo, non defuiſſe iam Abrahæ opera, quibus Fides eius fieret conſummatior. Iam enim iuſſu Dei reliquerat terram ſuam, venitque in regionem tam ſibi, quàm ſuis incognitã, vbi tametſi multa fuiſſet perpeſſus, Deo tamen per varia loca conſtructis altaribus, ſacrificabat iugiter. Sed nec ob ingentem famem, quæ tum orta eſt, rediit in patriam: at in Ægyptum ſe recepit, vbi mox tam ingens ei diſcrimẽ obortum fuit, vt vel coniugis ſuæ caſtitas periclitaretur, vel ſibi vitæ diſpendium immineret. Neque tamen inter hæc aduerſa, Deo quicquã diffiſus eſt. Cum igitur ijs atque alijs operibus Deo iugiter placere ſtuduiſſet Abraham, quis non meritò fidem eius (quod & D. Iacobus teſtatur) cooperatam operibus fuiſſe, rurſumque ex operibus Fidem illius conſummatam affirmabit? Sed inquies, non ob aliud ei reputatum eſt, ad iuſtitiam quàm quod crediderit. Reſpondemus, hoc ſcripturas nuſquam aſſerere. Neque enim ſcriptura dicit propter nudam Fidem, aut ſolùm ob id, quia credidit reputatum ei eſſe ad iuſtitiam. Nos igitur Paulo credimus aſſeueranti, quòd ſi quis vſque adeo Fidem habuerit, vt montes Fide ſua transferat, charitate tamen & bonis careat operibus, non ob Fidem illum iuſtificatum iri. Atque iſtud quantum ad Geneſis locum ſpectat ſufficere debere putamus. Porrò, quantum ad illud ex Rom. 4. quoniam Paulus illic tibi viſus eſt aſtruere, iuſtificatum Abraham ſola fide ſine operibus. Nos illi D. Iacobum opponemus, qui non ſemel affirmat, Fidẽ abſque operibus mortuam eſſe: quod & pluribus identidem confirmat argumentis, eodem vſus exemplo, quo Paulus, nempe Abrahæ. Neutrum horum, nemini bene Chriſtiano repudiare licebit. Nec ſatis erit, ſi dixeris hanc epiſtulam à nonnullis exiſtimatam non eſſe Iacobi. Sic enim nec defuerunt (ſi Hieronymo credimus) qui Pauli quaſdam epiſtolas negarent ipſius fuiſſe, nempe duas quas ad Timot. ſcripſit, & alias item quas ad Hebr. & ad Titum. Nos verò, nec iſtis, nec tibi credimus, ſed orthodoxos patres ſequimur, & catholicam Eccleſiã, quæ nobis hanc pro Iacobi dedit epiſtolã, quam ſi non receperis, non catholicum, ſed hæreticum te comprobabis. Nemo inficiari poterit, quin hæc epiſtola per Eccleſiã approbata ſit. Quamobrem neque licet cuiquam in dubium reuocare, quod illic aſſeritur, nempe Fidem ſine operibus mortuam eſſe. Et rurſum: Videtis igitur, quoniam

Fides operibus Abrahæ conſummatur.
Iacob. 2.
1. Corin. 13.
Hieron.

quomodo ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Quid dici potuit apertiùs? Atqui, dicet hunc vnum locum theologos mordicùs tenere, nihil prorſus curantes, quòd tota alia ſcriptura Fidem ſine operibus commendet. Sed tibi reſpondebunt Theologi, non id eſſe verû quod affirmas, nempe quòd tota reliqua ſcriptura Fidem ſine operibus commendet, de qua re mox diſſeremus. At primùm oſtendemus, quibus rationibus Iacobus hunc locum munierit, & quam dilucidè, vt nemo ſubterfugere queat, quin ita ſe habeat res. Primùm ait: Iudicium ſine miſericordia erit illi, qui non facit miſericordiam ad quod & exemplum de inope introducit, cui ſi quis bona verba dixerit, nec tamen illius inopiæ miſericorditer ſuccurrerit, is apud Deum carebit miſericordia. Sermo quidem inopi dictus bonus eſt, ſed quia caret opere, nihil conducit. Et vt ſermo prolatus inopi, ſed opere carens, inanis ſit, ita & Fides (Iacobus ait) ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Pro hac ratione aduertendum eſt, Chriſtum ob opera miſericordiæ iuſtificationẽ fuiſſe pollicitum. Date, inquit, eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Ad iuſtificationem igitur ex operibus miſericordiæ, duo exiguntur, nempe Fides, & opus. Confidas oportet Deum operis tui remuneratorem fore. Deinde ſi quicquã inopi propter Deum contuleris ex ijs duobus oritur iuſtificatio tui. Vtrũq; concurrat neceſſe eſt. Neque enim ſola fides tibi ſatis fuerit, niſi fueris opitulatus inopi. Sed neq; opitulatio ſine Fide, te iuſtificare poteſt. Alterũ ſine altero parum proderit. Credas quantũcunq; velis, non autem dederis, hanc mundiciam haudquaquam conſequeris. Atque hoc eſt quod ait D. Iacobus: Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Rurſum & hoc altera docet ratione: Si Fides quenquam abſque operibus queat iuſtificare, Dæmones hauddubiè iuſtificarentur, cum & ipſi Fidem habeant. Credunt enim & contremiſcunt. Metuunt nimirum ipſam Dei maieſtatem, ſed non amant, neque venerantur, neque boni quicquam operis in alios exercent. Ob id, & circo reprobi ſunt apud Deum, quia dilectionis, & bonorum operum ſunt expertes. Quamobrem, & præter Fidem vt quis iuſtificetur, dilectio quædam exigitur, non ocioſa, ſed operans. Adhuc & tertiam diuus Iacobus adijcit rationem, pro qua notandum eſt, quòd Paulus non ſimpliciter hoc molitur, quòd Abraham abſque omni prorſus opere fuiſſet iuſtificatus: ſed quòd ad eius iuſtificationem nihil profuerint opera legis. Arbitramur (inquit) hominem iuſtificari per Fidem ſine operibus legis. Ecce, non dicit abſque operibus abſolutè, ſed abſq; operibus legis. Quòd ſi quis omnino contendat, illic illum fuiſſe de operibus abſolutè locutum, debet tamen intelligi (quemadmodum ex Auguſtino mox dicemus) non de operibus quę Fidem ſubſequuntur, ſed quæ Fidem antecedunt. Vtcunq; fuerit, teſtatur Auguſtinus hæreticos ex Pauli verbis anſam accepiſſe dicendi, quòd Fides per ſeipſam ſufficiens eſt abſq; operibus ad ſalutem. De qua re & Petrus in epiſtola ſecunda meminit dicens: In quibus nempe verbis Pauli ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Propter quod neceſſe fuit Spiritui ſancto, in ſcripturis hanc hæreſim alicubi refellere, quòd & copioſè fecit per Diuum Iacobum. Is igitur docet Abraham non ſola Fide iuſtificatum fuiſſe, ſed & eius Fidem habuiſſe dilectionem & opera. Hactenus Auguſtinus. [illegible]

Vbi precor aduertas Auguſtinũ hæreſim appellare, quòd Fides ſine operibus iuſtificat. Sed nũc ipſum Iacobũ audiamus: Sic enim ſcribit: Vis autem ſcire ô homo inanis; quoniã Fides ſine operibus mortua eſt: Abrahã pater noſter, nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens filiũ ſuum Iſaac ſuper altare? Vides, quoniã Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus Fides conſummata eſt. Sed adnette, quàm ſtudioſè meminit eiuſdem ſcripturæ, cui Paulus potiſſimum innititur: Et ſuppleta eſt, inquit, ſcriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt, nempe quia dilexit non otioſe. Et adhuc ingeminat: Videtis (inquit) quomodo ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Prętet hæc quia Rhaab meretrix, quibuſdã videri potuit, ſola Fide iuſtitiã fuiſſe cõſecutã, nempe quòd exploratoribus tam celerrimè crediderat. Oſtendit ad eam nec ſine operibus fuiſſe iuſtificatam, dicens: Similiter & Rhaab meretrix nonne ex operibus iuſtificata eſt? ſuſcipiens nuncios, & alia via eijciens? Sicq; tandem Iacobus concludit: Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuũ eſt, ita & Fides ſine operibus mortua eſt. Cæterùm vt apertè monſtremus aſſertionem Lutheri, qua totam reliquam ſcripturam aſſerit, Fidem ſine operibus commendare, veritatis expertem eſſe, nonnullas in medium ſcripturas afferemus, quæ planè teſtabuntur, neminem (ſaltem adultum) abſque operibus iuſtificatum iri. Primum illud occurrit Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnũ cælorum. Quid hîc dicis Luthere? Certum eſt nemini iuſtificato ianuas regni cæleſtis occludendas eſſe, At Chriſtus affirmat neminem eas ingreſſurum, niſi qui fecerit opera. Verùm eſt igitur, quod ait Iacobus: Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex Fide tãtùm. Et rurſum illic Chriſtus in ſuæ cõcionis calce dicit: Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuã ſuper arenam. Ecce non eſt ſatis ad iuſtificationem credere verbis Chriſti, niſi pariter ipſa perfeceris. Oportet enim vt facias ea, alioqui nulla tibi Fides ſufficiet, ſed ſuper arenam ædificas, ruiturumq; prorſus eſt, quicquid moliris. Ad hæc Matth. 6. Si non dimiſeritis hominibus; nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Credas quantumcunque vel ô Luthere, ſi tamen fratri non ex animo remiſeris ob errata veniam petenti, nec tu iuſtificaberis à Deo. Nam

Apta ſimilitudo inter Fidem & ſermonem.

Luc. 11. Ad iuſtificationem ex operibus miſericordiæ duo concurrunt.

Ex Paulinis verbis anſam arripuere hæretici, Fidem ſolam iuſtificare ſtatuendi. 2. Petri 3.

Iacob. 2.

Ioſue 2.

Fides ſine operibus corpus ſine ſpiritu.

i.

ii.

iii.

Nam hìc ad iuſtificatiooem vtraque cooeurrat
neceſſe eſt, oempe Fides & iniuriæ fraternæ re-
miſſio: oeque altera quicquam proderit. Quam-
obrem (quod Iacobus ait) certiſſimum eſt, oec
ſola Fides, ſed Fides vnà cum operibus iuſtificat.
IIII. Præter hæc Matthæi 5. Chriſtus ait: Niſi abun-
dauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum &
Phariſæorum, noo iotrabitis io regnum cælorũ.
Sed exploratiſſimum eſt, Chriſtum hìc de iuſti-
tia operum fuiſſe loquutum, cum infrà pluribus
doceat exemplis, quibus io rebus noſtra, hoc eſt
Chriſtianorum iuſtitia debeat eſſe copioſior.
Quam ſanè iuſtitiam ſi non exhibuerimus, uo-
bis in cæleſte regnum aditus negabitur. Non
igitur ſóla Fide, ſed ex operibus, vnà cum Fide iu-
V ſtificamur. Sed & Luc. 12. teſtatur Chriſtus,
quòd ſeruus ſciens voluntatem domini, & oon
faciens, plagis vapulabit multis. At qui plagis va-
pulare meretur iniuſtus eſt. Neque igitur ſcri-
pturarum notitia, oeque Fides earum quenquã
VI. Iuſtificat. Cæterùm iam & Paulum ipſum quid
ſuper hac re dicat audiamus. Is nimirum apud
Romanos affirmat, Deum cuique redditurum
ſecundùm opera ſua. Ecce Luthere, vt in te re-
geramus argumentum tuum, non dicit hìc, Se-
VII cundum Fidem ſed ſecundum opera cuique red-
diturum. Et rurſum idem Paulus ait: His qui-
dem qui perſeuerantes in benefaciendo, gloriam
Merces bonorum operum vita æterna & hooorem, & immortalitatem quærunt, vitam
æternam. Ecce merces boootum operum vitã
VIII. æterna, quæ oullis niſi iuſtis dabitur. Et paulò
pòſt: Gloria & honor, & pax omni operanti bo-
num. Et ad Hebræos quoque 10. dicit: Patien-
tia vobis opus eſt, vt vbi voluntatem Dei pere-
geritis, reportetis promiſſionem. Ecce promiſ-
ſionis fient illi participes, qui volũtatem Dei per-
IX. impleuerunt. Et item ad Hebræos 6. Non enim
iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, &
laboris ex charitate ſuſcepti. Et Ioannes epiſto-
X. la 2. nos hortatur: Ne perdamus (inquit) quæ o-
XI. perati ſumus, ſed vt mercedem plenam recipia-
Rom. 12. mus. Sed ad Paulom redeamus. Non enim au-
ditores legis, ioqoit, iuſti ſuot apud Deum, ſed fa-
ctores iuſtificabuntur. Haoc ſcripturam io reſo-
lutionibus tuis contra concluſiones Eckianas,
ru truncatim obijcis tibi. Nam omiſſa priori par-
ticula oempe hac: iuſti ſunt apud Deum, recen-
ſes eam in hunc modum: Noo auditores legis,
ſed factores iuſtificabuntur, & addis gloſſam tu-
am, ſcilicet reputantur iuſti, non autem per ope-
ra iuſtificantur. Cum tamen apertè oeget Pau-
lus, ſolos auditores quantumuis crediderint, iu-
ſtos apud Deum eſſe, niſi pariter & ſecundum
XII. iuſtitiæ legem opereotur. Similibus item verbis
Iacob. 1. Iacobus ait: Eſtote factores verbi & non audito-
res tantùm, fallentes voſmetipſos. Et infrà. Noo
XIII. auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic
XIIII. beatus in facto ſuo erit. Rurſum Paulus ad Ro-
maoos 8. Si ſecundum carnem vixeritis, morie-
mini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaue-
ritis, viuetis. Ecce vitam, hoc eſt iuſtificationem
pollicetur ijs, qui facta carnis mortificaoerint
XV. Ad hæc, ad Galat. 5. In Chriſto Ieſu, neque cir-
cumciſio, oeque præputium aliquid valet, ſed
Fides quæ per dilectiooem operatur. Ecce
non ſola Fides, ſed cui coniuncta eſt dilecti-
onis operatio, valet ad iuſtificatiooem. Nam
cui poteſt obtiogere maior fidei virtus, ſi de fide
loquamur ſola, quàm qui prophetiæ donum ac-
ceperit, dæmonia quin etiam eiecerit: ac multas
alias in Chriſti nomine fecerit virtutes, & tamen
eiuſmodi plerique, quia boois caruerunt operi-
bus à Chriſto reijcientur. Multi, inquit, dicent XVI.
mihi in illa die, Domine Domine, nonne in no- Matth. 7.
mine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæ-
monia eiecimus? & io nomine tuo virtutes mul-
tas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nun-
quam oovi vos. Diſcedite à me omnes qui ope-
ramini iniquitatem. Ecce quia bona defuerunt
illis opera (quanquam inſigni fide præſtiterint)
non iuſtificationem, ſed damnationem potiùs
meruerunt. Perſpicuum igitur ex ijs cuiuis eſſe
poteſt noo ſolam fidem (quæ virtutum Theolo-
gicarum in ordine prima eſt) ad iuſtificationem
cuiuſpiam ſufficere, ſed opus eſſe præterea ope-
ratrice charitate, nimirum vt ſit fides, quæ iuxta
Paulum, per dilectionem operatur, & quæ iuxta
Iacobum, ex operibus conſommatur. Ignoſcat
mihi Lector, quòd in citandis ſcripturis proli-
xior fuerim. Nam ideo feci, quòd Lutherus hoc Luth. de
Theologis obiecit, quòd vnum hunc locum D. theologis
Iacobi, oempe fidem ſine operibus mortuam eſ- egregiè men-
ſe, mordicùs teneant cum (vt ipſe non veretur tiens.
aſſerere) tota reliqua ſcriptura fidem ſine operi-
bus commendet. Quod an verum ſit ex ijs quæ
citauimus intelligi poteſt. Tradit nimirum Au-
guſtinus, libro de fide & operibus, hanc ipſam
opinionem (cui iam ſubſcripſit Lutherus) exor-
tam olim in Eccleſia fuiſſe ex epiſtola Diui Pauli
ad Romanos malè intellecta, conſtare tamen er-
roneam eſſe, atque id potiſſimùm ex alijs Epiſto-
lis, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ. Sed Diui Au-
guſtini verba (ſi quis fortè requirat) adijciam.
Quoniam (inquit) hæc opinio tunc fuerat exor-
ta, aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Ioannis, Iaco-
bi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentio-
nem, vt vehementer aſtruant Fidem ſine operi-
bus non prodeſſe, ſicut etiam ipſe Paulus, non
quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed
eam ſalubrem, planeque Euangelicam diffiniuit,
cuius opera ex dilectione procedunt. Vnde il-
lam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam
videtur, ita nihil prodeſſe aſſeuerat, vt dicat: Si
habeam omnem fidem, ita vt montes transfe-
ram charitatẽ autem non habeam, nihil ſum. Vbi
autem fidelis charitas operatur, ſine dubio bene
viuitur. Plenitudo enim legis eſt charitas. Vnde
euidenter in ſecunda epiſtola ſua Petrus, cum ad
vitæ morumque ſanctitatem hortaretur, mun-
dumque iſtum tranſiturum prænunciaret, cœlos
verò nouos, & terram nouam expectari, quæ iu-
ſtis habitanda traderetur, vt ex hoc attenderent,
qualiter eos oporteret viuere, & habitatione il-
la digni fierent, ſciens de Apoſtoli Pauli quibuſ-
dam ſubobſcuris ſententijs, nonnullos iniquos
accepiſſe occaſionẽ, vt tanquam ſecuri de ſalute,
quæ

quæ in Fide eſt, bene viuere non curarent, comemorauit quędã ad intelligendum difficilia eſſe in epiſtolis eius, quæ homines peruerterent, ſicut & alias ſcripturas ad proprium ſuum interitum; cum tamen & ille Apoſtolus, de ſalute æterna (quæ niſi bene viuentibus non daretur) eadem ſentiret, quæ cæteri Apoſtoli. Hæc Auguſtinus.

Ex Aug. verba mul- tanotatu digna.

Ex quibus verbis multa licebit annotare. Pri-
I. mum emerſiſſe quondam hanc Lutheri opinionem in Eccleſia, nempe Fidem ſine operibus
II. quemuis iuſtificare poſſe. Alterum quòd huic opinioni ex inſtituto contradicunt Catholicæ Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ epiſtolæ.

III. Tertium, quòd nec ipſe Paulus quamlibet Fidem (qua in Deum creditur) ſufficere ad iuſtificationem putat, ſed euangelicam illam, cuius
IIII. opera ex dilectione procedunt. Quartum, quòd Paulus illam Fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, aſſeuerat vſque adeo nihil prodeſſe, vt dicat: Si habeam omnem Fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non ha-
V. beam nihil ſum. Poſtremum, quòd Petrus aduertens quoſdam ex illis Pauli verbis occaſionem erroris accepiſſe, vt tanquam de ſalute (quæ in Fide eſt) ſecuri, bene viuere non curarent, diligentiùs ad morum vitæque ſanctitatem cunctos adhortabatur.

Impia Lutheri vox.

Quò magis admiror Lutherum, qui contra conclusiones Eckianas, concluſione 7. tam impudenter aſſerit, quòd Fides ſine opere, nullo periculo prædicatur, cum inde maxima pars hominum errandi ſumat occaſionem. Minima de operibus cura eſt, ſed Fide & imploratione diuinæ clementiæ ſub hora mortis quiſque ſe putat iuſtificandum. Cæterùm dicet quiſpiam; Quid ergo dicemus ad Paulum, qui tantopere Fidem magnificat? Profectò ſanè intelligendus eſt, & omnino cum D. Iacobo conciliandus. Neque enim hos inter ſe diſsidere, neque horum alterutrum non dixiſſe veriſsima, cuiuis opinandũ eſt. Paulum tamen obſcurè fuiſſe locutum ex epiſtola Petri didicimus.

Quomodo Paulus Iacobusque ſibi conciliandi.

Sic igitur Auguſt. ambos inuicem conciliat. Non ſunt (inquit) ſibi cõtrarij duorum Apoſtolorum ſententiæ Pauli & Iacobi, cum dicit vnus iuſtificari hominem ſine operibus, & alius dicit inanem eſſe Fidem ſine operibus, quia ille dicit de operibus, quæ Fidem præcedunt: iſte autem de operibus, quæ Fidem ſequuntur, ſicut etiam ipſe Paulus multis in locis oſtendit. Hæc Auguſtinus libro quæſt. 83. Hactenus pro ſcripturis quas Lutherus attulit diluendis, iam quàm validæ rationes eius fuerint, experiamur.

RATIONE SIC.

LVTH. *Quia in omni Sacramento eſt verbum promiſsionis diuinæ, quod affirmatiuè promittit, & exhibet gratiam Dei, ei qui ſuſcipit Sacramentum. Vbicunque autem Deus promittit, ibi exigitur Fides audientis, ne Deum faciat mendacem ſua incredulitate. quare in Sacramentis ſuſcipiendis, neceſſaria eſt Fides ſuſcipientis, quæ credat id quod promittitur, ſic baptiſmus datur in verbo iſtius promiſsionis: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Ergo neceſſe eſt, vt baptizandus credat ſe ſaluum fore, vbi baptizatus fuerit, alioquin Deum in ſua iſta promiſsione facit mendacem, quod eſt horrendum.*

EPIS. Principiò negamus tibi, quod in omni Sacramento eſt verbum promiſsionis diuinæ, quod affirmatiuè promittit & exhibet gratiam Dei, ei qui ſuſcipit Sacramentum: Nam Sacramentum (quemadmodum ipſe tui oblitus paulò inferiùs memoras) complectitur verbum & elementum, & hæc duo ſufficiunt ad completam Sacramenti rationem. Neq; verbum iſtud ſemper eſt promiſſorium id quod ex Sacramentis ab Eccleſia receptis apertiſsimè liquet. Sacramentũ enim baptiſmatis, non illud verbum complectitur, quod tu recenſes. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: ſed hoc eſt verbũ Sacramenti baptiſmatis, Ergo baptizo te, in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, & iſtud non illud, gratiã confert. Sic & in Sacramento pœnitentiæ, nõ illud eſt verbum quod ipſe memoras, nempe: Quodcunq; ligaueris ſuper terram, ſed aliud, Nimirum hoc: Ego abſoluo te, &c. & iſtud, non illud gratiam confert.

In omni Sacramento verbum eſſe diuinæ promiſsionis negandum.

Sacramentũ complectitur verbum & elementum.

Hìc tibi fortè videbor pluſculum quàm neceſſe fuerit in ſermone cautior. Verùm ita nos admonet Auguſtinus, vt ad certam regulam loquamur. Ego nimirum hìc ſermonis obſeruantior ſum, quòd videam te moliri nouam quandam ſacramentorum nobis rationem tradere. Quam ſi ſequeremur, ſuborietur & alius poſt te, qui recentiorem aliam excogitaret. Atq; ſic Eccleſia vento quouis inconſtantior efficeretur, ſi toties mutaret ſeſe, quoties mobilitas ingeniorum res nouas commentaretur. Nos veſtigijs patrum libenter & firmiter inhæremus à quibus nec latum (quod aiunt) vnguem diſcedere volumus. Vos autem qui nouitatibus eiuſcemodi ſtudetis, diſputationes veſtras (quod & ait Hieronymus) multorum errore conuoluitis; Apud nos plurimum refert, quibus ad conficienda ſacramenta, verbis vtamur, & nos ijſdem quibus vtimur verbis, præſtari gratiam non dubitamus.

Nouam ſacramentorũ rationẽ trádit Luth.

Cæterùm vt tibi donemus, oportere illum qui ſacramentum aliquod ſuſcipit, verbo diuinę promiſsionis credere, quid tum inde conſequetur? Nequaquam id quod tu putas, nempe quòd Fides iſta iuſtificat, non ſacramentum. Quo enim argumento, iſtud quæſo colligis? Iſto ne? Habet Fidem qui ſuſcipit Sacramentum, ergo Fide, non ſacramento iuſtificatur. Nimis quàm inualida mihi viſa eſt hæc argumentatio Luthere; ni priùs oſtenderis omnem Fidem (quantulacunque ea fuerit) iuſtificare poſſe, id quod ex antè diſputatis liquidò conſtat eſſe falſiſsimum. Habent nimirum illi fidem, & ingentem ſanè, de quibus Chriſtus ait, quòd in ſuo nomine prophetauerint, & dæmonia eiecerint, atq; virtutes fecerint plurimas, & tamen iuſtificati minimè fuerunt.

Matth. 7.

Sed ijdem ipſi cum ad ſacramentum baptiſmatis acceſſerint obicem ex parte ſua nullam ponentes, protinus (vt baptiſma ſuſceperint) mox efficiuntur iuſti. Hìc tu reſponde mihi, Fides eorum hanc iuſtitiam præſtitit? an baptiſma potiùs? Si baptiſma dixeris, ſatis eſt: hoc

ipſum eſt quod cupimus. Nempe, quòd baptiſma confert gratiam: Sin Fidem aſſerueris. Cur igitur eum ipſi iam nihilo cumulatiorem Fidem habeant, quàm pridem habuerunt, non fuerant antè ſimiliter iuſtificati.

LVTH. *Sic in Sacramento pœnitentiæ datur abſolutio in verbo iſtius promiſſionis: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cælis. Quare oportet, vt abſoluendus credat, & non dubitet ſeſe verè abſolui in cælis apud Deum, dum abſoluitur in terris per Sacerdotem, ne Chriſti promiſſionem mendacem faciat.*

EPISC. *Quibus verbis præſtatur abſolutionis gratia.* Et hic item à via quàm longiſſimus aberras. Neque illorum verborum virtute, quiſquam à peccatis ſoluitur, ſed iſtorum potiùs: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Nam his cuncti ſacerdotes abſoluendi poteſtatem accipiunt, neque tamen iſta ſunt, quibus præſtatur abſolutionis gratia, ſed alia, nempe: Ego abſoluo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Porrò quantum interſit inter priores duas ſententias, & cur hanc ad peccatorum abſolutionem pertinere, illam ad alia vincula tollenda magis opinatum fuerit, mox dicemus, cum fuerit de indulgentijs ſermo. Sed hîc qua ratione probas hoc Sacramento non conferri gratiam? Si non alia, quàm quæ à nobis ſuperiùs recenſita eſt, nihil prorſus agis. Non enim conſequitur: Suſcipiens hoc Sacramentum oportet credat ſe verè abſolutum eſſe: ergo Fides hæc eſt ſola quæ gratiam præſtat, non autem ipſum ſacramentum. Hæc vtique collectio nullius eſſe momenti poteſt, niſi priùs oſtenderis Fidem omnem vel minimam, per ſeſe quemlibet iuſtificare poſſe, quod tamen eſſe falſum ex prioribus apertiſſimum eſt.

LVTH. *Sic in Sacramento panis datur corpus Chriſti, in verbo iſtius promiſſionis: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, corpus Chriſti non tantùm pro alijs, ſed & pro ſe eſſe datum, & ſanguinem Chriſti pro ſe fuſum in remiſſionem peccatorum, ſicut verba promiſſionis apertè ſonant: alioqui irridebit promiſſionem iſtam Chriſti, & iudicium ſibi manducabit.*

EPISC. *Facta conſecratione non manet panis ſubſtantia.* Tu Sacramentum panis appellitas, vt tuam hæreſim (de panis ſubſtantia manente) ſtatuas, cum neminem habeas ex Patribus, qui tecum hoc aſtruat, ſed concorditer omnes affirment, facta conſecratione, non manere panis ſubſtantiam. Et vt de cæteris ſileam, Auguſtinus (cuius tu non ſemel facis mentionem) ſermone 28. ſuper Lucam ſic ait: Cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quòd ante verba Chriſti quod offertur, panis dicitur, vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica, quæ poſtea ſequitur, ait? Panem noſtrũ. Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt ſuperſubſtantialem. Non iſte panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ideo ergo Græcè ἐπιούσιος dicitur. Hoc Auguſtinus. Quo quid apertiùs dici poteſt? Non manet ergo panis ſubſtantia: Id quod non modò patrum teſtimonijs, verumetiam argumentis inui-

Regis Henrici diſputatio. ctiſſimus Rex noſter ſua diſputatione contra te firmauit. Tu tamen ſcripturis, hanc inſanam tuam opinionem defendis, aſſerens ſcripturas hoc Sacramentum panem ſæpe vocare. Sed eſto, ſcripturæ panem vocent: Nunquid non & ſcriptura quoque verbum Dei, panem vocat? Et Chriſtus item ſeipſum panem appellat, cum tamen neque is, neque illud, eiuſmodi panis ſit, quo quotidie veſcimur. *Vocabulum panis in ſcripturis variè accipitur.* Sed & manna panis dicebatur, nec tamen ex frumenti granis ipſum, erat confectum, vti noſter panis eſt, quem indies edere ſolemus. Adde quòd ſcripturis etiam panis appellatione venit, quicquid ab hominibus edi conſueuit, licet ex granis haudquaquam ſit confectum. Quanquam igitur ſcripturæ, panem hoc Sacramentum vocent, non oportet, vt iam eiuſdem ſubſtantiæ panis ideo ſit atque priùs fuerat. Multa enim in ſcripturis nomen haudquaquam mutant, quæ mutârunt ſubſtantiam, vt exempli gratia: An non legis in ſcripturis. Serpentem ex Aaron virga factum, virgam dici? cum tamen virga non tum eſſet, ſed verus Serpens. *Exod 7.* Deuorauit, inquit, virga Aaron virgas eorum. Neq; enim virga potuit deuorare, ſed ſerpens ex virga factus, magorum ſerpentes deuorauit. *Apta comparatio.* Vt igitur hic, id quod verè ſerpens erat, virga dicitur, propter priorem nomenclaturã, ita & in Sacramẽto altaris, id quod verè corpus eſt Chriſti, panis tamen vocabulo, tam propter ſimilitudinem panis, quàm propter nomenclaturã priorem, adhuc non deſijt nominari. Cæterùm quòd ais, in Sacramento panis, dari corpus Chriſti, in verbo iſtius promiſſionis: Accipite & mãducate, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur, id accuratiùs nobis excutiendũ eſt. Cum enim in omni Sacramento, vis eſſe promiſſionis verbum, quo promiſſionis verbo, te precor hoc Sacramẽtum confici putas? Habet nimirum hoc Sacramẽtum à reliquis diſcrimen peculiare, nempe, quòd iſtud priùs in ſe conficitur quam adminiſtretur, reliqua verò non ſeorſum fiunt & adminiſtrantur, ſed ipſa eorum adminiſtratio, confectio quoque eſt. Quamobrem, ſi ad veram Sacramenti rationem, verbum promiſſionis tribuas, cui ſi conſecraturus non credat, nihil omnino iuxta te fiat, neceſſe eſt. Si dixeris, hoc verbum eſſe, videlicet, quod pro vobis tradetur, aut iſtud, qui pro vobis effundetur. Vtrunque horum ad recipientem pertinet, non ad conſecrantem. Nam his promiſſionibus credendum eſſe vis, quatenus is, qui Sacramentum hoc accipit, gratiam item ex fide ſua percipiat. Sed nihil hoc ad quæſtionem noſtram. Nos enim quærimus de verbo promiſſionis, cui conſecraturus inniti debeat ſua fide. Si dixeris, huic verbo, videlicet: Hoc facite in meam commemorationem. At hoc verbo, per te, Chriſtus nihil promittit, ſed tantùm præcipit. Agnoſce tua: Conſtea tibi. Sic enim aſſeris in execrando libello tuo de Captiuitate Babylonica, vbi Sacramentum ordinis tractas. Nihil (inquis) hoc verbo Chriſtus promittit, ſed tantùm præcepit fieri iſtud in ſui memoriam. Vbi eſt ergo verbum promiſſio-

miſſionis? Quòd ſi nullum inuenire valeas, iam tibi perijt huius Sacramenti ratio. Ad hæc, multi ad hoc Sacramentum accedunt, qui nunquam audierunt hoc promiſſionis verbum, de quo tu loqueris. Et tamen credunt, illic eſſe verum corpus Chriſti. Quid igitur opinaris? Num iſti gratiam ex hoc Sacramento reportabunt, quoties idipſum ſuſceperint? Reportabunt hauddubiè. Et tamen illud promiſſionis verbum, antè non audierunt. Non eſt igitur integrum quod aſſeris: Niſi quis verbo promiſſionis credat, gratiam ex Sacramento non aſſequetur. Præterea qui ſuſcipiunt hoc Sacramentum, vt plurimum anteaquam acceſſerint, ſunt à peccatis omnibus per pœnitentię Sacramentum abſoluti: quid ſi nunc non expectènt ex hoc Sacramento nouam expiationem, propterea quòd iam verè credunt (vt & iuxta re verè debent credere) ſe penitus abſolutos? Num propterea nullam ſunt gratiam hi accepturi? Cæterùm, quia verbo promiſſionis huic, tantum tribuis. Quid, te quæſo, ſi tale verbum, quale tu iactitas, non illic repertum ſit? Num, vt hoc conſtiterit, corruet protinùs, & euaneſcet omnis hæc cogitatio tua? Certè Græcus codex (ad quem tu ſæpe fugis) nihil habet eiuſmodi. Lege Paulum. Non illic inuenies, quod pro vobis tradetur, ſed quod pro vobis frangitur, de præſenti, non de futuro. Sed tu quoties tuo quadrantius inſeruiunt inſtituto; nunc Græcis, nunc Latinis veteris, quo nobis imponas faciliùs.

LVTH. *Ex quibus euidens eſt, neceſſariam eſſe Fidem ſuſcepturo Sacramentum, qua credat ſe conſequuturum id, quod Sacramentum promittit & donat, vt ſic verum ſit, quod dicitur: Non Sacramentum ſed Fides Sacramenti iuſtificat.*

EPISC. Et quis negat Fidem neceſſariam eſſe ſuſcepturo Sacramentum, cum Paulus dicat: Accedentem ad Deum oportet credere. Et ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Cæterùm quod niſi quis explicitam, verbo peculiari promiſſionis ad Sacramentum ſpectanti, Fidem habuerit ipſo momento quo Sacramentum ſuſcipit, nullam inde referet gratiam, non credo, niſi tu fortiorem probationem attuleris. Atqui dicis: Alioqui Deum in ſua promiſſione mendacem facit. Nihil oportet: Neq; enim mendacem facit Deum in ſua promiſſione, niſi qui negauerit Deum præſtare, quæ promiſerat. At ſimplex quiſpiam idiota & illiteratus, qui nunquam audiuit hoc promiſſionis verbum, credit tamen in Deum, nihil explicitè cogitans de verbo promiſſionis huius, quando ſuſcipit hoc Sacramentum, non negat Deum præſtaturum, quod promiſerat, ac propterea neque Deum ipſe mendacē conſtituit. Tu verò Luthere, potiùs Deum mendacem efficis, qui gratiā negas ex Sacramento conferri. Deus enim ſalutem, hoc eſt iuſtificationis gratiam pollicetur ei, quicunq; cum fide baptiſma ſuſceperit: Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Tu igitur qui confiteris non qualemcunque Fidem ad ſalutem ſufficere, & negas id quod deeſt ad iuſtificationem fidei, per Sacramentum ſupplere poſſe, tu profectò Deum hauddubiè mendacem conſtituis, cum ipſe cuicunque vel puſillam habenti fidem, modò baptizetur, ſalutem eſt pollicitus. Poteſt equidem tanta Fides eſſe cuipiam; & tam frugifera, vt vel ſine baptiſmo lauacris iuſtificetur, quemadmodum latroni contigit; qui inter ſummos corporis ſui cruciatus, aduerſus conſortem ſuum Chriſti negocium egit, quem & petijt ſui memorem fore, cum eſſet regnum ſui patris conſequuturus. Is ingentem ſanè & admirabilem habuit fidem; quæ per dilectionem operabatur, qua vel ſola abſque baptiſmate iuſtificatus eſt. Sed quis poteſt certus de ſeipſo eſſe, quòd ad hanc fidei menſuram & conſummationem peruenerit? Dicas; quicquid velis. Nemo poteſt ſuper hac re certus eſſe niſi cui fuerit hoc ipſum reuelatum. Propterea voluit immenſa Chriſti benignitas; vt quoniam nemo per ſolam Fidem de ſua iuſtificatione poterit certus eſſe, iam per Sacramenta ſuppleretur quicquid fidei ſufficientiæ defuerit. Adhæc, alterum horum neceſſe eſt confiteare; aut quòd ante baptiſmatis lauacrum, quiſquis accedens, tantam habeat Fidem: vt priuſquam abluatur iuſtus fiat, aut quòd fidei (ſi quis in ea defectus fuerit) per ſuſceptionem Sacramenti ſub ipſo lauacro iuſtum augmentum à Deo ſuppeditetur. Si primum dixeris reclamabunt tibi ſcripturæ, quæ pleroſque teſtantur Fidem habuiſſe, ſed citra menſuram iuſtificationis. Sin poſterius conceſſeris, hoc pro nobis abundè facit: Nam ſi per baptiſmatis lauacrum quis tantum augmentum Fidei conſequatur; quod ſuæ iuſtificationi ſufficiat; quis non videt ab hoc ſacramento gratiam conferri, ſine qua nemo iuſtificatur. At; inquis, non ſacramentum, ſed Deus hoc augmentum præſtat. Certè, & nos hoc ipſum confitemur. Neque enim credimus ſacramenta gratiam efficere poſſe, ſed Deum infallibiliter gratiam à ſe creatam infundere, quoties pia fide quiſquam ſacramenta ſuſceperit. Cæterùm iam dialecticam tuam audiamus. Neceſſaria (inquis) eſt fides ſuſcepturo ſacramentum, quare non ſacramentum, ſed Fides ſacramenti iuſtificat. Eiuſmodi nimirum eſt hæc argumentatio tua, ac ſi diceres: Neceſſarius eſt homini patrem habituro, ſolis influxus, quamobrem non pater, ſed ſol homini præſtat vitam. Nam vt ſol nonnihil facit ad hominis generationem (neque tamen ſe ſolo poteſt hominem procreare) ſic & puſilla Fides nonnihil confert ad gratiam conſequendam, nec tamen ſe ſola poteſt (abſque ſacramenti adminiculo) gratiam præſtare. Quoties igitur cum puſilla Fide, Sacramentum ad iuſtificationis gratiam concurrit, non ſoli Fidei (quæ certè cauſa remotior eſt) tribuendus eſt effectus, ſed Sacramento potiùs, vtpote cauſæ magis peculiari.

Fides latronis.

Nemo niſi ex reuelatione certus eſſe poteſt ſe ſola fide iuſtificari.

Suppletur in Sacramento quod fidei defuerit.

Luther. vndè quaque tuus ſtrictim.

LVTH. *Cum enim in omni Sacramento ſit verbum Dei, vt dicit B. Auguſtinus ſuper Ioannem, accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum. Vbicunque autem verbum Dei eſt, ibi Fides hominis in ipſum requiritur. Multi enim Sacramentum ſuſcipiunt & tamen non iuſtificantur*

ſicantur,ſed magis damnãtur,quia ſine Fide ſuſcipiunt. Sola ergo Fides iuſtificat,vt prædictæ auctoritates probauere.

EPISC. *Hæreticorũ mos.* Sic ſemper facere ſoletis, nimirum cum veſtris hæreſibus ſacrorum auctorum teſtimonia ſuffragari quicquam poſſunt,libenter ipſa citatis. Verùm ſi qui vobis aduerſentur, contemnitis ea protſus, & floccifacitis. Placet tibi iam Auguſt. *Auguſt.* quod dixerat: Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum. At cur non etiam placet quod ſequitur: vnde, inquit, iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo. Cernis hìc, quàm dilucidè teſtetur Auguſtinus, ſacramentum ex verbo ſimul& elemento conflatum, vim quandam habere,cordis abluendi. Sed Fides,inquis,exigitur. Hauddubiè. Verùm non ſola Fides iſtud efficit, ſed verbum fidei cum elemento,hoc eſt, Sacramentum credenti gratiam præſtat infallibiliter. Sed operæprecium erit, ex eodem Auguſtini loco pluſculum aliquid recenſere,quò res fiat apertior. Is enim ordo verborum eſt. Quare non ait Chriſtus, mundi eſtis propter baptiſmũ, quo loti eſtis?ſed ait,propter verbum quod locutus ſum vobis?niſi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum,& quid eſt aqua,niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Ecce quòd verbum adiunctum elemento vocat Sacramentum,& affirmat ipſum eſſe tanquam verbum viſibile. Et ſequitur: Nam *Ioan. 13.* & hoc vtique dixerat, quando pedes diſcipulis lauit. Qui lotus eſt,nõ indiget,niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Hactenus collegit Auguſtinus,Sacramentũ baptiſmatis vim in ſe quandam expurgandi ſimul & abluendi continere, eumq; qui baptiſmo lotus fuerit,iam totum eſſe mundum,neq; illi opus eſſe,niſi vt pedes, hoc eſt affectus animi lauet. Deinde mouet eam quæſtionẽ quam ſuprà recenſuimus. Vnde,inquit,iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat,niſi faciente verbo? Verùm hic ſi ſiſtam, nihil vltrà progreſſus, ſcio me Lutherus falſarium proclamabit, propterea quòd proximis verbis, Auguſtinus Fidei plurimum tribuere viſus eſt. Et ego ſanè plurimum identidem Fidei tribuendum puto. Verùm non ſoli Fidei protſus tantum, quantum Lutherus facit. Adijciamus itaque quod ſequitur: Vnde iſta tanta virtus aquæ (inquit Auguſtinus) vt corpus tangat, & cor abluat,niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Hìc clamat Lutherus: Ecce virtutem Fidei. Sed nos hanc nullo modo negamus, immo confitemur,quòd qui Fide caret, effectum Sacramenti non conſequitur. Sacramentum hauddubiè nullam niſi credenti confert gratiam. Sed pergamus adhuc attendentes quid in Auguſtino ſequitur: Nam & in ipſo verbo,inquit,aliud eſt ſonus tranſiens,aliud virtus manens,hoc eſt verbũ Fidei, quod prædicamus (ait Apoſtolus) quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Ieſus,& credideris in corde tuo, quia Deus ſuſcitauit illũ à mortuis,ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutẽ. Vnde in Actibus Apoſtolorũ legimus, Fide mundans corda eorũ. Et in Epiſtola ſua beatus Petrus: Sic & vos,inquit,baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus,quo ſine dubio (vt mundare poſſet) conſecratur & baptiſmus. Hæc Auguſt. Quis hìc non aduertit, eiſdem teſtimonijs Auguſtinum militare contra Lutheri ſententiam, quibus & pro ſeipſo Lutherus vtitur. *Teſtimonia Aug. quibus Lutherus ſe defendit, eidem aduerſantur.* Cæterùm in hac lectione tam fidei,quàm verbo fidei, ſimul& baptiſmo plurimũ tribuitur,nec vni iſtorum ſoli, ſed omnibus coniunctim gratia iuſtificationis adſcribitur. Verum quidem eſt,quoddam ex ijs teſtimonijs,quæ iam protulit Auguſtinus, de fide loqui,quoddam de verbo fidei,nonnulla quoq; de baptiſmo,non ita tamen vt excludant reliqua. Neque enim puſilla fides, vt ſæpè diximus, abſq; ſacramento, neque ſacramentum abſque omni fide,gratiam conferre cuiquam poterit. Verum eſt itaque quod Lutherus ait, multos hoc ſuſcipere ſacramentum, qui tamen non iuſtificantur, ſed magis damnantur,ob id nimirum, quia ſine fide ſuſcipiunt. At rurſum falſum eſt,quòd ſola fides iuſtificat. Nam ineptiſſima collectio eſt, cum ex illo ſubinferre velit,quod quia ſine fide baptiſmus neminẽ iuſtificat,ideo ſola fides iuſtificat. *Quàm ineptè colligit Lutherus.* Neque enim oportet,ſi non abſque fide ſacramento iuſtificat: quòd ideo ſola fides iuſtificet,ſed fides cum ſacramento: Porrò quòd ſe tandem refert præallegatis auctoritatibus, id ego neutiquam recuſo. Pendeat ex eis (modò ſic libuerit) totius rei cenſura. Cæterum hoc ex præfatis D. Auguſtini verbis, interim cuiuis perſpicuum eſſe puto,baptiſmum cor ſuſcipientis abluere, & munditiæ gratiam eidem exhibere.

LVTH. *Quare hæretica ſententia eſt, quæcunque contraria eſt huic Apoſtolicæ & Catholicæ ſententiæ. At talis eorum qui dicunt Sacramenta nouæ legis dare gratiam, ijs,qui non ponunt obicem,quorum auctor Scotus eſt.*

EPISC. Quam nihil pudet hunc impoſtorem, cum ſit hæreticiſſimus ipſe, crimen tamen hæreſeos in alios (qui catholici ſunt) impingere. Cur non item Auguſtinum vocat hæreticum, quem ex prioribus conſtat aſſeruiſſe, gratiam ex baptiſmo conferri ſuſcipientibus? Sed quos vult, nunc hæreticos facit,nunc catholicos, pro arbitrio ſuo. Et iam hanc Apoſtolicam ſententiam arbitratur, nempe quòd ſola Fides iuſtificat, cum tamen aduerſum ſcripturas, apertiſſimè pugnet, vti ſuprà oſtendimus. Cæterum quem in modum Scotum oſtendat hæreticum eſſe, iam audiamus.

LVTH. *Quod probo ſic: quia docent non modò non eſſe neceſſariam Fidem, qua credas te accepturum id quòd Sacramentum promittit ſed quòd ſufficiat vt non ponas obicem. Obicem autem vocant peccatum mortale,vel propoſitum eiuſdem,quale eſt homicidium,libido, & ſimilia, adeo vt ſatis ſit ſuſcepturo Sacramentum ſi deſinat peccare, & propoſitum deponat, etiam ſi nullum bonum propoſitum ferme.*

EPISC. Cur locum non citas Luth. vbi Scotus hoc dicit? cum ei tantam ex eius verbis calumniam ſtruis. Sed vt omnes intelligant,te planè menda-

cem

cem eſſe, ac merum impoſtorē, audi quid Scotus dicat lib. 4. diſt. 4. quæſt. 2. ad primū argumentū. Deus nec paruulis gratiā infundit, abſque Fide & ſpe. Rurſum eiuſdem diſtinct. quæſt. 5. de adulto loquens: Alio, inquit, modo poteſt quis eſſe fictus, oſtendendo ſe eſſe diſpoſitū ad recipiendū Sacramentum, & tamē non eſt diſpoſitus interiùs vel quia non habet rectam Fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur. Et iſto ſecundo modo communiter loquuntur Sancti, & doctores de Fide baptizato. Dico quòd tunc, quia nolentem Deus non iuſtificat, ſecundum illud Auguſt. Qui creauit te, ſine te, non iuſtificabit te, ſine te, iſte qui habet actualiter obicem, contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod priùs commiſit, & nullo modo ſibi diſplicet, nullo modo recipit gratiam. Hæc Scotus. Ex quibus liquet primùm quòd ſine Fide, gratia nec paruulis infunditur. Deinde quòd adultus non eſt diſpoſitus interiùs, ſi vel non rectam habuerit Fidem, vel peccatum habeat mortale, de quo neque conteritur nec atteritur. Tertium, quòd nolentem DEVS non iuſtificat. Quartum quòd ponit obicem quiſquis, qui vel rectam Fidem habuerit in mente, vel mortale peccatum in voluntate. Lutherus tamen, quem nihil pudet de Scoto mentiri, altera parte obicis prætermiſſa, recenſet alteram, & Scotum inceſſit, perinde ac ſi dixiſſet, Fidem non eſſe neceſſariam gratiæ conſequendæ.

August.

LVTH. *Quidam enim ex eis dicunt, nec motum bonum cordis requiri. Hæc omnia quia ſupradictis contraria ſunt, verè hæretica ſunt. Incredulitatem verò pro nullo obice habent, ſcientes quòd non eſt in poteſtate noſtra, ponere incredulitatem, ſed ſolius Dei, qui infundit ſolus Fidem. Quidam autem ex eis addunt requiri attritionem & Fidem acquiſitam, quæ duæ res quid ſint nemo illorum potuit vnquam docere.*

EPISC. Quid cæteri dixerint, quorum neque nomina recenſet, mea parum intereſt. Scotus verò non ex eorum numero eſt, qui prorſus negent, requiri bonum aliquod propoſitum, aut ſimpliciter aliquem bonum cordis motum, cum planè teſtetur, neminem inuitum, aut (vt ipſe ait) nolentem à Deo iuſtificari. Oportet enim quòd velit ſuſcipere ſacramentum, & quòd pro virili ſua conetur Fidem habere. Dicit tamen diſtinct. 14. quæſtione 6. quòd non requiritur in ſuſcepturo bonus motus interior, quo mereatur gratiam. Sed hoc longè aliud eſt, quàm non requiri bonum aliquem motum ſimpliciter. Cæterùm qua neceſſitate ductus, illud dixerit, mox explicabimus. Sed neque ille ex ijs eſt, qui incredulitatem pro nullo obice ponit, quemadmodum paulò antè conſtitit. Ad hæc diſt. 16. quæſt. 1. proximè ante ſolutionem argumentorum dicit, quòd tria ad Sacramentum pœnitentiæ (ad hoc vt dignè recipiatur) requiruntur, vel vt præuia, vel ſequentia. Simpliciter enim requiritur Confeſſio, quia ſacerdos non abſoluit arbitrariè, niſi priùs reus ſibi fuerit accuſatus in foro illo. Nō eſt etiam vtilis illa abſolutio, niſi præcedat in confitente aliqua cōtritio, vel attritio. Ratio iſtius diſtinctionis patet ex dictis ſuprà. Sufficit enim quòd aliqua diſplicentia licèt informis præcedat, & tūc ille capax eſt abſolutionis Sacramentalis, & per illam fit contritio. Satisfactio autem debet ſequi Sacramentum pœnitentiæ, ad hoc vt habeat efficaciam, & hoc intellige in re, vel in voto, niſi iudex poſſet perpendere, illas pœnas alias præcedentes ſufficere ad totalis pœnæ ſolutionem. Iſta enim ſententia ſacerdotis ſic abſoluit, vt tamen liget. Abſoluit quidem à debito pœnæ æternæ, ſed ligat ad ſolutionem pœnæ temporalis, niſi ſit ſufficienter iam ſoluta. Ipſa etiam vel nullo modo abſoluit, vel ſaltem non efficaciter, niſi reus ſit in ſe debito modo diſpoſitus. Quia ſacramentum eſt ſignum abſolutionis interioris, quæ interior non concomitatur, niſi ſit debita diſpoſitio in mente ipſius abſoluendi. Hæc Scotus illic. Quòd autem Lutherus ait, Scholaſticos non poſſe docere, quæ res ſint attritio, & fides acquiſita, illi fortaſſis reſpondebunt, ſe ſatis apertè docere quid ſint, ſed illum pro malignitate ingenij ſui, ſimulare ſe neſcire quæ doceant.

LVTH. *Cauſa autem quæ mouet eos ſic docere, eſt quòd alioqui non videatur differentia dabilis, inter veteris & nouæ legis ſacramenta. Vetera enim in fide ſuſcepta iuſtificabant, hoc eſt ijs, qui boni erant, vtilia fuerunt (ſicut dicunt) Ergo noua debet eſſe efficaciora, & prodeſſe etiam ijs qui boni non ſunt, vt boni fiant: cùm noui teſtamenti omnia perfectiora quàm veteris teſtamenti eſſe debeant: nos autem dicimus nec noui, nec veteris teſtamenti ſacramenta ſed ſolam fidem iuſtificaſſe, ſicut Paulus dicit: Iuſtus ex fide ſua viuet, & corde creditur ad iuſtitiam, ideo ratio iſtorum nihil eſt, ſicut & omnia quæ ex illa deducunt.*

EPISC. Quis te conſtituit eorum aduocatum Luthere? Sinas potiùs eos ſuam ipſorum tutari cauſam. Rationem ipſi pro ſe meliorem afferent. Nihil quod pro eis abs te redditur, non poteſt non ſuſpectum eſſe. Illi nimirum ſpectant illud Euangelicum: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Condeſcendunt itaque misericorditer infirmitatibus peccatorum, ac propterea viam ſtruunt faciliorem, & certiorem quo poterunt, ad alliciendos in rectam ſemitam peccatores. Quoniam igitur via contritionis, ſeu attritionis formatæ, non minùs eſt dura, quàm incerta peccatoribus, idcirco viam hanc alteram, per ſacramentorum ſuſceptionem, multò mitiorem, & ſecuriorem docent, vtpotè ob quam nihil exigitur, niſi vt non ponatur obex, vel infidelitatis vel peccati mortalis. Et hæc eſt cauſa quæ mouet eos docere, tantam ineſſe ſacramentis efficaciam. I nunc Luthere, & voces hos carnifices, & doctrinam iſtorum carnificinam, cum ipſe multò magis ſis animarum carnifex, ſi tuam hæreſim velis explicare. Tu enim ſolam fidem ſufficere putas ad gratiam conſequendam, ſed non aperis quanta Fides ea ſit oportet, quæ iu-

Per Sacramenta facilius ad gratiam aditus.

ſtificat. Hoc ſi palàm euoluere ſtudueris, mox innoteſceret cunctis, quam immittis, quanque incerta fuerit hæc ſententia tua. Hoc ſanè fuiſſe compertiſſimum opinor, ex conflictatione noſtra ſuperius habita, nullam fidem, citra eam quæ formata eſt, iuſtificare poſſe. Porrò quàm ſit cuique incertum, quando Fidem hanc aſſecutus fuerit, nemo vel mediocriter eruditus ignorat. Sed etſi nemo per baptiſmum; aut per Sacerdotis abſolutionem, ſuæ Fidei formationem accipiat, ſed oportet eam antè formari, quã duram eſſe Chriſtianorum conditionem, quis non aduertit? Tuam igitur opinionem (quam verſutiſſimè inuoluis) ſi palàm explicueris, nemo non intelligeret, quàm ſit incerta, quamque difficilis, vt meritò carnificina putaretur, atque lancinans & iugulans animas, veriùs quàm ſaluans.

LVTH.

Potiùs differunt Sacramenta nouæ legis, non à Sacramentis, ſed à ſacrificijs & ceremonijs ſacerdotij Aaronici quòd per hæc mundabantur corpora, veſtes, cibi & vaſa quæcunque, ab immundicijs, quæ ex natura non erant, ſed ex lege Moſi, ideò vt nulla promiſſio, ita nulla fides in eis erat. Non enim natura eſt peccatum, aut immunditia, ſi cadauer tetigero, aut lepram, aut menſtruatam, ideo nec peccatum, ſed immunditia vocabatur. At per illa noſtra Sacramenta mundantur conſcientiæ ab immunditijs veris, quæ ex natura vitia & peccata ſunt, ideò promiſſio & Fides hîc vigent, quod & in multis alijs ſignis patrum videre eſt, quæ ad ceremonias legis non pertinebant. Verùm hæc extra propoſitum.

EPISC.

Immeritò taxatur à Luthero Scotus.

Sunt reuera, vt dicis, hæc extra propoſitum. Veruntamẽ quia Scotum hîc taxas, intelliget Lector, quàm id feceris abſque cauſa. Nam & ille diſtinctione prima 4. quæſtione 6. colligit, quòd quemadmodum ij, qui ceremonias & ſacrificia dicta non obſeruabant, mortali fuerant obnoxij peccato, ita & eregionè fuerat neceſſe, vt hæc obſeruantes augmentum gratiæ mererentur. Sic enim habent verba Scoti? Quandoque videtur ex textu quod ſunt præcepta neceſſaria ad ſalutem, puta: Qui præterierit ſe luſtrari de aqua prædicta, peribit anima illa de populo ſuo. Quæ comminatio nunquam ponitur, niſi ad deſignandam tranſgreſſionem peccati mortalis. Ergo Iudæi ex charitate obſeruantes ſacramenta impropriè dicta, meruerunt gratiam, vel augmentum eius, ſi eam iam habebant. Sed non propter hoc illa erant propriè Sacramenta. Hæc Scotus. Ex quibus apertè colligitur, ſenſiſſe Scotum, quòd non ſolùm ij, qui ſacrificia dictaſque ceremonias obſeruabãt, gratiam merebantur, verumetiam quòd per gratiæ collationem non penitùs à ſacrificijs differunt Sacramenta. Quo cuiuis eſt dilucidũ, te de Scoto multa confinxiſſe mendacia. Cæterùm quod ex his colligere ſtudeas, promiſſionem & Fidem hîc vigere, id certè nos neutiquam inficiamur. Vigere enim promiſſionẽ oportet. Qui niſi Chriſtus baptiſmo ſalutem fuiſſet pollicitus, nemo facilè crederet, ex eo ſe gratiã conſequuturũ. Sed vigere pariter & Fidẽ neceſſe eſt. Quia ſine Fide, nullũ inde fructũ quiſquã referet. Concedimus igitur

Fides promiſſioq. non ita vigent, vt Sacramentis nil relinquatur.

vtranque ſuum habere vigorem. Negamus tamen has ſolas ita vigere, vt ſacramentis nihil efficiatur. Nam ſi nihil omnino conferret baptiſmus, fruſtrà Chriſtus adiecisſet ſupra fidem, etiam baptiſmi ſuſceptionem. Qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Sed hoc ex ijs, quæ ſuprà diſſeruimus, vſqueadeo cunctis exploratiſſimum opinamur, vt nullus quantumuis fuerit verſipellis poſſet tergiuerſari. Sed hactenus pro huius articuli conuulſione ſit dictum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

LVTH.

IN puero poſt baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

EPISC.

Peccatum Paulo multifariam dicitur.

Vt tuiſquam ad ea reſpondeamus, quæ pro huius articuli aſſertione Lutherus exaggerauit, operæprecium erit aduertere, peccatum Paulo multifariam dici. Nonnunquã enim pro ſolo fomite carnis hac voce Paulus vtitur, cùm alijs pleriſque locis, tum ad Romanos ſeptimo, vbi ſic ait: Nunc autem non ego operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum. Hic proculdubio non aliter accipi peccatum poteſt, quàm pro carnis fomite, nempe qui lubricos, inuito Paulo, concupiſcentiæ motus excitauit, quos & ipſe teſtatur, nequaquã à ſe perpetratos, ſed à peccato. Sic enim fomitem hic Paulus vocat, qui tyrannidem exercuit in ſua carne. Et hoc diligenter aduertat Lector, quòd negat hic Paulus, hos motus à ſe, aut ſua ſponte fuiſſe partos, ſed à peccato, nimirum à fomite carnis, quem contra ſuam voluntatem, hos motus indeſinenter procreaſſe fatetur. Propter quod & mox idem ſubiungit. Si quòd non volo ego, hoc facio, non iam ego perpetro illud, ſed quod inhabitat in me peccatum. Ecce negat ſibi tribuendum velut auctori, quòd iſta fiant in ſua carne, cùm omnino contra voluntatem ſuam facta fuiſſe, ſed à peccato, quod latuit in ſua carne profecta perpetrataque palàm aſſerit. Sed & hos motus Paulus illic vocat affectus, ſeu paſſionis peccatorum. Cum, inquit, eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. Eiſdem quoque nominibus eos appellat, quibus & ipſa peccata, ad quæ ſtimulant, ipſi motus, nempe fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam. Sic enim ſcribit ad Colloſſenſes tertio: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam. Quæ planè cuncta pro motibus fomitis Paulus hic accipit. Neque enim tum Coloſſenſes (ad quos Paulus hæc ſcripſit) fornicatores erant, & immundi, atque auari, ſed eos paulò ſuperiùs, ijs mortuos fuiſſe teſtatus eſt, & haud multò poſt ſubiungit, eoſdem in illis aliquandò vixiſſe. Non igitur Paulus illa pro peccatis actu perpetratis accipi voluit hoc loco, ſed pro motibus impuris carnis, quos & vocat corpus peccati, quemadmodum ad Romanos ſexto: Vetus homo noſter

Secundò, pro motibus impuris carnis.

ſter

ſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati. Quoties enim illis motib. reſiſtimus, peccati vires aliquouſq; frangimus, & nonnihil ipſius corporis peccati demolimur, hos etiam motus tam ipſos Coloſſenſes, quàm cæteros omnes Chriſtianos voluit mortificare. Tertio loco, Paulus hac voce vtitur pro conſenſu mentis, ad ſeruiendũ illis motibus. Nam hi Paulo propriè peccant, qui motib. iſtis obediunt, & obſequuntur. Quamobrem ad Romanos ſexto vetat, ne peccatum, hoc eſt fomes, regnet in mortali corpore noſtro, vt obediatur concupiſcentijs eius, hoc eſt, impuris illis motibus, néue dominentur noſtri, quoniam in gratia ſumus, non ſub lege. Moxque ſubdit idem Paulus: Quid ergo? peccabimus, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. Hic Lutherum percunctari libet: Quid hoc loco Paulus vetuit, cum dixerit, Abſit, vt peccemus? Num fomitem prohibuit? haudquaquam. Nam fomes manet in baptizatis, & in ipſis etiam, qui ſecundum ſpiritum incedunt. Num fortè motus, aut concupiſcentias, ex fomite pullulantes? Neque iſtas. Nam in poteſtate noſtra neutiquam eſt, iſtas non ſentire, quanquam eis non ſeruire poſſumus, & non obtemperare. Propter quod & Paulus, cum dixit: Ne regnet peccatum in mortali noſtro corpore (vigilanter adiecit) vt obediatis concupiſcentijs eius: hoc eſt ergo peccare concupiſcentijs carnis obedire. Et vide quàm variè, peccatores iſtos hoc vno capite deſcribat Paulus. Hos in peccato manere dicit, & in peccato viuere, fouere veterem hominem, & vitæ nouitatem abijcere, iuſtitiæ liberos eſſe, peccati ſeruos, in his regnare peccatum & dominari penitùs, hos extructores eſſe corporis peccati, & exhibitores denique membrorum ſuorum, vt arma ſint iniquitatis peccato. Contra qui non peccant, hoc eſt, qui carnis affectibus & concupiſcentijs reſiſtunt, hos teſtatur Paulus in peccato non manere, ſed mortuos eſſe peccato, veterem hominem crucifixiſſe, & iam incedere in vitæ nouitate. Sepultos eſſe cum Chriſto per baptiſmum in mortem, & inſititios eidem factos per mortis eius ſimilitudinem, reſurrectionis quoque eius participes effectos, hos identidem à peccato iuſtificatos aſſerit, & peccato liberos, iuſtitiæ ſeruos, demolitores corporis peccati, ac demùm exhibentes membra ſua arma iuſtitiæ Deo. Vides quot epithetis Paulus peccantes à non peccantibus diſcriminat. Adde, quòd illos Epheſ. 5. fornicatores vocat, & immundos, atque auaros, nec habere hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Contrà verò, qui iuſtificati ſunt, quanquam vires & impetus fomitis ad iſta vehementer impellentes ſentiant, non tamen ob id, fornicatores, aut immundos, aut auaros appellandos cenſet Paulus, ſed neque propter illos motus hæreditate Chriſti priuandos exiſtimat. Ad hæc, poſtquam ad Galatas 5. tam illa quæ iam diximus, quàm alia plurima peccatorum genera Paulus enumeraſſet ſubiungit: Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. At qui iuſtificati ſunt à peccato, quanquam affectus & impetus illorum peccatorum in ſe patiantur, Pauli tamen ſententia nec agunt talia, neque peccant, quia motibus illis impuris non obtemperant. Ex iis itaque ſatis dilucidum opinamur, quid interſit inter peccatum, quod fomes dicitur, & hoc peccatum, quod conſenſu mentis fit, motibus & impetui fomitis obtemperando. Agè oſtendamus & aliam apud Paulum huius vocis acceptionem eſſe. Sic enim 2. ad Corint. 5. tradit, Chriſtum pro nobis factum fuiſſe peccatum, cum tamen expers erat omnis peccati. Eum (inquit) qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, nempe Deus pater, filium ſuum Ieſum. Factus ergo pro nobis Chriſtus peccatum fuit. At quid habuit ipſe cum peccato ſimile? Nec fomitem profectò, neq; motũ fomitis, ſed neq; conſenſum in alterutrum. Immunis ab ijs omnib. Chriſtus haud dubie fuerat, cùm omni peccato non ſolùm originali, verumetiam actuali caruerit. Sed propterea peccatum pro nobis factus eſt Chriſtus, quòd peccatorum noſtrorum vindictã in ſe ſuſcepit. Ac quemadmodum & Petrus ait capite ſecundo prioris epiſtolæ: Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, hoc eſt, cruciatus, qui noſtris peccatis debebantur, ipſe ſuſtinuit. Neq; enim alia ratione Chriſtus peccatum fuit, quam hoſtia, quæ pro peccato offerebatur in lege veteri peccatum dicta fuit. Quomodo & Sacerdotes dicebantur peccata populi comediſſe. Sic & Hieronymus, hunc Pauli locum enarrans teſtatur. Sicut hoſtia, inquit, pro peccato oblata, peccatum vocabitur in lege, vt in Leuitico ſcriptum eſt: Et imponet manum ſuper caput peccati ſui, ita & CHRISTVS pro peccatis noſtris oblatus, peccati nomen accepit. Nihil ergo peccati fuit in Chriſto, præter ſolam pœnam peccato debitam, quam ille pro veris peccatis abolendis in ſe ſuſcepit. Plurimum itaque refert, quo modorum horum quis peccatum accipiat, cum in his omnibus hæc vna vox tam variam habeat ſignificantiam. Nam inter verum peccatum, & vindictam peccato debitam, quis non videt maximum eſſe diſcrimen? deinde inter peccatum, quod eſt conſenſus in prauos ipſos fomitis affectus, atque fomitem ipſum, quis non aduertit quanta ſit diuerſitas? Nam diſſoluto conſenſu plerunque manet fomes, manent & affectus praui, quanquam non imputentur in peccatum. Quis ergo nõ perſpicit, quantum vel inſcitia vel malitia Lutherus aberrauerit, qui tam varias acceptiones in vnum confundere molitur. Sed gloriolæ ſtudiũ, quod antehac innumeros à recta via veritatis abduxit, huc adegit Lutherum, vt vnicum peccati modum ſtatuat, quò poſſet euincere, vel in quouis opere bono peccare iuſtũ. Nimirum vt ita de ſua glorietur adinuẽtione, qua ſimul in eodem peccare pariter, & non peccare componat. Pro qua re ſtatuenda, nec interpretes (quantumuis emineant ſiue doctrina, ſeu vitæ ſanctimonia) contemnere, nec ſcripturis irreuerenter abuti veretur. Cæterũ nos quid ſcripturæ ſenſerint, maximè Pauli, conati ſumus. ha-

ctenus

Tertio pro conſenſu mentis ad ſeruiendum illis motibus.

Quam variè peccatores Paulus deſcribat.

Quomodo Chriſt. pro nobis factus peccatum.

Oſee 4.

Inſignis inſcitia Lutheri ſeu malitia.

ſtenus oſtendere. Iam quid interpretes in hac re diffinierint, & inter eos præſertim Auguſtinus (quem & iactat Lutherus opinioni ſuæ fauere) nonnihil diſſerimus.

Auguſt.

Auguſtinus vbi de peccato loquitur, affirmat peccatum vſqueadeo voluntarium eſſe, vt nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium. Et rurſum: Nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum. Quod tamen poſtea limitat, adijciens, ſiue in opere, ſiue in origine. Quod nimirum dicit propter genitale, ſeu ſi mauis originale peccatum, quod non propria naſcentium, ſed primorum potiùs parentum voluntate contractum ſit.

Reatum in originali & actuali peccato.

Cæterùm in vtroque tam in originali, quam in actuali reatum eſſe teſtatur, quem propriè peccatum appellat, & vtriuſque reatum baptiſmo poſſe tolli penitùs aſſeuerat.

Tria ex Auguſt. notata. Primum.

Sic enim ſcribit ad Valerium de nuptijs & concupiſcentia, libro primo capite 26. vbi tria per ordinem annotabimus. Primum eſt. In eis, inquit, qui regenerantur in Chriſto, cum remiſſionem accipiunt prorsùs omnium peccatorum, vtique neceſſe eſt, vt reatus etiam huius (licèt adhuc manentis) concupiſcentiæ remittatur, vt in peccatum, ſicut dixi, non imputetur. Ecce reatus originalis culpæ, per baptiſmum aufertur, vt iam concupiſcentia non imputetur in peccatum. Dixerat enim ſuperiùs capite vigeſimoſexto, concupiſcentiam carnis in baptiſmo dimitti: non vt non ſit, ſed vt peccatum non imputetur. Et paulò antè, concupiſcentiam eandem aſſeruit in parente baptizato eſſe, & peccatum non eſſe.

Secundum Originalis peccati cum actuali conferentia.

Secundum (quod annotauimus) eſt, originalis peccati cum actualibus conferentia, quantum ad reatum. Sequitur enim continenter. Nam ſicut eorum peccatorum, quæ manere non poſſunt, quoniam cum fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum manebit: ſic illius, quando remittitur, reatus aufertur. Ecce tam in originali, quàm in actuali peccato reatus quidam eſt. Hoc tamen intereſt quòd in actualibus peccatis, tranſit actus, qui fuit reatui coniunctus, manet tamen reatus, donec per Sacramentum aliquod remittatur. In originali verò (cum reatus abluitur) manet concupiſcentia, quæ fuerat coniuncta reatui, ſed tranſit reatus.

Tertium ſublato reatu tollitur peccatum.

Iam tertium audi, quod etiam proximè ſequitur. Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. Ecce quando reatus aufertur, ſiue originalis, ſiue actualis peccati, iam non manet peccatum ſecundum ipſam veram peccati rationem. Quia ſublato peccati reatu, iam is, qui fuerat antè peccator, non habet peccatum, nimirum quia iam non eſt reus peccati. Ex ijs liquidò conſtare puto, quòd quiſquis reatum nullum habet, vel ſua, vel primorum parentum voluntate contractum, peccatum non habet, ſecundum ipſam veram peccati rationem.

Luthero quicquid libet licet.

At qui Luthero non placet vocabulum reatus, ob id quòd in ſcripturis non reperiatur, ſed ab interpretibus, vt ait, excogitatum fuit. Ita Luthero quicquid libebit licet innouare, cum ſacris tamen id non liceat interpretibus. Sed falſum eſt quod affirmat Lutherus in ſcriptis non haberi vocabulum ipſum. Nam Exod. 32. ſcriptum eſt: Percuſſit Dominus populum pro reatu vituli. Et Deutero. 21. Et auferetur ab eis reatus ſanguinis.

Inter fomitem & peccatum multum diſcriminis.

Sed & vocis huius peccati, tam indifferens apud Paulum vſurpatio, compulit Auguſtinum, vt in peccato, rem à reatu diſtingueret. Aduertit enim in iuſtificatis manere fomitem, & motum fomitis, qui & Paulo peccatum dicitur, nec tamen eos ob id reos eſſe peccati: neceſſarium itaque dixit vt inter fomitem & reatum fomitis, nonnihil diſcriminis haberetur. Id quod ex ipſis Pauli verbis euincere conabor eſſe rectiſſimum. Sic enim Paulus ad Romanos octauo ſcribit: Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant. Ecce nihil eſt his damnationis. Quòd ſi nihil damnationis, nihil omnino reatus erit: quia nemo damnandus venit, niſi qui reus antè fuerit. Cum igitur ante baptiſmum verè fuiſſent damnationi obnoxij, & iam non ſint, quia nihil omnino damnationis nunc habent: quis non videt eos, iam omni carere reatu? Solus ergo reatus per iuſtificationem aufertur, ipſo manente fomite, ſimul & eius motu. Neque iam carnis concupiſcentia, ſeu peccati fomes, veram habet peccati rationem, cum non ampliùs reum faciat iuſtificatum ipſum, ſed & reatus per baptiſmum penitùs auferatur. Nam ſi reatus non omninò fuerit ablatus, neceſſe foret nonnihil damnationis illis remanere, quod omnino Paulus negat. Nihil eſt, inquit, damnationis his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant.

Auguſt.

Porrò quòd concupiſcentia, cui ſublatus per baptiſmum reatus eſt, non verè peccatum ſit, ſecundum ipſam peccati rationem, Auguſtinus apertiſſimo docet exemplo, ſcribens ad Valerium lib. 1. capite 23. de nuptijs & concupiſcentia. Sic (inquit) vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cum iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua: & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Hæc Auguſtinus; quo nihil dici poteſt apertiùs. Iam ex his liquere ſatis opinor, nec concupiſcentiam (quæ remanet in baptizatis) peccatum eſſe ſecundum veram peccati rationem; neque Chriſtum (quanquam Paulo peccatum ſit dictus) veram in ſe peccati rationem habuiſſe, tametſi peccatorum noſtrorum cruciatus, quos ipſi metuimus, pertuliſſet: ſed hoc ſolum, verè peccatum dici, quod nos damnationis reos conſtituit, quod vel eſt originale peccatum, vel quod noſtræ voluntatis aſſenſu, per nos perpetratum fuerit.

In puero baptizato nullum verè peccatum.

Vt ergo tandem ad articulum veniamus, palàm aſſerimus in puero poſt baptiſmum, peccatum nullum ſecundum veram peccati rationem remanere, nec ob id Paulum aut CHRISTVM conculcamus, immò ſtatuimus potiùs. Nam id quod hoc modò peccatum Paulo dicitur, palàm eſt ex eodem Paulo, quòd in ipſis baptizatis & iuſtificatis nihil habeat damnationis aut reatus, hoc eſt, nec

reos

reos neque damnationi obnoxios eos conſtituit, quanquam in eis ipſis inhabitauerit. Quamobrem cũ de re planè conſtiterit, fruſtra de voce quiuis digladiabitur. Sed iam tempus eſt, vt Lutherus audiatur.

LVTH. *Paulus Romanorum ſeptimo dicit: Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Hic ſine dubio claret, concupiſcentiam eſſe peccatum: at quis eſt hominum, qui concupiſcentiam non ſentit poſtquam adoleuerit, quamuis baptizatus, cum hic Apoſtolus ſanctiſſimus nedum baptizatus, ſuam concupiſcentiam accuſet? Vnde ergo hoc peccatum, niſi ex natiuitate carnis, etiam poſt baptiſmum remanens?*

EPIS. Obſcurus nimirum eſt hic locus Pauli, ſicut & Hieronymus de tota reliqua confitetur epiſtola. Fieri quidem poteſt, vt concupiſcentiam hic intelligat pro conſenſu mentis in carnis deſideria. Et ſic nimirum concupiſcentia verè peccatum eſt, atque hoc ſecundum geminam peccati rationem. Nam hoc eſt obedire concupiſcentijs carnis, & ſequi carnis deſideria, id quod manifeſtè prohibet Paulus dicens: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. (Roman. 6.) Neque enim Paulus hic omnino vetat carnis concupiſcentias, ſine quibus nemo viuit, ſed hoc tantùm vetat, ne per conſenſum mentis, carnis concupiſcentijs obediamus. Sin verò per concupiſcentiam hoc loco Paulus carnis duntaxat concupiſcentiam velit intelligi, dilucidum eſt ex ſuperioribus eam concupiſcentiam, ſublato per baptiſmum reatu, non eſſe peccatum ſecundum propriam acceptionẽ peccati, ſed tantùm quia fit per peccatum, ſicut locutio, lingua, quia per linguam fit, & ſcriptura manus, quia per manum efficitur, vt ſæpe dicit Auguſtinus.

LVTH. *Atque ne quis putet Apoſtolum in perſona aliorum loqui, Galat. 5: ad eos, qui Spiritu viuebant, generalis ſententia dicit: Si Spiritu viuimus; ſpiritu & ambulemus. Quid erat neceſſe mandare, vt Spiritu ambulent, qui Spiritu viuunt, ſi non ſupereſt peccatum carnis, quod crucifigant?*

EPIS. Si quis hic tibi neget ſeptimum caput ad Rom. in perſona ipſius Pauli debere intelligi, iam nihil tibi ſupereſt, quo poſſes ſtatuere, fomitẽ, aut concupiſcentiam ex fomite pullulantem, in baptizatis peccatum dici. Nã aliundè nulla tibi probatio ſuppetit, quo poſſes vrgere, quòd in baptizatis & iuſtificatis ipſa concupiſcentia peccatum vocetur. Sed & illud quod Paulus eodem ait: Cõcupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces, mox oſtendemus, nequaquam de carnis concupiſcentia (quæ motus fomitis eſt) intelligi debere, ſed de concupiſcẽtia mentis. Porrò quòd capitulum ipſum in aliorum perſona debeat intelligi, multa ſtringunt. Et primùm quòd omnes fermè patres ad hunc modũ locum illum interpretentur. Deinde quòd pluxima, quæ in eodem capite traduntur, in Paulum haud rectè competunt, & iſtud in primis cum dicit: Ego autem viuebam ſine lege aliquando. (1. Cor. 2.) Nunquam enim vixit Paulus abſque lege: quandoquidem Hebræorum infantibus quamprimùm quicquam diſcernere queant, verba legis inculcantur. Deinde neque iſtud in Paulum quadrat: Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. Nam id ceu vitium Corinthijs obijcit. Cum ſint, inquit, inter vos zelus & contentio, nònne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Et quid eſt ſub peccato venundatum eſſe, quàm eſſe mancipium empticium peccati? Id quod Paulo nequaquam conuenit. Ad hæc, nec iſtud Paulo congruit, quòd captiuus redditur legi peccati, neque quòd carne ſeruiat legi peccati: cum clamet ad Gala. In libertate igitur, qua Chriſtus nos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. (Galat. 4.) Iſtis hauddubiè patres permoti fuerunt, vt in aliorum perſona, neceſſarium duxerint, hoc caput à Paulo dictum interpretari. Sed inquis, Auguſtinus etiam ſenex, mutata ſententia, negauit Paulum à ſe ſatis intellectum fuiſſe, cum eum ſic interpretaretur. Et verum eſt quod ais. At idem Auguſtinus vbique conſtanter negat, concupiſcentiam iſtam in baptizatis peccatum eſſe. Quare ſi nos vrgere velis, Auguſtini teſtimonio contra cæteros Patres, & nos eodem te prememus aduerſus temetipſum. Quòd ſi patris huius in hac parte teſtimonio nolis obſtringi cõtra teipſum, haud æquũ eſt, vt nos obſtringas in illa contra cæteros patres, & maximè cum cernas, nos tã iuſtis rationibus poſſe reluctari tibi, non ſolum ex illo capite, quòd in aliorum perſona debeat accipi, verùm etiam in hac Auguſtini ſententia, quam vbique tam conſtanter aſſerit. Cæterùm vt donemus tibi, Paulum hæc in ſua ipſius perſona fuiſſe locutũ, haud ſatis tamen dialecticè colligis, concupiſcentiam peccatum eſſe, vel hoc adiuncto quod ad Galat. Paulus ſcribit: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. (Galat. 5.) Nam eſto Paulus hoc dixerit in ſua ipſius perſona. Et eſto rurſum, vt ijs qui Spiritu viuunt iam dixerit. Non ob id conſequitur, quòd carnis concupiſcentia peccatum ſit, ſed quòd ea reprimenda ſit, & ab alijs contundenda, qui Spiritu viuunt. Neque nos negamus eam in carne manere vel baptizatis ipſis & iuſtificatis, ſed negamus eam peccatum eſſe, cum iam reatus auferatur, nihilquè damnationis in eis remaneat, quod & Paulus ipſe palàm teſtatur.

LVTH. *Denique dicit cap. 5. Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt quæcunque vultis, illa faciatis. Quæ autem poteſt eſſe concupiſcentia Spiritus, niſi charitas? vt & Auguſtinus ſæpius interpretatur. Vbi autem charitas, niſi in baptizatis? Et tamen in his pugnant vtraque concupiſcentia.*

EPISC. Inter carnem & Spiritũ media intercedit voluntas, quæ nunc carnis, nunc Spiritus concupiſcentiam ſectatur. Quòd ſi relicto Spiritu, carni conſentiat, iam peccatur hauddubiè. Sin contrà, ſpreta carnis concupiſcentia, voluntas adhæreat Spiritui, à peccato ſeruatur immunis. Neque ſemper omnis concupiſcentia ſpiritus, charitas eſt. Nam in letaliter peccantibus non eſt charitas, & tamen in his, non vſqueadeo Spi-

Media inter carnem & Spiritum voluntas.

ritus

ritus putatur extinctus, vt nihil boni concupiſcat. Manet igitur vtrique, tam Spiritui, quàm carni, ſua concupiſcentia, quæ mutuò ſemper aduerſantur. Sed vt illa in criminoſis non dicitur charitas, ita nec iſta in iuſtificatis, peccatum dicitur.

LVTH. *Et quæ eſſet apoſtolicæ doctrinæ vis & auctoritas, ſi non generaliter ad omnes homines pertineret? Non enim abſolutè dicere debuiſſet, Spiritum & carnem ſibi pugnare, ſed aliquorum Spiritum & carnem ſcilicet malorum. Nunc autem prorſus de omnibus Chriſtianis dicit. Quicunque autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ſuis, quod quomodo poteſt aliter intelligi, quam illud Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius? Cur prohibet obedire concupiſcentijs corporis, ſi non ſunt in corpore baptizati? Cur regnare vetat, ſi nullum adeſt peccatum? Niſi quod verè in omnibus peccatum eſt & concupiſcentia, ſed non debet regnare, nec nos ei obedire, ſeu conſentire, ſed contra pugnare, crucifigere & mortificare. Sicut Geneſis tertio, idem bellum ſpiritus & carnis deſcribitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuũ, & tu inſidiaberis calcaneo illius.*

EPISC. Quis negat in corpore baptizati concupiſcentias eſſe relictas? Remanent enim (vt ſæpè diximus) etiam ſublato per baptiſmum reatu. Verùm iam peccata nequaquam cenſendę ſunt, ſecundum propriam, & peculiarem peccati rationem. Sunt tamen, hauddubium eſt, premendę nihilominus & modis omnibus ſubiugandæ: ne mentis videlicet noſtræ dominium ſibi vendicent. Nam tametſi peccata non fuerint ipſæ, ſi tamen eis pluſculum (quàm par ſit) indulgeamus, nullo non peccato, noſtros animos fœdiſſimè contaminabunt.

Concupiſcentiæ in baptizatis nõ ſunt peccata.

LVTH. *Rurſus Romanorum ſeptimo. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Hoc non dicit in perſona malorum, ſed in perſona ſua & omnium Sanctorum filiorum Dei, ex eo patet, quòd condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, impoſsibile eſt homini extra gratiam conſtituto, qui potiùs odit legem Dei. Quia capite tertio generali ſententia, de omnibus filijs hominum dixerat: Non eſt iuſtus, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum: omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui facit bonum, non eſt vſque ad vnum. At qui delectatur in lege Dei ſecundum interiorem hominem, certè iuſtus eſt, intelligit, requirit Deum, & facit bonum, nec declinat à Deo, cum delectari in lege non ſit, niſi amantis & deſiderantis legem.*

EPISC. Iam diu iuxta prouerbium extra cautionem es Luthere. Quid ad paruulos iſta quæ memoras attinent, quippe cum nullam aliam legem in ſuis membris ipſi ſentiant, repugnantem legi mentium ſuarum? Tu tamen introducis hæc, vt oſtendas Paulum de ſeipſo ſuperiùs fuiſſe locutum, id quod antè tibi donauimus. At nil oportet ob hoc concupiſcentiam propriè eſſe peccatum. Certè iuſtus, quò melior eſt, eò ſuæ carnis concupiſcentijs magis magiſque reluctatur: & vellet mentem ſuam ab omni protſus infeſtatione carnis tueri, quod non tamen ſemper aſſequitur. Interim enim dormitat & ſublabitur, vt neceſſum habeat dicere: dimitte nobis debita noſtra. Cæterùm hæc infeſtatio carnis, tantùm abeſt vt peccatum ſit, vt etiam in meritorum cumulum iuſto viro cedat. Verumtamen ſi conſenſus quiſpiam in eam, vel leuiſsimus iuſto ſubrepſerit, is iurè peccatum exiſtimatur, quanquam inter ea (quæ minuta dicuntur) computabitur.

LVTH. *Et in fine, ait: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Si enim hoc non in ſua perſona, ſed impiorum dixit, dabimus, malos eſſe ſeruos Dei, ſecundum nobiliorem partem ſui, ſcilicet mentem. Nam ſeruire legi Dei, eſt obedire, in omnes eius voluntates ire, & ſubditum eſſe Deo, quod impoſsibile eſt ſentire de impijs, quorum cor & mens penitus declinat à Deo, & potius carne & externa ſpecie pietatis, ei ſeruiunt, ſicut de hypocritis dicit. 2. Tim. 4. & Pſalm. 77. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, neque fideles habiti ſunt in teſtamento Dei. Et iterum: Generatio quæ non direxit cor ſuum, nec eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.*

EPISC. Et adhuc dextra chorum ſaltitas. Alienum enim & hoc eſt ab articulo, cum nihil ſpectet ad paruulos, in quibus poſtquam baptizati fuerint, manere peccatum, tua intereſt monſtrare. Cæterùm quid prohibet, hæc verba tam in malos, quàm in bonos competere poſſe. Nam ſi verbum ſeruire, quemadmodum tu interpretaris, vſque adeo debeat artari, vt qui ſeruit, is obediat in omnes voluntates eius, & ſubditus omnino ſit ei cui ſeruit, quomodo poterit iuſtus, carne ſeruire legi peccati? Sic enim oportet eum obedire carni ad omnes voluntates eius, & omninò ſubditum eſſe legi peccati. Sin laxiùs intelligi velis, vt dicatur quiſpiam ſeruire carni, & legi peccati, qui carnis aliquouſque concupiſcentias ſuſtinet. Et ad hunc modum, certe qui nondum iuſtificatus eſt, bono cuipiam ſpiritus impulſui ſeruire dici poteſt: cum non ob id penitùs obediat ad omnes voluntates ipſius Spiritus, neque ſit omnino ſubditus eidem. Cæterùm vtcunque fuerit, certè non minùs repugnat prauo, vt legi ſeruiat Dei, quàm iuſto, vt carni ſeruiat & legi peccati.

Quid ſit ſeruire.

LVTH. *Quidam autem tribui impijs patior, Cor rectum & ſpiritum fidelem legis amantem, planè ſcriptura tota non, niſi ſanctis tribuis cogit. Non enim dicit: Video legem Dei in interiori homine, ſicut de lege peccati dicit: Video aliam legem in membris meis. Vidit enim & odio habuit, licèt cauere non poſsit, tamen fortiter contra pugnauit. At hîc dicit: Condelector legi Dei, quod eſt magis, quàm vidiſſe & amaſſe legem, quod proculdubio includit, cor eſſe rectum, ſeu Spiritum fidelem, & verè pium, quod non niſi de ſeipſo & ſimilibus Sanctis intellectum volunt: quare niſi impijs volumus tribuere omnia quæ Sanctorum ſunt hunc locum negabimus ab Apoſtolo in aliorum impiorum perſona dictum.*

EPISC. Bonus & prauus, iuſtus & iniuſtus, in hac diſparitate pares ſunt, quòd quemadmodum ille peccati legem membris inſcriptam habet, ita & iſte Dei legem in corde ſuo geſtat. An non de prauis dictum erat? Quod notum eſt Dei, manifeſtum

Ro. 1.
Ro. 2.

feſtum eſt illis. An non & Paulus dicit? Eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Bonus peccati legem in membris videt, ſed non ſequitur eam. Prauus legem Dei videt cordi inſcriptam, ſed ei non obtemperat. Et ſicut ille nonnunquam trahitur ad oblectationem legis peccati, ſic & iſte viciſſim allicitur ad oblectationem legis peccati, ſic & iſte viciſſim allicitur ad oblectationem legis Dei. Ego certè neminem vſqueadeo carnis immerſum illecebris arbitror, vt nunquam audiat mentis ſuæ legem, ſuis affectibus obmormorantem: & quem non aliquando tædeat miſeriæ ſuæ, quique non vellet interim fieri melior, vtpote qui nequeat non virtutis viam probare, quam tamen haudquaquam ſequitur. Neque tamen ob id cor rectum ei tribuerim, aut ſpiritum fidelem, legis amantem, quemadmodum tu conaris.

LVTH. *Fateor, ſi pertinaciam ſuam nolit quiſpiam deponere, perdurabit, nec hic flectetur. Et quid mirum? cum nec Chriſtus omnibus potuerit ſua perſuadere. Hæc doctrina, quia ſacra & diuina eſt, vult vt poſitis propriæ ſententiæ, & opinionis ſtudijs dociles & ductiles ſint, tam auditores, quam tractatores ſicut dicit Pſalm. 44. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: nullus contentioſus aut pertinax huc intrabit? immo in quam vnquam ſententiam quantumuis manifeſtam veritatis contentioſus & pertinax, induci potuit? Perpendat autem quiuis hæc ſedato & libero animo, ſeſeq; docilem præbeat Deo, & ſine dubio erudietur, & ſuauiſſima veritate capietur. Quæ poſtulo eò iuſtius, quòd hæc noſtra ſententia verbis his diuinis traditur. Aduerſaria verò verbis hominum, humanaq; opinione & noſtro ſenſu tantùm aſſertur, abſque auctoritate ſcripturæ diuinæ, atque hoc ipſo ſuſpecta, cum quod ſacris literis, vel vtcunque probari non poteſt, approbari tutum non ſit. Facile quidem eſt damnare alienas ſententias, ſed multò facilius ſibi temperat à damnando, qui prætentarit quam difficile ſit improbare & confutare, quod damnare præſumit.*

ERISC. Hæc omnia retorquebunt in te aduerſarij tui, qui tuam in hæreſibus tuis pertinaciam execrantur, & maiorum docilitatem ac ductibilitatem in te deſiderant. Sed & cætera, quæ tibi videntur pro tua ſententia facere, nihil dubitant, quin eadem facilitate contra te verti poſſint, qua tu producis aduerſus alios. Vellem hic adeſſent tibi Hieronymus & Origenes, alijque nonnulli chriſtianæ doctrinæ grauiſſimi præceptores, quibus viſus eſt Paulus, hæc nequaquam in ſua ipſius perſona dixiſſe. Illi profectò non ſolis hominum verbis contra te firmarent ſua, ſed multis diuinæ ſcripturæ teſtimonijs. Cæterùm ego nihil reluctor ſententiæ tuæ, ſed donaui quæ poſtulas, tantùm expecto, quem iu modum ex ijs ita donatis articulum aſtrues de quo iam contendimus.

Datum iniquitati, ne dicam pertinaciæ Luth. quod poſtulat.

LVTH. *Quanquam ego vehementer admiror hanc ſententiam non eſſe omnibus notiſſimam, nedum ſperaſſem vllis videri damnandam, quam ſcimus omnium ſanctorum, per tot ſecula confeſſione probatam. Quid enim in vita omnium ſanctorum legimus, quam labores, vigilias, ieiunia, orationes, quibus velut machinis Spiritualibus pugnauerunt aduerſus carnem & concupiſcentias corporis ſui proprij? Quis eorum non gemit? non accuſat? non laborat? in carne ſua & concupiſcentijs ſuis? Cum ergo in his omnibus videamus iſtas auctoritates: Caro concupiſcit aduerſus Spiritum. Spiritus aduerſus carnem. Et condelector legi DEI ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, &c. Quæ cauſa eſt, vt hæc Apoſtolum velimus, non in ſua, ſed impiorum perſona dicere, quæ in perſonis piiſſimorum videmus viuaciſſimis ſtudijs geri?*

ERISC. Adhue pergis, vt oſtendas, non in perſona peccatorum priora fuiſſe dicta: ſed in perſona Pauli cæterorumque ſui ſimilium. Sed iam vice verſa ſpectes oportet, quam non quadret in Paulum & ſuos: Carne ſeruio legi peccati. Quoniam ſi carne ſeruiant iſti legi peccati, quid prohibet malos condelectari legi Dei?

Eandem cantilenam Lu. canit.

LVTH. *Aut quando videmus impium, qui hæc moleſtiſſima pugna, aduerſus carnem ſuam molitur, condelectetur legi Dei ſecundum interiorem hominem? potius iſta ſunt ſumma & laborioſiſſima certamina, & non ea tribuemus impijs, in concupiſcentiam liberè & ſponte ruentibus, immo furentibus? Quoties rogo ſanctus Hieronymus de incendijs libidinum conqueritur, etiam tum, cum multo ieiunio & labore contra ea pugnaret, hoc eſt, dum eſſet non modo baptizatus, ſed & ſanctiſſimus. Experiatur quiſquis ſeipſum & referat ſi audet, ſe non habere concupiſcentiam, etiamſi ad morbum vſque ieiunet & laboret. Et vnde hoc malum furens & indomitum? Non vtique à natura quia Adam illo caruit ante caſum, ſed poſt lapſum ſenſit in carne, & nobis per generationem hæreditauit, quod baptiſmate incipit tolli, durat tamen vſque ad mortem carnis, licèt in alijs minùs, in alijs magis. Vnde & ipſi appellant fomitem morbum naturæ & tyrannum.*

ERISC. Nunquid & impij non ſæpè reſurgere conantur? Interroga ſceleratiſſimos, qui non prorſus deſperant, non ſecum ſtatuant ad Chriſtum aliquandò redire? Certè reſpondebunt, hoc ſibi in animo eſſe. At quid iſtud, niſi quòd Chriſto credunt, & condelectantur? Verùm interim ſuis affectibus victi, carni prorſus indulgent. Iſti planè (quæ faciunt) non probant, immo damnant & deflent, atque crebrò clamitant ſeſe miſeros eſſe. Sed & ſuſpirant ad meliorem vitam. Num Auguſtinus non confitetur, cùm tamen in amoribus ipſe ſordidis volutaretur, ſe plurimum Ciceronis Hortenſio condelectatum fuiſſe, hocque ſolùm diſplicuiſſe ſibi, quòd illic nomen Chriſti non repperit, vtpote quòd cùm lacte matris (vt illic dicit) cor ſuum piè biberat, & altè retinebat. An non ad conciones cum acceſſerint, plerique mouentur, & diuinis oblectantur verbis? At vinculis & nexibus affectuum ſuorum irretiti, non permouentur. Num in iſtis, quæſo non competit hoc verbum: Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, ſed video ali-

am

am legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati? Adde, quòd hi plerunque vim nonnullam carni ſuæ faciunt, & ieiunant alijſque moleſtijs eam afficiunt. Verùm impurus amor libidinis, tam altas in eis egit radices, vt protinùs euelli non poſſit, quin ad ſolitum penſum ſæpè reuocet eos. Quòd ſi vir ſanctiſſimus Hieronymus de incendijs libidinum conqueritur, quibus tamen multo ſudore, multiſque ieiunijs reſtitit, quid iſti, qui toties ab ijs deijciuntur, & meliori fraudantur vita, quam vtcunque cupiunt, num credibile eſt eos ſortis ſuæ damnare miſeriam? Nemo tibi negat concupiſcentiam hanc, quam & alij fomitem appellant, nobis exprimi parentis peccato relictam eſſe. Iſtud omnino concedimus. Confitemur inſuper eandem incipere minui ſub baptiſmate, durare quinetiam ad mortem vſque carnis, in alijs magis, in alijs minùs. Cæterùm eius reatum extingui penitùs in baptiſmate non ambigimus, quo ſublato, nihil ei reliquum eſt, quo deinceps ipſa poſſit propriè peccatum appellari.

Hieron.

Fomes ad carnis vſque interitum manet.

LVTH. *Reuertamur ad probationem: Apoſtolus Heb. 12. vtique baptizatis & ſanctis ait. Deponamus omne pondus & circumſtans nos peccatum. Hic ſeipſum quoque inuoluens, docet deponi omne pondus & peccatum, quod nos circumſtat, id eſt pertinaciter inhæret & inſtat, mira verbi emphaſi ſignificans moleſtam & improbam illam carnis noſtræ concupiſcentiam & procacitatem, quæ nos aſſiduè ſolicitat ad peccatum; nec aliquando quieſcit, nunc ira, nunc ſuperbia, nunc auaritia nos inquietans.*

EPISC. Quod Paulus vocat circumſtans peccatum, ego magis occaſiones peccandi interpretarer, quàm internam concupiſcentiam, quæ per illas irritari ſolet. Sed demus illud tibi, Paulum hic per circumſtans peccatum, concupiſcentiam intellexiſſe. Cum ob id conuinces eam eſſe propriè peccatum? Neque enim protinus conſequitur, vt quicquid ſolicitat ad peccatum, id verè peccatum dicatur. Nam egregia nonnunquam alicuius vel pudiciſſimæ fœminæ forma, ſtimulus ad peccatum eſt, viro alioqui caſto, nec tamen ipſa peccatum rectè dici poteſt. Quid peccauit aurum, aut gemmæ, cum horum nitore vel auarus, vel ambitioſus occaſionem nanciſcitur delinquendi? Nihil profectò. Et tamen iſta concupiſcentiam prouocant ad peccatum.

Circumſtans peccatum quid ſit.

Non omne peccati ſti mulus peccatum eſt.

LVTH. *Ita vt D. Cyprianus ob hoc optandam cenſeat mortem accelerari, Epiſtola de mortalitate dicens: Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt: cum vitijs carnalibus, cum illecebris ſecularibus aſſidua & iugis & moleſta luctatio eſt, Obſeſſa mens hominis & vndique zabuli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido. ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, ſuperbia inflat, vinolentia inuitat, inuidia concordiā rumpit, amicitiam zelus abſcindit: cogeris maledicere, quod lex diuina prohibet: compelleris iurare, quod non licet: tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter zabuli gladios diu ſtare? cum magis concupiſcendum & optandum ſit, ad Chriſtum ſubuenire velociùs, morte properante. Si tantus Martyr de ſe ſibiq; ſimilibus talia affirmat, quis dubitabit & omnibus ſanctis eadem tribuere? aut ſaltem non negabit in ſanctos quadrare, quod Apoſtolus dicit: Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, ne in perſonis impiorum iſta videatur locutus.*

EPIS. Aduerte quæſo diligentiùs quid hic dicat Cyprianus. Non enim ſola vitia memorat carnalia, verumetiam illecebras ſeculares, & ipſam identidem zabuli infeſtationem, quæ mentem iſt obſidet humanam. Ex ijs nimirum delinquendi viris vel ſanctiſſimis diſcrimen imminet, neque tamen ob id hæc peccata cenſenda ſunt: ſed incitamenta magis peccatorum. Neque enim in horum ſingula prolapſum eſſe Cyprianum opinari te reor: quanquam ex horum infeſtatione ſenſerit, legem ſuæ carnis expergefactam. Interea tamen, dum hæc illum infeſtarent, legi Dei condelectabatur ſecundum interiorem hominem. Eſto, ita fuerit. At quid ſi fortè fuiſſet collapſus, & in horum aliquo, legem carnis ac membrorum ſecutus, quid prohibet, quò minùs etiam in interiore homine, ſentire potuerit legem Dei ſuo lapſui obmurmurantem, cuius voci condelectaretur, ac reſipiſceret.

Cyprian.

LVTH. *Quæ omnia ideo vrgeo, quòd ſcio D. Hieronymum, Origenem, & alios impulſum alicubi ſentire Apoſtolum hoc loco in aliorum perſona locutum, licèt alijs locis contrarium ſentiat. Et D. Auguſtinus diu eadem ſententia captiuus tandem in retractationibus, & lib. 6. contra Iulianum. ita reuocat, vt neget à ſe fuiſſe intellectum antea Apoſtolum, dum in aliorum perſona locutum fuiſſe aſſeruiſſet. Quis non moueatur auctoritate principum horum virorum patrum: nihil indignor, ſi quis hos patres alicunde pro ſe adduxerit aduerſus eam ſententiam ſi temerè vno loco eos legerit, & in ſuam ſententiam ſonare viderit. Verùm nec illis, nec aſſertionibus eorum iniuriam facio, dum verba ipſa Apoſtoli, tum illorum proprias & contrarias ſententias eis prætulero.*

EPISC. Certè non ſolùm Hieronymus & Origenes, ſed & (quemadmodum Auguſtinus contra Iulianum tradit) Hilarius etiam & Athanaſius, atque Ambroſius ita ſenſerunt, nempe Paulum hæc in aliorum perſona fuiſſe locutum. Quò magis miror te, tam pertinaciter alijs locis aſſerere, ſcripturam per ſeſe certiſſimam eſſe, facilimam, apertiſſimam, ſuiipſius interpretem, cū videas (vt tu ais) tot & tam eximios interpretes hallucinatos hoc vno loco fuiſſe. Ego tamen, vt ingenuè (quod ſentio) dicam, opinor hunc locum ſecundum vtranque interpretationem intelligi poſſe, nec facilè poſſe quempiam refelli, quiſquis vel hanc, vel illam ſequi malit. Quod & dico propter patres, quos hic certaſſe Lutherus exiſtimat. Cæterùm, vt ſæpè proteſtatus ſum, ego nihil luctabor. Eſto Paulus in ſua ipſius hæc perſona dixiſſet, quid hoc ad articuli probationem facit?

LVTH. *Iuuant eandem hanc ſententiam & multa alia. Primum id quod Apoſtolus Rom. 12. præcipit vtique ſanctis & baptizatis, vt renouentur in nouitate ſenſus ſui. Et alibi. 2. Cor. 4. Et ſi is qui foris eſt noſter homo corrumpetur,*

tur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem. At renouari eſt è vetuſtate in nouitatem mutari. Vetuſtas autem peccatum eſt veteris hominis, ſicut nouitas, gratia noui hominis. Renouari ergo arguit ineſſe vetuſtatem, ſicut rurſus dicit Col. 3. Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis. Et 1. Corin. 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio. Quæ omnia certè affirmant reliquū vetuſtatis & peccati nobis eſſe, quod excutiendum expurgandumq́; ſit, cum ad eos ſcribat qui iam erant (vt dicit) azymi & creati in nouum hominem ſecundum Deum.

EPISC. *Vetuſtas non verè peccatū eſt.*

Ad ſanctos & baptizatos vtique fatemur hoc dixiſſe Paulum, nimirum vt à vetuſtate renouarentur. Sed negamus hanc vetuſtatem verè peccatum eſſe, ſed ſolummodò ſecundum amplam peccati acceptionem, quia videlicet parit peccatum, quemadmodum lingua (quia loquutionē parit) pro loquutione accipitur, & manus (quæ ſcripturam efficit) pro ſcriptura nonnunquam intelligitur. Nemo ſanè ex baptizatis eſt, qui non duos homines in ſe complectitur, exteriorem videlicet & interiorem, carnalem & ſpiritualem, terrenum & cœleſtem, veterem & nouum. Illū ex Adam genitum, hunc ex Chriſto renatum. Ceterùm vt vetus homo (qui foris eſt) quotidie minuitur, ita nouus (qui intus eſt) augetur indies. Et vt vetus quotidie nonnihil fomitis infeſtantis deperdit, ita nouus aliquod augmentum gratiæ ſemper acquirit. Omnis deniq; Chriſtiani vita in hoc conſiſtit, vt ſe veterem expolians hominem, nouum induat ſecundum Deum. Porrò tunc perfectè renouabimur, cum hoc veteris concupiſcentiæ fermentum ex Adam contractū, fuerit penitùs expurgatum, id quod in hac mortali vita, nemini contingere poteſt. Hæc omnia tibi concedimus Luthere, verùm iſta nondum conficiunt fomitem hunc peccatum eſſe, iuxta propriam peccati acceptionem. Sed neo certè colligis, quòd vetuſtas peccatum ſit veteris hominis, ſicut gratia nouitas eſt noui hominis. Sed ita rectiùs colliges. Sicut gratia parit nouitatem, ita peccatum peperit vetuſtatem. Nam per Chriſti gratiam renouamur & iuſtificamur, ſicut per Adæ peccatum, vetuſtatem contraximus.

Chriſtiana vita in quo conſtat.

LVTH. *Deinde parabolæ Euangelij pulchrè hîc valent. Quarum vna de Samaritano, qui ſemiuiuum non ſubitò ſanauit, ſed alligauit tantùm, & ſanandum ſuſcepit, nonne oſtendit, neminem ſubitò ab omnibus peccatis ſanum factum, ſed pacto Fidei, in corpus Chriſti aſſumptum de die in diem magis ſanari?*

EPIS. Poſſem hîc illud Hieronymi reſpondere tibi. Nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia, poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere. Tu igitur, cum iam dogmata contra communem Eccleſiæ ſenſum ſtatuere moliris, nō parabolas (quæ poſſunt ad varios & multiformes intellectus torqueri) ſed apertiſſimas, & irrefragibiles ſcripturas, aut rationes afferre debes. Ceterùm quantùm ad parabolā ſpectat, dici poteſt quòd homo iſte peccator intelligitur, qui letaliter à dæmonibus vulneratus, ſemiuiuus relinquitur. Vitam enim gratiæ (quæ fuerit ei dimidia) ſuſtulerunt, naturali ſolùm permiſſa vita. Sed poſtquam illum Chriſtus à plaga ſanauit, quam ſuſcepit in anima, remanſit ei nihilominus concupiſcentiæ vulnus in carne, cui de die in diem (vt anteà diximus) medendum fuit. Verùm hoc ſublato reatu, peccatum non dicitur, niſi quemadmodum ſcriptura dicitur manus. Porrò quod dicis neminem à peccatis ſubitò ſanari, apertiſſimè falſum ex Euangelijs ipſis eſſe conſtat. Nam apud Matthęum Chriſtus paralytico dimiſit peccata, iubens vt omnino conſideret ipſa ſibi fuiſſe dimiſſa. Quinetiam vt oſtenderet ſe poteſtatem habere dimittendi peccata, iuſſit paralytico grabatum etiam ſuum ſecum tollere. Et apud Ioannem languido cuidam annos triginta morbum habenti dixit: Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Et apud Lucam Magdalenæ dixit: Remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te ſaluam fecit. An nō ijs omnibus peccata ſubitò remiſſa ſunt? Haud dubiè. Sed & ita remiſſa, vt nullum penitùs in horum aliquo peccatum ſit relictum, niſi forſan aliquod fuiſſe peccatum aſſeras, quod Chriſti poteſtatem penitùs exceſſiſſet, id quod nemo bene Chriſtianus agnoſcet. Cæterùm in illis omnibus remanſiſſe concupiſcentiam haudquaquam dubitamus.

Neminem à peccatis ſubitò ſanari, falſiſſimum eſt.

Matth. 9.

Ioan. 5.

Luca 7.

Altero Matth. 13. de fermento in ſata farinæ tria mixto, donec fermentaretur totum quid aliud vult, quam fermento nouo Fidei fermentari non ſubitò, ſed paulatim totum hominem? vt hæc vita cognoſcatur non eſſe iuſtitia, ſed iuſtificatio: non ſanitas, ſed ſanatio: non ſinis, ſed phaſe Domini: non terra, ſed migratio, & prorſus continua peccati purgatio, & tranſitus de virtute in virtutem, vt docet Pſa. 84. & transformatio de claritate, in claritatem ad imaginem Chriſti, vt Apoſtolus vocat. At talis tranſitus certè manifeſtat, reliquum eſſe ſemper peccatum, à quo recedamus, & ad maiorem iuſtitiā appropinquemus. LVTH.

EPIS. Nec iſtud conuincit fomitem, qui quotidie per iuſtificationem & ſanationem minuitur, verè peccatum eſſe. Nam poteſt per hoc fermentum, vel Chriſti verbum intelligi, quod ſenſim tres partes orbis fermentauit: vel gratia, quæ in tribus animæ viribus recepta, totum hominem paulatim fermentat, quod fit propter fomitem, qui paulatim per gratiam ſubducitur, & quotidie magis ac magis imminuitur. Poſtquam igitur anima per gratiam ſanata fuerit, manet adhuc in carne quidam languor fomitis, qui quotidianam & continuam recipit purgationem, propter quam, & tota Chriſtiani vita tranſitus quidam eſt de virtute in virtutem, & de claritate in claritatem, & totus homo de die in diem dicitur renouari, quemadmodum poſtea fuſiùs dicturi ſumus. Cæterùm ob hæc nihil oportet hunc fomitem verè & propriè dici peccatum, id quod ſemel aſſeruimus, neque talis tranſitus id manifeſtat.

Fermentum vel verbum Chriſti, vel gratiam ſignificat.

Et Ioannis 13. cum aſſeruiſſet diſcipulos eſſe mundos tamen infra dicit 15. ſe eſſe vitem, illos palmites, & tamen omnem fructiferum magis purgandum, vt plus fructificet. Quomodo enim ſunt mundi & ſimul immundi vt purgari egeant, qui niſi mundi eſſent, fructum non afferrent? Niſi quòd verum eſt quod idem 1. Ioannis pri- LVTH.

nes dicit: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Notauit ſanctus Auguſtinus, quòd non dicit, habuimus ſed habemus. Et Pſalmo decimo octauo: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Et Pſalmo 50 petit ſpiritum rectũ & cor mundum in ſe fieri, cum hoc non niſi iam mundus orare poſſet. Vnde ergo iſta immunditia tam ſanctis viris, Spiritu ſeruentibus, nedum baptizatis? Quod malum has mouet immunditias? niſi radicale illud originis malum de quo Paulus Coloſſenſibus ſanctis ſcribit: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam auaritiam. Non quòd hic peccata ſeruire eos arguat, ſed vt repugnent, ne eis ſeruiant.

EPIS. Diſcipuli nimirum, qui per gratiam mundi fuerunt, nihilominus adhuc erant à fomite magis ac magis purgandi. Dicitur enim fomes immundus, quia quotidie nobis immunditiam propinat, & leuioribus, ſaltem peccatis inquinat vnumquemque. Non quòd fomes ipſe peccatum ſit, ſed quòd indeſinenter ſubminiſtret peccati occaſionem: cum nemo tam circumſpectus eſt, vt poſſet penitùs deuitare. Propter quod & Ioannes affirmat illum ſeducere ſeipſum, quiſquis negat ſe peccatũ habere. Cæterũ quid hoc ad paruulos, quibus per baptiſmum reatus huius fomitis aufertur? Hi profectò nec originale peccatum iam habent, ſed neq; adhuc rationis vſum, quo peccatum actuale queant admittere. Quo fit, vt omni prorſus careant peccato. Quod & Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis, & remiſſione, capite 54. dilucidè colligit, oſtendens nec originale, quod à primis emanauit parentibus, nec actuale, quod à ſe ipſis contraxerunt, in paruulis manere poſt baptiſmum. De adultis nimirũ Ioannes loquitur, & cæteræ quas memoras ſcripturæ. Et vnde hæc proueniat immunditia, ſuperiùs frequenter diximus. Sed heus tu, putas in illis ſanctis fornicationem, immunditiam, ac cætera fuiſſe peccata, quæ ſequuntur? Abſit. At quoniam ex fomite prodeunt hæc omnia, Paulus hunc fomitem qui in eis erat, ſubiugari voluit, vnde ni reprimeretur, tot ſuboritura fuiſſent mala.

Quare fomes immundus dicitur.

Paruuli baptizati omnino prorſus carent peccato.

LVTH. *Et vt finem faciamus ſola oratio dominica, nonne omnes concludit ſub peccatum, dum omnibus quantumlibet ſanctis mandat orare? Fiat voluntas tua. ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum? Quid confitetur, qui petit fieri voluntatem Dei, niſi ſeſe nondum planè facere voluntatem Dei, ac per hoc eſſe inobedientem Deo? (neque enim fictis verbis oratur) Hoc ſolo ſaluus quòd agnoſcit & deprecatur ſuam inobedientiam ac in quantum orat & agnoſcit, tantum facit voluntatem Dei, id eſt in Spiritu, ſed in carne contra quam ſic orat, nondum facit. Ita qui petit ſanctificari nomen Domini, nonne fatetur nomen Domini adhuc in ſe pollui ex parte? quod dolens deprecatur, & impletur illud in eo, Rom. 7. Quod nolo malum hoc facio quod volo bonum, non facio. Sic qui aduenire regnum Dei petit, certe ſeruum diaboli ſe ex parte confitetur, cum Apoſtolo dicens: Video aliam legem in membris meis, captiuantem me in lege peccati.*

EPISC. Et hoc quoque nihil ad paruulos attinet, quibus necdum ſit orandi poteſtas, ſed ad adultos ſpectat duntaxat. Tum enim perfectè regnabit in nobis Deus, quando penitùs abſumetur fomes iſte, & Dei nomen integrè ſanctificabitur, atq; voluntas ſine omni prorsùs rebellione perimplebitur in corpore ſimul & anima, quanquã interea vere Deus in nobis regnat per gratiam, & verè ſanctificatur nomen eius, quantum ad animam pertinet, vt mox dicemus. Nunc certè nec regnum Dei, nec voluntas, nec ſanctificatio, ſuam plenitudinem in nobis obtinent, propter concupiſcentiæ rebellionem, quæ manet aduerſus Spiritum. Et quanquam ea peccatum non ſit, niſi mens ei conſentiat, eius tamen occaſione quotidie nonnihil admittimus, quod nos non ſinit vſquequaque puriſſimos eſſe. Cæterùm neque ſemper id vſqueadeo magnum eſt, vt ſub diaboli poteſtate nos conſtituat. De paruulis autem haudquaquam dubito, quin de poteſtate diaboli per baptiſmum penitùs erepti ſint, tametſi peccati fomes in ipſis maneat poſt baptiſmum. Sed quia reatus tollitur, iam non diabolus modò, ſed & quicquid peccatum eſt, prorſus ex eis effugatur. Et quanquam remaneat concupiſcentia, non propter eam tamen in oratione Dominica dicitur: Dimitte nobis debita noſtra, ſed propter peccata, quæ poſt baptiſmum conſenſu mentis fiunt. Quod & Diuus Auguſtinus teſtatur libro 1. capite 13. contra duas epiſtolas Pelaginorum, ita dicens: Nec propter ipſam, cuius iam reatus lauacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſed propter peccata quæ fiunt, ſiue in eis conſenſionibus, cùm ab eo quodlibet vincitur quod placet, ſiue cum per ignorantiam, malum quaſi bonum placet. Fiunt autem, ſiue operando, ſiue loquendo, ſiue quod facillimum atque celerrimum eſt, cogitando. A quibus omnibus, quis etiam fidelium gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato? Illud tamè quod in oratione ſequitur propter ipſam dicitur, Neque nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Vnuſquiſque enim, ſicut ſcriptum eſt, tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia, cum conceperit parit peccatum. Hi omnes concupiſcentiæ partus, & ipſius concupiſcentiæ reatus antiquus, baptiſmatis ablutione dimiſſi ſunt. Hæc Auguſtinus. Vbi palàm explicat non propter concupiſcentiam relictam à nobis, dici: Dimitte nobis debita noſtra: ſed iſtud dici, propter peccata quæ naſcuntur per conſenſum mẽtis in eam, ſiue operando, ſiue loquendo, ſeu cogitando, in quæ nemo non labitur: at propter concupiſcentiam, quæ ſuggerit indeſinenter mala; precamur aliud, nempe: Ne inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Aſſerit demùm tam ipſius concupiſcentiæ reatum, quàm ſingulos eius partus lauacro regenerationis penitùs auferri.

Quando perfectè regnabit in nobis Deus.

Iacobi 1.

Omnes concupiſcentiæ partus baptiſmo abluuntur.

LVTH. *Scio autem. quid hic mihi oppoſituri ſint. ſcilicet omnia quæ dicta ſunt, probare non peccatum ſed defectum*

ſeu

ſeu infirmitatem in nobis relinqui poſt baptiſmum. Sic enim fomitem & paßiones carnis vocant. Reſpondeo, ſi ſola nos verbi controuerſia haberet, facilè admitterem, vt defectum vocarent, quicquid id eſt mali, quod in prædictis ſcripturæ verbis, relinqui in nobis probatum eſt. Fruſtra enim certatur de nomine, cum de re conſtiterit. Verùm quòd defectum ſic appellant, vt peccatum eſſe negent, & non culpam ſed pœnam tantùm peccati eſſe velint, admittere non poſſum. Neque enim ſatis eſt, quod ſine ſcripturæ teſtimonijs auctoritate propria dicunt, omnia iſta defectum dici, quia deſiciant a perfecta legis plenitudine.

Epiſc. Vtinam te cognita (quod ais) non ampliùs de ſolis verbis contenderes. Sed tu profectò de meris voculis certas, & id quòd defectus ab aliquibus dicatur in medium affers, vt vel inde capias anſam oſtendendi fomitem hunc fomitem eſſe, id quod ab omnibus orthodoxis planè cōdēnatur: niſi iuxta fuſiorem peccati acceptionem (de qua ſuprà diximus) intelligas. Omnes enim vnanimiter aſſerunt, peccata cuncta per baptiſma deleri. Quòd ſi cuncta peccata penitùs abolita ſunt, quomodo poteſt is fomes qui relinquitur peccatum dici? Nā ſi fomes ritè peccatū ſit, & poſt baptiſmum hauddubiè maneat, quomodo quæſo verū erit, quòd omnia penitus deleta ſunt peccata? in qua te primum Hieronymus audiatur. Is enim ad Oceanū ſcribens, ait: Omnia nobis in baptiſmate condonata ſunt crimina, nec poſt indulgētiam iudicis eſt metuenda ſeueritas, dicente

1. Cor. 6. Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Omnia peccata donata ſunt bene & fideliter. Hæc Hieronymus. At qui dicit omnia, ne vnum quidem excipit. Sed neque ex ſuo cerebro Hieronymus hoc fingit, ſcripturam qua probet illud, etiam affert. Quomodo quæſo te, iuſtificati ſumus & ſanctificati, ſi peccatum aliquod in nobis relinquetur? Et rurſum in eadem epiſtola Hieronymus:

Micheas 7. Micheas, inquit, de baptiſmi gratia vaticinatur. Ipſe auertet, & miſerebitur noſtri: idem mergit iniquitates noſtras, & proijciet in profundū maris omnia peccata noſtra. Et Paulò poſt ſubdit:

Ezechiel pronuntians virtutem lauacri

Ezec. 36. Audiamus & Ezechielem filium hominis, quomodo de eius virtute pronunciet, qui hominis futurus eſſet filius. Aſſumam vos de gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs veſtris, & dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum. Ab omnibus, inquit, mundabo vos ſordibus. In omnibus nihil prætermittitur. Hæc Hieronymus. Aduerte quid iam poſtremò dixit. In omnibus, inquit, nihil prætermittitur, hoc eſt, ſi mūdati ſumus ab omnibus, nihil ſordis peccati prætermittitur à quo non mundemur. Huic Ambroſius ſubſcribit, inquiens: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritu Dei noſtri. Hæc omnia beneficia puritatis in baptiſmate conſequuti noſcuntur, quod eſt fundamentum Euangelicæ veritatis: illic enim peccatis depoſitis, abluitur credens & iuſtificatur Domini nomine, & per Spiritum Dei noſtri Deo filius adoptatur. Per hæc admonet illos, quāta & qualis ſit gratia, quam per verā traditionem conſequuti ſunt. Hæc Ambroſius.

Et Origenes item ſuper Ioſue Homil. 5. recenſens illud Pauli: Fuimus enim & nos aliquando inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Subdit: Non tibi videntur hæc opprobria eſſe & opprobria Ægypti? Sed ex quo venit Chriſtus, & dedit nobis ſecundam circunciſionem per baptiſmum regenerationis, & purgauit animas noſtras, abiecimus hæc omnia, & pro ijs aſſumpſimus conſcientiæ bonæ aſtipulationem in Deum. Tunc per ſecundam circunciſionem ablata ſunt nobis opprobria Ægypti, & purgata ſunt vitia peccatorum. Nemo ergo ſi integre conuerſus eſt, ſi ex corde pœnituit, ſi fideliter Iordanis fluenta ingreſſus eſt, ſi ſecunda per Euangelium circunciſione purgatus eſt, præteritorum mutuet opprobria delictorum. Hæc Origenes. Rurſus Chryſoſtomus homilia vigeſima quarta, ſuper Ioannem, ita inquiens. Quænam ergo aquæ neceſſitas? Iam

Baptiſmi myſterium. abſconditum vobis myſterium aperiam. Sunt & alia, nunc verò ex omnibus vnum expoſuiſſe ſufficiat. Primum diuina in hoc conſummantur iudicia, ſepultura, mortificatio, reſurrectio, vita, & hæc ſimul omnia. In aqua enim tanquam in ſepulchro caput immergentibus, vetus homo ſepelitur, emergentibus nouus reſurgit inde, vt facilè nobis eſt immergi, & emerſos reſpirare, ita Deo veterem ſepelire hominem, & nouū induere. Præterea, hinc patris & filij & ſpiritus ſancti virtutem, hæc omnia implere intelligis. Quod ne coniectura à me, ſed vero ſenſu dictum intelligas. Audi Paulum: Conſepulti, inquit, ſumus Col. 2.

Roman. 6. cum illo per baptiſmum. Et iterum: Noſter vetus homo ſimul crucifixus eſt. Et item: Complantati facti ſumus ſimilitudini mortis huius. Non ſolùm autem baptiſma crux dicitur, ſed crux baptiſma. Baptiſma enim quo ego baptizor, Baptiſma crux

inquit, baptizabimini, & baptiſmo habeo baptizari, quod vos neſcitis. Hæc Chryſoſtomus. Et ſimilia plurima ſuffragia recenſet Hieronymus ex D. Paulo, ad Oceanum ſcribens: Hic, Baptiſma calculus nouus.

inquit, eſt calculus nouus, cui nouum nomen inſcribitur, quod nemo ſcit legere, niſi qui illud acceperit. Quod enim baptizati ſumus, in Chriſto Ieſu, in morte illius baptizati ſumus. Cōſepulti enim ſumus per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Toties nouitatem legimus, & tam maſculorum nomen vxoris, non poteſt vlla nouitate deleri. Cōſepulti ſumus Chriſto in baptiſmate, & reſurreximus per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Cumque eſſemus mortui in delictis, & præputio carnis noſtræ, conuiuificauit nos cum illo, donans omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Omnia noſtra cum Chriſto

mortua ſunt, vniuerſa chirographi veteris pec-
cata deleta ſunt, ſolum nomen viuit vxoris. Hęc
Hieronymus. Cyprianus etiam aſtipulatur de
Eccleſia loquens, ſermone quodam de ablutio-
ne pedum: Hinc egredientia quatuor Euangelij
flumina, per vniuerſum mundum ſecum regene-
rationis euehunt lauacrũ, & de abdito, & ſecre-
tiſſimo Spiritus ſancti munere, huius gratię li-
quor emanat: ſic lauans quos parentalis labes in-
fecerat, vt nec actualis, nec originalis macula, ali-
qua ſui poſt ablutionem illam veſtigia, derelin-
quat. Hæc Cyprianus. Quo quid à quoquam dici
poteſt apertiùs? Et his Auguſtinus itẽ ſubſcribit
contra Iulianum libro ſexto. Tu autem qui pu-
tas, quòd ſi malũ eſſet concupiſcentia, careret ea
qui baptizatur, multum erras. Omni enim pecca-
to caret baptizatus, non omni malo. Quod pla-
niùs ita dicitur: Omni reatu omnium malorum
caret baptizatus, non omnibus malis. Nunquid
enim caret corruptione corporis? An non eſt
malum quod aggrauat animam? Nunquid caret
ignorantiæ malo, per quod à neſcientibus innu-
mera perpetrantur mala? An paruum malum
eſt, quòd homo non percipit ea quæ ſunt Spiri-
tus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apoſtolus:
Animalis homo, non percipit ea, quæ ſunt Spi-
1. Corin. 2. ritus Dei. Hactenus Auguſtinus memorauit
quædam mala, quæ baptizatis non tolluntur.
Sed & tandem concludit, Baptizatos his malis
in lauacro generationis haudquaquam caruiſſe,
vbi tamen omnibus caruerant ſine dubitatio-
ne peccatis. Hæc Auguſtinus. Claret igitur non
ſolùm patrum, verùmetiam ſcripturarũ teſtimo-
nijs, nullum non deleri peccatum in baptiſmate.
Quamobrem & fomes remanens, peccatum eſ-
ſe non poteſt, modò peccatum ſecundum ve-
ram & propriam peccati rationem accipiatur.

LVTH. *Deinde, quòd non licet vlli angelorum, nedum ipſis ho-
minibus, verba Dei pro ſuo ſenſu interpretari, vt quod illa
peccatum apertè vocat, illi defectum interpretan-
tur.*

EPIS. Qui defectum interpretantur, ipſi viderint.
Sed quod ais ſcripturam concupiſcentiã apertè
peccatum vocare, ſic nimirum & ſcriptura Chri-
ſtum ipſum apertè peccatum vocat, nec tamen
opinor vllum aut angelorum, aut hominum
hoc intelligi velle de peccato, iuxta veram pec-
cati rationem, vt ſæpe diximus, cum nec fomiti,
nec motui fomitis, neq; conſenſui in fomitem,
CHRISTVS quicquam habuit ſimile. Sed ne-
que ipſe tam perfrictæ frontis es, vt cùm dicat
2. Cor. 5. Paulus: Eum, nempe filium qui nõ nouerat pec-
catum, pater pro nobis fecit peccatum, negare
poſſis quin alio atque alio modo peccatum in ijs
verbis accipiatur. Nam vbi negat nouiſſe pecca-
tum aut virulentum fomitẽ, aut concupiſcentiã
ex ipſo ebullientem, aut conſenſum in concu-
piſcentiam, aut demùm omnia ſimul intelligit.
At cum affirmat patrem CHRISTVS feciſſe pec-
catum, nihil horum intelligi poteſt, ſed vel ho-
ſtia, vel peccati vindicta duntaxat intelligi licet.
Et rurſum, cum dicat Paulus: De peccato damna-
uit peccatum. Alius haud dubie vocis huius eſt

Peccatum, hoſtia ſeu peccati vindicta dici poteſt

Rom 8. De peccato damnauit peccatum.

intellectus, cum dicit, de peccato, alius cum di-
cit, damnauit peccatum. Nam cum dicit, de pec-
cato CHRISTVM intelligit, qui factus eſt pro no-
bis peccatum, hoc eſt, hoſtia pro peccato, vel
quod mihi potiùs videtur, totam illam carnis
maſſam, quæ dimanauit, ab Adam intelligi volu-
it, quam & vocat peccato obnoxiam quæque po-
teſt, & meritò peccatum dici, quòd peccati virus
tota penitùs imbiberit. Cum igitur ex hac maſſa
CHRISTVS pro ſuo corpore conſtruendo, non-
nihil ad peccati condemnationem futuram ac-
cepit, non iniuria de peccato videri potuit dam-
naſſe peccatum. Nam proximè ſuperiùs dixerat,
Chriſtum fuiſſe miſſum in ſimilitudine carnis
peccati. Cum ergo dicit Paulus, de peccato, vel
maſſam illam peccato infectam intelligit, vel
Chriſtum hoſtiam factum, pro peccato. Sed cũ
ſubdit, damnauit peccatum, noſtram planè vo-
luit intelligi noxam, neque originalem ſolam,
verumetiam actualem. Cæterùm quid eſt (re
quæſo) damnauit peccatum? aut quando nobis
huius damnationis fructus allatus eſt potiùs quã
in baptiſmate? Tunc ergo per merita paſſionis
Chriſti, qui pro nobis factus erat peccatum,
damnatum eſt quicquid in nobis peccati reatum
habuit. Nam his nunc (vt Paulus ait) nihil eſt
damnationis. Quòd ſi nihil fuerit in eis damna-
tionis, profectò neque reatus quicquam erit.
Eſto, peccatum Paulus concupiſcentiam vocet,
quippe quod aduerſatur ſpiritui. Quia tamen
eum, qui baptizatur, hæc concupiſcentia reum
haudquaquam facit, non eſt eo modo putanda
peccatum eſſe, quo ſtuprum, quo mollities, quo
auaritia, quo idololatria peccatum eſt, quæ ni-
mirum gehennæ reos peccatores conſtituet.
Quando igitur tam dilucidis teſtimonijs com-
pertiſſimum eſt, peccatum in baptizato non ad
hunc modum manere, quid ampliùs verbis con-
tendis, fomitem, qui relinquitur, ad hunc mo-
dum eſſe peccatum?

*Apoſtolus enim manifeſtè dicit, ſe captiuum duci in le-
gem peccati, & concupiſcentiam auctoritate legis cogni-
tam a ſe peccatum, quam iterum vocat peccatum ita in
carne ſua habitantem.* LVTH.

Eandem argumentationem in te retorqueo. EPIS.
Apoſtolus manifeſtè dicit, Chriſtum pro nobis
factum eſſe peccatum. Quamobrem & Chriſtus
erat propriè peccatum. Hanc vbi diſſolueris, ea-
dem facilitate diſſoluemus & tuam. Nam ſi dixe-
ris, alia ratione peccatum attribuitur Chriſto,
alia negatur ipſe fuiſſe peccatum. Sic & nos dici-
mus, alia ratione fomes peccatum appellatur,
& adulterium alia. Nam cum Paulus intra bre-
uem hanc ſententiolam, res tam diuerſas, vna
voce voluit intelligi, quid prohibet in tota epi-
ſtola, quæ & eadem omnium auctorum calculis
obſcuriſſima eſt, ſimilia fieri? nempe vt eandem
vocem pro varijs vſurpet ſignificatis quod & fe-
cit haud dubiè. Quam variè, te quæſo, mortem
accipit, nunc pro morte corporis, nunc pro ani-
mi morte, nonnunquam pro gehennæ morte,
aliquando pro morte qua peccato mortui ſu-
mus. Similiter & legẽ, aliquando pro lege veteri,
ali-

aliquando pro noua, nonnunquam pro lege peccati, & interdum pro naturæ lege. Quas acceptiones ſi quis confundere velit, nunquam intelliget ea, quæ ſcripſit Paulus. Nam vbi vox varia quædam ſignificat, niſi quis aptè ſecernat & ſecet eius ſignificata, nunquam rectè ſcripturam
2. Tim. 2. interpretabitur. Quod & Paulus Timotheum admonuiſſe videtur, cum iuſſerit eum rectè ſecare ſermonem veritatis.

LVTH. *Quomodo enim non erit vere peccatum, cum ad hoc vt vere peccatum eſſe probet, adducat legem prohibentem concupiſcere, & fateatur ſeſe non concupiſcere non poſſe, ac per hoc vero non defectu tantum, ſed peccato contra legem facere.*

EPISC. *Locus Pauli variè accipitur.* Locus hic Pauli variè ab interpretibus accipitur, nullumque fermè verbum in eo eſt, quod non geminum habeat intellectum. Lex enim bifariã hic intelligi poteſt, ſimiliter & concupiſcere, atq; concupiſcentia, vt taceam totius ſententiæ duplicem enunciationem, vel in perſona peccatorum, vel in propria ipſius Pauli. Primum Origenes, qui non minus eruditione, quàm acumine librandi ſcripturas, clariſſimus agnoſcitur, affirmat legem hic non pro lege Moſeos, ſed pro lege cordibus hominum inſcripta debere intelligi. Alijs contrà viſum eſt, vt pro lege Moſeos, hunc locum potius interpretentur. Vtcunque, fuerit nihil dubito, quin id in noſtra ſitum ſit poteſtate, quod vel hac vel illa verior ſit legi. Porrò concupiſcentia bifariam etiam accipi poteſt aliquando pro fomite ſeu pro
Rom. 6. ipſo motu fomitis, vt cum Paulus dicit: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius, aliquando verò pro conſenſu mentis in id malum, quod per fomitem ſuggeritur. Anima enim (vt Origenes ait) media eſt inter carnem & ſpiritum, quæ ſi coniunxerit ſe carni ad obediendum deſiderijs eius, efficitur vnum corpus cum ea. Sin verò iunxerit ſe ſpiritui, efficitur vnus cum Deo ſpiritus. Coniungitur autem hauddubiè, vel huic vel illi per conſenſum. Et is animi conſenſus ad illicita carnis deſideria, vocatur alibi à Paulo, concupiſcentia mala. Nam eam in epiſtola ad Coloſſen-
Coloſ. 3. ſes annumerat alijs animi prauis habitibus, quibus etiam tum carere Coloſſenſes affirmauit. Fornicationem, inquit, immunditiam libidinẽ, concupiſcentiam malam, auaritiam. Et paulò pòſt ſubdit. In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viueretis in illis. Ecce iam non erat in eis concupiſcentia mala, ſicut neque fornicatio, aut aliquid cæterorum. Et tamen hauddubiè remanſit in eis concupiſcentiæ fomes. Alia eſt igitur concupiſcentia, qua voluntas concupiſcit ea, quæ ſuggerit caro, & alia, quæ ſolius carnis eſt, & quæ fomes, ſeu motus fomitis ap-
1. Cor. 10. pellatur. Sed & Corinthios item prohibet, ne ſint concupiſcentes malorum, ne pariter eis contingat, quod Iudæis euenit in deſerto. Hic certiſſimum eſt, non eis vetuiſſe Paulum, quòd in eorum nõ fuiſſet arbitrio poſitum. Non ergo fomes hîc prohibetur, quo carere nemo poteſt, ſed voluntas & conſenſus mentis, hoc eſt, ne ſuis animis concupiſcerent ea mala, quæ per carnis fomitem excitantur. Nam vt concupiſcentia quæ ex carne pullulat, non ſic eſt in noſtra poteſtate, vt cum velimus, poſſimus non concupiſcere: ita ea, quæ ex mente proficiſcitur, in noſtro arbitrio poſita eſt, velut omnino ſpontanea. Noſtra enim ſponte, & noſtræ mentis aſſenſu concupiſcimus, ſi quando ſic quicquam à nobis fuerit concupitũ & itẽ idipſum (modò ſic velimus) poſſumus non concupiſcere. Alioqui Paulus non affirmaſſet hanc legis particulam à nobis expleri poſſe, quod & facit ad Romanos 13. vbi ſcribit ad hunc modum: Qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa: Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces. Ecce Paulus affirmat hanc expleri legis particulam ab eo qui diligit alterum. Quamobrem neceſſe eſt, vt vel neges quempiam alterum diligere, vel fatearis illum, qui ſic diligit, hanc legis expleuiſſe particulam. Cæterùm ſi neges quempiam alterum diligere, prorſus contradicis Paulo, qui 1. ad Theſſ. 4. ſic tradit: De fraterna charitate non neceſſe habetis vt ſcribam vobis. Ipſi namque diuinitus docti eſtis, vt diligatis vos inuicem. Paucis ergò
dicimus hoc præcepto, Non concupiſces, vetari concupiſcentiam voluntatis duntaxat, quæ carnis affectibus ipſa ſe captiuam tradit, non autem concupiſcentiam carnis, quam penitùs vitare nullo modo poſſumus. *Concupiſcentia voluntatis per præceptum prohibita.* Neq; enim carni vetitum eſt, ne concupiſcat, quippe quæ non poteſt non concupiſcere mala. Sed neq; ſpiritui dicitur, Non concupiſces, nempe qui non poteſt non concupiſcere bona. Sed animæ dicitur, quæ inter hos media eſt, vt non concupiſcat ea, quæ carnis ſunt, neque carnis ſectetur deſideria. Cum enim concupiſcentiam carnis nemo vitare poteſt, ſi fuiſſet ipſa Dei mandato prohibita, fieri non potuiſſet, quin in illas maledictiones prodigioſas, quæ iuſſu Moſeos tanto apparatu fulminabantur in monte Hebal, vnuſquiſq; Iudæo-
rum incidiſſet. Nam in tota illa multitudine, ne Deut. 11.
vnus quidem erat, qui concupiſcentiã illã carnis non ſit perpeſſus. Et quis tam crudelẽ exiſtimabit Deum, vt propter eam quæ nullo modo fuerat in Iudæorum poteſtate, tanta in eos maledictionum fulmina iacularetur. Horror nimirum eſt legere tot & tã terribiles maledictiones, quæ Deuteronomij vigeſimooctauo capite ſcribuntur, & omnes promulgatæ fuerunt aduerſus eos qui mandata non eſſent obſeruaturi. Quamobrem ſi cõcupiſcentia carnis Dei mandato prohibita fuit, & ea nemo carere potuit, conſequens eſt, vt omnes illi fuerant maledicti. Maledictus Moſes, maledictus & Aaron, maledictus & Ioſuè, cæterique omnes, ſi ſemel dicam (quantumuis boni fuiſſent) erant maledicti. Et ea maledictione quã tot eſſent calamitates ſequuturæ, vt nihil eorum commodorum, quæ Deus illi populo fuerat pollicitus, adipiſcerentur. Quis vnquam niſi planè inſaniſſimus, iſta crederet? Sed dicet hîc Lutherus. Non ſolùm hic ma-

ledictiones ferebantur aduerſus mandatorum tranſgreſſores, verumetiam aliarum quarumcunque iuſtificationum, quæ traditæ fuerant in libro legis, quorum erat tantus numerus, vt impoſſibile fuiſſet eas omnes à quoquam obſeruari. At hoc manifeſte falſum eſſe conſtat, ex Euangelio Lucæ, qui Zachariam & Elizabet aſſerit ambos fuiſſe iuſtos ante Deum, & inceſſiſſe omnibus mandatis, & iuſtificationibus abſque querela. Non fuit igitur impoſſibile cuiquam adiuto per gratiam Dei, mandata ſaltem obſeruaſſe ſingula. Cæterùm, vt diximus, ſi carnis concupiſcentia, Dei mandato vetita fuiſſet, impoſſibile fuerat hoc mandatum à quoquis obſeruari, cùm nemo potuit hanc vitare concupiſcentiam. Perſpicuum igitur opinor ex eis (quæ diximus) factum eſſe, quod non carnis, ſed voluntatis concupiſcentia duobus vltimis præceptis ſit prohibita. Sed nunc ad rationem Lutheri reſpondeamus oportet. Quomodo, inquit, non erit verè peccatum concupiſcentiæ, cum Paulus ad hoc, vt eam probet vere peccatum eſſe, adducat legem prohibentē cōcupiſcere? Reſpondemus legem hanc, ſiue Moſaica fuerit, ſiue naturalis, non prohibere mortem carnis, qui caueri non poteſt, ſed affectum voluntatis vetat, ne videlicet animus concupiſcat ea, quæ ſuggerit caro. Et nos hanc animi concupiſcentiam vere peccatum eſſe fatemur. Carnis verò concupiſcentiam, præſertim in baptizatis, negamus aliter peccatum dici, quàm ſcriptura vocetur manus, & loquutio lingua, vti ſæpè diximus.

Lutheri marginal note: Lucæ 1.

LVTH. *Nam & ipſimet cogentur hoc peccatum dicere, quod contra legem ſit quocunque modo. At defectus ille, quem extenuando peccatum ſic vocat, certè contra legem eſt.*

EPISC. Siue defectum appelles, ſeu fomitem, ſeu quiduis aliud, ego plane concupiſcentiam eam quæ carnis eſt, contra legem eſſe, nego. Nam quicquid in decalogo vetatur, ſub pœna mortis æternæ vetatur, id quod ex cæteris manifeſtum eſt. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices. Quid horum eſt, quod ſi tranſgreſſus fueris, non capitaliter delinquens. Capitaliter itaque delinquit, quiſquis interdicente lege concupiſcit. Non eſt ergo carnis concupiſcentia quam lex nobis interdicit, quippe quæ niſi per mortem nobis auferri non poteſt. Sed animi concupiſcentia duntaxat interdicitur, quæ ſola noſtri arbitrij eſt & quam elicimus noſtra ſponte. Sed ſi vis tam dilucidam huius rei rationem audire, vt nemo niſi pertinaciſſimus non admittat, hanc accipe. Tria ſunt in nobis, vt iam pridem recenſuimus, caro, ſpiritus, & anima. Hoc tametſi tu non probes, tamen Origenes, Hieronymus, & Auguſtinus, ac cæteri quique confitentur. Sed & Paulus ipſe Theſſalonicenſibus ſcribens, ait: Vt integer Spiritus veſter, & anima & corpus, ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Sed & Chriſtus item horum meminit. Spiritus, inquit, promptus eſt, caro autem infirma. Et paulò antè. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Velis nolis, Luthere, ſic iſta ſe habent, nec potes, niſi quàm impudentiſsimè negare, quod cum interpretes vnanimiter, tum ſacræ quoque literæ conſtanter aſſerunt. Tria ſunt igitur in nobis, ſpiritus, animaque, & caro. Multa ſpiritus facit, quæ non toti homini tribuuntur, præſertim cum animus ipſe renititur, vt exempli cauſa, cùm animus carnis deſideria ſequitur, obmurmurat ſpiritus, & arguit delinquentem. Hoc delictum toti homini imputatur, verùm haud ità delicti quoque reprehenſio. Similiter & cum animus ſpiritui ſe coniungit, libenterque facit ea quæ mouet ſpiritus, iam licèt interim concupiſcat caro, non ob id aſcribenda eſt hæc concupiſcentia toti ipſi homini, ſed eius magis amolitio, quàm animus facit ſpiritui copulatus, toti homini tribuenda eſt. Id ergo dicitur homo verè concupiſcere, quod animus vel carni, vel ſpiritui addictus, concupiſcit. Neque enim ſimul vtrique inſeruire poteſt. Prohibet ergo lex non carnem, non ſpiritum, ſed animum, hoc eſt, ipſum hominem, ea quæ carnis ſunt concupiſcere. Nam ſi quæuis carnis concupiſcentia peccatum eſſet, Chriſtus, cuius caro vitam contra patris inſtitutum concupiuit, haud dubiè peccaſſet. Reluctabatur enim eius caro mandato patris, & mortis calicem refugit: quem tamen pater eum bibere voluit omnino, & miſit eum in mundum illius rei gratia.

Tria ſunt in homine: caro ſpiritus & anima.

1. Theſ. 5.

Matt. 26.

Si quæuis carnis concupiſcentia peccatum eſſet, peccaſſet & Chriſtus.

LVTH. *Quod ſi hoc vno loco ſic licet verbis Dei abuti vt peccatum, non peccatum dicamus, quomodo reſiſtemus negantibus in vniuerſum omnia peccata in tota ſcriptura dicenti, quòd adulterium homicidium, idololatria quoque non ſit peccatum, ſed defectus & pœna peccati? Si ergo huic reſiſti debet, oportet vt peccatum ſimpliciter, præſertim vbi legis prohibitio adducitur, cuius comparatione probetur, accipiatur pro vero peccato, aut eludemus totam ſcripturæ auctoritatem.*

EPIS. Quouſque ſe extendat legis prohibitio, ſatis antè diximus, ſi quicquam ſatis eſſe poteſt. Sed & cùm fomitem dicimus non eſſe peccatum, ſecundum veram peccati rationem (quanquam Paulus ipſum vocet peccatum) non magis Dei verbis abutimur, neque ſcripturæ totius auctoritatem eludimus, quam negantes Chriſtum ſecundum veram peccati rationem peccatum eſſe, cùm tamen Paulus affirmet, ipſum pro nobis peccatum eſſe factum.

Fomes vere peccatum eſt quemadmodum & Chriſtus.

LVTH. *Non eſt enim pœna, ſed culpa, quando dicit, concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, non concupiſces. Ergo qui concupiſcit (ſicut omnis facit baptizatus) ſcit ſe lege magiſtra, contra quam facit, verè peccare.*

EPIS. Liquet ex ſuperioribus, ſi concupiſcentiam intelligas eam, quæ ſolius carnis eſt, ſublato reatu non culpam eſſe, ſed pœnam duntaxat. Sin animi cōcupiſcentiā intellexeris, culpa eſt haud dubiè. Cùm animus concupiſcit, hoc eſt, concupiſcentiæ carnis aſſentitur, tum ipſe homo propriè dicitur concupiſcere, & legem tranſgredi.

Cum animus concupiſcit, homo dicitur concupiſcere.

Quo-

Quoniam quiſquis ad hunc modum concupiſcit, is legi penitus aduerſatur.

LVTH. *Et mire placet ab Apoſtolo adductum craſsiſsimum genus peccati, quod in nouiſsimo ſenſu tactu omnes ſentiunt. Quomodo enim perſuaſiſſet intentiones & opiniones cordis peccata eſſe ijs qui nondum perſuaderi volunt, concupiſcentiam eſſe peccatum, & contra craſsiſsimum ſenſum experientiæ, & apertiſsimam legem ſapiunt.*

EPISC. Craſsiſsimum procul dubio ſenſum habere mihi viſus eſt, quiſquis ea peccata iudicat, quæ nihil habent voluntatis, cum tam ſæpe clament auctores, nihil peccatum eſſe, quod non ſit voluntarium, quodque peccatum ex ſola voluntate pendeat.

LVTH. *Nam quem non facit reum iſta lex: Diliges Dominum ex toto corde tuo? Quis non parte aliqua magna ſe ipſum diligit? Verùm ſciebat Apoſtolus hoc præceptum ſublimius eſſe, quàm vt inexercitati capere poſſent, ideo aſſumpſit, quod præſumpſit, non poſſe negari ab ipſis, nempe ù omnium ſenſu cognitum.*

EPISC. Hoc vbique video te moliri, vt præcepta ſeruare, nobis impoſsibile ſit, cum tamen Hieronymus palam pronunciet: Anathema fore, quiſquis dicit Deum præcepiſſe quicquam impoſſibile. Nec Hieronymus modò, verumetiam Ioannes Apoſtolus affirmat, non eſſe grauia mandata Dei. (*1. Ioan 5.*) At quomodo grauia non erunt, quæ nemo poteſt vllo pacto ſeruare? Quis enim paſſiones peccatorum in carne non ſentit? (*1. Ioan. 2.*) Quis nullam omninò carnis concupiſcentiam patitur? Quomodo igitur graue non erit hoc mandatum, ac longè difficillimum, quo nobis mandatur, vt caro non concupiſcat. Adde, quod idem Ioannes in eadem epiſtola mendacem aſſeruerit eum, quiſquis dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit. Et Paulus clamat: Circunciſio nihil eſt, & præputiũ nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. (*1. Cor 7.*) Sed & Chriſtus ipſe negat patere cælum ijs, qui mandata non ſeruauerint: (*Mat 19.* *Ioan. 14.*) Si vis, inquit, ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et rurſum. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Quis ergo tam perfrictæ frontis eſt, vt neget ea, quæ nobis a Deo mandata ſunt, ſeruari poſſe? Verùm ſi per concupiſcentiam carnis duntaxat concupiſcentiam intelligamus, & eam hoc præcepto: Non concupiſces prohibitam, quia non perſpicit hoc præceptum omni fermè momento violari, neque vnquam ſeruari poſſe? Non igitur ſolius carnis concupiſcentia, quæ nobis hoc mandato. Non concupiſces. interdicitur. At Lutherus hoc diuerticulo ſuam ſententiam tueri conatur, quod præceptum aliquod eſt, quod à nemine pro hac vita poteſt adimpleri, nempe iſtud. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua. Cui ego reſpondeo aliud eſſe hoc præceptum adimpleri, aliud non violari. Fieri quidem poteſt, vt hoc præceptum non violetur, cum tamen pro hac vita valeat à nemine perimpleri. Quæ res vt fiat dilucidior, aduertendum eſt & duplicem eſſe dilectionem, quemadmodum & vitam, ac pacem, & ſanitatem, cæteraque id genus, pridem oſtendimus eſſe duplicia. Vna quidem eſt remiſſior, qua Deum in hac vita pro viribus, ſed tamen fractis, & impeditis, diligere nitimur: nempe reluctantes contrarijs affectibus, qui nos ab hac dilectione reuocare moliuntur. Nunc enim ignorantiæ malum in intellectu patimur, obliquitatis in voluntate, obliuionis demum in corde, vt nemo plenè & conſummatè diligat ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Nec Paulus ipſe quidem quod & Auguſtinus teſtatur libro 1. contra Pelagianum capite 11. Hæc, inquit, charitas adhuc etiam in tanto Apoſtolo, de die in diem profectò augebatur, quamdiu homo eius interior de die in diem renouabatur, perficienda ſine dubio, vbi iam non poſſet inflari. Hæc Auguſtinus. Eiuſmodi igitur dilectionem in patria perfectam expectamus, quando malis ijs, quæ nobis ex fomite quotidie ſuppullulant, ſublatis, Deum noſtrum facie ad faciem contuebimur. (*Deum præ cæteris diligere in hac vita ſufficit.*) Quamobrem & ad mandati huius obſeruationem, quantum ad hanc moribundam vitam attinet, non plus exigitur, quàm vt Deum præ cæteris diligamus, nihilq; amemus, quod non ad ipſum referatur, neq; vllum deniq; contrarium huic affectum, noſtros animos occupare ſinamus. Quiſquis ad hunc modum pro hac vita Deum diligit, mandatum hoc ſeruare putandus eſt, tametſi non penitùs ipſum adimpleat. Cæterũ iſtud aliquantò fiet illuſtrius hoc exemplo: Si cuipiam onuſto graui pondere, iuſſum fuerit, vt omnibus viribus, & omni qua poteſt celeritate, montem conſcendat, is, ſi conatum debitum adhibuerit, nihil moratus, præceptum haudquaquam violare, ſed verè ſeruare putandus eſt. (*Elegantiſsima comparatio.*) Veruntamen quia depoſito pondere multò celeriùs id feciſſet, idcirco non penitùs adimpleuit. Pondus enim obſtitit, quò minus liberè vires omnes ad negotium celerrimè perficiendum exerceret. Sic & cùm præcipiatur nobis, vt Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & Deum ex omnibus viribus diligamus, iam corruptibile corpus vſqueadeò grauat animam, tantoque premit onere, vt nequeat plenam impendere dilectionem, ac proinde non iam adimplemus præceptum hoc. Veruntamẽ ſi conemur pro virili noſtra, contrarium omnem affectum ex animis reijcere, id ſatis fuerit ad mãdati huius obſeruantiam, vt ipſe defectus adimpletionis, nequaquam ad peccatum nobis imputetur. In qua re vel Auguſtinum, cui iſte maximè in hac ſententia nititur, audiamus. Is de Spiritu & litera negotiũ hoc tractans ita dicit. Neq; enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenè perfectæque debetur, iam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim, nondum totam aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamuis longè minùs amet Deũ quàm eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum, ſicut etiam in ijs quæ adiacent ſenſibus corporis, poteſt oculus nullis tenebris delectari, quamuis nõ poſſet in fulgentiſſima luce defigi: Hæc Auguſtin. (*Comparatio Aug.*) Ex quibus patet, quod non eſt culpæ nobis deputandum, ſi non in hac vita conſummatam

Comparatio Aug. illam dilectionem habuerimus, modò fugierimus illicita quæque. Nos enim hìc à mortalibus culpis per gratiæ adiutorium abſtinere poſſumus, quemadmodum oculus, qui tametſi fulgentiſſimam lucem ferre non poſſit, poteſt tamen non affici tenebris. Atque ita nos quanquam nequeamus ſummum iſtum perfectionis gradum adipiſci, cauere tamen poſſumus, ne quicquam noſtra ſponte committamus, quod hanc dilectionem impediat. Sed & idem Auguſt. alibi locis pluribus teſtatur Deum non præcepiſſe quicquam impoſſibile vt in ſermonibus de tempore 61. Deus, inquit, nec impoſſibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius eſt. Hoc expende Luthere, & planè perſpicies, Auguſtinum haud ſenſiſſe, vel carnis concupiſcentiam nobis omninò eſſe vetitam, quippe quam vitare nullo modo poſſumus; vel plenam illam dilectionem à nobis exigi, quam neque pro præſenti vita præſtare nobis vllo pacto ſit poſſibile.

LVTH. *Videamus autem, qua ratione moueantur, vt negent peccatum dici reliquam baptiſmo libidinem. Dicunt enim baptiſmi iniuriam eſſe, ſi non omnium peccatorum tribueretur remiſſionem, ſicut habet fides catholica Eccleſiæ, & ſanctum Euangelium. Si ergo remiſſa ſunt omnia peccata, quod reliquum eſt peccatum dici non debet.*

EPISC. Et rectè nimirum aiunt. Nam huic rationi tam Eccleſiæ catholicæ, quàm patrum omnium orthodoxorum auctoritas ſuffragatur, adeoque ipſum Euangelium ſuperius à patribus citatum.

LVTH. *Reſpondeo, quid hic dicere poſſum, niſi quod vrgentibus eodem argumento Pelagianis Auguſt. dixit ſcilicet peccata remitti, quoad reatum ſed non quo ad actum. ſeu vt ipſius verbis vtar peccatum iſtud reatu tranſit actu manet. Sicut enim (vt idem inquit) aliquod peccatum tranſit actu & manet reatu (ſicut ſunt omnia actualia) ita econtra hoc originis peccatum tranſit reatu & manet actu. Ecce non negat eſſe peccatum, nec dicit ſolum defectum aut pœnam eſſe, ſed peccatum actu & vere eſſe.*

EPISC. Non rectè citas Auguſtinum, Luthere, imò tribuis ei, quod ipſe nunquam, aut ſcripſit, aut dixit. Nam vbique negat, in baptizatis manere peccatum actu. Scripſit vtique aduerſus Pelagianos plurima. Nec tamen alicubi reperies ab eo dictum, poſt baptiſmum manere peccatum actu. Non negat certè concupiſcentiam actu manere, ſed illam vbique (ſublato reatu) conſtanter affirmat non eſſe peccatum. Sæpenumero comparationem facit, originalis ad actuale peccatum, & docet quemadmodum in actualibus peccatis actus ipſi tranſeunt, manente reatu, ita in baptizatis manere concupiſcentiam, tranſeunte reatu. Sic enim verba Auguſtini ſe habeant; primo de nuptijs & concupiſcentia, quem locum etiam ſuprà citauimus. Sicut eorum peccatorum, quæ manere non poſſunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum manebit; ſic illius quando remittitur, reatus aufertur. Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. Hactenus ille. Ecce non dicit manere peccatum, ſed manere concupiſcentiam, dimiſſo reatu. Ad hæc, lib. 1. capite decimotertio contra duas epiſtolas Pelagianorum de concupiſcentia loquens ait: Hæc etiam ſi vocatur peccatum non vtique peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur, ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit: peccata autem ſunt, quæ ſecundum carnis concupiſcentiam vel ignorantiam, illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur. Quæ tranſacta, etiam reos tenent, ſi non remittantur. Et iſta ipſa carnis concupiſcentia in baptiſmo ſic dimittitur, vt quanquam tracta ſit à naſcentibus, nihil noceat renaſcentibus. Ex quibus tamen, ſi filios carnaliter gignunt, rurſus trahitur, rurſuſque eſt nocitura naſcentibus, niſi eadem forma renaſcentibus remittatur, & inſit nihil obfutura vitæ futuræ, quoniã reatus eius generatione tractus, generatione dimiſſus eſt. Et ideo iam nõ ſit peccatũ, licèt hoc vocetur, ſiue quòd peccato facta ſit, ſiue quòd peccãdi delectatione moueatur, ſi ei vincẽte delectatione iuſtitiæ, nõ cõſentiatur. Ecce & hìc aſſerit, quæ verè dicenda ſunt peccata, nẽpe quæ per cõſenſum mentis, ſecundũ carnis concupiſcentiam aut ignorantiam, illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur. *Quæ verè peccata dicantur.* Concupiſcentiam autẽ ipſam non eſſe peccatum cõſtanter aſſerit, eam tamẽ dimiſſo reatu manere, nec vitæ futuræ quicquã obeſſe, poſtquam reatus fuerit dimiſſus apertè confitetur. Et rurſum contra Iulianum Pelagianum libro ſexto, capite 5. ſic ait: In baptiſmo remittuntur quidem cuncta peccata, ſed remanent carnalium concupiſcentiarum mala. Ecce non manet peccatum, ſed manet concupiſcentiæ malum. Et paulò poſt in eodem: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Mutatos eos dixit in melius, non vt ea ſcilicet concupiſcentia carerent, id quod in hac vita fieri non poteſt: ſed vt ei non obedirent, quod in bona vita fieri poteſt: atque vt ab eo, quo erant vinculo eius obnoxij, liberatos ſe eſſe cognoſcerent, quod niſi regeneratione fieri non poteſt. Tu autem qui putas, quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multũ erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planiùs ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Hæc Auguſtinus. Quibus verbis affirmat, baptizato dimiſſum eſſe reatum, & eundem carere peccato, quanquam non careat concupiſcentiæ malo. Et cap. 8. eiuſdem libri: Dixi ſanè quomodo manent peccata reatu, quæ prætereunt actu, ſic econtrariò fieri poteſt, vt concupiſcentia maneat actu, & prætereat reatu. Quod error quidem tuus falſum eſſe dicit, ſed veritas verum eſſe conuincit. Hactenus ille. *Reatus tranſit, concupiſcentia manet actu, non peccatum.* Ecce reatus tranſijt, concupiſcentia manet actu, ſed non peccatum actu. Et iterum in eodem capite: Ego enim de cõcupiſcentia dixi, quæ eſt in membris, repugnans legi mentis, quàmuis reatus eius in omnium peccatorum remiſſione tranſierit, ſicut econtrariò, ſacrificium idolis factum, ſi deinceps non fiat, præterijt actu, ſed manet reatu, niſi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale *Comparatio elegans.* eſt ſacrificare idolis, vt opus ipſum cum ſit, prætereat,

Luth. Auguſtino tribuit, quod nunquam ſcripſit.

tereat, eodemque præterito, reatus eius maneat, venia reſoluendus. Tale eſt carnis concupiſcentia, vt maneat in homine ſecum per continentiã cõfligente, quamuis eius reatus, qui fuerat generatione contractus, iam ſit regeneratione tranſactus. Ecce reatu tranſacto, manet concupiſcentia, & non peccatum. Et paulò pôſt: Qui reatus (quamuis eo manente malo) ſoluitur in remiſſione omnium peccatorum per Dei gratiam, qua liberamur ab omni malo. Cum Dominus non ſolùm propitius ſit omnibus iniquitatibus noſtris, verumetiam ſanet omnes languores noſtros. Ecce manente concupiſcentiæ malo, reatus ſoluitur, & remiſſio & peccatorum fit. Sed vide quàm apertiſſimè ſcripturam introducit, ſubdẽs. Dominus in Euangelio: Ecce, inquit, eycio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertio die conſummor, Poſt multum tempus (quam hoc dictũ eſt) paſſus fuit Dominus, mentiri non potuit. Intelligitur ergo ſic: Expulſio dæmoniorum, remiſſio peccatorum eſt, eo vtiq; quo diabolus peccatorum pater atque origo ſit. Per id enim quod efficitur, id quod efficit intelligitur. Et vtiq; expulſio dæmoniorũ remiſſio peccatorũ eſt, tanquam reſoluta cauſa, per quam hominis animam poſſidebat. Perfectio ſanitatẽ dum de die in diẽ proficit Eccleſia, & corruptionis (cuius reatus ablatus eſt) paſſio, quotidiana renouatione minuitur. Tertiò conſumatur dum reſurrectionẽ in ſeipſo initiandã monſtrauit Eccleſię, qua ad corruptionis conſummationẽ ſummãq; perueniat ſanitatẽ. Hęc Aug. Vbi primùm dicit expelli dæmonia, & remiſſionem fieri peccatorum. Deinde concupiſcentiam, cuius reatus iam ſublatus eſt, quotidie minui. Tertiò conſummati, & perfici nouitatem, ac ſanitatem plenam. Id quod multò apertiùs dicit. 2. lib. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 27. Illud namq; præcipuè propter quæſtiones, quæ de hac re motæ ſunt, vel moueri adhuc poſſunt, attendere & meminiſſe debemus, tantũmodo peccatorum omnium plenam perfectamque remiſſionẽ baptiſmo fieri, hominis verò ipſius qualitatem, non totam cõmutari, ſed ſpiritales primitias in bene proficientibus de die in diem nouitate creſcente commutare in ſe, quod carnaliter vetus eſt, donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem ſpiritalem incorruptionemque perueniat. Ecce & hìc fatetur Auguſtinus, in baptiſmo plenam atq; perfectam omnium peccatorũ fieri remiſſionem. Et quantum ad reatum, ſequenti capite dicit: Quamdiu ergo manet lex concupiſcentialis in membris, manente ipſa, reatus etiam ſoluitur, ſed ei ſoluitur qui ſacramentum regenerationis accepit, renouarique iam cœpit. Ecce per baptiſmum reatus ſoluitur, manẽte in membris lege concupiſcẽtiali. Et ſubdit paulò pôſt: Nec miraris quòd dixi, manẽte cõcupiſcentialiter lege peccati reatũ eius ſolui per gratiã Sacramenti. Sic enim facta & dicta & cogitata iniqua, quantũ ad ipſos motus animi & corporis pertinet, iam prętererũt, & nõ ſunt. Eis tamẽ prętèritis, & non iam exiſtentibus reatus eorũ manet, niſi peccatorũ remiſſione ſoluatur. Sic contrà in hac, nõ iam prętèrita, ſed adhuc manente lege cõcupiſcentię, reatus ſoluitur, & nõ erit, cùm ſit in baptiſmo plena remiſſio peccatorũ. Ecce peccata plenè remittuntur, & reatus concupiſcentiæ ſoluitur, manente lege cõcupiſcentię. Et tandem in calce ſubiungit Auguſtinus: Sicut ergo non mirum eſt, prætèritorũ factorum atq; dictorũ reatum manere ante peccatorũ remiſſionẽ: ſic contrà, non debet eſſe mirũ, manentis concupiſcentiæ reatum prętèrire, poſt peccatorũ remiſſionẽ. Ecce per miſsionem peccatorũ reatus concupiſcentię præterit, manente concupiſcentia, ſed non manẽte peccato. Nec profectò vſquã in Auguſtino legiſſe memini, peccatũ manere poſt baptiſmũ. Et ſi aliquando legatur, oportet intelligi, pro peccato impropriè dicto, ad eũ certè modũ, quo toties ipſe meminit ſcripturam dici manum, & locutionẽ linguã. Cæterùm quia Paulus concupiſcentiã peccatum vocat, vt ad Ro. 6. Non regnet peccatũ in veſtro mortali corpore: ſic ſimiliter & varios eius motus appellat fornicationem immũditiam, libidinẽ, concupiſcentiam malam, & auaritiam. Nam ad Coloſ. ita ſcribit: Mortificate mẽbra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationẽ, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiã. Ecce quibus nominibus Paulus vocat concupiſcentiæ motus, & tamen ſi quis rogaſſet Paulũ, an in ipſis Coloſſenſibus eiuſmodi peccata fuiſſent, negaſſet prorſus: Nam proximè ſuperiùs aſſeruit his Coloſſenſes fuiſſe mortuos. Nõ intellexit ergo Paulus in Coloſſenſibus fornicationẽ, aut auaritiã, aut immũditiam fuiſſe: ſed horũ ſtimulos, quos & iuſsit ipſos mortificare. Atq; ita Paulus fomitem, & concupiſcentiam peccatũ vocat, quoniam vel ex primi parẽtis peccato prouenerit, vel ad peccati cõſenſum impellat, nõ quòd verè peccatũ ſit, ſecundum ipſam verã peccati rationẽ, vt ſæpè diximus.

Expulſio dæmoniorum, peccatorum remiſſio.

In baptiſmo plena omniũ peccatorum remiſſio.

Peccata in baptiſmo remitti volunt remanere sublatum, manente lege carnali.

Coloſ 3.

LVTH. *Rurſum dicent, at nos reatum hunc propriè vocamus peccatum, non illud quod remanet.*

EPISC. Et hìc rurſum obijcit Lutherus, nõ vt reſpondeat, ſed vt cauillis elabatur, vt profectò dicũt qui id dicunt, neq; aliter quàm hoc dicto potuit Auguſtinus Pelagianos conuellere. Reatus hìc propriè vocatur peccatũ, at neutiquam peccatum eſt ipſa quę remanet (ſublato reatu) concupiſcentia. Poſsũ pro hac re, locos innumeros ex Auguſtino citare, præter eos quos protuli. Verùm ita Lutherus omnem exuit pudorem, vt nihil iam eum pro ſuæ hęreſis defenſione, pudeat, vel mendacia cõfingere, & quod Pelagiani fecerunt, tanto patri imponere, quę nunquã dixerat. Illi certè (quemadmodũ ad Bonifacium ſcribit idem Auguſtinus) de Chriſtianis talia falsè confinxerũt. Dicunt (inquit Pelagianus quidam) Chriſtiani baptiſmã non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, vt omniũm peccatorum radices, in mala carne teneantur. Cui reſpondet Auguſtinus: Quis hoc aduerſus Pelagianos niſi infidelis affirmet? Dicimus enim baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccato-

Vulpina Lutheri aſtutia.

Pelagianorum hæreſis.

peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Hæc Auguſtinus, & tam apertè, vt vix cogitari quicquam poſſet apertiùs. Et paulò pòſt de concupiſcentia loquens: Hæc inquit, ſi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur, ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit. Hæc ille. Puderet me profectò toties hæc inculcaſſe, niſi quò cerno tantam hominis huius eſſe pertinaciam, vt niſi res cunctis dilucidiſſima fiat, ipſe nunquam agnoſcet.

LVTH. *Reſpondeo, in re iſta ſeria & ſacra non licet argutijs ſophiſticis cauillari, quibus effingunt reatum eſſe reſpectum inter Deum & peccatorem, quo hic deputatur ad pœnam. Iniuria eſt gratiæ Dei, ſi ſolum iſtum phantaſticum reſpectum tollere doceatur, cum vt ſcriptura loquitur, gratia Dei renouet, mutet, & in nouos homines transformet de die in diem, & res iſta seriò agatur, non reſpectibus tollendis, ſed ſubſtantia & vita mutanda.*

EPISC. Iam cum ipſe ſtrophis, & cauillis maximè vtitur, alios dicit argutijs ſophiſticis cauillari. Verùm ad has argutias adactus fuit Auguſtinus, cùm aduerſus Pelagianos conflictaretur, vt liquet libro ſexto contra Iulianum capite octauo. Vbi cum oſtenderit, quòd in baptiſmo reatus concupiſcentiæ per peccatorum omnium remiſſionem penitus abluitur, remanente nihilominus ipſa concupiſcentia, ſicut in peccato idololatriæ, tranſeunte actu, manet reatus, mox differit. Quid ſit reatus ipſe, ſubſtantiá ne an accidens? Et ſi accidens fuerit, in quo ſubiecto maneat. Cæterùm Auguſtinum ipſum audiamus. Sed quæſo te, inquit, cum & ipſe concedas, peccati facti, atque tranſacti, reatum manere, niſi ſacro fonte diluatur, dic mihi reatus iſte quis ſit, & vbi maneat, iam homine correcto, rectéque viuente, nondum tamen remiſſione liberato? Subiectum eſt reatus iſte, id eſt, ſubſtantia, ſicut ſpiritus, ſicut corpus? an in ſubiecto ſicut febris, aut vulnus in corpore, ſiue auaritia, vel error in animo? In ſubiecto eſſe dicturus es. Neque enim reatum affirmabis eſſe ſubſtantiam. In quo igitur tibi videtur eſſe ſubiecto? Cur quæram quid reſpondeas, & non potiùs verba tua ponam? Actu, inquis, prætereunte, manet eius reatus, in illius conſcientia qui deliquit, donec dimittatur. Ergo in ſubiecto eſt, hoc eſt, in animo eius qui deliquiſſe ſe meminit, & ſcrupulo agitur conſcientiæ, donec fiat delicti remiſſione ſecurus. Quòd ſi obliuiſcatur ſe deliquiſſe, nec eius conſcientia ſtimuletur, vbi erit reatus ille, quem tranſeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non eſt certè in corpore, quia non eſt eorum accidentium, quæ accidunt corpori. Non eſt in animo, quia eius memoriam deleuit obliuio. Et [illegible] eſt. Vbi eſt igitur, cum iam benè viuat homo, n[illegible] committens? Nec dici poſſit, eorum peccator[illegible], eius reatum manere qui meminit, eorum verò, qui oblitus eſt, non manere. Manet omninò donec remittatur. Vbi ergo manet, niſi in occultis legibus Dei, quæ conſcriptæ ſunt quodammodo in mentibus angelorum, vt nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis mediatoris expiauerit, cuius ſigno crucis conſecratur vnda baptiſmatis, vt ea diluatur reatus, tanquam in chirographo ſcriptus in notitia ſpiritualium poteſtatum, per quas pœna exigitur peccatorum? Huic chirographo naſcuntur obnoxij omnes in carne, de carne carnaliter nati, eius ab hoc debito ſanguine liberandi, qui in carne quidem, & de carne, non tamen carnaliter, ſed ſpiritualiter natus eſt. Hæc Auguſtinus. Vides iam quemadmodum Auguſtinus de reatu diſquirit, & vrget Pelagianum, vt fateatur vel ſubſtantiam, vel accidens eſſe. Et ſi accidens eſſe conceſſerit, vt dicat in quo ſubiecto ſtatuendus ſit. Neque enim ſine ſubiecto poteſt accidens ſuapte natura ſubſiſtere. Cæterùm vbicunque fuerit, ſiue in occultis Dei legibus, ſeu in mentibus angelicis, ſeu in pectore peccatoris, per regenerationis lauacrum hauddubiè tollitur. Neque id dicentes iniuriam aliquam faciunt gratiæ Dei, quin potiùs eam extollunt & euehunt, aſſerentes per eam baptizatos, iam verè, quantum ad animam, regeneratos eſſe, renouatoſque & ſanctificatos, atque iuſtificatos & nihilominus per eandem dum fomes indies minuitur, eoſdem de die in diem transformari, donec in eis tandem regeneratio, renouatio, ſanctificatio, iuſtificatio, conſummata completaque fiat.

Diſceptatio Aug. de reatu.

Vbi reatum conſiſtit.

Nam ideo corpus mori & incinerari oportet, vt peccatum expurgetur, verus eſt morbus & ſerius, qui tam ſeriam & potentem exigit medicinam. LVTH.

Non vt peccatum expurgetur, præſertim in paruulis, vbi nullum remanet à baptiſmo peccatum ſed vt peccati fomes expietur penitus. Neque morbum hunc eſſe tibi facile conceſſerim, ſed vt Auguſtini verbo vtar, languorem quendam appellârim potiùs. EPISC.

Hæc ipſa enim gratia noui teſtamenti & miſericordia Dei eſt, quòd quia geniti ſumus verbo veritatis, & renati baptiſmate, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, interim fauor Dei nos ſuſcipit & ſuſtinet, non imputans ad mortem quod reliquum eſt peccati in nobis, licet verè peccatum ſit & imputari poſſit, donec efficiamur perfectè noua creatura: ad finem enim purgationis patris miſericordia reſpicit, propter quem inter medias peccati immunditias ſtatuit miſericorditer ignoſcere, donec penitùs aboleantur. LVTH.

Nunquam aſſequêris Luthere meo iudicio veritatem, quamdiu promiſcuè res ad hunc modum baſce confundis. Nihil enim diſtinguis inter regenerationem vnam aut alteram, nihil inter concupiſcentiam & peccatum, nihil inter veniale peccatum, & mortale. Neque enim dubium eſt cuiuis erudito, quin factus ſit per baptiſmú Chriſtianus initiú aliquod creaturę Dei, hoc eſt, noua per gratiam inchoatus ſit creatura. Verùm hanc creationem facilè perdit, admiſſo lethali crimine, quo fit vt reuertatur ad diaboli ſeruitutem. Amiſit enim regenerationem quam priùs accepit, neque Dei iam, ſed diaboli filius efficitur. Non ita tamen, quòd oporteat eum denuo baptizari, ſed pœnitentiæ Sacramento, iam veniale. EPISC.

Nihil opus ſacramento pœnitentiæ propter peccata iam venialia.

iam ſatis ei fuerit reconciliari, qua & gratiam amiſſam illico recuperabit. Cæterùm nihil opus erit hoc fieri propter veniale peccatum, aut propter manentem poſt baptiſmum fomitem, quem gratia quotidie minuit, & purgat, donec totius hominis fiat perfecta conſummataque nouitas.

LVTH. *Hoc Apoſtolus Romanorum 8. ſic dicit: Nihil ergo damnationis eſt in eis, qui ſunt in Chriſto Ieſu qui non ſecundum carnem ambulant. Non ait: Nihil peccati in eis eſt, cum præcedente capite peccatum aſſeruiſſet, ſed nihil damnationis.*

EPISC. Quomodo concupiſcentia manente reatu, peccatum dicitur, & quomodo ſublato reatu peccatum nullum eſt, ſæpe iam pridem diſſeruimus, ſed & tuum iſtud argumentationis genus negatiuum ſæpiùs exploſimus. Non dixit, inquis, Paulus, Nihil peccati in eis eſt, ſed nihil damnationis: Ex hoc parum dialecticè colliges, concupiſcentiam eſſe peccatum, ſecundum veram peccati rationem. Imò contrarium magis. Nam rectè ſequitur: Nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu: Ergo nihil peccati ſecundum veram rationem peccati. Cum quicquid hoc modo peccatum ſit, reum conſtituat & damnationi obnoxium quemcunque, qui ſic peccatum habuerit in ſemetipſo.

LVTH. *Quia etſi ſit peccatum in eis, non nocet, duplici iure: Primo quia ſunt per fidem in CHRISTO Ieſu, quo mediatore eis ignoſcitur, quicquid peccati ineſt.*

EPISC. Magna profectò caligine rem iſtam inuoluis, cum dicis peccatum eis non nocere, quia ſunt per Fidem in Chriſto Ieſu, quo mediatore eis ignoſcitur. Nam quid per iſta velis, ego certè vix intelligo. Aut enim opinaris manere peccatum poſtquam ei Deus ignouerit, aut deleri funditus? Si manet qualia (te precor) eſt hæc venia? Quòd ſi funditus deleatur, quomodo fieri poteſt, vt in ijs quibus venia data eſt, adhuc permaneat? An

Act. 4. non ita mendacem conſtituis Petrum, qui peccata delenda conuerſis pollicetur: Vt deleantur, inquit, peccata veſtra. Dic mihi qua ratione deleantur peccata, ſi permanſerint adhuc in eius animo, cui talis pollicitatio facta eſt, vt delerentur.

Esa. 44. Immò Deum ipſum mendacij reum facis, qui dixit: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua. Profectò ſi peccata velut nebula deleantur, iam non manent. Falſum eſt igitur, quòd poſt veniam peccatum manet.

LVTH. *Secundò, quia non ſecundum carnem ambulant, id eſt, pugnant contra peccatum vt extinguant, quo ſtudio quia meriti habent peccatum in ſe, pro non habentibus Deus illos habet, non tamen niſi gratuita miſericordia, ne ſuperbiat quiſquam in oculis Dei de meditata ſua, ſed in humilitate ſua miſeria fruatur.*

EPISC. Sed & hæc ratio paucis labefactabitur. Si enim pro non habentibus peccatum, Deus illos habet, qui contra peccata ſua pugnent, certè nec imputabit eis peccatum. At Deum non imputare cuiquam peccatum, eſt eidem remittere & ignoſcere penitùs. Ignouit ergo Deus & illis omnino peccatum. Quòd ſi Deus illis omnino peccatum ignouerit, quomodo adhuc manere peccatū putabitur? niſi mentiri Deum dixerimus: qui cum ignoſcat peccatoribus, eorū etiam peccata quaſi nebulam ſe delere teſtatur. An nō facilè quiuis intelligit quid ſit delere quaſi nebulam?

Nam imputare peccatum, eſt peccatum remittere.

LVTH. *Hoc ſenſu 1. Ioan. 5. dicit: Scimus quoniā omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſeruat, & malignus non tanget eum. At omnis qui credit quonia Ieſus Chriſtus ex Deo natus eſt, vt ibidem dicit. Ita ſimul verū eſt, iſtē non peccare, & tamen peccatū habere ſeu malū facere.*

EPISC. Ex eo quod D. Ioannes obſcurè ſcripſit, tu colligere moliris, id quod multò quidem eſt obſcurius. Poſſumus nimirum ex Ioanne vtcunque ſenſum aliquem capere. At quomodo ſimul in nobis peccatum ſit, & non ſit, quemadmodū tu colligis, nullus opinor capere poteſt intellectus. Ioannes (ſi tamen Auguſtino credendum ſit) non de quouis peccato loquitur, ſed de quodam certo, nempe illo quod eſt contra mandatum dilectionis, vt ſit ſenſus: Qui eſt ex Deo, hoc eſt, quamdiu ſeruat hoc ſemen, & hanc in ſe regenerationem (de qua D. Ioannes ipſe loquitur) non habet hoc peccatum, nempe fraterni odij, aut non peccat hoc ipſo peccato. Nam ſuprà dixerat: Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. Et hunc loquendi tropum non ſemel vſurpârunt ſcripturæ. Nam idem Ioannes alibi teſtatur Chriſtum de Iudæis dixiſſe, Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nec poteſt hoc de quouis intelligi peccato, ſed de certo quodam nimirum infidelitatis. Ioannes igitur non de quouis hic peccato loquitur, ſed de odij in fratrem ſolo. Et quamuis hoc peccato careat qui natus eſt ex Deo, nihil prohibet eundem in alijs minutis offendere, quemadmodum & Iacobus ait: In multis offendimus omnes. Et certè non diſſimiliter Ioanni loquitur ipſe Iacobus, cum duo ſimul hæc affirmet. Qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus, & in multis offendimus omnes. Neque enim cenſet eos (qui iuſtificati ſunt) omnium reos eſſe, nec tamen aſſerere dubitat eoſdem in multis offendere. Non igitur illud vnum de quo dicit: Qui autem offenderit in vno, factus eſt omnium reus, de quouis accipiendum eſt peccato, ſed de certo quodam, quemadmodum & Ioannes de certo quodam intelligit, nimirum de charitate. Cæterùm quòd iuſtus ſimul peccet & non peccet, aut eodem momento peccatum habeat, & non habeat, nunquā Luthere comprobabis. Nam fugiunt iſta ſenſum & rationem omnem.

1 Ioan. 3.

Ioan. 15.

Iacob. 3.

Iacob. 2.

LVTH. *Concludamus ergò cum pulcherrimo verbo Auguſtini, peccatum, inquit, remittitur in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Ecce eſt & remanet peccatum, ſed non imputatur.*

EPISC. Dignum certè patella (vt in prouerbio eſt) hoc operculum acceſſit, nempe pudendum errorem mendacio concludit apertiſſimo, vbi (te quæſo) dixerat hoc Auguſtinus? Cita locum, quod & hauddubiè feciſſes, modò res ita haberet. Non vtique peccatum Auguſtinus manere dicit in baptizatis, ſed concupiſcentiam, quam & creberrimè negat peccatum dici, niſi quomo-

Dignum patella operculum.

quomdo ſcriptura manus dicitur, & loquutio lingua, nempè quoniam in nobis peccato facta eſt. Crebrò igitur affirmat concupiſcentiam in baptiſmo remiſſam, non vt ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Quam & vbique clamat, ſublato reatu, non eſſe peccatum.

LVTH. *Quare perſeuerandum eſt in vſu ſcripturæ & antiquorum, & non defectum, ſed verè peccatum appellandum libidinem, & alias paſſiones reliquas baptiſmo.*

EPISC. Redde mihi quemlibet antiquorum (modò ſit ortbodoxus) qui tuæ ſeutentiæ ſubſcribat, & aſſerat peccatum ſecundum veram peccati rationem, in baptizatis relinqui, & protinus herbam tibi porrigemus. Ego certè non paucos, & eoſdem vetuſtiſſimos, grauiſſimoſque paulò ſuperiùs recenſui, qui planè contrarium apertiſſimè teſtantur, quique pro ſua ſeotentia, ſcripturis nituntur dilucidiſſimis.

LVTH. *Et aliud eſſe omnia peccata remitti & aliud omnia tolli. Baptiſmus omnia remittit, ſed nullum penitùs tollit, ſed incipit tollere, id quod illos ſefellit, qui remiſſionem intellexerunt omnimodam expurgationem, ac ſic defectum pro peccato accipere ſeipſos coegerunt, ex malo intellectu in peiorem lapſi.*

EPISC. Quid vis aliud Luthere, ſi non tibi verbum
iſtud remittere, ſatis fuerit. Num ſi dixiſſet ſcriptura
purgari peccata, crederes ea non manere? Et hoc ſcriptura quoque non ſemel aſſerit.
Hebr. 1. Nam Paulus de Chriſto ad Hebræos meminit,
2. Pet. 1. quòd purgationem effecerit peccatorum. Et diuus
Petrus in Epiſtola ſua ſecunda ſimiliter. At ſi
verbum iſtud non ſatisfaciat, quid de expiatione
dicemus? Et hoc nimirum verbo, diuus Paulus
vtitur ad Hæbreos ſecundo de Chriſto loquens,
quod debuit per omnia fratribus ſimilis reddi,
ad expiandum peccata populi. Sic enim traduxit
Eraſmus. Sed quid multis moror? An non Ioannes
dixit: Ecce agnus Dei qui tollit peccata
Ioan. 1. mundi. Et quid, te quæſo, remittere eſt aliud
quàm tollere? Num fortè (quod Pelagiani nobis
obijciunt) opinamur, baptiſmo radi peccata,
& non radicitùs tolli, ſed manere poſt baptiſmũ
radices peeeatorum? Abſit. Nam & hoc Chriſtianæ
Reipublicæ proceres condemnârunt, velut
ſacris literis aduerſum, & prorſus inimicum.
Tolluntur enim hauddubiè peccata per baptiſmum
omnia, id quod Prophetæ non tacuerunt,
quemadmodum ex Hieronymo ſuprà recenſuimus.
An cum iubemur fratri remittere ſi quid in
nos deliquerit, non euellere penitùs omnem offenſam
ex corde tenemur, & prorſùs condonare?
Alioqui partem aliquam iuxta te retinere licebit.
Quod qui fecerit, is profectò nullam à Deo
veniam ſperare poteſt. Tu planè falleris, non illi,
quippe qui remiſſionem iſtam velut raſuram
quandam exiſtimas, & non magis plenam omnium
peccatorum euulſionem.

LVTH. *Nam hac ſententia eorum, homines in ſecuritatem & ſuperbam præſumptionem ducuntur, dum peccatis ablatis ſibi puri viſi, omittunt ſtudia expurgandi peccati, vt cuius conſcij iam non ſint. Qua impia opinione plurimi pereant neceſſe eſt.*

EPISC. Nullum inde periculum imminet, aut ſecuritatis, aut ſuperbæ præſumptionis, niſi ſtultis, qui nolunt aduertere, quàm fuerit ſibi ſingulis momentis aduerſum concupiſcentias ſuas dimicandum. Quibus ni diligentiùs proſpiciant, cùm in priora peccata, tum in longe grauiora multò deteriùs corruent, neceſſum eſt. Quis enim non poteſt ſi ſurrepſerit negligentia, de virtutum culmine, rurſum ad vitia delabi, & in tranquillitate poſitus, breui momento naufragium pati? Certè quiſquis iſtud cogitat, nunquam omittet ſtudium cohibendæ concupiſcentię, quantumuis per Sacramenta, ſi liberum à peccatis prioribus factum ſibi perſuaſerit. Semper enim pertimeſcet, ne ſi per incuriam relabatur, ſuus lapſus maiore ſibi vertatur ingratitudini. Verùm tu videris Luthere, in quantum deſperationis barathrum omnes deijcias, cum ſacramentis neges peccata tolli, aut quam ſtolidam ſecuritatem peccatoribus ſuades, cum doceas fide ſola, ſcelera quantumcunque grauiſſima deleri, nihil explicans, quanta & qualis fides ad hoc exigatur. Quod ſi feceris, tum profectò cunctis palàm innoteſceret, in quantum laqueum eos induxeris.

LVTH. *Sed & eò peruenerunt inſaniæ, vt etiam libidinem inuitabilem parentum ſanctorum, dum generant quantumuis indomitam, & ſummo, inuictoq́; furore, contra legem Dei concupiſcentem, defectum vocare ſint coacti. Hoc eſt verè nimis extenuare peccatum, dicere tam atrocem libidinis impetum, eſſe defectum. Sed de hoc ſatis.*

EPISC. Hîc audio te dicere, libidinem quantumuis indomitam, & ſummo inuictoque furore, defectum à quibuſdam vocari, non peccatum. Cum tamen qui ſic vocârit, neminem exprimis. Ego igitur quid hac de re ſenſerit Auguſtinus, paucis ſubijciam: Is enim affirmat ardentiorem amatorem etiam propriæ vxoris adulterum eſſe, & qui contra naturæ morem eam cognouerit, execrabiliùs facere, quàm ſi ſic abuſus fuiſſet meretrice. Ecce quomodo libidinem ardentiorem vel ex propria perceptam vxore, peccatum vocat Auguſtinus. Cæterùm idem libro de bono coniugali, cap. 6. ſic diſtinguit: Coniugalis concubitus, generandi gratia, non habet culpam: concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge propter fidem thori, venialem habet culpam. Adulterium verò, ſiue fornicatio lethalem habet culpam. Hæc Auguſtinus. Ecce in primo, nulla culpa, nempe cùm ſola generandi cauſa concubitus ſit. In ſecundo venialis. In tertio lethalis culpa eſt. Sed an libido culpam aliquam habuerit, an nullam, nihil ad articulum ſpectat. Hoc enim tibi ſicut & alia pleraque ſuperiùs allata, penitùs extra cauſam declamatum eſt. Nihil enim ad peccatum paruulorum attinebant illa, quod tamen in eis poſt baptiſmum remanere te monſtraturum es pollicitus. Sed & quiſquis id negauerit, hunc Paulum & Chriſtum conculcare clamabas, cùm nihil horum hactenus probaueris. Quin tu potiùs hæc aſſeuerans Paulum & Chriſtum conculcas, id quod Lectori (feceris nec ne) iudicandum relinquo. Quamobrem hîc huius articuli finis eſto.

ARTICV-

ARTICVLVS TERTIVS.

LVTH. *Fomes peccati etiam ſi nullum adſit actuale peccatum, moratur a corpore animam ab ingreſſu cæli.*

EPIS. Deeſſe hic nonnihil opinor ad ſententiæ integritatem. Nam quomodo moratur fomes animam à corpore & ab ingreſſu cæli? Sed de anima loquitur poſtquam à corpore migrauerit, quam ab ingreſſu cæli per fomitem putat remorari. Quanquam de peccato originali variæ ſunt apud ſcholaſticos opiniones, ego tamen libenter Auguſtinum ſequor, qui viſus eſt vbique dicere: Reatus baptiſmo tollitur, vt iam non propriè peccatum dicatur amplius ea, quæ manet in carne concupiſcentia: ſed neque ſi quem in animo motum ea concitet, modò mens ei non conſentiat in peccatum, is motus illi imputabitur. Quod & dilucidè teſtatur Auguſtinus lib. primo de ciuitate Dei, cap. viceſimoquinto, ſic inquiens: Quòd ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua moueatur, quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis. Hæc Auguſtinus. Ecce concupiſcentialem inobedientiam membrorum, aſſerit tam in corpore non conſentientis culpa vacare, quàm in corpore dormientis. Reatus igitur eius ſeu mentis in eam conſenſus, qui ad animam pertinet, poſtquam aufertur per baptiſmũ, quid iam ſupereſt, quod animam à corpore & à membris concupiſcentiæ ſeparatam, ab aditu in cæleſte regnum remoretur? Nihil profectò. Quã rem Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 28. teſtatur, inquiens: Sicut enim facta & dicta & cogitata iniqua, quantum ad ipſos motus animi & corporis pertinet, iam præterierunt & non ſunt, eis tamen præteritis, & non iam exiſtentibus, reatus eorum manet, niſi peccatorum remiſſione ſoluatur: ſic contrà in hac, non iam præterita, ſed adhuc manente lege concupiſcentiæ, reatus eius ſoluitur, & non erit, cum fit in baptiſmo plena remiſſio peccatorum. Deniq; ſi continuò conſequatur ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant. Hactenus ille. Audis hic ex Auguſtino, ſolutis per baptiſmum omnibus, quibus reus peccator habebatur, nihil omninoupereſſe, protinus ex hac vita migraturo, quod eum ab ingreſſu cæli detineat. Sed iam rationibus tuis reſpondeamus.

Peccatum originale duobus conſtare, videlicet concupiſcentia & reatu.

Solutis peccatis, nihil eſt, quod ab ingreſſu cæli animam detineat.

LVTH. *Quamuis hanc concluſionem, ſæpius teſtatus ſim, non aſſertam, ſed diſputatam: tamen iam non diſputo ſed aſſero eam, poſtquam nihil video contra eam produci ab vllo aduerſario.*

EPISC. Hoccine tibi videtur ſatis vt approbes & aſſeras eſſe verum, quicquid ab aduerſarijs tuis non impugnetur? Inſpectare potiùs oportuit orthodoxorum patrum libros, quidnam illi ſenſerint, vt tuam illis conformare ſententiam potuiſſes; nam ſi ſic mentiri veritatem velis, vt illud verum affirmas, quoties ij, quorum ipſe iudicium haudquaquam probas, nihil afferunt, quo tua ſententia damnetur, parua tibi fides in tuis aſſertionibus adhibenda eſt.

LVTH. *Si enim vera ſunt quæ proximo articulo dicta ſunt; Fomitem eſſe verè peccatum, per gratiam Dei veram magis ac magis purgandum, & nemo poßit cum peccato cælum intrare, ſicut 2. Petri 3. promittit: Cælos nouos & terram nouam expectamus, in quibus iuſtitia habitat, Puto ſatis proba conſequentia duci, Animam fomite impeditã ab ingreſſu cæli.*

EPISC. Duo memoras, nempe fomitem eſſe peccatum, & eundem magis ac magis per Dei gratiam eſſe purgandum. Vt iſtud tibi concedimus, ita illud conſtantiſſimè negamus. Nam fomitem ſublato reatu peccatum non eſſe, ſatis abundè ſuperiori docuimus articulo. Sed finge nos vtrumque donaſſe tibi, niſi tertium ijs adiunxeris, nempe fomitem ipſum in anima poſtquam à corpore ſoluta ſit, manere: nunquam ex eo colliges, animam ab ingreſſu cæli poſſe per illum remorari. Nos verò cum Auguſtino dicimus, fomitem ad corpus pertinere, reatum autem ad animam. Atque ideo negamus animam ſublato reatu, ſimul & extincto corpore, per fomitem præpediri, quò minus ingreſſus ei pateat in cælum. Nam de paruulis hoc certiſſimum eſt, quòd ſublato per baptiſmum ipſo reatu, ſi tunc à corporibus eorum animæ migrârint, protinus in cælum eſſent auolaturæ. Quod certè non fieret, ſi fomes in eorum animabus remaneret. Quamobrem & palàm eſt, non in anima, ſed in carne remanere fomitem.

LVTH. *His adde, quòd illi fingunt, & ego per impoßibile poſui, fomitem eſſe poſſe ſine peccato actuali, cum aſſiduè lex membrorum captiuet & repugnet legi mentis, vt Paulus conqueritur. Res enim viua & quotidie mouens eſt peccatum, ſicut & ipſa anima in qua habitat. Nam & iuſtitia res eſt viuens & mouens. Non enim quieſcere poteſt anima, quin vel amet, vel odiat ea quæ Dei ſunt. Vnde fit, vt cum ipſimet concedant, actuale peccatum morari ab introitu cæli, cogantur concedere, quòd & fomes moretur, qui origo viuaciſsima, & inquietiſsima actualium peccatorum eſt.*

EPISC. Sed neque hac collectione quicquam ſtatues, niſi priùs in anima fomitem ſuum habere domicilium probaueris, quod ego prorſus inficior. Eſto fuerit fomes origo quamtumuis inquietiſſima viuaciſsimaque, nihil tamen in animam agit abſque conſenſu mentis. Quamdiu mens non aſſentita fuerit, fomes carnis nihil oberit ad ingreſſum cæli. Cæterùm longè aliter eſt de peccato actuali, quod animam occupat per voluntatis aſſenſum. Irrepſit enim ipſum ſtimulante fomite. Quo fit vt niſi peccatum ipſum antè condonetur, animam prorſus impedit ab ingreſſu cæli.

LVTH. *Omitto hic dicere, quòd originale peccatum, vt omnia peccata, ita & incredulitas eſt. At nemo vnquam ſatis diligit, credit, expectat, quiam diu eſt in carne. Spiritus enim promptus eſt, ſed caro infirma, etiam in Apoſtolis: ideo fomes verè eſt actuale peccatum, actualis priuatio, ſiue defectus eius rei quæ adeſſe debet, & actualis poſitio ſeu præſentia infirmitatis, & aliorum affectuum, qui deeſſe debent.*

EPISC. Bone Deus qualem hîc audio collectionem? Nihil profectò mirum eſt, ſi multos in errores incideris, cum ſimilibus argutijs vſqueadeò futilibus innitaris. Quid ſi nemo ſatis diligit retrahente ſomite, & quid ſi caro ſit infirma, num ob hæc conuinces, fomitem actuale peccatum eſſe? Iſta magìs quæ ſequuntur ad rem faciunt, nempe quòd ſit actualis priuatio, ſeu defectus eius rei, quæ deberet ineſſe, & actualis poſitio infirmitatis, & aliorum affectuum qui deeſſe deberent. Ex ijs rectiùs colligeres ſomitem peccatum eſſe, mòdò peccatum aliquod in carne confiteremur. Sed noſtra extra animam cum Auguſtino nullum omnino peccatum reponimus. Quod ſi dixeris, fomitem ſaltem hunc defectum, & hanc poſitionem in anima producere. Reſpondemus, non ex eo ſatìs probè colligi, fomitem eſſe peccatum actuale: ſed defectum illum, & illam poſitionem magìs, præſertim cum per negligentiam, aut conſenſum mentis intra animam ſemel admiſſa fuerunt.

LVTH. *Vt verè dixerit Sanctus Iacobus: nos eſſe initium creaturæ Dei nondum complementum, partim iuſti, partim peccatores, hoc vno ſalui & ab impijs diſcreti, quòd peccatum agnoſcimus, confitemur & expugnamus, cui illi potiùs obediunt.*

EPIS. Nuſquam certè apud Iacobum lego, fomitem aut concupiſcentiam peccatum eſſe. Sed hoc lego, vnumquemque à concupiſcentia ſua tentari, cui ſi conſentiat, mox eundem in peccatum

Iacob. 1. trahi. Vnuſquiſque inquit, tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde, concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem. Hæc palàm oſtendunt concupiſcentiam peccatum non eſſe, tametſi ſtimulet ad peccandum. Porrò quòd ex eodem affers, nos initium aliquod eſſe creaturæ Dei, nondum complementum, nihil refragor. Nunc enim per gratiam initiamur, vt ſimus filij Dei: verùm poſthac, cum abſorpta penitus fuerit carnis & fomitis rebellio, donarique perfecta filiorum adoptione, tam corpore quàm animo, per gloriam conſummabimur, & tum id, quod iam initiatum eſt, verè complebitur. Nam cum in originali peccato duo ſunt, nempe reatus &

In originali duo ſunt, reatus & fomes fomes. Reatu per baptiſmum abluto, manet adhuc fomes, qui per aſſiduam carnis mortificationem tandem abſumetur. Verùm ex hoc haudquaquam conſequitur, fomitem peccatum eſſe, neque quòd animam ipſe remoretur ab ingreſſu cæli, ſi reatus eius antè per baptiſmum ablutus fuerit.

ARTICVLVS QVARTVS.

LVTH. *Imperfecta charitas morituri ſecum fert neceſſariò magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorij, & impedit introitum regni.*

EPISC. Si nos huic articulo nonnihil adiecerimus, quod alibi tu conſtanter aſſeris, hoc eſt neminem, qui hinc migrauerit, habuiſſe perfectam charitatem, illico ſequetur, vt nemini protinùs à morte patuit in cælum aditus, niſi priùs purgatorij pœnas ipſe luiſſet. Quod ſanè quàm abſurdiſſimum eſt. Nam ita cùm alij, tum Stephanus ipſe, qui proximè ante mortem vidit cælos apertos, eoſdem poſt mortem obſeratos inueniſſet, niſi priùs in purgatorio fuiſſet purgatus. Sed agè, comprobemus id quod per nos aſſumptum eſt. Neminem perfectam habuiſſe charitatem. Id quòd faciemus ex tuis aſſertionibus potiſſimum. Aſſeris ipſe, quemque iuſtum in omni opere bono peccare. Stephanus ergo pro Chriſto mortem oppetiens in ipſo opere peccauit. Atqui cum peccato, vel tua ſententia, perfecta charitas ſtare non poteſt, quamobrem vt Stephani charitas fuit imperfecta: ita pariter & timorē habuiſſe comprobatur. Adde, quòd Stephanus Fomite nō caruit. Fomes autem per te peccatū eſt. Ad hæc, Fomes peccati iuxta te, quanquam nullum adſit actuale peccatum, moratur tamen animam ab ingreſſu cæli. Quando igitur nemo tibi caret peccati Fomite, cum in hac moribunda vita, quiſque non ſanus eſt, ſed ſanandus: non iuſtus, ſed iuſtificandus, nemini iuxta tuam opinionem, hinc diſcedenti confeſtim introitus in cælum patet. Quod à veritate quàm longè fuerit alienum, quis non videt? Cæterùm quid ipſe pro hoc articulo aſtruendo profers in medium, iam audiamus.

LVTH. *Cùm de eis rebus & de vniuerſo ſtatu animarum ſanctarum poſt mortem, nihil habeat ſcriptura ſancta, ſicut nec de purgatorio, nihil poſſum adducere pro iſto articulo quem neque aſſerui.*

EPISC. Ex hoc ſanè teipſum & maximè quidem prodis quiſnam ſis. Quid enim attinet de rebus hiſce diſſerere, quas ipſe putas probari non poſſe præſertim cum tu nullam admittis probationem, niſi quæ per ſcripturas ſit, & has pro purgatorio aſſerēdo negas vllas inueniri poſſe. At quid igitur, te quæſo, confert hæc diſceptatio, niſi ad ſubuerſionem audientium? Hoc nimirum quæris, vt Germani tui malè de purgatorio ſentiant, quò faciliùs ipſi contemnant indulgentias. Sed tibi eſto diſpliceant indulgentiæ. Num propterea debes hoc errore ſeducere populū, vt credāt non eſſe purgatorium? Tu dicis te credere. Quid tum? Si populus audiat abs te purgatorium probari non poſſe, neq; teneri quenquam Chriſtianum ad Fidem eorum, quæ neutiquam ex ſacris literis haberi queant, purgatorium protinus exiſtimabunt rem comentitiā: id quod profectò, niſi vehementer fallor, moliris. Sed & teipſum implicas hæc aſſerens, nempe cum ais, probari purgatorium ex ſacris literis neutiquam

Luth. vnd quaque cum Iriſtus. poſſe, ſimulque nullam præterquam ex ijs probationem admittendam eſſe, & tamē præter hęc verè te credere purgatorium eſſe. Si verè purgatorium credendum ſit, & ſacræ deſunt literæ quibus ipſum aſtruatur, aliundè certè peti debet huius rei comprobatio. Neminem enim vſqueadeo cæcum arbitror, vt non videat æquum eſſe quatenus Eccleſiæ non deſint, pro veritatibus, quas credit, iuſtæ probationes. Quales cum

non

non præſtent ſacræ literæ, ex alijs ſaltē petendę ſunt locis, nimirum à traditionibus Apoſtolicis, ab Eccleſię conſuetudine, à ſacris interpretibus, & demum ab id genus cæteris, de quibus antè fecimus mentione

LVTH. *Nunc autem aſſero, & ipſam ex præcedentibus inſero & probo. Cùm enim Ioannes Apoſtolus verè dicat: Timor pœnam habet, & timorem non expellit niſi perfecta charitas, vt idem dicit, clarum arbitror hinc fieri, timorem eſſe in imperfecta charitate, quæ eum expellere nequit.*

EPISC. Fallere nos hac argumentatione tua conaris Luthere. Nam aliter accipis ipſe perfectam charitatem, aliter Ioannes hoc loco. Ioannes enim tum perfectam appellat charitatem, quando ſic viuitur, vt non violetur fraterna dilectio. Nam hoc mandatum nouum ſæpiùs vocat, quod & in hac vita ſeruandum eſſe, paſſim conteſtatur. Sed & quiſquis illud ſeruat, hunc aſſerit perfectam
1. Ioan. 2. Dei charitatem habere. Qui ſeruat, inquit, ver-
1. Ioan. 4. bum eius, nempe de fraterna dilectione, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt: Et rurſum inquit: Si diligamus inuicem Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. Hanc inſuper charitatem paulò pòſt affirmat præbituram nobis erga diem iudicij fiduciam, timoremq́ue foras miſſuram, vt iam ſeruato fraternæ dilectionis mandato, liberi ſimus à formidine futuri cruciatus. Nam ſi quoddam per incuriam noſtram, nobis interea peccatum ſubrepſerit, charitas iſta (cui fidere iubemur) multitudinem operit peccatorum. Vides iam qua ratione Ioannes affirmat perfectam charitatem foras mittere timorem. Tu tamen hanc ſcripturam ita torques, vt videatur ea de charitate patriæ loqui. Nam tu nullam vis perfectam intelligi charitatem, niſi poſtquam hinc migrauerimus ſublata penitùs omni fomitis rebellione. Aliter itaque Ioannes perfectam intelligit charitatem, aliter tu. Quamobrem non potes non malè colligere, duas has charitates confundens, & alteram pro altera vſurpans. Nam iuxta D. Ioannis de perfecta Charitate ſententiam, non eſt dubium quin complures hinc exierint, perfectam habẽtes charitatem. Verùm iuxta tuum de perfecta charitate ſenſum, nemo cum perfecta charitate poteſt hinc exire.

LVTH. *Hoc autem vitium charitatis (ſicut Aug. appellat) quid eſt aliud, quàm fomes & reſiduum originalis peccati, quod hominem priuauit a recta, ſecura, & perfecta charitate Dei? Quare verum eſt, imperfectam charitatem impedimento eſſe ad introitum regni propter vitium quo imperfecta eſt. Et ſcio aduerſarios nihil habere quod contradicant, niſi ſuas opiniones ſine vlla auctoritate ſcripturæ.*

EPIS. Si quod vitium in hac charitate fuerit, poſtea dícemus. Intereà non refragamur hanc charitatem, quam Ioannes perfectam aſſerit, repugnãtẽ ſibi carnis fomitem perpeti, qui & eſt (vt dicis) reſiduũ originalis peccati. Sed & idem fomes, vt iam remanet cum illa, quam Ioannes perfectam vocat charitatem, ita neque vitiat eam culpabiliter, neque quenquam eam habentem excludit ab ingreſſu in regnum Dei. Relinquitur enim in morte fomes vna cum carne, à quibus anima ſaEcta iam libera, fraternam poſſidens charitatem, fiduciam habet ingrediundi cælum, à quo nullam omnino repulſam metuit, quemadmodùm de paruulis nuper baptizatis ſuperiùs oſtendimus. Nam ipſi protinus vt hinc deceſſerint, in cælum euolant, nihil à fomite morati. At inquies: Quis hìc veram fratris dilectionem aſſequutus eſt? Tibi reſpondeo. Iuxta tuam opinionem nemo in hac vita poteſt aſſequi. Nam ſingula mandata facis nobis impoſſibilia. Verùm iuxta Ioannis hanc epiſtolam, multos non dubito fuiſſe aſſequutos. Nam ſolos hos, qui charitatem iſtum obtinent, in Deo manere, & Deum noſſe, atque in lumine eſſe Ioannes confitetur. Porrò multos fuiſſe, qui dum hìc viuerent, in Deo manebant, Deum noſcebant, lumineq́ue illuſtrabantur cœlitùs, nemini non perſuaſiſſimum eſſe reor. Hæc ergo charitas, de qua Ioannes tradit, quanquam non ſit illa, quæ poſt hanc vitam conſummatiſsima futura eſt, nihilominus eſt pro ſtatu viæ perfecta, timoremq́ue pellit, & præbet fiduciam ingreſſuris in regnum. I nunc Luthere, & gloriare te ſcire, nihil habere tuos aduerſarios, quod ſententiæ tuæ contradicant, præter opiniones ſuas, abſque vlla auctoritate ſcripturæ: cum tua ſcriptura, quam tu falsò & in diuerſum contorques, maximè pro illis faciat, planeq́ue conuincat multos fuiſſe, qui timore propulſato, perfectam in hac vita charitatem, iuxta morem loquendi ſcripturarum, aſſequuti ſunt.

Relinquitur in morte fomes vna cū carne.

Singula mandata Luth. impoſsibilia.

Charitas pro ſtatu viæ perfecta timorē pellit, præbetq́ue fiduciam ingreſſuris in regnum.

LVTH. *Quis ergo iam neget, timorem iſtum pœnam habentem, poſſe verè purgatorium eſſe ſolum, cum non ſit maior pœna ſpiritus noſtri, quam fuga & pauor? niſi quis contra omnium ſenſum ſapere velit.*

EPIS. Cum dixit Ioannes. Timor pœnam habet, cruciatum intellexit miſeræ conſcientiæ, quæ fraterna careat dilectione. Metuit enim iram Dei, quiſquis odio in fratrem laborat. Verùm nec is metus, neque cruciatus inde prorumpens, quicquam facit ad animæ purgationem, niſi protinùs ipſa reſipuerit. Quòd ſi reſipuerit, non abſterſerit tamen per veram pœnitudinem reliquias peccatorum, veriſimile eſt non timorem ſolùm, verumetiam inordinatum amorem, atque id genus alios affectus manere non expurgatos. Ob quos expurgandos, multò rationabiliùs Eccleſia credit ignem ſtatim purgatorium, quàm Lutherus qui ſolum cruciatum ex timore prouenientem opinatur animarum purgatorium efficere.

LVTH. *Et ſcriptura paucis locis ignem, frequentiſſimè autem pauorem tribuit damnatis & impijs, vt Pſal. 2 Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Et omnes fatentur faciem iudicis Chriſti fortiùs torturam impios, quam ipſum ignem inferni.*

EPISC. Hi loci ſcripturarum quos memoras, nihil ad purgatorium ſpectant, ſed neq; ad gehennã. Neque enim gehenna qui torquẽtur, viſuri ſunt faciem iudicis, neq; vocem eius audituri. Porrò ſi de gehennæ ſupplicio loqueris, quod damna-

ti & impij (vt tu dicis) perpetiuntur, noo ratò Chriſtus in Euangelijs, hoc ſupplicium ignem vocat. Quod qui vel ſemel Euangelia perlegerit, non poreſt ignorare. Sin de purgatorij cruciatu velis intelligi, quomodo qui negas vllum pro illo in ſcripturis haberi teſtimonium, has iam in hunc finem ſcripturas citas? Cæterùm an ignis aliquis purgatorius ex ſcripturis comprobari poſſet, in eius articuli confutatione, quem de illo peculiarem habes, inferiùs dicturi ſumus.

Lvth. *Iam cùm ipſimet fateantur, animas non ab igne, ſed in igne pati, quam poſſunt aliam pœnam dare, quam fugam & horrorem?*

Episc. Ex vniuerſa certè diſputatorum turba, nemo eſt qui tuæ opinioni ſuffragatur. Nam omnes ab igne pati non dubitant, quanquam non penitùs eodem modo, ſed pleriſque viſum eſt, ignem vt inſtrumentum à Deo motum animas verè cruciare, in quorum albo Richardus eſt, qui non veretur affirmare, quòd ignis quanquã ſit corporeus, affligit tamen ſpiritus. Et Bonauentura putat ignem afflictiua quadam præſentia, ſpiritus affligere. Et Varro ſpiritum ſeu animam opinatur ab igne realiter pati. Scotus arbitratur ignem vt nolitum & apprehenſum affligere. Multi volunt animas intentionaliter ab igne pati. Cæterùm nemo repertus eſt, qui non aliquam ab igne moleſtiam, animas & dæmones accipere credat, præſertim cùm in Euangelio Chriſtus aſſerat, hunc ignem diabolo ſimul, & angelis eius fuiſſe paratum.

Nota Doctores.

Lvth. *Sed ſecurè ipſi ſic opinantur de rebus, quarum nihil vnquam guſtauerunt & cognouerunt, ideo promptè damnant aliena.*

Episc. Si guſtaſſes ipſe pœnas & cruciatus iſtos, tum eſſet aliqua ratio, cur tibi potiùs quàm illis crederemus. Sed cùm nihilò magis tibi, quàm illis hoc negocium cognitum ſit, cur tibi tantum arroges, vt præ illis Fides adhibeatur, non video. Et ſanè cum hi longè plures ſint, & nec ingenio, nec doctrina contemnendi, par eſſet, vt illorum ſententijs ipſe crederes, nedum non damnares, niſi firmiora pro tua parte produxiſſes teſtimonia.

Lvth. *Ego autem nitor, vel vni auctoritati Ioannis, qui timori pœnam & timorem dat imperfectæ charitati. Si tantum & ipſi pro ſua ſententia adduxerint ſcripturæ, paratus ero doceri.*

Epis. Nunquam id mihi Lothere perſuadebis, vt ſis paratus doceri, cum tantam ipſe tibi præ cæteris vindices ſcripturarum notitiam, nec verearis eis ad tua ſtatuenda mendaciter abuti. Porrò quantum auctoritas illa tibi proderit, quam ex Ioanne depromſeras, cæteri iudicent, qui ſuperiora ſunt lecturi. Ego certè aut plurimum fallor, aut pro noſtra tantopere parte faciet, vt nec per vim queat aliò detorqueri. Sed ad huius articuli confutationem iſta ſufficiunt.

ARTICVLVS QVINTVS.

Lvth. *Tres eſſe partes Pœnitentiæ: Contritionem, Confeſſionem, Satisfactionem, non eſt fundatum in ſacra ſcriptura, nec in antiquis ſanctis doctoribus.*

Episc. Multa ſunt, quemadmodum in veſtibulo noſtræ diſputationis oſtendimus, quæ nemo Chriſtianus reijcere poteſt, tametſi nequeant in ſacris inueniri ſcripturis. Nam pleraque per Chriſtum & Apoſtolos oretenus erant tradita, quæ tamen per eos nunquam erant commendata literis. Neque tamen dubito quin harum ſingulæ poſſent in ſcriptura ſacra fundari. Verùm quia fateris te priores duas partes, hoc eſt, contritionem & confeſſionem haudquaquam negaſſe, leuaſti nos hac opera, vt iam nihil neceſſe ſit, niſi de tertia tecum congredi, nempe de ſatisfactione. Cæterùm neque ſatisfactionem ſimpliciter negare viſus es, ſed qualem ipſi docent, quam & improbare non eſſe tibi difficile iactitas. Sic enim ais.

Tres pœnitentiæ partes.

Lvth. *Malitiosè hunc articulum congeſſerunt. Non enim negaui contritionem & confeſſionem, ſicut tamen ſonat articulus, & ipſi videri me talia docuiſſe volunt, ſed ſatisfactionem negaui, qualem ipſi docent, quod mihi non erit difficile probare.*

Epis. Ego certè de quibus loqueris haud ſcio. Neq; enim mihi animus eſt, priuatas quorundam opiniones tutari, ſed communẽ Eccleſiæ Catholicæ comprobare ſententiam, quæ credit poſt ſolutũ reatum peccatorum manere quaſdam adhuc in animis hominum reliquias, per Satisfactionem expiandas præſertim in quibus non anteceſſit tanta contritio quanta potuit (gratia cooperante) totum animum penitùs expurgare. Nam ſi puſillus dolor anteceſſit, abſoluitur à culpa per ſacramentum, at remanet adhuc (ſoluto reatu) rubigo quędam quę & pœna peccatis debita tolli debent, priuſquam anima cœlum ingrediatur. Euenit tamen interdum, vt is qui fuerat abſolutus, non multa priùs admiſiſſet crimina, & eadem nõ grauiſſima, vehementi quoq; pulſus occaſione, tanta ſceleris deteſtatione veniſſet ad ſacerdotem, tanta pœnitudinis acerbitate peccata ſua detegiſſet, tam exundanti lacrymarum profluuio, vt priuſquam petijſſet veniam, acceſſerit non ſolùm à culpa liberatus, verumetiam à pœna, cui fuerit obnoxius. Duobus itaque modis (vt ſuprà diximus) Eccleſia credit peccatores Deo poſſe conciliari. Altero per ingentem & acerbum dolorem, nondum abſolutionis ſuſcepto ſacramento: Altero per ſuſceptionem Sacramenti, dolore nonnullo præcedente. Vtroque certè modo ſuam paratus eſt Deus elargiri gratiam. Secundus tamen modus facilior eſt, & peccatori ſecurior. Nam quanta (non ſuſcipienti Sacramentum abſolutionis) pœnitudo ſuffecerit, explicatu difficile eſt. Cæterùm præter gratiam, ſiue hoc, ſiue illo modo comparatã, oportet vt peccator moleſtias in ſe tantas ſuſcipiat, quibus reliquiæ peccatorum, hoc eſt, tam pœna debita quàm rubigo poſt culpam condonatam relicta, penitùs expurgentur. Duo ergo ſunt

Duobus modis peccatores Deo reconciliantur.

quæ

Poſt abſolutionem plerunque manent in anima reliquiæ peccatorum.

quæ nobis hoc principio ſtatuere neceſſarium erit. Alterum, quòd poſt abſolutionem plerunque maneant eiuſmodi peccatorum reliquiæ. Alterum, quòd hæ per aliquas moleſtias à nobis perpeſſas expiandæ ſunt. De priore diſſeramus primùm. Accedat ad abſolutionis Sacramentum quiſpiam, qui per totam vitam grauiſſimis & abominandis ſceleribus contaminauerit ſeſe. Et accedat Fide ac dolore nihilò maioribus quàm ſatis fuerit ad huins ſacramenti ſuſceptionem. Ego certè tam fidem, qnàm dolorem, voto ſaltem affectatum, exigi non dnbito. Verùm ſi dixero ſiue Fide formata, & dolore qui ex charitate naſcitur, neminem ad abſolutionem ſuſcipiendam idoneum eſſe, quis iam de Sacramenti fructu ſecurus eſſe poteſt, cùm nemini certum ſit ſuam fidem formatam eſſe, aut dolorem ſuum ex charitate proficiſci? Hæc igitur incertitudo (ſi quidem hoc dixerimus) peccatorum conſcientias vſqueadeo diſcruciabit, vt innumeros etiam ad deſperationem impellet. Tutius eſt igitur vt dicamus, Fidem quamlibet cum nonnullo dolore ſufficere, vt quis per Sacramenti ſuſceptionem, confidat ſe prorſus ab omni peccatorum reatu, iam liberum eſſe factũ. Is ergo quem pridem ſtatuimus omni ſcelerum genere ſpurciſſimè commaculatum, & à primùm ſuſcepto baptiſmate, flagitijs omnibus aſſuetum, poſtquam à culpa fuerit abſolutus, nõdum liber eſt ab omni pœna, quam ex ſententia Patrum (vti mox dicemus) vel hìc vel alibi tolerare debet. Iá nimirum abſolutus eſt à peccatorum reatu, & ab æterna pœna ſecurus: ac remanet in eius anima vinculum, & obligatio ad pœnam temporariam, pro peccatis quanquam remiſſis adhuc perpetiendam. Neque enim ita remiſſa ſunt, quìn dignæ pœnæ debitum adhuc ſubeundæ maneat, cui peccator eſt obnoxius. Quod ſanè debitum inter alia numeratur, cum in oratione dominica dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. Neque priùs in cœlum aditus patebit nobis, quam hæc debita quoquo modo fuerint integrè perſoluta. Omnibus igitur ad ſacramentum abſolutionis accedentibus, quantumcunque fuerit, inter eos noxarum diſcrimen, hoc tamen commune eſt, quòd tota penitùs cuiq; condonata ſit noxa: verùm hoc intereſt, quòd vnus pœnæ cumulatiori quã alius, inde redit obnoxius. Tanta nimirum eſt diuinæ bonitatis clementia, vt incunctanter omnem abſoluto condonet reatum, quanquam ipſe remaneat ad temporariam pœnam pro qualitate prioris culpæ ſuſtinendam obligatus. Quantum igitur ad noxæ condonationem ſpectat, pares ſunt, & qui grauiſſimis, & qui leuiſſimis inuoluti ſceleribus fuerant. Nam vniuerſa ſingulis eſt condonata culpa. Cæterùm in pœna luenda iuſtum eſt, vt adhuc ſint impares, qui tam impares antè fuerunt in culpa. Nam ſcriptũ eſt: Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Et alibi. Pro menſura delicti, erit & plagarum modus. Quæ ſcripturæ nimirum & hìc, & ibi non diſſimilem habent rationem. Sed hactenus de priori. Iam agè ſecundũ comprobemus, népe, quòd vel per moleſtias aliquas ab ipſis peccatoribus perpetiendas, vel alio quopiam pacto, pœna cui obnoxij ſunt perſolui debeat. Meminit Euangelium Matthæi, & Lucæ, Ioannem Baptiſtam, populum ad ſe confluentem, fuiſſe cohortatum, vt dignos agerent pœnitentiæ fructus. Agite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Quem ſanè locum, nemo interpretum aliter intelligit, quàm pro pœnitentiæ acerbitate. Clamat Auguſtinus: Sunt digni fructus virtutum, fructus qui non ſufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores poſtulat. Et Gregorius item: Notandum eſt, ait, quòd amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos fructus pœnitentiæ admonet eſſe faciendos. Aliud namque eſt fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim ſecundum pœnitentiæ dignos fructus loquamur, ſciendum eſt, quòd quiſquis illicita nulla commiſit, huic iurè conceditur vt licitis vtatur, ſicque pietatis opera faciat, vt tamen ſi voluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſsè (quod eſt grauius) in adulterium lapſus eſt, tantò à ſe licita debet abſcindere, quantò ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neq; enim par fructus boni operis eſſe debet eius qui minùs, & eius qui ampliùs deliquit: aut eius qui nullis, & eius qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergo quod dicitur: Facite dignos fructus pœnitentiæ, vniuſcuiuſque conſcientia conuenitur, vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò maiora ſibi intulit damna per culpam. Hæc Gregorius. Et Chryſoſtomus item: Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus, ſi vtique peccatis aduerſa faciamus? Aliena rapuiſti, & incipe donare iam propria, longo es tempore fornicatus, à legitimo quoque vſu ſuſpendere coniugij, ac perpetuam continentiam ſæpiùs paucorum dierum caſtitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti, refer benedictionis verba conuitijs: & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem, tantummodo ſpicula de corpore euellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Delitijs antè & temulentia diffluebas, ieiunio & aquæ potu vtrunque compenſa, vt famem ſuperes imminentem. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis, fœminam iam omnino non videas, maiori tactus cautione poſt vulnera. Hæc Chryſoſtomus. Et Paulus in Actis, affirmat ſe gentibus annunciaſſe, quatenus pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Ecce non ſatis fuit eis reſipiſcere, perque Fidem ad Deum conuerti, niſi digna pœnitentiæ opera ſimul accumularent. Quam rem apertiùs Romanis indicat, inquiens: Sicut exhibuiſtis mẽbra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita exhibete membra

Pœnæ imperatæ poſt abſolutionem ſacramentalem.

Apoc. 18.

Deut. 25.

Satisfactio.

Matt. 3.

Pœnitentiæ fructus.

Rom. 6.

veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationẽ. Hoc eſt, quo ſordes peccatorum contraxiſtis ardentiori ſtudio, iam non minori debetis eaſdem eluere:

Iouiniani hæreſis peccata paria.

Neque enim opinor, te velle cum Iouiniani ſectatoribus aſſerere, cunctas animas parem immunditiam contraxiſſe, atque in lutum peccatorum æqualiter eſſe collapſas. Quamobrem neq; dices, opinor, ijs quæ parũ & ad breue momentum fuerint inquinatæ, tanta expiatione opus eſſe, atq, illis quæ prolixo tempore, maximiſque ſceleribus iacuerint immerſæ. Quòd ſi tu tam perfrictæ ſis frontis, vt ſtrophis tuis, iſta putes te ſtatuere poſſe, nihil dubito, quin æquus lector aliud ſentiet. Nam quis ambigere poteſt, cum Euangelium audiat de dignis pœnitentiæ fructibus loqui, ſimul & Paulum ad opera digna pœnitentiæ cohortari, quin aliud ſit pœnitere, aliud dignè pœnitere: aliud reſipiſcere, & aliud opera reſipiſcentiæ digna producere. Et maximè cum idem Paulus moneat eos, qui iam per gratiam ſanctificati ſunt, quatenus exhibeant deinceps ſua membra tanta ſedulitate ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, quanta priùs exhibuerunt eadem immunditiæ & iniquitati ſeruire ad iniquitatem. Atqui tu dices, Paulum intelligere ſanctificationem iſtam pro fomitis expiatione. Sed quis nõ videt reliquias peccatorum actualium, nihilo minorem expiationem, quã vnius originalis peccati feces exigere? Quãobrem ſi ſanctificãdi ſimus à fomite (qui relictus erat ex originali peccato) multò magis à peccatorum actualium reliquijs expurgandi ſumus.

Iuſti per gratiam intùs iuſtificantẽ, nonnunquã propter peccatorum reliquias iniuſti dicuntur.

Atque ita iuſtitiæ, quam non Adam, ſed nos ipſi violauimus, ſatisfaciemus. De peccatis igitur actualibus loquitur Paulus, cũ dicit: Sicut exhibuiſtis mẽbra veſtra ſeruire immunditiæ. Et eorundẽ reliquias expiari iubet, cũ ſubdit: Ita exhibete mẽbra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. At cui quæſo te iuſtitiæ, & in quã ſanctificationem? Iuſti nimirum erant, & ſanctificati, ad quos loquebatur Paulus, quantum ad gratiam intus iuſtificantem attinebat. At erant ijdem adhuc, propter reliquias peccatorum, etiam iniuſti, quippe quas nondum expiaſſent digna pœnitudine, & iuſta moleſtiarum perpeſſione. Quemadmodum & Dauid (poſteaquam remiſſam intellexit peccati ſui culpam) nõ deſtitit reliquias eius multis lacrymis & acerba perſequi pœnitudine: Dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti

Pſalm. 31.

impietatem peccati mei. Quid autem aliud eſt impietas peccati, quàm reatus & culpa peccati, quæ ſimul atque condonata fuerat, manſit, nihilominus nonnihil, quod tametſi culpa non erat, iuſto tamen erat vindicandum & expiandũ ſupplicio. Propter has vtique reliquias abolendas, Dauid gemitibus & lacrymis, ieiunijs, & vigilijs, variaq; id genus maceratione, carnem afflixit ſuam. At iſtud erat quod Baptiſta commouit plebem, & ad quod Paulus hortabatur, iſte de operibus, ille de fructibus pœnitentiæ dignis loquens. Perſpicuum igitur ex ijs opinor eſſe, quòd maneat in peccatore poſt remiſſam culpam nonnihil debiti, cui vel moleſtiarũ perpeſſione, vel alijs modis, quos infrà memorabimus (cum de indulgentijs erit ſermo) priùs oportat ſatisfieri; quàm peccator cælum ingredi permittatur. De qua ſatisfactione (quam negat eam Lutherus ab antiquis ſanctis doctoribus approbatam) iam quid ipſi cenſeant, in medium afferemus: atque id quidem non truncatim, quod ipſe nobis ubijcit: ſed plenis, vt aiunt, velis. Ambroſius primùm ad corruptam quandam ait: Secundum conſcientiæ molem exhibenda eſt pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda eſt, ſed & actu. Hæc autem ſic agitur. Si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria

Peccatorũ nomen deletur de libro vitæ propter peccatã.

rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit, & ſi te iam credas prope ipſas poſitam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorũ, & ſtridor dentium ſine fine. Cum hoc certa fide ſicut eſt, animo conceperis, quia neceſſe eſt præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium, quantumuis afflictionem, quantumuis laborem, & indecorem ſubire eſto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente tractans, proprij facti tu ipſa iudex eſto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi eſt, & quaſi mortuam te exiſtimans, ſicut es quomodo poſſis reuiuiſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipiẽda eſt veſtis, & mens ac membra ſingula digna caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt. Defluant oculi lacrymas, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aſperſum & opertum cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit. Cor verò ſit liqueſcens ſicut cæra, ieiuuijs inquietans ſeipſum, & cogitationibus ventilans, quare ſit ab inimico ſubuerſum. Senſus etiam crucietur, quia in membra corporis eum habetes dominationem, malo ceſſit imperio.

Pœnitendi modus ex Ambroſ.

Pœnitentiæ fructus.

Talis vita, talis actio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeuerans, audebit ſperare, & ſi non gloriam, certè pœnæ vacuationem. Et paulò pòſt: Peccator ergo ſi ſibijpſi non pepercerit, à Deo illi parcitur. Et ſi futuras pœnas gehẽnæ perpetuas in hoc paruo vitæ ſpacio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medicina. Grande ſcelus, grandem habet neceſſariam ſatisfactionem. Hæc Ambroſius. Et idem de pœnitentia: Qui enim agit pœnitentiam, non ſolùm diluere lacrymis debet peccatum ſuum, ſed etiã emendatioribus factis operire, & tegere delicta ſuperiora, vt non ei imputetur peccatum. Hæc ille. Similiter & Auguſtinus homilia 50. poſtquam diſtinxit tertiam actionem pœnitentiæ, & de duabus loquutus fuerit, hoc eſt, de ea quæ ad baptiſmum exigitur, & de altera, quæ pro quotidianis, ſed minutis peccatis neceſſaria eſt, iam de tertia ſubdit in hunc modum: Tertia

actio

Tres pœnit. actiones. *Pœnitentem ſacerdotis iudicio ſubijci. eundem, Aug. auctore.* *Confeſſio nō diuidenda.* *Pœnitentia Dauid.*

actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quam legis decalogus continet. Et dè quibus Apoſtolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt. In hac ergo pœnitentia maiorem quiſq; in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus, nō iudicetur à Deo. Sicut idē Apoſtolus ait: Si enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. (1. Cor. 11.) Et in libro de vera & falſa pœnitentia, capite decimoquinto ſic ait: Ponat ſe omnino in poteſtate iudicis, in iudicio Sacerdotis, nihil ſibi reſeruans ſui, vt omnia eo iubente paratus ſit facere pro reparanda animæ vita, quæcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum deſiderio: quia vitam recuperat infinitam: cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differētia morte moriturus. Semper deprecetur Deum certus de venia, qui omnibus modis, & ſine tædio dubius rogaret poteſtatem terrenam. Abſtineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrij commiſit illicita. Semper offerat DEO mentem & cordis contritionem, & deinde quod poteſt de poſſeſsione. Et ne dixeris illum de publico pœnitente loqui, eundem admonet, vt cautus ſit ne verecundia ductus, diuidat apud ſe confeſsionem, & diuerſa diuerſis ſacerdoribus velit manifeſtare. Quidam enim vni celant, quæ alij manifeſtanda conſeruant, quod eſt ſe laudare, & ad hypocriſim tendere, & ſemper venia carere, ad quam per fruſta totam putat peruenire. Hæc Auguſtinus. Accedit his Gregorius. Cogitandum ſummoperè eſt, vt qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, vt qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcindere debeat etiam conceſſa, & reprehendat in minimis, qui ſe meminit in maximis deliquiſſe. Minima ſunt quæ loquor, ſi hæc ex ſacri eloquij teſtimonijs non affirmo. Lex certè veteris teſtamenti alienam vxorem concupiſci prohibet. A rege verò fortia iuberi militibus, vel deſiderari aquam non pœnaliter vetat. Et cuncti nouimus quòd Dauid concupiſcentiæ mucrone tranſfixus, alienam coniugem & concupiuit, & abſtulit. Cuius culpam digna verbera ſunt ſequuta, & malum quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longè pòſt, contra hoſtium cuneos ſederet, aquam bibere de Bethleemitica ciſterna ex deſiderio voluit. (2. Reg. 23.) Cuius electi milites inter catervas aduerſantium medias erumpentes, aquam quam rex deſiderārat illeſi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus, ſemetipſum protinus cum periculo militū, aquam deſideraſſe reprehendit, eamque Domino fundens libauit, ſicut illic ſcriptum eſt: libauit eam Domino. In ſacrificio quippe Domini effuſa eſt aqua, & conuerſa, quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam reprehenſionis ſuæ. Qui ergo quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, pòſt etiam quia aquam concupiſcet, expauit. Quia enim ſe illicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus etiam à licitis abſtinebat. Sic ſic agamus pœnitentiam, vt ea quæ commiſimus perfectè defleamus. Hæc Gregorius. Quòd ſi vetuſtiores adhuc requiras, Origenes homilia 8. ſuper Leuiticum: In vulneribus inquit, corporum poſteaquam curata fuerint, remanet interdum ipſius vulneris ſignum, quod cicatrix appellatur. Vix enim eſt qui ita curetur, vt nullum ſuſcepti vulneris reſidere videatur indicium. Tranſi nunc ab iſta legis vmbra ad veritatem eius, & intuere quomodo anima quæ peccati vulnus acceperit, etiamſi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris reſidentem. Quæ cicatrix non ſolùm à Deo videtur, ſed & ab eis qui acceperunt ab eo gratiam, qua præuidere poſſint animę languores, & diſcernere quæ ſit anima ita curata, vt omni genere veſtigium illati vulneris abiecerit, & quæ curata ſit quidem, ſed ferat adhuc veteris morbi in ipſo veſtigio cicatricis indicia. Et ruſum infrà. Sed vide, quia etiamſi mundetur quis à peccato, & non ſit iam in opere peccati, ipſa tamen veſtigia ſceleris commiſſi, purificatione indigent, & ea quam expoſuimus, & alia nihilominus, quæ mandantūt in conſequentibus. Obſeruauimus enim & hoc quod ſcriptum eſt de lepra, in qua die mundatus fuerit, poſt hæc inter cætera quæ mundantur, tertio dictum eſſe, & mundus erit. Et iterum ad vltimum ſcriptum eſſe, & mundabitur: vnde mihi videtur eſſe, quaſdam & in ipſa purificatione differentias, & (vt ita dixerim) profectus quoſdā purganorum. Hæc Orig. Suffragatur & Chryſoſtomus homil. 41. de pœnitentia inquiens: Pœnitentiam exhibuit beatus Dauid ita dicens: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. (Pſal. 6.) Et olim patratum peccatum, poſt tot generationes, quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Pœnitentem iraſci non oportet, neque ſæuire, ſed conteri tanquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam iudicatum reum, tanquam ex ſola ſaluari miſericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem redargutum, tanquam iniucundum & reprobum, tanquam innumeris dignum ſupplicijs. Si hæc cogitet non iraſcetur, non indignabitur, ſed lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem & diem. Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatū tradere, ſed Deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipſum verò nunquā ipſius obliuiſci. Si nos eius non recordemur, Deus ipſius non obliuiſcetur. Si nos eius meminerimus, Deus obliuiſcetur. A nobis ipſis vltionem ſumamus, nos ipſos accuſemus; ita placabimus iudicem. Hæc Chryſoſt. Sed & Leo primus, cui propter eruditionem ac vitæ ſanctimoniam in concilio Calcidonenſi à 600. & 30. patribus ter ſanctus fuit acclamatum ſcribit in hunc modum Theodoro Epiſcopo Fotoliuienſi. Mediator, inquit, Dei hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos, communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui vtique operi ipſe ſaluator interuenit, nec vnquam ab his abeſt, quæ miniſtris

Peccati cicatrix in anima ſanata reſidet. *Pœnitendi modus ex Chryſoſt.*

Matt. vlt. ſuis exequenda commiſit, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cooſummationem ſeculi, vt ſi qnid per ſeruitutem ooſtram bono ordine & gratulando impletur effectu, nou ambigamus per Spiritum ſanctum fuiſſe donatum. Et rurſum infrà. Vnde oportet vnũ quemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne conuerti ad Dominum de die in diem differat nec ſatisfactioois ſibi tempus in fine vitæ ſuæ cooſtituat, quem periculoſè ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum ſe reſeruet incertum, & cùm poſſit pleniore ſatisfactioo e iodulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inueniat ſpacium, vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio ſacerdotis. Hæc Leo. Addit ijs & calculum Hierooy. ſuper Malachiam ſic inquiens: Qui peccator eſt, & quem mordet propria conſcientia, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Eccleſiam, de qua fuerat egreſſus, & cubet, vel dormiat in ſacco vt præteritas delicias per quas Deum offenderat, vitæ auſteritate compenſet. Hæc Hieronymus. Quis verbis quid aliud magìs peccatori commendat, quàm ſatisfactionem quæ nimirũ compenſatio eſt, quam pro præteritis voluptatibus exhibemus Deo per vitæ auſteritatem. Propter quam & idem Paulam egregiam fœminam laudans, dixiſſe tradit: Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa & ſtibio ſæpe depinxi. Affligeo dum corpus quod multis vocauit delicijs. Lougus riſus perpeti cõpenſandus eſt fletu. Mollia lintheamiua, & ſerica precioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda. Et hæc omnia quid aliud quàm ſatisfactionem indicant, hoc eſt, rubiginis ex prioribus peccatis relictæ purgationem. Et Cyprianus item non minori ſanctimooia, quàm doctrina præditus, ſermone quinto de lapſis, quoſdam qui Fidem redintegratam & reuerſionem ad Deum ſibi ſufficere (quibuſdàm hoc docentibus) confidebant, alloquitur in hunc modum: Agite, inquit, pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœſtitiam, nec vos quorundam moueat aot error improuidus, aut ſtupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percuſſi ſuot animi cæcitate, vt intelligant delicta, noe plangant. Et paulò pòſt, pacem ſibi vltrò, oemimine dante, ſumpſerunt, falſa pollicitatione ſeducti, & apoſtatis ac perfidis iuncti, errorem pro veritate ſumpſerunt. Commnnicationem non communicantiũm ratam ducunt, hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non credunt: Eiuſmodi homines quantum poteſtis effugite, perniciosis cootactibus adhærentes, ſalubri cautione vitate. Sermo eorum ſicut cancer ſerpit, colloquiom velnt contagium tranſilit, ooxia & veoenata perſuaſio perſequutione ipſa peius interficit, illic ſupereſt pœnitentia, quę ſatisfaciat. Hæc Cyprianus. Ecce ooo ſatis eſt cum Fide ad Deum conuerti, ſed opus eſt item pœnitentia quæ ſatisfaciat. Et continuò ſubdit: Qui autem, inquit, pœnitentiam criminis tollunt, ſatisfactionis viam claudunt. Ita fit, vt dum temeritate quorundam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ ſalutis adimatur. Vos verò fratres, quorum timor in Deum proous eſt, & in ruina licèt animus cooſtitutus mali ſui memor eſt, pœnitentes ac dolentes peccata veſtra perſpicite, grauiſſimum coo ſcientiæ crimen agnoſcite: ad intelligentiam delicti veſtri, oculos cordis aperite, nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tameu iam veniam vendicantes. Deus quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum iudicis maieſtate metuendus eſt. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa médicina non deſit, pœnitentia crimine minor oon ſit. Putáſne tu Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cuius templum ſacrilega coutagioue violaſti? Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum noo eſſe dixiſti? Orare oportet impenſiùs & rogare: diem luctu tranſigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare. ſtratos ſolo adhærere cineri: in cilicio volutari & ſordibus: poſt indumentum Chriſti perditum nullum iam velle veſtitum, poſt diaboli cibum malle ieiunium: iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur? eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte animæ liberantur. Hæc Cipryauus. Et rurſum in calce: Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœniteotia facti ſui, qui pudore delicti plus virtutis & Fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contriſtauerat ouper, lætam faciet Eccleſiam, nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed corouam. Sed ne dicat Lutherus hæc de publica ſatisfactiooe dicta fuiſſe. Audiat quid in eodem ſermooe paulò ſuperiùs dixerit ad eos, quorum erat crimen penitus occultum. Videt, inquit, Deus corda & pectora ſingulorũ, & iudicaturus nou tãtùm de factis, ſed & de verbis, & de cogitationibus noſtris, omniũ mentes, voluntateſque conceptas in ipſis adhuc clauſi pectoris latebris intuetur. Denique quando & Fide maiore, & timore meliore ſunt, qui quamùis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti, quoniã tamẽ de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteantur, exhomologeſin conſcientiæ faciant, animi ſui pondus exponant, ſalutarem medelam paruis licèt & modicis vulneribus exquirant. Ecce tres hic pœnitentiæ partes inſinuat. Primùm, coutritionem & confeſſionem, cum iubeat eos Dei Sacerdotibus dolenter & ſimpliciter confiteri, deinde ſatisfactionem, cum hortetur ſalutarem medelam paruis licèt vulneribus exquirere: de qua paulò pòſt apertiùs adiungit: nec ceſſet, inquit, in agenda pœnitentia, atque Domini miſericordia deprecanda, ne quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur. Hactenus ex Cypriano. Caſſianus item ex Pynufio collatioue vigeſima, capite ſeptimo ſubſcribit inquiens: Dum agimus pœnitentiam & adhuc

vitio-

Marginal notes: *Conſcientia iudicium.* — *Modus pœnitendi iuxta Hierony.* — *Satisfaciendi modus ex Cyprian.* — *Pœnitentia crimine minor non ſit.* — *Eleemoſynæ à morte animæ liberant.* — *Pœnitens nõ ſolam Dei veniam, ſed coronam meretur.*

vitioſorum actuum recordatione mordem, ut neceſſarium eſt, vt ignem conſcientiæ noſtræ, obortus ex confeſſione culpæ lacrymarum imber extinguat. Cum vero cuiquam in hac humilitate cordis, & Spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio fuerit conſopita, & conſcientiæ ſpina de medullis animæ gratia Dei miſerantis euulſa, certum eſt eum ad ſatisfactionis finem atque indulgentiæ merita perueniſſe, & ab vniuerſorum criminum labe purgatum. Hæc Caſſia. Et rurſum collatione 23. cap. 15. Quiſquis poſt baptiſmum & ſcientiam Dei, in illud mortis corpus incurrerit, hoc eſt, in aliquod capitale crimen, ſciat ſe non quotidiana gratia Dei, id eſt, facili remiſſione, quam momentis ſingulis exoratus Dominus noſter erroribus noſtris donare conſueuit: ſed aut diuturna afflictione pœnitudinis, aut pœnali dolore purgandum, aut certè pro his in futuro æterni ignis ſupplicijs addicendum. Hoc item Caſſianus. Vides iam ſatisfactionem, non ſolùm in ſcripturis fundatã, verumetiã ab antiquis & ſanctis aſſertã auctoribus, vt niſi pudere prorſus dedidiciſſes, huius articuli te maximè puderet. Sed iam vt ſtatuis hunc articulum audiamus.

Satisfactio.

LVTH. *Oſtendant ſi poſſunt, vbi in tota ſcriptura, vnus apex aut iota ſcribatur pro peccato mortali vno, debere ſatisfieri ſeptem annis? doceant vbi pro differentibus peccatis, differentes pœnas ſtatuat Chriſtus & Apoſtoli? Nonne hæc omnia ſunt poſtea inuenta ab Epiſcopis? imò dent vnum ex antiquis patribus, in quo legantur quadragenæ, ſeptenæ, & ſimilia, vbi fecerint, libens reuocabo,*

EPISC. Quid ſi non de ſeptenni ſatisfactione, mentio peculiaris in ſacris literis habeatur? Quid ſi nuſquam lectum, ſit, Chriſtum aut Apoſtolus pro differentibus peccatis, differentes pœnas ſtatuiſſe? & demum quid ſi dari non poteſt vnus ex antiquis patribus, in quo legantur quadragenæ, ſeptenæ, & ſimilia? Num propterea ſatisfactio, non erit pars tertia pœnitentiæ? Hæc negatiua dialectica (qua tam frequenter vteris) quis non videt, quàm ſit irridenda? Satis nobis eſt, tam ex ſcripturis, quàm ex Patribus non minori eruditione, quàm vitæ ſanctimonia conſpicuis, oſtendiſſe pro peccatorum qualitate, ſatisfactionem omnino breuiorem aut prolixiorem; aſperiorem aut remiſſiorem oportere fore. Quæ res non immeritò ſuccedentes Epiſcopos admonere potuit, quatenus illi iuxta vnctionem à Spiritu ſibi datam, Canones quoſdam inſtituerent, quibus Eccleſiarum præfecti, ſatisfactionem pœnitentibus iniungendam moderarentur. An tibi videtur cœtus Epiſcoporum, in tam ſalubre negocium actus, contemni debere? Num credis tot Epiſcopos pro ſalute animarum congregatos, nihil amplius apud eos qui piè ſapiunt, ponderis habituros, quàm vnum Lutherum, & eundem audaciſſimum, tam ſcripturarum, quàm Patrum temeratorem? Qua fronte potes hæc dicere? Sicine putas Deum rem Chriſtianorum abieciſſe, vt totius reipublicæ Chriſtianæ patribus & proceribus ſtudio profectus animarũ collectis, non inſpiret quæſitam & concupitam veritatem? An reliquit ita nos Spiritus ille paracletus quẽ Chriſtus manſurum apud nos in æuum pollicitus eſt, & veritatem omnem edocturum? Inſanis profectò, ſi ita credas. Cæterùm ſi qua ſit Yuoni fides adhibenda, qui Carnotenſis Epiſcopus fuit, doctrinaque pariter & ſanctitate nõ infimus, is tam ex concilijs, quam ex Patribus multa collegit, pro quadragenis & ſeptenis illis, crebramque ſatisfactionis & Canonum pœnitentialium facit mentionem. Inter quæ Hieronymum introducit de ijſdem canonibus ita loquentem: Menſurã temporis in agenda pœnitentia, idcirco non ſatis apertè præfigunt canones pro vnoquoq; crimine, vt de ſingulis dicant, qualiter vnum quodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt: quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quam doloris: nec abſtinentia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorũ. Propter quod tempora pœnitentiæ, Fide, & conuerſatione pœnitentium, adbreuianda præcipiunt, & negligentia protelanda exiſtimant. Tamen pro quibuſdam culpis, modi pœnitentiæ ſunt impoſiti, iuxta quos cæteræ perpendendæ, ſunt culpæ, cum ſit facile per eoſdem modos, vindictam & cenſuram canonum æſtimare. Hæc Hieronymus. Ex quibus quiſque poteſt perſpicere, non recenter inuentos hos fuiſſe canones, ſed ante Hieronymi tempora, quibus tametſi non pro ſingulo quoque crimine, modus ſatisfactionis præſcribitur; ex paucis tamen, quæ illic tradita ſunt, licebit æſtimare cætera, licebit & perpendere quòd ſacerdotis prudentis arbitrio relictum ſit, quanti temporis cuique peccatori ſatisfactio ſit imponenda.

Yuo Carnotenſis de quadragenis & ſeptenis.

Pœnitẽtia arbitraria.

Legimus ſanè multos à Deo propter peccatum caſtigatos, vt Dauid, Moſen, Aaron, Mariam populum Iſrael, & aliquos eorum, quos Chriſtus in Euangelio curauit. Et 1. Corint. 11. Multi infirmi inter vos & dormiunt multi. Sed hæc non erat ſatisfactio, quam iſti docent ſcilicet remiſſibilem per claues ita & modò multos punit Deus pro peccatis, quas pœnas tamen Eccleſia non poteſt auferre per claues. Quare verum dixi, arbitrariam iſtam ſatisfactionem nec in ſcripturis, nec Patribus inueniri: inueniri autem pœnam irremiſſibilem à Deo impoſitam, vt Pſalm 88. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus hominum peccata eorum. LVTH.

De clauibus Eccleſiæ, quid per eas remitti poſſet inferiùs ſub articulo de indulgentijs dicturi ſumus. Nunc ſaltem ex dictis opinor conſtare, peccatorem aliquem poſt remiſſam culpam nonnullius pœnæ debitorem eſſe; cui per tolerationem pœnæ, quam dicunt, pœnitentiæ ſatisfieri vſqueadeo poteſt; quòd poſt hanc vitam purgatorius ignis peccatori nihil officiet. Cæterùm quòd ais inueniri pœnam irremiſſibilem à Deo impoſitam, nihil refragamur. Sed tamen & conſtat aliquam à Deo conſtitutam pœnam, remiſſam fuiſſe, id quod non aliundè quàm ex ijs (quæ per te citata ſunt) exemplis comprobabo. Dauid primùm, cum eſſet triduana populi ſui peſtilentia puniendus, vſqueadeo ſemetipſum afflixit, vt miſertus ei Deus, non ampliùs quam vnius diei vindictam voluit exerceri. EPISC.

2. Reg. vlt.

Sublata

Sublata eſt igitur bidui ſequentis moleſtia, propter ſeueritatem quam in ſemetipſum Dauid exercuit, nimirum vt pœnam à DEO conſtitutam pœnitenti, ſi verè & dignè pœoiteat, intelligamus haod irremiſſibilẽ eſſe. De Moſe verò & Aaron, haud ſcio quas pœnas memoras, oiſi quòd non ſint permiſſi populum in promiſſam terram introducere, quod ſanè per dignam pœnitudinem, & aſſiduas preces (modò id ardeutiùs petijſſet) quis nouit ao fuiſſent impetraturi. De Maria ſorore Moſi, quæ graui lepra percuſſa fuerat à Deo, num legis eam ad preces Moſi poſt ſeptem dies fuiſſe purgatam? De populo ſimiliter Iſrael, an noo in Hieremia ſcriptum eſt dixiſſe Deum: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaoi vt facerem ei? Et de Coriuthijs demom, quorũ oonnulli morbis percuſſi ſunt nónne Paulum audis eodem loeo docentem, quo medio flagellum Dei vitaſſe potuerunt? Si oosmetipſos, ioquit, dijudicaremus, non vtique iudicaremur.

Pœnam à Deo conſtitutam non eſſe irremiſſibilem.

2. Re. vlt.

LVTH. *Dicent fortè relictum arbitrio Eccleſiæ taxandam pœnam pro peccatis. Reſpondeo, hoc iam non eſt ſcripturas, ſed propriam ſententiam aſſerere, probetur, quo loco Chriſtus hoc arbitrium reliquerit Eccleſiæ? tibi enim non credo.*

EPISC. Diximus antè ſæpiùs Luthere, non omnia per ſcripturas probari poſſe. Satis enim fuerit, ſi dictorom modorum (quos in veſtibulo totius diſputationis ooſtræ memorauimus) aliquo ſtatui poſſet, quod aſſerimos. Non tamen & ſcripturas, & ſanctorum patrum ſuffragia (quibus res hæc fieret dilucidior) tot produximus vt veriti ſimus, oe prolixitatis tædio Lectorem grauauerimus. Quibos ſi non credideris, nemo non iodicabit (ſcio) te pertinacem eſſe. Nam æquius eſt, vt tu, tot & ſacroſanctis auctoribus, qui pro ſua ſententia ſcripturas etiam afferunt, crederes potiùs, quàm vt nos (reiectis & patribus & ſcripturis) tibi qui nullum alicuius momenti ſuffragiom attuliſti, Fidem adhibeamos.

LVTH. *Nam vbi dicit: Quodcunque ligaueris & cæt. magis ad culpam quàm ad ſatisfactionem pertinet. Culpa enim ligatur & ſoluitur propriè dicitur, non confeſſio aut ſatisfactio ita & illud. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Alioquin dicere debuit: Quorum remiſeritis ſatisfactiones, remittuntur eis: Quare diuinitùs aut nulla eſt ſatisfactio, aut remitti humanitùs non poteſt.*

EPISC. Semper tui ſimilis es Luthere. Nã eiuſmodi collectionibus ſcatent omnes aſſertiones tuæ. Sed mirum eſt, quomodo iam ſis oblitus, quod nopertimè nobis obieceras, nempe non intellexiſſe nos, vim hnius verbi remittere. Aiebas enim paulò ſuperiùs, aliud eſſe omoia peccata remitti, aliod omnia tolli. Baptiſmum omnia remittere fateris, ac nullum peoitùs tollere, ſed incipere tantum vt tollantur. Qood ais etiam, illos fefelliſſe, qui remiſſionem intellexerunt omnimodam expurgationem fuiſſe. Conſtes igitur aliquando tecum, nec Prothei more, toties teipſum transfigures. Si remittere ſic (vt ais) intelligeodum ſit, cur non vides ex ijs Chriſti verbis, cum dicit: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, protinùs conſequi, reliquias aliquas peccati manere poſt condonatam culpam. Nam ſi baptiſmus, peccatum originale tua ſententia nuo protſus ita remittat, vt nihil eius omnino reliquat expiandum, quid prodigij fuerit, ſi Sacramentum abſolutionis, aliquid actualis peccati manere ſinat, qood per ſatisfactionem expietur? Et id ſanè (quod relinqoitur) oon poteſt aliter, quàm Deo cooperante deleri. Porrò quid diſcriminis inter has doas Chriſti pollicitationes fuerit, inferiùs dicturi ſumus, vbi de indulgentijs diſſeremus. *Articulo 19.*

LVTH. *Hoc libens conceſſerim, quòd Eccleſia mater pio affectu præuentura manum Dei, caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella Dei, ſicut Niniuitæ operibus ſuis ſpontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hæc pœna quidem eſt arbitraria, non in totum, vt illi volunt, ſed tamen neceſſaria.*

EPISC. Si per impoſitam ſatisfactionem rectè præuenit Eccleſia flagellom Dei, quod is exercet in viuos, cur ooo ſimiliter præueniſſe laudabitur caſtigationem, quam idem in purgatorio nihilo mitiorem, immò longè acerbiorẽ ſumet à mortuis? Neque ſatis fuit Niniuitis nooam inchoaſſe vitam, niſi ieiunia, preces, lacrymas, ſaccumque, & cinerem adhibuiſſent.

LVTH. *At noſtri indulgentiarij etiam contra Eccleſiam aſſerunt, remitti penitus omnem ſatisfactionem etiam à iuſtitia diuina requiſitam quod eſt erroneum & impium. Nam aut nos aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per indulgentias tollunt omnino. Contra hanc eorum fictam & falſam ſatisfactionem, quam & ſolam habent, ego pugnaui, quam ideò ſolum finxerunt, vt lucra ſua augerent, & homines exhaurirent, fallerent, ac perderent, cum ſi eſſent pij paſtores, potiùs imponerent pœnas, & Eccleſiæ exemplo præuenirent Deum, ſicut Moſes eum præuenit occidendo filios Iſrael, propter peccatum vituli aurei.*

EPISC. Si quid indulgentiarij perperàm aut dixerint, aut fecerint ſui quæſtus gratia, oon eſt Epiſcopis hoc imputandum. Neque enim vlla res eſt homini vſquead eu conducibilis, quæ noo poſſet interim in eius incommodum verti. Cæterùm quantum indulgentiæ valeant, & quantum profuerint ijs, qui ritè ſunt illis vſuri, ſuo loco fuſiùs dicturi ſumus.

LVTH. *Optimum autem fuerit, ſi noſipſos puniremus Hoc autem faciamus, quando ex toto corde vitam totam mutamus: hac enim pœnitentia & ſatisfactione Deus contentus eſt quantum probant ſcriptura ſacra, & præſertim Ioan. Bapt. Lu. 3 Sic 1. Corint. 11. Si noſipſos iudicauerimus, non vtique iudicaremur à Domino: cum autem iudicamur à Domino, corripimur vt non cum hoc mundo damnemur. Ecce pœna & correptio prorſus irremiſſibilis, quæ à Deo imponitur & exigitur..*

EPISC. Vt iſtum minime probo, qui propter ſuſceptas indulgentias, in reliquijs veterum delictorum expurgandis, tepidior efficitur: ita illum vituperio dignum arbitror, qui tantum Dei beneficium nobis eripere conatur. Quid enim ſi quidam indulgentijs abuſi fuerint? Num indolgentiæ propterea damnari merentur? Haudquaquam. Sic enim & DEI miſericordiam damnaremus, qua

Deus aliam pœnitentiam quam nouam vitam exigit.

qua multò maxima pars hominum indies abutitur. Quòd autem ais, Deum non aliam pœnitentiam, & ſatisfactionem à peccatoribus expectare, quàm vitam nouam, Eccleſia longè aliter ſentit & docet. Quam rem opinor tam ſcripturis, quàm Patrum aſtipulationibus, dilucidè comprobaui. Sed & ipſa quæ producis teſtimonia, tam ex Ioanne Baptiſta, Lucæ 3. quàm ex Paulo. 1. Corinthio. 11. militant aduerſum te. Nam quantum ad illud, interpretes vnanimiter clamant, alios eſſe virtutum fructus, alios dignos pœnitentiæ fructus. Et quantum ad Paulum attinet, palàm eſt iudicium noſtrum quo noſipſos iudicamus, præuenire iudicium Dei, & ſatisfactionem pœnæ (cui per peccatum obnoxij ſumus) poſſe diuinam à nobis auertere correptionem. Sic enim Chryſoſtomus ſuper Matthæum teſtatur, inquiens: Si vis (quod ego conſulo) nec hîc à Deo pœnis quauis cruciari, tuipſe tibi iuſtus ſis iudex, referas tibijpſi rationes viuendi: Audi Paulum dicentem: Quoniam ſi noſmetipſos iudicauerimus, non vtique iudicaremur. Si id facies ordine paulatim progrediens, ad coronam quoque peruenies. Hæc Chryſoſtomus homilia quadrageſima ſecunda.

Virtutum fructus. Pœnitentiæ fructus.

LVTH. *Vehementer autem odi & ſublatum vellem hoc vocabulum ſatisfactio, quod non modò in ſcripturis non inuenitur, ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit pro vllo peccato ſatisfacere, cùm gratis ille ignoſcat omnia.*

EPISC. *Satisfactio.* Facilè puto te vocabulum iſtud ſatisfactionis odire. At non tam huius voculæ cauſſa, quàm Romanę curię, quam agreſti (vt aiunt) odio proſequeris. Cæterùm exempla paſsim in ſcripturis habentur, vt de Niniuitis, Achab item & Manaſſe Regibus, alijſque compluribus, quorum ingentem pœnitudinem & afflictiones ſua ſponte ſuſceptas clementia Dei, velut iuſtam pœnæ (quæ ſceleribus eorum debebatur) ſatisfactionem admiſit, cohibuitque flagellum, quod illis inferre meditabatur. Quando igitur de re conuenit, fruſtrà de vocabulo contenditur, id quod tu nonnunquam citas. Neque vllum in eius vocabuli ſenſu periculum imminet, niſi quòd tu contra patrum omnium ſententias, nodum hunc tandem in hoc ſcirpo quæſijſti.

Ionæ 3. 3. Reg. 21. 2. Par. 33.

LVTH. *Deinde occaſio fuit, vt è ſalutari pœnitentiæ remedio nundinas facerent. Vellem magis, vt diſciplina, caſtigatio, viſitatio, correptio aut alio quopiam ſcripturæ ſanctæ vocabulo nominaretur, quò ſignificaretur non eſſe remiſsibilem, ſicut reuerà remiſsibilis non eſt, diſciplinam Domini, multò minùs vendibilis & cauponabilis aliquando crederetur, ſicut hodie videmus fieri, conficta iſta noua ſatisfactione, quæ plenariè remittitur, cùm talis (vt dixi) eſſe non poſſit, nedum pœnitentiæ tertia pars cenſeri debeat.*

EPISC. Si quicquid eſſe potuerit occaſio mali tollere molireris, nec ignem, neque aquam, ſed nec aërem ipſum nobis relinqueres. At quid tam anxiè turbaris de vocabulo, cum ſole clariùs Dei clementia fulget in ſcripturis. Num is qui tam facillimè culpam donat, ſe tam grauem exhibebit, vt pro pœna culpæ debita nullam admittet ſatisfactionem? Quin certè multò benigniorem peccatoribus Deum ipſe facis. Et profectò, niſi fallor, perparum inter te, & iſtos intereſt (quo vocas indulgentiarios) niſi quòd tu per fidei virtutem, vno momento culpam ſimul & pœnam culpæ debitam ſublatam aſſeris: illi poſt deletam per Sacramentum abſolutionis culpam, non per indulgentias, omnem pœnam culpis debitam aboleri prædicant. Tu ſimul & culpam & pœnam condonari putas: illi ſeparatim, vno quidem momento culpam per Sacramentum abſolutionis, & alio per indulgentias pœnam. Iſti non minùs vitam nouam neceſſariam exiſtimant, atque tu. Et tu pro veteribus delictis; nihilò maiorem exigis caſtigationem, quàm illi. Sed & pro futuris ipſi cautelam adhibendam ſentiunt, quam ipſe non refugis, imò probas quàm maximè. Perparum igitur tibi cum illis diſſidet, ſi quid meum de vobis iudicium valeat. Cæterùm quia ſuper hac re poſteà prolixius diſceptaturi ſumus, iam ad reliqua tranſeamus.

Quid inter Lutherũ & indulgentiarios interſit.

LVTH. *Vnde in ſermone meo vernaculo inſigniter adieci, non eſſe iſtas tres partes pœnitentiæ, vt ipſo morem habent de eis loqui, ſemper enim volui exceptam diſciplinam Domini, quam eſſe negaui ab vllo remiſsibilem, ſed tantùm imponibilem, ideò aliam neceſſariò fore & nuſquam deſcriptam, quam illi ſatisfactionem docent, tota in manu Papæ poſitam, etiam muta iuſtitia diuina.*

EPISC. Quicquid ipſe peruersè docueris, ipſe videris. Certum eſt Eccleſiam Catholicam ita docere, quemadmodum antè diximus, hoc eſt, nonnihil, in pleriſque peccatoribus (deleta culpa) manere, cui pœna maior, aut minor pro criminis qualitate ſecundum diuinæ iuſtitiæ taxationem debetur. Neque enim (vt tu nequiter opinaris) par pœna cunctis conſtituitur cum longè diſpares erant in noxa. Porrò, quoniam huius taxationis menſura nobis incerta eſt, priores patres Spiritu Sancto pleni, Canones quoſdam (vt cùm ex alijs, tum ex Hieronymo ſuperiùs audire potueras) nobis reliquerunt. Ex quibus conijcere valebimus (penſatis tamen lacrymis, & luctu cuiuſque peccatoris) quanta ſatisfactio cuique fuerit imponenda. Cæterùm adhuc vſque adeo ſe nobis clementiſſimum exhibet Deus, vt non ſolùm auſteritate, noſtræ in nos vindictæ, poſſet hæc impleri ſatisfactio, verumetiam alijs modis longè facilioribus, de quibus & mox dicturi ſumus, vbi etiam apparebit, diuinam iuſtitiam cum ſua clementia modis omnibus conuenire. Sed de hoc articulo iam ſatis.

ARTICVLVS SEXTVS.

LVTH. *De contritione.*

CONTRITIO, *quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis. Hæc contritio facit hypocritam imò magis peccatorem.*

Id tibi

Epis. *Mos Luth.* Id tibi moris eſſe Luthere, nec ſemel animaduerti, quòd cum duobus, pluribúſue modis res quæpiam obtiueri queat; tu tamen vnum ex illis adeo mordicùs tenes, vt ſæpè damnatis reliquis, hoc ſolo contendas, rem acquiri poſſe. Sic nimirum facis de gratia, quæ cum poſſet, & per Fidẽ, & per Sacramenta comparari, tu reiectis ſacramentis, ſoli Fidei tribuendam putas diuinæ gratiæ conſecutionem. Similiter & cum iuſtificatio ſanctificatióque, duplex vtraque fuerit, vna quidem per gratiam acquiſita, altera verò per opera, ſingulis penè momentis acquirenda, tu ſimul has permiſces, alteram alteri, vt totam vitam noſtram nou iuſtitiam, ſed iuſtificatiouem eſſe contendas. *Contritio duobus modis parari poteſt.* Et nunc haud diſſimiliter, cum Contritio poteſt duobus parari modis, hoc eſt, vel per timoris, vel per amoris viam, tu timore poſthabito, ſolo vis amore contritionem à peccatoribus quæri. Quæ ſententia tua quantum diſſideat, non à patribus modò, verumetiam à ſcripturis, mox videbimus. Interea, quibus rationibus hunc articulum ſtatuas iam excutiamus.

Luth. *Quamuis hanc concluſionem etiam Caſſianus doceat, & ſenſus communis omnium ita in ſe experiatur, vt ſuperfluum ſit probari eam, tamen vt obſtruatur os loquentium iniqua, ſcripturas Dei conſulamus.*

Episc. Duo dicis, & Caſſianum hanc docere concluſionem, & præterea ſenſum communem omnium eandem in ſe experiri. Mira eſt certè hæc audacia, ne dicam temeritas, qua ſic generatim de communi omnium ſenſu prouuncias. Ego ſanè quis tibi ſenſus fuerit haud ſcio, verùm in me planè ſenſi, nec ſemel quidem, hanc vitam ad cõtritionem vehementer mihi profuiſſe. Sed & ipſe Caſſianus (quẽ citas) vbi hæc doceat nuſquam inuenio. Vellem indicaſſes locum. Ego ſanè volumina duo, alterum de Cœnubiorum inſtitutis, alterum de collationibus patrum, quæ ſcripſit idem Caſſianus, diligenter excuſſi, & tantum abeſt vt in eis hoc repererim, vt etiam legerim illic plurima, quæ non mediocriter huic aduerſantur ſententiæ. Primùm collatione 3. capite quarto tres vocationum explicat modos, quorum *Primus ex Deo.* Primus (vt ait) ex Deo eſt: Secundus per hominem: Tertius, ex neceſſitate. Ex Deo quidem eſt, quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum, nonnunquam etiam dormientes, nos ad deſiderium æternæ vitæ ac ſalutis exuſcitat, Deumque ſequitur, & eius inhærere præceptis, compunctione ſaluberrima cohortatur, vt in ſcripturis ſanctis Abraham voce dominica de genitali ſolo, & totius cognationis ſuæ affectibus, patriſque domo legimus euocatum dicente Domino: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Quo etiam modo B. Antonium accitum eſſe coguouimus, qui occaſionem ſuæ conuerſiouis à ſola diuinitate percepit. Ingreſſus namque Eccleſiam, ibique audiens in Euangelio Dominum prædicantem: *Luc. 14.* Qui non odit patrem, & matrem, & filios, & vxorem, & agros, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe *Matt. 19.* diſcipulus. Et ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Præceptum hoc Domini velut ſpecialiter ad ſe directum, cum ſumma cordis compunctione ſuſcepit, Confeſtimque renuncians cunctis, ſecutus eſt Chriſtũ, nulla exhortatione, neque doctrina hominum prouocatus. *Secundus per hominem.* Secundus vocationis modus eſt, quem fieri per hominem diximus, cum vel exemplis quorundam ſanctorum, vel monitis inſtigati, ad deſiderium ſalutis accendimur. *In Exod.* Quo nos quoque gratia Domini tenemus aſcitos, qui prædicti viri monitis ac virtutibus incitati, huic nos ſtudio profeſſionique tradimus, quo ordine etiam in ſcripturis ſanctis per Moſen filios Iſrael de afflictione Ægypti legimus liberatos. *Tertius ex neceſſitate.* Tertius verò vocationis modus eſt, qui ex neceſſitate deſcendit, cum nos diuitijs mundi huius vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amiſſione bonorum ac proſcriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Dominum (quem ſequi in rerũ proſperitate contempſimus) ſaltem inuiti properare compellimur. *Iudic. 3.* Cuius vocationis neceſſitatem in ſcripturis quoque ſæpiſſime reperimus, cum filios Iſrael ob merita peccatorum ſuorum legimus à Domino traditos hoſtibus ſuis, ob quorum damnationem crudelitatemque ſæuiſſimam rurſus conuerſos ad Dominum proclamaſſe: & miſit eis: inquit Dominus, ſaluatorem Aoth filium Gera, filium Gemini, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. Et rurſum: Clamauerunt, inquit, ad Dominum qui ſuſcitauit eis ſaluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Chenez, fratrem Caleph iuniorem. *Pſalm. 77.* Et de talibus in Pſal. dicitur: Cum occideret eos, tunc quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veuiebant ad eum, & recordati ſunt, quia Deus *Pſalm. 106.* adiutor eorum eſt, & Deus excelſus redemptor eorum eſt. Ruſumque: Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Hæc Caſſianus. Vides hic ſolùm primum modum ex inſpiratione diuinæ gratiæ proficiſci, tertium verò neceſſitatis eſſe, quæ nos vrgeat & adigat. At quæ poteſt vrgentior eſſe neceſsitas, quam quando miſer peccator ponderata ſuorum criminum grauitate, multitudine, fœditate, non ſolùm æternæ beatitudinis amiſsionem, verumetiam æternæ damuationis acquiſitionem metuit? Hæc profectò neceſsitas (ſi nulla poteſt alia) coget peccatorem ad Deum ingemiſcere, & pro peccatis ſuis conteri. Quam rem & idem apertiùs explicat, tres modos recenſens quibus vitia vincuntur. *Tria ſunt quæ faciunt homines à vitijs temperare:* Tria ſunt, inquit, quæ faciunt homines à vitijs temperare: id eſt, aut metus gehennæ ſiue præſentium legum, aut ſpes atque deſiderium regni cælorum, aut affectus boni ipſius, amorque virtutum. *Timor.* Nam timor ita mali contagium legitur execrari. *Spes.* Timor Domini odit malitiam, *Amor.* *Prou. 8.* Spes etiam vitiorum omnium excludit incurſum. *Pſal. 33.* Non enim delinquent omnes qui ſperant in eum. *1 Pet. 4.* Amor quoque ruinam non metuit peccatorum, quia charitas nunquam cadit. Et iterum: Charitas operit multitudinem

dinem peccatorum. Et idcirco B. Apoſtolus om-
nem ſalutis ſummam, in iſtarum trium virtutum
conſummatione concludens: Nunc, inquit, ma-
1. Cor. 13. neut Fides, ſpes, charitas, tria hæc. Fides namq;
eſt, quæ futuri iudicij, ac ſuppliciorum metu, vi-
tiorum facit contagia declinari. Spes, quæ men-
tem noſtram de præſentibus auocans, vniuerſas
corporis voluptates cœleſtium præmiorũ expe-
ctatione contemnit. Charitas quæ nos ad amo-
rem Chriſti, & ſpiritualium virtutum fructum
mentis ardore ſuccendens, quicquid illis contra-
rium eſt, toto facit odio deteſtari. Quæ tria, li-
cet ad vnum finem tendere videantur, prouo-
cant enim nos à rebus illicitis abſtinere, magìs
tamen excellentiæ ſuæ gradibus ob inuicem di-
parantur. Duo namque ſuperiora propriè homi-
num ſunt eorum, qui ad profectum tendentes,
necdum affectum concepère virtutum. Tertium
ſpecialiter Dei eſt, & eorum qui in ſe imaginem
Dei ac ſimilitudinem receperunt. Ille namque
ſolus, ea quæ bona ſunt nullo metu, nulla remu-
nerationis gratia prouocante, ſed ſolo bonitatis
affectu operatur. Hæc 11. collatione, capite 6.
Bifariam ad lacrymarum compunctionem peruenitur. Et rurſum collatione. 9. capite 29. duos modos,
quantum ad propoſitum ſpectat, quibus ad la-
crymarum compunctionem peruenitur, memo-
rat. Alterum quando fletus emanat, qui peccato-
Pſal. 6. rum ſpina cor noſtrũ compungente profertur,
Thre. 2. de quo dicitur: Laboraui in gemitu meo, lauabo
Timor ſeruilis. per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis
ſtratum meũ rigabo. Et iterum: Deduc quaſi tor-
rentem lacrymas per diem & per noctem, & non
des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.
Alterum quando profluunt lacrymæ, quæ abſq;
vlla quidem talium criminum conſcientia, ſed
tamen de metu gehennæ & horribilis illius iu-
dicij recordatione procedũt, cuius terrore pro-
Pſal. 142. pheta perculſus, orat ad Deum, Nõ intres, inqui-
ens, in iudicio cum ſeruo tuo, quia non iuſtifica-
bitur in conſpectu tuo omnis viuens. Sed & eun-
dem adhuc Caſſianum, audi lib. 4. cap. 39. docen-
tem quomodo per timorem ſeruilem quis aſ-
cendere poteſt ad charitatem, vbi noſtræ ſalutis
principium affirmat eſſe timorem domini. Per
quem ait nos & initium conuerſionis, & vitio-
rum purgationem accipere, ita vt cùm penetra-
uerit hominis mentem, contemptum ei rerum
omnium parit, obliuionem parentum, mundi-
que ipſius gignit horrorem. Subinde contem-
ptu rerum oſtendit humilitatem acquiri. Poſtre-
mò cum humilitas fuerit in veritate poſſeſſa,
confeſtim ad charitatem quæ timorem non ha-
bet, perducet, per quam vniuerſa, quæ priùs non
ſine pœna formidinis obſeruabas, abſque vllo
labore, velut naturaliter incipies cuſtodire: non
iam contemplatione ſupplicij, vel timoris vl-
lius, ſed amore ipſius boni & delectatione virtu-
tum. Hæc ex Caſſiano ſtrinximus, vt vitaremus
prolixitatem. Ex quibus liquet, illum de timore
ſeruili hæc dixiſſe, quippe quem non ſine formi-
dine ſupplicij eſſe teſtatur, & hunc etiam fate-
tur initium eſſe noſtræ ſalutis, cuius ductu per-
uenitur vt ex amore tandem ipſius boni ſimul &
delectatione virtutum operemur. Quòd ſi ali-
quando Caſſianus hunc doloris motum, qui ex
amore procedit, laudat magìs & probat potiùs,
quàm illum qui ex recordatione peccatorum
oritur, nequaquam inde conficitur, quòd iſtum
damnauit. Sed neque per hunc modum hypo-
critam, & magìs peccatorem fieri, oſtendi po-
teſt vllo prorſus loco docuiſſe. Caſſiano quoq;
ſubſcribit & Auguſtinus tractatu 9. ſuper epiſto-
lam Ioan. Si nullus (inquit) timor: non eſt qua
intret charitas. Sicut videmus per ſetã introdu-
ci linum quando aliquid ſuitur. Seta priùs in-
trat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum. Sic timor
primò occupat mentem, non autem ibi rema-
net timor, quia ideo intrauit, vt introduceret
charitatem. Hactenus Auguſtinus. Suffragatur
& Hieronymus ſuper Eſaiam, cap. 26. Sicut ad
partum (inquit) mulier appropinquans, dolo-
re cogitur exclamare: Sic nos in anguſtia requi-
ſiuimus te, & à facie formidinis tuæ concepimus,
& parturiuimus, & peperimus, non carnis libe-
ros, ſed ſpiritus. Hoc Hieronymus. Similiter
Chryſoſtomus de compũctione cordis. Quid (in-
quit) corporis viribus opus eſt, cũ cor conterere
debeamus. Hoc ſolum eſt quòd à nobis expoſci- Semper peccata noſtra ob oculos ponenda.
tur, vt ſemper recordemur mala noſtra, & ad ani-
mum reuocemus, & conſcientiam geſtorum no-
ſtrorum habeamus ante oculos, vt pro his ſup-
plicemus Deo, vt gehennam ponamus in con-
ſpectibus noſtris, & angelos qui in die iudicij
vbique diſcurrunt, & congregant, de omni orbe
terrarum, eos qui tradendi ſunt in gehennam
ignis. Ponamus etiam & illud ante oculos, quã-
ti doloris eſt, excludi ac proijci à regno cœlo-
rum, quod (vt mihi videtur) grauius eſt ipſa ge-
henna. Hæc & alia id genus plurima, recenſet
Chryſoſtomus ob oculos peccatori ponenda,
quibus incutiat ei compunctionem cordis.
Quid plures memorem auctores, cum facilè ne-
mo queat inueniri, qui non ijs conſentiat. Aſ-
ſentiuntur & ſcripturæ. Dauid primùm, qui for- Pſal. 17.
mam pœnitentiæ tradit. Circundederunt (in-
quit) me dolores mortis, & torrentes iniquita-
tis conturbauerunt me, dolores inferni circun-
dederunt me, præoccupauerunt me laquei mor-
tis, in tribulatione mea inuocaui dominum.
Num cernis hic apertiſſimè, quomodo rerum
harum metu Dauid fermè conſternatus, diui-
nam adactus eſt opem implorare? Et Eſaias ait: Eſaia 26.
Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulati-
one murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ con-
cepit, cum appropinquauerit ad partum do-
lens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à
facie tua domine. Concepimus, & quaſi par-
turiuimus & peperimus ſpiritum, hoc iuxta ve-
ritatem Hebraicam, quanquam Hieronymo
placet eundem habere ſenſum, à facie tua, & à
timore tuo. Timorem inſuper hunc incuſſit Ba-
ptiſta peccatoribus, cum dixit: Genimina vipe-
rarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Luca 3.
Facite ergo fructus dignos pœnitẽtiæ. Iam enim
ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis er-
go arbor non faciens fructum bonum, excide-

tur., & in ignem mittetur. Hæc Baptiſta. Nec Baptiſta ſolum, ſed & Chriſtus ipſe. Quoties gehennam, quoties ignem æternum, quoties tenebras exteriores, quoties fletum & ſtridorem dentium peccatoribus ipſe Chriſtus comminatur. Et quid ſibi vult terroribus iſtis, niſi contritionem cordibus eorum inducere? Cur eorum exemplo, ſuper quos turris cecidit in Siloë, & aliorum quoque quorum ſanguinem Pilatus cum ſacrificijs miſcuit, terret peccatores? niſi quòd eiuſmodi terrorem multis profuturum nouerat, ad veræ pœnitentiæ conſequutionem. Denique cum dixit: Timete eum, qui poſtquam corpus occiderit, habet poteſtatem mittendi animam in gehennam ignis. Et rurſum cum ingeminat: Amen dico vobis, hunc timete: vbique timorem hunc incutere molitur. Sed iam rationes & ſcripturas, quas Lutherus conſulturum ſe iactitat, expendamus. Sat ſcio, ſi non efficatiores ad noſtra confirmanda ſcripturas adduceremus, quàm faciat ipſe, mox idipſum nobis opprobraret. Sed teſtimonia noſtra rem ipſam, ob quam ea citauimus, protinus exprimunt. At Lutheri non ita. Neq; enim quod molitur efficiunt, niſi cum argumentis & mixturis quibuſdam antè ſulciantur, quod lectori non dubito manifeſtum eſt.

Luc. 13. *Matt. 10.* *Luc. 12.*

LVTH. *Primùm, hoc nemo negabit, Contritionem quantumlibet magnam, niſi fiat amore iuſtitiæ, & (vt ipſimet dicunt) in charitate Dei, non eſt vera, ſed ſimulata.*

EPISC. *Contritio quid ſit.* Non hîc ſermonis vitium vel apertiſſimum obijciam tibi, quod tamen tu ſcholaſticis exprobrare ſoles. At hoc ſilere non poſſum, quòd cum non ignores iſtos, aduerſũ quos conflictaris, contritionem aſſerere, motum eſſe quendam animi formatum charitate, præter quem & alium cordis motum ſtatuunt charitatis expertem, quem vocant attritionem, tu tamen vt totam inuoluas diſputationem, alteram cum altera confundis, Et neutram ais veram eſſe, ſed ſimulatam, niſi fiat amore iuſtitiæ in quo vehementer, noſtra cum tua pugnat opinio. Neque tamen negauerim, quempiam per Dei gratiam ita mutari poſſe, vt ex barathro ſcelerum omnium ad amorem hunc repente vocetur. At iſtud non opinor fieri communiter, ſed magis per gradus quoſdam, vt videlicet à ſordido flagitiorum volutabro, gradatim in ipſam conſcendat charitatis puritatem. Sed quod ad rem attinet, ego certè non dubito, quin verè doleat aliquando peccator, quando non ex charitate dolet. Nam vt quis citra charitatem (id quod omnibus apertiſſimum eſt) verè dolet, & deflet charorum amiſſionem, aut iacturam alicuius rei precioſæ: ſic poteſt peccator mortem & damnationem animæ propriæ cæleſtiſque regni diſpendium, citra charitatem lugere. Poteſt enim ipſum rationis lumen peccatori perſpicuum reddere, & ante oculos ponere quantam ex ea re iacturam ſit perpeſſus. Quòd ſi verè lugeat, & doleat ex corde, non eſt ob id cenſendus hypocrita. Neque enim aliud foris ſimulat, quod non verè ſentiat intùs: ſed quem in vultu foris dolorem exhibet, eundem gerit intùs in corde. Cæterùm penſitemus quem in modum Lutherus hunc hypocritam eſſe probet.

Verus dolor in peccatore

LVTH. *Omnia enim quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana, & falſa ſunt, vt 1. Corinth. 13. docet Paulus, quia non fiunt ex toto corde. Quod autem ex toto corde non fit, iam hypocriſis eſt ſicut dixit Chriſtus Matth. 15. Cor eorum longe eſt à me. At contritio per peccatorum collectionem parata, ſine amore Dei & iuſtitiæ, hoc eſt, ſine corde conterit, de hac enim locutus ſum: quare neceſſariò ſequitur, vt faciat hypocritam, qui nec volenter nec amanter conterit in corde ſuo.*

EPIS. *Inſignis Lutheri dialectica.* Pape, cuius aures huiuſmodi dialecticen ferre poſſunt? Nuſquam enim hîc non peccatur. Primùm, illud à vero longè diſſidet, omnia, quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana, falſaque eſſe. Nam agit quis, extra charitatem conſtitutus, opera multa quæ vera ſunt, quanquam non meritoria neque Paulus aliter Corinthios docuit. Ait enim: Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quid hîc, te precor, opinaris Paulum velle? an quòd iſta nihil ſunt & falſa? Num tu putas Balaam & Cayphæ prophetias non veras fuiſſe prophetias, & eoſdem non veros fuiſſe prophetas, tametſi fuerint charitatis expertes? Et myſteriorum notitia, cuius & pleriq́ue participes ſunt, qui charitate carẽt, num ob id ea notitia vera non erit, quòd hi charitate carent: Et ſcientiam rerum naturalium, exiſtimabis nullam his eſſe, qui gratia non fuerint præditi: Nam fit plerunque, vt qui meliores ſunt, minorem in illis rebus peritiam habeant. Et denique fidem qua montes loco dimoueantur, tu prorſus falſam, & impotentem iudicabis, quia ſit informis, & abſque charitate? Tota nimirum aberras via. Nam Pauli teſtimonium quod adducis planè militat contra te, & conuincit alium eſſe verborum intellectũ, quàm tu ex ipſis concipis. Quis enim non perſpicit quin vera poteſt illic eſſe prophetia, vbi non eſt charitas, & myſteriorum item notitia vera, ſimul & ſcientia rerum vera, Fides quoque vſque adeo vera, vt ſit etiam portentifica? Quis, inquã, non dilucidè cernat has, non omnino nihil, neq; falſas eſſe, ſed tantum non meritorias: nihil enim poſſeſſori conferunt ad cæleſtis gloriæ meritum, abſque charitate. Et proinde Paulus aſſeruit, habentem eas nihil eſſe, quippe quòd in oculis Dei non acceptantur vt præmio digna, & ideo quantum ad eius reputationem nihil ſint, hoc eſt, nullius meriti. At quem ſanè modum, & primus motus peccatoris, quo propter gehennæ metũ incipit à peccatis auerti, dolens & deflens, animæ ſuæ iacturam, quanquam adhuc meritorius non ſit, cum citra charitatem fiat, eſt tamen verus dolor non hypocritarius. Sed aliam adhuc Lutherus huius rei probationem annectit, quia non fiunt (inquit) ex toto corde. Quid ſi non fiant ex toto corde? Num ob id nihil ſunt, & falſa? Es ne iam oblitus illius quod ſuprà dixe-

Quæ extra charitatem fiunt, non omninò ſunt nihil, vana & falſa. 1. Cor. 13.

Contra Lutherum ex ſuis ipſius verbis.

ras:

ras: Neminem eſſe, qui non magna ex parte ſeipſum diligit, vt propterea nequeat Deum ex toto corde diligere. Omnis ergo dilectio & omne opus quod facimus hac tua ratione nihil eſſet & falſum, quia non ex toto corde proficiſcuntur. Deinde ſubſumis: Quod autem ex toto corde non fit, iam hypocriſis eſt. Si iuſtam argumentandi formam ſeruaſſes, dixiſſe oportuit: Quod autem ex toto corde oon fit, iam hypocriſis eſt. Sed boc ſtare oon poteſt. Nam ſic & teipſum in omni opere conuinceres bypocritam eſſe, cum nihil agas (vt aſſeris) ex corde prorſus toto. Sed plurimum intereſt, ex corde quicquam agi, & ex toto corde. Neque enim paruam, eius vocis toto, vel ádiectio, vel exemptio, facit in ſequelæ cootextu variationem. Ex corde nimirum doletis peccator, de quo loquimur, quanquam noo ex toto corde. Si oon ex corde doleret, dolorem tamen in vultu prætexeret, iam rectè colligeres hunc dolorem hypocriſim eſſe. Verùm is in corde dolet, quanqusm non ex toto corde. Neque probatio quam ſubijcis ſatis eſt valida. Nam quanquam hi, de quibus loquitur Chriſtus, hypocritæ fuerint, eum aliod corde, aliud vultu ſimulabant, voltu qoidem & ore, præ ſe ferebant eſſe Dei cultores, corde tamen aliud longè dioerſum meditabantur. Et propterea dixit Chriſtus: Cor autem eorum longè eſt à me. Licèt, inquam, hi fuiſſent hypocritæ, oon tamen id conſequitur de peccatore noſtro, qoi dolorem, quem vultu præ ſe fert, eundem gerit in corde. Sed neque protinos oportet, vt is hypocrita ſit, cuius cor oon fuerit approximatum Deo. Filios enim prodigus, quanquam erat adhuc (vt Euangelium ait) longè poſitus à patre, quia tamen gradum aliquem verſus patrem aſcenderat, hypocrita dici non potuit. Iam poſt tot tricas iotricatiſsimas adiungis: At contritio per peccatorum collectionem parata, ſine amore Dei & iuſtitiæ, hoc eſt, ſine corde conterit. Hic ego reclamo penitùs. Nam etſi non amore Dei conteratur, is de quo loquimur: couteritur tamen amore ſui, nempe quòd in iacturam tantam iociderit, quòd vltionem & gehennam imminere ſibi formidet, quam iam ſtudet euitare. Atque hoc eſt volenter & amanter conteri, qoantũ ad ſe, licèt non adhuc quantum ad Déum.

Plurimum intereſt, ex corde quicquam agere, & ex toto corde

Matt. 15.

Luce 15.

LVTH.

Ego enim hypocritam aliter diffinire non poſſum quam eum, qui id quod facit, non ex animo & ſyncero corde facit. Animum autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, ſed ſola charitas ſpiritus.

EPIS.

Hypocrita quo cenſendus.

Nihil ad nos attinet, quam hypocritæ diffinitionem ipſe pro tuo capite ſomniaueris. Hypocrita oon eſt diceodus, niſi qui ficto ſimulatoque animo quicquam facit aut loquitur. At is de quo iam diſſerimus, ex animo facit, quanquã non adhuc propter Deum. Quòd autem ſubdis: Animum autem talem & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, ſed ſola charitas Spiritus. Huic nos reſpondemus: Quòd ſi natura dare non poteſt, poteſt tamen Fides informis, quæ vt infra charitatem, ita ſupra naturam eſt, talem animum & cor exhibere, atque id præſertim inſpecta peccatorum multitudine, cæteriſque damnis horrendis, quæ ſequuntur ex illis. Neqoe negauerim, booc doloris motum à Spiritu concitari. Cæterùm pleraque ſunt dooa Spiritus, quæ quibus donantur, citra charitatem accipiunt, qood genus illa ſunt, de quibus ſuprà diximus, nempe prophetia, noticia myſteriorum, rerum ſcientia & Fides, quas innumeros abſque dooo charitatis accepiſſe, compertiſsimum eſt.

Fides informis.

Quòd ſi dixerint ſe loqui de contritione in charitate facta, iam articulus nihil ad me. Non enim vnquam ſic docui, immò quia vt meum damnant, de contritione naturali & impia extra Fidem loqui eos oportet, quam eſſe hypocriſim ſatis iam ex dictis conſtare puto. LVTH.

Non vſqueadeo rudis es Luthere (quanqoam id diſſimules) vt igoores quid diſputatores de contritione ſentiant. Exiſtimant eoim peccatorum, ex naturalibus, cum generali influxu, & auxilio Dei poſſe coosiderare peccatum ab ſe commiſſum, vt offenſiuum Dei, & vt auerſiuum à Deo, vt impediuum præmij, & ſupplicij inductiuum, ac proinde poſſe voluntatem eius, peccatum ſic coosideratum deteſtari. Et in hoc deteſtationis motu pergere, donec ex congruo tandem infundatur gratia. Infuſa verò gratia, iam idem motus (qui pridem dictus erat attritio) cootritio dicitur. Vides itaque cootritionem (quæ modis antedictis paratur) charitate formatam eſſe. Attritionem verò, quæ diſcuſſiooem illam & collectionem & deteſtatiooem peccatorom complectitur, penitùs informem eſſe. Veruntameo eandem opinantor ex Fide ſimul & alijs donis Dei gratuitis proficiſci, quæ ſupra naturam ſunt, ſed citra charitatem. Nec eſt dubium, quin tam Fides, quàm ſpes, ac cætera id geous dooa, ſint io multis peccatoribus abſque charitate, id quod etiam ex tuo Caſſiano ſuperiùs apertè conſtitit. EPISC.

Aut opinantur hic fortè, mediam & neutralem ſuam theologiam, quòd illa collectio, licet extra charitatem facta ſit, non tamen ſit ficta, quia præparat ad gratiam proxime, dum facit homo quod eſt in ſe. Verùm de iſta impietate inferius ſuo loco. Ego enim peccatum aſſero, quicquid ante gratiam fit in homine, tantum abeſt vt præparet ad gratiam. LVTH.

Non ſatis eſt, aſſerere quicquid tuo cerebro viſum fuerit, ſed probes etiam oportet, id quod aſſerueris. Nos cum too Caſſiano Fidem opinamur & ſpem noodum formatas charitate, non ſolùm non eſſe peccata, verumetiam inſpectis peccatorum incommodis, excitare poſſe peccatorem, & eundem ad gratiam præparare. Et idipſom oeceſſe eſt vt tu confitearis, modò tibijpſi velis adeſſe. Nam io ſermone de Euchariſtia doces, qoòd hæc præparatio quæ ſequitur cunctis communicare volentibus ſit neceſſaria, videlicet vt primùm confiteatur omoia peccata, quæ manifeſtè ſunt mortalia, & maximè quæ inuidiam, diſplicentiam ac amaritudinem habent in proximum. Quod ſi ſentiat quia aliquam amari-

EPISC. *Præparatio ad gratiam.*

Sua in Lut. telo retorta.

tudinem ſic adhæſiſſe, vt deponi haud facilè poſſit, tum conſulis, intret in cubiculum ſuum, & patrem oret quatenus is per ſuam gratiam id faciat, quod ſuis viribus ipſe non potuit, hæc facienti, gratiam ex Euchariſtia polliceris. Ex hoc nimirum apertè ſequitur, quòd præparatio illa ante gratiam per Fidem facta, non fuit prorſus inutilis, ſed quia fateris neceſſariam eſſe, fateri etiam debes, eandem gratiæ conſequendæ fore conducibilem.

Lvth. *Secundò de altera parte. Quod ea contritio faciat magis peccatorem, latius dicendum, quo & prior pars maximè nititur. Hîc Apoſtolum inuoco, qui dicit Roman. 5 per legem abundare peccatum. Et ad Gal. 3 per legem augeri tranſgreſſiones. Et 1. Corin. 15. virtus peccati lex. Quibus verbis prorſus neutralem illam theologiam euacuat, quæ inter odium & gratificantem amorem, medium fingit naturalem amorem legis, qui contritionem iſtam paret.*

Epiſc. Quorſum hæc Pauli teſtimonia de lege ſpectant? Neque enim articulus ille tuus, vllam facit de lege mentionem. Quid ergo non videt, quàm procul à negocio petita ſunt hæc teſtimonia? Quid enim ſi præcepta legis duntaxat ſpectanti, peccandi detur occaſio. Num propterea qui fidem ſpectat, & per fidem peccatorum incommoda, non poterit peccata deteſtari? Lex enim ad peccandum neminem adegit inuitum. Tantum egit vt appetitus, accepto mandato, legi magis reniteretur. At hoc non eſt vim inferre peccandi, ſed occaſionem duntaxat. Neque enim nos amorem legis naturalem, hanc parare contritionem opinamur, ſed fide cum eius diſpendij recordatione, quod ex peccato prouenit. Fides enim ob oculos peccatori ſtatuit grauitatem, multitudinem, fœditatem ſuorum ſcelerũ. Præſentat æternos gehennæ cruciatus, quos & omnino videre facit (niſi reſipiſcat) effugere ſe non poſſe. Oſtendit & cœlorum præmia, quæ iam peccator amiſit, recuperaturus tamen eadem, ſi dignè conteratur. Hæc haudubiè collectio citra charitatem fieri poteſt, quæ ſi cordis aliquem motum excitet ad deteſtanda peccata, quod fieri plerunque compertiſſimum eſt, iam factus eſt quaſi gradus quidam, quo peccator propiùs ad culmen veræ contritionis acceſſit. Et profectò rationi conſentaneum eſt, vt qui tã longè poſitus antè fuerat à ſalute, non repente, ſed paulatim, & quaſi gradibus quibuſdam ad eam reuerteretur. Quo fit, vt is qui iam à peccatis auertere ſe cœpit, & ad Deum conuerti, gradum vnum conſcendiſſe, iamque charitati vicinior effectus eſſe credatur, quàm antè fuerat. Vtcunque ſit, non meretur ſanè peccator, ob hunc deteſtationis motum notam aliquam deteriorem, vt dicatur iam peccare grauiùs & eſſe magis peccator, quàm fuerat pridem.

Lex ad peccandum neminem adegit inuitum

Lvth. *Si enim hic amor ſiet, & per ipſum non augetur peccatum, mendax eſt Paulus, qui generali ſententia docet, legem eſſe auctricem, & virtutem peccati, ita vt è ſolo Chriſto pendeat victoria eius. Ergo faciat quicquid poteſt natura ante gratiam auget peccatum, quia non poteſt non odiſſe legem. At hoc odium eſt peccatum, immò augmentum peccati, cum non ſolùm peccet contra legem, ſed odiat non licere peccare, prohibente ſcilicet lege. Ita ſit, vt irritante lege & concupiſcentia & peccatum magis placeant, & lex magis ac magis diſpliceat. Cum ergo collectio peccatorum extra gratiam, non niſi legem ſibi præſtituat, ad quam peccata ſua confert, impoſſibile eſt, licet metu pœnæ vel ſpe præmij fortiter ſimulet, vt non magis odeat legem quam peccata, & magis diligat peccata quam iuſtitiam legis.*

Hoc totum extra cauſam tibi declamatum eſt. Epiſc. Nos enim nõ de lege, aut amore legis loquimur, tantùm inquirimus, quid amor peccatoris ad ſeipſum, adiutus Fide ſimul & ſpe, citra charitatem poſſet. An ſcilicet amor iſte fide ſpeq; fulcitus, libratis grauiſſimis & acerbiſſimis peccatorum incommodis, poſſet compunctionem & contritionem tantam excitare peccatori, qua promoueatur aliquouſque verſus charitatem. Non negamus, quin ſi peccator legis imperium ſpectet, inde magis inardeſcit illius concupiſcentia, niſi per gratiam fuerit adiutus. Sed nos aliò ſpectare facimus peccatorem, nimirum ad iacturam, quam ex peccato contraxiſſe Fide contemplatur, ſimulque ad recuperandæ gratiæ poſſibilitatem. Et hac conſideratione non dubitamus, Fidem poſſe nonnihil ad ſalutarem compunctionem inducere. Alioqui dona iſta, nempe fidei & ſpei, ſunt incaſsùm donata peccatoribus. Dic mihi tu, qui de ſcripturis tantopere gloriaris: Publicanus ille, qui tametſi peccator in templum aſcenderat, deſcendit tamen inde iuſtificatus, qua ratione conſequutus eſt hanc iuſtificationẽ? Nimirum quia ſeipſum humiliauit. Sic enim Chriſtus ait: Omnis enim qui ſe humiliat, exaltabitur. Et aduerte quid dicat: Qui ſe (inquit) humiliat. Vt intelligas hunc publicanum nonnihil ad ſuam ipſius humilitatem feciſſe. Sed cur humiliauit ſeſe? Certè quia fœditatem, grauitatem, multitudinem ſcelerum ſuorum contuitus eſt, ac proinde ſe indignum arbitrabatur, qui vel propiùs accederet, vel oculos in cœlum attolleret: ſed pectus ſuum, ſub quo latuit tanta ſcelerum latrina, verberabat atrociter, & orabat, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Quid hic reſpondebis? Non potes dicere, publicanum hunc non iam fuiſſe contritum? Et quomodo ſibi parauit hanc contritionem, niſi per collectionem, & deteſtationem peccatorum? At dices fortè, quòd priuſquam in templum aſcenderat, fuit iuſtificatus. Chriſtum ergo mendacem facis, qui per hanc humiliationem in templo factam, docet eum fuiſſe iuſtificatum. Sed dices adhuc, Fidem habuit, & orauit, & hæc ſine gratia fieri non poſſunt. Certè ſine gratia quæ iuſtificat, ea fieri potuiſſe non eſt dubium, cum & Phariſæus ille ſimiliter, & credidit, & orauit, & tamen iuſtificatus non erat. Sed hoc te fallit Luthere, quòd tu neminem putas credere poſſe, aut orare abſque gratia iuſtificante. Cum tamen tot in ſcripturis teſtimonia ſint aduerſum te. Cæterùm & ijs perſpicuum eſſe puto, quàm ſint nullius momenti cuncta, quæ iam produxeras. Labefactat enim huius Euangelij contextus, non articulum ſolùm, ſed & ſingulas argutias, quibus eundẽ ſtabilire

Publicanus quo modo iuſtificatus. Luc. 14. & 18.

libe

lire conaris, non modò quæ lectæ ſunt, ſed & cæteras quæ ſubſequuntur.

LVTH. *Et quid faciat impius extra gratiam, cum ſuperiùs articulo primo docuerimus, quanto ſudore iuſti & ſancti viri condelectentur legi Dei, & reſiſtant legi membrorum repugnanti; & captiuanti? ſi illi colliguntur, non modò odiſſe, ſed & repugnare legi Dei & captiuare: quid faciunt impij, in quibus iſta pugna Spiritus nondum eſt?*

EPISC. Si de Impio loquaris, qui reſipiſcere non ſtudet, profectò concedimus, quòd magis ac magis in omnium ſcelerum charybdim abſorbetur. Sed nos de iſto contendimus, qui totis viribus ad Deum conuerti conatur, quales multos eſſe nemo dubitat, & his Deum præſtò eſſe, qui manum porrigat. Alioqui fruſtrà peccatores, vel ad conciones audiendas accedunt, vel eleemoſinas faciunt, aut preces fundunt, aut alia id genus opera faciunt, quibus ad ignoſcendum flecti conſueuit Deus. Quod ſi conceſſerimus quid poteſt magis ad perniciem peccatorum excogitari?

LVTH. *Quid faciat caro, vbi ſpiritus non eſt? præſente ſpiritu pugnat contra legem Dei, & tu dicis, quòd abſente Spiritu pugnat pro lege Dei? Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem, & tu docebis ſolam carnem nullo pugnante Spiritu, facturam pro ſpiritu? Quid poteſt inſanius dici & fingi?*

EPISC. Spiritu nullus carere poteſt, quiſquis homo fuerit, cum tres has partes, nempe Spiritum, Animam, & Carnem in ſingulis hominibus eſſe, ſuperiùs affirmauimus. Nec Spiritu caruit ille ſceleratiſſimus hominum, nimirum ipſe publicanus, de quo meminit ſuperiùs Euangelium. Spiritum equidem habuit, qui per Fidem carni aduerſabatur, & qui de carne quaſi vltionem ſumens, publicanum impulit, vt conſpectis horrendis illis detrimentis, quæ ſibi per carnem illata fuerant, duriori verbere ſuum pectus impeteret.

LVTH. *Malæ cupiditati tribuitur vt faciat opus contra quod ipſa eadem ſummis viribus pugnat, dum præſens eſt bona cupiditas.*

EPIS. Non malæ cupiditati tribuimus hoc opus, ſed Fidei, tametſi nondum formatæ. Neque enim publicanum excitauit mala cupiditas ad contritionem, ſed Fides & timor Dei, atque ſuorum peccatorum horror.

LVTH. *Credo hæc facturam Fidem, per legem non niſi augeri peccatum, id eſt odio haberi iuſtitiam, & amari peccatum, idq; toto pondere & ſummis viribus, ibi natura ſola fuerit extra gratiam, cùm in gratia ſummis viribus pugnet contra legem. Simul credo pateat, non modò hypocritam, ſed & magis peccatorem fieri, collectorem illum contritionis ex peccatorum & legis intuitu.*

EPISC. Et nos conceſſimus, ſi non aliò ſpectes, quàm ad imperium legis. Sed hoc nihil ad nos. Nos enim Euangelium docuit, quòd ille, qui ſub lege fuerat, ob id quia ſe humiliauit, per collectionem & deteſtationem peccatorum ſuorum ad tantam peruenit contritionem, vt eſſet inde iuſtificatus. Et cum hoc illi contigit tempore legis, quis tam impudens erit, vt iam ſub tempore gratiæ paria facientes, inurat hypocryſeos nota, dicatque factos hypocritas, & nunc magis quam ante fuerant, eſſe peccatores, quòd ob oculos damna ſuorum peccatorum conſtituerint, vt per fidem ea deteſtarentur.

LVTH. *Quin eat quiſque in cor ſuum & non mentiatur ſibiipſi, reſpondeatq; mihi. An non cor ſuum ita inueniat, vt mallet nullam legem eſſe? an non odiat pœnam peccatorum eſſe? an non ſentiat ſibi placere voluptatem, gloriam, opes, ſcientias, &c. Quis eſt qui his non afficiatur? At affectus, nonne vellet non eſſe prohibita? Quod ſi quis ſimulet ſe non multum iſta curare, fateatur ſaltem ex parte illis affici. Si non fatetur, non credo ei prorſus, cùm omnes ſancti id querantur de ſeipſis, & has repugnantes leges membrorum aſſiduè accuſent. Quid ergo contra proprium ſenſum & vitalem pulſum experientiæ, fingimus amorem naturalem legis, & odium peccati, quo præparetur homo ad gratiam, cùm iſta ſint non in corde nata, ſed natantia, ſicut ſpuma & per vim extorta, ſub quibus alitur eo fœdius, & maius odium legis, quo fortius ſimulatur odium peccati. Horum certè impiorum eſt illa violenta conſcientia, quam Paulus cauteriſatam vocat ad Timotheum primo.*

EPISC. Superius dixi, non amorem legis naturalem, aut omnino naturale peccatorum odium hanc contritionem operari, ſed Fidem, ſit ea licèt informis. Credidit enim publicanus cum eſſet in templo, Deum ſui cordis inſpectorem fuiſſe. Quæ fides incuſſit ei timorem primùm, deinde ſcelerum horrorem, poſt hæc humiliationem ſui, demum & pectoris vltionem, atque implorationem clementiæ Dei. Quod & fecit tanta deteſtatione ſui, tantaque cordis contritione, vt tandem apud Deum eſſet iuſtificatus. Egit interim nihilominus caro, naturaque ſuum opus, verùm præualuit Fides, quemadmodum & in illis fecit, quos memoras, ſanctis. Quanquam caro peccatum amet, & legem ac virtutes odiat, recalcitretque magis, quò plus arcetur, ſi tamen anima Spiritum & Fidem ſequatur, poteſt ad tantam cordis compunctionem aſcendere, vt tandem iuſtificationis aſſequatur gratiam. Id quod ipſe confiteri debes, ſi tecum velis conſtare. Nam in commentarijs ad Gal. aſſeris, Fidem promereri gratiam: & Fidem mereri vt Spiritus detur. Quid ergo prohibet, quin hæc opera, quæ ex Fide proficiſcuntur, quanquam haud dum affuerit gratia, præparare poſſent ad gratiam. Quando enim quis ob oculos peccata ſua ſtatuit, ſimul & Dei beneficia reuocat ad memoriam, cogitans quàm ſupra modum ſe præbuiſſet ingratiſſimum tam benigniſſimo patri, ſuamque ingratitudinem deteſtatus, de ſeipſo tandem ſupplicium ſumit. An non hi motus omnes ex fide naſcuntur? Quamobrem cum ipſe palam affirmas, fidem promereri gratiam, cur non & hi motus & opera ex Fide profecta, poſſent identidem ad gratiam præparare?

Publicani fides.

LVTH. *Vnde ego ſentio, & doceo, pernicioſum eſſe genus docendi, quo intuitu pœnarum, præmiorum, peccatorum, docentur pœnitere. His enim doctrinis coercentur quidem ab opere, & cauteriſatam violentamq; formant ſibi conſcientiam ſeu bonum propoſitum, & maio-*

re malo occultum illum affectum contemptæ legis, & amati peccati, nunquam intelligunt; nec obſeruant, immò ijs ſtudijs occultant, contenti ſatisfeciſſe iſtis impijs dogmatibus operum, quibus tamen ſi libere loqui concedas, ſtatim dicent, ſe non ex animo pœnitere, & niſi lex infernuſq; eſſet, toto impetu malle explere mala ſua, præſertim tentati.

EPIS. Si fuerit hoc dicendi genus pernicioſum, profectò Chriſtus perniciose docuit. Nam hoc vſus ipſe fuerat docendi genere quemadmodum ex ſuperioribus conſtitit. Cæterùm nihil prohibet quemquam ex animo pœnitere, tametſi deprehendat hos affectus in carne ſua repugnantes. Nam & ijs neque ſanctiſſimi viri caruêre. Sed animus fide adiutus, & præ mentis oculo, damna quæ ex peccato incurrit conſtituens, ſimul & commoda quæ per reſipiſcentiam acquirere poſſet iugiter cogitans, non eſt dubium, ſi velit ſpiritum ſuum admonitorem ſequi, & quoad poterit, carnis affectibus reluctari, ac Deum aſſiduis interpellare precibus, quin is tandem ad veram emergeret contritionem.

LVTH. *Quantò ergò rectiùs ſanè, docerentur iſtum affectum capitalem, peſſimum, occultum agnoſcere, & donec ab amore legis inciperent pœnitere, ſeſe hypocritas eſſe ſcirent, & nil de hypocriſi tali præſumerent, immò ſuper ea magis quam ſuper peccatis, quorum intuitu fictum iſtum dolorem cœperunt, dolerent.*

EPIS. Duos modos antè recenſuimus ex Caſſiano, quibus ad veram compunctionem peruenitur: altero timoris, amoris altero. Quos & harum rerum è peritiſſimus ſimul, & exercitatiſsimus pugil, D. Antonius in epiſtola quadam ad fratres aſtruit. Nos vtrunque probamus, reijcimus neutrum, quanquam hunc ſecundum & laudabiliorem efferimus, ſi tamen peccatoris animum penetrare queat. At vbi non quibit, alter ille nequaquam ſpernendus eſt. Nihil enim ambigo, quin maxima pars eorum, qui veram contritionem aſſequuntur, à timore potiùs incipiunt, quàm ab amore. Cęterùm quòd contritio per timorem parata, neque faciat hypocritam, neque magis peccatorem, ſatis ſuperque iam diximus.

Eodem articulo.

LVTH. *Admitto ſanè craſſos illos & induratos impios, qui nondum conſcientias habent, terroribus illis ſicut ſeruos indomitos vrgeri ad pœnitentiam, ſicut magiſtratus gladio coërcet ſceleratos. Sed vbi conſcientiæ ſunt, ibi certæ instruendæ ſunt, vt a Chriſto primum incipiant, & in miſericordiam eius credentes vitam mutent. Tum enim primùm pœnitentia vera incipit, quando ex amore fiunt, ſicut & ipſi dicunt. Tunc non amore commodi, nec timore pœnæ, ſed affectu ſolum iuſtitiæ peccata colligent, & ponderabunt, vt hæc fuſiùs in ſermone de pœnitentia dixi.*

EPISC. Gaudeo iam tandem inueniſſe te craſſos aliquos, quibus opus eſt, vt terroribus iſtis agitentur. Sed vide, num eadem craſsitie pro maxima parte laboramus omnes? Si dixerit propheta David. Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui: multò magìs id nobis optandum erit. Seruus iſte craſſus, quo non eſt craſſior alter, caro inquam noſtra, timore iudiciorum Dei cohiberi debet & coërceri diſtrictiùs. Sicq; poſtquam inceperimus à timore, perueniemus tandem ad amorem, vt ſubinde timor paulatim deſinat, & affectus in nobis iuſtitiæ tandem aliquando regnet ac triumphet.

Pſal. 118

LVTH. *Quando enim de pœnitentia docemus, eam docere debemus, qua fiant Chriſtiani ex corde pœnitentes, quod non facimus, niſi Fidem doceamus omnium primò, vt qui peccata ſua ſentiunt, ne præuenta ſtulta operum opinione, incipiant ſalutem à ſeipſis operantibus & currentibus, & non a miſerante Deo. Aliud enim genus eſt docendi induratos illos, ferreas ceruices & æreas frontes ab externis ſaltem peccatis coërcere, etiam ſi corde inuito, & coërceri odiente peiores in ſemetipſis fiant, minus tamen nocebunt alijs.*

EPIS. Fides vtique tam iſtis craſsis, quàm illis quos dicis habere conſcientias, neceſſaria eſt. Hæc iuſtitiā Dei monſtrat, quæ metum incutit: monſtrat & miſericordiam quæ fiduciam præbet. Multis obfuit ſolius miſericordiæ recordatio. Fecit enim vt præſumerent. Multis enim item ſolius iuſtitiæ, quæ fecit vt deſperarent. At ambæ ſimul confœderatæ profuerunt omnibus. Hæc dixerim, vt intelligas non vnicum eſſe modum vocandi peccatores: ſed alios timore, alios amore vocatos eſſe: & timorem huic magis neceſſarium eſſe, quam timorem. Ex quo patet, & erroris occaſionem tibi fuiſſe, quòd cum duo ſint capitales modi quibus reſipiſcere peccatores conſueuerunt, vnum timoris, amoris alterum: tu tamen illum ita mordicùs amplecteris, vt hunc omnino reijcias. Sed de hoc articulo iam ſatìs.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

LVTH. *VEriſſimum eſt enim prouerbium omni doctrina de Contritionibus hucuſque data præſtantius, quo dicitur, Optima pœnitentia noua vita.*

EPISC. Falſum & hunc articulum eſſe conſtat, ex ijs quæ diſſeruimus articulo quinto. Tollit enim omnem ſatisfactionem, quam non ex ſcripturis modò, verumetiam ex probatiſsimis auctoribus docuimus eſſe vſqueadeo neceſſariam pœnitenti, vt niſi pro commiſsis ante ſatisfecerit, non illi patebit in cælum aditus. Continuè (inquit Auguſtinus) dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando. Pœna enim propriè dicitur læſio quæ punit & vindicat, quod quiſq; commiſit. Ille enim pœnam tenet, qui ſemper punit quod commiſiſſe dolet. Hæc Auguſtinus, de vera & falſa pœnitentia capite decimonono. Nec eſt quod nobis obijciat: Metanæam reſipiſcentiam aut transmentationem dici, non pœnitentiam, quaſi Lutherus vim huius verbi (ſi dijs placet) iam tandem cognoſcat magìs, quàm priores patres quotquot ante nos ingenti numero præceſſerunt. Hi certè quod & veriſsimum eſt, nouam vitam à nemine putant ritè inchoari poſſe, niſi quē veteris pœniteat, & qui pro noxis prioribus in ſe ſeuerius vlciſcatur. Mutare vitam cuique

Continuè dolendum de peccato.

Pœnitere quid ſit.

Nouam vitam inchoare nemo poteſt, niſi quē veteris pœniteat.

quan-

quantumconque ſcelerato facile eſt: quod & Chryſoſtomus docet homilia.1. ſuper Ioannem, verum in ea ſic mutata perſeuerare difficile. Neque ſi ſic pertexerit, id ei ſufficiet, niſi pro qualitate delictorum, aut condignam ſubierit pœnam, aut alioquouis pacto ſatisfecerit.

LVTH. *In omnibus hominum verbis, nihil verius eſt communibus prouerbijs, adeo vt & ſcriptura ſancta ſæpius prouerbia tanquam veriſſima citet. Quocirca mirum, quid illis acciderit, vt contra omnium ſenſum, & ſententiam audeant damnare, vt mea non ſit iſta ſententia, vnde & defendendam eam relinquo omnibus.*

EPISC. Pleraqua ſunt prouerbia, quæ non ſemper veriſſima ſunt, quanquam & hoc prouerbium, ſecundum aliquem ſenſum verum eſſe poſſet, vt ſi de ijs pœnitentibus loquamur, qui frequenter incipiunt pœnitere, ſed perficiunt nunquam. Sunt enim plurimi, qui pœnitudinis iter ſæpè tentant, at non euſque pergunt, donec formetur in eis vita noua. De huiuſmodi certè (quorum neq; paruus eſt numerus) dici poteſt, quòd inter eos is optimè pœnitet, qui nouam attingit vitam, & in eadem perſeuerat, nimirum vt ſic per comparationem intelligatur. Optima pœnitentia noua vita.

Quomodo intelligatur, optimam pœnitentiã eſſe nouã vitam.

LVTH. *Ego autem defendo quod addidi quod oſtendi id prouerbij cum ſcriptura conuenire, vbi Paulus Gal. 6. dicit. In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio, neque præputium aliquid valet ſed noua creatura. Hanc ſententiam debuerant damnare, quo ſtabilius prouerbium, dum me voluerunt damnare. Planè enim hic Apoſtolus docet, omnia vana eſſe, niſi ſimus noua creatura in Chriſto. At pœnitentia, quæ ſine amore iuſtitiæ agitur, vetus adhuc eſt creatura, non plus valens quam circumciſio aut præputium.*

Primùm erras in huius ſcripturæ intellectu, quemadmodum in altera ſimili priùs abs te citata feceras, nempe hac: Si charitatem non habuero, nihil ſum. Vtrobique ſanè Paulus intelligit nihil eſſe, hoc eſt, nullius æſtimationis eſſe, quantum ad cæleſtis gloriæ conſequutionem ſpectat. Et ſic certe quicquid in homine charitatem & gratiam antecedit, id nihil eſſe concedimus. Cæterùm hoc non eſt eſſe penitùs nihil, vti proximo diſſeruimus articulo. Mihi nunquam perſuadebis, quòd eleemoſyna, oratio, iniuriarum dimiſſio, ac cætera id genus opera, nihil omnino peccatori conferunt, quo poſſet ad gratiam citius peruenire. An non ijs modis Cornelius Centurio (quemadmodum in Actis traditur) homo gentilis, nullis adiutus Sacramentis, peruenit ad ſalutis viam? Alioqui non audijſſet ab angelis ſibi dictum: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Non eſt ergo prorſus nihil, ſi quis peccator extra charitatem exiſtens, ſtudio reſipiſcendi, faciat aut eleemoſynam, aut orationem, aut cætera id genus, quanquam non inde mereatur ex condigno præmium. Quod & diuus Hieronymus palàm teſtatur in commentarijs Epiſtolæ ad Galatas: Conſideremus (inquit) diligenter, quia non dixerit, volo à vobis diſcere, vtrum ex operibus ſpiritum accepiſtis: ſed adiecerit, ex operibus legis. Sciebat enim & Cornelium Centurionem, Spiritum ex operibus accepiſſe, ſed non ex operibus legis quam neſciebat. Si autem è contrario dicitur, ergo & ſine auditione fidei accipi Spiritus poteſt. Nos reſpondebimus accepiſſe quidem eum Spiritum, ſed ex auditu Fidei & naturali lege, quæ loquitur in cordibus noſtris, bona quæque facienda & vitanda mala, per quam dudũ quoque Abraham, Moſen, & cæteros ſanctos iuſtificatos retulimus, quam augere deinceps poteſt operum obſeruatio, legis quoque iuſtitia, non tamen carnalis legis quæ præterijt, ſed ſpiritualis, quia lex ſpiritualis eſt. Hæc Hiero. Sed & pœnitentiam quæ antecedit iuſtificationem non eſſe prorſus nihil, neque nullius momenti, vel ex eo liquet, quòd Petrus eam Simoni Mago ſuaſerat, cum is eſſet expers charitatis. Pœnitentiam (inquit) age ab hac nequitia tua, & roga Deũ ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Profectò ſi Petrus opinatus fuiſſet, aut pœnitentiã, aut orationem, nihil potuiſſe cõferre peccatori extra charitatẽ conſtituto, nunquam huic homini ſceleratiſſimo conſuluiſſet, vt ea faceret. Quamobrem à vero longè diſſidet, aſſerere, quicquid charitatem antecedit in homine, prorſus nihil eſſe, nec valere quicquam. Dicas quicquid velis Luthere, ſcio nunquam hunc locum diluere. Sed & ſcriptura Pauli quam producis, non probat nouam vitam eſſe optimam pœnitentiam, ſed magis hoc ipſum probat, quod nos iam diximus, hoc eſt, eam pœnitentiam quæ præceſſit gratiam, & nouam vitam, nihil eſſe, hoc eſt nullius eſſe meriti, cum ea nondum fuerit charitate formata. Neque enim ſatis dialecticè ſequitur: Pœnitentia (quę nouam creaturam antecedit) nihil valet, igitur noua creatura, aut noua vita eſt optima pœnitentia. Poſſunt enim hæc ab inuicem ſecerni, vt docet Caſſianus, & vita noua manere, peracta pœnitentia. Quod ſi nuda vitam ſufficeret abſque pœnitentia, nemo eſt, qui non facilè pœnitentiã à ſe repudiaret, cum ex opinione tua planè conſtet, eam ſemper aut noxiam eſſe, aut non neceſſariam. Nam ſi pœnitentia nouam præcedat vitam, noxia eſt per te, cum peccatoris conditionem deteriorem faciat, vtpote magis peccatorem & hypocritam eum conſtituat. Sin verò ſequatur, iam non erit neceſſaria, quia noua ipſa vita ſufficit, quæ tibi dicitur optima eſſe pœnitentia. Ad hunc itaque modum, peccatori, quantumcunque grauiſſimo, vita noua ſufficeret abſque omni pœnitentia.

Act. 10.

Aliud eſt ex opere ſpiritum ex operibus, aliud ex operib. legis.

Cornelius ex operib. ſpiritum accepit, ſed non ex operibus legis.

Act. 8.

Luth. proſtratus.

LVTH. *Nam & Paulus cum conuerteretur luce ſubita circumfulſus eodem momento charitate indutus eſt, dicens: Domine quid me vis facere? Hæc verba, non dicit pœnitentia ſeruilis, quæ potiùs horret & fugit à facie Domini. ſicut Iudas Scarioth. Charitas ſola dicit: Domine quid me vis facere.*

EPISC. Conuerſio Pauli ſingularis fuit, & ſtupenda potiùs, quàm ſit ad multitudinis exemplum trahenda. Veruntamen habet ea cõuerſio nonnihil ſimile cum multis pœnitẽtibus, præſertim quòd à timore cœperit, quemadmodum Auguſtinus

ad Bonifacium, de correctione Donatiſtarum ſcribit: Vbi eſt (inquit) quod iſti clamare coo-ſueuerunt, liberum eſt credere vel oon credere? Cui vim Chriſtus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apoſtolum. Agnoſcant in eo, priùs cogentem Chriſtum, & poſtea docentem: priùs ferientem, & poſtea cunſolantem. Mirum eſt autem, quomodo ille, qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis umnibus qui ſolo verbo vocati ſunt, io Euangelio laborauit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras mittit timorem. Hæc

Pauli conuerſio à timore cœpit. Auguſtinus. Hoc igitur cum Paulo multitudini commune fuit, quòd à timore cœperit eius conuerſio. Quam rem & Acta teſtantur, quæ tradunt illum in terram cecidiſſe, & tremeotem ac ſtupentem dixiſſe: Quis es tu Domine? Neqne enim vt tu citas, primum dixit: Domine quid me vis facere? Sed primùm ſciſcitatur quiſnam eſſet, qui ſe oomioe proprio compellabat. Dixit enim

Actor. 9. qui Paulum in terram proſtrauit: Saule Saule, quid me perſequeris? Non fuit igitur charitate, primo ipſo momeoto, Paulus indutus, ſed timore priùs & deiode poſt timorem ac fidem, introducta fuit charitas, velut per ſetam linum. Quo fit, vt neque timor ille noxius fuerit, ſed ſalutaris: quanquam citra charitatem, animum aliquandiu preſſerit. Fuit enim principio deiectus & ocreptus ipſe Paulus, oecdum ſciebat à quo ſibi id factum fuerat. At vt audiuit: Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare: Mox credidit & charitatem induit. Nam & obſequentem ſe protinus oſtendit, cum dixit: Domine quid me vis facere? Neque enim charitas fidem potuit antecedere. Præceſſit ergo timor, ſubſequuta eſt Fides, atque ita tandem ſubintrauit & charitas.

LVTH. *Sis ergo certus, ſimul dum homo conteritur, ſimul & gratia infunditur, & in medio terrore diligit iuſtitiam, ſi verè pœnitet: ſin autem non ſimul diligit, non verè pœnitet.*

EPISC. *Vera contritio abſque gratia non poſsidetur.* Veram coottritionem ſæpe diximus neminem abique gratia poſſidere poſſe. Sed timorem, & concuſſiooem, & dolorem, quem dicunt attentem, quis non ex ſuperioribus intelligit, plerunque priores eſſe gratia. Quòd ſi illa non ſufficiant, audiamus adhuc quidnam hi dixerint,

Luc. 3 *Timor ſalutaris nonnunquam gratiã antecedit.* quibus Baptiſta pœnitentiam prędicabat. Neqne enim verbulum amoris aliquod eis ipſe protulit, ſed timoris omnino. Quid enim aliud, quàm genimina viperarum appellauit, & lapidibus etiam inferiores eos fecit, ac minabatur futuram iram? Sed & ſecuris meminit ad radicem arboris poſitæ, ſimulque & exciſiooem atque ignem interminabat. Et tamen hæc audientes, timore concuſſi, leges quaſdam viuendi petierunt. Quid, inquiunt, faciemus? Certum eſt in his timorem ſalutarem anteceſsiſſe charitatem, ſi tamen charitas tum affuerat, cum iam inſtrui petijſſent, quidnam eſſent facturi. Neque dubium eſt quin illa pœnitentia, quæ charitatem anteceſſit, vera fuiſſet pœnitentia, ſimul & ſalutaris, quanquam non adhuc ex condigno meritoria.

LVTH. *Probaui enim ſæpiùs infuſionem gratiæ fieri cum magna animi concuſsione Sicut Beata virgo ad ingreſſum angeli turbata eſt, & hac ipſa turbatione ad ſummum amorem virginitatis impulſa eſt. Neque enim vehementius vnquam amauit virginitatem, quam hac hora, in qua viri perſonam ſolitaria intuens, metuit violentiam caſtitatis. Ita peccator dum virtute Dei compungitur, & viſitatur per gratiam, vehementer concutitur, atque hac ipſa concuſſione ad odium peccati & amorem iuſtitiæ rapitur. At qui ſua vel legis ſolius virtute pœnitet, concutitur quidem, ſed fingit odium peccati, quia ſtat ſententia. Virtus peccati lex. Nollet enim ſic concuti, multò magis ij fingunt, qui ſine commotione ſolis cogitationibus frigidis peccata recogitant.*

EPIS. Inepiſsimas hauddubiè probationes adducis. Quid enim hoc ad rem facit, quòd virgo beata turbatur ad ingreſſum angeli? Oportet probes, eam fuiſſe turbatam potiùs ad infuſionem gratiæ. Quid enim mirum eſt, ſi virgo quæ ſola fuerat, & virginitatem ſuam Deo conſecrârat, ſubitò præſentem, intra ſui thalami penetralia iuuenem cernens, illico turbaretur? Sed certè nimis quàm ſtupendum eſſet, ſi puriſſimus eius animus, in quo nullum gratiæ vel leuiſſimum fuerat obſtaculũ, ex ipſius gratiæ perfuſione oon maximopere conſolaretur. Vtcunque fuerit, ſatis apertum eſt, Euangelium hoc nuſquam aſſeruiſſe quod ipſe moliris, nempe quòd beata virgo turbata fuiſſet ad infuſionem gratiæ. De peccatoribus tamen aliud eſt, in quibus magna ſunt obſtacula gratiæ, quæ ſanè per timorem priùs excutienda ſunt, & animus ita præparandus, atque (vt ſic dicam) habilitandus, ad gratiam ſuſcipiendam. Porrò quiſquis hanc præparationem damnat, & ooxium eſſe definit, quicquid antecedit charitatem, is omoem aufert peccatoribus reſurgendi conatum, ſimul & funditùs eis tollit animum emendandi ſeſe. Sic enim neque deſerendorum peccatorum ſtudium, neque conuertendi ſui ad Deum affectus, oeque reſipiſcendi appetitus ſed neque diuini amoris cõcupiſcentia, nihil ioquam horum (modò citra charitatem fiant, vt & fieri poſſe non eſt dubium) nemini non erit fugieodum, cum (ſi Luthero credimus) peccatorem omninò deteriorem faciant, & longè magis hypocritam, quàm antè fuerat. Hoc profectò dogma quam ſit perniciosũm, & peccatoribus cunctis exitiale, nemo tam cæcus eſt, vt non intelligat, ac digitis ipſis palpet vel craſſioribus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

LVTH. *De Confeſsione.* *Nullo modo præſumas confiteri venalia peccata, ſed nec omnia mortalia, quia impoſsibile eſt vt omnia mortalia cognoſcas, vnde in primitiua Eccleſia, ſolum manifeſte mortalia confitebantur.*

EPISC. Opioor neminem vſqueadeo cæcum & inſanum eſſe, vt ob vnius Lutheri ſententiam, velit tanto diſcrimini ſeipſum exponere, quatenus ea peccata quæ vel norit, vel dubitat eſſe lætalia, ſacerdoti non aperiat, & maximè cum intelliget antiquiſſimos, ſimul & eruditiſſimos, atque etiam ſanctiſſimos patres aſſeruiſſe tantam Exomolegeſis.

logeſis, hoc eſt, confeſſionis neceſſitatem eſſe, vt quicunque mortaliter deliquerint, eos oportet aut ſacerdoti priuatim, aut publicè corā toto populo, ſua peccata detegere. Neq; facilè crediderim patres ipſos hanc vſqueadeo duram prouinciam nobis impoſuiſſe, niſi perſuaſiſſimum habuiſſent, hanc exomologeſin aut ab Apoſtolis inſtitutam, aut in ipſis ſcripturis ſacris dilucidè traditam fuiſſe, ceu rem cunctis peccatoribus apprimè neceſſariam, & quam contemnere nō poſſet abſque diſpendio ſalutis animarum ſuarum. Expendat igitur quiſque ſecum, an tutius fuerit bonorum patrum, ſimul & ſcripturarum aſſertionea admittere, ſuaſque animas à tanto periculo cuſtodire: an Lutherum de confeſſione temerè pronunciantem, & ſuo capiti, non patribus nec ſcripturis innixum ſequi, & cum eo funditùs perire. Nos igitur quid patres primùm in hac re ſenſerint, deinde, quid ſcripturæ ſacræ diffiniant commemorabimus. Cæterùm ne quis neget aliqua hinc ſubſcripſiſſe, non grauabimur, quid alij quoque ſenſerint, in medium afferre. Origenes in primis ſuper Pſal. 37. ſcribens ait: Vide quid nos edocet ſcriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinſecùs. Fortaſſis enim ſicut hi qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam aut humoris, aut phlegmatis ſtomacho grauiter & moleſte imminentem, ſi vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecùs vrgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſeipſum & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circunſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & conpatiendi nouerit diſciplinam, vt ita demum, ſi quid ille dixerit, ſi quid conſilij dederit, facias & ſequaris. Hæc Origenes. At inquiet fortè quiſpiam: Non hæc de priuata confeſſione debent intelligi, ſed de publica. Cui reſpondemus, quòd ſiue de publica, ſiue de priuata quiſquis intelligat, palam eſt Origenem ſenſiſſe, quodcunque mortale peccatum fuerit, hoc ipſum per confeſſionem euomi debere. Cæterùm quòd Origenes hìc de priuata cōfeſſione locutus fuerit, vel ex eo dilucidum eſt, quòd de publica ſubiecit continēter: Si intellexerit, inquit, & præuiderit, talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito Medici illius conſilio procurādum eſt. Hactenus ille. De priuata igitur confeſſione, palam eſt Origenem ſuprà locutum fuiſſe. Quid iam opus erit Baſilij, Dionyſij, Cyrilli, Chryſoſtomi, Cypriani, Hieronimi, Ambroſij & Auguſtini, ac cæterorum patrum accumulare teſtimonia, quando is vnus ex eruditiſſimis, & idē ex vetuſtiſſimis, tam exactè docet non recenter excogitatam aut heri natam

Clancularia confeſſio non eſt recens.

fuiſſe confeſſionem, quàm vocant auricularem, ſed ab ipſis Eccleſiæ primordijs patribus ſemper vſurpatam, quam & vſqueadeo neceſſariam duxerant, vt abſque huius medicamine, peccatores interituros non dubitabant. Baſilius in eo libro, cui titulus eſt de inſtitutione monachorum, quærenti ſuper eo qui velit peccata ſua confiteri, an omnibus debeat confiteri, & quibuslibet, an ſacerdotibus tantùm? reſpondet: Quod confeſſionis modus ad hoc inſtitutus eſt, vt quiſpiam à peccato ſe conuertens, fructus dignos oſtendere debeat pœnitentiæ, ſecundum quod ſcriptum eſt: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, neceſſarium videtur ijs quibus diſpenſatio myſteriorum Dei committitur, confitenda eſſe peccata. Sic enim & ij, qui antiquitùs pœnitebant, inueniuntur apud ſanctos confeſſi fuiſſe peccata ſua. Scriptum eſt in Euangelio, quia Ioanni Baptiſtæ confitebantur populi peccata ſua. Et in Actis Apoſtolorum, Apoſtolis, ij qui baptizabantur. Hæc Baſilius. Ex quibus apertum eſt, Sacerdoti neceſſariò peccatorem debere confiteri. Meminit & huius ritus antiquitùs obſeruati, Dionyſius in Epiſtola ad Demophilum inquiens: Tu verò vt tuæ literæ indicant, procidentem ſacerdoti impium (vt ais) atque peccatorem, neſcio quo pacto, contra diſciplinæ ordinem aſtans, calce abiecisti, cum ille quidem verecundè quod oportuit, fateretur ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe; neque exhorruiſti inſuper & ſacerdotem optimum lacerare conuitijs, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem atq; impium iuſtificaſſet. Hucuſque Dionyſius. In quibus illud annotandum eſt quod dicit, ipſum Demophilū contra diſciplinæ ordinem aſtitiſſe. Nam ex eo videtur, quòd huius peccatoris confeſſio Sacerdoti facta, clancularia fuit & priuata, cui Monachus iſte Demophilus (qui nec Sacerdos erat) contra diſciplinæ ordinem immiſcuit ſeſe, quod & Dionyſius acerbè reprehendit. Deinde & iſtud obſeruandum, quòd hoc loco ritus noſtratis confeſſionis apertiſſimè deſcribitur. Peccator enim hìc ante Sacerdotem procidit, peccata detegit, implorat veniam, quem & poſtremò Sacerdos abſoluit. Cyrillus item libro tertio ſuper Leuiticum, remiſſionem peccatorum docet per pœnitentiam obtineri poſſe, nempe cum lauat peccator lacrymis ſuis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam, ſecundum eum qui ait: Dixi pronuntiabo aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei, & aliquantò poſt id, in eodem libro, vbi Moſes ſcripſit: Si peccauerit vnum aliquid de iſtis, pronunciet peccatum quod peccauit: ſubiungit Cyrillus: Eſt aliquod in hoc mirabile ſecretum, quod iubet pronunciare peccatum. Etenim cuiuſuis generis pronuncianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus ſi quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus,

Confeſſionis modus ad quid inſtitutus.
Lucæ 6.
Mat 3.
Act 19.
Pſalm 31.

miſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & incentor. Hæc Cyrillus: Ex quibus patet, quòd niſi pronunciauerimus peccata noſtra Sacerdoti, diabolus quia ad iſta nos induxit, tandem euulgabit. Aſtipulatur & Chryſoſtomus quicquid alibi dixerit. Nam ſuper Matthæum homilia tertia de illis differens qui baptizabantur à Ioanne confitentes peccata ſua: Confeſſio peccatorum, inquit, eſt teſtimonium conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri: Qui autem non erubeſcit, non timet. Perfectus enim timor, ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpido confeſſionis aſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid neſcimus quia confeſsio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipſum erubeſcere, pœna eſt grauis? Sed ideo magis iubet Deus confiteri peccata noſtra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipſum pars eſt iudicij. Hæc Chryſoſtomus. Et hic aduerte quod dicit: Iuſſiſſe Deum, vt confiteamur peccata noſtra, quatenus verecundiam patiamur ceu pœnam quantam pro peccatis ſuſceptam. Et hanc verecundiã in Exomologeſi perpetiendam, Tertullianus pluribus ſuadet exemplis, & palàm affirmat, quòd niſi iam ſuſceperimus, peribimus ad inſtar eorum, qui cum in partibus verecundioribus corporis quãdam contraxerint vexationem, conſcientiam medicorum vitant, atque ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Et quanquam ipſe de publica confeſsione loquatur, quæ palam omnibus fit, non immeritò repulit eius ſententiam Eccleſia, ſeu nimirum ſeueram, quemadmodum in veniæ confeſsione ſupra modum ſe durum & difficilem exhibuit, quippe qui non paſſus eſt, peccatorem poſt baptiſmum vltrà quàm ſemel ad veniam recipi. Cæterùm eius imitator Cyprianus, multò mitiùs de exomologeſi loquitur, ſermone v. de lapſis: hic enim eos qui corde lapſi ſunt ad ſacerdotes mittit. Hi, inquit, quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti ſunt, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteantur. Exomologeſin conſcientiæ ſuæ faciant, animi ſui pondus exponant, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirant. Et rurſum paulò pòſt: Confiteantur ſinguli quæſo vos fratres delictum ſuum dum ad huc qui deliquit in ſęculo eſt, dum admitti confeſsio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes, apud Dominum grata eſt. Hactenus Cyprianus. Conſentit Hieronymus ſuper Eccleſiaſten cap. decimo: Si quem, inquit, ſerpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandum facilè ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat Medicina non curat. Hæc Hieronymus.

Ignoſcat mihi Lector, quòd tot ex veteribus hic citauerim, quod nimirum ideo feci, vt cunctis palàm innoteſcat, ex patrum antiquiſſimorum ſententia, confeſſionem homini faciendam neceſſariam eſſe, nec ſufficere eam, quæ ſoli Deo fit: ſed & patet vetuſtiſſimum in Eccleſia morem fuiſſe, vt peccatores, quæ aut opere, aut verbo, ſeu cogitatione deliquerint, cuncta Sacerdotibus detegere ſolerent. Huc accedit, quòd in Hiſtoria Tripartita traditum ſit, antiquitùs fuiſſe conſuetum, vt presbyter quidem honeſtæ conuerſationis, per pontificem conſtitueretur, qui celare deberet, ea quæ per confeſsionem à plebe ſibi clanculò detegerentur. Sic enim lib. 9. cap. 35. Soſomenes ait: Quoniam omnino non peccare, diuinum & vltra humanam naturam eſſe cognoſcitur, peccantibus autem & pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcepit. Qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt. Propterea viſum eſt antiquis Pontificibus, vt velut in theatro, ſub teſtimonio Eccleſiaſtici populi delicta pandantur. Et ad hanc cauſam presbyterum bonæ conuerſationis ſeruantem ſecretum, ac ſapientem virum ſtatuerunt, ad quem accedentes, hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. Et ille ſecundum vniuſcuiuſque culpam, indicebat & mulctam. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus ſeruatur Eccleſijs. Hæc Soſomenes. Ex quibus liquidò conſtat, confeſſionis inſtitutum antiquiſſimum in Eccleſia fuiſſe, ſimul & eos qui confiteri refugiebant, grauius peccatorum onus incurriſſe. Maius (inquit) peccatorum onus acquirunt, ſed & propria delicta, quemque qui deliquerit Sacerdoti deſignato fuiſſe confeſſum, apertiſsimum eſt. At obiectabit fortè quiſpiam, quòd hoc de publica confeſsione ſcriptum ſit. Cui reſpondemus, id fieri non poſſe, cum ipſe presbyter tenebatur ſeruare ſecretum? Nam quomodo ſecretum ſeruari potuit, quod fuit publica confeſsione detectum? Sed dicet alius: Quid ergò Soſomenes ſcripſit, viſum antiquis fuiſſe Pontificibus, vt velut in theatro ſub Eccleſiaſtici populi teſtimonio delicta panderentur? Ob id nimirum, quòd confeſſuri nequaquam ad presbyterum in priuatis ædibus accederent, vnde potuiſſent non ſolùm offendicula cæteris oriri, verumetiam ipſis confeſſuris, & maximè fœminis haud minimum diſcrimen, ſed publicitùs in Eccleſia: non tamen ita, quòd illi publicè cunctis delicta ſua manifeſtarent, ſed vni presbytero duntaxat, atque id clanculum, vt eſſet acceſſus pœnitentis ad presbyterum, velut in theatro ſub Eccleſiaſtici populi teſtimonio, ſolus tamen presbyter audiret, quidquid pœnitẽs eſſet dicturus, idq; ſecretũ omnino ſeruaret. Sed & de publicè pœnitentibus, poſtea loquitur, quippe qui non ad hunc presbyterum, ſed ad Epiſcopum acceſſerunt ex cuius ſententia ieiunijs, ac cæteris afflictionibus macerârunt ſeſe, atque communionis tempus, quod decreuit Epiſcopus, expectârunt. Ecce iſtis publicè pœnitentibus Epiſcopus indicebat pœnitendi modum: ad illis qui pres-

byterq;

Non ſufficit confeſſio, quæ ſoli Deo fit. Auricularis confeſſio.

Confeſſionis inſtitutum antiquiſſimum in Eccleſia fuiſſe.

De publicè pœnitentibus.

bytero priuatim cófitebantur, ſecundom vniuſcuiuſque culpam presbyter ipſe taxauit molctam. Er forte ſi quos inuenerit enormia commiſiſſe flagitia, & quæ publicam exigerent pœnitentiam, eos ad Epiſcopum miſit, quemadmodum ex Origeois ſententia ſuprà diximus. His accedit, quòd cum Diaconus quidam flagitium in Eccleſia commiſit, cum egtegia quadam fœmina, & iſta ſcelus propter enormitatem publicè confitebatur, tum propter furorem populi, Nectarius Epiſcopus (vt paulò pòſt ſcribitur) haud permiſit presbyterum diutius ſuper pœnitentes eſſe, ſed vnumquemque teliquit ſuæ conſcientiæ, quod nequaquam pro publicis criminibus intelligi debet, quæ ſemper publicè vindicabantur, iuxta Pauli doctrinam, Corinthijs traditam: ſed pro priuatis admiſſis duntaxat. Liquet igitur ex ijs, confeſſionis huius priuatæ ritum, in Eccleſia vetuſtiſſimum fuiſſe, nec à Latinis ſolùm, verumetiam à Græcis fuiſſe receptiſſimum. Sed iam ex quibus ſcripturis is ritus inoleuerit aliquatenus excutiendum eſt. Scriptum eſt Leuitici quinto: Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis, vt vel malè quid faceret, vel bene, & non ſecerit, & idipſum iuramento & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſiuum, agat pœnitentiam pro peccato. Hic vbi nos legimus: Agat pœnitentiam pro peccato: Litera Cyrilli ſic habet: Et prononcier peccatũ quod peccauit. Cui & reſpondet Hebraica veritas, vbi ſic babetur: Et confitebitur peccatum quod peccauit. Is nimirum locus tam apertus pro confeſſiooe Cyrillo viſus eſt, vt dicat hic mirabile ſecretum contineri, & prorſus affirmet peccata cuiuſuis generis eſſe detegenda. Huic

Num. 5. eſt confine, quod Numeri quinto legitur ad hunc modum: Vir ſiue mulier eum fecerint ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum. Nec eſt dubium quin id ſacerdoti ſint facturi, de quo totom ipſum caput loquitur, & cui Deus iubet offerendum pro peccato. Er hìc aduerte, quòd de peccatis hìc etiam loquitur, quæ per negligentiam admiſſa fuerint.

Leui. 16. Rurſus Leuitici decimo ſexto, comminatur Dominus, quòd tabeſcent in iniquitatibus ſuis in terra inimicorum, donec confiteantur iniquitates ſuas. His accedit, quod Leuirici decimo quarto præcipitur de lepreſo mũdando, quòd ad ſacerdoré adducererur, vt is de lepra dijudicare poſſet, & ſententiã ferte. Quæ res quid aliud nobis effigiar, quàm quòd peccator quiuis leprã ſui peccati debeat ſacerdotibus indicare. Neq; enim alio pacto leproſam animã ſacerdos, niſi per confeſſionem iotueri poteſt, atq; ita ſuper ea iudiciũ ferre. Quam rem & Cyrillus hunc locũ interpretatus, apertiſſimè docet. Nos, inquit, pro viribus noſtris, quantũ proferri in medium coouenit ex-

Heb. 10. equemur, Apoſtolo nobis Paulo pandére intelligentiæ viam, qua dicit, legem vmbram habere futurorum bonorũ, non ipſam imaginem rerum, & ſecundũ id, qood ea quæ de bobus in lege videntur ſcripta, non de bobos quorum Deo cura non ſit: ſed de Apoſtolis aduertẽda pronunciat In quo conſequenri vtriq; ratione edocemur, quòd & ca quæ de lepra ſcribuntor, vmbra ſit in alijs habens imaginẽ veritatis. Igitur adhibeamus primò ſi videtur ipſam ſcripturæ vmbrã, & tunc de eius veritate requiramus. In vulneribus corporũ poſteaquam curata fuerint, remanet interdũ ipſius vulneris ſignũ, quod cicatrix appellatur. Vix enim eſt qui ita curetur, vt nullũ ſuſcepti vulneris reſidere videatur indiciũ. Tranſi ounc ab iſta legis vmbra ad veritatẽ eius, & intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus acceperit, etiam ſi curetur, tamen habet in loco cicatricem vulneris reſidentẽ: quæ cicatrix non ſolùm à Deo videtur, ſed ab ijs, hoc eſt, ſacerdotibus, qui acceperint ab eo gratiam, per quam videre poſſint animæ languores & diſcernere, quæ ſit anima ità curata, vt umni genere veſtigium iliati vulneris abiecerit, & quæ curata ſit quidem, ſed ferat adhuc veteris morbi ipſo veſtigio cicatricis indicia. Hæc ille. Salomon igitur

Peccati cicatrix in anima reſidet.

Prou. 28. in Prouerbijs ait: Qui abſcondit ſcelera, non dirigetur: qui autem coofeſſus fuerit & teliqnerit ea, miſericotdiam conſequetur. Simile quiddam & Ioannes in Epiſtola ſua catholica prima: Si confiteamnr peccata nuſtra, fidelis eſt Deus qui remit-

1. Ioan. 1. tat nobis. At hìc Lutheranus quiſpiam ſufficere contendet ſi Deo peccata nuſtra confeſſi fuerimus. Sed iſtud quomodo perſuadebit cuiuis verè Chriſtiano? qui pretium aliquod animæ ſuæ faciat: & maximè cum tot Patres, totq; ſcripturas in aduerſum audierit, nempe quòd ſit homini vel

Iacob. 5. priuatim, vel publicè coofitendũ. Sed & Iacobus idipſum moner. Nã vbi de presbyteris accerſendis ad eum, qui infirmatur iuſſerit, illico ſubdit: Confitemini alterutrum peccata veſtra, perinde ac ſi dixerit: Quaoquã presbyteri dignitate ſuperiores fuerint, natura tameo fratres ſunt, & eiſdẽ, ceu fratribus animi peuetralia ſunt effundendá. Neq; aliter hunc locum D. Auguſtinus interpretatur cap. 4. ſecundi libri de viſitatione infirmorum, ſic inquiens: Sunt qoidam, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo, coi nihil occultum eſt, quem nullius later conſcientia, ſua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſiue dedignãtur oſtendete ſe Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & leptam diſcernere per legiſlatorem conſtituir Dominus. Sed nolo vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris, confiteri coram Domini vicario, tabeſcens præ rubore, vel ceroſcoſus præ indignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur vicariom. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitùs participem. Non ſedocat te ſomniantium illa iuſperſtitio, quę in viſitando confirmat, quia ſaluat, ſacerdute inconſulto, ad Deum peccatorum confeſſio. Nos autem non abnegamus, quin ſit ad Deum freqoenter referenda confeſſio peccatorum. Beatus etenim qoi tenebit, & allidet paruulos vel maximus ſoos ad petram, petra autem Chriſtus eſt. Sed reſtamur & teſtatur, & illud ſana doctrina,

Confeſſio ſacerdoti facienda.

Pſal. 136.

ne tibi

ne tibi applaudentium faueas auribus, quin priùs eges ſacerdotis, qui mediator ſit ad Deum tuum ſalubri iudicio. Alioquin & ſub lege & ſub gratia: Ite & oſtendite vos Sacerdotibus, reſponſum diuinũ quomodo conſumaretur. Cõfitemini alterutrũ peccata veſtra, quomodo cõpleretur. Ecce quomodo & iſtud docet Auguſti. ad confeſſionẽ Sacerdoti faciendã pertinere. Quòd ſi quiſpiam cõtendat ſenſiſſe Iacobũ, quòd frater fratri cuiuis debeat confiteri nihil moror, ſi tamen hoc mihi donauerit, quòd alteri cuipiã omnino quàm Deo ſit confitendum. Ego quidem hoc molior, quòd vnusquiſque qui peccauerit delictum ſuum homini fateatur oportet, atque id aut priuatim, aut publicè. Atque iſtud ſatis dilucidum opinor factum, ex ijs quæ ſuprà diximus. Quod vbi conſtiterit, nihil ambigo quin iſtud perſpicuum fiet, quòd Sacerdoti potiùs id faciendum ſit, quàm profano, cum & huius muneris functionem ſacerdoti tribuant, non Patres ſolùm, verumetiam ſcripturæ ſacræ. Sed & hoc in primis ad rem facit, quòd ſacerdotes, hoc eſt, Apoſtolos ſuos Chriſtus hac anctoritate donauerit, nempe remittendi peccata. Quorum, inquit, remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quod & fecit non quouis tempore, ſed poſtea quàm inſufflauerit in eos Spiritum ſanctum: nimirum vt inſinuaret, haud paſſim cuiuis à populo poteſtatẽ hanc fuiſſe datam, ſed eis duntaxat, qui per Eccleſiam ad hoc munus eſſent inſtituti. Cuius rei non exiguum indicium habemus ex Actis Apoſtolorum, capite decimonono: vbi cum Spiritus nequam inſilijſſet in ſeptem filios Scenæ principis ſacerdotũ ob peccata ſua, multi leguntur ad Paulum veniſſe, confitentes peccata quæ fecerant: tantus timor inuaſerat omnes. Ad ſacerdotes itaque quibus remittendorum criminum facta eſt poteſtas, accedere debent confeſſuri, nec vnum, aut alterum delictum enarrare ſufficit, verùm ſingula quæque (modò curari velint) indicare tenentur. Oportet enim ſingulum quodque vulnus medico detegere, ſi Tertulliano, Hieronymoque credimus, & omnem indigeſtum ac virulentum humorem vt Origenes docet, euomere, ac pudorem in partem ſatisfactionis iuxta Chryſoſtomum de ſingulo quouis errato pati: & denique ſi Fides vlla Cyrillo ſit habenda, cuncta quæ geſſerint, quantumuis occultè ſiue opere, ſeu ſermone, aut cogitatione reſeranda ſunt, ſi nolint in extremo iudicio per Diabolum ea reſerari. Quiſquis igitur has ſcripturas ſententijs patrum agglutinat, nec ſeorſum quamlibet ex alterutris vellicat, lucolenter intelliget confeſſionis ritum, quem & à primordio naſcentis Eccleſiæ patres vſurpârint, & nobis reliquerit vſurpandum, cuiuis peccatori neceſſarium eſſe. Nec omitti debere, propter vllas calumniãtium argutias, qui cauillantur alios eſſe Sophiſtas, cum ſint ipſi nimis quàm ſophiſticiſſimi. Sed iam Lutherum audiamus.

Ioan. 20.

Quorũ remiſeritis pecca. &c.

Act. 19.

Nota doctores.

LVTH. *Velim doceri, quibus rationibus aut cauſis iſta ſint falſa & damnanda: ego cogitare non poſſum cur falſa arbitrentur.*

EPIS. Dicam paucis cur fortaſſis hunc articulum damnârint aduerſarij tui. Nimirum quòd illo prohibeas non modo venialium, verumetiam aliquorum mortalium fieri debere confeſſionem. Sic enim habet articulus: Nullo modo præſumas confiteri venialia peccata, ſed nec omnia mortalia. Quòd ſi quiſquam alius inculpatè vetare potuiſſet venialium confeſſionem, parum tamen hoc dogma quadrat cum cæteris aſſertionibus tuis. Nam inferiùs habes, neminem eſſe certum, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium. Ex quo conſequitur, quòd de omni opere quod facit peccator, vereri debet, ne ſit mortale peccatum. At id de quo dubitat quis, an ſit mortale peccatum nihilominus confiteri tenetur, quàm quod ſcire eſſe tale, cum ex æquo peccatorem obliget vtrunque. Adde, quòd tibi viſum eſt aduerſum Eckium omne peccatum veniale, cum (vt illic aſſeris) contra legem Dei fiat, ex natura ſua mortale eſſe, & cur ergo vetari debet, ne per confeſſionem eijciatur, quemadmodum & ea quæ ſunt mortalia? Ad hæc: Si quicquam valeat exemplum ab Origene productum, nempe quòd peccatum ſit in anima, ceu noxius quidam humor, qui corpori exitialis eſt, qua ratione, te quæſo, non debet euomi per confeſſionem omne peccatum, ſiue lethale fuerit, ſeu veniale? præſertim cum eiuſdem naturæ ſecundum opinionem tuam vtrunque fuerit. Ob hanc ergo particulam, aduerſarij tui fortè damnârunt articulum iſtum, nempe quòd prohibeas peccatori venialia ſua confiteri peccata, cum plerunque lethale peccata id eſſe poterit, quod confitenti videtur ſolùm veniale. Sed & quod adiungis, non eſt penitùs integrum, nempe quòd nec omnia mortalia ſinis ipſum confiteri. Aliud quidem eſt ſentiendum de mortalibus illis, quæ memoriam confitentis effugiunt, quantumuis idoneam is adhibuerit diligentiam, aliud de ijs quæ ſtatim occurrunt. De illis enim fruſtrà præcipis, ne quis cõfiteatur, cum nequeat confiteri; niſi quorum meminit. De ijs verò perperam præcipis, cum de mortalibus (quorum ſibi peccator conſcius eſt) nullum debeat ſubticere. Neque enim ratio reddi iuſta poterit, cur debeat vnum reticere magis quàm alterum, cum ſingula virus noxium in ſe contineant.

Veſania Lutheri.

LVTH. *Dic mihi, vbi eſt præceptum de venialibus confitendis Sacerdoti? Nonne ipſimet dicunt omnes vnanimiter, venialia non pertinere ad confeſſionem? Cur ergo ſua propria damnant propter me?*

EPISC. Aliud eſt, illicitum eſſe quod facias, aliud non teneri. Si dixiſſes neminem teneri, quatenus venialia delicta confiteatur, nemo non approbâſſet in hoc ſententiam tuam. Sed vetas tanquam illicitum. Nullo, inquis, modo præſumas confiteri venialia peccata. Et hoc forſitan offendit eos. Sed multò magis damnandum eſt, quòd prohibeas etiam aliqua mortalia detegi, quorum nullum reſeruari poteſt ſine crimine infidelitatis, cum dicat Auguſtinus: Quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.

Differentia inter illicitũ & nõ teneri.

Deinde

LVTH. *Deinde cum ferè peccemus ſine intermiſſione venialiter, quis erit finis & modus confitendi?*

EPISC. Tu pergis ratiocinando, perinde ac ſi illi iuſſiſſent venialium confeſſionem, cum ipſi nunquam id iuſſerint: neminem tamen arcent ab eorum confeſſione, cum non ſit dubium ea per abſolutionem tolli poſſe, nihilò difficiliùs atque mortalia. Cum enim dixit Chriſtus: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, qui ſcis, quòd de ſolis mortalibus locutus fuerit, & non de venialibus quoque?

Nemo à venialiũ confeſſione arcetur

LVTH. *An illud è Decretis adducent ea. Omnis vtriuſque ſexus fidelis præcipitur cunctis Fidelibus vt ſemel in anno omnium ſuorum peccatorum faciant confeſſionem? At quis per omnia peccata, etiam venialia intelligit?*

EPISC. Te cum primis ſtringit hæc percunctatio, & vel eo præcipuè, quod veniale ſtatuas contra legem Dei fieri, nihil ſuapte natura diſtare à mortali. Tanta eſt vafricies ingenij tui, quòd cum tibi placeat, & tuo poſſet inſeruire inſtituto, tum ingens eſt inter venialia mortaliaque diſcrimen, tumque affirmas primitiuam Eccleſiam de ſolis mortalibus expectaſſe confeſſionem. Verùm contrà cùm id obſtat inſtituto tuo, tum nihil à mortalibus venialia differunt, neque tum vetus Eccleſia quicquam inter hæc poſuit interualli.

LVTH. *Aut quo iure? qua ſcripturæ auctoritate Papa præcipere potest venialia ad confeſſionem pertinere?*

EPISC. Dic tu potiùs quo iure? quaúe ſcripturarum auctoritate prohibeas venialia à peccatorum confeſſione? Si ſummus pontifex illud iuſſiſſet, habet pro ſe ſcripturæ teſtimonium, nempe: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Peccata dicit generatim, nihil diſcriminis inter venialia, mortaliaque ſtatuens. At remitti ritè non poteſt quod non ante fuerit cognitum, cum debeat qui remittit peccata, fidelem & prudentem in hoc munere ſeipſum exhibere ſeruum. Cæterùm ſummus pontifex iſta non iuſſit, cum ſint alij modi quibus venialia deleri poſſent, quàm per confeſſionem. Verùm ipſis mortalibus non alia patet via, modò quis non fuerit eorum oblitus, & adſit ſacerdotis copia.

LVTH. *Vide ergo mirabiles damnatores, de ſola voluntate ſua præſumentes omnium omnibus etiam ſuis ipſorum ſententijs contradicere.*

EPISC. Sic facere ſoletis vos hæretici (quemadmodum de vobis rectè ſcripſit Hieronymus) cum deſunt argumenta, tum ad conuitia protinùs cõfugitis. Quod & ipſe nunc facis. Cauillaris in alios, quod ipſi iuſtiſſimè tibi poſſent obijcere.

Proprium hæreticorum.

LVTH. *Iam impoſſibile eſſe, vt omnia mortalia cognoſcas, euidentiſſimum eſt, ex Pſal 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Cur hunc prophetam non damnant, ex cuius ore mea verba fluunt & pendent? qui & Pſal. 7. titulum fecit, pro ignorantia ſua, in quo non niſi pro occulto & ignorato ſibi peccato precatur. Idem rurſus Pſalm. 142. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

EPISC. Quid opus eſt tot exaggerare, vt oſtendas, latêre multa mortalia, quæ non veniunt in mentem, peccatori, quod vtique nullus inficiatur. Non enim hoc fugit eos in quos hæc ſcribis. Sed de illis ipſi peccatis loquuntur, quæ non deciderint è memoria peccatoris, & quæ per ſufficientem diligentiam poſſent ab eo deprehendi. Sufficientem autem eam vocant diligentiam, ſi tanta ſit, quantam in arduo aliquo negotio (quod ſibi vehementer cordi eſſet) peccator adhiberet.

De ſufficienti examinatione.

LVTH. *Nec poteſt hîc dici, delicta occulta eſſe venialia, cùm non iuſtificari hoc ipſum ſit mortale & damnabile.*

EPIS. Non opinor in ſcripturis paſſim idem ſignificare, non iuſtificari & damnabile eſſe. Nam qui per gratiam iuſtificatus eſt, adhuc quam diu viuit, vt in primo articulo per ſcripturas oſtendimus, magis ac magis eſt iuſtificandus, ita quod nunquam in hac mortali vita ſit plenè iuſtificatus. Nec tamen ob id mortalem habere labem putãdus eſt, aut damnatione dignus exiſtimabitur. Certè quiſquis gratiam habet, is coram Deo iuſtificatus eſt, tametſi non fuerit conſummatè iuſtificatus: ſed vel propter fomitem, vel propter venialia peccata, quibus quotidie obnoxius eſt, debeat adhuc iuſtificari. Sed hæc nihil ad damnationem ſpectant, cum dicat Paulus: Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant. Rom 8.

Differentia inter non iuſtificari, & dãnabile eſſe

LVTH. *Si ergo ſancti habent mortalia peccata, quæ ignorant, propter quæ damnarentur, niſi humili & generali confeſſione præuenirent miſericordiam Dei ignoſcentem, quid nos audemus tribuere impijs pœnitentibus ante gratiam, vt omnia poſſint cognoſcere?*

EPISC. Quicquid fuerit de mortalibus oblitis, aut de vehementer occultis, nihil ad nos attinet. Sed ſi ſancti, vel minimum mortale, quod menti occurriſſet tempore confeſsionis, ſponte ſubticuiſſent, auſim dicere, nec ſanctos eos eſſe, nec iuſtificatos, immo ſi quam antè iuſtitiam habuiſſent, iam propter hypocriſim penitùs amiſerunt. Legas Origenem, Chryſoſtomum, Ambroſium, Cyprianum, Hieronymum, ac cæteros qui planè ſentiunt lethale nullum ſilentio tegendum eſſe. Et quanta foret inſania, tibi in re tam ſeria, plenaque periculi credere, nullam pro tua parte ſcripturam aut rationem afferenti, potiùs quàm eximijs patribus, qui ſcripturis etiam ſua dicta confirmant.

LVTH. *O Cæcitas deploranda. Nonne Chriſtus prædixit impios adeo cæcos eſſe, vt etiam occidendo Apoſtolos arbitrentur ſeſe obſequium præſtare Deo? Et quomodo ij peccata ſua mortalia cognoſcent? Quomodo Paulus ea cognouit ſpirans cædis & minarum, cum tamen omnia faceret quæ noſſet & poſſet, adeo vt ſine querela ſeſe conuerſatum teſtetur in Iudaiſmo. Quaſi verò etiam nunc non videamus quoſdam impenſiſſime bonis intendere vitæ ſtudijs, & tamen grauiſſimè errare, & ſicut Paulus de Iudæis dicit: Zelum Dei habens ſectando iuſtitiam, & tamen ad iuſtitiam non perueniendo.*

EPISC. Exclamas in re non neceſſaria, & pergis accumulare ſcripturas, vbi nihil eſt neceſſe. Quis negat multa eſſe mortalia, quæ deprehendi nequeant. Sed cum hoc tibi conceſſerint, parum

dialecticè ſubinfers, vt liceat illa celare, quæ deprehenderis. Illud oſtendas oportet, quòd peccatori (qui fructum abſolutionis conſequi velit) peccatum aliquod mortale vel minimum, quod menti occurrit, ex induſtria tegere licebit. Quod ſi non oſtenderis, nihil agis. Manet adhuc articulus tuus damnatus.

LVTH. *Væ nobis, qui nobis de luce placemus, & has tenebras lucem appellamus, & homines ſecuros facimus extincto Dei timore.*

EPISC. In teipſum rectè iacularis iſta. Nam tu tibi de tenebris, ceu de luce places, & meras tenebras lucem appellas, qui peccatoribus interdicis, ne mortalia quæque confiteantur. Tu quoque Dei timorē extinguis, quem dicis ante charitatē obeſſe peccatoribus, accepta verò charitate prorſus inutilem. Tu denique pluſquam ſecuros homines facis, qui ſolam Fidem affirmas ſufficere, & hac abſque vlla ſatisfactione purgari peccata, nec à peccatoribus quicquam amplius expectari debere, quàm nouam vitam.

LVTH. *Sancti gratia illuminati, ignorare ſeſe confitentur delicta ſua, & nos horum ſcientiam tribuimus his qui ſancti non ſunt, & ante gratiam pœnitent ſed potius pœnitentiam fingunt.*

EPISC. Hic liquet apertiſſimè, quid ſentias de omnibus, qui nondum acceperint gratiam: Nempe pœnitentiam eorum hypocriſim eſſe, & noxiam, ac planè eiuſmodi, quæ Deo magis odibilem reddat animam, quàm ante fuerat. Qua ſententia nihil poteſt peſtilentius eſſe peccatoribus, qui reſipiſcere ſtudent, nec eſſe quicquam quod eos in peccatis detineat magis, cum fruſtrà ſe conari nouam aggredi vitam prorſus audiant, niſi priùs eam, quam hauddum acceperint, gratiam habuerint, qua tamen ſeſe remotiſſimos. & longiſſimè poſitos intelligunt.

Dogma peſſimum.

LVTH. *Fuiſſe autem in primitiua Eccleſia ſolùm manifeſtè mortalia confeſſionibus tractata ſatis probāt Epiſtolæ Pauli patrum ſcripta, & hiſtoriæ quas ſi Bulla tam impudenter damnare audet, ſuo genio digna facit.*

EPISC. Vellem citaſſes ex Paulo, quibus locis ipſe doceat, ſola mortalia confeſſionibus exprimi debere. Nam id, ſat ſcio, non poteris. Porrò de patrū ſcriptis, & hiſtorijs, ita ſentis, & credis vt tuæ ſententiæ meritò nihil debeant ſuffragari. Quòd ſi mihi ſine prolixitatis tædio, vel ſcripta patrum, vel hiſtorias adducere liceret, non dubitarem oſtendere, quòd abundè contra tuam opinionem eſſent factura. Quis enim non intelligit ſanctiſſimos illos de leuiſſimis negocijs grauem ſibi formaſſe conſcientiam? Aut quis ignorat in libris confeſſionum ſuarum Auguſtinum plurima ponderaſſe, quæ iam apud multos momenti penè nullius habeantur? Sed nihil eſt quod non auſis (tanta eſt impudentia tua) pro tuis partibus torquere, quanquam tibi maximè ſit contrarium.

LVTH. *Ego de his mortalibus locutus ſum, quæ aut alijs, aut ſibi manifeſta ſunt, vt ſatis in propoſitionibus & dictis meis patet. Bulla autem inſidioſè loquutur, ac ſi de ſolis publicis omnium ſenſu cognitis fuerim locutus.*

EPISC. Tam inuolutè loqueris, vt nemini certò cognitum eſſe poſſet quid loquaris. Sic enim dicis & ſcribis, vt (cum tibi libitum ſit) omni poſſes anguilla faciliùs elabi. Cæterùm ſi velis articulum intelligi de mortalibus, quæ fugerint animum confitentis, nec (adhibita congrua diligētia) redeunt in mentem, nihil ab Eccleſia diſſides. Sin de ijs intellexeris, quæ confeſſurus norit, vel dubitat eſſe mortalia, tum profectò articulus meritiſſimè damnatur, cum nullum horum in confeſſione tegi poſſet abſque manifeſta fictione. Neque Bulla quæ te iurè damnat, vllis ob id conuitijs meretur lacerari. Cæterùm vt concludamus hunc articulum: Reuoces ad mentem (quæſo) quod iudicium Ezechias per Eſaiam acceperit, & propter illud maximè (ſi Hieronymo credimus) quia culpam integrè non aperuit. Sic enim Hieronymus in commentarijs ſuper Eſaiam ſcribit: Ingreditur Eſaias ad regem, & quaſi neſcius ab eodem ſciſcitatur. Quid dixerunt, inquit, viri iſti & vnde venerunt? Duo interrogat, nempe quid locuti ſint? & vnde venerint? Ezechias ad vnum reſpondit, altero prætermiſſo. Rurſum Eſaias, quid (inquit) viderunt in domo tua? Et Ezechias reſpondit ex parte verum, quòd omnia viderint in domo ſua, nec fuerit res quam non oſtenderit eis in theſauris ſuis. Sed alterum tacet, de quo verebatur offenſam. Nempe quòd oſtenderit eis cuncta quæ habebat in poteſtate ſua, haud dubium quin & templi ſupellectilem. Propter quæ ſubiungit Eſaias, & ex Dei ſermone profert ſententiam: Audi, inquit, verbum Domini exercituum. Veniet tempus quando omnia hæc, quæ in domo tua ſunt, & non tuo, ſed patrum tuorum labore quæſita, in Babylonem transferentur, & de ſemine tuo fient Eunuchi in aula regia. Hæc Hieronymus illic. Ex quibus intelligi datur, quantum obfuit Ezechiæ, quòd ſubticuerit quædam ex peccatis ſuis, quæ Luthero fortaſsis haud magni momenti videntur. Verùm quia non expoſuerit integrè ſingula, grauiorem ob id offenſam incurrit, nimirum vt eius exemplo commoniti nos diſcamus, nullum ex mortalibus occulendum eſſe Sacerdoti, quod ad memoriam venerit, dum peccata noſtra confiteamur. Et hæc pro hoc articulo ſufficient.

ARTICVLVS NONVS.

LVTH. *DVm volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quam quòd miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.*

EPISC. Idem facilè dici poteſt, & de rectè operando, nempe quòd cum volumus omnia rectè operari, nihil aliud facimus, quàm quòd miſericordiæ, Dei, nihil volumus ignoſcendum relinquere. Ergo ſecundum præceptiones tuas, etiam ex induſtria committamus aliquas offenſas, nimirum vt diuinæ clementiæ locum aliquem relinquamus. At quis non videt, quantæ fuerit impietatis hoc dogma? Neque certè minoris & illud eſt, de peccatis mortalibus inter confitendum ex induſtria ſubticendis. Verum inquies:

Nun

Non poſſumus omnia confiteri, quoniam effugient nos pleraque quæ nimis quàm occulta ſunt nobis. Similiter & ego tibi de operibus reſpondeo. Cum omne ſtudium & diligentiam nauauerimus, vt rectè operemur, adhuc effugiunt nos quotidie plurima, quibus Deum offendimus. Sed quemadmodum iſta nequaquam ex animo facimus, ita neque illa ſponte celanda ſunt. Nec ſatis eſt, quòd multa nobis incognita ſint delicta præcipere, ne quis præſumat omnia confiteri mortalia. Sicut neq; ſufficit, vt quis vetet quempiam conari ſingula rectè agere, propterea, quòd nemo poteſt in pluribus neutiquam offendere. Quamobrem & nobis enitendum eſt vtrunque, tam vt rectiſſimè agamus, dum aliquid operamur, quàm vt purè integreque confiteamur, cum ad Sacerdotem accedimus.

LVTH.

Sed eant quæſo bullares iſti pœnitentes, & omnia purè confiteantur, nihilq; relinquant ignoſcendum diuinæ miſericordiæ, & reſpondeant mihi quando ſint pacem conſcientiæ habituri, & qua via iudicium Dei ſint euaſuri?

EPISC.

Quin tu potiùs reſponde, quando ij qui ſponte celant vel vnum aliquod mortale peccatum, quod inter confitendum occurrerit memoriæ, ſint conſcientiæ pacem habituri, & qua via ſint euaſuri iudicium Dei? Nam ſi iudicium Dei peccator aliter vitare non poteſt, niſi per confeſſionem peccatorum, cum nullum ſit mortale delictum, quod non aduerſus Deum inimicitiam in ſe contineat, quomodo ſine Dei iniuria poſſet vnum ex eis potiùs, quàm aliud ſubticere? Et ſi peccatum vnum vel minimum ad damnationem peccatoris ſufficiat, quam conſcientiæ pacem habere poteſt, qui tam lethale venenum per confeſſionem nolit euomere? Ad hæc. Aut eſt omnino neceſſarium peccatori, vt peccatum aliquod Sacerdoti pandat: aut id eſt omnino ſuperuacaneum, cùm poſſet abſolui, nullum omnino peccatum detegens. Non iſtud opinor dicturus es, cum per medendi modum res hæc agatur, ita vt Sacerdotem (qui medicus eſt) oporteat antè cognoſcere morbum & vulnus, ac ſubinde ſententiam ferre. Quòd ſi primum conceſſeris, qua ratione non tenebitur cætera, quemadmodum vnum aliquod ex eis confiteri. De illis vbique loquor, quæ confitentis occurrunt memoriæ. Nam quodlibet horum (quæ mortalia ſunt, & in mentem confeſſuro veniunt) æqualiter indiget abſolutione. Nec mihi dixeris, quod vt ea quæ non occurrunt ſoluuntur, ita & cætera quæ ſubticentur, poſſunt abſului. Nulla conſequentia eſt. Nam longè aliter de ijs atque de illis exiſtimare debemus. Cum enim benigniſſimus Deus noſter, non exigat à nobis impoſſibilia, non eſt dubium quin ſi (facta congrua diligentia) quędam nos fugerint, ea neutiquam imputabuntur nobis, ſed de illis (quæ facillimè poſſunt occurrere) ſi vel minimũ tacuerimus, quod nobis viſum eſt eſſe mortale, nihil nobis proderit abſolutio. Nam vt illud quod non occurrit, non poſſit prodi, ita quo occurrit, facilimè poterit exprimi, & niſi detegatur, mederi non poteſt. Cæterùm quiſquis omnia quæ ſibi occurrerint, confitebitur, is nimirum & conſcientiæ pacem habiturus eſt, & Dei ſimul euadet iudicium.

Pax conſcientiæ.

LVTH.

Faciantq; Dauid mendacem, vbi dicit: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Et iterum: Delicta quis intelligit? Currant ipſi in iudicium & intelligant omnia ſua delicta, vt ſoli ſint veraces: nos libenter cum Dauid mendaces illi erimus, & non poſſe omnia purè intelligere nec confiteri delicta conſtanter aſſerimus, vt reliqua ſoli miſericordiæ ignoſcenda relinquamus, dicentes: Ab occultis meis munda me Domine.

EPIS.

Probationes (quas adducis) tantum ad occulta delicta ſpectant, de cuiuſmodi ſi mentionem in articulo feciſſes, nemo (quantum opinor) priorem articulum condemnaſſet. Sed quoniam ad eum modum pronunciâras, vt de peccatis, ſi quæ memoriæ confitentis occurriſſent, intelligi potuerit, idcirco iure damnarunt illum. Quid enim te moueret, cum non ignores omnes orthodoxos iſtud præcipere, quòd peccatores ſingula peccata, quæ in memoriam diligenti facto examine venerunt, aperirent ſacerdotibus, quid inquam te moueret, vt iubeas ne præſumant ſingula confiteri. Quid enim ex ijs verbis, alius confeſſurus accipere poteſt, quàm vt aliqua tametſi nouerit eſſe mortalia, poſſet impunè celare?

LVTH.

Igitur hic articulus euidenter ſequitur ex præcedentis, & verbo Dauid: Delicta quis intelligit, adeo nihil mouet, quicquid impia iſta Bulla damnat de ſuo proprio cerebro.

EPIS.

Quomodo ſequatur, ego certè non accipio. Neque enim oportet, ſi ſint aliqua occulta peccata, vt nequeant detegi, quod propterea quæ apertiſſima ſunt non debeamus velle confiteri, & præſertim ob eam cauſam, vt Dei miſericordiæ relinquamus nonnihil ignoſcendum. Quid enim? An non ignouit ijs, quæ iam confeſſi ſumus? Et num adhuc non abunde ſuperſunt alia, quæ ſingulis penè momentis ignoſcat nobis? Iurè igitur Bulla damnauit articulum iſtum, cum tam peſtiferum in ſe dogma complectatur. Nec profectò (ſi recta dixiſſes) tuam tamen profeſſionem deceret, aut Bullam impiam vocare, aut tanto illam ſupercilio contemnere: ſed iam multò minùs, cùm ſit cunctis perſpicuũ, te docuiſſe falſa, ob quæ per Bullæ cenſuram iuſtiſſimè ſis condemnatus.

LVTH.

Carnificina cruentiſſima.

Iſta eſt enim carnificina cruentiſſima, quæ hactenus tot miſeras conſcientias torſerunt, omnium & ſingulorum peccatorum diſcuſſionibus & confeſſionibus, cùm pro ſe non habeant, ne iota quidem illius ſcripturæ, tyrannide propria hæc onera importabilia hominibus imponentes.

EPISC.

Si res hęc, de confeſſione peccatorum Sacerdotibus facienda, fuiſſet ab hoc pontifice nuper inuenta, potuiſſes illam, & multò quidem inculpatiùs, eius imputaſſe tyrannidi. Verùm cum à vetuſtiſsimis & eiſdem eruditiſsimis atque ſanctiſsimis auctoribus, nec ſine ſcripturarum teſtimonijs, apertiſsimè tradita ſit, fruſtrà tyrannidem huius incuſas. Porrò quantum ad Eccleſiæ doctrinam attinet, non dubitamus

Doctrina Luth. eſt carnificina.

eam ſanam & ſalutarem eſſe: tuam verò potiùs, carnificinam & lauiatricem animarum. Quippe qui conſulis venenum vſque adeo lethale, non euomendum eſſe, ſed retinendum potiùs, metuens ne nihil diuinæ clementiæ relinquatur, cui Deus ignoſcere poſſet. In qua re manifeſtè prodis inſipientiā tuam, cum poſtquam omnia quæ poſſumus, egerimus, multa nihilominus relinquētur, quibus niſi benignitas eius ignouerit, malè nobis eueniet. Cæterum oportet enitamur, vt quantum à nobis commodè fieri poſsit, nihil ſponte prætermittamus: ſed (quod vociferatur Hieremias) corda noſtra velut aquam effundamus, & quod Eccleſia tutiſsimè iubet, vniuerſum penitus exhauriamus virus, nihil dubitātes quin idipſū, ſi fecerimus, clementię diuinę ſit tribuendū. Sed & de hoc articulo iam ſatis eſt dictū.

ARTICVLVS DECIMVS.

LVTH.

PEccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti, immò peccatum maneret niſi remiſſum crederet. Non enim ſufficit remiſsio peccati & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

EPISC.

Is articulus ipſo primo conſpectu, nonnullum veritatis ſplendorem præ ſe ferre videtur. At ijs qui penitiùs introſpiciūt, nihil aliud eſt, quàm merus tenebrarum error, quemadmodum ex ſequentibus fiet dilucidius. Molitur enim Fidei tribuere totam iuſtificationis cauſam, & nihil abſolutionis Sacramento. Quod quantum à vero ſit alienum, patêre poteſt ex ijs, quæ pro primi articuli confutatione diximus, vbi Fidem oſtendimus, non eſſe iuſtificationis animi cauſam integram, & ſe ſola ſufficientem, licèt ea nonnihil ad iuſtificationem conducat, cum ſine Fide nemo queat placere Deo. Sed Fides ipſa, quæ virtutum theologicarum prima eſt, tantum abeſt vt iuſtificet, vt etiam ipſa plerunque mortua ſit, niſi per Sacramentorum gratiam viua reddatur. Fit enim plerunque, vt peccator Fide accedens ad ſacramentum ſuſcipiendum, gratia careat, qui mox ſuſcepto Sacramento, per gratiam viuificatur, tam ipſe, quàm Fides ſua. Sed Lutherus cum de Fide tractat nuſquam inuolutiùs loquitur. Facit enim eam interdum adeo facilem & obuiam cuique, vt nemo facilè reperiatur, cui non perſuaſiſſimum fuerit ſe Fidem habere: & contrà nonnunquam adeò difficilem & remotè poſitam, vt vix quiſquam ſit, qui ſe putet habere. Permiſcet inſuper Fidem viuam cum mortua, Fidei quoque actum cum habitu, atque infuſam Fidem cum acquiſita. & demum Fidem, qua quis cunctos articulos Fidei ſimul implicitè credit, nihil hæſitans de quoquam, cum Fide quæ formidinem aliquem admittit ſecum. Has omnes confundit, & permiſcet, alteram pro altera vſurpans, cum tamen ab inuicem ſatis amplo diſſideant interuallo. Quod de poſtremis duabus iam ſufficiet oſtendere. Nam Fides, qua quis ſe credit abſolutū, non omnē penitus à ſe repellit dubitationem. Qualis & hæc Fides eſt, de qua iam diſſerit Lutherus in hoc articulo. Nam quomodo non licet cuiquam dubitare, num ſit abſolutus, quandoquidem & de proprio actu non poteſt ſecurus eſſe, num careat mortali peccato. Quot enim ſuperbiunt etiam in ipſo confeſſionis actu, vel quòd præ cæteris, tam exigua ſibi videantur habere, quæ tum accuſent, vel quòd tam exundanti lacrymarum profluuio, ſua peccata defleant. Quòd ſi purgatos ſe verè credant, mox cum Phariſæo, proximos ceu grauiſſimos peccatores abominantur. Tam occultum eſt (vt Lutherus etiam aſſerit) ſuberbiæ vitium, vt nemo ſecurus ſit, an eo careat. At ſuperbis Deus reſiſtit, nec ſuam gratiam eius dignatur infundere, nemo igitur ita fidere tenetur abſolutioni factæ, vt propter ſuam ipſius latentem ſuperbiam nihil prorſus hæſitet. Sed & propter illum qui abſoluit, non iniuriâ quis dubitare poteſt, & primùm an ſit Sacerdos ritè conſecratus: Deinde num ſit curator ſibi legitimè conſtitutus: Poſtremò ne rectè clauibus vſus fuerit. Propter hęc ſanè nemo tam ſolidam tenetur in abſolutione Fidem habere, vt omnino ſecurum ſe credat, & à peccatis omnibus abſque omni formidine penitus abſolutum, id quod admonet ſcriptura dicens: De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. Conferet certè nonnihil, ſi peccator adhuc aliquatenus metuat, non ita quòd dubitet de Sacramento Abſolutionis, aut de alio quouis Sacramento, ſeu Fidei articulo. Nam hoc fides (quæ prima ex virtutibus Theologicis eſt) exigit, vt ijs omnibus quanquam implicitè, firmiter tamen credatur, & abſque vlla omnino dubitatione. Verùm formidare licet vel in ſe, vel in eo, qui Sacramentum abſolutionis adminiſtrauerit, aliquod fuiſſe impedimentum, nec ipſa tamen formido quicquam obſtabit, quò minùs verè abſoluatur. Quis ergo non videt cum Fides quidem illa prima (qua Sacramentis Eccleſiæ creditur) nullam recipiat hæſitationem, at hæc (qua nos abſolui credimus) recipiat, alteram ab altera diuerſam eſſe Fidem. Sed & hoc etiam perſpicuum opinamur, propter ea quæ proximè diſſeruimus, neminem confeſſum teneri, quatenus abſolutioni ſic Fidem adhibeat, vt non liceat de remiſſione peccatorum vllum habere ſcrupulum, vel propter ſeipſum, vel propter Sacerdotem abſoluentem, cum tamen ipſe nihilominus abſolutionis gratiam verè ſit conſequutus. At hîc ſcio Lutherus exclamabit, nullam ad hunc modum pacem aſſequutum eſſe peccatorem. Sed fruſtra ſic exclamabit, cum peccator ex eo ſe conſolari poteſt, quòd ſua ſponte nihil prætermiſit, ex ijs quæ pro iuſſu matris Eccleſiæ facere debuiſſet, perſuaderéque ſibi poteſt, tam immenſam eſſe benignitatem Dei, vt cum Eccleſiæ mandatis penitùs obtemperauerit, nihil illam à nobis amplius exacturam.

Totum iuſtificationis cauſam Fidei tribuit Luth. & nihil Sacramento.

Fidem multifariā dici.

De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. Eccle. 5.

Qua Fides hæſitationem compatiatur, & qua non.

LVTH.

Ex iſtius articuli damnatione ſequitur primò quòd confeſſurus non debet credere, ſeſe abſolui aut remitti ſibi peccatum, ac per hoc licebit in faciem Sacerdotis dicere abſoluentis: Tu mentiris, non abſoluor à te, nec remittuntur mihi peccata.

Nihil

EPISC. Nihil eſt quod deſidero frequentiùs, quàm acutiorem dialecticam in Luthero. Nam quî conſequitur: Confeſſurus non tenetur credere, quòd ſit omnino ſecurus, per ſuſceptam abſolutionem, de concepta peccatorũ omnium remiſſione: Ergo licebit ei dicere Sacerdoti in faciem, quòd mentitur, & affirmare, quòd is eum non abſoluerit. Num aliquod medium inter hæc eſt Luthere? An non crebriùs euenit, vt quis abſolui ſe credat, & bonam quidem huius rei Fidẽ habeat, non tamen tantam, quæ penitùs omnem excluſerit à ſe formidinem? Nam propter ea quæ ſuprà diximus, ſatìs apertũ eſt, quòd ſi quis ſe diligenter excutiat, & maximè propter Lutheranum dogma de ſuperbiæ latebris, non omninò ſecurum inueniet ſeſe. Quid ergo? Licebit iam huic propter hunc ſcrupulum negare ſe abſolutum? aut pium Sacerdotem probris inſectari, quòd eum abſoluerit? Abſit. Minimè iſtud conſequitur: Friuola nimirum eſt omnis id genus argumentatio. Debet enim credere, quòd ſit abſolutus, quam diu nihil certius occurrat, quod apertam ſibi Fidem faciat de contrario. Nec tamen hæc credulitas omnem (vt antè diximus) formidinem excludit. Vtilis eſt enim aliquis metus, ſcriptura dicente: De propiciatu peccatorum noli eſſe ſine metu.

Friuola Lutheri argumentatio.

LVTH. *Secundò, quòd Chriſtus ſit mentitus, vbi dixit: Quodcunque ſolueris ſolutum eſt.*

EPIS. Abſit vt credat quis, aut hîc, aut alibi Chriſtum fuiſſe mentitum: hoc enim Fides illa (quæ virtutum theologicarum prima eſt) non patitur, neque dubitationem admittit aliquam, vel leuiſſimam de verbis vllis, aut doctrina Chriſti. Credat firmiter oportet quiſquis abſolui cupit, omnia (quæ docuit Chriſtus) vera eſſe. Cæterũ iſtud Chriſti verbum: Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, non omnis abſoluendus tenetur explicitè credere, cum innumeri ſint, qui nec audierint quidem ipſum hactenus. Et licèt quis explicitè credat hoc verbum, ita vt nihil ambigat de veritate eius, poteſt nihilominus hæſitare de ſeipſo, num ipſe fuerit abſolutus, nimirum propterea ea, quæ ſuperiùs memorauimus obſtacula, vel per ſeipſum fortè, vel per abſoluentem exhibita. Nam & ſi Petrus Simonem Magum tentaſſet abſoluere, non fuiſſet ipſe tamen abſolutus. Non quòd CHRISTI verbum ſanè intellectum non fuiſſet verum, ſed propter impedimentum, quod ipſe Magus exhibuerat, quò minùs abſolui potuiſſet, quo nimirum impedimento manente, quanquam maximè credidiſſet, non fuiſſet abſolutus.

LVTH. *Immò Chriſtus hoc verbo hæreticus eſt, quia hæc Bulla inclyta mandat, ne quis credat ſeſe abſolutum eſſe, dum abſoluitur in virtute verborum Chriſti. O furor inauditus.*

EPIS. Deſinas aliquando precor ab his blaſphemijs. Nec hæreſim aſcribas Chriſto, nec pontifici mẽdacium. Nephas enim eſt, vel de quouis infimæ ſortis Chriſtiano mentiri, quantò magìs de ſummo pontifice. Non opinor mandaſſe Bullam, ne quis credat ſeipſum abſolutum eſſe, dum abſoluitur virtute verborum Chriſti. Condemnauit vtique Bulla tuum articulum quo negas vlli peccatum ſuum eſſe remiſſum, niſi prorsùs crediderit eſſe remiſſum. Nam fieri poteſt, vt peccatum alicui remittatur, quanquam ipſe cui ſic remittitur, ſcrupulum nonnullum haberet, ac ſecum dubitaret, an eſſet verè abſolutus. De Chriſti verbis dubitare non licet, ſed de ſeipſo, num ipſe talis fuerit in quem Chriſti verba competant. Tuam igitur opinionem Bulla potiùs damnat, qua tu tradis, haudquaquam ſufficere, peccati remiſſionem & donationem gratiæ, niſi quis item credat peccatum ſibi eſſe remiſſum. Quod ſanè nihil oportere dilucidum ex ſuperioribus eſſe poteſt. Sed tu more tuo, cũ argumenta defuerint, mox ad conuicia te recipis.

LVTH. *Ego autem mea ſic probaui. Quòd Chriſtus Mariam Magdalenam abſoluit propter Fidem, ſicut dicit: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.*

EPISC. Lege rectiùs Euangelium, & inuenies ei priùs remiſſa peccata propter dilectionem. Remittuntur, inquit, ei peccata multa, quia dilexit multũ. Sed quoniam huius dilectionis initium erat Fides, iccirco ſubiunxit Chriſtus ad mulierem, Fides tua te ſaluam fecit. Credidit enim ea mulier, Chriſtum peccata ſibi potuiſſe condonare, vel ſi nullis fuiſſet vſus verbis, & propter hanc Fidem quæ dilectione formata fuerat, Chriſtus Phariſæo declarauit, eam non iam eſſe peccatricem, ſed omnia penitùs ei condonata fuiſſe peccata. Priùs enim hauddubiè remiſſa fuerant, id quod nec ipſe negare potes, qui tantum tribuis Fidei. Non enim puſilla Fides erat, quæ mulierem hanc impulit, vt inter conuiuas ad Ieſum accederet, cęteraque faceret quorum & meminit Euangelium. Quamobrem ſi Fides iuſtificare quenquam potuiſſet, quod tu protinus aſſeueras, fuit hæc mulier proculdubiò iuſtificata, priuſquam vllum remiſſionis verbum Chriſtus protuliſſet. Nihil itaque negocium iſtud ad articuli tui probationem attinet, cum hæc mulier antè fuerat iuſtificata, ac proinde à peccatis omninò ſoluta priuſquam remiſſionis verbum explicuerat Chriſtus. Per Fidem, inquam, quam in Chriſtum habuit iuſtificata fuit. Sicut & de Martha ſorore eius, non eſt dubium, quòd per ſimilem Fidem ea fuerat iuſtificata, cum Chriſtum confiteretur eſſe filium Dei viui, & non propter vllum remiſſionis verbum, cui neceſſe fuerat vt crederet, quanquam omnia Chriſti verba firmiter vtraque crediderit, vt par fuit abſque vlla penitùs hæſitatione.

Peccata Magdalenæ condonata propter Fidẽ dilectione formatam.

LVTH. *Et ad paralyticum antequam eum abſolueret dixit: Confide fili remittuntur tibi peccata tua.*

EPIS. Fidem vbique ſuſcipiendis Sacramentis neceſſariam opinamur, quam & Chriſtus exegit ab hoc paralytico. Neque ſi Chriſto non crediſſet fuiſſet dignus, qui ſanitatem ab eo conſequeretur. Credidit itaque paralyticus Chriſto, repulſa penitus omni dubitatione, neq; de verbis eius aut promiſſione vacillauit quicquam.

Paralytici Fides.

At longè aliter de Sacerdote, ſuſpicari cuique licebit, quàm de Chriſto, quemadmodum ſuperiùs oſtendimus. De Chriſto non licuit ambigere, num eſſet Chriſtus, & an auctoritatem habuerit condonandi peccata. Verùm de Sacerdote qui confeſsionem audit, nemo tam ſecurus eſſe poteſt, quòd ſit ſacerdos, & quòd auctoritatem abſoluendi ſufficientem habeat, vt nullus omnino ſcrupulus in eum queat ſubrepere. Neutrum igitur exemplum ſiue Magdalenæ, ſeu paralytici cogit, Fidem eiuſmodi remiſsioni peccatorum habendam, qualem aut hic aut illa Fidem habuit Chriſto, hoc eſt, ab omni formidine penitùs alienam.

LVTH. *Ita cum in omni abſolutione peccatoris proferatur ſententia diuina, neceſſariò requiritur Fides, quæ credat huic ſententiæ, ſine qua fruſtranea eſt abſolutio & tota pœnitentia.*

EPISC. Sententia (quæ profertur à Sacerdote) ſi merè diuina fuerit, proculdubiò Fidem exigeret eam, quæ nullam haberet vacillationem. At non eſt mera diuina, ſed humana potiùs diuinæ innixa, id quod Scotus exactiſsimè probat in quarto. Quatenus igitur humana fuerit, eatenus licebit de ea ſubdubitare, ne quiſquam in ipſa lateat error, néne quicquam obſtaculi fuerit ex parte noſtra, ſeu quòd is (qui nos abſoluit) non ſatis fuerit idoneus ex parte ſua. Et hæc ſubdubitatio (quod ſæpè diximus) nec abſolutionem, neque pœnitentiam facit eſſe fruſtraneam.

LVTH. *Præſens autem Fides ſola ſatis eſt ad iuſtitiam & pacem cordis, ſicut enim credimus, ſic fiet nobis, Corde autem creditur ad iuſtitiam: Ro. 10.*

EPISC. *Articuli venenum.* Ecce hic totius articuli venenum eſt. Ita Fidem extollere molitur, vt abſolutionis Sacramento nihil relinquat tribuendum. Cæterùm hæc ſententia (ſi quis eam expendat) vſqueadeo ſibi malè cohæret, vt ſeipſam prorsùs interimat. Nam ſi ſic eueniet nobis, quemadmodum credimus: Credimus autem per Sacerdotem remiſſa nobis eſſe peccata, per Sacerdotem igitur & ipſa verè remiſſa ſunt. Quòd ſi Sacerdos remiſerit peccata, manifeſtum eſt nón ſolam Fidem ea remiſiſſe, neque ſolam Fidem iuſtificaſſe peccatorem, ſed Fidem vnà cum Sacerdote. Pugnant igitur inter ſe, quòd ſola Fides ad iuſtitiam & pacem cordis ſufficiat, & quòd Sacerdos nihilominus peccata remittat, ex quorum remiſſione iuſtitiam atque pacem peccator acquirat. Adde, quòd ſi crediderimus peccata per Sacerdotem eſſe remiſſa, & is nihil remiſit, ſed ſola Fides, vana erit ipſa Fides quæ ſic credit, nempe quod omnino falſum eſt: At certè nimiſquàm mirandum eſſet, ſi vana Fides iuſtificare quempiam poſſet. Cum ergo dicat articulus, quòd peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi (remittente Sacerdote) credat ea ſibi remitti, & quòd peccatum maneret, niſi remiſſum crederet, & iam adijciat Lutherus ſolam Fidem ſufficere ad iuſtitiam & pacem cordis.

LVTH. *Et ſicut credimus, ſic fiet nobis. Quis non videt iſta ſibi peſſimè cohærere? Nec fingere potuiſſem neq̃ credere, dra-conem infernalem tantæ impudentiæ eſſe in Eccleſia Dei, vt hæc auderet ſonare.*

EPISC. Iam ſolito more conuitia nectit, quæ nimirum, & iuſtiſſimè quidem in illum ſunt retorquenda. Nam haud ſcio, quæ maior eſſe poſſet impudentia, quàm vt quis errores tam apertiſſimos conuitijs vſqueadeo impudentiſsimis defendere non vereatur. Cæterùm vt huic articulo iam finem imponamus. Abſolutus per Sacerdotem, Fidem habere tenetur Chriſto, verbiſque eius indubitatam, verùm non ſemper explicitam, ſed ſufficit implicita, quæ tamen debet vſqueadeo firma eſſe, vt ambigere de eis an vera ſint, nullo pacto liceat. Licet tamen eatenus de ſeipſo dubitare, num verè fuerit abſolutus, quatenus aduertit, vel occultum aliquem obicem in ſeipſo latêre poſſe, vel in Sacerdote, cui confitetur, errorem tantum, quo iurè queat abſolutionis effectus impediri. Nam etſi certò crediderit quis, omnem Sacerdotem ritè verba Chriſti proferentem, abſoluere peccatorem, quem verè pœnitet erratus ſui: ſubdubitare tamen poteſt, & de illo cui confitetur, num is eiuſmodi fuerit, & de ſeipſo, num quicquam obicis in ſe delitеſcat.

ARTICVLVS XI.

LVTH. *NVllo modo confidas te abſolui propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti: Quodcunque ſolueris. Hic, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus verè eris, quicquid ſit de contritione.*

EPISC. Nihil in ſe mali continet is articulus, iuxta verborum frontem, neque in eo quicquam eſt, quod noſtri non aſſerant. Cum nemo de ſua contritione certus eſſe poteſt, quòd ea ſit omnino ſufficiens, neque noſtri contritionem exigunt à confeſſuro, ſed attritionem ſolam. Tantùm volunt, vt nullum obſtaculum ponatur ex illius parte, qui ſit abſoluendus. Iubentque, vt quanquam dolor noſter haudquaquam ſuffecerit, ſperemus tamen ob eam poteſtatem, quam Sacerdoti Chriſtus donauit, nos eſſe ſolutos. Veruntamen, quia ſub iis verbis Lutherus ſiniſtrum, quendam operit intellectum (quem & inferiùs prodit) meritò cum cæteris damnatur.

LVTH. *Vide quæſo, vt hic nos Bulla doceat ſuper arenam ædificare, & abiecta Fide ſuper contritionem opus hominis plus, quam ſuper verbum Dei confidere.*

EPISC. His nimirum verbis ſeipſum prodit. Nihil omnino vult operibus tribui, ſed totum Fidei, id quod nos (quantum opinamur) abundè confutauimus articulo. 1. Sed & de Bulla ſummi Pontificis planè mentitur. Nuſquã enim iubet ea Bulla vt abiecta Fide plus contritioni ſuæ quis confidat, quàm verbo Chriſti. Fidem non improbat, quanquam bonis operibus cenſeat etiam deferendum. Rari ſunt qui iam bonis inſudant operibus, at eſſent multò rariores, ſi perſuaſum eſſet cunctis, Fidem ſolam ſufficere, atque ita cuique futurum, quemadmodum credit.

LVTH. *Fluit autem hic articulus ex præcedente.*

Facilè

EPISC. Facilè credo. Nam dignus eſt qui ſcateat ex illo fonte, riuulus haudubiè corruptus ex fonte viciato.

LVTH. *Quia verbum Chriſti: Quodcunque ſolueris Fidem exigit pœnitentis vt ſatis claret, cum ſit verbum promiſsionis, ideo ſine Fide impleri non poteſt.*

EPISC. Nemo negat Fidem exigi pœnitentis, Fidem (inquam) in Chriſtum, quia (quicquid Chriſtus aut Eccleſia docuerit) credatur oportet, ſaltem implicitè. Sed aliud eſt hanc Fidem exigi, & aliud hanc ſolam ſufficere. Neque certè conſequitur: Sine Fide pœnitentis non impletur in eo promiſsionis hoc verbum: Ergo ſola Fides ſufficit pœnitenti.

Aliud eſt Fidem exigi, aliud Fidem ſolam ſufficere.

LVTH. *Et ſatis dictum eſt articulo primo, quòd ſola Fides iuſtificet & tollat peccata.*

EPISC. Et item abundè ſatis, quantum opinor, à nobis illic eſſe dictum, vt tuus error coarguetur, quo toties aſſeueras, quòd ſola Fides iuſtificet, & tollat peccata. Sed & iam pluſculum adijciam. Si ſola Fides iuſtificat & tollit peccata, cur debeat abſolutus credere, quòd Sacerdos remiſerit ei peccata? Num fortè remiſſa redeunt, vt poſtquam ſemel per Fidem ablata ſint, denuò auferantur, quò per Sacerdotem poſſent iterato deleri? Adde quòd ſi Fides integra cauſa fuerit remittendi peccata, quid opus eſſet hæc Sacramenta condidiſſe? cum cauſam integram & per ſe ſufficientem, non poteſt effectus non aliquò concomitari. Vbertim enim ex Fide iuſtitiam & pacem conſequemur, vt iam non ſit vllum Sacramentum neceſſarium, ſi Fides ſola iuſtificet & tollat peccata.

LVTH. *Sicut Actorum decimoquinto dicit, Petrus Fide purificans corda eorum.*

EPISC. Hoc nimirum de formata Fide non poteſt non intelligi, cum Paulus affirmet, nec eam Fidem qua montes loco dimoueantur aliquid eſſe ſine charitate. Cæterùm nec Paulus hic dixit ſolam Fidem purificaſſe corda. Nemo negat Fidem efficere plurimum, at quòd ſola Fides iuſtificat & purificat, nunquam comprobabis.

LVTH. *Et Hieremiæ quinto: Domine, oculi tui reſpiciunt Fidem.*

EPISC. Non hoc de Fide qua Deo creditur, ſed de Fide, qua fiat quod dicitur, intelligi debet. Nam proximè ante hoc verbum dixit Propheta: Quòd ſi etiam (viuit Dominus) dixerint, de hoc falsò iurabunt. Et continenter ſubdit: Domine oculi tui reſpiciunt Fidem, vt ſit ſenſus: Non quid iurauerint domine, ſed quantum iuramento reſpondeat eorum factum hoc reſpicis. Nihil igitur teſtimonium ad rem pertinet.

LVTH. *Tum & Pſal. 24. docet, non propter vllum opus noſtrũ, nedum propter contritionem remitti peccata, dicens: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.*

EPISC. Sed lege quid in eodem Pſalmo ſubiungat inferiùs. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea. Cum hoc dicit, ſperauit certè contritionis humilitatem & laborem iuuatura nonnihil ad peccatorum condonationem.

LVTH. *Et Romanorum quinto: Iuſtificati ergo gratis per Fidem, pacem habemus. Ecce gratis & ſola Fide iuſtificamur, & pacem, id eſt, remiſsionem peccatorum habemus.*

EPISC. Sed quam, te quæſo, Paulus hîc Fidem intelligit, formatam, an informem? Si formatam, non ergò ſola Fides iuſtificat, cum ea nunquam ſit abſque charitate. Informis verò per te, nec pacem præſtat, nec remiſsionem peccatorum. Cæterùm falſum eſt quod adiungis: Ecce gratis & ſola Fide iuſtificamur. Non enim hic dixit Paulus, ſola Fide.

LVTH. *Quare adhuc dico: Caue, caue frater Chriſtiane, ne vnquam ſuper tua contritione confidas, non huic, ſed Fidei tuæ promiſit Deus remiſsionem peccatorum.*

EPISC. Nihil minùs quàm illud inferri poteſt, ex illis ſcripturis quas iam citaueras. Quod opinor nemo non perſpicit, qui non planè cæcus fuerit. Sed eſto, non debeat quiſquam contritioni ſuæ credere. Num propterea confeſſurus negliget, aut aſpernabitur contritionem? An non legis: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Non poteſt certè non eſſe Deo grata contritio peccatoris. Quæ res per Achab exploratiſsima fuit. Cum enim huic Deus acerbiſſime fuiſſet comminatus, propter ipſius tamen contritionem, quæ ſanè multum amara fuerat, Deus optimus & clementiſſimus conceſsit ſuam mutauit ſententiam.

Virtus contritionis.

Pſalm. 50.

3. Re. 21.

LVTH. *Duo cum ſint verba Dei, alterum eſt præceptum, alterum promiſsio: præceptum opera, promiſsio Fidem exigit.*

EPISC. Cuncta, quæ dicis, Luthere, nulli fermè ſoliditati conniuntur. Neq; enim ſic iſta ſeparantur, vt præceptum ſpectet opera ſola, promiſſio ſolam Fidem exigat. Nam & de Fide præceptum eſſe conſtat, Marc. 1. cum dicat Chriſtus: Pœnitemini, & credite Euangelio. Ecce hic præcipitur Fides. Sed & pro operibus plerunq; factam eſſe promiſſionem, nemo eſt qui ignorat. Nam vt cætera taceã quæ in veteri teſtamento ſcripta ſunt, conſtat in Euangelio pro eleemoſynæ operibus, promiſiſſe Chriſtum non ſolùm conſcientiæ emundationem, verum etiam retributionem futuram: pro oratione quoque, ſecuram impetrationem: pro dimiſſione iniuriarum, peccatorum remiſsionem, ac demum, pro relictis huius ſeculi rebus, centuplam in hoc ſeculo remunerationem, & in futuro vitam æternam.

LVTH. *Nec eſt cogitabile, quomodo promiſsio impleri ſine Fide per opus quodcunque poſsit.*

EPISC. Sit hoc cogitabile necne, nihil opus erit iam diſſerere. Perſpicuum tamen cuique eſſe poteſt, quòd vbi promiſsio facta fuerit pro opere aliquo patrando, non minùs ad eam promiſsionem implendam exigitur opus quàm Fides promiſsionis, id quod ſatis eſt ad articuli præſentis interceptionem. Si quis emundationem pollicitam ob opus eleemoſynæ velit conſequi, non ſola Fides in promiſsionem ſufficit: ſed neceſſum eſt præter Fidem etiam opus adijciat. Et in alijs haud diſsimiliter. Sic & ad gratiam abſolutio-

Non minùs ad promiſſionem perimplendam exigitur opus, quàm Fides promiſsionis.

nis conſequendam, neutiquam ſatis eſt ſola Fides, ſed opus inſuper & tuum & ſacerdotis exigitur: tuum quidem, vt doleas & humilies te ſacerdoti: Sacerdotis verò, vt probè & ritè Sacramentum ipſum adminiſtret. Sed & de hoc articulo iam ſatis.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

LVTH. *SI per impoſsibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſeriò, ſed ioco abſoluerit, ſi tamen credat ſeſe abſolutum, veriſsimè eſt abſolutus.*

EPISC. Opinabar me, cum hunc articulum legerim, ſatis eundem intellexiſſe. At alium longè ſenſum habet introrſum, quàm prima ſtatim fronte præ ſe ferat. Cui (quæſo) difficile videtur, vt ſe credat abſolutum à ſacerdote, dum is ei ſacramentum Abſolutionis impendat. At nemo ſic credit (auctore Luthero) niſi fidem habeat gratia informatam. Hoc Lutherus mox in huius articuli declaratione palàm teſtatur. Ex quo perpende lector, in quas anguſtias coniecerit ſeſe. Tantum operibus detrahere ſtuduit, quò fidem extolleret, vt iam ipſius ſententia rariſſimus ſit, qui beneficium abſolutionis conſequitur. Neque enim antè quis abſoluitur, opinione Lutheri, niſi per gratiam ſenſerit ſe concuſſum. Nam fides (vt ait) non eſt ſine gratia, nec gratia venit in animam, abſque magna animi concuſſione, & ipſam animi concuſſionem contritionem vocat. Nemo igitur verè abſoluitur, niſi qui fidem habuerit cum gratia concutiente & conterente animã. Non enim ſatis eſt (auctore Luthero) vtcunque credere, ſed oportet ad hunc modum credere, hoc eſt, cum tali & tanta fide, quæ contritionem & gratiam in anima producat, alioqui nõ eſt abſolutus. Quòd ſi tali tantaque fide ſe quis credat abſolutum, tum Lutherus ei pollicetur, quòd eſt veriſſimè abſolutus, alioqui negat abſolutum eſſe. Iam tandem intellexiſtis Lutherum. Sed probationem eius audiamus.

Quis Luthe. abſolutus ſit.

LVTH. *Et hic fluit ex præcedentibus.*

EPISC. Quid mirum ſi tot præcedentes errores vnũ hunc, & ſanè peſtilentiſſimum pepererint.

LVTH. *Nam Fides, vt dixi, exigitur in promiſsionis diuinæ verbo, quod quocunque modo audiatur, ſi Fide ſuſcipitur, iuſtificat.*

EPISC. Accepi nimirum ex ſuperioribus, te dixiſſe Fidem exigi diuinæ promiſſionis verbo. At qualem inſerius explicas nunquam hactenus abs te, ceu prorſus neceſſariam aſſertam audiui. Sed eiuſmodi Fidem, quisquis habuerit, iam iuſtificatus eſt, iam ei cuncta remiſſa ſunt peccata, vt nihil ei opus fuerit diuinæ promiſſionis hoc verbum audire. Nam qui Fidem illam habet, gratiam habet, qua liber eſt ab omni peccatorum reatu. Ad hunc itaque modum nullius eſt apud te momenti, ſi quis informem Fidem & promiſſionis hoc verbum, ſiue ſeorſum, ſeu coniunctim acceperit. Niſi enim fuerit animus præter hæc gratia concuſſus, nihil omnino iuxta tuam ſententiam fit per informem Fidem, & hoc promiſſionis verbum. Atque ita nimirum impiiſſimè fallis auditores tuos, cum aliud dicis, aliud intelligis, aliud corde verſaris, aliud profers ore. Audit te quiſpiam ex plebe, tam conſtanti animo aſſeuerantem, quòd ſi credat ſe abſolutum, iam eſt veriſſimè abſolutus, habet Fidem verbis tuis, & bene ſperat de ſalute ſua. Sed eundem tacitus in corde negas abſolutum, niſi Fide tanta præditus fuerit, quæ gratiam habeat concutientem, & conterentem animam qua illa caret. Num non illum planè ludificas, ac verbis tuis ei prorſus imponis? Hauddubiè. Dic mihi precor. Aut quicquam operatur in animam hoc verbum abſolutionis, aut nihil? Si nihil, fruſtrà tempus impartimus ei audiendo, & fruſtrà credimus, ſi nullus inde fructus oriatur nobis. Sin aliquid operetur, Aut hoc eſt, ceu cauſa quædam Fide generalior: aut velut cauſa peculiarior Fide, aut demum, vt partialiter & ex æquo cum Fide concurrens. Primùm ſtare non poteſt, quando fides haberi plena poterit, hoc verbo nunquam priùs audito, vti cum quis baptizatur, anteaquam audierit quicquam de Sacramento Abſolutionis. Quamobrem non eſt cauſa generalior & prior Fide. Quòd ſi ſecundum conceſſeris, nempe quòd ſit cauſa quædam Fide peculiarior, mox conſequitur, vt non ſola Fides iuſtificet. Nam effectus quiſque, veriùs peculiari cauſæ, quàm generali tribuitur. Vt homini magis aſcribitur hominis generatio, quàm ſoli. Porrò ſi tertium aſſerueris, quòd videlicet ex æquo pariter vtrunque concurrat, iam etiam apertum erit, non ſolam Fidem iuſtificare, cum effectum nemo partiali cauſæ, præſertim ſoli, referat acceptum. Quis enim duobus ex æquo pondus aliquod leuantibus, alteri eorum ſoli, totum opus aſcribit? Nemo profectò, qui vel aliquo rationis lumine præditus eſt, ſed partim id vni tribuit, & partim alteri. Quamobrem nec ſoli Fidei totus effectus, hoc eſt, peccatorum remiſſio debet imputari, ſed partim Fidei, partim abſolutionis Sacramento.

Hic locus Lutherũ vndequaque conſtringit.

LVTH. *Et quid mirum ſi ioco prolatum & creditum iuſtificet, quando Apoſtolus Philipp. 1. gaudeat & glorietur, quòd verbum Dei per inuidiam & contentionem prædicatur, vtique quòd credentes ſalui fiant per verbum, etiam ab inuidis & accuſatoribus, non niſi ad opprimendum ipſum annunciatum, adeo tota vis ſita eſt, non in miniſtro verbi, ſed in corde audientis & credentis.*

EPISC. Non opinor ſentire te, quòd tametſi miniſter abſolutionis, & miniſter communionis verbi, vterque fungatur auctoritate Chriſti, quia longè tamen aliter iſte, quàm ille ſuum exequatur officium. Nam huius quidem officium eſt, vt doceat plebem, & Chriſti verba tanquam ex ore Chriſti recenſeat, dicens: hæc dixit Chriſtus. Ad illum verò pertinet, vt iuxta ſibi donatum à Chriſto auctoritatem, in propria tamen perſona pœnitentem abſoluat, dicens: Ego abſoluo te in nomine Patris, &c. Neque hæc verba pronunciat ceu materialiter (vt aiunt) accepta, ſed iuxta ſuppoſitionem perſonalem, vt videlicet in ſua ipſius perſona, non Chriſti proferantur.

Quid diſcrimen eſt inter miniſtrũ abſolutionis & miniſtrũ verbi Dei.

Non

Non enim abſoluens recenſet verba Chriſti,ſed ſua. Neq; enim dicit: Chriſtus abſoluit te,ſed ego abſoluo te. Aut ergo verũ dicit Sacerdos abſoluens, aut falſum. Si falſum nõ meretur ex falſitatis Fide, peccator emolumentũ ſequi. Sin verum dixerit,iam verum eſt, quòd ipſe peccatorem abſoluit,vt non tota vis in auditoris corde ſita ſit,& nihil prorſus in abſoluente. Ad hæc: Si Sacerdos , ad quem venit peccator fortaſſe non omnino pœnitens , ipſa Chriſti verba protulerit duntaxat, & non abſoluerit pœnitentem,nempe ſi dixerit: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis , non autem ſuis verbis abſoluerit pœnitentem , ac dixerit:Ego abſoluo te, iam ſi peccator confeſſus, huic verbo promiſſionis credat, ipſe tua ſententia recedit abſolutus,quod tamen à vero longè alienum eſt. Neque enim Chriſti promiſſio fuit,vt quiſquis ijs verbis eſſet crediturus, is à peccatis abſolueretur: ſed cuius peccata Sacerdos remiſerit,ei remitterentur peccata. Ex ijs itaque dilucidum eſſe puto, quòd plurimum interſit inter eos, qui Chriſtum per inuidiam & contentionem prædicabant, & recenſentes non ſua,ſed Chriſti verba,& inter miniſtros abſolutionis,qui ſuis verbis ſuper auctoritate Chriſti fundatis, peccatores abſoluunt.

LVTH. *Verùm noſtri adulatores malunt remiſsionem peccatorum tribuere poteſtati miniſtrorum , vt in ſe confidamus, quam Fide , quam Dei verbum credamus , ideo vt ſe nobis idola faciant ,& à Deo viuo auertant,damnant Fidem verbi Dei,& ſuam ſtatuunt poteſtatem.*

EPISC. Haud ſcio quos vocas adulatores. Verùm hoc ſcio , & certus ſum , quòd ex grauiſſimis & probatiſſimis auctoribus haud paruo numero citare poſſem,qui remittendi peccata Sacerdotibus tribuunt poteſtatem. Nec tamen illis animus fuit ex hominibus idola facere , aut à Deo viuo plebem auertere , aut ita demum ſuam ſtatuere poteſtatem , vt damnent Fidem verbi Dei: *Claues eluso traduntur.* Cæterùm illi quos adulationis inſimulas , non tam illo vitio (me iudice) laborant , quàm ipſe maledicentiæ morbo ſimul & obtrectationis inſanias furore.

LVTH. *Dixi autem per impoſsibile, quia ſatis ſupra dictum eſt, Fidem ſine contritione eſſe non poſſe,cum gratia non infundatur,niſi cum magna concuſsione animæ.*

EPISC. Ecce iam apertè reſoluit ſeipſum , quemadmodum paulò antè diximus. Sed primùm hîc excutiamus,quid ſibi velit cum dicit: Si per impoſſibile. Nam ſi intelligat quòd impoſſibile ſit confeſſum non eſſe contritum , profectò neque ſibi, neque veritati conuenit. Nam fit plerunque vt multi ſua peccata confiteantur,in quibus tamen adhuc occulta manet peccandi voluntas , quæ non ſinit eos gratiam abſolutionis recipere. Sed & ſecundum Lutherum hæc gratia non infunditur abſque magna animi concuſſione. Vehemens igitur animi concuſſio,cum nequeat non ſentiri dum adſit,neque talem plerique ex his qui confitentur, vllam ſentiunt,conſequitur,vt non ſit impoſſibile confeſſum aliquando contritum non eſſe: immò reuera plurimos oportet fateamur eſſe confeſſos, qui non ſunt contriti. Cæterùm fortaſſe de abſoluto voluit dixiſſe , nempe quòd impoſſibile ſit aliquem abſolutum eſſe, qui non ſit contritus. Sed iam oportet illum percunctemur , quid per abſolutum intelligi velit. Si velit abſolutum vnumquemq; dici,ſuper quem Sacerdos abſolutionis verba protulerit, parùm iſtud quadrat dogmati Lutherano multas ob cauſas. *Attende lector.* Primùm,quia poteſt ille carere Fide, & non credere ſeſe abſolutũ: deinde,quia non adhuc intra ſe ſenſit ingentẽ animi concuſsionem,ac proinde neq; gratiam accepit. Quo fit, vt nec peccata ſibi remittãtur. Sin illũ intelligat,qui verè ſit abſolutus & cui peccata prorſus condonata ſunt, vide quàm imponat auditoribus ſuis,& in quantis eos relinquat tenebris,cum ad iſtũ modũ nemo ſcire poteſt,quando fuerit abſolutus , niſi magnam animi ſui concuſsionẽ antè ſenſerit. Porrò,quod dicit Fidem ſine contritione eſſe non poſſe,nunquam hactenus tam apertè ſe prodidit. Sed quis iam certus eſſe poterit ſe Fidem habere?cum nec de contritione ſua quiſquam ſecurus erit,niſi qui magnam animi concuſsionem ſenſerit in ſeipſo. Sed & plerique ſæpenumerò magnas animi concuſsiones patiuntur, quando non ſemper infunditur gratia. Hæc , te quæſo Lector, diligenter expendas,& intelliges , quanta Lutheranos omnes inuoluat hoc dogma caligine: Quòd ſi locum iſtum viuaci memoria tenueris , cõtuleriſq; cum cęteris,vbi de Fide tractabitur,planè perſpiciss,quãtis errorum tenebris permiſcent omnia.

LVTH. *Volui enim Fidei virtutem declarare & commendare,quàm ſola faciat ad remiſsionem peccatorum & iuſtificationem pacis.*

EPISC. Nihil mirũ eſt,ſi Fides hæc præſtet remiſsionem peccatorum , cum huius Fidei præſentia, mortale quoduis ex animo peccatum fuget , neque ſimul intra cordis vnius ambitum, ſecum ſinat habitare. *Quæ Fides peccata profuget.* Quamobrem ſi Fides hæc adſit, certum eſt aufugiſſe peccatum. Quod ſi contrà peccatũ adſit,nemini dubium ſit,hanc Fidẽ prorſus auolaſſe. Hanc , inquam , quæ iam explicata eſt,nempe quæ formata ſit gratia & contritione. Non oportet tamen,vt omnis ad peccati mortalis præſentiam aufugerit Fides. Poteſt enim ea, quæ informis eſt,manere nihilominus. At huic (vt iam audiſti lector) Lutherus haud tantum tribuit,ſed illi duntaxat quæ formata eſt: de qua certè nullus ambigit,quin ſibi connexam habeat remiſsionem peccatorum , paciſque iuſtificationem. Cæterùm de Fide vtcunque accepta, putant ex eius auditoribus plerique Lutherum intelligi velle , quoties Fidei tot & tanta (quæ ſolet) pollicetur. Id quod etiam pleriſque locis , videtur ipſe teſtari. Nam & in Actis ſuis dicit, Fidem nihil aliud eſſe, quàm illud quod Deus promittit aut dicit,credere. *Fides Luthero quid ſit.* Ecce,ſi nõ aliud ſit Fides,quàm credere hoc ipſum quod Chriſtus promiſit & docuit, quis ex Chriſtianis non habet Fidem? Et contra Eckium rurſum affirmat , Fidem eſſe rectam & bonam opinionem de Deo quam ſanè quibuſdam maximis & grauiſsimis peccatoribus adeſſe quis ignorat? Et inferiùs ſub articulo. 14. Fidem aſſeuerat certiſsimè ſentiri poſſe in corde, ſi quis

ſi quis eam habeat. Sed & ſub decimo articulo ſuperiùs aſſeruit, ita cuiuis futurum, vt credit. Sicut, inquit, credimus, ſic fiet nobis. At iam aſſerit, Fidem non eſſe ſine contritione & gratia. Quis itaque non cernit, quantum fuci faciat auditoribus ſuis, & quæ docet metas impoſturas eſſe? quibus & vulgum omninò deludit.

LVTH. *Quod dico, ne quis me putet contritionem ſeu turbationem illam cordis in cogitatione peccatorum ſuſcitatam negare. Volo eam.*

EPISC. Sed dicas adhuc apertiùs, quomodo non negas eam, & quomodo vis eam. Si vis eam vt rem vtique neceſſariam peccatori ob gratiam ſuſcipiendam, id ſatìs eſt nobis. Neque enim aliud quærimus, Nam eatenus Patrum ſententiæ ſubſcribis, atque confiteris contritionem, quæ remiſsionem peccatorum antecedit, non facere peccatorem hypocritam, aut deterioris notæ, quàm antè fuerat: ſed promouere potiùs eundem ad gratiæ iuſtificationem. Atqui hoc paulò ſuperiùs negâras. Sin illud haudquaquam placeat, dic quomodo vis eam, aut quomodo non negas eam? Neque enim negare potes, rem quam quiſque pœnitens in ſe deprehendit, nempe contritionem illam, ſeu turbationem cordis ex cognitione peccatorum (vt ipſe fateris) ſuſcitatam. Hanc ſi neges, cuncti protinus explodent ſententiam tuam. Nam hanc omnes in ſeipſis experiuntur. Neque quiſquam eſt, qui te putet viſqueadeo communi ſenſu carere, vt iſtam negare velis, quanquam ſuſpicentur plurimi te negaturum eam, ceu iuſtificationi neceſſariam. Conaris igitur illis verbis, hac ſuſpicione purgare te, ne quis videlicet te putet contritioné cordis negare, velut iuſtificationi neceſſariam. Verùm te pudet hoc verbum, neceſſariam, adijcere, ne videaris alijs tecum parum conſtare. Hæc ſunt præſtigiæ tuæ Luthere, his technis, dolis, fucis vbique plenus es.

LVTH. *Sed dico eam non operari iuſtificationē aut remiſsionē peccatorum. Fides enim in verbum Dei iuſtificat & purgat.*

EPISC. Aliud eſt Luthere iuſtificationem operari, aliud ad iuſtificationem operari, ac nonnihil ad eam comparandam conferre. Nos planè concedimus hanc animi turbationem non operari iuſtificationem, ita negamus illam nihil omnino conferre iuſtificationi. Verbis teſtaris, eam non efficere iuſtificationem, & rectè quidem teſtaris, neque nos in hoc tibi reluctamur. Sed an conducat quicquam ad iuſtificationem, hoc non apertè dicis. Conſcientia tamen tua non refragari videtur, eam nonnihil conducere, cum ais, te non negare eam, ſed velle eam. Animus tibi propenſus fuit, vt neceſſariam eam non negares, niſi pudor inconſtantiæ nonnihil obſtitiſſet tibi. Porrò, quod Fidei tribuis iuſtificationem & purgationem, ſi iuſtificationem & purgationē à reatu peccatorū fieri per gratiam intellexeris, & per eam Fidem quæ gratia formatur, quemadmodū iam explicuiſti, nihil repugnamus: cæterum iuſtificationem & purgationem à reliquijs peccatorum non dubitamus per frequentem contritionem, ac cætera pœnitentiæ opera, ſimul cum

Aliud eſt iuſtificationem operari, aliud ad iuſtificationem cooperari.

ipſa Fide fieri perficique: quemadmodum ex primo articulo ſatìs fuit perſpicuum.

ARTICVLVS XIII.

LVTH. *IN Sacramento Pœnitentiæ ac remiſsione culpæ non plus facit Papa, Epiſcopus, quam infimus ſacerdos, immò vbi non eſt ſacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier aut puer eſſet.*

EPISC. Quantum ad priorem huius articuli partem ſpectat, haud vehementer Luthero repugnârim. Nam ſi culpa ſenſim deleri poſſet, ita quòd nunc vna portio, nunc alia tolli quiret, fortaſsis in ſacerdotibus eatenus maior aut minor poteſtas exiſtimaretur, quò maiorem hic, quàm ille portionem abolere poſſet. Sed cum aut totum, aut nihil ex ea deleatur, non maior in delenda culpa, ſummo quàm infimo Sacerdoti poteſtas tribuenda eſt, niſi fortè propter culpæ grauitatem, cuius abſolutio maioribus Sacerdotibus, ex Patrum ordinatione non iniuriâ reſeruatur. Cæterùm alteram articuli partem tantum abeſt vt probem, vt etiam aſſertorem eius hæreticum appellare non dubitem. At huius aſſertionis Luth. inde ſumit anſam, quòd ex proximè ſuperiori collegiſſe ſe putat, totam vim delendæ culpæ non in miniſtro, ſed in Fide credentis ſitam eſſe: & non poteſtati miniſtrorum, ſed Fidei (qua in Dei verbum credimus) remiſsionis effectum eſſe tribuendum. Quamobrem & iam adijcit, quòd etiam ſi mulier, aut puer hæc verba proferat, peccator hæc audiens & credens protinus abſolutus eſt. Sed hîc Lutherum ſciſcitarer, quid ſi ipſe peccator ſonora voce (ita vt à ſeipſo poſſet audiri) pronuntiaret eadem in ſeipſum verba, quibus & Fidem adhiberet, num putaret eundem abſolui? Et quid pſitacus (vt fieri poteſt) doctus eſſet hæc verba proloqui, & peccator quiſpiam his auditis crederet, num identidem abſolueretur? Quòd ſi fortè lapidi cuipiam, hæc eadem eſſent inſculpta, nunquid peccator his lectis Fidem habens, illico foret abſolutus? Si negauerit Lutherus ab ijs abſolutionem impendi poſſe, compertum erit etiam præter Fidem & Sacerdotis officium eſſe neceſſarium, neque ſolam Fidem aut verba, ſiue lecta, ſiue aliàs audita ſufficere. Sin verò dixerit, in illis caſibus, peccatorem qui audierit, aut legerit, verè abſolutum eſſe, quid abſurdius dici poteſt, quàm vt lapis abſoluat, aut pſitacus, aut ipſe pœnitens ſeipſum? Cuius aures iſta ferre poſſunt? Neque reclamauerim Fidem illam, de qua locutus eſt, iuſtificare poſſe nempe per gratiam, qua Fides ipſa potens & efficax redditur ad iuſtificandum. Cæterùm vt quis per hoc verbum iuſtificetur, opus eſt abſolutore quopiam, cui Chriſtus abſoluendi contulerit eam facultatem, quam hauddubiè nec lapidi, nec pſitaco, nec demum homini in ſemetipſum tradidit. Neque enim alicubi pollicitus eſt Chriſtus, vt quiſque credens ijs verbis, vtcunque lectis, aut auditis abſolueretur: ſed Apoſtolis hanc poteſtatem dedit, vt quos ipſi ſoluerent, abſoluerentur, & quibus, ipſi peccata remitterent, remitterentur eiſdem. Sed nec

Non maior in delenda culpa ſummo quàm infimo Sacerdoti poteſtas tribuēda eſt.

Fides per gratiā redditur efficax ad iuſtificandum.

Sacer-

Sacerdos abſolnens, verbi recitator eſt ſolùm, verumeriam eiuſdem exequutor eſt verbi, adeo vt niſi ipſe iuxta verbum ſententiam ferat, nihil fit. Neq; enim Sacerdoti ſatis fuerit recenſere, quę Chriſtus dixit, nempe: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſed oportet, auctoritate (quam ei donauit Chriſtus) ſungatur, & in ſua dicat perſona: Ego abſoluo te: alioqui fruſtrà dixiſſet Apoſtolis Chriſtus: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, niſi verè potuiſſent ipſi remittere peccata. Quòd ſi verè Sacerdos remittat, quid in re manifeſtiſsima moramur? Iam enim conſtat, non ſolam Fidem peccatoribus peccata remittere, niſi Chriſtum, fruſtraneam, & fictam Apoſtolis ſuis poteſtatem donaſſe quis dixerit, atque ita mendacem eum & hypocritam (quod nimis quàm execrandum eſt) effecerit. Sed veniamus ad probationes.

LVTH. *Cùm ex prædictis pateat, quòd non poteſtas miniſtri, ſed Fides pœnitentis remißionem peccatorum operetur. Velim doceri ab iſtis Bullenſibus, quomodo plus Papa faciat, quam quilibet Sacerdos, cùm Fidem ipſe æquè non præſtare poßit ac quilibet Sacerdos, nec alio verbo abſoluat, quam illo: Quodcunque ſolueris &c. quo omnis ſacerdos abſoluit. Si ergo idem verbum, eadem Fides vtrobique, quæ eſt differentia illorum?*

EPISC. Nunquam illud tibi concesſerim, quòd nihil operetur poteſtas miniſtri, ſed ſola Fides: neque iſtud ex ſuperioribus (quæ quantum opinor, abundè confutata ſunt) colligere potes. Sed neque ſententiam hanc firmabis vnquam, niſi velis Chriſtum (vt iam diximus) mendacem & hypocritam efficere. Soluit hauddubiè Sacerdos, & peccata remittit, ſi vera dixit Chriſtus, vt & cuncta (quæ dixit) erant hauddubiè veriſsima. Quòd ſi remittat & ſoluat Sacerdos, quis non perſpicit miniſtri poteſtatem, aliquid operari, & non ſolùm Fidem totum perficere negotium? Quod Chriſtus, quod Eccleſia docet, nullis fucis oblinitur, ſed tuū certè dogma tam fucos, quàm labyrinthos habet intricatiſsimos. Quod ingenium explicare poteſt iuxta ſententiam tuam, quando quis Fidem illam de qua ipſe loqueris, peccator aſſequitur. Si prolatis verbis abſoluendi iam quid dicis aliud, quàm quòd Eccleſia prædicat. Docet enim Eccleſia, quòd peccator qui cum dolore aliquo, & Fide, licèt informi, venerit ad Sacerdotem, mox prolatis abſoluendi verbis, ille gratiam aſſequitur, per quam omnia quæ priùs erant informia, iam in peccatore formata ſunt. Conſentit & Chriſtus, qui per ſacerdotem aſſerit, abſolui remittique peccata, id quod abſq; gratiæ præſentia fieri non poteſt. Ob eam enim cauſam, nimirum vt peccator reconciliationis gratiam acciperet, ſacerdoribus hanc auctoritatem donauit Chriſtus. Quòd ſi iam dictis abſoluendi verbis neges conferri gratiam, & Fidem formari, Chriſto mendacium impingis, & abſolutionis hoc tam neceſſario Sacramēto, nimis quàm impiè fruſtraris, & fraudas Eccleſiam. Hoc conuelle, ſi potes, quòd Chriſtus remittendi, ſoluendique poteſtatem ſuis Apoſtolis contuliſſet, quodque illi neminem abſoluiſſent: & tum herbam porrigemus tibi. Nam ſat ſcio, nemo ſanus negabit, eum qui abſoluit, & peccata remittit nonnihil agere. Cæterùm quantum ad condonandam culpam attinet, ante diximus, Chriſtum ſacerdotes cunctos feciſſe pares; verùm in relaxandis pœnis non ita, quemadmodum in ſequentibus articulis dicturi ſumus apertiùs.

Solùit hauddubiè ſacerdos & peccata remittit.

Sacerdotes omnes ſunt pares in condonanda culpa.

LVTH. *At caſus reſeruati hîc Papæ plus tribuunt? At illi hominum ſtatutis inuenti, non Euangelico mandato poſiti ſunt.*

EPIS. Satis antè firmatum opinor, pleraque Chriſtianis eſſe credenda, quæ non ſunt in Euangelio tradita. Quibus annumerandum & iſtud eſt, quòd non humano ſolum ingenio, ſed ſancti ſpiritus inſtinctu, pœnitentiarij canones inſtituti ſunt, & horrendorum criminum factæ ſunt, reſeruationes. Quam rem pluribus teſtimonijs articulo quinto ſtabiliuimus, vt nunc nihil neceſſe fuerit eadem repetere.

LVTH. *Nec ad remißionem culpæ, ſed ad remißionem pœnæ tantùm valent, vt patet.*

EPISC. Quanquam ijs canonibus nihil de pœna culpáve tollatur, tollitur nihilominus per eum aut eos quibus id officij ſpiritus ille ſanctus in his canonibus commendauit. Nam eius inſtinctu canones illos fuiſſe conditos, non eſt dubium.

LVTH. *Pœnitens enim ac credens iuſtus eſt, licèt nondum ſatisfecerit reſeruatori caſuum, hoc eſt tyranno violento conſcientiarum, qui reſeruandi nullum ius vnquam habuit.*

EPISC. Cum tibi placet Luthere, iuſti ſumus & nulla nobis opus erit vlteriori iuſtificatione. Contrà verò, cum tibi non placet, tum ſumus iniuſti, ſupereſtque ſemper aliquid in nobis; quod adhuc iuſtificetur, vt ſic vel tota vita noſtra, non iuſtitia ſed iuſtificatio potiùs dicenda ſit. At eſto ſanè, pœnitens & credens, iuſtus habeatur: num propterea nō eſt à reliquijs, tam originalis quàm actualis peccati (quoad vixerit) iuſtificandus? Inter quas reliquias hauddubiè, pœna pro peccatis debita (quæ nondum luitur) iurè connumeratur. Quanquam enim gratiam acceperit (qua iuſtificatur animus) manet adhuc nonnullius pœnæ debitor, quam omninò luiturus eſt, vel in hac, vel in futura vita, priuſquam in cœlum ei pateuerit aditus. Cæterùm nec tibi conceſſerim, quemlibet peccatorem à ſacerdote quouis abſolutum iri, ne fortè ſic in labyrinthum aliquem inextricabilem incideremus, nempe, quòd qui iurè ligatus eſſet ab vno, ſtatim ab alio iurè ſolueretur.

Nō quilibet peccator à quolibet ſacerdote abſoluitur

LVTH. *Reſpondeant autem, an Papa aliud Sacramentum Pœnitentiæ habeat, quam tota Eccleſia? Si idem eſt vbique Sacramentum, & idem ab omnibus ſuſcipitur & datur, quid præ cæteris amplius facit in eo Papa? An fortè & aliud baptiſma, & aliam miſſam habet, quam omnes alij Chriſtiani? Si ergo vna Fides, vnum baptiſma, vnus panis, vnus calix, vnus Dominus in tota Eccleſia, cur non vna pœnitentia, vna remißio peccatorum? An hoc ſolum ſacramentum diuerſum, & monſtroſa diuerſitate aliud & aliud pro locorum & perſonarum diuerſitate habetur? Valeant impiæ iſtæ draconis antiqui voces.*

EPISC. Iam ouationem facis, perinde ac ſi viceris, cum tamen his verbis egeris prorſus nihil. Nos enim

enim idem vbique ſactamentum pœnitentiæ cunctis adeſſe ſacerdotibus confitemur. Neque veriùs per eius virtutem, à peccati culpa ſummum quàm infimum ſacerdotem quenquam abſoluere peccatorem, quanquam latiùs (vt par eſt) ſummi pontificis, quàm cæterorum extendatur poteſtas. Nam ab eius iuriſdictione nullus eximitur, cùm Petro Chriſtus generatim totius ouilis, & omnium ouium ſuarum commiſerit curam. Poteſtas autem infimi ſacerdotis non tam latè patet, ſed in ſibi ſubditos duntaxat eam exercere licebit. Cæterùm apud tuam perfidiam, omnes ex æquo ſacerdotes ſumus, quicunque Chriſtiano cenſemur nomine, quanquã ipſo officio nemini liceat vti, niſi per conſenſum communitatis. Quia quod eſt omnium communiter (ſic enim ratiocinaris) nullus ſingulariter poteſt ſibi vſurpare, niſi vocetur. Poteſtas igitur hæc (ſi tibi credimus) primùm in ipſam communitatem à Deo deriuata ſint, deinde ab ipſa communitate in eum qui ſacerdotio fungeretur. At hoc ex ſacris literis falſiſſimum eſſe conſtabit. Nam Paulus ipſe Galatis ſcribens teſtatur, ſe nec ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum patrem Apoſtolum fuiſſe conſtitutum, neque plebis vllius aſſenſum expectauit. Deinde multos alios ordinauit Pontifices, inter quos Titus & Timotheus erant, qui neque plebis conſenſu Sacerdotes effecti ſunt, ſed vt ipſe teſtatur, ſuarum manuum impoſitione. Sic enim primæ ad Timotheum quarto ſcribit: Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyteri. Quem locum doctiſſimus Eraſmus vertit, auctoritate Sacerdotij, vt planè quiuis intelligat non plebis auctoritate Timotheum factum Epiſcopum, ſed Pauli. Similiter & idem Paulus ad eundem Timotheum, denuò ſcribens, eundem admonet, vt gratiam reſuſcitet, quam & accepit per impoſitionẽ manuum ſuarum. Vt reſuſcites, inquit, gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Rurſum ad Titum ſcribens, recenſet ei ſe cõtuliſſe poteſtatẽ conſtituendi presbyteros: Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Quis iam ex his non perſpicit, Pauli Sacerdotium à Chriſto fuiſſe collatum, non à plebe. Deinde per Paulum, Tito & Timotheo fuiſſe donatum, non à plebe, ſed per impoſitionem manuum ipſius Pauli. Tertiò quoque per illos eandem poteſtatem in alios fuiſſe transfuſam. Falſiſſimum igitur eſt, quod ipſe doces omnes ex æquo Sacerdotes eſſe, qui Chriſtiani fuerint, & quòd hæc poteſtas communitatis conſenſu tribuatur quibuſlibet. Tales erant Ethnicorum & Pharaonis Sacerdotes, de quibus Origenes multa dicit. Sed Chriſti Sacerdotium non ex plebis aſſenſu pendet, ſed diuinitùs confertur. Chriſtus enim duodecim elegit, quemadmodum ipſe teſtatur inquiens: Nonne ego duodecim vos elegi? Quibus non ſolùm conſecrandi corporis & ſanguinis ſui, verumetiam peccata ſoluendi fecit poteſtatem. Hos & Chriſtus miſit functuros per orbem Sacerdotio, quo donatus & ipſe fuerat à patre. Sic enim poſt reſurrectionem ſuam ipſe loquens Apoſtolis teſtatur: Sicut (inquit) miſit me pater, & ego mitto vos. Neque licet cuiuis hanc arripere poteſtatem, niſi priùs in id officij legitimè fuerit accitus.

Summi pontificis poteſtas latiùs, quàm cæterorum extenditur.

Galat. 1.

2. Timot. 1.

Tit. 1. Presbyteri à Tito Epiſcopo non à plebe conſtituti.

Ioan. 6.

Cum dicat Paulus: Nec quiſpiam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo quemadmodum Aaron. Quid dicis Luthere? Num Aaron à plebe Sacerdos inſtitutus aut vocatus fuit? Quòd ſi Sacerdotium Aaron haudquaquam ex plebe deriuatum fuit, multò minùs hoc Auguſtum Chriſti Sacerdotium, quod erat ſecundum ordinem Melchiſedech, à plebis aſſenſu poteſtatem vllam accipit. Vbi legis in toto veteri inſtrumento, quòd à plebe conſecrati fuiſſent Sacerdotes? Quòd ſi in vmbra ſemper à laicis fuerant illi Sacerdotes diſcriminati, num in ipſa re & veritate cum iam multò verius fuerit Sacerdotium, multò magis à laicis diſcriminabuntur? At inquies, omnibus dictum eſſe Chriſtianis: Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta. Num iſtud ſufficere putas, vt probes cunctos eſſe Sacerdotes? Sic enim & ego Iudæos omnes oſtendam Sacerdotes fuiſſe. Nam Exodi 19. Deus eos vocat peculium de cunctis populis, regium Sacerdotale, & gentem ſanctam. Si, inquit, audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, & in regnum Sacerdotale, & gens ſancta. Et tamen apertiſſimum eſt, non omnes eos fuiſſe Sacerdotes. Sed neque regibus ipſis, qui tamen vt ſacerdotes vncti fuerant, haud licuit munus obire ſacerdotum. An non Paulus ex inſtituto dirimit à plebe ſacerdotium, cùm dicit: Dei adiutores ſumus, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis, ſacerdotes vocans adiutores, & miniſtros Dei: plebem verò ceu terram quæ colitur, aut lignea materies, quæ conſtruitur. Iam te non pudet Luthere, qui de ſcripturis tantopere gloriari ſolebas, tot ſcripturarum, & tam aperta contemnere teſtimonia? Quòd ſi quis ijs adiungere velit ſuffragia patrum, Conciliorum canones, traditiones Apoſtolorum, & Eccleſiæ perpetuã cõſuetudinem, ac cætera demum, quibus ab initio diximus firmari poſſe, quicquid à Chriſtianis credendum ſit, nihil hæſito, quin perſpicuum euadet cunctis, neminem potiùs quàm teipſum antiqui draconis (de quo loqueris) impias voces & peſtiferos halitus euomuiſſe. Et illa profectò non grauarer huc citare, ni vererer nimio prolixitatis tædio, cruciari lectorem. Cæterùm ſi fortè quis deſiderabit auctorum in hac re ſubſcriptiones, quorundam è veſtigio ſubijcicmus. Gregorius Nazianzenus inprimis occurrit, grauis auctor, qui ſic in Apologetico ſcribit: Sicut in corpore noſtro alia ſunt membra, quæ regunt corpus, atque omnibus eius motibus præſident, alia ſunt quæ reguntur & obſequium rectoribus præbent: ita & in Eccleſia ſtatuit Deus, æquitatis eam legem diſpenſans, & per diuinam prouidentiam ſuam, quæ vniuerſa componit, meri-

torum

Heb. 5. Sacerdotium Aaron non ex plebe deriuatum.

Regale Sacerdotium.

1 Cor. 3.

Pulchra comparatio corporis noſtri ad Eccleſiã.

torum temperans priuilegia. Alios conſtituit regi & gubernari, quibus hoc vtilius eſt, vt verbo & opere rectorum ad id quod expedit imbuantur, alios paſtores dedit & doctores ad perfectionem Eccleſiæ. Hæc Nazian. Ecce palàm affirmat Deum ſtatuiſſe quoſdam in Eccleſia qui regant, quoſdam qui regantur, & mox ſubiungit, quales eſſe debeant, qui regunt, & quod eorum ſit officium. Hi, inquit, prę cæteris virtute animi præditi, familiariùs Deo aſſiſtunt, & id officij in Eccleſia gerunt, quod vel anima in corpore, vel mens & ratio operatur in anima, vt vtraque pariter compaginata, & ſibi inuicem mixta, in quo quid deeſt, & in quo abundat, vel vt in membrorum diuerſitate conſonantia facta per ſpiritum, perfectum & integrum atque aptum ad omnia corpus exiſtat, & dignum quod Chriſtum habeat caput. Hucuſque Gregorius ille. Similiter & Chryſoſtomus libro tertio dialogorum, capite quarto ſubdit in hunc modum. Sacerdotij autem (de quo loquimur) aſpice dignitatem. Agitur quidem in terra, ſed officium eius cœleſtibus negotijs continetur. Et quidem conſequenter: Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia aliqua creatura, non virtus, ſed ipſe Spiritus ſanctus hoc munus inſtituit, atque adhuc manentes in carne, miniſterio præſtitit angelorum fungi. Hæc Chryſoſtomus. Cyprianus in libro de vnctione chriſmatis. Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta, quia ſanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentiùs operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus Sacramento, vt & ipſis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat, & interiori homini, quanta ex his detur auctoritas, Deiformi conuerſatione, & cœleſtibus moribus innoreſcat. hoc oleo antiquitùs ſacerdotes ſacrabantur & reges, & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritualem intelligi volebant ſacris myſterijs ineſſe pinguedinem. Et ſicut oleum fluidis & humidis quibuslibet ſuperfertur: ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis ſecundum formam DEI, & CHRISTI ſub ſe omnia continens, regimen, & munimen, tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ obtinet, & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas Spiritus ſanctus, prout vult, ſingulis diſtribuit & largitur. Hæc Cyprianus. Sed & is, quem & Cyprianus imitatur, nempe Tertullianus apud hæreticos abominatur ordinationes fieri tam incertas. Ordinationes, inquit, eorum temerariæ, leues, inconſtantes. Nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodiè Epiſcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbiter, qui cras laicus. Nam & apud eos, laicis ſacerdotalia munera iniunguntur. Hæc in libro de præſcriptionibus hereticorum Tertullianus.

Spiritus ſanctus ſacerdotij munus inſtituit.

De ſacra vnctione pulcherrima.

Hæreticorũ ordinationes temerariæ, leues, inconſtantes.

LVTH. *Quòd autem abſente ſacerdote, etiam puer aut mulier & quilibet chriſtianus abſoluere poteſt, Matth. 18. clarè patet, vbi Chriſtus omnibus chriſtianis dicit: Quodcunque ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit in cœlis. Hanc inuictam auctoritatem non mihi ſubuertent.*

EPISC. Si tuæ credimus interpretationi, nihil Petro dictum eſt, aut cuiuis Apoſtolorum, quod non conueniat omni Chriſtiano. Æquas igitur Petro cęteros Apoſtolos, Apoſtolis ſacerdotes, ſacerdotibus quemlibet ex plebe, vt tibi nullum poteſtatis diſcrimen in his omnibus haberi debeat. Quod quàm inſaniæ plenum fuerit, nemo ſanæ mentis ob hæc, quæ iam diximus, ignorare poteſt. Si nulla Fides tot orthodoxis interpretibus, qui per tot annorum centenarios præceſſerunt, adhibenda ſit: ſed præ illis omnibus, vnus Lutherus ſapere credatur, quid poteſt dementiùs cogitari? Sed eſto, nemo ſic ſentiret interpretum. Expendamus quid ſcripturæ ipſæ narrent, penſitemus ipſa Chriſti verba, in quibus nec vnum quidem iota ſuperuacaneum eſſe, quiſquam exiſtimare debet. Sic enim Apoſtolis, & his quidem ſolis dixit Chriſtus. (Neque enim aliostum fuiſſe præſentes, quàm Apoſtolos probabis vnquam) Amen dico vobis: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Quæ nimirum verba magnam ab illis diuerſitatem habent, quæ ſoli dixit Petro. Nam hic vnius duntaxat cæli mentio facta eſt, illic plurium cælorum: hîc quoque de clauibus regni cæleſtis tacetur penitus, illic palam exprimuntur: Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Ecce Petro claues promittuntur, non vnius cæli, ſed cælorum: & ligandi ſoluendique poteſtas, quæ rata habebitur, non vno tantùm cælo, ſed in cælis. An hæc à Chriſto temere fuiſſe prolata credis, & maximè cùm ab eodem Euangeliſta, & infra ſpacium tam breuis interualli referatur vtrunque? Cæterùm vt neque meum hoc commentum eſſe dixeris, Origenes, interpres vetuſtiſſimus, hoc aſſeruit homilia ſexta ſuper Matthæum, ſic inquiens: Sed quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum, præ illis, qui ter arguerant, ideo illi quidem ſic dicit: Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et quęcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Non ergò modica differentia eſt, quòd Petro quidem datę ſunt claues non vnius cęli, ſed multorum cælorum, vt quæcunque ligauerit ſuper terram ſint ligata, non tantùm in vno cœlo, ſed in omnibus cœlis. Ad eos autem, qui multi ſunt ligatores & ſoluto-

Omnia confundit Luth.

Mat. 18.

Mat. 16.

res, ſic dicit, vt ſoluant & alligent, non in cœlis ſicut Petrus, ſed in vno cœlo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent vel ſoluant in omnibus cœlis. Quantò ergo melior fuerit qui ligat, tantò qui alligatur ampliùs quàm in vno cœlo alligatur, & quantò melior fuerit qui ſoluit, tantò beatior erit qui ſoluitur, quemadmodum in omnibus ſolutus eſt cælis. Hactenus Origenes. Sed inquies id qood Petro Chriſtus dixerat, omnibus dixiſſe credendus eſt. At non eſt ſatis, hoc nudis aſſerere verbis, ſed probationes idoneas oportet produeere, quibus iſtud firmetur. Pro noſtra autem parte, præter omnium interpretum ſuffragia militat ipſum Euangelium. Nam poſtquam Chriſtus omoes pariter interrogaſſet, quem illi ſe dicerent, Euangeliſta narrat, Petrum ſolum reſpondiſſe: Tu es, inquit, Chriſtus Filius Dei viui. Deinde Chriſtum inter alia, Petro ſubiunxiſſe: Et tibi dabo claues regoi cœlorum. Cur hic (te queſo) cum antea cunctos palàm interrogaſſet, non item cunctis, ſed vni Petro, claues regni cœlorum iam pollicitus erat? Quòd ſi cunctis hic locutus fuiſſet, hoc adhuc reſponde, cur poſtea cunctis eadem (vt tu vis) verba recenſens, non tam plenam, ſed pluſculum imminutam, promiſerit poteſtatem? Quis itaque non aduertit ex his, ampliorem Petro, quam cæteris auctoritatem fuiſſe donatam? Ceterùm ſi nullum in hac re diſcrimen Euangelium poſuiſſet, pro noſtra tamen ſententia, ſatis validum eſſet, quòd Eccleſia (quam Spiritu ſancto gubernari non ambigimus) tot ſeculorum viu, noſtram ſententiam comprobauit, tot auctoribus orthodoxis pariter aſſentientibus, vt ſibi qui crederet hac tanta nube teſtium ſpreta, pluſquam inſanus, ne dicam impijſſimus, iurè cunctis eſſet habendus. Cæterùm ex ijs intelligi datur, quemadmodum in ſequẽtibus apertiùs dicemus, quòd illis verbis Petro dictis, non ſolùm culpæ ſoluendæ poteſtas accipi debeat, verumetiam pœnæ peccatis debitæ. Nam quantum ad culpæ ſolutionem attinet, cunctis apoſtolis par fuit donata poteſtas, verùm Petro, tam pœnæ, quàm culpæ condonandæ facultas, ſoli fuerat tum promiſſa. Poteſt & iſtud identidem ex ſuperioribus eſſe compertum, quòd ſi tantum Petri diſcrimen à cęteris Apoſtolis habebatur, Sacerdotium à reliqua plebe non potuit omnino fuiſſe nullum.

[*Notandum eſt, quod Petrus ſolus reſpondit Chriſto.*]

[*Duplex Petri poteſtas*]

LVTH. *Qui enim baptizatus eſt, Spiritum Chriſti habet: vbi autem Spiritus Chriſti, ibi omnium poteſtas & libertas.*

EPISC. Moltis erroribus hæc probatio ſcatet. Primò, qoia tametſi baptizatus acceperit Spiritum Chriſti, non ſatis ideo compertum eſt, an hactenus per mortale peccatum eundem Spiritum amiſerit necne? Deinde ſi nemo poteſt abſoluere, niſi qui Chriſti ſpiritum habuerit, & Sacerdos etiam eo plerumque caret, qui poſſumus tutò confidere, nos eſſe abſolutos? Tertiò, ſi illic eſt omnium poteſtas, vbi Chriſti Spiritus fuerit, fruſtrà dedit Chriſtus quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores. Quid enim tam varios in Eccleſia ſtatuit ordines, ſiquidem vnus quilibet omnia poteſt? [*Ephes. 4.*]

ARTICVLVS XIIII.

LVTH. N*Vllus debet Sacerdoti reſpondere, ſeſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.*

EPISC. Superiùs articulo ſexto monſtraui, te vocabulum contritionis confundere ſolere, & aliquando pro dolore, qui præcedit abſolutionem, accipere, aliquando pro eo, qui comes eſt abſolutionis, & qui formatur gratia. Tradis enim articulo illo ſexto, quòd contritio quæ paratur ponderando grauitatem, multitudinem, fœditatem peccatorum, facit hypocritam, & magis peccatorem, quàm pridem fuerat. Quòd nimirum de dolore, qui præcedit abſolutionem, intelligi vis, & non de eo qui concomitatur. Nam ille qui concomitatur, iam gratiam habet annexam, neque facit quenquam peccatorem, aut hypocritam, ſed magis à peccato liberat, & ab hypocriſi. Nunc autem contritionem accipi vis, pro digno & ſufficienti animi dolore per charitatem formato. Ita per hanc confuſionem, plerumque lectori & auditori tuo turpiter imponis, & planè fallis. Sed rationem quam reddis iam excutiamus.

[*Contritionis vocabulum cõfundit Lutherus.*]

LVTH. *Hoc ideò dixi, quia in iudicio Dei hæc res conſiſtit.*

EPISC. Et certè conſiſtit in iudicio Dei, ſi de doloris ſufficientia loquamur. Sed nemo de hac interrogat. Percontatur enim Sacerdos eum, qui confitetur, an verè doleat ſe peccaſſe? non an dignè, & ſufficienter doleat. Et ſic percontari quid prohibet? Imò ſi non percontaretur, quomodo ſciet, an ſit peccator idoneus qui iam abſoluatur. Nam dolor ille ſi fuerit ingens, patrum omnium orthodoxorum calculis, ita peccatorem conciliat, vt debeat ei Sacerdos tantò promptiùs abſolutionis beneficium impendere. Neque enim indiſcriminatim omnes abſoluendi ſunt, alioqui Chriſtus non dixiſſet: Quorum retinueris peccata, retenta erunt. Delectus nimirum & iudicium adhibenda ſunt. De dolore igitur interrogandus eſt inter confitendum peccator, num verè doleat? & maximè ſi nulla Sacerdos interim viderit doloris indicia. Cæterùm hæc examinatio (quia tuo dogmati parùm quadrat) neutiquam placet tibi. Nam dolorem, qui præcedit gratiam, aſſeris obeſſe, nimirũ quòd opinione tua deteriorem faciat peccatorem. Rurſus eum qui comitatur, inutilem ſtatuis, cum tibi ſit optima pœnitentia noua vita.

[*Delectus & iudicium cõfeßioni adhibenda.*]

Dicit

LVTH. *Dicit enim Paulus 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et 10. Non qui ſeipſum commendat ille probatus eſt. Et ſupra dictum eſt: Delicta quis intelligit. Si ergo deberet homo reſpondere ſe eſſe contritum, cogeretur ad hoc impoſsibile, vt delicta ſua intelligeret, & ſeipſum iuſtificaret ac probaret.*

EPISC. *Lutheri ignorantia.* Hæ ſcripturæ (quas adducis) nihil efficiunt, niſi contritum intelligas eum, qui ſufficientem & dignam pœnitudinem habeat pro peccatis. Poteſt enim confitens affirmare ſe dolere, quanquam non arbitretur, aut aſſerat ſe iuſtificatum, etiam tametſi multa non occurrant memoriæ quæ commiſit. Neque enim conſequitur, vt delicta omnia ſua cognoſcat, qui teſtatur ſe pro cunctis quæ antehac commiſit quadantenus dolere. Sed neque iuſtificat ſeipſum, qui ſe dicit valde pœnitere, quòd in Deum optimum & clementiſſimum aliquoties deliquerit. Sed demum, neque ex ijs omnino probatus eſt, niſi dignam habuerit contritionem, id quod nemo de ſe dicere audebit. Quamobrem niſi contritum (vt diximus) pro dignè pœnitente accipias, inaniter has ſcripturas produxeris. Cæterùm de tali pœnitudine, nempe quæ digna ſit, & quæ ſufficiat, Sacerdos (vt diximus) non exquirit. Examinat tantùm, an verè doleat confitens, non autem an ſufficienter doleat. Quamobrem hæ ſcripturæ nihil omnino faciunt ad articulum.

LVTH. *Nunc autem in miſericordia Dei ſitum eſt, quæ contritionem propter Fidem acceptat, ignoſcens vbi non ſatis fuerit. Sic enim Fides faciet vt contritio, quæ de ſe nulla eſt ſatis, ne contritio quidem pro contritione reputetur. Non enim contritio, ſed Fides reputatur ad iuſtitiam. Romanorum 4.*

EPISC. Non te ſatis intelligo, niſi rem apertiùs dixeris. Nam ſi de Fide formata loquaris, iam ipſa tibi non eſt abſque contritione. An iam oblitus es, quid articulo 12. tam aſſeueranter enuntiaueras? *Hic ſibi incõſtans Luther.* nempe Fidem ſine contritione eſſe non poſſe. Et hoc ex prioribus dictis tuis, tum aſſerebas fuiſſe monſtratum, nempe quòd nec ipſa, neque contritio quicquam valet, abſque gratia & charitate. Quomodo igitur polliceris ei qui nondum habeat gratiam, quòd Fides eius efficiet, vt contritio, quæ nulla eſt, pro contritione reputetur? Quomodo inquam iſtud auſis polliceri, niſi per Sacramentum abſolutionis exiſtimes infallibiliter præſtari gratiam? Cum tua ſententia, nec Fides informis, neque contritio, poſſet gratiam exhibere.

LVTH. *At iſti ſeductores data opera volunt nos ſuper noſtrum opus ædificare, & ad mendacium cogere.*

EPISC. Bona verba quæſo. Nam hæc nomenclatura potiùs in te competit. Si ſeductores iſti fuerint, ſpiritus haud dubiè ſanctus (cuius adminiſtrationi, totius Eccleſiæ functio creditur) ſeductor erit. Nam hæc totius Eccleſiæ orthodoxæ communis doctrina eſt, nimirum vt confeſſurus cum aliquo dolore veniat ad ſuſcipiendam abſolutionem, & quòd Sacerdos illum audiens, ſi non alijs indicijs conſtiterit, ab eo ſciſcitetur, an doleat, non (quemadmodum tu ais) an ſufficienter conteratur. Nec iubet Eccleſia, vt quiſquam ſoli dolori confidat, aut ſuper opus ſuum (vt tu ais) ædificet, ſed ſuper abſolutionis Sacramentum, vbi ſe congruè præparauerit cum dolore, & Fide, ſimulque Sacerdotis admiſerit abſolutionem, tum ſe confidere poſſet, in ſtatu ſalutis eſſe conſtitutum. In qua ſanè doctrina, nec dolum, aut mendacium eſſe conuinces vnquam.

LVTH. *Cum enim nemo ſua peccata agnoſcat, quomodo poteſt ſeſe vere contritum aſſerere?*

EPIS. *De ignorantia peccatorũ.* Ignoratio peccatorum nihil obſtat, quò minùs quiſquam verè conteri poſſet, niſi velis cauillum ex vocabulo quærere. Neque enim dubito, quin Maria Magdalena vere contrita fuerat, quam ſi Chriſtus interrogaſſet, an vere fuiſſet contrita, potuit reſpondiſſe, ſe verè contritam eſſe, vereque doluiſſe pro peccatis. Nec tamen eſt credibile, quòd ſingula peccata (quæ priùs in tot vanitatibus ſuis admiſit) integrè venerint in eius memoriam. Sed omittamus hanc, quæ ſingulare pœnitudinis exemplar fuerat: de communibus loquamur peccatoribus. Num aliquot ex ijs opinaris, ad Sacramentum abſolutionis accedere, cum vero dolore? Num eos vſqueadeo ſtupidos arbitraris, vt non ſentiant, an verè & non fictè doleant? Quòd ſi conſcientia fuerit eis iudex, quòd verè doleant, cur (te quæſo) reſpondere non licet, ſe verè dolere? Quid huic rei peccatorum obſiſtit ignoratio? cum pro cunctis dolere poſſent, tam ignoratis, quam cognitis. Nam qui damni perpendit immenſitatem, quod ex peccato conquiſiuit, is odiet facilè peccatum, & deteſtabitur, tam in alijs, quam in ſeipſo: neque minùs id quod occultum eſt, quàm quod eſt agnitum.

LVTH. *Immo cum primo articulo dictum ſit, omnes ſanctos adhuc in carne peccare, & peccato ſeruire, tutius fuerit cum Dauid dicere: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo domine: & confiteri ſe non eſſe dignè contritum, ac pro hoc ipſo gemere, quòd reſiſtente ſibi lege peccatum in membris conteri dignè non poſſit, vt ad miſericordiæ promiſsionem per fidem confugiat, & hac ipſa Fide impetret, quod contritione impetrare non poteſt.*

EPISC. *Aliud eſt verè dolere, aliud dignè dolere.* Iam mutaſti voculam, quod nimirum inter omnes qui ritè diſceptant, haud parui momenti putandum eſt. Plurimũ enim intereſt inter has duas voculas, verè & dignè. Poteſt enim quis verè dolere, qui non adhuc dignè doleat. Nam verè doluit Eſau qui cum lacrymis, Dei miſericordiam implorabat. Sed idem ſi dignè doluiſſet, non fuiſſet paſſus repulſam. Colligis etiam ex articulo primo, ſanctos omnes adhuc in carne peccare, & peccato ſeruire: quod ſi propter fomitem intelligas, iam antè ſatis oſtendimus, fomitem

 non

non eſſe peccatum. Subdis item tutius eſſe vt quis confiteatur ſe non eſſe dignè contritum, quod nemo quidem negat. Cæterùm iſtud debuiſti potius oſtendere, nempe, quòd nemini fatendum eſt, ſe vere dolere quod ſtatim ab omnibus exibilaretur. Adijcis, & neminem poſſe dignè conteri, propter legem peccati, quæ reſiſtit in membris. Quod ſi verum ſit, nemo fuit vnquam dignè contritus, à quo nimirum ipſe longe diſſentio. Nam ad hunc modum fruſtra Chriſtus in hunc mundum veniſſet, qui propterea venit, vt mederetur contritis corde. Fruſtrà
Pſal. 50. Dauid dixiſſet: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. FruſtràDaniel oraſſet, quatenus animo contrito & humiliato ſuſciperetur.
Dan. 3. Sed neque publicanus ille, qui iuſtificatus deſcenderat in domum ſuam, neque latro cui paradiſus erat promiſſus, nec Paulus ipſe, nec Magdalena, nec ſanctorum alius quiſpiam, fuiſſet dignè contritus, cum hac peccati lege caruerit nemo.

LVTH. *Igitur Fidem potiùs ſacerdos exigat, & hanc aſſerat pænitens dicendo: Ego credo.*

EPISC. Sed de hac non minùs facilè mentietur, quàm de contritione ſua, niſi Fidem aliter hìc accipias, quàm alibi ſoles. Nam ſi de formata Fide loquaris, quis poteſt affirmare, formatam ſe habere Fidem? cum eiuſmodi Fides non minùs ignorata ſit, quàm vera contritio. Sed & tua ſententia (quemadmodum ſuprà recenſuimus) hæc Fides nunquã eſt ſine contritione. Sic enim paulò ſuperiùs aſſeris, Fides non eſt ſine gratia, nec gratia venit in animam abſq; magna animi concuſſione. Sin intelligas de informi Fide, aut tibi non conſtas, aut hæc gratiæ tam expers eſt, atq; dolor eſt contritionis.

Nemo affirmare poteſt, ſe habere Fidem formatã.

LVTH. *Fidem autem certiſſimè ſentire poteſt in corde ſi eam habet, vt Auguſtinus dicit.*

EPISC. Auguſtinus de trinitate libro decimotertio, Fidem, inquit, ipſam, quam videt quiſque in corde ſuo, ſi credit: vel non eſſe, ſi non credit. Quæ verba nequeũt intelligi de Fide infuſa, quæ certè nihilo magis ab humana mente pro hoc ſtatu conſpicabilis eſt, quàm gratia. Sed de actu Fidei, quem quis experitur in ſeipſo, per aſſenſum mentis, ſi Fidem habeat, & rurſum non experitur, ſi careat Fide. Atque ita quiſque, quantumuis grauiſſimus peccator ſcire poteſt, ſe Fidem habere, modò credendus conſentiat. Sed quid hoc ad Fidem charitate formatã? quæ certè videri non poteſt, tametſi conijci poteſt, vel adeſſe vel non adeſſe. Coniectari quis poteſt hanc ſibi Fidem adeſſe, verùm (quod affuerit) certò ſcire non poteſt.

LVTH. *Et Paulus 2. Cor. Vltimo. Vos metipſos tentate ſi eſtis in Fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis vos metipſos? quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi forte reprobi ſitis.*

EPISC. Hac arte ſoles ad tuum ſenſum ſcripturas extorquere ſemper. Sed audi quem in modum Hieronym. hunc locum interpretetur: Si in Fide eſtis, inquit, date ſententiam in peccantem, & videte, ſi non ſtatim cum verbo veſtro vindicta procedat. Sic Hieron. Paulum intelligit, vt ija verbis hortaretur Corinthios experimentum ſumere de effectu ſuæ Fidei. Propter quod & cum adijcit Paulus: An non cognoſcitis vos metipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi ſitis: Subdit Hieronymus: Dei virtus in vobis eſt, ſi tamẽ vos minime reprobauit, hoc eſt (quẽadmodum Eraſmus doctè explicuit) Niſi fortè Fide vtcunque incolumi, vita impura, meruiſtis à Chriſto reijci. Nihil ergò facit is locus, pro tua ſententia, ſi velis ex eo ſtatuere, quòd Fides formata, ſentiri queat in corde. Nam forma Fidei deperire poteſt, ipſa Fide manente informi.

Ecce ſcriptura docet Fidem ſentiri, & tamen negat omnia peccata intelligi ac per hoc Fidei tutiùs, quàm contritioni innitendum eſt. LVTH.

Non hoc docet ſcriptura, quòd Fides ſentiri poteſt, ſed quòd per effectum exteriorem, quiuis virtutem & efficaciam Fidei, poſſet experiri. Neque negauerim, quin ſcire quiſquam in ſeipſo poteſt, an Fidem habeat eam, quæ trium virtutum theologicarum prima eſt, nempe per aſſenſum animi in ea quæ credenda ſunt. Poteſt enim facilè diſcernere, nũ eis credendis aſſentiat, nec ne? Verùm hanc (ſi charitas abſuerit) negat Lutherus, iuſtificare quenquam poſſe. Quamobrẽ cum in calce tandem colligit, Fidei tutiùs innitendum eſſe, quàm contritioni, palàm eſt, quòd ſi de informi Fide, contritioneque mortua loquatur, neutri ſecundum doctrinam eius quiſquam inniti debet. Dilucidum igitur cuiuis eſſe poterit, quàm inuolutè, quamque inconſtanter Lutherus vbique de Fide, contritioneque loquatur. Et contrà, quàm apertè & quàm æquabiliter Eccleſia de vtraque prædicat, quæ vbique docet, peccatorem ad gratiam præparari poſſe Fide pariter & dolore: quam & pollicetur eundem conſequuturum, modò rite Sacramentum abſolutionis acceperis. Sed iſta pro articuli confutatione ſufficiunt. EPISC.

Lutheri inconſtantia.

ARTICVLVS XV.

MAgnus error eſt eorum, qui ad Sacramentum Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quòd ſint confeſſi, quòd non ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas & præparatoria, omnes illi iudicium ſibi manducant & bibunt. Sed ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſequuturos, hæc ſola Fides facit eos puros & dignos. LVTH.

De eucharistiæ ſuſceptione.

Hic aut tu vehementer erras, aut omnes qui tot retrò ſæculis præceſſerunt Patres Orthodoxi, niſi fortè nos fallas in vocabulo Fidei. Nam ſi de formata Fide velis articulum hunc intelligi, nemo, quantum ad poſtremam eius partem attinet, ubi reclamabit. Nam qui talem habuerit Fidem, is confeſſione non indiget, ſed iam gratiam habet, & animo concuſſus eſt atque contritus, ac demum idoneus, qui ſacramenti fiat huius particeps. Verùm ſi de informi loquaris Fide, tot habes aduerſarios, quot ſunt orthodoxi ſcripturæ ſacræ interpretes. Nam hi profectò cuncti, volunt aliam animi præparationem fieri: quò quis dignè recipiat hoc Sacramentum, quàm ſola Fide informi. Quo- EPISC.

cum

rum teſtimonia, ſi quis deſideret, ne iam lectorē moremur, haud multò pòſt ſubijciemus. Interea ſcripturis oſtendere moliemur, nō ſola Fide, puros, dignosq; reddi peccatores ad huius Sacramenti ſuſceptionē, niſi pariter ſuas examinarint & præparatint conſcientias. In qua re, mirum in modū euangelium cum Pauli traditione conuenit. Chriſtus enim in euangelio, priuſquā hoc Sacramentum ſuis Apoſtolis exhibuiſſet, lauit eorū pedes: quo facto, palàm indicauit purgandos eſſe priùs animorū affectus, quàm peccatores ad hoc tam eximium accederent Sacramentū. Cur enim alioqui iam pedes eorū lauit, quos paſſus eſt (vt alibi teſtatur euangelium) illotis manibus eſcas communes accipere? Deinde ſuum corpus & ſanguinem eis porrigens, iuſſit, vt quoties eſſent hæc facturi, memoriam agerent ſuæ tam ingentis in eos charitatis. Tertiò meminit euangelium, quemadmodum Iudas, qui Sacramentum hoc haud ſyncero puroque ſumpſerat affectu, paulò pòſt mala morte finiuit vitam. Ecce vides hic tria. Primum, ipſam animi præparationem, per lotionem pedum indicatam, quæ fieri debet ante Sacramenti ſuſceptionem. Secundum, memoriam benignitatis Chriſti, quæ exercenda eſt in ipſa ſumptione. Tertium, intelligis periculum ipſum, quod indignè ſuſcipientem comitatur. Quæ tria Paulus docturus Corinthios (quibus modis ex hoc Sacramento fructum aliquem reportarent) diligentiùs admonet. Primum quid facturi ſint, anteaquam ad hoc Sacramentū acceſſerint. Deinde quid inter percipiendum meditabantur. Et demùm, quæ pericula manēt eos qui neglectis ijs, præſumunt accedere. Nec de Fide promiſſionis vllā facit mentionem. Quod profectò non tacuiſſet, ſi per ſe ſola ſuffeciſſet Fides. Sed quemadmodum hæc tria præcepit, iam diſquiramus. Primum dicit: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Ecce pedum lotionem, hoc eſt, affectuum purgationem. Neque enim licet cuiquam hoc Sacramentum percipere, niſi priùs examinārit ſeipſum, & conſcientiam excuſſerit ſuam. Niſi enim aliquantam ad animum ſuum expurgandum ante fecerit diligentiam, indigniſſimus eſt, qui ad tantum accedat Sacramentum. Neq; tamen hoc dico, quòd quiſquam eo dignus fieri poſſet, nec ille, qui ſupremus eſt in ordine ſeraphico, ſed quòd iam maiori poſſet accedere confidentia, non munditiæ tamen propriæ, ſed eius, quam per Dei gratiam (cui comparandæ ſtuduit) iam à Deo ſe credit conſequutum. Erit autem benè ſibi conſcius alienius diligentiæ factæ, quiſquis eum lacrymis, & intimo cordis gemitu, confeſſus gratiam abſolutionis acceperit, qua nimirum à prioribus delictis expurgatur animus, quaque magìs ad hanc ſacram communionem idoneus redditur. Quiſquis autem non ita ſeipſum explorārit, Paulo proculdubiò videtur indignè percipere. Nam protinus adiecit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Sed & reum item eundem facit corporis ac ſanguinis Domini, nimirum adin-

Ioan. 13. Lotio pedū. Animi præparatio. Mat 7. Luca. 22. Mat. 27.

Memoria Chriſti cum Paulinis literis concordantia.

ſtar Iudæ, qui ſumpſerat pridem indignè. Neq; enim iſtud adiecit Paulus, niſi vt temeritatem eius taxaret, qui cum non excuſſerit ſeipſum, ſed Chriſti traditionem animo meditans; corpus tamen dominicum edere præſumpſerit. Indignè igitur iuxta Paulum, ad condemnationem ſuam edit, quiſquis non antè ſuam conſcientiam explorārit. Ex quo conſequitur, vt quò diligentiùs quiſquam hoc fecerit, tantò poſſet accedere cōfidentiùs. Neque tamen ita, vt quiſquam ſe dignum putet, vel ſi Seraphin eſſet, vt ante diximus; ſed quòd ab indignitate ſit iā factus longè remotior, quàm qui nihil horum fecerit. Liquet igitur ex ijs, non ſolam Fidem informem ſufficere, vt quis ad huius Sacramenti ſuſceptionem dignus euadat, ſed animum item oporter purgare & præparare, quò magìs tantò Sacramento ſuſcipiendo reddatur idoneus. Sed iam videamus quid acceſſuris, in ipſa perceptione Paulus præceperit faciendum? nimirum vt dominicæ paſſionis, & mortis agerent memoriam. Quotieſcunque, inquit, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Et cur hoc, niſi vt tam eximio beneficio, gratiam aliquam rependamus, & vt non facilè veniat nobis in obliuionem, quanto ſumus a veteribus delictis precio redempti. Quibus vtique verbis, Paulus Corinthios admonet quatenus referendæ gratiæ (vt pios filios decet, quam expectandæ (quod magìs ad mercenarios pertinet) ſtudioſiores eſſemus. Sed nihil adhuc de Fide cuiuslibet promiſſionis, ne verbō quidem fecit. Tertio demum loco, memorat, quod periculum eos manet, qui non ad hunc modum affecti, præſumunt Euchariſtiæ Sacramentum accipere Ideo inter vos, inquit, multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. His nimirum flagellis, cum Iuda corripiuntur, qui minùs dignè præſumpſerint ad hoc Sacramentum accedere. Quam ſanè correptionem affirmat eos effugere potuiſſe, ſi pridem ſeipſos dijudicaſſent, & ſuas expiaſſent conſcientias. Hæc Paulus Corinthios peculiariter admonet, tanquam omnino neceſſaria, ad tanti Sacramenti ſuſceptionem. Quamobrem cum de Fide promiſſionis, ſiue formatæ, ſeu informi, nihil præcipiat, non eſt credibile; quòd hæc ſola ſufficiat ad dignæ communionis puritatem & ad gratiam. Ad hæc, in Exodo præcipitur Aaron & filijs eius, quatenus manus ac pedes lauarent, quoties eſſent ingreſſuri tabernaculum teſtimonij, & ad altare acceſſuri thymiamatis offerendi gratia, ne fortè morianrūt. Si tanta puritas illis erat neceſſaria pro thymiamatis oblatione, nos qui nouæ legis ſacerdotes ſumus, illotis animis ad Chriſti corpus edendū accedemus? Abſit. Sed & in Leuitico iubetur, quòd ſi quis de ſemine Aaron habuerit maculam, is non offerret Deo panes, neque ad miniſteriū eius accederet. Quomodo ergo nos ſi cōmaculatas habuerimus conſcientias, panem cæleſtem, panē corporis Chriſti, & offerre & edere præſumemus? Adde quòd Centurio nō niſi mūda ſyndone Chriſtum mortuum cenſuit inuol-

Secundū.

Tertiū.

Exod. 30.

Leuit. 21.

Luca. 23.

V j   uen-

uendum. Et nos viuentem ipſum, ac glorioſum, in conſcientiâ omni laſciuia ſordidiorem, conijciemus? Hæc quis non videt, Chriſtiano cuiuis quàm ſint abominanda? Cæterùm, quoniam in ſermone de præparatione ad Euchariſtiam aſſeris Ambroſium tuæ ſententiæ ſubſcripſiſſe, idcirco quid Ambroſius ſuper hoc loco Pauli ſit commentatus, adijciam. Is enim vbi recenſuerit illud Pauli: Quicunque ederit panem hunc, aut biberit, calicem domini indignè, Domino reus erit, corporis & ſanguinis Domini: Subdit, indignum dicit eſſe Domino, qui aliter myſterium celebrat, quàm ab eo traditum eſt, hoc eſt, qui non ſe priùs probat ante perceptionem, & in ipſa perceptione meminerit mortis Chriſti, indignus eſt qui accedat. Et adijcit Ambroſ. rationem: Non enim poteſt, inquit, deuotus eſſe, qui aliter præſumit, quàm datum eſt ab auctore. Ideo præmonet D. Paulus, vt ſecundum ordinem traditum, deuota mens ſit accedentis ad Euchariſtiam Domini. Quoniam futurum eſt iudicium, vt quemadmodum accedit vnuſquiſque, reddat cauſas in die Domini Ieſu Chriſti. Quia ſine diſciplina traditionis & conuerſationis qui accedunt, rei ſunt corporis & ſanguinis Domini. Ecce, quòd qui accedunt abſque diſciplina traditionis & conuerſationis, rei ſunt, nec de Fide vlla ſit mentio. Et paulò poſt: Quem nos ſi cum diſciplina accipiamus, nõ erimus indigni corpore & ſanguine domini: gratias enim videbimur reddere redemptori. Hactenus ex Ambroſio. Sed iam tempus eſt, vt cæteros auctores in medium afferamus. Inter quos primùm audi Cyprianum Epiſcopum, neſcio an ſanctitate, an eruditione maiorem, ſer. 5. de lapſis, tuæ iſti facilitati (Luthere) prorſus reclamantem, cum ſolam Fidem aſſeris, peccatores omnes puros & dignos reddere, qui ad ſacram accedant communionem. Oportet, inquit, Dei Sacerdotem non obſequijs decipientibus fallere, ſed remedijs ſalutaribus prouidere. Imperitus eſt Medicus, qui tumeſcentes vulnerum ſinus, manu parcente contrectat, & in altis receſſibus, viſcerum virus incluſum dũ ſeruat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putredinibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & cõqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim fratres dilectiſſimi nouum genus cladis, & quaſi parum perſequutionis procella ſæuierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo, malum fallens, & blanda pernicies. Contra Euãgelij vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam, laxatur incauta communicatio. Irrita & falſa pax periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excluſa eſt, grauiſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Opperiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur. A diaboli aris reuertentes ad ſanctum Domini, ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos, adhuc penè ructantes, exhalantibus etiamnum ſcelus ſuum faucibus & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus inuadunt cum occurrat ſcriptura diuina, & clamet & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducauerit ex carne ſalutaris ſacrificij, quod eſt Domini, & immunditia eius ſuper ipſum, & peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item teſtetur & dicat: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum. Idẽ contumacibus & peruicacibus comminetur & denunciet dicens: Quicunque ederit panem aut biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius, & ſanguini eius, plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum dominum negauerunt. Ante expiata delicta, ante exhomologeſin factam criminis, ante purgatam cõſcientiam ſacrificio & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignãtis Domini & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum. Nec Eccleſiæ iungitur, qui ab Euangelio ſeparatur. Quid iniuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere iugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? hoc ſunt eiuſmodi lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſydus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod nauigijs ſæua tempeſtas. Solatium æternæ ſpei adimunt, arborem à radice ſubuertunt, ſermone morbido ad lethale contagiũ ſerpunt, nauem in ſcopulos, ne in portũ perueniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit: nec cõmunicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutẽ. Hæc Cyprianus. Et Origenes in Pſalmo 37. planè docet examinationẽ debere præcedere, priuſquã quis ad ſacram cõmunionem accedat, inquiens: Non recordaris illud quod ſcriptum eſt, quia propterea in vobis infirmi & ægri, & dormiunt multi? Quare multi infirmi? Quoniam non ſeipſos dijudicant, neque ſeipſos examinant, nec intelligunt quid eſt communicare Eccleſiæ, vel quid eſt accedere ad tanta & tam eximia Sacramenta: patiuntur hoc quod febricitantes pati ſolent, cum ſanorum cibos præſumunt, & ſibimetipſis inferentes exitium. Hæc Origenes. Et rurſum in Iob ſic ait: Hanc itaque pietatis ac religioſitatis formam nobis omnibus demonſtrans Iob, ſurgebat manè & mundabat eos, offerens pro eis hoſtiam, ſecundum numerum illorum. Primò mundabat, purificabat, ſanctificabat, & ita demũ pro eis hoſtiam offerebat, vt cunctis in perpetuũ oſtenderet, quia mundos & caſtos atque ſanctos conderent ſacrificia, vt ſanctè atq; dignè à ſanctis accipiantur. Sic namq; & Apoſtolus poſt hęc dicit: Probet ſeipsũ homo,

Leui. 17.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

1. Cor. 11. Quare multi infirmi.

Iob. 1.

hoc

hoc eſt, mundet ſeipſum, & ita de ſanctiſſimis domini ſacrificijs fruatur. Hæc Origenes. Accedit ijs Chryſoſtomus, Homilia 60. ſic dicens: Neq; enim parua pœna proponitur indignè ſumentibus. Conſidera quantũ aduerſus proditorem indignaris, contra eos qui crucifixerunt. Itaq; conſidera, ne tu quoque ſis reus corporis & ſanguinis Chriſti. Illi ſanctiſſimum corpus iugularunt, tu verò polluta ſuſcipis anima, poſt tot beneficia. Nec enim ſatis fuit, homo fieri, colaphis cædi, & iugulari: verùm & ſemetipſum nobis conmiſcet, & non Fide tantùm, verùm & ipſa re nos ſuum effecit corpus. Quo non oportet igitur eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificiò? Quo ſolari radio, non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? Os quod igne ſpiritali repletur, linguam quæ tremendo nimis ſanguine erubeſcit. Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris, quod angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde ſplendorẽ. Hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus & vna caro. Et infrà: Audiamus igitur & Sacerdotes & ſubditi, quali eſca facti ſumus digni. Audiamus & horreamus, ſanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excuſatio, cum talibus paſti, talia peccemus: cum lupi ſiamus, agnum comedentes: cum tanquam oues paſti, more leonum diripiamus? Hoc enim myſterium non à rapina tantùm, verùm & ab omni vel tenui inimicitia, purum eſſe penitùs iubet. Eſt enim pacis myſterium. Rurſum: Nullus itaque Iudas hanc menſam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter auaritiam perierunt, hoc igitur barathrum fugiamus. Neque ſatis eſſe nobis exiſtimemus ad ſalutem, ſi viduis & puſillis expilatis, aureum calicẽ & gemmatum, menſæ offeramus. Si vis enim honorare ſacrificium, offer animam, propter quam & immolatus eſt: hanc fac auream: ſi verò hæc plumbo maneat & teſta deterior, vas autem aureum quid vtilitatis? Et poſt pauca ſubdit: Neque enim aureis vaſis Deus eget, ſed aureis animabus. Hæc Chryſoſtomus. Et Vulgarius ſuper illo verbo Pauli: Probet autem ſeipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: Conſueuit Paulus cum aliqua de re ſibi tractanti, alia opportunè diſſerenda incideret, & hanc ipſam tranſigere, quemadmodum in præſentiarum cum de menſa cœptus ſit ſermo, de myſticis etiam rebus incidente ſermone & myſtica diſputat: vtpote quemadmodũ ſint neceſſaria, & bonorum omnium caput in eo conſiſtere patefecit, vt terſa & nitida conſcientia ad diuina myſteria concedatur. Inquitque: Neminem tibi in iudicem propoſuerim præter teipſum. Tua itaque conſcientia examinata diſcuſſaque, adito ea myſteria, non feſtis modò profeſtiſque diebus, ſed quouis tempore, cum purum te & dignum compereris. Hæc Vulgarius. Similiter & Caſſianus collatione 22. capite 5. ſic ait: Omni, inquit, quidem induſtria, quantùm in nobis eſt, ſtudere debemus, vt immaculatam caſtimoniæ puritatem, illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis aſſiſtere optamus altaribus: & vigilantiſſima circunſpectione præcauendum eſt, ne carnis integritas præcedente tempore cuſtodita, in ea præcipuè, in qua nos ad communionem ſalutaris conuiuij præparamus, nocte fraudetur. Verùm ſi hoſtis ille nequiſſimus, vt nobis cœleſtis remedij ſubtrahat medicinam, cuſtodiam ſopitæ mentis illuſerit: ita duntaxat, vt nullo reprehenſibili interueniente prurito, nullo contaminetur oblectationis aſſenſu, ſed egeſtionem, aut naturali neceſſitate profuſam, aut certè impugnatione diabuli, abſque ſenſu voluptatis illicitam ad impedimentum noſtræ ſanctificationis obtenderit, poſſumus & debemus ad gratiam ſalutaris cibi confidenter accedere. Sin verò noſtro vitio hæc fuerit egeſta concretio, conuenientes conſcientiam noſtram, illud apoſtolicum formidemus: Qui manducauerit panẽ & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini, id eſt, nequaquã illum cœleſtem cibum, à communium eſcarum vilitate ſecernens, nec talẽ eſſe dijudicans, quem non niſi pura liceat mente vel carne præſumere. Denique infert. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, ſpiritales ſcilicet infirmitates ac mortes ex hac ſpecialiter dicens præſumptione generari. Multi enim qui eum illicita vſurpatione præſumunt, infirmantur Fide, & imbecilli ſunt mente, paſſionum ſcilicet languoribus inuoluti, & dormiunt ſomno peccati, ab hoc ſopore lethali nequaquam ſalutari ſolicitudine reſurgentes. Deinde ſequitur: Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, hoc eſt, ſi noſmetipſos perceptione Sacramentorum, quotieſcunque peccati vulnere præuenimur, iudicaremus indignos, impenderemus vtique ſtudium, vt per pœnitudinis emendationem, ad ea dignè poſſemus accedere, & non tanquam indigni ſeueriſſimis infirmitatum flagris caſtigaremur à Domino; vt vel ſic compuncti, ad remedia noſtrorum vulnerum recurramus; ne digni præſentis ſeculi breuiſſima correptione non habiti, in futuro ſimul cum huius mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Leuitico euidenti denuntiatione præcipitur: Omnis mundus manducabit carnes, & anima quæcunque comederit de carnibus ſacrificij ſalutaris, quod eſt domini, in qua eſt immunditia, peribit coram Domino. In Deutero. quoq; à ſpiritualibus caſtris, immundus ſimiliter myſticè ſegregatur. Si fuerit, inquit, inter vos homo qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, & non reuertetur priuſquã ad veſperam abluatur aqua, & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra. Hæc Caſſianus. Sed & Leo primus in Sermone 2. paſchali, ſcribit in hunc modum: Ad exercendum (inquit) igitur dilectiſsimi charitatis bonum, quamuis

Leuit. 17.

Deut. 23.

omne

omne tempus ſit congruum, præſentes tamen dies ſpecialiùs exhortantur, vt qui paſcha Domini cupiunt cum animi & corporis ſanctifica-tione ſuſcipere, hanc gratiam maximè conentur acquirere, qua & omnium continetur ſumma virtutum, & multitudo tegitur peccatorum. Et ideo celebraturi illud eminens ſuper omnia ſacramenta, quo iniquitates noſtras Ieſu Chriſti ſanguis aboleuit, miſericordiæ primitùs hoſtias præparemus, & quod nobis bonitas Dei contulit, nos quoque eis qui in nobis peccauêre præſtemus, in obliuionem mittantur iniuriæ, ſupplicium iam neſciant culpæ, & à vindictæ metu omnes ſubditorum abſoluantur offenſæ. Neminem teneant clauſtra pœnalia, nec in cuſtodijs tenebroſis triſtes reorum gemitus perſeuerent. Si quiſquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet, peccatorem ſe eſſe non dubitet, & vt indulgentiam ipſe accipiat, gaudeat ſe inueniſſe cui parcat; vt cum ſecundû doctrinam Dei dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, non ambigamus per noſtræ orationis formam, diuinam nos obtinere clementiam. Hæc Leo. Suffragatur & Hieronymus in epiſtola ad Corinth. cap. 11. inquiens: Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè. Sicut ſcriptum eſt: Omnis mundus manducabit. Et iterum: Anima quæ manducauerit immunda exterminabitur de populo ſuo. Et ipſe Dominus ait: Si ante altare recordatus fueris, quia habet frater tuus aliquid aduerſum te, relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo. Priùs ergo perſcrutanda eſt conſcientia, ſi in nullo nos reprehendit, & ſic aut offerre, aut communicare debemus. Quidam ſanè dicunt, quia non indignum, ſed indignè accipientem reuocet à ſancto. Si ergo etiam dignus, indignè accedens retrahitur, quanto magis indignus qui non poteſt accipere dignè. Vnde oportet otioſum ceſſare à vitijs, vt ſanctum Domini corpus, ſanctè percipiat. Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Quia tanti myſterij Sacramentum pro vili deſpexerit. Probet autem ſeipſum homo, &c. Si in linteum vel vas ſordidum, non illud mittere audet, quantò magis in corde polluto, quam immunditiam Deus ſuper omnia execratur, & quæ ſola iniuria eius eſt corpori. Nam & Ioſeph ille iuſtus propterea ſyndone munda inuolutum in ſepulcro nouo corpus Domini ſepeliuit. Præfigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mentem debere habere, quàm nouam. Hæc Hieron. Addit ijs & calculum Auguſtinus in ſermone de cœna Domini, ſic inquiens: Vnde dilectiſſimi fratres, rogo & admoneo vos, vt vnuſquiſque recurrat ad teſtem idoneum, id eſt conſcientiam ſuam: & ſi ſibi aliqua vulnera inuenerit peccatorum, confugiat ad remedium lacrymarum. Pœniteat ſe feciſſe quod fecit, incipiat vigilantiſſimo corde præterita curare, præſentia vitare, futura proſpicere, & Deo auxiliante omnia mala repellere. Et infra: Acceſſuri ad altare Domini Dei noſtri, inſpicite vniuerſa latibula cordis veſtri, ne forte ſint ibi aliqua peccata, quæ nondum curata ſint eleemoſynis atque ieiunijs, & timete illud Apoſtoli: Qui manducauerit corpus Domini, & biberit ſanguinem eius indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de corpore illo edat, & de calice bibat. Nullus ex vobis contra vllum hominem odium reſeruet in corde ſuo, vt ſecuri poſſitis dicere: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Caſtitatem autem ante omnia cuſtodite, gulam refrenate, ebrietatem fugite, pauperibus (ſecundum quod vires ſuppetunt) eleemoſynas date. Hæc Auguſtinus.

Matt. 5.

LVTH. *Hic Paulus pro me ſtat, dicens: Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum.*

EPISC. Aduerte lector, quam parùm congruè Paulum hic citat, nimirum ex alio loco qui nihil ad hunc facit. Nihil refragor, poterit quiſpiam occultum aliquod in ſe peccatum habere, cuius non fuerit ſibi conſcius, quodq; iuſtificationem eius impediat. Sed quid hoc ad negotium iſtud attinet? Quid iſtud prohibet, quò minùs ij, qui multorum criminum ſibi conſcij fuerint, debeant per confeſſionem ſeipſos præparare, & magis idoneos reddere tanto Sacramēto? quo (ſi diligentiam debitā premiſerint) occulta celentur.

LVTH. *Ecce omnia reijcit, niſi Fidem ſolam, de qua dicit Romanorum tertio. Iuſtificant eum qui eſt ex Fide.*

EPISC. Satis & ſuprà quàm ſatis, huic teſtimonio reſpondimus antè. Sæpius enim admonuimus, hoc de Fide formata ſolùm intelligi debere. Sed hîc reſpondeas velim. Num is cui ſola Fides adeſt informis, ſi labe quauis mortali pollutus, pro qua nullam adhibuit diligentiam, quatenus in mentem ſibi veniret, ſed indiſcuſſus hoc Sacramentum acceperit, num acceſſit indignè? num iudicium accepit ſuum? An hunc (te precor) ſua Fides informis iuſtificabit? Haudquaquam.

LVTH. *Quare adhuc dico, ſi Fidem excludas, omnia quæ facis, deceptiones ſunt & peccata. Romanorum decimo quarto: Omne quod non eſt ex Fide, peccatum eſt.*

EPISC. Quis tam inſanus eſt, vt Fidem excludat? Sæpè teſtatus ſum, Fidem cum primis eſſe conducibilem: at ſolam Fidem, vbi deeſt gratia, nequaquam ad iuſtificationem opinor ſufficere ſed oportet eum qui non indignè velit huius communionis fieri particeps, contritionem & confeſſionem, atque id genus reliqua, præter informem Fidem aſciſcere ſibi, præſertim cum nemo abſque ijs, vel probabiliter ſecurus eſſe poſſet, ſe formatam habere Fidem. Poſtquam enim ſuam conſcientiam peccator examinauerit, & humiliter ſe ſubmiſerit abſolutionis Sacramento, iam tutus ad Euchariſtiam accedere poteſt. Quia iam ſuſcepturus iuxta doctrinam Pauli probauit & explorauit ſemetipſum, atque aliquatenus excuſſit.

LVTH. *Cum enim in Sacramento qualibet ſit verbum promiſſionis, vt ſuperius diximus, neceſſariò ſequitur, quòd non opus vllum, ſed Fides exigitur.*

EPISC. Mirum eſt, qua fronte, nouas Sacramentorum leges nobis audeas imponere, quaſi putes ingenia præſentis ætatis viſqueadeo ſtupida, vt

velînt

velint ob vnum fraterculum, & eundem errores apertiſsimos profitentem, vſitatam ab Eccleſia tam diuturnam conſuetudinem immutare. Sed agè quæſo, doce nos quòd verbum promiſsionis in hoc Sacramento ſit, cui (quemadmodū tibi placet) confidamus. Reſpondes in execrando libello tuo de Captiuitate Babylonica, ex hoc Sacramento promitti remiſsionem peccatorum. Quibus te quæſo verbis? his, vt ais: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.
1. Cor. 11. Luc. 22. Certum eſt ſimilibus verbis, Paulum & Lucam identidem ſcripſiſſe. Sed neuter eorum de promiſſa remiſsione peccatorum verbum facit. At hæc inuoluitur (inquis) in hoc verbo, teſtamentum. Et ſane quò magis inuolutum eſt, eò conuenit aptiùs inſtituto tuo. Nam hæc inuolucra tuis vbiq; ſtrophis commodiùs inſeruiunt. Potes enim ex ijs, quicquid velis effingere. Sed res hæc magis eſt ſeria Luthere, quam vt credamus tibi, niſi luce clariora produxeris teſtimonia. At inquies: Num hoc ſatis apertum eſt, quòd Paulus & Lucas tradunt dixiſſe Chriſtum, hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine? Fortaſsis ita, ſi vel alter eorum hoc dixiſſet. Sed neuter horum ita dixit. Deeſt enim vtrique verbum, eſt. Neque enim affirmant calicem eſſe teſtamentum nouum. Sed intelligi volunt calicē eſſe, noui teſtamenti, vel repræſentatiuum, vel confirmatiuum, perinde ac ſi dixiſſent: Hic calix confirmat teſtamentum nouum, per ſanguinem meum.
Calix noui teſt. Nam quemadmodum Moſes veterem legem firmaturus, manu craterem tenebat, in qua ſanguis erat pecudum: ſic iam Chriſtus nouam legem confirmaturus, craterem oſtendit in qua fuit proprius ſanguis, pro ſalute peccatorum fundendus.
Mat. 26. Propter quod & Matthæus ita ſcripſit: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.
Mar. 14. Marcus ita: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamēti, qui pro multis effundetur. Neuter horum dicit ſanguinem eſſe nouum teſtamentum, ſed noui teſtamenti, hoc eſt, quo nouum teſtamentū ratum habebatur: quemadmodum vetus olim per ſanguinem pecudum approbatum fuit. Neque aliter ſentiunt Paulus & Lucas, cum dicunt: Hic calix nouum teſtamentum in meo ſanguine. Neque enim aſſerunt calicem aut ſanguinem eſſe nouum teſtamentum, ſed calicem illum per Chriſti ſanguinem, eſſe noui teſtamenti ratificatiuum. Neque enim calix ille (quem tum ſuis manibus tenebat Chriſtus) teſtamentum nouum dici potuit, cum ille iam neſciatur vbi ſit: at nouum adhuc manere teſtamentum, nihil dubitamus. Non eſt igitur
Miſſa non eſt teſtamentum Chriſti. (vt fingis) Miſſa teſtamentum Chriſti. Neque potes iſtud ex illis verbis vllo pacto colligere, niſi prorſus à Miſſa velis excludere corporis Sacramentum, vt mox dicemus. Nam illis verbis ſoli calici teſtamentum iſtud tribuitur, vtpote quod ſanguine Chriſti fuerat ſtabilitum. Sunt igitur hæc tua commenta merę nugæ, de vafro tuo cerebro confictę, quas nemo doctus approbare poteſt, præſertim in re tanta, & omnium auguſtiſsima. His accedit, quòd nouum teſtamentum vnum eſt, quod & Paulus ad Hebræos ex Hieremiæ teſtimonio, vocat legem cordibus inſcriptam noſtris. Sic enim ad Hebræos de nouo teſtamento loquitur, cap. 8. Hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus dabo leges meas in mentem eorum, & in corda eorum ſuperſcribam eas. Legem, ijs verbis haud dubie nouam intelligit, quæ ſpiritu ſancto cordibus noſtris inſcribitur, & quæ nouum dicitur teſtamentum. Vox enim Berith (quæ hic in Hieremia legitur) pactum, Berith.
fœdus, teſtamentum, ſeu legem apud Hebræos ſignificat. Et hoc teſtamentum Chriſti morte (vt diximus) confirmatum eſt. Sicut enim lex vetus ſanguine pecudum ſtabiliebatur ad tempus: ita lex noua, per Chriſti mortem, & ſanguinem, in teſtamentum æternum confirmatur. Quamobrem cum Paulo non ſunt duo teſtamenta noua, calix ille non fuit teſtamentum nouum, ſed magis noui teſtamenti, vel confirmatiuus, vel repræſentatiuus, per ſanguinem Chriſti. Ad hæc, quid ad miſſam attinet corporis conſecratio, ſi calicis nomine teſtamentum nouum (quod tibi miſſa eſt) continetur? Nam ſi ex calice pendeat totius miſſæ fructus, qui (vt tibi places) remiſsio peccatorum eſt, cum ipſe calix teſtamentum dicatur nouum, ſuperuacaneum illic erit, corporis aliquam fieri conſecrationem. Atque ita miſſam adhuc redigemus in formam aliquandò breuiorem, quatenus & ferarum venatoribus multò fiat commodior. Nam hi nihil oderunt magis, cùm ſint venatum profecturi, quàm prolixa detineri miſſa. Tu ſatis breuem reddideras, cum Epiſtolam & Euangelium ac cætera id genus amputaſti, nihil præter Pauli verba nobis relinquens. At nunc ſi reſecueris omnia penitùs, præter ſanguinis conſecrationem, vix poteſt in breuius compendium redigi. Huc accedit, quòd baptiſmatis Sacramentum ad alterum teſtamentum pertinere neceſſe eſt, & cum ad vetus non pertineat, oportet vt adiungatur nouo. At ipſum nulla miſſę portio dici poteſt. Quamobrem nec ipſa miſſa nouum integrat teſtamentum. Porrò quod de promiſsione remiſsionis peccatorū introducis, non aliunde, quàm ex Matthęo & Marco licebit accipere. At hi non aliud teſtantur, quàm quòd Chriſtus dixit, fundendum eſſe ſanguinem ſuum pro multis in remiſsionem peccatorum. Quæ verba tibi nullo pacto licebit ad tuum inſtitutum torquere, niſi quatenus miſſa ſacrificium intelligitur, id quod ipſe negas. Quo enim modo colliges eos, qui bibituri ſunt hunc ſanguinem in miſſa, remiſſionem peccatorum accepturos? Aut quibus verbis, hanc nobis aſtrues pollicitationem eſſe factam? Non ijs profectò: Hic eſt enim calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorū. Hic certè remiſſio peccatorum non ob ſumptionem, ſed ob effuſionem in cruce fiendam promittitur. Nam effuſionis merito, plurimi qui nunquam eum ſanguinem potauerunt, peccatorum aſſe-

cuti

quanti ſunt remiſſionem. Et præſertim infantes, qui protinus hinc migrârunt, ſuſcepto baptiſmate. Sed ob id ſperare debemus ex miſſa remiſſionem peccatorum, quòd hic denuo pro nobis Deo patri, ſanguis idem offertur, qui fuit olim in cruce pro nobis fuſus & oblatus. Adde; quòd nihil opus eſt, miſſam remittendorum peccatorum Sacramentum effingere, cum eiuſmodi Sacramenta duo iam habeamus. Alterum quidem Baptiſmi quod remittit originale: Alterum verò pœnitentiæ, quod ſimiliter actuale peccatum remittit. Quid eſt ergo neceſſe tertium adijcere, præſertim ijs, qui nuper acceperunt abſolutionis gratiam? Nunquid non ipſe iubes abſolutis vt omnino ſe credant abſolutos, vt ſicut credunt, ſic eis futurum pollicetis? Quid ergo poſt abſolutionem, ad Euchariſtiam accedimus, ſi præter peccatorum remiſſionem, cuius iam potiti ſumus, nihil aliud conſequemur. Dilucidum igitur eſt, quòd alterius cuiuſpiam rei quàm remiſſionis peccatorum, Euchariſtia Sacramentum erit. Denique, te precor, qualis iſta conſequutio eſt: In omni Sacramento verbum aliquid promiſſionis eſt, ergo non opus vllum, ſed ſola Fides exigitur. Num interdum promiſſio non fit propter opus? An non propter eleemoſynæ opus promittitur animi purgatio? & propter orationem, exauditio? & demum ob fraternæ iniuriæ condonationem peccatorum omnium remiſſio? Credas quantumlibet velis, ſi non iſta feceris, promiſsionis effectum aſſequêris nunquam. Nõ oportet igitur, vt vbicunque fuerit promiſsionis verbum, illic ſola ſufficiat fides, cum in his omnibus niſi opereris, nullum omnino fructum reportabis ex Fide. Sed & tuapte ratione multò plura iam haberemus ſacramenta, modò promiſſionis verbum & Fides ſacramentum conſtituant. An non ex oratione dominica nobis promittitur peccatorum remiſſio? Huic ergo ſi dicendæ Fidem habuerimus, iam Sacramentum erit remiſſionis peccatorum. Adde, quòd pro eleemoſyna quoque tantundẽ eſt promiſſum, ſed & pro remiſſa fratri iniuria, Remittite, & remittetur vobis. Cuius igitur horum, ſi Fides acceſſerit, iam Sacramentum efficitur, & Sacramentum remiſſionis peccatorum, iuxta rationem quam tu Sacramentis præſcribis. At dices in his deeſſe ſenſibile ſignum: haudquaquam. Num qui remittit fratri, non certis indicijs & ſignis apertis id facit? & qui porrigit eleemoſynam, an non id quod largitur pauperi, ſignum eſt ſenſibile? & an oratione dicenda, vel motus labiorum, vel manuum eleuatio, ſignum ſenſibile eſt? Palam eſt igitur, ſi tui capitis ſomnia ſequamur, multò plura nobis adhuc erunt Sacramenta. Lucæ 6.

LVTH. *Quanquam verum ſit Fidem non eſſe poſſe ſine ſequentibus operibus.*

EPISC. Satis autem monſtrauimus, ſi quid poteſt eſſe ſatis, ingentem animi præparationem præter Fidem ijs (qui Sacramentum Euchariſtiæ ſumpturi ſunt) eſſe neceſſariam, vt ex illis conſtare poſſit, non ſolam Fidem exigi, ſed quòd opera quoque præter Fidem oporteat exhibere.

Tot enim auctoribus, huic rei conſentientibus, par eſt vt Fidem adhibeamus potiùs quàm Luthero.

Verum impij illi nos operibus tum ante Fidem, tum ſine Fide magnificatis, perdere volunt: hos tu lupos denota. LVTH.

Dici non facile poteſt, vtri maiorem populo Chriſtiano perniciem & exitium ſint allaturi. EPISC. Num qui Fidem ſolam extollunt? an qui ſola magnifaciunt opera? Multi ſe Fidem habere non dubitant, ſed ad opera ſegnes pro maxima parte reperiuntur. Tutiſsimum igitur erit, vt quis ita laudet opera, ne Fidei deroget: & viciſsim ita Fidem extollat, vt nihil detrahat operibus. Quiſquis aliter docet, is profectò lupus eſt, & exitium animarum. Et certè ſi quis alius ouili Chriſti lupum exhibeat ſeſe, tu cum primis vnus es, qui miſſam negas, aut ſacrificium, aut opus bonum eſſe, atque ob id ſolùm, ne tuus error, quo ſtatuis nullum opus conferre poſſe gratiam, ex eo palàm conuincatur. Neque enim tibi curæ eſt, quam iacturam ouibus Chriſti faceſſas, modò tua poſſet hæreſis conſtitui. Nec veteris omnium orthodoxorum Patrum in hac re teſtimonia contemnere, nihil aliud pro tua ſententia afferens, quàm quòd miſſa ſit teſtamentum, id quòd nunquam comprobabis. Nobis vnum teſtamentum nouum eſt, quod eſt Euangelium Chriſti, morte ſua confirmatum. Quam ſanè mortem & paſsionem, myſteria miſſæ repræſentant. Et ſicut Chriſtus in cruce ſeipſum obtulit Deo patri hoſtiam in odorem ſuauitatis, ſic Sacerdos in Miſſa Chriſtum offert, corpus videlicet & ſanguinem Chriſti, hoſtiam & ſacrificium pro peccatis, id quod omnes orthodoxi patres affirmant vnanimiter. *Nouũ teſtamentum eſt Euangelium morte Chriſti confirmatum.* Quorum aſtipulationes, ſi quis fortè requirat, ſubiungam. Cyprianus occurrit primùm in hunc modum ſcribens. Vt ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem, benedictio circa Abraham poſsit ritè celebrari, præcedit antè imago ſacrificij in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Ecce palàm hic Cyprianus affirmat ſacrificium eſſe. Et continenter ſequitur. Sed & per Salomonem Spiritus ſanctus, typum Dominici ſacrificij præmonſtrat, immolatæ hoſtiæ panis & vini, ſed & altaris, & Apoſtolorũ faciens mentionem. Sapientia (inquit) ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem, mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit menſam ſuam, & miſit ſeruos ſuos conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem dicens: Qui eſt inſipiens declinet ad me, & indigentibus ſenſu dixit: Venite & edite de meis panibus & bibite vinum quod miſcui vobis. Hæc Cyprianus ad Cæcilium libro 2. Epiſt. 3. Accedit huic Chryſoſt. homilia 83. ſuper Euangelio Matthæi in hunc modum: Sicut in veteri lege, eodem hic modo, in beneficio reliquit memoriam myſteriorum colligendo, & huic hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, vnde pater immolatum Chriſtum fuiſſe, & alia multa myſte- Prou. 9.

ria:

ria: hæc enim afferentes ora ipſorum conſuimus. Si enim mortuus Ieſus non eſt, cuius (quæſo) ſymbolum, ac ſignum hoc ſacrificium eſt? Vides quantum ei ſtudium fuerit, vt ſemper memoriâ teneamus pro nobis ipſum mortuum fuiſſe. Nã quoniam Marcio, Valentinus, Manichæus, eorumq; ſequaces, negaturi erant hanc diſpenſationem in memoriã paſſionis, per hoc ſemper ita reducit myſterium, vt nemo non inſanus ſeduci poſſit. Ita per ſacratiſſimam iſtam menſam, & ſaluat & docet: hoc enim caput omnium bonorum eſt. Hæc Chryſoſt. Aſtipulatur his Aug. de ciuitate Dei, lib. 10. cap. 20. ſic tradens: Vnde verus ille mediator, inquantum formam ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei & hominũ, homo Chriſtus Ieſus, cum in forma Dei ſacrificium cum patre ſumat, cum quo & vnus eſt Deus, tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe quàm ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrificandũ eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſię ſacrificium, cùm ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tam ipſa per ſuum, quàm ipſa per ipſam ſuetus offerri. Huius veri ſacrificij multiplicia variaq; ſigna erant, ſacrificia priſca ſanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſtidio multum commendaretur, huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt. Hæc Aug. Sed quid auctores memorem, cum ad

Hebr. 5. Hebræos Paulus hanc rem ſatìs dilucidam faciat: Omnis, inquit, pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Et quæ (te quæſo) dona, aut ſacrificia potiora ſunt, quæ ſacerdos offerat, quàm corporis & ſanguinis Chriſti. Propter quod & ex antiquiſſima Patrum inſtitutione in miſſa legitur: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia.

LVTH. *Crede primùm verbis Sacramenti, & hac Fide purificatus, tum ſi libet præpara, ora, & fac quæ voles.*

EPISC. Aduerte quid inſſeris, Iubes vt credam. Qua (te quæſo) Fide? Sacramenti verbis iam credo. At iſtud per te non eſt ſatìs, niſi formatam habuero Fidem. Doceas igitur Luthere, quanam ratione Fidem iſtam mihi comparabo. Credo quod iubes, ſed nondum ea Fide qua iubes. Dic igitur, an iſta credulitas mihi ſola ſufficiat, vt corporis & ſanguinis Chriſti myſteria contingam? Hoc peruelim explicares nobis. Nam ſi dixeris eam credulitatem ſufficere, iam cunctis orthodoxis patribus repugnabis. Sin dixeris opus eſſe formata Fide, iam alterum horum neceſſum eſt ſequatur, aut quòd aliquam animo præparationem exhibeamus ipſi, aut quòd in peccato manendum eſt, donec aſpirauerit Deus: neque peccato diutiùs erit reluctandum.

LVTH. *Oportet enim accedentem ad Deum credere, & ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Hebræorum. 11. Et poſtulet in Fide nihil hæſitans: Iacobi primo.*

EPISC. Sed & hoc reſponde, cum recenſes illud Iacobi: Poſtulet in Fide nihil hæſitans. Num qui ſeſe carere gratia putat, num debeat etiam in Fide poſtulare nihil hæſitans? Et num ea poſtulatio nihil omnino promoueat peccatorem ad gratiã conſequendam? Hęc ſi negaueris, vide quò reijcias miſeros peccatores. Sin conceſſeris, non potes tergiuerſari, quin operibus nonnihil animus præparetur, ad gratiæ conſecutionem. Sed inquies, non poteſt tam vehemens in aliquo Fides eſſe, quippe quæ nihil hęſitet, niſi gratiam habuerit comitem. Hæc verba duplicem nobis ſenſum pariunt. Alterum quòd non poſſet adeſſe tanta Fides cuiquam, niſi ſimul affuerit gratia. At hoc falſum eſt. Nam conſtat tantam eſſe poſſe vbi gratia defuerit. Is enim (quia ſua Fide poſſet montes loco dimouere) nihil hæſitat, & tamẽ idem carere poteſt gratia. Sed alium adhuc ipſa verba ſenſum habent, hunc nimirum, quòd is cui tanta Fides affulſerit, vt nihil hæſitans credat ſe gratiam à Deo conſecuturum, mox gratiam impetrabit. At hoc ipſum eſt quod cupimus, nimirũ, quòd opus aliquod animi carentis gratia, conducere poſſet ad gratiam. Quis enim negare

Opera Fidei. poteſt, credere eſſe opus: cum dicat Chriſtus, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum. Et hęc omnia de quibus præſens articulus memorat, operá ſunt Fidei, nempe conſcientię diligens examinatio, & peccatorum confeſſio, precationesque mentem ad Deum eleuantes, & cætera id genus præparatoria, quę cuncta fieri poſſunt ab habente Fidem informem. Et ea nimirum omnia iuuant ad puritatem, & ad animi quandam idoneitatem, qua poſſet aptiùs gratiam à Deo coſequi, & quemadmodum iſta ſine Fide non ſufficiunt, ita nec ſine his ſufficit ſola fides. Sed de hoc articulo iam ſatìs.

ARTICVLVS XVI.

LVTH. *Conſultum videtur, quòd Eccleſia in communi Concilio ſtatueret, laicos ſub vtraque ſpecie communicandos, nec Boemi ſub vtraque ſpecie communicantes ſunt hæretici & ſchiſmatici.*

EPISC. Duas partes complectitur is articulus, alteram: Conſultum tibi videri, quòd Eccleſia in communi Concilio ſtatueret, laicos ſub vtraque ſpecie cõmunicandos. Alteram, quòd nec Boëmi ſub vtraque ſpecie communicantes ſunt hæretici & ſchiſmatici. Sed de priori priùs diſſerentes, oſtendemus Eccleſiã nihil in hac parte feciſſe, quod non licuerit, ſed neq; quod non decuerit inſtituiſſe. Et demum quòd non abſq; Sancti ſpiritus inſtinctu ſanctionem hanc, ab ea fuiſſe latam, modis omnibus credendum ſit. Quæ tria cum conſtiterint, perſpicuum erit cunctis, te proprio nimirum ingenio confiſum eſſe, qui totius Eccleſiæ tam ſalubre decretum reuocare ſtudeas. Primùm quod licuit. Si quod maius eſt, immutare potuit Eccleſia, potuit & quod minus eſt. Sed ea, Chriſti inſtitutum in re multò maioris momenti, non ambigitur mutaſſe. Nam vbi Chriſtus baptizandi formam, In nomine patris & filij & ſpiritusſancti cunctis miniſtrari iuſſit, atq; id poſtremis penè verbis, quæ ſuis Apoſto-

lis

Matt. vlt. lis eſt loquutus. Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti: Eccleſia ſuę auctoritati innixa, mutauit eám formam, & baptizari cunctos voluit, in nomine Chriſti. Reſtagari non potes, quin baptiſmi Sacramentum multò maioris neceſſitatis ſit, quàm Euchariſtia, cum nemo cœlū ingredi valeat, qui baptiſmo careat: poteſt autem qui caret Euchariſtia. Quamobrem in illo non rectè adminiſtrato, longè maius cuique diſcrimen imminet, quàm ex Euchariſtia. Quis non igitur ex hoc intelligit, Eccleſiæ licuiſſe nonnihil circa Euchariſtiæ Sacramentum diſpēſate, quæ circa baptiſmum, tantum auſa fuiſſet immutare. Nihil hic opus erit, de die ſabbato ſeruando loqui, quod tamen inter pręcepta prioris tabulę, Dei digito ſcriptum fuit: Nihil de non manducando ſuffocato & ſanguine, quod
Act. 15. tamen per Apoſtolos (vt in Actis apparet) erat decretum: & vtrunque nihilominus per Eccleſiæ ſolius auctoritatem, fuerat immutatum. Sufficiet enim abundè pro noſtra parte, quòd illud Chriſti de baptiſmo inſtitutum, quod tam apprimè neceſſarium eſt, Chriſtianis omnibus, Eccleſia non formidauit in aliam variare formam. Id quod neutiquam feciſſet, ſi non ſecura fuiſſet, id ſibi (vt faceret) licuiſſe. Dic mihi tu qui de ſcripturarum notitia tantopere gloriaris, quo loco Chriſtus hanc variationem fieri promiſit. Quod ſi non poteris, concedas Eccleſiam aliquid amplius poſſe, quàm in ſcripturis alicubi proditum fuerit. Sed iam ad ſecundum ve-
Secundum. niamus, nempè quòd decuerit Eccleſiam laicis vnam ſpeciem in miniſtrando hoc Sacramento ſubducere. Nam vt alias rationes taceam, quales in commentarijs ſuper Decretis de conſecratione diſtinct. ij. cap. Comperimus, Ioannes de Turre cremata producit, Chriſtus ipſe laicis quibuſdam, corpus ſuum ſub vna ſpecie panis præbuit, non appoſito vino, quod mox oſtendemus. Quamobrem cum huius rei exemplum primus ipſe monſtrauit, quid prohibet, quò minùs in hoc opere ſuum ducem Eccleſia confidenter imitetur. Sed agè iſtud monſtremus. Lu-
Chriſtus poſt resurrectionē Sacramentū ſub ſpecie panis tantum diſcipulis dedit, cas refert, Chriſtum duobus diſcipulis in caſtellum Emaus proficiſcentibus, ſe eomitem adiunxiſſe, quorum oculi tenebantur, ne Chriſtum agnoſcerent, donec intrans ipſe cum eis recumberet. Tunc enim guſtato pane, quem ille priùs ſuis manibus benedixit, fregitque, atque porrexit illis, aperti ſunt eorum oculi. At mox, vt cognouerunt eum, euanuit, & à conſpectibus eorum ſubduxit ſeſe. Vides hic, quòd iſti corpus Chriſti ſub vna panis acceperint ſpecie, nulla de vino mentione facta. Quæ res vt confirmatior fiat: Auguſtinus libro 3. de conſenſu Euangeliſtarum idipſum teſtatur, inquiens: Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à ſatana factum fuiſſe, ne agnoſceretur Ieſus, ſed tamen à Chriſto facta eſt permiſſio, vſque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſet agnoſci. Hęc Auguſt. Similiter & Chryſoſtomus ho-
Aliud eſt ſanctificatio, aliud ſanctificatum. milia 17. ſuper Mat. Quia de ſanctis inquit, cœpimus dicere, non eſt tacendum, quia aliud eſt ſanctificatio, aliud ſanctificatum. Sanctificatio enim eſt, quod alterum ſanctificat: ſanctificatum autem alterum ſanctificare non poteſt, quamuis ipſum ſit ſanctificatum, vtputa ſignas panem tuū quem manducas, ſicut ait Paulus. Sanctificatur enim, per verbum Dei & orationē: ſanctificaſti eum, non feciſti ſanctificationem. Quod autem ſacerdos de manu ſua dat, non ſolùm ſanctificatū eſt, ſed etiam ſanctificatio eſt: quoniam hoc ſolum non datur, quod videtur, ſed etiam illud quod intelligitur. De ſanctificato ergo pane licet animalibus iactare, & infidelibus date, quia non ſanctificat accipientem. Si autem tale eſſet, quod de manu Sacerdotis accipitur, quale eſt quod in menſa manducatur, omnes de menſa manducarent, & nemo de manu ſacerdotis acciperet, vnde & dominus non ſolùm in via benedixit panem, ſed de manu ſua dedit Cleophæ, & ſocio eius. Et Paulus nauigans non ſolùm benedixit panem, ſed de manu ſua porrexit Lucæ & cæteris diſcipulis ſuis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum eſt, nec infidelibus porrigendum, quia non ſolùm ſanctificatum, ſed etiam ſanctificatio eſt, & ſanctificat accipientem. Hæc Chryſoſtomus. Vbi liquidò conſtat Chriſtum diſcipulis Sacramentum panis non vini porrexiſſe, & Paulum item in naui nec diſſimiliter. Sed adhuc & vtroque vetuſtior Theophilus ait: Sed & aliud innuit, quòd ſcilicet ſumentibus ſacrum panem aperiuntur ocu-
Lucæ vlt. li, vt eum agnoſcant. Magnam enim & ineffabilem vim habet Domini caro. Hoc ille. Sed quid horum teſtimonijs opus eſt, cum Lucas tam apertè ſcribat, Chriſtum cum illis diſcipulis recūbentem, accepiſſe panem, ac benedixiſſe, fregiſſeque & porrexiſſe illis. Sed rogabis vnde nouerim, quòd non etiam alteram ſpeciem eis porrexerit, videlicet in forma vini. Certè vel ex eo, quòd protinus vt eis panem ſanctificatum exhi-
Mat. 26. buerit, Lucas illum ab eorum oculis tradiderit euanuiſſe. Sed vt hoc etiam ſolidiùs firmem, audi quid Mat. ſcripſerit. nempe Chriſtum apoſtolis fuiſſe pollicitum, ſe de illo genimine vitis non admodò bibiturum, donec cum illis ipſum biberet nouum in regno patris ſui. Quæ nimirum verba de Sacramento ſanguinis accipienda ſunt. At conſtat ijs qui non ſunt euangeliorum inſcij, Chriſtum hactenus cum Apoſtolis non bibiſſe. Quamobrem aut iam non bibiſſe Chriſtum confiteamur oportet, aut ipſum (quod abſit) mendacem conſtituemus. Nam quis negabit Chriſtum ex eo prægustâſſe quod diſcipulis, vel edendum, vel bibendum, ipſe præbuerat? Ex ijs itaque dilucidum opinor eſt, quòd Chriſtus ipſe duobus illis diſcipulis Sacramentum hoc exhibuit, ſub ſola panis ſpecie. Quòd ſi quis tam impudens fuerit, vt neget, afferat ipſe ex euangelijs dilucidam ſententiæ ſuæ probationem, quod ſcio nunquam faciet. Paulum item idipſum in naui feciſſe, patuit ex recenſito ſuperiùs

Chry-

Chryſoſtomi teſtimonio. Fecerunt & idipſum Apoſtoli cæteri, cum & in Actis ſcriptum ſit de fidelibus Chriſtianis, quòd erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis: vbi de vino oulla fit mentio. Adde, quòd in Euangelio ſecundum Hebræos (quod Hierooymus fatetur ſe traduxiſſe) ſcriptum ſit, quòd quia Iacobos iuſtus iurauerat ſe panem non guſtatorum, priuſquam ex mortuis viderit Dominum reſurgeotem, illi ob id Chriſtus apparuit, acceptumque panem benedixit, ac fregit, & porrexit ei diceos: Comede frater, quia iam filius hominis à mortuis ſurrexit. Et planè, quòd Iacobo Chriſtus apparuerit, Paulus ad Corinthios teſtatur. Huc accedit, quod de Dionyſio traditur, nempe quòd Chriſtus ei Sacramentum etiam hoc miniſtrauit, ſub ſola panis ſpecie. Quando igitur huius rei tot exempla præceſſerint, num congruebat, vt Eccleſia (quæ ſic multis oominibus viderat expedire) non illis omnino cooformaret ſeſe? Sed inquies, Chriſtus ſub vtraque ſpecie diſtribuit Apoſtolis. Profectò. Sic enim par fuit, non minùs ob id, quòd tam huius Sacramenti prima fuerat inſtitutio facta, quàm ob id, quòd illi iam erant Sacerdotes cooſtituti, quibus, quia Sacramenti conficiendi poteſtatem cootulit, voluit eiſdē idipſum exhibere ſub vtraque ſpecie. Erant enim in menſa cum Chriſto duodecim Apoſtoli recumbentes, qood & Lucas teſtatur inquiens: Et cum facta eſſet hora diſcubuit, & duodecim Apoſtuli cum eo. Nec eſt veriſimile, ſi plures fuiſſeot conuiuæ, quin eos expreſſiſſet Lucas, qui duodecim cum Chriſto diſcubuiſſe numerauit. Cæterùm iſtud erroris tui cauſa fuit Luthere, quòd oihil intereſſe putas inter Sacerdotes & plebem, ſed omnes tibi Sacerdotes ſont, quicunque facti ſunt Chriſtiani. Quem etiam errorem ex ſcriptura Petri peruerſe intellecta, toeri conaris. Nimirum ex eo, quòd Petrus Chriſtianos vocat regale Sacerdotium: Sed nos paulò ſuperiùs articulo xiij. monſtrauimus, Iudæos à Deo vocatos regnum Sacerdotale, cum tamen apud eos apertiſſima fuiſſet laicorum & Sacerdotum diſcriminatio. Cæterùm ipſe Petrus, à quo tibi ſuffragium iſtud ſrripis, eiuſdem epiſtolæ, capite poſtremo, ſacerdores à plebe ſeparat, non aliter quàm paſtores à grege, quibus ait: Paſcite (qui eſt in vobis) gregem Dei. Et Paulò pòſt: Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem coronam gloriæ. Ecce quā apertè ſecernit alteros ab alteris, hoc eſt à plebe Sacerdotes, & à paſtorib. gregē. Verū inquies, cur ergo vocat omnes Chriſtianos regale ſacerdotiū? Nimirum, aut qoia Chriſto (qui rex & ſacerdos eſt) vniti fiot, & eius vnioois gratia regale ſacerdotium eos appellauit: aut quia paolò antè in eodem capite monebat, quatenus ſpiritales hoſtias, hoc eſt ſeipſos offerrent Deo. Sic enim habent eius verba: Et ipſi taoquam lapides viui ſuperædificamioi domos ſpirituales, in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Cum enim ſacerdotū ſit hoſtias offerre, & Iudæorum ſacerdotes pecora Deo ſacrificabant rationis expertia, idcirco Chriſtiani qui ſeipſos, vt rationales hoſtias offerunt, meritò per metaphoram ſacerdotium ſanctum à Petro dicuntur. Nihil ergo tuæ ſententiæ ſuffragatur Petrus cum idem in eadem epiſtola, ſacerdotes à reliquo grege diſtinguat. Reclamant & tibi ſcripturæ cæteræ, qoemadmodum ſuprà diximus articulo oono, neque ſcripturæ modò, verumetiam vniuerſus orthodoxorum chorus, vnanimi ſententia te condemnat. Sed iam ad rem redeamus. Hunc igitur ſacerdotij gradum, cum Chriſtus poſt ablutos Apoſtolorum pedes inſtituiſſet, eis cooſecrandi ſui corporis poteſtatem conferens, par fuit, vt ſub vtraque ſpecie Sacramentū iſtud eis porrigeret, propter quod, & eis omoibus uoluit, vt ex calice biberēt, non (vt tu putas) omnibus omnino Chriſtianis. Quamobrem neque Sacerdotibus licet, quoties ipſi Sacramentum hoc conſecrant, & tanquā ſacrificium offerunt Deo, quin ſub vtraque ſpecie pariter communicent. Cæterùm cum non conſecrent ipſi, ſed laicorum more ſuſcipiant ab alterius ſacerdotis manu, iam ſub vna panis ſpecie ſacramentum iſtud eis communicatur, qoemadmodum Ambroſio, Hieronymo, Euſebio, cæteriſque ſanctis innumeris, in eorum ab hoc ſeculo migratiooe factum legimus. Sed iam ſupereſt vt tertium oſtendamus, nempe quòd Sancti ſpiritus inſtinctu Eccleſiam hoc inſtituiſſe credendum ſit. Neminem opinor vſqoeadeo craſſę mentis eſſe, vt non videat, oportuiſſe normam quandam, & regulam Chriſtianis tradi, cui ſe in cunctis, quæ ſunt credituri, cōformarent. Nam cum de ſcripturis plerunque diſsidia naſcuntur, etiam apud doctiſsimos præter ſcripturas, & præter vnius aut alterius interpretationem, neceſſe eſt alium ſcopum præfigi, quæ debeat in ijs omnibus controuerſijs ſpectari. Atque is nimirum ſcopus haud alius eſt, quam totius Eccleſiæ conſenſus, & decretum. Is autem conſenſus cum aliter haberi non poteſt, ſaltem explicitus, quàm per præſidium cuiuslibet nationis totius orbis Chriſtiani congregationem, in vnum aliquem locum accitam. Nam vt omnes Chriſtiani ſimul vnà conuocentur, eſt prorſus impoſsibile. Congruum igitur ſuit, vt quoties de credendis inter Chriſtianos lis aliqua ſuboriretur, Epiſcopi de quaque natione Chriſtianitatis ſtatim conuenirent, litis eius dirimendæ gratia. Quibus afflatum Sancti ſpiritus haudquaquam defuturum, certò confidendom eſt, com Chriſtus eius rei gratia (nempe vt Spiritus ipſe doceret omnem veritatem) ſemper manſurum eundem in Eccleſia promiſerit, donec ipſa coosumaretur. Huc ergo ſuos oculos dirigere Chriſtiani teoeotur, & horum decretis, in ijs, præſertim quæ credenda concernunt, Fidem indubiam adhibere. Nam cum ab ipſo Spiritu profectum credi parſit, quicquid ab hoc venerando patrum

Act. 2.

1. Cor. 15.

Lucæ 22.

Pet. 2. Regale Sacerdotium. Pet. vlt.

Cur Petrus vocat omnes Chriſtianos regale ſacerdotium.

Tertium.

cœtu communi concordia fuerit decretum, id cæteris omnibus ratum & firmum haberi meritò debet. Quando igitur concilio quodam generali, ad Conſtantiam vocato, diffinitum erat, vt conſuetudo (quam de communione ſub vna duntaxat ſpecie laicis exhibenda, tum aſſerebant ab Eccleſia fuiſſe receptam) deinceps obſeruaretur, hoc decretum tanquam à Spiritu ſancto profectum ab vnoquoque bene Chriſtiano repudiari non debet. Et maximè cum ne ſuſpicari quidem quis poſſet, vllam affectuum in hac re corruptionem patribus illis adfuiſſe. Nullum certè potuit ex ea re cuiquam emolumentum ſperari, quod Lutherus tamen obiectat ſæpius. Neque iacturam ex hoc decreto laicus vllam incurrit, qui tantundem ſub vnica ſpecie capit, atque ſuſciperet ſub vtraque. Ex ijs ergo perſpicua facta iam opinamur, illa tria quæ præmiſimus, nempe quod licuit Eccleſiæ communionem vnius ſpeciei laicis exhibere. Deinde quòd non licuit ſolùm, verumetiam decuit. Et poſtremò quòd hæc conſuetudo (quam Eccleſia tot annis exercuit) tanquam à Spiritu ſancto profecta, debeat exiſtimari. Ex quibus liquet, prior ipſa pars huius articuli quàm ſit temeraria. Secundam itaque pariter excutiamus, quæ negat Boëmos ſub vtraq; ſpecie communicantes, hæreticos & ſchiſmaticos eſſe: hæc ex prædictis facilè conuincetur. *Secunda articuli pars.* Nam ſi decretum Eccleſiæ licitum fuerit & congruum, ac demum à Spiritu ſancto profectum, quis jam dubitare poteſt, quin ij, qui dedita opera contrauenerint, pro hæreticis & ſchiſmaticis habendi ſint. Sed obiectat Lutherus, quòd Baſilienſe Concilium Boëmis (vt ex annalibus, & literis eiuſdem concilij videtur aſſerere) laxârit illud decretum. Ego certè quos annales, aut quas literas producturi ſint neſcio, vnum tamen ſcio, quòd in actis ipſius concilij Chriſtianis omnibus dicta conſuetudo, pro lege ſeruari præcipitur. Sic enim habentur huius concilij verba, ſeſſione xxx. *Verba concilij Baſilienſis* Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populum ſub vna ſpecie à ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſsimè obſeruata, & à doctorib. diuinæ legis, ſacrorum canonum, atque ſanctarum ſcripturarum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt, eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Hactenus ex ipſo concilio Baſilienſi. Huic decreto neceſſe eſt obtemperetur à quocunque Chriſtiano, quicquid in alijs literis, aut annalibus contineatur. Sed & Conſtantienſe concilium Sacerdotibus cunctis inhibuit, atque id ſub excommunicationis pœna, ne quiſquam eorum populum communicaret ſub vtraque ſpecie. Inſuper velut hæreticos puniendos decreuit, quicunque ſuæ ſanctioni de communicatione ſub vna ſpecie contradixerint. Sed iam tempus eſt vt Lutherum audiamus.

Lvth. *Hunc articulum reuocaui libro de Captiuitate Babylonica, & iterum his ſcriptis reuoco: & dico, Boëmos & Græcos in hac parte, nec hæreticos, nec ſchiſmaticos, ſed Chriſtianiſsimos & euangelicißimos eſſe, quos & his verbis oro, & obteſtor in Domino, vt in ea ſententia firmiter permaneant, cum pro ſe habeant expreſſum textum Euangelij, longæuum, & apud Græcos in hunc diem ſeruatum, catholicum vſum Eccleſiæ Dei.*

Hîc videre licet, quanta ſit huius hominis pertinacia, qui cum non ignoret, hanc rem his duobus concilijs ante fuiſſe definitam, idque factum fuiſſe, non ſolùm ob longæuam conſuetudinem, quæ præceſſerat in Eccleſia: verumetiam poſt exactiſsimam eius, ab eruditiſsimis iuxtà ac ſanctiſsimis viris diſcuſsionem habitam, hortatur nihilominus Boëmos, vt perſiſtant in rebellione ſua, Græcoſque imitentur: quaſi ij nunquam aberraſſent, cum ſit exploratiſsimum, Græcos in multis erroribus, & præſertim de proceſsione Spiritus ſancti, longiſsimo tempore conſenuiſſe. Episc. *Quàm impudenter Lutherus in rebellione perſiſtere hortatur.* Nec pudet Lutherum affirmare, Boëmos expreſſum habere textum Euangelij pro ſua parte, cum nequeat alium producere, quàm hunc: Bibite ex eo omnes. Quæ verba dubio procul, ſolis erant dicta Sacerdotibus, quibus & poteſtas tum fuerat collata conficiendi Sacramenti, nimirum his verbis: Hoc facite in meam commemorationem. His vtique verbis Damaſcenus affirmat, Apoſtolis hanc fuiſſe traditam poteſtatem. Quòd ſi non illis verbis relicta ſit Sacerdotibus hæc poteſtas, dicat nobis Lutherus (ſi poteſt) quibus alijs id factum ſit. At certè non inueniet. Et quis vnquam tam inſanus eſſet, vt præſumeret Chriſti corpus conſecrare, niſi talis à Chriſto priùs donata fuiſſet ei poteſtas? Sed Lutherum (vt laicos omnes æquet Sacerdotibus) non pudet etiam aſſerere, fœminas poſſe conſecrare: quod eſt impudentiſsimum: Cum Paulus eaſdem in Eccleſia loqui prohibuit. *1. Cor 14.* Turpe eſt, inquit, mulieri loqui in Eccleſia. *1. Tim. 2.* Et tamen eas Lutherus conſecrare permittit & communicare cæteros. Nec inficias eo, quin in Eccleſia primitiua plerunque laicis ſub vtraque ſpecie communio fuiſſet exhibita, verùm vbi tandem emergere tot ex ea pericula deprehenderint, paulatim ab ea ceſſatum eſt. Nam per eum vſum plerisque natus fuit error, quòd crederent quiddam amplius ſub vini, quàm ſub panis contineri ſpecie. Et cum fortè laborantibus in extremis, vini ſpecies exhiberi non potuit, hi ſuſpicarentur ſe non eſſe integrè communicatos. Plerunque contigit, quòd vel eſt horrendum cogitatu, nimirum vt Chriſti ſanguis in terram effunderetur. Sed & in vaſis non benè ſeruatis, creberrimè corrumperetur. Neque enim diu ſeruari poteſt liquor eiuſmodi, quantauis adhibita fuerit diligentia. Cum igitur hæc diſcrimina noſtri maiores ſenſerint, & verba ſimul & facta Chriſti perpenderint, explorarintque fore nullam huiuſce rei neceſsitatem, ab hoc vſu deſtiterunt, vſqueadeo vt contraria conſuetudo per vniuerſam Eccleſiam inoleuerit, diu ante Concilium Conſtantienſe. Quæ vel ſola (ſi tamen Auguſtino credimus) ſufficere Chriſtianis poteſt. Nam ex epiſto-

la ſun-

la fundamenti contra Manichæos ſic habetur: Illud autem verè ſecurum eſt aſſerere, quod in gubernatione Eccleſiæ Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ confeſſione roboratum eſt.

LVTH. *Nec moueantur tyranni illius Romani & antichriſti vaſtatorijs & impijs decretis, quibus alteram partem Sacramenti per vim abſtulit ijs, quibus Chriſtus ipſe donauit, qui cùm Sacerdotibus imperet vtramque ſpeciem ſumere, cauſatus vnum Sacramentum eſſe vtramque ſpeciem (id quod verum eſt) rurſus laicis vnam prohibens, iterum pro libidine cauſatus, mendacio ſibi ipſi contrario, integrum Sacramentum vnam ſpeciem eſſe, ſic aliud Sacramentum laicis, & aliud Sacerdotibus partitur, ſicut & pœnitentiæ Sacramentum ſuperiùs, aliud Papæ, & aliud totius Eccleſiæ finxit.*

EPISC. Immeritò ſanè calumniaris, aut ſummum pontificem, aut Romanam Eccleſiam, quantum ad hoc negotium attinet, cum neque diuerſum, aut laicis aut Sacerdotibus, vel pœnitentiæ, vel

Duplex Eucharistiæ cõſideratio. Euchariſtiæ miniſtrant Sacramentum. De Pœnitentia nuper antè diximus, quâ (vt opinamur) abſoluimus ab hac calumnia. Nunc de Euchariſtia nonnihil dicemus. Poteſt nimirum ea bifariam conſiderari, aut quantum ad efficaciam, aut quantum ad ſignificantiam. Quantum ad efficaciam certè nihil amplius ſub vtraque ſpecie continetur, quàm ſub altera tantùm. Totus enim Chriſtus cum anima, ſanguine, corpore & Deitate, non minùs ſub vini quam ſub panis ſpecie, cuique, ſiue laico, ſiue Sacerdoti confertur. Verùm quantum ad ſignificantiam ſpectat, aliud eſt. Sic enim Euchariſtia repræſentat ſacrificium, quod pro nobis in cruce Chriſtus obtulit, cum videlicet à corpore, ſanguis erat ſeparatus. Et quoniam ſignificantiæ myſterium magis ad conſecrantem pertinet, quàm ad ſuſcipientem, iccirco quoties miſſam Sacerdos celebrat, Sacramentũ hoc ſub vtraq; ſpecie cõſecratur: nõ ſolum vt aſtantibus paſſionis Chriſti memoria viuaciùs ingeratur, verumetiam vt tali ſacrificio (quo nihil maius aut acceptius offerri Deo queat) diuinam ipſi munificentiam faciliùs promereamur.

LVTH. *Secundò dico hæreticos & ſchiſmaticos eſſe Papam, & omnes qui idolum hoc Romanum adorant, niſi fortè laicos & rudes excuſet ignorantia, ſimplex Fides, & violenta huius Aſſur captiuitas, quia Euangelium Chriſti planè extinguunt, & ſuum caput ſequuntur, ſuumq́; ſenſum ſtatuunt aduerſus Catholicam Eccleſiam Dei, vt in multis alijs, ita & in huius Sacramenti vſu, & Sacerdotum cœlibatu.*

EPIS. De cœlibatu Sacerdotum quò magis obloqueris, eò tui ſimiliorem teipſum eſſe monſtras.

De Sacerdotum cœlibatu. Nam qui nullam animi præparationem exigi fateris, priuſquam quis ad Euchariſtiam accedar, ſed ſolam aſſeris cuique ſufficere Fidem, quanquam ab ipſis proſtibuli ſordibus recens exierit: quid mirum ſi Sacerdotes opinaris vxorum complexibus haud pollui poſſe, modò Fidem habuerint, quæ tibi vel ſola cunctas purificat abominationes. Cæterùm ſi diligentiùs aduertas, quantum inter hoc ſacrificium, & alia veteris legis interſit, non eſſet obſcurum tibi, quàm congruenter Eccleſia cœlibatum Sacerdotibus indixerit. Illa quidem ſacrificia adumbrationes duntaxat erant, & figuræ quædam ſubobſcuræ, præſentis huius ſacrificij. Et tamen (vt illa digniùs agerentur) iuſſi ſunt Sacerdotes, antè ſanctificari. Nec arcam Domini, nec vaſa cætera, ſed nec ad altare licebat cuiuis accedere, niſi priùs eſſet ab omni purgatus immunditia. Quamobrem ſi propter vmbram & figuram, tanta puritas exigebatur, quanta iam eos qui rem veram, ipſiſſimam veritatẽ tractant, ſanctitate conſpicuos, vt ab omni mulierum inquinamento puriſſimos eſſe conuenit? Traditur in libris Regum, quòd Achimelech non *2. Re. 21.* antè voluit de panibus propoſitionis quicquam impartiri Dauid & pueris eius, niſi prius eos intellexiſſet à mulieribus, hoc eſt, ab vxoribus ſuis (vt Hieronym: interpretatur) fuiſſe mũdos. Ac panes illi, maximo quodam interuallo, diſtabant à Sacramento panis, in quo ſanctiſſimum Chriſti corpus continetur. Quamobrem nouæ legis Sacerdotes (quibus intereſt hunc panem quotidie ſumere) perpetuum agere cœlibatum oportet. Ad hæc. Expedire laicis docet Pau- *1. Cor. 7.* lus ab vxoribus interim abſtineant, quatenus orationi vacare queant commodiùs. Quòd ſi laicis orationis cauſa, res vxoria ad tempus interdicitur, Sacerdotibus vtique quorum eſt officium quotidie non pro ſuis modò, verumetiam pro populi delictis hoſtias & preces offerre Deo, cœlibatus indicitur meritiſſimè. Quid de gentilium Sacerdotibus loquar, quorum nonnulli, quanquam idolis immolabant, tamen vt id mundiùs agerent, caſtrabant ſemetipſos, quantò magis hi qui vero Deo ſacrificaturi ſunt, & non quodlibet ſacrificium, ſed id quod cæteris omnibus excellentius eſt, nempe carnem & ſanguinem filij Dei. Hos inquam longè puriori fulgere caſtitate decet, & à mulierum (quoad fieri poteſt) conſpectibus eſſe remotiſſimos. Iniuſtè igitur (quantum ad cœlibatum Sacerdotum attinet) vel Rom. pontificem, vel alios criminaris, perinde ac ſi vel aduerſus Euangelium, vel Eccleſiam catholicam, ſuum ſenſum ſtatuerint: cum ea res non minùs Euangelio conueniat, quàm ab Eccleſia catholica iam comprobetur. Neque enim euangelio repugnare poteſt, quod Chriſtus in Euangeliu conſulit. Sic enim cum de cœlibatu loqueretur atque de ijs, qui regni cæleſtis gratia ſe caſtrarunt, ſubdit Chriſtus: Qui poteſt capere, capiat. Non eſt itaque iuſta calumnia illa, quam ob cœlibatum Sacerdotum Rom. impingis Pontifici, ſicut neque propter vſum huius (de quo iam loquimur) Sacramenti. Vſus nimirum eius, Eccleſiæ iudicio relinquitur. Quod cùm ex alijs, tum ex temporis mutatione, dilucidum eſſe poteſt. Chriſtus enim poſt cœnam ipſum Sacramentum exhibuit: Eccleſia verò non niſi ieiunis exhiberi patitur. Sed & Eccleſia longè alija verbis vti- *1 Cor. 11.* tur, quam aut Paulus, aut alius quiuis Euange- *Luca 22.* liſtarum vſurpauit. Nam Paulus & Lucas ita *Marc. 14.* recenſent, dixiſſe Chriſtum: Hic calix nouum *Mat. 26.*

teſtamentum in meo ſanguine. Marcus autem ita: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Matthæus pluſculum adijcit inquiens: Hic eſt enim meus ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Sed Eccleſia ſic: Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis, & multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Ex his vides, quantum ab illis Eccleſia ritum variarit ſuum. Huc accedit, quòd aqua in calice iuxta conſuetudinem Eccleſiæ vino commiſcetur, id quod neutiquam legitur feciſſe Chriſtus. Et denique non dubitauit Eccleſia aliquandiu pane vti fermentato, ne iudaiſare videretur, cum tamen in azymis conſecraſſe Chriſtum, non ignorauerit. Perſpicis igitur, in quot & quantis Eccleſia variarit ab inſtituto Chriſti, quam variationem ab Apoſtolis forſitan edocta fuerat. Nam & Paulus, vbi apud Corinthios de hoc Sacramento ſermonem habet, tandem ſubijcit: Cætera, inquit, cum venero, diſponam. Quibus nimirum verbis, pollicetur ſe (quantum ad vſum & ritum huius Sacramenti ſpectat) traditurum alia, de quibus hactenus in ſacris literis nullam fecerat mentionem. Vtcunq; fuerit, ſiue per Apoſtolos, ſeu per Spiritum ſanctum, nihil ambigo, quin id quod Eccleſia docuerit, ſit tutiſsimum, cum iuxta Paulum, ipſa ſit columna & firmamentum veritatis. At quomodo firmamentum veritatis erit, & columna, ſi eam in ijs errare tam diu paſſa ſit, & vſqueadeo turpiter hallucinari?

Lvth. *Hi enim ſunt hæretici & ſchiſmatici, qui terminos quos patres poſuerunt transgrediuntur, & a communi catholicæ Eccleſiæ ritu, ſeipſos ſegregant, proprioſq; ac nouos ritus pro mera libidine aduerſus Euangelium excogitant, id quod facit, & facit Romanus ille Antichriſtus, nec veretur tamen impudens & blaſphemum os ſuum in cælum ponere, & Græcam Eccleſiam arguere ſchiſmatis, quod ipſe & nullus alius cœpit primus & ſolus.*

Episc. Cant. 6. Neſcio quam tu facias Eccleſiam Catholicam. Sat ſcio, duas eſſe non poſſe, cum ſcriptum ſit, vna eſt columba mea. Porrò manifeſtum eſt, Græcos vehementer erraſſe & in his, quæ Fidei ſunt. Id quòd ſanè in Catholicam Eccleſiam incidere nequaquam poteſt. Nam vt cætera taceam, proceſsioni Spiritusſancti, quæ fit ab vtroq; tam à filio quam à patre, diutius credere reſtiterunt. Sed nec proprijs auctoribus, & eiſdem eximijs, in ea re fidem voluerunt adhibere. Ad hæc, proceres eorum, hoc eſt, ij qui probitate ſimul & eruditione præſtabant, Eccleſiæ Romanæ, ceu capiti totius Eccleſiæ Catholicæ detulerunt ſemper. quemadmodum & nos articulo 25. demonſtrabimus. Si igitur alteram oportet hæreticam & ſchiſmaticam dici, hoc eſt, aut Græcam, aut Latinam Eccleſiam: Græca potiùs haberi debet quàm Latina. Quòd ſi quædam Eccleſia Latina pro ratione temporum immutauerit aliter quam ab ipſis acceperit Apoſtolis, nõ eſt dubium, quin id inſtinctu Spiritus veritatis effecerit, à quo nomenclaturam hanc accepit, vt columna dicatur & firmamentum veritatis.

Conſultum itaque videtur mihi nunc vt non modo per concilium, ſed per quanque dioceſim, quilibet epiſcopus, etiam inuito Papa, Chriſtum ſecutus in Euangelio, rurſus vtranque ſpeciem laicis daret. Quamdiu (rogo) ſinimus nos eludi humanis iſtis figmentis & ſtatutis? An ignoramus Deo magis quam hominibus eſſe obediendum? Chriſtus vtranque dat populo ſuo, & vicarius ſuus alteram auferet? Lvth.

Episc. Oſtende priùs vbi Chriſtus vtrunque dederit laicis, aut dandum iuſſerit, quod (niſi vehementer fallor) nunquam efficies. Et tantò minùs efficies, quòd affirmas caput. 6. Ioannis, nihil pro hoc Sacramento facere, in quo non minùs abs te diſſentio, quàm Cyrillus, Hilarius, Cyprianus, ac cæteri patres eximij, qui non modo palàm vſurpant huius capitis verba pro teſtimonio Euchariſtiæ, verumetiam apertiſsimis rationibus id docent vſurpandum. Sat ſcio, nec ex Paulo, nec ex reliquis Euangeliſtis, id probabis vnquam, quòd Chriſtus vtranque ſpeciem, aut dederit, aut iuſſerit dari populo, niſi prorſus nullum diſcrimen facias inter paſtores & gregem, atque inter plebem & Sacerdotes: quod ſatis copiosè ſuperiùs confutatum eſt. Paſtorum eſt hunc ſanctiſsimum cibum miniſtrare gregi. Neque ad gregem pertinet, vllo pacto, panem hunc ſanctiſsimum conficere ſibi. Nihil autem apud Corinthios recenſet Paulus, niſi quòd Chriſtus ipſe ſub cœna geſſerat: quæ verba nequeunt intelligi, quouis pacto, ad laicos fuiſſe dicta. Quomodo enim potuit ad laicos dici: Hoc facite, quotieſcunque bibitis, in meam commemorationem? Quid eſt, hoc facite, quotieſcunque bibitis? Si facere, hic conſecrare intelligamus, quemadmodum hauddubiè Damaſcenus, ac cæteri accipiunt, & nos paulò ſuperiùs oſtendimus, nemo bibiturus eſt ex calice, qui non prius conſecrauerit: nam dicit quotieſcunque bibitis. Atqui laicum (vt ſuppoſuimus) nemo ſanæ mentis dixerit poſſe conſecrare. Non igitur laicis hoc dictum fuit, neque alicubi iuſſum eſt à Chriſto, quatenus vtramque ſpeciem acciperent laici. Quòd ſi quis vſqueadeo pertinax fuerit, vt contendat, laicis hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie dandum, is vel ex euangelio, vel ex ſacris interpretibus afferat dilucida teſtimonia, & mox ei dabimus manus: alioqui iam ſuam impudentiam ipſe tandem agnoſcat.

Non poteſt ex euangelio probari, Chriſtum ſub vtraque ſpecie populum communicaſſe.

Conſultum igitur volo, vt quilibet laicus, ſi ſpeciem alteram impetrare non poteſt, vi tyrannidis huius impeditus, corde ſaltem toto optet; & gemat ad Deum, quod noſtris peccatis merentibus, digni facti ſumus, quibus impij aduerſarij veritatis, alteram partem ſacramenti auferrent, & nos noſtro Sacramento ſpoliarent. Lvth.

Episc. Conſuluerìs eorum ſaluti potiùs, ſi monueris eos, Eccleſiæ inſtitutis obtemperare, contentoſque eſſe, vt pro ritu, quem Eccleſia commodiorem eſſe duxerit, Sacramentum iſtud ſuſciperent. Nullo enim fructu ſpoliatur, quiſquis alterutram ſpeciem acceperit, cùm ſub vtraque, totus & integer contineatur Chriſtus. At, inquies, cur ergo ſacerdotes ſub vtraque ſpecie com-

communicant? Iam tibi reſpondi. Quoniam hi ſacrificant, & Chriſti mortem ſacrificio ſuo repræſentant, ſanguinem videlicet à corpore ſeparatum. Cæteris verò non ſacrificantibus ſatis fuerit, ſpeciem panis accipere, in quo totus (vt dixi) Chriſtus, hoc eſt, caro, ſanguis, & anima cũ Deitate ſumitur.

LVTH. *Nam hoc ego dico, ſi quis ſciens omittat deſiderare ſaltem, alteram etiam partem Sacramenti, licet neutra neceſſaria ſit, cum fides ſola hic ſufficiat, impium eum eſſe, & Chriſtum ab eo negari.*

EPISC. *Luc. vlt.* Cur ſpeciem (quæſo) reliquam deſiderabit laicus, cum ſub ſpecie panis totum & integrum acceperit Chriſtum. Nam ſi Chriſtus vnicam panis ſpeciem, duobus illis diſcipulis in caſtellum Emaus profectis, & Paulus in naui, ſuis identidem ſolam ſpeciem panis exhibuerit: quis non conſequenter videt, ſufficere ſibi ſpeciem vnicam? Sed præter hæc, velut in vmbra quadam, licebit hoc ipſum ex alijs Chriſti factis & dictis contueri. *Ioan. 6. De vino nihil legitur.* Cum enim (vt in Ioanne traditur) Chriſtus ex quinque panibus quinque millia pauit hominum, nullum credibile eſt illic vinum affuiſſe, & tamen hæc refectio, ſeu quædam vmbra fuit, communionis carnis ſuæ. Quod vel ex eo patet, quòd inde ſumpſerat occaſionem plurima diſſerendi ſuper carnis ſuæ comeſtione, quam & proximo capite panem vocat. *Matt. 6.* Huc accedit, quòd in oratione dominica petere docemur panem illum ſuperſubſtantialem, hoc eſt, corporis Chriſti, vbi de reliqua ſpecie nulla fit mentio. Adde quòd ſæpenumero Chriſtus in Euangelio, pro panis huius ſumptione multa pollicetur, ac pro ſpecie reliqua, hoc eſt pro ſpecie vini, nec tantillum quidem promittit. Pro illo dicitur: Panis Dei verus eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Et rurſum: Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Ad hæc: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Sic enim græcè legitur. Nec fruſtrà geminatur hic verbum iſtud, dabo. Semel enim dicitur, pro datione carnis ſub ſpecie panis, ac rurſum pro carnis immolatione, quæ facta fuit in cruce: quæ verba planè conuincunt hoc caput *Ioan. 6.* ſextum Ioannis, pro Euchariſtia prorſus accipi debere. Sed in incœpto pergamus. Dixit propterea Chriſtus: Hic eſt panis de cœlo deſcendẽs, ſi quis ex eo manducauerit, non morietur. Et poſtea: Si quis manducauerit panem hunc viuet in æternum. Et denique: Qui manducat me, ipſe viuet propter me. Ecce quoties vitam pollicetur, *Luc. 22.* pro panis huius ſumptione. De reliqua verò ſpecie ne verbum quidem produces. Nam illud: hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, nihil pollicetur pro calicis potatione, nec ſi quod ex Matthæo ſequitur, adiunxeris: *Matt. 26.* Qui pro multis effundetur, In remiſſionem peccatorum. Non enim hic remiſſio peccatorum, pro calicis potatione promiſſa eſt, ſed pro ſanguinis effuſione duntaxat. Sed inquiet aliquis: *Ioan. 6.* An non Chriſtus dicit: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis? Reſpondemus primùm, hoc nobis Lutherum obijcere non poſſe, cum ſit capite ſexto Ioannis ſcriptum, cuius ne verbum quidem vllum, ad hoc Sacramentum affirmat pertinere. Deinde nihil dubitamus aſſerere, quòd qui ſub ſpecie panis Chriſtum ſumit, eundem & carnem eius manducare, ac ſanguinem bibere: cùm & carnem integram accipiat, cuius acceptio eius dicitur, & ſanguinem integrum, cuius ſumptio, potatio dici poterit. Tertiò dicimus, quòd nihil ijs verbis de vini ſpecie traditur, ſed de ſanguine duntaxat, qui nunquam ab hoc pane ſeparatur. *Omnia Chriſti promiſſa pro ſacramẽti ſub pane ſolùm ſpecie aſſumptione.* Quando igitur toties, tanta promittuntur, pro ſacramenti huius ſumptione ſub ſpecie panis, & nihil vnquam ſub ſpecie vini, quis mirari debet, ſi ſub ſola panis ſpecie, laicis Eccleſia duxerit miniſtrandum.

LVTH. *Nec cauilla illorum moueatur, qui garriunt, ſub pane omnia accepi: Chriſtus enim ſciebat ſub pane omnia accipi, nihilominus tamen vinum inſtituit.*

EPISC. Non illi certè, ſed ipſe potiùs Luthere cauillaris, qui nullam poteris iuſtam afferre rationem cur neceſſe ſit laicis reliquam accipere ſpeciem. Quid ſi Chriſtus vinum etiam conſecrauit? Num propterea laicis ſub ea ſpecie Sacramentum impartiri debeat? Nihil oportet. Solis vtique ſacerdotibus, quibus & conſecrandi tribuit poteſtatem, vtramque ſpeciem Chriſtus porrexit, & ab eis vtramque voluit ſacrificari: quatenus hoc ipſum repræſentarent ſacrificium, quod olim ipſe patri pro nobis in altari crucis immolauit. Sic patres ſentiunt. Sic Eccleſia docet credendum. Quamobrem ſi tibi vis in pertinaci opinione tua Fidem a nobis adhiberi, rationes aut ſcripturas omni luce clariores producas oportet, quod ſcio nunquam facies.

LVTH. *Sciebat omnia ſola Fide percipi, & tamen Sacramenta ordinauit.*

EPISC. Non ſatis intelligo, quem in modum iſta ſibi reſpondeant. Sciebat Chriſtus omnia, ſu a Fide percipi, & tamen Sacramenta ordinauit. Voluiſti forſitan dicere: Sciebat Chriſtus ſolam Fidem ſufficere, & tamen Sacramenta præter Fidem ordinauit. At iſtud cuique certum eſſe poteſt, quòd *An ſola Fides ſufficiat.* non abs re Chriſtus Sacramenta, neque inutiliter inſtituit. Neq; tamen ſi Fides ſola ſuffeciſſet, *Ioan 3.* dixiſſet vnquam: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Introibit autem quis per Fidem abſque baptiſmo, ſi ſola Fides pararc poſſet aditum. Sed de ijs antea ſatis ſuperque diſſeruimus.

LVTH. *Quo iure ſeruus Domini ſui mutat ordinationes?*

EPISC. Tu mihi priùs reſponde, quo iure mutata ſunt cùm alia plurima, tũ id quod de baptiſmo Chriſtus inſtituit? *Apoſtoli Chriſti inſtitutionem mutarunt.* Is enim Apoſtolis iuſſit, vt baptizarent, in nomine Patris & filij & ſpiritusſancti. At hi, non eam formam obſeruarunt, ſed baptizabant ſolius nominis Chriſti facta mentione. Quod ſi licuit illis ex cauſa, tam recentem Domini ſui conſtitutionem immutare: cur ſucceſſoribus eorum idipſum non licebit, quoties non minùs id expedire viderint? & præſertim quan-

do non ſine communis ſpiritus inſtinctu, tam hos quàm illos, ita feciſſe non ambigitur.

LVTH. *Cur Sacerdotes non etiam omnia ſub pane accipiunt? Nonne vnus panis & vnum corpus ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus, vt Apoſt. 1. Cor. 10. docet apertiſſimè?*

EPISC. Non hæc habet Paulus. Lege exemplaria Græca, quo ſermone Paulus eam epiſtolam ſcripſit. In illis ſic inuenies: Vnus panis, vnum corpus, multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Hic vides iuxta Paulum, ad corporis vnitatem ſat eſſe cunctis, vt de pane vno participent, neque calicis exigitur communicatio. Sed inquies, haud multò ſuperiùs de calicis benedictione locutus eſt Paulus. Profectò. Sed hoc pro hac noſtra parte facit magis, ſi quis ea verba diligentiùs excutiat. Calix, inquit, benedictionis cui benedicimus. Quis (te quæſo) calici benedixit niſi ſacerdos? aut quis alius frangit cœleſtem illum panem? Vtrunq; ad Sacerdotes pertinet, qui & myſtici corporis, non iniuriâ portio melior exiſtimantur. Cæterũ cum ijs adiunguntur prophani, & de toto corpore loquatur Paulus, iã ſolius panis fit mentio: Vnus, inquit, panis, & vnum corpus multi ſumus. Nam omnes de vno pane participamus, vt cunctis exploratiſſimum eſſe poſsit, hîc tuæ ſententiæ Paulum ipſum (quem citâras) aduerſari.

LVTH. *At Papa laicos ab hoc vno corpore excludere conatur, dum non omnes de vno calice vult participare. reſiſtens tũ Chriſto, tum Paulo, & vniuerſæ Eccleſiæ Dei, tamen vt myſterium iniquitatis ſuæ operetur filius ille perditionis, & homo peccati.*

EPISC. *De filio perditionis.* Profectò nemo potuit alius, tam virulenta verba, in ipſum totius Eccleſiæ præfectum euomere, niſi verè perditionis filius, & homo peccati. Sed finge quantumuìs iniquum eſſe, quòd non ad calicem admittantur laici. Quid hoc ad Pontificem iſtum? Num ei vitio verti debuit, quod per tot annos (antequam is natus eſſet) per vniuerſam Eccleſiam fuit vſitatiſſimum? Neque vſitatiſſimum modò, verumetiam per duo ſeorſum concilia generalia comprobatiſſimum. Multò igitur iniquiſſima eſt hæc, quam in ſummum irrogas Pontificem contumelia: & tantò ſanè iniquior, quò longiùs à veritate receſsit. Neq; enim ab vnitate corporis excluduntur laici, quòd non ſinuntur de calice ſpeciem alteram ſumere: id quod Paulus apertiſſimè teſtatur cum dicit, omnes nos vnum panem, & vnum corpus eſſe, quoniam ex eodem pane cuncti participamus. *Callida Lutheri machinatio.* Sed tu Calicis etiam facis mentionem, cum non ignores Paulum id non ſcripſiſſe. Verùm iſtud facis, quò tibi quidem vulgi fauorem concilies magis: erga Pontifices verò, maiorem concites inuidiam, odiumque prorſus implacabile.

ARTICVLVS XVII.

LVTH. *Theſauri Eccleſiæ vnde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti & Sanctorum.*

EPISC. *De indulgentijs.* Quantum ad indulgentias attinet, principiò Lector admonendus eſt, quòd inter noſtram & Lutheri ſententiam nihil interſit, niſi quòd Lutherus pœnam peccatis prioribus debitam opinatur vnà cũ culpa condonari, atq; id ſiue per Fidẽ, ſiue per cuiuſcunque Sacerdotis abſolutionem. Nos verò cum Eccleſia credimus, quòd plerumque poſt deletam culpam remanet in peccatore, quædam ad pœnam pro peccatis priſtinis debitam, obligatio, quæ per ſummi Pontificis condonationem tolli poteſt. Hoc ſecum itaque Lector expendat, an Luthero ſecuriùs credatur, qui cuique Sacerdoti tantam tribuit poteſtatem, vt à pœna ſimul & culpa ſoluat peccatorem etiam ſceleratiſſimum: an Eccleſiæ potiùs, quæ propter verba Chriſti dicta diuo Petro: *Matt. 16.* Tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, opinatur, quòd poſt deletam à Sacerdote culpam, remanet adhuc pœna, quæ per quemcunque legitimum Petri ſucceſſorem, pariter condonari poteſt. Quòd ſi quiſque ſimplex Sacerdos haud tantam habuerit poteſtatem, quantam ei Lutherus cenſet tribuendam, quis non videt, cum quanto diſcrimine pontificis condonationem reijcimus? *Pro indulgentijs ſtatuendis tria notanda.* Sin autem habuerit tantam, nullum tamen periculum erit, Pontificis etiam condonationem ſuperaddere. Nos igitur tria ſtatuere moliemur. Primum, quòd poſt delatam à ſacerdote culpam remanet, nonnunquam peccator ob priora delicta, pœnæ cuidam obnoxius, à qua per Sacerdotem illum nondum ſoluitur. Alterum, quòd eius pœnæ debitum ſolui poteſt per ſummi pontificis condonationem. Tertium, quòd quantum diuinæ iuſtitiæ per iſtam condonationem detractum fuerit, tantundem ex meritis Chriſti, ſimul & ſanctorum reſarciri non erit incongruum. Sed agè primum aggrediamur. Quanquam ex ijs quæ ſub articulo quinto diſſeruimus, dilucidum eſſe reor, quòd non omnes peccatores indiſcriminatim ita ſunt abſoluti, vt qui grauiùs offenderit nihilò maioris pœnæ ſit debitor, quàm qui leuiſſimè, non grauabimur tamen hîc pluſculum aliquid adijcere. *Rom. 6.* Paulus ad Romanos ſcribens ait: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Atqui palàm eſt, non huius & illius membra, æqualiter immunditiæ & iniquitati ſeruiſſe pridem ad ſuas complendas iniquitates, cum alter parum & breuiùs, alter plurimum & diutius peccatis indulſiſſet. Neque enim inficias eo quin omnes tam boni, quàm mali carnis ſuæ mortificandis affectibus aſtricti ſint. Verùm hoc eſt propter fomitem, ex originali peccato relictum. At aliter aſtringuntur hi, qui longè craſſiores ex peccatis actualibus contraxerint reliquias, his nimirum incumbit vt quantò ſordidiùs inquinati fuerint, tantò ſeueriorem adhibeant expurgationem. Atque hoc eſt quod iubet Paulus, quatenus pari ſtudio ſua mẽbra peccator ad conqui-

ren-

rendam ſanctificationem inſeruire faciat iuſtitiæ, quo iam pridem ad complendam ſuam improbam voluntatem, improbitati ſeruierant. *De qua ſanctificatione Paulus ſit locutus.* Et hoc aduertendum eſt, quòd hæc ſanctificatio de qua Paulus hìc loquitur, non eſt ea, qua quis per gratiam à culpa liberatur. *Pſal. 6.* Nam eiuſmodi iam fuerunt ij ad quos hìc loquitur Paulus, nempe vocati ſancti, quemadmodum in ipſius epiſtolæ fronte patet. *Dauid poſt remiſſam ſibi culpam, reliquias peccatorum fletibus proſequitur.* Sed neque eſt ſanctificatio, qua quis à reliquijs originalis peccati mundatur, cum planè de actualibus, hìc verba faciat Paulus. Quamobrem & intelligi debet is locus, de reliquijs *2. Reg: 12. Pſal. 50.* actualis peccati, à quibus vtique peccator per opera pœnitentiæ ſanctificari dicitur & expiari. Confirmemus & iſtud exemplo Dauid, qui tametſi nouerit ſibi culpam fuiſſe remiſſam, non ceſſauit tamen peccatorum ſuorum reliquias perſequi, & fletibus diluere quàm acerbiſsimis. Reſpondeat hìc nobis Lutherus, ſi poſt remiſſam culpam, nihil reliqui ſit in peccatore, quod expietur: cur Dauid, cui de culpa fuerat compertiſsimum, quòd hanc ignouiſſet ei Deus, cur (inquam) tantopere ſeipſum afflixit, & per noctes ſingulas tanto lacrymarum imbre ſtratum rigauit ſuum? Cur tam attentè ſingulis propè momentis de peccato ſuo cogitauit? Et denique cur petijt deleri ſibi iniquitatem, atque ampliùs à peccato ſuo lauari? Non hæc profectò dixiſſe voluit pro reliquijs originalis, ſed pro reliquijs actualis peccati longè magis. Studuit enim vt membra iam tantò diligentiùs inſeruirent iuſtitiæ ad ſanctificationem, quantò priùs ad mentem improbam conſummandam, inſeruierant iniquitati. Neque enim dubitauit operibus pœnitentiæ ſcoriam omnem & rubiginem peccatorum, auferri poſſe. Sed hoc Lutherum in has anguſtias adegit, quòd totum Fidei nihil operibus cenſet deferendum. Propter quod & nouam vitam optimam aſſerit eſſe pœnitentiam. *Vita noua nequaquam ſufficit.* Cæterùm Eccleſia nequaquam ſufficere vitam nouam, putat. Non ſufficit (inquit Auguſtinus) mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, niſi etiam de ijs (quæ facta ſunt) ſatisfiat domino per pœnitentiæ dolorem, per humanitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis & ieiunijs. Credit igitur Eccleſia manere poſt condonatam culpam in peccatoribus, plus vel minus expurgandum, pro qualitate prioris vitæ, ſimul & doloris magnitudine: qui iam emendæ propoſitum anteceſsit. Nam vbi poſt ſceleſtiſsimam vitam, dolor in peccatore non niſi puſillus ſuccedit, eiuſmodi peccator abijci non poteſt, ſed abſolui debet, ſi petat. Veruntamen aſperius ei medicamen adhibendum eſſe, nemo ſanæ mentis non iudicabit. *An plura commoda conſequatur is qui Lut. credit, an qui Eccleſiæ.* Cæterùm excutiamus & illud, an plura maioraque commoda ſit conſequuturus is, qui Luthero Fidem habet, an qui credit Eccleſiæ. Primùm certè non mediocris periculi eſt Eccleſiæ non credere, quam Paulus columnam vocat, & firmamentum veritatis. Nec poteſt huic non credere quiſquam, abſque infidelitatis nota, præſertim in ijs, quæ ſalutem concernunt animarum. Verum ſi Luthero non credimus nihilò plus diſcriminis inde nobis imminebit, quàm ſi cuilibet ex infimis ſcriptoribus non crediderimus. Deinde ſi credamus Eccleſiæ docenti, nonnullas in peccatore poſt condonatam culpam, reliquias manere, tantò magìs ad moleſtias pœnitentiæ ſubeundas, & cum exactiori ſolicitudine ſuſcipiendas ipſi ſtimulabimur. Sin contrà, cum Luthero nullas relinqui putabimus, nullam operam ijs expurgandis impendemus, cum iam ſecuri nihilò magìs nos ad ſatisfactionem obligatos, quàm alium quemlibet Chriſtianum exiſtimabimus. Tertiò, ſi iam per opera pœnitentiæ reliquias peccatorum diligenter expurgauerimus, nihil poſt hanc vitam nobis ignis purgatorij nocebit. Sin contrà, quia tales vtpote non creditas, non expiauerimus, quis nos à purgatorij cruciatu ſecuros conſtituet? Nemo certè, nec Lutherus ipſe. Sed hactenus quòd poſt deletam culpam reliquiæ maneant expurgandæ, & quòd pœna quædam peccatis prioribus adhuc debeatur, quam peccator, aut hìc, aut alibi luat neceſſe eſt, dictum ſit. *Secundum.* Iam verò ſecundum ſtatuamus, nempe quòd huius pœnæ debitum, per condonationem ſummi pontificis tolli poteſt. *Tres modi quibus pœnæ debitum tolli poteſt.* Scripturæ nimirum docent, id varijs modis tolli poſſe. Et primùm auſteritate noſtra. Nam *1. Cor. 11.* Paulus ait: Si nos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Hoc eſt, ſi nos noſtras in Deum offenſas vlti fuerimus, vſqueadeo clementem ſe nobis ipſe præbebit, vt nolit vlciſci denuò. Neque enim bis in idipſum iudicare conſueuit. Propter quod & Dauid ſua peccata vindicans, confidenter ait ad Deum: Vide *Pſal: 24.* humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Si non certò ſperaſſet, per ſuam in ſemetipſum animaduerſionem, reliquias peccatorum ſibi condonandas, nequaquam ad hunc modum afflixiſſet ſe, neque petijſſet condonari peccata: cum iam de remiſſa culpa ſatis ei conſtitit, vti ſuperiùs diximus. Is igitur vnus modus, eſt, quo pœnæ debitum (quod poſt ſublatam culpam remanet) diſſijci poteſt. Alius item eſt per eleemoſynarum largitionem. Nam Chriſtus *Lucæ 11.* ait: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Atqui certum eſt, nihil ei qui gratia caruerit, profuturum, quantaſcunque largiſſimas fecerit eleemoſynas, cum dicat Paulus. *1. Cor. 13.* Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ecce nihil confert eleemoſynæ diſtributio, niſi quis in charitate radicatus fuerit. Verùm in charitate quiſquis eſt: is ſimul eſt, & gratiæ particeps, ac liber effectus à culpa. Nam has duas, hoc eſt, gratiam & culpam, ſimul cuiquam adeſſe, nequaquam eſt poſſibile.

Quamobrem ſi quis à culpa ſolutus fuerit, iam eſt & mundus. Veruntamen à reliquijs peccatorum, per eleemoſynam eſt adhuc mundandus.

Tertius

Tertius modus eſt per vehementem charitatis affectum. Nam vehemens vtique charitatis affectus peccatorum etiam expurgat reliquias, cum

1. Pet. 4
Iacob. 5.

dicat diuus Petrus: Charitas operit multitudinem peccatorum. Cui ſubſcribit & Iacobus, de ipſo loquens: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, operit, inquit, multitudinem peccatorum. Præter hæc & iniuriarum dimiſſio

Luce. 6.
Matth. 6.
Oratio dominica quæ peccata expurgat.

plurimum confert. Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Et rurſum: Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Ecce propterea quòd tu peccatum dimittis alienum, & tibi cœleſtis pater remittet peccata tua. Adde, quòd oratio dominica quoties in ea ritè dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, plurimum facit ad reliquiarum harum expiationem. Et ne dixeris hanc particulam ad quotidiana pertinere peccata, audias Auguſtinum in Enchiridio cap. 71. vbi palàm affirmat, quòd non ſolùm hæc oratio, minima, & quotidiana peccata delet, verumetiam delet & illa, à quibus vita fidelium vel ſceleratè geſta, ſed pœnitendo in melius mutata, diſcedit. Sed & aliena oratio, nempe ſancti cuiuſpiam viri profuerit plurimum. Nam Iacobus ait. Ora-

Iacob. 5.

tio Fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Neque hìc de mortalibus peccatis agitur, quæ non ſunt adhuc remiſſa. Nam illa per alienam orationem nemini condonantur, ſed de reliquiis mortalium, ſimul & de venialibus intelligi debet. Vides igitur quot modis diuina clementia reliquijs peccatorum dignata ſit ignoſcere, vt nemini mirum fuerit, ſi per ſummi pontificis condonationem, modò clauis (vt aiunt) non aberret, hæ peccatorum reliquiæ ſimiliter aboleantur. Neque enim fruſtrà Petro creditur dixiſſe Chriſtus: Quodcunque ſolueris ſuper ter-

Mat. 16.

ram, erit ſolutum & in cœlis. Dixiſſet autem hoc ipſum fruſtrà, ſi vinculum aliquod cuiuſuis peccatoris animum teneret, quod per vllum è ſuprà memoratis modis abſolui poſſet, & Petrus Chriſti verbis confiſus, nequiret ab eodem ſoluere.

Luce 11.

Dixit Chriſtus: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et credimus per eleemoſynam, reliquias peccatorum expurgandas. Dixit

Luc. 6.

Chriſtus: Dimittite, & dimittetur vobis. Et credimus per dimiſſionem fraternæ iniuriæ, nobis

Iaco. 5.

etiam dimitti reliquias peccatorum. Dixit Iacobus: Oratio Fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Et omnino credimus ita futurum. Cur ſimili modo cum pollicitus ſit Chriſtus, id fore ſolutum & in cœlis, quicquid Petri ſucceſſor ſoluerit ſuper terram, non credimus Petri ſucceſſorem (modò fideliter & prudenter idipſum attentauerit) poſſe nos à reliquiis peccatorum abſoluere? Sed hæc pro ſecun-

Tertium.

do ſufficiunt. Iam ergo veniamus ad tertium. Quod eſt, ſi quid per has condonationes diuinæ iuſtitiæ detractum ſit, id Chriſti meritis, & ſanctorum, abundè reſarciri conueniat. Nam hoc

Per Luth. diuinæ iuſtitiæ derogatur.

eſt quod Luthero, cum primis obiici valet, nempe quòd per ipſum diuinæ iuſtitiæ non parum eſt derogatum, cum iuxta traditionem eius ſcelera plurima tranſibunt inulta. Nos verò nihil inultum præterire poſſe fatemur. Sed ſi quid animaduerſionis peccatori defuerit, id aliundè penſandum opinamur. Nec ſanè commodiùs id fieri poteſt, quàm ſi ex Chriſti ſanctorumque meritis quicquid iuſto minus fuerit, reſtituatur. Nam

Chriſti merita.

quicquid ex pœnæ debitæ perſolutione peccatori defuerit, id ex illorum meritis rependi poteſt commodiſſimè. Cæterùm vt hoc dilucidius fiat, nonnulla priùs à nobis firmanda ſunt. Et primum quòd eodem actu quis pro ſeipſo mereri præmium poteſt, & nihilominus pro quouis altero ſatisfacere, abſque vllo ſui præmij diſpendio. Quod quidem, cùm ex alijs multis patere

Exod. 32.

poteſt, tum ex Moſe primùm, qui cùm tam inſtanter orauit, vt aut ipſe de libro vitæ deleretur, aut populo remitteretur ſua noxa. Non potuit certè tanta, & tam eximia charitas ſuo merito fruſtrari. Et tamen præter meritum, quod ſibi comparauit, obtinuit etiam (id quod Rabbi Sa-

Rabbi Samuel.
Leuit. 6.

muel affirmat) vt in omni clade, quæ poſtea Iudæis contigit, nonnihil de pœna pro peccato illo debita remitteretur. Sed & in Leuitico pollicetur Moſes, quòd ſacerdote rogante pro ijs, qui pro ſuis peccatis hoſtias obtulerint, propitius foret eis dominus. Et quid eſt hoc loco Deum eis propitium eſſe, quàm eum nonnihil ex pœna peccatis debita remittere, cum quantum ad culpam attinet ipſa per interiorem gemitum antè ſufficienter fuiſſet deleta? Nec tamen ob id Sacerdos orationis ſuæ præmium amiſit. In libro quoque Numerorum traditur, quòd cum ſæuiret

Num. 16.

in populum ira Dei, mox vt Aaron obtuliſſet thymiama, & deprecatus fuiſſet pro populo, ceſſauit plaga. Ecce profuit Aaron ſuis precibus ad minuendam pœnam, populo pro ſuis peccatis debitam, nec tamen ipſe precum ſuarum fuerat ob id mercede priuatus, cum dicat Paulus: Vnuſ-

1. Cor. 3.
Act. 7.

quiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Sed & Stephanus quando pro ſe lapidantibus orauit, profuit vehementer Paulo, nec ſeipſum tamen tam ardentis charitatis mercede fraudauit. Sic nimirum & pleroſque ſanctos viros pro peccatoribus legimus ſatisfeciſſe, & nominatim Andræam Apoſtolum, pro quodam ſene presbytero, qui penè totam priorem vitam in ſcortationibus abſumpſit, pro quo tamen Andreas non priùs deſtitit ſeipſum ieiuniis, & lacrymis affligere, quàm diuinitùs intellexerit, eidem peccata fuiſſe condonata. Profuerunt igitur iſtorum ſtudia pluribus ad ſatisfactionem, & tamen ex propriis meritis nihil penitus imminuerunt. Nec eſt dubium, quin ad hunc modum, homines cæteri mutuò vnus pro alio poteſt ſatisfacere, atque ita vt nihil proprij depereat meriti, neque viuus pro viuo ſolùm, ſed & pro mortuo quoque. Cui rei tam Auguſtinus, quàm

Quatuor operum genera, quibus mortuis prodeſt.

Gregorius palàm aſtipulantur, & quatuor operum genera memorant, quibus defunctis pro-

deſſe

deſſe poſſu-mus.

deſſe poſſumus, hoc eſt, altaris ſacrificium, eleemoſynas, ieiunia, precationeſque ſanctas. Auguſtinus verò in libro cui titulus eſt de cura pro mortuis agenda, mortuorum memorias peculiariter approbat ijs verbis: In Mach. inquit, libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed & ſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac conſuetudine claret auctoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Hæc Auguſtinus. At quomodo proſunt hæc opera, niſi per expiationis accelerationem, & per quendam ſatisfactionis modum, nempe pro pœnis, quarum debitum, ex peccatis in hac vita perpetratis ante contraxerant. Quòd ſi pro mortuo ſatisfieri poteſt, multò magis pro viuo, cum is adhuc viator ſit, & mereri per ſeipſum poteſt. Cæterùm pro vtrouis quis id fecerit, non imminuetur ei ſuæ charitatis merces, cum ſcriptum ſit, Deum vnicuique ſecundum eius opera redditurum. Cæterum ex ijs pœnis, quas pro nobis in cruce ſuſtinuit Chriſtus, res hæc multò magis perſpicua redditur. Is enim pro peccatoribus ſanguinem ſuum fudit, & amariſſimam perpeſſus eſt mortem, vt nobis peccata remitterentur, nec tamen ob id, ſuæ paſſionis præmio fruſtratus eſt ipſe. Nam propter hoc Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Cæterùm fructus remittendæ non ſolùm culpæ, verumetiam pœnæ ad nos vſque peruenit. Tantus enim & tam ampliſſimus erat illius acerbiſſimę necis fructus, vt pro totius mũdi ſuffeciſſet peccatis, abſque ſui præmij vel vllo detrimento. Fuit igitur hoc opus Chriſti meritorium, ſimul & ſatisfactorium. Meritorium vtique ſibi fuit, quemadmodum ex Paulo iam diximus. Fuit etiam & nobis meritorium, quia nobis Chriſtus & gratiam meruit & gloriam. Fuit identidem & ſatisfactorium. Sed eius ſatisfactionis emolumentum cum ipſe nullius eguit, totum penitus ad nos redundauit. Ex ijs itaque dilucidum eſt eundem actum, & meritorium & ſatisfactorium eſſe vſqueadeo, vt quis eodem actu ſibi mereri poſſit, & nihilominus pro altero ſatisfacere abſque ſui præmij quantulacunque iactura. Secundo ſupponimus. Quòd quanquam nemo ſit, cui non cumulatius præmium in cœlis Deus largiatur, quàm hic in terris ipſe meruit, innumeri tamen ſunt, qui longè grauiores ærumnas pertulerunt, quàm ad ſuorum ſuffeciſſent delictorum expiationem. Et primùm, id ambiguum eſſe nemini poteſt, quantum ad glorioſam Chriſti genitricem, quæ neuo quouis & labe caruit, tam originalis quàm actualis peccati. At ipſa tamen innumeras & eaſdem acerbiſſimas, perpeſſa fuit moleſtias. Fuerunt & alij (qui lethalibus noxijs caruiſſe creduntur) vt Ioannes, Chriſti præcurſor & Hieremias. Quid Paulum memorem & alios plurimos, qui nunquam poſt baptiſmi gratiam lethalem culpam admiſerunt? & ipſi tamen clades, ac calamitates immenſas, & abſque numero ſunt perpeſſi. Neque negauerim eos omnes, etiam longè ſuprà quàm meruerint, eſſe remunerandos. Veruntamen haud dubito, quin quod in ærumnarum quas tolerârunt cruciatibus erat ſatisfactorium, non euanuerit penitùs in aëra. Nam Deus ipſe benigniſſimus, qui mala noſtra ſemper vertit in bonum, non patietur hanc ſatisfactionem omnino perire, ſed in aliquam hauddubiè conuertet vtilitatem. At peribit certè, ſi nec eis, neque cæteris profuerit quicquam. Et quoniam illi, ſuæ ſatisfactionis fructum, nullis deſtinârunt perſonis certis, ideo fit, vt in commune ceſſerit Eccleſię totius emolumentum, & communis Eccleſiæ theſaurus iam dicatur, nimirum vt inde rependatur, quicquid cæteris ex iuſta ſatisfactione defuerit. Sic enim & Paulus ipſe teſtari viſus eſt, ad Coloſſ. ſcribens: Nunc enim gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Vbi litera Ambroſij ſic habet: Et ſuppleo reliquias preſſurarum Chriſti in carne mea, pro corpore eius quod eſt Eccleſia. Quibus ſanè verbis Paulus ſignificare videtur ærumnas, quas cæteri ſancti pertulerunt in ſua carne, ceu reliquias quaſdam, adiungendas eſſe preſſuris Chriſti, ad communem Eccleſiæ totius vtilitatem. Supponimus tertiò, quòd huius theſauri diſpenſatio præcipuè pertinet ad eum, qui totius Eccleſiæ caput eſt: cui & Chriſtus promiſit claues regni cœlorum, vt eſſet verè ſolutum in cœlis, quicquid ipſe ſoluiſſet in terris. Neque tamen inficias eo, quin propter vnitatem corporis myſtici, ſi quis conformârit ſe Chriſti, ſanctorumque cruciatibus, ipſe particeps euadet ſatisfactionis eorum, ſic tamen vt non prolo ni quauis tolerantia, protinus à reliquijs peccatorum, ab omni pœna pro eis debita, prorſus purgetur. Nam ex eo ſequeretur, quòd omnes qui in gratia decederent, confeſtim euolarent, atque ita penitùs extingueretur omne purgatorium. Neque enim ſatisfactiones, quæ manant ex Chriſti meritis, mox cuique pœnitenti diſpenſantur, quanquam ipſe Chriſtus, & ex inſtituto quidem pro peccatoribus tantas ærumnas ſubijſſet: Dixit enim anteaquàm pateretur: hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et quanquam Chriſtus eò ſpectabat, cum tanta pateretur, non tamen ex hac paſſione, ſingulis peccatoribus protinùs vt reſipuerint, tantundem remiſſionis ſuppetatur, quantum eis ad pœnam peccatis debitam ſufficiat abolendam. Sic enim fruſtra dixiſſet Apoſtolis Chriſtus: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Atque illud quoque: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Huius itaque theſauri diſpenſatores, prælati ſunt quibus & Chriſtus illa dixit. Sed inter iſtos, ille præcipuus eſt, qui cæteris omnibus præficitur, quique poteſtatis in hac re plenitudinem obtinet, quemadmodum Innocentius. iij. in concilio quodam

2. Mach. 12. *Rom. 2.* *Philip. 2.* *De meritis ſanctorum.* *Theſaurus Eccleſiæ.* *Coloſſ. 1.* *Theſauri diſpenſatio pertinet ad pontificem.* *Matth. 26.* *Qui ſint diſpenſatores Eccleſiaſtici*

quodam generali diffiniuit, qui talem ſe præſtitit cui meritò fides eſt adhibenda. Nam (vt refert Platina) vir erat in quouis genere vitæ probatiſſimus, ac dignus inter ſanctos Pontifices cenſeretur. In concilio igitur per eum vocato Laterani, in quo fuerunt (vt idem Platina teſtatur) patriarchæ duo, nempe Hieroſolymitanus & Conſtantinopolitanus. Metropolitani, lxx. Epiſcopi, cccc. Duodecim Abbates, Priores conuentuales, lxxx. Græci & Romani imperij legati, Regum verò Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. In hoc concilio, quoniam Abbates id temporis præſumpſerant literas indulgentiarum conferre, dictus Innocentius illum abuſum reuocauit, ſimul & Epiſcopis præſcripſit certos limites, quos non excederent, reſeruata Romano pontifici plenaria facultate. Sic enim quantum ad Abbates illic traditur: Accedentibus ad nos de diuerſis mundi partibus Epiſcoporum querelis, intelleximus graues & grandes Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea quæ ſunt epiſcopalis dignitatis extendunt: de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, iniungendo publicas pœnitentias concedendo etiam indulgentiarum literas. Ecce hìc ſummus pontifex in concilio correptis Abbatibus, teſtatur ad epiſcopalem dignitatem pertinere, vt indulgentiarum literas ipſi concedant. Quibus tamen inferiùs modum præſcribit, ne per ſuperfluas indulgentias ſatisfactio pœnitentialis eneruetur. Quia per indiſcretas, inquit, & ſuperfluas indulgentias, quas quidã eccleſiarum prælati facere non verentur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, & ſatisfactio pœnitentialis eneruatur: decernimus, vt cùm dedicatur Baſilica, non extendatur indulgentia vltra annum, ſiue ab vno ſolo, ſiue à pluribus epiſcopis dedicetur. Et infra, hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet caſibus aliquoties conceduntur, cum Romanus pontifex (qui plenitudinem obtinet poteſtatis) hoc in talibus moderamen conſueuerit obſeruare. Tria igitur quãtum ad indulgentias attinet, in hoc concilio decreuit Innocentius tertius. Negauit primùm Abbatibus indulgendi facultatem. Eandem in Epiſcopis moderabatur. Sed & plenariam eius rei poteſtatem Rom. Pontifici reſeruatam declarabat. Cuius concilij meminit, & Innocentius quartus, quod & quatenus ad indulgentias ſpectat in altero concilio (quod ipſe Lugduni celebrabat) palàm approbauit. Ex ijs igitur (quę nos hactenus declarauimus) ſatis conſtare puto, non ſolùm aliquas (deleta culpa) remanere peccatorum reliquias, verumetiam eaſdem, per ſummi pontificis auctoritatem condonari poſſe, nullumque præiudicium ex eo diuinæ fieri iuſtitiæ: cum abundè ſatis ex Chriſti ſanctorumque perpeſſionibus reſarciatur, quicquid peccatoribus ex iuſta pœnæ tolerantia defuerit, ſed & quo ſolidiora, quæ diximus, cunctis innoteſcerent, ipſa roborauimus duobus concilijs, Eccleſiã vniuerſalem repræſentantibus, quę (Paulo teſte) columna dicitur & firmamentũ veritatis. Sed iam tempus eſt vt Lutherum audiamus.

Abbatum exceſſus in concilio Lateran. compreſsi.

De literis indulgentiarum.

Tria Innocentij 3. in concilio Lateranenſi decreta.

Nullum præiudicium fieri diuinæ iuſtitiæ ob condonationes.

LVTH. *Hunc probati ſic, quia merita Chriſti ſunt res viuæ, ſpirituales, & ſacra quæ viuificant cor. Qui enim manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum viuet in æternum. Verba & opera Chriſti omnibus ſunt ſalutaria ad vitam, quicunque ea apprehenderint, nec poſſunt niſi Fide apprehendi: ideo nec vllus hominum habet ea in poteſtate ſua, niſi ſolus ipſe.*

EPIS. Hæc aliena ſunt ab articulo, nec aduerſum, vt aiunt, faciunt quicquam. Nos in operibus Chriſti duo fuiſſe diximus, nempe meritum & ſatisfactionem, ijs enim verbis vtimur, nimirum quòd ſint theologis non ſolum recentioribus, verumetiam veteribus frequenter vſitata. Meruit vtiq; Chriſtus tam ſibi quàm nobis. Porrò ſi meritum ſpectemus, præmio iam donatus eſt, quantum ad ſeipſum pertinet, cumulatiſſimo: relicta nobis interim ampliſſima ſatisfactionis gaza. Et quanquã opera illa Chriſti iam tranſierint, manet nihilominus & merces operum, quam ille iam in cælis poſſidet, & ſatisfactionis amplitudo, cuius peccatores quotidie fiunt participes. Cæterùm quod propriè iuſtificat cor, gratia eſt, quę quotidie creatur, & cordibus infunditur noſtris. Et hanc etiã Chriſtus ipſe nobis meruit. Nam eatenus opus Chriſti, cæterorum hominum præſtat operibus, quòd propter vnionem Deitatis, non ſolùm ſibi mereri præmium potuit, verumetiam nobis gratiam & gloriam. Et has conferri miniſterialiter, hoc eſt, per Sacramentorum adminiſtrationẽ in poteſtate Sacerdotum eſt. Nec de carne & ſanguine Chriſti Lutherus ipſe dubitat, quin facultatem Sacerdotes habeant vtriuſque conſecrandi. De Fide verò ſæpè diximus, quòd ea non ſemper eſt viua. Sed & ſæpè cum ea viua fuerit, quanquam tunc reatus aufertur, & peccati culpa prorſus aboleatur, reliquiæ tamen peccatorum haud abiuuntur penitus. Sed eas vel per ſatisfactionem noſtrã, vel per condonationes legitimè conquiſitas deleri neceſſum eſt.

In operibus Chriſti duo ſunt, meritũ & ſatisfactio.

Gratia cor iuſtificat.

LVTH. *Indulgentiæ autem ſunt remiſsiones ſatisfactionis, quæ nihil faciunt ad iuſtificationem, ideo inſignis eſt Blaſphemia, merita Chriſti in hoc ſordidum opus mortis ponere.*

EPIS. Duplex intelligatur neceſſe eſt iuſtificatio. Altera quæ fit per gratiam à reatu peccati, altera quę fit per expiationem à peccati reliquijs. Vtraque certè non parui momenti putanda eſt, neque poteſt alterutra vocari, ſordidum opus mortis, niſi ab improbis & blaſphemis. Nam culpa quæ per gratiam aboletur, multo ſordidior eſt, quam reliquiæ, quæ poſt culpam remanent, & tamen ab hac nullas omninò gratia ſordes contrahit. Quod ſi gratia nullis per deletionem culpæ ſordibus inquinetur, multò minùs hæc ſecunda iuſtificatio dici poterit opus mortis ſordidum, cum iam per priorem iuſtificationem, culpæ ſordities abluta ſit. Neutra igitur, aut opus mortis, aut opus ſordidum exiſtimari debet. Sed vtraque ſuo modo purgat, illa reatum, iſta reliquias, quę poſt reatum in animo remanẽt. Et ſicut illa præſtat vitam peccatoribus, ita & iſta iuſtificat eos ad gloriam, ad quam intrabit nemo, niſi prius ab ijs reliquijs fuerit expurgatus.

Duplex iuſtificatio, altera reatum, altera reliquias peccati tollit.

LVTH. *Præter hæc nullis ſcripturis ſua probant, ſed ſola impia*

illa

illa extrauagante Cle. vj. ex opinionibus Thomæ inſulſiſsimis, & meris figmentis concepta.

EPISC. Ex ſcripturis abundè monſtrauimus, manere poſt deletam culpam, peccatorum reliquias. Ex eiſdem & has condonari poſſe docuimus apertiſſimè. Sed & tandem ob condonata, nullum diuinæ iuſtitiæ præiudicium fieri, palàm oſtendimus. Præter hæc, quid amplius quiſquam exigere debet, non intelligo, & is maximè, qui nec ſcripturis nec efficacibus argumentis contrarium affirmat. Sed finge (quod facis) nos ſcripturas nullas habere. Num pro noſtra parte non ſatis fuerit Eccleſiæ totius auctoritas? Num concilia duo pleniſſima per optimos Pontifices tam vita, quàm doctrina probatiſſimos accita non ſufficient? vt interim nihil de extrauagante dicam, quam tu tam contumelioſè vocas impiam: neque de opinionibus D. Thomæ, quas tu velut inſulſiſſimas contemnis, & nihil aliud eas facis, quam mera figmenta: cum nemo compos mentis fuerit, qui non pluris vnum Thomam æſtimet, quam Lutheros decem.

LVTH. *Ad hæc merita Chriſti ſunt neceſſaria & præcepta haberi, ſicut & Fides, ſic 1. Corinth. 1. dicit nobis Chriſtum eſſe Dei virtutem, & Dei ſapientiam: & Rom. 5. nos in ſolo ſanguine eius iuſtificari: & Rom. 4. ipſum poſitum propitiatorium in ſanguine ſuo. Sed indulgentiæ nec neceſſariæ nec præceptæ ſunt, ſicut nec fidem habent, ideo nihil faciunt ad ſalutem prorſus.*

EPISC. Gratiam certè, quæ ſola ſalus animi eſt, non conferunt indulgentiæ. Sed tamen ob id non ſunt reſpuendæ, cum in alium finem profuerint non mediocriter. Conducunt enim ad celeriorem introitum in gloriam, quemadmodum & venialium remiſsiones. Quis enim tam imprudens eſt, vt remiſsiones venialiũ ſi poſſet conſequi, repudiare voluerit, cum tamen neque iſtæ gratiam conferunt, neque præcipiuntur haberi. Nemo certè ſiue cũ venialibus, ſeu cum reliquijs mortalium, cœleſte regnum ingredietur. Quamobrem & ambæ neceſſariæ ſunt, hoc eſt, tam venialium remiſsiones, quàm reliquiarum mortalium expurgationes. Cæterùm quanquam ad gratiam conſequendam indulgentiæ parum adiuuerint, pleriſque tamen occaſionem præſtant quærendæ gratiæ, quam alioqui nunquam eſſent quæſituri: ſed ob criminum multitudinem deſperantes, ſe præcipites in omne flagitium darent. Tuas verò ſcripturas (quas hîc adducis) ſi quis excutere vellet, oſtenderet facilè quàm nihil faciunt ad inſtitutum tuum. Quid enim ſi Chriſtus Dei virtus ſit, & Dei ſapientia, num non eò magis paſsionum eius tolerantia pro reliquijs offenſarum noſtrarum erit ſatisfactoria? proculdubio. Et ſanguis Chriſti (quo ſolo iuſtificamur) non ſemper effunditur, ſed ſemel effuſi virtus adhuc remanet, tam præſentibus quàm futuris peccatoribus communicanda. Quamobrem cum hujus ſatisfactionis, peccator non protinus, vt Fidem habet, particeps efficitur (ſic enim omnes, qui cum Fide ex hoc ſeculo diſceſſerint protinus euolarent.) Fit igitur, vt huius ſatisfactionis theſaurus in ærario communi totius Eccleſiæ, diſpenſandus relinquatur

Indulgentiæ etſi gratiam non conferant, celeriorem tamen aditum in gloriam parant.

Indulgentiæ pleriſque gratiæ quærendæ occaſionem præbent.

LVTH. *Quòd verò dicunt, merita Chriſti accipi dupliciter, vno modo per modum ſatisfactionis, alio per modum iuſtificationis, reſpondeo: Quid mihi & iſtis figmentis?*

EPISC. Non ſunt figmenta Luthere, quòd opera Chriſti ſint & meritoria, ſimul & ſatisfactoria. Nam quicquid præſtantiæ conceditur operibus hominum, id operibus Chriſti negare non licet. Atqui ſuperiùs oſtendimus, opera piorum hominum, maximè pœnalia, pro peccatoribus aliquandò fuiſſe ſatisfactoria, ſimul & ſibiipſis nihilominus meritoria. Neque enim fieri poteſt, vt quiſquam (qui fortè charitate ductus, ſiue pro viuis, ſeu pro mortuis, aut precatur, aut ieiunat, aut eleemoſynas largitur, aut denique ſacrificium altaris offert) mercede fruſtretur operis ſui. Nam certè quò cuiuſque charitas purior eſt, & ſyncerior, eò lubentiùs hæc facit pro alijs quàm ſeipſo. Nec eſt dubium quin maior charitas mercede cumulatiori præmiabitur. Sed nec amplitudo præmij, qua quis ob charitatem ſuam donatur in cœlo, quicquam obſtat, quò minùs ipſe ſatisfactionis fructus ad vtilitatem proximi conuertatur, cum nihil minuat ex gloria Chriſti, quòd ſuæ redemptionis opus innumeris profuerit. Quamobrem velis nobis Luthere, hæc in operibus tam Chriſti, quàm cæterorum hominum diſtinguenda ſunt, nempe meritum, & ſatisfactio. Quiſquis enim iſta ſecernere, vel nequeat, vel nolit, aut ingenij certè craſsities in cauſa eſt, aut peruerſa malignitas: cum & ſæpe videamus apud ſeculares principes, quorum tamen haud infinita benignitas eſt, vt quiſpiam intercedens pro alterius offenſa, non ſolùm illam obtineat, verumetiam & ampliorem apud eos gratiam plerunque ſibi conciliet. Quòd ſi princeps aliquis ſecularis, cuius eſt vel non ſyncera, vel non immenſa benignitas, vnicam alicuius aulici operam, ceu ſatisfactoriam pro altero acceptet, & ob eandem nihilominus interceſſori gratiam augeat ampliorem, quis non videt Deum Optimum Maximum (cuius puriſsima benignitas omnem limitem ſupergreditur) non idipſum eorum operibus tribuere, qui ſunt chariſsimi.

Meritum & ſatisfactio in operibus ſecernenda.

A ſimili.

LVTH. *Scio merita Chriſti etiam accipi hodie per modum pecuniæ. Et in quo ſcelerum abuſu non prætexuntur hodie merita Chriſti? Hac fingendi libidine quiduis è quouis facere licebit, etiam Deum ex ipſo Satana, quod faciunt atque fecerunt impij iſti indulgentiarij adulatores.*

EPISC. Hæc nihil aliud ſunt, quàm mera conuicia, & contumeliæ in pontificem ſummum, & fautores ipſius, ad quæ ſæpe te conuertis, cum argumenta tibi ſolidiora deſuerint. Neque poteſt profectò quoduis indicium eſſe perſpicatius hominis à veritate deſtituti, quam cum ita furiat, ac debacchetur in alios tam maledicentiſsimè. Quam rem & ipſe teſtaris in defenſione 33. concluſionis tuæ aduerſus Silueſtrum. Euidens (inquis) ſignum eſt deſtituti à veritate, furor & indignatio. Sic enim agis, vt certè neſciam, an tuam hanc eximiam cæcitaten demirer, an deplorem

Suo telo recuſſus Luth.

deplorem potiùs: qui non erubeſcis eodem volutari luto, quo cæteros conſpurcari moliris. Sed hactenus pro boc articulo.

ARTICVLVS XVIII.

LVTH. *INdulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum, & ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.*

EPISC. Multos fortaſſe mouet, indulgentijs iſtis non vſqueadeo fidere, quod earum vſus in Eccleſia videatur fuiſſe recentior, & admodum ſerò repertus apud Chriſtianos. Quibus ego reſpondeo, non certò conſtare, à quo primùm tradi cœperunt. Fuit tamen nonnullus earum vſus (vt aiunt) apud Romanos vetuſtiſsimus. Quod vel ex ſtationibus in vrbe frequentatiſsimis intelligi datur. Sed & Gregorium primum aiunt, aliquas ſuo tempore conceſsiſſe. Neque cuiquam obſcurum eſt, quin poſterioribus ingenijs multa ſint, tam ex euangelijs, quam ex ſcripturis cæteris, nunc excuſſa luculentiùs, & intellecta perſpicatiùs, quàm fuerant olim. Nimirum, aut quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies, neque ſufficiebat illorum ætas, totum illud ſcripturarum pelagus adamuſſim expendere: aut quia ſemper in ampliſſimo ſcripturarum campo poſt meliores quantumuis exquiſitiſſimos, ſpicas adhuc intactas licebit colligere. Sunt enim adhuc in euangelijs, loca pleraque ſatis obſcura, quæ non dubito, poſteritati multò fient apertiora. Cur enim iſtud deſperabimus, cum ideo traditum ſit Euangelium, vt à nobis penitus & ad vnguem intelligatur? Quoniam igitur in Eccleſiam ſuam amor Chriſti non minus nunc quàm antea fortis perſeuerat, cuius etiam poteſtas nihil hactenus eſt imminuta, cumque ſacer ille ſpiritus perpetuus eiuſdem Eccleſiæ cuſtos, & æditu⟨u⟩s fuerit, cuius dona iam indeſinenter, & æque copioſè fluunt, ſicut ab initio: quis ambigere poteſt, quin ad eorum (quæ iam in Euangelio ſuperſunt incognita) claram notitiam, ingenia poſteriorum illuſtrabuntur. Cæterùm (vt dicere cœpimus) multa ſunt, de quibus in primitiua Eccleſia nulla quæſtio facta fuerat, quæ tamen poſteriorum diligentia ſubortis dubitationibus iam euaſerunt perſpicua. Nemo certè (vt ad negocium noſtrum redeamus) iam dubitat orthodoxus, an purgatorium ſit, de quo tamen apud priſcos illos, nulla, vel quàm rariſsima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc vſque diem, non eſt creditum purgatorium eſſe. Legat qui velit Græcorum veterum commentarios, & nullum quantum opinor, aut quàm rariſsimum de purgatorio ſermonem inueniet. Sed neque Latini, ſimul omnes ac ſenſim, huius rei veritatem conceperunt. Neque tam neceſſaria fuit, ſiue purgatorij, ſeu indulgentiarum Fides in primitiua Eccleſia, atque nunc eſt. Tunc vſqueadeo charitas ardebat, vt paratiſsimi fuiſſent ſinguli pro Chriſto mortem oppetere. Rara fuerunt crimina, & ea quæ contigerunt, magna fuerant canonum ſeueritate vindicata. Nunc autem bona pars populi, magìs Chriſtianiſmum exueret, quàm rigorem canonum pateretur: vt non abſque maxima Sancti ſpiritus diſpenſatione factum ſit, quòd poſt tot annorum curricula, purgatorij Fides, & indulgentiarum vſus, ab orthodoxis generatim ſit receptus. Quam diu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæſiuit indulgentias. Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum exiſtimatio. Si tollas purgatorium, quorſum indulgentijs opus erit? His enim, ſi nullum fuerit purgatorium, nihil indigebimus. Contemplantes igitur aliquandiu purgatorium incognitum fuiſſe: deinde quibuſdam pedetentim, partim ex reuelationibus, partim ex ſcripturis fuiſſe creditum, atque ita tandem generatim eius Fidem ab orthodoxa Eccleſia fuiſſe receptiſſimam, facillimè rationem aliquam indulgentiarum intelligimus. Cum itaque purgatorium tam ſerò cognitum ac receptum Eccleſiæ fuerit vniuerſæ, quis iam de indulgentijs mirari poteſt, quòd in principio naſcentis Eccleſiæ nullus fuerat earum vſus? Cœperunt igitur indulgentiæ, poſtquam ad purgatorij cruciatus aliquandiu trepidatum erat. Tunc enim credibile eſt ſanctos patres accuratiùs cogitaſſe, quibus modis aduerſus illos cruciatus, ſuis gregibus conſulere potuiſſent, & ijs præſertim, quibus ætas non ſufficeret, ad complendam per canones inſtitutam pœnitentiam. Legentes igitur inter cætera, tantam Petro ſuiſque ſucceſſoribus, in euangelio collatam à Chriſto fuiſſe poteſtatem, vt quicquid ille ſolueret in terris, ſolutum foret & in cælis, & eam exactiſſimè librantes, non dubitârunt Petri ſucceſſores (modò fideliter & prudenter id negotium egerint) pœnas (quæ pro reliquijs peccatorum non ſufficienter hic expiatis, in purgatorio luerentur) condonare poſſe. Animaduertebant enim propenſiores ad clementiam illos eſſe debere, quàm ad rigoris diſtrictionem: ſimulque perpendebant, quòd cùm ſacerdotibus poteſtatem donaſſet Chriſtus, animas ab æterna pœna liberandi, multò magìs talem in Eccleſia reliquit auctoritatem, quæ poſſet à purgatorij pœnis identidem abſoluere. Ex hoc fonte (ni fallor) indulgentiæ manarunt, & ad magnum animarum commodum, ſi per ſummos pontifices ritè concedantur, ſimulque rectè ſuſcipiantur à pœnitentibus. Neque negauerim, quin earum abuſus vtrobique fieri poteſt. Poteſt enim & conceſſor indulgentiarum, id ſiniſtro quodam intuitu facere, ſimul & ſuſcipientes eas, anſam ex eis accipere viuendi negligentiùs. Et quid eſt, quantumuìs homini neceſſarium, quo non ipſe queat abuti, modò animum ad id intenderit. Cæterùm ea culpa, non rei (qua quis ad eum modum abutitur) imputanda eſt, ſed abuſori potiùs. Non ſunt igitur indulgentiæ fraudes fidelium, neque remiſſiones bonorum operum, ſed illis (vt diximus) commodiſſimè reſarciuntur, quæ peccatoribus deſunt, ad iuſtam pœnæ taxam, pro peccatis debitæ perſoluendam. Sed iam Lutherus pro ſua parte loquatur.

Non certè conſtat vnde ſit orta indulgentia.

Nonnulla in Euangelijs adhuc expenenda.

Multa nunc perſpicua quæ olim obſcura.

De purgatorio apud priſcos mentio rara.

Cœperunt indulgentiæ, ſimul atque purgatorij metus mortales inuaſerat.

Vnde manarunt indulgentiæ.

Erra-

LVTH. *Erraui fateor, vbi dixi, Indulgentias eſſe pias fraudes fidelium: ſic enim a multis prouerbio dici audieram, quos tunc imitabar. Reuoco ergo & dico: Indulgentias eſſe impijſsimas ſceleratiſsimorũ Pontificum fraudes, & impoſturas, quibus & res & animas fidelium fallunt & perdunt. Sed & hanc propoſitionem cum præcedente & quatuor ſequentibus reuocaui libro de Captiuitate Babylonica.*

EPISC. Hæc reuocatio iuxta prouerbium eſt, Mandrabuli more. Procedit enim hæc tua peruerſitas ſemper in deterius. Nam vt priùs erraueras, ita nunc, & multò quidem magis aberras à ſcopo. Quæ res opinor, ſatis ex ijs, quę priùs diſſeruimus, eſt dilucida. Tu certè fallis fidelem plebem, qui contra patrum omnium ſententias, ſimul & totius Eccleſiæ tot retrò ſeculis vſurpatam conſuetudinem, polliceris auditorio tuo pœnæ ſimul & culpæ plenariam remiſsionem, cuius pollicitationis, nullam vales præſtare ſecuritatem. Quamobrem ipſe merus impoſtor es, & plebis omnino ſeductor, non ipſi pontifices ſummi, quibus & Euangelium fauet, & generale ſubſcripſit concilium, ac recentiorum interpretum cœtus vniuerſus. Neque enim à veteribus hæc res in quæſtionem venit. Conſentiunt tamen hi, peccatores ad ſatisfactionem obligatos manere poſt remiſſam culpam. Quod ſolum ſatis eſt, ad tuas impoſturas dilucidè manifeſtandas, & ad errorē tuum conuincendum, quo non vereris abſolutos aſſerere, tam à pœna quàm à culpa liberos eſſe factos.

LVTH. *Probaui enim ſuperiùs ſatisfactionem aut nullam requiri à Deo, aut prorſus irremiſsibilem eſſe ab homine quam requiſierit, ideo indulgentias iſtas prorſus nihil eſſe.*

EPISC. Nec probâſti, nec probabis vnquam, niſi priùs & ſcripturas ſacras, & interpretes omnes (quotquot præceſſerunt) erraſſe docueris. Nihil hactenus opinor (quod ad hanc rem attinet) in hoc aſſertionum libello prętermiſſum à nobis eſt, cui non abundè ſatisfecimus: quin etiam oſtendimus cùm ex Patribus orthodoxis, tum ex ſcripturis, dilucidis, peccatores ſublato reatu peccati, nihilominus ad pœnam teneri, quæ peccatis debetur actualibus, non vt tu videri vis, originali duntaxat. Sed & eam oſtendimus eſſe remiſſibilem, cùm alijs modis compluribus, tum per conditiones à ſummo conceſſas Pontifice.

LVTH. *Sic enim Adæ & Heuæ omnibusq; nobis impoſuit laborem & mortem.*

EPISC. Plurimum intereſt, inter Adæ peccatum, quod is in paradiſo commiſit, & noſtrum, quod videlicet ab eo contraximus. Illud nimirum in ipſo peccatum actuale fuit, cum tamen in nobis originale ſolùm dicatur. Cæterum ex eo perſpicuum eſſe tibi poteſt, quòd non protinus ablata culpa, tollitur & pœna. Neque enim dubito, quin Adam ſtatim (vt reſipuit) acceperit culpæ condonationem. Veruntamen ea condonata nihilominus Adam remanſit ad pœnam obligatus. Sed, inquis, hanc pœnam tollere ſummus pontifex haud potuit. Eſto non potuit. Num igitur cæterorum hominum (quæ peccatis eorum actualibus debentur) pœnas auferre non poterit? Non conſequitur. Nam ſatis apertum eſt, eiuſmodi pœnas multis aliis modis deleri poſſe, qui tamen haud aliunde vim habent, quàm ex verbo Chriſti, per quod & indulgentiæ fulciuntur. Diſſoluuntur enim illæ pœnæ vel eleemoſynarum largitione, quia dixit Chriſtus: Date & dabitur vobis: vel fraternæ iniuriæ dimiſſione, quia dixit idem: Dimittite & dimittetur vobis: vel demum aſſidua precatione, quia dixit: Petite, & accipietis. Et cur non identidem pontificis condonatione? quando & ab eodem Chriſto dictum eſt: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Inter Adæ peccatum & noſtrum plurimum intereſt.

Luc. 6.

LVTH. *Sic occidit & percuſſit multos in ſcriptura ſancta pro peccatis.*

EPISC. Veriſſimè. Sed quid inde moliris? Si velis inde colligere, quòd pœna peccatis debita diſſolui non poteſt, ſequeris tuam ſolitam Dialecticam, quæ prorſus inualida eſt. Nam etſi multos pro ſuis peccatis afflixit Deus, quibus nulla pœnæ facta ſit remiſſio, præter has tamen plurimi fuerunt, quibus animaduerſionem hauddubiè remiſit. An non ad preces Aaron (quemadmodum ante recenſuimus) plaga vehementer ſæuiens in populum ceſſauit? Et ad preces Moſis, num lepra ſororis ſuæ poſt ſeptem dies non fuerat curata? Et Dauid ſeipſum affligente (cum peſtis triduum eſſet in populum graſſatura) num bidui vindicta ſublata non erat? His nimirum exemplis & innumeris aliis, quæ paſſim in ſcripturis inueniuntur, clariſſimè patet, pœnam peccatis debitam ad aliorum preces auferri poſſe.

Ad preces Aaron plaga ceſſauit.

Num. 16.

LVTH. *Sic & Pſalm. 88. dicit: Si peccauerint, viſitabo in virga iniquitates eorum. Ideo merum figmentum eſt, quicquid de indulgentijs dictum, & creditum eſt.*

EPISC. Ineptiſſima nimirum conſecutio. Neque enim oportet ob id indulgentias merum figmentum eſſe, quòd nequeant inflictas à Deo pœnas abſoluere. Alioqui foret & ſacerdotalis abſolutio merum item figmentum, cum neque ipſa virgam Dei ſemper auerſatur. Et tamen ipſe fateris eam non ſolùm culpam, verumetiam pœnam auferre penitùs. Deus enim, ſi peccator à nequitia ſua reſipiſcens in ſemetipſum animaduertere ſtudeat, paratus eſt, flagellum & virgam cohibere ſuam: id quod proximus eiuſdem Pſalm. verſus indicat. Miſericordiam autem meam, inquit, non diſpergam ab eis, vbi ſiue Hieronymus is fuerit, ſiue alius quiſpiam interpres, ſubijcit in hunc modum: Sicut diuina ſeueritas terret, arguente iuſtitia, ita pietas reparat moderante clementia.

Nota quomodo non ſint indulgentiæ contemnendæ.

LVTH. *Non enim Papa poteſt hoc verbum Dei tollere. Damnent ergo pſalmum iſtum tum credam indulgentias aliquid eſſe.*

EPISC. Eſto, Papa nequeat hoc verbum Dei tollere. Sed neque Sacerdos id poteſt, cui tamen tu tribuis, à pœna ſimul & culpa ſoluendi poteſtatatem. Nihil ergo repugnat pſalmus iſte veritati indulgen-

tiatum, ſicut neque ſacerdotali poteſtati contradicit. Neque potes ignorare profectò tu, qui toties euoluiſſe te iactitas ipſam Bibliam, Deum ſæpe deſtinatas animaduerſiones propter pœnitudinem populi reuocâſſe clementer, & eaſdem etiam inflictas non raro ſubduxiſſe. Quò maior hauddubiè tua peruerſitas eſt, & impudentia, cum iſta proferas, aduerſante conſcientia tua. Nam tibi ſatis conſcius es, te contra ſcripturas ſacras iſta palam aſſerere.

Lvth. *Sed & Hebr. 12. docet Paulus, nos à Deo patre diſciplinari, & 1. Corinth. 11. iudicari & corripi à Domino, ne damnemur.*

Episc. Sed & idem ipſe Paulus ſeipſum diſſoluit cum dicit: Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: Nam iuxta Paulum, hoc loco iudicari, corripi eſt. Quia ſequitur: Dum autem iudicamur, à Domino corripimur. Poſſumus igitur Dei correptionem vitare, ſi noſmetipſos dijudicauerimus, hoc eſt, ſi dignè librata peccatorum noſtrorum magnitudine, pœnitentes confugerimus ad miſericordiam Dei. Sic enim eleemoſynas, peieiunia, perque noſtras ac aliorum precationes, Dei flagellum præuenire poſſumus. Et inter hæc quid prohibet ſi verbo Chriſti, de condonationibus à Pontifice datis, verè confidamus, nec proinde ſegniores ad opera bona reddamur. Quid inquam prohibet, quo minus hac humiliatione noſtra ad indulgentiarum ſuſceptionem, etiam Dei flagellationem effugiamus? Nam idem qui promiſit ob eleemóſynæ largitionem, munditiam animi conſecuturam, pollicebatur futuram in cœlis condonationem, per eas venias, quas ipſe Pontifex fecerit in terris.

1. Corinth. 11.

Iudicari eſt corripi.

Per indulgentias iram Dei effugimus.

Lvth. *At ſanctiſſimus ille vicarius Dei in terris docet ſe poſſe tollere, & remittere quæ Deus imponit: tam pulchrè conuenit cum principe & rege ſuo, ſicut Belial cum Chriſto.*

Episc. Nunquam deſinis vbique ſtrophas, & malignas cauillationes tuas interſerere. Nuſquam certè docet ſummus Pontifex ſe poſſe tollere, quæ Deus impoſuit, aut contra ipſius beneplacitum & ordinationem, ſe velle moliri quicquam. Veruntamen hoc ex Chriſti verbis, ſe poſſe polliceri confidit, nempe quod pœnam eam condonare poſſet, quam Sacerdos arbitrio ſuo dignam cenſuiſſet, & quantam, vel ex Canonibus, vel ex ſcripturis, æquam exiſtimaſſet, quæ ſecundum iuſtitiam diuinam imponeretur. Et quid vetat, quò minùs hanc pœnam ſummus Pontifex condonare poſſet, quàm poſſet Sacerdos culpam, pro qua debetur illa pœna? Et maximè quando tam abſolutè conceſſerit ei Chriſtus, vt, Quicquid ſolueret ſuper terram, eſſet ſolutum & in cœlis. Qui enim dicit quicquid, is penitùs excipit nihil.

Episc. *Si tamen aliquid eſſent indulgentiæ, quid aliud quàm remiſſiones bonorum operum eſſent? Nonne remittunt ſatisfactiones? Quid autem ſunt ſatisfactiones, niſi bona opera, bonæq; paſſiones? vt etiam hac ratione peſtilentiores fuerint indulgentiæ, ſi aliquid eſſent, quam nunc dum nihil ſunt.*

Episc. Et hic peruerſiſſimè cauillaris. Neque enim indulgentię ſunt bonorum operum remiſſiones. Nam ſummus Pontifex hoc non agit, vt qui ſuſcipiunt indulgentias ob eas ad bene operandum fiant remiſſiores. Quin potius vt (cum tanto iam intelligant ære alieno ſeſe liberatos, quo pridem erant preſſi) alacriores inde reddantur, ad ſanctè ſyncereq; viuendum. Nec intelligis (opinor) ipſe, cum aſſeras vnumquemque curatum à pœna peccatis debita, ſuos abſoluere parochianos, quod à bonis eos abſoluit operibus, aut quòd remittat opera bona. Cæterùm cum ais, quòd indulgentiæ ſatisfactiones remittunt, falſum eſt. Non enim ſatisfactionem vllam remittunt, ſed obligationem duntaxat qua peccator ad ſatisfactionem tenebatur. Diuerſa nimirum ſunt obligatio ad pœnam, & ſatisfactio pro pœna. Nam obligatio vinculum eſt. At ſatisfactio non eſt vinculum, ſed vinculi magis ſolutiua. Quamprimum enim quis ſatisfecerit, vinculum (quo tenebatur) abrumpitur. Soluit itaque ſummus pontifex obligationem ad pœnam, vt iam non amplius ad eam pœnam teneatur pœnitens. At ſatisfactionem non tollit, quia poteſt nihilominus peccator (modò ita voluerit) ſatisfacere, quanquam ad eam de cætero non obligetur. Veruntamen ſi fecerit eam, tutiùs & melius eſt facturus. Nam quemadmodum antè diximus, error euenire nonnunquam poteſt, tam in eo (qui tales indulgentias largitur) quàm etiam in eo, qui ſuſcepturus eſt eas, longè tutiùs fuerit eandem ſatisfactionem (ſi præter ætatem & vires ei liceat) complere, quàm omnino prætermittere.

Indulgentiæ non ſunt bonorum operum remiſſiones.

Diuerſa ſunt obligatio ad pœnam, & ſatisfactio pro pœna.

Lvth. *Quæ fraus ſceleratior, quàm hominibus bona opera remittere, & licentiam dare pigritandi ſub ſpecie pietatis, ad pecunias tantùm exugendas?*

Episc. Si tantùm ad pecunias exugendas, & non magis ad animarum vtilitatem aſpiciat is, qui largitur indulgentias, vereor ne perparum iſtiuſmodi indulgentiæ ſuſcepturis profuturæ ſint. Nam fidelis & prudens, in hoc negotio miniſter quiſpiam exigitur. Verùm ſi priuatis affectibus remotis, animarum inprimis commodo proſpiciat, auſim aſſerere, nullum ita ſcelus, aut fraudem ſubeſſe condonationibus: ſed plurimũ ijs profuturas, quicunq; ritè ſuſceperit eas & maximè aduerſus ignis purgatorij cruciatus. Quòd ſi quiſpiam ob eas licentiùs & negligentiùs viuat, Pontifex in culpa nõ eſt, ſed ille qui tam vtilibus rebus in malum ſuum abutitur. Neque enim Pontifex, aut opera bona remittit (vt antè diximus) aut pigritandi licentiam dat cuiuis, quin potiùs hortatur, vt deinceps viuant circumſpectiùs, ne ſi denuò labantur, deterior euadat eorum conditio.

Salus animarum in largiendis indulgentijs vnicus debet eſſe ſcopus.

Lvth. *Reuoco etiam quòd dixi eas eſſe de numero eorum quæ licent, hoc enim verum eſſet ſi aliquid eſſent. Quia quod non eſt præceptum nec conſultum, prorſus nec expedit, nec neceſſarium eſt, ſed merè licitum & arbitrarium.*

Episc. Arguria iſta tua, mera quędam arguria eſt. & nihil habet ſoliditatis. Quòd, inquis, non eſt præceptum nec conſultum prorſus, nec expedit nec neceſſarium

ceſſarium eſt. Non conſequitur. Nam vti ſuprà diximus, remiſsiones venialiũ peccatorum, nec præceptæ ſunt, neque conſultæ: & tameu vehemeuter expedit, ac neceſſarium eſt, vt venialia peccata nobis remittantut, priuſquam hinc migrauerimos, alioqui propter hæc handdubiè patiemur ignis purgatorij cruciatus. Quod ſimiliter & de reliquijs mortalium, haud dubito futurum. Nam ſi non priùs illæ, ſiue per indulgentias, ſeu per alios modos expurgentur, ignis illius omnino perferemus grauamen. Quanquam igitur earum condonationes, in ſcriptutis neque præceptæ fuerint, neque conſultæ, neceſſarium tamen eſt (ſi vitare cupimus illius ignis concremationem) vt priuſquam hinc exierimus omnino condonetur nobis.

LVTH. *At tales eſſent indulgentiæ. Nunc autem dico, eas eſſe de nnmero eorum, quæ fallunt & perdunt, cum ſint nobil niſi fraudes ſceleratorum ſanguiſugarum populi Dei.*

EPISC. Bona verba quæſo. Satis oſtendiſſe me puto, non eſſe fraudes indulgentias, nec ijs falli quenquam, modò tam ille qui ſuſcipit, quàm qui largitur, vterque faciat animo recto. Si charitas magis, quàm cupiditas moueat concedentẽ, & ſi ſuſcipiens non inde negligentior, aut ad peccandum audacior efficiatur, nihil ambigo, quin ad illum finem proſuturæ ſint, qoo fuerant conceſſæ, hoc eſt, vt à pœnis purgatorij liberent. Neque ſolùm id, verumetiam ad augmentum gratiæ couferunt: quando nemini conceduntur, niſi propter operis aliquid quod in ſe pietatem contineat. At proinde quærens indulgentias, ad boni operis exercitium excitatur, quo & meretur nonnihil, dum fuerir in gratia. Sed & Fides eius etiam (quæ cum primis neceſſaria eſt) ſemper aliquid promeretur. Tantum igitur abeſt, vt fallant indulgentiæ, vt & contrà, magis proſint, ac promoueant plurimum. Atque hæc ſufficiunt, ad huius articuli confutationem.

ARTICVLVS XIX.

LVTH. *INdulgentiæ qui bis veraciter conſequuntur, non valent ad remiſsionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſtitiam.*

EPISC. Tres Euangelij ſcripruras Lutherus, perinde ac ſi nihil omnino diuerſitatis haboerint, velut vnam ſæpè confundit, cum inter ſe tamen (niſi vehementer fallor) diſcriminis habeant plurimum, & longè diuerſas in Eccleſia poteſtates inſinueut. Prima eſt, quæ traditur Matthæi decimo ſexto: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſupet terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Altera eſt, quæ ſcribitur Matth. 18. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, eruot ligata & in cælo. Et quæcunque ſolueritis ſuper terram eruut ſoluta in cœlo. Tertia verò penult. Ioan. habetur: Quorum remiſeritis peccata, remittontur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. De duobus itaque poſtremis loquamur primùm. Illa profectò (quod & manifeſtè patet ex ijs, quæ circumſtant) ad iuriſdictiouem Eccleſiæ, & ad forum, vt aiont, publicum, ſpectat magis. Nam poſtquam dixiſſet Chriſtus: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, illico ſubiunxit: Amen dico vobis: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c. Quibus verbis hauddubiè poteſtatem dedir Apoſtolis, quatenus poſſent à communione Eccleſiæ ſeparare quemlibet, qui vel aoimo prorſus obſtinato nolit Eccleſiæ decretis obtemperare. Sed illa Ioannis penult. planè ſpectat ad forum priuatum, & ad clàm ferendum in peccatorem iudiciũ pro ſuis admiſsis. Diuerſæ ergo ſunt hæ duæ ſcripturæ, & ad officia prorſos diuerſa pertinent. Sed & alterum adhuc diſcrimen adeſt, nempe quòd illa ligandi poteſtatem tribuit, iſta retinendi peccati facultatem. At nou eſt idem ligare & retinere, cum ligare ſit recens vinculum inijcere: retinere verò potios ſit, in eodem ſeruare ſtatu quo pridem quiſquam fuerat. Sed neque Luthero prorſus idem eſt remittere & ſoluere. Sic enim iu confirmatione articuli ſecundi ſcripſit: Aliud eſt omnia peccata remitti, aliud tolli. Baptiſmus omnia remittit, ſed nullum penitùs tollit. Tertium inſuper diſcrimen eſt, qoòd præter ingentem verborum diſcrepantiam, ſit etiam in eis longè contrarius ordo. Nam in illo Matth. 18. de ligatione priùs mentio fit, ac ſubinde de ſolutione. Sed in iſta Ioannis, de remiſsione priùs agitur, ac ſubſequenter de retentione. Nou eſt itaque credibile quòd eandem omnino facultatẽ per vtramque Chriſtus voluit indicari. Sed vt rectè credit Eccleſia, hæc in Sacerdotes omnes competit, illa ſolos maiores, hoc eſt, Epiſcopos reſpicit duntaxat. Cæterùm iam veniamus ad primam, nempe quæ ſcribitur Matth. decimo ſexto: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſupet terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſoper terram erit ſolutum & in cœlis. Hæc profectò non minùs ab illarum vtraque diſtat, quàm inter ſe diſsideant ipſæ. Et principiò patet, inter hanc & tertiam intereſſe plurimum ob eaſdem rationes, quibus oſtendebatur diſcrimen ſecundæ ad tertiam. Cum enim ex ijſdem locis petitæ ſint, ſimili modo conficiunt, quòd hæc prima non poteſt à tertia nou diſsidere. Quamobrem hoc reliquum eſt, vt quid intet primam ac ſecundam interſit iam exquiramus. Harum ſanè varietatem ſuperiùs articulo decimotertio collegimus, tum ex eo, quòd in prima ſit mentio de clauibus regni cœlorum, & vbique de cœlis pluraliter. In ſecunda nec de cœlorum clauibus mentio fit, neqoe de cœlis alicubi, ſed de cœlo ſingulariter vtrobique. Quod certè diſcrimen Origeni, quemadmodum illic diximos, videtur inſigne, & docit annotandum. Sed & iſtud item aduertendum eſt, quòd in altera quidem diſtributio ſuper pluralitatem cadit, in altera verò ſuper ſingulare, quod nemo non perſpicit aliquantò latius eſſe porrectum. Nam in illa dicitur: Quæcunque ſolueris, in hac verò: Quodcunqoe ſolueris. Ad hæc adde, quòd ſolos

Quomodo explicandæ ſunt dictæ ſcripturæ Matth. & Ioann. & quid inter ſe diſcriminis habent.

Inſigne numeris diſcrimen. Tibi dabo claues.

Matthæus vtramqoe nobis tradidit, nec alius Euangeliſtarum, vllam de alterutra facit mentionem. Nec eſt veriſimile, quòd idem Euangeliſta tanta verborum diuerſitate duas has ſententiolas vno ſolo capite diſtantes extuliſſet, ſi cenſuiſſet eas ad eandem omnino rem pertinere, & non variam in his exprimi poteſtatem. Huc accedit, quòd ſi Petrum Chriſtus præpoſuit cæteris, & ampliori voluit auctoritate donari, (de qua poſtea dicturi ſumus) quis iam non facilè diſcriminis huius rationem intelligit? Nempe vt prima quidem propter poteſtatis amplitudinem (quæ ad omnes cælos extenditur) ad ſolum Petrum pertineat: Secunda verò, quæ non vſqueadeo late patet, ſed ad vnum duntaxat cœlum, cæteros concernat Apoſtolos. Quoniam igitur diuus Petrus in ſuis ſucceſſoribus ſemper in Eccleſia repræſentatur, & in cæteris Epiſcopis Apoſtoli, quibus deinde ſubſunt ſacerdotes, quis non aduertet, ex ijs compoſitiſſimum ordinem in Eccleſia conſtitui, & cuique pro ſuo gradu congruam collatam eſſe poteſtatem? Nimirum vt infimis liceat à reatu peccatorum abſoluere, id quod Chriſtianis omnibus apprimè neceſſarium eſt. Deinde medijs præter hæc in foro publico aperta crimina vindicare. Summis denique præter hæc ex plenitudine ſupremæ poteſtatis, tam ijs, quàm illis pœnas debitas condonare. Atqui Lutherus nullũ ordinẽ admittit, ſed rem omnium pulcherrimam, hoc eſt, ordinatiſsimam cuiuſque ſtatus diſtributionem aufert ab Eccleſia, confunditque prorſus omnia, ſacerdotes Epiſcopis æquans, & plebem ſacerdotibus, paremq; mulierculis cum ſummo Pontifice tribuit poteſtatem. Multò ſanè rectius Eccleſia cum Euangelio conſentit, dectorum in ijs ordinem ſeruans. Nam quid ordine pulchrius? & cõtrà quid confuſius eſſe poteſt, quàm vbi nullus eſt ordo? Cæterùm Lutherus hæc verba (quæ Petro dixit Chriſtus) multis modis extenuare laborat. Et primum, quòd eadẽ omnino contendit eſſe, quæ cæteris dicta fuerant Apoſtolis. At palã conſtat rem aliter ſe habere. Neque enim Chriſtus, quæ Dei virtus, & Dei ſapientia fuit, quique nec iota quidem protulit vnquam, abſq; iuſta ratione, non abſq; cauſa credendus eſt toties in altera cœlos ingeminaſſe pluraliter, & in altera non niſi cæli ſingulariter feciſſe mentionem. Nec poteſt huius cauſa prorſus alia reddi, quàm quòd in his, diuerſum omnino poteſtatis gradũ voluit deſignari. Rurſum ex hoc reſtringere molitur, quòd Petri ſucceſſorem affirmat nihil amplius ex ijs verbis arrogare ſibi poſſe, quàm quòd horum auctoritate pœnas per canones inflictas tollere queat. Et hoc item longiſsimè diſsidet à vero. Quod vel inde conſtare poteſt, quia priuſquã canones vlli fuiſſent cõditi, Petrus hanc poteſtatẽ accepit à Chriſto. Non ergo propter canones (qui nondũ inſtituti fuerant) hac Petrum auctoritate donauit Chriſtus. Liquet igitur quanta ſit horum verborum amplitudo, & maximè quòd Chriſtus nullo poteſtatem iſtam limite coartauit, ſed abſolutam & cum ſumma plenitudine contulit. Quid enim pleniùs & abſolutiùs dici potuit, quàm quodcunque ligaueris & ſolueris? Quiſquis enim hoc dicit, nihil excipit. Nullum profectò vinculi genus hic eximitur. At perſpicuum eſt, obligationem peccatoris ad pœnam pro peccatis debitam, vinculum quoddam eſſe. Sed & aliud ad rem haud parum conferet, ſi diligenter exquiramus, quanam occaſione Chriſtus hæc verba protulerit. Nam ex ea longè magis perſpicuum erit quod aſſerimus. Poſtquã enim Petrus palam fuiſſet confeſſus, Chriſtum eſſe filium Dei, pro merito confeſsionis huius, audiuit à Chriſto viciſsim ad ſe dictum: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Fortaſsis arcanum iſtud myſterium adhuc non fuerat cæteris omnibus reuelatum. Et ſi fuerat, ſolus tamen Petrus hoc iam ore ſuo reſtabatur, Propter quod & ei Chriſtus ſubiunxit: Et ego dico tibi. Chriſtus hauddubiè cunctos interrogauit, quem nam ſe crederent eſſe? Sed quia ſolus Petrus confeſsionem hanc ſuæ Fidei protulit, ſoli Petro Chriſtus viciſsim reſpondit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Quis aliorum quæſo nomenclaturam hanc à Chriſto ſortitus eſt, quam Simon, qui & dictus eſt Petrus? Solum ergo Petrum iam allocutus eſt Chriſtus, cum nemo cæterorum vocatus ſit Petrus, Et ego, inquit, dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Ecce pro merito ſuæ confeſsionis hæc Petro dicta fuerunt, atque id etiam poſtquã Chriſtus Eccleſiæ ſuæ meminit ædificandæ, atq; aduerſus inferorum portas ſtabiliendæ. Sed adhuc non deſiſtet occurtare Lutherus: Nõ poteſt, inquit, ex ijs verbis inferri tam ampliſsima poteſtas. Neq; enim latius extẽdi poterit ſolutio, quã ligatio. Quamobrem ad ea duntaxat, quæ per Petrum ligata ſunt referri queunt & ſoluta. Sed & hoc falſum eſſe paucis monſtrauimus. Nullus enim Petri ſucceſſor, ſed nec Petrus ipſe, cuiuſuis innocentis animum potuit alicuius delicti mortalis reum conſtituere. Potuit vtiq; Petrus leges condidiſſe, quas ſi quis contempſiſſet, trangreſsionis reus fuiſſet effectus. Verùm non tunc Petrus, ſed tranſgreſſor ipſe ſeipſum reum conſtituiſſet, nimirum qui ſua ſponte leges illas eſſet prætergreſſus. Sed Petrus, aut Petri ſucceſſor, neminem facere poteſt reum alicuius peccati mortalis. Veruntamen Petri ſucceſſor, id quod ipſe nequaquam diffiteris, poteſt quemque peccatorem à mortali quocunque delicto penitus abſoluere. Latiùs ergo ſolutionem, quàm ligationem extendi, quis iam non perſpicit? Nam ad lethalem vſque culpam ſolutio porrigitur. Sed non ad eam vſque protenditur ligatio, cum ſolus peccator ſua ſponte ſeipſum in culpa ligare queat. Verum quidem eſt, quòd vbi quis lethale facinus admiſit, hunc Petri ſucceſſor anathematis vinculo

(do-

Lut. indigeſtam Eccleſiæ molem ſtruere conatur, ordinatiſsimam cuiuſque ſtatus diſtributionem tollit.

Manifeſtus Luth. error.

Tanta Petro pro fidei ſua confeſsione data poteſtas

Nemo cæterorum apoſtolorum vocatus eſt Petrus.

Latiùs ſolutio quam ligatio accipitur.

(donec reſipiſcat) ligare poterit. At ipſe iam peccator ſeipſum antè reum fecit, alioqui iuſtè ligari non potuit. Veruntamen (vbi ligatus eſt peccator) tum ſucceſſor Petri non modò vinculum anathematis, verumetiam culpæ nodum planè diſſoluit. Quamobrem & latiùs patet ſolutio quæ duplex, vinculum tollit, quam ligatio, quæ ſolum vnum. Cæterùm quia tertium vinculum adhuc relinquitur in peccatore, nimirum obligatio quædam ad pœnam pro peccatis debitam, & hanc ex plenitudine ſuæ poteſtatis, idem Eccleſiæ princeps & caput, nempe ſucceſſor Petri, delere poteſt. Alioqui mendacium (quod abſit) feciſſet Chriſtus, qui nullo penitùs excepto vinculo, pollicitus eſt illud in cælis omninò fore ſolutum, quodcunque ſuper terram Petrus ſoluiſſet. Ex quibus nimirum & huius articuli deprehenditur error, quo dicit Lutherus indulgentias his, qui veraciter eas conſequuntur, non valere ad remiſſionem pœnæ, pro peccatis actualibus apud diuinam iuſtitiam debitæ. Sed iam de hoc ſatis.

Quòd ab omni vinculo abſoluat Eccleſia praepoſit.

ARTICVLVS XX.

LVTH. *Seducuntur credentes, indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum Spiritus vtiles.*

EPISC. Ego certè non dubito, quin multis profuerint ad fructum Spiritus conſequendum. Quod & paucis oſtendere conabimur. Nunquam indulgentiæ conceduntur, niſi pro certo quodam opere, quod ſpeciem habeat pietatis. At eiuſmodi opus quiſquis præteritorum pœnitens, intuitu Dei fecerit, non poteſt non mereri: cum iam in charitate conſtitutus ſit, & charitas (vt ait Auguſtinus) augeri meretur. Adde quòd plerique ſpe conſequendi Indulgentias, ſuos animos ad Deum leuant, ſeque ipſos digna pœnitudine, & confeſſione præparant, quò fieri valeant earum participes, quod ſanè facturi nequaquam eſſent, niſi talium indulgentiarum conceſſione fuiſſent prouocati. Huc accedit, quòd non ſit parui momenti ad fructum Spiritus, vel comparandum, vel augendum, Fidei in Deum renouatio. Cum igitur Chriſtus Petro, ſuiſque ſucceſſoribus fuerat pollicitus, quòd ab omni vinculo poſſent abſoluere peccatores, accedit quiſpiam huius verbi fiducia, qui ſe grauiſſimis ob ſua ſcelera cruciatibus obnoxium intelligit, condonationem à pontifice petiturus, nihil de Chriſti verbo prorſus hæſitans. Is hauddubiè Fidem renouat ſuam. Et quoniam ipſius Fides, antè per Sacerdotis abſolutionem formata fuiſſet, oportet quòd iam non ſolùm eius obligationis, qua tenebatur ad pœnam, condonationem ſuſcipiat, verumetiam ampliorem apud Deum gratiam hauddubiè promereatur. Porrò gaudium (quod & alius ſpiritalis fructus eſt) dici reuera non poteſt, quantum peccator ex indulgentijs conſequitur, cum intelligit ſeſe, non à culpa modò, verumetiam à pœnarum acerbitate peccatis ſuis debita, penitus liberatum. Pacem verò quis exprimat, quam peccator ſic abſolutus poſt ſuſceptas indulgentias, in corde conſcientiaque ſua ſentit, quæ nimirum omnem ſenſum exuperat. Sicque demum & ad cæteros ſpiritales fructus excitatur, ad longanimitatem, patientiam, benignitatem, bonitatem, manſuetudinem, & temperantiam. Falſum igitur eſt, quòd ſeducuntur credentes, indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum Spiritus vtiles. Conducunt enim vehementer ad omnem Spiritus fructum ſalutarem. Sed dicet fortè quiſpiam, maior pars hominum ob eas licentiùs viuunt. Non reclamo. Sed idem faciunt identidem, ob immenſam clementiam Dei; & ob ſummam ipſius ad miſerendum pronitatem. Quid ergo? Dei clementiam damnabimus? Haud quaquam, ſed miſeros & ingratos peccatores, qui tanta abutuntur clementia. Neque ſecùs hoc loco facere quempiam decet. Neutiquam inceſſere conuenit indulgentias; ſed ipſorum peccantium malitiam, qui ſæpiùs araneorum more, venenum illic hauriunt, vnde ſalubrem ſuccum haurire potuiſſent. At hæc ſufficiunt pro articulo.

Indulgentiæ ſalutares.

Indulgentiæ ad fructum Spiritus fidei que renouationem ſunt vtiles.

Vtilitas indulgentiarum.

ARTICVLVS XXI.

LVTH. *INdulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodò & impatientibus,*

EPISC. Nos cunctis peccatoribus (qui pœnarum debitores fuerint) neceſſarias eas eſſe non ambigimus, nedum publicè criminioſis. Cæterùm quoniam articulus iſte nullam habet probationem, hic operæ precium erit Lutheranis obiectionibus reſpondere, quas opponit aduerſus tria, quæ quidem ſtatuere moliri ſumus ſub articulo. xvij. cum primùm de Indulgentijs loqui cœperimus. Primum erat, manere, vt plurimum poſt deletam culpam, pœnæ cuiuſdam obligationem pro peccatis. Secundum erat, quòd ea pœna tolli poteſt per indulgentias à ſummo Pontifice conceſſas. Tertium, quòd nihil ex eo diuinæ iuſtitiæ derogabitur, cum abundè reſarcietur ex Chriſti ſanctorumque meritis, quicquid ex pœnæ perſoluendæ taxa, peccatori defuerit. Hic Lutherus primùm in reſolutione ſua, de virtute indulgentiarum concluſione 5. nobis occurrit. Sex pœnarum genera commemoras, primam gehennæ, ſecundam purgatorij, tertiam quam appellat voluntariam & euangelicam, quartam, quæ Dei virga peccantibus infertur, quintam quæ per canones infligi ſolet, ſextam quam licèt nolit agnoſcere; tamen diſceptandi gratia fingit, vt eam improbet. Primam aſſerit in ſummi Pont. poteſtate non eſſe; quod & vniuerſam Eccleſiam opinari conſtanter affirmat. At iſtud non vſquequaque verum eſt. Facilè quidem aſſentior, ſummum Pont. non poſſe quempiam à gehennæ pœnis eripere, poſtquam eis ſemel per mortem addictus fuerit. Verùm ante mortem (quàm diu quis hic vixerit) ſicut eum Pont. à culpa poteſt abſoluere: ita poteſt & à gehennæ pœnis liberare. Alioqui poſſunt & inferorum portæ aduerſus Eccleſiam præualere. Sed neque ſtaret & aliud Chriſti promiſſum, nempe Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Secundam

Cunctis peccatoribus neceſſariæ indulgentiæ.

Sex pœnarũ genera.

Prima.

Secunda.

dam

Alia ſola Euangelica pœna, quæ ſatiſfactoria dicitur.

oportet, ſi tamen illa præcepta fuiſſet. Perſpicuum igitur inde nobis eſſe poteſt, aliam pœnam hanc fuiſſe, quàm ſolam Euangelicam, & eſt ea nimirum, quã ſatiſfactoriam vocamus, & ad quam peccatorem obligari credimus, protinus vt à culpa ſoluimur, & ab æterna gehennæ pœna.

Quinta.

De quinta verò pœna, quam canonicam ille vocat, nihil moror in manu Pontificis eſſe; quanquam dementer Lutherum hoc pontifici permittere, vt quod Eccleſia tota decreuit; hoc ipſe poſſet, vel tollere, vel moderari. Nam ſi hoc poſſet, non eſt ambiguum, quin illius auctoritas, aut totius Eccleſiæ poteſtatem ſuperabit, aut æquabit ſaltem. Id quod Lutherus (ſat ſcio) nullo pacto ſit admiſſurus. Cæterùm quid ſi canones iſti nunquam fuiſſent inſtituti? Num propterea nullam Pontifex habuiſſet auctoritatem? Neque enim credibile eſt, propter ſolos hos canones (qui nondum erant conditi) poteſtatem tantam à Chriſto (quantam ſuprà memorauimus) illi fuiſſe tributam, & tamen ad harum pœnarum remiſſionem, Lutherus contrahit ſummi Pontificis poteſtatem. Non enim inquit, priores quatuor poteſt remittere, & quam aliam ergo remittit niſi canonicam? Sed non hic illi reſpondebo, quemadmodum ipſe reſpondet ſibi, facilè cuique fuerit ſuas ipſius reſponſiones diluere. Dixi pridem, obligatum eſſe peccatorem ad pœnam ſuis peccatis debitam, poſtquam tibi culpa dimiſſa fuerit. *Culpa ſublata, pœna manere debitum.* Et hanc aio, Pontificem remittere poſſe, cum cuiuslibet ſpiritalis vinculi ſoluendi ſuſceperit à Chriſto poteſtatem. Superiùs enim haud ſemel oſtendi, culpam momento poſſe tolli, ſed tamen orthodoxorum omnium ſententia poſthac manere pœnæ debitum. Sed hic Lutherus calumniatur, Pontificem mutare ius diuinum, & id relaxare, quod iuſtitia diuina inſixit. Et quidni mutet ius diuinum, cui iuris diuini mutandi ſit conceſſa poteſtas? *Nota mutationem diuini iuris.* An non iure diuino quiſquis reus peccati mortalis fuerit, æternas luet pœnas? Et tamen pontifex hunc & à reatu, & ab æterna pœna liberare poteſt. Quid ergo prohibet quo minus poſſet temporariam pœnam (quæ ſecundum diuinam iuſtitiam peccatis debetur) auferre, cum æternæ pœnæ reatum & debitum antè ſuſtulerit? Facetijs quoque Lutherum non pudet in re tam ſeria ludere. Nam ait, Chriſtum dedita opera reſtrinxiſſe clauem ad terram, futurum ſciens, quòd perforaturi alioqui eſſent omnes cœlos. Atqui laudat vt velit. Nobis eſt ſatis, ſi quicquid ſuper terram ſoluerit Pontifex, hoc in cœlis fuerit ſolutum. Hoc promiſiſſe Chriſtum nemo Chriſtianus poterit inficiari. Quamobrem confiteamur oportet, ſummi Pontificis auctoritatem latiùs protendi, quàm ad ſolas pœnas canonicas auferendas. Ad illas nimirum quæ pro peccatis debentur, ſi nulli canones fuiſſent. Nemo enim tam cæcus eſt, vt non videat iure ipſo pœnas deberi peccatis, tametſi canones nunquam fuiſſent inſtituti. *Quare canones excogitati.* Nam ob id ſolùm canones à Patribus excogitabantur, quatenus ex eis conijceret ſacerdos quantam cuique peccato pœnam imponeret, quæ certè pœna (vel ſi nunquam fuiſſent canones) iurè debebatur. Et hæc nimirum eſt ſexta pœna, quam Lutherus agnoſcere non vult. Nam hæc neque æterna gehennæ pœna eſt, neque purgatorij temporaria, neque ea quæ per Dei virgam inſligitur. *Euangelica pœna cautelam dumtaxat futurorum reſpicit.* Sed neque illa eſt, quam Lutherus vocat Euangelicam. Nam ea non eſt peccatis prioribus debita, ſed ad cautelam duntaxat futurorum ſpectat. Neque eſt ſola canonica, quandoquidem (ſi canones nulli vnquam fuiſſent) ipſa nihilominus fuiſſet debita. Cæterùm quia rationes alias complures, in eadem concluſione producit, eas etiam diluamus, vt neceſſe. Primùm obijcit, quòd nulla auctoritate ſcripturæ, doctorum canonum, aut ratione probabili, poteſt doceri, talem eſſe aliquam pœnam. Et vehementer abſurdum eſſe dicit, quòd in Eccleſia quicquam doceatur, cuius nec in ſcriptura, nec in doctoribus, nec in canonibus, neque ſaltem rationibus poteſt cauſa dari. Hæc Lutherus. Cui reſpondemus, his omnibus modis peccatorem ad pœnam teneri, ſatìs abundè ſuperius fuiſſe monſtratum. Et niſi vereremur prolixitatis tædio lectorem afficere, multò plura ſuperſunt, quæ producamus. Nonnulla tamen (ne quis putet ſcripturas in hoc negotio deeſſe) ſuperioribus adijciemus. In Leuitico ſic ſcriptum eſt: *Leuit.* Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis, vt mali quid faceret, vel benè, & non fecerit, & illud ipſum iuramento & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnum de gregibus ſeu capram, orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Ecce quomodo non ſufficit ingemiſcere & (quemadmodum tu dicis) à peccatis reſipiſcere, ſed oportet inſuper agnum aut capram offerre, quod eſt ſatiſfacere pro peccato. *Satiſfacere oportet pro peccato.* Nam iubet Moſes, vt non ſolùm pœnitentiam agat, verumetiam offerat alterutrum horum pro peccato. Cęterùm inquies fortaſſis idem eſſe pœnitentiam agere, & hoc offerre. Si velis ad hunc modum cauillari, ſaltem iſtud reſpondeas quæſo. Num poſt impartitam peccatori gratiam, hoc offerendum putes? An priùs, quàm ſit factus gratiæ particeps? At non opinor tuæ doctrinæ conquadrare, vt dixeris hoc ſacrificium ante gratiam Deo gratum fore. Sin ergo dixeris, id poſt gratiam offerendum, tum erit dilucidum, non ad culpæ condonationem (quæ iam facta eſt) hoc pertinere, ſed ad ſatisfactionem potiùs pro pœna culpæ debita. Rurſum in Daniele *Dan. 4.* traditur, quòd cum Nabuchodonoſor audierat ſomnij ſui terribilem expoſitionem, Daniel ei mox conſuluit, vt eleemoſynis peccata ſua redimeret. Tum enim (ſi tamen Auguſtino credimus) facti ſui pœnitens erat. Sed & Hieronymus ſuper Danielem idem affirmat, & inſuper quod dilata fuit in eum ſententia, per menſes xij. Tam diu enim expectauit enim Deus ad ſatisfaciendum pro peccato. Quare ſi facti pœnitens erat, tibi fuit etiam in gratia. Ad quid igitur attinebat, eleemoſynis peccata redimere, niſi per ſatisfactionis modum? Sed ex nouo quoque

teſtamento, quæris teſtimonium. Audi primùm Ioannem Baptiſtam, qui cum turba minis eius eſſe territa vehementer, & rogaſſet eum, quidnã eſſent facturi, reſpondit: Qui habet duas tunicas, det nõ habendi: & qui habet eſcas ſimiliter faciat: Hæc opera quæ fieri iuſſit, nimirum eleemoſynæ fuerunt, & eadem extrà charitatem facta, nihil tuâ ſententia profuerunt. Quamobrem cum poſt reſipiſcentiam iniuncta fuerant, palàm eſt ad ſatisfactionem ea pertinere. Similiter & Paulus gaudere ſe dicit, quòd triſtati fuiſſent ad pœnitentiam Corinthij. Et laudat eam triſtitiam quæ ſecundum Deum eſt, nimirum quòd ipſa pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. At ſi triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam operatur, prior adſit (oportet) ipſa triſtitia cordi, quàm pœnitentia, quæ per triſtitiam efficitur, cum effectum cauſa ſequatur nunquàm, ſed præcedit magis: triſtitia ergò hæc (quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operata fuit) aut erat abſque gratia, & iam vides eam non feciſſe illos hypocritas, aut magis quã antè fuerant, peccatores, quod ipſe tamen aſſeris in articulo ſexto. Aut erat ſub gratia, & tam pœnitentia, quæ ſubſequitur, quid aliud erit, quã pro pœna peccatis debita, nonnulla ſatisfactio? Nam intelligis, quæ proximè ſequuntur. Ecce enim hoc ipſum, ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, hoc eſt ſtudiũ emendandi, quod deliquiſtis, defenſionem, hoc eſt ſecundum Hieronymum, ſatisfactionem præcepti. Sed indignationem nimirum in voſipſos, pro malis, quæ geſsiſtis: Sed timorem, ne ſimile quidpiam in futuro vobis contingat: Sed deſiderium in melius proficiſcendi: Sed emulationem præſtantiarum virtutum: Sed vindictam, hoc eſt, caſtigationem veſtri pro peccatis. Si quis ad hunc modum vellet ab exordio ſcripturarum cuncta recenſere, quibus continetur, poſt dimiſſam culpam remanere pœnam peccatis debitam, non puſillus profectò liber prodiret. Nam vt à primo homine Adam incipiamus: quis dubitare poteſt, illum (qui tanta fuerat ſapiẽtia præditus) poſt offenſam ſtatim reſipuiſſe? Neq; tamen illico fuerat à pœna peccato ſuo debita liberatus. Quid Moſes & Aaron, quibus in pœnam aut faſtus, aut incredulitatis ſuæ, non erat permiſſum, vt populum Iudaicum in terram promiſsionis inducerent? Num credis eos diu antè nõ fuiſſe reconciliatos in gratiã? Remanſit tamen in vtroque pœna peccato debita. Sed & Maria Moſeos ſoror, quis ambigit, quin à murmure contra fratrem ſuum concepto, reſipuiſſet? & cum Deo fratreque ſuo redijſſet in gratiam, veruntamen in peccati pœnam & ſatisfactionem ſeptem dies leproſa permanſit. An non fratres Ioſeph, diu poſtquam hunc vendiderant, pœnas facti ſui dederunt in Ægyptu? vt & Rubem clamaret: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum. Et tamen credibile non eſt Patriarchas tantos nunquam interea pœnituiſſe, neque culpam eis fuiſſe dimiſſam. Quid Hely memorem? qui cum audierat à Samuele negligentiam ſuam acerbè puniendam, patienter reſpondit: Dominus eſt. Quod bonum eſt in oculis ſuis faciat. Hæc tanta ſuæ voluntatis ad diuinam voluntatem conformitas non me ſinit vt credam, quin citò pœnituerit. Veruntamen pœna nihilominus ſubſequuta eſt. Neque enim iam in eius, vtpote ſenis, poteſtate fuerat correctio filiorum, aut fortaſsis & ipſi iam emendati fuerunt. Sed & Dauid, de quo ſuprà diximus, poſtquam intellexit adulterij culpam ſibi fuiſſe remiſſam, non deſtitit tamẽ in ſeipſum animaduertere, multò ſeuerius, quàm expoſcebat illa, quam Euangelicam pœnam Lutherus vocat. Afflictus ſum, inquit, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Et paolò pòſt: Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. His confine eſt, quòd Azarias rex, qui & Ozias dictus eſt, Amaziæ regis filius, qui quòd patris veſtigia bona ſequutus fuiſſet, in ſcripturis laudatur, quòd tamen incenſum adoleuerit, offenſam Dei grauem incurrit, ob quod & leprà percuſſus, ita permanſit aduſque diem obitus ſui. Veriſimile tamen eſt, & hunc pœnituiſſe, quia iam perterritus templum exijt properanter, & in domo ſeorſum habitauit, relicta filio ſuo regni ſui gubernatione: cæterùm pœna peccato debita non relaxabatur. Eodem pertinet, quòd Ezechias rex, (tametſi culpa fuiſſet ei remiſſa) non tamen eius peccatum omni penitus caruit punitione. Multa prætereo. Neque tamen alienum eſt ab hoc negotio ſi referamus, quod Zachariæ prophetæ contigit. Quis credat enim (cum eſſet vir ſanctiſsimus) non ſuæ protinus incredulitatis pœnituiſſe, & in gratiam cum Deo rediſſe? Non fuit tamen ſublata pœna mutatis inflictæ, priuſquam filius ei natus fuiſſet. Vides igitur in omnibus ijs ſcripturis, apertum eſſe, quòd pœna quædam peccatis remanſit debita, quanquam culpa pridem remitteretur. Sed & Paulus, quid, te quæſo, donauit illis, qui inter Corinthios peccauerunt? Neq; enim de ſolo illo, qui paternum polluit thorum (vt ait Hieronymus) iam locutus eſt, ſed & de cæteris pluribus. Quid inquam aliud eorum cuiuis donauit Paulus, quàm remiſsionem pœnæ? Fuit enim Fornicator ipſe iam in charitate conſtitutus & gratia, quod & Paulus ipſe teſtatur, cum ipſos Corinthios moneat, vt confirment in illo charitatem. Neque enim confirmare potuerunt quod non erat. Condonauit itaque Paulus, non culpam (quæ cum charitate non cohabitat) ſed pœnam, quæ certè peccatis debita ſuperfuerat. Sed hactenus pro ſcripturis. Iam quid Patres in eadem re teſtentur, memorabimus. Ex prædictis nimirum ſcripturis atque alijs id genus plurimis, orthodoxi patres compertiſsimum habuerunt, in peccato præter reatum, pœnam inſuper peccato debitam contineri. Propter quod & aſſerunt, cordis contritionem & oris confeſsionem haudquaquam ſufficere, ſed operis præterea ſatisfactionem requiri. In corde (inquit Chryſoſtomus) contritio, in ore confeſsio, in

Quantis patriarcharum & ſanctiſsimorum virorum exemplis probatur pœnam peccato debitam remanere.

Num. 20.

Num. 12.

Gene. 15.

1. Reg. 2.

Pſalm. 37.

2. Par. 26.

Eſai 39.

Luc. 1.

2. Cor. 2.

Condonauit Paulus Cor. non culpam, ſed culpæ pœnam.

in opere tota humilitas: hæc eſt perfecta & ſalutifera pœnitudo. Sic enim ait ſermone de Pœnitentia. Sed quid vnicum ex patribus hic memorem? quando ſuperiùs aduerſus articulum quintum non ſolùm Chryſoſtomum, verumetiam Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, Origenem, Leonem primum, Hieronymum, Cyprianum, & Caſſianum, huic ſubſcripſiſſe monſtraui. Quorum ſententias ſi Lutherus ignoret, quãta eſt hominis inſcitia? Quòd ſi norit, quanta eſt eius impudentia? qui tot ſanctiſſimis, eiſdemque doctiſſimis patribus contradicere non vereatur, palamque negare, quòd nec per ſcripturas, neque per doctores poſſet oſtendi, aliquam eiuſmodi pœnam peccatis eſſe debitam. Id quod facit concluſione quinta inter reſolutiones de virtute indulgentiarum. Cæterùm præter hæc, quanquam nemo non videat, quam id ſit identidem rationi conſentaneum, tamen quia Lutherus eodem loco negat rationem probabilem afferri poſſe, neque iſtud præmittemus. Sed experiemur, an id poſſet ratione quoque doceri. Quiſquis iuſtitiæ rationem dignè perpendit, mox intelligit culpam haud aliter, quam per iuſtam pœnæ ſumptionem, & dationem ordinari poſſe. Nam hoc ad iuſtitiam verè pertinet, vt ſi quid in eam ſit commiſſum, id haudquaquam inultum remaneat, ſed per iuſtam vindictam in ordinem redigatur. Legat, quiſquis velit Platonem, legat Ariſtotelem, aut cæteros philoſophos, qui de ratione iuſtitiæ quicquam tradiderunt, & omnino reperiet apud hos neceſſarium eſſe, vt qui contra legem commiſerit, pœnas luat, neque aliter ex iniuſto iuſtus iterarò:

Deut. 25. fieri poſſet. Id quod & diuus legislator Moſes non ignorauit, cum dixit: Pro menſura peccati, erit & plagarum modus. Quem locum Origenes ſuper Num. diſſerens, homilia octaua, dicit hunc in modum: Si peccator ſum, nunquid eadem erit mihi pœna ſi ſemel peccaui, quæ ſi ſecundò, & tertiò, ac frequentius peccem? Non ita erit, ſed pro modo, & numero, & menſura peccati, etiam pœnæ quantitas metienda eſt.

Apoc. 18. Quapropter & in Apocalypſi traditum eſt: Quitum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Sicut igitur ad iuſtitiæ decorem ſpectat, vt pro benefactis probi, iuſtum ſuſcipiant præmium, ita & pro noxis improbi pœnas dent commeritas. Neque ſeruatur iuſtitiæ pulchritudo, vbi quiſquam abſque condigno ſupplicio, leges impunè violare ſinitur. Non abhorret igitur à recta ratione, imò quadrat plurimum, quòd cum ex immenſa clementia ſua Deus, ad culpæ condonationem ſit vſqueadeo propenſus, vt vel propter intenſum cordis gemitum peccatori protinus ignoſcat, expectet nihilominus ab eo pœnam, & iuſtum pro delicti qualitate ſupplicium: cuius ipſe vel in hac vita, vel in purgatorio luendi, poſt remiſſam culpam manet omnino debitor. Cæterùm vt etiam ex Canonibus rem iſtam comprobemus. Negat enim Lutherus, & ex eis hanc rem doceri poſſe. Sic de pœnitentia diſtinct. pri. capite porrò. de

peccatoribus loquens dicit, quòd ſi ſui iudices ſiant, & veluti ſuæ iniquitatis vltores, hîc in ſe voluntariam pœnam leuiſſimæ animaduerſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus, extinguent æterni ignis incendia. Suffragia canonum. De pœni. diſt. pri. ca. porrò. Et eadem diſtinctione ſic ſcriptum eſt: Vide benignum Dominum miſericordiam cum ſeueritate miſcentem, & ipſius pœnæ modum iuſta & clementi deliberatione penſantem, & ideo non in perpetuum tradidit pœnæ delinquentes, ſed quanto, inquit, tempore ſeruierunt cuſarſaron, hoc eſt octo annis, diſce & hoc ô tu auditor quiſquis ille es, qui tibi conſcius es alicuius erroris, & quanto tempore errasse te noſti, & quanto tempore deliquiſti, tanto nihilominus tempore, humilia teipſum Deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ. Non expectes vt humiliet te cuſarſaron, & inuitu neceſſitas extorqueat pœnitentiam: ſed ipſe præueni ipſius tortoris duritiam, quia ſi teipſum emendaueris, ſi teipſum correxeris pius eſt Dominus & miſericors, qui vindictam temperet ab eo qui illam pœnitendo præuenit. Et rurſus, de pœnitentia diſtinct. iij. productior. ſcriptum eſt: Productior eſt enim pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna, ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ pœnitentiæ, temporaliter detinet hominem pœna, quem iam ad damnationem æternam reum non retinet culpa. Ad hæc. xxvj. quæſt. vij. pro qualitate, citatur octaua Synodus, ad hunc modum: Pro qualitate delicti, tempus pœnitentiæ impendatur. Multa ſunt in Canonibus id genus alia, quibus monſtratur aperrè, manere pœnæ debitum, poſtquam remiſſa fuerit culpa. Ciuilis Hereſi extorqueat clauam, quam Lut. pertinaciam. Sed ijs omnibus Lutherus non permouebitur, quin potius obijciet, à nullo hominum pœnas illas (de quibus tot exempla protulerim) auferri potuiſſe. At quid ſi nemo hominum potuiſſet eas auferre, palam tamen eſt eiuſdem generis pœnas (quæ partim erant intentatæ, partim inflictæ) condonatas fuiſſe. An non ipſi Niniuitæ (quibus vrbis Ionæ 3. ſuæ comminatum fuerat excidium) per ieiunij tamen & pœnitentiæ ſeueritatem, hanc abs ſe cladem auerterunt? Et Nabuchodunoſor ſi Da- Dani. 4. nielis fuiſſet conſilium ſequutus, hoc eſt, eleemoſynis peccata redemiſſet, vitaſſet & ipſe flagellum in ſe deſtinatum. Gene. 18. Sed & ſi decem iuſti fuiſſent in Sodomis reperti, qui pro cæteris oraſſent, non ignem & ſulphur pluiſſet Deus ſuper vrbes illas. Quid Achab & Manaſſem reges alioqui ſceleratiſſimos memorem? quibus tamẽ ob ſuam pœnitentiam ignouit Deus, nec in eos animaduerſionem quam meditabatur exercuit. Sed hactenus pro pœnis intentatis. Iam pro ijs quæ cœptæ ſunt infligi. Nunquid ira Dei in Hebræos ſæuiente, non profuerunt preces Aaron aduerſus plagam, qua tam ſeueriter erant illi percuſſi? Obtulit enim (vt Num. 16. ſcribitur) Aaron Thymiama, & ſtans inter mortuos 2. Re. vlt. Pœnæ à

ac

Deo vel intentas vel inflictas per pœnitentiam & preces auferri poſſe.

ac viuentes, deprecatus eſt pro populo, & ceſſauit plaga. Sed & Dauid (cum eſſet triduana peſtis in populum, quem numerari fecit, immiſſa) num tam acerbè ſeipſum non afflixit, vt diem vnum duntaxat ea clades durauerit? Multa ſunt eiuſmodi in ſcripturis, non ſolùm veteris, verumetiam noui Teſtamenti (niſi prolixum nimis fuerit omnia recenſere) quibus dilucidum eſſe poteſt, pœnas à Deo vel intentatas, vel inflictas, per pœnitentiam & ieiunia, perque piorum preces, & per eleemoſynas auferri poſſe.

Alter Luth. cauillus.

Quo fit, vt etiam alterum Lutheri argumentum parui momenti ſit. Sic enim argumentatur ſecundo loco: Si, inquit, eſſet talis pœna aliqua, non tamen ad remiſſionem Papæ pertineret, cum ſit voluntaria, vltra canones impoſita, imò non impoſita ſed ſpontè ſuſcepta. Verum hic haud rectè colligit. Neque enim pœna de qua iam agimus, aut eſt adhuc per Sacerdotis arbitrium iniuncta, aut ab ipſo pœnitente ſpontè ſuſcepta: ſed ipſa eſt, quæ iurè peccato debetur, & ad quā peccator obligatus remanet, ſiue Sacerdos eā iniunxerit, ſeu non iniunxerit, & hanc nos aſſerimus Petri ſucceſſorem, auctoritate pollicitationis, per Chriſtum Petro factæ, poſſe condonare. Quod autem dicit, per tertiam & quartam abundè ſatisfieri diuinæ iuſtitiæ, ſecundum menſuram, quam nouit Deus. Certè quantum ad quartā attinet, multa differt Deus in aliud vſque ſeculum, nec ſemper hic ad vnguem vſque caſtigat. Sed neque tertium pœnæ genus reſpicit peccata, quæ præterita ſunt, ſed pro futuris duntaxat adhibet cautelam. Porrò quod ſubiungit, nempe quòd non legitur vſpiam Deus aliquam requiſiuiſſe, niſi tertiam aliquando & quartam. Quid ſi non legatur? non propterea conſequitur, vt nulla ſit. Hunc argumentandi modum oſtendimus eſſe tibi conſuetum, quem & omnis Dialectica clamat inualidum eſſe. Sed planè falſum

Iohel. 2.

eſt quod aſſeris. Nam cum apud Iohelem legitur: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, hoc fuiſſet ſatìs iuxta ſententiam tuam, nimirum vt reſipiſcerent: ſed non hoc contentus Dominus adiecit: In ieiunio & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Et

Iohel. 1.

paulò ſuperiùs: Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ. Et rurſum ad Sacerdotes: Accingite vos & plangite Sacerdotes, lamentamini qui miniſtratis altari, ingredimini, dormite in ſaccis miniſtri Dei. Hos vtiq; cruciatus adeo ſeueros, neque tertia pœna, quæ Euangelica dicitur expoſcit. Sed neque ad quartam pœnam

Eſai. 22.

vllo modo pertinent. Rurſum in Eſaia legitur: Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluicium, & ad cingulum ſacci: quæ nimirum pœna, nec tertia nec quarta dici poteſt. Nam ſi tam grauis Euangelica pœna fuerit (quam tu dicis præceptam eſſe) quid de Chriſtianis innumeris, ne dicam omnibus, futurum ſit, horror eſt cogitare. At quid tibi, aut vnum aut alterum prophetarum hic cito? quando Hieronymus ipſe fatetur, vocibus omnium Prophetarum nos vocare Deum ad pœnitentiam,

Aſſertio Lutheri.

hoc eſt, ad pœnam debitam pro peccatis. Quam ſi nos noſtra ſponte dederimus, ille præterea nullam (ſi tamen Paulo credimus) illaturus eſt. Cæterùm de Magdalena & adultera, quod ex alijs dici miratur, hanc abſque ſatisfactione fuiſſe demiſſam, illam verò nequaquam, iam ſolitis ſtrophis vtitur, nimirum vt proprias diluat obiectiones, quò ſua pars munitior eſſe videatur. Sed non eſt dubium, quin abſque ſatisfactione, Chriſtus vtrique potuit ſua relaxaſſe peccata. Nec tamen ſi hoc feciſſet, trahi id iam debet Sacerdotibus noſtris in exemplum. Verùm ſi ſatisfeciſſent (quod mihi veriſimilius eſt) neutra ſatisfactio cenſeri debet, aut de tertia, aut de quarta ſpecie fuiſſe. Primùm, non de quarta dici poteſt alterutra, quia non inflicta à Deo. Sed nec de tertia, quia nec tantam verecundiam, nec tantam ignominiam, ſed neque luctum, aut triſtitiam tantam, ipſa tertia pœna poſtulaſſet, quam Lutherus vocat euangelicam. Quod verò proximè ſubinſerre molitur, nempe poteſtatem ſoluendi parem eſſe, nec excedere poſſe ligandi poteſtatem, paulò ante falſum eſſe docuimus. Quòd poſtremò dicit, neminem eſſe ſub iuriſdictione Papæ, quantum ad primam, ſecundam, tertiam, quartam, & ſextam, æquè falſum eſſe monſtrauimus. Nam Papa liberans à culpa, liberat & à gehennæ pœna, quæ prima eſt, & liberans à ſexta, quod & oſtendimus per eum fieri poſſe, liberat à pœna purgatorij, quæ ſecunda eſt. De tertia vero & quarta non reluctamur. Corollarium autem (quod conducit) nihil in ſe veritatis continet. Nam ſæpè diximus, non ob id ſolùm deberi pœnam, quòd ſic Eccleſia ſtatuit, ſed fuiſſe debitam, etiam ſi nullus vnquam ob hanc rem canon fuiſſet èditus. Canones enim

Quare instituti ſint canones.

ob id ſolùm inſtituti fuerunt, vt à Sacerdotibus dinoſceretur, quę pœna fuiſſet peccatis debita. Expers & illud omnino veritatis eſt, quod ſequitur: nempe quòd per vitam nouam maximè ſatis fit Deo. Neq; eſt Diuo Cypriano quicquam auditu magìs odioſum, quàm iſta ſit aſſertio. Nam apud eum nihil fermè crebrius eſt (cum de pœnitentia loquitur) quàm ſatisfactionis vocabulum, quam & affirmat non breuem eſſe debere. De ſcripturis (quas continenter adducit) prima eſt, Pœnitentiam agite. Ego paucis hic ab eo percontari ſo-

Cōſtringitur Luth.

leo: An hoc Baptiſta dixerit his, qui iam in gratia conſtituti fuerant? an expertibus gratiæ? Si dixerit expertibus gratiæ, iam non conſtat Lutherus ſecum, cum affirmet nullum opus ante gratiam peccatori conferre poſſe quicquam quin potiùs obeſſe plurimum. Sin in gratia conſtitutis locutum fuiſſe Baptiſtam dixerit, quis non videt, eleemoſynam (quam indixit) ad ſatisfactionem

Luc 3.

pertinere. Ait enim: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Quòd ſi hoc ad præceptum pertinere contenderit, & proinde ad pœnam Euangelicam, quid non erit ſub præcepto? Et cur non hoc etiam ipſis militibus, & publicanis iniunxerat, ſi de præcepto fuiſſet? Baptiſta certè non aliter, quàm pro prioribus indixit peccatis. Neque enim ſe difficilem exhibere iam debuit, ne quos

ad Chriſtum

quos ad Chriſtum allicere ſtuduit, effugaret ma- Ezec. 33.
g s. Porrò quod ex Ezechiele producit, facilè diluetur. Si conuerſus fuerit impius ab impietate ſua, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vitâ viuet, & non morietur. Primù hic reſpondemus, quòd ijs verbis nihil pollicetur aliud, quàm vitam gratiæ, ad quam conſequendam non exigitur ſatisfactio, & ideo nihil hoc facit aduerſum nos. Sed rurſum dicimus, quod iudicium & iuſtitia magnam in ſe continent ſatisfactionem. Si quis enim dignè libret ſuorum peccatorum magnitudinem, & ſubinde iuſtè vindicet ea, is nimirum hoc iudicium & hanc iuſtitiam exequens, non paruam facere putandus eſt ſatisfactionem. Neque talem quis condignam facere poteſt, etiam ſi plures victurus eſſet vitas. Quo fit vt neque illud obſtet nobis: Beati qui faciunt iudicium & iuſtitiam in omni tépore. Simili modo poſſumus & ad illud de Michea reſpondere. Vbi Micheas dicit: Iudicabo tibi ò homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium & diligere miſericordiam, & ambulare ſolicitum cum Deo tuo. Dicimus quòd iſta ſufficiunt ad vitam gratiæ, non autem ad purgatorij pœnas euadendas, niſi quis per iudicium acceperat, ſeueram condemnationem ſui, & per miſericordiam eleemoſynæ opera. Nam hæc ſola poſſunt conſcientiam a peccatis expiare, & pro reliquis peccatorū ſatisfacere Deo, quando & Chriſtus pollicetur daturis eleemoſynam, omnia munda fore. Hactenus igitur niſi ſumus ea conuellere, quæ Lutherus obiecit aduerſus id genus pœnæ, quam nos ſextam vocamus, nempe pro peccatis debitam, quæ certè re ipſa deberetur, ſi neque gehenna foret, neque purgatorium, neque euangelica diſtrictio, nec Dei caſtigatio, nec demum vlli canones vnquam fuiſſent inſtituti. Et hanc aſſerimus, multis modis (Chriſto ſic promittente) deleri poſſe, nunc per eleemoſynas, nunc per dimiſſionē iniuriæ fraternæ, nunc per bonorum virorum preces, & demum per auctoritatem S. Pont. traditam ex ipſo verbo Chriſti, quod certè per ſe ſolùm ſufficit, omnem pœnam (quantacunque fuiſſet peccatis debita) facillimè condonare. Neque enim credibile eſt, id fruſtra fuiſſe dictum à Chriſto, poſt illam expreſſam ſuæ diuinitatis confeſſionem, & habita priùs de ſtabilitate Eccleſiæ ſuæ memoria, & de clauibus item regni cælorum Petro conferendis. Sed hæc ſufficiunt, vt dilucidum fiat, indulgentias alijs etiam vtiles eſſe, quàm ijs qui publicis criminibus irretiti ſunt, & qui duri ſunt & impatientis animi. Et hæc pro articulo.

Iudicium & iuſtitia non vulgaris ſatisfactio.

Mich. 6.

Epilogus.

ARTICVLVS XXII.

LVTH. *SEx generibus hominum indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles: videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.*

EPISC. Nullis profectò magis neceſſariæ ſunt Indulgentiæ, quàm e veſtigiò morituris, quippe quòd eis iam tempus non ſufficiat, ad agendam pœnitentiam, hoc eſt, ad ſatisfactionem pro peccatis. Quo fit, vt quod reliquum eſt pœnæ pro peccatis debitæ (niſi priùs per indulgentias fuerit condonatum) ſeueriùs & acerbiùs expiabitur in purgatorio. Sed hic diutius remorari lectorem nolo, quòd hunc articulum vnà cum proximè ſuperioribus Lutherus ipſe fatetur ſe reuocaſſe. Quo tamen ingenio idipſum fecerit, mox videbimus.

Indulgentiæ iam morituris maximè neceſſariæ.

LVTH. *Has propoſitiones, vt dixi, reuocaui antea, rogauiq́; & adhuc rogo omnes, tum Bibliopolas, tum lectores, vt ea quæ de indulgentijs diſputata & ſcripta a me ſunt exurant.*

EPISC. Ecce vides, lector, quonam ingenio Lutherus hunc articulum reuocauit. Malo certè, prauoq́; Nam ante nonnihil indulgentijs deferebat, eas quibuſdam fuiſſe neceſſarias aſſerens. At nunc prorſus nullius momenti facit, neminiq́; profuturas aſſerit penitùs. Sic nimirum eorum ſuperbia, qui Deum oderunt, aſcendit ſemper, & magis atque magis increſcit.

LVTH. *Neſciebam enim tum, cùm ea laborarem, Papam eſſe Antichriſtum, qui his & ſimilibus operationibus errorū, Satana imperante, orbem perderet Chriſtianum.*

EPISC. Mira eſt, quanta ſit odij virtus ac poteſtas: quæ ſic faſcinat hominem, vt iam videat & ſentiat, quod prius non aduerterit, hoc eſt Chriſti vicarium Antichriſtum eſſe. Quos iam (te quæſo Luthere) nouos oculos induiſti, quibus nunc ſummus Pontifex tibi videatur Antichriſtus? An non hoc didiciſſe potueras ab illis præclariſſimis magiſtris tuis, vt Ioanne Vuiclefo, & Ioanne Huſs, cæteriſque Boëmicæ factionis principibus, à quibus & perdoctus es alia non diſſimilis farinæ plurima? Sed iam deſperas in gratiam te poſſe redire Pontificis. Quo fit vt nullum non moueas lapidem, quò tantæ poteſtati ſummam conſles inuidiam. Sed expendamus, an tu non magis (imperante Satana) perdere tuis erroribus, orbem ſatagis Chriſtianum. Si nos fallat Pontifex, fallit & Eccleſia, quæ veritatis firmamentum eſt, fallit & Spiritus ſanctus, perpetuus Eccleſiæ cuſtos, fallit & Chriſtus ipſe, qui nec portas inferi præualituras aſſeuerabat aduerſus Eccleſiam ſuam. Nā Pontifici planè ſuffragantur hæc omnia. Sed tu Luthere, qui contemptis omnibus ijs, tuo confidis cerebro, Chriſtianum orbem fallere ſtudes. Et non abſq; ſuggeſtione ſatanæ, quem credibile eſt, cum ſis tot & tantis atque tam impijs immerſus erroribus, præceptorem fuiſſe tibi, quos nec aliunde quàm ab ipſo concepiſſe potueris. Nā propè cuncta moliris euertere, quæ tota credidit hactenus Eccleſia, quæq́; patres orthodoxi nobis antea tradiderunt, vt non dubitem, ex eorum eſſe te numero, de quibus Paulus ad Timotheum ſcribit: Seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes. An non tua dogmata iam indies euadunt peſtilentiora, & quotidie creſcit ac augetur errorum cumulus? Sed vt ad indulgentias veniamus. Quid in his facit Pontifex, quò fallatur per eum orbis Chriſtianus, magis quàm per te? Nihil aliud illi pollicetur, quàm pœnæ pro peccatis debitæ condonationē,

Vis odij Lutherum nouis odijs oculis, vt ſentiat videat, quod nunquam eſt.

cui

cui & Chriſtus ampliſſima ſua pollicitatione ſubſcripſit. Tu verò tantundem tribuis cuiuis
Aequa lance perpende, lector, pontificene an Lutherus magis fallat.
ſacerdoti. Nam affirmas non ſolùm culpam, verumetiam pœnam omnem peccatis debitam, condonatam eſſe, per cuiuslibet Sacerdotis abſolutionem, hoc tu non vereris aſſerere, cum tamen huic tuæ ſententiæ, contradicant omnes orthodoxi patres. Iam ergo reſpondeas, precor, vter ex vobis potiùs imponit orbi Chriſtiano? an Pontifex, qui tam verbo Chriſti, quàm Patribus totus innititur? An Lutherus, qui tam verbo Chriſti, quàm cæteris orthodoxis patribus reluctatur?

LVTH. *Fixa eſt ſententia diuina Pſalm. 88. Viſitabo in virga iniquitates eorum, qua indulgentiæ, quæ virgam iniquitates viſitantem impyſsimè præſumunt remittere, funditus ſubuertuntur, & nihil niſi inane nomen eſſe monſtrantur.*

EPISC. Nunquam eas pœnas, quæ Dei virga peccatoribus infliguntur, indulgentias poſſe remittere quiſquam (opinor) aſſeruit. At quid prohibet, quò minùs hi, qui pia Fide ſuſceperint indulgentias, præuenire queant flagellum Dei? quando & Deus optimus piè confidentibus in ſe, tantopere ſit propenſus ad veniam. Cæterùm antè monſtrauimus, pœnam, quæ pro peccatis debetur, & ad quam poſt reatum ſublatum, manet adhuc peccator obligatus, non vno tantùm deleri modo. Neque enim ſemper hæc pœna per
Seſe corrigentes Deus non corrigit.
Dei virgam expiatur. Alioqui nec Paulus nobis erit audiendus, qui pollicetur nos haudquaquam à Deo corripiendos fore, ſi priùs ipſi noſmet dijudicauerimus. Si noſmet igitur ipſi dignè caſtigauerimus, effugiemus vtique flagellum Dei. Noſtra enim caſtigatione ſatisfieri poterit pœnæ, quæ peccatis debetur. Quamobrem nihil oportet, vt in eiuſmodi, qui de ſeipſis ſup-
Pſal 88.
plicium ſumunt, ſæuiat virga Dei. Neque pſalmus ipſe contrarium affirmat, cum nec de omnibus loquitur, ſed de ijs duntaxat, qui nolunt reſipiſcere, ſed dereliquerunt legem Dei, & in eius iuſtitijs incedere contempſerunt. Sic enim idem pſal. habet: Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iuſtitijs meis, non ambulauerint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Nihil igitur aduerſum nos, qui reſipiſcentibus miſericordiam pollicemur, facit pſalmus iſte. Poteſt inſu-
Aliena caſtigatio pœnā tollit.
per & pœnæ dictæ ſatisfieri per alienam caſtigationem, vtpote ſi quiſpiam vir ſanctus eo animo ſe afflixerit, vt in alterius vtilitatem id cedat, ac pro peccatis alterius omnino ſatisfaciat. Ad quem ſanè modum haud defuerunt ſancti, de quibus antè diximus, quod idipſum ex magna feciſſe charitate leguntur. Et demum nec iſtis modis ſolis, Deo ſatisfacere queunt peccatores, verumetiam per canonicam pœnam à ſacerdote congruenter impoſitam. Cæterùm vtcunque fuerit, niſi (priùs quàm hinc migrauerimus) ei prorſus debito ſatisfiat, in purgatorio tantundē luituri ſumus. Neque enim peccatum aliquod euadere poteſt penitus inultum, & abſque omni prorſus vindicatione, aut in ipſum qui deliquit, aut in alium qui talem vindicationem ſubierit illius commodo.

LVTH. *Nec curanda hominum reproborum diſtinctio de cerebro ſuo conficta, de pœnis medicatiuis & ſatisfactorijs.*

EPIS. Temeritati tuæ rectè conuenit, omnia contemnere. Attamen veritas eſt nemini contem-
Temeritas Luth. quid non contemnit?
nenda. Porrò verum eſſe conſtat, vel ex ſcripturis ipſis pœnas quaſdam fuiſſe medicatorias, quæ non erant ſatisfactoriæ, quales opinor tolleraſſe Paulum, ob ſtimulum carnis ſuæ, quibus inani gloriæ & arrogantiæ (quæ alioqui ex magnitudine reuelationum ſuarum ei propendebat) medela pararetur. Neque enim pœna quæuis, quæ vel infligitur à Deo, ſemper ob ſatisfactionem adhibetur peccati. Nam cæcus ille (qui à natiuitate ſua paſſus eſt oculorum orbitatem) nequaquam ob ſua peccata ſic punitus fuit, ſed magìs, vt in eo manifeſtaretur gloria Dei. Et Iob ſimiliter atque Tobias, non alia ratione tot calamitates perpeſsi ſunt, quàm vt ex eis alij diſcerent patientiam. At e diuersò Nabuchodonoſor, & Maria ſoror Moſi, cæterique complures ob iuſtitiam caſtigati ſunt, nimirum vt aliquouſque peccatis eorum ſatisfieret. Sed & Dauid (poſtquam intellexit peccati ſui reatum ſibi fuiſſe dimiſſum) non deſijt ta-
Pſalm. 50.
men dicere: Et ſecundum multitudinem miſera-
Pœnarum aliæ ſatisfactoriæ, medicatrices aliæ.
tionum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Nunquam hæc profectò dixiſſet, ac multa id genus talia, niſi perſuaſiſsimum haberet, ſe remanſiſſe ad pœnas aliquas obligatum. Quamobrem ex ijs perſpicuum eſſe poteſt, non omnes vno fine pœnas immiſſas à Deo fuiſſe: ſed quaſdam ſatisfactionis, quaſdam ſolius medelæ cauſſa.

LVTH. *Verba pſalmi clarè docent, peccata & iniquitates virgá viſitari.*

EPISC. Quidnam aliud hæc pſalmi verba ſibi velint, non intelligo, niſi quòd filij Dauid, qui legem
Deus ſua ſponte ſe affligentes venia proſequitur.
Dei dereliquerint, verberibus adigantur ad Deum reuerti, ſi nolint idipſum facere ſua ſponte. Quòd ſi ſua ſponte reuerſi fuerint, & in ſemetipſos dignè pro commiſsis animaduerterint, non video qui poſſes ex pſal. probare, quòd Deus hac animaduerſione non flectetur ad veniam ex clementia ſua. Neque enim conſueuit Deus bis in idipſum iudicare. Iudicaret autem bis in idipſum, ſi poſtquam ipſi ſemetipſos dijudicauerint, ipſe denuò vellet eoſdem iudicare: id quod facturum Deum omninò Paulus negat. Nequaquam igitur verba pſalmi clarè docent id quod tu moliris, & maximè quando pollicetur Deus in eodem pſalmo, ſe non cohibiturum ab illis miſericordiam ſuam. Miſericordiam (inquit) meam non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea.

LVTH. *Et nemo niſi inſanus queat negare, virgam illam eſſe pœnam pro peccatis inflictam, ſiue hanc ſatisfactionis, ſiue alterius negotij dixeris.*

EPIS. Geminum intellectum habet is tuus ſermo, cum aſſeris, Dei virgam eſſe pœnam pro peccatis inflictam. Poſſunt enim verbera pro peccatis infligi, quatenus per ea quis excitetur à peccati ſomno, quemadmodum ſæpe contigit filijs Iſrael, de qui-

Pſalm. 15.

quibus & ſcriptum eſt: Cum occideret eos, reuertebantur ad eum. Et alibi: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, & poſtea accelerauerunt. Poſſunt & eadem intelligi pro peccatis inflicta iam

2. Reg. vlt.

his, qui conuerſi ſunt, quemadmodũ & Dauid accidit, qui ſimul atq; pœnituerit ob cenſum populi factum, virgam tamen Dei ſuſtinuit, qua & vehementer afflictus fuit, nimirum ex peſte, quæ multum atrociter deſæuit in populum. Neuter horum ſenſuũ non ſufficit ad huius Pſalmi veritatem. De poſteriori ſatis apertum eſt. Et de priori quis negare poterit, quòd ſi Deus quempiam verberibus adegerit ad reſipiſcentiam, quin iam virga viſitauerit ipſius iniquitates, & in verberibus eius peccata? Nemo tamen rectè colliget, quòd poſtquam quis à peccati ſomno per Dei virgã ſic fuerit excuſſus & expergefactus, quòd nihil pœnę debitæ ſuperſit, quæ per indulgentias deleatur, quod tamen ipſe moliris.

LVTH.

Non ergo credas, etiam ſi angelus de cælo aliud docuerit, contra tam manifeſtam ſcripturam, nedum ſi draco blaſphemus de curia Romana aliud fremat. Non remittet homo, vt tollat viſitationem huius virgæ.

EPIS.

Ante victoriam laudes canis.

Iam furere incipis, perinde ac ſi triumphaueris, cum nihil feceris minùs. Quid enim colligis ex hac ſcriptura, quam iactitas vſqueadeo manifeſtã eſſe? Num hoc, quòd non aliter diuinæ iuſtitiæ ſatisfieri poteſt, quam per virgam iſtam? At hoc falſum eſſe pluribus docuimus. Neque enim ſequitur: Viſitabo in virga iniquitates eorum. Ergo non aliter, niſi per hanc virgam peccatis ſatisfieri poteſt. Quis non videt huius argumenti ſtolidiſsimas ineptias? Nam ita Paulus, vt diximus, parùm verax fuiſſet dicens: Si nosmetipſos dijudicauerimus, non vtique iudicaremur. Deſine igitur iſtiuſmodi maledictis ſummum inceſſere Põtificem, cui & impudentiſsima quidem impingere multa mendacia ſoles. Cuiuſmodi & hoc vnum eſt, quòd huius virgæ viſitationem ſuis indulgentijs tollere pollicetur: cum tamen ille nunquam iſtud ne cogitauerit quidem. Quanquam & poteſt populus harum indulgentiarum confidentia, ſic ad vitæ melioris emendam excitari, vt ab eis auertatur indignatio Dei, ſuumque gladium ipſe cohibeat, quem eſſet alioqui vibraturus. Sed hactenus hæc reſpondiſſe ſufficiat.

1. Cor. 11.

ARTICVLVS XXIIII.

LVTH.

Excommunicationes ſunt tantùm pœnæ externæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

EPISC.

De excommunicatione.

Ex Fidei errore innumeros ſibi Luth. peperit errores.

Si quis vel vnum errorẽ ſemel admiſerit, inde plures quotidie ſuboriuntur, quemadmodum in Luthero iam fieri manifeſtum eſt. Nam error quẽ de Fide concepit, errores alios ſibi peperit innumeros. Opinatur enim Fidem vel ſolam cuiq; ſufficere. Quo fit vt Sacramentis nihil tribuat, ſatisfactionem, omnino tollat, contritionem item aliquam exiſtimet obeſſe peccatori. Sed neque neceſſarium eſſe, vt quis omnia mortalia ſua confiteatur, licereque ſordidiſsimis & ſceleratiſſimis (modò Fidem habeant) ad Euchariſtiam accedere. Ac demum vnumquenque ſua Fide bonorum omnium (quæ totius Eccleſiæ communia ſunt) ita fieri participem, vt nec per indulgentias ei maiora conſerri poſſint, quam habeat, neque per excommunicationes auferri. Ad hos nimirum errores, alioſque plurimos, adegit eum error, quem de Fide mordicùs tenere decreuit. Contigit enim hîc Luthero quemadmodum homini cuidam quòpiam profecturo, qui malè ſuum iter ab initio per loca multis diuiſa ſepibus inſtituit. Is enim (vbi primam ruperit ſepem) ad alteram veniens, & eam pariter euertat oportet, ac ſubinde tertiam & quartam, atque reliquas omnes (quotquot obſiſtunt itineri ſuo) demoliri neceſſum erit: aut tandem retrouerti, & aliunde ſibi querere feliciorem ingreſſum. Ad hunc modum profectò Lutherus mihi viſus eſt feciſſe. Nam principiò de Fide parùm rectam imbibit opinionem. Sed cum eam defendere conſtituit, reluctabatur ei Sacramentorum efficacia, quam iccirco protinus amoliri conatus eſt. Poſt hanc ei obſtitit ſatisfactio, quæ cum opus quoddam ſit, & ad iuſtificationẽ peccatoris conducat plurimum, hanc etiam tollere quamprimum curauit. Pariter & de cæteris (ne ſim prolixior) idem omnino ſtuduit efficere. Quicquid demum opinioni ſuæ (quam de Fide ſibi firmauit) aduerſabatur, hoc euertere modis omnibus eſt molitus. Cęterùm (vt ad articulum tandem veniamus) quia vidit Lutherus futurum, vt ſi per excommunicatione, cuiquam habenti fidem, auferri poſſent ſpiritalia bona, iam non ſola Fides ſufficeret. Idcirco ſtudet & hanc poteſtatem excommunicationibus tollere, docetque eas externas tantummodo pœnas eſſe, nec priuare quenquam poſſe communibus Eccleſiæ precationibus, alijſque ſpiritualibus bonis. Sed iam ipſum audiamus.

Quare excõmunicationes Lut. dãnat.

LVTH.

Hanc ſatis firmiter probaui in ſermone de excommunicatione.

EPISC.

Primùm igitur operæprecium fuerit, hîc tuam recenſere probationem, quam in eodem ſermone producis, & eandem (ſi poſſumus) deinde refellere. Diſtinguis illic fidelium communionem bifariam, quarum alteram internam vocas & ſpiritualem: alteram externam & corporalem. Illam dicis conſtare Fide, ſpe, & charitate in Deũ: Hanc dicis eſſe participationem Sacramentorum, quæ fidei, ſpei, & charitatis ſigna vocas. Eandem inſuper ad communionem vſque rerum vſus, colloquij, habitationis, aliarumque corporalium conuerſationum extendi vis. Aſſeris deinde, quòd ſicut nulla creatura poteſt animam, illa priori ſpirituali communione, vel communicare, vel excommunicatam reconciliare, niſi ſolus Deus: ita nec poteſt alius quiſquam communionem illam ſpiritualem tollere, ſeu quenquam excommunicare, niſi homo ipſe ſeipſum per peccatum proprium. Sicque tandem ex his colligis, excommunicationem Eccleſiaſticam, eſſe communionis externæ duntaxat priuationem, hoc eſt, Sacramentorum, funeris, ſepulturæ, publicæ orationis,

Luth. argumentatio vanis.

nis,atq; id genus cæterorum. Hæc ſanè totius argumentationis tuæ ſumma eſt, quæ mihi profectò plurimum habere ſuci videtur, perparum verò ſolidæ veritatis. Quid enim ſi nemo Fidem, ſpem, aut charitatem auferre poſſet ab homine, niſi per peccatum has ipſe tollat ſibi, num non reſtant alia quæ per excommunicationem tollantur? Neq; nos negamus, quin indignè quiſpiam interdum excommunicetur, cum nihil inde prorſus diſpendij patiatur. Sed nos de illo, qui iuſtè fuerit excomunicatus, loquimur. Cuiuſmodi ſunt hi, qui plerunq; Fidē retinent, amiſſa charitate. Qualis nimirum & Corinthius ille fuerat, quē Paulus ſatanæ tradidit. Num (te quæſo) Corinthius iſte poſt traditionem & excommunicationem, quam ei Paulus inflixit, non iam in ampliorem (quā antè fuerat) detruſus eſt ſatanæ poteſtatem? Quid enim prohibet quò minùs id fieret? cū & de Iuda legimus, bis eum in poteſtatem ſatanę veniſſe: ſemel cum concepit animum tradendi Chriſtum, atq; iterum, quando buccellam accepit à Chriſto. Sic nimirum & Corinthius ille, ſemel (cum peccauit) ſub ditionem ſatanæ venit, ac denuò (cum excommunicatus fuerat) & tunc multò quidem euidentiùs. Intellige quæ dico. Corinthius ille primò per baptiſmum communionis Eccleſiaſticæ factus fuit particeps. Deinde per culpam charitatem amiſit, & dilapſus eſt in aliquam diaboli ſeruitutem: & quanquam erat ſpiritaliter in ſe mortuus, nimirum quia charitate caruit, erat tamen adhuc per Fidem Eccleſiæ membrum, & myſtico corpori coniunctus. Quo ſanè factum eſt, vt non quantum voluit ſatanas in illum potuit ſæuire. Obſiſtebant enim ei preces, & cætera ſpiritualia totius Eccleſiæ bona, quorum erat adhuc aliquo modo Corinthius ille particeps, ne pro ſua libidine ſatanas vexaret hominem. Quid enim aliud (te precor) ſatanæ malitiam cohibuit tunc magis, quàm poſtea? nempe cùm illius poteſtati datus erat Corinthius. Aut cur non æquè priùs vexauit illum, ſi non minùs tunc ab eo fuerat poſſeſſus? Verum inquies: Etſi maiorem in corpus accepit poteſtatem, non tamen in animam identidem. At iſtud illic haudquaquam probas. Bene quidem oſtendis, nihil ijs nocere poſſe, qui charitatis ſunt participes. At de alijs, qui propter admiſſa ſua charitatem amiſerunt (de quibus magis attinebat loqui) nullam inducis probationem. Quæ res omnem argumentationem tuam prorſus inualidam reddit. Nam de ijs, & non de illis firmari neceſſe fuit, quòd excommunicatio nullum inferat animæ nocumentum. At inquies: Paulus adiecit vt ſpiritus eius ſaluus ſit in die domini. Quid tum? An non interea diſpendiū Corinthius ille paſſus fuit, etiam in anima? Profectò. Nam & ſi Corinthio Paulus hanc intulerit excommunicationem, ob finalem animæ ſuæ ſalutem (modò Corinthius æquanimiter eam tuliſſet, & iuſta pœnitudine ſeipſum emendaſſet) ipſe nihilominus bonorū ſpiritualium, quæ in Eccleſia quotidie multiplicabantur iacturam interea paſſus eſt non modicam. Quod ſi per hanc excōmunicationem haudquaquam reſipuiſſet, ad maiorem damnationis cumulum tandem ei conuerteretur. An Chriſtum credis, quando buccellam Iudæ porrexit id ad detrimentū Iudæ feciſſe? An non potiùs, vt Iudas tanta beneuolentia reſipiſceret? Et tamen accepta buccella, mox intrauit in eum ſatanas ad mali ſui cumulum. Multò magis hîc, cum ex inſtituto Paulus Corinthium ab Eccleſia ſeparauit, & tradidit ſatanæ. Nunquid tu non malum putas à Chriſto ſeparari? & malum quidem animæ? cum & hæc inuiſibilis vnio ſecundum animam potiùs, quàm ſecundum corpus facta ſit. At inquies. Iam pridem per peccatum fuit ſeparatus à Chriſto. Fuit certè nec viuaciter coniunctus, nec tamen penitus à Chriſto diuiſus. Habuit vtique per Fidem nonnullam vnionem, quemadmodū & membrum aliquod expers vitæ, quod tamen corpori per neruos & pellē coniungitur, & nonnullo fouetur corporis calore. Ad quem modū & Corinthius ille (priuſquam fuerat excommunicatus) Eccleſiæ per Fidem iungebatur, & per Eccleſiæ bona ſpiritualia fouebatur nonnihil. Sed poſtquam anathematis gladio percuſſus fuit, haud aliter à comunib. Eccleſiæ bonis ſeparabatur, quā brachium à corpore, ſi penitus diſſecatum ſit, vt nihil ab eo fomenti ptorſus ſuſcipiat. Ex quo nimirum tuus error apertus eſt, qui negas excommunicatum anathemate ſeparari, aut ſatanæ tradi, ſed antè fuiſſe ſeparatum & ſatanæ traditum. Excommunicationē verò contendis, haud aliud quàm ſignū illius ſeparationis eſſe. Sic enim ais ſermone tuo de excommunicatione, quarto loco: Excommunicatio ſi iuſta eſt, ſignificat potius animam eſſe diabolo traditā & Eccleſiæ communione ſpirituali priuatam, quia fertur ſuper eū, qui peccato mortali ſeipſum priuauit cōmunione charitatis, & diabolo ſeſe tradidit. Nos quòd ſeipſum priuauerit bona parte cōmunionis ſpiritualis, & quòd aliquouſq; ſeipſum ſatanæ tradiderit, non refragamur. Quā diu tamen remanſit in corpore, non per excommunicationē omnino ſeparatus, non omni penitùs emolumento bonorum illorum ſpiritualium caruit, neq; omnino in ſatanæ venit poteſtatem. Quæ duo iā firmabimus. Et primùm iſtud quod poſterius eſt. Exploratum cunctis eſſe poteſt, non fuiſſe mentitum Paulum, cum dixit, ſe decreuiſſe In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis Corinthijs, & ſuo ſpiritu vnà cum poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus fornicator ille traderetur Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus eſſet in die Domini Ieſu. Non hic dicit Paulus, quòd ſit traditus, ſed quòd ſit tradendus. Quæ res adhuc dilucidior eſt apud Timotheum, vbi ait ſe Hymenæum & Alexandrum ſatanæ tradidiſſe, vt diſcant nō blaſphemare. Si non verè tradidiſſet eos ſatanæ, iam conſtat falſum dixiſſe Paulum, qui ſeipſum aſſerit hoc feciſſe. Sed & illud quod ſequitur, nempe vt diſcant non blaſphemare, rem ipſam indicat manifeſtiùs. Quomodo enim didiciſſent non blaſphemare, niſi per hanc traditionem, accepiſſet in eos ſatanas apertiorem aliquam vindicandi poteſtatem.

1. Cor. 5. Corinthius à Paulo excōmunicatus.

Iudam bis in poteſtatem ſatanæ veniſſe legimus.

Attende lector.

Buccellam à Chriſto accepit Iudas vt reſipiſceret.

Comparatio elegans.

1. Tim. 1. Hymenæus & Alexander à Paulo Satanæ traditus.

tem. Sed & Corinthius ille, quem ſatanæ Paulus tradidit in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret, quomodo non iam grauiorem à Satana moleſtiam incurrerit, quàm antè ſit perpeſſus? Palàm eſt igitur excommunicationem nō ſolùm ſignificare traditionem factam Satanæ, ſed per illam item excommunicatū iam eidem efficaciter tradi. Porrò quòd ante excommunicationem nemo ſit penitus omni bonorū ſpiritualium emolumento priuatus, vel ex eo conſtare poteſt, quòd malis etiam profuerit plurimum, inter bonos conuerſari. Nam vt bonus poteſt operibus communicare malignis, quod & diuus Ioañes teſtatur epiſtola ſecunda: ita poſſunt viciſſim & mali, bonorū operibus aliquouſq; communicare. Certū eſt, quando Stephanus pro ſe lapidantibus exorabat, preces eius Saulo profuiſſe: quanquam & tunc is eſſet inimicus Chriſti, & acerrimus quidē. Quid ergo dicemus? Paulo, cum infidelis erat, ac infidelium ſocius, Stephani precatio profuit, & fideli cū fidelibus conuerſanti, tametſi peccatori, totius Eccleſiæ ſuffragia nihil omnino conferent? Adiumento quin etiā fuit cuidam mortuo, quòd inter Helizæi fuiſſet oſſa ſepultus, quēadmodum 4. Regum 13. ſcribitur, & nihil adminiculari poſſet peccatoribus, quòd in medio ſanctorum, conuerſari ſinuntur? Adminiculatur hauddubiè. Veruntamen cum per excommunicationē abſcinduntur à totius Eccleſiæ corpore, iam ab omni bonorum ſpiritualium ope ſeparātur. In quo ſeparationis malo tamdiu perſeuerat, quam diu permanſerint in ſua pertinacia. Clarū igitur ex ijs opinor eſſe, quod non ſatis firmiter abs te probatus is articulus fuerat, ſermone illo, quem tu ſuper excommunicatione ſcripſeras.

Bonorum conſortium malis prodeſſe. *Actor. 7.* *Excommunicatus ab omni ſpirituali bono ſegregatur.*

LVTH. *Etiam per ipſorummet verba, vbi Papa dicit li. vj de ſent. excommuni. medicinalem & non mortalem, non eradicantem eſſe excommunicationem. At ſi priuaret ſpiritualibus communibus bonis, certe mortalis eſſet, quia animam ſeparatet a Deo.*

EPISC. Sunt quædam ſanè bona ſpiritalia, quibus excommunicatio neminem priuare queat, nempe Fides, ſpes, & charitas. His hauddubiè nemo per excommunicationem priuatur. At præter hæc ſunt alia, quæ non parùm ipſis peccatoribus inter iuſtos commorantibus opitulantur, vti ſuprà diximus. A quibus nimirum ſeiungit excommunicatio, multisque non corporalibus modò, verumetiam ſpiritualibus eum incommodis afficit, quiſquis excommunicatur. Et tamen medicinalem eſſe, quid prohibet? Nam vt ea quæ purgant corpus, tametſi multis alioqui damnis ipſum afficiant, mederi tamen dicuntur. Sic pari modo, quid obſiſtit, quò minùs id animæ ſalutare medicamen dicatur, quod ad ſalutem eius finalem exhibetur: quanquam intereà ſpiritualis nocumenti nonnihil inferat? Nam ſuo bono, ſpiritale diſpendium anima patitur, ſi per hoc diſpendium, ex morte poſſet ad vitam reuocari. Nihil ergo pro tuo dogmate facit illud cap. Cum medicinalis lib: vj. de quo tantopere glorïaris.

LVTH. *Ego, autem fortioribus nixus ſum, quia in poteſtate hominis non eſt, vt quis credat vel non credat. Sola autem Fides vel incredulitas, copulat, vel ſeparat animam Eccleſiæ Dei, ſicut Chriſtus dicit Marci vltimo: Qui crediderit, ſaluus erit: qui non crediderit condemnabitur.*

EPISC. At iſtud fulcimentum (cui te nixum dicis) quā ſit inualidum, puto nos pluribus oſtendiſſe, quoties de Fide tecum diſſeruimus. Sed nec grauabimur, hîc alia quædam adijcere. Si ſola Fides vel incredulitas copulat vel ſeparat animam ab Eccleſia Dei, quomodo verum eſt, quòd peccator (qui adhuc Fidem retinet) per mortale peccatū ſeipſum priuauerit omni communione charitatis, & diabolo ſeſe tradiderit? Hoc nimirum eodem ſermone, ſub quarto membro tu affirmas. Multi ergo ſeparantur à communione charitatis, atq; ita conſequenter ab Eccleſia Dei, qui Fidem nihilominus habent. Nam & Corinthius ille (qui per Paulum ſeparatus ab Eccleſia fuerat) Fidem tamen habuit. Non ergo ſola Fides animam copulat, quam ab Eccleſia Dei diſiungere ſola poſſet incredulitas, ſed & malecitas hic euangeliū. Neq; enim Marcus ita recenſuit Chriſtum: Qui crediderit, ſaluus erit, ſed adiecit: Et baptizatus fuerit. Nō enim abſque baptiſmo ſufficit Fides, ſicut nec abſque gratia. An non Eſau Deo credidit? de quo & Paulus ad Hebræos tradit, quòd cum lacrymis fruſtra benedictionem inquiſiuit. Qui enim cum lacrymis benedictionem quærit, videtur idipſum ex Fide facere. Et ſi ſola Fides ſuffeciſſet, mirum eſt, cur non fuiſſet eam benedictionem conſequutus. At Paulus affirmat, eum non inueniſſe pœnitentiæ locum. Cæterùm dices, te de Fide formata iam loqui. Tum extra cauſam declamitas. Nā in hoc omnino tecum conuenimus, quòd qui talem Fidē habet, nihil ei nocet excommunicatio, cū is in gratia ſit, atque culpa vocet, ob quam ſolam vibrari iurè poſſet excommunicatio. Sed de illo nobis eſt ſermo, qui cū Fide poſſeſſa, mortalis fuerit peccati reus. Is nimirum eſt ceu membrum quoddā in ſe mortuum, quod tamen vnitum corpori, refocillationem ab eo nonnullam accipit. Quid enim (te quæſo) membrum aliquod mortuum (quod & ſæpè videmus) vnitum corpori præſeruat à putredine? Quid, inquam, aliud, quā vnio ipſa? Nam ſi diſſectum hoc membrum eſſet à corpore, confeſtim putreſceret. Sic & peccator quàm diu manet in Eccleſia, communibus aliquandiu ſuffragijs Eccleſiæ, bonisque cęteris eiuſdem ſpiritalibus fouetur. At ſimulatque per excommunicationem ab Eccleſiæ gremio diſiunctus fuerit, iam omnis boni ſpiritalis communione priuatur.

1. Cor 5. *Mar. vlt.* *Heb. 12.* *Peccator ceu membrum in ſe mortuum.* *Comparatio efficax.*

LVTH. *Nullus eſt ferè articulorum, qui manifeſtioris ſit veritatis, quam iſte, vt ego non poſſum ſatis laudare diuinam prouidentiam, quæ draconem iſtum antiquum cum Papa & tabidis papiſtis ſuis ſic excæcauit, vt in tam claram veritatem, etiam a ſeipſis ſtatutam impingerent, quæ vel vna cæcitate totius huius bullæ auctoritatem, non modò mihi ſed toti orbi meritò contemptam reddiderunt.*

EPISC. Conuiciorum & calumniarum tuarum nullus eſt finis. Quid iam habes iuſtæ rationis, quòd ad iſtum modū debaccharis? Nihil enim pro te fa-

tiarum, ſicut neque ſacerdotali poteſtati contradicit. Neqne pores ignorare profectò tu, qni toties euolniſſe te iactitas ipſam Bibliam, Deum ſæpe deſtinatas animaduerſiones propter pœnitudinem populi reuocâſſe clementer, & eaſdem etiam inflictas non rarò ſubduxiſſe. Quò maior hauddubiè tua peruerſitas eſt, & impudentia, cum iſta proferas, aduerſante conſcientia tua. Nam tibi ſatis conſcius es, te contra ſcipturas ſacras iſta palam aſſerere.

LVTH. *Sed & Hebræ. 12. docet Paulus, nos à Deo patre diſciplinari, & 1. Corinth. 11. iudicari & corripi à Domino, ne damnemur.*

EPISC. Sed & idem ipſe Paulus ſeipſum diſſoluir cnm dicit: Si noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: Nam iuxta Paulum, hoc loco iudicari, corripi eſt. Quia ſequitur: Dum autem iudicamur, à Domino corripimur. Poſſumus igitur Dei correptionem vitare, ſi noſmetipſos dijudicauerimus, hoc eſt, ſi dignè librata peccatorum noſtrorum magnitudine, pœnitentes confugerimus ad miſericordiam Dei. Sic enim eleemoſynas, per ieiunia, perque noſtras ac aliorum precationes, Dei flagellum præuenire poſſumus. Et inter hæc quid prohibet ſi verbo Chriſti, de condonationibus à Pontifice datis, verè confidamus, nec proinde ſegniores ad opera bona reddamur. Quid inquam prohibet, quo minus hac humiliatione noſtra ad indulgentiarum ſuſceptionem, etiam Dei flagellationem effugiamus? Nam idem qui promiſit ob eleemòſynæ largitionem, munditiam animi conſecuturam, pollicebatur futuram in cœlis condonationem, per eas venias, quas ipſe Pontifex fecerit in terris.

1. Corinth. 11.

Iudicari eſt corripi.

Per Indulgentias iram Dei effugimus.

LVTH. *At ſanctiſſimus ille vicarius Dei in terris docet ſe poſſe tollere, & remittere quæ Deus imponit: tam pulchrè conuenit cum principe & rege ſuo, ſicut Belial cum Chriſto.*

EPISC. Nunquam deſinis vbique ſtrophas, & malignas cauillationes tuas interſerere. Nuſquam certè docet ſummus Pontifex ſe poſſe tollere, quæ Deus impoſuit, aut contra ipſius beneplacitum & ordinationem, ſe velle moliri quicquam. Veruntamen hoc ex Chriſti verbis, ſe poſſe polliceri confidit, nempe quod pœnam eam condonare poſſet, quam Sacerdos arbitrio ſuo dignam cenſuiſſet, & quantam, vel ex Canonibus, vel ex ſcripturis, æquam exiſtimaſſet, quæ ſecundum iuſtitiam diuinam imponeretur. Et quid vetat, quò minùs hanc pœnam ſummus Pontifex condonare poſſet, quàm poſſet Sacerdos culpam, pro qua debetur illa pœna? Et maximè quando tam abſolutè conceſſerit ei Chriſtus, vt, Quicquid ſolueret ſuper terram, eſſet ſolutum & in cœlis. Qui enim dicit quicquid, is penitùs excipit nihil.

EPISC. *Si tamen aliquid eſſent indulgentiæ, quid aliud quàm remiſſiones bonorum operum eſſent? Nonne remittunt ſatiſfactiones? Quid autem ſunt ſatiſfactiones, niſi bona opera, bonæq; paſſiones? vt etiam hac ratione peſtilentiores fuerint indulgentiæ, ſi aliquid eſſent, quam nunc dum nihil ſunt.*

EPISC. Et hic peruerſiſſimè cauillaris. Neque enim indulgentiæ ſunt bonorum operum remiſſiones. Nam ſummus Pontifex hoc non agit, vt qui ſuſcipiunt indulgentias ob eas ad bene operandum fiant remiſſiores. Quin potius vt (eum tanto iam intelligant ære alieno ſeſe liberatos, quo pridem erant preſſi) alacriores inde reddantur, ad ſanctè ſyncereq; viuendum. Nec intelligis (opinor) ipſe, cum aſſeras vnumquemque curatum à pœna peccatis debita, ſuos abſoluere parochianos, quod à bonis eos abſoluit operibus, aut quòd remittat opera bona. Cæterùm cum ais, quòd indulgentiæ ſatisfactiones remittunt, falſum eſt. Non enim ſatisfactionem vllam remittunt, ſed obligationem duntaxat qua peccator ad ſatisfactionem tenebatur. Diuerſa nimirum ſunt obligatio ad pœnam, & ſatisfactio pro pœna. Nam obligatio vinculum eſt. At ſatisfactio non eſt vinculum, ſed vinculi magis ſolutiua. Quamprimum enim quis ſatisfecerit, vinculum (quo tenebatur) abrumpitur. Soluit itaque ſummus pontifex obligationem ad pœnam, vt iam non amplius ad eam pœnam teneatur pœnitens. At ſatisfactionem non tollit, quia poteſt nihilominus peccator (modò ita voluerit) ſatisfacere, quanquam ad eam de cætero non obligetur. Veruntamen ſi fecerit eam, tutiùs & melius eſt facturus. Nam quemadmodum antè diximus, error euenire nonnunquam poteſt, tam in eo (qui tales indulgentias largitur) quàm etiam in eo, qui ſuſcepturus eſt eas, longè tutiùs fuerit eandem ſatisfactionem (ſi præter ætatem & vires ei liceat) complere, quàm omnino prætermittere.

Indulgentiæ non ſunt bonorum operum remiſſiones.

Diuerſa ſunt obligatio ad pœnam, & ſatisfactio pro pœna.

LVTH. *Quæ fraus ſceleratior, quàm hominibus bona opera remittere, & licentiam dare pigritandi ſub ſpecie pietatis, ad pecunias tantùm exugendas?*

EPISC. Si tantùm ad pecunias exugendas, & non magis ad animarum vtilitatem aſpiciat is, qui largitur indulgentias, vereor ne perpaucum iſtiuſmodi indulgentiæ ſuſcepturis profuturæ ſint. Nam fidelis & prudens, in hoc negotio miniſter quiſpiam exigitur. Verùm ſi priuatis affectibus remotis, animarum inprimis commodo proſpiciat, auſim aſſerere, nullum ita ſcelus, aut fraudem ſubeſſe condonationibus: ſed plurimũ ijs profuturas, quicunq; ritè ſuſceperit eas & maximè aduerſus ignis purgatorij cruciatus. Quòd ſi quiſpiam ob eas licentiùs & negligentiùs viuat, Pontifex in culpa nõ eſt, ſed ille qui tam vtilibus rebus in malum ſuum abutitur. Neque enim Pontifex, aut opera bona remittit (vt antè diximus) aut pigritandi licentiam dat cuiuis, quin potiùs hortatur, vt deinceps viuant circumſpectiùs, ne ſi denuò labantur, deterior euadat eorum conditio.

Salus animarum in largiendis indulgentijs vnicum debet eſſe ſcopus.

LVTH. *Reuoco etiam quòd dixi eas eſſe de numero eorum quæ licent, hoc enim verum eſſet ſi aliquid eſſent. Quia quod non eſt præceptum nec conſultum, prorſus nec expedit, nec neceſſarium eſt, ſed merè licitum & arbitrarium.*

EPISC. Argutia iſta tua, mera quędam argutia eſt, & nihil habet ſoliditatis. Quòd inquis, non eſt præceptum nec conſultum prorſus, nec expedit nec neceſſarium

ceſſarium eſt. Non conſequitur. Nam vti ſuprà diximus, remiſsiones venialiũ peccatorum, nec præceptæ ſunt, neque conſultæ: & tamen vehementer expedit, ac neceſſarium eſt, vt venialia peccata nobis remittantur, priuſquam hinc migrauerimus, alioqui propter hæc hauddubiè patiemur ignis purgatorij cruciatus. Quod ſimiliter & de reliquijs mortalium, haud dubito futurum. Nam ſi non priùs illæ, ſiue per indulgentias, ſeu per alios modos expurgentur, ignis illius omnino perſeremus grauamen. Quanquam igitur earum condonationes, in ſcripturis neque præceptæ fuerint, neque conſultæ, neceſſarium tamen eſt (ſi vitare cupimus illius ignis concremationem) vt priuſquam hinc exierimus omnino condonetur nobis.

LVTH. *At tales eſſent indulgentiæ. Nunc autem dico, eas eſſe de numero eorum, quæ fallunt & perdunt, cum ſint nihil niſi fraudes ſceleratorum ſanguiſugarum populi Dei.*

EPISC. Bona verba quæſo. Satis oſtendiſſe me puto, non eſſe fraudes indulgentias, nec ijs falli quenquam, modò tam ille qui ſuſcipit, quàm qui largitur, vterque faciat animo recto. Si charitas magis, quàm cupiditas moueat concedentẽ, & ſi ſuſcipiens non inde negligentior, aut ad peccandum audacior efficiatur, nihil ambigo, quin ad illum finem profuturæ ſint, quo fuerant conceſſæ, hoc eſt, vt à pœnis purgatorij liberent. Neque ſolùm id, verumetiam ad augmentum gratiæ conferunt: quando nemini conceduntur, niſi propter operis aliquid quod in ſe pietatem contineat. At proinde quærens indulgentias, ad boni operis exercitium excitatur, quo & meretur nonnihil, dum fuerit in gratia. Sed & Fides eius etiam (quæ cum primis neceſſaria eſt) ſemper aliquid promeretur. Tantum igitur abeſt, vt fallant indulgentiæ, vt & contrà, magis proſint, ac promoueant plurimum. Atque hæc ſufficiunt, ad huius articuli confutationem.

ARTICVLVS XIX.

LVTH. *Indulgentiæ qui his veraciter conſequuntur, non valent ad remiſsionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſtitiam.*

EPISC. Tres Euangelii ſcripturas Lutherus, perinde ac ſi nihil omnino diuerſitatis habuerint, velut vnam ſæpè confundit, cum inter ſe tamen (niſi vehementer fallor) diſcriminis habeant plurimum, & longè diuerſas in Eccleſia poteſtates inſinuent. Prima eſt, quæ traditur Matthæi decimo ſexto: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Altera eſt, quæ ſcribitur Matth. 18. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Et quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta in cœlo. Tertia verò penult. Ioan. habetur: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. De duobus itaque poſtremis loquamur primùm. Illa profectò (quod & manifeſtè patet ex ijs, quæ circumſtant) ad iuriſdictionem Eccleſiæ, & ad forum, vt aiunt, publicum, ſpectat magis. Nam poſtquam dixiſſet Chriſtus: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, illico ſubiunxit: Amen dico vobis: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c. Quibus verbis hauddubiè poteſtatem dedit Apoſtolis, quatenus poſſent à communione Eccleſiæ ſeparare quemlibet, qui vel animo prorſus obſtinato nolit Eccleſiæ decretis obtemperare. Sed illa Ioannis penult. planè ſpectat ad forum priuatum, & ad clàm ferendum in peccatorem iudiciũ pro ſuis admiſsis. Diuerſæ ergo ſunt hæ duæ ſcripturæ, & ad officia prorſus diuerſa pertinent. Sed & alterum adhuc diſcrimen adeſt, nempe quòd illa ligandi poteſtatem tribuit, iſta retinendi peccati facultatem. At non eſt idem ligare & retinere, cum ligare ſit recens vinculum inijcere: retinere verò potius ſit, in eodem ſeruare ſtatu quo pridem quiſquam fuerat. Sed neque Luthero prorſus idem eſt remittere & ſoluere. Sic enim in confirmatione articuli ſecundi ſcripſit: Aliud eſt omnia peccata remitti, aliud tolli. Baptiſmus omnia remittit, ſed nullum penitùs tollit. Tertium inſuper diſcrimen eſt, quòd præter ingentem verborum diſcrepantiam, ſit etiam in eis longè contrarius ordo. Nam in illo Matth. 18. de ligatione priùs mentio fit, ac ſubinde de ſolutione. Sed in iſta Ioannis, de remiſsione priùs agitur, ac ſubſequenter de retentione. Non eſt itaque credibile quòd eandem omnino facultatẽ per vtramque Chriſtus voluit indicari. Sed vt rectè credit Eccleſia, hæc in Sacerdotes omnes competit, illa ſolos maiores, hoc eſt, Epiſcopos reſpicit duntaxat. Cæterùm iam veniamus ad primam, nempe quæ ſcribitur Matth. decimo ſexto: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Hæc profectò non minùs ab illarum vtraque diſtat, quàm inter ſe diſsideant ipſæ. Et principiò patet, inter hanc & tertiam intereſſe plurimum ob eaſdem rationes, quibus oſtendebatur diſcrimen ſecundæ ad tertiam. Cum enim ex ijſdem locis petitæ ſint, ſimili modo conficiunt, quòd hæc prima non poteſt à tertia non diſsidere. Quamobrem hoc reliquum eſt, vt quid inter primam ac ſecundam interſit iam exquiramus. Harum ſanè varietatem ſuperiùs articulo decimotertio collegimus, tum ex eo, quòd in prima fit mentio de clauibus regni cœlorum, & vbique de cœlis pluraliter. In ſecunda nec de cœlorum clauibus mentio fit, neque de cœlis alicubi, ſed de cœlo ſingulariter vtrobique. Quod certè diſcrimen Origeni, quemadmodum illic diximus, videtur inſigne, & ducit annotandum. Sed & iſtud item aduertendum eſt, quòd in altera quidem diſtributio ſuper pluralitatem cadit, in altera verò ſuper ſingulare, quod nemo non perſpicit aliquantò latiùs eſſe porrectum. Nam in illa dicitur: Quæcunque ſolueris, in hac verò: Quodcunque ſolueris. Ad hæc adde, quòd ſolus

Quomodo explicandæ ſunt dictæ ſcripturæ Matth. & Ioann. & quid inter ſe diſcriminis habeant.

Inſigne numeri diſcrimen Tibi dabo claues.

Matthæus vtramque nobis tradidit, nec alius Euangeliſtarum, vllam de alterutra facit mentionem. Nec eſt veriſimile, quòd idem Euangeliſta tanta verborum diuerſitate duas has ſententiolas vno ſolo capite diſtantes extuliſſet, ſi cenſuiſſet eas ad eandem omnino rem pertinere, & non variam in his exprimi poteſtatem. Huc accedit, quòd ſi Petrum Chriſtus præpoſuit cæteris, & ampliori voluit auctoritate donari, (de qua poſtea dicturi ſumus) quis iam non facilè diſcriminis huius rationem intelligit? Nempe vt prima quidem propter poteſtatis amplitudinem (quæ ad omnes cælos extenditur) ad ſolum Petrum pertineat: Secunda verò, quæ non vſqueadeo latè patet, ſed ad vnum duntaxat cœlum, cæteros concernat Apoſtolos. Quoniam igitur diuus Petrus in ſuis ſucceſſoribus ſemper in Eccleſia repræſentatur, & in cæteris Epiſcopis Apoſtoli, quibus deinde ſubſunt ſacerdotes, quis non aduertet, ex ijs compoſitiſſimum ordinem in Eccleſia conſtitui, & cuique pro ſuo gradu congruam collatam eſſe poteſtatem? Nimirum vt infimis liceat à reatu peccatorum abſoluere, id quod Chriſtianis omnibus apprimè neceſſarium eſt. Deinde medijs præter hæc in foro publico aperta crimina vindicare. Summis denique præter hæc ex plenitudine ſupremæ poteſtatis, tam ijs, quàm illis pœnas debitas condonare. Atqui Lutherus nullũ ordinẽ admittit, ſed rem omnium pulcherrimam, hoc eſt, ordinatiſſimam cuiuſque ſtatus diſtributionem aufert ab Eccleſia, confunditque prorſus omnia, ſacerdotes Epiſcopis æquans, & plebem ſacerdotibus, paremq; mulierculis cum ſummo Pontifice tribuit poteſtatem. Multò ſanè rectiùs Eccleſia cum Euangelio conſentit, decorum in ijs ordinem ſeruans. Nam quid ordine pulchrius? & cõtrà quid confuſius eſſe poteſt, quàm vbi nullus eſt ordo? Cæterùm Lutherus hæc verba (quæ Petro dixit Chriſtus) multis modis extenuare laborat. Et primùm, quòd eadẽ omnino contendit eſſe, quæ cæteris dicta fuerant Apoſtolis. At palã conſtat rem aliter ſe habere. Neque enim Chriſtus, quæ Dei virtus, & Dei ſapientia fuit, quique nec iota quidem protulit vnquam, abſq; iuſta ratione, non abſq; cauſa credendus eſt toties in altera cœlos ingeminaſſe pluraliter, & in altera non niſi cæli ſingulariter feciſſe mentionem. Nec poteſt huius cauſa prorſus alia reddi, quàm quòd in his, diuerſum omnino poteſtatis gradũ voluit deſignari. Rurſum ex hoc reſtringere molitur, quòd Petri ſucceſſorem affirmat nihil amplius ex ijs verbis arrogare ſibi poſſe, quàm quòd horum auctoritate pœnas per canones inflictas tollere queat. Et hoc item longiſſimè diſsidet à vero. Quod vel inde conſtare poteſt, quia priuſquã canones vlli fuiſſent cõditi, Petrus hanc poteſtatẽ accepit à Chriſto. Non ergo propter canones (qui nondũ inſtituti fuerant) hac Petrum auctoritate donauit Chriſtus. Liquet igitur quanta ſit horum verborum amplitudo, & maximè quòd Chriſtus nullo poteſtatem iſtam limite coarctauit, ſed abſolutam & cum ſumma plenitudine contulit.

Lut. indigeſtam Eccleſiæ molem ſtruere conatur, ordinatiſſimam cuiuſque ſtatus diſtributionem tollit.

Manifeſtus Luth. error.

Quid enim pleniùs & abſolutiùs dici potuit, quàm quodcunque ligaueris & ſolueris? Quiſquis enim hoc dicit, nihil excipit. Nullum profectò vinculi genus hic eximitur. At perſpicuum eſt, obligationem peccatoris ad pœnam pro peccatis debitam, vinculum quoddam eſſe. Sed & aliud ad rem haud parùm conferet, ſi diligenter exquiramus, quanam occaſione Chriſtus hæc verba protulerit. Nam ex ea longè magis perſpicuum erit quod aſſerimus. Poſtquã enim Petrus palam fuiſſet confeſſus, Chriſtum eſſe filium Dei, pro merito confeſſionis huius, audiuit à Chriſto viciſſim ad ſe dictum: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Forta'ſsis arcanum iſtud myſterium adhuc non fuerat cæteris omnibus reuelatum. Et ſi fuerat, ſolus tamen Petrus hoc iam ore ſuo teſtabatur. Propter quod & ei Chriſtus ſubiunxit: Et ego dico tibi. Chriſtus haud dubiè cunctos interrogauit, quem nam ſe crederent eſſe? Sed quia ſolus Petrus confeſsionem hanc ſuæ Fidei protulit, ſoli Petro Chriſtus viciſsim reſpondit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Quis aliorum quæſo nomenclaturam hanc à Chriſto ſortitus eſt, quàm Simon, qui & dictus eſt Petrus? Solum ergo Petrum iam allocutus eſt Chriſtus, cum nemo cæterorum vocatus ſit Petrus, Et ego, inquit, dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Ecce pro merito ſuæ confeſsionis hæc Petro dicta fuerunt, atque id etiam poſtquã Chriſtus Eccleſiæ ſuæ meminit ædificandæ, atq; aduerſus inferorum portas ſtabiliendæ. Sed adhuc non deſiſtet occurrere Lutherus: Nõ poteſt, inquit, ex ijs verbis inferri tam ampliſsima poteſtas. Neq; enim latius extẽdi poterit ſolutio, quã ligatio. Quamobrem ad ea duntaxat, quæ per Petrum ligata ſunt referri queunt & ſoluta. Sed & hoc falſum eſſe paucis monſtrauimus. Nullus enim Petri ſucceſſor, ſed nec Petrus ipſe, cuiuſuis innocentis animum potuit alicuius delicti mortalis reum conſtituere. Potuit vtiq; Petrus leges condidiſſe, quas ſi quis contempſiſſet, trangreſsionis reus fuiſſet effectus. Verùm non tunc Petrus, ſed tranſgreſſor ipſe ſeipſum reum conſtituiſſet, nimirum qui ſua ſponte leges illas eſſet prætergreſſus. Sed Petrus, aut Petri ſucceſſor, neminem facere poteſt reum alicuius peccati mortalis. Veruntamen Petri ſucceſſor, id quod ipſe nequaquam diffiteris, poteſt quemque peccatorem à mortali quocunque delicto penitus abſoluere. Latiùs ergo ſolutionem, quàm ligationem extendi, quis iam non perſpicit? Nam ad lethalem vſque culpam ſolutio porrigitur. Sed non ad eam vſque protenditur ligatio, cum ſolus peccator ſua ſponte ſeipſum in culpa ligare queat. Verum quidem eſt, quòd vbi quis lethale facinus admiſit, hunc Petri ſucceſſor anathematis vinculo

Tanta Petro pro fidei ſuæ confeſsione data poteſtas

Nemo cæterorum apoſtolorum vocatus eſt Petrus.

Latiùs ſolutio quam ligatio accipitur.

(do-

(donec reſipiſcat) ligare poterit. At ipſe iam peccator ſeipſum antè reum fecit, alioqui iuſtè ligari non potuit. Veruntamen (vbi ligatus eſt peccator) tum ſucceſſor Petri non modò vinculum anathematis, verumetiam culpæ nodum planè diſſoluit. Quamobrem & latiùs patet ſolutio quæ duplex, vinculum tollit, quam ligatio, quæ ſolum vnum. Cæterùm quia tertium vinculum adhuc relinquitur in peccatore, nimirum obligatio quædam ad pœnam pro peccatis debitam, & hanc ex plenitudine ſuæ poteſtatis, idem Eccleſiæ princeps & caput, nempe ſucceſſor Petri, delere poteſt. Alioqui mendacium (quod abſit) feciſſet Chriſtus, qui nullo penitùs excepto vinculo, pollicitus eſt illud in cælis omninò fore ſolutum, quodcunque ſuper terram Petrus ſoluiſſet. Ex quibus nimirum & huius articuli deprehenditur error, quo dicit Lutherus indulgentias his, qui veraciter eas conſequuntur, non valere ad remiſſionem pœnæ, pro peccatis actualibus apud diuinam iuſtitiam debitæ. Sed iam de hoc ſatis.

Ab omni vinculo abſoluit Eccleſiæ princeps.

ARTICVLVS XX.

LVTH. *Seducuntur credentes, indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum Spiritus vtiles.*

EPISC. Ego certè non dubito, quin multis profuerint ad fructum Spiritus conſequendum. Quòd & paucis oſtendere conabimur. Nunquam indulgentiæ conceduntur, niſi pro certo quodam opere, quod ſpeciem habeat pietatis. At eiuſmodi opus quiſquis præteritorum pœnitens, intuitu Dei fecerit, non poteſt non mereri: cum iam in charitate conſtitutus ſit, & charitas (vt ait Auguſtinus) augeri meretur. Adde quòd plerique ſpe conſequendi indulgentias, ſuos animos ad Deum leuant, ſeque ipſos digna pœnitudine, & confeſſione præparant, quò fieri valeant earum participes, quod ſanè facturi nequaquam eſſent, niſi talium indulgentiarum conceſſione fuiſſent prouocati. Huc accedit, quòd non ſit parui momenti ad fructum Spiritus, vel comparandum, vel augendum, Fidei in Deum renouatio. Cum igitur Chriſtus Petro, ſuiſque ſucceſſoribus fuerat pollicitus, quòd ab omni vinculo poſſent abſoluere peccatores, accedit quiſpiam huius verbi fiducia, qui ſe grauiſſimis ob ſua ſcelera cruciatibus obnoxium intelligit, condonationem à pontifice petiturus, nihil de Chriſti verbo prorſus hæſitans. Is haud dubiè Fidem renouat ſuam. Et quoniam ipſius Fides, antè per Sacerdotis abſolutionem formata fuiſſet, oportet quòd iam non ſolùm eius obligationis, qua tenebatur ad pœnam, condonationem ſuſcipiat, verumetiam ampliorem apud Deum gratiam haud dubiè promereatur. Porrò gaudium (quod & alius ſpiritalis fructus eſt) dici reuera non poteſt, quantum peccator ex indulgentijs conſequitur, cum intelligit ſeſe, non à culpa modò, verumetiam à pœnarum acerbitate peccatis ſuis debita, penitus liberatum. Pacem verò quis exprimat, quam peccator ſic abſolutus poſt ſuſceptas indulgentias, in corde conſcientiaque ſua ſentit, quæ nimirum omnem ſenſum exuperat? Sicque demum & ad cæteros ſpiritales fructus excitatur, ad longanimitatem, patientiam, benignitatem, bonitatem, manſuetudinem, & temperantiam. Falſum igitur eſt, quòd ſeducuntur credentes, indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum Spiritus vtiles. Conducunt enim vehementer ad omnem Spiritus fructum ſalutarem. Sed dicet fortè quiſpiam, maior pars hominum ob eas licentiùs viuunt. Non reclamo. Sed idem faciunt identidem, ob immenſam clementiam Dei; & ob ſummam ipſius ad miſerendum pronitatem. Quid ergo? Dei clementiam damnabimus? Haud quaquam, ſed miſeros & ingratos peccatores, qui tanta abutuntur clementia. Neque ſecùs hoc loco facere quempiam decet. Neutiquam inceſſere conuenit indulgentias; ſed ipſorum peccantium malitiam, qui ſæpiùs araneorum more, venenum illic hauriunt, vnde ſalubrem ſuccum haurire potuiſſent. At hæc ſufficiunt pro articulo.

Indulgentias eſſe ſalutares.

Indulgentiæ ad fructum Spiritum fidei que renouationem ſunt vtiles.

Vtilitas indulgentiarum.

ARTICVLVS XXI.

LVTH. *INdulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodò & impatientibus,*

EPISC. Nos cunctis peccatoribus (qui pœnarum debitores fuerint) neceſſarias eas eſſe non ambigimus, nedum publicè criminioſis. Cæterùm quoniam articulus iſte nullam habet probationem, hic operæ precium erit Lutheranis obiectionibus reſpondere, quas opponit aduerſus tria, quæ quidem ſtatuere moliti ſumus ſub articulo. xvij. cum primùm de indulgentijs loqui cœpimus. Primum erat, manere, vt plurimum poſt deletam culpam, pœnæ cuiuſdam obligationem pro peccatis. Secundum erat, quòd ea pœna tolli poteſt per indulgentias à ſummo Pontifice conceſſas. Tertium, quòd nihil ex eo diuinæ iuſtitiæ derogabitur, cum abundè reſarcietur ex Chriſti ſanctorumque meritis, quicquid ex pœnæ perſoluendæ taxa, peccatori defuerit. Hic Lutherus primùm in reſolutione ſua, de virtute indulgentiarum concluſione 5. nobis occurrit. Sex pœnarum genera commemoras, primam gehennæ, ſecundam purgatorij, tertiam quam appellat voluntariam & euangelicam, quartam, quæ Dei virgâ peccantibus infertur, quintam quæ per canones infligi ſolet, ſextam quam licèt nolit agnoſcere, tamen diſceptandi gratia fingit, vt eam improbet. Primam aſſerit in ſummi Pont. poteſtate non eſſe; quod & vniuerſam Eccleſiam opinari conſtanter affirmat. At iſtud non vſquequaque verum eſt. Facilè quidem aſſentior, ſummum Pont. non poſſe quempiam à gehennæ pœnis eripere, poſtquam eis ſemel per mortem addictus fuerit. Verùm ante mortem (quàm diu quis hic vixerit) ſicut eum Pont. à culpa poteſt abſoluere: ita poteſt & à gehennæ pœnis liberare. Alioqui poſſunt & inferorum portæ aduerſus Eccleſiam præualere. Sed neque ſtaret & aliud Chriſti promiſſum, nempe: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Secundam

Cunctis peccatoribus neceſſariæ indulgentiæ.

Sex pœnarum genera.

Prima.

Secunda.

Alia ſola Euangelica pœna, quæ ſatiſfactoria dicitur.

oportet, ſi tamen illa præcepta fuiſſet. Perſpicuum igitur inde nobis eſſe poteſt, aliam pœnam hanc fuiſſe, quàm ſolam Euangelicam, & eſt ea nimirum, quã ſatiſfactoriam vocamus, & ad quam peccatorem obligari credimus, protinus vt à culpa ſoluitur, & non æterna gehennæ pœna.

Quinta.

De quinta verò pœna, quam canonicam ille vocat, nihil moror in manu Pontificis eſſe; quanquam demirer Lutherum hoc pontifici permittere, vt quod Eccleſia tota decreuit, hoc ipſe poſſet, vel tollere, vel moderari. Nam ſi hoc poſſet, non eſt ambiguum, quin illius auctoritas, aut totius Eccleſiæ poteſtatem ſuperabit, aut æquabit ſaltem. Id quod Lutherus (ſat ſcio) nullo pacto ſit admiſſurus. Cæterùm quid ſi canones iſti nunquam fuiſſent inſtituti? Num propterea nullam Pontifex habuiſſet auctoritatem? Neque enim credibile eſt, propter ſolos hos canones (qui nondum erant conditi) poteſtatem tantam à Chriſto (quantam ſuprà memorauimus) illi fuiſſe tributam, & tamen ad harum pœnarum remiſſionem, Lutherus contrahit ſummi Pontificis poteſtatem. Non enim inquit, priores quatuor poteſt remittere, & quam aliam ergo remittit niſi canonicam? Sed non hic illi reſpondebo; quemadmodum ipſe reſpondet ſibi, facilè cuique fuerit ſuas ipſius reſponſiones diluere. Dixi pridem, obligatum eſſe peccatorem ad pœnam ſuis peccatis debitam, poſtquam ſibi culpa dimiſſa fuerit.

Culpa ſublata, pœna manere debitam.

Et hanc aio, Pontificem remittere poſſe, cum cuiuslibet ſpiritalis vinculi ſoluendi ſuſceperit à Chriſto poteſtatem. Superiùs enim haud ſemel oſtendi, culpam momento poſſe tolli, ſed tamen orthodoxorum omnium ſententia poſthac manere pœnæ debitum. Sed hic Lutherus calumniatur, Pontificem mutare ius diuinum, & id relaxare, quod iuſtitia diuina infixit. Et quidni mutet ius diuinum, cui iuris diuini mutandi ſit conceſſa poteſtas?

Nota mutationem diuini iuris.

An non iure diuino quiſquis reus peccati mortalis fuerit, æternas luet pœnas? Et tamen pontifex hunc & à reatu, & ab æterna pœna liberare poteſt. Quid ergo prohibet quo minus poſſet temporariam pœnam (quæ ſecundum diuinam iuſtitiam peccatis debetur) auferre, cum æternæ pœnæ reatum & debitum antè ſuſtulerit? Facetijs quoque Lutherum non pudet in re tam ſeria ludere. Nam ait, Chriſtum dedita opera reſtrinxiſſe clauem ad terram, futurum ſciens, quòd perforaturi alioqui eſſent omnes cœlos. Atqui laudat vt velit. Nobis eſt ſatis, ſi quicquid ſuper terram ſoluerit Pontifex, hoc in cœlis fuerit ſolutum. Hoc promiſiſſe Chriſtum nemo Chriſtianus poterit inficiari. Quamobrem confiteamur oportet, ſummi Pontificis auctoritatem latiùs protendi, quàm ad ſolas pœnas canonicas auferendas. Ad illas nimirum quæ pro peccatis debentur, ſi nulli canones fuiſſent. Nemo enim tam cæcus eſt, vt non videat iure ipſo pœnas deberi peccatis, tametſi canones nunquam fuiſſent inſtituti.

Quare canones excogitati.

Nam ob id ſolùm canones à Patribus excogitabantur, quatenus ex eis coniiceret ſacerdos quantam cuique peccato pœnam imponeret, quæ certè pœna (vel ſi nunquam fuiſſent canones) iurè debebatur. Et hæc nimirum eſt ſexta pœna, quam Lutherus agnoſcere non vult. Nam hæc neque æterna gehennæ pœna eſt, neque purgatorij temporaria, neque ea quæ per Dei virgam infligitur. Sed neque illa eſt, quam Lutherus vocat Euangelicam.

Euangelica pœna cautelam duntaxat futurorum reſpicit.

Nam ea non eſt peccatis prioribus debita, ſed ad cautelam duntaxat futurorum ſpectat. Neque eſt ſola canonica, quandoquidem (ſi canones nulli vnquam fuiſſent) ipſa nihilominus fuiſſet debita. Cæterùm quia rationes alias complures, in eadem concluſione producit, eas etiam diluamus erit neceſſe. Primùm obijcit, quòd nulla auctoritate ſcripturæ, doctorum canonum, aut ratione probabili, poteſt doceri, talem eſſe aliquam pœnam. Et vehementer abſurdum eſſe dicit, quòd in Eccleſia quicquam doceatur, cuius nec in ſcriptura, nec in doctoribus, nec in canonibus, neque ſaltem rationibus poteſt cauſa dari. Hæc Lutherus. Cui reſpondemus, his omnibus modis peccatorem ad pœnam teneri, ſatis abundè ſuperius fuiſſe monſtratum. Et niſi vereremur prolixitatis tædio lectorem afficere, multò plura ſuperſunt, quæ producamus. Nonnulla tamen (ne quis putet ſcripturas in hoc negotio deeſſe) ſuperioribus adijciemus. In Leuitico ſic ſcriptum eſt: *Leui.*

Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis, vt mali quid faceret, vel benè, & non fecerit, & illud ipſum iuramento & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnum de gregibus, ſeu capram, orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. Ecce quomodo non ſufficit ingemiſcere & (quemadmodum tu dicis) à peccatis reſipiſcere, ſed oportet inſuper agnum aut capram offerre, quod eſt ſatisfacere pro peccato.

Satisfacere oportet pro peccatis.

Nam iubet Moſes, vt non ſolùm pœnitentiam agat, verumetiam offerat alterutrum horum pro peccato. Cæterùm inquies fortaſſis idem eſſe pœnitentiam agere, & hoc offerre. Si velis ad hunc modum cauillari, ſaltem iſtud reſpondeas quæſo. Num poſt impartitam peccatori gratiam, hoc offerendum putes? An priùs, quàm ſit factus gratiæ particeps? At non opinor tuæ doctrinæ conquadrare, vt dixeris hoc ſacrificium ante gratiam Deo gratum fore. Sin ergo dixeris, id poſt gratiam offerendum, tum erit dilucidum, non ad culpæ condonationem (quæ iam facta eſt) hoc pertinere, ſed ad ſatisfactionem potiùs pro pœna culpæ debita. Rurſum in Daniele *Dan. 4.* traditur, quòd cum Nabuchodonoſor audierat ſomnij ſui terribilem expoſitionem, Daniel ei mox conſuluit, vt eleemoſynis peccata ſua redimeret. Tum enim (ſi tamen Auguſtino credimus) facti ſui pœnitens erat. Sed & Hieronymus ſuper Danielem idem affirmat, & inſuper quod dilata fuit in eum ſententia, per menſes xij. Tam diu enim expectauit enim Deus ad ſatisfaciendum pro peccato. Quam ſi facti pœnitens erat, tibi fuit etiam in gratia. Ad quid igitur attinebat, eleemoſynis peccata redimere, niſi per ſatisfactionis modum? Sed ex nouo quoque

in opere tota humilitas: hæc eſt perfecta & ſalutifera pœnitudo. Sic enim ait ſermone de Pœnitentia. Sed quid vnicum ex patribus hic memorem? quando ſuperiùs aduerſus articulum quintum non ſolùm Chryſoſtomum, verumetiam Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, Origenem, Leonem primum, Hieronymum, Cyprianum, & Caſſianum, huic ſubſcripſiſſe monſtrauimus? Quorum ſententias ſi Lutherus ignorat, quanta eſt hominis inſcitia? Quòd ſi nouit, quanta eſt eius impudentia? qui tot ſanctiſſimis, eiſdemque doctiſſimis patribus contradicere non veretur, palamque negare, quòd nec per ſcripturas, neque per doctores poſſet oſtendi, aliquam eiuſmodi pœnam peccatis eſſe debitam. Id quod facit concluſione quinta inter reſolutiones de virtute indulgentiarum. Cæterùm præter hæc, quanquam nemo non videat, quam id ſit eidem rationi conſentaneum, tamen quia Lutherus eodem loco negat rationem probabilem afferri poſſe, neque iſtud prætermittemus. Sed experiemur, an id poſſet ratione quoque doceri. Quiſquis iuſtitiæ rationem digne perpendit, mox intelligit culpam haud aliter, quam per iuſtam pœnæ ſumptionem, & dationem ordinari poſſe. Nam hoc ad iuſtitiam vere pertinet, vt ſi quid in eam ſit commiſſum, id haudquaquam inultum remaneat, ſed per iuſtam vindictam in ordinem redigatur. Legat, quiſquis velit Platonem, legat Ariſtotelem, aut cæteros philoſophos, qui de ratione iuſtitiæ quicquam tradiderunt, & omnino reperiet apud hos neceſſarium eſſe, vt qui contra legem commiſerit, pœnas luat, neque aliter ex iniuſto iuſtus iteratò fieri poſſet. Id quod & diuus legislator Moſes non ignorauit, cum dixit: Pro menſura peccati, erit & plagarum modus. Quem locum Origenes ſuper Num. diſſerens, homilia octaua, dicit hunc in modum: Si peccator ſum, nunquid eadem erit mihi pœna ſi ſemel peccaui, quæ ſi ſecundò, & tertiò, ac frequentiùs peccem? Non ita erit, ſed pro modo, & numero, & menſura peccati, etiam pœnæ quantitas metienda eſt. Quapropter & in Apocalypſi traditum eſt: Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Sicut igitur ad iuſtitiæ decorem ſpectat, vt pro benefactis probi, iuſtum ſuſcipiant præmium, ita & pro noxis improbi pœnas dent commeritas. Neque ſeruatur iuſtitiæ pulchritudo, vbi quiſquam abſque condigno ſupplicio, leges impunè violare ſinitur. Non abhorret igitur à recta ratione, imò quadrat plurimum, quòd cum ex immenſa clementia ſua Deus, ad culpæ condonationem ſit vſqueadeo propenſus, vt vel propter intenſum cordis gemitum peccatori protinus ignoſcat, expectet nihilominus ab eo pœnam, & iuſtam pro delicti qualitate ſupplicium: cuius ipſe vel in hac vita, vel in purgatorio luendi, poſt remiſſam culpam manet omnino debitor. Cæterùm vt etiam ex Canonibus rem iſtam comprobemus. Negat enim Lutherus, & ex eis hanc rem doceri poſſe. Sic de pœnitentia diſtinct. pri. capite porrò. de

Deut. 25.

Apoc. 18.

peccatoribus loquens dicit, quòd ſi ſui iudices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis vltores, hîc in ſe voluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduerſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus, extinguent æterni ignis incendia. Et eadem diſtinctione ſic ſcriptum eſt: Vide benignum Dominum miſericordiam cum ſeueritate miſcentem, & ipſius pœnæ modum iuſta & clementi deliberatione penſantem, & ideò non in perpetuum tradidit pœnæ delinquentes, ſed quanto, inquit, tempore ſeruierunt cuſarſaton, hoc eſt octo annis, diſce & hoc ô tu auditor quiſquis ille es, qui tibi conſcius es alicuius erroris, & quanto tempore errâſſe te noſti, & quanto tempore deliquiſti, tanto nihilominus tempore, humilia teipſum Deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ. Nun expectes vt humiliet te cuſarſaton, & inuito neceſſitas extorqueat pœnitentiam: ſed ipſe præueni ipſius tortoris duritiam, quia ſi teipſum emendaueris, ſi teipſum correxeris pius eſt Dominus & miſericors, qui vindictam temperet ab eo qui illam pœnitendo præuenit. Et rurſus, de pœnitentia diſtinct. iij. productior. ſcriptum eſt: Productior eſt enim pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna, ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ pœnitentiæ, temporaliter detinet hominem pœna, quem tam ad damnationem æternam reum non retinet culpa. Ad hæc, xxvj. quæſt. vij. pro qualitate, citatur octaua Synodus, ad hunc modum: Pro qualitate delicti, tempus pœnitentiæ impendatur. Multa ſunt in Canonibus id genus alia, quibus monſtratur apertè, manere pœnæ debitum, poſtquam remiſſa fuerit culpa. Sed ijs omnibus Lutherus non permouebitur, quin potius obijciet, à nullo hominum pœnas illas (de quibus tot exempla protulerim) auferri potuiſſe. At quid ſi nemo hominum potuiſſet eas auferre, palàm tamen eſt eiuſdem generis pœnas (quæ partim erant intentatæ, partim inflictæ) condonatas fuiſſe. An non ipſi Niniuitæ (quibus vrbis ſuæ comminatum fuerat excidium) per ieiunij tamen & pœnitentiæ ſeueritatem, hanc abs ſe cladem auerterunt? Et Nabuchodunoſor ſi Danielis fuiſſet conſilium ſequutus, hoc eſt, eleemoſynis peccata redemiſſet, vitaſſet & ipſe flagellum in ſe deſtinatum. Sed & ſi decem iuſti fuiſſent in Sodomis reperti, qui pro cæteris oraſſent, non ignem & ſulphur pluiſſet Deus ſuper vrbes illas. Quid Achab & Manaſſem reges alioqui ſceleratiſſimos memorem? quibus tamẽ ob ſuam pœnitentiam ignouit Deus, nec in eos animaduerſionem quam meditabatur exercuit. Sed hactenus pro pœnis intentatis. Iam pro ijs quæ cœptæ ſunt infligi. Nunquid ira Dei in Hebræos ſæuiente, non profuerunt preces Aaron aduerſus plagam, qua tam ſeueriter erant illi percuſſi? Obtulit enim (vt Num. 16. ſcribitur) Aaron Thymiama, & ſtans inter mortuos ac

Suffragia canonum

De pœnit. diſt: pri. ca. porrò.

Cuius Herodis extorqueas clauem, quem Lut. pertinaciam

Ionæ 3.

Dani. 5.

Gene. 18.

2. Re. vlt. Pœnæ à

Deo vel intentas vel inflictas per pœnitentiam & preces auferri poſſe.

ac viuentes, deprecatus eſt pro populo, & ceſſauit plaga. Sed & Dauid (cum eſſet triduana peſtis in populum, quem numerari fecit, immiſſa) num tam acerbè ſeipſum non afflixit, vt diem vnum duntaxat ea clades durauerit? Multa ſunt eiuſmodi in ſcripturis, non ſolùm veteris, verumetiam noui Teſtamenti (niſi prolixum nimis fuerit omnia recenſere) quibus dilucidum eſſe poteſt, pœnas à Deo vel intentatas, vel inflictas, per pœnitentiam & ieiunia, perque piorum preces, & per eleemoſynas auferri poſſe.

Alter Luth. cauillus.

Quo fit, vt etiam alterum Lutheri argumentum parui momenti ſit. Sic enim argumentatur ſecundo loco: Si, inquit, eſſet talis pœna aliqua, non tamen ad remiſſionem Papæ pertineret, cum ſit voluntaria, vltra canones impoſita, imò non impoſita ſed ſpontè ſuſcepta. Verum hîc haud rectè colligit. Neque enim pœna de qua iam agimus, aut eſt adhuc per Sacerdotis arbitrium iniuncta, aut ab ipſo pœnitente ſpontè ſuſcepta: ſed ipſa eſt, quæ iurè peccato debetur, & ad quã peccator obligatus remanet, ſiue Sacerdos eã iniunxerit, ſeu non iniunxerit, & hanc nos aſſerimus Petri ſucceſſorem, auctoritate pollicitationis, per Chriſtum Petro factę, poſſe condonare. Quod autem dicit, per tertiam & quartam abundè ſatisfieri diuinæ iuſtitiæ, ſecundum menſuram, quam nouit Deus. Certè quantum ad quartã attinet, multa differt Deus in aliud vſque ſeculum, neq; ſemper hîc ad vnguem vſque caſtigat. Sed neque tertium pœnæ genus reſpicit peccata, quæ præterita ſunt, ſed pro futuris duntaxat adhibet cautelam. Porrò quod ſubiungit, nempe quòd non legitur vſpiam Deus aliquam requiſiuiſſe, niſi tertiam aliquando & quartam. Quid ſi non legatur? non propterea conſequitur, vt nulla ſit. Hunc argumentandi modum oſtendimus eſſe tibi conſuetum, quem & omnis Dialectica clamat inualidum eſſe. Sed planè falſum

Iohel. 2.

eſt quod aſſeris. Nam cum apud Iohelem legitur: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, hoc fuiſſet ſatis iuxta ſententiam tuam, nimirum vt reſipiſcerent: ſed non hoc contentus Dominus adiecit: In ieiunio & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Et

Iohel. 1.

paulò ſuperiùs: Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ. Et rurſum ad Sacerdotes: Accingite vos & plangite Sacerdotes, lamentamini qui miniſtratis altari, ingredimini, dormite in ſaccis miniſtri Dei. Hos vtiq; cruciatus adeo ſeueros, neque tertia pœna, quæ Euangelica dicitur expoſcit. Sed neque ad quartam pœnam

Eſai. 22.

vllo modo pertinent. Rurſum In Eſaia legitur: Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluicium, & ad cingulum ſacci: quæ nimirum pœna, nec tertia nec quarta dici poteſt. Nam ſi tam grauis Euangelica pœna fuerit (quam tu dicis præceptam eſſe) quid de Chriſtianis innumeris, ne dicam omnibus, futurum ſit, horror eſt cogitare. At quid tibi, aut vnum aut alterum prophetarum hîc cito? quando Hieronymus ipſe fatetur, vocibus omnium Prophetarum nos vocare Deum ad pœnitentiam, hoc eſt, ad pœnam debitam pro peccatis. Quam ſi nos nostra ſponte dederimus, ille præterea nullam (ſi tamen Paulo credimus) illaturus eſt.

Aſtutia Lutheri.

Cæterùm de Magdalena & adultera, quod ex alijs dici miratur, hanc abſque ſatisfactione fuiſſe demiſſam, illam verò nequaquam, iam ſolitis ſtrophis vtitur, nimirum vt proprias diluat obiectiones, quò ſua pars munitior eſſe videatur. Sed non eſt dubium, quin abſque ſatisfactione, Chriſtus vtrique potuit ſua relaxaſſe peccata. Nec tamen ſi hoc feciſſet, trahi id iam debet Sacerdotibus noſtris in exemplum. Verùm ſi ſatisfeciſſent (quod mihi veriſimilius eſt) neutra ſatisfactio cenſeri debet, aut de tertia, aut de quarta ſpecie fuiſſe. Primùm, non de quarta dici poteſt alterutra, quia non inflicta à Deo. Sed nec de tertia, quia nec tantam verecundiam, nec tantam ignominiam, ſed neque luctum, aut triſtitiam tantam, ipſa tertia pœna poſtulaſſet, quam Lutherus vocat euangelicam. Quod verò proximè ſubinferre molitur, nempe poteſtatem ſoluendi parem eſſe, nec excedere poſſe ligandi poteſtatem, paulò ante falſum eſſe docuimus. Quòd poſtremò dicit, neminem eſſe ſub iuriſdictione Papæ, quantum ad primam, ſecundam, tertiam, quartam, & ſextam, æquè falſum eſſe monſtrauimus. Nam Papa liberans à culpa, liberat & à gehennæ pœna, quæ prima eſt, & liberans à ſexta, quod & oſtendimus per eum fieri poſſe, liberat à pœna purgatorij, quæ ſecunda eſt. De tertia vero & quarta non reluctamur. Corollarium autem (quod conducit) nihil in ſe veritatis continet. Nam ſæpè diximus, non ob id ſolùm deberi pœnam, quòd ſic Eccleſia ſtatuit, ſed fuiſſe debitam, etiam ſi nullus vnquam ob hanc rem canon fuiſſet èditus. Canones enim ob id ſolùm inſtituti fuerunt, vt à Sacerdotibus dinoſceretur, quę pœna fuiſſet peccatis debita.

Quare inſtituti ſint canones.

Expers & illud omnino veritatis eſt, quod ſequitur: nempe quòd per vitam nouam maximè ſatis fit Deo. Neq; eſt Diuo Cypriano quicquam auditu magìs odioſum, quàm iſta ſit aſſertio. Nam apud eum nihil fermè crebrius eſt (cum de pœnitentia loquitur) quàm ſatisfactionis vocabulum, quam & affirmat non breuem eſſe debere. De ſcripturis (quas continenter adducit) prima eſt, Pœnitentiam agite. Ego paucis hic ab eo percontari ſoleo: An hoc Baptiſta dixerit his, qui iam in gratia conſtituti fuerant? an expertibus gratiæ?

Cōſtringitur Luth.

Si dixerit expertibus gratiæ, iam non conſtat Lutherus ſecum, cum affirmet nullum opus ante gratiam peccatori conferre poſſe quicquam quin potiùs obeſſe plurimum. Sin in gratia conſtitutis locutum fuiſſe Baptiſtam dixerit, quis non videt, eleemoſynam (quam indixit) ad ſatisfactionem pertinere. Ait enim: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.

Luc 3.

Quòd ſi hoc ad præceptum pertinere contenderit, & proinde ad pœnam Euangelicam, quid non erit ſub præcepto? Et cur non hoc etiam ipſis militibus, & publicanis iniunxerat, ſi de præcepto fuiſſet? Baptiſta certè non aliter, quàm pro prioribus indixit peccatis. Neque enim ſe difficilem exhibere iam debuit, ne quos

ad Chriſtum

quos ad Chriſtum allicere ſtuduit, effugaret magis. Porrò quod ex Ezechiele producit, facilè diluetur. Si conuerſus fuerit impius ab impietate ſua, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vitâ viuet, & non morietur. Primû hic reſpondemus, quòd ijs verbis nihil pollicetur aliud, quàm vitam gratiæ, ad quam conſequendam non exigitur ſatisfactio, & ideo nihil hoc facit aduerſum nos. Sed rurſum dicimus, quod iudicium & iuſtitia magnam in ſe continent ſatisfactionem. Si quis enim dignè libret ſuorum peccatorum magnitudinem, & ſubinde iuſtè vindicet ea, is nimirum hoc iudicium & hanc iuſtitiam exequens, non paruam facere putandus eſt ſatisfactionem. Neque talem quis condignam facere poteſt, etiam ſi plures victurus eſſet vitas. Quo fit vt neque illud obſtet nobis: Beati qui faciunt iudicium & iuſtitiam in omni tẽpore. Simili modo poſſumus & ad illud de Michea reſpondere. Vbi Micheas dicit: Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium & diligere miſericordiam, & ambulare ſolicitum cum Deo tuo. Dicimus quòd iſta ſufficiunt ad vitam gratiæ, non autem ad purgatorij pœnas euadendas, niſi quis per iudicium accipiat, ſeueram condemnationem ſui. & per miſericordiam eleemoſynæ opera. Nam hæc ſola poſſunt conſcientiam à peccatis expiare, & pro reliquijs peccatorũ ſatisfacere Deo, quando & Chriſtus pollicetur daturis eleemoſynam, omnia munda fore. Hactenus igitur niſi ſumus ea conuellere, quæ Lutherus obiecit aduerſus id genus pœnæ, quam nos ſextam vocamus, nempe pro peccatis debitam, quæ certè re ipſa deberetur, ſi neque gehenna foret, neque purgatorium, neque euangelica diſtrictio, nec Dei caſtigatio, nec demum vlli canones vnquam fuiſſent inſtituti. Et hanc aſſerimus, multis modis (Chriſto ſic promittente) deleri poſſe nunc per eleemoſynas, nunc per dimiſſionẽ iniuriæ fraternæ, nunc per bonorum virorum preces, & demum per auctoritatem S. Pont. traditam ex ipſo verbo Chriſti, quod certè per ſe ſolùm ſufficit, omnem pœnam (quantacunque fuiſſet peccatis debita) facillimè condonare. Neque enim credibile eſt, id fruſtra fuiſſe dictum à Chriſto, poſt illam expreſſam ſuæ diuinitatis confeſſionem, & habita priùs de ſtabilitate Eccleſiæ ſuæ memoria, & de clauibus item regni cælorum Petro conferendis. Sed hæc ſufficiunt, vt dilucidum fiat, indulgentias alijs etiam vtiles eſſe, quàm ijs qui publicis criminibus irretiti ſunt, & qui duri ſunt & impatientis animi. Et hæc pro articulo.

Ezec. 33.

Iudicium & iuſtitiam vulgaris ſatisfactio.

Mich. 6.

Epilogus.

ARTICVLVS XXII.

LVTH. *SEx generibus hominum indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles: videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.*

EPISC. Nullis profectò magis neceſſariæ ſunt indulgẽtiæ, quàm eueſtigiò morituris, quippe quòd eis iam tempus non ſufficiat, ad agendam pœnitentiam, hoc eſt, ad ſatisfactionem pro peccatis. Quo fit, vt quod reliquum eſt pœnæ pro peccatis debitæ (niſi priùs per indulgentias fuerit condonatum) ſeueriùs & acerbiùs expiabitur in purgatorio. Sed hic diutius remorari lectorem nolo, quòd hunc articulum vnà cum proximè ſuperioribus Lutherus ipſe fatetur ſe reuocaſſe. Quo tamen ingenio idipſum fecerit, mox videbimus.

Indulgentiæ iam morituris maximè neceſſariæ.

LVTH. *Has propoſitiones, vt dixi, reuocaui antea, rogauiq; & adhuc rogo omnes, tum Bibliopolas, tum lectores, vt ea quæ de indulgentijs diſputata & ſcripta a me ſunt exurant.*

EPISC. Ecce vides, lector, quonam ingenio Lutherus hunc articulum reuocauit. Malo certè, prauoq;. Nam ante nonnihil indulgentijs deferebat, eas quibuſdam fuiſſe neceſſarias aſſerens. At nunc prorſus nullius momenti facit, nemini q; profuturas aſſerit penitùs. Sic nimirum eorum ſuperbia, qui Deum oderunt, aſcendit ſemper, & magis atque magis increſcit.

LVTH. *Neſciebam enim tum, cùm ea laborarem, Papam eſſe Antichriſtum, qui his & ſimilibus operationibus errorũ, Satana imperante, orbem perderet Chriſtianum.*

EPISC. Mirũ eſt, quanta ſit odij virtus ac poteſtas: quæ ſic faſcinat hominem, vt iam videat & ſentiat, quod prius non aduerterit, hoc eſt Chriſti vicarium Antichriſtum eſſe. Quos iam (te quæſo Luthere) nouos oculos induiſti? quibus nunc ſummus Pontifex tibi videatur Antichriſtus? An non hoc didiciſſe potueras ab illis præclariſſimis magiſtris tuis, vt Ioanne Vuicleſo, & Ioanne Huſs, cæteriſque Boëmicæ factionis principibus, à quibus & perdoctus es alia non diſſimilis fatinæ plurima? Sed iam deſperas in gratiam te poſſe redire Pontificis. Quo fit vt nullum non moueas lapidem, quò tantæ poteſtati ſummam confles inuidiam. Sed expendamus, an tu non magis (imperante Satana) perdere tuis erroribus, orbem ſatagis Chriſtianum. Si nos fallat Pontifex, fallit & Eccleſia, quæ veritatis firmamentum eſt, fallit & Spiritus ſanctus, perpetuus Eccleſiæ cuſtos, fallit & Chriſtus ipſe, qui nec portas inferi præualituras aſſeuerabat aduerſus Eccleſiam ſuam. Nã Pontifici planè ſuffragantur hæc omnia. Sed tu Luthere, qui contemptis omnibus ijs, tuo confidis cerebro, Chriſtianum orbem fallere ſtudes. Et non abſq; ſuggeſtione ſatanæ, quem credibile eſt, cum ſis tot & tantis atque tam impijs immerſus erroribus, præceptorem fuiſſe tibi, quos nec aliunde quàm ab ipſo concepiſſe potueris. Nã propè cuncta moliris euertere, quæ tota credidit hactenus Eccleſia, quæq; patres orthodoxi nobis antea tradiderunt, vt non dubitem, ex eorum eſſe te numero, de quibus Paulus ad Timotheum ſcribit: Seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes. An non tua dogmata iam indies euadunt peſtilentiora, & quotidie creſcit ac augetur errorum cumulus? Sed vt ad indulgentias veniamus. Quid in his facit Pontifex, quò fallatur per eum orbis Chriſtianus, magis quàm per te? Nihil aliud illi pollicetur, quàm pœnæ pro peccatis debitæ condonationẽ,

Vis odij Lutherum nouis odijs ornauit, vt ſentiat videat quod nuſquam eſt.

cui

cui & Chriſtus ampliſſima ſua pollicitatione ſubſcripſit. Tu verò tantundem tribuis cuiuis ſacerdoti. Nam affirmas non ſolùm culpam, verumetiam pœnam omnem peccatis debitam, condonatam eſſe, per cuiuslibet Sacerdotis abſolutionem, hoc tu non veteris aſſerere, cum tamen huic tuæ ſententiæ, contradicant omnes orthodoxi patres. Iam ergo reſpondeas, precor, vter ex vobis potiùs imponit orbi Chriſtiano? an Pontifex, qui tam verbo Chriſti, quàm Patribus totus innititur? An Lutherus, qui tam verbo Chriſti, quàm cæteris orthodoxis patribus reluctatur?

Aequa lance perpende, lector, pontifexne an Lutherus magis fallat.

LVTH. *Fixa eſt ſententia diuina Pſalm. 88. Viſitabo in virga iniquitates eorum, quæ indulgentiæ, quæ virgam iniquitates viſitantem impijſsimè præſumunt remittere, funditus ſubuertuntur, & nihil niſi inane nomen eſſe monſtrantur.*

EPISC. Nunquam eas pœnas, quæ Dei virga peccatoribus infliguntur, indulgentias poſſe remittere quiſquam (opinor) aſſeruit. At quid prohibet, quò minùs hi, qui pia Fide ſuſceperint indulgentias, præuenire queant flagellum Dei? quando & Deus optimus piè confidentibus in ſe, tantopere ſit propenſus ad veniam. Cæterùm antè monſtrauimus, pœnam, quæ pro peccatis debetur, & ad quam poſt reatum ſublatum, manet adhuc peccator obligatus, non vno tantùm deleri modo. Neque enim ſemper hæc pœna per Dei virgam expiatur. Alioqui nec Paulus nobis erit audiendus, qui pollicetur nos haudquaquam à Deo corripiendos fore, ſi priùs ipſi noſmet dijudicauerimus. Si noſmet igitur ipſi dignè caſtigauerimus, effugiemus vtique flagellum Dei. Noſtra enim caſtigatione ſatisfieri poterit pœnæ, quæ peccatis debetur. Quamobrem nihil oportet, vt in eiuſmodi, qui de ſeipſis ſupplicium ſumunt, ſæuiat virga Dei. Neque pſalmos ipſe contrarium affirmat, cum nec de omnibus loquitur, ſed de ijs duntaxat, qui nolunt reſipiſcere, ſed dereliquerunt legem Dei, & in eius iuſtitijs incedere contempſerunt. Sic enim idem pſal. habet: Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iuſtitijs meis, non ambulauerint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Nihil igitur aduerſum nos, qui reſipiſcentibus miſericordiam pollicemur, facit pſalmus iſte. Poteſt inſuper & pœnæ dictæ ſatisfieri per alienam caſtigationem, vtpote ſi quiſpiam vir ſanctus eo animo ſe afflixerit, vt in alterius vtilitatem id cedat, ac pro peccatis alterius omnino ſatisfaciat. Ad quem ſanè modum haud defuerunt ſancti, de quibus antè diximus, quod idipſum ex magna feciſſe charitate leguntur. Et demum nec iſtis modis ſolis, Deo ſatisfacere queunt peccatores, verumetiam per canonicam pœnam à ſacerdote congruenter impoſitam. Cæterùm vtcunque fuerit, niſi (priùs quàm hinc migrauerimus) ei prorſus debito ſatisfiat, in purgatorio tantundē luituri ſumus. Neque enim peccatum aliquod euadere poteſt penitus inultum, & abſque omni prorſus vindicatione, aut in ipſum qui deliquit, aut in alium qui talem vindicationem ſuſceperit illius commodo.

Seſe corrigentes Deus non corrigit.

Pſal 88.

Aliena caſtigatio pœnā tollit.

LVTH. *Nec curanda hominum reproborum diſtinctio de cerebro ſuo conficta, de pœnis medicatiuis & ſatisfactorijs.*

EPIS. Temeritati tuæ rectè conuenit, omnia contemnere. Attamen veritas eſt nemini contemnenda. Porrò verum eſſe conſtat, vel ex ſcripturis ipſis pœnas quaſdam fuiſſe medicatorias, quæ non erant ſatisfactoriæ, quales opinor tolleraſſe Paulum, ob ſtimulum carnis ſuæ, quibus inani gloriæ & arrogantiæ (quæ alioqui ex magnitudine reuelationum ſuarum ei propendebat) medela pararetur. Neque enim pœna quæuis, quæ vel infligitur à Deo, ſemper ob ſatisfactionem adhibetur peccati. Nam cæcus ille (qui à natiuitate ſua paſſus eſt oculorum orbitatem) nequaquam ob ſua peccata ſic punitus fuit, ſed magìs, vt in eo manifeſtaretur gloria Dei. Et Iob ſimiliter atque Tobias, non alia ratione tot calamitates perpeſſi ſunt, quàm vt ex eis alij diſcerent patientiam. At è diuerſò Nabuchodonoſor, & Maria ſoror Moſi, cæterique complures ob iuſtitiam caſtigati ſunt, nimirum vt aliquouſque peccatis eorum ſatisfieret. Sed & Dauid (poſtquam intellexit peccati ſui reatum ſibi fuiſſe dimiſſum) non deſijt tamen dicere: Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Nunquam hæc profectò dixiſſet, ac multa id genus talia, niſi perſuaſiſſimum haberet, ſe remanſiſſe ad pœnas aliquas obligatum. Quamobrem ex ijs perſpicuum eſſe poteſt, non omnes vno fine pœnas immiſſas à Deo fuiſſe: ſed quaſdam ſatisfactionis, quaſdam ſolius medelæ cauſſa.

Temeritas Luth. quid non contemnit?

Pſalm. 50.

Pœnarum aliæ ſatisfactoriæ, aliæ medicatrices.

LVTH. *Verba pſalmi clarè docent, peccata & iniquitates virgâ viſitari.*

EPISC. Quidnam aliud hæc pſalmi verba ſibi velint, non intelligo, niſi quòd filij Dauid, qui legem Dei dereliquerint, verberibus adigantur ad Deum reuerti, ſi nolint idipſum facere ſua ſponte. Quòd ſi ſua ſponte reuerſi fuerint, & in ſemetipſos dignè pro commiſſis animaduerterint, non video qui poſſes ex pſal. probare, quòd Deus hac animaduerſione non flectetur ad veniam ex clementia ſua. Neque enim conſueuit Deus bis in idipſum iudicare. Iudicaret autem bis in idipſum, ſi poſtquam ipſi ſemetipſos dijudicauerint, ipſe denuò vellet eoſdem iudicare: id quod facturum Deum omninò Paulus negat. Nequaquam igitur verba pſalmi clarè docent id quod tu moliris, & maximè quando pollicetur Deus in eodem pſalmo, ſe non cohibiturum ab illis miſericordiam ſuam. Miſericordiam (inquit) meam non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea.

Deus ſua ſponte ſe affligentes non proſequitur.

LVTH. *Et nemo niſi inſanus queat negare, virgam illam eſſe pœnam pro peccatis inflictam, ſiue hanc ſatisfactionis, ſiue alterius negotij dixeris.*

EPIS. Geminum intellectum habet is tuus ſermo, cum aſſeris, Dei virgam eſſe pœnam pro peccatis inflictam. Poſſunt enim verbera pro peccatis infligi, quatenus per ea quis excitetur à peccati ſomno, quemadmodum ſæpe contigit filijs Iſrael, de qui-

Pſalm. 15. quibus & ſcriptum eſt: Cum occideret eos, reuertebantur ad eum. Et alibi: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, & poſtea accelerauerunt. Poſſunt & eadem intelligi pro peccatis inflicta iam *2. Reg. vlt.* his, qui conuerſi ſunt, quemadmodũ & Dauid accidit, qui ſimul atq; pœnituerit ob cenſum populi factum, virgam tamen Dei ſuſtinuit, qua & vehementer afflictus fuit, nimirum ex peſte, quæ multum atrociter deſæuit in populum. Neuter horum ſenſuũ non ſufficit ad huius Pſalmi veritatem. De poſteriori ſatìs apertum eſt. Et de priori quis negare poterit, quòd ſi Deus quempiam verberibus adegerit ad reſipiſcentiam, quin iam virga viſitauerit ipſius iniquitates, & in verberibus eius peccata? Nemo tamen rectè colliget, quòd poſtquam quis à peccati ſomno per Dei virgã ſic fuerit excuſſus & expergefactus, quòd nihil pœnę debitæ ſuperſit, quæ per indulgentias deleatur, quod tamen ipſe moliris.

LVTH. *Non ergo credas, etiam ſi angelus de cælo aliud docuerit, contra tam manifeſtam ſcripturam, nedum ſi draco blaſphemus de curia Romana aliud fremat. Non remittet homo, vt tollat viſitationem huius virgæ.*

EPIS. *Ante vtiliorem laudes tamis.* Iam furere incipis, perinde ac ſi triumphaueris, cum nihil feceris minùs. Quid enim colligis ex hac ſcriptura, quam iactitas vſque adeo manifeſtã eſſe? Num hoc, quòd non aliter diuinæ iuſtitiæ ſatisfieri poteſt, quam per virgam iſtam? At hoc falſum eſſe pluribus docuimus. Neque enim ſequitur: Viſitabo in virga iniquitates eorum. Ergo non aliter, niſi per hanc virgam peccatis ſatisfieri *1. Cor. 11.* poteſt. Quis non videt huius argumenti ſtolidiſſimas ineptias? Nam ita Paulus, vt diximus, parùm verax fuiſſet dicens: Si noſmetipſos dijudicauerimus, non vtique iudicaremur. Deſine igitur iſtiuſmodi maledictis ſummum inceſſere Põtificem, cui & impudentiſſima quidem impingere multa mendacia ſoles. Cuiuſmodi & hoc vnum eſt, quòd huius virgæ viſitationem ſuis indulgentijs tollere pollicetur: cum tamen ille nunquam iſtud ne cogitauerit quidem. Quanquam & poteſt populus harum indulgentiarum confidentia, ſic ad vitæ melioris emendam excitari, vt ab eis auertatur indignatio Dei, ſuumque gladium ipſe cohibeat, quem eſſet alioqui vibraturus. Sed hactenus hæc reſpondiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS XXIII.

LVTH. *EXcommunicationes ſunt tantùm pœnæ externæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.*

EPISC. *De excommunicatione.* *Ex Fidei errore innumeros ſibi Luth. peperit errores.* Si quis vel vnum errorẽ ſemel admiſerit, inde plures quotidie ſuboriuntur, quemadmodum in Luthero iam fieri manifeſtum eſt. Nam error quẽ de Fide concepit, errores alios ſibi peperit innumeros. Opinatur enim Fidem vel ſolam cuiq; ſufficere. Quo fit vt Sacramentis nihil tribuat, ſatisfactionem, omnino tollat, contritionem item aliquam exiſtimet obeſſe peccatori. Sed neque neceſſarium eſſe, vt quis omnia mortalia ſua confiteatur, licereque ſordidiſſimis & ſceleratiſſimis (modò Fidem habeant) ad Euchariſtiam accedere. Ac demum vnumquenque ſua Fide bonorum omnium (quæ totius Eccleſiæ communia ſunt) ita fieri participem, vt nec per indulgentias ei maiora conferri poſſint, quam habeat, neque per excommunicationes auferri. Ad hos nimirum errores, alioſque plurimos, adegit eum error, quem de Fide mordicùs tenere decreuit. Contigit enim hîc Luthero quemadmodum homini cuidam quòpiam profecturo, qui malè ſuum iter ab initio per loca multis diuiſa ſepibus inſtituit. Is enim (vbi primam ruperit ſepem) ad alteram veniens, & eam pariter euertat oportet, ac ſubinde tertiam & quartam, atque reliquas omnes (quotquot obſiſtunt itineri ſuo) demoliri neceſſum erit: aut tandem retrouerti, & aliunde ſibi quærere feliciorem ingreſſum. Ad hunc modum profectò Lutherus mihi viſus eſt feciſſe. Nam principiò de Fide parùm rectam imbibit opinionem. Sed cum eam defendere conſtituit, reluctabatur ei Sacramentorum efficacia, quam iccirco protinus amoliri conatus eſt. Poſt hanc ei obſtitit ſatisfactio, quæ cum opus quoddam ſit, & ad iuſtificationẽ peccatoris conducat plurimum, hanc etiam tollere quamprimum curauit. Pariter & de cæteris (ne ſim prolixior) idem omnino ſtuduit efficere. Quicquid demum opinioni ſuæ (quam de Fide ſibi firmauit) aduerſabatur, hoc euertere modis omnibus eſt molitus. Cęterùm (vt ad articulum tandem veniamus) quia vidit Lutherus futurum, vt ſi per excommunicatione, cuiquam habenti fidem, auferri poſſent ſpiritalia bona, iam non ſola Fides ſufficeret. Idcirco ſtudet & hanc poteſtatem excommunicationibus tollere, docetque eas externas tantummodo pœnas eſſe, nec priuare quenquam poſſe communibus Eccleſiæ precationibus, alijſque ſpiritualibus bonis. Sed iam ipſum audiamus. *Quare excõmunicationes Lut. dãnat.*

Hanc ſatìs firmiter probaui in ſermone de excommunicatione. LVTH.

Primùm igitur operæprecium fuerit, hîc tuam recenſere probationem, quam in eodem ſermone producis, & eandem (ſi poſſumus) deinde refellere. Diſtinguis illic fidelium communionem bifariam, quarum alteram internam vocas & ſpiritualem: alteram externam & corporalem. Illam dicis conſtare Fide, ſpe, & charitate in Deũ: Hanc dicis eſſe participationem Sacramentorum, quæ fidei, ſpei, & charitatis ſigna vocas. Eandem inſuper ad communionem vſque rerum vſus, colloquij, habitationis, aliarumque corporalium conuerſationum extendi vis. Aſſeris deinde, quòd ſicut nulla creatura poteſt animam, illa priori ſpirituali communione, vel communicare, vel excommunicatam reconciliare, niſi ſolus Deus: ita nec poteſt alius quiſquam communionem illam ſpiritualem tollere, ſeu quenquam excommunicare, niſi homo ipſe ſeipſum per peccatum proprium. Sicque tandem ex his colligis, excommunicationem Eccleſiaſticam, eſſe communionis externæ duntaxat priuationem, hoc eſt, Sacramentorum, funeris, ſepulturæ, publicæ oratio- EPISC. *Luth. argumentatio in anis.*

Z nis,

nis,atq; id genus cæterorum. Hæc ſanè totius argumentationis tuæ ſumma eſt, quæ mihi profectò plurimum habere fuci videtur,perparum verò ſolidæ veritatis. Quid enim ſi nemo Fidem, ſpem, aut charitatem auferre poſſet ab homine, niſi per peccatum has ipſe tollat ſibi, num non reſtant alia quæ per excommunicationem tollantur? Neq; nos negamus,quin indignè quiſpiam interdum excommunicetur, cum nihil inde prorſus diſpendij patiatur.Sed nos de illo,qui iuſtè fuerit excomunicatus, loquimur. Cuiuſmodi ſunt hi,qui plerunq; Fidē retinent,amiſſa charitate. Qualis nimirum & Corinthius ille fuerat,quē Paulus ſatanæ tradidit.Num(te quæſo) Corinthius iſte poſt traditionem & excommunicationem,quam ei Paulus inflixit,non iam in ampliorem(quā antè fuerat)detruſus eſt ſatanæ poteſtatem? Quid enim prohibet quò minùs id fieret? cū & de Iuda legimus,bis eum in poteſtatem ſatanę veniſſe: ſemel cum concepit animum tradendi Chriſtum,atq;iterum,quando buccellam accepit à Chriſto. Sic nimirum & Corinthius ille, ſemel (cum peccauit) ſub ditionem ſatanæ venit,ac denuò(cum excommunicatus fuerat) & tunc multò quidem euidentiùs. Intellige quæ dico. Corinthius ille primò per baptiſmum communionis Eccleſiaſticæ factus fuit particeps.Deinde per culpam charitatem amiſit, & dilapſus eſt in aliquam diaboli ſeruitutem:& quanquam erat ſpiritaliter in ſe mortuus, nimirum quia charitate caruit, erat tamen adhuc per Fidem Eccleſiæ membrum, & myſtico corpori coniunctus.Quo ſanè factum eſt, vt non quantum voluit ſatanas in illum potuit ſæuire. Obſiſtebant enim ei preces, & cætera ſpiritualia totius Eccleſiæ bona, quorum erat adhuc aliquo modo Corinthius ille particeps, ne pro ſua libidine ſatanas vexaret hominem. Quid enim aliud (te precor) ſatanæ malitiam cohibuit tunc magis, quàm poſtea? nempe cùm illius poteſtati datus erat Corinthius. Aut cur non æquè priùs vexauit illum, ſi non minùs tunc ab eo fuerat poſſeſſus? Verum inquies: Etſi maiorem in corpus accepit poteſtatem, non tamen in animam identidem. At iſtud illic haudquaquam probas. Bene quidem oſtendis,nihil ijs nocere poſſe,qui charitatis ſunt participes. At de alijs, qui propter admiſſa ſua charitatem amiſerunt (de quibus magis attinebat loqui) nullam inducis probationem. Quæ res omnem argumentationem tuam prorſus inualidam reddit. Nam de ijs, & non de illis firmari neceſſe fuit, quòd excommunicatio nullum inferat animæ nocumentum. At inquies: Paulus adiecit vt ſpiritus eius ſaluus ſit in die domini. Quid tum? An non interea diſpendiū Corinthius ille paſſus fuit, etiam in anima? Profectò. Nam & ſi Corinthio Paulus hanc intulerit excommunicationem, ob finalem animæ ſuæ ſalutem (modò Corinthius æquanimiter eam tuliſſet, & iuſta pœnitudine ſeipſum emendaſſet)ipſe nihilominus bonorū ſpiritualium,quæ in Eccleſia quotidie multiplicabantur iacturam interea paſſus eſt non modicam. Quod ſi per hanc excōmunicationem haudquaquam reſipuiſſet,ad maiorem damnationis cumulum tandem ei cōuerteretur. An Chriſtum credis,quando buccellam Iudæ porrexit id ad detrimentū Iudæ feciſſe? An non potiùs, vt Iudas tanta beneuolentia reſipiſceret? Et tamen accepta buccella, mox intrauit in eum ſatanas ad mali ſui cumulum. Multò magis hic, cum ex inſtituto Paulus Corinthium ab Eccleſia ſeparauit, & tradidit ſatanæ. Nunquid tu non malum putas à Chriſto ſeparari? & malum quidem animæ? cum & hæc inuiſibilis vnio ſecundum animam potiùs, quàm ſecundum corpus facta ſit. At inquies. Iam pridem per peccatum fuit ſeparatus à Chriſto. Fuit certè nec viuaciter coniunctus, nec tamen penitus à Chriſto diuiſus. Habuit vtique per Fidem nonnullam vnionem, quemadmodū & membrum aliquod expers vitæ, quod tamen corpori per neruos & pellē coniungitur, & nonnullo fouetur corporis calore. Ad quem modū & Corinthius ille(priuſquam fuerat excommunicatus) Eccleſiæ per Fidem iungebatur, & per Eccleſiæ bona ſpiritualia fouebatur nonnihil. Sed poſtquam anathematis gladio percuſſus fuit, haud aliter à comunib. Eccleſiæ bonis ſeparabatur, quā brachium à corpore, ſi penitus diſſecatum ſit,vt nihil ab eo fomenti prorſus ſuſcipiat. Ex quo nimirum tuus error apertus eſt, qui negas excommunicatum anathemate ſeparari, aut ſatanæ tradi, ſed antè fuiſſe ſeparatum & ſatanæ traditum.Excommunicationē verò contendis, haud aliud quàm ſignū illius ſeparationis eſſe. Sic enim ais ſermone tuo de excommunicatione,quarto loco:Excommunicatio ſi iuſta eſt, ſignificat potius animam eſſe diabolo traditā & Eccleſiæ communione ſpirituali priuatam, quia fertur ſuper eū,qui peccato mortali ſeipſum priuauit cōmunione charitatis, & diabolo ſeſe tradidit. Nos quòd ſeipſum priuauerit bona parte cōmunionis ſpiritualis, & quòd aliquouſq; ſeipſum ſatanæ tradiderit, non refragamur. Quā diu tamen remanſit in corpore, non per excommunicationē omnino ſeparatus,non omni penitus emolumento bonorum illorum ſpiritualium caruit, neq; omnino in ſatanæ venit poteſtatem. Quæ duo iā firmabimus. Et primùm iſtud quod poſterius eſt.Exploratum cunctis eſſe poteſt,non fuiſſe mentitum Paulum, cum dixit, ſe decreuiſſe in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis Corinthijs, & ſuo ſpiritu vnà cum poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus fornicator ille traderetur Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus eſſet in die Domini Ieſu. Non hìc dicit Paulus, quòd ſit traditus, ſed quòd ſit tradendus. Quæ res adhuc dilucidior eſt apud Timotheum, vbi ait ſe Hymenæum & Alexandrum ſatanæ tradidiſſe, vt diſcant nō blaſphemare. Si non verè tradidiſſet eos ſatanæ, iam conſtat falſum dixiſſe Paulum, qui ſeipſum aſſerit hoc feciſſe. Sed & illud quod ſequitur, nempe vt diſcant non blaſphemare, rem ipſam indicat manifeſtiùs. Quomodo enim didiciſſent non blaſphemare, niſi per hanc traditionem, accepiſſet in eos ſatanas apertiorem aliquam vindicandi poteſtatem.

1. Cor. 5. Corinthius à Paulo excōmunicatus.

Iudam bis in poteſtatem ſatanæ veniſſe legimus.

Attende lector.

Buccellam à Chriſto accepit Iudas vt reſipiſceret.

Comparatio elegans.

1. Tim. 1. Hymenæus & Alexander à Paulo Satanæ traditi.

tem. Sed & Corinthius ille, quem ſatanæ Paulus tradidit in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret, quomodo non iam grauiorem à Satana moleſtiam incurrerit, quàm antè ſit perpeſſus? Palàm eſt igitur excommunicationem nõ ſolùm ſignificare traditionem factam Satanæ, ſed per illam item excommunicatũ iam eidem efficaciter tradi. Porrò quòd ante excommunicationem nemo ſit penitus omni bonorũ ſpiritualium emolumento priuatus, vel ex eo conſtare poteſt, quòd malis etiam profuerit plurimum, inter bonos conuerſari. Nam vt bonus poteſt operibus communicare malignis, quod & diuus Ioãnes teſtatur epiſtola ſecunda: ita poſſunt vicíſſim & mali, bonorũ operibus aliquouſq; communicare. Certũ eſt, quando Stephanus pro ſe lapidantibus exorabat, preces eius Saulo profuiſſe: quanquam & tunc is eſſet inimicus Chriſti, & acerrimus quidẽ. Quid ergo dicemus? Paulo, cum infidelis erat, ac infidelium ſocius, Stephani precatio profuit, & fideli cũ fidelibus conuerſanti, tametſi peccatori, totius Eccleſiæ ſuffragia nihil omnino conferent? Adiumento quin etiã fuit cuidam mortuo, quòd inter Heliſæi fuiſſet oſſa ſepultus, quẽadmodum 4. Regum 13. ſcribitur, & nihil adminiculari poſſet peccatoribus, quòd in medio ſanctorum, conuerſari ſinuntur? Adminiculatur haud dubiè. Veruntamen cum per excommunicationẽ abſcinduntur à totius Eccleſiæ corpore, iam ab omni bonorum ſpiritualium ope ſeparãtur. In quo ſeparationis malo tamdiu perſeuerat, quam diu permanſerint in ſua pertinacia. Clarũ igitur ex ijs opinor eſſe, quod non ſatis firmiter abs te probatus is articulus fuerat, ſermone illo, quem tu ſuper excommunicatione ſcripſeras.

Bonorum conſortium malis prodeſſe

Actor. 7.

Excommunicatum ab omni ſpirituali bono ſegregatur.

LVTH. *Etiam per ipſorummet verba, vbi Papa dicit li. vj. de ſent. excommun. medicinalem & non mortalem, non eradicantem eſſe excommunicationem. At ſi priuaret ſpiritualibus communibus bonis, certè mortalis eſſet, quia animam ſepararet a Deo.*

EPISC. ¶ Sunt quædam ſanè bona ſpiritalia, quibus excommunicatio neminem priuare queat, nempe Fides, ſpes, & charitas. His haud dubiè nemo per excommunicationem priuatur. At præter hæc ſunt alia, quæ non parùm ipſis peccatoribus inter iuſtos commorantibus opitulantur, vti ſuprà diximus. A quibus nimirum ſeiungit excommunicatio, multisque non corporalibus modò, verumetiam ſpiritualibus eum incommodis afficit, quiſquis excommunicatur. Et tamen medicinalem eſſe, quid prohibet? Nam vt ea quæ purgant corpus, tametſi multis alioqui damnis ipſum afficiant, mederi tamen dicuntur. Sic pari modo, quid obſiſtit, quò minùs id animæ ſalutare medicamen dicatur, quod ad ſalutem eius finalem exhibetur: quanquam intereà ſpiritualis nocumenti nonnihil inferat? Nam ſuo bono, ſpiritale diſpendium anima patitur, ſi per hoc diſpendium, ex morte poſſet ad vitam reuocari. Nihil ergo pro tuo dogmate facit illud cap. Cum medicinalis lib: vj. de quo tantopere gloriaris.

LVTH. *Ego, autem fortioribus nixus ſum, quia in poteſtate hominis non eſt, vt quis credat vel non credat. Sola autem Fides vel incredulitas, copulat, vel ſeparat animam Eccleſiæ Dei, ſicut Chriſtus dicit Marci vltimo: Qui crediderit, ſaluus erit: qui non crediderit condemnabitur.*

EPISC. At iſtud fulcimentum (cui te nixum dicis) quã ſit inualidum, puto nos pluribus oſtendiſſe, quoties de Fide tecum diſſeruimus. Sed nec grauabimur, hîc alia quædam adijcere. Si ſola Fides vel incredulitas copulat vel ſeparat animam ab Eccleſia Dei, quomodo verum eſt, quòd peccator (qui adhuc Fidem retinet) per mortale peccatũ ſeipſum priuauerit omni communione charitatis, & diabolo ſeſe tradiderit? Hoc nimirum eodem ſermone, ſub quarto membro tu affirmas. Multi ergo ſeparantur à communione charitatis, atq; ita conſequenter ab Eccleſia Dei, qui Fidem nihilominus habent. Nam & Corinthius ille (qui per Paulum ſeparatus ab Eccleſia fuerat) Fidem tamen habuit. Non ergo ſola Fides animam copulat, quam ab Eccleſia Dei diſiungere ſola poſſet incredulitas, ſed & malè citas hic euangeliũ. Neq; enim Marcus ita recenſuit Chriſtum: Qui crediderit, ſaluus erit, ſed adiecit: Et baptizatus fuerit. Nõ enim abſque baptiſmo ſufficit Fides, ſicut nec abſque gratia. An non Eſau Deo credidit? de quo & Paulus ad Hebræos tradit, quòd eum lacrymis fruſtra benedictionem inquiſiuit. Qui enim cum lacrymis benedictionem quærit, videtur idipſum ex Fide facere. Et ſi ſola Fides ſuffeciſſet, mirum eſt, cur non fuiſſet eam benedictionem conſequutus. At Paulus affirmat, eum non inueniſſe pœnitentiæ locum. Cæterùm dices, te de Fide formata iam loqui. Tum extra cauſam declamitas. Nã in hoc omnino tecum conuenimus, quòd qui talem Fidẽ habet, nihil ei nocet excommunicatio, cũ is in gratia ſit, atque culpa vacet, ob quam ſolam vibrari iurè poſſet excommunicatio. Sed de illo nobis eſt ſermo, qui cũ Fide poſſeſſa, mortalis fuerit peccati reus. Is nimirum eſt ceu membrum quoddã in ſe mortuum, quod tamen vnitum corpori, refocillationem ab eo nonnullam accipit. Quid enim (te quæſo) membrum aliquod mortuum (quod & ſæpè videmus) vnitum corpori præſeruat à putredine? Quid, inquam, aliud, quã vnio ipſa? Nam ſi diſſectum hoc membrum eſſet à corpore, confeſtim putreſceret. Sic & peccator quàm diu manet in Eccleſia, communibus aliquandiu ſuffragijs Eccleſiæ, bonisque cęteris eiuſdem ſpiritalibus fouetur. At ſimulatque per excommunicationem ab Eccleſiæ gremio diſiunctus fuerit, iam omnis boni ſpiritalis communione priuatur.

1. Cor. 5.

Mar. vlt.

Heb. 12.

Peccator seu membrum in ſe mortuum.

Comparatio efficax.

LVTH. *Nullus eſt ferè articulorum qui manifeſtioris ſit veritatis, quam iſte, vt ego non poſſum ſatis laudare diuinam prouidentiam, quæ draconem iſtum antiquum cum Papa & rabidis papiſtis ſuis ſic excæcauit, vt in tam claram veritatem, etiam a ſeipſis ſtatutam impingerent, qua vel vna cæcitate totius huius bullæ auctoritatem, non modò mihi ſed toti orbi meritò contemptam reddiderunt.*

EPISC. Conuiciorum & calumniarum tuarum nullus eſt finis. Quid iam habes iuſtæ rationis, quòd ad iſtum modũ debaccharis? Nihil enim pro te fa-

Nullus Lat. annuntiandi vel modus reliqui.

cere decretalem illam (quam à papiſtis dicis eſſe ſtatutam) ſuperiùs oſtendimus. Atq; tantò minùs facit, quàm nihil quod in eadem adijcitur, nempe quod ſequitur: Dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat. Quo verbo ſatis dilucidum eſt, in quos medicinalis fuerit excommunicatio, nimirum in eos qui reſipiſcunt, neque pergunt in obſtinatia ſua. Verùm obſtinatis & pertinacibus non medicamen eſt, ſed gladius interimens. Nam hi contemnunt Eccleſiam, cui datum eſt à Chriſto, gladium hunc in proteruos & contumaces filios exerere. Nam quemadmodum in Synagoga, mors temporalis per corporalem animaduerſionem infligebatur: ita nunc & in Eccleſia, qui ſpiritali gladio feriuntur, mortem incurrunt æternam, niſi confeſtim à pertinacia ſua reſipiſcant. Propter quod & Auguſtinus quæſtione triceſimanona ſuper Deuteronomium affirmat, quòd hoc agit in Eccleſia iam excommunicatio, quod in veteri lege feciſſe legitur interfectio. Cui ſuffragatur & Cyprianus epiſtola vndecima, libri primi. Interfici Deus iuſſit, ſacerdotibus ſuis non obtemperantes, iudicibus à ſe ad tempus conſtitutis, non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat: nunc autem quia circumciſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſeruos Dei cœpit, ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia eijciuntur. Neque enim viuere foris poſſunt, cùm domus Dei vna ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia poſſit. Hactenus ille. Sed iſta ſufficiunt ad huius articuli conuulſionem.

Ex communicatio in Eccleſia idē facit, quod in veteri lege interfectio.

ARTICVLVS XXIIII.

LVTH. *Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem quam timere.*

EPISC. Id profectò nouum eſſet docendi genus, quo neminem ex ſacris & orthodoxis auctoribus hactenus vſum fuiſſe legimus. Affirmat enim diuus Gregor: quòd ſententia paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit, timēda eſt. Et Auguſt. huic aſtipulatur, de excōmunicatione loquens: Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti: ſi enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius. Si non eſt membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. Quiſquis autē (inquit Apoſtolus) Spiritum Dei non habet, hic nō eſt eius. Hæc ille. Docet & Ambroſ. omnia priùs tentanda, quàm ad hoc diſciplinæ genus veniatur. Cū dolore, inquit, amputatur, etiā quę putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis, & ſi nō poteſt, tunc à medico bono abſcinditur. Sic epiſcopi affectus boni eſt, vt optet ſanare infirmos, ſerpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abſcindere. Poſtremò (quod ſanari nō poteſt) cū dolore abſcindere. Hęc Ambro. ca. 27. libri 2. de officijs. Intelligis hìc ex Ambroſio, cuncta priùs eſſe tentanda medicamenta, quàm exeratur excommunicatio, quæ nō aliter ab Eccleſiæ corpore peccatorem abſcindit, quā ab humano corpore ferro ſecatur membrum, quod putre prorſus eſt & inſanabile. Quòd ſi medico ſpiritali, nimirum epiſcopo, tā moleſtū eſſe debet, quempiam hoc gladio ferire: quantò magis præcauendum eſt ei, qui percutitur, ne quicquam is agat, quo iure poſſet ad hunc modū feriri, & ab Eccleſię corpore penitus reſecari. Timenda eſt igitur excōmunicatio, & mundis omnibus fugienda, tanquam gladius, tanquā occiſio, tanquam ipſa mors, quæ pertinacem hauddubiè ſeparat à Chriſto, neq; ſinit eum (qui excommunicatur) bonorum Eccleſiæ ſpiritualium eſſe participem. Nam in hoc ſtatu ſi mori quempiam contigerit, extra Eccleſiam moritur, extra quam nulla ſalus eſt. Et is hauddubiè, qui ſic moritur, perpetuis gehennæ cruciatibus adiudicabitur. Quæ ſola ratio meritò poteſt cuiq; metum & formidinem excommunicationis incutere. Nā id cū primis metuendū eſt, in quo tantum animæ diſcrimen imminet, vt ſi caſu forſitan illo moreretur in æternum periret. Quando igitur nemo, vel ad momentum, de vita certus eſſe poteſt, quis nō videt, quàm ſit metuendum, vel ad vnam horam excommunicari? Cæterum erroris tui cauſa, vel ex eo ſuboritur, quòd exiſtimas, ſacerdotes nullam ſuper hominum animas obtinere poteſtatē. At hunc errorem tuū nec paucis verbis Chryſoſtomus conuellet in dialogo de dignitate ſacerdotum, lib. 3. cap. 5. Hi qui terram, inquit, incolūt, atque in ea conuerſantur, cæleſtia diſpenſare meruerunt, & poteſtatem acceperunt, quam neque angelis, neq; archangelis dedit Deus. Neq; enim ad illos dictū eſt: Quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; ſolueritis, erunt ſoluta. Habent quidem & mundi principes vinciendi aliquā poteſtatē, ſed qua in ſolis corporibus vti licet: hoc autem vinculum, quod ſacerdotibus cōmiſſum eſt, ipſam contingit animam, tranſitq; cælos, vt ea quæ operati fuerint ſacerdotes deorſum, Deus confirmet in cælis, ſententiamq; ſeruorum Dominus ipſe corroboret. Quid ergo reliqui eſt, ſi omnis eis commiſſa eſt poteſtas cælorū? Et paulò pòſt: Quæ poteſt inueniri maior poteſtas? Omne iudicium dedit pater filio. At hoc video, à filio totum ſacerdotibus eſſe commiſſum, ac ſint ſicut iam tranſlati in cęlum, & humanam tranſcendentes naturā, atq; à noſtris infirmitatibus liberati, in tantum inuecti ſunt principatum. Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus dilucidum eſt, quantam in ſubditorum animas, habeant ſacerdotes poteſtatem. Sed iam Lutheri probationem expendamus.

Immedicabile vulnus enſe reſecandum eſt

Excommunicatio mundis omnibus timenda eſt & fugienda.

Poteſtas Sacerdotalis à Chriſto commiſſa.

Omne iudicium pater dedit filio, filius autem ſacerdoti commiſit.

LVTH. *Probatur, quia ipſe Papa dicit eam eſſe medicinalem, non mortalem, ſed diſciplinantem. Sed id quod medicinale & viuificans eſt, nemo debet timere, niſi ij, qui hanc bullam compoſuerunt, furioſi ſcilicet, qui medicinam & vitam timere, & non amare docent, imò amari damnant, & timeri mandant. Neque enim ipſos furioſos videas ſic a communi ſenſu omnium rerum abhorrere, vt vitalia, & medicinalia timenda cenſeant. Verùm digna bulla ſuis auctoribus. Quis non ſuperbiat damnatus ab his perditis & miſeris hominibus?*

EPISC. Si nō ipſe diffiſus eſſes probationi tuæ, non tot maledictis & probris eam ſuffarcinaſſes, ad quæ

ſemper confugis, cum tibi ſolidiora defuerint argumenta. Sed ipſa tibi conſcientia teſtis eſt, eam nullius ponderis eſſe. Neq; decretalis affirmat excommunicationem eſſe viuificantem, neque id cum tuo dogmate conſtare poteſt, cum tua ſentẽtia, Quicquid fit in non habente gratiam, obeſſe credendum ſit magis, quàm prodeſſe: quemadmodum de contritione quantumuis ingenti, ſuperiùs articulo ſexto tradidiſti. Vbi igitur quiſpiam pro mortali iuſtè excommunicatur, cum iam is gratia careat, quomodo poteſt ea excommunicatio ſalutaris viuificaque ei fore? Poteſt nimirum occaſio quibuſdam eſſe reſipiſcendi, & eatenus medicinalis eſt. Verùm contumacibus, & ijs qui perſiſtunt in malitia ſua, qualis tu Luthere mihi viſus es, profectò lethalis, & prorſus mortifera. Quod & decretalis ipſa palàm indicat. Sic enim illic habetur: Cum medicinalis ſit excommunicatio non mortalis, diſciplinans non eradicens, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat. Ecce ſi is in quem lata fuerit excommunicatio, contemnat eam, tum planè mortalis eſt & eradicans. Cæterùm cunctis exploratum eſt, eam vſqueadeo cunctis metuendam eſſe, vt corporalem quamlibet pœnam quis optaret ſubire magis, quàm ſemel excommunicari. Sicut & manus (ſi loqui norit) omnem potiùs cruciatum ſe malle perferre confiteretur, quàm ſemel à ſuo corpore ſeparari. Cæterum hactenus pro articulo.

ARTICVLVS XXV.

LVTH. *Romanus pontifex Petri ſucceſſor non eſt, non eſt Chriſti vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in beato Petro inſtitutus.*

EPIS. Iam tandem præſtare conabimur, quod toties antè ſumus polliciti, nimirũ oſtendere, quòd ſummus pontifex ſit totius Eccleſiæ caput. Quod & bifariam efficere moliemur. Primũ ſcripturis, quibus multæ prærogatiuæ Petro tribuuntur. Deinde Patrum omnium orthodoxorum, qui ſpectatiſſimi ſunt, teſtimonijs. Et hæc quidem ante congreſſum faciemus. At in ipſa conflictatione, præter hæc, alias eiuſdem rei confirmationes accipiet lector, adeo crebras, vt niſi pertinacia nimia cæcutiat, perſpiciet hauddubiè, Lut. odio quodam & animi ſui malignitate, potiùs hæc contra Pontificem euomuiſſe, quàm vlla ſubnixũ veritate. Sed agè, primum ex Petri prærogatiuis, quæ non paucæ ſunt, iſtud oſtendamus.

Petri prærogatiuæ ex Euangelijs.

PRIMA.

Inter quas ordine prima eſt, quòd mutato nomine Chriſtus illum Cephan, hoc eſt, Petrum vocari cenſuit, cum antea Simon vocabatur. Mutatio nominis indiciũ ſemper fuit altioris cuiuſdam myſterij, quod vel ex veteri teſtamento patet, ex nominibus commutatis Abraham, Sara, Iſrael; vt nec iam abſque grandi myſterio Chriſtum putemus, huic Apoſtolo, nomen indidiſſe nouum.

Tribus Apoſtolis nomina Chriſtus indidit. Mar 3.

Tribus nimirum Apoſtolis, qui ex cæteris apud Chriſtum maioris erant auctoritatis, hoc eſt, Simoni, Iacobo, Ioanni, nomina ſolus Chriſtus indidit. Nam hi dicti ſunt Boanerges, hoc eſt, filij tonitrui. Simon verò, Petrus vocabatur. Sic enim Marcus tradidit vbi duodecim Apoſtolorũ recenſet nomina. Et impoſuit, inquit, Simoni nomẽ Petrus, & Iacobum Zebedęi, & Ioannẽ fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges. His tribus præ cæteris Chriſtus familiariùs vtebatur, quos plerunq; ſolos ſuæ conuerſationis teſtes aſſumpſit. Nam hi ſoli (dum transfigurabatur) præſentes erant, & cum Iairi filiam ſuſcitabat, & cum paulò ante paſſionem orabat prolixiùs, vt non ſine cauſa ſolis iſtis impoſuerit nomina. Simon tamen (vt ſingularis eius præeminentia fieret apertior) nomen haud aliunde, quàm ab ipſo Chriſto deriuatum accepit. Chriſtus enim (vt teſtatur Paulus) petra fuit. Ac proinde à Chriſto petra, dictus eſt Petrus. Nimirum vt hac nominis deriuatione, Chriſtus nobis præſagiret, Petro ſuas vices, & præcipuam auctoritatem fuiſſe committendam. Nam alioqui, cur à ſeipſo nomen hoc deſumptum, Petro communicaret?

Secunda.

Huc accedit ſecunda prærogatiua, quòd quanquam Petrus non erat vocatione primus, euangelia tamen vbique primas partes ei tribuiſſe conſtat. Fuit equidem Andrea Petrus quantum ad vocationem poſterior, veruntamen in ordine, primus huic tribuitur locus. Sic enim Matthæus ſcribit: *Matt. 10.* Porrò duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus Simon, qui vocatur Petrus, &c. *Mar. 3. Luca 6.* Similiter & Marcus & Lucas hunc primũ faciunt. Nec eſt credendum Euangeliſtas ſuis arbitrijs, quenquam (qui vocatione poſterior fuerat) collocaſſe primum, niſi certò ſcirent, eundẽ à Chriſto fuiſſe cæteris præpoſitum.

Tertia. Mat. 16.

Tertia ſubinde prærogatiua eſt, quòd propter illam eximiam diuinitatis Chriſti confeſſione, nempe Chriſtum eſſe filium Dei viui, Petro fuit dictum à Chriſto: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Perſpicuum eſt, hæc non cęteris, ſed ſoli Petro fuiſſe dicta, quando nemo cęterorum, ſed ſolus Petrus vocatus fuit Simon Bariona. Et hanc tanquam inſignem Petri pręrogatiuam, interpretes omnes vnanimiter annotarunt, de qua & fuſiùs mox dicemus.

Quarta. Mat. 16.

Quarta verò poſt hanc ſequitur, quòd ſoli Petro nominatim, claues regni cęlorum Chriſtus fuerat pollicitus. Cęteri ſanè ligandi ſoluendique poteſtatem acceperunt, ſed in cęlo ſingulariter: Petrus autem pluraliter in cœlis. Simul & non vnius cœli, ſed cœlorum claues Petro à Chriſto promiſſas audiuit. Nec hic mihi quiſpiam dixerit, eandem vtrobique poteſtatem ſignificari. Nam mihi perſuaſiſſimum eſt, niſi voluiſſet Euangeliſta diuerſam aliquam rationem, & diſcrimen hîc aliquod in his verbis indicaſſe, nequaquam tanta fuiſſet vſus varietate, præſertim cum vno duntaxat intermiſſo capitulo, vtrunque tradat: & illud Petro pluraliter fuiſſe dictum, & iſtud ſingulariter cęteris Apoſtolis. Sed & hæc Origenes diligentiùs obſeruandum indicauit. Cęterum & de ijs latiùs antè

Quinta. *Mat. 17.*

diſſeruimus. Quinta ſubinde prærogatiua non parui ponderis eſt, quòd in ſoluendo didragmatè, Chriſtus Petrum ſulum præ cæteris omnibus Apoſtolis, ſibi tanquam parem adiunxit. Quæ res tam apertum indicium, cuiuſdam præeminentiæ fuit in Petro futuræ, vt inde mox inter cæteroa

Mat. 18.

(vt apud Matthæum patet) oborta quæſtio fuèrit, quis futurus eſſet maior in regno cælorum.

Sexta. *Luce 22.*

Sed de hoc pluſculum infrà dicturi ſumus. Sexta prærogatiua nec obſcura certè, non multò pòſt ſequitur. Facta enim inter Apoſtolos contentione (cuius & Lucas meminit) quis eorum videretur eſſe maior: Chriſtus exemplo ſuo docèt, quē in modum is ſe gereret, qui maior inter eos eſſet futurus. Et mox ad Petrum conuerſus ait: Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. An non his verbis palàm tribuit Chriſtus Petro, maiorem quandam præ cæteris ſublimitatem? Præſertim, cùm protinus, vt docuerat, quem in modum is qui maior eſſet futurus, ſeipſum gereret erga cæteros, ſubiecit, Satanam omnes illos expetijſſe, ſe tamen oraſſe pro Petro, quatenus ipſe perſiſteret in Fide, vt ſic tandem conuerſus confirmaret & cæteros. Niſi enim hoc ita ſe habere dixerimus, inſoluta manebit quæſtio: Quis apoſtolorum videretur eſſe maior. At ad hunc modum erit planè diſſoluta. Nam eum hauddubie (qui cæteros confirmaret) maiorem inſtituit.

Septima *Mar. vlt.*

Septima prærogatiua fuit, quòd ad Petrum nominatim Angelus miſerit ipſas mulieres, quæ tam illi, quàm cæteris Apoſtolis nunciarent, ſurrexiſſe Chriſtum. Ite, inquit, dicite diſcipulis eius & Petro. Magnum id omninò fuit indicium præcellentiæ Petri, quòd eum

Mar. 16.

angelus magìs quàm cæteros nominauit. Sed hic fortè quiſpiam dixerit, hoc ad conſolationem Petri fuiſſe factum, nempe ne deſperaret, quòd ter antè negaſſet magiſtrum ſuum Chriſtum. Quaſi non abundè Chriſtus illum conſolari potuit, qui ſoli Petro præ cæteris Apoſtolis primum apparuiſſe legitur. Certè qui dignatus fuerat ſeipſum illi redìuiuum oſtendere, potuit omnem ab eius animo deſperationem amoliri. Vtrumq; certè magnitudinis Petri non leue fuit argumentum, & quòd priùs quàm cæteris Apoſtolis, Petro Chriſtus apparuit, & quòd ad illum nominatim angelus nuntians ipſas miſerit mulieres. Sed & vt tertium ijs accumulemus: Nunquá certè niſi Petrus fuiſſet præ cæteris illuſtrior, tam inſignē eius lapſum, omnes Euangeliſtæ tanto ſtudio expreſſiſſent.

Octaua.

Octaua prærogatiua fuit, quòd primus ipſe Chriſti monumentum ingreſſus erat. Et iſtud haud infimum indicium eſt præſtantiæ Petri. Nimirum quòd eum in eum locum priùs introierit, vnde ſurrexerat Chriſtus, primus Chriſti vices in Eccleſia poſt Chriſtum eſſet geſturus. Potuit enim Ioannes priùs ingredi, quippe qui curſu

Ioan. 20.

præuenerat Petrum. Currebant enim (vt teſtatur Euangelium) ambo ſimul: at Ioannes præcurrit citiùs Petro, & cum veniſſet prior ad monumētum ſubſtitit, nec eſt introgreſſus. Verùm Petrus vbi venit ad monumentum, mox introijt. Primus ergo Petrus Chriſti locum intrauit, qui poſt Chriſtum primus erat in Eccleſia futurus. *Nona.* Nona prærogatiua fuit, quòd præ cæteris Petro nominatim ſuarum ouium curam commiſerit Chriſtus. Neque id negligenter fecit, ſed cum ingenti ſtudio & apparatu. Cum enim eſſent & cæteri præſentes, Petrum percontatus eſt, *Ioan. vlt.* num ſe plus quàm illi diligeret. Simon Ioannis, inquit, diligis me plus ijs? Reſpondit ei Petrus: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit igitur ei Ieſus: Paſce agnos meos. Et cum ad hunc fermè modum, iterum, ac tertiò Petrum interrogaſſet, an ſe diligeret, Petroque toties id affirmante, tertiò ſuarum ouium ei curam iniungit. Paſce, inquit, oues meas. Quod documentum adeo clarum eſt pro magnitudine Petri, vt haud ſcio, an vllum potuit eſſe luculentius. Nam his verbis abundè teſtatus eſt Chriſtus, totum ouile ſuum, hoc eſt, Eccleſiam vniuerſam vnà cum agnis & ouibus, adminiſtrationi Petri fuiſſe creditam. Decima prærogatiua fuit, quòd *Decima.* poſt hæc omnia; ſingulariter ei Chriſtus dixerit: Sequere me. Quo ſanè verbo ſignificatur, Petri quædam præ cæteris in ſequela Chriſti præeminentia. Quod & Chryſoſtomus diligenter annotauit: His, inquit, verbis, iterum curam, & familiarem in eum affectum, Chriſtus oſtendit. Inſinuat vtique Chriſtus, de Petro ſibi curam ampliorem eſſe, quàm de cæteris, quòd illi ſpeciatim dixerit: Sequere me. Quare & Petrus iam audacior factus, interrogat de Ioanne (quem nouerat à Chriſto fuiſſe dilectum intimiùs) quid eſſet futurum, & an ipſe pariter ſequeretur. Neque enim in cœna fuit auſus interrogare de Iuda, ſed Ioannem tunc mediatorem ſibi fecit. At nunc viciſſim, poſtquam Petro Chriſtus tanta communicaſſet (vt ait Chryſoſtomus) & orbis terrarum curam demandaſſet, ſimul & teſtatiſſimum feciſſet eius amorem, Ioannes tacet, Petrus autem loquitur, & quærit ipſe à Chriſto, dicens: Hic autem quid? Sed audit à Chriſto rurſus ingeminatum ſibi: Tu me ſequere. *Ioannes tacet Petrus loquitur.* Porrò ſequuti ſunt, & Chriſtum cæteri, ſed Petrus propiori mortis ſimilitudine: nimirum, vt ſimili quodam præ cæteris eum imitaretur mortis genere, cuius in Eccleſia vices præ cæteris erat adminiſtraturus. Quiſquis igitur has decem prærogatiuas exactè penſitat, atque inuicem adglutinat, quaſi linum lino nectens, nihil dubito, quin eius conſcientia rem ita verè ſe habere fatebitur. Hoc eſt, Chriſtum voluiſſe Petrum maiori quàm cæteros auctoritate pollere, ſuumque vicarium in terris eum conſtituiſſe, ſimulque ei totius Eccleſiæ commiſiſſe curam, pariter & adminiſtrationem. *Omnium Petri prærogatiuarum collectio.* Cur enim ei præ cæteris cognomentum ex ſeipſo petitum adhiberet? Cur in ordine primum conſtitueret? Cur ſuper ipſum ædificandam Eccleſiam polliceretur? Cur donaret clauibus regni cœlorum? Cur ſibi Petrum ſolum adiunxit in ſoluendo didragmate? Cur pro ſolo Petro, ne is deficeret in

Fide,

Fide, orauit, quatenus ipſe conuerſus confirmaret cæteros? Cur ſoli Petro ſingulariter & priuſquam cæteris apparuerit? Cur ſimili mortis genére, hoc eſt, in cruce finiri, voluit eum? Cur, inquam, vni Petro præ cæteris tot inſignia contuliſſet Chriſtus, niſi quia vicarius eius eſſet futurus, & toti Eccleſiæ ceu princeps & caput præficiendus? Sed hactenus ex Euangelijs. Iam quibus veſtigijs idipſum ex Actis Apoſtolorum, & ex ijs, quæ poſt Chriſti aſcenſionem Petrus geſſit oſtendi poterit, indagabimus. *Confirmatio ex Act. Apoſtolorum* Multa fortaſſis prima fronte, non parùm huic inſtituto videbuntur aduerſari, quæ tamen ſi diligentiùs expendantur non ſolùm non officient, ſed & conducent plurimùm. Neque enim Petro tum par fuit omnimodam exercere poteſtatem, ſed ad multa neceſſe fuit condeſcendere, partim humilitatis, partim vnitatis gratiâ. Nam qui ſic vrgebantur, vt immutarent ea, quæ Chriſtus ipſe poſtremis etiam verbis fieri mandauit, nempe de baptizandis gentibus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſimul & id genus alia nonnulla, quemadmodum articulo decimoſexto memorauimus, quid mirum ſi de ſuo iure quiſquam nonnihil imminui pateretur? Petrus tamen vbique ſic ſuam à Chriſto ſibi traditam executus eſt poteſtatem, vt cuiuis compertiſſimum eſſe poſſet, illum principem & caput fuiſſe cæteris. *Prima. Act. 1.* Principio quidem cum ipſe congruum & rationi conſentaneum eſſe iudicabat, vt in locum Iudæ quiſpiam ad ſacrum illum duodenarium explendum ſufficeretur, habuit ſuper ea re concionem, ad reliquam tum naſcentis Reipublicæ Chriſtianæ multitudinem. Erant enim tunc haud multò plures quam centum, xx. Quibus & placuit ratum habere, quod tum hortabatur Petrus, atque ita ſorte Matthiam delegerunt, vt is Iudæ locum suppleret. Atqui dicet hic quiſpiam: Non ergo Petrus hûc elegit. Certè. Sed vide qua ratione ductus id permiſit alijs. Quibuſdá ſanè Ioſeph (qui & iuſti cognitionem habuit) videbatur eo munere digniſſimus, quibuſdá verò Matthias. Nam in hos duos conſenſit tota multitudo. Petrus igitur, ne ſuo ſenſui nimis inniti videretur, & ne quicquam oſtenderet votiui, ſimulque & ſucceſſores futuros erudiret, hoc geſtorum ſuorum initio, neminem in eiuſmodi muneribus conferendis, ſuum affectum ſequi debere, voluit ſortibus hoc negocium agi, quatenus in eo nullus humano affectui locus pateret, ſed totùm diuinitùs fieri crederetur. Propter quod & Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ait: Oportet, inquit, pontificem ſanctum non motu proprio ſacerdotales ordinationes conficere, ſed ſub Deo agente has, pontificaliter cœleſtique celebrare mundicia. Hæc ille. Ob has, inquam, rationes ſuæ poteſtatis amplitudine tum vti voluit Petrus. Veruntamé auctor ipſe præcipuus fuit totius rei geſtæ, quemadmodum ex Actis palàm conſtat. Huic *Secunda. Act. 2.* conſone eſt & illud, quod cum completis diebus Pentecoſtes, omnium linguis tota ipſa multitudo, dono Spiritus in eos de cœlo miſſi loqueretur: confluentibus ad miraculi nouitatem populis, ac ſtupentibus cunctis (qui tum aderant) omnium nationum, & multis id miraculi temulentiæ cuidam aſcribentibus, ſolus Petrus, vt princeps & caput cęterorum, concionem habuit, qua ſtultam illorum opinioné ex ſcripturis confutauit apertiſſimè, perſuaſitque pluribus, Ieſum (quem ipſi crucifixerant) conſcenſis cœlis, ſanctum inde ſpiritum iuxta prædictionem ſuam, & aliorum Prophetarum vaticinia, ſuper credentes tum effudiſſe. Qua concione ſic permota fuit ipſa multitudo, vt conuerſi ſint ex auditoribus ipſa hora, circiter tria millia. Et hic aduerte, quem in modum ſcriptura ſeorſim à cæteris, Petrum nominatim exprimit. Stans, inquit, Petrus cum vndecim, quod & cap. 5. ſimiliter facit. Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli dixerunt: *Act. 5.* Num ita ſciungeret eum à cæteris ſcriptura, ſi non maior in eo quàm in cæteris fuiſſet auctoritas? Tertiò, nec illud prętereundum eſt, quod proximè ſequitur, *Tertia. Act. 3.* cum videlicet occaſione claudi, quem Petrus in nomine Ieſu Chriſti ſanabat, tertiam habuit ad Iudæos concionem, qua & conuertit ex eis quinque millia nec dixerit hic quiſquam Ioannem etiam afuiſſe. Affuit vtique Ioannes. At ſolus Petrus hominem ſanauit. Argentum (inquit Petrus) & aurú non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula. Ecce Petrus in ſua ipſius perſona ſolùm claudo loquitur. Nec potuit ea res latêre populum, cum is quem ſanabat, claudus fuiſſet ab vtero matris ſuæ, & operâ ſuorum quotidie baiulabatur, atque ad quandam templi portam reponebatur, eleemoſynę petendæ gratia. Vides vt hoc inſigne miraculum, & ſanè primum, quod à quouis Apoſtolo poſt Chriſti reſurrectionem factum legitur, ipſi Petro velut Apoſtolorum principi, ſit inſcriptum, ſimulque & conciones (quotquot hactenus habitæ fuerunt) non aliundè manauerint, quàm ab eodem Petro. Quarto loco ſuccurrit *Quarta. Act. 5.* & illud, quod de Anania & Saphira ſcriptum eſt, in quorum fraudulentiá Petrus ſeueriter animaduertit. Nam & illi rebus ſuis & poſſeſſionibus diuenditis, non vniuerſum precium attulerunt ad pedes Apoſtolorum, quemadmodum cæteri, ſed aliquam ſibi repoſuerant portionem. Quo factum eſt, vt primum vir, deinde paulò poſt & vxor, quę facinoris etiam conſcia fuerat (Petró fraudem vtrique palàm obprobrante) diuino iudicio percuſſi, protinus expirârunt. Quis iam non apertiſsimè cernit, eximiam præ cæteris in Petro fuiſſe poteſtatem, cum ad eius verbum vterque alter poſt alterum, (facto tamen horum trium interuallo) tá celeriter interierint. Accedit ad hæc & quintò. Quòd cùm Apoſtoli cæteri, multa ſigna prodigiaque palam ederent in populo, de *Quinta.* nullo tamen id ſcriptura nominatim hactenus expreſſerat, quàm de ſolo Petro. Sic enim de illis ſcriptum fuit: Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. *Act. 5.* De Petro verò traditum eſt conſequenter, quòd tam viri, quàm mulieres, in plateas infirmos exportabant, illicq; in lectulis & grabbatis eos reponebant, vt illac tranſeuntis Petri, vel vmbra ſaltem adumbraret illa

ret illorum quenquam. Quòd etiam ægri, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis (quos multitudo vicinarum ciuitatum eius rei gratia Hieroſolymam attulit) omnes ab eo ſanabantur. Ecce quantum hic diſcriminis inter Petrum cæteroſque ſcriptura facit. Iſti per manuum impoſitionem ſanabant, Petrus verò per ſuam ipſius vmbram. Illi conſulim & indiſtinctè, Petrus verò ſolus & nominatim. Illi denique (cùm plures eſſent) plurimos, at Petrus ſeorſum omnes, quotquot ex vicinis vrbibus, ad eum ſanandi cauſa confluxerant.

Sexta. Actor. 6.

Occurrit iam ſexto loco, de conſtitutis miniſtris ſeptem. Quem ſanè locum hi, qui nullam Petro præ cæteris auctoritatem tribuunt, obijcere ſolent. Atqui ſi res accuratiùs expendantur perſpicuum erit, eam nihil nobis obfuturam. Primùm non erat ea res magni momenti, ſed quod à quouis Epiſcopo fieri quotidie cernimus. Deinde nec Apoſtoli, ſeptem hos Diaconos elegerunt, ſed permiſerunt id negocij, diſcipulorum vniuerſæ multitudini. Tertiò vide, quia res hoc exigebat. Fuit enim murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eò quòd non ſatis accuratè proſpectum fuerat illorum viduis. Ob quod & miniſtrorum horum electio, toti multitudini permittebatur, ne ſi fortè quiſquam parùm diligens huic officio præficeretur, amplioris in ipſos Apoſtolos murmuris inde ſurgeret occaſio. Quartò & iſtud aduerte, quòd non alia ratione res hæc refertur à Luca, niſi vt conſtaret nobis, Stephanum & Philippum (quorum acta conſequenter explicat) ex numero ſeptem Diaconorum fuiſſe. Quid enim de conſtitutis vbique locorum Epiſcopis non meminit potiùs, quàm de ſeptem illis miniſtris? Neque enim quiſque Apoſtolorum, ſibi à ſuo arbitrio ſuſcepiſſe credendus eſt Epiſcopatum. De qua tamen re, nihil certi refert Lucas. Atqui notum eſt Paulum Epiſcopos inſtituiſſe Titum & Timotheum, quibus & poteſtatem fecit presbyteros locis congruis diſponendi. Quid igitur dicemus? Licuiſſe iſtud Paulo, Petro non licuiſſe? Quid dici poteſt abſurdius? Sed & Chryſoſtomus affirmat ſe credere, Iacobum à Petro totius orbis magiſtro, fuiſſe Hieroſolymis Epiſcopum conſtitutum.

Iacobus à Petro Epiſcopus inſtitutus.

Quis ergo dubitare poteſt, quin & de cæteris quibuſdam idem à Petro ſit factum: Nec tamen iſta memorat Lucas. Nihil ergo nobis oberit electio miniſtrorum, quin proderit magis, quod ex eo iam claruit, maiora Petro fuiſſe reſeruata. Cæterùm adhuc fortè dicet quiſpiam: Non ſolum Petrum eis manum impoſuiſſe; ſed vnà cum Petro cæteros item Apoſtolos. Profectò. Sed hoc nihil derogat auctoritati Petri. Nam hoc ideo factum eſt, vt quò plures eſſent comprecatores, qui manus imponerent, tanto copioſior in electos deſcenſura gratia ſperaretur.

Septima. Actor. 8.

Septimo loco quod ad rem noſtram pertinet, offertur ex Actis de Petri geſtis in Samaria. Id quod etiam aduerſarij ſolẽt nobis opponere. Nimirum quòd Petrus eò miſſus fuerat per Apoſtolos, quo mitteretur, & illum nihil præ cæteris Apoſtolis plus auctoritatis habuiſſe. Veruntamen ſi diligentius animum intendant, intelligent id non imbecillum eſſe pro Petri auctoritate teſtimonium. Primùm res erat vehementer ardua, tum propter Magum quendam nomine Simonem, qui miris illam gentem præſtigijs illuſerat, vſqueadeo vt crediderint in illum omnes, à minimo vſque ad maximum, appellantes illum Dei virtutem, quæ vocatur magna. Tum profectò Chriſti verbũ, qui prædixit Apoſtolos etiam in Samaria teſtes ſibi futuros. Et quanquam Philippus ipſos Samaritas, ſua prædicatione ſimul & miraculis conuertiſſet, non potuit tamen eis ſigno ſenſibili conferre ſpiritum, vt metus fuerat, ne mox in priſtinos errores relaberentur. Ob has igitur aliaſque rationes, neceſſaria fuit præſentia Petri, cui comes erat Ioannes adiunctus. Nam cum his duobus hactenus præcipuè cooperatum fuiſſe ſpiritum, Apoſtoli compertiſſimum habuerunt. *Act. 3.* Erant enim hi duo pariter in ſanatione claudi præſentes ad portam ſpecioſam templi. Erant & in ſimul, *Act. 4.* quando ad Petri prædicationem conuerſi ſunt ex Iudæis quinque millia. Erant hi pariter in carcerem coniecti. Sed & vnà coram Sacerdotibus & pontificibus examinati, die poſtera facti ſui rationem reddiderunt. Quid ſi negotij difficultas præſentiam ſummi pontificis expoſceret, cuiuſmodi & Cardinalibus omnibus viſum fuit, quando Pius ſecundus expeditionem in Turcas parabat, num ea profectio derogauit auctoritati ſuæ quicquam? an non auxit eam potiùs? cum negotij moles præſentiam tantæ poteſtatis expoſceret. Sic nimirum & magnitudo Petri magis innotuit ex hoc facto. Nam à Philippo priùs baptizati, *Act. 8.* protinus vt in eos manus Petrus impoſuit, Spiritum ſanctum acceperunt, id quod Philippus alioqui ſanctiſſimus, & Spiritu plenus præſtare non valuit. Sed & inſignem illum Magum Simonem, pecunia cupientem emere donum ſancti ſpiritus, ita repreſſit, vt etiam adegerit ad veniam implorandam.

Octaua. Act. 11.

Octauo loco dilucida fit Petri auctoritas, ex viſione cœlitus oſtenſa, qua poſitus in mentis exceſſu vidit cœlum apertum, atque inde vas quoddam velut lintheum magnum, quatuor initijs alligatum, ſubmitti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, beſtiæque & reptilia, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Quia nimirum viſione, Petrus admonebatur etiam gentes incorporare Chriſto. Gentium enim immunditiæ per quadrupedia terræ, perque beſtias, ac reptilia & volatilia cœli, ſignificabantur: & illas iam Deus intra lintheum Eccleſiæ recipiendas decreuit. Propter quod & Petro iuſſum erat, vt mactaret eas primum, hoc eſt, per verbum Dei (quod & gladio quouis vtrinque incidente penetrantius eſt) tetrum peccati ſanguinem effunderet, eiſque ſubinde veſceretur, hoc eſt, more cibi traijceret eas in Eccleſiæ corpus, & incorporaret eas Chriſto. Num iſta non indicant, Petrum totius Eccleſiæ caput fuiſſe? Cui ſic iuſſum eſt etiam gentes in Eccleſiam recipere, & eas corpori Chriſti adunare, ſimul & cui myſterium iſtud (quod adhuc cæteros Apoſtolos latuit) tam aperte fuerat monſtratum. Et ne

ſcru-

ſcrupulus aliquis dubitationis eum teneret, ſic ter fuit admonitus. Inſuper & eueſtigiò poſt viſionem venerunt à Cornelio viro gentili, quidam accerſendi Petri gratia, quatenus illum in Fide Chriſti erudiret. Nam & ita præmonitus ab angelo Cornelius fuerat, vt quoſdam eius rei gratia mitteret ad Petrum, Petroque iuſſum eſt identidem à ſpiritu, ne quicquam hæſitaret vnà cum illis ire. Cum igitur acceſſiſſet ad Cornelium Petrus, habita concione, nondum finitis verbis, cecidit illico ſuper omnes gentes, quæ tum

Nona.

aderant, ſpiritusſanctus. Nonò, cum diu poſthac, ob ſubortam quæſtionem ſuper obſeruatione legalium, habita fuiſſet Synodus, in hac Petrus, vt princeps, & caput cæterorum, ſuam ſententiam primus dixiſſe refertur, nempe quòd gentibus ad Chriſti Fidem conuerſis non eſſet hoc iugum imponendum, & maximè, cum per ipſius verba (Deo ſic eum præ cæteris ad hoc munus eligente) gentes aliquæ credidiſſent, ſanctumque (ſimiliter vt Iudæi) recepiſſent Spiritū.

Petrus vt princeps & caput cæterorum, in ſynodo ſententiā primus dixit. Galat. 1.

Quā ſententiam ſubinde Paulus & Barnabas cōfirmabant, & poſtremò Iacobus, quippe quē & decuit in ſua ſede, totius Synodi recenſere decretū. Fuit enim is (vt ſupra diximus auctore Chryſoſtomo) per Petrum illic inſtitutus epiſcopus, quanquam ab alijs referatur, id a Petro, Iacobo & Ioanne fuiſſe factum. Et ſanè credibile eſt Petrum id feciſſe, ex conſenſu cæterorum. Deci-

Decima.

mò, confert & illud, quod ad Gal. ſcribit Paulus, poſt annos tres ſe veniſſe Hieroſolymam, Petri viſendi gratia, & apud eundem manſiſſe dies quindecim. Et vide quanam epiſtola Paulus id teſtatur. Nimirum in ea, qua cæteris Apoſtolis ſuam auctoritatem æquare vel enixiſſime conatur, & qua ſeipſum contraponit Petro. Nempe quòd erat ipſe in gentium apoſtolatum miſſus, quemadmodum Petrus in circunciſionis. Quanquam certè non potuit ignorare Paulus, Petro ſpeciali quadam reuelatione fuiſſe commiſſum, vt per eum in gentes ſancti ſpiritus gratia infunderetur, & maximè, cum interfuit concilio Hieroſolymitano, vbi Petrum audierat hanc ſibi reuelationem factam expoſuiſſe toti concilio. Cæterùm ne ſuam Paulus apud Corinthios auctoritatem minueret, non quid Petro Chriſtus, ſed quid ſibi copioſè donauerat, retulit. Et certè quidem id facere potuit, quando pſeudoapoſtoli ſub colore Petri magnos introduxerunt inter Corinthios errores. In hac tamen epiſtola tantum honorem ſe Petro detuliſſe vel ingenuè cōfitetur, quòd eius viſendi gratia, ſe Hieroſolymam veniſſe teſtatur. Nam, vt Hieronymus ait, quanquam non diſcendi ſtudio Petrum conueniſſet, qui & ipſe eundem prædicationis habebat auctorem, honoris tamen deferendi cauſa id fecit. Quam rem & Ambroſius pariter atteſtatur. Dignum, inquit, fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum. Non vtiq; vt aliquid ab eo diſceret, qui iam ab auctore didicerat, à quo & ipſe petrus fuerat inſtructus, ſed propter affectum apoſtolatus, & vt ſciret Petrus

illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat. Hęc Ambroſius. Quis iā non certo certius, ex his tot locis, partim ex Euangelio, partim ex Actis Apoſtolorum depromptis, intelligit Petrum fuiſſe principem, & caput totius Eccleſiæ? Neq; enim Spiritus ille ſanctus hanc rem in ſcripturis toties inculcaſſet, tamque varijs inſinuaſſet modis, niſi voluiſſet eandem à cunctis firmiſſimè credi. Cæterùm ijs iam adiungamus ad ſacrorum interpretum teſtimonia, quibus apparebit, eos ad hunc ſenſum priores illas ſcripturas intellexiſſe.

Sacrorum interpretū teſtimonia, quibus Petrum cæterorū & principem & caput eſſe cōſtat.

Nam & hoc ſecundo loco fuimus polliciti. Mihi quidem videtur, haud mediocriter huic inſtituto conducere, ſi docere queam Eccleſiæ proceres vnanimiter ita ſenſiſſe. Nā ijs omni iure fides maior adhibenda eſt, ſententiam ſuam ſcripturis aſtruentibus, quā Luthero quantumuis pertinaciter neganti. Quamobrem & illorum ſententias in medium afferemus. Hilarius primum, cū alijs

Hilarius.

locis, tum lib. 6. de Trinit. ſic ait: O miſerę ſtultitiæ furor impius, non intelligens beatæ ſenectutis Fideique martyrem, & martyrem Petrū, pro quo pater rogatus eſt, ne Fides eius in tentatione deficeret: qui iterata à ſe dilectionis in Deū poſtulata profeſſione, tentari ſe adhuc tanquā ambiguum & incertum tertia interrogatione congemuit. Per id quoq; à Domino poſt tertiā tentationis purgationum infirmitatem, paſce oues meas, ter meruit audire, qui in cunctorum apoſtolorum ſilentio, Dei filium reuelatione patris, intelligens vltra humanæ infirmitatis modum, ſupereminētem beatę Fidei ſuę confeſſione locum promeruit. Hæc ille. In qua ſententia palàm alludit quatuor Petri prærogatiuis ſuperiùs introductis & tandem aſſerit Petrum propter confeſſionem beatæ Fidei ſuæ, locum ſupereminentem inter Apoſtolos promeruiſſe. Subſcribit & Ambroſius

Ambroſius.

ſermone quodam de pœnitentia Petri: Cum, inquit, tertiò interrogaretur à Domino, Simon amas me? Reſpondit tertiò: Domine tu ſcis quia amo te. Ait Dominus: Paſce oues meas. Et hoc tertiò, quod quidē dictū ad compenſationē prioris profecit erroris. Qui enim Dominū tertiò negauerat, tertiò confitetur, & quotiens culpā delinquendo contraxerat, totiens gratiā diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro, antequam fleret lapſus eſt, poſteaquam fleuit electus eſt, & qui ante lacrymas præuaricator extitit, poſt lacrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit, qui priùs ſe ipſe non rexit. Hæc Ambroſ. Quibus profectò verbis teſtatur, Petrum poſt lacrymas omnibus Chriſti ouibus præfectum fuiſſe paſtorem, & eas in ſui regiminis curam accepiſſe. Leo quoque ſermone

Leo.

ſecundo de pontifice aſſumptionis ſuæ anniuerſario, ſic ſcribit. De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina di-

gnatio

gnatio,& ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit. Hactenus ille. Ecce tria quæ plurimum annotanda ſunt. Primùm, quòd vnus Petrus, vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, & eunctis Eccleſiæ Patribus præponitur, ita vt ſit omnium ſacerdotum & paſtorum ipſe ſub Chriſto paſtor & rector primarius. Alterum, quòd huic diuina dignatio, ſuæ potentiæ conſortium tribuerit. Tertium denique, quòd ſine Petro nihil eorum, cuiquam dedit, quod cæteris permiſit Apoſtolis. Aſtipulatur & Gregorius in regiſtro Epiſtola triceſima ſecunda.

Gregorius.

Cunctis, inquit, Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce dominica ſancto,& omniũ Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? Paſce oues meas. Ipſi dicitur. Ecce Satanas expetijt cribrare vos ſicut triticum, & ego pro te oraui, Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Et rurſum inter Homilias ſuas 21. Qua in re conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magnum actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus. vt is, qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret qualiter alijs miſereri debuiſſet. Hactenus Gregorius.

Cur Petrus labi permiſſus.

Vides igitur & hoc auctore, Chriſtum Petro totius Eccleſiæ ſuæ curam commiſiſſe, proptereaque priùs permiſiſſe eum labi, vt in ſua culpa diſceret, qualiter alijs, quibus paſtor futurus eſſet, miſereri debuiſſet. Ad hæc Cyprianus, tractatu iij. de ſimplicitate prælatorum, docet vnitatem Eccleſiæ ab vnitate epiſcopatus Petri pendêre, & quanquam ex Chriſti verbis poſt reſurrectionem habitis, parem cæteris cum Petro poteſtatem facit, nimirum quantum ad remiſſionem peccatorum ſpectat.

Cyprianus.

Vnitatem Eccleſiæ ab vnitate epiſcopatus Petri pendere.

Nam in ea re non maiorem Petrus, quàm quiſquam cæterorum poteſtatem habuit, tamen ex alijs quæ priùs dixerat, ita præfert Petrum vt exordium Eccleſiæ, poſt Chriſtum à Petro, tanquam ab vnitate quadam fuiſſe profectum affirmet. Et paulò inferiùs, Epiſcopatus eius, quem vnum eſſe dicit, ſingulos aſſerit in ſolidum non niſi quandam tenêre partem: ipſum denique fatetur, vnum caput, vnamque originem eſſe cunctis, ſed & vnam identidem omnibus communem eſſe matrem, Eccleſiam videlicet, fœcunditatis ſucceſſibus copioſam. Adde, quod & alibi ſæpe fatetur Cyprianus, ſuper hunc Petrum, Eccleſiam ædificatam fuiſſe, quemadmodum inferiùs adhuc dicturi ſumus. Auguſtinus item ſerm. 124. de tempore. Credendæ, inquit. erant Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ, imò creditæ ſunt ei claues regni cœlorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſuæ naturæ vitijs, paſſionibus, culpis inuoluta atque peccatis. Denique ſic ad eum Saluator dicit: Tibi, inquit, dedi claues regni cœlorum. Deinde ſequitur, dicens: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, videlicet, vt in clauibus fidelis ianitor, in ſententijs eſſet clementiſſimus diſpenſator. Erat enim reuerà hic Petrus paulò durior & ſeuerior, ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque ſeuerus ſi donum non peccandi à Domino fuiſſet adeptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed iccirco diuinæ prouidentiæ ſecretum ita temperauit atque permiſit, vt primus ipſe laberetur, ac rueret in peccatum, quò erga peccantes duriorem ſententiam proprij caſus intuitu temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga ſalutem hominum, quantum curæ, quantumcunque ſolicitudinis impendatur, aduertite. Totius corporis morbum, in ipſo capite curat Eccleſiæ: & in ipſo vertice, componit membrorum omnium ſanitatem: in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobili fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo, qui dixerat: Etiamſi me oporteat mori tecum non te negabo. Hæc ille. Ecce Petrum hic Auguſtinus vocat, & caput Eccleſiæ, & verticem membrorum, ipſamque confeſſionis Chriſti crepidinem, & demum immobile fidei monumentum, cui & claues Eccleſiæ & innumeram populorum multitudinem aſſerit à Chriſto fuiſſe commiſſam.

Auguſtinus.

Exordium Eccleſiæ poſt Chriſtum à Petro demanans.

Matth. 16.

Conſentit & ijs Hieronymus. Nam præter hoc, quod cùm alibi tum in commentarijs Epiſtolæ ad Gal. Petrum vocat principem Apoſtolorum, aduerſus Iouinianum, libr. 1. ſcribens: Poſtquam obiecerit ſibi, quòd ſuper Petrum fundatur Eccleſia, Reſpondet, quòd licèt idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, tamen inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis quoque tollatur occaſio. Hoc Hieronymus. Nec eſt vt quiſquam hîc dicat, hanc electionem Apoſtolos ex ſe feciſſe. Nam palàm eſt ex multis ſcripturis ſuperiùs introductis, non Apoſtolos, ſed Chriſtum hunc delegiſſe, qui futurus eſſet totius Eccleſiæ paſtor, & princeps, & caput cæterorum: à quo promanaret Eccleſiæ concors vnitas, & omnis diuiſio ſchiſmatica tolleretur. Nam proculdubiò niſi talis eſſet quiſpiam, qui capitis vicem in Eccleſia gereret, tam ob rebelles ſuprimendos, quàm ob controuerſias & lites dirimendas, in ſchiſma faciliter incideremus. Hîc vides, Luthere, cunctos Eccleſiæ proceres vnanimiter conſentire, Petrum fuiſſe caput & principem Eccleſiæ. Quòd ſi quiſquam velit ad hunc modum in medium adducere cæteros, hoc eſt, Bedam, Bernardum, Rabanum, Remigium, Hugonem, & Richardum, alioſque innumeros, facilimè id quidem facere poſſet. Verùm illi quos produximus, longè ſpectatiores ſunt. Cæterùm inquiet aliquis, hi, (quos citâſti) Latini ſunt, qui propterea videri poſſunt, in Eccleſiæ Romanæ gratiam hæc dixiſſe. Cui reſpon-

Hieronymus.

reſpondeo, non eſſe credibile, tot Patres, non minori ſanctitate, quàm doctrina conſpicuos, tanta concordia rem affirmaſſe quæ non illorum iudicio veriſſima fuit. Veruntamen ſi quis malit Grecos audire, non deſunt ex eis quorum aperta citemus teſtimonia. Ex quibus nimirum ſententia noſtra teſtatior erit, quò magìs conſtat Græcos Eccleſiæ Romanæ ſemper aduerſatos fuiſſe. Græcos igitur audiamus.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus inprimis apud Græcos auctor celeberrimus, id crebrò palamque teſtatur in Commentarijs ſuper Euangelia, tam Matthæi quàm Ioannis. Illic Homilia 55. Petrum caput vocat ijs verbis. Vt futura, inquit, Eccleſia, tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius paſtor & caput, piſcator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, ad amantis naturam firmitate ſuperet, hæc omnia Chriſtus (quæ ſolius Dei ſunt) pollicetur ei ſe daturum. Ecce quomodo Chryſoſtomus Petrum, quem alioqui piſcatorem & hominem ignobilem fuiſſe dicit, paſtorem vocat, & caput Eccleſiæ, & aſſerit ei promiſſa, quæ ſolius Dei ſunt.

Græcorum teſtimonia quibus luce clariùs omnibus patet, quanta Petrus præ cæteris auctoritate polluit.

Et paulò ſuperiùs, eundem os & verticem appellat totius conſortij. Quid igitur, inquit, Petrus omnium Apoſtolorum os, & vertex conſortij totius, cum omnes interrogati eſſent, ipſe ſolus reſpondet? Et ſimiliter homilia 87. ſuper Ioannem. Quid tandē, inquit, alijs omiſſis Petrum affatur? Os erat Apoſtolorum & princeps, propter quod & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit, ſimul vt ei Chriſtus oſtenderet iam ſibi fiduciam habendā. Tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit, neq; negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit: Si amas me, fratrum curam ſuſcipias. Et infrà vocat idem Chryſoſtomus Petrum, totius orbis magiſtrum, traditque Iacobum ab eo fuiſſe conſtitutum Epiſcopum Hieroſolymitanum. Et idem de laudibus Pauli. Non, inquit, hic ſolus talis fuit, ſed ille quoque qui fuit Apoſtolorum caput, qui ſæpe dixerat, paratum ſe eſſe pro Chriſto animam tradere, & tamen mortē vehementer horruerat. Hęc Chryſoſtomus.

Euſebius.

Subſcribit huic, & alter quidam ex Græciæ Epiſcopis, Euſebius videlicet, libro ſecundo, capite xiiij. Eccleſiaſticæ hiſtorię. Continuò, inquit, in ipſis Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ, probatiſſimum omnium Apoſtolorum & maximum, Fidei magnificentia, & virtutis merito, primorum principem Petrum, ad vrbem Romanam, velut aduerſum humani generis communē perniciem, repugnaturum deducit. Ducem quendam & magiſtrum militiæ ſuæ, ſcientem diuina prælia gerere, & virtutum caſtra ductare. Hæc ille. Ecce quantis Euſebius Petrum effert præconijs: omnium Apoſtolorum probatiſſimum, ac maximum, & primorum principem, Fidei magnificentia, & virtutis meritò.

Cyrillus.

Quibus accedit & Cyrillus, & ipſe quoque Græcus, qui de Petro loquens ait, quòd cum Chriſtus ab Apoſtolis quæreret: Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus vt princeps, caputq; cæterorum, primus exclamauit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. quibus apertè Cyrillus teſtatur. Petrum fuiſſe principem & caput omnium Apoſtolorum.

Origenes.

Similiter & Origenes ſuper initium Euangelij Ioannis, & idem Græcus quoq;. Nemo, inquit, nos exiſtimet Petro Ioannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis enim eſſet altior Apoſtolorum illo, qui eſt, & dicitur vertex eorum? Ecce & Origenes Petrum verticem apoſtolorum vocat.

Athanaſius.

Athanaſius quoque Græcus Liberio Papæ ſcribens, de hęreticis mentionem facit in hunc modum. Mutauerunt, inquit, gloriam Catholicæ Eccleſiæ, propria nouitate, ſiue per ea, quæ illicitè in eius defenſione geſta ſunt, hæreticam turbulentiam introducentes, illud competenter ad nos retinentes, quod bene ad Ieſum filium Sirach dictum eſt: Vſque ad mortem, certa pro veritate, & Dominus pugnabit pro te, huius rei gratia, vniuerſalis vobis à Chriſto IESV commiſſa eſt Eccleſia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis: quia dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſsidet. Hæc ille. Ecce teſtatur hic Athanaſius, vniuerſalis Eccleſiæ curam, Liberio quondam pontifici Romano fuiſſe commiſſam.

Theophilus.

Sed & Theophilus eiſdem aſtipulatur, illud Lucæ explicans: Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Petrus, inquit, cui iam commiſſa Eccleſia fuerat, quaſi omnium curam gerens inquirit, vtrum ad omnes Dominus parabolam protuliſſet. Hæc Theophilus.

Baſilius.

Subſcribit & Baſilius libro ſecundo aduerſus Eunomium, de ſignis quibuſdam Petrum exprimentibus verba faciens. Per hanc vocem, inquit, intelligimus Ionam, qui fuit ex Bethſaide, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in apoſtolatus miniſterium vocatus eſt. Qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ in ſeipſo ædificationem ſuſcepit. Hæc Baſilius. Quibus verbis aperit, ſe ſenſiſſe quòd ſuper Petrum ædificata fuiſſet Chriſti Eccleſia, & quòd Petro præ cæteris eximia quædam à Chriſto fuiſſet tradita poteſtas.

Dionyſius.

Dionyſius item, plerunque ſummum, plerunque verticalem, appellat Petrum præ cæteris, vt nihil miter, cum veteres iſtos ita conſpirare video, quòd in Florentino concilio, tam Græci quàm Armeni, reiectis priſtinis erroribus Eccleſiæ Romanæ ſe ſubdiderint in hunc modum: Diffinimus ſanctam apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum pontificem ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum vicarium Ieſu Chriſti, totiuſque Eccleſiæ caput & omnium Chriſtianorum patrem & doctorem exiſtere: & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum & in geſtis Oecumenicorum, & in ſacris canonibus continetur. Hactenus ex concilio. Neq; res hæc raptim & properanter concluſa fuit, ſed tractu menſium quindecim, acerrimis interim hinc inde ſuper hac re diſceptationibus habitis. Græcis & Armenis pro ſua parte tam ſcripturarum, quàm auctorum veterum teſti-

mo-

Blondus. monia proferentibus: Latinis contrà pro ſua. Cæterùm, vti Blondus refert, qui tum Eugenio fuerat à ſecretis, ſummo tandem animorum conſenſu conuenerunt omnes, vt & Græcorum oratores omnia decreta Synodi palàm approbarent hac ſubſcriptione quæ ſequitur: Nos igitur oratores nomine noſtro, noſtriq́; reuerendi patriarchæ, & omnium Armenicorum, ſicut & veſtra ſanctitas in ipſo Decreto atteſtatur, hoc ſaluberrimum Synodale Decretum, cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, nec non quicquid tenet & docet ſancta ſedes apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni deuotione & obedientia acceptamus, ſuſcipimus, & amplectimur. Illos quoque doctores & ſanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, reuerenter ſuſcipimus. Quaſcunque verò perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat ac damnat, nos pro reprobatis, ac damnatis habemus: profitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo ſuprà ipſius ſedis Apoſtolicæ ordinationibus & iuſsionibus fideliter obtemperare. Hanc ſanè concordiam, Franciſcus Comes Mirandulanus, vir egregia literatura, teſtatur ſe ſuis oculis inſpexiſſe, manu Imperatoris conſignatam. Dilucidum igitur eſt, non modò Latinorum calculis, verumetiam Græcorum, Petro tanquam Apoſtolorum principi, & capiti totius Eccleſiæ curam & ad[illegible]iniſtrationem fuiſſe commiſſam. Sed iam tempus eſt, vt Lutherum audiamus, ſua ſtatuere molientem.

Lvth. *Hunc faciliimè probo per experientiam. Nunquam enim fuit ſuper omnes Eccleſias totius mundi Roma. Pontifex: ſed neque adhuc eſt, neque vnquam in futurum erit, vt ſpero. Quid ergo neceſſe eſt, multum in hac re digladiari, cùm ipſe omnium ſenſus nobis oſtendat rei veritatem? Neque enim ſuper Eccleſias Græciæ, Indiæ, Perſidis, Aegypti, & Affricæ vnquam fuit, neque adhuc eſt, quod cum magna querela & dolore confitentur ipſimet, fruſtrà tam multis ſtudijs in hac rem conſumptis.*

Episc. Quid eas Eccleſias, quæ tam procul ſitæ ſunt, memoras? Potuiſſes exempli gratia Boëmorum Eccleſias nominaſſe, aut aliorum qui ſe ſepararunt ab Eccleſia Romana, de quibus maiorem notitiam habere poſſumus. Nos tamen pro cunctis vnam reſponſionem dabimus. Aut enim ex malitia ſe ſubtrahunt, aut ex veniabili quadam ignorantia: quemadmodum de quibuſdam crediderim magis: cuiuſmodi ſunt plerique ſimpliciores, qui vel per tui ſimiles ſcripturarum interpretes, in errorea abducuntur: vel fortaſſis nunquam audierunt quicquam hac de re diſceptatum. Hos, ſi nulla idipſum ingenij prauitate fecerint, ſed implicitè crediderint cuncta, quæ docuerit Chriſtus, libenter etiam hanc veritatem credituri, modò fuerint eam ab alijs docti, non facilè condemnarim. Sed illos (qui ex malitia ſe ſubtraxerint) palàm auſim aſſerere, nihilò magis ad Eccleſiam orthodoxorum pertinere, quam Eccleſias Arrianorum, aut Donatiſtarum, aut aliorum id genus hominum. Nam horum congregationes, Satanæ potius conciliabula dicendæ ſunt, quàm Eccleſiæ Chriſti. Nihil itaque prohibet, quò minùs quiſque Petri ſucceſſor dicatur Chriſti vicarius ſuper omnes Eccleſias, quæ ceu membra quædam vni catholicæ ſunt Eccleſiæ cónexa. Quod & abundè ſatis eſt ad tuam probationem refellendam. Secundò reſpondemus, quòd non ſolùm eorum, (qui iam ſunt in Eccleſia Chriſti) ſed & aliorum omnium etiam Turcarum, & Iudæorum cura ſpectat ad ſummum Pontificem, quanquam ipſi nolint hanc in ipſo poteſtatem agnoſcere. Quid enim ſi rebellis quiſpiam & obſtinatus epiſcopi ſui iuriſdictioni reclamet, num propterea non pertinebit ad ipſius curam? pertinebit hauddubiè. Sic nimirum & de cunctis hominibus, quantumuis rebellibus certum eſt, quòd ad ſummum pontificem ſpectat eorum cura. Nam & Chriſtus dixit, alias oues habuiſſe ſe, quæ non erant adhuc ex ouili ſuo. Quo verbo poſſumus intelligere, non ſolùm eas, quæ iam intus fuerant in ouili, verùm eas etiam quæ foris vagabantur. Quando igitur Petro commiſit Chriſtus omnium ſuarum ouium curam, & paſtorem ipſum ſua vice ſuffecit, quis dubitare poteſt, quin ad ſucceſſorem Petri, hoc eſt, ad ipſum, qui pleno iure ſuccedit in Petri locum, cunctorum hominum, bonorum iuxtà ac malorum, cura pertineat? vſqueadeo, vt quantum in ſe fuerit, ſtudere debeat omnes ad ouile Chriſti, hoc eſt, ad Eccleſiæ gremium & vnitatem reducere. Per hanc itaque curam, qua ſic tenetur ille cunctis, ſiue ſubditis, ſeu rebellibus, ſuperintendere, ſtudiumque ſuum fideliter adhibere, quò celeriùs redeant ad ouilis vnitaté, omnino ſuper omnes omnium hominum congregationes ſummus Pontifex in beato Petro fuiſſe creditur inſtitutus. Neque enim rebellio, quenquam ab omni paſtoris cura ſtudioq́; penitus eximere poteſt.

Sed dicent, de iure non de facto loquimur, & non quid faciant, ſed quid facere deberent Eccleſiæ illæ rebelles quærimus. Lvth.

Acu (quod aiunt) rem tetigiſti. Sic enim hauddubiè ſunt dicturi. An tu Paulum exiſtimas non ſuper eas Eccleſias fuiſſe conſtitutum, quæ poſtquam ad Fidem ab eo conuerſæ fuerant, non perſtiterunt in ea Fide, ſed per pſeudoapoſtolos factæ ſunt rebelles? Num hæc rebellio ius Pauli ſuſtulit? Nequaquam. Sic neque Petri profectò, ſucceſſorumque eius, propterea ius ablatum eſt, quòd ipſorum moderationi plures hominum congregationes ſubdi neutiquam ſe patiantur, neque gubernationi ſe ſubijciant. Episc.

Reſpondeo, hoc pro me facit. Si enim iure diuino inſtitutus eſſet hic primatus, eſſet ſine dubio aliquando impletus, cùm non prætereat à lege Dei vnum iota, quod non impleatur etiam portis inferi non præualentibus contrarium. Lvth.

Conſultiùs reſpondiſſes, ſi particulam hanc adieciſſes, vel implebitur. Nam certum eſt, quòd à lege Dei vel vnum iota non præteribit, quin aut iam impletum ſit, aut in poſterum implebitur. Cæterum adhuc omnia, nequaquã impleta ſunt. Neque enim hactenus perfectè completum eſt illud: Et erit vnum ouile, & vnus paſtor. Fuit nimirum Episc.

mirum Eccleſia Chriſti, vt ſemper vna, ita ſemper vnum ouile. Et fuit hoc ouile priuſquam gentes ad Fidem conuertebantur. Sed Chriſtus illis verbis intellexit Gentes, & Iudæos in vnum pariter ouile fore coadunandos, quod adhuc futurum eſt, quando reliquiæ Iſraël ſaluæ fient, & Gentes omnes conuertentur ad Chriſtum. Nam ſi dixeris iam completum eſſe propter eos, qui ex vtriſq; tam Iudęis, quam Gentibus nunc ad Chriſtum conuerſi ſunt, iam ergò completus eſt (vt ſic dicam) paſtoratus Chriſti, quem cum ipſe eundem contulit Petro, neque paſtoratus iſte quicquam aliud ſit, quàm primatus Petri, certè & primatus Petri iam impletus eſt. Neque enim quicquam ad Chriſti paſtoratum dicere potes attinere, qui non idem attineat ad Petri paſtoratum, & proinde ad primatum eiuſdem. Eligas igitur vtrum horum libebit magis, impletum iam eſſe, vel adhuc implendum, hoc Chriſti verbum: Erit vnum ouile & vnus paſtor. Si dixeris iam impletum eſſe, propter eos qui nunc ſunt, vnius Eccleſiæ filios, & in iſtos item neceſſe eſt fateare iam impletum eſſe Petri primatum. Nam qui Petri primatum ſpernit, Chriſtum ſpernit, nec iurè poteſt vnquam Eccleſiæ filius dici ſed ab Eccleſia ſeparatus eſt. Sin dixeris adhuc non impletum, ſed implendum fore, iam ipſe tuam ipſius argumentationem diſſoluiſti, vt nos pluribus reſpondere nihil oporteat.

LVTH. *Et omnia quæ Deus præcepit, ſunt ab aliquibus ſaltem impleta, & quæ promiſit, ſunt ſimpliciter & ſemper & vbique impleta.*

EPISC. Neutrum horum vſquequaque verum eſt. Neq; enim primum illud tuum admittit dogma, nempe quòd omnia quæ Deus præcepit, ſunt ab aliquibus ſaltem impleta. Quis enim iuxta tuam opinionem, aut illud præceptum: Non concupiſces, adimpleuit vnquam? aut iſtud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis? Non potes igitur ipſe quouis aſſerere pacto, quòd omnia (quæ præcepit Deus) impleta ſunt ab aliquibus. Sed & ſecundum etiam à vero diſſidet. Nam promiſit Deus, omnia Chriſto fore ſubijcienda, quod hactenus (Paulo teſtę) non eſt impletum. Necdum, inquit, videmus omnia ſubiecta ei. Pollicitus eſt & Chriſtus, ſuum Euangelium per totum orbem
Matth. 24. prædicatum iri. Sic enim Matthæus ait: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in toto orbe, in
Marc. 13. teſtimonium omnibus Gentibus. Et Marcus ita: Et apud omnes Gentes oportet priùs hoc Euangelium prædicari. Diuus tamen Auguſtinus aſſeuerat, ſuo tempore nondū in partibus Æthiopiæ, fuiſſe quibuſdam Gentibus auditum Euangelium. Quod & ante ipſum Origenes homilia, 28. multis verbis diſſeruit. His accedit & illud, quod paulò antè recenſuimus, de vno ouili, & de vno paſtore, quod neque hactenus integrè completum eſt. Falſum igitur & illud eſt, quod omnia quæ promiſit Deus, ſunt ſimpliciter & ſemper, & vbique impleta.

LVTH. *At primatus iſte, ne vna quidem hora impletus eſt vnquam.*

EPISC. Primatum hunc impleri, geminum habet intellectum. Poteſt enim plenitudo primatus huius intelligi, vel quantum ad poteſtatis donum, vel quantum ad poteſtatis executionem. Si vis horum diſcrimen exemplo dinoſcere, ſic habet. Teſtatur Chriſtus, omnem ſibi poteſtatem datam in cœlo & in terra. Plenam hauddubiè Chriſtus & integram à patre poteſtatem hanc accepit. Sed tamen huius poteſtatis executionem non exercuit hactenus plenè. Neq; enim (vt diximus) hucuſque cuncta ſubiecta ſunt ei. Sic quanquam Petrus non ſit hactenus vſus plena ſuæ poteſtatis executione, nihil ob id oportet, vt non plena fuerit ei donata poteſtas. Chriſtus hauddubiè primatum hunc ei pleniſſimè contulit, ſuper omnes omnium hominum congregationes. Iudæorum ſimul & gentium quanquam ad hunc vſq; diem nec illi, neq; ſucceſſoribus ſuis omnes ſubiectæ ſunt.

LVTH. *Impoſſibile autem fuiſſet, eum non impleri, ſi vel præceptus vel promiſſus fuiſſet.*

EPISC. Primatus iſte nimirum pleniſſimè datus fuit, & à Petro ſuſceptus. Sed tu de ſubiectione loqueris, quam ego præceptam fuiſſe non dubito, ſimul & promiſſam, neque tamen hactenus impletam, ſed implendam aliquando. Nimirum quando illud implebitur, quòd erit vnum ouile & vnus paſtor, & quando reliquiæ Iudæorum ſaluæ fient, quæ videlicet adhuc nequaquam implentur. Palàm eſt itaq;, tuam probationem pro vtraq; parte prorſus inefficacem eſſe. Nos tamen vtramq; partem admittimus, & quòd iſta ſubiectio præcepta fuerat omnibus, qui ſe velint ſaluos fieri, & quòd promiſſa quoque fuit, quanquam adhuc non ſit impleta, quod & cunctis eſſe poteſt compertiſſimum.

LVTH. *Eligant ergò quod volunt, Deus primatum Petri inſtituit ac promiſit, & nunquam impleuit. Ergo mentitus eſt. Si non mentitus eſt, nunquam inſtituit neque promiſit.*

EPISC. Et in hac quoq; ratiuncula tua planiſſimè deliras, quod vel ex ijs apertiſſimum eſt, quæ ſuprà fuiſſe promiſſa memorauimus, necdum tamen impleta. Nam ſatis eſt ad veritatem promiſſionis, quod id vel tandem impleatur, quod promiſſum eſt, neq; ſic mentietur, qui promiſit. Quanquam certè (quantum ad primatus attinet veritatem) Petrus & ſucceſſores eius à Chriſto plenariam acceperunt, licèt eiuſdem executionem non adhuc plenam exerceant, neque ſubiectionem plenam cuncti qui tenentur, hactenus exhibuerint. Sed hoc primatus veritatem non eripit: quæ non in ſubditorum arbitrio, ſed in ipſo præſide ſita eſt, cui fuerat primatus ipſe donatus.

LVTH. *Hanc ratiunculam, neq; ſoluunt, neq; ſoluent vnquam omnes papiſtæ in vnum chaos confuſi.*

EPISC. Puderet te profectò, niſi frontis eſſes perfrictiſſimæ, tam inaniter fuiſſe gloriatum de tam futili ratiuncula, perinde ac ſi planè ſolidiſſima fuiſſet, ac prorſus inſolubilis, cum nec tantillum quidem valeat. Sed neque ſic contentus, conni-

tium inſuper adiecisti, cunctis primatus huius fautoribus, quaſi prorſus eos viceris, cum certè nihil feceris minus. Hæc an tuā profeſſionē deceant, alij viderint. Ego tuis cõuitijs nõ reſpõdebo.

LVTH. *Præterea quid non audeant præſumere? qui primatum tribuunt Rom. Epiſcopo: Si non mouentur inſuperabili & à ſeipſis confeſſo argumento. Quòd omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro.*

EPISC. Ex his quę pręmiſimus abundè colligitur, non omnino pares fuiſſe Petro cæteros Apoſtolos. Fruſtrà enim tot prærogatiuis donaſſet eum Chriſtus, ſi nulla prorſus in re fuiſſet cæteris maior. Sed eius præeminentiam teſtatus fuit apertiſſimè Chriſtus, quando propoſitæ à cæteris quæſtioni, quis eorum eſſet maior, ipſe reſpondit, miniſtrū illū oportere fore, qui maior inter eos eſſet futurus, ſimulq; Petro ſubiunxit, Simon, Simon, Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem oraui pro te, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquādo conuerſus, confirma fratres tuos. Nõnne verbis iſtis apertiſſimè prodidit Chriſtus, maiorem inter eos futurum fuiſſe Petrum, pro quo Chriſtus ſe pollicitus eſt oraturum, quatenus ille conuerſus confirmaret cæteros? An tu nihil iſtud opinaris, poſſe videlicet cæteros confirmare? Pares fuiſſe non negauerim, quantum ad remittendorum peccatorum attinet poteſtatem, & pares item in gradu Sacerdotali fuiſſe conſtitutos. Verum iſta nõ inferunt omnimodam paritatem. Nam alijs gradibus multis antecesſit illos Petrus. Nemo enim illorum primus præter Petrum conſtitutus fuit. Nemo præter eum cognomentum accepit à petra Chriſto deriuatum. Solus item ipſe regni cœlorum claues ſibi promiſſas audiuit. Ab ipſo quoque tanquam ab vnico poſt Chriſtum principio, ſuam Chriſtus pollicitus eſt emanaturam eccleſiam. Pro Petro iuxtà ac pro ſeipſo Chriſtus tributum pependit, non pro cæteris. Pro Petro quin etiam oraſſe ſe Chriſtus aſſerit, quatenus ille poſſet cæteros Apoſtolos confirmare. Petro ſingulariter Chriſtus, & priuſquam cæteris Apoſtolis apparuit. Petro ſuarum ouium curam cæteris audientibus, vel tertiò commiſit Chriſtus. Sed & eundem præ cæteris eodem mortis genere, quo prius ipſe paſſus fuit, pręmonuit ab hac vita migraturum. Quid ſimile fecit pro cæterorum aliquo?

Matt. 20.

Maior inter Apoſtolos Petrus qui cæteros confirmare à Chriſto iubetur.

LVTH. *Et nullum eorum ipſe elegit, fecit, confirmauit, miſit, aut aliquid mandauit.*

EPISC. Iam ſolita veteris dialectica tua. Sed mera negatiua nihil efficit. Quid ſi non elegerit, neq; fecerit, aut confirmārit eos in Apoſtolos. Num propterea non potuit Chriſtus illum præ cæteris feciſſe maiorem? Hoc certè maior fuit, quòd (auctore Chriſto) confirmauit in Fide cæteros. Et quanquam non miſiſſe legitur aut mandaſſe quicquam illis, an ob id non licuit miſiſſe & mandaſſe, cum tanta fuerit ei data poteſtas, illósq; in Fide confirmandi? Pro ſubrogando ſanè quopiam loco Iudæ, primus ipſe cæteros hac de re commonuiſſe traditur, & cum ſorte Matthias electus eſſet, hunc Petrus ſuffeciſſe dicitur in Apoſtolorum numerum. Sic enim ſacer ſcribit Dionyſius cap. quinto. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Et Beda in Actis tradit, quòd Petrus numerum Apoſtolorum duodenarium integrauit. Nec certè repugnant Apoſtolorum Acta, cum in illis ſcriptum ſit, quòd annumeratus eſt Matthias cum vndecim Apoſtolis. Et quis alius quàm Petrus, illum cæteris annumerauit? Congruebat ſanè, quatenus per eum, qui primus fuit inter Apoſtolos, & ſortis euentus promulgaretur, & electus cooptaretur cæteris.

Quid enim facerent, ſi ſemel miſſum aliquem à Petro poſſent oſtendere ſicut nos oſtendimus Petrum ab alijs miſſum? Act. 8. LVTH.

Mirum eſt, quòd non aduertis ipſe, quàm bellè quadrat iſtud cum Petri maioritate. Nonne dixit Chriſtus, miniſtrum illum eſſe debere, qui futurus eſſet inter Apoſtolos maior? Sic ergo decuit Petrum ſui magiſtri prædictionem implere, vt miniſtrum ſe cæteris exhiberet. Quanquam hoc negotium tantæ fuit arduitatis (vti ſuperiùs oſtendimus) vt vel maximè Petri præſentiam expoſceret. In quo nimirum eximia Petri magnitudo varijs modis euaſit illuſtrior. Partim ex Simonis Magi reprehenſione, partim ex donatione ſancti ſpiritus, quam Philippus præſtare non valuit. Cæterùm quia pluribus hac de re ſuprà diſſeruimus, ſimul & de Ioanne, qui cum fuit inter cęteros, poſt Petrum, cum primis habitus, vnà tamen cum Petro miſſum fuiſſe conſtat, vt ex ijs tam egregijs nuntijs, rei difficultatem apertiùs intelligeremus. Quoniam, inquam, de ijs omnibus latè ſuprà diſceptauimus, iam vela contrahentes pergamus ad alia. EPISC.

Miſſio Petri auctoritatem eius auget.

Miſer ille homo Romanus Epiſcopus ſuam Eccleſiam Romanam, neque regit, neque paſcit, ſed neque poteſt. Deinde curiam ſuam omnium ſcelerum lernam, etiam nutrit ac fouet, & totius orbis Eccleſias ſibi arrogat ad regendum, imò nec ſuam perſonam regere iam à multis ſeculis potuit. Tam craſſas tenebras temeritatis adhuc non palpamus? Et hæc figmenta verborum incompoſitiſſima adhuc admittimus, verè credentes eum verè paſcere ac regere velle, aut poſſe omnes Eccleſias, qui ſuam proximam etiam vaſtat. Lupus in ſuo ouili paſtor erit in alienis. LVTH.

Faciat nec ne ſummus Pontifex ea, quæ caput & paſtorem deceant, alienum eſt ab inſtituto noſtro. Nos hoc loco tantùm inquirimus, an caput reuera ſit, & paſtor à Chriſto conſtitutus. Nec defenſionem ſcelerum (ſi quibus abundat Romana curia) tam ipſi meditamur, ſed an Petro, ſucceſſoribuſque ſuis tanta ſit à Chriſto collata poteſtas, quanta creditur, & aſſeritur à ſacris omnibus interpretibus. Parum certè tuæ conuenit religioni (qualiſcunque fuerit ille) miſerum eum appellare, cui tot ſacri interpretes, tanta vel ab ipſo Chriſto tributa contitentur. Sed iam perſpicio ſatis argumenta deeſſe tibi, cum ad iſta (quæ mera conuitia ſunt) fugias. Nunc enim cum nequeas argumentorum viribus illius auctoritatem minuere, malitiæ tuæ venenum ſaltem in illum conſpuere ſtudes. EPISC.

Quæſtio eſt de poteſtate, non de ſceleribus perſonæ.

Vnum hoc ego admiror, cur totus orbis hoc primatu carere non poſſit, cuius opus & officium nunquam LVTH.

ſenſit

Chriſtus vult ſenſit, nec vnquam ſentire poteſt? Quid enim principatus ſine opere, imò contrario opere? Si Eccleſia ſtat ſine illius opere & officio, etiam ſine ipſo primatu ſtabit, & ſine dubio meliùs ſtabit, perinde enim eſt, ac ſi nullus ſit, cuius opus & officium nullum eſt.

Chriſtus nulli aliquem ſuo gregi præſidere voluit.

Episc. An totus orbis hoc primatu carere poſſet, id tuo cerebro diſcutiendum relinquo. Chriſto ſanè videbatur oportunum, vt vnuſquiſque ſuo gregi præficeretur, qui ſuarum ouium, non harum quidem, aut illarũ, ſed generatim omnium curam gereret. Quod quàm ſit rationi conſentaneum, mox dicemus. Si verò ſuum officium non agat ſummus Pontifex, ſuũ Chriſti gregem curare negligat, non proptereà conſequitur, vt eiuſmodi magiſtratus non ſit orbi toti neceſſarius. Sic enim & Diœceſes plurimas ſuis Epiſcopis carere poſſe, facile cauillaberis. Atque ita ſi tibi credimus, non modò pontificatum illum ſummum, ſed minores etiam pontificatus complures ab Eccleſia prorſus ſuſferemus. Nec demiror ſanè, ſi non difficulter admiſeris iſta, quando vel abſque Sacerdotibus Eccleſias quaslibet regi poſſe dogmatices. Et nec Sacramentis, neq; Sacerdotibus opus eſſe cuiquam, ſed Fidem ſolam, & Dei verbum ſufficere cunctis opinaris. Nos verò, qui ex Chriſto & Paulo didicimus, in Eccleſia varios eſſe gradus & ordines oportere, non modò Sacerdotes, verumetiam Epiſcopos, & ſummum etiam ipſum Pontificem (qui cæteris præſit) neceſſarium penitùs exiſtimamus.

Luth. *Quid ergo garriunt miſeri, papatum eſſe oportere, ad regendam Eccleſiam vniuerſalem ne ſit acephala? quando regitur ab illo? Non eſt acephala, quæ capitis, neque motum, neque ſenſum, imò contrarium experitur? Væ maledictis illis figmentis, quibus tot animas fallunt & perdunt, dicentes: Caput caput Eccleſiæ, cum nullum ſit capitis vſpiam indicium.*

Episc. Multis rationibus congruebat, & vnus vice capitis toti præſideret Eccleſiæ. Sic enim in Synagoga (quæ fuit vmbra duntaxat Eccleſiæ) præfuit vnus, qui & princeps Sacerdotum dicebatur: ſub quo multi gradus & ordines fuerunt. Sic & Eccleſia triumphans, cui velut exemplari noſtra militans reſpondet, vnum habet præſidem Deum ſibi: ſub quo nouẽ angelorum ordines eſſe, cunctis, eſt creditum. Quomodo igitur Eccleſia, quæ media inter vmbrã, & exemplar eſt; ex vna quidem parte reſpiciens vmbram, ex altera verò ſpectans exemplar, carere poteſt vnitate præſidis? Sed & ſi naturæ modum intucamur, proſpiciemus, omnem multitudinem, quæ quouis modo dicitur vna, nunquam non ad vnum ceu caput & principium referri. In arboribus multi ramorum ordines ſunt, ſed ij omnes ab vnitate radicis proficiſcuntur. In animantibus multa quoque membra, ſed hæc omnia reguntur vno capite. Ad hæc, vt Cypriani verbis vtar, Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus, & demum in politia quauis, non perperam inſtituta, referri debet ad vnum, totius rei prorſus adminiſtratio. Ex quibus nimirum diſcere poſſumus, nunquam poſſe Eccleſiam rectè gubernari, niſi tanta varietas ordinum ad vnum referatur. Id quod ex tribus fiet dilucidum. Primùm quoties lites emergunt de rebus fidei, & quoties incidit de ſcripturarum ſenſu controuerſia, neceſſe eſt vt aliquem ſupremum iudicem habeamus, cuius iudicio ſtabitur: De qua re pluribus antè ſub veritate tertia diſceptatum eſt. Deinde cum plerunque neceſſitas vrgeat, vt generalia concilia celebrentur, per quendam ceu principem (cuius mandato cæteri pariturí ſunt) conuocari faciliùs poterit Epiſcoporum Synodus. Nam alioqui fortaſſis acceſſiti nequaquam accederent. Tertiò propter contumaces reprimendos, & maximè cum inter ſe diſſentiant Epiſcopi, neceſſaria eſt capitis vnitas, quæ ſtudeat eos ad concordiam reducere, ne fautoribus hinc inde multiplicatis, puſilla principiò lis in pernicioſum tandé ſchiſma prorumpat. Vides ergò, ſi non ſpontanea malignitate cæcutias, papatus neceſſitatem. Sed tu conuitijs (vt ſoles) paginas reples.

Rationes multæ, quibus congruit vt vnus vice capitis Eccleſiam regeret.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.

Quàm verè dixit Petrus, ſecundæ epiſtolæ Petri ſecundo: Et fictis verbis in auaritia de vobis negotiabuntur. Luth.

Hoc ad ipſum ſpectat Luthere, modo cætera recenſueris Petri verba. Nam paulò antè dixit Petrus: Fuerunt verò & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos, Deum negant, per quos via veritatis blaſphemabitur. Et tum proximè ſequitur iſtud, quod ipſe memoras. Sed illa tu prætermittis, quæ te tuis coloribus depingunt. Et quis alius præter te, ſectas perditionis introducere molitur? Eccleſia nimirum ea, quæ ductu ſacri Spiritus à maioribus noſtris, viris vtique non minori vitę ſanctimonia, quam eruditione præſtantibus accepit, ad hunc vſque diem ſequitur. Sed eam tu nunc tuis nouitatibus ſcindere paras, & viam veritatis (quam hactenus ipſa tenuit) execrandis blaſphemijs tuis, iam conſpurcare ſatagis. Episc. 2. Pet. 2.

Tamen quò magis pateat operatio Satanæ in errore iſto, videamus quibus verborum fallacijs & figmentis, eum primatum probauerunt. Primùm adducunt illud, Matth. 16. cap. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Luth.

Pro ijs Chriſti verbis explicandis, aduertendum eſt: Eccleſiam haud confuſam quandam, & indigeſtã eſſe congeriem, ſed ordinatiſſimam Chriſtianorum congregationem. in qua varios (vt nuper diximus) ordines, & gradus eſſe cõſtat, qui tandem ad vnum, ceu caput & principem referendi ſunt. Eam à Petro Chriſtus exordiũ ſumere voluit, & ab ipſo per ſucceſſiones continuas ad finem vſque ſeculi perdurare. Compertiſſimum equidem eſt, pontifices ſummos, alterum poſt alterum hactenus in Eccleſia ſucceſſiſſe, nec interruptam fuiſſe ſucceſſionis huius continuam progreſſionem, ad hunc vſque diem. Qua ſucceſſione præter cætera, diuus Auguſtinus haud mediocriter in fide ſe firmatum fuiſſe teſtatur, atque in eccleſię gremio fuiſſe retendum ſtabiliter. Tenet Episc.

Quodcunque ligaueris, &c.

me, inquit, ab ipſa ſede Petri (cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem dominus commendauit) vſq; ad præſentem epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum. Hanc haud dubiè ſucceſſioné arbitramur generationem illam intelligi debere, de qua,

Mar. 13.

Chriſtus in euāgelio dixit: Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Hæc, inquā, quæ tunc cœpit, Neq; enim cuiquam dubium eſſe poteſt. Apoſtolos ipſos iā præterijſſe, ſimul & cæteros vniuerſos, qui tum ſuperſtites erant, nec tamen ad hunc vſq; diem, impleta eſſe cuncta, quæ tum prædixerat Chriſtus. Palàm eſt igitur, ea verba de Chriſtianorū generatione, quæ

Sedes Petri firmata Romæ.

à Petro tunc ſumpſit initium, intelligi debere. Et certè non abſque ſumma Dei prouidentia curatum eſt, vt Petrus in ea mundi parte ſedem firmaret ſuam, vnde continua nobis, & interrupta pontificum & ſacerdotum ſucceſſio, propagata ſit. Diſcurre per cæterorum Apoſtolorum ſedes, & iam aut omnes vacuas inuenies, aut non legitimos habere ſucceſſores. Nec Paulus, nec Ioannes, nec Iacobus, neq; cæterorum fermè quiſquam, ſucceſſionem hodie reliquit vllam. Soli Petro, ſua ſucceſſio permanſit incolumis. Quamobrem & huic rectè dictum fuit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam. Quam profectò ſucceſsionem, cum nec tyranni, nec hæretici, nec machinæ demum vllæ diabolicæ, hactenus infringere valuerunt, aptè ſubiunxit Chriſtus: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Soli Petro ſua ſedes manet incolumis.

LVTH.

Hic per petram intelligunt poteſtatem Petri ſeu Papæ monarchiam illam, ſuper quam ædificari volunt totam Eccleſiam id eſt Eccleſiam ſubijci huic poteſtati. Hæc adulteratio & deprauatio huius verbi Chriſti, & impiiſſima, & intolerabilis eſt.

EPISC.

De poteſtate monarchica diſquiremus aliàs. At interea conſtat per petram in ijs verbis Petrum intelligi poſſe, quemadmodum iam explicauimus. In qua re certè nihil ipſis verbis adulterationis aut deprauationis à nobis illatum eſt, quin potiùs ſenſum verè germanum eis reddidimus. Cui & ſpectatiſsimi conſentiunt ſacrarum literarum interpretes. Et Hieronymus imprimis, qui rem aperit citra ſucum omnem. Nam ſuper Matt. ipſa Chriſti verba ſic interpretatur: Ego, inquit, dico tibi. Quid eſt quod ait, Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Et ego dico tibi, non ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe & feciſſe eſt: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraq; ex domino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Ac ſecundum metaphoram petræ rectè dicitur ei. Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te: Hæc Hieronymus. En ſuper Petrum ædificanda fuit Eccleſia: Ædificabo, inquit, Eccleſiam meam ſuper te. Aſtipulatur & huic Chryſoſtomus homilia quinquageſima quinta, ſuper Matthæum. Hæc, inquam, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe Chriſtus pollicetur daturum Petro. Ita & pater ad Hieremiam dicebat. Sicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium pater, hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit. Et paulò pòſt ad lectorem ait: Tu verò mecum ex ijs omnibus, quanta ſit Petri poteſtas intellige. Ego tibi dico, inquit, Tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hactenus ille. Vides & hic ſuper Petrum ædificandam Eccleſiam eſſe. Baſilius item oſtendit idipſum aduerſus Eunomium, libro ſecundo, quanquā paucis. Per hanc, inquit, vocem Petrum intelligimus Ionam, qui fuit ex Bethſaide, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt. Qui quoniam Fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe ipſo ædificationem ſuſcepit. Hæc Baſilius. Ecce & hic affirmat Petrum Eccleſiæ in ſeipſo ædificationem ſuſcepiſſe. Ambroſius etiam apertiſſimè Petrum affirmat petram fuiſſe, ſupra quam Chriſtus erexit Eccleſiam ſuam. Pro ſoliditate deuotionis, inquit, Petrus Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiā meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus Fidei fundamēta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemq; contineat. Petra ergò pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait Apoſtolus: Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus, rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum poſuit. Petrus plantat: dominus incrementum dat. Dominus irriguum ſubminiſtrat. Hæc Ambroſius, ſermone quadrageſimo ſeptimo, de fide Petri. Subſcribit & huic Cyprianus, epiſtola quadam ad Quintinum. Nec Petrus, inquit, quem primum dominus elegit, & ſuper quem ędificauit Eccleſiam ſuam; cum Paulus de circumciſione poſtmodū diſceptaret, ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit; vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere. Ecce & hic multa notanda ſunt. Principiò, quòd Dominus Petrum primùm elegit. At non vocatione profectò, ſed dignitate. Deinde, quòd ſuper Petrum ædificauit Eccleſiam ſuam. Tertiò, quòd de primatu etiam facit mentionem. Et rurſum epiſtola 3. ad Cornelium: Petrus, inquit, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens; ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Hæc Cyprianus. In quo nec diſſentit ab eo quem ſolitus eſt magiſtrum appellare, nempe Tertullianum. Nam is libro de præſcriptionibus hæreticorum, de Petro ſic interrogat: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Ecce quòd affirmat Petrum dictum fuiſſe petram ædificandæ

Super Petrum, teſte Hier. ædificata Eccleſia.

Petra Chriſtus, & petra Petrus dicitur, ſed diuerſa ratione.

Eccleſiæ

Eccleſiæ, quodque regni cœlorum claues conſequutus ſit, & poteſtatem ſoluendi ligandique in cœlis & in terris? Et is Tertullianus ex antiquiſſimis Latinis erat, & temporibus Apoſtolorum vicinus. Hilarius quoque de Petro loquens, & eadem interpretans verba, ſuper Matthæum, ſic ait: Beatus hic eſt, vt vltra hominum oculos, & intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat contuens: ſed Dei filium cœleſtis patris reuelatione conſpiciens, dignusq; iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra, quæ Infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris, aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo. Hactenus Hilarius. Accedit his beatus Leo ſermone quodam de anniuerſario pontificiæ ſuæ aſſumptionis die, prædicta Chriſti verba pertractans, ait: Et ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Hæc ille. His aſſentitur & Gregorius libro vj. epiſtola xxxvij. ad Eulogium: Quis, inquit, neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum. Cui rurſum dicitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me, paſce oues meas. Itaque cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu, ſola Apoſtolorum principis ſedes, in auctoritate conualuit. Hæc Gregorius. Auguſtinus inſuper libro contra epiſtolam Donati, de Apoſtolo Petro ſermonem faciens, quanquam alibi petram Petri Fidem interpretetur, hîc tamen affirmat, quòd in Petro tanquam in petra, fundata ſit Eccleſia, ſuamque ſententiam confirmat carmine quodam Ambroſij, quod de Gallo gallinaceo ſcripſit, nimirum iſto: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Et idem inter ſermones de tempore, ſermone xvj. eadem omnino verba recenſet, quę ſuprà protulimus ex Ambroſio. Sed & de ſanctis, ſermone xxvj. ſic ait: Primum ſignum mirabile, quòd beatus Apoſtolus Petrus fecit, claudo, pedum reſtituendo (vt diximus) veſtigia. Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, rectè

Eccleſia fundamentum Petrus.

priùs pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia Fidei fundamentum continet, ita & in homine, membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam pedes Chriſtiano curat, vt iam non trepidus quis, nec imbecillis poſſit ſupra petram Eccleſiæ ſtare, ſed robuſtus & fortis incedere. Hactenus Auguſtinus. Nec diſſentit Origenes, ad hunc modum ſcribens: Magno illi Eccleſiæ fundamento, petręque ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, vide quid dicatur à domino: Modicæ Fidei quare dubitaſti? Hoc Origenes homilia 5. ſuper Exodum. Intelligis ex ijs noſtram ſententiam, cui tot maiores Eccleſiæ, tam Græci, quàm Latini ſuffragantur, non adulterinam eſſe, neque verborum Chriſti deprauatricem. Nos itaque cum ijs, & ij nobiſcum ſentiunt, Petrum exordium Eccleſiæ Chriſti fuiſſe, & ab eodem Chriſti Eccleſiam profluxiſſe, velut à ſummo capite, & ſupremo poſt Chriſtum. Ab ipſo certè promanauit Chriſtianorum (qui iam ſunt, quique poſthac futuri ſunt) generatio: cuius & ſucceſſio perpetuabitur finem nullum habitura, quandiu ſeculum hoc durauerit. Nonne cernimus Chriſtianos è Sacerdotibus naſci, Sacerdotes autem ex Epiſcopis, Epiſcopos quoque ab ipſo pontifice ſummo (quoties neceſſe fuerit) propagari? ſed & ipſum denique qui iam ſummus eſt, ab ipſo Petro per ſucceſſionem, quæ nullis dæmonum inſidijs hactenus interrumpi potuit, rectiſſima quadam linea deſcendiſſe.

Petrus exordium Eccleſiæ Chriſti.

Quòd euidenter monſtrabo; in hunc modum. Chriſtus dicit, quòd portæ inferi non ſunt præualituræ vnquam aduerſus hanc, ſiue petram, ſiue Eccleſiam ſuper petram ædificatam. Nihil enim refert, ſiue aduerſus petram, ſiue aduerſus Eccleſiam non præualere intelligantur, imò periculoſius eſt aduerſus petram, quàm aduerſus Eccleſiam præualere illas, cum ruente petra, Eccleſiam ſuper petram ſitam neceſſe quoque ſit ruere, non autem econtrà. Cum autem nemo poſſit negare, Papam & omnem poteſtatem eius ſæpius fuiſſe vnà cum ijs, qui ſub eo etiam pertinaciſſimè agunt, ſub peccato & impietate, peſſimoq; abuſu, ac per hoc portas inferi horribiliter in eos præualuiſſe, eoſq; occupauerint, maximè in hodiernam diem poſſideant, cum hodie non ſeruiat ea poteſtas, niſi ad vaſtationem Eccleſiæ, vt omnium ſenſus cognoſcit, manifeſtum eſt, petram aliud quippiam ſignificare, quam poteſtatem illam portis inferi tam horribiliter ſubiectam & ſeruientem.

LVTH.

Per petram Petrum intelligi poſſe, multis aperuimus. Et ſtat inuicta prorſus interpretatio noſtra, ſtant & ſententiæ patrum inuictæ, quas antè memorauimus. Nihil his obſiſtunt illa tua blateramenta, quæ tot verbis effutiueras. Quid enim ſi præualuiſſent aſtutiæ dęmonum in quoſdam ex ſummis pontificibus? Succeſſio tamen hæc (quæ à Petro ſumpſit initium) omnino perſeuerat, nec violentiſſimis tyrannorum infeſtationibus, nec acerrimis hæreticorum argutijs, ſed nec vlla Satanæ malignitate valuit vnquam impediri. Manet Petrus, huius generationis immobile fundamentum. Nec ab hoc principio ſuo poteſt vllis aduerſariorum inſidijs Eccleſia diuelli. In quoſdam ex pontificibus, fraudes præualuiſſe diabolicas non refragor. Præualuerunt

EPISCI

Aa 3

runt & in Petrum, citrà quàm ad ipſum ea verba Chriſtus habuerat, nimirum quia peccato ſuccubuit. Et quem ex vniuerſa mihi dabis Eccleſia, qui non etiam interim peccato ſuccubuerit? Veruntamen aduerſus hanc Eccleſiæ promanationem à Petro, præualere dæmonum artes, nec potuerunt, nec poterunt vnquam. Quamobrem, per petram rectè Petrus intelligitur, & per Eccleſiam quoque promanatio Chriſtianorum à Petro, aduerſus quam inferorum portæ nunquã ſunt præualituræ.

Quid per petrã & quid per Eccleſiam.

LVTH. *Quare impiam & intolerabilem blaſphemiam eſſe dico, per petram, qua ſolus Chriſtus, id eſt, verbum & Fides eius inſuperabilis ſignificatur, intelligere poteſtatem illam monarchicam, Satanæ ſeruam & officinam. Sola enim Fides in Chriſtum eſt, quã nullæ inferi portæ ad vllum peccatum poteſt ſubuerti.*

EPISC. Hæc inter cæteras, vna ex Strophis tuis eſt, nec ſanè rariùs abs re vſurpata: nempe cum vnum aliquid duabus aut pluribus, queat rebus accommodari, tu talem adhibeas ſucum, vt vni ſoli, cæteris excluſis, appropriari videatur. Sed excutiamus quàm dialectice idipſum facias. Tria quidem ſunt, Petrus, poteſtas Petri, & Fides. Tu colligere ſtudes, ſuper Fidem, cæteris excluſis Eccleſiam ædificatam eſſe, & quòd aduerſus fidem, præualere nequeant inferorum portæ. Num igitur hæc conſequutio tibi iuſta videtur? Non ſuper Petri poteſtatẽ ædificatur Eccleſia, ergo ſuper ſolã fidẽ ædificatur? Et ſimiliter iſta: Portæ inferi præualuerunt aduerſus poteſtatem Petri, quamobrẽ non de poteſtate Petri, ſed de ſola Fide Chriſtus eſt locutus. Primùm hæc poſterior conſequutio tua multifariam vitioſa eſt, tum quòd verba Chriſti palàm eſt, rectiùs ad Eccleſiam referri debere, quàm ad petram. Et portæ, inquit, inferi non pręualebunt aduerſum eam, nimirum Eccleſiam, de qua proximè loquutus eſt. Quanquam ergo non potuerint hęc verba de poteſtate Petri congruẽter intelligi, intelliguntur nihilominus de Eccleſia, & non quod tu moliris de ſola Fide. Deinde nec ſatis efficaciter adhuc oſtendiſti, quòd aduerſus poteſtatem Petri præualuerint inferorum portę. Neque enim ſequitur: Præualuerunt in Petrum, aut in ſucceſſores Petri, ergo præualuerunt in poteſtatem, quæ vel Petro, vel Petri ſucceſſoribus per Chriſtum data fuit. Nam integram & incolumem eam poteſtatem eſſe, non ambigimus, tam in Epiſcopis quàm in Sacerdotibus, nedum in ſummo pontifice, quantumuis ipſi vitijs inquinati fuerint. Tertiò, non tantam habet Fides in quouis homine firmitatem, quantam habet hæc poteſtas à Chriſto pontifici tradita. Nemo enim vſqueadeo ſtabilis in Fide eſt, vt labi non poſſet, alioqui non dixiſſet Paulus: Qui ſtat videat ne cadat. Quæ res vel in Petro fuit euidentiſſima, qui ter magiſtrum ſuum Chriſtum negauit. Verùm poteſtas iſta, quã Petro & Sacerdotibus dedit Chriſtus, nullis dæmonum artibus poteſt infirmari. Præualeat quantũ cunq; libuerit Satanas in homines, aduerſus hanc certè poteſtatem præualebit nunquam. Sed inquies: Neq; aduerſus Eccleſiæ Fidem præualere poteſt vnquam. Hoc ideo fit, quoniam aduerſus Eccleſiæ ſucceſſorem nunquam præualebit. Semper enim Eccleſia perdurabit in Fide. Quia ſemper hæc generatio, & ſucceſſio promanans à Petro, perpetuabitur. Cęterùm ex Eccleſia nullum deſignabis membrum, de quo certum aſſerere poſſes, quòd eius fides non periclitabitur. Et vbi, te quæſo, manet Eccleſiæ Fides? An tu ſeparatam aliquam Fidem Eccleſiæ ſeorſum manere putas, ex qua pendeat Eccleſia? Non alia certè eſt, quàm quæ in mentibus hominum reponitur. Quamobrẽ, cum in ſingulo quoque Chriſtiano Fides periclitari poteſt, poteſtas tamen Petri manet incolumis, multò ſolidiùs à poteſtate Petri deriuatur Eccleſia, quàm ſuper alicuius hominis Fidem collocetur. Sed iam priorem ſimiliter conſecutionem expendamus. Eccleſia tametſi non fuiſſet ædificata ſuper poteſtatem Petri, potuit nihilominus ſuper Petrum ædificari, & non ſuper ſolam Fidem excluſo Petro. Quamobrem nec conſequitur: Non eſt Eccleſia ſuper hanc poteſtatem ędificata, igitur ſuper ſolam Fidem ędificatur. Cęterùm, vt ingenuè fatear, hanc conſequutionem inſinuas magis, quàm explicas. Inuoluis enim hanc rem tuo more, neque vſquam apertè probas, quòd non ſuper Petrum ædificata ſit Eccleſia. Sed callidè priori parte verborum Chriſti dimiſſa, mox incipis ab altera, nimirum hac: Et portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam, hoc eſt, iuxta tuam expoſitionem, aduerſus petram. Nimirum vt ita verſutè poſſes inferre, per petrã intelligi non poſſe poteſtatem hanc (in quã vt ais horribiliter inferorum portę pręualuerunt) ſed Fidem ſolam. De ſuperiori verò particula nihil explicatim diſſeris. Ad id oportuit cum primis. Niſi enim oſtenderis, ſuper Petrum non fuiſſe ædificatam Eccleſiam, nihil agis. Sed hanc callidè pertranſis, & repugnante dialectica, colligis Fidem ſolam eſſe, aduerſus quam portas inferi non pręualituras affirmauit Chriſtus. Cum tamen ipſe rectiùs intelligi poteſt de Eccleſia, quàm de Fide eſſe locutus. Neutrum igitur expugnaſti, aut quòd ſuper Petrum, aut quòd ſuper poteſtatem Petri, non ſit erectum ędificium Eccleſię, cum tamen alterutrum abundè ſufficiet pro noſtra parte.

Poſterioris argutiæ Lut. confutatio.

1. Cor. 10.

Eccleſia ſemper manebit in Fide.

Vbi Eccleſiæ Fides manet

LVTH. *Patet ergo quàm inſigni blaſphemia, multi pontifices in ſuis decretis petram detorſerunt ad ſuam potentiam: & verbum ædificare, ad Eccleſiæ externam ſubiectionem. Si enim ædificantur ſuper petram, qui Papæ monarchiam colunt, neceſſe eſt vt portæ inferi nihil in eos poſſint. Cum verò portæ inferi in nullos homines plus poſſint, quam in eos, qui religioſiſſimè Papæ ſubiecti ſunt (ſunt enim omnium, quod videmus, ſceleratiſſimi & impiiſſimi omnium dæmonum & vitiorum ſerui) patet, quòd nihil minùs poteſtas illa ſit, quàm petra iſta, & illi nihil minùs ſint, quàm ædificati ſuper hanc petram.*

EPISC. Iſto more argumentandi, nec Eccleſia ſuper petram ædificabitur. Quis enim eſt ex tota Eccleſia, qui prorſus omni peccato careat? Et maximè ſi tua dogmata ſequamur. Cum aſſeras in omni opere bono peccatum eſſe, & opus quodque bonum

num

num optimè factum, veniale nihilominus eſſe peccatum: ſed & veniale quodlibet ſuapte natura mortale eſſe. Quòd ſi quoduis Eccleſię membrum, ſic immerſum eſt peccato. Et tota pariter Eccleſia peccatis erit immerſa. Nam quid aliud eſt corpus aliquod totum, quàm omnia ſua mēbra? Sed & tibi ſerua diaboli ſit neceſſe eſt Eccleſia, & eatenus ſub illius poteſtate, quatenus ea peccatis eſt ſubiecta. Qui enim confitetur, inquis, ſe non habere Dei regnum, quod petit cum orat: Adueniat regnum tuum, certè ſeruum diaboli ſe ex parte confitetur. Hęc tua verba ſunt, negare non potes. Quòd ſi diaboli ſerua ſit Eccleſia, propter peccatum, quò certè carere non poteſt, & propter abſentiam regni Dei, quomodo tibi ſuper petram ędificatur? Quòd ſi ipſa nō obſtantibus peccatis ſuper petram ędificata ſit, cur non etiam alij (de quibus loqueris) poſſunt etiam ſuper petram ędificari?

Alia ratio. Ad hęc: Si per petram, vt tibi placet, ſola Fides intelligi debeat. Et tibi aduerſus hanc nec dęmones pręualere queunt. Quomodo cernimus in tantam quotidie Chriſtianorum multitudinem pręualere dęmones, cum tamen illi ſe Fidem habere confiteantur? Quòd ſi dixeris, in homines dęmones pręualere, non in illorum Fidem. Sic & ego viciſſim tibi reſpondeo, non in poteſtatem pontificum, ſed in ipſos pontifices, quatenus homines ſunt, poſſe dęmones pręualere. Quamobrem & ſubruit iſta conſequutio, quā affers: Si ædificantur ſupra petram, qui Papæ monarchiam colunt neceſſe eſt, vt portę inferi nihil in eos poſſint.

LVTH. *Adeſte ergo huc Papa & omnes papiſtæ in vnum, conflate ſtudia veſtra omnia in vnum, ſi fortè poſſitis hoc vinculum diſſoluere. Saltem hæc auctoritas contra vos euicta triumphataq́ eſt. Nónne hæc auctoritas hactenus fuit veſtrum vnicum præſidium? Nónne per omnia Decreta iactata ceu rupes inuicta huius poteſtatis? Prorſus in nullo alio verbo vobis credemus, donec hoc mendacium & hanc blaſphemiam dilueritis. Suſpecti, inquam, eritis in omnibus alijs, ſemel deprehenſi in tam craſſa temeritate deprauandi verbi Dei.*

EPISC. Hæc iam exprobras orthodoxis Eccleſiæ Catholicæ membris, quæ ſuo capiti ſtudioſè fauent, vt par eſt. Et ego viciſſim eadem in te verba retorquebo. Huc adſis & tu Luthere, cū Lutheranis omnibus tuis, & omnia ſtudia veſtra in vnum cōflate, neque vnquam efficietis, quin vera prædixerit Chriſtus: Nempe, quòd ſuper petram, hoc eſt Petrum, ædificaturus eſſet Eccleſiam ſuam. Stat contra vos hæc auctoritas inuicta, quæ etiam de vobis triumphat, & triumphabit. Neque vnicum hanc nobis præſidium eſſe credatis, cum non deſint plura & ſanè quàm hæc multò validiora, quæ nunquam infirmabitis. Et vt ex illis viginti locis, quos ſuprà recenſui, partim ex Euangelijs, partim ex Apoſtolorum Actis, duos

Solutio didrachmatis, & oratio Christi pro Petro. ſolos memorem, nempe de didrachmate, quod pro ſe & Petro Chriſtus perſolui voluit: & de oratione, quam pro ſolo Petro fecit Chriſtus, ne deficeret in Fide, quatenus ipſe conuerſus confirmaret cæteros. Hos, inquam, duos locos nullis verborum ambagibus, nullis fucis, nullis impoſturis, pro veſtra parte contorquebitis vnquam. Et iam Luthere, poſtquam hìc tantopere gloriaris, & exultas, quaſi rem euiceris, dic mihi precor, vtrauis harum id rationum feceris? An quia craſſioribus ingenijs (licet aliter tua cenſeat conſcientia) videri vis, hìc perperiſſe victoriam? Et tum demiror quomodo te non pudet, qui religionem profeſſus es, ad hunc modum illudere plebi Chriſtianæ. An magis, quòd ex animo rem ita verè ſe habere confidis? & tum certè nullo deinceps alio verbo credendus es, donec hoc mendacium & hanc blaſphemiam dilueris. Suſpectus, inquam, eris & meritò quidem in omnibus alijs, ſemel deprehenſus in tam craſſa temeritate deprauandi verbi Dei.

LVTH. *Mitius ſanè erraſſetis, ſi per petram intellexiſſetis ſanctum Petrum, quem aliquot ſancti Patres fundamentum Eccleſiarum appellarunt.*

EPISC. Si vel vnicus ex ijs (quos produximus) hoc affirmaſſet Luthere, non is vſqueadeò leuis eſſet auctoritatis, quin tibi tuisq́ue præponderaret. Quāobrem cum tot ſint, & ex mactis ſpectatiſſimiſq́ue, quis non ijs omnibus Fidem adhibebit magis, quàm vni Luthero, & eidem in tot iam pridem, & tam craſſiſſimis deprehenſio mendacijs?

LVTH. *Sed propter Fidem ſuam, non propter potentiam externam id dixerunt. Non enim idem eſt: Sanctus Petrus, propter Fidem verbi Chriſti, & poteſtas papæ ſine Fide & verbo, ſuperabilis per portas inferi.*

EPIS. Quæcunque dixerint patres id ratione, compertiſſimum eſt, eos id de Petro ſenſiſſe concorditer. Et certè propter Fidei ſuæ confeſſionem, hoc ei Chriſtus pollicebatur, & priùs item, quàm Chriſtus poteſtatis illi creditæ fecerit mentionē, Priùs enim dixit ad eum Chriſtus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ac deindè paulò pòſt: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Cæterùm hi qui Petro ſuccedunt, tametſi non parem habeant cum Petro Fidei firmitatem, ſucceſſores tamen Petri ſunt, per quam ſucceſſionem hactenus Eccleſia perpetuatur. Neque ſolùm in Petri locum ſucceſſerunt, verumetiam in poteſtatem cum Petro parem, ſaltem quantum ad ligandi, ſoluendiq́ue pertinet auctoritatem. Quæ poteſtas nimirum inſuperabilis eſt, nec per vllas Inferorum portas infringi valebit, quantumuis hi peccato ſubiaceant, qui præditi ſunt ea poteſtate.

LVTH. *Quòd ſi etiam aliquot patres in ſententia veſtra habeatis, fruſtrà eos iactatis. Quia nos clarum Euangelij ſenſum habemus meritò omnibus præferendum.*

EPISC. Non aliquot ex patribus, Luthere, ſed omnes ad vnum pro noſtra ſententia faciunt, & ſuos huic addunt calculos. Quod cum ipſi faciant tam vnanimi conſenſu, fruſtrà tu prouocas ad Euangelium, quaſi patres illi non intellexerint Euangelium. Sed & Tertullianus, libro de præſcriptionibus hæreticorum, potenter oſtendit, hæreticos haudquaquam admittendos ad ineundam de

Interdicta eſt hæreticis ſcripturarū interpretatio ſcripturis prouocationem, quinetiam eiſdem interdictam eſſe docet de ſcripturis diſputationem, cùm in ipſo congreſſu firmos fatigent, infirmos

mos capiant, medios cum ſcrupulo dimittant. Non eſt igitur interpretationi tuæ, Luthere, de Euangelio contra tot Eccleſiæ proceres credendum: cum aliter ipſi, vno ore, cuncti dictum Euangelium ediſſerant. Cæterùm finge neminem eorum ſic interpretatum fuiſſe, ipſa tamen Euangelij verba pro nobis militant apertiſſimè, quæ tu per vim torques, & in diuerſum ſenſum rapis vel inuitiſſimè. Id quod monſtrabo adhuc luculentiùs. Tu ſupra Fidem ſolam vis Eccleſiam ædificari. Nos ſuper fidelem Petrum, qui primus Chriſtum verè confeſſus erat fuiſſe filium Dei. Alij quidem antea, confeſſi ſunt Chriſtum eſſe Dei filium, tam Nathanaël, quàm qui in nauigio ſedatam viderant tempeſtatem. Sed hi Chriſtum, quendam inter multos à Deo magis dilectum putabant, non autem ex ipſa patris natum ſubſtantia. Petrus verò filium Dei ex ipſa Dei ſubſtantia genitum confitebatur. Cuius confeſſionis merito dictum eſt illi: Beatus es Simon Bariona. Solus vtique Petrus hac nomenclatura notus erat, nempe, quòd erat Simon filius Ionæ. Quamobrem & in hunc ſolum, quicquid ſequitur referri debet, non ad cęteros. Nemo enim illorum fuit Simon Bariona, pręter Petrum. In pręconium itaque Petri, ſimul & ſuę confeſſionis præmium Chriſtus, quæ ſequuntur omnia protulit. Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Non enim hæc docere te potuit pater tuus Ionas, qui caro & ſanguis eſt: ſed pater meus cæleſtis, qui Spiritus eſt, hæc tibi cælitùs reuelauit. Miſerum te progenuit Ionas pater tuus: At ediuersò beatum hac reuelatione, meus pater effecit te. Cæterùm, & ego, quia me ſic confeſſus es eſſe filium eius, pluſculum adijciam.

Quale donũ Petri.

Ego viciſſim dico tibi, quòd tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Magnum ſanè donum fuit, quod Deus pater contulerat Petro, nempe reuelationem diuinitatis filij ſui, quam adhuc nec Iudam, nec alios quoſdam ex Apoſtolis, accepiſſe reor.

Quare Chriſtus dixerit, ædificabo Eccleſiam.

Sed iam Petro propter vſum huius doni, Chriſtus præmium longè cumulatius adiecit. Verùm agè, ſingula quæſo verba diligentiùs expendamus. Primùm illud excutiamus, cur dixerit: Ædificabo Eccleſiam meam. An non erat Eccleſia iam pridem ædificata? Erant certè iam olim qui Chriſtum crediderunt. Nihilque inter illorum & noſtram Fidem interfuit, quàm quòd illi venturum Chriſtum crediderint, nos autem veniſſe. Sed quia primus omnium Petrus hanc Fidem confeſſus erat, iccirco Chriſtus non à prioribus illis, ſed à Petro voluit exordium Eccleſiæ ſuæ ſumere. Nam hi quos Chriſtus iam colligere venit, peculiariter ad Eccleſiam Chriſti pertinebant. Propter quod & congregationem hanc, quæ cœpit à Petro, peculiariter ſuam Chriſtus vocabat Eccleſiam. Quoniam igitur hæc futura iam erat, idcirco dixit: Ædificabo Eccleſiam meam. Cæterùm vt intelligamus ſuper Petrum Eccleſiã hanc ædificari. Quid aliud eſt Petrus (ſi quis interpretetur) quàm ſaxum? Et quid aptius cogitari poteſt, quod certè fundamentum, in ædificio quouis locetur, quàm ſolidum ſaxum? Porrò quid inter ſaxum & petram intereſt? Nihil omninò, niſi ſola vocis diuerſitas.

Petrus quid aliud quam ſaxum.

Penſitemus itaque, quàm appoſitè ſequitur. Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Audis hîc Petrum, ſeu petram: audis ædificationem: audis & Eccleſiam. Quid eſt aliud Eccleſia, quàm viuorum lapidum, nõ confuſa quidem, ſed ordinatiſſima conſtructio? Lapidum, inquã, rationalium, qui Fide non mortua viuunt. Propter quod & ipſe Petrus ait ad ædificatos: Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales.

1. Pet. 2.

Hæc nimirum domus Eccleſia non poteſt non intelligi. Quando igitur apertum eſt, Eccleſiam ex eiuſmodi lapidibus conſtructam eſſe, quid tam coactè fundamentum aliud huic ædificio quæris, quàm quod ijs congeneum ſit? Cum enim homines hanc ſtructuram, ceu viui lapides, ingrediuntur, quod fundamentum aliud citra CHRISTVM magis congeneum erit, quàm ipſe Petrus? Quem & propterea ſaxum Chriſtus nuncupauit.

Fidem non eſſe fundamentum Eccleſiæ.

Cæterùm quantum ad Fidem attinet, palàm eſt nullum huius ædificij mẽbrum, carere poſſe Fide. Nam ſi Fide caruerit quiſpiam, iam foris eſt, & non in ædificio. Quòd ſi quodque membrum Fidem habere neceſſe ſit, quomodo non etiam vnumquodque debeat Eccleſiæ fundamentum dici? Nam cur huius, aut illius fides, pro fundamento magìs reputabitur, quàm alterius cuiuslibet? Neque enim (opinor) ſeparatam aliquam Fidem, & imaginariam (quæ non ſit in mentibus hominum) eſſe fingis, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia. Quòd ſi cuiuslibet Chriſtiani Fidem aſſerueris Eccleſiæ fundamentum eſſe, iam quæq; pars huius ędificij, fundamentum erit, & nihil præter fundamenta totum ædificium continebit. Quod ſi dixeris, quis non videt, quàm monſtruoſam hanc ſtructuram efficies? Fides hauddubiè qualitas quædam eſt tam fundamento, quàm cæteris huius ædificij partibus, omnino neceſſaria. Sed fundamentum quid aliud eſt, quàm primum & præcipuum Eccleſiæ membrum? cuiuſmodi nec cogitari quidem Fides poteſt, cùm ea nequaquam ſit cæteris congenea mẽbris. Adde, quòd neque Fides iam primùm cœpit, ſed in ipſis etiam priſcis fuerat. At Eccleſiæ futuræ fundamentum, Chriſtus iam primùm iecit & locauit. Ad hæc, nec Chriſtus hoc modo fundamentum Eccleſiæ dici poterit; cum Fide careat, vtpote, qui vera ſemper fruitus ſit viſione. Nobis verò Chriſtus etiam fundamentum eſt, nec duo tamen ob id erunt fundamenta, cum Petrus non niſi vicem occupet Chriſti. Et propterea vides, petræ nomen, quod Chriſto proprium erat Petro fuiſſe communicatum. In ſignum cuius & didrachma pro ſe & Petro duntaxat, ſoluit. Pro Petro quin etiam orauit, vt ipſe confirmare poſſet cæteros. Sed & ſolius Petri ſedes, ad hunc vſq; diem abſque hęreſeos aliqua nota manet inuiolata, ſolidiorque ſaxo quolibet ipſa perdurat. Iam ſi quis reliqua velit explicare, quomodo

modo nec conſtructionem hanc diruere valeant inferorum portæ; ſimul & quomodo claues cœlorum ſoli Petro fuerant promiſſæ: perſpiciet, omnia vel ſole clarius, pro noſtra ſententia penitus dimicare: ſed & cunctos ſenſu catere communi, ſimul & quauis talpa cæciores eſſe, qui id non vident.

LVTH. *Atq; ne alienis virtutibus glorier, Ioannis Huß iniquiſsimè à vobis combuſti, hæc eſt victoria, in hoc verbo Christi, imò ipſius Christi, ob quem ille exuſtus eſt. Non enim ex meo capite, ſed ex illius libro de Eccleſia ſcripto, & à vobis damnato hæc habet.*

EPISC. *Impudentia Luth.* Dignus hoc magiſtro diſcipulus es, cuius perverſiſsimo dogmate gloriaris. At hoc es illo nequior, quòd poſtquam illum noris totius Concilij ſententia fuiſſe condemnatũ, illius tamen hæreſim te ſuſcitare non pudet. Nec potes illius condemnationem imputare ſummo pontifici; quippe, quòd hi qui ſententiam in illum tulerunt, & brachio tradiderũt ſeculari, multis pontifici nominibus tum parũ accepti fuerant, & mores pontificios modis omnibus ad normam redigere curârant. Non igitur hoc egerunt, aut in pontificis gratiam, aut per pontificem inducti, ſed ſola veritate permoti, nimirum quòd compertiſsimum habuerant, hominẽ contra ſanctorum interpretum communem aſſertionem, etiam contra ſcripturas ſacras, ſuo ſenſui pertinaciter adhæſiſſe. Neq; negare potes, quin de ſacramento altaris nõ rectè ſenſit, ob quem errorem, etiam te iudice, vel emendandus vel condemnandus eſſet. At hoc etiam demiror, quomodo te non pudet hoc magiſtro gloriari, quem non ignoras, errorẽ tam peſtilenti fuiſſe prolapſum, & in eodem ad mortem vſq; perrexiſſe, vel ſumma pertinacia.

LVTH. *Alteram quoq; afferunt auctoritatem Ioannis vltimo. Dixit Ieſus Petro: Simon amas me? paſce oues meas, &c.*

EPISC. Si cuiq; liceat ad hunc modum ſcripturas ab inuicẽ ſeparare, atque ſeparatas ſeorſum vellicare, quid eſſe firmum poteſt, & à calumnijs tutum? *Lutherus ſcripturis iniuriam facit.* Ingentem ſanè ſcripturis iniuriam facit, qui ſic eas aggreditur. Sed oportet accuratiùs penſitare, ſi quas alias habuerint, vnà ſecum conſpirantes. Nam quò maiorem habet ſcriptura quæuis cum alijs multis confœderationem, tantò fulcitur magis illa connexa, quàm ſi ſeiungatur à cæteris. Vt enim ſcitè quidam ait: Quæ non proſunt ſingula multa iuuant, facillimè quiſpiam equinæ caudæ ſingulos vellicabit pilos, at ſimul cunctos euellere nemo facilè poteſt. Scylurus (vt eſt apud Plutarchum) cum relictis octoginta maribus filijs, obiturus eſſet, iaculorum faſciculum vnicuique proponens, confringere iubebat. Verùm ſingulis ſe id poſſe negantibus, ipſe cùm ſingula iacula excepiſſet, facilè omnia perfregit: Sic illos docens; ſi vnà eſſe perſeuerarent, firmos validoſque fore: Sin diſſoluti diſsidentesque forent, infirmos ac debiles futuros. Sic nimirum & confœderatio ſcripturarum plurimum habet roboris, & ſimul iunctæ multò validiores ſunt, quàm ſi quis eas carpſerit ſeorſum ſingulas. Quàm tem & Lucas in Actis docuit, de Christo tradens, *Act. 1.* quòd Apoſtolis præbuerat ſeipſum viuum poſt paſsionem ſuam in multis argumentis. Porrò ſi quis hæc argumenta ſeorſum ſingula carpſerit, nullum earũ proteruienti ſatis fuerit efficax, tametſi cuncta ſimul, rem commonſtrent vel apertiſsimè. Vt igitur hæc ſcriptura, cui iam calumniari ſtudes, genuino robore nequaquam deſtituatur, conſyderabimus quantam non modò cum cæteris noui teſtamenti ſcripturis, verumetiã veteris habeat conſpirationem. Neq; enim ſemel aſtruit Paulus, quædam eſſe diuini iuris, & euangelici, quę tamẽ ex veteri teſtamento deprompta ſunt, quemadmodum & illud eſt (exempli gratia) quòd Apoſtolis licuit, ab illis victũ exigere, quibus prædicabant. Hoc nimirum id eſt, quòd ad Corinthios nono Paulus docet eſſe diuini iuris. *1. Cor 9.* Et quoniam argumento? Scriptum eſt, inquit, In lege Moſi: Non alligabis os boui trituranti. *Deut. 25.* Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtiq; hæc dicit? Nam propter nos vtique ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe, qui arat arare. Hactenus ex Paulo. Vides itaque Dialecticam Pauli, qua (ſumpto veteris legis teſtimonio) probet aliquid Euangelici iuris eſſe. *Pauli dialectica.* Neq; id ſanè ratione caret, cum nihil aliud erant omnia veteris legis, quàm figurę quędam legis nouę, & quędam adumbrationes eorum, quæ in euangelio continẽtur. *Hebr. 10.* Propter quod & ipſe Paulus ait: Vmbram habens lex futurorum bonorum. Et alibi: Omnia in figura contingebant illis. *1. Cor. 10.* Palàm eſt igitur Synagogam Iudęorum, Eccleſiæ (quę iam Christianorum eſt) vmbram quandam fuiſſe, & populum illum huius populi fuiſſe figuram. Sed & iter, quod illi per ſolutionem egerunt, verſus terram eis promiſſam, noſtrum iter, quod per huius mundi deſertum agimus, verſus Patriam cœleſtem, quæ nobis eſt promiſſa, ſignificat. Cæterùm ductores populi, nempe Moſes & Aaron, ſuis adumbrationibus carere non poſſunt. Cernimus plerunq; lucente ſole, quandam arborem ramis dilatatam, folijs opertam, onuſtamq; pomis, ſuper tellurem vmbrã proijcere, vſqueadeo ſibi ſimilem, vt quicquid ramorum, foliorum, aut fructuum, in arbore fuerit, id in vmbra quiddã habeat ſibi reſpondens. *Pulcherrimum de arbore exemplum figurarum explicatio.* Et viciſsim, quicquid in vmbra cõtineatur, id quiddam in arbore ſolidũ reſpiciat. Vt & oculis vmbrã cum arbore conferens, & vmbrę quamlibet portiunculam obſeruans, dicere poteſt: Hæc vmbræ portio hanc arboris partem ſpectat, & iſta notat ramum, illa folium refert, alia pomum repręſentat, ſic & quędam ſtipitem, quędam autem arboris ſummitatem. Quamobrem ſi cuncta (quę Iudæis contigerunt) futurorum vmbræ fuerant, neceſſe fuerit eiuſmodi duos inuenire, quorũ alter ſub altero duxerit in hac Eccleſiæ peregrinatione, quales cõſtat Moſen & Aarõ fuiſſe Iudęis. *Christus & Petrus christianorum duces, quemadmodum gentis Iudaicæ Moſes & Aaron.* Nam quãdo cętera videmus, tum vel ad amuſsim reſpondere: nempe Pharaoni, diabolũ: Ægypto, peccatum: Exitui ab Ægypto, exitum à peccati tenebris: Iudęis, Christianos: iter, itineri: deſerto, mundum: cœleſtem patriam, Iudęæ: ita Moſen & Aaron velut vmbras item quaſdam ſuis veritatibus reſpondere neceſſum eſt. Et hi nimirum ſunt Christus & Petrus. Quod & nos quatuor indicijs compro-

comprobabimus. Primum erit ratione ſacerdotij. Erant itaq; Moſes & Aaron ſacerdotes veteris legis. Chriſtus autem & Petrus legis nouæ. Cæterùm vt à ſolo Deo Moſes cōſecratus, fratrē ſuum Aaron vnà cum cæteris huius filijs in ſacerdotes conſecrauit, ita tamen, vt Aaron eſſet cæterorum princeps: Sic & Chriſtus à ſolo patre Deo ſacerdos ſecundū ordinē Melchiſedech effectus, Petrum ipſum vnà cum cæteris apoſtolis conſtituit eiuſdem ordinis ſacerdotes. Sed Petrum cæterorum principē effecit, cui vel ſoli ſuam nuncupationē communicauit, vt diceretur à petra Petrus, cum antea Simon vocabatur, hoc cognomine prorſus indicans Petrum ſupra cæteros vicarium ſuum eſſe conſtitutum. Sed hîc operæprecium fuerit audire, quid Lutherus obiectet. In libello namque cui titulus eſt, Reſolutio de poteſtate Papæ verſiculum hunc tractat, imò lacerat magis: Moſes & Aaron in Sacerdotibus eius. Anacletus enim qui poſt Petrum quartus fuit, inter paucula quædam, quæ ſuo tempore Decreta ſcripſit, hoc verſiculo vtitur ad idem inſtitutū; quod & nos meditamur. Extant nimirum in varijs huius regni monaſterijs pulcherrima volumina, quæ canones apoſtolorum, & quaſdam pontificum decretales epiſtolas ſimul & concilia Patrum continēt, quorum voluminum quædam Bedę temporibus ſcripta fuiſſe creduntur. Et tamē audacia Lutheri nihil veretur hanc decretalem Anacleti, aut Gregorio nono, aut Bonifacio octauo, aut Clementi quinto tribuere. Semper (haud dubium eſt) fuêre canones apoſtolorum ſumma apud patres habiti reuerentia, ſed & hanc Anacleti decretalē citant vetuſtiſſimi decretorum compilatores, vt de ea dubitari non poſſet, niſi quis velit Academicorū more, cuncta in dubiū reuocare. Cæterùm quem in modum Lutherus hanc decretalis bulus partē diſcerpere ſtudet, iam attendamus. Quid inquit, audio? quàm non fruſtrà hos canones lego? quàm egregiē diſco ſcripturas intelligere? Sic Lutherus.

Anacleti decretales.

Mos Luth. Cæterùm hîc aduerte lector: Iam puluerem ob oculos offundere molitur. Quoties ijs ſtrophis incipit ludere, iam ſecurus ſis illi ſolida deeſſe argumenta. Quod & rei exitus comprobabit. Primū, inquit, documentū: Qui vnū ſolū ſummum Sacerdotē, in veteri lege noui, nunc didici duos fuiſſe primos. Hoc ſibi Luthe. ſatis putat ad rem totam eludendā. Sed mihi reſpondeat. Compertum eſt Aaron fuiſſe Sacerdotē ſummū, & à Moſe fuiſſe conſecratum vna cum cæteris ipſius filijs. Conſtat & Moſen haud quaquam illi ſubditū fuiſſe, cùm nec ab eo conſecratus fuiſſet, nec ab aliquo filiorū eius, ſed à ſolo Deo. Adde quòd in omnibus negotijs, quæ ad Deum attinebant, Moſes erat, quàm Aaron ſuperior. Sed & ſcripturæ paſſim præferunt Moſen, quemadmodum in Pſalm. legitur: Deduxiſti populum tuum in manu Moſi & Aaron: & alibi locis compluribus. Quamobrē & Moſes abſolutè ſummus fuit: Aaron verò non abſolutè, ſed comparatione cæterorum. Sicut & in noua lege, Chriſtus abſolutè & ſimpliciter ſummus eſt: Petrus verò nō niſi cæterorū comparatione. Et quid hoc modo prohibet duos eſſe ſummos? Sed iam ſecundū documentū quod irridet, audiamus. Secundò, inquit, etiam nouam grammaticā vide: In Sacerdotibus eius, idem eſt, quod primi inter eos fuerunt, cum huiuſque hoc verſu pſalmi intellexerim, nihil aliud dici, quàm Moſen & Aaron ſacerdotes, vel de numero Sacerdotum fuiſſe, ſicut Samuel inter inuocantes nōmen eius, nihil de primitate vel cogitans. Hactenus ille. Cui reſpondemus id nobis ſatis eſſe, quòd negare non poteſt, vtrunque fuiſſe Sacerdotē. Nam ex hoc facilè colligetur, vtrumque fuiſſe ſummum, alterum ſimpliciter, alterum ex comparatione, quemadmodum prædiximus.

Lutheri documenta. Primum.

Pſalm. 76.

Secundum.

Tertium.

Tertium documentum quod eludere nititur Lutherus, eſt, ſummum Sacerdotem veteris legis fuiſſe figuram Rom. pontificis. Et iſtud eludere conatur hoc pacto: Apoſtolus, inquit, ad Hebr. me mirum in modum decepit, cum vniuerſis Eccleſiæ doctoribus, docens, non Rom. pontificem, ſed Chriſtum ſolum fuiſſe per ſummum & vnum pontificem ſignificatum. Hæc Luth. Nos vero negamus Paulum hoc docuiſſe, quod ſolus Chriſtus per Aaron fuiſſet ſignificatus, ſed nec vllus interpretum id vnquam aſſeruit. Tribus equidem perſonis quæ legi veteri nonnullam tribuebant dignitatem, hoc eſt, Angelo, Moſi, & Aaron, Paulus Chriſtum in ipſa epiſtola comparat & ſingulis horum oſtendit, Chriſtum fuiſſe ſuperiorem. Primùm Angelo, deinde Moſe, tertiò pariter & Aarone. Et docet certè Paulus per vtrunq; horum, Chriſtum fuiſſe ſignificatū. Per Aaronem quidem, quia ſummus iſte pontifex dicebatur. Per Moſen verò, quòd vt is lecto omni mandato, ſanguine cuncta aſperſit: Ita & Chriſtus proprio ſanguine efficacius reſperſit omnia. Sed quid prohibet eandem rem diuerſorum eſſe figuram? Quoties in ſacris literis iſtud nobis occurrit? An non Leo Chriſtum figurat? Figurat inſuper & diabolum. Sed & fermentum alibi Fidem, alibi peccatum ſignificat. Non conſequitur itaque: Aaron Chriſtum ſignificat, ergo ſolum Chriſtum. Sed potuit & figura Petri fuiſſe, vt & re vera fuit, quemadmodum & Anacletus in ſua decretali teſtatur. Moſes igitur & Aaron Chriſtū & Petrū figurabant, vt ſicut Aaron ſub Moſe princeps erat Sacerdotum, ita Petrus ſub Chriſto princeps Apoſtolorū fuit. Propter quod (vt diximus) à ſemetipſo Chriſtus ei nomen indidit: Et ſuper eum identidem, ſe pollicebatur ſuam Eccleſiam ędificaturum, nec non & claues regni cælorum ei ſe daturum, vt quicquid Petrus ligaſſet in terris, in cęlis ligaretur, & quicquid ſoluiſſet, id etiā in cælis eſſet perſolutum. Hanc ſane rem, paulo ſuperiùs oſtendimus, tot eccleſiæ procerum ſententijs ita fuiſſe roboratā, vt nemini Chriſtiano deinceps liceat ſuper hac ambigere quicquā. Quid enim ſi Lutherus calumnietur ijs, qui pontifices ipſi fuerunt, & dicat eos quiddam humanū paſſos? quemadmodum & de Leone primo, viro doctiſſimo, ſimul & ſanctiſſimo cauillatur. Quid tamen habet, quod latinis cęteris obijciat, qui ſanè quaſi tot eccleſiæ ſydera, tam eruditione, quàm vitæ ſanctimonia fulſerunt? Nihil profectò: niſi volue-

Heb. 7.
Heb. 9
Exod. 24.

Quomodo Aaron figura Petri fuit, varijs modis oſtenditur.

volnerit in ſuſpicionem eos adducere, quòd Latinę fauiſſent Eccleſiæ, ac proinde Romano pontifici plus quàm æquum eſſet, detuliſſent. Veruntamen de Gręcis, qni neq; pauci ſunt, nihil habet penitus, qnod obiectet. Iſtud igitur indicium tot patrum calculis comprobatū, nō parui momenti cūctis eſſe debet, verè Chriſtianis. Sed iam alterū etiam indicium huins rei proferamus. Alterū eſt, qnod iam inter reſpondendū adduximus, nempe quòd quemadmodū Aaron comparatione cæterorum, ſummus habebatur, & princeps, & caput, quanquam ipſo Moſes adhuc ſuperior erat: Sic & Petrus cæterorū comparatione ſummus, & princeps, atq; caput dicitur, tametſi Chriſtū habuerit ſuperiorem. Quam rem vel ex Euangelio palàm oſtendemus. Erant vtique Romanis Iudæi tributarij, pro quo & cenſus annuus à ſingularum familiarum capitibus exigebatur, ad valorem didrachmatis pro ſingulo quoque capite. Venerunt igitur exactores ad Petrum, eius rei gratia (quemadmodnm Euangeliſta Matthæus enarrat) Petrum percontati, num eſſet magiſter eius tributum ſolnturus? Chriſtus itaque iuſsit Petro, quatenus ipſe mox accederet ad mare, ſtateremque illic in ore piſcis reperiendum, exactoribns daret Erat aurem ſtater duplex didrachma. Voluit itaque Chriſtus, non pro ſe ſolo tributum hoc dari, quanquam ipſe caput eſſer totius familiæ, verumetiam pro Petro, cui ſuas vices committere meditabatur. Quando igitur hoc tributum pro nemine pendebatur, qui non eſſet alicuius familiæ gubernator & caput, & Chriſtus vtriuſque nomine dari iuſsit, tam ſuo quàm Petri, palam eſt quòd Petrum Eccleſiæ totius gubernatorem inſtituit, & totius familiæ ſuæ caput. Propter quod & Auguſtinus libro quæſtionum noui & veteris Teſtamenti quæſt. 75. ſic ſcribit: Didrachma capitum ſolutio intelligitur. Et paulò pòſt Saluator cum pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur. Quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſa magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit caput eorum. Hactenus ille. Ecce Petrum hic Auguſtinus affirmat caput à Chriſto cæterorum fuiſſe conſtitutum, ac propterea cum pro ſe Chriſtus eſſet tributum ſoluturus, pro vtroque tam pro Petro, quàm pro ſe voluiſſe ipſum pendi, quò cæteri liberi forent. Nam familia ſub capite comprehenditur. Duplex igitur didrachma Chriſtus dari iubet, cum tamen ſimplum exigebatur, nimirum vt hoc facto ſuam familiam duo ſignificaret habere capita. Quis itaque non perſpicit, & hoc indicio, Iudaicam vmbram Moſis ac Aaronis Euangelicæ veritati, hoc eſt, Chriſto & Petro, vel adamuſsim conquadrare? Accedit his & tertium. In vmbra illa Iudaica, Moſes apud Deum Aaronis agebat negocium. Aaron viciſsim apud populum vice Moſi, negotia Dei gerebat. Sic enim in Exodo Moſi conſtitutum fuit à Deo. Ipſe (inquit nimirum Aaron) loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Tu autem eris ei, in iis quæ ad Deum pertinent. Sic inquam, in vmbra fuit Iudaica. At quomodo reſpondet huic vmbræ Chriſtianorum veritas, iam inueſtigemus. Dixit enim verò Chriſtus ad Petrum: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua. Quem quæſo rogauit Chriſtus pro Petro cum is eſſet in tanto diſcrimine conſtitutus, vtpote per Satanam expetitus, vt tanquam triticum cribraretur? Quem, inquam, niſi Deum patrem? Fuit ergo Chriſtus tanquam os Petro, in iis, quæ ad Deum attinebant, nempe cum patrem orabat, ne Fides Petro deficeret. At Petrus viciſsim, quomodo fuit os vice Chriſti, in iis quæ ſpectabant cæteros? Nimirum quia ſequitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Num ipſe qui cæteros in Fide confirmabat, non erat os Chriſti? An non eius rei gratia vel maximè Chriſtus in hunc modum venit? Quid enim potiùs quàm Fidem Chriſtus vbique quærebat? Quamobrem cùm Petrus in Fide cæteros confirmabat, velut os Chriſti, tum ipſius vice fungebatur. Quiſquis hunc locum dignè penſitauerit, inueniet certè Moſen & Aaron, mirificè Chriſto & Petro conquadrare, non aliter quàm vmbram corpori, de quo pendet. Simul & perſpiciet, iſtud ingentem Petri prærogatiuam eſſe, quòd ſuum negotium ſic apud patrem egit Chriſtus, vt ille viciſsim Chriſti negotium apud cæteros ageret Apoſtolos, nimirum vt illos in fide confirmaret. Sed & hoc aduerte, quod Auguſtinus eundem locum enarrans ait: Non orauit Chriſtus pro Iacobo & Iohanne, atque pro cæteris, ſed pro Petro, in quo continebantur cęteri. Erat enim (vt ſuprà memorauimus ex eodem Auguſt.) Petrus conſtitutus caput cęterorum & totius familię Chriſti. Quamobrem ſub ipſo comprehendebātur cęteri, quemadmodum & ſub capite familia continetur. Quartum indicium hoc eſt, quòd quemadmodum Moſes conſcenſurus montem, vt cum Deo colloquium haberet, poſt ſe reliquit Aaron, cui & vices ſuas ſuper curanda plebe commiſit. Sic & poſt paſſionem ſuam Chriſtus cœleſtem montem ad patrem conſcenſurus, Petro ſuarum ouium curam tradidit. Conſcendit enim Moſes in montem Synai, vt cum Deo negotia populi tractaret. Conſcendit & Chriſtus cæleſtem illum montem, vt (quemadmodum Paulus teſtatur) appareat vultui Dei pro nobis, & ſicut Ioannes tradit, vt eſſet pro nobis apud patrem aduocatus. Priuſquam igitur cœlum aſcendiſſet, Petro ſuum gregem paſcendum commendauit, id quod non oſcitanter fecit, ſed ſeriò quidem, & cum ingenti ſtudio. Ter enim (cæteris illic præſentibus) Petrum percontatus eſt, nū plus quàm illi ſe diligeret: Simon Ioannis, inquit, diligis me plus iis? Soli Petro loquebatur, & præſentes cæteros indicabat. Nec erat alius quiſquam inter eos, qui Simon Ioannis vocabatur. Ad ſolum itaque Petrum hæc interrogatio ſpectabat, quandoquidem & ipſe præ cæteris magis dilexit Chriſtum. Diligis, inquit, me plus his? Apoſtolos nimirum indicans tum præſentes. Licuit hic eadem ſalitate rogaſſe

cunctos

[Margin notes:]

Secundò. Petrus cæterorum comparatione ſummus dicitur, tametſi Chriſtum habuerit ſuperiorem.

Matt. 17.

Duplex didrachma duo familiæ Chriſti capita indicabat.

Tertiò.

Exod. 4.

Luce. 22.

Quartò.

Exod. 24.

Hebr. 9.

1 Ioan. 2.

Chriſtus cæleſtem collem aſcenſurus, Petro ſui gregis curam commiſit.

Ioan. 21.

cunctos, num ſe diligerent, ſi non magis propter Petrum, quàm cæteros hæc dicebantur. At ſolum Petrum handdubiè ſciſcitabatur Chriſtus, an ſe plus quàm cæteri dilexiſſet. Solus itaque Petrus reſpondit dicens: Etiam Domine, Tu ſcis quòd amem te. Snbiungit ideo Chriſtus: Paſce agnos meos. Potuit & hic ſubſtitiſſe Chriſtus, ſi non rem vehementer ſeriam, & quæ cordi ſibi plurimum fuerat, iam tractaſſet. Iterum itaque percontatur Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et iterum Petrus reſpondit: Etiam Domine, Tu ſcis quòd amem te. Adiecit Chriſtus ποίμαινε τὰ προβάτιά μου. Quod ſi quis ad verbum interpretetur, erit, Rege oues meas, ποιμαίνω certè vtrumq; ſignificat, & paſcere, & regere. Sed cum Chriſtus iam mutarit verbum, certè nobis inſinuat, & ſenſum voluiſſe mutare. Et non incongruè quidem. Nam cùm agni nouellos & teneriores deſignant Chriſtianos, eos mitiùs tractari iubet Chriſtus, & paſci ſolùm. Oues autem (quibus robuſtiores indicantur) duriùs (cum opus fuerit) coërceri mandauit. Cæterùm ne paſtus iſtis negetur, quærit tertiò Chriſtus: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Quamobrem & reſpondit: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quòd amem te. Subiecit itaque Chriſtus: Paſce oues meas. Ecce iam tertiò loco paſcendas eaſdem oues Petro commendauit. Et hoc nimirum poſt ſuam reſurrectionem fecit Chriſtus, cum eſſet ſummum illum montem, cœlum videlicet, ad patrem conſcenſurus. Confer itaque diligenter inuicem hæc omnia, & niſi te malitia prorſus excæcauerit, perſpicies, nullam vmbram ſuo corpori congruere poſſe magis, & adamuſſim exactiùs reſpondere, quam vmbram illam Iudaicæ adminiſtrationis, rerum Chriſtianorum veritati. Sed cauillatur hic Lutherus, per oues iſtas Iudæos ſolos intelligi debere. Dicat ergo nobis, cur non apud Iudæos Petrus ſedem locauerit ſuam? Cur Iudæos relinquere non metuit, & ad Gentium curam ſe conferre? An non ad Samaritas conceſſit, qui Iudæis odioſiſsimi fuerant, vt & illis Spiritum ſanctum daret? An non acta teſtantur, per Petrum & in nationes effuſam fuiſſe Spiritus ſancti gratiam? Cur auſus fuiſſet relictis Hieroſolymis Antiochiam diſcedere, atq; ita tandem Romam? Iſta planè conuincunt, non Iudæos modò, verumetiam vniuerſos (quicunque pertinuerint ad ouile Chriſti) Petro fuiſſe creditos. Sed & orbis totius curam ipſi fuiſſe commendatam, vel ex eo patet, quòd apud eam vrbem (quæ totius orbis tum caput fuerat) ſedem poſtremam delegerit. Quis hoc humana factum induſtria credat, & non diuino potiùs inſtigante ſpiritu? Qualem enim ſedem haberet hodie Petrus, vel Hieroſolymis, & Antiochiæ? Profectò ſi nullum aliud eſſet teſtimonium, euentus ipſius rei, palàm docet, omnia firma eſſe quæ de Petro credimus. Sed cum huic vndique tot ſuffragentur teſtimonia, tam ſacrorum interpretum, quàm etiam veteris ac noui teſtamenti, quis tam inſanus eſt, vt ijs non adhibeat Fidem? Liquet igitur quàm iniquè

Agni teneriores deſignabant Chriſtianos, oues verò adultos.

Act. 8.

Orbis totius cura Petro commiſſa.

Lutherus hanc ſcripturam ſeorſum vexet, & vellicet, relictis omnibus alijs, cum quibus tantam ipſa confœderationem habet. Sed iam quibus cauillis eam eludere ſtudet, aduertamus.

LVTH. *Hic volunt omnes oues Petro & Papæ commiſſas, iterum ſolita impietate verbum Chriſti figmentis ſuis adulterantes.*

ECCIVS. Tu profectò pro ſolita loqueris impudentia tua, non autem patres vlla ſcripturas impietate adulterantur. Res nimirum apertior eſt, quàm vt facilè queat adulterari. Quid enim in iis verbis obſcuri eſt? Palàm eſt ad quem dirigit ſua verba Chriſtus: ad eum qui Simon Ioannis vocabatur, quæ nomenclatura non alteri quàm Petro conueniebat. Nec ſeorſum, & in aurem hæc dixit Petro, ſed cæteris audientibus, iuſsit agnos paſcere, iuſsit item oues regere, ſimul & paſcere. Et ne cuiquam dubium foret cuius agnos & oues paſceret, adiecit vtique, meas. Quotquot igitur ad Chriſtum attinebant, ſiue agni, ſiue oues, illis verbis Petro commendabantur. Sed ne quis Iudæos ſolos exiſtimaret oues Chriſti fuiſſe, Chriſtus alibi ſe teſtatur, alias oues habere præter Iudæos. Alias oues, inquit, habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. Quid hic coactum eſt aut contortum, aut denuum (vt tuis vtar verbis) quid hic fictum aut adulteratum eſt? quod ſi Petro tum commiſſæ fuiſſent oues Chriſti, conuenit vt Petri ſucceſſor (quiſquis ipſe fuerit) eadem ſolicitudine teneatur. Niſi quis dixerit pro ſolis illis (qui tum nati fuerant) Chriſtum obiiſſe mortem: ſanguinemque ſuum effudiſſe, quod plane falliſſimum eſt. Quamobrem ſi poſterorum curam habuiſſet Chriſtus, vt & habuit, & iam habet hauddubiè nihilò minorem, non ſolùm hanc ſolicitudinem Petro commiſit, ſed & ei quiſquis Petri locum & ſedem eſſet occupaturus. Neq; enim pro ſolis præſentibus, dixit Chriſtus: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Nam illi propediem moritori fuerunt. Quamobrem de ſucceſſione fidelium id debet intelligi, cum quibus (licèt non corporaliter) virtute tamen ſua præſens eſt Chriſtus, & erit ſemper ad finem vſque ſeculi. Ipſa ſucceſſio & generatio (de qua ſuprà diximus) perdurabit in æuum. Quando igitur & nos (qui iam in Eccleſia præſentes ſumus) nihilominus Chriſto curæ ſimus, quàm qui tum præſentes fuerant, neq; minoribus quàm illi verſamur periculis, æquum eſt vt quiſpiam loco Petri deputetur, cui iam pro præſentibus ouibus ſolicitudo committatur, quemadmodu & tunc Petro factú fuit.

LVTH. *Chriſtus enim amare & paſcere exigit. Illi verò impudenter contra os Chriſti dicunt, non eſſe neceſſarium amorem paſtori; cùm poteſtas ſit ferenda, etiam ſi in malo ſit vſu, & non amet.*

ECCIVS. Quid agis Luthere? Cur non probas, quod Petro non fuerunt oues à Chriſto commendatæ? Cur ad calumnias te conuertis? Quid hoc ad rem noſtram, ſi paſtor non paſcat, aut non amet? Nos an Petro ſuas oues paſcendas Chriſtus commiſerit diſquirimus, & non an Petrus rectè ſuum officium egiſſet. Tu iam aliud introducis, nimirum an amor paſtori neceſſarius fuerit, & an ferenda ſit po-

Ioan. 10.

Non tantum Iudæi, ſed omnes homines Petro commiſsi.

Mat. 28.

ſit poteſtas, quæ malo fuerit in vſu, & non amauerit gregem. Hæc certè cum extra cauſſam noſtram ſint, nihil ad me.

LVTH. *Deinde verbum paſcere, veneno ſuæ gloſſæ exponunt pro eo, quod eſt præſidere & ſuperiorem eſſe. Et ſic verbum Chriſti extinguunt, & contrarium ſenſum ſub eodem proponunt.*

EPISC. Inficiàs ire non potes, quin duplici verbo Chriſtus illic ſit vſus. Bis nimirum dicit, βόσκε, quod eſt paſce, & ſemel ποίμαινε, quod eſt vel rege, vel paſce. Quod verbum etiam habetur ſecundo Pſal. Rege eos in virga ferrea. Vbi Græcè ſcriptum eſt, ποιμανεῖς. Similiter & in Act. Apoſtolo. 2. cap. Attendite vobis, inquit Paulus, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, vbi pro verbo regere, habetur ποιμαίνειν. Ad hæc, 1. Pet. 5. ſic traduxit Hiero. ad Euagrium: Presbyteros in vobis precor compresbyter & teſtis paſſionum Chriſti, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda eſt particeps, regite Eccleſiam Chriſti. Vbi etiam Græcus codex habet ποιμάνατε. At regere certè præſidis & ſuperioris eſt. Quamobrem nec venenum aliquod ſubeſt huic gloſſæ, neq; per eam Chriſti verbum extinguitur, ſed neq; ſub eodem (quod tu tamen aſſeris) ſenſus proponitur contrarius.

Aliud eſt paſcere, aliud regere.

LVTH. *Dico ergo: Si poteſtas mala eſt ferenda, hoc non docetur à Chriſto in hoc verbo.*

EPISC. Satis apertum eſt ex ijs Chriſti verbis, oportere vnumquemq; (qui cupit ad ouile Chriſti pertinere) ouis habere ſymbolum, hoc eſt ſimplicitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Non enim murmurat aduerſus paſtorem vel iniquum ouis, non conqueritur, non conuiciatur, non gregem ſcindere parat, nec ſodales abducere meditatur. Væ (inquit Iudas) illis, qui in contradictione choræ perierunt. Et Paulò antè: Cum Michaël, inquit, Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Deus. Quòd ſi Michaël Archangelus ſic cum diabolo ſe geſſit, quis tu es, qui aduerſus poteſtatem à Deo conſtitutam, hoc eſt, aduerſus Eccleſiæ principem, tot & tam virulenta iacularis, imò fulminas conuicia. Ouem certè non dixerim, ſed omni vipera ſæuiorem.

In Epiſt.

LVTH. *Hic non niſi amans Chriſti Petrus requiritur, qui ſi amans Chriſti non fuerit, nihil ad eum verbum iſtud. Quare ſequetur, & Papam non eſſe Papam, ſi non amat Chriſtum: & eum qui amat, etiam non Papam eſſe Papam, ſi hoc verbo papatus inſtituetur. Amor, inquam, hic inſtituitur, non poteſtas, quæ ſine amore eſſe poteſt.*

EPISC. Petrus vtiq;, quia præ cæteris amplius amauit, hanc à Chriſto præ cæteris accepit prærogatiuam, vt cunctis illius ouibus ceu paſtor præficeretur. Neque ignorare potuit Chriſtus, quis præ cæteris eſſet ſui ſtudioſus magis. Et ſanè decebat eum, qui ad tantũ faſtigium ſublimaretur, ampliori quam cæteros amore Chriſtum proſequi. Veruntamen quia diuerſa res eſt primatus iſte, quàm amor, poteſt alter ab altero ſeparari. Et poteſt manere primatus, vbi non fuerit amor. Neque enim cum iſta Chriſtus Petro dixit, amorem tunc ei contulit, ſed amanti dedit primatum. Prius igitur amor fuit in Petro, cum non eſſet is primatus, & potuit etiam ex amore poſtea Petrus decidere, primatu manente nihilominus. Nam quàm diu non fuerat à Spiritu ſancto confirmatus, potuit hauddubiè peccaſſe mortaliter, & tibi certè ſic peccauit, etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum, quemadmodum in commentarijs tuis ad Galat. ſcribis. Perijt igitur amor manente primatu. Quamobrem & falſa ſunt hæc omnia, quæ colligere moliris. Neq; enim oportet, vt primatum amittat Papa, quoties non fuerit amans Chriſti. Neq; ſequitur. Papam non eſſe Papam, ſi non amet Chriſtum, Sed neq; quiſquis amauerit, hunc oportet eſſe Papam. Falſum & iſtud eſt, quòd hoc verbo (Simon amas me) papatus inſtituitur, cum hoc verbo duntaxat ſciſcitatur Chriſtus, nihil autem inſtituit. Falſum eſt & poſtremum, quòd ſine amore nequeat hæc poteſtas eſſe. Nam ſicut manet abſoluendi poteſtas, & baptizandi, atque etiam conſecrandi euchariſtiam, amore per peccatum ſublato: ita manet & hæc poteſtas, quanquam ad tempus deperierit amor. Cæterùm hic tu patriſſas, priores patres tuos, imitatus, hoc eſt, hæreticos, qui negant poteſtatem eiuſmodi ſpiritalem niſi ſuper amore fundatam. Quod & à pleriſque doctiſſimis copioſè ſatis exploſum eſt.

Primatus manere poteſt, vbi non fuerit amor.

LVTH. *Secundò verbum paſcere ſignificat, non præſidere, ſed ſeruire. Non enim poteſtatis, ſed ſeruitutis verbum eſt, licet & hic ſuis torſionibus, illuſionibus, & confuſionibus verborum, poteſtatem illam ſeruitutem faciant. Verùm cum paſcere ſit, Euangelium Chriſti prædicare & tractare: impoſſibile eſt, vt papatum ſignificet, cum aliud ſit eſſe Papam, vt videmus, & aliud Euangelij miniſtrum, vt non poſſint ambo eodem verbo ſignificari, niſi quomodo petra ſignificauit illis papatum & Fidem Chriſti.*

EPISC. Dixi ſuprà, Chriſtum hic duobus verbis vſum fuiſſe, quorum alterum ſignificat paſcere & regere: alterum paſcere duntaxat. Vtrumque ad Papam ſpectat, nimirum eſurientes verbo paſcere, & duros regere virga iuſtæ correctionis. Neque quicquam obſiſtit impugnatio tua. Quoniam & ſi pontifices nunc alijs preſſi negotijs regnent ſolùm, non paſcant, fuere tamen optimi pontifices, qui munus vtrumque, tam regendi, quàm prædicandi, per ſeipſos impleuerunt. Quanquam igitur alterum verbum obſequium indicet magis, quàm poteſtatem, & ſeruire potiùs, quàm præſidere: tamen alterum ediuerſò poteſtatem, & præſidentiam inſinuat potiùs, quàm ſeruitutem. Neq; repugnant iſta mutuò, quando & Chriſtus mandauit, vt qui maior inter eos foret, eſſet idem tanquam minor: & qui princeps, ſicut miniſtrator. Porrò de petra quid ſignificet, ſatis ſuperque ſuprà diximus.

Tam regere quam paſcere ad pontificem attinet.

LVTH. *Eademq; ratione concluditur, toties Eccleſiam ſine papatu eſſe quoties Papa nec amat, nec paſcit, id quod & verũ eſt.*

EPISC. Quid quando dormit Papa? quid cum aduerſa laborat valetudine? quid cum negotijs vrgentiſſimis occupatur, vt otium prædicandi nullum ei ſit? Num toties Papa nõ erit Papa? Sed & quis tam confirmatus eſt, vt nunquam peccet mortaliter?

Propter peccata non amittitur Papatus.

Quòd ſi tunc papatum amiſerit, quomodo recuperabit ipſum, quæſo? Num oportet vt denuò iam eligatur? Et certè ſi peccato pontificatum amittat, non poteſt non inuaſor eiuſdem eſſe, donec ab electoribus iteratò ius ei reſtituatur. Quod & toties oportet fieri, quoties illum peccare contigerit. Sed hæc quis non videt, quàm ſint abſurda, & quanta paſſim ex his incommoda ſequantur.

LVTH. *Nam vbi non eſt verbum Dei, ibi non poteſt eſſe Eccleſia, cùm per verbum naſcatur, alatur, viuat, & ſeruetur. cum autem Papa multis ſeculis, nec amauerit, nec pauerit, vbi manſit Papatus & Eccleſia? Præſertim cum Eccleſiam ſine Papatu, id eſt, amore, & paſtu eſſe non poſſe tam fortiter aſſerant.*

EPISC. Iſta parum ſibi cohærent. Primùm illud verum eſt, quòd Eccleſia durare non poteſt ſine verbo Dei, cum per ipſum naſcatur, alatur, viuat, & ſeruetur. At quid prohibet interea per alienum, quàm per pontificem ipſum Eccleſiæ verbum Dei miniſtrari, cum pontifex legitimè fuerit impeditus? Atq; ita Pontifex manebit Pontifex, & Eccleſia ſeruabitur incolumis, alio quopiam verbum adminiſtrante. Non probo tamen quòd pontifex (niſi cum vrgentibus negotijs occupetur) Eccleſiam non paſcat. Veruntamen ſi neglexerit hoc facere, non protinus ob id adimitur ei pontificatus. Nulla enim conſequentia iſtud ſubinfertur: Non concionatur pontifex, ergo non eſt pontifex. Neq; eſt quiſquam, qui vel papatum aſſerat abſque amore & paſtu, vel Eccleſiam ſine pontificis amore & paſtu nequaquam eſſe poſſe, præter vnum Lutherum, & qui lepra pari laborant.

Eccleſia eſſe poteſt abſque pontificis paſtu.

LVTH. *Verum ad hac rationes oculos & aures claudunt, qui tamen, ſi viceſimam partem huius roboris pro ſe haberent, cœlum & terram clamoribus replerent, cum nec ſic vociferari deſinant, cùm nihil niſi mendacia infirmiſſima pro ſe habeant.*

EPISC. Miror impudentiam tuam, qua te non pudet has rationes vocare, cum nihil ſint minus. Meri cauilli ſunt, & ineptiæ meræ: nihil omninò rationis habentes. Malè profectò ſentire videris de præſentis ætatis ingenijs, ſi putes ea non poſſe deprehendere, quàm ſint inania, friuolaque, quæ adduxeris, & tamen de ijs gloriaris perinde ac ſi eſſent robuſtiſſima. Quis ferre poſſet hanc tuam comparationem, qua negas pontificis fautores, vigeſimam habere partem tui roboris, cum illi pro ſua ſententia tantam habeant confœderationem, & veteris & noui teſtamenti, cum tot celebratiſsimis auctoribus, tot ſcripturas ex Euangelio, & Actis tam apertiſsimas: tu verò quàm pauciſsimos ex auctoribus affers, & eoſdem vel non intellectos, vel alijs ſibi contradicentes locis. At ex ſcripturis nullum omnino produceis teſtimonium, quod non vel inefficax ſit, vel non contra tuam potius opinionem faciat. Et tamen cœlum & terram reples clamoribus, neque deſinis vociferari, tanta eſt audacia, & inuerecundia tua, cum nihil tamen aſſeras, quod perſpicacibus alicuius momenti ſit. Sed vt tua in te tegeramus, mera mendacia multiplicas, & eadem infirmiſsima. Magnam certè congeriem in tua reſolutione ſuper poteſtate Papæ cumulaſti, quorum quædam hoc loco, quę prę cęteris digna viſa ſunt, quibus reſpondeatur, recenſebimus. Illud in primis quod ex Actis allegas: Petrum & Ioannem ab alijs apoſtolis miſſos fuiſſe Samariam, quàm nihil pro te faciat, ſuperiùs oſtendimus. Sed & illud Chriſti: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut miniſtrator, Si Hieronymi, ſimul & Eraſmi traductionem ſequamur, nihil inſeruit tibi. Sic enim hi tradiderunt: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior, & qui princeps, ſicut qui miniſtrat. Hic certè Chriſtus quanquam ad humilitatem inuiter, affirmat tamen inter eos quendam eſſe maiorem & principem, id quod aduerſum te palàm facit. Cæteri (quos producis ex Euangelijs) loci, eandem rem tractant, hoc eſt, hortantur ad humilitatem, quam ſi Romani pontifices, pompa, faſtuque ſepoſitis, aliquando præſtarent, nihil haberes, quod vel hiſceres aduerſum eos. Atque vtinam vel tandem aulæ ſuæ mores reformarent, ambitione, auaritia, luxu fugatis. Alioqui nunquàm iſtiuſmodi maledicis, ſilentium imponent. Porrò quæ ex Actis ad oſtendendam Petri cum cæteris Apoſtolis æqualitatem citas, tantum abeſt, vt pro te faciant, vt & noſtram partem adiuuent plurimum, quemadmodum ſuprà docuimus. Præter has ſcripturas (quoad ſcio) nullam attuliſti, cum quibus ſi quis noſtras conferat, facilè videbit, quantum te numero ſcripturarum ſuperamus. Ex auctoribus verò tres duntaxat illic memoras, Hieronymum, Cyprianum, & Gregorium. Et hi profectò ſi tibi quicquam ſtatueant, parum conſtabunt ſibi, quòd in tantis auctoribus neuus eſt, & macula nequaquam admittenda. Hieronymum primo loco citas in Epiſt. ad Euagrium, vbi presbyteros (vt ais) pares facit Epiſcopis. Verùm ſi diligẽtiùs expẽdas, quid hîc Hiero. moliatur, intelliges cur hoc loco tantopere presbyteros extulerit. Faciunt plerunque ſcriptores, quemadmodum hi, qui cum virgam curuam dirigere ſtudeant, tantò magis eam retrorſum flectunt, quantum in contrariam partem antè fuerat inclinatior. Quod & Hieronymus hoc loco facit. Diaconum enim quendam, qui ſe presbyteris antetulit, reprimere conatur, ob quam rationem presbyteros tot verbis efferre ſtudet. Sed lege Hieronymum alijs locis, quos ſuprà citauimus, & perſpicies neminem Romanæ ſedis & pontificiæ dignitatis aſſertorem ſeueriorem eſſe, quàm Hieronymum. Legas etiam eiuſdem Epiſtolæ calcem, quæ ſic habet: Et vt ſciamus, inquit, traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, quod Aaron, & filij eius, atq; Leuitæ in templo fuerunt: hoc ſibi Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Eccleſia. Hoc Hieronymus in eiuſdem ad Euagrium epiſtolæ calce. Aduerte primùm hic diſcrimen poſitum inter Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, ex traditionibus Apoſtolicis ad nos manaſſe, quæ non ſunt minoris auctoritatis, quam ipſæmet Apoſtolicæ ſcripturæ. Deinde quod hoc diſcrimen deprompſerint Apoſtoli ex veteri teſtamẽto, vbi

Loca quædam ex reſolutione Luth. de poteſtate Papæ diluta. Primum.

Secundum.

Tertium.

Ob quam Hiero. presbyteros tantum extulit.

Diſcrimen epiſcoporum, ſacerdotum, & diaconorum.

ſimiles

ſimiles tres ordines fuerunt, hoc eſt, Aaronis, filiorum eius, & Leuitarum. Quis ignorat Aaron ſummum fuiſſe ſacerdotem, & longè maiori prędicum poteſtate, quàm cæteros inferiores? Nam
Hebr. 9.
vt Paulus ad Hebræos teſtatur: Solus Pontifex quotannis, ſecundum tabernaculum (quod ſanctum ſanctorũ dicebatur) ingreſſus eſt (id quod cæteris non licuit) ſacrificandi gratia. Sed & huius imperio qui non obtemperabat, morte fuerat plectendus. Non ita cæterorum imperio ples tenebatur obedire. Ecce quemadmodum Epiſtola quam citas, ſummi pontificis auctoritatem non mediocriter commendat. Nec obſiſtunt ea teſtimonia, quæ ex Petro, Paulo, Ioanneq; producit. Nam eadem inducit in Epiſtola ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, vbi tamen presbyterum
Epiſcopus presbyteri lex eſt. Epiſcopus Chriſto, presbyteri Apoſtolis comparantur.
ab Epiſcopo diſtinguit, & Epiſcopum aſſerit eſſe legem presbyteri, presbyterumque ætatis nomen eſſe, Epiſcopum verò dignitatis. Presbyteros adhuc Apoſtolis reſpondere facit, ſed Epiſcopum Chriſto. Ac demum vt celſiorem omnibus Epiſcopum oſtendat, ſic ait: In foſſarijs ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt: In oſtiarijs, doctores: In lectoribus, Prophetæ: in ſubdiaconis, Angeli: in diaconibus, Archangeli: In presbyteris, Apoſtoli: in Epiſcopis, Deus. Hæc Hieronymus illic. Nec eſt vt quiſquam cauilletur, hanc non eſſe Hieron. quandoquidem ipſe ſtylus rem palàm indicat. Nec obſtat, quòd etiam ad Damaſum ſcripta legatur. Potuit enim eam Hieron. ſcripſiſſe duobus, & potuit nunc integram nunc truncatam édidiſſe. Porrò quantum ad commentarios in Tim. attinet, quis dubitat ipſum aliorum opiniones crebrò referre? Quod & ipſe teſtatur, in ſua defenſione ad Auguſt. ſcri-
Cyprianus.
bens. Et hactenus pro Hieronymo. Cyprianus autem, niſi velis eum ſibi repugnantem efficere, nobis apertiſſimè ſuffragatur, nimirum in illis teſtimonijs, quæ ſuprà protulimus. Sed & idem epiſtola 2. lib. 3. ſcribit ad Cornelium pontificem ſummum, ſe non priùs quoſdam (qui negarunt primatum ſummi pontificis) intra ſuam Eccleſiam admiſiſſe, quàm ipſi primatum illum denuò confiterentur, in hunc modum: Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ erectum à Deo omnipotenti, & Chriſto domino noſtro ſcimus. Nos errorẽ noſtrum confitemur. Circumuenti ſumus perfidia loquacitate factioſa amentes, videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico homine habuiſſe. Syncera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit, nec ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus; vnum Spiritum ſanctum, vnum epiſcopũ in Catholica Eccleſia eſſe debere. Hęc Cyprianus. Ecce Cyprianus adegit eos, primatum ſummi pontificis palàm confiteri, Corneliumq; tum Rom. pontificem ab omnipotenti Deo, & Chriſto Ieſu fuiſſe toti Eccleſiæ erectum, debereq; in Eccleſia Catholica vnum epiſcopum eſſe, quemadmodum in eadem eſt vnus Deus Pater, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, & vnus Spiritus ſanctus. Deinde quantum ad Grego-

Gregorius.
rium ſpectat, eiſdem verbis quæ ex ipſo producis, teipſum condemnas: & diluis cuncta, quæ ex eodem citâras. Gregorius, inquis, primus lib. 4.
Gregorij teſtimonio ſeſe iugulat Lut.
regiſtri, epiſtola. 32. licèt per auctoritates illas, paſce oues meas, & tu es Petrus, &c. Petro apoſtolorum principi, totius Eccleſiæ curam à Domino commiſſam dicat: tamen in hac cura nullum Epiſcopum ei ſucceſſorem patitur. Hactenus tua verba ſunt. Vides quemadmodum pro nobis faciat prior huius ſententiæ pars, nempe qua fateris Gregorium ex illis duabus ſcripturis aſſeruiſſe, Petrum apoſtolorum fuiſſe principem, eidemque totius Erelesiæ ruram à domino fuiſſe commiſſam. Hæc pars copioſè pro nobis militat. Alteram verò partem, nempè quòd Gregorius in hac vniuerſali cura nullum epiſcopum Petro ſuccedere patitur, qua ratione ſtatuere conaris, iam dicam. Nimirum ex eo quod in eadem Epiſtola ſequitur. Sic, inquis, ait Gregorius: Cura totius Eccleſiæ, & principatus Petro committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur. Ex hoc probatum putas, quòd Gregorius nullum, in hac generali cura patitur epiſcopum Petro ſuccedere. Sed qualis iſta probatio eſt, Petrus non vocatur vniuerſalis apoſtolus, ergo non erat vniuerſalis, nec ſucceſſorem habuit, cui commiſſa fuerat vniuerſalis Eccleſiæ cura. Quanquam enim humilitatis gratia talem nuncupationem renuerit Petrus, fuit nihilominus reuera talis, id quod Gregorij verba confitentur. Nam Gregorius affirmat, totius Eccleſiæ curam, & principatum fuiſſe Petro commiſſum. Et quis non eſt Eccleſiæ Pontifex vniuerſalis habendus, cui totius vniuerſalis Eccleſiæ cura, principatusque committitur? Non igitur hac ratione Lutherus conuincit, quòd Gregorius non patitur aliquem Epiſropum in hac cura Petri Succeſſorem fuiſſe. Neque enim ſequitur: Non patitur Gregorius quenquam dici & vocari vniuerſalem; Ergo neminem patitur vniuerſalem eſſe, aut quòd non patitur in illam Petri generalem & vniuerſalem curam, alium vllum ſuccedere. Certè quicquid de Petri ſucceſſoribus in Eccleſia Romana Gregorius ſtatuiſſet, omnino pati non debuit, Antiochenum Epiſcopum vniuerſalem vocari. Et quanquam recuſaſſet ipſe Gregorius nomen vniuerſalis, cum ei per Synodum Calcidonenſem fuiſſet oblatum, non id fecit, quia non reuerà fuerat vniuerſalis, ſed ambitionis vitandæ cauſa, & vt cæteris exemplum præberet, fugiendi nomina tam glorioſa. Neq; certè credendum eſt, tantam Synodum (ſi non eo nomine Gregorius fuiſſet dignus, aut non diuino iure ſic vocari licuiſſet) hoc illi nomen vnquam in gratiam adulanter obtuliſſe. Et hactenus pro Gregorio. Cernis igitur, quàm nihil pro te faciant auctores iſti. Et præter hos tres, alium recenſuiſti neminem. Cæterùm & hos, & cæteros tam Græcos, quàm Latinos, pro noſtra parte ſubſcribere, ſuperiùs palàm conſtitit. Hiſtorias demum, & ratiunculas congeris. Sed quantum ad hiſtorias attinet, cum ſingula (quæ ex ijs producis) facti ſint, non iuris, nihil ad nos. Ratiun-

Ratio Lutheri.

culæ verò quales fuerint, vel ex hac vna metiemur cæteras, hanc inuenies lector inter Hiſtorias & rationes loco nono poſitam. Sic enim illic ratiocinatur: Quid ad hoc dicemus? Veráne illa ſententia, quam tota Eccleſia, omnia etiam decreta, omnes doctores tenent, eſſe videlicet Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, vt diſt. 21. cap. In nono. Si eſt falſa, quid iactatur tanta auctoritate. Si vera, quomodo ſolus Rom. pontifex eſt ſucceſſor vnius Apoſtoli Petri, & cæteri omnes Rom. pontificis ſunt ſubditi? Cur non & alij Apoſtoli habent ſucceſſores, aut fuerunt cæteri Apoſtoli ſucceſſores vnius Petri? Cur cæteris Apoſtolis auſertur ſua gloria, & tribuitur ſoli Petro? Cur non quilibet Epiſcopi habent, quod Apoſtoli eorum habuerunt? Cum Romanus habeat quod Petrus, ſuus ſucceſſor habuit. Muta ergo verbum & dic, quòd Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, ſed vnus Epiſcopus Rom. eſt vnius apoſtoli ſucceſſor. Summa rationis eſt: Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores, ergo ſicut Petro ſuccedit Rom. Epiſcopus, ita cæteris Apoſtolis Epiſcopi cæteri. Sed attende lector, quanti Lutherus venditat hanc rationem. Iſta ratio fateor (inquit) niſi ego ſum inſenſatior trunco, cogit & omnium obſtruit os, eſſe Epiſcopos omnes æquales. Hactenus de ratione Lutheri.

Rationis Luth. confutatio.

Nos autem principiò reſpondemus, Decretum, iam citatum, plurimùm aduerſari Lutheri inſtituto. Nam planè teſtatur Petrum Apoſtolorum fuiſſe Principem, quippe quem primum à Chriſto ligandi, ſoluendique poteſtatem aſſerit accepiſſe. Legat quiſquis velit Decretum, ſic prorſus inueniet. Deinde negamus illic inueniri, quòd Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Nuſquam enim ea verba leguntur in toto Decreto. Verùm ſic habetur: Ipſis (hoc eſt Apoſtolis) decedentibus, in loco eorum ſurrexerunt Epiſcopi, hoc eſt, Apoſtolos Epiſcopi referebant, non quòd in locum cuiuſuis Apoſtoli quiſpiam ſucceſſerit Epiſcopus. Sed & ipſa verba de cæteris vndecim, Decretū accepit & non de Petro. Nam poſtquam decretum aſſeruerit Chriſtum voluiſſe Petrum Apoſtolorum eſſe principem, illico ſubiungit: Qui etiam iubente domino, in toto orbe terrarum diſperſi, Euangelium prædicauerunt. De illis nimirū Apoſtolis hoc dicitur, quorum Petrus conſtitutus fuit à Chriſto princeps. Neque enim ſuiipſius princeps eſt dicendus. Et tum proximè ſequitur: Ipſis quoque decedentibus, in loco eorum ſucceſſerunt Epiſcopi. Nec dixit, in locis eorum, ita vt cuilibet Apoſtolorum quiſpiam ſuccederet Epiſcopus, ſed in loco eorum, hoc eſt, iuxta mentem Decreti, quòd apoſtoli ſub Petro typum geſſerunt Epiſcoporum, quemadmodum & Paulò pòſt aſſerit. 72. diſcipulos typum præsbyterorum gerere, vt iam in Eccleſia Romanus pontifex, Petrum omnium principem referat, qui & vices geſſit Chriſti: poſt ipſum Epiſcopi cæteros repræſentent Apoſtolos: tertio quoque loco presbyteri, 72. diſcipulos exprimant. Hoc planè Decretū ſentit. Stat ergo Romanū pontificem, ſolum Petri ſucceſſorem eſſe, quia verè ſuccedit in ſedem Petri, nedum eum refert. Cæteri epiſcopi loco cæterorum Apoſtolorū ſunt: quia referunt eos, non quia ſucceſſerint in eorum ſedes. Quis hodie, vel Ioannis, vel Andreæ, vel Iacobi, vel alicuius cæterorum occupat ſedem? Stat & Romanum pontificem cæteris Epiſcopis prælatum eſſe, quemadmodum & Petrus Apoſtolorum princeps fuerat. Et hæc demum ſucceſſionis gloria, cæteris adempta eſt Apoſtolis, ſolique Petro collata, vt aliquando tandem intelligas, Petro totius orbis terrarum curam fuiſſe commiſſam, & ab ipſo ceu capite quodam & fundamento poſt Chriſtum, Eccleſiam promanaſſe. Quam promanationem inferorum portæ nunquam interrumpere præualebunt. Sed nimia prolixitate fatigo lectorem. At non poſſum aliter huius hominis ineptias detegere.

Ro. pont. Petrum & ſuccedit & refert. Cæteri Epiſcopi Apoſtolos ſolum referunt.

Alteram & huic ſimilem illic eueſtigio rationem ſubdit, quam quia inuictam vocat, identidem ſubijciemus. Reſponde inquit, ſi Roma. pontifex præcepto Dei eſt vicarius generalis in tota Eccleſia, ſequitur ineuitabiliter peccare eos, imò eſſe hæreticos, qui non ſub eo fuerint. At tunc Eccleſia tota primitiua, ſaltem vſq; ad 400. annos cum tot martyribus & ſanctis heretici erunt. Obſecro quid prodeſt tantam blaſphemiam in Eccleſia pro ſumidę poteſtatis pompa ſtatuere? Deniq; etiam S. Petrus erit hereticus, qui ante Rom. Eccleſiam cum apoſtolis fuit Hieroſolymis, vincit me hæc ratio inuicta. Reſpondemus, Romanus pontifex diuino iure, & prærogatiua, quæ per Chriſtum Petro donabatur, vicarius eſt in tota Eccleſia generalis. Nec tamen ſequitur ineuitabiliter eos omnes peccare, & hereticos eſſe, qui primatū hunc non agnoſcunt, ſi tamen id non fecerint, ingenio malo & animo pertinaci. Poteſt enim vel ſimplicitas eos excuſare, quòd non aduerterint, vel quòd non exegerit ab eis hanc obedientiam Rom. pontifex. Suprà diximus enim Corinthios diuinò iure victum Paulo debuiſſe, quem tametſi nec ipſe petijt, nec illi præſtiterunt, non obid, aut is, aut illi peccauerunt, nec erant habendi tanquam hæretici. Veruntamen ſi Paulus iſtud ceu debitū quoddam exegiſſet, tum certè quiſquis recuſaſſet reddere, peccaſſet mortaliter. Et ſi pertinaciter docuiſſe nō reddendum planè fuiſſet hæreticus. Sic & ſi qui ſint, qui ſubduntur Roma. pontifici, cum ipſe nullam ab eis exigit obedientiam, nec illi nulla id proteruitate non præſtent, non facilè dixerim eos, aut peccare, aut hæreticos eſſe. Cæterùm ſi quis animo proteruo, vel non ſubditur Romano pontifici, vel dogmatizat nō debere cunctos eos ſubdi, is & peccat & hæreſim tenet hauddubiè, nec poteſt in bonam partem vlla, vel pro Boëmis, vel pro Græcis, afferri excuſatio. Super qua re & diua Brigitta, fœmina ſanctiſſima, diuiniſque viſitationibus clariſſima, talem accepit reuelationem. Nam libro ſeptimo reuelationum eius, capite decimo nono ſcriptū eſt, Chriſtū hęc illi, inter cętera dixiſſe: Græci hi qui ſciunt, quòd omnes Chriſtianos tenere oportet vnam tantùm fidem Chriſtianam Catholicam, & vni tantummodo ſubeſſe Eccleſiæ Romanæ,

1. Cor. 9.

manæ, vnumque ſolum vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum pontificem, ſupra ſe ſpiritualem habere paſtorem, & tamen nolunt ſe eidem Eccleſię Romanę, & vicario meo ſpiritualiter ſubijcere, & humiliter ſubiugare, propter eorum pertinacẽ ſuperbiam, aut propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, ſiue propter aliquod aliud, quod ad mundum pertinet, indigni ſunt poſt mortem, veniam à me & miſericordiam obtinere. Alij verò Græci qui deſideranter vellent, ſed ſcire non poſſunt, tamen ſi ſcirent, & poſſent, deuotè & libenter ſuſciperent, & Rom. Eccleſiæ ſe humiliter ſubiugarent, & nihilominus ſecundum ipſorum conſcientias, in ſtatu & Fide ſua in qua ſunt, abſtinent à peccando, & piè viuunt, iſtis talibus poſt ipſorum mortem in ſupplicijs miſericordia mea debetur. Hactenus ex reuelatione. Ex his profectò dilucidum eſt, rationem (quam ſic iactaſti) non ſolùm nõ inuictam, verumetiam nullius omnino ponderis eſſe. Sed & Græcorum imperium huius ſanctiſſimę fœminæ minas perſenſiſſe creditur. Nam potuiſſ & ad hunc perſtitiſſe diem, modò permanſiſſent ipſi in obedientia, quam dudum Eccleſiæ Romanæ præſtiterunt. Quoniam & in eadem reuelatione Chriſtus Brigittæ dixiſſe legitur: Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium & regna ſiue dominia nunquam ſtabunt ſecura, neq; in pace tranquilla, ſed inimicis ſuis ſemper ſubiecti erunt, à quibus & grauiſſima damna ſuſtinebunt, & miſerias diuturnas, donec ipſi cum vera humilitate, & charitate Eccleſiæ & Fidei Romanæ ſe deuotè ſubiecerint. Hoc certè dictum fuit longè priùs quam perfido Mahumeti Conſtantinopolis in prædam data fuit. Sed quia minas iſtas parùm curarunt, imò contempſerunt, idcirco iam & totũ amiſerunt imperium. Nec alia ſanè ratione crediderim alias nationes, quæ dudum Chriſtianæ fuerunt, ſua pariter amiſiſſe regna, nempe quia pontifici Roma. colla ſubdere recuſârunt. Quando igitur has rationes, de quibus tantopere fidit Lutherus, vt eas vocet inuictas & potentes ora cunctorum obſtruere, ſi tamen ipſe non fuerit inſenſatior trunco, iam conſtat nec pilo dignas eſſe: quid de reliquis opinandum ſit, lectoris iudicio duxi relinquendum.

Ratio quare multorum regna perierunt.

LVTH. *Reliquum eſt ergo, vt ſicut Auguſt. & ipſemet ſentiunt hunc locum Ioannis, nihil ad monarchiam, ſed ad generalem omnibus paſtoribus Eccleſiarum doctrinam pertinere.*

EPISC. Semper mihi ſuſpectus videris Luthere, quoties Auguſtinum citas, non indicans eius rei locum pro qua illum producis. Nam & in ſuperioribus deprehenſus es, & mendaciter eum recenſuiſſe, cum locum non indicaris. Neque enim dubito, ſi palam pro te facerent eius verba, non prætermiſiſſes ea recenſere, ſimul & oſtendere locum. Nuſquam equidẽ apud eum legi, quòd is locus nihil ad monarchiam Petri faciat, nec opinor te poſſe docere, quonã loco ſic dixerit. Vnum ſcio, quòd Auguſtinus vbiq; Petrum facit primum & principem Apoſtolorum, ac magiſtrum & caput cæterorum, in quo & cæteros contineri dicit, ſicut in capite cuiuſuis familiæ reliqua comprehenditur multitudo. Quando igitur Chriſtus hîc eidem Petro ſuarum ouiũ tradit curam, quod & Auguſtinus apertè confitetur, quomodo non illum etiam hoc loco præficit, & præponit cunctis? Quiſquis enim ouem Chriſti ſe confitetur, eum ijs verbis oportet ſubijci Petro. Propter quod & Chryſoſtomus hunc locum enarrãs, Petrum etiã principem apoſtolorum vocat, & totius orbis terrarũ curam aſſerit hîc ei fuiſſe commendatam. Nec certè quicquam id minuit auctoritatem Petri, quòd ipſe typus ſit cæteris Eccleſiarum paſtoribus, à quo & ipſi generalem paſcendi doctrinam accipiant. Nullus enim ſcripturę locus ita cuidam eſt accommodatus perſonæ, quin & inde cæteri complures exemplum trahere queant.

Qui ſe ouem fatetur, Petro ſe ſubijcit.

LVTH. *Et eam Eccleſiam quæ ſub Papa regitur, quia ſine amore & paſtu verbi Dei regitur, nihil minus quàm Eccleſiam eſſe.*

EPISC. Profectò ſi tam diu ſteterit Eccleſia Romana ſine amore & paſtu verbi Dei, quis non inde ſolidiùs confirmabitur, vt prædictis Chriſti verbis credat? Quippe cum ipſe pollicitus antè ſit, portas inferi nequaquam aduerſus Eccleſiam (quæ ſuper Petrum conſtituta eſt) præualituras. Nam video nunc illam perpetuari ſolo Chriſti vaticinio, non aliquo merito pontificum. Sed tibi Fidem adhuc Luthere non habeo, quin in vrbe illa plurimi ſint, qui non ſolùm ament, verumetiam creberrimè cæteros inſtruant in verbo Dei.

LVTH. *Et ipſum Papam nihil minùs quàm paſtorem Eccleſiæ Dei eſſe, ſed idolum aduerſarium Chriſto & Euangelio eius.*

EPISC. Hoc eſt quod moliris. Huc ſpectant omnia quæ garris. Solo Romanorũ odio rem hanc peſſimam aggreſſus es. Doluit ſanè tibi tot moleſtias audire, quas Romani Germanis tuis inferunt. Quas cum aliter amoliri nequeas, nullum non moues lapidem, quò pontificis auctoritas, aut tollatur funditus, aut certè minuatur. Quo fit, vt torqueas, & per vim trahas ſcripturam ſacram in ſenſum omnino repugnantem, nihilq; non magis, quò Romanis inuidiam concites apud cunctos. Sed eſto, patria tibi chara fuerit, certè pro religione, quam es profeſſus, multò chariores eſſe debere Deus & ſcripturæ. Fruſtrà niteris aduerſus Deum. Gamalielis illud nõ ignoras: Si eſt ex Deo, ſtabit. Stabit vtique, velis nolis, Eccleſia Romana. Schiſmatis quidem auctor eſſe poteris, Nam & diſceſſionem futuram Paulus prædixit. Sed væ homini illi, per quem diſceſſio fiet. Poſtquam omnia feceris Luthere, manebit Petri ſucceſſor, qui ſi mores aliquando ſuæ curiæ reformare ſtuduerit, non dubito quin te valde pœnitebit horum.

Act. 5.
2. Theſ. 2.
Schiſmatis auctor Luth.

LVTH. *Vbi ergo nunc ſtabit ſublimis iſte primatus? poſtquam duo hi loci, quibus nititur principaliter, prorſus contra eum facere conuincuntur.*

EPISC. An conuiceris, aliorum erit iudicium. At certè calumniarum & conuiciorũ aduerſum hos locos, abundè ſatis congeſſiſti. Sed hoc non eſt conuincere. Hi nimirum loci cum tot ſcripturis, ac ſanctorũ patrum aſſertionibus vſqueadeo colligantur, & indiſſolubiliter adglutinantur, vt infirmari nõ poſſint, niſi cęteris omnibus infirmatis. Si quicquam valeat, aut Pauli, aut Lucę dialectica,

me, inquit, ab ipſa ſede Petri (cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem dominus commendauit) vſq; ad præſentem epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum: Hanc haud dubiè ſucceſſioné arbitramur generationem illam intelligi debere, de qua Chriſtus in euágelio dixit: Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Mat. 13.

Hæc, inquá, quæ tunc cœpit. Neq; enim cuiquam dubium eſſe poteſt. Apoſtolos ipſos iá præteriſſe, ſimul & cæteros vniuerſos, qui tum ſuperſtites erant, nec tamen ad hunc vſq; diem, impleta eſſe cuncta, quæ tum prædixerat Chriſtus. Palàm eſt igitur, ea verba de Chriſtianorú generatione, quæ à Petro tunc ſumpſit Initium, intelligi debere. Et certè non abſque ſumma Dei prouidentia curatum eſt, vt Petrus in ea mundi parte ſedem firmaret ſuam, vnde continua nobis, & interrupta, pontificum & ſacerdotum ſucceſſio, propagata ſit. Diſcurne per cæterorum Apoſtolorum ſedes, & iam aut omnes vacuas inuenies, aut non legitimos habere ſucceſſores. Nec Paulus, nec Ioannes, nec Iacobus, neq; cæterorum fermè quiſquam, ſucceſſionem hodie reliquit vllam. Soli Petro, ſua ſucceſſio permanſit incolumis. Quamobrem & huic rectè dictum fuit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam. Quam profectò ſucceſſionem, cum nec tyranni nec hæretici, nec machinæ demum vllæ diabolicæ, hactenus infringere valuerunt, aptè ſubiunxit Chriſtus: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Sedes Petri firmata Romæ.

Soli Petro ſua ſedes manet incolumis.

LVTH. *Hic per petram intelligunt poteſtatem Petri ſeu Papæ monarchiam illam, ſuper quam ædificari volunt totam Eccleſiam, id eſt Eccleſiam ſubijci huic poteſtati. Hæc adulteratio & deprauatio huius verbi Chriſti, & impiiſsima, & intolerabilis eſt.*

EPITAC. De poteſtate monarchica diſquiremus aliàs. At interea conſtat per petram in ijs verbis Petrum intelligi poſſe, quemadmodum iam explicauimus. In qua re certè nihil ipſis verbis adulterationis aut deprauationis à nobis illatum eſt, quin potiùs ſenſum verè germanum eis reddidimus. Cui & ſpectatiſsimi conſentiunt ſacrarum literarum interpretes. Et Hieronymus imprimis, qui rem aperit citra fucum omnem. Nam ſuper Matt. ipſa Chriſti verba ſic interpretatur: Ego, inquit, dico tibi. Quid eſt quod ait, Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: et ego dico tibi, non ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe & feciſſe eſt: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraq; ex domino ſortiti ſunt vocabula; ita & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Ac ſecundum metaphoram petræ rectè dicitur ei. Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te: Hæc Hieronymus. En ſuper Petrum ædificanda fuit Eccleſia: Ædificabo, inquit, Eccleſiam meam ſuper te. Aſtipulatur & huic Chryſoſtomus homilia quinquageſima quinta, ſuper Matthæum. Hæc, inquam, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe Chriſtus pollicetur daturum Petro. Ita & pater ad Hieremiam dicebat. Sicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium pater, hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit. Et paulò pòſt ad lectorem ait: Tu verò mecum ex ijs omnibus, quanta ſit Petri poteſtas intellige. Ego tibi dico, inquit, Tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hactenus ille. Vides & hic ſuper Petrum ædificandam Eccleſiam eſſe. Baſilius item oſtendit idipſum aduerſus Eunomium, libro ſecundo, quanquá paucis. Per hanc, inquit, vocem Petrum intelligimus Ionam, qui fuit ex Bethſaide, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt. Qui quoniam Fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe ipſo ædificationem ſuſcepit. Hæc Baſilius. Ecce & hic affirmat Petrum Eccleſiæ in ſeipſo ædificationem ſuſcepiſſe. Ambroſius etiam apertiſsimè Petrum affirmat petram fuiſſe, ſupra quam Chriſtus erexit Eccleſiam ſuam. Pro ſoliditate deuotionis, inquit, Petrus Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiá meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus Fidei fundaméta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemq; contineat. Petra ergò pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait Apoſtolus: Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus, rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum poſuit, Petrus plantat: dominus incrementum dat. Dominus irriguum ſubminiſtrat. Hæc Ambroſius, ſermone quadrageſimo ſeptimo, de fide Petri. Subſcribit & huic Cyprianus, epiſtola quadam ad Quintinum. Nec Petrus, inquit, quem primum dominus elegit, & ſuper quem ędificauit Eccleſiam ſuam; cum Paulus de circumciſione poſtmodú diſceptaret, ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit; vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potius oportere. Ecce & hic multa notanda ſunt. Principiò, quòd Dominus Petrum primùm elegit, At non vocatione profectò, ſed dignitate. Deinde, quòd ſuper Petrum ædificauit Eccleſiam ſuam. Tertiò, quòd de primatu etiam facit mentionem. Et rurſum epiſtola 3. ad Cornelium: Petrus, inquit, ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens; ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Hæc Cyprianus. In quo nec diſſentit ab eo quem ſolitus eſt magiſtrum appellare, nempe Tertullianum. Nam is libro de præſcriptionibus hæreticorum, de Petro ſic interrogat: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Ecce quòd affirmat Petrum dictum fuiſſe petram ædificandæ Eccleſiæ

Super Petrum, teſte Hier. ædificata Eccleſia.

Petra Chriſtus, & petra Petrus dicitur, ſed diuerſa ratione.

Eccleſiæ, quodque regni cœlorum claues conſequutus ſit, & poteſtatem ſoluendi ligandique in cœlis & in terris? Et is Tertullianus ex antiquiſſimis Latinis erat, & temporibus Apoſtolorum vicinus. Hilarius quoque de Petro loquens, & eadem interpretans verba, ſuper Matthæum, ſic ait: Beatus hic eſt, vt vltra hominum oculos, & intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat contuens: ſed Dei filium cœleſtis patris reuelatione conſpiciens, dignusq; iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli Ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris, aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo. Hactenus Hilarius. Accedit his beatus Leo ſermone quodam de anniuerſario pontificiæ ſuæ aſſumptionis die, prædicta Chriſti verba pertractans, ait: Et ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Hæc ille. His aſſentitur & Gregorius libro vj. epiſtola xxxvij. ad Eulogium: Quis, inquit, neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum. Cui rurſum dicitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me, paſce oues meas. Itaque cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu, ſola Apoſtolorum principis ſedes, in auctoritate conualuit. Hæc Gregorius. Auguſtinus inſuper libro contra epiſtolam Donati, de Apoſtolo Petro ſermonem faciens, quanquam alibi petram Petri Fidem interpretetur, hîc tamen affirmat, quòd in Petro tanquam in petra, fundata ſit Eccleſia, ſuamque ſententiam confirmat carmine quodam Ambroſij, quòd de Gallo gallinaceo ſcripſit, nimirum iſto: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Et idem inter ſermones de tempore, ſermone xvj. eadem omnino verba recenſet, quę ſuprà protulimus ex Ambroſio. Sed & de ſanctis, ſermone xxvj. ſic ait: Primum ſignum mirabile, quòd beatus Apoſtolus Petrus fecit, claudo, pedum reſtituendo (vt diximus) veſtigia. Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, rectè priùs pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia Fidei fundamentum continet, ita & in homine, membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam pedes Chriſtiano curat, vt iam non trepidus quis, nec imbecillis poſſit ſupra petram Eccleſiæ ſtare, ſed robuſtus & fortis incedere. Hactenus Auguſtinus. Nec diſſentit Origenes, ad hunc modum ſcribens: Magno illi Eccleſiæ fundamento, petręque ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, vide quid dicatur à domino: Modicæ Fidei quare dubitaſti? Hoc Origenes homilia 5. ſuper Exodum. Intelligis ex ijs noſtram ſententiam, cui tot maiores Eccleſiæ, tam Græci, quàm Latini ſuffragantur, non adulterinam eſſe, neque verborum Chriſti deprauatricem. Nos itaque cum ijs, & ij nobiſcum ſentiunt, Petrum exordium Eccleſiæ Chriſti fuiſſe, & ab eodem Chriſti Eccleſiam profluxiſſe, velut à ſummo capite, & ſupremo poſt Chriſtum. Ab ipſo certè promanauit Chriſtianorum (qui iam ſunt, quique poſthac futuri ſunt) generatio: cuius & ſucceſſio perpetuabitur finem nullum habitura, quandiu ſeculum hoc durauerit. Nonne cernimus Chriſtianos è Sacerdotibus naſci, Sacerdotes autem ex Epiſcopis, Epiſcopos quoque ab ipſo pontifice ſummo (quoties neceſſe fuerit) propagari? ſed & ipſum denique qui iam ſummus eſt, ab ipſo Petro per ſucceſſionem, quæ nullis dæmonum inſidijs hactenus interrumpi potuit, rectiſſima quadam linea deſcendiſſe.

Eccleſiæ fundamentum Petrus.

Petrus exordium Eccleſiæ Chriſti.

Quòd euidenter monſtrabo, in hunc modum. Chriſtus dicit, quòd portæ inferi non ſunt præualituræ vnquam aduerſus hanc, ſiue petram, ſiue Eccleſiam ſuper petram ædificatam. Nihil enim refert, ſiue aduerſus petram, ſiue aduerſus Eccleſiam non præualere intelligantur, imò periculoſius eſt aduerſus petram, quàm aduerſus Eccleſiam præualere illas, cum ruente petra, Eccleſiam ſuper petram ſitam neceſſe quoque ſit ruere, non autem econtrà. Cum autem nemo poſſit negare, Papam & omnem poteſtatem eius ſæpius fuiſſe vnà cum ijs, qui ſub eo etiam pertinaciſſimè agunt, ſub peccato & impietate, peſſimoq; abuſu, ac per hoc portas inferi horribiliter in eos præualuiſſe, eoſq; occupauerint, maximè in hodiernam diem poſſideant, cum hodie non ſeruiat ea poteſtas, niſi ad vaſtationem Eccleſiæ, vt omnium ſenſu cognoſcere, manifeſtum eſt, petram aliud quippiam ſignificare, quàm poteſtatem illam portis inferi tam horribiliter ſubiectam & ſeruientem.

LVTH.

Per petram Petrum intelligi poſſe, multis aperuimus. Et ſtat inuicta prorſus interpretatio noſtra, ſtant & ſententiæ patrum inulctæ, quas antè memorauimus. Nihil his obſiſtunt illa tua blateramenta, quæ tot verbis effutiueras. Quid enim ſi præualuiſſent aſtutiæ dęmonum in quoſdam ex ſummis pontificibus? Succeſſio tamen hæc (quæ à Petro ſumpſit initium) omnino perſeuerat, nec violentiſſimis tyrannorum infeſtationibus, nec acerrimis hæreticorum argutijs, ſed nec vlla Satanæ malignitate valuit vnquam impediri. Manet Petrus, huius generationis immobile fundamentum. Nec ab hoc principio ſuo poteſt vllis aduerſariorum inſidijs Eccleſia diuelli. In quoſdam ex pontificibus, fraudes præualuiſſe diabolicas non refragor. Præualue-

EPISCI

runt & In Petrum, citrà quàm ad ipſum ea verba Chriſtus habuerat, nimirum quia peccato ſuccubuit. Et quem ex vniuerſa mihi dabis Eccleſia, qui non etiam interim peccato ſuccubuerit? Veruntamen aduerſus hanc Eccleſiæ promanationem à Petro, præualere dæmonum artes, nec potuerunt, nec poterunt vnquam. Quamobrem, per petram rectè Petrus intelligitur, & per Eccleſiam quoque promanatio Chriſtianorum à Petro, aduerſus quam inferorum portæ nunquã ſunt præualituræ.

Quid per petrã & quid per Eccleſiam.

LVTH. *Quare impiam & intolerabilem blaſphemiam eſſe dico, per petram, qua ſolus Chriſtus, id eſt, verbum & Fides eius inſuperabilis ſignificatur, intelligere poteſtatem illam monarchicam, Satanæ ſeruam & officinam. Sola enim Fides in Chriſtum eſt, quæ nullis inferi portis ad vllum peccatum poteſt ſubuerti.*

EPISC. Hæc inter cæteras, vna ex Strophis tuis eſt, nec ſanè rariùs abs re vſurpata: nempe cum vnum aliquid duabus aut pluribus, queat rebus accommodari, tu talem adhibeas fucum, vt vni ſoli, cæteris excluſis, appropriari videatur. Sed excutiamus quàm dialecticè idipſum facias. Tria quidem ſunt, Petrus, poteſtas Petri, & Fides. Tu colligere ſtudes, ſuper Fidem, cæteris excluſis Eccleſiam ædificatam eſſe, & quòd aduerſus fidem, præualere nequeant inferorum portæ. Num igitur hæc conſequutio tibi iuſta videtur? Non ſuper Petri poteſtatẽ ædificatur Eccleſia, ergo ſuper ſolã fidẽ ædificatur? Et ſimiliter iſta: Portæ inferi præualuerunt aduerſus poteſtatem Petri, quamobrẽ non de poteſtate Petri, ſed de ſola Fide Chriſtus eſt locutus. Primùm hæc poſterior conſequutio tua multifariam vitioſa eſt, tum quòd verba Chriſti palàm eſt, rectiùs ad Eccleſiam referri debere, quàm ad petram. Et portæ, inquit, inferi non prȩualebunt aduerſum eam, nimirum Eccleſiam, de qua proximè loquutus eſt. Quanquam ergo non potuerint hȩc verba de poteſtate Petri congruẽter intelligi, intelliguntur nihilominus de Eccleſia, & non quod tu moliris de ſola Fide. Deinde nec ſatis efficaciter adhuc oſtendiſti, quòd aduerſus poteſtatem Petri præualuerint inferorum portȩ. Neque enim ſequitur: Præualuerunt in Petrum, aut in ſucceſſores Petri, ergo præualuerunt in poteſtatem, quæ vel Petro, vel Petri ſucceſſoribus per Chriſtum data fuit. Nam integram & incolumem eam poteſtatem eſſe, non ambigimus, tam in Epiſcopis quàm in Sacerdotibus, nedum in ſummo pontifice, quantumuis ipſi vitijs inquinati fuerint. Tertiò, non tantam habet Fides in quouis homine firmitatem, quantam habet hæc poteſtas à Chriſto pontifici tradita. Nemo enim vſqueadeo ſtabilis in Fide eſt, vt labi non poſſet, alioqui non dixiſſet Paulus: Qui ſtat videat ne cadat. Quæ res vel in Petro fuit euidentiſſima, qui ter magiſtrum ſuum Chriſtum negauit. Verùm poteſtas iſta, quã Petro & Sacerdotibus dedit Chriſtus, nullis dæmonum artibus poteſt infirmari. Præualeat quantũcunq; libuerit Satanas in homines, aduerſus hanc certè poteſtatem præualebit nunquam. Sed inquies: Neq; aduerſus Eccleſiæ Fidem præualere poteſt vnquam.

Poſterioris argutiæ Lut. confutatio.

1. Cor. 10.

Eccleſia ſemper manebit in Fide.

Hoc ideo fit, quoniam aduerſus Eccleſiæ ſucceſſorem nunquam præualebit. Semper enim Eccleſia perdurabit in Fide. Quia ſemper hæc generatio, & ſucceſſio promanans à Petro, perpetuabitur. Cȩterùm ex Eccleſia nullum deſignabis membrum, de quo certum aſſerere poſſes, quòd eius fides non periclitabitur. Et vbi, te quæſo, manet Eccleſiæ Fides? An tu ſeparatam aliquam Fidem Eccleſiæ ſeorſum manere putas, ex qua pendeat Eccleſia? Non alia certè eſt, quàm quæ in mentibus hominum reponitur. Quamobrẽ, cum in ſingulo quoque Chriſtiano Fides periclitari poteſt, poteſtas tamen Petri manet incolumis, multò ſolidiùs à poteſtate Petri deriuatur Eccleſia, quàm ſuper alicuius hominis Fidem collocetur. Sed iam priorem ſimiliter conſecutionem expendamus. Eccleſia tametſi non fuiſſet ædificata ſuper poteſtatem Petri, potuit nihilominus ſuper Petrum ædificari, & non ſuper ſolam Fidem excluſo Petro. Quamobrem nec conſequitur: Non eſt Eccleſia ſuper hanc poteſtatem ȩdificata, igitur ſuper ſolam Fidem ȩdificatur. Cȩterùm, vt ingenuè fatear, hanc conſequutionem inſinuas magis, quàm explicas. Inuoluis enim hanc rem tuo more, neque vſquam apertè probas, quòd non ſuper Petrum ædificata ſit Eccleſia. Sed callidè priori parte verborum Chriſti dimiſſa, mox incipis ab altera, nimirum hac: Et portæ inferi non prȩualebunt aduerſus eam, hoc eſt, iuxta tuam expoſitionem, aduerſus petram. Nimirum vt ita verſutè poſſes inferre, per petrã intelligi non poſſe poteſtatem hanc (in quã vt ais horribiliter inferorum portȩ prȩualuerunt) ſed Fidem ſolam. De ſuperiori verò particula nihil explicatim diſſeris. Ad id oportuit cum primis. Niſi enim oſtenderis, ſuper Petrum non fuiſſe ædificatam Eccleſiam, nihil agis. Sed hanc callidè pertranſis, & repugnante dialectica, colligis Fidem ſolam eſſe, aduerſus quam portas inferi non prȩualituras affirmauit Chriſtus. Cum tamen ipſe rectiùs intelligi poteſt de Eccleſia, quàm de Fide eſſe locutus. Neutrum igitur expugnaſti, aut quòd ſuper Petrum, aut quòd ſuper poteſtatem Petri, non ſit erectum ȩdificium Eccleſiȩ, cum tamen alterutrum abundè ſufficiet pro noſtra parte.

Vbi Eccleſiæ Fides manet

LVTH. *Patet ergo quàm inſigni blaſphemia, multi pontifices in ſuis decretis petram detorſerunt ad ſuam potentiam: & verbum ædificare, ad Eccleſiæ externam ſubiectionem. Si enim ædificantur ſuper petram, qui Papæ monarchiam colunt, neceſſe eſt vt portæ inferi nihil in eos poſſint. Cum verò portæ inferi in nullos homines plus poſſint, quam in eos, qui religioſiſſimè Papæ ſubiecti ſunt (ſunt enim omnium, quod videmus, ſceleratiſſimi & impijſſimi omnium dæmonum & vitiorum ſerui) patet, quòd nihil minùs poteſtas illa ſit, quàm petra iſta, & illi nihil minùs ſunt, quàm ædificati ſuper hanc petram.*

EPISC. Iſto more argumentandi, nec Eccleſia ſuper petram ædificabitur. Quis enim eſt ex tota Eccleſia, qui prorſus omni peccato careat? Et maximè ſi tua dogmata ſequamur. Cum aſſeras in omni opere bono peccatum eſſe, & opus quodque bonum

num optimè factum, veniale nihilominus eſſe peccatum: ſed & veniale quodlibet ſuapte natura mortale eſſe. Quòd ſi quoduis Eccleſię membrum, ſic immerſum eſt peccato. Er tota pariter Eccleſia peccatis erit immerſa. Nam quid aliud eſt corpus aliquod totum, quàm omnia ſua mẽbra? Sed & tibi ſerua diaboli ſit neceſſe eſt Eccleſia, & eatenus ſub illius poteſtate, quatenns ea peccatis eſt ſubiecta. Qui enim confitetur, inquis, ſe non habere Dei regnnm, quod petit cum orat: Adueniat regnum tuum, certè ſeruum diaboli ſe ex parte confitetur. Hęc tua verba ſunt, negare non potes. Quòd ſi diaboli ſerua ſit Eccleſia, propter peccatum, quò certè carere non poteſt, & propter abſentiam regni Dei, quomodo tibi ſuper petram ędificatur? Quòd ſi ipſa nó obſtantibus peccatis ſuper petram ędificara ſit, cur non etiam alij (de quibus loqueris) poſſunt etiam ſuper petram ędificari? *Alia ratio.* Ad hęc: Si per petram, vt tibi placet, ſola Fides intelligi debeat. Et tibi aduerſus hanc nec dęmones pręualere queunt. Quomodo cernimus in tantam quotidie Chriſtianorum multitudinem pręualere dęmones, cum tamen illi ſe Fidem habere confiteantur? Quòd ſi dixeris, in homines dęmones pręualere, non in illorum Fidem. Sic & ego viciſsim tibi reſpondeo, non in poteſtatem pontificum, ſed in ipſos pontifices, quatenus homines ſunt, poſſe dęmones pręualere. Quamobrem & ſubruit iſta conſequutio, quã affers: Si ædificantur ſupra petram, qui Papæ monarchiam colunt neceſſe eſt, vt portę inferi nihil in eos poſsint.

LVTH. *Adeſte ergo huc Papa & omnes papiſtæ in vnum, conflate ſtudia veſtra omnia in vnum, ſi fortè poßitis hoc vinculum diſſoluere. Saltem hæc auctoritas contra vos euicta triumphataq́; eſt. Nónne hæc auctoritas hactenus fuit veſtrum vnicum præſidium? Nónne per omnia Decreta iactata ceu rupes inuicta huius poteſtatis? Prorſus in nullo alio verbo vobis credemus, donec hoc mendacium & hanc blaſphemiam dilueritis. Suſpecti, inquam, eritis in omnibus alijs, ſemel deprehenſi in tam craſſa temeritate deprauandi verbi Dei.*

EPISC. Hæc iam exprobras orthodoxis Eccleſiæ Catholicæ membris, quæ ſuo capiti ſtudioſè fauent, vt par eſt. Et ego viciſſim eadem in te verba retorquebo. Huc adſis & tu Luthere, cũ Lutheranis omnibus tuis, & omnia ſtudia veſtra in vnum cõflate, neque vnquam efficietis, quin vera prædixerit Chriſtus: Nempe, quòd ſuper petram, hoc eſt Petrum, ædificaturus eſſet Eccleſiam ſuam. Stat contra vos hæc auctoritas inuicta, quæ etiam de vobis triumphat, & triumphabit. Neque vnicum hanc uobis præſidium eſſe credatis, cum non deſint plura & ſanè quàm hæc multò validiora, quæ nunquam infirmabitis. Et vt ex illis viginti locis, quos ſuprà recenſui, partim ex Euangelijs, partim ex Apoſtolorum Actis, duos ſolos memorem, nempe de didrachmate, quod pro ſe & Petro Chriſtus perſolui voluit: & de oratione, quam pro ſolo Petro fecit Chriſtus, ne deficeret in Fide, quatenus ipſe conuerſus confirmaret cæteros. *Solutio didrachmatis, & oratio Chriſti pro Petro.* Hos, inquam, duos locos nullis verborum ambagibus, nullis fucis, nullis impoſturis, pro veſtra parte contorquebitis vnquam. Etiam Luthere, poſtquam hîc tantopere gloriaris, & exultas, quaſi rem euiceris, dic mihi precor, vtrauis harum id rauionum feceris? An quia craſſioribus ingenijs (licèt aliter tua cenſeat conſcientia) videri vis, hîc perperiſſe victoriam? Et tum demiror quomodo te non pudet, qui religionem profeſſus es, ad hunc modum illudere plebi Chriſtianæ. An magis, quòd ex animo rem ita verè ſe habere confidis? & tum certè nullo deinceps alio verbo credendus es, donec hoc mendacium & hanc blaſphemiam dilueris. Suſpectus, inquam, etis & meritò quidem in omnibus alijs, ſemel deprehenſus in tam craſſa temeritate deprauandi verbi Dei.

LVTH. *Mitiùs ſanè erraſſetis, ſi per petram intellexiſſetis ſanctum Petrum, quem aliquot ſancti Patres fundamentum Eccleſiarum appellárunt.*

EPISC. Si vel vnicus ex ijs (quos produximus) hoc affirmaſſet Luthere, non is vſqueadeò leuis eſſet auctoritatis, quin tibi tuiſque præponderaret. Quãobrem cum tot ſint, & ex mactis ſpectatiſſimiſque, quis non ijs omnibus Fidem adhibebit magis, quàm vni Lutheto, & eidem in tot iam pridem, & tam craſſiſsimis deprehenſio mendacijs?

LVTH. *Sed propter Fidem ſuam, non propter potentiam externam id dixerunt. Non enim idem eſt: Sanctus Petrus, propter Fidem verbi Chriſti, & poteſtas papæ ſine Fide & verbo, ſuperabilis per portas inferi.*

EPIS. Quæcunque dixerint patres id ratione, compertiſsimum eſt, eos id de Petro ſenſiſſe concorditer. Et certè propter Fidei ſuæ confeſsionem, hoc ei Chriſtus pollicebatur, & priùs item, quàm Chriſtus poteſtatis illi creditæ fecerit mentionẽ. Priùs enim dixit ad eum Chriſtus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ac deindè pauló pòſt: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Cæterùm hi qui Petro ſuccedunt, tametſi non parem habeant cum Petro Fidei firmitatem, ſucceſſures tamen Petri ſunt, per quam ſucceſsionem hactenus Eccleſia perpetuatur. Neque ſolùm in Petri locum ſucceſſerunt, verumetiam in poteſtatem cum Petro parem, ſaltem quantum ad ligandi, ſoluendique pertinet auctoritatem. Quæ poteſtas nimirum inſuperabilis eſt, nec per vllas Inferorum portas infringi valebit, quantumuis hi peccato ſubiaceant, qui præditi ſunt ea poteſtate.

LVTH. *Quòd ſi etiam aliquot patres in ſententia veſtra habeatis, fruſtrà eos iactatis. Quia nos clarum Euangelij ſenſum habemus meritò omnibus præferendum.*

EPISC. Non aliquot ex patribus, Luthere, ſed omnes ad vnum pro noſtra ſententia faciunt, & ſuos huic addunt calculos. Quod cum ipſi faciant tam vnanimi conſenſu, fruſtrà tu prouocas ad Euangelium, quaſi patres illi non intellexerint Euangelium. Sed & Tertullianus, libro de præſcriptionibus hæreticorum, potenter oſtendit, hæreticos haudquaquam admittendos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quinetiam eiſdem Interdictam eſſe docet de ſcripturis diſputationem, cùm in ipſo congreſſu firmos fatigent, infir- *Interdicta eſt hæreticis ſcripturarũ interpretatio.*

mos

mos capiant, medios cum ſcrupulo dimittant. Non eſt igitur interpretationi tuæ, Luthere, de Euangelio contra tot Eccleſiæ proceres credendum: cum aliter ipſi, vno ore, cuncti dictum Euangelium ediſſerant. Cæterùm finge neminem eorum ſic interpretatum fuiſſe, ipſa tamen Euangelij verba pro nobis militant apertiſſimè, quæ tu per vim torques, & in diuerſum ſenſum rapis vel inuitiſſimè. Id qnod monſtrabo adhuc luculentiùs. Tu ſupra Fidem ſolam vis Eccleſiam ædificari. Nos ſuper fidelem Petrum, qui primns Chriſtum verè confeſſus erat fuiſſe filium Dei. Alij qnidem antea, confeſſi ſunt Chriſtum eſſe Dei filium, tam Nathanaël, qnàm qui in nauigio ſedatam viderant tempeſtatem. Sed hi Chriſtum, quendam inter multos à Deo magis dilectum putabant, non autem ex ipſa patris natum ſubſtantia. Petrus verò filium Dei ex ipſa Dei ſubſtantia genitum confitebatur. Cuius confeſſionis merito dictum eſt illi: Beatus es Simon Bariona. Solus vtique Petrus hac nomenclatura notus erat, nempe, quòd erat Simon filius Ionæ. Quamobrem & in hunc ſolum, quicquid ſeqnitur referri debet, non ad cęteros. Nemo enim illorum fuit Simon Bariona, prętet Petrum. In pręconium itaque Petri, ſimul & ſuę confeſſionis præmium Chriſtus, quæ ſequuntur omnia protulit. Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Non enim hæc docere te potnit pater tuus Ionas, qni caro & ſanguis eſt: ſed pater meus cæleſtis, qui Spiritus eſt, hæc tibi cælitùs reuelauit. Miſerum te progenuit Ionas pater tuus: At ediuersò beatum hac reuelatione, meus pater effecit te. Cæterùm, & ego, quia me ſic confeſſus es eſſe filium eius, pluſculum adijciam.

Quale donũ Petri.

Ego viciſſim dico tibi, quòd tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Magnum ſanè donum fuit, quod Deus pater contulerat Petro, nempe reuelationem diuinitatis filij ſui, quam adhuc nec Iudam, nec alios quoſdam ex Apoſtolis, accepiſſe reor.

Quare Chriſtus dixerit, ædificabo Eccleſiam.

Sed iam Petro propter vſum huius doni, Chriſtus præmium longè cumulatius adiecit. Verùm agè, ſingula quæſo verba diligentiùs expendamus. Primùm illud excutiamus, cur dixerit: Ædificabo Eccleſiam meam. An non erat Eccleſia iam pridem ædificata? Erant certè iam olim qui Chriſtum crediderant. Nihilque inter illorum & noſtram Fidem interfuit, quàm quòd illi venturum Chriſtum crediderint, nos autem veniſſe. Sed quia primus omnium Petrus hanc Fidem confeſſus erat, iccirco Chriſtus non à prioribus illis, ſed à Petro voluit exordium Eccleſiæ ſuæ ſumere. Nam hi quos Chriſtus iam colligere venit, peculiariter ad Eccleſiam Chriſti pertinebant. Propter quod & congregationem hanc, quæ cœpit à Petro, peculiariter ſuam Chriſtus vocabat Eccleſiam. Quoniam igitur hæc futura iam erat, idcirco dixit: Ædificabo Eccleſiam meam. Cæterùm vt intelligamus ſuper Petrum Eccleſiã hanc ædificari. Quid aliud eſt Petrus (ſi quis interpretetur) quàm ſaxum? Et quid aptius cogitari poteſt, quod ceu fundamentum, in ædificio quouis locetur, quàm ſolidum ſaxum? Porrò quid inter ſaxum & petram intereſt? Nihil omnino, niſi ſola vocis diuerſitas.

Petrus quid aliud quam ſaxum.

Penſitemus itaque, quàm appoſitè ſequitur. Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Audis hîc Petrum, ſeu petram: audis ædificationem: audis & Eccleſiam. Quid eſt aliud Eccleſia, quàm viuorum lapidum, nõ confuſa quidem, ſed ordinatiſsima conſtructio? Lapidum, inquã, rationalium, qui Fide non mortua viuunt. Propter quod & ipſe Petrus ait ad ædificatos: Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales.

1. Pet. 2.

Hæc nimirum domus Eccleſia non poteſt non intelligi. Quando igitur apertum eſt, Eccleſiam ex eiuſmodi lapidibus conſtructam eſſe, qnid tam coactè fundamentum aliud huic ædificio quæris, quàm quod ijs congeneum ſit? Cum enim homines hanc ſtructuram, ceu viui lapides, ingrediuntur, quod fundamentum aliud citra CHRISTVM magis congeneum erit, qnàm ipſe Petrus? Quem & propterea ſaxum Chriſtus nuncupauit.

Fidem non eſſe fundamentum Eccleſiæ.

Cæterùm quantum ad Fidem attinet, palàm eſt nullum huius ædificij mẽbrum, carere poſſe Fide. Nam ſi Fide caruerit quiſpiam, iam foris eſt, & non in ædificio. Quòd ſi quodque membrum Fidem habere neceſſe ſit, quomodo non etiam vnumquodque debeat Eccleſiæ fundamentum dici? Nam cur huius, aut illius fides, pro fundamento magis reputabitur, quàm alterius cuiuslibet? Neque enim (opinor) ſeparatam aliquam Fidem, & imaginariam (quæ non ſit in mentibus hominum) eſſe fingis, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia. Quòd ſi cuiuslibet Chriſtiani Fidem aſſerueris Eccleſiæ fundamentum eſſe, iam quæq; pars huius ędificij, fundamentum erit, & nihil præter fundamenta totum ædificium continebit. Quod ſi dixeris, quis non videt, quàm monſtruoſam hanc ſtructuram efficies? Fides hauddubiè qualitas quædam eſt tam fundamento, quàm cæteris huius ædificij partibus, omnino neceſſaria. Sed fundamentum quid aliud eſt, qnàm primum & præcipuum Eccleſiæ membrum? cuiuſmodi nec cogitari quidem Fides poteſt, cùm ea nequaquam ſit cæteris congenea mẽbris. Adde, quòd neque Fides iam primùm cœpit, ſed in ipſis etiam priſcis fuerat. At Eccleſiæ futuræ fundamentum, Chriſtus iam primùm iecit & locauit. Ad hæc, nec Chriſtus hoc modo fundamentum Eccleſiæ dici poterit, cum Fide careat, vtpote, qui vera ſemper fruitus ſit viſione. Nobis verò Chriſtus etiam fundamentum eſt, nec duo tamen ob id erunt fundamenta, cum Petrus non niſi vicem occupet Chriſti. Et propterea vides, petræ nomen, quod Chriſto proprium erat Petro fuiſſe communicatum. In ſignum cuius & didrachma pro ſe & Petro duntaxat, ſoluit. Pro Petro quin etiam orauit, vt ipſe confirmare poſſet cæteros. Sed & ſolius Petri ſedes, ad hunc vſq; diem abſque hęreſeos aliqua nota manet inuiolata, ſolidiorque ſaxo quolibet ipſa perdurat. Iam ſi quis reliqua velit explicare, quomodo

modo nec constructionem hanc diruere valeant inferorum portæ, ſimul & quomodo claues cœlorum ſoli Petro fuerant promiſſæ: perſpiciet, omnia vel ſole clarius, pro noſtra ſententia penitus dimicare: ſed & cunctos ſenſu carere communi, ſimul & quauis talpa cæciores eſſe, qui id non vident.

LVTH. *Atq; ne alienis virtutibus glorier, Ioannis Huß inquiſsimè à vobis combuſti, hæc eſt victoria, in hoc verbo Chriſti, imò ipſius Chriſti, ob quem ille exuſtus eſt. Non enim ex meo capite, ſed ex illius libro de Eccleſia ſcripto, & à vobis damnato hæc habet.*

EPISC. Dignus hoc magiſtro diſcipulus es, cuius peruerſiſsimo dogmate gloriaris. At hoc es illo nequior, quòd poſtquam illum noris totius Concilij ſententia fuiſſe condemnatũ, illius tamen hæreſim te ſuſcitare non pudet. Nec potes illius condemnationem imputare ſummo pontifici, quippe, quòd hi qui ſententiam in illum tulerunt, & brachio tradiderũt ſeculari, multis pontifici nominibus tum parũ accepti fuerant, & mores pontificios modis omnibus ad normam redigere curãrunt. Non igitur hoc egerunt, aut in pontificis gratiam, aut per pontificem inducti, ſed ſola veritate permoti, nimirum quòd compertiſsimum habuerant, hominẽ contra ſanctorum interpretum communem aſſertionem, etiam contra ſcripturas ſacras, ſuo ſenſui pertinaciter adhæſiſſe. Neq; negare potes, quin de ſacramento altaris nõ rectè ſenſit, ob quem errorem, etiam te iudice, vel emendandus vel condemnandus eſſet. At hoc etiam demiror, quomodo te non pudet hoc magiſtro gloriari, quem non ignoras, errore tam peſtilenti fuiſſe prolapſum, & in eodem ad mortem vſq; perrexiſſe, vel ſumma pertinacia.

Impudentia Luth.

LVTH. *Alteram quoq; afferunt authoritatem Ioannis vltimo. Dixit Ieſus Petro: Simon amas me? paſce oues meas, &c.*

EPISC. Si cuiq; liceat ad hunc modum ſcripturas ab inuicẽ ſeparare, atque ſeparatas ſeorſum vellicare, quid eſſe firmum poteſt, & à calumnija tutum? Ingentem ſanè ſcripturis iniuriam facit, qui ſic eas aggreditur. Sed oportet accuratiùs penſitare, ſi quas alias habuerint, vnà ſecum conſpirantes. Nam quò maiorem habet ſcriptura quæuis cum alijs multis confœderationem, tantò fulcitur magis illa connexa, quàm ſi ſeiungatur à cæteris. Vt enim ſcitè quidam ait: Quæ non proſunt ſingula multũ iuuant, facillimè quiſpiam equinæ caudæ ſingulos vellicabit pilos, at ſimul cunctos euellere nemo facilè poteſt. Scylurus (vt eſt apud Plutarchum) cum relictis octoginta maribus filijs, obiturus eſſet, iaculorum faſciculum vnicuique proponens, confringere iubebat. Verùm ſingulis ſe id poſſe negantibus, ipſe cùm ſingula iacula excepiſſet, facilè omnia perfregit: Sic illos docens; ſi vnà eſſe perſeuerarent, firmos validoſque fore: Sin diſſoluti diſsidenteſque forent, infirmos ac debiles futuros. Sic nimirum & confœderatio ſcripturarum plurimum habet roboris, & ſimul iunctæ multò validiores ſunt, quàm ſi quis eas carpſerit ſeorſum ſingulas. Quàm rem & Lucas in Actis docuit, de Chriſto tradens, quòd Apoſtolis præbuerat ſeipſum viuum poſt paſsionem ſuam in multis argumentis. Porrò ſi quis hæc argumenta ſeorſum ſingula carpſerit, nullum earũ proteruienti ſatis fuerit efficax, tametſi cuncta ſimul, rem commonſtrent vel apertiſsimè. Vt igitur hæc ſcriptura, cui iam calumniaris, ſcindes, genuino robore nequaquam deſtituatur, conſyderabimus quantam non modò cum cæteris noui teſtamenti ſcripturis, verumetiã veteris habeat conſpirationem. Neq; enim ſemel aſtruit Paulus, quædam eſſe diuini iuris, & euangelici, quę tamẽ ex veteri teſtamento deprompta ſunt, quemadmodum & illud eſt (exempli gratia) quòd Apoſtolis licuit, ab illis victũ exigere, quibus prædicabant. Hoc nimirum id eſt, quòd ad Corinthios nono Paulus docet eſſe diuini iuris. Et quoniam argumento: Scriptum eſt, inquit, In lege Moſi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtiq; hæc dicit? Nam propter nos vtique ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe, qui arat arare. Hactenus ex Paulo. Vides itaque Dialecticam Pauli, qua (ſumpto veteris legis teſtimonio) probet aliquid Euangelici iuris eſſe. Neq; id ſanè ratione caret, cum nihil aliud erant, omnia veteris legis, quàm figurę quędam legis nouę, & quędam adumbrationes eorum, quæ in euangelio continẽtur. Propter quod & ipſe Paulus ait: Vmbram habens lex futurorum bonorum. Et alibi: Omnia in figura contingebant illis. Palàm eſt igitur Synagogam Iudęorum, Eccleſiæ (quę iam Chriſtianorum eſt) vmbram quandam fuiſſe, & populum illum huius populi fuiſſe figuram. Sed & iter, quod illi per ſolutionem egerunt, verſus terram eis promiſſam, noſtrum iter, quod per huius mundi deſertum agimus, verſus Patriam cœleſtem, quæ nobis eſt promiſſa, ſignificat. Cæterùm ductores populi, nempe Moſes & Aaron, ſuis adumbrationibus carere non poſſunt. Cernimus plerunq; lucente ſole, quandam arborem ramis dilatatam, ſolijs opertam, onuſtamq; pomis, ſuper tellurem vmbrã proijcere, vſqueadeo ſibi ſimilem, vt quicquid ramorum, foliorum, aut fructuum, in arbore fuerit, id in vmbra quiddã habeat ſibi reſpondens. Et viciſsim, quicquid in vmbra cõtineatur, id quiddam in arbore ſolidũ reſpiciat. Vt & oculis vmbrã cum arbore conſerens, & vmbrę quamlibet portiunculam obſeruans, dicere poteſt: Hęc vmbræ portio hanc arboris partem ſpectat, & iſta notat ramum, illa folium refert, alia pomum repręſentat, ſic & quędam ſtipitem, quędam autem arboris ſummitatem. Quamobrem ſi cuncta (quę Iudæis contigerunt) futurorum vmbræ fuerant, neceſſe fuerit eiuſmodi duos inuenire, quorũ alter ſub altero duxerit in hac Eccleſiæ peregrinatione, quales cõſtat Moſen & Aarõ fuiſſe Iudęis. Nam quãdo cętera videmus, tum vel ad amuſsim reſpondere: nempe Pharaoni, diabolũ: Ægypto, peccatum: Exitui ab Ægypto, exitum à peccati tenebris: Iudęis, Chriſtianos: iter, itineri: deſerto, mundum: cœleſtem patriam, Iudęæ: ita Moſen & Aaron velut vmbras item quaſdam ſuis veritatibus reſpondere neceſſum eſt. Et hi nimirum ſunt Chriſtus & Petrus. Quod & nos quatuor indicijs compro-

Lutherus ſcripturis iniuriam facit.

Act. 1.

1. Cor. 9.

Deut. 25.

Pauli dialectica.

Hebr. 10.

1. Cor. 10.

Pulcherrimum de arbore exemplum figurarum explicatio.

Chriſtus & Petrus chriſtianorum duces, quemadmodum gentis Iudaicæ Moſes & Aaron.

voluerit in ſuſpicionem eos adducere, quòd Latinę fauiſſent Eccleſiæ, ac proinde Romano pontifici plus quàm æquum eſſet, detuliſſent. Veruntamen de Gręcis, qui neq; pauci ſunt, nihil habet penitus, quod obiectet. Iſtud igitur indicium tot patrum calculis comprobatū, nō parui momenti cūctis eſſe debet, verè Chriſtianis. Sed iam alterū

Secundū. Petrum cæterorum comparatione ſummum dici, tametſi Chriſtum habuerit ſuperiorem.

etiam indicium huius rei proferamus. Alterū eſt, quod iam inter reſpondendū adduximus, nempe quòd quemadmodū Aaron comparatione cæterorum, ſummus habebatur, & princeps, & caput, quanquam ipſo Moſes adhuc ſuperior erat: Sic & Petrus cæterorū comparatione ſummus, & princeps, atq; caput dicitur, tametſi Chriſtū habuerit ſuperiorem. Quam rem vel ex Euangelio palàm oſtendemus. Erant vtique Romanis Iudæi tributarij, pro quo & cenſus annuus à ſingularum familiarum capitibus exigebatur, ad valorem didrachmatis pro ſingulo quoque capite. Venerunt igitur exactores ad Petrum, eius rei gratia

Matt. 17.

(quemadmodum Euangeliſta Matthæus enarrat) Petrum percontati, num eſſet magiſter eius tributum ſoluturus? Chriſtus itaque iuſsit Petro, quatenus ipſe mox accederet ad mare, ſtateremque illic in ore piſcis reperiendum, exactoribus daret. Erat autem ſtater duplex didrachma. Voluit itaque Chriſtus, non pro ſe ſolo tributum hoc dari, quanquam ipſe caput eſſet totius familiæ, verumetiam pro Petro, cui ſuas vices committere meditabatur. Quando igitur hoc tributum pro nemine pendebatur, qui non eſſet alicuius familiæ gubernator & caput, & Chriſtus vtriuſque nomine dari iuſsit, tam ſuo quàm Petri, palam eſt quòd Petrum Eccleſiæ totius gubernatorem inſtituit, & totius familiæ ſuæ caput. Propter quod & Auguſtinus libro quæſtionum noui & veteris Teſtamenti quæſt. 75. ſic ſcribit: Didrachma capitum ſolutio intelligitur. Et paulò pòſt Saluator cum pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur. Quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſa magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit caput eorum. Hactenus ille. Ecce Petrum hîc Auguſtinus affirmat caput à Chriſto cæterorum fuiſſe conſtitutum, ac propterea cum pro ſe Chriſtus eſſet tributum ſoluturus, pro vtroque tam pro Petro, quàm pro ſe voluis ipſum pendi, quò cæteri liberi forent. Nam familia ſub capite comprehenditur. Duplex igi-

Duplex didrachma duo familiæ Chriſti capita indicabat.

tur didrachma Chriſtus dari iubet, cum tamen ſimplum exigebatur, nimirum vt hoc facto ſuam familiam duo ſignificaret habere capita. Quis itaque non perſpicit, & hoc indicio, Iudaicam vmbram Moſis ac Aaronis Euangelicæ veritati, hoc eſt, Chriſto & Petro, vel adamuſsim con-

Tertiū.

quadrare? Accedit his & tertium. In vmbra illa Iudaica, Moſes apud Deum Aaronis agebat negotium. Aaron viciſsim apud populum vice

Exo. 4.

Moſi, negotia Dei gerebat. Sic enim in Exodo Moſi conſtitutum fuit à Deo. Ipſe (inquit nimirum Aaron) loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. Tu autem eris ei, in ijs quæ ad Deum pertinent. Sic inquam, in vmbra fuit Iudaica. At quomodo reſpondet huic vmbræ Chriſtianorum veritas, iam inueſtigemus. Dixit enim

Luce. 22.

verò Chriſtus ad Petrum: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua. Quem quæſo rogauit Chriſtus pro Petro cum is eſſet in tanto diſcrimine conſtitutus, vtpote per Satanam expetitus, vt tanquam triticum cribraretur? Quem, inquam, niſi Deum patrem? Fuit ergo Chriſtus tanquam os Petro, In ijs, quæ ad Deum attinebant, nempe cum patrem orabat, ne Fides Petro deficeret. At Petrus viciſſim, quomodo fuit os vice Chriſti, in ijs quæ ſpectabant cæteros? Nimirum quia ſequitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Num ipſe qui cæteros in Fide confirmabat, non erat os Chriſti? An non eius rei gratia vel maximè Chriſtus in hunc modum venit? Quid enim potiùs quàm Fidem Chriſtus vbique quęrebat? Quamobrem cùm Petrus in Fide cæteros confirmabat, velut os Chriſti, tum ipſius vice fungebatur. Quiſquis hunc locum dignè penſitauerit, inueniet certè Moſen & Aaron, mirificè Chriſto & Petro conquadrare, non aliter quàm vmbram corpori, de quo pendet. Simul & perſpiciet, iſtud ingentem Petri prærogatiuam eſſe, quòd ſuum negotium ſic apud patrem egit Chriſtus, vt ille viciſsim Chriſti negotium apud cæteros ageret Apoſtolos, nimirum vt illos in fide confirmaret. Sed & hoc aduerte, quod Auguſtinus eundem locum enarrans ait: Non orauit Chriſtus pro Iacobo & Iohanne, atque pro cæteris, ſed pro Petro, In quo continebantur cęteri. Erat enim (vt ſuprà memorauimus ex eodem Auguſt.) Petrus conſtitutus caput cęterorum & totius familię Chriſti. Quamobrem ſub ipſo comprehendebātur cęteri, quemadmodum & ſub capite familia continetur. Quartum indicium

Quartū. Exod. 34.

hoc eſt, quòd quemadmodum Moſes conſcenſurus montem, vt cum Deo colloquium haberet, poſt ſe reliquit Aaron, cui & vices ſuas ſuper curanda plebe commiſit. Sic & poſt paſſionem ſuam Chriſtus cœleſtem montem ad patrem conſcenſurus, Petro ſuarum ouium curam tradidit. Conſcendit enim Moſes in montem Synai, vt cum DEO negotia populi tractaret. Conſcendit & Chriſtus cæleſtem illum montem,

Hebr. 9. 1 Ioan. 2. Chriſtus cœleſtem collem aſcenſurus, Petro ſui gregis curam commiſit. Ioan. vlt.

vt (quemadmodum Paulus teſtatur) appareat vultui Dei pro nobis, & ſicut Ioannes tradit, vt eſſet pro nobis apud patrem aduocatus. Priuſquam igitur cœlum aſcendiſſet, Petro ſuum gregem paſcendum commendauit, id quod non oſcitanter fecit, ſed ſeriò quidem, & cum ingenti ſtudio. Ter enim (cæteris illic præſentibus) Petrum percontatus eſt, nū plus quàm illi ſe diligeret: Simon Ioannis, inquit, diligis me plus ijs? Soli Petro loquebatur, & præſentes cæteros indicabat. Nec erat alius quiſquam inter eos, qui Simon Ioannis vocabatur. Ad ſolum itaque Petrum hæc interrogatio ſpectabat, quandoquidem & ipſe præ cæteris magis dilexit Chriſtum. Diligis, inquit, me plus his? Apoſtolos nimirum indicans tum præſentes. Licuit hîc eadem ſalitate rogaſſe

cunctos

cunctos, num ſe diligerent, ſi non magis propter Petrum, quàm cæteros hæc dicebantur. At ſolum Petrum hauddubiè ſciſcitabatur Chriſtus, an ſe plus quàm cæteri dilexiſſet. Solus itaque Petrus reſpondit dicens: Etiam Domine, Tu ſcis quòd amem te. Subiungit ideo Chriſtus: Paſce agnos meos. Potuit & hîc ſubſtitiſſe Chriſtus, ſi non rem vehementer ſeriam, & quæ cordi ſibi plurimum fuerat, iam tractaſſet. Iterum itaque percontatur Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et iterum Petrus reſpondit: Etiam Domine, Tu ſcis quòd amem te. Adiecit Chriſtus ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Quod ſi quis ad verbum interpretetur, erit, Rege oues meas, ποιμαίνω certè vtrumq; ſignificat, & paſcere, & regere. Sed cum Chriſtus iam mutarit verbum, certè nobis inſinuat, & ſenſum voluiſſe mutare. Et non incongruè quidem. Nam cùm agni nouellos & teneriores deſignant Chriſtianos, eos mitiùs tractari iubet Chriſtus, & paſci ſolùm. Oues autem (quibus robuſtiores indicantur) duriùs (cum opus fuerit) coërceri mandauit. Cæterùm ne paſtus iſtis negetur, quærit tertiò Chriſtus: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? Quamobrem & reſpondit: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quòd amem te. Subiecit itaque Chriſtus: Paſce oues meas. Ecce iam tertiò loco paſcendas eaſdem oues Petro commendauit. Et hoc nimirum poſt ſuam reſurrectionem fecit Chriſtus, cum eſſet ſummum illum montem, cœlum videlicet, ad patrem conſcenſurus. Confer itaque diligenter inuicem hæc omnia, & niſi te malitia prorſus excæcauerit, perſpicies, nullam vmbram ſuo corpori congruere poſſe magis, & adamuſſim exactiùs reſpondere, quam vmbram illam Iudaicæ adminiſtrationis, rerum Chriſtianorum veritati. Sed cauillatur hîc Lutherus, per oues iſtas Iudæos ſolos intelligi debere. Dicat ergo nobis, cur non apud Iudæos Petrus ſedem locauerit ſuam? Cur Iudæos relinquere non metuit, & ad Gentium curam ſe conferre? An non ad Samaritas conceſſit, qui Iudæis odioſiſsimi fuerant, vt & illis Spiritum ſanctum daret? An non acta teſtantur, per Petrum & in nationes effuſam fuiſſe Spiritus ſancti gratiam? Cur auſus fuiſſet relictis Hieroſolymis Antiochiam diſcedere, atq; ita tandem Romam? Iſta planè conuincunt, non Iudæos modò, verumetiam vniuerſos (quicunque pertinuerint ad ouile Chriſti) Petro fuiſſe creditos. Sed & orbis totius curam ipſi fuiſſe commendatam, vel ex eo patet, quòd apud eam vrbem (quæ totius orbis tum caput fuerat) ſedem poſtremam delegerit. Quis hoc humana factum induſtria credat, & non diuino potiùs inſtigante ſpiritu? Qualem enim ſedem haberet hodie Petrus, vel Hieroſolymis, & Antiochiæ? Profectò ſi nullum aliud eſſet teſtimonium, euentus ipſius rei, palàm docet, omnia firma eſſe quæ de Petro credimus. Sed cum huic vndique tot ſuffragentur teſtimonia, tam ſacrorum interpretum, quàm etiam veteris ac noui teſtamenti, quis tam inſanus eſt, vt ijs non adhibeat Fidem? Liquet igitur quàm iniquè

Agni teneriores deſignabat Chriſtianos, oues verò adultos.

Act. 8.

Orbis totius cura Petro commiſſa.

Lutherus hanc ſcripturam ſeorſum vexet, & vellicet, relictis omnibus alijs, cum quibus tantam ipſa confœderationem habet. Sed iam quibus cauillis eam eludere ſtudet, aduertamus.

LVTH. *Hîc volunt omnes oues Petro & Papæ commiſſas, iterum ſolita impietate verbum Chriſti figmentis ſuis adulterantes.*

EPISC. Tu profectò pro ſolita loqueris impudentia tua, non autem patres vlla ſcripturas impietate adulterantur. Res nimirum apertior eſt, quàm vt facilè queat adulterari. Quid enim in ijs verbis obſcuri eſt? Palàm eſt ad quem dirigit ſua verba Chriſtus: ad eum qui Simon Ioannis vocabatur, quæ nomenclatura non alteri quàm Petro conueniebat. Nec ſeorſum, & in aurem hæc dixit Petro, ſed cæteris audientibus, iuſsit agnos paſcere, iuſsit item oues regere, ſimul & paſcere. Et ne cuiquam dubium foret cuius agnos & oues paſceret, adiecit vtique, meas. Quotquot igitur ad Chriſtum attinebant, ſiue agni, ſiue oues, illis verbis Petro commendabantur. Sed ne quis Iudæos ſolos exiſtimaret oues Chriſti fuiſſe, Chriſtus alibi ſe teſtatur, alias oues habere præter Iudæos. Alias oues, inquit, habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. Quid hîc coactum eſt aut contortum, aut demum (vt tuis vtar verbis) quid hîc fictum aut adulteratum eſt? quod ſi Petro tum commiſſæ fuiſſent oues Chriſti, conuenit vt Petri ſucceſſor (quiſquis ipſe fuerit) eadem ſolicitudine teneatur. Niſi quis dixerit pro ſolis illis (qui tum nati fuerant) Chriſtum obijſſe mortem: ſanguinemque ſuum effudiſſe, quod plane falſiſſimum eſt. Quamobrem ſi poſterorum curam habuiſſet Chriſtus, vt & habuit, & iam habet hauddubiè nihilò minorem, non ſolùm hanc ſollicitudinem Petro commiſit, ſed & ei quiſquis Petri locum & ſedem eſſet occupaturus. Neq; enim pro ſolis præſentibus, dixit Chriſtus: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Nam illi propediem morituri fuerunt. Quamobrem de ſucceſſione fidelium id debet intelligi, cum quibus (licèt non corporaliter) virtute tamen ſua præſens eſt Chriſtus, & erit ſemper ad finem vſque ſeculi. Ipſa ſucceſſio & generatio (de qua ſuprà diximus) perdurabit in æuum. Quando igitur & nos (qui iam in Eccleſia præſentes ſumus) nihilominus Chriſto curę ſimus, quàm qui tum præſentes fuerant, neq; minoribus quàm illi verſamur periculis, æquum eſt vt quiſpiam loco Petri deputetur, cui iam pro præſentibus ouibus ſollicitudo committatur, quemadmodù & tunc Petro factū fuit.

Ioan. 10.

Non tantum Iudæi, ſed omnes homines Petro commiſſi.

Mat. 28.

LVTH. *Chriſtus enim amare & paſcere exigit. Illi verò impudenter contra os Chriſti dicunt, non eſſe neceſſarium amorem paſtori, cùm poteſtas ſit ferenda, etiam ſi in malo ſit vſu, & non amet.*

EPISC. Quid agis Luthere? Cur non probas, quod Petro non fuerunt oues à Chriſto commendatæ? Cur ad calumnias te conuertis? Quid hoc ad rem noſtram, ſi paſtor non paſcat, aut non amet? Nos an Petro ſuas oues paſcendas Chriſtus commiſerit diſquirimus, & non an Petrus rectè ſuum officium egiſſet. Tu iam aliud introducis, nimirum an amor paſtori neceſſarius fuerit, & an ferenda

ſit po-

ſit poteſtas, quæ malo fuerit in vſu, & non amſuerit gregem. Hæc certè cum extra cauſſam noſtram ſiot, nihil ad me.

LVTH. *Deinde verbum paſcere, veneno ſuæ gloſſæ exponunt pro eo, quod eſt præſidere & ſuperiorem eſſe. Et ſic verbum Chriſti extinguunt, & contrarium ſenſum ſub eodem proponunt.*

EPISC. Inficiàs ire non potes, quin dupliici verbo Chriſtus illic ſic vſus. Bis nimirum dicit, βόσκε, quod eſt paſce, & ſemel ποίμαινε, quod eſt vel rege, vel paſce. Quod verbum etiam habetur ſecundo Pſal. Rege eos in virga ferrea. Vbi Græcè ſcriptum eſt, ποιμανεῖς. Similiter & in Act. Apoſtolo. 2. cap. Attendite vobis, inquit Paulus, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, vbi pro verbo regere, habetur ποιμαίνειν. Ad hæc, 1. Pet. 5. ſic tradux it Hiero. ad Euagrium: Presbyteros in vobis precor compresbyter & teſtis paſſionum Chriſti, & futuræ gloriæ, quæ reuelanda eſt particeps, regite Eccleſiam Chriſti. Vbi etiam Græcus codex habet ποιμάνατε. At regere certè præſidis & ſuperioris eſt. Quamobrem nec venenum aliquod ſubeſt huic gloſſæ, neq; per eam Chriſti verbum extinguitur, ſed neq; ſub eodem (quod tu tamen aſſeris) ſenſus proponitur contrarius.

Aliud eſt paſcere, aliud regere.

LVTH. *Dico ergo: Si poteſtas mala eſt ferenda, hoc non docetur à Chriſto in hoc verbo.*

EPISC. Satis apertum eſt ex ijs Chriſti verbis, oportere vnumquemq; (qui cupit ad ouile Chriſti pertinere) ouis habere ſymbolum, hoc eſt ſimplicitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Non enim murmurat aduerſus paſtorem vel iniquum ouis, non conqueritur, non conuiciatur, non gregem ſcindere parat, nec ſodales abducere meditatur. Væ (inquit Iudas) illis, qui in contradictione choræ perierunt. Et Paulò antè: Cum Michaël, inquit, Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Deus. Quòd ſi Michael Archangelus ſic cum diabolo ſe geſſit, quis tu es, qui aduerſus poteſtatem à Deo conſtitutam, hoc eſt, aduerſus Eccleſiæ principem, tot & tam virulenta iacularis, imò fulminas conuicia. Ouem certè non dixerim, ſed omni vipera ſæuiorem.

In Epiſt.

LVTH. *Hic non niſi amans Chriſti Petrus requiritur. qui ſi amans Chriſti non fuerit, nihil ad eum verbum iſtud. Quare ſequetur. & Papam non eſſe Papam, ſi non amat Chriſtum: & eum qui amat, etiam non Papam eſſe Papam, ſi hoc verbo papatus inſtituitur. Amor, inquam, hic inſtituitur non poteſtas, quæ ſine amore eſſe poteſt.*

EPISC. Petrus vtiq; quia præ cæteris amplius amauit, hanc à Chriſto præ cæteris accepit prærogatiuam, vt cunctis illius ouibus ceu paſtor præficeretur. Neque ignorare potuit Chriſtus, quis præ cæteris eſſet ſui ſtudioſus magis. Et ſanè deceret eum, qui ad tantú faſtigium ſublimaretur, ampliori quam cæteros amore Chriſtum proſequi. Veruntamen quia diuerſa res eſt primatus iſte, quàm amor, poteſt alter ab altero ſeparari. Et poteſt manere primatus, vbi non fuerit amor. Neque enim cum iſta Chriſtus Petro dixit, amorem tunc ei contulit, ſed amanti dedit primatum. Priùs igitur amor fuit in Petro, cum non eſſet is primatus, & potuit etiam ex amore poſtea Petrus decidere, primatu manente nihilominus. Nam quàm diu non fuerat à Spiritu ſancto confirmatus, potuit haud dubiè peccaſſe mortaliter, & tibi certè ſic peccauit, etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum, quemadmodum in commentarijs tuis ad Galat. ſcribis. Perijt igitur amor manente primatu. Quamobrem & falſa ſunt hæc omnia, quæ colligere moliris. Neq; enim oportet, vt primatum amittat Papa, quoties non fuerit amans Chriſti. Neq; ſequitur. Papam non eſſe Papam, ſi non amet Chriſtum, Sed neq; quiſquis amauerit, hunc oportet eſſe Papam. Falſum & iſtud eſt, quòd hoc verbo (Simon amas me) papatus inſtituitur, cum hoc verbo duntaxat ſciſcitatur Chriſtus, nihil autem inſtituit. Falſum eſt & poſtremum, quòd ſine amore nequeat hæc poteſtas eſſe. Nam ſicut manet abſoluendi poteſtas, & baptizandi, atque etiam conſecrandi euchariſtiam, amore per peccatum ſublato: ita manet & hæc poteſtas, quanquam ad tempus deperierit amor. Cæterùm hic tu patriſſas, priores patres tuos, imitatus, hoc eſt, hæreticos, qui negant poteſtatem eiuſmodi ſpiritalem niſi ſuper amore fundatam. Quod & à pleriſque doctiſſimis copioſè ſatis exploſum eſt.

Primatus manere poteſt, vbi non fuerit amor.

LVTH. *Secundò verbum paſcere ſignificat, non præſidere ſed ſeruire. Non enim poteſtatis, ſed ſeruitutis verbum eſt, licet & hic ſuis torſionibus, illuſionibus, & confuſionibus verborum, poteſtatem illam ſeruitutem faciunt. Verùm cum paſcere ſit, Euangelium Chriſti prædicare & tractare: impoſſibile eſt, vt papatum ſignificet, cum aliud ſit eſſe Papam, vt videmus, & aliud Euangelij miniſtrum, vt non poſſint ambo eodem verbo ſignificari, niſi quomodo petra ſignificauit illis papatum & Fidem Chriſti.*

EPISC. Dixi ſuprà, Chriſtum hic duobus verbis vſum fuiſſe, quorum alterum ſignificat paſcere & regere: alterum paſcere duntaxat. Vtrumque ad Papam ſpectat, nimirum eſurientes verbo paſcere, & duros regere virga iuſtæ correctionis. Neque quicquam obſiſtit impugnatio tua. Quoniam & ſi pontifices nunc alijs preſſi negotijs regnent ſolùm, non paſcant, fuere tamen optimi pontifices, qui munus vtrumque, tam regendi, quàm prædicandi, per ſeipſos impleuerunt. Quanquam igitur alterum verbum obſequium indicet magis, quàm poteſtatem, & ſeruire potiùs, quàm præſidere: tamen alterum è diuerſò poteſtatem, & præſidentiam inſinuat potiùs, quàm ſeruitutem. Neq; repugnant iſta mutuò, quando & Chriſtus mandauit, vt qui maior inter eos foret, eſſet idem tanquam minor: & qui princeps, ſicut miniſtrator. Porrò de petra quid ſignificet, ſatis ſuperque ſuprà diximus.

Tam regere quam paſcere ad pontificem attinet.

LVTH. *Eademq; ratione concludatur, toties Eccleſiam ſine papatu eſſe quoties Papa nec amat, nec paſcit, id quod & verũ eſt.*

EPISC. Quid quando dormit Papa? quid cum aduerſa laborat valetudine? quid cum negotijs vrgentiſſimis occupatur, vt otium prædicandi nullum ei ſit? Num toties Papa nõ erit Papa? Sed & quis tam confirmatus eſt, vt nunquam peccet mortaliter?

Propter peccata non amittitur Papatus.

Bb Quòd

Quòd ſi tunc papatum amiſerit, quomodo recoperabit ipſum, quæſo? Num oportet vt denuò iam eligatur? Et certè ſi peccato pontificatum amittat, non poteſt non inuaſor eiuſdem eſſe, donec ab electoribus iteratò ius ei reſtituatur. Quod & toties oportet fieri, quoties illum peccare contigerit. Sed hæc quis non videt, quàm ſint abſurda, & quanta paſſim ex his incommoda ſequantur.

LVTH. *Nam vbi non eſt verbum Dei, ibi non poteſt eſſe Eccleſia, cùm per verbum naſcatur, alatur, viuat, & ſeruetur: cùm autem Papa multis ſeculis, nec amauerit, nec pauerit, vbi manſit Papatus & Eccleſia? Præſertim cum Eccleſiam ſine Papatu, id eſt, amore, & paſtu eſſe non poſſe tam fortiter aſſerant.*

EPISC. Ista parum ſibi cohærent. Primùm illud verum eſt, quòd Eccleſia durare non poteſt ſine verbo Dei, cum per ipſum naſcatur, alatur, viuat, & ſeruetur. At quid prohibet interea per alienum, quam per pontificem ipſum Eccleſiæ verbum Dei miniſtrari, cum pontifex legitimè fuerit impeditus? Atq; ita Pontifex manebit Pontifex, & Eccleſia ſeruabitur incolumis, alio quopiam verbum adminiſtrante. Non probo tamen quòd pontifex (niſi cum vrgentibus negotijs occupetur) Eccleſiam non paſcat. Veruntamen ſi neglexerit hoc facere, non protinus ob id adimitur ei pontificatus. Nulla enim conſequentia iſtud ſubinfertur: Non concionatur pontifex, ergo non eſt pontifex. Neq; eſt quiſquam, qui vel papatum aſſerat abſque amore & paſtu, vel Eccleſiam ſine pontificis amore & paſtu nequaquam eſſe poſſe, præter vnum Lutherum, & qui lepra pari laborant.

Eccleſia eſſe poteſt abſque pontificis paſtu.

LVTH. *Verum ad has rationes oculos & aures claudunt, qui tamen, ſi viceſimam partem huius roboris pro ſe haberent, cœlum & terram clamoribus replerent, cum nec ſic vociferari deſinant, cùm nihil niſi mendacia infirmiſſima pro ſe habeant.*

EPISC. Miror impudentiam tuam, qua te non pudet has rationes vocare, cum nihil ſint minus. Meri cauilli ſunt, & ineptiæ meræ: nihil omninò rationis habentes. Malè profectò ſentire videris de præſentis ætatis ingenijs, ſi putes ea non poſſe deprehendere, quàm ſint inania, friuolaque, quæ adduxeris, & tamen de ijs gloriaris perinde ac ſi eſſent robuſtiſſima. Quis ferre poſſet hanc tuam comparationem, qua negas pontificis fautores, vigeſimam habere partem tui roboris, cum illi pro ſua ſententia tantam habeant conſœderationem, & veteris & noui teſtamenti, cum tot celebratiſsimis auctoribus, tot ſcripturas ex Euangelio, & Actis tam apertiſsimas: tu verò quàm pauciſſimos ex auctoribus affers, & eoſdem vel non intellectos, vel alijs ſibi contradicentes locis. At ex ſcripturis nullum omnino producis teſtimonium, quod non vel inefficax ſit, vel non contra tuam potius opinionem faciat. Et tamen cœlum & terram reples clamoribus, neque deſinis vociferari, tanta eſt audacia, & inuerecundia tua, cum nihil tamen afferas, quod perſpicacibus alicuius momenti ſit. Sed vt tua in te regeramus, mera mendacia multiplicas, & eadem infirmiſsima. Magnam certè congeriem in tua reſolutione ſuper poteſtate Papæ cumulaſti, quorum quædam hoc loco, quæ præ cæteris digna viſa ſunt, quibus reſpondeatur, recenſebimus. Illud in primis quod ex Actis allegas: Petrum & Ioannem ab alijs apoſtolis miſſos fuiſſe Samariam, quàm nihil pro te faciat, ſuperiùs oſtendimus. Sed & illud Chriſti: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut miniſtrator, Si Hieronymi, ſimul & Eraſmi traductionem ſequamur, nihil inſeruit tibi. Sic enim hi traduxerunt: Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior, & qui princeps, ſicut qui miniſtrat. Hic certè Chriſtus quanquam ad humilitatem inuitet, affirmat tamen inter eos quendam eſſe maiorem & principem; id quod aduerſum te palàm facit. Cæteri (quos producis ex Euangelijs) loci, eandem rem tractant, hoc eſt, hortantur ad humilitatem, quam ſi Romani pontifices, pompa, faſtuque ſepoſitis, aliquando præſtarent, nihil haberes, quod vel hiſceres aduerſum eos. Atque vtinam vel tandem aulæ ſuæ mores reformarent, ambitione, auaritia, luxu fugatis. Alioqui nunquam iſtiuſmodi maledicis, ſilentium imponent. Porrò quæ ex Actis ad oſtendendam Petri cum cæteris Apoſtolis æqualitatem citas, tantum abeſt, vt pro te faciant, vt & noſtram partem adiuuent plurimum, quemadmodum ſuprà docuimus. Præter has ſcripturas (quoad ſcio) nullam attuliſti, cum quibus ſi quis noſtras conferat, facilè videbit, quantum te numero ſcripturarum ſuperamus. Ex auctoribus verò tres duntaxat illic memoras, Hieronymum, Cyprianum, & Gregorium. Et hi profectò ſi tibi quicquam faueant, parum conſtabunt ſibi, quòd in tantis auctoribus neuus eſt, & macula nequaquam admittenda. Hieronymum primo loco citas in Epiſt. ad Euagrium, vbi presbyteros (vt ais) pares facit Epiſcopis. Verùm ſi diligentiùs expendas, quid hic Hiero. moliatur, intelliges cur hoc loco tantopere presbyteros extulerit. Faciunt plerunque ſcriptores, quemadmodum hi, qui cum virgam curuam dirigere ſtudeant, tantò magis eam retrorſum flectunt, quantum in contrariam partem antè fuerat inclinatior. Quod & Hieronymus hoc loco facit. Diaconum enim quendam, qui ſe presbyteris antetulit, reprimere conatur, ob quam rationem presbyteros tot verbis efferre ſtudet. Sed lege Hieronymum alijs locis, quos ſuprà citauimus, & perſpicies neminem Romanæ ſedis & pontificiæ dignitatis aſſertorem ſeueriorem eſſe, quàm Hieronymum. Legas etiam eiuſdem Epiſtolæ calcem, quæ ſic habet: Et vt ſciamus, inquit, traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, quod Aaron, & filij eius, atq; Leuitæ in templo fuerunt: hoc ſibi Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Eccleſia. Hoc Hieronymus in eiuſdem ad Euagrium epiſtolæ calce. Aduerte primùm hic diſcrimen poſitum inter Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, ex traditionibus Apoſtolicis ad nos manaſſe, quæ non ſunt minoris auctoritatis, quam ipſæmet Apoſtolicæ ſcripturæ. Deinde quod hoc diſcrimen deprompſerint Apoſtoli ex veteri teſtamẽto, vbi

ſimiles

Loca quædam ex reſolutione Luth. de poteſtate Papæ ventilata.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Ob quam Hiero. presbyteros tantum extulit.

Diſcrimen epiſcoporum, ſacerdotum, & diaconorum.

ſimiles tres ordines fuerunt, hoc eſt, Aaronis, filiorum eius, & Leuitarum. Quis ignorat Aaron ſummum fuiſſe ſacerdotem, & longè maiori prędirum poteſtate, quàm cæteros inferiores? Nam vt Paulus ad Hebræos teſtatur: Solus Pontifex quotannis, ſecundum tabernaculum (quod ſanctum ſanctorũ dicebatur) ingreſſus eſt (id quod cæteris non licuit) ſacrificandi gratia. Sed & huius imperio qui non obtemperabat, morte fuerat plectendus. Non ita cæterorum imperio ples tenebatur obedire. Ecce quemadmodum Epiſtola quam citas, ſummi pontificis auctoritatem non mediocriter commendat. Nec obſiſtunt ea teſtimonia, quæ ex Petro, Paulo, Ioanneq; producit. Nam eadem inducit in Epiſtola ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, vbi tamen presbyterum ab Epiſcopo diſtinguit, & Epiſcopum aſſerit eſſe legem presbyteri, presbyterumque ætatis nomen eſſe, Epiſcopum verò dignitatis. Presbyteros adhuc Apoſtolis reſpondere facit, ſed Epiſcopum Chriſto. Ac demum vt celſiorem omnibus Epiſcopum oſtendat, ſic ait: In foſſarijs ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt: In oſtiarijs, doctores: In lectoribus, Prophetæ: in ſubdiaconis, Angeli: in diaconibus, Archangeli: In presbyteris, Apoſtoli: in Epiſcopis, Deus. Hæc Hieronymus illic. Nec eſt vt quiſquam cauilletur, hanc non eſſe Hieron. quandoquidem ipſe ſtylus rem palàm indicat. Nec obſtat, quòd etiam ad Damaſum ſcripta legatur. Potuit enim eam Hieron. ſcripſiſſe duobus, & potuit nunc integram nunc truncatam èdidiſſe. Portò quantum ad commentarios in Tim. attinet, quis dubitat ipſum aliorum opiniones crebrò referre? Quod & ipſe teſtatur, in ſua defenſione ad Auguſt. ſcribens. Et hactenus pro Hieronymo. Cyprianus autem, niſi velis eum ſibi repugnantem efficere, nobis apertiſſimè ſuffragatur, nimirum in illis teſtimonijs, quæ ſuprà protulimus. Sed & idem epiſtola 2. lib. 3. ſcribit ad Cornelium pontificem ſummum, ſe non priùs quoſdam (qui negarunt primatum ſummi pontificis) intra ſuam Eccleſiam admiſiſſe, quàm ipſi primatum illum denuò confiterentur, in hunc modum: Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ erectum à Deo omnipotenti, & Chriſto domino noſtro ſcimus. Nos errorẽ noſtrum confitemur. Circumuenti ſumus perfidiæ loquacitate factioſa amentes, videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico homine habuiſſe. Syncera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit, nec ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus; vnum Spiritum ſanctum, vnum epiſcopũ in Catholica Eccleſia eſſe debere. Hęc Cyprianus. Ecce Cyprianus adegit eos, primatum ſummi pontificis palàm confiteri, Corneliumq; tum Rom. pontificem ab omnipotenti Deo, & Chriſto Ieſu fuiſſe toti Eccleſiæ erectum, debereq; in Eccleſia Catholica vnum epiſcopum eſſe, quemadmodum in eadem eſt vnus Deus Pater, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, & vnus Spiritus ſanctus. Deinde quantum ad Gregorium ſpectat, eiſdem verbis quæ ex ipſo producis, teipſum condemnas: & diluis cuncta, quæ ex eodem citâras. Gregorius, inquis, primus lib. 4. regiſtri, epiſtola. 32. licèt per auctoritates illas, paſce oues meas, & tu es Petrus, &c. Petro apoſtolorum principi, totius Eccleſiæ curam à Domino commiſſam dicat: tamen in hac cura nullum Epiſcopum ei ſucceſſorem patitur. Hactenus tua verba ſunt. Vides quemadmodum pro nobis facit prior huius ſententiæ pars, nempe qua fateris Gregorium ex illis duabus ſcripturis aſſeruiſſe, Petrum apoſtolorum fuiſſe principem, eidemque totius Eccleſiæ curam à domino fuiſſe commiſſam. Hæc pars copioſè pro nobis militat. Alteram verò partem, nempè quòd Gregorius in hac vniuerſali cura nullum epiſcopum Petro ſuccedere patitur, qua ratione ſtatuere conaris, iam dicam. Nimirum ex eo quod in eadem Epiſtola ſequitur. Sic, inquis, ait Gregorius: Cura totius Eccleſiæ, & principatus Petro committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur. Ex hoc probatum putas, quòd Gregorius nullum, in hac generali cura patitur epiſcopum Petro ſuccedere. Sed qualis iſta probatio eſt, Petrus non vocatur vniuerſalis apoſtolus, ergo non erat vniuerſalis, nec ſucceſſorem habuit, cui commiſſa fuerat vniuerſalis Eccleſiæ cura. Quanquam enim humilitatis gratia talem nuncupationem renuerit Petrus, fuit nihilominus reuera talis, id quod Gregorij verba confitentur. Nam Gregorius affirmat, totius Eccleſiæ curam, & principatum fuiſſe Petro commiſſum. Et quis non eſt Eccleſiæ Pontifex vniuerſalis habendus, cui totius vniuerſalis Eccleſiæ cura, principatusque committitur? Non igitur hac ratione Lutherus conuincit, quòd Gregorius non patitur aliquem Epiſcopum in hac cura Petri Succeſſorem fuiſſe. Neque enim ſequitur: Non patitur Gregorius quenquam dici & vocari vniuerſalem: Ergo neminem patitur vniuerſalem eſſe, aut quod non patitur in illam Petri generalem & vniuerſalem curam, alium vllum ſuccedere. Certè quicquid de Petri ſucceſſoribus in Eccleſia Romana Gregorius ſtatuiſſet, omnino pati non debuit, Antiochenum Epiſcopum vniuerſalem vocari. Et quanquam recuſaſſet ipſe Gregorius nomen vniuerſalis, cum ei per Synodum Calcidonenſem fuiſſet oblatum, non id fecit, quia non reuerà fuerat vniuerſalis, ſed ambitionis vitandæ cauſa, & vt cæteris exemplum præberet, fugiendi nomina tam glorioſa. Neq; certè credendum eſt, tantam Synodum (ſi non eo nomine Gregorius fuiſſet dignus, aut non diuino iure ſic vocari licuiſſet) hoc illi nomen vnquam in gratiam adulanter obtuliſſe. Et hactenus pro Gregorio. Cernis igitur, quàm nihil pro te faciant auctores iſti. Et præter hos tres, alium recenſuiſti neminem. Cæterùm & hos, & cæteros tam Græcos, quàm Latinos, pro noſtra parte ſubſcribere, ſuperiùs palàm conſtitit. Hiſtorias demum, & ratiunculas congeris. Sed quantum ad hiſtorias attinet, cùm ſingula (quæ ex ijs producis) facti ſint, non iuris, nihil ad nos. Ratiunculas

Hebr. 9.

Episcopus presbyteri lex eſt.

Episcopus a Chriſto, presbyteri Apoſtolis comparantur.

[illegible]

[illegible]

Gregorij teſtimonio ipſe iugulat Lut.

Ratio Lutheri.

culæ verò quales fuerint, vel ex hac vna meriemur cæteras, hanc inuenies lector inter Hiſtorias & rationes loco nuno poſitam. Sic enim illic ratiocinatur: Quid ad hæc dicemus? Veráne illa ſententia, quam tota Eccleſia, omnia etiam decreta, omnes doctores tenent, eſſe videlicet Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, vt diſt. 21. cap. In nono. Si eſt falſa, quid iactatur tanta auctoritate. Si vera, quomodo ſolus Rom. pontifex eſt ſucceſſor vnius Apoſtoli Petri, & cæteri omnes Rom. pontificis ſunt ſubditi? Cur non & alij Apoſtoli habent ſucceſſores, aut fuerunt cæteri Apoſtoli ſucceſſores vnius Petri? Cur cæteris Apoſtolis aufertur ſua gloria, & tribuitur ſoli Petro? Cur non quilibet Epiſcopi habent, quod Apoſtoli eorum habuerunt? Cum Romanus habeat quod Petrus, ſuus ſucceſſor habuit. Muta ergo verbum & dic, quòd Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, ſed vnus Epiſcopus Rom. eſt vnius apoſtoli ſucceſſor. Summa rationis eſt: Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores, ergo ſicut Petro ſuccedit Rom. Epiſcopus, ita cæteris Apoſtolis Epiſcopi cæteri. Sed attende lector, quanti Lutherus venditat hanc rationem. Iſta ratio fateor (inquit) niſi ego ſum inſenſatior trunco, cogit & omnium obſtruit os, eſſe Epiſcopos omnes æquales. Hactenus de ratione Lutheri.

Rationis Luth. confutatio.

Nos autem principiò reſpondemus, Decretum iam citatum, plurimùm aduerſari Lutheri inſtituto. Nam planè teſtatur Petrum Apoſtolorum fuiſſe Principem, quippe quem primum à Chriſto ligandi, ſoluendique poteſtatem aſſerit accepiſſe. Legat quiſquis velit Decretum, ſic prorſus inueniet. Deinde negamus illic inueniri, quòd Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Nuſquam enim ea verba leguntur in toto Decreto: Verùm ſic habetur: Ipſis (hoc eſt Apoſtolis) decedentibus, in loco eorum ſurrexerunt Epiſcopi, hoc eſt, Apoſtolos Epiſcopi referebant, non quòd in locum cuiuſuis Apoſtoli quiſpiam ſucceſſerit Epiſcopus. Sed & ipſa verba de cæteris vndecim, Decretũ accepit & non de Petro. Nam poſtquam decretum aſſeruerit Chriſtum voluiſſe Petrum Apoſtolorum eſſe principem, illico ſubiungit. Qui etiam iubente domino, in toto orbe terrarum diſperſi, Euangelium prædicauerunt. De illis nimirũ Apoſtolis hoc dicitur, quorum Petrus conſtitutus fuit à Chriſto princeps. Neque enim ſuiipſius princeps eſt dicendus. Et tum proximè ſequitur: Ipſis quoque decedentibus, in loco eorum ſucceſſerunt Epiſcopi. Nec dixit, in locis eorum, ita vt cuilibet Apoſtolorum quiſpiam ſuccederet Epiſcopus, ſed in loco eorum, hoc eſt, iuxta mentem Decreti, quòd apoſtoli ſub Petro typum geſſerunt Epiſcoporum, quemadmodum & Paulò pòſt aſſerit. 72. diſcipulos typum præsbyterorum gerere, vt iam in Eccleſia Romanus pontifex, Petrum omnium principem referat, qui & vices geſſit Chriſti: poſt ipſum Epiſcopi cæteros repræſentent Apoſtolos: tertio quoque loco presbyteri, 72. diſcipulos exprimant. Hæc planè Decretũ ſentit. Stat ergo Romanũ pontificem, ſolum Petri ſucceſſorem eſſe, quia verè ſucceſſit in ſedem Petri, nedum eum refert. Cæteri epiſcopi loco cæterorum Apoſtolorum ſunt: quia referunt eos, non quia ſucceſſerint in eorum ſedes. Quis hodie, vel Ioannis, vel Andreæ, vel Iacobi, vel alicuius cæterorum occupat ſedem? Stat & Romanum pontificem cæteris Epiſcopis prælatum eſſe, quemadmodum & Petrus Apoſtolorum princeps fuerit. Et hæc demum ſucceſſionis gloria, cæteris adempta eſt Apoſtolis, ſolique Petro collata, vt aliquando tandem intelligas, Petro totius orbis terrarum curam fuiſſe commiſſam, & ab ipſo ceu capite quodam & fundamento poſt Chriſtum, Eccleſiam promanaſſe. Quam promanationem inferorum portæ nunquam interrumpere præualebunt. Sed nimia prolixitate fatigo lectorem. At non poſſum aliter huius hominis ineptias detegere. Alteram & huic ſimilem illic euc ſtigio rationem ſubdit, quam quia inuictam vocat, identidem ſubijciemus. Reſponde inquit, ſi Roma. pontifex præcepto Dei eſt vicarius generalis in tota Eccleſia, ſequitur ineuitabiliter peccare eos, imò eſſe hæreticos, qui non ſub eo fuerint: At tunc Eccleſia tota primitiua, ſaltem vſq; ad 400. annos, cum tot martyribus & ſanctis hæretici erunt. Obſecro quid prodeſt tantam blaſphemiam in Eccleſia pro ſumidę poteſtatis pompa ſtatuere? Deniq; etiam S. Petrus erit hæreticus, qui ante Rom. Eccleſiam cum apoſtolis fuit Hieroſolymis, vincit me hæc ratio inuicta. Reſpondemus, Romanus pontifex diuino iure, & prærogatiua, quæ per Chriſtum Petro donabatur, vicarius eſt in tota Eccleſia generalis. Nec tamen ſequitur ineuitabiliter eos omnes peccare, & hæreticos eſſe, qui primatũ hunc non agnoſcunt, ſi tamen id non fecerint, ingenio malo & animo pertinaci. Poteſt enim vel ſimplicitas eos excuſare, quòd non aduerterint, vel quòd non exegerit ab eis hanc obedientiam Rom. pontifex. Suprà diximus enim Corinthios diuino iure victum Paulo debuiſſe, quem tametſi nec ipſe petijt, nec illi præſtiterunt, non obid, aut is, aut illi peccauerunt, nec erant habendi tanquam hæretici. Veruntamen ſi, Paulus iſtud ceu debitũ quoddam exegiſſet, tum certè quiſquis recuſaſſet reddere, peccaſſet mortaliter. Et ſi pertinaciter docuiſſe nõ reddendum planè fuiſſet hæreticus. Sic & ſi qui ſint, qui ſubduntur Roma. pontifici, cum ipſe nullam ab eis exigit obedientiam, nec illi nulla id proteruitate non præſtent, non facilè dixerim eos, aut peccare, aut hæreticos eſſe. Cæterùm ſi quis animo proteruo, vel non ſubditur Romano pontifici, vel dogmatizat nõ debere cunctos eos ſubdi, is & peccat & hæreſim tenet hauddubiè, nec poteſt in hanc partem vlla, vel pro Boemis, vel pro Græcis, afferri excuſatio. Super qua re & diua Brigitta, fœmina ſanctiſſima, diuiniſque viſitationibus clariſſima, talem accepit reuelationem. Nam libro ſeptimo reuelationum eius, capite decimo nono ſcriptũ eſt, Chriſtũ hæc illi, inter cætera dixiſſe: Græci hi qui ſciunt, quòd omnes Chriſtianos tenere oportet vnam tantùm fidem Chriſtianam Catholicam, & vni tantummodo ſubeſſe Eccleſiæ Romanæ,

Ro. pont. Petrum & ſuccedit & refert.

Cæteri Epiſcopi Apoſtolos ſolum referunt.

1. Cor. 9.

manæ, vnumq́ue ſolum vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum pontificem, ſupra ſe ſpiritualem habere paſtorem, & tamen nolunt ſe eidem Eccleſię Romanę, & vicario meo ſpiritualiter ſubijcere, & humiliter ſubiugare, propter eorum pertinacē ſuperbiam, aut propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, ſiue propter aliquod aliud, quod ad mundum pertinet, indigni ſunt poſt mortem, veniam à me & miſericordiam obtinere. Alij verò Græci qui deſideranter vellent, ſed ſcire non poſſunt, tamen ſi ſcirent, & poſſent, deuotè & libenter ſuſciperent, & Rom. Eccleſiæ ſe humiliter ſubiugarent, & nihilominus ſecundum ipſorum conſcientias, in ſtatu & Fide ſua in qua ſunt, abſtinent à peccando, & piè viuunt, iſtis talibus poſt ipſorum mortem in ſupplicijs miſericordia mea debetur. Hactenus ex reuelatione. Ex his profectò dilucidum eſt, rationem (quam ſic iactaſti) non ſolùm nō inuictam, verumetiam nullius omnino ponderis eſſe. Sed & Græcorum imperium huius ſanctiſſimę fœminæ minas perſenſiſſe creditur. Nam potuit & ad hunc perſtitiſſe diem, modò permanſiſſent ipſi in obedientia, quam dudum Eccleſiæ Romanæ præſtiterunt. Quoniam & in eadem reuelatione Chriſtus Brigittæ dixiſſe legitur: Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium & regna ſiue dominia nunquam ſtabunt ſecura, neq; in pace tranquilla, ſed inimicis ſuis ſemper ſubiecti erunt, à quibus & grauiſſima damna ſuſtinebunt, & miſerias diuturnas, donec ipſi cum vera humilitate, & charitate Eccleſiæ & Fidei Romanæ ſe deuotè ſubiecerint. Hoc certè dictum fuit longè priùs quam perfido Mahumeti Conſtantinopolis in prædam data fuit. Sed quia minas iſtas parùm curarunt, imò contempſerunt, idcirco iam & totū amiſerunt imperium. Nec alia ſanè ratione crediderim alias nationes, quæ dudum Chriſtianæ fuerunt, ſua pariter amiſiſſe regna, nempe quia pontifici Roma. colla ſubdere recuſârunt. Quando igitur has rationes, de quibus tantopere ſidit Lutherus, vt eas vocet inuictas & potentes ora cunctorum obſtruere, ſi tamen ipſe non fuerit inſenſatior trunco, iam conſtat nec pilo dignas eſſe: quid de reliquis opinandum ſit, lectoris iudicio duxi relinquendum.

Ratio quare multorum regna perierunt.

LVTH. *Reliquum eſt ergo, vt ſicut Auguſt. & ipſemet ſentiunt hunc locum Ioannis, nihil ad monarchiam, ſed ad generalem omnibus paſtoribus Eccleſiarum doctrinam pertinere.*

EPISC. Semper mihi ſuſpectus videris Luthere, quoties Auguſtinum citas, non indicans eius rei locum pro qua illum producis. Nam & in ſuperioribus deprehenſus es, & mendaciter eum recenſuiſſe, cum locum non indicaris. Neque enim dubito, ſi palàm pro te facerent eius verba, non prætermiſiſſes ea recenſere, ſimul & oſtendere locum. Nuſquam equidē apud eum legi, quòd is locus nihil ad monarchiam Petri faciat, nec opinor te poſſe docere, quo nā loco ſic dixerit. Vnum ſcio, quòd Auguſtinus vbiq; Petrum facit primum & principem Apoſtolorum, ac magiſtrum & caput cęterorum, in quo & cæteros contineri dicit, ſicut in capite cuiuſuis familię reliqua comprehenditur multitudo. Quando igitur Chriſtus hîc eidem Petro ſuarum ouiū tradit curam, quod & Auguſtinus aperte confitetur, quomodo non illum etiam hoc loco præficit, & præponit cunctis? Quiſquis enim ouem Chriſti ſe confitetur, cum ijs verbis oportet ſubijci Petro. Propter quod & Chryſoſtomus hunc locum enarrās. Petrum etiā principem apoſtolorum vocat, & totius orbis terrarū curam aſſerit hîc ei fuiſſe commendatam. Nec certè quicquam id minuit auctoritatem Petri, quòd ipſe typus ſit cæteris Eccleſiarum paſtoribus, à quo & ipſi generalem paſcendi doctrinam accipiant. Nullus enim ſcripturę locus ita cuidam eſt accommodatus perſonæ, quin & inde cæteri complures exemplum trahere queant.

Qui ſe ouem fatetur, Petro ſe ſubijcit.

LVTH. *Et eam Eccleſiam quæ ſub Papa regitur quia ſine amore & paſtu verbi Dei regitur, nihil minùs quàm Eccleſiam eſſe.*

EPISC. Profectò ſi tam diu ſteterit Eccleſia Romana ſine amore & paſtu verbi Dei, quis non inde ſolidiùs confirmabitur, vt prædictis Chriſti verbis credat? Quippe cum ipſe pollicitus antè ſit, portas inferi nequaquam aduerſus Eccleſiam (quæ ſuper Petrum conſtituta eſt) præualituras. Nam video nunc illam perpetuari ſolo Chriſti vaticinio, non aliquo merito pontificum. Sed tibi Fidem adhuc Luthere non habeo, quin in vrbe illa plurimi ſint, qui non ſolùm ament, verumetiam crebertimè cæteros inſtruant in verbo Dei.

LVTH. *Et ipſum Papam nihil minùs quàm paſtorem Eccleſiæ Dei eſſe, ſed idolum aduerſarium Chriſto & Euangelio eius.*

EPISC. Hoc eſt quod moliris. Huc ſpectant omnia quæ garris. Solo Romanorū odio rem hanc peſſimam aggreſſus es. Doluit ſanè tibi tot moleſtias audire, quas Romani Germanis tuis inferunt. Quas cum aliter amoliri nequeas, nullum non moues lapidem, quò pontificis auctoritas, aut tollatur funditus, aut certè minuatur. Quo fit, vt torqueas, & per vim trahas ſcripturam ſacram in ſenſum omnino repugnantem, nihilq́; non magis, quò Romanis inuidiam concites apud cunctos. Sed eſto, patria tibi chara fuerit, certè pro religione, quam es profeſſus, multò chariores eſſe debere Deus & ſcripturæ. Fruſtrà niteris aduerſus Deum. Gamalielis illud nō ignoras: Si eſt ex Deo, ſtabit. Stabit vtique, velis nolis, Eccleſia Romana. Schiſmatis quidem auctor eſſe poteris. Nam & diſceſsionem futuram Paulus prædixit. Sed væ homini illi, per quem diſceſsio fiet. Poſtquam omnia feceris Luthere, manebit Petri ſucceſſor, qui ſi mores aliquando ſuæ curiæ reformare ſtuduerit, non dubito quin te valde pœniteblt horum.

Act. 5. *2. Theſ. 2.* *Schiſmatis auctor Luth.*

LVTH. *Vbi ergo nunc ſtabit ſictitius iſte primatus, poſtquam duo hi loci, quibus nititur principaliter, prorſus contra eum facere conuincuntur.*

EPISC. An conuiceris, aliorum erit iudicium. At certè calumniarum & conuiciorū aduerſum hos locos, abundè ſatis congeſsiſti. Sed hoc non eſt conuincere. Hi nimirum loci cum tot ſcripturis, ac ſanctorū patrum aſſertionibus vſqueadeo colligantur, & indiſſolubiliter adglutinantur, vt infirmari nō poſsint, niſi cęteris omnibus infirmatis. Si quicquam valeat, aut Pauli, aut Lucę dialectica,

qua vel ille colligit ex vmbra veritatem, vel iſte ex multis argumentis Chriſtum reſurrexiſſe: faciliùs Ioui (quòd aiunt) ſuum fulmen eripueris, & ex Herculis manu detraxeris clauam, quàm huic primatui veritatem auferas. Stat nimirum, & ſtabit primatus iſte, non fictiuius (vt tu cauillaris) ſed verus. Quis enim vnquam hæſitare de hoc primatu poterit, qui vel alterum prædictorum locorum probè intellexerit atque expenderit, quàm expreſſis verbis Chriſtus Petrum cæteris præpoſuerit Apoſtolis. Quòd ſi deinde reliquos Euangelij locos & Actorum contulerit, qui non pauci ſunt, ſed & veterem adumbrationem aduerterit, quàm

Sedes Petri proſperabitur.

adamuſſim his reſpondeat. Adhæc ſi probatiſſimorum interpretum adiecerit teſtimonia, aut demum (quod non leuiſſimi ponderis eſt) euentum rei trutinauerit, quomodo non Hieroſolymis, nec Antiochiæ, nec alibi locorum poſtremam ſedem elegerit Petrus, quam in ea vrbe, quæ tum erat totius orbis caput, in qua iam ad hunc diem proſperatur, cum cæterorum Apoſtolorum ſedes, vel parum venerantur, vel prorſus euanuerint. Quiſquis, inquam, hæc omnia ſimul ceu linum lino (vt in prouerbio eſt) connexuerit, & tua quàm ſint inania friuolaque perpenderit, quanquam aduerſus ipſum pontificem odio furias pluſquam agreſti, nō poterit opinor amplius ſuper hoc primatu dubitare.

LVTH. *Non ergo tantillum curo, quòd longitudinem temporis, & multitudinem conſpirantium mihi obiectent, quòd talibus argumentis mundus contra Apoſtolos quoque vſus fuerit, & tamen ab hoc veritatem Euangelij recentem, a paucis & idiotis prædicatam, redarguere non potuerunt.*

EPISC. Non fuit æquum certè, vt contra Apoſtolos quicquam præualeret conſuetudo, quantumuis longæua. Quando illi, quæ docuerant apertiſſimis omnia miraculis confirmârunt. Et tu Luthere ſi tot, & tam euidentibus tua dogmata miraculis aſtrues, totus fortaſſis orbis tibi crediturus eſt. Sed noſtra interim ſatis copioſè non miraculis modò, verumetiam ipſius Chriſti verbis, & priorum patrum concordibus ſententijs, qui iam pridem Spiritu ſancto fuerant inſtructi, ſtabilita ſunt, vſqueadeo vt ſi non iſtis ſolidati fuerimus, erimus omni vento mobiliores, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiæ veritatem peruenientes. Et hactenus ad huius articuli confutationem ſufficere putamus.

ARTICVLVS XXVI.

LVTH. VERBVM *Chriſti ad Petrum, Quodcunq; ſolueris ſuper terram, &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.*

EPISC. Nihil oportere vt in hoc articulo prolixi ſimus, quando ſuperiùs de hoc non ſemel diſſeruimus. Errorem igitur huius, hoc loco paucis demōſtrabimus. Petrus neminem ligare potuit ad peccatū, potuit autem ſoluere quotquot ad eum acceſſerunt, tam à reatu peccati, quàm à pœna peccatis ipſis debita. Quamobrem hæc verba non ad ligata ſolùm à Petro, verumetiam ad ea, quæ nunquam ligauit Petrus, extenduntur. Adde, quòd ſi neminem Petrus ligare potuiſſet, niſi per excommunicationis vinculum, tum ſi nullum vnquam excommunicaſſet, nullum potuit ſoluiſſe, ſed neq; eos qui per alios fuiſſent excommunicati ſoluere potuiſſet vllo pacto. Accedit ijs, quod alibi Lutherus affirmat, neminem videlicet excommunicari poſſe, niſi qui ſeipſum antè per peccatum proprium excommunicauerit. Petrus ergo neminem inuitum, & qui non ſua ſponte peccaſſet antè mortaliter, ita ligare potuit, hoc eſt, excommunicatione vincere. Quamobrem ſi nec aliū quenquam poſſet ſoluere, nullo pacto veram, hoc verbo Chriſtus Petro contulit poteſtatem, ſed merè fictitiam, cum neque verè liget aut ſoluat Petrus; verùm iudicet ſolú, quæ ſint ligata ſolutauè. Fruſtrà ergò dixit Petro Chriſtus: quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Sed iam æquum eſt, vt Lutherum audiamus.

LVTH. *Primùm nego ad ſolum Petrum hoc Chriſti verbum eſſe dictum, neq; ego hoc vnquam dixi. Interrogauit enim omnes diſcipulos dicens: Quem vos me eſſe dicitis? Et Petrus omnium perſona reſpondit: Tu es Chriſtus, ita & in omnium perſona accepit claues.*

EPISC. Probabile eſt, non omnibus fuiſſe reuelatum, quòd Chriſtus eſſet Filius Dei, & vide qua ratione. Nam quod Paulus dicit de Iudæis, Si cognouiſſent, nunquam Dominū gloriæ crucifixiſſent.

Non omnibus Apoſtolis reuelata omnia.

Idem, de Iuda dicendum opinor, ſi Iudas cognouiſſet, Chriſtum fuiſſe filiū Dei, & dominum gloriæ nunquam crucifigendum vendidiſſet. At planè Iudas illum fuiſſe filium Dei cognouiſſet, ſi fuiſſet hoc ei reuelatum. Conſequens igitur eſt, hoc omnibus haud quaquam fuiſſe reuelatum. Sed neque ſingulariter Chriſtus beatificaſſet Petrum, ſi res hæc tam arcana cæteris æquè reuelata fuiſſet, atq; fuerat Petro. Nunc autem ſoli Petro dixit Chriſtus: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Potuit ad omnes pari compendio dixiſſe: Beati eſtis vos, quia caro & ſanguis non reuelauit vobis, ſed pater meus. Cæterùm quia nomine proprio compellabat Petrum & ei factam reuelationem aſſeruit, iccirco veriſimilius eſt, ſolú Petrum beatificaſſe, & idem pro confeſſione ſuæ Fidei, claues donaſſe regni cœlorum. Neq; enim quia credidit, clauium accepit promiſſionem, ſed quia primus confitebatur. Multi enim olim crediderunt, quibus ea promiſſio facta non fuit. Ob id igitur (quia primus & ſolus cōfitebatur Petrus, iccirco vel ſoli, ceu confeſſionis ſuæ præmium claues conferebantur. At, inquies, tibi veriſimilius contrarium videri, nempe quòd ſoli Petro claues hæ conferebantur. Sed iſtud qui probas? Cernis quantum verba ipſa pro noſtra parte faciant, & quantum omnes interpretes ſacri noſtræ ſententiæ ſubſcribant. Nec ignoras totius Eccleſiæ conſenſum, & vis vt (contemptis his omnibus) tui capitis vertiginem ſequamur, hoc an æquum fuerit, lector quiuis iudicet.

LVTH. *Quare notandum, quòd ſanctitas ſanctiſſimi domini Papæ hoc loco mentitur, ſicut eſt mos eius atq; ſilij.*

EPISC. Qua in re (te quæſo) mentita eſt ſanctitas ſanctiſſimi domini noſtri? Lege articulum. An non

ita ſe

Impudentia Luth. in ſummum ſacerdotem.

ita ſe habet verbum Chriſti ad Petrum? &c. An non ad Petrum locutus eſt Chriſtus? Quis hoc negare poteſt? Sed, inquies: Non ad ſolū Petrum locutus eſt. Iſtud non aſſerit articulus. Neque enim dicit. Verbum Chriſti ad ſolum Petrum: ſed verbum Chriſti ad Petrum. Quis hoc loco poterit excuſare mendacium tuum? Et tamen hîc (vbi palàm ipſe mendax es) non te pudet ſummo pontifici, & eidem inculpato, mendacium impingere. Conſtantinus Cæſar, cùm Epiſcopi ſe mutuò criminarentur, ſic dixiſſe fertur: Si proprijs oculis peccare Sacerdotem viderim, mox operire vel mea chlamide peccantem ſtuderem. Ecce laicus inferorum Epiſcoporum vera crimina tegere ſtudet, & tu Luthere (qui religionem profeſſus es) ſummo ſacerdoti fictum crimen imponere non erubeſcis? quin & inſultas velut mendaci, cum ſit tamen ipſe veraciſſimus.

LVTH. *Quòd autem poteſtas ſoluendi latior ſit, quàm poteſtas ligandi, æquè mentitur ſanctiſſimus ille, non enim hoc poterit probare vllo modo.*

EPISC. Quid eſt quod non audeas Luthere? tanta eſt temeritas impudentiæ tuæ. Nimis quàm temerè iactitas, hoc probari non poſſe, nempe latiorem eſſe ſoluendi poteſtatem, quàm ligandi. Quod nos ita breuiter oſtendere tentabimus. Summus Pontifex ſoluere poteſt à peccato, quod nunquam ligauit, aut ligare potuit: Ergo latiùs extenditur ſoluendi poteſtas, quàm ligandi. Hoc ſcio nunquam dilues, niſi velis negare ſummum pontificem à peccato ſoluere poſſe. Quod ſi feceris negabis etiam omninò poteſtatem vllam his verbis contineri, ac proinde confiteberis, fruſtra Chriſtum aliquam, de ligandi ſoluendiue poteſtate, feciſſe mentionem. Quoniam ſi peccatum non ſoluat Pontifex, quid eſt quod ſoluat? Nec eſt quod ad canones confugias, vt dicas Pontifices ad pœnas canonum ligare poſſe quempiam, & ab eiſdem ſoluere. Quoniam antequàm de canonibus quicquam erat cogitatum, hæc poteſtas Petro collata fuit. Etſi nunquam fuiſſent Canones conditi, non ob id fruſtrari potuit donatio Chriſti. Soluere igitur Pontifex à peccato poteſt. At neminem inuitum, hoc eſt, qui nolit peccare, ligare poteſt peccati vinculo. Quamobrem, cum idipſum non ligauit, quod tamen poteſt ſoluere, neceſſum eſt, vt ſoluendi poteſtas longiùs porrigatur quàm ligandi.

Soluendi poteſtas latiùs protenditur, quàm ligandi.

LVTH. *Quia ſicut Chriſtus dicit: Quodcunque ſolueris, ita dicit: Quodcunque ligaueris, vtrobique eodem ſigno vniuerſali vtens, quare parem vtranq; poteſtatem, apertiſſima verba probant Chriſti.*

EPISC. Quid ſi Chriſtus vtatur eodem vtrobiq; ſigno? Num propterea neceſſum erit, tot per Petrum eſſe ligabilia, quot & per ipſum ſolubilia ſunt? haudquaquam. Quæ res apertior fiet, ſi Chriſti pollicitationem ad multitudinem hominū contraxerimus, perinde ac ſi dixiſſet Chriſtus: Quoſcunq; Petre ligaueris homines in terris, erunt & in cælis ligati, & quoſcunq; ſolueris homines, erunt identidem in cœlis ſoluti. Quis dubitat, ex hominibus compluresэſſe, qui mortali peccato careant. Et hi niſi ſponte ſua deciderint in peccatum, ligari per pontificem nequeunt, quod & ipſe Luthere mordicùs aſſeris, & creberrimè quidem. Sunt è diuerſo plerīq; qui mortalibus grauantur admiſſis, quos (non eſt dubium) pontifex, modò ſuis parēre monitis voluerint, abſoluere poteſt. Perſpicuū igitur eſt, plures eſſe quos Petrus ſoluere poteſt, quàm quos ligare: ac proinde conſtat ſolutionem latiùs patere, quàm ligationem.

LVTH. *Vt nihil moueant quæ ſanctiſſimus in contrarium blaſphemat, non enim ei credimus nuda dicenti, multò minùs contra apertam veritatem inſanienti & blaſphemanti.*

EPISC. Quæ (te quæſo) Pontificis hîc vlla blaſphemia eſt? Nonne veriſsimum eſt, ita Chriſtum dixiſſe Petro? Quodcunque ligaueris, &c. Et nunquid non oſtendimus, ſoluenda longè plura eſſe quàm liganda? Quòd ſi pauciora ſint hæc quàm illa, quis non illico videt, ſoluendi longiùs, quàm ligandi poteſtatem propagari? Quod ſi verum ſit, vbi quæſo falſi quicquam dixit ſummus Pontifex? An non ipſe magis blaſphemiam contra Chriſtum & eius Euangelium iacularis? Tu planè ſi datam ijs verbis vllam Petro fateris poteſtatem, ea erit qua peccatum ſoluitur, quod nequaquam Petrus antè ligauit. Atque ita porrectior erit ſolutio, quàm ligatio. Et tu qui hoc negas, inſanis, & blaſphemas in ſanctum Euangelium. Sin verò nullam Petro datam poteſtatem aſſeris, ita mendacem facis Chriſtum, quæ ſumma quoque blaſphemia eſt. Atq; hæc ad conuulſionem articuli ſufficiunt.

ARTICVLVS XXVII.

LVTH. *CERTVM eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe, ſtatuere articulos fidei, imò nec leges morum ſeu bonorum operum.*

EPISC. Non hîc me fugit quoſdam opinari, & inter hos in primis Ioannem Scotum, cuius acumen mihi ſummopere probatur, quòd Eccleſia non poteſt, quicquid ipſa velit, verum aut non verum conſtituere. Sic enim ipſe diſtinctione. 11. quæſtione 3. quarti, de communicatione ſubſtantiæ panis (quæ ſit in corpus Chriſti) credenda, loquens dicit, quòd quanquam Innocentius tertius in concilio Lateranenſi decreuerit idipſum fore credendum, non fuit tamen in poteſtate Eccleſiæ hoc verum facere, aut non verum, ſed Dei inſtituentis. Cæterùm tametſi nequeat ſummus Pontifex, vnà cum Concilio, hoc eſt, Eccleſia catholica, quicquam aut verum, aut falſum facere, ac proinde nouos articulos Fidei conſtituere, tamen quicquid hi nobis credendum tradiderint ceu Fidei articulum, id cunctos, verè Chriſtianos, haud aliter quàm articulum Fidei quendam, oportere credere. Quod & ipſe Scotus eodem affirmat loco. Dicendum eſt, inquit, quòd Eccleſia declarauit iſtum intellectum eſſe de veritate Fidei in illo ſymbolo edito ſub Innocentio tertio, in concilio Lateranenſi firmiter credimus, & cæ. Vbi explicitè ponitur, veritas aliquorum credendorum, magis explicitè, quàm habebatur in ſymbolo Apoſtolorum, vel Athanaſij, vel Niceno. Et breuiter quicquid ibi dicitur eſſe credendum, tenendum eſt eſſe de

Eccleſia non poteſt quicquid vult.

ſubſtantia fidei, & hoc poſt iſtam declarationem ſolennem factam ab Eccleſia. Hæc Scotus. Cuius verba non iam ob id cito, quòd te putem his velle cedere: ſed vt intelligas quantum Eccleſiæ Scotus detulit, qui tamen alioqui ſuo iudicio, plurimum ſolet tribuere. Sed Eccleſiam credidit eatenus Spiritu ſancto fuiſſe afflatam, vt errare in iſtiuſmodi rebus haud potuit. Propter quod & ſubdit: Supponendum eſt, quòd Eccleſia Catholica eo ſpiritu expoſuit, quo tradita eſt nobis Fide, ſpiritu ſcilicet veritatis edocta. Et ideo hunc intellectum elegit quia verus eſt. Non quòd hunc verum Eccleſia fecerit, ſed à Deo traditum explicauerit, directa in hoc vt creditur à ſpiritu veritatis. Hæc Scotus. Si igitur argumentamur: Non inanem nobis pollicitationem Chriſtus fecit, quando ſpiritum veritatis promiſit in Eccleſia manſurum, qui nos de omni veritate certiores faceret. At inanis fuiſſet iſta pollicitatio ſi concilium legitimè conuocatum, & eo præſertim intuitu, vt de fidei negotijs Eccleſia certior fieret, errare permitteretur. Quamobrem certò credendum eſt, quicquid concilium ſic à pontifice congregatum decreuerit eſſe de ſubſtantia fidei, id tanquam articulum Fidei recipiendum eſſe. Confirmabimus iſtud hoc modo. Nam vnde ſcimus, quis fuerit articulus Fidei an ſecùs, niſi per Eccleſiam? Sed neque Euangelia ſcimus Euangelia eſſe, niſi per Eccleſiæ diffinitionem. Negat enim Auguſtinus ſe fuiſſe crediturum Euangelio, niſi quia Catholicæ priùs credidiſſet Eccleſiæ, quæ teſtimonium Euangelio perhibuit. Et certè Spiritus ipſe veritatis (quo verè credimus Eccleſiam regi) nunquam pateretur eam in ijs negotijs hallucinari. Sed & de legibus morum, ac bonorum operum (quandoquidem ſuperiùs oſtendimus, non ſolam Fidem nobis ad ſalutem ſufficere, ſed opera bona ſimiliter exigi) quis ambiget, quando Pontifici ſimul & toti concilio viſum fuerit, mores & opera quædam condemnare, tanquam Chriſtianorum ſaluti contraria, quin ea fugere (velut animarum ſuarum perniciem) ſinguli Chriſtiani teneantur? Alioqui Paulus fruſtrà dixiſſet: Obedite præpoſitis veſtris. Et Chriſtus item: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Et alibi: Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. At quando potiùs Eccleſiam audituri ſumus, quàm cum Pontifici concilium conſentit, & Pontifex concilio? Nam hi (procul omni controuerſia) catholicam Eccleſiam repræſentant. Sed iam cum Luthero congrediamur.

Argumentum.

Heb. 13.
Luc. 10.
Matth. 18.

LVTH. *Probo hunc ſic 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus: hic habes fundamentum ab Apoſtolis poſitum, at omnis articulus Fidei eſt pars huius fundamenti, quare poni alius articulus, quam poſitus eſt nullus poteſt. Superædificari autem poteſt, vt idem dicit: Et ideo Papa debet nobiſcum poni & ſuperædificare, non autem ponere: omnia enim credenda ſunt in ſcripturis expoſita plenè.*

EPISC. Si cuncta credenda, plenè ſunt in ſcripturis expoſita, mirum eſt, aut vnde tibi cum patribus de ſcripturis tantum eſt diſſidium: aut quibus oculis
ipſe cernas, quod illi contueri nequaquam potuerunt? Sed vt iſta prætermittamus, dic mihi vbi
in ſcripturis inueniam diem dominicā obſeruari
præceptum, quem tamen Eccleſia colendum 1.
præcepit? Nec eſt hoc neotericum inuentum,
ſed à primordijs Eccleſiæ traditum, & à Chriſtianis
hactenus accuratiſſimè cuſtoditum. Veruntamen
quia non habetur in ſacris literis, iam per
te, non ampliùs obſeruandum eſt, neque credendum
obſeruari. Dic rurſum vbi iuſſum 2.
fuerit in ſcripturis, diuorum imagines eſſe venerandas?
Certè ſeptima Synodus (quæ fuerat
367. patrum) condemnauit execratores earum,
& voluit omnes Chriſtianos eas digna veneratione
complecti. Dic tertiò, quæ ſcriptura 3.
tradat, patrem ingenitum dici? Nam Auguſtinus
hoc ipſum in ſcripturis nuſquam inuenire
ſe potuiſſe teſtatur. Et tamen ad ſubſtantiam fidei
pertinet. Sed nec quòd filius omouſios dictus 4.
alicubi fuerit (ſi credimus Auguſtino) poſſet illic
inueniri, & tamen hoc ipſum eſt articulus Fidei.
Dic qua ſcriptura cogemus proteruientem, vt fa- 5.
teatur Spiritum ſanctum à patre ſimul & à filio
procedere? & tamen idipſum eſt articulus Fidei.
Dic vbi reperiemus, quòd Paſcha non alio, 6.
quàm dominico die celebrandum ſit? profectò
nuſquam in ſacris literis iſtud comperies. Et tamē
hoc à priſcis illis obſeruari diſtrictius imperatum
eſt. Dic vbi ſcriptum ſit in ſacris literis, quòd ba- 7.
ptizatus ab hæretico non debeat rebaptizari? Et
tamen hoc (etiam auctoritate Cypr. renitente)
poſt mortem eiuſdem Cypr. per concilium Carthaginienſe
decretum fuit. An non Chriſtus aſſeruit
multa ſe habuiſſe, quæ dicturus Apoſtolis
fuiſſet, ſi tunc ferre ea potuiſſent? Et vbi quæſo
ſunt illa ſcripta? Sed & Paulus poſt ſuum redi- 8.
tum quædam Corinthijs pollicitus eſt ſe diſpoſiturum.
Cætera, inquit, cum venero diſponam.
Et hæc in ſacris literis nuſquam ſcripta
inuenies. Falſum igitur eſt, quòd omnia quæ vel
ad Fidem pertinent, vel ad leges morum & operum,
plenè ſunt in ſcripturis expoſita. Id quod
oportet confitearis, alioqui probatio tua nulla
eſt. Reſiduum autem argumentationis tuæ,
nullius momenti eſt. Quid enim ſi Chriſtus
(quod & nos affirmamus) Fundamentum ſtatuatur?
Num propterea cuncta quæ nobis credenda
ſunt, in ſcripturis plenè ſunt expoſita?
Quid hac conſecutione poteſt ſtolidius, cogitari?
Sed & Petrum quid prohibet in Chriſto
fundari, & nihilominus Eccleſiaſticæ ſtructuræ
fundamentum eſſe? Nobis enim fundamentum
omnino primum Chriſtus eſt. Subinde
poſt Chriſtum Petrus. Tibi verò nec Chriſtus
Fundamentum eſſe poteſt, quando Fides (quam
tu Fundamentum collocas) in Chriſto nequeat
eſſe. Per Fidem vtiq; Chriſtiani ſuper Chriſtum
fundantur. At hæc Fides haudquaquam in ipſo
Chriſto eſt, ſed in ipſis Chriſtianorum pectoribus.
Quam quia Petrus primùm confeſſus fuerat
& ipſe primus poſt Chriſtum lapis viuus in huius
ædificij ſtructura repoſitus fuit.

Omnia quæ ad Fidem attinēt in ſcri. pturis eſſe expoſita falſum eſt.

Fundamentum Eccleſiæ.

LVTH. *Permitto tamen, quòd Papa condat articulos ſuæ Fidei,*

& ſuis

& ſuis fidelibus, quales ſunt: panem & vinum tranſſubſtantiari in Sacramento: Eſſentiam Dei nec generare: nec generari: Animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani: Se eſſe imperatorem mundi, & regem cœli, & Deum terrenum: Animam eſſe immortalem. Et omnia illa infinita portenta in Romano ſterquilinio decretorum, vt qualis eſt eius Fides, tale ſit Euangelium, tales & fideles, talis & Eccleſia, & habeant ſimilem labra lactucam, & dignum patella ſit operculum.

EPISC. *Currus bouem trahit.*

Permittis ipſe Pontifici? Benè ſcilicet agetur cum Pontifice, ſi neceſſum ei ſit ex tua permiſſione pendêre. Sed vbi (te quæſo) Pontifex regem cœli Deumq; terrenum ſe vocauit? Quis te ferre poteſt, ita ſemper & vbiq; mendacem? Illud verò, eſſentiam Dei nec generare nec generari, quid tibi videtur, verúmne, an falſum hoc exiſtimas? Si falſum putes, quòd eſſentia generat, aut generatur, cur debeat tolerari? An opinaris, vel minimum de Deo mendacium, leue quiddam eſſe? Quando igitur tui ſimiles nihil veriti ſunt, hoc de Deo mendacium confingere, qualem tu Pontificem illum dixiſſes, qui paſſus hoc fuiſſet impunè doceri? Rectè igitur Pontifex (qui tum fuit) Chriſtianos admonuit, quid ſuper hac de re credere debuiſſent. Sed nec cæteri (quos obijcis) articuli, ſuis carêt rationibus. Id quod palàm oſtenderem, niſi quòd ex verſutia quadá eos introduxiſſe te iá video. Hoc in te ſæpiùs obſeruaui, quoties efficaces tibi deſunt probationes, ad conuicia te vertis, & alia moues, quę nihil ad rem attinent. Firmandus abs te potiùs articulus eſſet, quo certum aſſeueras eſſe, quòd non ſit in manu Eccleſię, aut Papæ, ſtatuere articulos Fidei, neq leges rectè operandi. Sed cum illum nequeas probare, ne nihil interim egiſſe videaris, tuo more latras in pontificem.

LVTH.

Non verò, quia non Papani ſed Chriſtiani ſumus, ſcimus, quòd nihil eſt Fidei & bonorum morum, quod non abundè in literis ſacris ſit expoſitum; vt neq; ius, neq; locus ſit, alia ſtatuendi vllis hominibus.

EPISC. *Notatur Lutheri inſcitia.*

Tu te his verbis hoc ſcire iactitas, quibus palàm cunctis oſtentas inſcitiam tuam. Nos enim plurima ſuperiùs memorauimus tam credenda, quàm facienda Chriſtianis, quæ nuſquam in ſacris literis habentur. Nec ſatis eſt, quòd dixeris te hoc ſcire, niſi præter hoc, iuſtas item adduxeris probationes. Mihi profectò neutiquam ſatisfacis, cum te ſcire dixeris, niſi me quoque feceris idipſum ſcire. Rectiùs aliqua recenſuiſſes, de quibus ambigitur an in ſacris literis contineantur, & indicaſſes vbi reperiri queant, quàm tot aliena citaſſes decreta, nempe de panis & vini tranſſubſtantiatione, de eſſentia DEI nec gignente, nec genita, de forma ſubſtantiali corporis humani, atque alia nonnulla, quæ nihil ad rem pertinent. Nos (vt vides) recenſuimus plurima, quæ nemo verè Chriſtianus negare poterit, ad Fidem & bonos mores pertinere, nec tamen vbi ſint abundè tradita vel expoſita in ſacris literis, vllus indicare poteſt. Et tu nihilominus (tanta eſt inuerecundia tua) audes aſſerere: Nihil eſſe Fidei & bonorum morum, quod non abundè ſit in ſacris literis expoſitum.

LVTH. *Inanis Lutheri philoſophia.*

Porrò ceremonias potuit Eccleſia ordinare, ſed eæ in arbitrio ſunt omnium fidelium, ſicut dicit 1. Cor. 7. Empti eſtis pretio, nolite fieri ſerui hominum. Et Col. 2. Videte ne quis vos decipiat per inanem philoſophiam & fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa huius mundi, & non ſecundum Chriſtum.

EPISC.

In Ceremonijs profectò quiſquis repoſuerit ſpem ſalutis, longè fallitur. Attamen haudquaquam inutiles habendæ ſunt ceremoniæ. Tolle ceremonias ab Eccleſia, & apud maximam Chriſtianorum partem Dei cultum ſtatim extingues. Fac ne quiſquam leuet manus, néue genua flectat, aut ne tundat pectus, aut oret non velato capite, aut non in pedes erectus ſtet, dum legitur Euangelium, aut id genus reliqua prætermittat, videbis intra paucos dies, eam (quam vocamus deuotionem) euaneſcere penitùs. Nam ea, quę adhuc viget in paucorum Chriſtianorum pectoribus, quanquam ſit pertenuis illius cultus ſcintillula, ceremonijs tamen enutritur. Et niſi ad has cogerentur Chriſtiani, propediem, aut nullus, aut quàm frigidiſſimus cultus DEI futurus eſt. Neque ſcripturæ, quas adducis, ceremonias damnant. Cum enim Paulus ait: Empti eſtis pretio, nolite fieri ſerui hominum: *1. Cor. 7.* Hoc propter eos dixit, quorum aliqui ſe Paulo quidam Apolló ſe addicebant, velut in hominibus ſpem ſalutis ſtatuentes, atque per hunc modum in miſeram ſe tradentes ſeruitutem. Sed & alia ſcriptura Pauli nihil aduerſus eas ceremonias, quibus Eccleſia iam vtitur, militat: ſed veteres Iudæorum obſeruantias duntaxat vitare iubet.

LVTH.

Concedo ergo Papam habere poteſtatem condendi leges, ſicut Aſſur Nimbrod habuit, vt eſſet robuſtus venator in terra coram Domino, vt extinguat libertatem Chriſtianã.

EPISC. *Specioſa Luth. libertas. Aegyptiaca ſeruitute deterior.*

Tu videri vis Chriſtianæ libertatis aſſertor eſſe, cum nihil ſis minùs. Nam tua libertas mera ſeruitus eſt. Sola Fides tibi liberum facit quemq; quantumuis inquinetur vitijs vel ſordidiſſimis. Tuæ libertatis eſt Eccleſiæ ſacramenta contemnere, quæ ſemper apud patres fuere ſacroſancta. Tantam tu Chriſtianis libertatem, imò veriùs licentiam permittis, vt nullis alijs Eccleſiæ legibus obtemperent, quàm quæ in Euangelijs aut Apoſtolicis literis palàm ſunt traditæ. Tua libertas omnem ceremoniarum ordinem euertit, confuſionemque proinde maximam pariet tandem in Eccleſia Dei. Aptè profectò libertatem hanc tuam depinxit diuus Petrus, cum vetuit Chriſtianis, ne quaſi velamen haberent malitiæ libertatem. *1. Pet. 2.*

LVTH.

Probatur hæc poteſtas per illud Chriſti Matth. 24. Videte ne quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes ego ſum Chriſtus, & ſeducent multos.

EPISC.

Quis non videt hanc ſcripturam teipſum exprimere? quippè, qui tot ſub Chriſti prætextu ſeduxeris, & quotidie ſeducis. Quis nó hic ſtrophas tuas exploratiſſimè cernit, cum Chriſti vaticinium (quod tibi nemo non obijceret) tua vafrities adaptas pontifici? Quis alius (quæſo) plebem ſeducit potiùs, quàm qui eam auertit à patrum commentarijs, in quibus ab Apoſtolorum

tempo-

temporibus, ad hanc ætatem vſque Chriſtiana plebs ſcripturam ſacram didicerit. Ab his paſcuis nunc tandem Lutherus abducit plebem, atque id quidem ſub prætextu nominis Chriſti. Quis itaq; non aduertit hunc ex eorum eſſe numero, de quibus Chriſtus dixit: Multi venient ad vos in
Matth. 24. nomine meo, & ſeducent multos.

LVTH. *Et iterum: Cum videritis abominationem ſtantem in loco ſancto (quæ dicta eſt à Daniele propheta, qui legit intelligat.) Surgent enim Pſeudoprophetæ, & Pſeudochriſti, & ſeducent multos. Tunc ſi dixerint: Ecce hic aut illic eſt Chriſtus, nolite credere: dabunt enim ſigna & prodigia, vt in errorem ducant, ſi fieri poteſt etiam electos. Ecce prædixi vobis.*

EPISC. Et hæc ad te quoq; ſpectant & tui ſimiles. Quiſquis enim prætexens Euangelium, hæreſim do-
Abominatio eſt ipſe Luth. cet, rectè dicitur abominatio ſtans in loco ſancto. Et eiuſmodi Chriſtus ipſe Pſeudoprophetas & Pſeudochriſtos vocat, à quorum erroribus admonet cauendum. Propter hanc quoque cauſam, & ſpiritum ipſe veritatis miſit, quo ſicophantias eorum Eccleſia diſcerneret. Nec erit quiſquam ab eis tutus, niſi qui doctrinæ per Eccleſiam traditæ firmiter adhæſerit. Ob quam rationem, & Paulus eam vocat columnam, & firmamentum veritatis.

LVTH. *Et 1. Tim. 4. Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis*
1. Tim. 4. *temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognouerunt veritatem.*

EPISC. Profecto & prior huius pars te deliniat ad vnguem. Nam vbi credis alibi manere Fidem, quàm in Eccleſia Chriſti? Ego (inquit Chriſtus ad Petrum) rogaui pro te, vt non deficiat Fides tua. Petri Fides, ne dubita, ſemper in ſucceſſione Petri manebit, quæ eſt Eccleſia. In hac Fide iampridem educatus ipſe fuiſti quam nunc deſeris, & ab ea diſcedis, attendens ſpiritibus erroris, non veritatis. Nam ſi veritatis attenderis ſpiritui, Eccleſiam vtique non contemneres, in qua ſpiritus veritatis & reſidet, & loquitur. Palam igitur eſt, te non veritatis audire ſpiritum, ſed attendere ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.

LVTH. *Ecce non ſolùm hic probatur poteſtas Papiſticarum doctrinarum & legum, ſed etiam admonitio noſtri, vt ab iis Pſeudomagiſtris caueamus, qui ceremoniis hic & illic Chriſtum oſtentantibus, nos à Fide ſyncera alienant. Nam & Danielis 8. Cap. prædixit Antichriſtum fore regem impudentem facie, hoc eſt ſicut Hebræum habet, potentem ſpeciebus, pompis & ceremoniis externorum operum, extincto interim ſpiritu fidei, ſicut videmus impletum, tot religionibus, ordinibus, collegiis, ritibus, veſtibus, geſtibus, ædificiis, ſtatutis, regulis, obſeruantiis, vt numerum nominum eorum vix recites, quorum nullum Euangelium curat, donec irrita facta ſunt omnia mandata* DEI, *præſertim princeps iuſtitiæ Fides Chriſti, propter traditiones has hominum impiorum: Et hæc quidem milites fecerunt. Et hac regno Antichriſti communiebant.*

EPISC. Hic te video, puluerem ob oculos effundere molitum, nimirum ex Hebraica literatura. Sic
Ingenium Lutheri Anaxagoricum. iſtud ingenium tuum prorſus Anaxagoricum, quicquid vult, vbilibet ſe poſſe reperire confidit, & vnamquamlibet ſcripturam perſonæ cuilibet, adaptare. Quo fit, vt anſam iam ex Hebræo captatam, moliris in pontificem torquere, quæ nihil ad eum ſpectant. Vt donemus igitur hunc locum ſic traduci poſſe, non quadrat tamen in pontificem id quod ſequitur: Et intelliget ænigmata, ſeu potiùs (vt quendam reddidiſſe legi) diuinationes. Porrò quòd in arte diuinandi pontifex peritus fuerit, nondum à quoquam audiui. Sed planè Hieronymus ac cæteri interpretes, de Antiocho filio Seleuci literam hanc interpretantur, quam tu per vim torquere conaris ad pontificem, vt eum Antichriſtum facias. Si nobis ad hunc modum ſcripturis vim inferre liceret, multò quadrantiùs hæc in te competere doceremus. Nam ſi quis tuas verſutias expendat, mendacia numeret, impudentiam exploret, hypocriſim excutiat, conuitiandi libidinem exprimat, charitatis prætextum aperiat, malitiæ venenum detegat, cæteroſque dolos & artes innumeras (quibus in ſe conflatus es) depingere velit, nonne plures te formas ac ſpecies habere monſtrabit quàm Protheus habuiſſe refertur? Profectò verius hæ tuæ dici poſſunt ſpecies, quàm quas attribuis pontifici. Quid enim tanta religionum varietas, & cæters (quæ congeris) ad Pontificem ſpectant? aut quomodo poterunt hæc omnia ſpecies & formæ dici pontificis? Eccleſiæ nimirum iſta varietas, rectiùs exiſtimabitur. De qua
Pſalm. 44. & ſcriptum eſt: Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato circundata varietate. Et ſanè perquam mirificè facit hæc varietas ad Eccleſiæ decorem, ſi quis non colubrinis, ſed columbinis eam oculis inſpexerit. Neque certè pontificem inceſſere deberes, ob hanc tam multiformem varietatem, ſed ſanctiſſimos illos patres potius, Ba-
Religionum diuerſitas priores hæreticos ſemper malè habuit. ſilium, Hieronymũ, Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, & Franciſcum, quorum vel minimo nequaquam conferendus es. Hoc ſemper malè habuit progenitores tuos, hoc eſt, priorum hæreſium ſeminatores, quòd tanta fuiſſet in Eccleſia religionum varietas. Tu potiùs (quod iam incumbit tibi) articulum aſtrue, quemadmodum promiſeras, & deſine vim ſcripturis inferre, quò pontificem Antichriſtum eſſe monſtres. Certum enim eſt ex ſacris literis, hauddum Antichriſtum veniſſe, niſi forſan tu nobis Antichriſtus ſis futurus. Iſtis nugis, quod tibi in morem eſt, nos in obliuionem prioris inſtituti moliris inducere. Redi potiùs ad inſtitutum, & proba nobis articulum, quemadmodum es pollicitus, nempe, quòd nec Eccleſia, nec Pontifex poſſet quicquam de nouo credendum, aut operandum ſtatuere, præter ea quæ in ſacris literis explicantur, id quod ſcio nunquam comprobabis. At propterea nugas iſtas introduxiſti, quemadmodum ſoles, quoties tibi ſolida defuerint argumenta. Sed iſta pro articulo ſufficiant.

ARTI-

ARTICVLVS XXVIII.

LVTH. *SI Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, etiamſi etiam erraret, adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per concilium vniuerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.*

EPISC. Nihil magis tibi Fidem abrogat, & tuum dogma commonſtrat eſſe veritatis expers, quàm quòd in eo tam parum tecum conſtes, & tibi tam malè cohæreas. Nam (vt quidam ait) omnia vera veritati conſonant, falſum autem tam à ſeipſo, quàm à veritate diſcrepat ſemper. Tuum igitur dogma quando nec ſibi conuenit, nec veritati, meritò cunctis exibilandum eſt. Sed age, iſtud doceamus ita ſe habere. Proximo quidem articulo, tibi diſplicuit in Eccleſia tanta ceremoniarum varietas: Nunc autem in hoc articulo, non diſplicet animorum diſſidium. Et vtrum horum quæſo, magis indecorum Chriſtianis eſſe cenſes, animis ne? an ceremonijs diſſidere? Animis profectò, quiſquis non inſanit, dicturus eſt. Nam ſi debeant ſe Chriſtiani, ritibus & ceremonijs inuicem conformare, multò magis animorum ſenſus inter eos vnus eſſe deberet. Et tamen tu permittis Chriſtianos animis diſſentire, ceremonijs verò diſſidere non pateris. Quàm pulchrè ſcilicet tibi congruis. Cæterùm cum tria ſint, quæ Chriſtiano cuique conueniant, animus, corpus, & opera, quicquid de corporibus & operibus hominum fuerit, quæ nequeunt non multiformia eſſe, tamen inter Chriſtianos animorum vnitas deberet eſſe coniunctiſſima. Quam ſanè rem & Paulus, Corinthios per DEI nomen diſtrictiùs adiurat obſeruare. Obſecro, inquit, vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Ecce quomodo non tibi ſolùm, verumetiam Apoſtolicæ veritati repugnas plurimùm. Iubet enim ipſe Chriſtianos, vt idipſum omnes dicant. Et tu doces licere Chriſtianis diuerſa dicere. Damnat ille ſchiſmata, tu ſchiſmata probas. Ille vnam mentem, vnamque ſententiam cunctis eſſe vult, tu ſingulis diuerſam & diſſidentem eſſe permittis, atque non ſolùm fratribus inter ſeſe, verumetiam à Pontifice, & ab Eccleſia diſſidium admittis, defendiſque non eſſe peccatum, ſic ab eis Chriſtianos diſſentire. Hic iam vrgebo te paucis. Si peccatum hoc non fuerit, id quod tu nimirum aſſeris, vtique nec improbandum erit, profectò tibi probandum ſit oportet. Nam apud te medium nullum eſt, neq; opus aliquod tibi neutrum, aut indifferens vllo pacto creditum. Quoniam igitur iſtud, vt audis, Paulus reprobat, palam eſt tuæ ſententia repugnare Paulum. Quamobrem aut ipſe falſa docuit, quod (ſcio) nemo dicturus eſt, aut tuum dogma, velut totius veritatis expers, meritò cunctis erit explodendum. Porrò, quòd ais, concilium expectari debere, certè Paulus de concilio nihil eſt locutus, ſed ſuæ voluit Corinthios auctoritati confidere. Quod & quemq; facere Chriſtianum decet, poſtquam Pontifex vnà cum Eccleſia, ſic ſentiendum fore, ſemel docuerit. Cæterùm quem in modum hunc articulum firmes, iam audiamus.

Secum frequenter diſſidet Luth. & idem veritatis hoſtis.

1. Cor. 1. Paul. animorum vnitati Corinthijs ſuadet:

Luth. Chriſtianis preſſo repugnantia ſunt.

LVTH. *Hæc in indulgentijs dixi, minus tunc verum peritus. Stultè enim dixi, quare articulum damno ipſemet cum enim in eo quæſtio de rebus non neceſſarijs ad ſalutem verſetur, non debui Papæ aut concilio tribuere tantum poteſtatis, vt è non neceſſaria re, neceſſariam facere poſſent. Sed ſic debui dicere, ſicut & nunc dico: Si Papa & concilium ſic deſiperent, vt in rebus non neceſſarijs ad ſalutem determinandis, tempus & ſtudia perderent, habendi & contemnendi eſſent pro fatuis & inſanis, cum omnibus ſuis determinationibus laruulibus, cùm tam multa ſint neceſſaria ad ſalutem, quæ ſola tractari oporteat.*

EPISC. Si de rebus ad ſalutem nihil conferentibus (dimiſſis vtilioribus) pontifex cum concilio tractet, non iſtud probarim. Sed plerunque, res quædam vni videtur neceſſaria, quæ forſitan alteri ſuperuacanea iudicatur. Quamobrem oportet inter Chriſtianos, quendam loco iudicis conſtitui, cuius decreto par eſt cæteros omnes obtemperare. Nam alioqui maxima inter Chriſtianos erit diſſenſio, quibuſdam aſſerentibus, rem quampiam ſaluti conducibilem eſſe, quibuſdam contrà negantibus. Et quis, te quæſo, iudex potior habendus eſt de re quauis, an ipſa fuerit ad ſalutem neceſſaria, quam is qui fuerat in hoc muneris à DEO deſtinatus? maximè cum ei bona pars Eccleſiæ conſenſerit. Neque enim credibile eſt Chriſtum (cum ipſe corporaliter eſſet in cœlum aſcenſurus) ita ſuam Eccleſiam, abſque omni duce & rectore deſtitutam reliquiſſe, vt nemo prorſus eſſet ad quem in rebus dubijs diffiniendis, in litibus & controuerſijs dirimendis in reprimendis opinionum nouitatibus, in rebellionibus & contumacijs coërcendis, ac demum in ſedandis cæteris Eccleſiæ perturbationibus accederent Chriſtiani, ſed oporteret pro leuiſſimis quibuſuis negotijs congregare concilium. Quis tam impudens eſt, vt non perſpiciat, quantum hęc res in Eccleſia confuſionem fuiſſet paritura, ſi nemini talis auctoritas commiſſa fuiſſet. Quando igitur is, qui primus eſt, & totius Eccleſiæ princeps, cuique totius orbis cura, CHRISTI decreto commiſſa fuit, hunc vel illum ſenſum vnà cum cæteris Eccleſiæ proceribus approbauerit, iſtis nimirum alios (qui reliqui ſunt) niſi rationem efficaciſſimam in contrarium attulerint, ſe conformare decebit. Quod niſi fecerint, Pauli decretis planè contraueniunt, qui iubet vt idipſum dicturi ſint omnes, ne ſint inter eos ſchiſmata, ſed quòd ſint omnes in eodem ſenſu, & in eadem mente perfecti. Quiſquis huic præcepto repugnat, non video quis eum à peccato poterit excuſare.

Iudex quidam inter Chriſtianos conſtituendus.

LVTH. *Talis autem fatuitas eſt, quòd de indulgentijs, de primatu Papæ, de tranſſubſtantiatione panis, & infinitis alijs nugis, ad rem nihil pertinentibus, ſæpiùs in concilijs determinârunt, de quibus Paulus, 1. ad Timoth. 4. Stultas autem & aniles fabulas deuita.*

EPISC. Hoc eſt quod dixi. Quoniam hæc tuo palato fatua videntur, quæ tamen alij cenſent non eſſe

fatua

Scriptura non eſt Iudex.

fatue, cur in his tibi vis credatur potius, quàm pontifici, vel Eccleſiæ toti? Iam omnino iudex quiſpiam audiendus eſt, cuius iudicio ſtare cunctos decet Chriſtianos. Tu ſcripturam vis eſſe iudicem, ſed hanc rationibus plurimis, oſtendimus iudicem fieri non poſſe, & maxime cùm acriores nunquam inter Chriſtianos, quàm de ſcripturis habitæ ſint contentiones, vt ſuper his neceſſe fuiſſet alios habere iudices. Nam hæretici vſque adeo pertinaciter illi ſenſui, quem ſemel de ſcripturis imbiberint, adhærent, vt dirumpi eitiùs ſcriptures paterentur, quàm à ſuis opinionibus diuelli. Si non hoc animo fuiſſent Arrius, Macedonius, Eutices, Donatus, Pelagius, ac Hæreſiarchæ cæteri, nemo mihi credat. Quod ſi compertiſſimum ſit eos tales fuiſſe, cur tuo iudicio de ſcripturis contra Pontificis & Eccleſiæ decretum ſtabimus? Æquùm hoc tibi videtur, vt tu iudex cunctorum habearis? Verbis Euangelij te compello, quis te iudicem conſtituit ſuper nos? At hoc certè moliris, cum neque Pontificem, neque bonam Eccleſiæ partem, neq; concilium ipſum generale, ſed ſcripturam ſeram ſolam admittis iudicem. Et hanc haud dubiè non alia ratione, niſi quòd ſperas eam adinſtar naſi cærei te vertere poſſe in quamlibet partem. Cæterùm quantum ad hos articulos attinet (quos tibi nugas placet appellare) quoniam de duobus prioribus nonnihil antè diximus, de tertio iam identidem breuiter diſſeremus. Ego certè perſuaſiſſimum habeo, Eccleſiam errare non poſſe, in ijs quæ ad ſubſtantiam Fidei pertinent, ſimul & credo, ſcripturas id omnino velle, maximè cum probatiſſimo pontifici concilium generale conſentit. Nam pontificem vnà cum concilio, non eſt dubium, Eccleſiam vniuerſalem repræſentare. Cum igitur in Euchariſtia panis ſubſtantiam, in ſubſtantiam corporis Chriſti conuerſam eſſe, concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio credendum cenſuit. Et ijs pontifex (vt Platina, vir alioqui parum Sacerdotibus fauens, teſtatur) fuit in quouis vitæ genere probatiſsimus, & planè dignus, qui inter ſanctos Pontifices numeretur. Quis ergo dubitare poteſt, quin id (quod iſte Pontifex cum toto concilio diffiniuit) verè ſit credendum? Porrò quòd tua ſententia, nec Pontifex, nec Eccleſie poteſt articulum Fidei nouum condere, idipſum ego facilè concedo, tameſi non omnino iuxta ſenſum tuum. Neque enim opinor Pontificem vnà cum concilio poſſe quicquid libebit, indiſcriminatim decernere, de ſubſtantia Fidei eſſe, quod non ante fuerat de ſubſtantie Fidei. Nam in eorum arbitrio non eſt ſitum (vt Scotus ait) vt quicquam tale vel non tale faciant, ſed ſpiritu potiùs veritatis edocti, id quòd reuera pridem de ſubſtantia Fidei fuerat, iam declarant eſſe de ſubſtantia Fidei. Quando igitur palàm eſt Pontificem illum, Innocentium inquam tertium, tam doctrina, quàm ſanctitate præſtantem, cum toto concilio declaràſſe, tranſſubſtantiationem panis credendam eſſe, quis ambigere poteſt, quin idipſum priùs fuerat de ſubſtantia Fi-

Quare Luth. vult ſcripturam eſſe iudicem.

dei? Neq; enim (vt ſcitè Scotus ait) ob id vera fuit hæc diffinitio, quoniam illi potius hanc partem, quàm contrariam diffinierunt: retrorſum magis, hoc eſt, ob id illi partem hanc diffinierunt, quia vera fuit, & quia Spiritus veritatis nequaquam eos aberrare permiſit.

LVTH. *Laudo ergo egregiam Bullam iſtam, quæ Papæ & concilio tribuit negotium verum vel neceſſariarum ad ſalutem: neq; enim digni ſunt alio negotio, quàm vt ſtatuant, definiant, ſeruent aliena, impertinentia & non neceſſaria ad ſalutem. Quid enim illis & ſaluti? Sed & Bulla ipſa, & proles inutiles parentes ſuos, ferè non laborat, niſi in articulis ad rem prorſus nihil pertinentibus. Cum ergo è non neceſſarijs neceſſaria faciant, & hæc neglectis interim Fidei documentis pro articulis, obtrudant populo Dei, non intelligimus adhuc eos, operante Satana, operationibus erroris Eccleſiam vaſtare? Quid enim poteſt eſſe niſi error, quod cum neceſſarium non ſit, neceſſarium arbitrio hominum efficitur, vt hominum ſpem ædificent ſuper arenam, vt credant neceſſarium, quod neceſſarium non eſt. O vos impiiſſimi animarum ſeductores, quàm ſceleratè illuditis populo Dei.*

EPISC. Iam id (quod & lectorem ſæpiùs admonui) quis nõ aduertit? Ecce Luth. ad conuicia ſe vertit, quoties efficacia defuerint argumenta. Nihil hactenus attulit pro huius articuli roboratione. Nuſquã enim probat, quòd liceat à pontifice, & à bona parte Eccleſiæ diſſentire, aut quòd non ſit pontificũ concilio ſentienti credendum penitus. Nos verò docuimus id neceſſarium eſſe creditu, quòd pontifex cum Eccleſia decreuerit eſſe credendum, non quòd Eccleſia quicquam verum faciat; ſed quod id, quòd antè verum fuerat, quanquam à pleriſque dubitatum, iam explicatiùs & apertiùs verum eſſe diffinierit.

Recipis ſe in ſua caſtra Lutherus.

LVTH. *Igitur ſiue Papa, ſiue pius, ſiue concilium ſic aut ſic ſentiat, nemini debet eſſe præiudicium, ſed abundet quiſq; in ſuo ſenſu, in ijs rebus quæ neceſſariæ non ſunt ad ſalutem.*

EPISC. Non poſſunt non eſſe neceſſariæ res ad ſalutem ipſæ, quas pontifex cum concilio tales eſſe declarauit: non quòd illas pontifex efficiet ſalutares, ſed quia pridem tales fuerant, ideirco pontifex à ſpiritu inſtructus iam eas eſſe ſalutares diffiniuit. Præiudicium igitur eſt cuiq; Chriſtiano, ne diuerſum ſequatur ſenſum, hoc eſt, ne diſſentiat ab ijs: quæ ſummus Pontifex vnà cum concilio credenda decreuit, ſed ijs oportet, & Fidem & conſenſum pariter adhibere. Quis enim alio pacto ſcire poteſt, quæ pro veris Euangelijs Chriſti tenenda fuerit, & quæ reſpuenda, niſi per Eccleſiæ decretum? Sed nõ ita, quòd Eccleſia poteſt quicquam Euangelium efficere, quod non ante fuerat Euangelium, aut id repudiare, quod verum ſit Euangelium: ſed ſpiritu veritatis infallibiliter edocta, quatuor nobis Euangelia tradidit, quibus nos firmam adhibere Fidem oportet, atque ad hunc modum de cæteris, quæ pontifex cum Eccleſia decernit, credendum eſt.

Chriſtiani diuerſum non ſequantur.

LVTH. *In libertatem enim vocati ſumus, vt non ſit neceſſe credere verum, quod alius homo ſentit vel docet, contenti eis credere, quæ in ſcripturis docti ſumus.*

EPISC. In libertatem ſanè vocati ſumus, ſed hac abutimur libertate, quando licentiùs, aut ſentimus,

eus

Eo libertas in quam vocati ſumus.

aut loquimur, quàm Eccleſiæ decreta permittũt. Tunc enim libertas noſtra, malitiæ velamen eſt potius, quàm libertas. Nec verũ eſt (queadmodú tu prætexis) quòd vrgetur quiuis credere, quicquid alius quilibet credit, ſed quicquid pontifex cum concilio credendum decernit, id omnino credere tenetur cuiuis, quanquam in ſcripturis idipſum non habeatur. Nam plurima ſunt (vti ſuprà diximus) quæ tenemur credere, ſimul & facere, de quibus nihil in ſcripturis agitur. Cæterùm ingentem his verbis licentiam Sacerdotibus concedis, cum iam tua ſententia non tenebũtur ad tam prolixas preces, quas horarias vocant, nec ad alia multa, ad quę per Eccleſiam obligati ſunt, quoniam in ſacris literis nuſquam iſta præcipiuntur.

Defenſio Lutheri.

LVTH. *Si verò Papa poterit vllo iota probare, ſe habere ius condendi etiam minimam legis literam, ne dum articulos Fidei ſtatuendi, libenter hæc reuocabo.*

EPISC. Sæpè diximus, quòd Papa, quanquam nouum articulum Fidei condere nequeat, tamen ſi cum concilio generali, quiddam, ceu Fidei articulum credendum decreuerit, id quiſque Chriſtianus recipere & credere tenetur, certus quòd Eccleſia ſpiritu veritatis regitur, in ijs quę ſunt Fidei. Cæterum quis hîc tuas artes non deprehendit, qui Pontificem oneras huius rei probatione, cum tibi potius incumbit probare tua. Pontifici non deſunt, quæ pro ſua parte copiosè producat. Sed tu qui tuis hæreſib. totam vexas Eccleſiam, quid hactenus ad hunc articulum comprobandum attuliſti?

LVTH. *Vſum & præſumptionem, quibus hactenus præualuit, non curo ſcripturas ſanctas quæro, quandoquidem omnia quæ in Eccleſia ſiunt, è ſcripturis ſanctis auctoritatem & exemplum habere debent.*

EPISC. Certè quæ præcipiuntur ab Eccleſia, non abſque ſcripturarũ auctoritate pręcipiuntur, quanquam ipſa, quæ ſic præcipiuntur, non ſemper in ſacris literis prodita ſint. Dies enim dominicus, aliaque id genus multa (quæ ſuprà recenſuimus) ab Eccleſia præcipiuntur obſeruari; & non ſine ſcripturarum ratione, nec tamen ipſa reperiuntur in ſacris ſcripturis vſquam expreſſa. Sed & Apoſtoli multa poſt aſcenſionem Chriſti ad patrem, nobis tradiderunt, nec ſine auctoritate Chriſti, quanquam antea de eiſdem nihil ab ipſo palàm accepiſſent.

Multa nobis tradita per Apoſtolos tantùm.

LVTH. *Sicut dicit Deut. quarto: Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo. Et Zach. ſecundo: Legem Dei requirent ex ore Sacerdotis, quia angelus Domini exercituum eſt.*

EPISC. Quid tibi [illegible] lis cum ijs ſcripturis Luthere? Si tantum inſt[illegible]um ex ijs probari confidis, falleris quàm longiſsimè. Nam citrà quàm priorem enunciaſſet Moſes, multa ſunt adiecta, multa quin etiam adempta ſunt. An tu putas hęc non obligare Chriſtianos quæ Chriſtus ea tenus adiecit, vt Chriſtianorum iuſtitia fieret, quàm Iudæorum cumulatior? Sed inquies: De Chriſto Moſes prædixit, quod illi non minor quàm ſibi Fides adhiberetur. Hoc tamen reſponde. Cur ipſius Chriſti verbis, & ijs præſertim, quæ proximè diſceſſurus dixerat, nempè de Baptiſmatis forma detrahere quicquam auſi ſint Apoſtoli? Cur de non edendo ſuffocato & ſanguine legem à Chriſto nunquam traditam, ipſi gentibus impoſuerunt? Aut cur poſteaquam Apoſtoli ſemel hanc legem impoſuiſſent, auſus fuerat Paulus eandem immutare? Scribit enim ad Timotheum: Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Vnde factum eſt, vt nullo non ciborum genere veſcerentur Chriſtiani. Quamobrem aut illos omnino condemnabis, aut cum eodem ſpiritu iam regatur Eccleſia, cuius inſtinctu docti ſunt Apoſtoli prædicta facere, confiteberis Eccleſiæ præceptis iam eſſe Chriſtianis omnibus æqualiter obtemperandum. Sed & aſſentieris Eccleſiæ iam licere, pro ratione temporum & perſonarum, alia quædam adijcere prioribus præceptis & inſtitutis, nihilò minùs quàm Apoſtolorum licuit temporibus. Cæterùm porrò altera (quam aſfers) ſcriptura perparum ad rem facit. Quid enim ſi lex Dei requirenda ſit ab ore Sacerdotis? Num propterea ſequitur, quòd nemo Sacerdotibus, niſi in ijs duntaxat (quæ in ſacris literis prodita ſunt) obtemperabit? Quis non videt hanc conſecutionem, quàm nihil omnino roboris habeat? Hæc igitur ad huius articuli confutationem ſufficiunt.

Apoſtoli aliquid à Chriſti verbis detraxerunt. Act. 15. 1. Tim. 4.

Fatua Lutheri concluſio.

ARTICVLVS XXIX.

LVTH. *Via nobis facta eſt eneruandi auctoritatem conciliorum & liberè contra dicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, ſiue probatum, ſiue reprobatum fuerit à quocunq; concilio.*

EPISC. Non poteſt quiſquam articulus hoc vno peſtilentior excogitari. Tollit enim vniuerſum totius Eccleſiæ robur, ſed & animos Chriſtianorum prorſus incertos reddit, cui potiſſimum credere debeant. Nam ſi generali concilio securè credi non poſſet, cuius erit auctoritati credendum? Neque enim quiſquam audire potuit vnquam vniuerſalem Eccleſiam (poſtquam ſemel ipſa per orbem diſperſa fuerat) hoc vel illud affirmantem. Sed nec poſſibile fuit, vt in vno loco tanta multitudo congregaretur, vnde poſſet audiri. Quamobrem ſi concilio plenario, quod pontificis & ſingularum prouinciarum aſſenſu coadunatur, certò credi non poſſet, haud ſcio, cui Fidem indubiam adhibebimus. Neq; enim erit internoſcendi facultas, hæreticum ab orthodoxo, cum ille non minori conſtantia contendat, apud ſe veritatem ſcripturarum eſſe, quàm orthodoxus apud ſe: ſi nullum præter ſcripturas, eius litis iudicem admitti patiamur. Si pontificem recuſamus, ſi concilia contemnimus, non

contra ſanctorum imagines, pari modo ſine Spiritu ſancto, ſineque Pontificis auctoritate coactum: in quo 330. fuerant Epiſcopi. Sed hoc concilium poſtea reuocatum fuit, non modò per Stephanum Papam in Romano concilio, verumetiam per Synodum ſeptimam omnino condemnatum: ſed & contra cunctos defenſores eius anathema ſeueriſſimè fulminatum erat. Præter hæc & quædam fuerunt concilia, per Pontificis auctoritatem congregata, ſed abſque Spiritu ſancto, quale fuit concilium Stephani ſexti (quemadmodum Platina ſcribit) aduerſus prædeceſſorem ſuum Formoſum, cuius acta magis odiò percitus, quàm vllo charitatis affectu reprobauit. Similiaque nonnulla ſubſecuta ſunt, cum (vt Platina tradit) longo tempore poſthac fieri conſueuit, vt acta priorum pontificum ſucceſſores aut infringerent, aut omnino tollerent. Dilucidum igitur ex ijs eſſe poteſt, multa concilia frequenter erraſſe: ſed nos de plenarijs loquimur, quæ per Pontifices conuocata fuerunt, & quibus ijdem plenum in Spiritu ſancto præbuerunt aſſenſum. Nam ſemper mihi ſuſpecta videntur, vbi vel à concilio pontifex diſſideat, vel concilium à pontifice, niſi manifeſtiſſima pontificis culpa factum id fuerit. Verùm vbi mutuò conſenſerint, & in charitate conuenerint, non eſt dubium, quin quicquid ad Fidem pertinens decreuerint, id firmum ſolidumque cunctis habendum ſit.

Platina.

LVTH. *Quòd ſi etiam nunc dicerem, cuilibet pro libidine licere concilijs reſiſtere, rectè dicerem, quia articulo præcedente confitetur ſanctiſſimus vicarius Dei, ſe in concilijs determinare ea, quæ non neceſſaria ſunt ad ſalutem, eaque poſſe vertere in neceſſaria, ideo non ſolùm reſiſti licebit, ſed etiam ſicut delirum aut morionem videri à morionibus oportet, vt qui in rebus ſacris tanta vel leuitate, vel amentia etiam lucari & nugari tum audeat ipſe, tum cogat alios.*

EPISC. Profectò niſi frontis eſſes perfectiſſimæ, te puderet toties de pontifice mentiri. Nihil huiuſmodi pontifex in articulo ſuperiori dixit. Errorem certè tuum reprobauit, quo tibi placet, quatenus cuique liceat abſque peccato ſentire contrarium eius, quod pontifex cum magna ſentit Eccleſiæ parte. Ego tamen nihil ambigo, quin pontifex vnà cum concilio poſſet ea quæ pridem abſque periculo ſalutis explicitè non fuerunt credita, facere neceſſaria credita. Quod ſi poſſe conſtiterit, quis iam negabit illum, ex non neceſſarijs ad ſalutem, poſſe facere neceſſaria? Palàm enim eſt articulum de proceſſione Spiritus ſancti à patre, ſimul & à Filio, ſine diſcrimine ſalutis aliquandiu non fuiſſe creditum. At poſteaquam per concilium & pontificem approbatus erat de ſubſtantia fidei fuiſſe, iam cuncti de neceſsitate ſalutis illum credere tenentur. Neque ita tamen, quòd pontifex hunc, ceu nouum articulum condiderit, ſed quòd eum (qui priùs de ſubſtantia fidei fuerat) iam de nouo talem eſſe declarauerit.

Ex non neceſſarijs poſſe facere neceſſaria.

LVTH. *Adduxi autem pro mea ſententia Panormitanum, de elect. C. Significaſti, dicentem plus eſſe credendum vni priuato fideli, quàm toti concilio, aut Papæ, ſi meliorem auctoritatem vel rationem habeat. Cur hunc non damnauit ſanctiſſimus Chriſti vicarius? Quid in meis verbis odioſè criminatur, quæ aliunde pendent, ſi vni priuato plus credendum eſt, quàm concilio in aliquo caſu, nónne auctoritas conciliorum quoque ſubiecta eſſe eadem priuato fideli?*

EPISC. Multa ſunt à nobis hìc dicenda. Et primum, quòd non rectè nobis obijcias hic Panormitanum. Nam quid hunc producis, quem in iure ſolùm, non item in Theologia doctum fuiſſe probè noſti? Et certè quando ipſe tam odioſè iuriſtas inceſsis, ineptè ſuades, vt nos eis contra Theologos Fidem adhibeamus. Deinde, cum ſint magni nominis Theologi & ijdem haud exiguo numero, qui contrà ſentiunt, cur huic vni Fidem adhibendam cenſes, tanta reiecta multitudine: Tertio, ſi tu quæ paulò ſuperiùs aſſeruit Panormitanus admittere velis, nos ea lege pollicemur, eadem haudquaquam reiecturos. Sin tu legem iſtam ſpreneris, & nolis prioribus Panormitani verbis teneri, non æquum poſtulas, vt iſta quæ ſubſequenter dixerit verba nos obligare debeant. Sic vtique paulò ſuperius ſcripſit idem Panormitanus: Licèt poteſtas fuerit data papæ & toti Eccleſiæ: Papæ tamen fuit attributa tanquam capiti, vnde debet moueri corpus ad diſpoſitionem capitis. Audis hæc verba Luthere? Admittas ex ijs oportet, pontificem eſſe caput Eccleſiæ, & ad eius moderamen reliquum corpus moueri debere. Iſtud ſi conceſſeris, & nos (qui reliquum eſt) non aſpernabimur. Quartò, videamus an ipſe Panormitanus ea ſolidè probet quæ dixit, an ſecùs. Concilium, inquit, errare poteſt, ſicut aliàs errauit ſuper matrimonium contrahendum inter raptorem & raptam, & dictum Hieronymi meliùs ſentientis poſtea fuit prælatum toti concilio, vt probatur. 26. quæſtione. 2. in cap. Tria, iuncto ca. Placuit. Hæc Panormitanus. Huic nos reſpondemus, quòd non ex ijs capitulis efficaciter oſtenditur, quòd ſolus Hieronymus ſe contra concilium oppoſuit. Nam Meldenſe concilium priùs idipſum diffiniuit, nempe quòd raptori liceret peracta pœnitentia, raptam in coniugem ducere, quemadmodum paulò ſuperiùs eadem quæſtione, cap. Si autem, conſtat. Non rectè igitur ex hoc facto, Panormitanus colligit, plus credendum eſſe vni priuato fideli, quàm toti concilio. Quintò, finge neminem præter Hieronymum, huic oppoſuiſſe ſeſe concilio, tamen quia Concilium hoc plenarium non fuit, nec pontificis auctoritate conuocatum, vti Iuriſtæ tradunt, nihil facit aduerſum nos.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

LVTH. *Sed finge Panormitanum hoc non dixiſſe, quid ad Paulum dicemus qui Galat. 1. dicit: Si angelus de cœlo aliud euangelizauerit, anathema ſit. Vide hic ſanctiſſime Papa, Paulus anathema iubet eſſe, etiam ſi angelus de cœlo aliud docuerit. Et quantò magis anathema eſſe debet, ſi Papa de terris, vel concilium de inferno aliud docuerit*

EPISC. Certè ſi Angelus de cœlo quicquam aliud docuerit, hoc eſt, diuerſum & repugnans Euangelio, non iniuriâ foret anathematizandus. Sed quid prohibet alia, præter ea, quæ in Euangelio continentur, quæque vel ad illuſtrandam Fidem, vel ad bonos mores conferri poſſent, adijcere? Nihil profectò. Nam id priores Patres (vt ſuprà non ſemel oſtendimus) ſæpenumero fecerunt, vt nihil hic ſit, cur inceſſes Pontificem, quem tu toties cum ironia Sanctiſſimum nominas.

LVTH. *Idem, 1. Corinth. 14. Quod ſi ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Nonne & hic Apoſtolus, docenti & maiori obſtruit os, vbi ſedenti & inferiori aliquid fuerit reuelatum & planè maiorem ſubijcit minori? Quid ergo ſibi arrogat Papa & concilium, contra hæc ſcripturæ ſanctæ exempla & documenta.*

EPISC. Nihil omnino locus iſte, aut certè quàm minimum pro te facit. Nam Paulus hîc molitur, quòd in Corinthiorum Eccleſia nullus fieret vocum tumultus, ſed vt ordine quodam imperturbato, ſcripturæ cunctis exponerentur. Propter quod & præmiſit inquiens: Prophetæ verò duo aut tres loquantur, cæteri verò dijudicent. Ecce duos aut tres in hoc officium deputari voluit, ita quòd non ſimul omnes loquantur, ſed viciſſim vnus poſt alium, ne confuſio vocum fieret. Ob quod & iuſsit ei, qui priùs verba fecit, protinus, vt paratum alterum ad loquendum viderit conticeſcere. Neque alia ratione ſubiecit

1.Cor. 14. Paulus, quod tu iam citaras. Quòd ſi ſedenti reuelatum fuerit, prior taceat. Et profectò niſi conſorti dicturo mox ille ceſſerit, vterque ſimul verba faciet, atque ita confuſionem non exiguam parient auditorio. Porrò qui præſentes fuerint, facilè dijudicabunt, ſi propiùs ad rem loquatur, alioqui velut impudens, confeſtim exibilabitur. Cæterùm neque voluit Paulus, ipſum qui ſermonem incboaſſet interrumpi, niſi fuiſſet alteri quiddam, quod plebem potius ædificaret, reuelatum. Et ſanè, cui reuelatum quippiam eiuſmodi fuerit, is meritò dignus eſt, qui præ cæteris audiatur. Sed priuſquàm ipſi Fides vlla fuerit adhibita, dijudicare quid dixerit auditores debent Cæteri (inquit Paulus) dijudicent. Quod & in Concilijs identidem fieri notiſsimum eſt. Audiuntur ſinguli, ſi quis de re propoſita quicquam dicere velit, & tandem quod omnium calculis maximè comprobatur (ſiue pontifex, ſeu quiuis inferiorum id dixerit) id in modum decreti redigitur. Ad vniuerſum itaque cœtum dijudicare ſpectat, quid quiuis dixerit. Et nemo propriæ ſententiæ ſuæ iudex admittitur. Neque credibile eſt, ſi plenarium concilium, ea charitate, quæ Chriſtianos decet, congregetur, quin id quod de neceſsitate præſens negotium ſpectat cœtum alicui, qui præſentes fuerint, potius reuelabitur, quam externo cuilibet. Ex ijs itaque (quæ diximus) nemo non intelligit, hanc ſcripturam quam ex Paulo produxiſti, nihil aduerſus conciliorum auctoritatem facere.

LVTH. *Paulus etiam reprehendit Petrum. Galat. 2.*

EPISC. Quid ſi reprehenderit? Num propterea nulla concilijs remanebit auctoritas? hoc enim eſt, quod re probare iam oportet. Neque enim iam de pontificis auctoritate, ſed conciliorum diſſerimus magìs. Atqui neque licet cuiuis, quod licuit Paulo. Profer quempiam, qui Pauli dotes æquare poſſet, qui ſic vocatus à Chriſto, ſic miſſus ad homines, tanta fide illuſtretur, tanta charitate ferueat, ſapientia tanta præſtet cæteris, tot reuelationibus afflatus ſit, miraculis denique cuncta (quæ dixerit) comprobet tam apertiſſimis. Talem (inquam) profer, & (nihil hæſito) concilium hunc audiet quàm libentiſſimè. Verùm non ita, ſi quiſpiam Arrius, aut Neſtorius, aut Macedonius, aut alius horum ſimilis emerſerit, qui pro ſuo cerebro, ſcripturas contra Patrum omnium ſententias inuolueret: nemo Chriſtianus aut pontificem, aut concilium, ab eiuſmodi bellua, reprehendi ſuſtineret.

Non enim licet quod Paulo licuit

LVTH. *Et Iacobus Actorum 15. mutauit Petri ſententiam.*

EPISC. Certè, ſi Iacobus Petri ſententiam mutauit, falſum eſt quod Hiero. ad Auguſtinum ſcribit. Nam poſtquam paucis Petri ſermonem perſtrinxiſſet, illico ſubdidit. Tacuit autē omnis multitudo, & in ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes ſimul presbyteri tranſierunt. Ecce palàm hìc affirmat Hieron. Iacobum vnà cum cæteris in Pauli ſententiam tranſijſſe. Et ſubiungit protinus: Hæc non debent, inquit, moleſta eſſe lectori, ſed & mihi & illi vtilia, vt probemus ante Apoſtolum Paulum non ignoraſſe, Petrum principem eſſe huius decreti, legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam. Hoc Hiero. Ex quo ſatis apparet, Iacobùm haudquaquam ſententiam Petri mutaſſe. Sed finge rem ita ſe habuiſſe, nempe quòd Iacobus Petri ſententiam mutaſſet, quid iſtud conciliorum auctoritati præiudicat? Nemo prohibitus in eo concilio fuit, ſuam ſententiam dicere. Sed licuit cuique, quod ſenſerit liberè pronunciare. Petrus primùm, ceu princeps & caput locutus eſt. Deinde Paulus & Barnabas. Poſtremò Iacobus. Cęterùm decretis concilij nemo repugnabat, ſed concordibus animis omnes conſenſerunt. Nihil igitur concilio derogabat, quanquam à Petro Iacobus diſſenſerit. Quo & perſpicuum efficitur, non poſſe tuum inſtitutum ex eo probari, vel ſi donauerimus hoc ipſum tibi, nempe quòd Iacobus mutarit Petri ſententiam, quod tamen ex Hieronymo falſum fuiſſe conſtat. Sed & hodie, dum per Pontificem concilia celebrantur, licebit cuiuis, qui ſe putat meliorem habere ſententiam, etiam ſi à pontifice diſſideat, in medium eam proferre: ſic tamen, vt eam non pertinaciter defendat, ſed aliorum ſubmittat iudicio.

LVTH. *Nec ipſi Apoſtoli in ſuo concilio quicquam ſtatuerunt de ſola præſumptione Spiritus, ſed per ſcripturas ſua probauerunt.*

EPISC. Cuius, te precor, Spiritus præſumptionem intelligis? humanine? an diuini magìs? Si diuini, falſum eſt. Nam alioqui, cur ijdem Apoſtoli Act. 15.

dixerunt

Apoſtoli docente Spiritu ſancto multa geſſerunt, quæ nulla ſcriptura corroborari potuerunt.

dixerunt: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis? Et Paulus ait: Spiritus manifeſtè dicit. Neque hæc certè, de quibus ita loquuntur, priùs erant in ſcripturis tradita. Sed & pro ſeptem Diaconis, qui per concilium deputati fuerunt, nullam Apoſtoli ſcripturam attulerunt, neque pro alijs id genus multis, quæ docente Spiritu recenter adiecta fuerant. Quòd ſi nihil præter ſcripturarum auctoritatem, aut fecerint, aut docuerint Apoſtoli, quomodo quæſo, contra Chriſti mandatum expreſſum, baptiſmatis formam auſi ſint immutare.

LVTH. *At nos incomparabiliter minores, ſtatim vt nobis quicquam rectum viſum fuerit, concilij titulo in articulum Fidei vertimus.*

EPISC. Vtcunque fuerint ij, qui iam ſunt in Eccleſia, minores Apoſtolis, eadem nihilominus Eccleſia iam eſſe creditur, quæ tunc fuerat; nimirum Apoſtolorum temporibus, paremque vtrobique ſortita poteſtatem. Neque enim pro ſolis illis Chriſtus ſuum fudiſſe ſanguinem, neque pro ſolis illis ſanctum è cœlo demiſiſſe Spiritum putandus eſt. Quamobrem, vt illi concilio Spiritus nonnulla mutarunt, ita nunc quid prohibet Eccleſiam cum Pontifice ſimilia facere? Præſertim cum quotidie nouis ſuccreſcentibus morbis, noua neceſſe ſit remedia prouidere. Non habuit (fateor) Eccleſia primitiua, tot explicatos articulos fidei, quot habentur hodie. Nimirum quia nondum hæretici tot emerſerant. Si nunquam aliquis Arrius emerſiſſet, non hodie forſitan inter articulos haberetur filij conſubſtantialitas, quam Auguſtinus affirmat nuſquam in ſcripturis eſſe repertam. Sic propter Macedonium, Neſtorium, Eutichen, Theodorũ, Macharium, & alios ingenti numero, explicatior euaſit articulorũ numerus. Nam quia compertiſſimum habuerunt patres, pleroſque Chriſtianos plus ſatis hæreticis fuiſſe credulos, apprimè neceſſarium fore dixerunt, eorum errores condemnare, & quæ pro ſingulis erroribus e regione credenda forent, per concilia decernere. Quamobrem, quòd hodie tot articuli nobis traditi ſint, hæretici fuerunt in cauſa, qui tot peſtilentes hæreſes nobis ſuſcitarunt. Nam hi ſcripturas longè quidem irreuerentius tractârunt, quàm ipſi milites (de quibus ſuprà locutus es) tunicam Chriſti inconſutilem. Hi certè reuerebãtur, hanc tunicam ſcindere, ſed hæreticos ſacras literas dilacerare nihil puditum eſt. Hæc itaq; pro articuli huius exploſione ſufficere putamus.

ARTICVLVS XXX.

LVTH. *ALIQVI articuli Ioannis Huß condemnati in concilio Conſtantienſi, ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Euangelici, quos nec vniuerſalis Eccleſia poſſet damnare.*

EPISC. Plus ſatis bonarum horarum, ob hos articulos tuos confutandos abſumpſimus, ne nunc iterato nouis articulis nos oneres. Sic enim (teſte prouerbio) Thylaco maior erit acceſſoria ſarcinula. Sed nobis eſt ſatis, quòd per ipſum Conſtantienſe cõcilium (in quo viri totius Chriſtianitatis tam eruditione, quàm morum probitate ſpectatiſſimi fuerunt) articuli dicti condemnati ſint. Neq; enim credibile eſt, tot & tam egregios patres (niſi priùs accuratiſſimè dictos articulos excuſſiſſent) eos aut iugulare voluiſſe, aut carbone penitus notare.

LVTH. *Errani & hunc articulum reuocaui, & adhuc reuoco in hoc quod dixi, aliquos articulos Ioannis Huß eſſe Euangelicos. Quare nunc ſic dico: Non aliquos ſed omnes articulos Ioannis Huß Conſtantiæ eſſe damnatos ab Antichriſto, & ſuis Apoſtolis in ſynagoga illa ſatanæ, ex ſceleratiſſimis Sophiſtis congregata.*

EPISC. *Inteſtina hæreticorum bella.* Iam experior, quod olim puer audiui, vel ob id cauendos hæreticos, quòd ex eorum cineribus, alij facile renaſcantur. Nunc enim in te reuixiſſe video Ioannẽ Huß. Cæterùm hoc vnũ conſultiſſima prouidit Deus, vt nemo veſtrum plenè cum cæteris conſentiat, ſed in quàm plurimis ab inuicem diſſideatis, & vnus alteri frequentiùs aduerſetur. Nec ipſe Ioannes Huß præceptori ſuo Wiclefo ſubſcripſit in omnibus. Nec tu Ioanni tuo, quemadmodum infrà mox videbimus.

LVTH. *Et in faciem tuam ſanctiſſime vicarie Dei, tibi liberè dico, omnia damnata Ioannis Huß eſſe Euangelica & Chriſtiana tua autem omnia prorſus impia & diabolica: Ecce reuocationem quam tua Bulla exegit, quid vis amplius?*

EPISC. Quid iſta nũc exprobras huic pontifici, qui necdum natus fuit, cum hæc agerentur? Inſanis profectò. Nam fingas iniquiſſimè damnatum fuiſſe Ioannem Huß, non potes tamen hoc facinus in iſtum impingere, niſi cunctas priorũ pontificum res malè geſtas in huius caput accumulare velis. Quod ſi moliris, cur non pariter & cuncta bona, quorum priores optimi pontifices auctores fuerunt, huic etiam referas accepta? Neq; enim rectè cuncta prædeceſſorum ſuorum mala congeſſeris in eum, niſi pariter & eorundem bona feceris ei communia. Quod ſi conceſſeris, quomodo nõ ſumma temeritas in verbis tuis erit? cũ aſſeris omnia, quæ Pontificis huius ſunt, impia & diabolica eſſe.

LVTH. *Secundò non rectè faciunt, qui me Huſſitam vocant. Non enim mecum ille ſentit,*

EPISC. *Erroris in hæreticis indicium euidens, mutuò inter ipſos diſſidium.* Hoc eſt quod paulò antè dixi: Neminem vnum cum alijs conſentire, id quod apertiſsimum eſt, erroris & falſitatis (quę in vobis eſt) indicium. Nam vero cuncta conſonant: Falſum autem tam à ſeipſo quàm à vero diſsidet ſemper. Tu quanquam de Sacramentis cęteris peſsimè ſentis, non negas tamen, quin in Euchariſtia verum Chriſti corpus contineatur, id quod Ioannes Wiclefus auus tuus prorſus negauit. At benedicatur Deus, qui vos eodem ſchiſmate laborare facit, quod in Eccleſiã ipſi totis viribus introducere molimini.

LVTH. *Sed ſi ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus ſum,*

cum ille longè minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire.

EPISC. Luc. 19. Si verum eſt (quod dixit Chriſtus) ex verbis ſuis quiſque condemnabitur, Profectò verba tua te condemnabunt. Ex ore nimirum tuo iudicandus es. Ego quidem nihil dubito, quin Ioannes Huſs, qui potiùs ignem pati voluit, quàm tot eximios audire patres, propriæ ſententiæ contra Eccleſiam nimis quàm pertinaciter adhæſit. Ac proinde manifeſtarium cunctis hæreticum ſe fuiſſe prodidit. Quòd ſi tua confeſſione plus illo decies hæreticus ipſe ſis, nemini ſuccenſere potes, qui te vocat hæreticũ. Sed ais illum inchoaſſe aperire lucẽ veritatis. Profectò ſi lux veritatis (quam olim Eccleſia per Chriſtum recepit) ita prorſus euanuit, vt per hanc rimam neceſſe fuit reparari, fruſtra Deus in mundum poſt tot prophetas filium ſuum miſit. Sed & filius poſt Apoſtolos fruſtrà Spiritum ſanctum in Eccleſia reliquit. Si lux illa veritatis ſic extincta fuit, vt per Ioannem Huſs reſtituenda foret, mirum eſt, quòd nec in huius hominis vita, nec poſt eius mortem, Chriſtus vlla pro lucis illius confirmatione miracula monſtraſſet. Nam ita facere conſueuit, quoties nouam aliquam doctrinæ lucem aperire voluit mundo.

LVTH. *Hoc ideo dico, vt intelligat lector, quàm ſcelerati & impij fuerunt homicidæ illi Conſtantienſis Concilij Pontifices & Phariſæi, qui illum exuſſerunt, cum ego me fatear Chriſtianum, noloq; eorum damnationem agnoſcere.*

EPISC. Cupis vt intelligat lector, quàm ſcelerati & impij fuerint homicidæ, nempe pontifices & Phariſæi (ſic enim vocas eos) qui tempore Conſtantienſis Concilij Ioannem Huſs exuſſerunt. Cuius rei duas probationes adducis. Alteram, quòd tu te fateris Chriſtianum eſſe: Alteram, quòd ipſe nolis eorum damnationem agnoſcere. Non opinor lectorem quenquam, niſi tui ſimilem, ijs rationibus adduci poſſe, vt tibi credat. Nam quid ſi nolit vnus fraterculus damnationem hanc (quæ à tot ſanctiſſimis Eccleſiæ proceribus emanauit) agnoſcere? Num ob id tam reuerendo conuentui minor adhibenda ſit Fides? Quòd autem te Chriſtianum eſſe fateris, quomodo non & in hoc te mendacem lector ſuſpicabitur? cum tot de Eccleſia, de ſcripturis, de Chriſti vicario mendacia finxiſſe manifeſtiſſimè conuincaris.

Vide lector & vide firmiſſimas Luth rationes duas.

LVTH. *Niſi fortè ideo permiſſus eſt exuri, quia non parum detulit Romano idolo & ſuis ſatanicis ſtatutis operationibusq; erroris. Conatus enim fuit vir ille & pius & doctus, id quod & ego in principio conabar; vt decretis papalibus veritatis opinio ſalua maneret. At ijs ſaluis, ipſum perire neceſſe erat vnà cum Chriſto & Fide & veritate.*

EPISC. Validiſsimum argumentum eſt, Prophetas & Apoſtolos ab eodem auctore veritatis, nempe Deo fuiſſe miſſos, quòd inter ſe maximè conueniebant, nec in ſuis diſcrepabant aſſertionibus. E diuerſo ſignum euidentiſsimum eſſe cuique poteſt, quòd à patre mendacij nimirum diabolo ſuſcitati ſunt hæretici, quòd nemo repertus eſt ex eis, qui non ab altero diſſideat. Ecce conteris iam ſecundò, tibi non probata fuiſſe cuncta Ioannis Huſs, & maximè, quòd ille tantum detulit Rom. pontifici. Quo factum putas, vt ſit permiſſus exuri, alioqui nihil eum læſiſſet ignis. De te fortaſsis, qui nihil omnino defers pontifici, ſed quibus poſsis probris & conuitijs illum inſectaris, viſuri ſumus hoc miraculum, quòd ignis non auſit te contingere.

LVTH. *Igitur Ioannes Huſs non repugnare videtur, quo minus ſit Monarchia Papæ, hoc tantum agit, impium Pontificem non eſſe membrum Eccleſiæ, multò minus Papam, ſecundum tamen ſicut quemuis alium tyrannum.*

EPISC. Rectè profectò Monarchiam credidit Ioannes Huſs, nec dubito, quin à ſacris literis adactus fuerit idipſum confiteri. Et certè (quemadmodum ſæpè diximus) niſi reliquiſſet in Eccleſia Chriſtus vicarium aliquem & ducem, poſtquam in cœlum ipſe conſcendiſſet, maxima totius Eccleſiæ fuiſſet inde ſuborta confuſio. Vix enim aliqua multitudo, aut ſibi, aut cum alijs, in iis quæ Fidei ſunt conuenirét, ſed vbique factiones & ſchiſmata forent, vbique ſectarum & opinionum varietates, tam quo ad fidem, quàm quo ad bonos mores attinet. Nulla cuiuis Chriſtiano certitudo foret, cuius potiſsimum ſententiam ſequeretur. Et denique, quantum vnus hodie ædificaret, alius cras demoliretur. Quamobrem in hoc probandus fuit ille Ioannes tuus, quòd Monarchiam verè crediderit. Et contra tu, qui diſsides ab eo vehementer improbandus.

LVTH. *Ego verò etiam ſi ſanctus Petrus hodie præſideret Romæ nego eum Romanum Epiſcopum eſſe Papam. Papa enim res ficta eſt in mundo, neque fuit, neq; eſt, neq; erit, ſed fingitur eſſe.*

EPISC. Non ſatis eſt iſta dicere, niſi validiſsimis item argumentis, quæ reuinci nequeant, eadem comprobaueris. Tibi fortè videris robuſtiſsima produxiſſe argumenta, ſed aliorum iudicium erit, an ea per nos abundè ſint conuulſa. Nos papatum oſtendimus non eſſe rem fictam, vt tu putas. Atque id multis quidem & ſcripturarum, & ſacrorum interpretum teſtimonijs, quæ nunc denuò non erit opus recenſere. Sed qui deſiderat ea, legat ſi placet articuli 25. confutationem.

LVTH. *Quare ipſam ſedem beſtiæ nego, nihil moratus, ſit ne bonus, an malus qui in ea ſedet. Sedes, in quam, quæ ſit ſuper omnes ſedes, nulla eſt in Eccleſia ſuper terram, iure diuino, ſed omnes ſunt æquales. Quia vna Fides, vnum baptiſma, vnus Chriſtus, vnus pater, qui operatur omnia in omnibus, qui eſt ſuper omnia, per omnia, & in omnibus. Ad Epheſios 4.*

EPISC. Nos non ſolum ex Latinorum interpretum ſententijs, verumetiam ex Græcorum ſuffragijs, Romanam ſedem oſtendimus principatum ſuprà cæteras obtinere. Quam rem & iterum ex Cypriano confirmare non grauabimur. Is enim epiſtola 8. libri primi ſic ſcribit: Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus eſt, vna Eccleſia, & Cathedra

vna

vna, ſuper Petram Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Ecce hic Cyprianus palàm fatetur Cathedram vnam, in vna Eccleſia, voce Domini & diuina diſpoſitione fundatam, quam alibi, quàm in Romana ſede præfigere non poteſt. Rurſum in Epiſtola tertia eiuſdem libri ſic ait: Poſt iſta adhuc inſuper (pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto) nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum Fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum. Hæc ille. Ex quibus liquet Eccleſiam Roma. principalem Eccleſiam eſſe, & in ea Cathedram vnam diuina fundatam diſpoſitione. Nec tua ſcriptura quam ex Paulo citas, quicquam illis Patribus aduerſatur. Quid enim ſi Fides vna fuerit, & vnum baptiſma, & Chriſtus vnus, atque pater vnus. Num ob id nulla Eccleſia poteſt alia ſuperior eſſe? Nihil oportet. Nam eadem ratione colligeres omnes Chriſtianos æquales eſſe debere, quod tamen Paulus apertè negat, cum in eadem epiſtola, & eodem capite, varios gradus in Eccleſia Chriſtum ſtatuiſſe teſtatur.

Epheſ. 4. Varios in Eccleſia gradus Chriſtus ſtatuit.

Lvth. *Deinde decretales Papæ non dico Apocryphas, ſicut VVicleſus & Huß dicere iactantur, ſed impias & Chriſto aduerſarias, ſolo ſpiritu Satanæ afflatas, qua cauſa & eas exuſſi cum fiducia.*

Episc. Quid aliud ijs verbis iactas, quàm temeritatem & impietatem tuam? Paulò ſuperiùs, te plus decies, quam illi fuerunt, confeſſus es hæreticum fuiſſe. Nunc certè multò magis præ illis te & temerarium & impium oſtentas impudentiſsimè. Quis dubitare poteſt, & illam impiſſimam temeritatem, & hanc impudentiſsimam iactantiam ab ipſo Spiritu Satanæ fuiſſe concitatam? Ex illorum te prodis eſſe numero de quibus ſcriptum eſt. Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſsimis.

Prouerb. 2.

Lvth. *Fortaſsis & in hoc peccauit Ioannes Huß, quòd duodecim conſilia Euangelica fecit, cum non ſit niſi vnicum virginitatis ſiue cœlibatus. In qua tamen re, deceptus eſt per impiam Thomiſtarum Theologiam.*

Episc. Non ſolùm Thomas & Thomiſtæ, verum etiam ex probatiſsimis auctoribus complures docuerunt alia, quàm ſolius virginitatis, hue cœlibatus pleraque per Chriſtum tradita fuiſſe conſilia. Auguſtinus in multis locis, ſuper ſermone Domini in monte ſubnotauit, nullos niſi perfectos ad ſingula teneri, quæ Chriſtus illic tradidit. Et idem inter peccata facit diſcrimen, vt non omnia gehennæ ſupplicio digna arbitretur, niſi quæ præceptis Chriſti contraueniunt. Sed & Baſilius palàm affirmat, conſilium fuiſſe non præceptum, cum dixit Chriſtus: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Falſum eſt igitur quod aſſeris, vnicum eſſe virginitatis ſiue cœlibatus conſilium. Cæterùm, quia ſuper hac re prolixiùs in commentarijs ſermonis eius (quem in monte Chriſtus habuit) diſſeruimus, iſta ſufficiant.

[illegible] quam ſolum virginitatis conſilia Euangelica.

Lvth. *Ita boni iſti viri, ea quæ in Ioanne Huß, optima ſunt, damnauerunt: quæ verò non bona, probauerunt.*

Episc. Quale ſit in his rebus iudicium tuum, abunde ſatis ſuprà cuique conſtitit. Tu damnanda probas, & reprobas quæ probatiſsima ſunt: tu bona, mala facis, & mala viciſsim bona. Quamobrem & Prophetæ interminationi ne relinquimus, qui talibus minatur inquiens: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Eſai. 5.

Lvth. *Articulos Ioannis Huß omnes damnatos ſuſcipio, paratus defendere eos, per Chriſti gratiam, inuito illo rerum portento & abominatione, quæ ſedet in loco ſancto.*

Episc. Nunquam iſtud per Chriſti gratiam facies, quanquam per ſatanicæ fraudis inſtinctum, idipſum moliri poſsis. Hoc certè mihi viſus es impudentiſsimè facere, quòd ei tantum inniteris, quem & in quibuſdam errasſe palàm confiteris. Nam ſi diuino fuiſſet concitatus Spiritu, Spiritus ipſe non tam pertinaciter eum in errore ſuo perſeuerare fuiſſet paſſus. Docuiſſet enim illum vnctio Spiritus (ſi tamen id ipſum diligenter imploraſſet) ne tot erroribus inuolueretur. Sed vnum illud mihi quæſo dicas: Num tu præ illo maiorem adeptus es certitudinem, ne poſsis errare? Si iam tibi compertum ſit illum erraſſe, qui vel ad ignem vſque permanſit in errore ſuo, quæ tibi reuelatio facta nunc eſt, quòd non ipſe ſimiliter errare poteris, & à diabolo ſeduci, quemadmodum & ipſe ſeductus fuit? Hoc ſi velis exactius tecum expendere, non inuenies credo, quod reſpondeas.

Lvth. *Verùm omnia Ioannis Huß, & ſi ab illis probata, non admitto, vt dixi.*

Episc. Optimè pro nobis facis, quòd toties prædicas, ab illo te diſſentire. Nam cum ſint alia plurima quæ meam Fidem aduerſus Eccleſiæ communes hoſtes roborant, hæc tamé eorum inter ſe diſcrepantia palàm oſtendit eorum dogmata non aliunde fuiſſe profecta, quàm ab erroris, & mendacij patre, nimirum Satana, qui peſtes iſtas in hoc ipſum excitauit, vt Eccleſiæ Fidem quibuſcunq; poſſent machinis oppugnarét. Porrò quæ meam Fidé aduerſum hos hæreticos roborant, hæc ſunt:

Primùm, quòd Chriſtus & Apoſtoli, non ſolùm apertiſſimè tales futuros prædixerunt, verum etiam vt ab iiſdem caueremus præmonuerút *Primum.*

ſtudio-

Secundum. ſtudioſiſsimè. Deinde, quòd nullus eorum hactenus vllo miraculo clarus fuerat, cum tamen ad ſui dogmatis confirmationem ignis incendium nónulli paſsi ſint. *Tertium.* Tertiò, quòd nulla prorſus eorum cineribus vſquam habita ſit veneratio, cum tamen ea reliquijs martyrum paſsim à Chriſtianis deferatur.

Quartum. Quartò, quòd eorum libri & dogmata per ſcriptores orthodoxos, confutata ſunt & venenum quod intus latuit plenè renudatum. *Quintum.* Cæterùm è diuerſô nô pauci ex patribus, quorum eruditionem & doctrinam approbauit Eccleſia, tam in vita, quàm in morte clariſsimis effulſerunt miraculis. Eorum quoq; cineres & oſſa ſumma veneratione per ſacras ędes habentur. Libri deniq; leguntur, & approbãtur ab omnibus. Hęc, inquam, meam Fidem roborant, vt orthodoxis potiùs, quàm hæreticis credam. Cæterùm præter hæc, & illud (quod primo loco poſitum eſt) nimirum quòd tanta ſit inter illos dogmatum repugnantia, pleniſsimè conuincit, non ex ſpiritu veritatis, ſed erroris potiùs impulſos eos fuiſſe, vt tanto molimine rectam Eccleſiæ Fidem euertere ſtuderent. Nam ſi diuini ſpiritus inſtinctu fuiſſent iſta moliti, profectò concordiam ipſe præſtitiſſet veritatis, ſimulq; ſuppeditaſſet cætera, quibus eorum conatus potiorem eſſent effectum ſortiti. Sed pro hoc articulo iam ſatis.

ARTICVLVS XXXI.

LVTH. *IN omni opere bono, iuſtus peccat.*

EPISC. Referre plurimum opinor, an aſſeramus iuſtum neminem carere peccato, an iuſtú in omni opere ſuo peccare. Nam vt illud omnibus pro cõfeſſo eſt, ita iſtud vehementer offendit plurimos. Illud enim vbiq; ſacris literis & ſacris interpretibus optimè quadrat. Nam in Eccleſiaſte ſcribitur: Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum & non peccet. Et in Pſal. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et in oratione quam Chriſtus voluit etiam iuſtos precari, dicitur: Dimitte nobis debita noſtra. Et in Epiſtola Ioannis: Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Cæterùm quòd in omni opere bono iuſtus peccet, id cum auditur non abſque graui offendiculo corda multorum percutit. Nec me fugit, quin extendendo nomen peccati, facilè poſſet articulus non excuſari ſolùm, verumetiam defendi. Sed quid opus eſt, cum de re conſtiterit, pro voce pluribus digladiari? Peccatum vtique nihil verè dici poteſt, niſi quod rationem habeat voluntarij. Quicquid enim voluntarium non eſt, id nec peccatum quouis pacto cenſeri debet. Hoc Auguſtinus ipſe crebrò teſtatur, cum alibi, tum contra Fortunatum diſputatione ſecunda: Ego inquit, dico peccatum non eſſe, niſi propria voluntate peccetur. Et hinc eſſe præmium, quia propria voluntate recta facimus. Et paulò ſuperiùs: Qui non voluntate peccant, non peccant. Hoc omnibus pręterquam Lutheranis apertum arbitror atque perſpicuum eſſe. Cuius rei paulò pòſt, idem Auguſt. exemplum hôc profert? Si quis verbi cauſa, ligaretur ab aliquo cæteris membris, & de manu eius falſum ſcriberetur ſine eius propria voluntate, quæro, ſi hoc iudici patefieret, poſſet hunc hominem falſitatis crimine condemnare? Hæc Auguſt. En Ambr. item affirmat. Lib. 1. de Iacob & vita beata cap. 3. Nemo, inquit, tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit. Cæterùm ab Aug. Lutherus in hôc negotio ſuppetias ſperat maximas: Nam & ille neminem in hac vita, pleniſſimã aſſequi poſſe charitatem aſſeuerat. Quo fit vt nemo ſit, qui non in quouis opere bono deficiat à ſumma charitatis plenitudine. Propter quod & Lutherus irreuincibiliter ſe collegiſſe putat, iuſtum in quouis opere bono peccare. Sed vt non omninò negârim neminem ſummam charitatis plenitudinem in hac vita conſecutum fuiſſe, non ita facilè conceſſerim quamlibet huius plenitudinis deficientiam eſſe peccatum. Nam cum non ſit in poteſtate iuſti, quouis opere propoſito, non deficere ab illa ſumma plenitudine: ſi iam omnem eiuſmodi deficientiam peccatum eſſe dixerimus, confitebimur & aliquod non voluntarium eſſe peccatum. Id quod ſententiæ Auguſtini, ſimul & Ambroſij, cæterorumque patrum penitus aduerſatur. Non eſt igitur quæuis à ſumma charitatis plenitudine deficientia, peccatum: ſed ea ſola, quam vitare potuimus, quæ & proinde non poteſt non voluntaria dici. Tritiſsimum enim eſt illud Auguſtini: Nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Nec eſt vt quiſquam obijciat, nec hac ratione venialia delicta peccata dici poſſe, cum & nemo vitare poſſet cuncta venialia. Cæterùm tametſi nemo cuncta queat cauere venialia, cauere tamen poteſt (modò ſit adiutus gratia) ſingulum quodque veniale, quod propoſueris. Sed longè aliter ſe habet hæc, de qua loquimur, deficientia. Nam quodcunque propoſueris opus iuſto, & ille quantumuis adhibuerit diligentiam, non poterit tamen illud agens, ab ipſa ſumma charitatis plenitudine non deficere. Quamobrem & manifeſtum eſt, aliquam deficientiam non eſſe ſpontaneam, ac proinde nec peccatum eſſe. Quæ res vt adhuc dilucidior euadat, tria diſtinguemus hominum genera. *Tria hominum genera. Primum.* Primum eſt eorum, qui non nihil operis faciunt quod charitati repugnat, quemadmodum hi, qui furtum, adulterium, homicidium committunt, qui longiſſimè deficiunt à charitate. *Secundum.* Alterum eſt eorum, qui charitatis opus aliquod agunt, ſed per negligentiam, quæ ſubrepit, vel ex incogitantia, vel ex humana fragilitate, non omnem, quem (ſi intenderent animum) adhibere poſſent, conatum exhibent. Et hi quoque deficiunt ab aliquo charitatis gradu, quem conſequi potuiſſent, modò fuiſſent in rem attentiores, quanquam non penitus à tota charitatis exorbitant latitudine, quemadmodum priores defeciſſe conſtat. *Tertium.* Tertium genus eſt eorum, qui gratiæ adiutorio totam animi contentionem

(quan-

Aliud eſt iuſtum neminem carere peccato, aliud iuſtum in omni opere ſuo peccare.
Eccleſ. 7. Pſal. 142. Matth. 6. 1. Ioan. 1.
Peccatum quid ſit.

Tres defici-entiæ gradus.

(quantum per carnis fomitem meoti repugnantem licet) adhibent operi charitatis. Et hi nihilominous ab ipſa ſumma charitatis plenitudine deficiunt, quanquam is defectus omninò ſit inuoluntarius, & penitus contra voluntatem operantis. Inter hos itaque tres defectus hoc diſcriminis eſt, quòd primus eſt mortalis culpa: Secundus eſt venialis: Tertius verò nec mortalis, nec venialis, quia nihil habet voluntarij. Primo defectu multos in ſuis operibus hodie carere non dubito. Quia pleriq; ſunt in Eccleſia (quantum opinot) qui mortalibus careant delictis. Secundo verò tametſi nemo viuentium in cunctis ſuis operibus careat, iuxta illud: 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: non deſunt tamen, qui in aliquo opere ſuo non peccent, qnod vel ex ſcripturis enitar oſtendere, ſi priùs Hieron. huic meæ ſententiæ monſtrauero ſubſcripſiſſe. Sic enim Hieron. 3. lib. aduerſus Pelagianos ſcribit: Nos dicimus, poſſe hominem non peccare, ſi velit pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quàm diu intentus eſt, animus, quàm diu chorda nullo vitio laxatur in cythara. Quòd ſi paululum ſe remiſerit, quomodo, qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult, ducitur. Sic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe, cognoſcit. Hæc Hieronymus. Ecce quàm diu fuerit animus hominis attentus, nec ſe remiſerit, ſed pro viribus iam poſſibilibus, gratia cooperante, ſeipſum ad Deum erigit, non peccat, hòc eſt, in illo opere peccato caret. Cæterùm quia per laſsitudinem animi, nequit ſeipſum quiſquam ſemper in hoc ſtatu tenere, ſed crebrò per ſubrepentem fragilitatem remittitur animus; hoc quam primum fit, illico delabitur ad veniale peccatum. Quemadmodum & de Paulo mox exemplum producit: Putás ne, inquit, Apoſtolum Paulum eo tempore quo ſcribebat, Lacernam ſiue penulam quam reliqui Troadæ apud Carpum, veniens affer, ac libros & maximè membranas, de cæleſtibus cogitaſſe myſterijs? Remiſit ergo iam animum ſuum Paulus, neque penitus ad cœleſtia fuit attentus, & tamen eundem aliàs crebriùs vſque adeo fuiſſe attentum non dubito, vt totis viribus ei pro ſtatu viæ poſsibilibus, ferebatur in Deum. Fuit ergò quando Paulus defecit à charitate mortaliter, nimirum ante conuerſionem ſuam. Fuit (ſi Hieronymo credimus) & quando defecit à charitatis gradu, ſed venialiter. Vtpote cum poſt conuerſionem, per quandam laſsitudinem, & ſubrepentem in eum humanam fragilitatem remiſit animum. Fuit & tertiò, quando nec venialiter, nec mortaliter defecit, & tamen defecit, quia nemo vnquam in hoc corpore poſitus, ſummam charitatis plenitudinem valuit aſſequi. Sed agè, Paulum ipſum audiamus, hæc de ſeipſo prædicantem. Ad Philip. enim ita ſcribit: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Ecce negat hic ſe pleniſſimam & perfectiſſimam charitatem accepiſſe. Et tamen paulo pòſt ſubiungit: Quicunq; perfecti ſumus, idem ſentiamus. Suprà negauit Paulus ſe perfectum fuiſſe, quòd pro ſtatu viæ nemo ſummam illam perfectionem aſſecutus ſit. Et iam ſe numerat tamen inter perſectos: quoniam pro ſtatu viæ perfecti cēſentur, qui pro viribus ſibi permiſsis, omnino ſectantur, vt apprehendant, quemadmodum apprehenſi ſunt à Chriſto Ieſu, & qui eorum quę à tergo ſunt, obliti, ad ea, quæ à fronte ſunt enitentes, iuxta præfixum ſignum inſequuntur ad palmam ſupernæ vocationis Dei. Huic nimirum operi, tametſi nemo ſemper totis viribus animum intendere poteſt, quoties tamen id fecerit (quanquam non omni prorſus peccato careat ex operibus reliquis) tamen quantum ad hoc opus attinet, peccato carere non dubito: Paulus igitur in quibuſdam operibus ſuis peccato caruit. Alioqui cum raptus in tertium cœlum, operam dedit audiendis arcanis illis verbis, quæ non licet homini loqui, peccaſſe credendus eſt. Adde, quod Paulus affirmat eum qui matrimonio iungit virginem ſuam benefacere, atque ita benefacere, vt non peccet. Nam ſuprà dixerat: Si acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. Quòd ſi quis in actu nubendi, ſic poteſt benefacere vt non peccet, multò magis in illis præcellentibus operibus ſuis Paulus omni vacaſſe peccato, iuſtiſsimè creditur. Sed & idem Paulus 1. Corint. 16. iuſtos monet, quatenus ita vigilent, vt non peccent. Euigilate, inquit, iuſti & ne peccetis. Id quod neutiquam feciſſe credendus eſt, ſi nullo prorſus opere poſſent non peccare. Ad hæc, Chriſtus eum, cuius oculus verè ſimplex fuerit, hoc eſt, intentio recta, nullam in opere ſuo tenebrarum habere partem aſſerit. Quòd ſi nullam habet tenebrarum partem, certè nec peccati quicquam in eo præſertim opere poſsidet, cum Paulo Chriſtoq; peccata tenebras dici notiſsimum ſit. Adde, quòd Petrus in epiſt. 2. cap. 1. poſtquam egregias aliquot virtutes enumeraſſet, ſubiungit: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Ecce Petro non peccat, quiſquis illas virtutes operatur. His accedit, quod Ioannes in epiſtola. 1. tradit de perfecta charitate, quam & eum aſſerit aſſecutum eſſe quiſquis verbum Dei cuſtodit: Qui, inquit, ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Cæterum hæc perfectio non eſt pleniſsima charitas, qualis futura eſt in patria, ſed qualem hìc adiutus quis per Dei gratiam aſſequitur. Nimirum quoties animus (vt Hieron. ait) ad inſtar chordæ cuiuſdam in cythara protenſæ, quantum carnis fomes ſinit, in Dei proximique amorem intenditur. In hoc opere proculdubiò nec mortale, nec veniale peccatum reperitur. Adminiculatur & Iacobus, qui dicit: In multis offendimus omnes, hoc eſt, nemo tanta circunſpectione viuit, quin offendat in pluribus. De venialibus ipſe loquitur. Quòd ſi nullum opus peccato carere poſsit veniali, eadem facilitate dixiſſet: In ſingulis offendimus omnes, quem-

Marginal notes (p. 610): *In aliquo opere quidā non peccant.* — *Quomodo bona poteſt non peccare.* — *Hieronymi de Paulo exemplum.* — *2. Tim. 4.* — *Triplex Pauli defectio.* — *P. 3.*

Marginal notes (p. 611): *Paul iuſtos monet ne peccent.* — *Matth. 6.* — *2. Pet. 1.* — *1. Ioan. 2.* — *Iacob 3.*

quemadmodum dixit, in multis offendimus omnes. Senſit ergo Iacobus quædam eſſe iuſtorum opera, quæ peccato careant veniali. Ex quibus opinor ſatis liquere, Non in omni opere bono peccare iuſtum. Sed Luthetus quia malè cœpit, nullum nō mouet lapidem, vt etiam inchoatum malum, malè conſummet. Vt enim qui ſemel à tramite recto diuerterit, quò longiùs pergit, eò longiùs aberrat ab itineris fine: Sic nimirum & Lutherus facit. Nam cum Dei præcepta nobis impoſſibilia fecerit, quid aliud ex eo ſequitur, niſi vt ea non facientes, ipſi ſemper & in omni opere quantumuis bono peccemus. Illum igitur errorem ſemel ingreſſus Lutherus, nunquam errare deſinit, ſed ab errore in errorem facilè præcipitatur. Cæterum Dei præcepta nobis eſſe poſſibilia tam ſcripturæ ſacræ, quàm orthodoxi patres vbique clamant. Nam in Euangelio Chriſtus ait: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Et Ioannes affirmat, mandata Dei grauia non eſſe, nedum impoſſibilia. Et Hyeronymus ad Damaſum inquit: Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini præceptum eſſe, & mandata non à ſingulis poſſe ſeruari. Et aduerſus Pelagianos ait: Deus poſſibilia mandauit, hoc nulli dubium eſt. Et Auguſt. plerunque teſtatur, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe. Similiter & Chryſoſtomus ait: Poſſibile eſt Dei iuſſa perficere, ſi modò velimus omnem naturæ trepidationem alacriter virtute ſuperare. Nihilque impoſſibile eſt eorum, quæ à Chriſto hominibus imperantur. Hoc Chryſoſtomus. Sed & ratio ſuadet hoc ipſum. Quoniam ſi Deus exigat ab homine, quod homo vtcunque adiutus præſtare poteſt, cum id non fecerit, meritò culpam incurrit. Cæterùm ſi quod exigit Deus eiuſmodi fuerit, vt iſtud homini præſtare ſit impoſſibile, quomodo non magis DEVS id iubendo, quàm homo non faciendo, videri poterit iniuſtus? Quamobrem cùm omni careat iniuſtitia, quicquid homini mandat, poſſibile ſit oportet. Et idcirco dicit Auguſtinus: Nec impoſſibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt. Nec damnaturus eſt hominem, pro eo quod non potuit vitare, quia pius eſt. Tota igitur (vt aiunt) via Lutherus aberrare cœpit cum duobus vltimis præceptis, vetitam nobis eſſe voluit carnis concupiſcentiam, quam hauddubiè nemo vitare poteſt. Et tamen eandem ille peccatum vocat. Quo fit vt dum illam poſitionem tueri conatur, vndique corradat, quicquid ijs vtcunque poſſit ſuffragari. Propter quod, & eò tandem amentiæ peruenit, vt iam dicat etiam in omni opere bono peccatum eſſe. Sed nunc tempus eſt, vt rationes eius audiamus.

Dei præcepta cuique poſſibilia.
Matth. 11. 1. Ioan. 5.
Deus impoſſibilia non præcepit.
Deus impoſſibile præcipere nequit, quia iuſtus eſt.

LVTH. *Finitis tandem articulis illis nugalibus, in quibus nec pietas, nec eruditio doceri vel audiri potuit, ſed de ſuperbia & abuſu Romanæ abominationis coacti ſumus perdere verba, operas & tempus: vertamur nunc ad res ſerias & ſalutares, nempe ad gratiam, liberum arbitrium, peccatum, de gloria hominum ad gloriam Dei tranſeuntes, de quibus rebus & primis articulis nonnihil tractauimus.*

EPISC. Vtinam & tu nugarum item aliquando finem faceres, vt & articulorum illorum feciſti. Et vtinam cum ijs melioribus articulis, meliores ipſe mores inducere velis, & à conuitijs ac maledictis iſtiuſmodi ceſſare, quæ profectò cauſam tuam deteriorem efficiunt. Ac religioni tuæ parùm conueniunt, ſed & doctrinæ Chriſti plurimùm aduerſantur.

LVTH. *Hunc autem articulum ego in Galatis meis, deinde in reſolutionibus, atque aduerſus doctrinales damnatores, & incendiarios Louanienſium tam copioſè: præterea eundem duo eruditiſſimi viri Theologi D. Andreas Carleſtadius, & Ioannes Doltzius editis libris ſic declarauerunt, vt in aduerſarijs incredulis nihil aliud videam, quàm aures aſpidis ſurdæ, & obturantis auditum ſuum, ſeu vt Apoſtolus ait, ad fabulas eos conuerſos, à veritate auditu auerſo. Quid illi admittent, qui nubes has teſtimoniorum ſanctorum non admittunt? Attamen inſtandum eſt mandante eodem Paulo, opportunè, importunè, ob hoc ipſum, quòd ſanam doctrinam volunt obtinere.*

EPISC. Adhuc te video pergere in prioribus nugis tuis, & eos conuitijs inceſſere, qui tibi reluctantur, cum ſatius eſſet, validis aut ſcripturis aut argumentis eoſdem reuincere. Quid enim damnatores tuos, doctrinales, & incendiarios atque incredulos probro vocas? cum iſti cuncta hæc rectiùs in te retorquebunt. Et te veriùs aures aſpidis ſurdæ, & obturantis auditum ſuum habere contendent, qui nec Eccleſiæ, nec ſacris auctoribus Fidem habeas. Sed hæc aliquando miſſa facias, & argumentis validioribus inſiſte.

LVTH. *Quid ergo meum articulum damnant? damnent illud Eſa. 64. Et facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.*

EPISC. Teſtimonium illud nihil pro te facere, non vno ſolùm oſtendimus modo. Et primò iuxta Hieronymi interpretationem. Nam eo tempore dixerat hæc Eſaias (vti Hierony. hunc locum interpretatus, affirmat) quando necdum Saluator aduenerat, nec de vtero virginali naturæ noſtræ, atque ſubſtantiæ aſſumpſerat hominem, hoc eſt, ſub tempore legis, quando populus imaginem terreni portauit, non autem adhuc imaginem ſuper cœleſtis. Vbi etiam paulò pòſt & illud conſiderandum idem Hieronymus admonet, quòd iuſtitia, quæ in lege eſt, ad comparationem Euangelicæ puritatis, immunditia nominetur. Quam rem & multis ſcripturæ teſtimonijs confirmat, quæ quiuis illic legere poteſt. Sed & tandem ita concludit: Si quis igitur poſt Euangelium Chriſti, & aduentum filij Dei pædagogæ legis obſeruat ceremonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa iuſtitia panno ſordidiſſimo comparetur. Ex quibus verbis (ſi Hieronymo credimus)

Teſtimonium Eſaiæ nihil pro Luthero facere.
PRIMO.

duo

Duo in verbis Eſaiæ notanda. doo colligere licet. Alterum qood Eſaias hîc de Chriſtianorum iuſtitia nequaquam ſit locutus. Alterum, quòd ea, quæ tum dixerat, in perſona populi ſuêre dicta magis. Eligat ergo lector, *SECVNDO.* an Hieronymo velit, an Luthero potiùs habere fidem. Deinde ſi Hierooymus hæc non dixiſſet, Ipſius tamen Eſaiæ verba, quæ proximè ſequuntur, idipſum docent, nempe, quòd in per- *Eſaiæ 64.* ſona grauiter peccantium, hæc dicta ſunt. Et cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ, quaſi ventus, abſtulerunt nos. Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te. Nec eſt putandum, quòd vir iſte ſanctiſſimus Eſaias non inuocaret oomen Dei, aut quòd iniquitates eius, perinde atque ventus quidam, ſeparaſſent eum à Deo, ſed de populo potiùs hæc dixiſſe manifeſtum eſt. Neque enim de illorum numero credendus eſt Eſaias fuiſſe, qui non inuocarent nomen Dei, ſed flatu diabolico per ſuas iniquitates deciderunt. Nam hi non iniuriâ ſordidi, velut mulieris menſtruatæ pannus, habendi ſunt. At inquiet Lutherus, ſeipſum Eſaias annumerat illis. At hoc non cogit, vt & ipſe cum illis habeatur ſceleratus. Nam & Hieremias idem facit, atque Prophetæ cæteri. Sic enim Hiere- *Hiere. 3.* mias, qui tamen dum eſſet in matris vtero, ſanctificatus erat, ſe peccatoribus annumerat dicens: Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra, quoniam Domino Deo noſtro peccauimus nos & patres noſtri ab adoleſcentia noſtra vſque ad diem hanc, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri. Hæc Hieremias tertio capite.

TERTIO. Tertiò dicimus, quòd ex verbis ipſis dilucidum eſt, hanc Eſaiæ querelam, deplorationem alicuius calamitatis eſſe, quæ non erat continua. Quando dicit eos tum factos vt immundos & omnes iuſtitias ſuas, quaſi pannos menſtruatæ quodque cecidiſſent, quaſi folium, vniuerſi. Et quòd iniquitates ſuæ, quaſi ventus abſtuliſſent eos, nec eſſet inter eos, qui inuocaret nomen Dei. Quòd ſi non perpetua fuiſſet hæc querela, ſed temporaria, quomodo poterit ex his verbis Lutherus colligere, quòd in omni opere, quocunque tempore perpetrato, peccatum fuerit. Nam licèt in eorum operibus pro illo tempore peccata non defuiſſent, nihil oportet, vt alijs iiſdem temporibus ſingulum quoduis eorum opus, peccato fuiſſet inquinatum. Erat enim quando nomen inuocabant Dei. Et quando non, quaſi ventus, iniquitates eorum abſtuliſſent omnes, & tunc non erant omnes immundi, neque ſicut pannus menſtruatæ, cunctæ iuſtitiæ ſuæ. Sed neque tunc in vnoquoque opere peccabant. Porrò quòd temporaria ſolum fuiſſet hæc conqueſtio, verba quæ prope finem capitis eiuſdem ſcripta ſunt perſpicuè dilucidant: Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta. Sion deſerta facta eſt, & Hieruſalem deſolata domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinam,

An non iſtud manifeſtat cuncta priora pro illo populo, ſimul & pro captiuitatis tempore fuiſſe dicta? quamobrem & hæc ſcriptura nihil contra nos facit.

Et illud Eccleſ. 7. Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet. LVTH.

Omittis hîc Luthere cauſalitatis notam, qua EPISC. palàm docetur, hanc ſcripturam ad alterius pro- *Non integrè reddit ſcripturas Lutherus.* bationem fuiſſe introductam. Nimirum ad iſtam: Sapientia confortauit ſapientiam ſuper decem principes ciuitatis. Cuius ratio redditur *Eccleſ. 7.* conſequenter: Non eſt enim, inquit homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Senſus igitur eſt, quòd ſapientia (quæ Chriſtus eſt) ſeu gratia Chriſti confortabit ſapientem, pluſquam vllus principatus. Quoniam abſque ſapientiæ ſeu gratiæ illius adiutorio, nemo quan- *Opera quæ manifeſto peccato carent.* tumuis iuſtus ſuis viribus cauere peccatum poteſt. Et quid proderit habenti principia tum, ſi per peccatum ipſe diaboli mancipium efficiatur? Dilucidum eſt igitur hanc ſcripturam non aſſerere, quòd in omni opere, quod iuſtus facit, idem peccat. Nam ad hunc modum nulla prioris ſententiæ ratio reddi poteſt, ſed oportet ſubintelligi, niſi diuina quis fuerit adiutus ſapientia. Hæc ſi defuerit ei ſapientia (quæ Chriſtus eſt) quæque plus confortat & roborat ſapientem, quàm decem principes ciuitatis, non euitabit peccatum. Cæterùm & in Hebræo non eſt præſentis temporis, peccat, ſed futuri peccabit, perinde ac ſi dixerit: Non eſt iuſtus, qui nunquam peccabit. Nã de præſenti certũ eſt, aliquod opus eſſe, quòd ſic DEI gratia protectum eſt, vt careat peccato. *1. Ioan. 1.* Maximè cum dicat Ioannes: Sanguis filij eius mundat nos ab omni peccato. Quod tum fieri Hieronymus aſſerit, quando vel baptiſma, vel ſacramentum abſolutionis accipimus. Sic enim loquitur aduerſus Critobolum: Quod autem ſcriptum eſt, Et ſanguis Ieſu filij eius mundat nos ab omni peccato, tam in confeſsione baptiſmatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum eſt. Opus igitur illud (quo vel baptiſma ſuſcipimus, vel abſolutionis Sacramentum) caret omni peccato. Cæterùm hoc non eſt in noſtra poteſtate, peccato carere, ſed Dei gratia, [illegible] pter quod Hieronymus ſubijcit: Aliud eſt [illegible] *Suis viribus nemo peccata fugiet.* dari à Deo, aliud per ſe eſſe ſine vitio. Suis itaque viribus nemo poteſt in vllo opere, quod facit carere peccato, ſed per gratiam & auxilium Dei poteſt, per ſapientiam (quæ Chriſtus eſt) poteſt. Et propterea dixit Salomon: Sapientia confortabit ſapientem ſuper decem principes ciuitatis, quia non eſt iuſtus in terra, qui facit bonum, & non peccet, niſi per ſapientiam (quæ Chriſtus eſt) fuerit adiutus.

Obſecro qui vniuerſas iuſtitias noſtras immundas dicit, nónne opus bonum peccato pollutum aſſerit? LVTH.

Diffiſus igitur de hac ſcriptura Lutherus, mox EPISC. reuertitur ad priorem, quæ ſanè nihilò meliùs ipſum iuuat. Neque enim de noſtris, vt dixi, locutus eſt operibus, ſed Iudæorum, & eo nimirum tempore, quo ſub captiuitate poſiti, nec templum accedere, nec ſecundum inſtituta legis Moſaicæ

ſacrifi-

ſacrificia potuerunt offerre. Quo factum erat, vt cùm priſtinis vti purificationibus minimè licuerit, ſe penitùs immundiſſimos exiſtimarent. Própter quod & in eorum perſona dixit Eſaias: Et facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Nec voluit Eſaias hanc querelam pro quouis tempore cunctis Iudæis accommodatam eſſe, ac multò minùs Chriſtianis. Nam dum floreret Eccleſia, quomodo potuiſſent in eam cętera quæ ſequuntur quadrare? Omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas. Quis iſtud quauis extorſione poſſet ad Eccleſiam florentem contrahere? Cæterùm finge ſcripturam illam ad Chriſtianos, ad quemque iuſtum attinere, non aliter tamen accipi poteſt, quàm pro ſingula cuiuſque viri iuſtitia. Nam opera, vt tu mox dicturus es, non faciunt, quenquam iuſtum, ac proinde non ſunt dicenda iuſtitiæ. Satis igitur eſt ad huius ſcripturæ veritatem, quòd nullius iuſti vita ſic ſplendeat, quin multis venialium peccatorum maculis reſpergatur. Vt r[illegible] n iniuria (ſi diſtrictiùs à Deo iudicetur) mu[illegible]dior eius apparebit conſpectui, quàm turpis [illegible]ris menſtruatæ pannus. At ex iſto nequaquam conſequitur, quòd vnumquodque opus cuiuſque iuſti ſic ſit fœdatum. Poteſt enim iuſtitia cuiuſuis iuſti, quæ ex totius vitæ ſuæ conflatur actionibus, propter admixta venialia ſic polluta videri, cum tamen aliqua ſint eiuſdem opera quæ non polluantur. Quamobrem non conſequitur: facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, igitur & pollutum erit opus vnumquodq; quod à nobis proficiſcitur, vt verè debeat dici peccatum.

Verba Eſaiæ in florentem Eccleſiam accommodari non poſſunt.

LVTH. *Damnent & illud Pſal. 141. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

EPISC. Facilè donamus neminem viuere, qui ſic iuſtificatur, vt omni prorſus peccato careat. At non propterea neceſſum eſt, quatenus in omni opere quod facit, idem peccet. Nam inter hæc, vt ab initio diximus, plurimùm intereſt. Neque iſtud ex illo conſequitur. Non enim rectè ſubinfertur: Nemo tam iuſtus eſt, vt omni prorſus peccato careat, quocirca iuſtus in omni opere bono peccat. Nam aliud eſt, & longè diuerſum, in omnibus peccare, & in aliquo non peccare.

LVTH. *Deus enim iuſtus iudex, bonum opus damnare non poteſt. Cùm autem hic dicat, non iuſtificari vllum viuentem, etiam ſeruum Dei planum eſt, nullum opus bonum poſſe iuſtum iudicium Dei ſuſtinere, quare nec plenè bonum eſt.*

EPISC. Iſta mihi videntur haud ſatis cohærere. Deus iudex bonum opus damnare non poteſt. Et nullum opus bonum poteſt iuſtum iudicium Dei ſuſtinere. Nam ſi bonum opus fuerit, id per priorem à Deo damnari non poteſt. Et idem per poſteriorem damnatur, quia non poteſt ſuſtinere iuſtum iudicium Dei. Quo fit, vt damnabitur, & non damnabitur, quæ non cohærent in eodem. Sed hic elabi conaberis, quod de opere plenè bono vis dictum tuum intelligi. Ergo & iſtud fuit adijciendum in priori, & ſic dixiſſes: Deus iuſtus iudex opus plenè bonum damnare non poteſt. Sed iam oportet doceas, nullum opus eſſe plenè bonum; id quod hactenus non feciſti. Nam hæc ſcriptura non de ſingulo quoque opere, ſed de ſingulo quoque viuente debet intelligi. Et fieri poteſt, vt quis, tametſi multa, quæ plenè bona ſunt, opera feciſſet, propter vnicum tamen quod inter cætera malum eſſet iuſtificatione ſua fruſtraretur. Quamobrem & collectio qua iam vteris, prorſus inefficax eſt: neque enim oportet, quòd ſi dixerit Propheta, non iuſtificari vllum viuentem etiam ſeruum Dei, quòd nullum propterea bonum opus poſſet iuſtum iudicium Dei ſuſtinere. Sic enim tu moliris inferre verbis iſtis, cum (inquis) hic dicat propheta non iuſtificari vllum viuentem, etiam ſeruum Dei, planum eſt, nullum opus bonum poſſe iuſtum iudicium Dei ſuſtinere. Sed hæc tua conſueta dialectica eſt.

Malè cohærentia.

LVTH. *Et ad ea, quæ primis articulis diximus redeundo probauimus, hominem ſanctum, ſpiritu concupiſcere aduerſus carnem, & carne aduerſus ſpiritum. Eſſeq; per hæc duo cum Apoſtolo Paulo, ſeruum peccati ſecundum carnem, & ſeruum Dei ſecundum mentem. Ac per hoc perſona ipſa iuſti partim eſt iuſta, partim peccatrix.*

EPISC. Et nos etiam lectorem oratum facimus, ne ſit ei moleſtum legere noſtras ad eoſdem articulos reſponſiones. Sic enim opinor intelliget, illum (qui mente ſeruit Deo) non item peccato, ſecundum veram peccati rationem, ſeruire poſſe. Nam vt illis reſponſionibus noſtris nonnihil adijciam, Paulus ad Rom. 6. prohibet omnino ne ſeruiamus peccato. Vetus, inquit, homo noſter crucifixus eſt, & deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Et infrà: Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati, liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Abſit igitur, vt dicamus bonos viros, carne ſeruire peccato, ſecundum veram rationem peccati: Sed propter fomitem duntaxat quem prorſus abijcere nullo modo poſſunt. Circumferentes enim, hunc fomitem in carne ſua, cum ipſe fomes à Paulo peccatum vocetur, propter hunc fomitem dicuntur carne ſeruire legi peccati. At hoc non eſt ſecundum veram peccati rationem peccato ſeruire. Nam ita Paulus ſibijpſi non cohæreret, quod eſt abſurdum dicere. Neque ſi iuſtus in carne ſic ſeruiat legi peccati, propter hoc oportet, vt perſona iuſti partim peccatrix dicatur, niſi quatenus occaſione fomitis huius in veniale peccatum labatur. Veruntamen ſi fomes verè peccatum eſſet, rectè colligeres. At nos omnino reclamamus, & prorſus negamus fomitem aut motum fomitis (cui non aſſentitur voluntas) verè peccatum eſſe.

Fomes verè peccatum non eſt.

LV[TH.] *Si ergo omnis perſona ſimul peccatrix eſt, dum iuſta eſt, quid euidentiùs ſequi poteſt, quàm vt opus quoq; partim ſit bonum, partim malum.*

EP[ISC.] Sicut fomitem negamus eſſe peccatum, ſic nec admittimus quamcunque perſonam hoc fomite præditam eſſe peccatricem. Id quod de paruulis baptizatis ſuprà conſtitit. Quos apertiſſimum eſt, nec originale peccatum habere, nec actuale:

ſed

ſed eſſe per ſanguiuem Ieſu Chriſti prorſus ab omni peccato mundatos. Similiter & adulti, momeuto ipſo, quo baptizantur, omni peccato vacant, & tamen fomite non carent. Cæterorum vtroſq; (ſimulatque maneute gratia collapſi fuerint in aliquod veniale) concedimus partim eſſe peccatores, partim iuſtos. Nec tamen inde rectè colligis, quòd opus quodlibet ab eis patratum, partim bonum ſit, & partim malum, uiſi docueris ex veniali peccato, ſimul & ex gratia bonum opus vnumquodque proficiſci, nimirũ vt ita poſſet gratia ſuam in illo opere partem vendicare, & peccatum item ſuam. Sed illud nos omnino negamus.

LVTH. *Cùm Chriſtus dicat & natura monſtret, talem eſſe fructum qualis eſt arbor, vitium arboris certè in fructu ſentitur.*

EPISC. *Matth. 7.* Certè Chriſtus ex arbore bona, bonum prodire fructum affirmat. Omnis, inquit, arbor bona, bonos fructus facit. Vbi & per arborem bonam, hominem gratia iuſtificatum Intelligit. Cæterùm gratia, ſi Paulo credimus, multò potentior eſt, quàm fomes. Sed non ſicut delictum, juquit Paulus, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominia Ieſu Chriſti in plures abundauit. Gratia igitur cum ſit fomite potentior, quid prohibet, quò minùs opera quædam, hoc eſt, fructus quoſdam producat, vitio carentes & peccato? Nam ſicut fomes in malis hominibus vſque adeo dominatur, vt nullum fructum non faciat malum: ita par eſt, vt viciſſim gratia in bonis dominetur, vt aliquem fructum pariat, qui ſit inculpatè bonus. *Epheſ 3. Radix boni operis charitas.* Cæterùm quod de naturæ documento producis, nihil ad nos pertinet, niſi monſtrare queas, omne opus ex fomite proficiſci, quod uos omnino damnamus. Nam radicem boni operis Paulus charitatem facit, ad Ephe. 3. Radicati, inquit, iu charitate & fuudati. Sed & voluntas per gratiam multa profert opera, tanto niſu, tantáque contentione, vt fomes nec tantillum in eis habeat, quod culpæ poſſit imputari.

LVTH. *Non enim opera bona faciunt iuſtum (vt ſæpè diximus) ſed iuſtus facit opera bona. At talia faciat neceſſe eſt, qualis eſt ipſe: imperfectus, imperfecta: iuſtus, iuſta: malus, mala. Si hæc ratio & auctoritas non mouet, neſcio quid moueri poſſit.*

EPISC. Hæc certè ratio uon conuincit, quin iuſtus poſſet opus quoddam facere, in quo nullum ſit peccatum. Neque enim prorſus verum eſt, quod aſſumis, nempè quòd bona opera nou faciunt iuſtum. Nam articulo primo ſuperiùs oſtendimus, duplicem eſſe iuſtificatiouem. Alterá, quæ per gratiam acquiritur ante omnia opera, quemadmodum in paruulis fieri conſtat, quando baptizantur. *Quam iuſtificationem opera præſtant.* Alteram in adultis per bonorum operum accumulationem, uempe reſiſtendo fomiti, & eum quotidie minuendo. Primam iuſtificationem tametſi non præſtent opera, præſtant tamen ſecundam cooperante gratia, quæ vires tam operibus, quam etiam aduerſus fomitem præbet. Cum autem ſubinfers: At talia faciat neceſſe eſt, qualis eſt ipſe, quid ex hoc tibi velis, haud intelligo. Num opinaris fomitem & gratiam ſimul ad boni operis concurrere productionem? Si ſic opiuaris, erras hauddubiè. Nam Paulns quædam omniuo tribuit fomiti, quædam ſoli gratiæ Dei fomite ſic ait ad Romanos ſeptimo. Si (quod nou volo ego) hoc facio, non iam ego perpetro illud, ſed inhabitans in me peccatum. Ecce negat ſe perpetrare, quæ ſibi prorſus inuito prorumpunt iu carne, ſed peccatum affirmat hæc operari. Non ergo ſibi, ſed fomiti (qui tyrannuidem exercet carnis) hæc tribuit Paulus. De gratia verò ſic loquitur. 1. ad Cor. 15. Copioſiùs quàm illi omnes laboraui, non ego tamen, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt. Ecce Paulus ea (quibus anteceſſit cætaros Apoſtolos) opera, gratiæ diuiuæ tribuit non fomiti. Niſi igitur gratiam, aut imperfectam, aut malam eſſe putes, quomodo poteris in eius operibus aſſerere quicquã delituiſſe peccati? Erant uimirum hæc opera Pauli iuſta, perfectáque, quantum ad humanam iuſtitiam ſpectat. Nam alia creditur hominum eſſe iuſtitia, quàm angelorum, & iſtorum adhuc alia quàm Dei. Si iuſtitiam Angelorum cum Dei conferas iuſtitia, uum non imperfectam eam ceuſebis, & ab ipſa ſumma rectitudine longiſsimè deficientem? proſectò. Veruntamen ipſa peccato caret, & lougè perfectior eſt, quàm humana quæuis iuſtitia. Simili modo ſi iuſtitiam humanam cum angelica componas, quanquam imperfecta ſimul & iniuſta videatur, habet uihilominus ipſa limites ſuos, quos ſi prætergreſſa non fuerit, nihil abſurdum eſt, vt opera quædam pariat abſque peccato.

LVTH. *Fortè dicent & admittent, iuſtum in opere bono deficere quidem, ſed non peccare. Verùm ſuperiùs abundè probaui, hunc defectum eſſe verè peccatum.*

EPISC. Paulò ſuperiùs oſtendi, quempiam poſſe trifariam deficere, vel à tota latitudine charitatis, vt cum peccat mortaliter: Vel ab aliquo gradu, quem (ſi fuiſſet attentus) potuiſſet conſequi. Et is defectus eſt venialis. Aut tertiò, à ſumma charitatis plenitudine, cuius nemo vuquam in hac vita compos eſſe poteſt. Et is defectus, uec eſt mortalis, uec venialis, ſed abſque omni peccato. Si igitur de hoc tertio defectu loqueris, cum dicis, te ſuperiùs abuudè probaſſe defectum hunc eſſe peccatum. Ego viciſsim aſſero, te neutiquam hoc probaſſe, nec vnquam poſſe probare. Iu qua re nou recuſo quenquam iudicem, modò rationes eas legat, quas tam aduerſus hunc, quàm aduerſus ſecundum articulum antè produximus.

LVTH. *Eſt enim omiſſio illius præcepti: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex omnibus viribus tuis, ex tota anima. Cùm autem caro reſiſtat ſpiritui, clarum eſt, quòd vires carnis non diligant Deum, ac per hoc peccant in hoc præceptum.*

EPISC. Tametſi cum cumulatiùs quiſpiam, ſublato fomite, diliget in patria, tameu hic etiam, qui quantum poteſt per fomitis impedimentum, conatu diligit: is uihil omittere dicendus eſt, quod ad hoc præceptum attinet. Nam ſi poſsibilia ſiut præcepta Dei (quemadmodum eſſe ſuprà

docuimus) non plus à nobis exigit Deus, quàm quod per gratiam eius adiuti, pręſtare valabimus. Cum enim vires omnes pro noſtra fragilitate poſſibiles, diligendo Deo ſimus impartiti, ſi quid præterea defuerit culpæ, nequaquam is defectus nobis imputabitur. Id quod ex Auguſtino manifeſtè confirmabimus. Is enim in libro de Spiritu & litera cap. vlt. ſic loquitur: Dici poteſt quædam iuſtitia minor huic vitæ competens, qua iuſtus ex fide viuit, quamuis peregrinus à domino, & ideo per Fidem ambulans nondum per ſpeciem, non abſurdè dicitur, etiam ad iſtam pertinere ne peccet. Neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum eſt. Ecce Auguſtinus, cui & Hieronymus aſtipulatur, vt mox dicemus, duplicem opinatur hominis iuſtitiam. Alteram pro futura vita maiorem, vbi plenè diligemus abſque vllo fomitis reniſu. Alteram minorem, quæ in hanc vitam competit, qua diligimus non ita plenè. Affirmat tamen Auguſt. haud abſurdè dici, quòd ad hanc iuſtitiam quoque pertinet, ne quibuſdam operibus peccemus. Et quod culpæ non eſt deputandum, quanquam non ſit nobis tanta dilectio Dei, quanta futuræ cognitioni, quæ plena & perfecta erit, debetur. Plurimos eiuſmodi iuſtos ſcriptura memorat, qui tametſi plerunq; propter animi laſsitudinem etiam ab hac minori iuſtitia defecerint, nihilominus in multis operibus ſuis, eadem gnauiter adiutorio gratiæ præſtiterunt.

Quorundam iuſtorum catalogus. *Geneſ. 5.* *Gene. 6.* *Gene. 17.* *Iob 1.*

Talem Enoch fuiſſe non ambigo, de quo liber Geneſeos affirmat, quòd ambulauit cum Deo. Talem & Noë quem eadem ſcriptura virum iuſtum & perfectum vocat. Talem & Abraham, cui dixit Deus, Ambula coram me, & eſto perfectus. Talem & Iob, quem ſcriptura virum ſimplicem & rectum vocat. Talem & Dauid, de quo Deus ipſe teſtatur ad Hieroboam loquens: Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ambulauit poſt me in toto corde ſuo. Num putas fomitem in carne Dauid non huic inſtituto reniſum fuiſſe? Renitebatur profectò. Et tamen audis Deum ore ſuo teſtari, quòd ille toto corde ſuo poſt Deum ambulauit. Sed & idem non eſt veritus ad Deum dicere: In

Pſal. 118.

toto corde meo exquiſiui te. Et deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo. Et rurſum: Clamaui in toto corde meo. An non hunc amâſſe putas, quantum ad huius vitæ iuſtitiam ſuffecerat, ex toto corde ſuo? Sed vires, inquis, carnis non dilexerunt Deum, ac per hoc peccauerunt. Ego certè non intelligo, quemadmodum vires carnis (quæ nulla rationali voluntate ducuntur) aut Deum diligere, aut peccare queant: Sed tamen quid de carne ſua dixerat idem ipſe Dauid, non ignoras. Cor, inquit, meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Et 2. Reg. 6. ſcribitur, quòd totis viribus ſaltabat ante Dominum. Et 1. Para. 29. quòd totis viribus parauit impenſas domus Domini Dei ſui. Si fomes quicquam reſtiterit, vt reſtitiſſe non eſt dubium, præſertim cum in Deum viuum (vt ait) exultauerit eius carо, ea reſiſtentia nec Dauidi tribuenda fuit, ſicut neque Paulus eam ſibi tribuit, cum ait: Iam non ego operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum.

Pſal. 83. *2 Reg. 6.* *1. Par. 29.*

Rom. 7.

Si fomes carnis quicquam virium à dilectione Dei ſubtraxerit penitùs inuito, id huic certè vitio verti non debet, neque culpæ deputari. Nam ſi quiſquam onuſtus ingenti pondere ferri, montem aliquem, quanta poſsit celeritate conſcendere moliretur, certum eſt eum multò celeriùs id facturum onere depoſito, quàm cùm ſic onuſtus eſſet. Veruntamen ſi pro virium ſuarum poſsibilitate conaretur aſcenſum illum perficere, nihil amplius ab eo iurè deberet exigi.

Pulchra comparatio.

Atque ita nimirum eſt, quantum ſpectat ad dilectionem Dei. Nam etſi fomes ſuo pondere renitatur, ſi nos tamen gratiæ vigilanter innixi, pro noſtra virili dilexerimus, quoties id agimus, audemus aſſerere, nullum in illis operibus eſſe peccatum. Cæterùm quia propter animi laſsitudiné (vt ait Hieronymus) nemo ſic in perpetuum perſeuerare poteſt, iccirco nemo viuit, qui non multoties offendat & peccet, propter quod & idem Hieronymus ait Critobolo: Nec quia ad breue poſſum, cogis me vt poſsim iugiter, hoc eſt, nec quia poſſum aliquoties non peccare, oportet vt in perpetuum carere peccato queam. Cuius rei rationem eueſtigiò ſubdit: Poſſum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire, nunquid in perpetuum? Hæc Hieronymus lib. iij. aduerſus Pelagianos. Poſſem & alia ſanctorum virorum exempla, quæ ſententiam noſtram confirment, innumera producere, quemadmodum de Aza, quòd ſcriptum eſt, cor eius fuiſſe cum Deo perfectum. De Ezechia quoque, quòd rectum fecerit in oculis Domini. Et vt idem ait de ſeipſo: Obſecro Domine memento quomodo ambulauerim in conſpectu tuo, in veritate, & corde perfecto, & bonum in oculis tuis fecerim. Sed priora confido ſuffectura.

3. Re. 15. *4. Re. 20.*

LVTH. *Si enim ſic elabi volunt per nomen defectus, ne peccatum cogantur admittere, elabor & ego, & dicam adulterium non eſſe peccatum, ſed defectum. Qua enim ratione illud carnis concupiſcere contra Spiritum non eſt peccatum, eadem & adulterium non erit peccatum.*

EPISC. Præcluſimus hanc tergiuerſationem tibi. Non elaberis ad hunc modum. Perſpicuum enim opinor eſt ex ijs, quæ diximus, inter hos defectus ingens interuallum eſſe. Nam adulter, vt diximus à tota charitatis latitudine defecit, per opus quod agit, charitati penitùs repugnans, nimirum quia peccat mortaliter. At hi, de quibus iam locuti ſumus, quanquam à ſumma charitatis plenitudine (quam expectamus in cœlo futuram) defecerint, habuerunt nihilominus pro ſtatu viæ, & (vt Hieronymus ait) pro tempore, pro loco, pro poſsibilitate corporea, iuſtam charitatis menſuram, quæ ſaltem in quibuſdam operibus omni peccato careat. Propter quod & iuſti vocabulum (vt ait Hieronymus) poſsident. Non enim ex eo quòd parua peccârunt, iuſtitiæ nomen admittunt, ſed ex eo, quòd multa bona fecerunt, iuſti vocabulum poſſident.

Iuſtitiæ nomen ob peccula leuia non deperditur.

Nequa-

Nequaquam igitur ad hunc modum elabi poteris. Porrò carnis concupiſcere, nec in iuſtis ipſis, nec in adulterijs peccatum eſt, ſed conſenſus in concupiſcentiam ſolus, quem, quia iuſti nunquam contra Dei mandatum admittunt, iccirco iuſti nomenclaturam meritò ſunt ſortiti.

LVTH. *Quanquam (vt dixi) proprium ſit eorum inuentum, appellare defectum, quod ſcriptura peccatum appellat. Et ſicut ipſi fabulantur ſuos defectus non eſſe contra legem, ſed defectiones à lege, ita ego quoque negabo adulterium eſſe contra legem, ſed ſolum defectum à lege.*

EPISC. Si potes ita frontem perfricare, vt inter hos defectus nihil intereſſe contendas, nullo vnquã impudentiæ metu reuocari poteris, quò minùs pergas in errore tuo, nempe quo putas defectum in adulterio nihilò magis peccatum dici poſſe, quàm defectum à ſumma charitatis plenitudine. Cæterùm ſi queas ex ſcripturis hunc defectum oſtendere peccatum eſſe, vti nos illum oſtendemus, victoriam vltrò concedemus tibi, & arena (quod aiunt) cedemus illico.

LVTH. *Et quid faciunt his ſuis locutionibus, niſi quòd alijs quidem verbis, idem quod Pelagiani docent? An referre putas, quibus verbis veritatem eludas, & mendacium ſtatuas? Quid enim ex ea doctrina capit auditor, quàm ſe poſt acceptam gratiam mundum eſſe iam gratia ad peccati vlteriorẽ purgationem non egere? id quòd propriſſimè Pelagianum eſt, ſed ſub verbis Catholicis propoſitum. Ita Chriſto non habent opus ad iuſtitiam, niſi in primo inſtanti contritionis, niſi quòd Pelagiani, nec ipſo primo inſtanti, gratia indigere voluerunt.*

EPISC. Neminem certè vſqueadeo mundum opinamur quicunq; ſumus orthodoxi, qui in poſt ſemel acceptam gratiam, adhuc eadem egeat. Non ſolum vt in priſtina peccata non relabatur, verumetiam vt cætera futura vitet, atque carnis fomitem quotidie magis ac magis imminuat. Quod qui ſentiunt, longiſſimè diſsident à Pelagianis. Nam ij liberum arbitrium exiſtimant, abſq; gratia quodque peccatum vitare poſſe. Nos autem ſine gratia peccatum poſſe cauere putamus neminem. Nullis ergo verbis nos veritatem eludimus, aut mandatum ſtatuimus. Tu potiùs videris, quibus id facias, qui contra cunctos Eccleſiæ patres aſſeris, neminem (quantumuis adiuuetur gratia) vitare poſſe peccatum vllo prorſus opere, ſed in quouis opere, quantumuis bono, iuſtum peccare. Sic enim dicens, cum Pelagianorum hæreſim vitare cupias, incidis in Manichæos, quod eſt iuxta prouerbium, vitare Scyllam & in Charybdim incidere. Tua nimirum hæreſis deterior eſt & magis ab eccleſia diſsidet, quàm Pelagianorum. Lege quotquot hactenus contra Pelagianos quicquam ſcripſerunt, & hoc vbiq; teſtantur ſibi cum Pelagianis conuenire, quòd præcepta Dei poſsibilia ſunt, & quòd à libero poſſunt arbitrio ſeruari. Sed hoc diſsidere, quòd Pelagiani contendunt, id ſine gratia fieri poſſe, orthodoxi contrà, non ſine gratia. Tu verò non ſolùm præceptorum poſsibilitatem negas, verumetiam arbitrij libertatem tollis funditus. Quare multò pernicioſiorem hoſtem Eccleſiæ te conſtituis, quàm fuerant Pelagiani. Et Manichæorum errores ſectaris apertiſsimè.

Pelagianorum error.

Flammam fugiens, in ignem decidit.

Lutherana hæreſis mul. tò peſtilenti. or quam Pelagianorum.

LVTH. *Cur non damnant Grego. ſuper Iob. 9. dicentem: Sanctus vir, quia omne meritum virtutis noſtræ vitium eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitrio, diſtrictè iudicetur, ideo rectè ſubiungit. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei vnum reſpondere pro mille. Nónne articulum hunc meum hic Gregorius euidenter docet?*

EPISC. Gregorium tuæ ſententiæ repugnare, non ex vno ſolùm oſtendi poteſt loco. Nam ad Auguſtinum Anglorum apoſtolum ſcribens, ait: Bonarum eſt mentium illic agnoſcere culpam vbi culpa non eſt. Ecce in aliquibus operibus opinatur Gregorius nullam culpam eſſe. Similiter & Moralium ſecundo, capite 9. ſuper illo verbo: In omnibus his non peccauit Iob, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt, ait in hunc modum: Beato Iob & oris teſtimonium prohibetur & cordis. Priùs enim dicitur, non peccauit, & tunc demum ſubditur: Neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. Qui enim ſtultum locutus non eſt, culpam à lingua compeſcuit. Sed cum præmittitur, non peccauit, conſtat quòd murmurationis vitium etiam à corde reſtrinxit. Nec ergo peccauit, nec ſtultum locutus eſt. Quia nec per conſcientiam tacitus timuit, nec linguam in contumeliam relaxauit. Ecce Gregorius cum ſcriptura confitetur, ſanctum hunc virum in his, quæ hactenus geſsit, nec corde, nec lingua peccaſſe. Quæ duo membra quiſquis poterit à peccato tueri, is õnino poteſt in aliquo opere non peccare. Nam de lingua Iacobus dicit: Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir. Et de corde Chriſtus ait: De corde exeunt, quæ coinquinant hominem. Et idem Gregorius lib. 10. cap. 16. ſuper illo verbo: Leuare faciem ſine macula. Omne peccatum, inquit, aut ſola cogitatione committitur, aut cogitatione ſimul & opere. A quibus duobus quiſquis manum & mentem immunes ſeruauerit, hunc ex conſenſo ſcripturæ Gregorius docet, poſſe faciem ad Deum ſine macula leuare. Quòd ſi ſine macula certè & ſine peccato poteſt, cum peccatũ vnumquodque ſit macula quædam. Sed & alijs locis pluribus hunc ſanctum virum, in pleriſque ſuis operibus Gregor. oſtendit caruiſſe peccato. Cæterum vt ad ea verba, quæ ex libro nono protuliſti, tandem reſpondeam, Prætermittis hìc ea, quæ rem totam elucidant. Neque enim abſolutè Grego. aſſerit, in ſingulis virtutibus noſtris eſſe peccatum: ſed de virtute iuſtitiæ noſtræ loquitur, cum diuinæ fuerit iuſtitiæ comparata. Sic enim inchoat ſermonem ſuum. Verè ſcio, quòd ſi ita ſit. Et non iuſtificabitur homo compoſitus Deo, homo quippe, cum Deo non componitur, iuſtitiam percipit, compoſitus amittit. Ecce hoc principio Grego. aſſerit hominem, ſi non conferatur cum Deo, iuſtitiam aliquam habere, ſed hanc protinus vt Deo fuerit compoſitus, hominem amittere confitetur. Cuius cauſam ſubdit. Quia quiſquis ſe auctori bonorum comparet, bono ſe, quod acceperat, priuat. Qui enim accepta bona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis

Iaco 3.

Matth. 15.

Prætermiſſa à Luthe.

Homo cum Deo non collatiuè iuſtitiam habet, quam Deo comparatus illico amittit.

pugnat. Vnde ergo deſpectus erigitur, dignnm eſt, vt erectus inde deſtruatur. Hucuſque Greg. Et iam ſequuntur verba quæ Luthe. memorat. Sanctus.autem vir, quia omne virtutis noſtræ meritum vitium eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitro diſtrictè indicetur, &c. Hoc profectò, non de aliqna vna peculiari virtute vult intelligi, ſed de iuſtitia ipſa, quam ſuperiùs nominauit, quæqne virtutes noſtras omnes complectitur, ſimul & totius bumanæ vitæ progreſſum. Huius vtique iuſtitiæ merltum, ſi ab interno arbitro diſtrictè iudicetur, mnltis vitijs ſcatet, propter opera plurima, quæ venialibus non carenr delictis. Licèt enim aliqna ſint opera, quæ peccato careant, tamen multò maior eſt eorum numerus, quæ venialiter ſaltem inquinantur. Et quanquam venialia nobis parui momenti putentur, tamen in ocnlls Dei (modò ſe cenſorem diſtrictum exhibeat) patua non ſunt. Inſtitia igitur noſtra propter talium operum atenam, innumeris videri poteſt reſpetla maculis, & velut pannus menſtruorum ſordibus inquinatus. Veruntamen propter alia quædam opera, quæ per gratiam Dei omni peceato caruerunt, iuſtitiam noſtram clementiſſimus ipſe reſpicit. Atqui ſi totins huius inſtitiæ meritum, ſeuetus ipſe iudex diſtrictiùs excuterer, profectò non tam propter opera bona meritum inueniretur, qnàm propter maculas veniallum ipſa cenſeretur vrvitium. Hæc hsuddubiè mens Gregorij fuit. Cæterùm quanquam ipſa tota vita, velut vitium exiſtimaretur propter lpſas venialium teſperſiones, nihil tamen oportet, vt nullum in ea ſit opus quod non polluatur. Et proinde non rectè colligis, qnòd in omni opere bono peccatum ſit. Nam eiuſmodi (vt diximus) luſtitia, quædam habet opera, quæ protſus omni peccato vacant: quædam quæ ſaltem venialibus inquinantur. Propter quod & Hieron. aduerſus Pelagianos, duplicē diſtinguit iuſtitiā qnemadmodum & Auguſtinum feciſſe paulò ſuperiùs conſtitit. Perſpicuum eſt, inquit, duas in ſcripturis ſanctis eſſe perfectiones, duasqne iuſtitias. Primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectamque iuſtitiam, Dei virtutibus cosptandam. Secundam autem quæ competit noſtræ fragilitatl, iuxta illnd quod in pſalm. dicitnr: Non iuſtificabitur in conſpectn tuo omnis viuens. Hoc Hiero. lib. 1. contra Pelagianos, Hæc certè luſtitia, quæ noſtræ fragilitatl competit, eadē eſt, de qua Greg. hic loquitur, dicens, quòd homo quamdiu non componitur Deo, ſed ſeorſum conſideratur, iuſtitiam habet, quam tamen compoſitns Deo, protinus amittit: Et hnius luſtitiæ meritum ſi diſtrictè ludicetur, vitium poſſe cenſeri. Non negat tamen, qnin hæc iuſtitia multa pariat opera, qnæ peccatis carent, immò teſtatur hoc pleriſque in locis, vt diximus, apertiſſimè. Alioqui quomodo leuaſſet interdnm ſuam faciem Iob abſque macula? Et quomodo ſæpius inter operandum, nec mente, nec manu peccaſſet, ſed nec corde, aut lingua? Certè quiſquis dum operatur, in nullo horum peccat, is in illo ſaltem opere, peccato caret. Non igitur ex præfatis verbis, artienlum tuum Gregorius (vt tu aſſeris) euidenter docet.

Duplex perfectio. — *Pſal 142.* — *Iob. 11.*

LVTH. *Idem ſuper illud eiuſdem: Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. Vt enim, inquit, ſæpè diximus, omnis humana iuſtitia iniuſtitia eſſe conuincitur, ſi diſtrictè iudicetur.*

EPISC. Psiotibus illis verbis Iob non negat, ſe quippiá iuſtum habere: Sed ſi habuero, inquit, quippiam iuſtum, hoc eſt, ſi opus aliquod iuſtū (quod nihil habeat omnino eulpæ) ſecero, qualia dubio procul habuit plurima, non defendam hoc eſſe iuſtum, ſed meum iudicem deptecabor, ne propter alia in quibus peccaui, me condemnet. Cuius cauſàm ſubijcit Gregorius. Quia omnis humana iuſtitia, vt ſæpè diximus, iniuſtitia eſſe conulncitur, ſi diſtrictè iudicetur. Cæterùm ijs verbis non conficitur in omni opere bono iuſtum peccare, ſed iuſtum non carere peccato. Quod & nos confitemur, ſimul & humanam iuſtitiam, tametſi quædam pariat opera peccati expertia, parere tamen & alia, quæ peccatis ſaltem venialibus inquinantur. Propter quæ velut iniuſtitia quædam planè conuincitur, ſi cenſorem diſtrictum nacta fuerit.

LVTH. *Et Auguſtinus libro nono Confeſſ. Væ hominum vitæ, quantumcunq; laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur.*

EPISC. Neque teſtimonium iſtud Auguſtini quicquā refragatur ijs, quæ iam diximus, ſi non ſeorſum illud à cæteris illic ab eo dictis, exemeris. Loquitur enim illic de matre ſua, quam ſuprà mirlficis extulit laudibus. Nunc autem hæc ſubiungit: Quanqnam enim illa in Chriſto viuificata etiam nondum carne reſoluta, ſic vlxerat, vt laudetur nomen tuum in Fide moribusque eius, non tamen audeò dicere, ex quo eam per baptiſmum regeneráſti, nullum verbum exijſſe ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum eſt à veritate, filio tuo: Si quis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ bominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. Qnia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter ſperamus aliqnem apud te locum inuenire Indulgentiæ. Quiſquis autem enumerat tibi vera merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera ſua? O ſi cognoſcant ſe omnes homines, & qui gloriantur ln Domino glorientur. Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, ſepoſitis pauliſper bonis eius actibus, pro qnibus tibi gaudens gratias ago nunc pro peccatis matris meæ deprecor. Hæc Auguſtinus illic. In quibus verbis bonos actus ſuæ matrls à peccatis eiuſdem ſeparat, & vera merita dicit mnnera fuiſſe Dei. Veruntamen haud negat, quin propter alia, quæ deliquerat, ſi tota matris vita diſcuteretur exactius, non poſſe Dei ſe verum ſuſtinere iudicium. Tantum igitur abeſt, vt Auguſt. hoc loco quicquam pro te faciat, vt etiam ſuis verbis vehementer condemnet articulum tuum, quando vera matris ſuæ merita, Del mnnera confitetur. Et bonos ipſius actus è peccatis eximit, ità vt pro illis quidem gratias agat: pro ijs verò precetur veniam. Quamobrem

Vera merita munera Dei. — *Auguſtini verba Lutherum condemnant.*

tem & palàm eſt, in pontificem ea quæ ſequuntur, iniquiſſimè te iam oblatrâſſe, & nimis quàm ciuicè.

LVTH. *Vides ergo ô miſer ſanctiſſime, quorum ſententias impia tua Bulla damnâris? Certum eſt cum ijs ſcripturis & patrum ſententijs permanere, & te idolum abominationis cum fiducia contemnere. Non ergò meus ille articulus, ſed Eſaiæ, Dauid, Salomonis, Pauli, Chriſti. Auguſtini, Gregorij inuentus eſt, cum quibus damnari ab Antichriſto iſto, ſuperba gloria eſt. Hac enim diabolica damnatione firmatur opinio illa, Papam eſſe Antichriſtum, & Romanam curiam ſedem Satanæ, & abominationem deſolationis eſſe in Babylone illa myſtica. Amplius non fallit ſpecie veritatis, ſicut hactenus fecit, ſed prodit ſeipſam abominatio iſta peccati & perditionis.*

EPISC. Profectò nullus horum (quos iactitas) tuæ ſententiæ quicquam in hac re ſubſcripſit, neque Eſaias, neque Dauid, aut Salomon ipſe, neque Paulus, aut Chriſtus. Sed neque Gregorius, aut Auguſtinus in ijs teſtimonijs (quæ iam ab eis citâras) imò contra te potius (vt oſtendimus) ſinguli pugnant efficaciſſimè. Pro noſtra verò parte dimicant ſcripturæ, quas ſuprà citauimus. Dimicat Chriſtus, qui teſtatur in habente oculum ſimplicem dum operatur, nullam in eius opere tenebrarum partem eſſe. Dimicat Paulus qui clamat:

Matth. 6.

Rom. 8.

Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum. Poteſt igitur quiſpiam, ita ſecundum Spiritum ambulare, vt in aliquo ſaltem opere nihil habeat damnationis, aut peccati, quo damnetur. Pugnat Iacobus, qui non dixit, in omnibus, ſed in multis offendimus omnes. Pugnat & Ioannes, qui prorſus affirmat ſanguinem Ieſu mundare nos ab omni peccato, quod fieri ſaltem debet in opere aliquo, quemadmodum & teſtatur Hieronymus. Pugnat & Iudas, qui dicit: Et qui potens eſt vos ab omni peccato ſeruare. Ergo poteſt ita nos in aliquo ſaltem opere ſeruare immunes. Cæterùm præter hæc ſcripturarum teſtimonia, certat pro noſtra parte Hieronymus, qui ſic aduerſus Pelagianum ſcribit: Tu dicis non Eſſe hominem ſine peccato, ſed eſſe poſſe, cum econtrario ego tibi tribuam quòd negâſti, eſſe hominem ſine peccato per Dei gratiam, & tamen per ſe non poſſe. Ecce per Dei gratiam adiutus poteſt in aliquo opere iuſtus cauere peccatum. Certat Auguſtinus pro nobis, cum Pelagiano pro ſe teſtimonium Hilarij proferenti reſpondit, capite 60. libri de natura & gratia, contra Pelagianos: Quid dixit, inquit, Hilarius contra id quod dicimus? Vel quid iſtum adiuuet verè neſcio, niſi quia poſſe eſſe hominẽ mundo corde, teſtatus eſt. Quod quis negat? Sed gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſola arbitrij libertate. Ecce hîc Aug. confitetur etiam ex Hilario poſſe hominem per Dei gratiam eſſe mundo corde, quod (cum nequeat fieri in cunctis operibus) in aliquo tamen erit, neceſſe eſt. In quo libro citantur etiam teſtimonia Chryſoſtomi, Sixti Papæ & martyris, atque etiam Hieronymi, quibus vbiq; ſubſcribit Aug. gratia Dei, non ſola arbitrij libertate, peccatũ in aliquo opere vitari poſſe: ſed & Origenes huic etiam accedit ſententiæ ſuper Lucam homilia 2. Qui volunt peccatis ſuis oſtendere aliquam excuſationẽ, æſtimant nullum eſſe abſque peccato, & vtuntur teſtimonio, quod in Iob ſcriptum eſt: Nemo mundus à ſorde, nec ſi vnius quidem diei fuerit vita eius ſuper terram. Numerabiles autem menſes eius. Cuius ſonum tantummodo proferunt, interpretationẽ penitus ignorantes. Aduerſus quos breuiter reſpondebimus. Quoniam abſq; peccato eſſe, in ſcripturis dupliciter intelligitur. Vt ſit alterum, nunquam omnino peccaſſe, alterum peccare deſijſſe. Si igitur aiunt eum abſque peccato dici, qui nunquam peccauerit, & nos aſſentimus, nullum eſſe abſque peccato, quia omnes homines aliquando peccauimus, licèt poſtea virtutem ſecuti ſumus. Si verò ſic intelligunt, hominem non eſſe abſq; peccato, vt negent quempiam poſt vitia, ita ſe ad virtutes referre, vt nunquam omnino peccet, falſa eorum ſentẽtia eſt. Eccè quàm apertè ſententiam eorum falſam Origenes eſſe teſtatur, qui negant quempiam ita ſe ad virtutes poſt vitia referre, vt nunquam omnino peccet. Ergo aliquando eſt, quando Origeni non peccat iuſtus. Conſentit eiſdem etiam verbis Ambroſius in ſuis ſuper Lucam commentarijs. Vides iam Luthere, quot pro noſtra parte, contra te reluctantur? Quamobrem ſi nihil aliud ipſe robuſtius habeas, quo firmes articulum iſtum, conſultiùs faceres meo iudicio, ſi tandem ab hac inſania reſipiſcas, quam fruſtrà gloriaris, & ſcripturas, & patrum ſententias huic articulo tuo fauere. Vt de conuitijs taceam, quæ tam ſuperbè contra pontificem iacularis, perinde ac ſi ſolidiſſimis eſſent fulcita præſidijs, cum nihil ſint minùs. Sed hactenus ad articuli tui labefactationem iſta ſunt dicta.

1. Ioan. 1.

Iudas.

Abſque peccato eſſe dupliciter intelligitur.

ARTICVLVS XXXII.

LVTH. *Opus bonum, optimè factum, eſt veniale peccatum.*

EPISC. Quoniam articulo proximo ſatis ſuperque monſtrauimus virum iuſtum pleraque opera facere, quæ peccato prorſus omni careant, nihil opus eſt multis ad huius articuli conuulſionem. Nam ſi iuſtus aliquid operis faciat in quo non peccat, protinus ex eo ſequitur, opus optimè factum, nec veniale peccatum eſſe. Nam hoc opus nec peccatum eſt, nec vllo cenſeri poteſt inquinari peccato.

LVTH. *Hic manifeſtè ſequitur ex priore.*

EPISC. Profectò, ſi prior articulus tuus verus eſſet, opus vnumquodq; quod à quouis, quantumuis iuſto proficiſcitur, non modò veniale peccatum, verumetiam eſſet & mortale. Nam quis mortaliter eum peccare non dixerit, qui mandato Dei cuiuis contrauenerit? Si is non peccet mortaliter, haud ſcio quis dici poterit mortaliter peccare. Verùm is, huiuſmodi putandus eſt, quicunque vel non diligit ex ſumma charitatis plenitudine (ſi tamen hoc tam rigidè ſit intelligendum, vt tu interpretaris) vel qui aliquando patitur in

Opus quodq; à iuſtiſſimo perfectum ſi Luth. audiendus, non ſolùm veniale, ſed & mortale eſt.

ſe carnis concupiſcentiam, ſi tamen hæc Dᴇɪ mandato prohibeatur. Nam alter (ſi tibi credimus) peccat contra præceptum illud quod & primum & maximum à Chriſto vocatur: Nempe, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Alter aduerſus poſtrema duo præcepta, quibus (vt aſſeris) omnis carnis concupiſcentia prohibetur. Et quanquam cætera quoque præcepta coneris impoſſibilia monſtrare: Hæc tamen ſic ſe habent ſententia tua, quòd nemo (quicquid operis boni moliatur) effugere poteſt, quin vel in illud de dilectione Dei, vel in iſtud de concupiſcentia, protinus impingat. Verùm hæc quàm horrida ſint auditu, nemo (qui quicquam ſapit) non intelligit.

Lᴠᴛʜ. *Niſi quòd addendum eſt, quod alibi copioſiùs dixi, hoc veniale peccatum non naturá ſua, ſed miſericordiá Dei tale eſſe.*

Eᴘɪѕᴄ. *Venialis peccati à mortali diſcrimen.* Quòd peccatum veniale ſolum ex Dei miſericordia veniale ſit, in hoc tecum ſentio. Sed quoniam & nos mortale quoque peccatum, per Dei miſericordiam fieri poſſe veniale credimus, vellem apertiùs nobis exponeres, quid ipſe diſcriminis arbitreris, inter mortale venialeque peccatum ſtatui debere. Nec opinor te dicturum, quin mortale, protinus vt fit, effuget ab animo gratiam, & in odio Dᴇɪ conſtituat ipſum peccatorem. At veniale non ita. Quòd ſi mortale gratiam auerſetur, non autem veniale, profectò palàm eſt, non mediocre diſcrimen eſſe venialis à mortali, nec exiguum inter ipſa repoſitum interuallum. Hactenus conuenire te par eſt, vt opinor, nobiſcum de veniali mortalique. Cæterùm in hoc diſſidemus, quòd tu quemcunque defectum à plenitudine ſummæ charitatis, peccatum, & ad minus veniale putas. Nos verò tres deficientiæ modos ponimus, quorum primum eſſe mortalem exiſtimamus, eò quòd ſua ſponte & ex inſtituto contra Dei mandatum agat. Secundum autem venialem opinamur, quod præter inſtitutum, & ex leui quadam negligentia, per laſsitudinem animi ſubrepentem, naſcitur. Poſtremum deniq; non dubitamus, omni prorſus carere peccato. Nimirum quia penitus nihil habet in ſe voluntarij.

Lᴠᴛʜ. *Non enim dixit Dauid, Non præmiabitur, ſed non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, Non iuſtificari certè eſt damnari: ita omne opus iuſti damnabile eſt, & peccatum mortale, ſi iudicio Dei iudicetur.*

Eᴘɪѕᴄ. Huic ego viciſsim reſpondeo, non dixiſſe Dauid, nullum opus viuentis, ſed nullum viuentem iuſtificari. Aliud enim (vt diximus) eſt opus aliquod viuentis, aliud ipſe viuens, qui multa complectitur opera. Nos ingenuè confitemur, neminem eſſe qui non in multis delinquat. At viciſsim haud veremur cum patribus aſſerere, fuiſſe quoſdam, qui in aliquo ſaltem opere nihil deliquerunt, qualis exemplis multis è ſcriptura petitis, complures oſtendimus fuiſſe, quibus &

Luca. 1. iam adijcimus Zachariam & Elizabeth, de quibus Lucas tradit: Erant, inquit, iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus domini ſine querela. Ecce non dixit Lucas, vt tuo interim argumento vtamur, quod erant ante homines, ſed ante Deum iuſti. Quod quid aliud eſt, quàm quòd oculis Dei iuſti fuerant. Neque dixit, In aliquibus mandatis ſed in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini: & demum adiecit, ſine querela. Nullum ergo mandatorum Dei non operati ſunt abſque querela. Et quomodo te quæſo potuerunt mandata cuncta ſine querela peragere, ſi quædam illorum impoſsibilia fuiſſent? Putas iſtos non perpeſſos fuiſſe concupiſcentiam carnis, aut ſummam illam charitatis plenitudinem in ſuis operibus habuiſſe? Neutrum profectò verum eſt. Et tamen hìc Euangelium affirmat eos ante Deum fuiſſe iuſtos, & inceſsiſſe in omnibus mandatis, & iuſtificationibus ante Deum ſine querela, non hominum dico, quorum haud dubiè latebit oculos, quæ clam Zacharias & Eliſabeth intra cordium ſuorum penetralia gerebant, ſed abſque querela coram Deo. Nec tamen eos omni prorſus caruiſſe peccato reor in ſuis omnibus operibus, ſed ſaltem in compluribus, id confiteamur oportet. Quærit hoc loco ſuper Lucam Origenes, Quomodo poteſt euenire, vt in omnibus mandatis & iuſtificationibus Dei quis ambulans ſine querela ſit? cui breuiter ſe reſponſurum pollicetur. Niſi hoc, inquit, ita eſſet, nunquam in alio loco noſceremus ſcriptum referri: Iuſtè id quod iuſtum eſt ſequere. Niſi enim eſſet iuſtum aliquid, quod non iuſtè ſequeremur, nequaquam nobis præciperetur, vt iuſtè id, quod iuſtum eſt ſequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, & in conſcientia noſtra, vanæ gloriæ ſordes reſpergimus, vt placeamus hominibus, aut alia quæcunq; non placent Deo, boni operis cauſa præcedit, & quamuis faciamus præceptum Dei, tamen illud abſque querela non facimus, & iniuſtè id quod iuſtum eſt ſequimur. Difficile eſt ergo ambulare in omnibus mandatis & iuſtificationis Domini ſine querela, ſecundum teſtimonium & laudem Dei in Chriſto Ieſu. Quæ laus reddenda eſt in die iudicij, ab eo cui omnes nos manifeſtati oportet ante tribunal eius, vt recipiat vnuſquiſque quæ per corpus geſsit, ſiue bona, ſiue mala. Omnes enim ſtabi- *Rom. 14.*
mus ante tribunal Dei, vt recipiamus quod meremur in Chriſto Ieſu. Hæc Origenes. Vt igitur ad inſtitutum redeamus. Non dixit, inquis, Dauid, Non præmiabitur, ſed non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et hoc nos concedimus: quippe, quia nemo viuentium eſt, qui penitus omni peccato careat. Sed ex hoc non ſequitur, quemadmodum ipſe moliris inferre, quòd nullum opus cuiuſlibet viuentis omni peccato careat. Nam & Zacha- *Iuſtitia duplex.*
rias & Elizabeth, ac alij complures, de quibus ante locuti ſumus, in multis operibus ſuis peccato caruerunt, tametſi non penitus in omnibus. Niſi enim in multis operibus peccato caruiſſent, non dixiſſet Euangelium eos ante Deum fuiſſe iuſtos, & inceſsiſſe ſine querela. Propterea Hierony. aduerſus Pelagianos ait: Iob quoq; & Zacharias & Elizabeth iuſti dicti ſunt,

ſecun-

ſecundum eam iuſtitiam, quæ poſſit in iniuſtitiam aliquando mutari, & non ſecundum illam quæ nunquam mutari poteſt. Iuſtitia nimirum eorum fuit aliquibus maculis venialium peccatorum reſperſa, & hanc Hieron. eodem loco vocat iuſtitiam & perfectionem, quæ competit fragilitati noſtræ, iuxta illud, vt ait, quod in Pſalmis dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Porrò cum ſubijcis Luthere, Non iuſtificari, certè eſt damnari, atque ita omne opus iuſti eſt damnabile, ineptiſſimè colligis. At ſic colligendum eſſet: Omnis itaque iuſtus viuens eſt damnabilis, & non omne opus iuſti. Quod certè non inficior, ſi Deus vnumquemque diſtrictè iudicaturus eſſet, cum nemo viuentium omni careat peccato. Rurſum neque iſtud rectè ſubinſerens, Peccatum veniale damnabile eſt, ſi diſtrictè iudicetur. Ergò peccatum veniale, mortale eſt. Nam ſuprà conſtitit inter nos, quod mortale peccatum fugat à nobis gratiam, propter quod & meritò damnandum venit, non autem identidem veniale. Quod diſcrimen abunde ſatis eſt, vt veniale dici mortale nequeat.

LVTH. *Et Auguſtinus non dixit. Væ vitæ hominum aliquo modo laudabili. Sed væ quantumcunq; laudabili. Væ autem iſtud, damnationem ſonat. Et quantumcunq; laudabilis vita, optimam vitam ſonat.*

EPISC. Væ vitæ hominum Auguſtinus dixit, & non væ ſingulis hominum operibus. Nam vita nullius eſt vſqueadeo integra, vt non multis ſit reſperſa venialium ſaltem peccatorum maculis, verùm opera multa ſunt viuentium, quæ diuus Auguſtinus peccato carere non negat. Vt & manifeſtum eſt ipſo eodem loco, vnde tu citâras eius hoc teſtimonium. Nam ibi confitetur, quædam eſſe vera merita, & munera Dei. Sed & bonos actus matris ſuæ ſeorſum à peccatis ſeparat, pro illis quidem gratias agens: pro iſtis verò veniam implorans. Optima igitur vita (quia peccato non prorſus caret) ſi diſtrictè iudicetur, damnabilis eſt. At hoc nihil officit, quin talis vita quædam habeat opera, quæ penitus nullo peccato labefactantur.

LVTH. *Et Gregor. non dixit. Iuſtitia humana conuincitur imperfecta ſed iniuſtitia eſſe, ſi iudicio Dei iudicetur.*

EPISC. Iuſtitia quæuis humana (ſi diſtrictio Dei iudicio iudicetur) conuincitur iniuſtitia eſſe propter ipſos venialium peccatorum neuos, quibus ipſa reſpargitur. Veruntamen (ſi non ſimul opera quædam haberet peccati expertia) nec humana iuſtitia dici poſſet. Quamobrem & in hoc, quod Gregor. humanam aliquam iuſtitiam eſſe confitetur, comprobat eam & opera quædam habere, quæ peccato careant, & in quibus omninò nulla ſit culpa. Quemadmodum & alibi dicit, piarum eſſe mentium illic agnoſcere culpam, vbi nulla eſt.

Ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum.

LVTH. *Item non dixit, aliquod meritum noſtrum vitioſum, ſed omne meritum vitium eſſe.*

EPISC. Nec; certè dixit omne meritum noſtrum vitium eſſe, ſed viro ſancto Iob ita videri. Sic enim ait: Sanctus vir, quia omne meritum virtutis noſtræ vitium eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitro diſtrictè iudicetur. Non ijs verbis aſſerit, omne meritum iuſtitiæ noſtræ vitium eſſe, ſed ita conſpici viro ſancto, ei nimirum, qui opera ſua cuncta veritus eſt. Atqui nec abſolutè pronunciauit hoc ipſum, ſed iſta conditione, nempe, ſi ab interno arbitro diſtrictè iudicetur. Cæterùm cur totum noſtræ iuſtitiæ meritum, ſi diſcutiatur exactiùs, vitium videri poteſt, non ſemel ſuprà diximus. Nimirum quòd inter pura merita, nemo quantumuis iuſtiſſimus fuerit, non intermiſcet multas veniales negligentias.

LVTH. *Quare his Patrum & ſcripturæ rupibus nixus, reuoco vel modero hunc articulum hoc modo: Opus bonum optimè factum veniale peccatum eſt ſecundum miſericordiam Dei, ſed mortale peccatum ſecundum iudicium Dei.*

EPISC. Si bonum opus optimè factum, mortale peccatum ſit ſecundum iudicium Dei, cur Deus ob eiuſmodi opera, non illico ſuam auſert gratiam, quemadmodum pro mortalibus eum facere nemini dubium eſt? Verùm contrà, pro bonis operibus optimè factis, innumeros conſtat ex ſcripturis Deo vehementer placuiſſe. Num non in Geneſi Deus ad Abraham loquitur dicens? Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum &c. Aduerte quid dicit. Quia, inquit, feciſti hanc rem. Et Phinees (quemadmodum Numeri 25. cap. traditur) pro opere quodam, quod ingenti zelo patrauit, audiuit: Ecce do ei pacem fœderis mei. Et erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum Sacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo. Sed & Deut. 12. ſcriptum eſt: Obſerua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi & filijs tuis poſt te in ſempiternum, cum feceris quod bonum eſt, & placitum in conſpectu Domini Dei tui. Et Ioannes dicit: Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram ipſo, facimus. Ecce quomodo bonis operibus placemus Deo, quæ (ſi fuerint, vt tu dicis, ſecundum iudicium eius mortalia) profectò magis odio, quam gratia digna forent.

Bonis operibus multi Deo placuerunt.

1. Ioan. 3.

LVTH. *Neque enim ego tam hæreticè ſum locutus, ſicut Gregorius, qui totum meritum non ſolum vitioſum, ſed vitium eſſe aſſerit.*

EPISC. Non hoc aſſerit Gregorius neq; vſquam dicit, quòd totum meritum iuſtitiæ noſtræ vitium ſit, ſed ita viſum eſſe viro ſancto Iob. Vir, inquit, ſanctus, quia omne virtutis noſtræ meritum, vitium eſſe conſpicit, ſi ab interno arbitro diſtrictè iudicetur. Et quid mirum eſt, vt diximus, ſi ſic illi videbatur, qui ſua cuncta verebatur opera, & maximè cum proximè antè dixit. Verè ſcio, quòd ità ſit, quòd non iuſtificetur homo compoſitus Deo. Minima enim ſcintilla iuſtitiæ Dei, protinus humanam iuſtitiam tenebris offundit maximis, vt tota vitium putetur magìs, & ſupplicio longè dignior, quàm vllo præmio.

LVTH. *Vide in quas palinodias me cogit Antichriſti Romani*

rudiſſima ruditas, & impiiſsima impietas, qui cùm ſit homo peccati, & filius perditionis ſatiſfacturus his ſuis nominibus, conatur nobis abſcondere peccata noſtra, & ſicum in peccatis incraſſare, & ad perditionem trahere.

EPISC. Opinabar ſanè te nugis & conuitijs cunctis impoſuiſſe finem, neque in his amplius verbs, tempus, operas, perditurum. Sic enim paulò antè pollicitus es. Sed iam comperio verum eſſe, quod in Euangelio veritas dicit: Ex abundantia cordis os loquitur. Noſti Luthere, nemo melius, quid de praua lingua Iacobus coploſè diſſeruit. *Iacob. 3.* Nihil ampliùs hic quàm vnum iſtud verbum te percontabor, quod inter cætera diuus Ille propoſuit. Nunquid ſons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Id ſi fieri non poteſt, quomodo putabimus ex ſonte cordis tui dulcem poſſe fluere charitatem, ex quo tam amarulenta prodeunt conuitia?

LVTH. *Quid eſt homo peccati, niſi qui peccare docet, qui peccata abſcondit, & iuſtitiam iactat, qui timorem Dei extinguit, & fiduciam operum exigit, homines ſuperbire & præſumere facit, miſericordiam & iudicium Dei longè à facie noſtra ponit? At hoc facit qui negat bonum opus eſſe peccatum, ne homines in timore & humilitate, ad miſericordiam Dei vnicum refugium confugiant. Væ illi.*

EPISC. His profectò maledictis immeritò pontificem inceſsis Luthere. Neq; enim ſolus ille docet, opera bona quædam carere peccato, ſed orthodoxi, cuncti Interpretes, atq; vniuerſalis prorſus Eccleſia. Tu nec vnũ quidem producere potes qui tecum ſentiat, Opus optimè factum eſſe peccatum.

Ingentem Lutherus peccandi feneſtram omnibus peccatoribus aperit.

Et certè cùm hoc dicis, magnam ipſe peccatoribus non peccandi ſolùm, verumetiam excuſandi peccata præbes anſam. Quod & Orig. ſagaciter olſaciens, ſuper Lucam affirmat: Qui volunt, inquit, peccatis ſuis oſtendere aliquam excuſationem, æſtimant nullum eſſe abſque peccato, hoc eſt, in omni opere (quod faciunt) peccare cunctos & opinantur & aſſerunt, quò ſuam pallient peccandi conſuetudinem. Cæterùm quis hic non videt, quantum hæc verba torqueas, & per vim vel inuita conaris adaptare pontifici, quem hominem peccati vocas, & filium perditionis. Multò certè rectiùs vtrumque vocabulum in te competit. Primùm, cum ille ſub Deo pater patrum ſit, cuius & tu filius eſſe deberes, haud rectè filius abs te vocatur. Nam eius filij ſunt omnes, quicunque Catholicam Eccleſiam, matrem communem agnoſcunt. Et hi nimirum acquiſitionis filij dicuntur, non perditionis. Nam hos Deo genuit Ipſa communis mater. *Filius perditionis.* Cæteri verò (qui vel huic patri vel matri maledixerint) Deo perditi ſunt, & meritò perditionis filij vocantur. Nam hi ſectas perditionis (vt eſt apud Petrum) introducunt. *2. Pet. 2. Hebr. 10.* Et apud Paulum filij dicuntur ſubtractionis in perditionem. Quamobrem in te rectiùs, quàm in Pontificem hoc vocabulum competit, vt perditionis filius eſſe voceris. *Homo peccati.* Nempe qui matrem Eccleſiam contemnis, & patrem tuum tantis probris, & maledictis inſectaris. Secundum etiam vocabulum aptiùs in te quadrat, quàm in Pontificem. Nam homo peccati veriùs ille dicitur, qui peccatum amplificat, & qui fimbrias eius dilatat, quàm qui minuit, & in anguſtum cogit. Cum Igitur tuum dogma, peccatum amplificet, & extendat ad omnia opera etiam quantumuis bona, Pontifex autem cum Eccleſia contrahat in anguſtiorem limitem, tu potiùs homo peccati cenſendus es quàm Pontifex. His accedit, quòd tu peccandi fiduciam præbes, qui pœnam peccatis nullam deberi ſuades. Tu timorem extinguis Dei, qui ex iſto proſtibulo, citra conſcientiæ quantumlibet excuſſionem, mittis vel ſordidiſſimos & ſceleratiſſimos ad ipſam Euchariſtiam. Tu denique nimium ſecuros de Dei miſericordia reddis peccatores ipſos, quos & Fidei mortuæ confidentia fallis, & foues in flagitijs. Sed iſta pro huius articuli confutatione ſufficere putamus.

ARTICVLVS XXXIIII.

LVTH. *HAereticos comburi, eſt contra voluntatem Spiritus.*

EPISC. Neq; hæreſia hæc neoterica eſt, quippe quæ multos annos iam vexauit Eccleſiam. Nihil enim hæretici magis cupiunt, quàm vt ſuis peſtiferis dogmatibus, impunè poſſint Chriſtianam inficere plebem, cui deuorandæ ſtudent auidiùs, quam ouibus lupi. Propter quod & lupos eos Chriſtus in Euangelio vocat. Attendite, inquit, à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. *Matt. 7.* Et quis tam imprudens eſt, vt lupos cum ouibus committat? aut non potiùs arceat illos ab ouili? Sed inquies, Aliud eſt arcere, aliud interimere. Arcere licet, Nam hoc permiſit Chriſtus. At interimere non licet. Ego quidem & interimendos opinor vbi non potes aliter ſaluare gregem. *Interimendi hæretici, vbi non aliter ſeruari poterit grex.* Quam rem & Chriſtus ipſe mihi viſus eſt, apertè ſatis indicaſſe, quandoquidem & rapaces lupos vocauerit eos. Quis enim rapacem lupum (vbi gregi metuit ſuo) non priùs occiderit, quàm ſinat oues ab ipſo dilaniari? Quis eſt qui neſciat, quòd paſtori charior eſſe debet ſuarum ouium ſalus, quàm luporum vita? Quamobrem cum alterutros perire neceſſe ſit, hoc eſt, aut oues, aut lupos, quid ſtolidius cogitari poteſt, quàm ita lupis indulgere, vt gregis tandem vniuerſi iacturam patiaris? Id quod haud dubiè futurum eſt, ſi lupos non interemeris. Et vt iſtis lupis nemo prudens paſtor ita fauere debet, vt interim oues pereant; ita nec hæreticis parcendum eſt, ne per eorum virulenta dogmata depereant orthodoxi. Nam hæreticorum ſermo multò pernicioſior eſt hominibus quàm ouibus lupi. Sermo enim illorum (vt ait Paulus) velut cancer ſerpit. *2. Tim. 2.* Quod genus morbi, niſi quàm primùm ei ſubueniatur, vt nullum admittit remedium, ita nec hæreticorum ſibilus (vbi ſemel eius virus per aurem ad cor penetrauerit) remedium accipit vllum. Nam irremediabiliter (vt Hieronymus ait) mentes auditorum vulnerat. Quamobrem ſi liceat, feras non arcere ſolùm, ſed etiam interimere, ne pecudibus noceant, multò magis id licebit de hæreti-

hæreticis ſtatuere, ne tantam animabus Chriſti ſanguine redemptis, inferant perniciem. Nam qua, precor, alia ratione Chriſtiano gregi contra lupos iſtos ſuccurrere poteris? Num cenſuris Eccleſiæ? Sed has ipſi contemnunt penitus. An amiſſionis rerum ſuarum metu? Sed iſti nec Deum, nec homines metuunt. An exilio? Sed per literas hæreſes diſſeminare ſuas poterunt. An carceribus? At cuſtodes crebrò per illos corrupti ſunt. Breuiter, quocunque locorum viuere permittantur, nunquam ab eorum dentibus tuta fuerit Chriſtiani gregis ſalus. Cæterùm quibus articulum iſtum rationibus confirmat Lutherus, iam attendamus

LVTH. *Primùm ab experientia totius Eccleſiæ probo, quæ ab initio ſui vſque huc nullum combuſſit hæreticum, nec aliquando comburet. Mirum autem eſſet, in tot ſeculis non eſſe aliquos combuſtos, ſi voluntas ſpiritus hoc voluiſſet.*

EPISC. *Actor. 5.* Multa ſunt Luthere, de quibus mirari poſſumus, quæ tamen haud ſatis iuſtam probationem faciunt, eorum quæ cupimus. Mirum eſt etenim, quod citra, quam Ananias & Saphira propter fraudem puſillæ pecuniæ factam, morte mulctati ſint, de nemine ſcelero per tot annos ſic vindicatum legitur. Et tamen hoc non probat, quin illud proceſſerit ex voluntate ſpiritus. Tu priùs rationem redde, cur vſqueadeo ſeueram vltionem in principio naſcentis Eccleſiæ, & ob rem tam exiguam ſpiritus ille ſumpſerit, cum tamen citra id temporis nihil eiuſmodi factum ab eodem legatur. *Seuera vltio ſpiritus in naſcente Eccleſia.* Et ego tibi ſubinde referam, cur tandem poſt tot annorum curricula, ſpiritui placuit, vt in hæreticos tam ſeueriter animaduerti conſtitueretur. Hæretici nimirum in re longè maioris momenti, quàm pecunia ſit, hoc eſt, orthodoxa Fide Chriſtianorum animos circumueniunt, ac miſerabiliter interimunt, id quod cuiuis Chriſtiano videri debet incomparabiliter grauius, quàm fraudari quoſuis, quantumuis maxima pecuniæ ſumma. Sed & iſtud item reſpondere poſſumus, quod & Auguſtinus Donatiſtis reſpondit, ad Bonifacium ſcribens: Obiecerant enim illi, quòd per Apoſtolos nunquam ab imperatoribus aut regibus terræ fuerat petitum, vt vim inferrent hæreticis. *Reſponſio. Auguſtin. Donatiſtis de vi hæreticis inferenda.* Quibus & Auguſtinus ait: Quis tunc in Chriſtum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem legis inferendo ſeruiret? Quando adhuc illud propheticum complebatur. *Pſalm. 2.* Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius? Nondum autem agebatur, quod paulò pòſt in eodem Pſalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam & rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter. Quia verò etiam rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum & illa excelſa, quæ contra Dei præcepta fuerant conſtructa deſtruendo. Sicut ſeruiuit Ioſias, talia & ipſe faciendo. Sicut ſeruiuit *4 Reg. 23.* Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. *Daniel. vlt. Daniel 3.* Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, de quo iam diximus, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſeruiunt Reges, in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges. Cum itaque nondum Reges Domino ſeruirent temporibus Apoſtolorum, ſed adhuc meditarentur inania aduerſus eum, & aduerſum Chriſtum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur, non vtique tunc poſſent impietates legibus prohiberi, ſed potiùs exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores *Ioan. 16.* Chriſti putantes ſe officium Deo facere, ſicut prædixerat Chriſtus: Et gentes fremuerunt aduerſus Chriſtianos, vt omnis patientia martyrum vinceret. *Pſal 71.* Poſtea verò quàm cœpit impleri quod ſcriptum eſt: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient illi. Quis mente ſobrius, Regibus dicat: Nolite curare in regno veſtro à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri? Nó ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe, ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus, quibus dici non poteſt, non ad vus pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus? Cur enim, cum datū ſit diuinitùs homini liberum arbitrium, adulteratia legibus puniatur, & ſacrilegia permittantur? An Fidem non ſeruare leuius eſt animam Deo, quàm fœminam viro? Hactenus Auguſtinus Donatiſtis reſpondet, & in eodem opere dicit. Cogunt multas inuenire medicinas, multorū experimenta morborum. Quo factum eſt, vt cum mitiora medicamina nihil omninò profeciſſent, ad acerbiora tandem neceſſitas Eccleſiam adegit. Hæretici primùm amiſſione pecuniæ mulctati fuerunt, quemadmodum Aug. illic oſtendit. At enim: Pijſſimæ memoriæ Cæſarem Theodoſium, in omnes hæreticos legem promulgaſſe, quod ſingulus quiſque decem auri libris mulctaretur. Poſthunc & alij quoque grauiores adiecerunt pœnas, vt exilij & bonorum omnium amiſſionem, ſperantes ita peſtem iſtam reprimi poſſe. *Qualis fuerit olim in hæreticos animaduerſio.* Cæterùm interea virus hoc ſerpebat in Chriſtianos, nec vllum proficere medicamen potuit, quamdiu ſuperſtes remanſit hæreticus. Nullus grex (quantamuis curæ ſuæ vigilantiam adhibuiſſet paſtor) ad hæreſeos infectione peſtifera tutus eſſe potuit. Quocirca neceſſe fuit, aut per ſupplicium mortis, hæreticos auferre, aut neces animarum innumeras & quotidianas ſuſtinere.

LVTH. *At dicent: Conſtantiæ Ioannes Huß, & Hieronymus de Praga exuſti ſunt. Reſpondeo, Ego de hæreticis loquor.*

EPISC. Nec ſolos iſtos memorabunt, ſed præter hos alios item haud paruo numero, quos in varijs mundi

mundi partibus fuiſſe combuſtos apertiſſimum eſt. Sed & Ioannem Wiclefum magnum illorum

Vuiclefus neotericorum anteſignanus,

parentem hic prætermittis, cuius apud nos cadauer (poſtquam exhumatus fuit) erat ignibus iniectum. Et hos (quanquam ipſe nolis id agnoſcere) palàm eſt hæreticos fuiſſe. Quod vel ex Tertulliani deſcriptionibus facilè monſtrabo. Sic enim ipſe libro de præſcriptionibus hæreticorum eoſdem varijs deſcribit coloribus. Imprimis, inquit, quis cathecuminus apud eos, quis fidelis incertum eſt. Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Ecce color vnus quo depinxit hæreticos, qui quidem adamuſſim non illorum ſolùm, verumetiam tuæ doctrinæ congruit.

Primus.

Nullis enim ſacramentis poteſtatem ipſe tribuis, qua fidelis à cathecumino diſcriminetur, ſed vniuerſos fide metiris, ſolam fidem aſſerens cuncta præſtare.

Secundus.

Sequitur & alius color in Tertulliano. Etiam Ethnici ſi ſuperuenerint, ſanctum canibus & porcis margaritas, licèt non verſis iactabunt. An non & hoc tibi cum illis commune eſt? Aſſeris enim ſceleratiſſimos peccatores (modò fide acceſſerint) ſecurè poſſe diuinum iſtud percipere ſacramentum. Sola, inquis, fides facit eos puros & dignos.

Tertius.

Sequitur tertius apud eundem. Simplicitatem voluot eſſe proſtrationem diſciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant. Nunquid & tu dicis optimam ad hunc modum pœnitentiam, nouam eſſe vitam, vt neque ſatiafactionem vllam fieri permittas? Sequitur quartus.

Quartus.

Pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent. Et iſtud vobis conuenit, qui nullas excommunicationes fieri ſuſtinetis. Prolixum foret vniuerſam eius deſcriptionem recenſere, ſed paulò pòſt ſequitur & quintus.

Quintus.

Ipſe mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audent docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere. Tu verò Luthere quid non cum Wicleſiſtis iſtis audes permittere mulieribus? Puer, inquis, aut mulier, & quilibet Chriſtianus abſoluere poteſt. O rem pudendam, & Chriſtianorũ auribus penitùs execrandam. Sed & alibi teſtaris, eoſdem itidem Euchariſtiam poſſe cõficere. Sequitur in Tertulliano ſextus. Ordinationes eorum temerariæ. Et paulò pòſt.

Sextus.

Nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt. Num & tibi laici cuncti ſacerdotes non ſunt? nempe per illud Petri. Vos eſtis regale ſacerdotium. Sequitur in eodem ſeptimus color.

Septimus,

De verbi adminiſtratione quid dicam? cum hoc ſit negotium illis non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi. Et hoc Luthere vobis ſemper ſtudium fuit, vt hos (qui verè orthodoxi ſunt) ad veſtra dogmata peruerteretis. Sequitur paulò pòſt octauus.

Octauus.

Cæterùm, nec præſidibus reuerentiam nouerunt. Qualem te quæſo non ſolùm iſti quos recenſuiſti, ſed & Wiclefus tuus atque etiam tu ipſe Luthere, ſummo pontifici Chriſti vicario cæteriſque præſidibus Eccleſiæ reuerentiam exhibetis. Vbique dilucidum eſt ex libris veſtris, vt nihil mihi neceſſe fuerit in præſentiarum aliud memorare. Sequitur in eodem nonus.

Nonus.

Denique penitùs inſpectæ hæreſes omnes, in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.

Lutheri à ſuis maiori. bus diſſidiũ.

Et tu profectò malè cohæres, cum illis magiſtris tuis. Nam vt cætera taceam, tibi verum Chriſti corpus in Euchariſtia eſt, quod illis ſolùm creditur eſſe figura. Illi primatum, vtcunque tolerant ſummi Pontificis, tu nihil ei cenſes deferendum. Poſtremus color quo depingit eos Tertullianus, eſt.

Decimus. Hæretici Deum timendum negant.

Negant hæretici Deum timendum, itaque libera ſunt illis omnia & ſoluta. Et tu Luthere, timorem doceri prohibes, amorem ſolùm inculcans. Sic enim amori totum tribuis, vt timori relinquas nihil. Quadrat igitur in te & tuos, hæc hæreticorum deſcriptio, quam Tertullianus non heri tradidit, ſed retrò non paucos annorum centenarios.

LVTH. *Nam Ioannem Huß & Hieronymum viros catholicos combuſſerunt hæretici ipſi & apoſtatæ & Antichriſti diſcipuli, vt ex ſuperiùs dictu patet.*

EPISC. Non eſt hoc nouum Luthere, quòd Orthodoxi vobis hæretici putantur.

Marcionitæ. Valẽtiniani.

Sic Marcionitæ fecerunt & Valentiniani. Vtrique ſe catholicos & orthodoxos dici voluerunt, cæteros appellarunt hæreticos.

Nouatiani.

Sic Nouitiani ſe catharos, hoc eſt puros, vocant, cæteros omnes impuros.

Arriani.

Sic Arriani cunctos (qui verè orthodoxi fuerunt) criminabantur, tanquam fidei ſcripturarumque peruerſores.

Donatiſtæ.

Et Donatiſtæ ſe ſolos in Eccleſia fuiſſe prædicabant, cæteros omnes foris ab Eccleſia. Eiuſmodi calumnijs hæretici ſemper ſuam improbitatem defendere moliti ſunt. Et tu Luthere patrum tuorum veſtigija incedens, nunc eos qui (quantum ad doctrinam fidei ſpectat) verè catholici ſunt, hæreticos & apoſtatas atque diſcipulos Antichriſti facis. Ac ediuerſò quos Eccleſia pro hæreticis condemnauit, tu catholicos appellas. Sed væ ijs (inquit Eſaias) qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Si nihil aliud eſſet, niſi quod iſtos approbas, quos Eccleſia tot patribus congregatis, carbone notauit, hoc vnum ſufficeret ad tui condemnationem.

LVTH. *Quorum exemplum & multi alij homicidæ imitati, in diuerſis locis ſanctos Chriſti exuſſerunt & occiderunt, inter quos Hieronymus Sauanorola cum ſuis numerandus videtur.*

EPISC. Hieronymum Sauanorolam non ob id exuſtum opinor, quòd contra Fidem quicquam publicè docuerit, ſed propter contumaciam & excommunicationis contemptum. Satis enim ex libris (quos edidit) exploratum eſt, neminem tuas aſſertiones condemnaſſe magis, quàm Hieronymum illum. Quod & erit perſpicuum, ſi quis per ſingulas decurrere velit, præter vnam illam de excommunicatione. Nam Romanum pontificem vbique caput totius Eccleſiæ fatetur, De Sacramentis per omnia Catholicè loquitur. De Sacerdotio, de Euchariſtia, de pœnitentia conſentit cum Patribus. Nihilq; prorſus in eius doctrina reprehendi meretur (quoad meminerim) præter hoc ſolùm, quod ad excommuni-

cationis

cationis articulum attinet, quodq́ue tam apertè ſe contumacem præſtitit, contra cenſuras Eccleſiæ.

LVTH. *Secundò ex ſcriptura, Eſaiæ ſecundo. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.*

EPISC. Significatur his verbis diuturnitas pacis, quæ facta eſt nato ſeruatore noſtro Chriſto Ieſu. Propter quod & Hieron. hunc locum interpretatus, ait: Omne bellandi ſtudium vertetur ad pacem. Et pro diſcordia erit in toto orbe concordia. Gladij mutabuntur in vomeres, & lanceæ in falces. Vt omiſſo furore bellandi, agriculturæ ſeruiant, & vberrimas falcibus meſſes ſecent. Et paulò pòſt: Veteres reuoluamus hiſtorias, & inueniemus vſque ad viceſimum octauum annum Cæſaris Auguſti, cuius quadrageſimo primo anno Chriſtus natus eſt in Iudæa, in toto orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi, ita vt cederent & cederentur. Orto autem Domino ſaluatore, quando ſub preſide Siriæ Cyrino prima eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, Et Euangelicæ doctrinæ pax Romani imperij præparata, tunc omnia bella ceſſauerunt. Hæc Hieronymos. His ergo verbis non interdicitur quò minùs de hæreticis iuſtum per ignes ſumatur ſupplicium.

LVTH. *Euſdem 11. Non occident & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo.*

EPISC. Neque is locus quicquam prohibet, quò minùs exurantur hæretici. Nam de regulo & aſpide cęteriſq; venenatis ſut feris animantibus (dę quibus autè locutus eſt) intelligi debet. Nocere (inquit Hieronymus) & occidere nequaquam poterunt venenata priùs animalia, eos qui habitauerunt in moote ſancto Dei, quod interpreta-

Matth 5. tur Eccleſia. De quo in Euangelio dicitur: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. At ne hæc putemus dici de moote Sion iuxta Hebræorum errorem, ſequenti verſiculo Euangelicæ prædicationis ſacramenta monſtrantur. Quia repleta eſt terra ſcientia Domini. Hactenus Hieronymus. Ecce ij qui ſcientiam habent Domini, nihil nocere poteſt aſpidis aut reguli venenum, neque tales regulus aut aſpis occident, quamdiu velint Eccleſiæ cohærere. Et qoid per regulos & aſpides intelligi magis debeat, quàm hæretici? qui virulento ſibilo ſtultorum animas interimunt.

LVTH. *Et Chriſtus Apoſtolis nihil prorſus armorum commiſit, nec aliam pœnam impoſuit, quam vt haberetur pro Ethnico, qui Eccleſiam non audiret Matthæi. 18.*

EPISC. Iam ad conſuetam redis Dialecticam. Sæpè diximus, argumento negatiuo nihil confici. Quid enim ſi Chriſtus non exurendos hæreticos inſtituerit. Num ob id paſtor vigilans eos patietur impunè Chriſti gregem deuorare? Parum equidem iſtod prudentiæ boni paſtoris conueniret. Sed & Chriſtus Eccleſiæ ſuæ multa permiſit inſtituenda, de quibus ipſe nihil antè tradidit. Quamobrem nec ſatis efficaciter colligis, iſtud minimè debere fieri, quod Chriſtus antè nunquam inſtituit. Sed & illud potiùs erat oſtendendum, vbi Chriſtus id fieri vetauerit vſquam. Simul & iſtud cóſidera, qoid fecerit Chriſtus nummularijs in templo ſedentibus, & ijs qui columbas illic vendebant. An non flagello de funiculis facto cecidit eos, ac fugauit è templo ſubuerſis eorum menſis & cathedris? Quod ſanè pluſculũ eſt, quàm tanquàm Ethnicos habere, qui nummularijs hoc fecerit, quod is hæreticis tot animarum necatoribus, quas & ipſe tam carè mercatus eſt, non feciſſet.

Et Apoſtolus Tit. 3. hæreticum hominem vitari docet, non occidi iuſſit armis vel igne. LVTH.

Et hæc argumentatio ex eadem Dialectica proficiſcitur. Non iuſſit Paulus, inquis, hæreticos igne vel armis occidi, quare nec occidendi ſunt. Sed reſpondeo: Nec Paulus iuſſit ſuſpendi fures, & tamen niſi per leges in furtum animaduerteretur, nulla foret ciuibus, vel in oppidis, tuta ſecuritas. Et ſanè quemadmodum reipublicæ neceſſitas exigit, vt patibulo fures adiudicentur: ita & publica ſalus animarum expoſcit, vt ad ignis ſupplicium condemnentur hæretici. EPISC.

Et ad Corinthios dicit: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant. LVTH.

Fieri non poteſt quin ſint hæreſes. Nam vt nemo poteſt ex horto ſuo malam omnem herbam prorſus euellere: ſic nec ex Eccleſia penitùs eradicare quis poterit omnem hæreſim. Naſcuntur enim hæretici ex malo ſemine, quod diabolus in Eccleſiæ agro ſeminauit, quod deinceps nunquam extirpari potuerunt. Agant magiſtratus quicquid velint, exurant & mactent hæreticos non efficient tamen, quin ex eorum cineribus illico naſcantur & alij. Nec ijs verbis iubet Paulus, vt hæreſes tollerentur, nec cenſet hæreticos ingenio ſuo permittendos. Sic enim Hieronymus hunc locum ediſſerit: Non hoc, inquit, dicit Apoſtolus quia debent eſſe hæreſes. Sed quia Corinthij inter ſe ſciſſuras habebãt, ideo dicit: Oportet hoc eſſe, & neceſſe eſt hæreſes eſſe. Sicut ſi dicas. Ille qui tantum bibit, neceſſe habet inebriari. Sic & Paulus dixit: Quia tales conditiones habetis, neceſſe eſt vos etiam vſque ad hæreſes peruenire. Hæc Hieronymus. EPISC. *Vnde oriantur hæretici.*

Sed quid hic dicet, Domine ſanctiſſime, Sanctitas veſtra: Lucæ 9. vbi diſcipuli volebant ignem de cœlo deducere, & ciuitatem perdere compeſcuit eos Chriſtus dicens: Neſcitis cuius Spiritus filij ſitis? non venit filius hominis animas perdere ſed ſaluare. LVTH.

Facilè tibi reſpondebit Sanctiſſimus, Iacobum & Ioannem, hîc à Chriſto iure fuiſſe reprehenſos. Quoniam iſtud vindicandi ſtudio fieri petierunt, non ob ſalutem animarum. Cæterùm non ita reprehendendi ſunt magiſtratus, qui de hæreticis eo ſolo intuitu ſupplicium ſumunt, ne multarum animarum ſalus periclitetur. Nec habet hîc locum, quod illic [illegible]cit Chriſtus. Non venit (inquit) filius hominis animas perdere, ſed ſaluare. Nam hac via non paruus animarum numerus ſaluatur, quas certum eſt alioqui fuiſſe perituras. At ſpes eſt, inquis, vt reſipiſcat hæreticus. Nulla penitus. Et maximè, EPISC. *Iacobus & Ioannes iure à Chriſto correpti. Lucæ 9.*

poſt-

poſtquàm ſemel aut iterum admonitus, non emendauerit ſeſe. Nam is (vt ait Paulus) euerſus eſt, vt ſuopte iudicio condemnatus. Quando
Tit. 3. igitur nulla ſpes eſt, vt hæreticus ab errore ſuo reſipiſcat, quin veriſimilius eſt, vt innumeros ſecum trahat in perniciem, quis, cui ſalus animarum cordi eſt, illum diutius cuperet eſſe ſuperſtitem? At inclementia eſt, inquis, hominem ignibus tradere. Non refragor, modò nihil idipſum fuerit meritus, taliſq; ſit, cuius vita vel ſibi, vel alijs eſſet profutura. Sed eiuſdem hominem, cuius vita prolixior, tam ſibi quàm cæteris, ſummam eſſet allatura iacturam, nec rei temporariæ ſolùm, de qua minùs eſſet curãdũ, ſed & omnium precioſiſſimæ, hoc eſt, rectæ in Deum fidei, talem inquam ſeruare non inclementia ſolum, ſed ſumma foret crudelitas. An non multis partibus præponderat gehennæ ſupplicium, cuiuis cruciatui, qui poteſt in hac vita cogitari? At hoc quantò prolixiùs viuere ſinitur hæreticus, tantò ſibi cumulatiùs augeat, neceſſum eſt. Quamobrem ſi diutiùs fore ſuperſtes permittatur, tam ſuo damno, quam cęterorum pernicioſo diſpen-
LVTH. dio tolerabitur.

Hoc eſt, quod & ego dixi, & dico, Chriſto magiſtro, eos qui igne perſequuntur homines, non eſſe boni ſpiritus filios. Cuius tunc? mali ſpiritus, qui erat homicida ab initio.

EPISC. Quid mali ſpiritus erat in Chriſto, quando
Matth. 21. flagris è templo nummularios eiecit, columba-
Actor. 5. rumq; cecidit vendicatores? Nihil omninò, quin potius eximia charitas. Quid item in Petro, quando de Anania & Saphira ſumptum fuerit mortis ſupplicium? nihil quoque malitiæ, ſed ſalutis alienæ ſtudium. Nam illorum exemplo terrere voluit cæteros, & pluris faciendos oſtendit aliquot animarum millenarios, quàm vnius homunculi, ſuæque conſortis ſalutem. Et in magiſtratibus idenridem, qui publicæ quietis ſtudio malefactores patibulis affigunt, & maioris faciunt vnius oppidi, imò regni tranquillitatem, quàm paucorum hominum vitas, nihil maligni ſpiritus eſſe putatur, ſed amoris potiùs & charitatis erga Rempublicam exhibitio. Et demum qui membrum putidum, & toti noxium corpori, cum deſperatur in illo ſanitas, gladio reſcindit, & à reliquo ſeparat corpore, multorum membrorum ſaluti conſulit, & pluris facit totius corporis incolumitatem, quàm vnius membri vitam cæteris nocituram. Propter quod & Hieronymus ait: Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, per totum orbem eius flamma populata eſt. Et alibi clamat: Quæ eſt iſta miſericordia, quæ iſta bonitas, vni parcere, & omnes in diſcrimem adducere? Hæc Hieronymus.

LVTH. *Chriſtus non voluit vi & igne cogere homines ad fidem.*

EPISC. Nec iſtud in primordio naſcentis Eccleſiæ fieri congruum fuit, quando per ſtultos conuertere ſapientes, & per imbelles voluit robuſtos ad Fidem trahi. Nunc verò qui ſunt ad Fidem conuerſi, hi cogendi ſunt quatenus in Fide perſiſtant. Quòd ſi prauis erroribus, aut ſuam, aut aliorum peruertant Fidem, poſtquam ſemel aut iterum admoniti non emendârint ſeſe, tanquam inſanabilia membra) quæ cæteris quoque perniciem
Secularis allatura ſint) gladio ſecularis poteſtatis reſecanda
poteſtas gladium ad ſunt. Ad quid enim gladium alioqui portat
quid portat. ſecularis poteſtas, niſi ob ſalutis publicæ com-
Rom 13. munes hoſtes interimendos? Nam & hæc poteſtas à Deo eſt, neque ſine cauſa, vt Paulus ait, gladium portat. Quòd ſi liceat poteſtati ſeculari, ob ſalutem Reipublicæ temporariam, neci dare ſalutis huius perturbatores, quantò magis id facere poteſt ob ſalutem ſpiritalem, quæ & æternæ ſalutis initium eſt. Quamobrem & hæreticos, qui ſalutis huius inimici capitaliſsimi ſunt, quique peſtifero ſuorum dogmatum ſibilo Chriſtianorum animos interimunt, mox vt incorrigibiles reperti fuerint, huius poteſtatis imperio ſunt reprimendi, & vel gladio vel igne tollendi penitùs.

LVTH. *Dedit ob id gladium ſpiritus, vt in hoc pugnarent, qui ſui ſpiritus filij ſunt.*

EPISC. Dedit vtique gladium hunc, quo pugnaremus aduerſum incredulos. Verùm vbi certò conſtiterit, hoc pugnandi genere nos nihil profecturos, quin magis & ipſis hæreticis, & noſtratibus obfuturos, illico receptui canendum eſt. Quod & non ſolùm ex illis (quæ ſuperiùs recenſuimus) Tertul. admonuiſſe liquet, verumetiam ex ijs quæ ſequuntur. Quid promouebis, inquit, exercitatiſsime ſcripturarum? cum ſi quid defenderis, negetur ediuerſò. Si quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentionem. Nihil conſequeris, niſi vilem de blaſphematione bilem. Ille verò, ſi quis eſt (cuius cauſa in congreſſum deſcendis ſcripturarum) vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreſes diuerget, hoc ipſo motus, quòd te videat nihil promouiſſe, æquo gradu negandi & defendendi diuerſa parte ſtatutum. Certè & pari altercatione incertior diſcedet neſciens quam hæreſim iudicet. Hæc vtique & ipſi habent in nos retorquere. Neceſſe eſt enim & illos dicere nobis potiùs adulteria ſcripturarum & expoſitionum earum mendacia inferri, qui proinde ſibi defendant veritatem. Ergò non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in ijs conſtituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Hæc Tertul. Ecce quàm paucis armaturam, in qua confiditis, vobis abſtulit penitus.

LVTH. *At gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, Dominus Papa cum ſuis papiſtis, ſubter ſcamnum inter blattas & tineas poſuerunt.*

EPISC. Quid iſti faciant haud ſcio, fuerunt tamen ante hæc tempora ſanctiſsimi patres, qui ſingulis dominicis, ad populum Homilias declamitârunt. Extant enim adhuc diem eorum conciones, præſertim Leonis & Gregorij, quas & in Eccleſiaſticis officijs legimus. Quòd ſi recenſiores

Pontifi-

Pontifices id officij non præſtiterint, hoc aut multitodini negotiorum (quibus obruuntur) aſcribi debet, aut ſi culpa fuerit, non ea ſedi culminive apoſtolico meretur imputari, ſed ijs, qui deſidia quadam negligunt munus hoc obire, tam ſibi quàm ſuis apprimè ſtugiſerum.

LVTH. *Et rurſum facti ſunt robuſti venatores, & Nimroddi in terra, qui denuò in Deo Chaldeorum qui Vr ſeu ignis fuit, omnia quæ volunt faciunt. Ne quid Babylon nouiſſima diſcrepet a Babylone priſca. Illa exuſſit patres Chriſti: Iſta exurit filios Chriſti. Et vtriuſque idem Deus Vr, ſemper vrit & ſæuit.*

EPISC. De cæteris eorum factis (quorum ſum ignarus) nihil diſputo. Verùm, quòd liceat pontificibus, eos, qui de hæreſi poſt abiurationem eius denuo conuicti ſunt, poteſtati tradere ſeculari, ſatis opinor dilucidum eſt, ex ijs quæ ſuperiùs diſſeruimus. Nec ſi poteſtas ſecularis tales hæreticos exurat, propterea Christi filios putabitur exuſsiſſe. Nam eiuſcemodi Diaboli filij ſunt, non Chriſti. Diabolus enim mendacij pater eſt, & illi probè patriſſantes, errores & mendacia de ſcripturis ſacris fingere non erubeſcunt. Et volunt hoc impunè licere ſibi. Prætexunt enim pietatem, cum ſint ipſi tamen animarum ſæuiſſimi deuoratores. Venient (inquit Chriſtus) ad vos in pellibus ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et quid ſunt iſtæ pelles ouium, niſi Chriſtiani nominis forinſeca ſuperficies? Quid lupi rapaces, niſi ſenſus & Spiritus ſubdoli, quibus ad infeſtandum Chriſti gregem intrinſecus inhiant? Volunt igitur hi lupi ſpecie quadam clementiæ, ſuis parci corporibus, cum ipſi tamen oues & gregem Chriſti plus quàm crudeliſsimè dilaniant.

Heretici traduntur poteſtati ſeculari.

Matth. 7.

LVTH. *Sed ipſi quoque in ſuis ſacerrimis Canonibus prohibent Clericis arma, & Clericum foro ſeculari traditum, volunt per Eccleſiam efficacibus precibus redimi a morte. Verùm ijs verbis ludunt in mortibus innocentum.*

EPISC. Haud rectè vocas eos innocentes. Nam haud quaquam innocentes hi ſunt, qui poteſtati ſic traduntur ſeculari, ſed ab innocentia quàm longiſſimè diſtant. Nec verbis ludit Pontifex, imò ſeriò res agitur. Didicit enim Eccleſia tandem, quòd his (qui ſic relapſi ſunt) nullum adhiberi medicamen poſsit. Multis etenim ac varijs hoc negotium eccleſia tentauit modis. Primùm certè cuiuſdam pecuniæ mulcta, deinde bonorum omnium amiſsione, tertiò per carceres, quartò per exilium, quintò per pœnas quaſcunque forum ſeculare duxerit infligendas: ſic tamen vt vita ſeruetur hæretico. Cæterùm, cum pontifices nihil his modis ſe profeciſſe comperiſſent, verùm contrà potiùs in Mandrabuli morem (quod aiunt) rem in deterius proceſsiſſe, nec dominicum gregem ab illorum rabie quouis pacto tutum ſeruari potuiſſe, quàmdiu ſuperſtites hæretici fuiſſent: decreuerunt tandem, vt relapſi & ſuper hoc conuicti, ſine omni audientia ſeculari poteſtati traderentur, quemadmodum extrà de hæreticis in ca. Ad abolendam, apertè, liquet. Porrò, quod ais eos velle Clericum foro ſeculari traditum, per Eccleſiam efficacibus precibus à morte redimi, nuſquam id ſcriptum inuenies, præterquam in ca. Nouimus de verborum ſignificatione, quod neutiquam de ſingulo quoque degradato loquitur, ſed de falſario aut grauiter flagitioſo, qualis & hæreticus eſſe poteſt, qui poſt primam condemnationem perſiſtit in hæreſi, nec animum habet ad Eccleſiam redeundi. Eiuſmodi ſi Clericus fuerit, primùm degradari debet, ſubindè verò degradatus, poteſtati tradendus eſt ſeculari (quemadmodum extrà de hæreticis cap. Excommunicamus, proditum eſt) animaduerſione debita puniendus. Pro hoc, (quamdiu non conſtiterit eum fuiſſe relapſum in hæreſim, quantumuis aliàs grauiter deliquiſſet) Eccleſia poteſt efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum ſententia (quæ per ſeculares in eum lata eſt) moderetur. Cæterùm de relapſo, ne verbum quidem habetur in toto ca. Nouimus.

Quam variis Eccleſia modis hæreticos reuocare tentauit.

Pro clerico non relapſo Eccleſia intercedere poteſt.

LVTH. *Nam interim Papa Clericorum princeps cum omnibus regibus cruentiſſimè belligeratur: imò quæ ſtrages non illius imperio fiunt? Quando non inuocat brachium ſeculare, & morte vtraque terret mundum? Et tamen interim Clericus ipſe primus non fert arma, tum efficaciter orat pro occidendis, dum inſtat ne mors eorum differatur, in omni orbis angulo exquiſitiſſimè perquirantur. O Satan, O Satan, O Satan. Væ tibi cum Papa & Papiſtis tuis, qui tam impudenter in rebus tam ſerijs Eccleſiæ luditis, & animas cum corporibus occiditis.*

EPISC. Nec ego bellorum patronus vnquam eſſe volo. Nec pontifices qui negotijs bellicis immiſcent ſeſe, laudârim vnquam, niſi maxima fuerint adacti neceſſitate. Sed iſta palam eſt te ob id memorâſſe, vt pontificibus inuidiam confles. Verùm hoc tu mihi reſponde, quid ſi quiſpiam excommunicatus nolit à communione fidelium, & ab ingreſſu Eccleſiæ cohibere ſeſe, num pontifex id tolerare deberet? Non id dices opinor. Nam iſto præſente ceſſare debent omnia ſacra. Neque tamen æquum eſt, vt propter vnius aut paucorum obſtinatiam, cæteri qui nihil deliquerunt, myſteriorum ſolamine deſtituantur. Id quod ſaoè fieret, niſi dum alij ſacris interſit, canes etiam contra Chriſti præceptum, myſteriorum efficiamus participes. Quamobrem & ijs omnino vis inferenda eſt, arceriq; debent ab ædibus ſacris. At quid ſi multos habeant ſuæ contumaciæ conſortes, vt nec plebanus cum Sacerdotibus & Clericis poſsit eos eijcere? An non iam aduocare neceſſum eſt brachium ſeculare, quatenus vi & armis illi contumaces redigantur in ordinem? Ne videlicet per eorum malignitatem omnia confundantur. An non ſatius eſt, vt iſti pereant, quàm vt rebus Chriſtianorum ordo nullus omnino ſeruetur? Si bella non licent, cur militibus accipere ſtipendia licet? num is Baptiſta non dixit? Contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Sed & Auguſt. Bonifacio comiti conſulere non veretur, vt bellum iuſtum aggrediatur. Graui, inquit, de pugna conquereris, dubites nolo, vtile tibi tuiſq; dabo conſilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulſet auctoris. Hæc Auguſt. epiſtola 194. Quæ certè moriturus haud ſcripſiſſet,

Non laudantur pontifices belligeri.

Lucæ 3.

ſet, niſi compertiſsimum habuiſſet Chriſtianis licere bella. Quòd ſi Chriſtianis bella nequaquam prohibeantur, quid tu Luthere Sacerdotibus ipſa vetas, cum nullum inter hos & prophanos conſtituas diſcrimen? Sed opinor ad huncarticulum labefactandum iſta ſufficiunt.

ARTICVLVS XXXIIII.

LVTH. *Præliari aduerſus Turcas eſt repugnare Deo, viſitanti iniquitates noſtras per illos.*

EPISC. *Hic diſsidet Luther. à ſeipſo.*

Mihi videris ex hoc articulo plurimum à te ipſo diſsidere. Quippe qui paulò poſteriùs opinaris, omnia ex mera neceſsitate prouenire, cum tamen hic diſſuadeas contra Turcas præliandū. Nam ſi cuncta, quæ fiunt, abſoluta neceſsitate fiant, non eſt in arbitrio noſtro ſitum, an præliabimur nec ne, ſed neceſsitas ad hoc ipſum nos impellit & adigit. Quamobrem ſi neceſsitas eſt quòd præliemur, fruſtra diſſuades quò minùs id faciamus. Quoniam ſi poſſumus iſtud non facere, quod ſuades, hoc eſt, non præliari, iam non eſt abſolutè neceſſarium, vt præliemur. Et contrà, ſi non poſſumus non facere, iam omnino fruſtra diſſuades id à nobis fieri. Atque ita prorſus cohærent hæ tuæ aſſertiones, nempè quòd à bello Turcico licet abſtinere. Et quod omnia neceſsitate quadam abſoluta proueniunt. Sed & hac ratione nec medicorum ope, contra morbos & peſtes vti licebit, neque aduerſus famem & cariſtiam agricolarum induſtria. Nam hæc ex Deo noſtras iniquitates viſitante ſæpiùs immitti, æquè atque de Turcis, credendum eſt. Quamobrem ſi repugnare Deo creditur, quiſquis Turcis aduerſatur, & his item reluctari Deo putandus eſt, qui famem, ignem, peſtem, morbos, ac cætera id genus mala fugare molitur. Adde, quòd nec aduerſus carnis fomitē quicquam reluctari licet, quando propter peccatum datus nobis à Deo ſit. Eſt enim ipſe ceu tyrannus quidam ad noſtrum exercitium à Deo miſſus, & in pœnam & vindictam peccati primi, quique bellum indeſinenter gerit aduerſus Spiritum noſtrum. Quamobrem & ſi iuxta rationem tuam ei reſtiterimus, Deo videbimur repugnare. Ad hæc ſi poſſeſsiones noſtras vel bello defendere licet aduerſus Chriſtianos (quemadmodum ſuperiùs oſtendimus licere non ſolùm ex Auguſt. teſtimonio, vèrumetiam ex Baptiſtæ doctrina,

Lucæ 3.

quam ipſe militibus tradidit) quantò magis hæc aduerſus Ethnicos & Turcas facere quis poterit? Licebit igitur aduerſus Turcas præliari. Nec Deo repugnare putandus eſt quiſquis idipſum aggredietur. Cæterùm quàm parum validæ fuerint argumentationes, quas pro huius articuli probatione Lutherus adducit, iam experiamur.

LVTH. *Et hunc probo duplici experientia infelicitatis noſtræ. Prior eſt, quòd hactenus nihil habuimus proſperum aduerſus Turcam, & vires eius atque imperium noſtris bellis aucta ſunt in immenſum. Vbi ſi Deus non eſſet contra nos, & Turcam non haberet pro virga iniquitatis noſtræ, longè aliter ſors cecidiſſet. Adhuc tamen obſtinata cæcitate, opera Dei non agnoſcimus.*

EPISC. Sed hæc probatio parùm valida eſt, cum falſum aſſumat, nempè, quòd hactenus aduerſus Turcam nihil habuimus proſperum. Teſtantur enim hiſtoriæ, cùm alijs temporibus, tum ſub Vrbano ſecundo, Balduinum Ciliciam, & Bohemundum Antiochiam ambos egregios duces, è Turcarum manibus recuperâſſe. Et rurſum ſub Paſchali ſecūdo Hieroſolymas fuiſſe captas, Gothifredumq; Chriſtianorum omnium conſenſu, regem illic fuiſſe conſtitutum.

Victoria Balduini in Turcas. Hieroſolyma capta.

Sub Eugenio deinde quarto Ladiſlaum Hungariæ regem, Amurati Turcarum imperatori, armis & bello tam ſtrenuè reſtitiſſe, vt is campo cedere cogeretur. Sed & ſub Calixto tertio Mahumetes Amuratis illius filius & ſucceſſor apud munitiſſimum Belgradi oppidum, copijs eius omnibus tum præſentibus per Ioannem Huniadem, parua manu cruce ſignatorum, fugatus fuit. Sed & Caſſanus (quem Calixtus auctoritate ſua mouit, vt bellum in Turcas verteret) prælia multa proſperè geſſit, cum Othomani ducibus. Nam vno prælio 30. millia Turcarum, & altero 40. millia cæſa ſunt. Falſum igitur eſt, quòd nihil hactenus habuimus proſperum aduerſum Turcas. At finge rem ſic ſe habuiſſe, finge nihil proſperum ſucceſſiſſe Chriſtianis. Neutrum tamen ex eo rectè colligis, vel quòd non liceat Chriſtianis cum Turcis congredi, vel quòd Deus rebus aduerſetur noſtris. Conſtat enim ex lib. Iudicum,

Iudi. 20.

quòd præliantibus filijs Iſrael aduerſus tribum Beniamin, ob illud memorabile ſcelus in vxorem cuiuſdam Leuitæ commiſſum, tribus ipſa bis aut ter præualuit. Et tamen Iſraëli Deus ita fauit, vt non ſolùm eis licuit, imò conſultum fuit, quatenus aduerſus Beniamin conflictarentur.

Quomodo fuſi ſunt filij Iſrael.

Fallit igitur prior experientia, quam pro articuli huius confirmatione producis. Nam (vt hoc exemplo dilucidum eſt) Iſraëlitici bis aut ter à fratribus ſuis fuſi ſunt, & ſuperati. Nec tamen ob id illicitum illis fuit, aduerſus iſtos arma ſumere, neque Deus illorum cœptis aduerſabatur.

LVTH. *Præter hæc, non dedit nobis Deus hactenus niſi votum & iactantiam belli in Turcas ſuſcipiendi. Toties conuentum eſt, toties conſultatum, toties propoſitum, & palpauimus vota noſtra, imperante Deo irrita fieri, donec Turcis in fabulam venerimus, dicentibus, nos bullis & literis veniarum bellare.*

EPISC. Liquet ex Hebræorum hiſtorijs, eos tribus potiſsimum ex cauſis hoſtibus ſuccubuiſſe. Aut quòd negligentia deſidiaq; ſua, paſsi ſunt hoſtes aduerſum ſe præualere, aut quòd libidinibus deditos, & diuina contemnentes mandata, Deus eos flagellari permiſit. Aut denum quòd de ſucceſsibus ſuis nimium gloriantes, non diuinæ gratiæ, ſed proprijs viribus victorias (quas pepererunt) adſcripſerint.

Hebræi tribus potiſsimum ex cauſis ab hoſtibus ſuperati.

Horum exempla paſsim in ſcripturis occurrunt. Nec ſanè diſſimilibus ex cauſis fit vt Chriſtiani toties ab hoſtibus ſuperentur. Sæpè negligentia deſidiaq́ue noſtra vincimur. Sic enim & Conſtantinopolis, olim Bizantium dicta, per Mahumetem capta fuit, dum cæteri Chriſtiani nullam

huic

huic vsbi voluiſſent opem ferre. Nonnunquam ex eo, quòd luxum, libidinemque ſecuti, vitam ſuam milites in offendiculum Chriſtiani nominis fœdiſſimè conſpurcârunt. Quæ res in illa expeditione quæ ſub Vrbano aduerſum Turcas facta eſt, multarum cladium occaſio fuerat. Aliquoties verò cum de proſpero ſucceſſu ſuperbientes, proprijs viribus non Deo gratiam pro victorijs detulerimus. Quod malum Ioannem Huniadem, poſt clariſſimas de Mahumete partas victorias, adduxit in perniciem. At cum nihil horum in cauſa fuiſſet, nunquam aduerſum Turcas non proſperè dimicatum eſt, vſqueadeo, vt immenſas eorum copias, exigua Chriſtianorum manus diuinitùs adiuta, ſæpius fuderit fugaueritque. Quæ res apertiſſimè docet, Deum noſtra vota iuuaturum, ſi à vitijs reſipiſcentes, dignos ipſi nos præſtiterimus, quibus opem ipſe laturus eſſet. Cæterum ſi Chriſtiani Turcis hactenus haud reſtitiſſent, ſed permiſiſſent, omnia quæcunque libuiſſet facere, quantula, quæſo, pars Europæ nobis hodiè ſupereſſet? vſqueadeo ſanè profecerunt Turcæ, vt etiam Italiæ nonnulla parte potiti fuerant. Verum opitulante Chriſto, ſimul & milite Chriſtiano ſtrenuè rem agente, protinus eiecti ſunt.

Turcæ Italia expulſi.

LVTH. *Altera verò infelicitas, maioris dedecoris & ignominiæ, quòd tot iam annis paſsi ſumus nos deglubi per impoſtores & legatos Romanos, toties ad bellum Turcicum, indulgentijs ac facultatibus impudentiſsimè venditis, pecuniam & ſubſtantiam noſtram deuorantes, quam videmus non ſolùm non veniſſe, quò mendaces illi & fallaces homines, venturam promiſerunt: ſed etiam in turpiſsimas eorum libidines & pompas profuſam.*

EPISC. Pecunia certè cumprimis opus erit, ſi quando bellum cum Turcis geſturi ſint Chriſtiani. Nam ea neruus belli dicitur, quam & ab vnaqualiber natione Chriſtiana, conuenit in hoc negotium ſuppeditari. Neq; collectionis fiendæ quiſquam auctor magis idoneus habendus eſt, quàm ſummus pontifex. Sed & cum iſta contributio, rea non omnino nullius meriti ſit, quid malum eſt, ſi contributuris veniæ mediocriter concedatur? Nam eas alicuius momenti eſſe ſuperiùs conſtitit. Poſtquam autem collectio pecuniæ facta ſit, ſi per improbos in libidines & pompas turpiſsimè ſit profuſa, hoc non eorum tollit meritum, qui pridem contulerunt. Nam & ſi collecta (quam Iudas Machabæus duodecim millium dragmarum argenti fecerat ac miſerat Hieroſolymas) aut altera quam fecit Paulus, illic itidem mittenda, in manus improborum præter ipſorum inſtitutum veniſſet, ac in vſus fuiſſet diſtracta nefarios: Num ob id vel illi perperam feciſſent hanc collectam promouendo, vel hi, qui ſuas in idipſum portiunculas elargiti ſunt, retributione (quam expectarant à Deo) fuiſſent fruſtrati? Neutrum opinor dicendum eſſe. Quamobrem nec altera ipſa experientia, quam attuliſti, magni cuiuſpiam ponderis eſt, vt bellum contra Turcas ineundum diſſuadeas, quando iam ſatis exploratum eſt, vt bellum eiuſmodi pro ſalute Chriſtianorum vſqueadeò neceſſariò ſuſcipiendum ſit, vt niſi ſuſcipiatur, veriſimile fuerit, rem Chriſtianam propediem in ſummas anguſtias eſſe detrudendam.

2 Mac 12. 2. Cor. 8.

Bellum aduerſum Turcas neceſſarium.

LVTH. *Verùm hæc minor querela, hoc demum omnium atrociſsimum & intolerabile quòd nos indulgentiarum negotio fallaciſsimo, primùm inanima, ſeu bruta pecora falſis perſuaſionibus occupauerunt, & ſeduxerunt ad vniuerſam noſtram ſubſtantiam compilandam, donec eò ventum ſit, vt ne altare quidem ſit reliquum quod non ſeruiat Rom. auaritiæ, ſemper nouis excogitatis imponendi artibus.*

EPISC. Negocium indulgentiarum non eſſe fallaciſſimum, ſuprà ſatis opinor, conſtitit. Neq; vllis vnquam aut cauillis, aut argutijs efficies, quin pluſculum auctoritatis Petro, ſuiſque ſucceſſoribus Chriſtus hac ſua pollicitatione contulerit, nempe, Quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, quàm illa; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sic vſus Eccleſiæ Catholicæ tenet. Sic plurimę ſanctorum patrum interpretationes docent. Sic & pontificum non minus vita, quàm eruditione clariſsimorum conceſsiones dilucidè teſtantur. Quando igitur pro nobis tam clara ſunt teſtimonia, fruſtra calumnias iſtas aduerſus indulgentias nectere moliris. Quid enim, ſi quidam ad auaritiæ ſuæ ſatietatem explendam, & ad vniuerſam Germanorum ſubſtantiam compilandam his abuſi fuiſſent? Num iiſdem propterea non poſſet alius rectè vti? An non ſatis apertum eſt, vſibus hominum vſqueadeo nihil eſſe conducibile, quo quis abuti non poſſet? Quòd ſi nihil in vſus hominum recipi debeat, præter id quo nemo poſſet abuti, nec ignem, nec aquam admitteremus. Vnum hoc admiror, quòd te non pudet, tot & tam eximijs pontificibus (de quorum vitæ ſanctimonia nemo dubitat) vſum huius negocij, quod vſqueadeo fallaciſsimum affirmas, obijcere, nec vereris aſſerere, tot grauiſsimos patres falſis perſuaſionibus ſuis occupâſſe, ſeduxiſſeque Chriſtianorum animos. Atque id quidem ob ſuam explendam auaritiam. O frontem prorſus inuerecundam, & temeritatem nimis quàm inſanam.

De indulgentijs.

Impudentia Luth.

LVTH. *Sic in vindictam iniquitatis noſtræ, dedit nobis Deus è Roma truculentiores, cruentiores, inſatiabiliores Turcas quam illi vnquam fieri poſſunt.*

EPISC. Ah, iam tandem intelligo quid velis. Non tam ſtudes ne bellum aduerſus Turcas geratur, quàm ne pecunia ſub prætextu belli Turcici è Germanis tuis expiletur. Hoc eſt quod tibi tam odioſum efficit bellum aduerſus Turcas. Ob quod & longè paratiorem te video, qui cum Romania, quos & multis malis nominibus infamas, prælium ineas, quàm cum Turcis ipſis. At ni velis agnoſcere, plurimum inter hos & illos intereſſe, vereor ne te malitia prorſus excæcauit. Sunt enim Romæ, quantum audio, viri complures cùm doctrina, tum ſanctitate conſpicui, quibus (quicquid erroris in curia fuerit) nihilo minùs quàm tibi moleſtum eſt. Cæteris verò licèt vita non omnino probata ſit, eandem tamen habent nobiſcum Fidem, & Sacramentorum communio-

Pecunia belli Turcici diſſuadendi vnica Luther. cauſa.

munionem, à quibus longè Turca abeſt. Nec eſt cur illos truculentiores aut cruentiores quàm Turcas voces, cum in nulla re vobis noceant, niſi quòd pecuniæ ſubſidium à vobis poſtulant. Quam niſi contuleritis, futurum eſt, vt non pecunia ſolùm, verumetiam patria, ſimul & vita vobis per Turcas eripiantur. Exemplum vobis eſſe poteſt magna pars Europæ, quam à Chriſtianis abſtulerunt, Thracia, Macedonia, Achaia, Myſia ſuperior & inferior, aliæque prouinciæ multæ, quæ dudum Chriſtianorum fuerant, nunc autem per Turcas occupantur. Et quibus incolebant Chriſtiani, partim cæſi, partim acerbiſſimæ ſeruitutis iugo ſubacti ſunt. Tanta fuit illorum in Chriſtianos, & tam truculenta crudelitas, vt ſtuprare matronas, virgines rapere, fœdare ſanctimoniales, adoleſcentes trucidare, pueris ad turpitudinem abuti, Infantes à matrum gremijs ad cædem & cruorem abſtrahere, prægnantes demum fœminas vnà cum fœtibus interimere, nihil miſerebat. Quid templa ſacra memorem, quæ ſuis abominationibus Turci polluerunt? quid diuorum ſtatuas, quas in fruſta diuiſerunt? quid Chriſti ſaluatoris noſtri, ſuæque genitricis imagines, quas non ſolùm pedibus turpiſsimè conculcarunt, verumetiam luto deturparunt & ſtercore? Hæc nimirum & alia multò plura quàm iam otium commemorare ſinit, Turcas in maximum Chriſtiani nominis opprobrium feciſſe compertiſsimum eſt. Nec eſt, quòd ſperetis eos vobis futuros mitiores, ſi non à veſtris oppidis arceantur vi armata, robuſtaque manu.

Immanis Turcarum in Chriſtianos crudelitas.

LVTH. *Adhuc peiores hi Turci nos inſenſatos, præſtigijs ſuis incitant aduerſus meliores Turcas, tantum vt interim omnia noſtra confiſcentur, ſub titulo belli Turcici. Et in ijs omnibus non eſt auerſus furor Domini, nec dum intelligimus manum Dei percutientis nos in corpore & anima, per hos Romanos turciſſimos Turcas.*

EPISC. Mirum eſt, quòd te non pudeat iſta proferre, cum nihil erga vos vnquam, his, quæ iam diximus, Romani ſimile fecerint. Et niſi corpora ſimul & animas in burſis & ſcrinijs ſuis habere putes Germanos tuos, non intelligo, quem in modum per Romanos Deus vos in corpore ſimul & animis percutiat. Nihil enim præter pecuniam à vobis exigitur, quam & hi pontifices (quos palàm eſt viros ſanctiſsimos fuiſſe) à cæteris nationibus ob communem Chriſtianorum rem, partim defendendam, partim repetẽdam, poſtularunt. Et vt ab Vrbano ſecundo incipiam, quem Platina ſcribit virum fuiſſe tam doctrina, quàm vitæ ſanctitate, vel ſummo magiſtratu digniſſimum. Is anno Domini ſupra milleſimum 84. concilium habuit apud Clarummontem, in quo principes Chriſtianos ad bellum aduerſum Turcas ſuſcipiendum animauit, in quo negotio mirificè quoque profecit. Poſt hunc Paſchalis ſecundus pontifex factus, bello cœpto fauit, quem & Platina diuinitùs electum fuiſſe tradit, diuque renuiſſe munus pontificium, nec antè ſuſcepiſſe, quàm à populo ter acclamatum fuiſſet: Sanctus Petrus nobis Ranerium (hoc illi nomen erat) virum optimum pontificem elegit. Subinde Gelaſius, quem Platina (ſi quis, vt ait, vitam eius continentiſsimam, ſi mores, ſi doctrinam inſpexerit) virum ſanctiſsimum, omnique laude digniſſimum aſſerit. Is non diu poſtquam aſſumptus fuiſſet in pontificem, Balduinum literis & nuntijs adhortatus eſt, vt Turcarum & Saracenorum impetum tam diu ſuſtineret, quoad in Aſiam noua ſupplementa mitterentur. Calixtus quoque 2. quem de Deo deque hominibus bene meritum Platina tradit, habito Laterani noningentorum patrum concilio, ex eorum aſſenſu decreuit, vt primo quoque tempore ſupplementa militiæ iam deficientis, Chriſtianis in Aſia bellum gerentibus ſubminiſtrarentur. Qua ſpe (vt idem Platina ſcribit) erectus Balduinus Hieroſolymitanus rex, Gazin regem Turcarum minorem Aſiam incolentium, cum magno in exercitu in ſe mouentem ſuperat, & captum in carcerem conijcit. Damaſci quoque regem, Hieroſolymas cum exercitu hoſtili animo petentem, fundit, fugatque, duobus millibus hoſtium cæſis, milleq; captis. Eugenius item 3. quem idem Platina teſtatur Cardinales nutu diuino pereiros delegiſſe, nauigio poſtquàm electus fuiſſet, ad Gallias ſe contulit, vbi Ludouico Galliarum regi perſuaſit, vt cruce ſignatus aduerſus Turcas proficiſceretur. Poſt hos Lucius 3 quem & virum optimum Platina vocat, concilio Veronæ habito, Chriſtianos principes adhortatus eſt, vt noſtris in Aſia pro fide Chriſti laborantibus ſuccurreretur, nulla de ſuis iniurijs (quæ & grauiſsimæ fuerant) mentione habita. Subinde Gregorius 8. vir vtique ſanctiſsimus, vt Platina ſcribit, poſtquàm omnium conſenſu pontifex creatus eſſet, ſtatim nuncios & literas ad principes Chriſtianos mittit, eoſdem cohortatus, vt viribus omnibus vnà ſecum comparato exercitu terra marique Hieroſolymam ab hoſtibus captam recuperarent. Rurſus Clemens 3. vir ſanctiſsimus, & rerum eccleſiaſticarum componendarum ſtudioſiſsimus, pleroſque principes Chriſtianos excitauit, vt arma ſumerent aduerſus Turcas, quorum de numero præcipui fuêre, Fredericus imperator, Philippus Franciæ, Richardus Angliæ reges, & Otto Burgundiæ dux, ſubſequentibus (vt ait Platina) multis epiſcopis, archiepiſcopiſque. Seleſtinus item tertius, vir inſigni pietate (ſi Sabellico credimus) & cui vni præ cæteris cura ſemper hæſit animo, vt Hieroſolymam ex impiorum manibus extorqueret, ingentem pecuniæ ſummam Richardo Anglorum regi miſit in ſubſidium, qui tum Hieroſolymam oppugnabat, inde Turcas exturbare molitus. Innocentius inſuper tertius, doctrina moribuſque inſignis, Cardinaliũ omnium conſenſu põtifex acclamatus, bello Aſiatico ſic adiecit animum, vt Germanos propter Henrici mortem in Aſia tumultuantes, literis, nuncijs, præmijs, pollicitationibus in officio retinere non grauaretur. Honorius identidem tertius (quem Platina bene beateque vitam, & vt bonum paſtorem docet,

Vrba. 2.

Paſcha. 2.

Gelaſius.

Calixt. 2.

Eugeni 3.

Lucius 3.

Gregorius 8.

Clemens 3.

Seleſtinus.

Innocent. 3.

Honor. 3.

cet, duxiſſe ſcribit) Ioannem Columnam Cardinalem ad res Aſiæ componendas legatum cum ingentibus copijs, quas Innocentius ad eam rem collegerat miſit: in quo negotio mirificè profeciſſe traditur. Nimio ſanè tædio lectores afficerem, ſi cæteros omnes commemorare voluero: nempe Gregorium nonum, Innocentium quartum, Alexandrum quartum, Gregorium decimum, Ioannem vigeſimum ſecundum, Martinum quartum, Nicolaum quartum, Innocentium ſextum, Vrbanum quintum. Quos omnes & viros optimos, & belli Aſiatici ſtudioſiſſimos hiſtorici fuiſſe tradiderunt.

LVTH. *Quid ergo dicam ego, quando hic video plus quàm quadringentos Prophetas Baal ſanum Achab circumſtare, & vt aſcendat in Ramoth Galaad ſua propheſia animare, & omnia proſpera ei nunciare? Fortè ſicut Michæas, qui & ipſe odioſus erat, quia non prophetabat niſi malum dicam & ipſe meo Achabo: Ite prœliatum contra Turcas, vt reſiſtatis virgæ Dei, & cadatis ſicut & alij ceciderunt.*

EPISC. Quis te prophetam conſtituit, neſcio, niſi forſan te Spiritus quiſpiam malus inuaſerit, quemadmodum de Saul 1. Regum legitur, quòd inuaſit eum ſpiritus Dei malus, & prophetabat in medio domus ſuæ. Sic & tute tibi propheticum Spiritum arrogas apud tuos. Porrò nullus Romanorum pontificum (quoad audierim) ſibi prophetiæ munus vſurpauit. Quamobrem tu videris, ne ſis ex eorum numero, de quibus in Euangelio Matthæi Christus dicit: Multi dicent mihi in illa die Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? At illis ipſe reſpondebit: Nunquam noui vos. Vnum enim aſſerere, quicquid ipſe fictis vaticinatus, multis patrum centenarijs olim viſum fuiſſe perquam neceſſarium, vt aduerſum Turcas bellum à Chriſtianis geretur. Quod ni ſuſcepiſſent, nihil verò diſſimile eſt, hodie rem Chriſtianam multò (quàm fit) miſeriorem eſſe. Nam ſi vel Amurati vel Mahumeti, vel Othomano nulla manus armata non oppoſuiſſet ſeſe profectò (ni Deus nobis tuliſſet opem) de re Chriſtiana iam penitus fuiſſet actum.

1. Reg 18.

Matth. 7.

LVTH. *Quantò rectiùs faceremus, ſi primum orationibus, imò totius vitæ mutata ratione, Deum propitium faceremus.*

EPISC. Nemo qui ſapit, tam huic tuæ ſententiæ refragabitur. Nam vita per auſteritatem pœnitentiæ primùm emendanda eſt, ac ſubinde clementiſſimus Deus orationum ſedulitate nobis eſt conciliandus. Hac nimirum via ſæpius expertum eſt, Chriſtianos aduerſus Turcas profeciſſe. Sic enim Innocentius tertius ſeri mádauit, quod ſingulis menſibus, ſeorſum viris à fœminis conſtitutis, ſupplicationes ad Deum fierent pro terræ ſanctæ liberatione. Singulis quoque diebus inter ſacrorum ſolennia, publicas omnium proſtrationes in terra cum Pſalmo: Deus venerunt Gentes, fieri decreuit. Indixit item orationi ieiunium, quò faciliùs ipſa penetraret ad conſpectum Dei. Calixtus quoque Pontifex tantam in precationibus fiduciam poſuit, vt mandauerit, vt meridie campanarum ſonitu ſignum daretur fidelibus omnibus, quatenus orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas aſſiduè dimicabant. Ob quam rem, Platina ſe credere dicit, publicis illis precibus Chriſtianos ad Belligradum contra Turcas dimicantes, eoſdem ingenti clade ſuperaſſe. Sed & Caſſanus, qui Calixti ſuaſu bellum contra Turcas inijt, poſt egregias partas victorias ad pontificem ſcripſit, ſe tantum de Turcis reportaſſe ſucceſſum ob preces à Chriſtianis ad Deum habitas. Da mihi tales pontifices, qui precationes aſſiduas fieri procurent. Da militem (qui quod Bonifacio comiti conſuluit Aug.) manibus arripiat arma, orationeque pulſet aures auctoris. Da tertiò ducem, qualem hiſtoriæ tradunt Gothifridum fuiſſe, qui (cum Hieroſolymorum eſſet rex conſtitutus) ab ambitione tam alienus fuit, vt aurea recuſaret vti corona in ea vrbe, in qua Chriſtus fuerat ſpinis coronatus. Si tales duces, tales milites, taleſque Pontifices haberemus, nemini dubium ſit, quin cuncta nobis aduerſus Turcas proſpera ſuccederent. Cuius rei vel vnicam hanc experientiam viciſſim opponam tibi. Cum olim vniuerſam illam terram (quæ ſancta dicitur) amiſerimus, & Turca eam integrè cum adiacentibus inſulis poſſideret: an non ad Vrbani pontificis exhortationem, cruce ſignati milites intra paucos annos eam eiectis inde Turcis, recuperarunt? Vſqueadeò, vt Hieroſolymis Chriſtiani circiter annos centum regnarent. Alter poſt alterum, ne inde per Turcas aut Saracenos euelli potuerant, donec mutuis tandem inimicitijs & odijs ab inuicem ſeiungerentur.

Calixtus meridianum campanarum ſonitum inſtituit.

Tum idolo illi Romanus Cæſar & principes modum ponerent tyrannidis, illuſionis, perditionis animarum. LVTH.

Nunquam deſiſtis pontificibus conuiciari, quin ſemper eos, & rabidiſsimè quidem probris ac maledictis inſecteris. Id quod ſi feceris in vnum aut alterum è pontificibus, cuius vita publicitus eſſet deteſtabilis, vix tolerabile foret. At cum in omnes indiſcriminatim, & contra ſedem illam (in qua tot olim ſanctiſsimi pontifices ſucceſſerant) ubi atres plus quam cynicè, quis æquanimiter hoc ferre poteſt? Nemo certè qui Chriſtianus & in Chriſtum fidelis haberi velit. Sedes illa nec paruo numero pontifices habuit doctrinæ præcellentis, ſimul & vitæ probatiſsimæ, qui nec tyrannidi, nec illuſioni, nec animarum perditioni ſtuduerunt: quorum geſta ſi cum Cæſaribus conferas, non erit, cur negotium Turcicum & pecuniæ collectam, his, quam illis credas potius. Nulli quoq; huic negotio magis reſtiterunt, quàm Cæſares, ipſi neque maiorem in collectis fraudē fecerunt. Nam Fredericus eius nominis ſecundus, poſtquā ſuſcepiſſet in ſe profectionem in Aſiam aduerſum Turcas, direptis Chriſtianorum bonis, ægritudinemque & ventos excuſans, Brunduſium rediję. EPISC.

Frederici fraus.

dij. Moxque bellum contra pontificem Gregorium nonum mouebat, conductis in hoc Saracenorum copijs, quibus & vſqueadeo fauebat, vt vrbem & magiſtratum eis donauerit in Italia. Sed & cum Ludouicus Galliæ rex, ad exhortationem Innocentij quarti, in Aſiam contra Turcas eſſet profectus, idem Fredericus ſic totam Italiam aſſiduis peruexauit bellis, quò minùs ipſe Greg. ex Italia promiſſas copias mitteret ipſi Ludouico. Prætereo quot incommoda Cæſares plerunque Chriſtianis illuc proficiſcentibus intulerint, & varijs affecerint damnis. Neque enim otium eſt, vt omnia commemorem. Sed iſtud ex prædictis ſatis dilucidum eſſe poteſt, quòd ſi belli huius aliquando ſuſcipiendi neceſſitas immineat, nemini potiùs quam pontifici pecuniæ collecta credi debeat.

LVTH. *Nam vt & ego prophetem ſemel, licèt non audiar, quod ſcio: Niſi Rom. pontifex redigatur in ordinem, actum eſt de omni re Chriſtiana: fugiat ſicut Chriſtus docuit, in montes qui poterit, aut vitam homicidis Romanis cum fiducia offerat in mortem.*

EPISC. Et ego viciſſim auſim prophetare, quod ſi Rom. pontifex in vllum ordinem redigatur, quem tu cupis, hoc eſt, vt nihil præ cæteris Sacerdotibus, aut Laicis habeat auctoritatis, de tota re Chriſtiana breui penitùs actum erit. Si nemo præſit vt caput, qui reliquo poſsit conſulere corpori, quid aliud expectare poſſumus, quam vt hæreticis, nedum Turcis præda ſimus omnes futuri? Tum certè nec montes ipſi nobis erunt tuti quò confugiamus. Nam & ſi Deus noſtri miſertus, Turcarum in nos malitiam refrenet, ne trucident corpora, multò pernicioſius adhuc diſcrimen ab iſtis animicidis hæreticis imminebit, qui ſanguinem animarum noſtrarum ſitiunt inſatiabiliter, quique truculentiores, cruentiores, inſaturabiliores in animas noſtras ſunt, quam in corpora Turcæ.

Suppreſſo papa nihil non contemptum erit.

LVTH. *Nihil niſi peccatum & perditionem papatus operari poteſt. Quid vis amplius?*

EPISC. Nimis quàm temerarium eſt iſtud aſſerere, quòd papatus nihil præter peccatum & perditionem operatur, cum nemo non ſcit, qui Pontificum vitas euoluerit, quin fuerint optimi ſanctiſſimique viri complures, qui munere illo functi ſunt. Et vt de cæteris taceam qui præceſſerunt Silueſtri tempora, de quibus nemo dubitat, quin fuerint ſanctiſsimi, quandoquidem & martyres fermè cuncti fuerunt, illos memorabo, qui poſt Silueſtrum ſucceſſerunt, inter quos & Seleſtinus eius nominis primus, præter peccatum & perditionem, præclara quædam opera geſsit, niſi præclarum opus fuiſſe negaueris, ingentium hæreſum confutationem. Nam eius tempore Neſtorius habita ſynodo ducentorum patrum apud Epheſum condemnatus eſt. Similiter & per Germanum Antiſiodorenſem epiſcopum, quem in Britaniam miſit, hæreticis inde fugatis, inſulares ad Catholicam Fidem redegit. Scotiſque ſubinde Fidei doctrinam optantibus. Palladium epiſcopum dedit, ac demum eius ſtudio magna pars Occidentis (vt Platina tradit) ad Fidem conuerſa eſt. Hæc Luthere pluſculum aliquid fuerunt præter peccatum & perditionem. Poſt hunc ſucceſsit Leo primus, cuius ſanctitas tanta fuit, vt in concilio Chalcedonenſi ſumma patrum omnium concordia, ter ſanctus acclamatus eſt, eiuſque monitis Attilam obtemperaſſe ferunt, ne captam Romam deleret funditùs. De qua re cum Attila rogaretur à ſuis, cur ita feciſſet, reſpondit oportere ſic fieri, quando medio aſtatu, duo ſibi viſi fuiſſent dextra læuaque viri, pro pontifice aſtare, qui ſtrictum ſibi ferrum intenderent, ſi non illius dicto temperaſſet. Damnauit & is pontifex Euticem, ſimul & fautorem eius Dioſcorum in concilio Chalcedonenſi, cui 630. antiſtites aderant. Sed & Acephalorum hæreſim multis epiſtolis ad Chriſti fideles ſcriptis acerrimè confutauit. Ioannes item primus, quòd Arrianis non fauiſſet, in carcerem à Theodorico detruſus eſt, vbi pedore ſimul & inedia confectus interijt. Quam Theodorici ſæuitiam vltio diuina paulò poſt (vt Platina tradit) eſt ſecuta. Agapetus quoque, cum fuiſſet à Iuſtiniano Cæſare ſuaſus, vti ſententiam & doctrinam Euthicianam confirmaret, non veritus eſt ei reſpondere: Putabam ad Chriſtianiſſimum principem acceſſiſſe me, ſed planè Diocletianum te repperi. Qua loquendi libertate percuſſus Iuſtinianus, Fidem Catholicam amplexatus eſt. De Gregorio primo nihil opus eſt dicere, cum eius vita geſtaque cuncta notiſſima ſint. Sed & nimis prolixum foret, de cæteris catalogum retexere quandoquidem ex hiſtorijs conſtare poterit, plurimos fuiſſe pontifices, qui non peccato & perditioni, ſed è diuerſo ſaluandis animab. enixiſsimè ſtuduerunt; vt planè ſi non fueris impudentiſsimus, nunquam iſta dixiſſes.

Leo primus.

Eutices hæreticus.

Agapetus.

Greg. I.

LVTH. *At quis rediget eum in ordinem? Chriſtus illuſtratione aduentus ſui, & non alius. Domine quis credit auditui noſtro.*

EPISC. Non eſt vt credamus auditui tuo, cum hæc haud dubiè non aliundè, quam ab ipſo diabolo audieris. Is enim in aures tuas inſtillauit, Papam Antichriſtum eſſe. Propter quod & autumas ea (quæ de Antichriſto ſcripta ſunt) ad illum pertinere, cum tamen alià longè ſpectant. Neque hæc ideo dixerim, quòd nolim aut pontificem aut aulam eius reformari, ſi quid in eorum vita fuerit à doctrina Chriſti diſcrepans. Multa vulgus in eos obloquitur, quæ ſi vera ſint, haud ſcio. Relatione tamen conſtanti res hæc aſſeritur ita ſe habere. Vtinam (ſi quid eiuſmodi fuerit) ipſi ſeipſos reformarent, & à puſillorum animis tollerent offendicula. Nam omninò verendum eſt, niſi quàm primùm id fecerint, vltionē diuinam haud diu defuturam. Nec ſanè conueniret, vt Cæſar aut laici principes id negotij tentarent, & illos ad frugaliorem viuendi normam adigerent. Docuit hoc exemplo ſui Cæſar Conſtantinus, vir ſanctiſsimus: qui mutuas epiſcoporum criminationes ſuis manibus oblatas ignibus iniecit,

iecit, dicens: Haudquaquam ſe decere iudicare deos, nimirum pontifices innuens. De quibus illud intelligi poteſt: Dijs non diſtrahes. Sunt enim vice Dei iudices hominibus conſtituti. Sed olim confidant omnes alios Cæſares eiuſmodi ſe præbituros. Exod. 22.

LVTH. *Qui habet aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abſtineat, donec Papæ nomen ſub cœlo valeat, dixi.*

EPISC. Ergo ſemper abſtinebitur, cum abſque dubio Papæ nomen in Eccleſia manebit, quàm diu militatura ſit in terris Eccleſia. Oportet enim vnum præeſſe cæteris, à quo totius Eccleſię res communis adminiſtraretur, alioqui tot futuræ ſunt ſciſſuræ, quot fuerint capita. Sed quoniam hac de re ſupra pluribus diſſeruimus, nolumus iam amplius remorari lectorem, quem iſta, precamur, ſecum diligenter expendat. Primùm ſi nemo Turcis repugnet, num credibile ſit, idem reliquis Europæ prouincijs propediem euenturum, quod alijs pridem contigiſſe deflemus? Deinda cogitet, num ſit paranda belli materies, ne quod olim Conſtantinopolitanis vſu venerit, nos identidem opprimat inexpectata clades haud diſſimilis. Tertium, ſi parari quicquam debeat, circumſpiciat, cui potiùs in hoc negocio credendum ſit, quàm totius Eccleſię præſidi. Nam veriſimilius eſt, hunc rem communem fideliùs adminiſtraturum, quàm alium quemlibet. Nõ ſolum, quòd illi commiſſa ſit totius Chriſtianitatis cura, verumetiam quia periculo vicinior eſt, & ſuam rem tum agi credet, dum proximus ardebit paries. At is, inquies, patietur collectam in turpiſſimas libidines & pompas diſtrahi. Profectò ſi bonus eſt, non id patietur. Et qui ſcis, an quiſquam alius non ſit idem facturus? Quam ſecuritatem ipſe nobis de quouis alio præſtabis? Quòd ſi nullam ipſe præſtare poteris, & collecta prorſus fieri debeat, eaq́ cuipiam omninò credenda ſit, neque poteſt quiſquam huic negotio magis idoneus aſſignari, quàm ſummus pontifex, cur eius moderationi de ſumma rei non ſtabitur ergo non intelligo. Sed hactenus pro articuli huius conuulſione dictum ſit.

ARTICVLVS XXXV.

LVTH. *NEmo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.*

EPISC. Non capio quem in modum is articulus cum vndecimo tuo conueniat, quo quęcunque prorſus à peccatis ſuis abſolutum aſſeris, qui ſe crediderit abſolutum. Sic enim in ipſius articuli calce ſcribis: Crede fortiter te abſolutum, & abſolutus verè eris, quicquid ſit de contritione. Et rurſum articulo ſecundo ſic aſſeris: Si confeſſus credat ſeſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus. Sufficit igitur ex ijs articulis, vt quis ab omni peccato ſe certò ſciat abſolutum, ſi propter Chriſti verbum à Sacerdote prolatum, ſe verè crediderit abſolutum. Et ne quis dixerit, quòd de Fide ſaltem & credulitate ſua quiſpiam dubius eſſe poterit, hunc ſcrupum item in explicatione decimiquarti articuli palàm ſuſtuliſti. Sic enim illic affirmas; Fidem autem certiſſimè ſentire poteſt in corde, ſi eam habet. Quamobrem aut nemo Fidem habet, aut ſi quis eam habuerit, is omninò certus & ſecurus eſſe poteſt, ipſo momento, quo per Sacerdotem abſoluitur, ſe omnino penitùs carere peccato. Neque enim tua ſententia quemquam oportet omnia ſua peccata confiteri, ſed cum credens abſoluitur, tàm ab ijs quæ reticuit, quàm ab illis quæ confeſſus eſt, euaſit omninò liber. Quæ ſi vera ſint, falſum ſit oportet, quòd nemo certus eſt, ſe non ſemper peccare mortaliter. Tunc enim haud mortaliter peccat, cum ab omni peccato ſe verè crediderit abſolutum. Ad hæc, de gratia quoque iuxta tuum ipſius dogma quis eſſe poteſt certus, quòd eam habeat. Nam cùm alibi, tum ſub articulo ſeptimo doces, eam infundi cum magna animi concuſſione. Sic enim ais: Sit ergo certus, dum homo conteritur, ſimul & gratia infunditur. Et paulò pòſt: Probaui enim ſæpiùs, infuſionem gratiæ fieri cum magna animi concuſſione. Rurſum ſub articulo 12. dixi, inquis, per impoſſibile, quia ſatis ſuprà dictum eſt, Fidem ſine contritione eſſe, non poſſe, cum gratia non infundatur, niſi cum magna concuſſione animæ. Ecce Fides non ſine contritione & gratia. Quamobrem vt de fide quis certus eſſe poteſt, quòd eam habeat, & quòd eam certiſſimè ſentiat in corde ſuo, ſic conſequenter & certus eſſe poteſt, de gratia, cum ſine gratia Fides ipſa non ſit. Porrò gratia non ſecum vllo modo compatitur ſuperbiæ culpam, cum ſcriptum ſit, DEVS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quo fit, vt cui compertum fuerit, ſe gratiam habere, is identidem certus erit, ſe carere ſuperbiæ peccato. Sed iam Luthari rationes expendamus. Iacob 4.

LVTH. *Si ea quæ dicta ſunt in trigeſimoprimo & ſecundo intelligimus vera eſſe, & hic articulus verus eſt.*

EPISC. Nos abunde ſatis à nobis expugnatum confidimus articulum vtrumque, quod & relinquimus lectoris iudicio. Nihil etenim ſub ijs efficaciter probatum eſt, quo neceſſariò confiteamur, nos ſemper peccare mortaliter.

LVTH. *Si enim opus bonum iuſti, peccatum mortale eſt, ſi ad iudicium Dei deferatur, quantò magis tota vita mortalis eſt, ſi miſericordia non ſuccurrerit.*

EPISC. Sequela neutiquam eſſet improbanda, ſi quod aſſumpſeris, verũ eſſet, nempe quòd opus quodq; bonum, viri iuſti, peccatum ſit mortale. Verùm iſtud nequaquam firmabis. Putas autem hoc ipſum ex ſcripturis ſacris pariter, & auctorum teſtimonijs, quæ ſub articulis ipſis produxeras abundè ſatis conſequi. Sed planè falleris. Id quod ex noſtra reſponſione cuiuis conſtare poſſe non dubitamus.

LVTH. *Breuiter, hic articulus non eſt meus ſed Iob nono: Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.*

EPISC. Qua (deprecor) arte conficies, vt ex huius viri verbis, quæ iam exprompſeris, aſſeueres articulum tuum? Nihil etenim cum hoc ſermone confine tuus articulus habet. Neq; enim agat his verbis Iob ſimplicitatem ſuam, ſed non agnoſcit dubitatam. Si ſimplex, inquit, fuero, hoc

ipſum ignorabit anima mea. Perindeac ſi dixerit: Nolo vt ſimplicitatem, (ſi qua in me fuerit) meus animus agnoſcat, humilius vtique de me ipſo mihi ſentiendum eſt, quam vt eiuſmodi quicquam de meipſo comprobem. Cæterum quanquam hæc per humilitatem vir ſanctus dixerit, non ex eo colligitur, quod in ipſo mortale peccatum delituerit, imò contrarium potius inferri poteſt. Nam dixit: Si ſimplex fuero. Simplex verò ſi fuerit vir ille ſanctus, (vt videri quidem ex hoc verbo poteſt) longè receſſit ab eo quæuis peccati duplicitas, & ea maximè, quæ lethalis eſt. Quamobrem nec poteſt ex his verbis colligi, quòd fuerit in eo peccatum mortale.

LVTH. *Et Gregorius ibidem ſuper illo, Verebar omnia opera mea, ſciens quoniam non parceres delinquenti, dicit: Quæ quæ apertè egerim video, ſed quid inter latenter pertulerim, ignoro.*

EPISC. Tu particulam illic ex interpretatione Gregoriana pro tua vafricie carptim decerpſiſti, quæ tuam comprobes ſententiam. Sed nos priora quædam abs te prætermiſſa, non grauabimur adijcere. Nimirum vt tua ſycophantia clarius intelligatur. Poſtquam enim eximia quædam opera ſancti Iob Gregorius in medium attuliſſet, ſubdit tandem: Quid ergo eſt, quòd mira opera faciens, hæc ipſa etiam veretur patiens, cum dicit: Verebar opera mea, niſi quòd in ſancti viri actibus verbisq; colligimus, vt ſi placere Deo veraciter cupimus, poſtquam peruerſa ſubegimus, ipſa in nobis etiam benè geſta timeamus. Hæc in fine 25. cap. Sed & paulò poſt in fine cap. 26. ſubdit: ipſa igitur bona opera noſtra, quia inſidiantis culpæ euadere gladium nequeunt, niſi ſolicito quodam timore muniantur, per ſanctum virum nunc rectè dicitur: Verebar omnia opera mea, ac ſi humili confeſsione fateretur: Quæ apertè egerim, video: Si quid in eis latenter pertulerim ignoro. Nihil aliud quàm humilitatem his in verbis docere Gregorium nemo neſcit. Nimirum vt de noſtris operibus, quantumuis eximijs, non efferamur, ſed metuamus ſemper, ne in aliquo minùs rectè ſint geſta. Non quòd nulla rectè geſſerimus, ſed quod humilitate quadam timeamus, ne ipſa in parte proſus periclitata. Nam & alibi dicit: Piarum mentium eſt, ibi agnoſcere culpam, vbi nulla eſt.

Quiſquis Deo placere ſtudet, etiam bene geſta in ſe timeat.

Bona opera quid ſit emenda.

LVTH. *Idem Gregorius apertiſſimè in fine Moralium. Quis inter iſta remanet ſalutis locus? quando & mala noſtra pura mala ſunt, & bona noſtra (quæ nos habere credimus) pura bona eſſe nequaquam poſſunt: Quid dicis Gregorij pura bona non ſolùm non ſunt, ſed nec eſſe poſſunt.*

EPISC. Haud rectè facis, Gregorium tuæ percontationi reſpondere. Nuſquam enim hæc aſſerit, quòd bona noſtra non ſolùm non ſint pura, ſed nec eſſe poſſint. Neque enim abſolutè bona dixit, ſed bona quæ nos habere credimus, hoc eſt, quæ noſtro iudicio nobis bona videntur, & approbamus. Nam in talibus vt plurimum nobis placemus, & cenſemus alicuius eſſe momenti, ac proinde facilè ſuperbimus. Nam quàm primùm de noſtris operibus, quantumuis puriſſimis ita iudicamus, iam ipſo iudicio, bona facta ſunt impura. Ad puritatem enim operis tria quædam exiguntur. Nempe quòd nec lucrum ex eo ſpectetur temporarium, neque laus hominum inde quæratur, nec demum vt operantis eo ſibi complaceat per inanem gloriam. Vnde in ipſo Propheticum illud impletur: Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere. Propter quod & ipſe Gregorius lib. 9. Moralium cap. 26. Tres ſunt, inquit, acceptiones munerum. Munus à corde, eſt captata gloria à cogitatione: Munus ab ore, eſt gloria per fauorem. Munus ex manu, eſt præmium per dationem. Sed iuſtus quiſque ab omni munere manus excutit: Quia in eo quod rectè agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec à manu recipere dationem quærit. Solus ergò in Dei opere fraudem non facit, qui cum ad ſtudium bonæ actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat. Hactenus ipſe Gregorius. Ex quibus dilucidum eſt, opus aliquid poſſe fieri tam purum & integrum, vt in eo penitus nulla ſit fraus. Perſpicuum item eſt, quod opera noſtra, de quibus nobis placemus, & quæ approbamus tanquam bona, pura bona non ſunt, neceſſe poſſunt.

Ad puritatem operis tria exiguntur.

Eſaie 33.

Triplex munerum acceptio.

Opus quodam ab omni fraude alienum.

Opera quibus nobis placemus pura non ſunt.

Qua conſideratione motus Gregorius dixerat, bona noſtra, quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt. Cæterùm quod ad hunc ſenſum Gregorius hæc ipſa verba protulerit, apertiſſimum eſſe poteſt, cum ex illis, quæ toto ipſo poſtremo capite dicuntur, tum ex verbis proximè antecedentibus, quæ ſic introducit: Fatendum eſt igitur, quòd rectam quidem intentionem noſtram (quæ ſoli Deo placere appetit) nonnunquam intentio minùs recta (quæ de donis Dei placere hominibus quærit) inſidiando comitatur. Si autem de his diuinitùs diſtrictè diſcutimur, quis inter iſta remanet ſalutis locus? quando mala noſtra pura mala ſunt, & bona (quæ nos habere credimus) pura bona eſſe nequaquam poſſunt. En ipſa verba quæ citaſti: quibus perſpicuum eſſe poteſt, quòd non de cunctis bonis noſtris loquitur Gregorius: ſed de ſolis his, quæ nos ſeu bona approbamus, & de quibus placemus nobis: ob quod & dixit, bona (quæ nos habere credimus) pura bona eſſe poſſunt. Propterea, quòd in eis nobis applaudimus, & ea bona cenſemus.

De quibus locutus eſt Gregorius.

LVTH. *Damna, mi Papa, damna hos ſanctos viros, Iob & Gregorium.*

EPISC. Non eſt quòd Papa damnet iſtos, cùm nulla in re vel ſibi aduerſentur, vel tuæ ſententiæ ſubſcribant, quin magis articulum tuum ipſi damnent. Neque enim Iob negat quempiam eſſe poſſe ſimplicem. Quod vbi admiſeris, iam ineuitabiliter ſequitur eiuſdem opus eſſe purum. Nam in Euangelio Matthæi Chriſtus aſſerit, Si oculus fuerit ſimplex, huius totum corpus lucidum erit, & quemadmodum Lucas adijcit non habens aliquam partem tenebrarum. Tale nimirum opus omninò purum ſit, neceſſe eſt. Et

Matth 6. Lucæ 11.

Grego-

Gregorius item concedit, quempiam ſic poſſe iuſtum eſſe, vt manus ſuas excutiat ab omni munere, tam propriæ cogitationis, quàm alienæ laudia, atque etiam lucri temporarij. Qualem ſi dederis, eius opus hauddubiè parum erit. Tantum igitur abeſt, vt hi ſancti viri quicquam faciant pro articulo tuo, vt eundem efficaciſſimè condemnent: cum ex eorum dictis palam inferatur, quòd iuſtus opera quædam poteſt habere pura. Cæterùm quòd in omni opere iuſtus peccet mortaliter, quemadmodum ipſe ſtatuere moliris, ne verbum quidem ab eis eiuſmodi prolatum eſt.

Iuſtus opera quædam habeat bona.

LVTH. *Adde his ea quæ dicta ſunt, David. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, vt & te damnet Dominus Ieſus propediem.*

EPISC. Quanquam huic Dauidico teſtimonio ſatis copioſè reſpondimus Artic. 32. Iam itidem nonnihil adijciemus. Quicunq; ſubit iudicium Dei, de tota vita ſua iudicatur. In qua, ſi vel minimum opus repertum fuerit iniuſtum, tota vita propter hanc vnicam labeculam, ſi diſtrictè iudicetur, condemnari poteſt. Quando igitur nemo eſt, qui prorſus omni peccato careat, rectè prophetam dixiſſe credimus. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Sed aduerte quid dixerit. Dixit enim omnis viuens, & non omne opus viuentis. Nam quid prohibet, quò minùs idem iudicandus alia complura feciſſet opera in quibus nihil fuiſſet peccati? Nam ſi mille quis haberet opera puriſſima, propter vnicam tamen peccati labem in aliquo repertam opere, Deus (modò velit vti ſeueritate diſtricta) poſſet omnia reliquá penitus repudiare.

Pſalm. 142.

LVTH. *Tu doces introire in conſpectum Dei ſuperbos, & qui ſeſe damnatione dignos non eſſe iactitant coram eo, quem columnæ cœli tremunt, & ſub quo curuantur qui portant orbem, cum Dauid non ſuſtineat iudicium eius.*

EPISC. Aliud eſt, quemquam eſſe damnatione dignum propter nonnulla quę fecerit. Et aliud, eſſe damnatione dignum, quicquid operis quiuis fecerit. Nemo enim vnquam tam purè vixit, vt nulla omninò peccati macula fuiſſet inquinatus. Quod & omnes orthodoxi fatentur, & ſummus item pontifex ipſe docet. Quamobrem ſi ſecundum iuſtitiæ diuinæ rigorem quiſque iudicetur, damnatione dignus videri poteſt. Cęterùm, quòd nemo diuorum vllum vnquam opus in hac vita fecerit, quod erat expers peccati, hoc ab omnibus negatur orthodoxis, & Pontifex item ipſe rectè negat. Non ergò verum eſt, quòd aſſeris pontificem docere, ſuperbos introire in conſpectum Dei, & iactitare ſe non eſſe damnatione dignos, cum ille doceat omnes peccatores eſſe, & egere miſericordia Dei.

Nemo omni peccato caret.

LVTH. *Et Auguſtinus. Væ omnium hominum vitæ laudabiliſſimæ denunciat, hoc eſt, optimam vitam damnatione dignam faciat coram Deo. Si enim digna non eſt alicuius vita tali damnatione, poterit ſeſe coram Deo ſiſtere, & gloriari in vita ſuæ dignitate. Sed væ abominationi iſti ab minatiſſimæ quanta impetu nos rapit in peccatū & perditionē.*

EPISC. Et huic teſtimonio ſuperiùs reſpondimus, articulo. 32. non dixiſſe Auguſtinum, Væ ſingulis hominum operibus, cum & ibi confiteatur matrem ſuam mera quædam habuiſſe merita, ſed dixiſſe: Væ vitæ hominum quantumcunque laudabili, quoniam nullius vita reperiri queat, quæ non quibuſdam peccatis inquinata ſit. Separat tamen Auguſtinus hoc eodem loco, quo tu teſtimonium hoc citâris, bonos actus (quos dicit egiſſe matrem) à peccatis, quæ feciſſe non negant eandem. Illos quidem vocat mera merita, & munera Dei, pro quibus & nomine ſuæ matris gratias agit Deo, pro cæteris verò veniam implorat. Quanquam igitur optimam cuiuſque vitam damnatione dignam Auguſtinus aſſerat, modò remota miſericordia iudicetur, non tamen de ſingulis hoc affirmat operibus, quorum quædam vocat vera merita, & munera Dei.

Boni actus noſtri ſeparantur à malo.

LVTH. *Reuoca ergo hunc articulum, & moderor in hunc modum. Nemo non certiſſimus eſſe debeat, ſe ſemper mortaliter peccare, ſi ſua vita ad iudicium Dei iuſtiſſimum comparetur, tam iniuſta enim eius vita neceſſariò eſt, quam iuſtum eſt iudicium Dei, coram quo ſtare ipſa non poteſt. At ipſum eſt iuſtiſſimum, quare vita eius eſt iniuſtiſſima, ſolimq; miſericordiæ velamento ſeruanda.*

EPISC. Aliud eſt Luthere, de vita cuiuſque loqui, & aliud de ſingulo cuiuſuis opere. Vitam nullius eſſe concedimus, quæ non aliquo fuerit peccato contaminata, ac proinde condemnanda, ſi remota clementia iudicetur è Deo. Cæterùm opera quædam in multis optimis viris fuiſſe non dubitamus, quæ peccato caruerint, & proinde purá merita ſint, vt nihil propter hæc oporteat, vnumquemque in omni opere ſuo peccare mortaliter. Imò nec tu ſubterfugere poteris, quin liceat cuiuis aliquando credere, ſe non peccare mortaliter, præſertim in illo actu quem tu tanti prædicas, vt quiſquis hunc operatur, non peccet, hoc eſt, cum humiliter ſe peccatorem agnoſcit, credens per Chriſtum à peccato liberari. Sic enim Ioannem ſibi conciliare moliris, cum duo alioqui (vt tu ais) ſibi repugnantia fateatur. Nempe ſi dixerimus quia peccatum non habemus, &c. Et omnis qui ex Deo natus eſt, non peccat, & non facit peccatum. Nam ſi mortaliter etiam ipſo actu peccet iam non eſt natus ex Deo, cum per hunc actum, vtpote mortale facinus alienetur potiùs, & inimicitior Deo conſtituatur. Quamobrem & tibi neceſſariò confitendum eſt, aliquem actum eſſe cuiuſpiam, in quo non peccet, & maximè cum in eodem Ioanne ſequitur: Quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.

1. Ioan. 1. *1. Ioan. 3.*

Neceſſariò Luthero fatendum eſt, aliquem actum eſſe purum.

LVTH. *Vt ſtet Paulus Rom. 3. vt obſtruatur omne os, & obnoxius fiat mundus Deo.*

EPISC. Nequaquàm ex his Pauli verbis rectè colligis, nos in omni opere peccare mortaliter. Neque voluit hoc Paulus, ſed quod omnes peccatores ſumus, & nemo ſit qui prorſus omnis peccati fuerit expers. Iſtud enim ſufficit ad hoc, vt

obſtrua-

obſtruatur omne os, & obnoxius fiat omnis mundus Deo. Nec oportet, vt in omni peccato peccet quiſq; mortaliter.

LVTH. *Et 11. Concluſit omnia ſub incredulitate, vt omnium miſereatur.*

EPISC. Neque iſtud quicquam pro te facit, niſi velis nos adhuc incredulos eſſe. Sic enim adhuc & in ſingulis operibus peccare neceſſum fuerit: cùm ſine Fide nihil gratum Deo eſſe poterit. Cæterùm Paulus propterea Deum omnia ſub incredulitate concluſiſſe teſtatur, quòd gentes priùs fuiſſent incredulæ, quemadmodum & nunc viciſſim Iudæi ſunt. Sic enim ait ad Romanos vndecimo: Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Et tum continenter ſequitur: Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. At iſtud ad articulum nihil facit, vt comprobet omnes peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium. Sufficiunt igitur iſta (quæ diximus) ad articulum conuellendum.

Quomodo Deus omnia ſub incredulitate concluſit.

ARTICVLVS XXXVI.

LVTH. *Liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo, & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.*

EPISC. Duas partes habet is articulus: Priorem quòd liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo, Poſteriorem, quod cum idem facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Sed de priori dicemus primum. Liberum arbitrium præſumptuoſis, & plus ſatis audacibus hæreticorum ingenijs, ſemper velut ſcopulus erat, in quem impingentes graue ſunt naufragium paſſi. Manichæi primùm duas in homine mentes faciunt: alteram quam dicunt malam, & ſubſtantiam quandam mentis aduerſæ, nimirum eandem quam & nos vocamus concupiſcentiam carnis. Alteram aiunt eſſe mentem bonam, quam & nos vocamus Spiritum. Has duas aſſerunt in hominibus mutuum habere conflictum, cùm caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Peccata verò quæ fiunt, ex mala mente proficiſci contendunt, nec per liberum arbitrium vitari poſſe quouis pacto. Iouinianiſtæ contra longè quidem ab illis diſſentiunt, cum negent quempiam accepto regenerationis lauacro, peccare poſſe, quemadmodum Auguſtinus & Hieronymus prodidêre. Poſt hos exorti ſunt Pelagiani, quorum hæreſis eſt, quod liberum arbitrium ſuis viribus, quodque peccatum vitare poſſet, neque egeat gratias qua bonum faciat, ſed qua faciliùs operetur. Emerſit demum & Wiclefus, cuius ſectatores aſſerunt cuncta neceſſitate quadam prouenire, & nihil omnino fieri contingenter, Iudamque & cæteros peccatores, quicquid egerint, ex mera neceſſitate non ſpontanea libertate feciſſe volunt. Non recta igitur, & regia via incedunt hæretici, ſed vel hàc, vel illàc nimium deflectentes, in ſcopulos incidunt. Aut enim ſupra modum, libero conferunt arbitrio, aut contrà plus quàm oportet, detrahunt ei ſemper. Propter quòd & Auguſtinus homil. 53. ſuper Ioannem ait: Quoſdam nimia voluntatis ſuæ fiducia extulit in ſuperbiam, quoſdam nimia voluntatis ſuæ diffidentia, deiecit in negligentiam. Illi dicunt, vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in Dei eſt poteſtate? O Domine, ô pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos à malo. Detrahit Manichæus, qui neminem aſſerit poſſe peccare. Iouinianus contrà plus quàm par eſt tribuit, aſſeuerans baptizatum neminem poſſe peccare. Detrahit Wiclefus, quoſdam affirmans neceſſitate peccare. At Pelagius contrà nimirum largitur, cum dicit voluntatem, ſuis viribus ſine gratia vitare peccata poſſe. Cæterùm orthodoxi, nec ad læuam, nec ad dexteram declinantes, medium obſeruant tramitem, & liberum arbitrium, quædam ſuis viribus ſolùm, quædam auxilio diuinæ gratiæ facere confitentur. Nemo tamen eorum vnquàm arbitrij ſuſtulit libertatem: ſed omnes eam aſtruunt, & concordibus animis & quàm validiſsimè poſſunt. Auguſtinus inprimis (quem tamen Lutherus inferiùs pro ſe citat) de vera religione, cap. 14. ſic ait: Si non voluntate malefacimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis, Chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Ecce quàm paucis verbis Auguſtinus hunc articulum efficaciſsimè conuincit. At quid enim obiurgatur quis, aut monetur, ſi non ſua ſponte delinquat? Immeritò certè puniuntur adulteri, aut ſacrilegi, ſi ſeipſos ab ijs ſceleribus cohibere non poſſent. Quòd ſi poſsint, & nolint manifeſtum eſt, in ijs arbitrium eſſe liberum. Et rurſum paulò ſuperiùs: Nunc vſque adeo peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem ita manifeſtum eſt, vt nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare, aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt, voluntate committi. Hæc Auguſtinus. Hieronymus quoque ad Damaſum ſcribens, ſic ait: Qui diuiſit eis ſubſtantiam. Significantiùs Græcè legitur καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον, id eſt, dedit eis liberū arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnuſquiſq; non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſsitate, ſed ex voluntate, vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus diſtaremus, dum ad exemplum Dei permiſſum eſt nobis facere quod vellmus. Vnde & in peccatores æquum iudicium, & in ſanctos ac iuſtos, iuſtum præmium retribuetur. Rurſus ad Hedibiam. Deus autem æquali

Hæretici ſibi ipſis contrarij.

Peccatum eſſe voluntarium.

cunctos ſorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnuſquiſque quod vult, ſiue bonum, ſiue malum. In tantum autem dedit omnibus poteſtatem, vt vox impia diſputet contra creatorem ſuum, & cauſas voluntatis illius perſerutetur. Et in altera quoque Epiſtola ad Damaſum ſcribens, ſic ait: Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus non ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, vt ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. Hactenus Hieronymus. His ſubſcribit Ambroſius, lib. 1. de Iacob & vita beata, capite tertio inquiens: Non eſt quod cuiquam noſtram aſſcribamus culpam, niſi noſtræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ inſeruntur reluctantibus. Voluntaria tantùm commiſſa ſequitur delictorum inuidia, quòd in alios deriuemus. Voluntarium ſibi militem legit Chriſtus, voluntarium ſeruum ſibi diabolus auctionatur. Neminem iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe priùs peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem, quaſi infirmam, accuſamus? membra noſtra arma ſunt iniquitatis, & arma iuſtitiæ. Hæc ille. Accedit his, & Leo Papa, docens: Nec Iudam, nec cæteros, qui Chriſto necem intulerunt, id vlla neceſſitate feciſſe, ſed ſua ſponte, & arbitrij libertate. Nunquid iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? & illud facinus (quod omni maius eſt crimine) manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt, quia multum diuerſum, multumque contrarium eſt, id quod in malignitate Iudæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. Non inde proceſsit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus, immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit. Nec præſciendo, quod faciendum eſſet, coëgit, vt fieret. Et rursùm paulò inferiùs: Quòd itaque Dominus Ieſus Chriſtus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit. Nec egit vt hæc vellent, ſed ceſsit vt poſſent, & ſic vſus eſt obcæcatæ plebis inſania, quomodo & perfidia traditoris: quem ab immanitate concepti ſceleris & beneficijs eſt reuocare dignatus, & verbis aſſumendo in diſcipulum, prouehendo in Apoſtolum, monendo ſignis, conſecrando myſterijs, vt ei nihil beneuolentiæ deeſſet ad correctionem, nihil occaſionis ſupereſſet ad crimen. Hæc Leo ſermone decimoſexto de paſſione & reſurrectione Domini. Sed & his longè antiquior Tertullianus aduerſus Marcionem, lib. 2. ſic ait: Nec boni nec mali merces iura penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſsitate fuiſſet inuentus non voluntate,

Hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe.

in hoc & lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem de obſequio ſponte præſtando, vel tranſgreſsione ſpontè committenda: ita in vtrumque exitum libertas patuit arbitrij. Si enim ſemel homini permiſerat arbitrij libertatem & poteſtatem, & dignè permiſerat, ſicut oſtendimus: vtique fruendas eas ex ipſa inſtitutionis auctoritate permiſerat. Et rurſum libro de Monogamia ſic ait: Qui poteſt capere, capiat, inquit. Idem, qui non poteſt, diſcedat. Diſceſſit & ille diues, qui non ceperat ſubſtantiæ diuidendæ egenis præceptum, & dimiſſus eſt ſententiæ ſuæ à Domino. Nec ideo duritia imputabitur Chriſto de arbitrij cuiuſcunque liberi ſeruitio. Ecce, inquit, poſui ante te bonum & malum: Elige quod bonum eſt: ſi non potes, quia non vis (poſſe enim te ſi velis oſtendit) quia tuo arbitrio vtrumque propoſuit, diſcedas oportet ab eo, cuius non facis voluntatem. Quæ igitur hic duritia noſtra, ſi non facientibus voluntatem Dei, renunciamus? Aſtipulatur & Chryſoſtomus hom. 60. capit. 18. ſuper Matt. ſic inquiens. Nam ſi malignitates à ſeipſis non ſunt, noli tuos ſeruos caſtigare, nec vxorem ſi peccat increpa, nec liberos verbera, nec amicos incuſa, nec offendentibus inimicis infenſus ſis. Nam hi omnes, niſi ſpontè delinquant, non punitione, ſed miſeratione digni ſunt. Non poſſum, inquies, ita philoſophari, certè ſi non illorum culpa quicquam factum conſpexeris, ſed quadam alia neceſſitate incumbente, non poteris non ita philoſophari. Nam quando ſeruus ægritudine oppreſſus, iuſſa non fecerit, non modò non criminaris, verumetiam valde commiſereſceris. Quare tu ipſe teſtimonium perhibes nonnihil ab ipſo fieri. Et paulò pòſt. Verùm inde quoque ora iſtorum obruere facilè poſſumus, non vndique veritatis affluunt adminicula, ſi eos interrogabimus, quamobrem nunquam ſeruos criminantur, ſi facie formoſi non ſint, ſi non proceri ſtatura, ſi non quaſi volucres in eundo, cæteraque huiuſmodi, quia videlicet naturâ hæc non voluntate conceduntur: immunis eſt ergò ipſe eius culpæ, quam ſibi iam natura inuexit, nec vllus vnquam huic orationi contradicet. Cùm igitur accuſas, tunc oſtendis profectò non à natura, ſed à voluntate mala, quippiam proceſſiſſe. Nam ſi quæ minimè culpamus, ea naturę delicta eſſe, aut ſaltem non voluntate teſtamur, patet ea ſolùm culpari, quæ voluntate committuntur. Noli ergo peruerſas in medium ratiocinationes inferre, nec ſophiſmata, & orationis contextum telis aranearum viliorem. Hactenus Chryſoſt. Et Athanaſius quoq; in Epiſtolam ad Rom. ſic ait: Velim tamen intelligas, quòd quemadmodum non ficti ratione, ſed vtentium, partim hæc vaſa precioſa redduntur, partim vilia, ex vno eodemque luto confecta ſint. Sic in hominibus non natura, quippe quæ mater ſit omnium, ſed voluntas hos facit ſupplicio dignos, corona illos & præmijs. Hæc ille nec diſſentit Dam. libr. 2. cap. 26. ad hunc modum ſcribens: Hæc ergo

Eccleſ. 15.

Athanaſius.

Damaſcenus.

ſunt

ſunt, quæ nobis ſunt Adæque contingentia, vt moueri, & non moueri: quippiam cum concitatione agere, & non agere: appetere quæ non neceſſaria ſunt, & non appetere: mentiri, & non mentiri: erogare & non erogare: gaudere in quibus par eſt, & non gaudere: ſimiliter & in quibus minimè decet, & quæcunque ſunt eiuſmodi in quibus ſunt virtutis & vitij opera. Horum enim arbitrij libertatem per ſe, liberamque poteſtatem adepti ſumus. Et rurſum cap 27. ſic ait: Verùm homo rationalis cum ſit, ducit magis naturam quàm ducatur: quapropter appetens vbi quippiam velit, poteſtatem habet refrenare appetitum, aut ipſum ſequi. Hæc Damaſ. Porrò quid aliud facit Origen. cap. quodam integro, lib. 3. de principijs, vbi de libertate arbitrij tractat, quam vt oſtendat etiam in peccatoribus eſſe libertatem arbitrij? quod & facit tam copioſè, vt & ſcripturas plurimas, quæ maximè videntur hanc libertatem oppugnare, clariſſimè diſſoluat. Conſentiunt & orthodoxi cæteri, concordibus ſententijs, culpam peccandi, non in Deum, neque in diabolum, ſed in ipſam arbitrij libertatem omninò reijcientes. Ex his perſpicuum cunctis eſſe poteſt, quid Eccleſiaſtici proceres de libero ſentiant arbitrio, nempe, quòd non ſolo titulo poſt peccatum in hominibus maneat arbitrij libertas. Sed eſt aduertendum, quòd in ſcripturis libertas triſariam accipi ſolet. Prima libertas dici poteſt naturæ, quæ & apud Paulum poteſtas vocatur, hoc vel illud faciendi. Iuxta quam libertatem quiſque poteſt (vt ait Auguſt.) pro ſuo arbitrio cuncta vitæ præſentis opera, quæ ex bono naturæ proficiſcuntur, operari. De quibus & multa ſubdit exempla, tam de bonis, quàm de malis. De bonis primùm, vt velle in agro laborare, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenda, velle ſabricare domum, vxorem velle ducere, atque id genus ſimilia. De malis verò ſubijcit, vt velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere, res alienas diripere, Deum viuentem in ſecula blaſphemare, velle turpiter viuere, velle maleficia diſcere, velle inebriari, & luxurioſè viuere. Quæ cuncta, libero docet Auguſtinus arbitrio fieri. Sed & hac libertate, quantum ad naturæ bonum ſpectat, potuit Paulus mulierem ſecum circunduxiſſe: potuit & à Corinthijs & à Theſſalonicenſibus, vitæ neceſſaria poſtulaſſe. Verùm (vt ait) noluit hac vti poteſtate. Rurſum quantum ad mala, dicit idem ad Hebr. Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis. Quòd ſi voluntariè, quis peccet, non adigitur neceſſitate, ſed ſua ſponte, & libero facit illud arbitrio. Palàm igitur ex his eſt, liberam aliquam voluntatis operationem eſſe cunctis, qui rationis participes ſunt, ſiue bonis, ſiue malis. Sed præter hanc, eſt & altera libertas, quæ poteſt libertas gratiæ dici. Nam idem Paulus ait. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Et hæc libertas non niſi piorum hominum eſt, & exiſtentium in gratia. Quanquam

Libertatem in ſcripturis triſariam ſumi.
Prima libertas naturæ.
1. Cor. 9.
2. Cor. 11.
Hebr 2.
Secunda libertas gratiæ
2. Cor. 3.

neque ab ijs ea plenè poſſideatur, cùm nemo tam perfectus hic eſſe poſſit, vt diu carere queat omni peccato. Si dixerimus (inquit ille Chriſto dilectiſſimus) quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Tertia demum libertas eſt, quam & Paulus gloriæ libertatem appellat. Et ipſa, inquit, creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Ecce libertas gloriæ, quæ ſola plena libertas eſt, quæque nemini mortalium in hac vita donetur, cùm nemo ſit hic liber à ſeruitute corruptionis, ſed hanc in cœlis expectamus libertatem. Prima harum libertatum eſt, poſſe velle, aut nolle, quod propoſitum eſt. Secunda eſt meritoriè velle. Tertia demum eſt, quicquid volueris, efficaciter exequi poſſe. Prima inquam harum libertatum eſt, poſſe velle, aut nolle quod proponitur. Et hoc certè nonnihil eſt libertatis, quanquam haud ſemper voluntas aſſequatur, quod velit. Neque enim homini primò tanta fuit ante peccatum, libertas, vt quicquid voluiſſet, potiretur, & tamen erat verè liber. Non adimit igitur arbitrij libertatem, ſi voluntas conſequi nequeat omnia, quæ velit. Nam ea libertas ſolis beatis conuenit. Sed & meritoriè velle, nec homo primus ante peccatum ſine gratia potuit, quod & omnes confitentur, & tamen idem (vt diximus) erat verè liber: nam fuit ei libertas ad alia multa, quanquam ad illud, nulla fuerat ex ſuis viribus abſque gratia, quia non potuit abſque gratia mereri vitam æternam. Sed neque ſi iam quiſpiam in meris (vt aiunt) naturalibus à Deo crearetur, quanquam verè libertatis eſſet compos, haudquaquam poſſet abſque gratia mereri beatitudinem. Quamobrem nec abſentia gratiæ, prorſus eripit libertatem. Cæterùm quia peccator poſt peccatum, per præſentiſſimum auxilium Dei (quod vt mox dicemus nemini deeſt) ad gratiam ſe præparare poteſt, ex hoc nimirum ingentis libertatis eſſe conuincitur. Neque enim auxilium Dei quod & cuique præſens eſt, libertatem arbitrij minuit, ſed adauget potiùs. Nec obſtat, ſi dixeris, peccatorem abſque illo auxilio non poſſe benè velle. Non enim conſequitur. Non poteſt abſque auxilio Dei benè velle, ergo non habet voluntatem liberam. Sicut nec ſequitur: Homo nec velle quicquam poteſt, abſque Dei aſsiſtentia, & generali, quam dicunt, influentia, quamobrem nec liber eſt. Nam vt influentia illa, ſemper adeſt voluntati, ita & auxilium diuinæ gratiæ, cunctis ad manum eſt præſens. Et vide ne Ioannes Euangeliſta voluit hoc ipſum, cum dixit: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quibus (te quæſo) poteſtatem hanc fecit Chriſtus? An ſolis iuſtis? Nequaquam. Nam hi, ſi qui fuiſſent tales, haud dubiè iam erant filij Dei. Quia nemo iuſtus eſt, niſi per gratiam, per quam & Dei filius identidem conſtituitur. Peccatoribus itaque quantumuis ingentibus, hæc poteſtas oblata eſt, vt ſi faciant quantum in ſe fuerit ad hanc gratiam conſequendam, præſtò aderit auxilium Dei. Propter quod & Hila-

1. Ioan. 1.
Tertia libertas gloriæ.
Rom. 8.
Libertas primi hominis ante peccatũ.
Auxilium diuinæ gratiæ cunctis ad manum eſt præſens.
Ioan. 1.

Hilarius primo de Trinitate, fieri filios Dei, non neceſſitatis eſſe dicit, ſed voluntatis. Quia propoſito vniuerſis Dei munere, non per naturam gignentium adfertur ea filiario, ſed voluntas pręmium conſequitur. Ecce quòd nemo per neceſſitatem. Dei filius efficitur, ſed poteſtatis eius eſt, an eiuſmodi fieri voluerit. Vniuerſus inſuper hoc munus affirmat eſſe propoſitum, & non per naturam gignentium acquiri, ſed per liberam voluntatem auxiliante Deo. Sed & Auguſtinus idem aſſerit ſuper Ioannem homil. 93. Audiamus, inquit, Euangeliſtam dicentem: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ne omninò exiſtimemus in noſtra poteſtate non eſſe, quod credimus. Verumtamen in vtroque illius beneficia cognoſcamus. Nam & agendæ ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas: & orandum, ne ſuccumbat infirmitas. Hæc Auguſtinus. Accedit his, quod cuiuis peccatori, niſi prorſus derelicto, liberum eſt, ſuorum admiſſorum pœnitere. Nam

Rom. 2. alioqni non dixiſſet Paulus: Ignoras quoniam patientia Dei, ad pœnitentiam te inuitat? Certè ſi diuina patientia nos ad pœnitentiam inuitat, non modò liberum eſt nobis pœnitere, verumetiam eius benignitas præſtò nobis ad-

Apoc. 2. eſt vt opituletur. Ad hæc Apocal. 2. de Iezabele, quæ ſe Propheten dixit, ac ſeduxit ſeruos Dei, ſcriptum eſt: Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere à fornicatione ſua. Verum igitur vtrunque fuit, & quod liberum iſti fuerat pœnitere, ſi voluiſſet: & quòd auxilium Dei, quatenus id faceret, nequaquam illi defuerat. Cum itaque liberum ſit cuiuis, per Dei auxilium de peccatis ſuis pœnitere, pœnitentibus verò negare veniam peccatorum nemo poteſt, niſi Nouatianus quiſpiam, vt poſtea

In poteſtate peccatoru eſt, ſe parare ad gratiam dicturi ſumus: quis non videt conſequens eſſe, vt ad gratiam conſequendam ſe parare peccator poſſet. Nam ſi veniam peccatorum quiſque pœnitens aſſequi poterit, & ea nemini, niſi per gratiam confertur, quomodo non eſt liberum peccatori, vt ſe per Dei auxilium ad gratiam præparet, & faciens quod in ſe eſt, non ſuis meritis, ſed diuina miſeratione, gratiam conſequatur? Quanquam igitur poſtremis duabus libertatibus (quas nec Adam ad Luthe. ſenſum ante peccatum habuerat) peccator in mortali aliquo crimine conſtitutus caruerit, manet tamen ei prima libertas, quemadmodum ſuperiùs oſtendimus. Quamobrem & prior huius articuli pars, à vero plurimum diſſidet, nempe quòd liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo. Poſterior verò pars tametſi fuerit à nobis ſuperiùs copioſè confutata, nonnihil tamen hîc ob eandem conuellendam breuiter adijciemus. Si liberum arbitrium, faciens quod in ſe eſt, peccet mortaliter, quomodo toties in ſcripturis peccatores excitat Deus, vt ad ſe redire conentur? Nam ſi ſic canentes, peccent mortaliter, profectò Deus eos ad mortale peccatum inuitat. Sed nos quibus per prophetas id faciat Deus, aliquot locos proferamus. Eſaiæ primùm 31. Conuertimini, inquit, ſicut in profundum receſſeratis filij Iſraël, Hiere. 3. Reuertere auerſatrix Iſraël, & non auertam faciem meam à vobis, Ezech. 18. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quid aliud his verbis præcipitur, quam vt reuerti peccatores enitantur, & faciant quantum in ſe fuerit. Talibus inuitatiunculis referti ſunt omnes prophetarum libri. Per Iohelem dici- *Iohel. 2.* tur: Conuertimini ad me in toto corde veſtro. Quod quid aliud eſt, quàm toto conatu veſtro conuertimini. Et per Zachariam dicitur: *Zach. 1.* Conuertimini ad me dicit Dominus Deus exercituum, & conuertar ad vos. Ecce ſi peccator velit ad Deum conuerti, confeſtim & ad eum conuertetur Deus. Iſta profectò nequaquam dicerentur, ſi conatus peccatoris ad bonum, eſſet mortale peccatum, & niſi liberum eſſet in peccatoribus arbitrium. Similia quædam & in nouo teſtamento leguntur. Iacobus ait: Appropin- *Iacob. 4.* quate Deo, & appropinquabit vobis. Et Pau- *1. Cor. 4.* lus ad Corinth. ait: Imitatores mei eſtote, ſicut *1. Cor. 6.* & ego Chriſti. Et paulò pòſt: Fugite fornicationem. Inaniter iſta commonuiſſet Paulus, ſi vel Corinthij liberum non habuiſſent arbitrium, vel dum iſta molirentur, peccaſſent mortaliter. Sed & Chriſtus cum dixit: Venite ad me *Matth. 11.* omnes, qui laboratis & onerati eſtis, quid imperauit aliud, quàm vt accedere pro ſua vitili cuncti molirentur? Et palàm eſt eum omnibus, etiam ſceleratiſſimis hoc ſuiſſe locutum. Quamobrem neceſſe eſt, vtrunque confiteamur, & liberum in eis arbitrium fuiſſe, & idipſum enitentes haud peccaſſe mortaliter. Sed Lutherum quibus modis hunc articulum aſtruere moliatur, iam auſcultemus.

Infelix liberum arbitrium, iuſtus in bono opere peccat mortaliter vt videmus, & ipſum iactatur, ante iuſtitiam aliquid eſſe & poſſe. LVTH.

EPISC. Nondum hoc vidimus. Neque hactenus abs te probatum eſt, nempe, quòd iuſtus in bono opere peccat mortaliter. Hoc vtique ſuperiùs oſtendere conatus es. Sed vt in prouerbio eſt, & oleum & operam perdidiſti. Inanis enim omnino fuit conatus tuus. Nam & multa iuſtorum opera non dubitamus vſqueadeo bóna eſſe, vt nec venialiter quidem in eis peccetur. At tibi nullum eſt opus vſqueadeo bonum, quin ſaltem venialiter in eo iuſtus peccet. Et ſi venialiter, cum tibi quoque veniale ſit, iuxta Dei iudicium, etiam & mortale conſequens erit, vt in omni opere bono, mortaliter etiam iuſtus peccet. Hæc eſt illa præclara collectio, qua docuiſti, iuſtum in bono opere peccare mortaliter. Neque aliam prorſus huius rei probationem ſuperiùs attuliſti. Cæterùm opinor neminem vſqueadeo mente captum eſſe, vt non perſpiciat huius tuæ collectionis ineptias. Nam ſi cuncta iuſtorum opera, mortalia peccata ſint, cur æquioribus oculis iuſtos inſpectet Deus quàm impios? David enim dicit: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum, vultus *Pſalm. 33.* autem Domini ſuper facientes mala. Neque

enim cuiquam orthodoxo dubium eſt, quin mortale peccatum (protinus vt ſit) auertetur gratiam Dei, & eum (qui quidem iuſtus fuerat) iniuſtum faciat & impium. Quamobrem & per

Ezech. 3. Ezechielem dicit Dominus: Si conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, Ipſe morietur, & non erunt in memoria iuſtitiæ eius quas fecit. Ecce quiſquis, quantumuis iuſtus fuerit, ſi tamen fecerit iniquitatem, quam patres mortale peccatum vocant, vita gratiæ priuabitur, & nihil ei priores iuſtitiæ profuturæ ſunt. Sed dices, te locutum fuiſſe de peccato veniali ſecundum iudicium Dei, & non ſecundum miſericordiam eius. Tu ſcholaſticas diſtinctiones ſæpius irrides, ſed in hac, ipſe multò

Veniale peccatũ eam amicitiam non dirimit, qua Deus iuſtum proſequitur. magis omnibus te præbes irridendum. Profectò veniale peccatum ſiue ſecundum iudicium Dei, ſiue ſecundum eius miſericordiam nunquam eam amicitiam dirimit, qua Deus iuſtum proſequitur. Nam ſi dirimat, tum nihil intererit inter ipſum & mortale. Sed neque iuſtus erit iuſtus, cum nemo niſi per gratiam iuſtus ſit, qua iam ipſa caret per iniquitatem. Quod ſi veniale peccatum, vitam gratiæ non aufert, palàm eſt nec ipſum mortale peccatum dici poſſe. Nam cum gratia vita ſit animæ, nihil huic mortiferum eſſe poteſt, quod hanc vitam non eripit, & inducit mortem. Quando igitur veniale peccatum animam gratia non priuat, mortale dici nequaquam poteſt.

LVTH. *Eſt autem articulus mixtus, primo in verbo Auguſtini de Spir. & lit. cap. 4. Liberum arbitrium ſine gratia non valet, niſi ad peccandum. Rogo quæ eſt iſta libertas quæ non niſi in alteram partem poteſt, eamq́ peiorem? Eſt hoc eſſe liberum, non poſſe niſi peccare?*

EPISC. Auguſtinus plane tibi non ſuffragatur, cùm vbique liberum ipſe faciat arbitrium. Nam poſtquam libro de vera religione, cap. 14. colligit, voluntate quemque peccare, mox ſubdit: Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem video dubitandum, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Rurſum in hypo-

Quiſquis liberum arbitrium eſſe negauerit, catholicus non eſt. noſticon. 3. Eſt igitur, inquit, liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negauerit, Catholicus non eſt. Ecce Luthere, vel eius teſtimonio, quem citaſti contra liberum arbitrium, hoc eſt, Auguſtini, tu Catholicus non es, ſi negas liberum voluntatis arbitrium.

Iniquitas Lutheri in allegando. Cæterùm quàm iniquè citaris Auguſtinum, cunctis erit dilucidum qui quid ab eo reſecueris audituri ſunt. Sic enim habet Auguſtinus eiuſdem libri quem citaras capite tertio: Nam neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet. Hactenus pro te facit. Sed adiecit Auguſt. pluſculum, quod tu prætermittis, quodq́ue non parùm ad rem noſtram facit, & contra te, nempe particulam hanc: ſi lateat veritatis via. Quam particulam ſi non dempſeris, quid poteſt eſſe verius? Nam ſi via veritatis ignoretur, quomodo rectè poterit in ea quiſquam incedere? Sed ſi liceat auctores ad hunc modum producere, quis illorum tuæ ſententiæ non ſubſcribere videbitur? Si reſcindere liceat, ad hunc modum & eam ſententiæ particulam truncare, quæcunque tibi aduerſatur, quicquid volueris teſtimonijs auctorum facillimè ſtatues. At inquies: Poſt hanc particulam adhuc ſubijcit Auguſtinus, quod meas partes iuuat. Nam ſequitur: Et cum id quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non benè viuitur. Et hoc quoque veriſſimum eſſe nemo negat. Nam bonam vitam, nullus vnquam aſſequitur ſine gratia. Sed ex hoc neutiquam infertur, quòd ſine gratia liberum arbitrium non valeat quicquam, niſi ad peccandum. Cum & in peſſimis hominibus, vt idem Auguſtinus in eodem libro teſtatur, inueniuntur & bona opera. Sic enim ait cap. 28. Sicut non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam, nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur. Sed adhuc obijcies, Auguſtin: hoc toto libro moliri, vt ſine gratia nemo poſſet operari bonum. At hoc non moliri Auguſt. vel ex eo patet, quòd iam proximè citauimus, nimirum opera quædam bona, vel in peſſimis hominibus inueniri, quæ & ſine gratificante gratia fieri non eſt dubium. Sed hoc conatur Auguſt. vt oſtendat ſine gratia neminem poſſe meritoriè viuere, aut opera facere quæ digna ſunt æterno præmio. Hæc certe molitur Auguſt. in libro, quod & cuiuis lectori perſpicuum erit.

Sed Auguſtino non credam. Scripturas audiamus. Chriſtus dicit Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. Quid eſt hoc, nihil, quod ſine Chriſto facit liberum arbitrium? Præparat ſe, inquiunt, ad gratiam per opera moraliter bona. Sed ea Chriſtus hic facit nihil, ergo per nihil ſe præparat. Mira præparatio quæ per nihil fit. LVTH.

In ſcripturis noui teſtamenti, crebriùs id nihil dicitur, quod nullius meriti ſit, quantum ad æternæ vitæ præmium. Sic enim Paulus. 1. ad Corint. ſeptimo dicit: Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt. Et ad Galat. 6. In Chriſto inquit, Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. Rurſum 1. ad Corinth. 13. Si habuero prophetiam, & nouero myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem Fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et infrà: Si diſtribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Et ad Galat. ſexto. Qui ſe putat aliquid eſſe cum nihil ſit. Ad hunc itaque modum, intelligi debet, quod Chriſtus dixit: Sine me nihil poteſtis facere, hoc eſt, nullum meritum, aut fructum abſque me. Nam paulò ſuperiùs dixit: Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Cum itaque Lutherus quærit. Quid eſt hoc nihil, quod ſine Chriſto facit liberum arbitrium? Reſpondemus: Liberum arbitrium ſine Chriſto, ſi per Chriſtum intelligas gratiam Chriſti, quam dicimus

EPISC.

1. Cor. 7.

gratum

gratum facientem, multa poteſt ſaeere, ram bona quàm mala, de quibus ex Auguſtino ſuperiùs exempla protulimus. Poteſt etiam præparare ſe per opera quædam bona, quæ tametſi uihil ſint ſecuudum vſum loquendi ſcripturarum, uou (Actor. 10.) ſunt tamen ſimpliciter nihil. Neq; hoe mirum (Luca 18.) cuiquam eſſe debet, quando & Cornelius (auctore Auguſt.) hoc modo ſe præparabat, & publicanus, (Actor. 8.) vt refert Chriſtus, atq; etiam Simon Magus per Petrum admonebatur, ita ſe pręparare, quemadmodum in actia traditur.

LVTH. *Verùm quid illud nihil ſit, ipſe frequenter exponit dicens: Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligunt eum, & in ignem mittunt, & ardet. Obſecro, quæ eſt tua frons meretricia ſanctiſſime vicari Chriſti, qua ſic audeas domino tuo contradicere. Tu dicu, quòd liberum arbitrium poſſit parare, vt intres ad gratiam. Contrà, Chriſtus dicit, quòd mittatur foras vt longior fiat à gratia. Quam pulchrè concordat tua bulla cum Euangelio.*

EPISC. (Luca 6.) Sie Luthere, non recordaris, quod Chriſtus apud Lucam ait: Bonua homo de bono theſauro eordis ſui, profert boua, & malus contrà malum. Iam facilè conljeio argumenta deeſſe tibi, cnm ad iſta eonuitia te eonuertas. Nec Pontifici modò conuitiaria, verùm etiam Chriſto uon vereris tribuere, quæ nuſquam ipſe dixit: Neque enim Chriſtus vnquam dixit, peccatorem ita mitti ſoraa, vt longior à gratia fiat, uec poſſer ad gratiam ſe præparare. Nam ſi peccator ſemel exciſus, nequeat ad reditum ſe parare, vt denuò inſeratur, cur (te quæſo) Chriſtus tot parabolis ad reditum inuitauit peccatorea? Cur de filio prodigo meminir, quem poſt longum miſeræ peregrinationia exilium, docet ad ſe reuerſum, ſuas eogitaſſe miſerias, eaq́ue cogi- (Luca 15.) tatione permotum ad patrem redijſſe? Cur de (Matth. 7.) oue, & drachmate perditis ſermonem habuit, aut cur petere, quęrere, pulſare peccatores admonuit, & delictorum veniam implorare, ſi nihil iſta eonferant ad gratiam impetrandam? Ego eertè cum Ambroſio, uec Iudam opinor fuiſſe repellendum, ſi faeinoris ſui veniam à Chriſto poſtulaſſet Horrendum eſt vel cogitare, in quantum deſperationia barathrum hia verbis ipſe miſeroa præcipitaa peccatores, ſi qui tibi fidant. Quomodo enim audebunt aut de peccatia cogitare ſuis, aut ſuas ingratitudines deplorare, aut demum veuiam petere de ſceleribus, ſi modis iſtis potiùs ad iracundiam Deum prouocent, quàm flectant ad elementiam? Quicquid de Bulla pontificia fuerit, tuum vtique dogma, ſat ſcio, pluſquam bis diapaſon ab Euangelio diſerepat.

LVTH. *Chriſtum ergo audiamus, qui palmitis exciſi ponit quinq; perditionis gradus, quibus oſtendit eum ſe non modò non poſſe ad bonum parare, ſed neceſſariò peiorem fieri.*

EPISC. (1 Cor. 15.) Iam apertè fareria, Chriſtum ijs verbis oſtendere, neminem, qui ſemel exciſus fuerit, ad bonum ſe poſſe denuò parare, ſed neceſſariò fieri peiorem. Quod ſi verum ſit, profectò Paulus uon rectè Coriuthium illum qui fuir, ob inſignem fornicationem exciſus à ſtipite Chriſto, compulit ad pœnitentiam. Vt quid enim pœnitentiam ageret, qui nihilò melior, ſed neceſſariò peior eſſet futurus? Sed nec in virga ſe venturum, iuſtè minatus eſt, ob eos qui peccauerunt, & non- (2 Cor. 13.) dum egerunt pœnitentiam. Cur enim ad pœnitendum adigeret eoa, quos nouit per pœnitentiam fieri deteriores? Er infrà rurſum ait: Prædixi enim & prædico, vt præſens vobis, & uunc abſens, hia qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quouiam ſi venero iterum, non parcam. Profectò ſi neceſſariò peior euadaris, qui gratiam amiſit, fruſtrà Paulua aut verbis, aut verberibus eiuſmodi pronocar ad eam denuò conquireudam. Haud rectè igitur hoc loco Chriſtum interpretaris. Neq; enim quiſquam exciſus, ita foras mittitur, vt redire non poſſet, modò quantum in ſe fuerit, diligentiam ſit præſtiturus Chriſtus ergo nequaquam de redituris locutus eſt, ſed de hia, qui ſuoa auimos obfirmarunt iu malitia, ſeeum eonſtituentea nunquam eſſe reuerſuros. Nam ipſe palàm cũctis pollicetur, Ioannia ſexto, quòd neminem ſoras eijciet, qui ad ſe venerit. Eum, inquit, qui venit ad me, non eijciam foras.

Primus eſt, quòd foras mittitur, ergo non intromittitur, datur in poteſtatem Satanæ, qui non permittit eum conari ad bonum: quid enim aliud foras mittere, poteſt ſignificare. LVTH.

Ineptè eolligis, non poſſe rurſum intromitti, qui ſemel ſoras mittitur. (EPISC.) Verum equidem eſt, quòd pro tune non intromittitur, quando ſoras mittitur, ſed quod poſtea non poſſet inrromitti, neutiquam ex illo conſequitur. Porrò tua ſententia eſt, quòd nequaquam denuò poſſet intromitti, quoniam, ais, iu poteſtatem Satanæ traditur, qui non permittit eum conari ad bonum. Aberras Luthere, toto (vt aiunt) cœlo. Nemo enim dum viuit, ſic in poteſtatem venit Satanæ, vt nou poſſet ad bonum eonari. Nullis Eccleſiæ eommunia matria gremium clauditur, quantumcunq; ſceleratis, modò redire velint. (1. Cor. 15.) & pœnitenriam condignam agere. Sed & Corinthius ille, qui palàm ex gratia decidir, & ex hac vite meritiſſimè fuit exciſus, haud aliter tamen in poteſtarem traditus, niſi vt ſpiritua eius ſaluus fieret. Demiror ſanè te, qui de ſcripturarum notitia tantopere gloriaria, hæc adeò mordicus aſſerere velle, neminem (qui fuerit exeiſus) poſſe ad bonum ſeſe parare, ſed neceſſariò fieti peiorem, traditumq́ue in poteſtatem Satanæ, nec permiſſum vt ad bouum denuò redire conetur. Sed & vrges adhue pereontando. Quid enim inquis aliud, foras mittere, ſignificare poteſt? Poteſt vtique diligens ſcripturarum lector tibi reſpondere, quod cum hæc omnia græcè præſentis temporia ſint, ad vnum tempus referri debeant, nimirũ ad iudicij diem. Nam & tune quemadmodum in parabola de ſagena piſcium tradltur, quòd electis bonia, mali foraa mittentur. Sie quid prohibet de malis pal- (Matth. 13.) mitibus idem intelligi? Tum enim (cuiq; dilucidum eſt) colligentur exciſi palmites, & in iguem mittentur in perpetuum arſui.

Secundò, areſcit, hoc eſt, quotidiè peior fit ſibi relictus. LVTH.

Sed

EPISC. *Quando peccator dicatur ſibi relictus.*

Sed iam addis hanc particulam, ſibi relictus, id quod vellem apertius explicares. Dic nobis (quæſo) quando tu relictum ſibi peccatorem exiſtimas? An propter inopiam generalis influentiæ Dei, qua cuncta viuunt, mouentur & ſunt? An propter defectum gratiæ gratis datæ, qua iuuari poteſt liberum arbitrium, vt reſipiſcat, quomodo & filium prodigum reuerti fecit miſeriæ ſuæ contemplatio, & multi per conciones quotidie reſipiſcunt? An denique propter gratiæ gratum facientis amolitionem, qua certum eſt deſtitui cunctos, qui mortali peccato ſunt affecti? Hos enim tres modos tuus ille Gregorius Ariminenſis diſtinguit, & palàm aſſerit, ſine gratia, quæ faciat opera Deo vitam æternam accepta, peccatorem poſſe benè & moraliter agere. Nimirum pœnitere, & orare, & eleemoſynas dare, atque id genus alia facere. Hæc inquam aſſerit fieri poſſe, ſine gratia diuina gratum faciente quanquam non omninò ſine omni auxilio gratiæ. Huius generis opera, Cornelium

Actor. 10.

Centurionem, etiam auctore Auguſtin. multa feciſſe tradit idem Gregor. priuſquam gratiam, qua ad cœleſtis regni præmium gratificaretur, accepiſſet. Sed & cathecuminos aſſerit eodem auctore, ſimilia priuſquam baptizentur, operari poſſe. Si igitur eum, qui ſola gratia gratum faciente deſtitutus fuerit, ſibi ſic relictum credas, vt reuerti non poſſit, longè diſſidemus à ſententia tua. Nam innumeros ipſe fuiſſe non dubito, qui poſtquam hanc gratiam amiſerunt, ſe tanto conatu præparârunt ad reditum, non dico abſq; omni auxilio gratiæ, ſed abſque omni gratia qua peccator ad cœleſte præmium acceptatur, vt in Chriſtum ſtipitem denuo ſint inſerti.

LVTH. *Atq; hæc ſunt opera duo liberi arbitrij ſcilicet peccare, & perſeuerare, augeſcereq; in peccatis: foras mitti & areſcere. Si enim aliud poteſt liberũ arbitriũ, Chriſtus certè mentitur.*

EPISC. Certiſſimum eſt, non mentitum eſſe Chriſtum. Quin tu potiùs videris, ne ſis mentitus, qui falsò Chriſtum interpretaris. Cur enim mentitum eſſe Chriſtum putas? An quia dixit: Sine me nihil poteſtis facere? Nihil hoc repugnat ijs, quæ iam diximus, modò non perperam intelligatur. Nihil enim fructus, hoc eſt, meriti peccator operatur abſque gratia. Nam hæc niſi adſit operantis animo, nullum opus quantumuis optimè factum æterno præmio dignum acceptatur. Et quicquid eiuſmodi non eſt, id ſcriptura (quemadmodum ex Paulo docuimus) nihil vocat. Non quòd ſit penitus nihil (vt ſæpe diximus) ſed quòd non tantæ reputationis ſit apud Deum, vt æterna beatitudine præmietur. Poteſt ergo peccator extra gratiam conſtitutus, multa facere, quibus (ſi perſeueret) diuinam ſibi gratiam poterit conciliare. Alioqui non dixiſſet Auguſt. Si non traheris, ora vt traharis. Nam qui non trahitur, adhuc extra gratiam eſt. Et ſi per precationem impetrare poſſet vt trahatur, poteſt per precationem gratiam obtinere. Cæterùm de peccatore qui reditum non molitur, facilè conceſſerim quòd quotidie magis ac magis in profundum vitiorum demergatur. Nam

Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere.

peccatum (vt ait Gregor.) quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. Verùm nos de tali peccatore non loquimur, ſed de illo, qui reſurgere ex hac ſordida peccatorum fece, pro viribus conatur, cuiuſmodi plurimos eſſe nihil dubitamus, qui per aſſiduas preces, & multas lacrymas, ingentemque pœnitudinem ad Deum redire ſtudent. Atque ita facientes, palam eſt, quòd non deterius peccant, neque peiores fiunt, aut augent ſibi peccandi malitiam.

Gregor.

LVTH. *Tres ſequentes pœnæ ſunt, colligunt ſcilicet ad iudicium, vt coniungatur cum alijs, deinde data ſententia, in ignem mittunt æternum, vbi tandem non niſi ardet, id eſt, pœnam luet æternam.*

EPISC. At cur non identidem & priores ad idem tempus referuntur? Nam vnius temporis omnia Græce ſunt, quanquam tu quædam præſentis, quædam futuri pro tuo cerebro facias. Omnia tamen hæc, ad futurum iudicij diem ſpectant, quando cum corporibus ſuis reſurgere habent cuncti, & redditurí ſunt de factis proprijs rationem. Tunc enim mali palmites à bonorum conſortio ſeparabuntur, & hoc eſt foras mitti. Sic enim in parabola de virginibus, quæ fatuæ ſunt foris excluduntur. Et in parabola de talentis, is qui ſuum talentum abſcondit in terra, proijcitur in tenebras exteriores. Rurſum in parabola de ſeparatione ouium ab hædis, ſeparantur à bonis impij, & eijciuntur à facie iudicis. Et in parabola de Sagena, quòd illic mali piſces foras mittuntur, Chriſtus ipſe de ſeparatione malorum hominum à bonis (quæ in iudicio futura eſt) docet intelligendum. Foras ergo mitti, eſt à bonorum conſortio ſeparari. Areſcere verò tunc impij dicuntur, vel vt ſignificetur corporum qualitas cruciatibus ignis idonea, vel certè tunc areſcent impij, nimirum præ timore & expectatione malorum, quæ superuentura ſunt eis. Tertiò colligentur ijdem in faſciculos, ad comburendum. Quartò mittentur in ignem Et quintò demùm illic ſine fine ſunt arſuri. Hæc omnia toties in Euangelijs Chriſtus inculcat, & ad iudicij diem attinere monſtrat, vt fruſtra Lutherus ad alium ſenſum ea torquere nitatur.

Foras mitti.

LVTH. *Nihil ergo poſſe liberum arbitrium, non eſt vt illi fingunt, non meritorium operari, ſed eſt foras mitti & areſcere. Palmes exciſus non ſeſe parat ad vitem, neq; enim poteſt: ſed longiùs fit a vite, & magis ac magis perit, ita & liberum arbitrium ſeu impius homo.*

EPISC. Naturalis profectò palmes, cum exciſus fuerit, non poteſt ad vitem ſe parare denuo. Hoc rectè dicis, quia libero caret arbitrio. Verùm id myſtico palmiti non negatur, quin per libertatem arbitrij ſe parare poſſit. Quis vſqueadeo truncus eſt, vt non cernat hominem quantumuis peccatorem, poſſe (modò velit) precari veniam, tundere pectus, atque cum publicano dicere: Deus propitius eſto mihi peccatori. Et hac nimirum via, Chriſtus affirmat hunc. Publicanum ad iuſtificationis gratiam acceſſiſſe. Falſum eſt igitur quod myſticus palmes ſemel exciſus, neceſſario peior efficitur, aut quòd nõ poſſet ad gratiam denuo

Naturalis palmes.

Myſticus palmes.

nno parare ſeſe. Nec vrget ſimilitudo producta, nimirum quia naturalis palmes nec ſenſum habet, nec arbitrij libertatem. At myſticus vtrumq; poſſidet. Quo fit vt poteſt de periculis imminentibus audire commonitorem, ſimul & cum audierit, remedia conquirere.

LVTH. *Geneſ. 6. & 8. Senſus & cuncta cogitatio cordis humani ad malum prona ſunt omni tempore, obſecro, qui cunctam cogitationem cordis malam facit idq; omni tempore, quam relinquit bonam quæ præparet ad gratiam? An malum diſponit ad bonum?*

EPISC. Quanquam multum ſycophanticè recenſeas hanc ſcripturam, non tuo tamen inſeruire poteſt inſtituto. Nam eſto fuerit omnis humani cordis cogitatio prona ſemper ad malum, quod tamen ſcriptura non aſſerit, vti mox dicemus, non inde conſequitur, quòd mala ſit, hoc eſt, per peccati malitiam inquinata, quemadmodum tu colligere ſtudes. Pronitatem enim hanc frenare poteſt aliquouſque libertas arbitrij, ne mala fiat, hoc eſt, ne peccatum ipſa vel pariat, vel concipiat, Neque enim concupiſcentia iſta, quando primùm ſtimulat, peccatum eſt, ſed poſtea per conſenſum mentis peccatum ea ea concipitur. Iacob. 1. Quod & diuus Iacobus confitetur, Inquiens: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus & illectus, deinde concupiſcentia (cum conceperit) parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem. Iſta nimirum concupiſcentia, de qua Iacobus hic loquitur, ipſa cordis humani cogitatio intelligi poteſt, quàm ſcriptura Geneſ. tibi videtur aſſerere pronam ad malum ſemper. Cæterùm id neutiquam aſſeritur Gen. 6. (Geneſ. 6.) ſed malitia duntaxat illius temporis memoratur, quo generatim vniuerſum hominum genus, ſpurca libidine fuerat inquinatum. Nam paulò inferius dicitur. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. Propter hanc igitur carnis immunditiam, hoc ipſo tempore tam latè diffuſam, ſcriptura illic prodidit, vidiſſe Deū, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, cuncta & cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. (Geneſ. 8.) Sic enim ad verbum Gen. 6. ſcribitur. Et hoc nimirum ad illa ſolùm tempora ſpectabat. Rurſum 8. ſic habetur: Senſus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Quibus verbis nihil amplius aſſeritur, quàm pronitas ad malum in ſenſu & cogitatione cordis humani. Sed hanc pronitatē (vt diximus) moderari poteſt arbitrij libertas, ne ſemper prorumpat in malum. Tu tamen vtrumq; locum callidè permiſces in tuum, nimirum vt vnam ſententiam ſtatuas, cum neutro loco ſic habeatur vt tu recenſes. Neq; enim aut hic aut ibi ſic legitur: Senſus & cuncta cogitatio cordis humani prona ſunt ad malum omni tempore.

LVTH. *Nec eſt quòd hanc auctoritatem eludat quiſquam, quaſi cogitationem ſuam malam poſſit homo cohibere aliquando. Quæ enim cogitatio hoc facit aut patitur, vtraque bona eſt, ſed inter eas, quæ cuncta dicuntur, non numerabitur. Si vna bona in eo eſſe poteſt, mentitur Moſes qui cunctas malas eſſe affirmat.*

EPISC. Nimis quam ſophiſticè ſtringis iſta, vel ſi adeſſet vox ipſa diſtribuens, nempe cunctæ, quæ nequaquam hic adeſt. Nam ſi Moſes hoc. 2. Gen. loco, qui ſane generatim ad omnes pertinet, dixiſſet, Senſus & cuncta cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum omni tempore, quod neutiquam dixit, non deberes tamen ita ſtringere, vt nullam omninò cogitationē, in quouis homine bonam eſſe colligas. Nam certum eſt. Noë ſaltem & ſuos multa bene cogitaſſe, cum ſcriptura tradat, eum virum fuiſſe perfectum. Quamobrem non de ſingulis humani cordis cogitationibus id accipiendum eſt, ſed de ijs duntaxat quæ per fomitis miniſterium ebulliebant. Nam erat Noë, vt cap. 6. ſcriptum eſt. Vir iuſtus atq; perfectus, & cum Deo ambulaſſe legitur. Sed nec in cæteris vſqueadeo ſepulta fuit ratio, quin potuiſſent interdum quædam bona cogitaſſe. Verùm vtcunq; fuerit: nec ſingula quæq; cordis humani cogitatio mala fuit. Neq; Moſes mentitus eſt, qui nec iſtud de cunctis affirmauit cogitationibus, vti lectori compertiſſimum eſſe poteſt. (Geneſ. 8.) (Geneſ. 6.)

LVTH. *Inſuper textum Hebræum ſic referre licet. Quoniam quicquid cupit & cogitat cor hominis ſolummodo malum eſt, omni die addetur enim particula excluſiua, ad malum, quam noſtra tranſlatio non reddidit. Nec verbū cupit, reddidit, nec plenè verbum cogitat ſeu cogitationem, vertit.*

EPISC. Hoc eſt quod ſuperius dixi te ſycophanticè moliri, quatenus complices, & conuolnas in vnum hos duos locos, nimirum vt ita tuus articulus comprobetur. Atqui nihil magis Luthere. Neuter enim locus ita reddendus eſt. Sed Geneſ. 6. ſic habetur ad verbum: Et vidit Deus quòd multa malitia hominum in terra (ſupple fuit) & omnia machinatio cogitationum cordis eorum mala duntaxat omni die. Nam Hebraice Ietzer (Ietzer.) non ſolùm cupiditatem, & deſiderium verumetiam figmentum ſeu plaſmationem ſignificat. Sic enim Hieron. Pſal. 103. traduxit, vbi vox eadem habetur. (Hieron.) Et ipſe cognouit plaſmationem noſtram, Iatzar enim fingere, ſeu formare dicitur. (Iatzar.) Et inde Ietzer, fictio ſeu machinatio dici poteſt. (Ietzer.) Nomen enim eſt Ietzer, non verbum, (Ietzer.) vt cuique vel mediocriter in Hebraicis erudito, dilucidum eſt. Nam ſi verbum eſſet præſentis (Iotzer non Ietzer.) temporis (vt tibi viſum eſt) eſſet Iotzer non Ietzer. Alterum verò, nempe Machushaboth nomen verbale eſt ab Chashab, id eſt, cogitauit deſcedens. (Machaſheboth) (Chaſhab.) Cæterùm ſi recta foret traductio tua, quis adhuc non proſpicit iſtud pro illius ætatis hominibus fuiſſe dictum, quando omnis caro præter Noë & ſuos, corruperat viam ſuam, vt nihil cuperent aut cogitarent præter voluptates carnis. At quod Geneſ. octauo traditur, ſic ad verbum reddi poteſt. (Geneſ. 8.) Et dixit Deus in corde ſuo, Non addam ad maledicendum amplius terræ propter hominem, Quoniam machinatio ſeu deſiderium humani cordis malum à iuuentute ſua. Et hoc nimirum generatim ad omnes pertinet: Cum nemo ſit qui fomite careat, à quo partim concupiſcentiæ ſuggerlent indeſinenter. At ex his verbis, Lutherus argutiam ſuam ſtabilire nequit, cum hic vniuerſitatis nota defuerit. Neque enim dicitur. Omne deſiderium cordis humani

malum. Quandoquidem multa ſunt humani cordis bona deſideria. Cuiuſmodi & Dauid ſe habuiſſe teſtatur, cum dixit: In toto corde meo exquiſiui te.

LVTH. *Vult enim Moſes, non modo otioſas & ſpontaneas, ſed etiam ingenioſas, & eas quibus homo de induſtria cogitat aliquid facere, atq; has etiam non niſi malas dicit, vt nihil faciant Pelagiani iſti, qui libero arbitrio tribuunt ſi ſtudioſè laboret, ad bonum aliquid valere.*

EPISC. *Geneſ 6.* *Geneſ. 8.* Neutro ſane loco Moſes hoc dicit, vt lectori palam eſſe poteſt. Sed illic vbi particulam adijcit excluſiuam, de ſeculo tum præſenti locutus fuit, quòd nec ad poſteritatem trahi, torqueriue debet. Altero verò loco, qui cunctos reſpicit, excluſiua particula non adijcitur, quemadmodum ſuprà docuimus. Fruſtra igitur Lutherus ex his colligere molitur, voluiſſe Moſen omnes cogitationes hominum non ſolùm otioſas & ſpontaneas, verum etiam ingenioſas, & eas quibus homo de induſtria cogitat aliquid facere non niſi malas eſſe. Moſes enim de ſolis illis cogitationibus, quas caro ſuggerit, locutus eſt, non quas ſpiritus humanus adminiſtrat. Habent *Galat. 5.* enim hæc duo perpetuum in homine bellum, niſi fortè Paulum etiam mentiri dixerimus, qui ſpiritum ait aduerſus carnem concupiſcere, quod & de ſpiritu, humano accipiendum eſt. Quamobrem vt caro prauas, ita ſpiritus contra, bonas humano cordi cogitationes immittere putandus eſt. Neque Pelagianorum hæreſim hic habere locum vlla formido eſt, quando non dicimus hominem abſque gratia gratum faciente, cogitationem habere meritoriè bonam, id quod illi poſſe fieri pertinaciter aſſeruerunt. Nam hoc præcipuè damnat in eis Auguſtin quòd in bono propoſito meritum poſuerint, cui merito iam merces ſecundum debitum, non ſecundum gratiam redderetur.

LVTH. *Iterum Geneſ 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Si homo caro eſt quid poteſt in bonum? An ignoramus opera carnis propria Galat 5. quæ ſunt fornicatio, immunditia, laſciuia, ira, inuidia, homicidia &c. hæc ergo ſunt, quæ lib. arbit. facit, dum facit quod in ſe eſt. Hæc autem omnia ſunt mortalia. Nam Roman. 8. Prudentia carnis mors eſt, & inimica Deo. Quomodo mors ad vitam, quomodo inimicitia ad gratiam ſe diſponit.*

EPISC. Et hic rurſum ſycophantia tua cunctis innoteſcere poteſt. Satis enim noſti non ſic Hebraicè ſcriptum eſſe. Sed cum tibi placet, nunc Hebraico ſiue Græco, nunc Latino vteris codice. Nihil apud te refert, quocunq; modo poſſis hæ*Hieron.* reſim fucare tuam. Negat certè Hieronymus hic haberi verbum, permanebit, ſed in Hebræo ſic ſcriptum eſſe teſtatur: Nõ iudicabit ſpiritus meus homines iſtos in ſempiternum, quia caro ſunt. Quam ſententiam & hac illuſtrat periphraſi, Hæc eſt (inquit) quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos ſeruabo cruciatus, ſed hic illis reſtituam quod merentur, in quibus verbis & hoc aduertendum eſt, quòd de illius ſeculi hominibus Hieron. Moſen loqui cenſuit. Non iudicabit (inquit) ſpiritus meus homines iſtos in ſempiternum. Tum enim fuerant vſqueadeo brutales effecti, vt nihil præter carnis deſideria ſectarentur. Rabbi Samuel tamen apud Lyram *Rabbi Samuel.* ait hanc eſſe literæ veritatem. Non diſceptabit ſpiritus meus in homine in æternum, perinde ac ſi dixiſſet Deus. Hactenus per modum diſceptationis in ſuſpenſo tenui ſententiam, de deletione generis humani per diluuium. At nunc ſententia feretur, quia caro eſt, hoc eſt, peccatis carnalibus ſuprà modum implicatus. Hæc Samuel ille. Breuiter quotquot Hebraice ſapiunt, negant hic haberi verbum permanebit, ſed & concorditer aſſerunt id intelligi debere non de toto genere humano, ſed de illis duntaxat, qui ſeculo vixerunt ipſo. Quamobrem ſi veritatem Hebraicam ſequi volumus, nihil hæc ſcriptura pro te facit. De latinis verò mox dicemus.

Sic enim ſpiritus in hominibus non manet, mortui ſunt coram DEO, *Mortuus autem non vitæ ſed mortis opera neceſſario faciet. opus autem mortis ad vitam non diſponit. Figmenta ergo ſunt omnia quæ de præparatione liberi arbitrij ad gratiam tot libris tractata ſunt.* LVTH.

Qui verò Latinam ſequuntur interpretatio- EPISC. nem, ſpiritum hic nequaquam accipiunt, pro ſpiritu Dei, quemadmodum tu videri vis: ſed pro indignatione Dei & carnem intelligunt, fragilitatem, ſeu pronitatem ad peccandum, vt ſit ſenſus. Non pergam aduerſus hominem indignari, quia fragilis eſt, & pronus ad peccandum. Sed temporaris mihi potius de illo pœna ſumenda eſt, ne pereat in æternum. Tu verò putas his verbis, DEI Spiritum hominibus ademptum fuiſſe, neque paſſum vt in eis diutius permaneat, ac proinde mortuos cunctos aſſeris coram Deo. Sed & opera quæ faciunt omnia, neceſſario mortis opera contendis eſſe, non vitæ. Qualibus (vt ais) nemo ſe poteſt ad vitam diſponere. Hæc haud dubiè ſi non mera figmenta *Lutheri figmenta.* ſint, nulla vnquam à quouis cogitari figmenta potuerunt. Sunt enim meraciſſima mendacia, & contra omnem veritatem, non modo ſacrorum interpretum, verumetiam ſcripturarum, vt mox oſtendemus.

Eſaias etiam dicit. 40. cap. ſuſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. Quid hic dicent? gratiam dicit a Domino non dari niſi pro peccatis, ſcilicet pro malis. LVTH.

Niſi pudorem omnem exuiſſes, nunquam ſcri- EPISC. pſiſſes iſta. Cedo vbi dixit hoc Eſaias, nempe quòd *Luth. inſania gratiam non dari niſi pro peccatis.* gratia nemini datur à Deo, niſi pro peccatis. Eſto quòd per duplicia, quæ Hieruſalem hic ſuſcepiſſe dicitur, gratia ſimul & gloria poſſunt intelligi. *Matth. 2.* Num ob id tibi videtur, hæc iuſta cõſecutio? Do- *Luca 5.* natur huic populo gratia pro malefactis. Ergo nemini niſi pro malefactis donatur gratia. An quia Matthæus cum nihil egiſſet boni, neque vllam antè fecerat præparationem, vocatus fuit ad gratiam. Cornelius qui precationib. & eleemoſynis ſe præparauit, vocari non potuit ad gratiam? Nihil oportet. Quid enim hac Dialectica fingi poteſt inſulſius. Nam de Cornelio certum eſt, quæ *Actor. 10.*

ante

ante gratiam gratum facientem, eius orationes & eleemoſynæ fuerunt acceptæ Deo. Dixit enim angelus: Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectuDei. Cæterum Hieron. hunc locum ad literam ſic docet accipiendum. Superius equidem Eſaias præmiſit. Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Dominus Deus veſter. Cauſa conſolationis (inquit Hiero.) remiſſio peccatorum eſt, & cauſa remiſſionis, quia ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Qui enim ſcit voluntatem Domini, & non facit, plagis vapulabit multis. Et paulo inferius: Iuxta hiſtoriam, inquit, recepit Hieruſalem de manu Domini duplicia peccata ſua, ſemel à Babylonijs, ſecundo à Romanis. Iuxta hiſtoriam igitur, vltio magis quam gratia debet intelligi. Duplicem enim vltionem acceperunt peccata Hieruſalem, alteram à Babylonijs, alteram à Romanis. Propter quod & ſuperius dixit Eſaias. Completa eſt malitia eius. Quod non de malitia culpæ poteſt intelligi. Quia nondum Chriſtum occiderant, ſed de malitia pœnæ. Perinde ac ſi dixiſſet, finita eſt malitia, hoc eſt, afflictio ipſius, & demiſſa eſt iniquitas ei. Quòd ſi literalis is ſenſus huius ſcripturæ fuerit, fruſtra tu ex myſtico ſenſu colligis argumentum, vel ſi conſecutio validiſſima foret. At multo magis id fruſtraneè facis, cum neruis omnibus careat collectio tua. Cæterùm Origenes homilia quinta ſuper Mattheum, locum hunc in Eſaia prorſus interpretatur hoc duplici punitione, non pro gratia duplici.

Hieron. — *Eſaia 40.* — *Duplicem vltionem non duplicē gratiam recepit Hieruſ. de manu Domini.* — *Origen.*

LVTH. *Atque id quod dicit, omnibus, id ſignificat, quòd nihil niſi peccata fecerit antè gratiam, ſeu omnia opera eius peccata fuerint.*

EPISC. Et ſimili prorſus dialectica colligis iſtud, nempe quoniam dixit Eſaias, Hieruſalem ſuſcepiſſe de manu Domini duplicia pro peccatis ſuis omnibus, ideo ſubinfers, omnia opera Hieruſalem ante gratiam peccata fuerunt. Si per gratiam intelligas eam, quæ gratis dari, non gratum facere dicitur facilè recipio quod infers, quanquam ipſa conſecutio nullius omnino momenti ſit. Sin per gratiam intelligi velis gratum facientem, nihil abſurdius eſt, quàm quod ante iſtam gratiam, nemo quicquam boni fuit operatus. Nam cui non credibile eſt in tanto populo fuiſſe, multos Cornelij Centurionis ſimiles, hoc eſt, qui nondū accepta hac gratia, plurima feciſſent opera bona. Talem enim opinor fuiſſe Tobiam, qui non pr[illegible] peccata ſua, ſed propter orationes & eleemoſynas ſuas acceptus fuiſſe Deo legitur. Angelumque Raphaëlem accepiſſe conſolatorē. Talem & Iudith viduam arbitror fuiſſe, per quam non quia peccatrix fuerat, ſed quia ſanctè & caſtè vixerat, atque in precationibus & ieiunijs, ac cæteris ſuæ carnis caſtigationibus erat aſſidua, Deus Bethuliam, & proinde totam Iudæam ab Honofernis tyrannide liberauit. Et Heſter reginam, quæ non propter admiſſa, ſed propter ſummam humilitatem, & corporis afflictionem ac precationes ardentiſſimas obtinuit, vt à maximis calamitatibus per Dei gratiam eriperetur. Sed ne multis morer, Zacharias & Elizabeth, quos Euangeliſta iuſtos fuiſſe memorat, & in omnibus Dei mandatis, ac iuſtificationibus inceſsiſſe ſine querela, non propter peccata ſua, ſed propter vitæ ſanctimoniam, filium, cum eſſent ætate prouecti & ſteriles, acceperunt, & talem quidem, quo maior inter natos mulierum non ſurrexit.

Tob 5. — *Iud. 13.* — *Heſt. 8.* — *Lucæ 1.*

LVTH. *Si autem de manu domini contingit ſuſcipere gratiam, pro operibus congruis quæ peccata non ſunt, falſum hic Eſaias dixit, & gratia Dei vileſcit, vt quam penitus indignus dedit, ſicut Pelagiani docuerunt, a quorum ſenſu, niſi ſolis verbis diſtamus. Siquidem & nos mereri gratiam, licet non de condigno prædicamus, quod & ipſi conceſsiſſent, neque enim gratiam Dei tam vilem habuiſſent, vt ea digno merito donari dicerent.*

EPISC. Nec Pelagianos rectè docuiſſe putamus, qui ſine meritis nemini donari gratiam exiſtimant. Sed neque Lutheranos, qui nemini niſi pro peccatis conferri gratiam opinantur. Sed eum orthodoxis medium iter incedimus. Nos enim aduerſus Pelagianos aſſerimus neminem poſſe mereri gratiam. Et contra Lutheranos affirmamus, neminem à gratia repudiandum eſſe, qui totis viribus eam quærit. Scimus enim dixiſſe Petrum. In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Quiſquis ergo pro ſua ætate conatur, & timere Deum, & iuſtitiam operari, Deo certè futurus eſt acceptior, & gratiam ſuam tanta & tam immenſa benignitas illi negare non poteſt. Verùm haud ita quòd quiſquis ſuis operibus ſe dignum efficere poſſet, cui gratia conferatur, vti Pelagianorum dogma fuit, ſed quòd pronior ſit Deus ad miſerandum ijs, qui ſpe clementiæ ſuæ prouocati, ſuam pro viribus adhibent diligentiam, & nullam (vt aiunt) non mouent lapidem, quo poſſent ab eo veniam conſequi. Quid enim indignius de clementia Dei cogitari poſſet, quàm quòd ſupplicum & veniam poſtulantium lacrymis nolit flecti? ſed quòd his grauius offendatur, & inde reddatur implacabilior atque indignabundus magis.

Pelagianorum hæreſ. — *Luther. hæreſis.* — *Orthodoxi.* — *Neminem poſſe mereri gratiam.* — *Neminem à gratia repudiandum qui totis virib. eam quærit.*

LVTH. *Idem Eſaias ibidem. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos fœni. Exiccatum eſt fœnum, & flos cecidit. Quia ſpiritus Domini ſufflauit in illud. Verbum autem Domini manet in æternum. Da fœnum & florem eius. Nonne caro homo, ſeu liberum arbitrium. & quicquid eſt hominis? flos eius & gloria, nonne eſt virtus ſapientia, iuſtitia liberum arbitrium vnde poſſit gloriari, aliquid eſſe & poſſe.*

EPISC. Haud rectè florem hic intelligis Luthere. Neque enim flos graminis id dici poteſt, quod non ex gramine ſuppullulat. Donemus vt caro fœnum dicatur, aut gramen. Et eſto flos carnis, quicquid ex carne pulchrum exoritur. Eſt enim ſpecies, & decor, ac pulchritudo carnis, flos eius. Sit inſuper cogitatio carnalis, & omnis eius prudentia, atque vt (vno verbo dicam) quicquid ex homine (quatenus imaginem terreni refert) germinat, ſit inquam, vti flos fœni. Sed hæc noſtræ ſententiæ, nihil officient.

Nos enim de operibus loquimur, quæ non caro ſuggerit, aut prudentia carnis, ſed quæ ſpiritus, nempe ſuperior animi portio, quæ carni perpetuo reluctatur. Hic enim Spiritus, audito verbo DEI, per fidem citra gratiam poteſt peccata ſua deteſtari, & veniam implorare, ſeduloque gratiam quærere. Poteſt inſuper & penſata iactura, quam intulit ſibi caro, non ſolùm amiſſi temporis, verumetiam ingentis cumuli meritorum, de carne pœnas ſumere. Et quis iſta dicet ex carne naſci? Aut quis de ſe ipſa carnem vlciſci velle ſibi perſuadebit vnquam. Rectius igitur hoc loco

Hieron. Hiero. Florem carnis, pro ſpecie carnis accipit, non pro virtute animi. Si quis, inquit, fragilitatem carnis aſpiciat, & quòd per horarum momenta creſcimus, atque decreſcimus, nec in eodem manemus ſtatu, ipſumque quod loquimur, dictamus, & ſcribimus, de vitæ noſtræ parte prætervolat, non dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam eius quaſi florem fœni, ſiue prata camporum. Qui dudum infans, ſubito puer: qui puer, repente iuuenis, & vſque ad ſenectutem, per ſpatia mutatur incerta, & ante ſe ſenem intelligit, quam iuuenem non eſſe ſe miretur. Pulchra mulier, quæ adoleſcentulorum poſt ſe trahebat greges, arata fronte contrahitur, & quæ prius amori, poſteà faſtidio eſt. Quod & egregius apud Græcos ſcribit orator. Speciē corporis aut tempore deficere aut languore conſumi. Ecce Hieronymus hic per florem carnis, ſpeciem corporis intelligit, non fidem, non ſpiritum, néue quicquam aliud quod ex his proficiſcitur.

LVTH. *Qua ergo ratione fit vt flante ſpiritu, exiccetur & cadat, & manente verbo pereat? Nonne ſpiritus eſt gratia, qua tu dixiſti liberum arbitrium iuuari, & eius præparationem conſummari.*

EPISC. Neque minus erras in interpretatione huius vocabuli ſpiritus. Nam hic per ſpiritum interpretes intelligunt ſpiritum diuinæ ſententiæ &

Hieron. indignationis. Exiccata eſt (inquit Hieron.) caro, & cecidit pulchritudo. Quia furoris ſpiritus Dei atq; ſententiæ flauit in ea. Leuis flatus vltionis Dei, mox diſparere facit omnem carnis florē, & pulchritudinem. Neque enim ſemper deperit ſpecies carnis ad afflatum diuini ſpiritus. Nam erant complures forma corporis eximia præditi, qui ſpiritus gratiam nihilominus acceperunt. Quocirca non poteſt de hoc Spiritu accipi, cum dicitur Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. quia Spiritus Dei flauit in eo, ſed de ſpiritu furoris & vltionis diuinæ.

LVTH. *Cur ergo hic exiccatum & cecidiſſe dicit quicquid eſt etiam optimum carnis? Nondum vides Spiritum & liberū arbitrium eſſe contraria? Siquidem illo flante, hoc cadit, & non manet cum verbo. Non autem caderet & periret, ſi ad flatum Spiritus & verbi aptum & præparatum eſſet.*

EPISC. Ex hoc dilucidum eſt, quàm nihil non rapere ſtudeas, & ad ſenſum tuum non torquere, cum & huic ſcripturæ tantam vim inferas, vt liberum arbitrium carnem facias, & ſpiritum vindictæ, Spiritum ſanctum & gratiam. Nam ex eo quod propheta dixit: Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Dei flauit in eo: tu colligis liberum arbitrium cecidiſſe ad flatum gratiæ. Ais enim. Nondum vides Spiritum, & liberum arbitrium eſſe contraria? Siquidem illo flante, hoc cadit. Sed multum aberras Luthere. Neque enim ad flatum gratiæ, quod tu fieri contendis, liberum arbitrium cadit, imò tunc erigitur magis, dicente Paulo. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. 2. Cor. 3. Iuuatur enim arbitrij libertas per gratiam Spiritus non opprimitur: erigitur, non obruitur, & demum à ſeruitute peccati (quo ſub Diaboli tyrannide premebatur) exempta, diuini iuris euadit compos.

Hiere quoque 10. cap. ſic dicit: Scio domine, quoniam non eſt hominis via eius, nec viri eſt, vt dirigat greſſus ſuos. Quid potuit apertius dici? LVTH.

Duplicem hæc verba ſenſum habent, cum poſ- EPISC. ſent, vel de Babylonijs intelligi, vel de Iudæis. Superius enim de Babyloniorum acceſſu, ad vlciſcenda Iudæorum peccata dixit Hieremias. Vox Hiere. 10. auditionis ecce venit, & commotio magna de terra aquilonis, vt ponat ciuitates Iuda in ſolitudinem. Propter quod iam ſubijcit, Scio domine, quia non eſt hominis via eius, hoc eſt, non proprio venit inſtinctu, ſed per te, cuius benignitatem offendimus, excitatus eſt contra nos, & hoc quod à Babylonijs ſuſtinemus (vt Hiero. verbis Hieron. vtar) non eſt eorum fortitudinis, ſed noſtri meriti, & indignationis tuæ. Et is ſenſus apertiſſimè quadrat prioribus. Cæterum, ſi quod proxime ſequitur aduertamus, nempe, quod in perſona populi Iudaici propheta corripi poſtulat, vt vel ſic emendetur, Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore, ne fortè ad nihilum redigas me, ſic vtique ſenſum alium habere poteſt, nimirum hunc. Scio domine, quòd non eſt hominis ſi ſuo ductui relinquatur, ſuos greſſus in iuſtitiæ via dirigere, ſed opus eſt auxilio tuo, & ſtimulo correptionis tuæ, quoties à via cœperit deflecti, vt ſic denuò redire compellatur. Secundum verò neutrum ſenſum, homini liberum arbitrium aufertur. Nam ſiue de Babylonijs dictum intellexerimus, nempe, quòd diuino inſtinctu contra Iudæos acceſsiſſent, nihil tamen ipſi fecerunt, niſi ſponte ſua: ſiue de Iudæis, quòd hi iuſtitiæ viam incedere nequeant, niſi caſtigati. Ex hoc quoque palam eſt, quòd caſtigatio potuit eos, cum extra viam eſſent, ad reditum impellere. Quòd certè non contigiſſet eis, niſi liberum fuiſſet in eis arbitrium. Fruſtrà enim flagellum quoduis adhibetur vbi neceſſitas eſt, non arbitrij libertas.

Si via ſua & greſſus ſui non ſunt in poteſtate hominis, LVTH. *quomodo via Dei & greſſus Dei erunt in poteſtate eius?*

Ediſſere quæſo nobis, quid Euangeliſta ſibi EPISC. velit, aſſerens datam hominibus poteſtatem fili- Ioan. 1. os Dei fieri? Aut enim illis datur ea poteſtas qui iam habent gratiam, & ſunt reipſa filij Dei? aut alijs qui nondum habent, neque adhuc eam dignitatem adepti ſunt? Non illis opinor dicturus es, cum illi per gratiam, quam poſſident, filij Dei iam facti ſint. Neque enim ſolum ita nominantur, ſed & reuera ſunt, quemadmodum & idem Euangeliſta alibi teſtatur dicens: 1. Ioan. 3.

Videte

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Quod ſi cunctis, qui nondum acceperunt gratiam, data ſit hæc poteſtas, vt filij Dei fieri valeant, cum non ſint, cur non identidem & gratiæ comparandæ facta ſit poteſtas, quandoquidem ſine gratia nemo poteſt filius eſſe Dei? Non ſic tamen, quòd ſuis viribus aut gratiam aut filij nomenclaturam, quis aſſequi valeat, ſed quod ſi (quãtum in ſe fuerit) conetur, & obnixius paret ad hanc gratiam ſeſe, Deus optimus & benigniſſimus non ſinet eum expectatione ſua fruſtrari. Non eſt igitur, vt quiſquam dubitet ad hunc ſenſum, in hominis poteſtate ſitam eſſe viam, & greſſum ad Deum: quandoquidem præſto ſit Deus, cuiq; volenti fidem & gratiam elargiri ſuam, iam huius incomparabilis theſauri cunctis facta poteſtate.

Via ad gratiam & greſſus ad Deum, quo in poteſtate hominis ſunt.

LVTH. *Via enim hominis eſt ea, quam ipſi vocant, naturalem virtutem faciendi, quod eſt in ſe. Ecce hæc non eſt in arbitrio hominis, ſeu liberi arbitrij, quid ergo liberum arbitrium eſt, niſi res de ſolo titulo?*

EPISC. Triplex intelligi poteſt hominis via. Vna qua ſectatur carnis concupiſcentias aduerſus commonitionem Spiritus, id quod non facit abſque generali (quam vocant) influentia Dei. Altera, qua ſequi nititur ea, quæ ſuggerit Spiritus & reclamante carne, quod non agit abſque ſpeciali auxilio Dei. Tertia eſt, qua meritoriè graditur in via iuſtitiæ mandatorum Dei, quod ſine gratia gratum faciente, nec fit nec fieri poteſt à quopiam. Eſt & harum vnaquæque, modo quodam, in hominis poteſtate, arbitrioque poſita, quanquam de tertia maximè dubium ſit, quam tamen iam oſtendimus in hominis eſſe poteſtate, non quod ſuis viribus id poſſet quiſquam aſſequi, ſed per Dei gratiam, quæ nemini deeſt (vt inquit Aug.) niſi qui ſibi deſuerit. Paratus enim eſt Deus hanc impartire cuique gratiam, modò quis eam congruè petierit, quæſierit, & pro ea denique pulſauerit. Alioqui Ioannes (vt diximus) haudquaquam affirmaſſet, dediſſe Deum hominibus poteſtatem filios Dei fieri.

Triplex hominis via. Triplex Dei gratia.

Auguſt. Gratia Dei nemini deeſt niſi qui ſibi deſuerit.

LVTH. *Quomodo poteſt ſeſe ad bonum præparare, cum nec in poteſtate ſit ſuas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur.*

EPISC. Neutrum ſanè poteſt ſine Deo, nec ad bonum ſe parare, neque malum opus facere. Neq; enim adulter abſque generali influxu Dei, poteſt adulterandi facinus committere, ſed neq; poſtquam ipſum admiſit, ſine ſpeciali auxilio Dei conari valebit, vt reſurgat. Et ratio eſt, quoniam vtrobiq; præſens eſt, tam generalis influxus ille, quã iſtud auxilium ſpeciale, nec deeſt aut hoc, aut ille cuiquam peccatori, niſi vel indurato, qualis Pharao fuerat, vel in ſenſum reprobum tradito, de cuiuſmodi Paulus loquitur ad Romanos primo. De quibus vtriſque certum eſt, quòd auxilio Dei ſpeciali fuerunt deſtituti. At non opinor quoſque peccatores ita communiter à Deo deſeri, ſed quanquam in peccato mortali fuerint & extra gratiam, nihilominus eis hoc auxilium ſpeciale præſens eſſe, quo Deus ad eorum corda pulſat, vt intret. Hoc dixi propter patres, quorum ſententiam ſequi malui, quam ſcholaſticorum, cum in hac re mutuo ſibi pugnent. Patres enim aſſerunt neminem poſſe quicquam boni velle ſine ſpeciali Dei auxilio, nec ſufficere generalem illum influxum. Nonnulli contra ſcholaſtici ſic contendunt hunc ſufficere, vt quis abſque illo auxilio bene moraliter agere, & bonum facere poſſet, non ſolùm ex genere, verumetiã quòd debitis vndique circumſtantijs ornatum ſit. At ſi ſcholaſticorum argutiam aduerſus patres admitteremus, ſequitur etiam vt abſque hoc auxilio, Pharao, quantumuis indurati cordis fuiſſet, etiam hi qui traditi fuerunt in reprobum ſenſum, potuiſſent benè moraliter agere. Quod mihi ſane credibile non eſt, cum non ſolum quantum ad gratiam gratum facientem attinet, verùm etiam auxilio Dei ſpeciali reor eos feciſſe deſtitutos. Palam equidem eſt iſtos hoc auxilio magis deſtitui, quàm cæteros peccatores. Quamobrem, cum cæteri peccatores interna præſentia gratiæ deſtituantur, hos oportet etiam externo quoque auxilio carere. Sic vt communibus inquinati peccatis, medij ſint inter iuſtos, qui ſunt in gratia, & illos à Deo derelictos, qui traditi fuerant in reprobum ſenſum. Nam iuſtus præter influxum, quem vocant generalem habet auxilium Dei ſpeciale, ſimul & gratiam in eius anima præſentem. Communes verò peccatores gratia carent interna, ſed præter generalem influxum, non deeſt eis auxilium ſpeciale, quo miris modis ſtimulantur ad reditum. Reprobi & indurati ita generalem duntaxat habent influxum, vt cæteris careant. Sed iam ad Lutherum reuertamur. Non poteſt, inquit, ad bonum peccator ſe præparare, cùm nec ſit in eius poteſtate ſuas malas vias facere. Si ſecludas & influxum Dei generalem, & auxilium ſpeciale, certè neutrum erit in peccatoris poteſtate, hoc eſt, neque bonas neque malas facere ſuas vias, poteſt. Quoniam niſi Deus eidem operanti concurrat, neutrum opus agere poteſt. Nam quantum ad ſubſtantiam actus, etiam operibus malis cooperatur Deus, Neque tamen rectè quiſquam Deo peccatum imputabit, Quia tametſi cooperatur Deus ad ſubſtantiam actus, non tamen ipſam deficientiam operatur, ſed hoc agit ſola voluntas: Ac propterea ſola ipſa peccat, non Deus.

Exod. 7. Rom. 1. Qui ſunt ſpeciali Dei auxilio deſtituti.

Neminem poſſe quicquam boni velle ſine ſpeciali Dei auxilio. Nec ſufficere generalem illum influxum.

Iuſti.

Medij.

Derelicti.

LVTH. *Vt prouerb. 16. dicit. Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium ad diem malum.*

EPISC. Nihil magis vnquam execrati ſunt orthodoxi patres, quam vt peccatorum auctor exiſtimetur Deus. Nam quia ſummè bonus eſt, ſolius boni confitentur auctorem, non peccati, quod malum eſt. Neque patres ſolùm, ſed & ſcripturæ penitus eidem aſtipulantur. Nemo eùm tentatur, ait Iacobus, dicat; quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt, & neminem tentat, multò minus peccatum ipſe facit. Et Ioannes ait. Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ. At eſſent in eo tenebræ, ſi peccatum operari poſſet. Et Chriſtus in Euangelio dicit. Solus Deus bonus eſt, nimirum quòd ab eo nullum malum procedit. Et Sapientia to-

Iacob. 1.

1. Ioan. 1.

Sap. 1. *Manich. abhorrens aſſerere Deum bonum eſſe auctorem peccati quod Lutherum non pudet.* *Hieron.*

tia teſtatur, Deum uou feciſſe mortem, nec in perditione viuorum lætari. Sed & Manichæi tantum abhorrent, Deo bono peccatum tribuere, vt prę ter ipſum, alium conſtituant, qui ſit malorum & peccati cauſa. Sed nec ſcripturæ (quas Lutherus producit, iſtud efficiunt. Primam enim ita Hier. ediſſerit. Nulla (inquit Hieron.) Domino cauſa fuit creaturam viſibilem vel inuiſibilem faciendi, niſi voluntas ſua, vt ſuam videlicet bonitatem rationabili creaturæ (quam perpetuo beatam faceret) oſtenderet. Eum quoque qui bonum conditionis propria ſponte deſeruit, id eſt diabolum cum ſuis ſequacibus iuſta ſeueritate damnauit. Ecce diabolus (qui ad diem malum ſeruatus eſt) nequaquam à Deo (ſi Hieron. credimus) factus eſt impius, ſed ipſe bonum, quo fuerat conditus, propria ſponte deſerens, ſeipſum impium fecit, & damnationem promeruit. Per impium igitur hoc loco Hieron. diabolum intelligit, quem negat impium à Deo conditum fuiſſe. ſed talem euaſiſſe ſponte ſua, quòd bonum vltro deſerens, in quo conditus fuerat, ſua voluntate malus & impius eſt factus.

Lvth. *Et Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt.*

Episc. *Anima media inter ſpiritum & carnem.* Sæpe diximus animam, inter Spiritum & carnem, quaſi loco mediu conſtitutam, ſic vt in eius libertate fuerit, vel commonitorio Spiritus obtemperare, vel carnis acquieſcere concupiſcentijs. Si Spiritum audiat, habet cum primis fautorē Deum, & angelos, ac virtutum vniuerſum chorum. Sin carni inclinetur, habet diabolum impulſorem, & dæmones, ac demum vitiorum agmen vniuerſum. In eius arbitrio ſitum eſt vtri parti ſe velit addicere. Si carni cohæreat, tota carnalis efficitur, & talis homo ſæpius in ſcripturis caro vocatur. Sin Spiritum ſecuta fuerit, ſpiritalis euadit. Propter quod & Paulus ad ſpiritales loquens ait: Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Anima igitur, quæ ſpiritus inſtinctum deſerit, carnis concupiſcentias ſecuta, ſi ſic pergat, nec vllis velit admonitionibus redire, meritò tandem à Deo deſeritur. Et ſic deſerta, tradi dicitur in reprobum ſenſum, vt faciat, quæ non conueniunt, quemadmodum omnes orthodoxi patres ad vnum interpretantur. Neq; quiſquam eorum auſus fuit hoc malum in Deum refundere. Neque enim auctore Deo, ſed propria nequitia prolapſi ſunt ij, de quibus hoc ſcripſerat Paulus. Nam proximè ſuperius dixerat, illis Deum inuiſibilia ſua patefeciſſe, vt ſint inexcuſabiles. Cur enim inexcuſabiles dixiſſet eos Paulus, ſi non vltro propria voluntate tales euaſerint? Propter ingratitudinem itaque ſuam, deſertos à Deo fuiſſe palam eſt, nimirum, quòd ſua ſponte delegerint impietatem, nempe quòd Deum (quem vtique nouerant) non vt Deum glorificauerint, ſed contempſerint ingratiſſimi. Nihil ergo pro te facit illud teſtimonium.

Roma. 7. *Quia anima eſt à Deo derelicta.*

Non auctore Deo, ſed propria nequitia prolapſi ſunt reprobi.

Lvth. *Et vndecimo, quem vult indurat, cuius vult miſeretur.*

Episc. Quoties inſtituto tuo poterint inſeruire, nemo tropos & loquendi figuras, diligentius obſeruat, quàm ipſe facis Luthere. Quamobrem & cum idem hic non facias, palam eſt id ingenio prauó fieri. Cur hic (te quæſo) ſermonis figuram non agnoſcis, quam & ſatis indicat conſuetudo communis? Nam vt Origenes ait: Benigniores Domini, frequenter ad miniſtros, eos qui per multam patientiam & benignitatem, inſolētiores improbioreſque facti ſint, dicere ſolent: Ego te talem feci. Ego te perdidi. Mea patientia te peſſimum reddidit. Ego inquam (qui de tuis admiſſis non ilico pœnas ſumpſerim) huius tantæ inſolentiæ tuæ cauſa fui. Sic nimirum vulgo dici ſolet, & figura loquendi communis hæc eſt. Nec tamen herus ſeruum, ſed ſeruus ipſe ſeipſum ſua ſponte facit improbum. Hoc cum non ignores Luthere, ſed & compertiſſimum habeas, huiuſmodi tropos in ſacris literis paſſim occurrere, quid calumniam infers verbo, cum ſatis exploratè ſenſum teneas? Profectò res hæc palam iudicat parum candidi ſpiritus eſſe te. Nam cur non ſimili modo, cum audis ſcripturam dicentem? Quem vult indurat, & cuius vult miſeretur. Cur inquam ſimilem figuram hoc loco non agnoſcis, vt Deum intelligis nihilo magis alicuius indurare cor, quam herus aliquis, cuius nimia indulgentia ſeruus euadit contumax, aut pater quiſpiam, qui non aſſiduo flagello filij ſui duritiem, & inſolentiam fugat?

Origen.

Roma. 9.

Lvth. *Sicut & Exod. nono. de Pharaone dicit, in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam virtutem meam in te, ideo enim eſt terribilis Deus in iudicijs & operibus ſuis.*

Episc. *Exod. 9.* Hebræorum codex habet. Propterea feci ſtare te, vt oſtenderem in te fortitudinem meam, & vt narretur nomen meum in vniuerſa terra. Cui vetus litera epiſtolæ ad Romanos in hunc modum reſpondet: In hoc ipſum ſeruaui te, ad quem ſenſum intelligi debet, quod iam dicitur, Excitaui te. Nam vt medicus plerumque, damnato reo, vitam à præſide prolixiorem impetrat, quatenus ex illius corpore, morborum cauſas inquirendo multis alijs procuret ſanitatem. Et iudex ſæpenumerò (cum poſſet crimінoſum ſtatim punire) procraſtinat tamen eius necem aliquot dies, nimirum vt ex diuerſis cruciatibus (quibus illum afficiat) erudiantur cæteri, atq; per eum modum cunctis maleſaciendi timor incutiatur. Ita nec diſsimili fine Deus Pharaonem vel ſeruauit, cum eum alioqui potuiſſet merito mulctaſſe. Exceſſerat enim Pharao peccandi modum, propter quod & iuſtè plecti potuit, verùm non id protinus facere voluit Deus, ſed illius prorogauit vitam, quatenus ex flagellis eius erudirentur cæteri, diuinaq́; poteſtas cunctis innoteſceret, & nomen Dei per vniuerſum orbem prædicaretur.

Lvth. *Sic rurſus Prouerb. 16. Hominis eſt præparare cor, Domini autem eſt gubernare linguam.*

Episc. Non tam huius prouerbij particula poſterior, tuam ſententiam iuuat, quam prior noſtrā. Nam ſi fuerit in hominis poteſtate prę parare cor, quis dubitare poteſt quin hoc ipſo liberum habeat arbitrium? Si poteſt homo præparare cor, poteſt & bonis ac ſanctis ſeipſum exercere cogitationibus poteſt & prauas (modo velit) repudiare. Et hoc nimirum ingens eſt animi libertas. Neque

enim

enim loqui ſemper homini liberum eſt. Nam lingua teneri morbo, vel arceri vinculo poteſt. Neque ſemper aut ſtare, aut ſedere, progrediue, ſeu quicquam foris operari liberum eſt, cum ab ijs agendis multifariam impediri poſſet homo, & per vim cohiberi.

LVTH. *Hoc eſt, homo multa ſolet proponere, cum tamen adeo non ſint in manu eius, opera eius, vt nec verba in hoc ipſum habeat in poteſtate ſua, coactus mirabili Dei prouidentia, & loqui & facere, aliter quam cogitauit, ſicut in Balaam monſtratum eſt. Num. 24. Et Pſal. 124. Non eſt ſermo in lingua mea.*

EPISC. Hoc eſt quod diximus, vim inferri poſſe membris quibuslibet humani corporis, vt non pro ſuo regantur arbitrio. Voluntati tamen inferri vis nulla poteſt. Duci quidem poteſt voluntas, cogi verò non poteſt. Quæ res item in Balaam ſatis conſtitit. Nam etſi linguam eius ad benedicendum adegit Spiritus, manſit tamen ei voluntas libera. Studuit enim modis omnibus maledixiſſe potius. Quare palam eſt in ipſo Balaam, volenti, nolendiue liberum arbitrium fuiſſe, tametſi lingua libera non fuerat.

Duci poteſt voluntas, cogi verò non poteſt.

Num. 24.

LVTH. *Et clarius infra, Prouerb. 16 Cor hominis cogitat viam ſuam, & Dominus dirigit greſſus ſuos. Ecce non ſicut homo cogitat, via eius procedit, ſed ſicut Dominus ordinat.*

EPISC. Quòd Dominus gubernet linguam, aut dirigat greſſus, neutrum horum aufert homini liberum arbitrium. Dauid enim dicit: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam, Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Et quanquam hæc vera ſint nihilominùs & artifices, & vigiles, ſuas operas impendunt. Neque enim ita vel ſtructuram, vel cuſtodiam ciuitatis à Deo fieri ſperamus, vt omnis illic humana, vel opera, vel induſtria ceſſet. Deo nimirum eſt tribuendum, ſi quid benè ſuccedat, quinetiam laborantes iuuat, vt eorum labores dignum exitum ſortiantur. Et ad eundem item modum, in gubernanda lingua, greſſibusque dirigendis facere credendus eſt, vtrobique manente nihilominùs arbitrij libertate.

Pſal. 147.

LVTH. *Ideo & 21. dicit. Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit inclinabit illud. Vbi ergo eſt liberum arbitrium. figmentum eſt penitus.*

EPISC. Eſto, quocunque voluerit Deus cor inclinet Regium, num propter hoc inuitum cogiſſe creditur? Haudquaquã. Neq; enim per vim, ſed ſua ſponte magis vnuſquisq; tractum Dei ſequitur. Quemadmodum ſi quiſquam à conſilijs Regi, ſic ſe gereret, vt rex haberet perſuaſiſſimum, illum nolle niſi quæ fuerint optima ſibi conſulere, quippe cuius prudentiam & fidem ſæpius antè fuiſſet expertus. An non auditis huius viri rationibus, rex facillimè, ſi quid vel aliter faciendum conſtituiſſet, eſſet mutaturus? Eſſet hauddubiè. Et quo melior atque prudentior ipſe rex foret, tantò libentius eſſet id facturus. Sed & cum idipſum feciſſet Rex, quis dubitaret eum ſua ſponte, nullaque vi coactum id feciſſe? Sic pari modo, cum Deus aut Regis, aut hominis cuiuſuis animum, inclinet ad hoc vel illud faciendum, nulla prorſus violentia voluntatem adigit, ſed potiore monſtrata ratione, potius allicit, vt aliud faciat, quàm ipſe pridem ſecum facere conſtituerat. Quòd ſi non per vim adacta, ſed ſua ſponte mutata, voluntas aliud agit, quam decreuerat, nihil eſt, cur debeat figmentum dici, & non magis res vera liberum arbitrium. Non enim vi res agitur, vt ait Origenes, neque neceſſitate in alteram partem anima declinatur. Alioqui nec ei culpa, nec virtus poſſet aſcribi, nec boni electio, præmium: nec declinatio mali, ſupplicium meretur, ſed ſeruatur ei in omnibus libertas arbitrij, vt in quodcunq; voluerit, ipſa declinet, ſicut ſcriptum eſt: Ecce poſui ante faciem tuam, vitam & mortẽ, & ignem, & aquam. Et paulo poſt. Habet ergo in arbitrio ſuo anima ſi velit eligere vitam Chriſtum, aut in mortem ad diabolum declinare. Hæc Origen. in Epiſtolam ad Romanos libro primo.

Liberum arbitrium non figmentum ſed vera res eſt.

Eccleſ. 15.

LVTH. *Atque ſi ſcriptura non doceret hæc abundè ex omnibus hiſtorijs hanc veritatem diſceremus, & vnuſquiſque ex vita ſua propria. Quis enim eſt qui omnia quæ voluit effecit? imo quis id quod cogitauit facere, non ſæpius alia ſtatim cogitatione mutauit, neſciens quomodo mutarit?*

EPISC. Neque iſtud aufert à nobis arbitrij libertatem. Fieri quidem poteſt non infìcior, & fit plerunq; quòd cogitatione cogitatio variatur: & ea quæ nobis autè placuerunt, poſteà diſpliceant: & denium quæ pridem voluimus, iam nolimus. Neque enim ſemper in eodem ſtatu permanet homo. Voluntas hauddubiè mutari poteſt, ſed quãdo mutatur, ſua ſponte mutatur, nulla vi cogitur. Cæterum nemo tam inſenſibilis eſt, vt non iſtud identidem experiatur, ſe quædam inſtituta perfeciſſe, quæ non mutarit. Quis enim vſqueadeo truncus eſt, vt non intelligat, ſe (cum velit) poſſe leuare ſtramen, & idem iteratò deponere? Nemo eſt cui non ſit compertiſſimum, ſe multa ſua ſponte facere, & quæ poſſet eadem libertate dimittere, modo ſibi libuerit. Quòd ſi quorundam inſtituta mutentur, non id libertatem labefactat, imò ſtatuit magis. Nam ex eo libertas eorum magis innoteſcit, nempè quòd verti poterit & mutari. Ignis enim vrit neceſſario, neque mutari poteſt, quia non eſt ei liberum non vrere. Voluntas contra, quia non ſolùm velle poteſt, ſed rurſum nolle, quod pridem voluerat, ideo palam eſt, in eius eſſe poteſtate ſitum vtrunque, hoc eſt, tam velle quàm nolle pro ſuo arbitrio. Petrus enim qui paulo antè pollicitus eſt, pro Chriſto ſe moriturum, ſubinde mutauit animum. At hoc fecit nulla neceſſitate coactus, ſed ſua ſponte, vſqueadeo vt niſi ſponte ſic feciſſet, non peccaſſet. Mori timuit, ob quod & mentiri maluit potius quàm mori. Negauit Chriſtum, ſed volens negauit, quia nondum paratus fuit pro Chriſto mori. Si tum æque paratus fuiſſet mori pro Chriſto, atque poſteà fuerat, non negaſſet Chriſtum, ſed mortem obijſſet potius, id quod poſtea fecit vltroneus. Voluntas itaque Petri ipſa ſe vtrobique mutauit, in altero ex ſeipſo deficiens, in altero per gratiam adiuta. Sed volens vtrunque fecit, ad quod nec vi, nec neceſſitate quauis adigebatur.

Matth. 14.

Matth. 26.

Quis

LVTH. *Quis audet negare, ſe etiam in malis operibus, ſæpius coactum aliud facere quam cogitauit? An non putas hucus Bullæ authores in eo fuiſſe totis & ſummis liberi arbitrij viribus, vt pro ſe contra Lutherum loquerentur? Et ecce, quam non fuerit in eorum arbitrio, hæc cogitatio & operatio, omnia enim contra ſe, in caput ſuum operati ſunt, vt nunquam legerim qui ſe fœdius abominabiliuſq; dedecorauerint, & in omnem turpitudinem errorum, hæreſum, malitiarum, apertiſsimè tradiderunt, excæcati & ignorantes, adeo non eſt homo in manu ſua, etiam mala operans & cogitans.*

EPISC. De coactione iam opinor ſatis diximus, voluntatem cogi non poſſe. Porro quantum Bulla profecerit, alij viderint. Tu verò niſi ſupra modum eſſes excæcatus, palam cerneres teipſum multò fœdius, & abominabilius dedecoratum, atque in omnem turpitudinē errorum, hæreſum, malitiarum, ac (ſi quid execrabilius cogitari poſſet) impletatum, apertiſsimè traditum eſſe, & longè magis quàm alium quenquam hæreticorum, quos ipſe vnquam legiſti. Neque enim credibile mihi fuiſſet, iam poſt tot & tam apertas expugnationes à patribus antè factas, quenquam hæc aſſere denuò voluiſſe, niſi partim fide digna relatione, partim tot liberis editis, res euidentiſſima foret.

LVTH. Ephes. 1. *Et verè Paulus Ephe. 1. dixit: Deus operatur omnia in omnibus.*

EPISC. Haud rectè citas Paulum. Neq; enim dixit vt tu ais, Deus operatur omnia in omnib. ſed quòd operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Quod vtique verum eſt, modò ſanè intelligas. Neq; noſtram libertatem, iſtud aufert: Nam Paulus his verbis non hoc egit, quòd Deus in adulteris adulterium operatur: aut ſacrilegis ſacrilegium. Alioqui foret apud Deum iniquitas, quod Paulus vehementer execratur. Hoc fortè feſellit te, quòd in fine capitis illius de Chriſto ſcripſit, quòd omnia in omnibus adimpletur. At hoc nihil ad hanc rem attinet, cum impleri pati ſit, non agere. Et planè Hieronymus ſic legendum aſſerit, paſsiue, non actiue. Neq; enim dixiſſe Paulum ait: Qui omnia in omnibus adimplet, ſeu qui omnia in omnibus adimpletur. Hieron.

LVTH. *Perijt itaq; hic etiam generalis illa influentia, qua garriunt eſſe in poteſtate noſtra, naturales operationes operari: ſecus rem habere, monſtrat experientia omnium.*

EPISC. Quæ (te precor) experientia monſtrat, naturales operationes in noſtra non eſſe poteſtate? Hoc præter te, reor experiri neminem. Et mirum eſſet, ſi tu ſolus ita ſis conditus, vt tam acutè cernas, quod mortalium alius nemo facere poteſt. Ego certè vſqueadeo neceſſariam cunctis rebus generalem illam influentiam opinor, vt ſine hac, nec motus agere ſuos, nec eſſe omnino poſſe, cōfiteor. Per hanc etenim viuimus, mouemur, & ſumus. Quam ſi vel ad momentum ſubduceret Deus, cuncta protinus interirent. Nam vt exempli cauſa quiddam proferamus. Stella quæ ducatum ipſis Magis exhibuit, mox vt ei Deus hanc ſubtraxiſſet influentiam, redijt in nihilum. Non operatio ſolùm eius, verum & eſſe, & eſſentia deperijt funditus. At in fornace Babylonis, vbi ve- *Generalis influentia cunctis reb. neceſſaria. Actor. 7.*

ra manſit ignis eſſentia, nullam tamen læſionem corporibus Danielis ſociorumq; intulit eius vis, quia non aſtitit huic operationi Deus per influentiam illam. Cooperatur itaque Deus cuique creaturæ, per huiuſmodi influxum, non ad eſſe ſolum, verumetiam ad operationes ſingulas. Et per eundem exercere voluntas actum ſuum poteſt, aut volendi, aut nolendi, quoties libuerit. Neque id ſolùm, verumetiam operationes naturales agere, ſi non impediatur, vt ambulare, ſtare, ſedere, loqui, & id genus alia. Quæ nemo non experitur in ſua poteſtate eſſe. Quis enim non compertiſsimum habet, ſe poſſe per influentiam illam generalem, cum voluerit ſtare, vel ſedere, ſilere, vel loqui?

LVTH. *Et vide nos inſenſatos, ipſam radicem operum, nempe vitam ipſam, quæ caput eſt omnium operum, ſcimus, omnes nullo momento eſſe in manu noſtra, & audemus dicere aliquam cogitationem eſſe in manu noſtra? Quid abſurdius dici poteſt? Qui ergo vitam noſtram in manu ſua retinuit, motus noſtros & opera in manu noſtra poſuit? Abſit. Vnde non eſt dubium, Satana magiſtro, in Eccleſiam veniſſe, hoc nomen liberum arbitrium ad ſeducendos homines a via Dei, in vias ſuas proprias.*

EPISC. *Ineptiſsima Luth. collectio. Matth. 5.* Ineptiſsimè colligis, propterea neminem ſuorum operum auctorem eſſe, quia nec vitæ fuit, quæ radix eſt operum. Nam ſatis experimur lapidem ſurſum proiectum, ſuapte natura deorſum ferri, ignem contra, perpetua quadam agitatione conari ſurſum. Et horum ſane motuum cauſam quandam internam habet vterq;, quæ ſic horum motuum eſt autrix quomodo ſuæ non fuerat eſſentiæ. Nihil enim eſt eſſentiæ ſuæ cauſa. Sed præter hæc, ea (quæ viuunt ſolùm, & non ſentiunt) etiam quiddam intra ſe, ſuorum motuum effectiuum habere dinoſcuntur, quod vtique ſeipſum non effecit. Porro quæ ſentiunt, identidem internum quoddam principium obtinent, quo ſe crebriùs ab vno loco in alterum queant transferre, nec tamen iſtud principium, aut illis, aut ſibi præſtitit vitam. Cum igitur ita videmus in ijs creaturis, quæ rationis & voluntatis expertes ſunt, ſoloſque motus naturales habent non liberos, hominem (qui longè præcellentioris conditionis eſt) negamus intra ſeipſum ſuorum motuum habere principium, quia nec in eius poteſtate ſuam vitam habeat? Quis enim non experitur in ſeipſo vim quandam rationis, qua tam de ſuis quàm de cæterarum creaturarum naturalibus motibus iudicare poſſet, & quoſdam ita probare, vt admittat, quoſdam ſic reprobare, vt reijciat? Aut quis non ſæpius periculum fecit in ſeipſo, cum eſſet ex præſentia cuiuſpiam fœminæ vehementer in libidinem concitatus, hunc motum nihilominus (ne longius progrederetur) cohibuiſſe? Quod certè non potuit, ni fuiſſet ei liberum. Quiſquis profectò ſecum caſtè, pureque viuere conſtituit, quanquam aliquando conſenſerit in libidinem, ſe tamen potuiſſe motum illum, ne perageretur, cohibere, ſcio non negabit. Alioqui Chriſtus in Euangelio non tanta ſeueritate, cordis moechiam condemnaſſet. Sed etſi neceſſitatis, non libertatis eſſet hos motus ſequi, cæte-

riſque locis publicis, vbi fœminæ viris, & viri fœminis coram præſentes ſunt, abſtinerur, vt non more canum, ſe publicitùs cognoſcant, & ea quæ ſunt neceſſitatis peragant? Quòd ſi dixeris humanum pudorem id prohibere: palam ex eo fit, & voluntatem ſeipſam cohibere poſſe, ne res iam omnino pudendas faciat. Dilucidum igitur eſt, quòd quanquam in noſtra manu vita (quæ radix eſt operum) nequaquam ſit, in noſtra tamen poteſtate ſitum eſt, quo motus iſtiuſmodi coërcere poſſimus, ne progrediantur ad opera, modò noſtram adhibuerimus diligentiam. Nec eſt dubium quin is (qui contra ſenſerit) magiſtrum & præceptorem habeat Satanam, Satanæque diſcipulus ſit, non Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri.

LVTH. *Fratres Ioſeph. omnes cogitauerunt eum occidere, & ecce ipſa cogitatio adeo non erat in eorum arbitrio, vt etiam in contrarium mex omnia cogitarent, ſicut dixit. Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.*

EPISC. Cogitarunt haud dubiè fratres Ioſeph eum occidere, quam etiam cogitationem mutauerunt, nulla vi coacti. Refert enim ſcriptura Iudam dixiſſe fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? Melius eſt vt venundetur Iſmaëlitis, & manus noſtræ non polluantur, Frater enim & caro noſtra eſt. Hæc ſanè oratione permoti, ſententiam ſuam ilico mutarunt, & vt Moſes illic ſcribit, acquieuerunt ſermonibus Iudæ. Parcentes itaque vitæ Ioſeph, eum de ciſterna leuatum, Iſmaëlitis tum fortè prætereuntibus vendiderunt. Palã eſt igitur eos ſponte ſua feciſſe, quod fecerant. Et quanquã Deus in bonũ verterat hanc venditionẽ, quam illi ceu malum quiddam & diſpendium fore cogitabant, quid hoc arbitrij libertatem impedit? Nam arbitrij libertas, nequaquam in opere complendo repoſita eſt, ſed in aſſenſu, vel diſſenſu voluntatis. Et quid ſi Deus in hoc opere non ſinebat priorem illorum cogitationem adimpleri, num propterea neminem alium patitur, vt quæ cogitat, opere perficiat? Stultum eſt iſtud aſſerere, nedum impium, & auribus Chriſtianorum execrabile.

Geneſ. 36.

LVTH. *Habes miſerande Papa quid hic obgannias? Vnde & hunc articulum neceſſe eſt reuocare. Malè enim dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo, ſed ſimpliciter debui dicere, liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re. Quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare mali aut boni, ſed omnia (vt VViclefi articulus Conſtantiæ damnatus, rectè docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt.*

EPISC. Si cuncta quæ fiunt, neceſſitate quadam abſoluta proueniant, & ſi præſcientia Dei, rebus euenturis neceſſitatem imponat, tum profectò liberum (vt dicis) arbitrium nihil aliud eſſe poteſt, quàm titulus abſque re. Verùm hoc apertiſſimè falſum eſſe conuincitur, non ſolum ex conſtanti patrum omnium orthodoxorum ſententia, verum etiam ratione quæ palam docet, nihil humani conuerſationi pernicioſius poſſe cogitari. Nam ad hunc modum induſtria penitus omnis humana periret. Quid enim aut ægris

Non omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt.

medici peritia conferret, aut agris colendis agricolæ ſtudium, aut demum vrbibus adminiſtrandis prudentum conſilia? Nam vbi ſemel ægro perſuaſeris omnia ex mera neceſſitate prouenire, Deique prouidentiam rebus cunctis euenturis ineuitabilem inferre neceſsitatem, mox ille ſubijciet, ſe fruſtra medicamen aliquod ſuſcepturum. Aut enim inquit, Deus ex hoc morbo me conualiturum præſcit, aut emoriturum. Si conualiturum, tum fruſtra medici conſilium aut medicamen quæſiero, cum certum ſit ex hac prænotione, me neceſſario ſalutem conſecuturum. Sin emoriturum præſcierit, nihil prodeſſe medicamen poterit aduerſus præſcientiam Dei. Pariter & agricola reſpondebit, & præfectus cuiuſque ciuitatis, atque ita peritia quæuis, & induſtria, conſiliumque protinus omne ceſſabit humanum.

LVTH. *Quod & Poeta voluit, quando dixit. Certa ſtant omnia lege.*

EPISC. Quaſi Poetis in hac re maior addibenda ſit fides, quàm aut Philoſophis, aut Theologis, & perindeac non illis fuiſſet ſemper æqua libertas cum pictoribus, fingendi quicquid libuiſſet. Mirum ſanè eſt, Poetas te velle citare, cum Philoſophos exploſeris, Sed huc adegit te neceſsitas, non tua libertas, quæ tibi nulla prorſus eſt.

Præſtantia philoſophiæ Lutheranæ.

LVTH. *Et Chriſtus Matthæi ſexto: Folium arboris non cadit in terram ſine voluntate Patris veſtri qui in cælis eſt, & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

EPISC. Et hic etiam vt mentiaris, te fortè neceſſitas impulit. Neque enim in toto Matthæo reperitur, quòd folium arboris non cadit in terram ſine voluntate Patris veſtri qui in cælis eſt. De paſſeribus vtique ſcriptum eſt, quòd vnus eorum non cadit in terram ſine Patre veſtro. Sed donemus ita ſcripſiſſe Matthæum, non tamen protinus ex eo conſequitur euenire cuncta de neceſsitate, cùm diuina prouidentia (quemadmodum ſupra pluribus oſtendimus) non auferat rerum contingentiam, neque neceſsitatem abſolutam rebus euenturis inferat.

LVTH. *Et Eſaiæ 41. eis inſultat, dicens: Bene quoque aut male, ſi poteſtis, facite.*

Eſai. 41.

EPISC. Oculatius inſpicias Eſaiam, & inuenies non ad homines, ſed ad idola magis hoc fuiſſe dictũ. Nam proximè antè prædixit Eſaias ad Idola loquens: Annuntiate quæ futura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos. Et continuò ſequitur: Benè quoque aut malè, ſi poteſtis facite. At hæc Luthere, tibi nequaquam imputanda ſunt, ſed neceſsitati, ſiquidem omnia de neceſſitate proueniant.

LVTH. *Vnde & ego hos liberi arbitrij ſeu Baal prophetas exhortor cum Helia. Agite, eſtote viri, facite quod in vobis eſt, tentate ſaltem aliquando id quod docetis, præparate vos ad gratiam, & obtinete quæ vultis. quandoquidem dicitis. Deum non negare quicquam, ſi feceritis quod liberum arbitrium poteſt, vehementer turpe eſt, vt veſtræ doctrinæ nullum exemplum adducere, nullum opus vos ipſi præſtare queatis. & ſolis verbis ſapientes ſitis.*

EPISC. An non tenes, quæ Iacobus ait? Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalua-

Iacob. 5.

bit

bit animam eius à morte Si non poteſt conuerti peccator, fruſtrà Iacobus ea tradidit. Fruſtrà monuit impendendam operam conuertendo fratri. Et fruſtrà quoque tot conciones quotidie fiunt, ob conuertendos peccatores: Sin poteſt conuerti peccator, profectò non deeſt ei libertas arbitrij, quo conuertatur. Nam ſi neceſſitate peccator quiſquam eſt, non voluntate, fruſtrà conabitur, quiſquis ipſum conuertere ſtudebit. Nec deſunt exempla plurima, quæ proferamus, eorum qui per conciones ab erroribus ad viam rectam, à turpi luxu, ad vitæ ſanctitatem, & à maximis demum ſceleribus ad virtutem capeſcendam ſunt conuerſi. Verùm tu, quoſcunque producemus, confeſtim clamabis, & hos per gratiam, emendationem hanc inchoaſſe. Neque iſtud nos negamus ad ſanum ſenſum, nempè, quòd non ſine auxilio gratiæ, verùm quòd tunc omnes accepiſſent gratiam gratificantem, reclamamus omnino. Præparantur enim fide, & bonis operibus, quemadmodum de cathechuminis

Auguſt. Aug. tradit. Quæ nimirum præparatio, non ſemper habita gratia gratum faciente fit, tametſi non fiat abſque omni prorſus auxilio gratiæ. Neque enim aſſenſus in articulos fidei fit abſque gratiæ auxilio, quanquam fieri poſſet ab eo, qui non adhuc per gratiam fuerit actu iuſtificatus, ſicut & in malis Chriſtianis quotidie fit, in quibus non eſt ipſa gratia quæ Deo facit ipſos gratos

LVTH. *Verum Pelagium ſub his ſtudijs alunt. Quid enim refert ſi neges gratiam ex operibus noſtris & doceas tum per opera noſtra dari? idem manet impietatis ſenſus, quo gratia non gratis ſed ob noſtra opera donari creditur. Neque enim Pelagiani alia opera docuerunt & fecerunt, propter quæ gratiam dari voluerunt quam vos docetis & facitis. Eadem ſunt liberi arbitrij opera, eorundemq; membrorum, ſed alia vos eis nomina, & alia illi dederunt. ieiunium, oratio, eleemoſyna, eadem erant, ſed vos congrua illi condigna ad gratiam vocauerunt vbiq; tamen idem Pelagius triumphator perſeuerauit.*

EPISC. *Plurimum inter orthodoxos & Pelagianos intereſt.* Plurimum (vt ante diximus) inter orthodoxos ac Palagianos intereſt. Nam hi nec gratiam neceſſariam eſſe putant, qua cælum conſequamur, ſed poſſe vnumquenque ſuis viribus promereri beatitudinem. Orthodoxi contra, negant id fieri poſſe ſine gratia. Quòd vtique diſcrimen ſatis eſt, vt orthodoxus à Pelagiano dinoſcatur. Porro quòd opera bona citra charitatem facta, nihil omnino præparent ad gratiam, falſiſſimum eſſe ſuperius conſtitit, tam ex ſcripturis, quàm ex patrum vnanimi concordique ſententia, Sed & inaniter ijs, qui grauioribus noxis preſſi reſipiſcere moliuntur aut orare ſuademus, aut eleemoſynas dare, ſiue ieiunare, ſeu quicquam aliud operis boni facere, ſi neceſſitate ſic peccent, vt nequeant vllis modis, aut ſtudijs, Deum ſibi facere propitium. Cæterum quæ fuerit ipſa Pelagianorum opinio, ſiue quantum ab orthodoxis diſcrepet, hi (qui Pelagio contemporanei fuerant, & qui confutarunt eius hæreſim) multo certius nouerunt, quàm Lutherus iam poteſt noſſe, vt nihil nobis metuendum ſit præparationes animorum ad gratiam, per orationes, ieiunia, eleemoſynas, atque peccatorum deteſtationem, & lacrymas, ac id genus alia fieri poſſe, cum idem ipſi patres, qui Pelagium vna cum ſectatoribus eius condemnarunt, iſta doceant à peccatoribus oportere fieri, quatenus ipſi gratiam facilius impetrent.

LVTH. *Fallit hos miſeros homines rerum humanarum inconſtantia ſeu (vt vocant) contingentia, oculos enim ſuos ſtultos mergunt in res ipſas operaq; rerum, nec aliquando eleuant in conſpectum Dei, vt res ſupra res in Deo cognoſcerent. Nobis enim ad inferna ſpectantibus, res apparent arbitrariæ & fortuitæ. ſed ad ſuperna ſpectantibus, omnia ſunt neceſſaria. Quia non ſicut nos, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur, omnes & omnia.*

EPISC. *Sacroſancta Luth. doctrina Deum omnibus flagitiorum authorem facit.* Nemo ſane teipſo miſerior eſt, qui tanta Deum inſectaris blaſphemia, vt illum facias authorem omnium flagitiorum. Nam quid magis execrandum cogitari poteſt, quàm quòd Deus optimus maximus, quem Paulus velle teſtatur omnes homines ſaluos fieri, cogat eoſdem adulteros eſſe, & ſacrilegos, ac ſi quid eſſe flagitioſius poteſt? Quodque tales non ſua ſponte ſint, ſed mera neceſſitate, nempe, quia Deus vult eos tales eſſe. Quid poteſt inſanius dici? An oblitus es dixiſſe Paulum: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra? Et Id quidem Theſſalonicenſibus dixit, inter quos & erant qui non omnino caſtè vixerant. Et tamen hos affirmat Paulus, Deum voluiſſe caſtè ſanctèque viuere. Sed & Dauid: Manè, inquit, aſtabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Quòd ſi nolit iniquitatem Deus, non eſt putandus iniquitatis auctor. Anathemate igitur meritò feriendus eſt, quiſquis Deum aſſerit iniquitatem velle, aut peccatis ſuis authorem eſſe. Nam hoc planè falſiſſimum docet eſſe Auguſt. cùm in alijs paſſim locis, tum in libro de art. b. falſo ſibi per Pelagianos imputatis, ſic inquiens: Non caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium, prædeſtinatio Dei: aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit, ſed planè prædeſtinauit iudicium ſuum, quo vnicuique retributurus eſt, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Quod iudicium futurum non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent. Erit autem iudicium manifeſtiſſimè, & omnis homo, quem diſcretio diuinæ ſcientiæ, in ſiniſtra conſtituerit parte, damnabitur, quòd non Dei, ſed ſuam exequutus eſt voluntatem. Ecce nec Dei voluntate peccant homines, neque quod voluit Deus, ſed quod peccator ipſe voluit, operatus eſt, propter quod & in ſiniſtra parte conſtituetur, iuſtè meritoq; damnandus, nec præſcientia Dei quenquam adigit ad peccandum. Id quod apertiſſime monſtrat in de prædeſtinatione & gratia. Reſpondetur, inquit, Dei præſcientiam non cogere hominem vt talis ſit, qualem præſciuit Deus, ſed præſcire talem futurum, qualis futurus eſt, quamuis eum non ſic fecit Deus. Hæc Auguſt. Et Amb. libro. 2, de vocatione omnium Gentium, poſteaquam de Dei præſcientia multa diſſeruit, tandem ſub infert. Contra hanc inuictæ veritatis ſplendidiſſimam lucem, ſolent quidem

1 Tim. 2.
1 Theſ. 4.
Pſal. 5.

Auguſt.
Non caſus ruentium prædeſtinatio Dei aut excitauit aut impulit, ſed planè prædeſtinauit iudicium ſuum Dei.

Non Dei voluntate peccant homines.

Ambroſ.
Dei præſcientiam non cogere hominem vt talis

non

Si qualem præſciuit Deus, ſed præſcire talem futurum, qualis futurus eſt.

non ſobriè dicere, ſuperfluò ad acquirẽda bonorum & operum, merita laborari. Fruſtrà etiam orationibus, quibus Deus exorandus ſperatur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito eius Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio, nec aliter quicquam procedere poteſt quàm omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt: Sed qui ſe ingenioſè hoc arbitrantur opponere, nõ intelligunt ſcientiam Dei, qui & præterita & præſentia, & futura complectitur, tempore non teneri. Et tàm in conſpectu eius aſtare ea quæ gerenda ſunt, quam illa aut quę geruntur aut geſta ſunt. Quod cum veriſſimum ſit, non indiget mora cernendi & diſcernendi illa virtus, quæ perpetuò vtroque contuitu creata, & creanda, ſimul aſpicit, & quicquid in vniuerſitate rerum per ſecula præfinita euoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipſius ſummo illo perfectoque iudicio mundi huius finis accipiet. Hactenus Ambroſ.

Hieron. Non ex eo quod Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Deus nouit, quaſi præſcius futurorũ.

Subſcribit his Hieron. ſuper Hieremiam, libro 5. Verbum ambiguum, forſitan maieſtati Domini non poteſt conuenire, ſed noſtrò loquitur affectu, vt liberum homini ſeruetur arbitrium, ne ex præſcientia eius, quaſi neceſſitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Deus nouit, quaſi præſcius futurorum. Et rurſum ſuper Ezech. lib. 3. loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis monſtret arbitrium, ne præſcientia futurorum mali vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit. Non enim, quia ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt nos facere quod ille præſciuit, ſed quod nos propria voluntate ſumus facturi, ille nouit futurum quaſi Deus. Hæc Hieron.

Leo.

Et Leo papa quoque ſuffragatur ſermone de paſſione Domini. 16. Nunquid iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei orta conſilio? & illud facinus quod omni malus eſt crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de ſum̃a iuſtitia ſentiendum eſt, quia multum diuerſum, multumque contrarium eſt id quod in malignitate Iudæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti paſſione diſpoſitum, Non inde proceſſit voluntas interficiendi vnde moriendi, nec de vno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit: Non præſciendo quod faciendum eſſet, coëgit vt fieret. Hæc ille.

Origen.

Accedit his Origen. in Epiſtolam ad Rom. lib. 7. Neque in præſcientia Dei, vel ſalutis, vel perditionis noſtræ cauſa conſiſtit, neque iuſtificatio ex ſola vocatione pendebit, neque glorificari de noſtra penitus poteſtate ſublatum eſt. Nã etſi communi intellectu de præſcientia ſentiamus, non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat. Nam etſi (verbi gratia) fingimus Deum non prænoſcere aliquid, futurum ſine dubio erat, quòd ita vtputa Iudas proditor factus eſt, & hoc ita futurum prophetæ prædixerunt. Non

Non quia prophetæ dixerunt, idcirco proditit Iudas, ſed quia futurus eſſet proditor, prædixerunt prophetæ.

ergo quia prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Iudas, ſed quia futurus eſſet proditor, ea quæ ille ex propoſiti ſui nequitia geſturus erat, prædixerunt prophetæ. Hæc Origenes.

Conſentit Chryſoſt. hom. 60. ſuper Mat. Quid autem neceſſitatem ſic dicat, non quia voluntatis libertatem poteſtatemque liberi arbitrij tollat: nec quia neceſſitati rerum, humanam ſubijciat vitam, hoc dicit, ſed quia omnino venturum eſt prænuntiat.

Lucæ 17.

Quòd Lucas alijs verbis expreſſit, non eſſe ſuſceptibile dicens, quòd non veniant ſcandala. Quæ porro ſunt ſcandala? Rectæ ac probæ vitæ confuſio atque peruerſio, Sic etiam qui verſantur in ſcena, eos qui corpora peruertunt, ſcandala vocant. Non ergo prædictio ipſius ſcandala inducere putanda eſt. Non enim quia futura ſcandala prædixit, idcirco veniunt, ſed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, ſi nollent ea excogitare nequam homines atque peſtiferi: quòd ſi ventura non fuiſſent, nec ipſe futura prædixiſſet. Ventura verò erant, quia multi erant grauiter ægrotantes, qui noluerunt non agere malignè: & ipſe quod futurum erat prædixit. Sed ſi illi curati fuiſſent, quiſpiam dicet, ac nemo eſſet qui ſcandala faceret, nonne hic ſermo falſitatis crimine teneretur? Certè ſi curari ſanarique omnes voluiſſet, non dixiſſet, neceſſe eſt ſcandala venire. Sed quia ſua ſponte incurabiles futuros perſpiciebat, ideo ventura omnino prædixit. Hæc Chryſoſt.

Damaſc.

His aſſentitur & Damaſcenus libro 2. capite 30. Operæpretium eſt agnoſcere, omnia præſtare Deum, non autem omnia prædiffinire atque prædeſtinare. Præſcit enim & ea quæ in nobis: non prædiffinit autem hæc: nam non prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti. Hæc ille.

L V T H.

Ceſſat liberum arbitrium erga Deum, quod apparet erga nos, & temporalia: illic enim, vt Iacobus ait, non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Hic verò omnia mutantur & variantur.

E P I S C.

Vtrumq; ſanè veriſſimum eſt, & Deum præſcire cuncta priuſquam fiant, & multa quoque contingenter fieri. Videntur equidem hæc ſibi repũgnare, ſed minimè repugnant.

Cum præſcientia Dei ſtat contingentia reb.

Neque enim aut rerum contingẽtia, diuinæ prænotioni quicquam præiudicat: aut diuina rurſum prænotio rerum contingentiæ. Si Deus non prænoſceret omnia priuſquam fierent, profectò non eſſet Deus. Cum Deum oporteat ſummè ſapientem eſſe, nec vllo poſſet ipſe carere ſapientiæ gradu. Et rurſum ſi rerum contingentia nulla fuerit, omnis humana ceſſaret induſtria, nec agris colendis vllam neceſſe foret operam dare, nec pecoribus alendis vllum ſtudium, aut pueris demum rectè educandis ſolertia quæuis adhiberi deberet. Fateri igitur oportet vtrumque, nimirum & in Deo rerum omnium futurarum eſſe prænotionem, & earundem nihilominùs in ſeipſis eſſe contingentiam.

2. Petri 1.

Quod & diuus Petrus teſtatur, inquiens: Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam vocationem veſtram, & electionem faciatis. Quid enim hortaretur nos

Petrus ad opera bona, ſi non voluntate, ſed neceſſariò: ſi non contingenter, ſed neceſsitate quadam ea fierent à nobis? An non præſcientiæ neceſsitas, ea fieri cogeret vel Petro non hortante? Et cur per hæc affirmat Dei vocationem & electionem in nobis poſſe fieri certam, ſi Dei præſcientiæ neceſsitatem illis imponat? Sed vtinam ij, qui ſic rerum contingentiam negant, & cuncta fieri contendunt abſoluta prorſus neceſsitate, tam diu cruciatibus exponerentur, vt quidam rectè conſuluit, donec agnoſcerent, ſe contingenter, & non neceſſariò cruciari. Neque aliter certè ab hac inſania liberari facilè queunt.

LVTH. *Et nos ſtulti, diuina æſtimamus ſecundum hæc temporalia? vt libero arbitrio præſumamus Deum præuenire, & gratiam extorquere velut dormienti, quoties libitum fuerit, quaſi ille mutari nobiſcum poſſit & velit quod aliquando noluit, idq; noſtro libero arbitrio operante & volente. O furor furorum omnium nouiſſimus.*

EPISC. Vtrumque, ſicut diximus, compertiſsimum eſt, & Deum cuncta præſcire priuſquam fiant, & nos nihilominùs noſtra ſponte, multa contingenter operari. Quod & Auguſt. lib. 5. de ciuitate Dei palam confitetur, inquiens: Nullo modo cogimur aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nephas eſt) negare præſcium futurorum, ſed vtrumq; amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur. Hactenus Auguſtinus. Vtrumq; igitur verum ſit oportet, hoc eſt, prænouit Deus quæcunque ſunt futura, & tamen liberam ſinit hominibus agendi libertatem. Nam vt idem paulò inferius dixit. Multa facimus, quæ ſi nollemus, non vtique faceremus. Neque prorſus deſerit operantes Deus, aut auxilio ſpeciali deſtituit eos, qui nituntur & ſe præparant ad rectè operandum. De talibus enim *Pſal. 9.* Propheta dixit: Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Nemini deeſt auxilium iſtud ſpeciale, niſi prorſus induratis & traditis in reprobum ſenſum, a quibus, nec iniuria, propter ſummam ipſorum ingratitudinē, id ſubtractum eſt. Et quoniam hoc auxilium nunquam non adeſt cuique peccatori, poteſt (cum velit) ad bene *Ezech. 18.* operandum ſe conuertere. Quod ſi fecerit, ſcripturis innumeris pollicetur Deus peccatorum veniam. Si pœnitentiam, inquit, egerit impius de peccato ſuo, omnium iniquitatum eius *Matth. 23.* non recordabor. Et in Euangel. Chriſtus dicit: Hieruſalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſub alis, & noluiſti. Ecce voluit Chriſtus, & ipſi noluerunt. Quamobrem & ſponte à voluntate, non *Liberum eſſe peccatori ſe parare poſſe ad gratiam.* abſoluta neceſsitate, Chriſto reſtiterunt. Quis ergo non videt liberum eſſe peccatori, præſertim cum non abſit auxilium Dei, quod & præſto ſemper eſt, ſe parare poſſe ad veniam? Quod cum ſua ſponte, non coactus faciet, contingenter vtique facit. Nec tamen per hoc, aut præuenitur Deus, aut mutatur, aut de nouo quicquam vult quod ante noluerat. Quæ res tanto & tam vnanimi patrum omnium orthodoxorum aſſenſu traditur & docetur, vt horum ſententijs repugnare, non poteſt non furorum omnium furor amentiſsimus eſſe.

LVTH. *Et Paulus Epheſ. 2. dicit. Eramus & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. Si omnes extra gratiam ſunt filij iræ, ex ipſa natura, ergo & liberum arbitrium eſt filius iræ, ex natura ſua, multo magis ex omnibus operibus ſuis. Quid autem eſſe poteſt, natura filius iræ, niſi quod omnia quæ facit ſunt mala, non ad gratiam, ſed ad iram præparantia, imo iram merentia? Ite nunc Pelagiani, & operibus veſtris præparate vos ad gratiam, cum hic Paulus non niſi iram illis mereri omnes dicat. Melius erat ſi ſolùm dixiſſet Eramus filij iræ, ſed addens, natura, certè totum quod ſumus & facimus ex natura, non niſi meritum iræ, nequaquam gratiæ intelligi voluit. Vix breuiorem & apertiorem potentioremque in ſcripturæ inuenias ſententiam aduerſus liberum arbitrium.*

EPISC. Profectò nec iſta ſcriptura quicquam tuæ peruerſitati ſuffragatur. Eramus vtique per naturam filij iræ. Tales enim nati fuimus, ſed per immenſam Dei benignitatem, filij gratiæ facti ſumus. Nam ſequitur continenter in eodem Paulo: Deus autem (qui diues eſt in miſericordia) *Epheſ. 2.* propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati. Non opinor te dicturum, nos ſimul & mortuos, & viuificatos eſſe, neque ſimul, & iræ filios, & gratiæ factos, ſed alterum poſt alterum viciſsim. Neque rurſum ob hoc coacti ſumus, vt gratiam reciperemus, ſed noſtro aſſenſu, & noſtra ſponte gratiam hanc accepimus, Deo liberaliter eam nobis offerente, & nos ad tantam inuitante dignitatem, qua fuimus alioqui indigniſsimi. Per mortem enim filij ſui Ieſu, cunctis credituris poteſtas hæc donata eſt, nimirum vt filij Dei fierent, modò velint in ipſum credere. Neque dubium cuiquam eſſe poteſt, quin hæc poteſtas antè ſit eis facta, quam crederent, nempè cum eſſent in peccatis mortui, & adhuc inimici Dei. Quamobrem cum nemo poteſt inuitus hac affici gratia, ſed opus eſt, vt vltro & ſua ſponte quis in eam aſſentiat: & cum his offertur qui nondum amici ſunt, palam eſt, quòd amicitiam Dei quærentibus, ipſe propenſior erit ad miſerandum, quam ijs qui contemnunt. Neque enim credibile eſt, Deum, ijs qui quærunt eius amicitiam, & modis omnibus quibus poſſunt, conantur ipſius amici fieri, difficiliorem & duriorem exhibiturum ſeſe, quàm contemptorib. maieſtatis ſuæ, præſertim ſi nihil illi de ſuis operibus præſumant, ſed de clementia Dei, ſimul & de pollicitationibus in ſcriptura ſacra, per eius filium apertiſsimè traditis. Verum hoc te fallit quòd etiam hanc præparationem exiſtimans natura ſola fieri, ac proinde nihil præter iram promereri. Nam peccator quiuis non derelictus à Deo, poteſt ad eiuſmodi præparationem faciendam, per fidem excitari, citra gratiam. Quod autem per fidem citra gratiam fit, non ſola natura fit, cum fides omnino ſit ſupra naturam, Dei enim donum eſt fides, vt inquit Paulus, & non ex hominibus. Quamobrem & apertiſsimè falſum eſt, quod colligere moliris, nempe quòd (omnia quæ facit liberum arbi-

arbitrium extra gratiam,) ſunt mala, & non ad gratiam, ſed ad iram præparantia, imo iram merentia. Nam, vt oſtendimus, multa ſiunt a libero arbitrio per fidem, ſupra naturam, & tamen extra gratiam, quibus non iram promeretur peccator, ſed magis ad gratiam præparatur.

LVTH. *Et quid multis agimus? Ex ſupra dictis abunde cognouimus, etiam iuſtos magno certamine contra ſuam carnem laborare, vt faciant bonum, reſiſtitq́; eis liberum eorum arbitrium, & prudentia carnis, ſiuntque verb. concupiſcens contra ſpiritum, odiens ea quæ ſunt ſpiritus & legis Dei.*

EPISC. Si liberum arbitrium (vt tu ais) in iuſtis illis qui magno certamine contra carnem ſuam laborarunt, vt facerent bonum, reſtitiſſet eis id conãtibus, ergo non volentes, ſed inuiti bonum agere conati ſunt. Quod ſi verum ſit, nec iuſti poſſunt

1. Cor. 9. dici. Quis enim mereri poteſt, ob id, quod inuitus facit? Cum dicat Paulus: Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Non eſt ergo iuſtus dicendus, qui quantumuis boni faciat, non ſua ſponte, nec libero facit hoc ipſum arbitrio.

Rom. 7. An non legis Paulum, qui de iuſtorum numero fuit, quos magno certamine compertum eſt, aduerſus carnem laboraſſe, quid dixerit? Non quod volo bonum, inquit, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Ecce Paulus cum ſpiritu contra carnem, vult bonum quod non facit, & non vult malum quod facit. At ſatis conſtat, velle & nolle non alterius eſſe poteſtatis quàm liberi arbitrij. Quamobrem & arbitrio libero, Paulum aduerſus carnẽ cum ſpiritu laboraſſe, certiſſimum eſt. Nequeunt igitur iſta, tuis inſtitutis conquadrare, nempe, qui liberum arbitrium, & prudentiam carnis, vnam rem videris aſſerere, quam & facis ita contra ſpiritum concupiſcere, vt ea quæ ſunt ſpiritus ac legis Dei, non odiſſe non poſſet. Cui ſententiæ, cuncti quos legerim orthodoxi patres

Caro. Anima. Spiritus. reclamant penitus. Nam hi mediam inter ſpiritum, & carnem, animam conſtituunt, atque in eius arbitrio ſitum eſſe dicunt, cui potius velit adhærere, ſpiritui ne, an carni magis. Poteſt enim, ſi velit prudentiam ſpiritus ſequi: poteſt & identidem prudentiam carnis. Tibi verò non hæ tres hominis partes, ſpiritus (inquam) & anima, atque caro. Quæ res potiſſimum erroris tui cauſa eſt.

LVTH. *Et quomodo poſſibile eſt, vt ſine ſpiritu ex natura ſua poſſit pro ſpiritu concupiſcere, ſeu ad ſpiritum ſe præparare, faciendo quod in ſe eſt?*

EPISC. Quòd hic aſſerit liberum arbitrium ſine Spiritu eſſe, ſi de ſancto Spiritu velit intelligi, quantum ad malos verum eſt, ſed quantum ad bonos omnino falſum. Cæterùm & in malis, quanquam abſit Dei Spiritus, poteſt nihilominùs liberum arbitrium, non dico per naturam, ſed per fidem (quæ ſupra naturam eſt) ad ipſum Spiritum ſe præparare, & pro Spiritu concupiſcere, modò non defuerit auxiliũ Dei, quod & peccatoribus deeſſe nunquam ſolet. Falſum igitur eſt, ſi pro Dei Spiritu, quod dixit velit intelligi. Nec ſanè minus eſt falſum, ſi pro ſpiritu humano velit accipi. Nunquam enim hæc Trinitas in homine ſeparatur, animæ, ſpiritus, & carnis. Sed caro ſemper (vt Paulus ait) aduerſatur Spiritui, & Spiritus identidem carni. Anima verò media, nunc

Gal. 5. cum carne contra ſpiritum in malis pugnat, nunc è diuerſo cum ſpiritu contra carnem in bonis. Alioqui non dixiſſet Paulus: Si autem quod nolo,

Rom. 7. illud facio, cõſentio legi Dei, quoniam bona eſt. Et quomodo Paulo conſentis legi Dei? Num quia liberè volens bonum, & quod humanus tibi ſuggerit ſpiritus, id perficere nequeas? & liberè nolens malum (quod caro ſuggerit) hoc tamẽ in te fomes operatur? Sic vtique legi Dei libero conſentis arbitrio, quia bona eſt. Nimirum quia vetat malum, & bonum contra præcipit.

LVTH. *In gratia dum fuerit, natura eius talis eſt, vt contra gratiam indomitum pugnet: & extra gratiam talis eſſe poterit natura eius, vt ſpiritum iuuet? Quid inſanius fingi poteſt.*

EPISC. Nemo certè præter Manichæum hoc dixerit, qui & naturam animæ vſq; adeo malam arbitratur, vt neque poſſet non peccare. Nam ad hunc modum liberum arbitriũ tibi peccabit ſemper. Ais enim ipſum peccare quicquid ante gratiam agit, ſed & quia poſt acceptam gratiam, aduerſus ipſam gratiam idem pugnare contendis, ſimiliter

Liberum arbitrium quid ſit. & peccare confiteris. Quoniam qui contra gratiam reluctatur à peccato non eſt immunis, atque ita iuxta te nunquam non peccabit. Sed & ſi liberum arbitrium gratiæ reluctatur, quomodo gratiam retinere poſſet? Cum gratia non diutius in anima cuiuſuis maneat, quam ſponte retineatur ab eadem. Cæterum non eſt eiuſmodi naturæ liberum arbitrium, quemadmodum ipſe fingis, vt ſolum ad ea, quæ mala ſunt, addictum ſit. Sed eſt naturæ vertibilis ad bonum, aut ad malum: & nunc carni quidem ad malum, nunc verò ſpiritui conſentit ad bonum. Quamobrem & nos retrorſum, hanc tuam in te collectionem verius retorquebimus, ad hunc modum. Liberum arbitrium extra gratiã poteſt auxilio Dei (quod nulli peccatori deeſt) ſe ſua vertibilitate ad ſpiritum præparare. Ergo non eſt eius natura talis, vt ſub gratia conſtitutum, gratiæ ſemper aduerſetur.

LVTH. *Eſſet enim hoc monſtrum nouum ſimile huic. Si quis indomitam feram vinculis cuſtoditam domare non poſſit, & tamen inſanus iactet eam ante vincula, & ſine vinculis tam eſſe cicurem & manſuetum, vt ſponte ſe domet, ſeu vt dometur, laboret.*

EPISC. Nihil enim monſtri eſt, quod nos hic dicimus. Nam hoc ipſum priores patres vnanimiter affirmarunt. Neque patres modò, verumetiam ſcripturæ prorſus atteſtantur. Sic enim ad Hieremiam Deus cap. vigeſimo ſexto. Sta in atrio domus Domini, & loquaris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo Domini, vniuerſos ſermones quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos. Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant, & conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & pœniteat me mali quod cogito facere eis, propter malitias ſtudiorum eorum. Ecce mali fuerunt iſti, ad quos Hieremias miſſus erat, & niſi liberum fuiſſet eis reuerti, non dixiſſet Deus in hac ſcriptura, ſi fortè audiant, & conuertatur

vnuſquiſque à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis. Sed tu mihi videris hic liberum arbitrium prò concupiſcentia carnis accipere. Hæc enim talis indomita fera eſt, qualem tu fingis. Neque enim domari vnquam poteſt ipſa concupiſcentia, quæ ſpiritui ſemper aduerſatur, ſemperq; aduerſus gratiam pugnat. At liberum arbitrium longè ab illa diuerſæ naturæ eſt. Nam ipſum adiutum gratia, cōtra carnis concupiſcentiam ſtrenuè dimicat, & partes agit ſpiritus, factaque carnis, iuxta Pauli monita, modis omnibus mortificare ſtudet.

LVTH. *Deſiſtite quæſo ab hac inſania miſerrimi Pelagiani. Si liberum arbitrium in gratia peccat, & inſanit aduerſus gratiam, ſicut cogimur omnes ſentire, & queruntur Apoſtolus & omnes ſancti, certè contra omnem ſenſum eſt, vt extra gratiā probum ſit, & ad abſentem ſe paret, quam præſentem odit & proſequitur.*

EPISC. Tu potius ab inſania tua deſiſtas Luthere. Nihil enim nobis commercij eſt cum Pelagianis. Sed tu planè qui liberum arbitrium vſqueadeo naturæ deprauatæ ſtatuis, vt non poſſet non peccare, Manichæorum errore ſeductus es. Insuper & incompoſſibilia quædam ſimul in eo coadunas. nempe gratiam & odium gratiæ. Nam affirmas liberum arbitrium præſentem gratiam odiſſe ſemper & perſequi. Et rurſum liberū arbitrium in gratia peccare, ſimul & aduerſus gratiam inſanire. De qua re cum alios ſanctos, tum Apoſtolum conqueri facis. Sed quo (te quæſo) loco queritur Apoſtolus de libero arbitrio? De carne ſæpe queritur, & de carnis fomite. Nimirum cum clamat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed & hoc ipſum an non optauit liberè Paulus, & an non libero prorſus appetijt arbitrio? Nam ſupra dixit. Non quod volo bonum hoc ago. Voluit ergo bonum, & libero certè voluit arbitrio, cæterùm, fomite carnis irretitus, explicare ſe non valuit, & ad effectum perducere, quod volebat.

Luther. Manich.

Rom. 7.

LVTH. *Neceſſe eſt ergo mera figmenta & hypocryſes eſſe quæcunque & docentur & fiunt ante gratiam pro gratia impetranda: præueniri enim nos neceſſe eſt miſericordia Dei, vt velimus.*

EPISC. Hic hallucinaris (ni fallor) quòd putas omnes accepiſſe gratiam, qui quouis modo ſtipulantur, & preueniuntur miſericordia Dei. At hoc certè falſiſſimum eſt. Pulſat enim Dei miſericordia multorum corda, quæ nondum gratiam amiſerunt, ſed ſpreuerunt oblatam. An non Chriſtus Lucæ 10. Corozain & Bethſaidæ, præclaris oppidis exprobrat, non admiſſam gratiam, quæ vltro fuerat eis oblata? Væ tibi Corozain, inquit, Væ tibi Bethſaida. Quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factę ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes pœniterent. An non igitur præſtò fuit illis auxilium Dei, modò pœnitere voluiſſent? Fuit hauddubiè. Et profectò ſi non idipſum in eorum arbitrio ſitum fuiſſet, nunquam iſtud eis Chriſtus exprobraſſet. Fuit igitur præſentiſſimum eis auxilium Dei, quo pœnitere potuiſſent, & ad gratiā paraſſe ſeſe. Quod ſi feciſſent, gratiam accepiſſent hauddubiè. Sed & in Apocalypſi dicitur ad eum qui primam ſuam charitatem reliquiſſet. Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrū tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Rurſum alteri quoque qui ſpiritu mortuus erat, illic conſultum fuit vt pœnitentiam ageret. An non his locis palam indicatur, in arbitrio peccatoris (vt pœniteat) ſitum eſſe, ſimul & diuinam opem minimè defuturam ei, qui pœnitere velit, quique modis omnibus, quantum in ſe ipſo fuerit, id facere conetur? Ordo igitur quo peccator ad gratiam redit, eiuſmodi ſtatui poteſt. Stimulatur primùm auxilio diuinæ gratiæ peccatoris animus, vt peccata deteſtetur. Subinde pœnitet illum eadem admiſiſſe. Verùm quoniam hæc pœnitentia non ſemper illico formata eſt, ſed poteſt adhuc informis manere, ideo tandem, aut continuato pœnitentiæ motu, aut ſacramentorū virtute, Deus gratiam infundit pœnitenti, quo pœnitentia quæ prius informis erat, iam euadat formata. Non ſunt itaque mera figmenta & hypocryſes, quæ fiunt ante ſuſceptionem gratiæ. Quia tametſi peccator nequeat abſque Dei auxilio, ſe præparare ad gratiam, poteſt tamen priuſquam eandem admiſerit, ad eam ſuſcipiendam ſe præparare. Qua præparatione, quis cogitare poteſt inimiciorem illi Deum fieri, & non magis ad largiendum (quod poſtulat) propenſiorem? Nam vt Auguſtinus ait, Deus ex ſe bonus eſt, ſed idem rogatus magis.

Luce 10.

Apoc. 2.

Ordo quo peccator ad gratiam redit.

LVTH. *Sicut & Auguſtinus contra epiſtolas Pelagiani dicit. Quòd nolentes Deus conuertit & reluctantes. Sicut in exemplo Pauli monſtrauit, quem tunc conuertit, quando erat ſummo ardore perſecutionis inſanus, & contrarius gratiæ.*

EPISC. Nihil aduerſus ea quæ diximus, illic affirmat Auguſt. Neq; enim nos aſſerimus, quòd ſine miſericordia pręueniente quiſquam poteſt benefacere. Nec tamen opinamur illa miſericordia quenquam inuitum cogi. Quod & Augu. eodem libro (quem tu citas) hoc eſt contra epiſtolas Pelagianorū teſtatur, vbi & de Pauli vocatione facit mentionem, capite decimonono libri primi. Quis, inquit, trahitur, ſi iam volebat. Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit ab illo, qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari. Non vt homines (quod fieri non poteſt) nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant. De quo tractatu fuſiùs agit ſuper Ioannem, tractatu 26. vbi (& ſi non trahimur) orare monet vt trahamur. Quod vtique non moneret, niſi per orationem peccatoris, Deum crederet ad veniam flecti poſſe. Sed & ouium ac puerorum exemplo docet, qualis fuerit is tractus, non violentus vtique, ſed placidus. Neque enim vim inferri voluntati, ſed amore potius eam duci putat. Talis, inquit, eſt ac ſi cum ramum viridem oſtendis oui, & illa trahitur, & cum nuces puero demonſtrantur, & trahitur ipſe. Duplex itaque tractus eſt, alter per timorem, per amorem alter. Sed prior ille ſic poſteriori inſeruit, velut amori timor. Præcedit enim timor, & poſt timoré amor ſubſequitur.

Exempla Auguſt.

Duplex tractus.

tur. Sic & Paulus vehementi primũ timore concuſſus, ſubinde tractus amore fuit. Quemadmodum & de correctione Donatiſtarum ad Bonifacium libro primo, cap. 15. ſcribit idem Auguſtinus. Quem maior timor compulit ad charitatem, perfecta charitas ab eo miſit timorem. Quando ſic timore concuſſus fuit Paulus, nondum fuit in gratia, & tamen Dei miſericordia ſic præuenit eum, vt poſteà conſentiret in gratiam, & ad eandem ſe pararet. Atq; hoc eſt quod nos diximus, tria momenta diſtinguentes. Primum, quo peccator horrore quodam ſui percutitur, id quod extra gratiam fit, quanquam non deſit auxilium gratiæ. Secundum quo peccator ſe cõuertit, & parat ad gratiam. Tertium, ipſius gratiæ infuſio.

Tria momenta in reditu peccatoris ad gratiam diſtingui poſſunt.

LVTH. *Et Petrum non reſpexit Dominum, vt recordaretur verbi quod dixerat ei Ieſus, ſed Dominus reſpexit Petrũ in media maxima illa negatione, & ſic recordatus verbi, fleuit amarè.*

EPISC. Et hoc Exemplum idem confirmat. Nam per negationem ſuam, Petrum ſatis conſtat à gratia decidiſſe. Sed poſteà cum reſpexiſſet eum Chriſtus recordatus eſt verbi, quod prius ad eum dixerat. Cuius verbi recordatione vehementer animo concuſſus, exiens foras, fleuit amarè. Atque ita tertio loco gratiam accepit. Neque enim priuſquam verbi recordatus fuiſſet, accepit gratiam. Nam adhuc fuit in peccato. Nec tamen recordatus verbi fuiſſet, niſi reſpexiſſet illum Chriſtus. Chriſtus enim ante verbi recordationem Petrum reſpexit, & hanc recordationem miſericorditer eundem excitauit. Sic vtique miſericordia Chriſti Petrum præuenit, vt verbi prius ad ſe dicti recordaretur, & vt ſic recordantem, ingratæ negationis pœniteret, atque ita per gratiam tandem aſſequeretur veniam. Nemini ſine proprio conſenſu præſtatur venia. Nam vt Chryſoſtomus ait homilia 5. de laudib. Pauli. Sponte nos velut Deus effici bonos, non neceſſitate atque violentia. Et paulò pòſt. Si traheret inuitos, eriperet ipſe quod contulit, id eſt, arbitrij poteſtatem. Hæc Chryſoſtomus. Cæterùm vt docemus vtrumq;, hoc eſt, tam Petrum quàm Paulum abſque omni penitus præparatione gratiam accepiſſe. Num ex eo conſequitur, quòd nullus omnino poſſet ad gratiam ſe præparare? Nihil oportet. Nam hos peculiari quadam præ cæteris benignitate, Chriſtus ad ſuam attraxit miſericordiam. Sed noſtra quæſtio, de ſingulo quouis agit peccatore. An ſcilicet extra gratiam conſtitutus peccator, per Dei tamen auxilium, quod neutiquam illi deeſt, poſſet ad gratiam conſequendam ſe præparare? Cæterùm & extra cauſam iam fuimus. Nihil enim ad hunc articulum (quem tractamus) attinet. Quid enim ſi non in mea poteſtate ſitum ſit, vt fiam ſummus pontifex, quod ex electione dominorum Cardinalium pendet? Num propterea non ſum arbitrij liberi? Non conſequitur. Atq; ita pari modo, quanquam non fuerit meæ poteſtatis accipere gratiam, quæ pendet ex dono Dei, num propterea meum arbitrium non erit liberum? Satis conſtat, peccatorem orare poſſe, eleemoſynas dare poſſe, ieiunare poſſe, cum velit, & ab eiſdem abſtinere poſſe modò velit. Quid ſi non fuerint hæc extra gratiam bene moraliter facta? Nihil iſtud aufert arbitrij libertatem. Sed quia peccatori liberum eſt hæc facere vel non facere, ſatis abũdè poteſt ex hoc apparere libertas arbitrij.

Chryſ. Sponte nos vult Deus effici bonos non neceſſitate & violentia.

LVTH. *Videmus itaq; in huius articuli ſententia quam fallax fuerit operatio erroris, magiſtro Satana.*

EPISC. Certè quantum ad libertatem arbitrij ſpectat, aut cuncti qui retro fuerant Eccleſiæ proceres, operante magiſtro erroris Satana, ſeducti ſunt, quod nemo ſanus dixerit: aut tu qui liberum negas arbitrium illis omnibus reclamantibus, Satanam erroris huius magiſtrum habuiſti. Nam ſi cuncta (quæ fiunt) prorſus eueniant neceſſitate, ſic vt nulla ſit arbitrij libertas, cur Paulus toties hortatus eſt fideles, vt pro ſe Deum precarentur? Sic enim ad Romanos decimo quinto ſcribit: Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſpiritus, vt adiuuetis in orationibus veſtris pro me ad Dominum, vt liberer ab infidelibus. Si cuncta neceſſitate prorſus eueniant, cedo, cur ſic obſecrauit eos Paulus? Nam tua ſententia, quod futurum erat, neceſſario futurum erat non neceſſitate conſequentiæ, ſed abſoluta neceſſitate, ſic vt Deus nequiuit auertere, nedum aliquorum precibus flecti potuit, vt auerteret. Adde cur Chriſtus eſt hortatus ſuos, aut petere quicquam, aut quærere, cum etiam non petituris, nec quæſituris euenturum eſſet, ſi neceſſitate cuncta fiant? Aut cur timere iubet eum, qui poteſt & corpus & animam mittere in gehennam, cum nec quiſquam Deum timere poterit, ſi neceſſario non timeat: neque talis vllus, qui non timet, poterit in gehennam non mitti? Sed & cur ait Lucæ 11. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Cur inquam (ſi non fuiſſet eis liberum pœnitentiam egiſſe) condemnandi ſunt? Aut cur dicturus eſt his qui à ſiniſtris ſtatuendi ſunt? Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi bibere. Cur, inquam, hæc illis exprobraturus eſt, & tandem eoſdem in ignem miſſurus, ſi non ſuæ poteſtatis fuiſſet iſta facere, ſed neceſſitate prorſus abſoluta fecerunt, cuncta quæ fecerunt? His accedit quod in Euangelio Lucæ dixit ad omnes, non modo bonos, verumetiam peccatores. Dicebat (inquit Lucas) ad omnes. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Sanè quoad omnes dixit, omnibus liberum fuit facere voluiſſent necne. Alioqui Chriſtus eos nõ fuiſſet hortatus, vt hoc ipſum facerent. Adhæc cum in eodem Euangelio Iacobus & Ioannes Chriſto dixerunt, Domine, vis dicamus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos, quemadmodum & Helias fecit. Nunquid liberum fuit eis hoc petiiſſe? Veruntamen ab hoc per Chriſtum admoniti, deſtiterunt. Et rurſum quando Chriſtus Apoſtolis dixit: Qui vult inter vos maior fieri, fiat ſicut minor, An non ita facti ſunt minores, vt in ambitione

Rom. 15.

Matth. 10.

Lucæ 12.

Lucæ 11.

Matth. 25.

Lucæ 9.

Lucæ 9.

tione ſua (modò ſic voluiſſent) potuiſſent perſeuerare? Quamobrem libera voluntate, non abſoluta neceſſitate, facti ſunt minores. Cęterùm cum his ſcripturis cuncti conſentiant interpretes orthodoxi, perſpicuum ſit, vt nemo (niſi docente Satana) in tantum potuiſſet errorem præcipitare ſeſe. Rectè igitur ais, quòd in huius articuli ſententia (quantum ad neceſſitatem operum voluntatis attinet) fallax error introijt Satana magiſtro. Sed huius erroris ſolus Lutherus cum paucis alijs hæreticis ſe diſcipulum præbuit.

LVTH. *Cum enim negare non poſſent, hos per gratiam Dei ſaluos fieri oportere, nec eludere poſſent hanc veritatem, alia via ingreſſa eſt impietas ad eludendum, finges etſi noſtrum non ſit ſaluare noſipſos, noſtrum tamen eſſe, parare ad hoc vt ſaluemur gratia Dei.*

EPISC. Quanquam ex diſputatoribus nonnulli, quorum iudicijs ipſe non ſubſcribo, ſentiant, eum, qui mortali peccato grauatus ſit, abſq; ſpeciali auxilio gratiæ, poſſe bene mortaliter agere, ac proinde ſe præparare poſſet, non quidem vt ex merito, ſed vt ex congruo Deus ei ſit daturus gratiam, is tamen eorum error, ſi quis fuerit, tuum lapſum excuſare non poteſt. Nam eſto, ſine auxilio Dei qui foris pulſat, nemo poſſet ad gratiam parare ſeſe. Non ob id protinus conſequitur, vt ſi quid pro gratia conſequenda conetur peccator ante gratiam, id ſit mortale peccatum. At hæc fuit altera ſectio præſentis articuli, nempe, quòd dum facit liberum arbitrium (quod in ſe eſt) peccat mortaliter. Hoc opinor, intelligi vis *Luca 18.* ante ſuſceptam gratiam. Peccauit ergo mortaliter Publicanus, cùm orationis cauſa templum conſcendit, cùm ſua peccata deteſtabatur, cùm percuſſo pectore precatus fuit: Deus propitius eſto mihi peccatori. Peccauit & Zachæus mortaliter, cum non valens præ turba conſpicare *Luca 19.* Ieſum, aſcendit in arborem Sycomorum. Pec- *Luca 15.* cauit & filius malè frugi, qui ſuæ miſeriæ con- *1. Corinth. 5.* templatione reditum parabat ad patrem. Sed quid iſtos memoro? Peccauit Paulus mortaliter, qui Corinthium nondum accepta gratia, compulit ad mortale peccatum, nimirum ad opus pœnitentiæ, quod tibi ante gratiam eſt mor- *Matth. 3.* tale. Peccauit & Baptiſta mortaliter, qui plebi *Luca 13.* nondum accepta gratia, ſuaſit vt agerent pœnitentiam, quæ tibi tum ante gratiam fuerat culpa mortalis. Peccauit demùm Chriſtus ipſe, qui ſuis auditoribus (quorum plerique gratiam haud dum acceperant) ſuggeſſit pœnitentiam, vel, vt tu vis, reſipiſcentiam, quæ tametſi fieri nequeat abſque Dei auxilio, fieri tamen poteſt citra gratiam. Nam & illos (qui ſub Ioanne reſipuerunt) non omnes accepiſſe gratiam opinor, cum neque baptiſmus eius gratiam conferebat. Liquet igitur ex his, atque alijs compluribus, conatum peccatoris ad gratiam (qua iam caret) non eſſe mortale peccatum, cum fiat auxilio Dei, peccatorem ad hunc conatum excitantis. Cæterùm conatus iſte, quia ſine Dei auxilio fruſtra fit à nobis, non ita noſter dicendus eſt, vt noſtris viribus penitus aſcribatur, ſed eius laus humiliter Deo tribuenda eſt, cum dicat

Conatum peccatoris ad gratiam non eſſe mortale peccatum.

Paulus: Quid habes quod non accepiſti? Dei *1. Corin. 4.* igitur eſt, vel quod ſaluamur, vel quod præparamur, Quia neutrum ſine Deo fit à nobis. Noſtrum etiam vtrumque eſſe, non vereor aſſerere. *Philipp. 2.* Quia ſine nobis, hoc eſt, abſque noſtro conſenſu neutrum fit. Propter quod & Paulus proximè quàm ad Philippenſes dixiſſet: Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate, præmiſit. Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Quę verba diuus Auguſtinus de gratia & libero arbitrio tractans cap. 9. ſic ait: Non enim quia dixit, Deus eſt qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate, Ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. Quod ſi ita eſſet, non ſuperius dixiſſet. Cum timore & tremore veſtram ipſorum, ſalutem operamini. Quando enim iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium. Hæc Auguſtinus.

LVTH. *Quæ (rogo) manet gloria Deo, ſi nos tantum poſſumus vt ſaluemur per gratiam eius.*

EPISC. Nihil omnino derogat eius gloriæ, quòd tantum poſſumus per eius gratiam. Neque enim hoc poſſumus, niſi per opitulationem Dei. Et hoc nimirum immenſæ largitatis eius eſt, quòd ita paratus ſit, cunctis eam imploraturis, hanc ſuam opem præſtare. Nemini enim deeſt hæc opitulatio Dei ſpecialis, qui non defuerit ſibi. Et præſertim nunc ſub hoc tempore gratiæ. Alioqui non dixiſſet Chriſtus: A diebus Ioannis Ba- *Matth. 11.* ptiſt. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nihil ergo diuinæ gloriæ ſubductum eſt, ſi iam per inenarrabilem eius clementiam, & miſericordiæ largitatem, peccatores valeant gloriam illam ſibi rapere. Non quòd iſtud poſſent inuito Deo, ſed quod per nimiam ſuam charitatem, qua vel inimicos dilexit Deus, hanc iam cunctis offert poteſtatem, nimirum vt cum humilitate confeſſionis, & veræ pœnitentiæ gratiam conſequi poſſent, qua perueniant *Auguſtin.* ad cœleſtem gloriam. Propter quod & Auguſtinus ſermone 37. de ſanctis non veretur aſſerere, noſtra in poteſtate repoſitam cœleſtem illam gloriam. Repoſita eſt, inquit, in poteſtate facientis: Quia regnum cœlorum vim patitur: Res iſta o homo, id eſt, regnum cœleſte aliud non quærit pretium, quàm teipſum, tanti valet quantum es tu: te da, & habebis illud. Et rurſum ſermone 20. explicans eadem Chriſti verba, dicit: A diebus Ioannis, regnum cœlorum vim patitur. Et paulò poſt: Non, inquam, ſine violentia fieri poteſt, vt vnuſquiſque iracundiam patientia, ſuperbiam humilitate commutet: amore paupertatis, diuitiarum ac ſufficientiæ affluentiam ſuperet: vinolentiam ſobrietate, luxuriam caſtitate condemnet: & homo ſubito in virum transformetur perfectum, & quodammodo alter reddatur ex altero: ac ſic à talibus per violentiam regnum cœleſte diripitur. Hæc Auguſtin. Cunctis ergo qui ſuis affectibus vim inferunt poteſtas hæc facta eſt rapiendi cœlum. Nam præſentiſſimum eſt eis auxilium Dei, modo non id ſuis viribus ſe conſequi ſperent, ſed eius

auxi-

auxilio munificentiaq; tribuant quicquid operantur. Propter quod & Auguſtinus contra Felicem Manichæum lib. 2. cap. 8. Iam, inquit, diximus, & probauimus per diuinas ſcripturas, eſſe liberum arbitrium, Deum autem eſſe liberi arbitrij iuſtum iudicem, & remuneratorem fidelium eique ſe ſubijcientium, & volentium ſanari: damnatorem autem ſuperborum & impiorum. Quia ergo ad peccatores ſanandos venit, ſanat vtique peccata confeſſos, ſanat pœnitentes. Et paulo inferius: Qui concipiunt timorem Dei, & per liberum arbitrium ſubdunt ſe ſanandos optimo medico, & ſicut bono curatori, ita & miſericordi creatori per humilitatem confeſſionis & pœnitentiæ ſanantur. Hæc Auguſtinus. Sed quid vnum aut alterum ex Auguſtino locum produco, cum vbique teſtetur hoc ipſum, nempe cunctis factam ſanitatis & gratiæ poteſtatem, modò velint per confeſſionis & pœnitentiæ humilitatem, miſericordiæ Chriſti, & eius medicatiui ſe ſubdere.

LVTH. *An parùm eſſe videtur hoc poſſe, ſi quis gratiam non habens, tantum tamen virtutis habet, vt gratiam habere, quando voluerit, poſſit?*

EPISC. Nemo parum id eſſe fatetur, ſed maximum Dei beneficium, & ex maxima Dei liberalitate nobis donatum agnoſcimus, nimirum vt cum eius auxilio poſſimus admiſſa pœnitere, & pœnitentes ab eo gratiam obtinere. Quod & futurum audet mater Eccleſia cunctis ad eius gremium confugientibus polliceri. An non infidelibus haud dum baptizatis, apoſtoli cæleſte regnum pollicebantur, modò credere voluerint & baptizari? At non fuit iſtud, inquis, in eorum poteſtate ſine Dei auxilio. Non refragor. Sed nullis deeſt auxilium Dei, qui ſuæ voluntatis aſſenſum exhibuerint. Auxilium Dei paratum eſt omnibus, tantum hoc ab vnoquoq; requiritur, quòd ſibi non deſit, & quod æque præſto ſit huic auxilio cor ſuum aperire, atque Deus hoc ipſum præſtare paratus eſt. Vtinam (inquit Auguſtinus) tam citò peccator homo reſurgat ad pœnitentiam, quàm citò etiam Deus diffinitam vult mutare ſententiam. Audi ipſum Dominum per Prophetam ſpem maximam humano generi promittentem. Repente, inquit, loquor ad gentem, vt pro peccatis ſuis faciam eis malum, & ſi pro iniquitatibus ſuis egerit pœnitentiam, & ego pœnitentiá agam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem eis, & non faciam. Videte fratres quanta ſit circa nos pietas Dei noſtri, & agnoſcite, vtrum velit negare miſericordiam, qui de conuerſione noſtra ſuam dixerat mutare ſententiam. Hæc Auguſt. inter ſermones de tempore, ſermone. 102. Quem auctorem ob id toties produco, quòd eum tuæ ſententiæ ſuffragatorem facis. Sed & idem pleriſque locis, ſecuritatem audet promittere cunctis, qui (dum ſani ſunt) pœnitentiam agunt, & per Eccleſiæ ſacramenta Deo reconciliantur. Noſtrum igitur eſt, ſi velimus gratia potiri: nó tamé ita, quòd ſolis noſtris viribus id fieri queat, ſed per auxilium Dei, quod cunctis ad manum eſt, qui non ſunt ab eo penitus derelicti.

Auxilium Dei paratum omnibus.

Auguſtin.

Hiere. 18

LVTH. *Quid refert ſi dicas, ſine gratia nos ſaluari cum Pelagiano, cum gratiam Dei iam ponas in arbitrio hominum?*

EPISC. Dixi ſæpius, Quoniam Dei auxilium cunctis hoc tempore gratiæ paratum eſt, & ijdem liberum habent arbitrium, idcirco per confeſſionis & pœnitentiæ humilitatem, ſacramentis Eccleſiæ ſe ſubdere poſſunt, & miſſam gratiam recuperare. Non quod ſolis humanis id fieri queat viribus, ſed clementia benignitatemque Dei, qui per ſcripturas ſuas id futurum ſpopondit. Hoc & orthodoxi patres cuncti, & conſtantiſsimè proteſtantur, atque vno ore prædicant, ita damnant Pelagianos, qui ſine gratia nos aſſerunt ſaluari poſſe. Quare plurimum refert, an cum Pelagiano quis dixerit, ſine gratia nos poſſe ſaluari, an gratiam in hominis arbitrio ſic poſuerit, vt cum auxilio Dei, quod nulli non paratum eſt, eam poſſe comparari confidat. Neminem enim niſi prorſus derelictum, non adiuuat Deus, quatenus poſſet pœnitere, peccatáque deteſtari ſua, veniam quoque pro commiſſis implorare, modò velit ad eius clementiam ſe conuertere. Quamobrem, cum Dei non deſit adiutorium, vt hauddubiè non deeſt, poteſt vnuſquiſq; peccator, per fidem, & liberum arbitrium prædictis inſiſtere. Quod ſi fecerit, veniam proculdubiò reportabit. Nos igitur iuxta conſilium Auguſtini, tractatu 54. ſuper Ioannem, nec ſic liberum defendimus arbitrium, vt orationem, qua dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, auferamus. Neque rurſum ſic negamus arbitrij libertatem, vt noſtri peccati DEVM conſtituamus auctorem. Sed Deo credimus tam præcipienti, quàm opitulanti, tam iubenti quid facere debeamus, quam adiuuanti, vt poſsimus implere.

Auguſt. conſilium.

LVTH. *Videris mihi peior eſſe Pelagio, dum gratiam Dei neceſſariam in poteſtatem hominis ponis, quam ille penitus negauit neceſſariam.*

EPISC. Quicquid is tibi viſus fuerit, tu mihi profectò videris Manichæo deterior. Nam is reueritus Deum bonum auctoré mali facere, duo rerum principia conſtituit, alterum bonum, alterum malum: hoc malorum omnium ſcaturiginem faciens, illud contra bonorum. Tu verò nihil vereris Deum optimum maximum peccatorum noſtrorum auctorem aſſerere, Id quod hactenus omnes orthodoxæ religionis patres, ceu blaſphemiam quandam refugierunt. Et vbi Manichæus duas in homine facit naturas, alteram bonam, alteram malam: & eam quæ bona eſt, affirmat non poſſe malefacere, & quæ mala eſt, non poſſe non peccare. Tu naturam liberi arbitrij cum prudentia carnis eandem facis, & illam aſſeris reluctari ſpiritui Dei ſemper, etiam in Sanctiſſimis viris. Cuius itidem naturam ceu feram quandam indomitam, ais gratiæ nunquam non repugnatricem eſſe, ſemperque peccare mortaliter, vel ſub gratia poſitam, etiam tum, cum optimè conatur operari. Sed & cuncta nihilominus, quæ fiunt ab eo, contendis, neceſſitate prorſus abſoluta fieri. Hæc ſi Manichæum non exprimant, aut quiddam omni Manichæo peſtilentius,

Luth. Manichæo deterior.

ego

ego certè uihil intelligo. Quòd verò tibi viſum eſt abſurdius, gratiam Dei neceſſariam in hominis poteſtate reponi, quàm eam negari prorſus neceſſariam, in hoc haud tui diſſimilis es, qui negas alibi ſacramentis conſerri gratiam. At reclamat tibi totius Ecelefiæ conſuetudo, vel ab ipſis Apoſtolorum temporibus hactenus obſeruata, quæ credit Deum ita ſacramentis infallibiliter aſſiſtere, vt quoties ritè ſuſcipiuntur, præſtetur hauddubiè ſuſceptoribus gratia. Cæterùm ſi non ſit in hominis poteſtate gratia, cur eam Paulus aſſerit manibus hominum tradi. Sic enim 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyteri. Et rurſum 2. ad Timoth. 1. Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem maunum mearum. Et Petrus in Act. apoſt. cap. 2. Quomodo fuiſſet auſus Iudæis polliceri, quòd ſi pœnitere velient & baptizari, Spiritus ſancti donum eſſent accepturi? niſi certò noſſet Deum his aſſiſtere Sacramentis. Aut qua temeritate ſuas manus ipſe & Ioannes Samaritis preſumerent imponere, daturi Spiritum ſanctum, niſi compertiſſimum haberent, quòd ad hanc manuum impoſitioné diuini numinis auxilium haudquaquam eſſet defuturum. Nec Samaritæ ſolum hoc modo Spiritum acceperunt, verumetiam cæteri, quibuſcunque ſuas Apoſtoli manus impoſuerunt. Vt & Simon magus iſtud fieri cernens, ingenti pecunia voluit hanc ſibi poteſtatem coëmiſſe. Nemini igitur dubium eſſe poteſt, quando non pro ſolis illis Chriſtus mortuus eſt, verumetiam pro nobis, quod Eccleſia Dei ſic hodie regitur, quòd per ſacerdotum manus, & Sacramentorum adminiſtrationem, Spiritus ſancti gratia, cunctis ritè Sacramenta ſuſcipientibus, communicatur.

Deum ſacramentis aſſiſtere.

LVTH. *Minus, inquam, videtur impium, gratiam in totum negare, quàm eam noſtro ſtudio & opere parari, ac velut in manu noſtra reponere.*

EPISC. An non ita ſummis illis Eccleſiæ proceribus viſum fuit. Nam hi paſſim cunctis pœnitere volentibus, gratiam audent polliceri, Cyprianus in primis vbique peccatores ad pœnitentiam hortatur, quibus, ſi gnauiter eam exerceant, audacter ſpondet veniam. Et rurſum vbi dominicam orationem tractat, ſic ait: Qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam miſericordiam promiſit & veniá ſecuturam. Subſcribit huic & Baſilius: Magnum, inquit, Chriſti humanitatis pelagus, vbi miſericordia eſt, non exigitur ratio. Vbi, inquam, miſericordia, iudicium vacat, ſalus promiſſa deniq; ſalutaria omnia. Itaq; quamuis extra gratiam ſis, clama. Dic miſerere mei, non labra mouendo, ſed mente vocem emittens. Nam & ſilentes audit Deus. Nec locus, ſed propoſiti initium requiritur. Hæc Baſilius in exhortatione ad baptiſmum. Ecce Baſilius hic peccatorem, licet extra gratiam conſtitutum, hortatur tamen ad Deum pro venia clamare, nec veretur ſic clamanti, ſalutem polliceri. Chryſoſtomus inſuper de reparatione lapſi. Talis, inquit, mihi crede, eſt erga homines pietas Dei, quòd nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſyncere & pie offeratur, etiamſi ad ſummum perueniat quis malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter & complectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem reuocet ſtatum. Hæc ille. Et Auguſtinus ſermone ſexageſimo ſexto de tempore. Deus, inquit, natura miſericors paratus eſt ſaluare per miſericordiam, quos non inuenit ſaluare per iuſtitiam: qui volunt omnes homines ſaluos fieri, & neminem perire, quiq; per Prophetam ait: In quacunq; die conuerſus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur. Quamuis quiſquam ſit peccator, & impius, ſi ad pœnitentiam conuertitur, conſequi per miſericordiam veniam non dubitet. Et rurſum quinquageſimo ſeptimo ſic ait: Ergo vos dilectiſsimi fratres hortor, atque commoueo, vt ſi quis ex vobis conſcius criminum ſuorum, indignum ſe communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum ſe facere poſſet? Quomodo? Niſi vt errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat, vt qui criminum ſuorum ſorde pollutus fuerit, exomologeſis ſatisfactione mundetur. Hæc Auguſt. Quibus opinor perſpicuum eſt, quòd omnibus pœnitere volentibus, & quantum in ſe fuerit, agere conantibus, diuina gratia ſit ad manum paratiſsima. Alioqui non dixiſſet Auguſtin. peccatorem ſe poſſe facere dignum Eccleſiaſtica communione. Nouit enim auxilium Dei paratiſsimum eſſe, nouit & voluntatem peccatoris ita liberam eſſe, vt eum auxilio ſe conuertere poſſit, nouit demum & Sacramentis diuiné vſqueadeo virtutem aſiſtere, vt qui ritè forent ea ſuſcepturi, veniam & gratiam inde conſequerentur. Hæc nimirum omnia patribus erant perſuaſiſsima, propter quod & auſi ſint tanta confidentia redeuntibus ſalutem polliceri.

Cyprian. *Baſilius* *Chryſoſt.* *Auguſtin.* *Ezech. 33.*

Et tamen præualuit hæc operatio erroris, quia ſpecioſa & placens naturæ liberoq; arbitrio, vt difficilè ſit eam confutare, præſertim apud rudes & craſſos animos. LVTH.

Si fuiſſet hæc operatio erroris, hauddubie non permiſiſſet eam Spiritus veritatis, in Eccleſia preualuiſſe tam diu, præſertim in re tanti diſcriminis. Nec miror ſi tibi difficilè ſit eam confutare, cùm tanto robore teſtium communita ſit. Aſſerunt eam ſcripturæ, comprobant Apoſtoli, ſacri quoq; interpretes confitentur, ſed & totius Eccleſiæ perpetuus confirmauit vſus. Quanta igitur eſt veſania tua Luthere, cum videas te non poſſe iuſtis rationibus hanc ſententiam euertere, neq; ignores tot & tam inſignia teſtimonia, prorſus tuo dogmati reluctari, quod nihilominùs in ea pergis, quaſi vel ſolus ipſe ſaperes, & ſolus Spiritu potireris veritatis. EPISC.

Luth. inſania.

In cæteris autem articulis de Papatu, conſilijs, indulgentijs alijsq; non neceſſarijs nugis ferenda eſt leuitas, & ſtultitia Papæ & ſuorum ſed in hoc articulo qui omnium optimus & rerum noſtrarum ſumma eſt, dolendum ac flendum eſt, miſeros ſic inſanire. LVTH.

Profectò niſi iam eſſes inſaniſsimus ipſe, nunquam iſta diceres. Tu multò magis deflendus es, qui bonarum literarum copia ſic abuteris, vt EPISC.

neq;

neque te pudeat vſqueadeo palàm inſanire, vt miſeros appellites eos, qui ſcripturis aſſentiuntur, Apoſtolorum doctrinam approbant, ſacris ſubſcribunt, interpretibus, & denique totius Eccleſiæ conſuetudinem, tanto tempore comprobatam, non aſpernantur. Putas orbem vniuerſum vſqueadeo ſtupidum eſſe, vt tam illuſtri, tamque multiplici, teſtimonio repudiato, Lutherum ſequi velit? Quid amentius à quouis cogitari poteſt.

LVTH. *Tantum abeſt enim, vt Papa & ſui diſcipuli myſterium hoc gratiæ Dei, vel vno iota intelligant, aut aliquando agnoſcant vt antè caſurum cælum credam.*

EPISC. Veriſſime dicis, quanquam non ex animo.
Matth. 24 Nam ſuum verbum Chriſtus adhuc manſurum aſſeuerauit, poſtquam cælum tranſierit, ac terra. Ruat cælum, permiſceantur omnia ſurſum deorſumq;, ſtabit nihilominus Chriſti verbum, nempe, quòd Petro dictum fuit. Non deficiet fides tua
Luca 22. Matth. 16. Petre. Et alibi. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Per portas inferi quidam hæreſes intelligunt, quippe quæ fidentes eis præcipitant ad inferos. Rectiſſimè igitur dicis, te credere cælum ante caſurum, quàm Papa, ceteriq; fideles agnoſcere velint iniquitatis huius myſterium, quod ipſe non pro gratia, ſed contra Dei gratiam prædicas, & quo crudelem & immi-
Lutheri dogmata perniciosiſſima. tem aduerſus pœnitentes Deum facis, atq; totius iniquitatis auctorem. An non contra gratiam prędicas, qui negas pœnitentibus gratiam eſſe paratam? & Deum nonne crudelem & immitem facis, qui conantem redire peccatorem tua ſententia magis auerſatur. Et demùm iniquitatis auctorem, nunquid Deum conſtituis, cum omnia ab eo dicis abſoluta neceſſitate fieri?

LVTH. *Non ſtabit huius articuli veritas cum Eccleſia Papæ, non magis quàm cum Chriſto Belial, & cum luce tenebræ.*

EPISC. Et illud quoq; veriſſimum eſt: Nam cùm articulus ille tuus omni veritate careat, & à patribus, ac ſcripturis apertiſſimè diſſentiat, quomodo cum Eccleſia (quæ veritatis & Chriſti ſpiritum obtinet) ſtare poteſt: Non vtique magis id fiet, quod & tu confiteris, quam cum Chriſto Belial, & cum luce tenebræ.

LVTH. *Papæ enim Eccleſia, niſi opera bona doceret ac venderet, aut ſola gratia nos iuſtificari ſyncere doceret, neq; in hanc pompam creuiſſet, neq; ad horam ſi quo caſu creuiſſet, ſtetiſſet.*

EPISC. Eccleſiam vnam eſſe (ſatis opinor) ſuperius oſtendimus, eiuſque caput eſſe ſummum pontificem, quem tu Papam per contemptum appellitas. Extra hanc Eccleſiam nemini ſalus eſt, & quiſquis cum hac non colligit, diſpergit. De moribus in ea præſidentium ipſe videris, quos, ſi parùm probi fuerint, ego non defendo. Porrò fidei doctrinam (quam ipſa docet) nihil dubito, quin omnis, qui ſuæ ſalutis curam habet, eam profiteri
Matth. 23. teneatur. Quanquam enim improbis fuiſſent moribus illi, qui Moſeos cathedram occuparunt, iuſſit nihilominus Chriſtus, vt quæ docuerint, faciamus. Neque minus quicquam auctoritatis horum doctrinæ deferendum eſt, qui Petri tenent cathedram, tametſi moribus fuerint improbiſſimis. Cæterùm quòd peruerſis dogmatibus, credis eam tam latè fuiſſe propagatam, nec abſq; his vel ad horam potuiſſe ſtare, in hoc longè abs te diſſentio. De qua re, quia ſatis ſuperq; dictum à nobis eſt art. 25. confutatione, nihil hic adijcere ſtudebimus.

Crucis enim eſt hæc theologia, quæ damnat, quicquid LVTH.
Papa probat, & martyres facit.

Satis cuique notum eſt, ſummum pontificem EPISC.
Romanamque Eccleſiam vtrumq; teſtamentum recipere, ſimul & Apoſtolorum traditiones, atq; ſacrorum interpretum commentarios, ſed & cętera quæq;, quæ ad fidem ſpectant illos comprobare, cunctis apertiſſimum eſt. Quamobrem ſi theologia Lutheri damnet quicquid ſummus Pontifex probat & recipit, non immeritò crucis theologia dici poteſt, hoc eſt, cruce, & damnatione digniſſima.

Vnde & Eccleſia ſ initio martyrum tempore optima ac LVTH.
penè tota ſui parte effloruit. Mox pro cruce ſucceſſit voluptas, pro penuria opulentia, pro ignominia gloria, donec ea quæ nunc Eccleſia vocatur, ipſo mundo, vt ſic dicam, mundanior & ipſa carne carnalior facta ſit.

Qualis vita moreſq; fuerit, aut Pontificis, aut EPISC.
curiæ, non eſt huius inſtituti diſſerere, ſed de doctrina potius. Si voluptates, ſi diuitias, ſi gloriam, hoc eſt, ſi mundum & carnem ſequantur, tibi forſitan exploratius eſt, quàm mihi, quippe qui nunquam Romæ fuerim. Et ſi vel ipſo mundo mundaniores ſint, vel ipſa carne carnaliores, neminem iſta minus exprobrare deceret, quàm te, qui non modò cuncta neceſſitati tribuis, verumetiam Deum malorum omnium facis auctorem. Quid enim illi delinquunt, ſi non ſua ſponte, ſed neceſſitate cuncta faciant? Et quid illi peccant, ſi Dei præſcientia, vel inuitos adigat ad ea, quæcunque operantur? Mihi verò ſat eſt, non quæ faciunt, ſed quæ docent obſeruare, cum Chriſtus de Moſeos cathedram inſedentibus ita præcipit, omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera eorum no- Matth. 23.
lite facere.

Et ego non habeo aliud contra Papæ regnum robuſtius LVTH.
argumentum, quam quod ſine cruce regnat. Prorſus nihil patitur, omnibus autem abundare & excellere ſtudet, & non eſt fraudatum deſiderio ſuo. Habet quod voluit factaq; eſt meretrix ciuitas fidelis, vtterq; regnum veri illius Antichriſti.

Et mihi viciſſim huius perpetuationis, nem- EPISC.
pe quòd in cathedra Petri, ſucceſſio pontificum hactenus perpetua manſerit, nullum aliud robuſtius videtur argumentum, quàm quòd Chriſtus id futurum eſt pollicitus, cum dixit: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. A Petro ſanè voluit Chriſtus Eccleſiam ſuam exordium ſumere, & ab eodem perpetuari quemadmodum articulo viceſimo quinto ſatis aperuimus. Nam Petro, vt illic docuimus, poteſtas collata fuit, non paſcendi modò, verumetiam regendi Eccleſiam Chriſti. Regimen ergo Petri, quod & regimen ſummi pontificis

tificis eſt, nulla induſtria humana ſubſiſtit, aut hactenus perdurauit: ſed ſola virtute verborum, Chriſti, quæ nequeunt non eſſe firma, quicquid de cæteris huius mundi rebus contigerit. Cæterùm, quòd ſummus pontifex nec ſit Antichriſtus nec quod is hauddum aduenerit, pluribus autè monſtrauimus.

LVTH. *Verboſus in hac parte fui neceſſitate rei, quæ non modò per hanc Bullam (quod ne pili quidem facio) ſed per omnes penè ſcholaſticos doctores oppreſſa & extincta eſt, plus trecentis annis.*

EPISC. Verboſus vtique, & præter cauſæ neceſſitatem, niſi quòd fucum facere iam ſtudeas, & in ſcholaſticos tuæ verboſitatis culpam reijcere molliaris. Sed finge ſcholaſticos aberraſſe, quid hoc ad articuli tui fulcimentum inſeruit? Nihil omninò. Nam & ſi falſum eſſet, quòd liberum arbitrium abſque gratiæ adiutorio poſſet bene moraliter agere, neutrum tamen eorum, quæ tuus articulus aſſerit, inde conſequitur. Neque enim oportet, ſi nullum opus moraliter bonum agi poſſet ſine gratiæ adiutorio, quod liberum arbitrium ſit res de ſolo titulo, cum arbitrij libertas per gratiæ adiutorium neutiquam auferatur, cumque præter opera moraliter bona, multa ſit alia, quæ niſi quis omnino lapis fuerit, intelligit in ſua libertate ſita, vel vt faciat, vel vt non faciat. Quis enim dubitare poteſt, an liberũ ſibi fuerit leuare ſtramen, & an orare poſſet, & ieiunare, & eleemoſynas dare? Nemo ſanè vſque adeo ſtupidus eſt, vt neſciat iſta ſuæ poteſtatis eſſe. Cæterùm cum adiutorium gratiæ nemini deſuerit, niſi penitus derelictis, quis ambigere poteſt, quin ante ſuſceptionem gratiæ, peccator agens quantum in ſe fuerit, per illud adiutorium vitare queat peccatum mortale, ſimulque bene moraliter agere? Quæ res perſpicua cuiuis eſſe poteſt, ex parabola, quam de phariſæo pariter & publi-

Lucæ 18. cano Chriſtus retulit. Nam vterque cum eſſet peccator & iniuſtus, orandi cauſa templum aſcendere conſtituit. Et hoc inſtitutum, quid prohibet quo minus potuit omni circumſtantia morali veſtiri? Aſcenderunt autem nulla neceſſitate coacti, ſed mera ſponte ſua, non tamen abſque diuinæ gratiæ ſtimulo, quo credibile eſt vtrunq; fuiſſe præuentum. Neque tamen vt eorum animi gratia afficerentur; cum ſimul in eodem animo, gratia peccatumque mortale cohabitare nequeant, ne quis eodem momento, ſimul & amicus dicatur, & inimicus Deo. Sed adfuit gratia pulſans, excitans, & (vt aiunt) præueniens, nondum intromiſſa. Quemadmodum & lux ſolis dormientis oculum excitare poteſt, vt vigilet, & aperiat ſeſe, qui poſtquam aperitur, eadem luce mox vtitur ad videndum. Sic nimirũ gratia præuentus, vterq; fuiſſe creditur, & Phariſæus & publicanus, quatenus ad templum oraturus aſcen-

Actor. 10. deret. Ad quem modum & Cornelius Centurio (ſi Hieron. vel Auguſtino vel Origen. credimus) fuit per gratiam ſtimulatus, vt crebriùs oraret, & eleemoſynas erogaret, nondum accepta gratia. Sed nos ad publicanum redeamus. Is quoniam in templo ſtans à longè, nolebat oculos in cœlum attollere, ſed percutiebat pectus ſuum dicẽs: Deus propitius eſto mihi peccatori, venia gratiaq; donatus eſt, redijtque iuſtificatus in domum ſuam. Quis iam non videt hac parabola palàm doceri, peccatorem orando, ſuaq; ſcelera vindicando, cæteraq; faciendo quantum in ſe fuerit, non modò non peccare mortaliter, verumetiam diuinæ gratiæ præſentia ſic adiuuari, vt poſſet bene moraliter agere, atq; ita tandem promereri veniam. Nam ſi molitus omnia quæ poſſet publicanus iſte, peccaret adhuc mortaliter, Deus ipſius precibus multò magis ad iracundiam prouocatus fuiſſet quam flecteretur ad tãtam veniam. Quod cum falſum eſſe conſtet ex Euangelio. (Nam is iuſtificatus in domum ſuam deſcendiſſe legitur) manifeſtum eſt, quòd huiuſmodi conatus eius Deo fuerat acceptus. Liquere poteſt & idem ex duobus regibus, quos Auguſtinus ad hunc mo- Dan. 4.

dum ſibi mutuo confert: Vnde inquit, Nabucho- Exod. 13.

donoſor pœnitentiam meruit fructuoſam? Nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, (quod perdiderat) rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & perijt. Hic mihi rationem reddat, qui diuinum conſilium nimium alto ſapienti corde dijudicat, cur medicamentum vnius medici confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem? niſi quia Chriſti bonus odor, alijs eſt odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. Quantum ad naturam, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad cauſam, ambo captiuum populum DEI poſſidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos? niſi quòd vnus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio. Hactenus Auguſt. Ex quibus Mutatur hæreſis.

vtique verbis multa colligi poſſunt, quæ tuum Luth. ex

articulum in vtraque parte labefactant. Nam Auguſt.

& in Pharaone, quanquam fuerat derelictus, verbis.

manere tamen arbitrium liberum. Auguſtin. plane confitetur. Id quod priorem articuli tui partem enervit. Poſteriorem verò partem ſubruit, cum ait, quòd Nabucho. flagellum Dei ſentiens, ex recordatione propriæ iniquitatis ingemiſcens, fructuoſam egerit pœnitentiam, atq; id quidem, cum eſſet adhuc innumeris obrutus impietatibus. Sed & tertium de quo præter articuli negotium diſſeruimus, palam ex iam diſputatis colligitur, nempe quòd citra gratiam, quæ gratum faciat peccatorem, non tamen citra diuinam opem peccator poteſt opera moraliter bona facere, quibus veniam à Deo promereatur, quemadmodum & publicanus, ac Cornelius Centurio, ſimul & Nabuchodonoſor ſibi gratiam comparaſſe leguntur. Nec mireris lector, quòd nos gratiam, & auxilium gratiæ toties diſtinguimus. Nam idem & Auguſtinus pleriſque locis facit. Sic enim ad Simplicianum libro 1. quæſt. 2. ſcribit. In quibuſdam eſt tanta gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum, ſicut in catechumenis, ſicut in

ipſo

ipſo Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ. Hæc Auguſtin. Quibus verbis apertè docet, Cornelium, & catechumenos habuiſſe gratiam fidei, qua iuuarentur ad opera bona, ſed non gratiam eam, quanta ſufficit ad obtinendum regnum cœlorũ, id quod ſolum præſtat gratia gratum faciens, quæ peccatorem Chriſto incorporat, & Dei templum ex eodem conſtituit, ac dignum efficit æternæ vitæ. Per illam gratiam (vti paulò pòſt illic Auguſt. aſſerit) fit inchoatio quædam conceptioni ſimilis, quæ conceptio non ſufficit Chriſtiano, ſed oportet eum etiam naſci, quod fit per ſecundam gratiam, qua quis dignus æternæ vitæ redditur. Et quanquam Cornelius hanc ſecundam gratiam non haberet, auxilio tamen prioris ſic orauit, & eleemoſynas elargitus eſt, vt dignũ ſe præberet, cui angelus mitteretur: quemadmodum & illic Auguſt. aſſerere non dubitauit, nempe quòd Cornelius cum ſe dignum præberet, cui angelus mitteretur, quanquam fidei gratiam tum habuerat, non eam tamen adhuc acceperat gratiam, quanta ſuffecerat ad obtinendum regnum cœlorum. Tanta enim (vt illic tradit) per Sacramentorum participationem, & per incorporationem Eccleſiæ corpori, comparatur. Quando igitur Cornelius, qui gratia caruit tanta, hoc eſt, gratum faciente, per orationes tamen & eleemoſynas dignum ſe præbuit, cui angelus mitteretur, quæ impudentia eſt aſſerere, quòd conatus quiuis peccatoris, ante gratiam iſtiuſmodi, peccatum ſit mortale: Concludit igitur Aug. hoc loco, quòd quanquam bona quædam opera præcedant ſecundam gratiam, ipſa tamen priorem gratiam ſubſequuntur, quia neque catechumeni, neque Cornelius ipſe, bona quædam opera, facere potuerunt abſq; gratia miſericordiæ Dei, quam Aug. hic intelligit priorem gratiam, tametſi nondum illi gratiam accepiſſent poſteriorem. De catechumenis inſuper, idem Aug. li. de eccleſiaſt. dog. exactius loquitur, dicens: Baptizatis tantùm, iter eſſe ſalutis credimus. Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, vbi tota baptiſmi Sacramenta complentur. Ecce catechumeni poſſunt opera bona facere, tamen licet in eis agendis, mortem obeant, aliter quàm cum martyrio, vitam æternam non conſequuntur. A qua certè nemo vnquam excluditur, qui poſteriori gratia fuerit potitus. Fiunt igitur à catechumenis opera bona citra gratiam poſteriorem, quæ nec alia poſſunt intelligi, quàm bona moraliter. Et rurſum in eodem lib. de libero arb. poſt peccatum, ita tradit. Manet ad quærendam ſalutem, ar. lib. id eſt, rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem. Id quod ſane per primam gratiam fit. Et mox ſubdit, Initium ergo ſalutis noſtræ, Deo miſerante habemus: vt autem acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: vt adipiſcamur, quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris: vt non labamur in adepto ſalutis munere,

Duplex gratia.

Opera moraliter bona.

ſolicitudinis noſtræ eſt, & cœleſtis pariter adiutorij vt labamur: noſtræ poteſtatis & ignauiæ
eſt. Ecce quinque per ordinem adnotanda. Primum
eſt initium ſalutis noſtræ, per quod intelligit primam gratiam, qua ſtimulamur ad bene
agendum. Secundum eſt aſſenſus noſtræ volun- 2.
tatis, quo ſequimur illam ſtimulationem, & hunc
aſſerit noſtræ poteſtatis eſſe. Tertium eſt ſalus 3.
gratiæ, qua grati Deo efficimur, quæ ſolius Dei
donantis eſt. Quartum eſt eiuſdem ſalutis cu- 4.
ſtodia, quæ non ſolum noſtra ſolicitudine fit,
ſed diuino pariter adiutorio. Quintum eſt ab 5.
hac ſalute relapſus, qui ſola noſtra ſponte, & à nobis ipſis fieri poteſt. Dilucidum igitur opinor ex iis Auguſtini teſtimonijs eſſe, quòd in peccatore libertas arbitrij maneat, & quòd cum faciat peccator, quod in ſe eſt, non peccet mortaliter, quodque nondum accepta ſecunda gratia, multa per adiutorium prioris gratiæ poſſet opera bona facere, quibus promereri veniam queat. Et quanquam in his inculcandis fuerim prolixior, id mihi potius vitio vertendum patior, quàm vt Lutheri mendacijs lector hallucinetur, perſuaſus Auguſt. ſenſiſſe, quæ nunquam ſenſerit.

Quinque ex Aug. verbis annotanda. 1.

LVTH. *Nemo enim hic non contra gratiam pro gratia ſcripſit, ita vt non ſit res æque neceſſaria tractatu, quam & ſæpius optarim omiſſis friuolis illis Papenſibus nugis & negotijs, quæ nihil ad Eccleſiam pertinent, niſi vt vaſtent, tractare: ſed longitudine temporis & magnitudine vſus, operatio Satanæ ſic inſedit, & errore iſto ſic hebetauit animos hominum, vt nullos videam qui idonei ſint vt intelligant, nedum vt no[illegible] [illegible] certent.*

EPISCA. Si ſcholaſticorum nemò pro gratia contra gratiam non ſcripſerit, ipſi viderint. Tueantur ipſi cauſam ſuam, quòd meo iudicio facilè poſſunt aduerſus te Luthere, cum nihil hactenus in medium attuliſti, quod non illico paucis verbis exufflabunt. Rectius mihi videris feciſſe, ſi rationes, quibus innituntur, apertè diluiſſes, priuſquam eiuſmodi probris & conuitijs, in eos ad hunc modum inſultaſſes. Sed finge iſtos delitaſſe, quid habes tamen quod orthodoxis patribus obijcias, quos negare non potes, pro gratia contra Pelagianos ſtrenuè dimicaſſe? Horum libris tuæ hæreſes palam condemnantur. Illi ſanè te Manichæum docent, cum aſſeras liberum arbitrium non poſſe non peccare, ſed & Manichæo quouis deteriorem, cum Deum optimum maximum peccati auctorem facias, ſimul & liberum arbitrium non aliud opinatis, quam prudentiam carnis, quæ ſpiritui & gratiæ ſemper reluctantur. Nouatianum item oſtendunt eſſe te, qui pœnitentiam negas peccatori conducibilem eſſe, priuſquam à Deo gratiam gratum facientem acceperit. Nam tu, cum agit peccator quicquid in ſe fuerit, affirmas tamen eum peccare mortaliter, & deteriorem inde fieri. Quam ſententiam nullus patrum non vehementer abhorruit. Sed vnum hic recenſere nobis ſufficiet Auguſtinum. Is in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus, de venia peccatorum ſic loquitur. Pœnitentia aboleri peccata, indubitanter credimus, etiam ſi

Liberum arbitrium Luthero prudentia carnis Lutheri.

Nouatianus.

in vltimo vitæ ſpiritu quis admiſſorum pœniteat. Et paulò poſt, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & ſaluatus miſeratione Dei viuat. Si quis aliter de iuſtiſſimis Dei pietate ſentit, non Chriſtianus, ſed Nouatianus eſt. Ecce quibus verbis Aug. te Nouatianum affirmat, qui pœniten-

Lutherus Vuicleffita. tiam aſſeris peccatorem facere deteriorem. Vuicleffiſtam inſuper quis negare te poteſt, qui cuncta de neceſſitate prorſus abſoluta prouenire, reclamantibus omnibus patribus, non vereris aſſerere? Sed & arrogantia tua plus quàm manifeſtum te facit, quiſnam fueris, cum tam ſuperbè cæteros omnes præ teipſo contemnis, quique nullos iudices idoneos vt intelligant, nedum vt tecum certent. Hoc hæreticorum ſemper fuit, arroganter de ſeipſis prædicare, & placere ſibi. Sed iſtud ſupercilium quis vere Chriſtianus non abominetur.

LVTH. *Plena eſt harum rerum diuina ſcriptura. Sed ſit vaſtata per noſtrum Nabuchodoſor, vt nec literarum facies & notitia reliqua ſit, opus ſit nobis quodam Eſdra, qui nouas literas inueniat, & denuo nobis Biblia reparet, quod ſpero nunc geri efflorefcentibus in toto orbe linguis Hebraica & Græca, Amen.*

EPISC. Et in hoc nec degeneras à priorib. hæreticis, qui ſibi ſcripturarum notitiam ſemper arrogarunt. Vtinam ſaperes modeſtius. Nobis abundè ſatis eſt cum patribus ſapere, contra quorum cõmunem conſenſum, nulla tui cerebri figmenta, de ſcripturis intelligendis, admittere licet, niſi prorſus inſaniamus. Scripturis patres aſſentiuntur, & ſcripturæ vicißim patribus conueniunt. Nullum inter vtroſq; diſsidium eſt, ſed ſumma concordia. Quòd ſi nunc tandem aliquis emergat, qui patres non intellexiſſe ſcripturas contendat, nec eas rectè fuiſſe interpretatos, is merito ſuſpectus haberi debet, ne potius ad Antichriſti gregem, quàm Chriſti ſpectet. Nec inficior quin ſingulus quiſq; patrum alicubi lapſus ſit: verùm quod in re quauis aliquanti ponderis, nemo illorum veritatem attigerit, ſed omnes pariter errarint, & falſa docuerint, credere non poſſum, nec ſi quiſquam Eſdras exoriatur, & nouas denuò literas nobis exhibeat. Bonis literis ſi benè quis vtatur, non refragor quin ex eis tam ſibi, quam alijs emolumentum ingens parare poſsit: Sed nihil eſt vſqueadeo bonum, quo quis non queat in aliorum perniciem abuti. Paulo ſatis fuit, annun-

1. Cor. 2. tiare teſtimonium Dei, citra ſapientiæ ſeu ſermo-

1. Cor. 3. nis eminentiam. Nec ſuam prædicationem in

1. Cor. 8. perſuaſorijs humanæ ſapientiæ verbis fuiſſe te-

Philip. 2. ſtatur, quin potius eandem aſſerit apud Deum ſtultitiam eſſe. Sed & alibi ſcientiam inflare dicit: vniuerſoſq; magis hortatur, vt idem ſapiant, & ſpiritus vnanimitatem atque charitatem ſectentur, quàm mutuis iſtiuſmodi contentionibus, inter ſe confligari. Neque hæc dico, quòd nolim bonas literas efflorefcere. Nam id maximoperè cupio, ſed quòd nolim quenquam eis ad inſaniam & multorum perniciem abuti. Sed hactenus ad articuli confutationem.

ARTICVLVS XXXVII.

PVrgatorium non poteſt probari ex ſacra ſcriptura, quæ ſit in canone. LVTH.

Primum hic dicimus, quòd tametſi non poſsit EPISC. ex ſcripturis probari purgatorium, veritas eius *De purgatorio.* nihilominus Chriſtianis cunctis credenda eſt, & *Primum.* maximè cum ex Eccleſiæ vetuſtiſsima conſuetudine, pro defunctorum animabus, quæ in purgatorio eſſe creduntur, commemoratio ſpecialis à Sacerdotibus in miſſa fieri conſueuit. Propter quod & Auguſtinus libro de cura pro mortuis agenda, poſtquàm oſtenderit ex ſcripturis, prodeſſe defunctis ea ſuffragia, quæ poſt mortem eorum fiunt, docet nihilominus eius rei ſufficientem probationem capi poſſe, ex longa totius eccleſiæ conſuetudine. Si nuſquam, inquit, in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac conſuetudine claret auctoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum etiam habet commendatio mortuorum. Sed & Chryſoſtomus eandem ex Apoſtolica traditione ſcribit exortam fuiſſe, vt mox dicemus. Secundò videtur is *Secundum.* articulus non valdè quadrare cum cæteris aſſertionibus. Nam ex eo ſequitur, quòd præter ſcripturam ſacram, aliæ nobis quærendæ ſunt probationes, quod tamen alibi tu pertinaciter negas faciendum. Iubet vtique Petrus vt parati ſimus ad ſatisfactionem, omni poſcenti rationem, de ea quæ in nobis eſt ſpe. Quando igitur nobis creditum eſt purgatorium, vt tu paulò inferius teſtaris te credere purgatorium, ſuaderetque & conſulere, quatenus ab alijs credatur, oportet vt parati ſimus ad ſatisfactionem, ſi quis à nobis huius rei rationem exigat. Sed præſens articulus iam aſſerit fieri non poſſe, vt res hæc probetur ex ſcripturis ſacra. Quamobrem aliunde nobis huius rei probatio petatur, neceſſum eſt. Tertiò, cum à tot patribus tam Græcis quàm *Tertium.* Latinis purgatorium affirmetur, non eſt veriſi- *Purgatorium eſſe affirmant patres.* mile, quin eius veritas per idoneas probationes illis claruiſſet. Gregorius in primis præter multas hiſtorias, quas libro 4. dialogorum ad confirmandam purgatorij certitudinem adducit, etiam ſcripturas duas memorat, alteram ex Euangelio Matth. quo dicitur, quòd ſi quis contra *Matth. 12.* Spiritum ſanctum blaſphemauerit, neque in hoc ſeculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia, inquit, datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur. Alteram verò ex Paulo. 1. ad Corinth. 3. profert, vbi de ædificante Paulus ait, quòd ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Hieronymus item in fine 18. libr. ſuper Eſaiam ait: Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum (qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus) credimus æterna tormenta: ſic peccatorum, atque impiorum & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt atque purganda moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ ſententi-

ara

ani iudicis. Hæc Hiero. Et Ambro. ſuper Pſa. 118. vnumquenque purificandum eſſe docet, priuſquam in domini requiē ingrediatur. Quādo, inquit, dominus dicet. Intrate in requiem meam, vnuſquiſq; noſtrum vſtus romphæa illa flamea, non exuſtus purificabitur, vt ingreſſus in illam paradiſi amœnitatem, gratias agat domino ſuo, dicens: Induxiſti nos in refrigerium. Hæc ille. Porro quid Auſt. Origen. Athanaſius, Chryſ. & Dionyſius hac de re teſtentur, mox apparebit. Quando igitur tot egregij patres, purgationem fieri poſt hanc vitam vnanimiter comprobent, haud diſſimile vero eſt, quòd eius rei iuſtas & efficaces habuerint probationes. Quarto quoq; loco dicimus, quòd non ſit credibile purgatorium non poſſe ex ſcriptura ſacra probari, cum ſit ea res Chriſtianis omnibus vſqueadeo ſcitu neceſſaria. Prodeſt enim ipſius notitia, non ſolùm vt ex charitate ſubuenire ſtudeamus animabus illorum, qui in pœnis illis detinentur, verumetiam nobiſipſis metum incutit, ne leuiores facilè culpas admittamus. cum certò nobis conſtiterit, nos ob eas, in illis ignibus graues luituros pœnas, nec antè nobis in cælum aditum patere, quàm illis per acerbos purgatorij cruciatus fuerimus purgatiſſimi: conſertitem & ſpei noſtræ, ne protinus, vt morbus aliquis grauis & lethiferus nos inopinatos oppreſſerit, deſperemus, putantes omnia vel leuiſſima, de quibus hic non ſatis fecimus, in gehenna debere puniri. Sperare enim poſſumus admiſſa leuiora, quæ non ſatis in hac vita fleuimus, ſic in purgatorijs ignibus clementer expiari poſſe, vt nihil neceſſe fuerit, eorum vltionem ad gehennam reſeruari. Quamobrem apprimè neceſſaria res eſt Chriſtianis, noſſe purgatorium eſſe locum, in quo pro minutis delictis, animæ corporibus exutæ, velut aurum in fornace purgationem accipiunt, priuſquàm in cælum admittantur. Et quoniam ſcriptura ſacra, concluue quoddam eſt omnium veritatum, quæ Chriſtianis ſcitu neceſſariæ ſunt, nemini poteſt ambiguum eſſe quin purgatorij veritas in ipſa contineatur, & quin ex ipſa quoque probari poſſit. Valet autem hæc argumentatio contra te Luthere, qui purgatorij veritatem haud negas, imo confiteris ingenuè purgatorium eſſe. Nam inferius ais. Credo purgatorium eſſe, & conſulo ſuadeoque credendum. Vides igitur quantum conueniat, vt huius veritatis credendæ ratio, probatioque non deſit in ſcripturis, quanquam fortaſſis vnam aliquam ſcripturam, quæ proteruientem adigat, vti rem velit, nolit, confiteatur, in promptu non ſit adducere. Sed poteſt eſſe nihilominus illic aliqua, tametſi diligentiſſimos hactenus inquiſitores ipſa latuerit.

Nuperiamo. (margin)

Neceſſarium eſt Chriſtianis noſſe purgatorium eſſe.

Purgatorium ex ſcripturis oſtenditur.

Tentabimus igitur vel ex vna, vel ex pluribus oſtendere purgatorium eſſe. Principio tamen illud firmum ſit oportet, vt diſſidentibus nobis de vero ſcripturæ ſenſu, ille verus habendus eſt, quem iudex Eccleſiæ catholicæ conſtitutus, pro genuino ſenſu potiſſimum interpretabitur, quemadmodum ſub tertia veritate pluribus explicauimus. Nam hæreticus alium ſæpenumerò de ſcripturis ſenſum colligit, quàm orthodoxus. Arrius enim huius ſcripturæ ſenſum. Pater maior me eſt, aduerſus perſonarum æqualitatem interpretatus eſt. Eluidius etiam hanc. Et non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum, contra beatæ virginis perpetuam integritatem intellexit. Marcion hanc. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum, ſic contorſit, vt malam eſſe Moſcos legem, & à malo principio iuxta Manichæum originem ſumpſiſſe, non dubitauerit affirmare. Baſilides item hac abuſus eſt, qua dixit Paulus, Ego autem ſine lege viuebam aliquando, vt doceret Pauli animam in alio prius vixiſſe corpore. Eunomius inſuper illud Dauidicum. Ego dixi dixi dij eſtis & filij excelſi omnes, cum verbo Chriſti committens quo Iudæis affirmabat ſe filium eſſe Dei, credidit haud aliter Chriſtum eſſe Dei filium, quàm aliquem è diuis, quos in Eccleſia veneramur. Manichæi demum haud rectè illud interpretati. Quotquot ante me venerunt, fures ſunt & latrones, de prophetis omnibus, & lege malè ſentiebant. Sed quid lectorem iſtis morer? cum & reliqui quotquot fuerant hæretici, non paruo ſanè numero, ſemper anſam ex perperam intellectis ſcripturis acceperunt. Quamobrem & dilucidum omnibus eſſe poteſt, ſcripturæ ſenſum (quem credit hæreticus) non eſſe ſequendum, ſed quem orthodoxus ex ipſa concepit. Quoniam igitur ſecundum orthodoxorum interpretationem, vbi Chriſtus affirmat ex Euangelio Matthæi quoddam eſſe peccatum, quod nec in hoc ſeculo, nec in futuro remittetur, colligi poteſt aliquorum fieri peccatorum in futuro ſeculo remiſſionem. Quæ remiſſio certè cum purgationem talem exigat (qualis nec in gehenna fit, nec in cælo) purgatorij ſubinfert omnino neceſſitatem. Similiter in epiſtola Ioannis prima, cum dicitur. Eſt peccatum vſque ad mortem, non dico, vt pro eo roget quis, de peccato finalis deſperationis ab orthodoxis intelligitur, perinde ac ſi dixiſſet Ioannes. Pro eo, quem conſtat hic emigraſſe cum deſperatione clementiæ Dei, nullus oret. Quòd ſi pro cæteris profutura ſit oratio, iam palàm eſt eos alicubi detineri cruciatos, vnde per orationes eripi valeant. At id nec eſt in gehenna, quoniam inde nulla prorſus ereptio eſt, nec in cælo, quoniam illic nihil intrat purgandum. Quamobrem oportet, ſit tertius aliquis locus, in quo crucientur, & expurgentur à peccatorum ſuorum impuritatibus. Nec eſt vt cauillum facias in verbo, viderit, cum paulò antè dixiſſet: Si quis viderit fratrem ſuum peccare peccato non ad mortem. Nam hic videre non aliter, quam pro intelligere poteſt accipi, cum nemo corporeis oculis deſperationem cernere valeat, ſed ſolo mentis iudicio, percipere. Atqui nec res iſta poterit antea deprehendi, quàm quiſquam hinc emigrauerit, cum & multos à deſperatione, qua pridem infeſtati ſunt, reſipuiſſe compertiſſimum eſt. At hæc ſcriptura triplicem ordinem eorum facit, qui cum Deo videntur aliquid poſſe. Nam apud Paulum Phil-

Arrius *Ioan. 14.* *Eluidius.* *Matth. 1.* *Marcion.* *Roma. 5.* *Manich.* *Baſilides.* *Roma. 7.* *Eunom.* *Pſal. 81.* *Ioan. 10.* *Matth. 12.* *1. Ioan. 5.*

lip. 2. dicitur: In nomine Ieſu omne genu flectetur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et in *Apoc. 5.* Apo. traditur, quòd nemo inuentus eſt in cœlo, nec in terra, nec ſubtus terram, qui dignus eſſet aperire librum. At palàm eſt (quantum ad hos attinet) qui ſubtus terram in gehenna ſunt, quòd nec genua flectant nomini Ieſu, quin contra pòtius, ipſum iugiter blaſphement. Sed nec de his aliqua probabilitas eſt aperiendi libri. Quamobrem & de purgandis (qui videlicet in purgatorio ſubtus terram expiantur) vtrunque debet intelligi. Ex ijs itaque ſcripturis (modò catholicè interpretentur) dilucidum erit cuique purgatorium eſſe.

Cæterum an ex pluribus ſibi mutuo connexis ſcripturis, firmari quoque purgatorium poſ-*Lucæ 16.* ſet, iam experiamur. Primum iſtud ex ſcripturis conſtat, damnatorum animas in gehenna iam interea torqueri, donec veniat iudicij dies, id quod ex parabola diuitis Epulonis manifeſtum eſt. Conſtat item ex eiſdem ſcripturis, quorundam animas in cælo iam beatas eſſe, præcipuè ſanctorum patrum, quos è limbo captiuos eduxerat *Pſal. 67.* Chriſtus, quemadmodum ex Pſalmis, & D. Pau-*Epheſ. 4.* lo dilucidum eſt. Aſcendit, inquit, Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quòd ſi per ſcripturas patet quaſdam animas in gehenna cruciari, quaſdam verò iam in cælis ſumma voluptate frui, an non inde perſpicuum eſt, alias quæ nec adhuc beatæ cælo potiuntur, nec detruſæ ſunt in gehennam, non eſſe penitus otioſas? Nam aut boni quicquam patiantur, aut ma-*Lucæ 16.* li neceſſum eſt. De bonis illis & malis loquor, de quibus Euangelium ait: Fili mi, recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nec eſt credibile, quod ij omnes, qui non fuerint in gehennam coniecti, quòd e veſtigio migrauerint in cælum. Quamobrem & interea pro voluptatibus venialibus, quibus in hac vita pluſculum quam par fuit, indulſerunt, moleſtias aliquas oportet ſubeant, quibus emaculentur & expientur, *Apoc. 21.* dignique reddantur illa cæleſti ciuitate in quam (vt in Apoca. traditur) nihil intrabit coinquinatum. Vide nunc num iſtæ ſcripturæ non apertiſſimam fidem faciant, oportere purgatorium eſſe, hoc eſt, locum quendam ad expiationem animarum deputatum. Nam cum multæ ſint, quæ nec ab hoc ſæculo vſqueadeo puræ migrarunt, vt in cælum protinus recipiantur, nec tam impuræ, vt mereantur ignibus gehennæ tradi, nec demum vnà cum corporibus extinctæ ſint: conſequens eſt, vt ſuas interea præparationes patiantur, quibus idoneæ fiant, vt cæleſti ciuitate donentur aliquando.

Sed dices per mortem deleta fuiſſet quæque venialia. At hoc alia ſcriptura te non ſinit dicere. Chriſtus enim ait Matt. duodecimo. Omne verbum otioſum quodcunque dixerint homines, reddent de eo rationem. Vides quòd de verbis otioſis reddenda ſit ratio, quod haudquaquam fieret ſi per mortem eſſent vel penitus condonata, vel abolita funditus. Quamobrem & adhuc purganda remanent. Neque de verbis duntaxat otioſis id intelligi debet, verùm etiam de cæteris omnibus leuioribus negligentijs, à quibus antè purgari ſingulas animas oportet, quam in cæleſtem gloriam recipiantur. Ex his igitur ſcripturis inuicem conglutinatis, cuiuis non omnino contumaci, purgatorij fidem aſtrui poſſe non dubitamus. Sed iam Lutheri defenſionem audiamus.

Satis ridicule ſophiſtæ in hac re nugantur, adducentes LVTH. *illud Pſal. 76. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium, non enim tantum habent cerebri & ſolertiæ aut cogitantiæ, vt videant, ſi hoc de purgatorio dictum eſt, omnes martyres totamq; Eccleſiam in purgatorium iuiſſe, cum in perſona martyrum & omnium afflictorum hæc dicantur, pro quibus ipſimet ſciunt iniuriam eſſe orare. Talibus enim auctoritatibus ſtupida iſta capita, ſolent ſua probare ſolùm vt nauſeam & abominationem faciant pijs ſpiritibus.*

Quod illi nugantur, ego non comprobo. Sed ROFFEN. in hac re tu ſophiſta mihi multo nugacior eſſe videris, qui cum ſcriptura ſacra veritatum omnium pelagus ſit, ex eo tamen, quòd vnum aut alterum locum, quem hi (quos ſophiſtas vocas) introduxerint, confutaſſe te credideris, colligere molitis non è ſcriptura purgatorij veritatē oſtendi poſſe. At cedo mihi precor, ſi quæſitum in vno aut altero maris gurgite margaritum inuenire nequiueris, num propterea negares margaritum in toto mari poſſe reperiri? Tu igitur qui cæteros appellas ridiculos ſophiſtas, vnus omnium es ſophiſticiſſimus & ridiculus maximè. Cæterùm quòd per ignem & aquam purgandæ ſint animæ, quæ de prælio vitæ huius exierint, priuſquam cælum ingrediantur, teſtatur Orig. hom. 25. ſuper Numeros, quem tu (quantum opinor) ſophiſtam non appellabis. Tempus, inquit, belli nobis eſt in hoc mundo, pugna aduerſus Madianitas eſt, ſiue aduerſum vitia carnis noſtræ, ſiue aduerſum contrarias poteſtates. Spectat nos angelorum chorus, & virtutum cæleſtium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio reuertamur, quid vnuſquiſque noſtrum manubiarum reportet, & intuentur curioſius, ac ſollicitius perſcrutantur, quis noſtrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quiſue lapides deferat pretioſos. Requirunt etiam, ſi quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum. Sed & vas ligneum ſi fortè aliquis afferat, aut fictile, aut aliud eiuſmodi magnæ domus vſib. neceſſarium. Requiritur ergo diligenter, cum abierimus illuc, quid vnuſquiſque noſtrum deferat, & ſecundum ea quæ detulerit, ſecundum quòd labor eius pro cōtemplatione exuuiarum probatur, etiam manſionis ei meritū præparabitur. Probantur tamen omnia hæc, quæ per ignem, per ignem: quę per aquam, per aquam. Vniuſcuiuſq; enim opus quale ſit, ignis probabit. Hactenus Origen. Vt intelligas in perſona Sanctorum omnium, hunc verſiculum dici poſſe. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos (poſtquam his purgati fuerimus) in refrigerium. Sed & paulò pòſt. Vides, inquit, quomodo purificatione indiget omnis

qui

qui exierit de prælio vitæ huius. Ergo purgatorium Origeni probatur, per quod & omnes tranſituros opinatur, qui ſunt ex hoc ſeculo migraturi.

LVTH. *Tale & illud 1. Cor. 3. Saluus ipſe erit; quaſi per ignem, cum Apoſtolus ibi de igne iudicij loquatur; Dicens diem Domini in igne reuelandum.*

EPISC. Non habet Græcus codex illam particulam, nempe Domini. Sed dies, inquit, declarabit, quod in igne reuelatur, & cuiuſque opus quale ſit ignis probabit. Quem ſanè locum non ex Latinis modò, verumetiam ex Græcis aliquot pro purgatorio volunt intelligi. Ego tantum duos afferam, Orig. & Aug. Origenem iam audiſti nonnihil apud Numeros alludentem huic loco Pauli. Sed & idem ſuper Exodum homil. 6. ſic ſcribit. Triplex namque eſt bene agendi via, cum vel ex opere, vel cogitatione, vel verbo, boni aliquid agitur. Hoc enim ſignificat, & Apoſtolus cum dicit. Qui autem ædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, triplicem bonorum indicens viam. Subiungit nihilominus triplicem etiam malorum, cum dicit. ligna, fœnum, ſtipulam. Et paulò pòſt ſequitur ex Orig. Idcirco qui ſaluus fit, per ignem ſaluus fit. Vt ſi quid fortè de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & reſoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum. Quia aurum terræ illius bonum eſſe dicitur, quam habituri ſunt ſancti. Et ſicut fornax probat aurum, ſic homines iuſtos tentatio. Veniendum eſt ergo omnibus ad ignem, veniendum eſt ad conflatorium. Sed & enim Dominus & conflat, & purgat filios Iuda. Sed & illuc conuenitur, ſi quis multa opera bona & parū aliquid iniquitatis attulerit. Illud parum tanquam plumbum igne reſoluitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et ſi quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt & ſi purum aliquid ſit auri, purgatum tandem reſideat. Quòd ſi aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod ſcriptum eſt. Demergetur in profundum tanquam plumbum in aqua validiſſima. Hæc Origenes. Ex cuius verbis apertiſſimum eſt, quòd hunc locum Pauli pro igne purgatorio interpretatur. Et Aug. inter ſermones de ſanctis, ſermone 4. de commemoratione animarum, hunc locum de purgatorijs ignibus intelligit. Multi ſunt, inquit, qui lectionem iſtam male intelligentes, falſa ſecuritate decipiuntur, dum credunt, quòd ſi ſupra fundamentum Chriſtum, capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſſint purgari, & ipſi poſtea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iſte fratres chariſſimi corrigendus eſt, quia ipſi ſe ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur. Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus. Ipſe enim ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur. Subinde memorat, quæ ſunt peccata capitalia, & quæ minuta, quibuſque modis iſta redimantur. Et ſubdit, quantum ad minuta. Quicquid de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo dixit Apoſtolus: Quia in igne reuelabitur, & cuius opus arſerit, detrimentum patietur. Hortatur itaq; demum Auguſt. vt in hoc ſeculo peccata noſtra ſic purgemus, quatenus in futuro illic ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certè parum inueniat, quod exurat. Aſſeritque tamdiu nos in illo igne moras habituros, quoad ſupra dicta peccata tanquam ligna, fœnum, & ſtipula conſumantur, duriorémque futurum illum ignem affirmat, quam quicquid in hoc ſeculo pœnarum, aut videri, aut ſentiri, aut cogitari poteſt. Hæc Auguſt. illic, quanquam aliter alibi. Sed iam ſenex ita populum, quem fallere noluit, duxit admonendum.

Triplex bene agendi via.

1. Cor. 3.

Exod. 15.

1. Cor. 3.

LVTH. *Sicut & Theſſal. 1. dicit Chriſtum de cælo reuelandum cum angelis virtutis ſuæ, in flamma ignis, vindictam ſumentis de ijs, qui non crediderunt Euangelio. Si ergo his & ſimilibus locis probatur purgatorium, verè ex ſcriptura probabitur prorſus nullum eſſe purgatorium.*

EPISC. Apud Theſſal. certum eſt, quod de igne conflagrationis loquitur Paulus, de quo & Dauid eſt vaticinatus. Ignis, inquit, ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et Petrus item ſcripſit, Veniet autem dies Domini, ſicut fur in nocte, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & omnia, quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Cæterum nihil oportet, vt prorſus de eodem locutus fuiſſet igne, pariter ad Corint. & maximè cum illic de die Domini non fecerit mentionem, ſed abſolutè dictum ſit. Dies enim declarabit, Qui nec iniuria poteſt de die examinis cuiuslibet hinc migrantis intelligi. Nam haud dubiè mox vt hinc exierimus, examinandi ſumus, alioqui cur è veſtigio quidam ad gehennā, alij ad cælum aſſumuntur? Quòd ſi locus ille, ſenſum hunc patiatur, vt & certè patitur, atque ſic interpretes quidam illum expoſuerint, neq; dubitemus, quin animæ mox, vt hinc exierint, iudicium aliquod ſubituræ ſint, vereque credemus locum aliquem eſſe pro purgandis animabus deputatum, quid hæremus amplius, aut cur libet, vbi nullus omnino nodus eſt, aliquem diutius in hoc ſcirpo quærere?

Theſſ. 1.

Ignis conflagrationis.

2. Pet. 3.

1. Cor. 3.

LVTH. *Vnum locum habent, cap. 2. Machabæorum 12. viſitatum quem librum dixi, ſicut adhuc dico, non eſſe in hac re vllius auctoritatis, cum nihil ſimile, neque in nouo, neq; in veteri teſtamento legatur.*

EPISC. Quanquam ipſe non verearis hunc librum aſſerere, nullius auctoritatis eſſe, parùm tamen huic tuæ temeritati credendum eſt, cùm auctores complures, & ijdem quoq; grauiſſimi, longè aliam ſuper hac re ſententiam ferant. Nam Auguſt. hunc librum ceu canonicum approbat. Sic enim 18. lib. de ciuitate Dei cap. 36. ſcribens de principum temporibus, qui poſt reſtitutum templum vſque ad Ariſtobuli principatum, rem Iudaicam adminiſtrarunt, loquitur. Quorum ſupputatio temporum, non in ſcripturis ſanctis, quæ canonicæ appellantur, ſed in alijs inuenitur, in quibus ſunt & Machabæorum libri, quos non Iudæi, ſed eccleſia pro canonicis habet. Ecce Machabæorum libros eccleſia pro canonicis habet, quanquam Iudæis non ſint de canone. Hieronymus quoque ſecundo prologo ſuper libros Machabæorum

Machabæorum libros Eccleſia pro canonicis habet.

bæorum ait. Machabæorum libri, licet non habeantur in canone Hebræorum, tamen ab eccleſia inter diuinorum voluminum annotantur hiſtorias. Sed & Aug. in libro de cura pro mortuis agenda, locum eundem (de quo iam controuerſia eſt) citat, inquiens: Poterat inquiſitioni tuæ ſufficere mea breuis iſta reſponſio, ſed quia alia mouent, quibus reſpondendum exiſtimo, paru mper attende, in Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Rurſum quoque ſermone quadrageſimo quarto ad fratres in eremo. Defunctis inquit, cum omni diligentia miſereri & ſubuenire ſtudeamus, attendentes & quid Iudas Machabæus fecerit, dixit enim quod ſancta eſſet cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Ecce quanti fecerit Auguſt. hoc teſtimonium, vnde & non mediocris hæc tua temeritas eſſe conuincitur, quòd his libris nihil auctoritatis cenſeas deferendum.

Et quæ neceſsitas eſt, pro purgatorio ſic tumultuari?
Lvth. *niſi quòd Papiſtica eccleſia lucro ſuo timet, quod maſtimabile trahit ex purgatorio.*

Vter veſtrum magis incuſari debeat, an Papa,
Episc. ſi pro quæſtu ſuo velit ab alijs credi purgatorium, quod ipſe quoque credit, an tu, qui (ſolum vt huic occurras quæſtui) ſupprimere ſtudes purgatorij fidem, quod tamen extare non dubitas. Si iudicium huius rei mihi permitteretur, tu mihi viſus es, quem potius condemnarem. Nam egentibus animabus, tuo ſtudio longè plus diſpendij, quàm Pontifici infertur. Neque enim de purgandis animabus cuiquam cura foret, ſi tibi crederetur: quæ res multo maioris eſſet detrimenti, quàm ſi tota Germanorum pecunia cederet in Pontificis lucrum. Nemini enim ambiguum eſſe poteſt, ſi grauiſſimos ignis cruciatus animæ purgandæ ſuſtineant, vt indubiè ſuſtinent, quin is plurimum apud Deum meretur, qui ſic earum agit curam, vt pro earum liberatione, vel preces deuotas offerat, vel pias eroget eleemoſynas, vel ieiunijs, alijsque moleſtijs carnem affligat ſuam, aut alia demum ad piam illorum ſubuentionem, opera charitatis exerceat. Ad quod & Auguſt. hortatur ſermone iam antè citato: Clamant, inquit, quotidie, qui iacent in tormentis, clamant, & pauci ſunt qui reſpondeant, vlulant, & non eſt qui conſoletur eos. O quàm grandis crudelitas, fratres mei? O quàm grandis inhumanitas, clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis ſuſtinere voluerunt, nec eis ſubuenire curamus. O verè magna inhumanitas. Ecce enim Infirmus iacet, & clamat, & à medicis conſolatur, clamat porcus, & omnes cum eo clamare non ceſſant, cadit aſinus & omnes eum ſubleuare feſtinant. Sed clamat in tormentis fidelis, & non eſt qui reſpondeat. Ecce veſtra inhumanitas fratres. Eia ergo non ſic. Sed mementote fratres, quòd ſancta & ſalubris, pia & felix, & ſuauis Deo, & angelis eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, ſoluantur. Hactenus Auguſt. Ex cuius verbis dilucidum eſt, magnum diſpendium purgandis animabus fieri, ſi non creditum eſſet purgatorium, nec illis modò, verumetiam nobis qui ſuperſtites ſumus, qui dum illis proſumus, nobis etiam abundè lucramur. Eſto, Pontifex ex credito purgatorio lucrum ingens aſſequatur. At qui pro liberandis animabus bona fide contribuunt, tam ſibi quàm animabus illis, tanto lucrantur cumulatius, quanto ſpiritales diuitiæ tranſitorijs præponderant magis.

Suo quiſque periculo hic credat, vel non credat: non eſt Lvth.
hæreticus, ſi purgatorium non credit, nec ideo Chriſtianus, ſi credit.

Chriſtianus vtique nemo fit ex eo, quòd cre- Episc.
dit purgatorium eſſe, niſi & cætera quæque crediderit, quæ (vt credantur) eccleſia docet catholica. Nõ enim vnius alicuius articuli credulitas Chriſtianum facit: ſed ita cunctis oportet credat, vt à nullo diſſentiant obſtinatè. Nam ſi diſſenſerit ab vno quopiam, non articulorum dico fidei, ſed quorumlibet indiſcriminatim, quos Eccleſia credendos recepit, atque id fecerit contumaciter, iam ſelegit ſibi, quod ab Eccleſia diuerſum credat, & hæreticus efficitur. Propter quod & Tertul. aduerſus hæreticos ſcribens ait: Si totum ca- Tertul.
pitulum, nempe Pauli 1. ad Corinthios vndecimo, ad vnitatem continendam & ſeparationes coercendas, aptes: hæreſes verò non minus ab vnitate diuellunt, quàm ſchiſmata & diſſentiones: ſine dubio & hæreſes in ea conditione reprehenſionis conſtituit, In qua & ſchiſmata & Hæreſes.
diſſentiones. At per hoc non eos probabiles facit, qui in hæreſes diuerterint, cum maximè diuerti ab eiuſmodi obiurgans, & docens vnum omnes loqui, & idipſum ſapere, quod & etiam hæreſes non ſinunt. Hæc Tertullianus. Et paulò põſt. Sed & in omni epiſtola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreſes taxat, quarum opera ſunt adulteræ doctrinæ, hæreſes dictæ Græca voce, ex interpretatione electionis, qua quis, ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur Ideo & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Hæc Tertullianus. Ex quibus verbis liquet hæreticum dici poſſe, qui per dogma ſuum ab Eccleſia diuerſum, Eccleſiæ ſcindit vnitatem, nec ſinit omnes idem loqui & ſapere, ſed per priuati dogmatis electionem hæretici nomen ſortitur, in quo & ſibi damnatus eſt. Nec diſſimiliter Auguſtinus libro octauo, de ciuitate Dei, capite quinquageſimo, dicit: Qui in Eccleſia morbidum aliquid, prauumque ſapiunt, ſi correpti (vt ſanum rectumque ſapiant) reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt. Hæc Auguſtinus. Quando igitur eccleſia purgatorium docet eſſe credendum, quiſquis contrarium dogma contumaciter aſſerit, is omnino ſeipſum hæreticum facit.

Græca enim Eccleſia non credit, manens catholica.

Vulgus opinor intelligis, & non ipſos Eccleſiæ Lvth.
Græcanicæ patres. Nam hos fauere purgatorio, Episc.
libri (quos edidere) teſtantur. De Orig. quidem duo protulimus teſtimonia, quibus palam affirmat animas, hine exeuntes, oportere purgari,

priuſ

priuſquam in cœlum admittantur. Et Athanaſius 34. quæſtione de purgandis animabus, quærit. Num ſentiunt aliqua beneficia ſanctorum animæ, cum ſuper illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum & oblationum? Cui quæſtioni reſpondet, quòd ſi non aliquo beneficio participarent ex illo, non vtique in cura & exequijs fieret commemoratio. Eece quòd in Eccleſia Græcanica, pro mortuis ex patrum inſtitutione fiebant exequiæ, & orationes ad Deum fundebantur, quibus & defunctorum animas Athanaſius aſſerit participare. Atqui nihil iſta prodeſſe poterunt animabus, vel quæ in gehenna ſunt vel quæ in gloria, ſed ijs duntaxat, qui peccatorum ſuorum aliquam rubiginem patiuntur, à qua (priuſquam in cœlum eis pateat aditus) eas purgari neceſſum eſt. Quid enim ex orationibus & exequijs aliud boni caperent, quam veniam & expiationem eiuſmodi? Quòd ſi nemo pro illis precaretur, certum eſt, eas alijs quibuſdam rationibus expurgari debere. Dionyſius inſuper capite ſeptimo Eccleſiaſticę hierarchię, docet ex Apoſtolica traditione, precationes quaſdam animabus (quæ dignæ ſunt) poſtquã hinc exierint, prodeſſe poſſe. Nec diſſimiliter Chryſoſtomus homil. 69. Bernardo Brixiano interprete. Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs, defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Hæc ille. Ab Apoſtolis igitur hæc inſtitutio manauit, vt inter ſacra, defunctorum ageretur memoria, quatenus aliquid inde lucri conſequerentur. Cæterùm animabus, quæ vel in cœlo beatæ ſunt, vel in gehenna damnatę, nihil accedere lucri poteſt, quo fit vt in purgatorio eſſe locum exiſtimemus, vbi conſiſtentes ad tempus animæ, deuotis interea viuorum precationibus refocillantur, & releuantur eleemoſynis. Extat & libellus græcè ſcriptus, tempore concilij Baſilienſis editus, in quo præter hos, & alij complures Græcorum auctores, aduerſus hunc errorem citantur, quorum teſtimonijs aiunt Græcos in concilio Florentino ceſſiſſe, & à pertinacia ſua reſipuiſſe.

Ab Apoſtolis inſtitutio manauit vt inter ſacra defunctorum augeretur memoria.

Lvth. *Nec ei nocet quòd à Papiſtica Eccleſia omnium ſchiſmaticiſſima criminatur, & inſimulatur ſchiſmatis, ſolũ ob hoc, quia non ſequitur ſuos nugaces à ſe repertos articulos fidei.*

Episc. Quantum Eccleſiæ Græcæ nocuerint, quod ab Eccleſia Romana, deſciuerit, ſi nihil aliud eſſet, abundè teſtatur clades illa Conſtantinopolitana. Senſit enim tum vniuerſa Græcia diuinam vltionem, quam & futuram diua prædixit Brigitta, niſi conſeſtim ad vnitatem Eccleſiæ Catholicæ conſpirarent. Quoniam igitur in vnione (quam ſunt polliciti) non perſtiterunt, ſed ad priſtinos errores tanquam canis ad vomitum ſunt relapſi credibile eſt, in eos Deum adeò ſeueriter animaduertiſſe. Nihil enim potius Deus quærit, quam Eccleſiæ ſuę concordem vnitatem. Nam & vnicam eam eſſe ſcripturæ prædicant. Quòd ſi vnica fuerit, conuenit, vt ſingula quæq; eius membra ſibi mutuo concilientur, nec vllum inter ea diſſidium ſit, aut contentionum varietas, ſed quod iubet Paulum velut integrum corpus eadem ſunt mente, eademque ſententia Non poteſt igitur non eſſe ſchiſmatica quæuis Eccleſia, quæ ſeipſam in eis (quæ credenda ſunt) ab orthodoxa ſeparat Eccleſia. 1. Cor. 1. Neſcio quos intelligis nugaces articulos, iſte ſaltem de purgatorio nugatorius dici non poteſt, quem & tu te credere confiteris, alijſq; conſulis ſuadeſque credendum, quemadmodum & proximè ſequitur.

Ego tamen & credo purgatorium eſſe, & conſulo ſuadeoq; credendum ſed neminem volo cogi. Lvth.

Cur vis cogi neminé? Nimirum vt tibi licentia fiat quicquid libuerit, impunè docendi. Ideo vis cogi neminem, ne & tibi fortè vis inferatur, ad ea docenda quæ nolis. Sed quid periculi fuerit, vim inferre cuiquam, modò fiat id ad ſuum commodum? Beneficium enim præſtabis ei, quem ita coges. Et ſanè magnum beneficium eſt, ignoranti veritatem oſtendere, aberrantiq́ue rectam commonſtrare viam. Sed & compellendi ſunt, velint, nolint, vt eam ingrediantur. An non Chriſtus in Euangelio Lucę, parabolam referens cuiuſdam hominis qui fecit cœnam magnam, quoſdam inuitos compellendos docuit, quatenus ad viam redirent? Exi, inquit, citò in vias & ſepes & compelle intrare. Num tu videri vis Chriſto circumſpectior. Quando igitur tibi creditum ſit purgatorium, & dignum tibi viſum fuerit quod credendum tibi conſulas, quamobrem te quæſo neminem cogi vis, ad id credendum, cùm talis adactio cuiq; ſit vtilis, & Chriſtus eandem in Euangelio docet apertiſsimè. Episc. — Luce 14.

Sicut ſi non credam, Thomam Aquinatem eſſe ſanctum, licèt à Papa canoniſatum, non ſum hæreticus. Lvth.

Si ſit hæreticus qui diſſentit contumaciter ab ijs quæ communis Eccleſiæ conſenſus, ceu credenda comprobauit, quemadmodum ſuperius ex Auguſtin. Tertullianoq; monſtrauimus, hæreticus equidem habendus eſt, qui iam ex contumacia nolit credere Tho. Aquinatem eſſe ſanctum. Nam id diſcernente ſummo pontifice, Eccleſiæ communis aſſenſus iam diu credendum admiſit. Quamobrem quiſquis huic veritati nunc vſque adeo receptæ, fuerit ex pertinacia reluctatus, non poteſt non haberi pro hæretico, quia ſibi quiddam ab Eccleſiæ ſenſu diuerſum elegit quod credat. Et id nimirum eſt hæreticum eſſe, modò fecerit hoc ipſum contumaciter. Porrò quantum ad homines in diuorum cœtum referendos attinet, opinor non conſenties, vt quiſque ſibi (quem velit) diuum conſtituat, & pro ſancto colat, ſed eam rem ordinaria quadam auctoritate primum cenſebis approbandam. Neq; enim cunctos indiſcriminatim aut reijcere licet, aut recipere venerãdos, ſed delectus quidam adhibendus eſt, Nec poteſt quiſquam deſignari, cui munus iſtud aptius congruat, quam ei qui ſit totius Eccleſiæ Pontifex. Quamobrem & huic (audito prius apud ſe prudentum virorum conſilio) negotium iſtud, nempe referendi quoſdam in diuos, omnino concredendum eſt. Episc.

Quando & hi non ſunt hæretici, qui Thomam negant, licet à Papa approbatum, & confirmatum in ſuis libris. Lvth.

Episc. Hæc tua ſimilitudo nequaquam adamuſſim quadrat, nempe de doctrinæ, & de ſanctitatis comprobatione. Neque enim vniuerſam doctrinam Thomæ. Pontifex ita comprobauit, vt ſingula (quæ ſcripſit) vera eſſe credantur. Imo nec Auguſtini, nec Hieronymi, nec alterius cuiuslibet auctoris doctrinæ ſic Eccleſia ſubſcripſit, quin aliquot locis ab eis liceat diſſentire. Nam in nonnullis ipſi locis ſe planè monſtrarunt homines eſſe, atq; nonnunquam aberraſſe. Quod & in vita ſimiliter eos feciſſe non negamus. Neque enim vſqueadeo purè vixiſſe putamus, vt in nullis eorum operibus peccatum aliquod inueniri poſſet. Cæterùm quia iam ſi quid in vita deliquerint, condonatum illis eſt, ita vt nihil præter ſyncerum puritatem in ijs remaneat, ſi quid tamen à veritate, quomodolibet alienum ſcripſerint, id adhuc relictum eſt in eorum libris, idcirco de doctrina horum & de ſanctitate non vſquequaq; ſimile iudicium fieri debet. Quo fit, vt tametſi propter aliquas humanas hallucinationes de multis (quæ dicti patres in commentarijs ſuis reliquerunt) dubitare liceat, ſanctitatem tamen eorum (quæ iam defæcatiſſima eſt) haud licet in dubium reuocare, nec fas cuiquam eſt eos negare diuos eſſe, quanquam adhuc in eorum libris aliqui remanſerint errores. Sed hactenus pro reſponſione Lutheri. Cæterùm quale purgatorium ipſe ſomniauerit, iam audiamus. Is concluſione iſta vt oſtendat timorem, & horrorem pœnarum eſſe purgatorium, multas argumentationes in medium adducit, quas nimis prolixum eſſet hic integrè commemorare, quippe quòd multa quidem & inaniter in eis prodegerit verba, quod & lector facile iudicabit. Prima ſic habet. Omnes concedunt eaſdem eſſe pœnas purgatorij & inferni, niſi quòd differunt æternitate. At ſcriptura deſcribit pœnas inferni eſſe turbationem, pauorem, horrorem fugam. Quare? &c. Ego paucis per eandem rationem reſpondeo. Quando pœnæ, quod & tu teſtaris, eædem ſint inferni & purgatorij: Nec eſt dubium, quin Chriſtus in Euangelio paſſim aſſerat, inferni ſupplicium eſſe pœnam ignis, erit & purgatorij pœna ſupplicium ignis. Secunda Lutheri ratio 2. Theſſalon. 1. Qui non credunt Euangelio, dabunt pœnas in interitu æternas à facie Domini & gloria virtutis eius. Inde colligit à facie Domini oritur eorum maxima pœna. Reſpondemus, quod, quanquam oriatur eis maxima pœna à conſpectu irati vultus Dei, & glorioſæ maieſtatis, hæc tamen haud ſemper durat, quia non ſemper illum vultum & gloriam intuebuntur, ſed tunc ſolum cum dicetur eis, Ite maledicti in ignem æternum. Quo liquet & pauorem hunc non æternum eſſe cruciatum. Tertia ratio, Eccleſia in perſona animarum pſallit & gemit: Conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde. Reſpondemus non eſſe dubium quin animæ plurimum turbentur, & grauentur in igne purgatorij. At ex eo non conſequitur, vt nihil omnino ſit purgatorium præter illam turbationem & pauorem, quin potius ignis ille, qui

Quale purgatorium ſomniauerit Luth.

Math. 25.

Pſalm. 6.

moleſtiam infert, dici meretur purgatorius. Quarta ratio. Viuentes aliqui eas pœnas guſtauerunt, ſcilicet inferni. Ergo multo magis mortuis credendum eſt, eas inferri in purgatorio. Reſpondemus verum eſſe quod animæ defunctorum horrorem in igne purgatorij ſentiant. At nihil ob id oportet, vt horror ille vel ſolus dicatur purgatorium. Quinta ratio. Quam multi ſunt, inquit, qui vſque hodie has pœnas guſtant, quod & probare nititur ex ſermonibus cuiuſdam Ioannis Thauleri, & ex relatione cuiuſdam alterius quem non nominat, qui ſeſe pœnas has ſæpius paſſum aſſeruit. Reſpondemus non opinari neminem tam inſanum eſſe, vt ſpretis tot hiſtorijs, quas cum alij, tum Gregorius & Beda pro certiſſimis aſſerant, iſtis vſqueadeo nugacibus, & friuolis teſtimonijs, quæ nec multum à fabulis diſtare videntur, velit fidem adhibere. Sed nec aduertit Luth. quid alibi de timore dixerit, nempe, quod multo magis peccatorem conſtituit, & peccare facit, nec iuuat quicquam ad gratiam comparandam. Quomodo ergo timor iſte poteſt in purgatorio charitatis augmentum facere, cum in hac vita quenque peccatorem reddiderit peccantiorem. Sexta ratio. Ad id facit auctoritas eccleſiæ, quæ canit: Libera eas de ore Leonis, ne abſorbeat eas Tartarus. Item, à porta inferi &c. Reſpondemus, hæc propter mutuã vtriuſq; vicinitatem eſſe dicta. Nam apud Bedam quidam ad vitam reuerſus, relatis his quæ viderit, purgatorium eſſe docet confine gehennæ. Quòd verè tandem ſubdit Lutherus ſe credere, nec vana eſſe Eccleſiæ verba. Vtinam ita verè crederet in cæteris, & fidem firmam haberet Eccleſiæ. Sed quoties inſtituto ſuo parum quadrant Eccleſiæ verba, non ſolùm non credit, ſed contemnit penitus. Vides itaque lector quàm futiles hæ rationes ſint, quas pro commentitio purgatorio ſuo Lutherus produxit, nec aduertit quomodo poſitio ſua ſeipſam interimat. Nam hunc errorem pœnarum, quem ipſe purgatorium facit, paulò pòſt audies peccatum ab eo vocari. Sic enim articulo 39. dicitur: Animæ in purgatorio peccant ſine intermiſſione, quam diu quærunt requiem, & horrent pœnas. Ecce horror iſte peccatum eſt. Quando igitur peccatum fœdat & polluit, multo magis is horror pollutorius erit, quam purgatorius. Neq; enim eiuſdem eſt, ſordidare & purgare. Quamobrem nec horror iſte ſolus purgatorium dici poteſt.

ARTICVLVS XXXVIII.

Luth. *Animæ in purgatorio non ſunt ſecuræ de ſua ſalute, ſaltem omnes, nec probatum eſt vllis aut rationibus, aut ſcripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.*

Epiſc. Duas partes habet is articulus. Alteram quòd animæ in purgatorio non ſunt ſecuræ de ſuã ſalute, ſaltem omnes. Alteram, quod nullis aut rationibus, aut ſcripturis probatum eſt, eas extra ſtatum merendi, aut augendi charitatis eſſe poſitas. Sed de priore diſſeremus primùm. Probabile quidem eſt, ſingulas animas (priuſquam in purgatorium

Duas partes habet is articulus.

Prior pars.

gatorium conijciantur) de ſingulis factis, dictis, & cogitatis, reddituras rationem. Nam de dictis
Matth. 12. hoc planè teſtatur Chriſtus in Euangelio. Mat. cum dicit: Omne verbum otioſum (quodcunque locuti fuerint homines) reddent de eo rationem in die iudicij. Eſſet autem ordo præpoſterus, ſi prius de illis ſumeretur ſupplicium, ac deinde ſumpto ſupplicio producerentur ad examen. Quamobrem oportet, vt primum examinatæ rationem reddant, & deinde feratur in eas ſententia. Quod ſi fiat, latere non poteſt animas (quæ mittuntur ad purgatorium) ſalutis ſuæ ſtatus. Nôrunt enim ex ſententia in ſe data, quòd mox vt purgatæ fuerint, in cœleſtem gloriam admittentur. Adde, quòd cùm ſuæ mentis vſum habeant, non minus quàm damnati, poſſunt non minus intelligere conditionem ſuam, quàm illis datum eſt noſſe. At iſtis per iudicij particularis ſententiam innotuit, quòd æternos patientur cruciatus. Sed nec pœnarum immenſitas obſiſtit, quo minus de hac re ſecum cogitent, quemadmodum de Epulone conſtat, in quo rationis
Lucæ 16. vſus minimè ligatus fuerat. Quando igitur gehennæ cruciatus nihilo mitiores ſunt quam purgatorij, quid prohibet, quo minus & hi qui ſunt in purgatoriu certiores de ſtatu ſuo ſint redditi? Huc accedit quòd angeli quibus de conuerſione peccatorum, dum viuerent, gaudium fuit, vti Chriſtus in Euangelio teſtatur: Amen dico
Lucæ 15. vobis, Quia gaudium eſt angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Hi inquam, angeli qui ſic gaudebant, cum adhuc peccator amittere gratiam potuit, quantum iam gaudent, cum ſciant illum deinceps hanc amittere non poſſe. Iam hauddubiè conſolantur & admonentur, quatenus bono ſint animo, patienterque ferant illos cruciatus, nec eſt dubium, quin ſalutis ſuæ certitudinem frequenter eis inculcent. Præter hæc, bonus cuiuſq; angelus, cui & cuſtodiæ cura mandata fuit à Deo, quid iam non facit, quem non mouet lapidem, quo nihil conſolationis deſit animæ iam inter purgatorij cruciatus conſtitutæ? Quando igitur inter cætera, non minimam affert conſolationem ſalutis certò ſperatæ cognitio, nempe, quòd finita purgatione, tandem ad cœlum euolabit anima, quis ambigere poteſt, quin amantiſſimus ipſe comes & cuſtos fideliſſimus, angelus, inquam, eius rei memoriam crebro ſuggerat? Poſtremo ſacer inhabitator paracletus, qui & verè conſolator eſt, per quem & Dei charitas in illis animabus diffuſa eſt, per quem & cognoſcunt ſe filios eſſe Dei, in quo & clamant. Abba pater, quique ceu pignus & arrabo quidam hæreditatis futuræ datus erat illis, num ipſe nunc, non certam huius hæreditatis conſequendæ ſpem facit? Nunc, inquã, exutis carne corruptibili, quæ pridem eas ita præmebat onere ſuo, quo minus dilucidæ potuerint huius ſacri ſpiritus aduertere monita?
Rom. 8. Tum vtique, cum erant in compedibus carnis, adiuuabat earum infirmitatem ſpiritus ipſe nunc in carcere purgatorij nullum ſolamen feret eis? In corruptibili corpore conſtitutis teſtimonium reddidit, quòd eſſent filij Dei. Nunc in tanta calamitate poſitas, omnino deſolatas relinquet: denique cum in tabernaculo carnis ingemuiſſent grauatæ, paracletus iſte pignus & arrabonem illis exhibuit ſeſe, nunc acerbiſſimas paſſis ærumnas, omni ſolatio deſtituet? Perſpicuum igitur ex ijs cuiuis eſſe poteſt, animas in purgatorio conſtitutas, omnes de ſua ſalute ſecuras eſſe.

Animas in purgatorio conſtitutas, omnes de ſua ſalute ſecuras eſſe.

Porrò quantum ad alteram particulam attinet; hoc eſt, an extra merendi ſtatum, & augendæ charitatis, animas defunctorum eſſe, ſcripturis aut rationibus probari poſſit, iam agamus.

Pars poſterior articuli.

Miranda plurimum hic eſt hominis huius improbitas, quòd tam impudenter iſtud aſſerit; quando tam clariſſimis ſcripturis (quas ipſe non ignorat) res hæc tam ſolidè comprobatur, vt vix vllis alijs verbis aſſeuerari poſſit. An non Chriſtus ait, Ioan. nono. Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt? Venit nox, quando nemo operari poteſt. Quæ verba (niſi quis obſtinatiſſimus fuerit) non poſſunt aliter accipi, quàm pro tempore mortem inſequenti, poſtquam non eſt diutius merendi tempus. Nam cum certum ſit ex literis ſacris, quòd nec beatorum nec damnatorum animę, prorſus otioſæ ſint: ſed nec dubitare quiſquam poterit, Chriſtum ijs verbis vera dixiſſe, neceſſario ſubinfertur quòd de meritorio duntaxat opere, ſimul & de tempore præſentis vitæ ſit locutus. Dixit enim. Nemo poteſt operari. Quod & generatim de cunctis, qui iam hinc migrauerint, debet intelligi. Simile quiddam & in Eccleſiaſte ſcribitur: Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quo tu properas. Eccleſ. 9.
Quid hic dicimus? Num iſta non erant apud inferos, quando patres in limbo fuerunt? Erant hauddubiè. Sed tamen ideo dixit, quoniam ijs nemo mereri poteſt apud inferos. Quòd ſi patres in limbo nihil meruerint, fruſtra nobis blandimur in purgatorio merendi tempus eſſe. His confine eſt illud Apoſtoli ad Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Quem locũ Apoſtoli, dum interpretaris in commentarijs eiuſdem Epiſtolæ, torquere moliris contra purgatorium. Atque ideo quòd dicis te non videre, quomodo ſatisfactio vel ſatiſpaſsio (quam illic tradunt auctores eſſe) non ſit operatio bona. Verum iuxta hanc rationem, nec cælum erit, cum & ibi ſuas & vtique bonas operationes animæ beatorum exercent. Cæterùm quia meritoriæ non ſunt tametſi bonæ fuerint (Neq; enim in cœlo nec in purgatorio meritoria quæpiam erit operatio) idcirco Paulus dixit, Dum tempus habemus operemur bonum, perinde ac ſi dixiſſet: Dũ merendi tempus affuerit, ne ceſſemus bonorũ operum accumulare nobis merita. 1. Cor. 6.
De quo nimirum tempore Paulus alibi loquitur, inquiens: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Sed & in Eccleſiaſtico legitur: Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. nimirum vnde ad meritum refocilleris. Et ſanè Eccleſ. 14.

rationi

rationi conſentaneũ eſt, cum eatenus anima cor-pori coniugata fuerit, quatenus in hac vita lucrũ ingens bonorum ſibi compararet operum, quæ ceo theſauros quoſdam cœlo præmitteret. Conuenit, inquam, vt (poſtquam ab eo ſciuncta fuerit) nihil deinceps poſſit promereri, aut quæſtum vllum facere cumulatiorem. Propter quod & Paulus ſecundo Corinth. quinto ait: Oportet enim nos manifeſtari coram tribunali Christi, vt reportet vnuſquiſque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. Ecce iuxta id quod anima fecit in corpore, vel præmium, vel ſupplicium reportabit. Quamobrem exuta corpore, nihil amplius mereri poteſt. His rationibus & ſcripturis, ſi quis adiunxerit ſacrorum interpretum teſtimonia, nullum in hac re penitus dubitandi relinquet ſcrupulum. Auguſtin. primum in Enchiridio, capite 110. dicit: Hic omne meritum comparatur, quo poſt hanc vitam releuari quiſquam poſſet, vel grauari. Nemo autem ſperet (quod hic neglexerit) cum obierit apud Deum promereri. Hæc ille. Et Hieronymus in Epiſtolam ad Galatas. Tempus ſementis, tempus eſt præſens, & vita quam currimus. In hac licet nobis, quod volumus ſeminare. Cum iſta vita tranſierit, operãdi tempus auferatur. Hæc Hieron. Subſcribit his Chryſoſt. inquiens. Quid hoc ſignificat? Quam habet conſequentiam? Sanè magnam, hoc eſt, donec dies eſt, dum licet hominibus in me credere. Dum hæc durat vita, laborandum eſt, venit nox, hoc eſt futurum tempus, quando nemo operari poteſt. Non dixit quando nun potero operari. Sed nemo poteſt operari. Et paulò inferius Chriſtus (inquit) noctem, futurum tempus appellat, quoniam peccatores nihil operari poterunt. Hæc Chryſoſtomus homil. 55. ſuper Iuannem. Conſentit & Origenes in pſalmum 36. ſcribens. Saluator noſter ait, veniet nox, quando nemo poteſt operari. Et hoc dicit de illo tempore quod erit poſt hoc ſeculum, tempore quo vnuſquiſque recipiet pœnas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cum iam nemo poteſt operari aliquid, ſed vnuſquiſque tunc paſcitur ex operibus ſuis, quæ hic poſitus, operatus eſt. Hæc Origenes.

Hieron.

Chryſoſt.

Reſpondetur rationibus Luth. quas ſub concluſione 17. adducit.

Ex quibus liquere poteſt, quid patres hac de re ſentiant. Sed tibi nec ratio, nec ſcriptura, nec patrum auctoritas ſatisfacere poteſt. Cæterùm eas ratiunculas, quibus totis viribus contra niteris, iam diluere non grauabimur. Sub 17. concluſione tales in medium adducis rationes. Primum animarum hinc decedentium tria ponis genera, vnum earum, quæ fide carent. Secundum earum, quæ ſunt fide omnino plenæ atque perfectæ. Tertium earum, quæ fide imperfectæ ſunt. Primas ad gehennam mittis. Secundas ad cœlum. Tertias ad purgatorium, vbi (vt ais) perficitur earum fides & charitas augetur.

Reſponſ.

Reſpondemus, nos non intelligere quid tibi velis per fidem imperfectam. Nam ſi fidem informem intelligas, qualem & dæmones habent, charitatis expertem: certum eſt animas (quæ talem habent fidem) non ad purgatorium pertinere, quantauis ea fides fuerit, etiam ſi tanta ſit, vt vel montes loco dimouere per eam valeant. Sin de Fide formata charitate loquaris, nõ video quomodo probes illam imperfectam eſſe, niſi propterea quia deficit à ſummo gradu fidei, quem alia poſſidet anima. Sed hæc imperfectio nunquam perficietur, niſi per claram viſionem. Neq; enim nobis credibile eſt, quòd vna quæuis anima ad tantum gradum in purgatorio conſcendat, quantum habuit in hac vita Paulus. Nam ſic & correſpondenter augeretur in ea charitatis gradus, & ad æqualem cum Paulo charitatem concreſceret, proinde præmium habitura foret æquale cum Paulo, cum tua ſententia præmium nequaquam pro operibus tribuatur, ſed pro fidei charitatiſque magnitudine. Secundo conaris idipſum ſic oſtendere. Amanti, inquis, pœnas & mortem, ipſæ dulces ſunt, quia per amorem & ſpiritum victæ. Quamobrem ſi purgatorium affligit animas, & moleſtus eſt eis pauor: euidens eſt, eis deeſſe amorem & ſpiritum libertatis. Ex quo concludere molitur, neceſſarium eſſe quatenus augeatur in eis charitas & ſanitas. Reſpondemus, & primum quòd fieri non poteſt, vt quæ mera pœna eſt, dulceſcat, quia iam non eſſet pœna: pœna certè nemini dulcis eſſe poterit manens pœna, & ſub ea ratione qua pœna eſt. Sed neque ſi dulcis fuerit, ipſa pro peccato voluptate contracto, dignis ſatisfacere poteſt. Et ad quem alium finem in locum illum pœnarum animæ coniectæ ſunt, quàm vt pœnas luant, non vt voluptatibus afficiantur. Deinde dicimus quòd Chriſto pœnæ crucis & mortis erant acerbiſſimæ, quanquam ex ſumma pro nobis charitate pertuliſſet eas. Quando igitur in altero nemine fuiſſet vnquã amor ardẽtior, & ille tam acerbè tulit cruciatus illos, quis dubitare poterit, quin vbi tantus defuerit amoris cumulus, illic pœna non erit omnino voluptas. Adijcimus tertiò, quòd ſi deeſſet eis amor & ſpiritus libertatis, quemadmodum ipſe concludere niteris, nequaquam ad Chriſtum pertinerent. Nam Paulus dicit, Qui non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius: quòd ſi Chriſti ſpiritum habeant (cum idem ſit amoris & libertatis ſpiritus) amorem item habeant, & ſpiritum libertatis neceſſum erit. Tertiò poſtulas, vt ſi quis iſta negauerit, probet ipſe contrariam ſententiam, quam & conſtanter aſſeris te negaturum. Reſpondemus, Quando nobis aſtipulantur omnia, nempe tam Eccleſiæ vetus conſuetudo, quàm Apoſtolica traditio, ſed & cæteri quique ſacri ſcriptores conſentiunt, atque rationes plurimum efficaces pro noſtra parte militant: qui velit nouam & aduerſam opinionem confingere, hunc oportet afferre probationes omni luce clariores, quas ſi non attulerit explodendus eſt, & exibilandus ab omnibus. Diffiſus itaq; prioribus quas adduxeras, ſubinde nouas quaſdam ſuaſiones affers, quarum prima eſt eiuſmodi. At quid, inquis, puniri vult Deus perfectos in ſpiritu? Reſpondes tibi, ad ſatisfactionem. Contra, inquis, ſuper omnem ſatisfactionem eſt charitatis ſatisfactio. Neque enim Deus

Secunda.

Reſponſ.

Pœnæ crucis Chriſto erant acerbiſſimæ, quanquam ex ſumma Charitate pertuliſſet eas.

Tertia.

Reſponſ.

Reſpondetur aliis Luther. ratiunculis.

ipſe

ipſe etiam per pœnas quicquam aliud requirit, quàm vt perficiatur charitas. Charitas enim (niſi Apoſtolus mentitur) operit multitudinem peccatorum. At illos iam eſſe perfectæ charitatis poſitum fuit. *Reſponſ.* Reſpondemus. Non id adhuc pro confeſſo poſitum eſſe, quòd animę in purgatorio ſint vſqueadeo perfectæ charitatis, quòd ſummum habeant charitatis gradum, qualem habent & Seraphim, quanquam opinemur, quòd talem habeant, qui ſufficiat eis, quique nec deinceps augeri poſſit. Verùm eiuſmodi gradus haud ſemper operit omnem peccatorum multitudinem, ne quouis pacto puniantur à Deo, ſed ne in æternum puniantur, & vindicentur ab eo, id quod miſeris peccatoribus haud exiguum operimentum eſt. *Secunda.* Secunda ſuaſio, Deo maximè ſatisfit per voluntatem, vbi non inuenit facultatem. *Reſponſ.* Reſpondemus, hoc verum eſſe, modò peccatoris culpa non fuiſſet factum, vt facultate caruiſſet. Sed per eum ſtetit quo minus adeſſet ei facultas, ſi qua defuerit. Cæterùm nec deeſt facultas, qua iam expiationem patiatur, & ea ſatis eſt quantum ad hoc negotium ſtrinet. *Tertia.* Tertia ſuaſio. *Reſponſ.* Perfecti tales, omnia Deo reddunt quæcunq; debent. Reſpondemus, Neminem præter Chriſtum & matrem eius vſqueadeo fuiſſe perfectum, vt nõ opus haberet dicere: Dimitte nobis delicta noſtra. Quanto minus vulgus Chriſtianorũ ad tantam acceſſit perfectionem, vt non multis debitis implicetur, multaſq; cõtraxerit maculas, quibus tametſi Chriſtus tandem ignoſcere velit, velut tamen eas, vel per purgatorij pœnas aboleri, vel per Eccleſiæ condonari ſuffragia. *Quarta.* Quarta ſuaſio Finge animam in morte perfectæ fidei & charitatis, quæ adhuc fortè debeat ſeptem dies ieiunare, aut aliam canonicam implere pœnam. Hic ergo Deus tam crudelis eſt, vt animam quæ ſumma charitate ad eum ſentit, eumq; ſuper omnia vehementiſsimè diligit, quę proximo ſuo omnia pleniſsimè ignouit, & ſibi omnia ignoſci vehementiſsimè cupiuit, hic, inquis, Deus non remittit ſeptem illos dies, propter ſummam in eum, & *Reſponſ.* in proximum charitatem. Reſpondemus. Aliud eſſe perfectam fidem & charitatẽ, aliud eſſe ſummam. *Aliud eſt perfecta fides & charitas, aliud ſumma.* Perfecta charitas aut fides eſt, quæ gradus aliquot habet ad ſalutem ſufficientes. At ſumma dicitur, cui nullus omninò gradus defuerit. Multi perfectam in hac vita charitatem adepti ſunt. At nullus præter Chriſtum ſummam. Illa non in ſingulis æqua eſt, ſed in alio maior, in alio minor, & tamen vtrobique perfecta. Iſta non poteſt, aut maior, aut minor cogitari, quãdiu ſumma fuerit. Quoniam igitur in vna argumentationis tuæ propoſitione, de perfecta fide & charitate loqueris, in altera verò de ſumma fide & charitate, non rectè procedis, neque quicquam ex *Quinta.* ea ſolidum colligere poteris. Quinta ſuaſio. Si purgatorium tantummodò eſt pœnarum officina, cur non vocatur punitorium potius, quam *Reſponſ.* purgatorium? Reſpondemus, Ob id dici purgatorium, quod maculæ peccatorum quas in hac vita contraxerint animæ, iam per pœnarũ aſperitatẽ purgantur. Nam quod illicita voluptate cõtractum fuit, meritò per moleſtiam pœnæ deleri debet. *Sexta.* Sexta ſuaſio quoniam auctore Gregorio, quod deletur in purgatorio culpa eſt, licet venialis. At remiſſio culpæ non fit ſine gratiæ infuſione. *Reſponſ.* Reſpondemus. Quod tametſi culpa mortalis non remittatur abſque gratiæ infuſione, culpa tamen venialis, vt ipſa deleatur, nec gratiam nouam exigit, neque gratiæ alicuius augmentum. Et iſta ſufficere putamus ad ea, quæ Luth. obiecit ſub concluſione 17. Cæterùm quia ſub concluſione rursũ 18. producit & alias argumentationes, quibus oſtendere nititur, *Reſpondetur rationibus Luth. ſub concluſione 18 productis.* animabus in purgatorio poſſe charitatem augeri, nec illas hoc loco præterire poſſumus. Principio conatur iſtud ex verbo Ioannis. Perfecta charitas foras mittit timorem. Cui iſtud Chriſti *Prima.* connectit. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. At crux animarum, inquit, eſt illa pœna. Quæ cum ita ſint, & veriſſima credo, dicat qui poteſt, quomodo iſte amor pœnarum cum timore mutari poteſt, ſine noua gratia infuſa. Ego fateor me neſcire, niſi dixeris, quod purgatorium non habet terrorem pœnarum, ac per hoc nec ſimilem inferno, contra prædicta. Atque tunc fruſtra oramus pro eis, quas audimus volentes & amantes pœnarum ſuarum abſque timore. *Reſponſ.* Reſpondemus illud Ioannis non de quouis timore debet intelligi, ſed de *1 Ioan. 4.* ſeruili tantùm. Nam ſeruilis timor introducit charitatem, quemadmodum ſeta linum, vt inquit Auguſtin. atq; mox diſcedit poſt introitum charitatis. Sicut & exit ſeta, ſimul vt intrauit linum. Atque hoc eſt, quod Ioan. dicit, nempe perfecta charitas foras mittit timorem. Et is timor eſt cùm quis non amore Dei, ſed metu pœnarum benefacit. Verùm timor pœnarum abſolutus, non ſolùm cum perfecta charitate ſtare poteſt, verumetiam cum ſumma charitate. Nam ipſe Chriſtus, vt ante diximus, in quo fuit ſumma charitas, nihilominus expauit mortem. *Timor in Chriſto abſolutus non ſeruilis fuit.* Quamobrem & in Chriſto fuit timor abſolutus, ſed non ſeruilis. Porrò verbum Chriſti de tollenda cruce, planè ſpectat ad ferenda mala, propter amorẽ Chriſti. *Matth. 16.* Id quod nemo facit abſque charitate. Quamobrem & iſtud inſtituto Lutheri potius aduerſatur, quàm conferat quicquam: cum ex eo rectè ſequitur, quòd animæ, quæ in purgatorio ſunt (cum earum nulla non perfectam habeat charitatem) patienter cruciatus illos amore Chriſti tolerent, alioqui parum eſſent Chriſto dignæ. Cum igitur animæ, quæ ſunt in purgatorio, timore ſeruili careant, fruſtra Lutherus de commutatione timoris huius in amorem diſſerit. Cæterùm, cum ex ſimilitudine purgatorij & gehennæ colligere moliatur, timorem in illis animabus eſſe, dicimus non oportere pœnas vtriuſque loci, tametſi fuerint ſimiles, omnino ſimiles in animabus incutere paſſiones. Quia nec blaſphemat animæ, quæ in purgatorio ſunt, quanquam id indeſinenter faciant illæ quæ ſunt in gehenna. Quod autem ſubijcit, fruſtra nos orare pro eis, quos audimus volentes & amantes eſſe pœnarum ſuarum ſine timore. Reſpondemus,

demus, quòd tametſi patiẽter ferant pœnas illas, non eſt neceſſe quòd eas ament: Nam ſunt veræ pœnæ, vereque cruciant ipſas animas. Quo fit, vt eis leuamen aliquod Eccleſia, precibus ad Deum aſſiduè fuſis, poſtulet & imploret. Secundo, diligentibus Deum omnia cooperantur in

Secunda. bonum. Hoc autem bonum non poteſt intelligi, niſi argumentum iam poſſeſſi boni. Ergo & purgatorium auget bonum dilectionis Dei, imo maximè omnium auget, dum ſicut infernus dura eſt æmulatio, & in tantis malis etiam diligit. Sicut fornax aurum probatũ facit, ita pœna dilectio-

Respons. nem. Reſpondemus, Sicut aurum, illud boni conſequitur ex fornace, quod purgatum fulgeat. Sic & animæ pari modo purgatæ, fulgorem ex fornace purgatorij reportant, ſed nihilo maiorem, aut gratiam, aut charitatem, quàm ſecum attulerunt.

Tertia. Tertio, virtus infirmitate perficitur. Omnis enim pœna ſi præſens eſt charitas, eſt ſalutaris & proficua. Non enim permittit precioſiſſima charitas atque fœcundiſſima, aliquid ſecum ſterile. At in purgatorio eſt maxima infirmitas, ergo maximè perficit charitatem. Reſpondemus, Paulũ illic de virtute Chri-

Respons. ſti fuiſſe locutum. Nam ſequitur in eodem capite, libenter itaq; gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Sed & Græce pronomen adijcitur mea, virtus, inquit, mea in infirmitate perficitur, hoc eſt, illuſtrior euadit. At iſtud nihil probat, in animabus illis

Quarta. augeſcere charitatem. Quarto, impoſſibile eſt eſſe ſtatum in via. Via autem Dei eſt charitas ad Deum tendens. Ergo neceſſe eſt animas, vel procedere, vel retrocedere à charitate Dei, cum nondum ſint in termino & viſione, vt patet. Reſpon-

Respons. demus. Quanquam ad ipſam viſionem haud dum peruenerint animæ, merendi tamen exceſſerunt limitem. Nam per mortẽ, vt oſtendimus, excluſum eſt omne prorſus merendi tempus. Nec iam ob id ab ipſa detinentur viſione, quòd maiori ſit eis opus Charitate, ſed quia nondum ſatis expiatæ ſunt, & ab omnibus prorſus inquinamentis expolitæ. Sed & via Dei, in qua quis mereri poterit, pluſculũ aliquid importat præter

Status merendi pluſculum aliquid importat præter charitatem. charitatem. Alioqui & beati qui charitatẽ habent, in via Dei iam adhuc eſſent, & merẽdi compotes. Sed neq; neceſſum eſt, vt omnis qui in via merendi cõſtitutus eſt, omni momento mereatur, cum & aliquoties ab ijs, qui in gratia ſunt peccetur ve-

Quinta. nialiter, nec inde gratum promoueant. Quinto. Impoſſibile eſt vllam eſſe perſeuerantiam creaturæ, niſi aſsiduè accipiat magis ac magis. Inde enim dicunt acuti quidam, quòd conſeruatio rei ſit eius continuata creatio. Sed creare eſt ſemper nouũ facere, vt etiam patet in riuulis, radicijs, calore, frigore, maximè dum ſunt extra ſuũ principium. Quare & ſpirituali calori, id eſt, amori Dei in animab. opus eſt continuata conſeruatio, donec abſorbeantur in ſuum principium diuinum, ac per hoc & augmentũ, etiam ſi verum eſſet, quòd eſſent perfectæ, licet extra Deum eſſe, nec perue-

Responſio niſſe, & eſſe perfectum, ſint contraria. Reſpondemus rationem iſtam inſtituto Lutheri palàm obſiſtere. Nam pone riuulos, & radios, caloremq; & frigus (quemadmodum ei placet) indeſinenter creari, non tamen oportet vt ob id indeſinenter augeantur, quod & omnibus tam apertiſsimum eſt, vt nulla aliam omnino probationẽ poſtulet. Sic etiam ſi calor in anima ſpiritualis ſingulo quoq; momento creatur à Deo, non ideo neceſſum eſt, vt nouus aliquis gradus, priori ſingulis momentis adijciatur. Quia ſic, cum in quouis tempore ſint innumera momenta, cõfeſtim in immenſum ipſe calor creſceret. Cæterũ quòd vbi peruenerit ad ſuum principium, hoc eſt ad Deum, anima maiorem perfectionem aſſecuta ſit, facilè conſentio, cum & gloria, qua tunc illuſtrabitur, multo fuerit quàm gratia præſtantior.

ARTICVLVS XXXIX.

LVTH. *Animæ in purgatorio peccant ſine intermiſsione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.*

EPISC. Animas in purgatorio nequaquam peccare dilucidum ex ijs, quæ diximus, eſſe poteſt. Nam cum de futura ſalute ſecuræ iam ſint (vt collegimus) tanto potiundæ illius gloriæ deſiderio flagrant, vt nolint ſponte committere, quod ab illa quouis pacto remorari poſſet eas. Adde, quòd hoſtes quorum aſſiduis impulſibus in peccata collapſæ ſunt, iam cuncti ſecluduntur. Iam enim caro quæ ſpiritui iugiter aduerſabatur interijt. Mundus quoq; qui præſtigijs ſuis eas fallere conſueuit, nunc ab ipſis omnino relictus eſt. Maligni denique Spiritus angelorum præſidio iam arcentur. Sed inquis, Illæ adhuc quærunt requiem & horrent pœnas. Si requiem quærere peccatum ſit, negare nõ poſſum quin peccent. Verùm illam requiem quærere perſuadere mihi non poſſum peccatũ eſſe, niſi Dauid ſuum hic peccaſſe dixe-

Psal. 12. ris. Quemadmodum deſiderat ceruus &c. ita deſiderat anima mea ad te Deus, Et rurſum. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini, Et a-

Psal. 141. libi: Educ de carcere animam meam, vt confitea-

Philip. 1. tur nomini tuo Domine. Et Paulus. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Nemo ſanæ mentis hos peccaſſe dixerit, tãto ſpiritus feruore concitatos. Cæterum quòd pœnas horrent, natura quadam id faciunt, non ex animi deliberatione. Et quis eſt qui natura moleſtias non refugit? Chriſtus ipſe (qui tamen omni peccato caruit) mortis

Marc. 14. ærumnas expauit. Cœpit, inquit Marcus, expaueſcere & angi, dixitque ad quoſdam ex diſcipulis, dolore afficitur anima mea vſque ad mortem. Sed & mortis acerbum poculum deprecatus eſt. Pater, inquit, ſi fieri poteſt, transfer à me poculum hoc. Nec, opinor, hunc horrorem in Chriſto peccatum fuiſſe, dicturus es. Horrent vtique ſuapte natura pœnas animæ quæ detinentur in purgatorio, ſed adiutæ gratia, paracletoq; ſolamen ſuppeditante, patienter eas tolerant. Quid putas tu otioſam in illis eſſe gratiam Dei? Otioſam Fidem, ſpem & charitatem? Otioſum illum Chriſti ſpiritum? Num ipſe non doces in commentarijs tuis ad Gal. Si vera eſt Fides, & verè filius quis fuerit, nõ deerit Spiritus. Si autem

adſit

adſit ſpiritus, charitatē ipſe diffundet & omnem illum virtutum conſenſum, Charitas patiens eſt, benigna eſt,&c. Agnoſce tua, Conſtes aliquando tecum. Quando igitur fidem in eis negare nō poteris, ſunt vere filij, adeſt ſpiritus, charitas in eis diffuſa eſt. Quomodo igitur abeſſe poteſt patientia? Quod ſi patienter ærumnas illas tolerēt, nihil eis obeſſe poteſt pœnarum horror, qui nō ſpontanee, ſed ex natura ſuboritur magis. Adde, quod ſi peccent animæ quæ ſunt in purgatorio, &(vt tu ais) ſine intermiſſione, quomodo ſint vnquam exituræ non video. Nam peccata (quæ iam operantur) longe grauiora ſunt, quam quæ fiebant ab eis, dum corporibus vnirentur. Infirmitas enim carnis (dum in corporibus eſſent) aliquatenus excuſabat. Nunc igitur exutæ carne, multiſque & variis adiutæ præſidiis, ſi nihilominus peccent, & ſine intermiſſione quoque, iam propter iſta peccata multo prolixiori purgatione fuerit opus, quam pro cæteris, quæ prius in mundo contraxerunt. Ad hæc, ſi pecceturin purgatorio, quum tibi peccatum omne mortale ſit, mortaliter eas peccare fatearis oportet. Quod ſi mortaliter peccent, & omni momento, quid aliud eſt purgatorium, quam lateris lauatio? quando multo ſordidius eas animas (quas tecipit) polluit quā expurget: vt iam præter iſtud purgatorinm mox alio quodam erit opus, vbi ſi denuo pecce tur ex horrore pœnarum, iam nullus erit purgandi finis. Sed inquies, ipſæ tandem animæ timore depoſito, Dei voluntatem incipient amare, pluſque illam diligent, quam timebunt pœnas. Sic enim reſpondes in 18. concluſionis tuæ declaratione. At Luth. nimis quam ſero tunc incipient amare, ſi non ante cœpiſſent, ſed neque miſſæ fuiſſent ad eum locum, ſi non apud eas amor Dei pœnarum timori præponderaſſet, Nam ſi præualuiſſet apud eas pœnarum timor, gehēna potius eſſent quam purgatorio dignæ. Poſtremo non deſunt in hac vita, quibus ceu remediis vtantur ad abolitionem peccati, Extat Baptiſmus, extat altaris ſacrificium, extat & ſacramentum abſolutionis, ſed & ſacrarum concionum auſcultatio confert non mediocriter, Verum nihil horum apud inferos eſt. Quando igitur Chriſtus hæc atque alia medicamina nobis inſtituit pro peccatis abolendis, quæ fiunt ab hominibus in hac vita. cui non eſt perſpicuum (cum nulla peccatis eis, quæ in altera fiunt vita, medela ſuperſit) quicquid illic peccatur nullo medicamine ſanari poſſe? Atqui dices, quod in altera vita, per eccleſiæ ſuffragia remiſſiones fiunt peccatorum. Fiunt hauddnbie, Sed non aliorum, quam quæ contracta fuerant in bac vita, & quorum hic auctores pœnituit, dum in corpore viuerent, Propter quod & Auguſtinus libro de cura pro mortuis gerenda ſic ſcribit: Genete igitur vitæ (quod geſſit quiſque per corpus) efficitur, vt proſint, vel non proſint, quæcunque pro illo pie fiunt, quum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod iſta proſint, ſi nullum comparatum eſt in hac vita, fruſtra queritur poſt hanc vitam. Sunt igitur peccata quæ fiunt poſt hanc vitam irremediabilia. Quamobrem & palam eſt, in purgatorio peccare neminē, cum illic omnes in ſtatu ſalutis ſint, propter quod & Hieronymus in Eccleſiaſt. capit. nono dicit, Viuentes metu mortis poſſunt bona opera perpetrare. Mortui vero nihil valēt ad id adiicere, quod ſemel ſecum tulere de vita. Et paulo poſt, Sed & dilectio eorum & odium, & æmulatio, & omne quod in hoc ſeculo habere potuerunt, mortis finitur aduentu. Nec iuſte quippe poſſunt agere nec peccare, virtutes adiicere, nec vitia. Hæc Hieronymus. Tu tamen (tanta eſt impudentia tua) nihil erubeſcis hos eruditiſſimos ſimul & ſanctiſſimos interpretes cōtemnere, propter mera ſomnia tua, quæ quam nugacia fuerint, ſuperius oſtendimus. Nunc autem annotaſſe ſufficiat, quid hi ſanctiſſimi viri palam aſſeruerunt. Negat Auguſtinus meritum aliquod poſt hanc vitam poſſe comparari. Negat eccleſiæ ſuffragia defunctis profutura, niſi prius dum eſſent in corporib. idipſum meruiſſent. Negat Hieronymus mortuos adiicere poſſe quicquam iis, quæ ſecum tulere de vita. Affirmat eos, nec vitia, nec virtutes augere poſſe. Quando igitur Lutheri rationes omnes, quibus contra nititur, paulo ante ſatis abunde confutauimus. neminem opinamur vſque adeo pertinacem eſſe, ſuæque ſalutis prodigum, vt tenaciorem fidem vni Luthero velit adhibere, non probanti ſua, quam ſanctis patribus, totiuſque eccleſię conſuetudini, ſcripturiſque & rationibus aliis, quas non inualidas (vt opinamur) ante produximus. Et hæc pro præſenti articulo ſufficiant.

In purgatorio neminem peccare.

Nem. poſt hanc vitam poteſt mereri.

ARTICVLVS XL.

LVTH. *Anima ex purgatorio liberata ſuffragiis viuentium, minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.*

EPISC. Bifariam is articulus intelligi poteſt: vel pro ſatisfactione, quę fieri potuiſſet ab eis in hac vita: vel pro ſatisfactione in ipſo purgatorio. Nam inter has ſatisfactiones id diſcriminis eſt, quod prior (ſi facta fuiſſet in bac vita & in gratia) nonnihil etiam meriti reportat, præter ipſam pœnę deletionem. Neque enim vllum eſt opus bonum, quod (ſi fiat in charitate) iuſta remuneratione fruſtrabitur apud Deū, apud quem nec is (qui calicem aquæ frigidæ propter nomen Chriſti petenti dederit) carebit mercede ſua. Secunda vero ſatisfactio, quæ in purgatorio fit, nihil omnino mercedis lucratur, maculas tantum expiaſſe contenta. Dicimus igitur, quod ſi dictus articulus de priore ſatisfactione debeat intelligi, nullus in eo nobis videtur error. Quoniam ſi dum eſſent in corporibus animæ, pro ſeipſis ſatisfeciſſent, non modo labeculas & neuos expurgaſſent, verumetiam auxiſſent ſibi merita, pro quibus in cælo pluſculum ſibi beatitudinis acquiſiuiſſent. Verū non ita ſatisfactionem (opinor) acceperunt, qui condemnarunt hunc articulum. Sed de ſatisfactione potius intellexerunt, quæ fit per ipſas animas in purgatorio. Sic enim errore non catet art. ipſe. Videtur enim ſic innuere, quod per ſuam quæ fit

in purgatorio ſatisfactionem, animæ eh. ..aus augmentum mereantur, atque proinde beatitudinem acquirant in cælo cumulatiorem. Cæterùm iſtud quia ſatis antè conuulſum eſt, iam non multis immorabimur, ſed quæ Lutherus pro tribus his poſtremis articulis attulerit, cueſtigio ſubiiciemus.

LVTH. *Hos tres articulos diſputaui, proteſtatus me eſſe rerum iſtarum ignarum.*

EPISC. Si rerum harum fueris ignarus, quod iam profiteris, quid cum auditorum periculo ſuper his diſceptare publicitus voluiſti? Neque enim idipſum alio molitus es animo, quàm vt purgatorium in dubium reuocares, & vt obſiſteres lucro, quod per indulgentias à Germanis tuis aulæ Romanæ ſingulis annis conquiritur. Maluiſti nullam eſſe purgatorij fidem, quàm vt è Germania tua tam ingẽs pecuniẽ ſumma quotannis exportaretur: in qua re profectò, tam animabus illis (quæ grauiſſimas in purgatorio perpetiuntur pœnas) quam Germanis tuis malè conſuluiſti: quum illis ſubſidium, & iſtis miſericordiæ ſuæ meritum, tuis diſputationibus abſtuleris. Meminiſſe ſatius fuiſſet illius verbi, quo Paulus Timo-
2. Timoth. 4. theum hortatur, Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Vereor certè, ne tantum ex diſputationibus tuis, auditores tui venenũ exhauſerint, vt in fide poſthac ſemper nutantiores inueniantur. Queſtiones iſtiuſmodi vehementer in ſcholaſticis damnas, & magno ſupercilio doces ipſos, quid eſſent facturi. Non iniuria igitur in te dici poteſt, illud eiuſdem
Rom. 2. Pauli, Confidis teipſum ducem eſſe cæcorum, lumen in tenebris verſantium, eruditorem inſipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem. Qui igitur doces alium, teipſum non doces.

LVTH. *Nec adhuc probatũ aliquid aut inuentũ, niſi quod illi dictum aut factũ eccleſia, id eſt, Papa, & ſuorum ſomniatorum mihi pro regula fidei obtrudunt, quod contemno.*

EPISC. Si nihil ſit apoſtolica traditio, cuius & Chryſoſtomus & Dionyſius & Auguſtinus teſtes ſunt. Si nihil tam diutina totius eccleſiæ conſuetudo. Si nihil tot eruditiſſimi ſimul ac ſanctiſſimi patres. Si nihil ſcripturæ per eos approbatæ, & in hunc ſenſum expoſitẽ. Si nihil tot rationes, quẽ pro totius eccleſiæ fide productæ fuerunt. Si nihil, inquam, hæc omnia ſint, tum certè nec probatum adhuc aliquid aut inuentũ eſt, quod tuos expungat articulos. At ſi quicquam illa virium habuerint (vt & habere neceſſum eſt) tum non rectè per contemptũ hæc aſcribis Pontifici, cum iſta perſpicias aliunde ſuam auctoritatem accepiſſe, quã ex Papæ (quod tu ais) ſomniatoribus. Multo ſanè conſultius fuiſſet de iſtiuſmodi rebus omnino ſiluiſſe, & captiuam redegiſſe cogitationem tuam in obedientiam Chriſti, quam verbis vſqueadeo contumelioſis vicarium eius inceſſere.

LVTH. *Quum ergo nihil certi poſſim hic docere, ſatiſque diſputauerim alias, merito quieſco, conſulens omnibus, vt ea quæ aguntur cum animabus, diuino iudicio cõmendent.*

EPISC. Iam cum vniuerſum effuderis venenum, quieſcere vis, & conſulis vt iſta, quæ cum animabus aguntur, cæteri diuino commendent iudicio. Verum iſtud iam ſerò conſulis, vt in te merito competat illud Diogenicum, Poſt bellum ſuppetiæ. Illud ſi feciſſes ab initio, & tuæ famæ rectius conſuluiſſes, & commodis item animarum, quæ in purgatorio cruciantur. Nam ita ſaltem, qui non improbi fuerint, tutiorem ſententiam ſequerentur, & animabus illis ſubuenire non prætermitterent. Nunc autem plerique tuis diſputationibus, in eam hæſitationem adducti ſunt, vt quid facturi ſunt, incertum ſit. Credibile quidem eſt eos multo negligentius, nec tanta ſolicitudine dictis animabus proſpicere, quanta pridem fecerint.

Sciantque Papam cum ſua eccleſia multo minus de his rebus noſſe, quàm vllus de minimis fidelium Chriſti, ideo ſuas bullas in hac re verè eſſe bullas, imo minus quàm bullas, quum neſciat miſer quid loquatur, aut de quibus affirmet. LVTH.

Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, tum EPISC. & tu Luthere calumniandi animum iſtum permutabis. Hæc certè conuitia religionem tuam parum decent, nedum aliena ſunt à bono viro. Si Pontificem vnum totius Eccleſiẽ (quẽ & vna eſt) eſſe conuenit, quemadmodum non Cyprianus ſolum, verumetiam cæteri patres orthodoxi teſtantur, haud æquum eſt, vt huiuſmodi probris afficiatur à quoquam. Execranda ſunt iſta Chriſtianorum auribus vt vel miſer appelletur, aut tantæ prædicetur inſcitiæ, vt neſciat quid loquatur, aut de quibus affirmet, aut vt eius bullæ ſic contemnantur, vt vere bullas quis eas vocet, & minus quam bullas, vt interim taceam, de totius Eccleſiæ contemptu. Nam & Eccleſiam identidem contemnit, qui papam cum Eccleſia ſua multo minus de his rebus aſſerit noſſe, quàm vllum de minimis Chriſti fidelibus. Quis ferre poteſt iſta? niſi fortè quis putauerit, aliam Eccleſiam fore præter hanc, quæ pro ſuo capite, nempe vicario Chriſti Ieſu, ſummum agnoſcit pontificẽ: aut quòd extra hanc alicubi ſint in hoc mundo Chriſti fideles, quod ſane tam alienum eſt à veritate, atque radij ſolis tenebrarum expertes ſunt.

ARTICVLVS XLI.
ET VLTIMVS.

PRælati eccleſiaſtici, & principes ſeculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatu delerẽt. LVTH.

Negat Lutherus hunc articulum eſſe ſuũ. Quare non eſt, vt in hoc multa prodigamus verba. Ridet autem ineptias metaphoræ, quod in eo dictũ ſit, delere ſaccos mẽdicitatis. Quandoquidem tabulis & ſcripturis & picturis (vt ait) conueniret magis, vt delerentur, quã ſaccis. ſed parũ aduertit quam frequenter idem verbũ ſacræ literæ non aliter vſurpant. Nam Geneſ. ſexto dicitur: Delebo, inquit, hominẽ, quem creaui. Et ſeptimo: Delebo omnem ſubſtantiam quam feci. Et decimonono: Delebimus locum iſtum. Rurſum Exod. 32. Dominus ad Moſen ait: Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Et num. 16. EPISC.

Recedite

Recedite de medio multitudinis huius, etiam nunc delebo eos. Et Deut. 13. Moſes ad populum loquitur, dicens: Percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam. Sed eius verba ſubiiciam.

LVTH. *Quam elegantialis, & rhetoricalis, & artificialis & proprialis, vereque Papalis concluſio articulorum, plane digna quam ſanctiſſimus vicarius Dei proferat. Saccos mendicitatis delere, dicitur per metaphoram, quia ſacci ſunt ſicut tabulæ, vel ſcriptura, aut pictura, quæ deleri poſſunt. Quid autem ſi ſacci delerentur mendicitatis, & mendicitas & mendici manerent? forte pro ſaccis inuenirent vaſa & plauſtra.*

EPISC. Nunquam (vbi vel leuis occaſio datur) conuitia prætermittit, & ſemper in pontificem virulenta ledoria iaculatur, vt recte prouerbium in illum competat, quod ab Ariſtotel. 2. Rhet. recenſetur, Occaſione duntaxat opus eſt malitiæ. Et vere ſe malitia plenum oſtendit, qui nunquam deſinit malitiæ virus effundere, vel quum nulla fuerit cauſa, quemadmodum hoc facit apertiſſime. Nam & ad eundem ſenſum eodem verbo, Spiritus ſanctus in locis innumeris vtitur. Quare quum tot probris & maledictis etiam eccleſiæ totius principem (& vbi nulla cauſa fuerit) inſectatur, ſuam euidentiſſime prodit malitiam.

LVTH. *Ego ne iota quidem de prælatis aut principibus memini. Sed dixi me optare, nullos eſſe ordines mendicantium, ad quod plane nulla eſſet opus opera prælatorum aut principum, ſed ſola cuiuſlibet Chriſtiana intelligentia. Quare hanc veritatem ſuggeſſit ſanctiſſimo vicario Dei, non niſi paracletus ille Papæ Eckius, qui tam raro mentitur, quam inuitè loquitur. Sed ſi dixiſſem tamen Principes bene facere ſi ſaccos mendicitatis delerent, in quam ſcripturam? in quem articulum fidei peccaſſem? ſcilicet in ventrem Papæ, & eccleſiæ papalis, & in regnum Satanæ & Antichriſti.*

EPISC. *Matt. 8. Lucæ 9. Matth. 17.* Si id dixiſſes Luthere, profectò parum Chriſtianè dixiſſes, quandoquidem & ex Chriſto mendicantium vita plurimum confirmatur: Primum ipſe vſqueadeo pauper fuit, vt nec habere ſe dixit vbi caput reclinaret ſuum: ſed neque didrachma (quum petebatur ab exactoribus) haberet, quod ſolueret. Propter quod & Paulus de eo ſcribit 2. Corinth. 8. Scitis enim gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, quum eſſet diues, vt illius Inopia vos diuites eſſetis. Quiſquis igitur amore Chriſti velit eius inopiam imitari, egereque cum ipſo, ſimul & paupertatis ærumnas pati, vt poſthac vna cum eo regnare poſſit in cœlis, non eſſet ab hoc inſtituto deturbandus, ſed animandus magis. Adde, quod & Apoſtolis (quum eos Iudæis prædicaturos miſit) hanc indixit Chriſtus inopiam, vt nihil ſecum
Matt. 10. Lucæ 10. ferrent, nec aurum, nec argentum, nec æs in crumenis ſuis, atque id quidem, vt expeditiores, & liberiores eſſent eorum mentes ab omni cura ſeculari, ſuamque fiduciam in Deo totam reponerent, qui de rebus corpori neceſſariis ſufficienter prouideret. Propter quod in Euangel. Luc. ſuos Chriſtus interrogat. Quando, inquit, miſi vos ſine baculo & pera, num quid defuit vobis? Quod ſi talem viuendi formam Chriſtus prædicaturis *Lucæ 22.* apoſtolis ſuis inſtituit, quid prohibet quominus hi ſinantur in eccleſia, qui ſimilem vitæ formam voluerint imitari? hoc eſt, qui relictis omnibus, ſoli ſtuderent animarum ſaluti, atque ex aliorum viuerẽt eleemoſynis. At hæc nemini minus quam tibi Luthere licebit aſſerere, non ſolum quia tu profeſſionem iſtam es ingreſſus, verumetiam quod vnicũ in Euangeliis conſilium approbans, cætera cuncta contendis eſſe præcepta. Solum enim illud de continentia conſilium eſſe tibi placet, cætera vis vim habere præceptorum. Præceptum igitur erit, Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me. Præceptum item erit, Ne reponatis vobis theſauros in terra, & ne ſolliciti ſitis vitæ veſtræ, quid eſuri ſitis, aut bibituri: ſed more volatilium cæli, nec de craſtino cogitate. Pręceptum erit, Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, & niſi quis reliquerit patrem & matrem &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Matt. 19. Lucæ 18. Marc. 6. Lucæ 14.* Quod ſi præcepta iſta ſint, æquum eſt vt ab aliquibus obſeruentur, nec ij damnandi ſunt, qui ſynceriter iſta ſtuduerint obſeruare. Huc accedit quod non modo Rom. Pontifices viri ſanctiſſimi (licet tu parum eis deferas) verumetiam vniuerſa per orbem eccleſia, ſtatus & ordines mendicantium approbauit, nimirum quod ex illorum concionibus maximum experta ſit emolumentum. Nam Frãciſcus & Dominicus (quũ eſſet Chriſtus propemodum obliuioni traditus, velit mortuus à corde) ſollicitudine ſua mundum, ex altiſſimo peccati ſomno ſtertentem, excitârunt. Nec defuit eorum ſtudiis Deus, cuius inſtinctu labores tantos, & hanc viuendi regulã ſuſceperunt. Nam & mirificè quidem proſperare fecit eorum conatus, maximamque præſtitit vtrique ſobolis multitudinem, ſummiſque diuinitus eorum inſtitutum illuſtrauit miraculis. Quamobrem qui priora cuncta diligenter expenderit, intelliget hanc quæ iam abs te calumnia mendicantibus impingitur, ex mera malitia proceſſiſſe.

Quis eſt enim homo vel Gentilis, nedum Chriſtiano ſenſu præditus, cui mendicitas etiam laicorum, nedum ſacerdotum non diſpliceat. LVTH.

Neſcio Luthere quid tibi velis per hæc verba. EPISC. Nam diſplicere cuiquam quid poteſt, vel ex odio *Matt. 22.* vel ex miſericordia. Diſplicuit enim homini Re- *Lucæ 10.* gi (vti parabola refert) quendam inter diſcumbentes vidiſſe non veſtitum veſte nuptiali. Diſplicuit & Samaritano, quum cerneret hominem ſaucium, & à latronibus ſemiuiuum relictum. Sed illud ex ira, iſtud verò commiſeratione quadam diſplicuit. Tibi igitur ſi ſic diſpliceat mendicitas, vt optes homines illos non eſſe, male quidem diſplicet. Sin ita vt ſuccurrere ſtudeas eorum inopiæ, & Dei prouidentiam in eis laudes, non poteſt iſta tibi non ſalutaris eſſe commiſeratio. Sic enim & Paulum erga pauperes (qui Hieroſoly- *2. Cor. 8.* mis erant) affectum eſſe non dubito. Neque enim odio quodam paupertatis eos tolli voluit, quum intellexit non mediocre commodum ex ipſis ec-

cleſiæ toti prouenturum, ſed commiſeratione quadam ductus, collectas pro ipſis apud multas Eccleſias fieri ſollicitauit, quemadmodum ex nonnullis epiſtolis eius aperte conſtat. Nec id negotij ſolum ſibi deſumpſit ex capite ſuo, verumetiam à primoribus Apoſtolis id ei commiſſum fuerat. Sic enim ad Galatas ſcribit: Cùm cognouiſſent gratiā (quæ data eſt mihi) Iacobus & Cephas & Ioannes (qui videbantur columnæ eſſe) dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem tantum, vt pauperum memores eſſemus; quod etiam ſolicitua fui hoc ipſum facere. Tu fortè ſi temporibus iſtis fuiſſes, nec Paulo, nec cęteris acquieuiſſes Apoſtolis, ſed magis abiiciendos hos pauperes fuiſſes adhortatus. Neque enim apud te magni momenti ſunt ieiunia, vigiliæ, orationes, cæteraque id genus, in quibus illi dies noctéſque ad maximum totius Eccleſiæ commodum exercuerunt ſeſe.

Gal. 2.

LVTH. *Sed vale ſcelerata abominatio, tam ſtultè ſimul & impiè loqueris, vt indigna ſis, propter quam verba fiant, atque hoc inſigni articulo palàm declaras, quo ſpiritu totam excreueris hanc maledicam bullam. Dominus Ieſus viſitet te propediem illuſtratione aduentus ſui, Amen.*

EPISC. Tu ſtultè potius, & impiè loquutus mihi videris, qui contra pauperes mendicantes, hunc in modum oblatras. Neque pontifex his qui praui ſunt patrocinatur, ſed nolit propter eos vniuerſum ordinem eradicari funditus. Et quid impietatis habet quòd viri boni & docti, quo cum fructu ſe totos dedant verbi miniſterio, cunctis huius mundi renuncient opibus præſertim quum & Chriſtus hoc ipſum fecit, conſuluitque faciendum, & Apoſtoli teſtantur, id feciſſe ſeſe, Ecce, inquiunt, nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Sed iam, inquies, neceſſe eſt, grauent alios, à quibus eleemoſynas accipiunt. At hoc grauamen nullum exiſtimari debet. Nam quum ſpiritualia ſeminant, ſi viciſſim carnalia petant, nemo (ſi Paulum audierimus) cenſere poteſt hoc eſſe grauamen. Sic enim & Chriſtum & Apoſtolos condemnaremus, quod ex aliorum vixerint eleemoſynis. Nam hos opulentæ quædam fœminæ comitatæ ſunt, quæ & de ſuis facultatibus illis miniſtrabant. At iſtud fortè ſolùm diſplicet, quòd hi fratres mendicent, & oſtiatim petant. Verùm ſi iſtud non licet, cur ad prædicandum ſuos omni ferme re nudatos, præter veſtimenta miſit Chriſtus? Fuit enim eis neceſſe, ſuam aliis inopiam detegere, & ea (quibus indigebant) ab aliis mendicare. Iſtud igitur niſi damnes, haud video cur à quoquam ordines ipſi mendicantium damnandi ſint. Quamobrem ſi duxiſſes aliquot ex eis reformandos, ſi qui fuerint inter eos, qui non ſecundum regulæ veritatem incedunt, nemo tibi non aſſentiretur. At quum multi ſint in illis ordinibus, qui tam exemplo vitæ, quàm verbo doctrinæ, populo Chriſtiano plurimum proſint ad beatè viuendum, tu qui velis vniuerſos illos ordines è medio tolli, nec prudenter, nec piè mihi videris loquutus. Sed hæc ad articuli confutationem opinor ſufficiunt.

Matt. 19.

1. Cor. 9.

FINIS.

DE

DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN EVCHARISTIA, PER REVERENDVM IN CHRISTO PATREM, AC DOMINUM, D. Iohannem Roffenſem Epiſcopum, aduerſus Iohannem Oecolampadium.

PLVRIMVM REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO, DOMINO RICHARDO VVINTONIENSI EPIſcopo, Iohannes Roffenſis, S. P.

CIRCVMSPICIENTI *mihi, cui libellũ, quem his diebus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſcripſi, quanquam occurrerint alij complures, quibus & plurimum obnoxius ſum, neminem tamen reperi, cui accommodatius idipſum facerem, quàm dominationi tuæ, atq́; id, quum ob alias, tum ob duas potiſſimum cauſas: Nam quum ipſe collegium, ſatis magnificum Oxoniis, maximoq́; ſumptu nuper ad ſtudioſorum, & imprimis Theologorum vtilitatem extrui curaueris, in quo bonæ literæ cuiuſq́; generis docentur, Hebrææ, Græcæ, Latinæ, & quicquid ad verum Theologiæ eruditionem conferre valeat, ibidem à præceptoribus, ad hoc ipſum ingenti mercede conductis, diligentiſſime traditur. Quumq́; libuit ob deuotionem animi, quam peculiariter ad Euchariſtiæ ſacramentum habes, & habuiſti ſemper, inſignire collegium ipſum titulo nominis eiuſdem, (vocatur enim collegium corporis Chriſti) conſentaneum vtiq́; viſum fuit, vt liber, qui veritatem eiuſdem corporis in Euchariſtia tuetur, inſcriberetur paternitati tuæ, ne fruſtra titulum huiuſmodi videreris indidiſſe, ſi nulla prorſus ei ſubeſſet veritas. Iſtud ſane me mouit plurimum. Atqui nihilominus & aliud me vehementer impulit, nempe, quod quum nemini mortalium, me magis agnoſcam debere quàm tibi, nõ aliter officio meo ſatisfacere videbar, niſi munuſculo quopiam (licet tuis erga me meritis impari) teſtarer, ſaltem me tuæ dominationis immemorem haudquaquam fuiſſe. Nam ſic à prima notitia dominatio tua me complexa fuerat, vt aura tui fauoris non ſolùm ad bonarum ſtudia literarum, verum etiam ad vitæ probitatem ardentius amplectendum, vehementer accendebar. Adde, quod Regi Henrico ſeptimo, qui tunc habenas regni ſumma prudentia moderabatur, principi certe ſeculis omnibus, atq́; id multis nominibus (vt alibi diximus) admirando, meam paruitatem commendaſti, vt ſola exiſtimatione, quam (te toties inculcante) de me conceperat, & mero motu (quod aiunt) [illegible]ra quoduis aliud obſequium, citra cuiuſquam preces, quod & mihi non ſemel affirmabat, epiſcopatum Roffenſem, cui iam indignus præſum, vltro donauerit. Non deſunt forte complures, quibus creditum eſt, genitricem illius, nempe Comitem Richemondiæ, Derbiæq́;, fœminam eximiam, & plane incomparabilem, heramq́; mihi multis rationibus chariſſimam, ſuis precibus à filio, dictum epiſcopatum impetraſſe mihi. Verum longe aliter ſeſe res habet. Quod & tuæ dominationi compertiſſimum eſt, qui à ſecretiſſimis conſiliis ipſi Regi fueras, quemadmodum & te, quamdiu per valetudinem, aulam frequẽtare licuit, vſus eſt, & illuſtriſſimus atq́; florentiſſimus rex Henricus octauus, qui iam ſolium patris iuſtiſſima ſucceſſione tenet. Neq́; iſtud dixerim, vt merita quibus me ſibi iure deuinctiſſimum egregia illa virago reddidit, imminuam quouis pacto. Nam erant ſane maxima. Quare ſi nihil aliud eſſet quam amor ille ſummus & ſyncerus, quo me præ cæteris, & ſine fuco, quod & certiſſimum habeo, proſequebatur. Si nihil (inquam) aliud quam iſtud eſſet, quid tanto, & tam nõ vulgari amori, tam ſpectatiſſima principis inter mortalia munera, par exiſtimari queat. Sed & præter amorem, fuit etiam in me ſane munificentiſſima. Nam etſi beneficium (quod vocant) eccleſiaſticum, nullum contulerit, non defuit ei ſtudium, ſi quo modo rem noſtram augere potuiſſet.*

tuiſſet. Quod & nõ verbis ſolum, verum etiam re ipſa comprobauit, quum alias, tum quando futurat ab hac luce ad Chriſtum migratura. Cæterum quum huius præſtantiſſimæ fœminæ laudes, oratione quadam funebri, ſatis abunde proſecutus ſim, licet nunquam ſatis de tam eximia ſingulariq; principe dici à quoquam poterit, hic tantum adiiciam, quod quum ipſa confeſſionis auricularis audiendæ, pariter & inſtruendæ vitæ gratia, me ſibi commonitorem aſciuiſſet, ingenue fateor, me plus ab eius egregiis virtutibus, quod ad probè viuendi inſtitutum conducat, didiciſſe, quàm viciſſim illi communicarim vnquam. Sed ad dominationẽ tuam redeo cui (vt dixi) poſt Regem prudentiſſimum defunctum, omnia commoda, quæ mihi meiſq; ſuppetunt, ex hoc epiſcopatu me debere confiteor. Habeant licet alij prouentus pinguiores, ego tamẽ interim pauciorum animarum curam gero, adeo vt quum vtrorumq; ratio reddenda fuerit, quod & propediem haud dubie futurum eſt, nec pilo meam ſortem optarim vberiorem. Quare vel huius beneficij cauſa, vt de reliquis ſileam (quæ nec pauca ſunt) aliquo xenio teſtari debueram, quàm eſſem tuæ dominationi obſtrictiſſimus. Et iſta ſane me permouerunt, vt librum hunc, quem nuper edidi, tuæ Reuerendæ paternitati nuncuparim. Complectitur enim ſolidiſſimas, & eaſdem (ſi me iudicium non fallat) ineuertibiles demonſtrationes pro aſſerenda veritate corporis & ſanguinis Chriſti. Quam veritatem Oecolampadius, licet alioqui literis clarus, & ad nauſeam vſq; quod aiũt plenus, acriter & pluribus oppugnauit. Sed hoc vehementer impoſuit homini quod fidei tantum tribuat, vt eam vel ſolam cuiq; ſuffecturam aſſerat. Qua priſcos etiam Iudæos, qui fideles erant, ita nobis æquat, vt eoſdem inſertos Chriſto nihilominus arbitretur, quàm iam Chriſtiani ſint, neq; nos verius edere carnem & ſanguinem Chriſti, quàm fecerint illi, quum dicat Paulus, Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe, tam nos quàm illos. Cæterum palam eſt, eum non recte capere mentem Pauli, quum Paulus ibi tantum de ſpirituali manducatione loquutus fuerit, quæ & fide fit, quemadmodum & hodie Chriſti corpus à multis editur, nempe ſpiritualiter ſolum credentes in Euchariſtia vere Chriſtum adeſſe, non autem ſumentes corporaliter. Ad illum modum haud dubie priſci fideles, priuſquam Chriſtus fuiſſet incarnatus, carnem Chriſti ſpiritualiter edebant in manna figuratam. Sed is eſus non præſtitit eis, vt eſſent membra corporis Chriſti ex carne eius & ex oſsibus eius, quod de nobis affirmat & teſtatur Paulus. Neq; enim tunc extiterant caro & oſſa Chriſti, quum nondum eſſet Chriſtus incarnatus. Quocirca nec adhuc erant ipſi priſci Iudæi membra corporis Chriſti ex carne eius, & ex oſsibus eius. Erant membra (fateor) corporis eius myſtici per veram fidem. Nam hoc vera fides illis contulit, ſicut & perfidia perfidis tribuit, vt membra fiant Satanæ. Eſt enim & ipſe caput impiorum omnium, ſicut & piorum Chriſtus. At vt impij non ita ſunt ipſius Satanæ membra, vt ſint ex carne eius & ex oſsibus eius, quum nihil eiuſmodi Satan habeat, ita nec priſci illi fideles ante Chriſti incarnationem, erant membra corporis eius ex carne eius, & ex oſsibus eius, qualia nondum ſuſceperat Dei verbum. Per eſum ergo corporeum carnis & ſanguinis Chriſti, nobis Chriſtianis præſtatur, vt ſimus membra corporis eius ex carne eius, & ex oſsibus eius. Quare falſum eſt, quòd ſola fides ad hanc incorporationem ſufficiat. Nectimur enim vero (nõ inficior) corpori Chriſti myſtico per ſolam fidem. At nihilominus per eſum corporis & ſanguinis Chriſti multo altius & ſolidius incorporamur Chriſto, quàm fide ſola. Quam rem nos abunde monſtrauimus non ſolum Irenæi, Chryſoſtomi, Damaſceni, Cyrilli, Hylarij, cæterorumq; priſcorum Theologorum aſſertionibus clariſsimis, verum etiam apertiſsimis ſcripturarum teſtimoniis. Quare plurimum intereſt inter Chriſtianos, qui carne Chriſti tam ſpiritualiter quàm corporaliter veſcuntur, & priſcos illos fideles qui Chriſti incarnationem præceſſerant, qui ſpiritualiter dumtaxat manducabant. Id quod ex ſubſequentibus quoque noſtris reſponſionibus clarius intelligere licebit. Bene valebis, amantiſsime Pater, ſtudiumq; hoc erga te noſtrum, quo libellum hunc noſtrum nomini tuo nuncupamus, boni conſules. Ex Roffa, M. D. XXVI.

PRAEFA-

PRAEFATIO PRIMI LIBRI, IN QVA EX HAERETICORVM DISSIDIIS CONSTABILITVR VERITAS CORPORIS ET *ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.*

Triplici ratione aſtruit Deum Lutheranis infenſum.

SEmper benedicatur Deus optimus maximus, ſemperque nomen eius ſummis efferatur laudibus, & ab omnibus perpetuo celebretur, quod in hac ſæuiſſima, per hæreticos facta, perſecutione, tam ſolicitus eccleſiæ ſuæ proſpexerit, oportuneq; ſubuenerit. Neq; enim vel optare quicquam nobis licuit, ad maiorem hoſtium noſtrorum profligationem, quam quod iam euenit, atq; id quidem, haud dubie ſumma prouidẽtia benigniſſimi Dei. Nec me putet quiſquam hæc dixiſſe, propter immenſam ſtragem eorum, qui peſtilẽtiſſima Lutheri dogmata ſectati ſunt, quanquam & in ea re, potentiſſimus Deus iræ ſuæ ſpecimen ſatis perſpicuum eunctis oſtenderit, aduerſus execrabilem ſectam illam, in qua tot millium ſanguis effuſus eſt, nullo externi hoſtis gladio, ſed inteſtinis diſſidiis, Deo vindictam ſumente, ſuper hac tanta, aduerſus eccleſiam rebellione. Quis enim vſque adeo cæcus eſt, vt in hac tam graui clade non perſpiciat ſæuientem irati Dei manum? Et cui potius hoc Germani ferent acceptum, quàm Luthero, ſectatoribusq; ſuis? Vtinam vel ſero, piam illam exhortationem aduerterent, qua Iohannes Coclæus vir & doctiſſimus, & catholicæ fidei propugnator acerrimus, ingenti zelo, nec minori in patriam ſuam amore, de conſecuturis eiuſmodi periculis, prudenter eos admonuit. Atqui neutiquam propter illam miſerabilem cladem, vt diximus, & manifeſtam vlciſcentis Dei manum, in tantam exultationem prorupimus. Sed & præter eam, alia multo ſane acerbior ipſis huius factionis autoribus, vltio contigit, nempe, quòd & ipſi traditi ſint, vt Pauli verbis vtar, in reprobam mentem, nimirum, vt faciant ea, quę non conueniunt. Quid enim abſurdius, imò quid execrabilius, quàm vt hi, qui caſtitatem ſuam Deo ſemel vouerint, votumque ſuum, dum iuuenta ferueret, ſtrenue ſeruauerint, nunc ſenes, obſcœnis libidinibus indulgeant, neque ſolum id faciunt ipſi, verumetiam alios ad huiuſmodi ſpurcitiem exhortantur, vt iam paſſim videas, non ſacerdotes modo, qui vel ipſo Catone pridem viſi fuerant grauiores, verum etiam monachos monachas ducere, atque id publice, citra pudorem omnem, vt merito quis in quemuis eorum dixerit, frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Adde, quòd & ſacris tantopere literis abutantur, vt ex eis doceant, ita fieri neceſſum eſſe. Quaſi nec Ambroſius, neque Hieronymus, neque Auguſtinus, neque alius quiſquam priorum patrum, ſeſe poſt ſuſceptum ſemel ſacrum ſacerdotium, continuiſſet. Quòd ſi iſti continenter vixerint, vt procul dubio vixerunt, cur non poſſunt & alij? An non & Chriſtus dixit? Sunt qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum: & quo (precor) animo, Lutherani ſacrum olim ſacerdotium ſuſceperant? Certe ſi non propoſuerint ſe propter cœlorum regnum, ſeruare cœlibes, fictè & hypocriticè ſacrum conſecuti ſunt ſacerdotium. Quòd ſi in re tanta, coram Deo fingere non metuebant, quid eſt, vt quiſquam ex iſtiuſmodi ſimulatoribus, fructum aliquẽ ſalutaris doctrinæ ſperet, cùm ſcriptum ſit: Spiritus ſanctus diſciplinę effugiet fictum. Sin propoſuerint ſe ſeruaſſe caſtos, ſed poſtea victi ſunt à carne ſua; Nunquid ergo veriſimile eſt, eos in huiuſmodi ſordibus longo tempore iacuiſſe? Quare nec idonea vaſa, quæ diuinam illam ſapientiam capeſſerent, habuerunt: quum ipſa nec in corpore ſubdito peccatis, vt in ſapientiæ libris traditum eſt, habitare dignetur. Credibile igitur eſt, eos, nõ minus propter illam vitæ ſuæ impuritatem, quàm propter ingeniorum ſuorum arrogantiam, in illas hæreſes incidiſſe, atque adeò in hanc reprobam mentem, vt hæc abominanda faciant & doceant publicitus. Quis itaque non ex his dilucide cernat, vindicem ipſius Dei manum, non modò ſuper magiſtros iſtos, verum etiam ſuper eorum ſectatores: qui iuſto Dei iudicio, ſic prorſus excœcati ſunt, toties admoniti de pernicioſis erroribus ſuis, atq; id, per eos qui verè orthodoxi ſunt, pariter & ſcripturarum exercitatione celeberrimi, nihilo tamen ſuarum animarum maiorem gerunt curã, quàm ſi poſt hãc miſeram vitam ſpes alterius nulla foret, nihilominus tamen ſurdiores ſunt, quàm agnus ad lyram. Adſunt enim eis indigenæ complures, qui negotium iſtud agunt, ingenti ſtudio, & Eraſmus imprimis, qui partes eccleſiæ catholicæ cuique ſectandum inuictiſſime docet. Iohannes item Coclæus, vir pro fide catholica zelantiſſimus. Iohannes Eckius, quem in Anglia vidiſſe pergratum fuit. Hieronymus Emſerus, vir, & eruditus & grauis. Iohannes Faber, Gaſpar Satzgerus. Iohannes Dittenbergus. Neque deſunt eis externi, inter quos & illuſtriſſimus Angliæ Rex Henricus, eius nominis octauus, locum præcipuum meretur, qui cum hæreticis iſtis egregie dimicans, ob id cognomentum defenſoris fidei merito ſortitus eſt. Cuius lucubrationes aduerſus Lutherum, vtinam Germani diligentius euoluerent. Eius exemplo, complures animati, ſcripſerunt. E quibus Thomas Morus, eques auratus, moribus & ingenio candidiſſimus, neq; minori præſtans eru-

Prima ratio. Strages Lutheranorum.

Lutherus autor cladis Germanorũ.

Secũda ratio. Vita impuritas. Rom. 1.

Hierem. 3. Abusus ſcripturæ.

Continentia poſſibilis. Matth. 19.

Sapien. 1.

Sapien. 1.

Lutherani propter immunditiam prolapſi ſunt in hæreſim. Roman. 1.

Impugnatores hæreſeos Lutheranæ.

ditione, tametſi negotiis regis & regni grauiſſimis, occupatiſſimus ſit, Iohannes item Pouelus Theologus non vulgaris, Guillielmus Meltonus Eboracenſis eccleſiæ Cancellarius, Theologus eximius, qui de quibuſdam capitibus hæreſum Lutheri ſcripſit. Sed liber eius hauddum prælo commiſſus eſt, ſicut nec aliorum plurimi. Habent ex Gallia, Iudocum Clichtouæum Stephanumque Longolum. Ex Flandria, Iacobũ Latomum. Ex Italia denique, Ambroſium Catharinum. Hos qui orthodoxi ſunt oportuit audire. Neque enim res minimi ponderis eſt, de qua conflictamur. Non enim agitur de lana caprina, ſed de ſalutis noſtræ periculo. Periclitatur enim catholicæ fidei veritas, ac proinde ſalus animarum æterna. Sed illi (quod deflẽdum eſt) nihilo maiorem ſuarum animarum curam gerere videntur, quàm ſi poſt hanc miſeram vitam ſpes alterius nulla foret. Cæterum neque propter iſtam vltionem, qua traditi ſunt in reprobam mentem, illa præmiſerim. Eſt adhuc quiddam multo luculentius, in quo perſpiciamus apertiſſime vindictã Dei ſuper eos. Traditur enim in libro Geneſeos, de quibuſdam qui moliti ſunt, ædificare turrim, cuius culmen ad cælum vſq; pertingeret, quatenus ita nomen ſuum poſteritati celebres redderent, de his inquam traditur, quòd quum eſſent populus vnus & vnius labij, Deus ita ſuperbiam eorum vindicarit, atque linguas eorum & ſermones ita cõfuderit, vt nec alter alterius vocem intelligeret. Similis profecto nunc factioſis iſtis Lutheri ſectatoribus, vltio contingit. Nam & hi conceperant animis, nouam quãdam eccleſiam erigere, quo ſibi famam per vniuerſum orbem pararent, in quo molimine, mirum eſt quantum vniti fuerant & conſœderati, vt quaſi vnus homo, vno corde, & vno animo præditi viderentur. Nec deſtitiſſent vnquam ab hoc opere, ni Deus ex alto proſpectans, eccleſiæ ſuæ miſertus, tantam eorum inſaniã, linguarum diſſidio cohibuiſſet. Fecit enim, vt qui ceu proceres & colũnæ inter eos haberentur, alter alterũ haudquaquã intelligeret. Diſſident enim inter ſeſe, nec vnus alium iam audire dignatur. Carolſtadiani (ſic enim appellant eos, qui Carolſtadium ſectantur) diſſenſere iam pridem à Lutheranis, adeò vt alteri in alteros graues intulerint calumnias. Videre licet ex epiſtolis nomine Lutheri nuper impreſſis, quanta ſit inter eos de dogmatibus controuerſia. Sed & Melanchthoni, quantum à fide dignis audiui, non bene conuenit cum Luthero. Emerſit & nunc tandem alius ex numero procerum iſtorum, Iohannes videlicet Oecolampadius, qui iam & ipſe vehementer à Luthero diſſidet in pluribus, quem tamen ante, manibus & pedibus ſequebatur. Lutherus vbique mordicus tenet ſacramentum euchariſtiæ, nouum teſtamentum eſſe, Oecolampadius in libello, quem de gemina, (vt ait) verborum domini expoſitione nuper ædidit, aperte docet non eſſe teſtamentum, ſed teſtamenti obſignationem, his verbis: Porrò manifeſtarium eſt ex nono capite ad Hebræos, non hunc noſtrum ritum, eſſe ipſum teſtamentum, ſed ſanguinem illum, qui ſemel effuſus eſt in cruce eſſe obſignationem teſtamenti, alioqui conſectaneum foret, ſubinde innouari teſtamentum, quoties cœnam dominicam manducaremus. Vbi enim nouum, ibi antiquatur prius, ad Hebræos octauo, vltra ſi ſæpe nouum teſtamentum, ſæpe moritur Chriſtus. Hæc & alia in hunc modum adducit argumenta, vt conuincat nec ritum hunc, quo nos iam vtimur, neque ſanguinem in cruce fuſum, eſſe teſtamentum, ſed obſignationem teſtamenti duntaxat. Lutherus audacter inuitat cunctos, quantumuis impuri flagitioſique fuerint, ad ſacramenta ſumenda corporis & ſanguinis Chriſti. Oecolampadius pleroſque putat arcendos, niſi, cum emendatioris vitæ propoſito acceſſerint. Sic enim in eodem libello ſcribit: Multos quidem hactenus vidimus aſtare aris, & multas audire miſſas. Sed quo fructu? Non deſiſtebant ab adulteriis, non ab vſuris, non à crudelitate in pauperes, ſed penſum ſuum abſoluiſſe putabant, ſi ad horulam templis interfuiſſent. Nec mirum, quum eccleſiaſtica diſciplina penitus interciderit, nemine à ſacris prophanos diſcernente vt diiudicaretur corpus domini. Hæc ille. Lutherus conſtanter docet in Euchariſtia verum Chriſti corpus vnacum ſubſtantia panis contineri. Oecolampadius aperte negat illic adeſſe Chriſti corpus, vt mox fuſius audituri ſumus. Quis hic non manifeſte videt vlciſcentem Dei manum, quæ tanto diſſidio percuſſit iſtorum linguas? Quis non conſpicit pro eccleſia ſua pugnaſſe Deum? qui & confuſionem iſtam, diſſidentium hoſtium labiis ingeſſit, fecitque vt alter in alterius iugulum armetur, atque ita mutuis ipſorum iaculis, communem eccleſiæ ſententiam defenſarent. Nam vterque neſcius, arma miniſtrat eccleſiæ, quibus ipſi confodiantur. Quicquid enim Lutherus aduerſus Oecolampadium affert, vt euincat in Euchariſtia verum eſſe corpus Chriſti, id (quis non perſpicit) eccleſiæ partes corroborat? Et rurſum, quicquid Oecolampadius profert, vt ſtatuat hunc panem haudquaquam eſſe corpus Chriſti, mirifice confirmat eccleſiæ decretum. Quare iam exploratiſſimum eſt, quod olim pollicitus fuerat Chriſtus, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Certiſſime nobiſcum eſt, & à nobis ſtat atque pro noſtra dimicat parte. Nobiſcum enim eſſe non dubitamus, non ſolùm viribus gratiæ, ſimul & afflatu ſpiritus ſui, verum etiam realiter in ſacramento corporis & ſanguinis ſui. Cum Lutheranis & Oecolampadianis haudquaquam eſt. Et quid mirum, quum iſti Chriſtum contra ſuam ipſius doctrinam apertiſſimam arceant ab hoc ſacramento, quod confecit ipſe nobiſque reliquit conficiendum. Illi vero eum corruptibili pane contra priorum patrum vnanimem ſententiam, Chriſtum indigne conſociant. Nobiſcum igitur eſt, qui veritati verborum eius inhærẽtes, fidelem eorum interpretationem à maioribus noſtris nobis commendatam amplectimur. Quibus enim iſtud (precor) olim pollicitus fuit Chriſtus? Num ſolis apoſtolis? Nequaquam? Nam alioquin oportuit & aliquos eorum in eccleſia manſiſſe, vſq; ad conſummationem ſeculi. Sed & apoſtolis & apoſtolorũ ſucceſſoribus omnibus iſtud promiſit, quamdiu foret hic in terris eccleſia duratura. Nobiſcum igitur, qui de ſucceſ-

ſione

Tertia ratio. Mentis elatio.

Geneſ. 11.

Lutherani in ſectas pugnantes diuiſi ſunt.

Primum diſſidium.

Secundum diſſid.

Diſſidium tertium.

Vltio diuina eſt Lutheranorum diſſenſio.

Catholici iugulant Lutheranos propriis ſpiculis.

Matth. 28. Chriſtus manet cum fidelibus in mundo.

Matth. 26. Luca 22.

ſione iſta gloriari poſſumus, hauddubie Chriſtus eſt nõ cum hæreticis illis, qui nec eorum, qui ſucceſſerunt apoſtolis, nec eccleſiæ decreta recipiunt. Qui fieri poteſt, vt cum ſuorum & eccleſiæ ſuæ poſſit hoſtibus eſſe? quandoquidem olim dixit, Qui vos ſpernit, me ſpernit. *Luc.10.* Iſti nihil verentur & eccleſiã & priores omnes patres contemnere. Quamobrem & Chriſtum in illis contemnunt. Nihil igitur ad eos pertinet eccleſiæ ſucceſſio, nec proinde pollicitatio prior. Exierunt è nobis, & ſi Iohanni credimus, nõ *1.Iohan.2.* erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, vt idem ait, permanſiſſent vtiq; nobiſcum. Quare nihil ad eos prior pollicitatio ſpectat. Hoſtes enim Chriſti ſunt & eccleſiæ ſuæ. Propter quod (vt Pauli verbis vtar) *Rom.1.* ira Dei de cælo palam fit ſuper eos, nimirũ, quod veritatẽ in iniuſtitia detinẽt. Norunt enim ſcripturas & participes facti ſunt myſteriorum Dei, & tamen cum ipſis ſcripturis aduerſus veritatem apertiſſime pugnant. Ac propterea, quemadmodum oſtendimus, quia noluerunt agnoſcere myſteriorum veritatem, tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt facerent, quæ non conueniebat, repleti omni iniuſtitia, ſcortatione, verſutia, malitia, inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, ſuſurrones, obtrectatores, contumelioſi, elati, glorioſi. Nam hæc omnia citra controuerſiam in illos competunt. *Luthera. ſunt ſcortatores.* Et primum de ſcortatione non eſt dubium, quum palam confiteantur ſe continere non poſſe, ſed & ſcortis abutuntur cõiugij prætextu. *Verſutia ſunt pleni.* Nec deeſt eis verſutia, quum technis pluribus & ſycophantiis abundent, ob ſcripturas paſſim detorquendas. De cædibus, quis ambigat, quum tanta ſtrages tot millium Chriſtianorum eorum occaſione iam facta ſit. *Stragibus occaſionẽ præſtiterunt.* Cuius vtique totius effuſi ſanguinis, rei non immerito ſunt habendi. Malitiam eorum, inuidiam, contentionem, dolos, mores improbiſſimos, obtrectationes, contumelias, elationem animi, gloriolæ captationem, ignorare nemo poteſt, qui vel vnam *Vicia plurima Lutheranorum.* eius libelli paginam legerit, quem ſcripſit dudum Lutherus aduerſus Regem Angliæ illuſtriſſimum. Semper itaque benedicatur Deus, & collaudetur, atque magnificetur ab eccleſia ſua, cuius tam ſollicite curam agit, vt hæreticos iſtos, qui tanto ſœdere coniurarunt aduerſus eam, iam inter ſeipſos tan- *Gratiarũ actio authori.* topere fecit diſcrepare, vt in ſummis iſtis Chriſtianæ religionis myſteriis ſecũ adeo pugnent. *Contradictio vera Lutheran.* Nam alter affirmat ex verbis Chriſti verum ipſius corpus in ſacramento contineri. Alter ex iiſdẽ verbis prorſus negat. Et quæ magis è diametro pugnant, quàm quòd ibi verum corpus ſit, & ibi non eſt verũ corpus? Vbi nũc eſt, quod toties iactitauit Lutherus, ſcripturam ſacram per ſeſe certiſſimam, facillimam, *Inſultatio 1.* apertiſſimam ſuiipſius interpretem eſſe? Nam ſi verum id ſit, cur inter Lutheri ſectatores, tãta in ſcripturis hallucinatio? *Qui Lutherani ex ſcripturis ſecum pugnent propter obſcuritatem.* Cur tantæ contentiones & diſſidia? Cur Philippo Melanchthoni cum illo non conuenit? Cur Oecolampadius, qui ſeſe literarum & ſcripturarum peritiſſimum exiſtimat, Luthero contradicit? Cur allatrauit Carolſtadius? Cur Zuinglius reluctatur? Cur Argentinenſes, hoc eſt Capito VVolfgangus, & apoſtata Lambertus Oecolampadij partibus magis fauent quàm Lutheri? Cur denique Balthaſarus, diuerſam à cæteris inchoauit ſectam? Vnde quæſo tot inter ſummates huius peſtiferæ factionis contraria dogmata, niſi propter obſcuritatem ſcripturarum & difficilem earum intellectum? Iam res ipſa palam docet ſcripturas nec ita facillimas & apertiſſimas eſſe, atq; Lutherus eas olim aſſeruerat. Sed & quorſum iam euanuit, quod toties Lutherus iactitauit, ſua omnia dogmata ſe *Inſultatio 2.* habere de cælo. Quomodo nunc iſtud ſuadebit nobis, qui nondum perſuaſerit ſuis. Intelligis lector ex his, quæ iam diximus, ſuæ factionis primarios nullam in hac re Luthero fidem adhibere. Nam ſi perſuaſum eis iſtud eſſet, nunquam in hoc dogmate cum illo tantopere digladiarentur. Ad hæc, quo iam aufugit popularis iudicij de dogmatibus certitudo, quam ad captandam popularem auram *Inſultatio 3.* pluribus idem aſtruere molitus eſt, quum iam hi qui putabantur fuiſſe columnæ, tantopere cæcutiant in ſcripturarum interpretatione. An non Oecolampadius populoſum habet auditorium & innumeros ſuæ opinionis fautores? quorum iudicio ſi ſtandum erit, tum idem veriſſime ſynceriſſimeque ſcripturas interpretatur? Habet itidem & Lutherus plurimos & eoſdem eruditos, qui libellis æditis, hanc Lutheri interpretationem ceu veriſſimam affirmant: Veriſſimum tamen eſt, non poſſe iudicium vtriuſque partis verum eſſe, imo certiſſimum eſt potius, quod vtriuſque factionis author, falſo fuiſſet interpretatus, vti mox oſtendere minime dubitamus. Ad hæc, vbi nunc eſt fides, quam hi *Inſultatio 4.* peſtilentes hæretici tantopere gloriati ſunt in ſuis pectoribus reſidere. Nam, ſi Paulo credimus, Vnus *Ephe.4.* Dominus eſt & vna fides. Et ſicut non eſt diuiſus Chriſtus, ita nec fides in ſeipſa diuerſa eſt. Si tu aliter credas quàm ego, aut tibi neceſſe eſt, aut mihi, non eſſe veram fidem. Quando igitur de ſupremis hiſce myſteriis à Chriſto traditis eccleſiæ ſuæ Lutherus tam contradictorie credit Oecolampadio, non poteſt in ambobus vera fides eſſe, quæ & vna eſt, imo quoniam vtriuſque fides, tum ab eccleſiæ, tum à priorum omnium patrum, qui ſucceſſerunt apoſtolis, fide, tam longiſſime diſtat, palam eſt neutrius fidem veram & viuam eſſe. Diſcant igitur à peruerſiſſimis iſtiuſmodi ſcripturarum inuerſionibus, & ad veram & vnicam eccleſiæ fidem aliquando tandem ſe conuertant. Sed nunquam iſtũd fiet. Nam veriſſime de huiuſmodi ſectarum hominibus ſcripſit Paulus, eos poſt vnam aut alteram admo- *Hæreticis perfidia peta ſtans.* nitionem eſſe fugiendos, & pro euerſis habendos, vtpote qui à ſuis conſcientiis damnati ſunt. *Tit.3.* Vis vt huius rei ſatis euidens argumẽtum tibi proferam? Lutherus crebro teſtatus eſt, ſe de errore ſuo libenter velle doceri. Sic enim in præfatione ad Galatas teſtatur: Hic enim, quia res Dei & ſerio maxima eſt, abs quolibet puero erudiri cupio. Idem & Oecolampadius pollicetur in huius libelli principio. Pacem (inquit) offero, eamq; non ſimulatam: Erudiri, ſi errauerim, beneficij loco ducerem. Sed hæc hæreticorum omnium vna vox eſt, nec tamen horum quiſquam ab aliis erudiri ſe patitur. Erant hi iam pridem amiciſſimi inter ſe, Lutherus inquam, & Oecolampadius: & tamen certum habeo

neutrum

neutrum alteri ceſſurum in opinione ſua. Neque enim Lutherus, qui ſe certum eſſe toties iactitauit, ſua dogmata omnia ſe habere de cælo, patietur aliquod è ſuis dogmatibus reuocari. Sic enim exponeret & cætera omnia ſiniſtræ cuidam ſuſpitioni, ſed & ſeipſum proderet, quaſi quòd falſo mendaciom iſtud ad circumueniendam plebem fuiſſet commentus. Atqui nec Oecolampadius, cui ſecretiſſima pectoris Lutherani cognita ſunt, quique probatiooes omnes optime callet, quas pro ſua defenſioue Lutherus afferre nouerit, quum iam dogma plane contradictorium profiteatur, non ſe patietur à Luthero deinceps erudiri. Quòd ſi nunc alter iſtorũ alterũ audire nolit, qui ſibi fuerãt olim commyſtes & amiciſſimi, putabis eos eccleſiã poſt hac vnquã audituros? Vtinam iſtud fieret vel ſero. Sed Pauſus me non ſinit, vt iſtud credam. Paulo ſi quis fidem habeat, nunquam iſtud fiet. Id tamen lucri, nos ex illorum controuerſia, benignitate Dei conſecuti ſumus, vt fidei veritas, quæ per interruptam patrum ab ipſis primis apoſtolis ſucceſſionem ad nos vſque peruenit, in eccleſia catholica continuus perpetuari. Quare ſemper benedicatur optimus maximus Deus, qui talem inter ipſos hæreticos, & capitales huius pernicioſiſſimæ factioois anteſignanos, ioduxit confuſiooem, vt iam error eorum cunctis gentibus & populis manifeſtarius eſſe poſſit. Sed nunc ad rem ipſam veniamus. Interpretatio Lutheri de verbis cœnæ dominicæ, quàm ſit abſurda, ſatis liquet, opinor, ex apologia, quã nos pro Rege illuſtriſſimo Lutheri maledictis, furiis & inſaniis reſpondimus, præſertim in ea parte, qua molitur panem demonſtrari, quaodo Chriſtus dicit: Hoc eſt corpus meum. Nunquam enim vllis argumentis efficiet, vt hic panis ſit hoc corpus. In qua ſenteotia, nobiſcum etiam Oecolampadius vltro conſentit, & plane conuincit opinionem Lutheri prorſus erroneam eſſe, quemadmodum infra perſpicuum fiet. Reliquum eſt igitur, vt ipſius etiã Oecolampadij expoſitionem, nihil minus ab ipſa veritate diſtare monſtremus, id quod per ipſius Chriſti gratiam, nos abunde præſtituros minime dubitamus. Veruntamẽ, antea paucis admonendus eſt lector de ſtrophis, technis, atque ſycophantiis, quibus illè paſſim vtitur.

Tertium 3. fructus diſſenſionis Luthe.

In defen. Regia aſſer. contra ca. Babyl cap. 4. §. 10. fo. 34. A.

Admonitio lectoris.

Mendaciis vtitur.

Fucis primum & mendaciis vnice confidit. Nullum enim authorem quantumuis aperte ſcribentem, facile produces, quem ille ſuis præſtigiis non in partem ſuam impudentiſſime detorqueat. Qua arte contendit etiam ſuo dogmati veteres aſtipulari, quum tamen plus quàm ex diametro ſecum pugnent omnes. Adde, quod in id impudentiæ præcipitium corruerit, vt nihil erubeſcat, id, quod aliis vitio verterit, ipſe frequentius vſurpare. Nam Gratianum haud ſemel inceſſit, quod truncatim recenſeat authores: at ipſe Deus bone, quam ereberrime detruncat eos, ac fœde mutilat, nunc initium alicuius teſtimonij ſurripiens, quod alioqui maximam lucem afferret, nũc caudam, ex qua totius negotij iotellectus pendet abſcindens, aliquoties in medio, verbum aut ſententiam integram expungens. Quare ſi fortaſſis vnum aut alterum ita tractaret, vix reperias qui id ferret, at nunc prorſus intolerabile eſt, quum ad hunc ferme modũ omnibus abutatur. In quo certe, Luthero, quantumuis impio, longe deterior eſt. Nam ille quum cernit authores aliquos, opinionibus ſuis aduerſari, non impudeoter contendit eoſdem pro ſe facere, neque fucis & falſis gloſſematibus eos deprauare, & in ſenſum ſuum inuitos trahere molitur, ſed aperte negat, velut ſeotentiæ ſuæ prorſus aduerſantes. At callidius & verſutius negotium ſuum agens Oecolampadius, hæreſi ſuæ ſubſcribere cunctos, qui cuiuſpiam authoritatis fuerint, oſtendere conatur, niſi forte tam dilucida claraque ſint eorum teſtimonia, vt nullas gloſſas admittant. Tales igitur, ſi quando contingat occurrere, iam aliis artibus & dolis vtitur, vt pondus authoritatis eis leuet. Nam aliquando calumnias impingit authoribus, quo fidem eis abroget, ſicut & Damaſcenum, authorem ſane probatum, & Hieronymo vetuſtiorem, denigrare conatur, atque id citra iuſtam quamuis cauſam, niſi quòd is ipſius hæreſim tam aperte damnat, & tam irrefragabiliter, vt nullis fucis aliter queat colorari. Affirmat enim Damaſcenus corporis veritatem, & citra figuram. Quare ſi nihil Oecolampadius hac arte ſe profecturum ſuſpicetur, & maxime quũ authoris cuiuſpiam receptiſſima ſit exiſtimatio, tum libros aliquot eiuſdem authoris ob ſtilum cauillatur, propter quod & eos velut ſuppoſititios reiicit, quanquam aliorum authorum atteſtationibus cooſtet ab illis ipſis fuiſſe conſcriptos, quemadmodum & de ſermonibus ac libris Ambroſij, quos ipſe de myſteriis, & illos item, quos de ſacramentis inſcripſit, qui vel Auguſtini teſtimonio ſatis clarent, ab illo fuiſſe cooſer. pti, facere molitur: hoc ipſum etiam de quibuſdam aliis Cypriani libris. Ad hęc, Si verbulum vllum, in aliquo cuiuſuis authoris teſtimonio, quantumuis prolixo, per vim trahere poſſit in partem ſuam, quaſi totũ pro ſe fecerit, protinus videri colligit, ſicut de Tertulliano, & Irenæo, ac cæteris quibuſdam aliis, mox eum facere videbis. Impudentiſſime præterea contendit, ea ſibi fauere teſtimonia, quæ tamen ab eius ſententia quam longiſſime diſſident, ſicut & per totam hanc concertationem in Cypriani, Cyrilli, Chryſoſtomi, Auguſtini, cæterorumque teſtimoniis allatis dilucide perſpicies lector. Aliquoties fruſtum aliquod cuiuſpiam authoris citat pro ſe, quum tam præcedentia quàm ſequentia palam cõdemnent ſuam hæreſim, vti perſpicuum eſt, quum in aliis, tum in teſtimonio Chryſoſtomi, quemadmodum videbis lector cap. 27. 4. lib. ſequentis. Iſtiuſmodi certe dolis & verſutiis vbique rem agit. Multa quinetiam pollicetur, nimirum vt facile credulos interim fallat, quum tamen aut nihil horũ, aut certe quàm pauciſſima, poſtea præſtat. Iactat itidẽ & gloriatur ſæpius, quaſi viciſſet, quum tamen ipſe iaceat turpiter humi proſtratus. Sibi ootitiam troporum arrogat, qua arte molitur & caliginẽ oculis aliorũ offundere. Eiuſmodi authoris ſententias non vno pariter loco producit, ſed variis diſpergit locis, nimirum, vt per fruſta ſecare ſeorſum eas queat facilius, quàm omnes in ſimul.

Authores truncat.

Calũniatur authores.

Libros eſſe authorũ negat.

Ad inſtitutũ ſuum detorquet doctorũ ſcripta.

Nõ præſtabilia pollicetur.

Iactat de victoria.

Arrogat troporum notitiam.

Obſcura reddit obſcuriora.

Nonnunquam vbi quid dilucide dictum ſit, hoc ipſum obtenebrare nititur, per obſcurius aliud, ab eodem proditum authore.

Eſt, quan-

Eſt, quando verbum aliquod gemina poſſit accipi ſignificatione, vt exempli gratia, Manducare, poteſt intelligi de manducatione corporis Chriſti realiter, vel de manducatione verbi Dei, ille per hanc haud ſemel illam excludit. *Æquiuocatione fallit.*

Fingit crebrius aduerſarium ſibi quidpiam obiicere, cui ipſe reſpondet, quod orthodoxus nemo reſponderet, vt ita lectori facilius imponatur, & credat obiectionē illam nullius fuiſſe momenti. Præterea futiles argutias, & mera ſophiſmata, quibus liber ipſe totus refertus eſt. *Perperam reſpondet.*

Hæc pie lector, non alio me putes animo dixiſſe, niſi quòd admonitos cupiam omnes Chriſtianos, quatenus ab huius veteratoris artibus & dolis ſibi caueant. Nam omnino compertiſſimum habeo, quòd ex mera malitia & plane diabolico inſtinctu, quibus poterit aſtutiis, ab huius diuiniſſimi ſacramenti veritate, iam tot ſeculis credita, cunctos, in maximum animarum ſuarum diſpendium, abducere conatur. Sed iam eius verſutiſſima verba ſeriatim audiamus, quæ inchoantur columna ſequenti.

CHALCOGRAPHVS LECTORI S. P. D.

HAbes hic Lector candidiſſime libros quinq; de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, iuxta communem atq; receptam orthodoxorum omnium ſententiam. Quos quidem libros, olim Franciſcus Birckman piæ memoriæ bibliopola integerrimus, de authoris ipſius in Anglia manu excudi curauit. In quibus, quanta ſit rerum diuinarum maieſtas, quæ vis, quod deniq; iubar ac decus, cogitare poterūt pauci, dicere nemo. Fert equidem triumphum de Oecolampadio, defenſor ipſe Chriſtianæ pietatis egregius. Ita enim eſt doctus, grauis, excuſſus & ſcripturis potens, vt nihil non diuinum, nihil non admirandum (ſeu verba, ſeu ſententiam ſpectes) in eo deprahendas, ipſiuſq; animum, de cælo dicas eſſe ſumptum ignem. Nemo hoc ſolo antiſtite elegantius, nemo locupletius, nemo eruditius, nemo melius, nemo tandem candidius contra Lutherum ſcripſit. Si hoſce libros diligenter euolueris, ſolertem illum in diuidendo, cautum in explorando, eloquentem in dicendo, circumſpectum in refellendo, & rectum in iudicando inuenies. In ſumma, Curauit omnia & ſtudioſe & diligenter, vt nihil ad laudem ſibi, nihil ad fælicitatem tibi deeſſet. Verſabitur itaq; non immerito præclarum hoc opus in doctiſſimorum virorum manibus, à cunctis eruditorum ac bonorum centuriis plauſibiliter recipiendum. Vale fæliciter, noſtrumq; laborem boni conſule.

ELENCHVS CAPITVM PRIMI LIBRI.

Excutitur primum libelli titulos.

CAP. I. Artificioſa ſui excuſatione, quæ ſeculum potius quàm ſpiritum ſapit, vtitur.

II. Calumniatur immerito magiſtrū Petrum Longobardum, collectorem ſententiarum.

III. Inſaniam in quam incidit, pluribus fruſtra deprecatur.

IIII. Impie contendit cuique licere, quatenus ipſe ſcrutetur ſacramenta Dei.

V. Sacramentorum quandam partitionem excogitat, quæ ſuo ſeruiat inſtituto.

VI. Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit, imple negat inperueſtigabilia eſſe.

VII. Inter ſuam & Nicodæmi, atq; Capernaitarum perfidiam, diſcrimen eſſe contendit.

VIII. Pollicetur nudum in Auguſtino diſſecaturum, quod minime præſtat.

IX. Pollicetur, quanquam inaniter, ex eodem Auguſtino, ſe docturum, nullū eſſe miraculum in Euchariſtia.

X. Fruſtra confirmare nititur hoc ipſum ex aliis Auguſtini verbis.

XI. Falſe detorquet Solomonis verba, pro licita ſcrutatione myſteriorum.

XII. Pollicetur copioſiores coniecturas, cōtra miracula Euchariſtiæ, quæ nihil ei conferunt.

XIII. Refellere quædam callide molitur, quæ ſibi obſiſtunt, ſed incaſſum.

XIIII. Cōiecturas alias friuolas & inanes adducit, adhuc aduerſus miracula.

XV. Miracula quæ propter Euchariſtiæ veritatem à Deo facta ſunt, Satanæ tribuit.

XVI. Ex Irenæo citat Magi præſtigium in ſuggillationem miraculorum.

XVII. Quædam ex Paulo & Cypriano fucare conatur, quæ miracula confirmant.

XVIII. Obtenebrare molitur & miraculum, quod Ambroſius recenſet, Satyro ſuo fratri contigiſſe.

XIX. Ex eo, quòd in ſcripturis nullius miraculi pro veritate corporis in Euchariſtia mētio ſit, nullum eſſe colligit.

XX. Cauillatur in ceremonias, quæ fiunt à piis, in honorem tanti ſacramenti.

XXI. Ex more, quo patres olim tractarunt Euchariſtiam, nihil eſſe mirandum in ea docet.

XXII. Taxat condonationes à pontificibus cōceſſas, & ſolennes pompas.

XXIII. Sibi viſus eſt ex iis collegiſſe, nullū eſſe miraculum in Euchariſtia.

XXIIII. Purgare ſe nititur ab hæreſeos crimine, ſed omnino fruſtra.

XXV. Verba Chryſoſtomi, quāquam illius hæreſim aperte ingulēt, impudēter affert pro ſua parte.

XXVI. Ex eo, quòd Chriſtus parabolis vtatur, crebrius in his verbis tropum eſſe colligit.

XXVII. Callide pollicetur ſe verbis conſenſurum nobis, ſi nos et in ſenſu non diffideamus.

XXVIII. Precibus aſſequēdum ſcripturarum ſenſum ſibi promittit, id quod & cæteri prætexunt hæretici.

XXIX. Quum ſit ipſe contentionis huius caput, à contentionibus tamen dehortatur alios.

XXX. Ne ſapientia diuini ſpiritus ei videatur obeſſe, ſumit rem obtenebret.

XXXI. Spiritum contendit ob id obſcure fuiſſe locutū, vt daret nobis occaſionem ſcrutandi.

PRÆLI-

PRAELIBATIO ROFFENSIS DE TITVLO LIBRI OECOLAMPADII DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI in Euchariſtia.

Excutitur primum libelli titulus.

PRINCIPIO libelli titulum audiamus, ne quicquam à nobis prætermittatur.

OECOLAMPADIVS.

Iohannis OEcolampadij de his verbis Domini, hoc eſt corpus meum, expoſitio.

ROFFENSIS.

Secũ pugnat OEcolampadius.

Accipies hic lector Iohannis OEcolampadij propriam expoſitionem, quæ tam ei propria peculiariſque eſt, vt nec orthodoxis, à quibus dudum cum Luthero ſegregauit ſeipſum, ſed nec ipſi Luthero conueniat, & quod magis mireris, etiam à ſeipſo diſſidet. Nam & concione quadam, quæ & typis dudum excuſa fuerat, palam affirmat in Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſanguinem contineri. Simpliciter (inquit) & abſque hęſitatione credamus adeſſe, & contineri, ſub hoc pane, verum corpus, ſub vino autem ſanguinem.

Et rurſum: Non dico figuram & typum tantum, vt ſacrificium Abel, vt oblationem Melchiſedeck, vt agnum Paſchalem, Manna, panes propoſitionis, ſubcinericium Heliæ, & cæteras veteris teſtamenti figuras. Abſit id blaſphemiæ, vt tantum tribuamus vmbræ, quantum luci & veritati.

Veritas corporis & ſanguinis in Euchariſtia aſſeritur.

Et haud multo poſt: Panis enim hic nobis non tantũ figurat, ſed eſt corpus ipſum Domini; habemus in hoc fidem Chriſto, veritati primariæ quæ fallere nequit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt enim corpus meum. Carnem itaque & ſanguinem Chriſti adeſſe, & cõtineri, ſimpliciter fatẽmur. Ad hunc modum, & per totam illam concionem aſſerit, in Euchariſtia veritatem corporis & ſanguinis haberi, ſub velamine panis & vini. Quam concionem etiam cuidam ex amicis dedit, cęteris communicandam, quemadmodum in eius frontiſpicio clare traditum eſt. At miraris lector, quomodo vir tãtus, in tantam inconſtantiam corruiſſet, vt iam omnino neget adeſſe corpus Chriſti, niſi tantum ſub figura. Nodum iſtum paucis explicabo. Nimis fiſus eſt ingenij ſui viribus, atque ita nimis curioſe, tantum myſterium inueſtigans iuſto Dei iudicio mente captus eſt, quemadmodum & ante in eadem concione minatus eſt his, qui ſcrutari magis, quam credere myſterium tam auguſtiſſimum niterentur. Hic (inquit) inſigni quadam, & columbina ſimplicitate nobis opus eſt, ita, vt à curioſitate quammaxime alieni ſimus, omnipotẽtiæ verbi Dei & non imbecillitati mentis noſtræ fidem adhibentes, curioſitas noſtra ſemper Deo ingrata, & vbique periculoſa, ita hic periculoſiſſima, debiles oculos excæcat ſol inſpectus. Scrutatorem maieſtatis peſſundat excellens claritas. Hæc in illa concione vere dixit OEcolampadius, & de ſeipſo neſcius protulit iudicium. Excæcatus igitur eſt, & in reprobam omnino mentem datus, quod ingenij ſui viribus fiſus, auguſtiſſimum iſtud myſterium nimia curioſitate ſcrutatus ſit.

Vnde inconſtantia OEcolampadij.

Ex Diatribe Eraſmi.

Scite igitur Eraſmus in Diatribe ſua, quam pro libero arbitrio contra Lutherum ædidit, ſcripſit: Sunt in diuinis literis adyta quædam, in quæ Deus noluit nos altius penetrare, & ſi penetrare conemur, quo fuerimus altius ingreſſi, hoc magis ac magis caligamus, quo vel ſic agnoſceremus, & diuinæ ſapientiæ maieſtatem imperueſtigabilem, & humanæ mentis imbecillitatem. Ad quod, & ex Pomponio Mela de ſpecu quodam Coricio, producit exemplum, hic ſpecus, vt fertur, primum iucunda quadam amœnitate accedentes allectat ac ducit ad ſe, donec altius atque altius ingreſſos, tandem horror quidam, ac maieſtas numinis illic inhabitantis, eoſdem ſubmoueat. Neque ignorauit OEcolampadius, quid Ozæ contigit, qui prophanis manibus archã auſus eſt attingere, aut quid eſſet comminatum his, qui propius montem fumigabundum accedere non formidarent. Mens itaque longe quam par eſſet curioſior, atque nimia literarum, & ingenij ſui fiducia, Iohannem OEcolampadium in hanc tam impiam caliginem haud dubie præcipitauit, vt contra mentes omnium veterum, & contra totius Eccleſiæ conſenſum, verbum illud Chriſti, hoc eſt corpus meum, præſumpſerit exponere. Sed iam ad exordium libri veniamus.

Specus Coricij.

2. Reg. 6. & 1. Para. 13. Exo. 19.

Artificioſa ſui excuſatione, quæ ſeculum potius quam ſpiritum ſapit, vtitur.

CAPVT I.

OECOL.

EXcitarunt quidem me torpeſcentem, nihil tale cogitantem, & amici, & aduerſarij. & quantum illi blande, tantum hi importune, vt ea quæ publice de euchariſtia pridem aſſerueram, chartis quoque commendarem.

ROFF.

Inſtitutum authoris.

Satanas adegit OEcolam. in errores.

Non remorabor lectorem in his nugis refellendis. Tamen id quod alicuius momenti fuerit attingam, lacinias verborum quibus diffluit, quæque ſolum ad pompam orationis, & ad circumuentionem lectoris faciunt, prætermittam. Cur chartis ea, quæ de Euchariſtia pridem concionatus

cionatus ſuerat, commendauit, aperit, at quid impulerit eum, ad tantam inconſtantiam, vt his quæ prius non omnino peſſime tradiderat, nunc cõtraria doceat, & penitus pernicioſa, huius profecto dogmatis, nullus alius ſpiritus excitator fuerat, quam Satanicus.

OEcol. *Bona autem in domino ſpee, vt periculoſa tanquam periculo carentia, ne detrectarem, animos mihi addidit, ac confirmauit maxime, quod nonnihil lucri ſanctioru affulgeat.*

Roff. Ad hunc ementitum ſulgorem ante hæc tempora, duo miſeri ſordidique hæretici, naufragati ſunt, Berengarius, & VViclefus, vt non ſolus ipſe de hac hæreſi glorieris. Nec aliunde ſane fulgor iſte, prius quidem illis, nunc vero tibi ſcintillauit, quam ab ipſo Satana, qui nonnunquam transfiguratur in angelũ lucis, quemadmodũ ipſe Paulus teſtatur, ita vt nihil mirum eſſe debet, ſi miniſtri illius perſonam in ſe transferant, quaſi ſint miniſtri iuſtitiæ. Sed finis eorum erit ſecundum opera eorum.

Error OEcolampa. veruſtus eſt.

2. Cor. 11.

OEcol. *Niſi enim quæ doceo in gloriam Dei, vtilitatemq; fratrum ceſſura ſperarem, nemo tanta apud me authoritatis foret, cui parerem, de talibus ſcribere hortanti. Nunc autem & vtilia & pia traditurum me, nihil ambigens, id opera tam amicis, quam aduerſariis debeo.*

Roff. Erat OEcolampadi, quando ſane & ſanctè atque pro decretis Eccleſiæ Catholicæ docuiſti. Erat rurſum, quando Luthero conſentiens longe aliter, quam nunc ſis interpretatus, etiã docuiſti. Nunc autem in hoc dogmate, non ſolum eccleſię Catholicę, verumetiam præceptori tuo Luthero, palàm contradicis. Vnde igitur nunc certitudinem aliquam ampliorem habes, quod iam dicas nihil ambigere te, quin vtilia piaque ſis traditurus? Bis ante fallebaris, vt iam ipſe ſomnias. Et quare nunc iterum falli non poſſis, quum reuelationem huius erroris, niſi ab ipſo ſpiritu erroris, nullam acceperis.

OEco varias in doctrina.

A ſpiritu erroris decipitur OEcolampadius.

OEcol. *Illis quidem, vt in doctrina confirmati, libenter etiam in officio remaneant, his autem, vt ex inimicis redditi amici, vel ſaltem minus inimicè, ceſſent à conuicijs & obtrectationibus.*

Roff. Amicis quidem id præſtabis, vt ſi per te confirmarentur in hoc peſtilenti dogmate, non potuiſſent à quouis hoſte letaliori vulnere percelli, de inimicis vero, talem, & tam acerbam ſumes vltionem, vt nec facile cogitari poterit, vnde peius illis & deterius incommodares.

Amicis officiet ab inimicis lædendus.

OEcol. *Nam dum mihi maledicunt, animabus ſuis male conſulunt. Aut ſi omnino decretum eis, maledicendo pergere, ſuum prius morbum prodituri, quam meam incommodaturi ſint innocentiam.*

Roff. Male ergo conſuluit animæ ſuæ beatus Polycarpus, eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopus & auditor quondam Iohannis Apoſtoli, quem Hieronymus, in catalogo virorum illuſtrium refert, hæretico Marcioni plurimum acerbe reſpondiſſe. Quum enim ipſe Polycarpus forte fortuna Romæ Marcionem obuium habuiſſet, & is illum ita percontaretur. Cognoſci ſne nos? Reſpondit Polycarpus: Cognoſco primogenitum Diaboli. Nõ ſunt igitur hęretici molliter, aut diſſimulanter ab orthodoxis tractandi, pręſertim, hi qui toties admoniti, ſuper errore ſuo nunquam reſipiſcunt ſed altius atque altius in ſordes illas immerguntur, quemadmodum & tibi iam contigit OEcolampadi.

Hiſto. Eccleſi. li.4. cap. 13. a.

Nõ enim blandiendum hæreticis.

OEcol. *Tametſi quantum ad me attinet, aſpergi me vel innocentem probris coram hominibus, quam illos mala conſcientia ambulare coram Deo minoris faciam.*

Roff. Tibi ſcilicet tantæ curæ eſt, vt homines bona conſcientia coram Deo ambulent quum ipſe rubiginoſam, & cauterio notatam, vt Paulus ait, habens conſcientiam, hac pernicioſa hæreſi, mentes & conſcientias omnium, quantum in te eſt, inficere, pariter & corrumpere ſtudeas.

1. Tim. 4.

Conſcientias corrumpit.

OEcol. *Porro certus ſum amicorum deſiderio ſatisfieri, quoniam ſuopte ingenio, vel non multum repugnant, vel ſi non vbiq; quantum ſatis reſpondetur, in his quæ non contra Deum, libenter conniuent.*

Roff. Si in hac expoſitione tam execranda, vel conniueant, vel non vehementer reluctentur, amici tibi ſunt ſuo malo. Nam & iacturam incurrent rerum, quas obtinent precioſiſſimarum, nimirum animarum ſuarum. Enimuero tam chara cuique ſua deberet anima eſſe, vt (ſi Chriſto credimus) totius huius mundi lucrum, amittere potius teneatur, quam animæ ſuæ detrimentum pati ſuſtineat.

In periculum animæ aſſentitur OEcolampa.

Matth. 16.

Mar. 6.

Luc. 9.

OEcol. *At cum aduerſariis quo pacto ſit agendum, mente vehementer angor. Pacem offero, eamque non ſimulatam, Erudiri ſi errarem, beneficij loco ducerem.*

Roff. Iſtud omnes hæretici pollicentur, ſe paratos, videlicet, vt erudiantur, quum tamen ex eis facile reperies neminem id ferre poſſe, vbi quis eos, de errore & hęreſi cõmonuerit. Tam obdurati corde ſunt, vt propter inopiam gratiæ, non ſit, qua penetret ad eos reſipiſcentia veritatis.

Hæretici non patiuntur errorum commoneri.

OEcol. *Nolim contendere, nolim rixari, nolim oſores meos, etiam offenſus, habere peius: hoc magis ſpecto vt veritati cedentes detrahendi finem faciant.*

Roff. Quid hoc aliud eſt, quam te ceſſurum nemini, cupere tamen, vt omnes citra contentionem & contradictionem aliquam, in tuam hęreſim conſentiant. Certum enim eſt, te nullis iam argumẽtationibus, aut ſuaſionibus, ab hoc tam alto præcipitio, in quod, poſt tanta guſtata à Deo beneficia, ſponte prolapſus es, denuo ſuſcitari poſſe. Nã fieri non poteſt, authore Paulo, vt qui ſemel fuerit illuminatus, guſtaueritque donum cœleſte, & particeps factus fuerit Spiritus ſancti, guſtaueritque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabatur, denuo renouari per pœnitentiam. Nemo alius quam tu ipſe melius nouit, quam in te competant hæc omnia.

OEcolam. nequit ab errore reuocari.

Heb. 6.

De pæ. diſt. 2 c. ſi enim. verſic. Paulus.

OEcol. *Precorque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt cuius munere pectus meum inuidia caret, eiuſdem dono & ſtilus neminem exaſperet, aut ſi quem triſtitia afficiat, triſtitia afficiat vtili, non conficiat damnoſa.*

Roff. Quid tibi cum Domino Ieſu, qui fide verborum eius careas, qui tam apertiſſimis eius verbis non credas, ſed eadem aduerſus totius Eccleſiæ fidem, ſiniſterrime torqueas. Vna fides eſt vt

OEcolamp. torquet verba Chriſti.

Epho. 4.

Paulus ait, & eadem vnius eccleſiæ catholicæ, extra quam nulla ſalus eſt. Tu igitur qui neutiquá huius eccleſiæ tenes vnitatem (vt mox apertius oſtendemus) fidem hanc vnam, quę Deo ſola placet, nequaquam habes. Quare nec tibi quicquam eſt cum Chriſto commertij.

OEcol. *Equidem, illis non ſuccẽſeo, quos per ignorantiam peccare nous, in quorũ valetudinario non ita pridem & ipſe decubui, maximeque in mi didici, quid ſit homo. Et quantum gratia Domini opus habemus omnes, angor tamen mecum, quomodo illis tam exaſperatis reſpondeam. Suſpitioſæ ſunt inimicitiæ omnes, in alienis propria ſibi crimina queruntur obiici, in malam partem interpretantur etiam quæ candide fiunt, ad excuſationes obturant aures, beneficiis irritantur, preces aſpernantur, denique in ſolis gaudent lapſibus, vtinam autem vel illis ſaturati placidiores fierent.*

Roff. Si quis enumerare lapſus tuos velit, & eos qui cunctis innoteſcunt, haud paucos eos eſſe comperiet. Ego tres hic tantum recenſebo. Grauis vtique lapſus fuit, quum à faſtigio ſanctæ religionis, rurſum à priſtinas ſeculi ſordes, corruiſti: deinde, grauior, quum ab eccleſia decideris in hæreſin Lutheranam. Poſtremo, nunc in lutũ adhuc peſtilentius, incidiſti, negans in Euchariſtia corpus eſſe Chriſti, quod ille modis omnib. fatetur.

OEcol. apoſtata & hæreticus.

Calumniatur immerito magiſtrum Petrum Longobardum collectorem ſententiarum.

Capvt II.

OEcol. *Age conſulta diſſimulatione, præteritis illis, quandoquidem omnino reſpondendum eſt, ad errorum communem magiſtrum me conuertam, ne condiſcipuli expoſtulari ſecum autument. Is enim eſt, qui nos ſimul in barathrum erroris præcipitauit. Bibimus ex eius fontibus, non aquam viuam, ſed ne quid dicam aſperius, turbulentam. Non autem Thomam Aquinatem, neque Albertum, neque Scotum, neq; ex recentioribus quempiam traducere eſt animus: Sed Petrum illum ſententiarum conſarcinatorem, quem magiſtrum appellant, incuſo, qui & ipſe errorem ſuum rapſodo alij, vti Damaſceno, vel Gratiano affricare poſſet Neque hoc ago vt aliis beneficiis velut ingratus eum arguam. Sed meam aliorumque ſeductionem diſſimulare non debeo. Quin nec hominem qui in iudicio Domini aut ſtetit aut cecidit, exoſum; Sed errorem profligatum velim, qualem aut ille auxit, aut alij non multum ab eo variantes, auctum aliqua ex parte: ſed non in integrum purgarunt. Quapropter nec cum laruis pugnam ineo, quamuis ante aliquot annos è viuis ille exceſſerit. Viuit enim liber eius adhuc, myriadibus aliquot ſatellitum ſtipatus.*

Roff. Hic ſanè perperam OEcolampadi Petrum Lompardum, in ius vocas, qui priorum patrum, vti mox oſtendemus, & totius eccleſiæ diſſoitionem ſecutus, aſſerit in hoc ſacramento, ſub ſpeciebus panis & vini, verũ corpus & verum Chriſti ſanguinem contineri. Quid ergo deliquit vir iſte, qui nihil noui comminiſcitur, ſed ea tantum affirmat, quæ à veteribus ante tradita fuerant, etiam citatis ad boc ipſum fidelibus eorum teſtimoniis. Neque enim hoc ſibi, velut ſuum inuentum arrogat, ſenſu carnis ſuæ inflatus, vti pleriſque contigit, ſed veſtigiis patrum, & totius eccleſiæ decretis inhærens, ſe filium obedientiæ monſtrat, nihil in illis libris docens, quod non priorum patrum ſententiis communierit. Propter quod, & ſumma modeſtia libris illis, quos non exiguo labore digeſſit, titulum humilem adhibuit, nempe, ſuper ſententias. Eiuſmodi ſanè modeſtiam OEcolampadi, nunc in te deſidero, qui ſenſu tuæ carnis inflatus, & exiſtimatione tuæ eruditionis tumidus, cæteros præ te videris contemnere. Quid enim alioqui virum iſtum, cuius lucubrationes tot eximiis ingeniis comprobatæ ſunt, probro & per contemptum ipſe conſarcinatorem, Rapſadum, & Gnomologum appellitas? An putas eos omnes, qui libros eius amplexi ſunt, aſinos fuiſſe, nihilque habuiſſe iudicij? longè profecto falleris, ſi iſtud exiſtimas. Defuit illis eloquentia, non inficior, ſed non defuit peritia ſcripturarum. An tibi viſus eſt Thomas ignoraſſe ſcripturas? cuius commentarios admirati ſunt, etiam hi, quibus eloquentiæ principatus tribuitur. Eraſmus vtiq; vir admirabili iudicio, quemadmodum in ſuis liquet annotationibus, his præconiis diuum Thomam effert: Meo quidem animo nullus eſt recentium Theologorum, cui par ſit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio. Sed & Iohannes Picus Myrandulanus, eundem Thomam florem theologiæ cenſet merito vocandum. Adde, quod idem de cæteris diſputatorum familiis loquens, ita ſcribit: Et in Iohanne Scoto vegetum quiddam atque diſcuſſum, in Thoma, ſolidum & æquabile, in Egidio, terſum & exactum, in Franciſco, acre & acutum, in Alberto, priſcum, amplum & grande, in Henrico, vt mihi viſum eſt, ſemper ſublime & venerandum. His etenim præconiis Myrandulanus ipſe cenſuit illorum ingenia collaudanda, quos tu, præ tumore mentis, quo præditus es, minoris facis quam nihili. Preter hos tamen innumeri ſunt, qui concorditer ſentiunt, panem in Euchariſtia vere mutatum eſſe in corpus Chriſti, imò tota ſucceſſio Chriſtianorum, quæ primum à Chriſto cœpit, & inde per apoſtolos, & cæteros patres, ad noſtra vſque tempora promanauit, hoc ipſum firmiter credit. Quamobrem, quum hæc tota ſucceſſio, quæ & Eccleſia Catholica vocatur, hanc ſententiam, ceu compertiſſimam fidei veritatem, tenuerit hactenus, nempe quod panis in Euchariſtia tranſit in verum corpus Chriſti. Tu plurimum impudenter mihi videris huius rei culpam, quæ prorſus nulla eſt, in auctorem libri ſententiarum reiicere, quemadmodum bis verbis facis. Ad errorum (inquis) communem magiſtrum me conuertam, ne condiſcipuli expoſtulari ſecum autument. Is enim eſt, qui nos ſimul in barathrum erroris præcipitauit. Verum hic OEcolampadi nullus error eſt. Quod & lector quiuis pius perſpiciet, quum ex aliis quæ diſſerturi ſumus, tum ex præfationibus duabus, quæ ſequentur, quarũ altera, tertio libello præfixa, quatuordecim

Li.4.ſen. diſt.10.

Petrus Lombardus eccleſia ſibimet manſit.

Thomæ præconium ab Eraſmo.

Iohannes Picus etiam & ipſe more commendat Thomam & ſtilũ excuſat. Laus theologorum.

Corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſſe ab omnibus creditur.

decim corroborationes memorat, quibus in huius ſacramenti fide ſolidari quiſque poterit. Altera, quarto libello præpoſita, docet ab exordio naſcentis eccleſiæ cunctos orthodoxos, qui quicquam hac de re locuti ſunt, ita concorditer ſenſiſſe, pariter & ſucceſſores eorum per totum Eccleſiæ decurſum, illis penitus conſenſiſſe. Quod ſi verum eſſe comperiemus, vt & proculdubio veriſſimum eſt, quis iam ita deſipiat, vt hoc, quod eccleſia tot annorum centenarios aſſeruit, errorem eſſe iam credat, & non magis ipſiſſimam veritatem. Tua potius OEcolampadi peruerſa expoſitio, vide, ne manifeſtarius error ſit. In cuius erroris barathrum hauddubie, tumor ſpiritus tui, & is, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, te præcipitauit, & fecit, vt contra tot ſanctiſſimorum, ſimul & eruditiſſimorum patrum, atq; adeo totius eccleſiæ concordem ſententiam, inſani tui capitis phreneſim ſequereris, & eiſdem omnibus tuũ ipſius iudicium, præſerres impudentiſſime.

Superbia actum omnibus reluctatur OEcolam.

Cæterum audiamus, quibus argumentis aut ſcripturis id doceas, errorem eſſe, quod magiſter illic de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti tradiderit? Prius tamen hoc admonendus es, vt quum dogma nouum aduerſus totius eccleſiæ conſenſum ſtatuere moliaris, oportet illud adeo ſolidiſſimis argumentis comprobes, vt nullis machinis ea valeant expugnari. Alioquin ea tam facile reiiciemus, quam tu producis impudenter. Quis enim non iure nos vocaret meros aſinos, ſi relicta maiorum fide, quæ tot modis firmata eſt, ad tuam perfidiam, abſque manifeſtiſſimis rationibus, & vrgentiſſimis ſcripturis diuerteremus. Noſtra vtique ſatis abunde conſtant, neque alia probatione communienda ſunt, quam quod à maioribus noſtris fideliter nobis ante fuiſſent tradita. Nam ſi nullis aliis argumentis, aut ſcripturis fulcirentur, quæ nec deſunt plurima, hoc ſolo robuſtiſſime firmantur, quod per communem & diuturnum eccleſiæ conſenſum ſtabilita ſunt. Sed iam tempus eſt, vt audiamus tua. Sic enim primo recenſes magiſtrum.

Haud facile fidendum; eſt inſolita doctrina.

Fides de euchariſtia veterum authoritate nobis certiſſima eſt.

OEcol.

Ille igitur diſtinctione decima quarti libri. Aſſerentes Chriſtũ eo tropo dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, quo Paulus dixerat, petra erat Chriſtus, proſcindit & inſectatur, tanquam inſanos hæreticos, non animaduertens, quod interim faciat hæreticos, ex præcipuis & antiquiſſimis doctoribus quos in hac ſententia fuiſſe, abunde cum gratia Dei commonſtraturum me confido.

Roff.

Hic primum certus eſto lector, nihil præter inanem pollicitationem, quam nunquam, ne ex vno quidem, qui orthodoxus habetur, præſtabit. Et quanquam ex Tertulliano, quem nemo non nouit hæreticum fuiſſe, tantum vnum proferat teſtimonium; videbis tamen lector, eundem in hac re ſentire nobiſcum. Verum, adhuc differt aggredi pollicitationem ſuam arte quadam, nimirum, vt quod iam pollicitus eſt interim inhæreat lectoris pectori, ceu quiddam receptiſſimũ. Sed venenum iſtud fuge, quiſquis fueris. Recordare quod Paulus dicat: Sermo eorum vt cancer ſerpit. Nec tamen opinor quiſquam adeo ſtultus eſt, vt vni hæretico, & eidem apoſtatæ, nullam quoque ſolidam probationem afferenti, tam facile credat, præſertim in re tam ſeria, nempe, quod non aliter in Euchariſtia iam ſit Chriſtus, quam fuerat olim in petra. At hoc eſt, quod conatur OEcolampadius, nimirum, quod figurate, & ſolo tropo Chriſtus dixiſſet, hoc eſt corpus meum, hoc eſt, quod nihil aliud ſit ſacramentum hoc quam figura quædam corporis Chriſti, non ipſum verum corpus. Huius equidem hæreſis (vt ante diximus) auctor fuit Berẽgarius, homo (ſi Gvvimundo epiſcopo credimus) indoctus, vita impurus, animo elatus, gloriæ ſitiens, volubilitati verborum confiſus, qui non ſolum de hoc ſacramento, verumetiam de baptiſmate, & coniugio, cæteriſque ſacramentis peſſime ſenſit: ſed & conuitiator inuictus fuerat, quales iam ſunt noſtri temporis hæretici. Nam Leonem nonum, qui Vercellenſi concilio Berengarium, & fautores eius, anathemate perpetuo, niſi reſipiſcerent, damnauit, non pontificem, ſed pompificem atq; pulpificem ſummum appellauit. Et tamen erat is Leo, conſenſu omnium, vir ſanctiſſimus habitus, quemadmodum Platina, cæterique hiſtorici fideliter tradiderunt. Sed iam ad OEcolampadium redeamus, qui ait magiſtrum Petrum proſcindere, & inſectari, tanquam inſanos hæreticos omnes, qui Chriſtum aſſerunt haud aliter, quam tropo quodã dixiſſe: hoc eſt corpus meum. quid aliud faceret, quum probe noſſet, tantum in hac re patrum concordiam, ſimul & totius Eccleſiæ decreta, ſuper eadem accepiſſet? Quis enim eos non merito dixerit inſanire, qui contra tot patrum ſententias, & totius eccleſiæ autoritatem (quæ nemini dubium eſt, Spiritu ſancto regitur) iudicia ſua præferrent, neminem habentes opinionis ſuæ ducem, præter vnum aut alterũ, quos & aliis craſſiſſimis ac fœdiſſimis erroribus fuiſſe lapſos, atque pro hæreticis ab eccleſia iudicatos, manifeſtiſſime conſtat.

Falſa pro vero pollicetur.

Tertullianus hæreticus fuit.

2. Tim. 2.

Berengarius de ſacramento peſſime ſenſit, at errorem ſuum reuocauit, de conſe. diſt. 2. ca. Ego Berengarius.

OEcol.

Neque diſſimulandus ille error eſt, quem multi ex verbis iſtis ſuxerunt, ex quo & alij errores multi profluunt. Etenim niſi probe cauerimus ac circumſpecti fuerimus, fieri poteſt, vt impingamus, vel in idololatriæ crimen, vel in craſſæ cæcitatis caligine inuoluamur, terque quaterq; miſerabiles ac miſeri, tanto magis deplorandi, quanto minus noſtram agnoſcimus miſeriam, & languidiore conſcientia tanquam miſericordiam omnem aſſequuti, iudicis aduenientis faciem non reueremur.

Euchariſtiam adorantes non idololatrant.

Matth. 28.

Ioan. 41.

Roff.

Nulli dubium eſſe poteſt, ſi nihil in euchariſtia præter panem ſit, quin tota eccleſia iam per xv. annorum centenarios, idololatra fuerit, ac proinde quotquot ante nos hoc ſacramentum adorauerunt, omnes ad vnum eſſe damnatos. Nam creaturam panis adorauerint creatoris loco. At iſtud qui ſtare poteſt, cum pollicitatione Chriſti, qui ſe futurum nobiſcum aſſeruit omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi, quique miſſurum ſpiritum veritatis ſe recepit, qui ſuggereret nobis omnia, quæcunque pridem ipſe tradidiſſet. Quomodo verum eſt, quod Spiritus iſte nobis omnem veritatem aperuiſſet, ſi nos errore

tam pernicioſo, & tanto tempore, paſſus fuiſſet hallucinari? Aut quî poteſt integrum eſſe, quod Chriſtus hoc toto tempore nobiſcum fuiſſet, ſi miſerandam iſtam cæcitatem, à cordibus noſtris nõ effugaſſet? Quamobrem ſi nihil aliud prorſus eſſet, boc ſolum OEcolampadi te potuit erudire, verum eſſe Chriſtum in hoc ſacramento, in quo per tot annorum curricula, nemine patrum prohibente, Chriſtiani ſemper Chriſtum adorarunt.

OEcol. *Illum ſane errorẽ in multis cordibus profundas adhuc agentem radices, pridem pro ſuggeſtu ipſe cum fratribus cauendum aperte monui, nunc autem quam iuſte hoc factum ſit, & quam procul à temeritate fuerimus, ampliori declaratione monſtrabo.*

Roff. Satius fuiſſet venenum iſtud in tuo pectore cohibuiſſe, quam ipſum ad tot animarũ diſcrimen, imò ſtragem euidentiſſimam, publicitus euomuiſſe. Porrò quod pollicearis te monſtraturũ, id abs te iuſte factum, & abſque temeritate, quãuis ego nihil dubito, quin eos omnes, qui in hoc tibi credũt, ſua fruſtraberis expectatione, quin & aperte tãdem intelligẽt ſe potius abs te fuiſſe deluſos.

OEcol. *Reſponſurus interim etiam aduerſariis quanta fieri poteſt manſuetudine, quos oro, per Chriſtum, ſi quod exciderit amarum verbum, ne id ſe amare dictum ſuſpicentur, ſed perſuadeant ſibi, nos longe atrocioribus irritatos, ac cogitent rei indignitatem etiam ab inuito & leniſſimo talia extorquere, nonnunquam etiam vitioſis ſtomachis πικρὰν magis ſalutarem.*

Roff. Quid tu nos per Chriſtum oras? Nihil enim tibi cum Chriſto, qui tanta peſte ſponſam eius corrumpere ſtudes. Nihil tibi cum Chriſto, qui nullum in eccleſia catholica locum obtines, longiſſime diuiſus es à Chriſto, qui à corpore ſponſæ ſuæ, tanto diſiungeris interuallo, lupus es, qui ſub tegumento pietatis, oues Chriſti paſſim deuoras. Sic enim de te tuique ſimilibus ſanctiſſimus ille martyr Ignacius teſtatur, Epiſtola ad Heronem, dicens: Omnis igitur, qui dixerit præter ea quæ tradita ſunt, tametſi fide dignus ſit, tametſi ieiunet, tametſi virginitatem ſeruet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium, corruptionem faciens. Vide quid ſit, aliena dogmata Chriſtianos docere, præter ea, quæ ſuſceperunt à maioribus ſuis.

OEcolam. eſt à Chriſto aliениſſimus. Matt. 7.

Inſaniam in quam reuera incidit, pluribus fruſtra deprecatur.

Capvt III.

OEcol. *Exordiamur ergo, & quia ἐγνωμολόγος, præ aliis hæreticis inſanos eſſe dicat, tropum illum ſermonis prædicti agnoſcentes, quãuis in hac re ſoli illi ſapiant, videamus primum, neminem ante cauſam auditam condemnantes, an mota vel ſanæ mentis ſint verba quæ loquantur, alioqui nihil tam facile quam inſania quempiam arguere.*

Roff. Hic ſunt multa exordia. Vellem his fucis & ambagibus prætermiſſis, ipſam rem aggrediaris. Sed mendacium, vt fulgorem aliquem ementitum veritatis induat, pluribus opus habet verbis. Putat is rhetor ſuis nugis, & ſycophantiis inſaniam apertiſſimam tegere. Cuius inſtituti ſi compos fuerit, & auditores profecto reddit inſaniſſimos.

OEcol. *Dicebat & Feſtus Paulũ inſanũ, qui cœleſtia myſteria norat, quiq; veritatis ac ſobrietatis eloquebatur verba.*

Roff. Feſto licet Ethnico ſic videbatur, quum audiret vnum Paulum, ſe tantæ multitudini Iudæorũ opponere, & ſuam opinionem contra Pontificẽ & legis peritos, atque adeo totam ſynagogam defendere. Sed quid ſi iam viueret Feſtus, & Chriſtianis myſteriis imbutus eſſet. An non te, quem cerneret ſolis verborũ fucis innixum, tot patrum eruditione pariter & vitæ ſanctimonia clariſſimorum aſſertiones apertiſſimas eludere molientem, ſimul & Chriſti pollicitationes, eccleſiæ ſuæ factas, pro nihilo ducentem, inſaniſſimum prędicaret? Prędicaret haud dubie. Neque aliam huius inſanię tuę cauſam proferret, quàm quod aliquid ipſe tibi viſus fuiſſes, & ſupercilium ex linguarum & literarum peritia tibi ſumpſiſſes, vt non immerito diceret: Multæ literæ te faciunt inſanire.

Act. 26.

OEcolamp. omnium inſaniſſimus eſt.

Cauſa inſaniæ OEcol.

OEcol. *Annitebantur & amici Chriſti Ieſu ſecundum carnẽ, tanquam inſanum eum comprehendere.*

Roff. Nec iſtud excuſat inſaniam tuam. Chriſtus enim errare non potuit. At OEcolampadius, qui ſuam inconſtantiam toti mundo patefecit, maniſeſte prodidit ſe poſſe errare.

OEcol. *Iure dices quiſpiam illis patrocinans, qui virtutem Dei iuxta modum naturalium rerum metiuntur, inſani cenſentur. Quaſi ſcilicet nos hi ſimus, propter tropum, quo ſcripturam interpretamur.*

Roff. Tu moliris in illis Chriſti verbis, ſolum tropũ eſſe, ac perinde, Chriſti corpus è ſacramento excludere, Iſtudque facis ob id, quod ingenij tui viribus comprehendere nequeas qua ratione Chriſtus in hoc ſacramento, ſeipſum nobis ſub ſpecie panis præſentem exhibeat. Iſtud intelligere quæris, non credere. Argumentis, non fide diſcere conaris. Et hoc quid aliud eſt quam inſanire. Nam præpoſtere rem ſcrutaris. Nunquam enim intelliges, niſi prius credideris. Et ſatis ſupina & craſſa eſt hæc inſania tua, quum videas tot orthodoxos hoc ipſum credidiſſe. Et quid facilius quã credere, quum ſciamus non ſolum hoc potuiſſe Chriſtum, verum etiam ob immenſum amorem, quem erga nos gerit, re ipſa præſtitiſſe. Nam qui tam acerbiſſima pro nobis paſſus fuit, vt nos ex eius ſanguine renaſceremur, quid mirum eſt, ſi pariter & eodem ſanguine nos in ſacramento potare voluerit, quum id iam fiat citra quamuis iniuriam ſui.

Tropum Vt quid in Verbis quærat.

Eſa. 7.

Eph. 2.

Apoc. 1.

OEcol. *Verum antequam ſubſumam & colligam argumentum. Non refragor ei, quod præmittitur. Nemo enim non fatebitur inſanum qui abſque alis trans mare volare, lippientibus oculis ardentiſſimum ſolis iubar intueri conatur. Excellentẽ claritatem non fert infirmus oculus. Hæc igitur recte ſe habent. Quid vltra?*

Roff. Iſtud vltra, nos adiiciemus. Tu hoc ipſum facis OEcolampadi. Nam ſi quod veriſſimum eſt animorum alæ, quibus ad contemplanda Chriſti myſteria ſubuehantur, fides & amor ſunt, profecto cum ſine his irreuerenter irruas in hoc ſacramentum, perinde facis, ac ſi defectis alis, transuolare

Fides & amor neceſſariæ alæ.

lare coneris. Et quum eadem etiam veram animo lucem præſtent, qua Chriſtum in ſacramento, nó carnis ſed mentis oculo, contueamur. Tu qui credere nolis, niſi rationis inductus euidentia, lucernam extinguis tibi, ne verum ſolem ſub ſacramento ſpecie panis opertum, acie mentis tuæ conſpiceris.

OEcol. *Oramus ne hoc furoris in nos reiicias ô Gnomologe. Non enim fatemur quod virtutem Dei noſtris viribus expendamus. Metimur & nos ſuo pede ingenij anguſtiam, ſcimus eſſe terminos quos tranſgredi non licet, fruſtra laboraremus, ſi ad intellectus noſtri menſuram vel cubitum addere conaremur.*

Roff. Si rationis tuæ vires nihil poſſe, citra fidem, agnoſcas, ſique ſic metiaris anguſtiam ingenij tui tuo pede, vt compertum habeas, ad hæc myſteria te nequaquam attingere poſſe niſi credideris, cur ergo nó credis? Et maxime quum videas hos terminos à prioribus patribus præſcriptos tibi.

OEcol. *Et ego nonnulla id genus à me olim ſcripta agnoſco, quum ſupra modum admirarer ſine iudicio quæuis, veniã antẽ alia tam vere quam illa, vel illa tam appoſitè quam vere ſcripta, non pœniteret lucubratiuncularum tunc euulgatarum, quibus modo non ſolum patrociniũ denego, ſed incendium & abolitionem imprecor, ſicubi parum vtiliter adita ſunt, & ſi voti compos fuero, gratulabor & gaudebo.*

Roff. Animus ille tibi forte fuit, antequam religionẽ ingredereris. Et qui ſcis, an meliori iam ſis animo præditus. Vnum ſcio, falſum id eſſe non poteſt, quod Chriſtus dixit. Dixit autem: Qui mittit manum ſuam ad aratrum reſpiciens retro, non eſt aptus regno Dei. Tales & hi fuerunt, quos paulo pòſt Capernaitas vocas, qui procul dubio, quum dudum Chriſti diſcipulatum fuiſſent profeſſi, poſtea non ſatis creduli verbis eius, redierunt ad ſeculum. Noluerunt enim credere, Chriſtum potuiſſe dare carnem ſuam, vt à ſuis citra quamuis iniuriam ederetur.

Luca 9.
Lib. 2. cap. 4.
Iohan. 6.

OEcol. *Nihilominus quod ad rem attinet tum vobiſcum bene dixi, Stultum niti ad id quod aſſequi impoſſibile. In hoc concordes. Mox autem digrediemur.*

Roff. Nec illud refragabor. Mihi bene placebit, vt pro fundamento iaciatur hoc ipſum quod ſtruis, & in quo dicis nobiſcum tibi conuenire, nempe ſtultum eſſe niti ad id, quod aſſequi nequeas. At compertiſſimum habeo, niſi prius animum demiſeris, & captiuam duxeris omnem cogitationẽ ad obediendum Chriſti verbis, impoſſibile fuerit vt aſſequaris huius rei intellectum.

2. Corin. 10.

Impie contendit cuique licere quatenus ipſa ſcrutetur ſacramenta Dei.

Capvt IIII.

OEcol. *Non erimus hanc ob rem ad aſininam redigendi ſimplicitatem, vt prætercurramus, ſi quid proponatur vtile: contemnamus ſi quid reueletur ſanctum: reiiciamus, ſi quid communicet pater luminum; ad tenebras magis quam ad lucem nos conuertentes.*

Roff. Num aſininam ſimplicitatem putas Chriſti iugo collum ſubdere, atque ab eo cordis humilitatem diſcere? Quare vellem ab hac elatione timoreque animi teipſum demitteres. Nequaquam aſininæ ſimplicitatis eſt, OEcolampadi, ſtare totius eccleſiæ decretis, imo Chriſtiana ſynceritas hoc ipſum exigit. Iubet Paulus, vt vnanimes ſimus, & hoc ipſum ſentiamus, nec ſit vllum inter Chriſtianos diſſidium, Si quid abs te repertum vtile fuerit, Si quid ſanctius tibi relatum ſit, Si quid pater ipſe luminum tibi communicauerit quod dogmatibus patrum & eccleſiæ decretis conſentiat, nihil repugnamus, quo minus in medium proferas. Quod ſi reuelatio tibi facta diſſideat ab illis, certus eſto, quod non à patre luminum, ſed à principe tenebrarum, tibi ingeritur, qui quum velit, in angelũ lucis facile ſe trãsformare nouit.

Matt. 11.
Phil. 2.
Iacob. 1.
2. Cor. 11.

OEcol. *Quis ita arguit? Quia captum tranſcendunt, ne viribus humanis indagentur, ergo de ſacramentis nihil inquiſieris?*

Roff. Nemo prohibet de ſacramentis inquirere. Nã iſtud in ſcholis quotidie fit. Neque enim Mahumetis more Chriſtus animaduerti iuſſit in eos, qui de myſteriis & ſacramentis ab eo traditis diſceptant: diſquirere licet, modo cum fide id fecerit, & diſcendi cupidus. Cæterum in concionibus ad rudem populum habitis, eam rem in dubium reuocare, quam hactenus eccleſia tota comprobauit, nepharium eſt, & ſceleratum. Tu vero longe iniquius facis, qui diuerſum affirmas, & hoc ipſum libellis æditis, per orbem diſpergis, vt ſi fieri poſſet, hoc veneno peſtifero totum Chriſti gregem inficias. Satis opinor conſtabit inferius, Chriſti corpus omnium orthodoxorũ conſenſu, ſub ſpecie panis in Euchariſtia contineri. Quod ſi verum ſit, vt eſt haud dubie veriſſimum, quis non videt, quantum iſtud omnes humani ingenij vires tranſcendat, quantumque fuerit humanis argumentis imperueſtigabile. Quo manifeſte colligitur, inſaniſſimum eſſe, ſi putes, ingenio tuo te poſſe rationem exactam huius ſacramẽti comprehendere. Ita nos argumentamur OEcolampadi. Quod argumentum, ſcio, nec tu, nec alius quiuis diluet vnquam.

Dubia ne prædicentur.
Humana ratione ſcrutari nequit Euchariſtia ſacramentum.

OEcol. *Probare primum oportebat, ſacramenta hæc, ex genere eſſe ἀκαταλήπτων, & incomprehenſibilium.*

Roff. Quid opus eſt efficaciori probatione, quam ex tuis ipſius verbis? Ex ore tuo & ex ſermonibus tuis condemnaberis, fateris te non poſſe comprehendere præſentiam corporis Chriſti ſub hoc ſacramento. Quid hoc aliud eſt, quam huius ſacramenti incomprehenſibilitatem confiteri. Tu forte pedibus illotis, & irreuerenter huius tanti & tam auguſti myſterij penetralia ſcrutari conatus es, ac proinde cæcitate hac miſeranda percuſſit te Deus. Nam vt Auguſtinus in libello de vera innocẽtia docet, Intellectui fides viam aperit, infidelitas claudit. Recte igitur Salomon Prouerb. 25. ait: Qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria.

Luca 19.

OEcol. *Ad dementandos diſcipulos, compendiaria ars impoſtorum eſt affirmare credendum quod effutierint.*

Roff. Quaſi tot ſanctiſſimi viri, quibus aſſidua cura

fuit,

fuit Chriſtiani gregis à lupis defendendi, fuiſſent impoſtores. Num hæc ſani hominis verba ſunt? vt ex veris paſtoribus, mros faciat impoſtores. An putas eccleſiã, citra aepoſtolorum tempora, nullos habuiſſe fideles & integros gregis Chriſti curatores? Si non putas, manifeſte prodis amentiam tuam. Sin ita putas, quid non producis vnũ ex eis, qui palàm neget ſub euchariſtia corpus eſſe Chriſti. Innumeros, qui id teſtentur, citare licet, at neminem afferre potes, qui plane contradicat. Sed nec citra phariſaicum, hoc eſt, impudens ſupercilium, affirmare queas illos id effutiſſe, quod tanta concordia plebem docuerint ſibi creditam.

Omnes ab Apoſtolis fideles credunt corpus Chriſti in altari.

OEcol. *Et ſi à quopiam rogati fuerint, quarenam talia dicant. Interrogantium ora conſtringere & ſuſurrare: Arcana ſunt & cabalaſticę, adoranda non ediſcenda, ſatis fuerit αὐτὸς ἔφα.*

Roff. Si pius quiſpiam acceſſerit, eum libenter inſtruunt, modo roget, quatenus in fide adiuuetur. Sin abſq; fide & ex ſola curioſitate talia quis percontatus fuerit, quis nõ iſtum ab huiuſmodi myſteriis, & merito, cenſeat arcendum. Tali percontatori merito reſponderent, arcana eſſe, & ſupra captum hominis, adorandaque magis, quam ingenij viribus perſcrutanda. Quare ſi tantum dixerint, Chriſtus hoc ipſum ſuis verbis teſtatur, affirmans hoc eſſe corpus ſuum. Num iſtud non debet cuiuis bene Chriſtiano ſufficere? An non exiſtimas, id multo iuſtius à Chriſti diſcipulis recipiendum, quam à Pithagoræ diſcipulis olim factitatum erat?

Humiles erudiendi.

Verba Chriſti de Euchariſtia ſat erunt.

OEcol. *Si dixeris, quomodo hæc fieri poſſunt Apoſtatam, Capernaitam, & Nicodemum carnalem appellare. Verbum enim quomodo, vbi de ſacramentis ſit mentio, incredulamentis indicium eſt.*

Roff. Non omnis qui quærit quomodo, protinus reiiciendus eſt. Quæſiuit enim beatiſſima virgo, Quomodo fiet iſtud? Sed quia non incredula Dei verbis quæſiuit, reſponſionem accipere meruit. Quæſiuit & Zacharias, vnde ſciret quod angelus pollicebatur. At quoniam incredulus erat Dei verbis, idcirco non ſolum non accepit reſponſionem, verum etiam incredulitatis ſuæ pœnas dedit. Par igitur eſt, vt quum Dei nunciis fides adhibenda ſit, ipſius Chriſti verbis neutiquam diffidamus. Quamobrem & quum hi, qui cum Zacharia, vel cum Capernaitis illis, quos memoras, aut cum Nicodemo, ſcrutandis illis myſteriis, nequaquam afferunt fidem, merito repulſam patiantur, cur non & eodem iure, qui Chriſtum dixiſſe norunt, hoc eſt corpus meum, & nolentes ei credere, ſcrutantur modum, quo id fiat, protinus à cunctis explodẽtur, & ab ipſo Chriſto penitus reiiciantur.

Increduli repelluntur à myſteriis.
Luc. 1.
Luca 1.
Luca 1.
Iohan. 6.
Iohan. 13.
Matth. 26.

OEcol. *Suſurris illis primum reſpondendum erit. Non omnium myſteriorum eadem eſt ratio. Myſteria enim & ſacramenta nonnunquam appellamus in genere, omnia occulta, quoquo pacto, etiamſi doceri ac diſci poßint, modo à multis ſint abſtruſa, vt quum Dominus dicit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei. Et Paulus orat, vt detur ſibi ſermo in apertione oris, quo notum faciat myſterium Euangelij: Prudentes ſane negotiatores diſtrahunt omnia ſua, vt illa ſibi parent, quæ compararent minime, ſi prorſus non cognoſcerent, at canibus & porcis tales margaritæ non ſunt offerendæ. Itaque multa dicuntur ſacramenta, non quod initiatis ſint incognita, ſed quod rudibus & nondum imbutis non ſint reuelata.*

Roff. In hoc nihil repugnamus, quando ab initiatis intelligi poſſunt eiuſmodi myſteria, quæ Chriſtus parabolis ſuis obduxit, ne rudioribus innoteſcerent, quæque poſtea diſcipulis, hoc ipſum poſtulantibus, aperuit. Cæterum, ſuper iis neutiquã eſt noſtra cõtrouerſia, ſed ſuper altaris ſacramento. Quare ne extra cauſam velim declamites.

Mar. 13. & alibi.
Luca 8.

Sacramentorum quandam partitionem excogitat, quæ ſuo ſeruiat inſtituto.

Capvt V.

OEcol. *Sacramentorum igitur quædam etiam myſtis & initiatis ſunt imperueſtigabilia, quædam vero nihil prohibet, quin ab initiatis, quantum ad ſacramentorum rationem, plene cognoſcantur.*

Roff. Hic de ſacramentis in genere loquitur, hoc eſt de myſteriis eccleſiæ quibuſuis, ea bifariam partitus, vt quædam humano ingenio, ſed Spiritu intus docente, comprehendi poſſint, quædam autem ſint penitus incomprehenſibilia. A qua partitione, modo membra ſic (vt diximus) intelligantur, nihil abhorremus.

Sacramenta bifaria.

OEcol. *Ex priorum ſacramentorum claſſe, quæ noſtram paruitatem modis omnibus tranſcendunt, ſunt ſacramenta diuinæ generationis, proceßionis, prædeſtinationis, & aliorum, in quorum pleriſque vltra nominum cognitionem, modum perſcrutari vituperabile ac damnoſum fuerit, quin & carni impoßibile eſt de illis cognoſcere aliquid. Illis adnumera ſacramentum ac arcanum incarnationis ac reſurrectionis, & omnia quæ præter naturæ ordinem mirabiliter à Deo vel ab angelis fiunt.*

Sacramenta quæ inſcrutabilia.

Roff. Et his etiam nos aſtipulamur, conſtanter in hac eadem claſſe reponentes hoc ipſum ſacramentũ de quo iam controuertimus. Nam quin præter naturæ ordinẽ, & ſola diuini verbi potentia, corpus Chriſti præſens in hoc ſacramento fiat, manifeſtum eſt id humanæ rationis viribus imperueſtigabile eſſe.

Sacramentũ Euchariſtiæ inſcrutabile.

OEcol. *Quomodo enim craſſa noſtra capita indagarent, quo pacto, ex nihilo mundus eſſe cœperit, quo pacto ex puluere tam elegans corpus Adæ prodierit? quo pacto Elizabeth ſterilis, vel virgo Maria fœcunda fuerint, quo pacto mortui ante tot ſecula in ſuis corporibus ad tantam gloriam ſint reſurrecturi?*

Roff. Veriſſima ſunt hæc profecto, neque mediocriter ad noſtrum inſtitutum conducunt. Nam & quodã loco ratiocinatur Auguſtinus, vt Chriſti natiuitatis ex virgine poſſibilitatẽ doceat quamquã humano ingenio ſit hoc ipſum, vt tu fateris, incomprehenſibile. Præter legitimum (inquit) humanæ conceptionis vſum, tres valde mirabiles naſcendi ſpecies operatam reperies Trinitatem. Et prima ſiquidem eſt, quod Adam figuratus eſt ex limo. Secũda, quod mulier formata eſt ex maſculo. Tertia, quę eſt cœleſtis, quod Chriſtus proceſſit

Auguſtinus Naſcendi diuerſæ ſpecies

Tranſitio rerum diuerſa

ceſſit ex virgine. Sic & nos dicimus, quod præter communem tranſitus modum, quo res vna tranſit in aliud, manente communi materia, tres alios trãſituum modos Trinitas operata ſit. Et primus tranſitus eſt, ex nihilo in aliquid, ad quem modũ vt tu iam memoraſti, ex nihilo mundus eſſe cœpit. Secundus eſt rerum tranſitus in nihil. Nam & creatura quæuis, ſicut de nihilo facta eſt, ita ſuapte cõditione, vertibilis eſt in nihilum, & proculdubio verteretur, niſi diuina manutenentia prohiberet. Et quamquã ipſa rerum materia non annihiletur, de pluribus tamen eſſentialibus formis non eſt dubium, quin vt vmbræ penitus euaneſcant. Tertius denique rerum tranſitus, nec eſt è prorſus nihilo, nec in prorſus nihil, neque in id qđ de nouo capit eſſe, ſed is tranſitus fit à quopiã quod eſſe deſinit in aliud quod pri' exiſtit. Et hic tertius tranſitus in Eucharíſtiæ ſacramẽto fit, ſicut tertius generationis modus, in vtero virginis conſummabatur. Porrò trãſitus iſte, queadmodũ præ cæteris magis admirãdus eſt: ita & merito capacitatẽ humanæ mẽtis tranſcendere putabitur.

Geneſ. 1.

Transſubſtãtiatio Eucharíſtia.

OEcol. *Succumberemus plane, niſi lucerna in caliginoſo hoc mundo nobis eſſet verbum Dei, & niſi fidei inniteremur adminiculo, exclamantes cum Apoſtolo: O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quã inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius.*

Roff. Certiſſimum eſt quod dicis. Niſi lucerna diuini verbi noſtræ mẽtis caliginem diſcuteret & niſi fidei iuuaremur adminiculo, nunquam imbecillitas noſtra tanti miraculi celſitudinẽ, vllo pacto concipere valeret, ſed plane ſuccumberemus: exclamantes cũ Apoſtolò: O altitudo diuitiarũ, &c. hoc certe veriſſime dixiſti: quamquam hoc ipſum aliò referas. At ſpiritus hic plane regebat linguam tuam, ſicut & olim Caiphę quum aliud verbis locutus eſt, aliud mẽte cogitauit. Veriſſimum equidem eſt quod in hoc negotio fides diuini verbi mentem noſtram fulciat. Scimus enim Chriſtum apertiſſimis dixiſſe verbis: hoc eſt corpus meum. Quare quum is cuncta quæ velit, poſſit: nihil dubitamus in hoc ſacramento verum eius corpus contineri: tametſi modus eius rei nobis incomprehenſibilis fuerit.

Pſalm. 118. Eſa. 7. Rom. 11. Iohan. 11. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Pſal. 135.

Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit, impie negat imperueſtigabilia eſſe.

Capvt VI.

OEcol. *Verum de his nunc non eſt ſermo, ſed de Eccleſiaſticis quæ ad exercitationem & confeſſionem fidei tradita ſunt, vt per ea vel in vnam militiam conſcribamur, vel cõſcripti, dignos nos profeſſione teſtemur.*

Roff. Niſi dolum nobis in hac re ſtruere mediteris, quod certe bonum virum haudquaquam decet: non iam traheres diſputationem ad multa ſacramenta, quum ſingulariter ipſi tecum de vnico ſacramento diſſerere cœperimus. De ſacramento nimirum corporis & ſanguinis Chriſti nunc diſceptamus. quod & nos aſſerimus longiſſimo quodam interuallo cæteris eminere: quippe quod Chriſtum in ſe corporaliter præſentem contineat. Quare ſi cæterorum ſacramentorum rationes, tuo putes ingenio te comprehendere poſſe, meo iudicio longe falleris. Nam quum earum rerum, quas iuxta communem curſum operatur Deus, Salomon affirmat rationẽ cõprehendi nõ poſſe. Intellexi (inquit) quod omniũ operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum, quæ ſunt ſub ſole. Quanto magis ea quæ ſupernaturaliter fiũt perueſtigare nequeas. Miratur igitur Auguſtinus in ſacramento baptiſmatis aquę virtutẽ, quæ corpus tangit, & cor abluit. Neq; minus mirandum, quod in cæteris agitur ſacramẽtis, nempe, quod verba per ſacerdotem prolata, quando pœnitentiæ ſacramentum adminiſtratur, nexus reatuum in peccatoris animo diſſoluant. Similiter & in matrimonio, quod ad conſenſum maris & fœminæ, depromptis verbis indiſſolubili vinculo Deus eorum animos coniunxerit. Cæterum, qua ratione Chriſti corpus in Eucharíſtia vere præſens fiat, omnem humani ingenij longiſſime ſuperat indagationem.

De Eucharíſtia diſſerendum duntaxat in præſentiarum.

Eccl. 8.

Aug. ſuper 10. & habetur 1. q. 1 detrahe.

Sacramenta omnia ſunt admiranda.

OEcol. *Pugnaret ſane recte ac vtiliter initiatum eſſe, & ignorare quid actum ſecum, modo ille qui initiatur, vſu mentis non careat.*

Roff. Inſtruuntur equidem initiati quid in eorum cordibus operentur ſacramenta, quæ ſuſcipiunt, vt exempli gratia, quum baptiſmum quis accipiat, inſtruitur vt credat, quod per ipſum ſacramẽtum denuo renaſcitur, & quod animus eius ab omni ſorde peccatorum abluitur penitus. Verum iſtam renaſcentiam aut ablutionem, haud aliter videt, aut noſcit, niſi per fidem: & tamen recte & vtiliter initiatus eſt. Nihil ergo pugnant, recte & vtiliter initiatum eſſe: & tamen ignorare quid intrinſecus, aut in ipſo ſacramẽto, aut in ſuæ mentis penetralibus, per ſacramentum Dei Spiritus operatus fuerit, niſi pro notitia fidem intelligas. Credunt nimirum omnes, qui cum fructu aliquo ſacramentum iſtud ſuſcipiunt, ſe renaſcentię gratiam aſſecutos; at aliquo ſenſu vel animi ſui potentia renaſcentiam ipſam deprehendere nemo vnquam potuit, niſi indicante Spiritu ſancto.

Iohan 3.

Vim ſacramentorum ſola fide agnoſcimus.

OEcol. *Quid enim ſymbolis & monimentis ſacramentorum commendetur, ſciunt initiati, rudes vero neſciunt. Quapropter & doctores priſci, vbi paretis myſteriorum meminerunt, dicunt: Sciunt imbuti quid dicamus.*

Roff. Sophiſtam agis proculdubio, ſi coneris ex hoc dicto colligere, quod initiati quique certam habeant notitiam, aliter quam per fidem, quid in mentibus eorum Dei Spiritus per ipſa ſacramenta fuerit operatus. Credunt enim (vt diximus) ſibi diuinitus vna cum ſacramentis ipſis conferri gratiã, cuius gratię ſigna efficacia non ambigunt, ipſa ſacramẽta eſſe, quicunq; ſuis inſtructoribus fidem habent. Vident igitur & ſciunt omnia quæ viſibiliter miniſtrantur, at quod inuiſibiliter & diuinitus per aſſiſtentiam Spiritus in animo generatur, ſola fide concipiunt. Hoc itaque rudibus initiati pręſtant, quod iam ipſis myſteriis imbuti ſint, vt nihil eorum quæ viſibiliter fiunt, eos lateat, & ad quem finem ſingula tendant, erudiantur, id quod ignoratur à rudibus.

Effectum ſacramentorũ non niſi per fidem ſcimus.

Initiati rudibus præſtant.

OEcol. *Itaq; (vt prius dixi) ſacramenta dicuntur myſteria, non quod domeſticis fidei, ſed quod his qui foris ſunt, abſcondita ſint.*

ROFF.

Initiati etiã vident ſolum externa.

Fruſtra niteris Oecolampadi, tam oleũ quàm operam perdens. Quid enim ſi fidei domeſticis aliter ipſa ſacramenta nota fiãt, quàm extrariis, & his qui foris exiſtunt, non ob id oportet, vt arcanę ſacramẽtorum vires, & quid per ea Spiritus inuiſibiliter efficiat, aliter quàm per fidem initiatis innoteſcant. Nam (vt ante dixi) vident in baptiſmate quicquid exterius geritur. At ipſam renaſcentiam quæ baptiſmate confertur, nec vident, neq; ſciunt, niſi ſola fide. Audiũt à ſacerdote verba quibus pœnitẽs abſoluitur, at vincula, quibus animus eius ligabatur, neque vinculorum diſſolutionem aliter intelligunt quàm ſola fide.

OECOL.

Si enim ſacramenta ad eruditionem inſtituta ſunt, vt à viſibilibus ad inuiſibilia manuducamur; quãdo excitabũtur mentes noſtræ, ab his quæ modis omnibus recondita ſunt? Non ignota ſint oportet quæ ædificare debent.

ROFF.

De cauſa inſtitut ſacramentorum 4. ſenten. diſt. 1. D.

Non ad hoc ſolum inſtituta ſunt ſacramẽta, vt à viſibilibus ad inuiſibilia manndncamur: Nã ita nihil opus eſſet vt ea quiſquam reciperet ad ſalutem. Satis enim fuerit ſpectare dum celebrarentur, & ab inſtructore quõpiã audire, quid actio quæq; ſignificaret. Sed ad hoc potiſſimum inſtituta ſunt, vt per eorum vſum citra vllam dubitationem, confidamus gratiam nos eſſe cõſecutos: veruntamen ad vtrunq; conſequitur, vt non ſint nobis penitus incognita.

Fide cognoſcuntur ſacramenta.

Secundum aliquẽ certe modum à nobis cognoſcuntur, fide videlicet, quę multo certior cognitio eſt, quàm per argumẽta; vti poſtea fuſius dicturi ſumus. Cæterum, ipſam diuini Spiritus inuiſibilẽ operationem neutiquã deprehẽdimus.

Auguſtinus. Sapien. 9. 1. Cor. 13. Philip. 1. Rom. 8.

In qua re vel Auguſtinum andias licebit. Paulus Apoſtolus, quamuis adhuc portaret ſarcinã corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam: quãuis adhuc ex parte & in ænigmate videret, optans diſſolui & eſſe cum Chriſto: & in ſemetipſo ingemiſcens adoptionem, expectãs redemptionem corporis ſui: potuit tamen ſignificãdo prædicare Dominum Chriſtum aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramẽta corporis & ſanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentũ, nec ſignificantes ſonos linguæ æditos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tãtum quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratũ, rite ſumimus ad ſalutem ſpiritualẽ, in memoriã pro nobis Dominicæ paſſionis.

Luc. 22.

Quod quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciẽ perducitur, non ſanctificatur vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei. Hæc Aug. lib. 3. de Trin. ca. 4. In quibus verbis ad rem de qua iam agimus multa conſerunt.

Corpus Chriſti trifariam ſignificatur.

Et primum eſt, quod Paulus trifariam potuit ſignificationem exprimere Domini Ieſu, hoc eſt, aut per linguæ prædicationem, aut per ſcripturã manus, aut per ſacramentũ corporis & ſanguinis eius. Secundo, diſcrimẽ quoddam inter eos ſtatuit, aſſerens, id ſolum corpus & ſanguinem Chriſti dici, quod iuxta tertiũ modum exprimitur. Excludit igitur & linguam & ſignificantes ſonos linguæ æditos, quod ad primum modũ attinet; mẽbranas item, & atramentum & ſigna literarũ conſcripta pelliculis quod ad ſecũdum ſpęctat modũ.

Verũ corpus Chriſti.

Tantũ admittit vt hoc dicatur corpus Chriſti, quod ex frugibus terrę acceptũ & prece myſtica conſecratum rite ſumimus ad ſalutẽ ſpiritualẽ, in memoriã pro nobis Dominicæ paſſionis. Tertio, quonã modo quod ex terræ frugib. acceptũ eſt, euadat tã eximium ſacramentũ, aperit, docens: id non per manus hominũ ad tantam excellentiã aſſurgere. Vbi lector aduerte, quòd ſi nihil aliud in receſſu contineret, quàm quod oſtẽdit in fronte, hoc eſt, ſimilitudinem panis ex multis granis conflati, & vini ſpeciem ex multis racemis, nõ recte dicerentur corpus & ſanguis Domini, & tamen iã ſigna quędam ſunt corporis Chriſti myſtici.

Vide 4. ſent. diſt. 8 D. 1. Cor 10.

Quia ſicut ex multis granis vnus panis conficitur, & ex multis racemis vinum confluit, ita ſumus omnes vnũ corpus in Chriſto. Quamobrẽ & repræſentationem iſtam habent panis & vinum, priuſquam ex eis conficiantur corpus & ſanguis Chriſti.

Corpus Chriſti verum ſit ſub ſpeciebus panis & vini per Spiritus ſancti operationem.

Quarto dicit, quod per inuiſibilẽ operationẽ Spiritus Dei ſanctificatur id quod ex frugibus terrę collectum eſt, vt fiat tam eximium ſacramentũ corporis & ſanguinis Chriſti. Hic vellem dixerit Oecolampadius, quidnam illud ſit quod inuiſibiliter diuinns Spiritus operetur in hoc ſacramento. Significantiã vtique populi adunati, iampridem ex multis granis ſibi permixtis, habuit. Sed neq; repræſentationem vllam realem, ad Chriſtum paſſum ex prolatione verborũ aſſerere poteſt ipſum panem & vinum ſortiri, quod ante nõ habnerat. Quid ergo iam per arcanam diuini Spiritus operationem precor accepit, vt fiat tam eximium ſacramentũ. Si nolit aut nõ poſſit iſtud aperire, nos nihil dubitamus, id eſſe præſentiã corporis Chriſti, quandoquidẽ Chriſtus tam apertis verbis hoc ipſum aſſeruit, dicẽs: hoc eſt corpus meũ, & quotquot orthodoxi ſnnt, huic dicto aſtipulantur,

Matth 26.

quanquã hæretici nec volũt neq; poſſunt, vt Auguſtinus ſuper Apocalypſim ait, iſtiuſmodi myſteria concipere. Quoniam igitur inuiſibilis operatio dinini Spiritus in hoc ſacramento nobis incomprehenſibilis eſt: manifeſte liquet hoc ſacramentum illis myſteriis adnumerandum eſſe, quę ſint humani ingenij viribus imperueſtigabilia.

OECOL.

Neq; enim ex eorũ genere ſunt hæc ſigna, e quo ſignũ Gedeonis vel Noe vel Ezechiæ, vt tam raro & inuſitato modo eueniant. Nos materiam afferimus, nos preces ſacras dicimus, nos denique, & quid ſymbola velint, docere vel quo ducere debeant, ab authore Chriſto edocti ſumus.

ROFF.

Quanquam aquam attuleris, & protuleris verba, quando quiſpiam baptizatur, Spiritus tamen latenter & inuiſibiliter ipſam renaſcentiam operatur, & quanquam panem & vinum ex quibus euchariſtia cõficitur, ſimul & verba noueris quibus id fiat, tranſitus tamen ipſe, quo panis in corpus Chriſti, vinumque in ſanguinem diuinitus vertitur, ingenio tuo prorſus incomprehenſibilis eſt. Quare nihil hæſites quin ſacramentum iſtud incomparabiliter excellit ſigna Gedeonis, Noe, atque Ezechiæ monſtrata, quantumuis rarenter eueniſſent.

Iud. 6. Gen 9. 4 Reg. 20.

Inter

Inter ſuam & Nicodemi atq; Capernaitarum perfidiam diſcrimen eſſe contendit.

Capvt VII.

OEcol. *Sane quod Nicodemus audit à Domino: Es tu magiſter in Iſrael & hæc ignoras? non arguitur in eo quod diſcendo auidus erat, ſed quod carnalem ſectabatur intelligentiam. Vnde & ſubditur à Domino, ſi terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi cœleſtia dixero, credetis? Et præceptor optimus, tarditatem diſcipuli ferens æquiter, nihilominus illum deſiderio nō fruſtratus eſt, ſubiungens, quænam ſit regeneratio, & quis regenerationis modus: nempe per fidem in Chriſtum crucifixum, tametſi tunc aliquanto obſcurius, prout tēporis poſtulabat ratio.*

Roff. *Baptiſmum neceſſarium.* Nihil abnuo quin tanta fides cuiquam adeſſe poterit in Chriſtū crucifixum, vt citra baptiſmū, ſalutem aſſequatur, ſicut & infra copioſius dicturi ſumus. Cæterum quoniam admodum difficile eſt, vt quis tātum ſe habere fidem ſciat, idcirco ſacramentum baptiſmatis inſtituit Chriſtus, vt illo ſuſcepto, nihil ambigeremꝰ nos eſſe renatos. Sed & quantauis fide quis præditus fuerit, oportet eū nihilominus propter verbum Chriſti, ſacramento baptiſmatis ablui. Neq; enim fruſtra ipſe comminatus eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnū Dei. Quod autem renaſcentiam illam, & modum quo eam conſequamur, illic tradiderit, non tam propter Nicodemum, qui plane tum aſinus ad lyram fuerat, ſed propter nos id fecit. Nicodemus vero tanquam craſſus & incredulus arguitur, in quo ſi mihi non credas, Cyrillū audi, qui cap. 41. lib. 2. in Io. ita ſcribit: Quemadmodū proiecti lapides duriore obice repercuſſi reſiliunt, ſic mens imbecillior ſublimiorib. quàm ferre poſſit rebus confuſa refugit, quod Nicodemus Iudæorū princeps paſſus, & terrenis inhærens, diuinū & ſpirituale regeneratione nō ſuſcepit. Quamobrem & audit à Chriſto: Non creditis & teſtimonium non accipitis, nimirum qui perſiſtebat in ſuo Quomodo.

Iohan. 3. Matth. 28. Iohan. 3. Nicodemus ob incredulitatē arguitur. Iohan. 3.

OEcol. *Similiter & Iudæis in Capernaum dicentibus: Quomodo hic poterit carnem ſuam ad manducandum dare? Abunde ſatiſfactū erat, ſi θεοδίδακτοι eſſe voluiſſent. Clamant quidem, durus eſt hic ſermo, ſed non manent, donec frangatur corticis durities, & nucleus appareat. Indigni profecto tanta cœna lautiei.*

Roff. *Cyrillus. Iudæi arguuntur incredulitatis. Iohan. 6. Lucæ 1. 1. Cor. 2.* Similiter & de Iudæis apud Capernaū ita Cyrillus tradit 4. lib. 13. cap. Quum oportet eos qui diuinam virtutem ſaluatoris ac poteſtatē ſignorum miraculo perceperūt, ſermonem eius libenter ſuſcipere, cōtrà omnino faciunt, & quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare, de Deo nō ſine magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil impoſſibile eſſe apud Deū. Nam quū animales eſſent, vt ait Paulus: ſpiritualia intelligere non poterant, ſed fatuitas quædam tam magnum ſibi videtur myſterium. Sed nos magnum quæſo à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem myſteriis adhibentes, nunquam in tam ſublimibus rebus, illud quomodo, aut cogitemus aut proferamus. Et paulo poſt: Nonne vides quid ſæpenumero Mechanici faciunt? Incredibilia videntur nobis nonnunquā enarrare. Sed tamen, quia ſimilia ipſos feciſſe videmus, poſſe peragi ab ipſis, facile credimus. Quomodo igitur ſummis cruciatib. digni nō erunt, qui rerū omnium opificē Deum ita cōtemnunt, vt Quomodo in ſuis operib. dicere audeāt? Et rurſum aduerſus ipſos Iudæos quid dicat non eſt prætermitendū. Si vero tu ô Iudæe Quomodo etiā nunc clamas, hanc tuam imperitiā ego quoq; ſecutus, libenter quomodo ex Ægypto exiuiſti rogabo. Quomodo in ſerpentem Moſaica fuit virga conuerſa? Quomodo lepra manus affecta vno momento tēporis in priſtinum ſtatū reſtituta iterū fuit? Quomodo in naturā ſanguinis aquæ tranſierunt? Quomodo patres per media maria, vt per aridam effugerūt? Quomodo per lignum amaritudo aquarū in dulcedinē recidit? Quomodo à lapide fontes aquarū fluebant? Quomodo ſtetit Iordanis? Quomodo ſolo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit? Innumerabilia ſunt, in quibus ſi Quomodo quæris, vniuerſam euertere tibi ſcripturam neceſſe erit. Hucuſq; Cyrillus. Quibus verbis aperte vetat in Chriſti ſacramētis hæſitationē vllam fieri. Sed potiſſimum condemnat eos, qui ſcrutari moliuntur euchariſtiæ myſterium. Nam de hoc per totū hunc librū loquitur, vt manifeſte lectori patebit.

Cyrillus. Exod. 1. & 4. & 7. & Exo. 4. Exod. 7. Exod. 14. Exod. 15. Exod 17. Ioſue 2. Ioſue 6.

Atq; adeo merentur ab his arceri omnes qui myſteriorum ignari ſunt volentes. OEcol.

Quem tu gnarum huius tanti myſterij facis, quod mortalibus omnibus incōprehenſibile eſt? Si eos, qui credunt illic adeſſe verum Chriſti corpus, gnaros appellas, bene quidē erit. Sic non dubito, quin multi ſint ad ſacramentum recipiendi. Sin ignaros cōſtituas omnes, qui viribus ingenij ſui nequeunt illic præſentiam corporis Chriſti concipere, tu cumprimis arcendus es, qui tā pertinaciter illud negas, & maledictum illud tuum, quomodo, cæteris quærendum ſuades. Sed & volentes (hoc eſt) ſponte ſua ſunt ignari, quicunque nec eccleſiæ catholicæ neq; verbis Chriſti, tam apertiſſimis, fidem adhibere volunt. Roff. *Oecolampadius pertinaciter negat corpus Chriſti in altari.*

Probare enim ſe & in illo debet homo, ac ſic de pane illo edere, ſciens panē illū eſſe non cōmunē, ſed Dominicū. OEcol.

Hæc ſana verba ſunt, modo recte intelligātur. Nam qui panem illum, ceu panem cōmunem accipere præſumit, iudicium ſibiipſi edit, non diiudicans corpus Domini. Et ob id certe panis Dominicus appellatur, quod in ſe Dominici corporis præſentiam continet. Sed aduerte, quam ſubdole loquatur. Probare ſe, inquit, & in illo debet. In quonam illo precor? Quid non exprimis, quid illud ſit in quo probare ſe debet eſurus? Et qua ratione quæſo, quiſpiā alius pręter ipſum cōſecrantem, ſciet panē illū nō eſſe cōem. Sed & cōſecrans ipſe, quū nihil omnino videat circa panē, quo pacto ſciet nō eſſe cōem panē, niſi ſola fide, fides equidē iſtud affirmat, qñquidē Chriſtꝰ, cui omnia poſſibilia ſunt, plane teſtatur hoc eſſe corpus ſuū. Roff. *1. Cor. 11. Panis Dominicus dicitur euchariſtia. Luc. 1. Matth. 26.*

Et quomodo Dominicum. Barbaries plus quam Scythica vel Diomedea eſt, in panis inuolucro ſeu in ænigmate ipſam hoſpitis carnem quærere. OEcol.

Ecce qui ſemel hęſitare cœpit, neſcit miſsū facere Roff.

Caro Chriſti eſt euchariſt. non atteritur dentibus.

cere ſuũ. Quomodo? Quomodo (inquit) Dominicum. Nũ vult agnoſcere Chriſti carnem in Euchariſtia eſſe. Et profecto, ſi more cõmuni cæterarũ eſcarum, hanc ſacram carnẽ dẽtibus laniare quis cuperet, eſſet Barbaries plus quam Schytica, vel Diomedia. Sed ediuerſo, quũ amãtiſſimus hoſpes ad has epulas te blãditer inuitet, quibus & citra quãuis earũ offenſam, pariter & cũ tuo maximo cõmodo veſci queas, nũquid deploratę cuiuſdã inſaniæ foret, eas tã amanter oblatas recuſare?

OEcol. *Ruſticitas eſt & ſtupor non obſeruare, nec agnoſcere, in quo hoſpes beneuolẽtiam ſuam doceat, & pro ſpiritualẽ carnalem requirere cœnam.*

Roff. *Caro Chriſti non vertitur in carnem ſumentis.*

Hic Oecolampadi toto, quod aiunt, aberras cælo. Nos haudquaquam ita carnalem ex hoc ſacramento cœnam requirimus, vt putemus hunc cibum in noſtram carnem verti, tametſi veram carnem à nobis in hoc ſacramento ſumi cõfiteamur. Vera proculdubio caro eſt, quam edimus, quanquam ea nihil offenſę patitur à dentib. noſtris, neq; minuitur quicquam ad inſtar alterius carnis cuiuſlibet. Cæteræ carnes, quum eduntur vitam quam prius habuerunt amittunt, & in carnem noſtram digeruntur. At hæc caro, præter hoc quod priſtinæ vitæ nihil omnino perdat, noſtras viuificat animas, & nos incorporat ipſi Chriſto. Quamobrem cum ſpiritualiter nos hæc cœna reficiat, menteſque noſtras multo magis quàm corpora paſcat, ſpiritalem rectius appellaueris quàm carnalem.

Sumptio euchariſtia eſt ſpiritualis cœna.

OEcol. *Conferendi nimirum ſunt Capernaum municipes, Achi Gethæorum regi. Achis furibundum pronunciauit Dauidem vafre ſe humiliantem, & mutantem os, ac ſaliuam in barbitium deſpumantem, Capernaitæ arreptitium ac deſipientem cenſent Chriſtum promittẽtem carnem ſuam ad manducandum. Achis prudentiam Dauidis non cognoſcens, illum dimittit. Capernaitæ nõ intelligentes cæleſtem ſapiẽtiam, à Chriſto retrocedunt. Dauid dimiſſus à fratribus & omni domo patris agnoſcitur. Retrocedentibus Capernaitis honeſte confitentur Apoſtoli per Petrum: Domine ad quẽ ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & confitemur, quia tu es Chriſtus filius Dei viui.*

Roff. *Dolus Oecolampadij.*

Demiror, cur his allegoriis, quæ vt ſatis noſti, nihil probant, moraris lectorem, niſi quòd eum arte fuciſq; circumuenire ſtudeas. Neq; enim aliter cõmode ſentẽtiam Auguſtinianam, quæ magnopere cõtra te facit, in medium afferre potuiſſes, vt ſtatim hoc principio faciem adulterinã ei ſuperinduceres. Cęterũ, hæc impoſtura nihil tibi proderit. Quid hic aliud ex hac allegoria colligere poteris, quàm quod Capernaitæ non potentes capere, quem in modum carnem Chriſti citra detrimentum corporis eius ederent, retroceſſerunt ab eo, quum tamen Apoſtoli, certo credentes Chriſtum, quum eſſet Dei filius, omnia potuiſſe, nihil de promiſſione ipſius dubitarent. *Iohan. 6.*

OEcol. *Achis ſunt & Capernaitæ, quia à Chriſto retrocedentes, myſteria ignorant & ſaliuam tadentem in barbam, hoc eſt, humilia verba Chriſti ſtultitiam credunt. Retrocedunt autem & ad perfectam Chriſti notitiam nõ perueniunt, non ſolum qui à ſermone Chriſti abhorrent, ſed etiam qui carnalem ſibi menſam pollicentur, quaſi in pane contenta ſit caro Chriſti.*

Roff. *Iohan 6.*

Exiſtimabant certe Chriſtum prorſus carnaliter fuiſſe locutũ, & ſuam carnem haud aliter, quã pro modo cæterarum eſcarum eis edẽdam oblaturum, quod tamen abſuit ab inſtituto Chriſti quàm longiſſime. Sed quid iſtud quæſo conferre quicquam valebit huic diſputationi tuæ? Nec tantillum profecto. Cæterum, quod dicis eos ita carnalem ſibi mẽſam fuiſſe pollicitos, vt in pane putarent Chriſti carnem cõtineri. Iſtud precor vnde didiceris? Non aliunde ſcio, quàm è ſexto capite Iohannis reſpõdebis. An non igitur tua confeſſione caput ipſum ad euchariſtiã ſpectat. Quid enim aliud eſt euchariſtia, quàm caro Chriſti ſub ſpecie panis contenta? Et hic optime lector aduerte verſipellem hunc, qui iam ad ſextum caput Iohannis doceat hoc ſacramẽtum ſpectare, quod poſtea prorſus negat.

Oecolam. ſua aſſertio antidicatur.

OEcol. *Petri autem & domeſtici Chriſti ſunt, qui arcana ſacramenta, & à ſeculis abſcondita, clarius cognoſcũt procul ab inſaniæ probro alieni. Quibus autem tanta reuelauit pater, qui neſcirent quæ ſub panis & vini figura proponantur, illis vt & nos inugamur, oramus.*

Roff. *Iohan. 6.*

Incredulis myſterio ſpiritalis eſcæ diſcedentibus, Petrus & cæteri qui cum eo fideles erant, à Chriſti ſequela neutiquam receſſerunt. Nihil enim hęſitabant, an Chriſtus quocunq; modo voluerit, carnem ſuam eis ad edendum præbere potuiſſet. Quocirca neq; vllam hac de re quæſtionẽ ab illis Chriſto propoſitam legimus, ſed fidẽ ſimpliciter adhibuerũt Chriſto, quem nihil dubitabant omnia poſſe. Cæterum quòd ſacramentum ipſum adhuc nouerint, ſicut tu fateris, ego neutiquam aſſentior. Nã diu poſt hoc, euchariſtia fuit inſtituta. Nunc tantum pręparauit eorũ animos, vt Chryſoſtomus affirmat, vt quum ſacramentũ ipſum eſſet inſtituturus, ipſi multo facilius crederent veram Chriſti carnem, vere ſub ſpecie panis eſſe. Propter quod & in eodẽ capite dixit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Ecce daturum ſe pollicetur panem & carnem, & vtrunq; præſtitit. Nam in cruce carnẽ dedit pro mundi vita. Dedit & ipſa nocte priuſquam crucifigeretur, ſacramentum iſtud ſub ſpecie panis, qui veram ipſius carnem continebat. Quamobrem & bis dixit, dabo. Semel pro carne velata ſpecie panis: & denuo pro carne ſub ſua propria ſpecie. Panis (inquit) quẽ dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.

Matth. 26.

Iohan 6. Matth. 26. & Luc. 22.

Bis Chriſtus dixit dabo. Iohan. 6.

Pollicetur ſe nodum in Auguſtino diſſecaturum, quod minime præſtat.

Capvt VIII.

OEcol. *Hic ſtatim in ipſo adhuc limine, nodum quẽdam Auguſtini explicare nos decet.*

Roff. Hoc eſt quod prædixi lector. Allegoriam iſtã, qua nihil lucrifecit, ob id ſolũ introduxit, vt citra ſuſpitionem impoſturę commodius Auguſtinum oppugnaret, & fucum quẽdam ſuperinduceret aſſertioni ſuæ. Verum iſtud oppugnationis genus,

Lib 1. c. 7. &. Oecolam. dolo vincere ſtudet.

genus, inſidioſum eſt & callidum atq; ei propriū, quidolo magis quàm veritate vincere conatur.

OEcol. *Aduerſarij enim animaduertētes, ſiquidē anima 'uertunt, vnde allegoriam iſtam mutuati ſumus, eiuſdem doctoris authoritate nos deprimere, & inde ſuū dogma ſtabilire nitentur, eo quod eodem loco idem dicat, ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando ipſum corpus ſuū commendans, ait: Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Videtis (aiunt) quomodo ſe prodāt fallaces Capernaitæ? Quare hoc Auguſtini dictum trāſiliunt? Quid manifeſtius, quàm quod dicit Chriſtum habuiſſe corpus ſuum in manu? Et eſt profecto in altario quod erat in cœna.*

Roff. *Multiplex Oecolam. peccatum.* Et iure ſane hoc ipſum tibi obiicient, quandoquidem per eruditionem tuam ignorare nequeas, quid tam apertis verbis ſibi voluerit Auguſtinus. Quare quum ipſum alibi pro tua hæreſi fulcienda citas, & contra veritatem, peccas in illud *Primum. Exod 20:* præceptum: Ne falſum teſtimonium dixeris. Peccas & in conſcientiam tuam, qui tibi conſcius es, *Secundum.* eum aliter ſenſiſſe. Peccas & in ſanctum illum patrem, quem ex orthodoxo facis hæreticum, & eo *Tertium.* grauius peccas, quod eius regulam ſub diuæ Brigittæ regula, ſis aliquando profeſſus. *Quartum.* Peccas demum in omnes Chriſtianos, quos in tantum errorem, atque id quidem Auguſtini authoritate, trahere moliris, contrà quam ille vnquam ſenſit, vt mox fiet apertiſſimum.

OEcol. *Fratres, abſq; dolo & fideliter omnia proferemus, & plenius Auguſtini verba trutinabimus.*

Roff. *Ironia. Oecolampad. merito impoſtor eſt.* Si ſic egeris Oecolampadi, quemadmodum te facturum recipis, intelliget lector, te vere Iſraelitam eſſe, in quo dolus non eſt. Sin multa, quæ ad Auguſtini mentem plenius elucidandam, atq; ita elucidandam, vt nemo contradicat, reticuiſſe te monſtrauerimus, quis non iure te merito vocabit impoſtorem. Neq; iſtud hoc vno loco feciſſe, ſed pluribus apertiſſime docebimus, ex his quæ ſequuntur. Et quid cuiquam turpius contingere poteſt quàm tanta perfidia clariſſimos authores mutilare?

OEcol. *Condonamus autem beato patri, primo intempeſtiuiorem allegoriæ ludum. Nam iuxta Hebraicam veritatem, nō eſt in Samuele, ferebatur in manibus ſuis, ſed collabebatur inter manus eorum, vt Hieronymus interpretatus eſt, neq; hoc apud Græcos ſonat παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ eſt enim, labebatur in manibus eius, vel iuxta idiomatis tropum, labebatur in manus eius, vel inter manus eius, regis ſcilicet vel miniſtri. Nā αὐτοῦ, Græcis non vbiq; reciprocum eſt. Hebræus ſane in plurali dicit: בידם in manum eorum. Sed demus hoc linguæ imperitiæ.*

Roff. *Auguſtinus non eſt aliquem librum interpretatus.* Nos nunc haudquaquam diſputamus, an vera fuiſſet interpretatio libri Regum quam tunc ſecutus eſt Auguſtinus. Nouimus enim omnes Auguſtinum, nec vnum ſcripturæ librum interpretatum fuiſſe, vt huic is lapſus imputetur. Culpa ſi qua fuerit, neutiquā in Auguſtinum, ſed in ſcripturæ illius interpretem quiſquis erat, potius reiicienda eſt. *Interpretum diſſenſio.* Sed necdum conuenit inter ipſos interpretes, & maxime qui ex Hebraica lingua interpretati ſunt, quænam fuerit interpretatio verior. Nam quod aliis ante Hieronymi tempora ſic transferendum videbatur, Hieronymo diſplicuit. Et rurſum quod Hieronymo placuit, iam à vobis, qui de linguæ ipſius peritia gloriamini, ſæpius deridetur & exploditur. Nec deerunt forte poſt vos & alij, qui veſtra pari facilitate ſubſannabunt. Poſſum complures in ſacris Bibliis producere locos, in quorum interpretatione nec duo ex vobis conſentient. Cæterum in præſentiarum neque de errore interpretis, neque de lapſu Auguſtini, quem tu imperitiæ taxas, & per Ironiam beatum appellas, controuerſia eſt, ſed quid ipſo loco, quem è quinquagenis cius citaſti, ſenſerit Auguſtinus, inquirimus, & *Sermone primo ante 33. pſalmum.* an abſque dolo & fideliter omnia protuleris, vt iam pollicitus es, & an eius verba plenius trutinaueris.

OEcol: *Porro viderint aduerſarij acutius, quid dicat Auguſtinus Non ſimpliciter (inquit) ferebat corpus: ſed præmiſit, commendans corpus, nimirum in ſacramento. Et ſubdit: ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu Chriſti Quo breui dicto fœlicem aperit allegoriam, collabentis Dauid. Collabi enim inter manus, vel ferre ſe in manibus, eſt infirmitatem teſtari, quæ vſque in hodiernum diem quam vera fuerit, ſymbolo panis docetur.*

Roff. *Malo dolo nō recte verba Auguſt. recenſet Oecolam.* Quoniam Oecolampadi, non tibi placet fideliter, & citra dolum Auguſtini verba recenſere, ipſe non grauabor vicem ſupplere tuam, vt nemo non intelligat dolos & ſycophantias tuas, quibus in hoc vno authore citando vteris, quo ſibi cautius lectores proſpiciāt, ob alia quæ poſthac dicturus es. Sic igitur Auguſtinus priori concione ex duabus illis, quas 33. Pſalmo præmiſit, tradidit: *Verba Aug.* Et ferebatur in manibus ſuis, hoc vero fratres quomodo poſſet fieri in homine quis intelligat. Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum portari poteſt homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam non inuenimus. In Chriſto autem inuenimus: ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum: *Matth 26.* ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Hactenus Auguſtinus. Qua fronte iam dixeris Oecolampadi, te abſque dolo & fideliter omnia protuliſſe? An non ex prædictis, multa ſubticuiſſe te, manifeſtum eſt. *Auguſt. ſententia eſt pro veritate corporis Chriſti in eucharistia.* Nec ſanè potuit Auguſtinus hanc rem pro noſtra parte verbis apertioribus prodidiſſe, quod & iam palam faciemus. Ecce recenſet hic primum, quid iuxta interpretationem, quam ipſe fuerat ſecutus, de Dauide ſcriptum erat: nempe quod ferebatur in manibus ſuis. Subinde monſtrat id nequaquam intelligi poſſe de quouis homine, qui nihil eſſet præter hominem. Et propterea ſubiungit, hoc vero fratres quomodo fieri poſſet in homine, quis intelligat? Nec certe cuiquam intelligibile eſt, qua ratione ſeipſum quis in ſuis manibus baiulare queat. Quamobrem & adiecit: Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum portari poteſt homo, manibus vero ſuis nemo portatur. De mero homine iam loquitur, cui nimirum impoſſibile eſt, vt totum ſuum

ſuum corpus in manibus ſuis portandũ præſens faciat. Solus hoc præſtare potuit is, qui Deus eſt & homo. Docet igitur hęc verba neutiquam poſſe de Dauid intelligi, dicens: Quomodo intelligatur de ipſo Dauid ſecundum literam non inuenimus. Ecce palam affirmat ſe nõ poſſe inuenire, quẽ in modũ ea verba de Dauid iuxta literã verificentur. At ſi rogemus Auguſtinum, ſi vere competant in alium quempiam? Reſpondit dicens in Chriſtum ea verba quadrare. Nã ſubdit: In Chriſto autem inuenimus, ſupple quem in modum ipſe ſeipſum portabat in manibus ſuis. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis. Sed tempus indicat quando id factum fuerat. Quando (inquit) commendans corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meũ: ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Nimirum quando ſuum corpus diſcipulis edendum commendauit, & dixit: hoc eſt corpus meũ, tunc ſe portabat in manibus ſuis. Atque ideo palam aſſeruit Auguſtinus, Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Veniam dabis lector, ſi verboſior in hac re tibi videar. Nã facit hominis huius impudentiã, vt iuxta adagium, præmãſum in os ingeram, & Auguſtini verba nimis fruſtulatim aperiam. Audiſti lector Auguſtinũ aperte negare, potuiſſe Dauidem in ſuis manib. ſeipſum ferre, atque hoc ipſum quod negauit de Dauide affirmaſſe de Chriſto. Ferebatur (inquit) Chriſtus in manibus ſuis, quando corpus ſuum ferebat in euchariſtia. Quare & neceſſario colligitur, Auguſtinum ſenſiſſe corpus illud fuiſſe Chriſtũ. Nam ſi figura Chriſti ſola fuiſſet, quemadmodum Oecolampadius opinatur, quid vetat Dauidem ita ſeipſum in ſuis geſtaſſe manibus. Potuit enim aut æream aut auream figuram ſuis ipſius circumtuliſſe manibus. Sed fatetur Auguſtinus Chriſtum à ſeipſo ſuis ipſius manibus geſtatum. Ferebatur (inquit) Chriſtus in manibus ſuis. Idq; negat intelligi poſſe, quemadmodũ aut Dauid, aut alius quiuis hominum de ſeipſo faceret, nempe quod geſtaret ſeipſum in manibus propriis. Cæterum, quî conueniãt iſtis Oecolampadij verba, iam audiamus. Viderint (inquit) aduerſarij acutius quid dicat Auguſtinus. Non ſimpliciter (inquit) ferebat corpus. Aberras Oecolampadi. Simpliciter hoc ipſum affirmauit hauddubie, ſemel quidem quum dixit, ferebatur enim Chriſtus manib. ſuis. Nec illo contentus, iterum adiecit: ferebat illud corpus in manibus ſuis. Quid potuit abſolutius dici? Sed præmiſit, ait Oecolampadius, commendans corpus nimirũ in ſacramento, & ſubdit: Ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quid igitur? Hæc certe nihil prohibent abſolutiſſimam enunciationem rei, quod nemo nõ perſpicit, niſi qui pertinax fuerit. Nam vbi pridem & ſimpliciter enunciauerit dicẽs: Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, affert eius rei probationẽ. Quando (inquit) commendans corpus ſuum, ſupple diſcipulis edẽdum, ait: hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Quod vero ſubdit: Ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu, nihil minuit ex aſſertione priori. Quod & ſuperius in eodem ſermone Auguſtinus indicauit, dicens: Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Sed inquis, hoc breui dicto fęlicem aperit allegoriã collabentis Dauid. At quid hoc ad Auguſtinum, qui verbo collabebatur nõ vtitur, ſed ferebatur (ait) manibus ſuis.

Chriſtus ſeipſum portat in manibus. Matth. 26.

In Euchariſtia eſt verũ corpus Chriſti ſecundum Auguſtinũ.

Matth. 26.

OE COL. *Et hoc etiam eſt quod in ſequenti ſermone dicit: Quia cum commẽdaret ipſum corpus ſuum & ſanguinem ſuũ, accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo quum diceret, hoc eſt corpus meum.*

ROFF. Sequens ſermo non eſt aliud quàm breuis & ſummaria præcedentis repetitio, quam propter eos qui pridie abſuerant, Auguſtinus collegit, vt in ſermonis ipſius initio teſtatur.

OE COL. *Hic interrogarim eos, qui vrgere nos cupiunt his verbis, quid ſibi velit cum dicit: Quod norunt fideles? putarintne fidelibus ſacramenta ignota?*

ROFF. Conſtat ex his Auguſtini verbis quibus & nõ ſemel vtitur, propter infideles, qui tunc Chriſtianis permixti fuerant, aliud quiddam ſub hoc ſacramẽto creditum eſſe fidelibus, quàm appareat Ethnicis. Nam hi nihil illic eſſe iudicant, præter communem panem; at Chriſtiani docti ſunt, vt ibi credant eſſe verũ corpus Domini. Tunc enim Ethnici, neque paruo numero, cum Chriſtianis quotidie conuerſabantur, atque id paſſim in ciuitatibus Africæ. Quamobrem propter illos, ne videlicet ſanctum daret canibus, his verbis Auguſtinus frequẽter vtitur. Sunt enim vt ſuperius reſpondi ſacramenta non prorſus incognita fidelibus. Nam fide credũt, quicquid ſibi de ſacramentis à paſtoribus ſuis traditur. Et hæc notitia multo certior eſt, quàm quæ ſenſu vel ratione concipitur. Nititur enim fides principiis infallibilibus, nimirum ipſis Dei verbis, qui nec falli ipſe, nec alium quẽquam fallere poteſt. Certiora ſunt, quæ nobis tradidit Chriſtus, quàm quæ oculis cernimus aut haurimus auribus. Nam ſenſus plęrunq; iudicio ſuo decipitur. Et ratio ſępenumero ſuis argumentationibus rapitur in errorem. Sed verbum Dei, cui fides innititur, ſemper eſt certiſſimum. Atq; ideo dixit Auguſtinus, quod & alibi frequentius vſurpat, Quod norũt fideles. Et quid aliud potuit his verbis intelligere, quã quòd norint fideles in hoc ſacramento verè contineri corpus Domini. Nã ſæpius hoc verbo vtitur, quàm priori, quod & aliquot locis nunc oſtendam. lib. 2. contra literas Petuliani ſic ait. Aliud eſt Paſcha quod adhuc Iudæi de oue celebrant: aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini celebramus. Ecce hic palam appellat corpus & ſanguinem Domini. Etiam libro primo ad Creſconium Grammaticum, ſic ait: Quid de ipſo corpore & ſanguine Domini vnico ſacrificio, pro ſalute noſtra, quamuis ipſe Dominus dicat: Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, nõ habebit in ſe vitam. Nonne idem Apoſtolus docet etiam hoc pernicioſum male vtentibus fieri? Ait enim: Quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini: libro quoque primo, de peccatorum meritis & remiſſione,

Ethnici non credunt Chriſtũ in euchariſtia.

Matth. 7.
Lib. 1. ca. 6.

Notio fidei omnium certiſſima.

Auguſtinus aſſerit in euchariſtia eſſe corpus Chriſti.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

ſione, Quid aliud (inquit) etiam qui ſacramentum menſæ dominicæ vitam vocant, niſi quod dictum eſt; Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendit. Et panis quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſeculi vita. Et ſi non manducaueritis carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, nō habebitis vitam in vobis. Hæc Auguſtinus. Eiuſmodi certe loca poſſum innumera producere, in quibus aperte ſeipſum exponit, quid per ea verba quum dicit: Quod norūt fideles, intelligat. Nihil aliud ſane, quàm veram carnem & ſanguinē Domini. Nam hæc fideles cuncti vere credunt in Euchariſtia cōtineri. Sed & hoc ipſum, hi qui tūc fideles erant, per totam Africam docebantur. Neque enim clam eſt cuiquam quid Cyprianus, qui conciliis multis per Africam habitis præfuit, de hoc ſacramento ſenſerit. In quo diſſenſiſſet à cæteris epiſcopis, aut alius quiſpiam ab eo, vel is accuſatus fuiſſet hæreſeos, vel alios dubio procul accuſaſſet ipſe. Quādo igitur ipſe palam ſenſit, & ſcripſit corpus Chriſti vere ſub ſpeciebus panis in ſacramento contineri, quis ambigere poteſt, quid cæteri fideles per Africam crediderint. Et quis nō nouit ab Auguſtino taxatū fuiſſe Cypriani errorem de baptiſmo. Quod ſi pariter idem erraſſet in Euchariſtiæ ſacramento, certe nō tacuiſſet hoc ipſum Auguſtinus.

Iohan. 6.

Africani credunt corpus Chriſti in euchariſtia.

Cyprianus tenet corpus Chriſti in Euchariſtia. Et is de ſacramento.

OEcol. *Quid volunt ſibi verba illa: Quodammodo, & commendat? Audacter proloquendum erat, ſi declarabat ibi eſſe corpus ſuum, dum dicit: Quodammodo.*

Corpus Chriſti alio modo eſt in Euchariſtia quam videbatur oculis corporeis.

Matth. 26.

Roff. Aut vehementer hallucinaris Oecolampadi, aut ex ingenti malitia veritatem impugnas tam aperuiſſimā. Quis enim fidelium ignorat, Chriſtum alio modo tum ab Apoſtolis ſuis fuiſſe viſum, & alio ſub ſpeciebus panis contentum. Nam ſi dentes ſuos apoſtoli ſic infixiſſent ipſi carni viſæ, quemadmodum infixerant ſacramento, nemo dubitat quin carnē ipſam viſam laceraſſent. Nā lædi potuit & lacerari dentibus, quemadmodum & eadem in cruce clauis in eam adactis lædebatur. Cæterum ſub ſacramento caro Chriſti, ſic operante ſpiritu diuinitus recondita fuit, vt nullo pacto lędi potuerit. Quamobrem, & alio quodam modo Chriſtus in menſa ſedit, alio ſe geſtabat in manibus, diſcipuliſque ſe præbuit edendū. Veruntamen vtrobique vera fuit ipſa caro, & vtrobique pręſens erat ipſe Chriſtus, quemadmodum oſtendimus Auguſtinum ſuperiorē ſermone ſimpliciter & abſolute pronunciaſſe, quum dixit: Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis.

Caro Chriſti in ſacramento impaſſibilis.

OEcol. *Sicut & ex aliis locis manifeſtum erit, intelligit corpus ſuum adeſſe, vt in ſacramento, id quod non arguit localem corporis in pane præſentiam, vt ibi dicamus eſſe corpus reale, vbi eſt in ſacramento.*

Roff. Multa polliceris quæ ſcio præſtabis nūquam, id quod lector quiuis facile coniiciet, ex his quæ iam excuſſimus. Pollicitus es te nodum quendā Auguſtini iam explicaturum. Sed ibi nodum videri voluiſti, vbi nullus fuerat, niſi contenderis in cyrpo nodum eſſe, quod pertinaciæ ſummum indicium eſt. Neque enim expreſſius ab Auguſtino dici facile potuit, quàm ab eo ſit dictum. Teſtatur equidem apertiſſime ſe non poſſe in Dauid inuenire, quomodo portari potuit in manib. ſuis. At in Chriſto fatetur inueniſſe, quod ipſe ſeipſum geſtaſſet in manibus ſuis, nimirum quoniam corpus ſuum diſcipulis edendum præbuit, & dixit: hoc eſt corpus meum. Tunc aſſerit verū fuiſſe, quod Chriſtus ſeipſum in ſuis manib. portabat, eo quod tunc ſuum corpus propriis geſtauerit manibus: fruſtrati ſunt igitur lectores expectatione ſua, qui tuæ pollicitationi cōfiſi ſunt. Sed & aliud quiddam pollicitus es, quod non ſatis integre præſtitiſti, nempe, quod abſq; dolo & fideliter omnia proferres, & Auguſtini verba in præfato ſermone plenius trutinares. Quod certe parum fideliter præſtitiſti. Nam præter ea, quæ ſuperius abs te prætermiſſa memorauimus, multo plura ſunt in eodem ſermone, quæ pro nobis militant, abs te tamen ſilentio callide præterita. Sed ea iam recenſere nequaquam pigebit. Sic enim paulo ante tradidit Auguſtinus: Erat autem vt noſtis, ſacrificium Iudæorum antea ſecundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondū erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui euangelium legerunt, quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum. An non iſtud ſatis eſt, vt tu falſarius commonſtreris? An non victimæ pecorum Chriſtum figurabant? Et tamen eas neutiquam appellat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini. At hoc ſacrificium nouum dicit notum eſſe tam fidelibus, quàm his qui legerint euangelium, quod ſit ſacrificiū corporis & ſanguinis Domini. Et vbi precor, ex euāgelio, niſi vbi Chriſtus dixit: Hoc eſt corpus meū, & hic eſt calix ſanguinis mei? Sed adhuc audi quę ſequūtur. Proponite ergo vobis ante oculos duo ſacrificia, & illud ſecundum ordinem Aaron, & hoc ſecūdum ordinem Melchiſedech. Scriptum eſt enim: Iurauit dominus & non pænitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. De quo dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech? De domino noſtro Ieſu Chriſto: Quis erat Melchiſedech? Rex Salem. Salem ciuitas fuit antea, illa quæ poſtea ſicut docti prodiderunt, Hieruſalem dicta eſt. Ergo antequam ibi regnarent Iudæi, ibi erat ille ſacerdos Melchiſedech, qui ſcribitur in Geneſi: Sacerdos Dei excelſi. Ipſe occurrit Abrahæ quando liberauit Loth de manu perſequentium, & proſtrauit eos à quibus ille tenebatur, & liberauit fratrē. Poſt liberationē fratris, occurrit ei Melchiſedech. Et tantus erat Melchiſedech à quo benediceretur Abraham. Protulit panem & vinum & benedixit Abraham & dedit ei decimas Abraham. Videte quod protulit ei, quem benedixit. Et dictum eſt ei poſtea: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Dauid hoc in ſpiritu dixit longe poſt Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchiſedech. De quo alio dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: niſi de illo cuius noſtis ſacrificium? Sublatum eſt

Matth 26.
In duobus fefellit Oecol. lectores.
Supra ca. 8.
Sermone primo ante Pſal. 33.
Auguſtinus.
Victimæ Chriſtum ſignificantes non erant ſacrificium corporis Chriſti.
Matth 26.
Luc. 22.
Sacrificium duplex.
Pſal. 106.
Gene. 14.

enim ſacrificium Aaron,& cœpit eſſe ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Ergo mutauit,neſcio quis, vultũ ſuum. Quis eſt iſte? Neſcio quis non ſit,& ſcio quis. Notus enim eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus. In corpore & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutẽ ſuã. Hactenus Auguſtinus. Et iſtud etiam ex induſtria prætermiſiſti, quum tamen pollicearis te fideliter,& ſine do[lo] cuncta prolaturum. An iſtud tibi nihil viſum [es]t? profecto ſi nihil prorſus aliud quàm panis & vinũ eſſet in ſacrificio Chriſti,iam ipſe Melchiſedech ęque corpus & ſanguinem Chriſti ſacrificaſſet, atque Chriſtus ipſe. Quare quum panis & vinum, quæ Melchiſedech ſacrificauit, non dicebantur corpus & ſanguis Domini, manifeſtum eſt aliud quiddam in hoc ſacrificio contineri, quanquam panis & vini ſpecies hic maneant,& ſenſu ſpectẽtur. Nam diuinius haud dubie quiddam hic reconditum eſt,cuius gratia iam ſacrificiũ corporis & ſanguinis ipſius Chriſti dicantur. Sed aduerte quid his præterea ſubiunxerit Auguſtinus, quæ tu quoq; non citra fraudẽ præteriiſti. Vnde autẽ cõmendauit corpus & ſanguinem ſuũ? De humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice altitudinẽ ipſius: In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum. Ecce cibus ſempiternus, ſed manducant angeli, manducant ſupernæ virtutes, mãducant cœleſtes Spiritus, & manducant & ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? vnde cor tam idoneũ illi cibo? Oportebat ergo vt menſa illa lacteſceret & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac cõuertitur,niſi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quo manducat mater, hoc mãducat infans. Sed quia minus idoneus eſt infans, qui pane veſcatur: ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillę, & lactis ſuccum de ipſo paſcit infantem. Hactenus Auguſtinus ibidem. Per immortalem Deum te quæſo, quibus verbis Auguſtinus hanc rem explicare nobis potuit manifeſtius? Cibus ille ſolidus angelorũ, hoc eſt, verbum patris factum, & ſub Euchariſtiæ ſacrificio caro, quatenus homo poſſit in ipſo ſacrificio cibũ eũdem edere, quo paſcuntur & angeli. Sequitur adhuc & aliud abs te prætermiſſum. Quomodo ergo (inquit) de ipſo pane pauit nos ſapiẽtia Dei? Quia verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem: quia panem angelorum manducauit homo, vt ſcriptum eſt: Panem cœli dedit eis, panem angelorum mãducauit homo, id eſt, verbum illud, quo paſcuntur angeli ſempiternum, quod eſt æquale patri, manducauit homo: quia cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Saginantur ergo illo angeli. Sed ſemetipſum exinanuit, vt manducaret panem angelorum homo, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus vt homo, humiliauit ſe factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Vt iam de cruce cõmendaretur nobis caro & ſanguis Domini, nouum ſacrificium, quia mutauit vultum ſuum coram Abimelech, id eſt, coram regno patris. Hactenus Auguſtinus in ſermone priori ẽ duobus, quos loco præfationũ antepoſuit Pſalmo triceſimotertio. Ex quibus dictis, ſi tamẽ in vnum aceruum omnia colligeres, omni ſole clarius perſpicies veram carnẽ & ſanguinem Chriſti in hoc nouo ſacrificio contineri: quod à ſuis temporibus per orbem terrarũ fuiſſe diffuſum, idem Auguſtinus apertiſſime confitetur, nimirum vt iam fideles eodẽ in terris veſcantur cibo, quãquam in formam redacto commodiorem, quo paſcuntur & in cœlis angelicæ poteſtates.

Melchiſedech non ſacrificauit corpus & ſanguinẽ Chriſti.
Auguſtinus.
Iohan. 1.
1. Corinth. 3.
Hebræ. 5.
Pſalm. 77.
Auguſtinus.
Sapientia 9.
Iohan. 1.
Pſalm. 77.
Philip. 2.
Pſalm. 77.

OEcol. *Neq; eſt quod contendatur, norunt quidem fideles ſacramenta, ſed ignorant modum quo in ſacramentis ſint, quæ illic eſſe creduntur.*

Roff. Multa dicis Oecolampadi, ſed nullam affers probationem eorum quæ dicis, perinde ac ſi tua dicta maioris authoritatis nobis habenda ſint, quàm ipſius Chriſti. Ais nõ eſſe quod contendatur, modum ignorare fideles, quo ſunt in ſacramentis ea, quę credunt ſub eis contineri, quando confitemur eos noſſe ſacramenta. Verum iſtud neutiquam probas. Atqui probare iſtud oportuit. Nam ſupra oſtẽdimus ex Auguſtino, de trinitate lib. 3. cap. 4. diuinum Spiritũ in hoc ſacramento inuiſibiliter operari, vt fiat tantum ſacramentum. Et hãc opinor operationem nulli mortalium intellectui citra fidem, cognitam eſſe dices, ſed tantum creditam. Quãquam igitur fideles non ignorent, ſub hoc ſacramento Chriſtum eſſe velatum, modus tamen quo fiat Chriſtus hic præſens, neutiquam eis cognitus eſt, niſi generalis duntaxat, vtpote per verbum Chriſti quod omnia poteſt.

Lib. 1 ca 6.
Modus quo Chriſtus eſt in ſacramento, incognitus eſt fidelibus.

Pollicetur quanquam inaniter ex eodem Auguſtino ſe docturum, nullum eſſe miraculum in Euchariſtia.

Capvt IX.

OEcol. *Verum clariſſimo teſtimonio eiuſdem Auguſtini docebimus, non eſſe in hoc ſacramento, quod vel miraculum ſit, vel hominis captum excedat.*

Roff. Montes aureos Oecolampadi nobis polliceris. At nihil horum ſcio præſtiturus es. Si queas oſtẽdere non hoc dixiſſe Auguſtinum, quod iam retulimus, hoc eſt non operari Dei ſpiritum in pane diuinitus, vt fiat tantum ſacramentum, aut ſi dixeris nõ eſſe verum hoc ipſum quod illic aſſeruit, tum aliquid feciſſe te dicam, alioqui nihil ex hac pollicitatione te facturum expecto. Quod ſi verum ſit, quod Auguſtinus ibi tradit, vt & non dubito veriſſimum eſſe, profecto falſiſſimum ſit oportet quod tu iam affirmas, non eſſe videlicet in hoc ſacramento, quod vel miraculum ſit, vel hominis captum excedat. Nam exploratiſſimum eſt hominis captum excedere, quicquid in hoc ſacramento Dei ſpiritus inuiſibiliter operatur.

Falſum promittit Oecol. & ſibi impoſſibile. ca. 6. & 8.
Ex Auguſtino legimus in Euchariſtia eſſe miraculum.

Nam

OEcol.

Nam de illis quæ ſignificant, & quæ admiramur, ac cognoſcere vel non cognoſcere valemus, aperte tradit in libris de trinitate, ponens nouem genera miraculorum, & ſignorum, quæ diuinitatis aliquid ſenſibus annunciant.

Roff.

Nouem modi diuinæ annunciationis. Aug. non omnem modum miraculorum complexus eſt. Matth. 3. Matth. 17. Marci 9. Actorum 2.

Verum quidem eſt, quod Auguſtinus hoc loco nouem ex veteri teſtamento modos colligit, quibus aliquid diuinitus annunciatur. Sed tantũ abeſt vt in his cõpræhendi voluerit omnia miraculorum genera, vt etiam tres poſtremos nibil in ſe continere miraculi fateatur. Sunt vtiq; præter hæc, & alia plurima, quæ nequeũt ad aliquod horum referri, vt ſunt omnia quæ per Chriſtum, & per Apoſtolos miracula, fiebant. Sed neq; modos omnes annunciationum exprimunt, ſed tantum eos qui facti ſunt in veteri teſtamento. Nam columba quæ fuerat indicium Spiritus ſancti, etiam vox illa paterna, quæ audiebatur Chriſto baptizato: & rurſum eodem transfigurato. Nubes itidem lucida, quæ tum Apoſtolos obumbrabat. Accedunt his & diſpertitæ linguæ tãquam ignis, quando ſuper Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus. Nihil horum eſt, quod vel per angelum, vel per Prophetam fuerat patratum. Quo fit vt nequeant referri ad ſex illa priora miraculorũ genera. Neque dici poterit, quod ad aliquod trium ſequentium ſpectent, præſertim quum idem Auguſtinus teſtetur, hæc tria per homines eſſe facta, quemadmodũ in eodem loco ſequitur, Auguſtino ſic dicente: Sed quia hæc hominibus nota ſunt, vt per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Hæc Auguſtinus illic: Verum aliter de columba, de voce patris, de linguis igneis, de ſplendore veſtium Chriſti ſentiendum eſt.

Matth. 3. Matt. 17. Marc. 9.

OEcol.

Primum, ſi perſona Dei in angelo demonſtretur. Secundum, ſi in ſpecie, quæ non eſt angelus, ſed quæ per angelum diſponitur, & iam erat corpus, & ad hoc demonſtrandum in aliquam mutationem aſſumitur. Tertium, ſi in ſpecie, quæ per angelum diſponitur, & ad hoc exoritur. Quartum, ſi in homine Propheta qui verba Dei loquitur, vt ſi præmittat, hæc dicit Dominus. Quintum, ſi idem fiat nullo tali dicto præmiſſo, vt dum Pſaltes dicit: Intellectum tibi dabo. Sextum, ſi in factis hoc gerat Propheta, vt dum Propheta veſtimentum diuiſit in duodecim partes. Septimum, ſi in re, quæ non eſt Propheta, etiam in terrenis rebus exiſtente, vt dum Iacob erigit lapidem. Octauum, in re quæ ſit eadem ſpecie vel aliquantulum manſura, vt ſerpens æneus, qui in ſpeciem veri ſerpentis, vel litera ad ſignificandum facta (opinor in nomine tetragrammate.) Nonum, ſi in re quæ ſit quidem eadem ſpecie, ſed peracto miniſterio tranſitura. Sic panis ad hoc factus, in accipiendo ſacramento, conſumitur: Papé quanta in his poſtremis docet.

Roff.

Detorquet Auguſt. non ſane intellectum.

Quid iam reperiſti precor, quod ſic exclames? profecto nihil amplius, quàm nigellum illud, quod in ſummitate fabæ adhæret. Docet nimirum in his Auguſtinus ea quæ tu maligno ingenio peſſime deprauas. Sana tradidit ille, ſi tu ſane capias. Sed quis vnquam author, præſertim dum in obſcuris quæſtionibus diſſoluendis verſatur, ita ſcripſit, vt non poſſit à peruerſis perperam detorqueri. Id quod tu iam facis Oecolampadi, longe quidem aliter, quàm vnquam ſenſerit Auguſtinus. Neq; enim credibile eſt, vt in vnica quæſtione diſſoluenda ſic oblitus ſui fuiſſet Auguſtinus, vt tam repugnantia dixiſſet. Dixit enim paulo ſuperius, in eodem libro ſanctificari panem & vinum vt fiat tam auguſtum ſacramẽtum, per inuiſibilem diuini Spiritus operationẽ. Quare ſi iam dixerit, nihil ibi ſupra noſtrum captum eſſe, vt tu moliris, plane ſibi contradicit. Sed vt res apertior fiat, iterũ eius verba ſummatim recenſebimus. Docuit enim eiuſdem libri capite quarto, Chriſtum à Paulo trifariam annunciatum fuiſſe, nempe verbis, literis, atq; ſacramento corporis & ſanguinis Domini. Nec tamen Pauli verba, ſiue literas eius, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, ſed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, rite ſumimus ad ſalutem ſpiritualem. Et continenter docet, quem in modum ex hoc ipſo, quod ſic ex terræ fructibus collectum eſt, corporis & ſanguinis Chriſti fiat ſacramentum. Iſtud (inquit) ita ex terræ fructibus collectum, quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, hoc eſt panis & vini, non protinus ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi inuiſibiliter operante Spiritu Dei. Hæc Auguſt. Ecce collectum eſt (inquit) ex terræ frugibus, nimirum ex frumenti granis, & ex botris vuarum, quod in viſibilem quandam ſpeciem panis & vini, manibus hominum formatur, & altaribus imponitur: Cæterum, hoc ipſum, vt fiat tantum ſacramentum non ſanctificatur niſi per inuiſibilem diuini Spiritus operationem. Nunc ergo quum panis exemplum afferat Auguſtinus, tanquam eius rei, quæ ſolis hominum facta ſit manibus, neceſſe eſt, vt de alio pane intelligat, quàm qui pro ſacramento corporis conſecratus fuerat, alioqui non conſtabit ſibi, quod de tanto viro, tanta memoria tantoque ingenij acumine prædito, & intra vnius quæſtionis excuſſionem, haud citra temeritatem, à quouis credi poteſt. Dicamus igitur quod de pane propoſitionis, quem Hebræi panem facierum appellat iſtud intellexerit. Nam & panis ipſe ſub myſterio Chriſtum ſignificat. Et vt Leuitici ca. 24. traditur, poſitus erat ſuper menſam auream in monumentum oblationis Domini, & à ſacerdotibus ſingulis hebdomadis conſumebatur. Quare per omnia quadrat hic panis ipſius Auguſtini verbis. Sed & veriſimilimum eſt id ita ſe habere. Nam cur alioqui petiiſſet hoc exemplum è ſcripturis noui teſtamenti, magis quam priora omnia. Quicquid de angelis, & de Prophetis ante citatũ eſt, ad vetus inſtrumentum pertinet. Sed & lapis Iacob, & ſerpens æneus inde ſimiliter trahuntur. Quamobrem & quum per panem propoſitionis abunde ſatisfactum ſit, & ipſius Auguſtini verbis & inſtituto, neque panis huius exemplum aliunde ſumatur, quàm ex veteri teſtamento, ſicut & cætera ibi recenſita, longe magis pu-

De trinitate lib. 3. cap. 4.

Auguſtinus de trinitate libr. 3. cap. 4.

Auguſtinus loquitur de pane propoſitionis Chriſtum ſignificante.

Gen. 19. Gen. 28 & 31 Num. 21. Leui. 24.

pu-

putandum eſt eum de hoc pane, quàm de Euchariſtia ſenſiſſe, ne manifeſtam in eius dictis repugnantiam confiteamur. Quæ certe non poterit aliter vitari.

OEcol.

Diſcere enim poteris, nullum ibi eſſe miraculum, id quod poſtea teſtatur fieri in apparationibus quas Angeli operantur.

Roff.

Hæc dilucide pro noſtra ſententia facinnt. Nam ſi de Euchariſtia locutus fuiſſet Auguſtinus, nec ipſe negaſſet ibi miraculum eſſe, nec alius quiuis recte eredens hoc negare poteſt, quemadmodum inferius abunde me monſtraturum confido. Interim iſtud ſatis fuerit ex eiuſdem Auguſtini mente recenſuiſſe, panẽ haudquaquam conſecrari, vt tantum fiat ſacramentum, niſi per inuiſibilem operationem diuini Spiritus. Hic tu mihi reſpondeas quæſo, num tibi videtur angeli cuiuſpiam operatio mirabilior, quam ſit ipſius omnipotentis Spiritus Dei? Si dixeris illius mirabiliorem, quis non inſanire te credat? Sin iſtius magis admirandam pronunciaueris, qua fronte dicis hic nullum adeſſe miraculnm? Quia igitur in Euchariſtia (modo receperis Auguſtinum) inuiſibilem diuini Spiritus operationem inficiari non potes, ac proinde virtutem in ea mirandam confiteberis, perſpicuum eſt Auguſtinum priori loco de Euchariſtia non ſenſiſſe, ſed de pane veteris legis, qui tam ſanctus habebatur, vt nemini liceurit eum edere, niſi ſolis ſacerdotibus.

Conſecratio fit diuina operatione.

OEcol.

Diſcere licet non aſſumi in hoc ſacramento res cum aliqua mutatione, vt dum virga in ſerpentem vertitur.

Roff.

Hoc etiam arguit Auguſtinum de pane propoſitionis fuiſſe locutum: quandoquidem in hunc panem omnia quæ dixit, competant. Nam in ipſo pane nihil immutatum fuit, ſed erat manibus hominum ſolis ita confectus. Et tamen adeo ſanctus habebatur, vt ex eo nemini liceret edere niſi ſolis ſacerdotibus, quemadmodum Chriſtus capite duodecimo Matthæi teſtatur. Adde quod & Chriſtum figurabat, & erat ceu monumentum oblationis Euchariſtiæ. Nam Leuiti. 24. panes propoſitionis, dicuntur panes in monumentum oblationis Domini. Iubenturque ſacerdotes, vt hunc panem ſingulis hebdomadis edant, in loco ſancto, quia ſanctum ſanctorum eſt, vel vt Cyrillus legit, Quia ſancta ſanctorum ſunt. Super qua re, ſi libebit, ipſius ſententiam in medium afferamus. Sic enim ſuper eodem capite ſcribens de panibus propoſitionis, ait: Si referantur hæc (inquit) ad myſterij magnitudinem, inuenies commemorationem iſtam babere ingentis propoſitionis effectum. Si redeas enim ad illum panem qui de cœlo deſcendit, & dat huic mundo vitam, illum inuenies panem propoſitionis, quem propoſuit Deus propiciatorem, per fidem in ſanguine eius. Et ſi reſpicias illam commemorationem, de qua dicit Dominus, hoc facite in mei commemorationem, inuenies quod iſta eſt commemoratio ſola, quæ propitium facit hominibus Deum. Si ergo intentius Eccleſiaſtica myſteria recorderis in his quæ lex ſcribit: futuræ veritatis inuenies imaginem præformatam. Hæc Cyrillus ibi. Panis itaque propoſitionis ſanctus fuit, & annunciabat Chriſtum æquè atque lapis Iacob, aut ſerpens æneus, & nihil in illo fuit immutatum, ſicut nec in iſtis. At in Euchariſtia, factam eſſe mutationem, & cenſuit Auguſtinus, & ſtipulantur authores cæteri, de quibus poſtea latius dicturi ſumus.

Panem propoſitionis edere non licebat laicis.

Panes propoſitionis figurabat Chriſtum.

Cyrillus.

Iohan. 6.

Rom. 3.

Lucæ 22.

Leui. 24.

Gen. 28.

Num. 21.

Vide in præfat. 3. lib. 4. corrobo. & alibi.

OEcol.

Maxime autem obſerua, rem aſſumi ipſo myſterio tranſituram.

Roff.

Et iſtud item congruit pani propoſitionis. At quo dilucidius intelligamus omnia quæ de pane dixit Auguſtinus, in hunc propoſitionis panem ad amuſſim conquadrare, ſubſcribemus ea quæ de tribus poſtremis exemplis illic tradidit. Poſtquam enim de angelis & Prophetis varia protuliſſet exempla, quem in modum ipſi Deum annunciaſſent, ſubdit: Aliquando etiam res quæ non erat, quod Propheta, & erat iam in terrenis rebus, ad huiuſmodi ſignificationem aſſumpta eſt. Sicut ſomno viſo, Iacob euigilans fecit de lapide quem dormiens habebat ad caput. Aliquando ad hoc fit eadem ſpecies, vel aliquantulum manſura. Sicut potuit ſerpens ille æneus exaltatus, in heremo. Sicut poſſunt & literæ: vel peracto miniſterio tranſitura. Sicut panis ad hoc factus in accipiendo ſacramento conſumitur. Vides hic lector exempla tria, vt de literis taceam, de quibus iam parum attinet loqui. Primum eſt, ipſius lapidis Iacob, qui nihil aliud quam lapis fuerat, nihil immutatus à forma lapidis, interius, nec exterius. Secundum, ſerpentis ænei, qui ſic per Moyſen ex ære conflatus erat, vt nec per diuinam, nec per angelicam operationem aut interius aut exterius immutabatur. Tertium ipſius panis, cuius ſpeciem dicit peracto miniſterio tranſiturã. Et quod panis ipſe ad tale miniſterium factus in accipiendo ſacramento conſumitur, hoc eſt, quum ipſum panis myſterium à ſacerdotibus edebatur, ipſo vſu conſumebatur. Iam perſpicis lector quando cætera exempla omnia manifeſtum eſt à veteri teſtamento petita fuiſſe, num conſentaneum fuerit, vt inde quoque poſtremum quod panis eſt, ſimili peteretur modo, & maxime ne ſecum pugnet Auguſtinus, vt iam ſæpe diximus.

Gen. 28.

Num. 21.

Leuit. 24.

OEcol.

Quæ omnia tanquam ipſiſſimas abominationes execratur & anathematizat ὁ γνωμολόγος cum Romana Eccleſia, quam vtinam illuſtret Dominus, vt ſit quod eſſe prædicata eſt.

Roff.

Nihil horum quæ iam dixit Auguſtinus, iuxta ſanum eorum intellectum aut Eccleſia Romana reiicit, aut author libri quem vocant ſententiarum, ſed tuam Oecolampadi peruerſiſſimã eorum interpretationem execrantur, & anathematizant omnes, quotquot orthodoxi ſunt. Et ſane ſi ſpes aliqua foret tuæ reſipiſcentiæ, cum lachrymis precareris, vt te Dominus illuſtraret.

Nec Petrus Lombardus, nec Eccleſia execrantur Auguſtini ſententiam.

Prouerb. 18.

ſtraret, & ſaniorem donaret aliquando mentem. *Prouerb. 18.* Sed impius quum in profundum malorum venerit contemnit.

Fruſtra confirmare nititur hoc ipſum ex aliis Auguſtini verbis.

Capvt X.

OEcol. *INſuper eodem capite clarim rem agit, iuſtitiam poſteriorum ſeculorum, quantum in ipſo erat, præcauens. Dicit enim ea quæ per angelos fiunt admiranda & intelligenda, quæ vero per homines, intelligenda tantummodo.*

Roff. *Li. 3 de trini. ca. 4. Vide hoc ſupra ca. 8.* Quantum ex his verbis apparet, tibi nequaquam quidem inſcius videris. Mihi compertiſſimum eſt, quod ſi non eſſes prorſus excæcatus, nunquam iſta diceres: Legiſti opinor quæ protulit Auguſtiuus, hoc ipſo tertio libro. de ſacramẽto corporis & ſanguinis Domini, quod panis & vinum non ſanctificantur, vt fiant tam eximium ſacramentum, niſi per inuiſibilem operationem Spiritus Dei. Quid ergo putas auguſtius, ant magis incompræhenſibile altiorive admiratione dignum, idne quod angelica virtute fit, an id quod incomparabili potentia diuini Spiritus effectum ſortitur? Iſtud opinor dices, niſi mẽtis emotę fueris. Quamobrẽ ſi de pane loquatur Auguſtinus, *Auguſtinus non loquitur de Euchariſtia.* qui nihil habet in ſe, niſi quod intelligi queat, & nihil quod quiſquam admiretur, nihil ad Euchariſtiam attinet iſte locus.

OEcol. *Dixerat autem ſupra, quæ per homines fiant. De quibus iterum ſubiicit: Quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Itaq; illa quæ per angelos fiunt, quo difficiliora & ignotiora, eo mirabiliora ſunt nobis, illis autem tanquam ſuæ actiones nota atq; faciles.*

Roff. *Ca 9 Gene. 28. Num. 21. Leui. 24.* Sane quemadmodum recenſes ad ea tria exẽpla, quæ ſupra memorauimus, nempe lapidis Iacob, Serpentis ænei, & panis, continenter ſubiicit: Sed quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Aduerte quid dicat: Ecce teſtatur primum, qnod per homines facta ſint hæc tria. Et certe manifeſtum eſt, ipſa hominum opera eſſe. Nam Iacob lapidem erexit in titulum, & ipſa erectio fuit opus eius. Moyſes etiam ſerpentem æneum, à ſe *Gene 28. Num 21. Leui. 24.* factum, in palo ſuſpendit, & hoc erat opus hominis. Poſtremo panis in menſa poſitus ad monimentum oblationis Domini, & ad Chriſtum ſignificandum, manibus humanis confectus fuit, & opus hominum. Cæterum quum Euchariſtia per virtutem inuiſibilem Spiritus Dei fiat, nõ poteſt ſub illius panis nomẽclatura compræhendi. Quod vero ſequitur, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt, illis item tribus cõgruit: non autem Euchariſtiæ. Venerãda nimirum illa tria fuerunt, & ceu res quædam ſacræ honore debito proſequẽda, tametſi non adoranda tanquam Deus, verum *Euchariſtia eſt adoranda.* Euchariſtiam Auguſtinus adorandam eſſe docet, quemadmodum infra ſumus oſtenſuri. Præter hæc illa nihil habent intra ſe ſtupendum. At quis non obſtupeſcat ad diuini Spiritus præſentiam, cuius inuiſibili potentia, panis in tam eximium tranſit ſacramẽtum. Quod poſtremo loco de angelis tradit, etiam amplectimur: nempe, quod eorum opera, quo difficiliora ſunt, & ignotiora, eo mirabiliora ſunt nobis. Scimus tamen diuini Spiritus operationem illis omnibus incomparabiliter excellentem & longe anteponẽdam.

OEcol. *Et iterum vt & de ſacrato pane eum loqui non poſſis ire inficias. Illas (inquit) etiam nubes & ignes quomodo fecerint, vel aſſumpſerint ad ſignificandum quod annunciabant, etiamſi Dominus vel Spiritus ſanctus illis corporalibus formis oſtendebatur, quis nouit hominum, ſicut infantes non norunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, vnde vel quomodo conflatur, vnde in vſum religionis aſſumatur. Et ſi nunquam diſcant, experimento vel ſuo vel aliorum, & nunquam illam rerum ſpeciem videant, niſi inter celebrationem ſacramentorum, cum offertur & datur. Dicaturque illis authoritate grauiſſima, cuius corpus & ſanguis ſit, nihil aliud credant niſi omnino in illa ſpecie Deum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere tali percuſſo, liquorem illum omnino fluxiſſe. Mihi autem omnino vtile eſt, vt meminerim virium mearum, fratreſq; meos admoneam, vt & ipſi meminerint virium ſuarum, ne vltra, quã tutũ eſt, humana progrediatur infirmitas,*

Roff. Certiſſimum eſt hic Auguſtinum de ſacra Euchariſtia fuiſſe locutum. Sed quod proxime ſuperius de eadem ſit locutus, ſcio probabis nunquam: fortaſſe dices, Cur ergo nũc ſermonem de ea introducit? Et tu mihi reſponde, cur nunc ignes & nubes memorat, de quibus ne verbũ quidem antea fecerit? *Aug. incipit hic de Euchariſtia loqui.* Quod ſi de illis nunc primum loqui cœperit, cur eſt neceſſe, vt in proximis ante verbis, de pane cõſecrato, de quo iam loquitur, mentionẽ fecerit? Sed & iſtud expende. Si nemo hominũ nouerit, qua ratione nubes illas & ignes angeli fecerint, aut aſſumpſerint, ad aliquid annunciandum, neceſſe eſt, vt multo magis ignoremus modũ, quo facer; ipſe Spiritus per inuiſibilẽ ſuam potentiam hoc ſacramentum operetur ad *Roma. 1.* annunciandum in eo Chriſti corpus. Cęterum in eo quod ſequitur, profecto demirarer hanc tuam cæcitatem, ni mihi compertiſſimum eſſet, eam à Deo tibi inflictam ob vltionẽ perfidiæ tuæ. *Aug expreſſit Chriſtum ſub ſpecie panis contineri.* Nihil enim dilucidius eſſe poterit, quàm quod ex his verbis Auguſtinus apertè ſenſit Chriſtum in hoc ſacramento vere ſub ſpecie panis contineri. Quũ enim ita ſcribit Auguſtinus: Si dicatur pueris ad eum modum educatis, authoritate grauiſſima, cuius corpus & ſanguis hoc ſacramentũ ſit. Quid tibi videtur Oecolampadi, an velit eos hoc falſo doceri, an vere, iuxta orthodoxam fidem? profecto niſi pertinaciſſimus fueris, inficias ire non poteris, quin iuxta fidem orthodoxam eos voluerit erudiri? Quod ſi ſic eruditi fuiſſent, crederent haud dubie Chriſtũ in eo ſacramento contineri. Nam alioqui, ſi perperam imbuerẽtur, quid vetat quo minus diabolum credant ſub ea ſpecie deli-

delitescere. Rudis enim ætas illa ceu mollis quædam cæra facile ſuſcipiet à grauiſſimæ autboritatis præceptore vtriuſlibet opinionis credulitatem. Quoniam igitur iam docti pueri Chriſtum illic eſſe, & hoc ſacramentum vere corpus eius eſſe, nec ſcirent eam ſpeciem ex terræ fructibus eſſe collectam, nec alibi viderint eam, niſi in altari, an non perſpicuè conſequitur, vt ſi doctori fidem habuerint, crederent haud dubie Chriſtum, dum hic in terris conuerſaretur, in tali corpore apparuiſſe & de latere tali percuſſo liquorem illum omnino fluxiſſe? Sed & ſi præterea doceantur eam ſpeciem ex frumenti granis fuiſſe collectam, an non tibi videtur Auguſtinus tum putauiſſe pueros illos facile concepturos, non eam ſpeciem eſſe corpus Domini, neque vini ſpeciem ipſius eſſe ſanguinem? Iſta pro nobis Oecolampadi euidentiſſime faciunt, vt nec vnum verbulum hic reperio, quod tuæ ſententiæ propius accedat. Porro quæ ſequuntur Auguſtini verba, nihilo minus iniquè torques, quã ſuperiora: nimirum, vt videatur Auguſtinus velle nos ad indagationem tam abditarum rerum cohortari, quum ipſe contra dehortetur apertiſſime, quemadmodum lectori ſatis conſtabit, ſi tam ea, quæ iam recenſes, quàm alia quæ ſequuntur, abs te tuo more prætermiſſa, legere non grauabitur. Quid enim aliud hæc verba ſibi velint: Mihi autem omnino vtile eſt vt meminerim virium mearum, fratreſque meos admoneam, vt & ipſi meminerint ſuarum, ne vltra quàm tutum eſt humana progrediatur infirmitas. Hoccine te precor eſt, ad myſteriorum perſcrutationem cohortari, an prohiberi magis? Sed quæ ſequuntur in Auguſtino iam audiamus. Quemadmodum (inquit) hæc faciunt angeli, vel potius Deus, quemadmodum hæc faciat per angelos ſuos, & quantum fieri velit etiam per angelos malos, ſiue ſinendo, ſiue iubendo, ſiue cogendo occulta ſede altiſſimi imperij ſui, nec oculorum acie penetrare, neque fiducia rationis enucleare, nec prouectu mentis comprehendere valeo: vt tam certus hinc loquar ad omnia quę requiri de his rebus poſſunt, quàm ſi eſſem angelus, aut Propheta, aut Apoſtolus. Expende quid dicat. Si non valeat Auguſtinus oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis ènucleare, nec prouectu mentis comprehendere, quemadmodum hæc opera faciant angeli, vel per angelos Deus: multo minus comprehendere poterit quæ diuinus Spiritus per ipſum ſiue angelus in hoc ſacramento inuiſibiliter operetur. Cæterum quo dilucidius intelligas cum hanc temeritatem vetuiſſe, ſcripturas in medium producit, quibus infirmas hominum vires ad hæc tam abſtruſa comprehendenda non poſſe ſufficere doceat. Cogitationes enim (inquit) mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore. Quæ in cœlis ſunt autem, quis inueſtigabit? Hactenus ille. An non his plane deterret ab indagãdis tam altis myſteriis?

Iohan. 19.

Cur Aug. verba torqueat.

Non potuit Aug comprehendere quæ Deus in Eucharistia operatur.

Sapien. 9.

OEcol. *Hæc apud Auguſtinum, qui non vult nos pueriliter ſapere, ſed intelligere, vt ſciamus quid hæc ſignificent, quæ abſq; miraculo fiunt, non vult nos vltra quam decet infirmos: At nunc inſani, ſuperbi, ac indociles dicimur, ſi hoc more de ſacris diſſeramus.*

Roff. Quid Auguſtinus voluerit, abunde ſatis expoſuimus. Nec obſtrepet tibi quiſpiam, ſi ſcrutatus fueris quid lapis Iacob ſignificet, aut ſerpens æneus, aut panis in aurea menſa locatus, & manibus ſacerdotum ad hoc factus, vt in miniſterio ſingulis hebdomadis conſumatur. Nemo inquam harum rerum inueſtigationem tibi prohibebit. Cæterum ſi quem in modum angelus aliquis, aut nubes, aut ignes aſſumpſerit, ad aliquid annunciandum, diſquiſieris, hoc aſſerit ſuperare ingenij tui vires: at longe magis Oecolampadi, ſi perueſtigare moliaris, quo pacto Spiritus diuinus, è ſpecie panis ſacramentum corporis & ſanguinis Domini inuiſibiliter operetur, iam ſupra facultatem intellectus tui præſumere coargueris.

Gen. 28.
Num. 21.
Leui. 24.

Prohibemur ſcrutari abdita diuina operationum.

OEcol. *Quanto ſatius fuerit, parere Auguſtino, & conſentire ei qui nullum agnoſcit miraculum, nullamque imitationem talem, ſed fatetur panem aſſumi in ſignum tantum, hocque noſtram ratiocinationem non ſubterfugere.*

Roff. Si parueris Auguſtino, nunquam hæc aſſereres de Euchariſtia, quam opere diuini Spiritus tantum ſacramentum fieri & ſanctificari plane ſuperius docuit. Neque vno duntaxat loco teſtatur hoc ipſum, ſed & aliis pleriſque, quemadmodum ante retulimus, & poſtea crebro ſumus oſtenſuri.

Supra ca. 8. & ca. 10.

Falſo detorquet Salomonis verba pro licita ſcrutatione myſteriorum.

Capvt XL

OEcol. *An non iuſtius & Salomonis ſapientiſſimi verba audiemus dicentis: Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ appoſita ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.*

Roff. Quando ſcripturas eiuſmodi citas, quæ tam frigidæ, imo nihil pro tua ſententia faciunt, indicium eſt non mediocre, te magna ſcripturarum inopia laborare. An putas hic iubere Salomonem, vt curioſius exquiras, qua ratione cibi qui apponuntur confecti ſunt? Nihil certe minus. Neque enim attendere, exquirere eſt. Sed & quod ſequitur, cur (te precor) adiecit? Et ſtatue cultrum in gutture tuo. Quis vnquam eſurus aliquid eſcarum, cultrum in gutture ſuo ſtatuit? Magis igitur vetat hic Salomon, ne veſcaris ex menſa diuitis, & vt te contineas à cibis ipſius. Et propterea ſubdidit ipſe Salomon: Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij. Nam

Prouerb. 23.

Diuitum menſa eſt vitanda.

Nam vt plurimum diuites inique ſuas opes congeſſeruot. Quamobrē & Chryſoſtomus omnem diuitem, aut iniquum autumat, aut hæredem iniqui. Nec diſſimili admodum ſenſu locum hunc quidam ex veſtra ſchola traduxit, Philippus ipſe Melanchthon. Quum accumbes, (inquit) vt comedas cum principe, obſerua quæ proponantur, & intenta cultrum gutturi tuo, vt vitā tueare. Ne cupias cibum eius. Eſt enim fallax cibus: Ecce ooo iubet vt indages, ſed vt omnino fugias tanquam cibum fallacem. Sic inter vos conuenitis de ſcripturarum interpretationibus, vt quod molitur vous, demolitur alter. Hoc quid aliud eſt, quàm vltio Dei ſuper vos, qui tanto molimine cootra eccleſiam orthodoxam, turrim Babylonicam erigere, ſed fruſtra conamini.

Lutherani contrarie interpretantur ſcripturas.

OEcol.

Sapiens iubet, diligenter attendā, quæ propoſita ſunt, impoſtor ſtipitem me vult, & vim verbi non ſcrutantem: vnde vel impudens redderer allatis edulijs non contentus. vel inciuilis & ſuperbus, allata faſtidiens.

Roff.

Myſteria ſuper captum hominis non ſunt ſcrutanda.

Non iubet ibi ſapiens, vt tanti myſterij ſis indagator, imo vetat magis, quum poſtea 25. capite dicat: Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Similiter & Eccl.3. ſcriptū eſt: Altiora te non quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed q̄ præcipit tibi Deus, illa cogita ſemper, & io pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Audis quid hi ſapientes iuſſerint. Nec iſtos (opinor) vocabis impoſtores. Et profectò non ſolum inciuile, verum etiam impudēs fuerit, quum ad honeſti cuiuſpiam viri menſam inuitatus ſis, vt de confectione ciborū eius curioſius exquiras. At in menſa Chriſti quum tibi ipſe dixerit eſcam propoſitam eſſe corpus ſuum, mera veſania eſt, non eius verbis adhibere fidem.

Matth. 26.

Pollicetur copioſiores coniecturas contra miracula Eucharistiæ, quæ nihil ei conferunt.

Capvt XII.

OEcol.

Cæterum copioſioribus coniecturis probabimus, nullum hic miraculum fieri, & proinde nihil vltra captum noſtrum.

Roff.

Satius fuiſſet OEcolampadi nullas attuliſſe, quam quæ ſunt hactenus per te productæ, quum nihil omnino pro tua parte cōprobent. Sed quid attinet in re tanta tamque ſeria coniecturas afferre. Neque enim velim nos adeo leues exiſtimes, vt vllis vuquam coniecturis, à fide, quam à patribus tot & tam eximiis, atque ita ſibi conſentientibus accepimus, dimoueri nos poſſe credas. Solidiora niſi produxeris argumenta, & ſcripturas euidentiſſimas, nequicquam agis.

Eccl.19.

OEcol.

Admiramur enim omnia, & ſola quæ vltra noſtras vires rarius fiunt: Receptum itaq; eſt apud ſolidos Theologos, non eſſe celebranda miracula, quæ canonicarum ſcripturarum auctoritate non commendantur.

Roff.

Lutherani fatentur in pane verum Chriſti corpus eſſe.

Apud quos, te quæſo, Theologos hoc receptū eſt? Apud VVitteobergenſes forte dices, quaſi iam nemo Theologus habeatur, niſi qui & hæreticus fuerit. Sed hæc Theologia diabolica magis eſt, quam cœleſtis. Iam orbi toti perſpicuum eſt, vos hæreticos eſſe, non Theologos. Cæterum & hi fatentur in pane verum Chriſti corpus eſſe, quod certe præter miraculum fieri nequaquam poterit. Et ſane magno miraculo Chriſtus in hoc ſacramento præſens efficitur. Neque nos iſtud aſſerimus abſque ſcripturarum auctoritate. Quod & mox abunde comprobaturi ſumus.

Infra 3. lib præfat. & deinceps.

OEcol.

At ſi vt habet τ̃ γνησιολόγου opinio, corpus Chriſti, hoc modo vt illi aiunt, in altari eſt, plus miraculorum in vno pane haberemus, quam in vllis Dei operibus.

Roff.

Quis te malignus ita Spiritus exagitat, vt diuinis miraculis modum & numerum præſcribere moliaris? Quid tot blaſphemiis obmurmuras aduérſus benigniſſimam Dei largitatem. An non ei licebit per ſuperciliosā cenſuram tuam, & quicquid velit, & quomodo velit, de ſuis ſtatuere ſacramentis? Quid (quæſo) vetat, plus in hoc vno ſacramento miraculorum patrari, quam in alio quouis diuinorum operum, quandoquidem & iu hoc cæterorum omnium ſuorum mirabilium Chriſtus æternum cōſtituit monimentum. Nam Pſal. centeſimo decimo traditum eſt: Memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe. Aut aliam eſcam nobis indica, io qua monimentum ſuorum mirabilium recondidit Chriſtus, aut hanc nobiſcum eam eſſe confiteare. Neque es (opinor) tam impius, vt neges hanc eſcam à Chriſto ſuis traditam in ſui memoriam. Eſt ergo memoriale quoddam hæc eſca, & ſane perquam eximium atque veneratione ſumma proſequendum, quandoquidem & eam Chriſtus iam ad amariſſimæ ſuæ necis perpeſſionem profecturus, Apoſtolis commendauit.

Matth. 20.

Eucharistia eſt memoria omnium mirabilium.

Matth. 26. Luc. 22.

OEcol.

Fierentq; illi non ſemel, vt mundi creatio, vel mortuorum reſurrectio, non quotidie, vt in deſerto Manna pluuia, non certo tempore, vt in piſcina probatica ſalutifer aquæ motus. Sed quotidie, ſæpius, & innumeris in locis.

Roff.

Non inconueniens plura miracula fieri in Eucharistia.

Quid precor aut repugnantiæ, aut abſurditatis inde ſuboritur, quod oon ſemel aut ſingulis diebus, ſed pluribus horis cuiuſque diei pariter & locis innumeris, tot miracula patrētur in hoc ſacramento? Si memoriale mirabilium Chriſti ſit (vt diximus) cur non merito longe plura debeāt in eo miracula eſſe, quam in cæteris, quæ figura duntaxat erant huius ſacramēti. Et vt de vna tantum loquar, quot miracula quæſo circa Manna olim facta ſunt? E quib. hoc cumprimis admirādum fuit, quanrumuis ex ea quiuis collegiſſet, nihilo tamē plus habuit, quam iuxta præſcriptā ſibi mēſuram. Alterum, qui minus collegiſſet, nihilo minori menſura, quam is qui plus collegiſſet, domum reportauit. Tertium, in aliū quemuis diem ſeruata quam in ſabbatum, cōputruit. Quartum, quum poſſit tam facile putreſieri, tamen in arca p multos annos incorrupta ſeruabatur. Quintū, ad ſolē poſita liqueſiebat, ad ignem tamē fortiter indoruit. Sextum, quum ſingulis aliis dieb. è nubibus caderet, tamen in ſabbato nihil ex ea cōparebat. Septimum, pridie ſabbati colligētes dupli-

Hebr. 12.

Miracula circa Manna. Exod. 16.

catum Gomor habere comperti ſunt. Octauum, is qui plus aut qui minus eo die collegerat, nihilo plus aut minus vltra reportauit. Nonum, menſura Gomor omnibus tam robuſtis, quam debilibus cuiuſcunq; ſexus aut conditionis fuiſſent, abunde ſatisfecit. Decimum, piis pro voto iuxta cuiuſq; deſiderium ſapiebat. Vndecimum, quanquam piis eſſet gratiſſimi ſaporis, impiis tamen erat faſtidio. Duodecimum, per annos quadraginta paſti ſunt eo cibo filij Iſrael in ſolitudine. Adde, quod in ſingulis Mannæ granis, quæ tamen citra numerum ſingulis noctib. è cœlo deciderant, nonnulla dictorum fiebant miracula. Quum igitur in ipſo Manna tot miracula præceſſerant, & ipſum (quod & non ſemel teſtatur Auguſtinus) huius eximij ſacramenti, nimirum Euchariſtiæ figura fuit, non video cur tibi, niſi quod iuſte iam excæcatus ſis, tantopere durum videatur, quod tot miraculorum in hoc ſacramento celebrentur.

Manna fuit Euchariſtiæ figura.

OEcol. *Atque præter ſignorum ac miraculorum ſingularium rationem, quorum natura eſt manifeſte ac efficaciter infirmorum animos in fide recreare. Hæc autem latentia ſunt, & ſecundum vos inuiſibilia, ſenſuſq; fallentia.*

Roff. *Miracula hæc ad fidem incitant, illa erudiunt.* Viſibilium certe miraculorum ea eſt natura, ſi tameo Auguſtino credimus, vt infirmorum animos ad fidem trahant. Inuiſibilium autem, vt accedentes illuminēt. Sic enim libro de vera innocentia, capite centeſimo trieeſimoquarto ſcribit: Viſibile miraculū ad illuminationem vocat. Inuiſibile autem, eum qui vocatus venit, illuminat. Eiuſmodi miracula fiunt in ſacramentis, baptiſmate præſertim, & Euchariſtia. Nam ſi viſibilia fuerint, vbi iam eſſet fidei noſtræ meritum. Si Chriſtum in ſacramento corporeis oculis cerneremus, quis non protinus crederet? At iam nō eſſet fides, quæ rerum eſt non apparentium. Sancte igitur & ſcite diuus Hugo Linconienſis, quum ad eiuſmodi miraculum conſpiciendum à ſuis olim inuitaretur, reſpondit: Habeant ſibi infideles infidelitatis ſuæ ſigna: Nos qui vere Chriſtiani ſumus, abſque talibus ſignis credamus, ad eumulatius fidei noſtræ meritum. Multitudo miraculorum neminem morari debet, qui conſtanter credit illic adeſſe Chriſtum. Nam corporalis eius præſentia ſub panis & vini ſpeciebus, fieri nequaquam poteſt abſque pluribus miraculis. Et huius vnius gratia, cætera cōſequenter omnia proueniunt.

OEcol. *Et ſic fidem non promouent, ſed infirmant, conſcientias abſque fructu reddunt attonitas, ac torquent magis quam vllum aliud. Denique quod myſticis verbis pie doctum eſt, demoliuntur & à dominica mortis memoria in ſui rapiunt admirationem.*

Roff. *Supra c. 8. & c. 9. Illuminamur miraculis inuiſibilibus.* Hæc omnia veritatis expertia ſunt. Nam ſuperius ex Auguſtino dilucidum fuit viſibile miraculum non illuminare, ſed vocare ad illuminationem. Tum poſtea vocatos, inuiſibile miraculum illuminare. Illuminamur enim in baptiſmate & Euchariſtia miraculis in receſſu factis, quæ non cernimus, hoc eſt, miraculis inuiſibilibus. Quamobrem & promouent iſta miracula, non infirmant, ſed & illuſtrant conſcientias noſtras ingenti ſplendore fidei. Propter quod, baptiſma non ſemel Auguſtinus vocat ſacramentum illuminationis. Et idem libro tertio de conſenſu Euangeliſtarum, affirmat diſcipulos intra caſtellum Emaus, percepto Euchariſtiæ ſacramento, protinus illuminatos fuiſſe. Nec demoliuntur hæc miracula, quod myſticis verbis pie doctum eſt, imò ſine his nec conſtare poterit, quod aſſeruit Chriſtus, quum dixit: hoc eſt corpus meū. Nam quo pacto fieri poſſit, vt ibi præſens ſit Chriſtus, abſque multis eiuſmodi miraculis inuiſibilibus. Poſtremo quis nō multo magis rapietur ad Chriſti paſſi memoriam, ſi crediderit verum corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & verū eius ſanguinem, ſub ſpecie vini præſenter adeſſe, quā ſi nihil præter panem & vinum illic eſſe putaret.

Baptiſmus ſacramētum eſt illuminationis. *Luc. 24.* *Matth. 26.* *Fides Chriſti præſentis incitat ad ampliorem deuotionem.*

OEcol. *Non amant latibula, ſumma charitatis indicia.*

Roff. *Chriſtus non videtur in Euchariſtia corporeis oculis.* Ideo publicitus hoc ſacramentum cunctis exhibetur, non vt corporeis oculis Chriſtum ipſum viſibiliter cernant, ſed vt fide credentes ipſum vere præſentem, ad amorem eius, tanti muneris immenſitate rapiantur. Quis enim ad amorem non accendatur, qui certo credit Chriſtum ineffabili ſua charitate ſeipſum nobis edendum in hoc ſacramento præbuiſſe. Quod quo difficilius creditu fuerit, eo plus præmij, iuxta ſuæ fidei mēſuram haud dubie referet vnuſquiſque. Vt enim ab initio diximus, cuncta quæ nobis à Deo credenda proponuntur, à ſenſib. remotiſſima ſunt, & intellectui non aliter, niſi per ſolam fidē comperta. Supergrediuntur enim intellectus noſtri capacitatem, quæcunque diuinus Spiritus inuiſibiliter in his ſacramentis operatur.

Lib. 1. c. 3. & alibi.

Refellere quædam callide molitur, quæ ſibi obſiſtunt, ſed incaſſum.

Capvt XIII.

OEcol. *Psaltes dicit: Memoriam mirabilium ſuorum fecit, eſcam dedit timentibus ſe. Quod ſi & memoria mirabilis erit, memoria alia facienda memoria, quæ & ipſa miraculum fortaſſis, & ſic nullus finis erit miraculorum.*

Roff. *Miraculum in Euchariſtia eſt cæterorum perfodum.* Demiror te, virum alioqui grauem talibus ineptiis in re tam ſeria ludere velle. Neque enim oportet ob ea miracula, quæ fiunt in hoc ſacramēto, progredi in infinitum, quum in hoc ſiſtēdum eſſe confiteantur omnes, tanquam in cæterorum omnium, quæ præceſſerunt, miraculorum memoriali.

OEcol. *Porro haud ſcio an vllus ex priſcis doctoribus miraculum hoc pro miraculo celebrarit, certe nullus pro tanto, quantum facitis.*

Roff. *Lib. 1. c. 2. Miracula fiunt in ſacramento altaris.* Oſtēdimus priſcos omnes, qui de hac re quicquam ſcripſerint, in hoc pedibus manibuſq; cōuenire, quod in hoc ſacramēto verum ſit corpus Chriſti, quod quū abſq; tot miraculis, quæ ſchola communis aſſerit, fieri nequaquam poteſt, cōſentaneum eſt, vt ſi priſcorum conſenſum admiſerimus, miracula pariter ipſa, quæ comitantur omnino recipiamus. Nam qui recipit quod antecedit,

tecedit, reſpuere non poteſt quicquid neceſſario conſequitur.

OEcol. *Quare Auguſtinus in Catalogo mirabilium ſacra ſcriptura, manifeſtarium illud miraculum obticuit? Paris negligentia accuſari poſſet etiam Nazianzenus Gregorius, qui miracula Euangeliſtarum numeris cõplexus eſt.*

Roff. Vtrunque tutabimur, vel hoc vno verbulo, quod neuter eorum inuiſibilia miracula recẽſenda iudicauit. Quamobrem & tacuerunt exitum Chriſti è monumento, nondum remoto lapide, quod tamen inſigne miraculũ erat. Sed quoniam inuiſibile fuerat, omnino præterierunt. Præterierunt etiam & introitum Chriſti ad diſcipulos ianuis clauſis, quod genus miraculi pariter inuiſibile fuit, quũ nemo Chriſtum, aut in muro, aut in lapide monumenti cõſpicari potuiſſet. Et tamen hæc ingentia miracula fuerunt, ſed inuiſibilia.

Vide Mat. 27. & 28. Mar. 15. & 16. Luc. 24. Iohan. 20. Iohan. 20.

OEcol. *Fortaſſis Damaſcenus, & poſteriores quẽdã tale quiddam magnificant. Sed non morabitur prudentem lectorem, qui multis argumentis parum ſolidum ſe declarat.*

Roff. Leuem & inconſtantem, OEcolampadi, teipſum indicas, qui carbone notas, quem ante creta duxeras inſigniendum. Cæterum, qualis fuerit Damaſcenus, veritas à nemine ſperni debet. Neq; poſteriores huic ſoli ſubſcribunt, imo priſcos omnes, vt diximus, huius negotij patronos habent.

Illum detrahis quẽ prius commendaras. Supra eod.

OEcol. *Hunc etiam poſt alias coniecturas librũ de ſacramentis nõ eſſe Ambroſij cui inſcribitur, veriſimile eſt, ſed Saoli cuiuſdam, qui in re valde ſeria, ludicris argumentis agere pro nihilo habuit.*

Roff. Magnam vobis & pluſquam par eſt licentiam arrogatis, vt cuiuſlibet auctoris libros quantumuis vtiles, ſi quid hæreſi veſtræ contradixerint, illico damnetis: & Thita præfigatis. Cæterum ego maiorem Auguſtino fidem habendam, in hac re cenſeo, qui Mediolani diu cõmoratus, haud paruam cum Ambroſio familiaritatem contraxit, vt potuit eius opera probe dignoſcere. Fatetur autẽ ille, quum aliis locis, tum in prœmio librorum de doctrina Chriſtiana librum quẽdam de ſacramentis ab Ambroſio fuiſſe conſcriptum. Quamobrem æquum eſt, vt vel alium proferatis, quem de ſacramentis, Ambroſij titulo Chriſtiani legãt, vel hunc ab eis non prohibeatis legi. Sed nihil agis OEcolampadi. Nam & ſi libris illis de ſacramentis omnem ſuſtuleris auctoritatem, in aliis tamen ſuis libris hoc negotium, idem Ambroſius copioſe teſtatur.

Ambroſium auctore Auguſtino ſcripſiſſe librum de ſacramentis.

Ambroſ. tenet in ſacramẽto Euchariſtiæ miraculum fieri.

OEcol. *Arguit enim à poßibili ad ineſſe, Deus poteſt talia miracula facere, igitur & maiora facit. Quæ conſequentia, & ego Pauli doctrinam, Moyſe manſuetudinem, & Iohannis continentiam poſſedero. Futurus hodie & angelus. Neq; enim Deo impoßibile omne verbum. Atqui probandum erat, num Deus velit, num voluntatẽ ſuam verbo declararit, num verbũ voluntatem euidẽter notam faciat?*

Roff. Vtrunq; certe facit. Nam vbi plurib. exemplis ex veteri inſtrumento petitis, docuiſſet Deum iſtud potuiſſe, capite ſequenti ſubdit hæc verba: Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Qua ratione, te quæſo, nobis de voluntate Chriſti conſtabit efficacius, quã per eius apertiſſimam aſſertionem. Ipſe dixit: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt enim corpus meum. Quibus precor verbis hanc rem certius enunciare nobis potuiſſet. Quod ſi nullis verbis ea res potuiſſet apertius explicari, quis de voluntate ipſius citra grauiſſimam culpam vel tãtillum hæſitabit? Certum eſt igitur Ambroſium vtrunq; docuiſſe, hoc eſt, Chriſtum non minus voluiſſe, quam potuiſſe corpus & ſanguinem ſuum in Euchariſtia præbere, vt non ſit deinceps cuiquam relictus dubitãdi locus. Perperam igitur inceſſis Ambroſium, quod is alterum duntaxat huius argumenti partem attuliſſet, & non vtramq;, ſed eiuſmodi certe mendaciis vbiq; ſcates, quoties inſtituto tuo ſeruire quicquam valeant.

Matth. 26. Luc. 22. Matth. 26.

Coniecturas alias friuolas & inanes adducit adhuc aduerſus miracula.

Capvt XIIII.

OEcol. *Certum eſt eccleſiam tempore Apoſtolorum, quo ſpiritualibus donis locupletior erat quam nunc eſt, miraculum hoc, ſi pro miraculo habuit, non admiratam fuiſſe. Ad miracula alia multo minora obſtupeſcebant Apoſtoli. Supra hoc autem non plus admirationis tenuit Apoſtolos, quam ſupra agni Paſchalis eſu.*

Roff. Quam precor affers huius dicti probationem, proculdubio nullam habes, niſi negatiuam, quæ prorſus inualida eſt. Certum eſt, Apoſtolos nullam circa Euchariſtiam immutationem, aut exterius aliquod miraculum fuiſſe cõſpicatos, magis quam nos hodie fieri conſpicimus. Verumtamen hoc ſacramentum indies manducabant, & ſumma colebant reuerentia. Neque enim ſolum frangebant aliis, ſed & ipſi pariter communicabant, atque ideo ſcriptum eſt, Act. 2. quod poſtquam datus fuiſſet Spiritus ſanctus, erant omnes perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & in orationibus. Erat vtique ſacratiſſimus iſte panis, velut antidotum præſentaneum aduerſus omnia vitia. Nunquam ita legis de agno Paſchali, quod eum tanta reuerentia Iudæi frequentabant.

Apoſtoli non viderunt externa in ſacramento miracula. Apoſtoli quotidie communicabant.

OEcol. *Proinde & ne verbum quidem interrogabant, alioqui ad faſtidium & importunitatem vſq;, etiam pleraq; intempeſtiue ſciſcitantes, nunc de patre, nunc de proditore, nunc de via & puſillo temporis, quo non videndus, de primatu, deque eo, quod non eſſet mundo ſe manifeſtaturus.*

Roff. Nihil opus fuit, vt de hoc ſacramento quicquã ſciſcitarentur, nimirum quum bis antea viderint Chriſtum ſua benedictione pauculos panes prodigioſe multiplicaſſe, ſimul & cum audierint tam aperte ſuper hac re diſſeruiſſe: vt & ipſi multis per incredulitatem retrocedentibus perſtiterunt in fide, palam confitentes æternæ vitæ verba tunc à Chriſto fuiſſe prolata. Acceſſit ad maiorẽ ſuæ fidei confirmationẽ, quod quum accepiſſent illic à Chriſto: patrẽ dediſſe Iudæis panẽ verum, Chriſtumq; pollicitum ſe daturum panem carnis ſuæ,

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Iohan 6. Item Mat. 15. & Marc. 8.

car-

carnemque ſuam daturum itidem pro mundi vita. Quumq; tandem & proxime quidem ante paſſionem ſuam, hunc panem exhibitum à Chriſto conſpexiſſent, dicente: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt enim corpus meum. *Matth. 26.* Quis iam ſcrupus in eorum cordibus relinqui potuit, vt velut ancipites hac de re quicquam vltra percontarentur.

OEcol. *Qui fit autem quod reſurrectio tot ſignis euidentibus, per dies quadraginta innotuit, hoc ne vno quidem per omnem ſcripturam, quum ſane ad ipſum ſtatuẽdum multis erat opus ſignis & prodigiis.*

Roff. *Reſurrectionem Chriſti oportuit multis probare. 1. Cor. 15.* Oportuit omnino Chriſti reſurrectionem ſolidis argumentis comprobari, quum ea ſit credẽdorum omnium baſis, & ex eo cætera pendeant, quæcunque credimus. Nam ſi Chriſtus non reſurrexit, vt Paulus ratiocinatur, inanis eſt fides noſtra. Prædixit enim ſe reſurrecturum. Quare ſi non aperte præſtitiſſet, quod tantopere pollicitus fuerat, nemo non vacillaſſet in eius fide. Sed & corroboratio veritatis huius, ſolidum eſt fulcimentũ cæteris omnibus, quæ Chriſtus ipſe prius aſſeruit. Nam ſi reſuſcitare ſeipſum potuit à morte, vere Deus fuit. Et ſi cõſtiterit eum vere Deum eſſe, iam & vera ſint oportet cuncta, quæ prius docuerat. *Matth. 26. Id Euchariſt. eſt corpus Chriſti. Suprà eo. 1. Cor. 11.* Docuit autem in ſacramento vere corpus ſuum fuiſſe. Quamobrem & ita firmiter à nobis conſtanterq; tenendum eſt. Cæterum, & præter illam probationem quam proxime ſuperius attulimus: non mediocriter hoc ipſum corroborat Pauli teſtimonium, quo ſe dicit edoctum à Chriſto fuiſſe ſuper hac re, nimirum quod iſtud ſacramentum eſſet corpus Chriſti. Si quid aliud ſuis verbis intellexiſſet Chriſtus, quam quod in Euchariſtia corpus eius vere contineretur, quum hoc iam pridem adeo durum viſum fuiſſet pluribus, *Iohan. 6.* qui & eius rei gratia retroceſſerant, profecto, iam ipſi Paulo rem dilucidius expoſuiſſet, & quid ſibi verbis ipſis voluiſſet, clarius aperuiſſet, atq; manifeſtius. Sed non aliter ipſi Paulo, quam cæteris olim Apoſtolis affirmauit: nimirum quod hoc eſſet ſuũ ipſius corpus. *Matth. 26.* Hoc eſt (inquit) corpus meum. Quare conſtanter credendum eſt, ibi corpus eius eſſe.

OEcol. *Neq; nobis aſſerere tutum eſt, quod illa tradita ſint, etiam ſi facta eſſent, quæ ſcripta non ſunt.*

Roff. Vobis quidem hæreticis haudquaquam tutum eſt aſſerere, qui nec omnia, quæ in ſcripturis tradita ſunt, admittitis. Verum aliter conuenit orthodoxis, quorum aſſertionibus nihil quod verum eſt, repugnat. Atque vtinam ad hunc diem extaret liber traditionum, quem Euſebius Cæſarienſis ab Ignatio martyre fuiſſe ſcriptum prodidit. *Lib. Traditionum Ignatij deſideratur.* Collegit enim in eo libro, quæ nuſquam in ſcripturis habentur, ſed per Apoſtolos viua voce tradita fuerant, de quibus & Paulus Theſſalonicenſes adhortatur. *2. Theſſ. 2.* State (inquit) & tenete inſtitutiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Certe præter epiſtolas, Apoſtoli viuo ſermone multa docuerunt, quæ non minus vera fuerunt, neque minoris auctoritatis, quam quæ ſcripturis commendabantur.

OEcol. *Quem Canonem licet quidam contemnant: certum tamen ex epiſtola ad Hebræos patet, in qua legitur: Melchiſedech ſine patre & matre, eo quod illorum mentionem nullam faciant litere ſacræ: quum tamen palam ſit, neminem ex filiis Adam abſq; patre & matre eſſe.*

Roff. *Semetipſum inuoluit OEcolamp.* Quum hæc dicas, parum attendis, quibus teipſum pedicis inuoluas. Nam ſi palam eſt, vt & tu aſſeris, quod patrem & matrem habuiſſet Melchiſedech, nemo negabit iſtud verum eſſe, ac proinde, ceu verum à veritatis cultoribus eſſe recipiendum. Quare quum nec iſtud habeatur in ſcripturis, aliud quiddam, quam quod in ſcripturis continetur, à nobis comprobandum eſt. Deinde, ſi verum ſit, quod Melchiſedech patrem & matrem habuiſſet, & hoc ſcriptura, quemadmodum tu citas, aperte negat. An non protinus conſequitur ſcripturam ipſam carere veritate? Denique ſi canon tuus verus ſit, veritatis regula ſit oportet. Quare ſicut & amuſſi, nihil quod rectum eſt, non quadrat, ita nec huic canoni diſcrepat quicquid eſt verum. Cæterum multo rectius, & citra nodum aliquem hunc locum, vnde tu nobis nouum hũc canonem fingis, Eraſmus traduxit, vt ibi legere quiuis poterit. *Hebr. 7.*

Miracula quæ propter Euchariſtiæ veritatem à Deo facta ſunt, Satanæ tribuit.

Capvt XV.

OEcol. *Atqui Satan vt occultum, vbi nullum erat, miraculum fingeret, quot interim ludibria molitus eſt.*

Roff. Mirum eſt, vnde cum Satana tantam iniiſtis neceſſitudinem, vt nihil arcanorum eius vos lateat, niſi quod libenter in ſodalitium ſuum eos admittat, quos viderit probos mendaciorum artifices eſſe, hoc eſt, ſui ſimiles. *Iohan. 8.* Cæterum quum ipſe mentiatur, attendite, ne vos & in hac re circumuenerit, perſuadens hic nullum miraculum eſſe, vbi plurima ſunt & ingentia. Nos enim falli nequaquam poſſumus, tam ſolidis innixi teſtimoniis. *Matth. 26. Luc 22. Iohan. 6.* Chriſtus ipſe pro nobis ſtat, & eius item Apoſtoli, tot inſuper apoſtolici viri, tot eruditione præditi, tot orthodoxæ veritatis profeſſores, tot ſanctimonia ſpectatiſſimi, & vt vno verbo dicam: eccleſia tota catholica. Vos contra nihil pro veſtra parte, præter meras nugas aſſertis, & mera mendacia, quibus nemo tam inſanus eſt, vt credat, niſi qui ſalutem animæ ſuæ nullam omnino quærat, vt curam habeat.

OEcol. *Ea enim, quæ falſa ac ſuperſtitioni præcipue ſeruiunt, cui tribueremus rectius quam mendaciorum patri, cui ſtudium eſt variis ludificationibus generi hominum imponendo, ab adoratione patris auellere.*

Roff. *Deus in Euchariſt. atq; ſanctis adorandus eſt.* Non auellitur ab adoratione patris, qui filium eius adorat, nec à filij adoratione ſubducitur, qui Chriſtum Dei filiũ in Euchariſtia ſub ſpecie panis adorat. Sed nec veneratio genitricis eius, quã vos miſeri blaſphematis, ab adoratione filij ſeu patris nos auocat. Diuorum itidem honorationem ad Dei patris & filij gloriam referimus. Et quid vetat, quo minus in Diuis eius patris quæ-

ramus

Exod. 20. Iohan. 8.

rámus honorem? An qui iuſſit vt parentes n ſtros honoraremus, veritus eſt, ne propterea nos auelleremur ab adoratione ſui? Sed mendacio- rum omuium pater, hæc & alia ſimilia mendacia fabrefecit in cordibus veſtris abſq; numero.

OEcol. *Nam vt concedamus interim, multa mirabiliter circa ſacramētum hoc fieri, etiam per bonos angelos, illa tamen eo tendunt, vt probent corpus Chriſti in ipſo pane, ſed vt noſtrum erga res ſacras affectu as parum pium adiuuent.*

Roff. Si mirabilia, quæ per bonos angelos fiunt, eo tendunt, vt probent Chriſti corpus in pane eſſe. Satis hoc ipſum eſt, ad tuā hæreſin euertendam. Quis enim tibi falſa docenti fidem habebit, potius quam bonis angelis. Cæterum opinor nō ita ſentis, ſed hic calcographi magis error eſt. Tu, ſcio, negabis huc illa mirabilia tendere, vt probēt Chriſti corpus eſſe ſub pane. Sed eſto mirabilia ipſa per angelos facta ſint, vt noſtrum erga res ſacras affectum parum pium adiuuēt. Vt igitur erga ſacramentum iſtud, affectus quiſpiam ardentior in pectoribus noſtris accēderetur, angeli tua conceſſione, patrarunt hæc miracula. At palam eſt Chriſtianos eo tempore credidiſſe Chriſtum in ſacramento. Quare neceſſe eſt, alterū iſtorum ſequatur, aut quod angeli moliti ſint augere fidem, quam tum habuit populus de veritate carnis in ſacramēto, aut nimiſquam ſtupidi fuiſſent, ſi quum hæc miracula fecerint, non aduertiſſent periculum, ne populus veræ carnis ſpeciem cernens, in eum (vt tibi viſus eſt) errorem laberetur, vt crederet ibi veram Chriſti carnem eſſe, atque ita pro creatore, creaturam adoraret.

Text. OEcol. videtur calcogra incuria corruptus. Mirabilia per angelos ad quid fiant circa ſacramenta.

OEcol. *Obſcurare autem ſolet cacodæmon ſimplicium mentes, vt ob aliud quam facta ſint, facta interpretentur.*

Roff. Quaſi lateret bonos angelos, quid cacodæmones molirentur. An non ſatius omnino fuiſſet à miraculis ipſis patrandis abſtinuiſſe, ne videlicet ex eis, aut dæmones anſam euertendi pios acciperent, aut pij nimium facili credulitate deciderent in idololatriam.

OEcol. *Alibi viſus dicitur panis verſus in carnem, alibi digiti formam induit, alio loco viſa in eo eſt pueli figura. Eſt vbi cruentarit, aſſeruaturq; in nonnullis locis cruor ille, & feſtos dies meruit noua ſeruiens idololatriæ.*

Roff. Nunquam adduci poſſum, vt credā hæc à dæmonibus miracula facta fuiſſe, quum nō ſit credibile Chriſtum, dæmones fuiſſe paſſum, vt ſacramentis ſuis adeo nephariam abuterētur: præſertim, quum populi ſalutem voluit in eis conſiſtere. Quod ſi per angelos bonos illa fuiſſent facta, vt & per eos haud dubie facta fuere, iam tecum expende, num angelos qui piis, vt Paulus teſtatur, in miniſterium deputati ſunt, hoc deceat, vt tantum errorem tot piis augeant? ſi tamen error eſt, vt tibi videtur ipſa credulitas præſentiæ Chriſti in ſacramento. Quum enim angeli ipſi probe ſciſſent, quod tot annos eccleſia credidiſſet, & quam euidentibus Chriſti verbis ad ita credendum adducta fuiſſet, quis non erroris culpam in eos merito transtuleris, qui nouis miraculis hanc erroneam fidem toties confirmaſſent.

Deus per angelos bonos facit ſæpe miracula circa ſacramenta.

Hebr. 1.

OEcol. *Quæ quantum moueant alios, facile ex cultu patet, me vero ne tantillum quidem, qui non ignorem quid permittat Deus propter peccata noſtra, & didici à Domino regnaturum Antichriſtum in ſignis & prodigiis mendacibus, angelumq; Satanæ in angelum lucis ſe transfigurare.*

Roff. Facile mihi perſuadeo, nunquam niſi per angelum Satanæ, qui ſe in angelum lucis transfiguraſſet, id tibi cōtigiſſe, vt tu, qui dudum vir integerrimus cunctis videbare, magna quoq; eruditione & vitæ grauitate præditus, atq; adeo ad abſolutam euectus probitatem, vt relictis omnibus Chriſtum ſequi decreueris, iā ita, cū vxore Loth retroſpiceres, & temetipſum tam ignauiter abiiceres, in tantum hæreſum olim damuatarum barathrum contra tam aperta Chriſti verba, contraq; tot concilia patrum: denique, contra publicam totius eccleſiæ fidem, tot ſeculis comprobatam. Profecto nuuquam ita faſcinari potuiſſes, & à tam clariſſima veritatis luce præcipitari, niſi per Satanę prodigioſa mendacia, quæ nihilominus adeo craſſa ſunt, vt nihil, quod ſolidæ cuiuſdā probationis ſpeciem habeat, attuleris in hoc toto libello.

2. Cor. 11. Matth. 19. Gene. 19. *Satanæ illuſione OEcol. in hæreſes prolapſus eſt.*

OEcol. *Apud eos, qui gentilium hiſtorias euoluerunt, non eſt rarum, ſanguine pluiſſe. Narrat Iulius Obſequens Caura & Cera terrā riuis ſanguinis fluxiſſe, quod & per Moyſen Dominus in Ægypto eſt operatus, imitantibus in hoc & Magis. Idem Iulius auctor eſt, in Albano monte, è pollice Iouis ſanguinem manaſſe. Liuius teſtis Romæ pluiſſe carne. Q. vero Curtius auctor eſt, Tyro ab Alexandro obſeſſa, panem cruorem in menſa ſudaſſe. Cruentaſſe in Germania, & imagines confoſſa feruntur; quæ omnia dæmonum ludificationibus accidunt. Et quis tam vecors, qui ineſſe illis humana corpora dicat.*

Roff. Quid hæc ad nos, etiam ſi ſexcènta id genus prodigia citaueris? Quis quæſo negat dæmones eiuſmodi mirabilia Deo permittente, poſſe facere? Nec fuit opus huius rei gratia ex gentilium hiſtoriis hæc produxiſſe. Nam abunde ſatis ex ſacris literis iſtud doceri potuit. Miror te hominem alioqui doctum, tot diuerticula friuola quæſiiſſe, niſi velis, tot congeſtis exemplis, quæ nihil ad rem faciunt, videri copioſus, vt nos quaſi multitudine rerū preſſi ſuccumbere videamur. Sed cur non etiam ea miracula, quæ per Pythagoram Samium, quæque per Appollonium Tyanæum geſta ſunt, recenſeas? vt ita nec miraculis, quæ Chriſtus operabatur, fidem habeamus. Sic enim integram impietatis tuæ faciem nobis reuelabis. Nam & Hierocles ad hunc modum productis illis portentoſis operibus, quæ per Appollonium patrata ſunt, conatus eſt, cū adæquare Chriſto, ſicut Euſebius Cæſarienſis refert in iis libris, quos aduerſus ipſum Hieroclem conſcripſit. Cæterum nihil illorum mirabilium ad hoc ſacramentum ſpectare cunctis manifeſtum eſt.

Dæmones mira efficiunt prodigia.

Hierocles æquauit Appollonium Chriſto.

OEcol. *Roma quid hodie fere in ſingulis templis admirandum obtrudat viatoribus religioſis, ne quod verum eſt, dicam ſuperſtitioſis, omnibus innoteſcit. Et quod datum eſt Satanæ imponere, his qui veritatem in iniuſtitia detinent.*

Roff. Et quid hoc ad cauſam noſtram? Quis non hic perſpicit ingenij tui malignitatem, qui ſi quid Romani deliquerint, ex hoc ipſo moliris eccle-

ſiæ ſa-

ſiæ ſacramenta in ſuſpicionem adducere, ne vera ſint. An non plane miniſtrum, imo mancipium Diaboli teipſum oſtendis, qui per hunc modum Chriſti ſacramentis calumniaris, taleſque nugas in medium adducis, quæ nihil ad tuæ cauſæ probationem conferũt? Quid ſi Romani viatoribus imponant? Num propterea Chriſtus per ſua ſacramenta nobis impoſuiſſe credendus eſt? O nequiſſimum caput.

Ex Irenæo citat Magi præſtigium in ſugillationem miraculorum.

Capvt XVI.

OEcol.

EXemplum autem & ex primo Irenæi contra hæreſes proferam de Marco Mago Valentini hæretici diſcipulo. Hic calice vino mixto fingebat ſe gratias agere, & prolixa inuocatione, rubicundum & purpureum apparere faciebat, vt putaretur ea gratia ab his, quæ ſunt ſuper omnia ſuum ſanguinem ſtillare in illius calicem per inuocationem eius, & valde concupiſcere præſentes ex illo guſtare poculo, vt & in eos ſtillet, quæ per Magum hunc vocatur gratia. Rurſus mulieribus dans calices mixtos, ipſas gratias agere iubet præſente ſe, & vbi hoc factum eſt ipſe alium calicem multo maiorem, quam eſt ille, in quo illa ſeducta Euchariſtiam facit, proferens & transfundens à minori, qui eſt à muliere euchariſtia factus, in eum, qui eſt ab alio allatus multo maiorem, ſtatim dicens: Ita illa, quæ eſt ante omnia inexcogitabilis & inenarrabilis gratia adimpleat tuum intus hominem, multiplicet in te agnitionem ſuam, inſeminans granum ſynapis in bonam terram. Et alia quædam dicens, in inſaniam mittens illam infœlicem. admirabilia faciendo Apparuit, quando maior calix adimpletus eſt de minori calice, vt & ſuperfunderet ex eo. Et alia quædam dſimilia faciens exterminauit, & abſtraxit poſt ſe multas. Datur autem intelligi eum & dæmonem quendam habere, per quem ipſe quoq; prophetare videtur, & quotquot dignos putat fieri participes ſuæ gratiæ, prophetare facit. Maxime enim circa mulieres vacat, eaſq; honeſtas & ditiſſimas. Hæc Irenæus.

Roff.

Propter falſa miracula non eſt vera detrahendum.

Et quid aliud huius exempli commemoratione moliris, quam vt nõ credamus miraculis, quæ crebrius ad huius ſacramenti fidem corroborandam, oſtenſa fuerant? An iſtud ex tua Dialectica videtur conſectaneum? Marcus Magus Valentini hæretici diſcipulus, dæmoniaco ſpiritu afflatus, complures fœminas ab vſu ſacramenti huius lndificauit, igitur nullis miraculis, quæ circa hoc ſacramentum fiunt, adhibenda fides eſt? Sic enim & ego facillime probabo, neque miraculis, quæ Chriſtus operabatur hic in terris fidem adhibendam eſſe, quum ſimilia quædam & ab Ethnicis patrata ſint, vt mox oſtenſuri ſumus. Cæterum, quid à Mago, & ab hæreſiarchæ diſcipulo, & demum ab eo, qui dæmone fuerat inſpiratus, aliud expectari potuiſſet? Nam ad hæc tam enormia ſcelera decidunt, qui nõ rectam huius ſacramenti fidem habent, ſicut de Manichæis & Albianenſibus inſerius oſtendemus. Scelerate quidem ille fecit, nemo negauerit. Sed tu longe ſceleratius,

Infra lib. 2. c. 18.

OEcol. ſceleratior Marco Mago.

qui ſcelere eius abuteris ad fidem, quæ tot & tam clariſſimis fulcita eſt miraculis, abrogandam. Ille paucis impoſuit mulierculis, tu viris iuxta ac fœminis, imponere ſtudes, imo vniuerſo orbi. Ille ſacramentis fidem auferre neutiquam conabatur, tu penitus adimere ſtudes. Ille demum vno quodam inferioris ſortis dæmone percitus, hoc tantum facinus admiſit, tu niſi principe dæmoniorum fuiſſes afflatus, nunquam, æditis libris, totum Chriſti gregem ad hanc tam peſtilentem hæreſim, contra tam dilucida Chriſti verba, contraque ſanctiſſimorum pariter & eruditiſſimorum patrum omnium interpretationem, trahere conareris.

OEcol.

Non dicam tamen honeſtatis gratia, quæ impuriſſimus hæreticus facere non omittebat.

Roff.

Iam quum venenum totum euomueris, videri vis religionis gratia nõnihil ſubticuiſſe. At quis credit eum, qui nihil eſt veritus, exempla tam peſtifera colligere, quibus tantam diuinis ſacramẽtis iniuriam irrogaret, aliquid omiſiſſe, quod inſtituto ſuo quouis inſeruiret modo.

OEcol.

Quis non abhorreret ab hiſce diabolicis præſtigiis? Tam non eſt nouum ſerpenti antiquo, ſanctiſſimis quibuſque abuti. Et adhuc ſuſpecta minus ſunt ſigna quam ſimplex veritas?

Roff.

Veritas miraculorũ cognoſcitur ex circumſtantiis.

Nemo inficiatur diabolica præſtigia cunctis fore Chriſtianis abhorrenda. Sed quis æquum cenſebit, vt propter vnius Magi maleficium, omnia miracula, quæ per bonos angelos haud dubie facta fuerant, ceu diabolica præſtigia reiiciamus? Abſit iſtud à piorum mentibus. Nam ex factorum circumſtantiis, facile docebimur, quæ ſint præſtigia dæmonum, & quæ bonorum angelorum opera. Cæterum pro illo vnico præſtigio, quod tu per illius Magi fictã inuocationem, factum memoras, nos innumera citare miracula poſſumus, quorum aliquot inſerius in præfatione ſecundi libri memorabimus.

Quædam ex Paulo & Cypriano fucare conatur, quæ miracula confirmant.

Cavvt XVII.

OEcol.

QVod ſi quis contendat, diuinitus quedam fieri, vt quod propter indignam menſæ illius participationẽ, Corinthiorum alij obdormierunt, alij infirmati ſunt, & hodie pleriq; vindictam Domini non euadant. Et commemorat Cyprianus martyr quandam igne deterritam, quum aperire vellet arcam, in qua ſanctum Domini. Aliam à dæmonibus poſſeſſam: & iterum aliam mortem ſibi conſciuiſſe indigne communicantem, cuidam etiam contrectatum ſanctum in cinerem mutatum. Non contradico, manum eſſe Domini.

Roff.

Deus puniuit incredulos propter fidei confirmationem.

Si velis his & cæteris, quæ ſimili modo per Auguſtinum & alios recenſentur, pariter & illud inſigne miraculum, quod ad diui Gregorij preces ob inſtruendam fœminæ cuiuſdam Romanæ fidem factum legimus annectere, diligenterq; tecum expendere: nimirum obdurato corde fueris, ſi diu perrexeris in hac pertinacia tua. Cæterum,

quod

Deus puniuit incredulos propter fides confirmationem.

quod non contradicis in his Dei manum fuiſſe, noſtrę parti plurimum opitularis. Nam ſi Deum, iſtorum incredulitatem vltum fuiſſe nõ abnuas, propter fideles id factum fuiſſe quis dubitabit? Nimirum vt eorum fides confirmatior inde redderetur. Porro quid fideles hactenus de ſac mẽto iſto crediderint, nemo orthodoxus eſt, q ambigit: nempe quod in eo verum Chriſti corpus contineatur. Quamobrem & hoc ipſum Deus vltione de incredulis ſumpta prorſus confirmauit. Nã ſi fuiſſet error id, quod ipſi credidiſſent, in iſtos magis animaduertiſſet Deus propter idololatriæ crimen, (quod ſane grauiſſimũ eſt) quam in alios, ob leuem myſteriorum contemptum. Adde quod dum fideles aliorum contemptus adeo ſeueriter puniri cernerent, illi magis in errore ſolidarentur. Quod quam alienum fuerit à benigniſſima Dei circumſpectione, quis non intelligit?

Non credentes verũ corpus Chriſti in Euchariſtia puniuntur.

OECOL. *Sed hac ratione non euincitur, vnitum pani corpus, vel corpus in pane, alioqui & cinerem probabis.*

ROFF. *Matth. 29. Luc 32. & alibi.*

Ita ſemper in nos, onus probandi callide reiicitis, quum ad vos attineat, veſtra ſtatuere potius. Noſtra enim per ſcripturas abunde fidelibus dilucida facta ſunt. Nam ſcripturæ ipſæ noſtrũ inſtitutum apertiſſime teſtantur, quibus & maiorum noſtrorum conſenſus vnanimis accedit, cui demum auctoritas eccleſiæ, ſimul & receptiſſima cõſuetudo conſtantiſſime ſubſcribit. Miracula, ſi quis produxerit, aut reuelationes, quæ non paucæ ſunt, non his tanquam ſolis & ſolidis probationibus innitimur, ſed veluti ſubſidiariis duntaxat. Porro mox in præfatione tertij libri tot & tales corroborationes adducemus, quas vti certo confidimus, nemo quantumuis calumniator ipſe fuerit, ſubruet vnquam. Cæterum vbi tua ſunt, libenter videre cupimus. Multa quidem ab initio pollicitus es te producturũ, quibus copioſe tuam ſententiam comprobares. Sed erat hæc tua pollicitatio, quemadmodum in Prouerbiis Salomon ait: Vẽtus & nubes ſine pluuia. Tu per vnius magi præſtigias, te putas eluſiſſe totius eccleſiæ fidẽ, tot modis tantaq; diuturnitate ſtabilitam. Quod ſi putaueris, haud facile comperietur, quo te ſtupidiorem exiſtimabimus. Quod autẽ obiicis colligi poſſe cinerem in Euchariſtia eſſe, æque atq; carnem Chriſti, nimirum quod indigno cuipiam ſumenti verſa ſit in cinerem, niſi peruerſiſſimus eſſes, nunquam iſtud dixiſſes. Nam in quem finem miraculum aliquod fiat, attẽte conſiderandum eſt, & ex ipſo fine iudicium ferre. Quum enim ad Gregorij precationẽ ſpecies panis in carnem verſa fuiſſet, manifeſtum eſt, id ideo factum eſſe, vt mulier ipſa crederet vere fuiſſe carnẽ ſpecie panis obtectam. Nam & hoc vir iſte ſanctiſſimus à Deo precabatur. In illum vero, cui fuerat in cinerem Euchariſtia conuerſa, Cyprianus narrat, iure ita fuiſſe añimaduerſum, nimirum vt alij ſibi cauerent ſimile quidpiam cõmittere. Quamobrem & præmiſſo miraculo, ſubdit idem Cyprianus: Documento vnius oſtenſum eſt Dominum recedere quum negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quum gratia ſalutaris in [illegible] tem ſanctitate fugiente mutetur. Hæc Cyp[illegible]nus ſermone quinto de lapſis, vbi lector & alia reperies miracula. Sed hic nunquid non audis Dominum, qui in ſacramento fuit, ab eo qui negauit, receſſiſſe, neque portiunculam aliquam panis fuiſſe relictam, ſed cinerem duntaxat, vt non ſolum intelligas deſuiſſe ſubſtantiam panis; verum etiam vtis, qui indignus acceſſerit quanti criminis reus fuiſſet, palam agnoſceret.

Miraculis ſolis non nititur eccleſia.

Prouerb. 25.

Finis miraculi ſemper ſpectandus eſt. Supra eod.

Euchariſtia fuit in cinerẽ verſa propter indignitatem ſumentis.

Etiam ſymbola ſanctarum rerum polluiſſe, vltionem à iuſto Deo exigit, vt in Nadab & Abihu. OECOL.

ROFF. *Nadab & Abihu puniti ſunt.*

Ingenti laboras exemplorum penuria, ſi nihil aliud pro violatis ſanctarum rerum ſymbolis, q̃ de Nadab & Abihu queas afferre. Nam hos manifeſtum eſt, pro diuini præcepti tranſgreſſione fuiſſe correptos, quum & Leuitici 10. ſic de eis traditum ſit, quod offerebant coram Domino ignem alienum, contra quàm eis præceptum fuerat. Eiuſmodi ſane complures vltiones ob præceptorum videlicet præuaricationẽ, ex ipſis Moyſi libris memorare potes. Sed vt donemus iſtud tibi, nimirum ob id in eos fuiſſe vindicatum, quod ſymbolum rei ſanctæ polluiſſent. Quid tũ poſtea? Dices & ita fieri potuiſſe in indigne ſumentibus Euchariſtiam, ſi nihil aliud eam, quam figuram & ſignũ exiſtimaſſent. At præter hoc, quod argumentatio tua nullius momenti ſit, non ſatis aduertis, quid populus ante cuius conſpectum hæc miracula gerebantur, de Euchariſtia ſenſiſſet. Credidit vtique populus, vt ſupra docuimus, verum Chriſti corpus & ſanguinem obtegi ſub Euchariſtia. Nec eſt ambiguum, quin benigniſſimus Deus, tantæ multitudinis ne videlicet in fide periclitaretur, maiorem habuiſſet rationem, quam vnius aut alterius adeo ſeueriter interimẽdi, propter ſymbolorum irreuerentiam. Ad quid enim profuiſſet vnius peccatoris interitus, niſi ad corroborandos alios in fide, & in ea proculdubio fide, qua tunc imbuti fuerant, ſi nullus affuiſſet, qui contrariam doceret. Quoniam igitur Deus nullo nuncio populum [illegible] errore ſuo commonuit, & in eorum conſpectu, tales de indigne tractantibus Euchariſtiam, vltiones ſuſcepit, quis ambigere poſſit, an ob aliud hoc ipſum feciſſet, quam ad ſuperſtites in eodem, qua fuerant fide confirmandos.

Cap. 2.

Indigne Euchariſtiam tractãtes puniuit Deus pro fidei aliorum cõfirmatione.

Nonne & qui baptiſma irrident, flagellari à Deo merentur? & non ambigo, quin multi male perditi ſunt, qui mala conſcientia tingi ſe fecerunt. OECOL.

ROFF. *Miracula circa Euchariſtiam propter difficultatem fidei.*

Tu multos fuiſſe non dubitas, quos Deus ideo perdidit, quod ſe fecerint mala conſcientia tingi, nec tamen vnius producis exemplum. Hoc igitur tecum expẽde cur tot miracula, quæ à pluribus, & à fide dignis auctoribus conſtantiſſime referuntur, Deus pro Euchariſtia magis, quam pro cæteris omnibus ſacramentis oſtendi voluit, niſi quod vt hoc ſacramentum ad credẽdum difficilius eſt, ita fidem eius fulciri ſtuduerit pluribus & euidentioribus miraculis.

Nec tamen propterea, aqua addictum corpus vel ſan- OECOL.

Mm guinem

guinem fatemur, tametſi abluti ſanguine Chriſti ſe ablutos glorientur, in quo baptiſmus conſecratus eſt.

ROFF. *Sacramenta virtuté ſuam habét à Chriſti ſanguine.*

Neque te vſq; adeo rudem exiſtimare poſſum, vt aut neges, aut ignores omnia ſacramenta ſuam à Chriſto pariter, & ab eius ſanguine, virtutem ſuſcepiſſe, tametſi nullum eorum, præter vnam Euchariſtiam, corpus appellatur & ſanguis Chriſti. Nec opinor argutiam adeo ſtolidam effutire moliris. Gloriatur quiſpiam ſe ablutum Chriſti ſanguine, quando baptiſmatis aqua tingitur. Quamobrẽ & aqua ipſa Chriſti ſanguis eſt. Nullus ante hunc diem adeo repertus eſt hæreticari, vt iſtud aſſereret, aut tam friuola collectione munire ſuum errorẽ ſit conatus. Et profecto quum in virtute ſanguinis Chriſti, cætera ſacramenta clam in mentibus noſtris operẽtur ſuos effectus, nec tamen corporis, aut ſanguinis habẽt nomenclaturam, dilucidũ cuiuis eſſe poteſt, Euchariſtiam haud ſolo nomine, Chriſti corpus & ſanguinem eſſe.

Euchariſtia reipſa eſt corpus & ſanguis Chriſti.

Obtenebrare molitur & miraculum, quod Ambroſius recenſet Satyro ſuo fratri contigiſſe.

CAPVT XVIII.

OECOL. *Sicut igitur temeratores myſteriorum iure pœnam luunt, ita religioſis cultoribus ad miraculum vſque prodeſt fidei ſimplex & inadulterata pietas.*

ROFF. *Fide ſimplici credẽdum eſt verum corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe.*

Sed quam hic precor, vocas fidei ſimplicem & inadulteratam pietatem? Eámne, qua creditur ſimplex panis in Euchariſtia, citra veritatem carnis Chriſti? Sed talem fidem, qua ratione probabis eos habuiſſe, quibus Deus benefecerit per miracula. Tu certe nec vnum aliquem orthodoxum ex eccleſia Catholica producere potes, cui Deus voluiſſet propter eiuſmodi fidem prodeſſe. Nos contra citare poſſumus innumeros, quorum aliquibus quidem propter creditam ibi carnem, benefecerit Deus, aliquibus vero propter eiuſdem incredulitatem, vltionem intulerit, aliquib. denique, quo vel perfidiam deponerent, vel in recta fide ſolidius confir[illegible]tur, miracula prodiderit clariſſima. Qu[illegible] ꝓrem & certum eſt eos, qui propter ſuam fide[illegible] beneficiis remunerati ſunt, nõ iſtam quæ tibi probatur fidem, ſed eam quam eccleſia fidelium ſemper tenuit ſecutos fuiſſe. Qđ ex aliis, quæ mox dicturi ſumus, cuiuis perſpicuum fore non dubito.

Diuerſimode Deus remunerauit credulitaté hominum.

OECOL. *Quale eſt quod Ambroſius de fratre Satyro narrat, quem munitum Euchariſtia in colliorario ligata, naufragium non perdidit.*

ROFF. *Satyrum credidit Chriſtum eſſe in Euchariſtia.*

Et hoc certe non contemnendum eſt, quod tantus vir tam fideliter enarrauit. Sed Satyrum ais ſimplicem, & inadulteratam fidei pietatẽ habuiſſe, qua miraculum illud de ſe fieri promeruit. Et nos eum ſimplicem & inadulteratam fidei pietatem habuiſſe nihil amhigimus, nimirum quod crediderit in Euchariſtia Chriſtum vere contineri. Quod ſi neget tua pertinacia, quid eſt quod non ſolidis argumentis doceas, te id recte negare. Neque enim ſatis fuerit, nugacibus coniecturis in re tam ſeria ludere, & ea miracula, quæ diuina benignitas pro ſacramenti huius veritate mõſtrauerit, tuis inanibus argutiis, tam impie calumniari. Sed audi, qua ratione nos euincemus, Satyrum huius ſacramenti talem fidẽ habuiſſe qualem prædiximus. Fuit enim ipſe Satyrus diui Ambroſij frater, de cuius morte librum ædidit, cui titulum fecit de fratris exceſſu. Quiſquis enim librum legerit, duhitare nequaquam poteſt, quin ambo fuerint vnius & eiuſdem fidei, tametſi paulo ante quam iſtud miraculum contigit, Satyrus fuerat initiatus, tanta videlicet in eis per vniuerſam vitam fuerat animorum concordia. Quum itaque manifeſtum fiet ex teſtimoniis, quæ mox allaturi ſumus Ambroſium credidiſſe Chriſtum in Euchariſtia vere cõtentum eſſe. Quis iam ambigit, quin & Satyrus eius frater, qui virtute ſacramenti huius à naufragio liber euaſit, ita ſimiliter credidiſſet. Quando igitur Deus nunquam ſuis miraculis falſæ fidei teſtia eſſe poterit, colligitur apertiſſime, fidem ipſam (qua tota prorſus eccleſia concorditer hoc ipſum affirmat, quod Ambroſius & frater eius Satyrus crediderunt) rectam & inadulteratam eſſe fidem.

Infra.

OECOL. *Quale & hoc eſt, quod de ſacerdote legitur, qui per medios ignes Euchariſtiam geſtans, euaſit.*

ROFF. *Miracula pluroma adfert OEcol. contra ſeipſum.*

Gratiam habemus tibi, quod tot miracula, quæ tam aperte pro noſtra fide militant, produxeris. Verũ hoc demiror, quod nihil hæc omnia te moueant, quum nec vnum queas vel cõmentitium, pro tuæ hæreſis perfidia citare. Et certe nemini dubium eſt, quin idololatria longe grauius crimen ſit in oculis Dei, quã ſi quis rei ſacræ ſymbolum violet, aut abutatur. Quocirca quũ iuxta tuam fidem innumeri ſint, qui iam annos plurimos idololatriam commiſerunt, nimirum adorantes Chriſtum in Euchariſtia, quum tamen ſolus panis (ſi tibi credimus) ibi fuerit, mirum eſt, quod in horum neminem vnquam hactenus animaduertiſſet Deus, & tam immane ſcelus ante hunc diem nunquam fuiſſet vltus, quum tamen vt tu contendis leuiores abuſus tanta vindicauerit ſeueritate.

Corpus Chriſti in Eucha. eſſe conuincitur, quod Deus adorãtes non punierat.

OECOL. *At nulla his exemplis efficacia probandi eſt, quandoquidem ſimilia contingunt, & alias ob cauſas.*

ROFF. Niſi te ſumma Satanas impleſſet malitia, nunquã hæc tanto ſtudio miracula impugnares. Cõfiteris vtiq; fidem ſimplicem & inadulteratam, vt iſta fierent, profuiſſe. In hoc igitur ambo conuenimus. Cæterum quum docere nullis argumentis queas, eos quorum gratia miracula talia geſta ſunt, alia fide fuiſſe præditos, quam quæ tunc ab eccleſia publicitus approbabatur, compertumque ſit eccleſiam tunc credidiſſe corpus Chriſti realiter in Euchariſtia contineri, quid duhitas, an hæc ſit ſimplex & inadulterata fides, cuius corroborandæ gratia, Deus eiuſmodi voluit oſtendi miracula. Sed ob alias (inquis) cauſas ſimilia contingunt. Quid tum? An propterea cõſequitur, vt iſta nõ huius rei cauſa facta fuiſſent? Sed nec Chriſti miracula ſatis efficacia fuiſſe quis dicet, vt ipſum fuiſſe Meſſiam comprobarent. Nam ſimilia fiebant & oh alias cauſas.

Ethnicorum miracula non officiũt Chriſto.

Veſpaſianus. Cæco viſum reſtituiſſe Veſpaſianus traditur, Suetonio, Tacitoq; auctoribus. Referunt & eundem Veſpaſianum contactu ſui pedis claudum ſanaſſe. *Appollonius.* Appollonius Romæ mortuam puellam & claram, vitæ reſtituiſſe, per Damidem & Philoſtratum refertur. Eundem ex iuuene quodam effugaſſe dæmonem iidem ipſi prodiderunt. *Pythagoras.* Pythagoras item aſſeritur in Italia Crotonam oppidum luxui deditum, ad pudicos mores ſua doctrina reuocaſſe, plurimaq; ſatis admiranda geſſiſſe. Adde ſi velis ea omnia, quæ recenſet Origenes ex impiiſſimo *Celſus.* Celſo, contra quem & ſcribit. Et ſpeciem certe quandam hæc omnia referebant eorum miraculorum, quibus Chriſtus noſter abunde ſe docuiſſe putat, verum ſe fuiſſe Meſſiam. Quid enim aliud Baptiſtæ diſcipulis reſpondebat, *Matth. 11.* quum ipſi præceptoris ſui nomine percontarentur, Num Chriſtus is eſſet, qui venturus erat, an alium expectarent? Ite (inquit) & dicite Iohanni: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Sed Appollonius (inquis) magus fuit & magicis artibus miracula talia fecit. Quid ergo tu Marcum Magum nobis obieciſti, qui ſuis magicis miraculis fœminas illuſerat. Si dixeris ab Ethnicis hiſtoriis priora miracula fuiſſe producta. Num oblitus es, & ex gentilium hiſtoriis te miracula quædam commemoraſſe quo denigrares ea, quæ Chriſtus in fidei noſtræ comprobationem oſtenderat? Intelligas ergo, licet alia quodammodo ſimilia mirabilia monſtrata fuiſſent ab aliis, ea nihilominus fuiſſe meras dæmonum præſtigias. Quod ſolius Chriſti opera pro veris miraculis habenda ſint, quæ & nobis, qui vere credimus, euidentiam de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, præbent efficaciſſimam. *Chriſti vera miracula probat corpus eſſe in Euchariſtia.* Quandoquidem & apertiſſimum eſt, ea neutiquam alterius rei gratia fuiſſe prodita, quam vt teſtarentur in Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſanguinem contineri.

OEcol. *Conualuerunt à corporalibus morbis baptizati. Sanarunt multos ſudariola ac ſemicinctia & vmbra Petri.*

Roff. *Diuerſa miraculorum rationes.* Et hæc à Deo facta miracula confitemur: ſed non eo fine, vt aut baptiſmus credatur Chriſti ſanguis, aut vmbra Petri fuiſſe Chriſti corpus exiſtimetur. At priora miracula, quæ propter Euchariſtiæ fidem habendam, non alio fine facta fuiſſe conſtat, quam, vel vt in eos, qui de Euchariſtia male ſentirent, vindicaretur, vel vt in fide vacillantes, confirmarentur, vel demum his, qui recte crederent propter fidei ſuæ conſtantiam quædam impenderentur beneficia. In cunctis igitur illis miraculis, quæ pro Euchariſtia fiebant, datur cuiuis (qui non prorſus excæcatus fuerit) aperte conſpicere, promotionem & comprobationem eiuſdem fidei, quam tum eccleſiam catholicam de ſacramento ipſo docuerat. *Corporalis baptiſmi effectum ſignat interiorem.* Similiter & quum baptizati quidam à corporalibus morbis conualuiſſent, iſtud omnino corroborat id, quod eccleſia de ſacramento baptiſmatis credit, nimirum quum hoc rite ſuſcipitur ſanari interiorem hominem à morbis peccatorum. Sed & miracula quoq;, quibus per ſudariola & ſemicinctia, perque vmbram Petri quidam ſanati referuntur, ideo fiebant, vt doctrina quam de Chriſto Petrus annunciabat, recta ſolidaque comprobaretur. *Act. 19. Act. 5.*

OEcol. *Dabimus igitur & omnibus illis inmixtam quandam diuinam virtutem? quod ſi fecerimus, quanta diuinæ adumbratio virtutis erit? Illa enim quanto purius nos adiuuat, tanto maior eſſe comprobatur.*

Roff. Hoc nihil ad præſentem diſceptationem attinet, vbi virtutem illam fuiſſe dixerimus, quum ad vmbram Petri multi conualuerint. *Act. 5. Matt. 16.* Satis vtiq; nobis eſt, quod virtute Dei, quatenus Euangelium Petri monſtraretur verum eſſe, tales morbi ſanabantur. Similiter & quum conſtet ea miracula, quæ dudum ad Euchariſtiæ fidem corroborandam oſtenſa ſunt, per Dei virtutem fuiſſe facta, id abunde ſufficiet pro noſtra parte, neq; nouam antea conflictationem inire volumus, quam iſta, quam in manibus habemus quouis modo finiatur.

Ex eo quod in ſcripturis nullius miraculi pro veritate corporis in Euchariſtia mentio fit, nullum eſſe colligit.

Capvt XIX.

OEcol. *In ſumme, ſcriptura tam nullis miraculis hoc ſacramentum inſigniuit, quam baptiſmum, ut hoc vt deliteſcens corporaliter ſit corpus in pane. Etiam ſi irreligioſe tractantes ſacra pro ſua impietate dignam luerunt pœnam.*

Roff. Conſtabiliuit Chriſtus vniuerſam doctrinam ſuam miraculis innumeris, verum non ita, quod pro ſingulo quoque dogmate miracula quædam ædiderit. *Chriſtus non fecit miracula pro ſingulo dogmate.* Nam quum dilucide comprobaſſet operibus mirificis, ſe Dei filium eſſe, quis iam amplius ſuper his, quæ docuit an vera eſſent, ambigere potuiſſet? *Iohan. 3 & 6.* Docuit autem inter cætera, baptiſmum ſuis adeo neceſſarium eſſe, vt ſine ipſo nullus ad Dei regnum pateret aditus. Docuit & eſum ſuæ carnis, adeo cuiq; conducibilem, vt hoc ſpreto nullus in ſe vitam habere poſſit. Propter quod Auguſtinus lib. 1, de peccatorum meritis & remiſſione, de duobus iſtis ſacramentis ita loquitur: *Auguſtinus.* Optime puniti Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quam ſalutem, & ſacramentum corporis Chriſti nihil aliud quam vitam vocant. Vnde niſi ex antiqua, vt æſtimo, & Apoſtolica traditione, qua eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum & participationem dominicæ menſæ non ſolum ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquam hominum peruenire. Hoc enim & ſcriptura teſtatur, ſecundum ea, quæ ſupra diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. *Tit. 3.* Et quod Petrus ait: Sic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos facit. *1. Pet. 3.* Quid aliud etiam, qui ſacramentum menſæ Dominicæ vitam vocant, niſi quod dictum eſt: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. *Iohan. 6.* Et panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Et ſi non manducaueritis carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Hactenus ipſe Augusti-

nus: An non tibi ſatis inſigniuiſſe videtur Chriſtus in hoc Euchariſtiæ ſacramento ſuum corpus ſub ſpecie panis deliteſcere, quando tot & tam dilucidis, vt hic recenſet Auguſtinus, teſtimoniis eam rem comprobaſſet.

OEcol. *Vnde & nos recte dicemus, rem illam omnium maximam, & miraculum miraculorum ſecundum vos, Apoſtolos non fuiſſe admiratos. Recumbebant enim & nec exſurrexiſſe in cœna perhibentur.*

Roff. Adhuc & nugaciſſime cauillaris. Quid, te precor, aſſurgerent ad exhibitionē ſacramēti, quum ipſum coram habuerunt, qui ſeſe dedit in ſacramento. Nec erat vt hic quicquam obſtupeſceret, quod & Chryſoſtomuus prolixe docet. Nam ſatis recenti memoria tenuerunt, clariſſima ipſa de panibus miracula bis ante facta. Nec fugit eos, quid eius rei occaſione differens Chriſtus aſſeruiſſet, nimirum quod caro eius vere eſſet cibus, & ſanguis eius vere eſſet potus. Et rurſum, quod panis quem ipſe daturus erat, carnis ſuæ panis eſſet, & ipſam quoque carnem daturus eſſet pro mundi vita. Recordati ſunt & quomodo reprehenderat alios, qui non his verbis credidiſſent, adeo vt non pauci tunc ex eis retrocesſerint. Neque demum obliti fuerant, quid ipſi tum Chriſto reſpondiſſent, confitentes eum æternæ vitæ habere verba, ſeque vere credidiſſe & cognouiſſe, quod eſſet filius Dei. His modis ad tantæ rei fidem inducti, quomodo iam obſtupeſcere potuiſſent, quū porrexiſſet eis Chriſtus panem, & aſſeueraſſet hoc eſſe corpus ſuum. Neque enim adeo ſtupidi fuerant, vt quum Chriſtum ipſum coram cernerent, eo relicto ſacramentum adorarent.

Apoſtoli ſatis venerabātur ſacramētum quamuis nihil obſtupeſcerent.
Matth. 14. Marc. 16. Matth. 15. Marc. 8. Iohan. 6.
Matth. 26.

OEcol. *Audire mihi videor, quid reſpondendum quidam opinentur: nempe id quod ipſe olim reſpondiſſem, nondum illuſtratos Spiritu ſancto Apoſtolos, ſimpliciter & obedienter, quod ſat pie erat, accepiſſe de pane, & bibiſſe de calice, & propterea abſq; admiratione fuiſſe.*

Roff. Tua reſponſio mihi parum placet, neq; cuiq; alteri quantum opinor. Quare tibi tuiſque eam habeas. Quid ego reſponderim, accepiſti. Non eſt ambiguum, & Spiritum ſanctum quadantenus eis affulſiſſe, quandoquidem & fidem habuerunt. Quam & habere ſe iam pridem teſtati ſunt, quum audientes à Chriſto, quod caro eius vere eſſet cibus, & ſanguis eius vere eſſet potus, & quod niſi manducarent carnem eius, & biberent ſanguinem, non haberent in ſemetipſis vitam. Quum (inquam) hæc audiſſent, confitebantur eum æternæ vitæ verba habere, & ſe credere & cognoſcere, quod eſſet filius Dei. Nihil ergo dubitabāt quin ipſe poſſet carnem ſuam illis edendam præbere, & ſub ſpecie panis quemadmodum prædixerat. Sed & quum certo ſcirent eum panem adeo ſalutiferum eſſe, vt vitam eis æternam præſtaret, & ſine tali pane neutiquam eam vitam aſſequerentur, deſiderari potuit in eis non Spiritus ipſe ſanctus, ſed vulgaris prudentia, imo bona ciuilitas, ſi tam ſalutarem eſcam à tam liberali Domino, qui & idem inſtructor conuiuij fuerat, porrectam, non auidiſſime ſuſcepiſſent.

Apoſtoli ante paſſionem habuerunt gratiam Spiritus ſancti.

OEcol. *Alioquin mirum erat, Petrum in lotione pedum tam obſtinate reſiſtere, & in re multo magis ſtupenda, ne mutiuiſſe quidem. Quanto ſcilicet admirabilius Domini carnem manducare, quam à Domino lauari.*

Roff. De lotione pedum aliud erat. Nam de hac lotione Chriſtus ad Apoſtolos nihil antea fuerat locutus. De pane tamen, qui carnem ſuam contineret, eis dando copioſius eos inſtruxerat. Cæterum vbi Petrus accepiſſet, quod niſi lauaretur à Chriſto, non habiturus eſſet cum ipſo partē, non amplius reluctatus fuit, ſed dixit ad Ieſum: Domine non tantum pedes, ſed & manus & caput. Hic vides, quod ſimulatque lotionis fructum intellexiſſet Petrus, nihil amplius Chriſto reſtitit. Quid ergo mirum, ſi nihil abhorrerent Apoſtoli panem iſtum ſumere, de quo pridē inſtructi fuerant, quod ſine ipſo nec in ſe vitam eſſent habituri. Sed & credibile eſt eos propter verba Chriſti, quibus eiuſmodi panem ſe daturum promiſerat, eundem haud mediocriter eſuriiſſe.

Cur Petrus lotioni potius reluctabatur quam communioni Euchariſtiæ. Iohan. 13.
Apoſtoli nihil abhorrebant corpus Chriſti ob præuiam eruditionem. Iohan. 6.

OEcol. *Verum hoc nihil fuerit reſpondere, neque veriſimile, quandoquidem & poſt datum Spiritum ſanctum, nihil ſuper ea re literis proditum eſt. Sed ſicut in verbo Dei ac precibus ſimpliciter permanſiſſe leguntur, ita & in hoc frangendi panem ritu.*

Roff. Mirum eſt, quod talibus nugis & cauillis inanibus lectorem fruſtraris expectatione ſua, nec præſtas quod eras pollicitus. Sed quod in prouerbio dici ſolet: Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. Quis non perſpicit hic nihil præter nugas & meros cauillos eſſe? Sed & cuncta quæ cauillaris, plane recidunt in caput tuum. Quid tibi vis ex hoc Actorum loco? Num quod Apoſtoli nullam exhibuiſſent huic ſacramento reuerentiam? Qui probas hoc ipſum? Nō ſatis eſt hæreſiarchæ, qui contra eccleſiam peſtifera dogmata fingit, vt dicat ita eſſe, ſed ſolidis id ipſum argumentis oportet conſtabilire, quod molitur aſſerere. At certum eſt, te neutiquam ex hac ſcriptura probare poſſe, quod reuerentiam huic ſacramento nullam detuliſſent. Sic enim in Actis traditur: Erant enim perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & in communicatione fractionis panis & orationibus. An non putas eos inter precandum ſe geſſiſſe reuerenter? Et doctrinam Apoſtolorum nunquid reuerenter audierūt? Quid igitur de interpoſito dubitas, an cum reuerentia ſacramentum iſtud ab Apoſtolis diſtributum accepiſſent.

Nugis moratur lectorem OEcol. Horatius.
Act. 2. Aſſerta probare oportet.
Act. 2.

Cauillatur in ceremonias, quæ fiunt à piis in honorem tanti ſacramenti.

Capvt XX.

OEcol. *Doceri velim vbi ceremoniarum ille immodicus apparatus? vbi adoratio? vbi admiratio? vbiq; indicatur pura ſimplexq; religio, & cōmendatur cum pietate charitas.*

Roff. Nihil opus erat, vt in ſcripturis, q̄ nobis breuiſſime traduntur, explicarentur iſta q̄ memoras. Non ignoras quid de talib. dixiſſet Paul. vbi Corinthios inſtruxerat ſuper hoc ipſo ſacramento.

1. Cor. 11.

Cætera

Cætera (inquit) quum venero diſponam. Si poteris illum ſcripturæ locum nobis indicare, quo Paulus hanc pollicitationem præſtitit, nos inde coniecturam dilucidam præhenſabimus, quo de talibus ceremoniis doceri queas. Neq; enim dubium eſt, quin Paulus in ſuo reditu Corinthiis præſtiterit, quæ tum promiſit. Cæterum hi, qui vere credunt in hoc ſacramento Chriſtum realiter contineri nihil dubitant, quin multo plures eius præſentia ceremonias & apparatus & adorationes exigat. Sed & eas, quibus vtimur longe impares eſſe tantæ dignationi.

Ceremonia circa Eucharist. merito ſeruantur.

OEcol. *Profecto ſi diuina lege debitores ſumus, vt panem illum ſacrum, noſtris temporibus tanta religione ſeruemus, colamus & celebremus, quid ab eo cultu exemit Apoſtolos.*

Roff. Quin coluiſſent & adoraſſent in hoc ſacramẽto Chriſtum, ego nihil hæſito, quum Auguſtinus ita fieri debere plane teſtetur, & vniuerſalis eccleſia doceat, vt nos etiam idipſum faciamus. Apparatus & ceremonias Apoſtoli parum curabant. Et certe propter eos, qui ſatis robuſti ſunt in fide, videri poſſent non abſolute ſimpliciterq; neceſſaria fuiſſe, niſi quod eccleſia Spiritu ſancto inſtructa, ſic ordinaſſet. Quod & fecit haud dubie propter infirmiores, qui talibus ceremoniis & tanto apparatu magis ad huius ſacramenti deuotionem accenduntur. Quantum igitur ad ceremonias & apparatum attinet, non putamus obligari Chriſtianos diuina lege, ſicut nec Apoſtolos in eccleſia primitiua. Verumtamen cultum & adorationem Chriſti in ſacramento nullus ambigere Chriſtianus poteſt ad primum præceptum pertinere. Cæterum quid iſtis moror lectorem, quandoquidem argutia tua mere negatiuis inſiſtit: (nempe quod non leguntur Apoſtoli, nec in ſcripturis traditur, quod adoraſſent.) Quare ſeipſa corruit.

Ceremonia propter ampliorem deuotionem inſtituta ſunt.

Adoratio Euchar. eſt cultus Latriæ.

OEcol. *Cur non emendicauit Paulus à Macedonibus & Corinthiis, quo reſeruatũ panem ornaret, vt præſens Chriſtus adoretur.*

Roff. O nugaciſſime cauillator, quando tandem cauillis iſtiuſmodi finem impones? Reſpondeat ipſe Paulus tibi. Non miſit (inquit) me Deus baptizare, ſed euangelizare. Neque enim ſacramentis miniſtrandis inſeruiebat Paulus, ſed verbi miniſterio fuerat intentus. Multa reliquit poſteris ordinanda, quæ curarent & ipſi fieri temporibus ſuis, quemadmodum de baptiſmate ſatis conſtat, quum in eccleſiæ primordiis, tantum in Chriſti nomine baptizabant. Paulus igitur interea ſatis habuit cohibere populum, ne ad ſumptionem eſcæ tam incomparabilis indigni accederent, quibus (ſi id præſumerent) vltionem ſuperuenturam comminabatur. Quicunque (inquit) manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Et rurſum: Qui mãducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, nõ diiudicans corpus Domini. Ad hæc: docet ob indignam ſumptionem, in complures vindicatum eſſe. Propter hoc (inquit) inter vos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Num tibi videtur his verbis Paulus monuiſſe populum quatenus honorificam huius ſacramenti rationem haberet. An tu nullam honorationem citra argentum & aurum & gemmas eſſe putas?

1. Cor. 1.

Act. 2. & 8.

1. Cor. 11.

OEcol. *Hæc non ideo dixerim, quod indecẽter ſacra tractanda cẽſeam, ſed vt à ſeculis Apoſtolorum doceam, quis cultus fuerit Chriſti, quando adhuc recens effuſus ſanguis eius ardentia pectora imbuebat.*

Roff. Si nolis vt indecenter ſacra tractentur, quid tam ſtudioſe cauillaris honorem, quem populus in ceremoniis & apparatu circa ſacramentum iſtud impendit? Veriſſimum quidem eſt, quod quo magis ardebant recenter effuſo Chriſti ſanguine Chriſtianorum pectora, eo minus egebant his ceremoniis & iſto apparatu. Nam luce tanta fidei conſpicuum eis fuit hoc ſacramẽtum, vt ſola Chriſti ipſius præſentia contenti fuerant, nec aliunde fuit eis opus, vt ad deuotionem accenderentur. Nunc autem videmus propemodum vniuerſo adeo friguiſſe, vt niſi ceremoniis iſtiuſmodi, ceu quibuſdam incentiuis excitarentur, omnis fidei vigor apud multos interiret. Adde quod Apoſtolorum temporibus nullus in templis canticorum vſus fuit, quem tamẽ poſtea patres introduxerunt: nimirum, vt torpeſcentes Chriſtianorum animos ad ampliorem deuotionis alacritatem erigerent. Et Auguſtinus quodam loco ſe confitetur eiuſmodi cantibus eccleſiæ, nonnunquam ad lachrymas fuiſſe permotũ. Cæterum vt intelligas, quis cultus Chriſti fuiſſet in hoc ſacramento, etiam Apoſtolorum temporibus; Baſilius in ſua Miſſa quam Græce ſcriptam reuerendus Pater Epiſcopus Londonienſis mihi legendam exhibuit, ita precatur. Reſpice (inquit) ſuper nos Deus, & ſuper hanc noſtram Latrian, & acceptam eam habeas, quẽmadmodum accepta habuiſti munera Abel, immolationes Abraham, Moyſi, & Aaron, ſacrificia ſacerdotum, Samuelis pacificas. Quemadmodum cœpiſti à ſanctis Apoſtolis tuis veram hanc Latrian, ita ex nobis peccatoribus manibuſq; noſtris, accipe hæc munera bonitate tua Domine. Vides hic lector Apoſtolos hãc Latrian corporis & ſanguinis Chriſti celebrare conſueuiſſe, id quod etiam abunde conſtat ex vitis Andreæ pariter & Matthæi Apoſtolorum, neque minus credibile eſt cæteros hoc ipſum feciſſe ſolitos.

Ceremoniis opus eſt ad deuotionem.

Cantus eccleſiæ propter deuotionem introductus eſt.

Ceremonia quæ Apoſtolorum tempore ſeruabãtur.

Miſſa Baſilij.

OEcol. *Cæterum memores erãt dicti dominici: Pauperes ſemper vobiſcum habetis, me autem nõ ſemper habetis. Chriſtum ſedentem in cœlis ad dexteram Patris peregrini in hoc ſeculo, & viduati ſponſo requirebant.*

Roff. Ex hoc verbo Chriſti nequaquam conuincitur, non eſſe in Euchariſtia Chriſtum, quũ aperte ſit ibi locutus de præſentia ſua corporea, iuxta modum infirmitatis, qua tunc afficiebatur eius caro. Quæ res apertius ex ipſius Marci lectione conſtat. Sic enim Marcus ait: Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & quandocunq; volueritis poteſtis illis benefacere. Me vero non ſemper habetis, hoc eſt, non habetis eo modo, quo meæ, ſicut pauperum infirmitati conſulatis. In-

Matth. 26.

Matth 14.

tellexit ergo Chriſtus de præſentia ſua iuxta modum infirmæ carnis quam tum geſtabat. Cui ſententiæ ſubſcribit & Hieronymus 26. Matthæi negans eum etiam hoc modo cum Apoſtolis fuiſſe poſt reſurrectionem. Cuius verba ſubiiciam: Alia oboritur quæſtio: quare Dominus poſt reſurrectioné dixerit ad diſcipulos: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem mundi: & nunc loquatur, me autem non ſemper habetis. Sed mihi videtur in hoc loco de præſentia dicere corporali: quod nequaquam cum eis ita futurus ſit poſt reſurrectionem, quomodo nunc, in omni conuictu & familiaritate. Cuius rei memor Apoſtolus ait: Etſi noueramus Ieſum Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus eum. Hæc Hieronymus. Cæterum quod iam ad patris dexterã Chriſtus ipſe ſedeat, nihil impedit, quo minus in Eucbariſtia ſimul eſſe queat, quemadmodũ ante diximus. Et quanquam in hoc ſacramento realiter Chriſtus affuerit: nõ tamen ita quod corporeis oculis à nobis cõtueri queat, aut alio quouis deprehendi ſenſu. Quo fit, vt nobis perinde ſit in ſacramento Chriſtus, quaſi non adeſſet, niſi propter ſolam fidem. Nam adhuc & eius viſibili præſentia viduati ſumus.

Hieronymus. Matth. 28. Matth. 26. Marc. 14. 2. Cor. 5. Corpus Chriſti in altari non videmus.

OEcol. *Vnde & poſtea conciliorum decreto dominicis diebus γονυκλισίαι interdicta, & erectis in cœlum vultibus ſtationes iuſſæ ſunt.*

Roff. Adorandum in cœlo Chriſtum, nemo eſt qui negat. Sed affirmamus eundem Chriſtum in Eucbariſtia pariter adorari debere. Quod ſi decretum aliquod repereris, quo vetatur adorari Chriſtus in Eucbariſtia, quid ipſum nõ producis? Profer aliquod alicuius approbati cõcilij decretum, quod prohibeat, & viciſti. At dominicis (inquis) dieb. prohibitæ ſunt genuflexiones fieri. Verum qua ratione te precor. Nimirum ob reuerentiam diei dominicæ. Nam ea die Chriſtianos omnes lætitiæ ſigna conuenit oſtendere. Genuflexiones autem cuiuſdam pœnitudinis & luctus indicia ſunt. Nihilominus tamen & is, qui recto corpore ſtat, poterit in Eucbariſtia Chriſtum, & is qui genua flexerit, eundem in cœlo pariter adorare. Alioqui Stephanus quem putas adorauerit, quando poſitis genibus orabat, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. An aliũ quemuis præter Chriſtum Ieſum, quem & viderat ſtantem à dextris Dei? Sed & Petrus quum eſſet ſuſcitanda Dorcas, vt in Actis habetur capite nono: cuius alterius opem implorauit, quam ipſius Chriſti, quem & poſitis genibus orauit, vt Tabitha reſurgeret?

Chriſtus in Eucbar. adorandus. Genuflexiones ſunt prohibitæ diebus dominicis, de conſec. diſt. 3. c. quoniam. Act. 7. Act. 9.

OEcol. *Quo ſatis liquet vbi Chriſtum, an in cœlo vel pane adorarit.*

Roff. Inepte colligis OEcolampadi, non adorãdum in Eucbariſtia Chriſtum, obid quod genuflexiones dieb. dominicis prohibitæ fuiſſent. Nam legat quiſquis velit concilium Nicenum, & aliud ſub Martino Papa celebratum, in quibus huiuſce rei mentio facta eſt, non inueniet genuflexiones diebus dominicis vetitas, niſi quod ipſis diebus gaudium reſurrectionis dominicæ celebramus. Quamobrem & ſtare iubemur inter precandum. Cæterum quod vultus in cœlum erigamus nequaquam præcipitur, ſed tantum ad Dominum. Quare quum facta ſemel conſecratione, Dominus in altari præſens eſt, nihil conciliis reluctamur, ſi vultus noſtri ferantur in hoſtiã, vbi Chriſtum Dominum præſentem adoremus.

De conſec. diſt. 3. c. quoniam. Vide Ioh. de Turre cremata ſuper cap. quoniam, de conſec. diſt. 3.

OEcol. *Porro vt corporali erectioni reſpondeat animorum viuacitas, etiam hodie in ſacris operationibus more vetuſtiſſimo admonemur, ſurſum corda audientes; non dicitur: Corda aduertite erga panem, vel erga altarium, ſed ſurſum, vbi ſcilicet eſt Chriſtus in dextram Patris ſedens.*

Roff. Non ignoras opinor, qua parte Miſſæ dictum iſtud. Nimirum ante conſecrationis verba recẽſita, quando videlicet in hoſtia Chriſtus haud dum præſens efficitur. Tum ſi quiſpiam iuſſerit adorari panem, nimiſquam impie fecerit. Vbi vero ſacra prolata ſint verba, iam omnino ſub ſpecie panis deliteſcens, Chriſtus adorãdus eſt. Nam ſub ſpeciebus panis & vini, verum ipſius corpus & ſanguis immolatur. Sic enim & Auguſtinus teſtatur, inquiens: Participem autem fieri menſæ illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Nam & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: Non eſt bonum homini niſi quod manducabit & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam & ſacerdos ipſe mediator noui Teſtamenti exhibet ſecundum ordinẽ Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo. Id enim ſacrificium ſucceſſit illis omnibus ſacrificiis veteris Teſtamenti quę immolabantur in vmbra futuri, quod etiam vocem illam in Pſal. 39. eiuſdem Mediatoris per Prophetam loquentis agnoſcimus. Sacrificium & oblationẽ noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. Quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Hactenus Auguſtinus libro de ciuitate Dei decimoſeptimo, capite viceſimo. Quibus verbis apertiſſime dixit in hoc ſacrificio verum Chriſti corpus & ſanguinem immolari, cunctiſque participantibus adminiſtrari? Quo perſpicuum eſt OEcolampadium hic pluſquã pueriliter ineptire, qui propter eam admonitionem ante cõſecrationis tempus factam, colligere molitur, non debere iam conſecratione celebrata ſpectari, & adorari ſacrificium iſtud auguſtiſſimum, in quo verum corpus & ſanguis, imo Chriſtus ipſe totus continetur.

Surſum corda ante canonem Miſſæ dicitur. Aug. lib. 17. de ciuita c. 20. Pſal 109. Hebr. 10. Pſal. 39. Vide hoc Veronam tranſlationem. Haud ſatis OEcola probat Eucbariſtiam non fore adorãdam.

Ex more quo patres olim tractarunt Euchariſtiam, nihil eſſe mirandum in ea docet.

Capvt XXI.

OEcol. *Et ne latius digrediamur, poterimus & ex patrum moribus deprehendere, quod nihil horum, quæ nunc vulgus ſolet mirari, ſoliti ſint. Teſtantur hiſtoriæ, Euchariſtiam quoſdam domi eſitaſſe, quoſdam pueris in manus tradidiſſe infirmis portandam, quoſdam viminei caniſtris attuliſſe, quoſdam & infantulis communicaſſe.*

Pude-

ROFF. Puderet ſane te, tam friuolis cauillationibus, late fuiſſe digreſſum, niſi pudorẽ omnem exuiſſes. Neq; later eos ipſos qui prædicta memorant, Euſebium, Cyprianum, Hieronymum, eiuſdem nobiſcum eſſe fidei. Nam & hi ſolidiſſime crediderunt in Eucharistia veritatem eſſe corporis & ſanguinis Chriſti. Sed te profecto vere Capernaitam effecit infidelitas, vt nec edendam credo putares Euchariſtiam, ſi tibi conſtiterit in ea Chriſti carnem eſſe. Et quid aliud quæſo facerent illis temporibus, quando non erat ſacerdotum & miniſtrorum ingens copia, quin in tanta neceſſitate poſiti, pueris bonę indolis iſtud ſalutis viaticum, infirmis extrema ægritudine laborantibus perferendum, commendarent? Sicut & Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium refert contigiſſe. Sacerdos morbo impeditus, quum accedere ad ægrotantem non valuit, dedit puero ſacramentum ipſum perferendum. Sed ibidem ex eiuſdem Dionyſij relatione diſcere poteris Euchariſt. a n diuinum appellari cibum, & quam ſit neceſſariũ hinc migraturis eodem ante veſci. Sed & quid verat quo minus viminco caniſtro ſacramentum iſtud reconderetur, iis quibus non aderant pixides pretioſiores. Hieronymus igitur ad Ruſticum ſcribens ait: Nihil illo ditius qui corpus Domini caniſtro vimineo & ſanguinem portat in vitro. Poſtremo, quid non infantulis Euchariſtiam cõmunicarẽt hi, qui ſine hac, nec vitã glorioſæ immortalitatis infantulis præſtari potuiſſe, perſuaſiſſimum habuerunt.

Veteres crediderunt in Eucharistia corpus Christi.

Iohan. 6.

Pueri communicabant infirmos. Li. 6. historia ecclesiaſtica. 33. Eucha. in quo vaſe conſeruari queat.

Hieronymus. Vide doctores 4. ſen. diſ. 9.

OECOL. *Qui ſane ſi hoc modo affuiſſe credidiſſent, exclamaſſent: Domine non ſum idoneus vt ſoluam corrigiam calciamentorum: & cum Regulo, Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum.*

ROFF. Sed quid non magis cum Zachæo (quod tu non citra dolum retices) ſacramẽtum iſtud cum omni gaudio ſuſciperent? Nam vtriuſque meminit Auguſtinus ad Ianuarium ſcribens, vbi diſſerit, an rectius faciat is qui quotidie ſumit Euchariſtiam, an qui rarius? Centurio dixit ad Chriſtum: Non ſum dignus vt intres ſub tectnm meũ. Zachæus contra, gaudens accepit Chriſtum in domum ſuam. Propter quod & ſubdit Auguſtinus: Ille honorando non audet quotidie ſumere, & iſte honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptnm ſolum non vult cibus iſte, ſicut nec manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus indigne dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita. In quibus verbis intelligis lector ipſum Dominum in hoc ſacramẽto ſumi, propter quod veneratione ſingulari proſequendus eſt. Sed & iſtud aduerte quod continenter ſubiicit, docens Ibi verum eſſe corpus Domini. Continuo (inquit) quum dixiſſet Paulus: Iudicinm ſibi manducat & bibit, addidit vt diceret, non diiudicans corpus Domini, qnod ſatis toto ipſo loco in Epiſtola ad Cor. 11. ſi diligenter attendatur, apparet. Hæc Auguſtinus. Sed quid precor apparere dicit? Certe quod hic ſit verum corpus Domini, quemadmodũ & Paulus ſæpius ipſum nominat.

Luca 19.

Matth. 8. Luc. 19.

Num. 11. 1. Cor. 11.

1. Cor. 11. De conſec. diſ. 2. ca. Et ſancta & c. Si. cut Iudas. Matth. 8. Iohan. 4.

Cæterum hæc obiter recenſui propter Centurionem & Regulum, quorum ipſe mentionem feceras. Ad rem redeamus. Quis tam ſtupidus eſt, vt oblatum hunc tam ſalutarem cibum, quum & eiuſdem non ignoraret neceſſitatem, neque donatoris amantiſſimi liberalitatem, illum non minus impie quam ſtolide recuſaret. Propter quod & Auguſtinus li. 2. de viſitatione infirmorum: Illud etiam viuificum Domini corporis ſacramentum ſuſcipere fili mi non rennas, quin potius illud auidiſſime quæras, fideliter comedas. Cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit ſaluberrimũ, redemptionis tuæ preciũ, redemptoris monimentum, & redempti munimentum. Hæc Auguſtinus. Neque enim toties inculcarem eius verba, niſi quod Oecolampadius tam impudenter negat ſenſiſſe Auguſtinum, aliud in Euchariſtia contineri, præter merum panem. Cuius opinionis ſi fuiſſet Auguſtinus, profecto nunquam aſſeruiſſet, aut incomparabilem, aut ineffabilem hunc cibum eſſe. Sed neque redemptionis noſtræ precium affirmaſſet quouis pacto. Nam ſi nihil in ſe contineret præter panẽ, & eſſet figura tantum corporis Chriſti, ſicut olim fuerat manna, profecto multis gradibus & cibus mirabilior & ineffabilior fuiſſet ipſum manna, qnam panis iſte. Et maxime quidem propter ipſa miracula, quæ ex manna conſequuta ſunt, quorũ nec minimũ quidem viſibiliter in hoc ſacramẽto fieri conſpicimus. Sed & pretium redemptionis noſtræ nihilo maius dici potuit quàm ipſum manna: quandoquidem vnius eiuſdemque rei ſi credimus Oecolampadio, figura tamen vtrumq; fuerat, iſtud quidem ipſius Chriſti paſſuri, illud eiuſdem iam paſſi.

Euchar. denore ſuſcipiẽda.

Exo. 16.

OECOL. *Porro & nos ſi vere & toto corde crederemus hoc modo Chriſtũ præſto, mirũ ſi ab adoratione auelli poſſumus, & non dies ac noctes ante panem illum proſternimur & pro matutinis & veſpertinis horis hoc ſolum agimus.*

ROFF. Nuni ſatis aduertis Oecolãpadi quæ iam polliceris? Dic mihi, vere ne credis ex toto corde, ſacroſanctã ipſam triadem nulli non loco præſentẽ adeſſe? Quod ſi pręſto ſit ipſa diuina trias, quã & ſpiritu & veritate quouis loco poſſis colere, quid eſt ꝙ ab eius adoratione te debeat auellere, vt non dies & noctes ante ipſam genibus prouolnaris, & non pro matutinis ac veſpertinis horis duntaxat? Sed ipſa trias (inquis) adeſt inuiſibiliter ſolum. At vere tamen adeſſe nemo fidelis dubitat. Nec tamen qniſquam reperitur, qui dies ac noctes coram ea proſternitur. Quid ergo miraris ab adoratione Chriſti in ſacramento nos auelli poſſe, quum nec ipſe melior, aut beneficentior, aut potentior, aut deniq; quantum ad ſacramentum ſpectat magis conſpicuus oculis noſtris ibi ſit, quam ipſa trias ſacroſancta, quæ nullo non loco nobis ſe vere præſentem exhibet.

Non continuo oportet Euchariſtiã adorare.

OECOL. *Attamen parum abeſt, quin huc uſque prorepſerit monaſteriorum quorundam ſuperſtitio.*

ROFF. Quid erit tutũ à cauillis tuis, proxime cauillatus es, ꝙ credẽtes in Eucha. Chriſtũ eſſe, pro matutinis tantũ & veſpertinis horis eũ adorauerint, non

 dies

Pſal 33. dies totos ac noctes proſtrauerint ſeſe coram ipſo. Nunc etiam & eos cauillaris qui hoc ipſum facere ſtudent, & ſuperſtitionem vocas, quod ita faciant. Verum ſi guſtaſſes vel ſtillam aliquam eius ſuauitatis, qua mentes iſtorum religioſorum ex huius ſacramenti cultu inebriantur, neutiquá iſta ſcripſiſſes: ſed neque religionem illam repudiaſſes, opinor, quam dudum fueras ingreſſus.

Taxat condonationes à pontificibus conceſſas, & ſolennes pompas.

CAPVT XXII.

OEcol. *QVares ſi tam ſancta, tamq; pia, quid ad eam opus diplomatis pontificiis? cur tam diu dilata?*

Roff. Meri cauilli ſunt & iſti, quod & dilucidum erit his, qui teporem horum temporum aliquatenus aduertunt. Num te quæſo reſipiſcere, & vitam in Chriſto nouam inchoare, nō eſt ees quædam ſancta piaque? Et tamen à multorum cordibus, vt non ignoras, adeo remota, vt niſi per diplomata pontificia ad eam inuitarentur, plurimi nunquam, aut admodum ſero ſtudium impenderent huic negotio. Iſtos interroga, cur tam ſanctum & pium opus, abſque diplomatis pontificiis, non aggrediuntur, & cur eiuſmodi rem adeo ſalutarem tam diu procraſtinare ſolent vt hi qui pie viuendi ſemitas percalluerint, illis inuitatiunculis nihil egent. *Diplomatis ad deuotionē incitantur quidam.*

OEcol. *Sed argumentum eſt, quod doctiores, ſapientioresque epiſcopi principio negarunt, à potentiore conceſſum, & quod patrum non inſtituit prudentia, ſequentium admiſit poteſtas, ne dicam temeritas.*

Roff. Peius illud ſtabilias oportet: nempe quod doctiores & ſapientiores epiſcopi primitus iſtud negabant, neque fieri permittebant. Satis abunde ſupeeius oſtendimus epiſcopos, doctiſſimos iuxta atque optimos, aſſeruiſſe Chriſtum in Euchariſtia contineri. Et quis tam impius eſt, vt Chriſtum, vbicunque fuerit, non toto pectore libenter adorabit. *Supr ca. 2. ca. 4. ca. 8. ca. 17. ca 18.*

OEcol. *Aiunt autem & quoſdam ex Romanis epiſcopis curaſſe ante ſe ferri panem hunc quoque irene.*

Roff. Nec video cur hi damnandi tibi ſint. Nam ſi morituris, cibus iſte, ſaluberrimum (vt ait Auguſtinus) viaticum ſit, & nemo dubitat mortem omnibus horis, capitibus imminete noſtris, num non recte ſibi conſulunt, qui curant huius eſcæ copiam præſto ſemper ad manum habere? & maxime quopiam dum proficiſcuntur, vbi forte metunnt, ſeſe paratam non reperturos.

OEcol. *Palam autem eſt, quanto faſtu, quam immodico luxu, quanta ſolennitate feſtum corporis Chriſti, quod vocant agatur, in quo, quod Chriſto dignum ſit, video minimum.*

Roff. Iam videris mihi, vel Michol vxoris Dauid, vel Iudæ proditoris vicem agere. Iudas enim haud æquis oculis tulit mulieris illius pietatem in Chriſtum, quæ libram vnguenti Nardi piſticæ pretioſæ ſuper Chriſti pedes effudit. Ad quem ſane modum tibi diſplicet, quicquid ad honorem Chriſti fit in hoc ſacramento, & nihil præter faſtum & immodicum luxum eam celebritatem eſſe putas. Calumniata fuit & Michol virum ſuum Dauid, quando non ſine magna celebritatis pompa, ipſe & vniuerſa domus Iſrael arcam Dei ducebant, iubilantes & clangentes buccinis. Saltauitque Dauid coram arca præ magnitudine gaudij, quod ex arcæ præſentia conceperat. Cæterum iſtud tibi metuendum eſt ne Deus optimus maximus, qui Iudæ Micholque calumnias vltus olim fuerat, & tuam aliquando tandem vlciſcatur. Nam & infinitis quidem partibus, hoc ſacramentum illam arcam ſuperat. *Iohan. 12.* *2. Reg 6. 1. Par. 15.* *Matth. 27. 2. Reg. 6. in fine.*

OEcol. *Intermittitur annunciatio verbi, quo locus ſit ludis & ceremoniis, ignoratur verus Euchariſtiæ vſus, aperitur idololatria feneſtra. Exaggerantur ſupra modum ſuperſtitiones in domibus agriſque luſtrandis. Mulieres in cultu meretricio, ſacerdotes amaſiorum more compti in faſtu regio, milites in armatura truculenti: & quæcunque olim contempta ad Apoſtolis, nunc exinanita gloria crucis. tanquam ſumma producuntur, viſuntur que aurum, argentum, gemma, tabula, imagines, ſpectacula, cymbala, beluata pulumnaria, purpura, flores, tormenta, ſympoſia, atque adeo parum video ſobrietatis: minus, imo ferme nihil veræ religionis.*

Roff. Quid vnquam vſque adeo bonum, ſanctumque fuit vt nulla prorſus occaſione quiſquam eo potuiſſet abuti. Maiori profecto celebritate dignum eſt hoc ſacramentum, quàm ei poſſit vniuerſum genus hominum exhibere. Et profecto qui teporem & tarditatem vulgi penſiculatur, non incongruum cenſebit, quod huiuſmodi ceremoniarum & celebritatum pompis honorificis, populus alliciatue ad huius ſacramenti fidem. Nam id genus ſpectaculis, in quibus honor à proceeibus impenditur Euchariſtiæ, eude vulgus ad pietatem facilius trahi ſolet. Et certe propter infirmiores ad multa conniuendum eſt. Neque tamen laudo, ſi quid iſtiuſmodi celebritatis gratia, perperam agatur, aut prætermittatur, quod vtilius agi debeat. Cæterum, tantum abeſt vt abuſus iſti quos memoras, quicquam huius ſacramenti fidei derogent, vt eam confirment multo magis. *Ceremoniæ non ad abuſum ſed deuotionem ſeruātur.* *Abuſus non eſt commendandus.*

OEcol. *Tanta mala ſemel innexit impudentia, qua omnia miraculo debemus, quod fingentes, ſcripturamque non intelligentes, ſcire plus quam par ſit, & vltra Apoſtolos ipſos eminere volumus, quos vt vel parum pios vel indoctos taxamus, & nos vt vel magis pios, vel doctiores efferimus.*

Roff. Iam neminem alium ſugillas potius quàm teipſum. Nam certum eſt Apoſtolos à nobis ſtare ſiue quicquid ipſi literis commendauerint, ſeu quid ab orthodoxis relatoribus de ipſis proditum ſit. Extant adhuc eorum vitæ per orthodoxos ſcriptæ, quibus par eſt, vt fidem nihilo minorem adhibeamus, quàm ſcriptoribus Ethnicis. Illorum vitas quiſquis legerit, intelliget quam pie ſenſerint de hoc ſacramento. Tu igitur ipſe es qui impudenter arrogas tibi, ſcire pluſquam par ſit, & vltra Apoſtolos ipſos eminere conaris. Neque ſolos Apoſtolos à tergo relinquis: *Apoſtoli crediderunt corpus Chriſti in Euchariſtia.* *Oecol. ſpretis omnibus videri cupit.*

linquas: verum etiam alios omnes citra illorum tempora, qui cum Apoſtolis conſenſerunt, vel vt parum pios, vel vt indoctos reiicis, niſi quos tu putas detorqueri poſſe ad ſenſum tuum. Auſim tamen vel periculo capitis aſſerere, te neminem reperturum, qui tametſi prima fronte tuæ ſententiæ fauere videatur, ſi penitius tamen introſpexeris, in totum ſubſcribat tibi.

Sibi viſus eſt ex iis collegiſſe nullum eſſe miraculum in Euchariſtia.

CAPVT XXIII.

OEcol. *At mihi ſatis perſuaſum eſt, nullum hoc loco miraculum celebrandum in pane.*

Roff. Quid ſi tibi perſuaſum ita fuerit: Propterea ſcilicet nobis æquũ erit etiam ita credere? Si tibi ſic perſuaſum ſit, non eſſe dubium quin ab angelo Satanæ perſuaſio iſta manauerit, qui vt tibi imponeret, in angelum lucis transfigurauit ſeſe. (2.Cor.11.) Et quid ni? quum ab eodem dudum actus ſis, vt deſerta ſancta religione, qua ſacras initiatus, redires ad ſeculum. Nobis æquumne cenſes, vt ſpreta fide, quam ceu per manus tot & tam grauiſſimorum patrum Eccleſiæ catholicæ, tradită nouimus, hominis vitius adeo leuis & inconſtantis, qui quod ante probauit, iam improbat, quod ante tradidit, nunc vt perfidiam reputat, ſacrum denique viuendi morem, quem ante fuerat ingreſſus, nunc ad vomitum reuerſus execratur, Satanicas illuſiones & peruerſiſſimas ſcripturarum interpretationes amplectamur? (2.Petri.2.) An nõ plus ſatis iſtiuſmodi nænijs nobis imponere ſtuduit Lutherus tuus, Imo iam non tuus, nimirum cui tam apertiſſime reclamas? Qui poſſumus vobis habere fidem, ceu doctoribus veritatis, quum alter alteri non creditis, imo contrariis dogmatibus oppugnetis & confodiatis vos mutuo?

OEcol. *Quamuis non negem ſacramentis operari Deũ in nobis mirifica, dum ſeſe vberius & ſuauius Spiritus qui datus eſt nobis, explicat: ſiquidem non deeſt credulitas quæ vt fiat; pauci intelligunt, & ſoli qui experiuntur, de quo ſuo loco.*

Roff. Nos iam diſquirimus nõ quid per ſacramenta Deus, ſed quid in ipſis ſacramentis operetur. Certum quidem eſt, diuinum Spiritũ etiam ſine ſacramentis in cordib. noſtris operari mirifica. Permittitur inſuper & Satanicus ſpiritus fictis quibuſdam ſplendoribus, & ardoribus circumuenire multos. Sed de iis (vt dixi) nihil nũc contendimus. Extra cauſam iſta ſunt. Noſtra cõtrouerſia eſt, an Spiritus ipſe faciat, vt in pane & vino quicquã inuiſibiliter operetur, quo fiãt ex eis corpus & ſanguis Chriſti, id quod opinor dilucide ſatis ex Auguſtini teſtimonio ſuperius citato comprobatũ eſt. (Sup.ca 20.)

OEcol. *Nunc ſatis eſt didiciſſe non eſſe inſaniam, nec ſupra humanã rationem, ſi intelligere conemur quid ſit, & quomodo ſe habeat huius myſterij ratio proſequamur & alia.*

Roff. Profecto ſi vera ſunt, quæ ſuperius hac de re collegimus ex Auguſtino: (Sup.ca 6.&10.) nempe quod diuinus Spiritus inuiſibilem quãdam operationem exerceat in hoc ſacramento, quodq; nemo valeat ingenij ſui virib. iſtam operationẽ comprehendere, palã eſt, quum hæc operatio longiſſime cuiuslibet hominis captum exuperet, cũ inſaniam, qui nititur aliter quam per fidẽ intelligere, quid ſit, quomodo ſe habeat huius ſacramẽti ratio: certiſſimũ inſuper eſt, te nihil hactenus attuliſſe, quod huiuſce rei contrarium probet, multaſq; pollicitationes glorioſe feciſſe, quarum ne vnam quidẽ præſtiteris.

Purgare ſe nititur ab hæreſeos crimine, ſed omnino fruſtra.

CAPVT XXIIII.

OEcol. *Non ſatis viſum erat nos pro inſanis haberi, niſi & veritati contradicere quod extrema malitia eſt, denũciemur: & ſemel omnem apud omnes amittamus fidem. Quis enim crederet veritatis hoſtibus? Hinc fit, vt negari à nobis euangelia, & aſſerere Chriſtum non eſſe Deum, euertere totum Chriſtianiſmum, concionatores quidam audacter in nos declament. Quid negatis aiunt, corpus Chriſti adeſſe ſub aliqua ſpecie panis, quum Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus vno ore dicant: Hoc eſt corpus meũ, neq; teſtimonia quæ alia attulerit maioris vel authoritatis vel veritatis, date gloriam Deo, & in nomine Ieſu flectite genua; ſi prælium Domini præliari vultis, cur gladium verbi Dei reiicitis.*

Roff. Et hæc omnia citra controuerſiam veriſſima ſunt. Nam proculdubio circumſtãtiæ ſcripturarum adeo dilucide rem hanc vrgent, vt nequeant aliter Chriſti verba, niſi per vim torqueri. Paulo ante diximus, & ſæpius hoc ipſum mihi repetendum eſt, Chriſtus ex inſigni miraculo de panibus monſtrato nactus occaſionem, pluribus de ſua carne à nobis edenda diſſeruit. (Supr.ca 19. Matth.14. Mar 6. Iohan.6. Matth 15. Marci 8.) Moyſen olim Iudæis de cœlo panẽ dediſſe recenſuit. Sed iam ipſo nato, patrem longe præſtantiorem donaſſe panẽ docuit, (Iohan.6.) mox explicat qui ſit ipſe panis. Ego (inquit) ſum panis vitæ: hunc panem aſſerit à patre Iudæis datum. Subinde monſtrat & ſe daturum panẽ. Et panis (inquit) quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Ecce & panem ipſe daturus erat. Panem vtique carnis ſuæ, quam carnem etiam daturus erat pro mundi vita; comminatus item fuit, vt niſi panem illum carnis ſuæ manducarent, pariter & ſanguinem biberent, nõ haberent in ſemetipſis vitam. Iam vide Reliquerat huius rei ſidem in Apoſtolorum pectoribus, quanquam alij complures hæc verba carnaliter accipiẽtes eum velut abſurda locutum illico deſeruiſſent. Confitebantur autem Apoſtoli eum æternæ vitæ verba protuliſſe. Quamobrem & expectabant haud dubie talem panem eis aliquando fore dandum. Adueniẽte igitur hora, qua rapiendus eſſet ad crucem, acceptum panem in manibus ſuis benedixit, atque fregit & dedit Apoſtolis ſuis dicens: Accipite & edite ex hoc omnes, hoc eſt corpus meum. (Matth 26. Luca 22.) Quis ergo iam poterit aliter hæc verba concipere, quam quod ibi vera caro, verumque Chriſti corpus contineatur?

OEcol. *Amici parcius. calumnia hæc qua nos perſtringitis, intolerabilis eſt Chriſtiano: cuius fuerit, verbis Chriſti omni-*

omnibus fidem habere. Neceſſe enim eſt, Chriſtum abnegare in omnibus, & mendacem facere, vel illi in omnibus credere. Nam qui in vno diſcredit, in nullo credit, & ſi in quibuſdam non contradicit, non tamen in illis Chriſtum audit, ſed aſſentit, quia aliquando perſuaſum erat.

ROFF. Ex hac tua ratione manifeſte colligitur non eſſe calumniam, ſed verum crimen quod impingunt tibi. Nam ex his quæ iam diximus, apertum eſt ita ſenſiſſe Chriſtum, nempe quod ſub ea panis ſpecie, Chriſti corpus obtegebatur. *Sup. co. ca.* Dixerat enim: hoc eſt corpus meum, illud iam implens, quod ante fuerat pollicitus: nimirum quod panem daturus erat, qui foret eius caro. Corpus itaque Chriſti, quod non videtur niſi per fidem, ſub ſpecie panis viſibili latet inuiſibiliter. Quamobrem quum huic verbo Chriſti non credas, palam prodis te non eſſe Chriſtianum. Sed & Chriſtum in cæteris omnibus abnegas, atque plane facis mendacem. Quare & tuo ipſius ore teipſum condemnas.

OECOL. *Non reclamamus autem Euangeliſtis, ſed adoramus etiam iota, & apicem minimum. In labiis Chriſti non eſt inuentum mendacium: & propterea verbum eius & nobis in lucernam eſt, quod oramus vt perpetuo luceat.*

ROFF. Errorem tuum, verborum copiæ & ſententiarum apparatu, quantumuis tegere moliaris: te tamen ipſa reclamas Euangeliſtis, & aut eos aut Chriſtum haud dubie mendacij reos conſtitues. Nam ſi Chriſtus hæc verba non dixerit, mentiuntur Euangeliſtæ. Sin dixerit ea Chriſtus, & vera non ſint, mentitus eſt ipſe Chriſtus. Nec ſatis erit vt reſpondeas, eum hæc tropo dixiſſe. Nam ita, quoties libebit, de cæteris Chriſti verbis cauillabor, & obiiciam eum etiam iſta locutum fuiſſe tropo. Atque ita nihil ex eius verbis extabit certum, ſed nutabunt & vacillabunt omnia.

OECOL. *Non enim in omnium cordibus lucet, purgatos amat oculos, inuidia expertes, & in extremis verborum corticibus non hærentes. Quæ licet ſuſpiciamus, non eſt nobis tamen tanta illorum cura, quanta vt introſpiciamus recondita, & quis ipſiſſimus verborum ſenſus.*

ROFF. Ad hunc modum, nihil eſt tam hæreticum, cui non patrocinari facile quiuis poterit. Sic Nouatus ſuam hæreſim tutabitur. Sic Arrius: Sic Sabellius: Sic Pelagius, & quis non? Exiſtimat enim hæreticus quiſque ſe germanum ſenſum habere ſcripturarum. Nullus eorum eſt qui non facile dixerit, Non in omnium cordibus lucere lucernam verbi Dei, nec omnes introſpicere, quis fuerit ipſiſſimus verborum ſenſus. Cæterum quod ante præceptori tuo Luthero reſpondimus, ſi ſperes te poſſe nobis perſuadere, Dei Spiritum, qui perpetuo præſidet Eccleſiæ, cuius & moderator eſt, fuiſſe paſſum eam in tam craſſis tenebris tot annorum centenarios iacuiſſe, & nunc tandem illuſtraſſe cor tuum, vt tu ſolus horum verborum ipſiſſimum ſenſum perſpicue cernas, nunquid merito nos aſinos, imo ſtipites & truncos vocitares? Et profecto ſi putes hoc te facere poſſe quouis eloquentiæ profluuio, vel Oreſte ipſo inſanior es.

Omnes hæretici ſemper ...marunt recte ſcripturas intelligere.

Vide li. aſſertionum. item defenſionem Regiæ aſſer. & ſacrosacerdotij defenſionem & plura ſimilia comperies.

Verba Chryſoſtomi, quanquam illius hæreſim aperte iugulent, impudenter affert pro ſua parte.

CAPVT XXV.

OECOL. *Hoc nimirum vult, quod indigni quidam Chryſoſtomi lectores, aduerſus nos tanquam certi de victoria ex Homilia 60. promunt, quem ſcio non loqui contra nos, vt verba ſonant. Sunt autem hæc eius verba: Credamus itaque vbique Deo, neque repugnemus ei, etiam ſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit: ſuperetque & ſenſum & rationem noſtram. Quod in omnibus, & præcipue in myſteriis faciamus, non illa quæ ante nos iacent ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non poſſumus. Senſus vero noſter deceptu facilimus eſt. Illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius atque ſæpius decipitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſub rebus ſenſibilibus. Quia vero quæ tradidit, inſenſibilia ſunt, ſic & in baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, intelligibile quiddam eſt. Nam ſi tu incorporeus eſſes, vnde ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam vero corpori coniuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.*

ROFF. Iam plane video te mente captum eſſe. Et quis non hoc ipſum per omnia ſacra iurabit, qui vel ſemel Homiliam abs te citatam ex Chryſoſtomo perlegerit. Nam & quæ præcedunt ea verba iam per te citata, & quæ ſubſequuntur, diuerſa ſenſiſſe Chryſoſtomum indicant apertiſſime. Audi lector quid mox poſt initiũ illius Homiliæ dixerit: Quamobrem (inquit) paſſionis tempore hoc myſterium tradidit? vt vndique diſcamus ipſum, veterem etiam legem ſanxiſſe: & omnia quæ in illa ſunt, propter nouam hanc adumbrata fuiſſe, hac igitur de cauſa veritatem figuræ adiunxit. Hic audis lector Chryſoſtomum affirmare cuncta quæ ſub veteri lege fiebant vmbras eſſe: myſterium autem iſtud, eſſe veritatem. Mox adiungit Chryſoſtomus: Præcipuam autem ſolennitatem eorum diſſoluit, & ad aliam eos menſam horroris plenam eos conuocans dicit: hoc eſt corpus meum. Et hic habes lector, quod agni Paſchalis menſa diſſoluta, quæ Iudæis fuit magna ſolennitas, ad alteram eos menſam cõuocat horroris plenam. Et quare precor dixerat, horroris plenam: niſi quod in ea verus agnus edendus proponebatur: propter quod ſubiũxit, dixiſſe Chriſtum: hoc eſt corpus meum. Adhæc paulo poſt cauſam reddit cur non ob eam eſcam Apoſtoli fuiſſent turbati. Quomodo (inquit) turbati non fuerunt, quum hoc audiſſent? Cauſam continenter ſubdit: Quoniam (inquit) multa iam & magna de hoc antea diſſeruit. Et hic cernis lector quod quia Chriſtus Apoſtolis ſuis, ante

Homilia 60. Chryſoſtomum tenet corpus Chriſti in Eucharistia.

Matth. 26. Eſdra 6. Matth. 26. Marci 14. Luc 22. Ioh 12. 1. Cor 5. Matth. 26.

Apoſtoli non turbabantur ad Euch. ſumptionem.

Iohan. 6.

ante promiſerat ſe panem daturum, qui fieret ipſius caro, iam ad exhibitionẽ huiuſmodi panis, nihil obſtupeſcebant. Et rurſum poſtea cauſam alterã ſubdit, cur minime turbabantur. Ipſe (inquit) bibit ex eo, ne auditis verbis, Apoſtoli eius dicerent: Quid igitur ſanguinẽ bibimus & carnẽ comedimus, ac ideo perturbarẽtur. Nam & quãdo prius de his verba fecit, multi ſolũmodo propter eius verba, ſcandalum paſſi ſunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, primus ipſe hoc fecit, vt trãquillo animo ad communicationẽ myſteriorum induceret. Hic mihi Oecolampadius, quamobrẽ laboraſſet Chryſoſtomus hic reddidiſſe cauſam, cur non turbabantur Apoſtoli, quum audiſſent illic eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, ſi non vere credidiſſent ibi ſub panis ſpecie Chriſti carnem, & ſub vini ſpecie ſanguinem eius contineri. Nam ſi ſciſſent myſteriũ ipſum nihil aliud fuiſſe quam panem & vinum: hoc eſt ſolam figurã corporis & ſanguinis Chriſti, cur ſuſpicatus fuiſſet Chryſoſtomus metũ aliquem Apoſtolis incutiẽdum potius, dum ex hoc myſterio guſtarent, quã ex agno Paſchali qui fuit etiam figura Chriſti? vt igitur hic Apoſtoli, verum Chriſti carnem & verum eius ſanguinẽ adeſſe credentes, nihil tamen edere trepidarent, Chryſoſtomus aſſerit Chriſtũ prægustaſſe, atque ita metum & formidinem illis omnem ſuſtuliſſe. Sed hæc (vt diximus) antecedunt illa, quæ per Oecolampadium citata ſunt.

Iohan. 6.

Subſequentia ad ea qua Oecolampadius hic adduxit.

Subſequuntur autem hæc & continenter quidẽ: O quot modo dicunt, vellem formam & ſpeciem eius. Vellem veſtimenta ipſa, vellem calciamenta videre. Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Veſtimenta eius deſideras videre? Ipſe vero ſeipſum tibi tradit, non vt videas ſolum: verum etiam vt tãgas & in te habeas. Et haud multo poſt: Quis loquetur potẽtias Domini auditas: vt faciat omnes laudes eius? Quis paſtor vnquã membris ſuis oues ſuas nutriuit? Multæ matres poſt partum ſuum aliis nutricibus infantes dederunt, quod tamen ipſe facere noluit: ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit atq; conglutinat. Nec his contentus Chryſo. annectit & iſta: Non ſunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit. Ipſe nunc quoq; operatur, ipſe perficit. Nos miniſtrorum ordinẽ tenemus: qui vero hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. Et hic aduertis lector, Chriſtũ panem & vinũ appoſita ſanctificare & trãſmutare. Et quid eſt hoc aliud quam panis & vini ſubſtantiã in carnem propriam & ſanguinem vertere. Et rurſum paulo poſt: Hæc (inquit) illa, non alia menſa eſt: hæc, nulla re minor quam illa eſt. Non enim illã Chriſtus, hanc homo quiſquiam facit: ſed vtranque ipſe. Et tandem prope calcem Homiliæ ſic miniſtris loquitur: Si pellere nõ audes indignos, mihi dicas: Non permittam iſta fieri. Animam prius tradam meam quam Dominicum alicui corpus indigne, ſanguinemque meum effundi potius patiar, quam ſanctiſſimum illum ſanguinem præterquam digno concedam. Ex his intelligis lector, Oecolampadium toto quod aiunt aberrare cœlo, quũ neget in hac Homilia Chryſoſtomum affirmare verã Chriſti carnem, & verũ eius ſanguinẽ ſub Euchariſtia contineri. Quãobrem quũ in re tã perſpicua, vel talpis ipſis cæciores nos reddere conatur, quis vnquam in cæteris ei credat. Nam conatus iſte, vel ex errore iudicij, vel ex malitia proueniat neceſſe eſt. Si ex errore, quis deinceps eius iudicio fidem habebit, quum in re tam clara tam craſſe cæcutiat. Sin ex malitia, quomodo poteſt lucerna verbi Dei, in corde tantæ malignitatis vnquam eluceſcere?

Pſal. 105.

Matth. 26. Luca 22.

Nota Chryſoſtomi ſolum ſimul & ſententiam.

Achilles Roffenſis in Oecol.

OEcol. *Hæc Chryſoſtomus nobiſcum dicit.*

Roff. O linguam impudentiſſimam: Dixiſti pridem ſcire Chryſoſtomum cõtra te loqui, & nunc rurſum ais: Hæc Chryſoſtomus nobiſcum dicit. Si tecum dicat, ergo tu ſine vlla ambiguitate credis & oculis intellectus perſpicis Chriſti corpus in ſacramento. Credis etiam ſub ſenſibilibus ſignis, inſenſibilia quædam, nobis hic à Chriſto donari: hoc eſt, credis verum corpus & ſanguinem, quæ nullo ſenſu percipiuntur, ſub panis & vini ſpeciebus viſibilibus operta iam exhiberi. Credis & cætera omnia, quæ in dicta Homilia ſcribit Chryſoſtomus: nempe, quod diſcipuli abhoruiſſent edere talem eſcam: niſi quod partim prioribus Chriſti ſermonibus & aſſertionibus fuiſſent cõfirmati: partim quod ipſe dignatus eſſet prius de eſca pariter & de potu prægustare. Credis inſuper quod ipſe Chriſtus in hoc ſacramẽto comeditur, & quod ipſe ſeipſum ibi tradit edendum. Credis præterea Chriſtum hic feciſſe, quod nullus vnquam paſtor fecit pro ſuis ouibus, & quod multæ matres non dignantur pro filiis ſuis de lacte ſuo facere, nimirum quod in hoc ſacramento ipſe de cruore ſuo nos potare dignetur. Credis denique panem & vinum, quæ ſacris altaribus apponuntur, ſanctificari & tranſmutari per inuiſibilem operationẽ Chriſti, in corpus & ſanguinem ipſius. Hæc ſi credas, nulla tecum nobis erit controuerſia. Si non credas, quid tam impudẽter dicis: Hæc tecum Chryſoſtomum aſſerere, teque ſcire quod nihil ipſe contra te loquatur.

Non conuenit Oecola. cum Chryſoſto.

OEcol. *Conſentimus enim credendum Deo, etiam ſenſu & cogitatione repugnantibus. Cæterum in myſteriis ſunt tenenda verba, placuit ſemper & placet, non reſpiciendũ ad materiam tantum. Hoc enim foret prophanare ſacramenta. ſed tenenda ſunt & verba, quæ non fallunt, ſi quidem recte capiantur, adhibitis mentalibus oculis. vt enim in his quæ proponũtur, materies quid ſignificẽt ſpectandũ, ita & in verbis danda opera ne male intelligãtur.*

Roff. Fruſtra moliris tam apertiſſime Chryſoſtomi verba tuis præſtigiis inuertere. Ipſe palã affirmat credendũ eſſe Dei verbis: etiã ſi ſenſui & cogitationi noſtræ videantur abſurda, imo licet ſenſum & rationem noſtram ſuperent, idque monet quum in aliis omnibus, tum in myſteriis præcipue faciendum. Deinde ſubdit non ſpectandas eſſe res, quæ ob oculos poſitæ ſunt, ſed Chriſti verbis inhærendum. Et cauſam reddit: Quoniam ſenſus haud raro nos fallit, Chriſti verba fallere neminem poſſunt. Poſtremo colligit: Quoniam ergo Chriſtus dixit: hoc eſt corpus meum, nulla nos ambiguitate teneri debere: ſed credamus oportet, atque oculis intellectus hoc ipſum

Chryſoſt. longe ſecius quã Oecolampa. ſentit.

Matth. 26. Luca 22.

Ratiocinatio pro Euch ex Chryſoſtomo.

ipſum corpus ibi perſpiciamus. Perinde ac ſi ſic in ſomma ratiocinaretur: Verbis Chriſti pluſquã ſenſui noſtro fides adhibenda eſt. At Chriſtus dixit: hoc eſt corpus meũ. Quare firmiter credendũ eſt, ibi corpus eius eſſe, tametſi ooſter ſenſus ibi nihil aliod eſſe iudicet præter merum panem.

Sola Chriſti authoritate creditur corpus Chriſti in ſacramẽto.

Cæterum tu, qoid ad iſtud reſpondes? Fateris vtique Chriſti verbis fidem adhibendam: ſed addis, ſi recte capiantur. At iſtud non eſt docere ꝙ fueras pollicitus: Nihil aduerſus tuam ſententiam Chryſoſtomum hic fuiſſe locutum. Neque enim ad præſentem ſermonem ſpectat, vt iam verba Chriſti, ſed vt Chryſoſtomi verba diſcutiamus: oimirum quid Chryſoſtomus ipſe ſenſerit. De verbis autem Chriſti poſtea diſſeremus. Senſit vtique Chryſoſtomus, ideo credendum eſſe Chriſti corpus io hoc ſacramento, quoniam ipſe dixit: hoc eſt corpus meum. Et his Chriſti verbis etiam contra ſenſus & rationis iudicium nos inhærere voluit. Quod ſi figurate verba Cbriſti voluiſſet intelligi, louge alium ſermonem fuiſſet habiturus.

OEcol. *Sicut in illis ipſis verbis Chryſoſtomi rudis lector, cum Papiſtis panem fateretur non datum diſcipulis, ſed quid ſequatur, cogemus illum fateri & aquam in baptiſmo, non eſſe aquam, iiſdem Chryſoſtomi verbis, ſi mordicus tenere verba voluerit. Quæ poſtea latius expendemus opportuniore loco.*

Roff. *Epheſ. 1. Papa caput eccleſiæ ſub capite Chriſto.*

Quantumuis occulta fuerit hypocriſis, erumpet tandem & prodet ſeſe. Hic videre licet quantum frigeſcat in pectore tuo charitas, qoi caput Eccleſiæ pontificem contemnis. Sed tibi Chriſtus (inquis) Eccleſiæ caput eſt. Et nobis idipſum itidem aſſerimus. At oihilominus & ſummus ipſe Pontifex caput etiam Eccleſiæ eſt. At quî fieri poteſt (inquis) vt Eccleſia duo ſortiatur capita? Dicam: Alterum eius caput eſt vir ipſius, quemadmodum & Paulus ait: Vir caput eſt mulieris. Verum præter iſtud caput habet & ſuum proprium. Quando precor vnquam vidiſti fœminam ſine capite? Sic nimirũ & eccleſia, quæ Chriſti ſponſa eſt, virum ſuum Chriſtum habet pro capite. Sed nihilominus & Pontificem habet, ceu membrum ſui corporis ſub Chriſto præcipuum. Tu igitur qui tali membro ſic conuiciaris, & papiſtas eos probro vocas, qui ipſum reuerentur, vide ne ſuperbiæ plurimum, charitatis autem nihil, in pectore tuo regnet. Sed de his verbis alias.

1 Cor. 11. Cant. 3. Iohan 3. Apoc. 21.

Quod autem dicis rudem lectorem ex Chryſoſtomi verbis poſſe capere, quod Chriſtus Apoſtolis panem non dederit. Ego vero non rudem ſolum: verumetiam eum qui eruditus eſt, hoc ipſum longe magis perſpicere noo dubito. Quid enim alioqui dixiſſet io eadem Homilia? Chriſtũ ſanctificare & tranſmutare quæ apponuntur. Nũ ſi tranſmntatus fuiſſet panis in corpus, & vinum in ſanguinem, priuſquam hęc Apoſtolis dediſſet, non dilucide conſequitur, nec panem aut vinum iam eſſe quæ præbuit Chriſtus Apoſtolis, ſed carnem veram & verum ſanguinem. Cęterum quod de aqua dicis, nihil oportet. Nam de aqua nõ dicit Chryſoſtomus, quod ea tranſmutatur, ſicut de pane & vino dixerat. Sed & ſeipſum ex eo quod adiecit ſatis explicuit, quæ verba pro tuo more Sycophantice ſubduxiſti. Verũtamen originale ſi quis conſulat, ita ſe habet: Sic & in baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur. Quod autem in ea cõficitur regeneratio ſcilicet ac renouatio, intelligibile quidem eſt. Hæc poſteriora verba tu ſubtices, quibus tamen ille docet manere aquam, & per eam aquam, Spiritum donari, renouationemque præſtari, ac regeneratioorm, quam noo viſu depræhendi, ſed intellectu tantum concipi, Chryſoſtomus affirmat.

Chriſtus dedit Apoſtolis verum corpus authore Chryſoſtomo.

Oecol detruncat verba Chryſoſtomi.

OEcol. *Nunc ſufficiat intelligere nos debere, non ſolum quid myſteria ſignent, ſed quid verba doceant: à ſenſu enim verborum nullo modo nos deterruerit.*

Roff. *Inſtitutum relinquit infectum.*

Sic in medio relinquis negotium, quod iam fueras aggreſſus. Nondum eos indignos fuiſſe Chryſoſtomi lectores oſtendiſti, qui dictam Homiliam produxerunt aduerſum te. Neque adhuc ſatis probaſti Chryſoſtomũ nihil io hac Homilia fuiſſe contra te locutum, ſed tecum ſenſiſſe, & tamen ad alia iam digreſſionem facis, quaſi iſta ſufficienter monſtraſſes. Satius fuiſſet Oecolampadi, non tam glorioſe promittere, quam nihil eorum præſtare quæ fueras pollicitus. Sed nec iſtud hactenus collectum eſt, quod ſufficiat intelligere nos debere, non ſolum quid myſteria ſignent, ſed & quid verba doceant. Nam quid verba doceant, Chryſoſtomus nihil ambigebat. Nihil enim his verbis apertius eſt, quum dixerit Chriſtus: Hoc eſt corpus meum. Quiſquis hic ſcrupum aliquem facit, in ſcyrpo nodum quærit. Sed neque Chryſoſtomus hic excuſſit, quid ipſa myſteria ſignent, imo quid in ſe contiocant aperte prodidit: nempe caroem & ſanguinẽ Chriſti, id quod profecto, ſi non quandam phreneſim paterere, merito te deterreret ab impio ſenſu, quem de verbis iſtis concepiſti.

Matth. 6. Lucæ 22. Chryſ. docuit corpus Chriſti in ſacramento contineri.

Ex eo quod Chriſtus parabolis vtatur crebrius, eundem vſum in his verbis tropo colligit.

Capvt XXVI.

OEcol. *Scimus Chriſtum non raro in parabolis loquutum, ea propter, peculiariter in eum dixit Pſaltes: Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.*

Roff. *Matt. 13. 21. 24. Mar. 3. 4. Lu. 8 14. 15 19. ac alibi.*

In parabolis Chriſtum fuiſſe locutum nemo negarit. At non ſemper ita locutum apertiſſime cooſtat. Nunc (inquit) palam loqneris & prouerbium nullum dicis: palam certe Chriſtus & citra parabolam locutus eſt quum dixerit: hoc eſt corpus meum, id quod ex ipſis ſcripturarum circumſtantiis oſtendimus, etiam conſentiente Chryſoſtomo. Quoniam (vt idem ait) niſi diſcipulorum animos prius in hac re confirmaſſet Cbriſtus: nempe quum dicebat: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, & panis quem ego dabo caro mea eſt, & niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Niſi per hæc, & per ſimilia verba corroboraſſet eorum animos

Ioh. 6.

Matth. 26. animos, in huius rei fide perturbati eſſent, & ab eſca corporis ipſius deterriti, quum eam illis porrexerit dicens: Hoc eſt corpus meum. At quis potuit ſuſpicari, deterritos & perturbatos Apoſtolos fuiſſe, ob ſolam figuram? Sic enim (vt diximus) agnus paſchalis qui & Chriſti paſſuri figura quædam fuerat, eos etiam deterruiſſet, deterruiſſet & manna.

OEcol. *Et non ſolum multa loquutus eſt Chriſtus in ænigmatis; ſed & quæ per vitam omnem egit, latens quiddam deſignant. Quid enim opus erat ficum ſterilẽ maledicere, aquam in vinum vertere, diſcipulorum pedes abluere, ſimiliaque facere, ni ſublimiora interim commendata eſſent myſteria?*

Roff. *Matth. 21. Ioha. 2. Iohan. 13.* Video quorſum tendis. Moliris, vt tam hoc verbum Chriſti, quam etiam opus iſtud quiddam aliud referant præter verbum & opus, quẽadmodum & maledictio ficus, & aquæ verſio in vinum, & pedum ablutio. Non inficior ſane, quin & iſta quædam alia figurabant, & nihilominus tamen in ſeipſis erant res veræ. *Fici execratio facta fuit propter Apoſtolorum fidem.* Nam ficus ipſa ſterilis per ipſam Chriſti execrationẽ prorſus exaruit, adeo vt & poſtera die, quum illac redirent Apoſtoli, mirabantur eam exaruiſſe radicitus. Et quum Petrus dixiſſet Chriſto: Rabbi, Ecce ficus quam execratus es exaruit. Ieſus autẽ reſpondit: Confidite Deo. Amen dico vobis, quicunque dixerit huic monti: Tollaris & mittaris in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit fore quæ dixerit, erit illi quicquid dixerit. Palam eſt igitur execrationem ficus illius rem veram in ſe fuiſſe, & ad fidem Apoſtolis excitãdam fuiſſe factam, nedum vt myſterio quiddam aliud ſignificaret. *Iohan 2.* Sic & aquæ in vinum conuerſio, quanquam alterius rei myſterium fuerat, *In Euchariſt. eſt vere corpus Chriſti. Matth. 26. Iohan 2.* ad corroborandam nihilominus fidem patrata fuit. Similiter & quantum ad Euchariſtiam attinet, omnino credendum eſt, quanquam figura ſit, etiam rerum aliarum, vt mox dicturi ſumus, tamen in ſe vere continere corpus & ſanguinem Chriſti. Nec parabolice tum fuiſſe locutum Chriſtum, quum dixiſſet, hoc eſt corpus meum, ſed vt apertiſſimus eſt verborum horum ſenſus, ita veriſſime panem in ſuum corpus vertiſſe, ſicut & olim aquam verterat in vinum.

OEcol. *Potentiam enim & humilitatem etiam modis aliis ſignificare potuiſſet.*

Roff. *Humilitas Chriſti in opere probatur.* Et ſane quanquam aliis modis innumeris potentiam & humilitatem ſuam Chriſtus indicaſſet, nemo tamen pius vnquam negauerit, ingẽtis humilitatis id indicium fuiſſe, quod pedes abluiſſet diſcipulorum, ſed neq; minoris poteſtatis illa ſigna fuiſſe quum execratione ſua ficum *Matth. 21. Iohan. 2.* feciſſet radicitus exareſcere, iuſſuq; verbi ſui mutata ſit aqua in vinum optimum.

OEcol. *Scimus vero literam (vt aiunt) homicidam. Spiritum vero viuificatorem.*

Roff. *2. Cor. 3.* Neque iſtud te iuuabit quicquam. Innumera ſunt à Chriſto prolata verba, quorum nullum eſt litera quæ occidat, ſed ſpiritum ipſum continent qui viuificat. Alioqui quum ad fidem, ad ſpem, ad amorem, ad precationem, ad vitæ puritatem, atque cætera id genus hortatur, literam profert interimentem, quod ſane falſiſſimum eſt. Nihil igitur hæſitamus, quin hoc verbum, quo Chriſti corpus conficitur, quod vitam præſtat edentibus, non literæ interimentis verbum ſit, ſed ſpiritus viuificantis.

Non erit nobis durus ſermo Chriſti, quem ſequi in mortem vſque cupimus, durus eſt ab illo recedere volentibus, qui ex Chriſti verbis ſublegunt quo decedat aliquid illius gloriæ: ita male audire merentur. Hi enim non minus impij ſunt infidelibus, imo & impietate ſuperant: ſiquidem dedita opera id agunt: nam per ignorãtiam peccantibus aperta ſunt refugij ciuitates, in quibus eum pœnitet ut veniam aſſequantur: at nos gloriam Chriſti eminentiſſimam vellemus. OEcol.

Si tibi non ſit durus Chriſti ſermo, cur tu quęſo non credis quod hactenus omnes orthodoxi crediderunt? Cur malis ex eorum eſſe numero, Roff. qui quum audiſſent à Chriſto: Panis quem ego dabo caro mea eſt, retroceſſerant, quam ex Apoſtolorum, qui permanſerant credentes. *Iohan. 6.* Quid, te precor, hic decedit gloriæ Chriſti: ſi credideris eũ ſuam carnem nobis in eſcam dediſſe. An hoc non potuit multo facilius, quã eam dediſſe tortorib. laniandã? Iam citra laniationem vllam, imo citra quãuis moleſtiã editur à nobis. Sed nec ex potatione ſanguinis quicquã offenditur: quem tamen in cruce nec abſq; ſummo cruciatu pro nobis effudit. *Abſque ſui iactura Chriſtus corpus & ſanguinem dedit. Iohan. 19.* Quare ſi credas, Chriſtũ pro nobis cruci affixũ, quid non pari facilitate credis eundẽ ſeipſum ob immenſam charitatẽ, qua erga nos afficitur, in Euchariſtia nobis percipiendum donaſſe. Tu plane Chriſti gloriam imminuis, qui negas in hoc ſacramento verum corpus eius contineri: ſed illud aſſeris merum eſſe panem ſolamq; figuram corporis. Tu cũctos infideles impietate ſuperas, qui quum per eruditionem tuam ignorare nequeas vnumquemq; fidelium hactenus ita credidiſſe, tantum tamen charitatis incendium extinguere moliris, vt tibi ſcilicet gloriolæ nonnihil aucuperis.

Callide pollicetur, ſe verbis conſenſurum nobis ſi nos ei in ſenſu non diſſideamus.

Capvt XXVII.

Itaque quod vel in ciuilibus cauſis daretur, ſicut nos vobiſcum τὸ ῥητὸν libenter recipimus: Ita vos nobiſcum τὴν διάνοιαν videte ne auerſemini, ne fortaſſe grauius quiddam accidat. OEcol.

Rem parum æquam poſtulas. Sic enim facilime potuit Arrius, & cæteri quiuis hæretici, ſuas hæreſes conſtabilire. Roff. Receperunt enim hæretici verba Chriſti, quæ fuerant orthodoxis tradita. *Hæretici quidem verba Chriſti amplectuntur, non autem ſenſum genuinum.* Quod ſi viciſſim iſti recepiſſent hæreticorũ ſenſum, vbi iam fuiſſet eccleſiæ fides? Nobis non ſolum verba: verumetiam & verborum ſenſum Spiritus ſanctus per ora patrũ, ceu per organa certiſſima tradidit. Et quoniam ſenſus, vita verborũ eſt, nos à verbis ſenſum diuidere non poſſumus.

Tu qui diuiſionem quæris, meretricem illam refers quæ dixit: Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur. [3. Reg. 3.] Nos vitam ſcripturarum, hoc eſt ſenſum genuinum quem diuinus Spiritus per priores patres eccleſiæ tradidit, auferri neutiquam à ſcripturæ verbis patiemur. Nos eccleſiæ filij ſumus, & ſenſum tenemus, quem diuinus Spiritus fuerat interpretatus. Hunc Spiritum Chriſtus perpetuum [Ioha. 14. 15. 16.] eccleſiæ ſuæ conſolatorem dedit, vt maneret apud eam in æternum. Hunc & pollicitus eſt edocturum eccleſiam, omnem veritatem. Quum venerit (inquit) ille, qui eſt Spiritus veritatis, ducet [Ioh. 16.] [Iohan. 14.] vos in omnem veritatem. Et alibi: Paracletus ille, qui eſt Spiritus ſanctus, quem mittet Pater nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis. Si verax igitur in promiſſis Chriſtus fuerit, quod nemo dubitat, Eccleſia verum & germanum ſcripturarum ſenſum edocta eſt ab ipſo Spiritu. Quare quod tu ſuades, vt tuum ſcilicet ſenſum ſuſcipiamus, iniquiſſimum eſt.

OECOL. *Ecce non dubitamus, panem iſtum corpus Chriſti vocare. Ecce, hoc eſt corpus Chriſti, habetis confeſſionem. Vos ne repugnetis, quo ſenſu Chriſtus panem illum corpus ſuum appellauit, eodem & nobiſcum intelligere.*

ROFF. Iam nihil diſſimile facis prioribus hæreticis. [*Hæretici verba ſcripturæ non ſano intelligunt.*] Nam ad hunc modum Arriani (quemadmodum in tripartita refertur hiſtoria) partim libro 2. capite 7. partim quarto libro capite 24. nulla verba recuſarunt, quæ proferebant è ſcripturis orthodoxi, at ſenſum ipſis verbis longe alium adaptarunt. Quum enim dixiſſent orthodoxi: Filius ex Deo eſt; Conſentiamus aiebant Arriani, quoniam & quiſque noſtrum eſt ex Deo. Paulus e- [1. Cor. 8.] nim ait: Vnus Deus ex quo omnia. Quum dixiſ- [Rom. 1.] ſent orthodoxi, filium in ſcripturis dici virtu- [1 Cor. 1.] tem, & ſapientiam patris, & imaginem, ac glo- [1. Cor. 11.] riam Dei; [2. Cor. 4.] Conſenſerunt Arriani, ſed ad alium ſenſum. Nam hæc inquiebant etiam creaturis [1. Cor. 11.] accommodantur. De nobis ait Paulus: Vir imago & gloria Dei eſt. Sed & virtus atque ſapientia reperiuntur in hominibus. Quum inſuper obieciſſent orthodoxi, dixiſſe Chriſtum: Ego [Iohan. 10.] & pater vnum ſumus; Arriani quoque verbis ipſis ſubſcribere parati fuerant, ſed longe alio ſenſu, nimirum ob concordiam & vnanimitatē, non propter vnius eſſentiæ communionem. Ita nullum verbum è ſcripturis attulerūt orthodo- [*Arriani verba ſcripturæ ad alium ſenſum detorquent.*] xi, quod non ad alium ſenſum Arriani facile detorſerint. Sic & tu iam facis Oecolampadi. Verba ſcripturæ, quæ nos pro orthodoxorum parte producimus, tu comprobas, at ſenſum adulterinum iiſdem indere moliris, quem nos auerſamur penitus, eo quod non quadret ſenſui, quem eccleſię paracletus olim inſpirauerit.

OECOL. *Neque enim vellemus nouam mentem afferre ſcripturæ, ſed iam quæ genuina eſt, non licet auerſari. Vera, vera ſunt Chriſti verba, & anathema eſt qui contradicit, ſed vt vere, ita non abſque tropo dicta ſunt.*

ROFF. [*Nouum ſenſum afferre mendaciter ſe negat.*] Nonne ad iſtum modum & Arriani, & cæteri quique hæretici dixiſſent: nempe ſe nolle nouam mentem afferre ſcripturæ. Putabant enim huius ſcripturæ, Ego & pater vnum ſumus, genuinum [Iohan. 10.] fuiſſe ſenſum, hunc videlicet, quod Pater & Filius concordes eſſent, & vnanimes: non tamen eos vnius & eiuſdem eſſentiæ, quemadmodum orthodoxi crediderunt, confeſſi ſunt. Quamobrem & alium quemuis ſenſum auerſabantur, quam qui fuerat à ſuis receptus. Vera prorſus fuiſſe Chriſti verba clamabant, & execrabantur omnes quotquot eis contradixiſſent. Cæterum eum ſenſum quem in eiſdem Chriſti verbis orthodoxi comprobabant, illi penitus reſpuerunt. [*Arriani reſpuerunt ſenſum orthodoxorum in ſcripturis.*] Sic & tu nunc facis Oecolampadi. Dicis te nolle nouam afferre ſcripturis mentem, ſed eam quæ tibi placet, genuinam eſſe putas, quantumuis communi patrum ſententiæ repugnauerit. Clamas vera vera eſſe verba Chriſti, ſed ad ſenſum quē ipſe probas, & contradictores anathemate cenſes feriendos. Inter hæc vnū profecto veriſſime dicis, quod nouam huic ſcripturę mentem non afferas. Nam & diu priuſquam natus eras, Berengarius eādem [*Berengarij hæreſis.*] cogitauit, quem vtinam vt in hæreſi, ſic & in eiuſdem hæreſeos reuocatione ſtudeas imitari. Tra- [*De conſ. diſ. 2. c. Ego Berengarius.*] dunt illum quum eſſet hinc migraturus, dixiſſe: Hodie apparebit mihi Dominus Ieſus Chriſtus, vel propter pœnitentiam vt ſpero ad gloriam, vel propter alios, quod timeo, ad pœnam. Quibus dictis efflauit animam.

Precibus aſſequi ſcripturarum ſenſum ſibi promittit, id quod & cæteri prætexunt hæretici.

CAPVT XXVIII.

OECOL. *MEntem autem verborum ſuorum neutiquam à nobis abſconſum iri confidimus, poterimus enim ad illa penetrare non ita difficile, adiuti ſcilicet ſanctis precibus, ac fideli ſcripturarum collatione, quæ ambo iungenda ſunt.*

ROFF. Nunquam penetrabis, niſi prius tumidam animi tui depoſueris arrogantiam. Oſtium enim [Matth. 11.] demiſſum eſt, & humile. [Luca 10.] Tu vero ſenſu carnis tuę [Iohan. 10.] ſupra modum inflatus: nimirum qui tuo ipſius ingenio plus tribuas quam tot ſanctiſſimorum pariter & eruditiſſimorum patrum qui nos præceſſerunt vnanimi iudicio. Huic tantæ ſuperbiæ nunquam patebit aditus, nunquam oſtium aperietur. Sed & oſtiarius ipſe, nempe Spiritus ſanctus, quem & ipſe tanto tempore putas ocioſum in eccleſia deſediſſe, nullis precibus, nullaque ſcripturarum collatione, niſi pertinaciam iſtam abieceris, reſerabit tibi.

OECOL. *Nam ſi prætermiſerimus ſcripturarum inquiſitionem, ſolis proculis incumbentes, videre ac tentare Deum videbimur, ſiue abſque precibus ad ſcripturas nos contulerimus, fieri poteſt, vt errorem vel duplicemus vel confirmemus.*

ROFF. Niſi paruulus ante fueris in oculis tuis, fruſtra pulſas ad ſcripturarum oſtium, aut inquiſitione quauis, aut precatione. Dixit is qui neminem fallit: Gratias ago tibi pater Domine cœli [Matth. 11.] ac terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus & [Luc. 10.] pruden-

prudentibus & reuelaris ea paruulis. Certe pater, ſic fuit bona voluntas apud te. Quamdiu igitur innixus fueris ingenio tuo, ſecutuſq; fueris ſpiritum tuũ, & tibi præ cæteris omnibus aliquid eſſe videare, nequicquam ſperas te per hoc oſtium ingredi poſſe. Quare tam precibus, quam indagationi ſcripturarum humilitas eſt adiungenda, ſine qua liber aditus nemini recludetur vnquã.

OEcol. *Solent ni mentem illuſtrarit Deus, ſubinde apparere probabiliora, quæ minus vera, eo quod caro noſtra diuinitatis expers natura ſuapte deſipit.*

Roff. *Hæreticis verba ſcripturæ non ſunt intelligenti.* Et quid non metuis, ne iam tibi quiddam ſimile contigerit? Putas te tot patribus, qui ſumma vigilantia Chriſti gregem docere ſtuduerunt, aut ſanctiorẽ aut eruditiorẽ fuiſſe. Nimiũ profecto deſipis, ne dicam inſanis, ſi iſtud credas. Et quid? Nũ illos opinaris nõ aſſidue Deũ fuiſſe precatos, vt mẽtes eorum illuſtrarentur, aſſiduéq; ſcripturarum codices euoluiſſe, non diurna ſolum verumetiam & nocturna manu, quatenus eis myſteria ſenſusq; ſcripturarum genuini patefierẽt? *Ioha.14.16.* Denique Spiritum ſanctum, qui ad hoc præcipue miſſus fuerat, vt eccleſiam duceret in omnem veritatem: & præſertim eorum verborum, quæ pridem Chriſtus Apoſtolis dixiſſet: Spiritum (inquam) illum ſanctum qua ratione potes exiſtimare noluiſſe priores illuſtrare patres, dum ipſi precarentur & ſcripturas inuicem conſerrẽt, ſed tibi vni reſeruaſſe rei huius notitiam? An iſta credere, ſani cuiuſpiam eſt, & non mente capti potius.

OEcol. *Precemur autem Deum miſericordiarum patrem citra hypocriſin cumque fiducia & gratiarum actione, vt concedat nobis idem mutuo ſentire, nempe, digna filio ſuo, per quem vnanimiter ipſum vno ore in ſecula glorificemus, quod nequaquam incaſſum fore certi ſumus.*

Roff. *Inſimulatur hypocriſis & pertinacia Oecol.* Quamdiu fueris hac mente præditus, nunquã precari citra hypocriſin poteris, poſtulas enim, vt illuſtreris veritatis luce, atque ita videri vis ipſius veritatis auidus. At interim obfirmato animo, colloque erecto ſtas pertinaciſſime contra veritatem. An non hæc eſt hypocriſis maxima? Talem hypocriſim hauddubie Spiritus deteſtatur, quum ſcriptum ſit: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. *Hypocriſim deteſtatur Spiritus ſanctus. Sapien.1.* Fingis te veritatem quærere, ſed aliam quam olim eccleſiæ data fuerat. Errorem quem tibi Satanas inſpirauit, veritatem eſſe credis & tenebras eius veram lucem. Et quid mirum quando poſſit angelus Satanæ ſe in lucis angelum transfigurare? *2.Cor 11.* Nihil itaque miror ſi quod nobis eſt res vera, tibi ſolam figuram eſſe perſuaſerit. *Quibus ſit opus ad precũ exauditionẽ.* Cæterum ſi vis preces exaudiri tuas, iſtam fictionem reiicito, & quod Paulus iubet, noli altum ſapere. *Rom.12.* Et Iacobus ait: Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Iacob.4.* Et haud ſcio quæ maior ſuperbia cogitari valeat, quam quod iam poſt tot temporum curricula, quibus in eccleſia tot eximij viri floruiſſent, non minori doctrina quam vitæ ſanctimonia celebres, vnum hominem & eundem apoſtatam illis omnibus ſeipſum anteponere.

OEcol. *Qui enim optimus eſt, infœlicitate ac miſeria noſtra non gaudet, & qui veraciſſimus eſt, quomodo petentibus Spiritum ſuum denegaret? aut quo pacto id beneficij ſubtraheret, faciem ſuam à miſeris & clamantibus auertens, qui pro nobis in mortem crucis filium ſuum tradidit?*

Roff. *1.Iohan.5.* *Male orantes non exaudiuntur.* Si rite precatus fueris, exaudieris, ſed ante ablegandus eſt omnis animi tumor, omniſque hypocriſis. Non enim ignoras quid de ſuperbo Antiocho traditum ſit: Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. *2.Macch.9.* Sed & de Eſau Paulus ſcribit, quod non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiiſſet eam. *Heb.12.* Et in eadem epiſtola dicit: Terra quæ imbrem ſæpius in ſe venientem combiberit, & progenuerit herbam accommodam eis, quorum opera colitur, recipit benedictionem à Deo. *Heb.6.* At quæ produxerit ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledictioni confinis. Videas igitur, ne propter hunc peſtilentiſſimum quem animus ipſe tuus (poſt tot gratiarum imbres, poſt tanta linguarum & eruditionis dona, quibus à Deo iugiter irrigatus eſt) tibi progenuit, reprobari potius & execratione damnari mereatur, niſi quamprimum reſipueris.

OEcol. *Et ficut fideliter patrem interpellamus, ita & benignitatem illius ne reſpuamus, nobis per ſcripturas loquentis, in quibus præter eius gloriam & veritatem quærendum nihil.*

Roff. *Totum ſibi fidens omnes aſpernatur Oecolampa. Priſcis ſcripturarum ſenſus patuit.* Palam eſt nec te Chriſti gloriam neque veritatem quærere, qui verbis eius tam apertiſſime prolatis, tanta pertinacia reluctaris, vt nemini orthodoxo fidem adhibeas in eorum interpretatione, ſed ingenio tuo vel ſoli cõfidis. Nunquid credis maiores noſtros non fideliter patrem interpellaſſe, pro reſerando ſibi ſcripturarum intellectu, pariter & eoſdem quis verborum illorum ſenſus fuerit, ab eius & Spiritus ſui benignitate ſufficienter edoctos fuiſſe? Sin credas, cur illa benignitate ſpreta, proque nihilo reputata, ſenſum aliũ tam inſœliciter tibi quæris?

Quum ſit ipſe contentionis huius caput, à contentionibus tamen dehortatur alios.

Capvt XXIX.

OEcol. *Gloriam autem & veritatem nunquam inueniunt contentionis ſtudioſi. Deteſtanda profecto rixandi libido in tantis rebus.*

Roff. *Contentionẽ ſuſcitauit Oecol.* Cui precor contentionem iſtam feremus acceptam potius quam tibi qui diffinitionibus eccleſiæ neutiquam acquieſcis? An non cunctis in propatulo eſt te contentionem iſtam ſuſcitaſſe? Quid hactenus eccleſia crediderit, notum eſt omnibus. Et quis neſcit Berengarium, atque VViclefum, ob hanc hæreſim tuam olim à conciliis ſanctiſſimorum patrum fuiſſe damnatos? Quis reminiſcere facit iſtorum cineres, alius quã tu? Cæterum quid moliaris, me neutiquã fugit. Ob id nimirum contentiones damnas ne quiſquam tuis peruerſis hæreſibus obluctetur. *Iſidorus li.1. Etymologiarum c. de fabula.* Noſti quem apologũ Demoſthenes Athenienſibus recenſuit, quando Philippus Macedo pacem

Et Laertius in lib. de vita & moribus philoſophorũ.

illis obtulit, ſed eo pacto vt quoſdam ex primoribus vrbis, qui diſſidium (vt ille aiebat) vtrinq; ſerere conabantur, ſibi dederent. Lupus (inquit) aliquando paſtoribus perſuaſit, vt amicitiam ſecum inirent, ea conditione vt canes qui ſibi infenſi erant, & cauſas inimicitiarum præbebant, abigerent. Placuit paſtoribus ea conditio: moxq; canes qui gregem ſollicite contra lupum cuſtodiebant, effugantur. Lupus igitur omni formidine poſita, non ſolum in oues iam incuſtoditas graſſatur, verumetiam in paſtores irruens, ipſos item interimit. Is apologus rem noſtram apertiſſime ſpectat. Tu ipſe lupus es Oecolampadi, pacẽ paſtoribus eccleſiæ proponis, ea conditione, vt diſputatores quos & ipſe contentioſos vocas, & in eos falſo reiicis totius diſſenſionis huius cauſas, abiiciant: nimirum vt vos hæretici non ſolũ in ſimplicem Chriſti gregem, ſed & in paſtores ipſos, licentius graſſemini. Nam illi maxime cõtra veſtras hæreſes allatrant. Nihilq; magis veſtris conatibus obſiſtit, quam eorũ diſceptationes. Quamobrem & hos modis omnibus delere conamini, quatenus pro libidine veſtra, ſimplicioribus Chriſti ouibus, abſq; quouis obſtaculo valeatis abuti.

OEcol. *Prorſus à conſuetudine eccleſiaſtica recedunt, qui tropos, quo loco maxime oportebat reiiciunt, vel pro tropo intempeſtiue rigida verba expoſcunt.*

Roff. Nemo tropos aſpernatur, vbi locus hoc ipſum poſtulat. At hic ſi quod tuæ perfidiæ viſum eſt, contra patrum omnium vnanimem ſententiã & in re tam vehementer auguſta tropum admitteremus, non ſolum ab eccleſiaſtica recederemus conſuetudine: verum etiam deſertores, imo proditores eccleſiæ merito diceremur. Et quid immenſam illam erga nos Chriſti charitatem vehementius commendat, quam quod ea verba citra tropum omnem intelligantur: nimirum vt quẽadmodum in cruce pro nobis carnem ſuam laniari permiſit, & ſanguinem fundi, cum amariſſimo ſui corporis cruciatu, ita nunc & carnem ſuam vt edatur, & ſanguinem vt potetur, citra quamuis aut iniuriam ſui aut noſtri horrorem, amantiſſime nobis impartiat.

Tropos oportune admittere locos, non autem omnem peſtime.

Iohan. 19. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

OEcol. *Quid eſt ſi ſexcenties clamemus: Tropus, tropus: alius autem reclamet, Caue, caue tropum, & viciſſim obturẽtur aures, ne audiatur quid ſibi velit ſcriptura, & quomodo dicatur, quod dicitur. Qua nimirum ratione & abſurdiſſima quæque euinci poſſent.*

Roff. Neutiquã obturandæ ſunt aures, ne quid ſcriptura ſibi velit, & quod Spiritus ipſe ſanctus in ſcripturis doceat, à quoquam audiatur. Nam in iſtis audiendis vita cõſiſtit & ſalus. Cæterũ à peruerſis & peſtiferis ſcripturarũ interpretationibus quæ per Satanæ ſpiritum, & per miniſtros eius, nimirum hęreticos, adinuentæ ſunt, occludendę ſunt aures penitus. Nam ab iſtis quid aliud expectari poſſit, quã interitus & mors? propterea Corinthiis metuit Paulus, ne qua fiat, vt ſicut ſerpẽs Euam decepit verſutia ſua, ita ſenſus eorũ ab hæreticis corrumperentur. Et 2. ad Timoth. 2. De huiuſmodi tradit, quod eorũ ſermo vt cancer ſerpit. Et Titum item hortatur vt ſectarum autorem hominem, poſt vnam aut alterã admonitionem fugiat. Quare ſi ſex millies clamaueris hic tropum adeſſe, aut toties ipſi reclamabimus, aut ſurda pertranſiemus aure.

Luc. 21. & alibi.

2. Cor. 11.

OEcol. *Cæterum, nos hic verba Domini exoſculamur. Sed ſubeſſe tropum idiomatis, certo commonſtrare, concedente Domino, nitemur. Quandoquidem per panem vt ſacroſanctum ſymbolũ, figurã corporis cõmendauit cum fractione & in mortem traditione, alamur & viuificemur.*

Roff. Verba Domini te dicis exoſculari. Sed quę? Nimirum, ea quibus vitã & ſpiritum exemiſti, hoc eſt ea, quibus germanũ Chriſti ſenſum abſtuliſti, indito quodam illis alio peſtifero. Verba Chriſti, verba vitæ & ſpiritus ſunt, & auditores credulos viuificant. Quid autẽ animos noſtros alacriores reddat, quã quũ audimus dixiſſe Chriſtũ, hoc eſt corpus meũ. Et Chriſtum dignari ſeipſum nobis in hoc ſacramento præbere: Cuius cor, hoc audito, & vere credito, nõ præ amore protinus liqueſcat? Quod ſi nihil ibi præter merum panem eſſe credamus, quis non perſpicit quantum conſolationis inde ſubducitur? Sed tui diſſimilis nequaquam es qui vt ſenſum & ſpiritum verbis, ita ſacramento vitam niteris eximere. De tropo iactes quicquid velis, ſcio nunquam comprobabis hic ſubeſſe tropum.

Iohan. 6.

Matth. 26. Luc. 22.

Non ſunt tropice dicta verba, quibus conſecramus.

Ne ſapientia diuini Spiritus ei videatur obeſſe, fumis rem obtenebrat.

Capvt XXX.

OEcol. *Et hic ampulloſa ſeſquipedaliaq; verba expecto, dicẽtium: Nũquid æterna ſapiẽtia defuerũt verba, quib. quod volebat eloqueretur, & quod explanandũ erat, non euolueret? Nunquid Spiritus ſanctus ad ferulas tanquã elementarius puer reuocandus? Nunquid parum ſobrius in cœna Chriſtus verba conſuſanea protulit? Amici, iam deprecati ſumus contentionis impetum: nunc magis deprecamur, ne blaſphemi ſimus in Chriſtum. Etenim de æterna ſapientia nihil queri licet, noſtram tarditatem, indignitatem, ac oſcitantiam deplorare opus, qui tanto tẽpore verſamur cum Chriſto, ſi tamen cum illo verſamur, & nondum quid velit deprehendimus.*

Roff. Qui venit in mundum, vt fidem noſtris pectoribus inſereret, qui tot modis eam cõfirmare ſtuduit, qui pollicitus eſt eãdem haudquaquã defecturã, qui ſe præſto nobiſcũ ad conſummationẽ vſq; ſeculi futurum promiſit, qui deniq; Spiritũ ſanctum huc in terras ad nos demiſit, vt nos in omnem duceret veritatẽ, illum tu putas eccleſiam ſuam tantis errorum tenebris inuolui tamdiu fuiſſe paſſum? nimirum vt creaturã vice creatoris adoraret, & ſacramẽto huic quod tibi nihil aliud quam panis eſt, falſo Chriſtum adeſſe crederet? Quid impie dubitas, eccleſiam cum Chriſto verſatam hactenus fuiſſe, cui tam fideliter aſſeuerauit ſe neutiquam defuturum.

Iohan. 1. Luc. 22. Matth. 26. Iohan. 14. 16.

Matth. 28.

OEcol. *Immerito cõquerimur, nec turbare deberet, quod verba Chriſti in aliam ſentẽtiam à pleriſq; rapiantur. Nam ſi hoc moratur, facile omnem ſcripturam ſacram, qua abuſi ſunt hæretici, calumniabimur.*

Aliud

Roff. Aliud eſt Oecolampadi ſuis erroribus paucos relinquere, & aliud vniuerſam eccleſiã. Neq; enim promiſit Chriſtus vt nemo deficeret in fide, ſed toti eccleſiæ hoc promiſit. Neq; eſt cuiq; pollicitus, quod in omnẽ duceretur veritatẽ. Sed toti eccleſiæ. Nec deniq; ſpopondit ſingulis, vt Spiritus ei ſuggereret omnia quęcunq; prius docuiſſet Apoſtolos. Sed toti eccleſiæ ſpopondit hoc ipſum. Quare quũ iſtud verbum, hoc eſt corpus meum, vnũ ex præcipuis Chriſti verbis agnoſcitur, quomodo permiſiſſet eccleſiam huius verbi veritatẽ ignoraſſe tamdiu? De hęreticis vero q̃ in tenebris hallucinantur, non eſt mirũ, quum ipſe prædixiſſet Neceſſe vt veniãt ſcandala. Et Paulus item ait: Oportet hæreſes eſſe. Monet quinctiam haud ſemel idẽ Paulus vt ab hæreticorũ errorib. caueamus. Nos igitur ex eo non obſcure colligimus verum Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe, quod hactenus ita credidiſſet eccleſia.

Chriſtus non relinquet eccleſiam in erroribus.
Luc. 22.
Ioh. 14. 16.
Iohan. 14.
Matth. 26.
Mar. 14.
Luc. 17.
1. Cor. 11.
Ad titum 3. & alibi.

Spiritum contendit ob id obſcure fuiſſe locutum, vt daret nobis occaſionem ſcrutandi.

Capvt XXXI.

OEcol. *Non fuiſſet graue Spiritui ſancto ita moderari verba, ne alicubi anſam ſeducendi accipere potuiſſent, ſed αἰνιγματικῶς nonnulla eſſe voluit, vt videntes non viderent, & apocalypſis miſericordiæ Dei donum cognoſceretur. non vult Spiritus ſanctus ignauis ac ſuperbis ſed humilibus ſtudioſisq; theſauros ſuos obtingere.*

Roff. Recte profecto. Atque iden paulo ſuperius te monuimus, vt iſtam animi tui deponeres elationem, qua tuum vnius iudicium tot ſanctiſſimorũ ſimul & eruditiſſimorum patrum vnanimi ſententiæ pręfers. Et ſane tuus iſte tam grauis lapſus cuiq; poteſt in exemplũ trahi, ne multitudine literarum inſaniẽs pluſquam par ſit altum ſapiat, Chriſtoq; gratias agat, non ſolum pro vitato pręcipitio: verum etiam pro verbi reuelatione, cui tam certo credit.

Supra ca 8.
Act. 26.
Rom. 11.

OEcol. *Quocirca & ſapiens dicit: Si ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudẽtiæ, ſi quæſieris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis eam, tunc intelliges timorem Dei, & ſcientiam Dei inuenies. Vides quibus verbis ad ſtudium hortatur, vt intelligamus, & ſcientiam inueniamus? vult inuocari, inclinari, quærere & effodere.*

Roff. Cur te non pudet hæc recenſere? An exiſtimas neminem è maioribus noſtris ita feciſſe. Nũ Baſilium, Chryſoſtomũ, Athanaſium, Cyrillũ, Cyprianum, Hieronymũ, Ambroſium, Auguſtinũ, & cæteros in his non crebrius exercuiſſe ſe putas? Tu ſolus efficaciter inuocaſti, tu ſolus cor humiliaſti, tu ſolus dilıgẽter quæſiſti, & multis effodiſti laborib. verbi ſenſum? Illorum ſcilicet preces nihil ad tuas. Illorum humilitas ſi cum tua conferatur ſuperbia fuit. Illorum diligentia laborq; ſi cum tuis componantur nullius erant momenti? An non iſtis vel tantillum aſſentire, maxima mentis elatio eſt?

Veteres ſummopere quæſierunt ſacramentum modis omnibus. Oecol. ſolum inſtum aſpernatur omnes.

OEcol. *Sic & Domin' admonuit dicẽs: ſcrutamini ſcripturas.*

Roff. Nihil hic aliud tibi reſpondebo quam quod Tertullianus quũ eſſet adhuc ſanæ mentis, lib. de præſcriptionibus hæreticorũ huic obiectioni reſpondit. Ibi liquido monſtrat quoaduſq; ſcrutãdum & quærendũ nobis erit. Vnũ (inquit) & certum aliquid inſtitutũ eſt à Chriſto, quod credere omnimodo nationes debeant: & idcirco quęrere, vt poſſint quũ inuenerint credere. Vnius porro & certi inſtituti infinita inquiſitio non poteſt eſſe. Quærendũ eſt donec inuenias, & credendũ vbi inueneris, & nihil amplius niſi cuſtodiendũ quod credidiſti. Dum inſuper credis, aliud nõ eſſe credendũ. Ideoq; nec requirendũ, quum id inueneris, & credideris, quod ab eo inſtitutũ eſt. Ecce iã audiſti quatenus eccleſiæ quæ ex nationibus vocata eſt quærendũ ſit. Primo, quærendum eſſe dicit quid a Chriſto fuiſſet inſtitutũ. Et iſtud ſufficienter indagatum eſſe, non inficiaberis opinor. Subinde, quo fine quęrendũ eſſe docet: nimirum vt quũ inuenerit eccleſia, certo credat. Ego certe nihil ambigo quin eccleſia quæſiſſet huius verbi ſenſum, & eundem inueniſſet. Quare iam nihil ſupereſt, niſi vt credat quod inuenit, & cuſtodiat hoc ipſum quod credendum inuenerit, credatq; non aliud eſſe credendũ, ſed neq; requirendum. Poſtquã ſemel inuenerit, & crediderit hoc ipſum, quod à Chriſto fuerat inſtitutũ. Et maxime quũ vnius & certi cuiuſdã inſtituti, nõ poteſt infinita inquiſitio fore. Quũ igitur eccleſiæ per diligentiſſimam excuſſionẽ ſatis notũ ſit, quid fuerit inſtitutũ à Chriſto, & eadem inuenerit huius verbi ſenſum, inuentumq; crediderit, & docuerit itidẽ credendũ; iã tibi præſcriptũ eſt hæretice, ne deinceps aliud quæras: alioqui nullus erit quærendi finis. Sed vt idem Tertullianus paulo poſt ait: Sẽper quæremus, & nunquam omnino credemus. Vbi enim erit finis quęrendi? vbi ſtatio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionẽ? Sed & Valentinus propoſuit: Quærite & inuenietis. Apud Valentinũ? Sed & Apelles hac me pronũciatione pulſauit. Et Hebion & Simon, & omnes ex ordine, non habent aliud quo ſe mihi inſinuãtes me ſibi adducant. Hæc illos feciſſe Tertullianus affirmat. Idem & vos iam facitis: VViclefus non contentus eccleſiæ fide, quæſiuit aliud, q̃ de Euchariſtia crederet. Poſt hunc Lutherus adhuc & aliud à VViclefo quæſiuit credendum. Et tu poſt Lutherum aliud quæri iubes, q̃ credatur. Et qui ſcis, quin præter vos, adhuc alius ſurrecturus ſit, qui diuerſum etiam à tuo ſenſu, quærendum & credendum iubeat.

Tertullianus in hæreſim prolapſus.
Iohan. 6.
Eccleſia habet multa perquirere.
Ab eccleſia recepta non ſunt ad diſputationem reuocanda.
Hæretici omnes aſſerunt ſcripturas ſcrutandas.
Hæretici nouas noua indagant.

OEcol. *Itaq; nihil Chriſto improperari licet: ſed noſtra oſcitantia crimen fateri debemus. Quis arguit Deum, quod in montibus venas argenti abſconderit? Quis arguit ſapientem, quod eius parabolas ſtulti non intelligunt, maxime ſi ſubſannetur, & tunc quum ſermonem illis attemperat.*

Roff. Abeas in malam crucem. Quis alius pręter teipſum Chriſto improperat. Nos Chriſti verbũ & ſenſum exoſculamur. Et quiſquis diuerſũ quęrit, ipſe prębet occaſionẽ improperãdi Chriſto. Nos pro cõpertiſſimo tenemus, Chriſtũ huius verbi ſenſum eccleſiæ ſuæ reuelaſſe, nec abſcondiſſe

Zelus authoris.
Matth. 11.
Luca 10.

paruulis ſuis, quorum tanta nos anteceſſit multitudo, vt nemo facilius eam numerare poſſit, quã arenam quæ iacet in littore maris. Te igitur qua ratione putas illum (qui de tenebris eccleſiam in admirabilem lumen ſuum vocauit) abſcondiſſe et ſenſum huius verbi, quod præ cæteris pluribus creditu cumprimis neceſſarium eſt.

OEcol. *Igitur qui talia obiicitis, patiamini primum, vt germanum ſenſum teneamus.*

Roff. *Sup. c. 2. & in lib. aſſertionum. Matth. 28. Iohan. 14. 16.* Quaſi adhuc germanũ ſenſum eccleſia Chriſti non accepiſſet, ſed in errore tam horrendo per tot annorum curricula, miſerrime iacuiſſet. Id quod opinor abunde monſtrauimus, credibile non eſſe, & maxime propter Chriſti pollicitationem, atque Spiritus ſancti continuam in eccleſia præſentiam.

OEcol. *Et ſi à verbis nos diſceſſiſſe comprobabitis, ψευδάμενδας vocate.*

Roff. Vtinam adhuc talis eſſes, qui abiecto clypeo fugeres, tum aliqua certe ſpes eſſet reſipiſcentiæ tuæ, ſed plane pertinaciſſimo animo es, & in hac diabolica hæreſi tua confirmatiſſimo, vt omnino ſciam terga te daturum nunquam, propter hoc & *Ad Titum 3.* Paulus recte commonuit, vt ſectarum authorem hominem, poſt vnam & alteram admonitionem, euitaremus: velut inemendabilē atqui ψευδάμενδεν non vocabimus te: ſed ψευδοξιρδιον potius. Nam in barathrum diſcriminoſiſſimum teipſum præcipitaſti vnde te reuocabit nemo.

OEcol. *Si curioſiores fuerimus, ingratos dicite.*

Roff. *Prouerb. 25. Qui ſcrutator eſt maieſt. &c.* Certe nimia tua curioſitas, ad tantã erga Deũ ingratitudinem adduxit te, vt merito iam ab eius gratia deſtituaris. Quo fit, vt in myſteriorum agnitione, non minus quam talpa cæcutias. Nam & in ipſis Chriſti verbis, & in ſanctorum patrum *Rom. 1.* ſcriptis, vſque adeo nunc deliras, vt manifeſtiſſimum ſit diuinam iram in te deſæuire.

OEcol. *Si non eam quam oportet fidem confitemur, hæreticos clamate.*

Roff. *Peior quouis hæretico eſt Oecol.* Quid opus eſt, vt nos ita clamemus. Ipſa tua ſcripta paſſim hoc clamitant. In tãtum equidem errorum barathrũ demerſus es, vt iam leuis putetur hæretici nomenclatura, ſi cum tua perfidia conferatur. Vbique negas verum Chriſti corpus, & verum eius ſanguinem in Euchariſtia cõtineri. Chriſti verba cõtra communem totius eccleſię fidem interpretaris, & tamen impudẽter affirmas te fidem eam, quam oportet, cõfiteri. Perin- *Epheſ. 4.* de ac ſi diuerſæ fides eſſent, quũ Paulo tãtum vna ſit fides: vnus (inquit) Dominus, vna fides. Quod ſi fides vnica ſit, nihil tibi cũ fide, qui, quæ communi fidei repugnantia ſunt, apertiſſime doces.

OEcol. *Iudicateq; quemadmodum ipſi iudicari velletis.*

Roff. Ego profecto ſi meipſum agnoſcerẽ tam exitioſam luem & peſtem animarum, atque te eſſe non dubito, vel arceri meipſum paterer à cæteris Chriſtianis, ne mea cogitatione, Chriſti gregem adhuc amplius inficerẽ, vel ſi iſtud nihil prodeſſet, eccleſiæ iudicio me prorſus permitterem, vt quicquid ipſa decreuerit, ſubirem in remiſſionẽ peccatorum. Nam hauddubie pro his animabus, quas hoc peſtifero tuo dogmate corrupiſti, *Gala. 5. 1. Pet. 1.* Chriſto qui precio ſui ſanguinis eas redemit, rationem aliquando ſatis exactam redditurus es.

OEcol. *Tantum, ne ita ad literam vrgete: vt moribus Scythæ, ſenſu pueri, imo ſtipites efficiamur.*

Roff. Quaſi patres omnes qui nos præceſſerunt, & veram Chriſti carnem, ac ſanguinem ſub Euchariſtia deliteſcere crediderunt, moribus fuiſſent Scythæ, ſenſu pueri, imo ſtipites abſq; ſenſu. O *Exclamatio. Iohan. 6. Rom. 1.* Deus immortalis, quam diu tolerabis huius hominis amentiſſimum ſupercilium, & ſuperbiſſimam amentiam? Ipſa profecto litera ad quam te inuitamus, Spiritus & vita eſt. At horum te participem fieri, non ſinit mens iſta reproba, in quam iuſtus Deus iuſtiſſime te tradidit.

OEcol. *Res enim vobis cum Chriſtianis eſt.*

Roff. *A veteribus diſceſſit Oecol.* Haud aliter tibi certe cum Chriſtianis res eſt, quam Turcæ, quã Iudæo, quamque cæteris Chriſti maligniſſimis hoſtibus. Nihil enim cum republica Chriſtiana tibi quicquam commercij eſt. Si Chriſtianus eſſes, non ſic abutereris veterum teſtimoniis in Chriſtianorum perniciem. Poteſt *Supr. ca. 8.* vtiq; lector ex his, quibus hactenus vſus es, ſubdolis conatibus palam intelligere qui ſis. An non apertum eſt Auguſtinũ abs te mutilatũ pariter & Chryſoſtomũ. Nam ſi truncatim vtrunq; recenſuiſti, vt quæ rem patefeciſſent prætermiſiſti penitus. Sed & longe aliter quam vnquam illi cogi- *Supr. ca. 25. Sup. ca. 1.* tabant, ſcripta eorum interpretatus es, Ambroſij quinetiam libros, (nimirum quod apertiſſime tibi reluctantur) impudenter negas illius fuiſſe: quum tamen Auguſtinus dilucide teſtetur eiuſmodi libros ab illo fuiſſe ſcriptos. Adde quod *Sup. ca. 11. Sup. ca. 8. per totum. 9. ac alibi.* ſcriptura Salomonis manifeſte perperam abuſus etiam ſis ad ſenſum tuum. Quot pollicitationes in medium attuliſti quarum ne vnam quidem præſtiteris hactenus. Quanto deniq; molimine corraſeris vndique, quicquid extenuare poſſit huius diuiniſſimi ſacramenti dignitatem, & tamen (ſi diis placet) haberi vis Chriſtianus. Sed hic finem imponemus huic primo libello. Nam in ſequentibus multo ſceleratiora lector abs te ſcripta comperiet.

FINIS.

PROOE-

PROOEMIVM SECVNDI LIBRI. EX NOMINIBVS VARIIS EVCHARISTIAE STATVITVR EIVS EXCELLENTIA: NIHILQVE REPVGNARE *docetur, vt ſit ſimul & res & figura.*

TAMETSI multis variiſque nominibus appelletur Deus, (quemadmodum in libro de diuinis nominibus Dionyſius tradidit) minime tamen fit, vt tam varia tamque multiplici nominom varietate ſufficienter nobis explicetur tantæ maieſtatis, poteſtatis, ſapientiæ, benignitatis, abyſſus. Ita pariter & id, quod in altari colimus, tametſi multis variiſq; nomenclaturis cognominatum ſit, non tamen abunde ſatis exprimitur & euiſceratur his omnibus illod pelagus diuitiarum, quæ nobis inde promanant. Vocatur enim corpus Domini, atque id qoidem non ab auctoribus modo, verum etiam in ſcripruris. Paulus enim ita vocat non ſemel, etiam edoctus ab ipſo Domino quemadmodũ ipſe teſtarur. Poſtquam enim à Chriſto ſemel audiuerit: boc eſt corpus meum, & didicerit illud eſſe corpus Chriſti, reos omnes eſſe clamat corporis & ſanguinis Domini, qui corpus ipſum ederint, & ſanguinem biberint indigne. Rorſum ait: coſdem iudicium ſibi manducare, non diiudicantes corpus Domini. Ecce quoties inculcat boc myſterium eſſe corpus Domini, id quod Auguſtious attentius annotauit. Quo fit; vt & ipſe libenter vtatur eodem nomine. Päſſim enim corpus Domini vocat hoc myſteriom, niſi ſorte quando propter infideles, qui illa tempeſtate promiſcue cum Chriſtianis in templis aderant. Nam illorum gratia, nec raro quidem his verbis vtitur: Id qood norunt fideles; ne videlicet propter tantæ rei incredibilitatem, Ethnicis fuiſſet ſcandalo. Credas itaque lector indobitanter hic ſub ſpecie panis verum Chriſti corpus eſſe, & ſub ſpecie vini verum eiuſdem ſanguinem, virtute verborum Chriſti, qui dixit: hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, veraciter contineri. Nam & ita credere cuncti fideles hactenus imbuti ſunt, non in Latina ſolum, ſed in Græca quoque, atque adeo in vniuerſali prorſus eccleſia: Sic enim & paſtores corum ſinguli docuerunt, & quicuoque de vero Chriſti grege fuerant conſtantem illis adhibuerunt fidem: hanc autem rem ita ſe habere, non recentiores modo: verum etiam veteres omnes Theologi concorditer profitentur, vti nos aperte docebimus in procemio quarti lib. ſed & huius rei veritatem tot modis corroborabimus in procemio tertij lib. vt nullus opinor, qui ſana mente fuerit, ei ſit contradicturus. Ingentia ſunt, qnæ polliceemor, & quæ fortaſſis ridebunt aduerſarij, ſed rideant aut fleant, quum id præſtiterimus, tum in cæteris lector nobis adhibe fidem. Habes igitur vnam huius myſterij, quod io altari colimos nomenclaturam. Iam alteram accipe. Vocatur & ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. Pro quo ſciendum, quod licet Chriſtus ex intentione primaria, ſub ſpecie panis corpus ſuum inſtituit, & ſub ſpecie vini ſanguinem, non eſt credendum tamen, quod ſub altera ſit corpus tantum, ſub altera tantum ſanguis. Nam ſub vtraque ſpecie corpus eſt & ſanguis, imo Chriſtus ipſe totus. Quum eoim vt Paolus ait: Chriſtus iam non amplius moritur, nunquam ſanguis iterum à corpore ſeparatur: ſed vbi corpus, ibi ſaoguis, ibi & integer ipſe Chriſtus eſt. Verum ad deſignandum nobis corpus, ſpecies panis, & ad deſignandum ſanguinem, vini ſpecies inſtituitur. Corpus itaque Chriſti pariter & ſanguis hic ceu duo primaria ſignata ſunt, & vtrique ſuum ſignnm adhibetur. Nam ſpecies panis, corporis ipſius ſignum eſt, ſpecies item vini, ſignum eſt ſanguinis. De talibus ergo ſignis Auguſtinos lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 9. ſic ſcribit: Qui vero aut operatur aut veneratur vtile ſignum diuinitus inſtitutum, cuios vim ſignificationemq; intelligit, non hoc veneratur quod videtur, & tranſit: ſed illud potius, quo talia referends ſunt. Hæc Auguſtinus. Ex quo diſcimus, qood qui religione Chriſtiana ſufficienter inſtructi ſunt, ſpecies has duas panis & vini, ſigna quædam eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, non illas ſpecies venerantur, ſed corpus & ſanguinem, quæ per eas ſpecies deſignata ſunt. Et rurſum in eodem capite: hoc vero tempore poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti manifeſtiſſimnm indicium noſtræ libertatis illuxit, nec corum quidem ſignorum, quæ iam intelligimus, operatione graui ooerati ſumos: ſed quædam pauca pro multis, eademque ſactu ſacillima & intellectu auguſtiſſima & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominos & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicuti eſt baptiſmi ſacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini. Vides ergo lector eiuſmodi ſigna Chriſtianis relicta ſunt, vtique pauca pro multis & eadem factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſeruationeq; caſtiſſima. Et quoniam res, quæ ſignantur, ſacratiſſimæ ſunt, idcirco ſigna ipſa merito dicuntur & ſacramenta. De duobus iſtis ſacramentis ſcorſom ab aliis ſæpe loquitur Auguſtinus. Sed vnum exemplum afferã ex priori libro de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20. Dominum audiamus (ioquit) non quidem boc, de ſacramento lauacri dicentem, ſed ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit. Niſi mandocaoeritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.

Attributa Dei non explicant naturam eius.

Sacramentum non ſufficienter inſinuari poteſt.

1. Cor. 11.
Matth. 26.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

Corpus Chriſti & ſanguis vere ſub ſpeciebus panis & vini.

Græci credidit vere corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſſe.

Euchariſtia vocatur etiã ſacramentum corporis & ſanguinis Domini.

Rom. 6.

Species ipſæ non niſi ſigna corporis & ſanguinis Chriſti venerantur.

Iohan. 6.

Quid vltra quærimus? Quid ad hoc reſpondere poterunt, niſi pertinacia pugnaces neruos aduerſus conſtantiam perſpicuæ veritatis intendant. Hæc Auguſtinus.

Euchariſtia dicuntur myſteria. Rom. 12.

Dicuntur inſuper & myſteria: nimirum quod ſub eis res tam arcanæ pariter & eximiæ, modo nobis admirando ſimul & incomprehenſibili contegantur. Sic enim Chryſoſtomus ea vocat Homilia quadrageſima quinta ſuper Iohannem: Quare neceſſario dicendum, quam admiranda myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas. Vnum corpus ſumus, & membra ex carne & oſſibus eius. Ecce quam paucis verbis rationem reddidit myſteriorum horum: nimirum, vt nos per eorum ſumptionem efficeremur corpus Chriſti, & membra ex carne & oſſibus eius, quemadmodum & Paul. colligit, vbi de myſterio magno Chriſti & eccleſiæ ſuæ loquitur. Similem rationem eorundem myſteriorum Irenæus adducit, vt mox videbis lector. Sæpiſſime vero ſingulariter, aut ſacramentum, aut myſterium appellari conſueuit: nimirum ob id quod vnus eſt Chriſtus, qui ſub vtraque ſpecie continetur.

Myſterium ſiue ſacramentum dicitur quandoque Euchariſtia. Eucha. ſacramentum ſignificat mortem Chriſti. 1. Cor. 11. Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Iohan. 19. Luc. 22. Iohan. 19.

Cæterum & hoc myſterium aliud quoddam ſacramentum nobis inſinuat: nempe mortis Chriſti, ſicut & Paulus docet, inquiens: Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Non ſolum igitur illis externis ſignis deſignantur nobis res intus latentes, hoc eſt corpus & ſanguis Domini: verum etiam ipſius Chriſti paſſi repræſentatio quædam fit. Nam ipſum corpus, vt eſt ſub ſpecie panis, corpus quod exangue pependit in cruce nobis refert, & ipſe ſanguis vt eſt ſub ſpecie vini, ſanguinem, qui pro nobis pariter in cruce fuſus erat, repræſentat, atque ita myſterium iſtud, Chriſti pro nobis olim paſſi monimentum eſt & memoriale, quemadmodum & ipſe dixit: hoc facite in mei commemorationem. Qua quidem ratione vocatur & ſymbolum. Nam ſacramentum iſtud, & res dicitur, & ſymbolum. Res eſt quatenus Chriſtum realiter in ſe continet. Symbolum vero quatenus eundem Chriſtum, vt in cruce pro nobis paſſum repræſentat, quando videlicet effuſo cruore toto, corpus eius prorſus exangue redditum fuerat. Corpus itaque Chriſti ſub ſpecie panis, exanguis illius corporis quod in cruce pependit, ſymbolum eſt, & ſanguis item Chriſti ſub ſpecie vini ſeorſum poſiti, ſymbolum eſt effuſi ſanguinis. Nec obſiſtet argutia, quam nobis OEcolampadius obiicit: nempe quod idem non eſt ſui ipſius ſymbolum aut ſignum. Nam id, quod modis omnibus & ſimpliciter idem eſt, nunquam ſuiipſius ſymbolum eſt. Verum ſub diuerſa ratione quid prohibet ſymbolum dici. Sicut & hic diuerſa quædam ratio eſt eiuſdem corporis, vt eſt ſub ſpecie panis, & vt eſt ſub forma carnis crucifixæ. Propter quam rationis varietatem Auguſtinus dicit: Ipſum & non ipſum eſſe. Ipſum igitur corpus vt eſt ſub ſpecie panis, ſignum eſt & ſymbolum eiuſdem corporis, vt erat in cruce mortuum. Atque ita myſterium iſtud eſt & res & ſymbolum, vt ante diximus.

Obiectionis dilutio.

Eucha. ſignificat corpus Chriſti myſticum & efficit illud. 4. ſen diſt 8. Rom. 12. Gala. 3. Ephe. 4. Ephe. 1. 5. Col. 1.

Adde quod præter hæc, myſterium iſtud etiam alterius rei ſacramentum eſt: nimirum ipſius myſtici corporis Chriſti. Significat enim vnionem tum ipſorum membrorum inter ſe, tum ipſius capitis cum ſingulo quoque membro. Neque ſignificat ſolum, ſed & hoc ipſum efficaciter præſtat. Merus vtique panis, & commune vinum, talem vnionem ſignificare quidem poteſt, & præſtare minime. Significat autem vel ideo, quod ſicut ex multis granis fit panis vnus, & ex multis racemis vnus vini liquor confluit, ita vere Chriſtiani, qui ſunt ipſius Chriſti membra mutuo quum ſibi tum capiti connectuntur, & fiunt vnum corpus Chriſti myſticum. At iſtud nec panis communis aut vinum purum efficere poteſt: ſed Chriſtus qui caput eſt noſtrum, ſub ſpecie panis & vini tectus, quum à fidelibus ſumitur, nos omnes inuicem & inter nos & item ſecum in ſui myſtici corporis vnitatem coadunat. At hic inſurgit OEcolampadius, contendens hunc nexum abunde præſtari ſola fide, atque ita prorſus inutilem eſſe corporis in ſacramento præſentiam. Nos vero ſicut inferius reſpondemus. Primum dicimus, quod fides citra ſacramentum, non id tam plene præſtat, ſicut cum ſacramento. Fides enim formata nos inſerit Chriſto. Sed ſacramentum iſtud, hos qui per fidem inſerti ſunt, humore ſpirituali vegetos reddit, & Chriſtum ipſum corporaliter eis agglutinat. Neque enim ſurculus omnis protinus vt inſeritur, arborem habet ſibi firmiter cohærentem, ſed prius oportet per humoris attractionem arbori coaleſcere, atque ita penitus incorporari. Neq; enim fruſtra ille dixit. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ ſane verba veteres omnes vna voce teſtantur, ad hæc ſpectare myſteria. Quare certum eſt, quiſquis hæc myſteria vel non credit, vel tanquam inutilia negligit, eum nec vitam nec fidem veram poſſidere, ſed & longiſſime ſeiunctum eſſe ab huius myſtici corporis vnitate.

Argumentum OEcolampadij. Rom. 12. Effectus Euchariſtiæ. Iohan. 6.

Non omnibus compertũ eſt ſe fidem formatam habere. Fides formatur per Eucha ſumptionem.

Adijcimus rurſum & iſtud, non omnibus conſtare ſe fidem habere ſaltem tantam, quæ nexum iſtum faciat, imo multi putant ſe fidem habere: qui tamen abſunt à recta fide quam longiſſime: ſicut & hæretici cuncti, qui nihil magis quam fidem iactitant, & nullius rei magis inopes exiſtunt. Inter orthodoxos etiam, vtinam complures non eſſent, qui fide formata carent, cuiuſmodi fides ad hunc nexum ſola conducit. Ad hoc igitur prodeſt hoc ſacramentum, quod cunctis pie accedentibus, & citra conſcientiam peccati mortalis fides eorum, quæ prius erat informis, iam per huius ſacramenti ſumptionem formari creditur, quandoquidem & huius ſacramenti virtute gratia præſtatur, quæ & forma fidei eſt.

Euchar. vocatur communio.

Vocatur inſuper & à Dionyſio *σύναξις*, hoc eſt, communio. Quo quidem vocabulo, non ſolum coadunatio membrorum ſub capite: verum etiam bonorum omnium, quæ vel in ſingulis membris,

bris, vel in toto ſunt corpore, communicatio quædam mihi ſignificatur. Principio certum eſt, quod hoc myſterio participantes, vnum in Chriſto corpus omnes efficimur, quemadmodum & Paulus teſtatur, dicens: Vnus panis & vnum corpus multi ſumus. Et protinus huius rei rationem & cauſam ſubdit, dicens: Nam omnes ex eodem pane participamus. Quis vnquam panis triticeus tam immenſus repertus fuit, vt ex ipſo cuncti Chriſtiani participarent. Nunquam ſane. Quare nec Paulus de pane triticeo, qui prorſus inefficax eſt, ad vniendum homines, ſed de pane, qui Chriſtus eſt, loquitur: qui & vnus eſt, & inconſumptibilis, & vere cunctos, qui per hoc ſacratiſſimum myſterium ſibi communicant, in vnum corpus efficaciſſime redigit. Quo fit, vt bonorum omnium, ex hac incorporatione, communio quædam præſtetur omnibus, qui diuiniſſimo huic ſacramento cum fide & deuotione participant & communicant. Nam qui ſeipſum nobis dedit corporaliter participandum, quomodo non vna ſecum bonorum omnium communionem ſui participibus, voluit elargiri? Cui rei quadrat & articulus ille fidei, quo credimus ſanctorum omnium communionem. Hæc certe communio ſanctorum, nulla re potius exhibetur, quam ſi per huius ſacramenti ſumptionem incorporemur Chriſto. Ab ipſo nimirum tanquã à capite vitales in ſingula membra gratiæ deriuantur, & quod impertitur vnicuique membro, non vni tantum ipſi membro prodeſt, ſed in ſingulorum cedit, & vertitur emolumentum. Citra fidem, non inficior, hæc ſanctorum communio minime præſtatur, & ſola fides, aut eam non præſtat, aut certe non tam affluenter id facit, atque ſacramenti huius pia fideliſq; ſumptio, de qua re mox plura dicemus.

1. Cor. 10.

Communio ſanctorum fit in ſacramento Euchar.

Nuncupatur itidem & à veteribus hoc myſterium Euchariſtia, quam & Origenes contra Celſum ſcribens, bonam gratiam interpretatur. Bona certe gratia myſterium iſtud non incongrue dicitur: quia totius gratiæ fontem nempe Chriſtum in ſe continet, qui vt Iohannes ait plenus eſt gratia, & veritate. Propter quod & deuotus ille Bernardus ait: Panis iſte per excellentiam Euchariſtia dicitur, id eſt, bona gratia. In hoc enim ſacramento non ſolum quælibet gratia, ſed ille, à quo eſt omnis gratia ſumitur. Nec te moueat lector, quod hoc myſterium panem appellat, nam id facit more ſcripturarum, non triticeum quidem intelligens, ſed quicquid quouiſmodo liceat edi. Verum ſatis dilucide ſeipſum exponit inferius, non ibi communis panis vllam manere ſubſtantiam, vbi ita ſcribit ex ore Chriſti: Hoſtia quam vides, iam non eſt panis, ſed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi vita. Recte igitur hoc myſterium Euchariſtia vocatur, & bona gratia: quod ex ea, fonti gratiarum omnium Chriſto communicamus. Quamobrem hauddubie quicunque ad hoc myſterium ſumendum pie acceſſerint, ingentium gratiarum participes efficiuntur. Poteſt & quis Euchariſtiam gratitudinem interpretari. Sic enim Hieronymus Donatus traduxit, in eo capite, quod ſeorſum tranſtulit ex Chryſoſtomi commentariis ſuper Epiſtolam priorem ad Corinthios. Nam continuo poſt illa verba: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, ſubiicitur: Si igitur ad Euchariſtiam accedis, quæ gratitudo & gratiarum actio eſt. Quæ nimirum interpretatio non multum abhorret ab hoc myſterio. Nam & per huius myſterij frequentationem, tum Deo pro ſummis ipſius erga nos beneficiis gratitudinem exhibemus, tum & ipſius erga nos viciſſim agnoſcimus inæſtimabilẽ ex hoc myſterio gratitudinem. Sunt & qui gratiarum actionem eam interpretantur. Quod ſi receperimus, nec erit incõgruum, quandoquidem & nihil habemus aliud quo diuinæ maieſtati potiores gratias, & acceptabiliores agamus, quam per crebram huius myſterij ſumptionem. Quales enim gratiæ, quæ à nobis proficiſcuntur, putandæ ſunt, ſi Luthero Lutheraniſque credimus, qui & in opere quouis etiam quantumuis pio, peccatum adeſſe contendunt. Quare iuxta iſtos nihil ſupereſt, quo ſinceras & puras agamus Deo gratias, modo veritas carnis & ſanguinis in hoc myſterio nobis adimatur. Nam de fide cui potiſſimum innituntur Lutherani, nemo certus eſt, an tantam acceperit, quanta ſufficiet. Putant vtique ſe fidem habere quam profecto non habent, quandoquidem ea nuſquam eſt extra Catholicam eccleſiam. Sed & diſſidium iſtud quo iam inter ſe de fide pugnant, plane docet eos fide carere.

Iohan. 1.

Bernardus.

Sacramẽtum dicitur panis.

Euchariſtia interpretatur gratitudo.

Lutherani carent fide.

Creberrime ſacrificium nuncupatur à patribus. Sic enim Auguſtinus lib. 17. de ciuitate Dei, ca. 20. Poſtquam ex verbis Salomonis docuerat verbum patri coæternum ædificaſſe ſibi in vtero virginali domum: nempe corpus humanum, & huic tanquam capiti membra eccleſiam ſubiunxiſſe, martyrum victimas immolaſſe, menſam in vino & panibus præparaſſe, iuxta ſimilitudinem quandam ſacerdotij Melchiſedech: inſipientes demum & inopes ſenſu vocaſſe ad edendum panem, & bibendum de vino mixto, protinus ſubdit: Participem autem fieri menſæ illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Nam & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet. Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam & ſacerdos ipſe Mediator Teſtamenti noui exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo. Id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Conſonat ferme per omnia Cyprianus lib. 2. Epiſtolarum, Epiſtola ad Cæcilium. Confirmauit & Chryſoſtomus non vno tantum loco. Quod ſi nihil aliud eſſet, quam conſenſus patrum in hoc vno cognomento, ſufficeret penitus ad interimendam hæreſim OEcolampadij, qui prorſus negat hic aliud contineri, quam merum panem & vinum. Dignum ſcilicet Deo ſacrificium, qui dudum alia multiplicia tam re ipſa, quam etiam repræſentatione magis efficacia penitus abiecit & repudiauit. Sed negat OEcolampadius hoc myſterium ſacrificium eſſe. Scio quod negat. Sed tum negabit veteres omnes. Quod ſi fecerit, num ita manifeſtum erit eum dogma profiteri,

Euchariſtia ſacramẽtum vocatur ſacrificium.

Pſal. 109.

Hebr. 10.

Sacrificium eſſe ſacramẽtum Euchar. ab omnibus creditur.

quod

dens & qui comeditur. Ecce conuiuium appellat hoc ſacrum myſterium, in quo & dicit nos cœleſtes, illas epulas: nempe Dominum Ieſum edere. Num cogitari quæſo poteſt epulum aliquod delicatius, aut maiori ſuauitate refertum, quam iſtud ſit, in quo quicquid vſquam deliciarum inueniri poteſt, abunde continetur. De Manna traditum eſt, quod omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem in ſe comprehenderet. At quid Manna cum hoc epulo conferimus, quum illud nihil aliud eſſet, quam harum deliciarum vmbra quædam? Multos hic commemorare poſſem, qui guſtata deliciarum harum dulcedine, quaſi in extaſim quandam præ nimietate dulcedinis qua perfundebantur, illico rapti ſunt. Propter quod & Bernardus harum rerum expertiſſimus ita ſcribit: Poteſne æſtimare quale vel quantum eſt hoc ſanctum ſanctorum, & ſacramentum ſacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum, hæc ſunt vere feſta Paſchalia, hæc ſunt gaudia & fercula vitalia iuſtorum: hæc ſunt ſpirituales deliciæ iuſtorum & ſanctorum: hic bibuntur in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balſami cœleſtis: hic efficitur vna caro ſponſa cum ſponſo: vnus ſpiritus, ſancta anima cum Chriſto. Experientia horum & ſimilium ſpiritus & vita eſt, nec animalis homo horum ſenſu fruitur vel acceſſu. Amici ſponſi, id eſt, boni epiſcopi, boni abbates & cæteri timorati & religioſi viri, guſtauerunt & pleniſſime ſunt experti, quod nos dicimus. Ideoque ad menſam altaris frequentius accedunt, omni tempore candida facientes veſtimenta ſua, id eſt, corpora. Prout poſſunt melius, vtpote Deum ſuum manu & ore contrectaturi, & colloquentem ſibiipſis audituri.

Exod 16.

Extaſim paſſi ſunt quædam propter Euch. ſpiritualem refectionem.

Bernardus.

Perſpicis hic lector animalem hominem hanc dulcedinem haudquaquam guſtare, ſed ſpiritualem duntaxat. Diſtinguit igitur aliquanto poſt idem Bernardus, in hoc myſterio tria. Tria (inquit) in hoc altaris ſacramento attendere debes. Speciem panis, veritatem carnis, & virtutem gratiæ ſpiritualis: vſq; ad ſpeciem panis ſenſus pertingit exterior, ad veritatem carnis fides interior, ad virtutem gratiæ ſpiritualis charitas ſuperior. Speciem panis rodit aliquando ſorex paruiſſimus, Chriſtianus recipit etiam peſſimus, virtutem gratiæ ſpiritualis, non niſi prædeſtinatus recipit. Hactenus ille. Virtus itaque gratiæ ſpiritualis non niſi à piis recipitur. Neq; tamen omnes illi dulcedinem huius ſacramenti guſtant, ſed viri veræ ſpirituales. Neq; enim omnes æque ſpirituales ſunt, ſed eſt alius alio ſpiritualior, ac proinde Chriſto coniunctior, ſicut & idem cõtinenter docet. Quod (inquit) videmus ſpecies eſt panis & vini. Quod autem ſub ſpecie illa credimus, verum corpus eſt & verus Chriſti ſanguis, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Comeſtio itaq; ſacramentalis, quãtum ad viſibilem ſpeciem, & quantum ad corporis Chriſti veritatem, conuenit bonis & malis communiter. Sed eſt alia comeſtio (ſicut iam diximus) bonorum ſolummodo, quam per Dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel miniſtrantium, intercedente ſpirituali & ſubtiliori quadam vnione capitis & membrorum. Hic lector aduertas licebit plurima, ſed iſtud præcipue quod in pie comedentibus magna diuerſitas eſt iuxta varios gradus gratiæ & fidei, quæ per dilectionem operatur, quæ certe non ſunt in omnibus pares, ſed nec vitæ meritum & affectus cordium æqualia ſunt cunctis. Quo fit, vt qui maiori gratia, fide, meritis, affectibus pollent intimius, & ſubtilius Chriſto capiti coadunentur. Quod quo altius quiſquam aſſequutus eſt, eo ſuauitatem huius myſterij guſtat vberius, & fœlicius eodem inebriatur.

1. Cor. 2.

Effectum ſacramenti recipiunt boni.

Corpus & ſanguis ſub ſpeciebus continentur.

Cognominatur deniq; myſterium iſtud, exemplar ſeu exemplaria. Baſilius vtiq; vocat ἀντίτυπον, hoc eſt, exemplar. Sed hoc ante ſanctificationem vt annotauit Damaſcenus. Nam ante ſanctificationem, nihil eſt in altari præter merum panem & vinum, quæ figurare nobis & ſignificare poſſunt, vel vnionem Chriſtianorum inter ſe, vel ſeparationem ſanguinis à corpore Chriſti, ſicut olim in cruce facta fuit: verum ita comeſta nec vnionem ipſam efficiunt, neq; meritum paſſionis Chriſti nobis impartiunt. Poſt conſecrationem autem, quando videlicet panis in verum Chriſti corpus & vinum in ipſius verum ſanguinem tranſiit, haud dubie pie ſumentibus præſtant vtrunq;. OEcolampadius igitur, & ſectatores eius, qui nullam in ipſo pane vinoque mutationem admittunt, ſaltem quæ realis eſt, ingentibus diuitiis nos fruſtrari moliuntur. Nullam enim (illorum ſententia) poſt verba conſecrationis virtutem aut realem ſanctitatem panis accipere poteſt, quam ante non habuit. Cogitatione ſolum, & vt dicunt relatione quadam rationis exemplar efficitur, quod eadem facilitate competit in quemuis panem, quacunq; menſa propoſitum. Sed vt ad Baſilium redeamus. Palam eſt, quum ex aliis locis, tum ex miſſa qua fuerat olim vſus, panem in Chriſti corpus, & vinum in eius ſanguinem vere conuerti. Neq; eſt, quod prohibeat, hæc iam in corpus & ſanguinem verſa, exemplaria dici. Sunt enim vere exemplaria corporis exanguis, quod in cruce pependit, pariter & ſanguinis, qui in eadem fuſus erat. Sunt & vere exemplaria colligationis Chriſtianorum adinuicem, velut membrorum ſub vno capite. Sunt demum & exemplaria futurorum: nimirum ipſius beatitudinis futuræ, quando prorſus omni velamine ſublato, Deitatem ipſam aperte contuebimur, facie ad faciem. Propter quod & Damaſcenus ait: Exemplaria autem futurorum dicuntur, non vt non exiſtentia vere corpus & ſanguis Chriſti: ſed quoniam nunc quidem per ipſa participamus Chriſti diuinitate, tunc autem intellectualiter per ſolam viſionem. Conſentit & Cyprianus dicens: Panem autem Angelorum manducamus in terris, eundem ſine ſacramento manifeſtius edemus in cœlis, non miniſterio corporali, ſed ſæpe repetitis actionibus ad eadem reuertentes. Sed conſummato ſacerdotio noſtro, erit & permanebit perpetua & ſtabilis implens & reficiens nos ſufficientia quam proferet palam abſque vllis integumentis, omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis.

Euchar. dicitur exemplar.

Lib. 4. ortho. fid. c. 14.

Matth 17.

Mar. 15.

Luc. 23.

Iohan. 19.

1. Cor. 13.

Lib. 4 ortho. fid. c. 14 in fi.

Cyprianus.

Pſal. 77.

Ex di-

Epilogus. Ex dictis itaq; nomenclaturis lector coniectare facilius potes quam explicare, quantas in hoc ſacramento diuitias priores partes indubitanter adeſſe, ſibi perſuaſerint. Tot igitur & tam variis nuncupationibus aſſequi moliti ſunt, quod impoſſibile per vnam aut alteram fieri prorſus iudicabant. Vides præterea quantis commodis & emolumētis, nos fruſtrari conentur hi, qui nihil in hoc ſacramento præter merum panem & vinum eſſe contendunt. Intelligis poſtremo, nihil abſurdum eſſe, quod
Matth. 27. myſterium iſtud exemplar aut figura dicatur, quum nihilominus res veras in ſe contineat: verum (in-
Marc. 15. quam) corpus, & verum ſanguinem Chriſti, quorum ſpecies panis & vini ſigna quædam ſunt. Species
Luc. 23. vtique panis corpus nobis refert, & species vini ſanguinem. Deinde corpus ipſum ſub ſpecie panis,
Iohan 19. exangue corpus quod immolabatur in cruce, & ſanguis ipſe ſub ſpecie vini ſanguinem in eadem cruce effuſum repræſentat, quæ quum à nobis pie ſumantur, meritorum acerbiſſimæ necis Chriſti participes nos reddunt. Figurant præterea nobis myſtici corporis vnionem pariter & eandem pie recepta veraciter efficiunt. Nihil horum præſtat merus panis & vinum, quæ ſola ter miſeri iſti ſtatuunt in altari ſuo. Sed iam tempus eſt, vt eos audiamus.

ELENCHVS CAPITVM EX SECVNDO LIBRO.

I. *Nullum ſubeſſe tropum in illis Pauli verbis: Petra autem erat Chriſtus.*

II. *Verum corpus extat in Euchariſtia, licet non iuxta modum omnem eſſendi, quo iam in cœlo eſt.*

III. *Iactat & pollicetur ſe docturum ingentia, quorum nihil reipſa præſtabit.*

IIII. *Anxie molitur tropos in ſcripturis oſtendere, quod nemo negat, at ex illis neutiquā conficitur hic ſubeſſe tropum.*

V. *Arguitur non ſeruatæ pollicitationis, & ad alias friuolas argutias reſpondetur.*

VI. *Abſurde multa ſequentur, ſi tropum in his verbis admiſerimus.*

VII. *Quedam intereſſe notantur, inter veteres figuras & huius ſacramenti veritatem.*

VIII. *Diſſoluuntur Pauli & Auguſtini verba, de eſu ſpirituali. quem nobis cum Iudæis communem aduerſarius affirmat.*

IX. *Memorantur complures pollicitationes ante facta, quibus necdum præſtitis, alias impudenter adiicit.*

X. *Inaniter in his verbis, agnus eſt phaſe, tropum quærit.*

XI. *Conflictatur aduerſus Lutherum & alios, qui per pronomen hoc, haud recte demōſtrant.*

XII. *De locutionibus mutata virga in colubrum, & aqua in vinum: & quid in illis demonſtratur.*

XIII. *De locutione, ferrum eſt ignis, & poſſibilitate corporis eiuſdem in pluribus locis.*

XIIII. *Inſanos alios vocat, quum ipſe tamen inſaniſſima tradat, & de ſcripturis mentiatur.*

XV. *Producit canonem interpretandi ſcripturas, qui aperteiſſime contra ſeipſum pugnat.*

XVI. *Imperitia & inexercitatio ratiocinandi, erroris occaſionem nonnullam ei præſtitit.*

XVII. *Deteguntur eius ſycophantiæ in recenſendo Chryſoſtomo.*

XVIII. *Fuci reuelantur, quibus obtenebrare tam dilucidum conatur auctorem.*

XIX. *Nihil vetat hoc myſterium exemplar dici pariter, & rem veram continere.*

XX. *Tertullianum quem pro ſe facere iactitat, nihil ei ſuffragari.*

XXI. *Fuci quibus obtenebrauit Tertulliani ſenſum, deteguntur.*

XXII. *Commentitiam quandam argutiam, quaſi à Marcione factam inducit, lectoris fallendi gratia.*

XXIII. *Interſerit etiam aliud Auguſtini teſtimonium ſimili dolo, quo lector abducatur à vero Tertulliani ſenſu.*

XXIIII. *Redit ad Tertullianum, quem omni ſtudio, ſed fruſtra conatur in ſuam ſentētiam detorquere.*

XXV. *Nouas adhuc illuſtrationes pollicetur. Sed hæ multo verius caliginem inducunt, quam lucem aliquam.*

XXVI. *Plurimum inter nos & Iudæos interfuiſſe, quod OEcolampadius negat.*

XXVII. *Diluitur obiectio, qua molitur Iudæos in religione pares eſſe Chriſtianis.*

XXVIII. *Fraus eius in citando Auguſtino detegitur, quo dilucidum fit, nihil ei ſuffragari teſtimonium ipſum.*

XXIX. *Citat pro ſua parte Auguſtini teſtimonium, vbi clariſſime iugulat eum Auguſt.*

XXX. *Idem & de Chryſoſtomo facit, cuius eodem loco teſtimonia plurima, rem noſtram apertiſſime confirmant.*

XXXI. *Cyprianus vindicatur à ſuggillatione, pariter & OEcolampadius arguitur, optimos auctores corrupiſſe.*

XXXII. *Producit Auguſtinum, qui ſentētiam illius plane reuincit.*

XXXIII. *Non eſſe tropum in Pauli verbis, vbi dicit: Petra autem erat Chriſtus.*

IOHAN-

IOHANNES ROFFENSIS CONTRA OECOLAMPADIVM DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO;

LIBER SECVNDVS.

Nullum ſubeſſe tropum in illis Pauli verbis, Petra autem erat Chriſtus.

CAPVT PRIMVM.

OEcol.

Tempus eſt, vt accedamus ad id, in quo ſtatus ſermonis: nempe vt probemus verba cœnæ dominicæ, eodem tropo dicta, quo illa quæ Apoſtolus dixit: Petra autem erat Chriſtus, hoc eſt, Petra ſignificabat Chriſtum, vel erat figura Chriſti. Nam in hoc totũ diſsidium eſt.

Roff. *1. Corinth. 10. Verbis Pauli non ſubeſt tropus.*

Hoc eſt, cui tu potiſſimum inniteris, quod Paulus hæc verba tropo quodam protulit. Nos igitur ſi nullum his verbis tropum ſubeſſe docuerimus, an non ſubruetur quicquid ipſe superædificaſti? At iſtud opinor dilucide mõſtrabimus, quandoquidem hic palam oſtendemus de ſpirituali petra locutum fuiſſe Paulum, & non de corporea. (*1. Corin. 10.*) Nam ſi de corporea ſermonem habuiſſet, conſequeretur hauddubie quemadmodum ipſe declaras, vt ſic interpretemur, vel quod petra ſignificabat Chriſtum, vel quod eadem erat figura Chriſti. Verum ſi conſtiterit Paulum non de corporea petra, ſed de ſpirituali fuiſſe locutum, quid opus erit hic ad tropum aliquem confugere? Sed age commonſtremus iſtud. (*1. Corinth. 10.*) Sic vtique Paulus ait: Bibebant autẽ de ſpirituali quæ comitabatur eos petra. Ecce de qua petra locutus eſt Paulus: nimirum de ſpirituali, de qua & ſubiungit: Petra autẽ fuit Chriſtus. Non dixit itaque Paulus molem illam ſaxeam fuiſſe Chriſtum, ſed ſpiritualẽ quandam petram, quæ populũ illum comitatã, multis ei miraculis adiumento fuerat. (*Exodi 17. Num 20.*) Neque enim credis opinor, quod ſaxum illud vnde promanauit aqua, ſequebatur populum, quocunque perrexiſſet, quũ huius tanti prodigij Moyſes meminiſſet nuſquam. Cæterum vt intelligas hæc noſtra commẽta nequaquam eſſe. (*Chryſoſtomus.*) Chryſoſtomus etiam hunc locum ad eundem modum enarrat, Franciſco Aretino interprete. Quum dixiſſet (inquit) quod potum ſpiritualem bibebant, addidit: Petra autem erat Chriſtus. Non enim ipſius petræ natura, aqua (inquit) ſcaturiebat. Siquidem etiam ante ſcaturiiſſet. Sed alia quædã ſpiritualis petra, omnia operata eſt, hoc eſt Chriſtus, qui præſens vbique omnia fecit miracula: Ideo dixit conſequente. Hæc Chryſoſtomus. (*Chriſtus fuit petra ſpiritualis.*) Ecce petra illa ſpiritualis conſequebatur vbique Iudæos, & fecit ea omnia miracula, & hæc petra Chriſtus fuit, non corporea illa quæ prorſus immobilis vno loco permanſit. Sed neque prætereundum eſt id, quod hoc loco de veritate corporis & ſanguinis in Eucharistia Chryſoſtomus tradit: nimirum vt intelligas non vno tantum loco Chryſoſtomum illam veritatem in Euchariſtia teſtari, ſed vtique quoties de ea ſermonem aliquem facit. Animaduertis (inquit) Pauli ſapientiam, quo pacto vtrorumque, hoc eſt, & illorum quæ Iudæis prius exhibuit: & iſtorum quæ iam exhibet Chriſtianis, Chriſtum largitorem oſtendit, & in hac parte figuram iuxta veritatem adducit. Qui enim illa illis præbuit (inquit) his etiam hanc præparauit menſam. Et ipſe idem & illos per mare, & te per baptiſmũ adduxit. (*Exod. 14. Exod. 16. Mat 26. Luca 22.*) Et illis manna & aquam: tibi vero corpus & ſanguinem dedit. Et ipſius munera huiuſmodi ſunt. Ecce mare, manna, & aqua, figuræ fuerant. Baptiſmus autem & corpus & ſanguis Chriſti, ipſa veritas. Sed vt ad inſtitutum redeamus; Iam intelligis fundamentum totius conatus tui funditus corruiſſe, quantum attinet ad Pauli verba, quibus vice exempli fueras vſus vt ſimilem in his Chriſti verbis interpretationem conſtabilires. Neque tamen inficias eo quin petra illa corporea figura Chriſti fuerat. (*Exod. 17. Paulus de petra ſpirituali loquitur.*) Sed Paulum affirmat de ſpirituali petra fuiſſe locutũ, vt nihil opus fuerit ad ſenſum verborum Pauli, talibus adiectionibus vti: nempe, vel figura vel ſignificat. Cæterum vt donemus tibi, Paulum hoc loco de corporea petra fuiſſe locutum, quid tum ex eo colliges: Num ſicut in his verbis Pauli tropus quidem eſt, ſic & in ſingulis Chriſti verbis quemadmodũ in his ſubeſſe tropũ oporteat? (*1. Corinth. 10. Matth 26. Luca 22.*) hæccine tibi iuſta conſecutio viſa eſt. Paulus tropo dixit: Petra autẽ fuit Chriſtus. Ergo & Chriſtus quum dixit, hoc eſt corpus meum, tropo ſimiliter vſus eſt. Si non efficaciores, quam iſta ſit, probationes adduxeris, nemo eſt qui non perſpicit corruiſſe cauſam tuam.

Verũ corpus extat in Euchariſtia, licet nõ iuxta modum omnem eſſendi quo iam in cælo eſt.

CAP. II.

OEcol.

Si enim ὑπαρκτικῶς & ſubſtantiue abſque tropo expoſuerimus, eſt, aſſereremus corpus Chriſti in altari non tantum ſacramentaliter, vt vocant, ſed tam vere ac in cælo eſt adeſſe.

Roff. *Perperam torquere scripturas.*

Si tu ſcripturas ad hunc modum expoſueris, tua certe expoſitio, expunctio magis erit quam expoſitio. Nam ita ſcripturas obtenebrabis, imo corrumpes potius quam elucidabis. Quum enim Chriſtus tam aperte dixit, hoc eſt corpus meum, ſi tu per verbum eſt, aliud verbum, nempe ſignificat, intelligi vis, quid iſtud aliud eſt, quam aperta ſcripturarum euerſio? Si patres ad hunc modum fuiſſent interpretati, Eſt, id eſt ſignificat, multo

probabilior appareret calumnia tua, quàm & Eccleſiæ iam impingis. Sed quum omnes illi concorditer in verbis iſtis non aliũ ſenſum quærant, quàm eum quem ipſe verborum nudus contextus indicat, quis non deſideret in te ſaniorẽ mentem, qui tam peruerſe contra omnes reluctaris.

Non eodem modo eſt corpus Chriſti in altari & cœlo.

Sed neque ſequitur ſi verbum, eſt, ſubſtantiue capiatur, quod propterea corpus Chriſti tam vere ſit in altari ſicut eſt in cœlo, ſi intelligas iuxta omnem modum quo eſt in cœlo, veruntamen ſi ſecundum eſſentiam & veritatem corporis intelligas, nihilo verius eſt in cœlo quam in altari.

OEcol. *Sin noſtra conueniat expoſitio, de trãſubſtantiatione vel de cõſubſtantiatione (vt liceat aduerſariorum verbis) ſuſpicandũ nihil. Ita ſæpe ex minimis verbulis, ſumma quæſtiones emergunt.*

Roff. *Tranſubſtantiatio fit in ſacramento.*

Idcirco manifeſtiſſimum eſt, quam peruerſa fuerit expoſitio tua, quandoquidem priores patres apertiſſime tradunt factam in hoc ſacramento tranſmutationem, & non iam in eo manere ſubſtãtiam panis triticei, ſed ipſam vere conuerſam in Chriſti corpus eſſe. Quæ res vt dilucidior fiat, Chryſoſtomum non beri natum audiamus.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus igitur ait: Non ſunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna Chriſtus confecit. Ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit. Miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui vero hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. Ecce quam apertiſſime Chryſoſtomus ait, tranſmutatum eſſe panem in Chriſti corpus, & Chriſtum ipſum adeſſe qui id faciat, nec eſſe iſtud humanæ virtutis opus, ſed diuinæ.

Cyprianus. Matth. 26. Marci 13. Lucæ 22.

Et Cyprianus huic aſtipulatur, inquiens: Conſumpto agno quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis, nec iam ad elaborata impenſis & arte cõuiuia populi inuitantur, ſed immortalis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinẽs ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Ecce, ait cibum inconſumptibilem & alimoniam immortalem dari quæ licet corporalis ſubſtantiæ ſpeciem retineat, tamen per efficaciam inuiſibilem præſentia diuinæ virtutis adeſſe probatur. Iſtis conſentiunt & authores cæteri. Quocirca palam eſt, expoſitionem OEcolampadij, qui nihil hic eſſe præter ſubſtantiam panis corporalem aſſerit, non poſſe veram eſſe, ſed manifeſtiſſime proditur ex horum teſtimonijs eſſe falſa.

OEcol. *Neque in hoc contenderim, ſi quis per corpus, magis figuram corporis intelligi, quam verbum, eſt, velit pro ſignificat interpretari: Nam idipſum & nobis arridet: vtrunque tamen probo, eo quod eundem ſenſum reddit, ſiue, eſt ſignificat interpreteris, ſiue corpus figuram & ſacramentum corporis. Nos ſenſum, non verba quærimus.*

Roff. *[illegible] pro Iohann[illegible] interpretanda. Vide diſt. 37. cap. [illegible]*

Pulchra ſcilicet verborum expoſitio. Corpus, id eſt figura corporis, eſt, id eſt ſignificat. Si in hunc modum cuique licebit ſcripturas interpretari, imo peruertere, quæ certitudo nobis erit è ſcripturis Dei? Quam ſcripturam mihi dabis, quę nõ pari facilitate contorquebitur? Nam ita quicquid vſquam de corpore Chriſti traditur, pro figura corporis intelligendum eſſe contendam, atque ita Chriſtus, quemadmodum & Marcion exiſtimat, non verum corpus, ſed figuram ſolam corporis habuiſſe credetur.

Marcion negauit Chriſtũ habere verũ corpus. Iohan. 1.

Sed & quicquid Euangelium affirmat per verbum ſubſtantiuum, eſt, dicemus non ita reuera eſſe, ſed ita ſignificari. Sic etiam & illud, Deus erat verbum, interpretabimur non ipſum verbum fuiſſe reuera Deum, ſed ſignificaſſe Deum, & tantum fuiſſe figuram & ſignum Deitatis. An non expoſitio iſtiuſmodi magnopere placuiſſet Arrianis? Sed quis orthodoxus tam extortas & inuitas ſcripturarum expoſitiones non abhorreat?

Iactat & pollicetur ſe docturum ingentia; quorum nihil re ipſa præſtabit.

Caput III.

OEcol. *Docebimus ergo omnino eſſe neceſſarium tropum quendam, & noſtrum quidem familiarem ſacris literis, aduerſariorum autem alienum, poſt hæc ea quæ cogant aſſumere tropum hunc noſtrum. nempe, tot abſurda, quæ effugimus, & verborum contextum, & ſcripturas illum à nobis requirentes.*

Roff. *Prouerb. 25.*

Nihil aliud quam album panem pinſis nobis, magnificis vtique promiſſis lectorem ductas. At nihil horum ſcio præſtabis. Nubes & ventus ſine pluuia ſunt verba tua. Cæterum quod dicis aduerſariorum tropum alienum eſſe à ſacris literis, neſcio quos vocas aduerſarios.

Catholici non intelligũt tropum in verbis conſecra.

Si de orthodoxis intelligas, nullum in his verbis hi tropum exiſtimant, ſed nudum & ſimpliciſſimum verborum ſenſum ſequuntur. Abſurda vero quæ tu putas, nobis abſurda non ſunt, tametſi creditu difficilia quibuſdam videantur. At ſcimus cumulatius nobis fore meritum, quo fuerint ipſa creditu difficiliora, facillimum equidem eſt ibi nihil præter panem credere, neque qui iſtud credit aliquo præmio dignus eſt.

Credibilia ſunt omnia ſupra captum hominum. Articulis fidei incomprehẽſibiles ingenio hominum.

Sed qui credit ſubſtantiam panis in corpus Chriſti conuerſam eſſe, propter huius credulitatis arduitatem meretur plurimum. Percurre cuncta quæ nobis credenda traduntur, & perſpicies ea eſſe difficillima. Quid humano ingenio incomprehenſibilius, quam trias ipſa perſonarum in vna Deitatis eſſentia? Quid, quod filius Dei ſecunda in ſacra tryade perſona, ſola carnem acceperit abſque cęteris. Quid, quod nos, qui luteum eius figmentum ſumus, tantopere deperibat, vt noſtram ſibi naturam vnire dignatus ſit, angelicis ſpiritibus prætermiſſis? Quid, quod ex virgine citra virile conſortium homo factus ſit & natus in mundum? Quid mortem crucis referam? quid ſepelitionem, quid reſurrectionem, & in cœlos demum aſcenſionem? Quid horum non eſt difficile creditu? Ad baptiſmum ſi veneris, an non iſtud videbatur Nicodemo res creditu difficillima, quod homo quiſpiam ex aqua & ſpiritu renaſci poſſit? Sed eiuſmodi ſunt omnia in quibus Chriſtus voluit noſtræ fidei me-

Iohan. 3.

dei meritum conſiſtere, profecto vobis (qui contenditis impoſſibilia factu fore, quæ Christus vt ageremus mandauit) nihil mirum eſſe debet, ſi dederit ea nobis quæ & creditu ſunt difficillima. Non ſunt igitur ſcripturæ peruertendæ, quod abſurda quædam & quæ ſenſui humano incredibilia videntur, in eis nonnunquam occurrant.

OEcol. *Interimque comprobabimus, non temere vel fruſtra ab vno & altero dicto Auguſtini ita ſentiendi occaſionem nobis conceſſam, è quibus magiſter ſuperciliosè ait miniſtratum nobis inſaniæ fomitem. Videbis autem lector, cui helleboro ſit opus.*

Roff. Ex his quæ ſuperius ex Auguſtino protuliſti, ſatis dilucidum fuit quantum pro nobis militet Auguſtinus. Neque minus hoc ipſum dubito futurum, ex aliis quæ citaturus es. Nam in hac re non eſt ambiguum, quin Auguſtinus aſtipuletur Eccleſiæ Catholicæ, tum propter apertiſſima ipſius teſtimonia, tum quod alioqui Hieronymum, Ambroſium, Cyprianum, & alios accuſaſſet erroris, quos non ignorauit corporis & ſanguinis Chriſti veritatem aſſeruiſſe in hoc ſacramento: de helleboro quod ſubdis, nihil ambigo quin ex his quæ ſupra diximus, æquo lectori manifeſtum ſit, neminem potius quam teipſum tali purgatione indigere.

Li.1. cap. 8. 9. 10. per totum.

Anxie molitur tropos in ſcripturis oſtendere: quod nemo negat: at ex illis neutiquam conficitur hic ſubeſſe tropum.

Cap. IIII.

OEcol. *Seruant igitur ſacræ literæ ſummam in loquendo ſimplicitatem, quæ tropis idiomatū conſtat potiſſimum. Eſt autem non infrequens, vt figuræ rerum, vocabulis rerum denotentur: vt per linguas igneas, quæ ſuper diſcipulos apparuerunt, vel per columbam quæ dominum manifeſtauit vere vnctum, vel per anhelitum Chriſti, Spiritum ſanctum intelligimus, quæ conſtat, non ipſum Spiritum ſanctum eſſe, ſed Spiritus ſancti indicia, qui in Apoſtolorum cordibus, ſanctius quam in elementis inhabitabat.*

Roff. Quis vnquam dixerit ſummam loquendi ſimplicitatem in tropis idiomatum conſiſtere? Nemo enim dubitat ſimpliciorem eſſe ſermonem eum qui tropis careat, quādo ſimplex ſermo ſenſum habeat ſimplicem, tropus autem ad varios facile trahi poteſt ſenſus. Propter quod & Apoſtolis, quum apud eos figurato ſermone Chriſtus vteretur, multo fuit obſcurius, quod dicebatur, adeo vt non ſemel rogabant eum quatenus figuratum ſermonem elucidaret. Si tropicus ſermo ſit ſimplicior, cur tropis vſus eſt Chriſtus illic, vbi noluit ab omnibus intelligi? Nam cum illum aliquando percontati fuiſſent apoſtoli, cur in parabolis turbæ loquebatur, reſpondit: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum. Cæterum, ſi per linguas igneas & per columbam, & denique per anhelitum ſignificabatur Spiritus ſanctus, non eſt propterea neceſſe, quod ita per corpus hoc loco ſola corporis intelligatur figura. Plus etiam hæc exempla nobis quam tibi fauent, quum non ſit dubium in illis linguis, in ipſa columba, etiam in anhelitu fuiſſe Spiritum ſanctum. Nam dilucide ſcriptura teſtatur apertos fuiſſe cœlos, viſum fuiſſe Spiritum Dei deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper Chriſtum. Vere ergo fuit Spiritus ſub ipſius columbæ ſpecie, ſicut & nos dicimus vere Chriſtum eſſe ſub ſpecie panis. Neque enim columba ſignum fuit abſentis, ſed intus exiſtentis Spiritus. Sed & iſtud aduertendum eſt, quam caute ſcriptura loquatur. Neque enim dixit Spiritum fuiſſe columbam, ſed tanquam columbam. Neque acta referunt Spiritum ipſum ignem fuiſſe, ſed tanquam ignem. At hic non dicitur tanquam corpus, ſed hoc eſt corpus meum.

Sermo abſq; tropis apertior eſt. Matth. 13. Marci 4. Luca 8. Matth. 3. Luca 8. Acto 2. Matth 13. Marci 1. Luca 3. Iohan. 1. Iohan. 20. Matth 26. Luca 22. Matth. 3. Act. 2.

Matth. 26. Luca 22.

Sicut ad Euodium recitat Auguſtinus, maxime cauendum, ne cuiquam Dei natura vel patris vel filij vel Spiritus ſancti commutabilis vel conuertibilis eſſe credatur, nec moueat quod aliquando res quæ ſignificat, nomen eius rei quam ſignificat, accipit. Spiritus ſanctus dictus eſt corporali ſpecie tanquam columba deſcendiſſe, & manſiſſe ſuper eum, ſic enim petra Chriſtus, quia ſignificat Chriſtum, neque enim ſenſibilis lapis eſt Chriſtus. OEcol.

Nuſquam ſcriptura cum verbo ſubſtantiuo dicit Spiritum eſſe columbam, ſed deſcendiſſe tanquam columbam vt oſtendimus. Neque contradicit huic Auguſtinus, ſi recte intelligatur. Nam exemplum quod producit manifeſtat hoc ipſum. Spiritus (inquit) ſanctus dictus eſt corporali ſpecie tanquam columba deſcendiſſe. Ecce, non aſſerit columbam fuiſſe Spiritum. Potuit columba dici ſeu vocari ſpiritus, non inficior. At eam eſſe, fuiſſève Spiritum, ſcriptura nuſquam aſſeuerat. Et in exemplo quod adduxit de petra, quanquam traductio vetus ei nonnihil impoſuerit, non tamen vſus eſt hic verbo ſubſtantiuo. Neque enim dixit, petra erat Chriſt', ſed petra Chriſtus, ſupple dicta eſt vel vocata, quoniam & ipſa figura fuerat Chriſti. At cum verbo ſubſtantiuo nuſqnam in ſcripturis legimus petram corpoream eſſe Chriſtum: Sed eſto, ſcriptura pronunciet alicubi columbam eſſe Spiritum, aut petram eſſe Chriſtum, non vere, ſed tropo quodam, an ob id conſectaneum fuerit, vt pari tropo dixiſſet Chriſtus, hoc eſt corpus meum? Iſta nimirum collectio male ſecum cohæret, ſed eſt velut funiculus qnidam, qui ex harena contexitur. Roff.

Matth. 3. Supr. eodem. *Spiritus ſanctus dicitur columba.* *Matth 26. Luca 22.*

In epiſtolis ad Romanos & Coloſ. dicimur, conſepulti Chriſto per baptiſmum in mortē, non dicit, per baptiſmū ſignificamur cōſepulti. Sed prorſus ait conſepulti ſumus. OEcol.

Nemo negat, figurata locutione ſæpius vſum fuiſſe Paulum, at aliud eſt ſæpius & ſemper. Scripturæ ſæpius vtuntur figuris & tropis, nemo reluctatur. Verum tibi nunc incumbit probare, quod in his verbis, hoc eſt corpus meum, ſubſit tropus. Si ſexcentos locos recenſueris, in quibus aperte conſtabit tropum eſſe, hi tamen omnes haudquaquam conficient, quod iſtis etiam verbis aderit tropus. Roff.

Scriptura ſæpe vtitur tropis. *Matth. 26. Luca 22.*

Quis ignorat aquam myſticam, lauacrum regenera- OEcol.

tionis

tionis appellari, quum aqua non regeneret, neque filios Dei efficiat, ſed declaret?

ROFF. Si nihil aliud operetur aqua baptiſmi, quam declaret eos qui baptizantur, eſſe filios Dei, fruſtra dixit Chriſtus: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Nam plerumque fit, vt qui ad baptiſmum accedunt, non eam fidem habeant quæ ſufficiat eis ad ſalutem, ſed debiliorem quandam, & tenuiorem quam ſit neceſſe. Neque enim omnis fides ſufficit, ſed ea quæ cum charitate coniuncta eſt, quam & Iacobus vocat fidem viuam. Atque ideo Paulus dicit: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeo, nihil mihi prodeſt. Is ergo qui cum tali fide nondum formata acceſſerit, non eſt adhuc filius Dei. Veruntamen ſuſcepto baptiſmate, iam non ſolum ipſe virtute baptiſmatis Dei filius conſtituitur, ſed & fides eius, quæ prius viua non fuit, iam viua redditur, ſi tamen obicem interim ipſe nullam poſuerit. Sed hæc extra cauſam dicta ſunt ne videamur errori tuo ſubſcripſiſſe.

Iohan. 3.
Iaco. 2.
1. Corinth. 13.
OEcolam. inficiatur baptiſmi efficaciam.

OECOL. *Iohannes erat Helias, quia in virtute & ſpiritu Heliã repræſentabat.*

ROFF. Scriptura non ſimpliciter affirmat Iohannem Heliam eſſe, ſed cum eiuſmodi circumſtãtiis hoc dicit, vt quiuis intelligat: non eundem hominem fuiſſe Iohannẽ, qui fuerat Helias. Sic enim de Iohanne Chriſtus ait: Et ſi vultis recipere. Ipſe eſt Helias, ille qui venturus erat. Ecce non his verbis abſolute pronunciat Iohãnem Heliam eſſe, ſicut quum dixit, hoc eſt corpus meum. Quam rem & Chryſoſtomus annotauit inquiens: Non dixit, hic eſt profecto Helias. Sed ſi vultis ſuſcipere, hic eſt. Si mente videlicet attenta, vtriuſque geſta, & animo facili non contentioſo ſuſcipere volueritis. Neque finem hic fecit. Sed vt oſtendat quanta ſolertia opus ſit quum dixiſſet, Helias, addidit: Qui venturus eſt. Et confeſtim adiecit: Qui habet aures audiendi, audiat. Hæc Chryſo. Non igitur Chriſtus adeo ſimpliciter enunciauit, Iohannem Heliã eſſe, atque quum dixit, hoc eſt corpus meũ.

Matth. 11.
Mat. 26.
Luca 22.
Chryſoſtomus.
Matth. 11.
Matth. 26.

OECOL. *Innumeros ſimiles loquendi modos, etiam quotidianus vſus habet.*

ROFF. Si mille ſimiles locos produxeris, multitudo non aliud probat, quam vſurpari crebrius in ſcripturis figuratam locutionem. Veruntamen ex ea multitudine minime reuincitur, Chriſtum in his verbis, quum dixit, hoc eſt corpus meum, figurate fuiſſe locutum. Ex circumſtantiis enim (vt diximus) facile deprehenditur quando Chriſti verba figurate debeant intelligi, & quando ſimpliciter citra figuram. Nullus enim locorum quos iam citaſti, non manifeſte prodit ſubeſſe tropum. At ſecus eſt de verbis iſtis Chriſti, de quibus controuertimus. Quum enim Chriſtus palam ante pollicitus fuiſſet, ſe panem daturum, qui caro ſua eſſet, & nunc panem accipiens eundemque benedicens, & frangẽs porrexiſſet diſcipulis, dicens, hoc eſt corpus meum, quis tam inſanus eſt, vt hic dicat ſubeſſe tropum.

Matth. 26.
Iohan. 6.
Matth. 26.
Luca 22.

OECOL. *Qui claues domus tradit cuipiam: Ecce (inquit) poteſtatem domus tibi trado, & non ſunt illæ poteſtas, ſed ſymbolum.*

ROFF. Eſt ſane quod dicis, nemo claues illas affirmabit poteſtatem ipſam eſſe. Chriſtus tamen aſſeuerauit, hoc eſt corpus meum. Quare nihil iſtud exemplum facit contra nos.

Matth. 26.

OECOL. *Si quis contumacior ſceptrum regium per iram confringeret, is argueretur ſæuire in magiſtratum, idque feciſſe in iniuriam eius: impune fuiſſet alioqui virgam è qua ſceptrum excuſiſſe. Sed quia iam virga illa non communis eſt virga, ſed ſymbolica, reum facit confringentem.*

ROFF. Exemplum iſtud probe commonſtrat, vos qui diuorum ſtatuas & imagines indigne tractatis, in ipſos diuos, quorum ſtatuis tantum iniuriarum infertis, grauiter peccare. Sed multũ abeſt à probatione, quod ſacramentum Euchariſtiæ non aliter ipſum Chriſtum referat, quam regium ſceptrum, ipſum regem: doces nimirum hoc exemplo, quod ſi panis tantum ſymbolum eſſet corporis Chriſti, quæcunque fuiſſet iniuria pani irrogata, ea perinde reputari debet, tanquam ſi corpori ipſi fuiſſet illata. Sed quid hoc ad controuerſiam noſtram. Probandum eſt quod ſacramentum iſtud tantum ſymbolum ſit corporis, & non ipſum corpus. Quod niſi probaueris, inaniter verba profundis.

Imaginibus iniuriantes peccant in ſanctos.
OEcolampa. non probat inſtitutum.

OECOL. *In paradyſo erant arbor ſcientiæ boni & mali, & arbor vitæ & mortis: num arboribus tribuemus hoc quod Dei eſt, viuificare & illuſtrare?*

ROFF. Et iſtud eiuſdem farinæ eſt: Nihil enim aduerſum nos facit. Sed neque errore caret, quum nemini dubium ſit, Deum eiuſmodi virtutem creaturis dare poſſe, qua ſint velut organa viuificandi & illuſtrandi? An nõ apud Iohan. cap. 14. Chriſtus pollicetur dicens: Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Et apud Marcum legimus: Signa eos qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent & bene habebunt.

Marci 16.

OECOL. *Maria dicitur de Iohanne: Ecce filius tuus, nimirum curam eius geſturo & alterum filium obedientia & cura expreſſuro; nunquid ita inepriemus, vt quidam, qui naturalem mutationẽ ſtultiſſime etiam in illo imaginati ſunt.*

ROFF. Et iſti quidem parum prudenter imaginati ſunt. Sed tu longe imprudentius, qui ex hoc moliris, non aliter in Euchariſtia Chriſtum eſſe, quã erat Iohãnes ipſius virginis filius. Nam cuius mulieris ipſe Iohannes filius eſſet, non ſemel in Euãgelio declaratur. Quamobrem quum in ipſis Euangeliis id ſatis aperte traditum ſit, palam eſt nõ hoc egiſſe Chriſtum, vt vel ipſa virgo naturalis mater eſſet Iohannis, aut viciſſim Iohannes naturalis filius ipſius virginis. Sed neque Chriſtus aſſeruit Iohannem eſſe Mariæ filium, ſed tantum dixit: Ecce filius tuus, hoc eſt habeas eum loco filij: Circumſtantiæ ſcripturarum quid ipſæ ſcripturæ ſibi velint, ſatis luculenter inſinuant.

Iohan. 19.
Matth. 4.
Matth. 10.
Mar. 10 & alibi.
Iohan. 19.

OECOL. *Quando Chriſtus dicit: Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo, nunquid mentitus eſt, ſe enim minorem vocat,*

rem vocat, quia minor apparebat, reuera maior? Quomodo minor eſt maior?

ROFF. Matth. 11. Et ex ipſis ſcripturarum circumſtantiis facile deprehenditur Chriſtum haudquaquam re ipſa minorem Iobãne fuiſſe, ſed longe maiorem, quũ eſſet vere filius Dei, atque ità variis indiciis perſpicue declaratus. Quamobrem & hic vrgent ipſę circumſtantiæ, quatenus alium ſenſum quæramus, vt videlicet intelligamus Chriſtum, quemadmodum Chryſoſtomus docet, ætate, & multorum opinione, minorem eſſe, non abſolute minorem. Cæterum in noſtro negotio (vt ſæpius teſtati ſumus) ipſę circumſtantię docent, Matth. 26. Luca 22. Chriſtum de veritate ſui corporis locutum, quum dixit, hoc eſt corpus meum.

OECOL. *Et dum dicit: Omni habenti dabitur, & ab eo qui non habet, etiam quod habet, auferetur. Quomodo quis habet, quod non habet? niſi quod figuram gerat habentis? Sed plena tropis illis eſt ſcriptura.*

ROFF. Hunc Matthæi locum alius Euangeliſta ſatis explicat, nempe Lucas quum dicit: Quiſquis enim habet, dabitur illi, & quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo. Cæterum in re noſtra nemó diſcrepat. Sed Matthæus, Marcus, Lucas, etiam Paulus, poſt Chriſti aſcenſioné ab ipſo Chriſto doctus, omnes concorditer affirmant dixiſſe Chriſtum, hoc eſt corpus meum. Et quod ſi tropis plena ſit ſcriptura, num propterea non vacabit à tropo locus iſte? Hæccine tibi viſa eſt iuſta conſenſio?

Matth. 25. Luca 8. Matth. 26. Mar. 14. Luca 22. 1. Corinth. 11.

Arguitur non ſeruatæ pollicitationis, & ad alias friuolas argutias reſpondetur.

Capvt V.

OECOL. *Qvid igitur tam inſolitum, ſi & de pane dicatur, quod ſit corpus Chriſti, quum tam multa ſunt, propter quæ ſic dici conueniat, frangitur panis, vt corpus paſcat. Occiditur corpus Chriſti, vt animam paſcat. Panis è terra eſt: & corpus Chriſti, è terra. In pane vita corporalis ſuſtentatur: in promiſſionibus per Ieſum Chriſtum vita æterna animæ datur. Atque ob has & alias ſimilitudines, quid noui fuerit, dicere panem corpus?*

ROFF. His argutiolis capta, ſi poteris, ſtolidam plebeculam. Nos vero, tantum abeſt, vt iſtiuſmodi nugis irretias, vt multo magis impietas tua nobis eluceſcat, quæ quum pollicita ſit tam ſolidas afferre probationes, nihil tamen præter araneorum telas producis, quibus tam peſtilentem hæreſim ſtatuas. Nullũ omnino cibi genus eſt, quod ego non ſimili quadam argutia comprobabo Chriſtum eſſe. Etiam ſi pomum quodlibet oſtẽderis. In fruſta pomum ſcinditur, vt corpus paſcat. Pomum è terra prodiit, & Chriſtus è terra. In pomo vita corporalis ſuſtentatur, In promiſſionibus per Ieſum Chriſtum vita æterna animæ datur. Atque ob has & alias ſimilitudines quid noui fuerit dicere pomum eſſe corpus Chriſti? Sic impie ludendum putas cum verbis Chriſti?

Non præſtat quæ pollicitus eſt.

OECOL. *Tantum enim erat dicere: Ecce corpus, quod pro vobis traditur, anima veſtra cibus & panis erit. Sicut autem accipitis & comeditis panem: ita & corpus meum ſpiritualis modo manducate, memoriam & gratiarum actionem mortis eius fideliter ſeruantes.*

ROFF. Sic tu contendis hunc locum enarrari debere. Verum iſtud dicis tantum, non item probas. Sæpius antea ſumus teſtati non eſſe tibi citra ſolidiſſimas probationes in hac re fidem adhibendã, præſertim contra tam apertas & tam euidentes ſcripturas, etiam teſtimoniis tot patrum, & totius Eccleſiæ conſenſu corroboratas. Si non ante pluribus ſuper eiuſmodi cibó diſſeruiſſet Chriſtus. Si non multis è diſcipulis ſuis adeo difficilis creditu ſermo eius videbatur, vt penitus eũ deſeruiſſent. Denique ſi nõ ante fuiſſet pollicitus, ſe daturum eiuſmodi panem, qui foret eius caro; ſimplicioribus forte quibuſdam facilius imponeres, at nobis qui tot modis animos Apoſtolorum ſuorum ad huiuſce rei fidem, eum aſſueſeciſſe nouimus, fruſtra tentas imponere, fruſtra enim (vt Salomon ait) rete iacitur ante oculos pẽnatorum. Anathema ſit, qui tãtam Chriſti nititur imminuere charitatem, qua ſeipſum nobis in cibum præbuiſſe teſtatus eſt.

Contra ſcripturas nemini credendũ. Iohan. 6.

OECOL. *Qui ſe alibi lucem, vitem, fontem aquæ viuæ dixit, quid mirum, ſi & per panem ſymbolo omniũ aptiſſimo & maxime idoneo, & in ſcripturis præſignato cognoſci voluit.*

ROFF. Nuſquam ſe vocauit Chriſtus, aut lucem, aut vitem, aut fontem corporalem, dic mihi, vbi vnquam affirmauit ſe lucem hanc aut illam corporalem eſſe. Vbi vitem hãc aut illam corporalem, vbi fontem hunc aut illum corporalem. Sed & quando ſe panem appellauit ſicut & aliquoties fecit, dicens: Ego ſum panis vitæ, & pater meus dat vobis panem de cœlo; verum nõ de corporali pane, ſed de ſpirituali quodam intellexit. Cæterũ quum dicturus eſſet iſta verba, de quibus conflictatio pręſens agitur, triticeum panem accepit in manus, eundemque potentiſſima ſua benedictione conuertit in ſuum corpus, conuerſumque dedit apoſtolis ſuis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc eſt enim corpus meum. Quáre de luce, vite, fonte nihil ſimilitudinis eſt ad locum iſtum?

Iohan. 8. Iohan. 15. Iohan. 4. Iohan. 6. Matth. 26. Marci 14. Luca 22.

Abſurda multa ſequuntur ſi tropum in his verbis admiſerimus.

Cap. VI.

OECOL. *At terrentur, ſi hic aſſumamus tropum, periculum, ne omnia quæ fidei ſunt, ſemel euertamus.*

ROFF. Quiſquis attente ſecum penſat, ex quam tenuibus anſulis occaſionem errandi ſumpſerint hæretici, iure metuet eiuſmodi periculum, hoc eſt, ne ſemel euertamus omnia, quæ ſunt fidei, ſi tropos admittamus vbi nulla nos ad hoc adigit ſcripturæ circumſtantia: quanto magis vbi ipſa repugnat, quemadmodum hauddubie fit in illis ſcripturæ verbis quæ tractamus. In illis palam eſt nullam circumſtantiam exigere tropum, ſed omnia prorſus quadrant pro ſimplici verborum cõtextu, & maxime, quod agnum antea paſchalem

Matth. 26. Luca 22.

ediſſent, qui fuerat figura corporis paſſuri. Quid enim iam opus eſſet alia figura, & non magis ipſa veritas corporis, quæ per tot figuras ante præſignata fuit exhiberetur. Nam ſi quod tunc porrexit Apoſtolis, fuiſſet ſola figura, quid tũ interfuiſſet inter paſchalẽ agnũ, & panem illum, quandoquidem vterque ſignificabat Chriſtum paſſurum? Neque enim figura fuerat Chriſti paſſi, ſed paſſuri. Nihil eſt quod opponas in quo præſtiterit hoc ſacramentum agno paſchali, quum verũque ſignificabat Chriſtum qui paſſurus fuerat. Cæterum pollicitatio Chriſti, qua pridem apoſtolis recepit ſe daturum panem qui foret eius caro, plane repugnat, vt hic tropum aliquem quæramus, & non magis ipſam corporis veritatem, quemadmodum enunciant ipſa Chriſti verba, quum dixerit, hoc eſt corpus meum.

Iohan. 6. *Matth. 26.* *Luca 22.*

OEcol. *Et dum dicit Deus: Ego ſum Deus, ſignificari dicamus Deum, & non ipſum Deum. Et ſi audiant, ego ſum reſurrectio & vita, diſcant figuram reſurrectionis. Et ne patre atteſtante, hic eſt dilectus filius meus, in quo mihi complacuit, inducatur adoptiuus filius & non naturalis.*

Roff. Præter hos locos, innumeri ſunt & alij, de quibus maius periculum imminet, vt eſt iſtud: Ego & pater vnum ſumus. Hic certo metui poteſt, ne ſi tropos tales admiſerimus, dicturi ſint Arriani, non veram & conſubſtantialem eſſe Patris & filij, ſed figuratam duntaxat vnitatẽ. Nam & illi, verbum conſubſtãtialitatis irridebant, quemadmodum & vos facere ſoletis de verbo tranſubſtantiationis. Et iſtud item pari modo cauillabantur, quum dicimus, Deus erat verbum. Contendent hic ſubeſſe tropum, & verbum ipſum non eſſe vere Deum. Similiter & iſtud Marcioniſtæ: Verbum caro factum eſt, non ibi veram carnem intelligi, ſed figuratam aſſerent, imo nullum ſcripturæ teſtimonium orthodoxus afferet, quod hæreticus hac ratione non facillime diluet. Nec iſtud dixerim quod omnino damnem tropos, ſed quod nõ cenſeam eos admittendos, niſi quum id vrgeant manifeſte ſcripturarum circumſtantię. Quod hic tantum abeſt vt accidat, vt etiam dilucide repugnent.

Iohan. 10. *Error Arrianorum.* *Iohan. 1.* *Iohan. 1.*

Quædam intereſſe notantur inter veteres figuras & huius ſacramenti veritatem.

Capvt VII.

OEcol. *Fruſtra, fruſtra, metuitis & ſuſpicamini, niſi hoc & in alijs locis metuatis. Sed abſque formidine huius periculi exponitur, Petra erat Chriſtus, petram ſignificaſſe Chriſtum, quum tantum per omnia eadem ratio ſit.*

Roff. Reſpondi tibi ſuperius non hoc dixiſſe Paulum, de ipſa mole ſaxea, ſed de ſpirituali petra. Nã vbi dixiſſet. Bibebant autem de ſpirituali quæ comitabatur eos petra, protinus ſubdidit: Petra autem erat Chriſtus. Quare manifeſtum eſt, de ſpirituali petra Paulum hoc affirmaſſe, non de petra corporali. Neque negauerim tamen petram illam corpoream, figuram fuiſſe Chriſti, ſicut & manna, & aqua ipſa, figuræ quædam fuerant. Nemo tamen recte aſſeruerit, manna fuiſſe corpus Chriſti, aut aquam illam fuiſſe Chriſti ſanguinem, quemadmodum de ſacramento cuncti fatentur orthodoxi. Et iſtud diligentius obſerua lector. Sed neque omnes qui manna comederunt, aut aquam illam biberunt, quocunque modo, rei fuerunt corporis & ſanguinis Domini. Adde quod nemo vel petram ipſam, vel manna vel aquam ex petra manantem, recte adoraſſet. Euchariſtiam tamen adorare tenemur, ſicut Auguſtinus perſpicue docet Pſalmo 98. Nec mihi dixeris Auguſtinum intelligere de petra corporali. Ego certe nemini libentius quam Auguſtino ſubſcripſerim. Sed quoniam tecum ago, qui ſcripturis innitendum tantopere contendis, quum ſcriptura tam aperta ſit etiam Chryſoſtomo græco conſentiente, quid tu mihi latinum authorem obijcis, quem paulo ſuperius de linguarum imperitia, non ſine ſupercilio taxaras.

Bu. li. 2. cap. 1. *Euchariſtia adoranda eſt. Auguſtinus.* *Su. lo. 2. 2.*

OEcol. *Et tam abſurdum fuerit dicere, corpus Chriſti in pane, quam verum, Chriſtum in lapide, & Spiritum ſanctum in columba.*

Roff. Tria longe diſparia ſub vno ſimilitudinis contextu ſicophantice copulas. Sed nos ea ſeparabimus. Primum in Euchariſtia, ſubſtantiam panis manere diffitemur. Nuſquam enim legis, hic panis eſt corpus meum, ſed hoc eſt corpus meum. Quum enim ex pane fit ſacramentum, ſubſtantia ipſius panis in Chriſti corpus mutatur, quemadmodum ex Chryſoſtomo, Cyrilloque ſupra docuimus, & manet ſola ſpecies panis, ſub qua Chriſtum adeſſe nemo orthodoxus dubitat. Cæterum, lapidem ipſum neque Chriſtum eſſe, neque ipſum continere, ſed tantum ipſius figuram eſſe, quis non intelligit. Columbam denique ſignum & figuram Spiritus confitemur, non quidem abſentis, ſed ſub eiuſmodi corporali ſpecie comparentis, quam rem dilucide ſcriptura teſtatur Lucæ 3. Apertum eſt cœlum & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie quaſi columba in ipſum, nempe Chriſtum. Quis iam dixerit abſurdum eſſe Spiritũ ſanctũ fuiſſe ſub corporali ſpecie, quando Lucas id tam perſpicue referat? Nec eſt vt dicas, hic pro ſigno ſignatum accipi. Nam id ſi verum eſſet, ita legere licebit: Apertum fuit cœlum, & columba deſcendit corporali ſpecie, tanquam columba. Quid hoc abſurdius? Nec inficior tamen, quin columba ipſa fuiſſet figura Spiritus, ſed inexiſtentis (vt dixi) ſub corporali illa & eadem vtentis, velut iudicio ſui. Recipio quoque columbam ipſam dici poſſe Spiritum, quemadmodum Auguſtinus antea citatus, ait. Veruntamen ſi quis diligentius obſeruet ſcripturas, intelliget eas multo cautius loqui. Neque enim hic dicitur, quod Spiritus ipſa columba fuerat, ſed tanquam columba. Habes igitur quid in quouis illorum trium nos abſurdum eſſe putamus, & quid ſecus.

Panis non remanet in Euchariſtia. *Matth. 26.* *Luca 22.* *Li. 2. cap. 25.* *1. Corin. 10.* *Matth. 3.* *Marci 1.* *Luca 3.* *Iohan 1.* *Columba fuit figura Spiritus ſancti.* *Su. li. 2. cap. 4.*

Diſſoluuntur Pauli & Auguſtini verba de eſu

ſpirituna-

ſpirituali, quem nobis cum Iudæis communem, aduerſarius affirmat.

CAPVT VIII.

OEcol. *Cogit enim Paulus, vt fateamur aſſerere eundem ſpiritualem cibum fuiſſe patribus, qui & nobis eſt, & petram illā fuiſſe Chriſtum.*

Roff. Sed ſpirituale ipſum, de quo Paulus intelligit, varios habet gradus. Nam & ſi quique Chriſtiani participes eſſe dicantur diuini Spiritus, non tamē eodem gradu Spiritum ipſum cuncti participāt. Sic ſane plurimum intereſt inter nos qui ſumimus Euchariſtiam, & illos qui non niſi manna comederunt. Verum quidem eſt, tam nos quam illos fide Chriſtum edere & bibere. Nos tamen pleniorem eſum & hauſtum de Chriſto ſumimus, qui Chriſti corpus edimus, & ſanguinem eius bibimus in Euchariſtia. Manna quidem tametſi figura fuiſſet Chriſti, non tamen fuit Chriſtus, neque præſtitit edentibus vitā. At Euchariſtia, quæ per manna ſignificabatur, Chriſtum ipſum continet, & vitam præſtat. Quod & Auguſtinus aperte tradit, inquiens: Dominum audiamus, nō quidem hoc de ſacramento lauacri dicentem, ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ. Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meū, non habebitis vitam in vobis. Quid vltra quærimus? Quid ad hoc reſpondere poterunt, niſi pertinacia pugnaces neruos aduerſus cōſtantiā perſpicuæ veritatis intendat? Hoc Auguſtin. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione: Ecce habes, dicta fuiſſe hæc verba Chriſti de ſacramento ſuæ menſæ, in quo niſi quis ederit eius carnem, & biberit eius ſanguinem, vitam habere nō poſſit. Et paulo poſt ſubdit: Niſi oēs iſta ſententia teneat, vt ſine corpore & ſanguine filij hominis vitā habere non poſſint, fruſtra etiam ætas maior id curat. Poteſt enim ſi non voluntatem, ſed verba loquentis attendis, eis ſolis videri dictū quibus tūc Dominus loquebatur, quia non ait: Qui nō manducauerit, ſed, ſi non manducaueritis. Et vbi eſt quod eodem loco de hac ipſa re ait: Panis quem ego dedero, caro mea eſt, pro mundi vita. Secundū hoc enim ad nos pertinere illud ſacramentū intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quādo iſta dicebat. Quia nō poſſumus dicere, nos ad ſeculū non pertinere, pro cuius vita Chriſtus ſuā carnē dedit. Hactenus Auguſtinus. Palam eſt igitur hoc ſacramentum quū editur, abundantiorem præſtare vitam, quam potuit vnquam pręſtare Manna. Quamobrem & altiori quodā gradu Chriſtus in hoc ſacramēto manducatur à Chriſtianis, quā olim à Iudæis dum ederent ipſi Manna.

Diſcrimē inter Euchariſt. & Manna.

Auguſtinus.

Iohan. 6.

Auguſtinus.

Ioan 6.

OEcol. *Vnde Auguſt. lib. de vtilitate agendæ pœnitentiæ ait, breuiter ego dixerim: Quicunq; in Manna Chriſtum intellexerūt, eundem quem nos cibum ſpiritualē manducauerūt: Quicunq; autem de Manna ſolam ſaturitatē quæſierunt, patres infidelū, mādūcauerunt, & mortui ſunt: ſic etiam eundem potum. Petra enim Chriſtus: eundem ergo potum quem nos, ſed ſpiritualem, id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur.*

Roff. Hæc in eo libro dixiſſe Auguſt. non inficior. Sed ex eodem libro ſi candidus fuiſſes, quid inter Manna, quo Iudæi paſti ſunt, & corpus Chriſti, quo nos veſcimur, interſit: dilucide deprehendere potuiſſes. Sic enim aliquāto poſt hæc verba de Manna loquitur: Sicut autem Ieſus ille non verus, ſed figuratus, ita etiam terra promiſſionis illa non vera, ſed figurata. Illa enim populo primo tēporalis fuit, nobis vero quæ promiſſa eſt æterna erit. Sed figuris temporalibus promittebātur, & prænunciabantur æterna. Sicut ergo ille non verus Ieſus, nec illa terra promiſſionis vera, ſed figurata, ita Manna non cibus vere cœleſtis, ſed figuratus, ita petra illa non vere Chriſtus, ſed figuratus, & ſic omnia. Hactenus ille. Et præter hæc etiā ante prædicta verba ſic dicit: Manna (inquit) de cęlo aperte ab ipſo Domino exponitur. Patres veſtri manducauerunt (inquit) Manna in heremo & mortui ſunt. Quando enim viuerēt? Figura enim prænunciare vitam poſſet, vita eſſe non poſſet. Manducauerunt (inquit) Manna & mortui ſunt, id eſt, Manna, quod manducauerunt nō illos potuit de morte liberare. Non quia ipſum Manna mors eis fuit, ſed quia à morte non liberauit. Ille enim liberaturus erat à morte, qui per Manna figurabatur, de cœlo certe Manna veniebat. Attende quem figurābat: Ego ſum (inquit) panis viuus qui de cœlo deſcēdi. Hæc Auguſt. Figurabat igitur Manna Chriſtum in Euchariſtia. Quod & apertius adhuc tradit libro quæſtionum veteris & noui Teſtamenti, quæſt. 65. Manna (inquit) typus eſt eſcæ ſpiritualis, quæ reſurrectione Domini veritas facta eſt in Euchariſtię myſterio. Tantū igitur inter Manna & Euchariſtiam, quātum inter figuram & veritatem intereſt.

Differentia inter Manna & Euchar. Aug lib 1. de agen. pænit.

Ioan. 6.

Manna non præſeruauit à morte. Iohan. 6.

Auguſtinus.

OEcol. *Sufficiſſet alioqui dicere ſpiritualem cibum, ſed dicit eundem. Si igitur illic nihil periculi, quid tam meticuloſi hic eſtis?*

Roff. Quotquot erant inter Iudæos pij, Chriſtū fide receperunt, & ſpiritualiter. Neq; tamen iſtud eis eſus Mannæ præſtitit, ſed fides Chriſti venturi. Nos vero Chriſtiani, qui Chriſtum veniſſe credimus, & ipſum ſeſe nobis in hoc ſacramento præbuiſſe, pręter hoc, quod fide Chriſtum ſpiritualiter edimus, eodem etiam corporaliter veſcimur. Atq; iſtud hoc ſacramentū ſuapte virtute nobis exhibet. Cōuenimus igitur in altero cū Iudæis, quod eundē cibū ſpiritualem vtriq; ſumimus. Verū in altero longe præcellimus eis, nempe quod nos in Euchariſtia corporaliter Chriſto paſcimur, illi in Manna tantū ſpiritualiter. Quod autem ais, nihil ſubeſſe periculi, tibi non magis credendū, quam olim Euam ſerpenti credere debuiſſe putamus.

Aliter paſcimur Euchar. quàm Iudæi Manna.

Gen. 3.

Memorantur complures pollicitationes ante facta, quibus necdum præſtitis, alias impudenter adiicit.

CAPVT IX.

OEcol. *Expectate autem pauliſper, & cognoſcetis multa abſurda, ſi aliter, & ſicut vos, interpretati fuerimus, quæ in obiectis ſermonibus nemo formidaret Chriſtianus.*

ROFF. Semper glorioſe polliceris, at nihil præſtas eorum quæ pollicitus fueras. Multo iuſtius faceres, ſi te veterib. pollicitationibus prius abſolueres, quam teipſum ad hunc modum aliis nouis onerares. Nōdum enim inſaniam tuā purgaſti, quod principio fueras pollicitus. Adhuc tibi reclamat Auguſtinus, quē in ipſo limine, tibi fauere te docturum promiſeras. Spoponderas etiam te probaturum nullum in Euchariſtia miraculū fieri, quod adhuc minime pręſtitiſti. Receperas te certo commōſtraturum, verbis illis Dominicis tropum ſubeſſe, quod necdum feciſti, nec facturus es vnquam. Et tamen iſtis alia ſuperaddere nō te pudet, quæ nihilo magis exhibebis quam priora.

Lib.1.cap.8. — *Lib.1.cap.9.* — *Lib.2.cap.3.*

OECOL. *Iam quod in plerisque exemplis adductis deſideratur, verum eſt, nihil refert. Nam & Lucas in benedictione calicis non dicit, hoc eſt poculum, ſed hoc poculum.*

ROFF. Si quis aduertat quanta cautione, quantaque circumſpectione Spiritus in ſcripturis loquatur, perſpiciet equidem referre plurimum. Nam (vt ſupra diximus) nuſquam dicit Spiritū ipſum eſſe columbā, ſed tanquam columbam, neq; Spiritū ipſum ignē illum viſibilem fuiſſe, ſed tanquam ignem, neq; Chriſtum fuiſſe petram illam corporalem, ſed ſpiritualem, quæ Iudæos comitabatur, miracula faciens. Alioqui nunquam certo cōſtaret nobis ſcripturæ ſenſus, ſed & anſa quoq; daretur hæreticis, cuncta peruertendi. Non quod negem vſquam in ſcripturis id inueniri poſſe, ſed id raro fit, & vbi nullum periculum eſt peruerſi ſenſus eruendi. Porro quod ex Luca protuliſti, nihil tibi confert. Neq; enim pronomen, hoc, & poculum connectenda ſunt per verbum, eſt, ſed aliud omnino verbum in ipſo cōtextu ſubintelligi debet, quam ſubſtantiuum. Sic enim Lucas ait: Hoc poculum nouum teſtamētum per meum ſanguinem, qui pro vobis effunditur. Hic ſi poculum pronomini, hoc, per verbum ſubſtātiuum cōnecteretur, male cohærerent cætera. Melius tamen hoc verbum locatur apud Paulum, quum dicit: Hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Sed hic (vt dixi) nullus metus eſt, ne quis poculum intelligat eſſe nouum teſtamentū. Senſus autem eſt vtrobiq;, Poculum ipſum quod Chriſti ſanguinem continebat, per ſanguinem ipſum conſtabilit nouum teſtamentum, ſicut & Moſeos poculū in quo fuerat pecudum ſanguis, vetus olim teſtamentum roborabat.

Lib.2.c.7. — *Lib.1.c.2.* — *Luca 22.* — *Conſecratio calicis exponitur.* — *1. Corint.11.* — *Hebr.9.*

OECOL. *Sciunt Hebraicæ literaturæ periti, id eſſe propriū linguæ Hebrææ, pro verbo ſubſtantiuo cōtentam eſſe pronomine vel aduerbio demonſtrandi.*

ROFF. Iam certum eſt, ſi tu ſolus Hebraicam literaturā calleres, nihil verereris confingere, ſi quid poſſit inſtituto tuo conferre. Mihi vero tametſi tenuis earum literatum notitia fuerit, tamen aperte conſpicio quātum hic moliris nobis imponere. Verum quidem eſt aliquouſq; quod dicis. Vſurpant Hebræi frequenter pronomen הוה pro verbo ſubſtantiuo. Vſurpant & aliquoties hoc ipſum pro aduerbio demonſtrādi. Sed præter hæc habent & verbum ſubſtantiuum etiam præſentis temporis, quemadmodum in Eccleſiaſte legimus כי מה הוה לאדם hoc eſt: Quid enim eſt homini. hic certe nec pronomen eſt, nec aduerbiū demonſtrandi, ſed הוה quod eſt præſens tēpus verbi היה hoc eſt verbi ſubſtantiui, fuit.

Cap 8.

OECOL. *Id quod & argumentum eſt, Chriſtum in idiomate ſuo aliter enunciaſſe, quàm nos, vtcunq; digladiemur ſuper verbulo.*

ROFF. Si non deſit Hebræis verbum ſubſtantiuum pręſentis temporis (vt iam oſtendimus) quo poſſis argumento colligere Chriſtū in idiomato ſuo aliter enunciaſſe quam nos? Et maxime quū pręter Matthæi traductionem alij duo, Græcè etiam periti nempe Marcus & Lucas hoc ipſum ita ſcripſerunt. Sed & poſt iſtos Paulus Hebræus ex Hebræis etiam ab ipſo Chriſto ſic doctus, hoc ipſum ita protulit.

Marci 14. — *Luc.22.* — *1.Corint.11.*

Inaniter in his verbis, Agnus eſt phaſe, tropum quærit.

CAPVT X.

OECOL. *De agno paſchali legimus: פסח הוא ליהוה phaſe ipſum Domini, id eſt, eſt trāſitus Domini, nam phaſe tranſitum ſignificat.*

ROFF. Non de agno ad hunc modum legis, quod ipſe vocabatur phaſe, ſed de ceremonia & religione, qua tum vſi ſunt Hebræi, quando agnus paſchalis immolabatur. Sic enim traditur Exo. 12. Quū dixerint vobis filij veſtri: Quæ eſt iſta religio, dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt. Et rurſum paulo poſt, dixitq; Dominus ad Moſen & Aaron, hæc eſt religio phaſe. Quemadmodum ceremonia ſacrificij altaris Miſſa vocatur à nobis, ita cerimonia ſiue quod Moſes vocat, religio paſchalis agni, Iudæis dicta fuit phaſe. Sic enim Codex Hebræus habet, vbi Moyſes monet reſpondendum, quoties de religione iſta forte quæſtio aliquo fieret, זבח פסח הוא ליהו hoc eſt, ſacrificiū tranſitus eſt Domini.

Phaſe dicebatur religio agni paſchalis.

OECOL. *Denique non eſt vis, ſiue exponas, eſt, pro ſignificat, ſiue relinquas in gennino ſignificato, & rem exponas figuram rei, vt, Agnus eſt phaſe Domini, id eſt, figura phaſe. Neque enim de verbo contendere placet, vbi de ſententia conſtat, quæ eadem redditur.*

ROFF. Quid nodum quæris vbi nullus eſt. Neque enim opus eſt, vt vel hoc vel illo modo quis interpretetur. Nō enim dixit Moyſes agnum eſſe phaſe, ſeu tranſitum Domini, ſed religionem & ceremoniam, quæ tunc circa agnum fiebat, phaſe eſſe. Erat enim hoc nomē huic ſacrificio inditum, ſicut & noſtrum ſacrificium (vti iam diximus) Miſſa vocatur à nobis. Quare neutra interpretatio tua locum hic habet, aut quod agnus tranſitū ſignificat, aut quod ſit figura tranſitus. Quomodo enim agnus mortuus tranſeuntem angelum ſignificaret, quum ille proculdubio Chriſti morituri figura fuerat. Sed de hac re fuſius in quinto libro dicturi ſumus.

Exod.12. — *Iuſt li.3. & 4.c. 4.c.6 & alibi.*

Conſti-

Conflictatur aduerſus Lutherum & alios, qui per pronomen, hoc, haud recte demonſtrant.

CAPVT XI.

OEcol. *SAtis manifeſtum, ô aduerſarij, non inſolitã neq; ignotam noſtram expoſitionem, ſed nihil abſenſus veſtra.*

Roff. Neſcio quos hic aduerſarios tibi facis, & an de Lutheranis iſtud intelligas, An de nobis qui filios Eccleſiæ catholicæ nos eſſe profitemur. Nos maiorum noſtrorũ veſtigiis inhæremus, qui nepbas eſſe putarũt aliam his verbis interpretationem quærere, quam ipſius Chriſti. Nemo compertius habuit quid hoc ipſum eſſet, quod ipſe tũ ſuis porrigebat Apoſtolis, quam Chriſtus ipſe. Quamobrem & quum ipſe dilucide nobis quid hoc eſſet expoſuiſſet, fruſtra tu noſtris auribus alienam expoſitionem ingerere moliris. Ipſe enim dixit, hoc eſt corpus meum. Quare quũ ipſe hoc *Matth. 26. Luc. 22.* ipſum, quod dedit diſcipulis, aſſeruiſſet eſſe corpus ſuum, tu non minus impie quam temere conaris, vel verbũ, eſt, pro ſignificat, vel corpus pro figura corporis interpretari.

OEcol. *Proferte & vos veſtros ſimiles loquendi modos, imo nullus, quantum ego ſcio auditus eſt vnquam eius generis. Neq; enim eiuſdem coniugationis eſſe poteſt cum illis: Ego ſum reſurrectio & vita. Ego ſum panis qui de cælo. Percurre per omnia prædicabiliũ genera, & vide quid dixeris, ſi adhæret litera, Eſt, ſubſtantialiter vis exponi. Nunquid corpus eſt genus vel ſpecies, vel differentia, aut ſubſtantialis, aut propria, aut aduentitia, quãdo prædicatur de pane? Nihil horum congruere poterit, dum dicis: hoc eſt corpus. Corpus non eſt genus, neq; ſpecies panis. Nullus enim phreneticus hoc ſomniaret: neq; prædicatur idem de ſeipſo: quis enim ita deliraret? neque facta eſt vna natura ex duabus non alteratis, neq; numerabis duo indiuidua in vno indiuiduo.*

Roff. Aduerſus Lutherum & Lutheranos iſtam tragœdiam agis, non cootra oos. Nam illi ſic interpretantur, hoc, id eſt, hic panis, eſt corpus meum, *Lutherani perperam interpretantur, hoc eſt corpus meum.* quorum expoſitionẽ, ſancta mater Eccleſia iuxta atque tuam abhorret. Vt enim tu recte colligis, fieri neutiquam poteſt, vt hic panis ſit hoc corpus, aut hoc corpus Chriſti ſit hic panis. Quare manifeſtum cuiuis eſſe poteſt, Lutherum cum ſuis hic à ſcopo veritatis longiſſime aberrare. Tu tamen multo periculoſius erras, qui nobis aufers tanti muneris veritatem, qui tantas epulas, imo delicias tãtas ab eccleſia ſubtrahere niteris, nempe verum corpus & ſanguinem Domini, quibus ob immenſam charitatem, qua nos proſequitur, *Ephe. 2. Ioan. 12.* paſci nos cupiat, vt vnum cum ipſo facti per ſui corporis eſum, & per ſanguinis potum, etiã cum patre ſuo communionem veram ineamus. Sed hinc vnuſquiſque Chriſtianus diſcere facile poteſt, quam ſit res plena diſcriminis, vocem alienorum audire, & ſibilis hæreticorum acquieſcere, *Ioan 10.* qui tam ſecum, quam cum ipſa veritate pugnant.

OEcol. *Non minus autem ineptiretur, immo extreme blaſphemaretur, ſi quis corpus Chriſti dicat accidens, niſi forte per modum relatiui, non quod ſit relatio, ſed quod relatiuum ſit, in ſe habitudinem continens. Erit enim ſignatum ſigni. At impoßibile fuerit, veram eſſe prædicationem relatiui de correlatiuo, vt vocant. Nunquam enim pater, vt pater, filius eſt: neque ſignum, vt ſignum, ſignatum eſt.*

Roff. Iſta ventilas vt videaris noonihil ex iſtis ſubtilitatibus (quas vocant) in ſcholis deguſtaſſe. Sed hæc nihil ad nos, qui nec accidentia ipſa demonſtramus, neque de illis id prædicamus, quod per ea ſignatum eſt. Sunt equidem nobis ipſa accidentia panis & vini, ſignum veri corporis, quod ſub ipſis realiter adeſt, neque ſunt ipſum corpus. Nos igitur eo pronomine neutiquam accidentia ipſa demonſtramus, ſed id ſubſtantiæ quod ſub eis cõtinetur quod reuera Chriſti corpus eſt, cuius & ipſa ſunt ſacramentum. *Per pronomẽ, hoc, ſubſtãtia corporis demonſtratur.* Veritas enim corporis ſub eis abditi per ipſa accidentia ſignificatur. Sed & ipſum corpus vna cum accidentibus ipſis adhuc alterius rei ſignum & ſacramentũ eſt, nempe corporis Chriſti myſtici. Nec iſtius dontaxat, verum etiam & carnis, quæ dum in cruce pependit exanguis facta eſt, iudicium quoddam nobis commonſtrat, denique præter hæc & aliarum quoq; rerum hæc ſacramenta ſunt in ſignũ, de quibus fuſius alibi dicturi ſumus.

OEcol. *Apage cum nugis, imo cum blaſphemiis.*

Roff. Id in teipſum Oecolampadi belliſſime competit. Nam, tu non ſolum nugator es, quod pro ſolidis rationibus quas fueras pollicitus, nihil præter nugas affers, verum etiam horrende blaſphemas, negans id verum eſſe, quod Chriſtus aſſeuerauit, & ampliſſimum illud munus quod nobis ex immẽſo donauit amore, nempe ſeipſum in ſacramento, refragaris fuiſſe donatum, & manibus item & pedib. reluctaris, ne quiſquam credat ſub eo manere Chriſtum eſſe. Si non antea pater eum nobis paruulum contuliſſet. Si non ipſe filius ad *Iohan. 3. Galat. 2.* necem vſque ſeipſum dediſſet nobis, aliquouſq; foret ignoſcendum tibi, ſed quum tibi compertiſſima ſit vtriuſque liberalitas, quæ malum veſania eſt, quod hoc ipſum aſſerẽti Chriſto, credendum noo ceoſeas?

De locutionibus mutatæ virgæ in colubrum, & aquæ in vinum, & quid in illis demonſtratur.

CAPVT XII.

OEcol. *NOn relinquitur ergo tibi aliud quod dicas, quã quod corpus eſt, περιεκτικῶς exponas: Hoc eſt corpus. i. in hoc, eſt vel cõtinetur corpus: vel, hoc verſum eſt in corpus.*

Roff. Nec iſtam nos expoſitionem comprobamus. Noſtra ſic ſe habet: Eſto Lutherus tibi obuius prodeat, ſed ita veſte obtectus, vt neſcias quisnã ſit. Adſit autẽ alius qui probe norit hunc eſſe Lutherum, dicatq; tibi, hic eſt Lutherus, quid (te quæſo) demonſtrabit? Nũ veſtem illã, aut accidentia Lutheri? Nequaquã. Sed hominẽ ipſum ſub veſte ipſa deliteſcentem. Et ſane verum erit, hic eſt Lutherus. Nec opus eſt, vt ad extortas expoſitiones tuas pro huius axiomatis veritate cõfugiamus, id eſt, vt hic eſt: id eſt ſignificat Lutherum. Aut, hic

eſt Lu-

eſt Lutherus, id eſt, figura Lutheri, aut hæc veſtis eſt Lutherus: aut hæc accidentia ſunt Lutherus, aut denique *περιεκτικῶς* vt in hoc continetur Lutherus.

OEcol. *Sed profer, quæſo, in corporalibus eiuſmodi loquutionem, & vide quot abſurda.*

Roff. Non longe petendum nobis erit exemplum. Nam in Matthæo cõtinenter vbi Chriſtus dixiſſet, hoc eſt corpus meum, ſubiũgitur: Et accepto poculo, gratiis actis dedit illis, dicens: Hic eſt enim ſanguis meus. Poculũ accepit, & hoc ipſum porrexit Apoſtolis: At quid (precor) demonſtrauit, non poculum ipſum, ſed id, quod erat in poculo. Sic & nos fatemur Chriſtum, quum dixit, hoc eſt corpus meum, non panem, neq; panis accidentia demõſtraſſe, ſed ſubſtantiam ipſam, quæ ſub ſpecie panis intelligebatur.

Matth. 26.

Chriſtus demonſtrauit ſubſtantiam corporis.

OEcol. *Poterat certe Chriſtus paulo plurib. verbis dixiſſe: panis factus eſt corpus meum: vel, in illo pane eſt corpus meum: vel in illum panem verſum eſt corpus meum, quales res violentas interpretationes aſſeritis, vt conſtet veſtra ſententia.*

Roff. Iam ceu compertiſſimum habeo, te nunc diu nec in tua ipſius harena fuiſſe digladiatũ. Quem precor e nominatis diſputatoribus in medium afferes, qui ſic vnquam dicta verba fuiſſet interpretatus: hoc eſt corpus meum, id eſt, panis factus eſt corpus meum, vel in illo pane eſt corpus meũ, vel in illum panem verſum eſt corpus meum. Nihil horũ ab illis cõprobatum reperies. Quo fit vt nunc multo minus mirer, quod tantum in hac re cæcutieris. Quod ſi forte requiras quid dixerint, nimirum hoc reſpondebunt: Ex pane fit corpus Chriſti, aut panis verſus eſt in corpus Chriſti. At nũquam hæc admittẽt: Panis fit corpus Chriſti, aut corpus Chriſti verſum eſt in panem. Cæterum vt tuis verbis reſpondeamus, potuit (non inficior) aliis eandem rem verbis enunciaſſe, ſed tam planis & eiſdem tam apertis haud facile potuit. Porro quod hoc ipſum vere ſenſiſſet maniſeſtiſſime docet, cum Paulum inſtruens de eadẽ re, nullis aliis verbis vtebatur, id quod non feciſſet, ſi tropum aliquem in his verbis (vt tu fingis) voluiſſet intelligi.

Conuenientiſſ. verbis Chriſtus in ſacramento vſus eſt.

1. Corinth. 11.

OEcol. *Sed vbi ita loquitur, de re ſubito orta vel mutata, vt per copulã, eſt, reiq; non ſua natura talis ſit, tanquã prædicatum ſubiecto, res commutetur & prædicetur?*

Roff. Raro fiebant huiuſmodi mutationes: & rarius vbi fiebant, is qui mutauerat idipſum pronomine demonſtrandi (quod factum erat) indicauit. Cæterum ſi in ipſis exẽplis, quæ mox producturus es, Deus aut angelus pro ipſo momento quo virga mutata fuiſſet in colubrum, extantibus adhuc accidentibus virgæ, vt fieri potuit, quũ Deo nihil ſit impoſſibile. Si (inquã) Deus aut angelus aliquid indicaſſet, quid putas dixiſſet? hæc eſt virga? An potius hic eſt coluber? Nam vere dici non potuit, hæc virga eſt coluber, quod tum virga nõ fuiſſet. Quare ſi tam paucis vtendum fuiſſet verbis, atq; quum Chriſtus dixit, hoc eſt corpus meum, prorſus enunciandum ita fuit: Hoc eſt coluber, non accidentia virgæ monſtrando, ſed ſubſtantiam colubri ſub illis opertam accidentibus. Similiter & in poſteriori exemplo quũ Chriſtus aquam in vinum conuertiſſet, ſi pro ipſo momento quo ſic permutaſſet, cuipiam roganti quid id eſſet, quod tum fuiſſet in hydria, proculdubio reſpondiſſet, hoc eſſe vinum. Neq; enim aquam tunc oſtendiſſet, quæ non fuerat, ſed ipſum vinum in quod aqua vertebatur. Sed iam exempla per te producta audiamus.

Exod 4.

Luca 22.

Iohan. 2.

OEcol. *Sane de miraculis & verſionib. apud Moyſen legimus, dicit Dominus ad Moyſen: Quid eſt quod tenes in manu tua? Reſpõdit, Virga, dixitq; Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitq; Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſaq; eſt in virgam.*

Roff. Hic, vt apertum eſt, ſcriptura pronomine demonſtrandi non vtitur. Sed ſi quid demonſtratũ fuiſſet, etiam pro ipſo momento verſionis factæ, non aliter quam ad eum quem ante diximus modum enuntiari debuit, nimirum, hic eſt coluber, quando videlicet in colubrum virga mutata fuiſſet; aut hæc eſt virga, quando viciſſim coluber in virgam fuiſſet conuerſus.

Exod 4.

Demõſtrationes ſunt rei exiſtentis.

OEcol. *Idem eſt videre in aliis locis, quoties de mutationibus eſt ſermo, vt, Guſtauit architriclinus aquã vinũ factam.*

Roff. Et hic ſane pronominis demonſtratiui nullus vſus eſt. Quod ſi Chriſtus ipſe poculum aqua plenum dum eſſet architriclino porrecturus, interim verbo ſuo conuertiſſet in vinum, vtrum horum potius exiſtimas eum fuiſſe dicturum? Hæc eſt aqua? an magis, hoc eſt vinum? Iſtud haud dubie. Et quid tum (quæſo) demonſtraſſet? Non aquam certe, quę non tunc aderat, ſed eum liquorem, qui tum fuit in poculo, nempe vinum. Neq; enim ſimul in poculo vinum & aqua fuerant, ſed quando fuit aqua, tum vinum haudquaquã fuerat, & viciſſim aqua deſiit, quum eſſet ex ea factũ vinum, quanquam ſcriptura iam dixerat, aquam vinum factam. Retinet enim adhuc ipſum vinũ apud ſcripturas priorem aquæ nomenclaturam. Et hoc diligentius obſerua lector, quod ſicut vinum prioris nomenclaturæ vocabulum retinet, quum ſcriptura dicat aquam vinum factam, & ſimiliter Exodi 10. Coluber virgæ ſeruauit appellationem, quando ex virga fiebat coluber. Sic nũc quid verat corpus Chriſti panis vocabulo nuncupari, quãdo panis in ipſum Chriſti corpus vertitur.

Iohan. 2.

Iohan. 2.

Chriſti corpus vocatur panis.

OEcol. *In rebus tamen, quæ ſenſu ipſo comprobabantur, non opus erat accuratiore verborum diligentia, quam in his veſtris miraculis.*

Roff. Nihil opus habet Spiritus admonitione tua. Circumſpectior eſt & diligẽtior in ſcripturis tradendis, quam poſſit mortalis cuiuſpiam ingeniũ aſſequi, quam rem & abunde licet in his rebus enarrandis conſpicere. Nam & ex iſtis mutationibus nonnihil aſſuefacit nos & quaſi manuducit ad huius auguſtioris verſionis poſſibilitatem aliquam tenuiter capiendam. Nam audientes virgã in colubrum fuiſſe mutatam, & aquam in vinũ, minus ambigimus, eum qui hæc fecit, poſſe pa-

Exemplis oſtenditur poſſibilitas tranſſubſtantiãdi corporis Chriſti.

nem

nem in ſuum corpus vertere. Sed & aliud ex eiſdem addiſcere licebit. Quanquam certo ſciamus aquam illam nunquam ſimul fuiſſe vinnm, & aquam, ſicut neq; virga, ſimul & coluber & virga fuerat, ita neque ſubſtantia panis cum ſubſtantia corporis Chriſti. Sed adbuc & tertium accipe, quemadmodum & iam diximus, ſed propter eos qui tardiores ſnnt nihilominus repetendũ. Spiritus ipſe ſanctus adbuc vocabulum aquæ vino tribuit, quum dicit: Vt guſtaſſet architriclinus aquã vinum factam. Ecce, retinet adbuc ipſum vinum priorem aquæ nomenclaturam ſicut & coluber ex virga factus, vocabulum adhuc virgæ retinuit. Exodi 7. Nam & illic ſcriptum eſt, virga Aaron virgas Magorum deuorauit. Sic & in iſto negotio noſtro, Panis in corpus Chriſti verſus, panis nuncupationem poſtea ſeruat, 1. ad Cor. 11. quum non ſit panis iam triticeus.

De locutione, ferrum eſt ignis, & poßibilitate corporis eiuſdem in pluribus locis.

CAPVT XIII.

OEcol. *SEd date vel è triuio ſimilem loquutionem: nunquid illa quadrat: ferrum eſt ignis, quando eſt ignitum? quam Cyrillus in aliam ſententiam vere ac pie adducit: nempe, quod duæ naturæ, diuina & humana, vnam conſtituant naturam, ſicut ignis & ferrum, vnum corpus: Vbi ignem nimirum pro ignea vi intelligit, quæ ferro inſit, veluti animans Et Deitas ſpiritus eſt, quæ vnam cum humanitate perſonam conſtituit, & ita totam ignit, vt nihil in Chriſto Deitatis ſit expers.*

Roff. Cap 4. & 6. & alibi. Hoc nihil ad nos. Nobis enim auditu nihilo minus abſurdum eſt, quum dicatur, bic panis eſt hoc corpus, quam vbi quis dixerit, hoc ferrũ eſt bic ignis. Nam cuiuis dialecticam callenti manifeſtum eſt vtranque enunciationem eſſe falſam. Quam rem fuſius explicuimus in eo libello quẽ pro Rege illuſtriſſ. ſcripſimus aduerſus Lutherũ.

OEcol. *Verum bic afferenda erit ſimilitudo corporis ſenſibilis in corpore. Nam ſi ſubſtantialem prædicationem dixeris, ferrum eſt ignis, nunquam vera erit neque poßibile eſt, vt ſic exponas.*

Roff. Sic neq; nos vnquam panem affirmamus eſſe corpus. Quia nobis panis nõ manet, ſed mutatur in ipſum corpus. Quod ſi nonnunquam vtamur panis vocabulo, hoc fit more ſcripturæ, quemadmodum ſupra diximus, quum id quod iam eſſet coluber, virgam vocat, & id quod iam factũ fuit vinum, aquam appellat, propter priorẽ nomenclaturã. Sic Paulus panem adhuc nuncupat, quod iam eſt corpus Chriſti, & alibi quoq; in Actis panis dicitur, non quod reuera panis materialis exiſtat, ſed quod in modum panis reficiat.

Ioh 2. c. 12. 1. Corin 11. Act. 2.

OEcol. *Quin & ſi dicas, panis cõtinet corpus, vide quid ſequitur Ergo panis locus erit, & vnum corpus erit in multis locis, & multa corpora in vno loco, & corpus in corpore, & corpus in atomo & puncto. Eo enim tandem ſermo ducet, vt & in atomo panis, ſi dari poſſet, integrum ponere ſis corpus.*

Hic quam alienus ab acumine diſputandi ſis, teipſum prodis. Nos enim, & ſi non dicamus panem cõtinere corpus, aut in pane corpus eſſe, tamen aſſerimus ipſum corpus & ſanguinẽ eſſe ſub ſpeciebus panis & vini. Veruntamen quia nõ ſunt ibi per modum quanti, neq; localiter, aut diffinitiue, ſed per ſubſtantiæ modum, & ſacramentaliter, vt aiunt, ideo nihil repugnare dicimus, quod ſit in pluribus locis ſimul. Porro quod corpus in corpore ſit, nihil contra ſcripturas eſt, quando Chriſtus ad diſcipulos ſuos introiit ianuis clauſis. Tunc enim corpus murum penetrãs, in ipſo muro fuit corpus in corpore, & duo corpora ſimul. Contigit hoc ipſum, quando adhuc obfirmato monumento reſurgens prodiit. Penetrauit enim lapidem, & ſimul fuit corpus cũ corpore, deniq; corpora pariter. De atomo quod dicis, miror ſi ignores, id quod in ſcholis eſt tritiſſimum, Atomũ accipi poſſe biſariam. Nam in his quæ ſpeciem habent in materia, impartibilitas vel ſecundum ſpeciem intelligi poteſt, vel ſecũdum materiam. Si ſecundum materiam, ſic nihil eſt quod non ſit adhuc partibile. Sin ſecundum formam, ſic dari poteſt quiddã, quod ſi partiretur, protinus amitteret formam. Propterea philoſophis placet, vt detur atoma caro, aut panis atomus: ſed nõ quantum atomum, quum omne qnod quantum eſt, quatenus quantum fuerit, affirmant quantumuis minimum ſit, adbuc eſſe partibile. Sed hæc apud eos qui in ſcholis exercitati ſunt, babẽtur dilucida, neque repugnantiæ quicquam infert, vt corpus Chriſti totum ſacramentali modo ſit ſub minima panis ſpecie, non tamen ſub puncto atomo.

Corpus Chriſti ſimul in plurib. locis. *Iohan. 20. Matth. 27. Marci 16. Luc 24. Ioan 20.* *Atomus accipitur biſariã.* *Caro atoma datur.* *Corpus Chriſti ſub minima panis ſpecie.*

Inſanos alios vocat, quum ipſe tamen inſaniſſima tradat, & de ſcripturis mentiatur.

CAPVT XIIII.

OEcol. *QVis nunc inſana loquitur? Sed rapſodus ac ſchola cum ſuo Papa à tam abſurdis abhorrentes, malunt dicere, ſubſtantiam in nihilum verti, vel in ipſum corpus Chriſti, etiam contradicente ſenſu ac ſcripturis, quam ita ridicula loqui, & omnibus gentibus eſſe ludibrio.*

Roff. Inſaniunt profecto, qui panem in Euchariſtia manere dicũt, vna cum ipſo corpore Chriſti, neque tu minus inſanis, qui te cum his rebus committis, de quibus inſcius es. Dicis magiſtrum & ſcholaſticos habere pro abſurdis, quæ ipſi penitus affirmant. Nihil enim apud iſtos abſurdum habetur, quod idem corpus ſit ſimul in locis pluribus, aut quod duo corpora ſint pariter in eodẽ loco, aut quod integrum Chriſti corpus ſit ſub minima panis ſpecie, tãetſi rudi vulgo videantur hæc abſurda. Quod autem ſubſtantia panis in nihilum vertatur, nemo dicit, veruntamen in ſubſtantiam corporis verti, tota confitetur orthodoxorum eccleſia. Quod dicis huic rei ſenſum & ſcripturas repugnare, de ſenſu nihil mirum eſt, qui nihil enim myſteriis habet commercij. In ſcripturis autẽ nunquã aſſertum inuenies, panem

Plus Lutheranis inſanit Oecolamp. *Subſtãtia panis in ſubſtantiam corporis vertitur.*

Sup. in prolo. 2. li. lib. 2. c. 7.

panem triticeũ eſſe corpus Chriſti. Quod ſi corpus ipſum aliquoties vocetur panis, iam paulo ſuperius eius rei reddidimus rationem. Cæterum quòd panis in corpus Chriſti mutatus ſit, non ſolum ex verbis Latinę Miſſæ conſtat, verum etiam Grecę multo quidem apertius. Sic enim in canone Miſſæ Latinæ proxime ante conſecrationem precamur, vt ex pane corpus fiat, & ex vinō ſanguis. Chryſoſtomus autem in ſua Miſſa ſic habet:

Miſſa Chryſ.

Emitte Spiritum tuum, & fac hunc panem precioſum corpus Chriſti tui, quod vero in hoc calice eſt, precioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutans ea Spiritu tuo ſancto. Hæc Chryſoſtomus,

Sup. lib. 2.

quem alioqui contendis, & mordicus quidem, tibi ſuffragari, quum id ne ſomniauerit vnquam. Aduerte quid dicat: tranſmutans ea, hoc eſt panem & vinum in corpus & ſanguinem tuum Spiritu ſancto. Vides iam nec rapſodum, quem vocas, neq; ſcholas iſtud excogitaſſe. Sed & ante il-

Miſſa Baſilij.

lum Baſilius in ſua Miſſa, & diuus item Iacobus & Clemēs, haud multum diſſimili precatione fuerunt vſi, de quibus alibi diximus.

Vide in defē.

OEcol. *Quamuis & ipſi euadentes ſcyllam, in charybdi ſunt naufragati.*

Roff.

Triplex Oecolamp. naufragium, ſupra lib. 2. c. 2.

Non nos Oecolampadi, ſed tu naufragium, & ter quidem paſſus es. Primum vtique, quum ex illo ſancto religioſorum ſodalitio decideris, magnum haud dubie naufragium pertuliſti. Rurſum autem, quum ſemel ex nauicula Petri delapſus, teipſum vna cum Lutheranis ſeparaꝛis ab eccleſia. Tertio denique, quum ab eis diſſidens in longe pernicioſiorem hęreſim quam illorum ſit, teipſum præcipitaſti. Nam illi præ te longe tolerabiliores ſunt, qui verum corpus & ſanguinem affirmant in ſacramento contineri. Tu vero, qui Chriſtum prorſus arces ab Euchariſtia, in tantũ præcipitium corruiſti, vt magis impie ſentire nō facile poſſis. Quare tu vere naufragatus & in profundum malorum demerſus, iam impius contemptor euaſiſti.

OEcol. *Quid enim deſignabunt per hæc, dicentes: Hoc eſt corpus meum? Nunquid accidentia? Atqui corpus corpori ſuum accidens non mutuatur. Nunquid idem de ſe prædicatur?*

Roff.

Exod 4.
Sup lib. 2. c. 12.
Iohan. 2.
Cap. 4. § 1.

Viciſſim te rogabo, quid ſi momento ipſo quo vel virga mutata fuerat in colubrum, vel aqua in vinum, quiſpiam dixiſſet, hic eſt coluber, aut hoc eſt vinum, quid demonſtraſſet? Sed vt apertiori quodam exemplo iam vtar, cuius & memini pro libelli Regij defenſione. Iulia poſtquam diutino calore gremij ſui tam diu fouiſſet ouum, donec ipſius oui ſubſtantia tota conuerſa fuiſſet in pullum, ſi iam nutrici ſuæ reſtituiſſet quod acceperat, dicens: Hic eſt pullus; quid (te precor) demonſtraſſet? Non teſtam ſane, ſed id quod ſub teſta deliteſcebat. At eſſet exemplum longe dilucidius, ſi Iulia tam fuiſſet potens vt acceptum à nutrice ouum ſuo verbo protinus in pullum vertiſſet, & ita verſum reſtituiſſet, nutrici dicens: Hic eſt pullus. Nam ad iſtum modum & nos dicimus, quod quum Chriſtus panem acceptum benedixiſſet, ac verbo ſuo cōuerſum in ſuum ipſius corpus diſcipulis porrexiſſet, dicens: hoc eſt corpus meum, non ipſa accidentia panis indicauit, ſed id ſubſtantiæ quod ſub illis accidentibus operiebatur. Neque tamen quum ſic dixit, idem omnino de ſeipſo prædicatur, ſed per ſubiectum, vt Scotus acute docet, ſingulare quoddam generalioris cuiuſdam ſubſtantiæ concipitur, per prędicatum autem, ipſum corpus. Quod quanquam reipſa ſit idem cum ſubiecto, nonnihil tamen diſcriminis eſt inter vtrunque, quantum ad concipiendi modum, ita quod non ſit tam identica, ſicut illa, corpus Chriſti eſt corpus Chriſti.

Matth. 26.
Luc 22.
Vide Scot 4. ſent. diſt. 11. art 4. 5. & alibi.

OEcol. *Hoc fortaſſe eſſet, quod Carolſtadio reuelatum, qui τοῦτο refert ad corpus. Sed vbi manet ſacramenti ratio?*

Roff. Neſcio quod corpus intelligas. Nam ſi Chriſti corpus in Euchariſtia, iam nobiſcum ſentis. Si nihil igitur habeas aliud quod obiicias Carolſtadio, bene quidem eſt. Nam iſtud ipſe facile diluet. Neque enim (vt ante diximus in exemplo cuiuſdam hominis veſte obtecti) ſi quis dixerit: Is eſt Lutherus, veſtem oſtēdit, ſed hominem opertum veſte: Sic & quum Chriſtus dixit, hoc eſt corpus meum, non accidentia ipſa demonſtrat, ſub quibus obtegebatur, ſed id ſubſtantiæ, quod ſub accidentibus illis erat occultum. Et hic rurſum Deo gratias agimus, quod repertus ſit inter vos, etiam ex proceribus quidam, qui non Lutherum ſolum, verum etiam & tuam damnet hęreſim. Tanta ſcilicet eſt veſtrorum dogmatum concordia. Nemo veſtrum patitur, vt alius vera dicat. Carolſtadius, quod aſſerit (ſi te recte concipiam) à Deo reuelatum accepit. Lutherus item aſſeuerat ſe omnia dogmata è cœlo ſuſcepiſſe. Quid igitur tibi relinquunt, qui penitus illis cōtradicis, niſi quod vel à proprio ſpiritu, vel à dæmone quopiam acceperis dogma tuum. Sed noſti ſcriptum, Væ his qui ſuum ſequũtur ſpiritum. O Germaniæ populus infeliciſſimus, qui talibus magiſtris adeo ſecum pugnantibus, ſuas animas tam ſecure credit.

Lib. 2. c. 12.
Carolſta damnat alterā hæreſim.
Ezech. 13.

OEcol. *Et quare in poculo etiam non dicitur: hic ſanguis eſt ſanguis meus, ſed: hic eſt calix ſanguinis.*

Roff. Iam (opinor) cunctis innoteſcet inſana temeritas tua, qui quum de myſteriis auguſtiſſimis diſſeras, non tenes tamen quid Euangeliſtæ ſcripſerint. Quis (te precor) Euangeliſtarum narrauit de poculo dixiſſe Chriſtum, hic eſt calix ſanguinis, quemadmodum tu affirmas. Sed neque Paulus, qui poſt eos iſta tradidit, ita retulit. Matthæus vtiq; dixit, hic eſt enim ſanguis meus. Conſentit Marcus, dicēs: Hic eſt ſanguis meus. Lucas vero, hic calix nouum teſtamentum in ſanguine meo. Cui ſubſcribit & Paulus. Nullus horum eſt, qui dixerit: Hic eſt calix aut poculum ſanguinis mei. Sed ecce quā apertiſſime Matthæus & Marcus te condemnant. Referunt enim Dominum Ieſum acceptum poculum gratiis actis dediſſe diſcipulis, dixiſſeque: Non hoc eſt poculum, neque hic eſt calix, ſed hic eſt ſanguis meus: non iam demonſtrantem poculum, ſed eum liquorem qui in poculo continebatur. Qua demonſtratione perſpicuum eſt, ſimili modo quũ dixit Chriſtus,

Matth. 26.
Marci 14.
Luc. 22.
1. Corin. 11.

hoc

Matth.26. hoc eſt corpus meum, non iam accidentia panis demonſtraſſe,ſed id ſubſtantiæ quod tum ſub accidentibus panis occultabatur.

OEcol. *Vnde neceſſarium,vt & tropus aſſumatur,longe alienior à ſcriptura,hoc noſtro,quem nõ eſſe indignum Chriſto,nec abſurdum, quomodo interpretatio veſtra non eſt tolerabilis,edocebimus.*

Roff. *Nõ eſt tropus in verbis cõ-ſecr.* Quis in his verbis (precor) tropus eſt, hic eſt ſanguis meus, aut in illis, hic eſt calix ſanguinis mei. Nihil vtique ſimplicius & ſine omni tropo quiſquam enunciare poteſt, quandoquidem id quod ipſa verba primum ſonant Chriſtus eiſdem intelligi velit, hoc eſt, verum ſanguinem eius in ipſo calice tnm fuiſſe. Neque iſtud Chriſto indignum eſt,quum ipſe longe maiora pro nobis ſit paſſus.Si digne penſitares Oecolampadi, quanto amore teterrimum ſuum corpus ad crucem pro nobis dedit, & precioſum illum ſanguinẽ in terram fundi pertulit, nunquam in hoc hæſitares, an eandem carnem, vt ederetur à nobis,& eundẽ ſanguinem, vt biberetur, tradere ſit dignatus,& maxime,quum id iam à nobis fiat ſummo noſtro compendio, & citra quoduis illius diſpendium. Cęterum,quod polliceris te iam edocturum,noſtram interpretationem non eſſe tolerabilem, vellem vt fidelius ea reddas, quæ polliceris, aut aliquando pollicendi finem facias. Nam hactenus eorum quæ pollicitus es, nihil te præſtitiſſe certum eſt.

Hebr 11.
1.Petr.2.
Iohan.19.
Apoc.1.

Producit canonem interpretãdi ſcripturas, qui contra ſeipſum apertiſſime pugnat.

Capvt XV.

OEcol. *Certum habemus canonem, vbi admittendi ſint tropi vel non. Neque enim ita exponenda ſcriptura, vt inconuenientia ſequantur, quoniam eloquia Dei examinata ſunt, ſicut aurum & argentum, quibus nihil adhæret ſcoria. Deinde obſeruandum, quid ſeries orationis doceat, vt non videatur hiulca & diſcerpta. Conſtat enim ſibi Spiritus ſanctus, nec confuſaneum habet ſermonem, qualem arreptitij. Adhæc ſcripturas cum ſcripturis conferre oportet, ne ſibi pugnent. Hæc pro nobis ſunt omnia, & vt tropum agnoſcamus, vrgent hic maxime, ſi vſpiam.*

Roff. Hæc omnia tibi penitus aduerſantur. Primũ, An non ſummum inconueniens eſt; Chriſtum tui ſimilem eſſe? hoc eſt mendacem, vt id tam ſerio polliceretur quód nũquam eſſet præſtiturus. *Iohan.6.* Promiſit autem ſe daturum panem, qui foret caro ſua, nimirum eadem quam daturus item eſſet pro mũdi vita. Panis (inquit) quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. *Duo pollicitus eſt Chriſtus.* Ecce duo pollicitus eſt in his verbis. Alterũ; quod daturus eſſet panem quendam qui contineret eius carnẽ: Alterum, quod eandem carnem daturus item eſſet pro mũdi vita. Nunquam autem illud præſtitit, ſi non in pane Euchariſtiæ, quem dedit Apoſtolis, caro eius cõtinebatur. Id quod mihi pro ſummo inconuenienti viſum eſt. Secundum etiam *Sermo Chriſti qualis.* reclamat errori tuo. Nobis enim ſimplex & purus & plenus eſt Chriſti ſermo, non mancus, non reſarciendus aut ſupplẽdus aliis verbis, vt tu moliris. Dixit Chriſtus, hoc eſt corpus meum. Tu *Matth.26.* *Luc.22.* conſuenda putas his verbis alia, & ſic intelligi vis, vt verbum, eſt, interpretemur, ſignificat, & corpus, figuram corporis. Dixit etiam Chriſtus, hic eſt ſanguis meus. Tu ſupplendum exiſtimas, Eſt, *Matth.26.* *Marci 14.* id eſt, ſignificat: Sanguis, id eſt, figura ſanguinis. Tertium etiam apertiſſime tuam interpretationem condemnat, verborum videlicet eorundem circumſtantiæ. Nam, præter ea quæ ſexto Iohannis tradita ſunt; Agnus ipſe paſchalis, quem tum proxime Chriſtus cum Apoſtolis ederat, manifeſte docet, vti Hieronymus colligit, Euchariſtiam quam continenter inſtituit, verum illius fuiſſe corpus. Nam ſicut agnus ante comeſtus fuerat huius corporis vmbra quædam & figura, ſic oportuit & Euchariſtiam, quam tunc Apoſtolis dedit ſumendam, ipſam rem ſui corporis & veritatem continere. *Agnus paſchalis ſignificat veritatẽ corporis Chriſti.* Quamobrem nec tropus hic vllus eſt, ſed ſimpliciſſima veritas, vti circumſtantiæ luculenter docent. Palam eſt igitur, quod ea, quæ iam produxiſti, ſingula tibi reluctantur.

Imperitia & inexercitatio ratiocinandi erroris occaſionem nonnullam ei præſtitit.

Capvt XVI.

OEcol. *Qvamuis autem iam dicta ſint ſatis multa abſona, quæ veſtram ſententiam comitantur, dicemus autem & quædam alia.*

Roff. Profer alia, ſi quidem poſſis, nã hactenus contra nos attuliſti nihil quod exercitatis tam in acumine diſputandi, quam in ſcripturis videatur abſonum, longe difficiliores nodos ipſi diſſecãt, quam tu vllos adhuc produxeris. Et fieri haud aliter poteſt, quin is qui ſimplicem ſcripturę puritatem ſequi velit, omnino cõfiteatur verũ Chriſti corpus & ſanguinem in hoc myſterio contineri. *Fide cognoſcere poſſumus veritatẽ corporis Chriſti in ſacramẽto.* Quæ res, quum tam remota ſit à ſenſibus noſtris, nequit ab ingenio mortalis cuiuſpiam citra fidem concipi, fide tamen opitulante, mens hominis adeo prouehi poteſt ſolidis rationibus, vt plane perſpiciat, nihil hanc veritatem comitari, quod aut diuini Spiritus artificium ſuperet, aut potentiæ eius repugnet, aut denique pietati (quæ ſemper erga nos homines immenſa fuerat) ſit indecorum.

OEcol. *Neque eſt quod dicitis, mihi & craſſulis aliis abſurda quidem videri, ſed non eſſe. Ita nos è ſublimi deſpicitis.*

Roff. Nulla prorſus ars aut ſcientia eſt, quæ ſit alicuius præſtantiæ, in qua non plurima videantur imperitis, non abſurda ſolum, ſed & impoſſibilia. *Scientia conducit ad Theologiam.* Verum in Theologicis id multo magis accidit, quandoquidem ea tantopere captum humanæ rationis tranſcendũt. Nec inficior, notitia literarum, vna cum fide, plurimum iuuabit, ad Theologica capeſſenda, maxime ſi non deſit aſſidua ſacrorum codicum ſimul & probatiſſimorum authorum euolutio. Sic inquã iuuabit hæc literarum peritia ſtudioſum, vt mox verborum quæ legit ſenſum deprehendat. Cæterum quũ de

Neceſſaria ad Theologiam. myſteriis occultioribus Eccleſiæ ſententiam ſuã dicturus ſit, niſi fuerit præterea ſolidæ ratiocinationis acumen, aut ſingulari Dei munere collatũ, aut longa in ſcholis exercitatione conquiſitum, metus erit ne terminos à maiorib. noſtris conſtitutos facile prætergrediatur. At certũ eſt ſine altero iſtorum illum nunquam vel eccleſiæ retruſiora myſteria cõcipere, vel quum conceperit ea defenſare poſſe. *Exercitatio ſcholaſtica eſt neceſſaria ad Theologiam.* Neque negauerim aliquot fuiſſe qui peculiari dono Dei, tantum naturalis acuminis conſecuti ſint, vt aliis etiam præcelluerunt, qui fuiſſent in ſcholis exercitati, ſed hi rariſſimi ſemper fuerunt. Ego de communi hominũ ſorte loquor, qui tãetſi triade linguarũ inſtructi ſint, tamen ſi defuerit eis ſcholaſticum exercitiũ, ſenſum quem conceperunt, enarrare licebit, at vbi narrauerint, iam finis eſt. Nequeunt enim deinceps, aut ſuas cõſtabilire ſententias, aut aliorũ errores fortiter impugnare. Annales euoluat quiſquis velit, nõ reperiet multas hæreſes exortas, citra quàm incepiſſent ſcholę, quum tamen Eccleſia ſemper antea fuiſſet hæreſibus infeſtata. Exortæ ſunt quædam poſt ſcholas non inficior, ſed per eum adinuentę, qui ſuperbiſſimo corde ſcholas cõtempſerat, nempe VViclefum. *Hæreſes VViclefi.* Is vtiq; propriam ſibi dialecticam excogitauit, ne communi ſcholarum dialectica refelli poſſet, quum tamen dialecticæ notitia, cunctis ratione vtentibus, vnica ſit. *Dialectica omnium vna.*

OEcol. *At non eſt quod dicitis, nam hac ſpirituales, & hi qui gloriam patris & Chriſti quærunt, iudicabunt abſurda: carnalibus omnia plana ſunt, & nullus offendiculo fit ſcrupulus.*

Roff. Neges etiam Chriſtum ludibria crucis fuiſſe perpeſſum, & à patre fuiſſe miſſum ad ea ſubeunda, & dicas te nihilominus patris & Chriſti gloriã quærere, negare in eis tantam charitatem, vt nos (quos ipſe pater filios, & ipſe filius fratres appellat) dignetur paſcere carne & ſanguine agni, qui pro noſtris peccatis olim factus eſt propitiatio. *Luc. 5. Iohã. 1. & alib. Matth. 25. 28. Ioan 10. 1. Iohan. 2. 4.* Neſcio quos tu ſpirituales vocas. Carnalib. enim iſta diſplicuiſſe, conſtat ex Euangelio. Tales enim murmurabãt, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad edendum. *Ioan. 6.* Si plebeios qui te audiunt, ſpirituales vocas, ad iſtos iamdudum appellauit Lutherus. Quamobrem, ſi indiciis ſuis & tuam & Lutheri ſententiam, quæ tãtopere pugnant, comprobent, iam non Chriſti, ſed Satanæ ſpiritu ſpirituales habendi ſunt.

OEcol. *Quid indignius Chriſtiano, quã multos aſſerere Chriſtos, & multa ſacrificia, vnum eſſe Chriſtum in cœlis, & alterum in terris, imo innumeros, & tot quot ſunt aræ, & in vna ara plurimos? id quod ex veſtra ſententia ſequi neceſſarium, ſi in pane corpus Chriſti realiter eſt.*

Roff. Hoc ad eos dixeris, qui panem vna cum corpore Chriſti confitentur in Euchariſtia, nempe Lutherum & ſectatores eius. Sed quoniam ad nos hæc nonnihil ſpectant, reſpondendum etiam à nobis eſt. Hic mirum eſt, ni lectores, helleboro tibi opus eſſe, cuncti cenſeant. *Chriſt. ſimul in cœlo & ſacramento eſt.* Realiter certe nos & in cœlo, & in ſacramento Chriſtum eſſe confitemur, nec tamen ob id conſectaneum eſt, vt ſint plures Chriſti. Nam ex diuis ipſis quidã traditur, quod ſimul in duobus fuiſſet locis, neque tamen hunc vnum propterea fuiſſe duos aſſerimus. *Corpus idem ſimul in pluribus locis.* Si ſcholaſticas Oecolampadi calleres diſceptationes, plane cerneres nihil repugnare corpus idem ſimul in pluribus locis eſſe poſſe. Cæterum quoniam animus tuus adeo ſpiritalis eſt, vt iſta non capiat, exemplo ſpiritali rem aperiemus: Nũ credis animam tuam totam ſimul & in corde & in capite eſſe? Si iſtud credas, iam intelligis iſtam conſecutionem nullius eſſe momenti. Anima tota eſt in capite & tota eſt in pectore, ergo ſunt plures animæ. Sin illud non credas, ego facile credo, aut caput tuum aut pectus omnino mente carere.

Deteguntur eius ſycophantia in recenſendo Chryſoſtomo.

Caput XVII.

OEcol. *Hanc abſurditatem non ego, ſed Chryſoſtomus colligit in epiſtola ad Hebræos, cuius ſententiã Gratianus tribuit Ambroſio, ſed non fuit illi rarum, authorẽ pro authore citare, vt videas indiligentiam ac incuriam, dum temere quæuis adnotantur, non conſultis originalibus.*

Roff. Non fuit tibi fortaſſis otium iterum inſpiciendi Chryſoſtomum ſuo loco, quem & apertiſſimum eſt pro noſtra ſententia velis remiſque cõtendere. Nam qui tot locis aliis hanc rem tam aperte tradidit, non poteſt hic ſibi contradicere. Affirmat enim, vt ante citauimus, pleriſque locis panem in corpus tranſmutari. *Lib. 1. cap. 5.* Cæterum incuria Gratiani, quem ſuggillas, noſtræ cauſæ nihil derogabit. *Gratianus excuſatur.* Id enim tibi aut cuiuis alteri contingere potuit, vt nimis properando, cites diuerſum authorem. Aut forte nec illius, ſed librarij culpa fuerat. Cæterum hæc ineluibilis culpa eſt, quum ex induſtria quædam ſubtrahas, quæ tuæ ſententiæ reluctantur, & viciſſim, quædam adiicias, quæ tuas partes fulciant, quemadmodum ipſe iam facis in Chryſoſtomo recenſendo, longe deteriorem notam incurrens, quam Gratiano impingis. Sed ipſum Chryſoſtomum audiamus.

OEcol. *Verba autem Chryſoſtomi hæc ſunt: Nonne per ſingulos dies offerimus, offerimus quidem, ſed ad recordationẽ mortis eius facientes. Et vna eſt hæc hoſtia, non multa. Et quia ſemel oblata eſt hæc hoſtia, oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium, exemplar eſt illius: idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem aliud, craſtina aliud, ſed ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium, alioqui quomodo in multis locis offertur. Multi ſunt Chriſti. Nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus eſt, & non multa corpora, ita etiam vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit, ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem, & conſumi non poteſt, hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem eius fit, quod factum eſt. Hoc enim facite (inquit) in meã commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut põtifex, ſed id-*

ſed idipſum ſemper facimus, imo recordationem ſacrificij operamur. Hæc Chryſoſtomus.

ROFF.

Chryſoſtomus non recenſetur ſyncere.

Hic primum oportet annotemus ſycophãtias tuas, qui nobis nõ verum tradis Chryſoſtomum, ſed alibi quidem exuberantem, alibi vero mancum, quo magis inſeruiat inſtituto tuo. Sic enim poſt hæc verba: Et vna eſt hæc hoſtia, non multę, ipſe Chryſoſtomus continenter ſubdit, quærens, Et quomodo vna eſt, non multæ? Hoc tu expunxiſti. Expunxiſti & alia quæ longe maiorem lucẽ afferunt. Ille vero pergit explicans quem in modum fieri poteſt, vt illa hoſtia quæ nobis in cruce fuerat oblata, prorſus eadem ſit cum hac quam nos offerimus quotidie. Et hic etiam prætermiſſo quod ipſe dixerat, tua non citra dolum intermiſces id quod lector quiuis deprehẽdet, vbi verum Chryſoſtomum contulerit commenticio. Cæterum vt tua ſycophantia qua iam vſus es neminem lateat, verum Chryſoſtomũ ſubiiciemus, & ea verba quę tu ſubdole reſecaſti, per literas maiuſculas ab aliis diſcriminabimus, quæ vero adiecisti, quiuis facta collatione facile diiudicabit à cæteris.

Chryſoſt. verba recenſentur.

Sic enim habet verus Chryſoſtomus homil. 17. ad Hebræos: Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationẽ facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt, & non multæ? Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorũ: hoc autem ſacrificiũ exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium Agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium, alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam, ſed vnus vbiq; eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus. Vnum corpus. Sicut enim qui vbiq; offertur, vnum corpus eſt, & non multa corpora, ita etiam & vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundãtem nos obtulit: ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite (inquit) in meam commemorationem.

Luc. 22.

Nõ aliud ſacrificium, ſicut pontifex, ſed idipſum ſemper facimus: magis autem recordationem ſacrificij operamur. Hæc verus ipſe Chryſoſtomus. Vbi dilucide perſpicis Lector, Oecolampadij fraudes. Neq; enim huic bonus animus eſt, qui tantum authorem corrumpere non veretur.

Diſcrimẽ inter hoſtiã corporis Chriſti & ſacrificiũ Miſſæ.

Intelligis itaq; Chryſoſtomum non rei quidem, ſed rationis inter hæc ſacrificia diſcrimẽ ponere, quum dicat illam hoſtiam corporis Chriſti ſemel in cruce fuiſſe oblatam, hoc autem ſacrificium quod offerimus in Miſſa, velut exemplar illius, ſemper offerri. Id eſt ergo diſcriminis inter hæc, quod illa hoſtia ſub vera ſpecie carnis, nõ niſi ſemel offerebatur. At iſtud ſub ſpecie panis offertur quotidie. Sed iam vide conuenientiam vtriuſque. Quanquam tunc offerebatur, & nunc iteratis offeratur diebus, non tamen alius atque alius agnus offertur, ſed idem prorſus, & idipſum (vt ait Chryſoſtomus) offertur ſemper. Hic nobis reſpondeat Oecolampadius, quandoquidem ipſe nihil præter panem in hoc ſacramento ſtatuit, quomodo fiet, vt idipſum ſemper offeratur, & non magis aliud atq; aliud quotidie? quandoquidẽ alius atq; alius panis indies offertur. Colligit ergo Chryſoſtomus, proinde ſacrificium iſtud vnum eſſe, quod in ipſo non diuerſum, ſed idipſum offeramus ſemper. Subinde collectionem factam ita confirmat, ſubiiciens: Alioquin hac ratione quoniã in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti. Proinde ac ſi dixerit: Si diuerſitas temporum & locorum diuerſum faciat ſacrificium, iam oportet ſint plures Chriſti iuxta locorum & temporum diuerſitatem, in quibus offertur.

Diuerſitas locorum & temporum nõ officit vnitati corporis Chriſti.

Sed iam obſerua lector, quemadmodũ iſtud refellat Chryſoſtomus. Nam ex hoc quod iam ſequitur totius negotij pendet intellectus. Nequaquam, inquit, ſed vnus eſt vbique Chriſtus, & hic plenus exiſtẽs, & illic plenus, vnum corpus. Quis iam non plane perſpicit, quid ſentiat Chryſoſtomus, quum dicat vnum vbique Chriſtum eſſe, plenum videlicet & integrum in hoſtia crucis, & plenum item in hoc ſacrificio, & vtrobique idem corpus.

Chryſoſto. ſententia de Euchar. ſacramento.

Negari ergo nõ poteſt, quin Chryſoſtomus hauddubie ſentiat, tam in hoc, quam in cæteris locis, quod vere Chriſtus eſt in Euchariſtia, quodq; ſacrificium iſtud hoc ipſum corpus continet, quod pependit in cruce, quemadmodum alibi non ſemel teſtatur. Cæterum quia Chryſoſtomus antea vocarat hoc ſacrificium exemplar ipſius hoſtiæ, quæ pepẽdit olim in cruce. Et poſtea ſimiliter dicit iſtud, quod iam facimus, eſſe commemorationem & recordationẽ ipſius hoſtiæ tunc immolatæ.

Oecolampad. retorquet Chryſoſt.

Inde Oecolampadius occaſionem arripiens, molitur quod reſiduum eſt, ſuis artibus in ſuam partem impudenter trahere. Veruntamen ſicut Chryſoſtomus nihil veretur aſſerere, tam veritatem corporis in hoc ſacrificio, quam quod exemplar item ſit, & recordatio quædam ſacrificij crucis, ita nos vtrunque affirmare, nihil metuimus. Nos vtique fatemur, hoc ſacrificium non modo veritatem corporis & ſanguinis Chriſti continere, verum etiam exemplar eſſe, pariter & memoriale Chriſti, pro nobis olim paſſi. Neque periculum vllum fuerit aſſerere ſacrificium iſtud, illius victimæ figuram eſſe, modo conſtanter interim teneamus vere Chriſtum in hoc ſacrificio contineri pariter & offerri. Nam vti Paulus ad Hebręos ait: Vmbram habet lex futurorum bonorum, nõ ipſam imaginem rerum, quemadmodum Euangelium iam habet.

Hebr. 10.

Fuci reuelantur quibus obtenebrare tam dilucidum conatur authorem.

CAPVT XVIII.

OECOL.

AN non ſatis nobis aſtipulatur, ſi quis purgatioribus videat oculis?

ROFF.

Si tibi hæc aſtipulentur, mihi nulli ſunt oculi. Sed quis deinceps tibi fidem adhibeat in ſacris exponendis literis, quum adeo turpiter halluci-

Chryſoſto. eſt contra opinionẽ Oecolamp.

neris in tam apertiſſimis dictis vnius interpretis ſcripturarum. Nemo tam brutus eſt (opinor) vt non intelligat Chryſoſtomum hic plus quàm ex diametro pugnare tecum. Nã ipſe dicit, idipſum in hoc ſacrificio iam offerri, quod olim offerebatur in illa crucis hoſtia. Tu prorſus negas. Ille teſtatur vnum vbiq; Chriſtum eſſe, plenum in hoc ſacrificio, plenum item in illa hoſtia, & vnum omnino corpus vtrobique. Tu contradicis. Ille fatetur vnum agnum Chriſtum, & heri, & hodie, & cras, immolari, nec propterea conſequi plures eſſe Chriſtos. Tu contra colligis, oportere plures eſſe Chriſtos: Et tamẽ adhuc te neutiquã pudet, illum aſſerere, tuis erroribus aſtipulari.

OEcol. *Acuti tamen aduerſarij ſibi ſeruire hæc dicta perſuadere volunt, quaſi idem Chriſti corpus ſit in cœlo & in altari, & ita eſſe vnam hoſtiam, perſuaſuri ſcilicet multa eſſe vnum, & præterita eſſe præſentia, non eſſe diuerſa figuram & figuratum.*

Roff. Abſurda profecto, quæ iam memoras, tuam ipſius hæreſim aperte cõſequuntur, ſi tamen cum Chryſoſtomo confitearis idipſum eſſe quod offertur vbique. Nam ſi præter panem nihil aliud in ſacramento ſit, vt tibi viſum eſt, & hoc ipſum hic dicatur offerri, quod olim in crucis hoſtia, tum neceſſe eſt, vt diuerſa multa ſint vnũ, & præterita præſentia, & figura figuratum. Sed hæc nihil ad nos, qui nullam aliam aſſerimus eſſe ſub Euchariſtia ſubſtantiam, quàm ipſius corporis & ſanguinis Chriſti. Quum igitur eadem vtrobique ſubſtantia ſit, idem ſit oportet, quod hic eſt, & quod illic. Idem (inquam) ſecundum ſubſtantiam, tametſi iuxta rationem accidẽtariam ſit diuerſum. Secundum quam etiam hoc ipſum quod idem eſt, multiplicatur, & quæ multa videntur ſecundum rationẽ accidentium, vnum ſunt quãtum ad ſubſtãtiam. Paſſio etiam Chriſti quæ præterijt, iam refricatur ex præſentia ſacramenti. Et demum hoc ipſum quod iam ſub ſpecie panis & vini tractatur, exemplar eſt & figura ipſius, quod in cruce ſub alia ſpecie pependit, nimirũ ſub ſpecie carnis. Ad quem modũ nihil repugnat idem exemplar eſſe & exemplatum, figuram & figuratum, ſub alia videlicet ratione.

Vnum ſecundũ ſubſtantiã diuerſificatur penes rationem.

Sacramentũ altaris figura Chriſti crucifixi.

OEcol. *At nos beati patris expendamus verba, concedentes interim, quod Euchariſtiam ſacrificium vocat & oblationem, ſenſu quidem pio, voce vero non omnibus probata. Sed de verbis & vocula nihil attinet contendere.*

Roff. Hoc tollis primum quod ipſe Chryſoſtomus modis omnibus vbique confirmare nititur, nimirum quod iſtud vere ſacrificium ſit. Iſtud lector, ſi non grauaberis Chryſoſtomi commentarios & homilias euoluere, compluribus locis inuenies. Præcipue tamen in homilia quam ſcripſit de ſumentibus indigne diuina & ſancta myſteria. Similiter in homilia de ſacrorum participatione myſteriorum. Rurſum in homilia de proditione Iudæ, & in commentariis Epiſtolę poſterioris ad Timotheum. Chryſoſtomus vbiq; confitetur & conſtantiſſime quidem hoc ſalutare ſacrificium, Eccleſiæ neceſſarium eſſe. quod quanquam tu nõ recipias, vt mox patebit, ſimulas tamen interim te concedere nec velle contendere de voculis, nimirum, vt videaris etiam in his primis verbis nihil ab ipſo diſſentire, quum longe alia tibi mens interior ſit, plena videlicet dolo.

Sacramentũ altaris eſt ſacrificium, autho. Chryſoſt.

Simulatio doloſa Oecolãp.

OEcol. *Declarat autem ſeipſum, quid ſacrificium & oblationem dicat, nempe nihil aliud quàm recordationem oblationis.*

Roff. Vbi (precor) iſtud vſquam declarauit? Quin profers ipſius verba? Sic vtique dixit: Non aliud ſacrificium ſicut pontifex, ſed ipſum ſemper facimus, imo recordationem ſacrificij operamur. Num his verbis aſſerit Chryſoſtomus, ſacrificium iſtud nihil aliud eſſe quàm recordationem oblationis? An iſta conſecutio tibi valida videtur: Sacrificium iſtud eſt recordatio illius oblationis, Ergo nihil aliud quam recordatio. Sic enim ipſe reſurrectionem probabo nullam rem eſſe. Nam quod Chriſtus ad vitam reſurrexit, noſtræ (ſi Paulo credimus) à morte peccati in vitam gratiæ, reſuſcitationis exemplar & figura quædam fuit. Ergo ſecundum tuam dialecticam nihil aliud erat mors & reſurrectio Chriſti, quàm figura. Adde quod Paulus de Chriſto dicit: In ſimilitudinem hominum factus. Quamobrem & iuxta dialecticam tuam, Chriſtus neutiquam homo fuit. Huc accedit, quod quum idem Paulus de filio Dei ſcribit, quòd ſit expreſſa imago ſubſtantiæ patris, eadem ratiocinatione tua nequaquam ſub hac imagine veram ſubſtantiam patris obtinebit; quod orthodoxis omnib. blaſphemia eſt. Sicut igitur Chriſtus in ſimilitudinẽ hominũ factus nihilominus homo verus eſt, & ſicut idem eſt expreſſa imago ſubſtantiæ patris & nihilominus homo verus eſt, & ſicut idẽ eſt expreſſa imago ſubſtãtię patris & nihilominus ipſam ſubſtantiam poſſidet, ita nos dicimus corpus Chriſti ſub ſpecie panis à ſanguine Chriſti ſub ſpecie vini ſeparatum, Chriſtum in cruce paſſum & exanguẽ repræſentare, figuramq; eſſe: & eſſe nihilominus eandem rem quæ fuerat in cruce leuata.

Chryſoſt. non inficiatur ſacrificium.

Roman. 6.

Philip. 2.

Hebr. 1.

Corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſt figura atq; res corporis Chriſti crucifixi.

OEcol. *Et ſicut ſacrificium ſe habet, ita & corpus. Vnde hic eſt recordatio corporis, quæ ipſum corpus dicitur.*

Roff. Si liceat in hunc modũ expendere & interpretari doctorum commentarios, quid tam circumſpecte dici queat ab eis, vt non facillime peruertatur. Sacrificium nihil aliud haberi pateris quàm recordationem ſacrificij, & corpus nihil aliud quàm recordationem corporis. At vbi eſt quod ante dixit Chryſoſtomus: Vnus vbique Chriſtus eſt, & hic plenus exiſtẽs & illic plenus vnum corpus. Quæ duo poſtrema verbula tu malo prauoque ingenio ſuſtuliſti. Sed reſpõde mihi. Si Chriſtus plenus hic exiſtat, & vnum corpus cum ipſo ſit qui plenus etiam in cruce pependit, quomodo nihil eſt hic aliud quàm ſola ſacrificij ipſius recordatio? Et ſi vnum vtrobique corpus fuerit, & hic & illic, qui fieri poteſt, vt hic ſola credatur eſſe figura?

Lib. 2. cap. 17.

OEcol. *Diſtinguit autem inter oblationem, quæ ſemel facta, & quotidianam. Nam illa eſt vnica, & in ſancta ſanctorum illata. Oblatio autem quotidiana, eſt exemplar & μιμήματον.*

Diſtin-

ROFF. Diſtinguit certe, ſed non id ſolum, verum etiã conciliat & vnit quoq;. Nam ſi tantũ diſtinguat, inter illam crucis hoſtiam, & hoc altaris ſacrificium, vbi eſt quod dicit: Idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, craſtina aliud, ſed ſemper idipſum. Proinde vnũ eſt ſacrificium. Ecce nõ diſtinguit ſolum, verum etiam vnum & idipſum facit. In quibus verbis tu nullam agni mentiouem facis, ſed callide verbulum illud exemiſti. Hoc ſcilicet eſt expendere Chryſoſtomi verba, an expungere magis? vocat itidem & hanc oblationem quotidianam, exemplar & *μνημόσυνον* illius ſemel factæ; quod & nos concedimus, at non ſolum exemplar vocat, & nihil aliud quàm exemplar, vt tu moliris.

Lib. 2. cap. 17. Oblatio quotidiana, exẽplar eſt, at nõ ſolum.

OECOL. *Nam licet multæ ſunt recordationes & gratiarum actiones, vnius tamen hoſtiæ ſunt, cuius vbique memoria par.*

ROFF. Hoc verum dicis: Vnius hoſtiæ ſunt, ſed illud taces quod dixit Chryſoſtomus: Et vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Et ad illud conniues, quod ſubditur: Sicut enim qui vbique offertur vnum corpus eſt, & non multa corpora, ita etiam vnum ſacrificium. Hic mihi dicas precor, quid referat ipſum relatiuum, qui, quum dicit: Qui vbique offertur, vnum corpus eſt. Profecto vel agnum vel Chriſtum, nam de vtroque ſupra locutus fuit. Chriſtus ergo verus agnus, qui vbiq; tam in cruce quàm in altari offertur, vnũ corpus, non multa corpora, ac proinde vnum ſacrificium.

Sacrificiũ vnũ eſt crucis & altaris. Lib. 2. c. 17.

OECOL. *Nam vnus vbique eſt Chriſtus: alioqui multi eſſent Chriſti. Vnum, & eundem per recordationem in multis locis eſſe, non eſt abſurdum.*

ROFF. Si verba Chryſoſtomi recte trutinare velis & expendere, non cætera quæ ſequuntur, prætermitteres. Non enim, vt tu ea recenſes, enunciauit Chryſoſtomus, ſed ita: Vnus vbique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Si plenus hic eſt Chriſtus, quemadmodum illic plenus fuerat, quid vltra cõtendis hic ſolum exemplar & memoriale tantum eſſe? Sin Chriſtum hic neges plenum & integrũ, quid tam perfricta fronte non erubeſcis aſſerere Chryſoſtomum aſtipulari tibi?

Verba Chryſoſt. male recenſet.

OECOL. *Etiam quæ præterita vel futura ſunt, recordatione fiunt præſentia, & repræſentantur, alioquin omnibus modis impoßibile, vt ea quæ nõ ſunt, ſint: ſicut & ea quæ ſunt, non poſſint non eſſe.*

ROFF. Et paſſionem ipſam quæ præteriit, iam repræſentari fatemur & recordatione quadã fieri quaſi præſentem. Neque id ſolum, ſed & ipſum Chriſtum qui tum fuit paſſus, hic ſub ſpecie panis vere præſentem aſſerimus. Neq; enim ſic paſſionem eius eſſe præteritã, affirmare poteris, vt ipſe neutiquam adhuc exiſtat.

Chriſtus præſens in altari.

OECOL. *Et ad finem iterum explicat, hoc quod nos facimus, in commemorationem fit.*

ROFF. Et ſi millies hoc replicet, nihil contra nos, qui non negamus hoc ſacrificium in commemorationem illius hoſtiæ fieri, & ſi vis, in exemplar & figurã quoque, verum ita vt nihilominus ipſum Chriſtum plenum & integrum contineat, hoc eſt rem eandem & ſubſtantiam eandem quæ in ara crucis pro nobis victimabatur.

Euchariſt. cõtinet, eandẽ ſubſtantiã in cruce oblatã.

OECOL. *Nec cõtentus repetiiſſe, exponit per correctionem quid ſit quod dixit, idipſum ſemper facimus, nempe recordationem ſacrificij operamur.*

ROFF. At vbi legis eum dixiſſe, quod ſolam illius ſacrificij recordationem operamur. Quod ſacrificium altaris in recordationem hoſtiæ crucis offeramus, omnes ingenue confitemur. Nec iſtud ſolus nos Chryſoſtomus docuit, ſed ante illum Paulus quoq; & Lucas. Cæterum & ſi fiat in commemorationem Chriſti paſſi, nihil tamen iſtud vetat Chriſtum, qui paſſus fuit, eundem iam offerri, quum & Chryſoſtomus dicat: Idipſum ſemper offerimus, neq; nunc alium agnum, craſtina aliud, ſed ſemper idipſum offerimus, itaq; Chriſtum in hoc ſacrificio, nõ quidem ſub ſpecie propria ſuę carnis, ſed ſub panis ſpecie, veruntamen idem vtrobique Chriſtus eſt.

1. Corin. 11. Luca 22.

Chriſtum ſub aliena ſpecie offerimus.

OECOL. *Denique ne quid vulgare dictum credamus præter morem ſuum addit: Non noſtra ſunt, ſed diuini Spiritus quæ loquimur.*

ROFF. Hoc maxime noſtram ſentẽtiam corroborat, nam eo maior fides verbis eius eſt adhibẽda, quo non quæ ſpiritus proprius, ſed quæ diuinus ei ſuggeſſerit Spiritus, iam protuliſſet. Veriſſimum igitur eſt, & citra ſcrupulum quemuis credendum, quod vnus vbique Chriſtus eſt, & hic in altaris ſacrificio plenus ac iugiter exiſtens, & illic in ara crucis plenus quoque, & vnum vtrobique corpus. Ex his iam opinor perſpicis lector quantum Oecolampadij inſtitutis Chryſoſtomus aduerſetur, quum inter ſe tantopere diſcrepat alter ab altero. Tollit enim Oecolampadius omne ſacrificium altaris penitus, vt mox apertius ex eius ipſius verbis intelliges. Chryſoſtomus vero ceu rem Eccleſiæ cum primis neceſſariam modis omnibus ipſum comprobat. Negat Oecolampadius in eo ſacrificio Chriſtum eſſe, nedum offerri. Chryſoſtomus cõtra prorſus affirmat, non diuerſum, ſed idipſum tam in altari, quam in ara crucis immolari. Veretur Oecolampadius, ne ſi Chriſtus in hoc ſacrificio dicatur, idem qui fuit in cruce paſſus, quod erunt plures Chriſti. Chryſoſtomus audacter clamat eundem vtrobique Chriſtum eſſe, plenum & integrum tam in hoc ſacrificio quàm in ara crucis, neque tamen ob id plures eſſe Chriſtos. Et tamen his modis Oecolampadius magnificis illis promiſſis, quæ paulo ſuperius iactitabat, ſe putat ſatisfeciſſe.

Chryſoſt. & Oecolampa. controuerſio. Prima.

Secunda.

Tertia.

Lib. 2. c. 16.

Nihil vetat hoc myſterium exemplar dici pariter & rem veram contineri.

CAPVT XIX.

OECOL. *Colligitur ergo, quod corpus Chriſti exemplar ſit, & vt Baſilius dixit, ἀντίτυπον.*

ROFF. Tu præpoſteras admodum collectiones facis. Vnde (precor) iſtud colligis? An tale quiddam affirmauit Chryſoſtomus? Minime profecto. Sed dixit ſacrificium iſtud quod in altari facimus il-

Corpus Chriſti in Euchar. non eſt exemplar, ſed ſacrificiũ eius.

lius hoſtiæ quæ in cruce immolabatur exemplar eſſe. Verum ex eo non recte colligis corpus iſtud exemplar illius eſſe. Quod nemo non perſpicit, qui vel mediocriter in dialectica fuerit exercitatus. Nam aliud eſt ſacrificium corporis, aliud ipſum corpus. Nos tamen concedimus iuxta ſanum intellectum, non quod abſolute corpus hoc ſit illius exemplar. Nam ſic, idem exemplar eſſet & exemplatum, figuratum & figura. Sed quod corpus iſtud, quatenus eſt ſub ſpecie panis, repręſentet & referat ipſum corpus quod exangue ſub vera ſpecie carnis pependit in cruce, atque quod ita ſit exemplar & figura modis omnibus comprobamus. Nec aliud Baſilium voluiſſe compertiſſimum habemus ex eo, quod idem Baſilius, quũ ex aliis locis, tum ex verbis Miſſæ, quam inter ſacrificandum legere ſolebat, ſenſiſſe verum Chriſti corpus ſub ipſa panis ſpecie contegi. Sic enim ipſe precatur: Rogamus vt veniat Spiritus ſanctus tuus ſuper nos & ſuper hæc propoſita munera & benedicat ea, ſanctificetque & faciat hunc quidem panem ipſum pretioſum corpus, & vinum pretioſum ſanguinem Domini & Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui effuſus eſt pro mũdi vita. Hactenus ille. Nec offendat te lector, quod dicit: Et faciat hunc quidem panem ipſum pretioſum corpus. Nam is modus loquendi fuit apud veteres, quanquam recentiores non recipiant, propter hæreticos qui dicunt ſubſtantiam panis vna cum corpore manere. Cęterum, vt cernis, Baſilius omnino cenſuit in hoc ſacramento pretioſum Chriſti corpus eſſe credendum. Sed & tuipſe in concione, quam hac de re primam emiſiſti, ita Baſilium citas. Baſilius (inquis) myſterium hoc ἀντίτυπον, hoc eſt, exemplar ſcite vocat. Nullum vtique tunc in hoc Baſilij verbo ſcrupum reperiſti, ſed iam Polypi mentem obtines. Et ſane myſterium hoc, hoc eſt corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini, non incõgrue dicuntur exemplaria, ſeu ſi mauis exẽplar eſſe corporis quod pro nobis in cruce pependit.

Ioan 19.

Sup. lib. 2. cap. 14.

Lutherani dicunt ſubſtantiã panis remanere cum corpore.

Oecolã. nunc ſecus quã antea interpretatur Baſil.

OEcol. *Si exemplar, ergo figuram & habitudinem alterius gerit corporis quod per illud in figura & ſignificatione exprimitur.*

Roff. Concedimus & iſtud ad priorem intellectum, hoc eſt, quod corpus Chriſti ſub ſpecie panis, figuram quandam & habitudinem gerit, non alterius, ſed eiuſdem corporis ſub ſpecie propria carnis exhauſto ſanguine.

OEcol. *Nec eſt quod arguetur quis, idem corpus quod nunc in pane, figuram eſſe ſuipſius, vt erat in cruce: nam ſi figura eſt, ſua in pane præſentia, neceſſe erit, vt tale quiddam in ſe recipiat, per quod ſe abſens figuret. Iterum igitur crucifigendus?*

Roff. Intellige quod nos dicimus, & nullus omnino ſcrupus manebit. Nos aſſerimus ipſum Chriſti corpus, vt eſt ſub ſpecie panis, repræſentare corpus exangue Chriſti, quod in cruce pependit, & ſanguinem in calice ſub ſpecie vini, repræſentare ſanguinem eundem, qui fundebatur in cruce pro ſalute mundi, & hoc in altari ſacrificari ad recordationem & commemorationem illius ſacrificij quod in ara crucis fiebat, ac proinde corpus non ſimpliciter figuram eſſe corporis, neq; ſanguinem ſanguinis, ſed corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini figuram & ſignum & exemplar eſſe corporis eiuſdem & ſanguinis, quę tunc ab inuicem in cruce ſeparabantur. Satis igitur abunde repræſentant iſta fidelibus Chriſti crucifixionem olim factam, vt nihil opus ſit eum denuo crucifigi.

Corp⁹ & ſanguis in Eucharist quod repræſentet.

Luca 22.

OEcol. *Erant vituli leg. Dei figura, ſed cædebantur. Si igitur corpus præſens, figura erit abſentis, & paſſione quadam præſenti refricabit prioris paſſionis memoriam, aut dices, corpus quidẽ præſens, exemplar autem eſſe in his quæ pani accidunt. Ocioſus igitur aderit Chriſtus, & corpus non erit exemplar.*

Roff. Nihil horum Oecolampadi. Neq; enim Chriſtus hic denuo patitur, neque tamen ocioſus adeſt. Nam præter hoc, quod nos in hoc ſacramento realiter & ſubſtantialiter ſuo corpore paſcat, & ſanguine reficiat, atq; ita vere conglutinet ſecum & cum patre ſuo, facit etiam, vt per fidem præſentiæ ſuæ, multo viuacius, ad commemorãdam ſuæ necis acerbitatem, & multo ardẽtius ad amorem mutuum, ei pro tam eximiis impenſis munerib. rependendum, excitemur. Nam ſi nihil aliud eſſe crederemus in altari, quàm panem & vinum, ipſa vbicunq; fuerint, etiam in communibus menſis ęque commemorationem necis Chriſti nobis ingerent. Quamobrem nemo fidelis non ſatis intelligit, oportere quiddã aliud in altari fore, præter nudum panem & vinum.

Effectus fidei circa Eucha.

OEcol. *Vide ergo, quantarum abſurditatum parens ſit vnica abſurditas.*

Roff. Nihil adhuc abſurditatis oſtẽdiſti quod communem eccleſiæ ſententiam comitatur. Sed quæ tuam ſequũtur innumera ſunt. Nam præter hoc, quod eſſemus incerti de ſalute noſtra (quum nemo ſcire queat an veram & efficacem habeat fidem) adhuc tam eximio ſalutariq; fraudaremur cibo, tantoque fructu qui prouenit ex ipſius eſu, priuaremur. verba Chriſti peruerterẽtur. De ſcripturis eſſet actum penitus. Ridendum Ethnicis Chriſtum faceremus, quem quum amore noſtri crucis horrendã necem ſubiiſſe prædicemus, nobis tamen in monumentum ſui nihil præter fruſtulum panis reliquiſſe docemus. Sed & mendacẽ eum facimus qui contra pollicitationem ſuã tantum errorẽ & tamdiu paſſus eſſet in Eccleſia ſua, Spiritum quoq; ſanctum fruſtra cõmoratum in eccleſia tot annorum centenarios, neceſſe eſt fateamur. Deniq; patribus, per quorum ora Spiritus ipſe locutus eſt, nulla fides in cæteris adhibebitur, ſi in re tanti põderis aberraſſe comperiantur. Quæ omnia longe abſurdiſſima ſunt.

Abſurditates ad Oecolam. aſſertionem.

1. Corin. 1.

Matth. 28.

OEcol. *Iam quæ auris Chriſtiana Marcionitarum blaſphemiam ferret patienter? qui hac veſtra expoſitione ſuam tutari nitebantur hæreſim, dicebantque corpus Chriſti phantaſticum, non quale hoc noſtrum, ſed quod oculis ac tactui illuderet, atq; ita non eſſe vere paſſum.*

Roff. Longe magis ex aliis Chriſti factis eam anſam arripere potuit Marcion, quàm ex hoc loco, nimirum

Luca 4. mirum quando Nazaræi duxerant Chriſtum vſque ad ſupercilium montis, vt præcipitarēt eum, & ipſe tranſiens per medium illorum ibat. Et rurſum, quum Iudæi molirentur eum lapidare, abſcondit ſe, & exiuit de templo. Sed & quando ſuper mare pedibus ambulabat non minus conſtāter, quam ſuper æquabile ſolum. Ad hæc quando ad Apoſtolos ſuos intrauit ianuis clauſis. Ex his atque aliis eiuſmodi locis confirmare ſuam hæreſim potuit Marcion, hoc eſt Chriſtum haud verum, ſed imaginarium corpus habuiſſe. Cæterum vt hæc neutiquam ex Euangeliis eximuntur, ob metum hæreſis Marcionitarum, ita neque nos genuinum ſcripturæ ſenſum ob eius periculi ſuſpicionem auferri patiemur. Alioqui, ſi propter hæreticos, ne videlicet illi ſuſcipiant confirmandi ſui erroris occaſionem, ſcripturarum ſenſus immutaremus, quid eſt quod ad hūc vſque diem haberemus in ſcripturis integrū? præſertim quū ex ſcripturis ipſis perperam intellectis, nullus adhuc hæreticus non ſuxerit erroris ſui venenum.

Iohan. 8. Matth. 14. Marci 6. Iohan. 6. Iohan. 20. Propter hæreticos non ſunt ſcripturæ mutanda.

Tertullianum, quem pro ſe facere iactitat, nihil ei ſuffragari.

Capvt XX.

OEcol. ***Q**Vod autem hæc pro errore ſuo confirmando aſſumpſerint, indicat Tertullianus libro contra Marcionē quarto, dicens: Profeſſus itaque ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha, vt ſuum (indignum enim vt quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit; hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei: figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res quod eſt phantaſma, figurā capere non poſſet. Ita Tertullianus.*

Roff. Poſſem hic, vel vno verbo, teſtimonium iſtud, cui tu cumprimis inniteris exufflare, nimirum quod ſit ab hæretico traditum, atque ideo minime recipiendum contra nos. Poſſem & aliter argutiam tuam eludere, dicens, quod iuxta Marcionis traditionem hoc recenſuit Tertullianus, quandoquidem libro tertio, refert hoc ipſum in Euangelio Marcionis ita ſcriptum eſſe: Cæterum vt donemus tibi, nec hic hæreticum fuiſſe Tertullianum, neque alterius quam ſui ipſius hoc loco ſententiam dixiſſe, nihil tamen contra nos aſſeruiſſe comperietur, ſi quæ Tertulliano mens fuerit, & quid ſibi velint ſingula verba, diligenter excuſſeris. Primum ego non dubito ſenſiſſe Tertullianum in hoc ſacramento verum corpus & ſanguinem Chriſti contineri. Quæ res quum ex aliis locis, tum ex libro, quem de reſurrectione carnis ædidit, abunde conſtat. Sic enim vbi multis aliis præconiis extuliſſet carnem, hæc adiicit: Videamus nunc de propria etiam Chriſtiani nominis forma, quanta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ apud Deum prærogatiua ſit. Et ſi ſufficeret illi, quod nulla omnino anima ſalutem poſſet adipiſci, niſi dum eſt in carne, crediderit, adeo caro, ſalutis eſt cardo, de qua quum anima Deo allegitur ipſa eſt quæ efficit vt anima alligi poſſit. Sed & caro abluitur vt anima emaculetur. Caro vngitur vt anima conſecretur. Caro ſignatur vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur vt anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Ecce quot prærogatiuas carnis enumerat, & inter has, poſtremam omnium præcellentiſſimam. Vera fides, vere prodeſt animæ, ſed niſi dum eſt in carne. Emaculatur anima & vere, ſed per baptiſmum carnis. Conſecratur anima, per ſacram carnis vnctionem. Munitur anima, per ſignum crucis in carne factum. Spiritualiter illuminatur anima, per manus impoſitionem ſuper carnem. Hæc (inquam) omnia vere fiunt. Ergo & poſtremum quoque. Nimirum quod anima de Deo ſaginatur, eo quod vere corpore & ſanguine Domini veſcitur caro. Liquet igitur ſenſiſſe Tertullianum corpus & ſanguinem Domini in Euchariſtia contineri. Cæterum (vt iam ad eius verba quæ tu recenſes, accedamus) principio velim illud aduertas, quum dicat: Et corpus ſuum, illum fecit. Si nobis hæc verba conceſſeris, nempe quod Chriſtus ex pane ſuum ipſius corpus effecerit, nos viciſſim tibi nihil cæterorum negabimus. Nam paulo ſuperius ex Chryſoſtomo perſpicuum fuit, hic prorſus eandem eſſe rem & ſubſtantiam ipſius corporis, quod fuerat in cruce, & nihilominus tamen eandem, quatenus ipſa iam ſub ſpecie panis eſt, figuram eſſe corporis illius quod cruci fuerat affixum. Iam intelligis (opinor) nihil hic nobis reluctari Tertullianum, qui dicit vtrumque, & quod Chriſtus ex pane fecerat ſuum corpus, & quod hoc ipſum nihilominus ſit figura quædam.

Tertullianus heræticus.

Tertullianus ſenſit corpus Chriſti in ſacramento.

Lib. 2. cap. 12.

Fuci quibus obtenebrauit Tertulliani ſenſum deteguntur.

Capvt XXI.

OEcol. ***V**Erum operæpretium fuerit, verba Tertulliani pluribus expedire. Sunt enim, qui errorem ſuum manifeſtis verbis ſtabiliunt, quibus illum ponere valerent.*

Roff. Sic proculdubio iam & ipſe facis OEcolampadi. Nam hæc ipſa verba quæ nunc ex Tertulliano cauſa erroris tui ſtabiliendi produxeris, tibi ſufficerent, vt eundem protinus errorem poneres, & maxime ſi tam ea quæ præcedunt, quam ea quæ ſubſequuntur, vigilanter expēderes. Sed ad multa conniues, quę nec parui momenti ſunt, alia fucatis interpretationibus tuis transformas, complura pertranſis, ex induſtria quoque, ne dicam ex Sycophantia.

OEcol. *Agit autem contra Marcionem, qui inter cætera, Deū veteris teſtamenti, & legem, & creaturas, tanquā mala, Chriſtū vero putatiuū corpus aſſumpſiſſe, blaſphemabat.*

Roff. Iſtud verum eſt. At hoc ad rem facit, quod prętermittis, nempe quod in hoc ipſo quarto libro pene totum Euangelium Tertullianus percurrerit ad hunc vſque locum, quo iam de paſchate agitur cū diſcipulis edendo. Hunc igitur locū aggreſſus Tertull. docet Moſen olim huius rei pronunciaſ-

Leui. 23. Num. 28. & alibi. Luca 22.

nunciaſſe ſacramentum, quum dixiſſet: Paſcha eſt domini. Subinde meminit Chriſtum indicaſſe, quanto affectu concupiuerit, hoc paſcha cum diſcipulis ſuis edere, non vtique Iudaicam illam, quam propter contemptum Tertullianus veruecinam carnem vocat, quæque fuerat alioqui figura ſui corporis. Nam & illa Iudæi veſcebantur, ſed paſcha veri ſui corporis & ſanguinis intellexit, quod ſub ſpecie panis & vini tunc edendum, & bibendum propoſuit. Erat enim ipſe quemadmodum ſubdit Tertullianus, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente, ſic os non aperturus. Quare figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere concupiſcebat. Ecce quid dicat, figuram ſui ſanguinis implere cupiebat, hoc eſt ſanguinis tum effundendi, aut mortis ſui potius, quæ tum inſtabat. Hic tuam appello conſcientiam, ſi figura Chriſti fuerat agnus ille Iudaicus, quem & ipſe cum diſcipulis prius ederat, & nunc itidem hoc ſacramentum nihil aliud præter eiuſdem rei figuram contineat, cur tanto affectu cibum iſtum magis, quam illum, diſcipulis ſuis communicare geſtiiſſet. Nam agnus ille qui fuerat occiſus, longe maiorem energiam habuit mortis Chriſti, quam panis vllus habere potuit.

Eſa. 53.

OEcol. *Dicendo igitur, quod indignum ſit concupiſcere aliquid alienum, docet panem eſſe bonam creaturam Dei boni, alioqui non accepiſſet illum in manus nec deſiderio deſideraſſet.*

Roff. Hic plane fingis, & infartis tua. Vbi (te quæſo) quicquam ſimile dixit Tertullianus? An non ſatis nouerat agnum etiam ab illis ante comeſtum, bonam quoque fuiſſe creaturam Dei boni? Fuit enim agnus per naturam creatura Dei, Panis vero per artificium, talis factus: at nihilominus creatura Dei (quantum ad ſubſtantiam) fuit, quamquam igitur agnus cum ſuis appenditiis paſcha Iudæorum fuerit, nec tamen de ipſo voluit Tertullianus intelligi, quum dixiſſet Chriſtum profeſſum ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha vt ſuum. Hoc expendas velim, cur iſtud peculiariter ſuum, hoc eſt ipſius Chriſti paſcha vocauit. Tot feſtis Iudæorum, vt idem Tertullianus paulo ſuperius aiebat, paſchæ diem egit Chriſtus, & nunc ſolum, quum inſtare noſſet paſſionis ſuæ tempus, hoc ſuum paſcha miro affectu concupiuit edere cum diſcipulis ſuis. Nunquid agnus ille recenter occiſus & aſſus, non multo expreſſior figura mortis Chriſti fuerat, quam panis? & tamen hunc, non illum paſcha ſuum, hoc eſt Chriſti proprium, Tertullianus appellat. Et qua ratione (precor) panem iſtum potius, quam agnum illum, paſcha Chriſti cognominat, niſi quia Chriſtum in hoc ſacramento vere contineri credidit? verumque corpus in hoc edi, verumque ſanguinem potari. fuit vtique figura mortis Chriſti, tam agnus ille, quam duplex iſta panis & vini ſpecies. Sed quoniam ibi ſola figura fuerat, hic autem non ſola figura, ſed verum Chriſti corpus ſub ſpecie panis, & verus eius ſanguis ſub ſpecie vini, ob eam rationem haud-

Luca 22. Panis dicitur potius paſcha Chriſti quam agnus.

dubie Tertullianus hoc paſcha, ſuum paſcha, peculiariter dixit.

OEcol. *Deinde cum dixiſſet fecit illum corpus ſuum, exponit, ne fortaſſe quis ſentiat, quod ego olim perſuaſus eram, ſed vt intelligatur, ſicut docet. Exponit autem ſic: Hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei.*

Roff. Facile credo te ſic aliquando ſenſiſſe; nimirum, quod tam eximiis ingenij donis à Deo præditus eras. At vide, ne propter ingratitudinem tuam ſis iam in mentem reprobam traditus. Tunc enim quando profeſſione fueras orthodoxus, quando nondum eras apoſtata, fidei iuxta, atque religionis, & priuſquam afflaſſet te Satanæ ſpiritus, ita tuis auribus hanc Tertulliani lectionem inſonuiſſe minime dubito. Sed nunc aliter. Et tamen eadem eſt lectio. Eadem omnino verba manent. Neque illa mutata ſunt, ſed tu iam à dæmone quopiam adeo faſcinatus es, vt iam aliis oculis videas quam prius ipſe legiſti. Nunc parui ponderis iſtud verbum, fecit, æſtimas, quum Tertullianus dicat: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit. Si Chriſtus vere corpus ſuum ex pane fecit, profecto fecit vt ibi iam eſſet corpus ſuum vbi pridem fuerat panis. Sed exponit (inquis) quum poſtea dicit: Hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei. Nequaquam, non enim exponit priora verba, ſed hanc expoſitionem, id eſt, figura corporis mei, verbis adiecit poſterioribus, nimirum his: Hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei. Tu prius illud recipe, quod Chriſtus videlicet ex pane fecerit corporis ſuum, & nos iſtud poſterius nequaquam reſpuemus. Nos enim fatemur Chriſti corpus ſub hoc ſacramento rem pariter & figuram eſſe, licet igitur his poſterioribus verbis, hanc particulam Tertullianus adiecerit, manent nihilominus in ſuo vigore priora illa verba, nimirum hæc: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit: hic certe nihil additur, quod ſenſum imminuat, hic abſolute pronunciatur, quod Chriſtus ex pane corpus ſuum fecit. Et omnes nouimus, quam vim habeat hoc verbum, fecit.

Rom. 1. Eadem Tertulliani verba OEcolam. ſecus nunc atque olim intelligit.

Chriſtus panem, fecit corpus.

OEcol. *Vides quomodo interpretetur, eſt corpus, id eſt, figura corporis? Siue igitur dicas, eſt, pro ſignificat: ſiue corpus, id eſt figura corporis, meam confirmabis, tuamque deſtrues ſententiam.*

Roff. Siue hoc ſiue illud quis dixerit, non ob id tua ſententia confirmabitur, qua ſtatuis panem eſſe figuram ſolam corporis. Nam ſi Chriſtus (vt aſſerit Tertullianus) panem illum corpus ſuum fecit, non erit panis figura ſola. Nos vero fatemur hoc quod Chriſtus demonſtrauit ſub ſpecie panis eſſe verum Chriſti corpus ab eodem factum, & ipſum idem nihilominus figuram eſſe corporis ſui paſſi, quod in cruce fuerat exangue redditum. Quare noſtram ſententiam Tertullianus haud dubie corroborat, & tuam iugulat.

Matth. 26. Luca 22.

Iohan. 19.

Commentitiam quandam argutiam, quaſi à Marcione factam, inducit, lectoris fallendi gratia.

CAPVT XXII.

OEcol.

REcte autem opponit Marcioni, qui ex verbis illis fere in hunc modum arguiſſe colligitur: Chriſtus dixit: hoc eſt corpus meum, & corpus illud viſui & tactus impoſuit, nec ſentitur: eius ergo natura eſt corpus Chriſti, nempe phãtaſticũ, & quale corpus in pane, tale eſt & in cruce.

Roff.
Tertull. 5. lib. ſcripſit cõtra Marcionem. Commentum OEcolamp. Li. 3. cap. 7. & alibi vide.

Iam caligine quadam oculos noſtros obducere paras, at nihil tibi proderit. Vbi precor in his quinque libris, quos contra Marcionem ædidit Tertullianus, talẽ argutiam vſquam reperis Marcioni tributam. Nuſquã profecto ſimilis argutiæ Tertullianus in tot libris meminit, ſed hoc eſt merum commentum tuum, ſicut & illud, quod ſupra de pane produxeras, nempe quod eſſet bona creatura Dei boni. Talibus interſectis mendaciis os noſtrũm ſublinere moliris. Et quid ſi Marcion ad illum modum argutatus fuiſſet, nos propterea ſcripturæ integritatem non ſeruabimus?

OEcol.

Neque parui momenti fuiſſet argumentum, ſiquidem veſtra ſubſiſteret opinio. Quis enim non ſuſpicari poſſet, Chriſtum ſe potuiſſe ſubducere: & in ſimilitudine tantũ paſſum eſſe, quis in hunc modum deliteſcere ſe dicit, maxime ſubdens: hoc eſſe corpus, quod pro ipſis tradatur.

Roff.
Li. 2. cap. 19.
Luca 4.
Iohan. 20.

Supra monſtraui, non ſolum ex his Chriſti verbis, verum etiam ex aliis eius factis talem anſam à Marcione capi potuiſſe. Quis non ſuſpicari poſſet Chriſtum è cruce potuiſſe facile ſe ſubducere, qui quum tentus à Nazaræis ante fuiſſet, & ductus in ſupercilium montis, vt inde præcipitaretur, inuitis illis omnibus ſeipſum ſubduxerat. Expungamus igitur iſtud ex Euangeliis, ne Marcionitæ ſuam hæreſim inde confirment. Intrauit & Ieſus ad diſcipulos ſuos, quum eſſent obſeratis foribus pariter in vna domo. Quis non facile ſuſpicabitur illum imaginariũ corpus habuiſſe, quia ianuis clauſis ingredi potuit ad diſcipulos. Eximamus igitur & iſtud etiam ex Euangeliis, ne Martionitæ ſuam inde corroborent opinionem. At quid tandẽ relinquemus in Euangeliis, ſi nihil in eis manere ſinamus, vnde ſuis erroribus hæretici patrocinium arripiant.

OEcol.

In tempore igitur notham & adulterinam expoſitionẽ detegit, docens per corpus figuram intelligi. Porro ne aliud quiddã ſomnies per figuram, quam quod volebat, mentem ſuam clarius aperit: figura (inquiens) non fuiſſet niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.

Roff.
Lib. 2. ca. 20.
Li. 1. cap. 8. & cap. 10.

Cur Tertullianus corpus figuram corporis appellauit, ſuperius opinor ſatis explicauimus, vt iam non ſit opus hoc ipſum iterare. Neque enim dixit id eſſe fignram ſolam, ſed affirmauit & ipſnm eſſe corpus Chriſti pariter & figuram corporis, quorum vtrumque nos recipimus. Nam & Auguſtinus eius conterraneus fatetur vtrumque. De priori ſatis patet ex his locis, quos & plurimos quidem ante citauimus. De poſteriori vero ſic ait in prologo Pſalmi tertij, vbi de Iuda loquitur, dicens, quod quum Chriſtus eius cogitationes non iguoraret, eum adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis figuram diſcipulis commendauit & tradidit. Ecce corporis & ſanguinis figuram Auguſtinus dicere non veretur, quum tamen alibi locis innumeris, verum corpus eſſe fateatur. Cæterum, & aliam accipe rationem, cur dixerit Tertullianus, hoc corpus eſſe figuram corporis, nimirum quod inde baſim iacit argumentationis ſuæ. Hoc enim fundamentum eſt eius argumenti, quod aduerſus Marcionem conſequenter vibrat, quum dicit: Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, veritatem capere non poſſet. Propter hoc ergo Tertullianus dixit, hoc corpus eſſe figuram corporis, vt inde probationem depromeret aduerſus Marcionem.

Tertullianus ratio ob quã vocat corpus Chriſti figuram.

OEcol.

Quibus verbis docere vult, figuram non eſſe, niſi rei figuratæ, & vbi non eſt res ſolida figurabilis, ibi neque figura in re ſolida erit. Iam ſi corpus Chriſti phantaſticum; non erit figura eius in pane, quæ res eſt ſolida. Imprimat enim quis in corpus ſomnium, & erit Apelle pingendo ſuperior?

Roff.
Figura rerum incorporaliũ eſt relatio.
Num. 12.
1. Corin. 10.
Tren. 4. & alibi.
Hiere. 4.
Ezech. 33.
Oſee 5. & ali.
Matth. 26.
Marci 14.
Luca 7.

Videris mihi Tertullianum intelligere, quaſi ipſe locutus ſit de figura, quæ ſit de genere quantitatis. At hæc nihil ad hoc negotium attinet. Hic enim figura pro ſigno & exemplari ſeu repræſentatiuo capitur, quod relationem dicit, non quantitatem. Quomodo nihil prohibet rerum etiam incorporearum figuras quaſdam eſſe. Quemadmodum in libro numerorum traditur, Deum per ænigmata & per figuras viſum eſſe. Et Paulus dicit, omnia in figura cõtingebant illis. Nunquid & panis in ſcriptura nõ apte figurat verbum Dei, quod alioqui res ſpiritualis eſt? Sed & in re ſpirituali, figura nonnunquam reperitur. Sonus enim qui res non ſolida eſt, ſed ſpiritualis qualitas, figura quædam fuit. Nam & buccinæ ſonitus, referebat ipſum verbum Dei. Et odor item vnguẽti, quod olim ſuper pedes Chriſti, mulier quædam effuderat, virtutum fragrantiam figurauit.

OEcol.

Non eſt autem mens Tertulliani, Figura non fuiſſet: niſi veritatis eſſet corpus: quaſi dicat, niſi verum corpus Chriſti lateret in pane.

Roff.

Neque ego hoc dixerim. Cæterum ſi corpus veritatis referas ad panem, vt ſic intelligamus dixiſſe Tertullianum, panis non eſſet figura corporis, niſi fuerit idem veritatis corpus, iam plane conſequitur, quod verum Chriſti corpus occulitur ſub pane. Sed in hoc ego minime contendam.

Interſerit etiam aliud Auguſtini teſtimonium ſimili dolo, quo lector abducatur à vero Tertulliani ſenſu.

CAPVT XXIII.

OEcol.

SIcut dictum Auguſtini quidam putide exponit, donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt dominus, ſed tamen etiam hic nobiſcum veritas eſt Domini: Corpus enim, in quo reſurrexit, in vno loco eſſe oportet, veritas autem eius vbique eſt. Veritas, exponũt, id eſt, verum corpus in forma panis, in altari quolibet, vbi conſecratur, hoc eſt vbique.

Roff.
Loca authorũ deſignanda.

Vellem vbi citaueris authorem aliquem, etiam locum deſignares, quo ſcripta reperiamus ipſius authoris

authoris verba. Non enim impræſentiarum occurrit mihi locus, quo dixerat hæc Auguſtinus. Et quis cuncta quæ legit, tenere queat memoriter. Veruntamen vt verba ipſa ſonant, videntur hi qui ſic interpretantur, vt tu dicis, haud longe abeſſe à ſcopo. Nam Chryſoſtomi lectio, paulo ante citata, ſic etiam intelligenda videtur, quum *Su.li.2.ca.32.* dixit: Vbique Chriſtus vnus eſt, nimirum in omnibus altaribus. Ibi enim ſub forma panis veritatem corporis eius eſſe ſentit vterque. Quare nihil prohibere videtur, quo minus tam Auguſtinum quam Chryſoſtomum liceat ad hunc modum intelligere.

OEcol. *Bellas profecto nugas, vbi Chriſtus per gratiam, illic ſit & corpore.*

Roff. Eſt aliquando corpore præſens, vbi non adeſt *1. Corinth. 11.* per gratiam, nimirum in peccatoribus, qui ſacramentum indigne ſuſcipiunt. Et eſt aliquando per gratiam præſens, vbi nequaquam adeſt corpore, vt in his qui fidem habent citra ſacramentalem *Marc.23.* corporis eſum. Et demum eſt alicubi, vbi neque per gratiam adeſt, neque per corpus, ſed per potentiam ſuæ Deitatis, quomodo nuſquam eum nõ eſſe credimus. Sed nihil horum vetat, quo minus vbicunque fuerit hoc ſacramentum, ibi ſit & Chriſtus in eo realiter.

Redit ad Tertullianum, quem omni ſtudio, ſed fruſtra conatur in ſuã ſententiã detorquere.

Capvt XXIIII.

OEcol. *At nos Tertulliani ſenſum indagemus. Non enim ponit corpus impanatum (nouare liceat in re noua verbum) ſed corpus Chriſti è virgine verum, quod niſi verum eſſet, per nullam rem ſolidam figurari poſſet.*

Roff. *Corpus impanatum aſſeritur. Lib.1.ca.2.& cap.27.* Non tu primus huius verbi nouator es, ſed per Berengarium, qui primum aſſerere conatus fuit Chriſti corpus vna cum ſubſtantia panis manere, diu, priuſquam natus eſſes, repertum fuit. Quam hæreſim (vt diximus) haud multo poſt abiurauit. Cæterum ſi non ſenſerit Tertullianus Chriſti corpus impanatum eſſe, tanto magis nobis aſtipulatur. Nam ita ſubſcribit nobis in tribus articulis maxime difficilibus.
I. Primus eſt, quod Chriſtus ex pane corpus ſuum fecit.
II. Secundus, quod nõ manet ſubſtantia panis, alioqui corpus ipſum eſſet impanatum.
III. Tertius, quod idem corpus ſub ſpecie panis, ſit figura corporis, quod in patibulo crucis dira morte necabatur.

OEcol. *Et ne Marcion in pane, verum corpus, & extra panem, phantaſticum dicere queat, vltra eum protrudit, & refutat dicens: Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis pro nobis crucifigeretur.*

Roff. *Tertull. ſententia de Eucharistia.* Hæc verba proculdubio manifeſtant, ſenſiſſe Tertullianum verum Chriſti corpus ſub ſpecie panis fuiſſe. Nam hoc dicebat Marcion, Chriſtum videlicet ex pane feciſſe ſibi corpus. Sic enim non ſolum hoc loco Tertullianus memorat, verum etiam tertio libro aduerſus eundem Marcionem ſimile quiddam ait: Sic enim Deus *Error Marcionis.* in Euangelio quoque veſtro reuelauit, panem corpus ſuum appellans. In Marcionis igitur Euãgelio traditum fuerat, Chriſtum ex pane feciſſe ſibi corpus, quod & ideo Marcion ipſe factum putabat, quia Chriſtus in ſe caruit corporis veritate. Sed iſtud apte diluit Tertullianus, dicẽs: Ergo panis pro nobis crucifigendus erat. Cæterum iſtud nobis nihil aduerſatur, qui cum Tertulliano credimus, hoc ipſum corpus, quod in cœna Chriſtus ex pane fecerat, affixũ etiam fuiſſe cruci, verumque corpus vtrobique fuiſſe, idipſum inſuper (quatenus erat ſub ſpecie panis) figuram fuiſſe corporis, quod in cruce pependit. Et ſane *Chriſtus in cruce habuit verũ corpus.* quiſquis admiſerit veritatem corporis Chriſti ſub ſpecie panis, pariter & hoc ipſum aſſeruerit exemplar atque figuram eſſe corporis eiuſdem in cruce paſſi, conſequenter adigetur fateri Chriſtum in cruce verum corpus habuiſſe.

OEcol. *An non & magiſtro tale quod obiici poſſit? nempe quod Chriſtus crucifigendus, eo modo quo in pane, quandoquidem apud Paulum eſt, corpus quidem pro nobis frangitur.*

Roff. Lucas quem Tertullianus tuus Pauli ſectatorem & diſcipulum facit, quippe quod ſcripſerit Euangelium ab eo traditum, locum hunc oſtendit intelligi debere de laniatione corporis in cruce. Paulus enim dixit: Hoc meũ eſt corpus, quod *1. Corinth. 11.* pro vobis datur. Vtrunque factum eſt in cruce *Secundum nouam tranſlationem.* pro nobis. Ibi dabatur ad mortem, & ibi vulnerabatur. In cœna tamen de præſenti loquitur vter- *Luca 22.* que nimirum propter imminentem crucifixionem. Neque enim adhuc crucifixus fuit. Veruntamen hoc ipſum corpus, quod tum ſub ſpecie panis fuerat, poſtea crucifigebatur, non ſub ipſa ſpecie panis, ſed in ſpecie propria carnis. Nihil *Paulus non reluctatur magiſtro.* itaque magiſtro locus iſte reluctatur.

OEcol. *Et ſi tale corpus, aut erat inuulnerabile, & erat phantaſticum, aut ſi vulnerabile, atterebatur diſcipulorum dentibus, vtpote nondum glorificatum.*

Roff. Erat ſane vulnerabile corpus ipſum, quod tum ſub ſpecie panis fuerat, quãdoquidem hoc ipſum paulo poſt in cruce diſtentum veris & crudeli- *Corpus Chriſti in hoſtia erat paſſibile ſed non in hoſtia.* bus plagis afficiebatur, quæ tam ex lancea quam ex clauis infligebatur. Cæterum vt illic exiſtens ſub illa ſpecie panis & modo ſacramentali: nec vulnerari potuit, nec vllis incommodis affici. Ne- *Eſa.53.* que tamen inde colligitur, quod erat corpus eius glorificatum. Chriſtus enim debitor mortis non fuit, neque paſſioni propterea cuiquam, quæ ad mortem conſequebatur obnoxius, niſi quatenus voluit, & quando voluit. Quamobrem & in ſacramento ſuum corpus ita repoſuit, vt quamquam ibi veritas eſſet corporis, nihil tamen ab edentium pateretur dentibus.

OEcol. *Dices, natura quidem vulnerabile, non autem in pane. Quomodo igitur panis vere ſignificabit corpus, quod in illo teſtaris contentum? nam & panis etiam ob fractionem ſymbolum erat morituri corporis, nihil tam repugnat ſacramento, quam ſignando mentiri.*

Roff. Illi tibi de pane reſpondeant, qui ſubſtantiam *Li.2.cap.18.* panis autumant vna cum corpore manere. Nos paulo ſuperius oſtendimus, panis & vini ſpecies ſacra-

ſacramenta quædam eſſe, id eſt ſacra quædam ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, quæ ſub eis continentur. Neque iſtud ſolum, verum etiam corpus & ſanguinem, vt ſub eis contenta, repræſentare figurareque corpus, quod in cruce moriturum fuit, & ſanguinem qui ſimiliter ibi fuerat effundendus. Ipſa tamen repræſentatio ſeu figuratio, quum non per ipſum corpus & ſanguinem fiat ſub ſua propria ſpecie, ſub qua prorſus ibi nobis inuiſibilia ſunt & impoſſibilia, forinſecus agitur in illis ſpeciebus, quæ cernuntur coram, ac propterea fractio ſpeciei panis, ſymbolum eſt lanistionis corporis, & effuſio vini, ſymbolum eſt effuſi ſanguinis. Cæterum niſi corpus & ſanguis extarent ſub ſpeciebus illis, profecto panis & vinum nihilo nobis efficacius in altari corpus & ſanguinem Chriſti ſignificarent, quam in communibus menſis, vbicunque panis & vinum reperiũtur, quandoquidem in ſe nihilo plus virtutis contineant, quam iſta. Iſtud iuxta ſententiam eorum dixerim, qui nihil virtutis in re corporea relinqui putant, poſt factam ſanctificationem.

Eb. 1. 14. 19. — *Fractio hoſtia ſymbolum eſt paſſionis.*

OEcol. *Porro nunc clarius ex eodem authore cognoſcimus, quomodo panis ſit figura. Non eſt enim ſpernenda eius authoritas, nam licet alibi fides eius à Catholicis non probetur per omnia, in his tamen à nullo vnquam reprobatus fuit. Et Cyprianus eum tanti fecit, vt nullum diem abſque lectione eius tranſmitteret, quando & magiſtrum illum appellare ſolitus eſt.*

Roff. Neque nos authoritatem eius contemnimus, ſit quantum velis maxima. Nam quo celebriorem & illuſtriorem eum prædicas, tanto magis conſiſtit ſententia noſtra. Modis enim omnibus ille confirmat, quod de hoc ſacramento ſentiunt orthodoxi.

Authoritas Tertull. non ſpernenda.

OEcol. *Itaque acriter tractans Marcionem, ſubdit: Cur autẽ panem corpus ſuum appellat, & non magis peponẽ, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens, veterem fuiſſe figuram corporis Chriſti dicentis per Hieremiam: Aduerſum me cogitauerunt cogitatum, dicentes. Venite, coniiciamus lignum in panem eius, ſcilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit ſignificaſſe, ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem.*

Roff. Iſtud ſane, & nec frigide, tuam hæreſim impugnat. Nam ſi verum ſit quod Paulus tradidit, dicens: Lex vmbram habet futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Panis ipſe, de quo Hieremias loquitur, quemque Tertullianus hic veterem figuram appellat, tantum vmbra fuit, non expreſſa veritas. Imago fuit vtique panis ille, figuraque panis huius, in quo veritas corporis Chriſti, tanquam in imagine comprehenditur. Veterem enim Tertullianus eam vocans figuram, aperte docet, hoc noſtrum ſacramentum quiddam aliud, & nouitatis, & abditæ veritatis in ſe continere, quam figuram ſolam. Quamobrem & recte colligit Chriſtum, qui fuerat antiquitatum illuminator, delegiſſe panem, vnde ſuum corpus ſub ſacramento conficeret, magis quam peponem aut aliud quiddam.

Hebr. 10. Hiere. 11. — *Chriſtus ſolus corpus ſub ſacramento conficere in pane.*

Nouas adhuc illuſtrationes pollicetur, ſed hæ multo verius caliginem inducunt, quam lucem aliquam.

Capvt XXV.

OEcol. *Ne te pigeat lector amice, ſi quaſdam illuſtrationes illis adnotauero. Sunt enim tardiores quidam ingenio, qui Tertulliani verba non recte intelligunt, incraſſante cor eorum priſtini erroris adipe, id quod & mihi prima lectione obueniebat.*

Roff. In hoc, haud minus quam in cęteris te cõmonſtras hominem inconſtantiſſimum, qui nullo vento non circumduceris, vt nunc iſtud, mox huius contrarium & ſentias & agas, nunc laicus, mox ſacerdos: nunc religioſus, mox ſecularis: nunc catholicus, mox hæreticus: nunc Lutheranus, mox alterius author ſectæ. Sic & hoc loco nunc diuerſum ais Tertullianum tibi ſonare quam quum fueras orthodoxus. Et merito vereris, ne lectorem huius tam infrugiferæ prolixitatis pigeat. Nam pigere quemuis poterit, quum tot mendaciorum fucis tam apertam veritatem te cernat oblinere, pariter & quum pro illuſtrationibus quas polliceris, meras obtenebrationes iniicere te deprehendat.

Inſtabilitas OEcolamp.

OEcol. *Obiicit Marcion: Si de pane ideo dixit, quod ſit corpus, quia figura corporis, poterat idem de pepone, vel caſeo, vel pomo affirmare. Sicut enim panis frangitur, editur, alit, & in hoc eſt figura corporis, ita & caſeus, vel pepo, vel pomum, poterant eſſe figura corporis: nam & illa franguntur, traduntur, eduntur, alunt, vitamque ſuſtentant.*

Roff. O ſanctiſſime Deus quamdiu tolerabis huius hæretici mendacia? Nuſquam hoc obiecit Marcion, ſed eſt hoc merum commentum tuum, vt lectorem ita circumuenias. Sed neque per ea quæ ſequuntur, huic obiectioni reſpondit Tertullianus, vt mox aperte videbimus. Cæterum & hæc obiectio plane contra te facit, qui non maiorem in pane conſecrato virtutem (quæ realis eſt) poſt ipſa conſecrationis verba relinqui putas, quam in pepone, caſeo, vel pomo. Quod ſi forſan iſta reiicias, ideo, quod in ſcripturis nuſquam horum fiat mentio ſub nomine figuræ, quid tamen de communi pane reſpondebis, vti ſuperius obiecimus tibi? Nam & ipſe frangitur, editur, alit, & ſuſtentat vitam. *Lib. 2. cap. 22.*

OEcol. *Tali enipiam obiectioni lepide reſpondet, dicens: Marcionem peponaceum, hoc eſt inſulſum ac ſtupidum habere pectus, qui tam procul à vero ſcripturæ intellectu abſit, non animaduertens, illa Chriſtum peculiariter delegiſſe in figuris, de quibus iam antea per prophetas dictum.*

Roff. Non huic profecto, quam ipſe comminiſceris, obiectioni Tertullianum reſpondiſſe palam eſt, ex illis quæ præcedunt. Nam proxime ſuperius Tertullianus de Chriſto loquẽs, ita ratiocinatus eſt: Si propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis, faciebat ad veritatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat magis, quam peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens, veterem fuiſſe iſtam figuram corporis

Chriſti.

Chriſti. Hactenus ipſe Tertullianus. Vbi cernis lector hoc potius obieciſſe Marcionem, quod Chriſtus ideo ſibi finxit corpus ex pane, quod veritate corporis ipſe caruiſſet. Quamobrem & ſubinfert Tertullianus: Ergo panem Chriſtus debuit tradere pro nobis. Et ſubdit hoc ad vanitatem Marcionis facere, vt panis crucifigeretur. Continenter itaque docet cur in pane potius, quam in pepone ſacramentum ſui corporis inſtituit Chriſtus, nimirum ob veterem figuram, quam & dicit Marcionem handquaquam intelligere. Quod ſi vetus huius rei figura præceſſerat, quum non ſit figura figuræ, conſequitur, vt iam aliud quiddam in hoc ſacramento credamus adeſſe, quam figuram ſolam. Sed & hoc aduerte lector, nuſquam OEcolampadium non obſcurare ſuis fucis veritatem. Dicit Chriſtum illa peculiariter delegiſſe in figuris, de quibus iam antea per prophetas dictum. Perinde ac ſi panis & vinum hic eſſent ſolæ figuræ, quum tamen ex inſtituto doceat hic Tertullianus, panem & vinum in veteri lege figuras fuiſſe corporis & ſanguinis Chriſti, quæ iam in Euchariſtia nobis conſecrauit, vt & dilucide ſequens lectio demonſtrat.

In Euch. non eſt figura tantum.

OEcol. *Poterat & alio tempore pati, ſed voluit tempore paſcha. Poterat & ab extraneo prodi, ſed voluit à diſcipulo: Poterat abſque præmio tradi, ſed vbique adimplet, quod prophetæ prædixerunt. Vnde & illuminatorem vocat antiquitatum.*

Roff. Sed cur taces & iſtud. Potuit & paſcha ſuum, quod vna cum diſcipulis ſuis edere miro ardore concupiuerat, in aliarum rerum ſpeciebus edendum inſtituiſſe. Nam iſtud æque ad rem attinebat atque priora. Sed ob id panem & vinum delegerat, quod his tanquam figuris corporis & ſanguinis ſui noſſet prophetas olim vſos fuiſſe, imo potius hi talibus figuris vſi ſunt, quod præuiderant illum ſub harum rerum ſpeciebus corpus & ſanguinem ſuum conſecraturum. Nihil id te mouet OEcolāpadi, quod dicit Tertullianus, Chriſtum profeſſum eſſe, ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha ſuum. Non illud inquam veruecinum paſcha quod tamen erat figura corporis ipſius, ſed hoc nouum, quod in pane vinoque conſtituit edendum. Me profecto ſic iſtud adigit vt nihil dubitem ſenſiſſe Tertullianum, ſub horum ſpeciebus, veritatem adeſſe corporis & ſanguinis Chriſti, maxime, quum idem poſtea ſubiiciat: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit.

Luca 22. Sacramentū in pane & vino, ratione certa inſtituit. Luca 22.

Tertulliani ſententia.

OEcol. *Ita & poſtea dicit Tertullianus, Sanguinis veterem figuram fuiſſe in vino, teſte Eſaia, qui dixit: Quare rubra veſtimenta tua, & indumenta, ſicut de foro torcularis pleno, conculcato, Spiritus enim propheticus, velut iam contemplabundus, Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, vt in ea paſſum, cruentum habitum carnis, in veſtimentorum rubore deſignat, conculcata & expreſſa vi paſſionis, tanquam in foro torcularis, quia exinde quaſi cruentati homines, de vini rubore deſcendant. Multo manifeſtius, Geneſis in benedictione Iudæ: Lauabit (inquit) in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum, ſtolam & amictum carnem demonſtrant, & vinum, ſanguinem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit. Huc vſque ex Tertulliano deſcripſi.*

Roff. Demiror hic cæcitatem animi tui, qui quum hæc poſtrema verba legas, non intelligis tamen, quid ſenſerit Tertullianus. Finge (quæſo) quibus aliis verbis potuit hanc rem apertius explicaſſe, quam quum dicat, ſanguinem ſuum Chriſtus in vino conſecrauit. Si dixiſſet Tertullianus, Chriſtum vinum conſecraſſe, potuiſti facilius elabi. Sed quum dicat ſanguinem in vino conſecraſſe, nullum omnino tibi ſubterfugium relinquitur. Mira igitur hic mentis tuæ cæcitas eſt, ſed & parem habet adiunctam malitiam, quum & multa ſubdole prætermittas, quæ Tertulliani ſenſum illuſtrant. Nam vbi Tertullianus ex Hieremia monſtrauerat, panem fuiſſe figuram corporis Chriſti, protinus ita ſubdit: Sic & Chriſtus in calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum ſubſtantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis: Nam & ſi qua corporis qualitas non carnea nobis opponetur, certe ſanguinem, niſi carnea non habebit. Ita conſiſtit probatio corporis de teſtimonio carnis, probatio carnis de teſtimonio ſanguinis. Hactenus ex Tertulliano, quod totum ipſe, nec citra ſycophantiam, penitus retices. Cur huc non attuliſti (precor) illuſtrationes tuas, imo obſcurationes dixiſſem potius. Sed res apertior eſt, quam vt fucos recipiat. Nam iſtud ſuperioribus adiungatur, hoc eſt, quod Chriſtum tantopere concupiuiſſe dixerit, vt ederet paſcha ſuum cum diſcipulis ſuis, & quod in hoc paſchate plane teſtatus ſit Chriſtum panē ſuum corpus effeciſſe, denique quod afferit eundem Chriſtum, ſanguinem in vino conſecraſſe: cui (quæſo) iam ſcrupus vllus remanet de Tertulliani mente, quin ſenſerit is in Euchariſtia verum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Nam illud de figura corporis, quemadmodum paulo ante copioſius oſtendimus, nihil obſiſtet, quum & nos in eo ſacramento rem pariter atque figuram ingenue confiteamur.

Tertullianū non intelligit OEcolamp.

Hiere. 11.

Tertull. ſententiam OEcolampa. non aſſequitur. Luca 22.

OEcol. *Caue autem vltimo loco, ne in verbulo conſecrandi cœſpites. Non eſt enim conſecrare, vnam rem in aliam vertere vel includere, ſed commendare, vt rem vlterius non communem & prophanam, ſancto autem vſui, hoc eſt, in hoc loco, memoriæ paſſionis, & fœderi charitatis dedicare, & accomodare. Dicit itaque: Sicut olim vinum figurā eſſe voluit ſanguinis, ita nunc quoque memoriam ſanguinis in vino voluit haberi commendatam.*

Roff. Bellam ſcilicet affers expoſitionem. Conſecrauit ſanguinem in vino, id eſt, commendauit memoriam ſanguinis in vino. Si liceat authores ad hunc exponere modum, imo verius expungere, quid erit in ipſis omnino certum? Sed animo Tertulliani parum hæc expoſitio tua reſpondet. Nam quum Tertullianus in his duobus membris diuerſa quædam ſignificare moliatur, tu prorſus vnam rem ex vtroque membro facis. Nam vtrobique nihil aliud colligis quam ſanguinis memoriam. Quum enim dicis, olim vi-

Perperam exponit Tertul. verba.

num ſi-

num figuram ſanguinis, quid hic alind intelligis per figuram ſanguinis, quam ipſiua ſanguinis monumentum & memoriam? & rurſum in altero membro, quum ſubiicias: Ita nunc quoque memoriam ſanguinis in vino voluit habere commendatam; quid hic diuerſum intelligis à priori? Cæterum Tertullianus vbi docuiſſet, ex benedictione Iudæ vino ſanguinem figurari, continenter ſubdit: ita & ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguinem figurauit. Quando igitur apertum eſt cuiuis æquo lectori, per hęc duo membra Tertullianum diuerſa quędam intellexiſſe, manifeſtum eſt, & aliud quiddam ſub ſpecie vini contineri, quam memoriam & figuram ſanguinis duntaxat.

Geneſ. 49.

OEcol. *Porro hic didicimus, ſententiarios, etiam ignorantes & inuitos, ad Marcionitarum hereſim accedere. Nam ſi reale Chriſti corpus, panem, ſub panis ſpeciebus dicunt, reſpondebit illi, corpus prout ſedet cum diſcipulis, & crucifigendum, etiſque corpus reſpondens, & exemplar ac figura: iam licet verum corpus ſit, non erit tamen verum, ſi ad illud conferatur.*

Roff. Quid hoc ad Marcionitarum hæreſim attinet quod colligere moliris? Nihil profecto. Nam illi Chriſtum aſſerebant non geſtaſſe verum corpus, ſed imaginarium dumtaxat. Tu vero colligis corpus in ſacramento collatum ad ipſum corpus quod geſtabat Chriſtus, non eſſe verum, hoc nihil ad Marcionem. Cæterum ſententiarij, quos ita per contemptum vocas, tibi reſpondebunt, non abſolute corpus iſtud, illius exemplar eſſe, quaſi duo ſint corpora. Sed idem omnino corpus, ſub alio tamen modo, dicent exemplar eſſe ſuiipſius, ſic quod fundamentum huius relationis proximum ſit diuerſus modus eſſendi. Nam licet ipſum corpus, quod ad menſam ſedebat in ſpecie propria, ſubſtãtialiter idem erat ei corpori, quod tum fuerat ſub ſpecie panis, tamen hoc ipſum, vt ſub ſpecie panis exiſtens, exemplar fuit eiuſdem ſub propria ſpecie, vel ſedentis in menſa, vel potius in cruce pendentis. At hæc fortaſſis tua craſſities haudquaquam capit.

Corpus Chriſti eſt ſuiipſius exemplar.

Matth. 26. Luca 22. Matth 27. Marci 15. Luca 23.

OEcol. *Et ſi dixerint, vnum & idem corpus in variis locis, dicant & hoc, quod idem ſit exemplar ſuiipſius, & relatiuum ſine correlatiuo. dent patrem ſine filio: dent imaginem ſine eo cuius eſt imago. Quicquid dixerint, relatio duorum erit, & figuram adeſſe, conſenſus priſcorum docet, ac res ipſa.*

Roff. Nos figuram adeſſe neutiquam inficiamur, vti ſuperius ante diximus, fatemur & idem ſub alia tamẽ ratione ſuiipſius exemplar eſſe, neque propterea conſequi, vt relatiuum ſit ſine correlatiuo. Num non intelligis eandem eſſentiam in Deo, ſub alia ratione fundamentum eſſe diſtinctis relationibus. Sed vt de rebus creatis loquamur. Nunquid putas voluntatem poſſe mouere ſeipſam? Et quum ſeipſam excitet, an non diuerſis relationibus vnicum fundamentum eſt? Nec tamen eſt relatiuum ſine correlatiuo. Sed vt craſſius aliquid dicamus. Chriſtus quando ſeipſum exhibuit, nunc ſub hortulani ſpecie, nunc ſub ſpecie peregrini, nihil repugnabat, vt alibi fuiſſet ſub ſpecie ſua propria. Hoc poſito, nunquid intelligis eundem fuiſſe Chriſtum, & diuerſarum relationum fuiſſe fundamentum? Sed accipe & aliud. Affirmat Paulus ſe vidiſſe Chriſtũ, poſteaquam is cœlos conſcendiſſet. At manſit nihilominus ipſe Chriſtus apud patrem in cœlo. Hic te precor an ſubterfugere poteris, quin ipſum corpus Chriſti, quod Paulus in terris viderat, nullam habebat relationem ad ſeipſum in cœlo? Num hoc, quod vidit Paulus, ſimile fuit eidem, quod in cælo tum fuerat, an diſſimile? Siue hoc ſiue illud aſſerueris, tamen falſum erit quod ipſe collegiſti, nimirum hoc. Quicquid ſententiarij dixerint, relatio duorum erit, niſi rationis, non rei diuerſitatem hic intelligas. Qualem & nos diuerſitatem eſſe fatemur inter corpus, ſub ſpecie panis, & hoc ipſum ſub ſpecie propria. Hactenus igitur abunde monſtratum eſt nihil OEcolampadio Tertullianum ſuffragari, tametſi patrocinium hæreſeos ſuæ maximum ex eo ſibi ſperabat.

Lib. 2. cap. 25.

Relationum diuerſarum vnicum fundamentum.

Iohan. 20. Luca 24.

1. Corinth. 9.

Corpus Chriſti in Euchar. differt à corpore eius in propria ſpecie ratione.

Plurimum inter nos & Iudæos interfuiſſe, quod OEcolampadius negat.

Capvt XXVI.

OEcol. *IAm ſi pergant obiicere, nihil diſcriminis relinqui inter nouam legem & veterem: ſi quidem panis ille figura eſt corporis Chriſti, & non veritas: quid enim illi non obiiciunt? At quid ſi ad pleraque annuero, & fatear: omnes eãdem eſcam ſpiritualem manducaſſe, tam patres, quam nos, non vtique errauerim. Pauli enim, imo Chriſti per organum electum, verba ſunt, neque video, quid inter nos & inter illos multum interſit, quam quod exhibitus eſt nobis Chriſtus, quem illi magnis expectarunt deſideriis, & quem nos ſequimur, illi præceſſerunt.*

Roff. Si nihil aliud inter nos & illos intereſſe perſpexeris, mentem habes cimmeriis (vt aiunt) tenebris atriorem. An non legis in Paulo, Nihil ad perfectum adduxit lex? Et apud eundem, Poſtquã autem venit plenitudo temporis. Et apud Iohannem: Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Sed & poſt aduentum Chriſti, quamquam Apoſtoli præſentem habuiſſent Chriſtum, quales tamen (te precor) erant, quoadusque Spiritus ipſe ſanctus e cœlo demiſſus erat. Quamobrẽ & Paulus de nobis peculiariter dicit: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Sed & ipſe Chriſtus Apoſtolis ſuis dicebat: Niſi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Cur autem ipſe miſſus fuit, Euangelium ipſum aperit, nimirum vt Eccleſiam cõſolaretur, & in omnem induceret veritatem, atque ſuggereret omnia quæcunque Chriſtus ante docuerat, hoc eſt, vt nihil in Chriſti verbis obſcurum eſſet, quod ipſe non elucidaret. Tu tamen adeo cæcus es, vt hæc nihil eſſe ducas. Nam & his illi caruerunt. Et tamen inter nos & illos nihil aut non multum intereſſe putas. Tu conſolationem, vnctionem, & eruditionem, atque vt vno verbo dicam, perpetuam in Eccleſia Spiritus huius præſentiam, nihil

Hebr. 7. Gala. 4. Iohan. 1.

Roma. 5. Iohan. 16.

Iohan. 14.

Vnde cæcus ierant Luthera.

magni arbitraris. O cæciſſime. Sed in hunc errorem, ſicut & in alios plurimos, Paulus de fide perperam intellectus, vos pręcipitauit. Nam quia ſufficere fidem ſolam vos exiſtimatis, & illos fide pares nobis in omnibus, excepta ſola temporis diuerſitate, propterea colligitis, nihil inter nos & illos intereſſe. Cæterum quoniam huius collectionis conſequens omnino falſum eſſe conſtat, neceſſum eſt, vt in antecedenti ſit error.

Sola fides nõ ſufficit ad ſalutem.

Non autem in ea parte quæ ſpectat ad paritatem fidei, ſed in ea quod dicitis fidem ſolam ſufficere. Quandoquidem igitur nihil aliud inter nos & Iudæos, præter ſolam temporis diuerſitatem mordicus aſſeratis, & fidem ſolam ſufficere, quid mirum ſi nullum diſcrimen inter noſtram veritatem, & illorum vmbràs eſſe putetis? Vmbræ quidem ſolæ fuerunt agnus & Mãna, neque continebant eam

Hebra. 10.

intra ſe, quam figurabãt veritatem propter quod & Paulus ad Hebræos dicit: Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Nec reluctor tamen, quin hi qui veritati per eas vmbras figurate crediderunt, eandem quodammodo ſpiritualem eſcam nobiſcum ederunt & biberunt, at nos longe vberius, qui non in ſigno ſolum & adumbrate ſicut illi, ſed reipſa corpore Chriſti veſcimur, & potamur eius ſanguine.

1. Corinth. 10.

OEcol. *Nos ſane ante quorum oculos crucifixus Chriſtus, aliquanto feliciores patribus, modo illis fide non ſimus inferiores: Multi reges ac prophetæ non viderunt licet deſiderassent, quæ nos videmus. Quamuis autem in ceremoniis nonnihil variatum, prout temporibus congruit, citra periculum & iacturam illud contigit, modo idem Chriſtus heri & hodie, qui futurus, qui eſt, & qui erit.*

Rovf. A ſcopo procul aberras OEcolampadi. Nam dicit Paulus, omnia in figura contingebant illis, nimirum vt nos ex ipſis figuris in veritatem certam perduceremur. Tam enim prodigioſum fuit credere filium Dei vere factum hominem tantaque erga genus noſtrum exarſiſſe charitate, vt ſeipſum ad mortem, & eandem horrendiſſimã, tradere, ſuamque carnem nobis in eſum, & ſanguinem in potum dare ſit dignatus, vt opus fuit antecedere longam diturnamque Iudæorum exercitationem per varias & multiplices vmbras atque figuras, quibus inducendi confirmandique fuiſſent Chriſtianorum animi, ad illa, quæ fuerant alioqui creditu difficillima.

1. Corinth. 10.
Ad incarnationem Chriſti, homines præparandi erant multis figuris.

Quicquid igitur in figuris, ante Chriſti aduentum, Iudæis adumbratum fuit, iam retectis ipſis vmbris aperte nobis Chriſtianis reuelatum eſt, quamquam adhuc in imagine, propter fidei meritum, donec in cœlis clariſſima veritas eluceſcat. Ob id Melchiſedeck ille, pane vinoque ſacrificabat, nimirum vt ex eo diſceremus filium Dei, iuſtitiæ regem aliquando venturum, qui ſimilibus rebus in ſuo ſacrificio (quemadmodum de Meſſia Rabbini veteres, etiam ſcripturis innixi, prorſus affirmant) vteretur. Ob id agnus ipſe paſchalis occiſus & aſſus, in eſcam Iudæis traditus fuerat, vt per hoc nos aſſueſceremus credere noſtrum nouum paſcha eſſe verum agnum, qui pro nobis occiſus fuit, & igne ſuæ paſſionis aſſus eiuſque corpus ſub ſpecie panis à nobis edi, ſanguinemque ſub vini ſpecie potari.

1. Cor. 13.
Gene. 14.
Heb. 7.
Exod. 12.
Num. 9.
Eſa. 53.
Apoc. 5. 13.

OEcol. *Habuerunt illi fidem in eſu agni, in Manna, in ſacrificiis: nos habebimus in eſu ſacrati panis: vtroſque autem idem vegetat Chriſtus. Ceſſarunt figuræ illorum, quia ſucceſſit veritas: & quia veritas illuxit, perpetuo duraturus ritus inſtitutus eſt, quo beneficij recepti ſimus memores.*

Rovf. Vos hæretici peruertitis omnia, neque vultis intelligere perſpicuas rationes, ob quas ea quæ iam Chriſtianis tradita ſunt, prius adumbrata Iudæis fuerant tanta & tam multiplici figurarum varietate. Indicauit paulo ſuperius ipſe Tertullianus, quem citaras, & corporis & ſanguinis in ſacramento veteres quaſdam figuras fuiſſe, panem & vinum. Quod quidem ex Hieremia, Eſaia, Moſeque confirmauit.

Su. li. 2. ca. 22.

Figurarum multitudo fuit neceſſaria.

Potuit equidem huius rei complures alias attuliſſe figuras, haud paruo numero. Nam diuinus ille Spiritus huius ſacramenti veritatem pluribus voluit adumbrationibus nobis aſſerere, nimirum, vt quod in vna ſatis exacte docere nequiuerat, in pluribus hoc ipſum faceret. Id quod deprehendere licet è tribus figuris, quas proxime recenſuiſti. Nam hæ tres, inſignes huius myſterij notas inſinuant, quæ ſimul omnes in vnaquapiam figura neutiquam adumbrari potuerunt. Primum igitur illud occurrit ipſius Melchiſedeck in pane & vino ſacrificium, quo qualis futura eſſet huius ſacrificij, (quod Eccleſia iugiter offert) externa ſpecies repræſentabatur. Subinde ſequitur ipſius agni paſchalis eſus, quem ante diximus occiſum & aſſum fuiſſe, quo plane ſignificabatur, Chriſtum verum agnum pro noſtris delendis peccatis occiſum, & vehementia ſuæ paſſionis aſſum, à nobis Chriſtianis in hoc nouo paſchate comedendum.

Gene 14.
Exodi 12.
Supr. eodem.

Manna denique quod ingenti ſaporis ſuauitate Iudæos non improbos affecit, dulcedinis immenſitatem deſignabat, qua piorum Chriſtianorum animi perfunderentur in huius ſacramenti ſumptione. Vides igitur tria quædam diuerſa. Nempe ſpeciem, ſubſtantiam, & efficaciam huius ſacramenti, per illas tres vmbras fuiſſe præfigurata.

Exodi 16.

OEcol. *Patres qui ſolum Manna comederunt, permanentes in ſua incredulitate mortui ſunt: qui autem ex illis communione fidei panem cœleſtem manducauerunt, viuunt, & in æternum viuent. Abraham enim, Iſaac, Iacob, Moſe, & eiuſdem fidei participes, etiam hi, qui ante diluuium fuere, quãuis ex hac vita migrarint, mortui tamen non ſunt, ſed viuunt. Deus enim, non mortuorum, ſed viuorum Deus eſt. Et qui ex nobis ſacramentali pane veſcuntur, nonne & ipſi moriuntur? Et ſi alimonia diuina, hoc eſt, fidei fuerint expertes, nonne etiam duplici morte conterentur. Quod igitur tantum diſcrimen in illis?*

Rovf. Plurimũ vtique diſcriminis inter nos & illos fuerat, alioqui nullũ pre illis nobis eſſet ex Chriſti verbis priuilegiũ, quũ dixiſſet: Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad cõſummationem ſeculi. Nulla quoq; pręrogatiua nobis obueniſſet ex miſſione Spiritus, & ex eius perpetua cõſuetudine nobiſcũ in Eccleſia. An nõ peculiari, & eodẽ incõparabili beneficio nos donauit, quando ipſũ è cœlis dimiſit, vt eſſet nobiſcum in æternum?

Multa differentia inter Iudæos & Chriſtianos.
Matth. 28.

fateor

Antiqui patres habuerūt Spiritū ſanctum & Chriſtum.

fateor quidem priores patres, qui ſub veteri fuerant teſtamēto, præſentiam habuiſſe ſpiritus ſub aliquo gradu. Neque enim charitatem alioqui poſſediſſent. Habuerunt & præſentiam Chriſti per fidem in cordibus ſuis, quatenus ad Deitatem eius attinet. Cæterum abfuerunt plurimum ab ipſo plenitudinis gradu, quo iam per realem corporis eſum, corporabiliter & ſubſtātialiter Chriſtum in nobis manentem habemus, & nos viciſſim illi ſubſtantialiter & naturaliter incorporamur, nimirum vt ſimus membra corporis eius, & caro ex carne eius. Certum quidem eſt apoſtolos (quum ad prædicandum mitterentur) Spiritum ipſum iuxta gradum aliquem accepiſſe, & rurſum (quum flaret in eos Chriſtus dicēs: Accipite Spiritum ſanctum) nō eſt dubium, quin altiori quodam gradu Spiritum ipſum conſecuti ſint. Sed & poſtremo quando ſuper eos idem ipſe Spiritus demiſſus fuerat in ſpecie ignis, quis ambigit quin adhuc & longe quidem altiori gradu Spiritum eundem acceperint. Ad hunc modum aſſerimus priores patres, qui ſub veteri erant teſtamento, vitam ſpiritualem ex eſu Mannæ fuiſſe conſecutos, nempe credentes in eam eſcam, quæ per Mānā figurabatur, hoc eſt Chriſtum in Euchariſtia. Verum nos qui ſub ipſo nouo teſtamento Chriſtum ipſum in Euchariſtia ſubſtātialiter edimus, & non fide ſola, multo cumulatiori gradu præ illis, Chriſto incorporamur. Alioqui nihilo magis eſus quam conſpectus ipſius Euchariſtię nobis prodeſſet, quod eſt manifeſte falſum. Nam & nōnunquam pictura quædam paſſionis Chriſti nobis efficacius ingerit & fidem & memoriam ipſius paſſionis, quam ſolum ipſius ſacramenti ſpectaculum. Sed hactenus opinor quod inter nos & Iudæos, & inter noſtram veritatem & illorum vmbras abunde monſtratum eſt. Quare nunc ad reliqua pergamus.

Ephe. 5.
Matth. 10.
Marci 6.
Luca 9. 10.
Iohan. 20.
Act. 2.

Diluitur obiectio, qua molitur Iudæos in irreligione pares eſſe Chriſtianis.

CAPVT XXVII.

OECOL.

ECce autem & nunc inconueniens non quærenti occurrit, quod Chriſtianus admiſerit minime. Nam ſi caro Chriſti in pane eſſet, quæ in Manna, vel in agno eſſe non poterat, non ſolum religionis modus, ſed & regio variata eſſet.

ROFF.

Religio Iudæorum mutata eſt.
Differentia veteris legis & nouæ.

Neſcio quid tibi velis per religionē. Si per eam intelligas diuerſitatem legis, quę nobis & quæ Iudæis tradita fuit, non eſt dubium quin religio variata ſit. Nam inter has duas leges, haud mediocre diſcrimen, neque ſemel à Paulo traditur. Sic enim ſecundæ ad Cor. 3. ſcribit: Si adminiſtratio condemnationis in gloria eſt, multo magis excellit adminiſtratio iuſtitiæ in gloria, quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte propter eminētem gloriā. Etenim ſi quod aboletur, fuit in gloria, multo magis id qđ manet, erit in gloria. An nō his verbis (te quæſo) Paulus veterem legem, quam dicit abolitam, nouæ comparat, quæ perpetuo durabit. Rurſus ad Hebr. 2. Si is qui per angelos dictus fuerat ſermo, fuit firmus, & omnis tranſgreſſio & inobedientia iuſtam præmij repenſationem accepit, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ quum primum enarrari cœperit per dominū ab iis, qui audierant, in nos confirmata fuit, atteſtante Deo & ſignis & prodigiis ſimul, variiſque virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus iuxta ipſius voluntatem. Ecce & alterum diſcrimen veteris legis à noua. Accedit his quæ ad Hebræ. 7. tradita ſunt, nempe quod tranſlatum ſit ſacerdotium, quodque præceptum illud, quod præceſſit, abrogatum ſit, propter imbecillitatem & inutilitatem, ac denique quod nihil ad perfectum adduxiſſet lex vetus. Poſtremo Paulus ad Hebr. 2. ſic ait: Non enim acceſſiſtis ad contactum montem, & incenſum ignem, ac turbinem, & caliginem, & procellam, tubæque ſonitum, & vocem verborū, quam qui audierant, deprecati ſunt ne his adiungeretur oratio. Non enim ferebant quod edicebatur: Si beſtia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo configetur, & adeo terribile erat viſum quod apparebat, Moſes dixit, Expauefactus ſum, ac tremebundus. Hactenus pro lege veteri, continenter pro noua ſic dicit: Sed acceſſiſtis ad montē Syon & ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalē cæleſtem, & ad innumerabiliū angelorum cœtum, & ad concionem primogenitorum qui cōſcripti ſunt in cœlis, & ad iudicem vniuerſorum Deum, & ad ſpiritus iuſtorum perfectorum, & ad noui teſtamenti cōciliatorem Ieſum, & ad ſanguinem aſperſionis meliora loquentem quam Abel. hæc diſcrimina ſi quis exacte penſitauerit, nihil mirabitur potiora nobis fuiſſe tradita ſacramenta.

OECOL.

Itaque plurimum patribus denegatum. Nam pars aliquanta noſtræ religionis non ceremonialis, quæ in carne Chriſti pendet, non ita ac nobis, nota patribus fuit: Quāto ſplendidiores noſtræ menſæ illorum altaribus?

ROFF.

Multa certe negata ſunt patribus quę nobis cōceſſa ſunt, alioqui pepigiſſet etiam cum patribus fœdus hoc nouum, quod non ſolum Hieremias, verumetiam Paulus ipſe factum negat. Dediſſet & eis pari largitione Spiritum, atque poſt aſcēſionem Chriſti largitus fuit Eccleſiæ. Euectæ quinetiam in cœlo fuiſſent patrum animę protinus, vt hinc migraſſent, ſicut & de noſtris fieri certo credimus. Adde, quod nondum natus fuiſſet, aut paſſus pro eis Chriſtus. Sed neque corpori eius, quod ex virgine poſtea ſuſcepit, & nondum extabat, vniti fuerant. Hæc atque alia id genus plurima patribus neutiquam exhibita fuerant, quæ nobis tamen abunde ſunt præſtita. Porro quod ais partem aliquantām religionis noſtræ non ita cognitam illis atque nobis eſſe. Si de cognitione experimētali intelligas, verum dicis, neque iſtud quicquam abſurditatis habet. Sin de cognitione fidei & prophetiæ, neutiquam aſſentior quandoquidem & de his illi vaticinati ſunt. Quod autem noſtras menſas illorum altaribus dicis eſſe ſplendidiores, ita ſane par fuit, quum in illorum altaribus carnes pecudum victimabantur, in noſtris vero Chriſti ipſius caro & ſanguis iugiter immolantur.

Hiere. 31.
Hebr. 8.
Acto. 2.
Matth. 2.
Luca 1.
Le. 9. 3. Re. 8. 2. Pa. 7. 18. 29. & alt. 1. c. 10. He. 9. 10. &c.

OEcol. *Abſit autem vt ſpirituales, qui ſub lege, Meſsiamque expectabant in fide, pauperiores nobis fuerint, quibus manifeſtatus eſt.*

Roff. Eſto, fide complures eorum nobis longe ſuperiores fuerint. Quid tum poſtea? Num propter illorum fidem, oportuit eis eadem omnia donari quæ nobis exhibita ſunt? Nequaquam. Nam & Abraham, quem Paulus tradit præter ſpem ſub ſpe credidiſſe ſe patrem fore multarum gentium, quum tamen eſſet emortuum eius corpus & emortua vulua Saræ. Is inquam Abraham adeo firmus in fide (vt de promiſſione Dei nihil hæſitaret) non eſt aſſecutus ea dona, quibus nos potiti ſumus. Sed & ipſe poſt ſuam ab hoc ſeculo migrationem haud aliter atque cæteri, per aliquot annorum millia, fuerat è cœlis excluſus.

Rom. 4.

OEcol. *Tantum obſcuriora illis, manifeſtiora nobis ſunt ſacramenta.*

Roff. Si nihil intereſt inter noſtra & illorum ſacramenta præter hoc, quod noſtra ſunt manifeſtiora. Vbi erit illud Pauli? Omnia in figura contingebant illis; & iſtud, vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Si Iudæis collata ſacramenta figuræ fuerant & vmbræ noſtrorum, noſtra certe pluſculum aliquid ſoliditatis habeant oportet, quam illorum ſacramenta. Cæterum ſi non extaret verum Chriſti corpus in Euchariſtiæ ſacramento, non video (quod & crebrius dicere cogor) qua in re manifeſtius eſſet hoc ſacramentum, quam paſchalis agni. Nam agnus ille iugulatus & aſſus, longe maiorem habet energiam in repręſentando Chriſti mortem & paſſionem, quam panis & vini ſpectaculum. Eſſent etiam quædam ex illis ſacramentis præcellentiora, quam ſit hoc Euchariſtiæ ſacramentum. Manna certe, nemo eſt qui negabit, lõge præſtare, quandoquidem in eo tot prodigioſa miracula fuerant, vti ſuperius oſtendimus, quorum (ſi tibi credimus) nec vnum quidem eſt in Euchariſtia.

1. Corinth. 10.
Hebr. 10.
Lib. 1. cap. 12.

OEcol. *Nobis quidem manifeſtatus eſt Chriſtus, panis autem noſter agno illorum ſpiritualium non eſt precioſior: præterea non magis prædicandus.*

Roff. Impudentiſſimũ os tuum nunquam non mentitur. Si nõ ſit Euchariſtia precioſior illorũ agno, fruſtra Chriſtus, poſteaquam cum diſcipulis vetus illud paſcha comediſſet ſub ſpecie panis. Nam ſi panis ipſe nihil aliud eſſet, quam figura & monumentum corporis Chriſti. Hoc (vt diximus) multo illuſtrius præſtitit ille paſchalis agnus. Quamobrem nihil omnino cauſæ reddi poteſt, cur hoc recens inſtituiſſet paſcha, aut cur tanto affectu cõcupiuiſſet ipſum edere cum Apoſtolis ſuis, ſi nihilo maioris in ſe præſtantiæ contineret, imo hoc ipſum quod adeo flagraſſet vna cum Apoſtolis hoc nouum edere paſcha, plane conuincit, iſtud longe præcellere. Quare perſpicuum eſt, id falſiſſimum eſſe, quod dicis, Euchariſtiam noſtram illorum agno non eſſe precioſiorem, neque magis prædicandam. Vbi (precor) legis in toto veteri inſtrumento de quoquam fuiſſe ſumptam vltionem, quod agni illius carnes in peccato mortali exiſtens, comediſſet. De Euchariſtia vero legis, quod qui edit & bibit indigne, iudiciũ ſibi manducat & bibit, non diiudicãs corpus Domini. Cur iſtud quæſo potius interminaretur propter eſum Euchariſtiæ, quam propter agni comeſtionẽ, quum eſſet agnus, tua ſententia, nihilominus corpus Domini, quã Euchariſtia ſit. Nã vtrunque tibi corpori ipſius figura ſola putatur. Sed & vbi legis propter agni eſum, quẽquam vnquam imbecillem aut inualidum factum, aut interiiſſe? De Euchariſtia vero legis apud Paulum propter eius indignam ſumptionem, multos factos imbecilles, & inualidos & dormiiſſe complures. Nec mihi iam obiicias, mortis comminationem illis factam, qui fermento ſimul cum agno veſcerentur. Nam iſtud pro nobis facit non mediocriter. Sicut enim agnus ipſe figura fuerat corporis Chriſti, ita fermentum quoque figura eſt peccati mortalis. Quocirca quod prohibitum fuerit fermentũ in eſu agni, planę ſignificat, prohibitum nobis peccatum mortale, dum ipſo corpore veſcimur.

Euch. precioſior agno paſchali.
Matth. 26.
Lucæ 22.
1. Corinth. 11.
1. Corinth. 11.
Exod. 12.
Fermentum ſignificat peccatum.

OEcol. *Neque Patriarchis fideles noſtri, beatiores ſunt, quos æquauit fides, non reddunt inferiores ſacramenta. Sicut ad Marcellinum Auguſtinus ſcripſit: Homini acuto ſuffecerit aliis ſacramentis prænunciari Chriſtum, quum venturus eſſet, aliis quum veniſſet, annũciari oportuiſſe: ſicut modo loquentes idipſum diuerſitas rerum cõpulit etiam verba mutare. Siquidem aliud eſt prænunciari, aliud annunciari: aliud quum veniſſet, aliud quum venturus eſſet.*

Roff. Non inficior quoſdam ex patriarchis fide multos Chriſtianorum præcelluiſſe. At ex eo non cõſequitur, vt noſtri, ſacramentis à Chriſto traditis, nihilo nunc ſint beatiores quam tum fuerãt ipſi patres. Nec hoc ſenſit Auguſtinus, neque verba quæ citas, illud cõprobant. Sic enim ad Marcellinum Auguſtinus ſcribit: Quiſpiam fortaſſis expectet cauſas à nobis ipſius mutationis accipere, quod ipſe noſti, quam prolixi ſit negotij. Veruntamen breuiter dici poteſt, quod homini acuto fortaſſe ſuffecerit, &c. Ecce fatetur diuerſa ſacramẽta nobis & Iudæis fuiſſe tradita. Verum rationis reddendæ prouinciam, cur ita factũm ſit declinat. Putat tamẽ hoc homini acuto forte ſuffecturum, quod aliis ſacramẽtis prænunciari Chriſtum oportuit, quum venturus eſſet, aliis annunciari, quum veniſſet. At quis non perſpicit ex hoc inferri non poſſe, noſtra ſacramenta non fuiſſe Iudæorum ſacramentis potiora, prę ſertim quum in aliis pleriſque locis idem Auguſtinus docet noſtra longe præcellere. Quod ſi noſtra ſacramẽta, Iudæorum præſtent ſacramentis, non poſſunt non in hoc inferiores nobis eſſe, tametſi fide quidam eorum fuiſſent ſuperiores.

Auguſtinus ad Marcellinum.
Auguſ. ſentit natura ſacramenta potiora antiquis.

Fraus eius in citando Auguſtino detegitur, quo dilucidum fit, nihil ei ſuffragari teſtimonium ipſius.

Capvt XXVIII.

OEcol. *Facit ad hoc & aliud Auguſtini teſtimonium, in libello de vtilitate agendæ pœnitentiæ: Manducauerunt (inquit)*

quit) Manna, & mortui ſunt. Id eſt, Manna quod manducauerunt, non illos potuit de morte liberare, non quia ipſum Manna mors eis fuit, ſed quia à morte non liberauit. Ille enim liberaturus erat à morte, qui per Manna figurabatur. Ego ſum (inquit) panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Hæc Auguſtinus.

ROFF.

Nihil omnino pro te facit is locus, id quod dilucidum erit, ſi verba quæ proxime antecedunt haud fraudulenter ſubticuiſſes. Sic enim habet

Auguſtinus. Iohan. 6.

Auguſtin', Mãna de cœlo aperte ab ipſo domino exponitur. Patres veſtri manducauerunt (inquit) Manna in heremo & mortui ſunt. Quando enim viuerent, figura eis prænunciare vitam poſſet, vita eſſe non poſſet. His verbis Auguſtinus continenter ſubnectit ea quæ tu nunc memoraſti. Manducauerunt (inquit) Manna & mortui ſunt, id eſt, Manna quod manducauerunt oon potuit illos à morte liberare, &c. Intelligis ex prioribus illis verbis cauſam quare non potuit liberare. Nimirum, quia fuerat figura ſola: figura (inquit) prænunciare vitam poſſet, vita eſſe non poſſet. At id quod per Manna figurabatur, à morte liberauit. Nempe Chriſtus in Euchariſtia. Nam ipſe eſt

Iohan 6.

panis viuus qui de cœlo deſcendit. Ac propterea dixit Auguſtinus, quæ tu ſimiliter omiſiſti, de cœlo certe Manna veniebat, Attende quem figurabat. Ego ſum (inquit) panis viuus qui de cœlo deſcendi.

Augu per panem intelligit Chriſtum.

Quod autem Auguſtinus per hunc panem, Chriſtum in Euchariſtia voluit intelligi, palam eſt ex libro quæſtionum veteris & noui teſtamenti, quæſt. 95. Manna (inquit) typus eſt eſcæ ſpiritualis, quæ reſurrectione Domini veritas facta eſt in Euchariſtiæ myſterio. Quando igitur Manna typus eſt & figura eſcæ ſpiritualis, cuius veritas eſt in Euchariſtiæ myſterio, palam eſt prędicta verba non ſolum oon ſuffragari tibi, verum etiam penitus euertere quod moliris.

OECOL.

An non & idem de nobis dicere licebit, quod ſacramẽtali pane quem manducamus, à morte non liberamur, ſed ab illo, qui per panem ſignificatur.

ROFF.

Abſit vt quis fidelis vnquam id dixerit. Nam

1. Corinth. 11.

ſicut Paulus ait de indigne ſumentibus, quod iudicium ſibi manducant & bibunt, ita per locum à contrario ſenſu, his qui digne ſumunt, intelligit adminiſtrari vitam. Id quod ex Auguſtino, quem toties in tuæ cauſæ iacturam citas, manifeſtum erit. Nam lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 24. laudat Punicos, qui baptiſmum nihil aliud, quam ſalutem, Et ſacramentum corporis Domini nihil aliud quam vitam vocant, dicitque ſe exiſtimare non aliunde, niſi ex antiqua & Apoſtolica traditione id proueniſſe, qua Eccleſię Chriſti inſitum tenent, quod prę-

Punici Euch Vitam Vocãt.

ter baptiſmum & partitionem dominicæ menſæ non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquam hominum peruenire. Quod & profecto nobis annotatione digniſſimum eſt. Subinde his ſcripturis iſta confirmat. Sed quod ad rem noſtram pertinet pro ſacramento corporis Domini (quod vita ſit) hæc adducit. Quid aliud (inquit) qui ſacramentum menſæ dominicæ vitam vocant intelligunt, niſi quod dictum eſt: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Et panis quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſeculi vita. Et ſi non manducaueritis carnem filij hominis & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Hæc Auguſtinus.

Iohan. 3.

Iohan. 6.

Ex quibus verbis apertum eſt illum ſenſiſſe ſacramentum Euchariſtiæ præſtare vitam. In cõmentariis item ſuper Iohãnem, cap. 6. ſic ait: Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, hunc panem ſignificauit Manna, hunc panem ſignificauit altare Dei, Sacrameota illa fuerunt. In ſignis diuerſa ſunt, ſed in re quæ ſignificatur, paria. Vt hic exultas OEcolamp. Sed audi, quæ paulo poſt ſequuntur: De cœlo deſcendit & Manna, ſed Manna vmbra erat. Iſta veritas eſt. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Hic vides, licet paria fuerint Manna & Sacramenta altaris in remoto ſigno, tamen longe differunt inter ſe, quod Manna tantum vmbra ſit, hoc autem ſacramentum veritatem corporis in ſe continet.

Euch. præſtat Vitam ſecundum Auguſt.

Iohan. 6.

Manna & Eucha. differunt.

Iohan. 6.

Rurſum lib. 1. ad Creſconium Grammaticum, cap. 25. ſic ait: Quid de ipſo corpore & ſanguine Domini vnico ſacrificio pro ſalute noſtra, quamuis ipſe Dominus dicat: Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, oon habebit in ſe vitam? Nonne idem Apoſtolus docet etiam hoc pernitioſum male vtẽtibus fieri, quum dicit: Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini? Quid his verbis aliud docet Auguſtinus, quam quod digne cõmunicantes huic ſacramento vitam accipiunt, qui vero indigne, mortem. Et ſane complures alios eiuſmodi locos ex Auguſtino liceret adducere, niſi nimia prolixitate vererer tædium inferre lectori. Sed abunde liquet ex his, hoc ſacramentum, Auguſtini ſententia, pie ſumentibus, præſtare vitam. Quare multum intereſt inter Manna, quod niſi quędam vmbra fuerat, nec vitam præſtitit, & hoc ſacramentum, quod rem ipſam in ſe complectitur, nempe Chriſtum, authorem & fontem vitæ.

OECOL.

Sed audiamus, quid mox ſubdat ad hæc: Eundem (inquit Augu.) cibum ſpiritualem manducauerunt. Quid eſt eundem, niſi quia eum, quem manducamus & nos. Et paulo poſt: Suffecerat vt diceret: cibum ſpiritualem manducauerunt: eundem inquit. Eundem non inuenio, quomodo intelligam, niſi eum quem manducamus & nos. Quid ergo (ait aliquis) hoc erat Manna illud, quod ego nunc accipio. Ergo nihil modo venit, ſi ante iam fuit? ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis? quomodo ergo eundem, niſi quia reddit ſpiritualem. Nam qui Manna illud ſic acceperunt, vt tantummodo indigentia ſua corporali ſatisfieri putarent, & ventrem ſuum paſci, non mentem, nihil magnũ manducauerũt, factũ eſt ſatis eorum indigentiæ. Alios Deus pauit, aliis aliquid nũciauit. Hi tales & cibum corporalẽ manducauerunt, non cibum ſpiritualem. Quos ergo dicit, patres noſtros eundem cibum ſpiritualem mãducaſſe, quos putamus fratres, niſi eos qui vere patres noſtri fuerunt, imo patres noſtri nõ fuerunt, ſed ſunt omnes viuunt. Sicut enim quibuſdam infidelibus dicit Dominus: Patres veſtri manducauerunt Manna in eremo, &

mor-

mortui ſunt. Quid eſt enim, patres veſtri, niſi quos infidelitate imitamini, quorum vias non credendo & Deo reſiſtendo ſectamini. Et iterum non multo inferius: Sicut ergo hoc loco patres noſtri manducauerunt Manna in eremo, & mortui ſunt: non enim intellexerunt, quod manducauerunt: Itaque non intelligentes, cibum non niſi corporalem acceperunt. Sic & Apoſtolus dicit: Patres noſtros, non patres infidelium, non patres impiorum, manducantes & morientes, ſed patres noſtros patres fidelium, ſpirituale cibum manducaſſe, & ideo eundem. Erant enim ibi, qui quod manducabant, intelligebant. Erant ibi, quibus plus Chriſtus in corde, quam Manna in ore. Quid de illis loquemur? Inde erat primitus ipſe Moſe famulus Dei, fidelis in tota domo hu, ſciens quid diſpenſaret, & quia illo tempore ita diſpenſari debuerunt.

Roff. *Veteres atque Chriſtiani diuerſimode edebant Chriſtum.* Nec iſta quicquam tibi ſuffragantur. Verum vtique Paulus & Auguſtinus quoque dixerunt, affirmantes patres illos (quotquot vere crediſſent Manna figuram eſſe Chriſti) Chriſtum itidem ediſſe, quem edimus nos. Nam quiſquis vere credit, licet non edat corporaliter, edit tamen ſpiritualiter, tam pro hoc tempore gratiæ, quam pro tempore legis illius. Cæterum non pari gradu Chriſtum edit, qui credit ſolum in Euchariſtia Chriſtum eſſe, & qui credens etiam ore veſcitur. Nam ille fide duntaxat edit, is vero tam fide, quam corporaliter. Sic & fideles patres tametſi credentes ediſſent Chriſtum, hoc ſola fide fecerunt, non oris item ſumptione, quemadmodum nos. Neq; enim Māna, quod comederunt, Chriſti corpus in ſe continebat, ſed fuit figura duntaxat futuri corporis, quod nondū erat, quæ figura nec vitam præſtare potuit. Sacramentum autem noſtrum verum Chriſti corpus complectitur, & vitā pręſtat. Quamobrem, licet eundem Chriſtum illi comederint, nō tamen prorſus omni modo, quo nos. Nos enim haud ſola fide, quemadmodum illi, verum etiam ipſam corporis veritatem ore ſumimus, & diglutientes veſcimur, ad ingentem & corporis & animi conſolationem.

OEcol. *Nō illis ſatis euidēter Auguſtin. docuit: Patres, quantū ad rationē ſacramentorum attinet, nobis non inferiores?*

Roff. Nequaquam. Quod & ipſe, niſi malitia tuos oculos excæcaſſet, aperte potuiſſes ex eodem libro *Auguſtinus.* deprehendere. Primum, vbi dicit in his ipſis verbis, quę recenſuiſti. Sic enim & ipſe commemoras obiectum fuiſſe. Quid ergo ait aliquis, hoc erat Manna, illud quod ego iam accipio. Ergo nihil *Galat. 5.* modo venit, ſi ante iam fuit. Ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis. Ex hac obiectione, ſi non plane cæcus ſis, diſcere potes Auguſtinum ſenſiſſe aliud quiddam in hoc noſtro ſacramento eſſe, quā fuerat in Manna. Sed expendamus ſolutionem. Quomodo ergo inquit eundem, niſi quia addit ſpiritualem? Perinde acſi dixiſſet: Eundem ſpiritualem Chriſtum ederunt illi, ſed nondum carne velatum, ſicut & nos. Continenter ſubdit: Nam qui Manna illud ſic acceperunt, vt tantummodo indigentię ſuæ corporali ſatisfieri putarent, & vētrem ſuum paſci, nō mentem, nihil magnū manducauerunt. Ecce quid de Māna dicit. Non ita de noſtro dixiſſet ſacramento. Nam qui ſacramentum noſtrum quouis modo comederit, rem vtique magnam edit, ſed ad perniciem ſuam edit, ſi nō diiudicet ibi corpus Domini. Nihil ergo magnum ederunt, qui Manna velut cibum communem ederunt, neque pernitiem ederunt, non diiudicantes in eo figuram corporis Domini, fuit enim vſitatiſſimus illi populo cibus. Quamobrē & ſubiicit Auguſtinus: factum eſt ſatis eorum indigentiæ. Alios Deus pauit, aliis aliquid nūciauit, hi tales & cibum corporalē manducauerunt, non cibum ſpiritualem. Ecce qui Manna ceu communem cibum ederunt, ita famem depulerunt, & indigentiæ ſuæ fecerunt ſatis, veruntamen quia nō crediderunt id quod per Māna prænunciabatur, hoc eſt, Chriſtum edendū in ſacramento noſtro, cibum illum ſpiritualem nequaquam comederunt. Potuiſti & hoc ipſum dilucidius ex aliis, quę ſubdole prætermiſeras, deprehendiſſe. Cuiuſmodi & iſtud eſt, vbi de Manna loquitur: Figura (inquit) prænunciare vitam poſſet, vita eſſe nō poſſet. Et rurſum: Sicut ille de Ieſu vane loquitur, nō verus Ieſus, nec illa terra promiſſionis vera ſed figurata, ita Manna non cibus vere cœleſtis, ſed figuratus, ita petra illa non vere Chriſtus, ſed figuratus, & ſic omnia. Accedit his quum de Iudęis reſipiſcentibus loquitur, Tunc (inquit) eis Petrus annunciauit eum colēdum, quem crucifixerunt, vt eius iam ſanguinem noſſent bibere credentes, quem ſuderant ſæuientes. *Act. 2. 4.* Hæc atque alia potuit OEcolampadius in eodem legiſſe libro, quibus dilucide mentem Auguſtini perſpexiſſet longe aliam fuiſſe quàm ille comminiſcitur.

Citat pro ſua parte Auguſtini teſtimonium, vbi clariſſime iugulat eum Auguſtinus.

Capvt XXIX.

OEcol. *Et perſpicuum eſt, quid ſibi velit alio loco, dicens: Sacramenta noua legis ſalubriora, & feliciora his, quæ in veteri lege, eo quod illa promittant, hæc dent. non quod eam vim habeant, vt præſtent per ſe ſalutem, & cauſa ſalutis in ſacramentis poſsideatur, ſed quod indicent manifeſtum, non iam cum patribus expectandum.*

Roff. O mentem inſaniſſimam. Vix potuit Auguſtinus apertioribus verbis præeminentiam ſacramentorum noſtrorum extuliſſe, quam in hoc ipſo loco, quem iam citauit OEcolampadius: & tamen impudenter, & plane contra capillos (vt aiunt) Auguſtini verba detorquet. Sed non grauabor Auguſt. verba ſubſcribere: *Auguſtinus.* Opportune (inquit) non ex natura, ſed ex Dei diſpenſatione factum eſt, vt modo audiremus ex Euangelio: Quia lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. *Iohan. 1.* Si enim diſcernimus duo teſtamenta; vetus & nouum, non ſunt eadem ſacramenta: nec eadem promiſſa, eadem tamen pleraque præcepta. Nam non occides: non mœchaberis: non furaberis: honora patrem & matrem: nō falſum teſtimonium dixeris: non concupiſces rem proximi tui: & non concupiſces vxorem proximi tui; & nobis pręceptum eſt: & quiſquis ea non obſeruauerit, deuiat: nec omnino dignus eſt, qui accipere mereatur montem ſanctum Dei: de quo *Exodi 20.*

dictum

Pſalm.14.

dictũ eſt: Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Innocens manibus & mundo corde. Hæc dicimus fratres chariſſimi, vt omnes de nouo teſtamẽto diſcatis, nõ inhęrere terrenis, ſed cęleſtia adipiſci. Diſcuſſa ergo præcepta: aut omnia eadem inueniuntur: aut vix aliqua in Euangelio, quæ non dicta ſint à

Præcepta vtriuſque legis eadem.

prophetis. Præcepta eadem: ſacramenta nõ eadẽ: promiſſa non eadem. Videamus quare præcepta eadem: quia ſecũdum hæc Deo ſeruire debemus.

Sacramenta vtriuſque legis diuerſa.

Sacramenta non eadem: quia alia ſunt ſacramẽta dantia ſalutem, alia promittentia ſaluatorem. Sacramenta noui teſtamenti dant ſalutẽ: ſacramenta veteris teſtamẽti promiſerunt ſaluatorem. Hactenus Auguſt. Vbi quis non videt apertiſſimam impudẽtiam tuam Oecolampadi, qui verba tam perſpicua moliris obſcurare, & in tuũ ſenſum repugnantia trahere. Quid enim dilucidius aduerſum hæreſim tuã dici poteſt, quàm quod alia ſint ſacramenta dantia ſalutem, alia promittentia ſaluatorẽ: & quod ſacramenta noui teſtamenti dant ſalutem: Sacramenta veteris teſtamenti promittunt ſaluatorem. Si nihil vnquam aliud hac de re dixiſſet Auguſtinus, nemo tam ſtupidus eſt, vt ex bis non intelligat quid de hoc ſacramento pater

Aug. in prol. Pſal.73.

ille ſenſerit. Sed & continenter ſubdit: Quũ ergo iam teneas promiſſa, quid quæris promittentia, ſaluatorẽ iam habens? Hæc dico, teneas promiſſa, non quod iam acceperimus vitam æternam, ſed quia iam venit Chriſtus, qui per prophetas prænunciabatur. Mutata ſunt ſacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, feliciora. Hactenus ille. Cęterum vt Mannæ conferamus Euchariſtiam, quomodo vel ſalubrius, aut felicius dici queat hoc ſacramentum, ſi tamen hic ſolus panis fuerit, & nõ Chriſtus ipſe ſub ſpecie panis, quum in Manna tot (vt ante docuimus) & tam inſignia

Li.3.ca.12.
Li.3.ca.27.

fuiſſent miracula. Sequitur adhuc in eodem prologo 73. Pſalmi: Nunquid quoniam puero dãtur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis animus auocetur, propterea grandeſcenti non excutiuntur è manibus, vt aliquid iã vtilius tractet, quod grandem decet? Non ergo, quia illa quaſi ludicra puerorum, Deus per nouum teſtamentũ excuſſit de manib. filiorum, vt aliquid vtilius daret grandeſcentibus, propterea priora illa non ipſe dediſſe putãdus eſt? Hæc ille. Ecce priora veteris teſtamenti ſacramẽta, quaſi puerorum ludicra vocat. Quamobrem & longe potiora cenſet ea quę ſunt noui teſtamenti. Et quare potiora? Nimirũ, quod illa promittant ſolum, iſta pręſtent ſalutem. Non ſolum quod indicent Chriſtum (vt cõtendit Oecolam.) ſed quod gratia ſancti Spiritus infallibiliter adſit cunctis, qui digne ſuſcipiũt ea quoties adminiſtrantur. At inprimis hoc pręſtat Euchariſtiæ ſacramentum, quod vere ſalutis fontem, nempe Chriſtum, in ſe complectatur.

OEcol. *Vnde in finitione ſacramenti, quando dicitur: Sacramentum eſt ſacra rei ſignum, ita vt imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Cauſa non ad efficiẽtiam, ſed ad ſignificantia euidentiam referri debet.*

Roff. A[...] erras Oecolampadi. Neq; enim ad ſignifi[...] euidentiam cauſa refertur, ſed ad efficaciã: alioqui ſuperuacanea foret ea particula. Et cauſa exiſtit. Nam ex eo quod dixit, vt imaginem gerat: Significantiæ ratio ſatis exprimitur. Eſt igitur ſa-

Effectum ſacramenti.

cramẽtum nobis infallibile quoddam organum diuinæ efficiẽtiæ. Operatur etenim diuina virtus infallibiliter gratiam in cunctis digne ſuſcipientibus, quoties hęc ſacramenta (vt diximus) admi-

Vide diſt.4. ſen. diſt.1.

niſtrantur. Propter quod & non ſolum ſigna ſunt euidentia, verum etiam efficacia. Vos tamen hæretici, qui totum quidem fidei tribuitis, nihil au-

Sacramenta non ſunt ſigna tantum.

tem ſacramentorum efficaciæ, dicitis ea eſſe ſigna duntaxat. At hoc quam ſit aperte falſum, paucis oſtendam. Conſtat nõ omnes Chriſtianos fidem habere tantam, quæ ſufficiat ad ſalutem. Alioqui ſaluarẽtur omnes: Veniat igitur quiſpiam talis ad

Marci 16.

baptiſmum: Credat Chriſtum dixiſſe: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Sed credat (inquam) iſtud tenuiter, non plene: neq; formata fide: is tametſi fidem habeat, quæ de ſe non ſufficiat ad ſalutem: tamen hauddubie gratiam ſalutis aſſecutus eſt. Et qua ratione? Certe nõ propter fidem, quæ manca fuerat, ſed propter eam fidẽ vna cũ baptiſmo. Aſtitit enim ex pacto Chriſtus miniſterio baptiſmi, per quod ſacramẽtum ceu per organum quoddam gratiã infudit: qua fides illa prius informis iã formata redditur. Atq; hoc eſt quid dicimus gratiam per ſacramentum efficaciter præſtari, non ſignificanter ſolum. Cæterum

Eucha præſtat aliis ſacramentis.

in hoc præeminet Euchariſtia cæteris ſacramentis, quod iſta nunquam ſunt, niſi dum conficiuntur. Verum Euchariſtia poſteaquam conficitur, adhuc manet: Et quoniam ipſa quamdiu manet, habet intra ſe verum corpus Chriſti, vnde vita ſalusq; ſcaturit abundanter, certum eſt hoc ſacramentum nõ ſolum eſſe ſignum efficax, vt cætera: verum etiam efficientiam in ſe realiter cõtinere.

OEcol. *Interim tamen animaduerte, quando patres dicunt: Sacramenta nouæ legis præſtare ſalutem, reſpicere eos ad Chriſtum ipſum incarnatum vel paſſum, multifariam in veteri teſtamento præſignatum, quoniam & ipſe μυστήριον & ſacramentũ noſtrum eſt, etiam ſi è medio tollãtur omnia ſymbola externa, quibus vtitur eccleſia. Quod quia attendere pleriq; non curarunt, fœde nonnunquam ſunt lapſi.*

Roff. Non eſt dubium, quin ad Chriſtum, ſalutis omnis fontem reſpiciant patres, quoties aſſerunt ſacramenta nouæ legis conferre ſalutem. Nam

Sacramenta habent virtutem ex inſtitutione Chriſti.

Chriſti virtus illis adeſt infallibiliter, vt ſi digne ſuſcipiantur, præſtatur hauddubie gratia. Non enim ex ſeipſis hoc habẽt ſed ex inſtitutione Chriſti. Neque Chriſtus vnquam inſtituiſſet ea, niſi perſpexiſſet ea cumprimis eccleſiæ ſuæ fuiſſe neceſſaria. Æquum eſt igitur vt Chriſto cuncti obtemperemus, & tui dogmatis inſani vitemus peruerſitatem, qui Chriſtum doces ſine his abunde ſufficere Chriſtianis, quaſi hæc inutiliter & citra fructum ab ipſo tradita fuiſſent. Neque inficiamur Chriſtum ſine his ſuam gratiam conferre, quum ipſe liberrimus ſit, & non ad vnum aſtrictus modum ſuæ gratię conferendæ. Cæterũ quum non certo conſtet de fide cuiuſque, quandoquidem & peſſimi ſe teſtãtur habere fidẽ, profecto citra ſuſceptionem ſacramentorum nulla

poteſt

poteſt eſſe gratię certitudo, propter quod & Chriſtus quum de fide loquutus eſſet, adiecit etiam ſacramétum: Qui crediderit (iuqnit) & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Accedat baptiſmus fidei, & tũc hauddubie præſtatur ſalutis gratia. Nõ quod exiſtat in baptiſmo virtus quædã efficiens gratiam, ſed quod Chriſti virtus aſſiſtat, ex pacto gratiam præſtans, quoties hoc ſacramentum rite ſuſcipitur. Patres igitur qui rem iſtam attendere curarunt, neutiquam in errores lapſi ſunt, ſed vos qui iſta negligitis, fœdiſſime corruiſtis.

Marci 16. Vide hic doĉto ſuper 4. ſent.

OEcol. *Et vide, an non hoc & in Euchariſtia cõtigerit, id quod mihi veriſimile eſt.*

Roff. Egregia ſcilicet argumentatio. Mihi veriſimile eſt. Si quicquid tibi veriſimile viſum fuerit, protinus eſſet recipiendum, iam ſcio de Chriſtianorum ſalute penitus actum eſſet.

OEcol. *Dicentes enim pÿ, Chriſtum ipſum cibum animarum ſuarum, & ſacramentum illud omnium ſæculorum, non externum panem, occaſionem dederunt ſimplicioribus, Chriſtum in ipſo pane realiter (vt aiũt) eſſe, & panis ſubſtantiam fieri corpus Chriſti.*

Roff. Si nihil aliud dixiſſent, quàm quod tu recenſes, fieri potuit, vt ſimpliciores inde ſumpſiſſent occaſionem errandi. Sed quum vnanimiter omnes affirmarint Chriſtum in hoc ſacramento vere contineri, populusq́ue ita conſtanter hactenus crediderit, quomodo poſſet hoc erroneum exiſtimari, niſi velis impudenter aſſerere totam eccleſiam aberraſſe? Sed & complures eorum, publicis concionibus apud populum habitis, aperte docuerunt, panem in corpus Chriſti mutatum eſſe, quemadmodum in Chryſoſtomo non raro legimus. Quo factum eſt, vt in concilio Lateranenſi decretum ſit, vt credatur panis in corpus tranſſubſtantiari.

Panis in corpus tranſubſtantiatur.

Idem de Chryſoſtomo facit, cuius eodem loco teſtimonia plurima rem noſtram apertiſſime confirmant.

Capvt XXX.

OEcol. *INualuit poſtea pernicioſus error, ſcriptoribus luxuria verborum magnificentiã rei atteſtantibus, nunc tranſelementationem, nunc verſionem vocare audentibus, quod craſſiores capere non potuerunt, ſua ſomnia fingentes.*

Roff. Tibi videtur error, qui præ cæteris omnibus erras ipſe maxime, nimirum excæcatus, & in reprobam datus mentem, ne cernere queas quod eſt veriſſimum. Vtcunque fuerat, errare non poteſt Spiritus, qui iuxta Chriſti pollicitationẽ ſuggeſſit patribus huius rei veritatem. Errare non poteſt ipſe Chriſtus, qui conſtanter aſſerebat hoc quod ipſe porrexit Apoſtolis, fuiſſe corpus ſuum. Et qui fieri poteſt vt patres omnes erraſſent, quũ in ipſis Chriſtus & Chriſti ſpiritus locuti ſint. Apage ſis hæretice. Non errat Eccleſia, quæ tam Chriſtum, quàm eius ſpiritum, præſentes ad finem vſque ſeculi (ſi Chriſto credimus) habitura ſit. Amentiſſimi ſunt qui tibi fidunt, quum adeo diſſentias ab Eccleſia, quæ ſanctorum patrũ dogmata ſequitur, per quos & Chriſtus & Spiritus eius loquẽtes erudierunt Eccleſiam, in omni veritate neceſſaria ad ſalutem. Quare nihil præter mera ſomnia tua, meraſq; phreneſes & mendaciſſima commenta nobis fingis?

Roman. 1.

Iohan. 14. Matth. 26. Luc. 22. 2. Pet. 1. Matth. 28.

OEcol. *Quomodo & illud in ſermone quodam Chryſoſtomi, aduerſus eos qui hora terribilis menſæ myſtice in vaniloquus conuenticulis occupati ſunt. Quid facis homo, inquit, non promiſiſti ſacerdoti qui dixit: Surſum mentem & corda, & dixiſti: Habemus ad Dominum? Non venereris & erubeſcis. Et illa ipſa hora mendax inueniris. Papę. Menſa myſteriis inſtructa eſt, & agnus Dei pro te immolatur. Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit. Seraphin aſtans ſex alis faciem Dei tegentes: omnes incorporeæ virtutes pro te, cum ſacerdote intercedunt. Ignis ſpiritualis è cælo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem, ex immaculato latere hauſtus eſt. Et non erubeſcis, revereris, & confunderis, neque Deum propitium tibi facis Non conſcientia tua te indicat, ò homo. Centum ſexagintaocto horas habẽte hebdomada, vnam & ſolam horam ſibiipſi ſegregauit Deus, & hanc in opera ſecularia, & in ridicula, & in conuenticula inſumis? cum qua poſtea fiducia ad myſteria accedes? O quam polluta conſcientia. Num ſi ſtercus manibus haberes, auderes appropriare fimbriæ regis? Minime. Nũ vides panem? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit, ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita, illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluis, ſic & hic puta myſteria conſumi à corporis ſubſtantia, propter quod & accedentes ne putetis, quod accipiatis diuinum corpus ab homine, ſed ab ipſis Seraphin ignem quem ſcilicet Eſaias forcipe vidit eos accipere. Reputate ſalutarem ſanguinem, quaſi è diuino & impolluto latere effluere, & ita approximantes puris labiis accipite. Hæc in quodam ſermone Chryſoſtomi. Cui non abſimilia & Romanus Gregorius dicit. At ſi quis hebetior illa legit, ſtatim iurabit & Chryſoſtomum conſentire, non attendens quomodo loquatur.*

Roff. Quis nõ hic plane cernit te traditum in mentem reprobam, qui negas, hoc loco ſenſiſſe Chryſoſtomum verum Chriſti corpus & ſanguinem In Euchariſtia contineri. Non enim potuit rem verbis efficacioribus explicaſſe. Et hæc ad populum dixit, ad hunc modum Chriſti gregem ſibi ſub animæ ſuæ periculo commendatum inſtruxit. Longe ſemper alibi Chryſoſtomus abfuit à mendacio, verum hic modis omnibus cauiſſe debuit, vbi plebem ſuæ fidei curæque commiſſam, erudiit. hic certe nunquam huiuſmodi protuliſſet, niſi plane ſenſiſſet in hoc ſacramento Chriſtum vere contineri. Neque iſtud vno duntaxat loco docuit, ſed vbique, quoties de Euchariſtia ſermo incidit, vt nemo, niſi mente captus, negare poſſit eum ita vere ſenſiſſe. Quod ſi tua eruditio diuerſum indicet, ego iurare auſim, tuam iſtam eruditionem tandem in altiſſimum gehennę puteum, te demerſuram.

Chryſoſt. credit corp' Chriſti in Euchariſtia.

OEcol. *Quod ſi ita interpretari contenderit, quid faciet ex ſacerdote, & miniſtris, & altari, & igni, & calice? Nonne illos mutabit in Chriſtum: iſtos in Seraphin: ignem in Spiritum ſanctum, calicẽ in latus Chriſti? Sed de hoc non*

conten-

contenditur, & diaconi vere diaconi, & non Seraphin eſſe, ſalua ſignificatione conceduntur. In ſolo pane & vino, controuerſia fine caret, & præter ſignificatiam exiguntur miracula ſupra modum ſtupenda & incredibilia.

Roff. *Malo interpretatur Oecolam. verba Chryſoſt.*

Impudenter etiam admiſces mendacia quę nō dixit hic Chryſoſtomus. Non enim hic ſacerdotem Chriſtum facit, ſed dicit ſacerdotem pro improbis angi. Neque miniſtros hic mutat in Seraphin, ſed aſtare dicit Seraphin, ſex alis tegentes faciem Dei. An tu putas diaconos tegere faciem Dei? Aſſerit & omnes incorporeas virtutes pro nobis cum ſacerdote orare. Sed & de igne non corporeo, ſed ſpirituali loquitur. Ignis (inquit) ſpiritualis ex ſacra menſa refluit. Et rurſum: Ignis ſpiritualis è cęlo deſcendit. Neque calicem hic in Chriſti latus verti docuit, vt tu falſo comminiſceris, ſed ſic bibendum admonet, quaſi biberes ex Chriſti latere. Reputate (inquit) ſalutarem ſanguinem, quaſi ex diuino & impolluto latere effluere, & ita appropinquantes puris labiis accipite. Sed & verba quæ paulo ſuperius dixit, nō ſunt prorſus prætereūda. Num vides (inquit) panem, num vinnm? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit, ne ſic cogites, ſed qnemadmodum ſi cęra igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit. Sic & hic, puta myſteria conſumi à corporis ſubſtantia. Cōſumitur ergo ſubſtantia panis & vini, per pręſentiam corporis, ſicut & ſubſtantia ceræ cōſumitur ab igne. Quamobrem & nihil relinquitur ſubſtantiæ panis, qui vadat in ſeceſſum. Apertiſſima igitur ſunt mendacia, quæ tanto patri, præter omnem pudorem aut reuerentiam impingis.

OEcol. *Similes propè occurrunt locutiones, homil. 83. ſuper Matth. vbi ſacerdotem Chriſtum, & menſam noſtram, menſam cœnaculi quod in Hieruſalem: & templum, cœnaculum: & pauperes, montem oliuarum facit: & adhuc in vnam ita heremus?*

Roff. *Matth. 7.*

Rectiſſime profecto Chriſtus admonuit, quatenus attenderemus nobis à falſis prophetis, qui veniunt in veſtimentis ouium, quum ſint intrinſecus lupi rapaces, id quod manifeſtum eſt in Oecolampadio cernere. Nam ſi quis vultus & ſermonis ipſius grauitatem aſpexerit, vt hi fatentur, qui hominem conſpicati ſunt, putabit eum ingenti ſanctimonia pręditum eſſe. Verum iſte ſanctimoniæ prætextus, & forinſeca ſpecies, ouilla pellis eſt, ſub qua deliteſcit lupina rapacitas, ad deuorādum Chriſti gregem. Nam is libellus manifeſtat ipſum eſſe verum lupum, & nihil aliud moliri, quàm perniciem animarū, legat quiſquis velit Homiliam 83. Chryſoſtomi ſuper Matth. quam hic citat Oecolampadius, & perſpicue cernet, quid ſibi velit Chryſoſtomus. Nos autem inde quædam breuiter excerpemus, ex quibus dilucidū erit, quod aſſerimus. Quærens igitur primum, cur hoc paſſionis tempore Chriſtus myſterium iſtud inſtituiſſet, reſpondet, vt diſcamus eundem etiam legem ſanxiſſe veterem, & omnia quæ in illa ſunt propter nouam adumbrata fuiſſe. Hac igitur de cauſa, veritatem figuræ adiūxit. Ecce lector, quoniam prius ediſſent agnum paſchalem, qui figura ſola Chriſti fuerat, iam figuræ veritatem aſſerit adiunxiſſe, & ſacramētum iſtud inſtituiſſe, quod ipſam veritatem continebat. Propter quod & poſtea ſubdit: Si figura à ſeruitute liberauit, multo magis veritas orbem terrarū vindicabit. Et paulo poſt: præcipuam autē ſolennitatem eorū, nempe paſchalis agni diſſoluit, ac ad aliam eos menſam horroris plenā connocans, ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangetur in remiſſionem peccatorum. Continenter quærit, cur Apoſtoli nō expauerint corpus ipſum edere. Quomodo, inquit, turbati non fuerunt, quum hoc audiſſent? Reſpondet: Quia multa iam, & magna de hoc antea diſſeruit. Et iſtud certe dicit propter longum ſermonem, quē hac de re apud Capernaitas habuit, Ioban. 6. Rurſum adiicit idem Chryſoſtomus. Quemadmodum vetus teſtamentum pecudes & vitulos habebat, ita nouum teſtamētum, Dominicum ſanguinem. Et ſicut illud in rememorationem miraculorum, quæ in Ægypto fiebant, ita hoc in Chriſti memoriam fieri debere, Chriſtum iuſſiſſe docet. Cætera plurima quæ non minus ad rem faciunt, prætereo, feſtinans ad ea verba, quæ nunc citauit Oecolampadius. Ante quæ ſic ipſe Chryſoſtomus ait: Nō ſunt humanæ virtutis hæc opera quæ tunc in illa cœna confecit Chriſtus. Ipſe nunc quoq; operatur, ipſe perfecit, miniſtrorum nos ordinem tenemus. Qui vero hęc ſanctificat & tranſmutat ipſe eſt. Ecce & hoc loco, quēadmodum & in cæteris omnibus Chryſoſtomus ipſe ſui ſimilis eſt, ſibi conſentit vbique trāſmutationem aſſerens ipſius panis in corpus. Et poſtea ſubdit: Hæc enim illa non alia menſa eſt. Hæc nulla re minor quàm illa eſt. Non his verbis intelligit Chryſoſtomus, quod menſa illa, in qua primum Chriſtus corpus ſuum conſecrauit, ex iiſdem lapidibus conſtruebatur, ex quibus altare noſtrum eſt cōſtructum. Sed quod hoc altare noſtrum illam referebat, & eſt paris cum illa dignitatis, quandoqnidem & Chriſtum habeat præſentem, qui ſuūm corpus ex pane conſecrat, & ſubſtantiā panis in corpus tranſmutat. Propter quod & adiungit Chryſoſtomus: Nō enim illam Chriſtus, hanc homo qniſpiam facit. Ex his nunc, vt in aliis homiliis ſolet, poſt expoſitum Euangelium, ad exhortationem populi ſe conuertit. Hortatnr autem, vt populus percepta cōmunione ſe exiſtimet, quaſi in illo cœnaculo cū Chriſto fuiſſe, & ſic vt ipſe hinc in montē oliuarum eſt egreſſus, ita & illi ad manus pauperum exeant. Nam has oliuas eſſe dicit plantatas in domo Dei, & ab eorum manibus oleum diſtillare guttatim aſſerit, quale nobis erit, ne cū illis, ſcilicet fatuis virginibus excludamur, quæ ſuis in lampadibns oleo caruerunt. Ecce lector, propter has paucas metaphoras, quibus hic vſus eſt Chryſoſtomus, ſuperiora omnia contendit Oecolampadius eſſe metaphorica, quod quantum à veritate diſſideat, nemo ſani iudicij non dilucide perſpicit.

Cauſa inſtitutionis Eucha.

Matth. 26. Luc. 22.

Apoſtoli non turbabantur ad Chriſti verba.

Panis trāſmutatur in corpus Chriſti ſecundū Chryſoſtomum.

Concionandi forma à Chryſoſt. ſeruata.

Matth. 26. Marci 14. Matth. 25.

Cyprianus vindicatur à ſuggillatione, pariter & Oecolampadius arguitur optimos authores corrupiſſe.

Capvt XXXI.

OEcol. *NEmo offenditur legens in Cypriano ad Cecilium, populum adunatum in ſacramēto, propter mixtionem aquæ, & offenditur, quod poſt Chriſtum vinum ſanguinem dicimus, abſq; tranſelementatione miraculoſa.*

Roff. De Cypriano nullus omnino ſcrupus eſt, quin ipſe cæteris acceſſerit patribus, affirmans in Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſanguinem contineri, panisq; ſubſtantiam in Chriſti carnē tranſmutari. Cæterum, quod ais illum in epiſtola ad Cecilium ſcripſiſſe populum adunatum in ſacramento propter admixtionem aquę, neminem tamen offendi verbis illius. Profectò ſic ille ſcribit, vt nemo iure debeat offendi. Nam ex eius verbis nihil aliud accipi poteſt, quàm quod hac admixtione, ſignificetur nobis adunatio populi cum Chriſto. Neq; enim vllus hic metus eſt ne populus in calice ſit, quum ita ſcribit: Quādo in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. Ecce adunari dicit Chriſto populum, hoc eſt, adunationem iſtam figurari, per hoc quod aqua viuo miſceatur in calice. Ipſa certe res vrget, vt ſic & nō aliter accipiamus. At quod ais, nos tuis verbis offendi, quum vinum ſanguinem affirmes, atque iſtud etiam (vt dicis) poſt Chriſtum. Vbi (te quæſo) Chriſtus hoc dixit? Si locum indicaueris, ero tibi perpetuo ſeruus. Sin id nequeas, cur te nō pudet toties inuenire mendacem. Cæterum, eſſet longe tolerabilius, vt cum Luthero quis dixerit, vinum eſſe verum Chriſti ſanguinē, quàm quod tu dicis, vinum non eſſe ſanguinem, niſi tropice. Nam ille ſaltem fatetur ſanguinis in Euchariſtia veritatem, tu penitus eximis & aufers ab Eccleſia tam ineſtimabile pretium. Sed ad Cyprianum reuertamur. Is pluribus in ea epiſtola docet aquā vino miſcendam in calice, & illam commixtionem ſignificare nobis adunationem Chriſtianorum cum Chriſto, cuius corpus & ſanguinem affirmat in Euchariſtia eſſe. Sic enim ſcribit: Nec videri poteſt ſanguis eius, quo redempti & viuificati ſumus, eſſe in calice, quādo vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui ſcripturarum omnium ſacramento ac teſtimonio prædicatur. Et rurſum: Nam qui magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panē & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.

Cyprianus ſententia de Euchariſtia.

Aqua admixtio in calice ſymbolū eſt.

Cyprianus.

Pſalm. 109.
Hebr. 9.
Gen. 14.

OEcol. *Heu quis ſatis deplorarit ſcriptorum miſeriam, quorū labores, apri & beſtiæ diſperdunt, & antidota in venena conuertunt.*

Roff. Rectiſſime dicis, at parū aduertens hoc ipſum in tuum ipſius caput recidere. Deploras ſcriptorum miſeriam, qui quum tot laborib. noſtri cauſa ſuſceptis, erud̄itiſſimos pariter & ſanctiſſimos libros ediderint: nunc tamen eorum libri per apros & beſtias diſperduntur, & antidota vertuntur in venena. Apertiſſime profectò. Nam & tu ex apris & beſtiis vnus es omnium truculētiſſimus, qui ſanctiſſimorum ipſorum patrum ſcripta per falſas gloſſas, & violentas interpretationes fœde conſpurcaris, dilaceras & diſperdis, ac deniq; ſaluberrimum iſtud ſacramētum, quod ab eis, ceu ſalutis antidotum vnanimiter approbatum, tu pernicioſiſſime vertis in venenum.

Oecolam. conſpurcat bonos authores.

Producit Auguſtinum, qui ſententiam illius plane reuincit.

Capvt XXXII.

OEcol. *CAeterum ad Auguſtinum redeo, qui capite decimooctauo ad Petrum diaconum, quod ſolum hanc litem dirimere poterat, dilucide ſuper hac re agit. Oſtēdit enim Petro illi, quam in ea re ſcire ſatis, ſufficientemq; fidei regulam tradit, veluti Orientales verſaturo ſenſus aliquis hæreticæ prauitatis ſurrepere queat. at nos quamuis eam regulam ſynceriter fateamur, hac tempeſtate peßima nō defendit, quin & hæretici & inſani vocemur: quam contumeliam Deo patri relinquimus, an eam vlciſci velit. Noſtrum eſt, & patienter ferre, & vindictam non ſolum non rogare, ſed & deprecari.*

Roff. Nihil profectò mentiūtur hi, qui quum adeo perſpicuam Chriſti doctrinā inuertere coneris, te vocent hæreticum, pariter & inſanum. Nam haud ſcio an quicquam inſanius cogitari poterit. Cæterū, de vltione quod dicis, id ad teipſum potiſſimum ſpectat, qui Chriſto tam iniurius es, vt veritatem verborum eius tanto ſtudio, tantaque malitia peruertere quæras.

OEcol. *Dicit autem Auguſtinus: firmiſſime tene, & nullatenus dubites, ipſum vnigenitum Domini verbum carnem factum, ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: cui cum patre & Spiritu, à patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus, tempore veteris teſtamenti animalia ſacrificabantur, & cui nunc, id eſt, tempore noui teſtamenti, cum patre & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt vna diuinitas, ſacrificium panis & vini, in fide & charitate, ſancta Eccleſia catholica per vniuerſum orbem terræ offerre non ceſſat.*

Roff. Quid hic precor, in his verbis aduerſum nos facit? hic, vt legis, Auguſt. duo tēpora diſtinguit, nempe veteris & noui teſtamenti. Sub illo pecudum carnes in ſacrificiū offerri, ſub iſto, panis & vini ſacrificium immolari. Quibus enim verbis, plebi notioribus hoc ſacrificium appellaret, quàm panis & vini, propter ipſas panis & vini ſpecies, quæ palam ibi cernuntur. Neq; enim res noua eſt, vt quidpiā nominetur eius rei nomine, ex qua factū fuerat. Sic enim homo ſæpius in ſacris literis terra dicitur, q ppe, quod ex terra progenitus eſſet. Sic & ſerpens, quum in eum virga cōmutaretur, virgę nuncupationem retinuit, dicente ſcriptura: Sed deuorauit virga Aaron virgas Magorum, Exo. 7. Similiter & Iohan. 2. ſcriptum eſt: Poſtquā autem guſtaſſet architriclinus aquā in vinum verſam. Ecce & hic aquę nomenclaturā vinum ſortitur, quod videlicet ex aqua factū ſit. Ad hunc modum & Auguſtin. iſtud ſacrificium, quod in altari celebramus, panis & vini ſacrificiū vocat,

Eucha. vocatur panis & vinum.

Res nominatur nomine rei vnde facta eſt.

Sap. li. 2. c. 12.

vocat, nimirum, quod ex pane vinoque corpus & ſanguis Chriſti (quæ ſacerdos ibidem offert) virtute verborum Chriſti conficiantur. Nam ſi nihil ibi fuerit aliud, qnàm fruſtulum panis & puſillũ vini, quid hæc iam tot aliis corporalib. ſacrificiis ante repudiatis Eccleſia ſancta per vniuerſum orbem tam iugiter offerat Deo. Quid igitur Auguſtinus in hoc ſacrificio cenſeat offerri, nõ eſt obſcurum ex locis innnmeris, ſi qnis diligentius libros ab eo ſcriptos euoluerit. Non aliã igitur huius ſacrificij rem intelligit, quàm eam de qua orſus fuit, nempe carnem & ſanguinem Chriſti, quę pro nobis olim patri obtulit. Quid enim iam ſolã vmbram in ſacrificiũ iuberet immolari, qui quũ cæteras vmbras, tum paſchalem agnũ (expreſſiorem vtiq; paſſi Chriſti figurã, quàm panis & vinũ ſit) dudũ reieciſſet. Sed pergamus in Auguſtino.

OEcol. *In illis enim carnalibus victimis, figuratio fuit carnis Chriſti quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorum noſtrorum. In iſto autem ſacrificio, gratiarum actio, atq; commemoratio eſt carnis Chriſti, quã pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

Roff. Hic hauddubie confert ſacrificium iſtud cum veteribus illis ſacrificiis olim antiquatis, & docet carnales illas victimas, figurationẽm fuiſſe carnis & ſanguinis Chriſti, ſicut & reuera fuerãt ſola figuratio. Verum noſtrum ſacrificium non ita ſola figuratio eſt, ſed res ipſas præterea continet, quas offerimus, alioqui nihil intereſſet inter illud vetus ſacrificiũ, quod tum offerebatur, & iſtud nouum, quod hodie catholica per orbem offert Eccleſia, ſicut & tu contendis. Sed longe alia mens Auguſtino fuerat, vti quũ ex aliis innumeris locis, tum ex c. 6. lib. cui titulum fecit, de quarta feria, liquet. Sic enim ibi recenter baptizatum alloquitur dicens: Tn autem anima Chriſtiana, quæ aſcenſura es ex ſacratiſſimo fonte, rubore atq; decore perfuſa: nimis ſpecioſa & candida, ſerua decorẽ tuum: Agnoſce quid fueris, & quid eris: Vide ne deſeras menſam ſpõſi tui. Vt pulchra permaneas, carnem eius quotidie manducabis: vt vitam æternam habeas, ſanguinem eius potabis. Vide ne deſeras hãc menſam. Et paulo poſt: Menſa ſponſi tui panem babet integrum, & calicem ſanctum: quem panem, & ſi fractum comminutumqne vidimus in paſſione, integer tamen manſit in illa ſua cum patre indiuidua vnitate. De iſto pane, & de iſto calice dicebat ipſe Dominus: Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita: Et calix quem ſanctificauero, ſanguis meus eſt: qui pro vobis fundetur in remiſſionem peccatorum. Superins enim dixerat: Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non babebitis vitam in vobis. Quod verbum audientes nec intelligentes diſcipuli, dixerunt: durus eſt hic ſermo: Quis eum poteſt audire? Et multi ex hoc verbo ſcandalizati, diſceſſerunt. Hæc Auguſtinus. Vbi perſpicis lector, quid in hac menſa cenſeat Auguſtinus contineri, & quomodo id quod panem hic appellauit, affirmat in cruce fuiſſe fractum & comminutum. Videre licet etiam ex his verbis, 6. cap. Iohannis, Auguſtini ſententiam ad Euchariſtiam pertinere.

Eucha. figura & res eſt.

Iohan. 6.
Matth. 26.
Iohan. 6.

Auguſt. ſententia de Euchariſt.

OEcol. *In illis ergo ſacrificiis quid nobis eſſet donandum, figurate ſignificabatur: in hoc autem ſacrificio, quid nobis donatum ſit, euidenter oſtenditur.*

Roff. Hic rurſum alteram facit Auguſtin. comparationem: Et attende qualem. In illis (inquit) ſacrificiis, quid nobis eſſet donandum, figuratè ſignificabatur. In hoc autem ſacramento, non dicit figuratè ſignificari, ſed quid donatum ſit, euidenter oſtendit. Profecto ſi quid donatum ſit nobis euidenter oſtendatur in boc ſacramento, non ſolum figura, quemadmodum in illis prioribus, ſed & ipſa corporis ac ſanguinis Chriſti veritas nobis in hoc ſacramento tradita eſt.

OEcol. *In illis ergo ſacrificiis prænunciabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem, pro impiis annunciatur occiſus. Hæc Auguſtinus.*

Roff. Tertiam ſuperioribus conferentiam annectit, inquiens: In illis ſacrificiis prænunciabatur filius Dei, pro impiis occidendus. In hoc autem pro impiis annunciabatnr occiſus. Et vere quidem annunciatur, quandoquidem ipſius verum corpus, & verus ſanguis populo ſingulis diebus oſtenditur. Quid precor in his verbis reperitur, quod contra noſtram ſententiam militet. Quod ſi tu paria contendis hic veteris & nouæ legis eſſe ſacramenta, manifeſte tibi reclamat Auguſtinus prologo Pſalmi 73. vbi per ordinem hæc tria memorat, quæ ſequuntur. Primum, ſacramenta nouæ legis teſtatur dare ſalutem, & ſacramenta veteris legis tantum promittere. Secnndum, ſacramenta nouæ legis affirmat eſſe faciliora, pauciora, ſalubriora, feliciora, quàm ſacramenta veteris legis. Tertium, ſacramenta iſta vocat ludicra puerilia, comparatione ſacramentorum nouæ legis. Hæc (inquam) tria per ordinem habẽtur in prologo Pſalmi 73. Cæterum neque ſi vocaſſet Auguſtinus hoc ſacrificium, ægre tuliſſemus, quandoquidem & tria diſtribui tempora nouerimus ex Ambroſio: Vnum legis, alterum gratiæ, tertiũ gloriæ. Sub tempore legis, tantum vmbræ fuerant. Sub tẽpore gloriæ, ſola veritas citra quamnis vmbram. Sub hoc tempore, nempe gratiæ, nec ſola veritas, neque vmbra ſola, ſed ſub vmbra latens veritas, quemadmodum hauddubie factũ eſt in hoc ſacramento. Eſt enim hic & veritas & figuratio: veritas lateris corporis: figuratio vero, quædam & repræſentatio corporis, quod in cruce pallidum & exangue pependit. Quicunq; ſunt orthodoxi, vtramq;, hoc eſt, & veritatem & figurationem fide ſpectant. Oecolampadius vero qui figuram tantum reſpicit, in barathrum huius hęreſeos miſere collapſus eſt.

Sacramenta vtriuſq; legis differunt.

Tempus triplex.

Tempore gratia veritas ſub vmbra latet.
Iohan. 19.

OEcol. *Nonne omnia ſatis aperte & perſpicue prodidit, ac prorſus noſtræ conſentanea ſententia. Rationem ſacramenti docet, impanationem carnis, quæ tamen neceſſaria erat, ſiquidem ad fidem pertinebat, non commendat.*

De car-

ROFF. *Panis nõ manet in Eucha. Auguſtin. de Verbis Domini ſerm. 28.*

De carnis impanatione reſpondeant tibi Lutherani, nam ij manere panē exiſtimant vna cum corpore Chriſti. Nos iſtud negamus, quemadmodum & Auguſtinus alibi docet. Quum de ſacramētis (inquit) tractarem, dixi vobis, quod ante verba Chriſti id quod offertur, panis dicatur, vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam nō panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ poſtea ſequitur, ait: Panem noſtrum quotidianum. Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt, ſuperſubſtantialem. Non iſte panis, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Hæc Auguſtinus de verbis Domini, ſermone 28. Ecce hic palam aſſerit Auguſtinus, non manere panem, qui quum edatur, tranſit in ſubſtātiam corporis noſtri, ſed ille, per verba Chriſti ſacramētalia, vere mutatur in corpus Chriſti, ſic quod id quod offerebatur ante verborum prolationē, panis erat verus, prolatis autem verbis, tranſit in corpus Chriſti. Nihil igitur ad nos pertinet impanatio, quam dicis. Cæterum quod Auguſtinus plane ſentiat in hoc ſacrificio, quod ſuperius vocauit panis & vini verum Chriſti corpus contineri, perſpicuum eſt ex 17. de ciuitate Dei, cap. 20. vbi de ſacra menſa altaris loquitur. Participem (inquit) fieri menſæ illius ipſum eſt incipere habere vitam. Nam & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibit. Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem huius menſæ pertinet, quam & ſacerdos ipſe mediator teſtamenti noui exhibet, ſecundum ordinem Melchiſedech, de corpore & ſanguine ſuo. Id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Hactenus ille. Et paulo poſt ſubiungit: Quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus, corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Quid poteſt his verbis expreſſius cogitari? Et certe manifeſtū eſt, ſi nihil eſſet in hoc ſacrificio, præter panem & vinum, vt tu moliris Oecolampadi, nihilo magis hoc ſacrificium nobis conferre potuit, quam ſacrificium vitulorum & taurorum illis contuliſſent, qui fuerant ſub lege veteri, de quibus Paulus ait, quod impoſſibile eſt ſanguine taurorum & vitulorum deleri peccata.

Math. 6. — *Pſalm. 109.* — *Auguſtinus.* — *Hebr. 10.*

Non eſſe tropum in Pauli verbis, vbi dicit: Petra autem erat Chriſtus.

CAPVT XXXIII.

OECOL. *ET liquidum eſt, non minus admittendum tropum ſermonis, dum dicit Chriſtus: hoc eſt corpus meum, quàm dum Paulus inquit, Petra erat Chriſtus.*

ROFF. *Lib. 2. c. 1.* Superius tibi reſpondimus, Paulum non de petra ipſa corporea, ſed de ſpirituali, quæ Iudæos vbique comitabatur, fuiſſe locutum. Et hæc petra ſpiritualis petra citra tropum omnem fuit Chriſtus. Conſule Græcum Codicem. Conſule pariter & Chryſoſtomum, hæc ipſa verba interpretantē, & verū eſſe reperies quæ dico. Nec inficior, quin hic Auguſtinus ita plane ſenſerit, non ſatis attendens Græcum Codicem, qui de ſpirituali petra palam loquitur. Sed quum Origenes, quēadmodum alibi dicimus, ita quoq; videtur Paulum intellexiſſe, culpa vacat Auguſtinus. Senſit enim vterque quod petra ipſa corporea figurabat Chriſtum, quod & verum eſſe, quis negat. Cæterum iſtud modis omnibus reiicio, quod in illis Pauli verbis tropus aliquis fuerit, quum dixit: Petra erat Chriſtus.

Aug. excuſatur.

OECOL. *Sicut enim patres per corporalem cibum inſtruebantur de ſpirituali: ita & nos quoq;.*

ROFF. Procul erras à ſcopo. Nam patribus haud dubie cibus qui dabatur, figurabat alium cibum, qui poſtea fuerat Chriſtianis exhibendus: hoc eſt, ipſum Chriſti corpus in Euchariſtia. Illis cibus figura fuit cibi, at noſter cibus eſt ipſa res, per cibum illorum corporalem deſignata.

OECOL. *Et ſicut nobis corpus Chriſti eſt panis, ita illis Chriſtus erat Manna.*

ROFF. *Lib. 2. c. 8. & ca. 28.* Similitudinem hanc tuam de Manna & pane altaris, ſæpius exploſimus, modo ſic intellexeris, quod panis altaris nihilo verius in ſe contineat corpus Chriſti, quàm Manna, ſed quod vtrunq; figura dumtaxat eſſet. Verum quidem eſt, quod vtrunque Chriſtum repræſentabat, at hoc intereſt, quod hic præter figurationem etiam corporis veritate potiatur, illud vero tātum figura fuerit, & huius haud dubie cibi figura, quemadmodum ſæpius oſtendimus.

OECOL. *At patribus, & amicis Dei dilectiſſimis, & omniū ſanctiſſimis denegatum fuiſſet, quod nūc in pollutis impientiſſimorum hominum manibus tractari vulgo dicitur.*

ROFF. *Ioan. 1.* Hoc eſt quod in errorem iſtum te præcipitauit, nimirum fidei patrum tantum tribuens, vt nihil præ illis nobis relinquas. Patribus profecto recte negata fuit ipſius corporis contrectatio, quippe, quod nondum extabat. Neque enim tūc verbum caro factum eſt, neque ſacramentum iſtud confectum, in quo Chriſti corpus realiter ederetur, quemadmodum & nunc nobis datur edendum. Quare ſtulte contendis aduerſus veritatem, quæ cunctis eſt notiſſima.

OECOL. *Ignoſce quæſo digreſſionibus lector, quandoquidem ita digredi eſt in ipſiſſima orbita manſiſſe.*

ROFF. Si lector fuiſſet attentus his quæ hactenus per te ſcripta ſunt, liquido perſpiciet, nunquam diu in orbita fuiſſe moratum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

PROOEMIVM TERTII LIBRI, IN QVO QVATVORDECIM CORROBORATIONES AFFERVNTVR AD CONFIRMANDAM VERItatem *corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.*

NVNC igitur in huius tertij Libri præfatione, priuſquam illis rationibus reſpondeamus, quibus OEcolampadius oſtendere molitur, nõ eſſe verum Chriſti corpus in Euchariſtia, ſed tantum corporis ipſius figuram, nos quatuordecim corroborationes afferimus, quibus (modo digne trutinentur) quiſque Chriſtianus hauddubie ſuum animum in huius ſacramenti fide ſolide conſtabilire poterit. 1. Veritas corporis Chriſti in Euchariſtia, verbis eiuſdem clariſſimis cõprobatur. 2. Immenſitate amoris Chriſti fulcitur eadem. 3. Conſenſu patrum eadem corroboratur. 4. Pollicitationibua Chriſti confirmatur. 5. Conciliis pluribna ſtabilitur. 6. Miraculis innumeris demonſtratur. 7. Reuelationibus fide digniſſimis communitur. 8. Chriſti patrocinium aduerſus hæreſes nunquam defuit. 9. Pie frequentantes hoc ſacramentum, in omni virtute profecerunt. 10. His qui perperam de hoc ſenſerunt, infeliciter ſucceſſit. 11. Hoſtes huius ſacramenti nullas pro ſe claras habẽt ſcripturas. 12. Nullina orthodoxi ſolidum afferunt teſtimonium. 13. Miracula nulla, nullaſque reuelationes adducere queunt. 14. Diſſentientes ab eccleſiæ communi fide, mutuo ſe iugulant. Quas ſingulas etiam corroborationes nunc ordine latius deducemus.

PRima corroboratio ſumitur ex ſcripturis ipſis, quæ communem eccleſiæ ſententiam teſtantur a- CORROB.
pertiſſime, atq; id citra gloſſam aliquam, aut tropum, vt in quarto libro dicturi ſumus copioſius. I.
Circumſtantiæ ipſæ ſcripturarum, à quibus & illuminari ſcripturas Auguſtinus affirmat, litem huius
negocij potenter & efficaciter dirimunt. Nam & longo tempore, priuſquam Chriſtus cœnam illam,
quam Dominicam vocamus, cum diſcipulis habuiſſet, pollicitus eſt ſe daturum ſuis panẽ carnis ſuæ,
nempe quod dixit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Meminit paulo *Iohan. 6.*
ante panem alterius generis à Moſe Iudæis fuiſſe datum, nempe Manna, quod neutiquam edentibua
immortalitatem præſtare valuit. Meminit & patrem poſtea dediſſe panem verum hominibus, nempe
verbum incarnatum, quod & per Manna figurabatur. Tertio loco ſubiungit ſe daturum panem carnis
ſuæ cunctis edendum, neq; id ſolum, ſed & eandem carnem iridem ſe morti daturum recepit pro
mundi vita. Bis enim dixit, dabo, neque fruſtra certe, quanquam hunc locum oſcitanter multi præ- *Chriſtus bis*
terierũt. Nam hic tranſlatio noſtra ſemel habet, dabo, quum tamen Græci codices conſtanter bis ha- *dixit, dabo.*
beant, dabo. Semel enim in ipſa cœna, iuxta pollicitationem illam, Chriſtus panem carnis ſuæ dedit *lib. 1. c. 7.*
Apoſtolis, nimirum quando panem acceptum in ſuas manus, benedixit, fregitque, & dedit diſcipulis,
dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc eſt enim corpus meum. Dedit rurſum & poſtridie, *Matth. 26.*
quam hoc dixiſſet, carnem ſuam ad mortem crucis pro totius mundi vita. Iam aduerte lector, quàm *Luc. 22.*
citra tropum aliquem ſcripturæ ſibi conſentiant, quod in Euchariſtia ſit verum corpus Chriſti. Accedit his, quod paulo ante Paſchalem agnum, iuxta ritum Iudaicæ legis, ederat cum Apoſtolis. Erat autem & is agnus figura quædam corporis Chriſti, & necem Chriſti futuram repræſentabat, neque tamen quum illum ederet, affirmauit illic fuiſſe corpus ſuum, neque diſcipulorum pedes antea lauit, neq; vehementem affectum edendi ſe habere teſtabatur, quemadmodum fecit, quum Euchariſtiam inſtituiſſet. Hic enim palam aſſeuerauit ſuum corpus eſſe, pariter & quo puriores diſcipuli ſui forent
ad eſum tanti ſacramenti, pedes eorum ante lauit. Sed & præmiſit ſe magno deſiderio deſideraſſe no- *Iohan. 13.*
uum iſtud Paſcha, in quo verus ipſe agnus continebatur, vna cum diſcipulis ſuis manducare. Hæc nunc ſtrictim commemoraſſe ſufficiat, quantum ad primam corroborationem attinet, nimirum vt intelligamus ipſas pro noſtra parte ſcripturas robuſtiſſime diiudicare, de quibus poſtea fuſiorem tractatum habituri ſumus.

Si nullæ penitus eſſent ſcripturæ, quibus huius ſacramenti veritas comprobetur, non eſſet ta- CORROB.
men alienum à munificentia tanti principis, imo tam amantiſſimi ſponſi, munus tam incomparabile II.
ſuæ ſponſæ relinquere. Nam is affectus natura comparatus eſt, & inſitus omnium hominum pectoribus, vt quum ab his, quos vehementer amant, ſint aliquanto tempore diſceſſuri, monumentum aliquod eis relinquant, quo dum abſentes fuerint, ipſi facilius & crebrius ad memoriam reducantur.
Hunc affectum ignorat nemo, qui vim amoris aliquando perſenſerit. Quamobrem, quum tanta *Cant. 1.*

charitate ſponſam ſuam eccleſiam ardebat Chriſtus, vt pro ea non recuſauerit corpus ſuum omni-
Iohan. 3. bus ærumnis & cruciatibus mortis exponere, pariter & vniuerſum effundere ſanguinem, cur alie-
Apoc. 1. num ab huius amoris immenſitate putari debet, vt nobis eadem tribuat in memoriam ſui. Pau-
Matth. 17. perculum ſane munuſculum fuiſſet, & prorſus indignum tanto principe, pro monumento ſui, fru-
Luc. 23. ſtulum donaſſe panis, vel figuram quandam, & nudam repræſentationem ſui tribuiſſe. Quamob-
Marc. 15. rem & conſpicuum cuiuis eſſe poteſt, friuolam aſſertionem eſſe, quæ ſtatuit nihil amplius in hoc
Iohan. 19. ſacramento contineri, præter panem & vinum. Nam & hoc ſacramentum in Chriſti memoriam,
Luc. 22. ab ipſo Chriſto, ſponſæ ſuæ relictum, nemo negare poterit, quandoquidem ipſe dixit: hoc in me-
moriam mei facite. Quod ſi diligenter explorauerimus affectum cuiuſque, qui quum ſit à coniu-
ge ſua chariſſima diſceſſurus, xenium quoddam relinquere meditatur, comperiemus illum ea men-
te eſſe, vt ſi fieri poſſet, ſeipſum in ipſo xenio relinqueret. Nam & principes, qui curant imagi-
nes efficaciſſime ſui repræſentatrices depingi, vel donandas, vel mittendas amicis, eadem facilitate
ſi præſtari per eos poſſet, ſeipſos donarent ſub imaginibus illis. Animus profecto non deeſt, iſtud
præſtandi, tametſi potentia pariter & arte careant, quo minus iſtud valeant exequi. Cæterum
Luc. 1. Chriſto nec animus deeſt, quippe qui nos adeo deamauerit, vt longe duriora pro nobis aggreſſus ſit:
Gen. 1. neque potentia, qui & imperio ſuo cuncta fecit ex nihilo: neque demum ſapientia, qua tam com-
Iohan. 1. mode præſtet hoc ipſum, vt & citra quamuis iniuriam ſui corporis, & citra crudelitatem & horro-
Pſal. 103. rem edentium, ſuam carnem nobis edendam impendat. Certe ſi dediſſet corpus ſuum in ea ſpe-
Rom. 11. cie, qua nunc reſidet ad patris dexteram in ſumma gloria, quis ferre poſſet fulgorem tantæ maieſta-
tis? vel ſi dediſſet in mortalis cuiuſpiam hominis effigie, quis tam crudelis eſt, vt dentibus ſuis car-
nem adeo precioſam lacerans tantam iniuriam Chriſto faceret? Si denique portiunculam aliquam
carnis crudæ nobis exhibuiſſet, quis non abhorreret, ſub eo ſimulachro cibum eiuſmodi manduca-
re? Modum igitur alium excogitauit illa ſumma Chriſti ſapientia, quo nobis carnem ſuam donaret
edendam, nimirum impaſſibilem, & ſub ſpecie panis, vt ita nec iniuriam ipſe pateretur vllam, neque
Rom. 11. nos horrorem aliquem ex ipſius eſu caperemus. Quo fit, vt merito cum Paulo exclamemus: O alti-
tudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Liquet igitur ex his quàm ſit amatori tanto & tam incom-
parabiliter ardenti conſentaneum, vt quum per corporalem præſentiam eſſet à chariſſima ſua ſponſa
diſceſſurus, ſeipſum in monumento quodam reliquiſſet. Quam rem quum & ipſe ſuis verbis abunde
Matth. 26. ſit teſtatus, dicens: Hoc eſt corpus meum, quis tam impius eſt, vt non credat ibi verum Chriſti cor-
Mar. 14. pus contineri?
Luc. 22.
CORROB. III. Tertiam his duabus annectemus corroborationem, hanc videlicet, quod vniuerſa patrum or-
thodoxorum auctoritas huic ſententiæ concorditer aſſentitur, nimirum quod in Euchariſtia ve-
rum Chriſti corpus contineatur. Cæterum quoniam hanc rem prolixius oſtenſuri ſumus in præfa-
tione quarti libri, iam tantum indicabimus quid ſuper his Chriſti verbis quidam eorum ſenſerint,
quorum auctoritas nemini contemnenda eſt. Chryſoſtomus igitur Homilia octuageſima tertia ſu-
per Matthæum, vbi de verbis illis copioſe diſſeruiſſet & dilucide ſane, tandem ſubdit: Credamus
itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videa-
tur, quod dicit, ſuperet & ſenſum, & rationem noſtram quoque in omnibus, & præcipue in myſte-
riis faciamus, non illa, quæ ante nos iacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque eius tenen-
tes. Nam verbis eius defraudari non poſſumus, ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt: illa falſa
Matth. 26. eſſe non poſſunt, hic ſæpius atque ſæpius fallitur. quoniam ergo ille dixit: hoc eſt corpus meum,
Luc. 22. nulla teneamur ambiguitate; ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Aduertis lector,
quid hic dicat, nequaquam in hoc ſacramento ſenſibus noſtris fidem adhibendam, ſed Deo, qui
non fallit, ſed Chriſti verbis, quibus ipſe dixit, hoc eſt corpus meum. Cyrillus item Chriſti verba
Iohan. 6. tractans, nimirum hæc: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c.
ſic ait: Quomodo quidem carnem ſuam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi non
potuerunt: quam magna vero bona, ſi cum fide manducabunt, adipiſcentur, id iterum atque iterum
aperit, vt æternæ deſiderio vitæ ad fidem compellantur, per quam etiam doceri facilius poterint. Sic
Eſa. 7. enim Eſaias dixit: Si enim (inquit) non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primum
radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda ſunt. Illi vero antequam crede-
rent, importune quærebant. hac igitur de cauſa Dominus, quomodo id fieri poſſit, non enodauit,
ſed fide id quærendum hortatur: ſic credentibus diſcipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipi-
Matth. 26. te & manducate, hoc eſt corpus meum. Calicem etiam ſimiliter circumtulit, dicens: Bibite ex hoc
Luc. 22. omnes, hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Perſpi-
cis, quia ſine fide quærentibus myſterij modum, nequaquam explanauit, credentibus autem, et-
iam non quærentibus expoſuit. Audiant hæc, qui ex arrogantia nondum Chriſti fidem ſuſcipere vo-
Iohan. 6. lunt. Niſi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebi-
tis vitam in vobis. Non enim poſſunt cum ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſti-
cam benedictionem Ieſum non ſuſceperunt. His accedit & Cyprianus in concione de cœna Domi-
ni, ſic dicens: Cœna itaque diſpoſita inter ſacramentales epulas obuiarunt ſibi inſtituta antiqua &
noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter
apponit diſcipulis, nec iam ad elaborata impenſis, & arte conuiuia populi inuitantur, ſed im-
morta-

mortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciē, ſed
virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchi- *Gen. 14.*
ſedech prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem pro- *Matt. 26.*
fert & vinum, hoc eſt (inquit) corpus meum. Manducauerant & biberant de eodem pane ſecundum *Luc 22.*
formam viſibilem, ſed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus e-
rat, & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam *Luc 22.*
commemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcunque his verbis & hac fide
actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſa-
lutemq; proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas ini-
quitates exiſtens. Et paulo poſt ſubiicit: Orta fuerat aliquando, ſicut in Euangelio Iohannis legitur, *Iohan. 6.*
de nouitate verbi huius quæſtio, & ad doctrinam myſterij huius obſtupuerant auditores, cum diceret
Dominus: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vi-
tam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro, quia hor-
rendum eis & nepharium videbatur veſci carne humana, exiſtimantes hoc eo modo dici, vt carnem
eius vel elixam, vel aſſam, ſectamq; membratim edere docerentur.

Colligitur & huius ſacramenti veritas ex ipſius Chriſti pollicitationibus. Plurima ſane pollici- CORROB.
tus eſt ipſe Dominus noſter, ex quibus colligere certo poſſumus, cum neutiquam fuiſſe paſſum eccle- IIII.
ſiam ſuam in errore tanti diſcriminis per tot annorum centenarios iacuiſſe. Sic enim fruſtra nobis di-
xiſſet: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quomodo (pre- *Matth. 28.*
cor) affuiſſet eccleſiæ ſuæ, ſi tantam idololatriam tot ſeculis eam exercere permiſiſſet, nimirū vt crea-
turam pro creatore adoraret, & merum panem pro vero Chriſto. Quod enim ſcelus diuina maieſtas
plus vnquam abhorruit, & odio proſecuta eſt implacabiliori, quam idololatriæ flagitium? Quare ſi
fœdari ſuſtinuiſſet eccleſiam tam horrendo crimine tantoque temporum curriculo, quomodo ve-
rum eſſe potuiſſet, quod promiſerat ſe nobiſcum futurum omnibus diebus vſq; ad cõſummationem
ſeculi? Pollicitus inſuper fuit, & Spiritum ſanctum in eccleſia permanſurum, quatenus eam inſtrue-
ret in omni veritate. Ego (inquit) rogabo patrem, & alium conſolatorem dabit vobis, vt maneat vo- *Iohan. 14.*
biſcum in æternum, Spiritum veritatis. Et rurſum: Quum venerit ille, qui eſt Spiritus veritatis, du-
cet vos in omnem veritatem. Adhæc: Paracletus autem ille, qui eſt Spiritus ſanctus, quem mittet pa- *Iohan. 16.*
ter in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixi vobis. Num non
veracem in promiſſis ſuis Chriſtum exiſtimabimus? Quod ſi verax ſit, de quo vel quicquam dubitare
nefas eſt, haud dubie Spiritus iſte veritatis nobiſcum in eccleſia reſidet, eamq; duxit in omnem fidei
veritatem, ſed & erudiuit & explanauit, ſi quid in his Chriſti verbis fuiſſet ambiguum. Suggeret (in- *Iohan 14.*
quit) vobis omnia quæcunque dixi vobis. Quare ſi verba Chriſti ſunt, hoc eſt corpus meum, diluci- *Matth. 26.*
dum eſt, quòd & Spiritus horum veritatem eccleſiæ Chriſti ſuggeſſiſſet. Accedit his, quod de fide ſit *Luc. 22.*
pollicitus itidem, eam videlicet eccleſiæ non defecturam. Non deficiet (inquit) fides tua Petre. Hæc *Luc. 22.*
certe fides Catholica, quæ à ſede beati Petri manauit ad nos, quamdiu noſtra ſucceſſio manſura ſit, in
hac miſeriarum valle nunquam deficiet & extinguetur. At ſi tanto tempore perperam de his Chriſti
verbis credidiſſemus, quis non videt extinctam fuiſſe fidem? Neque iſtud nobis inficiabitur OEco-
lampadius, qui verbis hiſce rem ipſam dilucide teſtatur. Neceſſe eſt (inquit) vel Chriſtum abnegare
in omnibus, & mendacem facere, vel illi in omnibus credere. Nam qui in vno diſcredit, in nullo cre-
dit, & ſi in quibuſdam non contradicit, non tamen in illis Chriſtum audit. Ecce quam aperte doceat,
quod qui Chriſto diſcredit in vno, idem in nullo credit. Quamobrem & eccleſia ſi non hactenus huic
verbo Chriſti recte credidiſſet, recta pariter fide caruit cæterorum omnium. Succurrit & illud, quod
promiſiſſet inſuper Chriſtus, portas inferi minime præualituras aduerſus eccleſiam ſuā: At quis non *Matth. 16.*
intelligit iam per tot ſecula præualuiſſe portas inferi, ſi tam peſtifero errore, victa eccleſia, panem tam
perfide pro Chriſto coluiſſet. Nam ſi præcipitaſſet eam Satanas in tantam perfidiam, vt nec de Chriſti
verbis ad hunc vſque diem recte ſenſiſſet, neque rectum hoc toto tempore cultum omnipotenti Deo
tribuiſſet, ſed meram adoraſſet creaturam loco Dei, quis non plane perſpicit miſerrima ſeruitute Ca-
tholicam eccleſiam à portis inferi preſſam & deuictam eſſe? has igitur & cæteras Chriſti pollicitatio-
nes, ſi quis exacte trutinauerit, comperiet, ni fallor, ipſam quam hactenus de Euchariſtia fidem & te-
nuit & docuit eccleſia, ſolidiſſimam confirmiſſimamq; eſſe.

Corroboratur etiam conciliis pluribus, quæ & pro confirmanda fide Catholica per ſummos CORROB.
pontifices in Spiritu ſancto congregata fuerunt. Proditur in hiſtoria tripartita lib. 7. cap. 11. Meſſalia- V.
nos quoſdam hæreticos fuiſſe, quos εὐχίτας, id eſt, orantes vocarunt, qui inter cætera dixerunt diui-
num cibum nihil nec prodeſſe, nec lædere, cibum videlicet illum, vt Theodoricus illic ait, de quo
Dominus Ieſus dixit: Qui comedit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, viuet in æternum. *Iohan. 6.*
Aduerſum hos primum Litoius præſul Melitenſis eccleſiæ diuino zelo decenter ornatus, quum cer-
neret hac hæreſi multa monaſteria, quaſi latronum ſpeluncas euaſiſſe, curauit vt incenderentur, &
vt ab ouibus lupi ſepararentur. Similiter & Amphilochius famigeratus Lycaonenſis antiſtes, dum
peſtis illic creſceret, eam valde repreſſit, & oues quæ tali contagione vexabantur, eripuit. Flauianus
quoque præſul Antiochænus accerſita turba monachorum Antiochiam, quorum vſus prudentia,
complures ex eiſdem hæreticis, qui in Edeſſa viciniſque oppidis venenum illud ſparſerant, conui-

ctoſque mox è Syria cunctos expulit. Et quid aliud in hoc libello docet OEcolampadius, quam quod illi hæretici docuerant, quum aſſerat hoc ſacramentum ſymbolum duntaxat eſſe, vt paulo poſt intelliges lector, neque per ipſum nos gratiam aliquam conſequi, ſed fide ſola in Chriſtum, panemque ſolum hoc eſſe, nec in eo verum Chriſti corpus contineri. Poſt hæc in Epheſina ſynodo, in qua ducenti patres, ob Neſtorianæ hæreſeos condemnationem, congregati fuerant, diffinitum & hoc ipſum fuit, nimirum quod veram Chriſti carnem, quæ viuificatrix eſt, in Euchariſtia ſumimus, de qua ſynodo poſtea pluribus dicturi ſumus. Erat enim apud veteres magnæ auctoritatis. *Cõcilia quatuor approbata.* Nam quatuor illa concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Calcedonenſe Gregorius pontifex ſanctiſſimus approbauit, tanquam quatuor Euangelica: cuius verba ſubiiciam: Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor, Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arrij dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas indicatur: Calcedonenſe vero, in quo Euthicis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. Et cuiuſlibet vitæ atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiam ſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet. Rurſum, Berengarius quidam homo nullius eruditionis, gloriæ tamen cupidus, aduerſus Euchariſtiæ ſacramentum eandem hæreſim, quam nunc OEcolampadius aſſerere molitur, ſuſcitauit: docens ipſum ſacramentum ſolam figuram eſſe corporis Chriſti. Cuius occaſione, Leo nonus, vir (vt omnes hiſtorici referunt) ſanctimonia vitæ conſpicuus, Concilium Vercellenſe celebrauit, in quo & Berengarium, compliceſque eius, niſi quamprimum reſipiſcerent, perpetuo damnauit anathemate. Cuius rei Platina meminit his verbis: Ad Leonem redeo, virum certe pietate, innocentia, benignitate, gratia, hoſpitalitate adeo inſignem, vt eius domus peregrinis & pauperibus ſemper patuerit. Nam quum ſemel ante fores ſuas, leproſum pauperem inueniſſet, eumque pie miſericordia collocari in lecto ſuo mandaſſet, apertis mane à ianitore foribus nuſquam pauper inuentus eſt, Chriſtum pauperis nomine eo loci recubuiſſe creditum. In rebus præterea ad religionem pertinentibus tanta diligentia & ſolertia vſus eſt, vt & in concilio Vercellenſi Berengarium hæreſeos auctorem damnauerit. Hactenus Platina. Interea Leo nonus moritur, & Berengarius in obſtinatia ſua pergit, venenum ſuæ hæreſis per Gallias diffundens, quo factum eſt, vt Hildebrandus, eccleſiæ Romanæ tunc Archidiaconus, ſynodi Turonis congregatæ præſidens, eundem Berengarium per quoſdam eruditiſſimos viros, & maxime per Lanfrancum conuincit. Sed nec ſic deſtitit miſer ille, quin adhuc inſani ſui dogmatis ſemina ſpargeret, ob quod & Nicolaus ſecundus (vt Gvvimundus & alij tradunt) eum Romam accerſiuit, vbi concilio 113. epi- *De conſ. diſt. 2. c. Ego Berengarius.* ſcoporum habito, Berengarius hæreſim ſuam, conceptis verbis, quæ in Decretis recenſentur, abiurauit. Cæterum adhuc poſtea mutauit animum, & diuerſam hæreſim excogitauit. Nam vbi primum aſſeruit, quod ſacramentum ipſum tantum figura fuerat corporis, non ipſum verum corpus Chriſti, iam docere cœpit, illic verum affuiſſe corpus, ſed vna cum eo manere ſubſtantiam panis. Cuius rei gratia per Gregorium ſeptimum iterum ad concilium multorum Epiſcoporum Romæ habitum accerſitus Berengarius, errorem ſuum reuocauit, quam reuocationem factam eſſe Blondus prodidit in hiſtoria. Meminit & Sabellicus libro tertio, nonæ Enneadis ita ſcribens: Diuus Gregorius Romæ frequens concilium habuit, in quo Berengarius, de quo alio loco mentio incidit, ſuum errorem faſſus, veniam impetrauit. Confeſſionis forma hæc fuit: Ego Berengarius corde & animo credo, quod ore confiteor. Hoc Sabellicus. Cæterum ſi quis deſideret integram ipſius Berengarij abiurationem, quam ſecundo fecit, eam in vetuſtiſſimo codice, qui & præter Canones Apoſtolorum, etiam decreta veterum pontificum, & acta conciliorum complectitur, in actis eiuſdem concilij in- *Forma abiurationis Berengarij.* tegre deſcriptam repperi in his verbis: Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri redemptoris ſubſtantialiter conuerti in veram & propriam, ac viuificatricem carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram patris, & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere eius effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ. Sicut in hoc breui continetur, & ego legi, & vos intelligitis, nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſacra Euangelia. Poſtea dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vt de corpore & ſanguine Domini nunquam vlterius cum aliquo diſputare præſumeret, excepta cauſa reducendi eos ad hanc fidem, qui per eius doctrinam ab ea receſſerant. Nihil hic de concilio, quod celebrauit Innocentius tertius, in quo manifeſte declaratum fuit & definitum, quod panis in Chriſti corpus conuertatur. Nihil de Baſilienſi & Conſtantienſi conciliis, in quibus hæc hæreſis damnatur apertiſſime. Vides ergo lector, hoc dogma pro hæreſi fuiſſe condemnatum à tot conciliis, quæ non eſt dubium in Spiritu ſancto fuiſſe congregata, pariter & vniuerſalem eccleſiam eadem repræſentaſſe.

Corroa. VI. Corroboratur inſuper huius ſacramenti fides, ingenti miraculorum copia, quæ variis temporibus ad confirmandos infirmorum animos diuinitus oſtenſa fuerant. Primum illud occurrit, quod

ex Dio-

ex Dionyſio, qui fuerat Alexandriæ præſul. Euſebius in eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.6.c.34. refert, Sera- *Miraculum primum.*
pionem quendam fuiſſe apud Alexandriam, vnum ex his, qui lapſi ſunt, eundemque ſæpe depreca-
tum, vt ſuſciperetur, nec tamen impetraſſe. Oppreſſum deinde hunc eſſe ægritudine, ita vt triduo
iam ſine voce prorſus iaceret: paululum vero quarta die reſpirantem vocaſſe ad ſe filiam ſuam, & di-
xiſſe: Quouſque me detinetis? Quæſo vos, cito aliquis presbyterum roget, vt poſſim aliquando di- *Sup. li.1.c.32.*
mitti. Et cum hæc dixiſſet, ruſum ſine voce permanſit. Abiit curſu puer ad presbyterum noctis tem-
pore, infirmabatur presbyter, venire non potuit, tamen quia præceptum fuerat, vt lapſis in exitu ne-
mo reconciliationis ſolatia denegaret, & maxime his, quos prius id rogaſſe conſtaret, parum Eucha-
riſtiæ puero, qui ad ſe venerat, dedit: quod infuſum iuſſit ſeni præberi. Regrediente adhuc puero, an-
tequam regrederetur domum, ruſum Serapion reſpiciens, Dediſti (inquit) fili? Et licet presbyter
venire non potuit, tu tamen imple, quod tibi præceptum eſt, vt poſſim diſcedere. Cumque impleta
eſſet ſolennitas, velut catenis quibuſdam vinculiſque diruptis, lętiorem iam ſpiritum reddidit. Ex
quo (inquit) conſtat certiſſime huius boni auxilio nullum debere fraudari. Vides hic lector, quantæ
neceſſitatis hoc ſacramentum ſit, & quod tanto & tam graui authore nemo debet fraudari, quum
hinc ſit exiturus. Quod ille certe non ſcripſiſſet, neque mors huic infirmo tam diu fuiſſet dilata, ſi
nihil aliud in hoc ſacramento fuiſſet, quam merus panis. Memorat & Cyprianus quædam ſermone *Miraculum ſecundum*
quinto de lapſis, quæ & nouerat ipſe fuiſſe facta. Præſente (inquit) ac teſte meipſo, accipite quid e-
uenerit. Parentes ſorte fugientes dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam fi-
liam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magiſtratus. Illi ei apud idolum quo populus conflue-
bat, quod carnem needum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de
immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus
puella commiſſum, tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere.
Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella
mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu flu-
ctuabunda iactari, velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam facti in ſimplicibus
adhuc annis, rudis anima fatebatur. Vbi vero ſolennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præ-
ſentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ
maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare, perſtitit tamen Diaconus &
reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque
ore violato, Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis
viſceribus erupit. Tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas. Aduerte lector quid dicit: In corpore
atque ore eius, quæ de cibis immolatis idolis prius ederat, Euchariſtia permanere non potuit, ſed e-
rupit de pollutis eiuſdem viſceribus, potus in ſanguine Domini ſanctificatus. Tanta eſt poteſtas Do-
mini præſentis in eo ſacramento tantaque maieſtas.

Conſequenter ſubdit & aliud miraculum, de altera quæ fuerat ætate prouecta, & in annis adul- *Miraculum tertium.*
tioribus conſtituta. Hæc (inquit) ſacrificantibus latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſibi ſu-
mens, & velut quædam venena lethalia intra fauces & pectus admittens angi, & anima exæſtuante
concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non iam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa palpitans &
tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ ſe-
fellerat hominem, Deum ſenſit vltorem. His & tertium ſubiicit, inquiens: Et quum quædam arcam
ſuam, in qua Domini ſanctum fuerat, manibus indignis tentaſſet apetire, igne inde ſurgente deter-
rita eſt, ne auderet contingere.

Adiungit iſtis & quartum. Et quidam (inquit) alius & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote ce- *Miraculum quartum.*
lebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Dei edere, & contractare nõ potuit, *Sup. li.1.c.17.*
cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit, documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cum
negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, cum gratia ſalutaris in cinerem ſan-
ctitate fugiente mutetur. Ecce Dominum receſſiſſe dicit, quum negatur, & gratiam ſalutarem in ci-
nerem ſanctitate fugiente mutari fatetur; quandoquidem is, qui ſacramentum indignus accepiſſet,
nihil præter cinerem in ore manere ſenſit.

Ambroſius inſuper de morte ſui fratris Satyri lugubrem orationem ſcribens, miraculi cuiuſdam *Miraculum quintum.*
meminit, quod ſuo fratri contigit. Id quanquam OEcolampadius ſuperius attenuare moliatur, ni-
hilominus id Diuus Ambroſius aſcribit huic ſacramento. Habuit enim Satyrus ipſe ligatam in ora- *Sup. li.1.c.18.*
rio Euchariſtiam, dum forte ſcopuloſo vado nauis in qua fuerat, illidebatur. Huic itaque ſacramen-
to confiſus in mare ſe deiecit, & liber ab vndarum fluctibus euaſit, propter quod & paulo poſt dicit,
mirandam eſſe Dei gratiam, quod inſenſibilis natura, quadam ſenſibili ratione ſuos fluctus coercuiſ-
ſet, & ſuos fines vnda cognouiſſet. De fratre igitur ſubdens. Referebat (inquit) gratiam Deo, deſe-
rebat & fidem. Nam qui tantum myſterij cœleſtis inuoluti in orario præſidium fuiſſet expertus, quã-
tum arbitrabatur, ſi ore ſumeret & toto pectoris hauriret arcano? Hactenus ex Ambroſio.

Narrat & Auguſtinus 22.lib. de ciuitate Dei miraculum aliud, quod ſuo tempore contigit. Vir *Miraculum ſextum.*
Tribuniceus (inquit) Heſperius qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Cubedi ap-
pellatum, vbi quum afflictione animalium & ſeruorum ſuorum domum ſuam ſpirituum maligno-
rum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogauit noſtros, me abſente presbyteros, vt aliquis eorum illo

pergeret, cuius orationibus cederent, perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio, Deoque protinus miſerante ceſſauit. Hæc Auguſtinus in libro illo, cap.8.

Miraculum ſeptimum. Recenſet & Gregorius in Dialogis lib.3.c.3.de Papa Agapito, quod quum oblatus ei fuiſſet quidam, qui mutus pariter & claudus erat, ille poſt ſacrificium in conſpectu Dei omnipotentis immolatum, iam completis myſteriis ad claudum in terra iacentem rediit, cuius manum ſpectante populo tenens, eundem erexit. Quumque dominicum corpus in os eius mitteret, illa diu muta lingua ad loquendum ſoluta fuit. Mirati coofeſtim omnes, & flere præ gaudio ceperuot.

Miraculum octauum. Beda ſimiliter in hiſtoria gentis Anglorum memoriæ prodidit, ſuis temporibus fuiſſe quendam qui fuerat io carcerem coniectus, habuiſſe tamen fratrem abbatem, virum ſanctiſſimum, qui credidit illum prælio quodam occiſum ante fuiſſe. Propter quod & idem, quum eſſet illius amantiſſimus, deuotius quo potuit eius inter ſacrificandum quotidie memor fuit. Factum eſt igitur, vt oullis vincnlis alligari potuit, ea præſertim hora, qua frater eius abbas ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti pro illius memoria obtulit. *Vincentius recenſet miracula diuerſa.* Prætereo, quæ Vincentius in hiſtoria ſua, lib.29.c.24. commemorat, multa ſane miracula ob extinguendam hæreſin in Vaſconia pullulantem fuiſſe facta, nec vno tantũ in loco, ſed pluribus, ita vt rex Franciæ Philippos ter præſens fuit eiuſmodi miraculis. Sed quid multis moror lectorem? Si vellem huc citare, quæ paſſim in diuorum vitis traduntur, nempe Baſilij, Iohannis Eleemoſynarij, Gregorij primi, Hugonis, Lincolnienſis. Hynonis presbyteri, ſancti Edvvardi regis Anglorum, ſancti Stephani presbyteri, ſancti Nicolai Toletini, ſanctæ Monacæ matris Auguſtini, ac cæterorum, oimio tædio lectorẽ afficerem. *Paſchaſius librum addidit de Euchar.* Vt enim Paſchaſius ait in lib. quem ædidit de corpore & ſanguine Domini: Nemo qui ſanctorum vitas & exempla legerit, ignorat, quod ſæpe corporis & ſanguinis Chriſti ſacramenta, aut propter dubios, aut certe propter ardentius amantes, viſibili ſpecie in agni, vel pueri forma, aut in carnis & ſanguinis colore monſtrata ſint, vt quod latebat in myſterio, pateſceret in miraculo.

CORROB. VII. *Reuelatio prima.* Conſtabiliri quinetiam poteſt hnius ſacramenti veritas, innumera multitudine reuelationum, quæ piis antehac monſtratæ fuerant. Scribit enim Hildegardis virgo ſanctiſſima, quæ & innumeras Dei benignitate reuelationes conſpexit. Nam in ſexta viſione ſe vidiſſe refert, ita ſcribens, quũ ſacerdos ſacris veſtibus indutus ad celebranda diuina ſacramenta ad altare illud accederet, vidi quod ſubito magna ſerenitas lucis cum obſequio angelorum de cœlo veniens, totum altare illud circumſulſit, & ibi tam diu permanſit, quouſq; completo ſacramento ſacerdos ab altari ſecederet. Sed & ibi Euangelio pacis recitato & oblatione, quę conſecranda erat altari ſuperpoſita, cum ſacerdos laudem omnipotentis Dei quæ eſt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, decantaret, & ſic myſteria ineffabilium ſacramentorum inchoaret: repente ignea coruſcatio inæſtimabilis claritatis, aperto cœlo, ſuper eandem oblationem deſcendit, & eam totam ſua claritate ita perſudit, vt ſolaris lux rem illam illuſtraret, qoam radiis ſuis transfudit. Et dum eam hoc modo irradiaret, ſurſum illam ad ſecreta cœli inuiſibiliter ſuſtulit, & iterum eam deorſum ſuper ipſom altare remiſit: velut cum homo anhelitum ſuum iotrorſum trahit, & iterum cum extorſum emittit, ita eam veram carnem & verum ſanguinem effectam, quamuis in conſpectu hominum, velut panis, & velut vinum apparerent. Et paulo poſt: Sed dum ſacerdos canticum innocentis agni, quod eſt, agnus Dei qui tollit peccata mundi, decantaret, & ad percipieodum ſanctam commuoionem ſe exhiberet, prædicta ignea coruſcatio ad cœleſtia ſe recepit: & ita clauſo cœlo, aodiui vocem ex eo dicentem: Manducate & bibite corpus & ſanguinem filij mei ad abolendam præuaricationem Euæ, vt in rectam hæreditatem reſtauremini. Hæc ex Hildegarde. Quam viſionem & ipſa latius explicat, vt lectori cuiuis librorum eius erit manifeſtum. *Reuelatio 2.* Elizabeth quoque virgo ſanctiſſima reuelationibus pluribus illuſtrata, neque paucis etiam, quæ ad hoc ſacramentum pertinent, ſic in primo libro, cui titulus eſt, viarum Dei, teſtatur ſe viſionem hanc accepiſſe: Factum eſt (inquit) in vna dierum, vt veniret quidam ex fratribus ferens in pixide diuinum ſacramentum dominici corporis, vt opus eſſe videbatur cuidam ſorori infirmæ. Quumque ſtaremus io circuitu eius, & ego & quædam ſorores loquentes mecum de eo: Ecce ſubito cor meum liquefactum eſt, & pene factum eſt in exſtaſi. Et ecce claritas magna refulſit in pixide, & introſpexi, quum tamen adhuc eſſet clauſa, & apparuit ſpecies vere carnis in ea. dicens quidem iſta, contremiſco, ſicut & tunc videns contremui. Teſtis autem eſt mihi Deus, quia nihil in omnib. his fingendo, aut propriam gloriam quærendo locuta ſum. Hæc Elizabeth. His accedit & ſanctiſſima Brigitta, cui præter alias innumeras, *Reuelatio 3.* complures de Euchariſtia reuelationes factæ ſunt. Sic enim in primo libro Chriſtus ad eam inter cætera loquitur: Ego ſum panis ille, qui in altari panis videtur & ſentitur, ſed in corpus meum, quod crucifixum erat, conuertitnr. Sicut enim aliquid aridum & cito arſurum, ſi igni apponeretur cito conſumitur, & nihil remanet de figura lignorum, ſed totum eſt ignis, ita dictis verbis, illis ſcilicet, hoc eſt corpus meum, quod prius fuit panis, fit ſtatim corpus meum, & incenditur ſicut ligna i- *Reuelatio 4.* gne Deitate mea. Rurſum libro ſexto beatiſſima virgo ſic ad eam loquitur, mentionem faciens de auxilio, quo peccator quidam ſaluari potuit. Sed per quale (inquit) auxilium? vtique per ſanctiſſimum corpus filij mei, quod quotidie immolatur in altari. Panis enim ille, qui in altari ponitur aote verba illa, hoc eſt corpus meum, panis eſt, ſed poſt verba dicta, vertitur in corpus filij mei: quod de me ſine macula ſumpſit, quod crucifixum eſt.

Mechtil-

Mechtildis inſuper & ipſa qnoq; virgo ſanctiſſima, inter alias admirandas reuelationes, quibus illuſtrata fuerat, multas memorat de hoc ſacramento, ſed ego quaſdam breniter attingam. Sic enim in primo libro viſionum ciua cap. 1. traditur: Quum autem inſtaret tempus nobiliſſimi conuiuij, quo ipſa dilectum animæ ſuæ Ieſum percepiſſet in ſacratiſſimi corporis & ſanguinis communione, audiuit eum ſibi dicentem: Tu in me & ego in te, & in æteroum non te derelioquam.

Reuelatio 6. In eodem lib. ca. 29. vbi orat Dominum, quatenus eam ad ſui digniſſimi corporis ſuſceptionem dignetur præparare, & copioſe docetur ibidem à Chriſto. Rurſum ca. 5. vidit, Chriſtum totius miſſæ ceremonias repręſentantem, & quum inſtaret hora ſacratiſſima qua eleuanda erat hoſtia: viſns eſt eleuare hoſtiam, quaſi aurea pixide incluſam, & ſyndone velatam: per quod ſignificabatur, quod hoc ſacramentum omni humano ſiue angelico intellectui eſt abſconditum: dicto, pax Domini: poſita eſt ibi menſa ad quam Dominus diſcumbebat. Congregatio autem tota ad menſam illam accedens, vnaquęq; perſona ſub brachio beatiſſimæ virginis, quaſi geniculando accepit corpus Dominicum. Cæterum ne quis cauilletur oos muliercularum tantum attuliſſe teſtimonia, viros etiam audiat.

Reuelatio 7. Tradit igitur Chryſoſtomus lib. 6. dialogorum cap. 4. quendam presbyterũ vitæ ſanctitate mirabilem, & qui reuelationes videre ſolitus erat, aliquando ſacrificij tempore conſpexiſſe multitudinẽ angelorum, ſicut ei poſſibile erat iotueri, ſtolis ſulgeotibua circumdantem, & altare coronantem, cũ officio, quo circa regem ſuum milites ſtare conſucuerunt, quod mihi facile perſuaſum eſt. Ecce teſtatur perſuaſum ſibi fuiſſe de reuelationis huiua veritate.

Reuelatio 8. Subdit & aliam. Alter (inquit) retulit ſe vidiſſe, qnoniam de ſeculo hoc recedentes, qui participes myſteriorum illorum in conſcientia munda fuerint, quum afflauerint vltimum ſpiritum, ſubuchi eos alacres manibus angelorum. Neque alterins rei gratia reuelationes haſce commemorauit, niſi vt oſtenderet immenſam huius ſacrificij dignitatem, & præcellentiam ſacerdotalis functionis. Propter quod & paulo ſnperius de ſacerdotis officio loquens, hæc dixit: Quum vero etiam Spiritum ſanctum aduocauerit, & reuerendam illam immolauerit hoſtiam, communemque omnium Dominum ſubinde contigerit, vbi illnm (dic mihi) noſtra æſtimatione ponemus: quantum ab illo ſplendorem poſcimus, & quantam religionem? Expende enim quales oporteat eius eſſe manus tantarum rerum miniſtras, qualem linguam verba illa fuodentem.

Corrol. VIII. Nemo tam hæreticus eſt, vt neget eccleſiam ab hæreticis creberrime fuiſſe oppugnatam, ſempertamen ſponſi ſui patrocinio fuiſſe munitam, ne pernicioſis eorum erroribus fides illius corrumperetur. Quando Cherinthua inſaniit, allatrauit Marcion, Ebion & ipſe ſuperbiſſime blaſphemauit, num defuit Chriſtus? An noo opitulatus eſt eccleſiæ ſuæ? Subiode quando Montanna quidam errores complures in eccleſia ſeminauit, vna cum Priſcilla & Maximilla, Chriſtus Apollinarem & alios ex orthodoxis excitabat, qui inſana illorum dogmata conuellerent. Poſt hos Florinua quidam, & ipſe nouo quodam & pernicioſo dogmate perturbauit eccleſiam, affirmans Deum authorem eſſe peccati, ſed & hunc Irenæus Polycarpi diſcipulus confutauit. Scripſit & idem Irenæus aduerſus Valentinũ quem & doctiſſimum fuiſſe Hiernnym. tradidit. Sic enim in commentariis ſuper Oſee dicit: Nullus poteſt hæreſim ſtruere, niſi qui ardẽtis ingenij eſt, & habet dona naturæ quæ à Deo artifice ſunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctiſſimos legimus, hos tamen Dei benignitate vitauit eccleſia. Berillus item Epiſcopus, & ipſe doctiſſimus, in hæreſim maximam collapſus, quum à multia Epiſcopis coofutari non potuit, ſic tamen ab Origene tandem eſt victus, & ad ſanam eccleſiæ fidem redire compulſus, vt ſicut Euſebius refert (quod in talibus pene cauſis inauditum eſt) ita errorem ab eccleſia depulit Origenes, vt emendaret, nõ perderet erroris authorem. Nouatus inſuper ſua peruerſitate vexabat eccleſiam, qui licet multos corrupiſſet prætextu puritatis, quam profitebatur, populũque (vt Fabianus pontifex tradidit) iureiurando aſtrinxiſſet, ne ſe relicto Cornelium ſequerentur, concilio tamen 60. Epiſcoporum, vna cum totidem præſbyteris & pluribus diaconis habito Romæ, coodemnatus fuit, & ab eccleſia ſeparatus. Manes præterea quidam ex Perſide veniens, à quo Manichæi nomen acceperunt, errorem exitioſum introduxit, qui & poſtea multis ſeculis, etiam ad Auguſtini tempora, complures abduxit à vera fide. Cæterum & huius inſanum dogma tandem orthodoxia impugnantibus, & auxiliante Chriſto, prorſus euanuit. Sabellius etiam hæreſiarcha peſtilentiſſimus, qui ſacræ tryadis perſonas haudquaquam ſeparat, ſed ioter ſe conſundit, vnam ex tribus faciens, idemque negat Chriſtum vere filinm Dei patris fuiſſe, pariter & Spiritui ſancto intellectum anfert, vt apud Euſebium Diooyſius tradit Alexandrinus, qui & aduerſus eundem ſcripſit, tametſi poſtea tam ipſe Sabellius quam ſectatores ipſius per ſynodos aliquot fuiſſent condemnati. Arrius etiam Epiſcopus Alexandrinus vir eruditiſſimus & fauore plebis ac principum potentiſſimus quis ignorat quam acerrimis machinis vniuerſam eccleſiam arietauit? Sic de illo tradit Hieronymos: Arrius in Alexandria ſcintilla fuit, ſed quoniam ooo ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. Ille Chriſtum negauit æqualem eſſe patri, veruntamen opitulante Chriſto complures orthodoxi ſnos calamos in illnm acuerunt, & ſynodo trecentorum ac decem & octo patrum Nicęæ habita condemnatus fuit. Poſt hunc Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus aduerſus eccleſiæ fidem erexit ſeſe, negans Spiritum ſanctum eſſe Deum, ſed idem haud multo poſt, ſynodo centum & quinquaginta patrum habita Conſtantinopoli fuit exploſus. Neſtorius vero Conſtantinopolitanus etiam Epiſcopus, vulgo gratioſiſſimus, hæreſim ſuſcitauit, aſſerens beatam virginem noo Dei,

Irenæus aduerſus hæreticos.

Euſ. li. 6 c. 23.

Nouatus condemnatur Romæ.

Lib. 7. ca. 4. 5.

Arrius Nicęæ cõdemnatur.

Macedonius in ſynodo Cõſtantinopoli.

Neſtorius in Epheſina ſynodo.

ſed hominis tantummodo genitricem. Sed hunc ſynodus Epheſina ducentorum Epiſcoporum in-
Dioſcorus in ſyno. Calced. ſtiſſimo feriit anathemate. Dioſcorus itidem Alexandrinus Epiſcopus, & ipſe populo chariſſimus,
eandem eſſe carnis & verbi naturam in Chriſto perperam docens, paulo poſt à ſynodo Calcidonenſi
ſexcentorum epiſcoporum, vna cum Eutyche proiectus eſt. Quid Apolinarem iuniorem, virum in
diſſerendo ſingulariter acutum & in ſcripturis exercitatiſſimum. Quid Paulum Samoſetanum, vi-
Sexaginta millia Albēſium in vno prælio ceciderunt. rum non minus arrogantem, quam ſingulari præditum eloquentia? Quid Donatum & Donatiſtas,
ſeculari ſcientia diligenter inſtructos, vita probatos, viribus & diabolica verſutia ſummos? Quid Al-
bianenſes memorem, qui Lutheranorum in erroribus non diſſimiles ferme parem cum eiſdem ac-
ceperunt cladem. Nam obſiſtentibus eis orthodoxis, conciderant ex illis vno prælio ſexaginta millia
virorum. Prætereo VValdenſes, Pigardos, VViclefiſtas, & cæteros illos ingenti numero, quos in v-
Auguſtinus de hæreſi. num volumen amici cuiuſdam ſui gratia collegit Auguſtinus. Cæterum ab eorum omnium errori-
bus Chriſtus eccleſiæ ſuæ fidem hactenus integram & illibatam conſeruauit. Quam rem, quum ne-
mo dubitat, ſed exploratiſſimam omnes habeamus, quis vnquam intra ſinum ſui cordis admitte-
re poteſt, quod idem ipſe de veritate ſui coporis, eccleſiam ſuam errare tanto tempore permiſiſſet.

CORROB. IX. Ingens pietatis fructus, quem experimur, in his quotidie magis ac magis augeri, qui iugiter hiſ-
ce myſteriis, per crebrum eorundem eſum cum fide & deuotione participant, mirifice ſacramen-
tum iſtud confirmat. Ad quod igitur & Cyrillus non ſemel adhortatur dicens: Si vitam æternam con-
ſequi volumus, ſi largitorē immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictio-
nem libenter concurramus. Benedictionem hic Euchariſtiam intelligit, ſicut & inferius, quum di-
Sup. in prolo. 2. libri. cit paulo poſt: Quare pias (quæſo) cogitationes ſuſcipias, ſtudioſe ſancteque viuas, & benedictione
participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim,
quum in nobis maneat Chriſtus, ſeuientem membrorum noſtrorum, legem, pietatem corroborat,
perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, col-
liſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui animam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu. Ecce
quantum proficere poſſit qui crebrius communicat. Ad hunc modum Chryſoſt. Cyprianus, Am-
broſius, Hieronymus, Auguſtinus, & cæteri patres, qui crebrius & ardentius huic ſacramento com-
municabant, profecerunt in omni pietatis genere. Nec illi ſolum, ſed & recentiores quoque, Beda,
Effectus ſaluberrimus Euchariſtiæ. Bernardus, Albertus, Thomas, Bonauentura, & reliqui, quorum ingens eſt numerus, hîc hi omnes
hauſerunt gratiam Spiritus, hîc, ſcripturarum intellectum, hîc, vitæ ſanctimoniam, hîc, mores pro-
batiſſimos, hîc, pietatis fructum, hîc, amoris ardorem erga Chriſtum & proximum, hîc, deuotionis
guſtum & feruorem, hîc, didicerunt mundi contemnere vanitates, carnis deſideria reprimere, am-
bitionis laqueos rumpere, & proprias denique relinquere voluptates. Et ſane ſi quis attente conſi-
deret profectus & lapſus atque reformationes, quæ ſæpius in eccleſia contigerunt, comperiet, lapſuū
quidem cauſam fuiſſe neglectum & abuſum huius ſacramenti: contra vero, profectibus & reforma-
tionibus ſemper fidelem cultum & deuotam eiuſdem ſacramenti frequentationem profuiſſe ma-
Act. 2. gnopere. Sic enim ab ipſis primis cunabulis eccleſia profecit. Nam in Actis traditur, quod erant o-
mnes perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & in communicatione fractionis panis & orationibus.
Ad pietatem conducentia. Profuit certe plurimum doctrina verbi, ſed ea ſine cæteris duabus friguit tandem, vt & quotidie fieri
cernimus. Accedat auditioni verbi precatio crebrior, ac pia ſacramenti huius frequentatio, & fieri
non poteſt quin maximus ex eis naſcatur fructus pietatis. Ex his profecto manauit tanta martyrum
conſtātia, vt quum inebriati fuiſſent hoc ſanguine, nihil (vt & Cyprianus teſtatur) trepidabant ſuum
viciſſim pro Chriſto ſanguinem fundere. Verum ea perſecutione tandem ceſſante, & poſt hæretico-
rum impugnationes eccleſiis pace reddita, ſenſim inualuerunt ea mala, quæ ex infrugifero otio ſup-
pullulare ſolent, adeo vt bona Chriſtianorum pars ad luxum & priſtinos gentilium mores fœde col-
lapſa ſit. Miſertus itaque tandem eccleſiæ ſuæ Deus, viros quoſdam Spiritu plenos excitauit, & duos
præſertim, nempe Franciſcum & Dominicum, duarum ingentium familiarum patriarchas. Porro
quantus fuiſſet vtriuſque feruor & ardens ſtudium erga ſacramentum iſtud, ex eorum vitis intelligi
B. Franciſci teſtimonium de Euchariſt. poteſt. Neque me pudebit hoc Franciſci teſtimonium citare, quanquam ſciam apud ſuperciliosos
iſtos, qui ſibi ſolis eruditionem & literarum notitiam vindicant, eum ob ſermonis ruditatem cōtem-
ptui fore. Ego tamen, quantum ad hoc negotium attinet, pluris ipſius Franciſci teſtimonium facio,
quam omnes literas & argutiſſima ſophiſmata noſtri aduerſarij: Attento ſane, quam fuerat ille Chri-
ſto chariſſimus, quam in tota ſua conuerſatione ſpectabilis, quam creber in contemplatione, quan-
tum denique adiutore Chriſto, in dilatanda per orbem tam numeroſa familia profecerit. Is igitur in
admonitionibus ſuis ad fratres ita loquitur: Omnes qui viderunt Dominum Ieſum Chriſtum ſecun-
dum humanitatem & non ſecundum Deitatem, damnati ſunt. Quare omnes qui vident ſacramen-
tum, quod ſacrificatur per verba Domini, ſuper altare, per manus ſacerdotis, in forma panis & vini,
& non vident eum, nec credunt ſecundum ſpiritum Deitatem, quod ſit veraciter ibi ſanctiſſimum
corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, damnati ſunt, ipſo ſummo altiſſimo atteſtante, qui ait:
Matth. 26. Luc. 22. Hoc eſt corpus meum & ſanguis noui teſtamenti &c. Hæc beatus ille pater. Cuius fidei pariter &
B. Dominici teſtimonium de Euchariſt. ſtudij, præſertim erga ſacramentum iſtud, fuerat Dominicus, qui & ipſe non puſillæ familiæ, neque
minimū habentis ſucceſſum, inſtitutor fuerat. Is tanta & tā ardenti flagrabat erga ſacramentum iſtud
deuotione, vt frequenter dum corpus Domini leuaretur in tanto mentis rapiebatur exceſſu, atque
ſi Chri-

ſi Chriſtum ibidem incarnatum conſpexiſſet. Et quum nonnunquam futurus eſſet alicuius miraculi miniſter, vt & ſane pluribus coruſcabat, libenter ante participare myſteriis iſtis cõſueuit, quemadmodum in eius vita traditur. Nsm quum nobiliſſimus quidam adoleſcens, cui Neapuleoni nomen erat, ex equo lapſus eſſet, & fato functus, ab amicis eius Dominicus orabatur, quatenus eundem iam vita functum, ſuis precibus Deo commeudaret. Continuo petiit, vt altare ſibi pararetur pro faceris faciundis. Quum itaque vir ſanctus hoſtiam ſalutarem immolaret, ſtillabant per ora lachrymæ, & dum Chriſti çorpus ſanctiſſimis teneret manibus, repente ad vnius cubiti altitudinem à terra ſubleuatur, ita vt qui aderant plurimum admirarentur. Celebrata miſſa, protinus in cubiculum ſe recepit, aliquot eum ſequentibus Cardinalibus. Nam hi tunc forte fortuna affuerant. Accedit ad exanime corpus, cuius membra conquaſſata ſingula ſuis locis repoſuit, & facta ſalutaris ſigni impreſſione, defuncti manum apprehendens, magna voce clamauit, dicens: Te ſuſcitat Neapuleon Dominus noſter Ieſus Chriſtus; atque ita continenter ſurrexit iuuenis ille. Vides ergo lector ex his, quantam fidẽ hi duo patriarchæ repoſitam in his myſteriis habebant, & quantus profectus eos in eunctis eorum operibus comitabatur. At inquies. Iam nihilominus in eorum familiis deuotio tepuit. Quid tum? An non & in eam religionem, quam ipſe Chriſtus inſtituit, paulatim ſurrepſit tepor quoque? Sunt plerique mali in his familiis, non inficior, & adhuc & pios & ſanctos in eiſdem complures eſſe non dubito. Mihi profecto perſuaſiſſimum eſt, in illis conuentibus vbi pure & ſyncere cum ſacra lectione deuotaque precatione diuinis iſtis myſteriis aſſuefaciunt ſeſe, magnum pietatis & religionis exoriri quotidie fructum, ſicut in aliis vbi negliguntur iſta, vel non deuote exercentur, nihil bonæ frugis expectari poſſe. Id quod ad noſtrum inſtitutum abunde ſufficit. Palam eſt igitur ex maximo fructu ſpiritus, quem generatim conſecuti ſunt omues, qui ſacramentum iſtud ingenti fide & deuotione frequentabant, corporis & ſanguinis Chriſti veritatem in eodem contineri.

B. Dominicus celebrans miſſam ante miracula.

Multi adhuc boni in cenobiis reperiũtur.

CORROB. X.

1. Cor 11.

Sicut hi qui firma fide frequenter Euchariſtiæ fiunt participes, proficiunt in omni pietate, ita qui minus digne vel credunt vel vtuntur ea, nullo non impietatis genere contaminantur. Quæ res quum in aliis compluribus, tum in ipſa peſſima Manichæorum ſecta, de quibus Auguſtinus libro de hæreſibus tradit, quæ referre puderet, niſi vt palam fiat in quam horrenda præcipitia labi ſinantur hi, qui recta fide carent huius tanti ſacramenti. Sic enim ſcribit ad quendam ex amicis, qui dictus erat: quod vult Deus: Detecti ſunt in eccleſia (ſicuti ſcis) apud Carthaginem, iam te ibi diacono conſtituto: quando inſtante Vrſo tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti ſunt, vbi puella illa, nomine Margarita, iſtam nefariam turpitudinem prodidit. Quæ cum eſſet annorum nondum duodecim, propter hoc ſceleſtum myſterium ſe dicebat eſſe violatam. Tunc Euſebiam quandam Manichæam quaſi ſanctimonialẽ, idipſum propter hoc ipſum paſſam, vix compulit confiteri. Cum primum illa ſe aſſeruiſſet integram, atque ab obſtetrice inſpici poſtulaſſet: quæ inſpecta & quid eſſet inuenta, totum illud turpiſſimum ſcelus, vbi ad excipiendum & commiſcendum concubentium ſemen farina ſubſternitur, quod Margarita indicante abſens non audierat, ſimiliter indicauit, & recenti tempore nonnulli eorum reperti & ad eccleſiam ducti: ſicut geſta epiſcopalia, quæ nobis miſiſti, oſtendunt. Hactenus Auguſtinus. Vbi vides lector, quam execrandus fuerat horum hæreticorum lapſus, propter inopiam fidei de tanto ſacramento. Recenſuimus & ſub corroboratione quinta de Meſſalianis hæreticis, ex hiſtoria tripartita, qui à quibuſdam *ευχέται* vocantur, hoc eſt orantes, ab aliis vero *ἐνθουσιασταί*, hoc eſt afflati & diuini. Afflabantur enim poſt aliquantum temporis iniciationis ſuæ à dæmone quopiam, cuius inſtinctum ſequuntur, & eius motus præſentiam ſancti Spiritus arbitrantur. Hi dicebant Euchariſtiam neque prodeſſe quicquam neque lædere. Operationem manuum velut rem malam auerſantur, ſomnoque ſemetipſos tradunt & ſomniorum phantaſias prophetias appellant. Senex quidam illius ſectæ pulchris verbis Antiocheni præſulis allectus, omne venenum quod in corde pridem celabat, euomuit. Dixit itaque nullam prorſus vtilitatem ex ſancto baptiſmate baptizatis accedere. Interrogatus vero quomodo ſpiritum contrarium recedere & gratiam ſancti Spiritus accedere crederet, reſpondit: Per ſolam ſtudioſam orationem, inhabitantem dæmonem effugari poſſe, tantum ſcilicet orationi tribuens quantum Lutherani tribuunt fidei. Iam effugato dæmone, venire Spiritum ſanctum, & ſenſibiliter ac viſibiliter affirmauit eum ſuam deſignare præſentiam, per quem & corpus à paſſionibus quibuſlibet & animam à mala voluntate liberari contendebat, neque deinceps egere ieiunio macerante corpus, neque doctrina refrænante, & progredi ordinate edocente. Pollicitus fuit & ſectatoribus ſuis apertam in hac vita futurorum prænotionem, & ſanctæ trinitatis claram viſionem. Ecce quibus mendaciis & erroribus inuoluti fuerant per ſpiritum erroris & nequitiæ. De Albagenſibus quid dicam qui & ſacramentum corporis ac ſanguinis Chriſti blaſphemarunt? hiſtoriis variis proditum eſt, quam abominandam vitam duxerint, & in quam nepharios inciderint errores, quodque per eos innumera plebis multitudo corrupta fuiſſet, de quibus tandem & vltio tanta ſumpta fuerat, vt vno die perempti ſint ex eis 60. millia pugnatorum. VViclefiſtæ ſimiliter & Beguini, qui de ſacramento iſto peruerſas & omnino diuerſas, à totius eccleſiæ ſententia, tenuerant opiniones, haud facile dici poteſt, quam infeliciter perierint, & tam in hac vita temporarios quam in futura perpetuos ſuſtinebunt cruciatus. Memoriæ quinetiam proditum eſt in vita ſancti Syri epiſcopi, quod quum ipſe feciſſet ſacra, Iudæus quidã inter Chriſtianos ad communionem acceſſit, vt ſacram

Supra eodem & principio.

Albagenſiũ malitia.

Sup. eodem.

ſumptam

ſumptam Eucharistiam probris afficeret. Sed protinus vt eam ore ſuſcepit, clamoribus diris ſe ignem ore accepiſſe dicebat, cruciatusque ſe paſſum ardentiſſimos teſtabatur. Sed quia prolixum eſſet de cæteris qui neque numerari poſſent loqui, cum Cypriani ſententia vice coronidis concludemus. Is enim vbi diuinas vltiones memoraſſet, quæ contigerunt indigne tractantibus corporis & ſanguinis Domini ſacramenta, ſubdit: Quam multi quotidie immundis ſpiritibus adimplentur, quam multi vſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur. Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, quum per orbis multiformes ruinas, tam delictorum pœna ſit varia, quam delinquentium multitudo numeroſa. Hæc Cyprianus.

Cyprianus de indigne corpus Chriſti tractantibus.

CORROB. XI.

Corpus idem in pluribus locis ſimul. *Matth. 26.* *Luc 22.* *Eſt pro ſignificat interpretantur.*

Nullum ex ſcripturis afferre teſtimonium hæretici queunt, quo probent in Eucharistia non eſſe corpus Chriſti. Neque enim id conficiunt illæ ſcripturæ, quæ teſtantur Chriſtum corporaliter in cœlum aſcendiſſe, quandoquidem omnipotentiæ ſuæ neutiquam repugnat efficere, vt corpus idem ſit in locis pluribus. At præter illas, nullas omnino queunt alias afferre. Verbis vtique Chriſti vim afferunt, ſua inſarcientes, quibus ad alium detorqueant ſenſum. Nam vbi Chriſtus ſimpliciter enunciauit, dicens, hoc eſt corpus meum. (Quæ verba ſunt adeo dilucida, vt nullus in eis ſcrupus eſſe poſſit) Illi tamen interpretantur, per eſt, ſignificat, & per corpus, figuram corporis. Quod ſi liceat ad hũc modum ſcripturas interpretari, quis non perſpicit quemuis hæreticum quamcunq; velit hæreſim facillime tutari poſſe. Sed aiunt Paulum ſimili tropo dixiſſe: Petra autem erat Chriſtus: vbi docent, vel per erat, oportere verbum ſignificabat intelligere, vel per Chriſtum, figuram Chriſti. Verum vt largiamur eis hoc loco tropum eſſe, quanquam & hic nullum ſubeſſe tropum ſecundo libro monſtrauimus, non propter illud continuo ſequitur, quod in illis Chriſti verbis aliquis erit tropus. Sed de his pluribus infra diſputabimus. Nunc autem iſta non aliter memoramus, niſi vt lector intelligat, hæreticos iſtos nullis hæreſim ſuam fulcire poſſe ſcripturarum teſtimoniis, quum noſtra, hoc eſt, cõmunis totius eccleſiæ ſententia, pluribus muniatur, & iiſdem efficacibus. Sed neque verba Chriſti detorquemus, vt illi parum prudenter faciunt, ſed vt ſimpliciter enunciantur, ita ſimpliciter interpretamur, iuxta canonem Hilarij, quem libro de trinitate primo tradit: Optimus (inquit) lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Huic certe canoni palam contrauenit Oecolampadius, intermiſcens alia quam dixerat Chriſtus, imo quæ ne cogitarat quidem. Chriſtus palam enunciauit ad hunc modum, hoc eſt corpus meum, non ita, hoc ſignificat corpus meum, neque ſic, hoc eſt figura corporis mei. Quiſquis enim ſic interpretatur, non refert ſimpliciter ipſa Chriſti verba, ſed affert & intermiſcet aliena, quemadmodum & iſti miſeri faciunt, totius etiam huius vniuerſi, ſi liceret, ordinem euerſuri. Sic enim & Hilarius, tertio de trinitate libro, de illis aſſerit: In ipſam (inquit) veritatem infidelitas noſtra procurrit, & violenti in excidiũ Dei poteſtatis irrumpimus. Si liceret, & corpora & manus in cœlum leuaremus: ſolem, aſtraque cætera annui curſus ſuis limitibus perturbaremus: permiſceremus diſceſſus oceani & acceſſus, fluenta etiam fontium inhiberemus, & naturas fluminum refrænaremus, concuteremus fundamenta terræ, & toto in hæc opera Dei parricidio deſæuiremus. Sed bene eſt, quod nos intra hanc modeſtiæ neceſſitatem, natura corporum detinet. Certe non fallimus, quid ſi liceret, eſſemus acturi? Hæc propter hæreticos dixit Hilarius, qui diuinis abutuntur ſcripturis, & ſuo ſenſui potius credunt, quam ipſius Dei verbis. Et profecto non aliud habet Oecolampadius, quo ſuam hæreſim tueatur, niſi quod difficilia quædam & abſurda ſenſui conſequerentur, ſi dixerimus in Eucharistia verum eſſe corpus Chriſti. Cæterum id lector diiudicet, an æquum fuerit non credere verbis Dei, propter ea quæ ratio noſtra non capit, neque viribus ingenij valemus ipſi comprehendere.

Sup li. 2. c. 3. *Canõ Hilarij.* *Matth. 26.* *Luc. 22.* *Hilarius.*

CORROB. XII.

Nullus vnquam orthodoxus aut ſcripſit aut docuit, non contineri verum Chriſti corpus in Euchariſtia. Certus eſto lector, neminem vnquam, qui pro vere orthodoxo fuiſſet habitus, producet Oecolampadius, qui negauerit, hic ſub velamine panis opertum eſſe corpus Chriſti. At vnde id nouerim quæris? Dicam, partim certe ex mirifico eorum quos legi conſenſu (& legi ſane plurimos) partim ex eo, quod ad hunc vſque diem nemo ex orthodoxis accuſatus fuit ſuper ea re. Nec defuiſſent profecto accuſatores, ſi quiſquam eiuſmodi repertus eſſet, qui rem hanc adeo receptiſſimam ſuis damnaſſet ſcriptis. Vides in rebus longe minoris momenti non fuiſſe prætermiſſum, ſi quid aberratum eſſet à ſcopo veritatis. Cyprianus enim, qui docuit rebaptizandos eos qui fuiſſent ab hæreticis ante baptizati, in ius propterea vocatur à multis. Et quæ de Petro Hieronymus viſus eſt haud recte tradidiſſe, non ſilentio prætereundum cenſuit Auguſtinus. Quamobrem ſi de hoc ſacramento omniũ auguſtiſſimo, quiſquam aliter, aut ſcripſiſſet, aut docuiſſet, quam orthodoxa tradidiſſet eccleſia, fuiſſet hauddubie notatus à cæteris, & ceu reus hæreſeos ab orthodoxis fuiſſet habitus. Adde, in tanto ſcriptorum numero, quum tot eſſent qui rem hanc tam aperte pridem aſſeruiſſent, ſi quiſpiam orthodoxus aliter ſenſiſſet rem habere ſeſe, produxiſſet ſaltem hoc negocium in quęſtionem & controuerſiam, vt ſi quicquam ambiguitatis in ea re fuiſſet, id exactius ab eruditis diſcuteretur, atque ita veritas appareret. At nihil eiuſmodi factum vnquam ab orthodoxo quouis legimus. Ab hæreticis vero non ſemel audiuimus. Verum hi confeſtim à generalibus Synodis, ad hoc ipſum ex toto Chriſtianiſmo congregatis accerſebantur, & protinus vt auditi fuiſſent, vnanimi patrum decreto condemnabantur, & abiurare compulſi ſunt ſua peſtifera dogmata.

Cyprianus de rebaptizatione male ſenſit.

Qui

CORROB. XIII.

Qui ſic mordicus negant veritatem corporis & ſanguinis in Euchariſtia, nec vno quidem aut miraculo, aut reuelatione ſententiam ſuam comprobare queunt, quum tamen à nobis & miraculis & reuelationibus innumeris ipſa veritas confirmetur. Sed & illi, vt nihil eis obſiſtant miracula, breui compendio vel ea fieri negant, vel ſi facta ſint, præſtigiis dæmonum aſcribunt. Cæterum Auguſtinus memorat ſuis temporibus miracula complura Dei virtute fuiſſe patrata. Scribit & Hieronymus carpens Vigilantium, quod is aduerſabatur miraculis. Argumentatur (inquit) contra ſigna atque virtutes, quæ in Baſilicis martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodeſſe non credentibus, quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Eſto ſigna ſint infidelium; qui quoniam ſermoni & doctrinæ credere noluerunt, ſignis adducantur ad fidem: & Dominus incredulis ſigna faciebat, & tamen non iccirco Domini ſuggillanda ſunt ſigna, quia illi infideles erant, ſed maiori admirationi erunt, quia tantæ fuere potentiæ, vt etiam mentes duriſſimas edomarent & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, ſigna infidelium ſunt, ſed reſponde quomodo in viliſſimo puluere & fauilla, neſcio qua, tanta ſit ſignorum virtutumque præſentia. Sentio ſentio infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpe hoc viliſſimo tortus eſt puluere, imo hodieque torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur. Niſi forte in morem gentilium, impiorumque Porphyrij & Eunonij has præſtigias dæmonum eſſe cofingas, & non vere clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta. Hæc Hieronymus. Vides hic lector, vera miracula fieri nonnunquam ad mortua ſanctorum oſſa, carneſque redactas in puluerem & fauillam. Quod ſi corpora ſeruorum ſuorum iam in monumentis quieſcentia, tametſi vitæ pariter & ſpiritus expertia ſint, Deus huiuſmodi miraculis honorare ſtuduit, quanto magis exiſtimabimus eum filij ſui corpus in Euchariſtia, non iam mortuum, ſed ipſi vitæ coniunctum, hoc eſt verbo quo viuunt omnia, talibus miraculis glorificari velle. Profecto qui id negant, non gentilibus modo & impiis ipſis Porphyrio atque Eunomio deteriores ſunt, verum etiam cum blaſphemantibus ipſis Iudæis, in Spiritum ſanctum grauiſſime peccant, nimirum quum ea dæmonibus impuris tribuant, quæ ab ipſo Spiritu ſancto proficiſcuntur. Nam ſicut maligniſſimi Iudæi, quum Chriſtum vidiſſent, tot miraculis doctrinam ſuam corroboraſſe, quorum nec minimum ipſi præſtare valebant, confeſtim ea principi dæmoniorum aſcripſerunt. Sic & hæretici iſti, quum ſatis perſpiciant ſe nullum poſſe miraculum in ſui dogmatis teſtimonium producere, malicioſe conantur omnia miracula in ſuſpicionem adducere, tanquam dæmonum præſtigiis, non Dei ſpiritu patrata ſint. Hoc ipſum ſimiliter & pari ſtropha de reuelationibus faciunt, quæ ſanctiſſimis vtriuſque ſexus hominibus diuinitus oſtenſæ ſunt, eas à prauis ſpiritibus immitti contendunt: quæ dubio procul, aut à bonis angelis, aut ab ipſo ſacro Spiritu monſtratæ ſunt piis. ſed harum blaſphemiarum, quemadmodum Chriſtus docuit, neque in futuro remiſſionem vnquam conſequentur. Intelligis ergo lector, quanta ſit hæreticorum iſtorum maligniſſima cæcitas, & cæca malignitas, quod quum pro noſtra parte tot modis teſtificetur Deus, nempe ſcripturis ſacris, amoris immenſitate, conſenſu patrum, pollicitationibus veraciſſimis, ſanctiſſimis ſynodis, miraculis euidentibus, reuelationibus clariſſimis, ipſi ſcripturis abutuntur, non mouentur amoris immenſitate, conſenſum patrum flocci faciunt, pollicitationes minime ponderant, ſanctiſſimas ſynodos contemnunt, deprauant miracula, reuelationes irrident. Neque tamen quicquam quod ſolidæ probationis pondus habeat, afferre queunt. Tantum dicunt, abſurdum eſſe, nec vllo ſenſu rationeque depræhendi poſſe, quod in Euchariſtia verum Chriſti corpus ſit. At quid mirum ſi rationis & ſenſus noſtri captum exuperet tam auguſtiſſimum myſterium, quando neque minimæ creaturæ Dei rationem exactam comprehendere poſſumus. Sic enim ſapientiſſimus ipſe teſtatur in Eccleſiaſte, dicens: Et intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem, & quanto plus laborauerit ad inueniendum, tanto minus inueniat. Etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire. Si non poſſumus igitur alicuius infimæ creaturæ rationem exacte comprehendere, cui mirum erit ſi in arcaniſſimis hiſce cæcutiamus. Neque enim par eſt vt imbecillitas virium noſtrarum, aut obtuſitas ingenij noſtri, potentiſſimis ipſius Chriſti verbis fidem abroget, quum eius verbo creata ſint omnia, quumque nihil eius potentiæ factu credendum ſit impoſſibile, quod aut ipſe fieri velit aut futurum eſſe decreuerit.

Miraculis derahunt heretici.
Hiero contra Vigilan de miraculis.
Porphyrij & Euno. error.
Miracula fiunt ad gloriam corporis Christi.
Matth. 12.
Luc 12.
Epilogus.
Credenda rationem ſuperant
Eccle. 8.

CORROB. XIIII.

Et hæc certe non mediocriter quemque vere Chriſtianum conſtabilire poteſt, in huius ſacramenti fide, hoc eſt vt firmiter conſtanterque credat, ſicut eccleſia tot ſeculis iam præteritis docuit, & adhuc docet quotidie. Non vtique recenter inuentum fuit hoc dogma, ſicut quidam inſimulant. Neque enim recens author eſt Chryſoſtomus, qui tamen apertiſſime docuit ſuo tempore ſubſtantiã panis abſumi confecto ſacramento. Num vides (inquit) panem? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit, ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cæra igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: Sic & puta myſteria conſumi à corporis ſubſtantia. Adde quod idem ſæpius teſtatur, panẽ & vinũ in carnem & ſanguinẽ Chriſti nunc mutari, nunc transmutari. Hæc diximus, vt nemini videatur eccleſiæ dogma recens, de panis (vt vocant) tranſubſtantione, quandoquidem & veteres ipſi palam id teſtabantur. Sed iam videamus, quem in modum, hi qui reluctantur huic dogmati, mutuo ſeipſos interimunt. Duo ſunt in primis quæ docet eccleſia

Chryſ ſententia de Euchariſtia.

de hoc

Hæreticorum contrauerſio.

de hoc ſacramento credi debere. Alterum; quod hic verum Chriſti corpus, & verus eius ſanguis, virtute verborum Chriſti, iam adſint. Alterum, quod panis & vinum, quantum ad ſubſtantias ſuas, hic eſſe deſierint.

Lutheranorũ ſententia de Euchariſtia.
Oecol. ſententia contra, Luth.

Lutherus quidem & ſectatores eius priorem partem ſolide tuentur, & docent nimirum è ſcripturis, eam neceſſario ſequi, poſteriorem vero negant, imo ſubſtantiam panis conſtanter aſſerunt in Euchariſtia manere, panem hunc aſſerentes eſſe corpus iſtud. Cæterum Oecolampadius cum ſuis, qui nec pauci ſunt, affirmant ipſius panis manere ſubſtantiam, at negant hic vllo pacto corpus eſſe Chriſti. Sed neque ſi adeſſet fieri poſſe, vt hic panis ſit hoc corpus. Adducunt & hi pro hac parte ſolidiſſimas rationes, quæ, meo iudicio, ſolui à nemine poſſunt. Docent enim nulla ratione fieri poſſe, vt indiuiduum panis, ſit illud indiuiduum corporis Chriſti, aut quod hæc ſubſtantia panis, ſit illa ſubſtantia corporis. Quibus haud dubie rationibus Lutherum & ſectatores eius confodiunt, quatenus ipſe contendit manere panis ſubſtantiam, & hunc panem, nempe demonſtrato pane materiali, vere eſſe ipſum Chriſti corpus.

Lutherus contra Oecol.

Lutherus contra, pro præſentia corporis irreuincibiles affert ſcripturas, quibus & firmiſſime colligit, ibi verum corpus & verum Chriſti ſanguinem eſſe; quibus proculdubio ſententiam Oecolampadinorum ſubruit funditus, quatenus ipſi negant carnis veritatem in eo ſacramento.

Pulcherrima recollectio.

Quod ſi iuxta Lutheranos veriſſime collectum ſit, ex ſacris ipſis literis veram corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in hoc ſacramento realiter haberi, & rurſum per Oecolampadianos vere probatum ſit, hunc panem materialem non eſſe ipſum corpus Chriſti, neque materiale vinum iſtud, ipſum ſanguinem eſſe Chriſti, quis iam non videt vtroſq; ſuis gladiis & ſe ipſos mutuo iugulaſſe, & communem eccleſiæ ſententiam corroboraſſe mirifice. Nam ſi quod Chriſtus pronunciabat, dicens: hoc eſt corpus meum, quis pronomen hoc, hunc panem interpretatus, & per corpus, corporis ipſius veritatem accipiens, ipſum axioma falſum reddiderit, quemadmodum & Oecolampadius robuſtiſſime collegit. Et ſi rurſum accipiendo corpus pro ſola figura corporis, falſum item effecerit, vti Lutherus apertiſſime probat. Nunquid non ex vtrinſque comprobatione dilucide conſequitur, veriſſimam eſſe communem eccleſiæ ſententiã, quæ negat manere ſubſtantiam panis, ſed eã

Cõmunis eccleſiæ ſententia.
Euchariſtia. Chryſoſt. de

aſſerit penitus in Chriſti corpus mutatã eſſe, & vini ſubſtantiam ſimiliter in Chriſti ſanguinem? Quã rem & apertiſſime Chryſoſtomus teſtatur Homilia 83. ſuper Matth. dicens: Non ſunt humanæ virtutis opera quæ Chriſtus in illa cœna confecit. Ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit. Nos miniſtrorum tenemus ordinem: qui vero hæc ſanctificat & tranſmutet, ipſe eſt. Similibus itidem verbis idem vtitur ad populum Antiochenum, Bernardo Brixiano interprete, Homilia 60. Sed & in canone miſſæ, quo idem vſus eſt, ita precatur, inquiens: Offerimus tibi rationabilem hanc & immaculabilem latrian, & rogamus atque obſecramus & ſupplicamus, mittas Spiritum tuum ſanctum in nos, & ſuper hæc propoſita munera, & fac quidem hunc panem precioſum corpus Chriſti tui, & poculum hoc precioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutans ipſa Spiritu ſancto tuo. Nec te moueat lector, quod dixerit, fac panem hunc precioſum corpus Chriſti, & poculum hoc precioſum ſanguinem Chriſti, quaſi panis & vinum maneant, ſed reſpice potius ad id quod ſequitur, quo mentem ſuam aperit & declarat, quum dicit, tranſmutans ipſa Spiritu ſancto tuo. Sic ergo panem, factum corpus intelligit, quod ipſe tranſmutetur in corpus, ſicut in ſuperioribus locis ex eodem à nobis ante citatis liquet apertiſſime. Non manet itaque ſubſtantia panis, ſed in corpus Chriſti tranſmutatur, & vinum

Li.1.ca.25.
Li.2.ca.17. ca 18 & ca 3.

pariter in ſanguinem ipſius. Porro Chryſoſtomi miſſam græce ſcriptam, & in latinum ſermonem traductam, Eraſmus ante ſedecim annos iam præteritos mihi dono dedit, quando nulla fuerat huius controuerſiæ ſuſpitio. Sed & libellum alium, in quo tam Chryſoſtomi miſſa, quam etiam Baſilij græce continetur, Reuerendus pater Epiſcopus Londonienſis mihi communicauit.

Miſſa Chryſ. & Baſilij.

In hoc etiam haud longe diſſimilibus verbis Baſilius vtitur, dicens: Oramus & obſecramus ſancte ſancte, vt veniat Spiritus ſanctus beneplacitæ bonitatis tuæ ſuper nos & ſuper hæc propoſita munera, & benedicat ea, ſanctificet, & faciat panem quidem hunc, ipſum precioſum corpus Domini, & Dei noſtri Ieſu Chriſti, amen. poculum vero hoc ipſum præcioſum ſanguinem Domini & Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, amen. Huius miſſæ Baſilij meminit & Damaſcenus. Sed & Beſſario Cardinalis tam Chryſoſtomi quam Baſilij miſſam citat in libello, quam ſcripſit de Euchariſtia. Citat inſuper & alios duos illis vetuſtiores, nempe Clementem & Iacobum, vt alibi dicturi ſumus. Sed & miſſa, qua ad hũc vſq; diem vſa fuit Latinorum eccleſia, Græcis conſentit, quum & ipſa precetur vt oblatio panis & vini, fiat corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hactenus pro decimaquarta corroboratione.

Quiſquis igitur has corroborationes accuratius expenderit, pieq; vixerit, mirabor ſi non perſuaſiſſimum ei fuerit, de veritate corporis & ſanguinis in Euchariſtia. Sed iam excutiamus & reliqua quæ ſequuntur, in Oecolampadio.

ELENCHVS CAPITVM EX TERTIO LIBRO.

I. *Reſpondetur blaſphemia eius in Chriſtum, qua dicit eum ineptiiſſe, & citra ſapientiam vllam ſuum corpus hic repoſuiſſe.*

II. *Ex eo, quod ſacrificium eſt, abunde colligitur aliud quiddam eſſe, quam fruſtulum panis.*

III. *Quanquam aduocatus noſter ad patrem in cælo ſit Chriſtus, nihil eundem hic offerri prohibet in Euchariſtia.*

IIII. *Nihil aut patris aut Chriſti gloriæ derogare, quod is in Euchariſtia colatur.*

V. *Ex eo, quod hactenus eccleſia Chriſtum adorauerit in Euchariſtia, colligitur neceſſitas eius præſentiæ.*

VI. *Ad cauillum de repoſitione corporis in ſacratiolo, reſpondetur.*

VII. *Ex duorum exemplarium ſeparatione, ſtulte docere contendit, res nullas ſubeſſe.*

VIII. *Fides præſentiæ corporis in ſacramento, confert ad gloriam Chriſti.*

IX. *Extricantur quædam tricæ, quas Oecolampadius de modo fidei, Chriſti verbis habendæ, congerit.*

X. *Explicatur Baſilij teſtimonium, quod ille videri vult pro ſua parte facere.*

XI. *Fuci, quibus idem teſtimonium obducit, remouentur.*

XII. *Teſtimonium Iobi de commanducandis eius carnibus, explicatur.*

XIII. *Ex eſu victimarũ veteris legis docemur Chriſti carnem corporaliter edendam eſſe.*

XIIII. *Nihil minui Chriſti gloriam ex præſentia ipſius in Euchariſtia.*

XV. *Molitur oſtendere carnem Chriſti, neq; corpus neq; animam noſtram paſcere poſſe.*

XVI. *Mentes noſtras veritate credendo paſci, ſicut angelicæ mentes, eandem contemplando paſcuntur.*

XVII. *Declamitat in parum credulos, qui Dei promiſſionibus haudquaquam fidunt.*

XVIII. *Præter verbũ & promiſſiones, ipſa morte Chriſti nos vbertim paſci, libẽter admittimus.*

XIX. *Nec verbo tamen, neque promiſſionibus, excludi carnis eſum in Euchariſtia, confidenter aſſerimus.*

XX. *Caro, licet non ingrediatur animam, paſcit tamen eam ſua præſentia nihilominus.*

XXI. *Diluitur obiectio, quo molitur oſtendere mentem fieri carneam, ſi carne veſcatur.*

XXII. *Contentiones miſſas fieri ſuadet, quas ipſe primus in hac re poſt Berengarium & VVicleſum excitauit.*

XXIII. *Cauillis aliis, quos aliquot inducit friuolos, reſpondetur.*

IOHANNIS ROFFENSIS EPISCOPI CONTRA OECOLAMPADIVM DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO,

LIBER TERTIVS.

Reſpondetur blaſphemia eius in Chriſtum, qua dicit eum ineptiiſſe, & citra ſapientiam vllam ſuum corpus hic repoſuiſſe.

CAPVT I.

OECOL. *ESt & hoc fidelibus auditu graue, ſi dicuntur per Chriſtum facta, quæ ſapientiam eius non teſtentur, ſed fruſtra, & abſque vtilitate compareant. Quomodo enim ita ineptiret Chriſtus, cuius omnia opera in bonitate & ſapientia fiunt.*

ROFF. Iam vides lector, Oecolampadium nihil promouiſſe, aut citatione Tertulliani, aut Chryſoſtomi, aut Auguſtini. Quare pergamus oportet, & alias nugas, quas affert, refellere. Quod ſane quantum ſit tædij, dici vix poteſt. Cæterum hoc tædium, quando iam cœpimus, à nobis deuorandum eſt. Nõ videt Oecolampadius in hoc opere, Chriſti ſapientiam vllam; & quid mirum, qnum iam oculis mentis captus ſit. At nobis ſatis eſt, ꝙ priores patres hoc viderint, & intellectum huius rei nobis aperte commendarint. Sic enim Auguſtinus lib. 17. de ciuitate Dei cap. 20. docet: Sapiẽtia (inquit) ædificauit ſibi domum & ſuffulſit columnas ſeptem, immolauit ſuas victimas, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit menſam ſuam, miſit ſeruos ſuos, conuocans cum excellenti prędicatione ad craterem ſuum, dicens: Quis eſt inſipiens, diuertat ad me. Et inopibus ſenſu dixit: Venite & manducate de panibus meis, & bibite vinum quod miſcui vobis. Hic certe agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt, verbum patri coæternũ, in vtero virginali domum ſibi ædificaſſe, corpus humanum, & huic tanquam capiti, membra, eccleſiam ſubiunxiſſe, martyrum victimas immolaſſe, menſam in vino & panibus præparaſſe; vbi

Sapienter Chriſtus inſtituit ſacramentum corporis & ſanguinis.

apparet etiam, ad ſacerdotium ſecundum ordinē Melchiſedech, inſipientes & inopes ſenſu vocaſſe. Quia ſicut dicit apoſtolus: Infirma huius mūdi elegit Deus, vt confunderet fortia. Quibus etiam tamē infirmis quod ſequitur dicit: Derelinquite inſipientiā vt viuatis, & quærite prudentiā vt habeatis vitā. Participem autem fieri menſę illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Hactenus Auguſt. Nō ineptiit itaq; Chriſtus, vt tu blaſphemas, quādo menſam hanc inſtituit, vbi fideles ederēt ipſius corpus, nimirū vt ita vitę fierent participes. Vitam autem illā, ſolus panis & ſolū vinū præſtare nequeunt. Stupidiſſimum eſt profecto tale quiddam exiſtimare, ſed ipſa caro Chriſti & ſanguis, ſub panis & vini ſpeciebus, vitam conſerunt bis, qui digne ſuſcipiunt.

1.Cor.1. *Iohan.6.* *1.Cor.11.*

OEcol. *Referant igitur, quid agat in pane corporalis præſentia, quod abſq; illa ſacramentum per ſe non poſſit? Referant aliquid, vel ante manducationem, vel in manducatione. Et videamus primum ante manducationem, commendeturne aliquid amplius?*

Roff. Abunde tibi reſpondent ipſi patres. & præſertim Irenæus, Hilarius, Cyrillusq; & Chryſo. quod per eſum huius cibi, corporaliter vniamur Chriſto, id quod nobis, non ſola fides, neq; dilectio cū fide præſtat, ſed vna cum his corporalis manducatio Chriſti in Euchariſtia. Sufficiet hic, vnū Cyrilli recenſere, qui ſic ait, ca.15. ſuper Iohan. Cōſiderandum eſt, non habitudine ſolū, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verū etiam & participatione naturali. Nam quēadmodum, ſi quis igne liquefactā cæram, alij cęrę ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſq; factum videatur, ſic cōmunicatione corporis & ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Nō poterat enim aliter corruptibilis hæc naturā corporis, ad incorruptibilitatē & vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei cōiungeretur. Nō credis mihi hęc dicenti, Chriſto (te obſecro) fidē præbe. Amen amen (inquit) dico vobis: Niſi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius ſanguinē, non habebitis vitam in vobis. Hactenus Cyrillus, qui & paulo ante præmiſit ſe dicturū iſta ex fide patrū & eccleſiæ. Tibi vero panis ille, panis dūtaxat eſſe creditur, nec in eo quicquā eſſe diuinæ virtutis, neq; Spiritū ſanctū quicquā in eo diuinitus operatū eſſe, vt fiat tale ſacramentum. Quare tua ſententia cōſequitur, vt nec ante manducationē, nec in ipſa mādûcatione, panis ille quicquā conſerat auditoribus tuis. Nos autē, qui diuinā illic adeſſe virtutem, & Spiritū ſanctū, per inuiſibilē operationē ſuam diuinitus illic ſubſtantiam panis in Chriſti carnem vertiſſe, certo credimus, per ipſam manducationem fidenter edētibus, mirum in modum, Euchariſtiam prodeſſe nihil ambigimus.

Eſu Euchariſtia vnimur Chriſto. *Cyrillus.* *Iohan.6.*

OEcol. *Certe Chriſtus dedit corpus ad manducandū, non ad oſtentandum, vel ad circumferendum, vel ad reſeruandū in arcis, dicit enim: Accipite & comedite: non dicit: Circumferte, oſtendite, vel reſeruate.*

Roff. Niſi rectius calleres dialecticā, ſatius tibi fuiſſet eiuſmodi libros nunquā ædidiſſe. Papé, qualē hic audimus argumentationem, quæ fit ex meris negatiuis? Nō dixit Chriſtus: Circūferte, ideo nō eſſe circumferendum. Nec dixit: Oſtendite, ideo nō eſſe oſtendendū. Nec dixit: Reſeruate, ideo nō eſſe reſeruandū. Eiuſmodi nugis refertus eſt totus iſte libellus tuus. Hoc ſaltem affirmas, quod Chriſtus dederit corpus ſuum ad edendū. Verum hic te precor. Quādo dedit, & quibus verbis: Certe non alium exprimes locum, aut alia verba, quā quibus apud diſcipulos vſus eſt in cœna. Et tunc nonne etiā oſtendit apoſtolis ipſis quibus dedit? profecto. Quid igitur? vis credamus potius negatiuæ tuę, qua ſtruis non dixiſſe Chriſtū, Oſtendite, quā ipſi facto Chriſti, quo ſic ipſe fecit, nimirum oſtēdens corpus ſuū apoſtolis. Apage ſis hæretice. Si nihil aliud eſſet quam fruſtulū panis, nō video cur debeat oſtētari. Sed quū ibi verū ſit corpus Chriſti, munus ampliſſimū & auguſtiſſimū, quod pro monimento ſui nobis dedit, cur nō meretur oſtentari, & circumferri, cum omni, quantū fieri poteſt, celebritate: quatenus populus magis ac magis excitetur ad huius doni venerationem, ardentiuſq; ad fidem & ad amorem donatis inflāmetur. Porro quod negas reſeruationē à Chriſto iuberi; Num propterea non eſt laudabile inſtitutum, vt pro his, qui repentinis forte morbis corripiendi ſunt, hoc ſacramentum in promptu habeatur, ne ſint alioqui ſine hoc viatico ſaluberrimo diſceſſuri. Vobis vtiq;, qui nullā huic ſacramento virtutē tribuitis, fuerit ſatis paucis verbis, & abſq; miſſæ ceremoniis cōmunem panem ipſi morituro præbere. Nos vero qui panē rite conſecratū, in Chriſti corpus verti credimus, conſecrationem illam haudquaquam cenſemus fieri debere, niſi cum honorificis illis miſſæ ceremoniis, ſine quibus indignum eſt, vt ſacramentū tantum vnquam conficiatur.

Matth.26. *Luc.22.* *Corpus Chriſti oſtendendum eſt fidelibus.* *Corpus Chriſti reſeruandum pro infirmis.* *Ceremonia ſunt in miſſa ſeruanda.*

OEcol. *Reſpondent quidam: Antequam comedamus, accipimus: & antequam accipimus, præſens eſt. Edi non poteſt, quod non ſumitur: nec ſumitur quod non adeſt. Vnde quū corpus Chriſti mānducamus, iam antea præſens habuimus.*

Roff. Abūde nos reſpondimus, opinor, huic friuolæ cauillationi tuæ, qua contendis nec oſtendi, nec reſeruari debere ſacramentum iſtud; facile quidē fuerit cuiq; leuiculas eiuſmodi ratiunculas effingere ac ſubinde ſolutiones nihilo ſolidiores afferre, quibus rudes auditores circumueniantur, quemadmodum & ipſe nunc moliris. Cauillum antea propoſuiſti, mox & ſolutionem affers. Et hanc poſtremo te facillime poſſe refellere, iactitas. Et ad hunc modum ferme, per vniuerſum libellum tuum nugaris. Sed audiamus quam efficaciter illud ſis præſtiturus.

OEcol. *Atqui facillime refelli poterunt. Accipi enim dicimus corpus, quomodo manducatur: & præſens eſſe, quomodo accipitur: & quia non manducatur corporaliter, neque accipitur, neque adeſt corporaliter. Sed adeſt ſacramentum corporis, quod Dominicum corpus vocatur. Porro de manducatione paulo poſtea latius.*

Roff. Hac ratione refellis: Dicis eo modo corpus manducari, quo accipitur, & accipi eo modo quo præſens eſt. Negas autem præſens eſſe cor-

pora-

poraliter. Quare colligis, ipſum corpus nec edi nec accipi corporaliter. Hæc (ſi diis placet) bella conſutatio eſt, vbi nulla præter affirmationem tuam & negationem, alia probatio redditur. Dicis hoc, & negas illud, & iam abunde videris tibi confutaſſe. Is profecto refellendi modus, etiam ad vnamquamlibet veritatem euertendam, erit facillimus. Cæterum nos hunc refellendi modũ haudquaquam putamus ab eruditis eſſe cõprobandum. Illi vero, quibus reſpondes, ita è diuerſo colligent. Accipi dicimus corpus quo modo manducatur. Et præſens eſt ad eum modum, iuxta quem accipitur. At manducatur inquiunt corporaliter. Quare & accipitur, & adeſt corporaliter. Et huius argumentationis ſingulas partes ſufficienter muniunt ſcripturis & patrum teſtimoniis ſolidis & irrefragabilibus. Quocirca petimus, vt ipſe doceas aliquo ſolidiori argumento, non illic eſſe Chriſtum realiter. Nam tuis nudis verbis minime ſtaturi ſumus.

Ex eo quod ſacrificium eſt, abunde colligitur aliud quiddam eſſe, quam fruſtulum panis.

Capvt II.

OEcol. *Commemorant autem & alias rationes: Primum, ne deſit Chriſtianis ſacrificium vel oblatio. Parum enim eis videretur, pane ſimplicis creaturæ gratias agere, & creatorem, ac datorem, ſanctificatoremque agnoſcere: quemadmodum veteribus morem fuiſſe cõperimus.*

Roff. Ignoſce mihi, ferre nõ poſſum has nugas tuas, imo non nugas, ſed impietates & blaſphemias horrendiſſimas. Tu mutuã hanc & Dei erga nos, & noſtram viciſſim erga Deum gratitudinẽ extinguere paras. Hoc enim ſacramentum, ceu fœdus quoddã inter nos & Deum eſt quo nos Deo coniungimur, imo incorporamur, quodque Deũ nobis gratioſum, & nos viciſſim Deo reddit gratiſſimos. *Corpus Chriſti eſt glutinum amoris.* Quanam in re gratioſiorem ſe nobis oſtendere poſſet diuina pietas, quam quod ſui filij corpus quotidie nobis edẽdum præbeat? Et qua viciſſim in re noſtram ergã eum gratitudinem efficacius teſtari queamus, quam ſi corpus hoc ipſum illi toto cordis affectu ſtuduerimus offerre. Muneribus vtique placandum eſſe Deum, nõ modo lex vetus nos inſtruit, quum ſcriptum ſit, non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus, verum etiam hoc ipſum, quaſi lege quadam naturæ, priſcorum animis inditum fuit. *Deus placatur muneribus. Exodi 23. 34. Gene. 4.* An non Abel & Cayn oblatis muneribus Deum ſibi conciliandum putauerunt? Nobis igitur, vt non deeſſet munus quod offeramus, Chriſtus in hoc ſacramento ſeipſum reliquit, quem vice muneris, & ſacrificij loco, iugiter imolaremus. Quo certe munere nihil patri gratius, nihil acceptius, nihil denique precioſius offerri poterit, quippe quod non eſt aliud, quam quod ipſe Chriſtus ei quondam pro nobis obtulit in cruce, atque ideo cæteris omnibus præcellit ſacrificiis, tam his quæ legẽ præceſſerant, quam aliis quæ ſub lege vnquam à quouis hominum offerebantur. *Corpus Chriſti quod ipſe obtulit & nos offerimus.* Iſtud quãquam ſufficienter Auguſtini teſtimonio, & eodem apertiſſimo, paulo ante comprobauimus, tamen vt iſtam pertinaciam tuam aliquanto magis cõtundam, non grauabor & Chryſoſtomum recẽſere, qui ſic in poſterioris epiſtolę ad Timoth. cõmentariis homilia tertia ſcibit: *Chryſoſtom.* Volo quidem adiicere plane mirabile, & nolite mirari neque turbemini. Quid vero iſtud eſt? Sacra ipſa oblatio, ſiue Petrus, ſiue Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamque ſacerdotes modo quoq; cõficiunt. Nihil habet iſta quam illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui ante ſacrificauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem eſt. Et paulo poſt: Et hoc igitur Chriſti corpus, & illud eſt. Qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Chriſtum eſſe qui nunc etiam adeſt atque operatur. Hactenus ille. Vbi vides lector Chriſtum adeſſe, & oblationem hanc ſacrificare, in qua & corpus eius ex pane conficitur, & offertur Deo. Sed neque plus offert in ea oblatione maximi meriti ſacerdos, quam ille qui nullius meriti eſt.

OEcol. *Verum nos ſcientes, finem ſacrificiis & oblationibus impoſitum, docente epiſtola ad Hebraeos: vnica oblatione conſummari in perpetuum ſanctificatos, aſſerimus, iterũ inſtaurare ſacrificia, eſſe mortem Chriſti irritare.*

Roff. Et vnde hoc noſti perditiſſime? Num eandem epiſtolam non ante te legerunt viri, quum eruditione, tum vitæ ſanctimonia clariſſimi, quibus tu vix dignus es porrigere matulam? Hieronymus inquam, & Hilarius, ac Cyprianus, Ambroſiusque, & Auguſtinus ex latinis, ex græcis vero Chryſoſtomus, Cyrillus, Origenes, & cæteri non paruo numero, qui tamen omnes teſtantur ſacrificari corpus & ſanguinem Chriſti per ſingulos dies in eccleſia. *Corpus Chriſti ſacrificatur quotidie.* Neq; vllam illi reluctationem aduerterunt in hac epiſtola, quo minus huiuſmodi ſacrificium iugiter ſit offerendum, quum illis nõ diuerſum exiſtimetur iſtud quod in altari, ab eo quod olim fiebat in cruce. Tibi vero (qui nihil aliud quam panem & vinum in hoc ſacramento contineri putas, ac proinde diuerſum eſſe quod vtrobique offertur, fateare neceſſe eſt) ipſa epiſtola manifeſte reclamat. Cæterum hoc mihi reſponde. Alter noſtrum hauddubie blaſphemus eſt, aut ego, qui Chriſtum hic ſacrificari doceo, aut tu, qui tãtam eius benignitatem impie negas. Non eſt igitur vterque noſtrũ ſanctificatus, illa priori oblatione ſemel facta. Quanam ergo ratione iam is qui nondum ſanctificatus eſt, ſanctificari queat? Si dixeris per fidem in Chriſtum Ieſum, Ego certe non dubito, quin vterque noſtrum in Chriſtum Ieſum credat, & tamen certũ eſt alterum non eſſe ſanctificatum. Hoc eſt igitur quod percontor, quonam modo conſtare poterit quis noſtrum ſanctificatus eſt, & ſi nondum ſanctificetur, qua ratione certus erit de ſua ſanctificatione. Certum enim eſt vtrumque noſtrũ in Chriſtum Ieſum credere, & tamen haudquaquam ſanctificatum eſſe. At expectas, vt probem

Fides in Chriſtum ſola non ſufficit.

tibi non ſufficere fidem in Chriſtum Ieſum, niſi pariter & cætera credideris quæ credit eccleſia catholica. In qua re Cyprianum audias tractatu aduerſus Nouatianum: Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſę virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus: occidi talis poteſt, coronari nõ poteſt. Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodo & Chriſtũ diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente: Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & fallent multos. Hæc ille. Credas igitur quantum velis, niſi etiam redieris ad eccleſiæ vnitatẽ, nihil tibi proderit fides tua. Cæterum cuiuis orthodoxo, qui de ſacramentis recte credit, facile fuerit percontationi pridẽ factæ reſpondere. Nam quiſquis ad eccleſiæ rediit vnitatem, & ſuam fidẽ fidei eccleſiæ conformat, huic per hæc ſacramenta ſanctificatio protinus acquiritur. Nam quiſq; vere cum eccleſia credẽs, & rite factus horum particeps, de ſua ſanctificatione certus eſſe poterit, & inter cætera cumprimis per hoc inæſtimabile ſacrificium, quo digne reſipiſcentibus, nõ modo diuina prorſus ira placatur, verum etiam ingens gratiarum cumulus præſtatur abundantiſſime.

Lucæ 21.

Sacramenta eccleſiæ ſanctificant digne recipientes.

OEcol. *In veteri lege contentus erat Deus ſola nonnunquam gratiarum actione, etiam ſi nihil immolandum adhibitũ fuiſſet. Quid prohibet gratiarum actione etiamnum abſque pane Deum colere?*

Roff. Non inficior, quin gratiarum actio, ex magno cordis affectu profecta, ſemper Deo placuit, & adhuc placet etiam aliis diei horis, quando ſacrificiũ iſtud nõ offertur. Cęterũ vos, qui quicquid agãt homines, aſſeritis haudquaquã peccato carere, quem in modũ quæſo poteritis eſſe certi, ꝙ veſtrã gratiarum actionem, peccati fœditate cõmaculatam, acceptabit Deus. Per fidẽ dicitis. At ego rurſum obiicio, fidẽ an habueritis, vobis incertum, eam ſaltẽ quæ charitate formata ſit. Atq; iſtud etiam, quod dico, verum eſt, licet eſſetis intra vnitatem eccleſiæ. Nunc autem cum ab hac vnitate ſeparamini, non eſt dubium, quin fide careatis, neq; ſacrificium vllum quod offertis, acceptũ eſſe Deo. Nos vero qui catholicæ eccleſiæ tenemus vnitatẽ, quoties credentes ad hoc ſacroſanctum accedimus ſacrificiũ, quo citra maculam agnus ille innocẽtiſſimus Deo patri victimatur, nihil dubitamus, quin hæc oblatio & per eã noſtra gratiarum actio, Deo noſtro ſit cõplacitura.

Gratiarum actio per Euchari. oblationem Deo placet

OEcol. *Et hodie interdum coram Deo gratias multo verius agit ex eccleſia eiectus & excommunicatus, quam is qui in medio eccleſiæ communicat.*

Roff. Fieri quidem poteſt, vt quiſpiam citra culpam ſuam, & ex peruerſitate iudicis, aut per errorem iudicis inuincibilem, ab eccleſia ſit eiectus. Verũ ille, modo nõ defuerit animus, vt ſi per excõmunicationem liceret, libenter intereſſet ſacris, atq; interea magno cordis affectu Deo gratias agat, nõ dubito quin particeps fiat eiuſdem ſacrificij, quod in eccleſia tunc offertur. Veruntamen vbi cętera ſunt paria, hoc eſt, par votum, par affectus, par animi puritas, fidesque & charitas, & cætera id genus, nihil moror aſſerere eum, qui dum hoc ſummũ ſacrificium immolatur, iam adeſt, longe magis promereri, quam alium, qui tum abfuerit ſua ſponte.

Excommunicatus iniuſte non priuatur gratia ſacrificij.

Gratias quoq; agentibus patribus immolantibuſq; legitimas hoſtias, ſufficiebat credere ille, qui venturus erat in nomine Domini: & nobis nunc vtilis eſt gratiarum actio in pane, ſi veniſſe redemptorem teſtamur. OEcol.

Semper ad hoc diuerticulũ fugis, quo ſacramẽta patrũ noſtris paria fuiſſent, id quid ſæpius ante reuulſimus, & mox plenius reuulſuri ſumus. Noſtra vtiq; ſalutem & vitã præſtãt, illorum non ita, quum ipſa meræ fuiſſent vmbræ. Tibi igitur nihil intereſt, inter altaris noſtri ſacrificiũ & altarium illorũ victimas, nobis autem intereſt incõparabiliter. Nunc enim noſtri ſacerdotes ſalutarẽ illam offerunt hoſtiam, quæ in ſe puriſſima eſt, gratiſſima patri, ſufficientiſſima pro delictis omnium, qui fiunt huius participes. Hæc eſt ineffabilis, erga nos homines, Dei charitas, vt qui pridẽ filium ſuum, & amantiſſimum, pariter & amatiſſimum, ad horrendam crucis mortem pro nobis tradidit, idem iam eundem in hoc ſacramẽto nobis dedit, quem pro condonandis offenſis noſtris iugiter offeramus. Roff.

Sup. li. 2. ca. 29. ca. 32.

Iohan 3.

Quoniam autem à Domino ipſo ritus inſtitutus eſt, vt pro beneficio mortis gratias agamus, debemus illum ſanctiorem beatioremq; prædicare: vnde & ab hoc à doctoribus appellatus eſt, ſacrificium laudis & Euchariſtia. OEcol.

Euchariſtiam (vt ſuperius diximus in præfatione ſecũdi libri) Græci dicunt, non modo gratiarum actionem, verum etiam gratitudinem ſignificare, quod verbũ mihi magis arridet, ob id, quod Deo nobiſcum cõmune ſit. Nam ille nobis ex tam eximij muneris donatione, immenſam in hoc ſacramento gratitudinem oſtendit, & nos viciſſim illi, per eiuſdem muneris iugem & deuotã immolationẽ, noſtram gratitudinem indicamus, per quam & euadimus illi quã gratiſſimi. Veſter autem panis, neq; Deũ vobis, neq; vos Deo reddet vnquam gratos. Quinimo propter infidelitatem huius ſacramenti non dubito, quin illum ad indignationem prouocetis, iramq; vobis & vltionem accumuletis in diem iræ & vltionis per iuſtum iudicium Dei. Roff.

Prole. 2. li.

Euchariſtia gratitudinẽ ſignificat.

Sed quid opus præſentia eius, vt eum laudemus, & gratias agamus, an non vt gratias agamus, ſatis eſt admonitos ſymbolo dominico, memoria beneficium amplecti: cuius meditatio etiam abſentiſſimum benefactorem repræſentat. inuiſibile corpus, vt in pane eſſe aſſeritur, non plus prouocabit ad gratiarum actionem, quantum abſens, & in memoria præſens. OEcol.

Ex præſentia eius in hoc ſacramento palam diſcere licebit, quod chariſſimus Chriſto noſtro, quum ipſe noſtri gratia ſeipſum pręſentem exhibeat, ꝙ & facit, quũ ob alias, tum ob tres potiſſimum rationes. Prima quidem eſt, vt non deſit nobis ꝙ offeramus, acceptabile ſacrificiũ, quo nobis re- Roff.

Triplici ratione eſt Chriſtus in Euchariſtia.

Prima ratio.

bis reſpicientibus, conriliatum & placatum certo ſciamus patrem. Et hoc certe tanti & tam excellentis rſt momenti, vt ſi nihil aliud eſſet, id vel ſolum ſufficeret, vt in eius amorem arrēdat geliſſima corda noſtra. Nam per huius oblationē, participes euadimus ipſius ſacrificij, quod olim pro nobis immolauit in cruce, quod rerte non eſt aliud ab iſto, ſed re prorſus idem. Illud ſemel factum eſt, vt nos, qui per iſtud ſacrificamur, certo confidamus nos conſummationem & perfectionem illius quadamtenus eſſe conſecutos.

Secunda ratio.

Altera vero eſt, vt hoc ſacramentum ſit nobis mutuæ dilectionis confœderatiuum, non ſignificatiuum ſolum.

Aug. de ſacramentis fidelium 4 ſen. diſ 8.

Significat vtiq; ſpecies illa panis & vini, communionem charitatis inter Chriſtianos eſſe debere, vt ſirut ex multitudine granorum, panis vnitas, & ex vuarum multitudine, vini liquor vnus profluit, ita Chriſtianorum vniuerſa multitudo ſibi inuicem mutua dilectione ſolidiſſime connectatur, ac vere fiat corpus vnum. Cæterum quoniam hanc vnionem potiſſimum præſtat & efficit vnitas capitis, idcirco Chriſtus huius corporis caput præſens eſt in hoc ſacramēto, vt non modo ſignificetur iſta communio, verum efficaciter præſtetur his, qui ſe digne præparant. Nam vt à rapite nerui ſuam originem ſortiuntur, quibus tum caput ipſum membris, tum membra ſingula mutuo ſibi colligantur, ſic & ab hoc capite Chriſto, nerui charitatis diffunduntur, per huius ſacramenti ſumptionem, ad ſingula membra, Spirituſq; Chriſti transformat, viuifirat, & connectit ea, tam inter ſe, quam ipſi capiti per eſum ipſius corporis & ſanguinis illius potationem.

Tertia ratio.

Tertia denique cauſa, cur ſe præſentem Chriſtus exhibeat in hoc ſacramento, eſt, vt ſit nobis in eo tanquam cibus viuificans & corroborans totum hominem, dum in hac miſeriarū valle peregrinamur, vt in illius eſcæ fortitudine, valeamus tandem ad cœleſtem illum peruenire montem. Nam cibus iſte, non ad ſimilitudinem cuinſlibet cibi communis, vertitur in ſubſtantiā corporis noſtri, ſed nos magis vertit & incorporat Chriſto, nimirum, vt ſimus vnum cum illo ſubſtantialiter, ſirut & ille ſubſtantialiter vnum eſt cum patre, & ſicut pater fons vitæ, vitam ipſam communicauit Chriſto, ita & nobis vita communicetur à Chriſto per eſum huius cibi. Sic enim & ipſe teſtatur in Euangelio Iohannis dicens:

Iohan. 6.

Sicut miſit me viuens pater, ita ego viuo propter patrem, & qui ederit me, ipſe viuet propter me. At iſtud (inquis) fides abunde præſtat. At iſtud patres ipſi negant, vt ſæpe reſpōdeo. Et hæc ex Hilarij ſententia dicimus octauo libro de trinitate. Quod ſi fides poſſet iſtud præſtare, incertum tamen eſt, an omnes qui ſe credere putant, habeant talem & tātam fidem quæ ſufficiat. Quamobrem vt tolleretur omnis ſcrupus, & vt hac de re certiores redderemur, neceſſe fuit eiuſmodi ſacramentum nobis fuiſſe donatum.

Fides augeri poteſt.
Luc 17.

Accedit huc, quod nemini tanta contigit fides, quin augeri queat, vt tam propter eius augmentum, quam propter incrementum charitatis & gratiæ nunquam fruſtra ſuſcepturus eſt hoc ſacramentum, quantacunq; fide quis abundauerit.

Quanquam aduocatus noſter apud patrem in cælo ſit Chriſtus, nihil eundem hic offerri prohibet in Euchariſtia.

CAPVT III.

OEcol. *Somnium igitur eſt, quod hic fingitur, medium quoddam ſacrificandi genus, inter gratiarum actionem & mortem, cui neſcio quod vocabulum imponi debet, quum & ſomniatores ipſi nullum impoſuerint.*

Roff. Tot inanibus ſomniis caput tuum vexatur, vt quæ veriſſima ſunt, nequeas ab inſomniis diſcernere. Cæterum lector quiſquis vigilanter attētus fuerit his quæ diximus, non iudirabit (opinor) ſomnium eſſe. Sed & quam variis nominibus hoc myſterium à patribus cognominatum ſit, propter inexplirabiles diuitias quæ in eodem continguntur, in præfatione ſecundi libri copioſe diſſeruimus, vt nunc nihil opus fuerit eadem recenſere.

OEcol. *Somniant enim reſpicientem patrem ad filij in pane præſentiam, quam oblationis loco ponunt. Quod abſque dubio præiudicat merito paſſionis, non minus quam ſecundaria immolatio.*

Roff. Nihil præiudicat alterum ſacrificium alteri, quum re ſint vnum, vt diximus, & hoc illius rememoratio quædam ſit, & (vt Paulus dicit) annunciatio mortis Chriſti, donec veniat.

Sup. li. 2. c. 18.
1. Cor. 11.

Suffecit quidem illud pro delictis omnibus. Cæterum quum ob alias rationes, tum vt eius conſummationis participes fierēt, hi qui poſtea peccauerūt, & vt indubitāter ſe ſcirent factos eſſe participes, inſtitutum fuit hoc ſacrifirium, nimirum vt cōpertiſſimum haberent ſe per huius oblationem & eſum, virtutem illius ſacrificij & necis Chriſti fructum eſſe conſecutos.

Varia ratione inſtitutū eſt Euchariſt. ſacramentū.

Quis enim tam cæcus eſt, vt neſciat eos qui adhuc adulteri ſunt, aut fures aut homicidæ, carere vita gratiæ, & nondum his eſſe condonata peccata, nondum ſanctificatos eſſe, nondum participes ipſius eſſe factos ſacrificij, quod in cruce pro nobis Chriſtus obtulit: & tamen putant ſe in Chriſtum credere, paratoſq; mori potius quam abnegare fidem Chriſti. Quid igitur? profecto neceſſe eſt vt relictis peccatis ad eccleſiæ ſalutaria ſacramenta confugiant, quibus ipſi ſanctificati, participes euadant illius ſacrificij, quod in cruce pro cunctis fuerat oblatum.

Per ſacramēta efficimur participes paſſionis Chriſti.

Propter quod & Paulus ad Heb. 10. dicit: Vnira enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Ecce non dicit omnes, ſed eos qui ſanctificātur, nimirum per eccleſiæ ſacramenta. Nemo igitur vſq; adeo ſceleratus eſt, ſi velit peccādi animum quantum in ſe fuerit deponere, & ſacramentis eccleſiæ rite digneq; præparatus communicare, quin fieri queat particeps fructuum oblationis illius in cruce ſemel factæ. Quare ſemper Deo gratia, qui nobis eiuſmodi reliquit munera, quibus per fidem in eum de ſalute noſtra reddamur indubitati.

OEcol. *Præiudicat quoque & patrocinio ſeßionis ad dextram.*

Roff. Multa ſuperciliose nobis affirmas, at nihil horũ probas. Adeo ſtupidos nos exiſtimas omnes, vt nudis tuis verbis, citra quamuis probationem, fidem putes habituros? Ambroſio, tametſi fuiſſet corpore mortali, nihil præiudicabat, vt ſimul eſſet Mediolani ſacra faciens & Turoni item ad beati Martini tunc defuncti ſepulturam; Chriſto, cui virtus infinita eſt, præiudicabit, quo minus in altari queat eſſe, quod iam corpore præſens in cœlo ſit? At nihil repugnat perfide, quo minus idem corpus duobus locis & localiter per Dei virtutem ſimul præſens fiat. Quanto minus ipſi corpori Chriſti repugnabit, vt quum localiter in cœlo ſit, ſimul eſſe poſſit etiam in altari ſacramentaliter.

B. Ambr. ſimul fuit in diuerſis locis.

OEcol. *Et quomodo veriſimile fuerit patrem, gloriæ filij tantum zeloten, pati gloriam illius in cruce, vel ad dextram ſuam obſcuratum iri?*

Roff. Doceas prius oportet Chriſti gloriam, aut eam quam in cruce meruit, aut qua iam potitur ad patris dextram reſidens, obſcuratum iri per iſtud altaris ſacrificium. Illi certe, quibus & ſaniores & acutiores oculi mentis fuerant quam tibi, non mediocrem gloriam accumulari Chriſto quótidie putant per huius ſacrificij iugem oblationem.

Gloria Chriſti eſt in ſacrificio altaris.

OEcol. *An non ſemel peccatum mundi totius expiauit agnus ſine macula?*

Roff. Ergo adulter confidenter cœleſtem ſperet hæreditatem ſe conſecuturum, etiam cum omnibus adulteriis ſuis. Veruntamen Paulus affirmat Ephesiis, quod omnis ſcortator, aut immundus, aut auarus, qui eſt ſimulachrorum cultor, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Sed & nemo naſcitur abſque originali peccato, à quo niſi per baptiſmi ſacramentum ablutus fuerit, parum ei profuit mors illius agni.

Ephes. 5. *Ephes. 2.*

OEcol. *An non aduocatus & propitiatio eſt, pro peccatis noſtris mundique totius.*

Roff. Eſt profecto verus aduocatus noſter apud patrem, & vera propitiatio pro peccatis noſtris, neque noſtris ſolum, ſed & totius mundi, vt Iohannes tradit. Et tamen certum eſt bonam huius mundi partem eſſe perituram, nimirum quia nolunt huius aduocationis & propitiationis eſſe participes. Refugiunt enim ea media, quæ præſcripſit nobis Chriſtus, quibus illius aduocationis & propitiationis fructus nobis cõmunicaretur. Sed fides (inquis) ſufficit. At ego viciſſim inquio, non quamlibet ſufficere fidem. Etſi quædam ſufficiat ad initiationem, eadem tamen, ſi non efficacia ſacramentorum & piorum operis iuuetur, ſenſim euaneſcet. Quamobrem ſi Chriſtus aduocatus & propitiatio pro nobis apud patrem ſit, niſi tamen remediis illis vtamur, quę nobis non inutiliter idem inſtituit, profecto parũ illa propitiatio nobis cõducet. Alioqui quid neceſſe fuerit, aut corpus ieiuniis macerare, aut eleemoſynas erogare pauperibus, aut (vt Chriſtus monuit) ſemper orare, aut ſacramentis demum expiari, quum ipſe pro peccatis noſtris, imo totius mundi ſit aduocatus & propitiatio. Egoné ſperabo meam precationem apud patrem efficaciorem eſſe quam Chriſti? Cæterum, vt quis efficaciam ipſius aduocationis & propitiationis retineat, ſuam ipſius precationem adhibere neceſſum eſt, & ea, ſi tamen ex puro corde cum vera fide prodeat, firmabit in eo propitiationis effectum. Ita ſimiliter & per communionem ſacrificij altaris, non eſt dubium, quin fructui mortis Chriſti communicabit, & illius in cruce facti ſacrificij particeps euaſurus ſit.

1. Iohan. 2. *Opera bona expetuntur ad ſalutem.* *Matth. 6.* *Luc. 11. 12.* *Luc. 18.* *Sacrificio altaris communicamus paßione Chriſti.*

OEcol. *Iam ſi eſt Eucharistia, quod dicitur, gratias agimus pro peccatis in cruce dimiſsis, non vt dimittantur. Impetrata iam ſunt, pro quibus dicuntur gratiæ. Aliud enim eſt gratias agere, aliud precari, apud nos, nam apud Chriſtum fortaſſe idem fuerit.*

Roff. Ineptire nunquam deſinis, neque nugandi facis vnquam finem: perinde iam argutaris, quaſi nihil aliud eſſet hoc ſacramentum quam gratiarum actio. At quis iſtud tibi conceſſerit. Multas vtique nomenclaturas hoc ſacramentum obtinuit, quarum nulla totam huius ſacramenti ſupellectilem, & eſſentiariam (vt ſic dicam) rationem nobis explicat. Neque enim oportet, vt vnaquæque appellatio cuiuſque rei, ceu diffinitio quædam habeatur. Cæterum hoc verbum Euchariſtia, ſiue gratitudinem, ſiue gratiarum actionem interpreteris, id ſibi vult, quod iſtud ſacramentum (ſi magnitudinem eius quis digne librauerit) ad hoc excitat, vt Deo pro tanto munere gratus ſit, gratiasq; agat immortales. Nec iſta gratiarum actio tantum ad peccata contrahitur, imo ſe extendit ad omnia commoda, quæ per virtutem huius ſacramenti nobis optimus & benigniſſimus Ieſus cònſerre deſtinauit. Stolidas igitur cauillationes iſtas, quas affers, nullus opinor qui legit, non ridet atq; ſubſannat.

In prolo. 2. li. *Gratiarum actio pro omnibus beneficiis ſit.*

OEcol. *Et ſi precaremur quoque, qua neceßitas vrgeret, ponere corpus in pane præſens, vt humana deſipit infirmitas, & eſcas inexplebilis vbique locat auaritia?*

Roff. Neque propter ſolam precationem, neque propter ſolam gratiarum actionem, neceſſitas vlla fuit huius ſacramenti, ſed propter alia longe maioris momenti emolumenta, de quibus ante diximus, inſtituebatur. Neque hoc humanæ fuerat infirmitatis commentum, vt tua deſipit peruerſitas, neque inexplebilis auaritia, quemadmodum tu pernicioſiſſime doces, hanc incomparabilem eſcam nobis excogitauit. Quis enim tam impius eſt, licet nullum omnino pro hac re fuerit ſcripturæ ſacræ teſtimonium, vt ſibi perſuadere poſſit priores patres viros eruditione, grauitate, integritate vitæ conſummatiſſimos, amore pecuniæ fuiſſe corruptos, vt hæc tam execranda mendacia nobis fingerent in rebus adeo ſacroſanctis? O peſtis hominum, quam ſeuera damnatio te manet, niſi reſipueris.

Li. 2. ca. 30.

Nihil

Nihil aut patris aut Chriſti gloria derogare, quod is in Eucharistia colatur.

CAPVT IIII.

OEcol. *SVnt alij, qui in ſacramento compleri dicant promiſſionem, qua Dominus dicat, futurum ſe nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi: atq; ita non parum conſolationis relictum orphanis, ſcientibus ſibi aſſiſtere regem ac protectorem, cui data eſt omnis poteſtas cœli & terræ: & ob hoc adeſſe corpus, quod monſtrent, ornent & adorent, adorandoq; glorificent, qua ratione non minuatur, ſed augeatur gloria filij.*

Roff. Vndique corradis, ſi quid imbecillum nanciſci queas, quod pro ſacramenti huius corroboratione à quopiam affertur, vt quum illud deieceris, tum ipſe victor videare. De robuſtioribus autem nihil prorſus attingis, ſed ad ea conniues penitus, quaſi nihil omnino validum quiſquam attuliſſet. Cæterum vt pium illorum ſtudium, qui in huius ſacramenti confirmationem iſtud produxerint, aliquouſque iuuemus, trutinabimus ipſa verba. Primũ opinor nullus iſtud mihi negabit, quin ex intimo quodam amore profecta ſint hæc verba, quodque Chriſtus ex his nobiſcum ſe longe peculiarius futurum intellexiſſet, quã fuerat olim cum Iudæis. Porro quantum ad diuinitatem eius ſpectat, non eſt dubium quin Iudæis affuerat & comitabatur eos, vt Paulus ait, ceu petra ſpiritualis. Atqui non eſt modus alius peculiarior, quo poterit nobis adeſſe Chriſtus, quam in hoc ſacramento. Nam & hic ſe nobis præbet, velut hoſtiam viuam, quam offeramus patri, ſimul & per ſumptionem ſui, vitæ ſpiritum influit cunctis Chriſti fidelibus, quo transformentur, viuificenturq;, & vniantur, tum capiti, tum inter ſe, per inuiſibiles quoſdam neruos. ſed & iſtam vnionem non ſignificat ſolum, verum etiam efficaciter præſtat: deniq; & eſca quædam eſt, quæ loco Mannæ ſuccedat nobis, veram animæ vitam præſtans edentibus, & pro tempore peregrinationis huius, nos corroborans, donec peruenerimus ad montem ſanctum Dei. Et hæc profecto non modo non mediocriter charitatem noſtram accendunt erga Chriſtum, verum etiam gloriam eius cunctis merito reddunt celeberrimam.

Matth. 28.
1. Cor. 10.
Effectus Euchar.

OEcol. *Vtinam, vtinam in gloriam eſſet filij, & nomen eius non iret in blaſphemiam.*

Roff. Quî poteſt nomen eius ob hoc facinus in blaſphemiam ire, potius quam ob mortem crucis? Crucem inficiari nemini licet, quin ob amorem noſtri pertulerit, in qua & necem paſſus eſt omnium ignominioſiſſimam. Idque ad gloriam ei ceſſit cumulatiſſime. Et cur iſtud item non cedat ad eius gloriam, quum & maximum contineat amoris incentiuum, & nihil in ſe prorſus habeat dedecoris. Ego certe nihil obſtaculi video, neq; tibi ſatis fuerit iſtud nudis verbis aſſerere, niſi pariter & ſolidis comprobes argumentis. Cæterum ſemper tui ſimillimus es, nihil afferẽs præter meras nugas.

Phil. 2.

OEcol. *Sed nec noſtri nec Chriſti rationem habemus. Nonne magnificentius fuerit, Chriſtum in cœleſtibus regnantem, noſtrum eſſe protectorem, quam illic latitantem.*

Roff. Maiores hauddubie noſtri, quos & nos in huius traditione dogmatis imitamur, & Chriſti, & ſui, & noſtri, rationẽ habuerunt. Neq; propterea Chriſtum è cœlis detraxiſſe putandi ſunt, quod aſſeruerint eum in hoc ſacramento corporaliter eſſe reuelatũ. Illic nihilominus eſt, ceu protector & aduocatus noſter, quamquam hic in altari pro nobis immoletur, & idem corporaliter à Chriſtianis comeſtus, eos tam inter ſeipſos quam ſecum adunet, cibus denique ſit vere viuificus vitam eis præſtans incorruptibilem.

Chriſtus ſimul in cœlo & in Euchariſtia eſt.
Iohan. 6.

OEcol. *Abire ad patrem voluit, quo conſolationum verarum capaciores eſſemus. Satis nobiſcum, qui ſua virtute ac gratia facit inuictos: ſatis nobiſcum eſt, qui ſuo Spiritu nos nõ deſtituit: ſed ſe futurum nobiſcum promiſit, nõ corpus.*

Roff. Tranſitus eius ad patrem non ob vnicã rationem neceſſarius nobis fuit. Nã inde Spiritum S. demiſit, nempe futurum eccleſiæ ſuæ perpetuum conſolatorem. Inter cõſcendendum item ipſum iter ſuo tranſitu nobis peruium fecit ad cœleſte regnum. Adde, ꝙ nunc etiam ad patris dextram ſedens ſit noſter apud eundem aduocatus. Sed & ibi iam varias nobis præparat manſiones, in quas quũ illuc acceſſerimus, recipiamur. At nihil horum vetat, quo minus hic in Euchariſtia ſe nobis item inuiſibiliter præſentem exhibeat, ad maxima, quæ ſupra diximus, commoda, quæque pro ſtatu viæ nobis magnopere conducibilia ſunt.

Iohan 16.
Iohan. 14.

OEcol. *Neq; vbiq; corpus Chriſti, vbi Chriſtus. Medium ſe fore promiſit, vbicunq; duo in nomine eius congregati. At non propterea corpore comitem ſe illis facit.*

Roff. Quid ſi non fuerit vbique Chriſti corpus, vbi Chriſtus ipſe fuerit; An propterea non erit in Euchariſtia? Doceas iſtud, ſi queas, fieri nequaquam poſſe. Hoc tibi ſolidis argumentis probandum eſſet, non iſtiuſmodi nugis inſiſtendum, quæ & tædio lectorẽ quemuis enecẽt, & tuæ cauſæ nihil omnino proſunt. Et profecto ſi dignetur Chriſtus corporaliter adeſſe duobus aut tribus in eius nomine congregatis, nihil hoc ipſius omnipotentiæ derogat, nihil detrahit eius erga nos immenſæ charitati, ſed nec gloriã eius minuit quicquam, imo potius auget, quandoquidem ita credere, nõ ſolum eius ſupernaturalem poteſtatem, verum etiam ineffabilem ipſius amorẽ erga nos haud mediocriter extollit, nihilque Chriſto tribuit aut indignum, aut à ſolita ſua erga nos benignitate alienum. Et ſunt, qui ita fieri certo credunt, & hoc ipſum ſcriptis mandarunt, auctores non prorſus contemnendi. Cæterum hæc argutia nullius momenti eſt. Non eſt vbique corpus Chriſti, igitur nec in Euchariſtia.

Gloriam Chriſti auget eſſe corporaliter in Euchariſt.
Matth. 18.

OEcol. *Quid igitur eſt quod monſtratis, vbi non plus de Chriſto oculatus, quam cæcus videat? Sacramentum monſtrari poteſt, Chriſtus non mõſtratur. Sacramentum ſuo fungitur officio, etiam ſi corpus Chriſti in cœlo.*

Roff. Chriſti corpus in cœlo eſſe neutiquam inficiamur. Sed affirmamus nihilominus hoc ipſum in altari eſſe in ipſo ſacramento. Neq; per iſtam præſentiam, aut potentiæ, aut benignitati, aut gloriæ denique Chriſti, quicquam indecorum ſit.

Lib. 2. c. 30. *Ratio inſtitutis ſacramēti Euchar.*

Nobis vero magnopere neceſſarium eſt. Cauſas vtiq; reddidimus, cur noſtræ infirmitati id conduceret maxime. Præter quas & aliam iam adiiciemus. Per iſtam vtiq; præſentiam ineffabilem, exercetur noſtra fides ad meritorum incrementum. Nam fides niſi magna fuerit, nihil meretur. Non eſt autem magna, niſi quod difficile creditu ſit, credat, & quo difficilius iſtud fuerit, vt credatur, eo dinoſcitur eſſe fides maior, & maiori præmio digna. Quamobrem & aduerſus ea, quæ maxime fidem oppugnant, vti ſunt, quæ ſenſibus apertiſſima videntur, per fidem conſtanter niti, nec vacillare quicquam, argumentum eſt ingentis & potentis fidei. Chriſtus igitur, vt fidei noſtræ periculum faceret, ſeipſum præſentem inuiſibiliter in hoc ſacramento præbuit, nimirum vt quum ſinguli ſenſus nihil in pane & vino mutatum diiudicent, mens noſtra fide freta, cōtra ſenſuum omnium iudicia, verbis Chriſti, quibus dixit, hoc eſt corpus meum, conſtanter credat. Recte igitur dicis nihilo plus hic oculatum de Chriſto cernere quam cæcum, ſi de corporis oculis intelligas, at ſecus eſt, ſi de cordis & fidei oculis loquaris.

Matth. 28. *Luc. 26.*

Ex eo quod hactenus eccleſia Chriſtum adorauerit in Euchariſtia, colligitur neceſſitas eius præſentiæ.

Capvt V.

OEcol. *Deniq; quod ab indocta plebe adoratur illic, non ignoro, at non quia adoratur, adeſt: ſed quia adeſſe creditur, adoratur.*

Roff. Hoc tu dicis OEcolampadi, ſicut & cætera plurima, nihil autem probas. Nos non ab indocta plebe ſolum, verum etiam à ſanctiſſimis & doctiſſimis, idem ſemper factitari ſolitum aſſerimus. Teſtatur hoc ipſum Auguſtinus enarrans hunc verſum Pſalmi 98. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Hic certe Chriſti corpus in Euchariſtia ſcabellum facit ſanctum, & pluribus hoc ipſum aſſeuerat à nobis adorandum eſſe. Nemo certe orthodoxus eſt, qui non & vere Chriſti corpus in Euchariſtia præſens eſſe credat, & in eadem vere Chriſtum adoret.

Corpus Chriſti adorandum.

OEcol. *Primum probetur adeſſe, vt conſequenter iuſtificetur adoratio.*

Roff. Noſtra probatio potiſſimum in Chriſti verbis conſiſtit, quibus aſſeruit præſentiam ſui corporis in ſacramento, quod præbuit diſcipulis. Quare ſi tu fortiorem improbationem habeas, quid nō eam profers in medium? Sed nolim adeo ſtupidos nos exiſtimes, vt quum tam apertiſſima Chriſti verba pro noſtra fide habuerimus, in tuā hæreſim pro tuis nudis & inualidis affirmationibus declinemus.

Propter Chriſti verba credimus verum corpus in Euchariſtia.

OEcol. *Quin & adoratio non ſatis iuſtificabitur, etiam ſi corpus adeſſe conuincas. Qui corpus ſeorſum cogitat, vt ſancta illa verba dicunt, hoc eſt corpus, non implet quod præcipit Deus: Dominum Deum tuum adorabis.*

Roff. Si corpus à diuinitate ſeparatum eſſet in Euchariſtia, non admodum tibi reluctaremur, ſed nos illic vnitum eſſe Deitati, nihil ambigimus. Quocirca neq; præceptum iſtud quicquam trāſgredimur, quo dictum eſt, Dominum Deum tuum adorabis. Nam ibi totus Chriſtus eſt Deus & Dominus noſter.

Corpus Chriſti ſeorſum nō adoratur latria. *Deut. 6 10.* *Matth. 4.*

OEcol. *Neq; ſoluiſſe credimus Chriſtum legem de adorando patrem in Spiritu, & adoratorem ad carnem ſuam tranſmiſiſſe, à qua ſemper reuocauit.*

Roff. Si Chriſtus in carne non ſit adorandus, cur (te precor) ſeipſum à Cananæa permiſerit adorari? Neque ſolum permiſit, ſed & mulieris ipſius fidem extulit magnopere. Licebit ergo Chriſti carnem, quæ Deitate coniuncta eſt, adorare. Iſtudque fiet abſque legis iniuria de adorando patrem in Spiritu, & citra violationem vllam prioris illius præcepti. Sed per hæc perſpicue noſcimus te ex illis eſſe, qui Chriſti crucem vetant adorari, quum ipſam carnem Deitati coniunctam, coli & venerari prohibeas.

Matth. 15. *Chriſtus permiſit ſe adorare.*

OEcol. *Vnde adoratores neceſſe eſt, neq; panem, neq; corpus à diuinitate ſequeſtrare. Sed primo ipſo adorationis momento ad illam contendere, alioqui periculum, ne veritas mutetur in mendacium, creaturæq; creatoris detur gloria, quo nihil magis omnis deteſtatur ſcriptura.*

Roff. Quid ergo tot verba tam inaniter prodegiſti? quum non ignores Chriſtianos Chriſtum vere totum ſub vtraque ſpecie credere, pariter & adorare. Quod certe, qui faciunt, nec veritatem in mendacium commutant, neque creaturæ deferunt creatoris gloriam.

Chriſtus totus adoratur in Euchar.

OEcol. *Sane vni quidem filio, pater omnem communicauit honorem, quem & caro eius, vt purpura regia ſuſcepit, quamuis neq; illa ſimilitudo quadret. Regia enim purpura à rege ſolet deponi. Chriſti autem caro, ſimul ac eſſe cœpit, nunquam fuit, neque erit à diuinitate ſeparata. Non enim templum eſt prophanabile, neq; θεοφόρος, vt Prophetarum anima, ſed cum anima Deitati in vnam perſonam vnita. Vbiq; ergo caro adorabilis: panis autem myſticus non item, niſi vnitum Chriſtum probemus.*

Roff. Nihil hoc aduerſum nos, qui panis ſubſtantiam vna cum Chriſto negamus adeſſe. Lutherus hîc tibi reſpondeat, qui contendit manere panem in ſubſtantia ſua. Vos hoc bellum inter vos dimicate. Nos interim erimus ſpectatores.

OEcol. *Quamuis autem adeſſe diceremus corpus Chriſti, neq; adhuc integrum, vt adoratio doceatur. Sicut enim ſanctos viros, Deum habentes cordium ſuorum hoſpitem, non adoramus, ita multo minus panem ſacratum, niſi forte & ita deliremus, vt felicius pani coniunctum corpus Chriſti dicamus, quam Prophetis Spiritum ſanctum.*

Roff. Nemo nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Quamobrem nec certo ſcire de quoquam alio poſſumus, an Chriſtum gerat in ſuo pectore, niſi forte per reuelationem id cuipiam innotuerit. Cæterum per verba Chriſti rite prolata, quiſq; certus eſſe poterit, Chriſtum in ſacramento præſentem eſſe. Quare tuto licebit eum ſub ſacramento adorare. Neq; enim adoramus ipſam externam ſpeciem panis & vini, ſed Chriſtum ſub vtriuſque ſpecie. Et ſi de quoquam certi fuerimus, quod Chriſtum haberet in

1. Cor. 2. *Adoramus nō ſpecies panis & vini, ſed Chriſtum ſub illis.*

pectore

pectore, quid prohibet, non hominem dico, ſed Chriſtum in eo præſentem adorare?

OEcol. *Quod ſi omnino adorabilis in pane caro eſt, non fuerunt imprudentes, qui profuſioribus ſumptibus Euchariſtiam ornant, quique neglectis pauperibus, & viuis Dei templis, quicquid odoramentorum, florum, auri, thymiamatum, & gemmarum in illam contulerunt. Et inuenient auari hypocritæ miſſatores, quo ſuam artem honeſtent ac celebrent. Habebũt enim, quamuis indigni ſunt, & inimici Dei, quod patri in flagitioſiſſimorum manibus places maxime. Seruentur igitur ac redeant omnes impoſturæ, redeant nundinationes, redeant anniuerſarij, accerſeantur ſacerdotes innumeri, extruantur aræ plurimæ, foueantur ocioſi plures, totus orbis inungatur, vt ſacrificet, & omnes menſæ, vt Eſaias dicit, repleantur vomitu & ſordibus.*

Roff. *Honor impēdendus Euch.* Sub ſpecie panis adorandam eſſe carnem verbo coniunctam haudquaquam ambigimus, nec velut imprudentes eos, qui talibus honorib. impenſis affectum ſuum, quantus in Chriſtum ſit, teſtentur, coarguimus. Neque propterea relinquendos pauperes, & non ſubleuandos in ſuis neceſſitatibus arbitramur. Vtrunq; fieri poteſt. Neque enim pauperes tum complures fuiſſe, Chriſtus ignorauit, quando Mariam Magdalenam vnguentum illud precioſum ſuper caput ſuum effundere paſſus eſt. *Matth. 26. Marc. 14.* Tantumq; abfuit, vt mulieris ipſius primum affectum vetuerit, vt etiam pro ea Iudæ mordacitatem increpauit, quanquam & ipſe pauperibus eius vnguenti precium rectius erogandũ cauillaretur, quemadmodum & tu nũc facis, alterum Iſchariotem te nobis exhibens.

OEcol. *Cæterum vt ſacramenta adoranda non poſſum aſſerere, ita non iterum inficias illis honorem religioſe impendi, qualem & libris verbiſque ſacris citra adorationem inculpate plerunque deferimus. Et ſunt eloquia ſancta, Spiritus ſancti vehicula certiora pluribus, præſertim rudibus quam ſacramenta.*

Roff. Mirum eſt qua temeritate cuncta ſubuertere nitimini, vt potius in eloquiis aſſerere malitis eſſe Spiritum ſanctum quam in Euchariſtia Chriſtum. An non & eloquia ſæpenumero vos hæretici verſatis in cordibus veſtris? profecto. Et tamen longe receſſit à vobis Spiritus ſanctus. Verũ de ſacramento nihil eſt ambigendum, quin qui nobis affirmauit ibi ſe præſentem eſſe, citra dolum omnem præſtare queat & velit. *Matth. 26. Luc. 22.*

OEcol. *Addo & intaxabilem, religione motum, & myſterij intelligentia illuſtratum, qui hora qua celebrantur myſteria in terram procidit, & Chriſtum, qui in cœlis ac pectore ſuo regnat, adorat: non vulgi more, quod error ille dementauit: ſed ſicut apoſtolus Corinthiis ſcribit: Si omnes prophetetis, ingrediatur autem incredulus aut indoctus, coarguitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, & ſic occulta cordis eius manifeſta fient, atq. ita procidens in faciem, adorabit Deum, renuncians reuera Deum in nobis. Non datur illi vicio, qui verbo eruditus adorat: igitur nec vituperandus, qui ſacramentis prædicatione edoctus, honorem Deo tribuit gratias agens.*

Roff. *Deum adoramus in Euchariſtia.* Deum, qui in cœlis eſt, nemo vetat adorare. Sed quum & eundem certo credimus in Euchariſtia pariter eſſe, merito impietatis eſſemus arguendi, niſi pariter & eum hic quoque procumbentes adorauerimus. Porro quod dicis vulgum ita facere, ſed errore dementatum. Profecto ſi error iſte habendus ſit, non vulgus tantum, ſed & omnes quotquot orthodoxi ſunt, errant. Et hoc ſcilicet credibile eſt, Chriſtum, qui cum eccleſia ſua ſe perpetuo futurũ pollicitus eſt, & Spiritum item ſanctum (qui huius rei gratia, nimirum vt eccleſiam erudiat in omni veritate, nunquã non adeſt) paſſuros, vt tota prorſus eccleſia tãto tempore atque in re tanti momenti, & cum tanta pernicie animarum vſqueadeo turpiter aberrauerit. *Matth. 28. Iohan. 16.*

OEcol. *Similiter enim Euangeliorum lectio, & ſacramentorum operatio illuminat, illa tamen indoctis, hæc prouectioribus accommodatior. Et propterea dum vtrunque agitur, faces radiant, & cymbala tinniunt, quæ prædicationis ſunt ſymbola: tametſi poſterius neglectum iri expediret, quo clarius ſacramenta & verba percipi poſſent.*

Roff. Infirmorum eſt habenda ratio, propter quos & faces accenduntur, & cymbala tinniunt, nimirum vt his modis, eorum corda, quæ alioqui torpeſcunt, ad diuina magis excitentur. Cæterum Euangelia, quemadmodum per vos euerſa populo traduntur, longe magis excæcant, quam illuminant. *Ratio ceremoniarum.* Sacramenta quoq; per vos adminiſtrata, & tenebris hæreſium veſtrarum obducta, maxime vero ſacramentum Euchariſtiæ, verius interitum animabus inferunt, quam ſalutem.

OEcol. *Hæc obiter de adoratione, per quam corporalem præſentiam non admittimus probari.*

Roff. Hæc (ſi Diis placet) ea ſolida probatio eſt, quã ante pollicitus eras in medium afferre, quod tu nõ admittas corporalem præſentiam Chriſti per adorationem probari. Et ſi tu nõ admiſeris, quid ad nos? Neq; enim ex tua ſolius admiſſione pendet hoc negocium. Certe quia Chriſtus ibi præſens eſt, ideo iure ibi adoratur. Et vt talis adoratio fieret, complures ex patribus & ſermonibus ſuis & ſcriptis erudierũt populum. Quamobrem ſi populus errauerit, errauerunt & patres. Neque huic errori quiſquam ad hunc vſq; diem, præter tui ſimiles, Berengarium, & VViclefum, reclamauit. *Tota eccleſia credit & adorat Chriſtum in Euchar.* Et hi tales erant, qui propter hæreſes ſuas à tota prorſus eccleſia fuerant condemnati. Valet igitur argumentum ab effectu ad cauſam: Eccleſia tota quæ in rebus fidei non ſinitur errare, credit & adorat Chriſtum in Euchariſtia. Igitur ibi Chriſtus. Quod ſi quis explicatiorem huius argumenti formam deſideret, fiet ad hunc modũ: Eccleſia Catholica Chriſtum adorat in Euchariſtia. Non autem adoraret, niſi vere ibi eſſe crederet. Quamobrem & credit ita rem ſe habere. Quum itaque ſic eſſe credat, nec errare in fide poteſt, omnino conſequitur ita eſſe, vt credit. Quamobrem & Chriſtus vere eſt in Euchariſtia.

Ad cauillum de repoſitione corporis in ſacrariolo reſpondetur.

Capvt VI.

OEcol. *Et dicant quæſo, quid ſolus & ocioſus in ſacrariolo, vel in arca, Chriſtus faciat, vbi eum mulierculæ in primis*

primis ſuperſtitiosi obnoxiæ, careolis demereri credunt? Quorum mouet animos noctu.

Roff. *Lib. 1. c. 11.* Iam ludis & cauillaris in re tam ſeria. Superius vtique reſpondimus tibi cur aſſeruari ſolet in capſula, nimirum, vt expeditius exportari valeat ad eos, qui de vita periclitantur, vti quum repentino quouis morbo quis vexatus, vicinus morti creditur. Ita quidem noſtris maioribus conducibile viſum eſt, & apprime neceſſarium, vt nemo ſine hoc viatico, quoad fieri poſſit, hinc migrare permittatur.

Corpus Chriſti ſeruatur pro infirmis

OEcol. *Et quomodo non ſemper illic in promptu reponitur & ſanguis, quemadmodum corpus? Nam ad mouendos animos, non minus energiæ habet.*

Roff. Reſpondemus, ſuffecturum cuique, quod pars altera ſic reſeruetur, in qua totum Chriſtum cōtineri credimus. Neque enim quicquam ille cumulatius accipit de Chriſto, qui ſub vtraque ſpecie Chriſtum accipit, quam qui ſub altera ſolum. Propter quod & vos iniuſtiſſime criminamini ſacerdotes, quũ dicatis eos fraudulenter plebi ſubducere partem alteram. Tantum enim tribuunt vnicuiuis ex plebe, quantum ſibiipſis poſtulant hinc migraturis, hoc eſt, ſub altera ſpecie tãtum. Solum enim ſub ſpecie panis hinc migraturi ſacerdotes accipiunt, quemadmodum & laicis confertur ſub eadem ſpecie. Sed & quoties iidem priuatim more laicorum communicant, non aliter ſumunt, quam ſub ſpecie panis tantum. Veruntamen quando ſacrificant, alia monet ratio, cur ſub vtraque ſpecie debeant hoc ſacramentum ſumere.

Sacerdotes morituri cōmunicantur ſub vna ſpecie.

OEcol. *Forte dices, periculum illi ab acore & vermiculis, atqui nec panis extra diſcrimen.*

Roff. Et ſi ſpecies panis non extra diſcrimen fuerit, longe tamen facilius id ſpeciei vini contingit. Quamobrem quum illam alteram partem cuiq; abunde ſuffecturam patres arbitrati ſint, nihil opus erit, vt altera quoq; ſub vini ſpecie reponatur.

OEcol. *Reſpondebam olim, ſicut & hodie multi, in corpore & ſanguinem contineri, ſicut in ſanguine corpus. Tam ſapiens eram.*

Roff. *Matth. 12. Luc. 11.* Profecto longe ſapientiorem tum fuiſſe te non dubito, quam iam ſis. Nam ſi de quouis alio veritatem habeãt ea verba, quæ Chriſtus in Euangelio Lucæ loquitur de illo, in quẽ immũdus rediit ſpiritus, vna cum aliis ſeptem nequiorib. ſe, nempe ꝙ fiant extrema hominis illius peiora primis, de te profecto veritatẽ accipiunt, quum in Mandrabuli morem perſpicuũ ſit acta tua procedere.

OEcol. *Et hoc ignorabat Chriſtus, qui tam vinum, quam panem conſecrauit, ritumq; illum inſtituit, reſeruationem vero non item.*

Roff. *Pſal. 109. Gene. 14. Hebr. 7.* Chriſtus quando ſacramentum iſtud inſtituit, ſacerdotes docuit quid eſſent facturi. Sacerdos enim ipſe fuerat, iuxta ritum Melchiſedech, qui in pane & vino ſacrificare ſolitus fuit. Quamobrem & quoties iſtud ſacramentum in ſacrificij morem offertur, tum & conſecratur & offertur ſub vtraque ſpecie, nimirum vt ita crucis exprimat ſacrificium, vbi ſanguis à corpore ſeparabatur. Nec vt tu blaſphemas, id Chriſtus ignorauit, ſed eo reſpiciens, hæc inſtituit. Cæterum quoties ab aliis, quam ab ipſis ſacrificantibus accipitur, ſub vna tantum ſpecie miniſtratur. Atque iſtud indiſcriminatim fit & laicis & ſacerdotibus, quando non ſacrificant ipſi.

Ex duorum exemplariũ ſeparatione ſtulte docere contendit res nullas ſubeſſe.

Capvt VII.

OEcol. *Sane & hic nobis non mediocre argumentum in manus venit: Quia enim corpus & ſanguinem commendauit Chriſtus & à ſe inuicem diſcreuit, quæ natura non ſeiunguntur. Neq; enim viuit corpus abſq; ſanguine, neq; ſanguis ſine corpore. Viua autem commendabat. Manifeſte ergo proteſtatus eſt, in geminis ſignis eſſe exemplaria rerum, non ipſas res.*

Roff. Si viua commendauerit nobis Chriſtus iuxta ſenſum tuum, viuit ergo corpus à ſanguine ſeparatum, & ſanguis item extra venas corporis, quod tamen ipſe negas. Ita ſibi conquadrat hoc non mediocre argumẽtum tuum, vt prius intereat quam naſcatur, quandoquidem eius membra ſeſe mutuo interimunt. Adde quod & erunt ea falſa exemplaria, quum iam non maneat aut corpus expers ſanguinis, aut ſanguis alienatus à corpore. Multo itaque rectius eccleſia credit, & Paulus item docuit per has diſcretas ſpecies, Chriſti mortem repræſentari. Nihil tamen prohibet, vt ſub hac repræſentatione ſint etiam res veræ, nẽpe verum Chriſti corpus & verus eius ſanguis; propter eas rationes, quas ante diximus.

Eucharist. eſt res atq; figura. *1. Cor. 11.* *Lib. 2. c. 32.*

OEcol. *Exemplaria autem tamdiu ſuum officiũ agunt, quandiu rationem habent exemplarium, & nihil ſibi timent ab acetoſitate, vel vermiculis, vel putredine, vel muribus.*

Roff. Mirabilem ſanctitatis impreſſionem exemplaria veſtra ſortita ſunt, ſi protinus vt recõdita fuerint, eandem amittant, veriſimilius eſt ſacramentum à vobis confictum, nullam prorſus accepiſſe ſan[illegible]tem, quam vt talem acceperit, quæ propter [illegible]cuius beſtiolæ morſum confeſtim aufugiat. Neque enim ab iſtis iniuriis panis & vinum apud vos tutiora ſunt, quam ſacramentum noſtrum. Abſurda cætera prætereo, quæ vobis accidunt, dum ſub vtraq; ſpecie laicis [illegible]c ſacramentum adminiſtratis. Sed vobis pani & vino duntaxat irrogantur hæ contumeliæ, non item corpori & ſanguini, quem non adeſſe creditis.

OEcol. *Senſit hoc nimirum Origenes in Leuiticum, homilia quinta ſcribens: Nam & Dominus panem, quem diſcipulis dabat, & dicebat eis: Accipite & manducate; non diſtulit, neq; ſeruari iuſſit in craſtinum. Hoc fortaſſe myſterij continetur in eo, quod panem non iubet portari in via, vt ſemper recentes, quos intra te geras, verbi Dei panes proferas. Et propterea Gabaonitæ illi condemnantur ad aquam & ligna portanda, quia veteres panes ad filios Iſrael portarunt. Cæterum allegoriæ valeant, quantum poſſunt.*

Roff. Tibi ipſe pro nobis reſpondes, qui fateris Origenem eo loco ſcripturam ad allegoriam cõtorquere. Cæterum quũ nihil dicat Origenes aliud, quam, nõ iuſſiſſe Chriſtum ſeruari panẽ in craſtinum,

num, nihil aduerſum nos ea negatiua probat, quanquam Origenis inſtituto allegorico probe inſeruiat.

OEcol. *Sacramenta in vſu tantum ſacramenta ſunt.*

Roff. De cæteris omnib. id verum eſſe fatemur, hoc vno excepto, quod facta conſecratione ſacramentum efficitur. Cætera vero non permanent, ſed habent eſſe duntaxat in fieri. Tunc enim baptiſmus eſt, quando inter abluendum corpus, verba ipſa proferuntur: Ego baptizo in nomine patris & filij & Spiritus ſancti. Prolatis autem illis verbis, pariter & abluto corpore, iam ſacramentum ipſum eſſe deſiit. Ad hunc modum & confirmatio, pœnitentia, extrema vnctio, atque cætera omnia præter Euchariſtiam. Nam hæc ſola manet verbis iam prolatis.

Sacramenta omnia præter Euch. ſunt ſacramenta in vſu.

Fides præſentiæ corporis in ſacramento confert ad gloriam Chriſti.

Capvt VIII.

OEcol. *Vltra contendunt quidam, gloriam Chriſti auctum iri fide noſtra, ſi præſens in pane corporaliter credamus corpus, propter verba, quæ dixit Dominus, hoc eſt corpus meum. Nam etſi dixiſſet, hoc eſt mundus, credi oportebat in pane mundum.*

Roff. Attende lector, & videbis quam ſit inualidum, quod huic obiectioni refellendæ producit. Satis enim efficaciter OEcolampadij hæreſin expugnant hi, qui telum iſtud in eam vibrarunt. Nam hauddubie verbis Chriſti fidendum eſt. Tranſeat & terra, verba tamen Chriſti conſtanter permanent. Quoniam igitur Chriſtus diſcipulis aſſeruit hoc eſſe corpus ſuum, ita penitus credendum eſt, & qui nolit, ob animi ſui pertinaciam, his verbis habere fidem, is ingenti profecto Chriſtum afficit ignominia. Contra, qui credit, defert Chriſto gloriam.

Luc.21. Matth.26. Luc.22.

OEcol. *Negari quidem non poteſt, fide apud Deum nihil ſuaueolentius, & anathema, qui negat veracem Chriſtum. Conuenit autem, vt interim animaduertatur, quænam fides ita coram Deo fragret, & quomodo verbis habenda fides. Etenim non omnis fides iuſtificat, vt Iacobi verbis vtamur. Contremiſcunt enim dæmones credentes, & reprobi ſunt.*

Roff. Quid opus eſt ab inſtituto diuagari. Non hic quæritur, quod fides iuſtificet, ſed an his verbis Chriſti credendum ſit, quibus dixit, hoc eſt corpus meum. Quid tu nos ad aliam diſputationem anocas, vt diſquiramus, quæ fides nos iuſtos reddat? Nihil iſtud ad hanc rem attinet. Certum eſt, niſi talem fidem habueris, vt ſis paratus ſingulis Chriſti aſſertionib. credere, nihil profuturam tibi fidem. Sed de fide nos alibi ſatis diſſeruimus.

Matth.26. Luc.22.

In lib. defenreg. & in aſſertio.

OEcol. *Sane fides noſtra, fides ſalutaris non eſt, niſi in ſolam Dei miſericordiam feratur.*

Roff. Etiam ſi feratur in ſolam Dei miſericordiam, non eſt ſalutaris, niſi veracem item credideris Chriſtum in omnibus verbis ſuis. Cæterum hæc fides fefellit innumeros. Nam ex ea non minimam anſam arripuere, quo dormirent in ſceleribus confidentius.

Fides fefellit plurimos.

OEcol. *Neſcit enim, an Abrahæ fides, quatenus in illum reſpicio, in iudicio tuta fuiſſet. Perfectiora enim omnia omnium opera eſſe poterant & debebant. Fides vt opera ſua non magnificat, ita ſe quoque creſcere cupit, & minorem, quam par eſt, ſe eſſe condemnat.*

Roff. Quid ſic ab inſtituto digrederis? Primum id mihi concedas velim, oportere Chriſti verbis habere fidem, ac tum poſtea nihil veto, quantum libebit, de perfectione fidei diſputes. Veruntamen ita prolixum librum efficies, ſi ad quamuis occaſionem, diſceptationem inieris nouam. Tu quid ſcias, neſcio. Paulus de fide ipſius Abrahæ loquens, aſſerit eum, præter ſpem ſub ſpe crediſſe, hoc eſt, quum omnis ei defuiſſet ſperandi ratio, præterquam ex ipſis Dei verbis. Eandem fidem in hoc ſacramento iam abs te petit Chriſtus, nimirum vt ſolis verbis eius fidas, vbi ſenſus cuiuſque iudicium tibi contradicat. Abraham vtique certam perſuaſionem concepit, vt ait Paulus, quod is qui promiſerat, potens eſſet & præſtare. Quid ergo tu non certo tibi perſuaſeris, præſtare poſſe Chriſtum, quod verbis dictis aſſeruit? Siquidem id non feceris, fruſtra de conſummatione fidei diſſeris, cuius inchoationem hauddum attigiſti.

Rom.4.

OEcol. *Et vera fides non eſt opus noſtrum, ſed donum Dei, nec tam exercitatione, quam raptu conſtat.*

Roff. Fidem vtique Dei donum eſſe, nemo inficiatur. Veruntamen ipſa fides quæ datur, haud citra meum aſſenſum, mea fides efficitur. Propterea Chriſtus in Euangelio non ſemel dicit: Fides tua te ſaluum fecit: Per aſſenſum vtiq; noſtrum fides noſtra fit. Nec is aſſenſus abſque noſtro arbitrio fieri poteſt. Nam aſſenſum animi mei, quis dubitat opus eſſe meum. Et hunc aſſenſum paſſim in Euangelijs Chriſtus expetit, & eum negantibus, idem acerbiſſime comminatur.

Matth.9.15. Marc 5.10. Luc.7.8.18.

OEcol. *Nemo enim venit ad Chriſtum, niſi quem pater traxerit.*

Roff. Trahit vtique pater ſuo dono, veruntamen haud ita trahit, vt nequeat animus eius, qui trahitur, diſſentire. Diſſentire poteſt animus hauddubie. Verum ſi diſſentiat, euadet miſer. Sin contrà ſuum aſſenſum illi dono præbeat, atq; ita pergat, indubitato ſingulis Chriſti verbis fidem adhibens, felix & beatus omnino futurus eſt.

Aſſenſus eſt neceſſarius.

OEcol. *Non eſt coactum, neque fictum quid. quemadmodum plerique ſe decipiunt poſſe ſe credere quoduis, & iterum diſcredere: qui licet videant albedinem, ita inſtruere ſe dicunt conſcientiam, quaſi nigredinem ſpectent.*

Roff. Non iſtud negabis opinor, ideo fide quenquam promereri præmium, quod quæ creduntur, aliquid in ſe difficultatis habeant. Nemo enim coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Oportet itaque difficultatem ipſam euincere. Non vincitur autem iſta difficultas, ſine omni reluctatione mentis noſtræ, ſed neque ſolo conatu noſtræ mentis, citra quoduis adiutorium fidei ſuperatur. Quare ad hanc victoriam peragendam, vtrunq; concurrat neceſſe eſt, hoc eſt, & donum Dei, & noſtri animi conatus. Verum eſt igitur, quod inuitos nos haudquaquam Dei donum adigit

2.Tim.2.

Conatus noſter vna cum dono Dei neceſſarius.

vt cre-

vt credamus. Sed & citra doni huius adiutorium fictitiam habemus fidem. Quamobrem & tibi facile aſſentior, eos errare qui dicunt ſe poſſe credere quodlibet, quũ ſint & quædam prorſus impoſſibilia, quemadmodum & illud eſt, vt id quod factum eſt, infectum ſit. Cæterum in Chriſti ſermonibus, qui proculdubio nullam in ſe claudunt contradictionem, omnia conſtantiſſime credenda ſunt.

OEcol. *Et quum aliter oculis mentis cognoſcant, aliter ſe conſcios faciant & dicant: ſimplices ſcilicet, qui ſe duplices corde neſciãt. Sed ne rideamus eos, ſimplices vere ſunt, qui errare ſe neſciunt, nec duplicitatem cordis pro peccato reputant.*

Roff. Si tales omnes facias duplices corde, quẽ (precor) dabis mihi ſimplicem? Afferas mihi quantumuis libebit conſtantiſſime credentem, & ad hunc modum, quo tu ratiocinaris, ego duplicem eum, non ſimplicem comprobabo. Nam & ipſius Abraham rationis motus (nihil dubito) quin intrinſecus fidei ſuæ reluctabatur, alioqui nõ de eo dixiſſet Paulus, ꝙ præter ſpem ſub ſpe credidiſſet, ſed neq; mercede quauis fuiſſet dignus, niſi rei creditu difficilis difficultatem ſuperaſſet. Et profecto rationi prorſus aduerſabatur, ꝙ quum eſſet emortuum ipſius corpus & emortua quoq; vulua Saræ, ipſe nihilominus prolem ex ea ſuſcepturus eſſet, quę ſic multiplicaretur, vt ſtellarum numerum foret æquatura. Aliud itaq; motus rationis eum docuit, aliud ipſa fides. Quamobrem & iuxta collectionem tuam duplex corde fuit Abraham, non ſimplex. Quod tamen falſum eſt. Captiuam vtiq; cogitationẽ omnem ſui cordis redegit, vt eã redderet obſequioſam & obtemperantem fidei, quẽ & imitãtur cæteri, quotquot fideles fuerint.

Motus rationis non officit ſimplicitati.
Rom. 4.
2. Cor. 10.

OEcol. *O horrendam ſimplicitatem, ô profundas tenebras, dicere lucem tenebras & malum bonum, id quod nonnulli & in hoc ſacramento non omittunt, quum interna mente renitantur adeſſe corpus, & opinionem tamen contrariam conceptam ſua pertinacia ſtabiliunt. Quis illam pro fide agnoſceret? Verax Deus corda ſcrutatur.*

Roff. Satis abunde conſtat ex tuis ipſius verbis, quam ipſe ſis à vera fide remotiſſimus. Tu in profundas illas tenebras immergeris vſq; adeo, vt quantum ad hoc ſacramentum attinet, nec ſcintillulam aliquam lucis fidei percipias. Et quid (te precor) de cæteris exiſtimas ſacramentis? Num quãdo vides infantulum aquis immergi, paucis recenſitis verbis, aut ſenſus aut ratio te docet animũ illius intrinſecus expiari? huic profecto credulitati, ſenſus & ratio prorſus reluctantur, quoadusq; certa perſuaſio de Chriſti verbis cõcepta, per ipſius donum, hoc ipſum nobis clare teſtatum ſit. Quamobrem ſicut de Abraham Paulus tradidit, quod ille ad promiſſionẽ Dei nihil hæſitabat ob incredulitatem, ſed robuſtus factus eſt fide, tribuens gloriam Deo, certa perſuaſione concepta, quod is qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare, ſic & cuiuis alteri faciendum cenſeo, quiſquis is fuerit, qui veſtigiis fidei Abrahæ meditatur incedere, fidem firmam Chriſti verbis adhibeat, nec hæſitet quicquam, illum abunde præſtare poſſe, quod affirmauerat, nimirum in hoc ſacramento, verum ipſius corpus eſſe, atque ita Chriſto gloriam hauddubie tribuet.

Rom. 4.
Chriſto credendum, qui corpus ſuum in Euchariſt. eſſe aſſeruit.

OEcol. *Satis ampla exercendæ fidei materia nobis data eſt, credentibus corpus Chriſti pro nobis mortuum, & reſurrexiſſe conſideréq; in cœleſtibus.*

Roff. Sed non vna tantum in re, noſtram exercere fidem deſtinauit Deus, ſed pluribus, & eiſdẽ creditu difficillimis, quemadmodum & patris noſtri Abrahæ fidem variis explorauit modis, nunc vt desereret natale ſolum, nunc vt fame periclitaretur, aliquoties etiam ob vxoris pulchritudinem vitæ ſuæ diſcrimen paſſus eſt. Adde longam implendę promiſſionis ei factæ procraſtinationem. Acceſſit his, quod nihil omnino veriſimile videri potuit, vt iam ætate confectus, & ex anu filium eſſet ſuſcepturus. Denique quum accepiſſet & vnicum & dilectiſſimum, haud multo poſt iuſſus erat eũdem immolare. Tot modis præter alia, quæ de Chriſto venturo, & de myſteriis ad eum ſpectantibus credidit, quantum eſſet Abraham fide ſtabilis, explorauit Deus. Idem & de nobis facit. Quamobrem & voluit, vt eſſent articuli fidei noſtræ complures. Voluit, vt eſſent quoque ſacramenta plurima, & eadem creditu difficillima. Multa inſuper promiſit, multa quinetiam comminatus eſt, de quorum ſingulis fidei noſtræ ſumit experimentum.

Fides in multis exercenda.
Gen. 12.
Gen. 20.
Gen. 15.
Gen. 17.
Gen. 22.
Deus explorat fidem noſtram.

Extricantur quædam tricæ, quas OEcolampadius de modo fidei Chriſti verbis habendæ congerit.

Capvt IX.

OEcol. *Porro videamus, quomodo verbis habẽda ſit fides. Neque enim tam verba quam mens verborum attendenda, quibus fides firmetur.*

Roff. Profecto verba ſi mente ſenſuq; careant, parui ponderis habenda ſunt. Et nos vtique ſanam verborum mentem libenter amplectimur, ſed non eam, quam vos hæretici commentitiam his verbis affingitis. Scimus quid per verbum, eſt, & quid per dictionem, corpus, intelligi debeat. Non admittimus hunc ſenſum, vt verbum, eſt, interpreteris, ſignificat, aut corpus, figurã corporis. Nam ſi liceat ad hunc modum interpretari ſcripturas, nulla ſcriptura erit, quæ veſtris obſiſtat dogmatibus, quam vos pro veſtro arbitrio nõ facile detorquebitis.

OEcol. *Iam horum verborum ſenſus alius eſt.*

Roff. Hoc tu dicis ſolum, non item probas. Maiores noſtri, per quorum ora, Spiritus ipſe ſanctus locutus eſt, hunc ſenſum, cui nos credimus, interpretati ſunt.

OEcol. *Neq; enim Chriſtus dicit, vt credamus in pane latere corpus, ſed memoriam faciamus mortis eius, qua nobis vita conciliata eſt.*

Roff. Quid non recenſes verba Chriſti? Quid ea fraudulenter ſubducis? Vereris ne ſi recenſueris ea, protinus à tua ſententia lectorem auerſabuntur. Chriſtus dixit, hoc eſt corpus meum, quod &

Matth. 26.
Luc. 22.

iuſſit

Corpus Chriſti viuificat digne ſumentes.

iuſſit vt ederemus in memoriam ſuę mortis. Non panem illum tuum, vitæ prorſus expertem, ſed panem viuum & viuificum nobis edendum præbuit, nimirum ſeipſum, qui vitæ fons eſt. Panis vtique communis ſuapte natura poteſtate quandam vitam corporis naturalem in ſe cōtinet, quia & nutrit corpus. Sed panis iſte cœleſtis in ſacramento, ſua omnipotēti virtute totum hominem viuificat, & transformat in ſeſe, ſibiq; conduuat, vt habeat æternam vitam. Propter quod & Auguſtinus 26. tractatu ſuper Iohan. ait ſcribit: Non ita eſt in hac eſca, quam ſuſtentandæ huius corporis vitæ cauſa ſumimus. Nam & qui eam non ſumpſerit, non viuet, nec tamen qui eam ſumpſerit, viuet. Fieri enim poteſt, vt ſenio, vel morbo, vel aliquo caſu, plurimi qui eam ſumpſerint moriātur. In hoc vero cibo & potu, id eſt, corpore & ſanguine Domini, nō ita eſt. Nam & qui eam non ſumit, non habet vitam, & qui eam ſumit, habet vitam, & hanc vtiq; æternā. Hæc Auguſtinus. Talem certe vitā panis ille tuus præſtabit nunquam.

Iohan. 6. Auguſtinus. Iohan. 6.

OEcol. *Et Iohannis ſexto: Panis quem dabo, caro mea eſt, qua pro mundi vita datur.*

Roff. Conſule Græcum codicem, quem profecto non ignoras aliter ſe habere. Sic enim Chriſtus ibi dicit: Panis quē ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Num tibi fruſtra dictum videtur iſtud ſecundum, dabo? Mihi vero nō ita. Promiſit itaque Chriſtus his verbis duo, nempe panem ſe daturum, qui caro ſua foret, edendum, & carnem rurſum eandem ſe daturum pro mundi vita. Et vtranque ſane pollicitationem impleuit. Nam panem ſuæ carnis edendum Apoſtolis dedit pridie quam eandem carnem dederit patibulo crucis affigendam.

Bis dicitur dabo. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

OEcol. *Non dicit: caro quæ in ſacramento panis deliteſcet: ſed pro mundi vita datur.*

Roff. Non ad eum ſane modum ſententiam ſuā exorditur. Sed ita, panis quē ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Et quando precor alias panem dedit, è quo ſuā carnem effecit, quam in ea cœna, quando dixit, hoc eſt corpus meum.

Matth. 26. Luc. 22.

OEcol. *Illam ſi charitate pro nobis oblatam crediderimus, panis & vita eſt animarum.*

Roff. Etiam ſi non crediderimus, ipſe nihilominus eſt panis & vita animarum, ſed per fidem talis euadit nobis. Cæterum ſi non ore ſumatur ipſa caro, non ei corporaliter inſerimur, vt ſimus membra corporis eius ex carne eius, & ex oſſibus eius. Adde, quod figurę veteres haud aliter implebuntur, præſertim ea, quæ per Paſchalem agnum repræſentabatur. Neq; enim ſat fuerat Iudæis, vt fide ſpectarēt, quód agnus ille figurabat, verumetiam ore ſumere iubebātur & manducare. Quamobrem & ipſa caro (quæ pro nobis aſſa fuit igne tormentorum crucis) non ſola fide, verum etiam & ore manducari debet.

Exod. 12. Corpus Chriſti ore manducatur.

OEcol. *Et apud Lucam: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Roff. Quid tibi cum hac ſcriptura, quæ tuam hæreſin apertiſſime cōdemnat? Quanta eſt impudentia tua, qui tam perfrictæ frontis es, vt nihil erubeſcas hæc verba, quæ tam dilucide contra te faciunt, quaſi tibi quicquam ſuffragarentur, adducere? Dic ſi poſſis, quibus aliis verbis, hoc ipſum quod nos aſſerimus, apertius explicare valuiſſet. Tunc enim ex pane corpus & carnem ſuam fecit, eandemque diſcipulis edendam porrexit, quæ & ipſa noſtra tradēda pro mundi vita fuit in manus hoſtium crudeliſſimorum.

Luc. 22.

Explicatur Baſilij teſtimonium, quod ille videri vult pro ſua parte facere.

Capvt X.

OEcol. *Vnde & Baſilius rogatus à monachis, quali timore & fide, & affectione, percipi debeat corporis & ſanguinis Chriſti gratia. Ita reſpondit, vt in canonibus repetitum eſt. Et dicit: Timorem quidem docet nos Apoſtolus dicens: Qui manducat & bibit indigne, iudiciū ſibi manducat ac bibit.*

Roff. Eadem impudentia Baſilium citas, qui nec vnum verbum habet contra nos, imo nobis ſuffragatur maxime. Et primum aduerte, quibus verbis proponat quæſtionem. Quali (inquit) timore & fide, & affectu percipi debeat corporis & ſanguinis Chriſti gratia, nimirum intelligens maximam in hoc ſacramento nobis offerri gratiam ex præſentia corporis & ſanguinis Chriſti. Subinde reſpondet ad ſingula, & primo timorem docet, qualem haberi deceat ab vnoquoque, qui ſumpturum iſtud ſacramentum ſuſcepturus eſt. Timorem (inquit) Apoſtolus nos docet, dicens: Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Vbi (quæſo) legis talem comminationem factam pro indigna ſuſceptione cuiuſlibet alterius ſacramenti, nempe quod iudiciū, hoc eſt, ſententiam æternæ damnationis, is accipiat, quiſquis indigne ſumpſerit hoc ſacramētum. Sed hic lector obſerua, quam verſute ſubduxerit Oecolampadius id quod energian pro noſtra ſentētia continet, tam in Baſilio, quam etiam in Paulo. Quære codicem Baſilij, & inuenies me veracem eſſe. Subtraxit enim hæc verba, non diiudicans corpus Domini. In his vtique verbis totius negotij vis conſiſtit. Nam paulo ante recenſuit Paulus Chriſti verba, quibus dixit, hoc eſt corpus meū. Nunc igitur comminatus æternæ damnationis iudicium his, qui ſumpſerunt indigne, cauſam reddit, nimirum eo quod non diiudicant in hoc ſacramento præſentiam corporis Domini. Et hactenus Baſilius timorem, quantus eſſe debeat, indicauit.

Baſilius teſtatur corpus Chriſti in Euchariſtia. 1. Cor. 11. 1. Cor. 11. Matth. 26. Luc. 22.

OEcol. *Fidem vero edocet nos ſermo Domini, dicentis: hoc eſt corpus meum, quod pro multis datur, hoc facite in meam commemorationem.*

Roff. Iam ad ſecundum reſpondet, oſtendens qualem quiſque ſit habiturus fidem, quoties hoc ſacramentum fuerit eſurus. Hic primum adducit verba Lucæ, quæ præoccupare lectoris animum volens OEcolampadius iampridem citauit. Vbi palam eſt cernere, quanta fraude lectorē circumuenire ſtudeat. Sed nos Baſilium attendamus.

Fides neceſſaria ad corporis Chriſti ſumptionem.

Fidem (inquit) nos edocet ſermo Domini, dicẽtis: hoc eſt corpus meum, quod pro multis datur, hoc facite in meam commemorationem. *Matth. 26. Luc. 22.* Ecce lector quem in modum ſanctiſſimus pater Baſilius chariſſimos ſuos inſtruat, qua fide ſuſcepturi ſint hoc ſacramentum, nimirum, vt fidant ipſius Chriſti verbis, quibus dixit, hoc eſt corpus meũ. An cuiquam credibile queat eſſe, Baſilium ita ſuos edocuiſſe, ni pariter & ipſe conſtanter crediddiſſet, ibi verum eſſe corpus Chriſti.

OEcol. *Et iterum ſermo Iohannis dicentis: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate.*

Roff. Ecce aliud teſtimonium, quod Baſilius rurſum pro fide ſuſcipientis hoc ſacramentũ confirmanda producit, nimirum vt credamus, quod ſicut verbum caro pro nobis fieri dignabatur, ita nobis eandem carnem in hoc ſacramento dederit. *Iohan. 1.* Nam qui firmiter illud crediderit, facillime credet, & Chriſtum in hoc ſacramẽto carnem ſuam nobis edendam reliquiſſe. *Euchar. dicitur bona gratia.* Et ob iſtud ſane, myſterium hoc recte bona gratia vocatur, quod in eo percipiatur ille, qui plenus eſt gratia & veritate. *Iohan. 1.*

OEcol. *Sed & Apoſtolus ſcribens: Qui cum in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, habitu inuentus homo, humiliauit ſemetipſum: factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis.*

Roff. Et iſtud eſt tertium Baſilij teſtimonium, quod haud parum iuuabit eum, quiſquis hoc ſacramẽtum ſuſcepturus eſt, nimirum vt accedat ingenti cum fiducia. *Phil. 2.* Nam ſi dignatus eſt Chriſtus ita ſeipſum ad horrẽdiſſimam crucis mortem pro nobis humiliare, & carnem ſuam ita tradere laniandam, quis diutius ambigat, an eandem carnem nobis edendam donauerit in ſacramento?

OEcol. *Cum ergo fidem quis habet his dictis, & conſideret magnificentiam gloriæ ipſius, & admiratur nimietatem habentis, quomodo tantus & talis obediens fuit vſque ad mortem pro noſtra vita: puta quod poſſit anima prouocari ad affectum & dilectionem Dei patris, qui vnico filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, & ad amorem vnigeniti eius eo amplius prouocabitur, quo eum videat mortem turpiſſimam pro noſtra redemptione toleraſſe, ſicut & Apoſtolus de eo dicebat, quod charitas Dei conſtringat nos iudicantes hoc, quod ſi Dominus pro omnibus mortuus eſt, vt & ij qui viuunt, ſibi non viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*

Roff. *Duplex verborum Baſilij ſenſus.* Ex his poſtremo reſpondet ad id, quod quærebatur, hoc eſt, quanto affectu gratiam corporis & ſanguinis Domini percipere debeamus. Quum his dictis fidẽ quis habuerit, nempe quod Chriſtus aſſeruit hoc eſſe corpus ſuum, & quod pro noſtra ſalute corpus idem ſuæ Deitati coadunauerit, quod denique morti crucis hoc ipſum tradere pro nobis ſit dignatus. Is vnus modus eſt intelligendi Baſilium, vel ad hunc modum, quem magis menti Baſilij iam video cõquadrare. Quum fidem (inquit) his Chriſti verbis habueris, hoc eſt corpus meum, quantum ad primum teſtimonium. Subinde ſi conſideres magnificẽtiam gloriæ eius, quam inſinuat, quantum ad ſecundum teſtimonium. Si denique miratus fueris humilitatis nimietatem, quomodo tantus & talis obediens fuit vſque ad mortem pro noſtra vita, quod ad tertium teſtimonium attinet, puto, inquit Baſilius, quod poſſit anima ſua prouocari ad affectum, &c. quæ ſuperius ſcripta ſunt.

OEcol. *Talem ergo affectum & fidem præparare debet in animo, qui de pane & calice participat.*

Roff. Sic itaq; Baſilius concludit reſponſionẽ ſuam, fratres admonens, vt eiuſmodi fidem & affectum præparare debeant animis ſuis, quoties de pane & calice, hoc eſt, de corpore & ſanguine Domini participaturi ſint. Et quanquam hæc tam aperta ſint, vt nemo queat inficiari, tamen OEcolampadius nudo capite ſubdit ea, quæ ſequuntur.

Fuci quibus idem teſtimonium obducit, remouentur.

Capvt XI.

OEcol. *Vides hunc, in quo fidem collocet: Non in eo, quod in pane contineatur Chriſtus.*

Roff. Ex eo certe, quod in hoc ſacramento vere contineatur corpus Chriſti. Nam ex his verbis, hoc eſt corpus meum, Baſilius plane docet conquirendam eſſe fidem. Fidem (inquit) edocet nos ſermo Domini, dicentis: Hoc eſt corpus meum. *Matth. 26. Luc. 22.* Si fidem nos doceat iſte ſermo, quando nihil aliud docet magis quam veritatem præſentiæ corporis, omnino conſequitur, ibi verum eſſe corpus Chriſti. Et hoc obſerua lector, Baſilium non fuiſſe contentum dicere: Fidem docet nos, ſed dixit, fidem edocet nos: Hoc eſt, palam & abunde nos inſtruit, ita vt nullus omnino ſcrupus ſit in his verbis: hoc eſt corpus meum.

OEcol. *Refocillant autem verba & promiſſiones, quibus cognoſcimus, pro nobis Chriſtum eſſe traditum, vt ſequentia arguunt, quæ citat ex Iohanne & Paulo Apoſtolis humilitatem & charitatem Chriſti atteſtantibus.*

Roff. Non refocillant modo, verum etiam adigunt animos, vt multo facilius credant, eum qui pro nobis incarnari dignatus fuerat, & carnem ſuam ſpinis, clauis, flagris, lancea, pro nobis lacerandam dederat, eandem nobis in ſalutarem eſcam ſub ſpecie panis donare voluiſſe.

OEcol. *Iam ſi occupata foret memoria noſtra, expẽdens quomodo in pane ſit Chriſtus, interim ſanctiorũ obliuiſceretur officij, non recogitando mortem Chriſti. Nequeunt enim ſe vires noſtræ in diuerſa ſimul intendere, ſed vnum amittunt, dum alterum aſſequi ſtudent.*

Roff. Quid opus eſt, vt tum occupetur memoria in cogitando modo, quo ſit in ſacramẽto Chriſtus. Sat enim fuerit, vt illic eſſe Chriſtum nihil ambigamus. Quod & facillimum erit, modo Chriſti verbis antedictis adhibuerimus fidem, quemadmodum Baſilius ante monuit. Sic enim fide ſpectantes præſentiam corporis eius ſub ſpecie panis, & ſanguinis præſentiam ſub ſpecie vini, facillime recordabimur amariſſimæ paſſionis ſuæ, qua ſic è corpore ſanguis exhauriebatur, ſicut *Sup. lib. 3. c. 10.*

ſpeciem

ſpeciem vini ſeorſum contuemur à ſpecie pania ſeparatam.

OEcol. *Probatum eſt, nihil eſſe ante manducationem, quo vel ante ſapientiam vel beneuolentiam Dei deprehendas, vt tuto in pane corpus aſſeras.*

Roff. Nullis verbis digne taxari poterit vnquã hæc impudentia tua, qua nihil erubeſcis iſtud aſſerere, nempe quod iam probatum ſit, nihil ante manducationem eſſe, quo nobis vel ſapientia, vel beneuolentia Dei commendetur. Iudicet Dominus inter te & me, num tanti muneris donatio, conuerſioq; panis in corpus Chriſti, quod vtiq; fit ante manducationẽ, non maxime nobis, & Dei ſapientiam, & beneuolentiam eius quoq; cõmendet. Iudicet & lector, an illud abs te quoquam pacto probatum ſit. Nihil opus eſt, vt quicquã amplius dicam. Satis tamẽ vafre iſtud protuliſti: Nihil eſſe ante manducationem, quo, vel ſapiẽtiam, vel beneuolentiam Dei deprehendas. Et hoc certe quãtum ad iudicium ſenſuum veriſſimum eſt. Nam Dei ſapientia beneuolentiaque neutiquam hic ſenſu deprehenduntur, ſed ſola fide.

Dei ſapientia & beneuolẽtia commendatur nobis in Eucha. ante manducationem.

OEcol. *Nunc an in eſu ipſo dignum aliquid occurrat, perſequendum. At quocunq; nos vertimus, abſona multa ſiunt obuia: nihil autem quod veriſimile.*

Roff. Iam verba das lectori, vt eum tuis impoſturis circumuenias. At exitus patefaciet, an quicquam abſonum, aut quod non veriſimile ſit (de veritate fidei loquor) quod ad ſententiam noſtram ſequatur, queas oſtendere.

OEcol. *Magnum, aiunt, eſt diuina erga nos charitatis indicium, quod Chriſti carne veſcimur, mirifice enim illam pia animæ, ob amoris flagrantiam petunt, quemadmodum & illud ex Iob cantant: dixerunt viri tabernaculi, vt illum carnibus ſaturemur.*

Roff. Vides lector neutiquam eum id moliri, vt doceat aliquid abſonum, aut non veriſimile eſſe, quod ad hoc ſacramentum attinet, ſed magis explorat, ſi quis pro confirmanda ſacramenti veritate produxerit, quod parum forte neq; admodum robuſtum ſit, vt illud conuellat, atque ita victor habeatur. Id quod iam tentat in his verbis Iob, quæ nonnulli citant pro teſtimonio ſacramenti huius.

Teſtimonium Iob de commanducandis eius carnibus explicatur.

Capvt XII.

OEcol. *O Vere carnales, rem melius indagate. Nihil humanitatis præ ſe ferũt illa verba Iobi, ſi quis iuxta germanum ſenſum interpretetur.*

Roff. Quem non terreret hæc aſſertio vſque adeo ſenera, & ab homine celebratiſſimæ literaturæ profecta? Sed Deo gratia eſt, ſi res comperta fuerit aliter ſe habere, quam à quibuſdam hoc teſtimonium vſurpantibus, intellecta fuerit, nihil ideo cauſæ noſtræ derogabitur. Neque enim ex hoc teſtimonio ſic pendemus, vt eo detecto noſtra quoque ſententia ſubruatur. Nam ea pluribus aliis teſtimoniis, & iiſdem irreuincibilibus fulcita eſt, vt vel ſine illo ſtabit erecta. Cęterum nec iſtud nobis, opinor, OEcolampadius eripiet, quantauis id ſe facturum arrogantia iactauerit. Nam Chryſoſtomi, Cyrilli, Hieronymi quoque iudiciis fidendum cenſeo magis, quam vt terrere me poſſet OEcolampadij iactantia.

Veritas corporis Chriſti in Eucha non ex vno teſtimonio tantũ.

OEcol. *Negant enim viri illi ſe ſatiari, etiam ſi deuorent ipſos oſores Domini ſui Iob. Ita ſerui videbantur dilaceratione digni, qui à Domino beneficiis afficiebantur.*

Roff. Hoc tu dicis OEcolampadi, quemadmodum & alia multa, ſed nullam omnino probationem affers, aut pro hoc, aut pro cæteris. Recenſe nobis, aut ex traditione Hieronymi, aut ex Hebraica veritate, addam etiam, aut ex ſeptuaginta, verbum vnum quod pro oſoribus Iob illic transferri poſſit, & viciſti. Quod ſi tu verba quædam ex tuo cerebro concepta, conſuere vis ſcripturæ ſacræ, atque ita ſimplicioribus ingeniis imponere, nec in hoc ipſe officium agis viri probi, neq; nos ea recipere tenemur.

Verba Iob perperam interpretatur OEcolamp.

OEcol. *Hebraica enim veritas dicit: Non ſaturabimur.*

Roff. Veriſſimum quidem eſt in his verbis negationem contineri. Sic enim habetur in Hebræo לא נשבע. Sed Hieronymus, quemadmodum & alibi creberrime facit, ſenſum hic reddit, & non verbum è verbo. Senſus idem eſt vtrobique, ſiue dixeris, vt ſatiemur, ſeu, non ſatiabimur. Tam vehemens enim in miniſtris illis erga ſuum herum amor fuit, vt præ nimietate amoris præſentiam ipſius intimam ſibi fieri deſiderarent. His itaque verbis Iob amorem erga ſe miniſtrorum ſuorum teſtatur fuiſſe vſque adeo ardentiſſimum, vt modis omnibus cuperent eum ſibi incorporari. Sic enim Chryſoſtomus hunc locum intellexit, quemadmodum Homilia 45. ſuper Iohannem tradidit, dicens: Hoc enim amantium maxime eſt, hoc Iob ſignificabat de ſeruis, à quibus maxime amabatur, qui ſuum amorem præ ſe ferentes, dicebant: Quis det nobis vt eius carnibus impleremur. Hæc ille. Audis itaque lector ex Chryſoſtomo morem hunc amantibus eſſe, vt cupiant vehementer in amatum transformari. Ad quem modum & ait miniſtros Iob optaſſe, vt implerentur ipſius carnibus, hoc eſt, vt illum habere contenderent in viſceribus ſuis intimum & præſentiſſimum. Conſentit etiam totius capitis ipſius inſtitutum. Nam in eo cuncta ferme recẽſentur bene actæ vitæ præconia. Inter quæ & iſtud numeratur, quod ita Iob ſuos domeſticos tractarit, vt auidiſſime cuperent eius intima præſentia frui. Quamobrem & dicit: Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt ſaturemur, vel vt Hebræus habet, non ſatiabimur, hoc eſt, ſi non ita me dilexerint domeſtici mei, vt inſatiabili deſiderio me complecterentur. Ad hunc modum Cyrillus etiam & Hieronymus interpretantur.

Iob 31.

Iob. 31.

OEcol. *Non eſt illa charitas, ſed canina rabies, quæ blandiendo in carnibus dentes exercere cupit.*

Roff. Vbi legis eos cupiiſſe, dentes in eius carnibus exercere. Non iſtud habent priora verba. Neque enim idem eſt, cupere carnibus alterius impleri,

 &car-

& carnes eius velle dentibus lacerare. Nam iſtud, vt dicis, caninæ rabiei eſt, at illud ex immenſitate amoris ꝓficiſcitur, quo domeſtici ipſius Iob, vniri ſibi corpus ipſius, flagrantiſſime concupierunt.

OEcol. *Inuenio tamen & Chryſoſtomum, & Cyrillum ſuper Iohannem ſic loqui, quos niſi lector magno iudicio vigilãter legerit, nimirum, ſi impetu eloquentiæ eorum abreptus, reddatur perplexus.*

Roff. Iob. 31. Si neuter eorum hac de re ſcripſiſſet quicquã, contextus tamen ipſius capitis ita lectorem ad hunc ſenſum adigit, vt alium omnino nõ admittat. Veruntamen quum iſtorum eximiorum patrum interpretatio cõſona pariter acceſſerit, quis non ex ea perſpiciat inflexibilem obſtinatiam animi tui, qui reluctaris non modo patribus iſtis, verum etiam gemino ſcripturæ ſenſui? Porro, quod dicis perplexum reddi poſſe lectorem ex impetu eloquentiæ, niſi magno iudicio & vigilanter eos legerit, quaſi tu queas, aut alius quiuis eruditior & attentior alium ex eorum verbis ſenſum eruere. Semper tui ſimilis es OEcolampadi, neque tibi curæ eſt, quibus mendaciis hæreſi tuæ patrocineris. Neminem ſcio reperies, qui iudicij quicquam habeat, qui dicet, aut Chryſoſtomi, aut Cyrilli verba quauis violentia ad ſenſum alium detorqueri poſſe, tam ſunt apertiſſime dicta. Neque vno tantum loco ſic interpretatur Chryſoſtomus, imo pluribus, & ad hoc ipſum negocium eadem vſurpat verba, vt nihil ambiguum cuiquam eſſe poteſt, cum ita conſtanter ſenſiſſe.

OEcol. *Ingenue fateor & mihi olim inde non mediocre factum negocium, omnia indicanti, prout imbutus eram.*

Roff. Sic ſtultam facit Deus ſapientiam huius mundi. Nam ita merito contingit his, qui quum ſua ſapientia putant arcana Dei ſacramenta ſe poſſe rimari. Rom. 1. Perdunt enim id iudicij, quod pridẽ habere videbantur. Quod & tibi iam obuenit, propter nimiam curioſitatem tuam. Iure enim traditus es in mentem reprobam. Nam aliud ei iudicium eſt, qui ſana mente potitur, & ei qui iam reproba corruptaque mente præditus eſt.

OEcol. *Sed illi de ſpirituali manducatione loquuntur, ſicut totum caput Iohannis, in quo de ſacramentali nulla ſit mentio. vt infra declarabimus.*

Roff. *De ſacramẽtali manducatione dicitur Ioh. 6.* Multa polliceris, tuo amore, quæ nunquam ſcio præſtiturus es. Nunquam enim declarabis, quod in eo ſexto cap. Iohannis nihil dictum ſit, quod de ſacramentali manducatione debeat intelligi. Neque docebis vnquam, quod Chryſoſtomus & Cyrillus non aperte ſcripſerint Chriſtum in ſacramento realiter edendum. Nam ipſi toties, & tam dilucide verum Chriſti corpus in Euchariſtia contineri teſtantur, & à fidelibus ipſis edi, vt impudentiſſimum fuerit eos aſſerere nequaquam ita ſenſiſſe.

OEcol. *Quid ſi & Nicolao Papæ iidem non intellecti impoſuerint, qui Berengarium quondam abiurare, & anathematizare piam ſententiam, & aſſerere impiam coegit: nempe quod verum corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacerdotum manibus tractetur, frangatur, fideliumque dentibus atteratur, & cum prodigioſioribus aliis verbis, quæ tam craſſa, vt gloſſematarius ipſe alioqui inſigniter ſtupidus adnotet: niſi ſane intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæreſin, quam illa fuit: neq; ab ipſo gnomologo diſtinctione 12. lib. 4 probari potuit.*

Roff. Attende lector hominis vafriciem. Non enim audet iſtud aſſerere, ne forte mendacij conuincatur, & tamen hoc ipſum credi vult, nempe quod hallucinatus fuiſſet Papa Nicolaus in Chryſoſtomi Cyrillique lectione, non ſatis ab eodem intellecta. Sed vt concedamus Berengarium ſubdolam abiurationem feciſſe, & talem quæ poſſet in deteriorem partem accipi, quanam ob id ratione tolletur veritas verborum Chriſti, quæ firma ſtabit nihilominus. Permiſit vtique ſanctus ille pontifex Berengarium, eo quod in alterum latus antea nimis exorbitaſſet, nunc in contrariũ vergi, & paulo fortaſſe, quam fuiſſet æquius, niſi verba ſane intelligantur. Neque aliud dicit aut gloſſematarius ille, aut gnomologus, quos ita per contemptum vocas. Cæterum de Berengario, pariter & de duplici, quam fecit, abiuratione, alteram ſub Nicolao ſecundo, alteram ſub Gregorio ſeptimo, ſcripſimus alibi ſatis prolixe, vbi de conciliis verba fecimus. *Lib. 1. c. 2. cap. 27. prolo. 3. &.*

Ex eſu victimarũ veteris legis docemur Chriſti carnem corporaliter edendam eſſe.

Capvt XIII.

OEcol. *Simile quiddam afferunt alij, ex lege Moſaica, quæ Domini victimæ ſacerdotum ſunt, vt illis veſcantur lege perpetua: vnde colligunt victimam negare nos qui cœnam negent. Et quia caro Chriſti omnium legalium victimarum figuram expleuit, ex ea Chriſtianis, qui omnes ſacerdotij dignitate ſunt conſpicui, cœna eſt apparata lege perpetua, ita vt ſi carnem non edant, neq; illa eis victima fuerit.*

Roff. *Lib. 3. c. 11. & alibi.* An non cernis lector id, quod iampridem admonui, nempe Sycophantam hunc vndequaque corradere, quicquid à quoquam in teſtimonium veritatis corporis in hoc ſacramento prolatum fuerit, atque id præſertim, quod infirmum eſt & inualidum, vt quum illud euerteret, claſſicum victoriæ canat, atque interim libellus augeatur. Nam iſtiuſmodi nugis detractis non multa ſupereſſent folia. Cæterum & iſtud non adeo frigidum eſt, vt OEcolampadius videri molitur. Nam ſi victimæ illæ figura fuerant Chriſti paſſuri, ſolus contuitus earum non minus abunde ſuffeciſſet, quam & ſerpentis illius ænei. *Num. 21.* Nam vtrobiq; nemo dubitat illos (qui crediderunt) fide ſumpſiſſe Chriſtum. Eſus igitur victimarum aliud quiddam præter ſolum contuitum, qui fide fit, nobis commendarunt, quemadmodum & de Paſchali agno ſuperius diſſeruimus. *Lib. 2. c. 15.*

OEcol. *Nihil hac contra nos, qui ſpiritualem manducationem carnis Chriſti in fide confitemur. Semel quidem caro oblata eſt. ſemper autẽ reficit omnes credentes, quemadmodum & patres.*

Roff. Pro nobis vtiq; plurimum facit, ſi cum cæteris quis idipſum adiunxerit, & maxime cum facto verbo-

verboque Chriſti, quod ille ſuum corpus, quod per illas victimas adumbrabatur, & quod in cruce tum erat victimandum, edendum præbuiſſet Apoſtolis. Et cur vos alioqui panem veſtrum editis, quum ſatis fuerit conſpicari ſacramentum, & credere Chriſtum in eo figurari, ſi nihil præterea præſtiterit eſus? Pro nobis itaq; facit, quod agnus Paſchalis edebatur, & cæteræ ſimiliter victimæ, quandoquidem legimus & Chriſtum Apoſtolos iuſſiſſe, quatenus hoc ipſum corpus ederent, quod tum porrexerat, & poſtridie fuerat victimandum.

Exod. 12. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

OEcol. *Neq; neceſſarium, vt ſicut caro illa carnaliter immolata, ita & carnaliter paſcat.*

Roff. A nobis eorum quæ dicimus, vbique probationes exigis. Tibi vero tantum vendicas licentiæ, vt nihil probes eorum quæ dicis. Quid (precor) tibi velis, quum neges Chriſti corpus carnaliter nos paſcere? ſi modo cæterarum carnium, neges eam in corpus noſtrum transformari, recte profecto ſentis & cogitas, & nos in hoc ſubſcribimus tibi. Sin eandem carnem, quæ pro nobis in cruce fuerat immolata, neges in os noſtrum ſumi realiter, & edi atque tranſglutiri, ſicut eſt in ſacramento, citra transformationem in corpus noſtrum, perperam cogitas, & ſentis, & plane contra ipſius Chriſti verba, qui dixit: Accipite & edite, hoc eſt corpus meum.

Corpus Chriſti non paſcit carnaliter ſumentes.

Matth. 26. Luc. 22.

OEcol. *Nam ſi hoc fateremur, periret fructus immolationis, vt carnales ſacerdotes non ſumus, neq; carnalem cœnam carni quærimus.*

Roff. Tantum abeſt, vt ex tali confeſſione cuiquam immolationis fructus pereat, vt niſi ita credat & fateatur, nihil per ipſam immolationem emolumenti conſequetur penitus. Et quamquam credamus veram Chriſti carnem in ſacramento ſumi, non propterea carnales ſumus, neque carnalem cœnam carni noſtræ quærimus, ſed menti ſpirituique potius. Cibus enim iſte, licet caro ſit, edentes tamen ſpirituales efficit. Et quanquam ore ſumamus, vt per eam caro noſtra quoddam initium incorruptibilis vitæ ſuſcipiat, ſicut Irenæus, Chryſoſtomus, Cyrillus, ac cæteri prorſus aſſerunt, ea nihilominus in mentis & ſpiritus vegetationem tranſit, imo verius totum hominem in ſe rapit, atque transformat.

OEcol. *Sed hæc cum aliis mox innoteſcent clarius, quomodo carnem Chriſtus etiam carne paſcat.*

Roff. Toties expectatione pollicitationis tuæ fraudaſti nos, vt propemodum nihil compertius habeamus, quam te iam haud aliter facturum, atq; pridem feceris.

Nihil minui Chriſti gloriã ex præſentia ipſius in Euchariſtia.

Caput XIIII.

OEcol. *Maior certe eſt gloria carnis illius benedicta, quam vt dentium & ſtomachi iniuriis ſe exponat, ſiue viſibiliter, ſiue inuiſibiliter quis fieri dicat.*

Roff. Quamdiu craſſam iſtam cum Capernaitis tuis imaginationem ſequeris, nunquam ipſius ſacramenti concipies veritatem, neque vnquam illuceſcet menti tuæ negotij tanti poſſibilitas. Abſit enim à fidelium cordibus, vt eo modo Chriſtum credant ſub hac ſpecie panis eſſe, quo poſſit vllam iniuriam, aut à dentibus, aut à ſtomacho pati, ſed eſt immunis ab omni, quantumuis leuiſſima paſſione.

Iohan. 6.

OEcol. *Non enim parua humiliatio eſt, ſi vel intacta in ventris piſtrina deſcendat caro illa, quæ ad dextram maieſtatis Dei collocata.*

Roff. Quis dicit eam in ventris piſtrinum deſcendere? Non eſt enim cibus ventris vt in ventrem deſcendat, ſed eſt cibus mentis, vt ait Auguſtinus. Neque enim cibus iſte digeritur in carnis noſtræ ſubſtantiam, ſed ipſe nos incorporat ſibi. Et ipſe Chriſtus, qui ad dextram maieſtatis Dei collocatur, ita pauperum ſuorum miſeretur, vt ſuam ipſius carnem eis edẽdam exhibeat, & citra quamuis eiuſdem iacturam, aut offenſam vllam.

Corpus Chriſti non vertitur in ſubſtãtiam panis.

OEcol. *Non offenditur dicis, verũ eſt, ſed iuxta craſſam illam opinionem diffiteri viciſſim nequis, quin humilietur. Atqui tempus humilitatis præteriit, aſcẽditq; corpus in cœlo.*

Roff. Non præteriit humiliationis tempus, quamquam poſſibilitatis omnino præteriit. Adhuc enim & peccatoribus ingratis offert ſeſe, neq; dedignatur ad oſtium cordis eorum pulſare, quatenus aperiant ei. Et hæc certe magna eſt humilitas, quæ & ſemper durabit, quamdiu miſericordiæ tempus eſt duraturum. Porro corpus ipſum, licet in cœlos conſcenderit, tantæ tamen virtutis eſt Chriſtus, vt idem corpus præſens efficiat in Euchariſtia, tantæ ſapientiæ, vt norit, tantæ demum benignitatis, vt velit, maxime, quũ idipſum ante promiſiſſet, nimirum carnem ſuam ſe nobis in eſcam daturum. Quam promiſſionem & diſcipulis ſuis adimpleuit, nimirum quando corpus ipſum eis præbuit dicens, hoc eſt corpus meum.

Apoc. 3. Humilitas Chriſti ſemper durabit.

Iohan. 6. Matth. 26.

OEcol. *Nihil ad tale poſſet obiici, ſi adeſſe corpus Chriſti myſtice, addo, cum virtute & benedictione, cum priſcis diceretur.*

Roff. Vobis nihil eſt in hoc ſacramento, niſi quod oculis & guſtu atque tactu deprehendi queat. Quamobrem & nihil hic vobis eſt difficile creditu. Nobis cõtra, qui hic adeſſe non dubitamus, non modo quod aſſenſum, verum etiam quod rationis omnem ſuperat comprehenſionem. Neque aliter intelligi poteſt, quã ſola fide. Quo fit, vt nihil mirum eſſe debeat, ſi quædam nobis occurrant difficilia, quæ nihil ad vos pertinent. Sed nos iccirco fidei præmium aſſequemur, quo vos viciſſim carebitis. Cæterum de priſcis quod dicis, cur eorum nomina non citas? De virtute & benedictione fruſtra loqueris, qui negas ex benedictione virtutem vllam in rebus iſtis corporeis eſſe relictam.

OEcol. *Sed hæc & alia quæ neſcimus, quia affirmamus, nimirum ſi Chriſtum ridiculum magis quam glorioſum prædicamus. Chriſtum crucifixum annunciare in humilitate oportet: ſed interim mortui reſurrectio, ac humiliati gloria non eſt obticenda, id quod non fit in carnali illa manducatione.*

Roff. Vos profecto Chriſtum cunctis irridendum

Iohan. 6.

præbetis, qui quum ſe carnem ſuam nobis daturum in eſcam promiſerit, & eam promiſſionem illum figura ſola perimpleſſe dicitis, quaſi nulla prius eiuſdem rei figura præceſſiſſet vnquá. Quis non iſtud rideat? quandoquidem & expreſſiorem paſſuri ſui corporis figurá paulo ante cum diſcipulis ſuis ediſſet nempe Paſchalem agnũ. Significabat enim hauddubie Paſchalis ille agnus Chriſtum, quem Petrus immaculatum agnum, & Baptiſta agnum peccata mundi tollentem vocat. Illud vtiq; Paſcha Iudaicum fuerat, ſed noſtrũ, hoc eſt, Chriſtianorum Paſcha, ſicut Paulus ait: immolatus eſt Chriſtus. Ipſum enim Chriſtum quõdam in cruce pro nobis immolatum, & æſtu ſuæ paſſionis aſſum, nos in hoc ſacramento ceu nouũ Paſcha comedimus. Neq; affirmamus quæ neſcimus, ſed ea, de quib. per fidem certiſſimi ſumus, tam ex prædictione Chriſti, quam ex eiuſdẽ prædictionis adimpletione, quando videlicet idem corpus ad manducandum dedit, dicens: Hoc eſt corpus meum. Sed & tantum abeſt, vt iſtud gloriam Chriſti quicquam minuat, vt & augeat plurimum, his qui recte ſapiunt.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Pet. 1. Iohan. 1. 1. Cor. 5. Iohan. 6. Matth. 26. Luc. 22.

OEcol. *Aut dicatur, quæ gloria vel vtilitas, ſiue animam, ſiue corpus paſcat, caro corporaliter præſens.*

Roff. Nos omnino credimus hanc eſcam ſuapte virtute totum hominem reficere multipliciter, & eum in ſeipſam conuertere atq; incorporare. Atque iſtud ad Dei gloriam, & ad noſtrã vtilitatem fieri nihil ambigimus. Principio, certum eſt per hoc ſacramentum nihil Chriſto detrahi ſuæ gloriæ, quam in cœlis poſſidet, quum non ab ea recedat, quanquam & idem præſens fuerit in altari. Deinde benignitas & charitas immenſa Chriſti nobis ex tam eximio beneficio præſtito commẽdatur, quo ſicut ipſe patri vnitur & fit vnum cum patre, ita & nosipſi Chriſto naturaliter coadunemur, & vnum cum eo ſimus corporaliter, quemadmodum Hilarius & cæteri patres affirmant. At hoc ipſum (inquis) præſtat fides. Iſtud illi negant ſaltem iuxta gradũ eundem intimitatis, quo per eſum huius ſacramenti Chriſto incorporamur. Adde quod quum nemo certo ſciat, ſe fidem habere ſufficientem, ad tantã vnionem neceſſarium fuit, vt per eſum huius ſacramenti certiores & indubitati redderemur. Qua (te quæſo) ratione cõpertum habes fidem tuã ſufficientem eſſe ad hãc vnionem? Certe non omnis fides hoc præſtat, alioqui præſtabit hoc ipſum & Iouiniani fides, & fides quam habet adulter, & ea quoq;, quam habuerũt hi, quos Chriſtus ipſe memorat dicturos: Domine Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & multa ſigna fecimus. Hæc vtique fides, qua dæmones eiiciũtur, & cætera ſigna fiũt, licet ampla ſit & potens, non tamen omnino certum quenquam reddit, quod vniatur Chriſto, quandoquidem nec illi fuerãt vniti, qui eandem traduntur habuiſſe. Quamobrem vt certior fias de tua vnione cum Chriſto, ſuum ipſius corpus in Euchariſtia tibi præbuit edẽdum, quod vbi cum pia mente ſumpſeris, ſecurus eris te Chriſto incorporatum eſſe. Quis non hanc benignitatem & charitatem ſummis laudibus extollat? Quis non ex eo ſacramento fructum ſibi ſperabit vberrimum? Porro quãta commoda nobis ex huius carnis eſu miniſtrantur, Cyrillus tradit ca. 17. lib. 4. ſuper Iohan. de manducatione huius ſacramenti loquens, quod & benedictionem ſuo more appellat. Nos (inquit) ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamuſque ne loco laquei damnoſam religionem Diabolus nobis prætendat. Recte (inquit) dicis, ſcriptum tamen eſſe non ignoramus: iudicium ſibi comedere, atque bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indigne. Ego igitur probo meipſum, & indignum inuenio. Quando igitur quicunque tu es, qui iſta dicis, dignus eris? Quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis (quis enim delicta intelligit, ſecundum Pſalmiſtam) expers omnino eris viuificæ huius ſanctificationis. Quare pias quæſo cogitationes ſuſcipias, ſtudioſe ſancteque viuas, & benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolum, verumetiam morbos omnes depellit, ſedat enim, quum in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu. Hæc Cyrillus. Falſum eſt igitur, quod dicis nullam aut Chriſto gloriam, aut nobis vtilitatem oriri poſſe, quando tot & tanta bona nobis inde proueniunt.

Corpus Chriſti reficere hominẽ eſt gloria Dei.

Matth. 7.

Cyrillus.

Fructus digne communicãtium.

1. Cor. 11.

Pſal. 18.

Iohan. 10.

Molitur oſtendere carnem Chriſti, neque corpus, neq; animam noſtram paſcere poſſe.

Capvt XV.

OEcol. *Quidam enim ita delirant, vt carnem Chriſti cum ſua corporali ſubſiſtentia in animam, quidam vero in corpus noſtrum ingredi cenſeant. Cæterum nos vtrunq; abſurdum & impoſſibile commonſtrabimus.*

Roff. Neutrum horum iuxta ſenſum tuum nobis probatur. Neque enim aſſerimus, quod caro Chriſti vel in animam, vel in corpus noſtrum permutetur, ſed quod ipſa magis permutet & animam & corpus noſtrum in vnitatem ſubſtantiæ ſuæ. Ingredi quidem eam & commiſceri noſtræ carni fatemur, cuius aſſertionis auctores habemus Irenæum, Cyrillum, Chryſoſtomum, Hilarium atque alios patres orthodoxos, qui iſtud plane teſtantur. Commiſcetur inquam nobis, ſed citra quamuis immutationem ſubſtantiæ ſuæ, quin ipſa potius totum hominem noſtrum ad ſe rapit atque transformat, & (vt diximus) incorporat ipſi Chriſto, nimirum vt ita certi reddamur nos eſſe factos vera Chriſti membra, quando noſtra caro carni eius conglutinatur. Quare nihil hæc tota tua diſputatio, quæ ſequitur, quicquam aduerſum nos facit. Neque enim

Caro Chriſti non permutatur in noſtram, ſed contra.

Caro Chriſti cõmiſcetur carni noſtræ.

enim partes corporis Chriſti tranſnerti dicimus in partes noſtri corporis, quemadmodum & de cæteris cibis fieri ſolet, neque ipſa carnea moles corporis illius animam penetrat, vt craſſities ingenij tui cogitat, ſed gratia quædam & virtus, ex hoc cibo promanans, & corpus & animam, imo totum ipſum hominem, reficit atque recreat mirifice plus aut minus iuxta ſuſcipientis deuotionem.

OEcol. *Et primum in ſpiritnali manducatione videamus, quomodo caro carnalis ſua præſentia nihil faciat. Spiritualia enim ſunt, quæ hic aguntur.*

Roff. Semper ſui ſimilis eſt Oecolampadius. Multa pollicetur & nihil omnino præſtat. Aduerte lector, quid præmonuerim, & verum eſſe comperies, hoc eſt, vt audis, quod iam ſe pollicetur oſtenſurum, nempe quod caro Chriſti ſua præſentia nihil faciat in ſpirituali manducatione; non probabit, quantumuis alte repetat.

OEcol. *Internus homo iiſdem cibatur & viuificatur edulijs, quibus angeli eiuſdem ſubſtantiæ intellectualis, quamuis hi lætius, ſecurius & beatius: ille minus beate, vtpote corporea molis grauamine impeditus. Angelos Deus paſcit verbo ſuo, quo ſe veritatem illis & rem, vt eſt, detegit, quam ſpectantes facie ad faciem viuunt, & beati ſunt, torrenteque voluptatis inebriantur.*

Roff.

Deus paſcit angelos verbo ſuo.

Hic ſi velit Oecolampadius aperire modum aliquem, quo Deus angelos paſcat verbo ſuo, eundem ipſum modum, quoad licet minora conferre maioribus, nos etiam adaptabimus iſtius eſcæ manducationi. Neque enim docet (opinor) quod Deus immutetur in angelum, ſed contra magis quod angelus in Deum transformetur, atque reficiatur ex præſentia Dei citra quamuis imminutionem virtutis Dei. Id quod nos in nobis fieri dicimus, per huius eſcæ virtutem. Rurſum, vt Deus verbo ſuo voluptatem efficit in mentibua angelicis, qua inebriantur, ita & Chriſtus per carnem ſuam velut inſtrumentum & organum Deitatis qualitatem quandam transfundit in animam piè recipientis hoc ſacramentum, quo vegetatur ipſa anima, corroboraturq; & paſcitur. Cæterum, quum dicat Oecolampadius, Deum angelos verbo ſuo paſcere, nimis inuolute loquitur iuxta morem hæreticorũ. Quid hic (quæſo) per verbum intelligit? Si filium ipſum, quem & verbum eſſentiale Theologi vocant, tum ſolus filius eſt angelorum cibus, quod apertiſſime falſum eſt. Nam tota ipſa trinitate fruuntur angeli. Sed hic nobis technam ſtruere molitur ſolius verbi mentionem faciens, nimirũ vt inde colligat, noſtras mentes hic in terris etiam ſolo verbo ſcripturarum paſci.

OEcol. *Interno autem noſtro homini nondum tanta felicitas contigit: quamuis & illi quiddam diuina ac viuifica veritatis manifeſtetur, in qua proſpectet, licet per velamen & ænigma ac ſpeculum, & non facie ad faciem, vt angeli & beati: hic enim non ſumus aliter docibiles, niſi forte quis vt Paulus, præter communem legem arcana audiat, quæ non licet effari.*

Roff. An lector hic non aperte conſpicis hominis huius ſycophãtiam, qui primum orſus à diuino verbo, iam ad ſcripturarum verbum nos ducit, hoc eſt, ab increata veritate ad eam quę creata eſt. Et ſane verum eſt quod colligit, nos haud aliter docibiles eſſe, quamdiu moribundis hiſce corporibus amicti ſumus, qnam verbo ſcripturarum. Poſſumus tamen aliter paſci quã ſolo ſcripturarum verbo, vt & certe paſcimur ipſo verbo, quod eſt filius Dei. Nam propterea verbũ ipſum caro factum eſt, vt nos in ſacramẽto carne ipſius ſumpta, carne pariter & verbo paſceremur. Falli quidem poſſumus verbo ſcripturarnm, vt quum ab hæreticis ipſum adminiſtratur. Nam hi ſcripturas non raro perperam interpretantur, & ex cibo ſalutari plerunq; venenum efficiunt. Quẽadmodum & in his auguſtiſſimis Chriſti verbis, Oecolampadius & Lutherus faciſt. Is enim ſic interpretatnr: hoc, id eſt, hic panis eſt corpus meũ. Ille vero ſic: hoc eſt, id eſt, hoc ſignificat corpus meum. Quis iam certo cõfidat talibus magiſtris, ab Euangelij germano ſenſu (quem eccleſia probat) diſſidentibus, neque tamen conſentientibus inter ſeſe, Poteſt igitur quiſpiam exiſtimare ſe verbo ſcripturarum paſci, quum tamen venenum edat, non cibum verum. Sed quum in Euchariſtia, Chriſti carnem cui verbum ipſum vnitur, pie ſumimus, non eſt dubium, quin ipſum verbum vna cum carne ſumamus, qua dum veſcimur, & ipſo verbo veſcimur atque reficimur. Verbum enim per præſentiam carnis certo creditam, noſtris mentibus guſtum quendam voluptatis infundit, qua ſucculentæ viuidæque reddantur. Neque ſolas mentes noſtras ita vegetat, ſed & totum ipſum hominem ad ſe rapit, vnit & incorporat ſibi.

Paſcimur verbo Dei.

Iohan. 1.

Scripturis falli poſſumus.

Oecol & Luther perperam interpretantur verba conſecrationis.

OEcol. *Neque ita intelligas, quaſi de pane benedicto loquamur, quod velamen ſit Chriſti corporaliter latentis. Nos enim ipſi velamen geſtamus carnem, & hallucinamur, ſi quid cœleſtis fulgoris irradiet, videtis obſcurius per fidem, quantum pro hac vita ſatis eſt.*

Roff. Certum eſt noſtras mentes carne velatas & obtectas eſſe, atque ideo verbum patris eodem obtectum velamento noſtris oculis ſe nobis viſendum, & manibus inſuper palpandum præbuit. Neque iſtud ſolum, verum etiam vt adhuc ſe nobis intimius inſereret, edendum item contulit, nimirum vt ita ſeipſum nobis, imo nos ſibi indiſſolubili quodam amoris glutino colligaret.

1. Iohan. 1.

Matth. 26.

Luca 22.

OEcol. *Sed ne digrediamur, cibus animæ felicioris eſt, veritas aperte cognita. Inferioris autem & aggrauatæ, veritas adumbrata, & fidei lumine ſe innoteſcens.*

Roff. Nihil omnino contra nos iſtnd facit. Nam & non dubitamus longe ſelicius illos paſci, qni præſentia Chriſti citra qnoduis velamen fruuntur in cœlis, quam nos qui iam eodem Chriſto ſub ſacramento realiter præſente, ſed ſpecie panis obtecto veſcimur. Sic vtique ſtatui noſtro congruit, vt veſcamur. Nã Iudęi quidem ſolis vmbris alebantur. Beati vero nudis ipſis rebus citra quãuis vmbrã. Quamobrẽ & nos qui inter hos & illos incedimus quaſi medij, medio quodã modo nutriẽdi ſumus, nõ vtiq; rebus ipſis prorſus apertis, ſed opertis magis & ſola fide conſpicuis, iam tamẽ

1 Cor. 10.

2. Cor. 13.

vt fide certi ſimus in hoc ſacramento ſubeſſe veritatem.

Mentes noſtras veritate credendo paſci, ſicut angelicæ mentes eandem contemplando paſcuntur.

Cap. XVI.

OEcol. *Porro cum veritas ab homine profecta non ſit veritas (omnis enim homo mendax, vt ſcriptura dicit) non eſt tutum, vllis hominum verbis, vel promiſſionibus, vel ſigillis, vel iuramentis credere.*

Roff. Iſtud apertiſſime tibi reluctatur. Nam ea verba quę tu Chriſti verbis interſeris, tua verba ſunt, non Chriſti. Chriſtus enim dixit, Hoc eſt corpus meum. Dilucida ſunt hæc verba, neq; vlla prorſus egent interpretatione. Tu non vereris hominum verba quædam iſtis immiſcere, quæ ſenſum peruertũt. Sic enim interpretaris, quemadmodũ ad erubeſcentiam tuam ſæpe repetimus, hoc, id eſt, hic panis: eſt, id eſt, ſignificat, corpus meum, vel, hoc eſt figura corporis mei. Quamobrem, vt tuis argumentis vtar, quum ſit omnis homo mẽdax, nec promiſſionibus, nec ſigillis, nec iuramẽtis tuis fidem adhibebimus, contra tam apertiſſima Chriſti verba.

Matth. 26.
Luca 22.
Pſal. 115.

OEcol. *Nam quamuis, amice, fideliter ac prudenter polliceamur, non eſt tamen in nobis ſitum vt præſtemus aliquid vel minimum, vt taceam de felicitate.*

Roff. Quid contra pollicitationem ante factam, adeo late digrederis? Neſcio quid tibi velis hac digreſſione, niſi moliaris excuſationem apoſtaſiæ tuæ, votique non ſeruati violationem obtegere. Nam ad quid aliud (quæſo) prætexis, haudquaquam in te ſitum eſſe, vt præſtes quicquam, quãuis hoc ipſum, amice, fideliter ac prudenter fuiſſes pollicitus. Animus (opinor) bonus fuit, dum religionis ingreſſum meditabaris, verũ ad ſeculum reditus qualis fuerit, ipſe videris.

Oecol. non præſtat pollicitam religionis fidem.

OEcol. *Nec mirum. Sumus enim & ipſi bullæ, Deo autem, qui ipſe veritas eſt, nihil impoſſibile, & proinde in omni verbo, quod procedit ab ore eius, viuit homo.*

Roff. Quid ergo non credis ipſe Chriſti verbo? Cur tuo ſenſui magis fidẽ adhibes, quam illius aſſertioni? Aut cur tua figmenta tot ſanctiſſimorum pariter & eruditiſſimorum patrum interpretationibus anteponis? Tu qui te bullam eſſe noſti, ſi non iſtud hypocritico dixeris animo, cur Deo, qui & ipſe veritas eſt, cuiq; nihil (vt dicis) eſt impoſſibile, cur inquam eius verbo reluctaris, propter eos qui in te ſuboriuntur humanæ rationis ſcrupi.

Iohan. 14.
Luc. 1.

OEcol. *Et verbum quidem eius, viuificans eſt cibus.*

Roff. Neque iſtud diffitemur, ſiue de verbo increato iſtud intellexeris, ſiue de creato verbo, hoc eſt, ſcripto vel prolato. Verbum enim increatũ, quia nullo ſenſu deprehenditur, corporeo quodam vehiculo vtitur, quo nunc per aures, nunc per oculos, ad enutriendum & ſaginandum animum ingrediatur; Audibili certe verbo ſæpius per aures penetrat, viſibili quoque per oculos in interiora mentis viſcera conuehitur. Sed nõ minus idem verbum quando per carnem cui iungitur, ab ore ſumitur, animam quaſi adipe quodam & pinguedine replet, atq; ſaginat. Sed & tanto verius, quanto certiores ſumus hoc ipſum infallibiliter iam adeſſe. Nam de verbis tam ſcriptis quam prolatis falli poſſumus, vti ſupra diximus, quandoquidem ea per hæreticos in peruerſum ſenſum detorqueri poſſint. Sed hic, ipſum verbum vnitum eſſe carni, certiſſimi ſumus.

Verbum Dei ſignificat.
Li. 3. ca. 15.

OEcol. *Quia autem cibus non paſcit non edentem, non credentibus verbum Dei non prodeſt. Animæ enim nunc credendo manducant, ſicut angeli contemplando ſatietate fruuntur, & fruendo beati ſunt.*

Roff. Et hoc cuique verbo, tam prolato quam ſcripto etiam incarnato commune eſt. Nihil horum niſi creditum mentem hominis paſcit. Nam fides ipſa eſt, qua cibus iſte redditur edenti ſalutaris. Sumi quidem per aures poteſt audibile verbum, & per oculos verbum ſcriptum, atqui ſi fides abſuerit, nihil proderit ſuſcepiſſe. Sic pariter & incarnatum verbum, quũ in Euchariſtia ſumitur, nihil edenti ſine fide confert. Cæterum ſi cũ firma fide ſumpſeris, vberrimis gratiæ ſuccis repleberis indubitatò. Et inter cæteros edentium fructus, hæc duo præcipue commoda conſequetur quiſquis huic cibo cum ingenti fide ſeipſum aſſueuerit. Nam hauddubie cautius à falſis dogmatibus hæreticorum obſeruabit ſeſe, pariter & patrum orthodoxorum eccleſiæque catholicæ ſalutaribus documentis adhærebit. Eſt enim cibus iſte ſacramentum etiam vnitatis, quam non ſignificat ſolum, ſed & efficit quoque. Porro quod ſubdole moliaris, animas noſtras ſola fide paſci, quemadmodum angeli cõtemplatione ſola paſcuntur in cœlis, quãquam iſtud magis inſinues, quam aperte prodas; Ego certę nec angelos contemplatione ſola paſci arbitror, ſed ſuauitate potius indicibili, quæ contemplationem ipſam comitatur. Hæc maxime reficit & recreat ipſos angelos, tametſi non citra contemplationem præuiam. Ad quem modum & animas noſtras quanquam non citra fidem, non tamen ſola fide paſci credimus, ſed dulcedine quadam inexplicabili, quæ fidem conſequitur, qualem & potiſſimum ex præſentia corporali Chriſti in Euchariſtia deuoti ſæpius guſtant, de quo Bernardum & alios meminiſſe, ſupra monſtrauimus.

Verbum Dei non niſi creditum paſcit mentem.
Fructus communicantium.
Angeli non ſola contemplatione paſcuntur.
Sup. prol. 2. &.

OEcol. *Igitur habentes verbum & promiſſiones Dei, contentos nos eſſe oportebat, & gratos, certoſque nihil nobis defuturum; id quod vere fuerit paſci.*

Roff. Id demum collegiſſe ſibi videtur ex hac tam prolixa argumentatione, quæ nulli formæ nititur. Sed iuuemus iſtum rhetorem, qui tam inepte dialecticatur, & rationem ipſius ad formam dialectices reducamus. Animæ hominum commune cum ipſis angelis nomen ſortitę ſunt, eo quod vtriq; dicũtur mentes. Hoc tamen intereſt, quod angeli mentes nudæ ſunt, & abſq; vllo corporum tegumento, noſtræ vero mentes carne ſunt obtectæ. Sicut igitur commune nomen habent, ita & communi veſcuntur cibo, veritate videlicet, qui cibus illis, vtpote nudis, nudatus eſt. Nuda

enim

enim veritate paſcuntur illi, Noſtræ vero mentes eadem paſcuntur, ſed velata, quemadmodum & nos obuclamur carne. Quamobrem & vtriſq; genus manducandi ſimile ſit oportet. Atq; ideo ſicut mentes angelicæ per apertam contemplationem, ita noſtræ mentes per fidem edunt & veſcuntur eodem cibo veritatis. Nos quidem credendo, ſicut & illi contemplando. Iam ex his tādem colligit ſufficere debere nobis verbum & promiſſiones quibus ad ſatietatem abunde paſci poſſumus. Hic certe prolixior habēdus eſſet ſermo, ſed nos quanta poſſumus, vtemur breuitate. Principio fatemur, veritatem cibum eſſe mentibus omnibus communem, tam humanis quam angelicis, non tamen ipſam in ſua generalitate paſcere, ſed ſpecialem aliquam, hanc vel illam, & nunc complexam, nunc incomplexam. Sunt enim complexæ veritates innumeræ, ſunt & incomplexæ non paucæ, inter quas pręcipue ſunt: Eſſentia diuina cum ſingulis attributis, veritatea etiam trium perſonarum, quę realiter diſtinguūtur. Veritas prætere a verbi incarnati, qua paſcūtur non modo mentes beatorum, ſed & angelicæ quoq; mentes. Propter quod & Chriſtus apud Iohannem patri dicit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Chriſtus profecto ſpiritualis illa petra eſt, de qua ſcriptum eſt: Suxerunt mel de petra, & oleum de firma petra. Dulcedinem profecto incomparabilem & ſuauitatem vnctionis inæſtimabilem, beatæ illæ mentes ex præſentia Chriſti ſugunt, non contemplando ſolum, verū etiam fruendo. Quod ſi mentes beatæ tanta & tam incogitabili dulcedine paſcantur, quæ manat indeſinenter ex nuda & clara viſione pariter & fruitione verbi incarnati; quid vetat quo minus & noſtræ mentes ex eodem cibo iam præſentiſſimo nobis, quanquam baud clare viſo, ſed credito, pariter & amato, vere paſcantur? Non tollit igitur hæc argumentatio veritatem corporis in Euchariſtia, neque reuincit, quin ipſum corpus iam præſentiſſimum per comeſtionem ipſi menti factum, inenarrabili ſuauitate mentem ipſam repleat, & tanto magis, quanto magis credit, & amat. Sed neque verbum ſcripturarum, neque promiſſiones vllæ cibum hunc excludunt, ſicut neque cibus eſſentiæ diuinæ aut trium perſonarum obſiſtit quicquam angelicis & cæteris beatis mentibus, quo minus ipſę verbo pariter incarnato paſcantur. Sed & ſcripturarum verbum & promiſſiones, (vti ſuperius oſtendimus) facile poſſunt in venenum verti. Nam illæ perperam intelligi poſſunt, & iſtę plus quam veritas exigit, ampliari. Scripturæ primum ſicut & ex veſtris interpretationibus cuiq; poteſt eſſe compertiſſimum, perperam intelligi facile poſſunt, poſſunt inſuper & promiſſiones longius, quam par ſit, extendi. Iouinianus enim eas cunctis qui baptiſmatis lauacrum ſuſcepiſſent, quantumuis poſtea peccatis polluiſſent ſeipſos, audacter pollicetur integras fore, in quo proculdubio nimium eas ampliauit. Præter hæc adiicimus: quod ſi ſcripturæ verba rectiſſime intellexerimus, & promiſſiones intra præſcriptum cohibuerimus, non ex eo conſequitur, nullum animi cibum alium eſſe quam ſcripturarum, imo contra potius, quandoquidem & ex ipſis tam ſcripturis quam promiſſionibus apertiſſimum eſt, hunc Euchariſtiæ cibum nobis edendi gratia traditum, & ingentia pariter ob eius congruum eſum promiſſa nobis eſſe commoda. Neque enim Oecolampadius, quantumuis impudentiſſimus fuerit, negare poteſt, quin ſacramentum panis & vini, quod ille ſtatuere molitur, cibus alius ſit, à verbo ſcripturarum & promiſſionum, non ſolum propter carnem inſtitutus, verum etiam propter animam.

Veritates diuerſa, complexa & incomplexa.

Iohan. 17.

Deut. 32.

Li. 3. ca. 15. Scriptura in Venenum Vertuntur.

Declamitat in parum credulos, qui Dei promiſſionibus haudquaquam fidunt.

Capvt XVII.

Verum iam inſitum nobis eſt incredulitatis vicioſiſſimum malum, vt Deo minus quam hominibus credamus, & oblato verbi cibo paſci nolimus. OEcol.

Aduerſus teipſum imprudens loqueris. Nam iſtud in vos aptiſſime quadrat. In vos (inquam) qui non creditis Chriſtum & Chriſti ſpiritum, per ora patrum fuiſſe locutos, & veram huius reconditiſſimi verbi per eoſdem expoſitionem tradidiſſe. Miror ſi credibile cuiquam eſſe poteſt, quod aut Chriſtus, qui ſe nobiſcum perpetuo futurum pollicitus eſt, eccleſiam ſuam in huius tam eximij verbi interpretatione tot annorum centenarios errare paſſus ſit, aut quod Spiritus Chriſti, qui potiſſimum hac de cauſa reſidet in eccleſia, nimirum vt eam iuxta Chriſti promiſſionem erudiat in omni veritate, non ante hunc diem huius myſterij adeo neceſſarij rationem aperuiſſet, niſi tibi vel cuipiam alteri tui ſimillimo. Credibile ſcilicet eſt, vt tot & tam eximiis patribus, viris vtique ſanctiſſimis & orthodoxis præteritis, vos hęreticos & apoſtatas iam poſt annos mille quingentos delegerit, quibus veritatem iſtam reuelaret. Roff.

Matth. 28.

Iohan 16. Chriſtus non patitur eccleſiam in errore.

Territi enim peccatis noſtris, non agnoſcimus Deum, vt Deum, ſed affectionibus obnexium: nō patrem, vt patrē ſed tyrannide gaudentem: non Dominū, vt Dominum, ſed vt curam noſtri abiicientem. Non attendimus, quod ſolem ſuum oriri permittat nobis, bonis & malis, quod multa in nos beneficia collocet, nullis noſtris bonis excitus: quod ad pœnitentiam patienter expectet, beneficia beneficiis addendo, etiam innumeris peccatis noſtris iure iraſci valens. OEcol.

Quo magis Dei benignitatem prædicas, eo magis tuæ cauſæ præiudicas, & teipſum condemnas. Nam in eo nō mediocriter ſuam benignitatem nobis commendauit, quod ſe ipſum nobis edendū præbuit. Tu tamē iſtud propter humanæ rationis reluctationem minime credis, neque verbis & ſacramētis eius adhibes fidem. Chriſtus Roff.

enim

Matth. 26. Luc. 22. Iohan. 6. enim palam aſſeruit hoc eſſe corpus ſuũ, quemadmodum & ante promiſit ſe daturum nobis in panem carnem ſuam. Tibi iſtud, non aliter quã diſcipulis illius apoſtatis, qui Chriſtum reliquerunt, nimia durum videtur, & multa inde colligis abſurda, quæ tamen abſurda neutiquam ſunt, ſi quis exactius ea penſitauerit. Sed tibi qui potentiam & ſapientiam atq; benignitatem Dei pro modulo tui ingenij metiris, plane ſubducta eſt myſterij huius veritas, ne tuæ mẽti queat eluceſcere. *Epheſ. 2.* Cæterum ſi Dei filius propter nimiam charitatem ſuam, qua nos (quũ peccatores eſſemus) ardebat, aſſumpta noſtra carne, totque ſemetipſum & tam horrendis iniuriis expoſuit, cui mirum eſſe debet, ſi nunc vbi nihil omnino damni patietur, eandem nobis carnem donauerit ad edendum.

OEcol. *Sed tergiuerſamur, aures obturamus, diffidimus, prophetas per quos nobis loquitur, contemnimus.*

Roff. Quos tu prophetas hic vocas neſcio, niſi de *Matth. 7.* pſeudoprophetis intelligas, hoc eſt, tui ſimilib., quos omnino cauendos, Chriſtus non ſemel ſuos admonuit. Et quomodo vobis credemus, quum nec ipſi vobiſipſis mutuo credatis? Neq; enim tibi Lutherus credit, neque tu viciſſim illi. *Lutherus aduerſatur Oecol.* Et certe quiſquis Luthero fidem habet, tibi credere non poteſt, & retrorſum, qui tibi credit, Luthero non poteſt habere fidem. Pugnatis enim vobiſcum ipſi mutuo ſic, vt quiſquis velit ambobus credere, pugnantia proculdubio credet, quum ille teſtetur in hoc ſacramento verum eſſe corpus Chriſti, tu prorſus neges. *Prophetas aſpernantur heretici.* Et certe prophetas illos veros, per quos locutus eſt Dei Spiritus, vterq; veſtrum contemnit. Nam veri prophetæ fuerunt illi ſanctiſſimi patres, qui nos anteceſſerunt, quos in eccleſia Spiritus ipſe ſanctus conſtituit, ad eam regendam & ad paſcendũ *Ephe. 4. 1. Pet. 5.* Chriſti gregem, quibus & eiuſdem officij gratia ſalutarem hauddubie doctrinam inſpirauit, hos vtiq; prophetas vterq; veſtrum pro nihilo ducit, & floccifacit penitus.

OEcol. *Quotuſquiſque enim omnem in Deum ſolicitudinem proiicit, omiſſa de craſtino cura.*

Roff. *1. Corin. 7.* Satis id tibi ex teipſo compertum eſt, qui nec religionem quam dudum intraſti, diu tenueris, quum tamen ſcriptum ſit, vnuſquiſque vt illum vocauit Deus, ita ambulet; niſi forte putes te nõ à Deo ſed à dæmone quopiam fuiſſe vocatum.

OEcol. *Quotuſquiſque non ſua magis prudentia, quam paterna nititur beneuolentia.*

Roff. Teipſum vtiq; prodis, non ex eorum eſſe numero, qui iſthæc faciunt. Nam tu prudentiæ carnis innixus, & ſenſuum atque rationis iudicium ſecutus, paternam erga nos beneuolentiam reiicis, nimirum iſtam, qua nobis in eſcam filij ſui carnem amãtiſſime donauit. Tu ſummam iſtam beneuolentiam non admittis, neque alia ductus ratione, niſi quod nimis quam difficile creditu *Rom. 9. Luc. 11.* ſit hoc ipſum. Atqui ſi conſideres ardentiſſimam eius erga nos charitatem, qua proprio filio ſuo pro nobis ad acerbiſſimam necem tradere non pepercit, & ſummam illam omnipotentiam, qua poſſit exequi quicquid velit. *Rom. 11.* Sapientiam deniq; tam incomprehenſibilem, qua nouit ipſam filij ſui carnem, & citra quamuis ipſius iniuriam, & citra noſtrum, ex cõſpecta cruditate carnis, horrorem, ſub ſpecie panis præſentem efficere, nihil erit iſtud creditu difficile, ſed contra, facillimum & dignum quod ab vnoquoq; credatur.

OEcol. *Hæc eſt profecto perpetua noſtra incredulitas, quam per omnem ſcripturam taxari legimus, hoc eſt peccatricis carnis ingenium, ſibi, hoc eſt, mendacio placere, Deo diffidere, & ſi penitus explores, Deum odio habere, à bono optimo alienari, inque peius vergere.*

Roff. Tuam proculdubio verbis iſtis taxas incredulitatem. Quid non aduertis teipſum peccatricis carnis ingenium amplecti, quando propter ſenſus iudicium verbo Chriſti non credis? An non tibi, hoc eſt, mendaciſſimæ expoſitioni tuæ placẽs, Deo diffidis, & eius verba contra genuinum eorum ſenſum detorques? Dei beneuolentiam iſtam ineffabilem auerſaris, quod tua cæca ratio nequeat ei credere. Sicque magis ac magis ab optimo bono teipſum alienas, & quotidie vergis in peius.

OEcol. *Nihil fere, & parum promouit Deus promittendo, minandoque, adeo benigniter ad ſe vocans: Promittit, viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Et iterum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Roff. *Matth. 28.* Si hoc ſuffecerit, ſuperuacanea ſunt multa, quę Chriſtus fieri iuſſit. Quid ergo Chriſtus baptiſmum inſtituit, ſi ſola ſufficiat ad Deum conuerſio. Sed neq; vere conuerteris teipſum ad Deum, niſi paratus fueris agere credereque cætera quæ per ſcripturas ille fieri mandauit. Mandauit autẽ *Iohan. 3. Iohan. 6.* & baptiſmum & Euchariſtiæ manducationem, pro quibus ſi congrue digneque fierent, ingentia pollicitus eſt, & contra ſi contemnerentur, comminatus eſt horrenda. Quamobrem & præter conuerſionem ad Deum neceſſarius eſt baptiſmus, neceſſarium erit & Euchariſtiæ ſacramentum.

OEcol. *Maledictum autem Cain in nobis clamat: Maius eſt peccatum quam vt veniam merear. Et non reſpiciens ad miſericordiam Dei, ſed ad opera ſua, inquit: Vnde recipiam vitulos in holocauſtum? Qua pœna rependam? Quis intercedet pro me?*

Roff. Non eſt quod dixeris iſtud opus eſſe noſtrum, nempe carnem Chriſti in Euchariſtia, ſed ipſius Chriſti potius. Ipſius enim opus eſt, & ex immẽſa benignitate ſeipſum ita nobis in hoc ſacramẽto præſentem exhibuit. Et certe quoties ad hoc opus digne reſpicimus, ſolidiores efficimur in ſpe miſericordiæ Dei. *Solidi efficimur in ſpe ex communicatione.* Quam ſane tantam ex hoc tam excellenti beneficio comperimus, vt quiſquis iſtud digne penſitauerit, nunquam cum ipſo maledicto clamabit: Maior eſt iniquitas mea, *Gene. 4.* quam vt veniam merear. Superat enim iſta benignitas omnem & magnitudinem, & multitudinem iniquitatum noſtrarum, & potentiſſime comprobat ſe nobis reſipiſcentibus nihil negaturum.

OEcol. *Et quia aliud quærimus, quam verbum Dei, omni ſemel*

mel ſolatio excidimus. Nolumus benedictionem, quidni maledictione eſſemus obnoxy? Quis digne deploraret noſtram miſeriam?

Roff. Semper eo relaberis, nihil à nobis aliud recipi debere, quam verbum Dei, nec aliud certe recipit, qui hoc ſacramentum recipit, quam verbum Dei, quandoquidem & in hoc ſacramento verbũ ipſum Dei ſubſiſtit incarnatum, quemadmodum & verbo Dei ſcripto dilucide nobis indicatum eſt. Quod ſi præter verbum Dei ſcriptum, nihil quæri pateris, neque baptiſmus, vt diximus, à quoquã eſt quærendus. Quod ſi velis affirmare, protinus ex ipſis ſcripturæ verbis condemnaberis. Nam & ipſa palam docent baptiſmum omni Chriſtiano neceſſarium eſſe. Docent itidem & his qui digne comedunt Euchariſtiam viuificantem & vegetantem, gratiam eſſe conſerendam.

Verbum Dei recipitur in Eucha ſumptione.

Præter verbum & promiſſiones, ipſa morte Chriſti nos vbertim paſci, libenter admittimus.

Capvt XVIII.

Oecol. *Atqui pater optimus præſentiſſimo conſilio nobis ſubuenit, volens æternum verbum quod eſt ipſe filius, incarnari & humiliari vſque ad mortem crucis, ne quis vlterior ſit locus diffidentiæ, & vt omnis qui credit in eum, vere paſcatur, non ſiliquis, vt filius ille prodigus, ſed vere inquam paſcatur, æternamque habeat vitam.*

Roff. Sed hoc te fugit Oecolampadi, quod nõ quæuis credulitas ad hoc ſufficiat, vt illo paſcatur cibo. Poteſt enim falli per defectum efficacis fidei, vt ſupra diximus. Interroga nonnullos ex eis, qui vel adulteriis, vel aliis grauibus flagitiis immiſcẽt ſeſe, num credant Chriſtum vere paſſum in cruce? Reſpondebunt, ſe certiſſime credere. Verumtamen apertum eſt eos nequaquam ipſa carne paſci. Oportet igitur vt præſcribas nobis, quæ & quanta fides ſufficiat. Quod vbi feceris, adhuc multi ſubdubitabunt ſecum, an talem & tam efficacem fidem aſſecuti ſint. Quamobrem vt tollatur omnis ſcrupus, ſi quis cum animo credendi & cauendi à peccatis, hunc cibum ſumpſerit, iam ſecurus erit, ſe verbum quod pro nobis caro factum fuerat, vna cum ipſa carne mãducaſſe. Neque ſiliquis hic paſcetur, aut communi pane, qui non eſt magni momenti res, ſed pane illo qui de cœlo deſcendit, & qui vitam præſtat æternam, vere & citra omnem ambiguitatem paſcetur.

Iohan. 1. Iohan. 6. Matth. 26. Luc. 15. Iohan. 6.

Oecol. *Sufficiſſet quidem verbum, vel per prophetarum ministerium, ad paſcendum nos, ni tam infecti & rebelles fuiſſemus ſed pater ſigillo quoque omnium certiſſimo nobis confirmare voluit miſericordia ſua promiſſionem, quale nemo petere auderet, nempe morte vnigeniti filij ſui, qua teſtamentum noſtrum cum Deo ita ſancitum, vt certi ſimus, non vltra irritabile, ruptumq; chirographũ, quod contra nos, & affixum cruci, non vltra terribile.*

Roff. Superius colligere molitus es, ſufficere debere nobis verbum & promiſſiones quibus paſcamur. Nunc autem adiicis & mortem Chriſti nobis eſſe neceſſariam. At nos & hæc recipimus, & præter hæc etiam affirmamus, oportere nos & carnem eius edere, & ſanguinem bibere. Nam quantum ad mortem Chriſti creditam, pares nobis fuerũt veteris inſtrumenti patres. Sicut enim ipſi credimus Chriſtum eſſe crucifixum, ita pariter & illi crucifigendũ crediderunt. Sed & verbum & promiſſionem Dei, ſi nihil aliud ad paſtum animarũ noſtrarum, vt vos contenditis, exigatur, pariter nobiſcum habuerunt communia. Nos tamen ex eo longe præcellimus eos, quod nobis iſta promiſſio re ipſa compleatur, quemadmodum illis nõ contigit. Nos igitur carnem iſtam accepimus, quæ tantum illis promiſſa fuerat. Hanc illi corporaliter edere non potuerunt, quippe quæ nõdum extabat. Nos vero corporaliter edimus, in quo longe præcellimus eos. Propter quod & Petrus 1. cap. Epiſt. prioris, vbi de prophetarum vaticiniis locutus fuerat, ait: Quibus & illud reuelatum eſt, quod haud ſibiipſis, imo nobis miniſtrarent, hæc quæ nunc annunciata ſunt. Ecce nõ pro ſeipſis, nec ad ſuum commodum illa tũc acceperunt, ſed pro nobis, & ad vtilitatem noſtrã. Tanta certe fuit erga nos, & tam immenſa Chriſti benignitas, vt pridie quam eſſet pro nobis carnem ſuam tot moleſtiis & ærumnis expoſiturus, eandem carnem in ſacramento reliquit, qua veſcentes, omnino certi redderemur, eodem ipſo verbo nos veſci, quod olim carnem accepit, eodẽ etiã corpore, quod pro nobis pependit in cruce. Crucifixus vtiq; pro nobis & immolatus in cruce fuit agnus ille verus. Quamobrẽ & idem ſeipſum à nobis realiter edi voluit, vt agno illi typico per omnia reſponderet. Satisfeciſſet vtique fidei veterum (ſi nihil præter fidem exigeretur) ipſius agni iam occiſi ſpectaculum duntaxat, quo & Chriſtus occidendus figurabatur. Sed quia veteribus etiam illis non ſolam fidem inſinuauit, verum etiam ipſum agnum corporaliter edi voluit, ita pariter & nobis, præter fidem crucifixæ carnis, eandem nobis realiter edendam exhibuit, atque id ſub ſpecie panis & vini. Nam caro ſub ſpecie panis & ſeorſum ſanguis ſub ſpecie vini ſumẽda nobis, non ſpectanda ſolum proponuntur. Quod autem dicis teſtamentum ipſum ita ſancitum eſſe, vt vltra non ſit irritabile; verum dicis, ſi quantum ad totam Chriſtianorum multitudinem ſpectat, intelligas. Cæterum non ita quantum ad ſingulos. Ratum equidem eſt his qui cum fide mandata Dei ſeruant; at iis, qui ſic ea tranſgrediuntur, vt poſtea nunquam reſipiſcant, teſtamẽtum ipſum hauddubie nihil proderit. Veruntamen ſi quis huius teſtamenti ſanguinem violauerit, poſtea reſipiſcens reconciliari poteſt, & de ſua reconciliatione per huius carnis & ſanguinis eſum, certus omnino reddi.

Li. 3 ca 15.

Præter verbum Dei & mortem Chriſti alia ad ſalutem neceſſaria.

Teſtamentũ quibus proſit.

Qui nunc incredulus eſt, & Deum non credit placatum, qua ratione tandem credulus futurus eſt? Cur non ſpectat manus & pedes reſurgentis? Cur non apponit manum ad latus? Cur non videt obſignationem? vt ſic credendo ſpiritualiter manduces, animamque refocilles? Oecol.

Non poteſt recte credere, placatum ſibi Deũ, quiſ- Roff.

quiſquis peccandi propoſitum nō abiecerit. Spectet quantum velit manus & pedes reſurgentis, apponat & manū ad latus, niſi peccatis velit renūciare, ſpes quam concipit, præſumptio eſt. Sed & eum qui iam abiecit, metus adhuc aliquis tenere poteſt, qnum dicat Paulus: Qui aſpernatus fuerit Moyſi legem, abſque miſericordia ſub duobus aut tribus teſtibus moritur; quanto putatis peioribus afficietur ſuppliciis, qui filium Dei conculcarit, & ſanguinem teſtamenti, ceu rem prophanam habuerit, per quem fuerit ſanctificatus, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit. Hæc vtiq; tria committit is qui poſt acceptam veritatis euangelicæ cognitionem relabitur in peccatum. Quamobrē vt idem ad veram ſpem renouetur, nō parum confert huius ſacramenti fides, in quo tanta benignitate Chriſtum ſe miſeris peccatoribus offerre contemplatur, vt poſt tam graues offenſas, etiam poſt illius olim effuſi ſanguinis cōtemptum, eos omnes dignetur ſui corporis & ſanguinis efficere participes. Non eſt dubium quin hæc tanta benignitas multas añimarum myriades à præcipitio deſperationis eripuerit.

Heb. 10.

Fides Euch. confert ad ſpem renouationis.

OEcol. *Deus non eſſet Deus, ſi ſic fideliter ſe requirenti, panem denegaret, poſtquam nos non iuramento tantum, ſed & obſignatione per mortem filij ſui de ſua erga nos miſericordia certiores reddidit.*

Roff. Profecto Deus non eſſet Deus, ſi non verax fuerit & promiſſi ſeruator. Quamobrem & ſola Dei promiſſio ſufficeret homini magna fide prędito. Sed quia nouit Deus, multos fore qui fide vacillarent, non ſolum promittere voluit, ſed promiſſionem ſuam iureiurando confirmare, ſigillo quinetiam ſacramenti huius idipſum conſignare, atque ita denique ſubſcribere ſanguine filij ſui, quo nemo niſi qui palam obſtinatus eſſet de promiſſionibus & miſericordia Dei non fieret certior. Cæterum de his loquor qui bona mēte præditi ſunt, & eccleſiæ catholicæ ſe coniunxerunt. Neque enim ad eos iſta ſpectant, qui ſanctæ matris eccleſiæ viſcera per diſcordias & contentiones rumpunt. Sed neque ad hæreticos, qui peſtifera dogmata, cōtra ſacrorum conciliorum & ſanctiſſimorum patrum decreta ſerere non verentur. Requirant iſti & illi Deum, quanta velint fide, niſi prius à diſcordiis & erroribus vtriq; reſipuerint, nunqua aſſequentur quod ſequūtur.

Deus veritatem promiſſionis firmauit ſacramento Euchar.

Neque verbo neq; promiſſionibus excludi carnis eſum in Euchariſtia, confidenter aſſerimus.

Cap. XIX.

OEcol. *Conſtat neminem dubitare, quin ditiſſimus, veraciſſimus ac optimus, ex malis hominibus pater, periclitantibus, & in ipſius promiſſis confidentibus ſeruis, res minimas, & vt ita dicam, nihil à ſe promiſſas, præſtet, poſtquam teſtatus fuit cadē filij beneuolentiam. Quid enim negaret, qui filium tradit? Quanto facilius dares pauperi nummum, quam pro flagitioſo inimico, occidendum dilectum filium? Quid conferes cum morte vnigeniti? & precio inæſtimabilis ſanguinis?*

Roff. Nihil agis Oecolampadi, imo fruſtra moliris, vt ſuperuacaneum & prorſus inutile ſacramentū iſtud nobis exiſtimetur. Sufficiſſet vtique piis & fidelibus ipſa Dei nuda promiſſio. Neqne tamen ob id ſuperfluum haberi debuit iuſiurandū poſtea factum. Sed & poſt iuſiurandum ipſum Chriſtus tandem & incarnatus fuit, & mortuus. Cæterum vt propter promiſſionem & iuſiurandum non fruſtranea reddita fuerat Chriſti mors, ita nec propter Chriſti mortem ſacramentum iſtud corporis & ſanguinis Chriſti, ceu res quædam inutilis exiſtimari debet. Nam ſunt adhuc quidam adeo deſperati, vt nec iſtis omnibus ad ſpem viuam erigantur. Cæterum vt ad te iam veniam Oecolampadi: Si credas patrem pro te filium tradidiſſe, & de filio nihilominus indigna credas, vti fecit Arrius, qui filium negauit eiuſdem eſſe ſubſtantiæ cum patre, num non merito reiiciendus es, & non conſequuturus quæ poſtulas? Profectō. Nec longe diſſimili, imo fortaſſis maiori laboras ingratitudine, quam Arrius, quū tu verbis Chriſti ſuper hoc ſacramento non adhibeas fidem, Nam ille pro ſua hæreſi verbis Chriſti ſatis apertis innitebatur, his videlicet, Pater maior me eſt. Tu prorſus è diuerſo verba Chriſti (quæ ſunt apertiſſima) contra totius eccleſiæ ſenſum peſſime detorques, etiā indigna de Chriſto prædicans. Nā indigniſſimum eſt negare, tantam illi ineſſe charitatem, vt ſeipſum in ſacramento nobis det, qui ſeſe dedit olim pro nobis in cruce, quandoquidē in cruce grauiſſima tormenta paſſus fuit, à quibus hic eſt prorſus immunis.

Euchar. non eſt res inutilis.

Oeco. ſuperat Arrium ingratitudine.

OEcol. *Condonatio peccatorum, largitio diuini Spiritus, vita ac felicitas æterna incomparabilia dona ſunt, & quæ noſtra incredulitas petere non auderet. Sed parua vidētur & ſordeſcunt, ſi filium traditum cogites. Vltra igitur non eſt quod ambigas te recepturum, modo per filium petas. Satis roboratur ſpes illo ſignaculo, vnico quidem, ſed ineffabiliter ſummo.*

Roff. At quanta eſt iſta ingratitudo, vt quum plura ſint propoſita ſpei tuæ adminicula, ſic vni adhæreas, vt cætera damnes. Nam quod vni non prodeſt, prodeſſe nihilominus alteri poterit. Tibi ſi mortis Chriſti recordatio ſufficere videatur, non propterea nobis eſt ſubtrahendus huius ſacramenti fructus. Tanta certe fuit Abrahæ fides, vt ei vel ſola promiſſio diuina ſuffecerit. Poſt Abraham vero quibuſdam aliis nec iuſiurandum etiam adhibitum promiſſioni ſatisfecit. Poſt hos & alij reperti ſunt, quibus nec ſanguis effuſus in cruce quicquam contulit. Et ſunt adhuc quidam adeo ſaxei, vt nec iſtud inſigne beneficium quicquam ad ſpem excitet, in quo non ſolum rememoratio fit ſanguinis illius effuſi, verum etiam ipſum corpus & ſanguis nobis edenda proponūtur. Quare nihil horū infirmiorib. animis debet ſubtrahi. Iuuāt enim hæc omnia ſe mutuo. Sicut enim promiſſioni iuſiurādum nihil omnino derogat, neq; iniiurando Chriſti mors & ſanguinis effuſio detrahit quicquā: ita nec ſacramentū iſtud illis quouis officit pacto, quin corroborat potius

Gene. 15.
Gene. 17.

Eucha corroborat promiſſionem & iuſiurandum ante mortem Chriſti.

omnia

omnia priora. Quum enim ipſi qui morientem in cruce non aſpeximus, hic nihilominus ex indicibili benignitate, præſentem in Euchariſtia fide contuemur, & ſeſe nobis offerentem in cibū, vt eum ceu verum agnum pro nobis occiſum edamus, & carnem eius carni noſtræ connectamus, ingentis reuera fiduciæ non leue nobis incentiuum.

Caro licet non ingrediatur animam, paſcit eam ſua præſentia nihilominus.

Caput XX.

OEcol. *ET ita Chriſtus quidem eſt panis de cœlo nos paſcens, ſed mūdus mortuum erat, & non capax verbi, donec carnē ſuam ſanctiſſimam in Spiritu ſancto obtulit patri, pro nobis orans, vt ſaltem per mortem crederemus, qui patris verbis credere noluimus.*

Roff. Et ex hoc rurſum colligere poteris, non ſupervacaneum eſſe ſacramētum iſtud. Nam etſi mundus non erat verbi capax ante carnis immolationem, ipſi tamen Apoſtoli per miraculorum euidentiam Chriſti verbis hauddubie crediderunt. *Ioh. 2. & alib.* Neque tamen ipſa mors Apoſtolis erat ſuperflua, quanquam antea propter ipſa miracula credidiſſent. Et quid mors ipſa profuiſſet, ſi non ex reſurrectione ſubſequenti, diuinitatis eius fides fuiſſet confirmata. *Iohan. 20.* Adhuc & Thomas, qui poſt audita vitæ verba, conſpectaque tot & tam dilucida miracula, morientem viderat, audieratque reſurrexiſſe, non tamen iſtud ante credidit, quàm & pedum & manuum cicatrices coram fuiſſet conſpicatus, ſimulque manum ſuam in latus miſiſſet Chriſti. Poſtquam igitur Chriſtus ita ſeipſum humiliaſſet Thomæ, vt eidem ſua vulnera cōtrectāda permiſerit, iam ex incredulitatis ſuæ duritia pudefactus, ille clamauit: Dominus meus & Deus. Quod ſi durities tāta cuidam ex ipſis Apoſtolis Chriſti contigit, donec ipſum Chriſti corpus contrectaſſet, quid moliris hoc ipſum corpus auferre nobis, qui non vidimus aut in cruce mortuum Chriſtum, aut eūdem à morte reſuſcitatum? Affectares potius hoc ipſum exhibere cōtrectandum & edendum ſaltem infirmioribus, & his qui Thomæ ſimiles ſunt, quemadmodū ex immenſa ſua charitate Chriſtus id nobis reliquit, ad noſtræ ſpei, conſolationisque ſolidiſſimam corroborationem.

OEcol. *Et facta eſt caro Chriſti panis, qui animam ſatiet.*

Roff. Factus vtique panis iſte fuit in vtero virginis, & diu antequam pateretur, ac propterea dixit: Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi. Et rurſum: Pater meus dat vobis panē de cœlo verum, nempe Chriſtum ipſum, coràm præſentem. *Matth. 1. Luc. 1. Iohan. 6.* Et hæc diu ante crucem dicta fuerant. Cæterum, & tunc pollicitus ipſe quoque fuit, ſe præterea daturum panem. Et panis (inquit) quem ego dabo. Idem omnino panis fuit, quē tum dedit pater, & quem Chriſtus poſtea ſe daturum pollicitus fuerat. Sed quoniam alio modo daturus eundem fuerat, nempe ſub ſpecie panis, idcirco dixit: panis quem ego dabo. Cæterum, ne quis dubitaret hunc panem, eundem eſſe quem ante dedit pater, affirmat ipſum panem carnem ſuam eſſe. Panis (inquit) quem ego dabo, caro mea eſt. Præter hæc, ne quis exiſtimet hanc eandem fuiſſe dationem, qua ſe dedit ad mortem, poſtquam pollicitus fuit ſe daturum panem carnis, ſubiungit, iterum ſe daturum eandem carnem pro ſalute mundi. Quā dabo (inquit) pro mundi vita. Dedit itaque pater verbum ſuum ſub ſpecie carnis velatum, ceu panem hominibus, quo fide ſpiritualiter paſcerentur. *Aliter pater dedit panem, aliter filius.* Dedit & Chriſtus poſtea verbum idem incarnatum, hoc eſt, ſeipſum, ſed ſub ſpecie panis obtectum, quo non ſola fide, verum etiam realiter Apoſtoli veſcerentur. Poſtremo carnem eandem (quæ tunc in cœna ſpecie panis obtegebatur) morti crucis dedit, in qua ceu verus agnus occiſus fuerat, vt agno figurato per omnia reſponderet.

OEcol. *Puerile alioquin & ineptum eſt, opinari, quod in animam noſtram ingrediatur caro. Quomodo enim anima capax eſt carnis; quæ non eſt corporea, nec locum præbet corpori: caro autem non eſt, niſi in loco.*

Roff. Hoc tuum commentum eſt, quod Chriſti corpus, quum editur, animas ingreditur noſtras, quo facilius alios, quibus id abſurdum videbitur, circumuenias. Alioqui cur non ita citas authores, qui id dixerunt. Nos vtique mentes noſtras ea carne refici, nihil dubitamus, tametſi non recipiant eam intra ſe corporaliter. *Caro, licet nō recipiatur in mente, eā tamen reficit.* Nam, vt iſta caro fuit olim in patrandis miraculis Deitatis organum, ita & nunc eadem Chriſtus vtitur, ad paſcendos ac reficiendos animos noſtros, quum eis approximetur. Verbi certe (cui caro coniuncta eſt) capacem animum eſſe, nemo dubitat. Quare cum & idem animus per fidem certus redditur de præſentia carnis, cui credit verbum ipſum inſeparabiliter eſſe cōiunctum, longe ſecurius hoc verbo paſcitur, quàm aut ſcripto aut prolato verbo, quo ſolent hæretici plerunque perperam abuti. Carnem itaque Chriſti dicimus animam non ſua mole penetrare, ſed virtute quadam reficere, quam & immittit menti, imo toti homini, ceu diuinitatis organum. In qua re vel Cyrillum audias. *Cyrillus aſſerit corpus Chriſti totum hominem reficere.* Sic enim ait ſuper Iohan. capit. 4. 4. libri: Audiant hæc, qui ex arrogantia nondum Chriſti fidem ſuſcipere volunt. Niſi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Iohan. 6.* Nō enim poſſunt cum ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionem Ieſum non ſuſceperunt. Vita enim ſecundum naturam ille eſt, qui ex viuo patre genitus eſt: ſed non minus corpus quoque ſuum viuificat. Coniunctum enim ineffabiliter eſt filio Dei, à quo vniuerſa viuificantur. Idcirco corpus ſuum dicitur, & vnum cum eo eſt, nempe poſt incarnationem vnus eſt, & vnus manet abſque diuiſione vlla, præterquam quod Dei patris verbum, & templum à virgine ſumptum, idem natura non ſunt. Non enim eſt eiuſdem ſubſtantiæ verbo Dei homo aſſumptus: vnus tamen cum illo eſt coniunctione ineffabili.

Quoniã igitur ſaluatoris caro, verbo Dei (quod naturaliter vita eſt) cõiuncta, viuifica effecta eſt, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta eſt. Hac de cauſa in exuſcitandis mortuis, non ſolummodo verbo atque imperio, vt Deus vtebatur, verum etiam carnem ſuam quaſi cooperatricem nonnunquam adhibebat: vt reipſa oſtẽderet carnem quoque ſuam, quoniam ſibi coniuncta eſt, viuificam eſſe, atque fideles doceret, ſuum, nõ alterius corpus eſſe. Nam quando ſynagogæ principis filiolam ſuſcitabat, manum eius apprehendit (vt ſcribitur) & erexit dicens: Puella ſurge; ita vt Deus & verbo & carnis ſuæ tactu, eam excitauit viuam ab vno ſe Chriſto, Deo videlicet atque homine, operationem producẽs. Quando etiam ciuitatem Naim vocatam, ingrediebatur, & efferebatur vnigenitus matris filius, iam mortuus, tetigit corpus eius, dicens: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Nõ ergo verbo ſolum ſemper, vt diximus, verum etiam tactu mortuos excitabat, vt oſtenderet corpus quoq; ſuum viuificare poſſe. Quod ſi ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & guſtamus & manducamus? reformidabit enim omnino ad immortalitatem ſuam participes ſui. Nec velis Iudaice, quomodo quærere, ſed recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis frigiditatis ſuæ oblita, æſtuat. Hoc ſane modo nos, quamuis propter naturam carnis noſtræ corruptibiles ſimus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate noſtra reuocati, ad proprietatem illius, ad vitam reformamur. Oportuit enim certe, vt non ſolum anima per Spiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verumetiam, vt rude atque terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur. Nec putet ex tarditate mentis ſuæ Iudæus, inaudita nobis excogitata eſſe myſteria: videbit enim ſi attentius quærit, hoc ipſum à Moſis temporibus per figuram ſemper factitatum fuiſſe. Quid enim maiores eorum ab ira Ægyptiorum liberauit, quando mors in primogenita Ægypti ſæuiebat? Nonne omnibus palàm eſt, quia diuina inſtitutione perdocti, agni carnes manducarunt, & poſtes ac ſuperliminaria ſanguine perunxerunt, propterea mortem ab eis diuertiſſe? Pernicies namq;, id eſt, carnis huius mors aduerſus genus humanum, propter primi hominis trãſgreſſionem furebat. Terra enim es, & in terram reuerteris, propter peccatum, audiuimus. Verum quoniam per carnem ſuam Chriſtus atrocem hunc euerſurus erat tyrannum: propterea id myſteriũ apud priſcos obumbrabatur, & ouinis carnibus atque ſanguine ſanctificati (Deo ita volẽte) perniciem effugiebant. Cur igitur ô Iudæe turbaris, ſi Chriſtus dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis; cum oporteret Moſaicis te legibus inſtitutum, & priſcis vmbris ad credendum perdoctum, ad intelligenda hæc myſteria paratiſſimum eſſe. Hactenus ipſe Cyrillus. In quibus verbis intelligis lector quũ alia plurima, tum quod nobis præcipuum inſtitutum fuit, carnem Chriſti velut organum diuinitatis vitam præſtare cunctis eam edentibus. Verbum igitur carni coniunctum animam ingreditur, & caro carni noſtræ copulatur: atque ita totus homo rapitur & transformatur in Chriſtum. Sed & mentes piorum ex præſentia carnis huius velut adipe quodam, & pinguedine deuotionis replentur, & ſaginantur ineffabili quadam ſuauitate: Neque enim caro Chriſti in carnem noſtram vertitur (vt ſæpe diximus) ac multo minus in mentem, ſed illius caro noſtram carnem adunat ſibi, & eam incorporat Chriſto, atque ita per Chriſtum totus homo coadunatur patri.

Chriſtus tactu ſuæ carnis fecit miracula. *Mar. 5.* *Luce 7.* *Exod. 12.* *Gene. 3.* *Iohan. 6.* *Eucha. incorporat nos Chriſto, non Chriſtum nobis.*

OEcol. *Inſuper vt Auguſtinus ſuper Geneſin, lib. 7. cap. 12. dicit: Omne corpus in omne corpus mutari, non defuerunt, qui aſſererent. Corpus autẽ aliquod conuerti in animam, fieriq́; incorpoream naturam, nec quenquam ſenſiſſe ſcio, nec fides habet.*

Roff. Inaniter iſta iacula vibras, quæ neminem tangũt. Nemo tam craſſus eſt opinor, vt Chriſti carnem exiſtimet in animam verti poſſe, quanquam (vt ſæpe diximus) caro ipſa, quatenus diuinitatis inſtrumentum eſt, gratiam ſacramentalem infundat animæ, qua & anima ipſa vegetatur, atque reficitur & paſcitur.

Diluitur obiectio qua molitur oſtendere, mentem fieri carneam, ſi carne veſcatur.

Caput XXI.

OEcol. *Præterea, ſi omne quod ex carne, caro eſt: ſi caro Chriſti manducationis carnalis modo animam paſcit, animam ergo carneam facit: & iam non perficit, ſed infirmiorem reddit.*

Roff. Et iſtud etiam intentas fruſtra. Neq; enim carnem Chriſti per modum carnalis manducationis animam paſcere dicimus. Nam digereretur & cõuerteretur in carnem noſtram, quod ſæpe negauimus. Nullus enim calor, quantumuis ardens ipſam carnem immutare valet. Sed ipſa nos immutat, & gratia ſacramẽtali (quam infundit animæ) nos dulciter in ſe conuertit.

Caro Chriſti non paſcit carnaliter.

OEcol. *Anima enim expedit vt ſpiritualis euadat ac diuina, quod aſſequitur vnione gratia verbi potiſſimum.*

Roff. Euadit equidẽ anima ſpiritualis & diuina per hunc cibum, qui licet caro ſit, cibus tamen ſpiritualis eſt, & ſpiritualiter animam reficit. Refectio illa carnalis neutiquam eſt, ſed ſpiritualis & diuina, ſicut & Tertullianus tuus palàm teſtatur, dicens: Caro noſtra corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Sed quid moror lectorem? Hoc vtiq; ſacramẽtum præ cæteris omnibus ſacramentis nos intimius iungit & vnit Chriſto, hoc eſt, verbo Dei incarnato, quod per hæreticos nullo peſtiferæ interpretationis fuco poteſt adulterari.

Euchar. intimius iungit nos Chriſto, quàm alia ſacramenta.

OEcol. *Verba enim Chriſti viuifica ſunt, ſpiritualesq́; reddentia, ſiquidem in terram bonam ceciderint.*

Roff. Verba certe Chriſti iuxta ſenſum & Spiritum

Chriſti

Verba Chriſti vere intellecta viuificant. Chriſti viuificant animas, & ſpirituales eas reddunt, ſed verba Chriſti iuxta ſenſum & ſpiritum hæreticorum venenoſis interpretationibus illita iam Chriſti ſpiritum amiſerunt, neq; ſpirituales efficiunt animas, ſed carnales, & vere mortuas, quemadmodũ & de vobis exploratiſſimum eſt, qui iam ſub cõiugij prætextu, ſpurcis voluptatibus carnis immergimini. Recte igitur de vobis Paulus: Qui ſeminat in carne, de carne metet & corruptionem. *Gala. 6.* Cæterum & illis (qui ſynceram verborum Chriſti veritatem acceperint) quum alia certe, tum baptiſmus in primis neceſſaria ſunt. Adde, quod & panem & vinum (vt tuis verbis vtar) haud fruſtra Chriſtus (vt à nobis ederẽtur) inſtituit. Quare deſiſtas Oecolampadi tandem id moliri quod ſolo verbo paſcimur. Quandoquidem id nemo non perſpicit errorem eſſe compertiſſimum.

OEcol. *Quatenus autem & carnis immolatione confirmata, pernoſcuntur, quid reliquum quam vt ſaginent, & pietate impinguent?*

Roff. Vtrum, te precor, verbo noſtras animas ſaginari dicis, an Chriſto qui fuit immolatus pro uobis? *Diſcrimen inter Chriſtũ & verba eius. Chriſtus ſimul atque verba eius reficiunt hominem.* Neq; enim opinor adeo craſſus es, vt nihil inter Chriſtum, & eius verba diſcriminis eſſe credas. Nam verba ipſa cuiuis materiæ per nos commẽdari poſſunt, ſiue lapideæ ſeu papyriciæ, verum Chriſtus non ita. Sed & quum dicas ea per immolationem Chriſti confirmari, iam plane diſcrimẽ inter Chriſtum & eius verba ſtatuis. Neque nos inficiamur ipſa vera Chriſti verba noſtras animas ſuauitate quadam ſaginare. Saginat & mortis ipſius memoria, quando videlicet pie cogitatur Chriſtus pro nobis immolatus. At maxime ſaginat & impinguat idem ipſe comeſtus à nobis, & corpori pariter ac animo cõiunctiſſimus effect⁹.

OEcol. *O vere locum paſcua, dum in carne & ſanguine tam delicate, tamque opipare propoſitis, verbum & promiſſionem auide manducamus, credentes, quæ antea propter incredulitatem nauſeabamus.*

Roff. Si libeat ad hunc modum exultare propter Chriſti mortem creditam duntaxat, quanto magis nobis eſt iubilandum, quibus ipſe Chriſtus non ſolú edendum corpus ſuum dedit, quod in cruce mortuum fuerat, verum etiã & fidem præbuit, qua iſtud citra quamuis hæſitationem, eius verbo corroborati, credamus? Profecto nobis exclamare licet, & libet: O vere locum paſcuæ, in quo pręſentia carnis & ſanguinis Chriſti tam delicate paſcimur, de quo & certiſſimi ſumus, vtpote verbis ipſius Chriſti conſtantiſſime ſolidati. *Inuoluit omnia Oecol.* Sed & hic aduerte lector, quam inuolute & intricate ſua tradit Oecolampadius, ita ſcribens: Dum in carne & ſanguine tam delicate tamq; opipare propoſitis verbum & promiſſionem auide manducamus. Ecce caro & ſanguis tam delicate tamque opipare proponuntur, vt verbum & promiſſio manducentur auide. Verbum certe proponitur magis, vt Chriſtus palato noſtro ſapiat. Cæterum ſi roges hominẽ, vbinam caro & ſanguis tam delicate tamq; opipare proponuntur? nihil habet quod reſpondeat, niſi quod non vere, ſed in figura nobis proponãtur, quum extra cœlum ille prorſus neget extare corpus aut ſanguinem Chriſti.

OEcol. *Hoc uſu fidei ſtatim exuimus vetuſtatem, morbos, famem, infirmitatem & moleſta omnia, & induimus iuuentutem, pulchritudinem, innocentiam, miſericordiam, & cuncta quibus Chriſtus in ſe conſpicuus fuit.*

Roff. Certiſſimum eſt innumeros eſſe, qui de Chriſto rectius credunt, quam Oecolamp. qui nec illa quę memorat exuerunt, nec tamen induerunt iſta. Atqui dicet iſtos non habere fidem viuam. Idem & uos de ipſo dicturi ſumus, quam diu de prædictis Chriſti verbis ipſe ſentẽtiam & ſenſum non mutauerit. Neq; enim leue piaculum eſt, ſic verbis Chriſti tam apertiſſimis abuti. Sed ſtatue duos, qui parem habeãt fidem, quorum alter pie frequentet eſum huius incomparabilis cibi, alter minime; non erit ambiguum, quin illius animus, qui frequentauerit, multo delicatius & ſolidius impinguabitur, id quod omnes qui periculum aliquod huius rei fecerunt, abunde teſtantur. *Plurimum cõfert ſæpius digne communicare.*

Contentiones miſſas fieri ſuadet, quum ipſe primus poſt Berengarium & VViclefum excitauit.

Capvt XXII.

OEcol. *Hic ſi quis dixerit, vt ſupra, hoc etiam reficit animam meam, quod credo eum corporali ſubſiſtentia præſentem in pane: vellem vt deſcenderemus intra nosipſos, miſſasque faceremus contentiones.*

Roff. Hoc ſcio te velle & cupere, nimirum vt nemo tuis inſanis hæreſibus reluctaretur, hoc ipſum & maiores tui, hoc eſt hæretici priores, votis omnibus optarunt. *Hæretici reuincẽdi ſunt.* Cęterum, non id paſſi ſunt orthodoxi patres, viri Spiritu ſancto pleni, qui palam ipſis hæreticis in faciem obſtiterunt. Sic & tandem victi ſunt Arriani, quos neq; tu negare potes hæreticos fuiſſe, quamuis & ipſi ſuis hæreſibus verba Chriſti prætexuerint. Victi ſunt & alij cõplures etiam ſectarum authores, qui ſuis etiam erroribus ex Chriſti verbis ſumpſerunt patrocinium, quemadmodum & tu iam facis atq; ſubdole vetas cõtentiones, quum iſtam ipſe iam poſt Berengarium & VViclefum ſuſcitaris. Cæterum niſi depoſueris quamprimum, nulla tibi ſalus ſperari poterit.

OEcol. *Quis hæc paſcua oſtendit? Quis hanc ſalutis viam fecit? Chriſtus profecto dicens: Ego ſum via, veritas, & vita, non huc reſpexit.*

Roff. Falſum dicis, vt & manifeſte comprobabimus ex ipſis ſcripturis haud multo poſt. Chriſtus vtique ſuis verbis docuit ſuum ipſius corpus in hoc ſacramento contineri, atq; id adeo dilucide, vt quiſquis aſſerere contrarium velit, eundem neceſſe ſit ipſius Chriſti verbis per detortam aliquã interpretationem abuti, quemadmodum & ipſe facis in illa præclara ſcilicet expoſitione tua, quũ dicis: Eſt, id eſt ſignificat: vel corpus meum, id eſt figura corporis mei. *Matth. 26. Luc. 22.*

OEcol. *Sed docuit quod ii qui opus charitatis ſuæ in morte intelliget, ii pertingat ad veritatem, qua agnoſcitur in filio*

pater miſericordiſsimus & agnitione eius veritatis vitam æternam aſſequatur, vt ſeries ſermonis apud Euangeliſtam docet.

ROFF. *Iohan.17.* Verum equidem eſt, agnitione veritatis vitam æternam cõparari. Sed falſum eſt, quod ſola veritatis agnitione peruenitur ad eam vitam. Neque ſeries ſermonis apud Euangeliſtam iſtud docet. Nam idem Euangeliſta, de quo loqueris, dixiſſe Chriſtum, Nicodæmo teſtatur: Amen amen dico *Iohan.3.* tibi: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Sed & *2.Petr.2.* Petrus ait: Melius enim fuiſſet non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab illo, quod eis traditum eſt mandato ſancto. Et rurſum paulo ante. Si, poſteaquam refugerunt ab inquinamentis mundi per agnitionem Domini, & ſeruatoris Ieſu Chriſti, tamen bis rurſum innoluti, ſuperantur, facta ſunt illis poſtremo peiora primis. Liquet igitur ex his non ſufficere ſolam veritatis agnitionem, vt vitam æternam quis aſſequatur. Quandoquidem & ſacramentis etiam initiari neceſſe ſit, & ab inquinamentis mundi ſe cuſtodire purum.

Sola agnitio veritatis non ſufficit ad ſalutem.

OECOL. *Et idipſum Chriſtus in ſacramentorum ſymbolis, per fractionem & effuſionem commendauit.*

ROFF. De fractione & effuſione loqueris, ſed de eſu nihil. At iſtud peruelim explicares, cur edendum etiam hoc ſymbolum nobis inſtituit Chriſtus, & quid ex eſu conſequimur. Dicis, propterea frangi panem, & effundi vinum, vt repræſentetur nobis imago quædam Chriſti paſſi. Sed cur hæc etiam edenda proponuntur, nihil dicis. Suffeciſſet ad fidem & rememorationem mortis Chriſti, ſi iuſſiſſet contueri ſolum eam fractionem & effuſionem, non item panem & vinum à nobis ſumi. Quænam igitur (precor) edendi neceſſitas? Reſpõdebis forſitan, vt Chriſtum in figura comedamus. Atqui ſi tanti fuerit, Chriſtum in figura comedere, quanti quæſo fuerit, eodem in veritate veſci, & corporaliter vnire corpori tuo? Id quod ipſe nihilo minori facilitate præſtare valuit, ſeipſum videlicet in veritate nobis edendum præbere, quam ſub figura, neque frigentiori charitate perimpleuit, quam quum ſeipſum pro nobis morti crucis expoſuit. Atque propterea ſacramentum hoc inſtiturus dixit, deſiderio deſide- *Luca 22.* raui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.

OECOL. *At non tam facile ad veritatem pertingemus, ſi Chriſtum in ſingulis tot altarium panibus, & deciduis mica includere voles, neque ita miſericordia Dei refocillabit.*

ROFF. Iam cauillis etiam adiutare ſtolidam iſtam argumentationem conaris, quum peſſime ſibi cohæreat, vt mox docebimus. Interea ſatis erit, vt dicamus eos, qui pij ſunt, mirificam in hoc ſacramento miſericordis Dei refocillationem guſtare, quandoquidem certo credant non communem panem, ſed verum ipſum Chriſtum ſub ſpecie panis velatum eſſe. Ad quam certe veritatem perueniunt corroborati veritate verborum ipſi- *Matth.26.* us Chriſti, quibus ipſe dixit: hoc eſt corpus meum. Et quanquam iſta verba nos aliquouſque re- *Luca 22.* focillent vere credita, longe tamen vberius ipſe CHRISTVS corporis ſui veritate nos paſcit, & velut adipe & pinguedine credẽtes replet. Quod & ipſi nimirum experiuntur, qui digne expiati ſacramentum iſtud frequentare ſolent. Quibus vtique maior fides adhibenda eſt, quàm tibi qui non credis.

Refocillatio maxima credentium verum corpus Chriſti in Euchariſtia.

OECOL. *Ea enim veritas in vitam nos inducit, qua miſericordiam Dei ſummam in filio cognoſcimus, quem pro nobis humiliauit.*

ROFF. *Supr.eod.* Cognitio veritatis (vt iam diximus) haudquaquam ſufficit. Nam & multis cognita eſt veritas, qui parum ex ea proficiunt. Alioqui non dixiſſet *Hebr.6.* Paulus: Fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintque donum cœleſte & participes facti fuerint Spiritus ſancti, guſtauerintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, denuo renouentur per pœnitentiam, ab integro crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & ludibrio habentes. Hæc an ad te pertineant, ipſe videris. Nam certum eſt, te ſacramenti huius veritate fuiſſe pridem illuminatum, guſtaſſeq; cœleſtis huius doni dulcedinẽ, quemadmodum ex his quæ alibi ſcripſeras, apertum eſt. Nunc igitur prolapſus, in quod malorum barathrum incideris, ipſe tecum cogita. Huc accedit, quod innumeri fuerunt hæretici, qui Dei miſericordiam ex filio, quem pro nobis ad mortem humiliauit, cognouerunt: quos nihilominus ob hæreticam prauitatem in gehennam & mortem æternam corruiſſe certiſſimum eſt.

Cognitio veritatis non omnes ſaluat.

Cauillis aliis, quos aliquot inducit friuolos, reſpondetur.

CAPVT XXIIII.

OECOL. *IAm ſi dices, illum hic denuo humiliari propter te, iniuriam facis. Si dicis, denuo pati, denuo crucifigis.*

ROFF. Si quis dixerit, Chriſtum ad mortem crucis humiliari denuo, non paruam illi profecto facit iniuriam. Veruntamen aliis modis adhuc humiliat ſeſe, nimirum quãdo miſeros & ingratos peccatores diu ſuſtinet, atque expectat vt reſipiſcãt, & quando miſericorditer eos inuitat, quatenus *Apoc.3.* ad veniam reuertantur, denique quum ad oſtium cordis eorum ſtat & pulſat, quatenus aperiatur ei. Hæc enim facere, proculdubio tanto principi magna humilitas eſt. Neque diſparis generis eſt, quod in hoc ſacramẽto ſeipſum ad ſummam noſtram conſolationem nobis edendum præbeat, id quod tanto ſapientiæ ſuæ præſtitit artificio, vt nec ille quicquam ex eſu noſtro detrimẽti patiatur, neq; nos horrorem aliquem ex præſentia carnis eius concipiamus.

Chriſtus humiliat ſe adhuc.

OECOL. *Si dicis denuo mundum vincere, denuo mortem expugnare, denuo ſeruire nobis, noua per carnem charitatis exhibere opera, expiet quod Chriſtus in cruce ait: Conſummatum eſt.*

ROFF. Verbum iſtud quod in cruce dixit: Cõſummatũ eſt; non omnia Chriſti opera cõprehendit, ſed myſte-

Ephe. 4. myſteria ſuę paſſionis duntaxat. Nam poſt hoc ad *Matth. 27 28.* lymbum patrum deſcendit in anima, reſurrexit *Marci 14.* in carne, comedit & bibit cum Apoſtolis aliiſque *Luc 24.* diſcipulis, locos manuum & pedum explorãdos, *Iohan. 20.* latus quinetiam mann contrectandum Thomæ *Ephe. 4.* permiſit. Inflauit in eos omnes, dicens: Accipite Spiritum ſanctum, poteſtatemque contulit remittendi peccata. Petro ſuarum ouium commiſit regimen & curam. Cõſcendit cœlos. Spiritum *Act. 2.* denique ſanctum in Apoſtolos miſit. Non eſt igitur vt contendas omnia tunc in cruce fuiſſe conſummata, quum dixit, conſummatum eſt, ſed ea tãtum, quæ ad myſterium ſuæ paſſionis attinebant.

OEcol. *Quod ſi talia affirmare nequis, dic quid famelicam & ſauciam refocillabit mentem? Siliquis igitur ſe paſcet, & vanis cogitationibus ſeipſam infatuabit, quemadmodum contingit non glorificantibus Deum, vt par eſt.*

Roff. Audi quid affirmamus. Tantam fuiſſe Chriſti benignitatem & charitatem erga nos, vt non contentus ſeipſum pro noſtris peccatis immolatum in cruce fuiſſe, quin præterea ſe nobis corporaliter daret in cibum, atque ita daret, vt idem cibus eſſet amaræ ſuę mortis recordatio, nimirum vt vtroque beneficio gelida corda noſtra, ſi fieri poſſet, accenderentur, ipſoque ſatisfaceret & impleret agni paſchalis veritatem, qui non ſolum occi- *Exod. 12.* ſus fuerat & aſſus, verum etiam ab Hebræis ipſis realiter comeſtus. Quamobrem vt figuræ veritas omnino conquadraret, ipſe tanquam verum pa- *1. Corint. 11.* ſcha noſtrum, & verus agnus, immolari, & igne ſuæ paſſionis aſſari, atque ita tandem corporaliter à nobis edi voluit. Nos itaque mentes noſtras nequaquam ſiliquis paſcimus, neque cogitationibus inanibus infatuamus, quemadmodum tibi tuiſque contingit, qui ſic rationi ſenſibuſque veſtris pertinaciter adhæretis, vt Dei verbis apertiſſime reluctemini, neque fide captiuam ducere cogitationem omnem vultis ad obediendũ Chriſto, & ad glorificandum Deum, propter quod, vt *Roman. 1.* par eſt, & in reprobam mentem eſtis non immerito traditi.

OEcol. *Verbum autem, quod in operatione myſteriorum annunciatur, paſcit: & tanto magis, quo ſignum euidentius res facta & promiſſa admonet.*

Roff. Verbum certe Chriſti vnum eſt, haudquaquã *Lib. 1. c. 8. c 11.* ſecum pugnans. At vos in huius verbi expoſitio- *Prolog. lib. 2.* ne pugnatis, non ſolum aduerſus Eccleſiam, ve- *Lib. 2. c. 32.* rum etiam inter vos mutuo, quemadmodum ſæ- *Prolog. li. 3.* pe iam diximus. Quare nec verbum Chriſti à vo- *Vebum Chri-ſti non paſcit iuxta interpretationem hæreticorum.* bis deprauatum, iuxta diſſidentes & repugnantes interpretationes veſtras quenquam vere paſcere poteſt. Certum enim eſt, ſi Lutherus vere ſit interpretatus hoc verbum, tu falſo abuteris. Quare nec vere paſcis animas auditorum tuorum. Si tu vere ſis interpretatus, ille falſo paſcit. Stare non poteſt, vt vterque veſtrum vere paſcat. Quamobrem & per alterum è vobis innumeros huius verbi veritate fraudari perſpicuũ eſt. Ego vero, quũ nihil dubitem, ſolam eam expoſitionem, quam ſuper hoc verbo nobis Eccleſia tradidit, ſolidiſſimam eſſe, certus item ſum ab vtroque veſtrum eos, qui veſtris dogmatibus fidem habent, cunctos eſſe ſeductos. Cæterum quod dicis verbum iſtud tanto magis paſcere, quo ſignum euidentius rei factæ & promiſſæ admonet, quid ergo ſi ſi- *Res ipſa plus paſcit quam ſignum.* gnis res etiam acceſſerint, hoc eſt verum corpus & verus ſanguis Chriſti, nonne multo maxime ſaginabunt?

OEcol. *Promiſſio enim ex ore Dei eſt, corpus Chriſti pro nobis dari, & panem ac ſuſtentationem noſtram eſſe: ſanguinem vero, dedicationem noui teſtamenti pro noſtris peccatis effundi, calicemque eſſe inebriantem illum, de quo dictum.*

Roff. In ſcripturis vtique promiſſum fuit, vt Chriſtus ad mortem pro nobis traderetur. Sed quid tum? An propterea ſequitur, quod non ſeipſum nobis dediſſet ſub ſpecie panis? Iſtud hactenus à te minime probatum eſt, neque probabis vnquã, ſcio. Præterea, quod ſanguinem eſ[...] erit in dedicationem noui teſtamenti, libenter admittimus. At num ex hoc conſequitur, quod nõ eundem ſub ſpecie vini bibendum in cœna diſcipulis porrexerit? Nulla poteris iſtud dialectica colligere, nam & eundem aſſeruit effundi pro multis in remiſſionem peccatorum, & teſtamentum item nouum corroborari teſtatus eſt. Quare niſi produxeris alia ſolidiora argumenta, oleum & operam perditurus es.

OEcol. *Et quod verbis indicatur, ſacroſanctis quoque ſymbolis commonſtratur, vt quanto magis ea quæ Dominus facere iuſſit, animis inſident, tanto latius mens agnitione vegetetur.*

Roff. Chriſto gratias agimus, qui cibo ſolidiori nos paſcere dignatus eſt, quam ſymbolis iſtiuſmodi. Tu ſymbolis tuis vt libebit fruere, quæ quum ſint rerum expertia, nihilo magis quam ſiliquæ paſcunt. Nos vero ſummis iſtis deliciis corporis & ſanguinis Chriſti velut delicatiſſimis epulis in hoc ſacramento veſci nihil dubitamus. Tu pane & vino contentus ſis: Nos carne paſcimur & ſanguine. Munus tam eximium à tanto principe tam liberaliter oblatum, haudquaquam reſpuimus. Neque nobis ambiguum eſt, quin is (quem tu fateris panem edendum, & vinum bibendum tanquam ſymbola corporis occiſi, & effuſi ſanguinis præbuiſſe nobis) eadem facilitate verum ipſum corpus & verum ſanguinem donare potuiſſe, modo ſic libuiſſet: libuiſſe vero certi ſumus, tum ex facto, tum ex verbis ipſius, quando panem in manus acceptum, benedictumque fregit atque porrexit Apoſtolis, dicens: Accipite & manduca- *Matth 26.* te, hoc eſt corpus meum. Quare fruſtra teipſum *Luca 22.* fatiges, nobis ingerendo tam peruerſam & impiam horum verborum expoſitionem, quandoquidem eorum ſenſus ipſa luce meridiana ſe nobis exhibet dilucidiorem. Cõſummaſti iam tandem longum circuitum argumentationis huius, qua te pollicitus es oſtenſurum, quod caro carnali ſua præſentia nihil faciat. Et quid (precor) hactenus ex hac tam prolixa argumentatione docuiſſe te putas? Ego certe nihil adhuc intelligo certi, niſi quod videam te ſubdole quædã inuol- *Lib. 3. c. 4. 15.* uiſſe, quæ non audes explicatius euoluere. Exor-

ditus es ab Angelorum cibatione, aſſerens Deum eos verbo ſuo paſcere. Et hic hærebam, de quo verbo loquereris, an de verbo increato, quod proprie filius Dei eſt. An de verbo creato magis? Nam ſi ſolo verbo increato, quod eſt ipſe filius, pater paſcit Angelos, iam nec ſeipſo neque Spiritu ſancto paſcet, quod eſt prorſus erroneum. Quod ſi per verbum accipias verbum creatum, hoc eſt, aut ſcriptum, aut prolatum, non intelligo quem in modum paſcat Angelos Deus eiuſmodi verbo. Quid enim opus eſt iam tali verbo, quum ipſam eſſentiam nudam clariſſime conſpi-

L.3.c.15.&16. ciant? Subinde venis ad verbum quo nos paſcimur, quod & aſſeris omne verbũ eſſe, quod pro-

Lib.3.c.16. cedit ab ore Dei. Et eiuſmodi verbo dicis nos viuere, & hoc verbum eſſe viuificantem cibum. At quum non ignores varios huius verbi modos eſſe, mirum eſt quod tandem contrahas hoc negocium ad vnius modi verbum, nimirum ad ſolum

Verbum Dei multiplex. promiſſionis verbum. Sunt enim (vt noſti) præter verbum promiſſionis, etiam alia plurima. Nam eſt & comminationis verbum. Sæpius enim gehennam & tenebras exteriores comminatur Chriſtus his qui male agunt. Eſt & verbum quo iubemur bona facere, eſt rurſum aliud quo vetamur agere mala. Præter hæc & conſulendi verbum reperimus, cuiuſmodi & iſtud eſt: Qui po-

Matth.19. teſt capere, capiat. Sunt & verba quædam quæ ad

Matth.28. Mar.16. ſacramenta ſpectant, cuiuſmodi ſunt hæc: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Similiter & illa, de quibus iam eſt controuerſia, nimirum hæc: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. *Matth.26. Luca 22.*

Quum igitur inficiari nequeas, tantam in Euangeliis eſſe verborum Dei veritatem, & iſtud etiam admittas, quod in omni verbo, quod procedit de ore Dei, paſcimur; qua ratione colligis, nos verbo promiſſionis ſolo paſci. Adde, quod & Chriſti morte non ſolum promiſſionis verbum confirmabatur, ſed & cæterorum omnium, quæ docentur in Euangelio veritas aſſeritur. *Morte Chriſti totum Euangelium confirmatur.*

Quid ergo negotium contrahis ad ſolum promiſſionis verbum, quaſi nihil aliud nos paſcat, quàm ipſum promiſſionis verbum. Quod ſi verum ſit, fruſtra dixiſſet Chriſtus: Caro mea vere eſt cibus, & ſan- *Iohan.6.*

guis meus vere eſt potus. Certum equidem eſt, quocunque modo carnem hic & ſanguinem accipias, aliud quiddam eſſe quam verbum promiſſionis. Fruſtra igitur pollicitus es, te probaturum carnem Chriſti nihil in hoc ſacramento facere ſua præſentia, quantum ad animæ cibum attinet. Nam ſicut Iudæi meris vmbris incarnati verbi paſcebantur, & beatorum animæ, iam ipſa nuda veritate eiuſdem verbi incarnati ſub eiuſdem propria ſpecie paſcũtur, ita nos medio quodam modo paſcimur eadem carne, neque ſub vmbra ſola, neq; ſub ſpecie propria, ſed operta panis & vini ſpeciebus. Et hæc ſufficiant pro tertio libro. *Chriſtiani quomodo paſcantur corpore Chriſti.*

FINIS LIBRI TERTII.

PROOE-

PROOEMIVM QVARTI LIBRI ROFFENSIS CONTRA OECOLAMPADIVM, IN QVO

ex communi patrum conſenſu, conuincitur veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Conſiderans ipſe mecum, quot huius peſtilentiſſimi libelli per totam Europam exemplaria diſpergantur, vt iam pauciſſimi ſint, qui non legerint, vel ſaltem eundem audierint: Animaduertamus etiam quantum inde periculum immineat Chriſtiano gregi. Nihil enim pernicioſius animabus eſſe poteſt, quam hæreticorum inſana dogmata, quorum ſermo (vt Paulus ait) ceu cancer morbus ſerpit: Propter quod & vbique ſere Chriſtianos vigilantius monet idem Paulus, quatenus ab hæreticis, omni diligentia, ſibi caueant. Sumus vtique natura, cuncti mirum in modum ad malum propenſi. Sed in hoc malum, ab exordio naſcẽtis eccleſiæ, vehementer etiam procliues erant hi, quos prędicatione ſua Paulus ad Chriſtum conuertit. Vſqueadeo nanque ſolicitus fuit ipſe Paulus, vt Corinthiis dixerit: Metuo, ne qua fiat, vt quemadmodum ſerpens Euam decepit verſutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ erat erga Chriſtum. Et idem rurſum ad ſeductos ab hęreticis Galatas ait: O ſtulti Galatæ, quis vos faſcinauit, vt non crederetis veritati? Similiter & Coloſſenſes hortatur, quo ſibi caueant, ne quis eis imponat probabilitate ſermonis, ne cadant à ſoliditate fidei, quam in Chriſtum habuerunt.

Hæreſis perniecioſiſſima peſtis. *2. Tim. 2.* *Tit. 3. & alij.* *Gene. 6.* *2. Cor. 11.* *Galat. 3.* *Coloſ. 2.*

Quod ſi tam celeriter poſt recenter effuſum Chriſti ſanguinem, & quum adhuc chariſmata Spiritus in multorum pectoribus arderent, etiam quando tot miraculis coruſcabat orbis, hæreſes ad hunc modum extulerant caput, & multos auerterant à veritate, quid nunc fieri ſperandum eſt, his temporibus, de quibus, & in Euangelio Chriſtus, & ſuis literis Apoſtoli, tot ſubnaſcituros hæreticos vaticinabantur. Nunquam enim adeo generatim orbem totum ad hæreſes audiendas, & recipiendas, arbitror inclinatiorem fuiſſe, quam ad hunc diem ſit, vt certe verear, ne complures ex huius libelli lectione corrupti ſint, aut ſaltem in fide redditi vacillantiores, & maxime, quod hic orthodoxos patres, quanquam inuitos, & reclamantes, miſere quoque truncatos & deprauatos, vbique citet in teſtimonium hæreſeos ſuæ. Neque enim pudet eum ſæpius iactare, ſe priſcos habere ſui dogmatis aſſertores.

Cur OEcola. libellus multos corrumperet.

Et quamquam alias eos introducat, hoc ipſum tamen ſpiſſius facit in hac libelli parte, quam impręſentiarum aggreſſuri ſumus. Hæc (inquam) ipſe mecum conſiderans, operæprecium eſſe duxi, quanto breuius id præſtare queam, è ſingulis patribus, vnum aut alterum afferre teſtimonium, quo magis conſtet omnibus concordia veterum in hac re. Sic enim inſuper manifeſta fiet cunctis, huius hominis impudentiſſima iactantia, qua gloriatur ſe priſcos & ſolidos authores habere, ſuæ ſententiæ ſuffragatores, pariter & infirmiores animi, qui fortaſſis per huius libelli lectionem, iam in huius ſacramenti fide vacillant, ex tanto tãque vnanimi patrũ conſenſu firmius corroborabũtur.

Patrũ omniũ cõmunis conſenſus de Euchariſtia.

Quum enim audituri ſint, tot proceres, tot eccleſię Catholicæ præſides, & inſtructores, tot orbis luminaria, tot organa diuini Spiritus, tot inquam ſanctiſſimos patres, qui omnifariam eruditione, linguarum peritia, ſcripturarum exercitio, vitæ probitate, claritate miraculorum, denique ſancti Spiritus gratiis & donis præditi fuerant, tanto conſenſu, nemine reclamante, ſed concordibus votis aſſerentes in Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti veritatem. An non iſtis potius fidem adhibebunt, quam homini leuiculo, multiſque nominibus inconſtanti? nempe qui nunc orthodoxus: nunc ad hæreſim lapſus eſt: aliquando veritatem Euchariſtiæ palàm aſſerens: eandem rurſum turpiter abnegans, prius Damaſcenum & Theophilactum, pro grauibus autoribus approbans, nunc eoſdem, ceu nullius precij reputans, aliquamdiu ſecularem agens vitam, mox alteram, hoc eſt regularem ſecutus, prius Lutheranæ ſectæ profeſſor ardentiſſimus, paulo poſt eiuſdem acerrimus impugnator, pridem ſacræ dicatus religioni, haud multo poſt infelix apoſtata rediit ad ſeculum. Hanc inconſtantiam quiſquis digne penſitat, ſi nihil aliud eſſet, ipſa vel ſola ſufficeret, ad auertendos Chriſtianorum animos ab hoc tam peſtiſero dogmate. Sed quum præterea perſpiciat, tot egregios duces, vno concentu, contrarium affirmare, quis iam adeo ſuæ ſalutis prodigus erit, vt non longe malit ſe comitem illis adiungere, quam huic apoſtatæ perditiſſimo? Age igitur ipſam rem aggrediamur.

Veteribus fides potius habenda quam OEcolamp.

Iam quidem ab inſtitutione ſacramenti huius, præterierunt ferme quindecim annorum centenarij, quos in quinque centenarios partiemur, ſimul excutientes, quid in ſingulis trecenariis, patres qui tum fuerant, de hoc negotio ſenſerint.

Euch. quamdo ſit inſtituta.

TRECENARIVS QVINTVS.

In quinto quidem trecenario nobis occurrit diſputatorum innumera multitudo, quorum principes attingam ſolos. Alexander ille, qui dictus eſt, de Ales, vir hauddubie fuit ingenio excellenti, magnaq; vitę ſanctimonia prędictus, & in ſcripturis quoque plurimum exercitatus, quemadmodũ ex eius ingenti ſumma, quam ædidit, intelligi datur. Bonauentura quoque, vir præter ingenij peculiares do-

tes,& ſcripturarum notitiam, mira ſemper ardebat pietate, ſpiritumque ſanctitatis vbique ſpirat in eius operibus, qui & propterea Seraphicus nuncupatus eſt. Albertus cognomento Magnus, clariſſimis item ingenij donis fuit, & ſcripturarum exercitio. Thomas Aquinas, vir item ſanctiſſimus, qui tum propter ſcripturarum noticiam, in quibus mirabiliter exercuit ſeſe, tum propter innumeros in ſacra theologia nodos ab eo deſectos, merito theologię flos appellatur. Guillielmus Pariſienſis, vir non minori vitæ ſanctimonia, quam ſacrarum literarum noticia, multa ſcripſit, in quibus relucet ingenij ſui acumen. Guillielmus item Varro, Iohannis Dunſi pręceptor. Egidius Romanus, non vita ſolum & ingenio, verumetiam ſcripturarum noticia præſtitit. Henricus Gandauienſis, ingenij acumine pollens, & ſcripturarum callentiſſimus, mira grauitate de rebus theologicis diſſeruit. Richardus de media Villa, egregie doctus, ingenio ſubtilis, multos ſcrupos in ſacris literis occurrentes, dilucide ſuſtulit. Iohannes Duns, quem & Scotum vocant, ingenio perſpicaci vegetoque plurimas quæſtiones acutiſſime diſſoluit. Franciſcus Maronis, illius auditor, miro quoque floruit ingenio, atque diſſerendi acumine. Guillielmus Ockam, & ipſe ſimiliter auditor Scoti, inſigne diſſerendi conſecutus eſt acumen, quemadmodum ex libris eis conſtat, qui inter cætera de Euchariſtia quoque ſcripſit. Durandus item in ſcrupis theologicis diſſoluendis exercitatiſſimus, & in ſcripturis etiam egregie doctus. Petrus de Palude, ſacrarum literarum non imperitus, & in diſputationibus exercitatus. Iohannes Bacho, non modo fuit diſputator acerrimus, ſed & ſuper totum nouum teſtamentum, commẽtarios ædidit. Gregorius Ariminenſis, vir in ſcripturis plurimum exercitatus, grauiter etiam multa diſſeruit. Innumeros alios prætereo, ſed hi præcipui nominis inter diſputatores habiti ſunt. Quibus tametſi defuit eloquentia, doctrina certe nõ defuit. Sed nec illã à philoſophis, hoc eſt, ſapientiæ ſtudioſis, expectat Cicero. Res nimirum duæ ſunt, noticia veritatis, & ſermonis elegantia, quarum altera ſine altera poſſideri poteſt. Non inficior tamen illum feliciorem eſſe, qui pariter vtrumque conſecutus eſt, & maxime ſi pietatem iiſdem etiam adiunxerit: Nam qui pietate caret, quamquam omnis veritatis habuerit notitiam, pariter & eandem Ciceroniana proferre lingua poterit, non tantilli tamen apud Chriſtum exiſtimabitur. Ex tribus igitur iſtis, longe facilius carere quenquam ſinimus elegantia ſermonis quam aut noticia veritatis aut pietate. Quare quum patribus iſtis, quos ante memorauimus neque ſtudium pietatis, neque veritatis noticia defuiſſet, non ſunt à Chriſtianis eorum teſtimonia prorſus repudianda. Neque enim eloquentiæ multum tribuit Paulus, qui & ſe ſermone imperitum, 2. Corinth. 11. dicit: & 1. ad Corin. 1. non fuiſſe miſſum vt euangelizaret erudito ſermone: & rurſum, ibi. 2. cap. Sermo meus & prædicatio mea non erat in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis. Quin & eadem epiſtola clamat: Perdam ſapientiam ſapientium: Et rurſum: Quæ ſtulta erant iuxta mundum, elegit Deus, vt pudefaceret ſapientes. Huc accedit, quod apud Origenem me legiſſe memini, & quantum (opinor) in libris contra Celſum. Quum audiſſet aliquando Chriſtianum & Ethnicum de principatu eloquentiæ contendentes. Ille quidem, Paulo primas eloquentiæ partes, iſte contra, Platoni eaſdem tribuebat; neutrius ſtudium Origenes probat, imo Chriſtianum vehementer damnat, quod is eloquentiam Pauli conatus efferre, non attendat, quantum cruci Chriſti præiudicet, cui magis orbis conuerſionem acceptam ferre debuit, quam eloquentiæ cuiuſuis, nimirum ad illud Pauli ſpectans: Non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, aut erudito ſermone, ne inanis reddatur crux Chriſti. Nec iſtud ſane dixerim, vt ab eloquentia ſtudioſorum animos auertam, ſed vt nihil illorum patrum ſuffragiis, propter ſermonis inopiam derogetur, quippe, quod hi cum ſcripturarum exercitio, pietatem vna coniunctã habuerint. Et mirum eſt quum Lutherus omnibus Chriſtianis, etiam ipſis mulierculis iudicium de ſcripturis permittat, ſi nihil deferat OEcolampadius iudiciis & ſententiis tot eximiorum patrum, non minus ingenio, quam probitate vitæ clariſſimorum, quique ſacrarum literarũ ſtudio, pariter & amore Chriſti, mundum cum ſuis omnibus inanibus oblectamentis deſeruerunt. Cæterum quicquid ille fecerit, non eſt dubium, quin pios lectores non parum commouebit tam vnanimus omnium cõcentus. Et maxime quum hi, nulli rei magis animum intenderent, quam vt ſuis argumentis expugnarent eos, qui ſibi videbantur errores, ita vt nemini parcerent, neque magiſtro quidem Petro, qui ſententias collegit, quas & excutiunt exactiſſime. Et quamquam de cæteris opinionibus inter ſe digladientur, corporis tamen & ſanguinis Chriſti veritatem in Euchariſtia conſtanter & vnanimiter affirmant. Sed hactenus pro hoc poſtremo, id eſt, quinto trecenario, in quo iam ſumus.

Albertus Magnus. Thomas Aquinas. Guill. Parıſ. Varro. Egidius. Hen. de Gan. Richardus. Scotus. Franc. Maro. Ockam. Durandus. Petrus de Palude. Iohan. Bacho. Gregorius Ariminenſis. Elegãtia ſermonis non expetitur in theologia. Paulus non vtebatur eloquentia. Origenes. 1. Corinth. 2. Theologi nemini parcunt errantis. Petri Lomb. ſententias excutiunt theologi.

TRECENARIVS QVARTVS.

Aſcendamus igitur ab hoc ad quartum annorum trecenarium, vbi nobis offerunt ſeſe complures, non tam imperiti ſermone, atque priores erant: in quibus recenſendis, haud diu remorabor lectorem. Sub hoc itaque trecenario fuit Petrus, quem cantorem vocant, poſtea Pariſienſis (vt fertur) Epiſcopus, vir in ſcripturis eruditus. Aluredus Abbas, vir ſanctus, & in ſacris literis peritiſſimus. Gilbertus etiam Ciſtercienſis. Lotharius, poſtea dictus Innocentius tertius. Ekbertus Abbas. Petrus Bleſenſis. Iohannes Carnotenſis. Robertus Lincolnienſis. Petrus de Riga. Guillielmus Abbas ſancti Theodorici. Petrus Comeſtor. Petrus Lombardus. Richardus Victorinus. Gratianus. Gilbertus Poretanus. Rupertus Abbas Tuitienſis. Hugo Victorinus. Bernardus Clareuallenſis, qui & Petrum Abelardum de Euchariſtia praue ſentientem confutauit: Honorius Auguſtudinenſis Eccleſiæ presbyter. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Hildebertus item Thurinenſis. Iuo Carnotenſis. Petrus Damiani. Lanfran-

Petrus Cant. Aluredus. Gerbertus. Innocẽtius 3. Petrus Abel. male ſentiens de Euchariſtia.

Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus cuius librum aduerſus Berengarium, hæreſis huius propugnatorem, benignitate reuerendiſſimi patris & domini mei amantiſſimi, domini Guillielmi, nunc ibidem Archiepiſcopi, perlegi, in quo & ſtrenue percutit hæreticum. Gvvimundus Auerſanus Archiepiſcopus, auditor Lanfranci, qui ſcripſit in hoc eodem negotio aduerſus eundem Berengarium ſcripſiſſe traduntur & alij nempe Adelmannus Epiſcopus Brixienſis, & Guido Abbas ſancti Leufredi, atque Herigerus item Abbas, quorũ ſinguli tam in prophanis, quam in ſacris literis eruditi fuerant. Neque horum quiſquam eſt, qui non in libris, quos ædidit, corporis & ſanguinis Chriſti veritatem in Euchariſtia palam teſtetur. Sed tot ex trecenario quarto commemoraſſe ſufficiat.

Lanf. ſcripſit contra Berengarium hæreſim de Euch.

Adel. contra Berengariũ.

TRECENARIVS TERTIVS.

Sub tertio deinde trecenario floruerunt alij, qui velut gradu quodam facto, ſuperiores adhuc præcelluerunt, atque id non minus in gentiliũ, quam in ſacrarum literarum peritia. Hic Smaragdus quidam, Abbas multa & erudite ſcripſit, Radulphus item Flamacenſis, Ratherius Epiſcopus Veronenſis, & Paſchaſius Abbas Corbienſis, quorũ vterque de ſacramento altaris ſcripſit, & doctiſſime. Remigius Antiſiodorenſis, Druthmarus, Bertramus Strabus, Rabanus, Angelomus, omnes monachi. Cæterum quia rarior eſt huius Angelomi commentarius, quem ſuper libros Regum ædidit, iccirco teſtimoniũ eius iam ſubiiciam. Sic enim enarrans locum 21. capitis, libri primi Regum, quo traditum eſt, quod quum Dauid eſſet apud Achim regem, ſe finxerat inſanire, & mutauit os ſuum corã eis. Erant (inquit) in veteri teſtamento, præcepta legis carnalia, erat & ſacrificium ſecundum ordinem Aaron. Et poſtea ipſe de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedeck. Mutauit ergo os ſuum in ſacerdotio, mutauit & in pręceptis, dans aliud teſtamentũ, euacuata carnali operatione. Ecce iam vides lector Chriſtum inſtituiſſe de corpore & ſanguine ſuo ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedeck. Quod & omnes alij concorditer affirmant. Erant adhuc in eodem trecenario, Haymo Halberſtatenſis Epiſcopus, Alcuinus Caroli magni pręceptor, Beda monachus eruditionis haud contemnendæ atque id quidem in ſecularibus literis iuxta atque ſacris. Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus natione Græcus, Bedæ quoque præceptor, vir tam in ſacris quam in prophanis literis eruditiſſimus. Et hi omnes, vna voce conteſtantur in Euchariſtia corporis & ſanguinis veritatem. At forte quiſpiam hic dicet: Quid non iſtorum ſententias huc attuliſti? Certe nihil id opus fuit, quandoquidem & eorum libri communiter habentur, neque dubium cuiquam eſſe poteſt, qui in ita ſenſerint priores eorum patres, quorum deinceps producemus teſtimonia. Hactenus de tertio trecenario.

Scribentes de Euchariſtia.

Angelomi ſententia de Euchariſtia.

Caroli magni præceptor.

Non oportet ex libris qui extant, afferre iſtata teſtimonia.

TRECENARIVS SECVNDVS.

Sub ſecundo trecenario, Gregorius, eius nominis primus, vir ſanctiſſimus, atque in ſcripturis eruditiſſimus, in quarto dialogorum, cap. 58. ita ſcribit: Debemus itaque præſens ſeculum: vel quia iam conſpicimus defluxiſſe, tota mente contemnere: quotidiana Deo lacrymarum ſacrificia quotidianas carnis eius & ſanguinis hoſtias immolare. Hæc nanque ſingulariter victima, ab æterno interitu animã ſaluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat, qui licet reſurgens à mortuis, iam non moritur: & mors ei vltra non dominabitur: tamen in ſeipſo immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum, in hoc myſterio ſacræ oblationis, immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur, id eſt, diſtribuitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hæc ſanctiſſimus iſte vir, qui præter noticiam ſcripturarum, peculiari miraculo fuerat edoctus, rem ita ſe habere.

Gregor primi ſententia de Euchariſtia.

Rom. 6.

Caſſiodorus item orator, ſchematum & ſcripturarum peritiſſimus, ita Pſalmo 110. ſcribit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck. Hoc etiam propheta promiſiſſe filio commemorat patrem. Cui enim poteſt veraciter & euidenter aptari: niſi Domino ſaluatori, qui corpus & ſanguinem ſuum, in panis ac vini erogatione ſalutariter conſecrauit? Sicut ipſe in Euangelio dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam. Sed in iſta carne ac ſanguine nil cruentũ, nil corruptibile, mens humana concipiat: ne ſicut dicit Apoſtolus: Qui enim corpus Domini indigne manducat: iudiciũ ſibi manducat; ſed viuificatricẽ ſubſtãtiam, atque ſalutarem, & ipſius verbi propriam factam: per quam peccatorum remiſſio, & æternæ vitæ dona præſtantur. Quem ordinem per myſticam ſimilitudinem, Melchiſedeck iuſtiſſimus rex inſtituit: quã do Domino panis & vini fructus obtulit. Conſtat enim pecudum victimas periiſſe, quæ fuerunt ordinis Aaron, & Melchiſedeck manere potius inſtitutum, qui toto orbe in ſacramentorum erogatione celebratur, quod adhuc Iudęi non intelligunt obſtinati: cum eorum, & ſacerdos, & ſacrificia de medio probentur ablata.

Caſſiodorus de Euchar.

Iohan. 6.

1. Cor. 11.

Geneſ. 14.

Fulgentius etiam quæſtioni Monimi reſpondens, quæ fuit inter alias de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti, an ſoli patri immoletur? dicit: Hęc (inquam) ædificatio ſpiritualis, nunquam opportunius petitur, quam cum ab ipſo Chriſti corpore (quod eſt eccleſia) in ſacramento panis & calicis, ipſum Chriſti corpus & ſanguis offertur. Calix enim, quem bibimus, communicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis quam frangimus, participatio corporis Domini eſt. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omneſque de vno pane participamur. Hæc ille, qui perſpicue docet in ſacramento panis & calicis, Chriſti corpus & ſanguinem offerri.

Fulgentius de Euchar.

1. Corin. 10.

Leo primus, qui doctrina, eloquio, ſanctitate ꝑcipuus habebatur, in epiſtola ad Cõſtãtinopolitanos ita ſcri-

Leo primus.

ita ſcribit:In Eccleſia Dei omnium ore tam conſonũ eſt,vt nec ab infantiũ linguis veritas corporis &
ſanguinis Chriſti inter cõmunia ſacramẽta fidei taceatur,quia in illa myſtica diſtributione ſpiritualis
Iohan.1. alimonię,hoc impertitur,vt accipientes virtutem cęleſtis cibi,in carnem ipſius qui caro noſtra factus
eſt,tranſeamus. Hæc ſanctiſſimus & eruditiſſimus ipſe Leo, qui palam aſſerit per eſum huius cibi cœ-
leſtis, in quo veritas corporis & ſanguinis Chriſti continetur,nos in carnem Chriſti tranſire.

Eucherij ſententia. Eucherius etiam Lugdunenſis Archiepiſcopus, in quæſtionibus veteris ac noui teſtamenti, Mat-
thæi locum quendam explicans,ait: In Matthæo ita ſcribitur: Dico autem vobis, Non bibam amodo
Matth.26. de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, quo bibam illud nouum vobiſcum in regno patris mei.
Quid hic ſequemur? Regnum Dei,vt docti interpretantur, Eccleſia eſt in qua quotidie bibit ſangui-
nem ſuum Chriſtus,per ſanctos ſuos,tanquam caput in membris ſuis.Quomodo(precor)ſanguinem
Sedulius de Euchariſt. ſuum per ſanctos ſuos quotidie bibit Chriſtus, niſi in Euchariſtia? Sedulius presbyter libro quarto
mirabilium diuinorum, ita ſcribit in carminibus, panem Iudæ dediſſe Chriſtum:

Nec Dominum latuere doli,ſceleriſque futuri
Proditus authorem, panem cui tradidit ipſe,
Qui panis tradendus erat,nam corporis,atque
Sanguinis ille ſui, poſtquam duo munera ſanxit,
Atque cibum,potumque dedit, quo perpete nunquam
Eſurient,ſitientque anima ſine labe fideles.

Iuuencus de Euchariſtia. Iuuencus & ipſe presbyter, carminibus item ſcribens,ait:

Hæc vbi dicta, dedit palmis ſibi frangere panem.
Diuiſumque dehinc tradit, ſanctumque precatus
Diſcipulos docuit, proprium ſe tradere corpus.
Hinc calicem ſumit Dominus, vinoque repletum
Sanctificat gratis verbis,potumque miniſtrat,
Edocuitque ſuum ſe diuiſiſſe cruorem,
Atque ait,hic ſanguis populi delicta remittet.
Hunc potate meum, iam veris credite dictis.

Cyrillus. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quum aliis innumeris locis, tum 17.cap. ſuper Iohannem decla-
rans illa verba Chriſti, vt omnes vnum ſint,ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum
ſint,inter alia ſubdit: Age igitur cum trinitas vnum natura ſit,conſideremus, quomodo etiam nos ipſi
inter nos corporaliter, & cum Deo ſpiritualiter, vnum ſumus. Ex Dei patris ſubſtantia vnigenitus
Iohan.1. prodiens, & totum in ſua natura genitorem poſſidens,caro factus,ſecundum ſcripturam, eſt, ſeque i-
pſum naturæ noſtræ ineffabiliter coniunxit, atq; vniuit. Qui enim natura Deus eſt,vere homo factus
eſt,non Theophorus,id eſt,Deum in ſe per gratiam habens, vt myſterij vim ignorantes contendunt:
ſed verus Deus ſimul & homo eſt.Sic quæ inter ſe plurimum ſecundum naturam diſtant,in vno ſeipſo
coniunxit, & naturæ diuinæ participes nos effecit. Communicatio enim Spiritus, & (vt ita dicam)
manſio, primum in Chriſto fuit, & ab eo in nos penetrauit: cum homo factus, ipſe templum ſuum
proprio Spiritu perunxit atque ſanctificauit. Origo igitur & via, qua Spiritu ſancto participamus, &
Deo vniti ſumus, Chriſti myſterium eſt. Omnes enim in illo ſanctificamur. vt igitur inter nos & De-
um ſingulos vniret,quamuis corpore ſimul & anima diſtemus,modum tamen adiuuenit,conſilio pa-
tris & ſapientiæ ſuæ congruentem:ſuo enim corpore credentes, per communionem myſticam bene-
dicens,& ſecum,& inter nos vnum nos corpus effecit. Quis enim eos,qui vnius ſancti corporis vnio-
ne in vno Chriſto vniti ſunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam ſi omnes vnum panem
1.Cor.10. manducamus,vnum omnes corpus efficimur: diuidi enim atque ſeiungi Chriſtus non patitur. Iccir-
co etiam Eccleſia corpus Chriſti facta eſt, & nos ſinguli, membra Chriſti, ſecundum Paulum. Vni e-
nim Chriſto per corpus ſuum coniuncti, quoniam in nobis, illum qui eſt indiuiſibilis, accepimus,ipſi
potius quam nobis membra noſtra accõmodantur. Hæc Cyrillus, cuius hæc ſermonis ſumma eſt: Per
eſum carnis Chriſti in Euchariſtia, nos vnum cum Chriſto naturaliter & corporaliter effecti ſumus.
Quare quum ipſe per diuinitatem vnum quoque naturaliter eſt patri, conſequitur,vt & nos cum pa-
tre ſimus vnum. Quo fit,vt ſicut pater in Chriſto, & Chriſtus in patre, ita nos vtrique ſimus vnum.

Auguſtinus de Euchariſtia. Auguſtinus,quum aliis pluribus locis,tum ad Iulianum Comitem iſta ſcribit: Ab his pietas Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti nos liberet: & ſeipſum edendum tribuat: qui dixit: Ego ſum panis viuus qui de
Iohan.6. cœlo deſcendi: qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam in ſe-
1.Cor.11. ipſo. Sed vnuſquiſque antequam corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti accipiat, ſeipſum
probet: & ſecundum Apoſtoli præceptum,ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Quia qui indigne
manducat corpus & ſanguinem Domini,iudicium ſibi manducat,& bibit:non diiudicans corpus Do-
mini. Quando enim eum accipere debemus, antea ad confeſſionem & pœnitentiam recurrere de-
bemus: & omnes actus noſtros curioſius diſcutere: & peccata obnoxia, ſi in nobis ſenſerimus, cito
feſtinemus per confeſſionem & veram pœnitentiam abluere:ne cum Iuda proditore, diabolum intra
nos celantes,pereamus. Hactenus ille, quem audis affirmantem,quod ſe ipſum nobis Chriſtus eden-
dum tribuit,iuxta promiſſionẽ ſuam 6.cap. Ioan. factam. Et iſtud quidem illum aſſerit, in Euchariſtia
facere, quemadmodum ex illis, quæ ſequuntur, manifeſte patet. Cæterum, quia de Iuda mentionem

fecerat

fecerat, illud aduertamus, quod Auguſtinus palam affirmat buccellam panis, quam intinctam accepit à Chriſto non fuiſſe ſacramentum, ſed antea corpus ipſum Chriſti Iudam cum cæteris Apoſtolis edisſe, vt vel ex illo manifeſte diſcamus Auguſtinum ſenſiſſe veritatem corporis Iudam accepiſſe & non panem ſolum, qualis ipſa buccella fuerat. Nam Euchariſtiam vbique non veretur aſſerere corpus & ſanguinem, quod plane de buccella intincta negat.

Iudas accepit verum corpus Chriſti in cœna.

Apud Iohannem Caſſianum collatione 22. cap. 7. Theonas Abbas ita loquitur: Tanta autem cor noſtrum humilitatis debemus vallare cuſtodia, vt hanc definitionem perpetua ſenſuum ſtabilitate teneamus: nequaquam nos poſſe ad tantum purificationis meritum peruenire, vt licet hæc, quæ ſupra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus indignos tamen nos communione ſacri corporis eſſe credamus. Primum, quia cœleſtis illius Mannæ tanta maieſtas eſt, vt nemo hac lutea carne circumdatus, pro ſuo merito eius edulium, & non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde quia nullus ita circumſpectus in huius mundi poteſt eſſe conflictu: vt eum ſaltem rara vel leuia peccatorum tela non feriant, quia impoſſibile eſt, vt nō aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut neceſſitate, aut obliuione peccetur. Hęc Caſſianus, de qua re & ſuperius multa diſſeruit. Sed hic palam fatetur Mannæ cœleſtis adeſſe maieſtatem, & corporis ipſius veritatem, cuius edulium, vt ait, nemo digne ſumit, niſi qui ſe cogitat indignum.

Theonas de Euchariſtia.

Non eſt homo qui non peccet veniali- ter.

Ex Chryſoſtomo vero, tot & tam prolixis vſi ſumus teſtimoniis, vt iam breue quoddam ſufficiat. Sic enim ſcribit Homilia de proditione Iudæ: Fuit quidem aliquando paſcha Iudaicum, ſed exemptũ & euacuatum eſt paſchæ ſpiritualis aduentu, quod Chriſtus tradidit. Nam quum manducarent (inquit) & biberent, accepit panem, & fregit, & dixit: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Agnoſcunt, quod loquor, qui diuinis ſunt conſecrati myſteriis. & iterum, accepit calicem, & dixit: hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et præſens Iudas erat, iſta Chriſto dicente, iſte eſt ſanguis. Dic Iuda, quem triginta denariis vendidiſti? Iſte eſt ſanguis, de quo ante cũ Phariſæis pacta fecisti. O Chriſti miſericordia. O Iudæ dementia. Ille eum triginta denariis paciſcebatur, vt venderet, & Chriſtus ei ſanguinem, quem vendidit offerebat, vt haberet remiſſionem peccatorum. Et paulo poſt: Et nunc ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque cõſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione mẽſæ Domini, corpus Chriſti facit, & ſanguinem; ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia: hoc eſt, ait, corpus meum, hoc verbo, propoſita conſecrantur. Et ſic illa vox quæ dicit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ad generationem operante natura, ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernam diem, & vſque ad eius aduentum, præſtat ſacrificio firmitatem. Hic Chryſoſtomus, quemadmodum & vbique conſtanter affirmat, Chriſtum, ex propoſitis, pane videlicet atque vino, corpus & ſanguinem ſuum verbo ſuo facere.

Su. li. 1. c. 25. li. 2. cap. 17. c. 30. Prol. 3 lib. & alibi.

Matth. 26. Luca 22. Marci 14.

Luca 22.

Chryſoſto- mus.

Matth. 26. Marc. 14. Luca 22.

Geneſ. 1. 8. 9. 35.

Hieronymus in commentariis epiſtolæ ad Titum declarans Epiſcopi virtutes, ita ſcribit: Si autem laicis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Relegamus Regum libros, & inueniemus ſacerdotem Abimelech, de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare Dauid & pueris eius, niſi interrogaret, vtrum mundi eſſent pueri à muliere, non vtique aliena, ſed coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri & nudiuſtertius vacaſſe ab opere coniugali, nequaquam panes quos prius negauerat, conceſſiſſet. Tantum intereſt inter propoſitionis panes & corporis Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque manſuetudo, patientia, ſobrietas, moderatio, abſtinentia lucri, hoſpitalitas quoque & benignitas, præcipue eſſe debent in Epiſcopo, & inter cunctos laicos eminentia. Sic & caſtitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia ſacerdotalis, vt non ſolum ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam à iactu oculi, & à cogitationis errore, mens Chriſti corpus confectura ſit libera. Hæc Hieronymus. Vbi lector audis eum aſſerere, quod inter panes propoſitionis (qui tamen erant figura ſacramenti huius) & corpus in hoc ſacramento, tantum intereſt, quantum inter vmbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplar & id quod per exemplar præfiguratum fuit.

Hierony ſententia de Euchariſtia.

1. Reg. 21.

Theophilus Alexandrinus, enarrans verba cœnæ dominicæ, ſic ait: Benedicens fregit, id eſt, gratias agens fregit, quod & nos facimus, orationes ſuperaddentes, & dedit eis dicens: Sumite, hoc eſt corpus meum, hoc ſcilicet, quod nunc do, & quod nunc ſumitis. Non autem panis, figura tantum corporis Chriſti eſt, ſed in proprium Chriſti corpus tranſmutatur. Nam Dominus ait: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, ſed tamen caro Chriſti non videtur, propter noſtram infirmitatem: panis enim & vinum de noſtra conſuetudine eſt: ſi vero carnẽ & ſanguinem cerneremus, ſumere non ſuſtineremus. Propter hoc Dominus, noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpecies panis & vini conſeruat: ſed panem & vinum in veritatem conuertit carnis & ſanguinis. Hæc Theophilus ſuper Euangelio Marci.

Sententia Theophili de Euchariſtia.

Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Iohan. 6.

Iohannes Damaſcenus, quem & OEcolampadius aliquando ceu magnæ authoritatis theologum tam in occidentis, quam in orientis Eccleſia collaudauit, ita quartodecimo capite lib. 4. cui titulus eſt de orthodoxa fide, ſcribit de veritate corporis & ſanguinis in Euchariſtia: Corpus enim ſecundum veritatem,

Damaſcenus de Euchariſtia.

veritatem, coniunctum eſt diuinitati: quod ex ſancta virgine corpus eſt, non quod ipſum corpus aſſumptum ex cœlo deſcenderit: ſed quod ipſe panis & vinum tranſmutatur in corpus & ſanguinem Dei. Si antem modum requiris, quonam pacto fit: ſat ſit tibi andire, quoniam per Spiritum ſanctum, quemadmodum ex ſancta Deipara ſeipſo & in ſeipſo Dominus carnem ſuſtentauit. Et nihil amplius cognoſcimus: quam quod verbum Dei verum eſt, & efficax, & omnipotens, modus autem inſerutabilis. Neque & hoc etiam dictu promptum: quomodo naturaliter per comeſtionem panis, & vinum & aqua per potionem, in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutatur, & non fit aliud corpus, præter id quod prius erat ipſius. Si & propoſitionis panis vinumque & aqua, per innocationem & aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum & idem. Hæc Damaſcenus.

Sententia ambroſij de Eucharistia. Ambroſius etiam apertiſſime tria tempora diſtinguit, vnum legis, alterum gratiæ, tertium gloriæ. Sub legis tempore dicit fuiſſe meras vmbras: ſub tempore gratiæ, non ſolas vmbras ſed res velatas, & modo quodam imagines: ſub tempore gloriæ, res abſque velo cõſpicuas, hoc eſt nudas ipſas veritates. propter quod & primo libro de officiis ita capite 48. dicit: Hic vmbra, hic imago, illic veritas, vmbra in Lege, imago in Euangelio veritas in cœleſtibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat. hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit. *Leu. 1. & alib.* Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem, vbi plena perfectio omnis in veritate eſt. Hæc Ambroſius, qui teſtatur hic offerri Chriſtum, quod ipſe ſeipſum offerat quaſi ſacerdos. *1. Corinth. 13.* Nec te moueat lector, quod dixerit in cœlo veritatem, & hic imaginem. Nam ibi facie ad faciem, vt dicit, videbimus ipſam veritatem. Hic autem velatam habemus, ac proinde ſub imagine.

TRECENARIVS PRIMVS.

Iam ad primum trecenarium conſcendamus: Vbi tametſi quoſdam nnmerabimus, qui non prorſus intra limites buius trecenarij fuerint, non longe tamẽ diſtant, ſed & ob inſignem eruditionem atque vitæ ſanctitatem merito priſcis ipſis annumerantur. *Greg. Nazianzenus de Eucha.* Circiter hæc tempora Gregorius Nazianzenus fuit, vir profecto non minus eruditione qnam vita clariſſimus, qui inter alia carmina quæ ſcripſit, Epiſcopos ad bunc modum alloquitur in carminibus: O ſacrificia mittentes incruenta ſacerdotes. O animarum cuſtodes glorioſi. O magni figmentum Dei veſtris in manibus ferentes. Hactenus ille. Ex quibus, licet paucis, facile colligitur, quid vir ille ſentiat, quum eodem vtatur verbo, quo Cyrillus & aliqnot alij vocantes ſacrificium altaris victimam incruentam, non quod ibi cruor deſit, ſed quod nõ per vim erumpere cogatur extra venas. Hic etiam affirmat ipſos ſacerdotes ferre magni Dei figmentum. Quod quid aliud eſt, quam ſacramentum ipſum quod ſola diuini verbi potentia conficitur.

Greg. Niſſen. frater Baſilij. Gregorius item Niſſenus, frater Baſilij magni, vir ingenti fama ſanctitatis pariter & doctrinæ, quique Theologi nomen apud veteres meruit, ſic in myſtica Moſaicæ vitæ enarratione inter alia ſcribit: Illud vero prętermittendũ nullo pacto eſt, qnod poſteaquam mare tranſierunt, poſteaquam amaritudo aquarum ſitienti virtute ligni in dulcedinem conuerſa eſt, *Exod. 13. Exodi 15. Exod. 17. Exod. 16.* poſteaquam delicioſe apud fontes & palmas fuerunt, poſtea denique quam ex lapide biberunt; tunc quæ ab AEgypto viatica & cibos ſibi aſſumpſerant, penitus eius defecerunt, tunc omni nutrimento, quod ab AEgypto ferebãt, abſumpto, deſuper ſibi defluit cibus varius ſimul & ſimplex. Simplex viſu atque vnicus. qualiter varius? ad ſingulorum cupiditates ſe vertens. quid igitur hinc diſcimus? quod oporteat videlicet fide, baptiſmate, labore, omni virtute, omni Euangelica doctrina, mundos puroſque animos noſtros facere, ita vt omnino alienigeni mores, & AEgyptiaca vita, vitiorum ſcilicet omnium turba nos deficiat, & demum depurato defæcatoque animo cœleſtem cibum eſſe ſuſcipiendum, quem nulla nobis ſatio agriculturæ artibus produxit. Sed panis eſt abſque ſemine, abſque aratione, abſque alio humano opere nobis paratus. *Iohan 6.* Is deſuper defluens in terris inuenitur. Panis enim qui de cœlo deſcendit, qui verus cibus eſt, qui ænigmatice hac hiſtoria ſignificatur, non incorporea quædam res eſt. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? res vero quę incorporea non eſt, corpus omnino eſt, huius corporis panem non aratio, non ſatio, non agricolarum opus effecit, ſed terra intacta permanſit: & tamen pane plena fuit, quo fameſcentes, myſterium virginis perdocti, facile ſaturantur. Is igitur mirabilis ſine agricultura *1. Corint. 11.* panis varietate qualitatis ad ſuſcipientium habitudinem, virtutem ſuam commutat. Nam cum ſit panis, ignorat labe fieri ſic in carnem verti, nouit olus imitari, quicquid denique aſſumenti conueniens & expetitum ſit, vt Apoſtolus vult, qui banc nobis menſam præparauit, in id commutatur. Hactenus ille, qui & prorſus de pane Euchariſtiæ in altaris menſa præparato vult hæc intelligi.

Baſilius monachus. Lib 2. ca. 14. & prolo. 3. lib. Baſilius diuino ingenio præditus, vitam egit haud diſſimilem: Nam & leges viuendi monachis inſtituit, cum quibus & ipſe conuerſabatur. Is præter inſtitutionem miſſæ, quam & Græco ſermone reuerendus pater Epiſcopus Londonienſis nobis communicauit, in ea regula quoque, quam fratribus dedit, inſtruit eoſdem de Euchariſtia, de qua per eos ibi quæſtio proponitur in hunc modum: *Quomodo digne commu-* Quali timore vel fide vel affectu percipere debemus corporis & ſanguinis Chriſti gratiam pater? Cui quæſtioni Baſilius ita reſpondet: Timorem quidem docet nos Apoſtolus, dicens: Qui manducat & bibit

bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, nou diiudicans corpus Domini. Fidem vero edocet nos ſermo Domini dicentis: Hoc eſt corpus meum quod pro multis datur, hoc facite in meam commemorationem. Et iterum, ſermo Iohannis dicentis, quod verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis; Et vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre: Plenum gratia & veritate. Sed & Apoſtolus ſcribens: Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exiuaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quum ergo fidem habet his dictis & conſiderat magnificentiam gloriæ ipſius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus & talis fuit obediens patri vſque ad mortem, pro noſtra vita, puta quod poſſit prouocari anima ad effectum, & ipſius Dei patris, qui vnico filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, & ad amorem vnigeniti eius eo amplius prouocabitur, quo eum videat mortem turpiſſimam pro noſtra redemptione toleraſſe, ſicut & Apoſtolus de eo dicebat. Quia charitas Dei conſtringit nos iudicantes hoc, quod ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Talem ergo affectum & fidem præparare debet in animo ſuo, qui de pane & calice participat. Hæc Baſilius, in cuius verbis, ſi quid obſcurum cuiquam videatur, alibi ſatis eadem explicauimus, vt nihil neceſſe fuerit hoc ipſum iterare.

[Margin: ...ocandum. 1. Corinth. 11. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Iohan. 1. Philip. 2. Roma. 8. 2. Cor. 5. Su. li. 2. ca. 19. & li. 5. cap. 10. & alibi.]

Hilarius Pictauienſis, qui multas iniurias ab Arrianis paſſus, vocatur apud Hieronymum in huius apologia contra Ruffinum tuba latini ſermonis aduerſus Arrianos. Is octauo libro de trinitate quæſtionem hanc proponit: Vtrumne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Cui quæſtioni reſpondet in hunc modum: Si enim vere verbum caro factum eſt, & nos vere verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnum ſumus, quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis. Quiſquis ergo naturaliter patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis vnum, in his eſſe nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus; & per hoc vnum erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis; quomodo voluntatis vnitas aſſeretur, cum naturalis per ſacramentum proprietas perfecta, ſacramentum ſit vnitatis? Hæc Hilarius, vbi plane colligit, nos propterea cum patre vnum fieri, quod per cibi dominici comeſtionem, in quo carnem eius edimus, vnum cum Chriſto naturaliter efficimur.

[Margin: Hilarius tuba latini ſermonis. Iohan. 1. Luca 1. Matth. 26. Marc. 14. Luca 22. 1. Cor. 10.]

Cyprianus martyr, epiſtola tertia libri ſecundi ad Cecilium ita ſcribit: Vt ergo in Geneſi per Melchiſedeck ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſit rite celebrari, præcedit ante imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Ecce præceſſit ante ſub Melchiſedeck imago ſacrificij in pane & vino, ſed Chriſtus, qui eſt ipſa plenitudo, veritatem illius præfiguratæ imaginis adimpleuit, nimirum in ipſa cœna dominica. Et paulo poſt in eadem epiſtola: Torcularis quoque calcatio, & preſſura taxatur, quia quomodo ad potandum vinum venire non poteſt, niſi botrus calcetur ante, & prematur. Sic nec nos ſanguinem Chriſti poſſemus bibere, niſi Chriſtus calcatus prius fuiſſet, & preſſus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret. Rurſus idem libro primo aduerſum Iudæos, oſtendit eos panem & calicem Chriſti, & omnem gratiam eius amiſſuros, nos vero gatiam iſtam accepturos. pro qua re teſtimonia producit, quum alia, tum ex capite ſexto Iohannis: Ego ſum panis vitæ: Qui veniet ad me, non eſuriet: Et, niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non habebitis vitam in vobis. Ea Eſaia quoque: Ecce qui ſeruiunt mihi, bibent; vos autem ſitietis. Quæ omnia ſpectant ad eſum carnis, & potum ſanguinis in Euchariſtia. Hæc Cyprianus, de qua re multo etiam expreſſius loquitur de oratione dominica, quod & alibi citauimus, vt fruſtra nobis OEcolampadius eripere moliatur ſermonem Cypriani de cœna dominica.

[Margin: Cypr. martyr de Euchar. Geneſ. 14. Matth. 26. Marci 14. Luca 22. Eſaia 65. Vide ſu. li. 1. & li. 2. cap. 31. Prol. 3. libro.]

Origenes Homilia 7. libri Num. ſic dicit: Moſes priuſquam acciperet Æthiopiſſam, non eſt ſcriptum, quia in ſpecie locutus eſt ei Deus, & non in ænigmate: ſed vbi accepit Æthiopiſſam, tunc dicit de eo Deus: Quia os ad os loquor ad eum in ſpecie, & non in ænigmate. Modo enim cum Moſes venit ad nos, & coniunctus eſt huic noſtræ Æthiopiſſæ, lex Dei iam non in figuris, & in imaginibus, ſicut prius, ſed in ipſa ſpecie veritatis agnoſcitur. Et quæ prius in ænigmate deſignabantur, nunc in ſpecie & veritate complentur. Et ideo ille, qui ſpecie figurarum & ænigmatum differebat, dicit: Scimus autem quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari. Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt. Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autẽ de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Vides quomodo ænigmate legis Paulus abſoluit, & ſpecies ænigmatum docet, & dicit: Quia petra in ænigmate erat, apud Moyſen, antequam iungeretur huic noſtrę Æthiopiſſæ. Nunc in ſpecie petra Chriſtus eſt. Nunc enim os ad os loquitur per legem Deus. Antea in ænigmate fuit baptiſmus, in nube & in mari: nunc autem in ſpecie regeneratio eſt, in aqua & in Spiritu ſancto. Tunc in ænigmate erat Manna cibus,

[Margin: Orige. ſenſit ita de Eucha. Nume. 12. 1. Cor. 10. Exodi 13. Iohan. 3. Exodi 16. Iohan. 6.]

nunc autem in ſpecie, caro verbi Dei eſt verus cibus, ſicut ipſe dicit: Quia caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Hactenus Origenes. Vbi lector habes plurima, quæ noſtro negotio plane ſuffragantur. Primum, quod ea quæ prius in figuris, & in ænigmate deſignabantur, nunc in ſpecie & veritate complentur. Quam rem & docet tribus exemplis, nimirum petræ, maris & Mannæ. Petra quidem apud Moſen & Iudæos, figura quædam fuit, pro qua iam nobis Chriſtus datur, ipſa veritas. Nubes, & mare fuerunt ibi figuræ quædam, & ænigmata. Nobis autem per baptiſmum, ipſa regenerationis veritas traditur in aqua & Spiritu ſancto. Manna denique, cibus illis erat, ſed in figura quoque. Figurabat enim Euchariſtię cibum, vbi nos carne Chriſti paſcimur in veritate. Cæterum & hic aduerte lector, quod Origenes ita videtur intellexiſſe Paulum, de petra corporea, ſicut & Auguſtinus interpretatur. Quare qui volet, hunc per illius interpretationem facile excuſabit. Mihi tamen expoſitio Chryſoſtomi potius arridet, quum Paulus omnino ſic ſenſiſſe videatur. Verum vtcumque fuerit, OEcolampadius inde nihil aſſequitur. Nam ſi tropus, aut in his, aut in aliis mille ſcripturarum locis, comperiatur, non propterea conſequitur, quod in illis Chriſti verbis, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, tropus aliquis admittatur.

Exodi 17. Exodi 13. Exodi 14. Iohan. 3. Exodi 16. Iohan. 6. Matth. 26. Marci 14. Luca 22. Su. li. 2. ca. 2.

Tertull. ſenſit in Eucha. eſſe veram carnẽ Chriſti.

Tertullianus, quum alias, tum in libro de reſurrectione carnis, ad hunc modum ſcribit: Videamus nunc de propria etiam Chriſtiani nominis forma, quanta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ apud Deum prærogatiua ſit, & ſi ſufficeret illi, quod nulla omnino anima ſalutem poſſit adipiſci, niſi dum eſt in carne, crediderit, adeo caro ſalutis eſt cardo. De qua cum anima Deo alligitur, ipſa eſt quę efficit, vt anima alligi poſſit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro inungitur vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Hæc Tertullianus. Vbi dilucide cernis, eum aſſerere, carnem noſtram veſci corpore & ſanguine Chriſti. Sed præter hunc, alios item locos inter conflictandum citauimus, ex quibus plane conſtat eum ſenſiſſe verum corpus & verum ſanguinem in Euchariſtia eſſe.

Su. li. 2. c. 21. c. 22. 24. & 25.

Irenæus de Euchariſtia.

Irenæus etiam quinto libro aduerſus hæreſes ita ſcribit: Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit noſtræ carnis ſubſtantia, quomodo negant carnem capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ & ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius fit, quemadmodum Apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola: Quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. Non de ſpirituali aliquo & inuiſibili homine dicens hæc: Spiritus enim, neque carnem neque oſſa habet. Sed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carnibus & neruis conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius, nutritur, & de pane, qui eſt corpus eius, augetur. Hæc Irenæus. quibus verbis nihil apertius dici potuit, pro teſtimonio carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Epheſ. 5. Luca 24.

Ignatius.

Ignatius martyr glorioſus, epiſtola ad Epheſios, eoſdem in hunc modũ hortatur, vt crebrius communicent: Feſtinate (inquit) frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriam Dei. Quando enim aſſidue hoc ipſum agitur, expelluntur poteſtates Satanæ. Et rurſum, prope calcem epiſtolæ, ſubdit, frangentes panem, qui eſt medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, ſed viuendi per Ieſum Chriſtum in Deo. Catharticum expellens malum, ſit in vobis. Hæc Ignatius. Ecce Euchariſtiam appellat gratiam Dei, & medicamentum immortalitatis, antidotum vitæ, catharticum expellens malum. Propter quod & epiſtola ad Romanos dicit: Panem Dei volo panem cœleſtem, panem vitæ, qui eſt caro Ieſu Chriſti filij Dei viui, qui natus eſt in nouiſſimo ex ſemine Dauid & Abrahæ. Et potum volo ſanguinem eius, qui eſt dilectio incorruptibilis & vita æterna. Hæc ille.

Dionyſius.

Dionyſius, quamquam obſcurius multa ſcribat, tamen ex his, quæ tradit, noſtrum inſtitutum plurimum corroboratur. Primum enim in fine tertiæ partis, ſecundi capitis, Euchariſtiam vocat communionem Deificam. Quo nomine, quid aliud ſibi vult, quam quod Euchariſtia nos vnum efficiat cum Deo. Nam vt Cyrillus & Hilarius docent: Sicut Chriſtus vnum eſt cum patre ſubſtantialiter per ſuę carnis ſubſtantiam, quam in hoc diuino cibo nobis impartit, nimirum, vt ita cum eo facti ſubſtantialiter vnum, cum patre quoque ſimiliter vnum efficiamur. Atque ideo vocat eam Dionyſius communionem Deificam. Rurſum in prima parte tertij capitis Euchariſtiam appellat auguſtiſſimum ſacramentum, & ſacramentorum omnium conſummationem atque ſacratiſſimam in ſe continere dignitatem: Rurſum tertia parte tertij capitis, preces ad ipſum ſacramentum dirigit his verbis: O diuinum penitus ſanctumque myſterium obducta tibi ſignificantium operimenta ſignorum dignanter aperiens, nobis palam atque aperte luceſce, noſtroſque ſpirituales oculos, ſingulari & aperto tuæ lucis fulgore imple. Et paulo poſt affirmat, quod per impoſita ſacro altari venerabilia ſigna Chriſtus & ſignatur & ſumitur. Hæc Dionyſius.

Digne communicantes, efficiuntur vnum cum Chriſto.

Clemẽs papa de Euchariſt.

Clemens vero qui Petro Apoſtolo quartus (authore Hieronymo) ſucceſſit, hac de re tradit in epiſtola quadam ad Iacobum, vetãs, ne clerici, qui reſidua corporis dominici, quæ in ſacrario relicta ſunt, ędunt, protinus ad communes cibos accipiendos conueniant, ne putent ſanctæ portioni commiſceri cibum, qui per aqualiculos digeſtus, in ſeceſſum funditur.

Beſſario Cardina. ſcripſit de ſacramento altaris.

Meminit & Beſſario Cardinalis Nicænus, natione Gręcus, vir excellẽtis eruditionis in opuſculo (quod inſcripſit de ſacramẽto altaris) verborum ſeriem, quibus ipſe Clemens in dicenda miſſa fuerat vſus, ad hunc modũ: Rogamus vt mittas Spiritum ſanctum tuum ſuper hoc ſacrificium, qui efficiat hunc panẽ

corpus

corpus Chriſti tui, & quod in hoc calice eſt, ſanguinem Chriſti tui. Idem Beſſario recenſet itidem verba, quibus & Iacobus Apoſtolus in ſacris faciendis vtebatur: Rogamus (inquit) vt Spiritus ſanctus adueniens, ſancta, bona atque glorioſa eius præſentia ſanctificet, & faciat hunc quidem panem corpus ſancti Chriſti tui, & calicem hunc, precioſum ſanguinem Chriſti tui. Iſtis conſonant Andreæ Apoſtoli verba, quæ & in eius vita traduntur ad Egeam ab eo dicta: Omnipotenti (inquit) Deo, qui vnus & verus eſt, ego omni die ſacrifico, nō thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum quotidie in altari crucis ſacrifico. Cuius carnes, poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus. Et cum vere ſacrificatus ſit, & vere carnes eius manducatæ ſint à populo, & vere ſanguis eius ſit bibitus, tamen (vt dixi) integer permanet & immaculatus & viuus. Conſonant & ea, quæ de Matthæo pariter in eius vita ſcripta ſunt. Nam ibi traditur, quod quum celebrata fuiſſet ab Apoſtolo miſſa, cæteris poſt miſſam ad ſua redeuntibus, ille iuxta altare permanſit, vt vbi fuerat corpus Dominicum ab eo confectum, ibi conſummaret & ipſe martyrium. Hæc ibi. Sed inprimis ea quæ narrat de cœna dominica, totius huius negotij veritatem corroborant. Nam ex quo fuerat einſdem cœnæ teſtis oculatus, meretur præ cæteris, qui tantum auriti teſtes ſunt, vt ei ſolidam adhibeamus fidem. Interfuit enim cœnæ, vidit cuncta quæ gerebantur, pariter & audiuit Chriſtum dixiſſe, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, de qua re latius in quinta parte dicturi ſumus. Iam dilucide perſpicis lector, quid per totius Eccleſiæ decurſum, id eſt, per iſtos quinque trecenarios, orthodoxi patres, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Eucharistia ſenſerint. Et licet nullus eorum orthodoxorum, quos recenſuimus, à ferendo in hac re teſtimonio repelli debeat, noſtra tamen argumentatio procedit ex his potiſſimum, qui primo & ſecundo trecenario memorantur. Nam in his nihil eſt, quod calumniari queat, ſiue eruditionem ſpectes, ſiue ſcripturarum exercitium, ſeu vitæ ſanctimoniam, aut denique miraculorum claritatem. Reliquum eſt igitur, vt qui volet eccleſiæ Catholicæ membrum eſſe, & cum ea ſaluari, fidem iſtis authoribus adhibeat, alioqui proculdubio periturus.

Andrea verba de Euchar.

Matthæ. apud corpus dominicum necatur.

Matth 26. Marci 14. Luca 22.

Authores magis præclari.

TRIA AVCTARIA.

Tria Auctaria.

Quæ res dilucidior fiet tribus auctariis adiectis, quæ facile per priora colligi poſſunt.

Primum, quod omnes iſti, quos annumerauimus, vere corpus & ſanguinem in Euchariſtia crediderunt.

Secundum, quod ex aliis innumeris, qui prætermiſſi ſunt, eo quod eorum libri non extent, nemo contrarium huius veritatis aut ſcripſit aut docuit vnquam. de orthodoxis loquor.

Tertium, qui veritatem iſtam non recepit, indubitanter ab eccleſia Catholica ſeparatus eſt, & æterna carebit ſalute. Hæc tria facile colliges ex ſuperioribus, modo perpenderis aſſiduam curam patrum & ingentem ſolicitudinem, quam ſinguli de populo ſuæ fidei commendato gerebant.

Auctarium I.

Omnes præcipui authores crediderunt præſentiam Chriſti in Euchariſt.

Non enim opinor, quiſquam exiſtimat, hos patres fuiſſe deſides aut ſomnolentos in cura Chriſtiani gregis, ſed plane vigilantes ac ſolicitos, præſertim quum exploratiſſimum habuiſſent Chriſtianorum animas, Chriſti ſanguine fuiſſe redemptas, ſeque diſtrictam, pro eiſdem aliquando rationem reddituros. Quum igitur haudquaquam ignorabant, quanti periculi foret Chriſtiano gregi, ſi vel non crederent præſentiam Chriſti in Euchariſtia, quum tamen reuera ſic eſſet, vel e diuerſo, crederent, ibi velari Chriſtum, quum ipſe nequaquam adeſſet. Nam ex illo, periculum contemptus & ſummæ ingratitudinis imminebat, ſi munus tam eximium, à tanto & tam incomparabili principe donatum, nō omni ſtudio pariter & honore proſequerentur. Ex iſto vero, diſcrimen idololatriæ, hoc eſt adorationis creaturæ loco creatoris. Etenim ſi Chriſtus aſſereretur ibi præſens, quum reuera non adeſſet, quis ambigit quin fidelis populus, hoc audito & credito (quoties illud ſacrificium ipſis præſentibus celebraretur,) ibi Chriſtum adorarent: atque ita quis non intelligit eos in horrēdiſſimum idololatriæ crimen incidiſſe. Et certe patres non adeo rudes erant & incircumſpecti, vt huic tam ingenti periculo, totum Chriſti gregem obnoxium eſſe non aduerterent. Quamobrem & modis omnibus huic periculo per eos occurrendum fuit, nempe ne ſuæ negligentiæ ſcelus tam execrandum imputaretur. Cauendum igitur fuit in primis, ne verbum aliquod effutirent, vnde populus anſam vel leuiſſimam arripere potuiſſet, quo Chriſtum ibi crederent adeſſe: Neque iſtud ſolum, ſed & propter Euangeliſtarū & Pauli verba, quæ publice in eccleſiis lecta, Chriſti corpus ſub ſpecie panis, & in calice ſanguinem aſſerunt, neceſſe fuit diligentius admonere populum, ne crederent ibi verum eſſe corpus & verum Chriſti ſanguinem, neque Chriſtum ibi ceu præſentem adorarent, neque demum ipſi ſacrificium iſtud publicitus immolaſſent. Nunc igitur, quum ex eorum libris perſpicue conſtet eos ita ſcripſiſſe, docuiſſe, etiam ſacrificaſſe, pariter & adoraſſe publice, quod & Auguſtinus Pſalmo 98. non veretur aſſerere faciendum, cui iam non erit perſuaſiſſimum, omnes iſtos orthodoxos patres, veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia vere credidiſſe.

Matth 26. Marci 14. Luca 22. 1. Cor. 11.

Auct. II.

Nullus Catholicus vnquā docuit Chriſti-

Age iam & ſecundum auctarium ſimiliter commonſtremus, nempe quod aliis innumeris patribus orthodoxis, qui prætermiſſi ſunt, eo quod eorum libri non extent, nemo contrarium vnquam docuiſſet. Quum enim tot præſtantiſſimos, quorum teſtimonia citauimus, iam ſolidiſſime conſtet, hanc veritatem firmiter credidiſſe; Cui non erit exploratiſſimum, ſi negaretur hæc veritas à quopiam, quanticun-

ſtum non eſſe in Euchariſt.

ticunque fuiſſet anthoritatis, quin pro vigilanti ſtudio quod Chriſtiano gregi curando ſemper impendebant, ſinguli pro viribus palam reſtitiſſent. Quis enim ignorat, quantum illi ſemper & acerrime quidem hæreſes protinus, vt exurgerent, inſectabantur: & eas quæ longe tolerabilioris erroris erant, quam iſta ſit, quippe quæ pernicioſiſſime tam apertis ipſius Chriſti verbis abutitur, etiam in re tanti ponderis vnde pendet totius eccleſiæ ſolatium, & fructus incomparabilis. Nam inter eos haud pauci fuere, qui libros conſcripſerant, in quibus nihil aliud agebatur, quam de hæreſibus. Nec ſuboriri quiſquã potuit alicuius hæreticæ prauitatis author, quin protinus, vt emergere ceperit, redargueretur ab omnibus. Quum igitur id fecerint in leuiculis erroribus, non eſt veriſimile, quod toleraſſent quenquam in re tanti periculi quidpiam erroneum, vel ſcribere vel docere, quod illi non protinus impugnarent. Et vt certo lector intelligas, ita ſe rem habere, quædam ſubiiciemus: Exempli gratia: Scribit Theodoretus apud hiſtoriam tripartitã, quoſdam exortos Valẽtiniani Cæſaris temporibus hæreticos

Maſſiliani male de Euchariſtia ſapiebant. Iohan. 6.

qui dicti ſunt Maſſiliani, haud recte de Euchariſtia ſapientes: Affirmabant (inquit) cibum diuinum, de quo Chriſtus ait: Qui comedit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, viuet in æternum: neque lędere neque prodeſſe quicquam, quod & propemodum iam aſſerit OEcolam. Lege locum, & videbis in eius ſectam prope quadrare cætera. Nam iidem etiam negabant baptiſmi ſacramentum quicquam vtilitatis afferre Chriſtianis, ſed ſolam orationem ſufficere dicebant. Verum hi, ſtatim per vicinos E-

Neſtorij circa Euchar. error damnatur. Li. 1. cap. 27. & prol. 3. li. & li. 3. ca. 12. & ſup. eodem prol.

piſcopos conuicti, damnabantur. Poſt hos & Neſtorius, qui ſapere contra veritatem carnis in Euchariſtia videbatur, per ducentos patres in Epheſino concilio congregatos, monitus fuit reſipiſcere, quod niſi fecerit, anathemate feriendum, iidem cõminabantur. Surrexit poſtea Berengarius, qui de Euchariſtia ſimiliter (vt alibi diximus) peſtiferum dogma ſuſcitauit, ſed mox per Lanfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum, in conciliis aliquot erat confutatus, & hæreſis eius condemnata. Poſt hunc Petrus Abelardus, vir ingentis ſupercilij, quamprimum de hoc ſacramento perperam ſcribere ceperit, à beato Bernardo protinus accuſatus, manifeſte conuincebatur. Poſt hunc, adhuc VVicleſus eandem

Petri Abel. error de Eucha. VVicleſi error de Euchar.

hæreſim publice docuit, quam & nunc OEcolampadius profitetur, ſed confeſtim in eum reclamatum eſt ab omnibus, atque tandem error eius duobus conciliis patrum condemnatus erat. Ex iſtis itaque facile coniicies lector, neminem ex illis, qui pro orthodoxis habiti ſunt, fuiſſe, qui publice vel ſciberet vel doceret, non eſſe verum corpus Chriſti in Euchariſtia.

AVCT. III.

Qui negat præſentiam Chriſti in Euchariſt. nõ eſt membrum eccleſiæ.

Iam oſtendamus & tertium, nempe quod qui veritatem iſtam non credit, is ad eccleſiam Catholicam minime pertinet, neque particeps erit ſalutis æternæ. Nam certiſſimum eſt ex his, quæ diximus, omnes orthodoxos patres, tam recentiores quam priſcos, Chriſtum in Euchariſtia credidiſſe, pariter & hoc ipſum docuiſſe publice; neque iſtud ſolum, verumetiam Chriſtum in Euchariſtia patri ſacrificaſſe, ſimul & eundem Chriſtum adoraſſe, in eodem ſacrificio. Quum igitur vniuerſus populus Chriſtianus frequentius audierit illos patres, ad hunc modum publice docuiſſe, conſpexeritque crebrius eoſdem ſacrificaſſe, pariter & adoraſſe, nonne veriſimile eſt, quotquot ex iis fideles piique fuerant, ita ſimiliter & credidiſſe & adoraſſe, quemadmodum ipſi patres inſtruxerant eos, verbo pariter & exem-

Eccleſia catholica eſt corpus ex fidelibus collectũ.

plo. Inde quoque manifeſte colligitur, eccleſiam totam Catholicam, eandem veritatem firmiter credidiſſe. Nam quid aliud eſt eccleſia Catholica, niſi corpus vnum, ex plebe, patribuſque collectum, vbicunque fuerint per orbem ſparſi? Quando igitur compertum eſt plebẽ vna cum patribus, per totius eccleſiæ decurſum ita credidiſſe, nemo dubitare poteſt, quin huius veritatis fides, totius eccleſiæ Catholicæ fides communis fuiſſet. At quiſquis non communem totius eccleſiæ fidem recepit, is fide vera careat neceſſe eſt. Nam qui diſcredit in vno, ſicut & OEcolampadius affirmat, in nullo credit. Quare perfidus eſt, quiſquis alicui parti fidei totius eccleſiæ reluctatur, & idem eccleſiæ non adhæret ceu mẽbrum, ſed plane ſeparatur & foras eiectus eſt. Tales vtique Cyprianus omnino perituros aſſerit. Sic

Cypri. aſſerit neminem ſaluari extra eccleſiam. Cant. 6.

enim ſcribit in epiſtola ad Cornelium contra Nouatianum ſchiſmaticum, vnam eccleſiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genetrici ſuæ. Hanc eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in eccleſia ſe eſſe confidit? Et paulo inferius dicit: habere iam non poteſt Deum patrem, qui eccleſiam non habet matrem. Rurſum paulo poſt ſubdit, hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet patris & filij fidem, vitam nõ tenet & ſalutem. Et in eadem, adhuc, alibi dicit: Si potuit euadere, qui extra arcam Noe fuerit, & qui extra eccleſiam foris fuerit euadet. Præter hæc adiicit in eadem epiſtola: An ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti eccleſiam colliguntur? Tales etiam, ſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in eccleſia non eſt, ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura eſt, derelinquit. Quoniam igitur iam oſtendimus eccleſiam Catholicam, per omnes iſtos trecenarios, hanc veritatem corporis & ſanguinis in Euchariſtia conſtanter credidiſſe, conſectaneum eſt vt quiſquis huius veritatis fidem aſpernatur, is omnino periturus ſit, quum extra Catholicam eccleſiam, nemini ſalus obuenire queat. Sed iam ad OEcolampadium reuertamur.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM EX QVARTO LIBRO.

I. *In Ambroſij citatione, falſarius oſtenditur OEcolampadius.*

II. *Citat & Origenis allegorias, quæ nihil ei cõferre valent.*

III. *Alius locus, etiam allegoricus, Origenis affertur, & Agnetis ac Ignatij teſtimonia.*

IIII. *Falſarius iterum deprehenditur, in altero Ambroſij loco, per eum citato.*

V. *Origenis alter adhuc per eum citatus locus, nihil eius hæreſim roborat.*

VI. *Prolixum Cyrilli teſtimonium inutiliter citat, vt videantur ei fauere complures ex priſcis.*

VII. *Idem eſſe molitur, manducare carnem, venire ad Chriſtum, credere, & diligere Chriſtum.*

VIII. *Neceßitatem edendi nobis obiicit ex Cyrillo, quam nos admittimus.*

IX. *Sacramentorum vſum inanem fore intelligitur, ſi fidem ſolam ſufficere quis dixerit.*

X. *Molitur & fidem ſolam ſufficere, & ſacramentorum vſum, Origenis teſtimonio nihilominus conducere.*

XI. *Non aliter Euchariſtiam ſanctificare contendit, quam preces, pro qua re & Chryſoſtomum fruſtra citat.*

XII. *In Cypriani citatione falſarium deprehendes, vbi multa notabis lector, pro parte noſtra.*

XIII. *Deteguntur fuci, quibus obſcurare Cyprianum, quamuis dilucidum, nititur.*

XIIII. *Nihil nobis obſiſtit Auguſtinus, quem citat, & ait, admiratorem Cypriani fuiſſe.*

XV. *Producit Cyrilli teſtimonium, quod ſuam ſententiam diruit apertiſsime.*

XVI. *Molitur fucis hoc ipſum Cyrilli teſtimonium obducere, intermiſcendo ſua.*

XVII. *Aliud Cyrilli teſtimonium affert, quod non minus euidenter cum illo pugnat.*

XVIII. *Detegitur eſſe falſarius in duobus Auguſtini teſtimoniis, per illum productis.*

XIX. *Auguſtini rurſum verba ex tertio libro de Trinitate mutilat, fucatur, & plane peruertit.*

XX. *Pollicetur alia quædam abſurda ſe docturum, ſi dixerimus carnem Euchariſtia paſci.*

XXI. *Irenæum OEcolampadius producit, qui plane contrarium docet, eius, quod ille probare molitur.*

XXII. *Aliam faciem ſuis fucis & infarcimentis cogit Irenæum inducere, quam ſit eius propria.*

XXIII. *Alterum Irenæi locum affert, qui manifeſtiſsime quoque ſuæ hæreſi contradicit.*

XXIIII. *Pigmenta quibus illeuit Irenæum, detrahuntur.*

XXV. *Hactenus quanquam pluribus deprauare ſtuduit Irenæum, pergit adhuc in eodem.*

XXVI. *Tertullianum fucare molitur, ſed fruſtra, quum eius teſtimonium dilucidum ſit.*

XXVII. *Tantum ſymbola quædam eſſe, myſteria iſta contendit, ex Chryſoſtomo, quem corruptiſsime citat.*

XXVIII. *Gratianum inceßit, quod authorum dicta mutilet, quum ipſe longe turpius eodem loco laboret.*

XXIX. *E ſacro concilio Nicæ habito, quædam expungere nihil eum puduit.*

XXX. *Fœde lacerat & torquet Chryſoſtomum, plane reclamantem ſententiæ ſuæ.*

XXXI. *Citat Hilarium, quis tamen ex inſtituto, ſententiam eius iugulat dilucide.*

XXXII. *Fucat eundem alienis coloribus, ſed retunduntur eius fuci, quo veritas appareat.*

XXXIII. *Ambroſium etiam, & valde reluctantem, interuertere molitur, ſed inaniter.*

XXXIIII. *Redit ad Hilarium, vt eius occaſione cauillos alios in Euchariſtiam ſternat.*

XXXV. *Ex eo quod in ſcripturis, Chriſto ſpiritualiter paſcimur, inepte colligit Chriſtum in Euchariſtia non eſſe.*

XXXVI. *Falſarius in Origene citato deprehenditur, ſicut & proxime ſuperius in Hieronym.*

XXXVII. *In citando quoque Auguſtino falſarius oſtenditur.*

XXXVIII. *Epilogum breuem prolixæ prioris argumentationis inducit, quum nihil horum hactenus probauerit.*

IOHANNIS ROFFENSIS EPISCOPI CONTRA OECOLAMPADIVM DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO,

LIBER QVARTVS.

In Ambroſii citatione falſarius oſtenditur OEcolampadius.

CAPVT I.

OEcol. *Hic non abs re fuerit adnotare aliquos ex authoribus priſcis, quos in hac ſententia habeo aſtipulatores, quibuſque in hac ſententia, ſubſcripſiſſe me non pœnitet.*

Roff. Nihil hactenus eorũ quę pollicitus es, efficaciter præſtitiſti, neque minus inanem hanc tuam pollicitatinnem fore mihi perſuadeo, qua nunc te venditas authores priſcos habere ſententiæ tuæ aſtipulatores. Scio te neminem ex priſcis alium facile citaturum, quem nos non ante produximus. Nec eſt credibile, quenquam ex priſcis in rę tanti ponderis ſibiipſi contradixiſſe. Quare, iudicium huius rei penes lectorem eſto.

Nullus priſcorum eſt pro ſententia OEcolamp.

OEcol. *Dabimus autem interim operam, vt mentem eorum recte intelligamus, nam à pleriſque in aliam, quam ſcripſerunt, ſententiam trahuntur.*

Roff. Niſi ſperares eloquentiæ fucis ita quicquid volueris oblinere poſſe, vt tametſi verum ſit, falſi tamen ſpeciem protinus induat: & contra, ſi falſum fuerit, nihilominus appareat veriſſimum, nunquam iſtud aſſereres. Cæterum, quod pollicẽris te daturum operam, quo mẽtes authorum, qui per te iam citandi ſunt, recte intelligamus, vtinam iſtud re ipſa pręſtes. Sed vereor plurimum, ne contra potius eas deprаues & vel repugnantes detorqueas in ſententiam tuam. Sed nos e diuerſo quoad poſſumus, enitemur fumos & fraudes tuas palam detegere.

OEcol. *Audiamus igitur Ambroſium, principio indubitatæ in hac re fidei doctorem, & vel hinc colligamus, non eſſe librum eius de ſacramentis.*

Roff. Hic primum aduerte lector, quibus technis vtitur OEcolampadius in hoc authore citando. Principio nobis auferre conatur libros illos, quos grauiſſimus iſte pater de ſacramentis ædidit, in quibus & apertiſſime tradidit verum Chriſti corpus in Euchariſtia contineri. Subinde citat partem quandam breuis cuiuſdam epiſtolæ, qua docet Ambroſium aſſerere Chriſti verbum animi noſtri cibum eſſe, quaſi quiſquam iſtud negaſſet. Fatentur enimuero cuncti orthodoxi verbo uos paſci; quod & ipſe Chriſtus in Euangelio confirmat, quum dicit: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cæterum nec in Euangeliis, nec in authore quouis alio reperiet vnquam, quod non alio cibo reficiatur animus, quam ſolo verbo. Sed nec Ambroſius iſtud aſſerit quouis in loco. Quare nihil contra nos hæc epiſtola; quod lectori cuiuis perſpicuum eſſe poterit, Imo nobiſcum potius facit, vti mox oſtendemus. Inepte igitur colligit librum de ſacramentis Ambroſij non fuiſſe, quũ nihil repugnet, vt verbo Chriſti, ceu pluuia quadam ſpiritualis ſapientiæ, dulcoretur animus, ſicut hic Ambroſius tradit, & nihilominus corpore Chriſti, velut ſolidiori cibo totus homo paſcatur. Cæterum vt hæc res dilucidior euadat, oſtendemus Ambroſium duplicem hunc cibum vno loco ſatis luculenter explicaſſe, ne quauis effugiat arte, doloſus iſte Sycophanta. Sic enim in commentariis Pſalmi 118. partitione 15. verſu quarto ſcribit: Si infirmus es, fidelis tamen, ſolicitus eſt pro te Chriſtus. Dicit enim ad diſcipulos: Date illis vos manducare, ne deficiant in via. Habes Apoſtolicum cibum, manduca illum, & non deficies. Illum autem manduca, vt poſtea venias ad cibum Chriſti, ad cibum corporis dominici, ad epulas ſacramenti. Hæc Ambroſius. An non aduertis lector, hic duplex cibi genus explicari? Alterum, diuini verbi: alterum, ſacramenti corporis & ſanguinis Chriſti. Illud prius edendum eſt, vt inde præparatior fiat animus ad iſtud poſtea ſumendum. Neque aliter hæc epiſtola, quam OEcolampadius ex Ambroſio citauit, duplicem huiuſmodi cibum nobis diſcriminat, vt mox oſtendemus.

Malo dolo OEcolamp. negat libros Ambroſ. Vide ſup. lib. 1. cap. 14.

Matth. 4.

Ambr. duplicem cibum animæ explicat.

Lucæ 9.

OEcol. *Scribit autem Irenæo cuidam in epiſtola, quæ ordine eſt ſexageſima ſecunda, cuius & canones truncatam mentionem faciunt.*

Roff. Et tu certe, licet eiuſdem epiſtolæ plura verba recenſeas, dolo tamen ſubtrahis quædam, quæ tuæ ſententiæ reluctantur. In quare longe magis te ſycophantam præbes, & truncatorem, quam ſit ipſe canonum collector, qui nulla fraude quicquam prætermiſit, ſed bona fide quod inſtituto ſuo ſeruiuit, decerpſit. Sic enim ille recenſuit: Corporeum illud Manna nunc non eſt res tanti miraculi, quia venit quod perfectum eſt: perfectum autem, panis de cœlo corpus ex virgine natum. Quis in hiſce verbis quicquam fraudis queat ſuſpicari? Duplex vtique Manna diſtinguit his verbis Ambroſius: Alterum quod Iudæis in deſerto datũ fuit: Alterum quod per vterum virginis venit in hunc mundum: Et ideo vocat iſtud Manna corpus ex virgine. Illud dicit olim ingentis miraculi fuiſſe: at nunc non ita, nimirum quod ipſa res iam venerit, cuius illud erat vmbra

Ambr. verba truncat OEcolampadius.

De conſe. di. 2. cap. Corporeum illud Manna.

Manna duplex.

Exodi 16.

Matth. 1.

Lucæ 2

Iohan. 6. De conſecr. diſt. 2. c. corporeum.

vmbra dumtaxat. Iſtud ergo vocat Ambroſius Manna perfectum. Quare & illud erat imperfectum: Vtrunque tamen corpus eſt, & vtrunq; panis in ſcriptura dicitur: ſed & vtrunque de cœlo deſcendiſſe traditur. Recte igitur Gratianus, & citra fraudem ex hac epiſtola decerpſit, quod inſtituto ſuo fuerat conducibile. Sed iam audiamus Oecolampadij technas: Et vt intelligas primum, quid de Ambroſij teſtimonio per fraudem reſecuerit, nos vſque ad ea verba quæ dempſit Oecolampadius, recitabimus epiſtolæ partem, mox (quod reſiduum eſt) ſubdituri.

OECOL. *Quaris à me cur Dominus Deus Manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat: Si cognoſcis, pluit, & quotidie pluit de cœlo Manna ſeruientibus ſibi. Et corporeum quidem illud Manna hodie pleriſque in locis inuenitur, ſed nunc non eſt res tanti miraculi, quia venit quod perfectum eſt? Perfectum autẽ, panis de cœlo, corpus ex virgine, de quo ſatis Euangelium te docet.*

ROFF. Hactenus fideliter Ambroſinm citauit: At quę proxime ſeqnuntur verba ſuſtulit, nimirum iſta: Quanto præſtantiora ſunt hæc ſuperioribus? vidit Oecolampadius, hęc verba ſuo molimini plurimum obſtare, quemadmodum oſtendemus: & hac de cauſa per fraudem reſecuit eam particulam: quum tamen ipſa non paruam lucem afferat epiſtolæ. Id quod manifeſtum erit ex his quæ ſequuntur. Primum tamen iſtud obſerua quod poſtremo loco dixit hic Ambroſius, nempe de quo ſatis Euangelium te docet, de pane videlicet corporis Chriſti. Quaſi dixerit Ambroſius: de hoc pane toties & tam aperte doceris in Euangelio, vt nihil opus fuerit pluribus hic de ipſo diſſerere, atque ideo tranſit ad panem verbi, quod & vocat Manna ſpirituale, de quo fuſius tractat, vt videbis lector. Sed iam videamus, quemadmodum ea verba, quæ nnnc præteriit Oecolampadius, epiſtolæ ſenſum illuſtrant. His hauddubie verbis, noſtra ſacramenta cum Iudæorum ſacramentis Ambroſius confert, docet noſtra illis longe præſtantiora eſſe. Quanto (inquit) præſtantiora ſunt bæc ſuperioribus: hoc eſt ea, quæ iam ad noſtrum tempus ſpectant, illis quæ Iudæis collata fuerant olim. cui ſententiæ ſubſcribit rurſum in ipſius epiſtolæ calce, ſic dicens: Oriente autem iuſtitiæ ſole, & ſplendidioribus Chriſti corporis & ſanguinis ſacramentis refulgentibus, ceſſarent inferiora, & perfecta illa ſumenda populo forent. Sed & iſta verba ſimili dolo ſubticuit Oecolampadius. Aduertamus igitur quem in modum Ambroſius nunc huius ſacramenti doceat excellentiam.

Sacramenta nouæ legis præſtantiora ſunt veterib.

OECOL. *Illud enim Manna, hoc eſt, panem illum qui manducauerunt, mortui ſunt: hunc autem panem qui manducauerit, viuet in æternum.*

ROFF. *Iohan. 6.* Ecce Manna quod Iudæis datum fuit, nõ præſtitit vitam. At verum iſtud Manna, nempe corpus ex virgine ſumptum, quod & in Euchariſtia comedimus, vitam præſtat æternam. Multo igitur præcellentius eſt iſtud Manna, nempe corpus de virgine, quam fuerat illud Manna Iudæis exhibitum. Quamobrem & illud vocat non ſolum panem de cœlo, verum etiam Manna perfectum & rem magni miraculi. Cæterum quia de hoc pane ſatis ex Euangelio doceri potuit Irenæus, idcirco memorat Ambroſius & alterius modi panem, panem videlicet ſpiritualis ſapientiæ, hoc eſt diuini verbi panem, quem etiam appellat, & Manna ſpirituale, propter quod & ſubiicit continenter.

OECOL. *Sed eſt ſpirituale Manna, hoc eſt, pluuia ſpiritualis ſapientia, qua ingenioſis & quærentibus de cœlo infunditur, & irrorat mentes piorum, & obdulcat fauces eorum.*

ROFF. Iam intelligis lector, hic Ambroſium triplex Manna diſtinxiſſe. Primum, quod Iudæis in deſerto datum fuit, vt diximus, de quo per Irenęum propoſita fuerat quæſtio, nempe, cur hodie quoque Deus nõ pluat iſtud Manna, ſicut olim plueret patribus? Alterum dicit eſſe Manna corpus Chriſti, quod ex virgine natũ fuit, quod & Manna perfectum appellat. Tertium eſt Manna diuini verbi, quod & pluuiam ſpiritualis ſapientiæ vocat, de quo & pluribus per totam ſequentem epiſtolam diſſerit. Fallitur igitur Oecolampadius, imo fallere ſtudet, qui ex duobus iſtis vnum facit, quum ſupra oſtẽderimus, Ambroſium hæc duo ſeparaſſe. Sed nec dubium eſſe cuiquam poteſt, qui non ſit ſuæ ſententiæ nimis pertinax defenſor, quin bæc diuerſa ſint, quandoquidem & verbo Chriſti corpus ipſum ex virgine ſumptum conſecratur. Id quod Ambroſius in libro de benedictionibus patriarcharum cap. 9. teſtatur, inquiens: Hic ergo diues eſt theſaurus huius pinguis panis, quem qui manducauerit, eſurire non poterit. Hunc panem dedit Apoſtolis vt diuiderent populo credentium. Hodieque dat nobis eum, quem ipſe quotidie ſacerdos conſecrat ſuis verbis. Hic ergo panis factus eſt eſca ſanctorum. Hactenus Ambroſius. Quæ verba certe neqneunt alio torqueri, quam pro pane corporis Chriſti ſub Euchariſtia conſecrati. Rurſum in expoſitione Pſalmi 118. ſermone 8. verſu 7. poſtquam recenſuit, Hebræos per eſum agni paſchalis factos fuiſſe liberos ab exterminatore, tandem ſermonem ad celebrationem oblationis noſtrę perducens, ita monet & hortatur vnumquemque: Tunc (inquit) paratus aſſiſte, vt accipias tibi munimentum, vt corpus edas Domini Ieſu, in quo remiſſio peccatorum eſt, poſtulatio diuinæ reconciliationis & protectionis æternæ. Suſcipe ante Dominum Ieſum tuæ mentis hoſpitio. Vbi corpus eius, ibi Chriſtus eſt. Quum hoſpitium tuum aduerſarius viderit occupatum cœleſtis fulgore præſentiæ, intelliget locum tentamentis ſuis intercluſum eſſe per Chriſtum, fugiet ac recedet. Hæc Ambroſius. Quoniam igitur ad hunc modum paſſim hoc ipſum confiteatur Ambroſius, nempe Chriſtum in ſacramento cibum uoſtrarum animarum, quid ſtolidius cogitari poteſt, quam propter vnum aut alterum locum, quo docet verbum Chriſti cibum eſſe mentis, ex eo colligere, ſenſiſſe Ambroſium, corpus Chriſti in ſacramento, noſtras mentes non

Manna triplex. Exod. 16. Iohan. 1. Iohan. 6. Matth. 4.

Sup. eod.

Exod. 2.

Corpus Chriſti paſcit animas, authore Ambroſ.

 paſcere,

paſcere, quum toties ab eodem alibi contrarium affirmetur.

OEcol. *Qui igitur intellexerit infuſionẽ diuinæ ſapientiæ, delectatur, nec alium cibum requirit, nec in ſolo pane viuit; ſed in omni verbo Dei. Qui curioſior fuerit, quærit, quid ſit iſtud quod melle dulcius ſit. Reſpondet miniſter Dei: Hic eſt panis, quem tibi Deus dedit manducare. Qui ſit iſte panis, audi: Sermo (inquit) quem ordinauit Deus. Hæc ergo ordinatio Dei, hæc alimonia alit animam ſapientis, & illuminat, atque obdulcat reſplendens veritatis coruſco, & mulcens tanquam fauo quodam diuerſarum virtutum ſuauitate, & ſermone ſapiẽtiæ. Hæc apud Ambroſium. In quibus quid aliud dicit, quàm quod nos diximus: verbo & ſapientia paſci animam.*

Roff. Si de poſterioribus iſtius epiſtolæ verbis iſtud intelligas, verum dicis, ſin de tota prorſus epiſtola velis id accipi, plane falſum eſt, quandoquidem apertiſſime docuit corpus de virgine ſumptum, eſſe panem de cœlo, Mannaque perfectum. Quis adeo ſtupidæ mentis eſt, vt nihil intereſſe putet, inter corpus de virgine ſumptum, & verbũ quod ſcriptum eſt aut prolatum? & maxime quum hęc ipſa tam aperte diſcriminauerit Ambroſius, & paſſim docuerit Chriſti corpus in ſacramento, quod & ait ipſius Chriſti verbis quotidie conſecrari, cibum animarum eſſe, & ſanctorum eſcam. Adde, quod in libro de myſteriis initiandis, comparationem huius ſacramenti faciens ad Manna, ſic ait: Reuera mirabile eſt, quod Manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cœli paſcebantur alimento. Vnde dictum eſt, panem Angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes mortui ſunt. Iſta autem eſca quam accipis, iſte panis viuus, qui deſcendit de cœlo, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat, & quicunq; hunc panem manducauerit, non morietur in æternum. Et corpus eſt Chriſti. Conſidera nunc, vtrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique corpus eſt vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſeruaretur: hoc alienum ab omni corruptione, quod qui religioſe guſtauerit, corruptionem ſentire nõ poterit. Sed nimis prolixum eſſet cuncta recenſere, quæ tam hic, quam alibi, de hoc ſacramento tradit Ambroſius, paſſim aſſerens in eo verum Chriſti corpus contineri. Quamobrem & ſtabit adhuc, velis nolis, librum de ſacramentis ipſius Ambroſij fuiſſe, quãdoquidẽ nihil ab illis quę alibi tradũtur diſſideat. Et tanto fortius idem liber eius fuiſſe comprobabitur, quod Auguſtinus nõ ſemel affirmat, Ambroſium eiuſmodi librum ſcripſiſſe. Sed nũc ad Origenem veniamus.

Corpus Chriſti eſt panis de cœlo.

Citat & Origenis allegorias, quæ nihil ei conferre valent.

Capvt II.

OEcol. *Audiamus autem Origenem ſuper Mattheum in eandem ſententiam dicẽtem: Panis iſte, quem Deus verbum, ſuum corpus fatetur eſſe, verbum eſt nutritorium animarum: Verbum de Deo verbo procedens, & panis de pane cœleſti, qui poſitus eſt ſuper menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Et potus iſte, quem Deus verbum, ſanguinem ſuum fatetur, verbum eſt, potans & inebrians præclare corda bibentium, qui eſt in poculo, de quo ſcriptum: Et poculum tuum inebrians quam præclarum eſt. Et eſt potus generatio vitis veræ, de qua dicit: Ego ſum vitis vera. Et eſt ſanguis vuæ illius, quæ miſſa in torculari paſſionis protulit potum hunc. Sic & panis eſt verbum Chriſti factum de tritico illo, quod cadens in terram bonam, multum reddidit fructum.*

Roff. Nihil pro te facit Origenes, quandoquidem hic omnia tradit allegorice, quod & ex ipſius verbis aperte monſtrabimus. Nam ibi diuerſorium, locum animæ ſuperiorem fuit interpretatus, & intellectum hominis, ipſum patremfamilias, ciuitatem vero in qua cœna facta fuit, Eccleſiam Dei, Hominem baiulantem amphoram aquæ, Moyſen, qui legis aquam fert miſcendam cum Euangelico vino, Iudam, eos qui indigne ſumſit. poſtquam autem ſingula ſic tropice fuit interpretatus, veniens ad parapſidem, ita ſubdit: Qui vult etiam in hoc inuenire aliquid morale, conſideret in lege: Vbi dona à principibus ſingularum tribuum offeruntur, in dedicatione altaris forte intelliget, ibi etiam parapſidem aliquid eſſe intelligendam. Perſpicuum eſt igitur Origenem hic allegorice interpretari ſingula. Propter quod & ex corpore Chriſti per allegoriam, verbum facit nutritorium animarum, & ex ſanguine, ſimiliter ipſum verbum potans & inebrians corda bibentium. Quum igitur non ex prorſus nihilo ſumitur hæc allegoria, res quaſdam ei ſubeſſe neceſſe eſt.

Orige. ſuper Matth. loquitur allegorice tantum.

Num. 7.

Orige. per corpus Chriſti allegorice intelliget verbum nutritorium.

OEcol. *Ecce & hic dicit verbum Chriſti alere animas, & inebriare corda, & pulchre intertexens figuras & prophetias, oſtendit verbum de crucifixo pro nobis Chriſto illum panem. Hic enim eſt, qui ſuper menſas ponitur aduerſus tribulantes. Nam in cruce vicit Chriſtus, & qui crucis ſacramentum norunt, ipſi quoque in cruce vincunt. Hoc eſt enim triticum quod cecidit in terram, vt det fructum bonum. Similiter & potum pulchre interpretatur efflaxiſſe ex vite illa vera, atque adeo ex ipſa veritate. Et vt iterum ſcias, quomodo verbum illud alat, paſſionem nomine torcularis proponit.*

Roff. Nihil contra nos dicit, qui verbo nos paſci potarique non inficiamur, ſed quòd panis ille, quem edendum Apoſtolis porrexit, aſſerens ibi corpus ſuum eſſe, nihil aliud eſſet, quam verbũ quod ex ore Chriſti prodiit, & ſanguinem quem in calice propinauit, nihil aliud quam idem verbum, nec Origenes aſſerit, neque nos recipimus, imo conſtantiſſime negamus. Magis autem colligitur ex eius verbis, quod noſtram ſententiam confirmet. Nam vt diuerſorium erat vere diuerſorium, & paterfamilias eius diuerſorij verus homo, & ciuitas vera ciuitas. Et homo baiulans amphoram aquæ, nõ ipſe Moſes, ſed miniſter ipſius patrisfamilias, vt idem Origenes ſe putare teſtatur, ſed & parapſis denique vera parapſis: ita fuit & in ſacramento, quod Apoſtolis edẽdum porrexit, verũ Chri-

Matth. 26. Mar. 14. Luca 22. Matth. 4.

Chriſtus tradidit Apoſtolis verũ corpus & ſanguinem.

ſti cor-

ſti corpus, & in calice verus ſanguis. Id quod Origenes ipſe non negat, quum dicat: Panis iſte quem Deus corpus ſuum eſſe fatetur. Et de ſanguine quoque: Potus (ait) quem Deus verbum, ſanguinē ſuum fatetur. Quando igitur Deus falſus eſſe non poteſt, conſequitur vt iuxta mentem Origenis, ibi fuit verum corpus Chriſti, verusq; ſanguis, quibus & Apoſtoli paſcebantur, & non ſolo verbo.

OEcol. *Scio quibuſdam hæc & ſimilia obſcura videri, & contra nos, ſed pro nobis faciunt maxime.*

Roff. Mirū eſt, quo ſperes artificio, hæc pro tua ſententia torqueri poſſe. Nam ille panem, verbum vocat, quod ex ore Chriſti prodiit, tu panem illum, panem communē aſſeris. Ille verbum Chriſti ſeparat à verbo Chriſto, quum dicat, verbum Chriſti, verbum eſſe de Deo verbo procedens. Ecce verbum Chriſti ex Deo, & verbum, ipſe Deus; Similiter & Chriſti verbum panem vocat, de cœleſti pane, tu non ſeparas iſta, ſed vnum omnino facis ex vtroque. Ille corpus Chriſti per allegoriam interpretatur verbum, quod ex eius ore procedit, tu communem panem, figuram facis ipſius corporis. Et te nihil tamen pudet affirmare Origenem pro te maxime, & nihil contra te, quū nec in minimo verbulo pro te faciat, niſi quod dicit verbum Chriſti eſſe nutritorium animarum, id quod omnes fatemur.

OEcol. *Atqui ſemetipſum exponit. Subdit enim: Cur autem non dixit: hic eſt panis noui teſtamenti, ſicut dixit: Hic eſt ſanguis noui teſtamenti? Quoniam panis eſt verbum iuſtitiæ, quo manducantes animæ enutriūtur: potus autem eſt verbum agnitionis Chriſti, ſecundum myſterium eius natiuitatis & paſſionis. Quoniam ergo teſtamentum Dei in ſanguine paſſionis Chriſti diſpoſitum eſt erga nos, vt credētes filium Dei natum & paſſum ſecundum carnem, ſalui efficiamur in iuſtitia, in qua ſola, ſine fide paſſionis ſalus eſſe non poterat, ideo tantum de calice dictum.*

Roff. Et hanc etiam expoſitionem allegoricam eſſe, dilucidum eſt. Quare quum ex allegoriis nullum argumētum colligi poterit, nec per hæc vnquam ſtabilire valebis inſtitutum tuum.

Ex allegoriis non ſumitur argumentū.

OEcol. *Pleraq; alia dicit huc pertinentia, ſed non opus eſt omnia tranſcribere. Satis ex his verbis colliqueſcit, quis ſit cibus animæ, nempe verbum Dei, quo nutrimur ad iuſtitiam: & quæ ſatietas, nempe fides in Chriſtum incarnatum & paſſum. In ſanguine tamen magis teſtamentum agnoſcimus, quam corpore.*

Roff. Nemo negat quin verbū Dei ſit cibus animæ. At quod nullo paſcatur alio cibo, quàm quod ex ore Chriſti prodierit, apertiſſime falſum eſt, quū & hęc duo ſuperius Origenes diſcriminauerit, aſſerens Chriſti verbum, eſſe verbum de Deo verbo, & panem de cœleſti pane.

Alius locus etiam allegoricus Origenis affertur, & Agnetis ac Ignatij teſtimonia.

Capvt III.

OEcol. *Et vide interim, quam nolit ſacramenta diſiuncta. Hoc autē & in Geneſi teſtatur, explanans illud: Lauabit in vino ſtolam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum. In ſanguine (inquit) vuæ, quomodo amictum ſuum lauit, videndum eſt. Amictus propinquior quædam vel ſecretior corporis veſtis videtur eſſe, quàm ſtola. Hi ergo, qui prius per lauacrum loti, ſtola eius fuerāt effecti, poſteaq; ad ſacramentum vuæ peruenerunt; vel interioris myſterij ſecretiorisq; facti ſunt participes, amictum eius eſſe dicūtur. Lauatur enim etiam in vuæ ſanguine anima, cum ſacramenti huius cœperit ſapere rationem. Agnita namque & intellecta virtute ſanguinis verbi Dei, quāto ta[illegible]acior effecta fuerit anima, tanto purior fit, & lauatur quotidie ad ſcientiæ profectum, & iungens ſe Deo, non ſolum amictum eius fit, verum etiam vnum cum eo.*

Roff. Et hoc totum etiam allegorice dici, quis non videat? At cita nobis ex Origene, vbi dicat expreſſe, non contineri verum Chriſti corpus in ſacramento, hoc ad rem faceret. At iſtud ſcio, nunquā reperies, niſi plane ſuis ipſius verbis contradixerit. Fruſtra igitur teris tempus, & lectorem afficis tædio, tales allegorias producens, vnde nihilo tuum inſtitutum euadat confirmatius.

OEcol. *Itaq; Origenes differit, quem licet in plerisq; allegoriis ſuis immodice vſum iure taxeris, in hoc tamen, quomodo alantur animæ, omnium priſcorum cōſenſu recte docuit, & nullus non libenter ſecutus eſt eum, ſiue de agno paſchali, ſiue de Manna, ſiue de carnibus, quas ad veſperam comedimus, tractet.*

Roff. Et nos allegorias Origenis neutiquā improbamus, ſed nihilominus allegorias eſſe ſcimus, & non veri literalis ſenſus interpretationē. At quid prohibet allegoriam eſſe multiplicem, vnico manente literali ſenſu, de quo nos iam controuertimus. Quare nihil inſtituto tuo conferre queunt iſtiuſmodi allegoriæ.

Origenis allegoriæ nō ſunt improbandæ.

OEcol. *Hoc autem loco, duplici ſimilitudine ſanguinem commendat, nempe, vt potum & lauacrum. Abluimur enim & potamur ſanguine, cognoſcendo, quātum ſit meritum effuſi ſanguinis, quod vtinam pluribus cognitum foret.*

Roff. Sæpe diximus non ſufficere cognitionem. Nō enim ſatis eſt vt cognoſcas, quanti ſit meriti ſanguis effuſus. Nam ſi per ſolam huius rei cognitionem ablueremur, & potaremur ſanguine, fruſtra baptiſmatis, pariter & corporis ac ſanguinis ſui ſacramēta, Chriſtus ipſe nobis inſtituit. Ad quid enim baptizamur, ſi iam abluti ſumus? Et ad quid panem illum & vinū (vt tuis vtamur verbis) nobis edendum & bibendum inſtituiſſet Chriſtus, ſi ſola notitia meriti ipſius ſanguinis ita reficiamur? Nimis quam ſtupidū Chriſtum facitis, qui ſacramenta iſta tam ſerio nobis in vſum donauit, ſi notitia ſola ſacramentorum ſuffecerit abſque vlla receptione.

Li. 3. ca. 22. Cognitio ſola non ſufficit.

OEcol. *Nam qui neſciūt Chriſtum iuſtitiam noſtram, & adhuc in ſuis ſatisfactionibus & operibus ſpem ponunt, nec abluti ſunt, nec poti ſanguine.*

Roff. Qui dixerint Chriſtum ſuā eſſe iuſtitiam, niſi præterea ſic operentur, vt ſe propter opera praua damnandos eſſe credant, nec Euangelio credūt, neq; Chriſtus eis in iuſtitiam reputabitur. Nam de his, qui bonis & iuſtis carebunt operibus, dicetur: Et ibunt hi in ſupplicium æternum. De iuſtis vero, de illis inquam, quos idem Euangeliū multis abundare bonis operibus memorat, quid dicit?

Matth. 25.

Opera bona ſunt neceſſaria.

dicit? Iuſti vero in vitam ęternã. Fruſtra ſibi quiſque ſperat ex operibus, cui fides non adeſt: Sed è diuerſo, fruſtra ſe de fide iactat, qui bonis ac ſanctis caret operibus.

OEcol. *Atque beata Agnes & ſe ornari gloriabatur ſanguine Chriſti, dicens: Sanguis eius ornauit genas meas. Quale ſermonum genus, qui ita carnales voluerunt eſſe, minime intelligent.*

Roff. Si liceat è vitis diuorũ ſuppetias petere, quantum aceruum teſtimoniorum eſſemus pro ſententia noſtra producturi, ſed vt vnum ex innumeris afferam, ſic beatum Andream Egeæ proconſuli dixiſſe legimus: Ego omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum quotidie in altari ſacrifico, cuius carnes poſteaquam omnis populus credentium manducauerit & biberit eius ſanguinem, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & viuus. Et quum vere ſacrificatus ſit, & vere carnes eius manducatæ ſint à populo, & vere ſanguis eius ſit bibitus, tamen vt dixi, integer permanet & immaculatus & viuus. Hæc ex diui Andreæ vita. Cæterũ, quod ex beatæ Agnetis vita produxiſti, non eſt integrum. Superius enim præmiſit: Iam mel & lac ex ore eius ſuſcepi. Iam amplexibus eius caſtis aſtricta ſum. Iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt. Primum de ſermone oris eius intelligi poteſt, hoc poſtremum, quis non pro ſumptione corporis in Euchariſtia rectius accipiat. Et tum ſequitur: Sanguis eius ornauit genas meas. Et quidni ſanguis Chriſti bibitus, ſanctam ſanctis virginibus præſtet verecundiã, qua multo ſplendidius earum genæ ornentur, quàm auro & gemmis.

Andreæ teſtimonium de Euchar. Sup. prol. 4. le.

Agnetis teſtimonium de Eucha.

OEcol. *Sic & beatus Ignatius ſcribit: Non delector pane corporali, ſed panem volo Dei, eius qui ex genere Dauid. Et iterum: Potum volo ſanguinem ipſius. Quid hoc aliud eſt dicere, quàm Chriſtum ipſum volo, fideq́; in mortem paſci peto. Alioqui non multa cura panis corporalis mihi eſt, imo nec ſacramentorum, modo Chriſtus ipſe me paſcat.*

Roff. Et hunc etiam truncate recenſes. Nam ſic in Epiſtola quadam ad Romanos ait: Panem Dei volo, panem cœleſtem, qui eſt caro Ieſu Chriſti, filij Dei viui, qui natus eſt in nouiſſimo ex ſemine Dauid & Abrahæ, & potum volo ſanguinem eius, qui eſt dilectio incorruptibilis & vita æterna. Hæc Ignatius. Quis iam non videt quam iniuſte beatum hunc virum & citaueris, & ſenſum verborum eius iniqua deprauaueris expoſitione. Nam ille plane ſenſit de eſu carnis Chriſti in ſacramento, & de potu ſanguinis in eodem. Tu vero ſola fide in mortem, illum paſci petiiſſe declaras.

Ignatij ſententiam corrumpit Oecolam.

Falſarius iterum deprehenditur in altero Ambroſii loco, per eum citato.

Capvt IIII.

OEcol. *De hoc pane iterum audiamus & Ambroſium, quomodo iucundo ſermone in Pſalmo: Beati immaculatis manducationem ſpiritualem doceat, ſic inquiens: Mihi ille panis Dei deſcendat de cœlo, qui vitã dat huic mundo. Non Iudæis, non ſynagogæ deſcendit, ſed Eccleſiæ deſcendit, ſed populo minori. Nam quomodo Iudæis deſcendit panis, quum omnes qui illum manducarunt, hoc eſt, quem Iudæi putarunt Manna in deſerto, mortui ſunt? Quomodo ſynagogæ deſcendit, quum omnis ſynagoga interierit, & æterno ieiunio fidei defecerit? Deniq; ſi accepiſſent panem verum, non dixiſſent: Domine, ſemper da nobis panem hunc. Quid petis Iudæe, vt tribuat tibi? panem, quem dat omnibus, dat quotidie, dat ſemper, in te ipſo eſt. Vt accipias hunc panem, accede hũc panem, & accipies eum, de hoc pane dictum eſt: Omnes qui ſe elongant à te, peribunt. Si elongaris ab eo, peribis: ſi appropinquaris, viues. hic eſt panis vitæ. Qui vitam manducat, mori non poteſt. Quomodo enim moritur, cui vita cibus eſt? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem ſubſtantiam? Accedite ad eum, & ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum, & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux eſt. Accedite ad eũ, & abſoluimini, quia eſt remiſſio peccatorum. Quis ſit iſte, quæritis? Audite ipſum dicentem: Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Audiſtis eum, & vidiſtis eum, & non credidiſtis ei, ideo mortui eſtis.*

Et hic rurſum te falſarium præbes. Nam quæ nobis ſuffragantur, hic omnino ſubtices. Capias in manus lector expoſitionem huius Pſalmi, & quæras verſum quintum ſermonis 18. cõperiesque verum eſſe quod dico. Sic enim paulo ante verba iam per Oecolampadium citata, ſcribit hic ſanctus pater, in perſona populi nationum: Ille ego deſpectus antè, iam præferor, iam anteponor electis. Ille ego ante deſpectus populus peccatorum, iam habeo cœleſtium ſacramentorum veneranda conſortia. Iam menſæ cœleſtis honore ſuſcipior, epulis meis non pluuia vndatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, nõ fontes, Chriſtus mihi cibus, Chriſtus mihi potus. Caro Dei cibus mihi, & Dei ſanguis eſt potus. Ecce lector. An nõ gloriatur populus iſte Chriſtianus, ſe ad menſæ cœleſtis honorem ſuſcipi, ſe iam habere cœleſtium ſacramentorum veneranda conſortia, carne Dei ſe pro cibo paſci, & Dei ſanguine vice potus refici? Quid dici poteſt apertius? Quod tamen hunc effrontem non puduit prætermittere. Pergit adhuc in eodem loco ſanctus pater Ambroſius in perſona Chriſtianorum gloriari; dicens: Non iam ad ſatietatem mei annuos expecto prouentus, Chriſtus mihi quotidie miniſtratur. Non verebor, ne qua mihi cœli intemperies, aut ſterilitas ruris immineat, ſi pij cultus diligentia perſeuerat. Non iam coturnicum pluuias mihi optò diſtendere, quas ante mirabar. Non Manna quòd ante cibis omnibus præferebant: quia qui Manna manducauerunt patres, eſurierunt. Meus cibus eſt: quem ſi quis manducauerit, non eſuriet. Meus cibus eſt: qui non corpus impinguat, ſed confirmat cor hominis: fuerat mihi ante mirandus panis de cœlo. Scriptum eſt enim, panem de cœlo dedit eis manducare, ſed non erat verus ille panis,

Roff.

Ambr. expoſitio ſuper Pſalmum, Beati immaculati, pro Eucha.

Exod. 16.
Pſal. 104.
Iohan. 6.
Pſal. 104.
Pſal. 77.

panis, ſed futuri vmbra. Panem de cœlo illum verum mihi ſeruauit pater. Hactenus Ambroſius. Vbi & Mannæ comparationem facit cum corpore Chriſti, quod illud non præſtiterit vitam, iſtud autem præſtat. Illudque tantum vmbra fuerat, iſtud ipſa res. Nunc & continenter ſequuntur ea quæ citauit Oecolampadius, quæ nec queunt alio torqueri, quàm ad ſenſum ante memorati cibi, nimirum carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento, quemadmodum ſuperîus oſtendimus. Docet enim Ambroſius in hoc gloriatũ fuiſſe populum Chriſtianum, quod iam haberet cœleſtium ſacramentorum veneranda conſortia, quod iam cœleſtis menſæ ſuſceptus eſſet honore, quod Chriſtus ei iam datus in cibum, datusq; in potum fuiſſet, quod denique iam carne Chriſti veſcatur, & ſanguine potetur in ipſa cœleſti menſa & in ipſo ſacramento.

Manna differt à corpore Chriſti.

OEcol. *Nonne hæc omnia clare teſtantur, fide ſatiari hominẽ internum? atque adeo ipſo Chriſto; neq; opus eſſe, carnem in ipſam ingredi animam.*

Roff. Neſcio quid hic tibi velis, quum dicas fide ſatiari hominem internum. Si iam fidem cibum etiam facias, habemus cibos multiplices. Nam fides ipſa non eſt Chriſtus, neque verbum Chriſti, neque caro Chriſti. De verbis autem Ambroſii certum eſt, quod teſtentur, cum cibum, de quo loquitur, fide ſuſceptum, internum hominem ſatiare. At nuſquam hic docetur ſola fide ſatiari hominem. Et ſemper iſtud firmare pergis, quod nihil opus fuerit, vt animam ingrediatur caro, quaſi quiſquam iſtud aſſeruiſſet. Tuum eſt hoc commentum, & per te excogitatum, vt habeas, vnde multa folia pluribus verbis impleas. Id quod hactenus & ſine aliquo fructu feciſti. Cęterũ, quantum ad Ambroſium attinet, vel ex Paulino, qui vitam eius conſcripſit, intelligere poſſumus, ſacramentum iſtud, non quemadmodum ipſe putas, mero pane conſtare. Nam Paulinus, vbi retulit Dominum Ieſum corporaliter ad Ambroſiũ iam emigraturum veniſſe, eiq; arriſiſſe, mox narrat honoratum Eccleſiæ Vercellenſis ſacerdotẽ, quum ſe quieti dediſſet, tertio fuiſſe admonitum, quatenus exurgeret, eo quod Ambroſius iam eſſet receſſurus: illum autem continuo ſurrexiſſe, atque protinus, vt Ambroſio corpus Domini contuliſſet, eundem efflaſſe ſpiritum, atque ita bonum viaticum ſecum ferens, vt in virtute eſcæ anima refectior Angelorum conſortio iungeretur. Ecce quid dicat? In virtute eſcæ anima refectior.

Paulini teſtimonium de Ambroſii ſententia.

OEcol. *Quod ne imaginaremur, ſatis cauerat Dominus, dicens: Caro nihil prodeſt.*

Roff. Reſpondeat hic pro nobis Auguſtinus ipſe ſuper Iohannem tractatu 27. vbi nactus ex illis verbis occaſionem, ita loquitur ad Chriſtum: O Domine magiſter bone, quomodo caro non prodeſt quicquam, cum tu dixeris: Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam. An vita non prodeſt quicquam, & propter quid ſumus quod ſumus: niſi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis. Quid eſt ergo: non prodeſt quicquam? Caro non prodeſt quicquam, ſed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur: non quomodo Spiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt: caro nõ prodeſt quicquam: quomodo dictum eſt: ſcientia inflat? Iam ergo debemus odiſſe ſcientiam? abſit: & quid eſt: ſcientia inflat? ſola, ſine charitate. Ideo adiunxit: charitas vero ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & vtilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodeſt quicquam, ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſciẽtiam, & prodeſt plurimum. Hæc Auguſtinus. Vbi lector perſpicis carnem Chriſti non ita laniari dentibus, quando comeditur, ſicut caro cadaueris, quæ ſpiritu caret, aut ſicut caro quę venditur in macello. Talem itaque carnem quæ caret ſpiritu, dicit non prodeſſe quicquam ad refectionem animæ. Cæterum, Chriſti carnem ait eiuſmodi neutiquam eſſe, ſed ſpiritui ſemper coniunctam, atque propterea ſpirituales eos reddere, qui digne veſcantur eadem. Exemplum affert de ſcientia, quam per ſeſe ſine charitate, dicit inflare mentem hominis; eandem tamen cum charitate, plurimum ædificare teſtatur. Et hæc precor aduertas lector, propter ea quę mox ex Origene citabit Oecolampadius, vbi dicit hæc verba Chriſti: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. ſi literaliter intelligantur, interimunt. Quod certe veriſſimum eſt, ſi dicta verba ſic accipiamus, vti ſuperius dixit Auguſtinus, vt putemus eius carnem dentibus laniari, quando comeditur, ſicut caro cadaueris, & ea quæ in macello venditur.

Caro nihil prodeſt, exponitur. *Iohan. 6.* *1. Corin. 8.* *Iohan. 6.* *Lib. 1. ca. 7.*

Origenis alter adhuc per eum citatus locus nihil eius hæreſin roborat.

Capvt V.

OEcol. *Porro, quomodo Dominus ipſe, non ſolum cibus viuificus ſit animæ, ſed & mundus, dulcis, ac gratiſſimi ſaporis, omniumq; deſideratiſſimus, libet & alium locum Origenis in Leuiticum citare, vbi ita legimus.*

Roff. Oportet in edendo Chriſto varios gradus cogitemus, quemadmodum in ſuſcipiendo Spiritu ſancto. Conſtat enim Apoſtolos, quũ poſt reſurrectionem Chriſti credidiſſent in eum, etiã Spiritum ſanctum per fidem accepiſſe, quemadmodũ & per fidem à cæteris iam accipitur fidelibus. Veruntamẽ eundem Spiritum plenius acceperunt, quando poſtea Chriſtus flauit in eos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum. Atq; plenius adhuc eoſdem Spiritum accepiſſe non dubitamus, quando poſt aſcenſionem Chriſti miſſus fuerat in eos idem Spiritus ſub ignis ſpecie. Si quis igitur contenderit nihil oportuiſſe Apoſtolos iã tertio Spiritum ſuſcipere, quũ ſemel integrũ accepiſſent, parum prudentẽ indicabit ſe eſſe. Nã etſi Spiritus primo ſuſcept' fuiſſet integer, quantũ ad eſſentiã

Matth. 28. *Marci 16.* *Luce 24.* *Iohan. 20.* *Act. 2.*

Spiritus,

Spiritus, non tamen quantum ad omnem donationis modum, & gradum eiuſdem Spiritus. Nam cum ampliori gratiarum vbertate datus fuit poſtremo Spiritus ipſe, quam prioribus aliis duabus donationibus. Ad hũc modum & Chriſtus multifariam editur. Primum generali quodam eſu per fidem in baptimo ſuſceptam. Pee hanc non negamus, Chriſtianum vnumquemq; Chriſto inſeri. Verum tenuis admodum hæc inſertio putatur, niſi ſubſequatur & cætera. Quare plenius adhuc veſcitur quis Chriſto, quando veram eius carnem ſub ſpecie panis firmiſſime creditam, ore ſumit & diglutit. Tunc enim (ſi digne ſuſcipiat, hoc eſt, integra fide puraq; conſciẽtia) longe copioſiori gratia reficitur, ac multo ſolidius inſeritur & incorporatur Chriſto. Pleniſſime demum inſeritur, quando poſt multam eiuſdem ſacramenti frequentationem, adeo ſe confirmatum experitur in amore Chriſti, vt millies occidi ſe pateretur, quam ſemel ab eius corpore myſtico diuelli. Quamobrem lector vbi poſthac leges, vel ex Origene, vel ex alio quouis authore, Chriſtum animæ noſtræ cibum eſſe, reuoces ad mentem hos tres edendi gradus, & mox intelliges, de quo gradu loquantur, ſimul & perſpicies, nihil hos gradus ſibi mutuo repugnare. Quæ res etiam conſtare poteſt alia ratione. Nam certum eſt, malos diabolo incorporari, ſicut & boni Chriſto inſeruntur. Habet enim Satan corpus ſuum myſticum, ſicut & Chriſtus habet ſuum. Nam & Iudas, quum ex Chriſti loculis nonnihil ſurripuiſſet, protinus ad Satanæ compagem iunctus fuit. Verum intimius ei colligabatur, quando in tantum ſceleris prorupit, vt Iudæorum proceribus Chriſtum venderet. Iam & diaboli ſortitus eſt nomen, quemadmodum & Chriſtus apoſtolis ſuis dixit: Vnus ex vobis diabolus eſt. Cæterum poſteaquam idem Iudas panem intinctũ ſibi à Chriſto porrectum comediſſet, iam euangelium teſtatur, Satanam in eum introiiſſe, non quod pridem in eo non fuerat, ſed quod plenius eum iam poſſediſſet. Sic pariter & dum incorporamur Chriſto, tres eiuſmodi gradus (vt ſupra diximus) facile comperies. Sed iam Origenem audiamus.

Chriſtus multipliciter editur.
Tres gradus edẽdi Chriſti.
Iudas Satanæ potatur.
Iohan. 6.
Iohan. 13.

OEcol. *Omnis homo habet aliquem in ſe cibum, quem accedentes ad ſe proximo præbeat. Non enim poteſt fieri, vt cum acceſſerimus ad nos inuicem homines, & conſeruerimus ſermonem, non aliquem, vel ex reſponſione, vel ex interrogatione, vel ex aliquo geſtu, aut capiamus inter nos guſtum, aut præbeamus. Et ſi quidem mundus eſt homo & bonæ mentis is de quo ſumimus guſtum, mundum ſumimus cibum: ſi vero immundus ſit quem cõtingimus, immundum cibum ſumimus. Et propterea puto apoſtolum Paulum de talibus dicere, ne cum eis cibum capiamus: numerum velut immundis animalibus. Verum vt euidentius tibi pateſcant ad intellectum quæ dicimus, de maioribus ſumamus exemplum, vt inde paulatim deſcendentes vſque ad inferiora veniamus. Dominus & Saluator noſter dicit: Niſi manducaueritis carnem meam, & ſanguinem meum biberitis, non habebitis vitam in vobiſipſis. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ieſus ergo, quia totus ex toto eſt mũdus, tota enim eius caro cibus eſt, & totus eius ſanguis potus, quia omne opus eius ſanctum eſt, omnis eius ſermo verus eſt. Propterea ergo & caro eius verus cibus, & ſanguis eius verus potus eſt. Carnibus enim, & ſanguine verbi ſui, tanquam mundo cibo ac potu potat, ac reficit omne hominum genus. Secundo in loco poſt illius carnem mundus cibus eſt, Petrus & Paulus, & omnes apoſtoli. Tertio loco, diſcipuli eorum, vnuſquiſque pro quantitate meritorum, vel ſenſuum puritate, proximo ſuo mundus cibus efficitur.*

Roff. Palam eſt Origenem hoc loco de mundis & immundis animalibus allegorice differere. Quãobrem quum ex allegoriis nullum argumẽtum, vt ſæpe diximus, conſtabiliri poteſt, fruſtra locum hunc aduerſum nos producit Oecolampadius. Huc accedit quod ex proximis iſtis verbis ſatis dilucide colligere poſſumus, nihil contra nos hunc locum militare, quum certum ſit, nos Petri & Pauli cæterorumque diſcipulorum carnibus haudquaquam veſci, tametſi verbis & ſcripturis ex eorum ore prolatis reficiamur. Abſit vt carne Chriſti non aliter credamus nos paſci, quam Petri & Pauli carnibus atque cæterorum diſcipulorum Chriſti. Nam de iſtorum carnibus nuſquam legimus, quod niſi quis eas manducauerit, non habebit vitam.

Lib. 4. cap. 2.
Verbis apoſtolorum nõ autem carne veſcimur.

OEcol. *Hæc qui audire neſcit, detorqueat fortaſſis, & auertat auditum ſicut illi qui dicebant: Quomodo dabit nobis hic carnem ſuam manducare? Quis poteſt audire eum? Et diſceſſerunt ab eo. Sed vos, ſi filij eſtis eccleſiæ, ſi euangelicis imbuti myſteriis, ſi verbum caro factum habitat in vobis, agnoſcite quæ dicimus, quia Domini ſunt, ne forte qui ignorat ignoretur. Agnoſcite quia figuræ ſunt, quæ in diuinis voluminibus ſcripta ſunt, & ideo tanquam ſpirituales, & non tanquam carnales, examinate & intelligite quæ dicuntur.*

Roff. Non fugit Origenẽ hoc durius videri potuiſſe, quod de carnibus Petri Paulique & cæterorum diſcipulorum dixerat. Quamobrem & molitur iſtud ex eo corroborare, quod omnia ſpiritualiter à ſpiritualibus intelligi debeant. Contendit itaque figuras eſſe omnia quæ nobis tradita ſunt in diuinis voluminibus, & myſtice accipienda. Quæ ſententia nec Auguſtino, neque Hieronymo, neque cæteris grauiſſimis authoribus comprobatur. Habet enim & litera ſuam veritatem, & multo quidem certiorem quam allegoria, quandoquidem allegorici myſticiq; ſenſus ex eadem litera ſcateant innumeri. Solus tamen literalis ſenſus ſuum habet robur & firmitatem, cui contradici non poteſt. Allegorias vero quiſque lector in tantum probat, quatenus arrident ingenio iudicioque ſuo.

Sententia Orig. nõ approbatur.
Non omnia ſunt ſpiritualiter intelligenda in ſcripturis.

OEcol. *Si enim quaſi carnales iſta ſuſcipitis, lædunt vos, & non alunt. Eſt enim & in euangeliis litera quæ occidat. Non ſolum in veteri teſtamento litera occidens deprehenditur, ſed & in nouo teſtamento eſt litera, quæ occidit eum, qui non ſpiritualiter quæ dicuntur aduertit. Si enim ſecundum literam ſequaris hoc ipſum quod dictum eſt: Niſi manducaueritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum, occidit hæc litera.*

R. Et eandem literam palam eſt occidiſſe Capernaitas,

Iohan. 6. naitas, ſed perperam intellecta. Dilucidum eſt igitur hic Origenem literam intelligere, qualem ex his verbis Capernaitæ cõceperunt, qui quum Chriſtus hæc eadem verba diſſeruiſſet, abierunt *Capernaitæ non habuerũt ſenſum literalem verborũ Chriſti.* retro. Sic enim acceperunt, acſi Chriſti carnem deberent manducare, quemadmodum ex Auguſtino paulo ante diximus, nempe dentibus eam laniare, quando comeditur, ſicut caro cadaueris, quæ ſpiritu caret, aut ſicut caro, quæ venditur in macello, manducari ſolet. hæc profecto litera occidit. Neque ſenſus iſte vere literalis eſt verborum Chriſti, ſed qualem illi perperam intelligentes finxerunt ſibi per errorem. At eſt & horum verborum alia litera, aliuſque ſenſus literalis, qui verus eſt, de quo iam non loquitur Origenes, & iſta litera tantum abeſt, vt occidat, vt plane viuificet credentes, quemadmodum ſæpe diximus, & adhuc dicturi ſumus.

OEcol. *Quid clarius poterat dici, ne carnale conuiuium cogitaremus? An non fideliter monet? an non grauiter terret? An non ſuauiter docet, quomodo Chriſtus nobis mundus delicatuſque ſit cibus?*

Roff. Et nos fatemur Chriſtum & mundum & delicatum eſſe nobis cibum, etiam ſi per Chriſtum *Matth. 4.* Chriſti verbum accipias. Verbis enim eius paſci*Iohan. 6.* mur, at nihilominus & carne Chriſti paſcimur in Euchariſtia. Multoque ſolidius & intimius ei coniungimur per hanc eſcam (modo par ſit vtrobique fides) quam ſolis Chriſti verbis. Neque tamen conuiuium iſtud carnale dicimus, tametſi carnem in ea manducemus, quandoquidem iſta caro nequaquam cæterarum carnium more comeditur, neque dentibus, vti ſupra diximus, laniatur.

OEcol. *Quantum mihi notus eſt Origenes, nuſquam tanto ſupercilio fidem dictis ſuis, imo non ſuis, ſed Dei vendicat. Agit enim præter morem ſuum, quandoquidem plerumque liberum lectori iudicium permittit. Hic minatur. Qui ignorat, ignorabitur: qui carnalis eſt, in mortis eſt diſcrimine: qui non agnoſcit, eccleſiæ filius non eſt.*

Roff. Has minas (vt diximus) ob id introduxit: *Supr. eodem.* quod durior auditoribus videri potuit allegoria, quando Chriſti, Petri, Pauli cæterorumque diſcipulorum carnes interpretatus eſt eorum verba eſſe. Quamobrem vt maior allegoriis ſuis fides haberetur, his modis auditores ſuos aſtringere conatus eſt. Neque iſtud tam raro facit, vt hic videri vult Oecolampadius. Cæterum, quid iſtis moramur lectorem, quando ſatis dilucidum eſt ex aliis, quid de veritate corporis in Euchariſtia ſenſerit Origenes.

OEcol. *Sed non offendat, quod & Petrum ac Paulum & diſcipulos eorum, cibos mundos appellat: ita enim & Egeſippus duodecim apoſtolos, duodecim panes propoſitionis facit.*

Roff. Merito ſane Chriſtianum quemuis lectorem offendet, quod Petri & Pauli carnes cum Chriſti carne conferantur, niſi quod Origenes myſti*Iohan. 6.* ce voluit per eorum carnes ſermones eorum in*Caro apoſtolorum non reſficit.* telligi. Neque enim, vt de ſua carne ſanguineque Chriſtus dixit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, ita de Petri & Pauli carnibus aſſerere quiſquam poteſt. Non enim ipſa Petri aut Pauli caro nos vere paſcit, neque ſanguis Petri aut Pauli nos vere potat. Caro tamen Chriſti nos vere paſcit, & ſanguis eius nos vere potat, non ſolum quando fide ſola comeditur & bibitur, verumetiam quum realiter à nobis edatur eius vera caro, ſanguiſque verus eius bibatur. Cæterum illud Egeſippi quis non perſpiciat eſſe mere allegoricum?

OEcol. *Verum tamen eſt, homini, qui viuifici panis, Chriſti (inquam) dulcedinem deguſtauit, nullum alium cibum, præter eum placere: nullumque alium ad palatum animæ eius facere, quam qui eiuſdem refert ſaporem. Nam quod placent Petrus ac Paulus, non aliunde eſt quam quod in illis Chriſtum viuentem agnoſcimus, quem doctrina vitaque ſunt imitati. Alioqui nounimum non acceptabiles forent, doctrina, vitaque eorum, quam Ariſtotelis, vel aliorum Ethnicorum obſcœnitates.*

Roff. Mira eſt inconſtantia ſermonis tui, quod ſic in Prothei morem te vertis quoquo velis. Aliquoties enim ad ipſam veram Chriſti carnem te vertis, quum dicas panem in ſacramẽto figuram eſſe, non verborum, ſed carnis ſuæ, & nos edentes panem, carnẽ eius figuratę manducare, nunc ad verba Chriſti confugis, aſſerens nos eius verbis paſci. Nonnunquam iſta coniungis in vnum, neque ſeparas carnem à verbis, ita confuſum & inuolutum eſt tuum dogma, neque ex vlla parte dilucidum. Cæterum, nunc eſt intricatiſſimum, quum non aliter nos Chriſti carne ſanguineque refici cõtendis, quam Petri & Pauli, cæterorumque diſcipulorum carnibus, hoc eſt, verbis & ſermonibus eorum, quatenus in eis agnoſcimus viuentem Chriſtum.

Prolixum Cyrilli teſtimonium inutiliter citat, vt videantur ei fauere complures ex priſcis.

Capvt VI.

OEcol. *HAEc Cyrillus quoque ſcribit ſuper Iohannem in hæc verba: Quoniam ſe Chriſtus panem appellauit, conſideremus ſi hoc vocabulo vſpiam à ſcriptura nominetur. Scriptum eſt ergo in Numeris: Loquutus eſt Dominus ad Moſen, dicens: Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Quum veneritis in terram quam ego dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, ſeparabitis primitias Domino de pinſendis panibus veſtris: ſicut de area primitias ſeparabitis, ita & de pulmentis dabitis primitias Domino. Aenigmatice atque obſcure nimium, per figuram iſta fiebant, quibus velut de cœlo, panis, id eſt Chriſtus, obumbratur. Recordari enim oportet, quod homo propter nos factus, & ad ſimilitudinem noſtram, quaſi primitia quadam ac ſeparatio noſtræ maſſæ, vt ſcribitur, Deo patri oblatus eſt, primogenitus ex mortuis factus, & primitiæ reſurrectionis hominum, vſque ad cœlum aſcendentes. Cœpit enim à nobis hominẽ, vt ſcribitur, quia ſemen Abrahæ apprehendit, oblatuſque eſt vnus ex omnibus, & pro omnibus, vt omnes viuificaret, ſicut ex area primus manipulus Deo patri offerri ſolebat. Et quemadmodũ quum ſit vera lux, hanc rẽ diſcipulis quoque gratia attribuit: Vos enim (inquit) lux eſtis mundi. Sic cũ ipſe ſit panis viuus, qui omnia viuificat, cõetmet que, vt ſint, ſimilitudine atque vmbra legali, per duodecim panes, ſacrũ apoſtolorũ præfigurauit conſortiũ.*

Legitur enim in Leuit. Et locutus eſt Dominus ad Moſen, dicens: Pracipe filiis Iſrael vt offerant tibi oleum de oliuis purum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter extra velum teſtimonij in tabernaculo fœderis. Accipietis etiam ſimilam, & coquetis ex ea duodecim panes. & catera qua Cyrillus.

Roff. De Cyrillo nulla prorſus ambiguitas eſt, quin pro nobis vbique velis remiſq; faciat. Cæterum non inficiamur apoſtolos, quadam ad Chriſtum ſimilitudine, panes dici poſſe, verũ non ita quod carnem eorum viuificatricem exiſtimemus, ſicut de Chriſti carne palam Cyrillus aſſerit. *Apoſtoli dicuntur panes.* Non enim caro Petri aut Pauli ſic paſcet vnquam, vt Chriſti caro nos quotidie paſcit. De Baptiſta ſcribitur in Iohanne, quod erat lucerna lucens & ardens. *Iohan. 5.* Atqui nihilominus idem Iohannes de eodem Baptiſta dicit: Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. *Iohan. 1.* Chriſtum autem fuiſſe veram lucẽ teſtatur ſubdens: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Itaque Iohannes modo quodam lux erat, at non abſolute lux ipſa vera. *Iohan. Bapt. fuit lux.* Sic & apoſtoli quodam modo panes dicuntur, per ſimilitudinem ad Chriſtum, at non abſolute panes veri. *Apoſtoli panes quomodo dicantur.* Quod & Cyrillus in eiuſdem capitis fine teſtatur, dicens: Vt panis igitur in lege ſaluatõr figurabatur: panis autem rurſus etiam diſcipuli ſimilitudine ipſius dicuntur. Panis enim verus, Chriſtus eſt. *Chriſtus verus panis, apoſtoli autem ſimilitudine.* Similitudine autem ipſius per gratiam etiam in diſcipulos ac in diſcipulorum ſucceſſores appellatio ipſa tranſit. Hæc Cyrillus ibi. Solus itaque Chriſtus eſt ipſe verus panis, cuius vnius caro vere viuificatrix nos vere paſcit, & ſanguis vere potat ac inebriat. Et vtinam cætera Cyrilli verba, quæ ſuper totum ipſum caput ſextum Iohannis ipſe tradidit, tam attente velis intelligere, & tam exacte diſcutere, atq; nunc iſta citaris ex eodem capite. Satis enim compertum habeo te citra manifeſtiſſimam impudentiam negare non poſſe, quin ſententiæ noſtræ Cyrillus aſtipuletur, adeo dilucide, vt ne cogitari quidem apertius pro nobis dixiſſe queat. Sed quia tu non erubeſcis tot autores incaſſum producere, & plane contra mentem & ſenſum eorum, iccirco nos minime grauabimur, exemplum quoddam ſubiicere, quo Cyrillus docet Chriſtum, Euchariſtiam edenti, ſeipſum inſerere. *Cyril. exemplum de edẽte Euchariſtiam.* Sicut (inquit) ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit alteram cum altera per totum commiſcet: ſic neceſſe eſt, ſi quis carnem & ſanguinem Domini recepit, cum ipſo ita coniungatur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur. Hoc autem exemplum ob id introduxit, vt explicaret ea verba Chriſti dicentis: *Iohan. 6.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Quare nihil potuit illuſtrius dici. Subdit paulo poſt exemplum aliud de fermento, quo ſimiliter hoc ipſum comprobat: *Exemplum ſecundũ Cyril. 1. Corinth. 15.* Sicut parum (vt Paulus ait) fermenti totam maſſam fermẽtat, ſic paruula benedictio (de portione ſacramenti intelligit) totum hominem in ſeipſum attrahit, & ſua gratia replet, & hoc modo Chriſtus in nobis manet, & nos in Chriſto. Vere enim totum fermentum in totam maſſam pertranſit. Hæc Cyrillus. Et idem protinus adiicit, hunc eſſe loci huius iam dicti ſenſum. Neminem igitur adeo ſtupidum futurum eſſe lectorem exiſtimo, qui quum hæc digne pẽſitauerit, hæſitabit quicquam de Cyrilli mente.

Apoſtoli igitur panes, in quibus thus lucidiſſimum, vt ſciamus eos odorem Chriſti factos. Quãto igitur odoratior & gratior panis eſt Chriſtus ipſe, cuius redolentia paruum quendam vaporem à ſe illi emittebant? imo ſolus Chriſtus etiam in illis paſcit, & proinde ſolus vitale eſt verbum, & in odore vnguentorũ eius; poſt eum currunt adoleſcentula, quanto deſiderio cerui æſtuantes ad fontes aquarum. OEcol.

Apoſtolos panes eſſe ſimilitudine quadam ad Chriſtum recipimus, verũ non ita quod eorum caro vere dicatur cibus, & ſanguis eorum vere potus, quemadmodum de Chriſti carne & ſanguine traditum eſt. Roff. *Apoſtolorum caro non eſt cibus.* Solus Chriſtus verus eſt panis, cæteri vero nõ niſi per ſimilitudinẽ ad Chriſtum, panes dicũtur. Illi nos paſcunt verbis Chriſti. At Chriſtus non modo ſuis verbis nos reficit, verumetiam ſua carne vere paſcit, pariter & ſanguine potat. *Chriſtus bifariam reficit.* Neque ſola fide nos paſcit, verumetiam & corporali ſumptione, quando videlicet carnem eius in Euchariſtia comedimus. O quot diuos & diuas memorare poſſumus, qui guſtantes odorem vnguentorum Chriſti, auidiſſime *Cant. 1.* cucurrerint ad hoc ſacramentum, huc velut cerui ad fontes aquarum æſtuantes, ingenti deſiderio ſe receperunt, quorum corda præ amore liquefiebant in huius ſacramenti ſumptione? *Pſal. 41.*

Quod teſtabitur, quiſquis illum in ima mentis viſcera traiecerit, cognoſcendo, quam ſpecioſus præ filiis hominũ, quam diffuſa in labiis eius gratia, quanta vis fragrantia ab eo procedat, & quanta ſit eius benignitas, quamq; ſalutaris ſit credentibus. Sciunt quid loquar qui olim onerati peccatis nõ audebant in cœlum tollere vultus, & prater tormenta perpetua expectabant nihil, terrebantq; eos peccata, & in perpetuo tremore relinquebant, nunc vero guſtata ea qua per Chriſtum in ſanguine eius miſericordia, exultant, trepudiant, gratiaſque agunt patri, cui reconciliati ſunt per Dominum noſtrum Ieſum. OEcol.

Certe, ſi ſola formæ incomparabilis cogitatio, quam nuſquã vidimus, diſertiſſimi ſermonis, quem nunquam audiuimus, frangrãtiæ virtutum, quam aute nunquam ſenſimus, benignitatis eximiæ, quã ſola fide tenemus, ſalutarium deniq; beneficiorum quæ nobis inuiſibilia ſunt, tantopere quempiam afficiat, quãto magis præſentia cõplexuſq; tam amantiſſimi ſponſi, quando videlicet eius caro viuifica, noſtræ miſeræ carni coniungitur, & cor cordi copulatur. Roff. *Pſal. 44.* *Cant. 2. 8.*

At qui nihil tale experti, & neque ſuam miſeriam, neque Chriſti miſericordiam agnoſcunt, non mirum eſt, ſi auertant aures, & delirare putent eos qui ſapiunt. OEcol.

Finge te quantum velis expertum, nunquam certe mihi perſuadebis, ex Chriſto deſcendiſſe guſtũ hunc in pectus tuum, niſi prius velis Chriſti verbis habere fidẽ, quibus teſtatus eſt carnem ſuam in hoc ſacramento vere contineri. Nam tuis ipſius dictis vtar. Neceſſe eſt Chriſtum abnegare Roff.

gare in omnibus, & mendacem facere, vel illi in omnibus credere. Nam qui in vno diſcredit, in nullo credit. Sic enim haud multo poſt initium huius libelli tui ſcripſeras. Quare ſi non huic verbo Chriſti, quo ſuum corpus affirmauit in ſacramento præſens eſſe, fidem adhibes, Chriſtum abnegas, & mendacem eum facis. An non exiſtimas Nouatianos qui ſe catheros appellabant, magnam ſuauitatem ex opinata ſua puritate guſtaſſe? Neque tamen iſta ſuauitas ex Chriſto manauit, ſed à Satana qui ſe transfigurato in angelum lucis illos decepit. Ita pariter hauddubie & tu deciperis. Neq; enim vera ſuauitas eſſe poteſt, quam ſine vera fide guſtas. Cæterum qui digne frequentant iſtud myſterium, veram dulcedinē experiuntur, & in ipſo fonte guſtant quam ſuauis eſt Dominus, clamantq; toto cordis affectu: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Quorū certe numerū haud exiguum producere poſſumus.

Nouatiani dicūtur catheri.
1. Corinth. 11.
Pſal 30. & 33.

Idem eſſe molitur, manducare carnem, venire ad Chriſtum, credere & diligere Chriſtum.

Capvt VII.

OEcol. *Chriſtiani itaque perpetuo ſic conuiuantur, & dum credunt, manducant, manducandoque reficiuntur, etiam ſi non edant de pane illo, deque calice non bibant.*

Roff. Sæpe diximus non omnem qui credere ſe putat, tanta fide potiri, vt manducet Chriſtum, atque manducando reficiatur, oportet enim & charitatem habere cum fide. Atqui nemo certus eſt ſe charitatem habere, niſi cum integro animi propoſito de vitandis peccatis ſacramentum aliquod ſuſceperit. Quum vero ſacramentum aliquod ita ſuſceperit, & maxime vel baptiſmatis vel pœnitentiæ, quanquam antea fidem & charitatem poſſederit, nunc tamen eædem augētur per copioſiorem gratiam ſuperuenientē, ex ipſius ſacramenti ſuſceptione. Atq; ita magis & intimius per huius ipſius eſum incorporatur & inſeritur Chriſto quam pridem fuerat.

Charitas augetur per ſacramenti ſuſceptionem.

OEcol. *Vt Auguſtinus in ſermone quodam inquit: Nulli aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium corporis & ſanguinis Dominici tunc eſſe participem, quando in baptiſmate membrū efficitur Chriſti, nec abalienari ab illius panis calicisque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc ſeculo migrarit in vnitate corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non priuabitur, quando in ſe, hoc quod ſacramentum ſignificat, inuenit.*

Roff. Quid non locum citas, vt ipſum in origine ſua conſulamus. Nam ſæpe vel demis vel addis verba quædam pro arbitrio tuo. Quare ſuſpectiſſimum eſt, quum authorem quempiam cites, non expreſſo ipſo loco, vnde teſtimonium illius protuleris. Neque facile eſt cuiquam, omnes Auguſtini ſermones tenere memoriter. Adde, quod reſponſuro magnum temporis diſpendium fieret, ſi propter hęc verba totum volumen ſermonum Auguſtini cogeretur euoluere. Vnum tamen ſcio, quod adhibita multa diligentia, nuſquam hæc verba potui in ſermonibus Auguſtini reperire. Quare ſicut tu nuper cum Euſebij, Emiſſeni & Proſperi teſtimoniis ante ludebas, dicens te reſponſurum, quum exhiberētur eorum exemplaria, ita nos eludere poſſumus hanc citationem tuam. Sed vt tibi largiamur Auguſtinum hæc verba dixiſſe, nunquid hic non audis aſſertū idipſum, de quo præcipue digladiamur, præſentiam videlicet corporis & ſanguinis in pane & calice? Verum autem abſque reali perceptione horum, haberi vita queat, alia quæſtio eſt. At vrgebis nos forte poſtremis verbis ipſius teſtimonij, quum dicatur: Quando in ſe hoc quod ſacramentum ſignificat, inuenit, per hoc certe nō aliud intelligit Auguſtinus hoc loco, quam eſſe in corpore myſtico, atque propterea iam dixit eum in vnitate corporis cōſtitutum, nempe myſtici. Nam & corpus Chriſti myſticum etiam vna rerum eſt, quam ſacramentum iſtud ſignificat. Neque enim is qui non ederit ipſum verum corpus, habet in ſe veritatem ipſius corporis tametſi per baptiſmum & fidem ſit inſertum corpori myſtico. Addimus etiam & iſtud, quod quum alibi perſpicue doceat Auguſtinus eſſe neceſſarium, vt quiſq; Chriſtianus hoc ſacramentum edat, oportet vt vtrunque dictum ſibi mutuo cōciliemus. Quamobrem & verba quę tu producis de his intelligi debent, qui caſu aliquo præuenti ſunt, quo minus quod optant poſt baptiſmum ſuſceptum valuerint aſſequi, nimirum hoc tam incomparabili cibo refici. Nam & hoc votis omnibus vnicuique cupiendum eſt.

Mala dolo Oecol. non expreſſit locum citati authoris.
Euch. ſignificat corpus Chriſti myſticum.

Inſuper, quod ad illam ſacramenti carnei continentiam facit, nihil ex ſexto capite Iohannis probari poteſt. OEcol.

Superius huic reſpondimus. Nam pręter hoc, quod Auguſtinus, Cyprianus, Ambroſius, Hilarius, ac cæteri patres, multa quę tradita ſunt ipſo capite, docent accipi debere pro Euchariſtiæ ſacramento, etiam ipſa Chriſti verba vehementer hoc ipſum vrgent. Nam poſteaquā recenſuerat, Moyſen Iudæis Manna dediſſe, panē quem vocarunt angelicū, ſimul & patrē ſuum donaſſe mundo panem verum, pollicetur inſuper ſe daturum panem ſuæ carnis. Panis (inquit) quem ego dabo, caro mea eſt. Moyſes dedit Manna panem figuratiuum: Pater dedit Chriſtum panem verum: At Chriſtus quem panem dedit, nempe carnem ſuam ſub ſpecie panis, nimirum quando panem in manus acceptum benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Propter quod & iam dixit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Et ne contendas eum hunc panem in cruce dediſſe, ſubiungit aliam carnis donationem in cruce, dicens: Quam dabo pro mundi vita. Dedit ergo Moyſes Manna Iudæis (vt diximus) figuratiuum. Dedit & cœleſtis pater verbum ſuum incarnatum, panem verum. Dedit ſubinde Chriſtus carnem ſuam ſub ſpecie panis. Denique dedit & idem carnem ſuam ad mortem pro mundi vita. Cæterum de his fuſius in prologo ſequentis libri.

Roff.
Caput Ioh. 6. loquitur de Euchariſtia.
Iohan. 6.
Exod. 16.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luca 22.
Iohan. 6.

OEcol. *Idem eſt manducare carnem, & venire ad Chriſtum, & credere in Chriſtum, & in fide diligere.*

Roff. Idem vtique ſunt iſta quæ memoras, at non cõuertibiliter & prorſus idem. Nam in manducatione, quemadmodum ſuperius oſtendimus, varij gradus ſunt, ita quod qui venit ad Chriſtum, licet credat in Chriſtum, & in fide diligat, non tamen ſecundum omnem plenitudinem ipſum Chriſtum edit. Sicut enim Spiritum habuerunt apoſtoli priuſquã inflaret in eos Chriſtus, tamen per ipſum flatum plenius poſſederunt, & rurſum adhuc plenius, quando Spiritum eundem ſub ſpecie linguarum ignearum acceperunt: Ita qui cre lit in Chriſtum, aliquo modo manducat eum. At adhuc planius quando ſacramentum ipſum digne recipit. Pleniſſime vero (quantum ad hanc mortalem vitam ſpectat) quum per creberrimum eſum quis adeo confirmatur, vt amore quodam cibi huius flagret & ardeat. Tunc enim ipſius Chriſti præſentia corporali fruitur, & ſponſi non dubiis gaudet & fruitur amplexibus. De fide ſæpius incertum eſt, an ſufficientem habeamus, ſed & verbũ communiter à piis & impiis auditur, neque certo nobis conſtat, quatenus per ipſum purgamur. Cæterum, per ſacramentum, ſi cum aliqua fide acceſſerimus, & quoad nobis præſtari poſſunt, perfecerimus omnia, vel ſaltẽ obicem (vt aiunt) non dederimus, non eſt hæſitandum quin Chriſtum ſuſceperimus corporaliter.

Sup. lib. 4. c. 5. — *Iohan. 20.* — *Actor. 2.* — *Chriſtum manducatum modis impletur.* — *Cant. 2. 8.* — *Chriſtum ſide ſuſcepimus corporaliter in Euchariſt.*

OEcol. *Quod ex effectu patet. Etenim ſicut Dominus dixit: Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Ita & dicit: Vos mundi eſtis, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Et per dilectum diſcipulum dixit: Quiſquis confeſſus fuerit, quod Chriſtus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Quod de charitate quoque dicit: Deus charitas eſt qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et iterum: Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium, non habet vitam. Oſtendunt ſcripturæ illa inter ſe collata, quid ſit manducari carnem Chriſti manducatione ſpirituali. Sicut enim in Chriſto manet, & Chriſtus in eo, qui illum confitetur, & propter ſermonem mundatur: ita & is qui edit carnem, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo.*

Roff. Si verum ſit quod diximus, vt & haud dubie verum eſt, nõ omnino parem aut efficaciam aut certitudinem habent hæc tria, nempe verbum, fides, & ſacramentum. Neque enim certo ſcitur, quod verbum aut fides mundarit, quanquam & audiendo verbo dederimus operam, & conatum ad credendum adhibuerimus; veruntamen ſi cum his & ſacramentum inſuper manducauerimus, iam certi eſſe poſſumus, & Chriſtum in nobis eſſe: & nos in Chriſto manere. Cæterum, vt largiamur quempiam verbo & fide mundatum, & Chriſtum habere manentem in ſe, non tamen is ita plene Chriſto incorporatur, atque quum ipſum in ſacramento manducauerit. Quã rem & altero ſuperius exemplo docuimus. Iudas enim quum primum fur eſſet, & poſtea venditor Chriſti, diabolum in ſe manentem habuit, at poſteaquam panem intinctum ederat, plenius in eum introiuit diabolus, vt eum intimius poſſideret. Sic nimirum & Chriſtus intimiori gradu nos incorporat ſibi, quãdo ſacratiſſimam ipſius carnem edimus in ſacramento, quam quãdo ſola fide concipimus eundem. Porro quod de charitate dicis, profecto ſi quis digne ſecum expendat, quæ de charitate Paulus tradit, 1. Corinth. 13. quando certus erit ſe in charitate eſſe? In ſumma, nec fidem neque charitatem habemus, niſi parati ſimus & Chriſti & eccleſiæ catholicæ dogmatibus obtemperare. Quam rem & Cyprianus copioſe docet, tractatu de ſimplicitate prælatorum.

Non æqualis effectus verbi, fidei & ſacramenti. — *Certi eſſe poſſumus Chriſtum in nobis eſſe.* — *Sup. lib. 4. c. 5.*

Neceſſitatem edendi nobis obiicit ex Cyrillo quam nos admittimus.

Capvt VIII.

OEcol. *Pet igitur dictum eſt: & ...ic ab Auguſtino: vt quid paras ventrem & dentes: crede & manducaſti. Credere autem illud, non eſt in eo, quod conſitear in pane corpus Chriſti ſubſtantialiter adunatum, ſed quod toto corde myſterium incarnationis, paſſionis & reſurrectionis, ac aſcenſionis amplectar.*

Roff. At his verbis non prohibuit Auguſtinus eſum ſacramenti, ad quod alibi toties nos inuitat. Sic enim præter alios & ſane plurimos locos, quos ante citauimus, tractatu 84. ſuper Iohannem ait: Si ſederis cœnare ad menſam potentis, conſiderans intellige, quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam, ſciens quia talia oportet te præparare. Nam quæ menſa eſt potentis, niſi vnde ſumitur corpus & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere quæ iam apponuntur tibi, niſi digne tantam gratiam cogitare? Et certe gratia tanta vehementer admiranda eſt, qua nobis indignis ipſe digniſſimus, nobis miſeris ipſe feliciſſimus, nobis denique ſeruulis inutilibus ipſe Dominus omnium, carnem & ſanguinem ſuum edenda propoſuit.

Sup. li. 2. c. 32. prolog. 4 lib. 2. cap. 8. — *Auguſtinus tenet corpus & ſanguinẽ in Euchar.*

OEcol. *Hæc igitur qui non probe animaduerterit, & priſcos doctores magno periculo leget, & pronunciabit paruulis ac infantibus neceſſariam eſſe Euchariſtiam.*

Roff. Certe quiſquis priſcos authores legerit, comperiet hunc recentis Eccleſiæ morem fuiſſe, vt quis, vbi ſalutari baptiſmate lotus eſſet, confeſtim ſacramento corporis & ſanguinis Domini paſceretur. Sic enim Dionyſius cap. ſecundo, ſecundæ partis Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſcribit, de baptizato loquens: Aſſumentes autem illum ſacerdotes, ſucceſſori ſuique acceſſus duci conſignant, & vna cum ipſo illum veſtem baptizati munditiæ congruam induunt, ſicque indutum rurſus ad pontificem ducunt. Ille diuino ac Deifico proſus vnguento virum ſignans, ſacratiſſimæ communionis participem facit. Hæc Dionyſius.

Baptizati mox ſumpſerunt Euch.

Quid

OEcol. *Quid dicens enim ad Cyrillum, cuius hæc ſunt verba ſuper Iohannem: Non poſſunt cum ſanctificatione beata vita fieri participes, qui per myſticam benedictionem Ieſum non ſuſceperunt.*

Roff. Quid aliud dicemus, quam hunc vera ſenſiſſe? *Adultis opus eſt ſumere Eucharistiam.* Nam ſi quis, vel ſuaſu Satanæ, Chriſti verbis non credat, de præſentia corporis in Euchariſtia, aut ſi credat, craſſe tamen, aut negligit, aut contemnit illo cibo refici, nunquam is beatæ vitæ futurus eſt particeps. Veruntamen aliter pie ſentiendum eſt de illis qui morte præuenti, non valuerunt aſſequi quod votis maxime concupierunt.

OEcol. *Et iterum, non verbo ſolum ſemper, ſed etiam tactu mortuos excitabat Chriſtus, vt oſtenderet corpus quoque ſuum viuificare poſſe: quod ſi ſolo tactu eius corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & guſtamus, & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem ſuam participes. Oportuit certe, vt non ſolum anima per Spiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verumetiam vt rude atq; terreſtre hoc corpus, cognato ſibi guſtu, & tactu, & cibo, ad immortalitatem reduceretur.*

Roff. *Cyrilli ſententia de Euch.* His verbis apertiſſime Cyrillus teſtatur, in ſacramento veram eſſe carnem Chriſti per cuius eſum participes effecti, vera donabimur immortalitate. Addit etiam quod ſicut anima per Spiritum ſanctum ad beatam vitam ducitur, ita ſimiliter oportere corpus hoc noſtrum, cognato ſibi guſtu, tactuque, & cibo, ad immortalitatem reduci, confirmat. Corpus igitur Chriſti quum in ſacramento ſuſcipitur, & noſtro accommodatur corpori, velut diuinitatis organum, vt ſæpe diximus, vitæ nunquam finiendæ ſemina toti homini inſerit.

OEcol. *Hæc ſane quæ cogere volunt, prout verba ſonare videntur, quantam turbam hominum ſalutis facient expertem? quantam item ſaluabunt, etiam impie viuentem? contactu enim ſuo caro viuifica nihil non viuificabit.*

Roff. Nullum in his verbis periculum eſt, modo recte intelligantur. Neq; enim piis quicquam officiunt, quum per eos haudquaquam ſtet, vt huius ſacramenti non euadant participes. Sed nec impiis quicquam proderunt quamdiu perrexerint in impietate ſua. Quam rem & Paulus teſtatur, *1. Corinth. 11.* dicens: Qui edit & bibit indigne, iudicium ſibi ipſi edit & bibit, non diiudicans corpus Domini. Neq; enim per naturæ neceſſitatiſq; modum operatur hæc caro, ſed libere & ſpontanee. Semper tamen aliquem fructum operatur, vbi mens pia non defuerit. Verum vt piis hæc eſca ſalutaris eſt, ita rurſum impiis eſt noxia. Nam & poſt buccellam quam accepit Iudas, vt Euangelium docet, introiuit in eum Satanas. *Iohan. 13.* Non viuificat igitur impios hæc caro, qui perſiſtunt adhuc in impietate ſua, neque reſipiſcunt quicquam.

OEcol. *Inuenis enim ex vulgo multos, qui non vere credant Chriſtum pro ſe paſſum, nam ſi crederent, maiorem gratitudinem viuendo præ ſe ferrent; & fatentur tamen, quod corpus in pane accipiant.*

Roff. Vix opinor inuenies quempiam, qui vere credat eſſe Chriſtum in hoc ſacramento, qui non item credat Chriſtum in cruce fuiſſe paſſum. At inuenies innumeros qui credunt Chriſtum pro ſe paſſum, & nihilominus in peccandi ſtudio perſtant. Aſſerunt enim ſe nequaquam ab ipſis ſceleribus abſtinere poſſe. In qua ſententia nõ mediocriter per veſtra dogmata cõfirmantur, quãdoquidem vos docetis, cuncta fieri neceſſitate quadam. Et hi certi quamquã ſe credere putent, vera tamen fide carent. Quod & tu videris etiam aſſerere, quum dicas: quod ſi crederent, maiorẽ gratitudinem viuendo præ ſe ferrent. hoc eſt igitur quod ſoleo vobis obiicere, neminem ex veſtra doctrina certo ſcire poſſe, quando veram habeat fidem. Nam vt & vos traditis, nemo veram fidem aſſecutus eſt, qui charitatem item nõ *Rom. 5. & 12.*
habeat. At ſi quis exactius conſcientiam ſuam *1. Corin. 13. &*
exploret, an in charitate ſit, iuxta ea quæ Paulus *alib.*
de charitate tradidit, facilius opinor ſe carere quam habere charitatem iudicabit. Quamobrem & veræ fidei expertem ſe pronunciabit.

OEcol. *Imo fere totum hoc hominum genus, qui corpus in pane credunt, ſi rogentur, num putent ſatisfactum pro ſuis peccatis, & ſe acceptos Deo, dubitant, & nihil affirmare audent, & adhuc carnem Chriſti comedere ſe dicunt.*

Roff. Et hic rurſum errore magno tenemini, quod ſatisfactionem pro peccatis arbitremini nemini neceſſariam eſſe, quandoquidem Chriſtus abunde ſatisfecit pro peccatis omnium. *Satisfactio Christi pro nobis non excludit noſtram ſatisfactionẽ.* In quo dogmate non modo vehementer fallitis plebem, verumetiam ad peccandum propenſiorem eam redditis. Fatentur vtiq; patres orthodoxi, Chriſtum pro totius mundi peccatis abunde ſatisfeciſſe, atq; iſtam ſatisfactionẽ ſufficere reſipiſcentibus, ne plectantur æterna morte. Cæterum, affirmat vnumquemque nihilominus oportere *Matth. 3.*
condignos pœnitentiæ fructus agere. Quoniam *Luca 3.*
ſi per hanc pœnitentiam pœnæ temporariæ peccatis debitæ, dum hic viuitur, minime diſſoluantur, futurum eſt, vt in purgatorio longe moleſtioribus expientur cruciatibus. Nos igitur, licet non tam illotis manibus, vt veſtra præſumptio ſolet, vbi ſacramenta ſuſceperimus, reuerenter audemus per gratiam, quam ex ſacramentis accepimus, confidere, nos gratos & acceptos eſſe Deo.

OEcol. *Verum (vt dictum eſt) fides non eget vlla re externa, vbi vera fuerit. Regnum enim Dei intra nos eſt, & ſanctificatur homo, non ſolum in anima, ſed & corpore, etiam abſque ſacramentaria manducatione.*

Roff. Pone fidem quantumcunq; velis maximam, adhuc tamen is qui tantam habet fidem, ſi recu- *Iohan. 3.*
ſet baptizari, nunquam Dei regnum conſequetur. Et certe baptiſmus, ſi quis eum cum fide cõferat, externa quædam res eſt. Sanctificari vero per fidem, modo vera formataque ſit ea fides, Chriſtianum aſſerimus, atq; etiam inſeri corpori Chriſti myſtico. Sed hæc ſanctificatio parum ei profuerit, qui cæteris initiari contempſerit ſacramentis. Adde quoque, quod nemini compertum eſſe poteſt, niſi vel per reuelationem, vel per ſacramentorum ſuſceptionem, ſe potitum eſſe fide formata. Nam ſi peccandi animum neutiquam adhuc depoſuerit, & tamen confidat ſe

in gratia Dei eſſe, hæc fides longe magis præſumptio dici meretur, quam fides. Quod ſi fuerit ſibi viſus peccandi animũ depoſuiſſe, poteſt nihilominus in eius corde letale quoddam peccatum deliteſcere, quod adhuc obſiſtat gratiæ. Quare citra ſacramentorum ſuſceptionem nullo modo certus & ſecurus erit.

Sacramentorum vſum inanem fore colligitur, ſi fidem ſolam ſufficere quis dixerit.

Capvt IX.

OEcol. *NEque eſt quod inſultes: Ergo nullus & vanus erit ſacramentorum vſus.*

Roff. Et merito quidem iſtud obiicitur. Nam ita nobis aufers omnem ſacramentorum neceſſitatem, ſi per ſolam fidem ſaluabimur. Sic enim inferius colligis: Fides ipſa quæ in homine eſt, imo Spiritus author fidei, non damnari ſinet hominem. Nam quum Spiritus hominem illuſtrarit, & ſuum reddiderit, nimirum illum damnando, ſeipſum damnaret. Colligis itaque non damnandũ eſſe qui fidem habuerit, licet baptiſmum non ſuſceperit. At iſtud ſi verum ſit, fruſtra certe Chriſtus fidei baptiſmum etiam adiunxit, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Sed & fruſtra negauit ei introitũ in regnum Dei, qui baptizatus non fuerit, Amen amen dico tibi: Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Fruſtra inſuper, quum alij innumeri, tum ipſe Paulus etiam, poſtquam eſſet fide illuſtratus, baptiſmi ſacramentum accepit.

Marc. 16.
Iohan. 3.
Actor. 9.

OEcol. *Profecto, vt iuſtiores dicendi ſimus, neutiquam ex ſacramentis aſſequimur, ſicut neque ab aliis externis operibus iuſtificabimur.*

Roff. Nimirum vt iuſtiores euadamus, & ſacramenta nobis, & opera bona præcipiũtur. Nam (vt de ſacramentis primum loquar) ſi ſacramentis præſtatur gratia, quod nos ceu compertiſſimum habemus, & gratia vel efficit vel auget iuſtitiã, non eſt dubium, quin vbi quis per fidem iuſtus ante fuiſſet effectus, per baptiſmi ſuſceptionem, euadat iuſtior. Et quantum ad opera bona pertinet, Chriſtus in prolixa illa concione, quam habuit in monte, tantum operibus tribuit, vt ſine his, nec aditum patere dicat in cœleſte regnum. Non omnis (inqt) qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Et niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Quod & de iuſtitia operum prorſus intellexit, quemadmodum ex auctariis, quæ legi Moſaicæ adiecit, dilucidum cuiuis eſſe poterit.

Iuſtiores ſimus ſacramẽtorum perceptione.
Matth. 7.
Matth. 5.

OEcol. *Quæ tamen vtilia ſunt ac neceſſaria, non tam in noſtrum, quam proximi vſum.*

Roff. Ad noſtrum etiam vſum tanto magis neceſſaria ſunt, quanto fructum ex eis copioſiorem accipimus, quam proximi. Quum enim proximo minimum largior, ille quidẽ minimum & ſolum accipit. At ego quid aſſequutus ſum? Id profecto quod multis partibus minimum exuperat, nimirum expiationem aliquam, & mundiciem animi. Nam id Chriſtus pollicitus eſt, qui vt falli nõ poteſt, ita nec fallit quenquam. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et alibi: Date & dabitur vobis. Nos itaque propter eleemoſynam temporariam, quam proximis impendimus, immarceſſibile præmium in cœlis conſequemur. Paulus item docet pro tẽporariis bonis exhibitis proximo, nos bonis ſpiritualibus eſſe locupletandos. falſum eſt igitur, quod aſſeritis, quod videlicet opera bona non tam in noſtrum quam in proximi vſum neceſſaria ſint.

Vſum ſacramẽtorum nobis neceſſarium.
Luca 11.
Luca 6.

OEcol. *Corde creditur ad iuſtitiam: verum ſi tanta fides fuerit, vt etiam cogat operibus. ſiue baptiſmi. ſiue martyrij, ſiue eleemoſyna. ſiue communicationis, vel aliis confiteri, & in nullis erubeſcere Chriſtum, tanta confeßionis fides erit in ſalutem.*

Roff. Sæpe diximus, non omnem cordis credulitatem, iuſtum reddere, ſed eam ſolam, quæ per dilectionem operatur: Fides enimuero iuſtitiam inchoat, ſed eadem ex operibus conſummatur, vt diuus Iacobus affirmat. Quamobrem & nihilominus fruſtra tu ſeparas ab operibus fidem, quam ſalutem à iuſtitia. Nam vt certum eſt, & eum qui iuſtus eſt, ſaluum fieri: & ediuerſo, qui ſaluus fit, iuſtum eſſe: ita ſimiliter conſtat, fide iuſtificatum, operibus fieri iuſtiorem, & qui piis operibus, quum licuiſſet, non impendit operam: hunc, vt nõ ſatis iuſtum damnandum fore. Atque hoc ipſum tua verba conuincunt, tametſi vim inferas ſcripturæ. Nam quum baptiſmi ſuſceptionem, & perpeſſionem martyrij, ſimiliter & eleemoſynæ largitionem, atque communicationem enumeras, vna cum oris confeſſione, oportet vt ſicut iſta ſalutem, ita & illa pari modo conferant: Quod, quid aliud eſt, quam conſummatam iuſtitiam efficere: nam qui ſaluus fit, cõſummatam habet iuſtitiam. Tu tamen eo detorques Pauli verbum, vt non illud præſtet oris confeſſio, ſed fides quæ copulatur ad confeſſionis opus. Atqui certum eſt dixiſſe Paulum: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, nimirum vt ſicut iuſtitia per fidem inchoatur, ita ſalus: hoc eſt, perfecta iuſtitia per oris confeſſionem, & operis exhibitionem conſummatur.

Sup prol. 2. li. 1. lib 2. c. 4. ca. 26. li. 3. ca. 2. c. 8. & ali.
Galat. 5.
Iacob. 2.
Operibus bonis efficitur quis iuſtior.
Roma. 10.

OEcol. *Quod ſi deeſſet locus confeßioni & operibus, nimirum fides ipſa, quæ in homine, imo ſpiritus author fidei, non damnari ſineret hominem. Nam quum ſpiritus hominem illuſtrarit, & ſuum reddiderit, nimirum illum damnando, ſeipſum damnaret.*

Roff. Idem & nos exiſtimamus, de his qui quum in Chriſto credentes habeant in votis vt baptizentur, morte tamen præuenti ſunt, priuſquam eis occurriſſet oportunitas aliqua, baptiſmum conſequendi. Hic pie credimus ſuppleturum Deum per inuiſibilem ſuam ſanctificationem, quicquid ex efficacia baptiſmi defuerit, modo fidem habuerint, quæ per dilectionem operatur. Cæterum ſi non vehementer concupierint hoc ſacramentum, neque ſtudioſam diligentiam adhibuerint,

Credens ſaluatur ſine perceptione baptiſmi, modo ipſum in voto habeat.
Galat. 5.

hibuerint, vt ſacra baptiſmatis vnda lauarentur, quantauis fide polluiſſent, veriſimilius eſt eos, propter hanc tam grauem negligentiam, in re tantopere neceſſaria, periiſſe, præſertim quum & huic verbo Chriſti non minus, quam cæteris credere tenerentur: Dixit enim, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quocirca ſi per eorum vel contemptum, vel incuriam ſtetiſſet, quo minus huius ſacramenti facti ſunt compotes, nihil auſim de ſalute ipſorum polliceri. Verum quidem eſt, potentiam Dei nequaquam ſacramentis alligatam eſſe, quin ſine baptiſmo per ſolam fidem conferri queat iuſtificatio. At quod ita reuera ſit, quum lex in contrarium promulgata ſit, nemo certus eſſe poterit. Sed neque Spiritus eos damnando, ſeipſum damnabit, quum illorum culpa factum ſit, quod non fuerunt ſaluati.

Negligens baptiſmum damnatur.

Iohan. 3.

OEcol. *Quomodo igitur ſacramentaria eſitatio tam neceſſaria?*

Roff. Idem pari facilitate collegeris de ſacramento baptiſmatis, quod neque ipſum neceſſarium ſit, quum ſola fides, vt tu moliris, ſufficiat ad ſalutē. Atqui tametſi reproba mēs tua capere nequeat vtriuſq; ſacramenti neceſſitatem, nihilominus vera ſunt verba Chriſti, quibus ipſe teſtatus eſt, quod niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et rurſum: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ poſteriora verba, non Cyrillus modo, verumetiam Cyprianus & Auguſtinus affirmant ad Euchariſtiæ ſacramentum pertinere. Verum enimuero ſi nihil aliud eſſet quam quod Chriſtus hoc ſacramentū frequenter edendum inſtituiſſet, id ſolum abunde nos docere poſſet, eſum huius ſacramenti nō ſuperuacaneum eſſe.

Iohan. 3.

Iohan. 6.

Eſus Euch. eſt neceſſarius.

OEcol. *Quomodo caro Chriſti intra panem apta? cuius tanta dignitas, vt ſemel manducata, tollat eſuriem, & reddat immortalitatem, at non operatur hoc, vt in pane exiſtens. Qui hodie communicant, & proximis diebus communicaturi ſunt, non ſatiantur, ſed rurſus eſuriunt. Atqui in cœna ac ſpiritualis manducatio quæ fidei, illa hominem ſatiat, & eſurire non permittit.*

Roff. Et quid (te quæſo) prohibet, quo minus altera iuuet alteram? Si præſtet hoc fides Chriſti paſſi, multo magis ipſius corporis quod cruciabatur, & ſanguinis qui in cruce fundebatur, præſentia & ſusceptio corporalis fructu ſuo nequaquam carebit. Sed contendis corpus Chriſti nequaquam iſtud operari vt in pane exiſtens. Atq; hoc ipſum colligere moliris hac ratione, nimirū quod hi qui communicant, minime ſatiantur, ſed rurſus eſuriunt. Atqui ſi non idem contingat iis qui per ſolam fidem edunt, tum alicuius roboris eſſet hæc collectio tua. Sed idem iſtis itidem euenit, alioqui non dixiſſet Paulus: Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati guſtauerunt etiam donū cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerūt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſum renouari ad pœnitentiam. Ecce & hi qui tali tantaq; fide præditi ſunt, non ita ſatiantur, & redditi ſunt immortales, vt prolabi nequeant. Quare nec hi qui per ſolam fidem ederunt, nec illi qui cum fide corporaliter inſuper ipſo corpore ſanguineq; paſti ſunt, ſi denuo labantur in mentem impiam, vel ſatietate vel immortalitate potituri ſunt.

Hebr. 6.

Molitur & fidem ſolam ſufficere, & ſacramentorum etiam vſum Origenis teſtimonio nihilominus conducere.

Capvt X.

OEcol. *Nihilominus ſanctiſſimus Euchariſtiæ vſus eſt, & propterea non ſuperuacaneus ritus ille à Domino commendatus, vt corpus eius ſub ſacramento panis edamus. Nam vt interim de fœdere charitatis, & fidei externa proteſtatione taceam, mirificam Spiritus ſanctus fidem exercens, in credentium pectoribus operatur, trahens eos ad maiorem vitæ ſanctimoniam.*

Roff. Si per ſolum panem Spiritus ipſe ſanctus ita manducantes trahat ad maiorem vitę ſanctimoniam, quanto magis quum vere credunt ſe non communem panem manducare, ſicut tu moliris aſtruere, ſed verum Chriſtum ſub ipſa ſpecie panis edere, ſanguinemque Chriſti ſub vini ſpecie potare. Neque enim tantæ virtutis & efficaciæ panis ille tuus eſt, atque buccella panis fuerat, quam Iudæ porrexerat Chriſtus. Neque tamen hæc buccella, ſicut Aug. tradidit, corpus fuerat Domini Ieſu. Sic enim ſcribit ſermone quodam de cœna Domini: Non eſt putandū quod Iudas tunc Chriſti corpus ſumpſiſſet, quia Dominus omnes diſcipulos communicauerat & Iudam quoque, ſicut Lucas euidenter oſtendit: Panem intinctum tamen Dominus diſcipulo porrigere voluit: vt cor intinctum veneno ſignificaret. Et poſt buccellam intrauit in eum Satanas. Nunquid Satanas tamen cor eius primum intrauerat? Omnino, fratres, ante buccellā cor Iudæ intrauerat: ſed affectu & voluntate tantum. Sed poſt buccellam intrauit Satanas effectu & opere. Tamen bona fuit buccella quam Chriſtus diſcipulo dedit. Bonum etiam ſacramentum quod ei tribuit; ſed aliquando bona obſunt, & mala quādoque proſunt. Hæc Auguſtinus. Quibus & ſimilia verba dicit ſuper Iohannem, tractatu 62. in quibus audis lector Auguſtinum inter buccellam panis & corpus Chriſti prius acceptum, palam diſcriminare. Nō eſt putandū (inquit) quod Iudas tunc corpus Chriſti ſumpſiſſet, quando videlicet Chriſtus ei buccellam panis intincti porrigebat, ſed antea ſumpſiſſe videtur, quando cōmuniter omnibus illis duodecim, vti Lucas ait, corpus ipſum dominicum fuerat adminiſtratū. Quamobrem & perſpicuum eſt Auguſtinum ſenſiſſe, quiddam excellentius in ſacramento fuiſſe, quod & vocat corpus Domini, quā fuerat in buccella panis. Sed & iſtud itē aduertis, quod licet ante ſumptā buccellam introiiſſet in eū Satanas, tūc tamen eundē iterum introiiſſe teſtatur,

Iohan 13.

Buccella Iudæ & Euch. differunt.

Luca 22.

Iohan. 13.

Auguſtinus.

Iohan 13.

Luc. 22.

nimirum vt ita plenius illum poſſideret, quemadmodũ & ſæpe de Chriſto diximus, quod quanquam per fidem quis eum ſuſceperit, longe tamen intimius per eſum Euchariſtiæ nobis denuo communicetur.

Lib.2.c.20.21.

OEcol. *Sicut Origenes contra Celſum ſcribit: Celſus, vt Dei ignarus, gratias dæmonibus reddat, nos vero conditori rerum, pro eius collatis in nos beneficiis, vbi & gratias diximus, oblatis panibus veſcimur, qui vtique ex oratione & precibus ſanctius quoddam corpus conflantur, quod ſane ſanctiores hos reddat, qui mente integriori hoc ipſo vtantur.*

Roff. Profecto ſi de Euchariſtia velit Origenes iſtud intelligi, nimirum, vt ex oratione precibusque conflata ſit, in ſanctius corpus quam pridem fuerat, quodq; ſanctiores hos reddat, qui mente integriori ipſa eſca vtantur, quis dubitare poteſt quin ſenſerit hic Origenes panẽ in corpus Chriſti mutatum eſſe. Nam veſtra ſententia, panis nullam accipit internam ſanctitatem, quæ pios ex eo manducantes efficiat ſanctiores. Quamobrẽ, nec iuxta doctrinam veſtram naturale corpus ipſius panis immutatum eſt, vt fiat ſanctius. At Origenes palam affirmat panem per orationem & preces cõflatum eſſe in ſanctius corpus, quod edentes modo pij ſint, ſanctiores efficiat.

Origen. ſenſit panem in corpus mutari.

OEcol. *Quid dicit hic ſanctius corpus? Nunquid corpus Chriſti, pani accedens? Nunquã ita delirauit tantus vir, quantumuis alias periclitatus eſt.*

Roff. Quoties videtur Origenes vel vno verbulo fauere partibus Oecolampadij, iam non eſt contemnendus Origenes. At nunc vbi palam aduerſatur, omnino delirat. Cæterum ſi propter hoc Origenem deliraſſe putes, delirauit Cyrillus, Chryſoſt. Cyprianus, Auguſtin. Hierony. & quis non? Concorditer enim omnes in hac ſententia patres conueniunt, nimirum vt panis per verbum Chriſti myſticasque preces, mutetur in ipſius Chriſti verum corpus: Quod etiam affirmant cunctos pie ſuſcipientes ſua inuiſibili virtute reddere ſanctiores.

Omnes cõcorditer tenent panem in corpus Chriſti mutari.

OEcol. *Sed ita dicit ſanctius: quia cum creatura omnis ſancta ſit creatione. Omnia enim, quæ creauerat, vidit Deus quod bona erant valde; eadem ſanctior redditur gratiarum actione, & ſi non in ſe, nobis tamen.*

Roff. Iſtud peculiariter obſerua lector, quod iam dicit: Panem hunc in ſe non fieri ſanctiorem, ſed nobis. Nullam ergo recipit panis iſte ſanctitatem, quæ realis eſt & quantum ad ſe pertinet. Quamobrem nec vllam prorſus efficaciam habet aut ſanctificandi nos, aut ſalutem, aut vitam præſtandi quouis pacto. Sed nunc aduerſarium petamus. Ecce teſtaris Oecolampadi panem hunc in ſe nihilo ſanctiorem eſſe, quum nihil in ſe recipiat ſanctitatis. At Origenes palàm affirmat precibus & oratione conflatum eſſe ſanctius corpus ex pane, de quo ipſe loquitur, ipſumque corpus ita conflatum ſanctiores eos reddere, qui mente integriori eodem vtantur. Male ergo tibi cum Origene conuenit.

Iugulatur Oecolam. proprio enſe.

OEcol. *Sanctificatur enim per orationem & precationem, vt Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit.*

Roff. Hoc de communi cibo Paulus tradidit, qui per orationem & precationem ab impuritate quauis noxia, ſi qua intus delituerit, purificatur. At nullam inde ſanctitatem cibum illũ contrahere vos exiſtimatis. Quare nec panis ille tuus maiorẽ adeptus eſt ſanctitatem, quàm panis quiuis in menſa communi poſt actas Deo gratias.

1. Tim. 4.

OEcol. *Hæc vero creatura panis ita ſanctificatur ſanctiſſimo vſui ſeruiens, vt & corpus Chriſti quod repræſentat, appelletur, vtentesq; ſanctificet, non ſua quidem natura, ſed vtentium ſanctimonia, hoc eſt, fide & affectu ſancto.*

Roff. Miranda ſunt hæc, & primum, quum dicas panem Euchariſtiæ ſanctificari, nullam tamen in ſe ſanctitatem recipere, quando ſanctificari non eſt aliud quàm fieri ſanctum. Deinde quum ſubiicias, neque panem hunc aliter eſſe corpus Domini, quàm per ſolam repræſentationem. Et iſtud æque mirandum eſt, quandoquidem Paulus conſtanter & ſimpliciter, atque non ſemel Euchariſtiam vocat corpus Domini. Tertio demiror, quã ratione ſanctificet vtentes, nimirum eos qui credunt eundẽ ſolum panem eſſe, & non verũ Chriſti corpus, quandoquidem ipſe palam teſtabatur, dicens: Hoc eſt corpus meum. Propter quod & illa credulitas verius perfidia cenſeri debet, quàm vlla fides.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Non aliter Euchariſtiam ſanctificare contendit, quã preces, pro qua re & Chryſoſtomum fruſtra citat.

Caput XI.

OEcol. *Non minus enim vere hoc quis de Euchariſtia affirmat, quàm de precibus, quæ vſu ſuo hominem ſanctificant, ſicut pulchre Chryſoſtomus in ſermone de oratione dicit.*

Roff. Longe aliter exiſtimandum eſt de ſacramento corporis Domini, quàm de precationibus. Nam his, quando pie deuoteq; funduntur, impetratur ſanctitas, quemadmodum & publicanus in templo precatus, iuſtitiam obtinuit & ſanctificationem à Deo. Deſcendit enim iuſtificatus in domũ ſuam. At ſacramẽtum corporis Dominici ſuapte virtute ſanctificationem præſtat. Cæterum, quod Chryſoſtomi calculum citas, quo precationes oſtendas, eos qui precantur ſanctificare, iudicabit lector, an in his Chryſoſtomi verbis, quæ ſequuntur, quicquam eiuſmodi reperiatur.

Eucha. & preces differunt.

Lucæ 18.

OEcol. *Ipſi qui precantur diligenter, probe cauent, ne quid illis indignum precibus accidat. Erubeſcentes enim Deũ cui loquuntur, omnem facile repellunt maligni dæmonis machinationes, cogitãdo apud ſeipſos, quantũ ſit malum, & quam turpe eũ qui vt Deo loquutus eſt, & cum cõtinentia & ſanctitate rogauit, ſtatim ad diabolum trãſire, & admittere in animũ fœdas voluptates, & dare diabolo trãſitum in mentem, quã paulo antea Deus inuiſerat, & permittere dæmonib. ingredi in animã, in qua Spiritus ſancti gratia multam miſericordiã paulo antea demonſtrauerat. Et quomodo? Audi. Impoſſibile eſt homini abſq; operatione Spiritus diuinã conuerſationem agere: ſed opus eſt, vt aſſit maius quiddam viribus humanis, & operetur ſanctum ſtudium & curam. Igitur cum intrat & flectit genua, tunc orandũ & precandũ, quoniam vt Deo loquamur,*

mur, opus eſt ingredi in nos ſpiritum gratiam ſolidantem, & fiduciam præſtantem, docentemque honoris magnitudinem. Quando igitur diſcis, quod & Deo loqueris, & Spiritus ſancti operationem colloquio ſuſceperis, nullum dabis tranſitum diabolo in animam ſanctificatam à Spiritu. Sicut enim qui Regi loquuntur, ſuauibus ſermonibus & honore fruuntur, nollent conſortium mendicorum & abiectorum, ita & qui Deo loquutus eſt, maligni & impij conſuetudinem refugit.

ROFF. *Orationes nō ſanctificant aliquem.* Vides lector in his verbis nihil eiuſmodi prolatum à Chryſoſt. quo precationes affirmet ſanctificare quenquam, imo docet potius hominē ante ſanctificatū eſſe per Spiritus ſancti gratiam, quæ ſolidet orantem, ac fiduciam ei præſtet, doceatq; honoris magnitudinem. Nam vt ait: Impoſſibile eſt homini abſque operatione Spiritus, diuinam conuerſationem agere, hoc eſt, inter precandum cum Deo conuerſari, ſed opus eſt vt aſſit maius quiddam viribus humanis, quod iſtiuſmodi ſtudium & curam operetur in nobis.

OECOL. *Ita ſe habent qui pij ſunt oratores: quanto magis tam ſanctis ſymbolis adhibitis, admonebuntur prudentia, & operantem intra ſe Spiritum experientur, ſanctificareq; ſe ſtudebunt, quando non ſolum Deo loqui ſe cogitant, ſed ſancta recogitatione fere ante oculos vident Dominum Ieſum Chriſtum Dei filium, corpus in mortem tradere, ac ſanguinem pro ipſis effundere. Quomodo enim hoc tantu communicantem myſterijs non inflammaret?*

ROFF. Iſta ſanctificatio nihilo maioris eſt momenti, quam ſi conſpexeris panem & vinum in menſa
1. Timoth. 4. quauis poſitum. Nam & cibus omnis, vti Paulus teſtatur, per orationem & precationem ſanctificari debet, priuſquā à Chriſtianis edatur. Quando igitur tibi nihilo maior ſanctitatis virtus in Euchariſtia creditur, quam in communi pane vinoque cuiuſlibet menſæ, profecto nec ſanctificatio quam Euchariſtia præſtat, aliquo pacto ſecundum te maioris erit momenti, quam panis & vinum, quæ communiter apponuntur, modo comeſturus ex his repræſentationem quandam corporis & ſanguinis Chriſti concipiat. Nam iſta repræſentatio eſt, quæ tua ſententia, ſanctitatem
Lib. 2. cap. 16. & alibi. nobis impetrat, non ipſe panis. Veruntamen, vt ſæpe diximus, repræſentatio talis longe efficacior ex imagine crucifixi colligi poteſt, qua quis inflammetur ad recogitandā Chriſti paſſionem, quam ex vini paniſque ſpectaculo, ſi nihil aliud
Repræſentatio paſſionis Chriſti. ſubeſſe credat. Nam imago ipſa, graphice depicta, verius & viuacius menti noſtræ repræſentat Ieſum Chriſtum Dei filium, corpus in mortem tradidiſſe ſanguinemque ſuum pro nobis effudiſſe, quam ſolus panis & vinum referre queant.

In Cypriani citatione falſarium deprehendes, vbi multa notabis lector pro parte noſtra.

CAPVT XII.

OECOL. *VNde Cyprianus in ſermone de oratione dominica, quam periculoſum ſit arceri à cœna Domini, admonet, dicens:*

ROFF. Si de cœna Domini Cyprianus, vt tu iam aſſeris, hæc intelligit, id quod citra dubitationem omnem facit, mirum eſt qua fronte non erubeſcas, authorem adeo grauem, & tuæ ſententiæ tantopere reluctantem, in medium producere?
Cypr. ſententia de Euchar. Nam Cyprianus vbique dilucide teſtatur, in Euchariſtia verum Chriſti corpus & verū eius ſanguinem contineri. Quocirca iam etiam admonet, vt quotidie cibum iſtum ſumamus, quo ſolidi ua in vera ſalute & ſanctificatione perſeueremus. Sed iam audiamus potius ipſius Cypriani verba.

OECOL. *Chriſtus noſtri, qui corpus eius contingimus, panis eſt, hunc autem panem nobis dari quotidie poſtulamus vt qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus intercedente aliquo grauiori delicto, dum abſtenti, & non communicantes, à cœleſti pane prohibemur, & à Chriſti corpore ſeparamur, ipſo dicente & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum.*

ROFF. In his verbis lector, quid aliud audis, quam
Matth. 6. quod petimus panē hunc, nempe corporis Chri-
Iohan. 6. ſti in Euchariſtia, nobis quotidie dandum, ne per abſtinentiam à tam eximio cibo, vitam amittamus, & ab eius myſtico corpore ſeparemur. Nam vt ex verbis ipſius Chriſti docet, panis iſte Chriſtus eſt, & panis vitæ, neq; ſinet eos, qui frequenter hoc pane veſcuntur, æterna morte perire. Confirmat etiam & hunc panē veri Chriſti carnem eſſe, aliis Chriſti verbis, quæ ſubdole ſuo more ſuſtulit Oecolampadius: Nam in Cypriano iam continenter ſequitur: Panem autē quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Nā hoc teſtimonium apertiſſimum eſſe Cyprianus pro hoc ſacramento nihil dubitat, quemadmodum aliis locis euidentius conſtat: Nam & ex iiſdem verbis Chriſtus affirmat panem hunc eſſe car- *Iohan. 6.*
nem ſuam, nimirum eandem quam & edit pro ſeculi vita. Sequitur adhuc in Cypriano.

OECOL. *Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de pane eius, vt manifeſtū eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiūt: ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo & dicente: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.*

ROFF. Et in his verbis rurſum, quid aliud accipis lector, quam ſicut per frequentem Euchariſtiæ communicationem quis abſque dubio vitæ ſit particeps? ita metuendum eſt, ne per abſtinen-
Qui abſque legitima cauſa abſtinet, damnum patitur. tiam à tam ſalutari cibo, vitam perdant, & procul à ſalute remaneant. Quod & iterum probat aliis Chriſti verbis, nimirum his: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,
Iohan. 6. non habebitis vitam in vobis. Et hic iterum aduerte lector, hæc tria teſtimonia Chriſti deprōpta fuiſſe ex capite ſexto Iohannis. Quamobrem
Ca. 6. Ioh. pertinet ad Euchariſt. ex Cypriani ſententia perſpicuum eſt, hoc caput ad Euchariſtiæ manducationem pertinere.

OECOL. *Et ideo panem noſtrum quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione & corpore eius non recedamus.*

ROFF. Et hic itidem nonnihil eraſit Oecolampadius.

Sic

Sie enim ait Cyprianus: Et ideo panē noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus. Hæc enim verba, id eſt, Chriſtum dari nobis, omnino ſuſtulit. Petimus vtique Chriſtum dari nobis in Eucbariſtia quotidie; quod illi certe nō faciunt, qui per ſolam fidem etiam abſque ſacramenti eſu, ſe Chriſtum habere putant, & nihilo præſentius aut plenius exiſtimant illum in ſacramento recipere, quam ſola fide. Et cur illud petendum ſit, Cyprianus adiungit, dicens: Vt ne qui in Chriſto manemus & viuimus, nempe fide, poſthac per abſtinentiam à tanto cibo, ſenſim pariter à ſanctificatione & ab ipſius corpore myſtico recedamus.

Matth. 6. Luca 11.

Deteguntur fuci, quibus obſcurare Cyprianum quamuis dilucidum nititur.

CAPVT XIII.

OEcol. *HAc expoſitione beatus martyr, id quod vbique ſolet, à ſchiſmate & diſcordia dehortatur. Iuxta eum enim quotidianum panem recipiunt, qui in charitate perſeuerant, & à corpore Chriſti myſtica, quod eſt eccleſia, non auelluntur, vtpute cœleſtis panis per fidem vere participes. In cuius rei myſterium quotidie communicant, & per ſingulas dies ſymbolis pacificis, membra ſe Chriſti declarant.*

Roff. Hic nec vno quidem verbo ſchiſmatis aut diſcordiæ mentio facta eſt, neque iſtud molitur ſanctus pater; quod & lectori cuiuis perſpicuum eſſe poteſt. Vbi quæſo reperies in prædictis verbis, quod ideo ſumenda ſit Euchariſtia, vt edentes declarent ſeipſos eſſe membra Chriſti? An non legis, potius ideo ſumendam eſſe, ne ſi diutius abſtinueris ab eſca tam ſalutari, procul remaneas à ſalute, quandoquidem ipſa vitam ſalutemque præſtat. Affirmat inſuper & vſu Euchariſtiæ nobis id largiri, ne qui per fidem in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione quæ per ſacramentum fit, & à corpore Chriſti myſtico recedamus.

Sumenda eſt Euch. ne gratia eius priuemur abſtinentes.

OEcol. *Hinc patet, quam graue quiddam abſtinentia ſit: multo autem grauius, ſi eccleſia excommunicet: grauiſſimum denique, ſi & Deus vt palmitem aridum execet à vite vera, quæ eſt Chriſtus.*

Roff. Tria colligis. Primum eſt, his verbis liquere quam graue quiddam abſtinentia ſit. Et hic non ſatis intelligo quid tibi velis, an ſentias graue malum, an graue peccatum, an graue damnum eſſe? Quoduis horum dixeris, neutiquā eſt ſententiæ tuæ conſentaneū. Nam ſi nihil in his ſymbolis aliud contineatur, quam panis communis & vinum purum, neque hæc ob aliud ſumenda ſunt, quā vt quiſq; ſe declaret eſſe membrū Chriſti, qua ratione poſſit, aut graue malum, aut graue peccatum, aut deniq; graue damnum eſſe, ſi non quotidie ſumpſeris magis quā ſingula quaque hora. Veruntamen longe aliter ſe res habet, ſi verum Chriſti corpus, verusq; ſanguis eius in hoc ſacramento cōtineatur. Tum profecto non eſt dubium, quin graue damnum & malum ſit, diutius carere tanti cibi ſolatio. Alterum quod colligis, iſtud eſt, multo grauius aut malum, aut peccatum, aut damnum eſſe, quū ab eccleſia quis excommunicetur. Et in hac re nō ſatis inter vos conuenitis. Nam Lutherus docet excommunicationem ab eccleſia factam, nihil operari, niſi quis ante fuiſſet excōmunicatus à Deo. Sed hoc quid ad rem noſtram. Tertium quid colligis eſſe grauiſſimum, nempe quum Deus quempiam vt palmitē aridum execet à vite vera, quæ eſt Chriſtus. Explora teipſum Oecolampadi, & non dubito, facile comperies horum ſingula in teipſum competere. Nam ipſe qui non credis in Euchariſtia verum eſſe corpus Chriſti, nec ſpiritualiter nec ſacramentaliter Chriſtum edis. Quo fit vt ab eius corpore teipſum ſeparaueris. Similiter & ab ea quæ ſola dici poteſt eccleſia, nempe catholica, quæ & vera Chriſti ſponſa eſt, prorſus excommunicaris. Poſtremo quod & tu grauiſſimum eſſe confiteris, à vite vera quæ Chriſtus eſt, ceu palmes aridus exectus es omnino.

Carere Euch. eſt graue dānum & malū.

Excommunicatio diuerſimode à Lutheranis tractatur.

Iohan. 15. Aſſerta retorquētur in authorem.

Cant. 6.

OEcol. *Contentioſiores ex dictis illis, pertinacia fomentum inueniunt.*

Roff. Lutherum hic & ſectatores eius hauddubie taxas, qui verum Chriſti corpus aſſerūt vna cum pane manere. Sed illi præ te longe præferendi ſunt, quum & ſcripturas aliquot pro ſe producant, quæ ſpecietenus probare videntur quod ipſi ſentiunt. Tu vero nullas afferre vales, vt mox videbimus. Similiter & authores, quos tibi ſubſidiarios facere moliris, apertiſſime tibi contradicunt. Quare nemo contentioſior eſt, aut pertinacior teipſo, qui velut execcatus in clariſſimam impingis lucem, neq; cum Luthero, iampridem duce tuo, neque cum eccleſia conſentias.

Lutherani Oecolampadio præferendi.

OEcol. *Sed qui perſpicacius intuentur, manifeſte vident à Cypriano aliud dici panem qui poſtulatur: aliud eſſe Euchariſtiam quæ accipitur: aliud ſacramentotenus Chriſti corpus manducare: & aliud, ipſo cœleſti pane paſci.*

Roff. Profecto qui non omnino captus eſt oculis, hic dilucide cernere poteſt, cur ex prioribus Cypriani verbis fraudulēter exemeris ea verba quæ ſupra memorauimus. Nam ex illis plane conſtat eundem eſſe panem qui poſtulatur, & Euchariſtiam quæ ſuſcipitur. Poſtulamus enim vt detur nobis in Euchariſtia Chriſtus, ſimiliter & aſſeritur eos victuros in æternum, qui panem iſtum ederent. Alioqui cur ita citaſſet Cyprianus illa verba Chriſti: Panem quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Et ruſſum: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinē, non habebitis vitam in vobis. Quæ verba pluribus aliis locis idem Cyprianus palam aſſerit ad Euchariſtiam attinere. Adde quod enarraturus hæc verba: Panem noſtrum quotidianū da nobis hodie, dicit per ea poſſe duplex panis genus intelligi, & ſpiritualiter aut ſimpliciter accipi, hoc eſt, de Euchariſtia quæ Chriſtum cœleſtem panem continet, & de cibo quouis ad hominis victum neceſſario. Separat igitur Euchariſtiam Cyprianus, velut panem ſpiritualē à cōmuni cibo qui carnalis eſt. Quamobrem & Chriſtus, qui cœleſtis panis eſt (quum in Euchariſtia ſumitur) vnus &

Lib. 4. c. 12. Marc. 6. Luca 11. Iohan. 6.

Matth. 3. Luca 11. Panis noſter duplex eſt.

vnus & idem panis eſt cum Euchariſtia, id quod locis aliis compluribus idem Cyprianus affirmat, & qui id negat, is plane contentioſiſſimus & pertinaciſſimus habeudus eſt.

OEcol. *Vt cætera omittam: nonne in fine dicit: Qui in Christo manemus & viuimus; quod nimirum à cœleſti pane eſt, & à ſanctificatione & corpore eius non recedamus, hoc propter Euchariſtiam dicit, qua teſtamur ſanctimoniam, qua paramus nos ad communionem & innocentiam, ita vt recte membra vocari mereamur. Recte examinans, & Cyprianum intelligens, ſubeſſe in verbis eius latentem diſtinctionem videt.*

Roff. *Lib. 4. cap. 12. Cyprianus. Matth. 6. Luca 11.*

Ego plane diſtinctionem hic aliquam agnoſco, quæ & pro nobis maxime facit, vti ſuperius explicuimus. Non grauabor itaq; hic denuo Cypriani verba recenſere. Sic enim ait: Et ideo panē noſtrum, id eſt Chriſtum, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione & à corpore eius nō recedamus. Quid hic aliud dicit, quā non ſatis eſſe nobis per fidem in Chriſto viuere & manere, ſed inſuper & Euchariſtiam cœleſtem vtiq; panem, oportet edere, ne videlicet à ſanctificatione pariter & à myſtici corporis vnione, quā per fidē conſequuti ſumus, excidamus. Quamobrem & affirmat nobis quotidie petendum eſſe panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis. Et qua ratione quotidie petendum eſt, vt detur nobis Chriſtus, in quo per fidem hauddubie manemus & viuimus, niſi quod idem plenius in euchariſtia detur, ad cumulatiorem noſtri ſanctificationem, & ad intimiorem inſertionem in eum per carnis & ſanguinis ſui ſumptionem.

Christus in Euch. plenius datur.

Nihil nobis obſiſtit Auguſtinus, quem citat & ait, admiratorem Cypriani fuiſſe.

Capvt XIIII.

OEcol. *Porro Auguſtinus, ſedulus Cypriani lector & admirator, eundem in oratione dominica locum explicās, pulchre ac ſcite inter triplicem panem diſtinguit.*

Roff. Si quemadmodum ſcribis, Auguſtinus fuerat ſedulus Cypriani lector & admirator, ignorare non potuit, quid de Euchariſtia ſenſiſſet Cyprianus. Quare quum is vbique teſtetur, in Euchariſtia veram Chriſti carnem contineri, ſi non huic ſententiæ ſubſcripſiſſet Auguſtinus, haud dubie reprehendiſſet hunc errorem alicubi, quemadmodum & de rebaptizando baptiſmo fecit. Porro quod hic de triplici pane loquatur Auguſtinus, veriſſimum eſt, ſed tertium adiecit, de quo non meminit illic Cyprianus, nempe diuini verbi panem. Duos autē reliquos, eoſdē ipſe facit, quos memorat Cyprianus, nempe Chriſtum panē cœleſtem in Euchariſtia, & cōmunem panem. Cæterum vt ſcias lector Auguſtinum, hunc orationis dominicæ locum interpretari ſolere pro Euchariſtiæ ſacramento, huc iam afferemus, quæ ſcribit de verbis Domini, ſermo. 28. Panem noſtrum quotidianū da nobis hodie: Memini ſermonis mei, cum de ſacramentis tractarem, dixi vobis quod ante verba Chriſti quod offertur, panis dicatur: vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam nō panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica, quæ poſtea ſequitur ait: Panem noſtrum: Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt ſuperſubſtantialem. Non enim eſt panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitę æternæ, qui animæ noſtrę ſubſtantiam fulcit. Iden ergo græce ἐπιούσιον dicitur, Latinus autem hunc panem quotidianum dixit: quia græce dicunt aduenientem. Ergo quod Latinus dixit & Græcus, vtrumq; vtile videtur. Græcus vtrumq; vno ſermone ſignificauit: Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus eſt panis: cur poſt annum illum ſumas: quem iam modum Græci in oriente facere conſueuerunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui nō meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Quomodo ſanctus Iob quotidie pro filiis offerebat ſacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis, quod quotieſcunque offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, eleuatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum, & panem vitæ noſtræ quotidianum nō aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. vulnus eſt: quia ſub peccato ſumus. medicina eſt: cœleſte & venerabile ſacramentum. Hæc Auguſtinus. Ex quibus clariſſimum eſt, eum & Euchariſtiam vocare non communem panem, ſed panem æternæ vitæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit, non quæ vadit in ſubſtantiam corporis, neque deinceps cognominādam panis communis vocabulo, ſed corporis Domini, quia iam poſt recenſita Chriſti verba, mutatus eſt communis panis in ipſum verum Chriſti corpus.

Auguſtinus. *Matth. 6.* *Matth. 26.* *1. Corinth. 11.*

OEcol. *Quin & 21. lib. de ciuitate Dei, hæreſim, quæ ex peruerſo intellectu verborum Domini: Qui manducat meam carnē, viuet in æternū: ſatis indicat, quid inter ſpiritualem & ſacramentariam interſit mādicationem. Etenim coniungi poſſunt, & ſeiungi. Spiritualis quidem, ſiue iuncta ſit ſiue non iuncta ſacramentali, ſemper vtilis eſt ac viuifica. Sacramentalis autem iuncta quidem ſpirituali, non per ſe, ſed propter ſpiritualem additam conducibilis, eo quod incitando, & occaſionem præbendo, exercenti ſe ſpiritui ſeruiat: ſola vero inutilis eſſet ac damnoſa.*

Roff. Non molitur hic Auguſtinus oſtēdere diſcrimen inter ſpiritualem & ſacramentarium eſum, ſed tantū hæreſeos accuſat eos, qui contendunt, eos omnes (quotquot Euchariſtiam ederint) quantumuis impios, ab æterna morte nihilominus eruendos. In quem errorem propter ipſius Chriſti verba collapſi ſunt, nimirum iſta: Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Vnde palam eſt & illos exiſtimaſſe Chriſtum in hoc ſacramento manducari. Id quod Auguſtinus neutiquam reprobat, ſed errorem illum quem iam diximus. Atqui neq; tu ſatis explicas quid inter ſpiritualem & ſacramētarium eſum interſit. Verum quidem eſt, quod is qui credit in Euchariſtia Chriſtum cœleſtem illum panem cōtineri, licet non ore ſu-

Auguſt. coarguit aſſerētes ſaluari omnes corpus Chriſti manducantes.

Corpus Chriſti manducatur dupliciter.

ore ſumat, ſpiritualiter tamen edit. Qui vero ſic credit, ac inſuper (vbi ſe probauerit) etiam ore ſumit, is & ſpiritualiter & ſacramentarie manducat. Porro quiſquis indigne ſumpſerit, licet credens, ſacramentarie ſolum recipit, non item ſpiritualiter. Poſtremo qui citra fidem edit, neque ſpiritualiter accipit, neque ſacramentarie. Fatemur itaque ſpiritualem eſum per ſe ſemper vtilem eſſe & viuificum. Sacramentarium tamen eidem adiunctum longe fore conducibiliorem, vt ſæpe diximus.

Lib. 3. c. 1. lib. 3. c. 20. c. 21. lib. 4. c. 13.

Producit Cyrilli teſtimonium, quod ſuam ſententiam diruit apertiſſime.

Capvt XV.

OEcol. *Porro communicandi aſſiduitas quam ſalutaris ſit, Cyrillus, quamuis fere nimium promiſcue de re ſacramenti & ſacramento loquatur, ſic inquit ſuper verba illa: Qui venit ad me non eſuriet.*

Roff. O quid eſt, quod tua peruerſitas non exiſtimat ſe poſſe verborum fucis deprauare, quum hic Cyrillum adeo dilucide ſcribentem obſcurare moliaris? Sed ipſum attentius audiamus, an non apertiſſime nobis conſentiat.

OEcol. *Quid igitur Chriſtus pollicetur, quid credentibus affert? corruptibile certe nullum, ſed benedictionẽ, quam communicatione corporis & ſanguinis aſſequimur, vnde ad eam incorruptionem integre reducemur, vt cibo & potu corporali non indigeamus.*

Roff. *Cyrillus loquitur de Eucharistia.* Hic aduertis lector, Cyrillum de ſacramento corporis & ſanguinis habere ſermonem, quod & fatetur Oecolampadius vel inuitus. Nam res tam aperta eſt, vt inficiari nemo poterit. Sed hoc etiam perpende, quod hic diſcrimen aperiat inter manna, quod Iudæi iactitabant ſibi per Moyſen fuiſſe datum, & hoc ſacramentum, quod ſuis donauit Chriſtus. (*Iohan. 6.*) Iſtud ita ſe habere cognoſces lector, ſi tres lineas, quę verba citata proxime antecedunt, perlegeris. Sic enim ait Cyrillus in perſona Chriſti Iudæos alloquentis: Dederit ergo (vt hoc vobis cõcedatur) Moſes manna, ſed qui comederunt, rurſum eſurierunt: produxerit copioſa ex lapide flumina, ſed qui bibebant, rurſus ſitiebant. (*Exod. 16. Exod. 17.*) Qui vero ad me venit, nunquam eſuriet, & qui in me credit, nunquam ſitiet. (*Iohan. 4.*) Iam cõtinenter ſequuntur ea verba quæ citat Oecolampadius. Quid igitur Chriſtus pollicetur? Quid credentibus affert? Corruptibile certe nullum, ſed benedictionem quam communicatione corporis & ſanguinis aſſequimur, &c. Palam eſt igitur quod ex inſtituto Cyrillus hic doceat, nos communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, benedictionem aſſequuturos, vnde ad tantam incorruptionem integre reducemur, vt cibo & potu corporali nõ indigeamus. At quam in modum iſtud probet, iam accipe.

OEcol. *Viuificat enim corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Non enim alterius cuiuſdam eſt corpus, ſed ipſius vitæ corpus eſt, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo vniuerſa & viuunt & ſunt.*

Roff. *Euch. frequentatio præſtat incorruptionem.* Ecce per frequentationem Euchariſtiæ reducemur ad incorruptionem, quia corpus Chriſti, quod in ea continetur, ſui participantes viuificat, & incorruptibiles efficit. Atq; iſtud quidem ideo facit, quod ſit ipſius vitæ corpus, & virtutẽ verbi incarnati contineat, plenumque ſit viribus illius, quo vniuerſa & viuunt & ſunt. Quod ſi nihil virtutis in ſe contineret Euchariſtia, quemadmodum Oecolampadius opinatur, profecto nunquam ipſius eſus aut viuificaret, aut nobis præſtaret incorruptionem. Quandoquidem igitur Cyrillus, Euchariſtiam eſſe tantæ virtutis & efficaciæ iam oſtenderit, conſequenter cunctos adhortatur, vt crebrius ad hunc tam ſalutarem cibum edendum accedant, vt iam audiemus. *Exhortatio Cyril. ad frequentem communicationẽ.*

OEcol. *Quæ quum ita ſe habeant, ſciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ facti participes, ſi rarius in eccleſiam proficiſcantur, & longo temporum ſpacio, propter ſimulatam religionem, myſtice communicare Chriſto recuſent, ab æterna vita ſe procul depellere.*

Roff. Hoc in primis damnum incurrunt hi, qui rarius huic myſticæ communicationi dant operam, quod ab æterna vita ſenſim elongent & depellant ſeſe.

OEcol. *Quippe recuſatio huiuſmodi, quamuis ex religione proficiſci videatur, & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit.*

Roff. *Abſtinẽtia ab Euch. nociua eſt.* Hoc eſt, & quamuis metu quodam atque reuerentia ducti videantur, à tanto ſacramento abſtinere, tamen hac eorum abſtinentia, & ſibiipſis laqueos & proximis offendiculum parant.

OEcol. *Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & recte viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad vitam concurrere.*

Roff. Excitat igitur his verbis cunctos, vt à vitiis diligenter expurgati, pariter & recte viuendi iactis fundamentis, cum omni fiducia concurrant ad hoc ſacramentũ, vt ita fiant veræ vitę participes.

OEcol. *Sed varia ſunt diaboli multiplicesque ad decipiendum inſidiæ. Nam primum ad viuendum turpiter inducit, deinde cum malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Chriſti gloria perſuadet, qua poſſent à turpitudine voluptatis quaſi ab ebrietate reuocari.*

Roff. *Euch. eſt Chriſti gloria.* Aduerte lector, Cyrillus hic audet vocare ſacramentum iſtud, Chriſti gloriam. Nam Chriſti gloriam hic intelligit quando reſipiſcẽtes à peccatis ad ſanctiſſimum iſtum cibum edendum acceſſerint. Præſtatur enim hoc medicamine quatenus à turpitudine voluptatis (in quã dolo Satanæ non ſolum collapſi ſunt, verumetiam adhuc detinentur) velut ab ebrietate quadam reuocentur. Sed per artes diabolicas ab hac Chriſti gloria perſuaſi ſunt abhorrere, atq; ita per tanti remedij recuſationem, & proximis offendiculum, & ſibiipſis nexuerunt laqueos.

OEcol. *Quare demus operam oro, vt vinculis eius abruptis, & iugo ſeruitutis peccatorum excuſſo, in timore Domino ſeruiamus. Et vt carnis voluptate per continentiam ſuperata, ad cæleſtem gratiam accedamus, corporiſq; Chriſti participes efficiamur.*

Roff. Abrumpendi ſunt illi laquei, & excutiendum eſt iugum ſeruitutis peccatorum, & in timore

iugiter

Pſalm. 2. ingiter ſeruiendum eſt Domino, nimirum vt ita carnis voluptate per continentiam deuicta, cœleſtis gratiæ per eſum ſacramenti, & ipſius corporis Christi participes efficiamur.

OEcol. *Sic enim ſic inquam, & diabolum fugabimus, & diuinæ naturæ participes ad vitam & incorruptibilitatem aſcendemus.*

Roff. Ecce per acceſſum ad cœleſtē gratiam in hoc ſacramento, & per corporis Chriſti participationem, tria conſequemur. Primum eſt, quod diabolum ita fugamus. Alterum, quod naturæ diuinæ participes euadamus. Poſtremum, quod vera vita & incorruptibili perfruemur. Hæc ſane tria conſequimur per dignam & crebram huius ſacramenti ſumptionem. Quam rem & Cyrillus hic adeo perſpicue tradidit, vt ne cogitari quidem poſſit apertius tradi. Veruntamen Oecolampadius nulla ſuæ profeſſionis habita ratione, præter omnem pudorem trahere molitur idipſum in ſuam partem, vt iam audies lector.

Tria cōſequimur per Euchar. ſumptionem.

Molitur fucis hoc ipſum Cyrilli teſtimonium obducere, intermiſcendo ſua.

Capvt XVI.

OEcol. *Confuſanea videtur hæc Cyrilli lectio, & non diſcernens inter participationem ſpiritualem & myſticam, ſed penitius introſpicienti non ſpinoſa eſt.*

Roff. Cui, precor, aliter videtur hæc lectio confuſanea, quam vni tibi, qui nihil non permiſcere confundereque ſtudes, quo tua diabolica ſententia verſutius aliquo veritatis colore fucetur? Neque vllam hic diſtinctionem inter ſpiritualem & myſticam participationem Cyrillus facit, quin ſimpliciter enarrat, quem fructum ex crebro eſu tanti ſacramenti quis conſequitur, ſimul & quantum ex eiuſdem abſtinentia diſpendium incurritur.

Cyrillus recēſet, fructū ſæpe communicātium.

OEcol. *Primum indicat quantum bonum ex communicatione corporis & ſanguinis per fidem habeamus, nempe benedictionem, vitam, incorruptionem, & ſatietatem.*

Roff. Vbi quæſo vel vno verbulo Cyrillus hic de fide meminit? Verum quidem eſt, quod ad dignam huius ſacramenti manducationem fides exigatur, nullam hic de fide mentionem facit penitus, ſed omnia commoda quæ recenſet, dignæ manducationi corporis Chriſti in ipſo ſacramento tribuit, docens ipſum corpus in ſacramento, vitæ corpus eſſe, virtutemque verbi incarnati retinere, ac denique plenum eſſe poteſtate illius, quo vniuerſa & viuunt & ſunt. Vides ergo lector, quam ſubdole ſycophanta iſte fidem hic intermiſcet, cui & refert accepta omnia illa commoda, nempe benedictionem, vitam, incorruptionem & ſatietatem, quæ Cyrillus aſcripſit beneficio ſacramenti, de quo ex inſtituto loquitur, vt nemo non perſpicit.

Digne māducantes, cōmoda ſequuntur

OEcol. *Mira enim virtus eius corporis eſt. viuificat enim corpus Chriſti, &c. quæ non de ſacramento ſonant.*

Roff. Et hic non minus ſycophanticè dolum ſtruit, quum de corpore Chriſti ſeparatim loquatur, quaſi non eſſet hoc ipſum in Euchariſtia. Nam Cyrillus plane de ſacramento ſermonem habet, vt diximus, apertis verbis docens nos corporis & ſanguinis Chriſti communicatione, benedictionem aſſequi, vnde ad eam incorruptionem integre reducemur, vt cibo & potu corporali non indigeamus. Quod & probat ſubdens: Viuificat enim corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. An non hic manifeſte loquitur de corpore quod in Euchariſtia eſt. Sed & ſi quicquam hic obſcurius dixiſſet, ex aliis tamen locis per vniuerſum illud caput ſextum Iohannis, hoc ipſum luculentiſſime teſtatur.

Cyrill. loquitur de Euch.

OEcol. *Deinde indicat id beneficij neutiquam negligendum in myſtica communione, iuxta illam declarans, quod accedat de vſu fides, & tantum non hortatur, ne in vacuum gratiam receperint. In quibus enim fides torpeſcit, hi naufragantur & ab æterna ſe vita depellunt.*

Roff. Hic profecto merum impoſtorem te præſtas Oecolampadi, qui plane contra ſenſum authoris & etiam tuam ipſius conſcientiam, eius verba deprauas, quo tuis auditoribus imponas, & eos tecum pariter in errorem pertrahas. Neque enim ille duplicem hic participationem diſtinxit, ſpiritualem & myſticam, vt tu moliris, ſed neque de fide quicquam loquutus eſt. Fructum vtique memorat, quem ex eſu ſacramenti conſequimur, ad quem & cunctos hortatur ſtudioſe, pariter & incommoda recenſens, quæ quiſque (qui per diaboli multiplices inſidias, ab huius participatione ſacramenti ſe cohibet) incurrit. Quamobrem & hortatur, vt vinculis diaboli ruptis, & ſeruitutis peccatorum excuſſo iugo, carniſque voluptate per continentiam ſuperata, ad hanc cœleſtem gratiam, hoc eſt, Euchariſtiam accedamus, vbi corporis Chriſti participes effecti, diabolum fugabimus, diuinæq; naturæ participes efficiemur, demumque ad vitam & immortalitatem ita conſcendemus.

Verba Cyril. deprauat Oecolampadius.

OEcol. *Vide quo deducit contempſiſſe ſymbola? atqui vera fides ſollicita eſt, modis omnibus, vt etiam lucri quippiam ex ſacramentis ſibi pariat.*

Roff. Semper tui ſimilis es Oecolampadi. Neque enim Cyrillus de contemnentibus hoc ſacramentum, ſed de his qui propter ſimulatam religionem, ab eo diutius abſtinuerunt, eſt loquutus. Cæterum tu, qui non ſymbolis modo, verumetiam ipſo Chriſto prorſus abuteris, qui ſuis verbis & iiſdem apertiſſimis teſtatur ſe præſentem in Euchariſtia. Tu (inquam) videris, in quod exitium hæc impietas deducet te. Vera certe fides, qua creditur in Euchariſtia Chriſtus, ſollicitos reddit orthodoxos, vt per frequentem eſum huius ſacramenti, lucra ſibi comparent, quæ Cyrillus & Cyprianus cæterique patres pie manducantibus pollicentur. Sed tua perfidia qui neq; credis ipſe, neque alios per tua peſtilentiſſima dogmata credere ſinis, perniciem tuis meritis dignam aliquando pariet.

Oecol. abutitur Chriſto.

Lucra conſequuntur frequenter communicantes.

OEcol. *Animaduerte item qua veneratione ad Euchariſtiam vult accedi, nempe ſuperata, per continentiam, voluptate. Nam precum gratia Paulus ad tempus ſecedere iubet coniuges, ita & ad gratiarum actionem, qua ſanctiſſimis*

 precibus

precibus iuncta eſt, caſtis corporibus & vigilantibus, nec curis mundi ebriis mentibus opus erit.

ROFF. *Euch. veneranda ob ſui præſtantiam.* Et quid opus eſt, vt tanta veneratione ad Euchariſtiam accedamns, ſi nihil alind ibi ſit, quam panis communis & vinum, quod à cauponibus venditur? Si nihil exct llentius in iſtis contineatuc, qnam in manna & paſchali agno. Vbi legis vnquam aliquid eiuſmodi venerationis imperatum illis, qui vel manna vel agnum paſchalem eſſent comeſturi? *1. Corinth 11.* Paulus tamen his, qui ad hoc ſacramentum quod & corpus Domini ſæpe vocat, indigne acceſſerint, non morbos duntaxat & mortem temporalem, verumetiam iudicium & æternam damnationem comminatur. Et iſtud vel per ſe ſufficeret, vt intelligamus aliquid ſublimius in hoc ſacramento cõtineri, quã in vmbris illis & figuris iam antiquatis; ſed neq; ſolis precibus & fidei tribuendos eſſe fructus illos, quod & ipſe non minus impie quam ſubdole moliris, ſed virtuti potius mirificæ corporis, quod contingimus & edimus in Euchariſtia.

OECOL. *Vnde tantus fructus, vt omnia quæ ipſi corpori Chriſti tribuuntur, & ſacramento quod ſignat corpus, ferantur accepta, de quibus Cyrillus iterum non multo poſtea dicit.*

ROFF. Occludas aures ad huius impudentiſſimi ſycophantæ verba, Chriſtiane quiſquis fueris, qui per teipſum non poſſis Cyrilli tam dilucidos intelligere ſermones, nullam omnino fidẽ habeas Oecolampadij declarationibus, qui plane ſciens & prudens huius authoris verbis abutitur & deprauat. Vnde (inquit) tantus fructus, hoc eſt, ex precibus iunctis gratiarum actioni, cum fide, vt ſic illis omnia, quę ipſi corpori Chriſti in Euchariſtia tribuuntur, ferantur accepta. Nuſquam Cyrillus dicit hunc fructum ex fide precibuſque naſci, ſed ex ipſo corpore Chriſti in ſacramento, *Corpus Chriſti efficit fructum in ſumẽtibus digne.* neque tantum occaſionaliter omnia iſta commoda ſacramento tribuit, ſed efficaciter & potenter, quippe quod carnem viuificatricem in ſe vere contineat, non ſolum in figura & ſigno, ſicut Oecolampadius impiiſſime pariter & impudentiſſime cõtendit. Nam Cyrillus nuſquam hic Euchariſtiam vocat ſignũ & figuram, quemadmodum Oecolampadius falſo cõminiſcitur.

Aliud Cyrilli teſtimonium affert quod non minus euidenter cum illo pugnat.

CAPVT XVII.

OECOL. *Nos vero ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus; ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caueamuſque ne loco laquei damnoſam religionem diabolus nobis prætendat.*

ROFF. Mirum eſt quid ſibi velit Oecolampadius, hęc verba citans è Cyrillo, niſi putet ſe poſſe caliginem quoties velit omnium oculis obducere, omneſque cæcos exiſtimet præter ſeipſum. Nam & nos eadem ſuperius, pro noſtra parte citauimus. *Prol lib. 2. & prol 3. lib. & alibi.* At hic operæ precium fuerit exempla illa duo cenſere, quæ illic ſcripta, iam pertranſit Oecolampadius ſuo more, quippe quod manifeſtius ad rem noſtram conferant. Alterum eſt, *Exempla Cyril. de vnione hominũ cum Chriſto.* de duab. ceris liquefactis & ſibi mutuo permixtis, quibus noſtram carnem, poſtquam per eſum Euchariſtiæ carnem Chriſti commixtam habet, aſſimilat. Alterum eſt de fermento quod maſſæ triticiæ cõmixtum ipſam totam fermentat. Poſt exemplum de duabus ceris, illico Cyrillus ſubiungit: Ita neceſſe eſt, ſi quis carnem & ſanguinẽ Domini recipit, cũ ipſo ita coniungatur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur. Et poſt alterum de fermento ſic ait: Sicut parũ (vt Paulus ait) fermenti, totam maſſam fermentat, ſic *1. Corint. 5.* paruula benedictio, hoc eſt, puſilla ſacramenti portio, totum hominem in ſeipſam trahit, & ſua gratia replet. Et hoc modo Chriſtus in nobis manet, & nos in Chriſto. *Iohan. 6.* At iſta, conniuentibus oculis, Sycophantice præteriit Oecolampadius. Iam continenter in Cyrillo ſequuntur ea verba quæ memorat; quibus idem Cyrillus hortatur, vt ad ſacramentum iſtud ſumendũ libenter concurramus. *Eucha. ſacramentum libenter ſumẽdum.* Nos vero (inquit) ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendã benedictionẽ, hoc eſt, Euchariſtiam, libenter concurramus, caueamuſque ne loco laquei, damnoſam religionem diabolus nobis prætendat. Sed quod nos iam benedictionem, Euchariſtiam interpretati fuimus, id fortaſſis Oecolampadium offendet. *Benedictio Eucha. ſignificat.* At nos iſtud & ex mente Cyrilli recte fuiſſe interpretatos facile cõprobabimus. Nam proxime ſuperiori capite nempe 16. quarti libri, *Cyrillus. Iohan. 6.* ſuper euangelio Iohannis ita ſcribit idem author in hæc verba: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Diſtinguit hic rurſus inter myſticam benedictionem, & manna: & inter aquarum fluenta ex lapide, & calicis ſancti communicationem; ita iterum eadem repetit, ne magis mannæ miraculum admirentur, ſed ipſum potius ſuſcipiant, qui cœleſtis panis eſt, & æternę vitæ largitor. Patres enim (inquit) veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, hic *Manna & Eucha. diſcrimen.* eſt panis qui de cœlo deſcendit: vt aliquis ex ipſo comedat & non moriatur: Mannæ namque alimentum, non æternam vitam, ſed breue ſamis remedium afferebat. Non ergo erat cibus verus, id eſt, panis de cœlo. Sanctum vero Chriſti corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens, cibus eſt. Ita inquit, & aquam illi ex petra biberunt, *Exod 17. 1. Corint. 10.* quid igitur inde lucrati ſunt qui mortui fuerunt? non erat igitur potus ille verus, ſed verus potus eſt ſanguis Chriſti, quo radicitus mors euertitur, atque deſtruitur. Non enim hominis ſimpliciter ſanguis eſt, ſed eius qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus eſt. Propterea corpus & membra Chriſti ſumus, quia per hanc benedictionem myſterij, ipſum filium Dei ſuſcipimus. Ecce bis in hoc ipſo capite, Cyrillus benedictionem vocat Euchariſtiam, *Euch dicitur benedictio.* ſemel quidem in ipſo capitis initio, quando Chriſtum ait hic rurſum diſtinguere inter myſticam benedictionem & manna: atque iterum in

calce

calce capitis einſdem, nempe quom per hnoe benedictionem myſterij teſtetur nos filiumDei ſuſcipere, ac proinde fieri Chriſti corpus & membra.

OEcol. *Recte (inquit) dicis, ſcriptum tamen eſſe non ignoramm, iudicium ſibi comedere atque bibere illum, qui de pane comedit, & de calice bibit indigne. Ega igitur probo meipſum, & indignum inuenia.*

Roff. Ex his verbis Pauli mions iotellectis, Cyrillus damnoſam illam religinnem, de qua ſuperius diſſeruit, oriri dicit, quam & aſſeruit diabolum loco laquei multis prætendere ſolere. Sed hunc ſcrupum pancis tollit Cyrillus.

1. Corinth. 11.

OEcol. *Quando igitur quicunque tu es, dignus eris? quando Chriſto teipſum afferes? Nam ſi peccando indignus es & peccare non deſinis, (Quis enim delicta intelligit, ſecundum Pſalmiſtam?) expers omnino eris viuiſicæ huius ſanctificationis. Quare pias quaſo cogitationes ſuſcipias ſtudioſe, ſanctèque viuas, & benedictione particeps.*

Roff. Hic accipis, neminem vnquam ſatis dignum eſſe, qui tantum ſacramentum (in quo verum Chriſti corpus cõtinetur) edat. Sufficere tamen cuique, ſi peccata ſe vitaturnm, ſi pias cogitationes animo verſaturum, ſi denique vitam ſtudioſe ſanctèq; peracturum conſtituat. Sic enim accedens ad myſticam benedictionem, viuificæ ſanctificationis euadet particeps.

Digna præparatio ad Euchar.

OEcol. *Quæ (mihi crede) non mortem ſolum, ſed etiam morbos omnes depellit, ſedat enim cum in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos reintegrat. Et ſicut paſtor bonus, animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu.*

Roff. Memorat igitur beneficia, quæ quis aſſequetur ex tali eſu & perceptione myſticæ benedictionis: Depellit (inquit) & mortem & morbos omnes ex animo, quandoquidem ipſe Chriſtus cum eadem benedictione ſuſcipitur. Quamobrem & is manens in nobis per corporis & ſanguinis ſui communicationem, legem noſtrorum membrorum intra nos ſæuientem ſedat, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, ac demnm ab omni nos erigit caſu. Ceterum quanquam hæc omnia ſint adeo perſpicua, tamen Oecolampadius tanta peruerſitate ſui erroris excæcatus eſt, vt alios etiam in parem cæcitatem abducere neruis veliſque contendat, vt iam audies lector.

Effectus digna communionis.

OEcol. *Vbi igitur tanta vtilitates, quis dixerit ritum ſupernacaneum, tametſi abſque externo ſtrepitu, & ſignorum adminiculo, copioſius nonnunquam operetur in credentibus diuina virtus. Verum noſtra requirebat fragilitas, & fratrum charitas, vt externa quadam gratitudinis indicia non deeſſent, quibus veriſſime nos perſeueraturos in Chriſtiana militia conteſtaremur.*

Roff. Quis vnquam obiiciet, hunc ritum ſuperuacaneum eſſe, præter te ſolum, qui dictas omnes vtilitates Chriſto quaſi extra ſacramentum per illum operatas falſo tribuis, quum tamẽ expreſſo Cyrillus doceat, eas omnes nos conſequi, crebra corporis & ſanguinis Chriſti communicatione: propter quod & non ſemel hortatur, quatenus ad benedictionem iſtam myſticam accedamus, ſine qua viuificæ huius ſanctificationis erimus expertes. Quis ego nõ clariſſime perſpicit Oecolampadium, ſuis meritis id exigentibus, in reprobam mentem eſſe traditum, vt nihil mirum ſit eum ex induſtria ſtudere, vt nõ ſolum apertiſſima Chriſti verba, verumetiam quicquid in ſanctis patribus clarum dilucidumque ſit, in peruerſum ſenſum detorqueat. Nemo enim tam excæcatus eſt, vt non cernat quibus artibus hunc Cyrillum, autorem ſane grauiſſimum, & eruditiſſimum, peruertere moliatur. Perinde atque Cyrillo vel ingenium vel eloquentia defuiſſet, vt rem quam enixiſſime cupiebat, explicare nullo pacto valuerit. Nihil eſt igitur, vt fingis illam obiectionem Oecolampadi, quaſi quis hic obiiciat, ritum hunc ſuperuacaneum eſſe, quum ex inſtituto Cyrillus toties oſtenderit, in hoc ſacramento carnem Chriſti viuificatricem eſſe, Chriſtumque per eſum huius ſacramenti nobis inſeri, nosque Chriſto rurſum haud aliter, quam vbi liquefacta cæra, cæræ alteri commiſcetur, & fermentum ſe toti maſſæ fermentandæ communicat. Atque propterea multis verbis nos commonet & incitat ad huius tanti ſacramenti ſumptionem, & lucra memorans, vbi id fecerimus, & damna pariter, ſi forte recuſauerimus. Non eſt ergo Cyrillo ſupernacaneus huius ſacramenti ritus, vnde nobis tot commoda prouentura toties polliceatur. Tibi vero plane fruſtraneus eſt, qui nihil præter panem & vinum illic eſſe putas, ſed Chriſtum extra ſacramentum operari cnocta.

Roma 1.

Epilogus dictorum Cyril.

Ritus Eucha. non eſt ſupernacaneus.

Detegitur eſſe falſarius in duobus Auguſtini teſtimoniis per illum productis.

CAPVT XVIII.

OEcol. *CAEterum, quomodo hæc gratia cœleſtis diuinitus nobis donetur, ne homo ſua induſtria tribuat, quod diuinæ miſericordiæ adſcribendum; Audiamus Auguſtinum, quid ille libro de trinitate tertio tradat. Paulo autem altius repetamus eius teſtimonium, vt puta noſtro inſtituto ſeruiens: Si ergo, inquit, apoſtolus Paulus quamuis adhuc portaret ſarcinam corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam, quamuis adhuc ex parte, atque in ænigmate videret, optans diſſolui & eſſe cum Chriſto, & in ſemetipſo ingemiſceret adoptionem, expectans redemptionem corporis ſui, potuit autem ſignificando prædicare Dominum Ieſum Chriſtum, aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis Chriſti.*

Roff. De verbis iſtis nos abunde ſuperius diſſeruimus, commonſtrantes ea cum Oecolampadij ſententia pugnare penitus, ſi tamen integrum Auguſtinum quis recenſeat. Quod & luculentius intelliges, ſi locum illum, vnde hæc citantur perquiras. At hic Oecolampadius more ſuo ſycophantico, quod ſibi viderit aduerſari, penitus

Vide lib. 1. ca. 10. & alibi.

reſecat.

reſecat. Nam continenter illis verbis adiungit Auguſtinns ad huoc modnm: Nec linguam qnippe eius, nec membranas, uec atramentnm, nec ſignificautes ſonos lignæ æditos, nec ſigna literarum couſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſangninem dicimus, ſed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum, recte ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro uobis Dominicæ paſſiouis. Quod quum per mauns hominum ad illam viſibilem ſpecie perducitur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei. Hæc Auguſtiuus libro tertio, de trinitate capite quarto. Hic audis lector, quid dicat Auguſtiuus: docet uimirum iutereſſe plurimum, quando Paulua vel per linguæ prædicatiouem, aut per ſcripturam ſuæ manus, vel per corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum, Chriſtnm ipſum annunciat. Neque enim ſonos per linguam Pauli æditos, neque verba membranis commendata, Chriſtum à uobia vocari dicit, aut corpus & ſanguinem Chriſti, ſed illud tautum qnod ex terræ fructibus acceptum, ex granis videlicet frumenti, & prece myſtica conſecratum editur à Chriſtianis. Et illud ipſum inſuper aſſerit, licet ad viſibilem illam ſpeciem per manus hominum peruenerit, vt fiat videlicet panis, non tamen hominum manibus euadit tantum ſacramentum, ſed per ſolam inuiſibilem diuini Spiritus operationem: Non ſanctificatur (inquit) vt fiat tantum ſacramentum uiſi operaute inuiſibiliter Spiritu Dei. Verum

Oecol. falſificat Aug. verba. hæc quia iugulant omnino ſententiam eius, falſarius iſte penitus abripuit. ita quemuis anthorem, quantumuis eximium, pro ſuo arbitrio lacerat, mutilat, atque detruncat.

OEcol. *Obſerua quid dicat, tribuit ſacramento prædicationem Chriſti, non minus quam verbo vel epiſtolis, tametſi alio modo.*

Roff. Vt id largiamur tibi, Chriſtum hic Auguſtini

Auguſtinus nō aſſerit verbum vel ſcripturam eſſe corpus Chriſti. ſententia trifariam annunciari, verbo, ſcripto, & ſacramento: veruntamen ex illis tribus ſolum ipſum ſacramentum Auguſtinus affirmat Domini corpus & ſanguinem dici. Neque verbum ipſum ab ore prolatum, neque manu ſcriptum, eſt corpus Chriſti, ſed id quod poſtquam ex terræ fructibus acceptum fuerit, & prece myſtica conſecratum, ad ſalutem à piis accipitur & editur. Et iſtud quod ſic deſumptum eſt ex terræ fructibus, nempe tritici granis, & botris vuarum, quanquam ad ſpeciem viſibilem pauis ac vini, manibus hominum perducatur, nō tamen earundum virtute manuum ſanctificatur, vt fiat tantum ſacramentum, ſed per ſolam inuiſibilem operationem diuini Spiritus: hic, te precor, nobis explices, ſi nihil miraculi ſit, quidnam intus ſub illa panis & vini ſpecie diuinus inuiſibiliter operetur Spiritus.

OEcol. *Hoc ſane manifeſtum, quod ſicut verbis ineſſe fatemur operantem Spiritum, non quod in labiis ſedeat docentis, ſed quod pectus occupet auditoris, homine miniſtrante, ita & in ſacramentalibus cæremoniis ſanctum quoddam & ſublime prædicandi genus eſt, operante indignis ſuam operationem diuina virtute, tametſi elemento nihil accedat, præter hoc quod adhibitis precibus ſacrum ſignum eſſe incipit.*

Roff. Quam bene cum hoc authore, quem citaras, tibi conuenit? Ille tametſi verbum, aut prola- *Non conuenit Oecol cū Auguſtino.* tum, aut ſcriptum, non neget magnæ virtutis eſſe, ſolum tamen hoc ſacramentum affirmat eſſe corpus Domini. Tu cōtra prorſus iuficiaris, niſi figurate ſolum. Et quid (te quæſo) prohibet ſimilitudine quadā verbum Chriſti vel ſcriptum vel prolatum, Chriſtum ipſum referre, quemadmodum & tu pluribus, niſi iam oblitus ſis, paulo ante contenderas. Non ergo figurate aut repræ- *Vid. lib. 3. c. 23.* ſentatiuè, ſed verè ſacramentum iſtud appellatur corpus Domini. Sed pergamus vt cœpimus. Ille quanquam fateatur manibus hominum id quod oblatum eſt, altaribus ad ſpeciem illam viſibilem panis & vini fuiſſe perductum: ſanctificari nihilominus affirmat, vt tantum efficiatur ſacramentum: Tu contra nullam ſymbolis iſtis ſanctitatem ineſſe conteudis, ſed in animis recipientium duntaxat. Ille denique Spiritum ſuum inuiſibiliter in ipſis ſymbolis operari teſtatur, & non niſi per eins inuiſibilem operatiouem tam eximium fieri ſacramentum. Tu contra nihil in illis operari Spiritum contendis, ſed in pectoribus hominum ſolis. Nam affirmas eum nec in labiis docentis aut ſcribentis ſedere, ſed tantum auditorum occupare pectora.

OEcol. *Eadem & in libro de ſermone Domini in monte aſſerit, vere enim ſibi conſtat, & uerum verbo Dei ac ſcripturis aſſociat, dicens: Spiritualis cibus dictus eſt panis quotidianus, non quia non ſit ſempiternus, ſed quia in ſcripturis, ſiue in ſtrepitu verborum, ſiue quibuſque temporalibus ſignis exhibetur animæ. Quia omnia in patria non erunt, quum omnes docibiles erunt Deo, & ipſam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum ſignificantes, ſed puritate mentis haurientes.*

Roff. Et hic, quanquam Auguſtinus aperte tripli-

Panis triplex ab Auguſtino diſtinguitur. cem panem diſtinguat, hoc eſt verbi, ſpiritualem, & in ſacramento, & in victu iſto communi: tu tamen de primo loqueris, de reliquis vero ſycophantice taces. Sic enim ſanctus ipſe pater ſcribit cap. 17. ſecundi libri. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, hoc ipſo enim, quod dictus eſt quotidianus pania, ſiue ſpiritualis ſignificetur, ſiue in ſacramento, aut in victu iſto viſibili, ad hoc tempus pertinet, quod appellauit, hodie, non quia ſpiritualis cibus non eſt ſempiternus, ſed quia iſte qui quotidianus dictus eſt in ſcripturis, ſiue in ſtrepitu ſermonis, ſiue quibuſcunque temporalibus ſignis exhibetur animæ; & cætera quæ ſequuntur, quæ de ſpirituali pane proſequitur Auguſtinus. Et ne quis fallatur in cibi ſpiritualis intellectu, paulo ante, vbi petitionem iſtam fuſius explicat, aperit quid ſentiat. Nam poſtquam de pane communi, ſimiliter & de ſacramento corporis Chriſti diſſeruiſſet, illico ſubdit: Reſtat igitur, vt quotidianum panem accipiamus ſpiritualem, præcepta ſcilicet diuina, quæ quotidie oportet meditari

meditari & operari. Nam de ipſis Dominus dicit: Operemini eſcam, quæ non corrumpitur. (*Iohan. 6.*) Hæc Auguſtinus ibi, vbi & idem aperte ſeparat ſacramentalem, tam à communi pane, quam etiam à ſpirituali pane verbi Dei. Docet etiam paulo poſt, in hac petitione, eadem tria oportere coniungi: Nimirum vt poſtulantes panem quotidianum, ſimul petamus & neceſſarium corpori, & ſacramentum viſibile, & inuiſibilem verbi Dei panem. Perperam itaque ſuo more facit Oecolampadius. Nec iſtum quidem authorem iuſte recenſens, ſed eius abrupta media ſententia, propria commenta fraudulenter intermiſcet.

OEcol. *Diſcimus ex his verbis, admonitione ſignorum, cibum veritatis animabus exhiberi.*

Roff. O maligniſſimum inſidiatorem, & vere perditorem animarum, Hoc ipſum eſt cuius gratia paulo ſuperius Auguſtinum laudaras vt ſibi vere conſtantem, quod quum prius dixiſſet, Paulum potuiſſe ſignificando prædicare Chriſtum, aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis Chriſti, nunc dicat ſpiritualem cibum in ſcripturis, ſiue in ſtrepitu verborum, ſiue quibuſque temporalibus ſignis exhiberi animæ. Atque vt iſtud veriſimilius appareret, & facile ſimplicioribus imponeres lectoribus, truncatum Auguſtini teſtimonium attuliſti, nulla de pane ſacramentali facta mentione, neque docens, quid ipſe per ſpiritualem panem intellexiſſet. (*Oecolam. cur truncat authores.*) Talibus vbique ſycophantiis vteris, quo tuis miſera plebecula retibus capiatur, & falſis dogmatibus fidem exhibeat. Cæterum vbi lector ex his quæ ſupra diximus, nouerit Auguſtinum, quum hic de ſpirituali pane loquatur, de meditandis & operandis præceptis intellexiſſe, atque ita ſeipſum perſpicue declaraſſe, compertiſſimum habebit hæc verba, quę iam ſcripſit in hoc enarrando ſermone, cum illis ante citatis ex tertio libro de trinitate nihil haberi commercij.

Auguſtini rurſum verba ex tertio libro de trinitate mutilat, fucatur, ac plane peruertit.

Capvt XIX.

OEcol. *Sed redeamus ad ea quæ ſuperioribus iungit in libris de trinitate.*

Roff. Suſpicatur ne quiſquam id quod ſuperius ex Auguſtino prætermiſerat, ſibi ſit obiecturus in faciem. Quamobrem & fucos illius verbis ſuperaſpergere conatur, quo facilius imponat lectori. Veretur certe, ne deprehenſus, lectorem offendat, aut hæſitare quicquam eum faciat de peſtifero ſuo dogmate.

OEcol. *Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna literarum conſcripta corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, ſed illud tantum quod ex fructibus terra acceptum & prece myſtica rite ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis.*

Roff. Et hic falſarius more ſuo dictionem illam, in qua tota vis negotij conſiſtit, amouit ſubdole: (*Falſificatur Aug. ab Oecolampadio.*) Nam ſic habet Auguſtinus: quod ex fructibus terræ acceptum ac prece myſtica conſecratum, rite ſumimus. At iſtam dictionem, nempe conſecratum, omiſit penitus. Ea vero quanti momenti fuerit, quis non intelligit?

OEcol. *Vides hic clariſſime, quid totam rem perficiat, denique non obticet, quid operentur, & quantum animos moueant ſacramenta, vt ne in re externa quiddam mutari ſuſpicemur.*

Roff. Cur hoc non aduertis item, quod idem Auguſtinus nihilo minore claritate cõfirmat, nempe, quod nec verbum, ſcriptum aut prolatum, dicimus corpus & ſanguinem Chriſti, ſed tantum illud quod ex terræ fructibus acceptũ prece myſtica conſecratur, vt fiat tantum ſacramentũ. Conficiuntur enim ex granis tritici, & ex vuarum botris, panis & vinum, quæ mox altaribus impoſita conſecrantur, illud in corpus, iſtud in ſanguinem Chriſti. (*Materia Eucharistia.*)

OEcol. *Nam ſubiungit, quod quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei, quum hæc omnia quæ per corporales motus fiunt, Deus operetur, mouens primitus inuiſibilia miniſtrorum, ſiue animas hominum, ſiue occultorum ſpirituum ſibi ſubditas.*

Roff. Et hic, vt hallucinari faciat lectorem, ſiſtit gradum, nondum perfecta collectione. Sed neque Auguſtinum hic ſatis integrum reddidit. (*Auguſtinum truncat.*) Nam ita tradidit Auguſtinus: Quum hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur. Verum Oecolampadius hanc particulam in illo opere ſuppreſſit penitus. Ex quo tamen pendet totius negotij ſenſus. Quid enim putas Auguſtinũ intellexiſſe, quum dixit, in illo opere? de quo precor opere loquutus eſt? Nam dicit, omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt. Si de opere totius creaturæ mundi, de quo & loqui cœpit mox poſt initium ipſius capitis: Cur ergo ſubiungit: Quid mirum ſi etiam in creatura cœli & terræ, maris & aëris facit Deus quæ vult? per opus igitur illud, cuius gratia tot motus corporales anteceſſiſſent, dicit intelligo opus annunciationis & oſtenſionis Chriſti in ſacramento. (*Auguſt. verba atque ſententia de corpore Chriſti.*) Præceſſerunt enim plurimi corporales motus, quorum primus excitator Deus erat, vtens mentibus non hominum tantum, verumetiam & ſpirituum occultorum, illis ad ſulcandum, ſerendum, metendum, excutiendum, molendum, pinſendum, & coquendum: (*Motus corporales Euchar. præcedentes.*) Iſtis vt nunc pluuiam, nunc ſerenitatem adminiſtrarent. Palam igitur eſt eum haudquaquam intellexiſſe, quæ tu moliris, hoc eſt, ſanctas animarum affectiones, quæ miniſteriis ſacramentorum naſcuntur. Nam hi non ſunt motus corporales, neque fiunt in illo opere, ſed in piorum cordibus iſta excitantur. Adde quod

nihil de talibus affectionibus ante loquutus eſt, ſed de procuratione fructuum terræ, hoc eſt, granorum tritici & vuarum, vnde panis & vinum fiunt, ex quibus & hoc ſacramentum per inuiſibilem operationem diuini Spiritus conſecratur. Nam ſi non ſenſiſſet ille de toto iſto opere motuum corporalium, pro habendo hoc ſacramento, quo Chriſtus annunciatur, cur alioqui ſeparaſſet aliam duplicem annunciationem, quæ per verbum prolatum & ſcriptum fit, ab ea quæ fit per hoc ſacramentum, affirmans neutrum illorum eſſe corpus Chriſti, quod tamen aſſerit de ſacramento? Cur etiam de terræ fructibus feciſſet mentionem, & quod ex eis acceptum eſſet, id quod mox prece myſtica conſecratum à fidelibus rite ſumitur ad ſalutem ſpiritualem, in memoriam Dominicæ paſſionis? Et cur denique ſubdidiſſet, quod quum per manus hominũ ad illam viſibilem ſpeciem perductum ſit, non ſanctificatur tamen, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei.

OEcol. *Dixerat nihil curam, prouidentiam & imperium Dei ſubterfugere, vnde noluit & hoc declarare, quomodo ſancta illa affectiones, ſacramentorum miniſteriis naſcantur? Proinde verba illa non ſunt ſomniculoſe prætereunda.*

Roff. *Auguſtinus.* Vt apertius intelligat lector, quid dixerit Auguſtinus, altius ab ipſo ferme capitis initio, recenſendum eſt. Sic enim ait: Tanquam in excelſa & ſancta & ſecreta ſede præſidens Deus, velut in domo ſua, & in templo ſuo. Inde ſe quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus, primo ſpiritualibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, ſiue incorporeis, ſiue corporeis rebus, ſiue rationabilibus, ſiue irrationabilibus ſpiritibus, ſiue bonis per eius gratiam, ſiue malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora craſſiora & inferiora, per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vitæ rationalis, deſertor atque peccator, per ſpiritum vitæ rationalem pium & iuſtum, & ille per ipſum Deum, ac ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita & inſtituta eſt, ac per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum atque motionum. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili atque intelligibili aula ſummi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica. Hactenus Auguſtinus. Ex quibus verbis intelligis lector, illum hoc moliri, vt diſcamus imperio *Omnia diuinæ prouidentia ſubiecta.* Dei cuncta geri, quæ viſibiliter & ſenſibiliter in hoc mundo fiunt. Atque iſtud maxime colligit, propter apparitiones & repræſentationes corporales, quæ in perſona Dei fiebant, de quibus in illo tertio libro copioſe diſſeruit. Iam poſt illa verba continenter Auguſtinus ſubiungit ea quæ de prædicatione Pauli citauit Oecolampadius. Quibus Auguſtinus hauddubie velut ſimilitudine quadam confirmat id quod prius docuerat: quaſi dixerit, ſi potuit Paulus Dei filium repræſentare ſub ſpecie corporea, quæ tamẽ anteaquam tale, vt ſic dicam, repræſentamentum fieret, multas præexigebat corporales actiones, quarum omnium præcipuus author Deus fuerat, quid prohibet in cæteris apparitionib. ſimili modo, Deum omnium actionum corporalium authorem præcipuum exiſtimari? Huc ergo ſpectant quæ ſequuntur in Auguſtino, nempe, quũ hæc omnia quæ per motus corporales in illo opere fiunt, Deus operetur, mouens primitus inuiſibilia miniſtrorum ſiue animas hominum, ſiue occultorum ſpirituum ſibi ſubditas ſeruientes: quid mirum ſi etiam in creatura cœli & terræ, maris & aëris faciat Deus quæ vult, ſenſibilia atque viſibilia, ad ſeipſum in eis, ſicut oportere ipſe nouit, ſignificandum & demonſtrandum, non ipſa ſua (quæ eſt) apparente ſubſtantia, quę omnino incommutabilis eſt, omnibuſq; ſpiritibus quos creauit, interius ſecretiuſq; ſublimior. Nihil ergo tale cogitauit hic Auguſtinus cuiuſmodi ſomniat Oecolampadius eum ſcripſiſſe.

Dicit enim quod quantum ad miniſtrorum operationem & materias ante oculos poſitas, non foret tantum ſacramentum, imo non mouerit magis quam mortua litera, id quod ſæpe experimur, ſed Spiritus Dei inuiſibilia miniſtrorum, hoc eſt, corda hominum mouet, vt memoria mortis Chriſti, ad diuina contemplanda rapiantur. OEcol.

Belle ſcilicet diuinaris, imo meras impoſturas & mendacia comminiſceris, quum nihil tale moliatur Auguſtinus. Nihil hæc ad Auguſtini inſtitutum attinent. Nam obiter hic de ſacramento loquutus eſt. Et ea quæ de Pauli prædicatione iam attulit, exempli gratia produxit, nimirum vt oſtenderet, vti iam diximus, Deum authorem eſſe corporalium omnium actionum, quæ fiunt in hoc mundo, & maxime quoties apparitio quæpiam corporalis fit nomine Dei, ſicut & quum hoc ſacramento, Chriſti corpus annunciatur prędicante Paulo, motuum omnium corporalium qui præceſſerant huius ſacramenti conſecrationem, Deus primus & præcipuus author fuerat. Excitauit enim eos & qui tellurem ſulcarent, & qui triticum ſererent, quique poſtea meterent, & excuterent grana, neque tamen adhuc panis fit. Sed in mola prius ipſa grana redigenda ſunt in formam, ex qua forma poſtea fit paſta, quæ tandem in forno cocta panis euadit. Similia multa fiunt priuſquam & vinum purum habeatur. Cæterum, harum omnium actionum Deus author eſt. Neque tamen adhuc hoc ipſum quod ſic ex terræ fructibus acceptum eſt, & manibus hominum in panem atque vinum redactum, conſecratum eſt, vt fiat tantum ſa-

Roff. (beside "Belle ſcilicet diuinaris")

Deus author eſt omnium actionum. (beside "thorem eſſe corporalium omniom actioonm")

Sacramentū fit inuiſibili gratia Spiritus ſancti.

tum ſacramentum & corpus Domini, niſi per inuiſibilem operationem diuini Spiritus. Nam ſacer iſte Spiritus, id quod omnes orthodoxi fatentur, transmutat panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti, atque ita per hoc ſacramentum fic corporis & ſanguinis Chriſti præſentatio. Nam ipſum eſt quod diſquirit Auguſtinus in hoc tertio libro, quemadmodum in primo ipſius capite pollicetur. Verum videlicet ad hoc opus tantummodo creatura formata ſit, in qua Deus ſicut tunc oportuiſſe indicauit, humanis oſtenderetur aſpectibus. Quare nihil huc attinet, vt iam ſatis apertum eſt lectori, de ſanctis affectionibus, quæ per ſacramenti conſpectum in piorum mentibus excitantur, diſſerere. Neque vſquam hic Auguſtinus dixit, quod Oecolampadius aſcribit illi, nempe, quod quantum ad miniſtrorum operationem, & materias ante oculos poſitas, non foret tantum ſacramentum, imo non moueret magis quam mortua litera. Vbi (te precor) hoc dixerat Auguſtinus: Merito ſane puderet te, tam aperte mentiri de tanto patre; ſed nunc in profundum malorum præcipitatus, omnem pudorem penitus exuiſti. An non palam eſt ita ſcripſiſſe Auguſtinum? Nec linguam Pauli, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguæ æditos, nec ſigna literarum conſcripta corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum, quod quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur tamen vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei. Ecce id quod corpus & ſanguinē Chriſti dicimus ex terræ fructibus acceptum, & prece myſtica conſecratum, licet per manus hominum ad illam ſpeciem viſibilem, nempe panis & vini, peruenerit, non ſanctificatur tamen vt fiat tam eximium ſacramentum, niſi per inuiſibilem Spiritus Dei operationem. Spiritus ergo Dei per inuiſibilē operationem ſuam, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conſecrat, ſanctificat, & efficit ex pane & vino quæ per operam & induſtriam hominum ex terræ fructibus in eas viſibiles ſpecies conuerſa pridem fuerant. In hoc ergo ſacramento Chriſtus Dei filius oſtenditur, & annunciatur, & ea omnia quæ per corporales motus fiebant, in toto illo opere, priuſquam Spiritus inuiſibiliter conſecrauerit, Deus operabatur mouens primitus inuiſibilia miniſtrorum, ſiue animas hominum, non quidem ſacerdotum, vt torquet Oecolampadius, ſed agricolarum ad ſulcandum, ſerendum, metendum, triturandum, molendum, pinſendum, coquendum, & cætera quoque facienda quę ad panis & vini confectionem exiguntur. Neque ſolum agricolas & vinitores, atque piſtores ad hæc agenda concitauit, verumetiam & inuiſibiles ſpiritus, quorum miniſterio plerumque cœlum nubibus obducitur & tellus imbribus irrigatur.

Mendacium Oecol. de Auguſtino.

Verba Aug.

Euch. cōſecratur inuiſibili gratia.

Oecol. non ſane intelligit Auguſtinum.

OEcol. *Vides vnde dulcedines ac raptus & oſcula ſuauiſſima, & miracula vera, quæ hic admirari oportet, atq; in hunc modum ſe gratia Chriſti communicat.*

Roff. Non inficiamur ex operatione Spiritus in piorum cordibus excitari dulcedines, raptus & oſcula. Sed nihil hæc ad hunc locum Auguſtini pertinet. Hic enim docet Spiritum Dei panem & vinum conſecrare, vt ex eis per eius inuiſibilem operationem corpus & ſanguis Domini fiant.

OEcol. *Tranſubſtantiationes autem & conſubſtantiationes, & qualeſcunque verſiones nequaquam nouit, neque admittit ſcriptura, neque dicit in animam hominis craſſo modo ingredi.*

Roff. Nec ſcriptura quouis in loco, verbi conſubſtantialitatis meminit, ſicut & acerrime patribus orthodoxis Arriani conſueuerunt obiicere, verum illi nihilominus eodem vſi ſunt verbo, nimirum quod neceſſario conſequatur hoc ipſum ex ſcripturis. Ita & tranſubſtantiationis verbum, tametſi vos offendat, qui fide caretis, nobis neceſſario videtur ex ſcripturis conſequi, & maxime ex verbo Chriſti, qui quum accepiſſet in manus panem, benedixiſſetque ac fregiſſet, & demum porrexiſſet Apoſtolis, dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Certiſſimum itaque nobis eſt ex ipſius verbis, ibi corpus eius fuiſſe. At quum fieri non poteſt vt hic panis ſit hoc corpus, quod & tu fateris, ſed neque ſpecies panis, quæ ſolum ſacramentum eſt; conſectaneum eſt penitus, vt panis in corpus mutetur. id quod Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Cyprianus, ac cæteri cuncti patres apertiſſime teſtantur.

Tranſubſtantiationis verbum ex ſcripturis.

Matth. 26.

Panis mutatur in corpus.

Pollicetur alia quædam abſurda ſe docturum, ſi dixerimus carnem in Euchariſtia paſci.

Capvt XX.

OEcol. H*Aec opinor ſatis declarata.*

Roff. An declarata ſint necne, lectori id expectandum refero, mihi certe viſus es, magis id moliri vt caligine quadam inuolucres omnia, ne verus Auguſtini ſenſus veniret in lucem. Alioqui reſpondeas mihi, cur ea verba, quæ mentem Auguſtini potiſſimum illuſtrant, tuamque potenter hæreſim iugulant, tam fraudulenter expunxeris. Cæterum ſi declarata ſatis fuerint, vbi iam eſt illud quod pollicitus eras, te cōprobaturum, nempe, quod caro Chriſti non paſcit animam. Nam hoc erat alterum membrum argumenti tui, quo molitus es oſtendere nihil in Euchariſtia prodeſſe nobis carnem Chriſti, quando neque animam ingreditur, neque paſcit corpus. Veniſti iam ad iſtud alterum membrum, Quare conſentaneum fuit, ſi cuncta ſatis fuerint (vt tu prætexis) declarata, quod illud ante probaſſes. Sed huiuſmodi ſunt omnes pollicitationes tuæ. Sed nō ingreditur (inquis) animā caro. Veriſſimū iſtud eſſe nemo tibi inficiatur. Sic etiā

Vide librum 4. cap. 2.

nec caro Chriſti quæ in cœlis eſt, ingreditur animam, & tameu, ſeuteutia tua, paſcit. Multo igitur veriſimiliuseſt, vt caro ipſa couiuncta uoſtris animsbus eas paſcat. Certum eſt hactenus te neutiquam efficaciter probaſſe, caruem hanc in Euchariſtia comeſtam & præſeutem animabus noſtris factam, haudquaquam eas paſcere. Nec eſt quiſquam authorum, quos iam citaſti, qui hoc negat. Sed iam quautum in altero membro profeceris, audismus.

OEcol. *Docebimus nunc abſurdo abſurdius eſſe carnem Chriſti carnaliter carni noſtræ ſe vnire, quod aſſerere non dubitarunt, veterum dictis meti, quæ parum intellexerunt.*

Roff. Multas uugas doces, & quæ parum ad rem faciunt. Cæterum, quid ſi iſtud euiceris? Num propterca non erit Chriſtus iu Euchariſtia? Nos vtique certiſſimum habemus, Chriſti carnem quum in hoc ſacrameuto pie comeditur, uoſtrã carnem adiungere ſibi, uoſque reddere ſpirituales, ſi toto pectore nos ei tradiderimus. Et quid mirum ſi caro eius ſpirituales efficiat, quandoquidem & eius mors uobis vita fuit, & iufirmitas eius ſauitatem præſtitit, plagæ demum & vulnera integritatem nobis attulerunt. Tu vero ſi verbum hoc carnaliter ſic accipias, quod caro Chriſti quum edatur, iu noſtram caruem permutetur, compertiſſimum habeo te nunquam oſteuſurum, quod aut recentiorum aut veterum quiſpiam, qui fuerat alicuius eruditionis & nominis, hoc ipſum aſſeruiſſet.

Caro noſtra adiungetur Chriſto in cõmunione.

OEcol. *Neque enim tam craſſi fuerunt, vt in extremos illos prolaberentur errores, ſed nobis rectius imputandum fuerit, qui tropis & ſermonibus eorum non aſſueuimus, omnia abſque iudicio legentes & deuorantes.*

Roff. Errorem etiam & euudem ſane craſſiſſimum nos affirmare minime dubitamus, ſi quis Chriſti carnem aſſerat ita carnaliter vniri carni noſtræ, vt more cæterarum carnium vertatur & digeratur iu corpus uoſtrum. Nam iſtud aſſerere quid aliud eſt, quam corpus Chriſti denuo paſſibile corruptibileque cogitare, id quod à piis quibuſque mentibus alieuum eſſe debet. Cæterum ipſe dum aliis troporum & ſermonum, quibus veteres vſi ſunt, imperitiam obiicis, vide ne viciſſim illi falſas veterum interpretationes & ſycophanticas verborum expunctioues aliaſque corruptelas iu te retorqueant. Sed tibi ulmiſqnam ſuperbe vindicas tropos & ſermoues veterum noſſe, quo vulgaribus ingeulis facilius imponere queas, & iiſdem pro tua libidiue, ſed in eorum perniciem, abuti miſerè.

Caro Chriſti non vertitur in corpus noſtrum.

OEcol. *Neque enim vnquam doctorum, præſertim veterum authoritatem ſubmotam velim, quatenus à ſcripturis ſanctis non recedunt, ſicut ſi recedant, defenſandos non receperim. Etenim neque in recentiorum, neque in priſcorum verba, ſed veritates iuratos nos oportet.*

Roff. Hoccine tibi videtur authoritatem veteribus exhibere, quaudo prudens & ſciens eorum ſcripta louge aliter (quam ipſi ſenſeruut) iuterpretaris, eorum dogmata perperam iuuertis, ſententias denique non niſi truncatas mutilataſque receuſes, quo tuam inſauiſſimam hæreſim comprobare videantur? hæc te ſæpe feciſſe nemo negabit, qui ea priora non oſcitanter legerit. Et qui fieri poteſt, vt illis authoritatem ſeruare ſtudeas, qui ea doces, quæ illis maxime reluctantur, ſed & quæ illi docueruut, cum tuis erroribus maaime puguant? Tui profecto dogmatis exiſtimationem vehementer lædes, imo uullam efficies, ſi veritatem (quam ipſi veteres paſſim & coucorditer docueruut) ſemel admiſeris.

Autoritati veterum Oec. multifariam derogat.

OEcol. *Proferam itaque nonnulla veterum teſtimonia, quæ probare videntur carnem noſtram à carne Chriſti in hoc ſacramento ali. Et à vetuſtiſſimo Irenæo incipiam, qui libro contra hæreſes tertio, capite triceſimotertio, ſic ſcribit.*

Roff. Alere certe multa dici poſſuut, quæ minime tameu in carnem vertuntur quam ſoueut. Aurum euim & margaritæ, gemmæque precioſæ, quum in medicamiuibus teruntur, miram aſſeruutur à medicis virtutem & ſomentum præbere corpori, uec tameu ipſa vertuuntur iu ſubſtantiam corporis. Et pari modo, quid prohibet viuificatricem Chriſti carnem illis, à quibus pie ſumitur, potentiſſima quadam & ineffabili ſua virtute præſtare ſomeutum, & modo quodam alere. Sed Irenæum audiamus.

Caro Chriſti quidem fouet corpus noſtrũ, ſed non vertetur in ipſum.

Irenæum Oecolampadius producit, qui plane contrarium docet eius, quod ille probare molitur.

Capvt XXI.

OEcol. *Qvomodo autem conſtabit eum panem in quo gratiæ ſunt actæ, corpus eſſe Domini ſui & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt, verbum eius per quod lignum fructificat; deſluunt fontes, & dat quidem primum fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica.*

Roff. Hic miris artibus vtitur Oecolampadius, quũ probare nitatur, abſurdum eſſe, quod caro Chriſti noſtræ carui per eſum huius ſacramenti carnaliter vniatur, Irenæum producit, qui rem eaudem teſtatur apertiſſime. Nam ipſis primis verbis, velut rem certam, affirmat conſtare panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Domini, id quod apparet etiam ipſos hæreticos, aduerſum quos contendebat, ceu confeſſum admiſiſſe. Fuit autem is Irenæus Polycarpi quondam diſcipuli Iohannis auditor. Quamobrem nec recens eſt, & heri natum hoc dogma, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. Et quis vnquam legerit aut audierit hunc ſanctiſſimum virum, pro hoc dogmate hęreſeos crimine fuiſſe notatũ, qui & ſæuientibus Arrianis oculum alterum amiſit, paratus etiam pro fide Chriſti mortem ſuſtinere, quantumuis moleſtam.

Veritas corporis Chriſti à diſcipulis apoſtolorum credita eſt.

OEcol. *Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur.*

Et huic

ROFF. *Cyrillus.* *Per communicationem Euchar. aſſequemur incorruptionem.*

Et huic ſententiæ Cyrillus aſtipulatur, qui nos aſſerit eam virtutem ex communicatione corporis & ſanguinis aſſequi, qua ad incorruptionem eam integre reducemur, vt cibo & potu corporali non indigeamus. Et audi lector quem in modum iſtud colligit: Quoniam (inquit) corpus Chriſti viuificat, & ad incorruptionem ſua participatione reducit, quum ſit ipſius vitæ corpus, & ipſius inexacuati verbi, quo vniuerſa viuunt & ſunt, virtutem complectitur. Quod ſi tantas vires, huius carnis communicatio, noſtræ carni tribuat, vt eadem ad veram vitam in nouiſſimo die reſurrectura ſit, quis hoc ceu terrenum fomentum & alimentum exiſtimabit? Veruntamen ita carne Chriſti noſtram carnem ali neutiquam putamus, ſed neq; patres iſti putauerunt, vt ipſa more cæterarum carnium à nobis digeratur, ſed magis ad ſimilitudinem auri, gemmarumque, & margaritarum, quæ fomentum præſtant corporibus citra ſubſtantię ſuæ conuerſionem vllam.

Corpus Chriſti alit vt aurum & gemma.

OECOL. *Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant, offerendo quæ prædicta ſunt.*

ROFF. *Irenæi exhortatio.*

Monet igitur Irenæus hæreticos, quum hæc ita ſe habeant, nempe quod ex iſtis creaturis, pane videlicet & vino, Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum inſtituit conficienda, vt deinceps aut Chriſtum credant fabricatoris mundi filium & verbum eſſe, quo mundus & quę in mundo ſunt, omnia fuere condita, aut ab eiuſmodi ſacrificio penitus abſtineant.

Iohan. 1.

OECOL. *Noſtra autem ſententia conſonans eſt Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus noſtram confirmat ſententiam.*

ROFF. Pergit adhuc Irenæus, inſinuans eccleſiæ dogmata, cum ſibi mutuo, tum ipſi veritati conuenire: ſicut & hæreticorum è diuerſo, tam cum ipſa veritate quam ſecum etiam pugnant. Nam quod ipſe mundi fabricator, Chriſti pater ſit, cum iſto conſonat, quod ipſe Chriſtus creaturis ab illo conditis vtatur, ex quibus & ſuum ipſius corpus & ſanguinem confecit. Et hoc factum rurſus confirmat, Chriſtum (qui talibus creaturis tam potenter vtitur) non alterius, quam ipſius omnium conditoris eſſe filium. Quamobrem & fides (qua Chriſtus creditur eſſe Dei filius) Euchariſtiæ conſonat, & eadem ab Euchariſtia confirmatur.

Fides de Chriſto confirmat veritatem Euchar.

OECOL. *Offerimus enim ei quæ ſunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus.*

ROFF. *Incorporamur Chriſto per ſacram communioné.*

Per communicationem corporis & ſanguinis Chriſti, efficimur vna caro vnuſque cum eo ſpiritus. Quam etiam vnitatem & Paulus ſæpe reſtatur in epiſtolis ſuis: Vnum (inquit) corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. Et rurſum: Qui adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus. Nec poteſt certe quiſquam Deo coniunctius adhærere, quam qui cum pietate carne Chriſti veſcitur, & eiuſdem ſanguine potatur. Per cibum enim iſtum incorporamur Chriſto, & vnum cum ipſo corpus efficimur.

1. Corint. 10. *1. Cor. 6.*

OECOL. *Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens vocationem Dei; iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus conſtans rebus, terrena & cœleſti, ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia.*

ROFF. Et his verbis Irenæus docet, in Euchariſtiis præter ſimilitudinem panis quam ex terra ſortitur, eſſe rem inſuper cœleſtem, nempe diuinitatem ipſam Chriſti, vnde & corpora eorum qui paſcuntur hoc cibo, reſurgendi virtutem ad vitam incorruptibilem recipiunt. Dicit igitur panem à terra ſumptum, vbi perceperit vocationem Dei, nimirum ex conſecratione, per ſanctum eius verbum, & inuiſibilem ſancti Spiritus operationem, iam non communem panem, ſed Euchariſtiam eſſe, & præter ſpeciem panis, quam præ ſe fert, cœleſtem Chriſti naturam inuiſibiliter continere.

Diuinitas eſt in Euchar.

OECOL. *Offerimus autem ei non quaſi indigenti, ſed gratias agentes dominationi eius & ſanctificantes creaturam.*

ROFF. Hic deſinis, vt & alibi non ſemel ſoles, haudquaquam abſoluta ſententia. Sed nihilominus ex his quæ citaſti, ſatis perſpicua nobis eſſe poteſt mens Irenæi. Hoc ſacrificium vtique Deo nihil confert, qui bonorum noſtrorum, vt in Pſalmo canitur, neutiquam eget. Quamobrem & vere dicit ſanctus pater, nos hoc ſacrificium offerre Deo, non quaſi indigenti. Ipſe profecto non indiget. At nos plurimum indigemus, vt tantæ maieſtati quum pro aliis, tum pro tot & tam eximiis noſtræ exiguitati beneficiis impenſis, agamus gratias. Quocirca quum ipſi nihil ex nobis dignum habeamus, quod velut pacificam hoſtiam immolemus, ipſe nobis ex immenſa benignitate ſua donauit corpus & ſanguinem filij ſui ſub panis & vini ſpecie, quoties libebit offerenda. Quo ſacrificio nihil ipſe charius habet aut antiquius. Vides ergo lector quã apertiſſime ſcripſerit Irenæus pro ſententia noſtra, neque dubito ſi mihi fuiſſet ipſius libri copia, vnde citauerat hoc Oecolampadius, quin alia multa non minus in rem noſtram facientia, quam hæc ſint, reperirentur. Satis enim ex aliis eius rebus mihi perſpectus eſt Oecolampadius. Nam veritatem hauddubie potius occulere ſtudet quam aperire.

Pſalm. 15.

Euch. ſacramentum eſt Deo gratiſſimum ſacrificium.

Aliam faciem ſuis fucis & infarcimentis cogit Irenæum induere, quam ſit eius propria.

CAPVT XXII.

OECOL. PRima facie hæc Irenæi legenti apparent aſſerere à carne Domini ali noſtram, panemque eſſe ipſiſſimum corpus Chriſti, vt quidam contendunt, ſed non hoc vult neque ita habet res.

ROFF. Vna certe facies eſt Irenæo nõ fucata, ſed ſimplex & genuina. Tibi fo[...]aſſe ſpes eſt, verborum tuorum fucis & oblinitionibus, perſonatam aliam fucatam illi ſuperinducere faciem. Sed

fruſtra conaberis, quum vſq; adeo dilucida ſint ipſius verba. Et quis non poteſt, modo velit ingenij neruos intendere, quæ ſunt apertiſſime dicta, verborum aliqua fuligine denigrare, & quaſi dubia tardioribus animis incertaque reddere. Porro quod ali noſtram carnem à Domini carne dixerit, nihil eo debere lectorem offendi, partim *Vide prol. 4. li. Item lib. 3. ca. 21. & alibi.* ſuperius oſtendimus, partim etiam poſtea ſumus oſtenſuri. De pane vero palam explicuit, eum, facta conſecratione, non eſſe communem panẽ; ſed cœleſtem quandam aliam naturam ſub ſpecie panis iam eſſe ſortitum.

OEcol. *Agit contra hæreticos negantes bonas eſſe creaturas, & reſurrectionem corporum, quos redarguere nititur à ratione ſacramentorum & oblationum noſtrarum. Offerebant enim priſci de frugibus, Deumque frugum authorem teſtabantur, quæ tamen in vſum cedebant pauperum. Stultum autem fuiſſet ex alienis & cuiuſdam mali Dei rebus accipere res, quibus bono Deo gratias agerent, vt arguit Tertullianus.*

Roff. *Sup. eod. cap.* Ex primis illis verbis, quæ nobis Oecolampadius ex Irenæo ſuperius recenſuit, dilucidum eſt, Irenæum aduerſus eos hæreticos agere, quibus conſtabat panem eſſe corpus Domini ſui, & calicem continere ſanguinem eius, tametſi negarint ipſum Dominum fabricatoris mundi filium eſſe. Et hæc te quæſo lector, ne permittas excidere tibi, quicquid poſtea coloris ſuperinduxerit Oecolampadius. Nam vt hic perſpicis, longe alia molitur.

OEcol. *Ex ea oblatione aſſumebatur & panis ſingulari vſui cœnæ Dominicæ ſeruiens, ac dictus corpus domini, eo quod ſacramentum & figura Dominici corporis.*

Roff. *Lib. 4. c. 21.* Iam is falſarius obducere ſuos fucos aggreditur. Sed nos ne recedamus ab Irenæi verbis. Qui eſt à terra panis (inquit) vbi perceperit vocationem Dei, hoc eſt vt diximus, inuiſibilem conſecrationem, iam non eſt communis panis, ſed Eucharistia. Profecto ſi iam non ſit communis panis, iam deſiit in eo ſubſtantia panis terre- *Supra lib. 1. c. 9. & alibi. Euch. ex duobus conſtat.* ni, ſicut & Cyrillus Chryſoſtomuſque ſentiunt, & ſicut ex Auguſtino ſuperius attulimus, Panis vtique ſit iam ſuperſubſtantialis, non iſte panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ita ſemper ſibi conſonant ſancti patres. Manere tamen aſſerimus ipſam ſpeciem panis, ſub qua per inuiſibilem operationem ſancti Spiritus iam præſens efficitur ipſe Chriſtus. Propter quod & dixit Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare, terrena videlicet, hoc eſt, ſpecie panis, & cœleſti, nempe Chriſto. Nuſquam autem dicit hunc panem eſſe figuram corporis Domini, neque tropum aliquem aſtruit, ſed affirmat ipſis primis verbis conſtare, panem, in quo gratiæ ſunt actæ, corpus eſſe Domini, & calicem eſſe calicem ſanguinis eius.

OEcol. *Arguere igitur vult: Si panis ille non eſſet bonus, nunquam delectus fuiſſet à Chriſto in hoc ſacramentum, vt ſit corpus eius, qui idem verbum ac filius Dei per quem & omnia ſunt ac creata ſunt.*

Roff. Satis apertum eſt argumentum Irenæi, vt nuia pigmẽtariis nihil opus habeat. Sic enim ratioci- *Irenæi ratiocinatio.* natur cum hæreticis illis: Vos aſſeritis panem illum, in quo gratiæ ſunt actæ, corpus eſſe Domini veſtri, & calicem illum eſſe calicem ſanguinis eius. Et quomodo iſtud conſtabit, ſi negaueritis Dominum veſtrum eſſe filium conditoris omnium creaturarum, hoc eſt, ipſum verbum, quo vitis fructificat, & parit vuas, quoque terra primum herbam, deinde ſpicam, poſtremo plenum triticum producit. Nam ſi conditorem harum rerum, Chriſtus pro ſibi aduerſario (ſicut & vos putatis) haberet, nunquam panem & vinum, quæ ex illis creaturis fiunt, delegiſſet, vnde ſuum corpus pariter & ſanguinem conficeret.

Cæterum hoc loco non agit præcipue vt euincat corpus eſſe illud Domini. Argumentum enim eius refutat hæreticos, ſiue panem corpus ipſum, ſiue ſacramentum corporis eſſe affirmes. OEcol.

Verum eſt quod dicis, Irenæum haudquaquã Roff. hic moliri, vt euincat panem eſſe corpus Domini. Sed iſtud de quo ſibi cum aduerſariis conuenit, ceu baſim facit argumentationis ſuæ. Quo fit vt non ſatis mirari queam, cur tu, quum iſtam veritatẽ in ipſis primordiis eccleſiæ notis fuiſſe receptiſſimam, vt eandem vel hæretici negare non ſint auſi, Magiſtrum tamen Petrum, eiuſdem authorem primum facis. Cæterum, quatenus valeat Irenæi argumentum, non iſtud nunc *Irenæus ſentit ſub ſpeciebus ſacramẽtalibus eſſe verum corpus Chriſti.* inquirimus, ſed quid pater iſte tantus & tam grauiſſimus ſenſerit. Senſit autem haud dubie, quod & omnes orthodoxi ſentiunt, ſub ſpecie panis contineri verum Chriſti corpus.

Hoc autem magis ſpectandum, quomodo nos alamur corpore & ſanguine Chriſti, ita vt ſimus incorruptibiles, probare enim vult per ſacramẽtum corporis, quo alimur, reſurrectionem carnis, id quod per prophanum panem nemo poſſet, quæ enim inde ſpes reſurrectionis, vbi nulla reſurrectionis commemoratio, quæ religioſe in ſacramento fit, quod memores nos facit tritici, quod in terram cecidit, & multum fructum fecit. OEcol.

Quaſi nos & in taberna communem panem Roff. ſpectantes, non æque poſſumus tritici meminiſſe, pariter & iiſdem Chriſti verbis commoneri; Sed aliter alimur Chriſti corpore & ſanguine quam ſola meditatione. Refert VVeſſelus Gro- *VVeſſeli Groningenſis mirũ exemplũ.* ningenſis rem admirandam, ſed tanta fide refert, vt me nullus omnino teneat ſcrupus, quin res vera fuerit ac vere geſta. Ait ſacerdotẽ quendam niuis & algoris adactum neceſſitate, dum in alpibus à via deerraſſet, & mitiorẽ à ventis & niuibus vallem reperire ſperans deſiliiſſet, neque reductę quaque verſum exitum comperiſſet, neque vnde deſilierat, propter altitudinẽ reaſcendere poſſet, ſub exeſam & propendentem rupem ſeſe fame moriturum coniecit ac deſperauit. Sed vt erat luna plena, vidit noctu ſerpentum diuerſa genera contendere ad lapidẽ quendam, & illic linguis lapidem lingere, & poſt horam quæque in ſua antra reuerti. Et incidit ei cogitatus quidnam illic ita lingerent. Sequenti item nocte ſimiliter. Et miratus magis intra ſe *Petra alebat hominem per hyemem.* quærens, quid ita. Tertia demum nocte iam pe-

ne vtri-

ne viribus deſtitutus, ante omnes ipſe acceſſit & linxit, & inter lingendum ita reſtitutus fuit, quaſi cibo refectus. Et ſic per totam illic hyemem ſub rupe latitauit, donec in fine Aprilis, niue ſoluta peruiis iam factis alpibus, quoſdam audiret in vicino colloquẽtes. Hactenus VVeſſelus ipſe. Quod ſi merus lapis tantum præſtare fomenti potuit citra diminutionem ſubſtantiæ ſuæ: quid mirum ſi Chriſti caro, quæ vere viuificatria eſt, citra quamuis iniuriam ſui, pie ſumentes alat, & vim tribuat ad immortalitatem reſurgẽdi. Tuus profecto panis tibi neque ſubſtantiam neq; vllam qualitatem in ſe nouam recipit, qua manducantes eum reddat immortales.

Caro Chriſti reficit abſque ſui immutatione.

OEcol. *Dicit autem Eucbariſtiam duplicè conſtare natura, terrena ſcilicet & cœleſti, terrena quia eſt à terra è qua dono Dei creuit, id quod conſentioſe negant papiſtæ.*

Roff. Non eſt recedendum à verbis ipſius authoris. Superius negauit myſterium iſtud iam facta conſecratione panem eſſe communem, ſed Euchariſtiam ex pane factam eſſe fatetur. Conſtare tamen hanc affirmat ex duabus rebus, terrena videlicet & cœleſti. Quid igitur ibi terrenum eſt, Inquis, ſi non maneat ibi ſubſtantia panis? Ego viciſſim te percontor, quid putas illic cœleſte contineri? ſi non ſit ibi caro Chriſti. Nulla ſecundum te noua ſubſtantia cœleſtis illic eſt, neque cœleſtis qualitas, aut quantitas vlla noua, neque relatio realis aliqua noua, ſed rationis duntaxat. Quam ergo cœleſtem rem nouam illic excogitare poteris? nullam profecto penitus. At nos Euchariſtiam cum Irenæo conſtare dicimus ex duabus rebus, terrena videlicet & cœleſti. Terrenam aſſerimus ipſam externam ſpeciem panis, in quam perducta fuit manibus hominum: Cœleſtem vero, carnem Chriſti, quæ Dei verbis & operatione Spiritus inuiſibili, ſub ſpecie panis præſens efficitur in ipſa Euchariſtia.

Lib. 4. cap. 22.

Euch. conſtat ex terrena ſimul & cœleſtire.

OEcol. *Cœleſti autem, quia gratiarum actioni ſeruit, & percepit Dei vocationem, et quod nomen Dei inuocatum eſt ſuper illam.*

Roff. Ecce, an non verum eſſe vides quod dixi lector: nullam omnino rem cœleſtem nouam ſtatuit in Euchariſtia. Gratiarum actio vel in agentibus eſt, vel in eo cui aguntur gratiæ; Numen etiam Domini ceſſante prolatione non manet in Œcolampadiano pane. Quare nulla res cœleſtis in hunc panem recipitur. Et tamẽ Irenæus omnino fatetur in Euchariſtia, rem adeo cœleſtem, adeoque potentem eſſe, vt eius comeſtores incorruptibiles immortaleſq; reddat. Quæ profecto non eſt alia, quam Chriſtus ipſe.

Corporis Chriſti in Euchar. effectus.

OEcol. *Congruam ſententiam Eucbariſtia ſic intellige, nam & creaturam terrenam, bonam dicimus, & gratiarum actionem ita celebramus, vt reſurrectionem corporum ſperemus.*

Roff. Nihil hæc ad Irenæi dilucidationem conſerunt. Dixit enim Irenæus: Noſtra autem ſententia conſonans eſt Eucbariſtię. & Euchariſtia rurſus noſtram confirmat ſententiam. Quæ verba ſuperius explicauimus. Quid ſi creaturam terrenam bonam eſſe dixeris, & gratiarum actionẽ eo fine celabraueris, vt ſperes corporum reſurrectionem? Quid hæc ad Irenæum, qui dicit Euchariſtiam perceptam id præſtare corporibus, vt futura ſint incorruptibilia?

Lib. 4. c. 22.

Quia enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus in corpore ſuo ſurrexit poſthac non moriturus, & nos communicamus eius carni, id quod ſymbolo ſanctificati panis gratias agentes teſtamur, reliquum eſt, vt & nos ſimus incorruptibiles. OEcol.

Sed vbi eſt quod dixit Irenæus, corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam nõ ſunt corruptibilia. Tu nihil eſui tribuis huius ſacramenti. Ille tantum tribuit, vt dicat perceptionem Euchariſtiæ certa reddere corpora noſtra de futura reſurrectione. Quare nihil aliud moliris, quam circumuenire lectorem, nimirum vt videaris Irenęo conſentire, quum toto pectore diſſentias. Irenæus per incorruptibilem vitam, non intelligit eam, quam in gehenna damnati ſunt habituri, quæ mors quædam incorruptibilis verius eſt quam vita, ſed plane vitam gloriæ & æternæ beatitudinis intelligit, quam non aſſequentur omnes, qui teſtantur ſe cõmunicare carni Chriſti per eſum panis tui, ſed qui vere credunt & pie manducant veram ipſam carnem in Euchariſtia. Roff.

Vita incorruptibilis qua intelligatur Irenæo.

Iohan. 6.

Etenim vt ſpiritu communicamus Chriſto, ita carni quoque. OEcol.

Hoc vos exoculat, quod tantum fidei tribuitis, vt cætera propter eam negligatis. Sed illa communicatio quæ ſpiritu & fide fit, vt ſæpe diximus, incerta eſt, & ſine iſta minime durabilis. Euaneſcet enim ſi nõ eſu carnis huius illam corroboraueris. Hanc ſi cõtempſeris, nulla tibi proderit fides. pie comedas carnem iſtam viuificatricem, & certus eris, tam de viuacitate fidei tuę, quã de viuificatione tui corporis in ipſa reſurrectione generali futura. Quare ſtolidiſſimũ eſt, vt hoc ſacramento relicto ſic fidei inhæreas, vt tam fidẽ amittas, quam huius ſacramenti fructum. Roff.

Et hoc vocat prædicare communicationem & vnitatem carnis & ſpiritus. alioquin quid certius eſt corruptibilitate corporum noſtrorum, ſpe tamen in Chriſto qui reſurrexit, incorruptibilia dicuntur. OEcol.

Quanquam granum tritici iactum in terram corrumpatur, ea tamen corruptio, propter abditam in ipſo grano virtutem, via eſt ad alterius vitæ maius incrementum. Et ad eundem modum neceſſe eſt, vt noſtra corpora tandem per corporalem mortem redeant in cineres, ſed quia nonnihil virtutis, quam ea eſu carnis Chriſti contraximus, in ipſis adhuc cineribus manere viſum eſt, tam Irenæo quam cæteris priſcis, ipſa noſtræ carnis incineratio (ſi tamen ante paſta ſit hoc cibo) ad glorioſam illam reſurrectionem, rectiſſima callis eſt. Cæterum propter hoc nos in Chriſtum ſpei nihil detrahimus, modo vera viuaque ſit. At plerunque mortua eſt, quæ viua putatur, quemadmodum in vobis qui foris ab Eccleſia ſeparamini, proculdubio non viuit. Vbi tamen mortua ſpes eſt, modo voluntas adſit bona, viuificabitur hauddubie per eſum Roff.

Spes abſque voluntate bona, mortua eſt.

Eucha-

Euchariſtiæ, id eſt, carnis huius, quæ vere viuificatrix eſt. Cæterum quod tu de carnis & ſpiritus communicatione detorques cōtra mentem Irenæi: ipſe aliter ſenſit. Aſſerit enim ipſe nos per ſacramentum corporis, verè carni Chriſti, & per ſanguinem eius, vere ſpiritui communicare.

OEcol. *At quæ foret probatio contra negantes reſurrectionem, ſi carnem Chriſti noſtræ dicas vniri, & noſtram propediem in cinerem redigendam.*

Roff. Neſcio quid tibi videatur. At Irenæo viſa fuit hæc iuſta quædam probatio. Sic enim hæreticis obiecit ille: Quomodo rurſus dicunt carnem in corruptionem venire & non percipere vitam, quæ à corpore & ſanguine Domini alitur. perinde ac ſi dixiſſet: Quoniam caro Chriſti viuificatrix eſt, & eadem reſurrexit ad vitam incorruptibilem, inde fit, vt qui carnem illam digne comederunt, ſi nulla poſthac ſua culpa virtutem illam quam acceperūt amittant, eorum corpora proculdubio reſurgent ad immortalitatem. At inquies, idem conſequentur, ſi fide tantum ederint. Iam reſpondi, viſum eſſe priſcis illis, non ſufficere fidem, niſi quum oportunitas nulla detur edendi ſacramenti. Adde, neminem citra ſuſceptionem ſacramentorum certum eſſe poſſe, ſe tantam habere fidem, qua Chriſto incorporetur. Neq; enim omnes qui credunt, continuo tali fide potiti ſunt. Quamobrem & benigniſſime pariter & ſapientiſſime prouidit nobis Chriſtus eiuſmodi ſacramenta, quibus certo nobis conſtare poteſt de ſtatu ſalutis noſtræ. Huc accedit, quod ſi quis ante fuiſſet inſertus corpori myſtico per veram & viuam fidē, idem nihil perdit per eſum huius ſacramēti, quin magis accepto ſacramento corporis & ſanguinis Domini, iam plenius & intimius incorporatur eidem, nempe naturaliter & ſubſtantialiter, id quod non aſſequitur per ſolam fidem.

Irenæus aſſeruit incorruptionem ex ſacra communione.

Fides ſine eſu ſacramenti non ſufficit.

Vero Chriſtiano prodeſt ſacra cōmunio.

OEcol. *Vel ſi dicas decreſcere & augeſcere, nonne id quoque carni Chriſti accederet; quod intolerabile auditu.*

Roff. Eadem abſurditas tibi quoq; communis eſt. Nam & tu fateris nos fide incorporatos eſſe Chriſto, & nihilominus in cinerem redigendos. At caro Chriſti nihil ob id augeſcere putanda eſt, aut decreſcere quicquam, quando nihil per eſum iſtiuſmodi minuitur aut augetur.

OEcol. *Itaque piam ſententiam pio authori tribuerim.*

Roff. Tum puras & pias authorum ſententias eſſe credam, ſi tu nihil eorum dictis aut exemeris, aut admiſcueris. Quis non videt Irenæum dogmatibus eccleſiæ prorſus conſentire, atq; propterea vere pieq; ſcripſiſſe. Tu vero ſicut impie ſentis, ita moliris, vt ad tuam impietatem per vim torqueatur nō modo grauiſſimus iſte pater, verumetiam & authores cæteri, qui tamen omnes ad vnum, veritatem huius ſacramenti confitentur, hoc eſt, verè Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia contineri.

OEcol. *Quomodo autem caro Chriſti noſtræ donet immortalitatem, ex ſequentibus cognoſces.*

Roff. Illud æque præſtabis, atque cætera multa, quę ſuperius eras pollicitus.

Alterum Irenæi locum affert, qui manifeſtiſſime quoque ſuæ hæreſi contradicit.

Capvt XXIII.

OEcol. *Aeque autem obſcura ſunt, quæ idem author in quinto libro narrat, contra eoſdem negantes reſurrectionem.*

Roff. Vtcunq; fuerint obſcura, nihilominus aperte docent in Euchariſtia verum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Quod ſatis abunde pro nobis facit, & te condemnat impietatis.

Irenæus aperte docet veritatem corporis Chriſti.

OEcol. *Vani autem, inquit, omnimodo, qui vniuerſam diſpoſitionem Dei contemnunt, & carnis ſalutem negant & regenerationem eius ſpernunt. Si autem ſecundum hos, videlicet nec Dominus ſanguine ſuo redemit, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis eius eſt, neque panis quem frangimus, communicatio corporis eius eſt.*

Roff. Eos inceſſit qui reſurrectionem futuram non credunt, quandoquidem ſciunt & Chriſtum ſuo ſanguine nos redimiſſe, & eundem ſanguinem in Euchariſtia nobis communicaſſe, pariter & ſuum ipſius corpus, ex quibus apertiſſimum eſt nos aliquando reſurrecturos, quemadmodum & ipſe reſurrexit. Quid cogitari poſſet dilucidius in partem noſtram?

Apoc. 1.
Matth. 26.
Marc. 14.

OEcol. *Sanguis enim non eſt, niſi à venis & carnibus, & à reliqua quæ ſecundum hominem ſubſtantia; qua caro factum verbum Dei redemit nos. Quemadmodum & apoſtolus ait: In quo habemus redemptionem per ſanguinem & remiſſionem peccatorum.*

Roff. Docet ergo non eſſe figuratum ſanguinem, ſed verum, qualis in ipſis venis (quæ & vaſa ſanguinis dicuntur) continetur.

OEcol. *Et quoniam membra eius ſumus, & per creaturam nutrimur. Creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens, quemadmodum vult, Calicem qui eſt creatura ſanguinem ſuum teſtatus eſt, & panem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmauit, ex quo noſtra auget corpora.*

Roff. Diligentius attende quid dicat Irenæus: Quoniam (inquit) eius membra ſumus, idcirco noluit eſſe ſui ſanguinis expertia. Sed ſicut ſolem & pluuiam nobis impertit, ita verum ipſius ſanguinem in calice, & verum corpus in ſpecie panis ſe dediſſe teſtatus eſt.

OEcol. *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit noſtra carnis ſubſtantia, quomodo negant carnem capacem eſſe donationis Dei, quæ eſt vita æterna, quæ & ſanguine & corpore Chriſti nutritur & membrum eius fit.*

Roff. Finge, ſi potes, quibus verbis Irenæus potuit rem pro nobis aperuiſſe dilucidius. Quando (inquit) mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti, hoc eſt, prolatis ſuper pane & vino, Chriſti verbis, protinus fit ex eis corpus & ſanguis Chriſti. An non & ſimilia prorſus aſſeruit in tertio libro, quę ſuperius memorata ſunt, iſtis quæ iam dixit in quinto lib. Ibi dixit: Panis qui à terra ſumptus eſt percipiens vocationem Dei, iam non cōmunis panis eſt, ſed Euchariſtia. Hic

Sup. prol. 4.
Sup. li. 4. c. 32.

vero

vero dicit: Quando mixtus calix & panis fractus percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti. Cæterũ an per hæc augeatur & conſiſtat noſtræ carnis ſubſtantia, iſtud extra noſtram controuerſiam eſt. Nos enim iam diſquirimus, an vere corpus & ſanguis Chriſti ſint in Euchariſtia, quemadmodum omnes orthodoxi ſentiunt, an figurate ſolum, vt hæretica veſtra impietas arbitratur. Sed & iſtud, quod ſequitur in Irenæo, noſtram ſententiam apertiſſime comprobat. Quomodo (inquit) hæretici negant carnem eſſe capacem donationis Dei, hoc eſt æternæ vitæ, quandoquidem Chriſti corpore ſanguineque nutritur, & fit ipſius membrum. Quid (precor) dilucidius pro nobis dici queat?

Veritas corporis in Euchariſtia verbis Irenæi comprobatur.

OEcol. *Quemadmodum apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola: Quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius. Non de ſpirituali aliquo & inuiſibili homine dicens hæc. Spiritus enim neq; carnem neque oſſa habet. Sed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carnibus & neruis conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius, nutritur, & de pane, qui eſt corpus eius, augetur.*

Roff. *Ephe. 5.* Confirmat ſententiam ſuam Irenæus verbis apoſtoli. Non hic diſputo, quã recte ſenſum attingat apoſtolicum. Sed hoc interim affirmo, neminem apertius docere corpus & ſanguinẽ Chriſti contineri in Euchariſtia, quam hic faciat Irenæus, vſqueadeo quod etiam cõfiteatur, nos qui Chriſti carne veſcimur & bibimus eius ſanguinẽ, non hominis alicuius imaginarij & ſpiritualis carnem edere ſanguinemque bibere, ſed eius qui vere naturam habet hominis ex carnibus neruiſque conſiſtentis, atque propterea non imaginario ſanguine, neque carne imaginaria ſed vero ſanguine veraque carne Chriſti nos aſſerit enutriri. Quiddam etiam huic haud diſſimile Paulus ibidem affirmat dicens: Nullus enim vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit & fouet eam, ſicut & Dominus eccleſiam. Si Dominus eccleſiam ſuam enutriat & foueat, ſicut homo carnem ſuam, quid abſurdum in ſe continẽt Irenæi verba, qui dicit carnem noſtram ali corpore & ſanguine Domini? *Ephe. 5.*

Pigmenta, quibus illeuit Irenæum, detrahuntur.

Capvt XXIIII.

OEcol. *Multis rationibus moueor, Irenæi ſermonem ſuis temporibus non fuiſſe tam obſcurum, atque nobis eſt. Exemplaria enim magna incuria deſcripta ſunt. Interpres græcitatem reliquit, vt quum dicit, ſecundum hominem ſubſtantia, id eſt, humana ſubſtantia. Cõfirmauit, id eſt, atteſtatus eſt, & ſimilia. Et Irenæus ipſe apoſtolicis tropis tunc notioribus peculiariter vſus eſt.*

Roff. Cauillaris in Irenæi verbis obſcuritatem, vt ſcilicet tuis gloſſematibus opus habere videantur. Neq; magni ſane momenti ſunt iſta quæ memoras, neque adeo difficilia, vt non quiuis lector facile, quid ſibi velit Irenæus, intelligat. Quid enim obſcuritatis habet, quod dixerit, ſecundum hominem ſubſtantia, pro humana ſubſtantia; ſed hoc te magis offendit, quod aſſeruerit Chriſtum panem confirmaſſe corpus ſuum, quemadmodum & Tertullianus dixit Chriſtum feciſſe panem corpus ſuum.

OEcol. *Conabimur tamen, iuuante Deo, obſcurius dicta explicare.*

Roff. Sed caue tenebras inieceris aut fucos. Nam & ſæpius plicas & inuoluis potius quam explicas.

OEcol. *Arguit primum, ſi non vere reſurgimus, & non vere regeneramur, eſt autem reſurrectio conſummata regeneratio.*

Roff. Adhuc incedis recte, Nam pro communi curſu reſurgere nemo poteſt ad vitam illam veram & immortalem, qui non ante fuiſſet aliquo modo regenitus. Sed iſtud item verum eſt, quod iuxta curſum eundem regeneratio non ſufficiat, niſi pariter & idem qui ſic regenitus eſt, alatur inſuper atque nutriatur. Nam ſicut infans, niſi poſtquam natus ſit, aliquo foueatur alimento, non poteſt diu viuere. Sic & is qui perpetuo victurus eſt, præter ipſam regenerationem, quę fit ex aqua & Spiritu ſancto, corpore quinetiam & ſanguine Domini fouendus atque nutriendus eſt. *Iohan. 3.*

OEcol. *Sequitur, nec Dominum ſanguine ſuo nos redemiſſe, & ita ſanguinem illum non fuiſſe verum ſanguinem, & fruſtra effuſum, eo quod non fuit efficax ad nos redimendum à morte, id quod nemo Chriſtianus dicet, præſertim apoſtolica authoritate commonitus, habere nos redemptionem per ſanguinem.*

Roff. Abſq; virtute ſanguinis illius olim fuſi baptiſmus omnino nullius eſſet efficaciæ. Nunc autem ſanguinis illius energia, mortem depellit his, qui regenerationis lauacro ſunt abluendi, nimirum vt ita renaſcantur ad vitam ſpiritualem, ſed eam quæ non diu duratura eſt, niſi regenitus hoc alimento carnis & ſanguinis Chriſti fulciatur. Id quod exemplo paruuli ſuperius commonſtrauimus. Quamobrem & Chriſti charitas erga nos tam immenſa fuit, vt non contentus pro nobis fudiſſe ſanguinem, quo regeneramur, donarit eundem etiam nobis in potum, & carnem item ſuam in cibum, vt iſtis aleremur. Quamobrem ſicut verus fuit ſanguis, qui pro noſtra fuſus erat redemptione, ita verus eſt & ſanguis quo paſcimur in Euchariſtia. *Iohan 6. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corin. 11.*

OEcol. *Arguens deinde, ſi non eſt futura reſurrectio, mendacia fore ſacramenta noſtra; infert dictum apoſtoli ad Corinth. & dicit, neq; calix Chriſti communicatio ſanguinis eius eſt, neq; panis quem frangimus, communicatio corporis eius eſt. Pauca apoſtoli verba demutauit. Paulus enim dicit: Poculum benedictionis cui benedicimus; breuiter Irenæus dicit: Calix Euchariſtiæ, id eſt gratiarum actionis.*

Roff. Quid hæc ad inſtitutum, vt narres Irenæum demutaſſe quædam Pauli verba. Nos iam excutimus quid ſentiat in his verbis Irenæus. An pro fide orthodoxa, an pro veſtris inſanis dogmatibus pronunciet. Neq; enim huius temporis eſt, vt excutiamus quam fortiter ea quæ dicit, ſtabiliat: ſed quid dicat, & quid in hac controuerſia videa-

tur ipſe potiſſimum affirmare. Cur iſtud igitur argumeotum eius tam leuiter tranſilis, quandoquidem ipſe ad hunc modum ratiocinatur: Qui oegant (inquit) ſalutẽ carnis, hoc eſt, reſurrectionem carnis ad futuram incorruptibilitatem, & hi regeneratiooem eiuſdem ſpernunt, vniuerſam diſpoſitiooem Dei contemnunt, & vani ſunt omni modo. Quoniam ita nec Dominus ſanguine ſuo redemit, oeq; calix Euchariſtiæ, communicatio ſanguinis eius eſt, oeq; panis quẽ frangimus, communicatio corporis eius eſt. Quare quũ verus ſit ſanguis quem pro oobis effudit, & oos eodem vero ſanguine veraq; ſua carne paſcat, conſequitur, vt qui ſic redempti ſumus regenitiq; & paſti, vere tandem ſimus ad immortalitatem reſurrecturi. Haoc collectionem Irenæus facit in primis verbis iam ex quinto libro citatis.

Argumentum Irenæi.

OEcol. *Ex mente autem Pauli, Irenæi quoq; deprehendimus.*

Roff. Ex mente potius Irenæi veſtigandum eſt, quid ſenſerit Paulus. Nam Ireoæus & ſui ſimiles Spiritu ſancto pleoi, ea quæ Paulus obſcure breuiterque ſcripſit, fuſius & dilucidius ioterpretantur. Quamobrem vt ex interprete mens authoris dioſcitur, ſic ex Irenæo potius diſcemus, quid voluiſſet ſibi Paulus.

2. Pet. 3.

OEcol. *Dicit Paulus Corinthiis: Nonne ſanctus ille calix qui in memoriam mortis cum gratiarum actione, pro ſanguine qui effuſus eſt, ſumitur, ſacramentum noſtrum eſt, omnes nos in vnam ſocietatem confœderans illo ſanguine redemptos ſe credentes, qui in vini figura commendatur.*

Roff. Hic, te precor, quam vim habeat ſacramẽtum tuum, io quo nihil præter vinum eſt, vt nos (quẽadmodum ipſe iam aſſeris) in vnam talem ſocietatem confœderet? non iſtud profecto præſtare merum vioũ poteſt. Quamobrem neceſſum eſt, vt dixeris verum ſanguinem hic adeſſe ſub ſpecie vini, qui cooſœderatiooem iſtam adeo poteoter efficiat.

Verus ſanguis in calice, Irenæo authore.

OEcol. *Nonne ſanctus ille panis qui ſimiliter inter nos diuiditur in memoriam mortis Chriſti, teſtis eſt, ac indicium ſocietatis noſtræ ac congregationis, quæ credit ſe corpore Chriſti, quod in pane repræſentatur, viuificatam.*

Roff. Iam intermiſces aliena quædam à Pauli verbis. Vbi precor dixerat Paulus panem illum teſtem eſſe ac indicium ſocietatis ooſtræ, & oon potius hanc eandem ſocietatem efficere, nexumq; verũ & vnionem præſtare Chriſtianis, quum ioter ſeſe, tum & cum Chriſto totius eccleſiæ capite. Quamobrem & dixit: Vnus panis vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Nullum certe materialem hic Paulus intellexit, ex quo participant omoes Chriſtiani. Nam quis vnquam furnus tam amplus repertus fuit, vt eiuſmodi paoem coquere valeat. Plane igitur Paulus de pane Chriſto intellexit, quem ſub ſpecie panis in Euchariſtia ſuſcipimus, per quem & panis vnus atq; corpus vnũ omnes efficimur, qui panem illum Euchariſtiæ mãducamus.

1. Cor. 10.

OEcol. *Neque enim Paulus hic docere vult, panem corpus, vel calicem ſanguinem, vel ita nos participes eſſe, vt caro Chriſti in carnem noſtram, vel noſtra in ipſius carnem vertatur, vel noſtram contingat fieri ſubſtantialiter, ſed magis certa ſymbola, quibus nos in fidelium numero declaremus.*

Roff. Hoc tuum commentum eſt, ſed longe aliter ſe res habet. Nam & ipſo decimo capite & proximo quod ſequitur, quanquam in hoc longe maoifeſtius vocat hoc myſterium corpus Domini, & myſterium calicis, ſanguinem Domini. Nam receoſens verba Chriſti ſic ait: Accipite, edite, hoc meum eſt corpus; & de ſanguine ſimiliter, hoc poculum oouum teſtamentum eſt in meo ſanguioe. Quis iam dubitare poteſt ipſum Paulum, ipſo decimo capite, de eodem corpore & ſanguioe fuiſſe locutum, quum dixiſſet: Panis quem frangimus, nonoe commuuicatio corporis Chriſti eſt? Et poculum benedictionis cui benedicimus, nonoe commuoicatio ſanguinis Chriſti eſt? Quod ſi veram Chriſti caroem edamus, & verũ potemus in Euchariſtia ſanguinem, an non euideotiſſime conſequitur, vt vel eius caro vertatur io ooſtram, vel ipſa ooſtram vertat in ſe, atq; ita oectat, tum ſibi nos, tum noſmetipſos oobis, & faciat ex omoibus vnum corpus.

Lucæ 22.

1. Cor. 10.

OEcol. *Si autem non reſurgeremus, recte colligeretur, ſacramenta illa non ſignare verum ſanguinem Chriſti, & in hoc fallere, quod reſurrectionem polliceantur, ſicut beatus epiſcopus ſubdit, ſacramenti arcanum exponens.*

Roff. Nihil hic Irenæus de ſigno figuráve carnis & ſanguinis loquitur, vti lectori cuiuis perſpicuum eſt, ſed de vero ſanguine, quo redempti ſumus in cruce, & quo ſimiliter in Euchariſtia paſcimur. Quem & ait tantas vires ooſtræ carni præbere, vt poſtquam hæc incinerata fuerit, tandem reuiuiſcet, ſicot & exemplo (quod ſequitur) apertiſſime demonſtrat.

De vero ſanguine loquutur Irenæus.

OEcol. *Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terra, ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidẽs in terrã & diſſolutum, multiplex ſurgit per Spiritũ Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam Dei in vſum veniunt. Sic & corpora noſtra ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante, in gloriam Dei patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptionem gratuito donat. Quoniam virtus Dei in infirmitate perficitur: vt non quaſi ex nobis inflemur & aliquando extollamur aduerſus Deum ingratam mentem accipientes.*

Roff. Ecce lignum vitis, tametſi mortuum videatur, depoſitum nihilominus in terra, ſuo tempore fructificat. Similiter & granum tritici, quanquã ſeminatũ in terra, mox corrumpatur, tamẽ poſtea cum ampliori fœnore reſurgit. Et hæc per naturam fieri cooſpicimus. Quid ergo mirum, ſi corpora ooſtra carne & ſanguine Chriſti nutrita, poſtquam redacta ſint in cineres, per huius tamen eſcæ vires & efficaciam, operante Spiritu verboque Dei, reſurgant ad immortalitatis gloriam? Hic certe verborum ſenſus eſt, quocunque tu colore rem vertere moliaris.

Iohan. 12.

Sententia verborum Irenæi quod digne communicantes reſurgent.

OEcol. *Porro & in aliis eſſent fallacia ſigna, ſi non eſſet reſurrectio: ſignant enim verum corpus & verum ſanguinem. Sanguis probat verũ fuiſſe corpus, & corpus verum ſanguinem in Chriſto; quod ſi vera, & reſurrectio vera.*

Tu ſem-

Roff. Tu ſemper ad ſigna confugis, de quibus nihil meminit Irenæus, nec vno quidem verbulo. Neque enim ipſe de corpore & ſanguine figuratis loquitur, ſed neq; ſigna & figuræ virtutem eiuſmodi præſtare corporibus noſtris queunt, vt reuiuiſcant. Iohan. 6. Vera tamen caro ſanctè manducata, verusq; ſanguis piè bibitus, iſtud præſtant, nimirum quod viuificatricem vim obtineant. Sunt enim ipſius verbi incarnati caro & ſanguis, atque propterea tam admirandam reſurrectionem in potentia & virtute eiuſdem verbi operantur.

OEcol. *Tendit autem eo diſputatio, ne putatiuus credatur homo fuiſſe; quæ hæreſis penitus reſurrectionem tollit.*

Roff. Et ſane tendit, vt dicis, atqui neq; iſtud ſpectat ſolum, ſed molitur etiam, vt certi ſimus, nõ modo vero ſanguine Chriſti redemptos nos eſſe, verumetiam eodem nos fuiſſe potatos, pariter & vera ipſius carne fuiſſe paſtos.

Hactenus quanquam pluribus deprauare ſtuduit Irenæum, pergit adhuc in eodem.

Cap. XXV.

OEcol. *Vltra quando dicit: Quoniam membra eius ſumus, & infra ſermonem authoritate Pauli confirmat ex epiſtola ad Ephe. Quoniam membra ſumus corporis eius. Certum eſt Paulum oſtendiſſe verbum ſibi vere vniuiſſe naturam humanam, & ſicut Eua ex Adam fuit, ita Chriſtum quoque id genus oſſium & carnis, quibus nos conſtamus accepiſſe. Vnde ſemper propter eandem carnem conſectaneum eſt, ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.*

Roff. Haud recte colligis, neque enim omnes ad ipſam immortalitatis gloriam reſurgent, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem natus eſt, quod ex collectione tua ſequitur. Sed neque Paulus hoc dixit, Chriſtum eſſe os ex oſſibus noſtris, & carnem ex carne noſtra, ſed ediuerſo magis. Ephe. 5. Nos (inquit) membra ſumus corporis eiuſdẽ ex carne eius & ex oſſibus eius. At iſtud effecti ſumus, maxime propter carnem & ſanguinem eius, quibus & ſancte veſcimur. *Reſurgemus ad immortalitatem.* Propter iſtud itaque conſectaneum eſt, vt caro noſtra ad ipſam incorruptibilitatis gloriam reſurgat, quod membra ſimus ex carne & oſſib. eius, & non propterea quod ipſe ex noſtra carne carnem acceperit & oſſa. Sed operæprecium fuerit aliquid pluſculum hic ex Paulo recenſere. Sic enim Paulus cap. 5. ad Epheſios tradit: Nullus vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit & fouet eam, ſicut Dominus eccleſiam: Quoniam membra ſumus corporis eiuſdem ex carne eius & oſſibus eius. Ecce dicit hic Paulus, vnumquenque ſuam carnem enutrire & fouere, ſicut Dominus eccleſiam enutrit & fouet. Fouet autem & enutrit Dominus eccleſiam ſuam corpore potiſſimum & ſanguine ſuo, quibus & eius membra conſtituimur, & ſumus ex carne eius & oſſibus eius, nimirum quod eius caro, qua paſcimur, noſtram in ſe conuertat carnem. *Corpore & ſanguine Chriſti efficimur eius mẽbra.* Sed neq; tua ſimilitudo quadrat in hunc locum. Nam hic Eua typum gerit, non Chriſti, ſed eccleſiæ, & Adam, non eccleſiæ typum, ſed Chriſti refert. Quare ſicut Eua ex Adæ latere formata fuit, ita prodiit & eccleſiæ vita ex ipſius Chriſti latere. Tu tamen ais, ita Chriſtum id genus oſſium & carnis à nobis accepiſſe, quum dixiſſe potius debueras, nos ex carne & oſſib. Chriſti eſſe, ſicut & Eua ex Adam fuit; Gene. 2. Nam ita probe quadrat ſimilitudo. Nos enim Eua ſumus, & ille noſter Adam eſt. Per noſtræ vero carnis aſſumptionem, ille noſtræ potius naturæ membrum factus eſt, quum ediuerſo nos per eſum carnis eius efficimur, vt Paulus ait, membra corporis eius, ex carne eius & ex oſſibus eius. Ephes. 5.

OEcol. *Mox autem dum adiicit: & per creaturam nutrimur; alio argumento premit negantes reſurrectionem. Tam mirabile enim eſt, carnem à pane nutriri, ſi rationes velis excutere, atque ſi dicas, carnem reſurgere. Quin & hoc eſt non minus mirabile, quomodo triticum è terra naſcatur, & profecto non naſceretur, niſi Deus pluuia & ſole educaret. Hinc dicit, ex illis Deum maxima nobis ſacramenta delegiſſe, è quibus diſceremus quanta ſpes habenda, & vltra commendaſſe, illa vocando corpus & ſanguinem.*

Roff. Iam tua ſomnia narras, quibus & lectorem fallere ſtudes, ne ſatis aduertat quid in rem noſtram dixerit Irenæus. Affirmat enim Chriſtum fuiſſe teſtatum in ipſo calice ſanguinem ſuum eſſe, pariter & panem qui creatura eſt, confirmaſſe corpus ſuum. Iohan. 12. Porro quod dicit ex his augeri corpora noſtra, iſtuc opinor ſpectat, vt ſicut tritici granũ poſt mortificationem eius auctius & multiplicius ex terra ſurgit, ita & corpora noſtra, poſteaquam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta ſint, virtute tamen carnis ipſius viuificatricis, qua paſti ſumus, & vnum effecti cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem reſurgemus gloriam.

OEcol. *Iam quum illa ſymbola in ſacramenta delegit, quibus potiſſimum vegetamur, & ſanctificarit ſuper ea nomen ſuum inuocari, & per ea gratias agi volens, quomodo non polliceremur nobis reſurrectionem?*

Roff. Symbola illa tu nihil aliud quam merum panem & vinum arbitraris, neque vllam in ſe ſanctitatem, quæ realis eſt, affirmas ea recepiſſe, qua ſaltem virtutẽ aliquam noſtris corporibus efficaciter adminiſtrent. Inuocationem etiam diuini nominis ſuper eis factam, nihil diuinitatis in pane aut vino reliquiſſe, paulo ſuperius teſtatus es. Quanam ergo ratione colligis ex his, nos poſſe nobis reſurrectionem polliceri? Pollicetur autẽ iſtud Irenæus. At non ob panem & vinum, ſed propter carnem & ſanguinem Chriſti, quæ per Chriſti verba, & per diuini nominis inuocationẽ inuiſibiliter fiunt ex pane & vino. Su li. 4. ca. 32. Nam panis, vt ait, qui de terra prouenit, percipiens vocationem Dei, non eſt amplius communis panis, ſed fit Eucharistia corporis & ſanguinis Chriſti. Continet igitur Euchariſtia præter ſpecies panis & vini, cœleſtes quaſdam res, hoc eſt, Chriſti carnem & ſanguinem, per quorum ſumptionem Irenæus nobis reſurrectionem pollicetur.

OEcol. *Eſt & hoc reſurrectionis efficax argumentum, quod*

caro noſtra ſanguine & corpore Chriſti nutritur. His verbis idem arguit, vt ſupra, quod communicamus carni Chriſti, & quia vera caro eſt, & caro filij Dei, efficax eſt, vt & credentes nutriat, viuificet ac reſuſcitet.

ROFF. Vbi (te quæſo) caro illa & ſanguis eſt, quibus noſtra caro nutritur? In cœlo dices. Nam in altari, ſcio, non intelligis. At iſtud nunquid non eſt conceptu difficilius, nempe, quod caro quæ in cœlo eſt, tanto à nobis interuallo diſtans, noſtrã alat carnẽ? An non longe credibilius fuerit, ſi dixeris candẽ carnem in altari præſentẽ eſſe, & ędi à nobis, vt ita per eam nutriamur? Sed illud pro tuo capite fingis. Nuſquam enim in his Irenæi verbis, quæ citaſti, comperio, quod caro noſtra corpore & ſanguine Chriſti nutriatur, niſi quatenus in altari ſunt, neque quod iiſdem cõmunicemus carni & ſanguini, niſi per eſum veri corpus & potationem veri ſanguinis eius in Euchariſtia. Non inficior tamen, quin animus fide communicare queat eis, veruntamen aſſerere difficilimũ eſſe, vt quis certo ſciat ſe talem ac tantam habere fidem citra ſacramentorum vſum. Nam de fide falluntur plerique. Neque longius eius rei petenda ſunt exempla, vos ipſi perſuaſi eſtis vos habere fidem, de quibus ego certiſſimus ſum, quod quamdiu non fueritis eccleſiæ reconciliati, ſemper vera fide carebitis. Cæterum qui ſe fidem habere putat, quanquam viua formataque careat, ſi tamen obſequenti pioque ad hoc ſacramentum acceſſerit animo, paratus omnia facere, quæ ſibi conſuluntur, iam ſuſcepto ſacramento ſecurus eſſe poteſt, ſe & formatam habere fidem, & adeo vere incorporatum Chriſto, vt partem ſuam habiturus ſit indubitanter in futura vita.

Caro noſtra nutritur carne Chriſti in Euchariſtia.

Fides informis fit formata per Euch. ſumptionem.

Iohan. 6.

OECOL. *Alioquin verteretur corpus Chriſti in noſtram carnem, ſi craſſius intelligas.*

ROFF. Nihil oportet, nam eſt medium quiddam inter craſſam illam Iudæorum cogitationem, & alteram illam nimis quam ſubtilem hæreticorum. Putabant enim illi, quod ſi carnem Chriſti quiſquam realiter ediſſet, eam ſuis dentibus laniaſſet, ſicut & carnes alias omnes. Iſti vero ſibi perſuaſerunt, haud aliter edi poſſe Chriſti carnem, præterquam ſola fide. Cæterum orthodoxi mediam inter vtroſque ſententiam aſſerunt, nempe quod in Euchariſtia caro Chriſti vere manducetur, & ſanguis eius vere bibatur, abſque tamen vlla omnino laniatione & citra quamuis iniuriam ipſius carnis Chriſti.

Iohan. 6.

In Euchar. manducatur vere corpus Chriſti.

OECOL. *Et quæ reſurrectio eorum qui baptizati ſunt duntaxat.*

ROFF. Profecto ſi non eorum culpa ſteterit, quo minus in Euchariſtia carne Chriſti paſcerentur, benigniſſimus Deus fidem eorum, ſi vera ſit, acceptabit, perinde ac ſi vere manducaſſent ipſum corpus in Euchariſtia. Nam & illos aſſerimus inſertos eſſe corpori Chriſti myſtico. Sed neque ſacramentis ſuis alligatus eſt Deus. At nos de bis loquimur, qui vel recuſant vel negligunt, etiam oportunitate data, cibum bunc ſaluberrimum accipere, neque animos inducunt, vt credant in hoc ſacramento corpus & ſanguinem Chriſti vere contineri.

Abſque corporali Euchar. manducatione poſſunt homines ſaluari.

OECOL. *Cæterum mentem Irenæi ex apoſtoli verbis, quæ citat, accipimus, quomodo membra ſumus corporis eius, quis enim hoc loco in alienum ſenſum Pauli dictum detortũ, de tantis viris dicere non erubeſceret?*

ROFF. Longe profecto rectius Irenæus Pauli ſenſum accipit, quam tua peruerſitas. Nam aliud eſt nos ex carne & oſſibus eſſe Chriſti, quod & Paulus docet, & Irenæus quoq; citat, & aliud Chriſtum ex noſtra carne & oſſibus eſſe, quod tu moliris. Neque negamus Chriſtum ex noſtra carne eſſe, nam & Paulus boc ipſum teſtatur dicens: Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem. Cæterum ex eo, quod ipſe ex noſtra carne ſit, non ſatis reſurrectio carnis noſtræ colligitur: Nam & multi nihilominus, qui noſtram carnem participant, minime reſurrecturi ſunt ad veram immortalitatis gloriam: ſed inde magis illud ſubinfertur, quod nos videlicet ex carne ſimus & oſſib. ipſius Chriſti, ſicut & Eua formata fuerat ex latere Adæ. Nam iſtud Paulus eodem loco transfert ad Chriſtum & ad eccleſiam eius, nimirum vt intelligamus eccleſiam ex latere Chriſti prodüſſe, ſicut olim Eua progenita fuit ex veteris Adæ latere. Ad quem modum & illius membra ſumus, & ipſe nos enutrit & fouet, ſicut Paulus ibidem affirmat. Et ſicut Irenæus ait, Chriſtus ſolem & pluuiam donat, quibus terra triticum ferat & vuas, vnde panis & vinum, atque ex bis poſtea corpus & ſanguis Chriſti fiant, ad membrorum ſuorum inſtaurationem. Et propterea manifeſte dicit Irenæus, Chriſtum teſtatum eſſe, calicem, qui creatura eſt, ſanguinem ſuum continere, & panẽ qui creatura eſt, confirmaſſe corpus ſuum.

Ephe. 5.

Rom. 9.

Gene. 2.

Ephe. 5.

Calix ſanguinem cõtinet.

OECOL. *Denique & poſtrema verba idem volunt, Chriſti carnem, veram carnem, & qualis noſtra quæ cibo potuque nutritur & augetur, quibus duobus ſanguinem & corpus ſignificari volunt.*

ROFF. Iccirco properas ad extrema verba tuis fucis oblinenda, vt prætereas ea quæ nullum fucũ admiſſura probe noſti. Iſtud ſubtices: Quando ergo & mixtus calix & fractus panis, percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti. Et iſtud quoque: Quomodo negant carnem eſſe capacem donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ & ſanguine & corpore Chriſti nutritur & membrum eius fit. Cæterum in poſtremis verbis nihil eiuſmodi loquitur Irenæus, quod tu & falſo quidem aſcribis ei. Neque enim ille ſignificari, aut dixit, aut voluit, duobus iſtis, nempe cibo & potu, corpus & ſanguinem Chriſti. Sed vbique teſtatur Chriſti carnem vere cibum eſſe, & ſanguinem vere potum, non ſigna tantum, & figuras, vt hæreſis tua prædicat.

OECOL. *Quod ſi contentioſus eſſe quis volet, enumerabimus multa millia ſine Euchariſtiæ ſymbolis, vel ignoratis, vel nondum inſtitutis, nutrita fuiſſe, & fide perpetuam quoque vitam aſſequuta. Quid enim dices de abſtemiis & aliis laborantibus? quid de latrone & aliis inter ſaxum & ſacrum vt (vocant) fidem recipientibus.*

ROFF. Superius tibi reſpondimus ad hæc, eos qui veram & viuam fidem habuerint, quibuſque vel

Supra eodem.

morte

morte præuentis, vel per alia quæuis impedimẽta iuſta præpeditis, nulla fuerat occaſio data, cibi tam ſalutaris accipiendi, neqne per eorum ant incredulitatem aut incuriam ſtetit, quo minns hoc cibo veſcerentur, Deus, qui non eſt obſtrictus ſacramentis ſuis, potuit eos ſola fide ſaluare, quemadmodum & alias cum credimus ſæpenumero feciſſe. Veruntamen, ſi vel per incredulitatem reſpuiſſent, aut per contemptum aliquem, vbi data fuiſſet oportunitas, prætermiſiſſent, iſtos ego periiſſe non dubito: Neq; enim fides eorum, qui vel credere nollent, vel vbi crediderint, non vehementer affectaſſent hanc tam eximiam eſcam ſibi dari, ſuffeciſſet eis.

Contemnentes Eucha. damnantur.

OEcol. *Expediret itaque non temere priſcos vel inculpare vel ad quæuis dogmata ſtabilienda cogere doctores.*

Roff. At multo magis expediret, nullis colorib. germanum & verum ſenſnm eorum obtegere, neq; per vim eos, & quaſi per capillos (vt aiunt) detorquere, neq; ſycophantice quicquam, qnod maxime ſenſum eorum illuſtret, eximere, nec denique verbis eorum quicquam admiſcere quod ſenſum reddat adulterinnm. Hæc tu non ſemel Oecolampadi facere molitus es, qnemadmodum ex ſuperioribus palam oſtendimus.

Veterum dogmata non ſunt corrumpenda.

OEcol. *Veniam oro mihi dari, quod in his explanandis occupor, aduerſarij enim hiſce teſtimoniis obiectis os obturare non raro conantur.*

Roff. Si qnod dicis explanare ſtuduiſſes, & veritatẽ ipſam elucidare, profecto non venia ſola, ſed & gratiis atque laudibus plnribus ſuiſſes dignns, verum tu caligine potius & tenebris offundis, & ſic intricas ac inuoluis, vt quod per ſe dilucidum erat, tuis gloſſematibus ita inuertitur, vt vel obſcurius euadat, vel ſenſum prorſus alienum induiſſe videatur.

Tertullianum fucare molitur, ſed fruſtra, quũ eius teſtimonium dilucidum ſit.

Capvt XXVI.

OEcol. *Diſcamus autem & ex Tertulliano, qui vicinus illi fuit, quo loquẽdi more, qui tunc viuebãt, vtebantur. Etenim & ex illius de reſurrectione libro locus obiectus eſt. Gratia autem Deo, quod nobis arma miniſtrant aduerſarij, vt ſuis pereant gladiis.*

Roff. Iam (vt apud Platonem eſt) ignaui galli more, priuſquam viceris, canis. Tn profecto qui tot authores in medium producis, quibus hæreſis tua damnatur apertiſſime, qnid aliud quam arma nobis miniſtras, quibus tu iuguleris, atque ita tuis gladiis confodiare. De ſimili vero loquendi more ſuperius exemplum produximus. Nam vbi Tertullianus dicit: Panem corpus ſuum fecit; Irenæus habet, panem corpus ſuum confirmat.

Adagium Platonis de ignauo gallo.

OEcol. *Dicit Tertullianus: Sed & caro abluitur vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima à Deo ſaginetur.*

Roff. Quandoquidem ipſe nolis, ego non grauabor integrum Tertullianum citare. Ita equidem ſcribit in libro de reſurrectione carnis: Videamus nunc de propria Chriſtiani hominis forma, quãta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ apud Deũ prærogatiua ſit, & ſi ſufficeret illi, qnod nulla omnino anima ſalutem poſſit adipiſci, niſi dum eſt in carne crediderit, adeo caro ſalutis eſt cardo. De qua cum anima Deo alligitur, ipſa eſt quæ efficit, vt anima alligi poſſit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Nõ poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit. Ecce quantis prærogatiuis noſtram carnem, ſubſtantiam ſane friuolam & ſordidam, Tertullianus aſſerat Deum extuliſſe. Inter quas merito ſupremum locum tenet ea quæ poſtrema eſt, nimirum, vbi dicit carnem noſtram corpore & ſanguine Domini veſci: Neque hic dicit, noſtram carnem veſci pane & vino, quæ ſigna vocet & figuras corporis & ſanguinis Domini, ſed ipſo corpore & ſanguine Domini, tam aperte, vt nullus his verbis cauillandi locus detur. Et hæc certe magna carnis humanæ prærogatiua eſt, quod cibo tam eximio, potuq; tam incomparabili ſoueatur. Quis iam dubitare poteſt, qnin vbi tantã & tam precioſam eſcam ederit, vere ſit factus membrum Chriſti per eſnm carnis & potum ſanguinis ipſius? O peſtiferos & execrandos hæreticos, qui tantum & tam ſalutare nobis edulium auferre conanimi. Sed audiamus, quam inepte ſuos hic quoq; fucos miſcere moliatur.

Tertullianum.

Caro noſtra veſcitur corpore & ſanguine Domini.

Carnis humana prærogatiua.

OEcol. *Age ſi hæc ideo aſſerit Tertullianus, quod in pane contineatur corpus realiter, vel corpus carnaliter manducetur, tale quiddam & de aqua baptiſmi, de oleo, deque manibus ſacerdotum aſſerere cogitur.*

Roff. Inaniter contendis Oecolampadi, ne recedas (precor) à Tertulliani verbis. Quid opus eſt ſi veritatem quæras, aliena miſcere verba? Caro (inquit Tertullianus) corpore & ſanguine Domini veſcitur. Quid tu de pane mentionem facis, cuius nihil omnino Tertulliauns meminit. Sed neque conſecutio per te facta momenti cuiuſpiam eſt. Non enim oporter, licet carnem veſci dicat corpore & ſanguine Domini in Euchariſtia, quod ideo ſimile quiddam & de aqua baptiſmi, de oleò, deque manibus ſacerdotum aſſerere cogatur. Et ſi quicquam horum inde ſequeretur, nihil ad nos id attiner, qui tantum inueſtigamus, quid ipſe ſenſerit. De aqua dicit, quod quum abluitur per eam caro, protinus emaculatur anima. Et iſtud ſane veriſſimum eſt. De ſacro ſubinde tradit oleo, quod dum eo caro inungitur, anima conſecratur. Et iſtud nemo veterum nõ fatetnr. De ſignatione crucis ait: Caro ſignatur, vt anima muniatur. Et iſtud æque probatum eſt omnibus. De manuum item impoſitione, qua crebrius vſi ſunt apoſtoli, ſicut in Actis paſſim legimus, ita ſcribit: Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Et certe Chriſtianus dici

Aliena miſcet Tertulliano verbis.

Tertull. de effectu ſacramentorum.

Act. 19. & ali.

non poteſt, qui quicquam horum neget. Iam cõtinuo de corpore ſubdit & ſanguine Domini: Caro corpore & ſanguine Domini veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Si priorum vnumquodque Tertullianus aſſeruerit, ceu verum & orthodoxum, & nemo qui orthodoxus eſt, quicquã in eis calumniari queat, cur non æquum erit etiam de poſtremo ſimiliter exiſtimare, ſic ſenſiſſe Tertullianum, quemadmodum ipſa verba ſonant, alioqui nec is nec alius quiuis authorum, quantumuis aperte ſcripſerit, calumnia cariturus eſt.

OEcol. *Addo etiam de melle & lacte & de omnibus quæ humanitus inuenta ſunt ſacramenta.*

Roff. Hoc tu verbis illius addis Oecolampadi. Sed nihil hoc loco Tertullianus ipſe de lacte mellevé loquitur, dilucida ſunt hic ipſius verba, & citra velamen aperte pronunciata. Quod ſi locos alios quibus eandem Tertulliani ſententiam firmemus, quis deſideret, videat quid aduerſus Marcionem ſcripſerit, de quo ſuperius diſſeruimus. Etiam quid vxorem ſuam cõmonuerit, vbi diſſuadet ei ſecundas nuptias, libro ſecundo. Sic enim ait: Non ſciet maritus quid ſecreto ante õnem cibum guſtes, & ſi ſciuerit panem, non illum eſſe credit qui dicitur, hoc eſt, vt Tertullianus plane ſentit, corpus Domini. Sic & aliis pleriſque locis appellat hoc myſterium.

Tertullianus verbis addit Oecol.

Sup. li. 2. c. 22.

OEcol. *Nam & de melle ac lacte contra Marcionem dicit, quod Deus non reprobarit illorum ſocietatem qua ſuos infantet, oportebat vel ex huiuſmodi loco diuinare, imo clare videre quid diceretur Quid eſt infantare, vt ille loquitur? nimirum oſtendere nuper genitos in Spiritu videlicet, neque enim mel vel lac infantat, hoc eſt, infantem reddit.*

Roff. Vtitur hauddubie Tertullianus durioribus frequenter & obſoletis verbis, quo fit vt & eius oratio plerunq; reddatur obſcurior, verum hoc loco nihil eſt obſcuritatis. Nulla prorſus hic opus eſt explanatione. Si fuiſſet hic obſcure locutus, facile permitterem vt ex alio produceres loco quicquam, quod ad iſtius illuſtrationem conduceret. Nunc autem difficiliora quædam & minus intelligibilia depromis, nec alio ſane conſilio niſi vt quod hic perſpicuum eſt, obtenebres, & quaſi nebulis quibuſdam obfuſces, quo lectoris animus dubius & ambiguus efficiatur.

OEcol. *Neque aqua abluit animam, neque panis, licet vocabulum corporis Chriſti ſortiatur, animam paſcit.*

Roff. Tu libenter immutas authoris ipſius verba, quod ſi liceret, ego facile quemcunque dederis authorem quaſi alium à ſeipſo reddam eueſtigio. Ne dixit Tertullianus, aqua abluit animam, vt tu recenſes. Nam hic vos (qui ſacramenta negatis gratiam conferre) nouæ diſputationis anſam arriperetis. Sed dixit: Caro abluitur, vt anima emaculetur. Et quid hic, precor, alienum eſt à veritate? An non ſcribit Paulus ad Ephe. 5. Chriſtus dilexit eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Nunquid his verbis non plane teſtatur, nos aquæ lauacro mundatos? At à quibus opinaris ipſe ſordibus? Non corporis equidem, ſed animæ. Dic mihi, Quum infans aqua baptiſmatis abluatur, num putas animam eius ab originalis peccati labe purgari? Sed neque dixit Tertullianus: Panis qui vocabulum corporis Chriſti ſortitur, animam paſcit; vt tua vafricies illi impingit. Sed quid? Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Hic nulla panis mentio fit, ſed tantum corporis & ſanguinis Domini, quibus & veſci noſtram carnem dicit, vt anima de Deo ſaginetur.

Verba Tertulliani immutat Oecol.

Paulus.

Baptiſmum nõ purgat ab originali.

OEcol. *Sed manifeſtum eſt, quod hæc diuina dona propter fidem hominis concedantur.*

Roff. Non inficior, ſine his fidem haberi poſſe veram & viuam, qualem ſi quis aſſecutus fuerit, iam citra baptiſmum & Euchariſtiam inſertus eſt corpori Chriſti myſtico. Verum idem ſi tali fide potitus ſit, magnopere deſiderabit hæc ſacramẽta, nimirum vt ita particeps euadat ipſius corporis veri. Quod ſi vere credat, nequaquam per eum ſtabit, quo minus & iſtis (quamprimum fieri poteſt) ſanctificetur. Interim tamen ſi morte præuentus fuerit, benigniſſimus Deus hunc animum cum fide, pro facto reputaturus creditur. Quemadmodum & Ambroſius de Valentiniano Cæſare tradit, qui catechumenus ab illo factus, morte præueniebatur, quo minus hæc ſacramenta perciperet. Quem, inquit, in Chriſto renaturus eram, amiſi, ipſe vero gratiam, quam popoſcit, non amiſit. Cæterum ſi quis non credat his ſacramentis, aut non vehementer affectet, aut denique fidem tantum informem habuerit, eiuſmodi ſi deceſſerit abſq; ſacramentis iſtis, hauddubie periturus eſt.

Credenti ſacramenta ex voto ſufficiũt, vbi opportunitas habendi ſit.

Valentinianus Cæſar catechumenus ſaluatur.

OEcol. *Ablue quamdiu voles incredulum, non abibit anima mundior. Inunge eum omni campanarum oleo, & hierichuntinorum balſamo, non facies fortiorem, manſuetiorem, vel chariſmatibus ſancti Spiritus magis conſpicuum, communicet quotidie, & ſolum iudicium reportabit.*

Roff. Incredulus eſt, qui prorſus omni fide caret, & tali nihil hæc ſacramenta proderunt. Nam accedentem ad Deum oportet credere. Veruntamen ſi quis credat, licet informiter, hoc eſt, fidem quandam habeat, quam vocant informem, qualis nõ deeſt bonæ hominum parti, talis hauddubie non eſt adhuc mundus, quum eiuſmodi fides non purget quenquam. Nihilominus & idem accepto ſacramento, ſi nullum ex parte ſua poſuerit obicem, protinus à labe quauis expiabitur, pariter & fides eius, quæ pridem informis erat, iam viua formataque reddetur. Quare ſi de ſimpliciter incredulo ſentias, vera narras, ſin de eo qui credit quidem, ſed adhuc viua caret fide, falſum dicis, & nemini recipiendum.

Heb. 11.

Habenti fidẽ informem proſunt ſacramenta.

Tantum

Tantum ſymbola quædam eſſe myſteria iſta contendit ex Chryſoſtomo, quem corruptiſſimè citat.

CAPVT XXVII.

OECOL.

HOc ſane fatendum eſt, dum caro ſic miniſtrat animæ ſymbola ſanctiſſimarum rerũ ſuſpiciendo, multum nobis vtilitatis accreſcere, dum vel conteſtamur mirifica illa quæ intus per gratiam fiunt, vel confortamur Spiritu, piè precando, auocati interim à prophanorum cogitationibus, & in hoc vnum intenti, vt cœleſtibus illuſtremur gratiarum ſplendoribus.

ROFF. — *Euch. OEcolampadij nihil confert.* — *Iohan. 3.* — *1. Iohan. 4.* — *Apoc. 1.*

At hæc nihilo magis præſtat panis ille tuus & vinum, quam ſi quis imaginem crucifixi cõtempletur, atque meditetur ex illa pictura charitatem illam eximiã, qua vel pater ille filium ſuum vnigenitum vnice dilectum, pro nobis miſeris ad crucis mortem dedit, vel qua filius ipſe corpore ſuo tenerrimo, pro noſtris ſceleribus expiãdis, tam horrendum pertulit ſupplicium. Et certe mihi multo magis conferret cõtuitus eiuſmodi picturæ, quam viſibilium ſpecierum panis & vini, ſi nihil aliud ſubeſſe crederem. Sed quum indicibilem illam Chriſti benignitatem conſidero, qua ſe præſentem exhibere dignatur ſub illo ſacramento, quî poſſem adeo durus eſſe, vt non protinus amore inaleſcat animus, & ardenter affectem, hoc tam incomparabili cibo refici.

OECOL.

Imo & neceſſaria ſunt externa illa quodammodo. Si enim incorporei eſſemus, vt Chryſoſtomus ſuper Matthæum dicit, nuda dona incorporea nobis tradita eſſent, quoniam vero corpori coniuncta eſt anima, in ſenſibilibus traduntur intelligenda. Scite dicta ſunt hæc, & pulchre miniſterium nobis declarant ſacramentorum.

ROFF. — *Adagium.* — *Rom. 1.*

Quid hic optem aliud OEcolampadi, quam quod prouerbij vice celebratur? Dij tibi mentem dent tuam. Profecto, niſi datus eſſes in reprobam mentem, non hunc Chryſoſtomi locum pro te recenſeres. Nam apertiſſime tibi diſſentit, ſi totum citaueris, & quod antecedit, & quod proxime ſequitur. Præcedunt enim hæc verba: Credamus itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit, licet ſuperet & ſenſum & rationem noſtram. Quod in omnibus, & præcipue in myſteriis faciamus, non illa, quæ ante nos iacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non poſſumus, ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt, illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius fallitur, quoniam ergo ille dixit, hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſed rebus ſenſibilibus: omnia vero, quæ tradidit, inſenſibilia ſunt: ſic & in baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio ſcilicet ac renouatio, intelligibile quiddam eſt. Hactenus ipſe Chryſoſtomus. Vbi monet, quatenus Dei verbis credamus, quantumuis ea ſenſum & rationem noſtram ſuperent, & præſertim in ſacramentis. In quibus docet non aſpicienda illa, quæ ſenſu percipiuntur, quo falli poſſumus, ſed verbis quæ neminem fallunt, fidem adhibendam eſſe. Inde & colligit, nos quando nouimus dixiſſe Chriſtum: Hoc eſt corpus meum, omni prorſus ambiguitate depoſita, debere credere, verum ibi corpus eſſe, atque idipſum mentis oculis perſpicere. Nihil enim ſenſibile nobis, ait, tradidiſſe Chriſtum, ſed ſub ſenſibilibus intelligibilia. Quam rem declarat exemplo baptiſmatis. Aqua (inquit) qua abluimur, ſenſibilis quædam res eſt, ſed quod per eam præſtatur, intelligibile ſolum eſt, nempe regeneratio. Nunc & continuo quidem ſequuntur ea verba, quæ citauit OEcolampadius: Nam ſi incorporeus eſſes, nudè ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi, hoc eſt, regenerationem & renouationem citra aquam, quemadmodum & angeli ſine omni ſenſibili ſymbolo gratiam percipiunt, & præter naturæ ſuæ creationem, recreationem & regenerationem ſpiritualem accipiunt. Cæterum quoniam ipſi corporei ſumus, ideo ſub corporeis ſymbolis iſta nobis traduntur, quæ mentis oculis capienda ſunt. Propter quod & poſt illa verba continenter ſubdit Chryſoſtomus: O quot modo dicunt! vellem formam & ſpeciem eius, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. veſtimenta eius deſideras videre? Ipſe vero ſeipſum tibi tradit, non vt videas ſolum, verum etiam vt tangas, & in te habeas. Vides lector tam ex illis, quæ præmiſit Chryſoſtomus, quam ex iſtis quæ ſequuntur, ea verba per OEcolampadium citata, quam longe diſſideant à mente & ſenſu Chryſoſtomi, & quantum etiam dedita opera fallere ſtudeat OEcolampadius lectorem, quandoquidem Chryſoſtomus plane ſenſit, non aſpiciendam ſpeciem panis viſibilem, quæ corporeis cernitur oculis, ſed ſpectandam potius oculis mentis, carnem Chriſti ſub illa ſpecie panis intelligibilem, credendo magis verbo Chriſti, qui dixit: Hoc eſt corpus meum, quam proprio ſenſui, qui nihil ibi conſpicit præter panem & vinum.

Chryſoſt. verba integra pro veritate corporis Chriſti. — *Matth. 26.* — *Marc. 14.* — *Luc. 22.* — *Chryſoſtomus.* — *Species Euch. non tantum ſpectãda ſunt.*

OECOL.

Ac propterea tantam & quaſi inſititiam vim rebus inanimatis tribuere non decet, ſicut Porphyrius & magi tradunt. Impium eſt per ea à fide auocari, per quæ ad fidem adhortari oportebat maxime.

ROFF. — *Ad fidem hortamur per Euchariſt.* — *Chryſoſtomus.*

Abſit vt quis exiſtimet per hoc à vera fide nos auocari, quod ſub ſpecie panis & vini, carnem & ſanguinem Chriſti contineri credamus. Nam per hoc potiſſimum ad fidem adhortamur. Quod & Chryſoſtomus paulo ſuperius in eadem Homilia ſuper Matthæum, quæ eſt 83. ex capite vigeſimoſexto plane teſtatur, inquiens: Sed ſicut in veteri, eodem hic modo in beneficio reliquit, memoriam myſteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, vnde patet immolatum Chriſtum fuiſſe, & alia multa myſteria. Hæc enim afferentes ora ipſorum conſuimus. Si enim mortuus Ieſus non eſt,

nihil de tslibus affcctionibus ante loquutus eſt, ſed de procuratione fructuum terræ, hoe eſt, granorum tritici & vuarum, vnde panis & vinum fiunt, ex quibus & hoc ſacramentum per inuiſibilem operationem diuini Spiritus conſecratur. Nam ſi non ſenſiſſet ille de toto iſto opere motuum corporalium, pro habendo hoc ſacramento, quo Chriſtus annunciatur, cur alioqui ſepataſſet aliam duplicem annuncistionem, quæ per verbum prolatum & ſcriptum fit, ab ea qnæ fit per hoc ſacramentum, affirmsns neutrnm illorum eſſe corpus Chriſti, qnod tsmen aſſerit de ſacramento? Cur etiam de terræ fructibus feciſſet mentionem, & quod ex eis acceptum eſſet, id qnod mox prece myſtica conſecratum à fidelibus rite ſumitur ad ſalutem ſpiritualem, in memorism Dominicæ paſſionis? Et cur denique ſubdidiſſet, quod quum per manus hominũ ad illam viſibilem ſpeciem perductum ſit, uon ſanctificatur tamen, vt ſit tam magnum ſacramentum, oiſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei.

OEcol. *Dixerat nihil curam, prouidentiam & imperium Dei ſubterfugere, vnde noluit & hoc declarare, quomodo ſancta illa affectiones, ſacramentorum miniſteriis naſcantur? Proinde verba illa non ſunt ſomniculoſo prætereunda.*

Roff. *Auguſtinus.* Vt apertius intelligat lector, quid dixerit Auguſtinus, altius ab ipſo ferme capitis initio, recenſendum eſt. Sic enim ait: Tanquam in excelſa & ſancta & ſecreta ſede præſidens Deus, velut in domo ſua, & in templo ſuo. Inde ſe quibuſdsm ordinatiſſimis creaturæ motibus, primo ſpiritualibus, deinde corporalibus, per cuncta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, ſiue incorporeis, ſiue corporeis rebus, ſiue rationabilibus, ſiue irrationabilibus ſpiritibus, ſiue bonis per eius gratiam, ſiue malis per propriam voluntatem. Sed quemadmodum corpora craſſiora & inferiora, per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vitæ rationalis, deſertor atque peccator, per ſpiritum vitæ rationalem pium & iuſtum, & ille per ipſum Deum, ac ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, ex quo, & per quem, & in quo etism condita & inſtituta eſt, ac per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum atque motionum. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili atque intelligibili aula ſummi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica. Hactenus Auguſtinus. Ex quibus verbis intelligis lector, illum hoc moliri, vt diſcamus imperio Dei cuncta geri, quæ viſibiliter & ſenſibiliter in hoc mundo fiunt. *Omnia diuina prouidentia ſubiecta.* Atque iſtud maxime colligit, propter apparitiones & repræſentationes corporales, quæ in perſona Dei fiebant, de quibus in illo tertio libro copioſe diſſeruit. Iam poſt illa verba continenter Auguſtinus ſubiungit ea quæ de prædicatione Pauli citauit Oecolampadius. Quibus Auguſtinus haud dubie velut ſimilitudine quadam confirmat id quod prius docuerat: quaſi dixerit, ſi potuit Paulus Dei filium repræſentare ſub ſpecie corporea, quæ tamẽ anteaquam tale, vt ſic dicam, repræſentamentum fieret, multas præexigebat corporales actiones, quarum omnium præcipuus author Deus fuerat, quid prohibet in cæteris apparitionib. ſimili modo, Deum omnium actionum corporalium authorem præcipuum exiſtimari? Huc ergo ſpectant quæ ſequuntur in Auguſtino, nempe, quũ hæc omnia quæ per motus corporales in illo opere fiunt, Deus operetur, mouens primitus inuiſibilia miniſtrorum ſiue animas hominum, ſiue occultorum ſpirituum ſibi ſubditas ſeruientes: quid mirum ſi etism in creatura cœli & terræ, maris & ae: is faciat Deus quæ vult, ſenſibilia atque viſibilia, ad ſeipſum in eis, ſicut oportere ipſe nouit, ſignificandum & demonſtrandum: non ipſa ſua (quæ eſt) apparente ſubſtantia, quę omnino incommutabilis eſt, omnibuſq; ſpiritibus quos creauit, interius ſecretiuſq; ſublimior. Nihil ergo tale cogitauit hic Auguſtinus cuiuſmodi ſomniat Oecolampadius eum ſcripſiſſe.

Dicit enim quod quantum ad miniſtrorum operationem & materias ante oculos poſitas, non foret tantum ſacramentum, imo non mouerit magis quam mortua litera, id quod ſæpe experimur, ſed Spiritus Dei inuiſibilia miniſtrorum, hoc eſt, corda hominum monet, vt memoria mortis Chriſti, ad diuina contemplanda rapiantur. OEcol.

Belle ſcilicet diuinaris, imo meras impoſturas & mendacia comminiſceris, quum nihil tale moliatur Auguſtinus. Roff. Nihil hæc ad Auguſtini inſtitutum attinent. Nam obiter hic de ſacramento loquutus eſt. Et ea quæ de Pauli prædicatione iam attulit, exempli gratia produxit, nimirum vt oſtenderet, vti iam diximus, Deum authorem eſſe corporalium omnium actionum, quæ fiunt in hoc mundo, & maxime quoties apparitio quæpiam corporalis fit nomine Dei, ſicut & quum hoc ſacrsmento, Chriſti corpus annunciatur prędicante Paulo, motuum omnium corporalium qui præceſſerant huius ſacramenti conſecrationem, Deus primus & præcipuus author fuerat. *Deus author eſt omnium actionum.* Excitauit enim eos & qui tellurem ſulcarent, & qui triticum ſererent, quique poſtea meterent, & excuterent grana, neque tamen adhuc panis fit. Sed in mola prius ipſa grana redigenda ſunt in farinam, ex qua forma poſtea fit paſta, quæ tandem in furno cocta panis euadit. Similia multa fiunt priuſquam & vinum purum habeatur. Cæterum, harum omnium actionum Deus author eſt. Neque tamen adhuc hoc ipſum quod ſic ex terræ fructibus acceptum eſt, & manibus hominum in panem atque vinum redactum, conſecratum eſt, vt fiat tantum ſa-

Sacramentū fit inuiſibili gratia Spiritus ſancti.

tum ſacramentum & corpus Domini, niſi per inuiſibilem operationem diuini Spiritus. Nam facit iſte Spiritus, id quod omnes orthodoxi fatentur, tranſmutat panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti, atque ita per hoc ſacramentum fit corporis & ſanguinis Chriſti præſentatio. Nam ipſum eſt quod diſquirit Auguſtinus in hoc tertio libro, quemadmodum in primo ipſius capite pollicetur. Vtrum videlicet ad hoc opus tantummodo creatura formata ſit, in qua Deus ſicut tunc oportuiſſe iudicauit, humanis oſtenderetur aſpectibus. Quare nihil huc attinet, vt iam ſatis apertum eſt lectori, de ſanctis affectionibus, quæ per ſacramenti conſpectum in piorum mentibus excitantur, diſſerere. Neque

Mendacium Oecol. de Auguſtino.

vſquam hic Auguſtinus dixit, quod Oecolampadius aſcribit illi, nempe, quod quantum ad miniſtrorum operationem, & materias ante oculos poſitas, non foret tantum ſacramentum, imo non moueret magis quam mortua litera. Vbi (te precor) hoc dixerat Auguſtinus: Merito ſane puderet te, tam aperte mentiri de tanto patre; ſed nunc in profundum malorum præcipitatus, omnem pudorem penitus exuiſti. An non

Verba Aug.

palam eſt ita ſcripſiſſe Auguſtinum? Nec linguam Pauli, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguæ æditos, nec ſigna literarum conſcripta corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum, quod quum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur tamen vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei. Ecce id quod corpus & ſanguinē Chriſti dicimus ex terræ fructibus acceptum, & prece myſtica conſecratum, licet per manus hominum ad illam ſpeciem viſibilem, nempe panis & vini, peruenerit, non ſanctificatur tamen vt fiat tam eximium ſacra-

Euch. cōſecratur inuiſibili gratia.

mentum, niſi per inuiſibilem Spiritus Dei operationem. Spiritus ergo Dei per inuiſibilē operationem ſuam, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conſecrat, ſanctificat, & efficit ex pane & vino quæ per operam & induſtriam hominum ex terræ fructibus in eas viſibiles ſpecies conuerſa pridem fuerant. In hoc ergo ſacramento Chriſtus Dei filius oſtenditur, & annunciatur, & ea omnia quæ per corporales motus fiebant, in toto illo opere, priuſquam Spiritus inuiſibiliter conſecrauerit, Deus operabatur moneus primitus inuiſibilia miniſtrorum, ſine animis hominum, non quidem ſacerdotum, vt tor-

Oecol. non ſane intelligit Auguſtinum.

quet Oecolampadius, ſed agricolarum ad ſulcandum, ſerendum, metendum, triturandum, molendum, pinſendum, coquendum, & cætera quoque facienda quę ad panis & vini confectionem exiguntur. Neque ſolum agricolas & vinitores, atque piſtores ad hæc agenda concitauit, verumetiam & inuiſibiles ſpiritus, quorum miniſterio plerumque cœlum nubibus obducitur & tellus imbribus irrigatur.

OEcol. *Vides vnde dulcedines ac raptus & oſcula ſuauiſſima, & miracula vera, quæ hic admirari oportet, atq; in hunc modum ſe gratia Chriſti communicat.*

Roff. Non inficiamur ex operatione Spiritus in piorum cordibus excitari dulcedines, raptus & oſcula. Sed nihil hæc ad hunc locum Auguſtini pertinet. Hic enim docet Spiritum Dei panem & vinum conſecrare, vt ex eis per eius inuiſibilem operationem corpus & ſanguis Domini fiant.

OEcol. *Tranſubſtantiationes autem & conſubſtantiationes, & qualeſcunque verſiones nequaquam nouit, neque admittit ſcriptura, neque dicit in animam hominu craſſo modo ingredi.*

Roff. Nec ſcriptura quouis in loco, verbi conſubſtantialitatis meminit, ſicut & acerrime patribus orthodoxis Arriani conſueuerunt obiicere, verum illi nihilominus eodem vſi ſunt verbo, nimirum quod neceſſario conſequatur hoc ipſum ex ſcripturis. Ita & tranſubſtantiationis verbum, tametſi vos offendat, qui fide caretis, nobis neceſſario videtur ea ſcripturis conſequi, & maxime ex verbo Chriſti, qui quum accepiſſet in manus panem, benedixiſſetque ac fregiſſet, & demum porrexiſſet Apoſtolis, dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Certiſſimum itaque nobis eſt ea ipſius verbis, ibi corpus eius fuiſſe. At quum fieri non poteſt vt hic panis ſit hoc corpus, quod & tu fateris, ſed neque ſpecies panis, quæ ſolum ſacramentum eſt; conſectaneum eſt penitus, vt panis in corpus mutetur. id quod Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Cyprianus, ac cæteri cuncti patres apertiſſime teſtantur.

Tranſubſtantiationis verbum ex ſcriptura. — *Matth. 26.* — *Panis mutatur in corpus.*

Pollicetur alia quædam abſurda ſe docturum, ſi dixerimus carnem in Euchariſtia paſci.

Capvt XX.

OEcol. H*AEc opinor ſatis declarata.*

Roff. An declarata ſint necne, lectori id expectandum refero, mihi certe viſus es, magis id moliri vt caligine quadam inuolueres omnia, ne verus Auguſtini ſenſus veniret in lucem. Alioqui reſpondeas mihi, cur ea verba, quæ mentem Auguſtini potiſſimum illuſtrant, tuamque potenter hæreſim iugulant, tam fraudulenter expunxeris. Cæterum ſi declarata ſatis fuerint, vbi iam eſt illud quod pollicitus eras, te cōprobaturum, nempe, quod caro Chriſti non paſcit animam. Nam hoc erat alterum membrum argumenti tui, quo molitus es oſtendere nihil in Euchariſtia prodeſſe nobis carnem Chriſti, quando neque animam ingreditur, neque paſcit corpus. Veniſti iam ad iſtud alterum membrum. Quare conſentaneum fuit, ſi cuncta ſatis fuerint (vt tu prætexis) declarata, quod illud ante probaſſes. Sed huiuſmodi ſunt omnes pollicitationes tuæ. Sed nō ingreditur (inquis) animā caro. Veriſſimū iſtud eſſe nemo tibi inficiatur. Sic etiā

Vide librum 4. cap. 1.

nec cato Chriſti quæ in cœlis eſt, ingreditur animam, & tamen, ſententia tua, paſcit. Multo igitur veriſimilius eſt, vt caro ipſa coniuncta noſtris animabus eas paſcat. Certum eſt hactenus te neutiquam efficaciter probaſſe, carnem hanc in Euchariſtia comeſtam & præſentem animabus noſtris factam, haudquaquam eas paſcere. Nec eſt quiſquam authorum, quos iam citaſti, qui hoc negat. Sed iam quantum in altero membro profeceris, audiamus.

OEcol. *Docebimus nunc abſurdo abſurdius eſſe carnem Chriſti carnaliter carni noſtræ ſe vnire, quod aſſerere non dubitarunt, veterum dictis moti, quæ parum intellexerunt.*

Roff. Multas nugas doces, & quæ parum ad rem faciunt. Cæterum, quid ſi iſtud euiceris? Num propterea non erit Chriſtus in Euchariſtia? Nos vtique certiſſimum habemus, Chriſti carnem quum in hoc ſacramento pie comeditur, noſtrã carnem adiungere ſibi, noſque reddere ſpirituales, ſi toto pectore nos ei tradiderimus. Et quid mirum ſi caro eius ſpirituales efficiat, quandoquidem & eius mors nobis vita fuit, & infirmitas eius ſanitatem præſtitit, plagæ demum & vulnera integritatem nobis attulerunt. Tu vero ſi verbum hoc carnaliter ſic accipias, quod caro Chriſti quum edatur, in noſtram carnem permutetur, compertiſſimum habeo te nunquam oſtenſurum, quod aut recentiorum aut veterum quiſpiam, qui fuerat alicuius eruditionis & nominis, hoc ipſum aſſeruiſſet.

Caro noſtra adiungitur Chriſto in cõmunione.

OEcol. *Neque enim tam craſſi fuerunt, vt in extremos illos prolaberentur errores, ſed nobis rectius imputandum fuerit, qui tropis & ſermonibus eorum non aſſueuimus, omnia abſque iudicio legentes & deuorantes.*

Roff. Errorem etiam & eundem ſane craſſiſſimum nos affirmare minime dubitamus, ſi quis Chriſti carnem aſſerat ita carnaliter vniri carni noſtræ, vt more cæterarum carnium vertatur & digeratur in corpus noſtrum. Nam iſtud aſſerere quid aliud eſt, quam corpus Chriſti denuo paſſibile corruptibileque cogitare, id quod à piis quibuſque mentibus alienum eſſe debet. Cæterum ipſe dum aliis troporum & ſermonum, quibus veteres vſi ſunt, imperitiam obiicis, vide ne viciſſim illi falſas veterum interpretationes & ſycophanticas verborum expunctiones aliaſque corruptelas in te retorqueant. Sed tibi nimiſquam ſuperbe vindicas tropos & ſermones veterum noſſe, quo vulgaribus ingeniis facilius imponere queas, & iiſdem pro tua libidine, ſed in eorum perniciem, abuti miſerè.

Caro Chriſti non vertitur in corpus noſtrum.

OEcol. *Neque enim vnquam doctorum, præſertim veterum authoritatem ſubmotam velim, quatenus à ſcripturis ſanctis non recedunt, ſicut ſi recedant, defenſandos non receperim. Etenim neque in recentiorum, neque in priſcorum verba, ſed veritates iuratos nos oportet.*

Roff. Hoccine tibi videtur authoritatem veteribus exhibere, quando prudens & ſciens eorum ſcripta longe aliter (quam ipſi ſenſerunt) interpretaris, eorum dogmata perperam inuertis, ſententias denique non niſi truncatas mutilataſque recenſes, quo tuam inſaniſſimam hæreſim comprobare videantur? hæc te ſæpe feciſſe nemo negabit, qui ea priora non oſcitanter legerit. Et qui fieri poteſt, vt illis authoritatem ſeruare ſtudeas, qui ea doces, quæ illis maxime reluctantur, ſed & quæ illi docuerunt, cum tuis erroribus maxime pugnant? Tui profecto dogmatis exiſtimationem vehementer lædes, imo nullam efficies, ſi veritatem (quam ipſi veteres paſſim & concorditer docuerunt) ſemel admiſeris.

Authoritati veterum Oec. multifariam derogat.

OEcol. *Proferam itaque nonnulla veterum teſtimonia, quæ probare videntur carnem noſtram à carne Chriſti in hoc ſacramento ali. Et à vetuſtiſſimo Irenæo incipiam, qui libro contra hæreſes tertio, capite triceſimotertio, ſic ſcribit.*

Roff. Alere certe multa dici poſſunt, quæ minime tamen in carnem vertuntur quam fouent. Aurum enim & margaritæ, gemmæque precioſæ, quum in medicaminibus teruntur, miram aſſeruntur à medicis virtutem & fomentum præbere corpori, nec tamen ipſa vertuntur in ſubſtantiam corporis. Et pari modo, quid prohibet viuificatricem Chriſti carnem illis, à quibus pie ſumitur, potentiſſima quadam & ineffabili ſua virtute præſtare fomentum, & modo quodam alere. Sed Irenæum audiamus.

Caro Chriſti quidem fouet corpus noſtrũ, ſed non vertitur in ipſum.

Irenæum Oecolampadius producit, qui plane contrarium docet eius, quod ille probare molitur.

Capvt XXI.

OEcol. *Quomodo autem conſtabit eum panem in quo gratiæ ſunt actæ, corpus eſſe Domini ſui & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt, verbum eius per quod lignum fructificat; defluunt fontes, & dat quidem primum fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica.*

Roff. Hic miris artibus vtitur Oecolampadius, quũ probare nitatur, abſurdum eſſe, quod caro Chriſti noſtræ carni per eſum huius ſacramenti carnaliter vniatur, Irenæum producit, qui rem eandem teſtatur apertiſſime. Nam ipſis primis verbis, velut rem certam, affirmat conſtare panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Domini, id quod apparet etiam ipſos hæreticos, aduerſum quos contendebat, ceu confeſſum admiſiſſe. Fuit autem is Irenæus Polycarpi quondam diſcipuli Iohannis auditor. Quamobrem nec recens eſt, & heri natum hoc dogma, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. Et quis vnquam legerit aut audierit hunc ſanctiſſimum virum, pro hoc dogmate hæreſeos crimine fuiſſe notatũ, qui & ſæuientibus Arrianis oculum alterum amiſit, paratus etiam pro fide Chriſti mortem ſuſtinere, quantumuis moleſtam.

Veritas corporis Chriſti à diſcipulis apoſtolorum credita eſt.

OEcol. *Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur.*

Et huic

ROFF. *Cyrillus. Per communicationem Euchar. aſſequemur incorruptionem.* Et huic ſententiæ Cyrillus aſtipulatur, qui nos aſſerit eam virtutem ex communicatione corporis & ſanguinis aſſequi, qua ad incorruptionem eam integre reducemur, vt cibo & potu corporali non indigeamus. Et audi lector quem in modum iſtud colligit: Quoniam (inquit) corpus Chriſti viuificat, & ad incorruptionem ſua participatione reducit, quum ſit ipſius vitæ corpus, & ipſius incarnati verbi, quo vniuerſa viuunt & ſunt, virtutem complectatur. Quod ſi tantas vires, huius carnis communicatio, noſtræ carni tribuat, vt eadem ad veram vitam in nouiſſimo die reſurrectura ſit, quia hoc ceu tenue fomentum & alimentum exiſtimabit? Veruntamen ita carne Chriſti noſtram ear nem ali nemini quam putamus, ſed neq; patres iſti putauerunt, vt ipſa more cæterarum carnium à nobis digeratur, ſed magis ad ſimilitudinem auri, gemmarumque, & margaritarum, quæ fomentum præſtant corporibus citra ſubſtantię ſuæ conuerſionem vllam. *Corpus Chriſti alit vt aurum & gemma.*

OEcol. *Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant, offerendo quæ prædicta ſunt.*

ROFF. *Irenæi exhortatio.* Monet igitur Irenæus hæreticos, quum hæc ita ſe habeant, nempe quod ex iſtis creaturis, pane videlicet & vino, Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum inſtituit conficienda, vt deinceps aut Chriſtum credant fabricatoris mundi filium & verbum eſſe, quo mundus & quę in mundo ſunt, omnia fuere condita, aut ab eiuſmodi ſacrificio penitus abſtineant. *Iohan. 1.*

OEcol. *Noſtra autem ſententia conſonans eſt Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus noſtram confirmat ſententiam.*

ROFF. Pergit adhuc Irenæus, inſinuans eccleſiæ dogmata, cum ſibi mutuo, tum ipſi veritati connexa: ſicut & hæreticorum ediuerſo, tam cum ipſa veritate quam ſecum etiam pugnant. Nam quod ipſe mundi fabricator, Chriſti pater ſit, cum iſto conſonat, quod ipſe Chriſtus creaturis ab illo conditis vtatur, ex quibus & ſuum ipſius corpus & ſanguinem confecit. Et hoc factum rurſus confirmat, Chriſtum (qui talibus creaturis tam potenter vtitur) non alterius, quam ipſius omnium conditoris eſſe filium. Quamobrem & fides (qua Chriſtus creditur eſſe Dei filius) Euchariſtiæ conſonat, & eadem ab Euchariſtia confirmatur. *Fides de Chriſto confirmat veritatem Euchar.*

OEcol. *Offerimus enim ei quæ ſunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus.*

ROFF. *Incorporamur Chriſto per ſacram communionē.* Per communicationem corporis & ſanguinis Chriſti, efficimur vna caro vnuſque cum eo ſpiritus. Quam etiam vnitatem & Paulus ſæpetestatur in epiſtolis ſuis: Vnum (inquit) corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. Et rurſum: Qui adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus. Nec poteſt certe quiſquam Deo coniunctius adhærere, quam qui eum pietate carne Chriſti veſcitur, & eiuſdem ſanguine potatur. Per cibum enim iſtum incorporamur Chriſto, & vnum cum ipſo corpus efficimur. *1. Corint. 10. 1. Cor. 6.*

OEcol. *Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens vocationem Dei; iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus conſtans rebus, terrena & cœleſti, ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia.*

ROFF. Et his verbis Irenæus docet, in Euchariſtia præter ſimilitudinem panis quam ex terra ſortitur, eſſe rem inſuper cœleſtem, nempe diuinitatem ipſam Chriſti, vnde & corpora eorum qui paſcuntur hoc cibo, reſurgendi virtutem ad vitam incorruptibilem recipiunt. Dicit igitur panem à terra ſumptum, vbi perceperit vocationem Dei, nimirum ex conſecratione, per ſanctum eius verbum, & inuiſibilem ſancti Spiritus operationem, iam non communem panem, ſed Euchariſtiam eſſe, & præter ſpeciem panis, quam præ ſe fert, cœleſtem Chriſti naturam inuiſibiliter continere. *Diuinitas eſt in Euchar.*

OEcol. *Offerimus autem ei non quaſi indigenti, ſed gratias agentes dominationi eius & ſanctificanti creaturam.*

ROFF. Hic definis, vt & alibi non ſemel facis, haudquaquam abſoluta ſententia. Sed nihilominus ex his quæ citaſti, ſatis perſpicua nobis eſſe poteſt mens Irenæi. Hoc ſacrificium vtique Deo nihil confert, qui bonorum noſtrorum, vt in Pſalmo cauitur, neutiquam eget. Quamobrem & vere dicit ſanctus pater, nos hoc ſacrificium offerre Deo, non quaſi indigenti. Ipſe profecto non indiget. At nos plurimum indigemus, vt tantæ maieſtati quum pro aliis, tum pro tot & tam eximiis noſtræ exiguitati beneficiis impenſis, agamus gratias. Quocirca quum ipſi nihil ex nobis dignum habeamus, quod velut pacificam hoſtiam immolemus, ipſe nobis ex immenſa benignitate ſua donauit corpus & ſanguinem filij ſui ſub panis & vini ſpecie, quoties libebit offerenda. Quo ſacrificio nihil ipſe charius habet aut antiquius. Vides ergo lector quã apertiſſime ſcripſerit Irenæus pro ſententia noſtra, neque dubito ſi mihi fuiſſet ipſius libri copia, vnde citauerat hoc Oecolampadius, quin alia multa non minus in rem noſtram facientia, quam hæc ſint, reperirentur. Satis enim ex aliis eius technis mihi perſpectus eſt Oecolampadius. Nam veritatem haud dubie potius occulere ſtudet quam aperire. *Pſalm. 15. Euch. ſacramentum eſt Deo gratiſſimum ſacrificium.*

Aliam faciem ſuis fucis & infarcimentis cogit Irenæum induere, quam ſit eius propria.

CAPVT XXII.

OEcol. *Prima facie hæc Irenæi legenti apparent aſſerere à carne Domini ali noſtram, panemque eſſe ipſiſſimum corpus Chriſti, vt quidam contendunt, ſed non hoc vult neque ita habet res.*

ROFF. Vna certe facies eſt Irenæi nō fucata, ſed ſimplex & genuina. Tibi ſo[..]aſſe ſpes eſt, verborum tuorum fucis & oblinitionibus, perſonatam aliam fucatam illi ſuperinducere faciem. Sed

fruſtra

fruſtra conaberis, quum vſq; adeo dilucida ſint ipſius verba. Et quis non poteſt, modo velit ingenij neruos intendere, quæ ſunt apertiſſime dicta, verborum aliqua fuligine denigrare, & quaſi dubia tardioribus animis incertaque reddere. Porro quod ali noſtram carnem à Domini carne dixerit, nihil eo debere lectorem offendi, partim

Vide prol. 4. li. Item lib. 3. ca. 21. & alibi. ſuperius oſtendimus, partim etiam poſtea ſumus oſtenſuri. De pane vero palam explicuit, eum, facta conſecratione, non eſſe communem panẽ, ſed cœleſtem quandam aliam naturam ſub ſpecie panis iam eſſe ſortitum.

OEcol. *Agit contra hæreticos negantes bonas eſſe creaturas, & reſurrectionem corporum, quos redarguere nititur à ratione ſacramentorum & oblationum noſtrarum. Offerebant enim priſci de frugibus, Deumque frugum authorem teſtabantur, quæ tamen in vſum cedebant pauperum. Stultum autem fuiſſet ex alienis & cuiuſdam mali Dei rebus accipere res, quibus bono Deo gratias agerent, vt arguit Tertullianus.*

Roff. *Sup. eod. cap.* Ex primis illis verbis, quæ nobis Oecolampadius ex Irenæo ſuperius recenſuit, dilucidum eſt, Irenæum aduerſus eos hæreticos agere, quibus conſtabat panem eſſe corpus Domini ſui, & calicem continere ſanguinem eius, tametſi negarint ipſum Dominum fabricatoris mundi filium eſſe. Et hæc te quæſo lector, ne permittas excidere tibi, quicquid poſtea coloris ſuperinduxerit Oecolampadius. Nam vt hic perſpicis, longe alia molitur.

OEcol. *Ex ea oblatione aſſumebatur & panis ſingulari vſui cœnæ Dominicæ ſeruiens, ac dictus corpus domini, eo quod ſacramentum & figura Dominici corporis.*

Roff. *Lib. 4. c. 34.* Iam is falſarius obducere ſuos fucos aggreditur. Sed nos ne recedamus ab Irenæi verbis. Qui eſt à terra panis (inquit) vbi perceperit vocationem Dei, hoc eſt vt diximus, inuiſibilem conſecrationem, iam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia. Profecto ſi iam non ſit communis panis, iam deſiit in eo ſubſtantia panis terreni, ſicut & Cyrillus Chryſoſtomuſque ſentiunt,

Supra lib. 1. c. 9. & alibi. Euch. ex duobus conſtat. & ſicut ex Auguſtino ſuperius attulimus, Panis vtique ſit iam ſuperſubſtantialis, non iſte panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ita ſemper ſibi conſonant ſancti patres. Manere tamen aſſerimus ipſam ſpeciem panis, ſub qua per inuiſibilem operationem ſancti Spiritus iam præſens efficitur ipſe Chriſtus. Propter quod & dixit Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare, terrena videlicet, hoc eſt, ſpecie panis, & cœleſti, nempe Chriſto. Nuſquam autem dicit hunc panem eſſe figuram corporis Domini, neque tropum aliquem aſtruit, ſed affirmat ipſis primis verbis conſtare, panem, in quo gratiæ ſunt actæ, corpus eſſe Domini, & calicem eſſe calicem ſanguinis eius.

OEcol. *Arguere igitur vult: Si panis ille non eſſet bonus, nequaquam delectus fuiſſet à Chriſto in hoc ſacramentum, vt ſit corpus eius, qui idem verbum: ac filius Dei per quem & omnia ſunt ac creata ſunt.*

Roff. Satis apertum eſt argumentum Irenæi, vt tuis pigmẽtariis nihil opus habeat. Sic enim ratiocinatur cum hæreticis illis: Vos aſſeritis panem illum, in quo gratiæ ſunt actæ, corpus eſſe Domini veſtri, & calicem illum eſſe calicem ſanguinis eius. Et quomodo iſtud conſtabit, ſi negaueritis Dominum veſtrum eſſe filium conditoris omnium creaturarum, hoc eſt, ipſum verbum, quo vitis fructificat, & parit vuas, quoque terra primum herbam, deinde ſpicam, poſtremo plenum triticum producit. Nam ſi conditorem harum rerum, Chriſtus pro ſibi aduerſario (ſicut & vos putatis) haberet, nunquam panem & vinum, quæ ex illis creaturis fiunt, delegiſſet, vnde ſuum corpus pariter & ſanguinem conficeret. *Irenæus ratiocinatio.*

Cæterum hoc loco non agit præcipue vt euincat corpus eſſe illud Domini. Argumentum enim eius refutat hæreticos, ſiue panem corpus ipſum, ſiue ſacramentum corporis eſſe affirmes. OEcol.

Verum eſt quod dicis, Irenæum haudquaquã hic moliri, vt euincat panem eſſe corpus Domini. Sed iſtud de quo ſibi cum aduerſariis conuenit, ceu baſim facit argumentationis ſuæ. Quo fit vt non ſatis mirari queam, cur tu, quum iſtam veritatẽ in ipſis primordiis eccleſiæ noris fuiſſe receptiſſimam, vt eandem vel hæretici negare non ſint auſi, Magiſtrum tamen Petrum, eiuſdem authorem primum facis. Cæterum, quatenus valeat Irenæi argumentum, non iſtud nunc inquirimus, ſed quid pater iſte tantus & tam grauiſſimus ſenſerit. Senſit autem haud dubie, quod & omnes orthodoxi ſentiunt, ſub ſpecie panis contineri verum Chriſti corpus. Roff. *Irenæus ſentit ſub ſpeciebus ſacramẽtalibus eſſe verum corpus Chriſti.*

Hoc autem magis ſpectandum, quomodo nos alamur corpore & ſanguine Chriſti, ita vt ſimus incorruptibiles, probare enim vult per ſacramẽtum corporis, quo alimur, reſurrectionem carnis, id quod per prophanum panem nemo poſſet, quæ enim inde ſpes reſurrectionis, vbi nulla reſurrectionis commemoratio, quæ religioſe in ſacramento fit, quod memores nos facit tritici, quod in terram cecidit, & multum fructum fecit. OEcol.

Quaſi non & in taberna communem panem ſpectantes, non æque poſſumus tritici meminiſſe, pariter & iiſdem Chriſti verbis commoueri; Sed aliter alimur Chriſti corpore & ſanguine quam ſola meditatione. Refert VVeſſelus Groningenſis rem admirandam, ſed tanta fide refert, vt me nullus omnino teneat ſcrupus, quin res vera fuerit ac vere geſta. Ait ſacerdotẽ quendam niuis & alguris adactum neceſſitate, dum in alpibus à via deerraſſet, & mitiorẽ à ventis & niuibus vallem reperire ſperans deſiliiſſet, neque reductę quaque verſum exitum comperiſſet, neque vnde deſilierat, propter altitudinẽ reaſcendere poſſet, ſub exeſam & propendentem rupem ſeſe fame moriturum coniecit ac deſperauit. Sed vt erat luna plena, vidit noctu ſerpentum diuerſa genera conuenire ad lapidẽ quendam, & illic linguis lapidem lingere, & poſt horam quæque in ſua antra reuerti. Et incidit ei cogitatus quidnam illic ita lingerent. Sequenti item nocte ſimiliter. Et miratus magis intra ſe quærens, quid ita. Tertia demum nocte iam pene viri- Roff. *VVeſſeli Groningenſis mirũ exemplũ.* *Petra alebat hominem per hyemem.*

ne viribus deſtitutus, ante omnes ipſe acceſſit & linxit, & inter lingendum ita reſtitutus fuit, quaſi cibo refectus. Et ſic per totam illic hyemem ſub rupe latitauit, donec in fine Aprilis, niue ſoluta peruiis iam factis alpibus, quoſdam audiret in vicino colloquētes. Hactenus VVeſſelus ipſe. Quod ſi merus lapis tantum præſtare fomenti potuit citra diminutionem ſubſtantiæ ſuæ: quid mirum ſi Chriſti caro, quæ vere viuificatria eſt, citra quamuis iniuriam ſui, pie ſumentes alat, & vim tribuat ad immortalitatem reſurgēdi. Tuus profecto panis tibi neque ſubſtantiam neq; vllam qualitatem in ſe nouam recipit, qua manducantes eum reddat immortales.

Caro Chriſti reficit abſque ſui iactura.

OEcol. *Dicit autem Eucharistiam duplici conſtare natura, terrena ſcilicet & cœleſti, terrena quia eſt à terra è qua dono Dei creuit, id quod contentioſe negant papiſtæ.*

Roff. Non eſt recedendum à verbis ipſius authoris. Superius negauit myſterium iſtud iam facta conſecratione panem eſſe communem, ſed Euchariſtiam ex pane factam eſſe fatetur. Conſtare tamen hanc affirmat ex duabus rebus, terrena videlicet & cœleſti. Quid igitur ibi terrenum eſt, inquis, ſi non maneat ibi ſubſtantia panis? Ego viciſſim te percontor, quid putas illic cœleſte contineri? ſi non ſit ibi caro Chriſti. Nulla ſecundum te noua ſubſtantia cœleſtis illic eſt, neque cœleſtis qualitas, aut quantitas vlla noua, neque relatio realis aliqua noua, ſed rationis duntaxat. Quam ergo cœleſtem rem nouam illic excogitare poteris? nullam profecto penitus. At nos Euchariſtiam cum Irenæo conſtare dicimus ex duabus rebus, terrena videlicet & cœleſti. Terrenam aſſerimus ipſam externam ſpeciem panis, in quam perducta fuit manibus hominum: Cœleſtem vero, carnem Chriſti, quæ Dei verbis & operatione Spiritus inuiſibili, ſub ſpecie panis præſens efficitur in ipſa Euchariſtia.

Lib. 4. cap. 32.

Euch. conſtat ex terrena ſimul & cœleſtire.

OEcol. *Cœleſti autem, quia gratiarum actioni ſeruit, & percepit Dei vocationem, eo quod nomen Dei inuocatum eſt ſuper illam.*

Roff. Ecce, an non verum eſſe vides quod dixi lector: nullam omnino rem cœleſtem nouam ſtatuit in Euchariſtia. Gratiarum actio vel in agentibus eſt, vel in eo cui agantur gratiæ; Nomen etiam Domini ceſſante prolatione non manet in Oecolampadiano pane. Quare nulla res cœleſtis in hunc panem recipitur. Et tamē Irenæus omnino fatetur in Euchariſtia, rem adeo cœleſtem, adeoque potentem eſſe, vt eius comeſtores incorruptibiles immortaleſq; reddat. Quæ profecto non eſt alia, quam Chriſtus ipſe.

Corporis Chriſti in Euchar. effectus.

OEcol. *Congruam ſententiam Euchariſtia ſic intellige, nam & creaturam terrenam, bonam dicimus, & gratiarum actionem ita celebramus, vt reſurrectionem corporum ſperemus.*

Roff. Nihil hæc ad Irenæi dilucidationem conferunt. Dicit enim Irenæus: Noſtra autem ſententia conſonans eſt Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus noſtram confirmat ſententiam. Quæ verba ſuperius explicauimus. Quid ſi creaturam terrenam bonam eſſe dixeris, & gratiarum actionē eo fine celebraueris, vt ſperēs corporum reſurrectionem? Quid hæc ad Irenæum, qui dicit Euchariſtiam perceptam id præſtare corporibus, vt futura ſint incorruptibilia?

Lib. 4. c. 32.

OEcol. *Quia enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus in corpore ſuo ſurrexit poſthac non moriturus, & nos communicamus eius carni, id quod ſymbolo ſanctificati panis gratias agentes teſtamur, reliquum eſt, vt & nos ſimus incorruptibiles.*

Roff. Sed vbi eſt quod dixit Irenæus, corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam nō ſunt corruptibilia. Tu nihil eſui tribuis huius ſacramenti. Ille tantum tribuit, vt dicat perceptionem Euchariſtiæ certa reddere corpora noſtra da futura reſurrectione. Quare nihil aliud molitis, quam circumuenire lectorem, nimirum vt videaris Irenęo conſentire, quum toto pectore diſſentias. Irenæus per incorruptibilem vitam, non intelligit eam, quam in gehenna damnati ſunt habituri, quæ mors quædam incorruptibilis verius eſt quam vita, ſed plane vitam gloriæ & æternæ beatitudinis intelligit, quam non aſſequentur omnes, qui teſtantur ſe cōmunicare carni Chriſti per eſum panis tui, ſed qui vere credunt & pie manducant veram ipſam carnem in Euchariſtia.

Vita incorruptibilis qua intelligatur Irenæo.

Iohan. 6.

OEcol. *Etenim vt ſpiritu communicamus Chriſto, ita carni quoque.*

Roff. Hoc vos exoculat, quod tantum fidei cribnitis, vt cætera propter eam negligatis. Sed illa communicatio quæ ſpiritu & fide fit, vt ſæpe diximus, incerta eſt, & ſine iſta minime durabilis. Euaneſcet enim ſi nō eſu carnis huius illam corroboraueris. Hanc ſi cōtempſeris, nulla tibi proderit fides. pie comedas carnem iſtam viuificatricem, & certus eris, tam de viuacitate fidei tuę, quā de viuificatione tui corporis in ipſa reſurrectione generali futurs. Quare ſtolidiſſimū eſt, vt hoc ſacramento relicto ſic fidei inhæreas, vt tam fidē amittas, quam huius ſacramenti fructum.

OEcol. *Et hoc vocat prædicare communicationem & vnitatem carnis & ſpiritus, alioquin quid certius eſt corruptibilitate corporum noſtrorum, ſpe tamen in Chriſto qui reſurrexit, incorruptibilia dicuntur.*

Roff. Quanquam granum tritici iactum in terram corrumpatur, ea tamen corruptio, propter abditam in ipſo grano virtutem, via eſt ad alterius vitæ maius incrementum. Et ad eundem modum neceſſe eſt, vt noſtra corpora tandem per corporalem mortem redeant in cineres, ſed quia nonnihil virtutis, quam ex eſu carnis Chriſti contraximus, in ipſis adhuc cineribus manere viſum eſt, tam Irenæo quam cæteris priſcis, ipſa noſtræ carnis incineratio (ſi tamen ante paſta ſit hoc cibo) ad glorioſam illam reſurrectionem, rectiſſima callis eſt. Cæterum propter hoc nos in Chriſtum ſpei nihil detrahimus, modo vera viuaque ſit. At plerunque mortua eſt, quæ viua putatur, quemadmodum in vobis qui foris ab Eccleſia ſeparamini, proculdubio non viuit. Vbi tamen mortua ſpes eſt, modo voluntas adſit bona, viuificabitur hauddubie per eſum

Spes abſque voluntate bona, mortua eſt.

Eucha-

vero dicit: Quando mixtus calix & panis fractus percipit verbum Dei, ſit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti. Cæterũ an per hæc augeatur & conſiſtat noſtræ carnis ſubſtantia, iſtud extra noſtram controuerſiam eſt. Nos enim iam diſquirimus, an vere corpus & ſanguis Chriſti ſint in Euchariſtia, quemadmodum omnes orthodoxi ſentiunt, an figurate ſolum, vt hæretica veſtra impietas arbitratur. Sed & iſtud, quod ſequitur in Irenæo, noſtram ſententiam apertiſſime comprobat. Quomodo (inquit) hæretici negant carnem eſſe capacem donationis Dei, hoc eſt æternæ vitæ, quandoquidem Chriſti corpore ſanguineque nutritur, & fit ipſius membrum. Quid (precor) dilucidius pro nobis dici queat?

Veritas corporis in Euchariſtia verbis Irenæi comprobatur.

OEcol. *Quemadmodum apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola: Quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius. Non de ſpirituali aliquo & inuiſibili homine dicens hæc. Spiritus enim neq; carnem neque oſſa habet. Sed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carnibus & neruis conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius, nutritur, & de pane, qui eſt corpus eius, augetur.*

Roff. *Ephe. 5.* Confirmat ſententiam ſuam Irenæus verbis apoſtoli. Non hic diſputo, quã recte ſenſum attingat apoſtolicum. Sed hoc interim affirmo, neminem apertius docere corpus & ſanguinẽ Chriſti contineri in Euchariſtia, quam hic faciat Irenæus, vſqueadeo quod etiam cõfiteatur, nos qui Chriſti carne veſcimur & bibimus eius ſanguinẽ, non hominis alicuius imaginarij & ſpiritualis carnem edere ſanguinemque bibere, ſed eius qui vere naturam habet hominis ex carnibus neruisque conſiſtentis, atque propterea non imaginario ſanguine, neque carne imaginaria ſed vero ſanguine veraque carne Chriſti nos aſſerit enutriri. Quiddam etiam huic haud diſſimile Paulus ibidem affirmat dicens: Nullus enim vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit & fouet eam, ſicut & Dominus eccleſiam. Si Dominus eccleſiam ſuam enutriat & foueat, ſicut homo carnem ſuam, quid abſurdum in ſe continẽt Irenæi verba, qui dicit carnem noſtram ali corpore & ſanguine Domini?

Ephe. 5.

Pigmenta, quibus illeuit Irenæum, detrahuntur.

Capvt XXIIII.

OEcol. *Multis rationibus moueor, Irenæi ſermonem ſuis temporibus non fuiſſe tam obſcurum, atque nobis eſt. Exemplaria enim magna incuria deſcripta ſunt. Interpres græcitatem reliquit, vt quum dicit, ſecundum hominem ſubſtantia, id eſt, humana ſubſtantia. Cõfirmauit, id eſt, atteſtatus eſt, & ſimilia Et Irenæus ipſe apoſtolicis tropis tunc notioribus peculiariter vſus eſt.*

Roff. Cauillaris in Irenæi verbis obſcuritatem, vt ſcilicet tuis gloſſematibus opus habere videantur. Neq; magni ſane momenti ſunt iſta quæ memoras, neque adeo difficilia, vt non quiuis lector facile, quid ſibi velit Irenæus, intelligat. Quid enim obſcuritatis habet, quod dixerit, ſecundum hominem ſubſtantia, pro humana ſubſtantia; ſed hoc te magis offendit, quod aſſeruerit Chriſtum panem confirmaſſe corpus ſuum, quemadmodum & Tertullianus dixit Chriſtum feciſſe panem corpus ſuum.

OEcol. *Conabimur tamen, iuuante Deo, obſcurius dicta explicare.*

Roff. Sed caue tenebras inieceris aut fucos. Nam & ſæpius plicas & inuoluis potius quam explicas.

OEcol. *Arguit primum, ſi non vere reſurgimus, & non vere regeneramur, eſt autem reſurrectio conſummata regeneratio.*

Roff. Adhuc incedis recte, Nam pro communi curſu reſurgere nemo poteſt ad vitam illam veram & immortalem, qui non ante fuiſſet aliquo modo regenitus. Sed iſtud item verum eſt, quod iuxta curſum eundem regeneratio non ſufficiat, niſi pariter & idem qui ſic regenitus eſt, alatur inſuper atque nutriatur. Nam ſicut infans, niſi poſtquam natus ſit, aliquo foueatur alimento, non poteſt diu viuere. Sic & is qui perpetuo victurus eſt, præter ipſam regenerationem, quę fit ex aqua & Spiritu ſancto, corpore quinetiam & ſanguine Domini fouendus atque nutriendus eſt.

Iohan. 3.

OEcol. *Sequitur, nec Dominum ſanguine ſuo nos redemiſſe, & ita ſanguinem illum non fuiſſe verum ſanguinem, & fruſtra effuſum, eo quod non fuit efficax ad nos redimendum à morte, id quod nemo Chriſtianus dicet, præſertim apoſtolica authoritate commonitus, habere nos redemptionem per ſanguinem.*

Roff. Abſq; virtute ſanguinis illius olim fuſi baptiſmus omnino nullius eſſet efficaciæ. Nunc autem ſanguinis illius energia, mortem depellit his, qui regenerationis lauacro ſunt abluendi, nimirum vt ita renaſcantur ad vitam ſpiritualem, ſed eam quæ non diu duratura eſt, niſi regenitus hoc alimento carnis & ſanguinis Chriſti fulciatur. Id quod exemplo paruuli ſuperius commonſtrauimus. Quamobrem & Chriſti charitas erga nos tam immenſa fuit, vt non contentus pro nobis fudiſſe ſanguinem, quo regeneramur, donarit eundem etiam nobis in potum, & carnem item ſuam in cibum, vt iſtis aleremur. Quamobrem ſicut verus fuit ſanguis, qui pro noſtra fuſus erat redemptione, ita verus eſt & ſanguis quo paſcimur in Euchariſtia.

Iohan 6. *Matth. 26.* *Marci 14.* *Lucæ 22.* *1. Corin. 11.*

OEcol. *Arguens deinde, ſi non eſt futura reſurrectio, mendacia fore ſacramenta noſtra; infert dictum apoſtoli ad Corinth. & dicit, neq; calix Chriſti communicatio ſanguinis eius eſt, neq; panis quem frangimus, communicatio corporis eius eſt. Pauca apoſtoli verba demutauit. Paulus enim dicit: Poculum benedictionis cui benedicimus; breuiter Irenæus dicit: Calix Euchariſtiæ, id eſt gratiarum actionis.*

Roff. Quid hæc ad inſtitutum, vt narres Irenæum demutaſſe quædam Pauli verba. Nos iam excutimus quid ſentiat in his verbis Irenæus. An pro fide orthodoxa, an pro veſtris inſanis dogmatibus pronunciet. Neq; enim huius temporis eſt, vt excutiamus quam fortiter ea quæ dicit, ſtabiliat: ſed quid dicat, & quid in hac controuerſia videa-

tur ipſe potiſſimum affirmare. Cur iſtud igitur argumentum eius tam leuiter tranſilis, quandoquidem ipſe ad hunc modum ratiocinatur: Qui negant (inquit) ſalutē carnis, hoc eſt, reſurrectionem carnis ad futuram incorruptibilitatem, & hi regenerationem eiuſdem ſpernunt, vniuerſam diſpoſitionem Dei contemnunt, & vani ſunt omni modo. Quoniam ita nec Dominus ſanguine ſuo redemit, neq; calix Euchariſtiæ, communicatio ſanguinis eius eſt, neq; panis quē frangimus, communicatio corporis eius eſt. Quare quū verus ſit ſanguis quem pro nobis effudit, & nos eodem vero ſanguine veraq; ſua carne paſcat, conſequitur, vt qui ſic redempti ſumus regenitiq; & paſti, vere tandem ſimus ad immortalitatem reſurrecturi. Hanc collectionem Irenæus facit in primis verbis iam ex quinto libro citatis.

Argumentum Irenæi.

OEcol. *Ex mente autem Pauli, Irenæi quoq; deprehendimus.*

Roff. Ex mente potius Irenæi veſtigandum eſt, quid ſenſerit Paulus. Nam Irenæus & ſui ſimiles Spiritu ſancto pleni, ea quæ Paulus obſcure breuiterque ſcripſit, fuſius & dilucidius interpretantur. Quamobrem vt ex interprete mens autboris dinoſcitur, ſic ex Irenæo potius diſcemus, quid voluiſſet ſibi Paulus.

2. Pet. 3.

OEcol. *Dicit Paulus Corinthiis: Nonne ſanctus ille calix qui in memoriam mortis cum gratiarum actione, pro ſanguine qui effuſus eſt, ſumitur, ſacramentum noſtrum eſt, omnes nos in vnam ſocietatem confœderans illo ſanguine redemptos ſe credentes, qui in vini figura commendatur.*

Roff. Hic, te precor, quam vim babeat ſacramētum tuum, in quo nihil præter vinum eſt, vt nos (quēadmodum ipſe iam aſſeris) in vnam talem ſocietatem confœderet? non iſtud profecto præſtare merum vinū poteſt. Quamobrem neceſſum eſt, vt dixeris verum ſanguinem hic adeſſe ſub ſpecie vini, qui confœderationem iſtam adeo potenter efficiat.

Verus ſanguis in calice, Irenæi authoritate.

OEcol. *Nonne ſanctus ille panis qui ſimiliter inter nos diuiditur in memoriam mortis Chriſti, teſtis eſt, ac indicium ſocietatis noſtræ ac congregationis, quæ credit ſe corpore Chriſti, quod in pane repræſentatur, viuificatam.*

Roff. Iam intermiſces aliena quædam à Pauli verbis. Vbi precor dixerat Paulus panem illum teſtem eſſe ac indicium ſocietatis noſtræ, & non potius hanc eandem ſocietatem efficere, nexumq; verū & vnionem præſtare Chriſtianis, quum inter ſeſe, tum & cum Chriſto totius eccleſiæ capite. Quamobrem & dixit: Vnus panis vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Nullum certe materialem hic Paulus intellexit, ex quo participant omnes Chriſtiani. Nam quis vnquam furnus tam amplus repertus fuit, vt eiuſmodi panem coquere valeat. Plane igitur Paulus de pane Chriſto intellexit, quem ſub ſpecie panis in Euchariſtia ſuſcipimus, per quem & panis vnus atq; corpus vnū omnes efficimur, qui panem illum Euchariſtiæ mādùcamus.

1. Cor. 10.

OEcol. *Neque enim Paulus hic dicere vult, panem corpus, vel calicem ſanguinem, vel ita nos participes eſſe, vt caro Chriſti in carnem noſtram, vel noſtra in ipſius carnem vertatur, vel noſtram contingat fieri ſubſtantialiter, ſed magis certa ſymbola, quibus nos in fidelium numero declaremus.*

Roff. Hoc tuum commentum eſt, ſed longe aliter ſe res habet. Nam & ipſo decimo capite & proximo quod ſequitur, quanquam in hoc longe manifeſtius vocat hoc myſterium corpus Domini, & myſterium calicis, ſanguinem Domini. Nam recenſens verba Chriſti ſic ait: Accipite, edite, hoc meum eſt corpus; & de ſanguine ſimiliter, hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Quis iam dubitare poteſt ipſum Paulum, ipſo decimo capite, de eodem corpore & ſanguine fuiſſe locutum, quum dixiſſet: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Et poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Quod ſi veram Chriſti carnem edamus, & verū potemus in Euchariſtia ſanguinem, an non euidentiſſime conſequitur, vt vel eius caro vertatur in noſtram, vel ipſa noſtram vertat in ſe, atq; ita nectat, tum ſibi nos, tum noſmetipſos nobis, & faciat ex omnibus vnum corpus.

Lucæ 22.

1. Cor. 10.

OEcol. *Si autem non reſurgeremus, recte colligeretur, ſacramenta illa non ſignare verum ſanguinem Chriſti, & in hoc fallere, quod reſurrectionem pollicerentur, ſicut beatus epiſcopus ſubdit, ſacramenti arcanum exponens.*

Roff. Nihil hic Irenæus de ſigno figuráve carnis & ſanguinis loquitur, vti lectori cuiuis perſpicuum eſt, ſed de vero ſanguine, quo redempti ſumus in cruce, & quo ſimiliter in Euchariſtia paſcimur. Quem & ait tantas vires noſtræ carni præbere, vt poſtquam hæc incinerata fuerit, tandem reuiuiſcet, ſicut & exemplo (quod ſequitur) apertiſſime demonſtrat.

De vero ſanguine loquitur Irenæus.

OEcol. *Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terra, ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidēs in terrā & diſſolutum, multiplex ſurgit per Spiritū Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam Dei in vſum veniunt. Sic & corpora noſtra ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante, in gloriam Dei patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptionem gratuito donat. Quoniam virtus Dei in infirmitate perficitur: vt non quaſi ex nobis inflemur & aliquando extollamur aduerſus Deum ingratam mentem recipientes.*

Roff. Ecce lignum vitis, tametſi mortuum videatur, depoſitum nihilominus in terra, ſuo tempore fructificat. Similiter & granum tritici, quanquā ſeminatū in terra, mox corrumpatur, tamē poſtea cum ampliori fœnore reſurgit. Et hæc per naturam fieri conſpicimus. Quid ergo mirum, ſi corpora noſtra carne & ſanguine Chriſti nutrita, poſtquam redacta ſint in cineres, per huius tamen eſcæ vires & efficaciam, operante Spiritu verboque Dei, reſurgant ad immortalitatis gloriam? Hic certe verborum ſenſus eſt, quocunque tu colore rem vertere moliaris.

Iohan. 12.

Sententia verborum Irenæi quod digne communicantes reſurgent.

OEcol. *Porro & in aliis eſſent fallacia ſigna, ſi non eſſet reſurrectio: ſignant enim verum corpus & verum ſanguinem. Sanguis probat verū fuiſſe corpus, & corpus verum ſanguinem in Chriſto; quod ſi vera, & reſurrectio vera.*

Tu ſem-

ROFF. Tu ſemper ad ſigna confugis, de quibus nihil meminit Irenæus, nec vno quidem verbulo. Neque enim ipſe de corpore & ſanguine figuratis loquitur, ſed neq; ſigna & figuræ virtutem eiuſmodi præſtare corporibus noſtris queunt, vt reuiuiſcant. (Iohan. 6.) Vera tamen caro ſancte manducata, verusq; ſanguis piè bibitus, iſtud præſtant, nimirum quod viuificatricem vim obtineant. Sunt enim ipſius verbi incarnati caro & ſanguis, atque propterea tam admirandam reſurrectionem in potentia & virtute eiuſdem verbi operantur.

OECOL. *Tendit autem eo diſputatio, ne putatiuus credatur homo fuiſſe; qua hæreſis penitus reſurrectionem tollit.*

ROFF. Et ſane tendit, vt dicis, atqui neq; iſtud ſpectat ſolum, ſed molitur etiam, vt certi ſimus, nõ modo vero ſanguine Christi redemptos nos eſſe, verumetiam eodem nos fuiſſe potatos, pariter & vera ipſius carne fuiſſe paſtos.

Hactenus quanquam pluribus deprauare ſtuduit Irenæum, pergit adhuc in eodem.

CAP. XXV.

OECOL. *VLtra quando dicit: Quoniam membra eius ſumus, & infra ſermonem authoritate Pauli confirmat ex epiſtola ad Ephe. Quoniam membra ſumus corporis eius. Certum eſt Paulum oſtendiſſe verbum ſibi vere vniuiſſe naturam humanam, & ſicut Eua ex Adam fuit, ita Christum quoque id genus oſſium & carnis, quibus nos conſtamus accepiſſe. Vnde ſemper propter eandem carnem conſectaneum eſt, ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.*

ROFF. Haud recte colligis, neque enim omnes ad ipſam immortalitatis gloriam reſurgent, ex quibus Christus ſecundum carnem natus eſt, quod ex collectione tua ſequitur. Sed neque Paulus hoc dixit, Christum eſſe os ex oſſibus noſtris, & carnem ex carne noſtra, ſed ediuerſo magis. Nos (inquit) (Ephe. 5.) membra ſumus corporis eiuſdẽ ex carne eius & ex oſſibus eius. At iſtud effecti ſumus, maxime propter carnem & ſanguinem eius, quibus & ſancte veſcimur. Propter iſtud itaque conſectaneum eſt, (Reſurgemus ad immortalitatem.) vt caro noſtra ad ipſam incorruptibilitatis gloriam reſurgat, quod membra ſimus ex carne & oſſib. eius, & non propterea quod ipſe ex noſtra carne carnem acceperit & oſſa. Sed operæprecium fuerit aliquid pluſculum hic ex Paulo recenſere. Sic enim Paulus cap. 5. ad Epheſios tradit: Nullus vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit & fouet eam, ſicut Dominus eccleſiam: Quoniam membra ſumus corporis eiuſdem ex carne eius & oſſibus eius. Ecce dicit hic Paulus, vnumquenque ſuam carnem enutrire & fouere, ſicut Dominus eccleſiam enutrit & fouet. Fouet autem & enutrit Dominus (Corpore & ſanguine Chriſti efficimur eius membra.) eccleſiam ſuam corpore potiſſimum & ſanguine ſuo, quibus & eius membra conſtituimur, & ſumus ex carne eius & oſſibus eius, nimirum quod eius caro, qua paſcimur, noſtram in ſe conuertat carnem. Sed neq; tua ſimilitudo quadrat in hunc locum. Nam hic Eua typum gerit, non Christi, ſed eccleſiæ, & Adam, non eccleſiæ typum, ſed Christi refert. Quare ſicut Eua ex Adæ latere formata fuit, ita prodiit & eccleſiæ vita ex ipſius Christi latere. Tu tamen ais, ita Chriſtum id genus oſſium & carnis à nobis accepiſſe, quum dixiſſe potius debueras, nos ex carne & oſſib. Christi eſſe, ſicut & Eua ex Adam fuit; (Gene. 2.) Nam ita probe quadrat ſimilitudo. Nos enim Eua ſumus, & ille noſter Adam eſt. Per noſtræ vero carnis aſſumptionem, ille noſtræ potius naturæ membrum factus eſt, quum ediuerſo nos per eſum carnis eius efficimur, vt Paulus ait, (Epheſ. 5.) membra corporis eius, ex carne eius & ex oſſibus eius.

OECOL. *Mox autem dum adiicit: & per creaturam nutrimur; alio argumento premit negantes reſurrectionem. Tam mirabile enim eſt, carnem à pane nutriri, ſi rationes velis excutere, atque ſi dicas, carnem reſurgere. Quin & hoc eſt non minus mirabile, quomodo triticum è terra naſcatur, & profecto non naſceretur, niſi Deus pluuia & ſole educaret. Hinc dicit, ex illis Deum maxima nobis ſacramenta delegiſſe, è quibus diſceremus quanta ſpes habenda, & vltra commendaſſe, illa vocando corpus & ſanguinem.*

ROFF. Iam tua ſomnia narras, quibus & lectorem fallere ſtudes, ne ſatis aduertat quid in rem noſtram dixerit Irenæus. Affirmat enim Christum fuiſſe teſtatum in ipſo calice ſanguinem ſuum eſſe, pariter & panem qui creatura eſt, confirmaſſe corpus ſuum. Porro quod dicit ex his augeri corpora (Iohan 12.) noſtra, iſtuc opinor ſpectat, vt ſicut tritici granũ poſt mortificationem eius auctius & multiplicius ex terra ſurgit, ita & corpora noſtra, poſteaquam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta ſint, virtute tamen carnis ipſius viuificatricis, qua paſti ſumus, & vnum effecti cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem reſurgemus gloriam.

OECOL. *Iam quum illa ſymbola in ſacramenta delegit, quibus potiſſimum vegetamur, & ſanctificarit ſuper ea nomen ſuum inuocari, & per ea gratias agi volens, quomodo non polliceremur nobis reſurrectionem?*

ROFF. Symbola illa tu nihil aliud quam merum panem & vinum arbitraris, neque vllam in ſe ſanctitatem, quæ realis eſt, affirmas ea recepiſſe, qua ſaltem virtutẽ aliquam noſtris corporibus efficaciter adminiſtrent. Inuocationem etiam diuini nominis ſuper eis factam, nihil diuinitatis in pane aut vino reliquiſſe, paulo ſuperius teſtatus es. Quanam ergo ratione colligis ex his, nos poſſe nobis reſurrectionem polliceri? Pollicetur autẽ iſtud Irenæus. At non ob panem & vinum, ſed propter carnem & ſanguinem Christi, quæ per Christi verba, & per diuini nominis inuocationẽ inuiſibiliter fiunt ex pane & vino. Nam panis, vt (Su li. 4. ca. 32.) ait, qui de terra prouenit, percipiens vocationem Dei, non eſt amplius communis panis, ſed fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Christi. Continet igitur Euchariſtia præter ſpecies panis & vini, cœleſtes quaſdam res, hoc eſt, Christi carnem & ſanguinem, per quorum ſumptionem Irenæus nobis reſurrectionem pollicetur.

OECOL. *Eſt & hoc reſurrectionis efficax argumentum, quod*

caro noſtra ſanguine & corpore Chriſti nutritur. His verbis idem arguit, vt ſupra, quod communicantes carni Chriſti, & quia vera caro eſt, & caro filij Dei, efficax eſt, vt & credentes nutriat, viuificet ac reſuſcitet.

ROFF. Vbi (te quæſo) caro illa & ſanguis eſt, quibus noſtra caro nutritur? In cœlo dices. Nam in altari, ſcio, non intelligis. At iſtud nunquid non eſt conceptu difficilius, nempe, quod caro quæ in cœlo eſt, tanto à nobis interuallo diſtans, noſtrā alat carnē? An non longe credibilius fuerit, ſi dixeris eandē carnem in altari præſentē eſſe, & edi à nobis, vt ita per eam nutriamur? Sed illud pro tuo capite fingis. Nuſquam enim in his Irenæi verbis, quæ citaſti, comperio, quod caro noſtra corpore & ſanguine Chriſti nutriatur, niſi quatenus in altari ſunt, neque quod iiſdem cōmunicemus carni & ſanguini, niſi per eſum veri corpus & potationem veri ſanguinis eius in Euchariſtia. Non inficior tamen, quin animus fide communicare queat eis, veruntamen aſſerere difficilimū eſſe, vt quis certo ſciat ſe talem ac tantam habere fidem citra ſacramentorum vſum. Nam de fide falluntur plerique. Neque longius eius rei petenda ſunt exempla, vos ipſi perſuaſi eſtis vos habere fidem, de quibus ego certiſſimus ſum, quod quamdiu non fueritis eccleſiæ reconciliati, ſemper vera fide carebitis. Cæterum qui ſe fidem habere putat, quanquam viua formataque careat, ſi tamen obſequenti pioque ad hoc ſacramentum acceſſerit animo, paratus omnia facere, quæ ſibi conſuluntur, iam ſuſcepto ſacramento ſecurus eſſe poteſt; ſe & formatam habere fidem, & adeo vere incorporatum Chriſto, vt partem ſuam habiturus ſit indubitanter in futura vita.

Caro noſtra nutritur carne Chriſti in Euchariſtia.

Fides informis ſit formata per Euch. ſumptionem. Iohan. 6.

OECOL. *Alioquin verteretur corpus Chriſti in noſtram carnem, ſi craſſius intelligas.*

ROFF. Nihil oportet, nam eſt medium quiddam inter craſſam illam Iudæorum cogitationem, & alteram illam nimis quam ſubtilem hæreticorum. Putabant enim illi, quod ſi carnem Chriſti quiſquam realiter ediſſet, eam ſuis dentibus laniaſſet, ſicut & carnes alias omnes. Iſti vero ſibi perſuaſerunt, haud aliter edi poſſe Chriſti carnem, præterquam ſola fide. Cæterum orthodoxi mediam inter vtroſque ſententiam aſſerunt, nempe quod in Euchariſtia caro Chriſti vere manducetur, & ſanguis eius vere bibatur, abſque tamen vlla omnino laniatione & citra quamuis iniuriam ipſius carnis Chriſti.

Iohan. 6.

In Euchar. manducatur vere corpus Chriſti.

OECOL. *Et quæ reſurrectio eorum qui baptizati ſunt duntaxat.*

ROFF. Profecto ſi non eorum culpa ſteterit, quo minus in Euchariſtia carne Chriſti paſcerentur, benigniſſimus Deus fidem eorum, ſi vera ſit, acceptabit, perinde ac ſi vere manducaſſent ipſum corpus in Euchariſtia. Nam & illos aſſerimus inſertos eſſe corpori Chriſti myſtico. Sed neque ſacramentis ſuis alligatus eſt Deus. At nos de his loquimur, qui vel recuſant vel negligunt, etiam oportunitate data, cibum hunc ſaluberrimum accipere, neque animos inducunt, vt credant in hoc ſacramento corpus & ſanguinem Chriſti vere contineri.

Abſque corporali Eucha. manducatione poſſunt homines ſaluari.

OECOL. *Cæterum mentem Irenæi ex apoſtoli verbis, quæ citat, accipimus, quomodo membra ſumus corporis eius, quis enim hoc loco in alienum ſenſum Pauli dictum detortū, de tanto viro dicere non erubeſceret?*

ROFF. Longe profecto rectius Irenæus Pauli ſenſum accipit, quam tua peruerſitas. Nam aliud eſt nos ex carne & oſſibus eſſe Chriſti, quod & Paulus docet, & Irenæus quoq; citat, & aliud Chriſtum ex noſtra carne & oſſibus eſſe, quod tu moliris. Neque negamus Chriſtum ex noſtra carne eſſe, nam & Paulus hoc ipſum teſtatur dicens: Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem. Cæterum ea eo, quod ipſe ex noſtra carne ſit, non ſatis reſurrectio carnis noſtræ colligitur: Nam & multi nihilominus, qui noſtram carnem participant, minime reſurrecturi ſunt ad veram immortalitatis gloriam: ſed inde magis illud ſubinfertur, quod nos videlicet ex carne ſimus & oſſib. ipſius Chriſti, ſicut & Eua formata fuerat ex latere Adæ. Nam iſtud Paulus eodem loco transfert ad Chriſtum & ad eccleſiam eius, nimirum vt intelligamus eccleſiam ex latere Chriſti prodiiſſe, ſicut olim Eua progenita fuit ex veteris Adæ latere. Ad quem modum & illius membra ſumus, & ipſe nos enutrit & fouet, ſicut Paulus ibidem affirmat. Et ſicut Irenæus ait, Chriſtus ſolem & pluuiam donat, quibus terra triticum ferat & vuas, vnde panis & vinum, atque ex his poſtea corpus & ſanguis Chriſti fiant, ad membrorum ſuorum inſtaurationem. Et propterea manifeſte dicit Irenæus, Chriſtum teſtatum eſſe, calicem, qui creatura eſt, ſanguinem ſuum continere, & panē qui creatura eſt, confirmaſſe corpus ſuum.

Ephe. 5.

Rom. 9.

Gene. 2.

Ephe. 5.

Calix ſanguinem cōtinet.

OECOL. *Denique & poſtrema verba idem volunt, Chriſti carnem, veram carnem, & qualis noſtra quæ cibo potuque nutritur & augetur, quibus duobus ſanguinem & corpus ſignificari voluit.*

ROFF. Idcirco properas ad extrema verba tuis fucis oblinenda, vt prætereas ea quæ nullum fuci admiſſura probe noſti. Iſtud ſubtices: Quando ergo & mixtus calix & fractus panis, percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti. Et iſtud quoque: Quomodo negant carnem eſſe capacem donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ & ſanguine & corpore Chriſti nutritur & membrum eius fit. Cæterum in poſtremis verbis nihil eiuſmodi loquitur Irenæus, quod tu & falſo quidem aſcribis ei. Neque enim ille ſignificari, aut dixit, aut voluit, duobus iſtis, nempe cibo & potu, corpus & ſanguinem Chriſti. Sed vbique teſtatur Chriſti carnem vere cibum eſſe, & ſanguinem vere potum, non ſigna tantum, & figuras, vt hæreſis tua prædicat.

OECOL. *Quod ſi contentioſus eſſe quis volet, enumerabimus multa millia ſine Euchariſtiæ ſymbolis, vel ignoratis, vel nondum inſtitutis, nutrita fuiſſe, & fide perpetuam quoque vitam aſſequuta. Quid enim dices de abſtemiis & aliis laborantibus? quid de latrone & aliis inter ſaxum & ſacrum vt (vocant) fidem recipientibus.*

ROFF. Superius tibi reſpondimus ad hæc, eos qui veram & viuam fidem habuerint, quibuſque vel

Supra eodem.

morte

morte præuentis, vel per alia quæuis impedimẽta iuſta præpeditis, uulla fuerat occaſio data, cibi tam ſalutaris accipiendi, neque per eorum aut incredulitatem aut incuriam ſtetit, quo minus hoc cibo veſcerentur, Deus, qui uou eſt obſtrictus ſacramentis ſuis, potnit eos ſola fide ſaluare, quemadmodum & alias eum credimus ſæpennumero feciſſe. Veruntamen, ſi vel per incredulitatem reſpuiſſent, aut per contemptum aliquem, vbi data fuiſſet oportunitas, prætermiſiſſent, iſtos ego periiſſe non dubito: Neq; enim fides eorum, qui vel credere nollent, vel vbi crediderint, non vehementer affectaſſent hanc tam eximiam eſcam ſibi dari, ſuffeciſſet eis.

Contemnentes Eucha. damnantur.

OECOL. *Expediret itaque non temere priſcos vel inculpare vel ad quauis dogmata ſtabilienda cogere doctores.*

ROFF. At multo magis expediret, nullis colorib. germanum & verum ſenſum eorum obtegere, ueq; per vim eos, & qnaſi per capillos (vt aiuut) detorquere, ueq; ſycophantice quicquam, quod maxime ſenſum eorum illuſtret, eximere, nec denique verbis eorum quicquam admiſcere quod ſenſum reddat adulterinum. Hæc tu non ſemel Oecolampadi facere molitus es, quemadmodum ex ſuperioribus palam oſtendimus.

Veterum dogmata non ſunt corrumpenda.

OECOL. *Veniam oro mihi dari, quod in his explanandis occupor, aduerſarij enim hiſce teſtimoniis obiectis os obturare non raro conantur.*

ROFF. Si quod dicis explanare ſtuduiſſes, & veritatẽ ipſam elucidare, profecto uon venia ſola, ſed & gratiis atque laudibus pluribus fuiſſes dignus, verum tu caligine potius & tenebris offundis, & ſic intricas ac iuuoluis, vt quod per ſe dilucidum erat, tuis gloſſematibus ita inuertitur, vt vel obſcurius euadat, vel ſenſum prorſus alienum induiſſe videatur.

Tertullianum fucare molitur, ſed fruſtra, quũ eius teſtimonium dilucidum ſit.

CAPVT XXVI.

OECOL. *D*Iſcamus autem & ex *Tertulliano*, *qui vicinus illi fuit, quo loquẽdi more, qui tunc viuebãt, vtebantur. Etenim & ex illius de reſurrectione libro locus obiectus eſt. Gratia autem Deo, quod nobis arma miniſtrant aduerſarij, vt ſuis pereant gladiis.*

ROFF. Iam (vt apud Platonem eſt) ignaui galli more, priuſquam viceris, canis. Tu profecto qui tot authores in medium producis, quibus hæreſis tua damnatur apertiſſime, quid aliud quam arma nobis miniſtras, quibus tu iuguleris, atque ita tuis gladiis confodiare. De ſimili vero loquendi more ſuperius exemplum produximus. Nam vbi Tertullianus dicit: Panem corpus ſuum fecit; Irenæus habet, panem corpus ſuum confirmat.

Adagium Platonis de ignauo gallo.

OECOL. *Dicit Tertullianus: Sed & caro abluitur vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima à Deo ſaginetur.*

ROFF. Quandoquidem ipſe nolis, ego uou grauabor integrum Tertullianum citare. Ita equidem ſcribit in libro de reſurrectione carnis: Videamus nunc de propria Chriſtiani hominis forma, quãta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ apud Deũ prærogatiua ſit, & ſi ſufficeret illi, quod nulla omuino anima ſalutem poſſit adipiſci, uiſi dum eſt iu carne crediderit, adeo caro ſalutis eſt cardo. De qua cum anima Deo alligitur, ipſa eſt quæ efficit, vt anima alligi poſſit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitionẽ adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Nõ poſſuut ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit. Ecce quantis prerogatiuis uoſtram carnem, ſubſtantiam ſane friuolam & ſordidam, Tertullianus aſſerat Deum extuliſſe. Inter quas merito ſupremum locum tenet ea quæ poſtrema eſt, nimirum, vbi dicit carnem uoſtram corpore & ſanguine Domini veſci: Neque hic dicit, noſtram carnem veſci pane & vino, quæ ſigna vocet & figuras corporis & ſanguinis Domini, ſed ipſo corpore & ſanguine Domini, tam aperte, vt uullus his verbis cauillandi locus detur. Et hæc certe magna carnis humanæ prærogatiua eſt, quod cibo tam eximio, potuq; tam iucomparabili foueatur. Quis iam dubitare poteſt, quin vbi tantã & tam precioſam eſcam ederit, vere ſit factus membrum Chriſti per eſum carnis & potum ſanguinis ipſius? O peſtiferos & execrandos hæreticos, qui tantum & tam ſalutare nobis edulium auferre conanimi. Sed audiamus, quam inepte ſuos hic quoq; fucos miſcere moliatur.

Tertullianus.

Caro noſtra veſcitur corpore & ſanguine Domini.

Carnis humanæ prærogatiua.

OECOL. *Age ſi hæc ideo aſſerit Tertullianus, quod in pane contineatur corpus realiter, vel corpus carnaliter manducetur, tale quiddam & de aqua baptiſmi, de oleo, deque manibus ſacerdotum aſſerere cogetur.*

ROFF. Inaniter conteudis Oecolampadi, ne recedas (precor) à Tertulliani verbis. Quid opua eſt ſi veritatem quæras, aliena miſcere verba? Caro (inquit Tertullianus) corpore & ſanguine Domini veſcitur. Quid tu de pane meutionem facis, cuius nihil omuino Tertullianus meminit. Sed neque conſecutio per te facta momenti cuiuſpiam eſt. Non enim oportet, licet carnem veſci dicat corpore & ſanguine Domini in Euchariſtia, quod ideo ſimile quiddam & de aqua baptiſmi, de oleo, deque manibus ſacerdotum aſſerere cogatur. Et ſi quicquam horum inde ſequeretur, nihil ad nos id attinet, qui tantum inueſtigamus, quid ipſe ſenſerit. De aqua dicit, quod quum abluitur per eam caro, protinus emaculatur anima. Et iſtud ſane veriſſimum eſt. De ſacro ſubinde tradit oleo, quod dum eo caro inungitur, anima conſecratur. Et iſtud nemo veterum nõ fatetur. De ſignatione crucis ait: Caro ſignatur, vt anima muniatur. Et iſtud æque probatum eſt omnibus. De manuum item impoſitione, qua crebrius vſi ſunt apoſtoli, ſicut in Actis paſſim legimus, ita ſcribit: Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur. Et certe Chriſtianus dici

Aliena miſcet Tertulliani verbis.

Tertull. de effectu ſacramentorum.

Act. 19 & ali.

noo poteſt, qui quicquam horum oeget. Iam cõtinuo de corpore ſubdit & ſanguine Domioi: Caro corpore & ſanguine Domini veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Si priorum vnumquodque Tertullianus aſſeruerit, ceu verum & orthodoxum, & nemo qui orthodoxus eſt, quicquã in eis calumniari queat, cur non æquum erit etiam de poſtremo ſimiliter exiſtimare, ſic ſenſiſſe Tertullianum, quemadmodum ipſa verba ſonant, alioqui nec is nec alius quiuis authorum, quantumuis aperte ſcripſerit, calumnia cariturus eſt.

OEcol. *Addo etiam de melle & lacte & de omnibus quæ humanitus inuenta ſunt ſacramenta.*

Roff. Hoc tu verbis illius addis Oecolampadi. Sed nihil hoc loco Tertullianus ipſe de lacte melleve loquitur, dilucida ſunt hic ipſius verba, & citra velamen aperte pronunciata. Quod ſi locos alios quibus eandem Tertulliani ſententiam firmemus, quis deſideret, videat quid aduerſus Marcionem ſcripſerit, de quo ſuperius diſſeruimus. Etiam quid vxorem ſuam cõmonuerit, vbi diſſuadet ei ſecundas nuptias, libro ſecundo. Sic enim ait: Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciuerit panem, non illum eſſe credit qui dicitur, hoc eſt, vt Tertullianus plane ſentit, corpus Domini. Sic & aliis plerisque locis appellat hoc myſterium.

Tertullianus verbis addit Oecol.

Sup. li. 1. c. 22.

OEcol. *Nam & de melle ac lacte contra Marcionem dicit, quod Deus non reprobarit illorum ſocietatem qua ſuos infantet, oportebat vel ex huiuſmodi loco diuinare, imo clare videre, quid diceretur Quid eſt infantare, vt ille loquitur? nimirum oſtendere nuper genitos in Spiritu videlicet, neque enim mel vel lac infantat, hoc eſt, infantem reddit.*

Roff. Vtitur hauddubie Tertullianus durioribus frequenter & obſoletis verbis, quo fit vt & eius oratio plerunq; reddatur obſcurior, verum hoc loco nihil eſt obſcuritatis. Nulla prorſus hic opus eſt explanatione. Si fuiſſet hic obſcure locutus, facile permitterem vt ex alio produceres loco quicquam, quod ad iſtius illuſtrationem conduceret. Nunc autem difficiliora quædam & minus intelligibilia depromis, nec alio ſane conſilio niſi vt quod hic perſpicuum eſt, obtenebres, & quaſi nebulis quibuſdam obfuſces, quo lectoris animus dubius & ambiguus efficiatur.

OEcol. *Neque aqua abluit animam, neque panis, licet vocabulum corporis Chriſti ſortiatur, animam paſcit.*

Roff. Tu libenter immutas authoris ipſius verba, quod ſi liceret, ego facile quemcunque dederis authorem quaſi alium à ſeipſo reddam eueſtigio. N[illegible] dixit Tertullianus, aqua abluit animam, vt tu recenſes. Nam hic vos (qui ſacramenta negatis gratiam conferre) nouæ diſputationis anſam arripuiſtis. Sed dixit: Caro abluitur, vt anima emaculetur. Et quid hic, precor, alienum eſt à veritate? An non ſcribit Paulus ad Ephe. 5. Chriſtus dilexit eccleſiam & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Nunquid his verbis non plane teſtatur, nos aquæ lauacro mundatos? At à quibus opinaris ipſe ſordibus? Non corporis equidem, ſed animæ. Dic mihi, Quum infans aqua baptiſmatis abluatur, oum putas animam eius ab originalis peccati labe purgari? Sed neque dixit Tertullianus: Panis qui vocabulum corporis Chriſti ſortitur, animam paſcit; vt tua vafricies illi impingit. Sed quid? Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Hic nulla panis mentio fit, ſed tantum corporis & ſanguinis Domini, quibus & veſci noſtram carnem dicit, vt anima de Deo ſaginetur.

Verba Tertulliani immutat Oecol.

Paulus.

Baptiſmus nõ purgat ab originali.

OEcol. *Sed manifeſtum eſt, quod hæc diuina dona propter fidem homini concedantur.*

Roff. Non inficior, ſine his fidem haberi poſſe veram & viuam, qualem ſi quis aſſecutus fuerit, iam citra baptiſmum & Euchariſtiam inſertus eſt corpori Chriſti myſtico. Verum idem ſi tali fide potitus ſit, magnopere deſiderabit hæc ſacramẽta, nimirum vt ita particeps euadat ipſius corporis veri. Quod ſi vere credat, nequaquam per eum ſtabit, quo minus & iſtis (quamprimum fieri poteſt) ſanctificetur. Interim tamen ſi morte præuentus fuerit, benigniſſimus Deus hunc animum cum fide, pro facto reputaturus creditur. Quemadmodum & Ambroſius de Valentiniano Cæſare tradit, qui catechumenus ab illo factus, morte præueniebatur, quo minus hæc ſacramenta perciperet. Quem, inquit, in Chriſto renaturus eram, amiſi, ipſe vero gratiam, quam popoſcit, non amiſit. Cæterum ſi quis non credat his ſacramentis, aut non vehementer affectet, aut denique fidem tantum informem habuerit, eiuſmodi ſi deceſſerit abſq; ſacramentis iſtis, hauddubie periturus eſt.

Credenti ſacramenta in voto ſufficiũt, vbi oportunitas habendi ſit.

Valentinianum Cæſarem catechumenum ſaluatur.

OEcol. *Ablue quamdiu voles incredulum, non abibit anima mundiore. Inunge eum omni campanarum oleo, & hierichmitinorum balſamo, non facies fortiorem, manſuetiorem, vel charismatibus ſancti Spiritus magis conſpicuum, communicet quotidie, & ſolum iudicium reportabit.*

Roff. Incredulus eſt, qui prorſus omni fide caret, & tali nihil hæc ſacramenta proderunt. Nam accedentem ad Deum oportet credere. Veruntamen ſi quis credat, licet informiter, hoc eſt, fidem quandam habeat, quam vocant informem, qualis nõ deeſt bonæ hominum parti, talis hauddubie non eſt adhuc mundus, quum eiuſmodi fides non purget quenquam. Nihilominus & idem accepto ſacramento, ſi nullum ex parte ſua poſuerit obicem, protinus à labe quauis expiabitur, pariter & fides eius, quæ pridem informis erat, iam viua formataque reddetur. Quare ſi de ſimpliciter incredulo ſentias, vera narras, ſin de eo qui credit quidem, ſed adhuc viua caret fide, falſum dicis, & nemini recipiendum.

Heb. 11.

Habenti fidẽ informem proſunt ſacramenta.

Tantum

Tantum ſymbola quadam eſſe myſteria iſta contendit ex Chryſoſtomo, quem corruptiſſime citat.

Capvt XXVII.

OEcol.

Hoc ſane fatendum eſt, dum caro ſic miniſtrat animæ ſymbola ſanctiſſimarum rerũ ſuſpiciendo, multum nobis vtilitatis accreſcere, dum vel conteſtamur mirifica illa qua intus per gratiam fiunt, vel confortamur Spiritu, pie precando, auocati interim à prophanorum cogitationibus, & in hoc vnum intenti, vt cæleſtibus illuſtremur gratiarum ſplendoribus.

Roff. — *Euch. OEcolampadij nihil confert.* — *Iohan. 3. 1. Iohan. 4. Apoc. 1.*

At hæc nihilo magis præſtat panis ille tuus & vinum, quam ſi quis imaginem crucifixi cõtempletur, atque meditetur ex illa pictura charitatem illam eximiã, qua vel pater ille filium ſuum vnigenitum vnice dilectum, pro oobis miſeris ad crucis mortem dedit, vel qua filius ipſe corpore ſuo tenerrimo, pro noſtris ſcelerihus expiãdis, tam horrendum pertulit ſupplicium. Et certe mihi multo magis conferret cõtuitus eiuſmodi picturæ, quam viſibilium ſpecierum panis & vini, ſi oihil alud ſubeſſe crederem. Sed quom indicibilem illam Chriſti henignitatem conſidero, qua ſe præſentem exhibere dignatur ſuh illo ſacramento, quî poſſem adeo durus eſſe, vt non protinus amore incaleſcat animus, & ardenter affectem, hoc tam iocomparabili cibo refici.

OEcol.

Imo & neceſſaria ſunt externa illa quodammodo. Si enim incorporei eſſemus, vt Chryſoſtomus ſuper Matthæum dicit, nude dona incorporea nobis tradita eſſent, quoniam vero corpori coniuncta eſt anima, in ſenſibilibus traduntur intelligenda. Scite dicta ſunt hæc, & pulchre miniſterium nobis declarant ſacramentorum.

Roff. — *Adagium.* — *Rom. 1.*

Quid hic optem aliud OEcolampadi, quam quod prouerbij vice celchratur? Dij tibi mentem deot tuam. Profecto, niſi datus eſſes io reproham meotem, non hunc Chryſoſtomi locum pro te recenſeres. Nam apertiſſime tibi diſſentit, ſi totum citaueris, & quod aotecedit, & quod proxime ſequitur. Præcedunt enim hæc verba:

Chryſoſt. verba integra pro veritate corporis Chriſti.

Credamus itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui & cogitationi ooſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit, licet ſuperet & ſenſum & ratiooem noſtram. Quod in omnibus, & præcipue in myſteriis faciamus, non illa, quæ ante nos iacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba qooqoe eius tenentes. Nam verbis eius defraudari oon poſſumus, ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt, illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius fallitur, quoniam ergo ille dixit, hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate; ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus.

Matth. 26. Marc. 14. Luc 22.

Nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſed rebus ſenſibilibus: omnia vero, quæ tradidit, inſeoſibilia ſunt: ſic & in baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod aotem in ea cooficitur, regeneratio ſcilicet ac renouatio, iotelligibile quiddam eſt. Hactenus ipſe Chryſoſtomus. Vbi monet, quatenus Dei verbis credamus, quantumuis ea ſenſom & ratiooem noſtram ſuperent, & præſertim in ſacramentis. In qoibus docet noo aſpicienda illa, quæ ſenſu percipiuntur, quo falli poſſumus, ſed verhis quæ neminem fallunt, fidem adhibendam eſſe. Inde & colligit, nos quando ooiuimus dixiſſe Chriſtum: Hoc eſt corpua meum, omni prorſus ambiguitate depoſita, debere credere, verum ibi corpus eſſe, atque idipſum mentis oculis perſpicere. Nihil enim ſeoſibile oohis, ait, tradidiſſe Chriſtum, ſed ſuh ſenſibilibus intelligibilia. Quam rem declarat exemplo baptiſmatis. Aqua (inquit) qua abluimur, ſenſihilis quædam res eſt, ſed quod per eam præſtatur, intelligibile ſolum eſt, nempe regeneratio. Nunc & continuo quidem ſequuntur ea verba, quæ citauit OEcolampadius:

Chryſoſtomus.

Nam ſi incorporeus eſſes, nude ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi, hoc eſt, regenerationem & renouationem citra aquam, quemadmodum & angeli ſioe omni ſenſibili ſymbolo gratiam percipiunt, & præter naturæ ſuæ creationem, recreationem & regenerationem ſpiritualem accipiunt. Cæterum quoniam ipſi corporei ſumus, ideo ſuh corporeis ſymbolis iſta nohis traduotur, quæ mentis oculis capienda ſunt. Propter quod & poſt illa verba continenter ſubdit Chryſoſtomus: O quot modo dicunt! vellem formam & ſpeciem eius, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. veſtimenta eius deſideras videre? Ipſe vero ſeipſum tibi tradit, non vt videas ſolum, verum etiam vt tangas, & in te habeas. Vides lector tam ex illis, quæ præmiſit Chryſoſtomus, quam ex iſtis quæ ſequuntur, ea verba per OEcolampadium citata. quam longe diſſideant à mente & ſenſu Chryſoſtomi, & quantum etiam dedita opera fallere ſtudeat OEcolampadius lectorem, quandoquidem Chryſoſtomus plane ſenſit, non aſpicieodam ſpeciem panis viſibilem, quæ corporeis cernitur oculis, ſed ſpectandam potius oculis mentis, carnem Chriſti ſuh illa ſpecie paois intelligibilem, eredendo magis verbo Chriſti, qui dixit: Hoc eſt corpus meum, quam proprio ſenſui, qui nihil ibi conſpicit præter panem & vinum.

Species Euch. non tantum ſpectãda ſunt.

OEcol.

At propterea tantam & quaſi inſititiam vim rebus inanimatis tribuere non decet, ſicut Porphyrius & magi tradunt. Impium eſt per ea à fide auocari, per quæ ad fidem adhortari oportebat maxime.

Roff. — *Ad fidē [hor]tamur per Euchariſt.*

Abſit vt quis exiſtimet per hoc à vera fide nos auocari, quod ſuh ſpecie panis & vini, carnem & ſanguinem Chriſti contineri credamus. Nam per hoc potiſſimum ad fidem adhortamur. Quod & Chryſoſtomus paulo ſuperius io eadem Homilia ſuper Matthæum, quæ eſt 83. ex capite viceſimoſexto plane teſtatur, ioquiens: Sed ſicut in veteri, eodem hic modo in beneficio reliquit, memoriam myſteriorom colligendo, & hinc hæreticorum ora freñando. Nam quando dicunt, vnde patet immolatum Chriſtum fuiſſe, & alia multa myſteria. Hæc enim afferentes ora ipſorum conſuimus. Si enim mortuus Ieſus oon eſt,

Chryſoſtomus.

cuius ſymbolum ac ſignum hoc ſacrificium eſt. Vides quantum ei ſtudium fuerit, vt ſemper memoria teneamus, pro nobis ipſum mortuũ fuiſſe. Nam quoniã Marcion, Valentinus, Manichæus, eorumque ſeqnaces negaturi erant hanc diſpenſationem in memoriam paſſiouis, per boc ſemper ita reducit myſterium, vt nemo non inſanus ſeduci poſſit. Ita per ſacratiſſimam iſtam mẽſam, & ſaluat & docet. Hoc enim caput bonorum omnium eſt. Quare hoc Paulus volnit ac repetit, ſed tradito iam myſterio. Ecce dicit Chryſoſtomus, per hoc ſacramentum & ſacrificinm, hæreticorum ora frenari, qnnm negent immolatum fuiſſe Chriſtum, &c. Quamobrẽ & tu plane tuam teſtaris impietatem, qui per boc ſacrificinm à fide nos auocare contendis.

1. Cor. 11.

Eucha. ſacramẽto frenantur hæreticorum ora.

OEcol. *Deniq; quid Tertullianus vocet corpus Chriſti, abunde ſupra demonſtratum eſt.*

Roff. Et nos abunde ſatis (vt opinor) demonſtrauimus ſenſiſſe Tertullianum, non figuram ſolum, ſed & rem corporis pariter & ſanguinis in Eucbariſtia contineri. Atque iſtud quidem tam ex deſiderio vehementi, quo Chriſtus ardebat hoc Paſcha nounm cum diſcipulis ſuis edere, priuſquam pateretnr, quam ex deiectione veteris Paſchatis, quod & vetuecinnm Tertullianus per contemptum appellat. Et eerte ſi non eſſet alind in boc nouo Paſchate, quam panis & vinũ, vetus agnus Paſcbalis multo verius & efficacius figuraſſet Chriſtum paſſum, vt illic diximus, quam communis panis & vinum purum vllo modo qneant efficere. Adde quod Tertullianus illic, poſtquam ex Hieremia panem oſtenderit fuiſſe figurã corporis Chriſti, protinus his verbis vtitur: Sic & Chriſtus in calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis (vt ait) ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis. Nam & ſi qua corporis qualitas, non carnea nobis opponetur, certe ſanguinem, niſi carnea nõ habebit. Ita conſiſtit (inquit) probatio corporis de teſtimonio carnis, & probatio carnis de teſtimonio ſanguinis. Hæc Tertullianus ibi. Præterea quod dicit, Chriſtum acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecisſe. Et paulo poſt de ſanguine locutus dicit, Chriſtum ſanguinẽ ſuum in vino conſecraſſe. Cæterum, quod figuram etiam afferat hoc ſacramentum eſſe corporis Chriſti, nemo iſtud negat. Neque enim pugnant iſta, nimirum vt ſacramentum dicatur figura, atqne etiam vere contineat ipſam rem corporis, vt nos haud ſemel oſtendimns.

Lib. 2. cap. 10. 22. 24. 25. & prolo. 4. libri. Luc. 22.

Lib. 2. c. 22.

Gratianum inceſſit, quod auctorum dicta mutilet, quum ipſe longe turpius eodem vitio laboret.

Capvt XXVIII.

OEcol. *Similiter non terrent nos aduerſarij epiſtola concilij Epheſini, quod cæteris fuiſſe doctius lubens fatebor.*

Roff. Quid eſt quod te (nimirum hominem impudentiſſimæ audaciæ) terreat? Neque enim eſt quod ſuſtes & gladios metuas, quos nemo tibi minatur. Dedecoris opprobria ſaltem fugeres, nimirum in tot deprauationibus & corruptionibus anctorum deprehenſus. Verum tot nominibus infamaris, totque maculis ignominiæ & eiſdem inelnibilibns reſ[illegible]ergeris, vt iam citra pudorem omnem nihil ſit q[illegible]d non audeas.

OEcol. *In hac dicimur percipere [illegible]rnem viuificatricem.*

Roff. In illa epiſtola dictũ eſſe teſtaris. Sed vbi quæſo rem ipſam percipimus, hoc eſt, carnem Chriſti viuificatricem? Cnr iſtud ſubtices? Certe nnſquam alibi quam in Eucbariſtia. Nam & hanc Cyrillus myſticam benedictionem vbiq; vocat, & eadem ſanctificari nos dicit, ac participes corporis & ſanguinis Chriſti fieri, vt mox auditurus es lector.

Cyrillus.

OEcol. *Illi autem dicunt, noſtram ſententiam tunc caput ſuum exerentem tanquam hæreticam eſſe cõdemnatam, & in germine (vt aiunt) contritam, victamq; ſemel non oportere vinci denuo, & rebellantem non venia dignam, ſed ferro ignique exterminandam, miſericordes ſcilicet viros.*

Roff. Stulte miſeretur, qui graſſari ſuſtinet lupos in omnium exitium, quum non poſſit vtroſq; ſeruare, ſed omnino neceſſe fuerit, aut vt interimat lupos, aut oues crudeliter dilaniari patiatur. Idem certe faciendum arbitror proceribus eccleſiaſticis, quibus animarum commiſſa eſt cura. Nam vt eas, Chriſtus oues vocat myſticas, ita ſimiliter & hæreticos, lupos vocat & animarum corruptores. Quis itaque non perſpicit lupos iſtos, ſi non poſſunt aliter à caulis arceri, & à dilaniandis ouibus cohiberi, multo ſatius interimendos eſſe, quam vt viuere ſinantur in tantam ſtragem, exitiumq; & perniciem animarum.

Matt. 9. 10. 25. Iohan. 10. Matth. 7.

OEcol. *Verum qui legunt acta concilij, nihil tale inter canones eius contra nos pronunciatum inueniunt: tantum epiſtola quadam ponit, à nonnullis minus intellecta.*

Roff. Sed epiſtola non modo Cyrilli nomine, ſed & totius ſynodi conſcripta fuit, vice cuiuſdam præfationis ante canones poſita. Quam rem & titulus indicat, qui ſic habet: Epiſtola concilij Epheſini ad Neſtorinm. Huic ſynodo, quẽadmodum ibi traditur, præfuit Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus. Interfuerunt item patres & Epiſcopi ducenti numero. Salutatio quinetiam epiſtolæ talis eſt: Religioſo & Deo amabili conſacerdoti Neſtorio, Cyrillus & quicunq; ſunt apud Epheſi ſynodum. Quare nihil hæc tergiuerſatio tibi proderit. Cæterum de intellectu epiſtolæ mox videbimus, nimirum an tibi tuiſqne dumtaxat (quod nec citra ſupercilium arrogas) an aliis quoque non minus intellecta ſit.

Concilium Epheſinum à ducentis Epiſcopis celebratur.

OEcol. *Nec mirum, abbreuiatim enim, quam oportebat, illa citauit Gratianus, quæ ſi fideliter prolata fuiſſent, non tantam ſuſpicionem illius præſentiæ corporis Chriſti in pane, legentibus ingeneraſſent.*

Roff. Magna trabes in oculis tuis Gratianus eſt. Sed ipſe videris, ſi an non eiuſdem reus ſis criminis, qnod illi impingis. Mox enim oſtendemus, & hic te verſutiam ſolitã exercuiſſe, & expunxiſſe quædam

dam quæ plurimum & ſententiæ noſtræ conducunt, & tibi obſiſtunt. Sed vbique tui ſimilis es, neque tamen te pudet has technas aliis obiicere, in quibus ipſe toties ante ſueris deprehēſus. Porro quod obiicis Gratiano, manifeſte falſum eſt, quod & lectori conſtabit. Nam quæ prætermiſit, ad maiorem omnino fidem huius ſacramenti cōferrent, & iſtud in primis, quod & in epiſtola ipſa traditur. Sic etiam (inquit) ad myſticas benedictiones accedimus & ſanctificamur. Quæ verba docent nos Euchariſtiæ communione ſanctificari participesq; fieri corporis & ſanguinis Chriſti. Nam per totum commentarium in Iohannis Euangelium, vbi Cyrillus de Euchariſtia loquitur, vocabulo myſticæ benedictionis eam vult intelligi. Quam rē & aliquot exemplis alibi monſtrauimus.

De conſ. diſt. 2. c. neceſſario igitur.

Euch. vocatur myſtica benedictio.

OEcol. *Neq; enim tam indoctum vel improuidum erat concilium, atq; poſteriora quædam, quæ Romæ, Vercellis ac Turonis, ac aliis locis, ſuper his cenſuerunt.*

Roff. Mirum eſt, quod vos doctrinam aut eruditionem in aſſerendis, aut condemnandis dogmatibus deſideretis, quandoquidem & ſuper his rudi plebi iudicium & auctoritatem vindicatis. Si Spiritus ſanctus & vnctio plebem ſic inſtruxit, vt rectum ferre iudicium valeat, de quouis dogmate ad fidem ſpectante, quanto magis tot Epiſcoporum cæterorumque præſulum in ſacris literis exercitatorum, & ad hoc ipſum in Spiritu ſancto cōgregatorum, cuius etiam opem piis ante precibus efflagitabant, iudiciis ſententiiſque ſtandum erit.

1. Iohan. 2.

E ſacro concilio Nicææ habito, quædam expungere, nihil eum pudit.

Capvt XXIX.

OEcol. *Legitur autem in epiſtola Cyrilli ad Neſtorium nomine ſynodi Epheſinæ edita: Neceſſario igitur & hoc adiicimus. Annunciantes ſecundum carnem mortem vnigeniti filii Dei, id eſt, Ieſu Chriſti, & reſurrectionem eius & in cælis aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in eccleſiaſticis ſacrificiis ſeruitutem.*

Roff. Si nihil aliud hic eſſet in tota illa epiſtola, ſufficerent hæc verba, quibus teſtatur nos in eccleſiaſticis ſacrificiis incruentam celebrare ſeruitutem. Nam ex his palam eſt, primum oblationem Euchariſtiæ ſacrificium eſſe. Non eſſet autem ſacrificium, ſi nihil in ea præter ſolum panem & vinum contineretur. Nam eiuſmodi ſacrificia iampridem repudiata fuere, ſed propter hoc Euchariſtia ſanctiſſimum & excellentiſſimum ſacrificium eſt, quod in ea verum corpus & verus Chriſti ſanguis ex pane vinoque conſecrata ſunt, & per Chriſti verbum inuiſibiliter, operante Spiritu ſancto, ſupra captum humanæ mentis ibi repoſita. Subinde quum dicit, incruentam ſeruitutem, manifeſte diſcriminat inter eos, qui cruci Chriſtum affigentes, carnem illam vulnerantes, totum illud ſacrificium cruore ſpargebant, & nos, qui nunc paſſionis illius memores eadem ſpectatorum animos refricamus, citra corporis iteratam lacerationem, aut cruoris effuſionem, propter quod & noſtram ſeruitutem dicit incruentam.

De conſ. diſt. 2. c. neceſſario igitur.

At ſic eſt ſacrificium.

In miſſa eſt incruenta ſeruitus.

OEcol. *Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur participes corporis, & precioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrorum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentes habitationem.*

Roff. Quid hic (te precor) per myſticas benedictiones aliud intelligi Cyrillus voluit, quam Euchariſtiam, ad quam accedentes, & (vt moris Chriſtianorum tunc fuerat) edentes, ſanctificari nos aſſerit, & participes fieri corporis & ſanguinis Chriſti. Continenter explicat, quam & qualem carnem ibi percipiamus. Non vt communem (inquit) carnem percipientes, quod abſit, hoc eſt, à diuinitate ſeparatam. Quia ſic non viuificaret, nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentes habitationem, quod & propterea Cyrillus iam dicit, ne forte quiſpiam ſic accipiat, quod verbum ſolum hanc viuificationem operetur, & non ipſa caro quam vere viuificatricem eſſe teſtatur, vt mox audies lector, hoc eſt, quæ ſuapte virtute à verbo ſibi tradita, vere viuificat eos, qui pie digneq; accedunt & edunt. Nā priores Prophetæ, ſimiliter & Apoſtoli priuſquam ederint Euchariſtiam, coniuncti per fidem erant verbo, ſecundum dignitatis vnitatem, & in eis idem verbum diuinitus per fidem inhabitabat, ſed nondum carnis eius, quæ vere viuificatrix eſt, fuerunt participes.

Benedictio myſtica.

Caro Chriſti in Eucha. eſt viuificatrix.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

OEcol. *Sed vt vere viuificatricem eam profeſſus eſt.*

Roff. Hic haud ſcio, quibus digne verbis OEcolampadium taxabimus, quum paulo ante Gratianum abbreuiationis accuſauit, ipſe duas aut tres ſententias, quæ lucem huic negocio ſplendidiorem afferrent, impie non minus, quam ſubdole ſuſtulit è medio. Sic enim ipſe recenſet ex eadem epiſtola: Sed vt vere viuificatricem eam profeſſus eſt. At hic multa ſublata ſunt. Nam ita ſcriptum eſſe liquet in epiſtola: Sed vere viuificatricem & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, quia propriæ carni vnitus eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Sed hæc ſycophanta ſubduxit ex epiſtola. Vides hic lector, quantum iſtud poſterius abundat à priori, & tantundem OEcolampadius amputauit. Senſit igitur ſynodus, vt apertum eſt, nos ex Euchariſtiæ manducatione ſanctificari, carniſque Dominicæ participes fieri, eandemque percipere non vt communem carnem, aut vt alicuius hominis ſanctificati, ſed vt carnem vere viuificatricem, hoc eſt, vt carnem, cui vis quædam viuificandi cōmunicata eſt. Nam eadem velut inſtrumēto quodam vtitur verbum ipſum, quod naturaliter vita eſt, cui & vnitur ipſa caro coniunctiſſime.

Sup. c. 28.

De conſ. diſt. 2. c. neceſſario igitur.

Sententia Epheſinæ ſynodi de Euchar.

OEcol. *Et ideo quamuis dicat ad nos: Amen amen dico vobis, niſi*

niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis æſtimare debemus.

Roff. Hoc eſt, quamuis Chriſtus ipſo ſexto cap. Iohan. dixerit (nimirũ de hoc ſacramento loquens, ſicut & Cyrillus & veteres omnes teſtantur:) Amen amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem. Quãuis (inquit) hic de ſola carne loquatur Chriſtus, non tamen eam, vt hominis vnius è nobis æſtimare debemus; hoc eſt, quæ nullam viuificandi vim in ſe complectatur, ſed habet vim talem à verbo ſibi communicatam, ſicut & idem Cyrillus (*Cyrillus.*) apertius in Iohannem eodem ſexto cap. confirmat ſuper illis verbis: Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Quamuis (inquit) natura carnis, vt caro eſt, viuificare nequeat, facit tamen hoc iſta caro, quia totam verbi operationem ſuſcepit: (*Caro Chriſti viuificat.*) Corpus enim eſt, non cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe nil quicquã poteſt, non enim Pauli, aut Petri, aut cæterorum, ſed ipſius vitæ & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt. Nam ſi mel quũ naturaliter dulce ſit, ea dulcia facit, quibus immiſcetur, nonne ſtultum erit, viuificã verbi naturam putare non dediſſe homini, in quo inhabitat, viuificandi virtutem. Et quorſum quæſo, tam ſtudioſe Cyrillus iſtud vbiq; monſtrare niteretur, ſi non vere ſenſerit eam carnem à nobis in Euchariſtia comeſtam, nos viuificare poſſe.

OEcol. *Quomodo enim iuxta ſuam naturam viuificatrix eſſe caro hominis poterit: ſed vere propterea eſſe factam, qui propter nos filius hominis & factus & vocatus.*

Roff. Et hic plane falſarius denuo corrupit ipſius Cyrilli verba. Nam vbi legimus in OEcolampadio, ſed vere propterea eſſe factam; Synodus habet ita, ſed vere propriam eſſe factam. Senſus igitur eſt: Non debemus hanc carnem in Euchariſtia, ceu cuiuſuis noſtrum, carnem exiſtimare, nam caro per naturã carnis viuificare non poteſt. (*Matth. 26. & alibi.*) Cæterum quatenus eſt eius propria facta caro, qui propter nos vocari pariter & eſſe filius hominis voluit, eatenus habet viuificandi vim, ac proinde cunctorum, qui pie veſcuntur ea, vere viuificatrix eſt. Simile quiddam & ſuper Iohannem lib. 4. c. 24. dicit idem Cyrillus (*Cyrillus.*): Natura carnis ipſa per ſe viuificare non poteſt, quid enim maius natura Deitatis haberet? Nec ſola in Chriſto eſſe intelligitur, ſed habet filium Dei coniunctum, qui conſubſtantialiter vita eſt. Quando igitur viuificam Chriſtus ipſam appellat, non ita illi, vt ſibi, ſiue proprio ſpiritui vim viuificandi attribuit. Nam propter ſeipſum Spiritus viuificat, ad cuius virtutem per coniunctionem caro conſcendit. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere poſſumus, ſed ſilentio atque firma fide ſuſcepimus. Hæc Cyrillus. Quum igitur tam in epiſtola ſynodi, quam in commentariis ſuper Iohannem, hoc ipſum tam variis modis aſſeuerat, nempe quod in Euchariſtia, carne Chriſti viuificatrice paſcimur, res eſt apertior, quam vt negari poſſit, vel ab obſtinatiſſimo.

OEcol. *Ex his, quæ paulo antea diximus, quædam Cyrilli declarantes, & hæc colliqueſcunt. Nihil enim hæc contra nos, quæ audimus in myſterio fieri, & incruentam ſeruitutem, ac myſticas benedictiones eſſe, atq; hæc omnia, antequam dicantur, tam clare exponi.*

Roff. Profecto ſi quod per myſticas benedictiones, & incrueutam ſeruitutem Cyrillus intellexerit, tu recta & nou reproba mente caperes, tum ſatis aduerteres hoc ipſum tuam hæreſin radicitus euertere. (*Cap. eod.*) Neq; enim Cyrilli verba, quæ paulo ante citaras, quanquam id malitioſa calliditate ſis molitus, detorquere potuiſti, quin aperte peſtiferum dogma tuum condemnent, quod & æqui lectoris iudicio relinquo decernendum. Duos vtique recenſuiſti locos ex eodem Cyrillo, in quorum vtroque pios omnes & bene viuendi ſtudioſos idem hortatur, vt ab Euchariſtia ſumẽda non abſtineant, in qua non corruptibilis aliqua ſubſtantia nobis datur, ſed ipſum corpus Chriſti, qđ vere viuificat, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Et rurſum in poſteriori loco dicit: Si vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus ad recipiendam benedictionem, libenter concurramus. Me profecto puderet hæc teſtimonia toties iterare, niſi maior aduerſarij noſtri impudentia me prorſus adigeret, qui tam perfricta fronte negat ſentire Cyrillum, quod tamen eum vbique non ſenſiſſe modo, verum etiam aſſeruiſſe, cunctis apertiſſimum eſt.

OEcol. *Quid enim eſt aliud incruenta ſeruitus quam annunciatio mortis vnigeniti, & ſi annunciatio ſacrificij ſacrificium dicitur.*

Roff. Superius oſtendimus, cur ſeruitutem noſtram in miſſa dixerit incruentam. (*Cap. eod. Incruenta ſeruitus.*) Nos enim in hoc ſacrificio patri clementiſſimo Chriſtum immolamus, repræſentantes illam victimam corporis eiuſdem, quæ prius in cruce pro uobis oblata fuerat. Sed quoniam ibi vulneratum fuerat ipſum corpus, & innumeris affectum plagis, vnde paſſim recens cruor emanabat, iccirco ſeruitus illa non immerito cruenta dicitur. Noſtra vero ſeruitus, qui ſacrificium eiuſdem corporis & ſanguinis in miſſa iugiter offerimus, ſed citra lacerationem carnis, & ſine quauis ex corpore cruoris effuſione, merito vocatur hic incruenta ſeruitus, & non ſolum propter mortis ipſius annunciationem, ſicut OEcolampadius comminiſcitur, neque miſſa tantum eſt anuunciatio ſacrificij, ſed verum itidem corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium, (*Miſſa eſt ſacrificium.*) id quod ſanctiſſimorum auctorum teſtimoniis, ex locis mille comprobare poſſumus.

OEcol. *Si autem ſanguis adeſt, iam cruenta ſeruitus eſt, & non ſolum annunciatio ſacrificij.*

Roff. Et vere ſanguis hic adeſt, ſi verax Chriſtus ſit, qui dixit, hic eſt ſanguis meus. Nam eius verbis ita fidendum eſt, vt ea citra impietatem nemini liceat in dubium reuocare. Quoniam igitur ipſe dixit: Hic eſt ſanguis meus, quemadmodum & apud Matthæum & Marcum eſt, (*Matth. 26. Marc. 14.*) profecto non licet am-

cet am-

cet ambigere num hic ſanguis eius fuerit. Cæterum ob ſanguinis huius præſentiam, ſeruitus hæc miuime cruenta dici poteſt, quum non extra venas per vim erumpere ſanguis ipſe cogatur, ſed integer Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie, non quidem ex vi ſacramenti, ſed ex naturali concomitantia, neque per carnis lacerationem cruor verus è venis erumpit, id quod ad cruentationem exigitur.

OEcol. *Et ita annunciamus non ſolum mortem, ſed & reſurrectionem, & in cœlos aſcenſionem, quo colliqueſcat illic non eſſe corpus.*

Roff. Semper tui ſimilis es, hoc eſt, non veritatem aperire ſtudes, ſed eam dolis verſutiiſque & mendaciis obtegere moliris vbique. Non ita ſcripſit ſynodus, quod videlicet annunciamus, nõ ſolum mortem, ſed & reſurrectionem, & in cœlos aſcẽſionem, ſed ita: Annunciantes autem ſecundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id eſt, Ieſu Chriſti. Nam & hoc Paulus eos docuit ad Corin. 11. Quotieſcunque (inquit) manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Sed de reſurrectione & aſcenſione ſic dicit ſynodus: & reſurrectionem eius, & in cœlos aſcenſionem pariter confitentes. Ecce perdite ſycophanta, non retulit hæc tria, nempe mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem ad participium, annunciantes, ſed mortem duntaxat. Reſurrectionem autem, & aſcenſionem ad participium cõfitentes. Quamobrem nec vt tu colligis, colliqueſcit non eſſe corpus in Eucbariſtia. Neq; enim conſequitur: Chriſti corpus in cœlum conſcendit, non eſt igitur in Eucbariſtia, quum nos plane fateamur ipſum in diuerſis locis eſſe, per Deitatis omnipotẽtiam, quæ hoc ipſum ſupra naturã ipſius corporis ei præſtat.

De conſ. diſt. 2. c. neceſſario egitur.

1. Cor. 11.

Male refert OEcol. verba.

OEcol. *Et iterum vide, quam caute dicat, accedere quidem ad myſticas benedictiones, ſanctificari vero participes corporis & precioſi ſanguinis.*

Roff. Hic ego potius adhortabor lectorem, vt tuam verſutiam attendat vigilantius, & qua arte ſeparare conaris illa duo, quæ ſynodus omnino coniunctim tribuit ſacramẽto, nempe ſanctificationem & eſum. Nam plane dicit, nos ad myſticas benedictiones accedere, & ſanctificari, participeſque fieri corporis & ſanguinis Chriſti, carnem eius vt vere viuificatricem percipientes. At vbi precor alibi ſanctificamur, participamus, & carnem ipſam viuificatricem percipimus, quam ex Euchariſtia, ad quam accedimus & edimus. Profecto ſi docta fuiſſet hæc ſynodus, id qđ tu paulo ſuperius affirmabas, nunquam in re tanti momẽti ſic ſcripſiſſet, vt cõtradictoriis videri poſſit ſauere ſententiis. Quare ſi pro nobis faciant ſynodi verba, quod & ſermonis ipſe contextus indicat, palam eſt, te per vim ad tuum ſenſum eam detorſiſſe, quod certe non eſt nouum tibi, quum nullum auctorem, quantumuis luculẽtiſſimum, ad eundem non tractes modum.

In Euch. percipimus carnem Chriſti viuificatricem.

OEcol. *Per benedictiones adſunt myſteria ac ſacramenta.*

Roff. Si per benedictiones tantum adſint myſteria, cur in ſuperioribus aliis duobus à te citatis teſtimoniis, ita ſcribit. In priori quidem ſic: Quid igitur Chriſtus pollicetur, quid credentibus affert? Corruptibile certe nullum, hoc eſt, nullam ſubſtantiam corruptibilem, ſed benedictionem quam communicatione corporis & ſanguinis eius aſſequimur. In poſteriori vero ſic: Nos vero ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus. In vtroq; igitur facit benedictionis mentionem, ſed nihil ad ſenſum tuum. Neq; enim conueniunt, per benedictiones tantum adeſſe myſteria, & nobis conferri benedictionem, quam communicatione corporis & ſanguinis Chriſti conſequimur. Cæterum vbique Cyrillus hoc verbum vſurpat pro Euchariſtia.

Cyrillus.

OEcol. *Sanctificatio autem, non à ſignis eſt, ſed à fide, per quam corporis Chriſti ſumus participes.*

Roff. Sanctificamur vtique, nec per ſigna, neq; per fidem ſolam, ſed per eſum carnis & ſanguinis Chriſti, quæ ſub ipſis ſignis latent, atque ita participes efficimur corporis & ſanguinis Chriſti, non fide ſola, quemadmodum tu moliris. Nam fruſtra carnem viuificatricem edimus in ſacramento, ſi nihilo magis per eius eſum ſanctificemur, quam per ſolam fidem. Quare palam eſt te nimiſquam ſtulte ſeparaſſe duo hæc, nempe ſanctificationem & eſum, quando non aliunde ſanctificationem iſtam accipiamus, quam à ſpirituali ipſa eſca, quam ſumimus in ſacramento. Propter quod & manifeſtum eſt, hunc cibum nobis non contuendum ſolum, verum etiam edendum proponi, vt videlicet ex eo ſanctificemur.

Eſu carnis Chriſti ſanctificamur.

OEcol. *Cuius carnem diuinam, & viuificatricem contra Neſtorium ſtrenue aſſeuerabimus, etiam ad mortem vſque, modo infirmitatem noſtram iuuet Chriſtus, & in hoc nihil recedimus.*

Roff. Tu ſtrenue ad mortem vſque contra Neſtorium dimicabis, qui nec pauperem religionis habitum pro Chriſto ferre dignatus es? Porro Neſtorius negabat carnem Chriſti in Eucbariſtia viuificatricem eſſe, quandoquidem & Chriſtum hominem purum, non autem Deum fuiſſe contendebat. Cuius hæreſin Celeſtinus, Romæ ſynodo multorũ Epiſcoporum habita, Cyrillus quoque cum ducentis apud Epheſum congregatis Epiſcopis condemnauit. Quanquam igitur fatearis Chriſti carnem viuificatricem eſſe, quum tamen eandem in Eucbariſtia viuificare ſumentes neges, in hoc nihil recedis à Neſtorio.

Neſtor. error.

Celeſtinus contra Neſtorium.

OEcol. *Cæterum impanati corporis Chriſti non meminit ſanctus ille conuentus.*

Roff. Veriſſime iſtud dixiſti: Neque panis ibi manere ſubſtantiam Cyrillus fatetur, quandoquidem ſuis verbis abs te paulo ante citatis aſſeruit, Chriſtum nihil incorruptibilis ſubſtantiæ dediſſe nobis, ſed benedictionem, quam communicatione corporis & ſanguinis eius conſequimur.

OEcol. *Neq; enim propterea participes erimus corporis Chriſti, ſi ad myſteria admittamur, quæ & impij rapiunt, ſed ſi fideles fuerimus, carnem Chriſti manducamus, ſiue participes ſimus ſacramentorum, ſiue non.*

Poſſu-

ROFF. Poſſumus equidem indigne ad cibum hunc accedere, & qui ſic accedunt, iudicium ſibi manducant, vt Paulus ait. Sed tameu iuter eos, qui pie digneq; accedunt, par eſt vt hi, qui corporaliter edunt, altiori quodam gradu ſubleuentur ad gratiam, q̃ qui fide tautum. Alioqui hi, qui nunquam edunt, tantundem cõſequuntur quantũ hi, qui frequentant. Adde ꝙ fides (vt ſæpe diximus) pro bona hominum parte, informis eſt, & hi parum proficiunt, dum ſacramentum contuentur, & non realiter manducant. Sed & Cyrillus affirmat, eos qui rarius communicant, magnam amittere gratiam. Sic enim in priori teſtimonio paulo ante per te citato dicit: Sciant baptizati, & diuinæ gratiæ facti participes, Si rarius in eccleſiam proficiſcantur, & longo temporum ſpacio, propter ſimulatam religionẽ, myſtice communicare Chriſto recuſent, ab æterna vita ſe procul depellere. Et cur ita? Nimirum quod à Chriſto qui vera vita eſt, & ab eius carne, quæ vere viuificat cunctos eadem pie veſcentes, elongant ſeſe per ſtultam abſtinentiam. Prior itaq; pars aſſertionis tuæ vera eſt, quod ſine fide accedentes nihil proficiant, imo ſibi officiunt magis. At pars altera, multis obiectionibus obnoxia eſt. Nam incertum eſt, quis fidem habeat formatam: deinde ſi talem à quouis fidem haberi, conſtiterit: adhuc poſtquam ederit, nihil perdit, ſed plenius incorporabitur. Veruntamen ſi per incuriam abſtinuerit, amiſſurus eſt gratiam quam accepit.

1. Cor 11.
Corporaliter Euch ſacramentum digne ſumentes, gratiam conſequũtur ampliorem.
Non communicantes gratiam amittunt.
Iohan 14.
Iohan. 6.

Fœde lacerat & torquet Chryſoſtomum plane reclamantem ſententiæ ſuæ.

CAPVT XXX.

OECOL. *EX quibus intelligere poſſumus, & ea quæ Chryſoſtomus ſuper Iohannem dicit, quorum & ſupra mentionem fecimus. Sic autem dicit: Neceſſario dicendum, quam admiranda myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas? vnum corpus ſumus, & membra ex carne & oſſibus eius, quare initiati eius præceptis parere debent. Vt autem non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum efficitur, quem nobis largitus eſt.*

ROFF. Si paulo altius repetiiſſes hoc teſtimouium, pariter & ea, quæ continuo ſequuntur, nou ſubticuiſſes, profecto caliginem omoem abſterſiſſes lectori. Nam ad hunc modum Chryſoſtomus habet: Quando ſubit quæſtio quomodo aliquid fiat, ſimul ſubit incredulitas. Ita & Nicodemus perturbatus eſt, inquiens: Quomodo poteſt hõmo iu ventrem matris ſuæ iterato introire. Itidem & hic, hi nunc: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducãdum. Nam ſi hoc inquiris, cur non idem in quinque panum miraculo dixiſti? Quomodo eos in tãtum auxit? Quia tunc tantum ſaturari curabant, non conſiderare miraculum. Sed res ipſa tunc docuit, inquies: Ergo & ex eo hæc credere oportuit ei facilia factu eſſe. Propterea id prius fecit miraculum, vt per illud non eſſent amplius iucreduli, his quæ poſtmodum diceret. Illi quidem tunc temporis nihil ex his dictis, oos ipſius beneficij vtilitatem cepimus. Quare neceſſario dicendum, quam admiranda myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas. Et cætera quæ ſequuntur, ſicut in verbis per te citatis legitur. Sed hæc eſt execranda tua verſutia, dicam, an malitia potius, qui ſic ex truncatis auctorum ſententiis circumuenire lectorem ſtudes, & tuam his artibus hæreſin ſtatuere. Nam hic ex inſtituto Chryſoſtomus docet, non eſſe quærendum, aut dubitandum, quomodo Chriſti carnes nobis edendæ proponuntur in his myſteriis, hoc eſt, in ſacramentis corporis & ſanguinis ſui, ne per eiuſmodi quæſtiones aliquam incurramus iucredulitatem. Id quod tibi maniſeſto contingit OEcolampadi, propter iſtam inquirendi nimiam curioſitatem. Scriptum enim eſt: Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Hac itaque nimia temeritate tua, fidem, quam aliquando non mediocrem habueras (ſicut ex eo ſermone, quem ſuper hoc ſacramento ſcripſeras, aperte liquet) iam penitus amiſiſti, & iuſto Dei iudicio nunc excæcatus es. Sed expendamus ipſa verba Chryſoſtomi: Oportuit (inquit) ex miraculo quinque panum credere Chriſtum facillime potuiſſe carnẽ ſuam in myſteriis, hoc eſt, in Euchariſtia nobis ad mãducandum præbuiſſe. Nam propter boc ipſum, nimirum vt Iudæi non eſſent dicendis increduli, miraculum iſtud in eorum conſpectu palam fecit. At nihil eis tunc temporis, aut miraculum, aut ſermo ſequens profuit. Nos autem ex vtroque beneficium (vt ait) accepimus. Ex quibus & collegit neceſſarium ſibi tum fuiſſe, diſſerere, quam admirauda ſiut hæc myſteria, in quibus Chriſti carnes edimus, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas. Et iſta ſubſequenter docet. An non enim admiranda ſunt myſteria, quibus vnum corpus cum Chriſto facti ſumus, & membra ex carue & oſſibus eius. Data ſunt autem hæc myſteria, vt his initiati, præceptis eius pareamus. At dixerit quis, per dilectionem, hoc eſt, per formatam fidem conuertimur in Chriſtum. Hic ergo diſtinguit Chryſoſtomus inter eam conuerſionem, quæ per ſolam dilectionem fit, & quæ fit re ipſa, nimirum vt intelligamus conuerſionem in Chriſtum, quæ ſola dilectione fit, oon tantarum virium eſſe, atque ea eſt, quæ re ipſa (hoc eſt, per myſteriorum eſum) in ipſam carnem fit. Trutina lector hic ſingula verba diligentius. Vt autem (inquit) non ſolum per dilectiouem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem largitus eſt uobis. Iſtis autem verbis & cætera uon te pigeat lector adiungere, quæ continenter ſequuntur in eodem apud Chryſoſtomum loco. Quum enim ſuum (inquit) in uos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maxime eſt. Hoc Iob ſignificabat de ſeruis, à quibus maxime amabatur, qui ſuum amorem præ ſe ferentes, dicebant:

Chryſoſt. Serbo.
Iohan. 3.
Iohan. 6.
Modus ſumẽdi carnẽ Chriſti nõ eſt ſcrutandus.
Sermo OEcol. de Euchar.
Sententia verborum Chryſoſtomi.
Iohan 6.
1. Cor. 10.
Conuerſio duplex.
Iob. 31.

Quis

Quis det nobis vt eius carnibus impleremur. Qđ Chriſtus fecit, vt maiori nos charitate aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, noo ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri. Quid hic audis lector aliud quam oos in Euchariſtia vere Chriſti carnibus veſci, & Chriſtum (vt ita ſuum erga nos amorem indicaret) per ſui corporis eſum, ſe oobis commiſcuiſſe, & in vnum ſe nobiſcum redegiſſe corpus. Quem quidem amorem apertiſſime monſtrat ex verbis ipſius Iob, vt hic palam intelligas, qui ſic à ſuis ſeruis amatum ſe dixit, vt affectarent ei ſeipſos incorporari, hoc ipſum docet feciſſe Chriſtum, qui nos omnes (quum Euchariſtiam ſumimus) eſu carnium ſuarum abunde ſatiat & implet. Sed pergit adhuc Chryſoſtomus de myſteriorum vtilitate ſuſius diſſerẽs. Ab illa igitur menſa, tanquam leones ignem ſpirantes, ſurgamus, diabolo formidoloſi, & caput noſtrum, hoc eſt, Chriſtum loquentem nobis, intelligamus, & quam in nos præ ſe tulit charitatem. Parentes ſæpenumero liberos ſuos aliis alendos dederunt, ego autem mea carne alo, me bis exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris ſpem præbeo. Qui in hac vita ita ſe nobis exhibet, multo magis in futura. Veſter ego frater eſſe volui, communicaui carnem propter vos, & ſanguinem, & per quæ vobis coniunctos ſum, ea rurſus vobis exhibui. Et in his verbis aduerte, quod adhuc de menſa Domini loquitur, & quam amantiſſimis Chriſtus erga nos verbis vtitur, commemorans parentes aliquando liberos ſuos alendos aliis dediſſe, ſe vero nos alere propria carne ſua. Memorat & ſe fratrem noſtrum eſſe factum, communione carnis & ſanguinis noſtri, quæ quidem ex parentibus noſtris accepit, ſe vero viciſſim carnem ſuam & ſanguinem exhibuiſſe nobis, quatenus nos (vti ſuperius dixit) eius membra fieremus, ex carne & ſanguine ipſius. Adiecit iam & præconia ſanguinis, quem in Euchariſtia ſumimus. Hic ſanguis facit, vt imago in nobis regia floreat. Hic ſanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat & nutrit, langueſcere non ſinit. Sanguis enim à cibo non fit repente, ſed prius aliud quiddam: hic quamprimũ irrigat animam, eamque vi quadam magna imbuit: hic myſticus ſanguis dæmones procul pellit, angelos & angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cum Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertunt, angeli autem procurrunt. Hic ſanguis effuſus, vniuerſum abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebræos proſecutus eſt. Hactenus de ſanguine ipſo, quem potamus in Euchariſtia. Nunc vero quantam vim in figuris habuerat, oſtendit, vt per hoc diſcamus, quam longe maiorem in ipſa veritate pręſtitit efficaciam. Hic ſanguis abdita & ſancta ſanctorum purgabat. Quod ſi eius figura tantam habuit vim in templo Hebræorum in media Ægypto liminibus aſperſus, longe magis veritas. Hic ſanguis aureum altare ſignificauit. Sine hoc princeps ſacerdotum in penetralia iogredi noo audebat. Hic ſanguis ſacerdotes faciebat. Hic ſanguis in figura peccata purgabat. Et iam protinus adiicit: In qua figura ſi tantam habuit vim, ſi vmbram ita mors horruit, quantopere quæſo ipſam formidabit veritatem. Et paulo poſt adiungit: Admiranda ſane eccleſiæ myſteria, admirabile ſacrarium. Hæc ipſe Chryſoſtomus. Vbi vides lector, de nullis aliis hic myſteriis admirandis fuiſſe locutum, niſi de ſacramentis corporis & ſanguinis Chriſti, quibus & in menſa Dominica participamus. Falſum ergo mẽdacium comminiſcitur OEcolampadius, volens hæc intelligi dicta fuiſſe de Chriſti incarnatione, quemadmodum paulo poſt audiemus.

Vtilitates Eucha. ſacramẽtum ſumentibus prouenientes.

Qui hæc legunt, memores eſſe debent, legere ſe commentarios in ſextum cap. Iohan. vbi nihil de ſacramentaria manducatione loquitur. OEcol.

Tu videris an æquum ſit, vt tibi, quem omnes norũt hæreticum & apoſtatam eſſe, potius quam orthodoxis patribus, qui contrarium concorditer aſſerunt, fidem adhibeamus. Ego vero num tibi magis quam illis in hoc negocio credi conueniat, lectoris cõſcientiæ relinquo. Nihil autem dubito quin Auguſtinus, Cyrillus, Cyprianus, Hieronymus, Chryſoſtomus, & cæteri patres orthodoxi, qui rem iſtam alicubi tractant, prorſus affirment, hoc ſextum caput Iohannis de ſacramentaria mãducatione debere intelligi. Id quod ex prioribus Chryſoſtomi ſermonibus dilucide quiſque perſpiciet. Nam & is de ſacramentaria mandocatione (quantumuis ipſe recalcitres) illa priora voluit intelligi. Roff.

Cap. 6 Ioh. intelligitur de ſacramentaria manducatione.

Et admiranda myſteria vocat, non ceremonias, quæ in pane & vino, ſed οἰκονομίαν vt vocant, Chriſti incarnationem, qua verbum caro factum eſt, & ita vnum corpus ſumus & membra ex carne & oſſibus. OEcol.

Vix ferre poſſum hæc tam aperta mendacia. Pollicitus equidẽ eſt Chryſoſtomus ſe dicturum, quam admirãda myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas. Quare ſi per hæc myſteria, voluit incarnationis diſpenſationem intelligi, de ipſa incarnatione diſſerere debuiſſet, de qua tamen nec verbum quidem vllum eſt locutus. Porro per incarnationem ſuam Chriſtus ex carne & oſſibus noſtris, caro factus eſt. At per cibum iſtum, quem nobis ipſe largitur, hoc eſt, per eſum corporis & ſanguinis ſui, nos re ipſa conuertimur in carnem eius, & facti ſumus eius membra, ex carne & oſſibus eius, ſicut & ſuperius ex Pauli verbis docuit Irenæus. Non dixit itaque Chryſoſtomus, Chriſtum ex noſtra carne & oſſib. eſſe, quod vtique pertinet ad eius incarnationem, per quam particeps efficitur naturæ noſtræ, hoc eſt, carnis & ſanguinis noſtri, ſed dixit nos per huoc cibum, hoc eſt, per eſum carnis & ſanguinis Chriſti, corpus vnum cum eo fieri, & membra ex carne & ex oſſibus eius, & nos re ipſa non per dilectionem ſolam conuerſos in carnem eius eſſe. Roff.

Chryſoſt. verba de Eucha. intelligenda.

Iohan. 1.

Epheſ. 5.

Sicut & fratres Ioſeph dicebant: Frater enim & caro noſtra eſt. OEcol.

Noo dixerunt fratres Ioſeph ſe fuiſſe re ipſa Roff.

Gen. 37.

conuerſos in carnem ipſius Ioſeph. Sed eum ex carne ſua eſſe. Propterea quod ex eodem patre (vnde & ipſi carnem acceperunt) ſumpſiſſet & ipſe carnem. Cæterum, ſi potuiſſet ipſe Ioſeph ſuis carnibus & ſanguine paniſſe fratres, quemadmodum & Chriſtus nos quotidie paſcit, tum dixiſſe eis licuit, ſeipſos ex carne & oſſibus fuiſſe Ioſeph: ſicut & Paulus ad Epheſ. dicit: Eccleſiam quam idem affirmat nutriri fouerique à Chriſto, *Epheſ. 5.* membra corporis eius fieri, de carne eius & oſſibus eius.

OEcol. *Veritatem autem carnis Chriſti, vbiq; doctores fideliter docent, alioqui dictum Apoſtoli ad Epheſios indigne tractabitur.*

Roff. Niſi paulo fidelius ipſi docuiſſent, veritatem carnis in ſacramento ipſo eſſe, quam tu conaris, actum eſſet de eccleſia. Sed neque tua peruerſitas recte Paulum ad Epheſios concipit. *Ephe. 5.* Nam lõge diuerſum eſt, quum dixeris, Chriſtum ex nobis eſſe, hoc eſt, ex noſtra carne & oſſibus noſtris, ab eo, quod Paulus dicit: Nos vnum corpus eſſe & membra ex carne & oſſibus Chriſti, vti ſuperius ſatis explicauimus.

OEcol. *Et ſi omnino contendas ceremonias admirandas, admiſſum eſto, maxime admirabiles, propter ſignificationem tam admirandi corporis.*

Roff. Si propter ſignificationem tantum, hæc myſteria corporis & ſanguinis Chriſti ſint admiranda, nihil erunt præſtantiora carnibus & ſanguine vitulorum, atque taurorum, in veteri lege: Nam ea nemini dubium eſt, Chriſti carnem & ſanguinem figurabant. Nihil etiam erunt mirabiliora, quam Paſchalis agnus, quam Manna, quam panes propoſitionis, quam alia mille ſigna & figuræ, quibus vtebantur Iudæi ſub veteri Teſtamento. Cur etiam toties inculcaſſet Chryſoſtomus: Si tantum valuit vmbra, quanto magis nunc veritas, nimirum ſub vmbræ vocabulo figuratum pecudum ſanguinem intelligens, & ſub veritate, ipſum Chriſti ſanguinem. Nunquam enim iſtud aſſeruiſſet, niſi verum in menſa Dominica ſanguinem omnino credidiſſet.

Exod. 29. Leuit. 4. Num. 19 & alibi. Exod. 12. Exod. 16. Leuit. 24.

OEcol. *Porro quod ſequitur, quomodo re ipſa in illam carnem conuertamur per cibum nobis datum, quis cibus ille ſit, ipſum os aureum eadem Homilia docuerat, exponens hoc quod Dominus dicit: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, interpretatur; Panem ſiue doctrinam hoc in loco & ſalutem & fidem in ſe ſiue corpus ſuum dicit.*

Roff. O verſutiſſimum hæreticum, qui ſi vel vnicum verbulum in prolixa quauis Homilia repeiat, quod trahat & rapiat in partem ſuam, cætera contemnit omnia, quantumuis apertiſſime dogma ſuum confodiant. Atqui non ſic effugiet doloſa vulpes. Fateor equidem, hæc dixiſſe Chryſoſtomum, & in eadem Homilia, ſed plurimum refert quanam Homiliæ parte dixerit iſtud, & in quorum interpretatione verborum. Certe priuſquam ad myſteriorum ſermonem venerat, ea dixit. Nam & Chryſoſtomus myſteriorum verba vocat hæc: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. In his verbis de ſacramẽto Chriſtus agit, & propterea Chryſoſtomus hæc dicit eſſe myſteriorum verba, hunc enim panem daturus fuit Chriſtus. Sed aduerte lector, quam varie loquatur in hoc Euangelio Chriſtus de pane. De Moſe primum dicit, quod is olim dediſſet panem. De patre, quod is dat panẽ de cœlo verum. De ſeipſo deniq; dicit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Chryſoſtomus itaque panem, quem dedit pater, intelligi poſſe docet, vel doctrinam Chriſti, vel ipſum Chriſtum. Si quis (inquit) manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panem vero ſiue doctrinam, hoc in loco, & ſalutem, & fidem in ſe, ſiue corpus ſuum dicit. Vtrunque enim animam fortiorem reddit. Ecce de duobus loquitur, qui dicit vtrunque. Panem ergo quem dedit pater, dicit accipi poſſe, vel pro doctrina verbi, vel pro corpore Chriſti. Siue doctrinam (inquit) ſiue corpus ſuum; & adiecit Chryſoſtomus hanc particulam, videlicet hoc in loco, nimirum vt daret intelligi, non ita poſtea locis aliis panem accipiendum eſſe, ſed tantum pro pane ſacramentario, hoc eſt, pane Dominici corporis. Nihil igitur id technæ profuerit doloſæ vulpi.

Verba myſteriorum. Iohan. 6. Panis multiplex. Panis à patre datus eſt doctrina Chriſti.

OEcol. *Et quomodo fide in carnem eius conuertamur, non multo poſt dicemus, audiamus nunc reliqua, quæ ſimplicem morari poſſent. Quum enim (inquit) ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maxime eſt, hoc Iob ſignificabat de ſeruis, à quibus maxime amabatur, qui ſuum amorem præ ſe ferentes, dicebant: Quis det nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, vt maiori nos charitate aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & deſiderio ſui impleri omnes.*

Roff. Non modo ſimplices hæc verba morari debẽt ab hæreſi tua peſtilẽtiſſima, qua negas in Euchariſtia verum eſſe corpus Domini, ſed & omnes quotquot ſuæ ſalutis curam agunt. De myſteriis hic plane loquitur Chryſoſtomus, quemadmodum ante pollicitus eſt. Neceſſario (inquit) dicendum quam admiranda ſint myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas. Et ſequitur: Vnum corpus ſumus & membra, ex carne & oſſibus eius. *Epheſ. 5.* Quare initiati, præceptis eius parere debent. Vt autem nõ ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur; An non hic apertum Chryſoſtomus diſcrimen facit, inter eam conuerſionem in Chriſtum, quæ fit per dilectionem, & quæ fit re ipſa. Quid eſt per dilectionem in Chriſtum conuerti? Per fidem certe formatam charitate. Nam ipſa eſt, de qua Paulus ait, fides quæ per dilectionem operatur. *Gala. 5.* Per hanc vtique fidem conuertimur in CHRISTI corpus myſticum, ſiquidem eam habuerimus. Verum (vt ſæpe diximus) incertum eſt, quis eam habeat. Quod ſi quis eam habuerit, tamen Euchariſtiæ cibo contempto, facile perdet eam. Quamobrem & alius inſuper modus eſt, quo in veram Chriſti carnem conuertamur, nimi-

Conuerſio in Chriſtum duplex.

nimirum eſu corporis & ſanguinis Chriſti, & hoc eſt re ipſa in Chriſtum conuerti. Propter quod & continuo ſubiicit Chryſoſtomus: Per cibum id efficitur, quem largitus eſt nobis, in his haud-dubie myſteriis. Quid autem efficitur per hunc cibum? Nimirum vt re ipſa in Chriſti carnem veram conuertamur. Iam continuo ſequuntur ea verba, quæ citat hic OEcolampadius. Quum enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Quid (precor) eſt ſuum corpus commiſcere nobis aliud, quam ſui corporis eſu nobis immiſceri? Et huc ſpectant verba ipſius Iob per Chryſoſtomum citata, huc pertinent & cætera, quæ ſequuntur per totius Homiliæ decurſum. Quid enim dilucidius eſſe poteſt, quam vbi de carnibus Iob edendis eſſet locutus, ilico ſubdidit: Quod Chriſtus fecit, vt maiori nos charitate aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.

Iob. 31.

Truncantur verba Chryſoſt.

Et hic obſerua lector, quod OEcolampadius hæc verba, nempe carni ſuæ dentes infigi, ſuo more ſuſtulit penitus, quæ tamen Chryſoſtomi ſenſum illuſtrant maxime. Rurſus quum poſtea Chryſoſtomus, Chriſtum nos alloqui facit, ad hunc modum: Ego (inquit) mea carne vos alo. Et paulo poſt: Veſter ego frater eſſe volui, communicaui carnem propter vos & ſanguinem, hoc eſt, veſtram carnem & ſanguinem curaui mihi vobiſcum fieri communem. Et per quæ vobis coniunctus ſum, ea rurſus vobis exhibui. Ecce. Quid dilucidius expectare potuimus. Carnem & ſanguinem, quæ de nobis accepit, eadem in his myſteriis nobis rurſus exhibuit. Conſentiunt & cætera, quæ ſequuntur omnia, vt nullis huius hæretici perditiſſimi verſutia pariter & malitia, dignis (prout meruit) queant obtundi conuiciis.

OEcol. *Hæc verba ſi de humanitate Chriſti intelligantur, ſicut dicta ſunt, quanto magis mouent, & propoſito congruunt? An non magna charitatis argumenta, naſci, mori, & reſurgere in carne noſtra propter nos. Nam etenim homo ſe nobis commiſcuit.*

Roff. O nequiſſimum caput, non potes ignorare de myſteriis corporis & ſanguinis Domini illa dicta fuiſſe. Quid ad hunc locum attinet de natiuitate, aſcenſione, reſurrectione Chriſti diſſerere. De morte certe non fuiſſet incongruum, quandoquidem & ſuæ mortis memoriam Chriſtus agi voluit, quoties iſta myſteria celebrarentur. De carne igitur & ſanguine Chryſoſtomus hic diſſeruit, quæ & dicit in his myſteriis nobis exhibita, quemadmodum eadem prius accepit à nobis.

Chryſoſtomi mens de Euchariſt.

OEcol. *Verum hoc mouet quoſdam, quod dicit carni illius dentes infigi, & vt Cyrillus dicit cognatum guſtum, & propterea carnalem etiam cœnam requirunt.*

Roff. Non carnalem impiiſſime. Quia nō more cæterarum carnium hunc cibū edimus. Caro quidem eſt, ſed quando comeditur, non laceratur dentibus, neq; digeritur in carnem noſtram, ſed nos conuertit in ſe, & Chriſtus per eſum eius mēbra nos efficit ſui corporis, nimirum vt ſimus vnum cum illo corpus, & membra eius ex carne & oſſibus eius, hoc vtique cibus iſte præſtat. Quamobrem vt nihil ambigeremus nos Chriſti carnibus veſci, Chryſoſtomus apertiſſimis verbis id explicare voluit, dicens: Chriſtus iuxta deſideriū ſeruorum Iob, vt maiori nos aſtringeret charitate, & vt ſuum in nos deſiderium oſtentet, non ſe tantum videri permiſit deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & dentes carni ſuæ infigi.

Modus ſumēdi carnem Chriſti. Ephe. 5.

Chryſoſtomus. Iob. 31.

OEcol. *Sed non vident incircumſpecti familiare eloquentibus, parerga miſcere parabolis, ſicut & pictores hominem picturi, corymbos, flores, campos & flumina circumpingunt.*

Roff. O mentem inſanam. Nunc quum te medium teneri cernas, ad iſta confugis, quaſi rerum iſtarum obiectu, nos in ſole caligare facias. Profecto non ignorabas hoc verbo Chryſoſtomum apertiſſime rem indicaſſe, quum dixerat: Et carni ſuæ dentes infigi permiſit. Nam iſtud nuſquam alibi, quam in Euchariſtia de carne Chriſti poterit intelligi. Nunquam enim Chriſtus carnem ſuam dentib. noſtris expoſuit, præterquam in Euchariſtia. Cæterorum nihil eſt, quod non coloris alicuius prætextu facile queas excuſare. Verum iſtud nullo valebis vnquā obducere fuco. Quod videri ſe Chriſtus permiſerit, aut tangi, aut manducari, facile prætexes id oculis intuentium, aut manibus tangentium, aut mentibus credentium fuiſſe factum. Cæterum, quod dentibus carnem ſuam obiecerit, nunquam tam impudēs eſſe potes, vt factum eſſe dicas alibi, quam in Euchariſtia. Propter quod & hæc verba ſuo loco perfraudulenter expunxiſti, ne dormitantem alioqui lectorem excitaſſent.

Caro Chriſti dentibus exponitur.

OEcol. *Ne autem putes humano capiti ſubiungi equinam ceruicem, ſummam familiaritatem eo tropo commendant, ita præſentia veræ carnis Chriſti tunc reſocillatos, vti re quam auide comedimus.*

Roff. Vere ceruicem equinam adiungemus humano capiti, ſi tuam ſequamur interpretationem. Nam vbi, precor, & quādo ſe Chriſtus videri permiſit in humanitate ſua. Nam de hac tu Chryſoſtomi ſermonē accipiendum eſſe contendis. Hic nimirum in terris dices, quando cum hominibus conuerſabatur. Et tangi ſimiliter, quādo ſe Thomæ cæteriſque palpandum præbuit. At quando manducari, per fidem inquies, quoties in eum credimus. Sed iam reſponde, quando ſeipſum dentibus noſtris expoſuit. Hoc inquies tropus eſt, quo ſumma Chriſti familiaritas commendatur. Chriſtus ergo vere conſpectus fuit in humanitate ſua, vereque palpatus in eadem. Sed manducatus & dentibus noſtris expoſitus, non niſi tropo. An non iſtud eſt equinam ceruicem humano capiti coniungere? quum tropos ad hunc modum adnectis veritatibus. Porro quod ais, ita præſentia veræ carnis Chriſti tunc reſocillatos, vti re quam auide comedimus, non reluctor. At

Iohan. 20.

certe non erat ſermone tam imperitus Chryſoſtomus, vt eam refocillationem explicaret infixione dentium in carnem Chriſti.

OEcol. *Impletum enim fuit deſiderium Prophetarum.*

Roff. Matth 13. At longe copioſius impleti fuerunt, qui Chriſtum Deum & hominem in carne conſpexerant. Nam ad iſtos dixit Chriſtus: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ
14 vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt. Certe qui iſta deſiderabant, hauddum plene ſatiati fuerant. Cæterum inter iſtos, qui viderunt & audierunt, hi (quibus inſuper ipſa Chriſti caro ſub ſpecie panis porrigeretur edenda) ambigentes, in eo ſacramento veram Chriſti carnem contueri, per eſum illius carnis longe præ cæteris, & ſaturatiores, & beatiores fuere.

OEcol. *Et ad hoc iuxta 70. accommodat dictum contuberniorum beati Iob. Nam Hebræa aliter ſonant, quis det vt de carnibus eius ſatiemur?*

Roff. De Hebræa veritate falſum eſt, quod dicis, quemadmodum tibi multo ante reſpondimus. Idem enim omnino ſenſus eſt Hebræo & 70. interpretibus. Nam vtrobique Iob affirmat miniſtros ſuos vehementer affectaſſe ſuis carnibus ſatiari. Veruntamen Hebræus ardentiorem famem exprimens, aſſerit eos dixiſſe ſe ſatiari non poſſe. Sic enim Hebræus ad verbum habet, לא נשבע
Iob. 31. אם לא אמרו מתי אהלי מי יתן מבשרו,
Hoc eſt, ſi nõ dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius, non ſaturamur.

OEcol. *Hoc eſt eximio affectu dictum, quando ab amicis diuelli nolumus.*

Roff. At non ſatis ad rem affectum hunc exprimis, quum dicas amicum ab amico nolle diuelli. Significantius explicaret, ſi quis amantem dixerit ſe cupere amato ſuo incorporari, aut amatũ ſuum ſibi inſeri, & quaſi vnum corpus fieri cum amato. Tibi viſum eſt iccirco dentes eſſe infigendos amico, ne poſſis ab eo diuelli. At profecto durior & abſurdior eſſet ea metaphora, quam ſcriptori cuipiam erudito congruat, nedum Chryſoſtomo. Sed & alieniſſimum eſt ab eius inſtituto, quod & lectori cuiuis nihil ambigo ſatis eſt perſpicuum.

Affectus explicatio.

OEcol. *Præterea in ſpirituali manducatione nihil prohibet, quin ſic loquamur. Nam vt ſtomachum, viſcera, fibras, venas, oculos, genas, & alia membra animæ tribuimus modo ſpirituali, ita & ſpiritualiter membrorum opera ei non denegamus quod manducet, videat, dentibus mordeat, & ſimilia.*

Roff. Non reluctor quin in myſtica manducatione nihil horum ſit, quod non queat myſtice intelligi. Cæterum apertum eſt, hoc loco Chryſoſtomum de myſticis dentibus nihil cogitaſſe, quum ſcripſerit Chriſtum, quatenus maiori charitate nos aſtringeret, & vt ſuum erga nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantum videri, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi permiſit, de corporea certe mãducatione locutus eſt, & prorſus intelligi voluit Chriſtum carnem ſuam in Euchariſtia vere dentibus noſtris obieciſſe, nõ quod ex eis quicquam iniuriæ pati queat, ſed vt apertiſſime nobis exprimeret non modo Chriſti ſummum amorem erga nos, verum etiam veritatem carnis eius in Euchariſtia.

Chryſoſt. de corporali mãducatione loquitur.

OEcol. *Et eſt videre in eadem Homilia, quomodo multa laudantis more ἐγκωμιαστικῶς de ſanguine dicat, quod lauet, ornet, incendat, illuſtret, cœlum penetrare faciat, in quibus tamen nec craſſi lectores offenduntur, & mirum eſt in vna hac re non velle doceri.*

Roff. Multis vtique præconiis hunc ſanguinem extulit, quibus omnino docemur, & certi ſumus illum de vero ſanguine Chriſti, qui in Euchariſtia continetur, intellexiſſe. Nam plurima commemorat, quæ ſanguine pecorum, hunc Chriſti ſanguinem figurante, facta ſint, vt inde robuſtius colligat, quanta ſit huius veri ſanguinis efficacia. Si figura (inquit) huius ſanguinis tantam habuit vim in templo Hebræorum, & in media Ægypto liminibus ædium aſperſus, longe magis veritas. Impoſſibile fuit, vti Paulus aſtruit, ſanguine taurorum & vitulorum auferri peccata. Cæterum quatenus ille ſanguis vmbram huius, qui in Euchariſtia eſt, & figuram geſſit, eatenus vim habuit expiandorum peccatorum. Et ſanguis agni Paſchalis (quum ex eo poſtes ædium, in quibus Hebræi commorabantur, in Ægypto reſpergebantur) non ſua virtute, ſed virtute ſanguinis huius, cuius figura fuerat & vmbra, liberum ipſum populum fecit à plaga percutientis angeli. Quamobrem quum hæc vſqueadeo perſpicua ſint, mirandum eſſet potius, ſi quiſquam hominum hoc tuo peſtifero dogmate ſe peruerti abs te ſineret, quam ſi nolit in his aut aliis abs te doceri.

Chryſoſt. de vero ſanguine Chriſti loquitur.

Exod 12.
Hebr. 10.
Exod. 12.

Citat Hilarium, qui tamen ex inſtituto ſententiam illius iugulat dilucide.

Capvt XXXI.

OEcol. *Acerſitur autem & Hilarius contra nos, qui dicit in Pſalmo ſexageſimoquarto: Habemus etiam cibum præparatum. Et quis hic cibus eſt? ille ſcilicet, à quo ad Dei conſortium præparamur per communionem ſancti corporis, in cõmunionem deinceps ſancti corporis collocandi. Id enim Pſalmus præſens ſignificat, dicens: Paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio tua, quia cibo illo, quamuis in præſens ſaluemur, tamen in poſterum præparamur.*

Roff. Quis alius (quæſo) viſibilis Chriſtiano cibus eſt, qui conditiones iſtas habeat, de quibus agit Hilarius, quam ſacramentum altaris? Per hunc vtique cibum ad Dei conſortium præparamur. Communicamus item per hunc cibum corpori pariter & ſanguini Chriſti. Cibus etiam ipſe communis eſt omnibus Chriſtianis, qui & nectit eos, quum inter ſe, tum ipſi capiti Chriſto. Adde quod per hũc cibum in cõmunionem ſancti corporis in cœlo collocandi ſumus. Is denique cibus dum in hoc exilio degimus, ſalutem præſtat, & ad futuram nos præparat vitam.

Effectus Euchariſt.
1. Cor. 10.
Epheſ. 5.
Iohan 6.

At non

OEcol. *At non pugnat contra nos. Fides enim cibus eſt, quo ad Dei conſortium præparamur, non ſignum.*

Roff. *Non conuenit Hilario cum OEcolamp.*

Tibi nihil pugnare permittis, qui meris mendaciis ita reſpergere te poſſe putas, quicquid obiicitur, vt ſpeciem præ ſe ferat inſani tui dogmatis. plane contra te pugnat hic Hilarius, quum tu neges quod ille fatetur, & ille viciſſim negat, quod tu modis omnib. aſtruere conaris. Tu certe negas in hoc ſacramento quicquam aliud contineri, præter merum panem. Ille vero cibum hunc eſſe dicit, quo præparamur ad Dei conſortiũ per communionẽ ſancti corporis ex eo cibo. Certiſſimum enim cuiuis eſſe poteſt, ſi communionem ſancti corporis accipimus eo cibo, quod aliud quiddam ibi contineatur, præter merum panem. Tu negas panem illum vllam in ſe efficaciam habere. Ille tantam huic cibo tribuit, vt per eum nunc in præſens ſaluemur, & poſthac ad Dei conſortium præparemur. De fide vero, quod ais, quis vnquam dixerit fidem eſſe cibum, niſi fidem acceperis pro re credita. Chriſtus enim cibus eſt, & verbum Chriſti cibus eſt. At Chriſtum aut verbum eius, nemo dicit fidem eſſe, niſi tantum pro re credita fidem intelligas. Fidem autem, quæ virtus theologica eſt, nemo cibum appellat, ſed per eam potius edere ſpiritualem cibum dicimur. Atque ita ſuperius ipſe communem angelis & nobis cibum, veritatem eſſe contendebas, nihilque intereſſe, niſi quod illi contemplatione comedant, nos autem fide. Fides igitur non eſt, quod editur, ſed quo nos edimus. Et ſane ſic ab his, qui quicquam ſapiunt, aſſeritur. At vos inuoluitis & confunditis omnia, ignique (vt aiunt) aquam permiſcere conamini.

Fides non eſt cibus. *Sup. lib. 3. c. 15.*

OEcol. *Tametſi cibus verbi vel ſacramenti ſeruiat fidei, qua Chriſto & omnibus eius membris incorporamur.*

Roff. Imo fides magis inſeruit tam Euchariſtiæ cibo, quam cibo verbi Dei. Crede (inquit Auguſtinus) & manducaſti. Et quid manducas? non fidem certe, ſed fide manducas Chriſtum. Veruntamen hęc manducatio tenuis admodum eſt, ſi cum fideli manducatione corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia conferatur. Et incorporatio quoque, quam ſola fides efficit, vt ſæpe diximus, parum diu durabilis eſt, ſine iugi eſu ſacramenti. Propter quod & Chryſoſtomus paulo ſuperius eam incorporationem, quæ per cibũ Euchariſtiæ fit: re ipſa conuerſionem in Chriſtum appellat, ita diſtinguens inter vtranque: Vt autem (inquit) non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur: per cibum id efficitur quem nobis largitus eſt Chriſtus, nimirum eundem quem hic Hilarius tradidit.

Prol. 2 lib. Prol. 5. lib. Lib. 2 c. 26. Lib. 3. c. 2. 10. Lib 4. c. 8. 22. 25 & alo.

OEcol. *Et hic quidem pro conditione huius vitæ fides beat, ſi tamen ad futuram reſpicias vitam, tantum præparat.*

Roff. *Fides ſola non beat.*

Quoties ferme de fide loqueris, toties auditores tuos fallis: Nam hi te putant de ſola credulitate loqui: & talem fidem ſufficere, qualem ipſe habes. At hanc certum eſt beare neminem poſſe. Fides enim quam hæreticus habet, longe diſſidet ab ea fide, quæ vel hic pro ſtatu vitæ nos reddit ſaluos, vel ad æternam futuræ patriæ ſalutem præparat.

OEcol. *Etenim vere fideles, vt in vno campo militant, ita in vno regno triumphabunt.*

Roff. Vnus hauddubie campus eſt eccleſiæ, in quo fideles militant. Sed quid hæreticis cum iſto campo, à quo ſe per impia priuataque dogmata ſepararunt? Tribuite quantumcunque velitis fidei: ſi non recte præterea de ſacramentis eccleſiæ ſenſeritis, & vnitatem orthodoxæ fidei ſeruaueritis, nunquam alibi quam in gehenna; hoc eſt, in regno Satanæ patris veſtri triumphabitis.

OEcol. *Sacramentum ſane viſibile nihil tale præſtat, quamuis coram hominibus in teſtimonium aſſumitur, quali fide incorporati ſimus.*

Roff. *Euch. præſtat beatitudinẽ & vitam æternam.*

Quandiu credideris, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti nihil eiuſmodi præſtare poſſe, nunquam ſalutem ipſe conſequeris. Et quomodo non præſtabit hunc effectum cibus iſte, in quo Chriſti caro, quæ vere viuificatrix eſt, continetur. Nam hoc Cyrillus vbiq; docet, & Chriſtus ipſe fatetur, dicens: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Et rurſum, panem ſacramentarium diſcipulis porrigens, ait: Hoc eſt corpus meum. Sed hic tu corpus pro figura corporis interpretaris. At quomodo iſtud probas? Ego Chriſtum audio verbis abſolutiſſimis pronunciantem: Hoc eſt corpus meum, cui & quotquot ſunt orthodoxi patres cuncti ſubſcribunt. Quomodo igitur vis, vt tibi credam homini hæretico, & bis apoſtatæ, contra tot patres orthodoxos, imo contra Chriſtum ipſum, quum tu nullis ſanis ſcripturis innitaris, vt mox videbimus, nulliſque ſolidis argumentis fulciatur tua hæreſis, ſed meros fucos, inanes nugas, & apertiſſima mendacia tantum proferas.

Iohan. 6. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

OEcol. *Violentiora videntur, quæ idem ſcribit libro de Trinitate octauo, atq; ita vt carnis eſu nobis dari vitam, conuincere credant. Sed proponamus ea primum, & deinde excutiamus. id quod non opinor cariturum fructu.*

Roff. Si fructus quiſpiam ab hæretico ſperandus eſt, tum perſuadebis nobis ex hac tua diſputatione fructum aliquem oriturum. At certe fructus, quem hic ex te percipiemus, non eſt alius, niſi quod tua peruerſitas magis ac magis inde cunctis innoteſcet, vt diſcant ita cauendum ſibi eſſe, tam à te, quam à tui ſimilibus. Quid enim eſt, quod non iſtiuſmodi gloſſematibus & mendaciis impudentiſſimis ad alium omnino ſenſum trahere queas? Eiſdem enim fucis, quibus Auguſtinum, Ambroſium, Cyrillum, Cyprianum, Irenæum, Chryſoſtomum, Tertullianum, & iam Hilarium obduxiſſe te putas, poteris & tua ipſius verba modo velis colorare, quę pro communi totius eccleſiæ conſenſu tua conſcientia negare nequit abs te fuiſſe ſcripta. Scripſeras enim quando ſanæ mentis eras, hac ipſa de re prolixam concionem, & ad communem totius eccleſiæ vtilitatem, quam etiam imprimi curaueras. Sed nunc ita peruertit te Satanas per curioſam indaginem tanti ſacramenti, vt gratiam omnem amiſeris, & ſis ab omnibus deploratiſſimus.

Matth. 7. *Quos auctores fucis obducat OEcol.* *Concio OEcol. de Euch. commendatur.*

OEcol. *Dicit ergo: Eos qui nunc inter patrem & filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo vtrúmne per naturæ veritatem, hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis.*

Roff. Proponit hic Hilarius inprimis quæſtionem vnam, ex cuius dilucidatione mox aliam diſſoluere molitur, de qua fuerat olim inter orthodoxos & Arrianos acerrima prolixaque digladiatio. Contendebant enim Arriani nullam eſſe inter patrem & filium vnitatem aliam, quam voluntatis & concordiæ. Percontatur igitur eos Hilarius primum: Cuiuſmodi ſit ea vnitas, qua Chriſtus nobis vnitur, & nos illi, vtrum ſit naturalis vnitas, an concordiæ ſola, hoc eſt, an ſimus vnũ pro natura corporum, an pro ſola coniunctione animorum. Reſpondet igitur Hilarius huic percontationi, dicens:

Arrianorum error.

OEcol. *Si enim vere verbum caro factum eſt, & nos vere verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ſub ſacramento communicandæ carnis nobis admiſcuit.*

Roff. Duobus nexibus vnũ ſumus cum verbo, quod eſt filius vnigenitus Dei patris. Altero quod ipſe carnem noſtram vniuit ſibi, nimirum quum eſſet incarnatus. Altero quod nos viciſſim eius carnem edimus, in cibo videlicet Dominico, & in Euchariſtiæ ſacramento. Et quoniam horum nexuum vterque per naturam carnis eſt, non per ſolam coniunctionem voluntatum, idcirco colligit inter nos & Chriſtum, veram quandam & naturalem vnitatem eſſe. Et hic aduerte lector, quam citra quamuis nubeculam clariſſime teſtetur, nos Chriſti carnem ſumere in cibo Dominico, id quod nullis fucis OEcolampadius nulloque poteſt adulterino colore tingere.

Iohan. 1. Iohan. 6. Ephe. 5. 1. Cor. 10.

OEcol. *Ita enim omnes vnum ſumus, quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis.*

Roff. Breuiter ex illis infert oportere veram vnitatem eſſe inter patrem & Chriſtum, atque nos. Quoniam ſicut pater in Chriſto, ita Chriſtus in nobis. Et quemadmodum nos cum Chriſto ſumus vnum, ita & ipſe cum patre vnum. Quo fit, vt omnes vnum ſumus.

OEcol. *Quiſquis ergo naturaliter patrem in Chriſto negabit, neget prius, non naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe.*

Roff. Quiſquis ergo negabit patrem eſſe in Chriſto per naturã, idem ante negaturus eſt nos in Chriſto, pariter & Chriſtum in nobis per naturã carnis eſſe. Negabit & mutuam ipſam naturalem vnitatem, quam duobus ante nexibus, inter nos & Chriſtum factam eſſe diximus, nempe per incarnationem ſuam, qua de nobis carnem accepit, & viciſſim per donationem carnis ſuæ, quam in cibo Dominico nos ab eo ſumimus.

Supra eod.

OEcol. *Quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis, vnum in his eſſe nos faciunt.*

Roff. Hoc eſt: Quoniam inter patrem & Chriſtum eſt naturalis quædam vnitas, & inter nos & Chriſtum item naturalis, neceſſario conſequitur, vt & nos vnum ſimus cum vtroque, hoc eſt, cum filio pariter & patre. Non ita tamen iſtud accipiendum eſt, vt intelligamus has vnitates ſecundum eandem prorſus naturam eſſe, quum noſtra vnitas, quam habemus cum Chriſto, ſit iuxta naturam carnis, vnitas vero, qua pater Chriſto nectitur, vnitas eſt Deitatis.

Iohan. 10. Iohan. 18.

Vnum ſumus cum Deo.

OEcol. *Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſq; vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramentum proprietas, perfectæ ſacramentum ſit vnitatis.*

Roff. Vides hic lector totam argumentationis vim ex eo pendere, quod in Euchariſtia veram Chriſti carnem ſumimus. Nam ex carnis (quam ipſe de nobis ſumpſit, & quam denuo nobis eandem communicauit) naturali proprietate, naturalis colligitur vnitas inter nos & Chriſtum. Nam hoc duplici nexu iuncti ſumus Chriſto. Et hic rurſum aduerte lector, quod iterum Hilarius aſſerit nos vere carnem edere in Euchariſtia, quam & myſterium appellat & ſacramentum. Summa igitur argumentationis eſt: Si Chriſtus vere carnem noſtri corporis aſſumpſit, & nos etiam vere carnem corporis eius in Euchariſtia ſumimus, vt ita ſimus vnum cum eo, ſicut & vnum eſt ipſe cum patre, oportet vt ſicut noſtra vnitas cum Chriſto naturalis eſt, ita & vnitas Chriſti cum patre ſit identidem naturalis.

Euch myſterium vocatur.

OEcol. *Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum, neq; per violentam atq; impudentem prædicationem cœleſtium dictorum ſanitati, alienæ atq; impiæ intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei fungemur officio.*

Roff. Audis hæc OEcolãpadi, qui ſeculari nimiſquã inſanis eloquentia, quique pro ſenſu carnis tuæ contra omnium patrum auctoritatem, de ſcripturis Dei pernicioſe loqueris, & per violentam & impudentiſſimam expoſitionem tuam, qua ſic interpretaris Chriſti verbũ, hoc eſt corpus meũ: eſt, id eſt, ſignificat: vel corpus, id eſt, figura corporis. Huic cœleſti dicto quod vtique ſaluberrimum eſt, tu adulterinam & impiam intelligentiam ingeris extortiſſime. Admonet igitur te verbis iſtis Hilarius, quatenus attentius legas, & rectius intelligas, atque ad hunc modum ita perfectæ fidei fungeris officio, quo nunc abuteris.

De diuinis rebus modeſte loquendum.

OEcol. *De naturali enim Chriſti in nobis veritate, quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atq; impie dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus, nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hæc veritas eſt? Contingat plane his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant.*

Roff. Ecce naturalem ipſam vnitatem quam dixerat

nos

nos habere cum Chriſto, iam ex ipſius Chriſti verbis docet, nempe quod ipſe dixerit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meũ, in me manet & ego in eo. Ex quibus Chriſti verbis infert, non eſſe relictum dubitandi locum, quin vera caro & ſanguis Chriſti ſint in ipſo ſacramento, quorum hauſtus & eſus id præſtant, vt Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto ſimus. Et hic perpende lector quod hæc verba Chriſti deſumpta ſint ex capite ſexto Iohannis, de quo miſeri iſti contendunt, nihil ad Euchariſtiam pertinere, atque id plane contra veterum omnium vnanimem ſententiam.

Iohan 6.
Corpus & ſanguis Chriſti vere ſunt in Euchar.
Cap. 6. Iohan. loquitur de Eucha.

OEcol. *Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum, hoc quod nos ſumus, in Deo eſt.*

Roff. Duo ſunt. Chriſtus in nobis, & nos item in Chriſto. Chriſtus per ſuæ carnis eſum, vere eſt in nobis. Et rurſum nos in eo vere ſumus, dum noſtra humanitas (quam ille de nobis ſumpſit) cum illo pariter eſt in Deo.

Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto.

OEcol. *Quod autem in eo, per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſumus, ipſe teſtatur, dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis, quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis tantum vnitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atque ordinem conſummandæ vnitatis expoſuit, niſi vt cum ille in patre per naturam diuinitatis eſſet, nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rurſum in nobis per ſacramentorum ineſſe myſterium crederetur ac ſic perfecta per mediatorem vnitas doceretur, quum nobis in ſe manentibus, ipſe maneret in patre, & in patre manens, ipſe maneret in nobis, & ita ad vnitatem patris proficeremus, quum qui in eo naturaliter ſecundum natiuitatem eſt, nos quoque in eo naturaliter ineſſemus, ipſo in nobis naturaliter permanente.*

Roff. Hoc ipſum & ex alia ſcriptura copioſius oſtẽdere nititur, ex qua docet, Chriſtum inter nos & patrem eſſe mediatorem, quo nectantur in vnitatem quandam extrema, nempe pater & nos. Is mediator Chriſtus, vnum eſt patri per naturam diuinitatis, per quam & manet in patre. Nobis autem vnum eſt per naturam carnis, per quam & manet in nobis, per naturam inquam carnis ſuæ, quam nobis per Euchariſtiæ cibum communicat. Quare per hunc mediatorem, qui tam vnum patri, quam nobis eſt, nos ad patris vnitatẽ quaſi gradu quodam & ordine proficimus.

Iohan. 14. Galat. 3. Tit. 2. Heb. 8. 9. 12.

OEcol. *Quod autem in nobis naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, eius tantum in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit.*

Roff. Ecce verus carnis eſus in Euchariſtia, nobis cũ Chriſto naturalem vnitatem præſtat. In Chriſto non ſumus, niſi Chriſtus per ſuæ carnis eſum in nobis fuerit. Nam ideo communicamus ei in aſſumpta carne noſtra, quod nos illius carnem edamus in ſacramento. Vt enim ille per carnem à nobis acceptam, nobis communicat, ita nos viciſſim illi per carnem eius à nobis comeſtam, cõmunicamus. Atque ita fit, vt qui Chriſti carnem edit, & bibit eius ſanguinem, in Chriſto maneat, & Chriſtus in eo.

Eucha. ſumptio efficit nos vnum Chriſto.

OEcol. *Perfectæ autem huius vnitatis ſacramentum ſuperius iam docuerat dicens: Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat meam carnem, & ipſe viuet per me. Viuit ergo per patrem, & quomodo per patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuimus.*

Roff. Eandem naturalem vnitatem adhuc confirmat Hilarius & alia ſcriptura. Cuius hic ſenſus eſt: Sicut miſſus à patre, propter patrem (qui eſt fons vitæ) viuit, ita & qui manducant in ſacramẽto carnem Chriſti, quæ vere viuificatrix eſt, & ipſi viuent per Chriſtum. Sicut itaque Chriſtus viuit per vnitatem Deitatis quam habet cum patre, ita & nos, propter vnitatem carnis, cuius mãducatio nos vnum cum Chriſto reddit, viuimus per Chriſtum. Quamobrem & conſequenter propter hanc vnitatem etiam vnum euadimus cum patre.

Iohan. 6.

OEcol. *Omnis enim comparatio ad intelligẽtiæ formam præſumitur, vt id de quo agitur, ſecundum propoſitum exẽplum aſſequamur.*

Roff. Hoc propterea dixit Hilarius, ne ſophiſta quiſpiam argutior ad hunc modum obiiciat: Si iuſta fuerit iſta conſecutio, quam intendit Hilarius, oportet nos eodem modo vnum eſſe patri, hoc eſt, per eſſentiam & naturam Deitatis, ſicut & Chriſtus vnum eſt patri. Nam ipſe iuxta Deitatis naturam, vnum eſt cum patre. Præuenit igitur Hilarius hoc ſophiſma dicens: Omnis enim cõparatio, &c. perinde ac ſi dixerit, non eſt neceſſe, vt hic intelligamus omnimodam vtrobique ſimilitudinem, ſed talem quæ noſtræ naturæ congruat. Nam fieri nullo pacto quibit, vt ſimilitudo noſtræ vnitatis cum Chriſto, prorſus quadret ei quæ eſt vnitatis Chriſti cum patre, quandoquidem vnitas iſta Chriſti cum patre, ſecundum eſſentiam Deitatis, noſtra vero vnitas cum Chriſto, iuxta naturam carnis eſt.

Antipophora Hilarij.
Vnitas noſtra cum Chriſto differt ab eius vnitate cum patre.

OEcol. *Hæc vero vita noſtræ cauſa eſt, quod in nobis per eum, ea conditione, qua viuit ille per patrem.*

Roff. Inchoatur iam in nobis æterna vita, per eſum huius carnis viuificatricis. Nam ita Chriſtum, qui vera vita eſt, manentem in nobis habemus, quem ſi ſtudioſe cuſtodierimus, ipſe præſtabit, vt per eum in æternum victuri ſimus, ea conditione, qua viuit ille per patrem. Sed hic mutilatus eſt haud mediocriter Hilarij textus. Nos igitur integrum ſubiiciemus, ne quicquam deſideres lector. Sic enim habet Hilarius: Hæc vero vitæ noſtræ cauſa eſt, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus, victuris nobis per eum, ea conditione, qua viuit ille per patrem.

Vita æterna inchoatur nobis per Euch. ſumptionem. Hilarius.

OEcol. *Si ergo nos naturaliter ſecundum carnem per eum viuimus, id eſt, naturam carnis ſuæ adepti, quomodo non naturaliter ſecundum Spiritum patrem in ſe habeat: quum viuat ipſe per patrem. Per patrem autem viuit, dum natiuitas non alienam ei intulit diuerſamque naturã, dum quod eſt, ab eo eſt, & nec tamẽ ab eo per aliquã incidentem naturæ diſſimilitudinem ſeparatur, dum*

in ſe habet patrem per natiuitatem in virtute naturæ.

ROFF. *Ratiocinatio Hilarij contra Arrianos.*

Igitur ex his quæ ſupra dixerat, collectam argumentationem in Arrianos iam vibrat, cuius hæc eſt ſumma: Quando iam conſtitit ex ſcripturis mediatorem hunc, nempe Dei filium, nos in veram quandam vnitatem coniunxiſſe patri, cõſequitur, vt ſi nos propter carnem illius quam in Euchariſtia manducamus, naturaliter viuimus per Chriſtum; & ipſe propter Deitatem, quam accepit à patre, naturaliter viuit per patrem. Accepit enim per natiuitatem ſuam æternam à patre, non alienam à natura patris Deitatem, propter quam & habet in ſe manentem patrem in virtute naturæ.

OECOL.

Hæc autem iccirco à nobis commemorata ſunt, quia voluntatis tantum inter patrem & filium vnitatem, hæretici mentientes, vnitatis noſtra ad Deum vtebantur exemplo tanquam nobis ad filium, & per filium ad patrem obſequio tantum ac voluntate religionis vnitis, nulla per ſacramentum carnis & ſanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, quum & per honorem nobis datum, Dei filij, & per manentem in nobis carnaliter filium, & in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter vnitis, myſterium veræ ac naturalis vnitatis ſit prædicandum.

ROFF.

Memorat hæc ſe dixiſſe cuncta propter hæreticos, qui negabant aliam vnitatem inter patrem & filium quam concordis voluntatis, idque contendebant prætexentes haud aliam inter nos & Chriſtum atque patrem, quam voluntatis religionem. Perindeatque nulla per eſum carnis & ſanguinia Chriſti in Euchariſtia naturalis communionis proprietas eſſet indulta. Nihil itaque manifeſtius dici poſſe conſpicis lector, quã quod hic Hilarius teſtatur, nempe verũ corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia contineri. Quam rem & toties inculcat, totque ſcriptis & argumentis corroborat, vt nemini, qui non cum hæreticis illis inſaniat, queat contradicere. Quamobrem & ſuperioribus hanc, ceu coronidem adiunxit Hilarius, ſed ab Oecolampadio prætermiſſam quam hic ſubiiciemus. Reſponſum igitur à nobis eſt ſtultitię furentium, ad demonſtrationem tantum inanis mendacij, ne imperitos fallerent vanæ ac ridiculæ aſſertionis errore. Hæc Hila. Quæ prorſus in Oecolampadium quadrare quis eſt qui non intelligat. Sed iam fucis & mendacijs, quibus contrarium ſenſum Hilario ſuperinducere moliatur Oecolampadius, aurem accommodemus.

Verum corpus & ſanguis Chriſti in Eucha.

Fucat eundem alienis coloribus, ſed renudantur eius fuci quo veritas appareat.

CAPVT XXXII.

OECOL.

HÆc omnia Hilarius, qui & ipſe intellectu obſcurior authoribus cæteris, non tam contra nos eſt atq; apparet. Aſſerimus enim & ipſi ſponte quã ille probat, nempe operari Chriſti virtutem ac Spiritum in fidelium cordibus, qui Chriſti fratres ſunt, ac participes, neque de hoc contentio, ſed num panis illi corpus Chriſti ſit inditũ, & ita corpus Chriſti carni noſtræ ſe aſſociet, vt ſuperſtitioſi ſentiunt, & ex verbis Hilarij arguunt. Si carnem Chriſti cibo dominico ſumimus, caro in cibo dominico erit, nec attendunt mox ſubdi, ſub myſterio vere carnem manducari.

ROFF.

Vides lector quid hic ſopbiſta verſipellis moliatur, nimirum vno verbulo ſubuertere putat, quicquid tot ſententiis, tamque ſolide comprobauerat Hilarius. Sufficere ſibi putat is peruerſiſſimua hęreticus, ſi quocunque colore, quicquã in tam prolixo ſermone, quantumuis puſillum ipſum fuerit, rapere queat in partem ſuam. At quid eſt ſub myſterio ſumere, niſi ſub ſacramento ſumere, ſub Euchariſtia ſumere? Omnes enim Euchariſtiam appellant ſacramentum, & myſterium. Sed neque tantum tibi confert ea particula, ſub myſterio, quantum aduerbium illud, vere, quod Hilarius adhibuit, detrahit. Nos (inquit) vere ſub myſterio carnẽ Chriſti ſumimus. Quod ſi locua iſte viſus tibi fuiſſet obſcurior, an non ſatis per illum alterum elucidatur? Vbi dicit: Nos vere verbum carnem cibo dominico ſumimus? Quid hic ſcrupi queas obiicere? Quod ſi locus iſte luculentus ſit, vt & eſt hauddubie luculentiſſimus, nunquid ad locum obſcuriorem fugere deberes? vt illum callide tenebris inuoluas. Ex his hauddubie quiuis facile deprehendet, qui non tecum ſponte deſipit, quam reproba mente fueris, & quam iuſtiſſimo Dei iudicio ſis excæcatus.

Eucha. dicitur ſacramentum & myſterium.

OECOL.

Quare ergo non ſinunt eſſe myſterium, myſterium, & ſacramentum, ſacramentum? aut ſi non intelligunt, quid ſit myſterium, diſcant, vt contendendi fiat finis.

ROFF. *Myſterium res vera eſſe poteſt. Coloſſ. 1. Epheſ. 5.*

Quid ſtolide per myſterium intelligis, ſi nihil ſubeſſe putes myſterio? Num Chriſti natiuitas, mors & reſurrectio, propterea quod myſteria dicuntur, non erunt res veræ? Et Paulus ad Coloſſenſes Chriſtum appellat myſterium, num ob id non fuerat, & eſt, Chriſtus res vera? Ad Epheſios item vnionis viri cum vxore in carnẽ idem Paulus myſterium magnum eſſe dicit in Chriſto & in eccleſia. Si vere igitur Chriſtus & eccleſia vnã caro ſunt vt vere ſunt, atq; id iuxta naturalem proprietatẽ carnis, vt Hilarius hic affirmat, quid tu negas quicquam ſubeſſe myſterio? Sic nimirum & Euchariſtia myſterium eſt, ac ſub hoc myſterio velatum eſſe verum corpus & verum Chriſti ſanguinem haudquaquam ambigimus.

OECOL.

Sed mens Hilarij quæ ſit, aperiamus. Arriani vt pleraſque ſcripturas torquebant, ita & illud Iohannis teſtimonium, vt ij vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, pro impietate ſua ſtabilienda adducebant, dicentes: hoc dicto Iohannis diſcimus, ſic eſſe filium, vnum cum patre, vt nos ſimus vnum cum eo. Vnum autem ſumus cum eo, non vnitate naturæ quod per omnia foret impoßibile. Quomodo enim homo manens homo, fieret natura Deus? vel quomodo vnuſquiſque hypoſtatica vnione complectetur diuinam & humanam naturam? Abſit. Sed vnum ſumus ob voluntatem concordem. Igitur & Chriſtus propter concordiam vnum eſt cum patre. Sic impios illos ratiocinãtes refutat Hilarius, & docet non ſolum Chriſtum, ſed nos quoque alio quam concordia modo, vnum eſſe cum Deo.

Hacte-

Roff. Hactenus recte iuxta mentem Hilarij, ſed in his quæ ſequuntur, toto (quod aiunt) aberras cœlo.

OEcol. *Nempe, quod ſicut honorem accepit filius à patre, & vnus eſt honor patris ac filij, ita ſuum honorem nobis & Chriſtus communicat, & per eundem honorem vnum efficimur.*

Roff. *Vnitatem cum Chriſto ex duobus adipiſcimur.* Hic ex poſtremis Hilarij verbis decerpis nonnihil, quod tibi fauturum ſuſpiceris, nimirum, quod dixerat, per honorem nobis datum Dei filij, myſterium veræ ac naturalis vnitatis prædicandum ſit. Cæterum quicquid de ſcripturis & iiſdem variis ac euidentiſſimis concluſerat, pone tergum reiicis. Atqui nō per honorem illum ſolum, nos proprietatem naturalis vnitatis aſſecutos eſſe dixit, ſed adiungit, & per filium in nobis carnaliter manentem. Per vtrunq; ſane naturalem iſtam vnitatem adepti ſumus. Dixit igitur: Impie negare hæreticos nullam per ſacramentū carnis & ſanguinis proprietatem carnalis communionis nobis indulgeri, quum & per honorē nobis datum Dei filij, & per manentem in nobis carnaliter filium, & in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter vnitis, myſterium veræ ac naturalis vnitatis ſit prædicandum. *Dei filius manet in nobis carnaliter.* Quid (te precor) ſibi velit Hilarius his verbis, quum dixerit: Et per manentem in nobis carnaliter Dei filium. Quomodo carnaliter manet in nobis Dei filius, niſi per veram carnem eius quam in Euchariſtiæ myſterio ſumimus. Datum equidem honorem filij Dei non abnuimus. At niſi per veram carnis eius manducationem non manet in nobis carnaliter. Sed ad iſtud more tuo conniues.

OEcol. *Etenim omnes nos quotquot Chriſtiani ſumus, eundem honorem ſortiti ſumus, neque eſt in nobis vlla varietas.*

Roff. Vos hæretici quando libebit, fidei tribuitis omnia, nihilque ſacramentis. Nunc autem baptiſmo tu plurimum impertis. *Galat. 3.* At inquies, te propter fidem id facere. Sed Paulus de baptizatis locutus eſt, vt mox ipſe recenſes. Cæterum ſiue de Chriſtianis (vt ipſe iā dicis) ſiue de baptizatis, vt poſtea Paulus ait, certum eſt nec omnes Chriſtianos, nec omnes baptizatos habere tantam & talem fidem, quæ protinus eos vnum cum Chriſto carnaliter efficiat. Sed iam ad ſcripturas quibus iſtud probare niteris, veniamus.

OEcol. *Quotquot enim ait, in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina, omnes enim vnum eſtis in Chriſto Ieſu.*

Roff. An te fugit morem eccleſiæ veteris fuiſſe, baptizatos continuo Chriſti carne paſci. Propter quod & alibi Paulus dicit: *1. Cor. 10.* Vnus panis vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Recte igitur Paulus de baptizatis *Galat. 3.* illius temporis aſſeruiſſet, etiam ſi dixiſſet omnes baptizatos vnum eſſe carnaliter in Chriſto. Verum iſtud minime dixit, ſed tantum vnum in Chriſto. Baptiſmus profecto nos annectit corpori Chriſti myſtico. Sed per baptiſmum ſolum haudquaquam in nobis Chriſtum carnaliter manentem habemus. Hoc enim conſequimur eſu carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. *Differenter per baptiſmū atque Eucha. Chriſto coniungimur.* Verū igitur eſt, quod per baptiſmum Chriſtiani Chriſtum induerunt, at non ideo carnaliter Chriſtum in ſe manentem habent, niſi per ipſam Chriſti carnem, quam ſumunt in Euchariſtia. Nam protinus vbi fide ſumpſerint Euchariſtiam, iam carnaliter vniuntur ipſi Chriſto, Chriſtumque carnaliter & ſubſtantialiter habent in ſe manentem.

OEcol. *Omnes enim propter Chriſtum, qui in nobis operatur, ex æquo ſumus honorabiles, nam in quibuſcunque operatur Chriſtus, in his & honorari debet. Et ſicut pater in Chriſto honoratur, eo quod qui viderit Chriſtum, videt & patrem in Chriſto operantem mira, ita ſi vita Chriſtum exprimamus, eiuſque Spiritum habuerimus illi adhærentes, nimirum honos in nobis habitanti debetur Chriſto, & per Chriſtum patri. Et licet per vnum operetur magis quam per alium, honore tamen vnum ſumus, omnes ſcilicet filij Dei, & adoptione, hoc quod Chriſtus natura. Omnes fratres Chriſti, omnes templa Spiritus ſancti. Vides præter voluntatis concordiam, nos quoque alio modo eſſe vnum cum Chriſto, & ita cum patre, nempe honore & operandi efficacia, qua habitantem eum naturali proprietate in nobis arguit.*

Roff. Duo ſunt, vt ait hic Hilarius. Alterum, honor datus nobis filij Dei, alterum, permanentia carnalis eiuſdem filij in nobis. Prius illud vt baptiſmo conſequimur, ita poſterius iſtud (ſi tamen Hilario credimus) abſque ſacramento corporis & ſanguinis haudquaquam adipiſcimur. Quamuis igitur Chriſtum per baptiſmum proprietate verbi nobis præſentem, & intra nos manentem habeamus, non tamen proprietate carnis. *Chriſtus per Eucha. in nobis manet.* Hanc enim vnitatem conſequimur, haud aliter quam per eſum carnis corporalem in Euchariſtia.

OEcol. *Honor autem ille nobis datus, quia enim Chriſtus carnis noſtræ particeps factus aſſumpta humanitate, & nos illi communicauimus, vt eſt in epiſtola ad Hebræos. Etenim pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe factus eſt particeps eorundem.*

Roff. Haud recte Paulum interpretaris. Neque enim Paulus eo loco de communicatione, qua *Heb. 2.* nos Chriſto communicamus, loquitur, ſed de communicatione hominum mutua inter ſeipſos. Quos enim ibi pueros vocat, homines intelligit ex carne & ſanguine conſtitutos. Quum itaque dixiſſet pueros communicare carni & ſanguini, hoc eſt, inter ſe mutuo carnem & ſanguinem habere communem, protinus adiecit: Et ipſe factus eſt particeps eorūdem. *Chriſtus participauit ſibi carnem & ſanguinem.* Ipſe igitur Dei filius noſtram in ſe ſuſcipiens carnem, noſtram naturam ſibi communem fecit, atque carnem & ſanguinem, ex quibus & nos conſtamus, participauit ſibi. Nos autem viciſſim per carnem & ſanguinem eius, quibus in Euchariſtia veſcimur & potamur, ipſius participes efficimur atq; ei communicamus.

OEcol. *Quia enim noſtrum genus apprehendit verus homo factus, quotquot credunt in nomine eius, per vnionem naturæ accipiunt poteſtatem, vt filij Dei fiant, nimirum qui à Chriſto incorporati, & veræ illius vitis palmites ſunt.*

Duobus

ROFF. Duobus vtique modis incorporari Chriſto quis poterit, vt ſæpe teſtati ſumus. Altero, per fidem dilectione formatam, altero, per ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Hunc autem modum Hilarius carnalem & corporalem hic vocat, & Cyrillus aliquanto ſuperius appellauit conuerſionem in Chriſtum re ipſa. Tu ſemper priori modo prorſus inniteris, boc poſteriori, quaſi nihil eſſet, contempto, in qno vehementer à cõcordi ſententia patrum aberras. Verum quidem eſt per fidem nos accepiſſe poteſtatem, vt efficiamur, & ſimus filij Dei, ſed per fidem & baptiſmum hoc ipſum nobis præſtatur. Et qnoniã hanc fidem, ſi vera ſit, comitatut bonus animus recipiendi ſacramenta. Propter hunc animum, ſi poſtea deſit opportunitas, illa ſufficiet ad ſalutẽ. Cæterum ſi contemnantur aut negligantur ipſa ſacramenta, ſeu non firma fides ſecundum eccleſiæ traditionem eis adhibeatur, nihil proderit ipſa fides prius accepta, ſed euaneſcet in nihilum. Porro quod dicis per fidẽ nos incorporari Chriſto, & palmites eius qui vera vitis eſt, fieri. Si per incorporari intelligas veritatem carnis Cbriſti nobis inſeri, falſum dicis. Sin per boc intelligas, nos eius corpori myſtico inſeri, verum eſt quod dicis. Nam & patres hoc ipſum fatentur, ſed affirmant præterea, nos oportere Chriſto incorporari per communicationem carnis ipſius, quã edimus in Euchariſtia. Talis autem nexus vtrinque firmus, & indiuulſibilis fieri indicatur. Cæterum exemplo rem dilucidiorẽ faciemus. Quum enim ſurculus arbori cuipiam inſeritur, iam vniooem quandam iniit cum arbore. Verum niſi viciſſim arbor vitalem ſuccum ei ſurculo communicauerit, non diu cohærebit arbori. Neque diſſimiliter admodum in nobis fieri, iuxta patrũ ſententias, exiſtimandum eſt. Fides enimuero cum baptiſmo nos inſerit Chriſto, ſed inſerti, niſi vitalem ſuccum per Euchariſtiæ manducatiouẽ ex carne & ſanguine ipſius nobis hauriamus, non diu permanebimus inſerti.

Incorporamur Deo dupliciter.
Chry. ſup. eodem lo. c. 3.
Hilari. ſupra cap. 31.
Iohan. 1.
Iohan. 3.
Mar. 16.
Fides abſque voto ſacramenta recipiendi inanis eſt.

Communicatio neceſſaria eſt.

OECOL. *Tam efficax per fidem eſt Spiritus. Quod qui ignorãt, nec vim fidei cognoſcunt, quæ tanta eſt, vt ea quæ Chriſtus habet, in nos transferat, & quæ noſtra, in Chriſtum ferentem noſtras iniquitates & noſtram faciat illum iuſtitiam.*

ROFF. Nos qnoque fidei magnam efficaciam tribuimus, ſed ei quæ integra eſt, non quæ mutilata & manca, qualem & vos habere compertiſſimum eſt. Multa nimirum veſtræ fidei deſunt, quo minua hanc communionem efficiat, de qua iactatis ipſi toties. Nunquam enim fiet, vt fidem hanc efficacem aſſequamini, priusquam ad vnionem eccleſiæ catholicæ redieritis parati, ſacramentis, & ſanis ab ea traditis dogmatibus obedire. Nam ſi talem fidem habneritis, etiam indubitato credetis, in Euchariſtia carnem & ſanguinẽ eſſe Chriſti, quibus ingenti deſiderio cupietis paſci, vnde & vitales haurietis ſuccos, quibus non ſolum vos in Chriſto, ſed Chriſtus in vobis permanebit. Cæterum tali fide potiri veſtra obſtinata ſuperbia nentiquam vos patietur.

OECOL. *Obgannire autem quis poſſet, ſi ideo communicamus Chriſto, quia carnem noſtram homo factus aſſumpſit, communicabunt Chriſto & impij? quid hoc ad felicitatem noſtram, quod Chriſtus incarnatus? O incredulam vocem! Quid hoc ad felicitatem noſtram? quaſi ſcilicet communis caro Chriſti foret, vt ſcite in Epheſino concilio dicitur. Diuina caro eſt, & viuificatrix credentibus, atq; hominibus impijs & incredulis, eadem in condemnationem erit, neque enim tales vere communicant, quandoquidem verbum carnem aſſumpſit, eamque ſanctam & innoxiam, in qua ſuas exercuit diuinas virtutes. Impij eam in ſpeciem quidem carnem geſtant, ſed perpetua incredulitate & immunditia contaminant, quapropter & ab ea verbum abhorret.*

ROFF. Nunquam ad ſcripturas, & ad fideles earum interpretationes à patribus ante traditas, hanc tuam ſententiam conquadrabis. Tres vtiq; modi communicationum ſunt. Prima, qua communicarunt homines inter ſe ex carne & ſanguine conſtituti. Secunda, qua filius Dei particeps factus eſt carnia noſtræ, per incarnationem ſuam. Tertia deniq;, qua nos per manducatiooem carnis eiuſdem quam de nobis accepit, ei viciſſim communicamus. Et certe ſi ſecunda communicatio ſufficeret, nemo hominum eſt, qni non cõmunicaret Cbriſto, qnum & veritatem carnis eandem habeat etiam ſceleratiſſimus in ſeſe, quã Chriſtus accepit de nobis. Sed neque tertia ſola proderit impijs, qui propter impietatem ſuam, nihil inde ſucci vitalis hauriunt, fidelibus tamen & iiſdem à peccato reſipiſcentibus hæc tertia maxime profuerit. Nam & ſi per fidem, dilectione formatam, inſeramur corpori Chriſti myſtico, non vnimur tamen veritati carnis eius, neque vitalem influxum ex eadem accipimus, niſi per eſum ſuæ carnis in Euchariſtia. Cæterum quantum ad concilium Epheſinum attinet, nihil ex eo ſubſidij petere licebit tibi, quãdoquidem ipſum (vt ſuperius palam oſtendimus) tuam hæreſim apertiſſime condemnat.

Communicationum tres modi.

OECOL. *Contrà verbum habitat in omnibus, qui fide integra recipiunt tanta incarnationis arcana.*

ROFF. Recte quidem verbum dicis babitare, vbi fides integra fuerit, ſed talem vobis deeſſe fidem, ſuperius oſtendimus, neque vobis modo, verumetiam cuoctis, quorum fides noo ſatis quadrat fidei totius eccleſiæ catholicæ. Teſtatur enim Auguſtinns de fide ad Petrum dicens: Firmiſſime tene & nullatenus dubites quemlibet hæreticum, ſiue ſchiſmaticum in nomine patris & filij & Spiritus ſancti baptizatum, ſi eccleſiæ catholicæ non fuerit aggregatus: quantaſcunque eleemoſynas fecerit: & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Omni enim bomini qui eccleſiæ catbolicæ non tenet vnitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro nomine Chriſti ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem: quãdiu in eo hęretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.

Extra fidem eccleſia catholica non eſt ſalus.

OECOL. *Quis dixerit communionem regis & ruſtici, ſi purpura regia, ſed detrita, indutus ruſticus agrum ſtercoret,*

in luto

in luto operetur, & viliſſima quaque ferat, rex autem in noua & ſplendida iura dicat, ſapientiam loquatur, & virtutibus conſpicuus ſit. Nemo regium aliquod ſordido tribuet, at vera communio dicetur, ſi in eodem habitu, per omnia eadem agat, tametſi non ex eodem ſtemmate ſit prognatus. Similis modo carnis Chriſti & carnis impij nulla erit communio, quamuis impius eadem veſtitus ſit carnis trabea qua Chriſtus, eo quod illam coinquinauit impius, & nihil in ea agit diuinum, vnde & manifeſtũ in eo non habitare verbum, ac ocioſam eſſe ac emortuam fidem.

ROFF. Non in hoc neceſſe fuerit, vt pluribus contẽdamus. At non eſt dubium, quin veritas carnis humanæ cum peccato conſiſtat, quod & vos negare neutiquam valetis, qnos neq; pndet in omni opere quantumuis bono, peccatum affirmare. Quod ſi veram carnem geſter peccator & ſortitus ſit candem carnis veritatem, quam habet & Chriſtua, quomodo ſecundum opinionem tuam non vere communicabit Chriſto? Neque tuum exemplum quicquam obſtat, quando nullum peccatum dilacerat, aut ſordidat carnem hominis, ant eam adeo deterit, vt alienet à veritate carnis. Adde quod infantes nondum baptizati, quia non polluerunt ipſi carnem ſuam, ſed in veritate carnis nati ſunt, iuxta rationem tuam, protinua vt nati fuerint, Chriſto communicant. Verum lõge alia eſt communicatio, qua per eſum carnis in Euchariſtia Chriſto coniungimur.

OECOL. *At fideles ſupra modum felices ſunt, quia caro eorum priuilegio fidei per mundiciam Chriſti purificata eſt, immortaliſque facta, vtpote in gloriam patris reſurrectura, fide quoque ſe in opera exerente cognobilem facit habitantem in ipſis Chriſtum, & cum Chriſto in cœleſtibus conſidet.*

ROFF. Si per fideles quoſlibet credulos intelligas, falſiſſimum eſt, quod dicis, ſin orthodoxos, qui & ſoli & vere fideles ſunt, hos admodum felices eſſe nihil dubitamus. Nam hos diuina benignitas, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, ſaluos fecit, vti Paulus ad Titum tradit. Et eoſdem Chriſtus enutrit, ac fouet, hauddubie per carnem & ſanguinem ſuum, vt fiant membra corporis ſui ex carne & ex oſſibus eius. Quamobrem & merito felices habendi ſunt. Cæterum tu maximam huius felicitatis partem ſubtrahere conaris, qni tam eximium cibum tanto molimine ſtudes nobis auferre.

Tit. 3.
Ephe. 5.

OECOL. *Qui nunc videre vult, ſatis cognoſcet, quid Hilarius dicat, naturaliter in nobis eſſe Chriſti veritatem.*

ROFF. Tu profecto nihil præter caliginem & tenebras, Hilarij dictis ingeſſiſti. Quare qui pridem luſcus fuerat ad Hilarium, iam penitus excæcabitur. Cæterum pius lector facile cognoſcet ex ipſo Hilario, nos veram Chriſti carnem & ſanguinem in cibo dominico ſumere, per quæ naturaliter & carnaliter atque corporaliter in nobis manet Chriſtus. Et qusnquam Chriſtus iuxta veritatem verbi ſit in Chriſtianis per fidem & baptiſmum, non tamen ita per ſuæ carnis veritatem. Nam hanc ſolum aſſequimur per eſum corporis & ſanguinis in Euchariſtia.

OECOL. *Qui nimium libero arbitrio tribuent, fortaſsis non agnoſcent.*

ROFF. Neutrum orthodoxis probatur, aut nimium arbitrio libero tribuere, aut eidem plus iuſto detrahere. Cæterum quid hoc negocij ſpectat ad liberum arbitrium? Neque enim arbitrij libertati præiudicat, quod veram Chriſti carnem edamus in Euchariſtia, neque neceſſitatem vllam ei pietatis tribuimus quin ex Chriſto poſſit excidere, modo ſic velit. Quantum vero tribuendum ſit arbitrio libero, ſatis copioſe docet Eraſmus in triumphis illis quos egit de Luthero. *Eraſmus de libero arb.*

OECOL. *Declarat autem & ſeipſum dicens, tunc eum eſſe in nobis, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt, id eſt, quia humana natura in ipſo à Deo verbo aſſumpta eſt.*

ROFF. Hæc eſt vna ſycophantiarum tuarum (vt ſæpe diximus) quod ſi vel vnum aliquod verbulum ex prolixo quopiam ſermone queas expiſcari, quod in tuam partem ſonet, id tibi ſufficere putas, quãtumuis idem anthor alibi per totum ſermonis decurſnm, aperte mentem ſuam explicuiſſet. Cæterum ſi forent omnes vnum cum Chriſto propter humanitatem, quam cum Chriſto (qui patri vnum eſt) communem habent, nẽmo tam ſceleratus eſt qui non in Chriſto ſit, & etiam in Deo patre eum Chriſto. Nam is plane ſenſus eſt illius particulæ, quam citaſti. Sed age totam ſententiam vnde particulam iſtam excerpſeris, recenſe precor. Sic enim habet Hilarius: Eſt ergo in nobis Chriſtus per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum, hoc quod nos ſumus, in Deo eſt, hoc eſt, Chriſtus in nobis eſt per carnem, quá ſumimus in Euchariſtia, & nos viciſſim in illo ſumus, dum vna cum eo hoc ipſum quod nos ſumus, id eſt humanitas noſtra in Deo eſt. Superius enim dixit Hilarius ex verbis Chriſti: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Et continuo ſubiungit: De veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim ipſius Domini profeſſione & fide noſtra vere caro eſt & vere ſanguis, ſupple, quæ ſumuntur à nobis in ipſo ſacramento. Et hæc accepta (inquit) atque hauſta, id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Iam ſequuntur priora illa verba: Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, hoc eſt per carnem ſuam, quam edimus. Et ſumus rurſum in eo, dum ſecum, hoc quod nos ſumus, in Deo eſt, hoc eſt dum noſtra humanitas quam ſecum habet, vnitur Deo. Cæterum hæc vnitas humanitatis noſtræ cum Deo nihil proderit, niſi tantum his, qui Chriſti carnem vel ederint actu, vel ſaltem edere conſtituerint quamprimum ſibi data fuerit oportunitas.

Verba Hilarij.
Supra eodem lib. ca. 31.

Ambro.

Ambroſium etiam & valde reluctantem interuertere molitur, ſed inaniter.

Capvt XXXIII.

OEcol. *DEclarat autem & hoc quod Ambroſius libro de incarnationis dominicæ ſacramento dicit. Nam & ſi credis (inquit) à Chriſto carnem ſuſceptam, & offeras transfigurandum corpus altaribus, non diſtinguas tamen naturam diuinitatis & corporis, & tibi dicitur, ſi recte offeras, non autem recte diuidas, peccaſti, quieſce, diuide enim quod meum, diuide quod ſuum eſt, quod ſuum verbi eſt, ego quod erat illius non habebam, & ille quod meum, non habebat, ſuſcepit quod meum eſt, vt impartiret quod ſuum eſt. ſuſcepit non vt confunderet, ſed vt repleret. Si credas ſuſceptionem, affingas autem confuſionem, Manichæum eſſe deſiſti, nec tamen eccleſia filius eſſe cœpiſti. Si credas ſuſceptionem corporis, adiungas diuinitatis compaßionem, portionem vtique perfidæ, non perfidiam declinaſti.*

Roff. Gene. 4. Tractat hoc loco diuus Ambroſius ipſa verba, quæ dicta fuerant ad Cain: Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccaſti. Quæ verba dicit idẽ Ambroſius, ſe putare generalem in omnes extra eccleſiam conſtitutos, latam continere ſententiam. Conuertit igitur verba in Iudæos, in Eunomianos, in Sabellianos, in Marcionatas, in Manichæos, in Valentinum, Samoſatenum, Baſilidem, Nouatum, Donatum, & cæteros, tandemq; ſubiungit: Aduerſus omnes igitur hæreſes iſta ſententia eſt, quæ fraterno nomine, non fraterne, eccleſiam perſequuntur. Poſt hæc ſequuntur ipſa verba, quæ per Oecolampadium allata ſunt. In quibus nihil eſt vnde triumphum agat, ſi digne ſingula perpendat. Quum enim dicit Ambroſius: Diuide quod meum, deinde quod ſuum eſt verbi, hoc eſt, in Chriſto conſidera naturam humanam, quæ mea eſt, quippe quam ab hominibus Chriſtus aſſumpſerat. *Ambroſius.* Conſiderabis & diuinam, quæ ipſius eſt propria. Ego, quod illius erat, non habebam. Et ille, quod meum non eſt, habebat. Quid eſt hoc, quod illius erat, & meum non erat, quod ego non habebam, & ille habebat? Certe verbi ipſius diuinitas, Hoc nimirum illius erat, & meum non erat, hoc ille habebat, & ego non habebam. Sequitur: Suſcepit quod meũ eſt, vt impartiret quod ſuum eſt, hoc eſt, ſuſcepit humanitatem meam, vt impartiret mihi diuinitatem ſuam. Hactenus Oecolampadi nobis tecum conuenit, modo verba hæc proxima ſane intelligas. Neque enim ille ſingulis hominibus diuinitatem ſuam impartit, quanquam acceperit communem cum ſingulis humanitatem. Nam hæc humanitas ab eo ſuſcepta, nihil facit, niſi quæ ex parte noſtra viciſſim exiguntur, probe reſpondeant. Nunc igitur quibus modis ſuam diuinitatem nobis impartiat, indices precor, hoc iam explica, ſi potes. Recte hactenus diuiſimus, ſed oportet etiam offeramus & recte. Tu fide dicis hanc diuinitatem ſuam Chriſtum nobis impartire. At hoc ſi dixerit hic Ambroſius, æquum eſt, vt eius indicio pareamus. Sed hoc non dixit, imo ſi more tuo contentioſus eſſe vellem, oſtenderem potius eum hic voluiſſe quod per eſum corporis Chriſti, diuinitas eiuſdem nobis communicetur. Cur enim alioqui dixiſſet hic Ambroſius: Si credas à Chriſto carnem eſſe ſuſceptam, & offeras transfigurandũ corpus altaribus? Quid ſibi vult ipſa corporis transfiguratio? Nihil moror, an factam dixerit an fiẽdam. Quid (inquam) ſibi vult ipſa corporis transfiguratio? profecto nihil aliud quam quod ſub alia diuerſaque ſpecie, corpus ipſum altaribus offeratur, atque iam in cœlo ſit. Vtcunq; fuerit, certe nihil hoc loco pro tua ſententia militat Ambroſius.

Hunc locum citandum exiſtimaui, quum eum prior citarit Gratianus nihil ad ſuum inſtitutum facientem. Citatur autem ex libro de Cain & Abel, in quo nihil tale. OEcol.

Roff. Nunc turbare niteris aquam, quo limus aſcendat, atque ita noſtris oculis, ipſius aquæ ſubducas limpitudinem. Iam luci profecto caliginem inferre moliris. Quid iam Gratiani, vel eius ſcribæ magis, errores introducis, perinde ſcilicet, atque noſtrum negocium ex Gratiano totum pendeat. *De conſ. diſt. 2. c. Si credis.* Quid ſi non recte citaſſet Gratianus, num propterea noſtra cauſa ruitura eſt?

Præterea pro transfigurandum, legit transfiguratum. OEcol.

Roff. Ex aliis audiuimus eſſe quoſdam codices, & ſane vetuſtos, in quibus habetur transfiguratum. At parum intereſt an transfiguratum an transfigurandum legeris. Nam idem vtrobique ſenſus eſt. Sic enim Ambroſius tradidit: Et ſi credas à Chriſto carnem eſſe ſuſceptam, & offeras transfigurandum corpus altaribus, non diſtinguas tamen naturam diuinitatis & corporis, & tibi dicitur: Si recte offeras, non autem diuidas, peccaſti, &c. Quæ verba, quis poteſt alio ſenſu capere, *Senſus verborum Ambroſii.* quam quod credenda ſit veritas carnis in Chriſto, & quod eadem offerenda ſit altaribus, non quidem ſub propria ſpecie carnis, ſed transfiguranda ſub ſpecie panis. Neque tamen hæc duo ſibi inuicem confundenda ſunt, nempe diuinitas, & caro Chriſti, ſed cogitatione ſeparanda. Qui vero ſic offert, & ſic diuidit, is audacter pergat, eo quod recte facit. At qui recte offert ſacramentũ corporis & ſanguinis Chriſti, non autem recte diuidit inter diuinitatem & carnem, is peccat, atque ob id ceſſare debet ab opere.

Et exiſtimat oblationem in altaribus conſecrationem illam papiſticam, quum Ambroſius ſimpliciter alludat ad fidem, quaſi dicat, ſi ita credideris, vel religionem habueris. OEcol.

Roff. Non his verbis Ambroſium ad fidem, vt tu vis, alluſiſſe, pluribus indiciis conſtare poteſt. Nam protinus vt dixiſſet: Et ſi credas carnem à Chriſto ſuſceptam; adiecit, & offeras transfigurandum corpus altaribus. Quum enim iam aperte dixiſſet, credas, quid opus eſt ad fidem alludere denuo. Deinde, quod Ambroſius oblationem, & non fidem intellexerit, ſeipſum aperte declarat ibidem cap. 2. Nam ibi poſtquam Iudæum, Eunomi-

nomianum, Sabellianum, cæteroſque memoraſſet hæreticos, ſubdit: Eccleſiæ enim ſacrificium eſt qnod offertur Deo, ad quam Paulus dixit: Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, exhibere corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Male ergo ſacrificinm diuiſerunt, eccleſiæ membra lacerando. Hæc Ambroſius ibi. ex quibus apertũ eſt eum de oblatione prorſus intellexiſſe. Cæterum ſi mordicus tenueris, intelligendũ eſſe, credere per offerre, quomodo precor adhuc cætera tibi conſentiunt? cur altarium? cur corporis? cur deniq; transfigurationis mentionem fecerit? ſi queas, ediſſere. Profecto nemo poteſt hæc ad alium ſenſum trahere, quam pro ſacramento altaris.

Rom. 12.

OEcol. *Dixerat enim & ſupra: Si Iudæus offerat, qui filium virginis Mariæ à Deo patre ſeparat, dicitur ei, ſi recte offeras, non autem recte diuidas. Vides hic, offerre altaribus, eſſe ſimpliciter credere.*

Roff. Et hic mentiri non erubeſcis, quo falſam tuam poſitionem vel mendacio tuearis. Neque enim de Iudæo quum locutus eſſet, deque Eunomiano aut cæteris hæreticis, altarium vllam fecerat mẽtionem. Quod ſi offerre altaribus, ſit ſimpliciter credere, cur ergo quod reliquum eſt, non credis, nempe transfigurandam aut transfiguratam in altaribus carnem? Nam & hęc Ambroſius haud fruſtra dixiſſe credendus eſt. Cæterum ineptiſſime colligis, ex illis Ambroſij verbis, vbi de Iudæo loquitur, quod offerre altaribus, ſit ſimpliciter credere. Sic enim de Iudæo dixit Ambroſius: Si Iudæus offerat, qui filium virginis Mariæ à Deo patre ſeparat, dicitur ei: Si recte offeras, non autem recte diuidas. Hic ſi recte offerre ſit ſimpliciter credere, ergo Iudęus recte credit. Quod plane falſiſſimum eſt. Nõ enim recte Iudæus credit, qui Ieſum à Deo patre ſeparat. Sed & quamdiu ſeparat filium Mariæ virginis à Deo, non recte vnquam diuidet. Quare & quicquid offert, neutiquam approbatur.

Offerre altaribus non eſt credere.

OEcol. *Quanta abſurda ſequentur, ſi ita hinc inde impertinentia male conſuerimus.*

Roff. Imo quanta ſequentur abſurda, ſi tu tuiqne ſimiles, ita ſinanimi grauiſſimos autbores paſſim & impune corrumpere, ad tantum Chriſtianæ plebis, quę ſtulte vobis credula eſt, exitium & interitum ſempiternum.

OEcol. *Et quærimus adhuc, vndenam tot errorum zizania ſubnata?*

Roff. Videmus vtiq; per veſtra pernicioſa dogmata maximam zizaniarum copiam ſubnatam eſſe, neque dubitamus vnde ſubnata ſit, Chriſto prædicente, quod malus homo ſemen iſtud exitiale ſuperſeminauerit.

Matth. 13.

OEcol. *An non & pueri pronunciare poſſunt infideliter actum, vel ſaltem oſcitanter.*

Roff. Non ſolum hi, qui iam ſuperſtites ſunt, vt illam innumerabilem multitudinem taceã, quos ad æternos ignes iam præcipitaſtis, verumetiam hauddum nati ſunt, qui iacturam ex peſtilentiſſimis hæreſibus veſtris patientur, ad animarum ſuarum perniciem, nunquam reſarciendam.

OEcol. *Gratianus tranſſubſtantiationem ingerere vult. Ambroſius vero docere cupit, quomodo incarnatione verbum ſuam nobis diuinitatem impertitum ſit, noſtram autem humanitatem aſſumpſerit.*

Roff. Si docuerit Ambroſius ipſe modum iſtum, qnem dicis, quid cundem ex verbis ipſius non palam aperis. Ego certe nihil ambigo, quin hic Hilario, Cyrillo, Chryſoſtomo, cæteriſque conſentiat. Iam enim dixerat Hilarius: Si vere verbũ caro factum eſt, & nos vere verbum carnẽ factũ, cibo dominico ſumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt, qni & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ, ſub ſacramento communicandæ carnis, nobis admiſcuit, Chryſoſtomus etiam paulo ſuperius dixit: Vt autem non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa, in illam carnem conuertamur, per cibum efficitur, quem nobis largitus eſt. Et Cyrillus quoque ſic antea dixit: Si vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiẽdam benedictionem, hoc eſt, Euchariſtiam libenter concurramus. Per eſum igitur carnis Chriſti, quæ ſacris altaribus ſub ſpecie panis immolatur, verbum caro factũ, vt ait Hilarius, naturaliter in nobis manet. Et in illam carnem, vt aſſerit Chryſoſtomus, re ipſa connertimur, ac denique, ſicut teſtatur Cyrillus, largitorem immortalitatis, hoc eſt Chriſtum in nobis habemus. Ad hunc modum & Ambroſius affirmat Chriſtum diuinitatem ſuam impertiiſſe per carnem, quæ in altaribus offertur, trãſfigurata nimirum ſub ſpecie panis. Cæterũ OEcolampadius præpoſtere diuinitatem impartitam eſſe dicit, & humanitatem noſtram aſſumptam, quum tamẽ Dei filius prius humanitatem noſtram aſſumpſerit, & eandem poſtea nobis edendam in Euchariſtia prębuerit, qua nos vnum cum eo naturaliter effecti, diuinitatis itidem eius participes hauddubie reddimur.

Iohan 1. *Iohan. 6.* *Sup. eodem lib. cap. 30.* *Supra prolo. 2. li. & alib.* *Ambroſii ſententia.*

Redit ad Hilarium, vt eius occaſione cauillos alios in Euchariſtiam ſtruat.

Capvt XXXIIII.

OEcol. *VT autem ad Hilarium redeamus, & quæ ad Euchariſtiam pertinent, examinemus, neque hoc omnino inficias ierim, cibo Dominico verbum carnem ſumi. Nam qunm fidelis ſemper manducet carnem, etiam quando ad menſam illam externam & viſibilem non accedit, cur non & illa hora, ſi fides multo magis mardeſcit, & adipe pinguedinis fiat delicatior, eo qnod per ſacra ſigna magis admonetur, atqui hoc probat in nobis eſſe Chriſtum, non in pane.*

Roff. Egregie nobiſcum ſophiſtam agis, iſtiuſmodi ſtrophis nos eludere cupiens, quum dicas te nõ inficiari, verbum carnem à nobis in ipſo cibo dominico ſumi. Nam quomodo ſumatur, ꝙ non

adeſt. Tibi vero caro nou adeſt. At adeſt (inquis) verbum, quod & incarnatum eſt. Ecce lector, hoc eſt quod iam dixi, egregium ſophiſtam agere nobiſcum Occolampadium. Cæterum hic Oecolampadi, tuam appello conſcientiam. An putas Hilarium hoc ſenſiſſe, nempe Chriſti carnem à nobis ita ſumi, cibo illo Dominico, non quod in eo cibo velatus ſit Chriſtus, ſed quod ipſum accipiamus aliunde. Si non iſtud exiſtimes, dic mihi, cur lectoribus & auditoribus tuis ad hunc modũ imponere ſtudes, ita ſuadens eis, veteres authores aſtipulari tibi. Sin vere ſic arbitraris, vere talpa cęciorẽ auſim affirmare te. Nam Hilarius tam aperte rem explicuit, vt vix dici queat apertius. Nec eſt ſane credibile eum in re tam vehementer ſeria, tam ambigue fuiſſe locutum, vt in vtramuis partem eius ſermo torqueri iam poſſit. Quare quum pro nobis apertiſſime ſentiat, ſi crediderıs eum etiam in tuam partem trahi poſſe; aut tu vehementer falleris, aut illi magna defuit peritia, circumſpectioque ſcribeodi. Sed quis author, quantumuis ipſe circumſpectus fuerit, tutus eſſe queat ab huiuſmodi cauillis & ſophiſtarum copioſis argutiolis mendaciiſque & ſucis, quibus impudentiſſima ſycophantia tua paſſim vtitur.

Iohan. 1.

Hilarius aperte loquutur de Eucha.

OEcol. *O pauperculam animam, quæ non ante refocillatur, quam quando menſa illius ſit particeps, ignorat vtique quid & quantum ſit, propter beneficia accepta, gratias agere & conteſtari ſe ex gratorum numero fore. Attamen & tunc felicem, ſiquidem Chriſtum hoſpitem ſortita fuerit, & verbum carnem ſumat.*

Roff. Et hic certe quiſquis ad cætera quæque ſacramenta, vel quouis truneo ſtupidior eſſet, vel etiam ſaxo durior, ad tam ineffabilem dignationẽ, qua Chriſtus ipſe dignatur ſuam carnem in cibum, & ſanguinem in potum nobis miſerculis ad æteroam largiri ſalutem, excitari continuo poſſit. Cuius enim cor adeo ſilicinum eſt, vt quũ tantum & tam immenſum amorem digne ſecum trutinet, non protinus emolliatur erumpatque in lachrymas, præſertim ſi fide perſuaſiſſimum habuerit, ſe vere & corporaliter tantum hoſpitem intra ſe ſuſcepturum.

Eucha. ſacramento excitamur ad deuotionem.

OEcol. *Feliciorem tamen mallem, ita vt etiam ceremoniis illis, quantum ad ipſum attinet, ſi priuetur, nihil ſentiat incommodi.*

Roff. Eſt hoc malle feliciorem Oecolampadi? Mihi profecto videtur infeliciſſimum eſſe potius, tauto priuari bouo quempiam, & ſua culpa. Neque enim aliter quam per hunc cibum Chriſtum in nobis corporaliter manentem habere poſſnmus. Inſeri quidem Chriſto per fidem quis poteſt, at vt re ipſa conuertamur in ipſam carnem Chriſti, & vt Chriſtus ipſe nobis carnaliter & corporaliter ſeipſum inſinuet, id per eſum carnis ipſius in Euchariſtia conſequimur.

OEcol. *Dico quantum ad ipſam attinet, non magis propter proximum, quam propter ſeipſos fideles externis ſymbolis vti decet.*

Roff. O perditor & peſtis animarũ, quid hic audio te dicere? An non ſuo commodo maxime ſit, quod carnem Chriſti viuificatricem corporaliter intra ſe ſuſc.piat, qua & re ipſa conuertitur in carnem Chriſti? ſitque membrum corporis eius iam ex carne & oſſibus eius? Neque ſunt iſta mera ſymbola, quemadmodum tu perditiſſime exiſtimas, ſed vere ſub his ſymbolis adſunt vera caro, verusque ſanguis Chriſti, quæ & ineffabilia quædam exhibent commoda pie veſcentibus.

Viele eſt digne ſacramẽto communicare.

OEcol. *Eo quod Spiritu ſancto afflati, liberi, mundi, iuſti, & pingues ac beati ſint in Chriſto, cui inſiti ſunt, regnumque Dei intra ſe habent.*

Roff. Nunquid & apoſtoli, quando Chriſtus in eos ſtauit, dicens: Accipite Spiritum ſanctum; non erant afflati Spiritu ſancto? An non & iidem liberi, mundi, iuſti, pingues, beati in Chriſto, cui & inſiti fuerant, regnumque Dei intra ſe habuerunt? At quid tum? Num iidem propterea fruſtra eundem Spiritũ in die Pentecoſtes acceperũt denuo? Similiter & quum eſſent in ipſis eccleſiæ crepũdiis Chriſtiani, gratia Spiritus ipſius copioſe ditati, & vt tu ais, liberi, mũdi, iuſti, & pingues, ac beati in Chriſto, eidemque inſiti, regnum quoq; Dei intra ſe habentes, nihilominus de eis traditum eſt, quod erant omnes perſeuerantes ın doctrina apoſtolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus. An (te quæſo) nihil eis profuerunt hæc omnia, quod videlicet antea Spiritu pleni fuiſſent? Sed hoc ideo dicis, quod fidem ſolam ſufficere perſuades tibi. Ego cõtra profiteor, neque tuam fidem, nec alterius cuiuſquam eſſe veram, aut efficacem, quamdiu diſſenſeritis ab eccleſia catholica. Quam rem ne citra probationem aliquam, vt tu ſæpiſſime facis, nudis verbis aſſeram, ſic Auguſti. cap. 4. lib. contra Petiliani epiſtolam teſtatur, dicens: Quicunqne credunt quidem, quod Chriſtus Ieſus ita (vt dictum eſt) in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & paſſus eſt, reſurrexerit, & ipſe ſit filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre vnnm, & incommutabile verbnm patris, per qnod facta ſunt omnia: ſed tamen ab eins corpore, quod eſt eccleſia, ita diſſentiunt, vt eorum communio, non ſit cum toto, qnacunque diffunditur, ſed iu aliqua parte ſeparata inneniatur: manifeſtum eſt eos nõ eſſe in catholica eccleſia, extra quam certe nulla ſalus eſt hominibus. quod & idem alias creberrime confirmat.

Iohan. 20.

Act. 2.

Act. 2.

Fides nihil prodeſt ſchiſmaticis.

Extra eccleſiam non eſt ſalus.

OEcol. *Sed quia nemo vidit Deum vnquam, & agit in cælo Chriſtus corpore, cui quod retribuamus, habemus nihil, ne liberati ſemel, ingrati ſint, vlterius Deo ſeruire in proximo, & in vtilitatem omnem ſuam vitam inſtituere debent.*

Roff. Sibi ergo nemo proſpicere debet, aut ſuæ ſaluti conſulere, ſed proximo ſolum. Quod ſi verum ſit, fruſtra Chriſtus nos docuit ſaluti noſtræ conſulere, quum dixit: Quid prodeſt homini, ſi mũdum vniuerſnm lncretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam commntationem dabit homo pro anima ſna. Porro quod dicis, agere Chriſtum in cœlo corpore, palam inde fateris, eum in nobis handquaquam eſſe corporaliter, id qnod plane veterum omoium, vt ante vidimus, conſenſui reluctatur. Quod præterea ſubdis,

Matth. 16. Marci 8. Luc. 9.

dis, nos nihil habere, quod Chriſto patriq; ſuo retribuamus, id in primis probabile reddit, datũ eſſe nobis à Chriſto ſacrificium, quod patri omnipoteuti offeramus, ab omni labe purum, ſanctumq; & acceptatiſſimum Deo ſacræq; tryadi. Quod certe non eſſe aliud, quam Chriſti corpus in Euchariſtia.

OEcol. *Proinde credentibus & confeſſio in probationem fidei, ac vſum proximi neceſſaria ad ſalutem, cuius confeſſionis pars eximia eſt communicatio, quæ ad alendam charitatem inſtituta. & ob hoc σύναξις dicta.*

Roff. *Rom.10.* Primum, ſi ad ſalutem neceſſaria ſit oris cõfeſſio, nũquid non ad ſalutem illi neceſſaria erit, cui & cordis fides ad iuſtitiam conferebat? At certũ eſt fidem cordis, ei potiſſimum contuliſſe iuſtitiam, qui credidit. Quamobrem & oris confeſſio ſalutem etiam præcipue lucratur ei, qui confitetur. Quocirca non propter proximum ſolum, aut fides, aut confeſſio fidei exigitur. Deinde plane ſtolidum eſt quod dicis, communicationẽ, partẽ eſſe confeſſiouis eximiam, quandoquidem is qui communicat, plerunq; nec verbum ore proferat. *Rom.10.* Quamobrem & quum Paulus dixit: Ore confeſſio fit ad ſalutem, de proteſtatione fidei, & de cõfitendo Chriſti nomine, plane voluit intelligi. Cæterum propterea σύναξις Euchariſtia dicta eſt, quod ea veram præſtat & efficit communionem capitis ac membrorum, atq; eam quidem corporalem, nimirum vt membra ſimus ex carne, & ex *Ephe.5.* oſſibus Chriſti. Quæ ſane multis numeris præſtãtior eſt & excellentior, quam ea, qualem tu cõminiſceris, ex meris ſymbolis, quæ nullam habent efficaciam.

OEcol. *Vt quum nobis conſcij ſimus, nos fratres & membra eſſe in Chriſto, eam fidem, & conteſtemur obſequiis, & proteſtationibus externis, quæ ritus huius, mea ſententia, cauſa potiſſima ſunt.*

Roff. Tua ſcilicet ſententia? infeliciſſime profecto cum eccleſia foret actum, ſi talis apoſtatæ ſentẽtiam, & eandem tanti & tam eximij boni ſubmotricem, admitteremus. Nam qui Chriſtũ ab hoc ſacramẽto conatur auferre, perinde facit, vt quidam ait, atq; ſi ſolem ab orbe moliretur eximere. Cæterum ſi conſcij reddimur ex eſu panis tui & ex ea communione, qua tibi nihil aliud quam panem accipimus, nos fratres & membra eſſe in Chriſto, quanto ſolidius id nobis innoteſcet, vbi vere crediderimus noſipſos non merum panem, vt tu pernicioſiſſime doces, ſed verę carnis & ſanguinis Chriſti cibum ſumpſiſſe. Non eſt dubium quin qui iſtud toto pectore credunt, intelligent ſeſe longe firmioribus nexibus, & vinculis arctioribus eſſe colligatos.

OEcol. *Nam gratiarum actionis pleriſque maior & in aliis horis offertur opportunitas.*

Roff. *Eucha. varie appellatur.* At id negocij potiſſimum huic myſterio delegatum eſt. Propter quod & veteres, alij bonã gratiam, alij gratiarum actionem, nonnulli gratitudinem, hoc myſterium appellarunt, nimirũ ideo, quod dum hoc ſacrificium offertur, nos & quantam à Deo gratiæ dignationem acceperimus, & quantum viciſſim ei noſtrę gratitudinis debitum fuerit, agnoſcere debeamus.

OEcol. *Et quod Tertullianus libro de pœnitentia refert, non ideo ablui, vt delinquere deſinamus, ſed quia iam deſinimus, & quoniam iam corde loti ſumus, ita & nos dicimus, non frequentare nos ceremonias illas, vt paſci incipiamus, ſed vt paſtos & paſci nos declaremus, & vt doceamus, cibo Dominico, hoc eſt dum cibum Dominicum ſumimus, operante in nobis Spiritu ſancto, verbum carnem ſumimus.*

Roff. Ita vos peruerſores, qui tam ſcripturas quam patrum ſententias peruertere nitimini, docere certiſſimum eſt. Sed infeliciter illi deſipiunt, qui veſtris dogmatibus aurem præbent, ſi fidem etiã adhibeant. Nam facile quiuis vel ſeipſo deprehẽdet non ob id cibum iſtum fuiſſe inſtitutum, vt teſtaremur nos ante fuiſſe paſtos. Caret enim omni ratione, quod dicitis. Atq; interim infelices auditores, ex illo dogmate veſtro, fraudantur eſu corporali cibi illius incomparabilis, nempe carnis & ſanguinis in Euchariſtia, neq; veſtra opinione, verius in cibo illo Dominico carne Chriſti veſcuntur, quam veteres in manna, Chriſti carnẽ edebant. Cæterum, eccleſiæ fides eſt, veram Chriſti carnem, verumq; ſanguinem contineri, quæ & conſtanter aſſerit ab edentibus ac bibentibus accipi corporaliter, ſic enim & ipſa pridem ab amãtiſſimo ſponſo ſuo Chriſto fuerat edocta, qui dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus. Quare quicquid vos dixeritis, & maxime citra legitimã probationem, nemini Chriſtiano recipiendũ eſt. *Eccleſia credit verum corpus Chriſti in Eucha.* *Matth 26. Marci 22. Luc.22.*

Ex eo quod in ſcripturis Chriſto ſpiritualiter paſcimur, inepte colligit, Chriſtum in Euchariſtia non eſſe.

Capvt XXXV.

OEcol. *At quod propterea Chriſtus non ſit in pane, etiam aliis exemplis diſcere potes, verbo prædicantis credito, & in vterum mentis traiecto, fidelis carnem Chriſti manducare dicitur.*

Roff. Sed plurimum intereſt inter has duas manducationes, nimirum eam, qua fide ſola manducamus, & eam qua corporaliter in Euchariſtia veram Chriſti carnem edimus. Nam illa parum diſcrepat à manducatione, qua patres dum ederent manna, Chriſti carnem comederũt: omnes enim (vt ait Paulus) eandem eſcã ſpiritualem comedebant, & omnes eundẽ potũ ſpiritualem bibebant. At hi certe Chriſti carnẽ corporaliter nõ edebãt, quandoquidẽ nõ erat in manna corpus Chriſti, quod ederent. Nos autem qui pie manducamus Euchariſtiam, carnem Chriſti corporaliter edimus, quæ vere in Euchariſtia continetur. Quare multũ intereſt inter noſtram qui Chriſtũ in Euchariſtia realiter edimus, & illorũ manducationẽ, qui manna mãducantes, Chriſtũ ſpiritualiter ſolum comederunt. Simili modo manducationis vtuntur & hi, qui ſpectatores dumtaxat ſacrificij ſunt, & credunt ibi veram carnem adeſſe, non autem corporaliter ſumunt. Nam hi *Diſcrimen duplicis manducationis.* *Exod.16. 1.Cor.10.* *Manducatio ſpiritualis.*

ſpiritualiter ſolum edunt, ſicut & qui manna manducabant, credentes eam huius cibi figuram eſſe.

OEcol. *Non tamen iccirco in labiis vel in ſono prædicantis inhabitat caro proprie, niſi forte quod de Periclis dicebatur ſuadela, quam πειθὼ vocant, in labris eius ſedeat.*

Roff. Nos neutiquam labiis prædicantis inſidere Chriſtum corporaliter dicimus, tametſi nihil prohibeat ipſius concionantis verbo, Chriſtum auditoribus ſpiritualiter inſinuari. Quamobrem haud multum ab initio libri, tu verbum Chriſti, viuificatricem cibum nuncupaſti, verbum inquiebas eius, viuificans cibus eſt. Et profecto qui vera fide ſuſcipiunt Chriſti verbum, ipſo Chriſto paſcuntur ſpiritualiter. *Lo.3.ca.16.*

OEcol. *Item in ſcripturis diſcentes Chriſtum, carnem eius manducamus, & tamen nemo dixerit in chartis vel characteribus inſidentem, aut ſi dices, improprie dices.*

Roff. *Supra eodem.* Eodem certe modo quo patres (vt diximus) ederunt Chriſti carnem, quam in manna præfiguratam crediderunt, ita & verbo Chriſti credẽtes, aut ſcripturas cum fide legentes, Chriſtum ſpiritualiter edunt. Veruntamen aliud edendi genus eſt, quum eodem Chriſto corporaliter in Euchariſtia veſcimur.

OEcol. *Et ne etiam hæc mea dicatur fictio, Hieronymus ſuper Eccleſiaſte ita dicit: Caro Domini verus cibus eſt, & ſanguis eius verus potus eſt, hoc ſolum habemus in præſenti ſeculo bonum, ſi veſcamur carne eius, cruoreque potemur, non ſolum in myſterio, ſed etiam in ſcripturarum lectione: verus enim cibus eſt & potus, qui ex verbo Dei ſumitur ſcientia ſcripturarum.*

Roff. *Hieronymus. Iohan.6.* Paulo ſignificantius Hieronymus id extulit, ita dicens: Porro quia caro Domini verus eſt cibus, & ſanguis eius verus eſt potus, iuxta ἀναγωγὴν, hoc ſolum habemus in præſenti ſeculo bonum, ſi veſcamur carne eius cruoreque potemur, non ſolum in myſterio, ſed etiam in ſcripturarum lectione. Ex quibus Hieronymi verbis, hoc primũ deprehendere poſſumus, quid per eſum carnis & potum ſanguinis in myſterio Hieronymus intellexerit, hoc ipſum certe, quod ſi dixiſſet in ſacramento, vel in cibo Dominico, ſiue in Euchariſtia, carnem Chriſti ſumi, quemadmodum & ex Hilario ſupra didicimus. Intelligimus inſuper veram eſſe Chriſti carnem & verum eius cruorem in Euchariſtia iuxta verum ſenſum literalem, quanquam iuxta ſenſum anagogicum etiam caro & ſanguis Chriſti comedantur ſpiritualiter in lectione ſcripturarum. Propter quod & Hieronymus dixit: Verus cibus & potus qui ex verbo Dei ſumitur, eſt ſcientia ſcripturarum, nõ dixit, eſt Chriſtus, quanquam ex eis hauddubie reluceat nobis Chriſtus, qui nos etiã in eis reficit ſpiritualiter. Sed tu more tuo voces has duas, iuxta anagogen, expunxiſti. *Oecol. truncat textum.*

OEcol. *Et ne hæc contemptibiliora ſint, quamuis apud multos verbum Dei non poſſum non ingemiſcere tam contemni, & ad ſolum ferme pruritum aurium proferri, addiderim, Chriſti carnem verius ſumere, nonnullos vel audiendo verbũ, vel legendo ſcripturas, quam participando myſteriis, qualia hodie ſunt ſecula, & ſcio me nõ mentiri.*

Roff. Si dixiſſes, pleroſque maiorem è ſcripturis animi conſolationem, quam ex eſu ſacramenti ſumere, non valde reluctarer, quandoquidem ſcripturæ vehementius lectoris fidem excitant, quã plerunque ſoleat edentem eſus Euchariſtiæ mouere. Sed & de ſpirituali manducatione ſi loquaris, concederem aliquos ardentiori Spiritus deuotione, Chriſtum è ſcripturis edere, quam è ſacramento. Cæterum ſi de veritate carnis Chriſti contendas, hic & confidenter aſſerimus, quod nihilo verius in ſcripturis eſt vera caro Chriſti, quã in agno paſchali fuerat, aut in manna. Tantum enim ſpiritualiter paſcit in vtriſque. Cæterum in Euchariſtia, quum ſit corporaliter præſens, edẽtes etiam paſcit corporaliter. *Chriſtus ſcripturis ſumitur.*

Falſarius in Origine citato deprehenditur, ſicut & proxime ſuperius in Hieronymo.

Capvt XXXVI.

OEcol. *Origenes quoque ſuper Leuit. Homil. 13. quum dixiſſet, panem myſticum in loco mundo, id eſt, anima non contaminata manducandum, vocaſſetq; ſancta ſanctorum, exponendo cibum iſtum ſanctum non eſſe communionem ſimiliem, nec cuiuſquam indigni, ſed ſanctorum, id multis magis verbo attribuendum cenſuit ſubdẽs.*

Roff. Et hic plane te falſarium deprehendet quiſquis attentius Origenem legerit. Neque enim ibi verbum Dei cum Euchariſtia confert Origenes, ſed cum panibus propoſitionis. Quæ res vt dilucidius intelligatur, integra Origenis verba ſubiiciam. Sic enim enarrans Origenes illud Leuitici de panibus propoſitionis, quos Moſes iure perpetuo deputauit edendos, ab Aaron & filiis eius in loco ſancto, quia ſanctum ſanctorum eſt: Locus ſanctus eſt anima pura, in quo loco nobis edere mandatur cibus verbi Dei. Neque enim conuenit, vt ſancta verba, anima non ſancta ſuſcipiat, ſed quum purificauerit ſe ab omni inquinamento carnis & morum, tunc locus ſanctus effecta, capiat panem illum qui de cœlo deſcendit. Nonne melius ſic intelligitur locus ſanctus, quã ſi putemus ſtructuram lapidum ſenſibilium locum ſanctum nominari? Hactenus Origenes panes propoſitionis, myſtice Dei verbum interpretatus eſt, quod ab anima ſumi debet, tanquam in loco ſancto reponendum. Nunc autem, priuſquã ad explicationem eius accedat quod dicti ſint hi panes ſanctum vel ſancta ſanctorum, interponit aliam interpretationem de pane ſacramentario, hoc eſt, de myſtico menſæ dominicæ. Vnde (inquit) ſimili modo etiam tibi lex iſta proponitur, vt quũ acceperis panẽ myſticum in loco mũdo, mãduces eum, hoc eſt, ne in anima cõtaminata & peccatis polluta, dominici corporis ſacramenta percipias. Quicunq; enim mãducauerit (inquit) panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe vnuſquiſque, & tunc de pane manducet, & de calice bibat. Et hoc totum Origenes ibidem. In quibus verbis palam eſt eum dixiſſe, ſacramenta Dominici corporis, in anima incõtaminata, per- *Leuit.24. Origenes. Panis propoſitionis ſignificat Verbum Dei. 1.Corin.11.*

ta, percipi debere, ſimili modo, qno de panibus propoſitionis ante dixit. Sed iam hac declaratione facta, redit ad priora verba, quæ ſuſcepit enarranda. Nam quæ proxime recenſuit, erant Pauli. Sed ea quæ iam ſequnntur, ſnnt ipſins Moſcos de panibns propoſitionis dicta. Et hoc obſerua lector, nam in textu ſequitur: Sancta enim ſanctorum ſunt. Et ſubdit Origenes: Vides qnomodo nō dixit ſancta tantummodo, ſed ſancta ſanctorum, vt ſi diceret: Cibns iſte ſanctus oon eſt communis omnium, oeque cuiuſcuoq; indigni: ſed ſanctorum eſt; quanto magis hoc & de verbo Dei recte meritoq; dicemus: hic ſermo non eſt omnium oec cuiuſcunqne, ſed ſanctorum eſt. Hæc Origenes. Ecce iam aduertis lector, quod non cū Encharistia confert Origines verbum Dei, quēadmodum iſte ſycophanta mētitur, ſed cnm panibus propoſitionis. Et ſane Dei verbum rectius dixeris cibum ſanctorum eſſe, quam panes propoſitionis, noo tamen qnam Encharistiam, in qua ſaoctiſſima caro Chriſti, Chriſtusqne ipſe totus corporaliter continetur, ſicut & idem Origenes alibi teſtatur.

1. Corin. 11. Leuit. 24.

Origenes.

Verbum Dei confert Origenes cum panibus propoſitionis.

OEcol. *Quanto magis hoc de verbo Dei, recte meritoque dicemus: hic ſermo non eſt omnium, nec cuiuſcunque, ſed ſanctorum, &c.*

Roff. Non iſtud, ô falſarie, dixit Origenes, conſerēs Dei verbum cum pane myſtico, ſed cum panibus propoſitioois, quos & Moſes, iuxta lectionem Origenis, vocauit ſancta ſanctorum, id quod lectori cuiuis, non oſcitanter inſpectanti, compertum erit.

In citando quoque Auguſtino falſarius oſtenditur.

Capvt XXXVII.

OEcol. *Quocirca diuus Auguſtinus prudenter monebat, non minus peccare negligenter audientem verbum Dei, quam corpus Domini manducantem indigne, proinde non minorem verbi quam Euchariſtia habendam rationem.*

Roff. Et hic ſimiliter te falſariū & mēdacem præbes, nuſquam enim dixit Auguſtinus, eum nō minus peccare, qui neglīgēter audit verbum Dei, qnam qni corpus Domini mandncat iodigne. Sed neque verum eſt, ſi quis hoc dixiſſet. Nam irrepere facile poteſt in vnnmquemlibet audiendi verbi Dei negligentia. Neque propterea mortis Chriſti reus habendus eſt. At quiſquis indigne mandncat (vti Paulus teſtatur) reus erit corporis & ſanguinis Domini, damnationemq; ſibiipſi manducat, non diiudicans corpus Domini. Sed & cōpertiſſimnm habeo, ſi dixiſſet hoc ipſum Auguſtinus, huc citaſſes ipſius verba. Cæterum in ſermooe quodam ſic plebem deſidem & negligentem alloquitur dicens: Quanta ſolicitudine obſeruamns quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat, tanta ſolicitudine obſeruemus, ne verbū Dei quod nobis erogatur, dum alind aut cogitamns ant loquimur, de corde noſtro pereat. Quia non mious reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit. hic nihil de iodigna manducatione corporis Chriſti loquitur Auguſtinus, ſed de negligentia noſtra, quum forte per incuriam è manibus noſtris in terram ruere permittimus. Et hic aduerte lector, quod Euchariſtiam Auguſtinus, audiente populo, vocat corpus Domini, id quod paſſim facit, neque iſtud certe faceret, audieote populo, ſi nihil ibi præter panem eſſe crederet.

1. Cor. 11.

Vide in decr. 1. q. 1. c. interrogo vos fra.

Negligentia audiendi verbum Dei reprehenditur.

OEcol. *At ſi conſtaret opinio de impanatione, innumeris modis plus delicti haberet panem polluens, vt Malachia verbo vtar, quam verbum Dei ex ore meo contemnens, quanto ſcilicet ſonus oris mei organum vilius ipſo pane carne Chriſti nobilitato.*

Roff. Eccleſia catholica talem opinionem haudquaquam admiſit, imo condemnauit, atque id quidem in aliquot conciliis Spiritu ſancto coogregatis. Lutherani certe, quanquam & panem io Eucharistia manere contēdant, fatentur tamen ibi verum Chriſti corpus eſſe. in qua re mnlto propius ad veritatem accedunt, quam ipſe, tuiq; ſectatores, qui prorſus ibi negatis eſſe corporis veritatem. Cæterum de pollutione & indigna ſumptione corporis huius nihil in priori comparatione meminit Auguſtinus, ſed de negligentia, qua ſinitur in terram è manibus noſtris, quādo miniſtratur, decidere.

Vide, 4 ſent. diſ. 11. & in decr. de conſ. diſt. 2. & doctores ibi.

Lutherani tenent corpus Chriſti eſſe in Euch.

OEcol. *Cæterum infarciri carne Chriſti vel rigare ſanguine terrenum corpus noſtrum, vere abſurdum eſt dicere.*

Roff. Tibi ſit abſurdum, qui peruerſiſſimi dogmatis authorem te præſtas. Nobis autem abſurdum non eſt, neq; patribus olim noſtris, vt terrenum & vile corpus noſtrum carne Chriſti repleatur, & rigetur ſanguine, verū non ita (quod & oon ſemel ante monuimus) vt more cuiuſlibet alterius cibi digeratur, & conuertatur in carnem ooſtrā, ſed magis, vt nos (vti Chryſoſtomus ait) re ipſa in carnem illam conuertamur.

Sup. eodem lib. ca. 30.

OEcol. *At verbum cum Spiritu ſuo viuificare animam victuram neceſſario fatemur.*

Roff. Idem & noſtri patres aſſeruerunt, ſed & affirmarunt præterea carnem illam Chriſti viuificatricem, ſua præſentia, vim carni noſtræ talem infundere, qua & ipſa vitam pariter immortalem aliquando victura ſit.

Chriſti caro viuificat.

OEcol. *Et quia animas pias verbum occupat, quod ſuam carnem nunquam reliquit, conſectaneum, vt & carnis Chriſti domicilium quodammodo ſimus, cuius in nobis eſt verbum, per verbum enim credentes, naturam carnis eius adepti ſumus, & per hoc naturaliter ſecundum carnem per Chriſtum viuimus.*

Roff. Quomodo (te quæſo) fiet, vt anima mea domicilium ſit eius carnis, quæ nnſquam alibi tua ſententia creditur eſſe, quam in cœlo. Iſtud profecto mihi creditu longe difficilius eſt, quā quod operante Spiritu ſancto, Chriſti caro ſub ſpecie panis præſens fiat animæ meæ. Iſtud vtique oullam contradictionem implicat, atque illud, apertiſſimam, nimirum vt nuſquam alibi ſit caro

Chriſti,quam in cœlo,&tamen in anima mea ſit. Sed dicis,quodammodo: Ego te paucis breuiter percontor, An vere caro Chriſti ſit in anima:Si dixeris vere ibi eſſe, iam apertiſſima contradictio eſt,quũ iam pridem aſſeruiſti carnem ipſam eſſe nuſquam alibi quam in cœlo. Sin dixeris ibi non vere eſſe, iam falſo colligis nos veram Chriſti carnem adeptos eſſe, & per eius carnem nos viuere naturaliter.

OEcol. *Vnde ſicut caro Chriſti reſurrexit, & in puluere detineri non potuit, ita & nos viuificati per Chriſtum excitabimur, adque gloriam immortalitatis reſurgemus.*

Roff. *Ratio manducandi carnem Chriſti.* Hic & argumentatio tua claudicat. Neque enim vis intelligere,quibus rationibus & ſcripturis adacti ſint patres, vt dixerint, oportere nos ipſa carne Chriſti veſci. Compertum enim habuerunt, reſurrectionẽ noſtram nequaquam in anima ſola, verumetiam in corpore perimplendam eſſe. Quamobrem,vt in mente per gratiam inchoatur futuræ gloriæ vita,qua perpetuo viuet anima,ita & per vires quaſdam ex eſu carnis Chriſti conceptas, inchoatur etiam in nobis vitæ cuiuſdam immortalitas, qua & noſtra caro perpetuo victura eſt & fruitura voluptate, nunquam finienda. Hanc veritatem Irenæus, Chryſoſtomus,Cyrillus,Cyprianus, Hilarius,ac cæteri,cõcordia ſumma teſtantur.

OEcol. *Atque hæc docent externa ſacramenta, quæ accipimus, & haurimus. Nam illa conteſtantur, fide hoc nos agere & obtinere in anima, quod manducatio præſignat externa,quæ mens eſt Hilarij.*

Roff. Quæ ſit mens Hilarij, ſatis (opinor) liquet ex his, quæ iam diſſeruimus. Docet enim nullum ambigendi locum,de veritate carnis & ſanguinis in ſacramento relictum eſſe, quandoquidem & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, caro & ſanguis Chriſti à nobis accepta & hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit. Ecce quod dicit: Caro & ſanguis Chriſti à nobis accepta & hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Nam & in ipſis panis & vini ſacramentis accipimus & haurimus veram carnem & ſanguinem Chriſti, quemadmodum & ipſe Chriſtus ſuis verbis profeſſus eſt: *Iohan 6. Matth.26. Mar.16. Luca 22.* Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Et rurſum: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Item: Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus. Quas vtique ſcripturas Hilarius ipſe citat, vt doceat nullum eſſe relictum ambigendi locum.

Epilogum breuem prolixæ prioris argumentationis inducit, quum nihil horum hactenus probauerit.

Capvt XXXVIII.

OEcol. *Itaque dum hinc inde rem expendimus, & quid patres ſenſerint, ſatis clarum nullam apparere cauſam, quare vel ante manducationem, vel in manducatione adſit corpus hoc modo (vt aiunt) in pane, per quam ſapientiam bonitatemque Dei iure prædicemus.*

Roff. Noſtram cantilenæ partem iam canis. Ad nos enim ſpectat,paucis mutatis verbis, ita colligere. Nos vtique dum hinc inde rem expendimus, & quid patres ſenſerint, & qualibus ipſe fucis atque mendaciis, eorum dogma ſtudueris deprauare; cunctis clariſſimum eſſe nihil dubitamus, tam ante manducationem, quam in ipſa manducatione, verum eſſe corpus, verumque ſanguinem Chriſti, non quidem in pane & vino, ſed ſub panis ac vini ſpecie. Tranſmutari enim credimus panem in carnem, & vinum in ſanguinem inuiſibiliter operante Spiritu ſancto, quemadmodum ex concordi patrum conſenſu monſtrauimus,nimirum, vt hoc tam eximio cibo paſti, vere conuertamur in veritatem carnis Chriſti,Chriſtumque ipſum naturaliter & corporaliter in nobis exiſtentem, iuxta ſuæ carnis naturam poſſideamus: ob quod incomparabile donum, potentia, ſapientia, bonitasque Dei ſemper à nobis iure laudari prædicarique merentur.

OEcol. *Tametſi fatear, quod ſi tale quiddam faceret, non abſque ſapientia ac bonitate faceret, vtcunque nobis ſtultum ac durum videretur.*

Roff. Recte profecto fateris, nam vtcunque nobis ſtultum ac durum videatur, quia tamen ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus; *Matth.26. Marci 14. Luca 22.* eius aſſertioni etiam contra ſenſum & rationem, fidem, vt Chryſoſtomus admonet, adhibere conſentaneum eſt. Certum enim eſt, nec potentiam ei defuiſſe qua præſtaret hoc ipſum quod dixit, nec ſapientiam, qua tam citra ſuam iniuriam, quam horrorem noſtrum, idem faceret, nec bonitatem denique, qua nobis tantum impertiretur bonum: Nam ita prorſus ei complacitum eſt, vt nos in ipſo, & ipſe viciſſim in nobis ſit naturaliter.

OEcol. *Multa igitur hæc abſurda, quæ commemorauimus, ſola ſufficerent, vt excluſo tropo inuſitato, familiarem ſcripturæ tropum agnoſcere debeamus, dicentes, corpus figuram corporis.*

Roff. Ego certe nihil hactenus tam abſurdum audiui, quod ad infallibilem eccleſiæ doctrinam ſequitur, quam quod ſubnaſcitur ex hæreſi tua, quemadmodum paulo ſuperius oſtendimus. Fateris enim credentes, per verbum adeptos eſſe naturam carnis Chriſti, & per hoc naturaliter ſecundum carnem, per Chriſtum viuere. Sunt enim hæc tua ipſius verba: per verbum enim credentes, naturam carnis eius adepti ſumus, & per hoc naturaliter ſecundum carnem, per Chriſtum viuimus. Hic non intelligis (opinor) per naturam carnis Chriſti, carnem illam quæ cunctis hominibus communis eſt. Nam iſtam antequam crederent, habuerunt, neque per fidem aſſequuntur hanc carnem. Quare non communem carnem intelligis, ſed peculiarem illam, quæ iuncta eſt animæ Chriſti. Si verum eſt igitur, quod hanc carnem per verbum & fidem ſic adepti ſimus, vt iuxta carnem, per Chriſtum naturaliter viuamus: quando præterea tibi quoque verum

verum eſt, quod nuſquam alibi caro Chriſti ſit, quam in cœlo, quomodo non erit apertiſſima contradictio? Deinde meam conſcientiam ingenue detego. Multo mihi difficilius ad concipiendum, & abſurdius videtur, quod caro Chriſti nuſquam alibi quam in cœlo ſit, & tamen qui Chriſto credit, carnem eius per fidem adipiſcitur, & naturaliter ſecundum carnem, per Chriſtum viuit. Hæc mihi plane videntur incompoſſibilia. Poſtremo, ſi Chriſto placuit, vt ſuæ carnis naturam in nobis haberemus, & quod naturaliter ſecundum carnem per eum viueremus, vt tu iam affirmas, qua ratione potuit iſtud præſtare commodius, quam vt ſub ſpecie panis, veram eius carnem ederemus. Atq; hoc, quum neq; potentiæ, neque ſapientiæ, neq; bonitati Dei quicquam deroget (vt ſæpe diximus) non video, cur quiſquam ſe præbere debeat huic negocio difficilem ad credendum.

FINIS LIBRI QVARTI.

PROOEMIVM QVINTI LIBRI ROFFENSIS CONTRA OECOLAMPADIVM, DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN EVCHARI-

ſtiæ ſacramento, in quo ſextum caput Iohannis oſtenditur ad eſum corporalem carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſpectare.

QVANDOQVIDEM ſcripturis rem ſe iam aggreſſurum, OEcolampadius pollicetur, afferamus & nos quoque ſcripturas aliquot, quibus noſtrum inſtitutum ſolide comprobemus, & exordiamur primum à ſexto capite Iohannis. Nam iſtud illi mordicitus negant ad Euchariſtiam pertinere. Quamobrem is error nobis hoc principio conuellendus eſt. Monſtrare igitur caput ſextum Iohannis ad Euchariſtiæ ſacramentum pertinere, trifariam conabimur. 1. Ex vnanimi patrum conſenſu, qui ſic interpretantur. 2. Ex neceſſitate corporalis eſus, præter fidem. 3. Ex ipſius Chriſti verbis, & ſcripturarum circumſtantiis.

PROBAT. I. INter patres autem, à Chryſoſtomo ſumemus initium, quod is apertius diſtinguit, quæ verba capitis illius peculiariter ſpectant ad ſacramentum iſtud. Nam vbi tractat ea Chriſti verba: Ego ſum
Chryſoſtomus. panis vitæ, ſubdit: Iam in myſteriorum traditionem deuenturus eſt, & primum de diuinitate ſua ſic diſputat: Ego ſum panis vitæ. Neque enim de corpore hoc dictum eſt, de quo circa finem inquit: Pa-
Iohan. 6. nis quem ego dabo, caro mea eſt. Sed adhuc de diuinitate. Etenim illa propter Deum verbum panis eſt, quemadmodum hic panis propter aduenientem ei Spiritum, panis cœleſtis efficitur. Ecce lector,
Iohan. 6. quam aperte diſcriminat Chryſoſtomus inter ea verba Chriſti, quæ ad diuinitatem Chriſti, & ea quæ ad corpus eius, vt ſub myſteriis velatur, ſpectare dicit. Sermonem itaque de myſteriis inchoari docet, ad hæc verba: Panis quem ego dabo, caro mea eſt: & iſtud (quæſo) memoriæ diligenter commenda, propter ea quæ mox dicturi ſumus. Ab his ergo verbis, panem quem ego dabo, &c. atque deinceps ad finem vſque capitis, ſermonem ſuum Chriſtus contexit pro ſacramento. Sed & iterum paulo poſt, vbi ſuper his eiſdem verbis diſſerit, ea vocat myſteriorum verba, hoc eſt, verba ad ſacramentum Euchariſtiæ pertinentia. Quod ſi quis (inquit) percontaretur, cur myſteriorum ſermonem Chriſtus adduxerit, reſpondebimus, quod horum hic maxime tempus erat. Et profecto, ſi legeris Chryſoſtomum abhinc ad finem eius capitis, comperies eum vbique de ſacramento verba Chriſti
Cyrillus. declarare. Cyrillus item hoc ſextum caput in eandem partem accipit, nempe, pro myſteriis Euchariſtiæ, quam & ipſe vocat benedictionem myſticam. Enarrans itaque ſermonem Chriſti, dicentis:
Iohan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ita ſubdit: Et quomodo quidem carnem ſuam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi non potuerunt. Quam magna vero bona, ſi cum fide manducabunt, adipiſcentur, id iterum atque iterum aperit, vt æternæ deſiderio vitæ ad fidem compellantur, per quam etiam doceri fa-
Eſa. 7. cilius poterint. Sic enim Eſaias dixit: Si enim (inquit) non credideritis, non intelligetis. Oportebat igitur fidei primum radices in animo iacere. Deinde illa quærere, quæ homini quærenda ſunt. Illi vero antequam crederent, importune quærebant. Hac igitur de cauſa Dominus, quomodo id fieri
Matth. 26. poſſit, non enodauit, ſed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus diſcipulis fragmenta panis
Marc. 14. dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Calicem etiam ſimiliter circumtulit, di-
Luc. 22. cens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Perſpicis quia ſine fide quærentibus myſterij nodum nequaquam explanauit. Credentibus autem, etiam non quærentibus expoſuit. Hæc Cyrillus. Vbi ne quis myſterij vocabulum cauilletur, palam recenſuit ipſa myſterij verba, ſimul & docet myſterij modum, Apoſtolis, qui crediderunt, fuiſſe proditum. Capernaitis vero, qui credere noluerunt, celatum fuiſſe. Sed & continuo ſubdit: Au-
Iohan. 6. diant hæc, qui ex arrogantia nondum Chriſti fidem ſuſcipere volunt. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non enim poſſunt cum ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionem Ieſum non acceperunt.
Cyprianus. Hactenus ille, cuius ſententia palam eſt illud ſextum caput ad Euchariſtiam ſpectare. Cyprianus inſuper hoc ipſum confirmat, ita ſcribens in orationem Dominicam: Chriſtus noſter, qui corpus

eius contingimus, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto
ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto,
dum abſtenti & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur, i-
pſo prædicante & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de hoc pa- *Iohan. 6.*
ne, viuet in æternum. Panem autem quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Quando ergo
dicit, in æternum viuere, ſi quis ederit de eius pane, vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius
attingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum eſt & orandum,
ne dum qui abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, communicante ipſo & *Iohan. 6.*
dicente: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vo-
bis. Et ideo panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto mane- *Matth. 6.*
mus, & viuimus, à ſanctificatione & corpore eius non recedamus. Liquet igitur & hunc ſenſiſſe, ca-
put illud ad hoc ſacramentum attinere. Nec iſtud etiam tacuit Origenes Homilia ſeptima ſuper *Origenes.*
Numeros. Quæ prius (inquit) in ænigmate deſignabantur, nunc in ſpecie & veritate complentur. *Sup. in prolo.*
Mox exempla ſubiicit. Antea in ænigmate fuit baptiſmus in nube & in mari, nunc autem in ſpe- *4. lib.*
cie regeneratio eſt in aqua & in Spiritu ſancto. Tunc in ænigmate erat Manna cibus: nunc autem in *Exod. 13.*
ſpecie, caro verbi Dei eſt verus cibus, ſicut ipſe dicit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere *Iohan 3.*
eſt potus. Hæc Origenes. Vbi perſpicis lector eum hæc verba, quæ ex capite ſexto Iohannis deſu- *Exod 16.* *Iohan. 6.*
muntur, pro Euchariſtia citare. Sed & illud aduertis, quod ante Iudæis, Manna cibus fuerat in æni-
gmate: nunc autem nobis in ſpecie & veritate carnem verbi Dei, verum cibum eſſe. Conſentit his
Hilarius octauo libro de Trinitate ſic ſcribens: Non eſt humano aut ſeculi ſenſu in Dei rebus lo- *Hilarius.*
quendum, neque per violentam atque impudentem prædicationem, cœleſtium dictorum ſanitati,
alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt, legamus: & quæ
legerimus, intelligamus: & tunc perfectæ fidei fungemur officio. De naturali enim Chriſti in nobis
veritate, quæ diſcimus, niſi ab eo diſcimus, ſtulte atque impie diſcimus. Ipſe enim ait: Caro mea ve- *Iohan. 6.*
re eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me
manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus: nunc enim &
ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra vere caro eſt, & vere ſanguis eſt. Et hæc accepta atq; hauſta,
id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Ecce & ipſe verba Chriſti 6. cap. Ioan. tradi-
ta, nimirum hæc: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: &, qui edit carnem meam,
& bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Hæc (inquam) intelligenda eſſe docet de Eu-
chariſtiæ ſacramento.

Auguſtinus profecto tot locis huic negocio ſubſcribit, vt neſciam, quem illorum præferam cæ- *Auguſtinus.*
teris, & nimiſquam prolixum fuerit omnes in medium afferre: lege contra Creſconium libro primo,
cap. 25. Item libro primo de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20. & 24. tam aperte docet huius
ſexti capitis verba pro ſacramento Euchariſtiæ debere intelligi, vt nihil deſiderabis apertius. Et rur-
ſum tractans apud populum ea Chriſti verba, nempe: Qui manducat carnem meam, & bibit ſangui- *Iohan. 6.*
nem meum, in me manet, & ego in eo, inſtruit & fideles & catechuminos, ea pertinere ad menſam
Domini, in qua vera caro eius editur, & ſanguis bibitur. Sicut audiuimus (inquit) quum ſanctum
Euangelium legeretur: Dominus Ieſus Chriſtus exhortatus eſt promiſſione vitæ æternæ ad mandu-
candum carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum. Qui audiſtis hoc, nondum omnes intellexi-
ſtis. Qui enim baptizati & fideles eſtis: quid dixerit, noſtis. Qui autem inter vos adhuc catechumini
vel audientes vocantur, potuerunt eſſe, cum legeretur, audientes: nunquid & intelligentes? Ergo
ſermo noſter ad vtroſque dirigitur. Qui iam manducant carnem Domini, & bibunt ſanguinem eius, *1. Cor 11.*
cogitent quid manducent, & quid bibant, ne ſicut Apoſtolus dixit: Iudicium ſibi manducent & bi-
bant. Qui autem nondum manducant & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati feſtinent. Per iſtos
dies magiſtrati paſcunt. Chriſtus quotidie paſcit, menſa ipſius eſt illa in medio conſtituta. Quid cau-
ſæ eſt ô audientes, vt menſam videatis: & ad epulas non accedatis? Et forte modo cum Euangelium
legeretur: dixiſtis in cordibus veſtris: Putamus quid eſt, quod dicit: Caro mea vere eſca eſt, & ſanguis *Iohan. 6.*
meus vere potus eſt. Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur ſanguis Domini? putamus quid
dicit? Quis contra te clauſit vt hoc neſcias? Velatum eſt. Sed ſi volueris, erit reuelatũ. Accede ad pro-
feſſionem, & ſoluiſti quæſtionem. Quid enim dixit Dominus Ieſus, iam fideles nouerunt. Tu autem
catechumenus diceris, audiens & ſurdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia verba quæ di-
cta ſunt, audis. Sed aures cordis adhuc clauſas habes: quia quod dictum eſt, non intelligis. Hæc Augu-
ſtinus de verbis Domini ſermo. 46. qui certe nunquam in præſentia totius populi, & maxime eorum,
qui nondum ſufficienter inſtructi fuerant, toties affirmaſſet corpus & ſanguinem Chriſti in hac men-
ſa reponi, ſi non vere ſic cenſuiſſet, & ex illis Chriſti verbis, nempe: Qui manducat carnem meam, & *Iohan. 6.*
bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vides igitur quanto conſenſu veteres, huius ſexti
ca. verba palam interpretantur, pro Euchariſtiæ ſacramento. Quibus profecto, ſi non amentes fueri- *Errores Lu-*
mus, maiorem adhibebimus fidem, quam hæreticis, & apoſtatis iſtis, quos manifeſtum eſt, ex peruer- *theranorum*
ſiſſimis eorum dogmatibus à Chriſto reprobatos eſſe. Quis vnquam ſanctorum auſus fuiſſet aſſerere *recenſentur.*
Deum auctorem eſſe mali? Quis vnquam ex illorum numero ſuſtulit arbitrij libertatem? Quis vn- 1.
quam docuit pia ſanctaque vota debere abrogari? Quis vnquam dicatas Deo virgines, ad fœdas 2.
3.
carnis 4.

carnis libidines reuocauit? Iſta certe Spiritum non ſapiunt, ſed carnem, & à ſpiritu erroris palam eſt proficiſci. De patribus, nemini dubium eſſe poteſt, quin Spiritus ipſe ſanctus in eis locutus ſit, & per eorum ora docuerit eccleſiam. Patribus hauddubie Spiritus ipſe velut totidem organis vſus eſt, quibus Chriſti gregem in his, quæ ad fidem ſpectant, fideliter erudirent. Nec defuerunt illorum dogmatibus confirmandis miracula plurima. Porro quanta fuerant eruditione, quantaque vitæ ſanctimonia præditi, quantamque ſcripturis excutiendis operam impenderint, quis ignorat, qui libros eorum vel ſemel euoluerit. Errare quidem & labi non inficior, in quibuſdam potuerunt: homines enim erant; ſed in rebus arduis ad fidem ſpectantibus, vt concorditer erraſſent, neque Chriſti pollicitatio, neque perpetua Spiritus præſentia pati potuiſſet. Supereſt igitur, vt ſtemus eorum interpretationi de ſexto cap. Iohan. quod ipſum de ſacramento Eucbariſtiæ tractet.

PROBAT. II.

Veruntamen hoc ipſum & alio quodam modo ſtatuere moliemur. Non equidem ſatis eſt nobis vniri Chriſto ſpiritualiter, id quod fides & charitas nobis exhibent, ſed oportet etiam corporaliter & carnaliter vniri per carnis eius eſum, & ſanguinis ſui potum, nimirum, vt ita ſicut Paulus ad

Epheſ.5.

Epheſios docet, ſimus membra corporis eiuſdem ex carne eius, & ex oſſibus eius. Ibi Paulus hauddubie de Chriſto loquitur & eccleſia, myſterium magnum ex vnione viri & coniugis in carnem vnam eruens. Superius vtique viros admonuit, quatenus vxores ſuas diligerent, ſicut Chriſtus eccleſiam. Et mox ſubdit: Nullus enim vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit, ac fouet

Eccleſia nutritur carne & ſanguine Chriſti.

eam, ſicut Dominus eccleſiam. At quomodo precor, Dominus enutrit & fouet eccleſiam, niſi carne & ſanguine ſuo, nimirum vt ita membra ſimus corporis eiuſdem ex carne eius & ex oſſibus eius. Hoc igitur Lutherum & ſectatores eius in tam abſurdos errores traxit, quod hi ſola fide Chriſtum nobis ſufficienter vnitum eſſe contendant. Sed tu lector, ſi attenderis, perſpicies ipſos veteres huic noſtræ

Cyrillus.

rationi ſubſcripſiſſe penitus. Cyrillus primum capite decimoquinto ſuper Iohannem, aduerſus quendam hæreticum ita ſcribit: Non (inquit) negamus recta nos fide, charitateque ſyncera, Chriſto ſpiritualiter coniungi, ſed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pernegamus, idque à diuinis ſcripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit

Iohan.15.
1. Cor. 12.
1. Cor. 10.
1. Cor. 6.
Iohan. 6.

Chriſtum, etiam ſic vitem eſſe, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto. Quia & ſi multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus. Omnes enim vno pane participamus. An fortaſſis putas ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? cur enim membra fidelium, membra Chriſti ſunt? Neſcitis (inquit) quoniam membra veſtra, membra ſunt Chriſti? membra igitur Chriſti meretricis faciam membra? Abſit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Hæc hactenus ipſe Cyrillus. An non hic audis lector, quod præter eam con-

Corporalis hominum cum Chriſto neceſſaria eſt vnio.

iunctionem, quæ fide & charitate fit, alteram, qua Chriſtus nobis corporaliter vniatur, & qua membra eius corporaliter efficiamur neceſſariam eſſe. Quod & deinde confirmat, ibidem continuo ſubdens: Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur: ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc, dicenti: Chriſto (te obſecro) fidem præbe. Amen a-

Iohan.6.

men (inquit) dico vobis: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Audis aperte clamantem, non habituros nos vitam, niſi ſanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. Hæc Cyrillus. ex quibus aperte vides, quod præter vnionem ſpiritualem, qua fide coniungimur Chriſto, neceſſaria nobis eſt corporalis manducatio, qua nobis ille, & nos etiam illi, naturaliter incorporemur. Huic accedit

Chryſoſtomus.
Epheſ.5.

Chryſoſtomus Homilia quadrageſimaſexta ſuper Iohannem. Poſtquam enim dixerat nos vnum corpus eſſe, & membra corporis Chriſti ex carne & oſſibus eius, rationem confeſtim ſubiicit, dicens: Vt non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Quum eum ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit. Pauca nimirum verba ſunt hæc, at quis non perſpicit miræ efficaciæ, ad comprobandam ſententiam noſtram? Dilectio non efficit, vt re ipſa conuertamur in Chriſti carnem, ſed iſtud cibus ille præſtat, nimirum Eucbariſtiæ cibus, quem ipſe Chriſtus nobis donauit, quo & corpus ipſe ſuum nobis commiſcet, atque ita corpus vnum efficimur, & membra ex carne eius & oſſibus eius.

Irenæus 5.lib. aduerſus hæreſes.
Sup prolo.4. lib.
Epheſ.5.

Quid dici poteſt luculentius? Aſtipulatur & Irenæus ita cum hæreticis colluctatus. Quando (inquit) & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit noſtræ carnis ſubſtantia, quomodo ergo negant carnem eſſe capacem donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ & ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius fit, quemadmodum Apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſios Epiſtola: Quoniam membra ſumus corporis eius de carne eius, & oſſibus eius. Ecce & Irenæus affirmat ex Paulo, nos membra facta eſſe corporis Chriſti, de carne eius & oſſibus, atque ideo quidem, quod corpore & ſangui-

ne eius

ne eius in Eucbariſtia veſcamur. Vides ergo lector, quod præter fidem & dilectionem, quibus corpori Chriſti myſtico inſerimur, neceſſarius eſt nobis eſus corporalis ipſius carnis Chriſti, quo non ſpiritualiter ſolum, verum etiam corporaliter & carnaliter veritatem carnis eius participemus. Erant enim Patriarchæ & Prophetæ corpori ipſius myſtico ſpiritualiter inſerti per fidem, ſicut & hi, qui iam credunt, abſque ſumptione corporali. Sed neutri veritatem carnis participant. De illis hoc ſatis dilucidum eſt, quum hauddum factum eſſet verbum caro. Certe, quando caro non fuit, participari ipſa corporaliter haudquaquam potuit. Verum tunc futuram hanc carnem crediderant, hanc fide ſpiritualiter manducabant, ſpiritualiter participabant, & ſpiritualiter eius corpori myſtico ſunt inſerti. Habebat enim & tunc verbum ipſum, corpus quoddam myſticum, tametſi verum non adhuc acceperit. Habet & Diabolus corpus ſuum myſticum, qui nullum verum adeptus eſt. Hac ergo neceſſitate permoti priſci, perſuaſiſſimum habuerunt, præter fidem & dilectionem, neceſſarium nobis eſſe corporalem eſum ipſius veræ carnis in Euchariſtia. Sed quoniam in ſequenti obiectione plura de hac eadem re dicturi ſumus; hæc pro ſecunda probatione iam ſufficiant.

Priſci ſpiritualiter incorporati ſunt Chriſto. *Iohan. 1.* *Corpus myſticum multiplex.*

PROBAT. III.

Iam afferamus & tertiam. Pro qua ſciendum, quod Chriſtus hic de triplici pane tractaturus, quo maiorem dictis ſuis popularis illa multitudo fidem adhiberet, ſtupendum ante eorum oculos miraculum prius ædidit. Nam de quinque panibus & duobus piſcibus, quinque millia hominum, præter mulieres & paruulos ita pauit, vt abunde ſatiatis omnibus, adhuc ſupereſſent duodecim cophini pleni fragmentorum. Qui tantillo cibo plebem vſqueadeo numeroſam benedictione Chriſti mirifica ſaturari viderant, & citra diminutionem aliquam eius cibi, quomodo non facile credere debuiſſent, eundem potuiſſe, qualemcunque placuiſſet, cibum illis dare, citra quamuis eiuſdem cibi iacturam, aut imminutionem aliquam? Quamobrem & Cyrillus ita ſugillat eos, dicens: Quum oporteret eos, qui diuinam virtutem ſaluatoris ac poteſtatem, ſignorum miraculo perceperunt, ſermonem eius libenter ſuſcipere, & ſi qua difficilia videbantur, eorum ſolutionem quærere, contra omnino faciunt, & quomodo poteſt nobis hic carnem ſuam dare, de Deo, non ſine magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil impoſſibile eſſe apud Deum. Nam quum animales eſſent (vt ait Paulus) ſpiritualia intelligere non poterant, ſed fatuitas quædam tam magnum ſibi videbatur eſſe myſterium. Sed nos magnum quæſo à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem myſteriis adhibentes, nunquam in tam ſublimibus rebus, illud Quomodo aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicij cauſa. Cenſuit ergo Cyrillus, Iudæos illos miraculi magnitudine permonendos fuiſſe, ne de promiſſione carnis in cibum dandæ quicquam hæſitarent. Similiter & Chryſoſtomus incredulum illum populum, & dubitantem, quomodo ſuam carnem Chriſtus ad edendum dare potuiſſet, coarguit. Si hoc inquiris (inquit) cur non idem in quinque panum miraculo dixiſti, Quomodo videlicet eos in tantum auxit. Quia tunc tantum ſaturari curabant, non conſiderare miraculum. Sed res ipſa tunc docuit, inquies: Ergo ex eo & hæc credere oportuit ei facilia factu eſſe. Propterea id fecit miraculum, vt non eſſent amplius increduli his, quæ poſtmodum diceret. Hæc Chryſoſtomus. Intelligis ergo lector cuius rei gratia, Chriſtus hoc inſigne miraculum de quinque panibus ante fecerat, nimirum vt ita facilius induceretur populus ad ea credenda, quæ de myſterio panis fuerat poſtea traditurus. Mox itaque de pane triplici diſſerit. Primus erat Manna, quod Coriandri ſimilitudinem præ ſe ferebat. Secundus erat verbum Dei, quod ſimilitudine carnis peccatricis obtegebatur. Tertius, ipſa Chriſti caro, ſed ſimilitudine panis velata. Primum gloriabantur Iudæi ſibi fuiſſe datum à Moyſe. Secundum, Chriſtus affirmat à patre ſuo tunc Iudæis eſſe donatum. Tertium, ſe daturum pollicetur cunctis credituris. De primo ſic in eodem ſexto capite Iohannis refert, dixiſſe Iudæos: Patres noſtri manducauerunt Manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis ad edendum. De ſecundo, ſic inibi Chriſtus ait: Amen amen dico vobis, Non Moſes dedit vobis panem illum de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. De tertio denique ſic rurſum ait: Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Si quis diligenter horum ordinem aduertat, & exacte ſingula verborum tempora penſitet, plane perſpiciet, hunc tertium panem, Euchariſtiam eſſe. Nam verbum, dedit, ad primum panem ſpectans, eſt præteriti temporis. Ad ſecundum vero, dat, præſentis temporis. Ad tertium denique, dabo, futuri: futurum enim erat, vt daret nobis Chriſtus Euchariſtiæ panem. Propter hoc & Chryſoſtomus vigilanter annotauit, hoc ipſo capitis loco verba myſteriorum in Chore. Neque fruſtra putandus eſt hic Chriſtus dixiſſe bis, dabo. Conſueuit enim præceptor meus Guillielmus Meltonus, Cancellarius Eboracenſis, vir & vitæ probitate, & omni eruditionis genere præſtantiſſimus, me, quum eſſem iunior & Euclidis auditor, ſæpius admonere, quod ſi minimam literam in figura quauis Geometrica ſuperuacaneam eſſe putarem, nondum accepiſſe me veram & integram Euclidis mentem. Si diſcipulus Euclidis adeo ſolicitus eſſe debet, in percipiendis Geometricis, vt niſi de ſingulis appoſitis literis, ſe rationem quandam accepiſſe credat, nondum intelligat magiſtrum; certe Chriſti diſcipulus ita expendat oportet ſingula Chriſti verba, vt ſibi perſuadeat, nihil in eis eſſe ſuperuacaneum. Non inutiliter itaque Chriſtus hic bis adiecit: Ego dabo. Quod ſi quis non ſomnolenter attendat, omnino comperiet, alterum de ſacramento fuiſſe dictum, alterum

Chriſtus tractat de triplici pane, Iohan. 6. *Cyrillus.* *Luc. 1.* *1. Cor. 2.* *Sup li. 3. c. 20.* *Chryſoſtomus.* *Iohan. 6.* *Miraculi de quinque panibus ratio.* *Panis triplex.* *Exod 16.* *Iohan. 1.* *Phil 2.* *Matth 26.* *Marc. 14.* *Luc 22.* *Iohan 6.* *Pſal. 77.* *Iohan. 6* *Euchar. quis panis ſit.* *Chriſtus non abs re bis dixit, dabo.* *Lib. 3. c. 19.* *Nihil in verbis Chriſti ſuperuacaneum.*

Ego dabo, Chriſtus bis dixit. Matth. 26. Marc. 14. Luc 22. Iohan. 6. Exod. 16. Iohan. 1.

rum de morte ſua. Semel enim dixit: Ego dabo, propter ſui corporis donationem Apoſtolis in cœna factam, nimirum quando dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Huc ſane pertinet quod dixit: Et panis quem ego dabo, caro mea eſt. Iterum item adiecit: Ego dabo, propter eiuſdem ſui corporis ad ſupplicia crucis perferendam traditionem. De carne ergo ſua dixit: Quam ego dabo pro mundi vita. Et vtranque hauddubie pollicitationem præſtitit. Quid igitur opus hic fuerit ad tropos confugere, quando Chriſtus hæc omnia dixit & fecit, adeo dilucide, vt nihil cogitari poſſit luculentius. Nec eſt, vt quiſquam ex illis verbis: Et panis quem ego dabo, caro mea eſt; contendat panem triticeum eſſe corpus Chriſti, niſi velit etiam, & Manna, & verbum ipſum, eiuſmodi panem eſſe. Sed panis hic accipitur, more ſcripturarum, pro quolibet cibi genere. Caro igitur Chriſti vere panis eſt, at non triticeus. Neq; fieri poteſt, vt hic panis triticeus vnquam ſit hæc caro. Id quod abunde collegiſſe nos putamus pro defenſione regis illuſtriſſimi. Sed & OEcolampadius in hoc nobis prorſus aſtipulatur. Iam igitur euiciſſe nos credimus, omnino ſextum illud caput Iohan. ad Euchariſtiam pertinere. Neque id ſolum, ſed & veram Chriſti carnem in Euchariſtia contineri, propterea quod ibi pollicitus eſt Chriſtus panem ſe daturum, qui eſſet ſua caro. Cui conſentiunt & cætera, quæ ſequuntur: Amen amen dico vobis, niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui ederit me, & ipſe viuet propter me. Hæc omnia prorſus indicant neceſſitatem edendi Chriſtum corporaliter, vti ſuperius oſtendimus. Et cuncti patres, eadem ipſa verba, de Euchariſtiæ ſacramento concorditer intelligunt. Quid iam neceſſe fuerit iſtis adhuc alias accumulare ſcripturas, quandoquidem iſtæ vſqueadeo fortiter ſeipſas mutuo corroborent. Nam, quod Chriſtus panem ſuæ carnis daturum ſit pollicitus, comminatus quoq; ſit adeo vehementer his, qui carnem ſuam non ederent, & non biberent eius ſanguinem: tanta rurſum & tam ingentia promittens his, qui pie manducarent & biberent, plane conuincit veram eius carnem & ſanguinem eſſe, quæ poſtea ſub ſpecie panis & vini diſcipulis in cœna porrexit: Et viciſſim hæc donatio, pariter & aſſertio carnis & ſanguinis ſub ſpecie panis & vini cum illis minis & allectamentis prorſus inſert illam priorem pollicitationem, ad hanc præſentiæ corporis exhibitionem, omnino pertinere.

Iohan. 6. Erb. 3. e 13. & ſupra eodem prolog. Iohan. 6. Matth 28. Marc 14. Luc 22.

OBIECTIO.

Cæterum, quum aduerſarius ex eodem capite, non leuem, vt ſibi videtur, anſam arripiat, & hanc ei tollere, quantum fieri poteſt, enitamur. Idem (inquit) qui dixit hæc verba: Qui edit carnem meã, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Ipſe etiam affirmat: Qui credit in me, habet vitam æternam. Quare nihil amplius promittitur pro eſu myſteriorum, quam pro fide ſola. Quare quum effectus vtrique communis ſit, & tantundem fide ſola quis conſequatur, quantum ex eſu ſacramenti, nulla erit ſacramenti huius neceſſitas habenti fidem. Nam per ſolam fidem, citra ſacramentum obtinebit, quantum pro ſacramenti eſu promittitur, hoc eſt vitam æternam.

RESPONSIO.

Iohan. 11. Iohan 3. Fide ſola duntaxat ſaluamur. Iohan. 6.

Primum hic reſpondimus, non hæc verba dixiſſe Chriſtum de quauis credulitate, quum dixerit: Qui credit in me, habet vitam æternam. Neque enim pro quacunque fide, verbis hiſce, nobis æternam vitam pollicetur. Quam rem & ſpero Lutheranos omnes mihi facile conceſſuros. Habuit vtique Nicodemus, qui venit ad Ieſum nocte, credulitatem quandam, & eandem ſane maiorem, quam alij complures ex Iudæis, ſed fidem ipſam viuam non habuit. Nam ſi viuam habuiſſet fidem, protinus ipſius Chriſti verbis credidiſſet, neque protuliſſet ſuum Quomodo. Non enim hæſitans dixiſſet: Quomodo poſſunt hæc fieri? Capernaitæ ſimiliter, ſi veram fidem accepiſſent, neutiquam dixiſſent: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? ſed parati fuiſſent citra quamuis hæſitationem omnia credere, quæcunque docuiſſet eos Chriſtus. In hoc ergo verbulo, quum dicimus, credere, comprehenditur firma quædam animi propenſitas, ad omnia quæ ad veram fidem pertinent recipienda. Quæ, qui paratus fuerit, & mente, & opere complere, pie creditur, quod talis propter ipſam bonæ voluntatis propenſitatem ad omnia quæ docetur, tametſi per opportunitatis inopiam, quædam imo plurima non fecerit, vitam nihilominus æternam conſequetur. Et propterea Chriſtus ad fidem auditores primum allicit, quandoquidem ex fide pendent cætera, fides enim initium ſalutis noſtræ. Propter quod & Iacobus dicit: Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Et Paulus ad Hebræos tertio, de hoc initio loquitur, dicens: Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius, vſque in finem, firmum retineamus. Cæterum hoc initium per alia compleri debet, & conſummari, ſicut & ipſe Iacobus in Epiſtola ſua perſpicue docet. Pertinet autem in primis & hoc ad fidem, quod credamus, vera eſſe omnia, quæ Chriſtus docuit: docuit autem in ipſo ſermone, quem habuit in monte, quod niſi abundauerit iuſtitia noſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabimus in regnum cœlorum. Et ſubinde tradidit in eodem ſermone, qualis noſtra debeat eſſe iuſtitia, pluribus exemplis hoc ipſum commonſtrans. Poſtremo, eos qui ſermones illos audierint & fecerint, probis aſſimilat ædificatoribus: qui vero non fecerint, improbis. At quid eſt aliud ædificare, quam ſuper baſim fidei, bonæ vitæ ſtructuram erigere? Quamobrem & iuſtitiæ conſummationem per opera fieri neceſſe eſt. Similiter & in parabola de finali iudicio, plane teſtatur, eos qui

Iacob. 1. Matth 5. Matth 7. Conſummatio conſiſtit ſit per opera. Matth. 25.

non fe-

non fecerint opera, quæ ibi memorauit, ituros in ſupplicium ęternum, iuſtos vero, hoc eſt, eos qui fe-
cerint, in vitam æternam. Ecce iuſtos eos appellat, qui fecerint opera. Credas igitur quantum velis, ſi
tamen oportunitate data, nolis ea quæ præcipiuntur operari, vitam æternam quæ fidei promittitur,
nunquam apprehendes. Atque hoc eſt, quod ante diximus, in hoc verbo, credere, contineri implicite
propenſitatem quandam animi, ad omnia quæ credenda ſunt iuxta modum, quo cuique credenda fa-
ciendaque traduntur. Sed neque ſufficit iſta credere, iuxta hęreticorum interpretationes. Nam hi pro *Sola fides non ſufficit ad ſalutem.*
ſuis inſaniis nullas non ſcripturas peruertunt, oportet fidem habeamus iuxta doctrinam Eccleſiæ,
quam Paulus affirmat eſſe columnam & baſim veritatis. Neque enim ſufficit in Deum credere, tam- *1. Tim. 3.*
etſi fuerit in ipſo omnis bonitas, omnis ſapientia, omnis poteſtas, ſed oportet etiam de ſingulis perſo-
nis in illa ſacra triade recte ſapere. Sabellius enim in Deum credidit, & recte credidit, quicquid eſt bo- *Sabellius errauit circa patrem.*
nitatis, illi in ſummo tribuendum; ſed tryadem illam haud recte diſcreuit, & patrem fuiſſe paſſum af-
firmauit, ob quod nihil ei profuit ſua fides. Sed neque ſufficit in patrem credere. Sic enim & Arrius fe-
cit, omnimodam authoritatem patri tribuens, ſed quia nō recte credidit etiam de filio, parum ei con- *Arrius errauit circa filiū.*
tulit ſua fides. Neque pręterea ſatis fuerit, in patrem & in filium credere, niſi pariter & de Spiritu ſane
ſentias. Nam & in hoc peccauit Macedonius, quare per ſuam fidem nihil pręmij conſecutus eſt. Quod *Macedonius errauit circa Spiritum ſanctum.*
ſi quis in ſacram ipſam tryadem fidat, non tamen recte de veritate carnis Chriſti ſentiat: quemadmo-
dum & Neſtorius fecit, inanis erit ipſius fides. Sed eſto, quiſquam priora omnia vere credat, non reci-
piat tamen Chriſtum, pro nobis in ea carne fuiſſe mortuum, nihil promeretur ſua fide. Sic enim & Pe- *Neſtorius errauit circa humanitatē Chriſti.*
trus, quanquam ante plurimum laudatus eſſet à Chriſto, quod ipſum confiteretur eſſe filium Dei, ta-
men haud multo poſt, quod mortem Chriſti recipere noluerit, audiuit: Abi poſt me Satana, Non ſa-
pis ea quæ Dei ſunt. Quis itaque non perſpicit hoc verbum Chriſti, quum dixit: Qui credit in me; nō *Matth. 16.*
ad ſolius Chriſti perſonam eſſe contrahendum, ſed in eodem verbo implicite complicari cætera quę- *Mar. 8.*
cunque ad integram fidem pertinent. Nam & ſi crediderit quis illis omnibus quæ iam diximus, ſcri-
pturis autem cunctis per Eccleſiam approbatis fidem noluerit adhibere, iam fruſtra vitam ſperat æ-
ternam. Sic enim & hæretici complures fecerunt. Propter quod & recte fatetur Oecolampadius: Qui *Hæretici ex ſcripturis occaſionē errorũ ſumpſerunt.*
diſcredit in vno, in nullo credit. Atqui ſi ſcripturas omnes quis dicat ſe recipere, ſed eaſdem vel ſuo,
vel alterius ingenio detortas, & cōtra ſenſum ab Eccleſia catholica traditum inuerſas, inaniter ex hac
fide præmium expectabit. Nam ita communiter hæretici facere conſueuerunt. Ex ſcripturis enim
perperam intellectis & pro inſania ſuorum capitũ peruerſiſſime detortis, hæreſum ſuarum nacti ſunt
occaſionem. Sed largiamur cuiquam ſe fidem habere ſanam dictorum omnium, ſi tamen iuxta ſcri-
pturas viuere nolit, quid proderit ei ſua fides? Iſtud certe neque Lutherus ipſe negabit. Affirmat enim
in commentariis Epiſtolæ ad Galatas, Petrum peccaſſe mortaliter, quando propter Iudæorum ino-
pinatum aduentum, ſe ſubduxerat à gentibus non incedens ad Euangelij veritatem. Neque tamen
propterea Petrus fidem amiſit, quandoquidem & ei Chriſtus antea dixerat: Ego rogaui pro te, ne de- *Lucæ 22.*
ficiat fides tua. Manſit ergo fides Petro, ſed iuxta Lutherum ea viua non erat, neq; profuiſſet ei quic-
quam eius fides, ſi mortem obiiſſet hoc ipſo momento. Oportet igitur iuxta veritatem ſcripturarum
incedere, & non ſolum ea credere quæ traduntur, verum etiam ea (quæ iubentur) facere. Quamob-
rem & non ſolum is qui de baptiſmo, pariter & abſolutionis ſacramento, quum in ſcripturis aperte
tradita ſint, haud recte credit, ſicut & Nouatus fecit, aut ſi crediderit, contemnat tamen aut craſſe ne- *Nouati error.*
gligat ea vel alia ſacramenta ſuſcipere, ſi detur oportunitas, aut ſi precationes, eleemoſynas & ieiunia,
ceu res inutiles reiiciat, quis huic fidem ſuffecturam ad mercedem æternæ vitæ pollicebitur? Profe-
cto nemo ſanus, niſi ſorte cuipiam in articulo mortis conſtituto, ſed neque tunc, niſi reſipiſcenti, &
fidem eiuſmodi, qualem ante diximus, conſtituenti ſecum, nimirum vt propenſum habeat animum *Sup. eod. prol.*
conformandi ſeſe in cunctis, quæ ad communem totius Eccleſiæ catholicæ fidem ſpectant. Nam &
propterea Donatus cum ſectatoribus ſuis, ſi ſe ſepararint ab Eccleſia catholica, quanquam in cæteris *Donati error.*
ferme omnibus recte credidiſſent, pro inſanis hæreticis condemnati ſunt. Liquet igitur ex his id ver-
bum credere, quum Chriſtus dixit: Qui credit in me, habet vitam æternam; multa præter ſimplicem *Iohan. 11.*
credulitatem implicare, quæ omnia ſi quis habeat, is nihil in cæteris ab vnitate fidei quam Eccleſia
catholica profitetur, diſſidebit. Ex iiſdem præterea facile cognoſces lector, quod præter fidem ſacra- *Eucha. ſacramentum neceſſarium.*
cramenta quoque neceſſaria ſunt, & potiſſimum iſtud pro quo iam concertamus, Euchariſtiæ ſacra-
mentum, id quod rationibus aliquot iterato conſtabiliemus.

Inter quas prima erit, quod hoc pro certo dogmate priſci omnes concorditer & vnanimiter nobis **RATIO I.**
reliquerunt. Et cur eis non credemus magis, quam hæreticis iſtis, qui contraria docent. An non cre-
dimus Arrium & ſectatores eius aberraſſe? Et quis nobis eorum errores indicauit, niſi Spiritus ſan- *Hæretici per patres confutati ſunt.*
ctus, qui per ora patrum eorum hæreſes dilucide conuicit. Quis Marcionitas, Manichæos, Valenti-
nianos, Neſtorium, Samoſatenum, Sabellium, Baſilidem, Nouatum, Pelagium, Donatum, ac cæteros
eorum ſectatores confutauit? Quis inſuper ſanam & rectam aduerſum hos & alios omnes hæreticos,
doctrinam Eccleſiæ catholicæ tradidit, niſi Spiritus ipſe ſanctus, qui patribus velut totidem organis
vſus fuerit in hoc tam arduo negotio. Nam hoc ipſum Chriſtus ante promiſit, dicens: Non vos eſtis *Matth. 10.*
qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Illi nobis è ſchola ſancti Spiritus verita-
tem ſcripturarum interpretati ſunt. Et nos vſque adeo negligentes noſtræ ſalutis erimus, vt ſacerri-
ma illa ſchola reiecta, libentius hæreticorum inſanis dogmatibus aures accommodemus? Si nunc

Hæreticorum varietas vetat eos ſectari. *Tim.4.* *Ex communi patrũ conſenſu monemur ſacramẽta nõ negligere.*

propter iſtorum argutias, quantumuis robuſtæ videantur, ſolidam patrum doctrinam abiecerimus, quando tandem certam aſſequemur notitiam? Poſt illos & alij exurgent, alij & poſt iſtos, adhuc alij, quemadmodum & hodie fieri cernimus. An non poſt Lutherum exortus eſt Carolſtadius: poſt hunc Zuinglius: poſt iſtum Oecolampadius, ſinguli variarum interpretationum authores: ſurrexit & Balthaſarus quidam, qui complures (vt audio) rebaptizauit. Quid iſtud aliud eſt, ſi propter horum nouas adinuentiones, ſolidas patrum expoſitiones, quas hi nobis reliquerũt, ſpreuerimus, quàm quod Paulus ait, ſemper erimus diſcentes, & nunquam ad ſcientiæ veritatem peruenientes. Quando igitur patres illi, de priſcis loquor, & vbi concorditer quicquam aſſerunt, plane docent non fidem ſolam, neque fidem cum dilectione, ſed oportere re ipſa Chriſti carnem in Euchariſtia manducare, quis in ſeipſum tantus hoſtis erit, vt propter hæreticorum iſtorum ſibilos, negligat ſacramẽta, fide ſola contentus. Hæc ratio certe me vehementer mouet, & meo iudicio quemque mouebit Chriſtianum, qui curam ſuæ ſalutis aliquantam agit.

RATIO II.

Galat.5. *Sacramenta neceſſaria ſunt & vtilia.* *Fides eſt inchoatio tantũ bonæ vitæ.* *Iohan.3.* *Iohan.6.*

Secunda ratio. Quod fides ipſa quam aſſecuti ſumus, niſi per ſacramentorum ſuſceptionem corroboretur, paulatim euaneſcet. Nam licet per eam fidem, quæ antecedit ſacramenta, quis iuſtificatus fuerit, nondum tamen liber eſt à prauis deſideriis; quod & illi concedunt. Fides vtique quum vera viuaque fuerit, reſtringere nititur & ſubiugare carnem, quatenus ipſa Spiritui ſubiecta ſit. Verum caro nihilominus continuè reluctatur, atque variis cupiditatibus ipſi fidei ſpirituique moleſta eſt. Moliuntur & ipſæ cupiditates inceſſanter erumpere, quo fit, vt multũ negotij ferme ſingulis momentis, ipſi ſpiritui faceſſant. Quamobrem ſi non accuratius inuigilet ad eas cohibendas atque refrenandas, facile caro per eas fidem ſupplantabit. Igitur vt tam fides quàm ſpiritus corroborẽtur, neceſſaria ſunt ſacramenta: quę per acceſſum & incrementum gratiæ, carnem & ipſius fomitem reprimant: Spiritum excitent: fidem corroborent & adaugeant. Sed & ipſa fides quum ſit, niſi quædam inchoatio bonæ vitæ, ſi quis eam ſibi ſolam ſufficere perſuaſus, ſacramenta contempſerit, vel ea ſuſcipere craſſe neglexerit, mox euaneſcet. Nam fides non eſt, niſi quis ea præditus, paratus item ſit credere ſacramentis à Chriſto traditis, & eadem quum oportunitas fuerit, recipere. Nam verum ſit oportet, quod Chriſtus dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Nihil ergo tibi proderit tua fides, quum niſi baptiſmi ſuſceperis ſacramentum, à regno cœleſti ſis excludendus. Et rurſus ait: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ex quibus conſequitur, vt quiſquis hæc ſacramenta contempſerit, aut craſſiori negligentia ſuſcipere prætermiſerit, fides eius quantauis antea fuiſſet, ob hoc ipſum tamen quod iſta ſacramenta ſumere negligat, euacuabitur, & inanis euadet. Et hactenus pro ſecunda.

RAT. III.

Iob 9. *2 Corinth 13.* *1.Corin.13.* *Nemo poteſt ſcire an fidem viuã habeat.* *Sacramenta ad quod inſtituta ſint.*

Accedit huc & tertia. Nemo certus eſſe poteſt citra ſacramentorum ſuſceptionem de ſua fide, quod viua formataq; ſit, niſi forte per reuelationem hoc ipſum acceperit, id quod non contingit paſſim quibuſlibet. Fatetur vtique Lutherus complures in hoc falli, credentes ſe fidem habere, quum neutiquam habeant. Lege commentarios eius in Epiſtolam priorem Petri, vbi ſæpius id affirmat. Sed de illis (inquis) loquitur, qui manifeſtis laborant peccatis. Atqui peccata, licet occulta fuerint, non minus obſiſtunt fidei, quàm aperta: ſed quæcunque, ſiue occulta, ſeu manifeſta peccata ſint, quamdiu placent, fidem formatam impediunt. Et cui ſatis exploratum eſt, an ſufficienter ipſe deteſtetur omnia ſua peccata? Vtcunque fuerit, etiam iuxta rationem fidei, quam Lutherus ipſe tradit, pauciſſimi ſunt qui fidem obtinent. Quare vehementer in hac re (quemadmodum alias oſtendimus) miſeris auditoribus ſuis Lutherus imponit. Nam alibi facillime conquiri poſſe fidem docet, adeo vt vix quiſquam ſit, qui non eam habeat, alibi tamen adeo conquiſitu difficilem, vt vix q[illegible] quam inuenias qui eam aſſecutus ſit. In commentariis vero prioris Epiſtolæ Petri, dicit illic [illegible]nime haberi fidem, vbi deſuerint bona opera. Et cui non deſunt opera bona? Quis non plane v[illegible]det ſe bonorum operum inopem. Sanctiſſimus ille Iob ait: verebar omnia opera mea. Quis itaque certus eſſe poteſt, ſe viuam habere fidem? An non ingentem fidem habet ille, qui ſua fide montem quemuis è loco ſuo dimoueat? Et ſane talem habere fidem poſſibile eſt Chriſtianis. Alioqui non dixiſſet Chriſtus ad diſcipulos, Matth. decimoſeptimo: Amen quippe dico vobis, ſi habeatis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit. Sed & Paulus dicit: Si habuero omnem fidem, ita, vt montes dimoueam. Talis tamen ac tanta fides poteſt in quopiam eſſe, qui non aſſequetur vitam æternam, quandoquidem & Paulus ait, tantam fidem haberi poſſe citra charitatem. Sed & Chriſtus dicit Matthæi ſeptimo: Multi dicent mihi in illo die, Domine, Domine: Nonne per nomen tuum prophetauimus? & per nomen tuum dæmonia eiecimus? & per nomen tuum multas virtutes pręſtitimus? An non in iſtis erat fides inſignis, qui ſic per fidem in Deum prophetare, dæmonia eiicere, multaſque virtutes præſtare valuerant. & quid? Num fidem ideo viuam habuerunt? Minime. Tunc (inquit) confitebor illis: Nunquam noui vos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Et tamen indubitatum eſt, hanc fidem fuiſſe donum Dei, & vnum ex illis, quæ Paulus 1. ad Corinth. 13. tria numerat. Fides (inquit) ſpes, & charitas: tria hæc. Quando igitur tam potentem & tam efficacem quis fidem habere poteſt, & tamen ſine charitate: quis certus erit, quando viuam aſſecutus eſt fidem? Nemo profecto citra ſacramenti ſuſceptionem. Propter hoc igitur inſtituta fuerunt ſacramenta, nimirum, vt his rite pieque ſuſceptis certiores efficeremur de viuificatione fidei noſtrę per gratiam. Nam Deus infallibiliter aſſiſtit ſacramentis iſtis, paratus donare gratiam cunctis

quam-

quamprimum aliquod ſacramentum ſuſceperint. Per hanc itaque gratiam, fides, vbi forte prius informis erat, viuificatur, & eadem, ſi prius erat formata, vegetior & auctior efficitur. Atque hactenus pro tertia ratione dictum ſit. *Fides viuificatur per ſacrorum ſuſceptionem.*

Confirmatio priorum ex aliis Euangeliſtis accepta.

Ex antedictis haud dubito, quin orthodoxis lectoribus apertiſſime monſtratum ſit, pollicitationem à Chriſto factam, 6. Iohannis, ad corporalem eſum veræ carnis in Euchariſtia pertinere. Verum iſtud adhuc dilucidius euadet, ſimulatque perpenderimus, quam dilucide cæteri Euangeliſtæ pollicitationem hanc fuiſſe pręſtitam, edocuerint. Sic enim Matthęus de cœna Dominica ſcribit: Veſcentibus autem eis, accepit Ieſus panem, & quum egiſſet gratias, fregit deditque diſcipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Et accepto poculo, gratiis actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. *Matth. 26.* Ecce is, qui eſt ipſiſſima veritas, palam affirmat ſuæ carnis pariter & ſanguinis præſentiam in Euchariſtia. Et hic aduerte, quod quum dixiſſet: hic eſt ſanguis meus, non ipſum poculum indicauit, ſed ſubſtantiam ipſam quæ tum fuerat in poculo. Stolidum enim fuerit exiſtimare poculum ipſum fuiſſe ſanguinem, aut panem triticeum fuiſſe corpus Chriſti. Marcus autem ita narrat: Et edentibus illis, ſumpto Ieſus pane, quum benedixiſſet, fregit, & dedit illis ac dixit: Sumite, comedite, hoc eſt corpus meum. *Marci 14.* Et accepto poculo, quum gratias egiſſet, dedit illis, & biberunt ex eo omnes, & dixit illis: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditur. Et hic quoque veram corporis & ſanguinis præſentiam teſtatur. Hic lector expende, quantum adamuſſim conquadrent, hoc factum, & verbum Chriſti cum ipſa prius facta pollicitatione. Nam ibi pollicitus eſt ſe daturum panem, qui caro eſſet. *Iohan. 6.* Hic autem benedicto porrectoque pane, dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Ibi dixit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. Hic autem, quomodo manducetur eius caro, ſanguiſque bibatur, palàm indicat affirmans: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. An non hæ res geſtæ, verbaque prolata plane confirmant ipſas pollicitationes ante factas? Et viciſſim ipſæ pollicitationes nunquid non corroborant horum geſtorum dictorumque veritatem? Sed iam audiamus & alios. Accedit his Lucas, qui refert ad hunc modum: Et accepto pane, quum gratias egiſſet, fregit, ac dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in mei recordationem. *Lucæ 22.* Illam autem particulam, nempe quod pro vobis datur, nullam aliam ob cauſam appoſuiſſe videtur, quàm vt certiores eſſemus, idē corpus quod paulo poſt in cruce pepēdit, tum in Euchariſtia vere pręſens factum eſſe. De ſanguine vero ſubdit: Similiter & poculum poſtquam cœnauit, dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum per meum ſanguinem, qui pro vobis effunditur. Quanquam hic alia verba ſint, ſenſu tamen à Matthæo & Marco neutiquam ipſe diſſidet. Nam quod hi dixerunt: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, ille per eundem ſanguinem teſtamentum nouum confirmari & ſtabiliri teſtatur. Sed mouebit adhuc forte quempiam, quod quū ſolus Iohannes huius pollicitationis meminerit, idem einſdem exhibitæ nullam faciat mentionem. *Obiectionis diluteo.* At iſtud nihil eſt. Nam quis ignorat Iohannē libenter ea narrare, quæ cæteri prætericrunt, & quæ ſufficienter ab aliis tradita ſunt, ea ſilentio pertranſire. *Iohan. tacuit exhibitionem corporis Chriſti ſub ſpecie panis.* Quocirca quū intellexiſſet & cæteros, tam ipſum de quinq; panibus miraculū quàm totam diſceptationē inde cum Iudæis habitā de pane triplici, ſimul & pollicitationē panis, quæ caro eſſet, prorſus tacuiſſe, tradidiſſe tamē abunde, tam carnis exhibitionē ſub ſpecie panis, quàm ſanguinis ſub ſpecie vini; illa docuit, iſta præteriit. Preter hos adhuc & Paulus hac de re ſic tradidit Corinthiis: Ego (inquit) accepi à Domino quod & tradidi vobis, quod Dominus Ieſus in ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquā gratias egiſſet, fregit, ac dixit: Accipite, edite, hoc meū eſt corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei commemorationem. *1. Corint. 11.* Ad eundē modum & poculū peracta cœna dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque biberitis, in mei commemorationem. Ecce Paulus, qui non alia, quàm quæ à Chriſto didicerat, nobis tradit, quantum ad veram corporis & ſanguinis præſentiam cum cæteris omnino conuenit. Sed & conſequenter in eodem capite bis pręterea nominat corpus Domini, non myſterium, non ſacramentum, non figuram, ipſum appellans, ne quiſpiam in his vocabulis cauillaretur. *Paulus bis nominat corpus Domini, quo conſtet nullū ſubeſſe tropū.* Quod ſi voluiſſet Chriſtus hic tropum aliquem intelligi, nimirum, vt non verum, ſed figuratum tantum hic eſſet corpus ſuum, profecto quum poſt cæteros Apoſtolos iam ipſum Paulum ruſſus hac de re commonuiſſet, & plenius erudiiſſet, aliqua ſaltem appoſita vocula, monſtraſſet, non veritatem corporis & ſanguinis in Euchariſtia contineri, ſed figuram duntaxat, id quod nuſquam feciſſe compertiſſimum eſt. Illud etiam quod dicit Paulus in eiuſdem epiſtolæ cap. quinto: Paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus. *1. Corint. 5.* Enimuero, noſtrum, dicens, aliud ſignificat olim fuiſſe Iudæorum. Nam & hi paſchalem quendam agnum ſingulis annis ad feſtum paſchatis immolare conſueuerant. *Exod 12.* Quem & poſtquam immolaſſent, etiam iuxta legis ceremonias edere tenebantur. Noſtrum vero paſcha Chriſtus eſt, qui pro nobis velut agnus innocentiſſimus in cruce fuerat oblatus, nimirum vt eius ſanguine mundi crimina diluerentur. Fuerat autem ille vetus agnus huius noui, pariter & illud paſcha, noſtri paſchatis figura quædam & vmbra. Quamobrem vt hæc noſtra veritas, noſter inquam verus agnus Chriſtus Ieſus, vmbræ præteritæ modo

quodam

quodam reſpondeat, oportet & eum corporaliter edi. Nuſquam autem id fit, niſi in Euchariſtia ſub ſpecie panis. Quare & colligitur eum ibi vere præſentem eſſe, quatenus à nobis realiter manducetur.

Iohan. 19.

Nec eſt vt quis dicat, hanc comeſtionem ſpiritualiter accipiendam eſſe. Nam occiſio huius agni ſicut & illius, fuit vere corporalis, ſed & in genere laniationis corporis vtriuſque debuit eſſe quædam ſimilitudo, ſicut & Iohannes docet, transferens id quod de agno veteri ſcriptum fuerat, ad nouum hunc agnum Chriſtum, hoc videlicet, os non comminuetis ex eo. Nam huius gratia tam illud ſcriptum fuerat, quàm ille vetus agnus occiſus & comeſtus.

Corpus Chriſti oportet corporaliter ſumere.

Quocirca quum cætera ſibi reſpondeant, oportet vt & eſus huius agni fiat corporaliter, quemadmodum & illius ante fuit: Hoc eſt, quod nos Chriſtiani corporaliter paſcha noſtrum edere teneamur, ſicut & Iudæi ſuum paſcha iuxta legis antiquatæ ceremonias edere conſueuerunt.

Matth. 26. Marc. 14. Luca 22. Chriſtus duplex paſcha comedit.

Confert & hoc plurimum ad indicium veritatis, quod ipſo veſperi Chriſtus cum Apoſtolis vtrunque paſcha comedit, prius quidem illud vetus, poſtea vero nouum iſtud, quod tum primum ab illo fuerat inſtitutum. Nec eſt dubium, quin ex hoc ſuæ paſſionis commemorationem fieri quæſierit, ſicut & agni veteris eſus fuerat eiuſdem futuræ paſſionis præmemoratio. At quis non videt, ſi nihil aliud eſſet in Euchariſtia quam panis & vinum, quin longe ſignificantius & efficacius agnus ille Chriſtum: & mors illius agni mortem Chriſti: Sanguis deniq; ſanguinem; quam panis & vinum exprimere queant.

Quare ſub aliena ſpecie corpus Chriſti detur.

Veruntamen qnia commodius & citra comedentis horrorem, ſub ſpecie panis, veritatem ſuæ carnis, & ſub ſpecie vini, ſanguinis veritatem præberet, idq; ſufficeret vere credentibus, atq; oculis fidei res ipſas velatas, potius quàm ſpecies externas contuentibus, idcirco veteribus illius agni ceremoniis antiquatis, nouum hoc paſcha conſtituit, quod ceu res vera, figuris vmbriſque ſuccederet.

Hieronymus.

Propter quod & Hieronymus hunc Matthæi locum enarrans, ita ſcribit: Poſtquam typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum paſchæ tranſgreditur ſacramentum, quomodo in præfiguratione eius Melchiſedeck ſummi Dei ſacerdos, panem & vinum offerens, fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.

Pſal. 103. Gen. 14.

Hæc Hieronymus. Vbi vides lector, & typici paſchæ, & noui diſcrimen: vides & præfigurationem huius inſtituti in Melchiſedeck. Vides denique veritatem corporis & ſanguinis ſub panis & vini ſpeciebus repræſentari.

Antipophora.

Nec eſt quod Oecolampadius, vt alibi ſolet, hic ſophiſma nobis in hoc verbo, repræſentari, ſtruat. Quid enim aliud aptius dixiſſet Hieronymus, quàm veritatem corporis & ſanguinis hic repræſentari, quum non cernantur hic corpus & ſanguis Chriſti ſub natiuis ſuis ſpeciebus, ſed tantum ſub alienis, nempe panis & vini nobis repræſententur.

Sed iam redeamus ad Paulum, qui ſic 1. ad Corinth. 10. tradit: Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Quid hic audimus? Figuráſne corporis & ſanguinis Chriſti? Nequaquam, ſed veritatem corporis & ſanguinis, quibus nos vere communicare Paulus aſſerit. Profectò ſi figuram ſolam hic indicaſſet Paulus, non adeo frequenter hæc, nulla vſpiam figurarum habita mentione, vocaſſet corpus & ſanguinem Domini. Sed nec arbitratur Oecolampadius nos per panem & vinum ſuum, communicare corpori & ſanguini Chriſti, ſed fidem ſolam huius communicationis cauſam eſſe contendit. Et certe qui fieri poteſt vt merus panis aut vinum eam efficaciam habeat, vt nos veri corporis & ſanguinis Chriſti reddat participes? Quare conſectaneum eſt, vt quum huius panis eſu & liquoris eius qui in poculo eſt potatione, vere corpori & ſanguini Chriſti communicamus, eiuſdem corporis & ſanguinis veritatem hic adeſſe, ceu compertiſſimum habeamus.

1. Corinth. 10.

His adiungit Paulus eodem loco: Vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Omnes participare dicit, non tamen omnes vnum eſſe corpus affirmat, ſed multos: Quod eum ideo dixiſſe putamus, quod erant & quidam indigne participantes, quibus nihil profuit de myſteriis illis ediſſe. Veruntamen ſi nihil hic aliud præter panem & vinum adeſſet, omnes quocunque modo participantes, vnum corpus efficerentur, quandoquidem omnes eandem panis ſubſtantiam ſibi incorporarent, & tam indigni quàm digni ſubſtantiam illam panis in ſua corpora verterent & digererent. Sed longe alia mens fuerat Paulo. Nam pie ſumentes non dubitabat incorporari Chriſto, atq; ita in ipſo fieri corpus vnum, vtique per illius corporis eſum. Impios vero licet hoc ipſum manducarent, nihilo ſecius tamen ad vnitatem illius corporis ex eo pertinere, quàm vbi ſorices & mures hoc ipſum comediſſent, quandoquidem nec hi, nec impij per manducationem illam Chriſto vel tantillum incorporantur.

Quid illud recenſeam quod mox in Paulo ſequitur: Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolim autem vos conſortes dæmoniorum eſſe. Non poteſtis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum. At quid in hac menſa Domini (precor) immolatur aliud, quàm corpus & ſanguis eius, quandoquidem ante reiecta ſint rerum corporalium ſacrificia, quæcunque fuerint, præter vnius corporis Chriſti ſacrificium, quod & in altari quotidie victimamus.

Auguſtinus de matre ſua.

De quo ſacrificio in laudem ſuæ matris Auguſtinus refert, eam haud mediocrem ſpem concepiſſe. Imminente (inquit) die ſolutionis eius, non cogitauit corpus ſuum ſumptuoſe contegi, aut condiri aromatibus, aut

electum monnmentum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrinm. Non iſta mandauit, ſed tan- *Coloſſ.2.*
tummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret
diſpenſari victimam ſanctam, qua deletnm chirographum, quod erat contrarium nobis. Hæc Augu-
ſtinus. Hæc eſt igitur illa victima, quæ nobis patrem propitium reddit, quæ quum comeditur, non
modo nos menſæ Dominicæ participes efficit, verum etiam vnit & incorporat Chriſto. Corrobo-
rant & hanc veritatem haud mediocriter, ea quæ Paulus Epheſis tradit de Chriſto & Eccleſia. Neque
enim prætermittendus eſt locus ille Pauli ſexto ad Epheſ. quo priſci illi, nimirum Irenæus, Hilarius,
Chryſoſto. & Cyrillus libenter vtuntur ad huius veritatis corroborationem, vti ſæpius oſtendimus.
Nam Paulus ibi poſtquam viros hortatus eſſet quatenus vxores ſuas diligerent, ſicut & Chriſtus Ec-
cleſiã, ſimulque docuiſſet quid eidem Eccleſiæ ſuæ contulerit; ſubdit: Nullus enim vnquã ſuam ipſius
carnem odio habuit, imo enutrit ac fouet eam, ſicut Dominus Eccleſiam. Hic percontarer Oecolam-
padium, an ſola contemplatione paſcimus carnem noſtram? Quod ſi corporaliter nos dicat carnem
noſtram paſcere, conſequitur, vt & Chriſtus item corporaliter Eccleſiam ſuam paſcat. Fouet igitur & *Chriſtus paſcit Eccleſiam*
enutrit Chriſtus Eccleſiam illo corporali cibo & potu, de quo prius apud Corinthios diſſeruit idem *corpore ſuo.*
Paulus, dicens in perſona Chriſti: Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus. per quem hauddubie *1. Corin. 11.*
cibum & potum efficimur Chriſti membra, prius equidẽ factus fuit noſtri generis membrum quod-
dam, quando videlicet ipſe carnem noſtram accepit, neque tamen adhuc eramus viciſſim eius mem-
bra, ex carne eius & oſſibus eius, ſed iſtud per fidei pietatem & per eſum carnis eius aſſequimur. Per
hunc diuinum cibum (vt priſci illi teſtantur) efficimur eius membra, quemadmodum in Paulo con-
tinenter ſequitur: Quoniam membra ſumus corporis eiuſdem ex carne eius & ex oſſibus eius. Nam *Ephe.6.*
ſicut Eua prodiit ex Adam, ita nos qui ſumus Eccleſia ſponſaque Chriſti, per eſum carnis & ſanguinis
ipſius, corpus vnum efficimur, & membra corporis Chriſti, atque ita ex duobus fit vna caro. Quod ſa-
ne myſterium, licet de primo viro Adam & vxore ſua Eua ſcriptum ſit, Paulus tamen hoc loco tri-
buit hoc ipſum Chriſto & Eccleſiæ ſuæ. Nam protinus vbi dixiſſet: Atque ex duobus fiet vna caro,
ſubdit: Myſterium hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Palàm eſt igitur hunc
locum Pauli nihil ad incarnationem Chriſti ſpectare, qua videlicet ille carnem de nobis accepit, ſed
magis ad manducationem carnis eius, quo nobis ille carnem ſuam communicat & enutrit ac fouet
eſu carnis, & potu ſanguinis ſui. Addam & aliud, quod ex Ruperto Tuitienſi Abbate didici, quem & *Rupertus*
Iohanni Coclæo, viro exactiſſimæ diligentiæ, neque minus ardentis zeli, debemus, dictum fuerat A- *Tuitienſis.*
dæ, quemadmodum 3. Gene. traditur: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Ecce quan- *Coclæus lau.*
tum exitium imminebat ei, qui ex fructu illius ligni comederit. Comedit nihilominus Adam ex eiuſ-
dem ligni fructu; quo factnm eſt, vt tam ipſe, quàm omnis eius poſteritas, mortis inciderit ſenten-
tiam. Quamobrem æquum fuit, vt ſi ad vitam vnquam reuocandi forent, id fieret per alterius ligni
fructum, qnem etiam eſſent comeſturi. Is vero fructus alius non eſt, quàm fructus ligni crucis, nimi-
rum Chriſtus ipſe, qui pro nobis olim in cruce pependit. Quare conſectaneum eſt, vt ſicut Adam o-
lim corporaliter mortis fructum ederat, quo iudicium accepit mortis, ita & nos quoque corporaliter
hunc vitæ fructum edamus, quo reſtituamur vitæ. Id quod Chriſtus ipſe pollicetur, cunctis ex eo
manducaturis. Qui edit (inquit) meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Et *Iohan.6.*
ego ſuſcitabo eum in noniſſimo die. Cæterum ſi ad hunc modum pertexerimus, quando tandem e-
rit finis. His igitur & aliis ſcripturarum teſtimoniis, quibus inter reſpondendum vſi fuimus, ſi quis *Epilogatio*
adiunxerit nimium illum amorem, quo nos ardebat Chriſtus, vt eandem carnem ſuam tot & tam a- *probationũ.*
cerbiſſimis exponeret cruciatibus, & precioſum item ſanguinem pro nobis effunderet. Deinde polli- *I.*
citationes alias ab ipſo factas Eccleſiæ: De fide neutiquam defectura: Conſenſum item veterum: *II.* *III.*
Concilia patrum: Innumera miracula: Reuelationes fide digniſſimas, ac cætera, quæ in corrobora- *IIII.*
tionibus ante memorauimus, quis niſi plane deſertus & reiectus atque reprobatus à Deo, diutius *V.*
contendet, aut non eſſe veram carnem & ſanguinem in Euchariſtia, aut verba ſexti capi- *VI.VII.*
tis ad eandem Euchariſtiam haudquaquam ſpectare. Sed iam æquum eſt, vt ſi *In prolo.3.lib.*
quas Oecolampadius pro ſua hæreſi ſcripturas adducat, eas au-
diamus pagina ſequenti.

ELENCHVS CAPITVM EX QVINTO LIBRO.

Cap. I. Dolus detegitur cur Lucã ſibi delegerit potius quàm cæteros.

II. Inter ſacramenta Iudæorum & noſtra tantum intereſſe, quantum inter figuram & veritatem.

III. De veteri nouoq́; paſchate prolixius diſſeritur, & quid vtrunq; ſit, oſtenditur.

IIII. Vtriuſq; paſchatis diſcrimine patefacto, baſis Oecolampadianæ ſtructuræ funditus euertitur.

V. Euangelium Lucæ, quantumuis inuerterit, nihil illi ſuffragatur.

VI. Non dixiſſe Moſen, Agnus eſt phaſe, vnde ruit magni molimimis argumentatio.

VII. Nihil illi nomen recordationis conferre, aut ſimilia, quæ apud Euangeliſtas & Paulum leguntur.

VIII. Verba hæc Pauli & Lucæ, hoc poculum, nouum teſtamentum in meo ſanguine, diſcutiuntur.

IX. Teſtamentum apud Lucam & Paulum, nequaquam accipi debere pro figura teſtamenti.

X. Iterata commemorationis mentio, pariter & Origenis teſtimoniũ nihil ei proſunt.

XI. Fruſtra diluere molitur, quod toties Paulus corpus & ſanguinem appellat.

XII. Callide molitur obfuſcare Pauli verba, de ſumentibus indigne corpus Domini.

XIII. Ambroſius ab eius deprauationibus & mutilationibus vindicatur.

XIIII. Simili modo, Chryſoſtomus ab eo mutilatus, integritati reſtituitur.

XV. Eripitur & Hieronymus ab illius falſis gloſſematibus.

XVI. Explicatus alter Hieronymi locus, quem adducit, nihil ei prorſus aſtipulatur.

XVII. Cyrillus, quemadmodum aliis vbiq; locis, ita & in hoc iam citato, confodit Oecolampadium.

XVIII. Exploduntur fuci, quibus adulterari Cyrillum impudentiſſime conatur.

XIX. Tam Hilariũ, quàm cæteros, quotquot ſunt authores ſolidi, ſibi ſubſcribere, ſed inaniter contendit.

XX. Sacramentum non eſſe rem ſacramenti, neque panem corpus, nihil contra nos eſt.

XXI. Molitur quorundam authorum libros, qui ſuæ hæreſi reluctantur, denigrare.

XXII. Fruſtra quædam carpit, quæ libello de myſteriis Ambroſius tradidit.

XXIII. Gratianum & Petrum Longobardum, iterum ſuo more carpit. Euſebium quoque, Emiſſenum, & Proſperum reiicit.

XXIIII. Nihil ei confert Auguſtini teſtimonium, ex quo multa mendacia colligere molitur.

XXV. Fuci diluuntur & deteguntur mendacia, quæ & eidem Auguſtino impingere conatus eſt.

XXVI. Alium ex Auguſtino locum aduerſum ſe producit, quem & fruſtra diluere conatur.

XXVII. Fruſtra pollicetur, ex aliis manifeſtioribus dogma ſuum ſcripturis comprobaturum.

XXVIII. Cauillos aliquot affert ex Chriſti verbis: Caro non prodeſt quicquam, quibus reſpondetur.

XXIX. Obiicit & illud: Non quod intrat in os, coinquinat; quod parum ad rem facit.

XXX. Caro Chriſti paſcit animam, tametſi neutiquam eam ingrediatur.

XXXI. Ecce, hic eſt Chriſtus aut illic, nobis obiicitur, & retorquetur in authorem.

XXXII. Nihil repugnat in cælo Chriſtum eſſe, pariter & in altari.

XXXIII. Meram argutiam eſſe, corpus eſt in plurib. locis, igitur eſt & Deus.

XXXIIII. Abutitur Pauli verbis: quæ ſurſum ſunt, quærite, non quæ ſuper terram.

XXXV. Alium rurſus locum ex eadem ad Coloſſ. Epiſtola citat, qui nihil ei conducit.

XXXVI. Denuo Pauli verba repetit, quibus ad ſolum Chriſtum in cælo ſpectandum nos inuitat.

XXXVII. Obiicit Apoſtolos non fuiſſe capaces doctrinæ ſublimioris, dum Chriſtum haberent carnaliter præſentem.

XXXVIII. Iactat plurimum fructus oriri ex negata præſentia Chriſti in Euchariſtia.

XXXIX. Religionem ſeruandæ veritatis in ſcripturis prætexit, quum eas tamẽ peruertat maxime.

XL. Epilogum haud longum, ſed mendaciis refertiſſimum contexit.

IOHAN-

IOHANNIS ROFFENSIS EPISCOPI CONTRA OECOLAMPADIVM DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO,

LIBER QVINTVS.

Dolus detegitur, cur Lucam ſibi delegerit potius, quam cæteros.

CAPVT I.

OEcol. *Nominus autem cogit ipſa ſeries ſermonis, quæ ab Euangeliſtis contexitur, vt ſic intelligamus. Verum quia duo, Matthæus ſcilicet & Marcus obſcurius ſcripſerunt, ſententia petenda eſt ab eo qui manifeſtius ſcripſit, Luca ſcilicet.*

Roff. *Matth. 26. Marci 14.* Non tam obſcure, Matthæus & Marcus hanc rem ſcribunt, quin apertiſſime ſuis verbis tuam hæreſim condemnent. Nam illi, citra figuram omnem, dixiſſe Chriſtum affirmant, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Et (vt intelligamus) verum illum fuiſſe ſanguinem, adiecit vterque duas alias particulas: Alteram, noui teſtamenti, nimirũ vt ſciamus hunc eundem eſſe ſanguinem, quo nouum teſtamentum, hoc eſt, noua lex, cõfirmatur, ſicut & olim ſanguine pecorum, qui ſanguinis huius figura fuerat, vetus teſtamẽtum, & lex ipſa vetus ad tempus conſtabiliebatur. Altera particula, quam etiam addit vterque, eſt: Qui pro multis effunditur; & hæc particula rurſum palam indicat eundem eſſe ſanguinem, cuius fundendi tum inſtabat tempus. Vnum enim erat vtrobique ſacrificiũ, propter quod & verbo præſentis temporis vſus eſt vterque Euangeliſta. Tertiam ais particulam, nempe in remiſſionem peccatorum, *Matth. 26.* ſolus Matthæus habet, quæ non minus indicat, non alium hunc fuiſſe ſanguinem, quam qui in patibulo crucis in remiſſionem peccatorum effundebatur.

OEcol. *Neque enim manifeſta per obſcura quis dextre docuerit. Manifeſtum enim eſt, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, quam, hoc eſt corpus meũ, vt cæteri dicunt.*

Roff. *Luca 22.* Quanquam in hac additione, nempe, quod pro vobis datur, manifeſtius ipſe Lucas docuerit verum fuiſſe corpus ſub ipſa panis ſpecie, de ſanguine tamen multo obſcurius loquitur quam priores Euangeliſtæ, vt & legenti dilucidum eſt. *Lucas de ſanguine obſcurius loquitur.* Nam vbi illi dixerũt apertis verbis, hic eſt ſanguis meus noui teſtamẽti, ille ſic extulit: Hoc poculum, nouum teſtamẽtum per ſanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Sed & quæ ad ſanguinem pertinent, quædam anticipat, ſicut & ex Auguſt. docebimus inferius. Sunt enim quatuor, quę Matthæus & Marcus ad ſanguinem attinentia ſcribunt, *Matth. 26. Marci 14.* nempe gratiarum actio, ſanguinis diſtributio, veri ſanguinis aſſertio, denique proteſtatio non bibendi deinceps vſque ad certum tempus. Solũ tertium ſuo ordine Lucas refert, cætera præoccupat. Et ſicut præoccupauit de ſanguine loqui: ſic etiam & de corpore ſuo, ſub nomine paſchæ, id quod parum aduertentes hallucinari facit. *Lucas loquitur per præoccupationem. Matth. 26. Marci 14.* Multo igitur inuolutius iſta narrat Lucas, & obſcurius quam intelligi facile queat, niſi clarius hoc ipſum ex Matth. & Marci dictis eluceſceret. Atque ideo nimirũ OEcolampadius Lucam potius delegit, quod ſuis inuolucris & ſycophantiis crediderit accomodatius inſeruiturum.

OEcol. *Pericopen igitur Euangeliſtæ Lucæ de cœna Domini exponemus. Eſt autem hæc: At quum eſſet hora, diſcubuit, & XII. Apoſtoli cum eo, & dixit ad eos: Deſiderio deſideraui hoc paſcha comedere vobiſcum, antequam ego patiar: dico enim vobis, quod vltra minime edam de illo, donec impleatur in regno Dei. Et accepto poculo gratias agendo, dixit: Accipite hoc & diſtribuite in vos. Dico enim vobis quod minime bibam à generatione vitis, donec regnum Dei veniet. Et accepto pane gratias egit, & fregit, deditque eis, dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, hoc facite in meam recordationem. Similiter & calicem poſtquam cœnatum eſt, dicens: Hoc poculum nouũ teſtamentũ in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.*

Roff. Audiſti lector verba Lucæ, quatenus ad hoc negotium attinent. iam quibus fucis & pigmentis illinat ea nobis, accipito.

OEcol. *Fideliſſima tutiſſimaque interpretatio eſt ſpectare primum, quam ſententiam præ ſe ferat corpus integrum dicendorum, & deinde expendere, quid in ſingulis membris ac verbis doceatur, quæ ſcilicet certiſſima iudicandi ratio.*

Roff. Hæc certe ſi ſynceriter agatur, & citra dolos ac ſycophãtias, neutiquam improbanda eſt. *Interpretatio fidelis quomodo fiat.* Verum nullus modus ad fallendum auditorem accõmodatior eſt, quam huiuſmodi prolixis vti declarationibus, in quibus is qui circũuenire ſtudet, intermiſcere ſua poteſt, & tales fucos vbique ſpargere, vt ſcripturæ, quas tractat, alienam faciem & longe alium ſenſum, quam Spiritus ipſe ſanctus eis indidit, induiſſe videantur.

Inter ſacramenta Iudæorum & noſtra tantum intereſſe, quantum inter figuram & veritatẽ.

CAPVT II.

OEcol. *Est igitur videre in cœna illa, quomodo Dominus noſter Ieſus, ex æquo redemptor ſit, tam eorum qui præceſſerant quam qui eorum ſequuti, & in ſe vtpute ſaluatorem reſpici voluit.*

Roff. Reddas (quæſo) vel vnum verbum cœnæ, quod iſtud teſtetur, nempe, quod Dominus noſter Ieſus ex æquo redemptor ſit, tam eorum

 qui præ-

qui præceſſerant, quam eorum qui ſequuti ſunt. Nec iſtud inficior, qnin & illos, & nos ex æquo redimit, quantum ad redemptionis effectũ pertinet. At me non latet quorſum tendas. Moliris enim æquare nobis, qui poſt perpeſſa ſupplicia crucis, in Chriſtum credimus, Iudæos, qui pridem crediderunt illum paſſurũ. Ac proinde noſtra & illorum ſacramenta, re ncutiquam eſſe diuerſa, ſed quemadmodum illorum ſacramenta Chriſtum tantum ſignificabant, non item continebant, ſic & noſtra tantum ſigna ſint, & nullam in ſe diuerſam rem habentia. At hæc ſuperius abunde reuulſimus. Plurimum enim interfuit inter nos & illos. Nam cum noſtris maioribus Chriſtus diu conuerſatus eſt, & ſe corporaliter eis ſpectandum præbuit & audiendum, id quod prioribus Iudæis negatum fuit, quemadmodum ipſe Chriſtus in Euangelio teſtatur dicẽs: Veſtri vero beati ſunt oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt: Amen dico vobis, quod mnlti prophetæ & iuſti deſiderauerunt videre, quæ videtis, & nõ viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Adde quod priores iuſti, quantũuis pie vixerunt, tamen poſt eorũ ab hoc ſeculo migrationẽ, haud protinus in cœlnm conuolarunt, ſed apud inferos longo tempore detenti ſunt. Nos vero ſi pie vixerimus, confeſtim, vt ab hac mortali vita diſceſſerimus, in cœlum ſubleuabimur. His accedit, quod illi præ nobis graui quodam & importabili iugo preſſi fuerant, quemadmodum Acto. 15. Petrus docet, inqniens: Quid tentatis Deum, vt imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorũ, quod neque patres noſtri, neq; nos portare potuimus. Taceo quod iuſtitia Dei nunc manifeſtata ſit, vt Paulus docet, qnæ prius fuerat occulta. Vide quibus priuilegiis abũdamus nos. Et ſicut in iſtis præcellimus, ita & in ſacramentis, quæ nobis tradita ſunt, illorum penitus antiquatis. Noſtra enim veritates ipſas continent, quarum vetera ſacramenta figuræ duntaxat & vmbræ fuerant, id quod paſſim à cunctis patribus orthodoxis concorditer affirmatur. Non inficiamnr tamẽ (vt ſuperius dixi) quin quantum ad ipſum redemptionis effectum attinet, Chriſtus & illis & nobis ex æquo redemptor fuerat.

Longum diſcrimen inter ſacramenta noua & veteris legis. Doctrina inter Iudæos & Chriſtianos.

Prima.

Matth. 13.

Secunda.

Tertia.

Quarta. Roma. 3.

Supra eodem in principio.

OEcol. *Eſt enim botrus ille à duobus viris geſtatus (populos intellige per viros.) Porro eadem quidem religione, variato autem religionis more, per ceremonias, generationis vtriuſque morem ſeruat, vt vtriuſque cultoribus ſe fauere declaret.*

Roff. Si per religionem, fidem duntaxat accipias, non reluctor, quin eadem nobis & illis religio fuerat, quandoquidem erat & vna fides omuium. Sed præter hanc ingens diuerſitas erat, cultus non externi ſolum, verumetiam interni. Verum quidem eſt, quod in vna fide, ſpe, & charitate, conueniebant, cæterum in aliis pluribus, ad totius hominis ſalutem apprime neceſſariis, nõ parum interfuit. Non defuit illis Spiritus ipſe ſanctus. Fateor, at non iuxta plenitudinem eandem gratiæ, qua ſe nobis iam accommodat, poſtquam in Apoſtolos miſſus fuerat. Quid enim alioqui magnum exiſtimabimus, qnod Chriſtus illius perpetuam in Eccleſia præſentiam futuram promiſerit? Et certe nobis, vberioribus donis quam illis, ſe Chriſtus inſinuat. Alioqui nec fuiſſet pollicitus, ſe nobiſcum peculiariter futurum, vſque ad conſummationem ſeculi. Adde, quod præcepta morum etiam alia Chriſtus nobis dedit, quam antiquis, ſicut & ipſe teſtatur in ſermone, quem apud Matthæum habuit in monte. Contulit & ſacramenta noua, quæ res eas exhibebant, quarum ſacramenta vetera tantum vmbræ fuerant, & figuræ. Propter qnod & contra Fauſtum Aug. ait ca. 13. libri 19. prima ſacramenta quæ obſeruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Chriſti venturi: quæ, cũ ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt, & ideo ablata ſunt, quia impleta. Non enim venit legem ſoluere, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Aduerte lector, quod dicit noſtra ſacramenta eſſe, & virtute maiora, & vtilitate meliora. Et quomodo precor aut virtute maiora, aut vtilitate meliora, ſi nihil aliud quam vmbræ ſint, ſicut & veterum ſacramenta. De virtute ſacramentorum noſtrorum paulo ſuperins Auguſt. ita dicit: Quorum ſacramentorũ vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie qnippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas. Quis ergo non perſpicit ex his, quantum à veteribus ipſis Iudæis, etiam in cultu religionis, diſcamus, quantiſque nos præ illis inſignierit prærogatiuis.

Fides eadem antiqua & noua legis.

Iohan. 1.

Acto. 2.

Iohan. 14. 16.

Matth. 28.

Matth. 5. 6. 7.

Matth. 5.

Sacramentorum noua leg. præſtantia.

De veteri nouoque paſchate prolixius diſſeritur, & quid vtrunque ſit, oſtenditur.

CAPVT III.

OEcol. E*T dum veterem cum nouo tenet, finem illius, huius autem initium faciens, abolendum illum, hunc vero vſque ad ſeculi conſummationem tenendum docet.*

Roff. Profecto Chriſtus vtrunque paſcha cum diſcipulis comedit, ſed illud veruecinũ eſt (vt Tertullianus ait) prius, poſterius vero nouum iſtud, quod & inprimis affectare ſe dixit, vt cum diſcipulis tum ẽderet, quemadmodum pluribus infra probaturi ſumus. Interea tamen ex Iohanne diſcere poſſumus, quod à cœna ſurgens, ante lauit diſcipulorum pedes, quam iſtud ſui corporis & ſanguinis paſcha nonum inſtituiſſet. Nam lotis illorum pedibus, narrat eum iterum recubuiſſe, & porrexiſſe non multo poſt buccellam Iudæ. Nihil tamen Iohannes hic refert de verbis, quibus hoc ſacramentum fuerat inſtitutum, quamquam alibi (quemadmodum & hic teſtatur Auguſti.) copioſe rem eandem tractaſſet. Sed audiamus precor, Auguſtinum ipſum, qui ſic primo capite libri tertij de conſenſu Euangeliſtarum ſcribit: Iohannes (inquit) de corpore & ſanguine Domini hoc loco nihil dixit, ſed plane alibi multo vberius de iis Dominum locutum eſſe teſtatur. Vbi duo velim lector aduertas. Alterum, quod Auguſtinus hic non ſacramentum corporis & ſanguinis, ſed vere corpus & ſanguinem appellat. Alterum quod hic denuo cõfirmat ſextum caput Iohan-

Luca 22.

Iohan. 13.

Auguſtinus.

Iohan. 6.

Auguſt. ſententia de 6. cap. Iohan.

Iohannis ad hoc negocium attinere, nuſquam enim alibi Iobannes vberius Chriſtum de corpore & ſanguine ſuo locutum fuiſſe teſtatur, quam illo ſexto capite: Vbi& pollicetur ſe carnē ſuam in pane daturum, & comminatur bis, qui carnem illam nō ederint ac biberint eius ſanguinem. Vitam autem promittit eis, qui ſint hoc ipſum facturi. Sed iam ad rem veniamus. Vtrumque paſcba cum Apoſtolis tum comedit Chriſtus, veteris illius finem, initium autem noui faciens, atque ita plane cōmonſtrans illud abolendum eſſe, contra vero, iſtud ad conſummationem vſque ſeculi tenendum, propter quod & Hieronymus ait in commentariis in Matth. cap. 26. Et finem carnali feſtiuitati volens imponere, vmbraque tranſeunte, paſchæ reddere veritatem, dixit: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Etenim paſcba noſtrum immolatus eſt Chriſtus, ſi tamen comedamus illud in azymis ſynceritatis & veritatis: propter quod ait: poſt biduum paſcba fiet. Hęc Hieronymus. ex quibus verbis apertum eſt hoc ſacramētum paſchæ nouum eſſe, quod tanto affectu Chriſtus edere cum diſcipulis deſiderauit. Sed bac de re mox plura dicemus & apertius.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Iohan. 13.

Hieronymus Lucæ 22.

1. Corinth. 5.

Matth. 26.

OEcol.

Comedit agnum paſchalem, qui rei geſta quidem monumentum, ſubſecutura autem erat vmbra: comedit & panem, quem corpus ſuum vocat, & bibit vinum, quod ſanguinem dixit, quæ & ipſa ſunt monumentum ſempiternum ac ſymbola veritatis legalem vmbram explentis.

Roff.

Agnum paſchalis quid ſignificet.

Et hic etiam aliquatenus conſentimus: Nam agnum illum, non imus inficias, rei geſtæ monumentum fuit, nimirum ereptionis ab Ægyptiaca ſeruitute, fuit & vmbra quoque veri agni, qui mox in cruce victimabatur, & quem hactenus comedimus. Cæterum qui orthodoxi ſumus, aſſerimus non ipſius tantum, vt in cruce victimabatur, verumetiam eiuſdem, vt hac in cœna ſub panis & vini ſpecie diſcipulis in cibum & potum fuerat exhibitus, veterem illum agnum vmbram fuiſſe. Nam eadem omnino res eſt, vnumq; vtrobique ſacrificium. Quod ſi non Euangeliſtæ graphice deſignēt, mihi nec credas, ob eam certe rationem, vnum vtrique tempus tribuunt. Audi Lucam quem tu iam conaris in tuas detorquere partes, hoc eſt (inquit) corpus meum quod pro vobis datur, & de ſanguine ſimiliter dicit: Qui pro vobis effunditur. Nondum fuit traditum pro nobis corpus, neque ſanguis adhuc pro nobis effuſus, & tamen ille dicit: Quod pro vobis datur: Qui pro vobis effunditur. Quid ergo dicemus, falſum ſcripſit Lucas? Abſit. Nam & cæteri conſentiunt Euangeliſtę. Et Paulus item. Omnes enim de præſenti loquuntur. Quid igitur aliud ſibi volunt, quum vnum tempus vtrique faciant, niſi quod res vna ſint, & vnum ſacrificium. Sed neque ſanguis in hoc poculo, diceretur ſanguis noui teſtamenti, hoc eſt ſanguis quo nouum teſtamentum confirmatur, niſi fuerit idem ſanguis, qui fuſus erat in cruce. Sed vt redeamus ad agnum veterem. In ipſo duas paſſiones conſideremus, nimirum occiſionem, & eſum. Debuit enim realiter occidi, debuit & realiter edi. Quamobrem, vt veritas reſpondeat figuræ, oportuit Chriſtum & vere corporaliter occidi, & etiam vere corporaliter edi. Quæ duo ſimul, nec vt in Euchariſtia, nec vt in cruce, Chriſto conueniunt. Sed alterum in cruce, alterum in Euchariſtia. In cruce quidem occiditur, in Euchariſtia vero comeditur. Nec eſt quod hic te lector moueat ordo præpoſterus. Sic enim rei neceſſitas poſtulabat. Nam oportuit in Chriſti morte cuncta conſummari. quod minime contigiſſet, ſi ſacramenti huius inſtitutio poſt mortem Chriſti fuiſſet dilata. Nos igitur qui vere credimus in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti ſub panis & vini ſpecie, audemus nihilominus ea, monumentum aſſerere ſempiternum, & ſymbola quædam veritatis, Legalem vmbram explentis. At non veritatis, quæ lōge poſita ſit, vt tua peruerſitas molitur, ſed quę ſub eiſdem ſymbolis vere continetur. In quo longiſſime abs te (ſcio) diſſentimus.

Lucæ 22. Matth. 26. Marci 14.

1. Corinth. 11.

Chriſtus vere editur in Euchariſtia.

OEcol.

Præfigurabat enim agnus paſchalis immolandum Dominū Ieſum, cuius ſanguine à multo grauiore quam prior Ægyptiaca fuit, liberaremur ſeruitute. Maiori igitur beneficio maius ſubſtituendum erat ſacramentum.

Roff.

Euchar. præſtat ſacramētis veteris legis.

Et hactenus recte: ſic enim & orthodoxi quique fatentur. multis vtique nominibus hoc ſacramentum præcellentius eſt, non modo quia monumentum eſt liberationis à grauiſſima Diaboli ſeruitute, verum etiam quia verum Chriſti corpus & ſanguinem in ſe contineat, edentibuſque vitam præſtat æternam, propter quod Auguſtinus dicit ſacramenta noua longe præſtare veteribus, quod virtute maiora ſint, & vtilitate meliora. Veruntamen illis verbis ſubeſſe dolum, inferius oſtendemus.

OEcol.

Maius non materia ipſa, ſed beneficij maioris admonitione.

Roff.

1. Corin. 10.

At hic non parum à nobis diſſides. Neque à nobis ſolum, ſed à teipſo quoque. Nam ſi (quod tu mordicus tenes) patres prorſus eandem eſcam ſpiritualem ederint, & eundem potum ſpiritualem biberint, hoc eſt, eandem carnem & ſanguinem Chriſti ſumpſerint, quibus nos veſcimur & potamur, nihilque diſcriminis inter nos & illos fuerit, quantum ad religionem attinet, ſed tantū variatum ſit in religionis more, quomodo poteſt hoc ſacramentum noſtrum maius eſſe quam illorum fuiſſet? Si nos ipſam carnem nihilo verius edimus aut ſanguinem bibimus, quam illi, & ſacramentum illis datum ſub ſpecie carnis & ſanguinis agni, Chriſti carnem & ſanguinem æqualiter ſignificant, & gratiam ac libertatem his, qui vere crediderint, exhibent: quomodo tecum cōſtas, vt vel beneficij maioris admonitione, maius eſſe dicas? quandoquidem & illorum ſacramentum, id ex æquo futurum admonuit, quod noſtrum iam admonet, præteriiſſe. Cæterum quod negas iſtud materia maius eſſe, hoc oportet probes, & adeo ſolidis argumentis aut ſcripturis, vt reuelli nequeant. Alioqui tibi nunquam credituri ſumus, pręſertim quum vniuerſa prorſus eccleſia contrarium apertiſſime docuerit.

Admonebat

OEcol. *Admonebat agnus irrationalis eos liberati corporis, panis vero & vinum libertatem ſpiritus clare per Chriſti mortem annunciant.*

Roff. *Supra eod.* Si nihil aliud quam liberati corporis admonebat, quomodo, quod paulo ſuperius dixeras, præfigurabat idem immolandum Dominum Ieſum, præfigurabat vtique, præter liberationem corporum ab Ægyptiaca ſeruitute, non ſolum Dominum Ieſum occidendum, ſed & eius ſanguine nos à tyrannide diaboli redimendos. Adde, quod omnes quotquot iſtud vere crediderunt (ſi tibi ſimus audientes) parem nobiſcum & gratiam & libertatem ſpiritus, per ſuam fidem cõſecuti ſunt, neque minus vbertim Chriſti carne veſci creduntur, quam nos iam edimus. Sed & eandem ſpiritus libertatem, mors & eſus ipſius agni, patribus qui fide fuerant illuſtrati, adeo luculenter annunciabant atque nunc in altari, panis & vinum, ſi nihil aliud aſſit, annunciant nobis: Verſutiſſimã igitur hic panis & vini cum agno paſchali comparationẽ facis. *Dolus OEcol. detegitur.* Nã alias, vbi tibi placet, omnia patres in ſuis ſacramentis aſſecuti ſunt, quæ nos in noſtris. *Lib 2. cap. 27.* Sic enim ais in 2. li. ſuperius, vbi rem eandem tractas, hæc tua ſunt verba: abſit autem vt ſpirituales qui ſub lege Meſſiam expectabant in fide, pauperiores nobis fuerint, quibus manifeſtatus eſt. Et rurſum: Panis autem noſter agno illorum ſpiritualium non eſt precioſior, præterea non magis prædicandus. At nunc videri vis, & illos ob exhibitum nobis beneficium inferiores eſſe, & panem noſtrum illorum agno longe præſtare. quandoquidem vt dicis, agnus ille corporis liberationẽ, panis vero ſpiritus libertatem clare per Chriſti mortem annunciat.

OEcol. *Laudant quidem Chriſtum ceremonia & priſca & nouitia. Neque intereſt aliud inter illa, quam quod per agnum prædicabatur venturum: Per panem vero veniſſe confirmatur redemptionis beneficium.*

Roff. Hic nimis inuolute loqueris quemadmodum omnes tui ſimiles factitare, Hieronymus affirmat. Aliquando quidem noſtra cum veterum ſacramentis paria facis, aliquando vero præſtantiora. Sed quomodo per ſolum panem (te quæſo) confirmari poteſt redemptionis beneficiũ, quando tu nullam efficaciam pani tribuis? Nos vtique multo rectius corpore & ſanguine quæ ſub panis & vini ſpecie cõtinẽtur, cõfirmari dicimus ipſum redemptionis noſtræ beneficium. Nam illa ſingulis diebus hoc ipſum nobis renouant. Adde, quod panis tuus nihilo magis veniſſe quã agnus ille venturum confirmabat. Sed & nos qui nunc ſumus, quomodo certiores reddimur de beneficio redemptionis præſtito, niſi per fidem. Sed & illis qui tunc fidem habuerunt, adeo per fidem ſuam compertum fuit hoc ipſum aduenturum, ſicut & nobis eſt certum aduenisse. Hæc iuxta veſtram hæreſim dicta ſunt. Quod ſi nihil aliud interſit inter vetera nouaque ſacramẽta, quum ſint in cæteris omnibus, præterquam in ſpectatione temporis, paria, qua ratione præferemus noſtra, tanquam virtute maiora & vtilitate meliora.

OEcol. *Inque hoc vno feliciores ſumus, quod non expectamus cum patribus deſiderabilem aduentum. Sed gratias agimus voti compotes.*

Roff. Hoc plane falſiſſimum eſt, ſicut & cætera, quibus à nobis diſſentis. Et quoniam ea dicis citra quamuis probationem, eadem facilitate, qua tu producis ea, nos exibilamus. Quid precor fælicitatis per aduentum qui iam præterit, nobis adeſt, ſi veſtram hæreſim admiſerimus, quod illis non affuit, præſentiané Chriſti? At ſi corpus eius à ſacramento ſubducas, Chriſtus nihilo præſentior nobis eſt, quam fuerat olim illis. *Chriſtus in Euchariſtia eſt nobis præſentior quam priſcis.* Carnisné manducatio ſimul & potatio ſanguinis? At iſtud & vos contenditis nobiſcum illis commune fuiſſe. Aſſeritis enim illos (modo pari fide præditi fuiſſent) nihil minus de carne & ſanguine Chriſti ſumpſiſſe, quam nos, qui iam ſumus. Sed gratiam & libertatem ſpiritus ampliorem accepimus. Certe ſi vobis credimus, nec tãtillo. Nam & harum vtranq; pro magnitudine fidei vel cumulatiorem vel reſtrictiorẽ cuiq; cõteſtamini præſtari, quandoquidẽ igitur fidei totũ tribuitis, & noſtra sacramẽta cum priſcorũ paria facitis, cuius quæſo voti præ illis, nos qui iã ſumus Chriſtiani, cõpotes erimus, pro quo maiores quam illi gratias agere deuincimur, Nullus profecto.

OEcol. *Ne igitur memoria tãtum beneficium excideret, proprio ritu commendandum erat. Quod ſi mos priſtinus non fuiſſet ſolutus, nondum veniſſe ſaluatorem fortaſſis argumentaremur. Et expectaremus eum votu venturum, pro quo recepto agendæ erant gratiæ.*

Roff. *Exodi 12.* Si memoria beneficij huius nouo ſacramento nobis commendari debuit, oportuit vt & maioris (quam illa quondam fuerant) virtutis eſſet, & maioris admirationis, quo mentes accedentium facilius excitare poſſit. At quis nõ perſpicit mortem agni multo efficacius repræſentare Chriſti mortem, quam ſolus panis & vini ſpectaculum vllo pacto queat. *Exodi 16.* Et Manna quoque propter ingentia quæ ipſum comitabantur miracula, quis non intelligit longe maioris admirationis fuiſſe ſpectatoribus, & multo viuacius eos permouere potuiſſe, quam panis & vinum duntaxat, modo iuxta veſtram hæreſim aliud in ſe nihil contineat. Quare nobis abſurdiſſimum videtur (quum debuit, vt dicis, vetus commutari ſacramentum in aliud nouum, & ob eam præſertim rationem, vt hoc nouum eſſet monumentum tanti beneficij) quod iſtud nouum aut minoris in repræſentando foret efficaciæ quam vetus illud, aut minoris admirationis his qui vel ipſum ſpectaturi eſſent, vel aliquando manducaturi. *Eucha. ſacramentum præſtantius veteribus.*

OEcol. *Nunc igitur Deo laus, quod verſa ſunt vota in gratiarum actionem, ceſſitque vmbra tedij plena, luci totum mundum illuminanti.*

Roff. Nobis profecto qui ſumus orthodoxi, quique vere credimus verum Chriſti corpus & ſanguinẽ in Euchariſtia ſub panis & vini ſpecie velari, atque hæc nobis in eſcam & potum data, vt eiſdem naturaliter Chriſto incorporemur, & non fide ſola: nobis (inquam) hic ſermo conuenit, non tibi ſectatoribuſque tuis, quibus nihil amplius, imo nec tantum acceſſit per Chriſti mortem, quantum antiquis illis Hebræis, qui fide ſola ſpiritualem vnionem conſequuti ſunt. Nam vos omnino vera fide

ra fide vacatis, qui non ſolũ ab eccleſiæ fide diſſidetis, verumetiam inter vos de iis quæ credenda ſunt pugnatis mutuo, nos vtique laudes & gratiarum actiones Deo optimo maximo perſonare tenemur, qui nouis iſtis ſacramentis res ipſas exhibitas, agnoſcimus; quarum antiqua ſacramenta vmbræ duntaxat erant & figuræ. Tu vero qui Chriſtum ab Euchariſtia moliris tollere, quid aliud nobis ingeris, quam cimmerias tenebras & denſiſſimam caliginem, haud aliter quam ſi orbi ſolem ipſum conareris eximere.

Deo gratiarum actiones exhibẽda pro nouis ſacramentis.

OEcol. *Et id eſt quod facturus erat Dominus, ac fecit, vt clarius ex ipſo contextu eliqueſcit, qui ita habet.*

Roff. Si facturus hoc in cœna fuerat Chriſtus, vt vmbra cederet veritatis luci, & hoc ipſum fecit, vt tu iam ais, an non conſequitur, quod in hoc ſacramento ſit ipſa veritas; cuius agnus ille vetus vmbra fuit. Sed aliud (ſcio) moliris, tametſi paulo ſuperius fideliſſimam & tutiſſimam nobis interpretationem te daturum ſis pollicitus. At lectores non adeo cæci ſunt opinor, quin vbique te ſtrophas & fucos tuos interſerere conſpiciant.

Exodi 12. Sup. li. 5. c. 1.

Vtriuſque paſchatis diſcrimine patefacto, baſis OEcolampadianæ ſtructuræ funditus euertitur.

Capvt IIII.

OEcol. *Chriſtus lux mundi, diſcuſſurus vmbram, geſtienter (inquit) deſiderio deſideraui hoc paſcha, agnum videlicet paſchalem, qui iuxta legis morem paratus, manducare, atque omnia alia legis onera ferre, vt vos, qui ferre non valebatis, tandem exonerarem, antequam paterer, nouamque legem morte mea confirmarem.*

Roff. Manifeſte falſum hic interſeris, dum interpretaris hoc paſcha, quod tantopere iam edere deſiderauit Chriſtus, agnum fuiſſe paſchalem. Nã & in hac interpretatione tibi cumprimis reluctatur Tertullianus tuus, quem tibi fautore tantopere iactitas, quamquam aliter omnino ſentiat atque tu. Is enim per contemptum, agnum illum veterem, veruecina Iudaica vocat, quę & affirmat perparum oblectare potuiſſe Chriſtum. Sed duplex paſcha tum in ea cœna comedebat Chriſtus, & vetus & nouum, nimirum & agnum illum qui figura tantum fuerat veri paſchatis, & Euchariſtiam in qua verum paſcha velabatur. Si mihi non credas, patribus crede, quos & ipſe citaſti, ſic enim Chryſoſtomus Homilia de proditione Iudæ tradit: Et ideo in ipſa menſa vtrunque paſcha, & typi & veritatis celebratum eſt. Nam ſicut pictores pingendam tabulam veſtigiis quibuſdam adumbrare conſueuerunt, & ſic colorum varietate perficere: Ita & Chriſtus fecit in menſa, & typum paſchæ deſcripſit, & paſcha veritatis oſtendit. Hæc ille: quod ſi id parum ſatisfecerit, Auguſtinum audi, quem tuæ hæreſi toties aſtipulari clamas. Is libro ſecundo contra literas Patuliani ſic vtrumque paſcha neque obſcuris verbis diſtinguit: Aliud eſt (inquit) paſcha, quod adhuc Iudæi de oue celebrabant: Aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus. Quid clarius? Iſtud ergo paſcha fuit quod deſiderauit Chriſtus cum diſcipulis manducare. Nam vetus illud ſuperioribus annis cum eiſdem comedit, quod & Tertullianus etiam annotauit, tot inquit feſtis Iudæorum, paſchæ diem egit. In hoc enim ſacramentum pronunciauit Moſes, paſcha eſt Domini, ideo & affectum ſuum oſtendit. Concupiſcentia concupiui paſcha edere vobiſcum antequam patiar. Sed vt nullo gloſſemate ſubterfugias, attende quid paulo poſt idem ſubiicit. Profeſſus itaque ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha, vt ſuum (indignum enim vt qui alienum concupiſceret Deus) acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum, illum fecit. Ecce paſcha quod cum diſcipulis edere Chriſtus adeo vehementer affectabat, paſcha videlicet ſui corporis & ſanguinis. falſum eſt igitur quod tu moliris de paſchali agno, quod hunc tanto deſiderio Chriſtus affectaſſet cum ſuis edere. Quare & hoc fundamento iam diruto cætera corruant neceſſum eſt, quæ ſuperædificare paras.

Leuit. 22. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Iohan. 13. Chryſoſtomus. Auguſtinus. Lucæ 22.

OEcol. *Vt autem ita eſſe ſciatis, multis diebus quæſierunt me Iudæi, vt occiderent, & occidiſſent procul dubio, ſi permiſiſſem eis.*

Roff. Solida ſcilicet comprobatio, quod ideo deſideraſſet tantopere de veteri paſchate manducaſſe, quia ſe ſeruaret à Iudæis, ne prius occideretur. Nũ nõ & tunc prætererũt & alia duo paſchata, quæ cum diſcipulis comedit, in quibus abunde ſuo ſatisfeciſſet deſiderio, ſi nihil aliud quam agnum illum veterem iam fuiſſet comeſturus. Et certe Iudæi, ante poſterius illorum paſchatum, quærebant illum interimere. Quæ res palam eſt ex quinto & ſexto Iohannis. Nam in ſexto capite refert proximũ fuiſſe paſcha Iudæorum. In quinto vero traditur quod propter languidi cuiuſdam ſanationem, Iudæi Chriſtum occidere quærebant. Quare liquet, inanem eſſe comprobationem quam adducis.

OEcol. *Nunc autem gaudeo, de temporis opportunitate, ſimul cum agno typico, me longe innocentiorem agnum, pro maiore libertate veſtra, quam patribus conceſſa, immolaturum iri.*

Roff. Hęc certe quanquam in eis dolum ſtruat OEcolampadius, in ſpeciem vera ſunt, & orthodoxa. Nam Chriſtus in hac cœna ſeipſum verum & innocentiſſimum agnum immolauit. Immolauit autem ſub ſpecie panis & vini, iuxta ritum ſacerdotij Melchiſedeck. Iurauit enim illi Deus pater, ſicut & Pſaltes prædixit, quod ſacerdos eſſet ſecundum ordinem Melchiſedeck: At vbi (precor) vnquam ſacrificium iſtud exercuit, præterquam in iſta cœna, quando ſub panis & vini ſpecie, corpus & ſanguinem ſuum cum gratiarum actione obtulit patri, ſimul & ſumenda cõtulit diſcipulis. Immolauit vtiq; ſeipſum in cruce, ſed nõ ſub panis & vini ſpecie, neque tamẽ omnino diuerſum erat hoc ab illo ſacrificium, vti ſuperius oſtendimus, ſed vnicum, ſub diuerſo tamen modo. Propter quod Euangeliſtę pariter omnes vnum tempus vtrique tribuunt, ſicut aliquando ſuſius ante monſtrauimus.

Chriſtus immolauit ſe in cœna. Geneſ. 14. Pſalm. 106. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Iohan. 19. Sup. eo. cap. 3.

OEcol. *Gaudeo quod & in illo figurali agno diſcitis quid in me ſit implendum.*

Dic v-

Dic vnum (queſo) verbum ex tota cœna, quod iſtud doceat: An dixit quando carnes agni comederent, hoc eſt corpus meum, aut quando ſanguis agni fundebatur, hic eſt ſanguis meus. Quod ſi de pane tantum & vino Chriſtus hoc dixerat, & nihil ſimile de carnibus agni, quid non te pudet huiuſmodi nugas comminiſci, quibus hoc ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum denigres, cuius edendi gratia cum diſcipulis tantum & tam ardentem affectum habuiſſe ſe prodidit. Sed nulli rei ſtudes magis quã vt eiuſmodi technis lectori non ſatis vigilanti faciliter imponas, & in tuum errorem, hallucinatum & incautum pertrahas. *Luca 22.*

OEcol. *Ego agnus ille, vt Iohannes ait, ego verum paſcha.*

Roff. Et idem agnus ipſe, mirifica virtute verbi ſui ſeipſum efficit paſcha nouum, quod & poſt veteris paſchæ comeſtionem diſcipulis geſtienter edendum præbuit, nempe quum dixit, hoc eſt corpus meum. Atque hoc erat præcipuum totius ipſius cœnę gaudium, quod antequam pateretur, hæc noui paſchæ myſteria potuiſſet inſtituere & diſcipulis communicare ſuis. Erat enim ipſe quemadmodum & Hieronymus teſtatur, conuiua pariter & conuiuium in hac eadem cœna. *Matth. 26. Marci 14. Luca 22.*

OEcol. *Qui hunc edebant magna ex parte plebs craſſior erant, Age, non edam ipſe vltra ex eo, nunc finis illius futurus.*

Roff. Iſtud hauddubie de nouo paſchate debet intelligi, quemadmodum ſuperius oſtendimus. Quam rem & docet id quod proxime ſequitur. Sequitur enim, donec compleatur in regno Dei. Hæc verba plane docent illum aliquando fuiſſe comeſturum de eodem cibo, de quo tum fuerat loquutus, id quod Matthæus & Marcus teſtantur apertius. Ac certum eſt eum & ediſſe & bibiſſe cum diſcipulis ſuis, poſtea quam deuicta morte poteſtatem omnimodam accepiſſet à patre, tam quæ in cœlis eſt, quam quæ in terris eſt, nec tamẽ vnquam ex illo veteri paſchali agno legitur manducaſſe. Sed nec de facto mãducauit, quum nunquam ille agnus extra feſtum eidem ceremoniæ dicatum, edebatur. Comedit autem de nouo paſchate, quemadmodum ex Lucæ interpretibus notum eſt, quum videlicet duo ex diſcipulis eius cognouerunt eum in fractione panis. *Sup. eod. c. & deincept. Matth. 26. Marci 14. Luca 24. Iohan. 21. Acto. 1. Matth. 28. Luca 24.*

OEcol. *Alium ritum approbabo, in quo placebunt, qui ſpiritualiter eſuri ſunt in regno Dei, in quo non eſt cibus & potus, ſed pax, iuſtitia, & gaudium in Spiritu ſancto.*

Roff. Neſcio quid tibi velis per ſpiritualem illum eſum. palam eſt ea quę proponuntur in altari, corporaliter edi. Quod ſi non alio fine præponerentur, quam vt Chriſti mortem annunciarent, ſatis fuerit ſpectare ſolum, non item edere teneremur. Eluceſcit igitur vel ex hoc ipſo, quod iubeamur illud quidem edere, iſtud vero bibere, ſub ipſa ſimilitudine panis & vini, quaſdam res alias multo præcellentiores opertas eſſe, quas edamus pariter & bibamus, nimirum carnem & ſanguinem Chriſti, de quibus ipſe dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Matth. 26. Marci 14. Luca 22. Iohan. 6.*

OEcol. *Similiter gratias habeo patri, quod non vltra corporali neceſſitati indulgere habeo, quemadmodum vos adhuc aliquamdiu vitam ſic per terram acturi.*

Roff. Quid hoc ad rem pertinet, vt pro hac re gratias egiſſet patri, quandoquidem haud multo poſt ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: & rurſum, pater ſi fieri poteſt, transfer hunc calicem à me. Adde, quod hæc gratiarum actio prorſus ad poculum ſanguinis pertinet. Attentius legas ipſum Lucam, & bis duntaxat apud eum reperies Chriſtum egiſſe patri gratias, neque ſæpius idem ab eo factum Matthæus & Marcus tradunt. Semel quidem egiſſe gratias, Lucas narrat, quum ex pane conſecrauit ſuum corpus, atque iterum pro conſecrando ſanguine. Sed iſtam gratiarum actionem præoccupauit, ſicut & annotauit Auguſtinus. cuius verba ſubſcribam: Quod Lucas (inquit) de calice bis commemorauit, prius antequam panem daret, deinde poſteaquam panem dedit, illud quod ſuperius dixit, præoccupauit, vt ſolet: Illud vero quod ordine ſuo poſuit, non cõmemorauerat ſuperius, vtrunque autem coniunctum, hanc ſententiam facit, quæ Matthæi Marcique ſunt, hæc in initio tertij libri de cõſenſu Euangeliſtarũ. Et iam attende lector, quam veriſſime dixit. Nam de ſanguine ſic habent Matthęus & Marcus, quatenus conueniunt, & accepto poculo, quum gratias egiſſet, dedit illis dicens: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditur. Amẽ dico vobis, poſthac non bibam de fructu vitis vſque ad diem illam, quum illud bibero nouum in regno Dei. Ecce hic (vti ſuperius) diximus quatuor: Primũ, gratiarum actio: ſecundum, porrectio calicis: tertium, ſanguinis aſſertio: quartum, proteſtatio quædam. Lucas vero poſtremum una cum duobus primis in ſua narratione præoccupat, tertium autem ſolum refert ordine ſuo. *Matth. 26. Marci 14. Luca 22. Matth. 26. Marci 14. Luca 22.*

OEcol. *Proinde calicem illum mea gratiarum actione ſanctificatum accipite, & diuidite in vos, qui aliquanta refocillatione egetis, ego autem de tali vino non bibam, donec regnum Dei veniat, tunc aliud & nouum bibam, quod nunc quoque ſitio.*

Roff. Non aliud OEcolampadi, ſicut tu pro tuo more ſcripturas vbique deprauas, ſed hoc ipſum bibit. Docet hanc rem apertius Matthæus & Marcus. Sic enim apud eos Chriſtus loquitur: Dico autem vobis, Non bibam poſthac ex hoc fructu vitis, vſque in diem illum quum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei. Ecce non aliud, ſed hoc ipſum in illo die bibiturus erat in regno patris, hoc eſt poſtquam deuicta morte triumphatoque Satana ſurrexit à mortuis, & regnum accepiſſet à Deo patre. Tunc enim cum diſcipulis ſuis iterum comedit & bibit, vti ſuperius diximus. *Matth. 26. Marci 14. Supr. eod. cap.*

OEcol. *Quid enim mihi tam deſiderabile, quam vt ſpirituales efficiamini, relicta ventris cura? quid nobis tam vtile, quam vt ego in vobis regnem, & me oblectem?*

Roff. Quid eiuſmodi laciniis diffluis OEcolampadi, quæ nihil ad mentem huius Euangeliſtæ conducunt. Deſiderium quod ad rem pertinet, & de quo Lucas tradidit, erat communicandi corporis ſui *Luca 22.*

ris ſui chariſſimis ſuis. Et tu lectoris animũ hinc auertere ſtudes, vt ille, neſcio cuius, alterius rei deſiderium attendat, cibus etiam iſte corporis & ſanguinis Chriſti, profecto ſpirituales reddit edentes, quum non ſit ventris, ſed mentis cibus, facitque pie ſumptus vt in nobis corporaliter Chriſtus regnet, & oblectet ſeſe, qui velut delicias quaſdam reputat, vna cum filiis hominum cohabitare?

Prouerb. 8.

Euangelium Lucæ quantumuis inuerterit, nihil illi ſuffragatur.

Capvt V.

OEcol.

Et hucuſque ea quæ legis veteris, ſequentia magis vos reſpiciunt, & ad ſpiritualia tranſmittunt. Accepto enim pane, & gratiis actis, fregit ac dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur.

Roff.

Et hoc vtique falſum eſſe conſtat ex ſupradictis. Nam ſi quæ præmiſit Lucas de poculo, præoccupata ſunt, vt oſtendimus, ea plane ſpectant ad nouam legem, nimirum ad id quod de ſanguine ſuo poſtea dixit. Nec iſtud ſolum, ſed & illud, quod teſtatus ſit ſe deſiderio deſideraſſe hoc paſcha cum diſcipulis ſuis edere priuſquam pateretur. Nam iſtud tam vehemens deſiderium plane conuincit rem quandam auguſtiorem in hac cœna molitũ fuiſſe, quam agni paſchalis eſum, præcipua quidem cauſa manducandi paſchalem erat, vt legi veteri ſatisfaceret & morem ita gereret Iudæis. At noui huius paſchatis inſtitutio, quæ & ad nouam ſpectat legem, longe maioris momenti fuit apud Chriſtum, & multo ardentius ab eodem concupita. Alioqui reſpondeas (quæſo) cur in pane conſecrando gratias agit & nullas in agni manducatinne, cur etiam quum acceptum panem & poſtquam gratias egiſſet, & (vt Marcus ait) benedixiſſet, porrexerit diſcipulis dicens: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, & nihil ſimile dixerit in eſu agni, quum tibi nullum omnino diſcrimen inter hæc duo ſit, quantum ad ſignificationem attinet, niſi in tempore duntaxat, nempe quod agnus reſpiciat tempus futurum, panis vero præteritum. Denique cur adiecit illam particulam, Quod prn vobis datur, niſi plane voluiſſet intelligi de vero corpore, quod ad mortem crucis pro nnbis traditum eſt. Sed hunc locum tu ſurda aure tranſilis.

Sup. cap. 4. — Lucæ 22. — Paſcha nouũ à Chriſto præcipue deſiderauimus. — Marci 14.

OEcol.

Euangeliſta alij tradunt: Accipite & comedite, ſub finem vero ſubiungitur, hoc facite in mei recordationem. Optimus verborum factorumque ſuorum interpres eſt Chriſtus ipſe. Etenim dicit: facite in mei memoriam.

Roff.

Et hanc interpretationem nos libenter admittimus. Nihil enim contra nos facit. Nos enim (vt fuſius ante declarauimus) fatemur, ſacramentum iſtud & res & figurationes plurimas in ſe continere. Principio, dicimus panis & vini ſpecies, ſigna quædam eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, quæ ſub ipſis velantur ad eximia commoda nobis ex eis percipienda. Deinde teſtamur hæc duo ſub his ſeparatis ſignis repræſentare nobis, & exangue corpus quod pro nobis in cruce mortuum erat, & ſanguinem qui ſeorſum fuerat effuſus, ſicut modo cernimus vini ſpeciem, & ſpeciem panis omnino ſeparatam. Tertio figurant eadem nobis præter hæc vnitatem corporis myſtice, neque figurant ſolum, ſed & efficiunt per præſentiam capitis in eodem ſacramento, quod vtique per eſum corporalem huius ſacramenti, ſingula membra corporaliter ſibi connectit. Hęc ideo diximus, vt non tantopere glorieris in illis verbis, hoc facite in mei commemorationem. Nam paucis aſſerimus hoc ſacramentum & rem & figuram eſſe.

Lib. 2. cap. 25. — Lib. 3. cap. 7. — Iohan. 19. — Euchariſtia res & figura eſt.

OEcol.

Quaſi diceret, Ritum annuum, quem nunc celebrauimus in memoriam beneficij priſtini, inſtituit ex præſcripto Dei Moſes, eo quod primogeniti Hebræorum cum primogenitis AEgyptiorum non perierunt. Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.

Roff.

Et ſemper intermiſces de ritu veteris agni, perinde acſi Chriſtus magnum ex eo concupiſſet oblectamentum, quum tamen ipſe nec tantilli feciſſet eum, niſi vt ſeruaſſe legem veterem teſtaretur. Puſilla certe Chriſti cura de agno ipſo fuerat, ſed maxima de ſacramento ſui corporis inſtituendo. Qnod vel ex eo cõſtare cuiq; poteſt, quod in huius incomparabilis myſterij inſtitutione, ritus ipſe veteris agni prorſus euacuatus erat, & pro nihilo habitus.

Matth. 5. — Exodi 12. — Matth. 26. — Marci 14. — Lucæ 22.

OEcol.

Ego autem vobis maioris beneficij memoriam commendo in pane illo.

Roff.

Hoc libenter abs te perdiſcerem, qua ratione maioris beneficij memoria ſit habenda, ex hoc pane tuo, ſi tuam hæreſim admiſerimus, quam ex agno veteri. Agnus vtique vetus memoria fuit, non modo liberationis ex Ægypto, verumetiam futuræ Chriſti paſſionis, qua liberaremur ab æterna morte. Eſt & panis (vt tuis verbis vtar) huius etiam liberationis memoria. Teſtaris inſuper, quod quiſquis agno comeſto vere crediderit hanc liberationem futuram, non minus vere comedit carnem Chriſti, quam qui ſacramentum iſtud nunc manducat. Addis & parem gratiam atque ſpiritus libertatem, vnumquemque per ſuam fidem tunc fuiſſe conſequutum, quantam & nos modn per fidem & eſum huius ſacramenti nanciſcimur. Licet igitur Chriſtum inſtituiſſe dicas hoc ſacramentum in maioris beneficij memoriam, quam agnum olim inſtituiſſet Moſes, re tamen ipſa, paris virtutis vtrumque ſacramentum facis, & panem agno (quantum ad figuram & ſignificationem attinet) nihilo præſtantiorem eſſe niſi quod agnus hoc ipſum futurum adumbrabat, quod Euchariſtia figurat præteritum.

Agnus paſchalis paſſionem Chriſti ſignificabat. — Sup. eod. ca. 3.

OEcol.

Videtis vt accipiam illum & frangam, porrigamque vobis, profecto panis eſt corpus meum, quod me volente pro vobis datur, nullum hoc vobis maius beneficium datum fuit vnquam.

Roff.

Si vere ſic, vt ſcribis, etiam ſentias, quid amplius colluctamur? quid non canimus receptui? Scribis enim ex perſona Chriſti, quaſi dixiſſet

Verba OEcol. ſignificãt vo-

rum corpus Chriſti in Euchariſtia.

Chriſtus, profecto panis eſt corpus meum. Quod ſi ſic ſentias, iam ibi veritatem fateris ipſius corporis. hoc ipſum eſt pro quo tantopere digladiati ſumus. Si ſic ſentias, hoc ipſum eſt quod cupimus, ſin aliter ſentias quam ſcribis: quo nomine ſatis digno te compellabo? Niſi enim grammaticen quandam nouam excogitaueris, nunquam ex his verbis aliud quiddam concipietur. Nam quiſquis corporis Chriſti veritatem aſſereret ſub ſacraměto, non aliis verbis intelligibilius enunciare poſſit quam ſi dixerit, quod panis ſit vere ipſum Chriſti corpus, quod pro nobis ad mortem vſque traditum fuerat.

OEcol. *Accipite igitur & comedite, atque inpoſterum ſacer ille ritus vobis eſto, & in mei memoriam facite, & ſi fideliter memores ac grati fueritis, ipſe vobis futurus ſum panis vitæ æternæ.*

Roff. Profecto ſi nihil aliud in ipſo monumento fuiſſet quam fruſtulum panis, munus erat haudquaquam dignum tanto principe, quod ſponſæ tam vehementer adamatæ donaret, & tamen vos aſſerere neutiquam pudet, gloriam Chriſti vos quærere. Quaſi gloria maxima Chriſto foret tantillum panis in memoriam ſui, chariſſimæ ſuæ ſponſæ, pro qua & ſanguinem fudit, relinquere, præclarum ſcilicet monumentum & in quo ſumma Chriſti potentia, ſapientia, clementia, charitas atque id genus virtutes aliæ, tanquam in memoriali cunctorum eius mirabilium nobis commendentur. O tenebras pluſquam cimmerias, O cæcitatem horrendiſſimam, eorum qui nihil Eccleſiæ donatum in hoc ſacramento contendunt, præter exiguam panis bucellulam.

OEcol. *Cæterum panem quidem, vt ſacroſanctum ſymbolum ore manducate, beneficium autem atque adeo meum illud beneficum corpus, animo fideliter recogitate.*

Roff. Et quamobrem (te quæſo) panem illum, ſi tantum panis ſit, edemus? Cur ſpectari debeat, intelligo, quod ex eo nobis Chriſti mors annunciatur, donec veniat. At cur edi mereatur, non intelligo, quum nihil (ſi vobis credimus) in eo bonæ gratiæ contineatur. Quid ergo miſer & impie tantum fructum auferre moliris ab Eccleſia, quem eos aſſequi patres priores concorditer affirmarunt, qui cum fide & pietate frequenter ſub ſpecie quidem panis carnem ederent Chriſti, ſub vini vero ſpecie biberent eiuſdem ſanguinem.

Non dixiſſe Moſen, Agnus eſt phaſe, vnde ruit magni moliminis argumentatio.

Capvt VI.

OEcol. *Denique à modo loquendi non eſt hic abhorrendum.*

Roff. Qua fronte, niſi perditiſſimus eſſes, & omnem abieciſſes erubeſcentiam, iſtud diceres, nempe quod in hoc tam auguſtiſſimo ſacramento, non ſit abhorrendum ab hoc loquendi modo. Nam & ſi ſexcentis locis is loquendi modus in ſcripturis alibi reperiatur, hoc loco tamen ceu peſtis maxima vitari debet, quum plane repugnet ſalutaribus illis documentis, quæ per patres (in quibus hauddubie Spiritus ipſe ſanctus loquebatur) hac de re nobis fideliter tradita ſunt. Æquũne cuiquam videbitur, vt nos relictis tot ſanctiſſimorum, ſimul & eruditiſſimorum patrum interpretationibus, vnius hæretici, & eiuſdem apoſtatæ maleſanis expoſitionibus & tantum huius ſacramenti conſolationem ac fructum eripientibus, adhibeamus fidem? quid enim imprudentius, imo quid dementius & detrimentoſius accidere nobis poterit?

Fides habenda priſcis interpretibus. 2. Petri 2.

OEcol. *Nam fere eodem tropo vſus eſt & in Exodo, vt in omnibus adunaremur, ne aberremus. Sicut hic dixit, hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, ita alibi de agno dixit, quod ſit paſcha hoc eſt tranſitus. Et quum dixerint vobis filij veſtri: Quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima tranſitus Domini.*

Roff. Nullus hic omnino tropus eſt, ſed voluit Deus ita ceremoniam iſtam vocari, quemadmodum in eodem capite ſæpe legimus: Quum dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis: Victima phaſe Domini eſt. Et rurſum, dixitque Dominus ad Moſen & Aaron: Hæc eſt religio phaſe. Quare de tota ceremonia dicitur hoc vocabulũ, & non de agno. Iccirco & paulo ſuperius, vbi ritum integre Deus expoſuiſſet Moſi, protinus ſubdit: Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Falſum eſt igitur quod de agno Moſes id voluit intelligi, quum dixit: Eſt enim phaſe; ſed ritus ille ſiue religio phaſe vocabitur. Quare nullus hic omnino tropus eſt. Sed & nouum iſtud ſui corporis ſacrificium, à nonnullis idem nomen retinere putatur. Propterea quod & Dominus, vt ipſe teſtabatur, iam ad patrem trãſiturus eſſet. Sic enim Iohannes ait: Sciens Ieſus quod veniſſet hora ipſius vt tranſiret ex hoc mundo ad patrem.

Exod. 12.

Phaſe quid ſignificat.

Iohan. 13.

OEcol. *Et quare eſt phaſe, nonne quia memoria tranſitus? neque enim agnus tranſiit, & maxime, qui ſequentibus annis immolabatur, ſed Angelus olim tranſiit domos agni ſanguine ſignatas, attamen agnus ille in poſterioribus annis appellationem obtinuit paſcha. Vnde Dominus dicebat, vbi paſcha cum diſcipulis manducem.*

Roff. Agnus ibi nuſquam phaſe dictus eſt, ſed ritui & religioni, quæ in edendo agno obſeruabatur, vocabulum iſtud inditum fuit, adeo, vt ſæpius legimus phaſe fieri, quam comedi. Scriptum enim eſt in eodem capite: Omnis cœtus filiorum faciet illud. Et rurſum, ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini. Numerorum nono faciunt filij Iſraël phaſe, menſe primo. Deuteronom. 16. vt facias phaſe Domino. Ioſuæ 5. fecerunt phaſe decimoquarto die menſis. Verum quidem eſt quod agnus non tranſiit. Sed neque cætera quæ comedebantur, hoc eſt, panes azymi & lactucę, tranſierunt. At nihilominus toti ceremoniæ nomen tranſitus indebatur. Cæterum, quod Chriſtus iuſſit Apoſtolis diuerſorium quærere, vbi paſcha cum ſuis ederet, non (opinor) dices, illum de ſolo agno fuiſſe locutum, ſed de cæteris etiam quæ ad agni eſum exigebantur, vt de lactucis & pane azymo. Sed & idem apud Matthæum dicit: Scitis quod poſt biduum paſcha fit.

Phaſe ritum edendi agni ſignificat.

Exodi 12.

Luca 22.

Matth. 26.

OEcol. *Sic & panis, quamuis per ipſum hodie non fiat, quod olim per corpus Domini, religioſe tamen nomine ita vocatur, adeo vt quoties panem illum comedimus, dicamur corpus Domini edere, id quod pij ſpiritualiter manducant.*

Roff. Iam quis non videt corruiſſe tuam ſimilitudinem, quando liquet agnum neutiquam phaſe fuiſſe dictum, ſed ritum ipſum & totam ceremoniam ita fuiſſe vocatam. At non eſt corpus Domini vocabulum huius ſacrificij, ſicut neque ſanguis, ſed tam corporis, quam ſanguinis vnum eſt ſacrificium, quod (vti ſuperius diximus) phaſe nouum appellatur. Quamobrē & Paulus, vt phaſe noſtrum à phaſe Iudæorum diſcriminaret: paſcha (inquit) noſtrum Chriſtus eſt. Et quum Euchariſtiam edimus, ipſum Chriſti corpus vere manducamus non ſpiritualiter ſolum, vt antiqui, qui fide vel Manna vel agnum ederunt, ſed vere corporaliter, non tamen pro more cæterarum carnium, quæ quum à nobis eduntur, in noſtræ carnis ſubſtantiam tranſeunt, ſed ipſe Chriſtus per carnem ſuam à nobis comeſtam nos totos incorporat ſibi, & in ſeipſum vertit corporaliter.

Sup. eod.

1. Corinth. 5. Carnē Chriſti edimus aliter quam alias carnes.

OEcol. *Et ſicut agnus dicitur paſcha vel tranſitus, non quod per illum agnum, quem poſterioribus annis edebant, factus fuerit tranſitus, ſed quod rememoratio eſſet, quo factus ſit Angeli tranſitus, ſanguine eius poſtibus oblitis, ita panis ille eſt datio corporis Chriſti pro nobis, & mors immaculati agni vt vitam aſſequatur mundus, hoc eſt memoria, quomodo datum ſit corpus pro nobis.*

Roff. *Supra eod.* Satis abunde ſuperius oſtendimus, agnum veterem non eſſe paſcha. Quare nihil inde colligere licebit. Rectius enim quis eum paſchalem agnum vocarit (ſicut & paſſim appellatur) quam paſcha, fruſtra igitur moliris colligere panem eſſe dationem corporis. Stolidæ nimirum argutiæ tuæ ſunt, & baſi carentes. Quare te non audimus, ſed Chriſtum, qui dixit, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, non datio corporis & ſanguinis, ſed ipſum corpus, quod tunc dabatur, & ſanguis qui tunc effundebatur, quod vero memoriam traditi corporis, Euchariſtiam vocas, nos libenter admittimus, & totis vlnis amplectimur. Nihil enim repugnat, vt ſæpe diximus, Chriſti corpus in Euchariſtia ſub ſpecie panis memoriale quoddam eſſe corporis exanguis, quod tunc in cruce pependit, & ſanguinem eius ſub ſpecie vini monumentum eſſe ſanguinis ibidem effuſi.

Matth. 26. Marci 14. Luca 22.

2. c. 32. li. 3. Lib. 5. ca. 5. Sale.

OEcol. *Idem enim fuerit dicere, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur vel frangitur, & dicere, hoc eſt datio vel fractio corporis mei pro vobis, id eſt monumentum dationis vel fractionis corporis mei pro vobis, vel annuntiatio mortis dominicæ, vt Paulus exponit.*

Roff. Magnopere deſudas vt alienum & adulterinum ſenſum ex his verbis nobis obtrudas, ſed quicquid egeris, nequicquam agis, nos vero genuinum ſenſum à patribus traditum ſequemur. Cæterum vt laborem hunc tuum leuemus. Largimur tibi myſterium iſtud & dationem & fractionem corporis etiam annunciationem dominicæ mortis figurare. Quid inde colligis? An quod nihil aliud ipſum idē ſit, quam figura? Vbi (quæſo) dialecticam iſtam didiciſti? Sed & ſi donauerimus illud tibi, quod Moſes ita ſcripſiſſet: Agnus eſt phaſe, quod certe nunquam fecit, & quod tropus quidam eſſet in illis verbis, num propterea conſectaneum tibi videtur, vt in iſtis, quum dicitur, hoc eſt corpus meum, ſimilis eſſet tropus. Imo ſi quingentis millibus alijs ſcripturarum locis repereris tropos, nulla tamen dialectica conſequitur, vt in hoc quoque tropus eſſet.

Nihil illi nomen recordationis confert aut ſimilia, quæ apud Euangeliſtas & Paulum leguntur.

Capvt VII.

OEcol. *Quod ſi ſubſtantiue exponeremus, eſt, oportebat panem etiam cum Chriſto crucifigi & ſepeliri & reſurgere. Siquidem duraſſet panis ille poſt cœnam, id quod veriſimile remanſiſſe quaſdam reliquias. Etenim ſi ſubſtantiue corpus quod traditur, eſſet panis ille, etiam panis eſſet corpus quod traditur, & quod corpori conueniret, etiam panis conueniret, & ſicut communicare poſſumus indiuiduam noſtram ſubſtantiam, etiam indiuiduales qualitates communicaremus.*

Roff. Ad hæc tibi reſpondeant illi, qui panem triticeum affirmant eſſe corpus Chriſti. Quicunque ſunt orthodoxi, prorſus negant & panem illum eſſe Chriſti corpus, & ſubſtantiam vllam panis ibi cum corpore manere, quemadmodum ex Chryſoſtomo, Cyrillo, Damaſceno, & aliis oſtendimus. Veruntamen pro more loquendi ſcripturarum, quæ panem frequenter accipiunt pro eo quod edi quouis modo poteſt, ſic fatemur panem eſſe corpus. Nam ad hunc modum & Manna panis dictus eſt, & Chriſtus, vt verbum eſt, ſic vocat panem: Sed & Paulus ſæpe corpus Domini panem appellat. Similiter & nos Chriſti corpus panem dicimus, nimirum quod ſpecie panis opertum à nobis edatur ad veram totius hominis noſtri conſolationem.

Panis non remanet in Euchariſtia.

Prolo. 2. li. Li 2. c. 7. c. 14. c 21. c. 92 c. 30. cap. 32. Iohan. 6. 1. Corin. 10. 11. et alibi.

OEcol. *Iam ſi præſens voluit Chriſtus adeſſe illo modo, quid ſibi vult nomen recordationis, quod fere abſentium eſt? num paſſio abeſt, corpus autem adeſt?*

Roff. Corpus, licet adſit, tamen ſub velamine nobis adeſt, ita vt nullo ſenſu præterquam ſola fide queat eius præſentia deprehendi. Suggerit tamen ſpecies ipſa panis per fidem memoriam corporis, ſicut & ſpecies vini, ſanguinis memoriam. Deinde corpus ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini, memoriam effuſi ſanguinis ex corpore, ac proinde paſſionis, quam pro nobis in cruce Chriſtus pertulit, repræſentant. Huius itaque paſſionis, quæ præteriit per hæc myſteria recordamur.

Memoriale eſt Euchar. Chriſti præſentis.

OEcol. *At pari contentione, diceremus in præſenti, dari & frangi, quod ſcitis non dici. Sed de vietima paſſione, vt de præſenti dictum.*

Roff. Et quid ita? Iam iſtud nobis vellem ediſſeras,

ROFF. *Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corinth. 11. Iohan. 14.* nempe cur Euangeliſtæ concorditer, etiam conſentiente Paulo, de præſeoti loquuntur, datur, frangitur, effunditur. Et abſit vt quiſquam ſuſpicetur eos falſa ſcripſiſſe, aut Chriſtum, qui & ipſa veritas eſt, non tum dixiſſe quod verum erat. Et tamen eius corpus nootum dabatur ad mortem, neque proſciſſum erat & confoſſum vulneribus, ſed nec ſanguis eius effundebatur. Quid ergo dicemus? Nulla profecto ratione probabilius huoc tollemus ſcrupum, quam ſi dixerimus, quod & Chryſoſtomus docet, idem hoc ſacrificium eſſe cum ſacrificio crucis, quod bic incboatum, ibi complebatur, quemadmodum & Chriſtus apud Lucam ait: Dico enim vobis, poſthac non edam vltra ex eo, donec compleatur in regno Dei. *Sacrificium cœnæ & crucis idem erat. Lucæ 22.* Quod bauddubie de ſacramento panis intelligendum eſt, ſicut & illud quod ſequitur de ſacrameoto vini. Dico enim vobis, quod ooo bibam de fructu vitis, dooec regnum Dei veniat. Quæ res multo dilucidior eſt ex Euangeliſtis Mattheo & Marco. Nam illa proculdubio Lucas anticipauit more ſuo, quemadmodum acutiſſime prodidit Auguſtinus. *Matth. 26. Marci 14. Sup. eod. libro capite 4.*

OECOL. *Igitur & adiectiones illæ apud Lucam & Paulum, & ſequentia quæ admonent vel exponunt, & figura quæ præceßit, docili ſatis monſtrant, panem illum non à ſubſtantia vel à continentia, ſed ſignificantia nomen corporis Domini ſortitum.*

ROFF. De pane triticeo nihil tibi reluctamur, vtpote, quem nos ibi non arbitramur adeſſe. Cæterum hoc audemus profiteri, nihil eſſe, vel apud Lucam, vel Paulum adiectum, quod coouincat hoc myſterium ſolam figuram eſſe. *Euch. non eſt ſola figura.* Sed nec aliquid ſequentium, aut præcedentium, neque omnia ſimul id vrgent, vt noo credamus io his myſteriis verum Chriſti corpus, & verum eiuſdem ſanguioem cootineri. Imo pluſculum adiicienus, quod qui, perpenſa veteris agni ceremoniarum abrogatione, collectis itẽ cæteris huius loci citcũſtantiis, digneque penſitatis hic Chriſti verbis, deniq; collatis eiſdem cum his, quæ ſexto cap. Iohan. idem ipſe pollicitus eſt, non per bæc inductus credat in hiſce myſteriis eſſe corporis & ſanguinis Chriſti veritatem, huoc aut omoino pertinaciſſimũ aut prorſus excæcatum, & plaue reprobum, atq; à gratia Dei penitus reiectũ exiſtimabimus.

OECOL. *Neque caret ineptitudine & vanitate nugari, verum quidem eſſe, quod commendetur paßionis memoria, ſed interim etiam panis eſt corpus.*

ROFF. De pane tibi reſpondeant, qui ſubſtantiam panis ibi confitentur. Nos vero oihil ineptitudinis aut vanitatis vel tantillum comperimus ex eo, qood verum corpus, & verus ſanguis in illis myſteriis operta credantur ab orthodoxis. Imo ſolidiſſimum inde fructum conſequimur. Neque prohibet quicquam, vt ibi ſit corporis & ſanguinis Chriſti veritas, & tamen per hæc ſub illis ſpeciebus velata, fidei noſtræ commendatur Chriſti paſſi memoria.

OECOL. *At poſt tanta inconuenientia & abſurda, & Chriſto de memoria paßionis monente, tantum autem miraculum ſilentio prætereunte, quis bonus vir non videt maius iocandi, quam verum diſcendi ſtudium.*

ROFF. Nihil bactenus quod videbatur, aut abſurdum, aut fidei incongruum abs te productum eſt, cui noo abuode ſatisfecimus opioor. Multa ſane ſenſibus & rationi difficilia, pariter & obſcura, ſuboriri non negamus. Sed minime propter hæc detorqueoda ſunt Chriſti verba à ſuo proprio & germano ſenſu. Tutius eſt oobis, vt Chriſti verbis, qui vt oon fallitur, ita nec fallere quenquam poteſt, conſtanter innitamur, quam propter difficultates vllas, quantumuis hæ ooſtris iogeniis obſcuræ videantur & perplexæ, eadem aliter quam ipſe ſenſit, interpretemur, maxime, quum ſciamus, ea quæ oobis traduntur, oportere propter fidei noſtræ meritum creditu difficillima eſſe. *Fides eſt difficilium credere.* Quamobrem ſi propter difficultates euitandas, Chriſti verba contra ſenſum eius detorſerimus, & fidem amittemus & fidei meritum. Sed & propter ſiniſtram verborum interpretationem, pœnas inſuper tandem hauddubie daturi ſumus. Memoriam vero paſſionis Chriſti quis non videt longe viuacius & efficacius iuxta ooſtram ſentcotiam excitari, quam iuxta veſtram hæreſim. De miraculo, quod ais, ipſum à Cbriſto ſileoter præteriri, certe nõ ſemper Cbriſtus quaodo miracula fecit prædicauit ipſa fuiſſe miracula. *Chriſtus non ſemper miracula ſua commendauit.* Sed ea reliquit aliis iudicanda, quemmodum & boc ipſo loco fecit. Neque enim potuit ex pane corpus ſuum efficere, citra grande miraculum, imo non abſque multis & eiſdem inſignibus miraculis. Quiſquis igitur iſtis noo aſſeotitur, is profecto maligoitati potius, quam veritati ſtudium adhibere credendus eſt.

Verba hæc Pauli & Lucæ, boc poculum nouum teſtamentum in meo ſanguine, diſcutiuntur.

CAPVT VIII.

OECOL. SEd clarior adhuc in ſequentibus verbis expoſitio eſt.

ROFF. Hactenus abuode ſatis (opinor) quiuis prudens & atteotus lector aduertit nullam te claritatem attuliſſe pro tua hæreſi, tametſi multa verba prodegeris, multiſque fucis boc ipſum agere molitus ſis. Sed iſta quæ dicis eſſe clariora, iam audiamus.

OECO. *Similiter & poculum poſtquam cœnauit, accepit dicens: Hoc poculum nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.*

ROFF. An oon longe clarius hoc Matthæus extulit, dicens: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditur; cui conſeotit & Marcus. *Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.* Lucas autem poculum & teſtamentum oouum coniuogit, citra copulam aliquam, id quod oemini noo poteſt obſcuritatem, imo tenebras incutere. Sed tibi quod plus tenebricoſum eſt & magis inuolutum, clarius indicatur, oimirum quod aptius inſeruiat ſtrophis & ſycopbantiis tuis.

OECOL. *Non per omnia idem ſacramentum eſt corporis & ſanguinis, non corpus, ſed ſanguinem vocat teſtamentum.*

ROFF. Veriſſima dicis quum ais, non idem per omnia ſacramentum eſſe corporis & ſanguinis Chriſti. Quare nec abſurdum tibi videri debet, quod ſpecies panis oobis habeatur ſacramentum velati corporis, & ſpecies item vini ſacramentum ibi

latentis

Sanguis non eſt teſtamentum.

latentis ſanguinis. Cæterum, quod ſanguis teſtamentum ſit, approbare nullomodo poſſumus. Neque enim Chriſtus aut quiſquam Euangeliſtarum iſtud vnquam aſſeruit, diſquire per ſingulos. Matthæus dicit: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti. Conſentit & Marcus. perinde acſi Chriſtus ita dixiſſet, hic eſt ſanguis meus, quo nouum ipſum teſtamentum conſtabilitur. Confirmabatur vtique vetus teſtamētum effuſo ſanguine pecudum. Atque id agebatur in adumbrationem quandam precioſioris cuiuſdam ſanguinis, nempe Chriſti, quo & nouum aliud teſtamētum ratificaretur. Quare quum diuerſum ſit oportet, id quo aliquid ſit, & ipſum quod ſit, neceſſario conſequitur, vt ſanguis iſte quo teſtamentū nouum corroboratur, nō ſit itidem ipſum teſtamentum, quod illo eodem ſanguine corroboratum eſt. Et certe nullus Euangeliſtarum ſanguinem ipſum nouum teſtamentum vocat. Sed Lucas (inquit) & Paulus, ſanguinem dicunt eſſe teſtamentum nouum. Quibus (precor) verbis hoc dicunt? Hiſne? Hoc poculum nouum teſtamentum in ſanguine meo. Quid his verbis (quæſo) volunt ſibi Lucas & Paulus? An per poculum ipſum intellexerunt vaſculum potorium, de quo bibebant ſinguli? At nemo dixerit (opinor) hoc fuiſſe teſtamentum nouum, quum nemo certe ſciat, an adhuc extet illud poculum, at nouum teſtamentum æternum eſſe nihil dubitamus. Sin per poculum illud accipi voluerint ſanguinem in poculo contentum: quomodo igitur quadrabūt verba quę ſequuntur. Parum enim fuerit concinna oratio, ſi ſic dixeris: hic ſanguis eſt nouum teſtamētum per meum ſanguinem. Quocirca quærendus eſt omnino ſenſus alius ex Pauli & Lucæ verbis, quam quod ſanguis ipſe ſit teſtamentum nouum. Sed neque licet hic verbū, eſt, per ſignificat interpretari, ſicut OEcolampadius molitur. Nam hoc verbum, ſignificat, nihil importat efficaciæ, ſignum enim quatenus ſignum, nihil efficit. At ſanguis Chriſti potenter effecit & præſtitit vt ratum & firmum eſſet teſtamētum nouum, id quod Lucas & Paulus verbis vtique ſuis inſinuarunt.

Matth. 26. *Marci 14.* *Heb. 9.*

Sanguis Chriſti non eſt teſtamentum. *Lucæ 22.* *1. Corinth. 11.*

OEcol. *Vt videant qui laicos à communione ſanguinis per tyrannidem depellunt, quod eos, quantum in ipſis eſt à teſtamenti communione abarceant.*

Roff. His & aliis huiuſmodi confictis criminationibus, nos laicis exoſos ſtudetis reddere. Tanta ſcilicet eſt veſtra charitas. Et quid amplioris iniuriæ laicis ipſis facimus, quam nobis ipſis. Nos enim quoties extra miſſam communicamus, tantum ſub altera parte ſacramentum ſumimus, in qua tantundē contineri minime dubitamus, quantū ſub vtraq; parte. Quod ſi aliud crederemus, profecto quum ab hac luce migraturi ſumus, in ipſo ſummo diſcrimine conſtituti, peteremus haud dubie partem vtranque nobis dari. At id nemo facit, quantauis emineat dignitate. Nemini ſacerdotum in ipſa ſuprema vitæ ſuæ hora, ſacramentum ſub vtraque ſpecie miniſtratur, ſed ſub ſpecie panis duntaxat, ſub qua ſpecie certi ſumus, corpus & ſanguinem, atque adeo Chriſtum integrum, à nobis manducari. Quod ſi præter miſſæ celebritatem, nobis vtranque ſpeciem ſumeremus, laicis vero daremus vnam tantum, haberēt, vnde merito conquererentur. At nunc nihil eſt cauſæ, quum illos æquemus nobis in omnibus, quantum ad hoc ſacramentum ſpectat, extra ſacrificij celebritatem, quod & à ſolis ſacerdotibus offerendum ſanctiſſimi patres inſtituerunt. Cæterum tu qui nihil præter panem & vinum in hoc ſacramento contineri contendis, non ſatis aduertis, quantam iniuriam & nobis & illis facere moliaris.

Sacerdotes non celebrantes communicant ſub vna ſpecie tantum.

Etenim lex fœdera in ſanguine ſanciebat, vt Exodi 10. Nam præter id quod ſanguis agni poſtes oblinit, etiam alia figura legis ante oculos ponitur impleta. Etenim Moſes vt annunciaſſet plebi omnia verba ac iudicia, & reſpōdiſſet populus vnanimiter: Omnia verba quæ loquutus eſt Dominus, ſe facturum, ſcripſit ſermones in volumine, & ſanguine aſperſit populum; Legi obſeruanda aſtringens ac dicens: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum. OEcol.

Non hæc de ſanguine agni ſcripta ſunt, ſed de ſanguine vitulorum, qui nihilominus figura ſanguinis Chriſti fuerat. Sic enim Exo. 24. ſcriptum eſt: Tulit itaque Moſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateram, partem autem reſiduam fudit ſuper altare, aſſumenſque volumen fœderis legit, audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ loquutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper ſermonibus his. Hæc Moſes fecit, & dixit in adumbrationem quandam eorum, quę Chriſtus partim in hac cœna fecit, partim in cruce. Nam altare ipſum apud Moſen, nobis eſt figura crucis Chriſti. Quod vero Moſes partitus eſt ſanguinē illum, alteram partē in crateram fundens, vnde reſperſit populum, alteram autem fudit in altari, ſignificat Chriſtum, ſuum ſanguinem & in poculum miſiſſe, quo ſanctificaret ſuos, & rurſum in altari crucis fudiſſe pro peccatis noſtris. Quod ſubinde lecto volumine fœderis, & reſperſo ſanguine, Moſes dixit: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his; mirifice Chriſtum exprimit, qui poſt exhibitionem ſui ſanguinis in poculo, continenterq; ſubiecit: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, hoc eſt, nouæ legis & fœderis, quod iam vobiſcum iniit Deus. Nec te moueat lector, quod Moſes diuiſit ſanguinem pecudum. Nam ipſe aliter adumbrare nobis Chriſti factum non valuit. At Chriſtus neutiquam diuiſit, ſed totum exhibuit in poculo, totumque rurſum effudit in altari crucis. Vides ergo lector, quam graphice depinxit nobis Moſes & docuit verum Chriſti ſanguinem in poculo contineri, & eundem in altari crucis fundi, cuius figuram ipſe tunc exhibuit in ſanguine pecudū. Roff.

Altare Moſeos crucem ſignificat. *Exodi 24.* *Matth. 26.* *Marci 14.*

Teſtamentum apud Lucam & Paulum nequaquam accipi debere pro figura teſtamenti.

Capvt IX.

OEcol. *Porro manifeſtarium eſt ex nono capite ad Hebraos, non hunc noſtrum ritum eſſe ipſum teſtamentum, ſed ſanguinem illum qui ſemel effuſus eſt in cruce, imo ſanguinem ipſum eſſe obſignationem teſtamenti.*

Roff. *Eſaia 10.* Quid ſit teſtamentum, apertius declaratur ex 8. & 10. cap. ad Heb. quam ex 9. ibidem. Nam 8. ca. Paulus ex Eſaia plane docet nouum teſtamentum eſſe nouam legem. Conferens enim Chriſti ſacerdotiũ cum ſacerdotio Moſaico, dicit: Chriſtus hoc excellentius ſortitus eſt ſacerdotium, quo præſtãtioris eſt teſtamenti interceſſor, quod in præſtãtioribus promiſſis ſancitum eſt. Etenim ſi prius illud tale fuiſſet, vt nihil in eo poſſet reprehendi, haudquaquam fuiſſet ſecundo quæſitus locus. Nam incuſans eos, loquitur illis: Ecce dies venient dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël & ſuper domum Iudæ teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum, quod feci patribus eorum. Et poſtea ſubdit: Hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël, poſt dies illos dicit Dominus: Dans leges meas in mẽtem illorum, & in corda illorum inſcripſi illas. Sicut igitur Moſes reſperſit volumen veteris teſtamenti, hoc eſt, legis veteris ſanguine pecudum, ita Chriſtus reſpergere voluit corda noſtra, hoc eſt volumina legis nouæ ſeu teſtamenti noui ſanguine ſuo. Cæterum, quod ſanguis ſit teſtamenti noui conſignatio, non reluctor.

Nota pro intellectu S. Thomæ ſup. 8. cap. ad Hebraeos.

Hiere. 31.

OEcol. *Alioqui conſectaneum foret, ſubinde innouari teſtamentum, quoties cœnam dominicam manducaremus. Vbi enim nouum, ibi antiquatur prius, ad Hebraeos octauo. Vltra, ſi ſæpe nouum teſtamentum, ſæpe morietur Chriſtus, quod abſq; morte teſtatoris vel ſanguine non eſt ſanctum. At ſemel confirmauit teſtamentum ſanguine, adeoque teſtamentum nouum eſt in ſanguine, hoc eſt ſanguine confirmatum, non ſanguis in teſtamento nouo iam primũ Deo conſecratus, quem diuinitas ſanctificabat. Neque Chriſtus acceptus patri propter nos, cum quibus per Chriſtum initum eſt fœdus, ſed nos propter Chriſtum grati ſumus patri.*

Roff. Hæc ſi poſſint, diluant illi, qui ſanguinem vocant teſtamentum nouum. Nos interim agemus Deo optimo maximo gratias, qui tale diſſidium inter hoſtes Eccleſiæ ſuæ ſuſcitauit, vt quod Lutherus affirmat, OEcolampadius oppugnet, ac e diuerſo, quod iſte ſtatuere conatur, ille manibus pedibuſque demoliri ſtudeat. Quomodo iam verum erit, quod toties affirmare Lutherum non puduit, nempe ſcripturas adeo peruias ac faciles eſſe, vt quiuis eas intelligere poſſit, quum & ipſe tot eruditos habeat in ſcripturarum expoſitione ſibi contradictores. Nunc inſuper liquet non ſatis approbandum eſſe, quod tantum ante tribuerit iudicio populi, quum & periti literarum, in ſcripturis tantopere cæcutiant. Sed & in eo quod toties iactitauit ſe certum eſſe, cũcta ſua dogmata ſe habere de cœlo, quis non dilucide perſpicit, eum fuiſſe mendaciſſimum. vtinam igitur aliquando tandem Germania ſuos oculos recipiat, & aduertat cuiuſmodi falſis hypocritis, & meris impoſtoribus, ſuas animas cum ſummo diſcrimine iam diu crediderunt.

Hæretici inter ſe digladiantur.

OEcol. *Atque adeo nonnihil inflexione volentibus non contendere. Lucas cum Paulo abunde ſatis interpretatus eſſet, quid ſit quod Marcus & Matthæus inſinuarint, dicentes: Hic eſt ſanguis noui teſtamenti, id eſt, hoc eſt nouum teſtamentum per ſanguinem meum, neceſſe enim eſt per nouum teſtamentum, memoriam & figuram noui teſtamenti accipere.*

Roff. Tu ſemper ad obſcuriora cõfugis, vt apertiora doceas, quũ tamen aliud ante ſis profeſſus. Apertiora quis non videt eſſe, quæ Matthæus & Marcus de ſanguine tradunt: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti. quod hic inuolucrum eſt? quæ latebra? Et plane his verbis alluſerunt Moſi: Nam illi pro nouo teſtamento confirmando tradidiſſe Chriſtum hoc aſſerunt, ſicut & Moſes de pecudum ſanguine dixit: Hic eſt ſanguis fœderis, quod vobiſcum pepigit Dominus. Quamobrem & locus iſte multo dilucidior eſt, quam qui poſſit tuis artibus obſcurari. Sed tu ſemper latebras quęris, & inuolucrum, nimirum vt ita nobis facilius idolum tuum erigas, hoc eſt, tropum eſſe vbicunque tu velis, atque vt hic in teſtamento nouo figuram teſtamenti noui conſtituas. Cæterum nemo dicet (opinor) qui non inſanit, aliter apud Lucam & Paulum teſtamentum nouum accipi, quam apud Matthæum & Marcum. At palam eſt apud eos non figurate, ſed vere teſtamentum intelligi. Nam alioqui dicemus verum Chriſti ſanguinem corroboratiuum fuiſſe teſtamenti, non veri, ſed figurati. Quare & apud Lucam ſimiliter prò vero, non pro figurato teſtamento, certum eſt intelligi debere.

Math. 26. *Marci 14.* *Exodi 24.* *Nouum teſtamentum quomodo accipiatur.* *Luca 22.* *1. Corin. 11.* *Math. 26.* *Marci 14.* *Luca 22.*

OEcol. *Itaque ſi cognouerimus, quomodo poculum vel calix ſit nouum teſtamentum, habebimus etiam quomodo ſit ſanguis, & ſi intelligamus quomodo poculum eſt ſanguis, non ignorabimus etiam quomodo panis ſit corpus.*

Roff. Vbi ſemel abſurdum vnum admiſerimus, neceſſum eſt vt inde complura ſequantur alia. Quare nobis hæc per ordinem ſingula neganda ſunt, & primo, quod teſtamentum hic accipitur pro figura teſtamenti. Deinde, quod poculum ſit teſtamentum nouum magis quam cratera Moſaica fuerat vetus teſtamentum. Tertio, negamus poculum eſſe ſanguinem, id quod nullus Euangeliſtarum aſſeruit. Poſtremo, nec recipimus, panem eſſe figurate corpus, ſed verum Chriſti corpus aſſerimus ſpecie panis obtectum eſſe. Nam illa omnia deducis ex manifeſte falſo principio, quum dicis poculum eſſe figuram teſtamenti noui. Nihil enim poculum præſefert cur ipſum dicatur figura teſtamenti. Sed & quicquid Paulus & Lucas obſcurius de teſtamento nouo dixerint, hoc dilucide Matthæus & Marcus explicuerunt. Matthæus enim ad hunc modum tradidit: Et accepto poculo, gratiis actis, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti, ſimilibus ferme verbis vſus eſt & Marcus. Hæc profecto ſatis aperiunt, quid

1. Corinth. 11. *Luca 22.* *Math. 26.* *Marc. 14.*

Lucas

Lucas & Paulus ſibi volunt, nempe, quô d poculum illud per ſanguinem Chriſti, quem intra ſeipſum ſub ſpecie vini continebat, erat confirmatiuum teſtamenti noui, hic igitur omnia vera ſunt, & nihil figuratũ. Verum corpus, verus ſanguis, teſtamentum etiam verum. Apage ſis cum tropis tuis perditiſſime.

Iterata commemorationis mentio, pariter & Origenis teſtimonium nihil ei proſunt.

Capvt X.

OEcol. *Hvc etiã facit, & huc oportebat oculos vertere, quod Paulus non eſt contentus ſemel dicere cum cæterũ, hoc facite in mei memoriam. Sed quum de calice dixiſſet, repetendum duxit.*

Roff. Iſtud aut nihil, aut certe perparum confert inſtituto tuo. Et primũ: Quia ſi per hęc verba Chriſtus intelligi voluiſſet, non verum in poculo, ſed figuratum fuiſſe ſanguinem, profecto nec Matthæus neq; Marcus cum tanto diſcrimine Chriſtiani gregis verbis adeo perſpicuis enunciaſſent ibi ſanguinem eſſe, & citra figuræ quoduis indicium, etiam ſilentio verbis illis præteritis. Deinde Lucas quem tu tam dilucidum aſſeris, quum de ſanguine loquitur, nullam eorundem verborum mentionem facit. Quod ſi Paulus ad ſanguinem iſta recenſuerit, quid tum? An ideo conſequitur non eſſe verum in calice ſanguinẽ? Quid (te quæſo) prohibet, ſi verum in poculo ſanguinem adeſſe crediderimus vt non tanto efficacius & ardentius ad Chriſti paſſi memoriam excitaremur? Nihil profecto repugnat, vt verus in poculo ſanguis ſit, & nos tanto vehementius Chriſti paſſi memoriam agamus, quanto firmius & viuacius hoc ipſum crediderimus.

Matth. 26.
Marci 14.
Luca 22.
1. Corin. 11.
Verus Chriſti ſanguis ampliorem deuotionem aggenerat.

OEcol. *Adeo multum in memoria paſſionis ſitum eſt, vt Origenes ſuper Leuit. dicat: Et ſi reſpicias ad illã commemorationem, de qua Dominus ſic dicit: Hoc facite in meam commemorationem, inuenies, quod iſta eſt commemoratio ſola, quæ propitium facit hominibus Deum. Si ergo intentius Eccleſiaſtica myſteria recorderis, in his quæ lex ſcribit, futuræ veritatis imaginem inuenies præformatã.*

Roff. Magni certe momenti ſemper eſt memoria paſſionis Chriſti. Veruntamen Origenes nõ hoc loco de nuda paſſionis memoria loquitur, vt tu videri vis, ſed de commemoratione, quæ fit per hunc ſacroſanctum panem, nempe Chriſtum in hoc ſacramento. Quæ res apertior fiet, ſi quid illic tractet, conſideremus. Tractat autem inibi de panibus propoſitionis, qui duodecim erant, & ea ratione, vt idem ait, in conſpectu Dei propoſiti, vt memoria duodecim tribuum apud Deum ſemper haberetur, & per eos duodecim panes, quaſi pro totidem tribubus velut exoratio quædam, & ſupplicatio Deo iugiter fieri videretur. Subdit igitur Origenes: ſed parua ſatis, & tenuis eſt huiuſmodi interceſſio, & mox adiungit: Sed ſi referantur hæc ad myſterij magnitudinem, inuenies commemorationem iſtam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas ad illum panẽ, qui de cœlo deſcendit, & dat huic mundo vitam, illum panem propoſitionis, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine eius, & ſi reſpicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus: hoc facite in mei commemorationem, inuenies, quod iſta eſt commemoratio quæ propitium hominibus facit Deum. Si ergo intentius Eccleſiaſtica myſteria recorderis, in his quæ lex ſcribit, futuræ veritatis inuenies imaginẽ præformatam. Hinc opinor intelligis lector, Origenẽ de pane altaris fuiſſe locutum, & quod in hoc myſterio veritas continetur, cuius imago per panem propoſitionis olim in lege præformabatur.

Origen. ſententia.
Leuit. 24.
Panes propoſitionis vt quid ponerentur.
Iohan. 6.
Luce 22.

OEcol. *Vides quantum commemorationi & cui tribuatur? Neq; tunc dixit, facite in memoriam paſſionis vel mortis, ſed facite in memoriam mei, vt adeſſe corpus craſſo illo modo ne ſuſpicaremur.*

Roff. Mirum eſt quàm ſit obſtinata tua cæcitas, qui quũ audias Paulum vtrunq; dixiſſe. Nempe tam iſtud, quotieſcunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate. & illud: hoc facite in mei commemorationem, non intelligis alterũ ex altero Paulũ ipſum intuliſſe. Nam ex eo quod iuſſit Chriſtus, hæc in ſui commemorationem fieri, collegit mortem eius in memoria per hoc myſterium ſemper habendam. Sed & ſacramentũ iſtud horum vtrunq; repræſentat. Refert enim primum per ipſas ſpecies Chriſtum ſub eiſdem eſſe velatum. Deinde corpus & ſanguis Chriſti ſub eiſdem ſpecieb. obtecta, Chriſti paſſionem repræſentant. Sed neque tollit ſuſpitionem prẹſentis corporis, id quod dixit, facite in mei cõmemorationem. Imo arguit magis, & corpus ibi ſub ſpecie panis eſſe præſens, & ſanguinem ſimiliter ſub ſpecie vini. Arguit inſuper atque vtrobique ſub vtraque totum eſſe Chriſtum, eo quod bis dixit Paulus, nempe ſemel pro corpore, hoc facite in mei commemorationem, & iterum pro ſanguine, hoc facite quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem.

1. Corin. 11.
Commemorationis verbũ plura ſignificat.

OEcol. *Et quum poſtremo repetiſſet & ſummam rei mentibus inculcaſſet, quotieſcunque comederitis panem, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec inquit, veniat, tanquam de abſente mentionem facit.*

Roff. Tanquam de abſente loquitur, tum propter mortem quam in cruce patiebatur. Nam illa iam abſens eſt, & eius hic habetur ſola commemoratio. Tum quod Chriſtus, licet hic adſit, inuiſibiliter tamen adeſt: propter quod & modo quodam abſens nobis eſt, niſi per viuidam fidem refricemus mentem noſtram commemoratione veræ præſentiæ eius. Sed quanquam velut de abſente loquatur, friget tamen argumentatio, ſi velis ex eo colligere, quod non ſit vere præſens. Nam & plerunque de præſentibus tanquam abſentibus ſermonem habemus, neque tamen ob id ſatis efficaciter infertur, eos præſentes non eſſe.

Chriſtus duplici ratione loquitur tanquam de abſente.

Fruſtra diluere molitur, quod toties Paulus corpus & ſanguinem appellat.

Capvt IX.

OEcol. *Sane panem ac poculũ nominare voluit Paulus adhuc de ritu loquens, corpus autem & ſanguinem appellandum cenſuit culpam & reatum indigne vtentium iudicaturus magno iudicio, ita diſſerẽs: Quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.*

Roff. Hoc obſerua lector, quod nullã hucuſq; ſcripturam, quæ præ ſe ferat quicquam probabilitatis, attulit, quin potius artificio verborum eas quas adduxit inuertere laborauit, quo ſibi fauere viderentur, quemadmodum & iam facit hic cum Pauli verbis. Sed crebrius vſurpat hoc verbum Paulus, quàm vt ille diluere poſſit. Neq; enim ſemel nominauit corpus & ſanguinem, ſed ſæpius, id quod certe nõ feciſſet, niſi verum eſſet ibi corpus, & verus ſanguis. Sic enim 10. cap. prioris ad Corinth. ſcribit: Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Ecce hic & corpus & ſanguinem nominat. Rurſum cap. 11. Hoc meum eſt corpus, & hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Et hic corpus vocat & ſanginem. Et paulo poſt: reus erit corporis & ſanguinis Domini: & rurſum, nõ diiudicãs corpus Domini. Quomodo credibile eſt Paulum toties voluiſſe corpus & ſanguinem dicere, citra quamlibet inſinuationem tropi, ſi non compertiſſimum haberet ibi verum eſſe corpus & ſanguinem. Sed ob id profecto Paulus corpus & ſanguinem vocat, quod ita prius à Chriſto ſe didiciſſe teſtatus ſit. Docuit enim Chriſtus ipſe Paulum hoc ipſum quod Matthæus & Marcus tradiderant, nempe quod ſub ſpecie panis eſſet verum corpus, & ſub ſpecie vini verus ſanguis: hoc eſt, inquit Chriſtus, corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Cæterum iam occurrit inter diſſerendum, de quo libenter Oecolampadium ſciſcitarer. Cur neque Paulus neq; alius Euangeliſtarum quiſquam, vinum auſus fuiſſet vnquam ſanguinem dicere, ſicut panem aliquando corpus vocant. Quiſquis ederit (inquit Paulus) panem hunc, & biberit, non dicit vinum hoc, ſed de poculo hoc. Et rurſum: ſic de pane illo edat, & de poculo bibat. Et paulo ante: hoc poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Non dixit: hoc vinum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Profecto mihi videtur, haud leuem inde ſuſpitionem ſumi poſſe, quod neque vini neque panis vlla ſubſtantia poſt factam conſecrationẽ maneat. Nam ſi manſiſſet vinum, potius de vino dixiſſet: hoc eſt ſanguis meus, quàm hoc poculum nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo. Sed dices: Manebit ergo ſubſtantia panis, quandoquidem Paulus appellat corpus panem. Nihil oportet. Nam ibi non panẽ intelligit aliquem triticeum, ſed more ſcripturarum quicquid edi queat, ad quem modũ & Manna, panis in ſcriptura vocatur.

1. Corin. 11.
Paulus ſæpenumero nominat corpus & ſang. Chriſti.
Matth. 26.
Marc. 14.
Vinum nõ appellatur à Paulo ſanguis.
1. Cor. 11.
Pſal. 77.
Ioh. 6. & alr.

OEcol. *Quo docet in Chriſtum redundare peccatum eius, qui indigne ſacramenta contrectarit vel ſumpſerit, eo quod multo grauius ſit ſymbola noſtra religionis polluiſſe, quã ea quibus patribus concredita beneficia celebrabantur, tametſi futura præſignarent.*

Roff. Non eſſet certe grauius noſtrę religionis ſymbola indigne tractare, quàm Moſaicæ fuerat, ſi nihilo noſtra, quàm illius haberentur, & eſſent ſanctiora. Nam quod ſępe dicimus, ſi noſtra ſymbola tantum figurę eſſent, quemadmodum & illa fuerant, nihilo minoris periculi fuerit noſtra polluere, quàm vetera illa, quæ iam antiquata ſunt. Nam id quod figurabatur, vtraque (ſi tuo iudicio fidamus) indiſcriminatim referunt. Quando igitur Paulus audet citra figuræ quoduis iudicium aut inſinuationem, hæc vocare corpus & ſanguinem abſolute, pariter & comminari tam ſeueriter eos, qui hæc indigne tractarint, reos eſſe corporis & ſanguinis Domini. Quid diutius tã impie contendis hic non eſſe corporis & ſanguinis veritatem, ſed figurate ſolum hæc dicta fuiſſe.

Euchar. non eſt tantum figura.
1. Corin. 11.

OEcol. *Quemadmodum & in epiſtola ad Hebræos colligit, dicens: Videte ne aſpernemini eum qui loquitur. Nam ſi illi non effugerunt, qui auerſabantur eum qui loquebatur in terra, multo magis nos ſi eum, qui in cœlis eſt, auerſemur.*

Roff. Non ſic habet Paulus, vt tu legis, eũ qui in cœlis eſt. Sed eum qui de cœlis eſt. Cõfert enim hoc loco Moſi Chriſtum. Moſes de terra, Chriſtus è cœlis erat. Quare ſi non effugerunt, qui Moſen auerſabantur, multo magis nos daturi ſumus pœnas, ſi Chriſto qui de cœlis venit, non obtemperabimus. Et ſane tantum intereſt inter veteris & nouæ legis ſacramenta, quantum inter Moſen & Chriſtum, atque inter vmbram & veritatem. Nam, vt Iohannes ait: Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Sed fac, vt tu vis, vtrobique Chriſtum intelligi, & tũc per angelos in terra, & nunc in cœlis nobis loquentem. Quid ergo non pertimeſcis eiuſdem verba deprauare, quibus dixit: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus? cur ſanguini huic, qui melius quàm ſanguis Abel loquitur, iniuriam tãtam facis, vt ex vero ſanguine tropicum nobis reddas, putas te tantæ præſumptionis vltionẽ penitus euaſurum.

Hebr. 12.
Sacramentorum vtriuſq; legis diſcrimen.
Iohan. 1.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luca 22.
Gen. 4.

OEcol. *Loquebatur olim nondum in carne exaltatus in cœlis Chriſtus in terris per angelos, per prophetas, per ſacramenta, & per ſcripturas, loquitur & nunc ad dexteram patris ſedens, & in cœleſti ſpiritualique populo regnans, per ſcripturas & ſacramenta, ſed longe maior noſtra culpa, præſertim in hoc beneficio, quo ſanguinis ineſtimabili precio nos redemptos agnoſcimus.*

Roff. Quis non videt quam ineptiſſimam inducis comparationem, quaſi quicquid aut geſſit aut locutus eſt Chriſtus, dum hic in terris corporaliter conuerſaretur, ad veterem legem attineret. Nam certum eſt, poſt aſcenſionem ſuam neque legem aliquam tuliſſe, neque ſacramentum aliquod inſtituiſſe nobis. Fuit vtique Chriſtus miniſter & interceſſor nouæ legis, ſicut & Moſes olim veteris. Quamobrem & ſacramenta quæ per Chriſtum inſtituta ſunt, tanto ſacramentis Moſaicis præſtantiora ſunt, quanto miniſterium Chriſti Moſaicum miniſterium antecellit. Dedit Moſes

vmbras tantum & figuras. At Chriſtus haud dubie non ſolas vmbras, ſed & veritates ipſas nobis contulit. Sanguis ille, quo Moſes in ſuo poculo vetus roborauit teſtamentum, quanquam vere pecudum ſanguis eſſet, erat nihilominus figuratus Chriſti ſanguis, quare ſanguis iſte, quo Chriſtus in poculo ſuo nouum ſolidauit teſtamẽtum, verus omnino ſanguis ſit oportet, & non figuratus ſolum.

Sanguis Chriſti in Euchar. nõ eſt figuratus tantum.

OEcol. *Si fermentatum habentes indigni erant paſcha, ac obnoxij morti, quanto magis qui abſque azymis ſynceritatis & veritatis audent in Dominica cœna Iſcariotes præſtare, ex populo exterminandi ſunt.*

Roff. Nunc tandem incipis recte conferre. Et iſtud ſane, ſi diligentius expenderis, vel ſolum ab hoc errore poſſet te liberare. Nam ſi fermẽtum, quod non ignoras, peccatum hic nobis adumbret. Azymum autem puritatem & ſynceritatem conſcientiæ, ſique tẽporaria illa mors hic mortem ęternam ſignificat. Si denique Moſes Chriſtum, & populus ille Iudaicus Chriſtianorum cœtum repræſentet, profecto conſequitur vt typicum illud paſcha, paſcha verum in Euchariſtia contentum eſſe declaret, hoc ipſum (inquam) paſcha, de quo dixit Paulus: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

Fermentũ ſignificat peccatum.
Azyma quid ſignificat.
1. Cor. 5.

OEcol. *Etenim aſperſi hyſopo, & ſemel mundi ſanguine, non iam ceu hi qui ſub lege erant, vel vmbram ſectamur, vel ſub metu agimus, ſed efficaciſſima illius operatione ſponte ac hilariter ad gratiarum actionem profilimus, noſq; & omnia noſtra offerimus, imo nihil noſtrum præter peccata confitentes, omnia eius qui nos redemit eſſe prædicamus.*

Roff. Aut concedite fidem nõ ſufficere, id quod certe veriſſimum eſt, niſi in his, quibus nõ datur occaſio ſuſcipiendorum ſacramentorum. Nam hic immenſa Dei benignitas abſque ſacramentis aut operibus vllis ratam habet fidem, aut ſi pertinaciter contenditis ſufficere fidem ſolam, iam ſubterfugere nõ licet, quin illi qui ſub veteri lege fuerũt credẽtes, nobis omnino pares fuiſſent, quãdo nos, veſtra ſententia, nihilo verius Chriſtum edimus in Euchariſtia noſtra quàm illi mãducauerint, vel in eorum agno, vel in Manna. Sed neq; Spiritum ſanctũ verius accepimus, quàm illis fuiſſet donatus, quæ proculdubio falſiſſima ſunt.

Fides ſola in quibuſdam ſufficit.
Exod. 12.
Exod. 16.

Callide molitur obfuſcare verba Pauli de ſumentibus indigne corpus Domini.

Capvt XII.

OEcol. *Qui agnum carnaliter tantum manducabant, ſeruiles manebant, qui vero hunc panem edunt, per veritatem liberi euadunt, ſi quidem nõ indigne accedant, & hoc præſtent re ipſa, quod ſacramento teſtantur. Profitentur ſe fideles & membra Chriſti, reliquum eſt, ut omnia videntis mentiãtur, ſed vere ſint quod haberi volũt.*

Roff. Si tantum figura ſit vterque tam agnus, quàm panis, cur hic quàm ille maiorem habeat veritatẽ ego non video. Neque enim alterius veritatis agnus figura fuit, quàm tibi iam ſit panis ille tuus. Quare nec aliquid interfuit inter ſpiritualiter edentes, ſiue panem, ſiue agnum manducabant, quãdoquidem eadem vtrobiq; veritas ſignificatur. Cæterum quantus ipſe doli ſis artifex, vel ex hoc ipſo conſtare cuiq; poteſt, quod manducantes carnaliter agnum, confers cum his, qui ſpiritualiter Euchariſtiam edũt, nimirum vt ita nonnihil dignitatis tribuere videaris ſacramento panis, prę illius agni ſacramento, neq; penitus ea facere paria. Cæterũ de ſpiritualiter edentibus quid ſentis, nempe his qui vere crediderunt agnum illum referre Chriſtum? Hos affirmas nihilo minus edere Chriſtum, quàm nos qui manducamus Euchariſtiã, quantumuis fuerimus ante probati. Sed & per fidei veritatem illos æque liberos aſſeris euaſiſſe atq; nos. Quæ ſi vera ſint, quid (te precor) inter agnum comeſtum à Iudæis, & panem tuum, quem prębes aſſeclis tuis intererit? de profeſſione vero quod dicis, mere commẽtitium eſt, quantum ad eſum panis tui ſpectat. Neque enim hoc pro tuo pane profitetur magis quàm ipſi veteres pro agni comeſtione.

Euchar. nõ eſt figura tantũ.
Agni & Eucha. diſcrimẽ nullum iuxta Oecolamp.

OEcol. *Alioqui in ipſum corpus & ſanguinem Chriſti iniuria cadet. O graue, ô terribile iudicium eorum, qui mortem Domini mentiendo irrident, ſacramentorum participes facit. Perinde ac Raphanum eſſe vellet. Quid ſupereſt illis ad impietatẽ? Profecto impius ille abſq; Deo viuit, & totum regnum Dei leuiter tentatur, ſi poſſet, ſemel ſubuerteret, qui cognita prophanat myſteria?*

Roff. Si panis ſola Chriſti figura ſit, & mortis iã præteritæ ſola repræſentatio, quemadmodũ & agnus olim erat futuræ. Siq; tibi nihil inter horum figurationes interſit, præter vnam temporis rationẽ, hanc videlicet, quod agnus futurę mortis indiciũ erat, panis vero iam præteritæ; quum tamen ex ęquo Chriſtũ vterq; referebat, dic ergo mihi quomodo Iudęus in peccato mortali ſumens agnum, non tanta Chriſtum afficit iniuria, atq; is qui iam panem indigne ſumit? Nunc certe Paulus clamat hunc reum eſſe corporis & ſanguinis, hoc eſt tantum criminis incurrere, atque illum qui Chriſtum occidiſſet. Nihil autem comminabatur illis qui ſumpſiſſent agnum indigne. Comminabatur vtique mors temporaria, ſed eis tantum qui fermenti quicquam illis diebus ederent. Sed aliter indigne veſcentibus agno, nihil pœnæ fuit interminatum. Tu certe præ cęteris omnibus grauiſſima Chriſtum afficis contumelia, qui quod ipſe verbis apertiſſimis teſtatus eſt, dicens: Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus; tu contra ſenſum Chriſti, quem hactenus Eccleſia tota docuit, tuo cerebro fretus, ad ſolam figuram corporis & ſanguinis, ea ſacra verba detorques. Hic igitur vere exclamare licet: O quãta iniuria, ô quam graue & quam terribile iudicium te manet! Quid tibi iam ſupereſt ad impietatem. Tibi (inquam) qui cognita prophanas myſteria, profecto Satan ipſe tuus, qui ad hanc inſaniam te perduxit, quid eſt tam horrendum, quod ſi velit, non tibi facile perſuadeat, etiam ſi poſſis totum Dei regnum delere funditus.

1. Corin. 11.
Exod. 12.
Matth. 26.
Marci 14.
Luca 22.

OEcol. *Qui ſciens ſe membrum Antichriſti, & venditat ſe pro membro Chriſti, quomodo non manducabit ſibi iudicium,*

qui

qui adheret ſcorto? qua fronte virginis filio ſe caſtiſsimis nuptiis iunctum perfide in tãtis myſteriis vorat? Qui immiſericors & pauperũ eſt oppreſſor ac deceptor, qua impudentia, eis qui exinaniuit ſe propter pauperum animas, vſq; ad mortem crucis, velut alter Iudas oſculum porrigit? Quid tenebris cum luce? Quid Belial cum Chriſto? Qui irridet miſericordis Domini ſummam charitatem, quomodo feret iudicantis claritatem? Atq; nunc non declamandum, ſed dicendum magis.

ROFF. *Luther. tenet in Eucha. eſſe verum corpus Chriſti.* Hæc io Lutherum (ſcio) declamitas. Nã is neminem, quantumuis fuerit ſceleratus, arcendum eſſe contendit ab Euchariſtię ſumptione. Merito ſane iſtud facis, quandoquidẽ & ex ſcripturis ſibi perſuaſiſſimum eſſe teſtatur, ibi verum contineri corpus & ſunguinem Chriſti.

Ambroſius ab eius deprauationibus & mutilationibus vindicatur.

CAPVT XIII.

OECOL. *IGitur ad inſtitutum redeo, & ne mea ſomnia ſomniaſſe videar, Ambroſii interpretationem referam.*

ROFF. Quid hactenus (precor) ex ſcripturis vel tantillum attuliſti, quo probes Euchariſtiam figurã eſſe duntaxat? Ingẽtem verborum fumum ob oculos excitaſti, ſed idem vt vere fumus euanuit, nulla prorſus relicta probatione ſolida. O peſtifer apoſtata, quid te oon pudet in re tanti ponderis tantum incẽdium excitaſſe, quũ nihil habeas, quo vel probabiliter hæreſin tuã ex literis ſacris ſtabilias. Mera profecto ſomnia nobis exhibes, quibus & cum ſummo ſuarum animarum diſcrimine, Chriſti gregem pernicioſiſſime ſeducis.

OECOL. *Etenim ille ſuper epiſtolam ad Corint. prope eadẽ ponit, dicens: Oſtendit myſterium Euchariſtia inter cœnandum celebratum, non cœnam eſſe. Medicina enim ſpiritualis eſt, quæ cum reuerẽtia deguſtata purificat ſibi deuotum. Memoria enim redemptionis noſtra eſt, vt redemptoris memores, maiora ab eo conſequi mereamur.*

ROFF. *Euch. eſt medicina ſpiritualis.* Iam quum ſcripturæ tibi deficiant, ſuppetias ab Ambroſio petis, qui nihilo plus quã ſuperiora tibi confert, vti nunc videbimus. Tribuit his verbis Ambroſius huic ſacramento, quod ſit medicina ſpiritualis, & quod efficaciam habeat purificandi ſibi deuotos. Talem certe panis tuus efficaciã non obtinet, ſed neq; medetur quicquã edentib'. Nihil enim io ſe prorſus habet vnde medeatur, ſi tantũ figura ſit, vt tu cõtendis. Nã quî fieri poteſt, vt relatio ſit agendi principinm, at figura quid aliud quã relationẽ dicit? Quare panis, quatenus eſt figura, nec medẽdi neq; purificãdi vim *Eucha. nõ eſt figura tantũ, authore Ambroſio.* obtinet, qua quicquã efficiat in anima. Senſit igitur Ambroſ. quemadmodũ & ex aliis pleriſq; locis conſtat, Euchariſtię myſteriũ, aliud quiddã in ſe diuinius habere velatum, quàm figurã ſolam.

OECOL. *Vides quid medicinam ſpiritualem vocat? nempe memoriam redemptionis, quæ tibi & poculi ſacramentis à pits renouatur.*

ROFF. Sed nunc opus eſt fuco quo reſpergatur Ambroſius, vt aliud dixiſſe videatur. Medicinã ergo ſpiritualem (nam id vocabulũ illi obſiſtit) interpretatur eſſe memoriam redemptionis, rem vnã faciens ex duabus, quum tamen hæ duæ planè diuerſę ſint. Nam ſicut duo ſunt actus noſtri, qui ad Euchariſtiam ſpectant, quorum alter eſt manducatio, alter eſt recordatio mortis Chriſti, ſeparanturq; frequenter ab inuicem hi duo. Nam recordamur plerunq; non edentes, & viciſſim edimus, non ſemper recordantes. Euchariſtia igitur quatenus editur, vere cibus eſt & medicamẽ ſpirituale, atq; ita purificat etiã eos, qui digne comedunt. *Euchariſtia eſt medicina ſpiritualis quando editur.* Sed & prępterea quando non editur, recordationẽ nobis ingerit redẽptionis noſtræ, pro qua ſola recordatione, ſi deuotius eam egerimus, etiam noo edentes, plurimum certe conſequemur à Chriſto meriti. Cæterum Oecolampadius merus doli artifex, memoriam & medicinam coniungit, perinde atq; ſeparari nequeant, & ex medicina memoriam facit, ita res diuerſas in vnam compingens, quaſi nihilo magis is qui mãducat, aſſequeretur, quàm qui recordatur ſolum.

OECOL. *Et Limpidius ſuper illud: Morte Domini annunciantes, inquit: Quia enim morte Domini liberati ſumus, huius rei in edendo & potãdo, carnẽ & ſanguinẽ, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus. In quib. verbis minutulus punctus à recto ſenſu quoſdã auertit, dũ legunt, in edendo & potãdo carnem & ſanguinem ſignificamus, quæ pro nobis oblata ſunt.*

ROFF. O frontem impudentiſſimam, qui tam piũ authorem mutilare nõ erubeſcis, quo tuo magis inſtituto videatur inſeruire. Suſtuliſti .n. hic è medio dictionem vnã, hanc videlicet, memores. Nã ſic habet Ambroſius: huius rei memores, hoc eſt, *Ambroſ. verba mutilãtur ab Oecolamp.* mortis Chriſti memores ſumus, dum eius carnẽ edimus, & potamus eius ſanguinẽ. At verbũ, memores, ideo ſubduxiſti, nimirum vt obſcurior ita redderetur oratio, & tu cõmodius dolũ præmeditatũ ſtrueres. Male enim habuit te, quod dixerit Ambroſ. huius rei memores eſſe oos in edẽdo & potando caroem & ſanguinẽ. Quamobrem (vt mox audiemus) transferendũ punctum eſſe contendis, vt intelligamus carnem & ſanguinẽ non edi & potari, ſed per panem & vinum ſignificari, de quib. non eſt ante loquutus. Cæterũ verus Ambroſij ſenſus eſt, dum illud Paulinũ enarrat: Mortem Domini annunciantes, donec veniat. *Ambroſ. ſententia. 1. Corin. 11.* Quia (inquit) morte Domini liberati ſumus, huius mortis memores, dum in Euchariſtia carnem & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, edimus: aperte deſignamus ſiue annunciamus eandẽ Chriſti mortem. Quid enim attinet hoc loco dicere, ſignificari à nobis carnem & ſanguinem, quãdoquidem Paulus de mortis annunciatione loquutus eſt. Significamus ergo mortem Chriſti, dum caroem & ſanguinem eius edimus & potamus.

OECOL. *Qua mens ſi fuiſſet Ambroſii, dicere debebat, edendo carnem, & bibendo ſanguinem.*

ROFF. Quaſi non frequens fuerit is loquendi modus apud omnes. At Siſyphus (opinor) haud pluribus fuit inſtructus artibus quàm ipſe ſis, oullam certe oõ latebram quæris, vnde queas effugere. Sed folio ficulno iam tenemus te medium. An putas omnes exoculatos fore qui hæc tua lecturi ſunt? Sed experiris (opinor) quantum vires ingenij tui valeant.

Tibi forte perſuaſum eſt, nihil adeo cãdidum eſſe, quod tu verborũ artificio non atrum effeceris. Verum iſtud ſubterſugiũ, nemo tam craſſus eſt, vt non facile deprehendat.

OEcol. *Sed vult panẽ & vinũ ſignificare carnem & ſanguinẽ.*

Roff. Hæc ergo potius expreſſiſſet Ambroſ. Sed de his ne verbum quidem eſt locutus. Lege cõmentariũ cœnæ Dominicæ, nec ſemel de vino loquutum inuenies. Sed parum prudẽs ego videri poſſim, qui in re tam aperta tot verbis vtor. Res profecto dilucidior eſt, quã vt tot verbis egeat. Quod & manifeſtant ea quæ cõtinenter ſubduntur. Pendet enim adhuc ſententia, quã & truncatã recenſuit more ſuo, quoties dolũ cõminiſcitur. Nã ſequitur: Nouum teſtamentum in his conſequuti.

Truncantur verba Ambroſii.

OEcol. *Et reliqua quoq; aperte perſequitur: Nouũ teſtamentum in his conſequuti, quod eſt noua lex, quæ obedientem ſibi tradit cœleſtibus regnis.*

Roff. Profecto nec reliqua pro te faciũt quicquam. Nam quia Chriſtus vt figuræ Moſaicæ reſponderet, quum id tam aperte nequiuerit in cruce facere, fecit hoc ipſum in cœna, quæ proxime paſſionem crucis anteceſſit, porrexit vtiq; propriũ ſanguinem in patera ſub ſpecie vini, nimirum vt ſtabiliret teſtamentum nouum, ſicut & Moſes fecit de ſanguine pecudum, vt cõfirmaret teſtamentũ vetus, quemadmodum ex eodẽ Ambroſio mox audiemus. Propterea iã præmittit, quod in carne & ſanguine Chriſti cõſequuti ſumus teſtamentũ nouum. Cæterum vt ſcias eum ſentire verum eſſe corpus & ſanguinẽ Domini, quę ſumimus in Euchariſtia; Lege proximum caput eiuſdẽ cõment. ſuper his verbis: Probet ſe homo. Deuoto, inquit, animo, & cum timore accedendum ad cõmunionẽ docet Paulus, vt ſciat mens reuerentiã debere ei, ad cuius corpus ſumendum accedit. Quid pro corpore dici poteſt apertius? Et pro ſanguine continuo ſequitur: Hoc, inquit, apud ſe debet iudicare, quia Dominus eſt, cuius in myſterio ſanguinẽ potat, qui teſtis eſt beneficij Dei, quem nos, ſi cũ diſciplina accipiamus, nõ erimus indigni corpore & ſanguine Domini. Et rurſum paulo poſt: Vt verum (inquit) probaret, quia examen futurũ eſt accipientium corpus Domini, iam hic imaginem iudicij oſtenderit in eos, qui incõſiderate corpus Domini acceperant. Hæc Ambroſius.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Ambroſ. ſententia de Euchariſtia.

1. Corin. 11.

OEcol. *Nam & Moſes accepto ſanguine vituli in patera, aſperſit filios Iſrael, dicens: Hoc eſt teſtamentum, quod diſpoſuit ad vos Deus. Hoc figura fuit teſtamenti quod Dominus nouum appellauit per prophetas, vt illud vetus ſit quod Moſes tradidit.*

Roff. Inſpice lector Ambroſij commentarios. Nam hæc tam prolixa verborũ interpoſitio (niſi illud feceris) hallucinari te faciet. Dilucidat iam Ambroſius, quod ante nobis dixerat, teſtamentũ nouum (quod & noua lex eſt) confirmari per Chriſti ſanguinem, qui in Euchariſtiæ myſterio cõtinetur. Nam ſicut Moſes vituli ſanguine, quẽ tenuit in cratera, ſanciuit teſtamẽtum vetus, quod & lex vetus dicebatur, ita Chriſtus ſanguine proprio, quem ipſe tenuit in cratera, nouum teſtamẽtum, hoc eſt, nouam legem ſtabiliuit. Et ſicut Moſes figura fuerat, ita & teſtamentum illud vetus, cuius miniſter Moſes erat, figura fuit teſtamenti noui, cuius mediator Chriſtus fuit. Sed & deniq; ſanguis ille, quẽ in cratera Moſes habuit, vmbra fuit ſanguinis huius, quem Dominus porrexit in ſuo poculo.

Moſes fuit figura Chriſti.

OEcol. *Teſtamẽtum ergo ſanguine cõſtitutum eſt, quia beneficij diuini teſtis eſt, in cuius typũ, nos calicẽ myſticũ ſanguinis ad tuitionẽ corporis & animæ noſtræ percipimus.*

Roff. Colligit igitur Ambroſius teſtamenti rationẽ, nempe, quod ideo teſtamentum ſanguine conſtitutum eſt, quia ſanguis teſtis eſt diuini beneficij. Et ſane teſtis fuit ſanguis in vtriuſque teſtamenti conſtitutione, tam in illius veteris, quod pecudũ ſanguine, quàm in huius noui, quod ſanguine Chriſti, confirmabatur. Sanguis enim vtrobiq; teſtis fuit, tam in poculo Moſaico, quàm in poculo Chriſti. Cæterum Chriſti ſanguis (qui fuit in poculo Chriſti) ſicut incõparabiliter præſtitit ſanguini pecudum, ita & incomparabilis beneficij nobis eſt monumentum, nimirum illius redemptionis qua per ſuum ſanguinem Chriſtus in cruce nos redemit. In typum igitur huius diuini beneficij, nos (vt Ambroſius docet) calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis & animæ noſtrę percipimus. Hic libenter Oecolampadium rogarem, quo modo ſolum vinum hauſtum è poculo, corpus & animam noſtram tueretur. Sed omnino verus hic eſt ſanguis Chriſti, quanquam ſub aliena ſpecie, nempe vini, ſit nobis repræſentatus. Propter quod & Ambroſius calicem ipſius ſanguinis myſticum appellat, nimirum, quod ibi ſanguis verus occultatur myſtice.

Teſtamentũ ſanguine certa ratione cõſtitutum.

Apoc. 1.

Sanguis verus in calice eſt.

OEcol. *Quia ſanguis Domini, ſanguinem noſtrum redemit, id eſt, totum hominem ſaluũ fecit. Caro enim ſaluatoris pro corpore, ſanguis vero pro anima noſtra effuſus eſt, ſicut figuratum à Moſe, qui dicit, caro pro corpore offertur, ſanguis vero pro anima, ideoq; non manducandus ſanguis.*

Roff. Vere ſanguine Domini ſanguis noſter, hoc eſt humanũ genus, tam in anima quàm in corpore à miſerrima diaboli ſeruitute redemptũ fuit. Quãobrem vt corpus noſtrum liberaretur, carnem ſuam omnibus Chriſtus expoſuit cruciatibus, atque ſimiliter vt animam eriperet, ſanguinem ſuũ effudit copioſiſſime, vtrunq; igitur nobis in hac cœna contulit, & corpus vt ederemus, & ſanguinem vt biberemus, quib. & anima, pariter & corpus, ab inſidiis hoſtis malignisſimi protegerentur. Adducit igitur & Ambroſius teſtimoniũ ex Moſe, quo doceat iſtud fuiſſe præfiguratum. Caro (inquit Moſes) pro corpore veſtro offertur, ſanguis vero pro anima, ideoq; non manducandum ſanguinem. Similia certe verba, licet non ſub eodem contextu, Moſes Leuit. 17. ſcribit. Cæterum, quod ibi prohibuit Moſes manducari ſanguinem, Auguſtinus miratur, quum hic potius iubeamur bibere. Sic enim quæſt. 58. ſuper Leuit. ſcribit: Quum Dominus dicat: Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meũ ſanguinem, nõ habebitis vitã in vobis, quid ſibi vult, quod à ſanguine ſacrificiorũ, quę ꝓ peccatis offerebãtur, tanto-

Chriſtus effudit ſanguinẽ ſuum pro anima noſtra.

Leuit. 19.

Auguſtinus.

Iohan. 6.

tantopere populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis vnum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera ſit remiſſio peccatorũ, à cuius tamen ſacrificij ſanguine in alimentum ſumendo non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius exhortãtur, qui volunt habere vitam. Hic certe Auguſt. de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti loquitur, quod in Miſſa offerimus, vbi & Chriſti ſanguinẽ in alimentum aſſumere Chriſtianos affirmat.

OECOL.

Attẽde lector quid dicat, beneficij ait, Domini ſanguis teſtis eſt, vbi quæſo? in cruce. In cruce enim exaltatus trahit ad ſe omnia, in cruce exercenda fides eſt, ſed quid agitur in myſterio? in eius typum nos calicem myſticum percipimus: Audis hic typum & calicem myſticum?

ROFF.

Non ita ſubdole, ſicut tu recenſes, Ambroſius tradidit. Sic enim tu legis: Beneficij ait, Domini ſanguis teſtis eſt. Ambroſius ita: Beneficij Domini ſanguis teſtis eſt. Tu quæris vbi? & tibi more tuo reſpõdes: In cruce; ego vero dico ſanguinem in ipſo poculo Domini teſtificari nobis Chriſti mortem, pariter & effuſionem ſanguinis in cruce, quam iam abunde ſatis expreſſit Ambroſius, conferens Moſi Chriſtum, & teſtamento veteri, teſtamentum nouum, ac deniq; ſanguini pecudũ in patera Moſaica, ſanguinem Chriſti in poculo Chriſti. Cæterum, quod videri vis eum ſanguinẽ, qui in cruce fundebatur, eſſe teſtem diuini beneficij, ego tibi paucis oſtendam id ſtare non poſſe. Nam ſicut mors, ita pariter illa ſanguinis effuſio fuit ipſum beneficium nobis impenſum. Quare nec poteſt ſimpliciter ſuiipſius eſſe teſtis. Sed idẽ ſanguis quotidie nobis exhibitus ſub ſpecie vini, teſtis eſt illius diuini beneficij, quod tunc nobis impendebatur, hoc eſt, vel ſanguinis ibidem effuſi, vel mortis potius ipſius Chriſti. Quamobrẽ & ſubdit Ambroſius: In cuius typum nos calicem myſticum ad tuitionem corporis & animæ noſtrę percipimus, calicem enim iſtum, quáquam ex eo verus Chriſti ſanguis bibitur, myſticũ tamen appellat, quod hic ſub aliena ſpecie, nempe vini, ſanguis ipſe contineatur. Nam ſi non eſſet verus ſanguis, ſed tantum figura ſanguinis, fruſtra ſumeretur à nobis ad tuitionem corporis & animæ. Sed & idem ſanguis in calice ſub vini ſpecie, nihil prohibet, quin dici poſſit typus eiuſdem ſanguinis, qui ſub natiua ſpecie fundebatur in cruce, quanquam idem ſit vtrobique ſanguis, quemadmodum & Chriſtus teſtatur, quum accepto poculo dixit: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditur. Ad id vero quod ſubdis: In cruce enim exaltatus, trahit ad ſe omnia: In cruce exercenda eſt fides. Mirũ eſt quomodo iam nos mittis ad crucem, vbi fidem exerceamus, quũ alibi non permittas nos vſquam verſari animo, quàm in cœlis vbi Chriſtus eſt ad dextram patris, fidem igitur alibi, quàm in cruce poſſumus exercere. Nam & hic in calice fidem etiam exercemus credentes Chriſti verbo, qui dixit: Hic eſt ſanguis meus, & propterea ſanguinem iſtum bibimus in memoriam tanti beneficii, quod nobis exhibuit in cruce, nempe, liberationis ab æterna morte. Quum ſubinde quæris: Sed quid agitur in myſterio? Tibi denuo reſpondes: In eius typum nos calicem myſticum percipimus; haud ſcio quorſum referas hoc pronomen, eius. Si ad ſanguinẽ crucis, tum reſpondemus, non ſic Ambroſium accepiſſe, ſed in eius beneficij typum: hoc eſt in monumentum, aut effuſi ſanguinis in cruce, aut liberationis à morte, cuius eramus ipſi debitores, aut denique in memoriam ipſius mortis Chriſti, per quam ita liberi facti ſumus. Poſtremo quum adiicias: Audis hic typum & calicem myſticum? audimus, ſed nihil contra nos. Nos enim (vt iam diximus) in calice Chriſti myſtico percipimus verum Chriſti ſanguinẽ, qui ſub ſpecie vini typus eſt & repræſentatio tãti beneficij, quod in cruce nobis exhibuit Chriſtus, quid hic aduerſus noſtrã ſententiam?

Sanguis Chriſti in calice teſtificatur mortem eius.

Sãguis in cruce effuſus non eſt teſtis diuini beneficij.

Ambroſius.

Calix myſticus dicitur.

Matth. 26.

Iohan. 12.

Fides exercetur in pluribus.

Matth. 26.

Simili modo Chryſoſtomus ab eo mutilatus integritati reſtituitur.

CAPVT XIIII.

OECOL.

NOn multo aliter Chryſoſtomus ſuper Matth. de his differit, ſic dicens.

ROFF.

Satis ante monſtrauimus Chryſoſtomum, tota eadem Homilia, vnde tu fruſtulũ iſtud more tuo decerpis, docere corporis & ſanguinis veritatẽ in Euchariſtia cõtinere. Exclamat igitur ob ſtupendam rei magnitudinem in hũc modum: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor vnquam membris ſuis oues ſuas nutriuit? Multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederũt, quod ipſe Chriſtus facere noluit, ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit atque conglutinat. Et paulo poſt: Singulis enim fidelib. per hoc myſterium ſe coniungit, & quos peperit non alij nutriendos tradit, ſed ipſe ſtudioſiſſime alit. Et rurſum: Nõ ſunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit ipſe, nunc quoq; operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus. Qui vero hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. Hæc Chryſoſtomus Homilia octogeſimatertia ſuper Matthæum. Cæterum eius verba (ſi placet) expendamus.

Chryſoſto. tenet veritatẽ corporis & ſanguin. Euchariſt.

OECOL.

Sicut in vetere, eodem hic modo, in beneficio reliquit, memoriam myſteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frænando. Nam quãdo dicunt, vnde patet immolatum Chriſtum fuiſſe, & alia multa myſteria.

ROFF.

Audis hic lector ſacramentum iſtud, ceu beneficium quoddam nobis eſſe relictum, in quo memoriam myſteriorum colligit Chriſtus. In beneficio (inquit) reliquit memoriam myſteriorum colligendo. Sed quorum (quæſo) myſteriorum? Nõ aliorum (opinor) dicet Oecolãpadius, quàm paſſionis, mortis & effuſi ſanguinis, atq; cæterorum id genus. Hæc ſunt ergo myſteria, & ſunt nihilominus res veræ. Quod annotaui, ne ſemper nobis occinat Oecolampadius. Sinamus myſteria myſteria eſſe. Quaſi myſteria nõ ſint res, ſed myſteria tantum. Nam & hic Chryſoſtomus res veras appellat myſteria, ſicut & veteres vbiq; faciũt. Quare ſophiſtam agens Oecolampadius, vbivbi

Myſteria ſunt etiam res ipſa.

queat

queat venari vocem hanc, myſterium ſeu myſticum, iam contendit nullam rem ſubeſſe.

OEcol. *Hac enim aſſereutes, ora ipſorum cenſuimm. Si enim mortum Ieſus non eſt, cuius ſymbolum ac ſignum hoc ſacrificium eſt.*

Roff. *Myſteriū eſt ſacrificium.* Et hic obſerua lector, quod myſterinm iſtud ſacrificium eſſe, Chryſoſtomus teſtetur: ſacrificiū vero nō eſt ſolins panis & vini, ſed corporis & ſanguinis Domini, ſicut ille ſæpiſſime non veretur aſſerere. Et ſane ſacrificium iſtud, ſymbolum ac ſignum eſſe, quo nobis annnnciatur mors, libenter admittimus. Nos enim ſymbolum, ſed nō tantum ſymbolum, ſignum, ſed non tantū ſignum, figuram, ſed non tantum figuram eſſe fatemur. Quarę nihil aduerſum nos hæc verba faciunt.

OEcol. *Vides quantum ei ſtudium fuerit, vt ſemper memoria teneamm, pro nobis ipſum mortuum fuiſſe. Nam quoniā Marcion, Valentinm, Manichæus, eorumq́; ſequaces negaturi erant hanc diſpenſationem in memoriam paſſionis, per hoc ſemper ita reducit m[illegible]um, vt nemo nō inſanm ſeduci poßit.*

Roff. *Myſterium Chriſti cur inſtitutum.* Iſtud igitur (vt audis lector) myſteriū inſtitutum fuit, quum ob alias plurimas cauſas, tum vt ita Marcionem, Valentinum, Manichæum, & cęteros eorum ſequaces, qui negaturi fuerant hanc diſpenſationem in memoriā paſſionis inſtitutam fuiſſe, facilius confutarent. Hic enim obſtruuntur corū ora, quando Chriſti carnē ſub ſpecie panis, & ſanguinē eius ſub ſpecie vini, nobis in Eucbariſtia datum aſſerimus. *Per Euchar. veritatē teſtamur paſſum eſſe Chriſtū.* Per hæc.n. Chriſtū vere fuiſſe paſſum teſtificamur, vt ita nō ſolum hæretici pudefiant, verum etiam nemo fideliū, qui non inſanus fuerit, queat ſeduci.

OEcol. *Ita per ſacratißimam menſam iſtam, vt ſaluat & docet, hoc eſt enim caput donorum omnium. Hæc Chryſoſtomus.*

Roff. Et ſaluat & docet, habet Chryſoſtomus, nō vt tu recenſes, vt ſaluat. Et habet, bonorum, vbi tu legis, donorum. Sic peruertere ſtudes omnia. *Chryſoſt. peruertit Oecol.* Sed hic obſeruet lector, quod Chryſoſtomus dicit, Chriſtum per hanc menſam nos ſaluare. Nam ſi noſtram in hac menſa reſtituit ſalutem, profecto neceſſe eſt quiddam hic aliud eſſe, præter figuras ſolas. Sed & quomodo caput hęc menſa fuerit bonorum omnium, ſi panem tantum & vinum hic adeſſe credamus.

OEcol. *Nonne & hoc aperte eſt dicere, hoc ſacrificium eſſe ſymbolum ac ſignum.*

Roff. *Sacrificiū nō eſt ſolummodo ſignum.* Aperte profecto. Sed quid tū inde colligis hominum verſutiſſime, ſi ſacrificium iſtud ſymbolum & ſignum ſit: nnm propterea conſequitur, quod ſolnm ſymbolum ſit aut ſignum, & nō ſubſit corporis & ſanguinis Chriſti veritas? Qua dialectica (precor) iſtud colligis? verumque certe Chryſoſtomus affirmat, & quod hoc ſacrificiū vere cōtineat corpus & ſanguinē Chriſti, & nihilominus idem ſymbolū ſit & ſignū mortis Chriſti.

OEcol. *Et in ipſa paßione Dominica ſummam ſalutis ſitam, ſi debite ac fideliter recogitetur, id quod in ſacroſancta cœna monemur.*

Roff. Iſtud verum eſſe non inficiamur. At iſtud hoc loco minime traditum eſt à Chryſoſtomo. Miror ſi iam ſis oblitus verborum, quæ proxime recenſuiſti. *Sup. eod.* Sic enim habent: Ita per ſacratiſſimam hanc menſam, & ſaluat & docet: hoc enim caput bonorum om[n]ium eſt. Nunquid audis hic, ſacratiſſimam hanc menſam, & hoc eſſe capnt bonorum omnium.

OEcol. *Eandemque ſententiam in priore ad Corinthios non recantat.*

Roff. Non eſt otium vt vniuerſum Chryſoſtomi librum euoluam propter verba tua. Sed hoc reperio, iuxta Franciſci Aretini traditionem, dixiſſe Chryſoſtomum in commentar. 10. cap. prioris ad Cor. *Chryſoſtomus* ſuper illo verbo, Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Maxime his ſibi verbis, & fidē facit & horrorem. Eorum autem huiuſmodi eſt ſententia. Quod eſt in calice, idipſum eſt quod è latere fluit, & illius ſumus participes. Ecce quam apertiſſime dicit: hoc ipſum quod è latere fluxit, in calice eſt. Et rnrſum 11. ca. iuxta traductionem Hieronymi Donati: Sed quid eſt illud quod dicitur: Hic calix nounm teſtamentum eſt? erat ſane veteris teſtamenti calix, ſacrificiorum libamina, & animaliū ſanguis ratione carentium. *Leui. 4. & alī.* Poſtquā enim ſacrificium obtuliſſent, calice & phiala ſanguinem accipiebant, atq; ita ſacrificium compleuerunt, verum loco ſanguinis animalium ratione carentiū, ſanguinem proprium Chriſtus induxit, ne quis *Hebr. 9.* hæc audiens, tumultuaretur animo, & fluctuoſa quadam mentis agitatione vexaretur, teſtamenti illius veteris mentionem egit. Non potuit certe Chryſoſtomus verbis dilucidioribus teſtari ſanguinis Chriſti veritatem in calice, quam vtrobique iam loco fecit.

Eripitur & Hieronymus ab illius falſis gloſſematibus.

Capvt XV.

OEcol. *Hieronymm quoq; Euangeliſtam eundem, non multo aliter explanauit, dicēs: Poſtquam myſticum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui conforrat cor hominis, & ad verum paſcha tranſgreditur ſacramentum.*

Roff. Quid habes hic quod tibi patrocinetur. Enarrat hic Hieronymus inſtitutionem huius diuiniſſimi ſacramenti, iuxta Matthæi Euangeliū, nem- *Matth. 26.* pe quomodo Ieſus acceptum panem benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Quamobrem & ſubdit: Poſtquā typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, ad verum paſchę tranſgreditur ſacramentum. Nunquid hic audis, carnes agni fuiſſe paſcha typicum, & Chriſti corpus, de quo iam dixit: hoc eſt corpus meum, eſſe verum paſcha. *Paſcha verū, & paſcha ſacramentum Hieronymo idem eſt.* Idem enim Hieronymus hic intelligit verum paſchæ ſacramentum & verum paſcha. Quod & paucis monſtrabo. Non enim negabis (opinor) quin agnus fuerat ſacramentum, & verum quidem ſacramentū, quantum ad ſacramenti rationem attinet. Nam & aſſeris ipſa vetera ſacramenta ſignificatione

fuiſſe paria nouis. Quare & tibi æque vera fuerũt ſacramenta, atq; iam noua nobis habentur. Hierony. tamen hic inter agnum veteeem & paſcha nouum id diſcriminis ponit, quod illum paſcha typicum vocet, hoc verum paſchæ ſacramentum.

OEcol. *Vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedeck, ſummi Dei ſacerdos, vinum & panem proferens fecerat, ipſe quoq; veritatem corporis & ſanguinis eepræſentaret. Ita Hieronymus.*

Roff. Gene. 14. His etiã verbis docet hoc verũ paſcha eſſe, qđ & iam olim præfiguratum fuit ſacrificio Melchiſedeck ſummi Dei ſacerdotis. Nam vt is panem & vinum obtulit in ſacrificium Deo, ita & Chriſtus ſub ſpecie panis & vini, iam corporis & ſanguinis ſui veritatem repræſentauit.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

OEcol. *Sed quod eſt veritatem corporis & ſanguinis eepræſentare: paucis dixerim, eſt Marcionem, & id genus hæreticorum confutare, vt clare detectum eſt per Tertulliar [illegible].*

Roff. [illegible]andotu quæſtionem proponis, ęquum eſt, vt [illegible]eemittas eeſpondere, alioqui reſponſione [illegible]is, quæ tuæ ſententiæ pluſculum quam p[illegible]meat. Qualis eſt & reſponſio, quam nunc at[illegible], quæ & quæſtioni iam abs te propoſitæ nc vſquequaq; ſatisfacit. Verum quidẽ eſt, quod per hãc veritatem coeporis & ſanguis Chriſti eepræſentatam, colligitur Chriſtum habuiſſe verũ corpus, ſicut & Tertullianus colligit contra Marcionem & ſui ſimiles hæreticos. At iſta reſponſio non ſatis explicat rationem. Hieronymus igitur dicit, Chtiſtum veeitatem corporis & ſanguinis ſui eepræſentaſſe, quod non ſub propria ſpecie corpus & ſanguinem ſuum indicauerit, quum dixit, hoc eſt corpus menm, & hic eſt ſanguis meus, ſed ſub aliena ſpecie, nempe panis & vini.

Veritatẽ corporis & ſang. Chriſtus repræſentauit.

OEcol. *Quod ideo monuerim, ne ſuſpiceris & Hieronymum verum & reale corpus Chriſti, panis à Chriſto inditum ſenſiſſe. Veritas corporis & ſanguinis à fidelibus omnibus aſſeritur, ſed in ſacramento repræſentatur & ſignificatur.*

Roff. Si fidelis tua eſſet monitio, libenter eam amplecteremur. Sed non poteſt fidelis eſſe, quæ promanat à pectoee tot mendaciis, dolis, ſycophantiis occupato. Vnde (quæſo) tibi conſtat, non ita ſenſiſſe Hieronymum. Redde locum vbi iſtud neget. Quod ſi non potes, inanitee obtrudis nobis haſce monitiones tuas. Hieronymus haud dubie ſenſit verum corpus & verum ſanguinem in Euchariſtia contineri, quemadmodum ex commentariis eius ad Titum liquet: Relegamus (inquit) Regum libeos, & inueniemus, ſacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe peius dare Dauid & pueris eius, niſi interrogaret vtrum mundi eſſent, puri à muliere, non vtique aliena, ſed coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri & nudiuſtertius vacaſſe ab opere coniugali, nequaquam panes (quos prius negauerat) conceſſiſſet. Tantum intereſt inter panes propoſitionis & corpus Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exempla figurabantur. Hæc Hieronymus ibi. Cæterum ne ſubterfugias Oecolampadi, ſicut & plerunq; conaris, dicens: Hoc de veritate corporis in cœlo Hieronymum intellexiſſe. Audi quid ſequatur: Quomodo itaque mãſuetudo, patientia, ſobrietas, moderatio, abſtinẽtia lucri, hoſpitalitas quoque & benignitas, præcipue debent eſſe in Epiſcopo, & inter cunctos laicos eminentia, ſic & caſtitas propria, & vt ita dixerim, pudicitia ſacerdotalis, vt non ſolum ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam à iactu oculi & cogitationis errore, mens Chriſti corpus cõfectura, ſit libera. Hæc Hieronymus. Et vbi (quæſo) conficit ſacerdos alibi Chriſti corpus, quàm in Euchariſtia? Palam eſt igitur Hieronymi ſententia, verum Chriſti corpus in Euchariſtia contineri, tantumque intereſſe inter propoſitionis panẽ, & coepus Chriſti in Euchariſtia, quantum inter vmbeam & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplar rei futuræ, & hoc ipſum quod exemplari præfigurabatue.

Hieronymi ſententia de Euchariſtia.

1. Reg. 21.

Corpus Chriſti differt à pane propoſitionis.

Explicatus alter Hieronymi locus, quem adducit, nihil ei prorſus aſtipulatur.

Capvt XVI.

OEcol. *Et quid eſt (inquis) quod ad Hedibiam ſcribit in hæc verba: Nos autem audiamus panem quem fregit Dominus, deditq; diſcipulis, eſſe corpus Domini, ipſo dicente ad eos: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.*

Roff. Hoc adiunge verbis ante recenſitis, & nihil ambiges lector de Hieeonymi ſententia. Nam is vbique teſtatur veritatem eorpoeis in Euchariſtia. Sed nos ea quæ ſequuntur, quæque more ſuo ſycophantico ſubticet Oecolampadius, etiam ſubſcribamus, vt perſpectum habeas quid ſenſerit Hieronymus. Sequitue ergo: Et calicem eſſe de quo iterum loquutus eſt: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditue. Iſte eſt calix, de quo in peopheta legimus: Calicem ſalutaris accipiam. Et alibi: Calix tuus inebrians, quam præclarus eſt. Si eego panis qui de cœlo deſcendit, corpus eſt Domini, & vinum quod diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt noui teſtamenti, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, Iudaicas fabulas repellamus. Hactenus ille. Et paulo poſt: Nec Moſes dedit vobis panem verum, ſed Dominus Ieſus, ipſe eſt conuiua & conuiuium, ipſe comedens & qui comeditur. Illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, & quotidie in ſacrificiis eius de genimine vitis veræ & vineæ Sorech, quæ interpretatue electa, eubentia muſta calcamus, & nonum ex his vinum bibimus de eegno patris. Hæc Hieeonymus. An non eſt impudentiæ cuiuſdam deploratiſſimæ, (quum tam ſint aperta & dilucida Hieronymi verba) tam pertinaciter adhuc contendere, non ſenſiſſe eum, eſſe in Euchariſtia corporis & ſanguinis veritatem.

Hieronymus. Matth. 26. Pſal. 115. Pſal. 22. Iohan. 6. Matth. 26. Iohan. 6.

Age expediamus & has tricas, quas alius forte omnino reiiceret, nobis gratior fuerit ſtudioſiſſimus pater, explanandum eeat illud Matthæi: Non bibam amodo de genimi-

genimine vitis, vſque in diem illum, quo bibam illud nouum in regno patris mei. Quia autem & nondum extincta erat χιλιαςῶν hæreſis, quæ inde anſam ſumebat fouendi errorem ſuum, quaſi carnalibus delitiis fruituri per mille annos cum ſuis in hoc ſeculo victuri eſſent. Illos igitur hoc dicto refellit, quaſi dicat: Quid ſomniant hic Milliarij? Chriſtus illis verbis ad ſpiritualia vocauit, ipſi verò ſaliarias cœnas & Epicuræorum inuehunt felicitatem. Atqui ex ſacramentis Chriſti, quæ tunc inſtituta ſunt, conijcere licet, quomodo ab illis ad ſublimiora vocemur, & voluptatibus carnis valedicere debeamus etiam nunc, quanto minus in hoc mundo ſperanda erant.

ROFF. Eſt hoc expedire tricas Oecolampadi, an implicare magis, quum tanto verborum fluuio talē ob oculos puluerem offundas, vt mihi multo magis videris operam impendere, quo lectorem exocules? certe paucis verbis & breuiter Hieronym⁹ χιλιαςῶν ſtolidam confictionem refutauit, dicēs: Ex hoc loco quidam mille annorum fabulā ſtruunt, in quibus Chriſtum regnaturū corporaliter contendunt, & bibiturum vinū, quod ex illo tempore vſq; ad conſummationem mundi nō biberit. Nihil amplius de Chiliaſtis loquutus eſt ille. Tu vero longum ſermonem texis & ſuperuacanee rem dilatas, quo ſic occupes lectoris animū, vt quod in ipſo negotio præcipuum eſt, non animaduertat.

Error Chiliaſtæ.

OEcol. *Nos audiamus (inquit) panem à Domino fractum, eſſe corpus Domini? nimirum, quia nobis memoriam paſsionis eius inculcat, quæ ad gratiarum actionem & nouitatem vitæ aſſurgimus, cupientes iam non nobis, ſed Chriſto viuere. Hæc enim volūt ſequētia quæ ab Hieronymo dicuntur, vt milliarij dictum de genimine vitis in ſententiam ſuam trahere nequeāt. Quod autem panem dicit eſſe corpus Domini, quid refert? nonne & Dominus ita locutus eſt, & nos ita libenter loquimur, modo interim ſenſum Domini non amittamus, quē probe cuſtodiuit Hieronymus.*

ROFF. Quantum vbiq; tibi ſtudiū ſit elabendi, quantaq; verſutia & plus quam vulpinæ fraudes, quis non perſpicit. Si dixiſſet ſacramentum corporis, id nihil eſt, quia ſacramentum vocarit. Si dixiſſet myſteriū corporis: Et iſtud inquis nihilo magis efficit, myſterium enim, ais, quid aliud quàm myſterium eſt. Nunc autem non ſacramentum corporis, neq; myſteriū corporis, ſed ipſum eſſe corpus aſſerit, & hic nihilominus elabi te poſſe putas quaſi aliud per corpus intellexiſſet, quàm ipſa dictio, corpus, nobis ſignificat. Sed hæc euaſio craſſior eſt, quàm vt non deprehēdi queat ab omnibus. Cæterū quomodo gloſſabis illud quod ſubdidit: Nec Moſes dedit vobis panē verū, ſed Dominus Ieſus, ipſe conuiua & cōuiuium, ipſe comedens & qui comeditur. Illius bibimus ſanguinē. Qua techna iam effugies, ego nec ſuſpicari quidē poſſum. Sed hic magis mutus es quàm piſcis.

OEcol. *Quid offendet Chiliaſtam, etiam ſi in pane concedat eſſe corpus Domini? hoc autem eum perdet, ſi ab eſu carnali ad ſpiritualem reuocauerit, hoc eſt, ad gratiarum actionem & ſpiritualem vitam, & ſi audierit regnum Dei non eſſe cibum & potum, ſed iuſtitiā & gaudium in Spiritu ſancto: & ſi obtruſeris in iugulum eius accipiendum, à Domino ſurſum in cœnaculo magno, ſtrato & mundato taliceē noui teſtamenti, id quod fuerit, non pendere ab externis ſignis, ſed ab his, quæ per ea ſignantur, ſic non expectabis quod Iudæus, vel quod etiam Iudæus refugeret.*

ROFF. Hæc plane ſine fructu diſſeris, & tantum vt lectoris animum obruas verboſitate tua, ne reſpiret ad veritatem ipſam clare contuendam. Quare miſſam facimus hanc nugacitatem tuam, quę nihil ad rem pertinet.

OEcol. *Itaque quid ibi aſſerere voluerit Hieronymus, doctius eſt, quàm vt de eo quiq; diſſerere poſsint.*

ROFF. *Sup. eod.* An non verum eſt quod prędixi, quod tot verborum fucis talem oculis puluerem iniicere molitus ſis, vt lectorē prorſus exocules. Vis hic Hieronymum quiddam ſenſiſſe retruſius, quàm vt à ſingulo quoq; concipi queat. Et proculdubio veriſſimum iſtud eſt, quanquam nihil ad tuum ſenſum. Nam huius myſterij profunditas lōgiſſime ſupra captum humanæ mentis poſita eſt. Cęterū, quod in hoc myſterio Hieron. veritatē corporis & ſanguinis dilucide teſtetur, nemini (opinor) qui non ſponte cæcus fuerit, obſcurū eſſe poteſt.

Cyrillus, quemadmodum aliis vbiq; locis, ita & in hoc iam citato, confodit Oecolampadium.

CAPVT XVII.

OEcol. *Similiter & Cyrilli authoritatem non temere refutarem, licet ſatis intricate loquatur, quaſi piaculum ſit inuulgare myſteria plebi Chriſtianæ. Inter cætera enim ſic inquit: Oportebat fidei primum radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærēda ſunt. Iudæi vero antequam crederent, importuna quærebāt, hac igitur de cauſa Dominus quomodo id fieri poſsit, non enodauit, ſed fide id quærēdum hortatur, ſic credentibus diſcipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Calicem etiam circumtulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt calix ſanguinis mei qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Perſpicis quia ſine fide quærētibus myſterij modum nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non quærentib. expoſuit. Audiant hæc qui ex arrogantia nondum Chriſti fidē ſuſcipere volunt. Niſi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non enim poſſunt eum ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionem Ieſum non ſuſceperunt. Hucuſq; Cyrillus.*

ROFF. *Iohan. 6.* Hęc Cyrillus dicit, enarrans illud Iohānis: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitā in vobis. Cæterum, quod dicis eum intricate loqui, falſiſſimum eſt. Conſtanter enim affirmat & dilucide veritatem corporis & ſanguinis in ſacramento. Neq; piaculū videri vult, vt tu moliris, quod inuulgetur hæc myſteria plebi Chriſtianæ. Sed hoc agit, vt auditores prius adhibeant fidem Chriſti verbis, ac ſubinde quærant, ſi quid ſit quærendū. Nam ſi quæſierint priuſquam credant, neutiquā intellecturos eos aſſeuerat. Quod & docet tam ex Eſaiæ verbis, quàm ex facto Chriſti. Eſaiæ verba ſūt, vt ipſe citat: Niſi credideritis, nō intelligetis. Factū vero Chriſti memorat item, nimirū iſtud,

Cyrillus atteſtatur veritatem corporis & ſanguinis Chriſti.

Eſaia 7.

Iohan. 6. quod Iudæis qui noluerunt credere, tametſi quęſierũt, quomodo poſſet eis carnem ſuam dare ad manducandum, non indicauit modũ. Contra vero diſcipulis, qui crediderant, nihil tamen quærentibus, modum oſtendit, nimirum quando panem benedictum fregit ac dedit eis, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: & calicem ſimili modo circũferens, dixit: Bibite ex hoc omnes, hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorum. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* Hæc prolixius ibi dicta comperies, ſi Cyrilli commentarium ſuper illa verba diligenter inſpicias, verum Oecolampadius Eſaiæ teſtimoniũ omiſit, quemadmodum ſolet in aliis.

OEcol. *Equidem, niſi iam antea conceſſum eſſet, ſpiritualem carnis Chriſti manducationem abſq; ceremoniali viuificare, & in vita conſeruare totum hominem, & de ſpirituali intelligendum eſſe caput Euangelij Iohannis ſextũ, non tam intellectui meo fiderem, quam verba illa ſuffragari aduerſariis ſoſpicarer.*

Roff. Quis vnquam hoc tibi conceſſit. Nemo certe præter teipſum, qui quum velis, & quæſtionem proponis, & tibiipſi reſpondes, & concedis atque negas pro arbitrio tuo. Nos profecto neutrũ recipimus, aut quod ſextum caput Euangelij Iohãnis de ſpirituali mãducatione loquatur, aut quod ſola manducatio ſpiritualis ſufficiat abſque corporali. In qua ſententia vel apertiſſime Chryſoſtomus & Cyrillus nobis aſtipulantur. Nam ille dilectionem, iſte fidem & charitatẽ negat nobis ſufficere, niſi corporaliter etiam edamus. Verum quidem eſt quod fide & dilectione ſpiritualiter edamus, ſed hæc fides, niſi præterea vero corporis eſu corroboretur, ſtatim deperit & euaneſcit. Porro quod ais de ſpirituali manducatione cap. ſextũ Iohannis intelligendum eſſe, plane Cyrillus in ea re te condemnat, nimirum ex eo quod his ipſis verbis à te citatis docet, iſtud caput ad corporalem eſum pertinere, quod & lectori ſatis perſpicuum erit.

Corporali manducatione in Euchariſtia opus eſt.

Exploduntur fuci, quibus adulterari Cyrillum impudentiſſime conatur.

CAPVT XVIII.

OEcol. *AT nunc purius (opinor) ſenſit Cyrillus. Nam & ſermonem ſi quis intueatur diligentius, contra Iudæos & incredulos inducit, & feliciter. Quia eis incredibile videtur & ſtultum, quod caro Chriſti ſit viuificatrix, & ſuper hac re multum contendunt & quærunt, quomodo hoc poſſit fieri, quum ibi, quomodo, non habeat locum, vt & ſupra dictum eſt.*

Roff. Quid ais Oecolampadi? Ex quibus Iudæorum verbis iſtud accepiſti? An dixerunt, quomodo poteſt eius caro viuificare? Nuſquam iſtud profecto legis. Sed ita, quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? *Iohan. 6.* ſuper modo carnis edendæ, contentio tota fuit. Et tu falſarie cõtentionem falſo trahis ad viuificandi modũ, ita ſemper tui ſimillimus es.

OEcol. *Sacramentum enim eſt noſtris viribus imperueſtigabile, at in quem vſum proferatur panis benedictus, & quomodo conficiatur, quidque contineat vel ſignificet, ſcire, Deus homini non inuidet.*

Roff. Certe nihil horum inuidit nobis optimus Ieſus. Nam & quid contineat, ſatis indicauit quum dixit: hoc eſt corpus meum, continet enim in ſe verum Chriſti corpus myſterium iſtud. *Matth. 26. Marc. 14. Luca 22.* Et quid ſignificet, aperuit, quando ſubiecit: hoc facite in mei commemorationem, id eſt, in memoriam mortis meæ. Annunciamus enim ex eo mortem Chriſti. Rurſum quomodo conficiatur ex Euangeliſtarum & Pauli verbis diſcere poſſumus. *1. Corin. 11.* Poſtremo in quẽ vſum proferatur, ex eo patet, quod dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego in eo. *Iohan. 6.*

OEcol. *Praſtruenda erit fides, inquit, & hoc bene. Niſi enim quis omnipotentem Deum veracem & beneficentiſſimũ credat, quos præcones, quos etiam Angelos auditurus eſt.*

Roff. Illic ſcalpis vbi nihil oportet. Iſtud autẽ tranſilis, quod Cyrillo præcipuum eſt, nempe, quod Chriſtus Iudæis nolentibus credere, quanquam quæſiiſſent, non oſtendit edendi modum. Contra vero credentibus, licet non quærentibus, indicauit, quum dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum: hic totius huius negotij ſcopus eſt, his vtique verbis Cyrillus affirmat, Chriſtum diſcipulis indicaſſe modum, quo ſuam carnem ederent, quum dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. *Matth. 26.*

Chriſtus Iudæis abſcondit, diſcipulis autem oſtendit modum edendæ carnis.

OEcol. *Nunquam perſuadebitur exinaniuiſſe vſque ad mortem ſe filium Dei ſumpta ſerui forma, nunquam aſſentitur reſurrectionem carnis Chriſti eſſe, & mortuorum reſurrectionem, ſed hoc tantum probabit, quod ſtultiſſima ſuadebit ratio.*

Roff. Verum quidẽ iſtud eſt, ſed nihil ad verſum (vt aiunt) fidem eſſe cum primis neceſſariã, quis neget? Sed quid hoc pertranſis, quod diſcipulis habentibus fidem, Chriſtus (vt iam dixi) modum edendæ ſuæ carnis monſtrauerit, dicens: Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum. *Matth. 26.* Iudæis autem incredulis nequaquam ſit dignatus oſtẽdere. Nã certũ eſt eos de carnali comeſtione quęſiiſſe, quũ dixerint: Quomodo poteſt carnẽ ſuam nobis dare ad manducandum? *Iohan. 6.* veruntamen huius manducationis modum, eis (nempe quod non crediderint) neutiquam indicauit, ſed diſcipulis. Quare conſequens eſt, vt hic modum edendi corporaliter Apoſtolos docuiſſet.

OEcol. *Qui autẽ omnipotentem miſericordiã ſemel agnouit & credidit, idoneus erit cœleſtium arcanorum diſcipulus.*

Roff. Ego cõplures eſſe non dubito, qui miſericordiam omnipotentem Dei credunt & agnoſcunt, & nihilominus obruti vitiis, in turpi cœno peccatorum iacent. Sed & eo profundius corruunt, quo ſibi magis perſuaſerint miſericordẽ eſſe Deum, hos tu, ſi fidem, quæ per dilectionem operatur, habere credas, & diſcipulos idoneos cœleſtiũ arcanorum, longiſſime falleris. Ego certe neutiquam adduci poſſum, vt illud credam.

Peccator non eſt idoneus cœleſtium diſcipulus.

OEcol. *Iam omnis diſputatio in hoc incumbit, vt carnẽ Chriſti vnitam viuifico verbo, credamus viuificã, & credendo manducemus, ille modus in cœna explicatus eſt diſcipulis*

etiam

etiam non quærentibus quãdo in fragmentis panis, ſuum corpus eſſe panem, hoc eſt cibum fidelium declarauit.

Roff. Iam putas auditorum animos ita nugis occupatos tuis, vt liceat tibi dicere, quicquid libebit. Si parcius mentireris, aliquanto maior eſſet habenda tibi fides. Nunc autem cum mẽdaciis vbique ſcateas, quis etiam vera dicenti facile credat? *Chriſtus docuit modum edenda ſua carnis.* Non eſt vt dicis, quod in hoc tota cõſiſtat diſputatio. Nam id ante pluribus comprobauit, nempe quod caro Chriſti verbo coniuncta, vere viuificatrix ſit, propter quod & hortatus eſt omnes fideles frequenter carni & ſanguini Chriſti communicare. Nunce autem docet, quod Chriſtus diſcipulis ſuis non quærẽtibus, ſed credentibus, ſuę carnis edendæ modum oſtenderit, quũ dixit: Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum. *Matth. 26.* Cæterum iſtud tu ſurda præteris aure.

OEcol. *Certum eſt, Chriſtum in cœna ſalutem noſtrã noluiſſe ceremoniario ritui aſtringere, ſed docuiſſe, eam fide in ſe crucifixum conſtare, vt magis ſpectetur, frangi & tradi pro nobis corpus, vel pro nobis effundi ſanguinem, quàm quod in pane corpus, & in vino ſanguis contineatur.*

Roff. *Lib. 2. c. 26. li. 3. c. 2. 10. & 18. lib. 4. c. 8. 9. & 12. Prolo. 5. li.* Tu ſemper eorum quæ abs te dicuntur, magnã certitudinem venditas, quum tamen eius ita iactatæ certitudinis, nullam adducis probationem. De fide iam ſæpe tibi reſpondimus, pręter eam ſacramẽta multis rationibus eſſe nobis neceſſaria, tum quod incertum eſt, quis fidem vere formatã habeat: tum quod per ſacramenta fides informis vere formetur à gratia: tum quod fides per ſacramenta, & præſertim per Euchariſtiæ frequentationem valde corroboretur, tum quod ad fidem (vt vera viuaq; ſit) exigatur animi promptitudo, nimirum, ad ea tam credenda quàm agenda, quęcunq; mandantur in ſcripturis, quæ ſi quis cõtemnat aut negligat, iam ſalus eius periclitatur. Poſtremo, quod fides, tametſi formata ſit, non ſufficit tamen his, quibus oportunitas data eſt, niſi Chriſto corporaliter in Euchariſtia veſcãtur, nimirum, vt fiant corporaliter membra Chriſti ex carne eius, & ex oſſibus eius. *Ephes. 5.* falſum eſt igitur id, quod tu certum eſſe cõtendis, nempe, Chriſtum docuiſſe noſtram ſalutem in fide conſiſtere, ſi tamẽ præter fidem cętera velis excludi. Ex fide certe noſtram oriri ſalutem nemo dubitat, ſed non per illam ſolam noſtra ſalus conſummatur. Pendet enim ipſa ſalus ex aliis quoque præter fidem. Quod tandem aſſeris, hoc ſacramẽtum ob id inſtitui potius, vt ſpectetur ex eo frangi corpus, & fundi ſanguinem, quàm vt in eo vere corpus & ſanguis eſſe credantur, apertiſſimus error eſt. Nã ita, ſpectare tantum ſufficeret, non etiam edere, ſed ex eo, quod edere bibereq; iubeamur, perſpicuum eſt, ibi vere corpus & ſanguinem contineri.

OEcol. *Quid autem toto capite probat Cyrillus, quam viuificam eſſe carnem Chriſti, id quod nemo Chriſtianus negabit. Inditum autem corpus pani, nondum oſtendit, tametſi doceat, bene lectione myſterij ipſum Dei filium ſuſcipi, id quod admiſſum eſt, ſi quidem in fide exerceamur.*

Roff. *Cyrillus.* Ingenti ſane molimine multisque rationibus ibi Cyrillus docet, carnem eſſe viuificam, at in quem finem te precor? Nimirum, vt oſtendat carnem eandẽ à nobis in hoc ſacramento comeſam, totum hominem noſtrũ viuificare: *Caro Chriſti viuificat hominem.* propter quod & paulo poſt ipſa verba recenſita, ſic colligit: Quando igitur ſaluatoris caro verbo Dei (quod naturaliter vita eſt) cõiuncta, viuifica effecta eſt, quando eam comedimus, tunc vitam habemus, illi cõiuncti, quæ vita effecta eſt. Et rurſum, poſtquam oſtendit filium viduæ tactu carnis Chriſti fuiſſe ſuſcitatum, ita colligit: Quod ſi ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam guſtamus & manducamus? Hic tu mihi reſponde, qui tam impudenter negas hoc ſenſiſſe Cyrillum, quomodo carnem abſentem guſtare & mãducare poſſumus? Id certe mihi quum difficilius, tum abſurdius videtur, quàm quod præſentem in ſacramento carnem edamus. *Iohan. 6.* Poſthæc adhuc in eodẽ cap. Cyril. ſubiicit: Nec velis (inquit) Iudaice Quomodo quærere, ſed recordare, quanuis naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis, frigiditatis ſuæ oblita, ęſtuat, hoc ſane modo etiam nós, quãuis propter naturam carnis corruptibiles ſimus, participatione tamen vitæ, ab imbecillitate noſtra reuocati ad proprietatem illius, ad vitã reformamur. Docet hoc ipſum inſuper ex agni figura, ſubdẽs: Nec putet ex tarditate mẽtis ſuæ Iudæus, inaudita nobis excogitata eſſe myſteria: Videbit enim, ſi attentius quærit, hoc ipſum à Moſis tẽporibus, per figuram ſemper factitatum fuiſſe. Quid enim maiores eorum ab ira Ægyptiorum liberauit, quando mors in primogenita Ægypti ſæuiebat? Nónne omnibus palam eſt, quia diuina inſtitutione perdocti, agni carnes manducauerunt, & poſtes ac ſuperliminaria ſanguine inunxerunt: *Exodi 12.* propterea mortem ab eis diuertiſſe? Pernicies namque, id eſt, carnis huius mora aduerſus genus humanum, propter primi hominis tranſgreſſionem furebat. Terra enim es, & in terram reuerteris, *Gene. 3.* propter peccatum audiuimus: verum quoniam per carnem ſuam Chriſtus atrocem hunc euerſurus erat tyrannum, propterea id myſterium apud priſcos obumbrabatur, & ouinis carnib. atq; ſanguine ſanctificati (Deo ita volente) perniciẽ effugiebant. Cur igitur ô Iudææ turbaris, præfiguratam veritatẽ iam videns? cur (inquã) turbaris, ſi Chriſtus dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, nõ habebitis vitam in vobis: *Iohan. 6.* quum oporteret Moſaicis te legibus inſtitutum, & priſcis vmbris ad credendũ perdoctum, ad intelligendum hęc myſteria paratiſſimum eſſe. Hactenus ille. Adhæc tertio capite ſubinde ſequenti ſic idem habet: *Vide ſupr. lib. 4. c. 17.* Sicut enim ſi quis liquefactæ ceræ ceram aliam infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ita ſi quis carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo neceſſe eſt ita coniungatur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur. Eiuſmodi ſane rationes & ſimilitudines idẽ Cyrillus per totum commentarium huius quarti capitis apud Iohannem affert, quibus oſtendat nos verã Chriſti carnem edere, & ſanguinem eius bibere in hoc ſacramento.

Tam Hilarium quàm cæteros quotquot ſunt authores ſolidi, ſibi ſubſcribere, ſed inaniter contendit.

Caput XIX.

OEcol. *Dicit autem fere idem Cyrillus quæ & Hilarius, cuius verba nunc recitauimus, neq; opus eſt vt diu in illo moremur, nam ſi illi craſſum quid docere voluiſſent, non ſunt tanti, qui in hoc verbo Dei ſua authoritate præiudicare poſſint & quibus addicti eſſe cogamur. Sed teſtatum erit eos pie ſenſiſſe, modo in aures audientium loquantur.*

Roff. Omnino conſentit Hilarius, cõſentiunt & cæteri. quod vel inde cuiuis liquidiſſimũ eſſe poteſt, quod ad hunc vſq; diem nemo illorum qui veritatem corporis in Euchariſtia docuit, proclamatus fuerit hæreticus. Cur non Cyrillum, Hilariũ, Chryſoſt. Cyprian. Hieron. Auguſtinus ille, qui tot hæreſes vno cõpegit volumine, ſi contrarium ſenſiſſet, non arguiſſet hęreſeos. Coarguiſſet proculdubio. Sed & hęreſin iſtam nihil moratus fuiſſet, vna cum authorib. cõdemnare. Et hoc ipſum ſane vel ſolum abunde ſufficit, ad errorem tuum (niſi plane ſis exoculatus) apertiſſime tibi reuelãdum. Sed verbo Dei (inquis) præiudicare nõ poſſunt. At hi pro ſe manifeſtum habent verbũ Dei. Conteſtantur enim illi verborum Chriſti veritatem, quibus ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, & corroborantur eorũ teſtimonia viciſſim ab eiſdem verbis. Tu vero, nec vnum Chriſti verbum prò te vales adducere, niſi cuius ſenſum aut aſperſione fucorum tuorũ, aut malæ interpretationis deprauatione corruperis, & germanam intelligentiam eius euerteris funditus.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

OEcol. *In ſumma ad quoſcunq; ſolidos diuerteris authores, nulli non inuenies corpus Chriſti exponere, & dicere eſſe ſacramentum vel ſacram figurã corporis Chriſti, vel myſterium, quod idem. Et ſimiliter inuenies ſanguinẽ Chriſti expont, calicem myſticũ, vel myſterium, vel ſacramentum ſanguinis.*

Roff. Nunquam erit mendaciorum tuorum finis. Imo potius exponunt quid ſacramẽtum illud ſit, & quid myſterium, quum ibi ſub ſpecie panis velari teſtentur Chriſti corpus. Similiter & quum in calice myſtico ſanguinem doceant contineri, iam exponunt id quod obſcurius ante vocarunt myſticum calicẽ, & myſterium, vel ſacramentũ. Cæterum tu ſi produxeris vel vnum ſolidum authorem, qui tam apertis verbis, vt tu à nobis paſſim exigis, neget hic adeſſe corporis & ſanguinis veritatẽ, nos protinus herbã tibi porrigemus. Quando igitur nos ex cunctis authoribus ſolidiſſima producimus teſtimonia, quib. & ſcripturæ prorſus conſentiunt, tu contra, quum nec vnum ſolidum authorem, qui id neget, neq; ſcripturam vllam euidentem proferre valeas in contrarium, quid diutius non minus impudenter, quàm pertinaciter aduerſus veritatem reluctaris?

Omnes catholici doctores tenent Chriſti corpus in Eucha.

OEcol. *Id quod multis impoſuit, legentibus corpus Chriſti, & exponentibus, ac de ſuo addentibus, reale & ſubſtantiale corpus, præter morẽ omniũ in ſacris doctrinis exercitatorũ, alioqui tetricis & valde ſuci ẽſentibus, ſi tropũ demus.*

Roff. Et iſtud quoq; falſiſſimum eſt, niſi Chriſtũ faciis impoſtorem, qui tam clariſſime docuit, id q̃d ſub panis ſpecie continetur, eſſe corpus ſuum, dicens: Hoc eſt corpus meum, & id quod erit in poculo, verum eſſe ſanguinẽ, dicens: Hic eſt ſanguis meus, & vt Chryſoſtomus aſſerit, eũdem qui fluxit è latere. Tu videris potius, ne tibi Satanas impoſuerit, qui cõtra ſenſum verborum Chriſti, etiam contra ſentẽtiam orthodoxorum omnium, negas in Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti veritatẽ. Nos equidem certiſſimum habemus Chriſtum, qui tam ardenti charitatis flamma nos dilexit, & Chriſti Spiritum, qui non alio fine magis in Eccleſia reſidet, quàm vt eam inſtruat in omni veritate, nunquã fuiſſe paſſos, tantum errorẽ in ea viguiſſe tamdiu. Sed neq; aliunde potius innoteſcere nobis poteſt ſolidior huius rei certitudo, quod videlicet error in ea nullus ſit, quàm q̃ hactenus Eccleſia patrocinio Chriſti defenſa ſit ab hęreſibus, Spiritu ſancto per ora patrũ ſemper nobis verum ſcripturarum ſenſum interpretãte.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Apoc. 1. Iohan 14. 16. 2. Petr. 1.

Sacramentum non eſſe rem ſacramenti, neque panem corpus, nihil contra nos eſt.

Caput XX.

OEcol. *Nullum ſane ignorare debebat, aliud eſſe ſacramẽtum, & aliud rem ſacramenti, differunt enim vt ſignum & id quod per ſignum ſignatur. Nam inter ſignum & ſacramentum, hoc ſolum intereſt, quod illud quibuſuis, hoc ſacris tantum rebus adhibetur. Signa enim, vt Auguſtinus ad Marcellinum definiuit, quum ad res diuinas pertinent, ſacramenta appellantur.*

Roff. Quid ex iſto colligere moliaris, nõdum palam explicas. Sat ſcio nihil aduerſum nos iſta facere. Nos enim ſpeciem panis (quæ nobis ſignum & ſacramẽtum velati corporis eſt) nunquã aſſerimus eſſe corpus ipſum, ſed neq; ſpeciem vini (quę nobis pro ſigno & ſacramento eſt ipſius ſanguinis) vnquam affirmamus eſſe Chriſti ſanguinem. Ita ſemper aliquid diſcriminis facimus inter ſignatum & ſignum. Quare Lutherum & eius complices, hoc telo potius quàm nos, impetis, vti palam eſſe cunctis poteſt. Nam illi panem affirmant eſſe corpus, & nihilominus eundem panem eſſe corporis ipſius ſacramentum.

Species ſacramentales non ſunt res ſacramenti.

OEcol. *Quod autem quidam corpus Chriſti reale, vt vocant, per ſe & ſacramentum, & rem ſacramenti eſſe dicant, fieri poteſt in ſenſu quodam verum eſſe, neque enim Chriſtianus ferret, docentem corpus illud è virgine natum, nõ eſſe verum corpus Chriſti, neque negaret illud corpus eſſe ſacramentum quoddam, multis incognitum, vel (vt vocãt) figuram gerere ſui myſtici corporis quod nos ſumus.*

Roff. Hoc nos magis tangit. Nos enim prorſus affirmamus, corpus Chriſti reale ſacramentũ eſſe pariter & rem ſacramenti. Primũ, quod ſit res ſacramenti, liquidũ eſt ex his, quæ iam proxime diximus. Nam ſpecies panis, vt iam oſtẽdimus, eſt ſignũ & ſacramentũ ipſius corporis. Quare & corpus ipſum eſt res huius ſacramẽti, deinde corpus ipſum, vel ſub ſpecie panis velatũ, exangue corpus Chriſti, quod in cruce mortuum pependit, refert & repræſentat nobis, atque ita ſacramentum eſt

Chriſti corpus eſt ſacramentũ & res ſacramenti.

tum eſt eius. Non abſolute dico corpus eiuſdem corporis, ſed corpus vt ſub hac ſpecie, quæ certe aliena eſt à natiua ſpecie corporis Chriſti, ſacramentum eſſe corporis exanguis, quod mortuum erat pro nobis in cruce. Dicimus preterea corpus ipſum Chriſti ſub ſpecie panis opertum, admirabile ſacramentum eſſe corporis Chriſti myſtici. Significat enim vnionem ita capitis & membrorum inter ſe fieri, quemadmodum ex multis granis vnitatem quandam panis integrari conſpicimus. Neque ſignificat ipſam vnionem ſolum, ſed & re ipſa pręſtat id quod merus panis nullo pacto poſſit efficere. Quum enim ipſum corpus pie digneque comeditur, nos membra eiuſdem corporis efficit, ex carne eius & ex oſſibus eius.

Rom. 12.

OEcol. *Ephe. 5.* *Verum ſi de ſacramento panis loquamur, vt ſit corpus & ſacramentum ſimul, plane contra verbi ſacramenti rationem eſſet, & inepte expoſuiſſent, quotquot hactenus tradiderunt adeſſe corpus Chriſti ſacramentali modo, τυπικῶς vel μυστικῶς.*

Roff. *Lib. 1. cap. 25. & 2. c. 7. 14. 21. 29. & 30.* Hic tibi reſpondeant Lutherani, qui panem triticeum manere contendunt, & eundem eſſe corpus Chriſti, pariterque corporis eiuſdem ſacramentum. Nos triticeum panem vna cum pręſentia corporis Chriſti, neutiquam in Euchariſtia manere putamus.

OEcol. *Quo tamen loquendi modo probe & cauto omnis Eccleſia vti non erubuit, ne fortaſſe ſcandalum in via poneretur cæcis, & obſcuritas craßiores peſſundaret, tametſi nec ſic inoffenſi manſerimus.*

Roff. Nuſquam fere te diu præbes non mendacem. Alienum eſt à veritate quod dicis, omnem eccleſiam eo loquẽdi genere fuiſſe vſam, ſi de pane triticeo intelligas. Nam quum ex aliis, tum ex Cyrillo, Chryſoſtomoque clariſſime docuimus, non manere ſubſtantiam panis triticei, cum corpore Chriſti. Cæterum, ſi pro more & vſu ſcripturarũ, panem velis intelligi, nihil repugnamus, quin corpus ipſum dicatur panis, quomodo Mãna panem, & Chriſtum item extra ſacramentũ panem, & omne verbum Dei panem appellamus. Cæterũ panem triticeum dilucidis pręcellentium authorum teſtimoniis, neutiquam in Euchariſtia manere, ſatis comprobauimus.

Molitur quorundam authorum libros, qui ſuæ hæreſi reluctantur, denigrare.

Capvt XXI.

OEcol. *Scio libellos quoſdam obtrudi lectori claßicorum doctorum nomine, quos vel proletarij ſuccenſerẽt ſibi inſcriptos: Quales ſunt ſermones Cypriani de cardinalibus operibus Chriſti, cuius ſententias aduerſarij noſtri, emunctæ ſcilicet naris viri, tumide preferunt. Eiuſdem farinæ ſunt & ſermones & liber de myſteriis, quos Ambroſio tribuunt, & conſtare poteſt tam ex phraſi, quam ex aliis eorundem ſcriptis præſtantes illos viros aliter ſenſiſſe.*

Roff. Primum, cuiuſcunque fuerint ipſi libelli, certũ eſt ad hunc vſque diem neminem orthodoxum eos atro ſignaſſe calculo. Sed nec tu iam carbone notaſſes, niſi plane perſpexeris eos tuam hæreſim condẽnare. Sic enim conſueuerunt hæretici ſemper in eos libros, qui ſuis dogmatibus aduerſabãtur, caninum infigere dentem. Cæterũ quantum ad Ambroſiũ attinet, clariſſimus teſtis eſt Auguſtinus, qui non ſemel memorat Ambroſium de ſacramentis librum ſcripſiſſe. Cui ſane potius fides adhibeuda eſt, quam tibi, cuius guſtum toties, non ſolum in authorum ſententiis expendendis, verumetiam in ipſius Chriſti verbis diiudicandis, experti ſumus eſſe corruptiſſimum.

Liber de ſacramentis Ambroſii eſt eius.

OEcol. *Ambroſium enim teſtem noſtrum multis in locis habemus, nec repugnat Cyprianus, verum quoniam tam attendent gnomologe ſermones, qui authorem mẽtiuntur Ambroſium, non expendit, quod conſutitij ſunt. & caput illud vltimum de myſteriis, à quodam adiectum videatur, vnde poſtea locupletati ſermones de ſacramentis. vide ipſe lector, & adhibito iudicio pronuncia, num verum dixerim, ſiquidem iudicare potes.*

Roff. Vbique mendacia ſpargere non erubeſcis. Tu teſtem habes Ambroſium hęreſis tuæ? Produc vnum verbũ, ſi poteris, quo tuam hęreſin ille confirmat, & viciſti. Sat ſcio, nunquam iſtud facies. Nam ille proculdubio ſenſit, & docuit in Euchariſtia veritatem eſſe corporis & ſanguinis Chriſti. Sæpe deprauas Ambroſium, ac detorques, & inuertis ea, quę ſanctiſſimus ille ſcripſerat. ſed locus inſpectus, vbi ſcripſerat ea, te plane falſarium oſtendit. Quare fruſtra nonnullos ex ſermonibus eius, & libros de myſteriis ac ſacramentis infamaſti. Superſunt adhuc alij, quos impudentia tua reiicere nequit, in quibus abunde quid ſenſerit, aperuit. Liber vero de myſteriis tam apte nectitur ſuperioribus eius libris, tamque phraſim ſeruat Ambroſianam, vt nemo iuſte poſſit eum repellere. Cypriani quinetiam ſermones de cardinalibus operibus Chriſti, ſi ſuſtuleris è medio, nihil tibi cõferet. Nam idem in aliis ſuis operibus, ſententiam eccleſiæ comprobat apertiſſime. Cæterũ ſi variet phraſis in concionibus ad populum habitis, non ob id continuo pronunciandum eſt eas conciones non fuiſſe ab eo ſcriptas. Neque enim dubito, quin Arnobiana phraſis alia fuerit, quam qua ſuper pſalmos vtitur: alius enim ad plebem, alius ad eruditos habendus eſt ſermo. In ſumma, quando toties te mẽdacem in aliis comperimus, nec in his tibi fidem habituri ſumus.

Ambr. ſententia de Eucha.

Cypria. tenet corpus Chriſti in Euchariſt.

Arnobius diuerſa phraſi vſus eſt.

Fruſtra quædam carpit, quæ libello de myſteriis Ambroſius tradidit.

Capvt XXII.

OEcol. *Ex his citat ſententias ſequentes, ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Si tantum valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit ſermo Chriſti vt mutet ſpecies elementorũ? Et poſtea, quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, quum præter naturam ſit ipſe partus ex virgine? Et iterum ſermo Chriſti qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod erat?*

Roff. Hæc vtique ſcripta ſunt poſtremo capite de myſteriis. Et quid in his alienũ eſt à veritate? nũ verum non eſt, quod ſacramẽtum iſtud ꝙ accipimus,

Inuiſibili gratia Spiritus ſancti fit conſecratio.

mus, Chriſti ſermone conficiatur. An non plane teſtatur Auguſtinus, libro de trinitate, quod Spiritu ſancto inuiſibiliter operāte, fiat ex pane tam eximium ſacramentum? Et illud: ſi tantum valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit ſermo Chriſti, vt mutet ſpecies elementorum? Et hęc, num tibi viſa eſt non ſatis firma ſolidaq; conſecutio? Rurſum, quum dicit: Quid hic quęris naturæ ordinem in Chriſti corpore, quum præter naturā ſit ipſe partus ex virgine? Nunquid & hic nō robuſte colligit, nulla naturæ operatione fieri corporis Chriſti præſentiam? proſtremo, quod infert: Sermo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod erat? Nō video quid hic deſiderari poteſt, aut acuminis aut phraſis Ambroſianę. Nā talibus enthymematis ipſe frequenter vtitur.

4. Reg. 2. — Matth. 1. 2. Luca 1. Eſaia 7. Geneſ. 1. Iohan. 1. & alibi.

OEcol. *Quis de potentia Dei diſputat, mentite Ambroſi? non quæritur quid poſsit, ſed quid fecerit?*

Roff. Ego viciſſim tibi reſpondeo. Nobis de facto Chriſti ſatis conſtare, per id quod ſubditur. Nam continuo ſubiicit Ambroſius: Ipſe clamat Dominus Ieſus: Hoc eſt corpus meum. An non iſtud ô mendax OEcolampadi, ſatis eſt ad comprobandū Chriſti factū. Nam vbi panē accepiſſet in manus, & gratias egiſſet, atque (vt Marcus addit) benedixiſſet, iamque prolatis illis verbis ſacris, hoc eſt corpus meum, protinus ipſe panis conuerſus eſt in corpus Chriſti, alioqui parum vere (quod abſit) Chriſtus hoc ipſum affirmaſſet.

Matth. 26. Marci 14. Luca 22. Marci 14.

OEcol. *At nihil facilius Chriſto, quam ordinare creaturas illas eſſe monumenta tantarum rerum, ad quæ ſignificanda nata videntur, nullo hic miraculo opus, ſed ordinatione res efficitur.*

Roff. Simile quiddam ab hominibus plerumque fit, citra quāuis aut internam aut externam rei mutationem realem, & ſine omni miraculo, ſed in tantis & tam eximiis Dei donis, aliud fieri certo credendum eſt. Nam ex pane ipſo, nequaquam citra quamuis realem mutationē, intrinſecus inuiſibili ſacri Spiritus operatione factam, fit tam incomparabile ſacramentum. Et ad hanc realem immutationem, hauddubie miraculum inuiſibile conſequitur, ſicut ex Auguſt. ſatis innotuit primo libello.

In conſecratione fit miraculum. Lib. 1 cap. 9. & 10.

OEcol. *Vnde bene dictum eſt, ſi recte intelligatur, ipſe clamat Dominus Ieſus, hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium, alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationē corpus Chriſti ſignificatur. Noluiſſem ſane clariorem expoſitionē, quam conſecrando ſignificari corpus.*

Roff. Quam leuiſſimam anſam, vel ex vno verbulo rapis, quoties occaſio datur? Quantumuis in ſuperioribus ſuam mentem Ambroſius aperte prodidiſſet, nihil apud OEcolampadium habet momenti, quando iam ſemel idem vſus eſt hoc verbo, ſignificatur. Sic & paſſim ludit cum cęteris authoribus, vti ſæpius ante monſtrauimus. Cæterū quid aliud hic (precor) dixiſſet Ambroſius? Nam de ſpecie panis loquitur, quam ille nunquam aſſerit eſſe corpus Domini. At ſignum & ſacramentum eam eſſe corporis Domini, nemo qui ſanus eſt negare poterit. Quid igitur hic erroris eſt, quod dixerit illa ſpecie panis ſignificari corpus. Neque dicit, vt tu falſo illi impingis, conſecrando ſignificari corpus, ſed quod poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Tunc enim ſpecies panis efficitur ſignum intus velati corporis.

Species ſacramenti alet ſignificant corpus & ſanguinem.

OEcol. *Verum author ſibi non conſtat, nunc hæc, nunc illa congerens, nunc ſpiritualem manducationem, & ſpiritualo corpus faciens.*

Roff. Et hoc rurſum non caret mendacio. Nam alioqui locum producas precor, quo ſibi cōtradicat: Scio non facies. Quod vero manducationē huius corporis dicat eſſe ſpiritualem, nihil repugnat, etiam ſi corporalem eam vocet. Non poteſt enim non corporalis eſſe manducatio vbi verum corpus editur, ſicut & hic iam fieri nihil dubitamus. Sed & quum corpus ipſum, quod manducatur, nullam à dentibus noſtris iniuriam patitur, neq; cæterarum eſcarum more conuertitur in corporis noſtri ſubſtantiam, ſed nos magis in ſe vertit, ideo non iniuria ſpiritualem etiam cibum, & ſpiritualem eius manducationem appellare licebit. Nam & Paulus corpora noſtra poſt reſurrectionem aſſerit futura ſpiritualia, quamquam erunt nihilominus & vera corpora.

Manducatio corp. duplex. — 1. Corinth. 15.

OEcol. *Poſſemus quadam ex eo libro pro noſtra ſententia referre, ſed quum diſsimilis ſit Ambroſio, & hincinde ſubſultet, relinquendus erit in totum.*

Roff. Nihil miror ſi poſſis quædam ex hoc libro pro tua ſentētia referre, quum ex Chryſoſtomo, Cyrillo, Cypriano, Hierony. vel inuitis & reclamantibus, hoc ipſum feciſſe non puduit, fecit & illud idem ante te Berengarius. Nam is locos aliquot ex eiſdem libris, pro communis hæreſis veſtræ defenſione decerpſit. At non tam impudenter, atque tu, qui libros illos in totum negas Ambroſij eſſe, certe Berengarij temporibus, quin Ambroſij fuiſſent, nemo dubitauit, ſed tunc pro libris Ambroſij habiti fuerunt ab omnibus.

Lib. 1. cap. 25. li. 2. c. 17. lib. 4. c. 14. li. 4. c. 16. & alibi de alio.

Gratianum & Petrum Longobardum iterum ſuo more carpit, Euſebium quoque, Emiſſenum & Proſperum reiicit.

Capvt XXIIII.

OEcol. *CAEterū quæ Gratianus ex Euſebio, Emiſſeno, & Proſpero citat, nos ipſa turbabunt interim donec originalia exhibita fuerint, quum non ſit clam illum multa perperam, multa decurtatum, multa impurius ſuo volumini immiſcuiſſe abſque intellectu & iudicio.*

Roff. Si Gratiano propter vnum aut alterū teſtimonium, quod ex authoribus per eum recenſitis, aut non recte citauit, aut decurtauit, nullam in cæteris fidem adhibendam eſſe decernis, quanto magis hac eadem ſententia feriendus es ipſe, qui tot authores, & eoſdē probatiſſimos (vt ex ſuperiori conflictatione manifeſte conſtitit) mutilaſti, deprauaſti, corrupiſti. Sed & iniquum petis, vt originalia tibi producantur, alioqui non crediturus. Neque enim perſuadere mihi poſſum, quod ipſe talia nobis confinxiſſet, præſertim, quum adhuc pleriſque locis extent eorum authorum exemplaria. Sed quia vides eorum teſtimonia à nullis

fucis

fucis obduci poſſe, iccirco velut cõmentitia reiicis. Ita quicquid aduerſus tuam hæreſim affertur, id ſemper aut vna aut altera arte conaris eludere. Sed nos interea non deſiſtemus hæc eadem obijcere tibi teſtimonia, donec ipſa vel dilueris, vel tanquã hæroſin tuam cõdemnantia, reieceris. Sic enim Euſeb. ille inter cętera dicit: Recedat igitur omne infidelitatis ambiguũ, quoniã qui author eſt muneris, ipſe eſt etiã teſtis veritatis. Nã inuiſibilis ſacerdos inuiſibiles creaturas in ſubſtantiã corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo, ſecreta poteſtate, conuertit ita dicens: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum; & ſanctificatione repetita: accipite & bibite ait, hic eſt ſanguis meus. Hæc equidem apertiora ſunt, quam vt in tuas partes detorquere valeas. Similia dicit & apud Proſperum Auguſt. de quo poſtea ſermo.

Euſebius. De conſ. diſ. 2. c. Quia corpus §. Recedat.

OEcol. *Periculum feci, quid ſit credere cuiuis doctorum dicta pro ſua libidine proferenti. Magiſtri & gnomologi noſtri & ipſi animalia fuere parum ruminantia, omniaque deglubentia, modo à Romani Pontificis ſentẽtia nõ recedãt.*

Roff. Si Petrus ille (quem gnomologum appellas) eiuſmodi fuerit, qualem ipſe depingis, vereor ne nõ ab eodem ſimiles ipſe technas didiceris. Nam & nobis profectò ſi non conſuluiſſemus authorum commentarios, quibus complura citaſti teſtimonia, tu ſæpius impoſuiſſes. At Petrus forte, vel per negligentiam, vel per inaduertentiam, aut denique per librarij culpam, erratula quædam admiſit. Tu vero dedita opera, & maligno ſtudio ſtatuendæ tuæ hæreſeos, non vnum aut alterum ſed plurimos authores, iſtos quidem mancos, illos vero deprauatos, paſſim reddidiſti.

Pet. Lombar. qua occaſione erraverit in citandis authoribus.

OEcol. *Et vt veriſſima me loqui videas, vnum ex diſtinctione illa 10. in qua inſania nos arguit, deprehendimus, nam quo videbat totum modum expedire, ſe implicauit maxime.*

Roff. Quid hoc ad rem noſtram, ſiue Petrus ille perperam citauerit authores, ſeu minus (quam par fuit) ea quæ potulit teſtimonia ruminarit, nos ex electiſſimis authoribus, qui tempora Petri longe præceſſerunt, ſatis copioſe monſtrauimus, non fuiſſe commentũ Petri, quod veritas corporis & ſanguinis Chriſti ſit in Euchariſtia. Quid iam nonas & ad rem nihil attinentes tricas inducis priuſquam inſtitutum abſolueris? Cæterum verſutia tua me nequaquam latet.

Vide in prolo. 4. lib. & alibi.

OEcol. *Dictum Auguſtini apud Proſperum dicentem, carnem Chriſti eſſe ſacramentum carnis Chriſti, explanare & ita vno verbo argumenta noſtra omnia eludere volens, exponit carnem Chriſti inuiſibile ſacramentum eſſe carnis eius viſibilis, inuiſibile ſemper vocando, quod ipſe ſomniat corpus Chriſti inuiſibiliter & realiter in panis accidentibus latere contendens, intolerabilis in re tanta craſſitie, paulominus abſurda, quam quod Iudæi ſuſpicabantur dentibus carnem vorandam.*

Roff. Quid tibi cum Proſpero, qui iam pridem eum, donec exemplaria fuiſſent exhibita, reiecisti? Si Proſperum recipias, ſeu mauis Auguſtinũ in ſententiis Proſperi loquentem, aduerte quid dicat, hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus probare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Et hic aduerte lector, propter ea quæ mox dicturi ſumus, quod Auguſt. aperte diſcriminat inter ſacramentũ, & rem ſacramenti, hoc eſt inter ſpeciem panis, quę cernitur, & carnẽ Chriſti, quæ ſub ea velatur. Et rurſum ait: Caro eius eſt quam forma panis opertam in ſacramento accipimus: & ſanguis eſt, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus: hæc abunde ſatis aſtruunt noſtram, imo communem totius Eccleſię ſententiã. Cæterum quod ſacramentum carnis inuiſibiliter exſtantis, ſub forma panis dicatur modo quodam ipſa caro, apertius ex epiſtola Bonifacij, quam ipſe citas inferius, colliqueſcet. Nec eſt, vt tu dicis, intolerabilis in re tanta craſſities aut res abſurdior, quam quod Iudæi ſuſpicabãtur, dentibus carnem Chriſti vorandam, quod videlicet in Euchariſtia caro Chriſti nobis inuiſibilis exiſtat. Nam hoc ipſum tam ſuo ipſius verbo Chriſtus affirmauit, quam priores patres vnanimiter aſſeuerauerunt, imo pertinacia eſt, in inſulas remotiſſimas deportanda, neque verbis Chriſti credere, neque patribus eadem interpretantibus, per quorum ora Chriſti Spiritus Eccleſiam erudiuit, quam & Paulus vocat columnam & baſim veritatis.

Supra eodem. 4 ſen. diſt. 10. Item de conſt. diſ. 2. c. hoc eſt. Sacramentũ & res ſacramẽti differũt.

Iohan. 6.

2. Pet. 1. 1. Timo. 3.

Nihil ei confert Auguſtini teſtimonium, ex quo multa mendacia colligere molitur.

Capvt XXIIII.

OEcol. *ITerum ingemiſcere cogor periculoſam & infelicem vel docte ſcribentium conditionem, quandoquidem in diuerſum rapiuntur ſenſum, etiã quæ dilucide ſunt ſcripta.*

Roff. O Deum immortalem, quanta vaſricies iſta eſt? hæc perinde loquitur, atque ſi criminis huius eſſet inſontiſſimus, quum nec viuere quenquam hodie putẽ, qui ſit in hoc genere fraudis, aut contaminatior, aut impudentior. Quoties enim nihil eſt veritus, Irenæum, Tertullianũ, Origenem, Cyrillum, Chryſoſtomum, Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, & quem nõ? in diuerſum ſenſum rapere: quantumuis dilucide ſcripſiſſent. Et tamen audet hic ſycophanta maximus dicere, ſe cogi ingemiſcere periculoſam & infelicem etiam docte ſcribentium conditionem, quum nemo magis eorum ſcripta (quantum ad hoc negotium attinet) lacerarit, mutilarit, & in ſenſum rapuerit diuerſum, quantumuis dilucida fuiſſent.

Authores præcipuos rapit OEcolam. in diuerſum.

OEcol. *Quantum mihi notus eſt Auguſtinus, nunquam ſuſpicatus eſt, quod imponit illi magiſter, dignus erat beatus pater fidelioribus interpretibus & patronis.*

Roff. Arbitror omnino te noſſe verũ, & pariter exiſtimo, Satanam adeo fortiter occupaſſe pectus tuum, vt nihil affectes potius, quam quibus modis queas hoc peſtilentiſſimum dogma tuum ſtabilire. Auguſtinus hauddubie, tot & tam apertiſſimis locis, iſtud aſſerit, vt nemo niſi perditiſſimæ pertinaciæ fuerit, reluctari poſſit.

Magiſter ſen. recte interpretatus eſt Auguſtinum.

OEcol. *Age inde catholicam eius vindicemus ſententiam, vnde*

impetita

impetita eſt, & ἀμφιβολίαν ſermonis non ita obſcuram, ab omni obſcuritate eruamus.

ROFF. Id magis caue (quæſo) ne reddas obſcuriorem. Neque enim ſolitæ vafriciei tuæ congruit, vt clariorem & dilucidiorem facias, quod & lector ipſe mox experietur.

OECOL. *Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium: Sacramentum (inquit) corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt.*

ROFF. Hic principio, quis non videt falſarium eſſe te, qui longe aliter Auguſtinum recenſes, quam ipſe aut dixerit, aut cogitauerit. Neque enim dixit Auguſt. quod ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt. Nam & hoc ipſum, ſi non ſis oblitus, paulo ſuperius refutaſti dicens: Aliud eſſe ſacramentum, aliud eſſe rem ſacramenti. Non ergo ſimpliciter Auguſtinus dixit: Sacramentum corporis eſſe corpus, ſed ita ſecundum quendam modum, ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt. Et hoc ſi nihil aliud eſſet, aperte prodis teipſum quantumuis fueris ſycophanta & quam verſutiſſimus.

Supra eodem lib. cap. 20.

OECOL. *Ambiguus ſermo eſt, non legenti præcedentia & ſequentia, clarus vero illa non negligenti.*

ROFF. Nihil habet ambiguitatis ille ſermo, modo ſane concipiatur, & iuxta mentem ipſius Auguſtini, id quod tam præcedentia quam ſequentia declarabunt apertius.

OECOL. *Magiſter colligit ex dictis, ſacramentum eſſe ipſum reale corpus, quum debuerit e conuerſo accipere, corpus Chriſti dici, quod eſt corporis ſignum vel ſacramentum. Et quod ita ſe res habeat, inde cognoſcito.*

ROFF. Semper vrges nos verbis magiſtri, quem tamẽ ipſe non recipis. Sed quia falſum impingis magiſtro, non ſinemus & hoc mendaciũ inultum eſſe: magiſter nuſquam affirmat ſacramentum vera prædicatione eſſe ipſum reale corpus, ſed enarrans Auguſt. verba, quibus Proſper in ſentẽtiis vſus eſt, ita dicit: Attendite his diligenter, quia tropo quodam vtitur hic Augu. quo ſolent res significantes rerum ſortiri vocabula, quas ſignificant: Hic enim viſibilis ſpecies panis vocatur nomine carnis, & viſibilis ſpecies vini, nomine ſanguis. Audis ô mendaciſſime quid dicit? Neque enim aſſerit viſibilem ſpeciem panis, quæ ſacramentũ eſt carnis, eſſe carnem, ſed vocari nomine carnis & ſimiliter viſibilem ſpeciem vini, non eſſe ſanguinem, ſed nomine ſanguinis appellari.

4. ſen. diſ. 10.

OECOL. *Rogarat Bonifacius, quomodo parentes, qui de pueris ſuis baptizandis incerti ſunt, nec fidenter dicere audent, quod ſint futuri caſti, vel non fures, audent autem dicere illorum nomine ſe credere & renunciare, & ſimilia.*

ROFF. Hæc ſane quæſtio, tametſi videatur ſatis intricata, facilius & breuius meo iudicio diſſolui potuit, ſi paucis dixiſſet Auguſtinus, propter fidem, quæ paruulis baptizatis infunditur, patrino licere nomine ipſius paruuli dicere, credo. Cæterum, in ſenſu nihil intereſt, quod dicit, quanquam ipſe pluribus vtatur, & verbis, & exemplis, ſicut & iam audiemus.

OECOL. *Illis reſpondet Auguſtin. in hunc modum: Sæpe ita loquimur, vt paſcha propinquante dicamus craſtinam vel perendinam Domini paſſionem, quum ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit.*

ROFF. Hic vnum exemplum cape, Chriſti paſſio res eſt præterita, cuius tamen ſignificatio nobis quotannis renouatur, quando videlicet celebritatem paſchæ ſingulis annis ſolennem facimus. Et propter illam ſignificationem (vt ait Auguſtinus) ipſum diem celebritatis, paſſionem Domini vocamus.

Dies paſſionis dicitur paſſio Domini.

OECOL. *Nempe ipſo die dominico dicimus: Hodie Dominus reſurrexit, quum ex quo ſurrexit, tot anni tranſierunt.*

ROFF. Aliud eſt reſurrectio Chriſti. ſimiliter, quamquam res tranſacta fuerit, nihilominus diem Dominicum, ob id, quod in eo Chriſtus reſurrexerit, & quod celebratur eo die reſurrectio, diem vt idem ait reſurrectionis nuncupamus & dicimus, quod hodie Chriſtus reſurrexit.

OECOL. *Cur nemo tam ineptus eſt, vt nos ita loquentes, arguat eſſe mentitos, niſi quia iſtos dies, ſecundum illorum quibus hæc geſta ſunt, ſimilitudinem nuncupamus, vt dicatur ipſe dies, qui non eſt ipſe, ſed reuolutione temporum ſimilis eius, & dicatur illo die fieri propter ſacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed iam olim factum eſt.*

ROFF. Illis exemplis, quamquam remotioribus, viam præparat, qua diſſecetur quæſtionis propoſitæ nodus. Nam ex iſtis Auguſtinus colligit, dies iſtos annuos rerum diu ante geſtarum nomina ſortitos eſſe propter ſimilitudinem eorum dierum, in quibus vere gerebantur.

OECOL. *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in ſacramento non ſolum per annuas paſchæ ſolennitates, ſed omni die pro populis immolatur? nec vtique mentitur, qui interrogatus reſponderit eum immolari.*

ROFF. Sed iam propius ad rem accedit Chriſtus, quãquam ſemel per mortem crucis immolatus eſſet, eundem nihilominus in altari dicimus, & vere dicimus immolari quotidie, nimirum, quod eius mortem annunciamus, per corporis & ſanguinis in altari ſacrificium, eſt enim & hoc mortis Chriſti ſacrificium quoque.

Chriſtum immolamus quotidie.

OECOL. *Si enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, non haberent: omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt.*

ROFF. Quoniam illud altaris ſacrificium nobis Chriſti mortem repræſentat, & eſt ipſius mortis ſacramentum, ideo colligit Auguſtinus hoc ipſum illius immolationis olim in cruce factæ ſimilitudinem habere, ac propterea recte à nobis immolationem vocari poſſe.

Sacrificium altaris dicitur immolatio.

OECOL. *Sicut ergo ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, & ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ita ſacramentum fidei, fides eſt.*

ROFF. Ecce non ſimpliciter appellat ſacramentum corporis, ipſum corpus, quandoquidem ſignum haudquaquam abſolute res eſt ſigni, quemadmodum ante diximus. Sed ſignum eſt ad aliquem modum res ipſa, propter ſimilitudinem quandam, quam habet cum re. Ex iſtis igitur Auguſtinus pergit ad diſſolutionem quæſtionis. Sicut (inquit) iuxta quendam modum ſacramentum

Signum eſt res ipſa.

tum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt: & ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt. Per ſacramentum autem fidei, baptiſmum intelligit, quia quum paruulus baptizatur, infunditur ei fides.

OEcol. *Nihil eſt autem aliud credere, quam fidem habere, ac per hoc quum reſpondetur paruulus credere, qui fidei non habet effectum, reſpondetur fidem habere propter fidei ſacramentum, & conuertere ſe ad Deum, propter conuerſionis ſacramentum, quia & ipſa reſponſio pertinet ad celebrationem ſacramenti.*

Roff. Hactenus ergo profecit Auguſtinus, vt intelligamus paruulum propter baptiſmum quem recepit, qui & fidei ſacramentum eſt, habere fidem, ſubſumit igitur: Quum ergo non ſit aliud credere, quam fidem habere, paruulus tametſi careat affectu fidei, tamen propter fidei ſacramentum non immerito paruulus ipſe credere dicitur, quinetiam & ad Deum conuerti, nimirum, quod & conuerſionis item ſacramentum baptiſmus dicitur. Quamobrem & patrinus recte nomine paruuli reſpondet, credo, recteque reſpondet, abrenuncio Satanæ. Cæterum, ne quis dixerit, paruulum nondum eſſe baptizatum, præuertit & illam obiectionem dicens, iam inchoatum eſſe baptiſmum, quandoquidem, ad baptiſmi ceremoniam, patrini reſponſio pertineat.

Paruulus credit propter ſacramentum fidei.

OEcol. *Sicut de ipſo baptiſmo, Apoſtolus, conſepulti (inquit) ſumus in Chriſto per baptiſmum in mortem, non ait ſepulturam ſignificauimus, ſed prorſus ait, conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tanta rei non niſi eiuſdem rei vocabulo nuncupauit.*

Roff. Corroborat hoc ipſum Auguſtinus Apoſtoli teſtimonio, qui dicit: Nos per baptiſmum in mortem conſepultos eſſe Chriſto. Quare & baptiſmum hic ſepulturam vocat, eodem videlicet nomine, cuius eſt & ſacramentum. Nam vt ſuperius baptiſmum appellauit ſacramentum fidei, & conuerſionis ad Deum, ita iam eundem vocat ſepulturæ noſtræ cum Chriſto ſacramentum.

Rom. 6. Coloſ. 2. Baptiſmus vocatur ſepultura.

Fuci diluuntur & deteguntur mendacia, quæ & eidem Auguſtino impingere conatus eſt.

Capvt XXV.

OEcol. *Nihil debebat dilucidius his Auguſtini verbis fuiſſe, ſed nondum ſatisfacit hebetibus ingeniis, igitur iterum expendamus ea, nihil interim de baptiſmo paruulorum controuertentes, ſed ſimilitudinem examinantes vtro propendeat.*

Roff. Iam audiemus OEcolampadium ſuos fucos & mendacia conſpergentem, & conſpurcantem ſynceerum Auguſtini dogma. Illud tamen attende lector, quod Auguſtinus hoc loco fidem pro actu exercito fidei capere videtur, potius quam pro ipſo dono fidei.

Fides accipitur pro actu exercito fidei.

OEcol. *Fatetur Auguſtinus, in cogitatione paruuli forte deeſſe fidem, hoc obſerua.*

Roff. Non ſatis fuit principio mentitum eſſe, quum impegerit Aug. ſimpliciter dixiſſe: quod ſacramentũ corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, quod tamen abſolute non dixit Auguſtinus, ſed ad quendam modum. Nunc autem illi mendacio mendacium aliud annectit, & tertium, & quartum, & quintum, vt iam videbis lector. Recenſet enim Auguſtinum hoc loco dixiſſe, non eſſe fidem in cogitatione paruuli, & iubet illud obſeruari. At verbis ab illo prius recenſitis, non in cogitatione paruuli negauit Auguſtinus fidem, ſed in affectu paruuli. Sic enim habent priora verba: Qui fidei (inquit) non habet affectum. Paruulus enim neque rationis neque voluntatis vſum habet. Quare & affectu fidei caret. Caret etiã & cogitatione fidei quauis. Quamobrem, & ſola virtute baptiſmi, fides à Deo paruulis baptizatis infunditur. Nam adulto nemini datur fides, ſine rationis & voluntatis aſſenſu.

Li. 5. cap. 20.

Fides infunditur paruulis.

OEcol. *Et nihilominus, ſi patrinus illius nomine dicit ſe credere, vere loquitur, eò quod etiam reſponſio illa ſacramentum eſt.*

Roff. En & alterum mendacium. Neque enim & iſtud Auguſtinus dixit, quod reſponſio illa ſacramentum eſt, ſed quod reſponſio pertineat ad celebrationem ſacramenti. Et hoc etiam obſerua lector, propter inferius dicenda. Nam OEcolampadius impudenter contendit reſponſionem eſſe ſacramentum fidei, quum dicat ſolum Auguſtinus, eam pertinere ad ſacramentum, nimirum ad baptiſmum, quem vocat ſacramentum fidei. Quod ſacramentum, quamquam nondum acceperit paruulus, quando patrinus reſpondet, credo, tamen iam eſt in recipiendo.

OEcol. *Et ſignificat fidem quam baptizandus habet vel habiturus eſt.*

Roff. Nec iſtud Auguſtinus dixit, quod reſponſio ſignificat fidem, ſicut neque dixit eam eſſe ſacramentum fidei, ſed pertinere tantum ad celebrationem ſacramenti. Nam illa reſponſio non ingreditur animum paruuli, vis autem baptiſmi per aſſiſtentiam ſancti Spiritus ingreditur, atque ita fides in paruuli mentem diuinitus infunditur.

OEcol. *Et propterea quamuis non ſit fides, quia tamen ſacramentum dici poteſt fidei, fides quoque dicitur.*

Roff. Habes hic & quintum mendacium. Nam hæc de reſponſione neutiquam dicuntur, ſed de baptiſmo, qui ſacramentum fidei eſt, ac propterea modo quodam fides eſt, ita, vt qui baptiſmum ſuſceperit, ei fides diuinitus infunditur, per baptiſmi ſuſceptionem, propter quod & ſuperioribus verbis adiungit Auguſtinus, in ea epiſtola, dicens: Itaque paruulum, etſi nondum fides illa quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei ſacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita iam fidelis vocatur, non rem ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei ſacramentum percipiendo. Hæc Auguſt. Ecce dicit paruulum habere fidem, quam non aſſenſu mentis, ſed per virtutem baptiſmi, qui fidei ſacramentum eſt, percepit.

Baptiſmus eſt ſacramentum fidei.

OEcol. *Simile item eſt de paſcha & ſacrificio, deniq; & de ſacramento corporis Chriſti, quod ſuo modo, nempe propter*

ſimilitudi-

ſimilitudinem & figuram dicitur corpus Chriſti, & non vt ſit ipſummet corpus.

ROFF. Ex tot mendaciis antecedentibus, quid aliud quam mendaciũ conſectari debuit. At nihilominus verum eſt, hoc ipſum quod iam colligit, & plane iugulans Lutheranos, qui panem aſſerunt & Chriſti corpus eſſe & ſacramentum item eiuſdem corporis, quod ſtare non poteſt. Nobis vero nihil officit, id quod tot mendaciis hactenus colligere molitus eſt. Nos enim cum Auguſtino ſacramentum dicimus eſſe viſibilem ſpeciem panis; rem huius ſacramenti, Chriſti corpus inuiſibile nobis affirmamus. Quo fit, vt negemus hoc ſacramentum eſſe Chriſti corpus abſolute, licet ad quendam modum (vt & Auguſtinus ait) dici queat ipſum corpus. Nam & vnumquodque ſacramentum (vt teſtatur ipſe) nomen ſortitur eius rei quam ſignificat.

Sacramentũ Eucharistia & res eius qua ſint.
Sacramentũ quodlibet accipit nomen rei ſignificata.

OECOL. *Nam ſi Auguſtinus adeſſe diceret corpus Chriſti, non afferret apposite ſimilitudinem ad fidem, qua non eſt in puero.*

ROFF. Attende vafriciem hominis. Nam perinde ac ſi iam collegiſſet Auguſtinus non adeſſe Chriſti corpus huic ſacramento, ſubiicit, ſi Auguſtinus adeſſe diceret corpus Chriſti, non afferret apposite ſimilitudinẽ. O verſutiſſime, putasne lectoribus oculos exemptos eſſe, ne percipiãt has verſutias tuas? verũ quidem eſt, quod ſacramentũ corporis Chriſti nõ eſt ſimpliciter ipſũ corpus Chriſti. Et iſtud erat in Auguſtini collectione. At falſiſſimũ eſt quod iam ſubdole quaſi collectum recẽnſes, nempe quod nõ adſit Chriſti corpus huic ſacramento. Iſtud Auguſti. nuſquam dixit: Et hic ſextũ adiungis mendacium, nempe, quod nõ aſſit fides in puero, quod Auguſtin. nuſquã dixit, ſed non eſſe fidem in affectu paruuli. Nullum enim is vſum habet fidei, tametſi fidei donum in baptiſmi ſuſceptione paruulis infundatur. Alioqui dicas, quomodo paruuli protinus à baptiſmo decedentes, ſaluati ſint? Quod & Auguſtinus modis omnibus comprobat, & vbique teſtatur.

Fides infunditur paruulo.

OECOL. *Omnis autem comparatio in parte aſſumenda eſt, qua ad comparationem aſſumitur. Nunc autem quia agitur quomodo ſacramentum fidei poßit fides vocari, ſi deſit fides, deducitur ea res, vt frequenter ſicut & Chriſtus ipſe fecit, vocemus honeſtißimo nomine corpus, quod ſacramentum corporis eius, etiam dum in cœlo corpus.*

ROFF. Comparatio, quam Auguſtinus facit, ſi recte intelligatur, ſatis apposita eſt. Non enim deeſt fides, ſed ipſo baptiſmo qui ſacramentum eſt fidei, fides (non qua paruulus actum aliquem credendi exercet) ſed fidei donum illabitur in animam eiuſdem paruuli. Similiter neque deeſt Chriſti corpus, ſed quum ſacramentum corporis editur, editur & ipſum corpus quod opertum eſt ſub ſacramento. Hoc autem intereſt, inter hæc duo ſacramenta, quod baptiſmus eſt ſacramentum in fieri tantum. Euchariſtia vero ſacramentum eſt permanens. Neque enim ante prolationem verborum eſt baptiſmus, neque prolatis verbis manet, ſed tantum eſt in fieri dum proferuntur. At Euchariſtia quamquam ante prolationem verborum non ſit, prolatis tamen verbis permanet, & ſacrum Chriſti corpus ſub ſpecie panis in ea velatur. Omnis ergo ſermo tuus erroribus vbique ſcatet.

Sacramentũ baptiſmi & Euchariſtia differunt.
Eucha. ſacramentum permanens.

Alium ex Auguſtino locum aduerſum ſe producit, quem & fruſtra diluere conatur.

CAPVT XXVI.

OECOL. *CAEterum argutiola quibus euadere nituntur magiſtri, vt ipſos nihil iuuant, ita cauſam noſtram non reddunt deteriorem.*

ROFF. Huius rei iudicium ſit penes lectorem, an ex his quæ hactenus produxiſti, tua cauſa vel tantillum iuuata ſit, diſperеam, ſi vel in aliquo teſtimonio hactenus abs te citato negotium tuum conſcientię meę videatur aliquatenus profeciſſe.

OECOL. *Quicquid à ſanctis dicitur, veri corporis Chriſti locum eſſe cœlum, vbi ſit corporaliter, diluunt vnico dicto dicentes, in ſacramento inuiſibiliter adeſſe corpus, inuiſibiliterque manducari.*

ROFF. Iſtud perinde memoras, ac ſi verum eſſe nequeat, vt Chriſti corpus in cœlo corporaliter, & ſimul hic in Euchariſtia realiter ſit præſens. Redde vel vnum aliquem authorem ſolidum, qui neget corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe, & ceu victorem honorabimus te. Quod ſi nequeas vnum eiuſmodi proferre, quid ad hunc modum fruſtra garris, & ſanctos prætexis hæreſeos tuæ patronos eſſe, palam enim eſt, diuinæ virtuti nihil repugnare, quod idem corpus ſit in pleriſque locis. Quare quum ipſe prorſus affirmauit in ſacramento corpus ſuum eſſe dicens: Hoc eſt corpus meum, quid tam improbe reluctaris?

OECOL. *Dicit autem Auguſtinus in Pſal. 98. ſacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos, & ſi neceſſe ſit illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. His verbis autumant vbique congruere, ita de corpore loquendum, quod aßit quidem tametſi inuiſibiliter, & ſe glorioſe iactant abunde reſpondiſſe omnium obiectionibus.*

ROFF. Remiſſus vtique patronus eſſet nobis Auguſtinus, ſi non vicinos haberet locos, centuplo quã is eſt, clariores; etiam in eiuſdem verſus commẽtario, rem longe docet apertius, diſquirit enim hoc verſu, quid ſit ſcabellum pedum Dei, quod hic propheta iubet adorare, quum dicit: Et adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt: Hoc ſcabellum docet eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia. Fluctuans (inquit) conuerto me ad Chriſtum: quia ipſum quęro hic: & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra: ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis mãducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit; inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Hęc

Pſalm 98.
Scabellum eſt corpus Chriſti in Euchar.
Geneſ. 3.
Exodi 1.
Pſal. 98.

Auguſtinus

Pſal. 98.

Auguſtinus eodem ipſo loco, quo tu priora verba citaſti. Hic andis lector, carnē Chriſti, qnam ipſe de carne beatiſſimæ virginis Mariæ genitricis ſuæ accepit: in qua carue & bic in terris ambnlauit: & eandem nobis mandncandam ad ſalntem dedit, eſſe ſcabellum pedum eius. At vbi carnem iſtam & adoramus & edimus, præterquam in Euchariſtia? Nam hic circa carnem hāc tres actns exereemua, nempe credere, adorare, & manducare. primum credimus hic eſſe veram Chriſti carnem: deinde adoramns: poſtremo manducamus.

Chriſti carnē adoramus & manducamus in Euch.

OEcol. *Verum verba illa Auguſtini nibil tale volunt. Primum enim pertinet ad ſextum caput Iohannis, vbi non de ceremonus ſed ſpirituali manducatione fit mentio, debebatq; eſſe canon generalis in bac controuerſia.*

Roff. Quod ſextum caput Iohannis ad ſacramentalem, & proinde corporalem Chriſti manducationem attinet, ſatis abunde mouſtrauimns in huius libri prologo: Illic enim Chriſtus pollicetur ſe daturnm panem, qui fieret eius caro. Quā ſane pollicitationem alibi nuſquam præſtitit, niſi quum in cœna panem accepit, & benedictum fregit atq; dedit diſcipulis ſuis, dicēs: Hoc eſt corpus meū. Quum igitur & Auguſtinus hoc loco de ſacramentali manducatione loquatur, palam eſt, ꝙ de carne Chriſti, ſicut eſt in Euchariſtia, velit intelligi. Porro canonem tuum neq; recipimus, ſed neq; talem autboritatem tibi deferimus, qna tanto ſupercilio canones nobis cōdas huiuſmodi.

Sextum cap. Io. eſt de corporali manduca. Chriſti.

Matth. 26. Marc 14. Luca 22.

OEcol. *Senſus autem verborum beati patris hic eſt. Docui vos (inquit Chriſtus) rem arcanam, & quæ vere myſterium ac ſacramentum dici mereatur, nempe quomodo edatis carnem meam. quam manducat, quiſquis diuinam & ſibi ſalutarem nouit ac adorat. Quod ſi ſpiritualiter hoc cognoueritis, & fide amplectamini, viuificabit, ac vitam æternam vobis conferet. Porro neceſſarium quidem vt caro crucifigeretur, id quod multi viſuri, ſed beati hi tantum, qui fide agnituri, carnem illam pro mundi vita dari.*

Roff. Satius fuiſſet anthores in totum negare, qnam ad hunc modum deprauare, & peruertere quicquid ſcripſerint. Manifeſte loquitur hic Auguſtinus de ſua carne prout eſt in Euchariſtia. Tu tamen ita perfrlcuiſti frontem, vt in alium ſenſum detorqueas eius verba. ſed hoc reſponde mihi. Quorſum iſtud referri debet, quod ait: Et ſi neceſſe eſt illnd viſibiliter celebrari. Qnid eſt illud (te precor) quod neceſſe eſt viſibiliter celebrari? Quid aliud quam ſacramentum corporis Chriſti, quod & dixit eſſe ſcabellum pedum eius, & adorandum, quodq; terra eſt, & caro de terra, & caro de carne genitricis eius accepta, in qua & ambulauit hic in terris: quamq; manducandam nobis dedit. Quid tot nominibus oportuit hanc rem explicaſſe, niſi vere ſic intellexiſſet Auguſtinus. Verus itaque ſenſus verborū Auguſtini eſt ibi in perſona Chriſti: Nolim adeo craſſe mea verba capiatis, ſicut illi qui pntantes me præciſurum quaſdam particulas de corpore meo, daturumque eis in eſcam: ſed ſacramentum aliqnod vobis commēdaui ſub illis verbis. Dabitur enim vobis mea caro ſub ſacramento vt edatnr, non iuxta craſſitndinem hanc qnam cernitis, ſed ſpiritualiter intelligi debet. Et ſpiritualiter intellectum, vitam præſtabit vobis. Nam viſibiliter celebrari debet hoc ſacramentnm, ſed mea caro ſub eodem erit inuiſibilis, & inuiſibiliter ibi præſens debet intelligi. Is profecto ſenſus eſt eornm verborum, de quibus contendimus, nimirum borum ſacramentnm aliquod vobis commendaui. Spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et ſi neceſſe eſt, illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Qnod ſi de ſpirituali tantum eſu loquutus fuiſſet, quemadmodum & tu moliris, cnr proxime ſuperins ante hæc verba dixit: Non hoc corpus qnod videris, manducaturi eſtis. Hæc verba plaue docent, illum carnalem aliquā intellexiſſe mandncationem, quæ nihilominus eſſet & ſpiritualis, propterea quod adiunxit, ſpiritualiter intelligite. Perinde ac ſi dixiſſet: Nolim ita me accipiatis, quod dixerim hoc corpus in ea forma, quam cernitis, & iuxta craſſitudinem iſtam qua iam locnm occupat, vos eſſe mādncaturos. Nam boc eſſet carnem meam dare veſtris dētibus proſcindendam & dilaniandam, quemadmodnm & illi conceperant, quibus ante ſermo durus videbatnr, ob qnod & receſſerunt à me. Sed in ſacramento ſub altera quadam ſpecie manducabitis, vbi iuxta modnm talem ſpiritualem ita præſens erit, vt nullam à dentibus veſtris patiatur iniuriam. Sed hic forte nobis obiicient, ꝙ Auguſtinus bic negat id quid nos antea ſæpe teſtati ſumus, nimirum hoc ipſum corpns, quod in terris Cbriſtus geſſit, à nobis in Euchariſtia manducari. At ipſi non aduertunt, qnomodo nō ſibi potius eadem Auguſtini verba reluctantur. Nam ipſi fatentur, idem corpus quid tnm in cœna ſedit cū diſcipulis, & iam in cœlo collocatur, per fidem à nobis manducari: Et tamen Auguſtinus hic dicit: Nō boc corpus qnod videtis manducaturi eſtis. Quare ſi ſtringant Auguſtini verba, nō erit idē corpns, quod manducatur fide, & qnod ſedebat in menſa. Adde, quod etiam Auguſtinus ipſe ſibi repngnabit. Snperius enim dixit Augu. Chriſtū eandē carnem quam de beata virgine Maria ſuſcepit, nobis manducandam ad ſalutem dediſſe. At eadē certe ſedit in menſa, pependit in cruce, iamq; locatnr in cœlo. Nunc autem negat eandem à nobis mandncandā. Non boc corpus (inquit) quid videtis, manducatnri eſtis. Quid ergo dicemus? obliti ſunē fuiſſe, quod prius intra vnins verſiculi declarationem dixerat, & iam contrarium affirmare? Abſit. Sed abunde ſatis alibi ſelpſum ab his tricis explicat dicens: Ipſnm & non ipſum eſſe. Nam inxta ſubſtantiam idem corpns eſt: at iuxta modum exiſtendi, non idem: Neq; enim dimenſiue eſt & viſibiliter in Euchariſtia, ſicut erat in cruce, aut ſicnt iā eſt in cœlo, ſed ſpiritualiter & inuiſibiliter. Et ſane propter iſtiuſmodi diſcrimen adigitur Hieronymus in commentariis ad Ephe. cap. 1. ſic tradere: Dupliciter (inqnit) ſanguis Chriſti & caro

Verborū Auguſtini ſenſus in perſona Chriſti loquētis.

Augu. loquitur de carnali manducatione corporis Chriſti.

Iohan. 6.

Anthypophora.

Corpus Chriſti diuerſimode conſideratur.

Hieronymus

caro intelligitur, vel ſpiritualis illa atq; diuina,
Iohan.6. de qua ipſe dixit: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et niſi manducaueritis carnem meã, & ſanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam: vel caro & ſanguis quæ crucifixa eſt, & qui militis effuſus eſt lãcea. Hæc Hieronymus. Neq; certe aliam in ſubſtantia carnem hic intellexit, ſed tantum in exiſtendi modo. verum eſt igitur quod ſupra dixit Augu. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari: oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Sed ignoſce prolixitati meæ lector, nam citra prolixitatem non potui ſcrupum iſtum omnino tollere.

OEcol. *Quid enim his verbis vrget vt in pane corpus reale aſſeramus? Etenim ad fidem exhortantur, non ad ſuperſtitionem occaſionem dant.*

Roff. Verum profecto dicis, ſi de tuis verbis intelligas: At ſecus eſt omnino, ſi de verbis loquaris Augu. Tu multa quidem intermiſces, de quibus neq; Chriſtus, neque Augu. loquutus eſt quicquam, & ea ſubiices quæ ad rem magnopere pertinẽt. Nihil de datione panis, qui caro Chriſti eſſet, memoras: & tamen alterius partis eiuſdem ſententiæ meminiſti. Nihil explicas quomodo ſacramentum iſtud corporis Chriſti, viſibiliter oporteat celebrari, ſed de carnis in cruce datione, vis illud penitus intelligi: plane aliter quam ſenſerit Augu. Verantamen haud aliter hoc in loco facis, quam in aliis facere conſueuiſti. Cæ-
Euch. adorare non eſt ſuperſtitio. terum, nec eſt vlla ſuperſtitio, ſicut tu perfide vocas, quod carnem Chriſti ceu ſcabellum pedum eius in Euchariſtia nos fideles adoramus, ſed ſolida doctrina Chriſti, quam & ſanctiſſimi patres nobis reliquerunt.

OEcol. *Quomodo igitur hinc colligitur, inuiſibili & vero corpore panem prægnantem, vt ſic dicam? Profecto Euangeliſtarum narratio non hoc habet.*

Roff. Ita linguam tuam aſſueniſti mendaciis, vt nequeas vera loqui. Falſum eſt, quod hoc Euangeliſtarum narratio non habeat. Id enim habet eorum narratio, quod inde neceſſario conſequitur. At illi narrant dixiſſe Chriſtum, hoc eſt corpus meum. Quum itaq; neq; panis ille triticeus, qui prius fuerat, eſt corpus, vt tu cõcedis. Neq; ſpecies illa panis, quæ ſacramentum eſt, eſt ipſa
Lib.5.cap.20. cap.22. res ſacramenti, ſicut inter nos prius conuenit, reliquum eſt, vt ibi ſit corpus opertum, ſub illa ſpecie, niſi tu malis Chriſtum facere mendacem. Et iſtam collectionem optime lector obſerua diligentius.

OEcol. *Imo præcedentia ſequentiaq; nihil tale cogitare permittunt, vt commonſtrauimus.*

Roff. Mendacium & iſtud eſt, quod tu quicquam huiuſmodi commonſtraſti, imo res ipſa mani-
Iohan.6. feſte contrarium indicat: Nam & ante pollicitus
Matth 16. Iohan.6. eſt Chriſtus ſe panẽ daturum, qui fieret eius caro. Nuſquam autem iſtud præſtitit, præterquam in cœna: Subiunxit autem eiſdem verbis ſe carnem eandem daturum pro mundi vita: & hoc ab ipſa cœna continuo cœpit impleri: præceſſit etiam agni veteris manducatio, nimirum, vt ea iã antiquata, verum agnum (cuius ille vetus figura tantũ fuerat) hoc eſt, ſeipſum in ſpecie panis præberet edendum. Congruit & illud quod dixit, ſe deſiderio deſideraſſe paſcha iſtud cũ diſcipulis Luca 22.
edere, paſcha certe nouũ, vt Tertullianus inter- Iohan.13.
pretatur: non Iudaicum veruecinum, Aſtipulatur & lotio pedum, quam diſcipulis miniſtrauit, priuſquam ſuum corpus edendũ exhibuerat, nimirum vt ita cæteris exemplũ relinqueret: quanta animi puritate cibum iſtum eſſent poſtea ſumpturi. Quocirca falſiſſimũ eſt, quod præcedentia ſequentiaq; nihil tale permittunt cogitare.

Fruſtra pollicetur & aliis manifeſtioribus dogma ſuum ſcripturis comprobaturum.

Capvt XXVII.

OEcol. *Nunc ad alia manifeſtiora ſcripturæ loca pergamus, & quomodo illa veritatis agnitionem inducant, & tropum nobis commendent cognoſcamus.*

Roff. Nullum hactenus apertum ſcripturæ locum attuliſti, qui ſubſcribat dogmati tuo. Quare niſi manifeſtiora produxeris, nihil agis. Cæterũ quãtumuis huic inquiſitioni deſudaueris, cõpertiſſimum habeo, te præter obſcuros quoſdam locos, qui poſſent hinc & inde flecti, nihil omnino producturum.

OEcol. *Ante omnia ne tam craſſum quiddam de cœna Dominica ſentiamus, verbum Domini: Spiritus viuificat, caro nihil prodeſt, tanq; angelus igneo gladio armatus obſiſtit.*

Roff. Si locus is adeo manifeſtus eſt, atque tu prætexis, iam & Chriſtus fruſtra ſuſcepiſſet carnem. Iohan.6.
Nam ſi non omnino fruſtra ſuſceperit carnem: profecto caro quicquam profuit. Similem argumentationem Auguſtinus in eiuſdem verbi enarratione facit dicens: Nã ſi caro nihil prodeſſet, verbum caro nõ fieret, vt inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multũ profuit Chriſtus, Iohan.1.
quomodo caro nihil prodeſt. Adde, quod caro Lib.5.ca.8. & alibi.
Chriſti viuificatrix eſt, quemadmodũ ſæpius antea confeſſus es ipſe. Quod autẽ viuificat, aliquouſque prodeſt. Quare falſum eſt iuxta ſenſum, quem facit, Caro non prodeſt quicquam; habet igitur hæc ſcriptura ſenſum aliquem retruſiorẽ, quam ipſis primis verbis præ ſe ferat. Quis ergo latentẽ horũ verborum veritatẽ nobis reſerabit? Tunẽ, & complices tui, qui ab eccleſiæ gremio iam diu ſeparati eſtis? An orthodoxi patres potius in quibus ipſe Spiritus ſanctus loquebatur? 2. Pet.1.
Audient ergo lectores principio Chryſoſto- Chryſoſtomus
mum in commentariis huius loci ſuper Iohan. Homil. 46. Sicut ſpiritus (inquit) in hoc loco, pro ſpiritualibus poſuit, ita cum carnem dicit, non pro carnalibus, ſed pro carnaliter audire eos ſignificans, qui ſemper carnalia deſiderabant, quum ſpiritualia deſiderare oporteat. Nã ſi carnaliter ea quis acciperet, nihil ſane lucraretur. Quid igitur caro non prodeſt quicquã? Num de ipſa carne dicitur? Abſit: Sed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur. Quid autẽ eſt carnaliter intelligere? ſimpliciter vt res dicuntur, neque aliud quippiam excogitare. Non enim ita iudicanda ſunt quæ videntur, ſed myſteria omnia

nia interioribus oculis conſideranda, hoc eſt, ſpiritualiter. Qui non manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, non habet vitam in ſemetipſo. Quomodo nihil prodeſt caro, ſine qua nemo poteſt viuere. vide quod ea particula: caro nõ prodeſt quicquam, nõ de ipſa carne, ſed de carnali auditione dictũ eſt. Hactenus ille. Cuius interpretatio, ſi tibi non ſatisfacit, audias Auguſtinum, quem crebro citas. Sic enim in eiuſdẽ loci expoſitione ſuper Ioannem Auguſtinus ait: O Domine magiſter bone, quomodo caro non prodeſt quicquam, quũ tu dixeris: niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam? an vita non prodeſt quicquam: & propter quid ſumus, quod ſumus niſi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid eſt ergo, nõ prodeſt quicquam? caro non prodeſt quicquam, ſed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Perinde ſic dictum eſt: caro non prodeſt quicquam: quomodo dictum eſt, ſcientia inflat. Iam ergo debemus odiſſe ſcientiã? Abſit. Et quidem ſcientia inflat ſola ſine charitate; Ideo adiuxit, charitas vero ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatẽ, & vtilis erit ſcientia, nõ per ſe, ſed per charitatẽ. Sic etiam nũc caro non prodeſt quicquam, ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem: quomodo accedit charitas ad ſcientiam; & prodeſt plurimum. Hæc ille. Et paulo poſt ſubdit: Spiritus ergo eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, ſicut illi intellexerunt carnem. Non ſic ego do ad manducandum carnem meã. Hæc Auguſtinus. Quando igitur iſti patres ſenſum horũ verborũ Chriſti nobis explicarunt, fruſtra tuas nugas, imo mera mendacia nobis obtrudis.

Iohan. 6. — *Auguſtinus Iohan. 6.* — *1. Cor. 8.*

OEcol. *Etenim breui illo dicto non minus à carnali manducatione abducimur quam Nicodemus, ne carnalem regenerationem animo ſuo conciperet, quum diceretur ei, quod ex carne eſt, caro eſt.*

Roff. A carnali profecto abducimur manducatione, ſi carnalem ita accipias, vt Capernaitæ nimis quam craſſe ſecum cogitarunt, hoc eſt ſicut Auguſtinus ante dixit, quomodo in cadauere dilaniatur caro, aut in macello venditur. Et rurſum alibi dicit idem Auguſtinus: Putabãt Chriſtum particulas carnis præciſurum, & ſibi daturum ad edendum. Ab iſta nimirum abducimur carnali manducatione. Sed eſt alia manducatio carnalis, qua tam citra comedentis horrorem, quam citra quamuis iniuriam ipſius carnis, caro eadem comeditur, nimirum operta panis ſpecie. Nihil vtique præter ſimilitudinem panis, aut cernitur aut guſtatur: veruntamen ſub illa forma panis, quiddam aliud inuiſibiliter intelligitur: Quod quia vera caro eſt, eius manducatio carnalis appellatur. Cæterum, de verbis iſtis & illis, quæ ad Nicodemum dicta ſunt, magna diuerſitas eſt. Nam regeneratio illa non eſt carnis, ſed animæ, alioquin poſſit & mortui caro (ſicut Auguſtinus ait) baptizari. Sed hic tam vera caro eſt, quæ comeditur, quam quæ comedit, vt nequeas non carnalia & corporea dici.

Iohan. 6. — *Auguſtinus. Manducatio ſacramentalis cur dicatur carnalis.* — *Iohan. 6. Iohan. 3.*

OEcol. *Et ſicut inſulſum foret, ſi quis pro Nicodemo argutaret, carnem ſenis viſibili modo in vterum ingradi, denuoq; naſci, non aſſererim, ſed potentia Dei eã inuiſibiliter introire, & renaſci, forte nihil prohibet. Quis illum non rideret? in genere enim cauetur, ne quid tale ſentiamus, dum dicitur, quod ex carne eſt, caro eſt.*

Roff. Ridicula ſane foret argutatio. Neq; tu minus ridiculus es, qui talibus nugis libellum tuum infarcis, & ego quoq; parum prudens, qui in his refellendis, tempus, rem omnium precioſiſſimam peſſime perdo.

OEcol. *Quod ſi carnem Chriſti velatam & inuiſibilem epulaturis appones, nondum Chriſti regnum ac beneficium probe agnouiſti.*

Roff. Ego viciſſim tibi reſpondeo: niſi credas Chriſti carnem velatam & inuiſibilem ſub ſpecie panis edendam Chriſtianis apponi, maximo Chriſti beneficio priuaberis, & Chriſti regno cariturus es in perpetuum.

OEcol. *Si carnis præſentia ad inflammandum amorem tantopere pertineret quæ benignitas eſt Chriſti, non ſe magis conſpicuum quam abſconditum offerre, ac quod viſa creditis magis mouent noſtram infirmitatem.*

Roff. Non ſolum vt amorem in nobis accẽdat, præſentiam ſuæ carnis nobis exhibet in Euchariſtia, verum etiam vt edentes incorporemur ei, & efficiamur membra corporis eius, ex carne eius, & ex oſſibus eius. Nam ſolam fidem non ſufficere, niſi talibus, quibus negatur oportunitas edendi ſacramenti, cum rationibus, tum ſcripturarum, & ſanctorum patrum teſtimoniis ſæpius abunde monſtrauimus.

Ephe. 5. Lib. 2 cap. 26. lib. 3. cap. 2. prol. 5. lib. 3 c. 12 cap 17. & alibi.

OEcol. *Verum quem non ad amorem rapit, ſedentis ad dextram patris gloria, quod efficiet vix credibilis in pane humilitas? quid inquam afficiat humilitas illa, quem antea non emalliuit ignominioſa & amara innocentis ſimis crucifixi mors?*

Roff. Tu de ſpectaculo ſacramenti loqui videris: nobis autem de manducatione ſermo eſt. Si nulla maior vtilitas inde nobis, quam per ſolum oculorum obtutum proueniret, nunquam edendum, ſed ſpectandum ſolum, Chriſtus ipſum nobis præcepiſſet. Et profecto ſæpius vberiorem pietatis fructum, ex imagine crucifixi ſpectata, plerique concipiunt, quam ex contuitu ſacramenti huius, ſi non idipſum quod ibi velatur, oculis fidei ſerio conſpiciant. Et ſi tam frigeat huius rei ſpectaculum, his qui non in receſſu Chriſtum abditum requirunt, quid de pane & vino tuo arbitrabimur, quæ nihil aliud quam panis & vinum ſunt, ſed ita manent nulla prorſus in eis reali facta mutatione.

Contuitus Euch. non quantũ manducatio confert.

Cauillos aliquot affert ex Chriſti verbis; Caro non prodeſt quicquam; quibus reſpondetur.

CAPVT XXVIII.

OEcol. *SAtis manifeſta docuiſſet Chriſtus σαρκοφαγίαν, hoc eſt, carnis manducationem nihil ad fidem facere, ſiquidem recipere voluiſſemus.*

ROFF. Tu tantum aſſeris iſtud citra quamuis probationem: Et ſi recipere voluerimus, ſicut & tu moliris, contra patrum interpretationes, imo contra veritatẽ Euangelij manifeſte faceremus. Nam Euangelium aperte docet, non ſolum carnem Chriſti profuiſſe plurimum, ſed & eandem carnem ſub ſpecie panis non inutiliter nobis in cibum fuiſſe datam. Et quomodo non ad fidem facit Euangelij veritas? Cæterum, qui ſacramentum iſtud citra fidem edit, nihil ei proderit, imo vehementer oberit eius manducatio: Verum his, qui fidem habent, magnopere confert eius eſus, tam ad corroborationem, quam etiam ad incrementum fidei, quemadmodum ſuperius oſtendimus.

1.Cor.11.

Lib.4.cap.17. lib.5.cap 13. & alibi ſæpius.

OEcol. *Eſt autem carnalem prudentiam, & quod humanum eſt, caro ſignificet. An non hoc vere carnalem ſapit prudentiam, carnem edere, & carnem Chriſti.*

ROFF. Minime carnalem, ſed vere diuinam prudentiam ſapit, quod Chriſti carnem edimus, quandoquidem hanc ille nobis edendam inſtituit. Sed vere ex carne, & eadem vitiata ſerpentinæ prudentiæ cõtagio, naſcitur, imo ex ipſo Satana ſumpſit originẽ, quod verbo Dei non credimus. Quare prudentia hæc vere diabolica eſt.

Matth.26.

OEcol. *Nam licet id inuiſibiliter & abſque dentium moleſtia fieri dicas, neq; ſic tamen carnalem effugies ſenſum.*

ROFF. Inuolute ſemper vos hæretici ſermonem cõtexitis, & nihil magis q̃ latebras diligitis. Quid (te quæſo) per carnalem ſenſum intelligis? Si verborũ ſenſum; nõ eſt is profecto carnalis, quãdoquidem Chriſtus dixit, verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Si iudicium animalis hominis; at nihil hic tale decernitur. Neq; enim hic ipſa caro cernitur, aut guſtatur. Sed quanquam vera caro ſit ibi præſens, tamen adeſt modo quodam ſpirituali. Nam ſicut anima propter eius ſpiritualitatem, eſt tota in qualibet parte corporis, quod animatur ab ea, ita Chriſti corpus totum eſt ſub quauis particula ſpeciei panis. At iſtud ipſe non capis.

Iohan.6.

Chriſti corpus totum in qualibet parte ſpeciei panis.

OEcol. *Iam tota diſputatio Capernaitarũ de carnis eſu erat.*

ROFF. De carnis quidem eſu diſceptabant Capernaitæ, ſed perperam intellecto. Non enim ita carnem ſuam edendam Chriſtus nobis dedit, quemadmodum illi imaginabantur, nempe, quod caro eius proſcinderetur in fruſta, atq; ita dentibus laniaretur.

Iohan.6. Capernaitarum error.

OEcol. *Et poterat etiam Chriſtus dicere, caro viſibiliter manducata nihil prodeſt, inuiſibiliter autem proderit. Sed, quod ſcire expediebat, ingenue confeſſus eſt, caro nihil prodeſt.*

ROFF. Poterat multa dixiſſe Chriſtus, quæ non dixit, modo ſane iuxta ſpiritus & eccleſiæ doctrinam intelligantur, homini vere Chriſtiano ſufficient. Potuit dixiſſe Chriſtus, quando dixit, hoc eſt corpus meum, non fuiſſe figuram ſolam, ſed verum corpus, nimirum, vt ita præueniſſet temeritatem, dixerim potius impietatem veſtram, cuius non erat neſcius. Sed nulla verba queunt excogitari magis dilucida, quam ea ſunt his, quibus Chriſti ſpiritus non omnino deeſt.

Matth.26.

OEcol. *Et quum antea dixiſſet carnem verum cibum & carnem pro mundi vita dandam, nunc non quaſi recantans, ſed diſcipulos præmonens, caro (inquit) nihil prodeſt.*

ROFF. Quam frequenter id in ſacris euangeliis accidat, quod idem verbum vario ſenſu capiatur etiam aliquoties in vnius ſententiæ contextu, nullus in eis vel mediocriter exercitatus, ignorat. Exemplo nobis fuerit Iohan. 1. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit; vt nihil hic repugnet in diuerſis ſententiis carnem aliter accipi. Cæterum, ſi carnem omnino velis accipi pro carne Chriſti, nihil officiet nobis. Nam caro, ſicut Capernaitæ conceperant, nihil eis prodeſſe potuit, quemadmodum & Auguſtinus, quem ipſe recipis, interpretatur.

Verbum idem ſæpe diuerſo ſenſu capitur.

Caro diuerſimode capitur. Iohan.6.

OEcol. *Caro illa diuina & viuificatrix, per quam credentibus vita contingit, eadem nequaquam corporea manducationi ſeruiet, & ſi à corpore manducaretur vel abſorberetur, nihil prodeſſet, neq; enim in hunc vſum à Deo ordinata ſit, ſed vt mirabiliori modo, nempe mortis credentes, mortuos reſuſcitet, & viuos in vita conſeruet.*

ROFF. Hoc tu dicis tantum, & nullis probationibus, quæ ſolidæ ſunt, corroboras. Id quod fieri oportuit, ſi vis fidem aſſertionibus tuis adhiberi, maxime quum Chriſtum & Spiritum eius, ac miniſtros omnes doctrinæ Spiritus, habeas tibi contradictores.

OEcol. *Neq; hæc noua aut violenta fuerit expoſitio. Nam Auguſtinus, cum alias, tum prædicto Pſalmo aperte dicit, de ſua carne loquutum, quum diceret: Caro nihil prodeſt.*

ROFF. Sed tuo more ſemper mutilas authores. Nam, ſi quæ ſequuntur, adieciſſes, quid ille ſenſiſſet ſatis perſpicuum foret. Poſtquam enim dixerit Chriſtum de ſua carne fuiſſe loquutum, nimirum quando dixerat, Niſi manducaueritis carnem meam, &c. ſubdit offendiculum quod increduli conceperant, & adiungit: Acceperunt illud ſtulte, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de ſuo corpore, & daturus illis. Ad hunc autem intellectum caro nihil prodeſt, ſicut & ſuperius memorauimus ex eodem.

Auguſtinus. Iohan.6.

Obiicis & illud: Non quod intrat in os coinquinat; quod parum ad rem facit.

CAPVT XXIX.

OEcol. *Neq; opus fuerit vt pluribus agatur, quandoquidem aditu libellis Huldricus Zuinglius Tigurinæ eccleſiæ Antiſtes, dilectus frater noſter in Domino, ex hoc & aliis dictis neruoſe conuincat, paſci nos fide in corpus Chriſti pro nobis in cruce paſſum, non ſub pane illo viſibili, inuiſibiliter, vt vulgus ſentit, manducatum, fidemq; probat, nihil egere corporea manducatione. Nam ſi Chriſtum edimus, id eſt ſi Chriſto fidimus, non amplius eſurimus, neque ſitimus. Nihil ergo eiuſmodi requirit fides, ſi ipſa caute mea ita amicus reſcripſit.*

ROFF. Similibus & ipſe te præconiis effert, nimirum hæreticus hæreticũ, & iuxta prouerbium: Mulus mulum

Zuinglius hæreticus, Oecolamp. hæreticum commēdat. mulum ſcabit. Cæterum, ueuter veſtrum probabit vuquam fidem uibil egere corporea manducatione, ſi interim edendi præſtetur oportunitas. Et iſtud vtriq; veſtrum impoſuit. Verum ſatius eſſet vobis credere patribus, in quibus ad eruditionem eccleſiæ ſpiritus loquutus eſt, quam ſic temere veſtris ingeniis uiti, quum ſcriptum ſit: Væ his qui ſpiritum ſequuntur ſuum: Et alibi: ne innitaris prudentiæ tuæ. *2. Petri 1. Ezech. 13. Prouer. 3.*

OEcol. *Sudent nunc aduerſarij, & multa coaggerantes vano labore extenuent, quod veritas dicit.*

Roff. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* Imo vos hactenus, & ſine fructu ſudaſtis, coaggerantes quicquid vndiq; potuiſtis & mendaciſſime quoque, uimirum, vt ita quod veritas dixit, hoc eſt corpus meum, vos extenuaretis, imo extingueretis potius. ſed inanis erit, Deo adiutore, conatus & labor veſter.

OEcol. *Nam ita decoquunt & hæc, quod dicitur, quod ex carne eſt, caro eſt.*

Roff. *Ephe. 5.* Quid hoc aduerſum uos, imo nobiſcum facit magis. Nam per eſum carnis Chriſti, efficimur membra corporis eius, & (vt Paulus ait) caro de carne eius: hoc præſtat nobis Chriſti caro comeſa, vt conuertamur in carnem, & vere corporaliter ei coniungamur, quemadmodum & Irenæus, Cyrillusque, & Chryſoſtomus, cæteriq; confirmant.

OEcol. *Age ſi placet, torqueant & illud, non quod intrat in os, coinquinat, propterea etiam non ſanctificat.*

Roff. Tu profecto deſudaſſe mihi videris, nullum non angulum ſcripturarum excutiendo, atq; id tam anxie, quum tamen omnino nihil tandem compereris, præter hæc minutula, quæ nihil inſtituto tuo conferant. Iſtud de communibus eſcis dictū fuit, non de hoc incomparabili cibo, qui non more cæterorum, in carnem noſtram digeritur & vertitur, ſed nos magis in ſeipſam conuertit. Neq; negauit Chriſtus, id quod intrat in os ſanctificare, ſed nō coinquinare dixit. Neq; enim conſequitur: nō coinquinat, ergo nō ſanctificat. *Chriſti caro non conuertitur in nos ſed contra nos in ipſam.*

OEcol. *Sicut & Hieremias dixit: Nunquid carnes ſancta auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?*

Roff. *1. Cor. 11. Iohan. 13.* Caro igitur hæc, ab eo qui ſordidam habet conſcientiam & ſceleribus adhuc plenam, non ſanctificat, ſed polluit magis. Et ex ſcelerato lōge ſceleratiorem reddit, ſicut Iudæ contigit, qui receſſit à menſa Chriſti multo ſceleratior.

OEcol. *Quod intrat in os, inquit Dominus, in ſeceſſum mittitur.*

Roff. Superius tibi reſpondimus, hoc de communi cibo dictum eſſe, qui digeritur & conuertitur in carnem noſtram. Sed neq; totum illud per ſeceſſum emittitur. Nam pars aliis viis conuebitur ad carnis nutrimentum. At cibus iſte, cuius nihil omnino permutatur in corpus noſtrum, ſed ille magis permutat nos in ſe, nihil ad illa verba pertinet (vt iam diximus) quum non ſit cibus iſte, cibus communis. *Supra eodem. Cibus corporalis non mittitur totus in ſeceſſum.*

OEcol. *Quid diximus? corpus ne Chriſti, quod fideles ſanctificat, in nos ingreditur, non eſt ſanctificatio noſtra, à ſymbolo vel carne ingrediente in os, ſed à ſpiritu Chriſti, qui mentem ſibi purificat.*

Roff. Sanctificatio noſtra, non vno tantum fit modo, quāquam ſemper ab eodem Spiritu fiat. Sanctificamur enim baptiſmate, quemadmodum & Petrus & Paulus teſtantur. Sic enim Petrus epiſtolæ prioris cap. 3. vbi, poſtquam meminit archæ Noe, & animarum 8. quæ per aquam ibi ſeruatæ fuerant; Subdit: Cuius figuræ nunc reſpondens baptiſmus, nos quoq; ſaluos reddit. Paulus vero ſic ad Ephe. 5. ſcribit: Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ per verbum. *Sanctificatio hominum fit multis modis. Primo per baptiſmum.* Præter hoc ſanctificamur etiam, abſoluti per ſacerdotem à peccatis, & quidem ab eodem Spiritu. Cuius rei gratia, Chriſtus flauit in diſcipulos, dicens: Accipite Spiritum ſanctū, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. *Secundo per abſolutionem Iohan. 20.* Augetur & ſanctificatio noſtra per eſum carnis Chriſti, qua ſpiritus & verbū velut organo quodam vtuntur. Propter quod Cyrillus, vbi pluribus oſtendit, Chriſti carnem, eo quod verbo viuificanti coniuncta ſit, totam verbi operationē in ſe ſuſcepiſſe, paulo poſt ſubdit, inquiens: Si mel, quum naturaliter dulce ſit, ea dulcia facit quibus immiſcetur, nonne ſtultum erit, viuificam verbi naturam putare, non dediſſe homini (in quo habitat) viuificandi virtutem. Habitat autem in nobis corporaliter per eſum huius ſacramenti, quemadmodum ſæpius idem Cyrillus meminit. *Tertio per communionem Euch. Cyrillus.*

OEcol. *Quid ad nos? dicent illi, quæ ad confuſionem pertinent phariſæorum exiſtimantium illotis manibus edere coinquinare, non loquitur Chriſtus de cibo qui animam vegetet, nihilne ad vos, boni viri, quibus etiam omnis adimitur reſponſio. Dicere enim vult Chriſtus: Quod intrat in os, nec nocere, nec coinquinare animam, & conſequenter nec alere, nec ſanctificare, hoc eſt, nullum carnalem vel externum cibum animæ vel prodeſſe, vel obeſſe. Igitur iam non erit cibus qualem à vobis dari dicitis.*

Roff. Palam eſt quod aduerſus temetipſum iſta produxeris. Nam quum iſte cibus eiuſmodi ſit vt digne ſumptus, proſit plurimum, indigne vero comeſtus lædat vehementer, ſicut & Paulus perſpicue teſtatur dicens: Propter hoc inter vos multi imbecilles, & inualidi, & dormiunt multi; *1. Cor. 11.* plane conſequitur, vt de hoc cibo neutiquam intellexerit Chriſtus. Nam iſte cibus, vt audis, & iuuare poteſt, & nocere. Nō nobis igitur adimitur ô bone vir, quod tibi reſpondeamus. Sed tibi proſus reluctantur ea, quæ producis ipſe, neq; recte colligis, hunc cibum non eſſe talem, qualem affirmamus à nobis dari.

Caro Chriſti paſcit animam, tametſi neutiquam eam ingrediatur.

Capvt XXX.

OEcol. *At reſpondete, quo tum ſe corpus Chriſti in pane recipiat? nunquid ſtatim in ipſo limine palati euaneſcit? & in ſtomachum non deſcendit, nō habebit ergo magis rationem panis, quam lapidis. Etenim verius panis eſt dum paſcit, quam dum manibus tractatur. A paſcen-*

do enim nomen habere videtur, non à proponendo. Quod ſi in labiis auolat, quas delicias præſtabit.

ROFF. Iam quum effuderis omnes nugas tuas, nihil habens reſidui, ad priores denuo confugis, eas iterato producens in medium. Nam ad hæc ante copioſe reſpondimus. Affirmat enim Irenæus, corpus noſtrum ali, & nutriri carne & ſanguine Domini. Quomodo (inquit) negant hæretici carnem noſtram capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna quæ & ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius fit, quemadmodum Apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſ. epiſtola: Quoniã membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. Hæc Irenæus. q̃ ſi tibi is non ſatisfaciat, alterum accipe, nempe Chryſoſtomum qui ſic in Homilia de ſacrorum participatione myſteriorũ, ait: Neceſſarium eſt dilectiſſimi, myſteriorum diſcere miraculum, quid tandem ſit, & quare ſit datum, & quæ rei vtilitas, vnum corpus ſumus, & membra ex carne eius, & ex oſſibus eius. Sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Vt itaq; non tantum per charitatem hoc ſiamus, verum & ipſa re in illam miſceamur carnem: hoc per eſcam efficitur quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam capiti corpus coaptatum. Idem & Cyrillus cap. 15. ſuper Ioannem: Conſiderandum eſt (inquit) non habitudine ſolum, qua per charitatem intelligitur Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum, ſi quis igne liqueſactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ, ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſq; factum videatur, ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis, & nos in ipſo. Hæc Cyrillus. Hæc nihilominus fieri credenda ſunt, citra quamuis iniuriam aut permutationẽ ipſius corporis Chriſti, quemadmodum exemplis auri, gemmarum, & margaritarum, declarauimus, quæ quum in puluerem contuſa corporibus inualidis miniſtrantur, eadem reficiunt mirifice citra diminutionem ſui. Attulimus & exemplum Saxi cuiuſdam, de quo retuliſſe Ioan. VVeſſelum diximus in libro de Euchariſtia, quod per aliquot hebdomadas, abſque alio cibo ſacerdotem quẽdam lambitione ſula conſeruauit, poſſumus & ex hiſtoriis plures memorare, qui multo ſane tempore non alio fulciti ſunt cibo, quam ſolius Euchariſtiæ. Non igitur in medio palati, caro Chriſti (ſicut tu comminiſceris) euaneſcit, ſed deſcendit in ſtomachum, & commiſcetur partibus noſtræ carnis, & eam reficit ac nutrit ſine quauis offenſione ſui.

Prolo. 4 lib. Supra lib. 1. cap. 22. cap. 23. ca 24.
Eph. 5.
Chryſoſtomus
Cyrillus.
Lib. 4. cap. 17.
Supra lib. 4. cap. 22. Multo longo tempore non alio cibo præter Euch. vſi.

OECOL. *Denig, ſi mox in animam inuolare contenditis, hoc de corpore perinde eſt dicere, ac ſi in ὑποταξιν & non locum migret, vt dictum eſt.*

ROFF. Quis dixerit corpus in animam inuolare, quemadmodum tu fingis. Sed ſicut caro Chriſti carni noſtræ commiſcetur, ita verbum (quod vnitur carni ipſius) noſtram reficit animam. Neque verbum ſolum, ſed & caro ipſa, quatenus verbi organum eſt mira ſuauitate mentem recreat, & totum animi regnum corroborat.

Chriſti caro recreat mentem.

OECOL. *Sed vt demus animã corporis locum dare; vel teſtabimini antea animam non habuiſſe inhabitatorẽ Chriſtũ, & propterea impuram & abominabilem, vnde reliquum, quod iudicium manducetis omnes, rei corporis & ſanguinis Chriſti, vel affirmabitis præſentem in pectoribus, & conſectaneum erit Chriſtum ad ſeipſum accedere, & quomodo hoc congrueret?*

ROFF. Non opinor adeo ſtolidus es in dialecticis, atque ſpecimen quoddam hæc argutiola nobis præbet, neq; corporis locus eſt anima, neq; reliqua tuo collectio, momenti cuiuſpiam eſt. Principio fatemur animam (ſiquidem pia fuerit) antea Chriſtũ inhabitatorem habuiſſe, verum hoc erat, iuxta verbi diuinitatem, non iuxta carnis corpulentiam, ſumptis autem myſteriis, iam inhabitator eſt noſtri pectoris Chriſtus, nõ per ſolam verbi diuinitatem, vt ante, ſed per præſentiam itidem humanitatis ſuæ, nec propterea Chriſtus ad ſeipſum accedit, vt tu ſtolide imaginaris. Quid enim tibi videtur? Nunquid & Chriſtus per verbi diuinitatem præſens eſt Ethnico, priuſquam fidem ſuſcipiat. Suſcepta vero fide iam vos non dubitatis, adueniſſe Chriſtum. Quare & iuxta collectionem tuam, Chriſtus ad ſeipſum accedit. Adde, quod Spiritus ſanctus Apoſtolis datus eſt, ſtante in eos Chriſto, & dicente: Accipite Spiritum ſanctum, qui nec receſſit ab eis, donec iterum datus fuiſſet in die Pentecoſtes. Quid ergo? Spiritus acceſſit ad ſe. Huc accedit, quod Iudas in ſe Satanam habuit, quando primum aſſenſit cogitationi, de tradendo Chriſto, nec dimiſit eum Satanas, antequam idem ipſe Iudas Chriſtũ tradidiſſet. Nam Ioannes ait, quod poſt bucellam acceptũ, introiuit in eum Satanas, ergo Satanas ad ſeipſum acceſſit. Vides opinor, quam friuola ſit illa conſecutio tua.

Chriſtus aliter inhabitat hominem poſt communionẽ quam antea.
Iohan. 20.
Acto. 2.
Luc. 22.
Iohan. 13.

OECOL. *Sane ſi diceretis argumentum gratiæ, fidei exercitamenta conferri, vt creſcatis in agnitionem Chriſti, non repugnarem, Virtutem enim & benedictionem dari piis, nunquam negabitur. At iam non hoc ſolum aſſeritis, ſed corpus carnaliter edi contenditis.*

ROFF. Nos & fidem & gratiam, & cæteras virtutes omnes augeri piis non ambigimus quoties in his myſteriis Chriſti carnem edunt, & ſanguinem eius bibunt. Neque ſolam animam his myſteriis refici credimus, ſed & corpus quoque noſtrum, eiſdem recreari, quemadmodum & paulo ante ſatis abunde monſtrauimus. Denique per hunc cibum, ita re ipſa miſcemur (vt Chryſoſtomus ait) in illam carnem Chriſti, vt eidem ſolidius incorporemur, id quod non ſola fides & dilectio præſtant, vt idem conſtanter affirmat, ſed eſus ipſius carnis.

Per communionẽ dignã augetur gratia.
Supra eodem.

OECOL. *Quam nemo ignorare debeat, quo cibo paſcatur anima, veritate videlicet, ac fide in verbo, uno Deus ipſe & vita ac cibus eſt animæ, qui paſcit, & paſcens non abſumitur.*

Nos

ROFF. *Matth. 4. Iohan. 14.* Nos & veritatem & fidem in verbo, ſimiliter & Deum eſſe vitam, & cibum animæ fatemur, & nihilominus aſſerimus eandem animam hac ipſa carne & ſanguine, quippe quod inſeparabili nexu deitati coniunguntur, mirifice foueri poſſe. Sunt enim in hoc negotio, velut organa quædam ipſius deitatis. Quid? nonne corporeus gehennæ ignis, quatenus inſtrumentum eſt vltionis diuinæ, in damnatorum animas agit? Et caro Chriſti, in quo inhabitat omnia plenitudo *Coloſ. 2.* deitatis corporaliter, præſens animis hominum effecta, nihil aget?

OECOL. *Vos ſi aliter intelligitis, mirabiles ſunt illæ animæ veſtræ carniuoræ.*

ROFF. Imo vos qui non vultis iſta credere, ſine Chriſto eſtis, & meris ſiliquis, imo mendaciis inanibus, paſcitis animas veſtras.

OECOL. *At non conturbat opinor, ante manducationem vepam, carnis præſentiam fateri, in manducatione vero omnia ſpiritualiter agi, qualem cœnam Tantalo nec inferi inuident.*

ROFF. *Tantalo cibus* Vos Tantali cœnam editis potius, imo Tantalo vel hoc miſeriores eſtis, quod ille ſaltem præſentem fingitur habere cibum, vos autem abſentem, & longiſſimo quodam interuallo diſtantem ſomniatis vos edere. Nos vero Chriſti cœnam edimus, in qua præſentem eius carnem & ſanguinem coram habemus, & reuera ſumimus. Quæ ſic pie ſumpta, vitam præſtant incorruptibilem, ſicut & Chriſtus promiſit, dicens: *Iohan. 6.* Qui mãducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.

Ecce hic eſt Chriſtus aut illic; nobis obiicitur, & retorquetur in authorem.

CAPVT XXXI.

OECOL. *Obſiſtit autem & hoc quod dicit Dominus Matthæi 24. Si quis dixerit vobis: Ecce hic Chriſtus, vel illic eſt, nolite credere, ſurgent enim Pſeudochriſti & Pſeudopropheta, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem mittantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere, ſicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vſq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis.*

ROFF. *Matth. 24.* Nobis nihil obſiſtit is locus, ſed vobis maxime. Nam vos eſtis ipſi Pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, de quibus hic Chriſtus loquitur. An nõ prodigioſa res eſt, quod hi qui ſe pro Chriſtianis haberi volunt, hoc incomparabile beneficium, quod hactenus ab omnibus patribus cõſtantiſſime creditum eſt, & verbis etiam Chriſti teſtatiſſimum, auferre moliantur ab eccleſia. Vos inſuper eiuſmodi falſa dogmata nobis ingeritis, & negatis apud eccleſiam orthodoxorum eſſe Chriſtum, ſed in conciliabulis veſtris eum eſſe contenditis. Vetat igitur apud Matthæum illis *Matth. 24.* verbis Chriſtus, ne fidem vobis vllam præbeamus. Nolite, inquit, credere. Quod certe quum inhibeat, eodem intelligitur iuſſiſſe, vt fidem conſtanter eccleſiæ præſidibus adhibeamus, nec propter friuolas & inanes hæreticorum argutias, atque ſophiſmata, deſciſcamus à ſolidis patrum interpretationibus, quas illi Spiritu ſancto inſtructi nobis reliquerunt. *2. Pet. 1.*

OECOL. *Irrident fortaſſe quidam, & mirantur qui hoc dicto moneamur, quod de veſtium, ſectarum, titulorum, temporum, locorum, perſonarum, & operum obſeruatione ſonet eo quod non in illis, ſed intra nos ſit regnum Dei.*

ROFF. Viderint alij quid faciant. Nos nihil ad hæc attinere putamus verba ſuperiora, ſed ad hæreticorum ſectas, & eorum falſa dogmata, ſpectare illa non ambigimus. Lutherus enim aſſerit, apud ſe germanum ſenſum eſſe verborum Chriſti. Tu negas, ſed apud te & tuos complices genuinum eſſe contendis. Quid iſtud aliud eſt, quam, ecce hic Chriſtus, vel illic eſt. Nam vbi verus eſt ſenſus verborum Chriſti, illic haud dubie Chriſtus eſt. Sed nolite (inquit) illis pſeudoprophetis credere. *Iohan. 14. 19.* Nuſquam enim alibi germanus verborum Chriſti ſenſus eſt, quam in eccleſia catholica, quam Paulus vocat columnam & baſim veritatis. Nam in ea, iuxta Chriſti pollicitationem, perpetuo reſidet Spiritus, vt ducat eam in omnem veritatem.

OECOL. *Facient olim ridendi finem, & ô vtinam ne tardius quam vellent. Sane & nos, neq; ignoramus, neque negamus regnum hypocritarum non eſſe regnum veritatis, neque verum Dei cultum loco addictum.*

ROFF. Non erit igitur veſtrum hoc regnum diu ſtabile, quandoquidem ex hypocritis, apoſtatis, hæreticis, ſchiſmaticis, & ex vniuerſa colluuie ſceleratorum collecti ſitis. Adde, quod hæc diſſidia (quibus ad vltionem veſtri, Deo authore, ſecti eſtis) ruinam huic regno veſtro minitantur imminere. Nam dixit Chriſtus: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. *Matth. 12. Luc. 11.*

OECOL. *Scimus Dominũ fideliter ſuos præmonuiſſe à pſeudophetis, quorum alij populum in ſolitudinem ducturi erant, quidam in ipſis ciuitatibus ad ſeditionem inſtigabant, vt author Ioſephus libro antiquitatum 20.*

ROFF. *Luth. & Caroſta. excitatores malorũ.* His verbis patimur, vt latenter mordeas Lutherum & Carolſtadiũ, atq; alios populi ſeductores & excitatores ad ſeditionem, & ad rebellionem contra principes ſuos, vnde tot millium cædes conſequuta eſt.

OECOL. *Attamen manifeſte hic diſcimus, non expectandam carnalem præſentiam vſque in diem illum, neque plures quam duos aduentus Chriſti in carne ſecundum ſcripturas nouimus.*

ROFF. Si de viſibili præſentia Chriſti loqueris, non repugnamus: Sin de inuiſibili, quid iſtud non legitime probat? Profer aliquem ex orthodoxis authoribus, aut quoduis apertum ſcripturæ teſtimonium, quo ſolide conſtet, non eſſe Chriſti corpus inuiſibiliter in Euchariſtia, & iam tale quiddam effeceris, quale neutiquam hactenus audiuimus ex te. Cæterum quod de Chriſti aduentu dicis, reſpondemus hanc præſentiam non proprie aduentum dici. Neq; enim propter *Chriſti præſentia in Euch. non dicitur aduentus.*

 ſacra-

ſacramentum vere aduenifſe de cœlo Chriſtum dicimus, ſed repente per mutationem panis in corpus eius præſentem factum eſſe, cœlo nequaquam (vbi pridem fuerat) ob id relicto. Quam rem & Damaſcenus teſtatur, inquiens: Quia cōſuetudo eſt hominibus panem edere, & vinum aqua mixtum bibere, coniuganit eis diuinitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem eius, non quod ipſum corpus, quod aſſumptū eſt, de cœlo deſcendat, ſed quoniam ipſe panis & vinum tranſit in corpus & ſanguinem Chriſti: Hæc ille.

Damaſ. li. de orth. 4. c.

OEcol. *Nihil videtur illis dictum, ſicut fulgur ab oriente vſq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis? Quæ docet aduentum ſuum poſthac non fore in humilitate, ſicut tunc, nec obſcurum, ſed manifeſtum, ita vt toti orbi pateſcat.*

Roff. Nobis illud vere dictum videtur. Nam & expectamus Chriſti reditum è cœlis, iuxta prædictionem angelorum, qui dixerunt: Sicut vidiſtis eum euntem in cœlum, ita veniet. Et erit aduentus cum ingēti gloria conſpicuus omnibus, quēadmodum & ipſe Chriſtus apud Euangeliſtas pollicetur. Cæterum, præſentiam eius ſub ſpecie panis inuiſibilem (quæ quotidie fit) aduentum proprie eſſe negamus, vti iam diximus.

Actor. 1. Marc. 13. Luc. 21.

OEcol. *At quum celebretur aduentus in panem, qui poſtea in penetralibus colitur, aliquid nimirum fit, quod cum dictis illis pugnat.*

Roff. Nihil Chriſti verbis aut dictis pugnat, quod nos aſſerimus. Nos enim Chriſti corpus & ſanguinem in altari præſentia eſſe confitemur, id quod ipſe ſuis verbis olim aſſeuerabat, dicens: Hoc eſt corpus meū, & hic eſt ſanguis meus. Sed neq; Chriſtū in penetralibus, ſed in locis publicis colimus, nimirū intra eccleſiam catholicam. Sed vos qui extra eccleſiam Chriſtum habere contenditis, in penetralibus eum colitis. Tu vero, qui non vereris inficiari palamque contradicere Chriſti verbis, aduerſus Chriſtum & eius verba pugnas.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Nihil repugnat, in cœlo Chriſtum eſſe, pariter & in altari.

Capvt XXXII.

OEcol. *Neque non & ſimiles loci, qui Chriſtum ſedentem in cœlis ad dextrā patris teſtantur, firmiores ſunt, q̄ vt conuelli queant, neque opus fuerit annumerare, quando quidem articulus eſt fidei, ſedere Chriſtum ad dextram patris. Colligat cui animus eſt, quæ dicuntur Marc. 16. Mat. 26. Lu. 24. Ioh. 17 13. 16 Acto. 1. 7. ad Roma. 8. ad Ephe. 1. 2. Cor. 6. ad Heb. 8. 9. 10. 12. 1. ad Theſ. 4. prima Petri 2. Et inueniet Chriſtum relinquere mundum, ire ad patrem, aſcendiſſe in cœlos, conſidentem ad dextram in thronis maieſtatis in cœleſtibus ſuper omnem poteſtatem, dominium & virtutem, vt appareat in conſpectu Dei pro nobis, venturumq; ſicut viſus eſt abire, ad iudicandum viuos & mortuos.*

Roff. Quid iſta congeris in cumulum, quæ nihil reluctātur, imo cōſtanter hæc omnia profitemur. Sed videri vis complures habere ſcripturas pro tua parte, quum nec vnam habeas. produc vnā, quæ neget Chriſti corpus in altari eſſe, & viciſti: ſi vero decem millia produxeris, quod idem Chriſtus ſit in cœlis, nihil contra nos.

OEcol. *Verum omnia deglubunt ij, & tropum familiarem ſcriptura ferre nequeunt.*

Roff. Quid tu perditiſſime tropum quæris, vbi ſcripturarum circumſtantiæ palam contradicunt, reclamatq; patrū omnium interpretatio. Tropum admittimus, vbi neceſſarius fuerit. At hic plane tantum abeſt, vt ſit neceſſarius, vt etiam vehementer perniciosus ſit, quippe, quum hic receptus, auferret à nobis tam eximium beneficium, inferretq; iacturam precioſiſſimi doni. Abſit in re tanti momenti tropum, à quouis hominum fictum admittamus, contra totius eccleſiæ communem ſententiam, & eandem hucuſq; receptiſſimam. Sed & anathema ſit, qui confingere tropum huiuſmodi conetur, quibuslibet ductus argutiolis.

Tropus in ſcripturis admittitur.

OEcol. *Nos ſane vrgemur fateri verum corpus Domini non eſſe ſuper terram. Nam hoc eſſet veritatem corporis auferre.*

Roff. Quid ad hoc aliud, precor, vrget te, quam ſpiritus ille nequiſſimus, qui iam poſſidet animum tuum, & hanc infidelitatem dudum ſuggeſſit tibi. Cur tibi non id credere liceat, quod ſcripturæ tam perſpicue docent, quodque patres tanto conſenſu conſtanter aſſeuerant, niſi quod in reprobam à Deo mentem datus ſis, ob præſumptuoſam huius tam arcani myſterij ſcrutandi curioſitatem. Satius vtiq; fuiſſet tibi, captiuaſſe rationem in obſequium fidei, relictaq; pertinacia tua, fidem ſanctiſſimis adhibuiſſe patribus, quam adeo temere propriis ingenij viribus fuiſſe confiſum.

Roma. 1. 2. Cor. 10.

OEcol. *Apud acutos autem homines illos nulla conſequentia prohibet idem corpus variis in locis corporaliter.*

Roff. Nihil omnino prohibet, quin iſtud efficiat Deus, vt idem corpus ſimul ſit in locis pluribus. Nam vt Hugo de Sancto Victore ſcite colligit: Qui locum (inquit) fecit, corpus fecit, & locum corpori, & corpus in loco. Et qui fecit, vt vnum corpus in vno loco eſſet, fecit ſicut voluit. Et ſi voluiſſet, aliter facere potuiſſet: Nam quando vult, aliter ipſe facit, & eſt ſicut ipſe vult, ſemper, quia autem ſicut ipſe fecit, vt corpus vnū in loco vno eſſet, tu quod factum eſt, vidiſti, & neſcis aliud, niſi quod factum eſſe vidiſti. Idcirco miraris quando aliud vides, vel audis, quam videre & audire conſueuiſti. Et paulo poſt ſubdit: Idcirco quum quid miraris, & dixerit tibi forte cogitatio tua: Quomodo hoc eſſe poſſit; cogita facientem, & deſinet eſſe mirabile, vel ſaltem incredibile non erit. Si factor omnipotens cogitur, non erit impoſſibile quicquid erit. Hæc ille.

OEcol. *Et mirum eſt, quum id Auguſtinus ad Dardanum non præſenſerit: quum id fere ex propoſito tractaret.*

Roff. Non diſquirit in ea epiſtola Auguſtinus, An idem corpus eſſe queat variis in locis. Sed an oporteat Chriſtum ſecundum humanitatem (propterea quod Deo verbo coniungitur) vbiq; per vniuerſum diffundi, ſicut & verbū ipſum cui vnitur, creditur eſſe diffuſum. Et docet id nequaquam

quam

qoam conſectaneum eſſe, atqne ob id proaimis verbis ante illa, qnæ recenſes ait: Secundum hãc formam, non eſt putandus eſſe diffuſus, hoc eſt, ſecundum formam humanitatis, quanquam deitas eius vbiq; ſit. Nihil igitur ad hanc epiſtolam attinet, An idem corpus qneat eſſe dnobus, pluribuſue locis, ſed an corpus Chriſti ſit vbiq;, ſicut & eius deitas vbiq; præſens eſſe creditur.

OEcol. *Et dicit ibi: Cauendum eſt ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem auferamus corporis. Non eſt autẽ conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus.*

Roff. Ecce & his verbis Auguſtinus aperte docet, quid caeutiat in illa epiſtola, nimirum: An Cbriſtus, quatenus homo, ſit vbiq;, ſicut & Deus eſt vbiq;.

OEcol. *Nam & de nobis veraciſſima ſcriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur, & ſumus, nec tamẽ ſicut ille, vbique ſumus. ſed aliter homo ille in Deo, quoniam & aliter Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo, vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrunque eſt vnus Chriſtus Ieſus vbiq; per id quod Deus eſt, in cælo autem per id quod homo.*

Roff. *Chriſtus eſt vbiq;.* Huc etiam tendit hæc argumentatio, qua iãdem ſubinſert Ieſum Cbriſtum, qui Deus eſt & homo, per id quod Deus eſt, vbiq; eſſe, per id vero, quod bomo eſt, in cœlo eſſe. Si hic dixiſſet Auguſtinus, tantum in cœlo eſſe; O quantum triumphum egiſſes.

OEcol. *Et in corpore epiſtolæ: Spacia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt, tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi ſint. Et ideo non alibi quam in cælo, corpore fatemur Chriſtum.*

Roff. Quam verſute tua verba ſubnectis Auguſtini, quaſi ſub vno verborum contextu, lectori videretur Auguſtinus collegiſſe, nimirum iſtud: Et ideo non alibi, quam in cœlo fatemur corpore Chriſtum. Hæc certe non ſunt Auguſtini verba, ſed tua, quibus lectori per dolum imponas, non enim hic Auguſtinus agit de Chriſti corpore, ſed explicare conatur modum, quo Deus eſt in ſeipſo, propter quod intereſſe plurimum docet, inter exiſtentiam Dei, & corporum exiſtentiã. *Auguſti. ſententia de exiſtentia Chriſti.*

Meram argutiam eſſe: corpus eſt in pluribus locis, igitur eſt & Deus.

Capvt XXIII.

OEcol. *NEq; repudiarim quod alius amicus & miniſter verbi ad me ſcripſit in hunc modum: Impoſſibile eſſe hominem in diuerſis locis ſimul eſſe, quando creatoris non creatura ſit vbiq; eſſe, omniaq; implere.*

Roff. *Corpus poteſt eſſe in pluribus locis.* Aliud eſt Oecolampadi, corpus eſſe pluribus in locis, per omnipotentem operationem Dei, & per naturam ſuam vbiq; eſſe. Quod enim vbique ſuapte natura ſe diffundit, Deus eſt. At iſtud nulli corporum competit. Quare non minus imperite colligit amicus ille tuus, atque tu facere ſoles: creatoris eſt vbiq; eſſe: Igitur & impoſſibile eſt hominem eſſe in pluribus locis.

OEcol. *Vide vt inconueniens ſequeretur, Deo eſt eſſe vbiq;, creatura ſi vbiq; eſſet Deus eſſet, eſſetq; iam Deus aliquis, qui olim non fuiſſet, Deus ergo cœpiſſet in tempore.*

Roff. *Chriſti corpus poteſt eſſe vbiq;.* Quis dicit Chriſti corpus vbiq; eſſe? Neq; enim ſequitur: poteſt per operationem Dei, corpus aliquod vbiq; eſſe. Igitur ita eſt de facto. Neque enim Deus ad effectum perducit, quicquid poteſt. At vrges: Poteſt ergo Deus ad effectum reducere. Poteſt vtiq;, modo velit. Nihil enim apud Deum Impoſſibile eſt. *Luca 1.* Nam potuit tria tãtum ab initio loca creaſſe, & in ſingulis horum trium Chriſti corpus inſtituiſſe. Quod ſi Deus ad hunc modum feciſſet, iam profecto verũ eſſet, hoc corpus eſt vbiq;. Eſt enim in omni loco. Nec propterea ſequitur, quod ipſum Deus ſit. Quoniam inde nulla colligitur infinitas, quum non ſuapte natura ſit vbiq;, ſed per forinſecam operationem Dei duntaxat.

OEcol. *Dicunt Deum omnia poſſe, fateor, at hoc poſſe, vt gloriam ſuam alteri tribuat, quæ ſolius Dei eſt, eo conſtanter inficias. Iam humanitas Chriſti tota quid aliud quam creatura eſt, quæ aliquando non fuit. Chriſtus vt Deus in ſinu patris ſemper fuit, vt homo, non item, ita referebat amicus. neque multum ab Auguſtini abeſt ſententia, etiam ſi verbis diſtet.*

Roff. Quid ais? Nunquid Chriſtus non eſt verus Deus, & verus homo? & quatenus homo eſt (vt iam tu colligis) creatura eſt. Quid ergo? Nunquid non Deus gloriam ſuæ deitatis huic creaturæ communicauit? Cur igitur miraris, ſi talis homo qui Deus eſt, nõ dico, ſit ſed eſſe poſſit in pluribus locis, quandoquidem ei communicatur gloria deitatis? Nam id ex argumento amici tui colligitur, tam perite ſcilicet collegit, vt ſeipſum implicauerit, & quod ſtruere moliebatur, eliſerit penitus.

OEcol. *Sed nõ dicent opinor, aduerſarij, idem corpus poſſe vbique eſſe, & implere omnia.*

Roff. *Supra eodem.* Iam reſpondimus id fieri poſſe, modo Deus ita velit, & non de corpore Cbriſti ſolum, verum etiam de quouis alio corpore. Nam ſi Deus tria tantum loca condidiſſet ab initio, & corpus vnum feciſſet præſens vnicuiq; dictorum trium locorum, iam verum eſſet, hoc corpus eſt vbiq;, nec propterea conſequitur, vt idem ſit Deus: Deus enim ſuapte natura, & ratione immenſitatis ſuæ, nulli loco poteſt non præſens eſſe, nec habet poſſibilitatem vllam, vt ſit locus aliquis, in quo ipſe non ſit præſens. Hæc autem haudquaquam competunt in corpus aliquod, quum neq; ſuapte natura, neq; ratione immenſitatis, neceſſariũ eſt vt ſit vbiq;. Sed ſi Deus per omnipotentiam ſuam illud effeciſſet, præſens in omnibus locis, habet nihilominus in ſe ſemper poſſibilitatem, vt non ſit in omnibus. Quamobrem & ingenti adhuc diſcrimine ſeparatur à natura deitatis. Quare & inepta eſt collectio tua. Sed quid in his nugis tempus terimus inutiliter.

OEcol. *Apparet tamẽ, ſi demus poſſe eſſe ſimul in diuerſis locis, quod ſequatur etiam poſſe eſſe in omnibus locis, nihil enim obſtaculi maioris erit, in diuerſis locis, vel in omnibus locis eſſe, niſi quod hoc gloria Dei ſit, illud autem Deus, ſalua gloria ſua, communicare poterit alteri, ſiquidem nihil eſt quod repugnet. verum de hac re ſatiſfaciat ille.*

Oſten-

Roff. Oſtendimus (opinor) dilucide, non propterea Deũ ſuam gloriã alteri cõmunicare, quod ipſum per omnipotentiam ſuam efficiat, vt ſit in omnibus locis, niſi talem ei naturam pariter donauerit, quæ non habet poſſibilitatem nõ eſſendi in omnibus, atq; hoc propter immenſitatem eſſentiæ ſuæ, verum iſtud (vt diximus) nulli rei communicatur, quæ non ſit etiam Deus. Et ad hunc modum intelligendus eſt Auguſt. quum dixit: Cauendum eſt, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem auferamus corporis, hoc enim ad veritatem attinet corporis, vt non neceſſario ſuapte natura, vel in pluribus locis, vel vbiq; ſit, imo ſemper annexa eſt ei poſſibilitas, non exiſtendi in pluribus.

Mens Augu.

OEcol. *Certum eſt ſi Deus communicet tale quippiam creaturæ citra iacturam ſuæ gloriæ communicaret. Atqui hoc veritati corporum, vt à Deo ſunt condita derogaret, ſiue de continentibus ſiue contentis loquamur, ſuis enim corpora quæq; circumſcriptionibus finiuntur.*

Roff. Hoc vno verbo totam argumentationem tuam ipſe ſubruiſti, tam ſcilicet es peritus artis dialecticæ, nimirum quum dicis, vt à Deo ſunt condita. Nam iuxta rationem, qua corpora communiter à Deo condita ſunt, locis quibus adſunt circumſcribuntur. At quod in Euchariſtia corpus Chriſti ſit, nõ circumſcriptiue, ſed ſupra cõmunem naturæ curſum fit, & ſupernaturali potentia Dei. Nihil ergo derogat iſtud naturæ corporis huius, tametſi deroget curſui naturali, quẽ ab initio Deus corporibus indidit. Sed neq; ſimpliciter neceſſe eſt, vt ſemper externis corpora quæq; finiantur circumſcriptionibus, quemadmodum & de extimo cœlo palam eſt; Neq; non adiunctam Chriſti corpori quantitatem auferimus. Sed habere veram quantitatem ſuam aſſerimus, & omnes partes iuxta partium ordinem, in toto licet, non itidem in loco, talis ordo partium ei cõtingat. Sed hæc tuum cerebrum neutiquam admittit. Mihi certe viſus eſt Innocentius recte dixiſſe: Quemadmodum, inquit, Dei filius, ſecundum diuinitatem, habet triplicem eſſendi modum. Primum in omnibus per eſſentiam; ſecundũ in iuſtis per gratiam: tertium in homine Chriſto per vnionẽ. Ita corpus Chriſti localiter eſt in cœlo, perſonaliter in verbo, ſacramentaliter in altari. Eſt enim ibi verum Chriſti corpus, ſed nõ localiter. Neq; enim circumſcriptiue (vt aiunt) ibi eſt, neq; diffinitiue, ſed per mutationẽ panis in ipſum. Verum iſtud, pertinax animus tuus, & craſſior imaginatio, capere non poteſt. In ſumma, nihil is modus eſſendi corporis Chriſti, in pluribus hoſtiis repugnat, aut potentiæ diuinæ, aut philoſophicæ rationi, aut eſſentiis corporum iuxta naturæ ſuæ veritatem. Nam quicquid natura prius eſt altero, nihil oportet vt illud abſoluta neceſſitate multiplicetur, ob iſtius poſterioris multiplicationẽ. Quare quum locus poſterior ſit, & accidens corpori, nihil repugnat, quin locis pluribus exiſtentibus, idem omnino corpus in eis locetur. An non in Euang. Iohan. legis, Ieſum ad diſcipulos intraſſe ianuis clauſis. Quocirca corpus eius, & corpus muri, ſimul fuerunt in eodem loco. hoc ipſum etiam factum eſt, quum exiit infans vterum virginis, & quum ſurrexit nondum remoto lapide. Quod ſi in his omnibus duo corpora per diuinam potentiam fuerint in eodem loco, & ipſe idem locus pluribus corporibus communicatus ſit, quid prohibet, quo minus & vni corpori duo aut plura loca communicentur. Cæterũ ſiue duo corpora locum vnum obtineant, ſiue duo loca corpus vnum, vtrumq; miraculo fit, & non iuxta rationem, qua ſunt à Deo iam condita.

Corpus Chriſti habet ſuã quantitatem.

Innocentius.

Corpus Chriſti habet triplicem eſſendi modum.

Idem corpus in pluribus locis.

Iohan.20.

Luc.2.

Matth.27.28.

Marc.15.16.

OEcol. *Spirituũ longe alia ratio eſt, qui loco non opus habent, & ante conditum mundum Deum laudarunt, vt habet veterum theologorum opinio.*

Roff. In ſingulo quoq; nihilominus illorum ſpirituum, quamuis eſſent multa millium millia, Deus ipſe præſens erat, & multo quidem intimius, quam fuerat quiſquam illorum ſibi. Adde, quod nec vnuſquiſpiam eorum ita fuit præſens in altero, ſicut Deus erat præſens in eorum ſingulis. Sed & iã creato mũdo nõ vbiq; ſunt ipſi ſpiritus, ſed certi limites eorum eſſentiis præſcripti ſunt: Deus vero per naturã ſuam illimitate, nulli loco nõ præſens eſt, nec poſſibile eſt vt cuiquã deſit.

Spiritus non ſunt vbiq;.

OEcol. *Nobis hoc ſat fuerit euiciſſe, Chriſtum corpore in cœlo, & in ſacramenta reſidere, per ſacramenta autem admonere, excitare, conſolari, & fere omnia facere, quæ per verbum, ſiquidem cognita fuerint.*

Roff. Nec iſtud hactenus euiciſti, neq; euinces vnquam, nempe quod Chriſtus non ſit in ſacramẽto. Nã ſolidioribus fulcris hoc ipſum confirmatum eſt, quam tu reuellere queas, cum omnibus tricis, artubus, mendaciis, & ſophiſmatibus tuis: verum nihil horũ, tametſi multa protuleris, pro-
fecit tibi. Tot enim à nobis ſtãt. principio Chri- 1.
ſtus ipſe, qui ſe promiſit eccleſiæ nunquã defu- *Matth 28.*
turum, deinde ſpiritus Chriſti, qui peculiariter 2.
huius rei gratia perpetuo reſidet in eccleſia, ni- *Iohan.19.*
miſũ, vt eã inſtruat in omni veritate, his adiunge
tot ſcripturas mirifice ſibi conſonãtes. Accedũt 3.
& patrũ calculi, q vno ore conclamãt ita rẽ ſe ha- 4.
bere. Hucdeniq; ſpectãt illa omnia, quæ ſuperius *In prol.3 Lib.5.*
in corroborationibus adduximus, quarũ nec minimã infirmare poteris. Neque te tamen pudet aſſerere, iã euiciſſe, non eſſe Chriſtũ in ſacramẽto.

Chriſti corpus in Euch. probatur mul. teplaciter.

Abutitur Pauli verbis, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.

Capvt XXXIIII.

OEcol. *Deniq; ſicut in ſacris operationibus ſacerdotem audimus dicentem nobis, ſurſum corda.*

Roff. Iſtud ſuperius attuliſti, cui & nos ante reſpõdimus, in ſacris vtique ſacerdos illud dicit, ſed ante conſecrationem panis in corpus Chriſti. Cæterum, quid tibi cum ſacris illis, de quibus velim audias quid in eadem epiſtola, quæ per te proxime citata eſt, ſcribit Auguſtinus, de corpore eccleſiæ loquens: Huius corporis (inquit) caput eſt Chriſtus, huius corporis vnitas noſtro ſacrificio commendatur. Quod breuiter ſignificauit apoſtolus, dicens: Vnus panis, vnum corpus multi ſumus: per caput noſtrum recon-

Lib.1.cap 10.

Lib 5.cap 32.

1.Cor.10.

reconciliamur Deo. Quia in illo eſt diuinitas vnigeniti facta particeps mortalitatis noſtræ, vt nos participes eius immortalitatis eſſemus, hoc ſacramentum longe eſt à cordibus ſuperborum, & ideo non Chriſtianorum, ac per hoc nec vere ſapientium. Illorum etiam dico ſapientium, qui cognouerunt Deum. Quia cognoſcentes Deum, ſicut dicit Apoſtolus, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Noſti in quo ſacrificio dicatur, gratias agamus Domino Deo noſtro; à cuius ſacrificij humilitate longe abeſt typus & cothurnus illorum. Hæc ibi. Quid tibi impie igitur, cum ſacris & ſacrificio illo, in quo corpus eccleſiæ commendatur, & caput eius offertur Chriſtus, per cuius eſum ſub ſpecie panis tam nobis inuicem, quam illi, ceu membra capiti, connectimur. Sed ab huius ſacrificij humilitate, longe abeſt hæreticorum obſtinacia.

Roma. 1.

OEcol. *Ita & Paulum audiamus ſine intermiſſione clamantem: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus ad dextram Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.*

Roff. Coloſ. 3. Quid tibi vis cum hac ſcriptura? Nam hic iubemur non quærere verbum Dei, non ſcripturas ſacras, non fidem, ſpem, & charitatem, non cæteras virtutes, non proborum virorum conſilia, non ſacerdotum abſolutionem, non baptiſmum, his qui nondum acceperint, non id genus reliqua. Nunquid non ſunt hæc omnia ſuper terram? Sed de cœlo (inquit) iſta ſunt: ſic & hoc ſanctiſſimum ſacramentum de cœlo eſt. Nam omnis donatio bona, & omne donum perfectum, è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum, vti Iacobus ait. Quare ſi non iſtud quærendum ſit, nec illa quæri debent, ſunt enim & illa non minus ſuper terram, quam iſtud eſt. Diſtinguit igitur hoc loco Paulus terrenas cupiditates à cœleſtium curis, nos diligenter admonens, vt illas auerſemur, his vero ſimus attenti. Nam per ea quæ ſuper terram eſſe dicit, rerum terrenarum affectus intelligit, quibus abducimur à cœlo, per ea vero quæ ſurſum ſunt, deſideria rerum earum, quæ ducunt ad ſuperna, cuiuſmodi ſunt omnia, quæ in eccleſia Chriſtianis exhibentur. An non iubet & Paulus, vt quoties panem hunc ederimus, & de poculo biberimus, mortē Domini annunciemus? An tu putas dominū adhuc in cruce pendentem, & mortuum in cœlo iam eſſe? Sed inquis, hæc nos cogitatio ducit ad Chriſtum, qui in cœlo eſt. Idem & nos reſpōdemus, nempe per hoc ſacramentum, ad eundem etiam nos duci. nihil igitur ad rem tuam hæc ſcriptura facit.

Iaco. 1.

Coloſ. 3.

1. Corin. 11.

OEcol. *Imo in Paulo Chriſtum ipſum ad ſe à terrenis curis ac ſolicitudinibus auocantem audiamus.*

Roff. Recte negotium noſtrum iam expendis, quū ea quæ ſuper terram ſunt, rerum terrenarum curas & ſolicitudines interpretaris. Auocat igitur iis nos Chriſtus ad alia, quæ ad ſe in cœleſtem patriam perductura ſunt. Sed non auocat ab illis

Supra eodem. quæ ſupra memorauimus.

OEcol. *In cœlo enim noſter municipatus, & noſtra Hieruſalem eſt, ſiquidem vere Chriſto nomen dedimus. Abſtineamus tāquam peregrini, non ſolum à carnalibus deſiderijs & concupiſcentiis, quæ militant aduerſus animam noſtram, ſed etiam mereamur elementis mundi, & quantum permittit huius incolatus ærumnoſi neceſſitas, angelica frui beatitudine enitamur.*

Roff. Fateamur noſtrum in cœlo municipatum, ac noſtram Hieruſalem eſſe. At nihilominus & hæc Hieruſalem, quæ in terris peregrinatur, quæq; columna eſt, & baſis veritatis, noſtra mater eſt, imo verius vna mater vtraq; nobis eſt, cuius pars in faſtigio montis locata eſt, pars autem adhuc in radicibus montis verſatur. Propter quod & Paulus ad Hebræos dicit: Nos qui veri Chriſtiani ſumus, acceſſiſſe ad montem Syon, & ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, &c. Quotquot itaq; ſe eccleſiæ filios agnoſcūt, mundum vna cum vitiis, & concupiſcentiis eius ſugere laborantes, ad radicem huius montis poſiti ſunt, & municipatus eorū in cœlo eſt, & ad Hieruſalem illam cœleſtem pertinent, in qua & ciues conſcripti ſunt, nec tamen ob hæc ſpernere debent, quæ interim in radicibus montis, hoc eſt, in eccleſia peregrinante, facere & tractare iubentur.

1. Timo. 3.

Mater noſtra eſt vna.

Hebræ 12.

Chriſtiani nō debent aſpernari ſacramēta eccleſiæ.

OEcol. *Quid quærimus vanitatem? quid ſectamur noxia? ſurſum Dominus eſt. vbi theſaurus noſter, ibi ſit & cor noſtrum, illuc precum & gratiarum actionum noſtrarum dirigantur ſuffitus & incenſa.*

Roff. Non ſunt hæc vana blaſphemiæ, quæ ſuperius memorauimus, neq; noxia, ſed ſolida & ſalutaris. Surſum eſt Dominus, non diffitemur, Sed & hic in eccleſia Dominus eſt. Nam & ipſe dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi. An tu nihil hic in eccleſia (quæ ſuper terram eſt) à nobis agendum exiſtimas, quando Spiritus ob eam rationē huc ad nos è cœlo miſſus fuerat, vt perpetuo nobiſcū maneret? fruſtra certe demiſſus ad nos è cœlo fuiſſet, ſi nihil eorum quæ hic in eccleſia fiunt, verſare animo deberemus.

Matth. 28.

Alium rurſus locum ex eadem ad Coloſſenſes epiſtola citat, qui nihil ei conducit.

Capvt XXXV.

OEcol. *AD magna enim & valde magna hortatur nos Paulus, in ſublimi illa ad Coloſſenſes epiſtola. Neq; hoc ſolum agit, ne in cibo & potu & parte diei feſti, ac circumciſione Iudæos imitemur, quod facile, ſed & elementis mūdi mortuos vult, vt caput ipſum Chriſtū teneamus, adepti agnitionem myſterij Dei & patris & Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi, propter quem omnia pro ſtercoribus reputemus.*

Roff. Hic non (opinor) intelligis per cibum & potum, corpus & ſanguinem quo veſcimur & potamur in hoc ſacramento, de quo iam agimus. Quandoquidem iſtud neutiquam Iudæis datum fuerat. Sed neque per elementa mundi. Nam eadem ratione damnares & panē & vinum tuū. Poſtremo, nec per illa omnia quæ dicis, pro ſtercoribus reputanda, quicquā illorū cōprehendendum

deudum cenſes, quæ recta ducunt ad Chriſtum. Non igitur video cur hanc ſcripturam introducas, quum ea neq; noſtrum lædat, neq; tuo quicquam conferat inſtituto.

OEcol. *Multi ſunt Pſeudoprophetæ, qui tanquam latrones nobis theſaurum hunc auferre quærunt, quorum quatuor genera ibi perconſuerat. Sunt enim Sirenes & Ethnici Poetæ quidam, qui ad delicias ſeculi, & fugam crucis, blandiloquentia ſua allicere quærunt.*

Roff. Nunquam ſatis taxari quibit iſta vafricies & verſutia tua. Nam iuxta partitionem iſtam, nullus hic tibi locus relinquitur. Cur iſtud (quæſo) tranſilis? hoc autem dico, ne quis vobis imponat probabilitate ſermonis. An non hic Paulus omnes Chriſtianos hortatur, vt à te tuiq; ſimilibus ſibi caueant? qui viribus eloquentiæ fiſi, dolis item & ſophiſmatum argutiis nixi, ſimplicioribus Chriſtianis fucum facere contenditis, & veritatem euangelici ſermonis prorſus euertere. Nõ hic certe de Poetis Ethnicis loquitur, ſed de quibuſuis, qui probabilitate aliqua ſermonis abducere nituntur à Chriſto, in quo iam dixit ipſe Paulus, omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei eſſe reconditos. An non & tu ex iſtis es, qui tuo cerebro confiſus, contra patrum omnium aſſertiones, & ſcripturarum conſenſum his Chriſti verbis, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, fucũ obducere moliris? vt nõ vere Chriſtus, ſed tantũ figurate dixiſſe intelligatur.

Coloſ. 2.

Paulus cauẽdum docet ab impoſtoribus.

Coloſ. 2.

Matth. 26.
Marc. 14.
Lucæ 22.

OEcol. *Sunt & philoſophi qui inani ſapientia tandem negari Deum faciunt, adeo multum hominibus, & parum, vel ſi multa inepte Deo tribuunt.*

Roff. Et tu ſimiliter ea iſtis es. Neq; enim vllius inanior ſapientia eſt, quam illius qui verbis Chriſti, propter eam, quæ ſenſibus & rationi humanæ ingeritur difficultatem, non aſſentitur, ſed viribus ingenij ſui potius quam aſſertioni Chriſti manifeſtiſſimæ fidem adhibet.

OEcol. *Inſidiantur & Iudæi, freti non ratione, ſed Moſe & legis litera, qua nos humilient.*

Roff. Multo magis tu nobis inſidiaris, qui paria cũ vmbris Iudæorum niteris hæc noſtra ſacramenta facere, id quid falſiſſimum eſt, & contra patrũ omniũ ſententiã, vt aperte ſuperius oſtendimus.

Lib. 2. cap 29. cap 32. lib 4. cap. 1. li. 5. c. 2. & 11.

OEcol. *Denique, pernicioſiſſimi omnium ſunt, qui & nomine Chriſti abutuntur, & cum humiliatione corporis, ad adorationem non carnis, ſed angelorum & ad ſpem in ſacramentis externis magis quam in his, quæ per illa ſignantur, non minimum remoramentum, quo minus in cælos ſubuolemus ad Chriſtum ipſum, vocant, vt in aquæ tinctione & carnis manducatione.*

Roff. Hoc eſt quod modis omnibus conamini, ſacramenta videlicet iſta nobis auferre. Sed ſi nõ fuiſſet aquæ tinctio neceſſaria, non iuſſiſſet Apoſtolos apud Matth. Chriſtus, quatenus euntes docerent omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus Sancti; & apud Marc. non his qui tantum credunt, ſed qui pariter baptizati ſunt, ſalutẽ pollicetur. Qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit, ſaluus erit. hunc ergo canonem apoſtoli ſecuti, baptizabãt vbiq; quos fidem habere iudicabant. Nam Petrus quum in concione quadã tria millia Iudæorũ ad fidẽ conuertiſſet, nihilominus eoſdem baptizauit. Rurſum, quum hi, qui cum Cornelio fuerant, audita Petri concione, non ſolum credidiſſent, verũ etiam accepiſſent Spiritum ſanctum, ita vt linguis etiã loquerentur, nihilominus baptizauit & eos. hoc ipſum & cæteri fecerunt ſimiliter, quemadmodũ ex Actis apparet. Non autẽ iſtud feciſſent, niſi præter fidem, neceſſarium eſſe baptiſmum Chriſtianis putaſſent. Similiter & de ſacramẽto Euchariſtiæ Chriſtus dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis. Quiſquis itaq; vitæ illius incorruptibilis participare cupit, hunc neceſſe eſt, ſi detur oportunitas, hoc ſacramento veſci. Cæterum de ſacramentis iſtis ibi ne verbũ quidẽ Paulus facit: Sed tantum de veteris inſtrumẽti figuris & vmbris. Verum hæc intexis more tuo ſubdole. Detorques & alia Pauli verba, longe aliter, quam ille ſenſit, quæ quum parum ad rem ſpectẽt, ſilentio præterimus. Sed quum nos externis illis ſpeciebus panis & vini, veritatem corporis & ſanguinis ſubeſſe, nihil dubitamus, ſtulte colligis maiorem fidem nos in ſigna ponere, quam in res ipſas, quæ ſignantur. Deniq;, quum in hoc ſacramento, Chriſtus ipſe ſit, idem & non alius quam qui iam in cœlo eſt, non remorabitur nos à Chriſti cogitatione magis, quã tuum commentitium ſacramentum, quo doces Chriſtum in cruce mortuum cogitandum eſſe.

Matth. 28.

Marc. 16.

Actor. 2.

Actor. 10.

Baptiſmum eſt neceſſarium.

Iohan. 6.

Coloſſ. 2.

Euch. non remoratur nos à cogitatione Chriſti.

OEcol. *Omnibus illis doctoribus relictis, magiſtrum in cœlis ad ſe vocantem audiamus, non quod cibo, diuitiis, philoſophia, magiſtratu, abſtinentia ſacramentis nemo poſſit bene vti, ſed quod præſentibus omnibus, etiam in vſu ipſo penetrandum ſit ad Chriſtum, cuius in cœlis, non in menſis, quas altaria vocamus, ſedile.*

Roff. Et hic iterum blaſphemas, connumerans ſacramentum iſtud cum cibo communi, diuitiis, philoſophia, negans etiam in altaribus Chriſtũ eſſe, quum nec argumentis vllis, quæ tantillum valent, nec ſcripturis vllis, niſi per vim abs te detortis, aut deniq; patrũ quorumpiam orthodoxorum teſtimoniis hactenus probaſti. Nos vero cõtra, nihil horum non produximus, & copioſe quidem pro noſtra ſententia.

OEcol. *Tam ardua præſcribit Paulus. Nam ſicut ibi dixerat de noſtra circumciſione, quæ fit ſine manibus, quãdo exutos corpus peccatorum carnis per circumciſionem Chriſti conſepultosq́, ſimul cum illo per baptiſmum ad ſpiritualem baptiſmum exhortatur, ita proculdubio alio pane extra ſacramentalem illum nos vult veſci, pabulaq́, in loco cœleſtis paſcua inter angelos requirere.*

Roff. Quid non producis locum, quo Paulus Coloſſenſes hortatur ad baptiſmũ. Scribit equidẽ eos per baptiſmum conſepultos eſſe Chriſto; vbi certe per baptiſmum, nihil aliud intelligit, quã baptiſmi ſacramentũ: Nam circũciſio Iudæorũ tum repudiata fuit, cuius loco noſter baptiſmus ſucceſſit. ſic vbiq; ſcripturas te peruertere non pudet, neq; vereris, aut homines, aut Deũ. Quod vero colligis, Paulum illis verbis alio pane velle nos veſci, extra ſacramentalẽ illũ, ſtultiſſime colligis: quũ locus ille nihil ad negotiũ noſtrũ ſpectet. Concedimus tamẽ hoc ipſum quid colligis.

Coloſ. 2.

Paſtus hominum varius eſt.

Nam

Nam & verbo Chriſti paſcendi ſunt Chriſtiani, pariter & pane communi, qui panes extra ſacramentalem iſtum panem ſunt, nec iſtud obſtat, quo minus in ſacramēto Chriſti corpus edamus.

Denuo Pauli verba repetit, quibus & ad Chriſtum in cœlo nos inuitat.

Capvt XXXVI.

OEcol. *SYmbola quidem illa ſuo honore digna ſunt, & noſtro vſui ad vtilitatem proximi, qui noſtro gratias agentium exemplo glorificat patrem in cœlis, ſeruiant.*

Roff. Quali (te precor) honore digna ſunt illa tua ſymbola, quę nullam in ſe de nouo realem ſanctitatem acceperunt, quā non habet panis & vinum in menſa quauis prophana. Neque enim ſubſtantiam aliam, neque qualitatem, neque virtutis efficaciam, imo nec immutationem quamlibet realem, quam ante non obtinuerunt, iam tu putas eſſe conſecuta, ſymbola vero noſtra longe aliter ſe habent, quippe, quibus nos indubitato credimus, adeſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, quæ & memoriam acerbiſſimæ paſſionis eius nobis ingerunt, ſicut & Paulus aperte docet, & citra (1. Cor. 11.) figuram aliquam, ea per ſe nobis efficacia ſunt, ad inflammandum animos, vt citra proximorum exemplum excitemur ad glorificationem patris, qui in cœlis eſt. Sed quantum eſt inconſtantiæ tibi, qui nunc ad contuēdum proximorum exemplum nos mittis, qui ſunt hauddubie ſuper terram, quum nuperrime nuſquam alio cogitationem noſtram diuerti permiſeris, niſi ad Chriſtum, qui in cœlis eſt.

OEcol. *Atqui vt illis tam ſublime quiddam inſitum credamus, neutiquam habet ſcriptura.*

Roff. Quis æquanimiter tolerare poterit hæc tam craſſa mendacia tua, imo veras blaſphemias, qui contra dilucida verba Chriſti, negas quiddā ſublime ſub illis ſymbolis contineri, quandoquidem ipſe panem acceptum in ſuas manus benedixerit, (Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Iohan. 6.) benedictumq; ſuis diſcipulis porrexerit, dicens: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Cui facto dictoque, ſi quis priorem Chriſti pollicitationem de pane ſuæ carnis exhibendo coniunxerit, perſpiciet ea tam concinne ſibi mutuo reſpondere, vt pollicitatio factum, & factum viciſſim ipſam pollicitationem omnino ſolidam reddat.

OEcol. *Sed vult nos relinquere non ſolum terreſtria, quæ χθόνια vocantur, ſed etiam τὰ ἐπὶ γῆς, ea quæ ſuper terram. corpus Chriſti ſi in ſacramento foret, terreſtre quidem non eſſet, eſſet autem ſuper terram; quod non iubetur vel quæri vel curari, eo quod ſuper terram.*

Roff. Hanc ſtolidam impudentiam quis ferat? An non Chriſtus hic in eccleſia ſaltem Deitate præſens eſt, quandoquidem ipſe dixit: (Matth. 18.) Vbi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Et vbi te precor? Nunquid in piorum cordibus? Et hęc vbi ſunt, An non ſuper terram? Quā igitur iniuriam Chriſto facit, qui iſtud credens, Chriſtum hic ſuper terram veneratur? Et Spiritus ille ſanctus, An nō in eccleſia reſidet? Et vbi quæſo? Non (opinor) dices in lapidibus, & lignis, ſed in animis hominum, qui needum in cœlis ſunt, ſed ſuper terram. Ad hæc, Paulus Timotheum hortatur, (1. Timot. 3.) vt diſcat, quomodo conuerſari debeat in domo Dei, quæ eſt eccleſia, nimirū iſta, quę adhuc peregrinatur ſuper terram: falſum igitur eſt, quod quicquam horum Paulus relinquere iubet, quum tamen hæc omnia, ſicut & alia multa, quæ paulo ſuperius memorauimus, plane ſuper terram ſint. Aptius igitur hūc locum Eraſmus reddidit, (Supra lib. 3. c. 34.) qui pro τὰ ἐπὶ τῆς γῆς terreſtria vertit. Nam & inferius eodem vſus verbo Paulus, (Coloſ. 3.) quum de membris corporis peccati ſermonem habet dicens: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, (Vitia dicuntur terreſtria) ſtuprum, immundiciam, molliciem, cōcupiſcentiam malam, & auaritiam, hæc vtique nihilo magis ſuper terram exiſtunt, quam eorum oppoſita. ſed illa terreſtria ſunt: Hæc autem cœleſtia, nō quod iam in cœlo ſunt, ſed quod eo cultores eorum vehant ac promoueant.

OEcol. *Quod ſi ſuper terram Chriſtus, iam non erit ſacerdos, atqui in cœlis ſanctorum eſt adminiſtrator ac veri tabernaculi, quod fixit Deus & non homo, quo ingreſſus vna pro peccatis oblata victima, nihil à terris, vt patrem placet denuo, offert.*

Roff. Et hic in Eccleſia ſacerdos eſt, & in cœlo quoque: (Chriſtus eſt ſacerdos in cœlo & in eccleſia.) Nam hoc ipſum & patres concorditer aſſerunt, in qua re vel Ambroſium audias, quem pro te tantopere facere contendis. (Ambroſius.) Nam & ſi libros eius aliquos notaueris carbone, ne tibi præiudicarent, in aliis tamen, quos negare non licet, abunde ſatis iſtud teſtatur. Audi primum quid dicat primo libro de officiis cap. 48. vbi poſtquam Iudæis tribuerit vmbram, Chriſtianis imaginem, beatis ipſiſſimam veritatem, ſubdit: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, ecce vmbram. Nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſeipſe quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat: hic in imagine. Ecce imaginem: Ibi apud patrem pro nobis, quaſi aduocatus interuenit. Ecce veritatem. Nunquid his verbis Ambroſius (quem toties ipſe videri vis fautorem tuæ cauſæ) non palam aſſerit Chriſtum in hoc ſacrificio corporis & ſanguinis ſui ſacerdotem eſſe? Huc etiam accedit, quod idem libro de benedictionibus patriarcharum, capite nono, de hoc ſacramento ſcribat, inquiens: Hic ergo diues eſt theſaurus, huius pinguis panis, quem qui manducauerit, eſurire non poterit, hunc panem dedit Apoſtolis, vt diuiderent populo credētium, hodieq; dat nobis eum, quem ipſe quotidie ſacerdos conſecrat ſuis verbis. Hic ergo panis factus eſt eſca ſanctorum. Poſſem hic longum aliorum patrum catalogum texere, ſed is vnus impræſentiarum abunde ſufficiat.

OEcol. *Illuc animis & cogitationibus noſtris recurrendum, illinc nobis copioſa dona, quæ promiſit, largiter conferet liberaliſſimus Chriſtus, atq; omnia felicius. quam ſi eum ſuper terram quæreremus etiam ſi viſibilis foret.*

Roff. Illuc certe fatemur tendendum eſſe, verum interim iſta ſi vel contempſerimus, vel neglexerimus, nunquam eo perueniemus. (In terris ſummopere nitēdū eſt ad cœleſtia per debita media.) Nam his velut mediis quibuſdam vti nos interim voluit Paulus,

quibus illa tandē felicius capeſſemus. Et certe nō niſi breue temporis ſpacium eſt, quod menſæ dominicæ ſingulis diebus impartimur, quod etiam nobis parū proderit, niſi reliqua parte diei rerum terrenarum curis & ſolicitudinibus abſtinuerimus. Mens igitur Pauli eſt, vt relictis carnis, & & mundi ſtudiis, ea curemus, quæ ad vitæ conducunt pietatem. Nam iſta ad nos Chriſtum indubitato promouent.

Obiicit apoſtolos non fuiſſe capaces doctrinæ ſublimioris, dum Chriſtum haberent carnaliter præſentem.

CAPVT XXXVII.

OEcol. *Nam ſi apoſtoli quandiu ſuper terram agebant, non erant capaces ſublimioris doctrinæ, ſed virtutem Spiritus ſancti, poſtquam in cœlos aſcendit, acceperunt, quid nos ſperamus, quandiu à carne pendemus, & non illuc cum gratiarum actione tendimus, vbi preces exaudiri & vnde Spiritum ſanctum cum donis emitti ſperamus.*

Roff. Vbique nobis excæcationis tuæ præbes indicium. Quid aliud precor tum obſtitit apoſtolis, quam viſibilis pręſentia corporis Chriſti, qua iam nos nihilo minus quam illi caremus. Neq; enim viſibiliter Chriſtum pręſentem cernimus, ſed fide ſola tenemus. ingentem profecto cōſolationem ex præſentia Chriſti viſibili perceperunt apoſtoli illi, propter quod diſceſſurus ab eis, alium ſe miſſurum è cœlis conſolatorem pollicebatur, nempe Spiritum ſanctum, quē perpetuo manſurum eſſet in eccleſia. Sed & ipſe nihilominus affuit, & adeſt, licet inuiſibiliter: parum igitur perite colligis: Neceſſe fuit apoſtolis carere viſibili pręſentia corporis Chriſti. Quare neq; nobis adeſt inuiſibiliter. Accedit huc, quod tu fateris Chriſti carnem, quæ iam abſens eſt, viuificare credentes. Nunquid igitur his non eſt pendendum ab ea carne, quæ viuificat eos, licet abſens ſit? & quare nos non ſimili modo pendebimus ab eadem carne, quam hic pręſentem eſſe non ambigimus? & ea ratione datam, vt comeſta viuificet, & viuida nos efficiat ipſius Chriſti membra. Porro de Spiritu ſancto, quod ais, nos vere miſſum credimus, & hic cum donis ſuis in eccleſia perpetuo commorari. Quod & ſi vos pariter crederetis, nihil hęſitaretis de certitudine dogmatum eccleſiæ Catholicæ. — Iohan. 16.

OEcol. *Breui alium fructum Euchariſtiæ germinare videremus, ſi animus magis in cœlum fixus transferremus, quam ſi puerilibus opinionibus addicti non tam ea quæ Chriſti ſunt, quam noſtra ſomnia ſectaremur, hypocritas pro adoratoribus pius agentes.*

Roff. Si vera pręſentia Chriſti non minus teſtata ſuis verbis quam conſenſu patrum & totius eccleſiæ conſtanter aſſerta, nequiuerit animos hominum ad fructum pietatis excitare, quid ſperandum eſt ex inani panis buccella, quam vos pro memoriali quodā, Chriſtum eccleſię ſuæ reliquiſſe docetis? Quis inquam fructus ex huiuſmodi munuſculo poſſit expectari, ſi fides veri ipſius muneris nullum attuliſſet, at horum vtrunque plane falſum eſt, & quod tam leue munuſculum, ſponſus iſte potentiſſimus, in monumentum adamatiſſimæ ſuę ſponſæ reliquerit, & quod nullū hactenus fructum pręſentia corporis & ſanguinis eius credita nobis attuliſſet. Sed quoniam de hoc fructu, ſub corroboratione nona fuſius diſſeruimus, nihil opus fuerit hic plura iam dicere. — *Euch. quam Oecol. aſſignat, nullius valoris eſt.* — *In prol. 3. lib.*

OEcol. *Non eſt timendum, ne minuatur pietas, imo decreſcet impietas. Non pauci hodie ſunt qui olim exiſtimantes corporaliter Chriſti corpus in pane, quamuis corpore impudico eſſent, & manibus ad rapinam & dona aſſuetis, mente inuida, ad altaria currere non erubuerunt, tam nihil ad monendos animos valet mendacium: at nunc veritate cognita malunt laborare manibus, ferre opprobrium, egere & exulare, quam mala conſcientia in tantum ſacramentū peccare, & ita reis corporis & ſanguinis fieri.*

Roff. Habet & diabolus miracula ſua. Nam ſi Satan (quemadmodum & tu ſuperius ex Irenęo recenſuiſti) ſic Marcum illum Magum induxit, vt ſacramento abuteretur, quod alioqui credidit verū Chriſti corpus & ſanguinem continere, quid mirum, ſi te ſimiliter abutatur in hoc negotio, pariter & auditoribus tuis, vt quum te ſeduxit, & illos quoq; per te ſuccedat. Cęterum, ſi nihil ad mouēdos animos valeat mendacium, quî fit, vt Lutherus tantopere proſit auditoribus ſuis, etiam opinionem quę tuę prorſus repugnat docens? Nam & is ex concionibus ſuis nihilo minorem his qui ei auſcultant, fructum exoriri iactitat, atq; tu ex tuis, qui te audiunt. Veruntamen cuiq; palam eſt, qui vel dimidiatum ſenſum habet, non vtranque aſſertionem, & tuam, & illius, ex Deo prodiiſſe, quandoquidē pluſquā ex diametro pugnatis mutuo. Nā tu prorſus negas tibi corpus Chriſti eſſe, ille cōtra mordicus affirmat panem illum eſſe verum Chriſti corpus, mihi vero compertiſſimum eſt, vtrunq; dogma quatenus ab eccleſia diſſidet, à Satana promanaſſe, quandoquidem Paulus aſſeuerat eccleſiam eſſe columnam & baſim veritatis. Quod ſi columna & baſis veritatis eccleſia ſit, profecto, quod tot annorum curriculis ipſa nobis tradidit, verum & indubitatum ab omnibus orthodoxis haberi debet, & eo quidem conſtantius, quo magis dilucide cernimus ex diſſidiis veſtris errorem & falſitatem ſe prodidiſſe. — *Supra lib. 1. c. 16.* — *Mendacium permouetur animum.* — *1. Timot. 3.*

OEcol. *Felices illi quandoquidem è cœlo Chriſtum audiunt loquentem.*

Roff. Sed & Lutherus itidē ſuos felices iactitat, quod Chriſti verbis (vt ille opinatur) fidem habeant, & in illis audiant loquentem Chriſtum. Et ſane, neutiquam mihi credibile eſt, quod tui ſectatores Chriſtum de cœlo ſibi loquentem audiant. Nam hoc ſane miraculum eſſet, quale contigit in Pauli conuerſione, quum is luce quadam circumfulſus, & in terram deiectus audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris; eiuſmodi forte voces tui ſectatores audire ſe putant, inter ſomniandum, at vigilantes (opinor) nullas audiunt. Quod ſi fortaſſis audiant, mirum eſt, quod nobis inuiſibilem Chriſtum non patiantur, quum eundem audibilem ipſi vel ſoli poſſideant. — *Act. 9.*

Iactas

Iactat oriri plurimum fructus ex negata præſentia Chriſti in Euchariſtia.

CAPVT XXXVIII.

OEcol.

NOn quæritur inter Chriſtianos, quanta multitudo ſit, ſed quantus piorum prouentus.

Roff.

1. Cor. 1.

Dicam tibi quid quæritur inter Chriſtianos potiſſimum, nimirum, vnitas, vt ſint quemadmodum Paulus ait, integrum corpus eadem mente, & eadem ſententia, & non ſint inter eos diſſidia, maxime de rebus fidei. Nam vna fides eſt eccleſiæ totius orthodoxæ quæ pariter & vna propter in-

Ephe. 4.

habitantem Dei Spiritum eſt: Spiritus enim iſte non ſe diffundit, niſi per membra corporis, quæ citra fidem (quæ vnica eſt) minime connectuntur. Erat ab initio puſillus Chriſti grex: ſic enim

Luc. 12.

ipſe vocabat eos dicens: Nolite timere puſillus grex. Verum idem poſtea creuit vſq; adeo, vt per orbem totum ſit dilatatus. Chriſtus enim è mundo corporaliter diſceſſurus, apoſtolos ſuos reliquit, vt ipſi vice ſua plebem docerent. Et hi quum indies Chriſti gregẽ augeri cernerent, alios quoſdam eccleſiæ paſtores authoritate Spiritus aſciuerunt in adiutorium ſui. Ad huiuſmodi Paulus in

Act. 20.

Actis loquitur, dicens: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendam eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Sed & hi iam vita functis apoſtolis, agnoſcentes etiam ſe tandem morituros, alios eccleſiæ præficiebant, quod & nemini dubium ſit, authoritate Spiritus ſactum erat, vt & ipſi ſuis temporibus eccleſiam Dei regerent. Sic

Fides per ſucceſſionem deriuata eſt in nos.

igitur per continuam quandam ſucceſſionem, aliorum & aliorum præſidum, ſibi mutuo ſuccedentium, veritas Chriſtianæ fidei ad hæc noſtra tempora peruenit. Quod illi docuerunt, & tradiderunt ſcriptis, nos qui orthodoxi ſumus, credimns, & docemus plebem. Extant illorum libri, quos nemo vel impudentiſſimus negare poteſt: Quorum inſuper dogmata, præſertim, vbi con-

Doctores orthodoxi conſentiunt in rebus fidei.

ſentiunt vnanimiter (quod & faciunt in his quæ ad fidem ſpectant) ſatis abunde, non eruditione ſolum, verum etiam & vitæ puritate, atque mira-

Iohan 16.

culorum claritate corroborata ſunt: Et ſi nihil aliud eſſet, ſatis ſuperque ſuffecerit præſentia Spiritus, qui propterea miſſus fuit, vt per eos plebem inſtrueret in omni veritate. Adde, quod propter huius Spiritus præſentiam, Eccleſia Panlo dicitur

1. Tim. 3.

columna & baſis veritatis. Quiſquis igitnr ab hac eccleſia ſeparatus fuerit, alienus eſt à Spiritu, alienus & à veritate. Finge quantum libet ſectatores tuos, audire de cœlo ſibi loquentem Chriſtum, vendica quinetiam laboris, opprobrij, egeſtatis, exilij tolerantiam: nec tibi nec illis quicquam ea

Extra eccleſiam catholicã nulls ſalus eſt Cyprianum.

proderit, quandiu ſeiuncti manſeritis ab eccleſia catholica: in qua re Cyprianum (precor) audias. An ſecum (inquit) eſſe Chriſtum, quum collecti fuerint, opinantur, qni extra Chriſti eccleſiam colliguntur. Tales etiam ſi occiſi in confeſſione nominis ipſius fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur, inexpiabilis & grauis culpa diſcordię, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr nõ poteſt, qui in eccleſia non eſt, ad regnnm peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura eſt, dereliquit. Hæc Cyprianus epiſtola aduerſus Nouatianum.

OEcol.

Multos quidem hactenus vidimus aſtare aris, & multas audire miſſas, ſed quo fructu? non deſiſtebant ab adulteriis, non ab vſuris, non à crudelitate in pauperes, ſed penſum ſuum abſolniſſe putabant, ſi ad horulam templis interfuiſſent, nec mirum cum eccleſiaſtica diſciplina penitus interciderit, nemine à ſacris prophanos diſcernente, vt dendicaretur corpus Domini.

Roff.

Et adhuc andes impiiſſime, panem tuum execrabilem, vocare corpus Domini, in quo nihil eſt Domini, præter meram panis creatnrã. Multo certe propius ad ſcopum veritatis Lutherus ac-

Luther. plus Oecol. affinis eſt veritati.

cedit, qui verum ibi corpus eſſe modis omnibus affirmat. In hoc tamen aſſentior tibi, Lutherum omnino rem indignam tanto ſacramento facere, qnod neminem hinc arceat, ſed indiſcriminatim probos, improbos, pios, & impios, etiam quantnmuis ſceleratiſſimos, huc accedere non permittit ſolum, verumetiam inuitat.

OEcol.

Magna cura num abſolniſſet ſacerdos, longe minor, quomodo emendaretur vita. Externus cultus, regius & accuratus. Internus admodum neglectus, hodie autem Deo laus, impietati decedit, pietati vero accreſcit.

Roff.

Chriſtiani hæreſi & ſchiſmatibus decipiuntur.

Hæc eſt illa fallax pietatis lux, quam ſchiſmaticis, & hæreticis, & cæteris qui ab eccleſiæ fide ſeparantnr, Satan inaniter fulgere facit. Nam (vt Cyprianus tradit) hanc ille nouam excogitauit fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo, fallat incautos, hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in vitæ veteris cæcitate, circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atq; euaſiſſe ſeculi noctem videtur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atque fallente, qni ſecundum vocem apoſto-

2. Cor. 11.

li transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ, afferentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dnm veriſimilia mẽtiuntnr, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. Hæc Cyprianus. Nunquam non audis hic artes & fraudem Satanæ, quibus ſub titulo nominis Chriſtiani fallat incautos, ſeducit primum hæreſiarchas vt ita per eos imponat reliquæ plebi, per illos fidem ſubuertit, veritatem corrnmpit, ſcindit vnitatem, apud ipſos transfigurat ſeſe velut angelum lucis, vt inanem quendam luminis fulgorem ſibi cernere videantur, quum tamen veris offundantur tenebris: ſubornat eos velut miniſtros iuſtitiæ, quum tamen afferant pro die noctem, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub

vocabulo Chriſti, veriſimilia mentientes atq; ita veritatem ſubtilitate fruſtrantes imperceptibili. Quibus verbis graphice te tuique ſimiles hic omnino depinxit Cyprianus.

OEcol. *Nam multos ſcio, qui iuxta hominum mandata, non libero, & alacri ſpiritu, ſed lacera conſcientia, & abſq; certa fiducia, ſemel in anno communicabant, quos nunc eſt videre ſingulis Dominicis cum lachrymis & animi ſuauitate, gratias agere, fraternumq; erga reliquum corpus Chriſti, animum & polliceri & exhibere.*

Roff. Quaſi Chriſtus diuiſus ſit, id quod Paulus diſſidentibus Corinthiis obiicit. Chriſtus vtiq; ſcindi nequit, ſed integer apud Catholicam eccleſiam permanet, ſicut quando brachium fuerit à reliquo corpore deſectum, non propter id ſcinditur & ipſa anima, ſed relicto brachio iam abſciſſo, totam in corpus reliquum ſe colligit. Illam rem & Cyprianus in Epiſtola ſuperius memorata, pluribus aliis exemplis copioſe docet, inquiens: Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte vno, riui plurimi defluunt, numeroſitas, licet diffuſa videatur, exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & eccleſia Domini, luce perfuſa per orbem totum, radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput eſt & origo vna, & vna mater fœcunditatis, ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit, hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno quos generauit, aſſignat. Quisquis ab eccleſia ſegregatus, adulteræ iungitur, à promiſſis eccleſiæ ſeparatur, nec pertinet ad Chriſti præmia. Qui relinquit eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere iam non poteſt Deum patrem, qui eccleſiam non habet matrem. Hæc Cyprianus in eadem epiſtola. Ex quibus perſpicue liquet, ea omnia, quæ memoraſti, quamdiu per contraria dogmata ſeparati fueritis ab eccleſiæ totius vnitate, nihil vobis eſſe profutura.

Supra eodem cap.

Bona extra eccleſiam facta non proſunt ad ſalutem.

[OEc]ol. *Eſto autem interim nonnihil intermittatur ceremoniarum, quæ ad nihil vtiles erant, in hoc tamen ex his, quibus Deus vere colitur, vbi verbum Domini prædicatur inadulteratum, certum eſt nihil deſiderari.*

OE.

Roff. Quomodo poteſt apud vos inadulteratū prædicari verbum Domini, quandoquidem huiuſ[m]odi fucis ipſum transformetis, vt iam non Do[min]i verbum ſit, ſed veſtrum potius habeatur. [Nam] cōtra ſenteutiam omnium patrum, in qui[bus & ip]ſe Spiritus loquutus eſt, ipſis Chriſti verbis abutimini. Quū tamen Chriſtus ad illos dixit: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Neq; Spiritus modo, verumetiam Chriſtus ipſe per eos loquebatur. An experimentū (inquit Paulus) eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? Porro quod dicis, nihil ex his quibus Deus vere colitur, apud vos deſiderari. A vobis forte nihil deſideratur. Nā fallaci Satanicæ lucis fulgore, non aliter quā verſus ære candenti, ſic excæcamini, vt non cernatis ea, quæ deſunt, verum à veris Chriſtianis multa apud vos deſiderantur. Sed & Lutheranis, qui vobis nuper erant complices, videntur plurima deeſſe, quemadmodum & vos viciſſim in illis deſideratis multa. vtcunq; fuerit, exploratiſſimū eſt, nec apud vos, nec apud illos, aut Chriſtum aut eius Spiritum eſſe, ſed inſeparabiliter vtrunq; apud eccleſiam catholicam permanere.

Verbum Dei adulteratur Lutheranis.

2. Pet. 1.

Matth 10.

2. Cor. 13.

OEcol. *Neque ex hac expoſitione verborum Domini periculum animabus ſuboriri, id quod cauſantur illi.*

Roff. Tantum ex hac expoſitione periculum animabus hauddubie ſuboritur, quātum ex alia nulla, hæc enim anſam præbent, cunctas alias euertēdi ſcripturas: Nam ſi tropum hic admiſerimus, in re tanti momenti, reclamantibus patribus, inuitiſq; ſcripturæ huius circumſtantiis, quis alter ſcripturarum locus tutus erit ab hæreticorum peruerſitate. Quoties enim vrgebuntur illi quauis ſcriptura, protinus elabētur dicentes, ibi ſubeſſe tropum. Quare ex nulla vnquam expoſitione, quam hactenus legerim, maius imminere ſuſpicor animabus diſcrimen, quam ex hac vna. Huc accedit, quod eſu carnis Chriſti, in hoc ſacramento nobis vita promittitur, dicente Chriſto: Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinē, habet vitam æternam. Et ediuerſo comminatur his, qui nō eſuri ſunt: Niſi (inquit) ederitis carnē filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hæc pro eſu carnis & ſanguinis in Euchariſtia dicuntur, atteſtantibus quum aliis tum Auguſtino, Hieronymo, Cyrillo, Chryſoſtomo, Hilario, Cypriano, Irenæo, ſicut crebrius oſtendimus. Et tamen ille tam impudēter, quam mendaciter aſſerit, nullum expoſitionem ſuam habere periculum, quaſi carere vita, & eadem immortali, nullum periculum fuerit.

Iohan 6.

Cap. 6. Ioh. de Euch. ſumptione exponitur.

Sup. li. 4. c. 7. ca. 12. ca. 30. ca. 13. prolo. 5. li. per totum. lib. 5. ca. 17.

Religionem ſeruandæ veritatis in ſcripturis prætexit, quum eas tamen peruertat maxime.

Capvt XXXIX.

OEcol. *Verum ſi adulterina expoſitione multa animarum lucrari millia poſſemus. Cauendum tamen ab ea, vti Deo ingrata, qui non eſt ita ridiculus, vt figmentis & mendaciis, ad prædicationem gloriæ ſuæ, vel vti nos velit, vel opus habeat.*

Roff. Negabant ſemper hæretici, ſuas in ſcripturam expoſitiones adulterinas eſſe, ſed vere germanas & genuinas eſſe contendebant, atque id quidem impudenter, vt & tu iam facis. Nouatiani vitæ ſan-

Hæretici expoſitiones ſuas aſſerunt bonas.

tæ ſanctimoniam, & ſcripturarum eruditionem iactabant, ſeipſos [illegible] appellantes. Arriani quoq; & ipſi ingeniis acerrimis præditi, ſcripturarum notitiam vna cum vitæ probitate ſibi vendicabant, fecerunt & hoc ipſum Macedoniani, Sabelliani, Neſtoriani, Apolinariſtæ, Eutiani, Donatiſtæ, Pelagiani, & qui non? Semper à ſcripturis perperam intellectis, & peſtilenter expoſitis, hæreſium & errorum ſuorum occaſione capta, gloriati ſunt apud ſe verum eſſe ſcripturarum ſenſum. Illos tamen omnes artibus & fallaci fulgore Satanici luminis conſtat fuiſſe deluſos. Quemadmodum & tu iam haud dubie ſeductus es, tuã expoſitionem exiſtimans genuinã, quum notha ſit & prorſus adulterina.

Hæreſis ex ſcripturis perperam intellectis.

OEcol. *Veritas enim Deus eſt, & eos, qui ſe in veritate amãt, ſeruat, fouet ac cuſtodit.*

Roff. Veritatem (vt iam diximus) hæretici ſemper erroribus ſuis prætexuerunt. Et certe non aliter apud te iam eſt, quã fuerat apud illos. Nuſquam ſcripturarum veritas habetur, præterquam in eccleſia Catholica, quæ vere columna eſt, & baſis veritatis. Nam & ſpiritus veritatis in ea perpetuo reſidet, qui ſemper hactenus aduerſus hæreticos maioribus noſtris eiuſdem veritatis aſſertoribus, victoriam vbique præſtitit. Tot modis ea veritas olim confirmata eſt, vt nunc in dubium à quoquam, eam reuocari fas neutiquam eſt. Nam & Chriſtus affuit patribus, affuit & Spiritus ſanctus, & eo quidem inſtituto, vt erudiret eccleſiam in omni veritate. Sed & nunc adeſt vterque nobis, & in conſummationem vſque ſeculi, quemadmodum habet pollicitatio nobis facta, nunquam defuturus. Non defuit patribus eruditio, nõ peritia linguarum, non ſcripturarum exercitatio, non vitæ ſanctimonia, nec denique ad comprobãdam doctrinæ ſuæ veritatem neceſſaria defuere miracula. Nobis igitur, qui dogmata patrum amplectimur, adeſſe veritatem vſqueadeo perſpicuum eſt, vt qui id neget, oportet doceat, fallacem fuiſſe Chriſtum in promiſſis, doceat & eundem hactenus eccleſiæ ſuæ iuxta pollicitationem ſuam, & ſpiritum item eius non affuiſſe, doceat & in patribus non fuiſſe loqutum, quantum ad ea, præſertim quæ fidem ſpectarunt, & quæ concorditer omnes aſſeruerunt. Denique doceat oportet, patres illos, neque vitæ ſanctimonia, neque miraculorum claritate, neque vlla denique ſpiritus gratia, neotericis iſtis hæreticis præſtitiſſe. Neque enim ſuffecerit iſta omnia nudis affirmare verbis (nam id cuiq; facillimum eſt) ſed euidentiſſimis & irreuincibilibus omnino neceſſum eſt argumentis iſta demonſtret. Neque enim nobis incumbit, nouis miraculis illorũ dogmata comprobare, ſicut & Lutherus Eraſmo reſpõdens, ſubdole molitur, quum ea ſatis olim confirmata ſint. Veruntamen, ſi alia noſtra, alia illorum eſſent dogmata, recte nos vrgeret ad miracula, quibus noſtra noua dogmata corroborarentur. At quum non ſint alia, ſed eadem & locupletiſſime dudum confirmata, non eſt quod à nobis expectet nouam eorum dogmatum comprobationem. Vobis igitur, qui contraria & repugnantia patribus dogmata nitimini introducere, probandi onus incumbit, Id quod ante Græcas Kalendas, ſat ſcio, nunquam eſtis facturi.

1. Tim. 3.

Iohan. 16. Matth. 28.

Miraculis nõ eſt opus ad doctrinæ Catholicæ confirmationem.

OEcol. *Eos autem, qui veritatem in iniuſtitia detinent, tradit in ſenſum, quem merẽtur reprobum, vt opus manuum ſuarum adorent, atq; à principe tenebrarum excæcati in miſeram tyrannidis concupiſcentiæ ſeruitutẽ redigantur.*

Roff. Et tu ex eiſdem es OEcolampadi. Nam plane in te competit illud Pauli: Quemadmodum non probauerunt, vt Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem. Pluribus etenim atq; eiſdem eximiis donis allexit te Deus, & maxime ad huius ſacramẽti fidem, quemadmodum apertum eſt, quũ ex aliis ſcriptis tuis, tum ex concione tua, quam de hoc ſacramento curaſti pridem imprimi, & Chriſtianis inuulgari, quinetiam vſqueadeo tuo pectori pietatis affectum inſtillauit, vt relictis omnibus ad ſanctæ religionis ſolitudinem capeſſendam prouexerit te. Nunc autem neſcio, quo Satanæ ſuaſu, diuinæ erga te benignitatis oblitus ad ſeculum rediiſti, ſicut canis ad vomitũ, nihil memor vxoris Loth, de qua tamen præmonuiſſe te Chriſtum non ignoras, mox & in peſtiferũ Lutheri dogma cecidiſti, quo tuam apoſtaſiam tuereris, & multitudini te tui ſimilium adiungeres. Nec his malis cõtentus delegiſti tibi quoddam aliud dogma, cuius tu peculiaris auctor & princeps haberi vis, nimirũ iſtud peſtilentiſſimum dogma, in quo plane ſuperas Lutheri impietatem. Nam is aperte ſcribit in Epiſtola quadam ad Argentinenſes ad hunc modum: Hoc diffiteri nec poſſum nec volo, quod ſi Carolſtadius aut alius quiſpiam ante quinquennium mihi perſuadere potuiſſet, in ſacramento præter panem & vinum eſſe nihil, ille magno beneficio me ſibi deuinctum reddidiſſet. Grauibus enim curis anxius, in hãc excutiẽda materia multum deſudabam, omnib. neruis extenſis me obtricare & expedire conatus ſum, quũ probe perſpiciebam, hac re Papatui cum primis me valde incommodare poſſe. Aduerte lector, quale venenum in eius pectore latet, quod tãto affectu tantoq; molimine conatus ſit, vt euinceret non eſſe verum Chriſti corpus in Euchariſtia, nec alia ratione motus magis, quam vt ita ſummo pontifici incommodaret. Cæterum, quia videt tam aperte ſibi obſiſtere Euangelij veritatem, vt nullis eam artib. obfuſcare poſſit, deſtitit à conatu. Propter quod & ſubdit paulo poſt: verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Euangelij nimium apertus eſt, & potens, qui facile conuelli nõ poteſt, multo minus verbis aut gloſſis è capite vertiginoſo confictis, ſubuerti. Hæc ille. Quid igitur de te dicam OEcolampadi, qui in tantũ impietatis barathrum Satanæ dolis præcipitatus es, vt clariſſimam Euangelij lucem obtenebrare moliaris, & ſacratiſſimum Chriſti corpus è ſacramento nobis auferre, quid inquam aliud, quam quod in reprobam mentem apertiſſime traditus ſis, & longe maiore impietate ſubmerſus iaceas, quam Lutherus.

Rom. 1.

2. Pet. 2. Gen. 19.

OEcol. peior eſt Luthero.

Malitia Lutheri.

Epilogum haud longum, ſed mendaciis refertiſſimum, contexit.

Capvt XL.

Oecol. *Demonſtratum eſt nullum miraculum in pane myſtico eſſe, ſupra hominis captum, & quum ſermo ille, hoc eſt corpus, abſque tropo conſtare non poßit, vt multa effugiamus, quæ obſtant, nempe, ne germanum ſcripturæ ſenſum minus ſeruemus, & ne contra ipſißimum Spiritum ac gloriam Dei pugnemus, recte & ſacramentum nomine rei, quam ſignificat, traditum aſſerimus. Vnde non tenuibus moti cauſis, nec patrum deſtituti ſententiis, à vulgi ſententia diſcedimus, ſed ea profitemur, ac amplexamur, quæ debemus, ac iuſta ſunt, quæ ſcriptura Spiritus ſancti docet, quæque animabus ſalutaria, & ad gloriam pertinent Chriſti noſtri, veri animarum, angelorumque panis, qui nos ſua nunc fide & olim gloria paſcat ſemper.*

Roff. *Mendacia plurima Oec.*
Mendaciis aſſuetus, mendaciſſimum item Epilogum in hoc exitu colligis. Principio mendacium eſt, te mõſtraſſe nullum eſſe miraculum in
1. pane myſtico ſupra hominis captum. Mendaciũ
2. item eſt, ſermonem hunc, hoc eſt corpus meum,
abſque tropo conſtare non poſſe. Mendacium & 3.
iſtud eſt, quod niſi tropus hic admittatur, germanus ſcripturæ ſenſus ſeruari non poteſt. Men- 4.
dacium etiam, quod alioqui niſi tropum admiſerimus, contra ipſiſſimum Spiritum, & contra gloriam Dei pugnabimus. Nam in hoc immenſitas amoris Chriſti erga nos dilucide monſtratur, quo nos magis ac magis excitemur ad gloriã
Dei. Mendacium inſuper eſt, quod vllam ſolidã 5.
cauſam aut rationem vrgentem attuleris, qua vel ipſe vel alius quiſpiam non emotæ mentis, ad ita
comminiſcendum moueri debeat. Mendacium 6.
& hoc eſt, quod ſententiis patrum, quæ doceant hic non eſſe verum Chriſti corpus, non deſtitueris. Manifeſtiſſimum denique mendacium eſt, 7.
quod ea profitearis & amplexeris, quæ iuſta ſunt, & quæ ſcriptura Spiritus ſancti docet, quæque animab. ſalutaria ſunt, & ad Chriſti gloriam pertinent. Hæc (inquam) omnia ſunt falſiſſima, quemadmodum luculentiſſime ſuperius oſtendimus, de qua re & iudicium permittimus lectori.

FINIS.

SACRI

SACRI SACERDOTII DEFENSIO CONTRA LVTHERVM, PER R. D. IOANNEM EPISCOPVM ROFFEN.

Prologus autoris, quo intentionem ſuam, pariter ac materiam & libri partitionem, ſimul atque ſeriem inſinuat.

Lutherus de abroganda Miſſa. Sacerdotium inſectatur.

COmplures libros, qui iam pridem ex officina Lutheri prodierunt in orbem, haud citra grauem animi dolorem perlegi, nimirum quod in eis tantum vbique veneni ſparſim offenderim, quo ſimpliciorum animi, neque paruo numero, lethaliter indies inficiuntur. At nullum vnquam peſtilentiorem, inſaniorem, impudentiorem vidi, quam illum cui de abroganda miſſa titulum adhibuit in quo molitur penitus abrogare corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificium, quod hactenus ab eccleſia cumprimis habitum eſt ſalutiferum, & ingentis omnibus Chriſti fidelibus deuotionis incentiuum. Vt autem iſtud probabilius efficiat, multa garrulitate contendit nullum eſſe ſacerdotium viſibile: ſed id ſacerdotij, quod tot ſeculis patres priores vſurparunt, partim humanis mendaciis confictum, partim ſatanicis inſtinctibus erectum fuiſſe, modis omnibus affirmat. Sic enim ait prope libelli ſui exordium:

Certus eſto, nec vlla perſuaſione falli te ſinas, quiſquis eſſe voles pure Chriſtianus, nullum eſſe in nouo teſtamento ſacerdotium viſibile & externum, niſi quod humanis mendaciis eſt per ſatanam erectum.

Trifariam aduerſus ſacerdotium pugnat.

Quamobrem (ne diutius morer lectorem) treis impetus aduerſus ſacrum ſacerdotium idem Lutherus facit, hoc eſt, tribus argumentis, velut totidem arietibus, ipſum impetit: quibus (vt ipſe putat) ſacerdotij veritatem ſubruit funditus. Sic enim poſteaquam impetus illos in ſacerdotes iaculatus fuerit, illico ſubdit: Perſuaſum arbitror his tribus argumentis abunde omnibus piis conſcientiis, ſacerdotium iſtud miſſale & Papiſticum prorſus ſatanæ operationem eſſe, vnde ſatis fideliter erudiri quiſque poteſt, ne quicquam apud eos recte & pie geri credas, & miſſas iſtas ſacrificias non niſi ad iniuriam teſtamenti dominici repertas, proinde nihil in toto mundo æque fugiendum, deteſtandumque eſſe, atque ſpecioſas huius ſacerdotij laruas, miſſas, culturas, pietates & religiones. Siquidem præſtat publicum lenonem aut latronem eſſe, quam huius generis ſacerdotem. Hæc ille.

Exclamatio authoris.

Proh Deum immortalem. Quis tam impia mendacia Chriſti myſteriis improperari ferat æquanimiter? Quis tam iniquas contumelias in Dei ſacerdotes haud grauatim audiat? Imo quis tantas blaſphemias, abſque cordis ingenti mærore & lachrymis poßit legere, ſi tamen aliquam in ſuo pectore Chriſtianæ pietatis micam habeat vel minimam? Nos itaque de Chriſti benignitate confiſi, tres alios impetus viciſſim in Lutherum vibrare conabimur, quibus (niſi plurimum fallor) veluti ſpongia quadam abſtergemus omnia quæcunque Lutherus fœdo ſuo & blaſphemo ore ſacerdotibus exprobrauit.

Agendorum ratio.

Partitio operum.

Cæterum, ne confuſio quæpiam fiat, & lector incertus reddatur quoties de impetib. ſermo fit, an de noſtris, an de Lutheri potius intelligamur, nos noſtros impetus congreſſus appellabimus. Primus itaq; congreſſus erit præſcriptio prioris veritatis, quæ nobis à primis ipſis eccleſiæ fundatorib. per orthodoxos patres infallibiliter promanauit. Secundus erit digeſta quædam ex literis ſacris axiomatum aliquot ſeries in aciem inſtructa, qua plane ſacerdotium illud, quod ipſe viſibile vocat, ſtatuetur. Tertius erit ſingularum oppoſitionum Lutheri dilucida manifeſtaq; conuulſio. Cæterum, ne multis verbis tempus teramus inaniter, rem ipſam paucis aggrediamur.

VETERVM EXEMPLO AVTOR PRÆSCRIBENDVM ADVERSVS Lutherum cenſet.

CONGRESSVS PRIMVS.

Contra hæreticos præſcribendum fore.

TERTVLLIANVS author vetuſtus & inſignis (cuius libros ob ſingularem in eis eruditionem Cyprianus nullo non die lectitare ſolitus eſt) quoties hæreticos inſectatur (quod & ſæpe fecit) præſcriptionē eis prius receptæ veritatis obiicere cōſueuit. Quem ſane mirē obſeruat non ſoliū aduerſus Marcionem & Hermogenē, quos acerrime coarguit, verumetiā aduerſus omnes hæreticos librum ædidit, cui de præſcriptionibus hæreticorum titulum adhibuit. In quo libro pluribus aduerſus eos rationibus, de veritate catholica docet eſſe præſcribendum. Quod ſi pro re quauis vnquam aduerſus aliquem hæreticum præſcribi queat, profecto iuſtius id fieri nunquam potuit, quam aduerſus Lutherum pro veritate ſacerdotij. Nam in hanc veritatem omnes eccleſiæ quotquot ab Apoſtolorum temporibus inſtitutæ fuerant, vnanimiter conſpirarunt. Id quod facile perſpicuum fiet omnibus qui non ſegniter authores euoluerint, quotquot ab ipſis eccleſiæ primis incunabulis aliquid ſcripſerunt. Nemo enim illorum eſt qui non de ſacerdotibus faciat mentionem, vti mox oſtendemus. Quod ſi cunctæ, quæ iam per orbē extant eccleſiæ, ſacerdotibus vtantur, & iiſdem vnctis atque conſecratis, quis non eas aliquando ritum hunc à viris Apoſtolicis, & hos ab Apoſtolis, Apoſtolos autem à Chriſto, iudicabit accepiſſe? Oſtendat Lutherus, ſi poteſt, in toto orbe eccleſiam aliquam per quemuis Apoſtolorum, ſiue per quemuis Apoſtolicum inſtitutam, quæ ritū iſtum non ſequitur. Nos autem proferre poſſumus eccleſiam per Apoſtolos conditam, in qua per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem, iuxta ſeriem ab initio decurrentem is ritus obſeruatur. Quod ſi Lutherus nihil eiuſmodi queat afferre, palam eſt apud æquum quemuis iudicem, nos aduerſus hoc mendacium, & recens Lutheri commentum iure præſcripſiſſe. At Lutherus pro ſuo commento ſcripturas in medium affert. De ſcripturis ipſis mox videbimus: Nunc interea diſquiramus à quibus magiſtris veriſimiliter eccleſiæ quæ iam per orbem conſtitutæ ſunt, huius doctrinæ ſemina ſuſceperint. Hic de neotericis nihil dicam, quod de his nemo dubitat, quin ſacerdotio ſubſcribāt omnes. Omiſſa igitur innumera recentiorum turba, nos ab Auguſtino priorum inchoabimus, à quo gradatim per alios conſcendemus.

Ritus ſacerdotalis ab Apoſtolis eſt & Chriſto.

Autores ceremoniarum eccleſiæ.

Ordo dicendorum.

Priſcorum authoritatibus ſacerdotij inſtitutio & facultas comprobatur.

AVguſtinus igitur præter hoc quod vbique I.
presbyteros vocat ſacerdotes, ſic de ſacerdotum ordinatione libro quæſtionnm veteris & noui teſtamenti, capite nonageſimotertio ſcribit: Illud autem quod inſufflaſſe in diſcipulos Dominus legitur poſt dies paucos reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe: Accipite Spiritum ſanctum; eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. Quia enim omnia in traditione dominica per Spiritum ſanctum aguntur, idcirco quum regula eius & forma traditur huius diſciplinæ, dicitur eis: Accipite Spiritum ſanctum. Et quia vere ad ius eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubiecit, dicens: Cuius tenueritis peccata, tenebuntur: & cuius remiſeritis, remittuntur ei. Inſpiratio ergo hæc, gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apoſtolus dicit ad Timotheū: Noli, inquit, negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyterij. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio iſta non ſine dono Spiritus ſancti eſſe crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data eſt viſibiliter, vt poſt baptiſmū Spiritus ſanctus credentibus de cætero inuiſibiliter dari non ambigeretur, ita & in ſupra dicta cauſa, forma data eſt in principio, vt ex eo traditioni eccleſiaſticæ Spiritus ſanctus infuſus credatur. Hactenus Auguſtinus.

Confertur poteſtas eccleſiaſtica.

1. Tim. 4.

Mat. 3.

Subſcribit & huic Hieronymus in epiſtola ad II.
Euagrium, docens presbyteros & epiſcopos eſſe ſacerdotes. Audio, inquit, quendam in tantam erupiſſe vecordiam, vt diaconos presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret. Nam quum Apoſtolus perſpicue doceat eoſdem eſſe presbyteros quos Epiſcopos, quid patitur menſarum & viduarum miniſter, vt ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur? Quæris authoritatem? Audi teſtimonium. Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconis. Vis & aliud exemplum? In Act. Apoſt. ad vnius Eccleſiæ ſacerdotes, ita Paulus loquitur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos vt regeretis Eccleſiam Domini, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Hęc Hieronymus. Quibus verbis tametſi diſcrimen inter Epiſcopos & presbyteros nullum faciat, tamen vtroſque vocat ſacerdotes.

Presbyteros & Epiſcopos eſſe quos ſacerdotes.

Cap. primo.

Act. 20.

Ambroſius quoque ſuper Epiſtolam ad Ti- III.
moth. ſic ait: Poſt Epiſcopum diaconatus ordinationem ſubiecit. Quare? Niſi quia Epiſcopi & Presbyteri vna ordinatio eſt? vterque enim Sacerdos eſt. Sed Epiſcopus primus eſt, vt omnis Epiſcopus Presbyter ſit: non tamen omnis Presbyter Epiſcopus, hic enim Epiſcopus eſt qui inter Presbyteros primus eſt. Deniq; Timotheū Presbyterum ordinatum ſignificat, ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat. Hæc ille. Idem etiam de ſacerdotali dignitate librum edidit peculiarem.

Diſcrimen Epiſcopi & Presbyteri.

Hilarius item aduerſus Conſtantium Cæſa- IIII.
rem,

Crudelitas in Paulinum. rem, Sacerdotum meminit, inquiens: Et tu Paulinum beatæ paſſionis virum blandimento ſolicitatum relegaſti, & Eccleſiam ſanctam Treuecitatum relegaſti, & Eccleſiam ſanctam Treuerorum tali Sacerdote ſpoliaſti. Edictis fidem terruiſti, ipſum vſq; ad mortem demutaſti exiliis & fatigaſti, extra Chriſtianum quoque nomen relegaſti, ne panem aut de horreo tuo ſumeret, aut de Montanæ Maximillæq; antro prophanatum expectaret Mediolanenſem piiſſimam plebem, *Sacerdotij infeſtatio.* quam tu furore terroris tui turbaſti, tribuni tui adierunt ſancta ſanctorum, & viam ſibi omni per populum crudelitate pandentes protraxerunt de altario Sacerdotes. Hæc Hilarius.

V. Arnobius etiam in Pſalmum octauum, ſic ait: *Heretici dicuntur feræ.* Hæretici ſunt qui quaſi feræ in ſylua legis latebrã fouent, vt ex occulto lædant concilium taurorũ inter vaccas populorum. Lædere enim ſtudent *Sacerdotes vocantur tauri.* Sacerdotum concilia, qui hoc loco tauri nominantur apti altario inter vaccas, id eſt, inter plebes ſurdas & ignaras agentes. Hæc ille.

VI. Accedit & illis Cyprianus ad Florentinum Pupianum ſcribens: Itaque qui Chriſto non credit Sacerdotem facienti, poſtea credere incipiet ſacerdotem vindicanti. Quanquam ſciam omnia ridicula & viſiones ineptas quibuſdam videri, ſed vtique illis qui malunt contra Sacerdotes credere quam Sacerdoti. Hæc ille.

VII. Tertullianus inſuper in libro de Monogamia ſic laicis opprobratur, quod ſe pares facerent Sacerdotibus. *Apoc. 10.* Quũ extollimur & inflamur, inquit, *Non omnes catholici ſunt ſacerdotes.* aduerſua clerũ, tunc vnũ omnes ſumus, tũc omnes Sacerdotes ſumus, quia Sacerdotes nos Deo & patri fecit. Quũ ad peregrinationẽ diſciplinæ ſacerdotalis prouocamur, deponimus inſulas, & impares ſumus. Ecce vides & huius tẽporibus fuit Sacerdotum vſus. Et quanquam alibi dicat authoritatem Eccleſiæ conſtituiſſe differentiam inter ordinem & plebem, ſubdit tamen honorem illum per ordines conceſſum eſſe ſanctificatum à Deo. *Græcorum ſententia ſubnectuntur.* Sed hactenus pro Latinis, iam quid Græci de Sacerdotio ſenſerint, auſcultemus. Inter quos primus occurrit Damaſcenus, qui in libello de Purgatorio recenſet ad hũc modum: Non enim temere in Eccleſia Dei à ſapientiſſimis ſuis diſcipulis ſancita ſunt hæc & tradita, vt Sacerdos in *Pro fidelibus orandum.* tremendis myſteriis preces faciat pro fidelibus defunctis. Hæc Damaſcenus.

VIII. Gennadius item Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus in Epiſtola ad totum orbem miſſa, quum interpretatur verba Chriſti, videlicet, Gratis accepiſtis, gratias date, ſubdit: Simplex & manifeſtus mandati huius ſermo eſt. Nihil hic *Sacerdotij dignitas non eſt mercanda pretio.* ambiguum, nihil ſupra captum noſtrum, nulla hîc opus Sophiſtica enarratione. A me, inquit, accepiſtis Sacerdotij dignitatem, pro qua ſi vel paruum vel magnum quid dependiſtis, ſi hæc vendita eſt à me, vænundate & vos eam aliis. Hæc ille.

Sacerdotum officia & conditiones. Ad hæc Cyrillus ſupra Leuiticum ita ſcribens: Vult ergo ſermo diuinus, ſobrios eſſe Domini Sacerdotes, vtpote qui accedentes ad altare Dei, orare pro populo debeant, & pro alienis interuenire delictis, qui portionem in terra non habeãt, ſed ipſe Dominus portio eorũ ſit. Et paulò poſt: Vult ergo iſtos, quibus Dominus portio eſt, ſobrios eſſe, ieiunos, vigilantes in omni tempore, maxime autem quum ad exorandum Dominum & ſacrificandum in conſpectu eius, altarib. præſto ſunt. Quæ mandata in tantum vim ſui ſeruãt, & omni obſeruantia cuſtodienda ſunt, vt & Apoſt. hæc eadem noui teſtamenti legibus firmet. In quo ſimiliter etiam ipſe Sacerdotib. vel Principibus Sacerdotum, vitæ regulas ponens, dicit eos non debere eſſe vino multo ſeruientes, ſed *1. Tim. 3.* ſobrios eſſe. Hæc Cyrillus.

Chryſoſtomus quoque in Epiſto. prima ad IX.
Timotheum ſic ſcribit: Doctoris Sacerdotiſque dignitas magna eſt atque mirabilis, & quæ reuera diuina ſententia comprobanda ſit, vt quis ea dignus adducatur in medium, ita & pridem fie- *Electio qualiter fiat.* bat, ita & nunc quoque fit, quoties abſque humana paſſione huiuſmodi electiones celebramus. Quum nihil omnino ſeculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neq; ad odium facimus. Nam etſi tanta nobis Spiritus plenitudo non adeſt, ſufficit voluntas optima, vel ſola, Deũ vt ordinationi noſtræ concurrat attrahere, quippe nec Apoſtoli quidem tunc Spiritus gratiã adepti erant, quum Matthiam elegerunt, ſed oratio- *Act. 1.* ni negotium permittentes, ipſum Apoſtolorum numero adiecerunt, neque enim intuebantur humanæ amicitiæ gratiam: ita nobis quoque faciendum eſt. Enimuero vbi ea quæ certa ſunt omnibuſq; manifeſta negligimus, quo pacto nobis Deus reuelabit incerta? Si in modico, inquit, *Luc. 16.* fideles non fuiſtis, quod magnum & verum eſt, quis dabit vobis? Tunc autem quia nihil fiebat humanum, Sacerdotes etiam ex prophetia veniebant. Quid eſt ex Prophetia? Ex Spiritu ſan- *Prophetia. Rom. 10.* cto. Quippe munus eſt prophetiæ, non modo futura prædicere, verum & præſentia dicere, quoniam & Saul Propheta oſtenſus eſt, qui inter vaſa latebat. Deus enim reuera iuſtis prophetia itidem fuit, quum dicit Spiritus ſanctus: Separate mihi Paulum & Barnabam. Ita & Timotheus e- *Act. 13.* lectus eſt. Prophetias autem hic plurimas dicit *Act. 16.* fortaſſis, & illam per quam ipſam acceperat, quãdo eum & circũcidit atque ordinauit, quemadmodum & ipſe ſcribit: Noli negligere gratiam *1. Tim. 4.* quæ eſt in te. Hæc ille.

Cõſentit & iis Gregorius Nazianzenus in car- X.
minibus ad Epiſcopos, ita ſcribens:

O ſacrificia mittentes incruenta Sacerdotes.
O animarum cuſtodes glorioſi, ô magni
Figmentum Dei, manibus in veſtris ferentes.
O Deum hominibus valde excellentem in vnum ducentes.
O mundi fundamenta, vitæ lux, columen verbi,
Sacerdotes vita inſenſibili ſplendida,
Chriſtiferi ſedibus inſidentes optimis,
Excelſi theatris gaudentes decentibus.

Et Baſilius item Sacerdotum meminit in li- XI.
bro de inſtitutione monachorum cap. 21. Quærens an quiſq; debeat omnibus peccata ſua confiteri, an Sacerdotibus ſolis. Et poſtea reſpondet

quod

qnod neceſſarium videtur confiteri peccata ſacerdotibus, vtpote quibus diſpenſatio myſteriorum cõmiſſa eſt. Sicut & ij qui antiquitus pœnitebant, inueniũtur apud ſanctos cõfeſſi eſſe peccata ſua. Scriptum eſt in Euangelio, quia Ioanni Baptiſtæ confitebantur populi peccata ſua. Et in Actis Apoſtolorum, Apoſtolis, ij qui baptizabantur. Hæc Baſilius.

Matth.3. *Act.19.*

XII. Euſebius inſuper lib.3.cap.22.narrat, quod Ioannes Apoſt. quum poſt tyranni obitum, de Pathmos inſula Epheſum rediret, rogabatur etiam vicinas illuſtrare prouincias, quo vel Eccleſias fundaret in quibus nõ erant locis, vel in quib. erant, Sacerdotibus ac miniſtris inſtrueret, ſecundum quod ei de vnoquoq; Spiritus ſanctus indicaſſet. Hæc ille. Et neſcio quoties idem memorat de cõſecratis Epiſcopis ac Sacerdotibus, refert etiam lib.9.ca.10. Quod poſtquam pax eccleſiis per Maximini mortem reddita fuerat, quomodo feſtiuitates à noſtris frequentiſſime gerebantur, cum omni lætitia & exultatione, per vrbes & loca ſingula Eccleſiarum dedicationibus celebratis. Cõgregabantur in vnum Sacerdotes, nec pigebat etiam longe poſitos conuenire, quia nullum longũ videbatur ſpatium charitati. Concurrebant etiã populi ad populos, & tanquam vere membra vnius corporis Chriſti iungi ſibi inuicẽ, ſociariq; gaudebant, vt videretur in eis compleri figura illa prophetica, quę cum ſacramento quodam prędicata eſt, dicens: Quia congregabitur ós ad os, & iunctura ad iuncturam, quibus etiam vnus ſpiritus ineſſe omnibus infuſus membris, & vna anima merito dicitur, quia & vna in omnibus fides, & vnus in omnibus colitur Deus, atq; ex vno ore hymnos omnes concinunt Deo. Iam vero ingens in ſacerdotiis & miniſteriis quæ ad religionis obſeruantiam pertinent, gratia refulgebat. Adſtabant hîc pſallentium chori, iuuenes & virgines, ſeniores cum iunioribus laudabant nomen Domini. Hîc myſtica miniſteria ordinatis ac diſpoſitis vicibus agebantur, pontificum quoq; & ſacerdotum conſeſſus ipſa canicie venerabilis eminus præfulgebat. Iam vero ſi quis per gratiam Domini inſpiratus, ſermonem proferret ad populum, cum omni ſilentio ora cunctorum in eũ, oculique conuerſi tanquam cœlitus ſibi per eum denuntiari aliquid expectabant. Tanta auditorum reuerentia, tantus ordo in ſacerdotibus ſeruabatur. Inde alius atque alius, & non ſolum duo vel tres, ſicut Apoſtolus dixit, cæteris examinantibus loquebantur, ſed & quantiſcunque dabatur ſermo in adapertione oris ſui, vt magis conſtaret in eis, illud quod Moyſes dixerat: Quis dabit omnem eccleſiam Dei prophetare? Nnſquam enim liuor aderat, nullum pulſabat inuidia, dona Dei populis miniſtrabantur, vnuſquiſque ſecundum quod ſcriptum eſt, ad ædificationem Eccleſiæ abundare quærebat. Et omnia hæc in charitate gerebantur, ita vt ſe honore inuicem præuenirent, & alter alterum ſeduceret meliorem. Nam ſimpliciores quippe admirabantur, & ſuſpiciebant eos qui per ſapientiam verbi populos inſtruebant. Sapientes vero & eruditi viri pręferebant eos, quibus pura vita & ſincera ſimplicitas offerendi Deo hoſtias, maiorem fiduciam dabat, eiſque immolandi ſacrificiis permittebatur officium, quos familiarior vitæ ſimplicitas in cordis puritate ſeruabat. Sic ſummo ſtudio perquirebat alter in altero quod præferret. Hæc Euſebius.

Ezech.37. *1.Cor.14.* *1.Cor.14.*

XIII. Similiter & Origenes ſuper Leuiticum homilia ſexta ſic ait: Requiritur enim in ordinando ſacerdote, & præſentia populi, vt ſciant omnes & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad ſacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodum retractio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret. Hoc eſt autem quod & Apoſtolus præcipit in ordinatione ſacerdotis dicens: Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt. Hæc Orig. Et quanquam hi non pauci ſint, ſed & plurimum autentici, non grauabimur tamen adhuc & alios his vetuſtiores in medium afferre, qui vel Apoſtolis contemporanei fuerint, vel eorum temporibus admodum vicini, vt & Apoſtolici cognomentum rectiſſime mereantur.

Quis ordinare debeat. *1.Tim.3.*

XIIII. Egeſippus primum, in quarto commentariorum libro, vbi ſententiam ſuæ fidei pleniſſima cum aſtructione deſignat, indicat hoc etiã, quod quũ ad vrbem Romã pergeret plurimis per loca ſingula Epiſcopis in ſermone & charitate cõgreſſis, omnes eiuſdẽ fidei prædicatores doctoreſq; repererit: ſimul & de Corinthiorũ Eccleſia loquens ait: Et permãſit eccleſia Corinthiorũ in prædicatione recta vſq; ad primũ Epiſcopum, quẽ Romã nauigans vidi, & reſedi cum eo apud Corinthum diebus multis, delectatus puritate fidei eius. Quum autem veniſſem Romam, permanſi inibi, donec Aniceto Soter, & Soteri ſucceſſit Eleutherus. Sed in omnibus iſtis ordinationibus, vel in cæteris quas per reliquas vrbes videram, ita omnia habebantur, ſicut lex antiquitus tradidit, & prophetæ indicauerunt, & Dominus ſtatuit. Hæc ille.

Ordinationes quomodo olim fiebant.

XV. Ignatius autem apertius in Epiſtola ad Smyrnenſes tam miſſæ quam ſacerdotum facit mentionem. Non licet, inquit, ſine Epiſcopo neque offerre, neq; ſacrificium immolare, neque miſſas celebrare, ſed ſi ei viſum fuerit ſecundum beneplacitum Dei, tunc demum tutum & firmũ erit. Ergo omnia quæcunq; agitis & facitis iam mutabilia ſunt, vt corrigamus nos in Deo quum tempus habemus pœnitendi. Quod enim incertum eſt, non habet confeſſionem. Ecce enim homo, inquit, & opera eius cum eo. ſicut ſcriptum eſt: Honora, inquit, fili Deum & regem, ego autem dico, Honorate quidem Deum & autorem omnium & Dominum, Epiſcopum autem tanquam principem ſacerdotum, imaginem Dei ferẽtem, principatum quidem ſecundum Deum, ſacerdotium vero ſecundum Chriſtum. Et poſt hũc honorare oportet etiam Regem, nemo enim potior eſt Deo, neq; ſimilis ei, neq; Epiſcopo in Eccleſia honora-

Epiſcopus honorandus.

honorabilior ſacerdotium Dei gerenti pro mundi ſalute. Neq; regi quis ſimilis eſt in exercitu, pacem & beneuolentiam omnibus principibus cogitanti. Qui enim honorat Epiſcopum, honorabitur à Deo, & qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis contra regem inſurgens, damnatione dignus eſt, quomodo vltionẽ euadere poterit, qui præter Epiſcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim ſumma eſt omniũ bonorum, quæ in hominibus cõſtant: quod ſi quis inhonorauerit, Deum inhonorat & Dominum Ieſum Chriſtum primogenitum totius creaturæ & ſolum natura principem ſacerdotem Dei. Hactenus Ignatius.

Sacerdotium.

Et Polycarpus item contemporaneus Apoſtolis & Ioannis Apoſtoli diſcipulus, in Epiſtola ad Philippenſes plebem admonet, vt ſacerdotibus obtemperet, dicens: Subiecti eſtote presbyteris & diaconis ſicut Deo & Chriſto.

XVI. Dionyſius etiam præter ea quæ in eccleſiaſtica hierarchia meminit, ſic ad Demophilum monachum ſcribit: Nunc ergo quid ipſi ſentiamus, attende. Nefas eſt ſacerdotem à miniſtris (qui te ſuperiores ſunt) atque à tui ordinis viris iudicari, etiam ſi impius in diuina eſſe videatur, etiam ſi quid aliud ex iis quę interdicta ſunt egiſſe deprehẽditur. Nam ſi diſtinctiones ordineſq; confundere, ſacratiſſimas Dei ſanctiones & iura trãſgredi eſt, omni profecto ratione caret, Dei cauſa peruertere traditum diuinitus ordinem, neq; enim in ſeipſum Dei ſermo diuiſus eſt, alioqui quomodo ipſius ſtaret regnum? Et ſi Dei eſt iudicium, vt ſacra eloquia teſtantur, ſacerdotes autem angeli ſunt diuinorum iudiciorum, continuo poſt pontificem magiſtri, ab ipſis tu diuina congrue ac ſuo ordine per medios miniſtros, quum tempeſtiuum fuerit diſce, per quos etiam cultor eſſe meruiſti. An vero non hoc ipſum ſacra ſigna proclamant? neq; enim ſancta ſanctorum ſimpliciter omnibus ſunt inacceſſa, verum his appropinquat magis pontificum ſacra diſtinctio, deinde ſacerdotum ordo, quos deinceps & miniſtrorum ſequitur gradus. Hæc Dionyſius.

Sacerdotes non iudicentur. *Luc. 11.* *Ordinum diſtinctio.*

XVII. Philo quinetiam qui & Petro familiaris Romæ fuiſſe traditur, in libro cui titulum fecit de vita theoretica ſupplicum, de Chriſtianis loquẽs qui partes Ægypti circa Alexandriam incolebãt, mentionem facit ſanctorum miniſtrorum atque ſacerdotum & Epiſcopi, docens quomodo ſacerdotes ac miniſtri exhibeant officia ſua, vel quæ ſit ſuper omnia epiſcopalis apicis ſedes. Hæc apud Euſebium lib. 2. ca. 17.

XVIII. Clemens deniq; Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo quotidianæ prædicationis quam Petrus exercuit, quædam breuiter memorat, inter quæ, quid epiſcopi facturi ſint etiam docuiſſe recenſet, nimirum Epiſcopos ſacerdotes ſuos ac cunctos reliquos Eccleſiæ miniſtros, atque omnem plebem ſibi commiſſam verba & mandata diuina inſtruere, & amare. Hoſque omnes eorum epiſcopos tota animi virtute diligere vt oculos ſuos, quia oculi ſunt illorum. Eorum præceptis in omnibus obedire, etiam ſi ipſi aliter (quod abſit) agant, memores ſcilicet illius dominici præcepti: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Hæc ille.

Epiſcopi docere debent. *Matth. 23.*

Corollarium.

Ex tot patrum tam concordi ſententia certiſſime colligitur, haudquaquam ſacerdotium heri aut nudiuſtertius, ſed ab ipſis Eccleſiæ primis vnguiculis inſtitutum fuiſſe. Quare quum Lutherus nullum orthodoxum afferre poſſit, qui libro quouis edito contrarium teſtetur, ſed nec ſcripturæ ſyllabam aliquam producere queat illorum patrum aſſertionibus reclamantem, quid prohibebit quo minus ipſi contra Lutherum de veritate ſacerdotij iuſtiſſime præſcribamus?

Apoſtoli vitabant ſacerdotis vocabulum *Varia ſacerdotum appellatio.*

Nihil vtiq; Luth. habet quod hæreſi ſuæ faueat, niſi quod nuſquam hac nomenclatura nouum inſtrumẽtum vtatur, hoc eſt, quod nuſquam tribuat hoc vocabulum illis, quos hodie vocamus ſacerdotes. At iſtud parum aut nihil mouebit eũ, qui rationem diligenter expendit, cur hanc appellationem Apoſtoli vitauerint, nimirum quia vetus adhuc currebat ſacerdotium, & in templo quotidie ſacrificabatur. Quamobrem ne cõfunderent hæc inuicem ſacerdotia, placuit interim pro ſacerdotibus nouis aliis vti nuncupationibus. Hos igitur aliquando presbyteros, aliquando miniſtros, nonnunquam Epiſcopos & paſtores appellaſſe palam eſt, quoadusq; vetus ſacerdotium eſſet vna cum templo ſublatum funditus. Vbi vero templum euerſum fuiſſet, & veteres ad nihilum redacti ſacerdotes, iam paſſim ab omnibus, noſtri presbyteri Sacerdotes vocati ſunt. XIX.

1 Cor. 12. *Epheſ. 4.*

Et hoc tibi ceu compertiſſimum velim teneas, lector, Lutherum è ſcripturis nec minimum apicẽ habere, qui viſibili ſacerdotio reluctetur, ſed neq; vllum ex cunctis Eccleſię Pręſidibus orthodoxis, qui dogma iſtud vel ſemel teſtatus fuerit, ſed omnes vno ore conclamaſſe penitus in contrarium. XX.

Concluſio autoris. *Prima ratio.*

Hic igitur primus in Lutherum ſit congreſſus noſter. Quando ſacerdotij veritas concorditer à Patribus omnibus per totum Eccleſiæ decurſum abunde ſit aſſerta, nec eſt quiſquam orthodoxus qui diſſentiat, ſed nec vlla ſcriptura poteſt adduci, quæ huic veritati repugnet, quis non dilucide cernat, nos de veritate ſacerdotij contra Lutherum iure præſcripſiſſe? Supra modum vtique mirandum eſſet, quod Chriſtus Eccleſiam ſuam, quam tanto pretio, nempe ſui ſanguinis, redemit, tanto tempore neglexiſſet tam cæco errore implicitam. Neque minus mirandum, quod Spiritus ſanctus qui potiſſimum eius rei gratia miſſus fuerat, vt eccleſiã in omnem duceret veritatẽ, paſſus eam fuiſſet tam diu ſeduci. Sed nec eſt credibile, quod Præſides Eccleſiarũ, quũ tot circa naſcentis Eccleſia tempora præceſſiſſent, & ad regendam Eccleſiam ab ipſo Spiritu fuiſſent cõſtituti, quemadmodũ inferius oſtẽdemus, nõ eſt, inquam, credibile, quod omnes ad vnum in tãtis tenebris, tot ſecula fuiſſent hallucinati, vt tam horrendum mendacium publicitus docerent.

Secunda ratio. *Tertia ratio* *Quarta ratio.*

Poſtre-

Poſtremo ſuperat omnem admirationem quod
quum tot Eccleſiæ quæ per Chriſtianum orbem
ſparſæ ſunt, tanta cura, tantaque ſolicitudine
Chriſti, ſimul & ſacri Spiritus eius, atque Præſi-
dum eis ad hoc inſtitutorum, hactenus guberna-
tæ ſint, tanta potuit omniũ eſſe conſpiratio, præ-
ſertim in tam fœdum errorem, & mendacium,
quod (ſi Luthero credimus) adeo pernicioſum
eſt, vt ipſum ad iniuriam teſtamenti Domini cō-
Epilogus. fictum affirmare nō vereatur. Si quis igitur Chri-
ſti pro nobis ſolicitudinem animo attento con-
templetur, ſi ſacri Spiritus non otioſam in Eccle-
ſia reſidentiam indubitáter credat. Si priſcorum
præſidum, non vita ſolum verum etiam doctri-
na miraculiſque clariſſimorum, teſtimonia tot &
tam aperta conſideret, ſi poſtremo contueatur
Inconuenientia ad Lutheri aſſertionē. omnium Eccleſiarum, nulla diſſidēte per tot an-
norum curricula, cōſpirationem fuiſſe tam vna-
nimem, nũquam putabit (opinor) vni Luthero
Primum. iam primũ illuxiſſe veritatem, quam nemo prio-
rum Patrum potuit ante ſuſpicari, imo cuius cō-
trarium omnes vno ore iam olim aſſeuerauerāt.
Secundum. Nam ſi tam diu veritas in tenebris concluſa de-
lituiſſet, vt vnum Lutherum poſt tot annorum
centenarios expectaret liberanda, fruſtra Chri-
ſtus de maioribus noſtris tantam curam habuit,
fruſtra ſimiliter & Chriſti Spiritus, vt doceret eos
Tertium. omnem veritatem, fuerat miſſus, fruſtra quinet-
iam ab illis toties petita fuit, & quæſita veritas,
dum interea tam vnanimiter omnes mendacium
adeo pernicioſum Eccleſiis prædicaſſent. Quod
Quartum. ſi in iis erratum eſt, quæ tantopere ad fidem ſpe-
ctant, incaſſum profecto tincta ſunt (vt Tertul-
liani verbis vtar) tot millia millium: Incaſſum
item facta ſunt tot opera fidei, tot etiam virtutes,
totque chariſmata incaſſum operata ſunt, tot ſa-
cerdotia, tot miniſteria perperã functa ſunt, tot
deniq; martyria perperam & inuacuum perpeſſa,
quandoquidem hos omnes erronea fide conſtat
Heb.11. eſſe defunctos. Nam abſq; recta fide nullus illo-
rum Deo placere potuit.

XXI. Nunc itaq; quum intelligas optime Lector à
quibus iſta de ſacerdotio doctrina ſinceriter ad
nos vſque promanauerit, nimirum à ſanctiſſimia
& iiſdem eruditiſſimis viris, quorum nonnulli
fuerant Apoſtolici, qui & illam hauddubie pridē
ab Apoſtolis acceperunt, quumque Lutherus ni-
hil eiuſmodi pro ſua parte queat producere, vti
mox apertum erit; quis tam ſalutis ſuæ prodigus
habendus eſt, vt velit illis reiectis, de animæ ſuæ
incolnmitate cum Lutbero periclitari? Nam cui
poteſt ambiguum eſſe, quin via tutior omnino
ſequenda ſit: & maxime quando ſcriptũ eſt: Qui
Eccle.3. amat periculum, in eo peribit. Et quomodo non
erit via tutior, ſi quis eum tot patribus eruditio-
ne iuxta ac vitæ ſanctimonia clariſſimis ſentiat,
quam ſi Lutherum aduerſus omnes illos ſequa-
tur? Nam qui ſequitur illos patres tanta concor-
dia rem illam affirmantes, Eccleſiam handdubie
ſequitur. Qui vero Eccleſiam ſequitur, in re qua-
uis ad fidem ſpectante, falli non poteſt, quum i-
pſa ſit columua baſiſque veritatis. Quare tutior
omnino via fuerit patribus illis ſubſcribere, ne- *Tutior eligi debet.*
que poteſt qniſquam citra manifeſtum animæ
ſuæ diſcrimen, his relictis, Lutberi partes am-
plecti.

Cæterum vt probemus illnm Eccleſiam ſequi, XXII.
quiſquis priores patres, tanto conſenſu rem iſtã
atteſtantes, ſequitur: quid precor aliud Eccleſia *Eccleſia quæ fuerit.*
tunc erat, quam cœtus quidam ex præſidibus &
ſubditis integre collectus. At palam eſt cunctos
illos præſides à primordiis Eccleſiæ ſic docuiſſe,
cunctoſque ſubditos idipſum dogma recepiſſe.
Quocirca nemini poteſt in dnbium verti, quin
is qui ſic crediderit, Eccleſiam fuerit ſequutus.
Tutior itaque ſecuriorque via prorſus exiſtimari
debet, ſententiis tot Patrum accedere, quibus ne-
mo orthodoxus per tot ſecula reclamauit, quam
Lutherũ iam proclamatiſſimum hæreſiarcham
ſectari. Nam quis ambigere poteſt, quin priores
Patres quibus imperatum fuit, vt docerent, qui-
que à Spiritu ſancto conſtitnti fuerant in id mu-
nus, certiſſimam ab ipſo Spiritu veritatem edocti
ſint, prẹſertim in his dogmatibus, de quibus nul-
la fuit vnquam inter eos controuerſia. Quamob-
rem quiſquis à Lutbero ſteterit aduerſus illos Pa-
tres, & maxime quum neque ſcripturam Luthe-
rus euidentem, vti mox fiet dilucidum, neq; cu-
iuſpiam orthodoxi teſtimonium, pro ſua parte
produxerit, is hauddubie non in ambiguum, ſed
in apertiſſimum periculum ſe præcipitat. Et ha-
ctenus pro primo congreſſu ſit dictum.

CONGRESSVS
SECVNDVS.

CÆTERVM, vt res etiam per ſcri- I.
pturas ſolidius comprobetur, quę- *Intentio authoris.*
dam axiomata ſtatuere conabi-
mur, quib. dilucidum erit nequa-
quam ab bominibus hoc munus
quod ſacerdotium vocamus, confictum eſſe,
quemadmodum Lutherus aſtruere conatur, ſed
diuinitus inſtiturum.

Ego tamen boc initio de vocabulis minime
contendam, hoc eſt quo nomine vocandi ſint hi,
quos appellamus hodie ſacerdotes. Nihil enim
(quantum ad hanc diſceptationem attinet) re-
ferre volo, ſacerdotesne, an presbyteri, an paſto-
res, an quiduis aliud vocitentur.

Oſtendam equidem oportere quoſdam eſſe
medios inter Deum & plebem, qui circa plebem
eiſdem fungantur officiis, quæ iam qnotidie gēri
cernimus à ſacerdotibus. Iſtudqne oſtendam nō
eſſe confictum ab hominibus, neque humanum
eſſe commētum, ſed diuinitus inſtitutum. Quod
vbi ſemel ex ſcripturis ipſis conſtiterit, quis ipſa
de re deinceps amplius dubitabit? Nam vbi de re
conſtiterit, inanis de nominibus erit contentio
quæuis. At priuſquam hæc axiomata proferamus
iu medium, Lutherus velim audiatur quid dicat.
Sic enim ait, mox poſt exordium ſui libri:

Certus eſto, nec vlla perſuaſione falli te ſinas, "
quiſquis eſſe voles pure Chriſtianus, nullum eſſe "
in nouo

„ in nouo teſtamento ſacerdotium viſibile & ex-
„ ternum, niſi quod humanis mendaciis eſt per ſa-
„ tanam erectum. Vnum vero & ſolum eſt nobis
„ ſacerdotium Chriſti, quo ipſe obtulit ſeſe pro no-
„ bis, & nos omnes ſecum, de quo Petrus dicit, 1. Pe-
„ tri 3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus
„ eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mor-
„ tificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu.
„ Et Heb. 10. Vna enim oblatione conſummauit in
„ ſempiternum ſanctificatos. hoc ſacerdotium ſpi-
„ rituale eſt, & omnibus Chriſtianis commune. O-
„ mnes enim eodem, quo Chriſtus, ſacerdotio ſa-
„ cerdotes ſumus, qui Chriſtiani, id eſt, filij Chriſti
„ ſummi ſacerdotis ſumus. Neq; nobis vllo prorſus
„ alio ſacerdote & mediatore opus eſt præter Chri-
„ ſtum.

Hic Lector audis Lutherum omne ſacerdotiũ, quod eſt viſibile & externum, damnare penitus, velut humanis mendaciis, & per ſatanam erectũ, ſolumq; Chriſtum ſacerdotem eſſe, in quo & cæteri quiq; Chriſtiani ſacerdotes item ſunt, neque alio prorſus vllo ſacerdote & mediatore præter Chriſtum illis opus eſſe. Cæterum iſta quam ingentibus erroribus plena ſint, ex his quæ iam ſubſequuntur axiomatis erit apertiſſimum.

PRIMVM AXIOMA.

Rationi conſentaneum eſt, ut pro negotiis quæ ſalutem animarum concernunt, quidam deputentur, qui totius multitudinis curam gerant.

I. HVius rei neceſſitas liquere poteſt, quum ob alia, tum ob ſex potiſſimum incõmoda, quibus maximam Chriſtianorum partem obnoxiã eſſe certiſſimum eſt. Primum eſt facilitas deſciſcendi à fide, de qua Paulus 1. ad Timot. cap. 1. dicit: Nonnulli circa fidem naufragium fecerunt. Et rurſum eodem: Quidam aberrarunt à pura conſcientia, & fide non ſimulata. Sed & idem Paulus complures eorum ad quos ſcribit, monet, vt in fide ſint conſtantes: nonnullos vero quod defecerint, coarguit, & maxime Galatas. Quod ſi deficere poſſiut à fide, qui fidem ſemel admiſerũt, quis non videt, quin admonitore quodam & paſtore ſit opus, qui ſermonem prædicet, inſtetq; tempeſtiue & intempeſtiue, arguat, increpet, ex-
2. Tim. 4. hortetur, vti Paulus Timotheum inſtituit.

II. Alterum incommodum eſt craſſities ingeniorum. Hanc Paulus notauit in Corinthiis, quos velut carnales arguit, & infantes in Chriſto, quibus lacte ſit opus: quum adhuc per infantiam eis non liceret ſolido cibo veſci. Idipſum item He-
Heb. 5. bræis improperat. Facti, inquit, eſtis hi, quibus lacte ſit opus, non ſolido cibo. Et ne quiſquã hoc alio trahat quam ad ſegniciem intellectus, proaimè ante coarguit eos auribus eſſe factos ſegnes, & quum pro ratione temporis doctores eſſe debuiſſent, egere tamen eos aſſeruit vt docerentur, quæ ſint elemẽta initiis eloquiorum Dei. Ad hęc
Galat. 3. & Galatas ἀνοήτους appellat. Erant enim ex Gallis oriundi, vnde iuxta Hieronymum, originis ingenium, ingenij tarditate referebant. Quis igitur iſtiuſmodi hominibus negabit opus eſſe doctore?

Tertium incommodum eſt, procliuitas ad omne malum, hanc in Corinthiis itidem Paulus III.
fuiſſe teſtatur, quum dicat: Metuo ne qua fiat, vt 2. Cor. 12.
ſi venero, non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis, ne quo modo ſint contentiones, æmulationes, iræ, certationes, obtrectationes, ſuſurri, rumores, ſeditiones. Et mox ſubdit; Et lugeam multos eorum qui ante peccauerunt, & non pœnituerint ſuper immunditia & libidine & impudicitia quam patrarunt. Et 1. Corin. 10. noſtra conferens cum his quæ Iudæis cõtigerunt, cunctos ita monet: Ne ſimus, inquit, concupiſcentes rerum malarum, quemadmodũ & illi concupierunt. Neque ſimulachrorum cultores, ſicut quidam illorum. Neq; ſtupris inquinemur ſicut quidam illorum ſtupris polluti ſunt, & conciderunt vno die viginti tria millia: neque tentemus Chriſtum, ſicut & quidam illorum tẽtauerunt, & à ſerpentibus extincti ſunt. Neque murmuraueritis, ſicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti ſunt ab extinctore. Hæc autem omnia contigerunt in illis. Scripta vero ſunt propter admonitionem noſtri in quos termini ætatum inciderunt. Proinde qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat. Ecce Lector, quam facile quiſque ruere poſſit in priora mala. Quocirca manifeſtum eſt opus eſſe populo monitore quodam, qui ne proruat in omne genus vitiorũ, ſuis eos adhortationibus aſſidue fulciat.

Quartum eſt tarditas ad bene operandum. IIII.
Quis non perſpicit bonam Chriſtianorum partem, ad bona opera plerunque ſegnem eſſe, multoque ſtudioſius ea curare quæ corporis, quam quæ ad ſalutem animi pertineant? Neque ſolum nunc eiuſmodi ſumus, verum etiam olim in Eccleſiæ primordiis tales non defuerunt. Alioqui non dixiſſet ad Hebræos Paulus: Manus emiſſas Heb. 12.
& genua ſoluta erigite. Neq; apud Theſſa. quoſ- 1. Theſ. 4.
dam arguiſſet otij, neque iuniores viduas apud Timotheum, quod eſſent otioſæ reprehendiſſet. 1. Tim. 5.
Sed neque Ioannes in Apocalypſi cuidam obie- Apoc. 2. & 3.
ciſſet, quod reliquerit charitatem primam. Neq; tepido cuidam illic fuiſſet comminatus, quod ob tepiditatem ſuam ex ore Dei mox euomendus eſſet. O quot ſunt his temporibus in Eccleſia tepi-
di: His, inquam, temporibus, de quibus Chriſtus Matth. 24.
prædixit, quod cum abundaret iniquitas, refrigeſceret charitas multorum. Nunc igitur quiſquis negat opus eſſe Paſtoribus & Doctoribus ad excutiendam hanc populi ſegnitiem, plane cæcus eſt.

Quintum eſt inſidiæ ſatanicæ. De quibus Pau- V.
lus quum alibi, tum apud Epheſios, nos monet, inquiens: Induite totam armaturam Dei, vt poſ-
ſitis ſtare aduerſus aſſultus Diaboli. Quoniam Ephe. 6.
non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi Dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius aduerſus ſpirituales aſtutias in

cœleſtibus. Petrus quoque, 1. Petri 5. ſcribit: Aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. *Apoc. 12.* Is (vt in Apocal. traditur) vniuerſum orbem ſeducit. Sed & *Mar. 4.* Seruator noſter Chriſtus in Euangelio Marci teſtatur ſatanam obſiſtere, quo minus diuini verbi ſemen in multorum cordibus radicem agat. *Luc. 8.* Quum, inquit, audierint, confeſtim venit ſatanas, & aufert ſermonem qui ſeminatus eſt in cordibus eorum. *Luc. 22.* Et apud Lucam inſuper ait Simoni Petro: Ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum. Quod ſi communis humani generis aduerſarius ita ſanctis illis Apoſt. inſidiatus fuiſſet, quid de reliquo populo ſperandum eſt? Quis itaque non videt pernecesſariam eſſe vigilem paſtorum curam, quo populus excitetur, vt ab illius ſibi caueat aſſultibus?

VI. Sextum eſt, peſtifera falſorum magiſtrorum dogmata. Ab eiuſmodi Chriſtus nos cauere iubet, Matthæi 6. cap. Cauete vobis, inquit, à pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. De quibus & 14. cap. Matth. dicit, quod ſeducent multos ab illis. Et Romanos olim abductos Paulus ad rectam fidei normam reducit. Corinthios item ab illis monet ſibi cauendos eſſe. Galatas identidem coarguit, quod ab illis erant faſcinati. Philippenſes inſuper & Coloſſenſes atque alios multis hortatur verbis, vt ab illis declinent. Apud Timotheum affirmat, Hymeneũ *1. Tim. 1.* & Philætum circa fidem aberraſſe, quorundamque ſubuertiſſe fidem. Sed & in Actis Apoſt. E*Act. 20.*pheſiorum Epiſcopos excitat ad vigilandum aduerſum illos. Attendite, inquit, vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, ad regendum Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego enim noui hoc, quod ingreſſuri ſint poſt deceſſum meum lupi graues in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis orientur viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. *Conclusio.* Palam eſt igitur, ob hæc ſex incommoda, quæ iam diximus, Paſtores & doctores gregi Chriſtiano, quam diu ſumus hic à Domino peregrinaturi, plurimũ neceſſarios eſſe. Sed hactenus pro Axiomate primo ſit dictum.

SECVNDVM AXIOMA.

Chriſtus ipſe dum hic in terris eſſet, Paſtores quoſdam inſtituit, quia ſuarum ouium curam agerent, eoſque paſcerent, regerent, & docerent.

VIII. Refert Lucas cap. 6. Chriſtum poſteaquam noctem integram precatus fuiſſet patrem, quum dies factus eſſet, vocaſſe diſcipulos ſuos, & ex ipſis elegiſſe duodecim, quos & Apoſtolos nominauit. Hic aduerte lector quanta præparatione & ſtudio Chriſtus hos Apoſtolos delegerit, quũ ante voluiſſet in iugi precatione pernoctare, quam eos in id muneris cooptaſſet.

Marcus vero cap. 3. de his ita tradidit: Et aſcẽdit Ieſus in montem, & vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum. Et fecit duodecim vt eſſent ſecum, & vt emitteret eos ad prædicandum. Videre igitur ex his licet, Apoſtolos iſtos magna diligentia fuiſſe delectos & inſtitutos, eiſque officium præcellentius & poteſtatem ampliorem fuiſſe commiſſam, quam cæteris Chriſti diſcipulis, id quod etiam axiomate quarto plenius oſtẽdemus.

IX. Porro Matthæus cap. 10. quum enumeraſſet duodecim Apoſtolos, illico ſubdit: hos numero duodecim emiſit Ieſus, quibus præceperat, dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini: ſed ite potius ad oues perditas domus Iſrael. Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnũ cœlorum. Ecce curam his commiſit ouium domus Iſraël, quas & doceri voluit ab illis.

Ioannes autem & ipſe cap. 6. memorat Chriſtum ad hos dixiſſe: Nonne ego vos duodecim elegi? Et rurſum cap. 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & conſtitui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. At quem, precor, fructum intelligis magis, quam ſalutem animarum, pro quibus paſcendis, regendis, docendis, eoſdem Apoſtolos inſtituit? Neque ſolum Iudæorum eis curam credidit, verumetiam haud multo poſt & Gentium. Nam quum eſſet cœlos conſcenſurus, mandauit eis, quatenus in orbem vniuerſum profecti, docerent etiam omnes Gentes, quemadmodum & Matthæus & *Matth. 28.* Marcus teſtantur. *Marc. 16.* Petrum vero peculiariter, quum eum tertio rogaſſet ſi ſe diligeret, ouium ſuarum inſtituit paſtorem maximum. Sic enim Ioannes poſtremo cap. refert: Quum, inquit, prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Io*Ioan. 21.*annis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quod amem te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei rurſus: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quod amem te. Dicit ei: Rege oues meas. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Dixitque ei: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quod amem te. Dicit ei Ieſus: Paſce oues meas. Dilucidum eſt ergo Chriſtum hos duodecim paſtores inſtituiſſe, qui ſui gregis curam agerent, neq; docerent ſolum, verumetiam regerent, & quum opus eſſet, corrigerent. Alioqui nec Paulus vſus interim fuiſſet correctionis virga, neque Tito, quem Cretenſibus præfecit, mandaſſet, vt quæ deeſſent pergeret corrigere. Huius, inquit, rei gratia reliqui te in Creta, vt *Tit. 1.* quæ deſunt pergas corrigere.

X. Præter Apoſtolos autem fuerunt & ſeptuaginta duo diſcipuli per Dominum Ieſum deſignati, quemadmodum ſcribit Lucas. Et hi ex reliqua diſcipulorum turba ſelecti fuerant, quibus & magna præ cæteris authoritas conferebatur. Nam & illis iuſſum fuerat, vt ſanarent infirmos, & vt in meſſe dominica laborarent, binique & bini miſſi fuerant in omnem ciuitatem & locum, quo fuerat Chriſtus iturus.

Porro ciuitati quæ non receperit eos, comminabatur Chriſtus, vt cum Sodomitis in die tre-

die tremendo remiſſius ageretur, quam cum illis. Qui vero ſpreuerit eos, perinde ſibi futurum, atque ſi Chriſtum ſpreuiſſet, & qui audierit, veluti ſi Chriſtum audiiſſet: Sed & poteſtas eis ſuper dæmonia, ſuperque ſerpentes & ſcorpiones, & denique ſuper omnem virtutem inimici fuerat collata. Hæc ſcribit Lucas cap. 10. Ex quibus apertū eſt, & iſtis fuiſſe traditam docendi poteſtatem, ſimul & curam aliquam gregis, licet non parem cū Apoſtolis duodecim. Perſpicuum igitur ex his

Apoſtoli & diſcipuli diſferunt.

eſſe poteſt, duodecim Apoſtolos, à ſeptuaginta diſcipulis, hoſq; pariter à reliqua diſcipulorum

Ratio varietatis ordinū.

turba, magno diſtaſſe interuallo. Neque putandum eſt voluiſſe Chriſtum, hanc inter ſuos ordinum varietatem pro tempore illo duntaxat fieri, ſed plane duraturam inſtituit, quamdiu in terris eſſet Eccleſia militatura, vti mox apertius dicturi ſumus. Interea cuiuis manifeſtum eſſe poteſt, non abs re maiores noſtros curaſſe, quatenus hęc varietas in Eccleſia perpetuaretur, nimirum vt eſſent quidam qui referrent Apoſtolos, alij qui formam ſeptuaginta diſcipulorum exprimerēt. Neque iſtud abſq; ſacri Spiritus inſtinctu feciſſe creduntur, & maxime quum exemplar eius rei tam euidens ante fuiſſet eis à Chriſto traditum. Nec opinor quenquam eſſe tam hæreticum, vt neget illam varietatem à Chriſto fuiſſe inſtitutā. Quod ſi fateatur, conſequens eſt vt concedat illos gradus nequaquam ſingulis de plebe conuenire, ſed in eiſdem gradibus inſtitui quoſdam oportere per eos, quibus hæc autoritas commiſſa eſt, de qua re mox plura dicemus. Liquet inſuper nec abſurdū eſſe, quod per eoſdem maiores noſtros traditum eſt, vt qui ſucceſſerint Apoſtolis, & primum in eccleſia gradum tenuerint, epiſcopi vocentur, atque maiores ſacerdotes. Alij vero qui ſecundi gradus, hoc eſt, ſeptuaginta diſcipulorum formam tenent, minores ſacerdotes & presbyteri dicantur. De qua re quoq; pluribus infra dicendum erit. Sed hæc pro axiomate ſecundo ſufficiant.

TERTIVM AXIOMA.

Congruum eſt, vt qui ad hunc modum paſtores Chriſtiano gregi conſtituti ſunt, hi præ cæteris dono gratiæ copioſiori perfundantur.

XI. NOn poteſt quiſquam de huius axiomatis veritate dubitare, qui creaturarum ordinem in vniuerſo contemplatur. Nam illic cernere licet

Cœleſtium influentia perpetuat inferiora.

quem in modum corpora ſuperiora, quibus velut organis quibuſdā inferiora moderatur Deus, pluribus exornātur donis, quam inferiora. Nam quum Dei fuerat inſtitutū, vt hæc inferiora quæ prona ad interitum erant, & corruptioni obnoxia, perpetuarentur, ideo voluit vt eſſent quædā ſublimiora corpora magis durabilia, quæ ſuis miniſteriis & influentiis continuam in illis perpetuarent generationem & vitam. Quibus & ob eum finem eximias virtutes tribuit, nimirum lucendi, & illuminandi, calefaciendi, humectandi, viuificandi, tonandique, & coruſcandi. Neque diſſimiliter in eccleſia fieri conueniebat, quæ

Eccleſ. ſpiritualis orbis eſt.

quaſi ſpiritualis quidam orbis eſt, & cœlos ac terram in ſe modo ſpirituali complectitur. Propter quod & Pſalm. 18. Dauid Spiritu præuidens futurum eccleſiæ ſtatum & ordinem, Apoſtolos ac cæteros Dei miniſtros in Eccleſia, cœlis comparat, plebem vero terris. Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei. Nam vt cœli diſcurrentes lu-

Apoſtoli cœli.

cent, calefaciunt, humectant, viuificant, tonantque & coruſcant, ſic Apoſtoli cæterique miniſtri per vniuerſum orbem haud diſſimilibus miniſteriis ſpiritualiter vſi ſunt. Lucent enim vita, calefaciunt ardore charitatis, humectant ſaluberrimis conſiliis, ingentibus promiſſis viuificant, tonant minis, miraculis coruſcant, vt non immerito de eis in eodem Pſalmo Dauid dixerit: In omnem terram exiuit ſonus eorum. Et quoniam eccleſia ſemper vna manet & integra, neq; minus iam eiuſmodi miniſtris egeat, quam Apoſtolorum temporibus, idcirco nunc identidem eſt neceſſarium, vt hi qui vices Apoſtolorum ſupplent, dotibus ad miniſterium ſuum accommodis pariter exornentur.

Adde quod in humano corpore, quod & maioris mundi ordinem imitatur, membra illa ſenſoria, quæ ad totius corporis vtilitatem donata XII.
ſunt, maiori virtute pollere conſpicimus, quam cætera. Sed & inter illa, quo ſublimiora quæque fuerint, eo quoque fieri præſtantiora. Nam tangendi organum quod vilius eſt & craſſioris ſubſtantiæ quam cætera, nempe quod terræ reſpondeat, non niſi quæ proxima ſunt diſcernit.

Guſtandi vero organum, vt aliquanto excelſius, ita & ſubtilius eſt (nam ſubtilitatem aquæ refert) etiam quæ aliquanto remotius poſita ſunt diiudicat.

Olfaciendi quoque ſenſorium, quod illis adhuc ſublimius ſit ac ſerenius, quippe quod nebulæ referat tenuitatem, igitur ad longe maius interuallum, ſuum dignoſcendi iudicium porrigit.

Audiendi præterea & illis præſtantius eſt & purius. Nam & aëris puritatem atque ſubtilitatem repræſentat, quo fit vt ad multo ampliorem diſtantiam ſenſile ſuum deprehendat.

Denique videndi organum vt eſt præ cæteris excelſiori loco poſitum, ita & maiori virtute prędítum eſt, ſiderumque decorem imitatur. Nam & intus habet nonnihil fulgidum, & inſuper ad ampliſſimum interuallum viſibilia percipit.

Quemadmodum igitur in humano corpore XIII.
membra quæ magis egregia ſunt, viribus potioribus decorantur, ita ſimiliter & in eccleſiæ corpore par eſt, vt ea membra quæ cæteris præſunt, copioſioribus à Deo gratiæ donis perfundantur. De qua re ſuſius in axiomate proximo dicturi ſumus.

Similium diſcrimen.

Sed vt ad ſcripturarum exempla tandem veniamus. XIIII.
Moſes quum nimia preſſus cura prope ſub ipſo onere deficeret, nec ſufficeret ad tanti populi gubernationem, iuſſit illi Deus dicens:

Num. 11.

Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, q̃ ſenes populi ſint ac magiſtri: Et duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. Quod & factum eſt. Si veteris igitur & iam antiquatæ ſynagogæ tantam curã geſſerit Deus, vt ipſius gubernatoribus huiuſmodi gratiam contulerit, quanto magis id fieri cõgruit pro Eccleſia, quæ ex multitudine gentium collecta eſt, & Chriſti ſanguine redempta, imo ſponſa Chriſti iam effecta. Proculdubio quum ipſa nũc in huius mundi deſerto peregrinatur, neq; pauci paſtores huic tantę plebis gubernationi ſufficiãt, congruum eſt, vt in plures ipſa curarum moles diſtribuatur, pariterq; dotes gratiarum iiſdem à diuino Spiritu cumulatius impertiãtur, quo poſſent id muneris fructuoſius exercere.

Chriſtus præfecit Eccleſiæ prælatos.

XV. Similiter & quum in deſerto deſtinarit Deus fœderis tabernaculum eſſe fabricandum, nec repertus eſſet quiſquam peritus artifex, qui norit hoc ipſum fabrefacere, impleuit quẽdam nomine Beſeleel filium Huri Spiritu Dei, eundemque locupletauit ſapientia, intelligentia, & ſcientia, quo poſſit in quouis opere excogitare quicquid fabrefieri debuit ex auro, argento, ære, marmore, gemmis, & diuerſitate lignorum, cui & ſocium dedit Oolial filium Achiſamec, vt Exodi 31. ſcribitur. Hoc pro tabernaculo fœderis iam abolito fecit Deus, & pro Chriſti corporis myſtici tabernaculo, quod iam indies ædificatur, nullos magiſtros tanti operis curabit conſtituere, neq; conſtitutos neceſſariis gratiæ dotibus exornare ſtudebit? Alienum vtiq; foret iſtud à beneficentia Dei, qui quum aliquid operis meditatur, nunquã deficit in mediis, quæ pro fine operis conſequendo neceſſaria ſunt.

QVARTVM AXIOMA.

Non ſolum ita fieri congruum eſt, verumetiam de facto Chriſtus Eccleſiæ ſuæ paſtoribus huiuſmodi largitus eſt gratiam & poteſtatem, qua ſuo commodius officio fungerentur.

XVI. AN non ex infima plebe Chriſtus duodecim Apoſtolos elegit, homines, vt ne quid aliud dicam, rudes & indoctos, quos tamen vbi velut duces gregi ſuo præfeciſſet, maximis gratiæ dotibus inſigniuit? Refert vtiq; Matthæus datam illis fuiſſe poteſtatem aduerſus immundos Spiritus, vt eiicerent eos, & ſanarent quemuis morbũ & quemuis languorem. Refert & tantam eiſdem ſapientiam fuiſſe donatam, vt nec eſſet opus præmeditari quid loquerentur. Dabitur, inquit, vobis in illa hora quid loquamini. Neq; enim vos eſtis ipſi loquentes, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et quanquam hoc ipſum aliis poſtea compluribus contigiſſet, tamen ad Apoſtolos hæc tum peculiariter fuiſſe dicta, Matt. 10. ſatis apertum eſt. Similiter & Lucas narrat: Conuocatis, inquit, Ieſus duodecim, dedit illis poteſtatem, & authoritatem ſuper omnia dæmonia, & vt morbos ſanarent, & miſit illos vt prædicarent regnũ Dei, & ſanarent infirmos. Marcus autem refert, quod iidem egreſſi prædicabant reſipiſcentiam, & dæmonia multa eiiciebãt, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant. An iſtud queſo fieri potuit abſq; donis gratiarum eximiis? Sed & duodecim illos, vt docet Marcus, ideo Chriſtus inſtituit, vt eſſent ſecũ. At quid hoc eſt aliud quam quod hi præ cæteris illi magis familiares eſſent & viciniores, maioriq; cæteris præpollerẽt authoritate? Hos inſuper in ſuprema cœna conuiuas habuit, quibus & conſecrandi corporis ſui dedit poteſtatem. Sic enim ca. 22. Lucas ſcribit: Et quum iam eſſet tempeſtiuum accubuit, ac duodecim Apoſtoli cum eo. Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha comedere vobiſcũ, antequã patiar. Mox quoq; ſubdit Lucas: Et accepto pane quum gratias egiſſet, fregit ac dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, Hoc facite in mei recordationẽ. Ecce duodecim illis poteſtatem dedit conficiendi corporis ſui. Nam palam eſt ex eodem euangelio, plures conuiuas illic non fuiſſe, præter Chriſtum & duodecim, quum ſatis conſtet vnum poculum pluribus quam totidem cõuiuis haudquaquam ſuffeciſſe. Atqui Ieſus (vt illic tradit Lucas) accepto poculo dixit accumbẽtibus: Accipite hoc, & diuidite inter vos. Præter hoc, eiſdem quoq; diu antequam pateretur ligandi ſoluendiq; contulit autoritatẽ, vti Matthæus memorat. Neq; aliis quam Apoſtolis hanc fuiſſe datam Lutherus vnquam oſtendit. Sed & poſt reſurrectionem ſuam Ioannes docet Chriſtum in illos flaſſe, ſanctumq; contuliſſe Spiritum, vna cum facultate remittẽdi, retinendiq; peccata. Sic enim Ioan. ca. 20. ſcribit, dixiſſe ad illos Chriſtũ: Sicut miſit me pater & ego mitto vos. Hæc quum dixiſſet, flauit in eos, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retẽta erunt. Nec eſt quod hîc Lutherus cauilletur, hæc omnibus Chriſtianis fuiſſe dicta, quum apertum ſit non omnes Chriſtianos eſſe miſſos. Dicta ſunt autem illa verba ſolis ipſis qui mittebantur. Sicut miſit me pater, inquit, & ego mitto vos.

Ioan. 15. 1. Cor. 1. Matth. 10. Luc. 12. Mar. 13. Luc. 9. Mar. 6. Mar. 3.

Conficiendi ſacramenti autoritas.

In cœna Chriſtus cum duodecim ſolus fuit.

Matth. 17.

XVII. Sed & Lucas hanc rem dilucidam facit in ipſis primis Actorum verbis, dicens: Superiore quidem volumine diximus, Theophile, de omnibus quæ cœpit Ieſus, tum facere, tum docere ad eum vſq; diem, quo poſtquam impartitus in hoc ipſum Spiritum ſanctum mandata dediſſet Apoſtolis, quos delegerat, ſurſum aſſumptus eſt. Ex his verbis apparet Chriſtũ nõ ſolũ Apoſtolos delegiſſe, verumetiã eiſdem peculiariter mandata dediſſe, atq; id poſteaquã eis in hoc ipſum (vt ſcilicet mandata facilius implerẽt) impartiiſſet Spiritum ſanctũ. Porro quæ fuerãt ipſa mãdata, Marcus aperit, dicens: Diſcumbentibus illis vndecim apparuit Ieſus, & exprobrauit illis incredulitatẽ ſuam, & duritiem cordis, quod iis, qui ſe vidiſſent reſur-

Act. 1.

Mar. 16.

Mat.28. reſurrexiſſe non crediſſent, & dicebat eis: Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ. Matthæus vero memorat eiſdem vndecim à Chriſto ſuiſſe dictum: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti. Mandatum igitur illis vndecim fuerat, vt irent per orbem & docerent atque baptizarent, idque in nomine patris & filij & Spiritus ſancti. *Commento Luth. non eſt ſtandum.* Quod ſi Lutherus qui nihil recipit, niſi quod in Euangelio ſcriptum ſit, hoc ipſum ex Euangelio doceat, cæteris fuiſſe mandatum, illi credimus. Sin vero nequeat, ſed abſque Euangelio contendat à nobis debere ſuis verbis credi, id quam iniquum fuerit, alij diiudicent. Intelligis ergo Lector quibus priuilegiis & gratiis Apoſtolos hos muniuerit Chriſtus, quantamque præ cæteris authoritatem illis contulerit, quo poſſent iniũctum ſibi munus efficacius expeditiuſque complere. Acceperunt & ſeptuaginta diſcipuli ſuas dotes, quæ tametſi fuerint Apoſtolorum donis impares, longe tamen ſuperabant ea, quæ reliquæ plebi impartiebantur. Sed pro hoc axiomate iam (opinor) ſatis eſt dictum.

QVINTVM AXIOMA.

Neque ſolum in eccleſiæ primordiis huiuſmodi paſtores neceſſe fuit inſtitui, verum iſtud perpetuum ſit oportet, donec ædificium Eccleſiæ fuerit plene conſummatum.

XVIII. OStendimus in libello quodam quem aduerſus Velenum ſcripſimus, non ante finiẽdam eam ſucceſſionem quæ cœpit à Chriſto, quam omnia quæ per Chriſtũ prædicta ſunt, euenerint. *Matth.24.* Sic enim ipſe teſtatur in Euang. Matth. dicens, Amẽ dico vobis: Non præteribit hæc ætas, donec omnia iſta fiant. Et tamen certum eſt quædam ex eis, quę tum futura Chriſtus prædixerat nondum eueniſſe, id quod cuique locum illum perlegenti conſtare poterit. Quamobrem & perſpicuum eſt ætatis huius ſucceſſionem hactenus haudquaquã eſſe finitam, ſed adhuc ab eodem ſonte perpetuatam à quo tunc cœperat.

XIX. Adde quod Chriſtus pollicitus eſt Apoſtolis & diſcipulis, ſe nunquam ad ſeculi vſq; conſum- *Matth.28.* mationem ab illis defuturum. Ecce, inquit, ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Certum eſt non iſtud ſpopondiſſe Chriſtum pro ſolis illis qui tum aderant, ſed pro cunctis eorum poſteris, quum & eorum qui tunc fuerant, & aliorum qui iam ad hunc vſque diem ſucceſſerant, ſit vna quædam ætas perpetuaque generatio.

XX. Sed veniat in medium Paulus, & doceat nos hanc rem manifeſtius. Sic enim ad Ephe. 4. ait. Et Chriſtus dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores. Sed in quem finem optime Paule voluit iſtud fieri Chriſtus? Ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti. Verum iſtud ô ſanctiſſime, quamdiu futurum eſt? Reſpõdet: Donec perueniamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perſectum, in menſuram ætatis plenæ adultæ Chriſti. At quando fiet iſtud? Quando deſierimus omnes amplius eſſe pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ, per verſutiam hominum, per aſtutiam, qua nos adoriuntur vt imponant nobis. Ecce lector quamdiu vides Chriſtianos velut pueros fluctuare & circumferri quouis doctrinæ vento per verſutiem hominum, per aſtutiam qua nos adoriuntur, vt imponant nobis, tamdiu certus ſis non perueniſſe nos omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, nondum perueniſſe in virum perfectum atque in menſuram ætatis plenæ adultæ Chriſti. Quamobrem neque adhuc ipſius corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, conſummatum eſt penitus ędificium. Palam eſt igitur dictos Eccleſiæ paſtores adhuc perpetuari debere.

Quis ergo non intelligit ex his Pauli verbis, XXI. oportere quoſdam intra Eccleſiam conſtitui, quorũ alij vices apoſtolorum agant, alij prophetarum, quidam Euangeliſtarum, nonnulli paſtorum & doctorum, eiſdemq; copioſiorem quam cæteris donari gratiã iuxta menſuram doni Chriſti? Atq; iſtud quidem indeſinenter futurum eſt, donec Eccleſia plenè conſtructa fuerit, & integrè conſummata. Nam varietate donorum (ſi Paulo credimus) ſemper illuſtrabitur Eccleſia. Sic enim ait ad Rom. 12. Quemadmodum in vno corpore membra multa habemus, membra omnia non eundem habent actum, ſic multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſingulatim autem alij eorum membra, ſed tamen habentes dona iuxta gratiã nobis datam varia, ſiue prophetiã iuxta portionem fidei, ſiue miniſterium in adminiſtratione, ſiue qui docet in doctrina, ſiue qui exhortatur in exhortatione, qui impartit in ſimplicitate, qui præeſt in diligentia, qui miſeretur in hilaritate. Ecce donis eiuſmodi gratiarum corpus eccleſiæ ſemper exornabitur. Propter quod & 1. ad Cor. 12. docet, nõ omnes apoſtolos eſſe, neq; omnes prophetas, neq; omnes doctores, neq; omnes poteſtates, neque omnes dona ſanationum habere, neque omnes linguis loqui, neq; demum omnes interpretes eſſe, ſed multas eſſe diuiſiones in Eccleſiæ membris, non donorum ſolum, verum etiam miniſteriorum pariter & operationum. Deus enim pro ſapienti ſua bonitate nunquam deeſſe vult in mediis, quæ ſunt ad finem inſtitutum neceſſaria, quemadmodum ex illis exemplis quæ tertio axiomate produximus abunde liquet: Nã ex quo deſtinarit Deus, creaturarum harum inferiorum in hoc mundo ſucceſſionem quandam perpetuari debere, curauit ſuperiores, & cœleſtes creaturas talibus inſigniri virtutibus, quibus ea ſucceſſio continuari poſſit. Et ſimiliter in humano corpore prouidit, vt eſſent membra quædam potioribus dotibus prædita, quibus totius corporis ſaluti tutius & cõmodius foret conſultum. Quem modum obſeruauit & in eccleſiæ ſuę

corpore, cuius conſtructionem ſtudiis & laboribus hominum indies fieri deſtinauit, ad quem finem & tam varios in eccleſia conſtitui voluit hominum ordines, quibus & tam varias diſtribuit dotes. Nam inaniter quiuis hominum conaretur quicquam in hoc corpore cōſtruere, niſi peculiari quadam à Deo fuiſſet ad hoc inſtructus dote. Quod ſi dotem quis acceperit, niſi pariter & legitime fuerit miſſus, non multum inde fructū
Rom.10. reportabit. Nam quomodo (inquit Paulus) prædicabunt niſi mittantur? Oportet enim mitti, & in ea functione rite conſtitui, qui prodeſſe quærit. Nam fit plerunq; vt qui minori præditus fuerit doctrina, plus apud auditorium ædificet, quā alius qui tamen alioqui multo ſit eruditior. Id quod certe neutiquam eueniret, niſi peculiari gratiæ dono fuiſſet adiutus. Adeſt enim ei qui rite mittitur, diuini Spiritus gratia, atq; id quidem multo peculiarius, quam pridem eam acceperit in baptiſmate.

SEXTVM AXIOMA.

Nemo legitime paſtoratus officium exercet niſi vocatus, & per Eccleſiæ præſides rite fuerit ordinatus atque miſſus.

XXII. DE vocatione primum conſtat, quum dicat Paulus ad Heb. 5. Nemo ſibi vſurpat honorē, ſed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Ita & Chriſtus non ſemetipſum glorificauit vt fieret Pontifex, ſed is qui dixerat illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit: Tu es
Pſal.109. Sacerdos in æternum ſecūdum ordinem Melchiſedeck. Quod ſi Chriſtus primus paſtor hunc honorem ſibi neutiquam arripuit, neq; ſemetipſum glorificauit, vt pontifex fieret, multo minus id licebit aliis. Quare nemo, niſi rite vocatus, iſtum paſtoratus honorem vſurpare poteſt. Exemplū habemus à primis ipſis paſtoribus qui ſinguli per
Matth.8. Chriſtum vocabantur, quum tamen Scriba quidam ſeipſum ingerens non vocatus, ob id repulſam à Chriſto ſit paſſus. Deus enim haudquaquā impartit ſua dona niſi vocatis, quemadmodum legimus in Euangelio Lucæ. Vocatis, inquit, decem ſeruis ſuis, dedit eis decem mnas. Ecce vocatis dedit. Paulus itaque ſe gloriatur Apoſtolum
Act.1. eſſe vocatione Chriſti. Sic Matthias non ſemetipſum ingeſſit, ſed precationibus Apoſtolorum & ſorte fuit electus, atque ita cooptatus in eorum numerum. Nondum enim acceperant Apoſtoli Spiritum ſanctum, nec inſtructi ſunt ab eo quem ritum in his ordinationibus ſequerentur. Paulus tamen quanquam & ipſe vocatus fuiſſet à Chriſto, poſtea nihilominus vna cum Barnaba, Spiritu ſic mandante, fuit ordinatus. Nam vt refertur in Actis cap. 13. quum eſſent Prophetæ quidam & doctores Antiochiæ ſacrificantes Domino ſimul
Apoſtolus à Spiritu ſancto miſſus. & ieiunantes, iuſſi ſunt à Spiritu, quatenus Barnabam & Saulum qui tum aderant, ſegregarent. Segregate, inquit, mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod accerſiui eos. Prophetæ igitur, & doctores, quibus idipſum Spiritus mandauerat, cum ieiunaſſent & oraſſent, impoſuiſſentque Barnabæ & Saulo manus, dimiſerunt eos. Barnabas vero & Saulus ab eis ita dimiſſi, non ab hominibus ſed ab ipſo Spiritu dicebantur emiſſi. Nam ſequitur: Et ipſi quidem emiſſi à Spiritu ſancto, abierunt, opus autem ad quod accerſebantur, nō *Ad quid miſſus erat Paulus.* ſolum fuerat conuertendæ plebis ad Chriſtum, verumetiam creandi & conſtituendi per ſingulas Eccleſias presbyteros. Nam prope finem 14. cap. ſic habetur, χειροτονήσαντες, hoc eſt quum per impoſitionem manuum creaſſent plebi per ſingulas eccleſias presbyteros, precatique eſſent cum ieiuniis, commendauerunt eos Domino. Et mox adiicitur, Barnabam & Saulum Antiochiam rediiſſe, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleuerunt. Expende Lector hæc omnia vigilanter, & (niſi vehementer fallor) perſpicies Lutherum à ſcopo plurimum aberraſſe. Cernis e- *Corollarium primum.* nim hîc primum, vt interim de Liturgia (quam patres ſacrificationem intelligunt) taceam, viros illos eximios, nempe Barnabam & Saulum, quāquam à Spiritu fuiſſent electi, nihilominus per prophetas & doctores ieiuniis & precationibus atque manuum impoſitione fuiſſe creatos. In- *Secundum.* telligis & opus ad quod creati ſunt, non ſolum fuiſſe verbi miniſterium, verumetiam aliorum presbyterorum per ſingulas eccleſias inſtitutio- *Tertium.* nem. Vides tertio ſimilibus & ipſos dum presbyteros ordinarent, ceremoniis vſos fuiſſe, nempe manuum impoſitione, precationibuſque, & ieiuniis. Poſtremo compertum habes miniſterium eis creditum, haud prius expletum fuiſſe, quam iſta perfeciſſent. Nam quum iſta cōſummaſſent, Lucas narrat eos Antiochiam rediiſſe, vnde & traditi fuerant gratiæ Dei in opus (vt ait) quod ipſi compleuerunt.

Perſpicuum eſt igitur Barnabam & Paulū fuiſ- XXIII.
ſe vocatos, ordinatos & miſſos, nec diſſimiliter poſtea vocaſſe, ordinaſſe, & miſiſſe complures alios. Verum quid moror? Chriſtus ipſe primos Apoſtolos ita vocauit, inſtituit & miſit. Sic enim Marcus paucis tradidit: Aſcendit, inquit, in mō- *Mar.3.* tem Ieſus, & vocat ad ſe quos voluit ipſe. Ecce vocatio. Et fecit duodecim vt eſſent ſecum. Ecce inſtitutio. Et vt emitteret eos ad prædicandum. Ecce miſſio. Quiſquis non ita vocatur, ordinatur & mittitur, per oſtium haudquaquam intrat *Ioan.10.* in ſtabulū ouium, neq; huic aperit oſtiarius, ſed plane fur eſt & latro. Nam præter Chriſtum venit à ſeipſo miſſus. Et tales hauddubie fures ſunt & latrones. Omnes, inquit, quotquot ante me venerunt, id eſt, qui propria autoritate & priuſquam Chriſtus eos vocauerit, irruunt in caulas, fures ſunt & latrones. Dilucidū eſt igitur ex ſcripturis quod nemo legitime paſtoratus officiū exercet, niſi per Eccleſiæ præſides rite vocatus ordinatuſq; fuerit *Prælatus rite vocandus eſt.* atq; miſſus. Neq; poteſt, honore ſaluo, Lutherus ab hoc Axiomate diſſentire, quū tam aperte ſubſcripſerit eidē. Sic enim in commentariis ad Galatas ait: Huc tendunt ea omnia, vt videas quan- "
ta cura Chriſtus Eccleſiam ſuam inſtituit, atque "
muni-

„ muniuit, ne temere quiſquam docere præſume-
„ ret, niſi ab ipſo, vel à ſe miſſis miſſus ſit. Hæc Lutherus. Quibus verbis abunde ſubſcribit Axiomati noſtro, pro cuius veritate iam ſatis opinor dictum eſt.

SEPTIMVM AXIOMA.

Quotquot ita per Eccleſia paſtores ad paſtoratus officia legitime fuerint inſtituti, non eſt dubiũ quin à Spiritu ſancto pariter aſciti ſint.

XXIIII. PErſpicuum fuit ex proximo ſuperiori, Spiritum ſanctum formulam quandam & ritum tradidiſſe iuxta quẽ noui presbyteri ordinarẽtur.
Act. 13. Nam quum eſſent Antiochiæ (vt diximus) nonnulli Prophetæ ſimul & doctores qui ſacrificiis & ieiuniis incumbebant, inter quos erant Barnabas & Saulus, iuſſit illis Spiritus ſanctus, vt hos in miniſterium, ad quod Spiritus eos acccerſiuerat, ſegregarent. Ecce tametſi Barnabas & Saulus per Spiritum in miniſterium Apoſtolicum accerſiti fuiſſent, voluit tamen eos Spiritus per Prophetas & doctores, qui tum aderant, ſegregari. Quod ſane verbum ſi nihil aliud ſignificet, quam ſimplicem miſſionem, fruſtra tot ceremoniis Prophetæ doctoreſque tum præſentes fuiſſent vſi. Nam
Paulus ordinatur Apoſtolus. ieiunabant & precabantur, atque manus illis impoſuerunt, priuſquam eos dimiſerant. Quocirca manifeſtum eſt eos, tunc Apoſtolos hoc ritu fuiſſe conſtitutos. Nec eſt quod quiſquam cauilletur Paulum ante fuiſſe à Chriſto vocatũ. Nam apertiſſimis indiciis, partim ex hoc loco, partim ex aliis quos dicemus, compertiſſimũ erit Paulũ iam Apoſtolũ ordinatum fuiſſe. Et primum eſt quod Lucas, eius hiſtoriæ ſcriptor, quum Paulo fuiſſet addictiſſimus, nuſquam tamen ante id temporis
Apoſtolo nomen mutatur. eum vocauerit Paulum, ſed Saulum ſemper. At protinus, vt fuiſſet Saulus in Apoſtolatum ſegregatus, Lucas eum perpetuo vocat Paulum.

Alterum indicium eſt, & nec leue quidem, nempe quod Saulum poſt cæteros omnes, idem Lucas poſtremum facit. Sic enim in illo capi. habetur. Erant autem quidam in Eccleſia, quæ erat
Act. 13. Antiochiæ prophetæ ac doctores, Barnabaſque & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ à puero familiaris, & Saulus. Ecce poſtremo loco Saulus numeratur. Id quod neutiquam feciſſet Lucas, ſi iam pro Apoſtolo Paulus fuiſſet habitus. Neque enim poſt Prophetas & doctores Apoſto-
1. Cor. 12. li ſunt locandi, quum dicat ipſe Paulus: Et primũ quidem Apoſtolos, deinde Prophetas.

Tertium indicium eſt, quod nuſquam alibi legitur Barnabam fuiſſe conſtitutum Apoſtolũ, quem tamen omnes Apoſtolum & eſſe & haberi
Act. 14. non dubitamus. Quamobrem ſi tunc Barnabas creatus Apoſtolus fuiſſet, cur non ſimiliter & Paulus, quum plane conſtet ambos in idem genus miniſterij fuiſſe vocatos.

Quartum indicium. Quid enim opus alioqui fuiſſet, vt in horum emiſſione cæteri ieiunarent, & precarẽtur, ac demum illis manus imponerent? Manuum enim impoſitione gratia confertur, vt quum alibi, tum in iiſdem Actis ſæpe legimus.

Poſtremum eſt, quod ipſi poteſtatẽ acceperint conſtituendi creandiq; presbyteros impoſitione manuum ſuarum, quemadmodũ in fine cap. 13. ſatis dilucidum eſt, vbi ſic habetur: *χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν*, hoc eſt, quum ipſi manuũ impoſitione creaſſent illis per ſingulas eccleſias presbyteros. Neq; manus imponebãt *Quomodo*
ſolum, verumetiam ieiunabant, & precabantur, *creabantur*
vt & illic traditum eſt. Ieiuniis igitur & precatio- *presbyteri.*
nibus atq; manuũ impoſitione presbyteros conſecrabant, & conſecratos præfecerunt plebi. Porro vt intelligas hoc ipſum nonnihil fuiſſe muneris illis iniuncti, ſubditur eos rediiſſe Antiochiá, vnde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod cõpleuerũt. Presbyterorum igitur creatio pars fuit muneris & miniſterij quod illis Antiochiæ credebatur. Nam ante nõ fuerat completũ eorum miniſterium, quam ad hunc modum presbyteros conſtituiſſent. Simul & illud aduerte quod Lucas dicit, illos inde fuiſſe traditos gratiæ Dei. Quis enim ambigere poteſt, quũ iubente Spiritu, Prophetæ & doctores tanto ſtudio, hoc eſt, ieiuniis, precationibus, & manuũ impoſitione illos ordinaſſent, quin ab ipſo Spiritu quam vberrima fuiſſent afflati gratia.

Ad hæc: Et Paulus ob hanc ſegregationẽ glo- XXV.
riatur apud Romanos, ſegregatũ ſe fuiſſe in Euã- *Rom. 1.*
gelium Dei. Et plane quũ ita fuerant dimiſſi, ſcriptura tradit eos ab ipſo Spiritu fuiſſe tũ emiſſos.
Sed inquies: cur Matthias non fuit ad hunc modũ *Quæſtio.*
ordinatus? Certe quod nondum veniſſet Spiritus *Ratio.*
qui ritum hunc docebat. Verum poſtea ritus idẽ in cæteris paſſim obſeruabatur. Nã (vt diximus) Paulus & Barnabas ieiuniis, & precationibus, atq; manuũ impoſitione presbyteros per ſingulas Eccleſias creabãt. Quid multis opus eſt? Omnes huiuſmodi presbyteros qui ſic aut per Barnabam & Paulum, aut per alios qui pari poteſtate fungebantur, ordinati fuerant, non dubitauit affirmare Paulus à Spiritu ſancto fuiſſe conſtitutos, & in hoc ipſum quidem vt regerent Eccleſiã Dei. Propter q̃ & cõplures presbyteros ex Epheſo Miletũ ad ſe vocatos, hunc in modũ alloquutus fuit. At-
tendite, inquit, vobis & cuncto gregi, in quo vos *Act. 20.*
Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ad regendũ Eccleſiam Dei. Ecce tametſi per manus hominum fuiſſent in id regiminis conſtituti, nihil tamẽ veritus eſt id negotij tribuere Spiritui, ſimul & aſſerere diuinitus id fuiſſe factum. Erant igitur à Spiritu ſancto conſtituti quicunq;, ſiue per Apoſtolos, ſiue per eorum ſucceſſores iuxta ritum legitimum Paſtores ordinati fuerant. Sed & quum ætas eadem, vt ante diximus, atq; ſucceſſio non ſolum ad hunc vſq; diem, ſed & in finem vſq; ſeculi perdurabit, conſequens eſt, vt omnes quotquot
per Eccleſię præſides ad ea munia legitime vocati *Concluſio.*
fuerint, & inſtituti, nõ aliter quã ab ipſo Spiritu qui perpetuo reſidet in Eccleſia, cõſtituti credẽdi ſunt. Atq; hæc pro ſeptimo axiomate ſint dicta.

OCTAVVM AXIOMA.

Inſuper iidem in ſuis ordinationibus ab eodem Spiritu gratiæ donum accipiunt, quo reddantur ad opus miniſterij ſui ſanctius obeundum magis idonei.

XXVI. PRincipio perſpicuum iſtud fieri poteſt ex ipſis Pauli verbis, qui Timotheo ſcribens (quem nemo non affirmat à Paulo fuiſſe conſtitutum Epiſcopum) ſic ait, 1. ad Timoth. 4. cap. Ne neglexeris quod in te eſt donum, quod datum eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum authoritate ſacerdotij. Ecce Timotheus authoritate ſacerdotij, quo præditus fuerat ille quiſquis Timotheum ordinarat, gratiæ donum accepit. Et quiſnam is fuit, qui ſic Timotheum ordinauit, apertius indicat Epiſtola ad eundē poſteriori, capite primo: Commonefacio, inquit, te, vt ſuſcites donum Dei quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Ecce denuo teſtatur Timotheum, quum is ordinaretur, gratiæ donum fuiſſe conſequutum, ſeipſumque Paulus prodit ordinatorē ipſius fuiſſe. Nam quū ordinabatur quiſpiam, ordinatores ei manus ſemper imponebant, vt poſtea demonſtrabimus. Donum itaq; gratiæ Timotheus accepit, quum ordinaretur à Paulo. Neq; dubium eſt quin Paulus idipſum fieri cenſuerit de cæteris per alios, qui pari ſecum autoritate fungebātur. Porro donum iſtud gratiæ tunc quum ordinaretur Timotheus, fuiſſe datum, axiomate proximo docebimus, & non quum eſſet à Paulo baptizatus, vti Lutherus cauillatur.

Paulus ordinat Timotheum.

XXVII. Neque ſoli Timotheo data fuit hæc gratia, verumetiam Tito, cæteriſque quicunq; per eos ordinati fuerunt. Sed & reliquis demum omnibus qui vel per Apoſtolos, vel per alios qui poteſtatē ab Apoſtolis accepiſſent, gratiam donari nullus ambigere debet, modo non per eos ipſos ſteterit qui ſic ordinabātur. Et q̄d vetat quominus à Spiritu gratia collata ſit eiſdem copioſa? An non ipſe Spiritus ſanctus fons exuberantiſſimus eſt gratiarum omnium? An non ob id potiſſimum in Eccleſia nobiſcum reſidet, vt gratiā iſtam impertiat ad Eccleſiæ totius ædificationem? An non Paulus quum clamat ad Epheſ. 4. vnicuiq; noſtrum datam eſſe gratiam, docet eam alia menſura datam Apoſtolis, alia Prophetis, alia Euangeliſtis, alia paſtoribus & doctoribus, ſingulis tamen horū ea donari teſtatur, atque id quidem ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. An non Paulus qui ſe vocat architectum, gratiā ob id accepit, vt ædificaretur Eccleſia? Quod ſi Paulus eo fine gratiam acceperit, quum ædificium iſtud adhuc minime conſummatum ſit, oportet & iam alios architectos eſſe, quibus & gratia pariter ad ædificationem largiatur. Quum enim tabernaculum fœderis ædificaretur, vti ſupra meminimus, Spiritus ſanctus quoſdam impleuit omni ſapientia, intelligentia, & ſcientia, quo poſſent in opere quouis excogitare quicquid eſſet egregie fabricandum. Ea munificentia Spiritus vſus eſt, quum nondum veniſſet tempus plenitudinis gratiæ. Nunc ergo miſſus, quum exuperat gratia, & ad hoc precipue miſſus, vt Eccleſia conſtruatur, ſic huius ſtructuræ artifices & à ſe quoque conſtitutos contemnet, vt gratiam eis nullam impartiat? Quis hoc præter vnum Lutherum credat? Non inficias eo quin populus quoque gratiam acceperit.

1. Cor. 3.

XXVIII. Cæterum, vt par eſt, alia menſura populus recipit quam paſtores & gubernatores populi. Hoc inter præſides & populum intereſt, vt Paulo placet, quod inter architectum, & id quod ædificatur; quod inter agricolam, & agrum qui colitur. Sic enim Paulus 1. ad Cor. 3. dicit: Dei ſumus cooperarij. En ſe cæteroſque præſides cooperarios Dei vocat. Dei, inquit, ſumus cooperarij. Plebem vero quid? Certe cooperarios neutiquam eos vocat, ſed magis id quod artis opera tractatur. Ad plebem enim dicit: Dei agricolatio, Dei ædificatio eſtis. Plebem ergo Paulus appellat agricolationem & ædificationem Dei, cuius cooperarios, tum ſe, tum cæteros Eccleſiarum præſides nuncupat. Nam etſi Deus agricola præcipuus ſit, prę̄ſides tamen eccleſię ſimiliter in ſcripturis agricolæ vocantur. Nam in euangelio Matthæi dicitur: Mali quum ſint, male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Ecce tempore legis, agricolæ fuerunt legis ipſius miniſtri, quos, quod mali fuerint, male perdidit vineæ dominus. At nūc euangelij tempore, vineam ſuam aliis agricolis, hoc eſt, aliis miniſtris locauit excolendam, quos & affirmat fructum ſuis temporibus allaturos. Agricolæ igitur quibus iam vinea Dei locatur, haud dubie præſides eccleſiæ ſunt. Atqui prioribus agricolis multam ſane gratiam Spiritus obtulit, quandiu ſe dignos exhibuerant ea gratia. Nam, vti ſupra diximus, quum non ſolus Moſes ſufficeret ad tanti populi gubernationem, quibuſdam ſenioribus per Moſen delectis, numero ſeptuaginta, Deus impartiit de ſpiritu qui Moſi traditus fuerat, quatenus & ipſi quoq; redderentur ad gubernandum populum magis idonei. Iſtud illis agricolis fecit Deus pro populo quem alioqui repudiandum vidit. Et his, quos ad excolendam plebem ſanguine filij ſui redemptam inſtituit, de ſpiritu Chriſti nihil impartiet?

Deus agricola dicitur. Matth. 21.

Prælati ſunt agricolæ.

Num. 11.

XXIX. Adde, quod in illo populo, hi qui templo præfuerunt, non modo ſacerdos ipſe maximus, verum etiam & minores quoque ſacerdotes vngebantur in eorum ordinatione. Quamobrem ſi quadret vmbræ veritas, vt & certe quadrare debet, oportet eos qui paſtores Eccleſiæ per maiorum manus ordinantur, vnctione ſpirituali gratiæ interius deliniri. Nam gratia Spiritus, vnctio quædam ſpiritualis eſt. Hic Lutherus exultat, vnctionem iſtam aſſerens cunctis Chriſtianis eſſe communem, & proinde Chriſtianum vnumquēque ſacerdotem eſſe contendit. Chriſtum enim dicit eſſe ſacerdotem ſummum, cæteros autem Chriſtianos omnes eſſe minores ſacerdotes. At

Leuit. 18.

Obiectio.

hic

Dilatio. Non omnes Christiani ſunt ſacerdotes.

hic quum ſibi tum aliis Lutherus imponit. Nam ſi Chriſtus nobis ſummus ſacerdos fuerit, & cæteri quique Chriſtiani minores habendi ſint ſacerdotes, vbinam populus erit? Si veritas vmbrę reſpondeat, oportet præter ſummum ſacerdotem, & plebem, minores quoſdam eſſe ſacerdotes, qui medient inter ſummũ ipſum, & infimum populum. Deinde palam eſt, non quemq; Chriſtianum eccleſiæ pręfici, neque populo ſacerdotem eſſe, ſed ſibi ſoli. Nec vero de ſacerdotibus loquimur, qui populo ſacerdotes ſunt, & eccleſiis ipſis rite pręficiuntur, quales ante mouſtrauimus oportere vocari, vocatos autem inſtitui, & demum inſtitutos ad miniſterium ſuum emitti. Nõ autem ita vocantur, inſtituuntur, mittuntur ſinguli Chriſtiani. Quamobrem neque ad hunc modum ſacerdotes habendi ſunt quique Chriſtiani. Cæterum Chriſtianos & ſingulos quidem neutiquam inficiamur vnctos eſſe, ſed ad militandum vnctos, non ad Euangelizandum. Chriſtus vero ſe dicit vnctum ad Euangelizandum. Sic enim Eſaiam de ſe vaticinantem recenſet Luc. 4. Spiritus, inquit, Domini ſuper me, propterea quod vnxit me: ad Euangelizandum pauperibus miſit me. Vnctus eſt ergo Chriſtus gratia ſpirituali, vt pauperibus euangelizaret. In quã vnctione ſoli paſtores Chriſto communicant. Nam vt Euangelizãdi munus efficacius impleãt, vnctione Spiritus interius vnguntur. Et hi non ſibi ſolis, verumetiam populo ſacerdotes conſtituti ſunt, & eccleſiis iure præficiuntur, vt pote rite vocati, creatique, & miſſi. Quis iam dubitare poteſt iſtos accepiſſe gratiam ab ipſo gratiarum omnium fonte & datore Spiritu, à quo paſtores & architecti agricolæ, populo pariter & Eccleſiæ dari ſunt? Sed iam pro iſto Axiomate ſatis.

Non omnes eadem ratione vncti ſunt.

Paſtores vnguntur ad Euangelizandum.

NONVM AXIOMA.

Eam tamen gratiam Spiritus ad exhibitionem ſigni cuiuſdam ſenſibilis donari vult, quo rite præſtito, gratiã protinus datam eſſe credamus.

XXX. QVanquam ſcriptura ſacra nõ iſtud palam expreſſerit, tamen ex his quæ in ea traduntur, poteſt apertiſſimum eſſe. Neque enim ſemper in ſcripturis exprimuntur omnia, quæ nihilominus cuncti vera credimus & indubitata. Nam vbi quęſo ſcriptum eſt, quod aut Chriſtus Apoſtolos docuerit, aut Spiritus iuſſerit, quatenus Apoſtoli manus baptizatis imponerent? & tamen conſtat eos idipſum haudquaquam inaniter feciſſe. Nam quum ad Philippi diaconi prędicationem Samaritæ credidiſſent, & eſſent baptizati, non tamen ante ſenſibiliter Spiritum ſanctum acceperunt, quam Petrus & Ioannes iiſdem impoſuiſſent manus. Quamobrem & Simon, qui prius arte magica gentem illam dementarat, cernens eos per manuum Apoſtolicarum impoſitionem tum afflatos Spiritu, ſtuduit hanc ſibi facultatem pecuniis comparare, nimirum vt cuicunq; manus ipſe impoſuerit, mox inde Spiritum ſanctum obtineret.

Plurima oportet credi in ſcripturis non expreſſa.

Act. 8.

Et quis credat Apoſtolos id tentare voluiſſe, niſi per Spiritum hoc ipſum ante fuiſſent edocti? Verum ita Spiritum eos docuiſſe nuſquam in ſcripturis aperte legitur. Sic multa ſunt profecto quę per Apoſtolos eccleſiæ trádita fuerant, quæ tamẽ ab eis nuſquam erant ſcripturis commendata. Liquet iſtud quum ex aliis, tum ex Euſebij Cæſarienſis hiſtoria, qui capite trigeſimoſexto libri tertij ſic ait: Quum Ignatius per Aſiam ſub cuſtodia nauigaret ſingulas quaſque digrediens ciuitates, & eccleſiæ populos Euangelicis cohortationibus edocebat in fide perſiſtere, & obſeruare ſe ab hæreticorum contagiis, qui tunc primum copioſius cœperunt pullulare, & vt diligentius ac tenacius Apoſtolorũ traditionibus inhærerent: quas traditiones, cautelæ gratia, & ne quid apud poſteros remaneret incerti, etiam ſcriptas ſe aſſerit reliquiſſe. Hæc Euſebius.

Non omnes Apoſtolorum traditiones ſunt ſcripta.

Traditiones Apoſtolorum ab Ignatio ſcripta ſunt.

O ſi liber ille iam extaret, in quo traditiones Apoſtolorum Ignatius digeſſerat, nõ eſt dubium quin multa quę iam deſiderantur, in eo clariſſime cerneremus. Sed vt ad inſtitutũ reuertamur. Sicut non citra mandatum & doctrinam Spiritus, apoſtoli Spiritum ſanctum baptizatis impoſitione manuum cõtulerunt, ita per eiuſdem Spiritus eruditionem, etiam ordinandis impoſuerunt manus, vt & ipſi gratiam peculiarem adepti, munus ſuum efficacius adimplerent. Neutrum horum quiſquam Chriſtianus in dubiũ reuocare poteſt, quum de vtriuſque facto tam aperte conſtet in ſcripturis, licet de neutrius mandato quicquam illic certi ſit proditum.

Act. 8.

Porro quod impoſitione manuum ordinationes fiebant, ex multis ſcripturæ locis apertiſſimũ eſt. Et primum ex ipſius Pauli verbis ad Timotheum, quæ iam denuo recenſere non inutile fuerit. Sic enim ait in Epiſtola priori, capite quarto: Ne neglexeris quod in te eſt donum, quod datum eſt tibi per prophetiã cum impoſitione manuum autoritate ſacerdotij. Et rurſum in Epiſtola poſteriore, capite primo: Commonefacio te, vt ſuſcites donum Dei, quod eſt in te per impoſitionẽ manuum mearum. Ecce per impoſitionem manuum Pauli, Timotheus gratiæ donum accepit. XXXI.

Ordinationes fiebant manuum impoſitione.

Nec eſt quod Lutherus cauilletur hanc manuum impoſitionem fuiſſe factam, quum Timotheus à Paulo baptizaretur. Nam bis ei manus imponebãtur, quemadmodum & de Paulo factum, Acta palam docent. Semel enim Paulo per Ananiam, quum baptizaretur, manus erant impoſitæ, quemadmodum in Act. 9. cap. traditur: atque iterum per Prophetas & doctores, quando iuſſu Spiritus in Apoſtolatum ſegregabatur. Sic pariter & Timotheo manus bis erant impoſitæ, ſemel vt cõmuniter fieri ſolet, poſt baptiſma ſuſceptũ, de qua manuum impoſitione ei facta, ſcriptura nihil meminit. Et denuo, quum ordinaretur Epiſcopus, de qua iam Paulus aperte ſcribit. Nã perſpicuum eſt ex verborum ipſorum circumſtantia donum illud, de quo loquitur Paulus, erudiendæ plebis cauſa Timotheo fuiſſe datum. Præmiſit enim Paulus: Donec venero, attende lectioni, exhortatio-

Cauillis excluſio.

Act. 13.

Manus bis Timotheo impoſita ſunt.

hortatioui, & doctrinæ. Quamobrem & palam eſt fuiſſe datum, quum odinaretur Epiſcopus.

XXXII. Adde quod nuſquam ex ſcripturis Lutherus oſtendit Timotheum à Paulo fuiſſe baptizatum. Circumciſum vtique uou uegamus à Paulo fuiſſe, quemadmodum in Actis cap. 16. traditur. At baptizatus à Paulo nuſquam legitur in ſcripturis. Quod ſi præter ſcripturas Lutherus velit quicquam teſtimonij produeere, non eſt æquum vt id ei ſuffragetur, quum is aduerſum ſe nihil præter ſcripturas dignetur admittere. Cæterum nequePaulus niſi quam rariſſime baptizauit, quemadmodum & ipſe de ſe ipſo teſtatur, 1. Coriuth. 1. dicens: Nou miſit me Chriſtus vt baptizarem, ſed vt Euangelizarem. Adhæe in Actis cap. 16. traditur, quod poſteaquam à Baruaba Paulus fuiſſet ſeparatus, is Timotheum apud Lyſtram reperiſſet matre Chriſtiaua prognatum, & iam diſcipulum ſactum. Quo ſatis enitet eum ante fuiſſe baptizatum.

Timotheum non legitur à Paulo baptizatum.

XXXIII. *Act. 10.* Paulus igitur, vt illic Acta tradunt, aſſumptum ſecum Timotheum propter Iudæos circumcidit, & eodem eeu miniſtro, nou paueos dies vtebatur, vt experiretur quid eſſet in homine. Nam & hoc ipſum ſeruare voluit, quod & aliis mandauit obſeruandum. Iuſſit enim eidem Timotheo iam Epiſcopo ſacto, ne cito manus cuiquam impoueret. Id quod hauddubie pro ordinandis, & nō pro baptizandis, fieri iuſſit, quum credeutes eueſtigio baptizari ſolebant. Sed & pro diaconis præcepit eidem, quatenus probarentur primum, ac ſubinde adminiſtrarent. Paulus ergo Timotheum aliquandiu ceu miniſtrum babuit ſecum, nimirum vt periculum eius faeeret. Poſtea vero quum eſſet probatus, manuum ſuarum impoſitione conſtituit Epiſeopum, & Eccleſię pręfecit, eundemque poteſtate douauit alios ita cōſecrandi. Nam 1. Epiſt. cap. 5. vetuit ne cuiquam ipſe temere manus imponeret. Neque diſſimiliter idem ipſe Paulus Titum Epiſcopum conſtituit, Cretenſibuſque præfecit, cui & authoritatem dedit alios item conſecrandi, quos idoneos eo munere iudicarit. Huius, inquit, rei gratia reliqui te in Creta, vt quæ deſunt pergas corrigere, & conſtituas oppidatim Presbyteros, ſicut ego tibi ordinaram. Neq; dubium eſt, quin ſimili manuum impoſitioue, tam ipſe Titum, quam Titus alios conſecrarit. Ad quē modum & Paulus ipſe pariter ac Barnabas fuerant in Apoſtolatum ſegregati, vt in Actis Apoſt. cap. 13. traditur. Nam Prophetæ ſimul & doctores, qui tum eraut Autiochiæ, quum à Spiritu mādatum accepiſſent, ieiunabant, & precabantur, manuſque demum illis impoſuerunt, atque ita tradiderunt gratiæ Dei. Ecce quot eeremoniis vſi fuerant iu illorum ordinatione. Ad euudem modum & ipſi, nempe Paulus & Barnabas, quum Presbyteros ordinarent, ieiuuiis item & precationibus atque manuum impoſitioue ſunt vſi, quemadmodum in Act. Apoſt. cap. 14. legitur, vt ſuperius memorauimus χειροτονήσαντες, hoc eſt, quum manibus ereaſſent illis, nempe diſcipulis, de quibus proxime loquutus eſt, Presbyteros per ſingulas Eeeleſias, precatique eſſent cum ieiuniis, commendauerunt eos Domino. Et quāquam illud verbum χειροτονήσαντες ab autboribus Græcis populo magis tribuitur. Nam ita ſolebat populus manuum eleuatione magiſtratus eligere. Iſtud autem hoc loco non eſt ad ſenſum Lucę. Neq; enim de populo iam hoc ſcriptum eſt, ſed de ipſis Apoſtolis, nimirum quod bi manibus non quidem eleuatis, vti populus couſueuit, ſed impoſitis creabant Presbyteros, hoc eſt mauuum impoſitione conſtituerunt, & eoſdem populo præfecerunt. Hierony. igitur ſuper Eſaiam cap. 58. dicit per χειροτονίας intelligi elericorum ordinationem, quæ non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad mauus impoſitionem impletur.

1. Tim. 5.

1. Tim. 3. Timotheus fuit epiſcopus ordinatus cū poteſtate conſecrādi alios.

Tit. 1.

Ceremonia in ordinationibus obſeruata.

Magiſtratus electio.

Hieronymus.

XXXIIII. Et quāquam de diaconis pariter traditum ſit, quod & ipſi manuum impoſitionibus ordinabātur, & proinde gratiam aliquam couſequuti ſint, nou eſt dubium tamen, quin vt hi gradus diuerſi fuerint, ita & diuerſæ fuuctionis cooperatricem gratiam aeeepiſſent. Impoſuerunt quidem & iis Apoſtoli mauus, quatenus gratiam fuuctionibus ſuis congruam acciperent, quemadmodū in Act. Apoſt. cap. 6. refertur. Iuſſerunt enim duodecim, vt cæteri fratres circumſpicerent ex ſeipſis viros ſeptem ſpectatę fidei, quibus ipſi munus iſtud delegarent. Illud negotij fratribus iniunctum fuit, vtpote qui melius aliorum conuerſatiouem noſſent, quam Apoſtoli. Verum Apoſtoli per manuum impoſitionem ipſum diaeoui munus illis conferebant. Sic enim iu eodem eapite ſcriptum eſt: Hos nempe ſeptem nominatos ſtatuerunt in cōſpectu Apoſtolorum, & hi quum oraſſent, impoſuerunt illis manus. Cæterum Apoſtoli nunquam illis impoſuiſſent manus, uiſi Spiritus illuſtratione didiciſſent gratiam inde ſubſequuturā. Id quod in quibuſdam eorum ſatis dilucide comprobatum fuit. Nam de Stephano ſeriptum eſt, quod erat plenus gratia & fortitudine. Et de Philippo traditur, quod ſermone, ſignis, & prodigiis editis conuertit Samaritas ad Chriſtum. Ex his nihil ambigo, quin cunctis perſpicuum ſit, hoc ſenſibili ſigno, videlicet impoſitionis manuum, donari gratiam iis qui rite per eccleſiæ præſides in officio paſtorum ordinantur.

Diaconi gratiam conſequebantur.

Manus imponebantur Diaconis.

Act. 7.

Gratia dabatur manuum impoſitione.

DECIMVM AXIOMA.

Qui ſic Paſtores Eccleſiarum & Presbyteri legitime fuerint ordinati, vere Dei ſacerdotes, & habentur, & ſunt hauddubie.

XXXV. Conſtat primum ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores fuiſſe dictum, quod ſcribitur Eſaiæ cap. 61. Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini Miniſtri Dei noſtri. Dicetur vobis: Fortitudinem Gentium comedetis, in gloria earum ſuperbietis. Ecce prædixit Eſaias futurum, vt eccleſiæ Principes, Sacerdotes Domini, & miniſtri Dei vocarentur. Sic enim omues qui locum hunc hactenus enarrarunt, ad ſenſum iſtum interpretati ſunt,

ſunt, neque poteſt quouis pacto, niſi per temeratorem quempiam aliter detorqueri.

Hieronymus in commentarijs ſuper Eſaiam hunc locum enarrans, ita ſcribit: Ædificatores vrbium deſertarum & Paſtores gregum, qui ipſi ſunt vinitores & aratores, hoc eſt filij peregrinorum, ipſi quoq; ſunt Sacerdotes Dei, ad quos Propheta nunc dicit: Vos autem vocabimini ſacerdotes Domini, & miniſtri Dei noſtri dicetur vobis, hauddubium quin Eccleſiarum principes ſignificet.

Et Clemens in Epiſt. ad Iacobum, vbi de Preſbyteris & Epiſcopis loquitur, eadem ipſa verba recenſet, ad hunc modũ: Per Prophetam, inquit, loquitur, dicens: Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis: Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earũ ſuperbietis, &c. Et iſtud certe in Apoſtolos, & eorum ſucceſſores competit. Nam hi fortitudinem Gentium comederunt, Robuſtiſſimos enim eorum conuerterunt ad fidem, & Chriſto incorporarunt. Sic enim ad Petrum pro Gentibus dictum eſt, Macta & comede. Gloriam autẽ Gentiũ fecerunt contemptibilem, quando Gentes per ſapientiam & eloquentiam, de quibus tantopere gloriabantur, non valuerunt Apoſtolis reſiſtere. Et hi certe nec ab Ethnicis, nec à Iudæis infidelibus, quorum neutri communem ſibi Deum cum Chriſtianis agnoſcere voluerunt, neutiquam vocati ſunt ſacerdotes Domini, & miniſtri Dei noſtri, ſed à Chriſtianis quibus hoc nomine ſemper cognominabuntur. Dilucidum igitur eſt hoc vaticinio, paſtores Eccleſiarum vocari debere Sacerdotes.

Eſa. 61.

Act. 10.

XXXVI. Cæterum hoc ipſum ex nouo teſtamẽto ſimiliter demonſtremus. Principio negare Lutherus non poteſt, quin Chriſtus ipſe Sacerdos fuerit ſecũdum ordinem Melchiſedeck. Id enim apertiſſime Dauid prodidit ſuo vaticinio. Iurauit, inq t, Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck. Quæ verba Paulus ad Hebræos recenſens, docet Chriſtum iuxta ordinem Melchiſedeck, & non iuxta ordinem Aaron ſacerdotẽ eſſe. Quod ſi verum ſit, oportet vt iiſdẽ rebus ſacrificauerit Chriſtus, quibus & conſtat Melchiſedeck olim ſacrificaſſe. Porro de ſacrificio Melchiſedeck apertum eſt Gen. cap. 14. quod ſacrificaret in pane & vino. Sic enim illic ſcriptum eſt: Melchiſedeck rex Salem protulit panem & vinum. Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi. Quamobrem in pane & vino Chriſtus debuit ſacrificare. At nuſquam iſtud fecit, præterquã in Cœna, quando ſub ſpecie panis & vini, corporis & ſanguinis ſui ſacramentum inſtituit. Quocirca palam eſt eum in Cœna ſacrificaſſe. Opinor neminẽ eſſe tam impium, aut impudentem, vt iſtis contradicat. Nam ita pendet & conſequitur alterum ex altero, vt illo cõceſſo iam iſtud neceſſario ſubinferatur. Si Chriſtus iuxta Melchiſedeck ordinationem ſacerdos fuerit, oportuit eum & ſimile ſacrificium offerre, quemadmodum obtulit Melchiſedeck. Quod quum in pane ſimul & vino fuiſſe compertum ſit, oportuit & Chriſtum in pane ſimul & vino ſacrificaſſe. Id quod nunquam feciſſe legitur præter quam in Cœna.

Pſal. 109.

Hebr. 7.

Chriſtus in pane & vino ſacrificabat.

Matth. 26.

Luc. 22.

At negabit forte Lutherus ſacrificium Melchiſedeck in pane vinoq; fuiſſe. Nam quid eſt vſquã adeo ſolidum & firmum, ſi tamen eorum inſtitutis aduerſetur, quod illorum impudentia temeritaſq; non neget? Sed res hæc teſtatior eſt quam negari poſſit. Nam ſimulatq; ſcriptura narrarit Melchiſedeck panẽ & vinum protuliſſe, continẽter ſubdit: Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi. Ad quid iſtud ſcriptura ſubiecisſet velut cauſam dicti, niſi prorſus intelligi voluiſſet, vſum fuiſſe Melchiſedek rebus illis in ſacerdotio? Verum hic clamabit Lutherus, hunc locum haud ſatis fideliter ex Hebraiſmo verſum, quum ſic illic habeatur: והוא כהן לאל עליון hoc eſt: Et erat ſacerdos Dei altiſſimi, quemadmodum & Hieronym. alibi traduxit. Sed eſto, ſic transferri poſſit, hoc nihil tamen aduerſum nos facit, imo nobiſcum quoq;, quandoquidem & protinus vt panis ac vini mentio facta ſit, ſubiungitur quod erat ſacerdos Dei altiſſimi. Hoc itaq; velim reſpondeat mihi Lutherus, quonã alio Melchiſedeck vſus vnquã fuerat ſacrificio. Si ſacerdos fuerit, & ordinis cuiuſdã peculiaris, peculiare quoque ſacrificium offerebat neceſſum eſt. Quare quum panis & vini palam hic mentio facta ſit, in quibus & Chriſtus ſui corporis ſacramentum inſtituit, neque aliud omnino ſacrificium vſquam in ſcripturis à Melchiſedeck immolatum legitur, quis tam perfrictæ frontis erit, vt cauilletur nequaquam in his rebus eum ſacrificaſſe? Luthero profecto ſatis efficax hoc argumentum putaretur, ſi tale quiddam haberet pro ſua parte, nempe quod in ſcripturis nuſquam aliud ſacrificium ad ordinẽ huius ſacerdotij ſpectans inueniatur. Nam oportebat certe quum nõ ſemel in ſcripturis aſſeritur Chriſtum ſacerdotem eſſe iuxta ordinem Melchiſedeck, vt etiam commune vtrique ſacrificium alicubi deſcriberetur. Quare quum nuſquam alterius ſacrificij, quod vtrique commune ſit, mentio fiat, conſequitur, vt iſtud vtriuſque fuerit ſacrificium. Et quanquam hoc pacto ſatis abunde (quod molimur) obfirmatur, non grauabimur tamen eruditiſſimorum inſuper teſtimonia, non Latinorum ſolum & Græcorum, verumetiam Hebræorum in medium afferre, quo, ſi fieri poſſet Lutherum pudeat ſuæ temeritatis, quum nec ipſe rationem aut ſcripturam, aut alicuius docti pro ſua hæreſi teſtimonium adducat. Iſtud itaque nos faciemus, quo res ipſa cunctis dilucida fiat, nempe Melchiſedeck in pane & vino ſacrificare conſueuiſſe. Sed de Latinis primum dicamus.

XXXVII.

Commune Chriſto & Melchiſedeck ſacerdotium.

Hieronymus qui diuinarum ſcripturarum peritiſſimus habetur, ad hunc modum ſcribit in Epiſtola ad Euagrium: Sic & Melchiſedeck eo quod Chananæus fuerit, & non de genere Iudæorum, in typum proceſſiſſe Sacerdotij filij Dei; de quo dicitur in Pſal. 109. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck. Ordinem XXXVIII.

autem

Melchiſedeck rex & ſacerdos. autem eius multis modis interpretatur, quod ſolus & rex fuerit & Sacerdos, & ante circumciſionem functus ſacerdotio, vt non Gentes ex Iudæis, ſed Iudæi ex Gentibus ſacerdotium acceperint, neque vnctus oleo ſacerdotali, vt Moyſi præcepta conſtituunt, ſed oleo exultationis, & fidei puritate, neque carnis & ſanguinis victimas immolauerit, & brutorum ſanguinem, eorum animalium exta: id eſt, quicquid ſuper eſcam eſt, ſuſceperit, ſed pane & vino ſimplici puroque ſacrificio Chriſti dedicauerit ſacramentum.

XXXIX. Subſcribit huic Auguſt. lib. de doct. Chriſt. c. 21. In Sacerdote Melchiſedeck dominicum ſacramentum præfiguratum videmus, ſecūdum quod ſcriptura diuina teſtatur, & dicit: Et Melchiſedeck rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abrahā. Quod autem Melchiſedeck typum Chriſti portaret, declarat in Pſal. *Pſal. 106.* Spiritus ſanctus, ex perſona patris ad filium dicens, Ante luciferum genui te, tu es ſacerdos in æternum ſecundū ordinem Melchiſedeck.

XL. Accedit & illis Cyprianus lib. 2. ad Cecilium ſic ſcribens: Vt ergo in Geneſi per Melchiſedeck ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſit rite celebrari, præcedit ante imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo veritatem *Sacrificium altaris præmonſtratum eſt figura.* præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem Spiritus ſanctus typum dominici ſacrificij præmonſtrat immolatæ hoſtiæ panis & vini: ſed & altaris & Apoſtolorum faciens mentionem, Sapientia, inquit, ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptē. Mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit menſam ſuam. Et miſit ſeruos ſuos conuocans cum excelſa prædicatione ad carcerem dicens, Qui eſt inſipiens, declinet ad me, & indigentibus ſenſu dixit, Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Hæc ille.

XLI. Ambroſius his aſtipulatur libro quarto de ſacramentis: Tibi autem ſacramētorum horum figura præceſſit, *Gene. 14.* quando Abraham erat, quādo vernaculos trecentos decem & octo collegit, & ibi perſecutus eſt aduerſarios, de captiuitate eruens nepotem ſuum. Tunc victor venit, occurrit illi Melchiſedeck ſacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchiſedeck. Ipſe ergo author ſacramentorum.

Nec diſſentit Arnobius in commentariis ſuper *Pſal. 100.* Pſalmos. Hic, inquit, qui per myſterium panis ac vini Sacerdos factus eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck, qui panem & vinum ſolus obtulit in Sacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio.

XLII. Sed iam ad Græcos veniamus. Chryſoſtomus hunc locum enarrans ait: Et vide propter honorem in Patriarcham collatum quomodo Sacramentum inſinuatur: obtulit enim ei panem & vinum. Vides typum, cogita oro & veritatem, & admirare, & diuinarū ſcripturarum veritatem, quomodo ſuperioribus ſeculis & ab initio futura præſignata ſint. Hæc Chryſoſtomus.

Nec ab eius ſentētia quicquam abeſt Damaſceni, qui lib. 1. de fide orthodoxa ſic ait: Pane & vino ſuſcepit Melchiſedeck Abraham ex cæde alienigenarum qui erat Sacerdos Dei altiſſimi. Illa menſa hanc myſticam præfigurauit menſam, velut & ſacerdos ille Chriſti veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginē. Tu es, inquit, ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck. *Pſal. 109.* XLIII.

Vulgarius demum per omnia conſentit in Epiſtola ad Hebreos ita ſcribens: Verum quem aliū afferre poſſunt præter Chriſtum Iudæi, qui ſit ex Melchiſedeck inſtituto pontifex factus? Nonne erant ſub lege omnes? Nonne & vniuerſi ſabbata obſeruabant, offerebantq; ſacrificia? Aptiſſime itaq; de Chriſto dictum id eſſe conſtat. Hic enim & ſolus Melchiſedeck illius in morem, pane & vino ſacrificabat. Sed quid (obſecro) neceſſe fuerit authores adhuc citare plures? XLIIII.

Nullus horum eſt, vt audis lector, qui non horum vtrunque, hoc eſt, tam Melchiſedeck quam Chriſtum aſſerat in pane vinoque ſacrificaſſe. Quod quum Hebræorum Rabbini, quantum ad Melchiſedeck attinet, omnino confirment, & plane teſtentur Meſſiam ſuum identidem facturum, quis iam amplius cuiquam relinquitur dubitandi locus? Sic vtique Rabbi Semuel (vti refert Rabbi Moſes Hadarſan) dum locum illum Geneſeos interpretaretur. *Rabbi Semuel.* Hic, inquit, myſteria ſacerdotij tradidit. Erat enim ſacrificans panem & vinum Deo ſancto & benedicto, ſicut dictum eſt ibidem, Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſſimi. Hactenus Rabbi Semuel. XLV.

Dixit & Rabbi Pinhas filius Iair. Tempore Meſſiæ cuncta ſacrificia ceſſabunt, ſacrificium autem panis & vini nunquam ceſſabit. Sicut dictum eſt Geneſis 14. Et Melchiſedeck Rex Salem excepit panem & vinum. Melchiſedeck, inquit, hoc eſt Rex Meſſias. Dicitur autem Melchi, id eſt, Rex, quoniam Rex eſt totius mundi. Porro ſedeck eſt iuſtitia. Et ipſe mittet iuſtitiam ſuam & pacem ſuper vniuerſum orbem. Et poſtea ſubdit: Rex Salem, hoc eſt Hieruſalem ſupernæ excepit panem & vinum, hoc eſt, ſeparabit à ceſſatione ſacrificiorum ſacrificium panis & vini, vt dictum eſt Pſalmo centeſimonono: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck. Hucuſq; Rabbi Pinhas.

Rabbi vero Iobai qui Chriſtum diu anteceſſit, *Sacrificium altaris perpetuabitur.* probat ſacrificium panis & vini nunquā ceſſaturum, partim ex verbis quæ Iudicū 9. ſcripta ſunt in hunc modum: Nunquid poſſum deſerere vinū meum quod lætificat Deum & homines? Vinum inquit, etſi lætificet homines, Deum autem quomodo lætificat? Reſpondet. In ſacrificio quod de ipſo, nempe de vino, fiet, partim ex verbis Pſalmi 72. Nam ſubiicit, Sacrificium vero panis nunquā eſſe defecturum, ex eo apparet, quod dictum eſt Pſalmo 72. Et erit placenta frumenti in terra in capite montium. Hactenus ille.

Adde

XLVI. Adde quod complures Hebræorum magiſtri, præſertim Rabbi Kimhi & Rabbi Selemon, hunc Pſalmum de Meſſia prorſus interpretantur, & ſacrificium eius affirmant futurum in placenta frumenti, quibus & Chaldaica tranſlatio conſonat, inquiens: Erit Corban, id eſt, ſacrificiū frumenti in terra in capite montium eccleſiæ. Quibus verbis apertè ſignificatur is ſacrificādi modus quem hodie ſacerdotes vſurpant, leuantes Euchariſtiam ſupra capita ſua. Nam eccleſiæ montes nihil aptius exprimunt, quam presbyteros & prælatos Eccleſiarum. Sed in his recenſendis vſque adeo prolixi fuimus, vt nullus omnino remaneat ſcrupus, quin ſicut Melchiſedeck in pane ſimul & vino ſacrificauit, ita credatur & Chriſtus qui ſecundum eius ordinē ſacerdos erat conſtitutus, iiſdem ſimiliter fuiſſe rebus vſus pro ſacrificio ſuo, hoc eſt, pane vinoque ſacrificaſſe. Nam quum tot & tam graues authores, non Latini modo, verumetiam Græci, pariter & Hebræi conſentiant huic inſtituto, neque ſcriptura quicquam aduerſetur, imo ſubſcribat potius, neque aliud quoduis ſacrificij genus vſquam tribuat ſacerdotio Melchiſedeck, quam panis & vini, quis hac de re ſecum amplius vel tantillum hæſitare poterit, quo minus aſſerat & pronuntiet, tam Chriſtum quam Melchiſedeck eiſdem rebus ſacrificaſſe?

Melchiſedeck & Chriſtus eiſdem rebus ſacrificabant.

Cæterum quia non ſolum ipſo initio naſcentis eccleſiæ fieri ſacerdotes iſtos oportuit, verumetiam per totum eccleſiæ diſcurſum (vt axiomate quinto ſuperius oſtendimus) huiuſmodi neceſſario fuerant inſtituendi, manifeſte conſequens eſt, vt Apoſtolorum ſucceſſores ſacerdotes item fuerint, & ſacrificandi pariter habuerint poteſtatem. Neque enim ſolum pro Apoſtolis tunc dictum fuit, Hoc facite in meam memoriam, ſed pro cunctis qui ſimili authoritate præditi, poſt Apoſtolos eſſent in eccleſia ſucceſſuri. Cernis itaque lector non ſolum ex veteri teſtamento, per Eſaiam vaticinatum, quod paſtores gregis Chriſtiani, ſacerdotes Domini vocarentur, verumetiam ex nouo, rationem & cauſam intelligis, cur ita vocari debeant.

Lucæ 22.

XLVII. *Epilogus ſecundi congreſſus.* His itaque decem axiomatis ad hunc modum inſtructis pro ſecundo concurſu Lutherum adoriemur. Nam ex primo liquet, ob ſex iuſtiſſimas cauſas, oportere multitudini quoſdam præfici, qui curam ipſius agant.

Ex ſecundo, quod reuera Chriſtus ipſe tales inſtituit, qui ſuum gregem, hoc eſt, Chriſtianum, paſcant, regant, & doceant.

Ex tertio, quod oportuit eoſdem gratia copioſiori locupletari, quo ſuo commodius inſeruirent officio.

Ex quarto, quod de facto Chriſtus talem gratiam elargitus ſit paſtoribus à ſe conſtitutis.

Ex quinto, quod neceſſe fuit eiuſmodi functiones, ad ſupremum vſque diem in eccleſia perpetuari.

Ex ſexto, quod nemo legitime tali munere fungitur, niſi per eccleſiæ præſides rite vocatus, ordinatus & miſſus fuerit.

Ex ſeptimo, quod quiſquis in eiuſmodi functione legitime fuerit conſtitutus, idem ab ipſo Spiritu citra controuerſiam creditur aſcitus.

Ex octauo, quod eo ipſo momento quo ſic quiſpiam ad hunc modum inſtituitur, gratiam ab eodem Spiritu, ſi non per illum ſteterit, conſequitur indubitanter.

Ex nono, quod hanc gratiam ipſe Spiritus ad ſigni cuiuſdam ſenſibilis exhibitionem, hoc eſt, ad manus impoſitionem, donat infallibiliter.

Ex decimo, quod paſtores & presbyteri, ſic per manus impoſitionem inſtituti, vere Dei ſacerdotes ſint, & tam pro ſe quam pro ſuis ſubditis Deo ſacrificent.

XLVIII. Quum igitur hæc axiomata per ſcripturas ſacras copioſe roborauerimus, quis non ex illis aperte videt, aliquas in eccleſia functiones, per Chriſtum & ſacrum eius Spiritum inſtitutas eſſe, quæ non ſunt cuiuis de plebe communes? Non enim quiſque de plebe ad id muneris accerſitur, vt paſcat, doceat, ac regat cæteros. At citra vocationem & ordinationem (vt oſtendimus) nemini licet eiuſmodi functiones vſurpare. Nec inficiamur tamen quin ſinguli de plebe, ſacerdotes in ſcripturis apellantur. At hoc ſacerdotium, comparatione illius ſacerdotij quo paſtores & presbyteri ſacerdotes vocantur, non metaphoricum eſt. Neque enim alio ſenſu ſacerdotes illi dicuntur & reges, vti mox dicemus. Regit enim quiſque ſeipſum ſolum, & ita ſibi ſoli quiſque ſacerdos eſt.

Sacerdotium alterum eſt verum, alterum metaphorice dicitur.

Reges vtique ſunt pariter & ſacerdotes omnes Chriſtiani, verum etiam ſibi non aliis. At paſtores & presbyteri de quibus loquimur, toti plebi ſacerdotes ſunt, nimirum quod eam ceu gregem paſcant & regant. Mediant enim inter Chriſtum & plebem, vt quod à Chriſto, vel ab eius Spiritu didicerint, ipſi viciſſim plebem doceant. Propter quod (vti ſupra diximus) principem paſtorum Petrus Chriſtum appellat. Nam vt illi paſcunt plebem, ſic & identidem à Chriſto paſcuntur.

Quiſque ſibi rex eſt & ſacerdos.

1. Pet. 5.

XLIX. Adde, quod iſtiuſmodi ſacerdotibus incumbit pro ſubditorum animabus rationem reddere, at non ita viciſſim populus pro presbytero quod animabus rationem eſt redditurus. Sed & denique presbyteri, quamquam ex hominibus aſſumpti ſint ſacerdotes, pro hominibus tamen conſtituti ſunt, in his quæ apud Deum aguntur. Verum nō ita viciſſim quique de plebe pro presbyteris apud Deum intermediant. Presbyteri igitur quando communem carnis infirmitatem cum plebe circumferunt, debent ipſi tam pro ſuis quam pro populi peccatis iugiter immolare.

Heb. 5.

Porro victima, qua præcipue Deum placaturi ſint, altaris eſt ſacrificium, quo ſecundum ordinē Melchiſedeck ſub panis & vini ſpecie, corpus & ſanguinem Chriſti iugiter offerunt. Iam opinor dilucidum eſt, corruiſſe funditus id quod tanto verborum ſtrepitu tantaque iactantia Lutherus ſe ſtatuiſſe gloriatur, nempe quod nullo prorſus alio ſacerdote & mediatore plebi ſit opus præter Chriſtum. Corruit & iſtud, quod ſibi Chriſtianus

Corollarium primum.

Secundum. quiſque ſufficiat vt ſeipſum doceat, & cętera peragat quæcunque faciunt ſacerdotes. Corruit *Tertium.* demum & aliud, quod videlicet functiones aliæ, quæ non ſunt toti populo communes, humanis mendaciis & ſatanicis adinuentionibus erectæ ſint. Nam ex iam dictis axiomatis perſpicuum opinor omnibus eſt, quod horum officium (quos interea ſequeſtres & interuentores in Chriſtum & gregem appellare licet) non humano commẽto, ſed Chriſti & ſacri Spiritus inſtitutione diuinitus excogitatum eſt. Et hactenus pro ſecundo congreſſu dicta ſufficiant.

CONGRESSVS
TERTIVS.

I. IAm ſupereſt vt tertio tandem cõgreſſu Lutherum ſimiliter impetamus, quo fiet apertum, habere Lutherum nihil, aut ex ſcripturis, aut ex orthodoxorũ teſtimoniis, quod ſuam hæreſim confirmet. Scripturas itaque per eum adductas quemadmodum in ſeriem digeruntur, ita ſingulas ordine ſuo refellemus.

Docere primum nititur vnum & ſolum nobis eſſe Chriſti ſacerdotium, quo ipſe obtulit ſeſe pro nobis & nos omnes ſecum. Ad quod probandum
" adducit primum illud Petri tertio: Chriſtus ſe-
" mel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro
" iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatus qui-
" dem carne, viuificatus autem Spiritu.

Hoſtia efficimur probitate noſtra. Reſpondemus nihil in his verbis obſcuritatis eſſe. Propter hoc enim Chriſtus ſeipſum pro peccatis noſtris victimam obtulit patri, iuſtus pro iniuſtis, non quod tum identidem nos hoſtiam immolaſſet, qui nondum eramus, ſed magis vt in poſterum (quum præceptis eius paruerimus) nos patri ſuo vere iuſtificatos exhiberet, quod ſane futurum eſt, ſi nosipſos à priſtinæ vitæ prauis cupiditatibus puros & illibatos cuſtodierimus. At nihil iſtud obſtat quod interim per ſacerdotes paſcamur, gubernemur, erudiamur, imo per eorum pro nobis impenſam curam & ſolicitudinẽ, vt illibati purique ſeruemur, longe facilius & efficacius proueniet.

II. Subiungit huic & aliud Pauli teſtimonium ad
" Heb. 10. Vna enim oblatione conſummauit in æ-
" ternum ſanctificatos.

Non opinor his verbis Lutherus intelligit omnem Chriſtianum, quantumuis peccator fuerit, nihilominus per hanc oblationem ſemel factam ſanctificatum eſſe. *Qui ſanctificentur pro oblatione Chriſti.* Nam certum eſt innumeros ex Chriſtianis, æternis ſuppliciis fore mãcipandos. Solum igitur hi per hanc oblationem hauddubie ſanctificantur, quibus meritum huius oblationis per Eccleſiæ ſacramenta communicatur. Nam liquido conſtat eum qui nolit baptizari, quum data fuerit oportunitas, nunquam huius oblationis participem fore. *Sacramenta ſunt reconciliationis media.* Et quemadmodum baptiſmi ſacramentum medium quoddam eſt, quo nobis illius oblationis virtus conciliatur, ita & ſacrificium altaris aliud eſt, quod ſæpe quoties agitur, illam olim in cruce factam oblationem nobis annunciat. Quanquam igitur per Chriſtum olim vna fuiſſet oblata victima, quæ pro peccatis innumeris ſufficit ad placandum patrem, eadem nihilominus renouatur, quoties in altari myſteria corporis & ſanguinis Chriſti celebrantur. *Sacrificio altaris reiteratur victima Chriſti.* De qua re, tã in libello, quo pro illuſtriſſimo rege, Lutheri maledictis dudum reſpondimus, quam etiam paulo poſt copioſe diſſeremus. Quum enim omnes quotidie peccamus, & iam longe grauius poſt illam ſemel oblatam victimã, non minus eſt nobis hoſtia quædã neceſſaria quã olim fuerat, quandoquidem & nunc multo grauiora noſtra peccata. Quamquam igitur Chriſtus ipſe non iterato pro nobis moriatur, tamen vt mortis eius ſemel perpeſſæ meritum nobis, vbi peccauerimus, iterum accõmodetur, oportet ipſum altaris ſacrificium crebrius renouari. Idque fit per iſtos quos ante diximus inter Chriſtum & plebem ſequeſtros & interuẽtores. Quocirca nec ex his teſtimoniis recte quiſquam inferat, quod nullos oportet alios inter Chriſtum & plebem ſacerdotes eſſe medios.

Porro quum ex dictis teſtimoniis ſubinde colligere moliatur, quod hoc ſacerdotium Chriſti ſpirituale ſit, & Chriſtianis omnibus commune. III.
Omnes enim, inquit, eodem quo Chriſtus ſacer- "
dotes ſumus, qui Chriſtiani, id eſt, filij Chriſti "
ſummi ſacerdotis ſumus. "

Reſpondemus, quod quanquam ex ipſis teſtimoniis id minime cõliciatur, quod colligere ſtudet, concedimus tamen hoc ipſum. *Sacerdotium duplex.* Neque enim oportet vt eodẽ ſacerdotio penitus quo Chriſtus ipſe ſacerdos eſt quiſque de plebe ſacerdos item ſit. Nam de Chriſto complura dicuntur, quæ non competunt in ſingulos Chriſtianos ſecundum omnem modũ, quo tribuuntur & Chriſto. Concedimus igitur illud aliquo modo verum eſſe, nimirum quod ſibi ipſi quiſque Chriſtianus ſacerdos dici poteſt, vti ſupra diximus. Veruntamen præter hoc ſacerdotium, quod ſingulis eſt cõmune, dilucidum eſt ex antedictis, oportere ſacerdotium aliud peculiare quoddam eſſe, quo funguntur hi, qui per Eccleſiæ præſides legitime vocantur, inſtituuntur, mittuntur, qui non ſibi duntaxat ſacerdotes ſunt, ſed populo, cui per iuſtam præſunt vocationem. *Sacerdotium peculiare.*

Sequitur. Neq; nobis vllo prorſus alio ſacer- "
dote & mediatore opus eſt præter Chriſtũ: Quũ "
omnis ſacerdos in hoc aſſumatur, teſte Apoſtolo "
Heb. 5. vt pro populo oret, & populum doceat. At "
Chriſtianus quiſque per ſeipſum orat in Chriſto, "
habens per ipſum, vt Ro. 5. dicit, acceſſum ad De- "
um. Sicut promiſit Eſaiæ 65. Eritque antequam "
clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus "
ego audiam. Sic & per ſeipſos à Deo docentur, "
promittẽte Eſaia 54. Et dabo vniuerſos filios tuos "
doctos à Domino. Et Hier. 31. Non docebit vnuſ- "
quiſque fratrẽ ſuum & vnuſquiſque proximũ ſuũ "
dicens, Cognoſce Dominum, omnes enim ſcient "
me à minore vſque ad maximũ. Et Eſaias 11. dicit: "
Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ ma- "
ris ope- "

ris operientis. Hinc Chriſtus Ioannis 6. appellat eos θεοδιδάκτους. Eſt ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. His teſtimoniis putat Lutherus, & affirmare nõ veretur, euacuatum eſſe ſacerdotium viſibile, quum hæc duo, nimirum orare & docere, pręcipua ſint ſacerdotum officia, quæ nunc, vt iactat, Chriſtiano cuique monſtrata ſunt eſſe communia.

Paſtores præter Chriſtum ſunt neceſſarij.

Ego vero vt non dubito priores ſcripturas veras eſſe, ita compertiſſimum habeo, Lutherũ falſa illarum interpretatione ſectatoribus ſuis impoſuiſſe. Nam ſi non eſſet populo Chriſtiano paſtor quiſpiam præter Chriſtum neceſſarius, fruſtra Chriſtus adiuraſſet Petrum, vt ſi ſe amaret, oues paſceret ſuas. Quod & ſerio feciſſe traditur, illum adiurans tertio. At quid opus fuiſſet, vt Petrus oues Chriſti paſceret, ſi præter Chriſtum alio doctore non eguiſſent? Fruſtra quoque Petrus hortatus fuiſſet, presbyteros paſcere gregẽ Dei, promittẽs vt quum princeps paſtorũ apparuerit, immarceſſibilẽ glorię coronã perciperent. Et hîc vides, lector, Chriſtum alios habere ſub ſe paſtores, quorum officium eſt gregem illius paſcere, alioqui non illum appellaſſet Petrus principem paſtorum.

Ioan 21.

1. Pet. 5.

2. Tim 4.

Sed & fruſtra Paulus Timotheum fuiſſet obteſtatus & tam ſeueriter. Obteſtor, inquit, ego coram Deo & Domino Ieſu Chriſto qui indicaturus eſt viuos & mortuos in apparitione ſua, prædica ſermonem, inſta tempeſtiue, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Denique nec idem Paulus Titum tam diligenter admonuiſſet oportere Epiſcopum nõ ſolum eſſe tenacem eius qui ſecundum doctrinam eſt fidelis ſermonis, verumetiam potentem vt exhortetur per doctrinã ſanam, & cõtradicentes conuincat.

Tit. 2.

Paſtoris officium.

Quis iam ex his non palam intelligit neceſſarios eſſe paſtores in Eccleſia Dei? quorum officiũ eſt erudiendo Chriſtiano gregi diligenter inuigilare. Quamobrem & dilucidum eſt priores ſcripturas partim primordia naſcentis Eccleſiæ ſpectare, quando Spiritus ſanctus viſibiliter in ſingulos deſcenderat, & erant omnes à Spiritu docti: partim futuræ gloriæ ſtatum, quemadmodũ interpretibus viſum eſt magis, quum illic remoto quolibet velamine palam ab ipſo Deo cuncti docebimur. Cæterum hoc intermedio tempore, quo iam (vt Paulus ait) à Domino peregrinamur, neceſſum eſt vt vnaquæque congregatio ſuum habeat paſtorem, qui verbo pariter & exemplo ſubditum ſibi gregem paſcat & regat. Nec repugno tamen quin omnis conatus eius qui exterius docet, irritus erit, niſi Spiritus ſanctus interius cor illuſtret. Cæterum hæc illuſtratio quanquam in Apoſtolis, & in ipſius Eccleſię ſummatibus copioſa fuiſſet, & abunde ſibi ſufficiens, abſque doctore quouis alio, non tamen pari menſura donatur omnibus, ſed pro maxima hominum parte vſque adeo tenuis eſt, vt citra doctoris alterius operam haudquaquam ſufficiat, id quod ex illis quæ ſupra diſſeruimus, opinor, tam apertum eſt, vt nullis opus ſit aliis fulciri teſtimoniis. Cæterum vt apertius intelligamus Luthero nihil ſuffragari ſcripturas, quas attulit, eas per ordinem diſſoluemus.

2. Cor. 5.

Doctoribus opus eſt in Eccleſia.

PRIMA SCRIPTVRA.

AD Roman. quinto ſic ait: Per Chriſtum habe- V.
mus acceſſum ad Deum.

Reſpondemus: Paulus hoc non dicit, ſed ita. Per Chriſtum habemus acceſſum per fidẽ in gratiam iſtam in qua ſtamus. Neque enim Paulus illic molitur, quod habeat quiſque Chriſtianus acceſſum ad Deum, ſed quod per Chriſti fidem habuimus aditum in gratiam in qua ſtamus; quod ſane veriſſimum eſt. Nec inficiamur tamen, quin poſſit quiſque Chriſtianus per ſeipſum precari Deum, quanquam iſtud non vrgeant ipſa Pauli verba. Sed nec ex illo protinus infertur, ꝙ nullo prorſus alio quouis egeat interceſſore. Nam Paulus profecto, ſi quiſquam alius id facere potuit, per ſeipſum accedere ad Deum nihil verebatur, & tamẽ ipſe nec ſemel aliorum preces ſibi neceſſarias eſſe ducit. Sic enim ad Ro. 15. ſcribit: Obſecro vos fratres per Dominum Ieſum Chriſtum, & per dilectionem Spiritus, vt me laborantẽ adiuuetis precationibus pro me ad Deum. Rurſum 2. Corin. 1. Simul, inquit, adiuuantibus vobis per deprecationem pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, vt loquamur myſterium Chriſti. Et ad Ephe. 6. Vigilantes cum omni ſedulitate & deprecatione pro omnibus ſanctis & pro me, vt mihi detur ſermo in apertione oris mei cum libertate, vt notum faciam myſterium Euangelij mei. Ecce Paulus qui Spiritu ſancto plenus fuerat, aliorum tamen preces poſtulare ſeſe teſtabatur. Quare multo magis alij, qui nondum parem cum Paulo gratiam conſequuti ſunt, interceſſoribus indigent. Alioqui fruſtra Iacobus eſſet hortatus, vt quum quis è Chriſtianis infirmaretur, accerſeret Eccleſię Presbyteros, vt precationes ꝓ eo facerẽt. Sed in re ſatis aperta nimis laboramus.

Lutherus lacerat Pauli authoritatẽ.

Interceſſorib. opus eſt.

Paulus aliorum preces optat.

Iacob. 5.

SECVNDA SCRIPTVRA.

SIcut promiſit Eſaiæ 65. Eritque antequam VI.
clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.

Reſpondemus. Etſi non omnia, multa certe quæ in ipſo cap. leguntur, non poſſunt aliter accipi, quam pro beatitudinis æternæ ſtatu, quemadmodum illud quod paulo ante ſcribitur: Ecce ego facio Hieruſalem & populum meum lætitiam, & exultabor ſuper Hieruſalem & lætabor ſuper populo meo. Et non audietur in ea vltra vox fletus & vox clamoris, neque fiet ibi vltra immaturus & ſenex qui non impleat tempus ſuum. Hæc profecto de terrena Hieruſalem nequeunt intelligi.

Sed vt donemus Luthero iſtud ſic accipiendũ eſſe, non ex eo tamen infertur, quod non alio ſit opus interceſſore præter Chriſtum. Nam ſi nunc hoc tempore peregrinationis noſtræ, ſic vnicuiq;

ſufficiat ſua precatio, vt nullo ſit opus alio mediatore, ſed quiſque Chriſtianus antequam clamauerit exaudiatur, incaſſum Paulus Romanorum tam iugem fecit mentionem, ſemper in precibus ſuis orans, vt aliquando volente Deo proſperum iter ſibi contingeret vt ad illos veniret. Incaſſum pro Theſſalonicenſibus orat indeſinēter, vt dignos eos Deus habeat vocatione ſua. Incaſſum Timot. hortatur, vt ante omnia faciat deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminētia conſtitutis, vt placidam & quietam vitam degamus. Incaſſum denique mentionem eiuſdem Timothei facit inter precandum, atque id citra vllam intermiſſionem noctu dieque. Manifeſtum eſt igitur & aliorum orationes nobis conducere poſſe, nec ſufficere cuique precationem ſuam neque ſemper exaudiri quenquam priuſquam ad Deum ipſe clamauerit. Et vt iuuari quiſque poteſt aliorum precationibus, ita poteſt & per alios doceri quoque, tametſi Lutherus contendat vnumquenque per ſeipſum à Deo doceri. Id quod nos, ſi tamen ad ſanum ſenſum intelligatur non negamus. Superius enim diximus quod irritus erit conatus eius qui docet exterius, niſi cor interius illuſtretur à Deo. Sed hæc illuſtratio quum non pari menſura ſit impartita ſingulis, in multis vſque adeo tenuis eſt, vt ſine quouis alio doctore non ſemper valde proficiat.

Rom. 1. *1. Theſ. 1.* *1. Tim. 2.* *1. Tim. 1.* *Viiles ſunt aliorum orationes.* *Docentur homines & à Deo & à doctore.*

Cæterum ſcripturas quibus Lutherus probare conatur neminem Chriſtianum alio præter ſeipſum egere doctore, iam audiamus.

TERTIA SCRIPTVRA.

VII. „ ET dabo vniuerſos filios tuos doctos à Do-
„ mino.

Eſa. 65.

Certum eſt ex hoc 54. cap. pariter & 65. de quibus ſupra nonnihil diximus, Iudæos errorem cōtraxiſſe de mille annis hic in terra præſente Chriſto cum omni voluptate carnaliter peragendis. Quem errorem tametſi nonnulli Chriſtianorū, & præſertim Lactantius, approbaſſe videantur, improbari tamen à cæteris quiſnam eſt qui ignoret? Sunt enim in vtroque cap. quædam ſcripta, quæ torqueri nullo pacto queant ad præſentis vitæ ſtatum. Quemadmodum & illud eſt Eſa. 65. de quo prius diximus: Et non audietur in ea vltra vox fletus, & vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum & ſenex qui nō impleant dies ſuos. Iſta nuſquam niſi in futura vita complebuntur. Similiter & 54. quod ſcribitur: Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Diluuij vltra ſuper terram, ſic iuraui vt non iraſcar tibi & non increpem te. Iſtud certe, quantum ad præſentem ſtatum attinet, intelligi non poteſt, quum iam nemo ſit qui non peccet, neque ſit quiſquam cui, dum vltro peccat, non iraſcatur Deus. Et rurſum illud: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris, & ponam in Iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles. Hæc magis reſpondent his, quæ de cœleſti ciuitate Ioannes in Apoc. 21. videt, cuius fundamenta deſcribit omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum, inquit, primum Iaſpis, ſecundum Saphirus, tertium Calcedonius, quartum Smaragdus, quintum Sardonix, ſextum Sardius, ſeptimum Chryſolitus, octauum Berillus, nonum Topazius, decimum Chryſopaſus, vndecimum Hiacinthus, duodecimum Amethyſtus. Certum eſt igitur illa duo Eſaię capita, de futuræ gloriæ ſtatu debere intelligi, nimirum quādo lachrymam abſterget Deus à ſuorum oculis, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quemadmodum in Apocalypſi 21. traditur. Tunc haud dubie verum erit, quod in ea ciuitate non audietur vltra vox fletus, & vox clamoris, neque erit ibi amplius infans dierum, & ſenex qui non impleant dies ſuos. Nemo peccabit, neque cuiquam illic iraſcetur, aut quenquam increpabit Deus. Nihil illic ſordebit, ſed inſtar gemmarum tota illa ciuitas fulgebit & radiabit vbique. Nec denique tum alio quouis opus erit doctore citra Deum, in quo perſpicient omnia. Quamobrem & tunc vniuerſæ Eccleſiæ filij docebuntur à Domino, & multitudo pacis erit eis, atque in inſtitia ſtabilientur. Iſta nemo non intelligit quam procul abſint à pluribus, qui ſub militantis Eccleſię ſtatu vitam agunt & vere credunt. Nunc enim etſi quidam ſint, qui doceantur à Domino, & qui multitudine pacis fruantur, ſintque in iuſtitia firmati: palam tamen eſt ea nequaquam ſingulis conuenire. Nam complures ex his qui fidem habent, obquam & Luthero ſunt Eccleſiæ filij, neque tamen pacis multitudine fruuntur, neque in iuſtitia ſtabiliti ſunt, quum ab vtraque ſæpenumero decidant. Hactenus itaque pro duabus illis ſcripturis, quas è 65. ſimul & 54. Eſa. produxit, reſponſum eſt.

Lactantij error.

QVARTA SCRIPTVRA.

NOn docebit vnuſquiſque fratrem ſuum & v- VIII.
nuſquiſque proximum ſuum, dicens: Co- *Hier. 31.*
gnoſce Dominum: Omnes enim ſcient me à mi- “
nori vſque ad maximum. Sic enim in Hieremia “
ſcribitur: Et non docebunt vltra vnuſquiſque “
proximum ſuum, dicens: &c. “

Quæ ſcriptura tametſi quadamtenus in ipſo dilapſu Spiritus ſancti ſuper diſcipulos in vnum congregatos vera fuiſſet, plenam tamen & integram veritatem non habebit, niſi pro ſtatu gloriæ: atque id quidem non ſolum ob id, quod neget vlterius proximum à proximo docendum, verumetiam ob id quod ſubditur, & peccati eorum non ero memor amplius. Nam quis dubitanit, quin ex his, qui fidem acceperunt plerique pro peccatis ſuis damnandi ſint? Quomodo ergo fiet quod citra legis nouæ dationem, non erit deinceps peccatorum memor Deus? Sed & ſi prorſus verum ſit, quod nemo proximum ſuum vltra docturus eſſet, profecto neque Chriſtus Petro,

Act. 2.

neque

neque Petrus & Paulus aliis tam obnixe mandaſſent vti proximos ipſi docerent.

Sed video quid Lutherus obiiciet. Nimirum hæc ipſa verba, per Paulum ad Heb.8, eſſe recenſita, velut ad pręſentem Eccleſiæ ſtatum ſpectantia. Verum ego vt non inficior hęc verba Paulum illic recenſuiſſe, ita nec fateor oportere ſequi, vt
Exo.19.20.21. pro hoc tempore iam penitus impleta ſint. Nam vt exhibitio legis veteris & eius merces non ad idem tempus pertinebant, tametſi teſtamentum vetus vtranque complectebatur, ſed lex vetus in mõte Sinai tradita fuit, merces vero fuit ipſa promiſſionis terra. Sic ſimiliter & nouum teſtamentum, non modo legem nouam, verumetiam eiuſdem obſeruatæ mercedem inuoluit, quarum altera quidem in monte Sion promulgabatur,
Matth. 5.6.7. Rom.8. alteram vero ſperamus in cœlo futuram. Quo factum eſt, vt tam Eſaias quam Paulus protinus, vt de lege quæ cordibus hominum erat inſcribenda loquuti fuiſſent, de mercede quoque legis nonnihil ſubiecerint: non id tamen molientes, vt idem tempus vtraque reſpiceret.

Quam rem & Auguſtinus in libro de Spiritu & litera ſatis explicat, dicens: Sicut lex factorũ ſcripta in tabulis lapideis, merceſque eius terra illa promiſſionis, quam carnalis domus Iſrael, quum ex Ægypto liberata eſſet, accepit, pertinet ad teſtamẽtum vetus: ita lex fidei ſcripta in cordibus, merceſque eius ſpecies contemplationis, quam ſpiritualis domus Iſraël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad teſtamentum nouum. Hæc Auguſtinus. Quibus verbis dilucidum eſt nouum teſtamentum vtramque complecti, hoc eſt & legem cordibus inſcriptam, & mercedẽ legis, nempe ſpeciem contemplationis, quam ſpiritualis Iſraël ab hoc mundo liberatus percipiet. Alio tamẽ tempore legem inſcriptam fuiſſe cordibus, alio vero mercedem eſſe reddendam. Et propterea continenter illic Auguſtinus ſubdit: Tunc fiet
1. Corinth. 13. quod dicit Apoſtolus: Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia euacuabitur: illa ſcilicet paruulorum ſcientia in qua hic viuitur, qua ex parte per ſpeculum in ænigmate videtur, propter hanc enim neceſſaria eſt prophetia, quum adhuc præteritis futura ſuccedunt: propter hanc linguæ, id eſt multiplicitas ſignificationum, quum ex alio atque alio aliud atque aliud admonetur, qui nondum æternam lucem perſpicuæ veritatis mente purgatiſſima contemplatur.

Quum autem venerit quod perfectum eſt, & totum hoc quod ex parte eſt, fuerit euacuatum, tũc quod aſſumpta carne carni apparuit, oſtẽdet ſeipſum dilectoribus ſuis. Tunc erit vita æterna, vt cognoſcamus vnum verum Deum, tunc ſimiles ei erimus, quoniam tunc cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus. Tunc non docebit vnuſquiſque ciuem ſuum aut fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominnm. Omnes enim cognoſcent eum à minore vſque ad maiorẽ eorum. Hactenus Auguſtinus. Ex quo manifeſtum eſt prædicta Hieremiæ verba nequaquam intelligi debere, quantum ad ſingulos qui ſub hoc militantis Eccleſiæ ſtatu degunt.

Cæterum vt donemus Luthero neminẽ Chri- IX.
ſtianum ignorare Dominum, Num eos qui fidem habent Dei, non quotidie cernimus opus habere quo cætera doceantur? An non Hebræi illi Dei fidem habuerunt, ad quos dixit Paulus: Rurſum opus habetis vt doceamus vos, quæ ſunt *Hebr.5. Gal.3.* elementa initij eloquiorum Dei. An non & Galatæ Dei fidem habuerunt, quos tamen Paulus delicto quopiam occupatos, voluit per ſpirituales inſtaurari? An non tot millibus Iudæorum, de quibus in Actis dicitur, quod in Chriſtum *Act.15.* crediderunt, alio doctore fuit opus, quum erant nihilominus ſtudioſi legis ſectatores, atque putabant circumciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem? Quod ſi Iudæi qui Spiritum ſanctum viſibiliter acceperunt, hoc errore nihilominus laborabant, ac proinde doctoris egebant opera, quid de turba Chriſtianorum (qui iam ſunt) exiſtimabimus? Num non hi doctoribus indigebunt.

QVINTA SCRIPTVRA

Eſaia 11.

REpleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ X.
maris operientis.

Dicimus impletam fuiſſe ſcripturam hanc Apoſtolorum temporibus, quando Spiritu ſancto *Act.2.* viſibiliter fuerunt afflati, & quando in omnem terram exiuit ſonus eorum. Tunc enim vniuerſus orbis ſcientia Domini repletus fuit, non aliter quàm aquis maris operitur terra, verum ex eo nequaquam ſequitur, quod citra id temporis nemo doctoris opera indigebat, quum eius contrarium maniſeſte falſum cunctis pateat.

SEXTA SCRIPTVRA

Ioannis 6.

POſtremo quod ex Euangelio Ioannis obijcit Chriſtum appellare eos θεοδιδάκτους, Et ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.

Reſpõdemus neminem abſque dono fidei credere, quum dicit Paulus: Dei donum eſt, & non ex vobis. Porro fide inſpirari, Chriſtus pro eodem accipit, quod eſt doceri à Deo: Ad quem modum nihil reluctamur, quin omnis qui credit in Chriſtum à Deo docetur. Cæterum hæc inſpiratio pro maxima parte, vti ſupra diximus, tam imperceptibilis eſt, atque id etiam ei qui afflatur, vt adhuc doctore quodam eum egere nemo dubitet. Sed hinc fortaſſis Lutherus anſam arripiet *Obiectio.* contra nos, quod hæc ipſa verba in Eſaia ſcripta ſunt, quæ ſupra negauimus ad præſentem Eccleſiæ ſtatum pertinere. At nihil nos id lædet. Nam *Dilutio.* Chriſtus non aſſerit hæc verba ſe ex Eſaia deſumpſiſſe, ſed ex prophetis. Et fieri poteſt, vt in aliis prophetarum libris, qui deperierunt, ſcripta ſint.

Plurima citantur ex libris qui non extant.

Neque enim ſemper oportet extare libros vnde in ſcripturis teſtimonia citantur, quum palam ſit in Actis, Paulum quædã ex Chriſto verba citaſſe, quæ nuſquã in Euangeliis exprimuntur. Ait enim dixiſſe Ieſum: Beatum eſſe dare potius quam accipere, id quod in Euangelio nuſquam legitur. Sed & in ipſis Euangeliis nonnulla citantur, quæ nec in omnibus veteris inſtrumenti libris ſaltem qui iam extant, reperiuntur. Dilucidum igitur ex his eſt, à veritate multum diſſidere, quod Lutherus colligere molitur, nempe quod priora teſtimonia ſacerdotium noſtrum euacuarunt. Sic enim poſt introductas priores ſcripturas illico ſubdit: Hæc teſtimonia plane euacuant ſacerdotium viſibile, dum & orationem, & acceſſum ad Deum & doctrinam omnibus communem faciunt, quæ recte ſacerdotum propria eſt. Quid enim opus eſt ſacerdote, dum non eſt opus mediatore & doctore? An ſacerdotem ſine opere conſtituemus? At mediator & doctor Chriſtianorum præter Chriſtum nullus eſt. Hæc Lutherus.

Act. 20.

Nos vero ſuperius oſtendimus opua eſſe Chriſtianis & mediatore, & doctore præter Chriſtum. Hoc tamen largimur ei, quod niſi Chriſtus intus docuerit, fidem inſpirans, & lumine quodã mentem illuſtrans, inanis erit cuiuſque doctoris labor. Cæterum hæc inſpiratio & illuſtratio iuxta menſuram talem Spiritus impartitur, vt non in ſingulis abſque doctoris opera cuique ſufficiat ad plenam de ſacris dogmatibus eruditionem. Quamobrem etſi fide fuerint afflati Chriſtiani, vt Deum eſſe credant, ab eoque precentur opem ſine quouis mediatore, quis non videt tamen eſſe multa quæ citra doctoris operam ſinguli nequaquam intelligunt? Sed & quanquam hæc agere poſſint, non ſemper tamen eadem agunt ſine monitore quouis. Quæ res vſqueadeo dilucida eſt, vt nemo, ſi non obſtinatiſſime cæcus fuerit, non clare cernat oportere inter Chriſtum & plebem quoſdam eſſe medios, qui non ſolum aſſidue precentur, & pro plebe Chriſtum interpellent, verumetiam ignorantem inſtruant, dormitantem excitent, & denique frigeſcentem accendant, cæteraque faciant, quæ paſtoribus incumbunt animarum. Ex quibus liquet item & id qnod ſequitur quod nihil habeat veritatis.

Inſpiratio nõ vndequaque ſufficiens eſt.

Ad quid paſtoribus opus ſit.

XIII.

Nam ſubdit: Quin ipſi per ſeſe accedunt à Deo docti, deinceps mediare & docere potentes, eos qui nondum ſacerdotes, id eſt, nondum Chriſtiani ſunt.

Fatemur quemque Chriſtiannm ad Deum poſſe per ſeipſum accedere, vt dicat precationem dominicam, & veniam poſtulet atque gratiam. Cæterum quam inepti ſint ad docendum alios, qui nondum Chriſtiani ſunt, res ipſa manifeſtat. At vt iſtud donemus quoſdam poſſe, nihilominus tamen & cæteris, nemo non perſpicit, opua eſſe tum interceſſoribus, tum eruditoribus, qui moneant, excitent, erudiant, increpent.

Sequitur: Atque ita ſacerdotium noui teſtamenti prorſus ſine perſonarum reſpectu regnat communiter in omnibus Spiritu ſolo. Sicut dicit Galat. 5. In Chriſto Ieſu non eſt Iudæus, non eſt Græcus, non eſt maſculus, non eſt fœmina, non eſt dominus, non eſt ſeruus, ſed omnes vos vnum eſtis in Chriſto.

Adhæc, vnitas nihil impedit quin membra varia ſint, & non ſingula paribus prædita donis, quum intra corporis huius vnitatem idem Paulus affirmet, alios eſſe datos Apoſtolos, alios vero prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios paſtores & doctores. Et certum eſt has nomenclaturas cuiuis è plebe neutiquam conuenire, quum alibi teſtetur Paulus, nec omnes Apoſtolos eſſe, neque omnes prophetas, ſed nec doctores eſſe ſingulos. Quamobrem & palam eſt, id quod Lutherus hîc aſſerere molitur, omnino pugnare contra ſcripturarum veritatem.

Epheſ. 4.

1. Corin. 12.

XIII.

Sed pergamus in frontes meretricias lupanarium iſtorum colligere teſtimonia, quibus ſacerdotinm noui teſtimenti ſtatuitur, vt oppilemus & obmuteſcere faciamus os impudentium hominum iſtorum. Primus adeſt Petrus, 1. Pet. 2. capite: Deponentes igitur omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, lac rationabile & ſine dolo concupiſcite, vt per ipſum creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus. Ad quem accedentes, lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam viui lapides ſuperædificamini in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et infra: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, vt virtutes annuncietis eius, qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen. Alterum eſt teſtimonium Apocalypſis 5. Feciſti nos Deo noſtro reges & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Tertium Apocalypſis 22. In his ſecunda mors non habebit poteſtatem. Sed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti eius, & regnabunt cum eo mille annis.

Quamuis autem liber Apocalypſis veterum calculo, non ſit plenæ authoritatis in contentione, tamen viſum eſt aduerſariis etiam ex ipſo teſtimonia opponere, in quibus certum eſt verba fieri de omnibus Chriſtianis, eoſque ſacerdotes & reges appellari: quod vt de viſibilibus regibus intelligi non poteſt, ita nec de viſibilibus ſacerdotibus intelligi ipſa vniuerſitas Chriſtianorum permittit.

Hæc poſtrema Lutheri verba plane ſuſtulerunt omnem à prioribus ſcripturis ambiguitatem. Nã ſi non aliter quiſque de populo ſacerdos ſit quam rex, ſitque manifeſtum item eoſdem non ita reges eſſe, vt eis alios regendi data ſit poteſtas, conſequens eſt, vt nec ſacerdotes aliis inſtituti ſint quam ſibi ſolis. Nos vero de ſacerdotibus loquimur, qui per Eccleſiæ præſides ad id muneris vocati ſunt & ordinati, cooperãte Deo & gratiã eis diuinitus infundente. Quare nihil aduerſum nos hæ ſcripturæ militant. Neq; enim inficiamur ſingulum

Quiſq; Chriſtianus eſt rex & ſacerdos ſibiipſi.
Heb. 3.

gulum quemq; Chriſtianum & regem & ſacerdotem eſſe, verum ſibiipſi, nõ cuiuis alteri. Nam vt cæterorum regimen fas non eſt cuiuis vſurpare, ita nec ſacrorum myſterium arrogare licebit. In ſumma. Sicut ſinguli reges ſunt, ita ſunt & ſacerdotes, & vt alios regere ſingulis prohibetur, ita prohibetur & ſacerdotium.

XV.

„ Atq; præter hæc tria teſtimonia, nihil in vni-
„ uerſo teſtamẽto nouo inuenitur, quod ſacerdo-
„ tium ex nomine meminerit.

At quid ſi non hoc nomine ſcripturę quicquã de ſacerdotibus meminiſſent, non propterea conſequitur, quod nulli ſint omnino ſacerdotes: hãc dialecticam negatiuam velut imperitam & ineſficacem ſæpius exploſimus. De presbyteris & epiſcopis ſæpe fit mentio, qui quum re ipſa prorſus iidem ſint, quos hodie vocamus ſacerdotes, plane ſophiſtica contentio eſt, negare de ſacerdotibus in ſcripturis fieri mentionem, quod ſub hoc nomine nihil de eis traditum ſit, quum ſub alio nomine, nempe presbyterorũ & epiſcoporum ſermo crebertimus habeatur.

De ſacerdotibus loquuntur ſcriptura.

Quare Apoſtoli non vtebantur nomine ſacerdotum.

Adde, quod cauſam ante reddidimus, cur illo nomine paſſim abſtinuerunt Apoſtoli, nimirum quod adhuc ſacerdotes veteres officio ſuo fungebantur. Quare partim vt Iudęorum ſacerdotes non inde nimis irritarentur, partim vt vitaretur confuſio, ſi tam noſtri quàm illi, pariter ſacerdotes appellarẽtur, hanc appellationem ad tempus Apoſtoli vitaſſe putantur. Cæterum, ſiue ob hãc, ſiue ob aliam quanuis cauſam id fecerint, epiſcopos tamen & presbyteros creberrime vocatos ab eiſdem fuiſſe manifeſtum eſt.

Sed dicet quiſpiam: Cur igitur Apoſtoli toties Chriſtianos omnes in ſacris literis appellant ſacerdotes? Reſpondeo, nihil id mouere debuiſſe Iudæorũ ſacerdotes, poſtquã intellexiſſent Chriſtianos non aliter ab Apoſtolis vocari ſacerdotes, quàm iidem vocati ſint reges. Neq; enim ignorauerũt Iudæorum ſacerdotes ſuæ genti propemodum iiſdem verbis fuiſſe dictum in Exodo: Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc verba non ignorarunt Iudei toti populo fuiſſe prolata, neq; tamẽ ob hæc exiſtimabant ſingulos de populo vere ſacerdotes aut reges fuiſſe: alioqui nõ obiectaſſent Chriſto, quod ſe regem vocaſſet.

Exod. 19.

Luca 23.

XVI. Vnde hîc, antequam plura aſſeramus, parũper
„ inſultemus portentis & idolis iſtis mundi, Papæ
„ & ſuis ſacerdotibus. Agite, vos egregij ſacerdotes,
„ producite nobis vnũ iota aut apicem ex vniuerſis
„ Euangeliis & Epiſtolis Apoſtolorum, vos eſſe aut
„ dici debere ſacerdotes præ cæteris, aut ordinem
„ veſtrum eſſe ſacerdotium diuerſum à communi
„ Chriſtianorũ ſacerdotio? Quin producitis? Au-
„ ditiſné ſurdæ imagines? Ite ad Pariſienſes quæſo,
„ qui pro ſcripturæ teſtimoniis ponent ſuum ma-
„ giſtrale ſentimentum. Hęc propoſitio eſt hæreti-
„ ca, & ordini ſacerdotali contumelioſa; tum hoc
„ ſentimentum eſto vobis principium fidei. Vnde
„ ergo habemus vos idolorum ſacerdotes? Cur no-
„ men commune aufertis nobis, & vobis arrogatis?
Nónne ſacrilegi eſtis & blaſphemi in vniuerſam „
Dei Eccleſiam, qui nomine ſancto & communi „
violenter aliis ablato abutimini, non niſi ad ty- „
rannidem & pompam auaritię & libidinis veſtrę? „
Iterum dico: Idola mundi vos habemus ſacerdo- „
tes. Proferte teſtimonium pro vobis, vos onera „
ra intolerabilia orbis terrarum. Sacerdotes non „
eſtis, & ſacerdotes voſipſos appellatis. Vide- „
tis quid mereamini inſignes vos raptores & hy- „
pocritæ? „

Nemo qui legerit hæc, ſe putabit, opinor, hominem audire ſanæ mentis, & Chriſtiani ſpiritus, ſed rabidum potius canem furiis ipſis actum infernalibus. At habeat ſua conuitia ſibi. Nos rem noſtram proſequamur. Et quanquam huic inſultationi ſit abunde ſatisfactum ex illis axiomatis, quæ ſupra ſtatuimus, nonnihil tamen & hic adiicere curabimus. At primum hîc optarim aduertat lector, quàm iniuſte Lutherus ob hoc huius temporis ſacerdotibus inſultet, quũ hi nomenclaturam iſtam nec arrogarint ſibi, nec excogitarint, aut iam primum inuenerint. Nam ſi debuit vllis ob hoc inſultare, magis illis, quos ante citauimus, nempe Origeni, Baſilio, Athanaſio, Euſebio, Cyrillo, Chryſoſtomo, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, qui tam cæci fuerant, vt hũc quem iam Lutherus errorem arguit, deprehendere nequiuerint, imo velut clariſſimã veritatem amplexabantur. At multo magis adhuc inſultandum fuit Ignatio, Polycarpo, Clementi, Gregorio Nazianzeno, Dionyſio, Egeſippo, Philoni, Euſebio, cæteriſque viris Apoſtolicis: qui quum eſſent Apoſtolis ipſis contemporanei, nihil docere debuiſſent Eccleſiam, niſi quod ab Apoſtolis ipſi accepiſſent. Maxime vero omnium inſultare Lutherus debuit ſancto Spiritui, qui in Eccleſia reſidet, propter hoc miſſus, vt eã ducat in omnem veritatem. Permiſit tamen hũc, vt ille putat, errorem peſtilẽtem, etiam protinus ab ipſis Eccleſiæ primordiis exoriri pariter & per tot annorum centenarios ad hunc vſque diem per omnes Chriſtianorum Eccleſias in tantum animarum diſcrimen perpetuari.

Contemporanei Apoſtolis.

Ioan. 16.

XVII. Cæterum hoc ſacro Spiritu ſi Lutherus afflatus eſſet, quo non eſt dubium, priores omnes patres quos antè memorauimus inſpirati fuerunt, non aliud ſaperet, quàm illi, pręſertim quum idipſum vnanimiter & ſentiant, & dicant omnes, vt multò iuſtius hîc inſultãdum eſſet Luthero, qui ſpretis tot & tam eximiis patribus, & eiſdem Spiritu ſancto plenis, proprij capitis deliramenta ſectatur. Inſultandum eſſet, & iure quidem, ipſis ſacerdotibus, ſi nomenclaturam hanc quam non arrogarunt ſibi, ſed à tot ſanctiſſimis, & iiſdem eruditiſſimis patribus ante traditam acceperunt, iam propter inſaniſſimi hominis phreneticas furias deponerent. Sufficere poteſt cuiuis, nõ prorſus improbo, quod in ſcripturis noui teſtamenti, velit nolit Lutherus, apertum diſcrimen inter paſtores & gregem traditur, hoc eſt, inter præſides & plebem: quodque paſtorum ipſorum ordinationibus rite factis, Deus infallibiliter aſſiſtit,

Sacerdotium diuinitus inſtitutum eſt.

gratiam impartiens & inſtitutionem approbans. Nam ita (quantum ad rem ipſam attinet) abſſde ſatis conſtat omnibus, quantumuis Lutherus inaniter de voce contenderit. Fit & iſtud item dilucidum cunctis, nempe non ab hominibus id muneris fuiſſe confictum, aut per Satanam erectum, ſed autore Spiritu diuinitus inſtitutum.

XVIII. Nec mouere quenquã debet, quod de ſacerdotib. ſub hoc nomine, tam rara ſit facta mentio. Nã ſi quis accurate ſingulas iſtiuſmodi appellationes diſcutere velit, deſiderabit in ipſis noui teſtamẽti ſcriptoribus, exactiorem hauddubie diligẽtiam. Inueniet enim eos in hac parte fuiſſe parum curioſos, multaq; poſteris, per viuæ vocis traditionem, magis quàm ſcriptis reliquiſſe. Quæ res vt dilucidior fiat, aliquot exempla producam.

Nõ omnia poſteris per ſcripturas tradita.

Miniſterij nomen quibus competat.

Voces iſtæ, miniſterium & miniſter, quanquã omni Chriſtiano cõmunes videri poſſent, quemadmodum in ipſo nouo teſtamento non ſemel vſurpantur, tamen eadem Apoſtolis, Epiſcopis, & Presbyteris peculiariter tribuuntur, atque id creberrime quidem. Sic enim ſecundæ ad Timotheum quarto capite ſcribit Paulus: Miniſterium tuum imple. Et ad Coloſſenſes quarto: Dicite Archippo, vide miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas. Et Actorum primo: Vt accipiat ſortem miniſterij huius. In his locis non de generali miniſterio, quod ſingulis Chriſtianis erat commune, ſed de peculiari, quod ad ſolos Apoſtolos, Epiſcopos, atque presbyteros attinet, ſermo fit hauddubie. Id quod etiam apertius claret Actorum decimotertio capite, vbi de prophetis & doctoribus Antiochenſibus agitur. Ita vetus habet tranſlatio: Miniſtrantibus autem illis Domino & ieiunantibus. Eraſmus ad hunc modum traduxit: Quum autem ſacrificarent Domino, ieiunarentque. Nam λειτουργία proprium eſt operantium ſacris, id quòd ad ſolos ſpectat ſacerdotes. Quo fit vt ſacrificium altaris liturgia ſæpenumero vocetur à patribus.

Sacrificium altaris liturgia dicitur.

Presbyteri nomen, etiam iuxta vim vocis, commune omnibus eſt natu grãdioribus, quemadmodum & Paulus apud Timotheum illud vſurpat, dicens: Seniorem ne ſæuius obiurges, ſed adhortare vt patrem: iuniores vt fratres: mulieres natu grandiores, vt matres. Hîc autem pro ſeniore, Græca vox eſt presbyter. Veruntamen eiuſdem vocis peculiaris vſus aliud quiddam & apud eundem Paulum ſignificat. Scribens enim ad Titum, ait: Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt conſtituas oppidatim presbyteros. Hîc certe non ætatem presbyter, ſed dignitatem ſignificat. Neque enim Titus potuit cuipiam annos adücere, ſed honoris gradum.

1. Timo. 5.

Tit. 1.

Adde, quod tam ipſe Titus, quàm etiam Timotheus natu iuniores erãt. Nam hoc de Timotheo Paulus teſtatur, quum dicat: Nemo tuam iuuentutem deſpiciat. Et tamen ambos conſtat fuiſſe presbyteros.

1. Tim. 4.

Similiter Epiſcopi Presbyterique nomina ſæpe confunduntur, & iidem epiſcopi vocati, qui presbyteri fuerant. Id quod ex Actis 20. perſpicuum eſt, vbi traditur quod Paulus à Mileto, miſſis Epheſum nuntiis, accerſiuit presbyteros Eccleſiæ: ad quos quum perueniſſent, habita prolixa oratione, tandem ſubdit: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendum Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ecce iidem ipſi, qui paulò ante dicti ſunt presbyteri, iam epiſcopos vocat: quos & affirmat à Spiritu ſancto poſitos ad regendum Eccleſiam Dei. Nec iſtud certe Chriſtianis omnibus commune fuit, nimirum vt regerent Eccleſiam Dei.

Epiſcopi & presbyteri nomina confunduntur.

Non omnes Chriſtiani regunt Eccleſiam.

Apſtolorum item nomenclatura, ſi vim vocis expendas, communis eſt & 70. diſcipulis. Quem in modum Ioannes vſurpat eam, quum dicit: Nõ eſt Apoſtolus maior eo, qui miſit illum. Nam Apoſtolus idẽ eſt quod miſſus: & ſeptuaginta quoque mittebantur, vti Lucæ 10. ſatis apertum eſt. Cæterũ peculiaris huius vocis vſus in multo pauciores competebat, id quod nemini non eſt compertiſſimum.

Ioan. 13.

Poſſumus & alia ad hunc modum haud pauca memorare, ſed hæc opinor ſufficiũt, vt quiuis intelligat de nomenclaturis iſtiuſmodi nõ eſſe ſcripto ſatis exacte definitum, ſed earum clariorem diſtinctionem, ex his quæ viua voce tradita ſunt, neceſſe ſit potius eſſe petendam.

XIX. Quod ſi quis ex mere negatiuo, nimirũ ex eo, quod nuſquam vocati ſint ab Apoſtolis ſacerdotes, contendat eſſe colligẽdum, nullos eiuſmodi fuiſſe ſacerdotes, ita nos facile colligemus Ioannẽ Euangeliſtam exiſtimaſſe, nullum inter Apoſtolos & diſcipulos fuiſſe diſcrimen. Nam ille per totum Euangelium ſuum nuſquã Apoſtolorum ſub hoc nomine mentionem facit. Et tamẽ crebro de his ipſis loquitur, qui fuerant Apoſtoli, nuſquam eos nominans Apoſtolos, ſed diſcipulos duntaxat. Quid ergo? Num propterea nihil diſcriminis inter Apoſtolos & diſcipulos fuiſſe credidit? Non conſequitur. Sic pariter & de noui teſtamenti ſcriptoribus dicendũ eſt, quod quanquam hi de ſacerdotibus nullam fecerint mentionem, non oportet ob id nihil inter ſacerdotes & reliquos intereſſe Chriſtianos. Nam de illis ipſis abunde ſub alio nomine meminerunt, nempe quoties de Presbyteris & Epiſcopis habetur ſermo.

Apoſtoli nomen non à Ioanne ponitur.

XX. Nec mirum cuiquam eſſe debet, ſi poſtea Spiritus diuerſum inter hos gradum eſſe voluerit, quandoquidem huiuſce rei tam euidens exẽplar ante per Chriſtum in Euangelio fuerat exhibitum. Neque enim fruſtra Chriſtus diuerſum gradum inſtituit duodecim Apoſtolorum à 70. diſcipulis, & rurſum eorundem 70. diſcipulorum à reliqua turba. Quod ſi Chriſtus tãtum diſcriminis in illo puſillo grege neceſſarium fuiſſe duxerit, quis non aduertit hoc multo magis in toto Chriſtianorũ cœtu, qui mox poſtea ſupra ſtellarũ numerum excreuit, oportuiſſe fieri? Rectiſſime igitur & non abſque ſacri Spiritus inſtinctu ſucceſſiſſe Apoſtolis credendi ſunt hi, quos Epiſcopos & maiores Sacerdotes vocamus, nimirum

Sacerdotum diuerſus gradus neceſſe eſt.

Lucæ 10.

Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis.

quod

quod hi primum in Eccleſia gradum obtineant. Septuaginta vero diſcipulis, illi qui Presbyteri minoreſq; Sacerdotes dicũtur, qui & ſecundi gradus tenene formá. Nam debuit hæc varietas, quæ per Chriſtum inſtituta fuit in Eccleſia perpetuari, ſic vt ſemper eſſent quidam, qui referrẽt Apoſtolos, alij qui ſeptuaginta diſcipulorum formam exprimerent. Nec adeo quiſquam opinor hæreticus eſt, vt neget iſtam graduũ varietatẽ à Chriſto inſtitutam, eandemq; deinceps ab Apoſtolis vſurpatã fuiſſe. Quod ſi fateatur, iam conſequens eſt, vt concedat hos gradus haudquaquã ſingulis de plebe cõgruere, ſed his duntaxat, qui legitime fuerint ad ipſa munera per Eccleſiæ Præſides aſciti, pariter & ordinati.

Sacerdotes diſcipulorum ſucceſſores.

XXI. Quæ vero ſequuntur in Luthero quantum ad hunc impetũ ſpectat, nullius ponderis ſunt, neq; reſponſione digna, de hoc certus eſto Lector, quod nihil contra ſacerdotium afferre Lutherus poteſt, præter argumenta negatiua, quæ nihil penitus apud eruditos efficiunt. Verum quidem eſt quod teſtimonia quædam ex ſcripturis profert, quæ ſonare videntur nihil ſcripturis adiiciendũ eſſe, neq; teſtamento Chriſti quicquam ſuperordinandum. Quæ ſi vera forent iuxta Lutheri mentem, iam non vere dixiſſet Chriſtus: Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo. Nã ſi non ante ſuam aſcenſionem omnia dixit eis, quæ dicenda fuerant, quum palam ſit eum ante mortem teſtamentum ſuum condidiſſe, quis ambigere poteſt alia plurima Chriſtum reliquiſſe ſuperordinanda?

Argumenta negatiua ſũt inualida.

Iohan. 16.

Adde, quod ſi Chriſtus nihil ſuo teſtamento voluiſſet adiici, cur poſtea miſit Spiritum, vt nos in omnem induceret veritatem? Præter hæc cur Paulus non ſemel adiicit de ſuo, dicens: Hæc ego, non Dominus. Cur præter ſcripturas multa tradidit obſeruanda, quemadmodum 2. ad Theſſ. 2. teſtatur dicens: Itaq; fratres ſtate & tenete inſtitutiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. Et 1. ad Corin. 11. de Euchariſtia loquens: Cætera, inquit, quum venero diſponam. At hæc cætera nuſquam ſcripta ſunt. Sed hac de re ſatis copioſe loquûti ſumus alibi, nimirum vbi confutamus Lutheranos articulos nona veritate. Non ſic ergo debent intelligi ſcripturæ, quemadmodum eas inuertit Lutherus, nempe, quod nihil omnino præter ſacras literas admittendum ſit, nec eis quicquam adiiciendum, quũ & per Apoſtolos multa ſint abſq; ſcripturis tradita, multaq; ſaluberrime per eorum ſucceſſores adiecta. Sed ita potius intelligamus nihil eſſe contra ſcripturas recipiendũ, aut quicquã quod cum eis pugnet adiiciẽdum quouis pacto. Vides ergo Lector Lutheri primũ impetum, de quo tãtopere pridem gloriatus eſt, iam humi iacere eneruatum & exoſſatum, roboriſq; penitus omnis expertem. Quare nunc ad ſecundum impetum veniamus.

1. Corin. 7. & alibi Paulus multa addidit teſtamento Chriſti.

Multa abſq; ſcripturis recepta ſunt.

Confutantur rurſus authoritates quibus Lutherus pugnat aduerſus peculiare ſacerdotium, quod ex diuinis ſcripturis aſſeritur.

Pro ſecundo impetu, quem & æque forte Lutherus iactitat. Primo producit Paulum ad Roman. 12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam ſanctam, viuentem, placentem Deo, rationabile obſequium veſtrum. XXII.

Hoc teſtimonio docet quemq; Chriſtianum Sacerdotem eſſe, quemadmodum & rex eſt, non vt alios regat, aut ſacra conferat aliis. At nos de Sacerdotibus contendimus, qui paſcunt, regunt, & ſacra miniſtrant aliis. Quare niſi probet Lutherus, quod quiſq; Chriſtianus ius habet cæteros regendi, aut ſacra conferendi cæteris, nihil facit.

Alterum ex Petro teſtimoniũ profert, nimirũ hoc ipſum, quod ante protulit impetu ſuperiore. Et ipſi tanquã viui lapides ſuperædificamini in ſacerdotium ſanctum offerẽtes hoſtias ſpirituales acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Et hoc item cõceſſimus vnicuiq; Chriſtiano dictum eſſe. Atq; hoc modo quemq; Chriſtianum Sacerdotem eſſe, ſed ſibi, nõ item cæteris, quemadmodum illi ſunt, pro quibus iam eſt controuerſia.

Tertium teſtimonium ex Dauid, quod & triplex facit pro triplici genere ſacrificiorum. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Immola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.

Et hæc, nihil repugnamus, quin pro ſingulorũ ſacrificiis accipiantur, tametſi non deſint qui per iuſtitiæ ſacrificium, ſic intelligãt ſacrificium Euchariſtiæ, quod paulo poſt, frumenti vinique, de quibus hoc ſacrificium à Sacerdotibus cõficitur, facta ſit mentio. Sed ob iſtud minime contendã.

Quartum ex Paulo. Per ipſum ergo offeramus ſacrificium laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Et hoc iam diximus Chriſtianis omnibus eſſe commune.

Quintum ex Oſea: Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorũ. Et hoc pro ſacrificio laudis, quod ſingulorum eſt.

Sextum iterum ex Dauid. Diſrupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Et pro ſacrificij genere ſuperius ex eodẽ Propheta teſtimonium attulit. His teſtimoniis putat Lutherus ſe fortiter impetiiſſe. Sed vides Lector quam incruentus ſit is impetus. Nihilo certe maiorem intulit plagam, quàm telum ab infantulo miſſum. Et tamen ouationem facit, perindeac ſi cunctos hoc fudiſſet impetu.

Hîc iterũ, inquit, vrgebimus & inſultabimus Papiſtis, vt proferant etiam pro ſui ſacerdotij ſacrificio, vnum iota aut apicem è ſcripturis. Agite vos inclyti ſacerdotes Baal, inuocate Deum veſtrum. XXIII.

Papè, quantam audio blaſphemiam! Quiſquis Dei ſacerdotes, ſacerdotes Baal vocat, haud dubie Baal Deum facit.

Lutheri blaſphemia.

Quum igitur cõgreſſu ſuperiori palam oſtendimus, tum ex veteri tum ex nouo teſtamento Apoſtolos & eorum ſucceſſores Dei Sacerdotes eſſe, manifeſte blaſphemus eſſe Lutherus cõuincitur,

tur, qui Sacerdotes Baal illos adeo contumelioſe vocat.

Et pergit tamen adhuc Lutherus etiam illudere Deo. » Inuocate, inquit, Deum veſtrum. Forte » eſt in itinere aut certe dormit. Deus eſt enim, & » audiet. Dicite vbi ſcriptum ſit, miſſas eſſe ſacrifi- » cia? vbi docuit Chriſtus panem & vinum conſe- » cratum offerre Deo?

De miſſis quod ſint ſacrificia pluribus egimus, reſpondendo Lutheri cauillis aduerſus illuſtriſſimum regem, ex quibus (opinor) dilucidum eſt miſſas eſſe ſacrificia. Cæterum vbi Chriſtus panem & vinum conſecratum obtulerit Deo, ſecundo congreſſu ſatis abunde monſtrauimus, vt nihil habeat Lutherus quod illis obgāniat. Et quâquam Apoſtoli ſub hoc nomine mentionem ſacerdotum nuſquam faciant, cuius rei rationem nos antè reddidimus, tamen ſub aliis nominibus ſæpenumero meminerunt. Nam eos hauddubie 1. Pet. 5. Presbyteros vocat, quos & in hunc modū alloquitur, dicens: Paſcite quantum in vobis eſt, gregem Chriſti, curam illius agentes. Quæ verba nullus æquus iudex ad ſingulos dici Chriſtianos intelliget, quum inter Paſtores & gregem apertum ſtatuant omnes diſcrimen.

Sacerdotes ſunt presbyteri.

Hos etiam Paulus Eccleſiæ præſides vocat, ad Hebræos vlt. populum alloquens: Parete his, qui præſunt vobis, & concedite. Siquidem illi vigilāt pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri. Et hîc manifeſte Paulus diſcriminat illos à plebe, conteſtans eos rationem reddituros pro animabus plebis.

Sacerdotes dicuntur præſides.

Sacerdotes à plebe ſecernuntur.

Tit. 1.
1. Timo. 3.

Huiuſmodi presbyteros Paulus Tito mandat, vt oppidatim conſtituat. Et apud Timotheum affirmat duplici honore dignos eſſe, modo bene præfuerint.

1. Corin. 3.
2. Cor. 10.
Matth. 21.

Hos & idē Paulus Dei cooperarios vocat, hoc eſt coædificatores & agricolas. Plebē vero ipſam ædificationem & agricolationem appellat. Sic enim de ſe & ſui ſimilibus dicit: Dei cooperarij ſumus. At quod ad plebem attinet, ſubdit: Dei ædificatio, Dei agricolatio eſtis. Nam illorum officiū eſt ædificare & agricolare plebem. Habent enim poteſtatem (vt alibi teſtatur Paulus) in ædificationem, non in deſtructionē. Et ſunt agricolæ quibus iam Dominus vineam ſuam locauit, de quib. apud Matthæum dicitur: Et vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddēt ei fructum temporibus ſuis. Nec eſt cuiquam ambiguum, quin olim ſacerdotes veteris legis erāt agricolæ vineæ Dominicæ. Quamobrem & agricolæ quibus iam locatur eadem vinea, quid aliud erunt quàm nouę legis ſacerdotes? Iſti proculdubio quum ordinabantur, manuum impoſitione gratiam acceperunt, ſicut olim in ordinatione ſua Timotheus accepit, & ſicut illi, qui per Paulum & Barnabam precantes & ieiunantes, impoſitis manibus ordinabantur. Nam ad cunctos eiuſmodi ſpectant Pauli verba, quum Epheſinos presbyteros in vnū conuenerāt: Attendite, inquit, vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendum Eccleſiā Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ecce presbyterorum horū ordinatio Spiritui ſancto, non hominib. aſcribitur, quādoquidem ait Spiritum ſanctum illos poſuiſſe ad regendum Eccleſiam Dei. In quibus verbis & luculēta ſacerdotum ac plebis innoteſcit differentia.

1. Tim. 4.
Act. 13.
Act. 20.

Ignoſce mihi lector, quod toties hæc inculcē, XXIIII.
quum huc adegit me glorioſa Lutheri iactantia, nimirum vt his toties recenſitis & inculcatis contundam, ſi fieri poteſt impudētiſſimam ipſius arrogantiam, qui tam perfricta fronte nihil diſcriminis inter plebem & ſacerdotes eſſe contendit, quum facta ſit tamē vbiq; pluſquam apertiſſima diſcriminatio. Quis enim vſqueadeo ſtupidus eſt, vt non intelligat aliquid eſſe diſcriminis inter vineam & vineæ cultorem, inter agrum & agricolā, inter ædificium & ædificatorem, inter paſtores & gregem: Inter eos deniq; qui regunt, & alios qui reguntur. Quamobrem quum vbiq; legamus in nouo teſtamento plebem appellari vineas, agros, ædificia, greges, ac ſubditos: cōtrà vero, quos antè diximus inter Chriſtum & plebem ſequeſtros fuiſſe, vocari vinitores, agricolas, ędificatores, paſtores, præſides & rectores: quis non apertiſſimam plebis & presbyterorum cernit differentiā? Quoniam igitur eoſdem clariſſime demonſtrauimus tam ex nouo quàm ex veteri teſtamēto ſacerdotes eſſe, rationes item & ſcripturas quas Lutherus in contrarium attulit, apertè confutauimus, non eſt quod iam à nobis quiſquam exigat amplius, quum abunde ſufficiant ad ſecundum impetum retundendum, iſta quæ iam diximus.

Appellationes plebis & ſacerdotum diuerſæ.

Epilogus.

Confutantur prætenſæ rationes, quibus docendi munus ſingulis Chriſtianis cōmune aſſeritur.

PRo tertio demum impetu, quem contra ſacerdotiū Lutherus iaculatur, nihil eſt neceſſe XXV.
vt diu moremur lectorem, quum in hoc nō aliud conetur Lutherus, quàm vt oſtendat docēdi miniſterium commune eſſe cuiuis de populo. Sed quum hoc ipſum etiā ſub impetu primo, magno conamine molitus ſit, nimirum vt quiſq; Chriſtianus ad doctrinam ſufficeret: noſq; illud conamen ibi repulerimus, iam nihil opus fuerit pluribus ad hunc impetum conterendum. Ad nugàs, ad conuitia, & ad ea quæ nihil ad inſtituti probationem conferunt, non reſpondebimus, tantum ea refellemus, quæ ſpeciem aliquam efficacis argumenti præ ſe ferunt. Sic igitur pro ſuo more Lutherus iactitat.

Intentio authoris.

Primum inuictis ſcripturis firmabimus, legiti- « mum illud & vnicum verbi miniſteriū eſſe com- « mune omnibus Chriſtianis, ſicut & ſacerdotiū & « ſacrificium. Dicit enim Paulus in ſecunda Epiſt. « ad Corinth. 4. cap. Qui idoneos nos fecit mini- « ſtros noui teſtamenti, nō literæ, ſed Spiritus. Hoc « enim de omnibus Chriſtianis dicit, vt omnes fa- « ciat miniſtros Spiritus. Eſt autem miniſter Spiri- « tus, is qui tradit verbum gratiæ, ſicut miniſter li- « teræ qui tradit vocem legis. Hoc Moſi erat, illud « Chriſti eſt. «

Hîc Paulum introducit 2. Corin. 3. ſic dicentē: Qui idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamēti,

non

non literæ, ſed Spiritus. Et hoc contendit ad ſingulos Chriſtianos pertinere, & pro ſingulis fuiſſe dictum. Reſpondemus palam eſſe cuiuis, capitulum illud attentius legenti, non de cunctis id fuiſſe dictum Chriſtianis, ſed Paulum hoc de ſua ipſius perſona fuiſſe loquutum. Quę res perſpicua fiet ex initio capitnli. Sic enim exorditur: Incipimns rurſum noſipſos commẽdare. Num egemus vt nonnnlli, commendatitiis epiſtolis? Epiſtola noſtra vos eſtis inſcripta in cordibus noſtris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, dum declaratis quod eſtis epiſtola Chriſti ſubminiſtrata à nobis, inſcripta nõ atramento, ſed Spiritu Dei viuentis, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis.

Paulus ſe aſſerit idoneũ Euangelij miniſtrum.

Hactenus (opinor) nemo dicet mutatam eſſe perſonam Pauli, ſed hæc de ſuo miniſterio, quod erga Corinthios geſſerat, fuiſſe loquutũ. Et pergit adhuc de eodẽ diſſerere miniſterio. Nam continenter ſequitur: Fiduciam autem habemus per Chriſtum erga Deum, nõ quod idonei ſumus ex nobiſipſis cogitare quicquam, tãquam ex nobiſipſis, ſed omnis idoneitas noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos facit nos miniſtros noui teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus. Et hîc, vt cernis, de Euangelij miniſtratione loquitur, qua cõuertit Corinthios ad fidem. Sed hoc attende quæſo, lector, quanta ſit impudentia Lutheri, qui locũ Pauli tam apertum non erubeſcit inuertere. Quid iam ſperabimus illum feciſſe in obſcurioribus locis, qui ſic detorquet apertiſſimum? Non eſt ergo mutata perſona Pauli, quum idem ipſe Paulus, qui ſuperiora protulit de ſua ipſius perſona, iam ſequentia quoque de ſeipſo pronuntiauit.

Lutherus inuertit Paulũ.

Adde, quod ſequenti cap. ſic ſcribit: Propterea quum miniſterium hoc habeamus, vt noſtri miſertus eſt Deus, haud degeneramus, ſed reiecimus occultamenta dedecoris, non verſantes per aſtutiam, neq; dolo tractãtes verbum Dei, ſed manifeſtatione veritatis commendãtes noſipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei. Quod ſi adhuc velatum eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereunt velatum eſt. Ecce pergit adhuc populus de miniſterio ſuo loqui, quod erat ſibi commiſſum gentium docendarum gratia. Quare tantum abeſt, vt is locus quicquam faciat pro Luthero, vt etiam plurimum aduerſetur ei. Nam vt hic de miniſterio doctrinæ Euãgelicæ ſibi delegato gloriatur, Ita paſſim hoc ipſum in omnibus ferme facit epiſtolis. Habet identidem & in 1. epiſt. cap. 4. ſimilia quædam verba, quũ dicit: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Quæ profecto neutiquã intelligẽda ſunt de ſingulis Corinthiis fuiſſe dicta, ſed de Paulo & Apollo dũtaxat, quẽadmodum inferius aperte Paulus docet, inquiẽs: Hæc autem fratres, per figuram tranſtuli in meipſum & in Apollo, propter vos. Et illos ipſos cap. præcedenti miniſtros Chriſti vocat. Quis, inquit, eſt Paulus? Quis autem Apollo, niſi miniſtri per quos credidiſtis? At huius miniſterij functio non erat ſingulis de populo communis, quemadmodum (opinor) dilucide ſuperius oſtendimus. Falſum eſt igitur, quod Lutherus impudenter affirmat, nempe dixiſſe Paulum illa verba de ſingulis Chriſtianis.

1. Corint. 4.
1. Corint. 3.

XXVI. Item Petrus dicit omnibus Chriſtianis, vt virtutes annũtietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Quis Chriſtianorum non eſt vocatus de tenebris? At huius eſt & ius & poteſtas, imo neceſſitas annunciandi virtutem ſeſe vocantis.

Non opinor his verbis Petrum hoc fuiſſe molitum, vt quiſq; Chriſtianus concionaretur plebi. Nam id paſtorum officium eſſe manifeſte docet ipſe Petrus cap. 5. ſequenti: Presbyteros, inquit, qui inter vos ſunt obſecro, qui ſum & ipſe Preſbyter, paſcite quantum in vobis eſt gregẽ Chriſti, curam illius agentes. Ecce ad Presbyteros ſpectare vult, vt paſcant, hoc eſt, doceant, regant, & curent gregem, non autẽ ad ſingulos de grege. Gregis enim eſt regi, doceri, curari potius. Sed neque cuiquam niſi vocato docendi munus vſurpare licet, quantumuis doctus eruditúſve fuerit. Quod & Lutherus ipſe teſtatur in commentariis ad Galatas, ſi tamen velit agnoſcere ſua verba.

Sacerdotum eſt docere plebem.

Quidam, inquit, niſi doceant, ſtultiſſima conſcientia credunt ſeſe pecuniã domini ſui abſcondere, & reos eſſe damnationis. O bone frater, vno verbo Chriſtus te liberat ab hac querela. Vide Euangelium quod dicit ſic: Vocatis ſeruis tradidit illis bona ſua, vocatis, inquit. Quis autem te vocauit? Expecta vocantem. Interim eſto ſecurus: Imo ſi eſſes ſapientior ipſo Salomone & Daniele, tamen niſi voceris, pluſquam infernum fuge, ne verbum effundas. Si tui eguerit, vocabit te, ſi non vocabit, non te rumpet ſcientia tua. Hæc Lutherus.

Nemo igitur, etiam Lutheri ſententia, ius habet docendi, priuſquam vocetur. Id quod fuſius axiomate ſexto monſtrauimus. Quod ſi doctis & eruditis id nõ liceat, quanto minus indoctis? quales in toto Chriſtiano grege nõ eſt dubium, quin ſint innumeri. Non hortatur itaque Petrus illis verbis vnumquenque Chriſtianum, vt publice doceat Euangeliũ Chriſti, ſed vita potius & conuerſatione Chriſtum annũtiet, quemadmodum & ſubdit continenter: Conuerſationem, inquit, veſtram habere honeſtam inter Gentes, vt in hoc quod obtrectant vobis, quaſi maleficis ex bonis operibus æſtimantes vos, glorificent Deum in die viſitationis. Et iſtud certe eſt annunciare virtutes eius, qui de tenebris eos vocauit in admirabile lumen ſuum. Nihil ergo locus ille Petri Luthero ſuffragatur.

Simplices indocti potius exẽplo quàm verbo docebuntur.

1. Petr. 2.

XXVII. Hoc quidem fieri debere cõcedimus, ne ſimul multi loquantur, etiam ſi omnes eandẽ loquendi poteſtatem habeant. Nam & Paulus erat dux verbi, Act. Apoſt. 14. quo loquente, Barnabas tacebat. Sed nunquid ideo Barnabæ non erat ius & neceſſitas loquendi.

Quanquam Barnabæ fuerat ius & poteſtas docendi, nimirum quod is à Spiritu ſancto ſegregatus in id miniſterij fuerat vnà cum Paulo, nõ tamen

men

men oportet vt ſinguli Chriſtiani, qui nec ita miſſi ſunt, nec docendi gratiam acceperunt, ius habeant & docendi poteſtatem.

Act.13. Oportet inquam iuxta Apoſtolum 1. Cor.14.
„ omnia honeſte & ſecundum ordinem fieri in no-
„ bis. Sed per hoc æqualitas miniſterij nō tollitur,
„ imo confirmatur. Ideo enim neceſſarius eſt ordo
„ loquendi, quod omnes poteſtatē habent loquen
„ di. Si enim vnus tantum haberet poteſtatem lo-
„ quendi, quid de ordine neceſſe eſſet præcipere?

Ordinem loquendi Paulus fieri voluit vbi plures eſſent doctores & prophetæ, quemadmodum in magnis oppidis communiter erant, præſertim Corinthi, quæ fuit Achaiæ metropolis, & emporium totius Aſiæ celeberrimum. At illud neutiquam efficiet, vt ſinguli oppidanorū parem haberent docendi poteſtatem.

XXVIII. Sed videamus eum locum Apoſtoli totū, qui
„ Papiſtica mendacia de iure docendi & maioritate
„ potiſſimis fulminibus conterit, dicit itaque: Siue
„ lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut vt mul
„ tum, tres, aut per patres, & vnus interpretetur.
„ Qui ſi non fuerit inerprtes, taceat in eccleſia, ſibi
„ autem loquatur & Deo. Prophetę autem duo aut
„ tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod ſi alij ſe-
„ dēti reuelatum fuerit, prior taceat. Poteſtis enim
„ omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcāt,
„ & omnes exhortentur. Hæc Paulus.

Is locus fulmen quoddam potiſſimum Luthero videtur, & ex parte credo, quum ipſum prorſus excęcauerit, ne queat cernere veritatem. Nam ſa-
1.Cor.12. tis dilucide ſuperius oſtendit Paulus, non omniū eſſe docere aut prophetare. Num omnes, inquit, Apoſtoli? Num omnes prophetæ? Num omnes doctores? At eſſent profecto ſinguli doctores, ſi ius & poteſtatem haberent docendi. Sed vt donemus hoc Luthero, ius eos habere docendi, palam eſt tamen eos haud aliter id habere, quàm quum indoctus quiſpiam cathedræ præficitur, is vtique docendi ius habet, veruntamē quum ipſe doctrinæ ſit expers, palam eſt eum docere nō poſſe. Tales autem pleriq; fuerant inter ipſos Corinthios.
Corinthij quidam indocti fuerūt. Quam rem & Paulus eiuſdem Epiſtolæ cap. tertio, luculenter aperit, inquiens: Et ego fratres, nō potui loqui vobis vt ſpiritualibus, ſed loquendū fuit, vt carnalibus, vt infantibus in Chriſto, lactis potu vos alui & non cibo. Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem adhuc poteſtis. Ecce quales erāt complures Corinthiorum, vtiq; carnales & infantes in Chriſto, qui necdum fuerant alendi. Et hos tamen Lutherus impudenter contendit alios docere potuiſſe, quum ipſi nondum valuerint percipere quæ docerentur.

XXIX. Vos idola Papæ hic compello, quid cōtra hæc
„ mutire poteſtis? Paulus dicit omnes poſſe pro-
„ phetare, & per ordinem, vnus poſt alium poteſt
„ loqui, adeo vt ſedens & audiens, ſi quid reuelatū
„ ci fuerit, ſurgere poſſit, & prior loquens debet ei
„ cedere & tacere, tum quicunq; ſunt, qui loquun-
„ tur, ſub iudicium audiētium loqui, & eorum au-
„ thoritati ſubdi debent.

1.Cor.12. Paulus de prophetis loquitur & prophetare potentibus, non de cæteris, qui neutiquam prophetandi munus accepiſſent, quales & plurimos in eo populo fuiſſe iam ex eodem Paulo mōſtrauimus. Illos ergo qui prophetæ fuerant & prophetare norunt, Paulus voluit vt per ordinem prophetarent, niſi forte cuipiam eſſet quicquam reuelatum, quod & crebrius illo tempore fieri contigit. In quo caſu voluiſſe videtur Paulus, vt ordine intermiſſo, is à cęteris audiretur, priori qui loquebatur iam tacente. Sed quid hoc ad Romanū *Papa audiret reuelationem narrantem.* pontificem? niſi forte quiſquam in concilio, vbi ipſe pontifex præſens eſt, reuelationem acceperit de negotio quopiam, quod tunc in ipſo concilio forte tractatur. Tum certe nemo negat illum audiri debere ab omnibus, etiam ab ipſo pontifice, & diiudicari, num à Deo reuelatum ſit quod in medium attulerit.

Vbi nunc eſt os tuum impudēs, & bucca blaſ- XXX.
phema pelagi, qui crepaſti immani ſuperbia? Vbi “
eſt maioritas, ibi eſt mandandi authoritas, cæte- “
ros manet obediēdi neceſſitas. Scilicet Satan ipſe “
per os tuum aduerſus Chriſtum in Paulo loquen- “
tem, hanc rabidam vocem euomuit. Chriſtus te “
& tua omnibus ſubiicit authoritate diuina, dans “
omnibus & loquendi & iudicandi poteſtatem, tu “
vero temeritate propria, omnes ſubiicis tibi, & e- “
leuaris ſuper omnes ſolus ſicut Lucifer, arrogans “
ſoli tibi ius loquendi & iudicandi. Igitur omnes “
Chriſtiani ius & officium habēt docendi, vt rum- “
patur Bohœmoth cum vniuerſis ſquamis ſuis. “

Mera conuitia ſunt hæc, nec vlla reſponſione digna. Niſi eſſet in eccleſia mandandi authoritas, nunquam dixiſſet Paulus: Obedite prępoſitis ve- *Hebr.13.* ſtris, & ſubiacete illis. Et rurſum: Qui bene præ- *1.Tim.5.* ſunt presbyteri, duplici honore digni habeātur. Et ad Philip.2. Qui huiuſmodi ſunt, eos in pretio habete. Ad Theſſal. quoque ſic ait: Rogamus vos *1.Theſſ.5.* fratres, vt agnoſcatis eos qui laborant inter vos, & qui præſunt vobis in Domino, & admonent vos, vt habeatis illos in ſummo pretio. Neq; aliud vnquam præcepit Paulus, imo non ſemel de ſua *Superioritas in Papa eſt.* poteſtate, pariter & aliorum obedientia ſermonē facit. Oportet equidem in eccleſia maioritatem eſſe pariter & mandandi authoritatē. Quæ ſi concedatur alicui, maxime omnium conuenit, vt in ſummo collocetur pontifice. At hanc omnibus *Lutherus ambit ſuperioritatem.* adimere ſtudet Lutherus, vt ſolus ipſe regnare videatur. Nā aut ego vehementer fallor, aut ipſe, quod pontifici obiicit, ſibi vni cunctos quærit ſubiiciendos. Et quomodo non id quærit, qui rudis & ignaræ plebis iudicium tot ſanctiſſimorum patrum interpretationib. anteponat? Plus enim apud illum valet iudicium vulgi, nimirum quod hi Lutheranam factionem approbent, quàm tot ſanctiſſimorum patrum vna concorſq; ſententia, quod per eam cuncta Lutheri dogmata penitus explodantur. Quamobrem ſi quis priora conui- *Conuitia in Lutherū retorquentur.* tia regerere velit in Lutherū, tam apte quadrant, vt in neminē alium congruentius. Os impudens, bucca blaſphema, immanis ſuperbiæ crepitus, lingua per Satanam incenſa contra Chriſtū in Paulo loquentem, vomitus rabidæ vocis, temeritas cu-

pientis

pientis omnia ſibi ſubiici, ambitio pluſquam Luciferina, qua ſuper pontificem & patres omnes eleuari ſtudet, arrogantia ſupra modum, qua impudentiſſime fretus, omnium, quantumuis aut eruditione aut ſanctimonia præditorum, iudicia contemnit. Et demum, vt verus Bohœmoth ſycophantiæ ſquamis impenetrabilibus operitur. Sed nos à conuitiis abſtinendum duximus.

XXXI. Conſequens eſt vt illud Chriſti: Qui vos audit
» me audit; nõ maiore fide ad ſuam tyrannidẽ tra-
» xerint, quàm illud prophetæ: Nolite tãgere chri-
» ſtos meos. Propheta enim loquitur de chriſtis
» Dei, dum dicit: Chriſtos meos, id eſt, quos Deus
» vnxit vnctione ſua, & ſanctificauit Spiritu ſan-
» cto. Papiſtæ trahunt ad chriſtos Papæ & Epiſco-
» porũ qui vngũtur oleo iſto corruptibili in ſum-
» mis digitis tantum. O flagitia Papiſtica in diuinas
» voces! Chriſti Dei ſunt omnes ſancti Chriſtiani,
» & Papa facit chriſtos Dei, eos qui lupanaribus &
» ſpeluncis latronum ſeruiunt.

Propheta & ſacerdotes dicũtur chriſti.

Certum eſt Prophetam hîc ad literam de tota gente Iudæorum loqui, in qua quum erant duæ partes: altera Sacerdotum qui fuerant vncti, altera plebis, quę non vngebatur: omnes tamen chriſtos, hoc eſt vnctos, Propheta vocat, propter mutuam inter ſe communionem. Nec tamen ob id eius offenſa, qui vim inferret cuiuis de vulgo, paris culpę fuit apud Deum, atq; ſi ſacerdotem percuſſiſſet. Sic & de Chriſtianis ſimiliter exiſtimandum eſt, de quibus iuxta Spiritum hęc verba ſunt accipienda. Quum ſint inter illos & populus & ſacerdotes, quanquam omnes ſint vncti, & manuum acceperint impoſitionem, tamen quia ſacerdotes bis vngũtur, ac gemina manuum impoſitione cõſecrantur, idcirco nõ eſt dubium quin pro his diſtrictius iuſſerit Deus, ne tangerentur chriſti ſui.

Sacerdotes bis vnguntur.

XXXII. Sic quum omnes Chriſtianos audiri oporteat,
» id eſt, qui Chriſtũ loquuntur, Papa trahit ad ſuos
» Apoſtolos tantum, qui non niſi diabolũ loquun-
» tur, & qui ſpernit diabolum, eius chriſtum ſpre-
» uiſſe iudicandus eſt.

Profecto niſi plane diabolico ſpiritu fuerit inflatus, nemo tam mendaciter Euangelium interpretari poſſit atq; Luther. interpretatur. Nam apertiſſime Lucas hæc verba Chriſtum dixiſſe teſtatur ſeptuaginta diſcipulis, quum hos miſiſſet ad prædicandum. Sic enim ca. 10. ſcribit: Poſt hæc autem deſignauit Dominus Ieſus alios ſeptuaginta, miſitq; illos binos ante faciem ſuam in omnẽ ciuitatem & locum quo erat ipſe venturus, quibus poſt multas inſtructiones ſubdit: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quod ſi cũctis Chriſtianis hæc dicta fuiſſent, oportet & ſuperiora omnia ſimiliter eiſdẽ fuiſſe dicta. Quare & hoc quoq; dictum eſt omnibus: Nolite portare ſacculum neq; peram, neq; calceamenta, & neminem per viam ſalutaueritis; quod eſt perſpicue falſum. Similia tamen verba Matthæus memorat Apoſtolis dicta fuiſſe, quũ & hi mitterentur ad prædicandum. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui miſit me. Sed quum vtrique, hoc eſt, tam Apoſtoli, quàm ſeptuaginta diſcipuli, fuerãt in verbi miniſterium miſſi, quod ad alteros fuerat dictum, poteſt & de alteris non incongruenter intelligi.

Non omnibus dictũ eſt, qui vos audit, me audit.

Matth. 10.

Cæterum, quod ſubinde garrit de Theodidacto, prorſus omni ratione caret. Nam quum Lutherus quẽlibet è plebe Theodidactum eſſe contendit, conſequẽs eſt, vt is nemini parere debeat, neq; quiſquam huic aliquid imperare. Stulti igitur Theſſalonicenſes erant, qui præceptis obtemperabant Pauli, quemadmodum & ipſe teſtatur, inquiens: Confidimus autem per Dominum de vobis, quod quæ præcepimus vobis, & faciatis & facturi ſitis.

Cauilli confutatio.

2. Theſſ. 3.

Stulti Philippenſes, ad quos ait: Semper obediſtis, non tanquam in præſentia mea, ſed nunc multo magis in abſentia mea. Stulti Corinthij, de quibus & dicit: Collaudo vos fratres, quod omnia mea memoria tenetis, & quemadmodum tradidi vobis inſtituta tenetis. Fruſtra Titum iubet idem Paulus vt admoneat Chriſtianos, quatenus principatibus ac poteſtatib. ſubditi ſint, & magiſtratibus pareant. Fruſtra denique mandarunt Apoſtoli qui Hieroſolymis erant, cæteris Chriſtianis, qui tum abfuerant, vt abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, de quibus Chriſtus nihil tradidit. Verum optime nouit Lutherus, non omnes Lutheranos eſſe doctos à Deo, ſed tãtum hoc molitur, vt ipſe præ cæteris peculiariter à Deo doctus videatur, ac proinde nemini ſubditus, ſed ſuperior cunctis habeatur, atque omnium ſummus.

Philip. 2.

1. Corin. 11.

Tit. 3.

Act. 15.

Poſt hæc obiicit ſibi de mulieribus quod vetitum ſit docere. Quamobrẽ nec videri poſſe verbi miniſterium eis eſſe cõmune cum cæteris, quod tamen ipſe cõmune ſingulis Chriſtianis eſſe contẽdit. Pluribus itaq; probare nititur, quod liceat mulieribus docere, quodq; ius docendi commune ſit eis cum viris, tametſi propter impedimenta quædam ſuum ius ſupponãt aliis. Quod ſi quis dicat: Qua ratione, ſi mulieres eiuſmodi ius habeant, Paulus hoc ab eis tollere poſſit? Luthe. hîc ſuis fucis hunc locũ oblinit, vt non videatur Paulus illis ademiſſe ius docendi ſimpliciter, ſed illic (vt ait) vbi ſunt viri potentes loqui, vt ne cõfundatur honeſtas & ordo. XXXIII.

Proh Deum immortalem, quam nihil pudet Lutherum ſcripturas omnes temerare, & ad ſuã torquere libidinem! Si quis expendat verba Pauli, intelliget plane, Deum potius quàm Paulum hanc mulierib. autoritatem vetuiſſe. Nam haud multo poſt præſcribit Corinthiis, hoc nõ hominis, ſed Dei præceptum eſſe. Sed Paulũ audiamus: Mulieres, inquit, veſtræ in Eccleſiis ſileant, nec enim permiſſum eſt eis vt loquantur, quemadmodum & lex dicit: Quod ſi quid diſcere volunt, domi ſuos viros interrogent. Nam turpe eſt mulieribus in cœtum loqui. An à vobis ſermo Dei perfectus eſt? An in vos ſolos incidit? Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo vobis, quod Domini ſint præcepta. Ecce, Lector, Paulus hîc mulieribus primum indicit ſilẽtium, idque non tam ſuo quàm legis imperio factũ eſſe monſtrat.

1. Corin. 14.

Mulieres vetãtur docere.

monſtrat. Nõ eſt permiſſum, inquit, eis vt loquãtur, ſed vt ſubditæ ſint, qnemadmodũ & lex dicit, hoc eſt, lex nõ permittit eas in Eccleſiis loqni. Sic enim ca. 3. Geneſ. mulieri diait Deus: Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi. Quod ſi quis forte roget, num licebit illis, qnum de re quauis ambigant, ſciſcitari quoſpiam? Reſpondet Paulus: Si quid mulieres diſcere volũt, domi ſuos viros interrogent. Vides ergo Lector tantum abeſſe, vt eas docere ſinat Paulus, vt etiã de rebus neceſſariis non patiatur eas in Eeeleſiis quenquam percontari. Quin & adiicit, turpe eſſe mulierib. in cœtum loqui. Quod ſi forſan huic admonitioni Corinthij nollent acquieſcere, ſed morem hactenus ab eis aſſuetum ſequi, tamen quia nec ipſi primi nec ſoli ſint qui Chriſti religionem amplectnntur, oſtendit illos aliarum Eccleſiarum ritibus ſeſe conformare debere, & maxime quod Dei præceptum ſit, quod iam eis tradidit obſeruandum. Quis itaq; non planè cernit mulieribus ademptum eſſe ius docendi publice, quum & eis loquendi ius præcepto Dei penitus in Eccleſiis auferatur?

Non ſinuntur mulieres in Eccleſia loqui.

XXXIIII. Et tamẽ adhuc mordicus inſiſtit Lutherus, vt liceat mulierib. prophetare & docere, pro qua re nonnulla producit teſtimonia. Sed aduertẽdum quod prophetare variis modis accipitur. Nonnunquam idem eſt quod per eauberantiam Spiritus magnificare Deum; hoc modo propbetare dicebantur hi, quibus baptiſmo ſuſcepto manus impoſuit Paulus, quemadmodum in Actib. cap. 19. traditnr. Tunc enim cõmuniter omnes ad dilapſum Spiritus linguis loquebantur & prophetabãt, hoc eſt, magniſica Dei loquuti ſunt, quemadmodum & Act. 2. decimoq; ſcribitur apertius. Alius prophetandi modus eſt vaticinari de futuris, & ad bunc modũ legitur Agabus prophetaſſe 11. & 21. Act. Tertius prophetandi modus, eſt ſcripturas & linguas interpretari, quomodo crebrius apud Paulum vſurpatur. Iam ex his facile patebit nihil prodeſſe Luthero teſtimonia quæ protulit. Et primo Ioelis teſtimonium, quod producit ſic dicentis: Et propbetabunt filiæ veſtrę. Petrus docet impletum fuiſſe, quando Spiritus ſanctus viſibiliter deſcendit in Apoſtolos & cæteros, qui tũ credentes aderãt in die Pentecoſtes. Sic enim ſeribitur cap. 2. boc eſt qnod dictum eſt per Propbetam Ioel: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Deus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Et propbetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ. Sed ita prophetare non erat aliud quàm Dei magnifica loqui, qnemadmodũ iam diximus. Verum iſtud prophetandi genus aliud eſt ab officio docendi publice.

Prophetare multifariam accipitur. *Primo.* *Secundo.* *Tertio.* *Ioel. 2.* *Act. 2.* *Ioel. 2.*

Act. 2. *Exo. 15.* Quod ſubinde recenſet de quatuor filiab. Philippi, Mariaq; ſorore Moyſi, Olda quoque & Debora, nihil contra nos facit, quum nulla iſtarum pnblico docendi munere fungebatur, ſed vel de rebus futuris vaticinabantur, vel priuatim quoſdam admonebant.

Luca 1. Cæterum, virgo beatiſſima, quæ Dominũ Ieſum nobis peperit, quid mirum, ſi peculiari priuilegio totam Eccleſiam adhuc ſuo Cantico doceat. Quid mirum, ſi verbi mater verbum ipſum cunctis annunciet? Ingẽtem præ cæteris hæc ſingularis & eximia virgo meretur prærogatinam, quæ ſola inter cęteras Deũ enixa eſt. Quare quod huic vni peculiariter donatum eſt, non debet ad cæteras argumento trahi. Væ miſeris illis qui virginis huius glorioſæ præcellentiam, vel pilo minuere ſtudent, quod tamen à Lutheranis audio ſactitatum. Propter quod bauddubie manet eos vltio diuina, niſi maturius reſipiſcant: vtcunque fuerit, vel de hac beatiſſima vel de cæteris, priuilegia paucorum (vti Hieronymus ait) non faciũt legem communem.

Mariã ſup. omnes pri. legiata. *Puniuntur Mariæ laudis minuentes.*

Quod poſtremo ſubiicit ex Paulo, falſiſſimum eſt. Nuſquã docet Paulus mulierem debere prophetare velato capite. Sie enim poſſit & velato capite docere, quod tamen omnino Paulus in cœtũ fieri vetuit. Hoc tamen dixit, qnod omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, dehoneſtat caput ſuum. Sed boc lõge diuerſum eſt ab illo. Neq; enim ea hoc infertur, quod liceat ei prophetare. Stat ergo verbum Pauli, qui nec ſibi nec ſcripturis contrarius eſt. Vetat omnino mulieribus, ne quid in Eccleſia viris loquantur: idque dicit lege præſcriptum eis eſſe, & præcepto Dei. Quamobrem & ius publiee docẽdi viros, mulieribus penitus ademptum eſt. Ea quo & liquet docendi miniſterium non eſſe Chriſtianis omnibus commune. Sed iam concludentem Lutherũ aduertamus. XXXV.

1. Corin. 11. *1. Corint. 14.*

Concludimus ergo his robuſtiſſimis ſcripturis confirmati, vnum eſſe duntaxat, idq; commune omnibus Chriſtianis in Eccleſia miniſteriũ verbi, quod omnes loqui & iudicare poſſunt, & omnes audire tenentur. Et quum ſcriptura aliud miniſterium ignoret, quærimus ab idolis Papiſticis, vnde habeãt ſuum miniſterium illud incommunicabile omnibus. Agite, producite viri Papenſes, oſtendite vnum iota ſcripturæ de miniſterio veſtro. Hactenus ille. XXXVI.

Intelligis (opinor) iam optime lector, quàm ea nihilo ſic attollit ſuas criſtas Lutherus. Abundè liquet ea ſuperioribus miniſterium paſtorum & præſidum, non eſſe Chriſtianis omnibus commune. Sed adhuc non grauabimur aliud irreuincibile teſtimonium adferre, quo fiat perſpicuum, neutiquam conuenire mulieribus miniſterium iſtud.

Docendi munus non competit mulieribus.

Conſtat vtique multas & egregias fœminas Dominum Ieſum ſequutas fuiſſe, quæ etiam poſt aſcenſionem eius ſanctę inter Apoſtolos conuerſabantur. Hæ Chriſti concionibus & publicis & priuatis interfuerunt, perſpeaerũt miracula, ſanctiſſimam eius vitæ conſuetndinem contemplabantur. Et tamen quum aſciſcendus erat alius in miniſterium Iudæ, mulieres ipſas, quæ fuerant alioqui præſtãtiſſimæ, Petrus excluſit penitus. Sic enim in Actis capite primo traditur: Oportet, inquit, ex bis viris, qui nobiſcum verſati ſunt, toto tempore qno Dominus perpetuam vitæ conſuetudinem egit nobiſcum, &c. Manifeſtũ igitur eſt,

Luc. 8. 23. 24

non

non potuiſſe fœminá ad illins miniſterij ſortem aſſumi, quandoqnidem ex viris hunc oportuiſſe delectum fieri, Petrus tam aperte doceat.

Cernis ergo lector, quam nihil profecerit hoc impetu Lutherus, quũ nondum oſtenderit verbi miniſterium ſingulis ex æquo conuenire Chriſtianis, ſed neq; vnquam poterit. Quoniã ſi, quod Lutherus conatur, nullũ eſſet in Eccleſia miniſterium, quod nõ in ſingulos tá viros quàm mulieres ex pari cõpeteret, nõ exemiſſet Petrus mulieres in cooptatione Matthiæ, neq; Paulus eaſdem in Eccleſiis loqui toties vetuiſſet. Sed hac arte muliercularum gratiam conciliare ſibi ſtuduit.

1. Pet. 5. Adde, quod Petrus non ſolos eos qui presbyteri conſtituti fuiſſent, admonuiſſet vt gregé paſcerent, ſed indiſcriminatim id Chriſtianos omnes in communi fuiſſet adhortatus. Paulus etiam qunm & ipſe Mileti presbyteros ab Epheſo con-
Act. 20. uocaſſet, non dixiſſet eis peculiariter: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, ad regendum Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Si Spiritus ſanctus presbyteris commiſerit Eccleſiam regẽdam, palam eſt & eos miniſteriũ quoddam habere, quod non eſt gregi cum eis commune. Neq; vnquam Spiritus inter illos & gregem feciſſet diſcrimẽ, ſi non aliqno miniſterio fungerentur in gregem, quo gregi viciſſim in illos fungi non liceret.

Adiiciamus & iſtud, quod quum illius temporis presbyteri, quanquam per homines manibus impoſitis ordinarentur, fuiſſent nihilominus à Spiritu ſancto conſtituti, quemadmodum & Pau-
Act. 20. lus hîc aſſeuerat, ob regendam Eccleſiam, non eſt dubium, qnin ea, quæ concorditer Eccleſiis illi tradiderũt, à Spiritu ſancto fuerint profecta. Neque enim credibile eſt tã celeriter poſt ipſius Spiritus dilapſum, vllũ dogma peruerſum ab omnibus eccleſiis fuiſſe receptum.

XXXVII. *Quandiu mã ſerit Eccleſia incontaminata.* Teſtatur equidem Egeſippus, Aniceti temporibus, quem à Petro numerat vndecimũ, Eccleſiam permanſiſſe virginẽ. Cuius verba ſi quis forte deſideret, ſubiungam: Vſq; ad illa tẽpora, inquit, virgo munda & immaculata permanſit Eccleſia, corruptoribus veritatis & diuini verbi temeratoribus, aut nuſquam omnino extantibus, aut etiam, ſi qui forte fuerant, in occultis & abditis hiatibns terræ deliteſcentibus. Ecce lector nondum penetrauit in Eccleſiam publicus quiſpiam veritatis corruptor, & diuini verbi temerator.

Simile quiddam & Irenæus, qui Polycarpum Ioannis Apoſtoli diſcipulum audiuit, de Sotheris Aniceti ſucceſſoris tempore ſcribit: Aniceto, inqnit, ſucceſſit Sother, qui nnnc duodecimo loco ab Apoſtolis epiſcopatus ſortem obtinet, & eaſdẽ quas Apoſtoli tradiderunt prædicationes diuinæ fidei, integras illibataſque cuſtodit. At quorſum iſta? Nimirum vt intelligamus illud ſyncerũ incorruptumq; fuiſſe dogma, quod ab eius temporis ſcriptorib. vnanimiter fuiſſet traditum. Quũ igitur orthodoxi cuncti, qui temporibus ipſis quicquam ſcripſerant, palam teſtentur presbyteros vere fuiſſe ſacerdotes, miniſteriumque peculiare ſuper gregem habuiſſe, quis dubitabit quin iſtud ſolidum & veraciſſimum dogma ſit? Sed age iam iſtud oſtendamus. *Presbyteri habuerunt miniſteriũ ſingulare.*

XXXVIII. Complures vtiq; ſcriptores, tum Græcos, tnm Latinos recenſuimus, nunc ſolum põtifices memorabimus qui Petro ſucceſſerunt. De Clemẽte ſupradiximus. Succeſſit autem huic Anacletus, in cuius decretis ita traditur: Porro & Hieroſolymitarum primus Archiepiſcopus B. Iacobus, qui iuſtus dicebatur, & ſecundum carnem, Domini nnncupatus eſt frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet dantibus formam eorum, vt minus quam à tribus Epiſcopis, reliquis omnibus aſſenſum præbentibus, nullatenus Epiſcopus ordinetur, & cõmuni voto ordinatio celebretur. Reliqui vero ſacerdotes à proprio ordinentur Epiſcopo, ita vt ciues & alij ſacerdotes aſſenſum præbeant, & ieiunantes ordinationẽ celebrent. Similiter & diaconi ordinentur. Cæterorum autẽ graduum diſtributio, trium veracium teſtium, Epiſcopi ſcilicet probatione ſufficere poteſt. Et rurſum in eiſdem: Sacerdotum fratres, ordo bipartitus eſt. Et ſicut Dominus illũ conſtituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à Domino Apoſtolos eſſe electos & conſtitutos, & poſtea per diuerſas prouincias ad prædicandum diſperſos. Quum vero meſſis cœpiſſet creſcere, videns paucos eſſe operarios, ad eorum adiumentum ſeptuaginta eligi præcepit diſcipulos. Epiſcopi vero duodecim Apoſtolorum, Presbyteri quoq; ſeptuaginta diſcipulorum locum tenent. Hæc Anacletus. *Iacobus iuſtus, Archiepiſcopus Hier.* *Epiſcoporum ordinatio.*

Poſt hunc ſucceſſit Euariſtus, in cuius decretis ita legitur: Vnum nos fratres ſentire oportet, & agere, vt, ſicut legimus, in nobis vnum cor & anima vna eſſe probetur. Scimus namq;, ſicut & à patribus accepimus, Chriſtum eſſe caput, cuius & membra ſumus, & ideo vnum patrem habemus Dominum in cœlis. Sacerdotes vero vice Chriſti legatione funguntur in Eccleſia.

Poſt hnnc Alexãder electus fuit, qui ſimiliter in ſuis decretis, poſtquam vetuerat ſacerdotes à clericis iniuſte accuſari, tãdem ſubdit: Peius malnm forte non æſtimo, quàm Chriſtianos ſuis inuidere ſacerdotibus.

Sixtus inſuper Alexandri ſucceſſor in ſuis decretis ita ſcribit: Cognoſcat veſtra ſapientia fratres chariſſimi, quia in hac ſancta Apoſtolica ſede à nobis & reliquis Epiſcopis, cæteriſque Domini ſacerdotibus ſtatutnm eſt, vt ſacra vaſa non ab aliis, quàm à ſacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibns.

Teleſphorus itidem ſucceſſor Sixti, de ſacerdotibus & Epiſcopis loquens in decretis ſuis ait: Ipſi autem qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus ſunt obediendi, & timẽdi, & non dilacerandi, aut detrahendi: quia à quibus ſe Domini populus benedici, ſaluari, & inſtrui cupit, nullatenus eos debet arguere, nec vulgus in eorum accuſationem ſuſcipi. Populus enim ab eis docendus eſt & corripiendus, non ipſi ab eo, quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.

Nullo ergo modo domini pōtifices & reliqui ſacerdotes, quibus domini commiſſa eſt plebs, rite populnm poſſunt corrigere, ſi deceptionis ſe cognouerint laqueo infeſtari. Vnde iuſtum eſt omnes in vniuerſo orbe doctores legis, ea quæ legis ſunt ſapere, & non ſacerdotes Domini labiis ſuis, aut quibuſlibet macbinationib. maculare. Dum enim ipſos diſponunt aut cupiunt maculare, potius ſeipſos maculant & vulnerant. Dei ergo ordinationem accuſat qua cōſtituuntur, qui ſacerdotes accuſat vel damnari cupit. Eginus vero, qui Teleſphoro ſucceſſit, nullam de ſacerdotibus ſub hoc nomine mentionem facit in decretis, quæ communiter canonib. Apoſtolorum annectuntur.

Sed neq; Pius qui ſncceſſit illi, quanquam Ibo Carnotenſis Epiſcopus, vir mire diligēs, in quinta parte collectionum ſuarum, ſic recenſet Pium ipſum tradidiſſe: Sicut qui Eccleſiam Dei vaſtat, eiuſque prædia & donaria expoliat & inuadit, fit ſacrilegus: ſic & ille qui eius ſacerdotes inſequitur, ſacrilegij reus exiſtit, & ſacrilegus iudicatur. Sed quid multis opus eſt?

XXXIX. Hos omnes conſtat ante Sotherem & Anicetum vrbis Romanæ fuiſſe Epiſcopos, & bæc de ſacerdotibus quæ iam recenſuimus aperte tradidiſſe. Quare quum Egeſippi pariter & Irenæi teſtimoniis, vt oſtendimus, patet Eccleſiam ad Sotheris & Aniceti tempora permanſiſſe virginem, incorruptam, & inuiolatam, non quod vnquam violari poſſit, ſed qnod nōdum quiſquam in eam irrepſerit hæreſiarcha, qui publice conatus fuiſſet eam contaminare: manifeſtum eſt identidē & miniſteriū ipſum, quod ſacerdotū proprium eſt, non tum fuiſſe plebi commune. Id quod iuſtiſſima ratione diuinitus ordinatum eſt. Plebs enim formam gregis tenet, cui regēdo, ſacerdotes velut paſtores præficiuntur. Propter quod & Chriſtus Petro iā tertio dixit: Paſce oues meas. Et profecto quemadmodum oues, vbi paſtores abfuerint, pluribus malis afficiuntur. Quædam enim aberrāt & diſperguntur à reliquo grege, quædam in morbos incidunt: quibus niſi medela protinus adhibeatur, euadunt incurabiles. Aliæ à lupis atque cęteris id genus crudelibus feris deuorantur.

Ioan. 21.

Nonnullę qnod non ſtatis ad aquas & paſcua ducantur temporibus, ſiti fameq; ſæpius intermoriuntur. Sic nimirum & populus (niſi maxima ſolicitudine paſtores euigilent) quidam in morbos animi dilabuntur, & in omne ſcelus ruunt, quidā per hæreticos & ſciſmaticos deperiuntur & laniantur miſere. Multi fame ſitique pereunt ob diuini verbi penuriam. Innumeri deniq; per inuia diſcurrunt, & à recto tramite longius diuagātur,

Prouer. 11.

vt qnemadmodū in Prouerbiis Salomon ait: Vbi non eſt gubernator, diſſipabitur populus. Iſta niſi qnotidie fieri noſtris oculis conſpicaremur, auderet forte quiſquam impudētior ea penitus inficiari. At compertiſſimum habemus, vbi ſacerdotes gregem ſibi commiſſum paſcūt verbo, pariter & exemplo, popnlus à multis errotibus cohibetur. Et cōtra, quum ſacerdotes officia ſua negligentius agunt, populus in malorum omnium barathrum præeeps corruit.

Sacerdotum negligētia plurimum obeſt.

Eapropter banddubie Chriſtus, quum puſillum admodum baberet gregem, dnodecim Apoſtolos inſtituit, quibus & ſeptuaginta diſcipulos adiecit, vtriſq; mandans, vt docerent plebem. *Matth. 10.* Petro tamen (quem ſuo gregi primarium reliquit paſtorem) id officij peculiarius iniunxit, nimirum, vt ſi ſe amaret, gregem ſuum ſtudioſe paſceret. *Ioan. 21.* Præter hæc, & Apoſtolis ſiue per Chriſtum, ſeu Chriſti ſpiritum facta eſt poteſtas, vt illi pro ſuo iudicio presbyteros conſecrarent, conſecratoſque præficerent Eccleſiis. Neque defuit ſponſio futuræ gratiæ, quoties illi cuipiam ad bunc finem, ſuas eſſent impoſituri manus.

XL. Iam (opinor) intelligis Lector, & neutiquam obſcure, totam Lutheri iactantiam, quam aduerſus ſacrum ſacerdotium euomuit, prorſus in nihilum euanuiſſe. *Epilogus.* Vbi nunc eſt quod tam arroganter affirmarat, nullnm eſſe viſibile ſacerdotium, niſi quod humanis mendaciis eſſet per ſatanam erectum? Iam enim abunde cōſtitit ſacerdotium aliquod eſſe quod non cunctis Chriſtianis commune ſit, idemq; diuinitus fuiſſe inſtitutum. Et ſane ſi de vocabulo ſacerdotij nuſquam extaret ſermo, tamen qnod de re ſacetdotij, boc eſt, de Presbyteratu, in ſcripturis tam copioſe traditum ſit, nimis quàm ſtolidum fuerit ipſum inceſſere velle. Cęterum quod tam res quàm nomenclatura ſacerdotij palam ex ipſis ſcripturis afferatur, tantuſq; buic negotio priſcorum numerus vnanimiter aſtipuletur, nec ſit quiſquam, ant ex recentioribus, aut ex veteribus illis orthodoxis qui diſſideat, ſed nec vlla queat adduci aut ratio aut ſcriptura qua poſſit inferri contrarium, quid inſanius aut impudentius cogitari poterit, quàm huic tam clariſſimæ veritati tenebras vllas iniicere conari? *Corollarium.* Quoniā igitur hactenus firmatum eſt ſacerdotium, quo ſtabilito non poſſunt nō conſequi cætera quæ de ſacrificio miſſæ tradita ſunt à patribus, nihil opus fuerit bîc reliqua conuellere, quæ Lutherus contra miſſæ ſacrificium non minus ſtolide quàm impie deblaterauit. Nam alibi fuſius ea res à nobis tractatur, nimirum in Apologia qua Lutheri cauillos in libellum illuſtriſſimi pariter & doctiſſimi regis exploſimus. Quamobrem & huius diſceptationis hic iam finis eſto.

F I N I S.

IOAN-

IOANNIS ROFFENSIS CONVVLSIO CALVMNIARVM VLRICHI VELENI MINHONIENSIS, QVIBVS PETRVM NVNquam Romæ fuiſſe cauillatur.

IOAN. ROFFEN. ÆQVO LECTORI.

POſt aliquot menſes quam Lutheranis articulis euertendis operãm impenderimus, commodatus nobis fuit, per egregium virum dominum Tunſtallum, nunc ſuis meritis Londonienſem Electum, non minori vitæ probitate quam eruditione conſpicuum, libellus cuiuſdam Vlrichi Veleni, ſic enim ſeſe nominat, quo nullum vnquam legerim impudentiorem. Nimirum quod reclamantibus omnib. autoribus, inuerecunda fronte contendit, Apoſtolum Petrum nunquam Romæ fuiſſe. Id quod ſi iuſtis rationibus ſtatuere poſſet, eneruatum eſſet pro magna parte quicquid nos de primatu ſummi Pontificis aduerſus Lutherum iampridem diſſeruimus. Quanquam igitur erat nobis moleſtiſſimum, quod belli nunc inſtantis occaſione, tamdiu libellus noſter à prælo dilatus eſſet, lætabamur tamen haud mediocriter, quod non prius è manibus exiiſſet noſtris, quam erroris huius conuellendi data fuiſſet occaſio, ne ſi forſan in eorum, qui lecturi ſint, animis radicem is error aliquam prius egiſſet, minor ob id noſtris collectionibus fides adhiberetur. Enitemur igitur pro virili noſtra, quam breuiſſime poterimus, hunc errorem conuellere, quem ille pluribus & immodicis calumniis firmare totis viribus eſt molitus. Nec dubitamus, quin maximis & clariſſimis autoribus apertiſſime conſtabit, Petrum diu ſediſſe Romæ, quos & inferius in medium afferemus. Neque mireris lector, quum res hæc adeo manifeſta fuerit, quod quiſquam tam impudens repertus ſit, qui tam audaciſſime tueri contrarium nihil erubeſcit. Nam tanta iam eſt Lutheranorum inſania malitiaq́, vt nihil vſque adeo veritatis eſt expers, quod illi non auſint aſſerere, modo poteſtati Rom. Pontif. aduerſetur, nimirum vt ita ſuis hæreſibus aliquem obducere fucum queant. Sed recte Paulus ad Timotheum prædixit, eorum amentiam tandem omnibus fore notam. Et profecto vix vlla re poteſt fieri notior, quàm quum id ſtatuere moliantur, quod aduerſus omnes quotquot hactenus ſcripſerint, ſiue Græcos, ſiue Latinos, ſacroſve aut prophanos apertiſſime pugnat. Vt vtique verear ne propediem exurgat alius, qui neget etiam Chriſtum fuiſſe paſſum, quod cur dixerim, inferius apparebit. Cæterum eius calumnia iam à nobis refellentur, quæ certe nihil aliud quam mera ſophiſmata ſunt, quod & æquo lectori cuiuis perſpicuum facere, nihil dubitamus.

AVTORVM CATALOGVS, QVORVM TEſtimoniis in hoc libello vtitur, præter ſacras literas & rationes quas adducit.

Origenes.	Appollinarius.	Irenæus.	Oroſius.
Chryſoſtomus.	Philo.	Victorinus.	Eutropius.
Cyrillus.	Athanaſius.	Leo.	Ægeſippus.
Dionyſius.	Tertullianus.	Annius.	Ioſephus.
Ignatius.	Cyprianus.	Lyranus.	Platina.
Theophilus.	Hilarius.	Burgenſis.	Sabellicus.
Niceta.	Lactantius.	Linus.	Rogerus.
Hyppolitus.	Hieronymus.	Clemens.	Volateranus.
Euſebius.	Ambroſius.	Affricanus.	Ioannes Baptiſta.
Papias Hierapolitanus.	Auguſtinus.	Beda.	

LIBELLI CONVEL-LENDI TITVLVS.

IN hoc libello grauiſſimis, certiſſimiſq́; in ſacra ſcriptura fundatis rationibus varijs probatur, Apoſtolum Petrum Romam non veniſſe, neq; illic paſſum, proinde ſatis friuole & temere Romanus Pontifex ſe Petri ſucceſſorem iactat & nominat, &c.

Verba Vele. *Liber hic duas habet particulas, quarum prior decem & octo comprehendit perſuaſiones, quod Petrus nũquam poſt Chriſti paſſionem Romæ fuerit, & quod Hieroſolymis & non Romæ paſſus ſit.*

Altera particula ſeptem habet cauillos, quibus Romana Curia illis perſuaſionibus occurrere conſueuit, quibus tamen viciſſim ſeptem correſpõdent reſponſiones, eos non aliter atq; rudera quædam diſſipantes.

PERSVASIO I.

QVum diligentiſſime euoluerim quotquot ad manum fuerant hiſtoricorũ, ac Theologorum, eoſq́; non infimæ conditionis libros, de aduentu Petri Romam, de paſſione & authore mortis ipſius, nihil aliud, quàm meras cõtrouerſias illic reperire potui, cùm nemini fere cum altero ſatis conueniat, ſed quilibet ſuum profeeat iudicium, vel hoc ſolo ſuſpectũ, quod à cæteris diſſentiat omnibus. Et vt paucos commemorem è multis. Quidã in exordio imperij Claudij Petrum Romã veniſſe contendunt, quorum è numero eſt Oroſius hiſtoricus non triuialis. Quidam anno Claudij ſecũdo, & illi ſunt Hieronymus, & qui ſua innituntur authoritati. Quidam anno eiuſdẽ imperij quarto; atq; eſt liber ille, qui temporum hiſtorias ceu faſciculo quodam comprehendit. Præterea ab his omnibus diſſentit liber ille, qui ſanctorum vitas enarrat, & cõmuniter paſſionale nominatur. Is enim anno poſt paſſionem Chriſti, Petrum Romam applicuiſſe teſtatur, qui quidem annus tredecimus fuiſſet imperij Claudij. Similiter qui annos mundi, & annos ab vrbe condita recenſent, vſq; ad aduentum Petri Romam, vel eius paſſionem, quam mutuo pugnent, nemini obſcurum eſt, qui modo Enneades Antonij Sabellici, hiſtoriã Põtificum Platinæ, ipſumq́; Oroſium viderit. Quæ quidẽ diuerſitas, & ſi nil aliud eſſet teſtimonio, ſuſpectum tamen Petri Romã aduentum redderet, & falſam hanc probaret coniecturam, quod Petrus vnquam Romæ fuiſſet. Quæ tamẽ adeo inualuit, vt tot ſeculis, qui ei reclamare auſus fuiſſet, habuerit adhuc neminem. Et parum abfuit, ne Romanenſium aulicorum tyrannis in fidei articulos eam retulerit: vt quod nulla ratione probari poteſt, ſola neceſſitate credi videatur. Accedit ad hæc, licet neuter hiſtoricorum cum altero ſentiat, tamen aduerſus legem Chriſti, quaſi ex compoſito omnes decertant, vt vel hoc vnum vanas eorũ fabulas ac deliramenta prodat quod cum Paulo Apoſtolorum omnium in ſcribendo locupletiſſimo, cum Luca Euãgeliſta ſimul & Apoſtolicarum actionum hiſtoriographo, inexcuſabiliter contendãt, vt inferius liquido probabitur. Si nulla eſt ſacra ſcriptura adſtipulatio, qua id cõfirmari poſſit, & tam remota hiſtoria adeo confuſa eſt, & fallax, non ſtulte Petrum nunquam Chriſti poſt paſſionem Romæ fuiſſe creditur. Alioqui ſi illic eum aliquando fuiſſe verum eſſet, vero omnia, dicente philoſopho, cõſonarent. At diſſonante legẽ, diſſidentib. mutuo hiſtoricis, quis niſi emotæ mentis verũ hoc aliquando putauerit. Quanta ſit enim in tam vetuſtiſſimis rebus, tam remota hiſtoria fides, argumento eſt Barptolemæus ille Platina, qui Rom. Pontif. res geſtas deſcribens, ac multo etiam poſteriora illis tempora tractãs, ſæpius conqueritur variationem in hiſtoria, maiorũ neglectum, temporum perturbationem, quibus diſtrictus, nihil interdũ affirmare audet. Nempe, ſi Petrus Romanorum fuerat epiſcopus, dicãt quem ſibi ſucceſſorem nominauerit? & quis in locũ ipſius fuiſſet ſuffectus? Si Linum dixerint, Latinorũ turba obiter reclamabit, quæve id probet, diem dicet, imo & Græcorum plurimi in hac cauſa Latinos non deſtituent, Chryſoſtomo in ſecundam ad Timotheum epiſtolam dicente: Hunc Linum, aiunt quidam, ſecundum poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ epiſcopum fuiſſe. Donatus vero Tarentianus interpres inquit: Lacunoſa [illegible] patur de re incerta, quam nos dubiam eſſe falſam. Sin autem Clementi hic honor dabitur, quod multis placet, plures adhuc erunt, qui id improbent, & hanc gloriam erga Linum reponant, Clementem non primo nec ſecundo; ſed tertio gradu primum, poſt Petrum ſtatuentes. Deinde Piumne Anicetum, vel Anicetus Pium præceſſerit? Vrbanus ſub Diocletianone, vel ſub Aurelio Antonio degerit? Cornelius ſub Gallo, an ſub Voluſiano, vel ſorte Decio paſſus ſit? hiſtoria variat, nec aliquid certi de his rebus definiri poteſt. Nec mirum, ſi & multo his poſteriora tempora eorumq́; geſta adeo ſunt hiſtoricorum figmẽtis deprauata, vt nemini poſthac integrum ſit res grauiores eorum libris tueri: ſiquidem id meretur, vt habet prouerbium, mẽdax, ne ſi verò tandem dixerit, ei credatur. Porro ſi ne Theologi eadem hic ſentiunt, falſitas eorundem illorum emergit. Diſcordia enim in ſcriptoribus, vt dixit ille, teſtimonium eſt falſitatis. Imo Auguſtinus veritatem ex eo cognoſci docet, ſi ſcriptores concorditer in ea conuenerint, neque vnus diſſentiat ab altero, vel à pluribus plurimi. Et idẽ Auguſtinus cum in multis alijs locis ad Hieronymũ & Fortunatum, tum & hic ad Vincentium, de quorumlibet etiam ſanctiſſimorum hominũ ſcriptis loquitur. Hoc genus, inquit literarum, ab authoritate Canonum diſtinguendum eſt: nõ enim ſic leguntur, tanquã ex eis ita teſtimonia proferãtur, vt contra ſentire non liceat. Et non Theologis dũtaxat, in eiuſmodi rebus ex ſacra ſcriptura nõ deducibilibus, & ex eorum varietate dubitabilibus, credere non adſtringimur, ſed nec eccleſiæ quidem, vt Thomas in quodlibetis diſputat. Eapropter ad hunc modum ſermonem claudere licet, quod Petrus nunquam poſt paſſionem Chriſti Romæ fuerit, de cuius aduentu illuc diuina ſcriptura ſilet, hiſtoria ſecum diſſeriat, Doctores minus digni ſunt, quam quibus hoc credatur, præſertim dum ita mutuo diſceptent.

Calumniæ primæ ſumma.

SCriptores hac de re non cõſentiunt. Oroſius exordio imperij Claudij id contigiſſe ſcribit. Hieronymus anno Claudij ſecundo. Faſciculus temporum anno eiuſdem quarto. At is demũ qui ſanctorum vitas collegit, acceſſum Petri Romam fuiſſe contendit anno Claudij tredecimo. Sed & de Petri ſucceſſore non minus variatum eſt: quidam enim linum Petro proximum faciunt, quidã Clementem, nonnulli Clementẽ quartum à Petro locant. At ſi verum eſſet, Petrum fuiſſe Romę primum Pontificem, neutiquam etiam inter hiſtoricos diſcordia tanta.

RESPON-

RESPONSIO.

CVi calumniæ reſpondemus, quod ad hunc modũ plurima quæ ab hiſtoricis tradita ſunt & ſane quam veriſſima, facillime tamen falſa eſſe conuinceremus, quum oihil apud hiſtoricos de- *In temporum ſupputatione varietas non modica.* ſideretur magis, quã temporum cõcordia. Facile quiuis tametſi circumſpectiſſimus fuerit, labi tamen poteſt in temporum ſupputatione. Quæ res, vt de prophanis hiſtoriis taceam, in ſacris abnnde conſpici poteſt. Nam quis quantumuis arte ſup- *Hebræorum & Latinorũ in temporum ſupputatione diſcordia.* putaodi fuerit exactiſſimus, Hebræorũ hiſtorias ac Latinorũ conquadrabit. Nam vt exempli gratia nonnihil afferam: LXX. interpretes haud paucos annorũ centenarios ſupra veritatem Hebraicam accumularunt, qnemadmodum lectori cu- *Geneſ. 11.* iuis facile perſpicuum erit. Sic enim Gene. 11. legitur iuxta veritatem Hebraicam: Vixit Arphaxat 35. anois, & genuit Sale, qunm tamen in Septuaginta ſic habeatur: Arphaxat centũ triginta quinque annorũ, geouit Chaynan. Chaynã vero, centum trigiota annorum, genuit Sale. Ecce Hebręis inter Arphaxat & Sale, triginta quinque anni *70. Interpret.* duntaxat interponũtur. At his interpretes ſeptnaginta (quos Latini ſequuntur) adiecerunt ducẽtos triginta. Sed neque Sale genitum ab Arphaxat tradunt, ſed à Chaynan, & Chaynan ab Arphaxat. Quibus & Lneas in Euangelio ſubſcribit, vt Lucę 3. videre licet. Nec hoc loco ſolum ita variatũ eſt, ſed in aliis pleriſque, vt in generatione Enos ex Seth, in generatione Malalehel ex Chaynan, & in generatione Iared ex Malalehel. Et quamquam tanta legatur in annorum numeris diſcrepantia, nemo tamen orthodoxus de hiſtoriæ veritate ſecum animo vacillat. Adhæc, quis vnquam locum *Danielis hebdomades.* de ſeptuaginta Danielis hebdomadibus ſic explicuit, vt cum iis tẽporibus quæ cæteri digeſſerunt, *Hieronymus.* congruere faciat? Videre licet apud Hieronymũ, quam varie ſudatũ in hoc negocio ſit à pluribus, qui tamen inter ſe mire diſſident. Recenſet enim *Affricanus.* in commẽtariis apud Danielem, quid Affricanus *Euſebius Pamphi.* egregins temporũ ſcriptor hac de re ſẽſerit, qnid Euſebius Pamphili iuxta trifariam opinionem *Hyppolitus.* diſſeruerit, quid Hippolitus, quid Appollinarius, *Appollinari. Clemens.* quid Clemẽs, quid Origenes, quid Tertullianus, *Origenes.* qnid demum ipſi Iudæi doceant. Nec iſti modo, *Tertullianus.* verumetiam recẽtiores inter ſe plnrimum diſcre- *Lyra. Burgenſis.* pant. Pugnat enim eum Lyra Burgenſis, & ab v- *Annius.* triſque diſſentit Annius. Et quanquam iſti ſic inter ſe digladientur, Danielem tamen omnes vera ſcripſiſſe oihil hæſitamus. Denique Chriſtum ipſum ſcruatorem noſtrum, nec mortem pro nobis obiiſſe credemus, ſi diuerſa ſcriptorum ſupputatio, ſententiaque diſcors eius rei fidem nobis *Opinionum varietas in ſupputando tempore paſſionis Chriſti.* auferre poſſit. Nam & inter graues authores, nec parua quidem eſt hac de rẽ cõtrouerſia. Quidam enim anno trigeſimo ſecundo, alij trigeſimo tertio, compIures trigeſimoquarto, nonnulli deniq; *Tertullianus.* quadrageſimoſexto. Tertulliaous primnm in eo libro, quem aduerſus Iudæos ſcribit aſſerit, Chriſtum anno Tiberij Cæſaris decimoquinto fuiſſe paſſum, boc eſt, quũ annos baberet ille quaſi 30. I- *Appollinarius.* dem ſentit & Appollinarius, autore Hieronymo *Lactantius.* ſuper Danielem. Conuenit & Lactantius, atque Paulus Oroſius, omnes hi decimoquinto Tibe- *Oroſius.* rij, Chriſtum aſſeruot fuiſſe paſſum. Ignatius au- *Ignatius.* tem & ipſe contemporaneus Apoſtolis, Chriſtũ, quum eſſet annorum triginta, fuiſſe baptizatum putat, & tres annos vltra docuiſſe. Sic enim in epiſtola ad Trallianos ſcribit: Trigiota annos agẽs Chriſtus, baptizatus eſt à Ioanne, & tribus annis prædicauit Euangeliũ. Cui ſubſcribit item Cbry- *Chryſoſtomus.* ſoſtomus Homilia 10. ſuper Matth. his verbis: Poſt triginta anoos Chriſtus Ieſus venit ad baptiſmũ, legem veterem ſoluturns. Quod ſi completis annis 30. venerit ad baptiſmum, iam oportet, vt trigeſimoquarto, aut quinto, crucem ſit perpeſſus. Beda tameu & in exordio trigeſimi anni baptiza- *Beda.* tum ſupputat, ac deinde ſupra triginta, vixiſſe tres annos cum tribus menſibus. Sie enim libro de temporibus ca. 47. ſcribit: Habet enim ni fallor, Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulo plus quã triginta tres anoos vixiſſe. Auguſtinns vero, *Auguſtinus.* & qui cum eo ſentiuot, opinantur Chriſtum in exordio anni trigeſimi baptizatum ſuiſſe, & anno ſubinde tertio, fuiſſe paſſum. Sed & idem Auguſtinus, libro de doctrina Chriſtiana ſecundo, ſcribit: quod ignorantia Coofulatus, quo oatus vel quo paſſus eſt Chriſtus, nonnullos coegit errare, vt putarent quadraginta annorum ætate paſſum illum fuiſſe, iuxta numerum annorum quibus ædificatum erat templum, quod & Dominici corporis imaginem tenet. Ecce quanta ſit opinionum varietas iu ſupputando tempore oecis Chriſti, vt oihil mirum ſit, ſi de morte Petri fuerit ab autoribus variatum. Cæterum quanquam inter ſcriptores tanta ſit controuerſia, oemo tamen ob hæc negat Chriſtum pro nobis obiiſſe, oec ſuper buius rei fide trepidat quouiſmodo. Quod & ſimiliter de Petri pontificatu Romæ geſto, par eſt omnino ſeotiamus. Quum enim ex tot ſcriptoribus nemo vnquã aut ſcripſerit, aut ſenſerit, contrarium, quin Petrus Romæ ſuiſſet, ſed omnes id cõcorditer aſſerant, & quod Romæ ſederit annos plurimos, impudentiſſimum erit, vt ſi qua fuerit inter eos pro annorum ſupputatione diſcordia, quiſquam ob eam rationem auſit affirmare, Petrum nunqnam acceſſiſſe Romam. Et hæc pro ealumnia prima confutanda ſufficiunt.

PERSVASIO II.

PEtrum Romã veniſſe in exordio vel ſecundo vel quarto imperij Cæſaris Claudij, hoc eſt octauo, nono vel vndecimo poſt paßionem Chriſti anno dicentes, eorum imprimis refellit opinio, qui Petrum in Oriente quinque, vel ſecundum alios, ſeptem annis ſeſe continuiſſe, tandem Antiochiam diuertentem, ſeptem annis in epiſcopali ſede reſediſſe, & in Ponto, Galatia, Bithynia, ac circumiacentibus Aſiæ prouinciis aliquam moram tum feciſſe aſſtruũt. Nõ enim, ſi id verum eſſet, Romam venire niſi poſt quatuordecim aut quindecim annos, hoc eſt ſeptimo vel octauo Claudij anno potuiſſet. Quibus patrocinatur geſtorum Apoſtolicorum ſcriptor Lucas cap. 15. Controuerſia enim inter quoſdam de hæreſi phariſæorum ex vna, & Paulum ac Barnabam ex altera parte, de circumciſione, obſeruationeque legalium habita, cas ob res diſcutiendas, in Hieruſalem illi deſcenderunt. Et factum ſit conſilium

Apoſtolorum & ſeniorum, inter quos & Petro prima loquendi porrecta ſunt partes, quamquam Iacobi Hieroſolymitanorum presbyteri ſententiæ omnes tandem ſubſcripſerint, eiuſque approbauerint oratiunculam. Quæ res manifeſtat Petrum nondum Romam diuertere potuiſſe, ſed vna cum Iacobo, & quibuſdam alijs Hieroſolymæ manſiſſe, vel forte in partibus Iudææ Chriſtum aliquandiu docentem Hieroſolymam tunc temporis rediiſſe. Et tamen multorum eſt opinio, Hieronymo ſuper epiſtolam ad Galatas dicēte quod circiter decimumoctauum annum poſt Chriſti in cœlum aſcenſionē id factum fuiſſet. Quod facillimum eſt creditu, ſi quis modo ſeriem rerum ab Apoſtolis geſtarum diligentius examinauerit. Cui ergo maior habenda fides, Lucæné Euangeliſtæ, qui rebus ab Apoſtolis factis vel interfuerat ipſe, vel à Paulo Apoſtolo cuius indiuiduus fuerat comes, & quo præſente hanc ſcripſerat hiſtoriam, erat edoctus? An iſtis bellantibus mutuo hiſtoricorum ac Theologorum opinionibus? Quod ſi id neceſſario mihi dabitur, vt Claudij primum nono, aut vndecimo imperij anno Petrus Romam venerit, & ibidem vigintiquinque annis Epiſcopatum tenuerit, iam non à Nerone ſed Veſpaſiano potius martyrium paſſus fuiſſet, quod neminē adhuc vnquam vel dixiſſe vel ſcripſiſſe comperi. Et hinc manifeſtarium eſt, ad nonum Claudij annum Petrum Romam venire non potuiſſe.

Secunda calumniæ ſumma.

PEtrus concilio ſuper legalibus habito Hieroſolymis interfuit, authore Luca, cui merito credendum eſt magis, quam hiſtoricis & Theologis mutuo diſſidentibus. (*Act. 15.*) At hoc concilium Hieronymus circiter annum ab aſcenſione Chriſti decimumoctauum, aſſerit habitum fuiſſe. Quod ſi verum ſit, neceſſario conſequitur, quod Petrus nō ante nonū annū Claudij Romā venerit. Porro ſi nouem illis annis adieceris 25. quibus Petrum aiunt ſediſſe Romæ, iam non à Nerone, ſed à Veſpaſiano martyrium fuiſſet paſſus, quod adhuc nemo vel dixiſſe vel ſcripſiſſe compertus eſt.

RESPONSIO.

REſpondemus, quod hæc calumnia ſeipſam interimit. Nam quum nemo compertus ſit hactenus, qui vel ſcripſerit, vel dixerit, Petrū vltra Neronis tempora vixiſſe, ſed omnes conueniunt illum ſub Nerone fuiſſe paſſum, necnon & Romę viginti quinque annis epiſcopatum tenuiſſe, iam neceſſario ſubinfertur, quod diu ante nonum annum Claudij Romā venerit, quum ab anno Claudij nono, ad vltimum vſque Neronis, non plures intercesſerint, quam nouendecim. Claudius enim haud expleuit annos 14. quibus ſi coniunxeris 14. annos imperij Neronis, ſumma fit viginti octo. demptis igitur nouē annis Claudij, iam reſidui ſunt, non vigintiquinque, ſed nouendecim duntaxat. (*Hieronymus.*) Et quum Hieronymus horum vtrumque non ſemel fatetur, hoc eſt quod Romæ ſedit Petrus annis vigintiquinque, & quod vltimo Neronis cruci fuit idem affixus, (*Petrus Romæ ſedit 25. annis & paſſus eſt vltimo Neronis anno.*) conſtare ſecū haudquaquam poteſt, ſi concilium illud ſuper legalibus, aſſerat circiter annum ab aſcenſione Chriſti decimumoctauum fuiſſe celebratū. Nam annus decimusoctauus ab aſcenſione Chriſti, prorſus incidit in ipſius Claudij nonum annum; quod ex Euſebij ſupputatione manifeſtum eſt. Neque fieri poteſt, niſi ego vehementer fallor vt quis ab inconſtantia, imo repugnantia Hieronymum tueatur, niſi forte dixerit, Petrum huius concilij gratia, ex Roma Hieroſolymam rediiſſe. Quod ſi quis opinabitur, palam erit nihilominus hanc calumniam non procedere.

PERSVASIO III.

DEnique quod ne nono quidem anno illuc venire potuiſſet eiuſdem imperij Petrus, Tranquillus in Claudio eſt author, qui Chriſtianos tunc temporis Roma fuiſſe pulſos ſcribit: Claudius, inquit, Iudæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Roma expulit. Vbi Oroſius addubitat, vtrum contra Chriſtum tumultuantes Iudæos coerceri & comprimi iuſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ religionis homines voluerit expelli. Qui profecto ſi vel hiſtoriam rerum geſtarum ab Apoſtolis, vel ſaltem Paulinas legiſſet epiſtolas, non ambigeret Chriſtianos Iudæorum impietate & verſutia Cæſarem ac populum Ro. ad vindictam excitante, vna cum eiſdem Roma expulſos fuiſſe. Quippe vel Apoſtolo ad Romanos in epiſtola adteſtante. Inter alios namque Chriſtianos quos ſalutare iuſſerat, Salutate (inquit) Priſcillam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt; quos ſane niſi Chriſtianos Apoſtolus noniſſet, in catalogo ſalutandorum Chriſti fidelium nequaquam repoſuiſſet. Attamen quomodo Iudæus genere Aquila ille fuerat; quamuis in Chriſtum vna cum coniuge crediderit, nihilominus hunc tamen Lucas in actibus Iudæum Ponticum nominat in hæc verba: Poſthæc, inquit, egreſſus ab Athenis Paulus, venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Pōticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorē eius. Eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma, acceſſit ad eos, & quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos & operabatur. Et ne quis dubitet, Chriſtianos eos fuiſſe, addit Lucas in calce cap. 18. dicens: Iudæus quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Epheſum, potens in ſcripturis; hic erat doctus viam Domini, & feruens Spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu, ſciens tantū baptiſma Ioannis, quem cum audiſſet Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. Hæc Lucas ad verbum. Et totum hoc caput declarat Priſcillam & Aquilam Chriſtianos ex Iudæis factos, Romā vna cum alijs expulſos fuiſſe. Quod iterum docent Paulinæ literæ quas nouiſſime iam vbi tempus reſolutionis ſuæ propinquauerat, ad vnice dilectum diſcipulum Timotheum ſuum miſerat, Saluta, inquit, Priſcillam & Aquilam. Vnde non ſolum Chriſtianos, ſed ſinceriſſimos quoque Chriſtianos eos fuiſſe conſtat, vtpote quos Apoſtolus data modo occaſione nunquam nō ſalutabat. Nihil hic moror, quod Stapulenſis tam in hac ad Timotheum, quam ad Romanos epiſtola innouat, verba Apoſtolica ad hunc modum exponens: Salutat vos Priſcilla & Acyla, vel Priſca & Acyla. Origenem, Chryſoſtomū, Ambroſium, tot doctiſſimos alios interpretes, imo & veterem ipſam traductionem, cui in hac parte Eraſmus nihil derogat, hic ſequi malo. Quid reſtat igitur dicere, quam Petrum ad nonum vſque Claudij annum Romam non veniſſe? Qui enim illuc venire tunc potuerit, cum cæteri omnes cum Iudæi tum Chriſtiani inde pellerentur, & in

tantum

tantum ſlomacharetur Romæ? Qui ſi poſthac Romam aliquando venerit, ac vigintiquinque illic delituerit annis, Veſpaſiano eius imputaretur martyrium, quod de tam benigniſſimo erga omnes principe credere nefas eſt, & nemo eſt omnium, qui hoc affirmare audeat.

Tertia calumnia ſumma.

Act. 8. CLaudij temporibus, circiter annum imperij eius nonum eiecti ſunt ab vrbe Iudæi, ſimul & Chriſtiani, quod ex Trãquilli pariter & Oroſij conſtat hiſtoriis, vna cum apoſtolorum actis. Teſtantur enim acta, Priſcillam & Aquilam qui non Iudæi modo, verumetiam Chriſtiani fuerunt, Roma per Claudium expulſos fuiſſe, quibus & ſe cõmendat Paulus, ſemel ad Timotheum ſcribens, dum Roma pulſi diuerſarentur in Epheſo, atque iterum quod ſcribit ad Romanos, illis tum Romam ab exilio reuerſis. Nõ potuit igitur ante nonum annum Claudij, Petrus veniſſe Romã, vnde Iudæi ſimul & Chriſtiani pellebantur, quum palam ſit Priſcillam & Aquilam & Iudæos & Chriſtianos fuiſſe.

2. Tim. 6.

Rom. 6.

RESPONSIO.

Hæc calũnia quatuor rationibus confutatur.

REſpondemus, quod hæc calumnia nullius omnino momenti eſt, atque id quidem pleriſque nominibus. Primũ, quia fieri potuit, vt quã-
I. quam aduerſus Iudæos atque Chriſtianos edictũ eiuſmodi fuiſſet promulgatũ, vt Petrus, vel amicorum fauore, quemadmodum fere fit in huiuſmodi negociis, vel quia mortem non metuiſſet,
II. Romæ nihilominus contineretur. Deinde, nec Tranquilli verba videntur aliud quicquam efficere, quam quod impulſore Chriſto Iudæos aſſidue tumultuantes, è Roma Claudius repuliſſet. At Petrus nec ex illis erat, qui ſic tumultuabãtur, nec is, quem Chriſtus ex vrbe voluit eiici, imo cõtra potius, Euangelij docendi gratia, voluit in vr-
III. be cõmorari. Tertio, ſi Priſcilla & Aquila diſceſſiſſent ex vrbe, metu Claudij, non ideo protinus conficitur, quod cæteri quique parem habuiſſent metum, & quod nullus omnino Iudæus, reman-
IIII. ſiſſet in vrbe. Quarto, vt demus, Petrũ inde cum cæteris fuiſſe pulſum, nihil tamen hæc argutia prohibet, quin Petrus ante potuit veniſſe Romã. Quamobrem & aduerſarius ineptiſſime colligit, inquiens: Quid reſtat igitur dicere, quam Petrum ad nonum vſque Claudij annum Romam non veniſſe. Neque enim oportet, vt ſi nono anno Petrus Romam non veniſſet, neque proinde potuit ante nonum illuc acceſſiſſe. Nos enim ante nonũ, ipſo videlicet anno Claudij quarto, non dubitamus illum aduenisse Romam. Quam rem pluribus illuſtrium autorum teſtimoniis, mox oſtenſuri ſumus. Sed iſta iam ſufficiunt.

Petrum anno Claudij quarto Romam veniſſe.

PERSVASIO IIII.

PErgamus iam eo ordine oſtendere, ne ad vigeſimum quidem annum poſt Chriſti paſſionem, vel in cœlum aſcenſionem, Petrum Romam venire potuiſſe. Quod ex verbis diſcipuli à ſuſpectione apud Galatas ſeſe purgantis clariſſimum eſt. Dicit enim in ea quam ad Galatas dederat epiſtola, nõ à quopiam hominum, ſed ſolo Chriſti munere, euangelicum myſterium ſibi contigiſſe. Et quod dixerat, ne cuiquam videretur falſum, probat, inquiens poſt miraculoſam ſuam ad fidem Chriſti cõuerſionem, non in Hieruſalem ad Apoſtolos ſe declinaſſe, ſed protinus Arabiam abiiſſe, tandem iterato Damaſcum repetiiſſe, & tum tertio loco primum tribus reuolutis annis Hieroſolymam videndi Petri gratia tranſmigraſſe. Denique poſt quindecim dies poſtquam Petrum & Iacobum fratrem Domini vidiſſet, dicit quod iterum Hieroſolymam reliquit, ac in partes Syriæ & Ciciliæ deuenit. Deinde aſſumpto Barnaba & Tito, poſt integros quatuordecim annos, rurſum Hieroſolymam rediit, quo Euangelium, quod in gentibus prædicauerat, cum his qui Apoſtolorum videbantur columnæ conferret, & iterum Petrum vna cum Iacobo & Ioanne illic reperit. Et ſic certum eſt totis illis ſeptendecim annis Hieroſolymis, & in colliminaneis regionibus Petrum ſeſe continuiſſe, nec vnquam Romam receſſiſſe. Additis enim quatuordecim annis, quibus Hieroſolymam reuenerat, ad annos tres quibus proxime poſt conuerſionem ſuã viſitauerat Hieroſolymam, decem & ſeptem anni proueniunt. Demum poſtquam Petrus aliquandiu citra Paulũ moraretur, Antiochiam veniens in eum incidit, quem ille acerrime illic obiurgauerat, & eidem in faciem reſtitit, eo quod non recte ambulaſſet ad veritatem Euangelij, & ſimulationi non modo ipſe fuit obnoxius, ſed ad hanc alios quoque iam tum pertraxerit. Dixi, inquit, Cephæ coram omnibus, ſi tu cum Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaice, quomodo gentes cogis Iudaizare? Inter quam reprehenſionem Petri & priſtinam eorum ab inuicem diſceſſionem aliquid temporis certe interuenerat. Adhæc poſt Chriſti aſcenſionem, non mox Paulus Chriſtum agnouit, nimirum qui dum Stephanus ſaxis obrueretur enecareturque, aſſiſtens, mortem ipſius in deliciis habuerat. Dicitur enim Act. 7. Teſtes autem depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Et ſeluſmet inferius cap. 22. ad Chriſtum queribundus loquitur: Cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientiũ illum. Vide quam hoc tempus ab aſcenſione Chriſti, adusque obiurgationem Petri Antiochiæ à Paulo factam facile viginti etiam annos ſuperet, quibus tamen Petrum certum eſt Romæ nondum eſſe potuiſſe, quamuis nec poſtea vnquam illic fuerit. Verum demus hoc aduerſariis, quod Petrus anno vigeſimo Romam appuliſſet, iam ad tredecimum vſque annum imperij Claudij ille aduentus prorogaretur. Quod ſi huc trahantur vigintiquinque anni, quibus Romanam moderatus eſt Eccleſiã, interim Veſpaſiani temporibus eius mors irrogaretur. Quod omnes omnium hiſtoricorum libri vt falſiſſimum auerſantur. Producamus huc Romanorum imperatorum tempora, quo res fiat euidentior. Lucas Euangelij ſui cap. 3. anno imperij Cæſaris Tiberij quindecimo, Chriſtum dicit verbum Dei prædicare incepiſſe: qui tandem poſt tres annos & aliquot menſes prædicationis ſuæ mortem ſuſtulit, anno eiuſdem imperij decimooctauo vel vltra. Tiberio poſt paſſionem ipſius annis tribus imperante. Poſt hunc Caius Caligula annis tribus, menſibus decem, & octo diebus imperans vita functus eſt. Claudius anno quatuordecimo imperij moritur. Nero totidem annos in imperio expleſſe dicitur. Otho Syluius infra nonagintaquinque dies imperium alteri ceſſit. Aulus Vitellius octo menſibus imperauit, poſt hunc Veſpaſianus decennio Romanis ſeſe imperatorem præſtitit, ſub quo Chriſtiani pacifice Romæ degebant, nullis ab

eo vexati

Calumniæ quintæ ſumma.

PAulus literis ſuis ad Romanos, complures ex fratrib. nominatim ſaluere iubet, & præſertim Eccleſiæ ipſius Antiſtites ac ſeniores, veluti Narciſſum, Andronicum, Iulian, Priſcillam & Aquilam. Quî potuit igitur fieri, ſi tunc Petrum fuiſſe Romæ crediſſet, vt digna hunc ſalutatione non dignaretur cuius ille obſeruantiſſimus eſſe, & nihil honoris ei non deferre, pro ſua canicie, & apoſtolatus honeſtate, debuerat. Quoniã igitur hæc Epiſtola ad Romanos poſterius ſcripta fuerat, quam vel vtraque ad Corinthios, vel illa, quæ ad Theſſalonicenſes prior eſt, oportet vt non adeo tempeſtiue Romam Petrus venerit, atque prædicatur à multis. Manet igitur ineluctabilis hæc ratio, Petrum Romæ tunc temporis non fuiſſe.

RESPONSIO.

QVanquam hæc ratio, quam aduerſarius ineluctabilem vocat, nemini non perſpicua ſit vel ob id omni robore carere, quod ex negatiuis proficiſcatur, nos tamen aliis modis eam diluere conabimur. Fieri quidem poteſt, quum ex aliis cauſis, quas hi ſoli norunt, qui Paulo ipſi fuerant cõſuetudine quadam intimiores, tum ex iis, quas mox dicemus, vt quum ad Romanos Paulus ſcripſerit, compluresque ſaluere iuſſerit, Petrum tamen haud nominatim ſalutarit.

Et primum, quia nec id facere cõſueuit in aliis eius epiſtolis, vt quum ad eccleſiam aliquam ſcribat, ſaluere nominatim iubeat presbyteros aut Epiſcopos eccleſiarum. Quod & facile patebit ſi per ſingulas epiſtolas diſcurramus. Et principio, neminem in priori epiſtola ad Corinthios ſalutanit, quum tamen ex longa conſuetudine, quam per annum & ſex menſes cum eis contraxerat, multos habuit familiares. Sed nec in poſteriori, nominatim quemquam impertit ſalute. Et tamẽ credibile eſt iam adfuiſſe Stephanum & Achaicum, & Fortunatum (qui Paulo fuerant chariſſimi) de quibus & in priori epiſtola mentionem fecit. Ad Galatas item neminem ſalutat, quum tamen iis Epiſcopum conſtituiſſet, Timotheum vnice ſibi dilectum, & multos præterea familiares illic haberet, vtpote qui triennium apud eos mãſiſſet. Ad Philippenſes quoque neminem præter Enodiam & Syntichen duas fœminas, quas tamẽ haud ſaluere iuſſit peculiari aliqua ſalutatione. Ad Coloſſenſes inſuper ne vnum quidem, quum tamen eis præfuiſſet Archippus eorum Epiſcopus, & à Paulo conſtitutus, quem & alibi commilitonem ſuũ vocat. In epiſtola rurſum ad Theſſalonicenſes priori, quum hortatur multitudinem, vt agnoſcant eos qui ſibi præſunt in Domino, & vt habeant illos in ſummo precio, nullius tamen exprimit nomen, cui ſalutem impertiat. In poſteriori ſimiliter nec vnius quidem meminit. Et in ea demum quam ad Hebræos miſit, quum alio qui parere eos iubeat iis qui ſibi præſunt, neminem tamen ex eis nominatim ſalutat. Liquet igitur in iis epiſtolis, quas ad eccleſias dedit Paulus, neminem ex presbyteris aut Epiſcopis illum ſalutaſſe. Quid mirum igitur, ſi in vna hac reliqua, ad Romanos data, Petrum non ſalutarit. At inquis: Eccleſiæ ipſius Antiſtites ſaluere iuſſit nominatim. Dic ergo quos Antiſtites. Reſpondes Narciſſum, Andronicum, Iulian, Priſcillam & Aquilam. At miror tales Antiſtites Romam habuiſſe, quum alibi Paulus iuſſerit fœminas in Eccleſia ſilere penitus. Conſtat enim ex ſuperioribus, Priſcillam Aquilæ coniugem fuiſſe, & Iulian ſiue Iunian, Andronici, quemadmodum Athanaſius ſeu Vulgarius tradit. Sed Narciſſus, inquies, Epiſcopus erat. At hunc non ſalutauit Paulus: Sic enim legitur in epiſtola Pauli: Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi domo, nempe familiares Narciſſi, non ipſum Narciſſum. Erat enim is Narciſſus, vt tradit Ambroſius, presbyter quidam, ſed officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes. At cæteros opinor non probabis vnquam fuiſſe presbyteros. Liquet igitur ex his, nequaquam in morem fuiſſe Paulo, vt præfectos eccleſiarum in ſuis epiſtolis nominatim ſalutaret. Sed & aliæ quoque potuerunt interuenire cauſæ, cur iam non literis ad Romanos datis ſalutaſſet Petrum. Quid enim ſi Petrum ob aliqua negocia tum abſentem noſſet, quemadmodum & quidam de Narciſſo tradunt, quod abfuerat ab vrbe, quo & factum eſt, vt hunc forte non ſalutaret Paulus. At redeuntem ſaltem Petrum iuſſiſſet ſalutari. Sed vides, nec hoc de Narciſſo fecit. Cæterũ quid ſi per Phæben, priuatam à ſe iuſſiſſet ſalutationẽ. Aut forte priuatas Petro ſcripſiſſet literas. Quis enim huius rei, iam poſt tot annorum curricula, certam expromere queat rationem. Sed dices: Iam igitur extarent ipſæ literæ. Nihil oportet, neque enim dubium eſt pleraſque ex his, quas Apoſtoli ſcripſerant, deperiiſſe, quod & nemo, qui ſcripturis aſſueuit, ignorare poteſt.

PERSVASIO VI.

ACcedit & iſtud ad corroborandum, quod Petrus ad ea tempora, quibus Paulus Romanis literas deſtinauerat, Romæ non fuiſſet, quia diuus Ambroſius, ſuper epiſtolam ad Romanos, in quibuſdam vetuſtis codicibus dicit ſe legiſſe, Narciſſum illo tempore Romæ presbyterum fuiſſe, cuius domum Apoſtolus ſaluere iubet; hic tamen, inquit diuus Ambroſius, officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmãs credentes. Quod ſane nuperus Romanus presbyter nunquam faceret, à quo nihil tam eſt alienum, quam verbi diuini prædicatio. Et id propter, velut ſ... dus, vt Plautino vtar dicterio ſutor, domi totos ſedet dies, cupediarum delitiis ventriculum explens; Niſi forte oſtentandæ pompæ cauſa, ad Lateranenſe palatium interdum prorepat. Vt ad rem veniamus, hic ſcito eſt opus, apud primitiuam Eccleſiam nullos fuiſſe, qui dicerentur ſummi Pontifices, Cardinales Patriarchæ, Archiepiſcopi. Nempe quæ duos ſolum eccleſiaſticos habuit ordines, Presbyteros videlicet, & Diaconos, vt ex ea claret, quam Philippẽſibus Apoſtol. è Roma dederat epiſtola. Paulus, inquit, & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum epiſcopis & Diaconis. Nam iidem vocabantur presbyteri, Epiſcopi vel ſeniores, vt ex Epiſtolis Paulinis eſt manifeſtiſſimũ. Quum in actis quoq; Apoſto-

Apoſtolorum, ad Epheſina Eccleſia presbyteros inquit, Quia vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã Dei. Et Petrus qui & ipſe presbyter multarum Eccleſiarum fuerat, ad presbyteros diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ ſcribens, ſeniorem ſe nominat dicens: Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum. Ignorauerat credo eum adhuc ſuperciliaſum ſummorum pontificum nomen, vel abhorruerat plane. Et vt regrediamur ad priora: Presbyteri dicebãtur, qui Eccleſiis veluti quidam proceres præerant. Vnde Apoſtolus in 1. ad Timo. epiſt. Qui bene, inquit, præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt. Et ad Titum: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros ſicut ego præſcripſi tibi. Igitur hic per Narciſſum presbyterum ſeniorem, aut Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe intelligimus, qui non modo eius, ſed & aliarum circumiacentium Eccleſiarum, & Chriſti fidelium curam gerebat, cuius etiam familiam, ob ingenuas eius virtutes Paulus ſalutare præcepit. Inſuper Andronicus & Iulias, duo è ſeptuaginta duorum Apoſtolorum numero, vt Origenis eſt opinio, Romæ ea tempeſtate fuerant, quos hac prærogatiua honoris, ad Romanos in epiſtola ſalutat Apoſtolus, Salutate, inquit, Andronicum, & Iulian cognatos meos, & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui ante me fuerunt in Chriſto Ieſu. Adde, Priſcilla & Aquila, vt Ambroſii ſuffragatur authoritas, non ocioſe Romam venerunt, qui quoniam propenſiores erant in deuotione, ideo ad confirmationem Romanorum miſſi fuiſſe intelliguntur; de quibus ad hunc modum Paulus loquitur: Salutate Priſcillam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt. Ea propter quid opus Romæ tunc habuerit Petro veterano, & iam viribus defecto, non conijcio. Nempe cum habuerit legitimum presbyterum Narciſſum, & Apoſtolos Chriſti doctrina inſignes, Andronicum & Iulian, & cooperatores in Euangelio non contemnendos Aquilam & Priſcillam. Sed hoc citra omnẽ controuerſiam verum eſt, quòd Roma tunc temporis non fuerit. Nam ſi neminem non ſalutat eorum Apoſtolus, vel qui ſeniores fuerant, vel qui cognati & cogniti, quomodo quum Petrum non ſalutaſſet, quocum firmiſſimam amicitiam & ſocietatem iampridem iniuerat, & eius videndi deſiderio antea Hieruſalem petere non dubitauerat. Et hinc apparet, vſque ad Neroniani imperij tempora Petrũ Romæ non fuiſſe. Quod ſi viginti & quinque annis illic reſederit, à quo tandem mortem paſſus eſt? Hic tuſſiunt Romani Sycophantæ, non ſecus ac indocti quique cantores; qui locum fecerunt prouerbio, hæſitatio cantorum, vt communiter dicitur, tuſſis eſt.

Calumnia ſexta ſumma.

HAbuit Roma, quum Paulus ad Romanos ſcripſerit, multos egregios fidei præceptores, & inprimis Narciſſum, quem Ambroſius ait ſe legiſſe fuiſſe presbyterum Romæ. Quod ſi presbyter, & Epiſcopus; quum ea tempeſtate nihil erat diſcriminis inter Epiſcopos & presbyteros, vt ex Paulinis epiſtolis eſt manifeſtiſſimum. Habuit & Andronicum, & Iulian, duos è ſeptuaginta diſcipulis, vt Origenes opinatur. Habuit demum Priſcillam & Aquilam, quos Paulus appellat ſuos adiutores in Chriſto & Ambroſius dicit, eos miſſos fuiſſe Romam, ad Romanorum in fide confirmationem. Quando igitur tales habuerit Roma præceptores, quid opus fuerit & Petrum identidem habere, nempe veteranum & iam defectum viribus? Colligit igitur ex hoc, citra omnem controuerſiam, verum eſſe, qnod Romę tunc temporis Petrus non fuerit, & proinde nec ante Neronis tempora veniſſe Romam.

RESPONSIO.

VT demus primnm, illos fuiſſe coadiutores Pauli, & diſcipulos Chriſti, etiam ſi vis, presbyteros & Epiſcopos. Non ob id Roma Petro nõ habuiſſet opus? Quaſi nec Epheſiis Paulus fuiſſet vtilis, quod Timotheũm habuiſſent Epiſcopum, neque Corinthiis prodeſſe potuiſſet, quod apud eos Apollos & Cæphas ac alij pręfuiſſent. Fruſtra quoque cæteras ipſe, quum ſuis literis, tum viua voce, docuiſſet Eccleſias, in quibus alioqui presbyteri fuerãt & Epiſcopi. Sed & Romã cur ſe venire eſt pollicitus, vt eis impartiretur donũ aliquod ſpirituale? quandoquidem illic adeſſe noſſet tam egregios & præceptores & Epiſcopos. Quod ſi præſentia Pauli Romanis neceſſaria fuerit, tametſi Roma tales habuiſſet presbyteros, cur non identidem & Petri? Sed ais Petrum tum fuiſſe veteranum & defectum viribus. At nec ingenium eum deſtituerat, neque Spiritus qui in eo loquebatur, & qui per eum tot admiranda geſſit opera, præſertim in eo conflictu, quo Simonem ipſum Magum deuicit. De quo non ſolum Egeſippus & Euſebius, verumetiam Linus & Clemens aliique complures teſtantur. Cæterum de Narciſſo quod refers, haud vſquequaq; verum eſt. Credo ſane Narciſſum presbyterum fuiſſe, ſed talem, qui peregrini fungeretur officio, quemadmodum & ex Ambroſio recenſuiſti, nimirũ qui ſæpius vrbẽ egrederetur, vt ſuis exhortationibus credentes in fide firmaret, cuius rei gratia, & tum abfuiſſe creditur, quum ad Romanos ſcripſerit Paulus. Non eſt verum igitur, quod Narciſſus vrbis Romanæ fuerat Epiſcopus, neque quiſquam eum hactenus ita vocarat, quum tamen omnes concorditer id dignitatis Petro paſſim tribuant. Porro quod Andronicum & Iulian è ſeptuaginta duorũ diſcipulorum numero fuiſſe putas, authore Origene. Certe nec Origenes id affirmat, ſed tantum dicit, id ita fuiſſe poſſibile, ſic enim in epiſtolam ad Romanos ait: De quibus poſſibile eſt, & illud intelligi, quod ſortaſſis ex illis 72. (qui & ipſi Apoſtoli nominati ſunt) fuerint. Ecce dicit, poſſibile, & fortaſſis. Quibus verbis, ſatis conſtat, cum ancipitem fuiſſe quinam eſſent. At ſi vis noſſe qui fuerint, legas Athanaſium. Sic enim tu vocas Theophilactum ſeu Vulgarium. Is in eandem epiſtolã ſcribens, Iulian ſeu (quod græce habetur) Iunian, fœminam aſſerit fuiſſe. At in illo diſcipulorum numero nullam haberi fœminam apertiſſimum eſt. Adde, quod hi, qui ſeptuaginta duorum diſcipulorum catalogum collegerunt, nec Iulian nec Iunian cæteris annumerarunt.

Velenus nugax arguitur, eluditur.

Simon Magus à Petro deuictus.

Narciſſum Ro. vrbiſque Epiſcopum non fuiſſe.

PERSVASIO VII.

HVc producam, & quod Apoſtolus ad Galatas narrat in epiſtola: Creditum eſt (inquit) mihi Euangelium prepu-

præputij. ſic & Petro circunciſionis. Qui namq; operatus eſt Petro in apoſtolatũ circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. Tandem manifeſtat, quomodo pactus fuiſſet cum Iacobo, Petro & Ioanne, in ſynodo, quæ Hieroſolymis ſuper legalium obſeruatione habita eſt, vt ipſi in circunciſionem, hic vero inter gentes cũ Barnaba prædicatũ proficiſceretur. Quomodo itaque tam cito Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes ſibi vſurpare, cum Roma totius Paganiſmi mater tunc fuerit? Quinimo, ſi circunciſionis fuerat Apoſtolus, quomodo Romæ tot annis ad Pauli videlicet illac aduentum, cum Iudæis nihil ei fuerat negocij? Adueniente namq; illac Paulo, vt Lucas in actis Apoſtolorum ait, dicunt Iudæi ad eum: De ſecta hac notũ eſt nobis, quia vbiq; ei contradicitur. Rogamus enim te audire quæ ſentis. Nos enim neq; literas accepimus de te, neq; adueniens aliquis fratrũ nunciauit, aut loquutus eſt quid de te malum. Quos tandem copioſa illa ac vberrima oratione ſua alloquutus eſt Paulus, à mane vſq; ad veſperam ſermonem protrahens. E quibus aliqui dictis crediderunt, quidam vero renuerunt credere. Et nunquã antea audita auribus haurientes, adinuicem tumultuabantur, & multam inter ſe habebant quæſtionem. Quid ergo Romæ tanto temporis interuallo fecerat Petrus, ſi Iudæis ea quæ à Paulo audierant, noua & inaudita videbantur, nec aliquẽ ſe prius audiuiſſe dixerunt, qui eius ſecta inſtituta & ritus eis declaraſſet? Et proinde Paulũ, vt quæ ſentiat diceret, velut vno ore poſtulabant omnes. Videat qui vult, quã ſit tutũ Romæ Petrum aliquãdo fuiſſe credere.

Calumniæ ſeptimæ ſumma.

CONuenit inter Apoſtolos in ipſa ſynodo Hieroſolymis habita, q̀ Paulus apud gẽtes, Petrus apud Iudæos apoſtolatum iniret. Sic enim Paulus ipſe Galatis ſcribẽs teſtatur: Creditum eſt (inqt) mihi euangelium præputij, ſicut & Petro circunciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolũ circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. Et quum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cæphas, & Ioannes, qui videbãtur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ, ſocietatis, & nos in gentes, ipſi autem in circunciſionem. Quomodo itaque tam cito Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes vſurpare ſibi? quum Roma totius Paganiſmi mater tunc fuerit. Quinimo ſi Petrus circũciſionis fuerat Apoſtolus, quomodo Romę tot annis, ad Pauli videlicet illac aduentũ, cum Iudæis nihil ei fuerat negocij? Nam ex Paulo Iudæi tum audierant plurima, quæ ſe nunquã prius audiſſe teſtati ſunt, quemadmodum in Actis abunde patet. Quid ergo Romæ tanto temporis interuallo fecerat Petrus, ſi Iudæis ea quæ à Paulo audierant, noua & inaudita videbantur, nec aliquem ſe prius audiuiſſe dixerunt, qui eius ſectæ inſtituta & ritus eis declaraſſet? Et proinde Paulum, vt quæ ſentiat diceret, velut vno ore poſtulabant omnes.

RESPONSIO.

DVobus ſcripturę locis hæc calumnia videtur inniti, alteri, ex epiſtola ad Galatas, alteri ex Apoſtolorum actis. Sed hos ſi quis velit in aduerſarium retorquere, multo validius eum impetet, quam ille nos impetiit. Nam ſi circũciſionis apoſtolus erat Petrus, vt prior ipſe locus apud Galatas docet, & non paruus circunciſorũ numerus Romæ fuerat, vt habet locus poſterior ex actis, iure debuit, vt ex pacto ſe Petrus Romam conferret, nimirũ vt Iudæos Romã incolentes in fide teneret, & maxime quũ Hieroſolymis Iacobum reliquiſſet, & Antiochiæ Euodium. Barnabam item Cypri, & Ioannẽ in Aſia noſſet, Paulũ inſuper nõ ignoraret, omnes illas adiacentes regiones haud ſegniter pagrare. Intelligis igitur vt ex vtroq; loco ſimul iuncto, Petrus adactus fuerit Romã adire. Porro locus ille prior, nẽpe de pacto, nõ minus aduerſus Paulum quã contra Petrum facit. Quid enim ille tam cito pacti factus immemor, vbique Iudæorũ Synagogas ingreditur? quemadmodum paulò poſt finitam illam Synodum legimus in Actis c. 17. Quũ, inquiunt, iter fciſſent Paulus & Sylas per Amphipolim & Appolloniam, venerunt Theſſalonicam, vbi erat Synagoga Iudęorum. Secundum cõſuetudinẽ autem ſuam Paulus introiuit ad eos, & per ſabbata tria diſſerebat eis ex ſcripturis adaperiens & allegans, quod Chriſtũ oportuiſſet pati, & reſurgere à mortuis, & quod hic eſſet Chriſtus Ieſus, quẽ Paulus annunciabat eis. Et mox eodẽ ca. quum veniſſet Athenas, diſputabat in Synagoga cum Iudæis. Rurſum c. 18. diſputabat autẽ in Synagoga per omne ſabbatũ, ſuadebatq; Iudęis pariter & Gręcis. Sed & poſterior ille locus nihil aduerſum nos facit. Quid enim ſi quidã ex primoribus Iudæorũ, Romæ degentium, in Chriſtum non crediderint? Nunquid non vbiq; gentium eiuſmodi reperit Paulus? Quoties enim ipſe in locis vbi prędicauit, reliquit tales? vt nemini mirũ fuerit, ſi non omnes, qui Romæ tum fuerãt, cõuertiſſet Petrus. Cęterum & aduerſarius aperte falſum illic affirmat, nempe q̀ Iudæi, quos Paulus conuocari fecit, dixerant ſe neminem prius audiiſſe, qui eius ſectę inſtituta & ritus ſibi declaraſſet. Neq; enim in actis iſtud cõtinetur, neq; fieri potuit, quũ illic ex Iudęis tot fuiſſent Chriſtiani, q̀n huius ſectę ritus & inſtituta pridẽ audiſſent. Quid enim? Elingues erãt Narciſſus, & Andronicus, ac Iunias, Priſcillaq;, & Aquila, ac cæteri, qui probe nouerunt hanc ſectam & eius ritus ac inſtituta? Aut forte nõ auſi fuerant annunciare Chriſtum? Tamen pro Pauli ſalute non formidabant ſuam ipſorum ceruicem ſupponere? Falſum eſt igitur, quod illi dixerint ſe neminem prius audiiſſe, qui eius ſectæ inſtituta & ritus ſibi declaraſſet. Neque tale quiddam in actis habetur. Sed negabant ſe de Pauli factis vllas è Iudæa literas accepiſſe, neq; inde quẽquam aduenientem locutum fuiſſe quicquam mali de Paulo: de ſecta tamen Chriſtianorum quod vbiq; ſciſſent ei contradici, ſe cupere dicebant audire ex Paulo quæ ſentiret. Non quod ante nihil audiſſent à quoquam, ſed quod noua quædam, & forte, quæ ſectam illam confutarent, à Paulo ſe ſperaſſent audituros. Et hæc hactenus, ob Calumniæ ſeptimæ conuulſionem.

PERSVASIO VIII.

IAm ad ea vſq; peruenimus tempora, quibus Hieroſolymis, Iudæorum coactus inſolentia Paulus, ad Cæſarem appel-

lauit, ac Romam deductus, catenis horrendis in carcerem coniectus eſt, illicq́; in conducto ſuo, quod ei carceris fuerat loco, toto biennio permanſit. Nec profecto parua hæc erat manſio, vt Hieronymus in epiſtola ad Philemonem loquitur, ad quam Iudæorum turbæ quotidie cōfluebant. Nam ſuſcipiebat omnes, vt in Actis Lucas ſcribit, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docēs quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto cum omni fiducia, ſine prohibitione, allectans ad fidem Chriſti homines, vt verbis, ita & literis. Multos enim, eo concionante, non modo plebeos, ſed & de regia Neronis, Chriſti fidē ſuſcepiſſe, ipſius epiſtola oſtendunt. Ad Philippenſes enim è conducto ſuo ſcriptitans. Salutant vos, inquit, omnes ſancti, ac quidem maxime, & qui de Cæſaris domo ſunt. Quin epiſtolas quoque aliquot in vinculis dictauerat pia admonitione, & Chriſtiana pietate plenas, ne eccleſia Chriſti pulchre ab eo inſtituta, eius abſentia in deterius laberentur. Nam quos viua voce conuenire non poterat, ſcriptis tantiſper admonebat, ne ſuæ profeſſionis obliti, à Chriſto aliquando exciderent, præcipue Galatis poſt pſeudoapoſtolos, retro à Chriſti fide ac ſuis rudimentis abeuntibus, epiſtolam è Roma ſcribere non dubitauit, verbis etiam aſperioribus eos commonefaciens, ne vafritia & aſtu à Chriſto abduci ſeſe paterentur. Deum obteſtans, quod quæcunq́; ille in mandatis dederat, ea non ab hominibus, neq́; per homines nactus vnquam fuiſſet, ſed ſola benignitate Ieſu Chriſti; Nimirum quibus tam firmiter credi oporteat, vt ſi angelus quoq́;, vel ipſemet ſecundario ad eos aliquando venerit, ac diuerſum quiddam docere voluerit, probrum ac execrabile id fieret; In qua epiſtola Petri aliquot locis meminit, cuius teſtimonium in hoc negotio, vt Galatis quod dixerat facilius perſuaderet, mirum in modum illi fuerat neceſſarium. Non tamen vſpiam eius mentionem facit, an Romæ ipſum tunc habuerit collegam, vel ſi eis quæ ſcripſerat, & ille ſubſcribere voluerit. Qui certo, ſi tum Romæ fuiſſet, ſaltem eius nomine eos ſalutaſſet, quo facilius tam eminentis Apoſtoli vocabulo permoti reſipiſcerent, & ab extranea doctrina ſegregati, ad mentem redirent quandoq́;. Attamen nihil horum fecerat Apoſtolus, quod maximo eſt teſtimonio, neq́; ea tempeſtate Petrum Romæ fuiſſe, cum tamen viginti quinq́; anni, vel ſecundum quoſdam viginti ſeptem, à Chriſti paſſione, aut aſcenſione præterierint. Cæterum neque in ea quam ad Epheſios Romæ ſcripſerat, epiſtola vllam eius mentionem facit, cuius tamen hæc ſemper alias fuerat conſuetudo, vt collegarum ſuorum nomine, in Chriſtum credentes ſalutaret.

Calumnia octaua ſumma.

PAulus Galatis è Roma ſcribens, Petri nonnullis locis meminit, cuius teſtimonium in hoc negocio, nimirum vt Galatis ita quod dixerat facilius perſuaderet, mirum in modum illi fuerat neceſſarium. Admonuiſſet igitur eos Paulus in epiſtola ſua, vel qood tum Romæ Petrum habuiſſet collegam, vel quod idem epiſtolæ ſubſcripſiſſet ſuæ. Nam ita Galatæ facilius, tam eminentis Apoſtoli vocabulo permoti, reſipuiſſent, & ab extranea doctrina ſegregati, ad mentē rediiſſent celerius. Sed neque ſimiliter ad Epheſios è Roma ſcribens, vllam omnino Petri mentiopem facit, cuius tamen hęc ſemper alias fuerat conſuetudo, vt collegarum ſuorū nomine, credentes in Chriſtum ſalutaret. Qoamobrem & hæc maximo teſtimonio ſunt, non ea tempeſtate fuiſſe Romæ Petrum.

RESPONSIO.

HAud facile nobis eſt, poſt tot ſeculorum volumina cauſas reddere, cur aliquando Paulus collegarum ſuorum in epiſtolis meminerit, & contrà nonounquam tacuerit penitus. Nam vtrunq; feciſſe, cuiuis epiſtolas eius legenti poteſt apertiſſimum eſſe. Scripſit enim vno tempore, quum eſſet in cuſtodia Romæ, quatuor epiſtolas, quod & Hieronymus in commentariis Epiſtolæ ad Philemonem, exactiſſimis docet rationibus, hoc eſt, ad Philippenſes, Coloſſeoſes, Epheſios, & ad Philemonem. In quarum tribus adiungit ſibi Timotheum, hoc eſt, ad Philippenſes, Coloſſenſes, & Philemooem. Verum io epiſtola ad Epheſios, nec ſemel Timothei meminit. Ad Philippenſes enim ſic orditur: Paulus ac Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis. Ad Coloſſenſes ita: Paulus apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, iis qui ſunt Coloſſis. Ad Philemonem ad hunc modum: Paulus vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & collegæ noſtro. Cæterum in ea quam dederat ad Epheſios, ita præfatur: Paulus apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei ſanctis omnibus qui ſunt Epheſi. Ecce ſubticetor Timothei nomen. Sed nec in calce ſalutem vllam illis ex Timotheo, Paulum dixiſſe legimus. Quum igitur Petrus oec ipſi Paulo familiarior fuerat, neq; Epheſiis cōiunctior quam erat Timotheus, quippe quem epiſcopum eis ipſe reliquerat, quid mirū eſſe debet, ſi Petri nomen ſubticuerit, ſicut & de Timotheo feciſſe iam abunde perſpicuum eſt. Erat enim Romæ Timotheus, qoum ad Epheſios Paulus ſcripſerit, ſimul & dictandis ipſis literis pręſens, eratque Paulo chariſſimus, necnon & Epiſcopus illis fuit ad quos Paulus ſcripſerat, & tamen eius nullam omnino Paulus facit mentionem. Fruſtra igitur ex eo cōtenditur, Petrum non fuiſſe Romę, quod Paulus inde ſcribens, nullam in ſuis literis mentionem de illo faciat, quando videmus eundem Paulum, Timothei iam præſentis ne verbulo quidem ad Epheſios ſcribentem, meminiſſe.

PERSVASIO IX.

INdicio ſunt Petrum tempore Pauli Romæ non fuiſſe, & literæ quas per Epaphroditum ad Philip. dederat Apoſtolus, in quibus multorum eos admonet, & quæ erga illum tum temporis gerebantur, manifeſtat, maxime autem quantum illic in euangelio profecerit, dicens, ſua occaſione paſſim Romæ euangelium prædicari ab omnibus, eodem quidem impetu, quamuis diuerſo ſtudio. Quidam enim vinculis & cōſtantia ipſius animati, ſyncero affectu & vere Chriſtiana intentione, fidē Chriſti Romæ omni timore exuto, innulgabant, quidam vero ſola cupiditate nocendi Paulo, ad euangelizandū Chriſtum trahebātur. Putabāt enim fore, quod Neronis tyranni, cui nomē Chri-

ſto fuerat

ſti fuerat peroſum, prouocat iracundia, Paulus gloria in Euangelio faceſſeret, ac tyrannus in eum, vti eius profeßionis autorem, grauius animaduerteret. Fit enim, quæ maxime nobis nocitura ſcierint, ſiue hoc ad noſtrã perniciem nobis palam euulgant. Tum ait Paulus ſibi non eſſe curæ, dum quonis modo euangelium annuncietur, & Chriſtus orbi innoteſcat, ſiue hoc ad vitam, ſiue ad mortem illi ſit ceſſurum. Maluit enim cum Euangelij lucro mori, quam abſq; profectu viuere. Res profecto miraculo digna, ſi Petrus tunc Romæ fuerat, quemadmodum multis iam annis ibi agere debuerat, quomodo Chriſti nomẽ tã moleſte à Paulo Romæ audierit, vt ſubornati in hoc etiam pleriq; homines doloſi ſub Chriſti prædicationis obtentu, Pauli exitium quærerent. Num vero otioſus tot annis illic delituerat, & Chriſti occultauerat fidem Petrus, timens ne in eum ſæuiſſet tyrannus, vt que facilius eorum inſidias, qui aduerſabantur Chriſto, ſubterfugerit? Nam ſi annuatim Euangelium Romæ prædicauerat, ea res non debuit eſſe Paulo timori, ſiquidem Roma tot iam annis antea Chriſtum patientiſſime à Petro audierit: Imo quantumcunq; tumultuante Roma, tyrannus ad vindictam irritaretur, in Petrũ primitus reſultaſſet hæc iniuria, vtpote qui caput eius negotij fuerit. Ecquid igitur formidabat Paulus, ne faba hæc in ſuo, quod dicitur, cuderetur capite, non video. Adhæc, in fine eiuſdem Epiſtolæ ſubdit: Salutant vos omnes ſancti, maxime vero qui de Cæſaris aula ſunt, maxime prorſus dicere debuit, Petrus, omnium noſtrum veluti quidam anteſignanus. En quam inſecurum eſt dicere, etiam tunc temporis Petrum Romæ fuiſſe, dum Paulus captiuus illic teneretur, hac perſuaſione clariſſimum eſt.

Calumnia nona ſumma.

SImiliter ad Philippenſes ſcribens, ſua dicit occaſione paſſim ab omnibus euangeliũ Romæ prædicari, eodem quidẽ impetu, quamuis diuerſo ſtudio. Quidã enim vinculis & conſtantia Pauli magis animati, ſincere & abſq; metu Chriſtum prædicabant. Quidam vero ſola cupiditate nocẽdi Paulo, rẽ aggreſſi ſunt, ſperantes ita Neronem acerbius in Paulum ſæuiturum, velut in eius profeſſionis autorem. Quod ſi Petrus Romæ tum fuiſſet, qui fieri potuit, vt à Paulo Roma tam moleſtũ Chriſti nomen audiiſſet? Num vero tot annis otioſus illic delituerat Petrus, & Chriſti fidem occultauerat, timens ne in eum ſæuiſſet tyrannus? Nam ſi Petrus Euangelium annuatim prædicaſſet, in eius magis quã in Pauli caput hæc faba cuderetur, nimirumq; ipſe quaſi princeps totius negotij fuiſſet. Adhęc, in fine eiuſdẽ epiſtolę, ſubdit Paulus: Salutant vos omnes ſancti, maxime vero qui ſunt ex Cæſaris domo. Quod ſi Petrus illic tũ fuiſſet, dixiſſe prorſus debuit: Maxime vero Petrus, omnium noſtrum veluti quidam anteſignanus.

RESPONSIO.

QVam fallax fuerit hæc argutia, quę petitur ex eo loco, nempe quod non Petri nomine Paulus eos, ad quos ſcripſerat, ſalutarit, opinor ſatis dilucidum eſſe factum ex ea reſpõſione quã proxime ſuperiori calumniæ ſubdidimus. Quamobrem nec operæ precium erit pro poſteriori huius argutiæ parte quicquam amplius in medium adducere. Sed ad priorem tantum reſpondebimus. Quæ profecto nihil habet roboris, quo queat euincere Petrum non fuiſſe Romæ. Neq; enim repugnat quicquam vt antequam adueniſſet Paulus Romam, Petrus vna cũ aliis illic Euangelium diu docuiſſet, & iidem tamen præſentia Pauli magis concitati, vehementius ac ardentius idipſum facerent, quod ante cęperunt. Annon experimur quotidie ligna, quæ paulò ante in fornace lentius arſerunt, per appoſitionem aridioris cuiuſdã ſurculi, magis ac validius accendi, neq; iam excitatũ ardorem prioribus lignis imputari, ſed huic potius quod poſtremo fuit adiectum. Ita quid prohibet, quominus Chriſti prædicati iam recens exorta flamma, Paulo magis aſſcriberetur quam Petro cæteriſq;, qui Paulum in hoc negocio præceſſerunt, vt interim ſileam quantus ignis, præ cæteris omnib. concionatoribus, in ipſis Pauli pectore flagrabat, vt nemini mirum eſſe debeat, ſi per acceſſum Pauli, Euangelij prædicatio magis exardeſceret. Satis igitur iſtam Calumniam nonam labefactant.

PERSVASIO X.

COloſſenſibus per Tychicum ac Oneſimum ſcribẽs Paulus in receſſu epiſtolæ addit: Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus cõſobrinus Barnabæ, & Ieſus qui dicitur iuſtus qui ſunt ex circumciſione. Ii ſoli ſunt auditores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio. Salutat vos Epaphras qui veſtras eſt, ſeruus Ieſu Chriſti. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas. Vide quã omnes nominatim enumeras, qui tunc ei aderant, & cooperatores eius erant in regno Dei, hoc eſt, Eccleſia Chriſti. Gregorius enim inquit: Sæpe in ſacro eloquio regnum cælorum præſentis temporis eccleſia dicitur. Et Chriſtus apud Lucam: Regnum Dei, inquit, intra vos eſt. Quas ob res Paulus dicit: Ii ſoli ſunt auditores mei in regno Dei. Quid ergo Petrus, numquid tanquam veteranus quidam ac emeritus miles in otium tunc ſe receperas, vt non pro ſua virili euangelicas adiuuares partes, cooperatorq; in regno Chriſti non fieres? quod de Petro ſentire horret animus, proinde non te habuit tunc Roma Petre. Nam ſi fuiſſes Romæ & Paulum eundem Chriſtum prædicantem non iuueris, eius iam factionis fuiſſes Apoſtolus, quæ non Chriſtum ædificaret, ſed deſtrueret, ac demoliretur. Omne enim regnum, Chriſto dicente, in ſe diuiſum deſolabitur, ac domus ſupra domum corruet.

Calumnia decima ſumma.

COloſſenſibus identidem Paulus ſcribens, in Epiſtolæ receſſu ſic dicit: Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, & Ieſus, qui dicitur iuſtus, qui ſunt ex circũciſione. Hi ſoli ſunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio. Salutat vos Epaphras, qui veſtrâs eſt, ſeruus Ieſu Chriſti. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas. Vides

quam omnes nominatim enumerat, qui tunc ei aderant, & cooperatores eius erant in regno Dei, hoc eſt, Eccleſia Chriſti. Quid ergo Petrus, nunquid tanquam veteranus quidã ac emeritus miles, in ocium tunc ſe receperat, vt non pro ſua virili euangelicas adiuuaret partes, cooperatorque in regno Chriſti non fieret? Quum igitur hoc animus horret de Petro ſentire, palam eſt eum tunc Romæ nequaquam fuiſſe.

R E S P O N S I O.

SI non fuiſſent plures in regno Dei cooperarij quam quos hic enumerauit Paulus, vbi quæſo Iacobus tum fuerat, vbi Ioannes Euangeliſta, vbi Barnabas ac cęteri Apoſtoli? quorũ pleriq;, nemo dubitat, quin iam extarẽt, nulla tyrannorum adhuc crudelitate necati. Sed inquies. Hi nequaquã Romę fuerunt. Qũid ſi Romę nõ fuerant? laborabant nihilominus in regno Dei. Neq; negabis opinor quin alibi quam Romę, Dei regnũ vigebat. Sed de his (inquis) Paulus intelligit, qui Romæ laborabãt. At neq; de omnib. his intellexiſſe Paulum, vel ex argutia tua proxima conſtare poteſt, qua teſtaris dixiſſe Paulũ, quod ſua occaſione paſſim Romæ prędicatum ab omnibus fuit Euangelium Chriſti. Hoc tu affirmas ſcripſiſſe Paulum ad Philippenſes. Quando igitur eodẽ tempore ſcripta fuerat hęc ad Coloſſenſes epiſtola, quî fieri potuit, vt Paulo tum Romę non eſſent plures ad regnum Dei cooperarij quã hi tres, nimirum Ariſtarchus, & Marcus atq; Ieſus, quum idem, vt tu recenſes, aſſerat euangeliũ, Romæ paſſim ab omnibus, occaſione ſua iam fuiſſe prędicatum? Num hoc eſt paſſim ab omnibus prędicari, quum à tribus duntaxat euangeliũ prędicatur? Erras igitur, Paulum haud recte capiens. Neq; enim is tantum dixit: hi ſoli cooperarij ſunt ad regnum Dei; ſed adiecit, qui fuere mihi ſolatio. Vt intelligas hos præ cæteris, qui ad Dei regnũ Paulo cooperabantur, eidem fuiſſe maiori ſolatio. Et more ſuo fortaſſis hyperbolice locutus eſt, volens ita peculiarius eos Coloſſenſibus cõmendare. Non prorſus itaq; negat Paulus, alios fuiſſe ſibi ad Dei regnum cooperarios, ſed ex nullis aliis, qui operarij eſſent ſibi, tantũ ſolatij fuiſſe ſuppeditatum. Nam erant adhuc, cum alij pleriq;, tum Narciſſus Romæ. Erant Andronicus, & Iunias, Priſcillaq; & Aquilas, quos, è Corintho Romã ſcribens, adiutores ſuos vocauit, ac ſalutauit amantiſſime. Nihil igitũ agit hac argutia Velenus, aduerſus prçſentiã Petri Romę, quũ fieri potuit, vt eſſet Romæ Petrus, & vel in alia cuſtodia multũ diſtãte poſitus, vel tot tantiſq; ſic ei negociis occupatus, vt aſſidere Pauli vinculis & ei ſolatium aſſiduum impendere non licuerit. Poſſumus tamen vel ex eo deprehendere Petrum tunc fuiſſe Romę, quod Paulus in eadem epiſtola, Marci conſobrini Barnabæ mentionem faciat, quẽ Petrus chariſſimum habuit, & in epiſtola ſua priori vocat filium, quemque paſſim hiſtorici tradunt Romæ cum Petro fuiſſe, & euangelium, quod Marci iam dicitur, ibidẽ ſcripſiſſe. Neq; alius iſte Marcus eſt ab eo, quẽ Velenus dicit à Paulo vocari in epiſtola ad Philemonẽ, Marcum Ariſtarchũ, de quo mox plura ſumus dicturi.

P E R S V A S I O XI.

ONeſimus, quem Phrygem genere quidam fuiſſe putant, Philemonis Coloſſei ſeruus, compilatis rebus quibuſdam ipſius Romam fugitiuus venerat, illicq; Paulo de Chriſto concionante audito, Chriſtinominis factus eſt candidatus, ac baptiſmate in Chriſticolarum conſortium aſcitus. Porro ne quid labis priſtinæ ſceleſtæ vitæ in eo remanſerit, conſcientiam Apoſtolo aperuit & iniuriam, quam Domino ſuo intulit, rebus quibuſdã illius ſurreptis, confeſſus eſt, quem Paulus, quia nimium adamarat, non ſibi tẽperare potuit, quin potius benigno ac ſcite epiſtolio eum Philemoni reconciliaſſet, hanc ſibi iniuriam in Philemonem bene meritus donari poſtulans. Et ſi quid damni re pecuniaria aut alia quauis, Oneſimi profugio acceperit, pro eo ſe vadem ponens, omniaq; ſe depenſurum eius loco promittens. Et in epiſtolę principio Philemonem, Appiam vxorem ipſius, & Archippum Coloſſenſis eccleſiæ Epiſcopum ſalutãs, quo id facilius pro quo interpellauerat, vt ſenſit Chryſoſtomus, impetraſſet, Timothei nomen adiungit dicens: Paulus ſeruus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater, Philemoni &c. Cur hic Petri nomen in ſalutatione Paulus ſupprimit, ſi Timothei appoſuit, qui facilius tam magni euangelici præconis authoritate motus offenſam forte Oneſimo condonaſſet. Proh pudet me tot ſeculorum, quibus Paulinæ literæ tinea corroſa, ſitu ac pedore fœdata, intra angulos delituerant, paſſimq; ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in eccleſia ſubnaſcerentur, vel ſola occurrere potuerit. Quid enim tam manifeſte oſtendere potuit Petrum Romæ non fuiſſe, quam hæc ad Philemonem epiſtola à Roma per Oneſimum tranſmiſſa. Sed nunquid forte Philemonem, & presbyterum Coloſſenſem Archippum, nomine Petri ſaluere iubet Apoſtolus. ad finem epiſtolæ properemus: Salutat te Epaphras, inquit, concaptiuus meus, Marcus Ariſtarchus, Demas & Lucas adiutores mei. O infelicem Petrum, ſi tum Romæ fuerat, & Paulum in hoc honeſtiſſimo deſtituit negocio.

Calumniæ vndecimæ ſumma.

RVrſum Paulus datis ad Philemonem literis, ob Oneſimi ſerui reconciliationem, quo facilius ab eo, quod petiit, impetraret, nomen adiungit Timothei. Paulus, inquit, ſeruus Ieſu Chriſti, & Timotheus frater, Philemoni, &c. Cur hic Petri nomen, ſi Romæ tum is affuiſſet, in ſalutatione ſubticuiſſet Paulus, quum credibile ſit, Philemonem Oneſimo facilius offenſam condonaſſe, audito nomine Petri, quam plurium Timotheorum. Sed quum nec eius nom[illegible]is meminerit in epiſtolæ receſſu, vbi ex aliis m[illegible] Philemoni, ſimul & Archippo ſalutem dicit; quid poteſt manifeſtius oſtendere, Petrum eo tempore neutiquam fuiſſe Romæ.

R E S P O N S I O.

SVpra monſtrauimus, haud ſatis efficaciter ex eo conſequi, Petrum Romæ non fuiſſe, quod inde ſcribens Paulus eius haudquaquam meminiſſet.

Et

Et ſane quiſquis obſeruat, quanta diligentia Paulus vbique ſuam tueri ſtudet antoritatem, is facile perſpiciet quod nihil iſta repugnant, nempe quod Petrus Romæ fuerat, & tamen eius nullam omnino Paulus ſecerat mentionẽ. Aduerte quoties ad Epheſios literas mittit, nempe ſemel ad ipſam eccleſiam, & bis ad Timotheum, dum is ibi moraretur, & tamen Ioannis apoſtoli qui fuerat Epheſiorum Epiſcopus meminit nuſquã. Et rurſum ex Italia ſcribens ad Hebræos, Iacobi tamen Hieroſolymitanorum Epiſcopi nullam omnino mentionem facit. Sed & ad Epheſios quum ſcriberet è Roma, quemadmodũ ante diximus, quanquam ſecum haberet tunc pręſentem Timotheũ, quem & ea Epheſo diſcedens Epheſiis ante commendarat, nihil tamen vel in Epiſtolæ ipſius initio, vel in calce, ne verbo quidem Timothei meminit. Et quod magis mirabere, dictatis eodem tempore literis ad Philippẽſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, ſemper ſibi Timothei nomen adiungit, & Timothei nomine ſalutat eoſdem. Quis hic nobis Pauli conſilium explicabit, aut exactam reddet huiuſce rei rationem, cur in his expreſſit, in illis prorſus reticuit Timothei nomen, quum tamen vno tempore ſcriptæ fuiſſent, & ipſe quinetiam Timotheus, dum omnes dictarentur, eſſet tum præſens. Cæterum quum neq; tanti momẽti fuiſſet ea res quam Paulus ab ipſo Philemone poſtularat, neq; ſatis apparet quam Petrus cum Philemone cõſuetudinem prius habuiſſet, nulla ratio videtur, cur Petri nomen in ea Epiſtola debuiſſet adiungi. Fruſtra igitur hic Velenus exclamat inquiens: proh pudet me tot ſeculorum, quibus Paulinæ literæ, tineis corroſæ, ſitu ac pædore fœdatæ, intra angulos delituerãt, paſſimq; ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in eccleſia ſubnaſcerentur, vel ſola occurrere potuerit. Quaſi non eſſent hæ literæ veteribus illis theologis nocturna diurnaque manu verſatæ, nempe Tertulliano, Athanaſio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, cæteriſque tam Græcis, quam Latinis innumeris, quorum nemo tam oculatus fuit, vt hunc errorẽ deprehendere potuerit, quem iam, ſi diis placet, reperit Velenus. Quod ſi lectio ſola, quemadmodum Velenus, his erroribus potuiſſet occurrere, mirum eſt quomodo tanta & tam ſplendida ingenia, quæ nulla re magis quam Paulinis epiſtolis exercitata fuerunt, vſque adeo cæcutiebant, vt nequiuerint id deprehendere, qnod tam acute cernit Velenus, nempe tot locis Paulinis repngnare, qnod Petrus vnquam Romæ fuerat.

PERSVASIO XII.

PEracto iam dicto biennio, multiſque Romæ ad fidem Chriſti conuerſis, ac epiſtolis hinc inde per eccleſias tranſmiſſis, tandem Paulum in libertatem aſſeruit Nero, è compedibuſq; dimittere fecit, quod ipſemet ad Timotheum teſtatur Paulus dicens: Liberatus ſum de ore leonis. Captiuitas etenim hæc intra hoc quinquennium fuerat, de quo Traianum imperatorem Sex. Aurelius dicere ſolitum memorat: Procul diſtant cuncti principes à Neronis quinquennio, adeo enim comis, benignus, affabilis & modeſtus quinq; primis ſui imperij annis Nero fuerat, vt de eo Tranquillus ſcribens, à pietate hunc imperij exordia feciſſe dixerit; Et tantum aberat, vt infra hoc quinquennium Nero morti deuouerat quempiam, quod moleſte & indignanter eis qui morti ſententiam in aliquem pronũciauerint, pro conſuetudine ſubſcribere etiam fuerat ſolitus. Nam ſemel admonitus, vt in ſupplicio cuiuſdam capite damnati ex more ſubſcriberet, quam vellem, inquit, neſcire literas. Hic igitur pro ſua erga omnes beneuolentia Paulum tunc temporis demiſit liberũ. Reliquis autem nouem imperij ſui annis, in omnẽ luxum, turpitudinem, truculentiam adeo ſe effudit, vt impietate omnes facile, ſceleſtiſſimos etiam homines, ſuperaſſet. Quamuis Ioſephus libro antiquitatum 20. cap. 6. nimis incertam de Nerone eſſe hiſtoriam tradat, dicit namq;: Multi de Nerone hiſtoriam conſcripſerunt, quorum quidam pro gratia beneficiorum eius neglexere veritatẽ. Alij vero propter odium & eius inimicitias, ſic impudenter mendaciis inuoluti ſunt, vt aperta reprehenſione ſint digni. Ideo ſæuiente iam Nerone, ac tyranno non imperatore exiſtente, poſt decennium iterum Paulus in vincula relapſus eſt, & peius quã vnquam antea ab eo habitus. Vnde epiſtolam illam, quæ ad Timotheum habetur altera, ſcribens, prioris captiuitatis meminit his verbis: In prima mea defenſione nemo mihi aſtitit, ſed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur, Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum ex ore leonis. Vbi tunc Petrus fuiſſe cenſendus eſt? Romæ reuera non fuit, alioqui Paulo cauſam pro capite apud Neronis tribunalia peroranti, & ſeſe defendenti eum non adfuiſſe, iniquum prorſus fuiſſet. Quem ſi ex induſtria quoq; dereliquerit, nulla excuſatione deinceps dignus haberetur. Ego tamen millies tolerabilius iudico, Petrum nunquam Romæ fuiſſe credere, quam hanc calumniam, quod Paulum deſtituiſſet, in tam ſublimem Apoſtolum reiicere.

Calumnia duodecima ſumma.

PAulus peracto iam dicto biẽnio, libertati ſuę reſtitutus per Neronem, quem adhuc conſtat benigniſſimum egiſſe principem, denuo poſt aliquot annos, in carcerem ab eodem Nerone iam ſæuiente, & tyrannidem exercente, cõiectus fuit. Ex carcere igitur, ſecundam, quę ad Timotheum habetur, epiſtolam ſcribens, prioris captiuitatis meminit, ad hunc modum: In prima mea defenſione, nemo mihi aſtitit, ſed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur, Dominus mihi aſtitit, & conformauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum ex ore leonis. Vbi tunc Petrus fuiſſe cenſendus eſt? Romæ reuera non fuit, alioqui Paulo cauſam pro capite apud Neronis tribunalia peroranti, & ſeſe defendenti, iniqunm prorſus fuiſſet nõn affuiſſe Petrum. Quod ſi Paulum ex induſtria dereliquiſſet, nulla deinceps excuſatione dignus haberetur. Ego tamen millies tolerabilius iudico, Petrum nunquam fuiſſe Romæ credere, quam hanc calumniam, quod Paulum deſtituiſſet, in tam ſublimem Apoſtolnm reiicere.

RESPONSIO.

QVamquam ipſam calumniam Veleni, breuiorem in formā contraximus, reiectis multis, quæ ſuperuacanea videbantur, tamen vt eadem adhuc magis friuola cunctis appareat, paucioribus eam perſtringere curabimus, ad hunc modum: Paulus teſtatur ſe fuiſſe derelictum ab omnibus, quamobrem & à Petro, ſi tum is fuiſſet Romæ. At hoc de Petro quemquam affirmare nefas eſt, nempe quod Paulum in tanto diſcrimine deſtituiſſet. Non fuit itaque Petrus Romæ. Nos hic dicimus, Paulum de his fuiſſe locutū, qui ſibi pridē miniſtrarunt, de quibus & paulò ante conqueritur: Demas, inquit, me reliquit, amplexus præſens ſeculū, & profectus eſt Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. At non erat ex eorum numero Petrus, à quibus ipſe Paulus tale miniſterium expectauit, habuit enim Petrus negotia ſua. Curam egit gregis ſui. Etiam ſorte vidit inſtare tempus quo maxime confirmari deberent in fide, ne metu cōſternarentur, & à ſuſcepto chriſtianiſmo deficerent, quū ipſum Paulum, nempe tantum Apoſtolum, audirēt ſiſti Cęſaris tribunalibus. Adde quod ſatis ipſe nouit Pauli facundiam, nec de eius conſtantia quicquā dubitauit, ſed & perſuaſiſſimum habuit Spiritum ei non defuturum. His aut aliis forte rationib. permotus Petrus, vtilius ſore duxit, vt non deeſſet gregi ſuo (quem Chriſtus ei tantopere cōmendauit) quam quod ſtudio Pauli (quē vel Spiritu ſorte pręnouit pro Chriſto moriturum) gregem ſibi cōmiſſum periclitari ſineret. Intellexit ergo Paulus, quū ſe derelictū fuiſſe quereretur, vel de his, quos ex Iudæa ſecum aduexerat, vel de aliis, quib. in negotiis ad ſe ſpectantibus familiariter vti cōſueuit. Sed de Petro nequaquā, quippe qui nunquā ei ſolitus fuit adhærere. Et dixit, omnes, more ſuo loquendi, quum certū ſit, non omnes eum deſeruiſſe. Sic enim & alibi dixit: Omnes quęrunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti; quum ſciret eſſe nonnullos, qui ſatis ardenter Chriſtum quærerent, nēpe Petrum, Iacobum & Ioannem. Et ad eundem modum hoc loco dicit: Omnes dereliquerunt me. Quum tamen Lucas eum haudquaquam deſeruiſſet, id quod in eadem epiſtola teſtatur: Lucas, inquit, eſt mecum ſolus. At Lucas, inquis, nihil iuuare Paulū in ſua defenſione potuit. Potuit hauddubie, quandoquidem & alibi de eo ſcribit Paulus, quod eſſet laus eius in Euangelio, per omnes eccleſias. Et rurſum in epiſtola ad Philemonem, Marcum, Ariſtarchum, Demam & Lucam, vocat auditores ſuos.

PERSVASIO XIII.

NOtum eſt Lucam Euangeliſtam, & Apoſtolicarum actionum hiſtoriographum, indiuulſum totius peregrinationis Paulinæ fuiſſe ſocium, quem ille filij ſemper dilexit loco, honorificamq; eius mentionem pleriſq; facit in locis dicens, illum maximam laudem in Euangelio fuiſſe. Nam cum omnes etiam à Paulo defecerint, hic ſolus nunquam ei non adhærebat, nō minis, nō vinculis, non ſexcentis perſecutionibus perterritus. Cuius hiſtoria ad hæc vſq; tempora, quibus Paulus vinctus è Hieroſolymis Romam perductus, ibiq; in conducto à milite cuſtoditus eſt, peruenit. Veluti eius rei capite vltimo copioſe meminit, quomodo videlicet Paulus Romam perductus fuerit, quomodo fratres, qui eo tempore Romæ fuerant, ad Appij forum ei obuiam venerint, quomodo trium dierum ſpacio euoluto, Iudæos ad ſe accitos habuerit, quomodo colloquutus cum eis fuerit, quomodo eos confutauerit, & ſingula ordinatim proſequitur. Nullā tamen alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuiſſet toto hoc biennio, vel quid rerum Petrus Romæ fecerit interim, dum Paulus verbum Dei ardentiſſime illic tum deprædicaſſet. Et tamen tunc temporis hanc hiſtoriam fuiſſe ſcriptam creditur, quando Paulo Romæ in catenis degenti ille intrepide miniſtrauerat, qui vſque adeo Pauli ſtudioſus fuerat, vt quicquid hactenus de eo comperierat, cuncta in ſuam hiſtoriam diligentiſſime congeſſerit, etiam Hieronymo de viris illuſtribus atteſtante: Luca, inquit, hiſtoria vſque ad biennium Romæ commoranti Paulo peruenit, id eſt, vſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum eſſe compoſitum. Igitur viſionem Pauli & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas ſcripturas computamus. Quale enim eſt, vt indiuiduus comes Apoſtoli inter cæteras eius res hoc ſolum ignorauerit? Hactenus Hieronymus. At quid hoc? nonne non ſolum Apocryphum, ſed plus quam falſiſſimum erit, Petrum Romam ſecundo Claudij anno veniſſe, ibiq; vigintiquinq; annis epiſcopatum tenuiſſe? Cum Lucas in tam præſtantiſſima diligentiſſimaq; hiſtoria nullam mentionem facit, qui dubio procul, ſi tunc Romæ fuiſſet, non hoc toto biennio ocioſus complicatis, vt dicitur, manibus illic ſediſſet, vel ſaltem nō ſic delituiſſet, quin à Paulo vel Luca cōſpici inueniriq; interdū potuerit.

Calumniæ tredecimæ ſumma.

LVcas Euangeliſta, geſtorum apoſtolicorum ſcriptor, & totius peregrinationis Paulinæ comes indiuulſus (cuius hiſtoria ad ea tempora, quibus vinctus è Hieroſolymis Paulus Romam perductus, ibiq; in conducto à milite cuſtoditus eſt, peruenit) copioſe meminit, quomodo fratres qui eo tempore Romæ fuerant, ad Appij forum, Paulo venerint obuiam, quomodo trium dierum euoluto ſpacio, Iudęos ad ſe accitos coràm habuerit, quomodo collocutus cum eis fuerit, & eoſdē confutauerit; ac ſingula proſequitur ordinatim. Nullam tamē alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuiſſet hoc biennio toto, vel quid rerum Petrus Romæ feciſſet interim, dum Paulus ardētiſſime Dei verbum ibidem prædicaſſet. Id quod hauddubie nec Lucas ſiluiſſet, nec prætermiſiſſet Petrus, modo tunc fuiſſet Romæ.

RESPONSIO.

HÆc calumnia ſi roboris alicuius eſſet, æqua facilitate colligerem, alia plurima nunquam eſſe facta, quæ tamen reuera fuerant. Quid enim Lucas de iis, quæ toto illo biennio Paulus egit,

memorat,

memorat, niſi ſummatim & quã panciſſimis verbis? Manſit, inquit, Paulus biennio toto in ſuo conducto, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad ipſum, prædicans regnum Dei, ac docens, quæ ſunt de Domino Ieſu, cum omni fiducia, nemine prohibente. Hactenus ipſe Lucas. Neque aliud quicquam de toto boc biennio narrat. Nihil de illis omnino dixit, quos ex domo Cæſaris magna ſibi neceſſitudine coniunxit Paulus, quorum etiam nomine Philippenſes auſus eſt ſalutare: Salutant, inqnit, vos omnes ſancti, maxime autem qui ex Cæſaris domo ſunt. Nihil de literis, quas certum eſt Paulum ex conducto ſuo miſiſſe variis eccleſiis, nempe Galatarum, Epheſiorum, Philippenſinm, Coloſſenſium, quas adhuc orthodoxi maxima veneratione legunt. Nihil de Pauli raptu ad prætorium, aut de ſua defenſione, quum tamen Paulns ad Philippenſes teſtetur, vincula ſua manifeſta facta fuiſſe in toto prætorio cæteris omnibus. Quamobrem ſi negatiuum argumentum quicquam valeret, nihil horum aliquando fuiſſe pari efficacia conuinceremus. Sed vt propius ad rem veniamus, câdem calumnia pancis monſtrabimus, Petrum Antiochiæ fuiſſe nunquam. Quod tamen falſiſſimum eſſe, Paulus ad Galatas apertiſſime docet. Quum veniſſet, inquit, Petrus Antiochiam, palam ei reſtiti. Nam antequam veniſſent quidam à Iacobo, vna cum gentibus ſumebat cibum. Quum autem veniſſent, ſubduxit ſe ac ſeparauit ſe ab illis, metuens eos, qui erant ex circũciſione, ac ſimulabant vna cum illo cæteri quoque Iudæi, adeo vt Barnabas ſimul abduceretur in illorum ſimulationem. Verum vbi vidiſſem, quod non recto pede incederent ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu quum ſis Iudæus, gentiliter viuis ac non Iudaice, cur gentes cogis Iudaizare? Ecce quomodo Petro quum Antiochiæ fuerat, palam reſtitit ei Paulus, & qua ratione. Cæterum de iis Lucas ne verbum quidem ſcripſit. Quamobrem & iuxta cauillum tuum nunquam fuiſſet Antiochiæ Petrus. Sed Hieronymus eiuſmodi ſophiſtas qualis Valenus eſt, præuidens, hunc locum in Epiſtola ad Epheſios tractans his proſternit verbis: Nec mirum eſt, ſi Lucas hanc rem tacuerit, quum & alia multa quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit. Et paulo pòſt: Denique primum Epiſcopum Antiochiæ eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatum; quod Lucas penitus omiſit. Perperam igitur aduerſarius colligit, non fuiſſe Romæ Petrum, quod Lucas de præſentia eius nullam fecerit mentionem. Adhęc, omnes teſtantur, Epheſi Ioannem ſediſſe, vbi & rogantibus cum Aſianis Epiſcopis Euangelium ſuum ſcripſit. Veruntamen quum ſæpius Epheſum veniſſet Paulus, ibique triennium, vt acta perhibẽt, fuiſſet commoratus, nihil vnquam Lucas meminit, an vel alloquio ſuo Ioannes Paulum aliquando fuiſſet dignatus hoc toto triẽnio, vel quid rerum Ioannes Epheſi feciſſet, interim dum Paulus ardentiſſime Chriſti verbum illic deprædicaſſet.

Quis iam non perſpicit quam ineptiſſime dialecticatur Velenus noſter, colligere molitus, Petrũ nunquam Romæ fuiſſe, ex eo quod Lucas aduẽtum Pauli Romã deſcribens, nullam de Petro feciſſet mentionem. Sed heus, bone Velene, legisne apud Lucã vltimo capite, quod quum audiſſent fratres de Paulo, prodierunt, in occurſum eius, vſq; ad Appij forum, ac tres tabernas. Et quî ſcis, an inter iſtos fuiſſet Petrus, præſertim quum indiſcriminatim omnes appellari fratres conſueuerunt? Sed inquies: Tum expreſſiſſet Petrum nominatim. Nihil oportet. Nam & alios poſſum commemorare tibi locos, quibus ita non facit. Sed neque deinceps ad finem vſq; libri cuiuſquã alterins, præterquam vnius Pauli, nomenclaturam appoſuit, quum non ſit dubium viros egregios & inſignes in ea nihilominus fuiſſe multitudine. Sed iam abunde ſatis eneruatur iſta calumnia.

PERSVASIO XIIII.

Circiter vigeſimumſeptimum poſt aſcenſionem Chriſti ad patrem, ac Neroniani imperij quartum aut quintum annum, Petrum Romæ nondum fuiſſe, id iam tam manifeſtum, quam quod manifeſtiſſimum eſt. Sed quia neque vltimo Neronis anno, hoc eſt, poſt paſſionem Chriſti, & eius ad parentis dextram aſcenſionem triceſimoſeptimo, illuc venire potuerit, hoc deducitur. Quoniam Paulus è manibus Neronis elapſus in Hiſpaniam, vt Lyra & alij quidam volunt, & partes Occidentis iter adornauerat. Eius enim intentionis Apoſtolum fuiſſe, etiam cum Romanis literas ſcripſerat, certum eſt. Peractis autem ibi decem annis rurſum ad Neronis manus deuenit, & mortem accelerare videns ſcripto Timotheum commonefacit, vt aſſumpto ſecum Marco Romam ſeſe recipiat, eo quod præter Lucam nullus iam ei reſiduus fuerit collega. Sed quomodo tuis dictis, mi Paule, fidem habere potero, cum tota hæc Romana colluuies, à ſecundo Claudij anno vſque ad finem imperij Neroniani, Petrum perpetuo Romæ duraſſe exerta voce proclamet? Qui ergo fieri potuit vt ſolus cum Luca Romæ fueris? O doctor gentium, facile id tuæ credo veracitati, Petrum Romæ nunquam te vidiſſe, & aliis recedentibus, ſolum cum Luca remanſiſſe. Nihil me mouent verba ſacræ ſcripturæ tyrannorum, qui Chriſtum ac tua dicta adulterare, fœdiſſimeque proſtituere in deliciis habent. Cæterum eadem Epiſtola ſcribit: Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domus, quia ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, ſed cum Romam veniſſet, ſolicite me quæſiuit, & inuenit: det illi Dominus inuenire miſericordiã à Deo in illa die. Non obſcurum eſt ex his verbis, quanta gratitudinis erga eos fuerit Apoſtolus, qui officium aliquod in eum contulerint, vt non poſſit hic ſatis gratulari, ac ſuum gaudium verbis exprimere, quod ei conciliauerat Oneſiphorus ſuo aduentu, qui peregre veniens non tamen conquieuit, donec hunc inueniſſet. Potuit certe Oneſiphorus hic à Petro, ſi tunc fuerat Romæ, certior effici, quo locorum Paulus Romæ ſeſe continuerit, & liberatus fuiſſet multum anxia illa ſollicitudine, qua Paulum hinc inde per Romam diſcurrendo inueſtigauerat. Mirum, ſi Paulus neminem præterit, à quo aliquod per-

Oroſius non ita multo poſt Petrum & Paulum communi mendacio deceptus, à Nerone martyrium paſſos ſcribat. Et ſequenti mox autũno, peſtilentiam Romæ obortã adeo magnam ut uno autumno ad triginta millia hominum vita deceſſerint quam peſtilentiã Neronis imperio decreſcente factã Suetonius in vita ipſius deſignat. Illis itaq; ambobus Romæ degentibus, Paulo in carcere, Seneca in regia Neronis, cum alter de altero magna ſibi polliceretur, & neuter neutrum alloqui potuiſſet, vel quod inde vtriq; immineret periculum (quandoquidẽ lege cautum fuerat, ne quiſpiam Chriſtianum, aut Iudæum alloqueretur) vel quod Seneca non fuerat integrũ, Paulũ carcerem aduiſitare, ne quid exinde tyrannũ offenderit, aut ipſe quoq; conijceretur in carcerẽ Quapropter epiſtolis hanc colloquendi ſarciebant penuriam, & quidẽ mutuũ amorem vtrinq; præ ſe ferentibus, neuter tum Petri alicubi meminit, qui viginti quatuor annis iam tum Romæ agere debuerat, nondũ tamen fuerat Seneca doctiſſimo, in Chriſtianoſq; benigniſſimo homini cognitus, cui procul dubio nonnihil gratificatus fuiſſet, ſi quod Paulus ob carceris impedimentum non poterat, ipſe eius deſiderio ſatisfeciſſet, & de Chriſto ſecum confabulatus, in numerum Chriſtifidelium aſſeruiſſet Quod Paulus etiam facere debuit, vt ablata ſibi Senecã alloquendi copia, eum ad Petrũ nulli Apoſtolorum poſtponẽdum relegaret, qui nihilo detectius fidei Chriſtianæ primordia ei tradidiſſet. Sed quis, ut forte exoculatus, non videat omnia hic repugnare peſtiferæ huic opinioni, quod Petrus Romã vnquã venerit, à Nerone paſſurus, cum tot rationibus conuincatur, ad vltimum vſq; Neronis imperij annum, Petrum Romam nunquã veniſſe, tantum abeſt, vt martyrium ab eo paſſus fuerit. Nã legitur & in ea, quæ tertia eſt Senecæ ad Paulum Epiſtola quod eius plurimũ rei cauſa Nero Apoſtolo fuerat indignatus, quod à ritu & ſecta priſtina Iudæorũ, qui phariſæus olim fuerat, non ſolum ipſe receſſerit, ſed & alijs hoc ſuaſerit faciendum. Quod plane Petrus prior Paulo Romæ facere debuerat ſi tot annis ante aduentum in vrbem ipſius illic reſederit.

Calumniæ quindecimæ ſumma.

IN epiſtolis inſuper illis quæ Pauli & Senecæ nominibus inſcribuntur, nulla prorſus fit mẽtio Petri. Sed & in ea, quæ tertia eſt Senecæ ad Paulũ, legitur, quod eius rei cauſa Nero plurimũ indignabatur Paulo, q̃ à ritu & ſecta priſtina Iudæorũ (qui phariſæus olim fuerat) nõ ſolum ipſe receſſerit ſed & alijs hoc ſuaſerit faciendum. Quod plane Petrus prior Paulo facere debuerat, ſi tot annis ante aduentum ipſius in vrbem illic reſediſſet. Quare nec Romæ prior fuit Petrus.

RESPONSIO.

NEc vllius ponderis hãc calumniã eſſe, maniſeſtiſſimum eſt, non modo q̃ ex negatiuis ipſa procedit, verumetiã quod epiſtolæ dictæ, vel eruditiſſimorũ cenſura, negãtur à Paulo Senecaq; cõſcriptæ. Teſtatur hoc inprimis Eraſmus, cuius vnius in hac parte iudicium, aduerſus alios mille, mihi ſufficeret. Sed fingerem ita ſe habere, quod illorũ eſſent hæ epiſtolæ. Quid in eis quæſo cõtinetur, quod cum noſtro pugnet inſtituto? Nunquid ſi Paulo, quia phariſæus fuerat, & ſectã reliquerat phariſaicam, Nero ſuccẽſuit, propter hoc debuit & Petro ſuccenſere, qui phariſæus nõ erat, neq; talis vnquã ſectæ cultorem ſe profitebatur? Sed Iudæus, inquis, erat Petrus. Eſto. Neq; iam negaret ſe Iudæum eſſe, quanquã Chriſtianus eſſet factus, quum & Chriſtianus quiſq; multo verius Iudæi nomen teneat, quam is, qui ſolũ carnaliter eſt Iudæus. Sed vnde quæſo compertũ eſt cuiuis, quod non ſimilẽ aduerſus Petrum Nero cõcepiſſet indignationẽ? Num epiſtola Senecæ palam id negat? Audiamus epiſtolã, quæ ſic habet: Seneca & Lucilius Paulo. Nimio tuo angimur ſeceſſu. Quid eſt, vel quæ te res remoratũ faciunt? Si indignatio Domini, quod à ritu & ſecta veteri receſſeris, & alios rurſus conuerteris, erit poſtulandi locus, vt ratione factũ, non leuitate, hoc exiſtimẽ. Vale Paule chariſſime. Hæc eſt illa videlicet epiſtola tam eximia, vt Senecæ & Lucilij nomine digna ſit, quæ ad Paulũ ſcribatur. Quæ certe nec affirmat, quod Nero ſit aduerſus Paulũ indignatus. Sed vt hoc affirmarit, non negat tamen, quin pariter & aduerſus Petrum vere ſuccenſuerit. Et tamen, ex hac epiſtola molitur aduerſarius oſtendere, Petrum non fuiſſe Romæ.

PERSVASIO XVI.

NEminem adeo hebetem ac ſtupidum puto, quin intelligat Petrum non modo Romæ paſſum non fuiſſe, ſed nec eum fuiſſe illic quidẽ Et ne quis moueatur inuerecunda illa Romanæ Curiæ voce tot teſtimonia proferẽtis, perpẽdat ſecum, quam item de paſſione Petri & Pauli alterutrũ conueniant autores Ambroſius ſermone illo 17. de Petri & Pauli martyrio diſſerens, dicit: Vna die, vno in loco vnius tyrãni coles aucero ſententiam; & hæc cum multis alijs communis eſt ei opinio, imo totius Romana eccleſia in eorum ſolennitate decantantis: Glorioſi principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerant ſe, ita & in morte nõ ſunt ſeparati. Falſa vero eſſe hæc, paſſiones vtriuſq; ſub nomine diſcipulorum Pauli conficta produnt, dum neque cum iſtis, neq; ſecum conueniant. Quod enim hic dicitur, vna dies eos paſſos fuiſſe, id Linus apertiſſime negat, & hoc varia quidem ratione, quas ego ob prolixitatem huc non adduco verũ lectorem ad paſſiones illas per commentitiũ Linum deſcriptas, & à Iacobo Stapulenſe latinitate donatas remitto Dionyſius vero, nõ ille Pauli diſcipulus ſed neſcio quis mendaciſſimus nebulo, priori opinioni ſubſcribit Sed nunquid & vno in loco paſſos concorditer omnes ſcribunt: hic euidẽ mẽdaciorum portenta Quidã enim hoc fatentur ingenue, cantante etiam Romana eccleſia nec in morte eos fuiſſe ſeparatos, ſed ſicuti vna die ita in vno loco morti fuiſſe traditos At Linus Petrũ in loco, qui Naumachia appellabatur, cruci præpoſtere affixum ſcribit: In quo autem Paulus ceruicem amiſerit, non meminit: Sed hoc vno ſatis teſtatur noluiſſe ſe dicere, vno in loco paſſos, cũ alios apparitores & carnifices alios, motu, percuſſores eorũ vtriq; aſſignet. Porro Dionyſius ille, aperti verbis ab eorã diuerſitate ſententia nam inquit, cum ad mortẽ ducerẽtur, & ab inuicẽ ſepararentur, Petro dixiſſe Paulũ: Pax tecum fundamentũ eccleſiarũ & Paſtor ouium & agnorum Chriſti Deinde quod Neronis edicto ambo ad exitiũ peruenerint, ne hic quidẽ conſentiũt. Nã cum omnes autores Neronẽ pronunciẽt autorem ſolus tamen Linus Agrippam Petrũ interime imperaſſe teſtatur. Scribit namq; q̃ Petro Romæ degẽte multa ſexus fœminei monitu Petri,

illecebris

illecebris luxuria abrenunciauerunt, inter quas Agrippæ concubinæ quatuor fuere, quarum continentia indignationis materiam Agrippæ præbuerat, ita vt Petrum cruce interimere iuſſerit, hac de re quamuis tota Roma tumultuaretur, imperatore tamen nihil ſciente. Et multa ſunt figmenta, quibus illi mutuo diſsident, dum nihil certi ſuper ea re pronunciare nouerunt, quæ ibi ergo fides, vbi nulla eſt concordia? Nam vel hoc ſolum diſsidium mendacium eorum prodit, nec dum vnum vidimus arbitrum, qui hanc intolerabilem inter eos litem dirimere aliquando auſus fuiſſet. Hiſtoria enim, quam de Nerone quidam nobis reliquerunt, inſecurum eſt credere, vt iam Ioſephi adſcripſimus verba; Imo res profectò miranda, quod Ioſephus ipſe, qui à Veſpaſiano, expugnata Hieroſolyma, Romam perductus eſt, ibidemque agens Domitiani fere ſuperauit tempora; & hiſtoriam Iudaici belli in vrbe conſcribens, Veſpaſiano, eiuſque filio Tito nominatim dicauit, in eaque à Nerone interemptorum, vt etiam alias in Antiquitatibus meminit, nec vllam mentionem de Petro ac Paulo facit, qui tamen erga Chriſtianos fauentiſsimus fuerat, & arrepta occaſione, non ſine honoris proœmio eorum ſolebat meminiſſe, velut Ioannis Baptiſtæ in Macherunta caſtello obtruncati, libro Antiquitatum duodeuigeſimo. Et Iacobi Apoſtoli fratris Chriſti Ieſu, ac Hieroſolymitanorum presbyteri, li. 20. id propter crediderim ego vitæ exitum Hieroſolymis vna cum Iacobo & quibuſdam aliis Petrum accepiſſe, ſiquidem Ioſephus & alios nonnullos tunc temporis cum Iacobo, ab Anano Iudæorum pontifice interfectos ſcribit. Nam & ipſa reclamat ratio, Petrum vna die interitum cum Paulo habuiſſe, qui à Chriſto vocatus, vxorem & liberos, imo ſocrum, quam Chriſtus à febre vexatam priſtinæ ſanitati reddidit, habuiſſe legitur; & omnium apoſtolorum habebatur annoſiſsimus, vtpote cuius caniciem Paulus, vt Athanaſio placet, reueritus, poſt tres conuerſionis ſuæ annos, eius videndi gratia Hieruſalem acceſsit, cum tamen ipſe adoleſcens adhuc fuerit, vt habetur Act. 7. Attamen in Euangelica functione tamdiu verſatus eſt, vt ad diſcipulos vnice ſibi dilectos ſcribens, ætate ſe iam confectum aliquoties fateretur. Quis ſe committat labyrintho huic inextricabili, quem vobis tortuoſiſsimis ſuis opinionibus, velut muſcipulas quaſdam adornãt ſcriptores? nec quippiam tam certi alicubi occurrit, quo ceu filo quodam ducti ad exitum earum perueniamus.

Calumniæ ſedecimæ ſumma.

SCriptorum diſſidia plane docent, nec Petrum fuiſſe paſſum Romę, quum neque de tempore, neque de loco conueniant. Ambroſius primũ, ſermone 67. ſcribit, eos vna die, vno in loco, vnius tyranni toleraſſe ſententiam. Linus contra, non vna die paſſos fuiſſe contendit, & quanquã locum, quo Petrus mortem oppetiit, exprimat, in quo tamen Paulus ceruicem amiſerit, nõ meminit. Sed hoc vno ſatis teſtatur, noluiſſe ſe dicere vno in loco paſſos, quum alios apparitores & carnifices, alios mortis ſpectatores eorum vtrique aſſignet. Porro Dionyſius apertis verbis ab eorum diuariat ſententia. Nam is ait, quum ad mortem ducerentur, & ab inuicem ſepararentur, Petro dixiſſe Paulum: pax tecum fundamentum eccleſiarum, & paſtor ouium & agnorum Chriſti. Cæterum nec de iudice conſentiunt. Nã quidam Neronis edicto ambos ad exitum peruениſſe contendunt. Linus tamen, Agrippæ teſtatur imperio, Petrum cruci fuiſſe affixum. Sed neque Ioſephus, qui Romæ ſuam conſcripſit hiſtoriam & multorum à Nerone peremptorum meminit, vllam de Petro, Paulove mentionem facit, qui tamen erga Chriſtianos erat fauentiſſimus & ſcriptis necem tam Ioannis Baptiſtæ, quã Iacobi fratris Domini mandauit. Adde quod & ipſa reclamat ratio, Petrum ſimul cum Paulo diẽ eundem obiiſſe. Nam Petrus, quando à Chriſto vocabatur, vxorem habuit & liberos, imo ſocrũ, & omnium Apoſtolorum annoſiſſimus habebatur, vtpote cuius caniciem Paulus vt Athanaſio placet reueritus, poſt tres conuerſionis ſuæ annos eius videndi gratia, Hieruſalem acceſſit, quum ipſe tamen adoleſcens adhuc fuerit, vt Act. 7. habetur, & poſt id in Euangelica functione tandiu verſatus ſit, vt ad diſcipulos vnice ſibi dilectos ſcribens, ætate ſe iam confectum aliquoties fateretur. Ob quas rationes opinari ſe dicit aduerſarius, non Romæ ſed Hieroſolymis Petrum fuiſſe paſſum, & eodem tempore, quo Iacobus Hieroſolymitanorum Epiſcopus vitæ ſuſcepit exitum. Nam Ioſephus & alios nonnullos tunc temporis cum Iacobo ab Anano pontifice ſcribit interfectos.

RESPONSIO.

INtelligis lector, vt hæc calumnia non eſt ſimplex, ſed varia cõtinet in ſe ſophiſmata, quibus & iam per ordinem reſpondebimus. Et primum ad illud, de ſcriptorum diſcordia, putamus nos abunde ſatis dixiſſe ſuperius, vt quanquam inter eos de tempore, & loco, & iudice variatum fuerit quia tamen in hoc nullus eorum alteri non ſubſcripſerit, nempe quod Romæ Petrus & Paulus occubuerint, oportet eos conſenſu omnium, aliquando Romæ fuiſſe. Sed & minima debet putari diſcordia, quæ fit ob vnam diem, id quod ei qui vel aliquot hiſtorias legerit, eſt notiſſimum. Adde, quod ſi ſcriptorum varietas ob vnam diem, fidei rei geſtæ queat derogare, nec Chriſtus ipſe crucifixus credetur. Nam veteres aliquot, inter quos & Tertullianus eſt, Chryſoſtomuſque & Cyrillus, 7. Calendas Apriles id factum aſſerunt. Niceta vero & ipſe Græcus autor, 10. Calẽdas Apriles. Theophilus Cæſarienſis, 11. Calendas Apriles. Victorinus Lenionicenſis, vt Beda tradit, 7. Calendas Apriles. Rogerus Bachon & ipſe ſcribens ad Clementem papam, non aliquo Calendarum Aprilium, ſed die tertio Aprilis colligit Chriſtum fuiſſe crucifixum. Ecce, quanta ſit ob diem paſſionis Chriſti varietas inter ſcriptores. Quamobrem ſi ſcriptorum varietas detrahere fidem hiſtoriæ poſſet, nec Chriſtum fuiſſe crucifixum exiſtimabimus. Cæterum nec iſtud aduerſario conceſſerim, quod tanta ſit inter autores hac de rè controuerſia, quantam ipſe prætexit.

Nam

Nam ſemel & iterum vtriuſq; apoſtoli vitas quas à Lino ſcriptas, Faber latinitate donauit, perlegi, nec vllam inter Ambroſium & Linum diſcrepantiam innenio, prȩterquam de Iudice, de quo mox videbimus. At quantum ad diem quicquid Faber in prȩfatione dixerit, nihil apud ipſum Linnm variatum lego. Sed nec quantum ad locum. Nam qnum diuerſum ipſe Linus locum haud exprimat, nec ex ipſo potes aſtruere diuerſo loco fuiſſe necatos. Sed pone diuerſa fuiſſe loca particularia, nihil tamen id Ambroſio reluctatur quũ ipſe de loco generali, nempe Roma fuiſſet locutns. De iudice vero quid vetat ab Agrippa morti Petrum adiudicari, & tamen idipſum edicto Neronis fuiſſe factum? Sed nec Dionyſius cæteris quicquam aduerſatur. Quid enim, ſi verba quædam ab Apoſtolis mutuo ſibi dicta, Dionyſius memorat, quæ tacent alij, num ob id aliis erit ipſe contrarius? Neutiquam id conſequitur. Sed iam veniamus ad Ioſephum, qui licet duorum, qui ad Chriſtum attinebant, boc eſt, Ioannis Baptiſtæ, & Iacobi fratris Domini, necem non tacuerit, de Stephano tamen & altero Iacobo, cæteriſque compluribus locutus eſt nihil. Sed & hic non ſatis aduerſarij vafriciem, ueſcio dicam an malitiam potius, mirari poſſum, qui, quum opinatur Petrum Hieroſolymis ſub Anano pontifice cum Iacobo cæteriſque compluribus extinctũ fuiſſe, nec ex eo quicquam offenditur, quod Ioſephus Petri nomen ſuppreſſerit: & tamen hoc loco tam exacte requirit, & vrget, vt iam ſubticeri nequaquam debuiſſet. Porro qnod dicit rationem ipſam reclamare, quod Paulus vna die cum Petro mortẽ ſubiiſſet, cum alter eſſet adoleſcens, alter annoſiſſimus. Si de morte naturali ſermo foret, uon admodum reluctarer, ſed qnum de violenta nece loquimur, quid prohibet, quo minus eodem tempore ambo fuiſſent paſſi? Quãdoquidem & vterque pro naturæ curſu diutius adhuc vixiſſe potuerat. Cæterum & illud riſu digniſſimum eſt, quod aduerſarius Petrum opinatur Hieroſolymis fato cõceſſiſſe, id quod uemini ſcriptorum vnquam in mentem ante venerat. Euoluantur omnium hiſtoriæ, quas ad hunc vſque diem conſcriptas quiſquam norit, legantur interpretes, diſcutiãtur commentarij, nemo penitus inuenietur, Græcus, aut Latinus, doctus, aut indoctus, quem non puduit fingere tam inſigne mendacium. Sed & vſque adeo cæcuit aduerſarius, vt uon aduertat, quomodo priores calumniæ ferme omnes in ſuum caput retorqueantur. Nam prima, quæ diſſidio nititur biſtoricorum, præſens aduerſarij commentum facile tollit. Nam ſi quorundam biſtoricorum mutua inter ſe contradictio alicuius hiſtoriæ fidem eneruet, quid putabimus, vbi concorditer omnes cõtradicunt, quemadmodum & boc loco fieri cõpertiſſimum eſt? omnes enim vna voce reclamãt, alibi Petrum occubuiſſe, quam Romæ. Secunda etiam idipſum refellit. Nam prope finem eius colligitur, ſub Veſpaſiano Petrum haudquaquã obiiſſe. Quia nemo ſcriptorum hactenus hoc vel dixiſſe, vel ſcripſiſſe compertus eſt. Quæ collectio, cur non æque valebit boc loco, quum nullus vnquam ſcriptor aut dixerit, aut ſcripſerit, ſed ne ſomniauerit quidem, Petrum Hieroſolymis exitum habuiſſe? At prolixum foret ſingulas retorquere calumnias. Ex ſexta molitur, quod quũ iam Roma Narciſſum babuerit epiſcopum, nihil opus eſſet habere Petrum, hominem veteranum & defectum viribus. An non parimodo ſubinſertur? Quum Hieroſolyma Iacobum & Apoſtolũ, & Epiſcopum haberet, quid opus fuerit, ſimul habere Petrum, nempe veteranum & defectum viribus? Sed veniamus ad 13. Lucas (inquit) qui diligentiſſime ſcripſit aduentum Pauli Romam, & quomodo fratres ei veniſſent obuiam, nihil de Petro meminit. Quamobrem nec Romæ tum Petrus erat. Nunquid non æque colligitur, Petrum baudquaquam fuiſſe Hieroſolymis, quando Paulus illuc poſtremo conceſſerit? Nam idem Lucas, in hoc aduentu, Iacobum & cæteros fratres prolixum cum Paulo ſermouem habuiſſe teſtatur? quum tamen de Petro nulla facta ſit mentio. Adde, quod hoc mendacium longe deterioris couditionis Petrum facit, quam aliorum Apoſtolorum quemlibet, quum tamen ipſe princeps omnium fuerit. Nam de cæteris ferme omnibus certum eſt, quod eorum corpora magna veneratione à Chriſtianis habeantur, & in eis præſertim locis, vbi ipſi velut Epiſcopi præfuiſſent aliquando. At iuxta hoc mendacium neſcitur vbi locorum Petri corpus iam fuerit. Sed neque vſquam in terris certo veneratur. Nam ſi Romæ non occubuerit Petrus, non eſt id corpus Petri, cui tantus honor à Chriſtianis impenditur, niſi quiſquã certo poſſet docere, quomodo tranſlatum ipſum fuiſſet Romam. Adde, quod quum de cæteris Apoſtolis eccleſia compertum habuerit vbinã occubuiſſent, abſurdiſſimum eſt, vt per tot ſecula putetur ignoraſſe, quo loco princeps apoſtolorum Petrus martyrio vitam finierit. Cæterum vt expendamus Ioſephi teſtimonium, vnde tam leuem aduerſarius acceperit coniecturam. Sic cap. 21. poſtremi libri de antiquitatibus habetur. Ananus pontifex ſe credens inueniſſe tempus opportunum, Feſto mortuo, & Albino in itinere conſtituto, concilium fecit Iudicum, & quoſdam deduceus ad ſemetipſum, inter quos & fratrẽ Ieſu qui dicitur Chriſtus, uomine Iacobum quaſi cõtra legem agentes accuſans, tradidit lapidandos. Hæc Ioſephus.

Ecce vides hic lector, nullam omnino Petri factam menrionem; quod argumentum aduerſario ſatis efficax ante videbatur, quo colligeret, nunquam fuiſſe Petrum occiſum Romæ. Nempe quia necis eius Ioſephus, Chriſtianis alioqui fauentiſſimus, nihil meminiſſet, ſaltem nominatim. Adde, quod quum de lapidandis Ioſephus loquatur, nihil hoc ad Petrum, qui crucis mortẽ fuit paſſus, vt & in libris vbique legitur, & in picturis quoque conſpicitur. His accedit, quod Petrus omnium teſtimonio ſeptem annos Iacobum ſuperuixiſſe traditur. Nam is anno ſeptimo Nero-

Neronis fuſte fullonis interiit, Petrus vero ſeptẽ annos prætecca ſuperuixit. Nihil ergo Ioſephi teſtimonium confert aduerſario, nec proinde calumnia nocet quicquam.

PERSVASIO XVII.

Oſtenſo quod Petrus Romæ mortem non receperit, reſtat dicere, vbi locorum pro Christi nomine paſſus ſit. Et antequam id probem, id teſtor prius, nullũ teſtimonium diuina ex literatura huc trahi poſſe, quo quis Paulum indubie Romæ paſſum fuiſſe à Nerone oſtendat. Nam dum poſtremo iam Neroni oblatus fuerat, & ad Timotheum ſcribens, hæc interpoſuit verba: Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. In eis Paulus decrepitam, & non martyrium ſuum intellexit, quem interea dum hæc ſcripſerat, valde ſenio detritum & decrepitum plane fuiſſe, ſi non alio teſtimonio, certe vel hoc ſolo conſtat, quoniam ante decem annos Philemoni ſuo ſcribens, ſenem ſe nominauit. Cum talis ſim, inquiens, vt Paulus ſenex. Quantum vero putas intra hoc decennium continuis laboribus, omnium eccleſiarum ſolicitudine corpuſculum Pauli exhauſtum, & maceratum? vt indicare Timotheo ſuo chariſsimo cogeretur, quo Romam acceleraret, ſuoque aduentu mortem ipſius præuerteret qua ipſe breui fuerat reſoluendus. Nam quod Spiritu ſancto illuſtratus liberationem ſui è carcere prænoſcerit, verba ipſius indicant, ſignificans enim quomodo in priori ante Neronis tribunal ſtatione, cauſam ſuam ſolitarius, & omni patrono deſtitutus perorauerit, à Neroneq; ereptus fuerit, ſub hæc ita loquitur: Liberatus ſum de ore leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte, hoc eſt, ad miniſterium corporis ſui myſtici, eccleſiæ ſanctæ, quemadmodum per regnum cœleſte, Gregorij authoritate, eccleſiam in ſacris ſcripturis ſæpinſcule nominari diximus. Sicut enim ſua ſpes non illum feſellit, vbi in priore captiuitate conſtitutus, Philemoni ſcripſerat: para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis; ita neque hic eum decepit. Sunt enim & alia teſtimonia eum à Nerone liberatum etiam ſecundario fuiſſe, veluti Epiſtola illa Senecæ, quam Apoſtolo in carcere degenti miſerat ipſe. Ex quibus procliue eſt creditu, Neronis violentiam Paulum euaſiſſe. Verum ne hic longius iuſto immoremur, iam Petrum & Paulum Hieroſolymis paſſum, teſtimoniis irrefragabilibus confirmabimus. Primitus ſolius Chriſti, ad ſcribas & Phariſæos, imo ipſam Hieroſolymam apud Matthæum & Lucam loquentis: Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus filij eorum in ſanguine prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum qui prophetas occiderunt; Et vos implere menſuram patrum veſtrorum. Ideo dico vobis: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequimini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos. &c. Tandem dicit: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt &c. Hæc loquutum Chriſtum non de prophetis legis veteris, ſed de apoſtolis exponit Ioannes Chryſoſtomus, homilia in Matthæum 75. ac ita dicit. Significat iis verbis Chriſtus apoſtolos, & eos qui cum apoſtolis, & poſt apoſtolos fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabãt. Quod diuus Hieronymus literarum ſydus, clarius erga hæc verba Chriſti immoratus interpretatur, dicitque: Simul hic obſerua, iuxta apoſtolum ſcribentem, varia eſſe dona diſcipulorum Chriſti, alios prophetas qui ventura prædicent, alios ſapientes, qui nouerunt, quando debeant proferre ſermonem, alios ſcribas in lege doctiſsimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellati, in actibus apoſtolorum, apoſtoli, & perſequuti eos ſunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum tranſmigrarent. His verbis Hieronymus clariſsime, vt Stephanum, ita & Paulum, & Petrum Hieroſolymis paſſos declarat. Et ne cuius teſtimonium deſideretur, Nicolai Lyræ horum Chriſti verborum interpretationem ſubnectamus: Ex eis occidetis, exponit Lyra, ſicut Iacobum fratrem Ioannis, Act. 10. & Stephanum, Act. 7. & multos alios. Et crucifigetis, vt Petrum, & Andream fratrem eius, & multos alios flagellabitis, ſicut Paulum & Sylam, vt Act. 16. & 2. Corinth. 11. traditur. Quis contra hæc firmiſsima teſtimonia vel hiſcere deinceps poterit? quis reclamare? quis non modo Hieronymum, Chryſoſtomum, Nicolaum Lyranum, ſed & Chriſtum mendacij arguere poterit? Cum ipſemet apud Lucam eadem repetens verba, de Petro, Andrea, & aliis quibuſdam apoſtolis, ea ſeſe loquutum deſignat, inquiens: Dico autem vobis amicis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant, oſtendam autem vobis, quem timeatis, timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Præterea dicit Chriſtus, Hieroſolymis, & non Romæ, à ſcribis & phariſæis, & non imperatoribus Romanis occidendos ſuos apoſtolos, quamuis non negem quoſdam & extra Hieruſalem fuiſſe interemptos.

Calumniæ decimæſeptimæ ſumma.

CHriſtus in Euangelio Scribis & Phariſæis dicit: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequimini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos, &c. Tandem ſubdit: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis peophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, &c. hæc locutum Chriſtum non de prophetis veteris legis ſed de apoſtolis, exponit Ioannes Chryſoſtomus, homilia in Matth. 75. Sed Hieronymus eandem eem apertius & pluribus explicat. Obſerua, inquit, iuxta apoſtolum ſcribentem varia eſſe dona diſcipulorum Chriſti, alios prophetas, qui ventura prædicent, alios ſapientes, qui nouerunt quando debeant peofeere ſermonem, alios Scribas, in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellati, in actibus apoſtolorum, apoſtoli, & perſecuti eos ſunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum tranſmigrarent. His verbis Hieronymus clariſſime vt Stephanum ita Paulum & Petrum Hieeoſolymis paſſos fuiſſe declarat. Et ne cuius teſtimonium deſideretur, Nicolai Lyræ

horum

horumChriſti verborum interpretationem ſubnectamus: Ex eis occidetis; Exponit Lyra, Sicut Iacobum fratrem Ioannis, act. 12. & Stephanum, act. 7. Et crucifigetis, vt Petrum & Andream fratrem eius, & multos alios flagellabitis, ſicut Paulum & Sylam, vt act. 16. Quis contra hæc firmiſſima teſtimonia vel hiſcere deinceps poterit? quis reclamare? quis non modo Hieronymum, Chryſoſtomum, Nicolaum Lyranum, ſed & Chriſtum mendacij arguere poterit?

RESPONSIO.

HAnc eſſe meram calumniam, merumq; ſophiſma nemo nõ intelligit, qui Hieronymũ aut Lyranum aliquando reuoluit. Nam hos autores aduerſarius apertiſſime contra mentes eorum citat, vt mox apparebit. Sed euangelij verba primum excutiamus. Nihil ex prioribus illis verbis occurrit, ex quo conuinci poteſt, Petrum & Paulum Hieroſolymis occiſos fuiſſe. Neq; enim Chriſtus in verbis illis, alterutrius nomen exprimit, ſed tantum affirmat quod ex iis quos ipſe miſſurus eſſet, Iudæi nonnullos occiderent & crucifigerent, aliquos flagellarent in ſynagogis ſuis, & perſequerentur de ciuitate in ciuitatem. At hoc quid ad Petrum & Paulum? Qua dialectica colligitur ob id iſtos Hieroſolymis occubuiſſe. Neq; enim ſequitur: Quidam ex illis, quos Chriſtus erat ad Iudæos miſſurus, ab eiuſdem occidẽdi fuerunt & crucifigendi: Ergo Petrus & Paulus Hieroſolymis à Iudæis occiſi fuerant & crucifixi. Sed Chryſoſtomus, inquis, permittendos à Chriſto, prophetas intelligit nouæ legis. Eſto. Nõ admodum refragor. Erant tamen alij quam Petrus & Paulus nouæ legis prophetæ, de quibus prædicta verba perimpleri potuerunt, vt & hauddubie fuerunt impleta. Nam palam eſt, Stephanũ fuiſſe Hieroſolymis lapidatum, & Simonem Cananæũ apoſtolum fuiſſe crucifixum, Iacobum Domini fratrem gladio percuſſum, alterum Iacobum fuſte fullonis excerebratum, alios itidem flagellatos, & denique multos fugatos ab vrbe. Vides igitur vt nihil vrgeant priora Chriſti verba, Petrũ & Paulum Hieroſolymis interiiſſe. Sed neq; poſteriora, quum dicit: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Nam certum eſt, non omnes prophetas nouæ legis ibi fuiſſe occiſos, quod & Velenus ipſe non diffitetur. At dicis Petrum & Paulum Hieronymus exprimit à Iudæis occiſos, & alterũ fuiſſe crucifixum. Sed haud recte capis Hieronymum Velene. Neque enim à Iudæis affirmat hos occiſos fuiſſe. Sed duplicem in eo loco generationem diſtinguit, alteram bonorum, malorum alteram. Regula, inquit, ſcripturarum eſt, duas generationes bonorum & malorum noſſe, hoc eſt, ſingulorum ſingulas. De bonis dicitur: hæc eſt generatio quærentium Dominum; de malis vero, vt in præſenti loco, Generatio viperarum. Et requirentur omnia à generatione iſta. Hæc Hieronymus. Vult igitur Hieronymus quod à generatione malorum hæc facta ſunt apoſtolis, atque ideo dixiſſe Chriſtum ventura illa omnia ſuper generationem iſtam, hoc eſt, ſuper generationem malorum. Nam aliis locis Hieronymus tam aperte ſcripſit, Petrum & Paulum Romæ fuiſſe interemptos, vt hic vſque adeo diuerſum ſentire non potuit. In Epiſtola contra Vigilantium teſtatur oſſa Petri Paulique Romæ venerari. In commentariis ad Galatas, affirmat Petrum ex Antiochena ſede, Romam fuiſſe tranſlatum. In catalogo virorum illuſtrium ſcribit, eum Romæ 25. annis cathedram ſacerdotalem tenuiſſe, & ibidem ſub Nerone cruci fuiſſe affixum. Et Paulum ſimiliter eodem quo Petrum die, Romæ capite fuiſſe truncatum. Palam eſt igitur, Hieronymum haudquaquam ſenſiſſe Petrũ & Paulum à Iudæis Hieroſolymis occiſos fuiſſe. Sed iam veniamus ad Lyranum. Nec hic hauddubie credidit Petrum & Paulum à Iudæis Hieroſolymis necatos. Non enim ignorauit eos Romæ fuiſſe paſſos. Sic enim in commentariis ſuper Exodum ſcribit: per iſtos duos arietes immolatos, intelliguntur Petrus & Paulus, duces Chriſtianæ plebis, quorum martyrio conſecrata eſt eccleſia Romana. Ecce Romanam eccleſiam, Petri & Pauli martyrio conſecratam. Adde, quod 15. cap. ad Rom. de Paulo dicit, quod non intendebat diutius morari Romæ, eo quod ibi tum fuerat Petrus apoſtolus cum ſuis diſcipulis. Ob quod nec erat ibi Pauli prædicatio vſque adeo neceſſaria, ſicut in Hiſpania. Sed & in Actis, in calce poſtremi capitis, ita ſcribit: Paulus anno ſecundo Neronis fuit adductus Romam, & biennio manſit ibi, vt dicitur hic. Nero vero imperauit 14. annis, in quorum vltimo interfecit Petrum & Paulum. Et ſic videtur, quod tempore intermedio Paulus iuerit ad prædicandum in partibus occidentis, & maxime in Hiſpania, & poſtea rediit Romam vt circa finem imperij Neronis ipſe cum beato Petro per martyrij palmam tranſiret ad gloriam. Hæc Lyranus. Sed vel ex hoc Lyranus intelligi poteſt non ſenſiſſe, Petrum fuiſſe Hieroſolymis crucifixum, quod Petro coniungit Andream fratrem, quem palam eſt, nec à Iudæis, neq; Hieroſolymis fuiſſe crucifixum: Similiter & quum de flagellatione loquitur, exemplũ producit Pauli & Sylę, quemadmodũ in Actis ca. 16. traditur, quod erant flagellati. At iſtud apud Philippenſes factũ fuit, qui gentiles erant, non Iudæi. Nam vt illic ſcriptum eſt, Domini cuiuſdam puellæ quę phitonica diuinatione ſua magnum eis quæſtum peperit, Paulum, qui ſpiritum ex ea malignum eiecit, vna cum Syla rapientes, duxerunt ad magiſtratus, quorum iuſſu virgis cæſi ſunt. Non igitur opinatus eſt Lyranus, hæc omnia facta fuiſſe à Iudæis, niſi quatenus ipſi quaſi capita fuiſſent generationis malorum, vt ex Hieronymo ſuperius diximus. Cæterum vt horum teſtimonia iuxta tuum ſenſum, hoc eſt, à Iudæis Petrum & Paulũ interemptos fuiſſe donauerimus, nulla tamen adhuc ratione colligere poteris, eos Hieroſolymis fuiſſe interemptos. Nam friuola conſecutio eſt: A Iudæis interempti ſunt, ergo & Hieroſoly-

mis interempti. Sicut non ſequitur, Chriſtus à Romanis crucifixus erat, igitur & Romæ crucifixus. Quamobrem & iſtam quoq; calumniam inanem eſſe manifeſtum eſt.

PERSVASIO XVIII.

Videre mihi videor ſatis prolixe eorũ me ſubneruaſſe opinionem, qui Petrum vt Romanum epiſcopum celebrant, & hoc nomine Romanis pontificibus nihil non tribuunt, dum in ſummi Apoſtolorum principis vt aiunt ipſi locum ſuffecti ſint, hancq; deſultoriam poteſtatem ceu per manum ſibi tradant. At vero ſi quis roget, quomodo hæc falſiſſima perſuaſio in eccleſiam obrepſerit, id tam compendio. Si alia quoq; non minus noctua quorum recẽs eſt adhuc memoria, negligentia temporum rata habentur, vt nihilominus pro articulis fidei reponantur, quanquã & hiſtoricorũ de his taceant libri & Chriſti dogmata velut ex diametro cum eis decertent, ſola tamẽ eccleſiæ prætextu, non minus quam quæuis alia, ſine quib. hominibus ſalus non contingit, credi præcipiuntur, quibus ſi quiſpiã bono fretus teſtimonio occurrere voluerit, æque hæreticus habetur, quam qui in legem Chriſti fuerit impius. Quid ergo de tam remotis ac perturbatiſſimis temporibus Romana Curia palpones, circa Petri Romã aduẽtum paſſionem, & pontificatũ confingere non poterant? Putatne eccleſiã quam egenus conſtituit Chriſtus, quam omniũ facile pauperrimi auxere apoſtoli, opibus ditari oportere, vnum in ea cæteris omnib. dominari, imo eccleſiã non aliud, quã tyrannidẽ fieri debere? Ecquis hoc dixerit? At vero hodie ſolenne id hæc eſt, hoc glorioſum putatur, vt vnius arbitrio omnia fiant, circa vnum ſumma & caput reip. Chriſtianæ cõſiſtat, vnius iuſſu aut nutu ſingula gerantur, ex vnius nutu cuncta pendeant. Quod ſi quis minus reuerenter hos eccleſiæ proceres inceſſerit, ſi corripuerit, ſi annuere noluerit, continuo fremũt claſſica, vndique plebs Chriſtiana cõclamatur ad arma capeſſenda, ad omnes Chriſtianos principes id aiunt pertinere, ne expolietur Chriſtus, neue iacturã patiatur eccleſia, dum aliquot annui cẽſus denarij eis decreuerint, omnia ſurſum ac deorſum verſare nõ verentur, ac tot Chriſtianorũ ſanguinem dilacerationem & ſtupendam perniciem, interim ne pili quidẽ faciunt. Adeo tyrannis hæc Romana Curia iſthæc perniacioſa opinione inualuit, dum primatũ mediãte Petro ſupra omnes alias eccleſias ſeſe accepiſſe iactitat, & Romanus pontifex vniuerſalis eccleſiæ catholicæ Epiſcopus cenſetur, repugnantibus omnibus omniũ ferme librũ, voce ipſiuſmet Chriſti, & ritu ac exemplo primitiuæ Eccleſiæ. Cumq; recens adhuc ſit memoria quando hæc tyrannis exordiũ ſumpſerit; Nõne tamen inueniũtur pleriq; qui id perpetuo fuiſſe ſcribant, id probent, pro eoq; ad aras vſq; (quod ſolet) digladientur, quibus non aliter, quã ſolius Chriſti verbis paſſim vulgus credit. Præterea Syluestrum à Conſtantino imperatore honeſtis muneribus donatum, in ſedéq; imperatoria repoſitum, quis hoc hodie à populo non credit? reſiſtentibus omnibus hiſtoriographis, eorumque commentitias bullarum nugas fortiſſimis rationibus, doctiſſimiſq; viris reprobantibus. Quantum tamen veritatem promoueant, apud hanc futilem plebeculam pſeudoſacerdotum præſtigiis deluſam, in propatulo eſt omnibus, cum non minus reuerenter in has opiniones, quam in Chriſti verba iurent ipſi. Non difficile eſt exinde diuinare, quãtum illis procliue fuerit, quæ hodie de Petro feruntur, confingere, cum eorum temporum nullam certam habeamus hiſtoriam, præter commentitias illas aliquot de Petro & Paulo paſſiones, quæ adeo ſibi non conſtant, vt omnibus etiam tacentibus, ipſæ ſe ſatis confutẽt, præſertim quæ Græcorum linguagio cõſcripta ſunt. Quod vel ſolum argumenta eſſe poſſit, eas falſiſſimas eſſe, cum hæc natio ab omnibus paſſim ſcriptoribus in hiſtoria mẽdacij accuſetur, Iuuenale dicente: Quicquid audet Græcia mendax in hiſtoria. Et alibi non ſine ioco mendacem Græculum nominat. Et breuiter, nemo miretur hoc apertiſſimum mendacium ſuos patronos habere, cum non deſint etiam, qui Tuſciam patrimonium Petri appellent. qua voce nunquam delirius dici aut cogitari aliquid potuit. Et Plinius haud ignobilis author, nullum tam impudens mendacium inueniri dicit, quod teſte careret.

Calumniæ duodeuigeſimæ ſumma.

NEquis miretur, vnde tantus error obrepſerit in eccleſiam, non deſunt alij ſimiles huius, quos oſtendere poſſumus, haud diſſimiliter emerſiſſe. Et vnus inprimis eſt de primatu papæ, cui nunc omnes aſſentiuntur, haud aliter quam articulo fidei. At cui quæſo credibile eſt, eccleſia quam egenus conſtituit Chriſtus, quamque omnium facile pauperrimi auxere apoſtoli, opibus ditari oportere, vnum in ea cæteris omnibus dominari, imo eccleſiam non aliud quam tyrannidem fieri debere. Alius inſuper huic haud longe diſſimilis eſt, de donatione, per Conſtantinũ Cæſarem, Syluestro facta, quam nullus hodie non credit è populo, reſiſtentibus tamen omnibus hiſtoriographis, rationibuſq; reprobantibus. Ex iis nimirum diuinare licet, quem in modum & prædictus error de Petri pontificatu confictus ſit, & maxime quum eorum temporum nullam certam habeamus hiſtoriam, niſi quæ vel à Græcis conſcripta ſit, vel quæ cum aliis pluſquã ex diametro pugnet. Quoniam igitur Græcorum natio paſſim ab omnibus ſcriptoribus in hiſtoria, mendacij accuſatur, non eſt cur eorum teſtimoniis in hac re fidem habeamus.

RESPONSIO.

ERror fuerit necne, quod de primatu ſummi pontificis, aut de donatione per Conſtantinum Syluestro facta, plerique credunt, non eſt præſentis opuſculi diſſerere, ſed productius volumen id negocij poſtulat. Nos etiam inter confutandum articulos, quos Lutherus aſſerere molitus eſt, penitus eneruaſſe putamus, quicquid aduerſus primatum Papæ, Lutherus attulerit, vt iam non erit opus, quicquam in ea re copioſius dicere. Porro quantum ad Petri ſedem ſpectat, non video, cur ea res commentitia dici queat, quum authores habeat grauiſſimos ac ſpectatiſſimos, & eoſdem vicinos

Apoſto-

Apoſtolorum temporibus, de quibus omnino nulla ſuſpitionis anſa capi poteſt, cur voluiſſent iſtud coufingere. Sed & Græcis, cur in hac parte fides adhiberi non debeat, ratione prorſus omni caret. Quid enim ſi profani Græcorum ſcriptores, mendaces habiti fuerint, num & ſacri pariter eodem vitio laborare putandi ſunt? Abſit. Nam quum ex Chriſtianiſmo veritatē hi profeſſi ſint, qui credi poſſunt mendacia Chriſtianis legenda tradidiſſe? Sed neq; probabilitatem vllam habet, Græcos quantumuis profaniſſimos, voluiſſe cōminiſci, quod Petrus relicta Græcia Romam ſe conferret, cathedram ibi poſiturus, quum ea res totius Græciæ gloriam obſcuret haud mediocriter. Quamobrem & Græcis in hac re potiſſimum eſt adhibenda fides. Cæterum nos & Græcos & Latinos, huiuſce rei teſtes iuratiſſimos, in medium afferemus.

Tertullianus inprimis autor grauis, & ipſe Latinus, Apoſtolorum quoq; vicinus temporibus, in libro de præſcriptionibus hæreticorū, hanc rē teſtatur, inquiens: Percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſę adhuc cathedræ apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ autenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, repræſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthū. Si non longe es à Macedonia, habes Philippos. Si potes in Aſiam tēdere, habes Epheſum. Si autem Italiam adiiceris, habes Romam, vnde nobis quoq; autoritas præſto eſt ſtatuta, felix eccleſia, cui totam doctrinā apoſtoli cum ſanguinē ſuo profuderunt, vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum dimerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Hæc Tertullianus. In quibus verbis multa licet annotare. Et primum, quod ex eccleſiis, quas hic memorat, ſola iam remanet in fide ſuperſtes eccleſia Romana. Deinde, quod quum eccleſiæ cæteræ florerent, ex eccleſia Romana tamen in cæteras fluxit autoritas. Tertio quod & ad noſtrū inſtitutum magis ſpectat, Petrum apud Romam paſſioni dominicæ fuiſſe adæquatū, hoc eſt, cruci affixum. Quarto, Paulum illic Ioannis Baptiſtæ exitu, hoc eſt, capitis detruncatione fuiſſe coronatum. Quinto, Ioannem euangeliſtam (poſtquā in feruens oleum eſſet demerſus, quum nihil ex eo damni pateretur) in Pathmos Inſulam fuiſſe relegatum. Sexto trium horū apoſtolorum præſentia, Romanam eccleſiā nobilem ac illuſtrem eſſe redditam, ſed ex eo præcipue felicem, quod apoſtoli duo, Petrus & Paulus totā huic eccleſiæ doctriuā vna cum ſanguine ſuo profuderūt. Sed hactenus pro Tertulliano. Quem & Cyprianus paſſim imitatus epiſt. 3 Romanam eccleſiā vocat Petri Cathedram, & principalem eccleſiam, vnde ſacerdotalis vnitas exorta eſt. Et epiſtola rurſum octaua, cunctos hortatur, quatenus eam totius eccleſiæ catholicæ matricē & radicem agnoſcāt, ac teneant. Accedit his Ambroſius, qui de natali ſanctorum apoſtolorū Petri Pauliq; loquens ait: Nō ſine cauſa factum putemus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam. vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent, vno in loco, ne alteri Roma deeſſet. Sub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrunq; cōſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Romana, quæ principatum & caput obtinet nationum. Scilicet, vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis. Et vbi gentilitū principes habitabant, illic eccleſiarum principes morarentur. Hæc Ambroſius.

Subſcribit Leo in ſermonibus de Apoſtolis inquiens: Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Et paulo poſt: Iam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras. Iam Antiochenam eccleſiā, vbi primū Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Capadociam, Aſiam atq; Bithyniam legibus euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpacio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Chriſti Romanis arcib. inferebas, quo te diuinis ordinationibus anteibant & honor poteſtatis, & gloria paſſionis. Hæc Leo papa.

Hieronymus quoq; quum alibi ſæpe, tum in Catalogo virorum illuſtrium: Simon, inquit, Petrus, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ, vico Bethſaida, frater Andreæ apoſtoli, & princeps apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochēſis eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Capadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem magum, Romā pergit, ibiq; vigintiquinq; annis cathedrā ſacerdotalem tenuit, vſq; ad vltimum annum Neronis, id eſt, decimumquartum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus eſt. Hæc Hieronymus.

Sed & idem ſcribit, Philonem quū eſſet denuo legatus ad Claudium, in vrbe Romana cum Petro fuiſſe collocutum, amicitiamq; cum ipſo tum iniiſſe, atque ob id, eccleſiam, & ſectatores Marci, diſcipuli Petri, apud Alexandriam ornaſſe laudibus. Teſtatur & Beda ſupputator temporum exactiſſimus, libro quem de temporibus edidit, ſic ſcribens: Petrus apoſtolus, quum primus Antiochenam fundaſſet eccleſiam, Romā pergit, ibiq; vigintiquinq; annis Cathedrā tenet Epiſcopalē, id eſt, vſq; ad vltimū Neronis annum. Hæc Beda.

Eutropius etiam, & ipſe Romanę hiſtorię ſcriptor haud contemnendus, de Nerone ſic ſcribit: deniq; omnibus flagitiis ſuis etiam hoc addidit quod ſanctos Dei apoſtolos Petrum Paulumque trucidauit. Hæc ille.

Conſentit & Oroſius cap. 4. lib. 7. hiſtoriæ ſuę. Tiberius, inquit, Claudius ab Auguſto quartus, regnum adeptus, manſit in eo annos 14. Exordio regni eius Petrus apoſtolus Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo

docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit. Exinde Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt, ſenſitq; hoc collatum fidei ſuæ Roma beneficiũ. Et rurſum, cap.5. de Neroue loquens ait: Primus Romæ Chriſtianos ſupplicijs & mortibus affecit, ac per omues prouincias pari perſecutione excruciari imperauit, ipſumq; uomen extirpare conatus, beatiſſimos Chriſti apoſtolos, Petrũ cruce, Paulum gladio occidit. Hæc Oroſius. Præterco recẽtiores hiſtoricos Platiuam, Sabellicum, Volateranum, Ioannem Baptiſtam viros eruditiſſimos, qui teſtatiſſimum idipſum in ſuis ſcriptis reliqueruut, neq; hactenus quiſquam, ante Velenũ, repertus eſt tam impudens, vt Petrum negaret Romæ aliquando fuiſſe, quum & Græci confiteantur idipſum, quanquam & ipſi ſint alioqui Romanę gloriæ nimiſquã infenſiſſimi. Ægeſippus primum, & ipſe vicinus apoſtolorum temporibus, libro 3. excidij Hieroſolymitaui, ca.2. narratis his, quæ Romæ cum Simone mago Petrus magnifice geſſit, docet eum ibi tandem cruci adiudicatum, atq; ita necatum fuiſſe; Sed eius verba, ſi quis forte requirat, hic ſubiiciemus: Eraut tunc temporis Romæ Petrus & Paulus, doctores Chriſtianorum, ſublimes operibus, clari magiſterio, qui virtute ſuorum operum, Neronẽ aduerſum fecerant, captum magi Simouis delinimentis, qui ſibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, ſubiectiones gentiũ, vitæ longæuitatem, ſalutis cuſtodiam, feralibus artibus pollicebatur, atq; ille credebat, qui vim rerum neſciret examinare. Deniq; ſummũ apud eum tenebat amicitię locum, quandoquidem etiam præſulem ſuæ ſalutis, vitæq; cuſtodem arbitrabatur: Sed vbi Petrus eius vanitates & flagitia detexit, & ſpecies illum rerum meutiri, uon ſolidum aliquid aut verũ efficere demonſtrauit, ludibrio babitus, & diguo eſt cõſumptus mœrore. Et quamuis in aliis terrarum partibus, Petri expertus potentiam, tamen præueniens Romã, auſus eſt iactare, quod mortuos reſuſcitaret. Et rurſum baud paulo poſt: Deuique dato, vt comprehenderentur præcepto, rogabatur Petrus, vt ſeſe alio couferret. Reſiſtebat ille dicens, uequaquam ſe facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet, bonum eſſe pro Chriſto pati, qui pro omnibus ſe morti obtuliſſet, non mortem illam, ſed immortalitatem futuram, tanquam indignũ vt ipſe fugeret paſſionem ſui corporis, qui multos doctrina ſua compulerit, ſe hoſtias pro Chriſto offerre, deberi ſibi ſecundum Domini vocẽ, & vt ipſe in paſſione ſua Chriſto gloriam atque hou orem daret. Hæc & alia Petrus obtexere; ſed plebs lachrymis querens, ne ſe relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium deſtitueret, victus fletibus Petrus ceſſit, promiſit ſe vrbem egreſſurum, proxima nocte ſalutatis fratribus, & celebrata oratione, proficiſci ſolus cœpit. Vbi vẽtum eſt ad portam, videt ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum dixit: Domine quo venis? Dicit ei Chriſtus: Iterum veuio crucifigi. Intellexit Petrus de ſua dictum paſſione, quod in eo Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur iu ſiugulis, nõ vtiq; corporis dolore, ſed quadam miſericordiæ compaſſione aut gloriæ celebritate. Et conuerſus in vrbem rediit, captuſq; à perſecutoribus, cruci adiudicatus, popoſcit vt inuerſis veſtigiis cruci affigeretur, quod indignus eſſet, qui ſimili modo crucifigeretur, vt paſſus eſt Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur vt Chriſtus prędixerat, vel quia perſecutor. non inuitus iudulget pœnarum incrementa, & ipſe & Paulus, alter cruce, alter gladio necatus eſt. Hactenus Ægeſippus. Euſebius item hiſtoriæ ſuæ lib. 2. ca. 14. Petrum ipſis Claudij temporibus affirmat veniſſe Romam, vbi ſalutaris prædicationis verbo primus, vt ait, euangelij ſui clauibus ianuam regui cœleſtis aperuit. Sed & euangelium quod ab eo prædicatum, Marcus diſcipulus eius ad Romanorum inſtantiam exceperat, eccleſiis legendum tradidit: cuius rei & teſtes alios producit, nempe Clementem in ſuarum diſputationum libro, ſimul & Papiam Hierapolitanum epiſcopum. Adde, quod idem ex ipſo Papia recenſet, Petrum in priori epiſtola ſua meminiſſe Marci, atq; in ea, tropice Romam Babyloniam nominaſſe, quum dicit: Salutat vos ea quæ in Babylone eſt eccleſia, & Marcus filius meus. eui Tertullianus & Hieronymus ac cæteri quiq; ſubſcribunt. Quod ſi Petrus ex Roma priorem illam epiſtolam ſcripſerit, quid manifeſtius comprobare poſſet eundem aliquando fuiſſe Romæ? Sed & in chronicis Euſebius teſtatur, Petrum ſecundo Claudij veniſſe Romam, illicque ſediſſe vigintiquinq; annis, & vltimo Neronis ibidem glorioſe occubuiſſe. Ireuæus item in tertio aduerſus hæreſes libro, ſucceſſiouem pontificum vrbis Romæ digerens, aſſerit Petrum & Paulum fuiſſe Romæ. his accedunt Chryſoſtomus & Theophilactus, qui tradunt Linum fuiſſe poſt Petrum eccleſiæ Romanæ ſecundum epiſcopum, iu commentariis epiſtolæ poſterioris ad Timotheum. prætereo multos, quos Volateranus recenſet, tam Latinos, quã Græcos, qui de poutificum vitis conſcripſere. Et hi omnes vuanimiter aſſerunt, Petrum vrbis Romanæ primum Epiſcopum fuiſſe. Quod ſi res hæc, tot & tam illuſtriſſimis autoribus, Græcis pariter & Latinis adeo dilucida reddita ſit, quis iam uiſi mente captus, ambigere ſecum diutius poteſt, num Petrus fuiſſet Romæ, & maxime, quum uullus vnquam ſcriptor, ante Velenum, ue ſomniare quidem coutrarium potuerit?

Sed iſta pro calumniis omnibus diluendis, ſufficere putamus.

SEQVI-

SEQVITVR ALTERA LIBELLI PARTICVLA.

PROLOQVIVM.

SOlet interdum fieri lector mi, vt dum vegeto ſemine agrum conſpergimus, ni ſimul nocina quæque radicitus extrahamus, vrenda filix ſubnaſcens, ſementis pariat iacturam. Quod dum hic timemus, ne quidam cauilli animum tuum torquentes, noſtris iis perſuaſionibus minus te credere permittant, alteram libelli particulam addidimus; In qua cum ſeptem quibuſdam Romanenſium cauillis manus conſeramus, de eis dignis rationibus ſi fors fauerit, prædam ablaturi. Proinde interim Romanum quempiam, obeſis faucibus, ac ventre prominulo, imaginer ſycophantam, qui ſic more ſuo nobis inſtet.

SECVNDÆ PARTIS CONFVTATIO.

PRæter has duodeuiginti calumnias, quas aduerſarius perſuaſiooes vocauit, ſeptem inſuper adiecit cauillos, cum quibus ipſe manus conſerere dignum exiſtimauit, ne quiſquam prioribus ſuis perſuaſionibus minorem habiturus eſſet fidem. Cæterum an prioribus eius argutiis, iam quantum opinor abunde confutatis, quiſqnam habiturus ſit fidem, neſcio, ſuſpicor tamen, vbi noſtra perlegerit, neminem vſque adeo mente captum eſſe, vt non riſu digna putet iſta, quæ ſequuntur. Sed ne nimia prolixitate quemquem tædio afficiam, iam aduerſarium cum ſuis cauillis concertantem, audiamus.

CAVILLVS I.

QVod in perſuaſione dictum eſt quarta, improbius dictum eſt quam vt credi debeat. Paulus enim dum binam ſuam verſus Hieroſolymam peregrinationem, in ea qua ad Galatas eſt epiſtola commemorat, in quatuordecim annis poſt conuerſionem ſuam, vtranque fuiſſe factam intellexiſſe volunt, & non in ſeptem & decem annis, vt tua fert opinio, idque Nicolai Lyra teſtimonio cõfirmatur. Triennium enim quo ante Paulus Hieroſolymam venerat, in ſubſequentibus quatuordecim annis, quibus ſecundario illac cum Tito & Barnaba perrexerat, abſorbetur, ita Nicolao verba Pauli exponente. Deinde poſt quatuordecim annos, videlicet à conuerſione ſua, aſſumpto Tito & Barnaba, &c. Et ſic Petrus quatuordecim illis annis præter labentibus Romam diuertere poterat.

Reſponſio.

Bella Lyra, niſi à tot bonis autoribus, quibus ne matellam dignus erat ipſe porrigere diſſentiret, crederetur expoſitio, ſed quia nõ auſim dicere, an vllum habeat qui iſthoc ſibi conſentiat, rationabilius tot celeberrimi ſequendi ſunt interpretes, quam hic vnus, & quidem ignobilior, qui in hoc ſpero aucupabat ſibi gloriam, ſi ſtulte ab aliis diſſentiret omnibus. Et quia contra inermem & imbecillem frequentia militum non ſolet deſiderari, quem vnus probatæ fortitudinis vir vel euiſcerare poſſit: vnicum Hieronymum tot Lyranis anteponendum contra hunc producam, qui epiſtolam ad Galatas exponens, hos ſeptemdecim annos non ſemel repetit. In principio fidei, inquit, in tranſitu Paulus apoſtolos videt, poſt annos vt ipſe ait decem & ſeptem, plene cum eis loquitur, & ſe humiliat, & ne forte in vacuum aut curreret, aut cucurriſſet, inquirit. Et inferius: Contulit euangelium cum apoſtolis, non quod Paulus timuerit, ne per decem & ſeptẽ annos falſum in gentibus euangelium prædicaſſet, ſed vt oſtenderet prædeceſſoribus ſuis non ſe in vacuum currere, aut cucurriſſe, ſicut putauerunt ignorantes. Hæc Hieronymi verba; quibus manifeſte quantum Lyra deliret, oſtenditur.

RESPONSIO.

ADuertis lector, quemadmodum aduerſarius cũ ſeipſo nugatur, frigide ſibi ipſi obiiciẽs, & nihilo frigidius reſpondens. Sed nos ex dicto cauillo robuſtiorem obiectionem firmabimus. Superius, vbi ſecundam calumniam diluimus, oſtẽdimus Hieronymi ſupputationem manifeſte repugnare cum his, quæ nec ſemel idem alibi dixerat. Nunc autem aperte docebimus, nec eam ſtare poſſe, cum ea ſupputatione, quam aduerſarius ipſe, ſub perſuaſione quinta collegit. Sic enim annos à paſſione Chriſti, vſque ad vltimum Neronis, aduerſarius ibi digeſſit. Tiberio Cæſari, poſteaquam Chriſtus paſſus fuit, tres dumtaxat annos tribuit. Caio Caligulæ poſt Tiberium imperanti, tres item annos, mẽſes decem & dies octo. Subinde Claudij numerat annos non plene quatuordecim. Poſtremo Neroni quatuordecim deputat annos. Summa omnium vix complet annos 35. Et quoniam idem aduerſarius confitetur Paulum ſecundo Neronis anno Romam fuiſſe perductum, duodecim anni ex imperio Neronis reſidui ſunt, quibus ex priori numero, hoc eſt, 35. ſubductis, iam nõ pleni remanent 23. Nec plures his, inter paſſionem Chriſti & Pauli aduentum Romam, ex hac ſupputatione cõſtat interueniſſe. Rurſum ex iis 23. ſi dempſeris id tẽporis, quod inter Chriſti paſſionem & Pauli conuerſionẽ intercidit, quod & aliquot annos aduerſarius opinatur continere, iam ad maximum ſuperſunt 21. Sed ab hoc numero ſi adhuc ſubtraxeris annos & menſes, quos Lucas memorat egiſſe Paulum, dũ Aſiam & Græciam docendi euangelij gratia peragrarat, comperies in Actis expreſſos annos ſex integros, præter fractiones, & præter eos, qui veriſimili coniectura non minimum annorum numerum conficiunt. Cæterum ſi ex priori numero nempe viginti vno, non niſi ſeptem dempſeris annos, intelligis quatuordecim duntaxat ſupereſſe. Quo fit, vt iuxta propriam ipſius aduerſarij ſupputationem, anni illi quatuordecim à Pauli conuerſione numerandi ſint. Sed quia diximus

ex Actis, poſt finitum dictum concilium, præter annos illic expreſſos, veriſimili coniectura colligi poſſe non minimum annorum numerum; age idipſum iam oſtendamus. Primum, 18. ca. traditur, Paulum Corinthi ſediſſe, præter annum, ſex menſes. deinde ca. 19. apud Epheſum, in Synagoga tres menſes, & poſt hos, in ſchola Tyranni cuiuſdam, per biẽnium præterea diſputaſſe. Rurſum capite 20. tres menſes Athenis commoratũ fuiſſe. Denique cap. 24. biennium capleuiſſe apud Cæſarem. Ea iis naſcitur ſumma ſex annorũ. At nunc ſi reliquas temporum ſractiones conſideraueris, nempe quas inſumpſit Paulus viſitandis & confirmandis fratribus, qui in variis erant ciuitatibus, toties per eas diſcurrendo, facile videbis longe maiorem eacreſcere ſummam. Quæ res dilucida fiet, ſi quis à tẽpore dicti cõcilij Pauli diſcurſum diligenter annotauerit. Nam ca 15. cap. quo dictum concilium tractatur, Paulus & Barnabas, finito concilio, demorati ſunt Antiochiæ, docentes & annunciantes ſermonem Domini, cum alus pluribus. Deinde, poſtquam alter ab altero ſeiungeretur, Paulus Syriam & Ciliciam perambulabat, confirmans eccleſias, atque ita Derben & Lyſtram peruenit, vbi & Timotheum circumcidit. Poſt bæc Phrygia Galaticaq; regionibus peragratis, & eccleſiis vbiq; confirmatis in fide, Paulus in Myſiam ſe recepit, inde Troiadẽ, ex Troiade per Samothracem & Neapolim venit tãdem Philippos, vbi & multo tempore manſiſſe traditur, non minori patiẽtia, quam rebus geſtis clarus. Inde profectus per Amphipolim & Appoloniam, adiit Teſſalonicam, vbi per tria ſabbata de ſcripturis diſſeruit, adeo vt tumultu per Iudęos cõcitato vix euaſit Paulus per noctem in Berrhoeam, vnde poſtquam Berrhoenſes inſtruxit in fide, conceſſit Athenas, & hic Dionyſiũ alioſq; conuertit ad fidem. Ex Athenis, Corinthũ adiit. Ea Corintho peruenit Epheſum. Ex Epheſo, Cęſaream, inde Antiochiã. Ex Antiochia profectus, Galaticam regionem & Phrygiam ordine perambulabat, confirmans fratres. Quibus peractis, rediit Epheſum. Poſtquã autem Epheſi tres mẽſes & bienniũ expleſſet, pręmiſſis duobus è miniſtris Macedoniã, quo & ipſe ſtatuerat ire, manens adhuc in Aſia, multa perpeſſus eſt. Peragratis poſthac Macedoniæ partibus, & fratrib. vbiq; ſermone proliao confirmatis, tandem venit in Græciã, vbi longo peracto tempore, demum inſidiis Iudæorum impeditus, ne ſolueret in Syriam, per Macedoniã eſt reuerſus. A Philippis igitur adnauigauit Troiadem, ea Troiade peruenit Aſſon. Inde per Mytelenem & Sanium, acceſſit Myletũ. Et poſt prolixum ibi ſermonẽ habitum, ſoluens, venit Choum, inde Rhodum, atq; ita tandem Pataram, vnde conſcenſa naui, Tyrum conceſſit. A Tyro ſubinde, deſcendit Ptolomaidam, ex Ptolomaida Cæſaream. Atque inde tandem Hieroſolymam, vbi poſteaquam dira fuiſſet à Iudæis paſſus, vinctus reductus eſt Cæſaream, ibi manẽs bienniũ in cuſtodia. Sicq; poſt multos labores, demum perductus fuit Romã. Si quis igitur ſecũ diligenter expenderit, quot ciuitates, imo quot regiones, & quam longum terrarum tractũ, Paulus, euangelij docendi gratia, nec ſemel peragranerit, & quod aliquando biennium & amplius in vna quapiam illarum ciuitatum neceſſe fuerit commorari, plane deprehendet, iſta haud paruo annorum numero fieri potuiſſe. Et ſane, iuxta digeſtionem Euſebij, plus minus 13. annorum ſpacium complectuntur. Cæterum ne nos aduerſarius exiſtimet, huins calculi neminem præter Lyranũ autorem babere; Beda, qui temporum eaactiſſimus erat ſupputator, non id verbis nudis dicit, ſed argumento colligit irreuincibili. Sic enim in commentariis ſuper Acta ca. 15. ſcribit: Scimus enim Petrum & Paulum apoſtolos, anno poſt paſſionem Domini 38. id eſt, vltimo Neronis, paſſos fuiſſe martyrium, & beatum Petrum Romæ 25. annis Epiſcopalem ſediſſe cathedram. Viginti autem quinque & quatuordecim, non 38. ſed 39. faciunt. Sequitur ego vt beatum Petrum eodem quartodecimo, poſt Domini paſſionem, anno, quo eum Hieroſolymis alloquitur Paulus, hoc eſt, quarto Claudij Cæſaris, Romam veniſſe credamus. Simulq;, niſi fallor, ex hac poſitione beatum Paulum apoſtolum eodem, quo Dominus paſſus eſt & reſurrexit, anno ad fidem veniſſe probatur. Hactenus Beda. Intelligis lector, quam validiſſime Beda rationem reddit, cur debeant illi quatuordecim anni à conuerſione Pauli ſupputari, & annus quartuſdecimus eſſe quartus imperij Claudij, non ſecundus, vt Euſebio Hieronymoque viſum eſt. Nam hi colligunt Petrum anno Claudij ſecundo Romam veniſſe. Quod ſi verum eſſet, iam per duos annos ante dictum concilium Petrus veniſſet Romam. Rectius ergo Beda, qui cõcilium ipſum habitum fuiſſe docet anno à conuerſione Pauli quartodecimo, quem & annum imperij Claudij quartum facit. Cæterum ſiue quartodecimo ſiue poſt quatuordecim annos id concilium celebratum fuiſſet, palam eſt, nec Euſebio nec Hieronymo conuenire, vt poſt ſeptendecim annos habitum fuiſſet, quum vterque Petrum anno Claudij ſecundo veniſſe Romam, & ibidem annis 25. ſediſſe tradit. Sed hæc pro aduerſarij reſponſione diluẽda ſufficere putamus.

CAVILLVS · II.

QVidni creditur Petro apoſtolorum primati, qui à Roma epiſtolam quam catholicam dicunt, ſcribens, ſe Romæ fuiſſe propriis exprimit verbis? Salutat vos, inquit, eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta. Quantum piaculum diſſentire à Hieronymo, & Lyrano, quorum neuter Romam per banc Babylonem non interpretatur, Hieronymus in libro virorum illuſtrium, Lyranus autem bæc verba Petri explanans; dicit enim vterque Romam figuraliter nomine Babylonis deſignari.

Reſponſio.

Duplicem eſſe Babylonem à Coſmographis didicimus.

tias. Vnam in Aſſyria, quam Babylo ſapientiſſimus Medis ſibus condidit; vel (ſi Herodoto credimus) Semiramis: Alteram quæ Aegyptiaca dicitur, non procul ab Aegypto diſtans, de qua Ludouicus Calius in antiquitatibus, & Raphael Volaterranus in ſua Geographia, & quidam alij. Strabo tamen plus in Arabia, quam prouinciis Aegypti hanc eſſe ſitam oſtendit, vnde Arabum lingua, Chayrum illam vocant, quæ vox non aliud eis deſignat quam ſi Babylonem noſtrates dixerint. Et ſic perſuaſiſſimum eſt Petrū ex hac Babylone, vel, ſi quem Arabum obleƈtat dictio, Chayro, epiſtolam ſuam ſcripſiſſe, qui in Iudæa, & conterminis vndique circum & circa regionibus Chriſti nomen diuulgabat. Iudæa autem vt Hieronymus vult, confinem ſibi habet vtranq; Arabiam, hoc eſt & Arabiam petream, & Arabiam deſertam. Ab Oriente enim habet Arabiam petream, & iuxta hanc ad meridiem iungit Arabiam deſertam. Et apoſtolus hoc teſtatur quoque, dicens: Syna mons eſt in Arabia, quæ coniuncta eſt ei quæ nunc dicitur Hieruſalem. Quas ob res in eis collimitaneis Hieroſolymæ prouinciis Petrum prædicaſſe Chriſtum, & ex Chayro ad diſperſos è Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithynia, Chriſti fideles epiſtolam ſcripſiſſe, hoc iam quis neget? Atque eo modo verba Petri: Salutat vos eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta; intelligenda ſunt. At ſinamus præterea ſuis figuris ludere Lyranum. Quia ſicut, inquit, Babylon fuit ciuitas maxima, & idolatriæ dedita, ſicut patet in Daniele; Sic Roma poſtea fuit ex ſimili opere. Sed quid de ea Babylone, cuius mentio apud Danielem agitur, Deus per Hieremiam loquitur dicens: Egredimini de medio Babylonis popule meus, vt ſaluet vnuſquiſq; animam ſuam ab ira furoris Domini. Sed nunquid etiam eodē tropo cæteras noui teſtamenti ſcripturas patietur interpretari Lyranus? quod certe neceſſe eſt. Quid de hac Babylone, hoc eſt, Roma purpurata, & verſuta, vt Hieronymi vtar verbo, meretrice Ioannes in Apocalypſi loquatur, ſimul audiat: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis, quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati ſunt; Et mercatores terræ, de virtute delitiarum eius diuites facti ſunt. Mercatores hic nominat de quibus loquitur Petrus: Erunt in vobis magiſtri mēdaces, qui in auaritia ſictis verbis de vobis negotiabuntur. Poſt hæc Ioannes: Et audiui aliam vocem dicentem, Exite de illa popule meus, & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eorum ne accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vſq; ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius. Ecce quid eis ſua figurata afferat interpretatio, vt omnibus ſcilicet à Romana Curia impune liceat deficere. Ecquid ergo nos culpamur Boemi? O vtinam omnes pari modo ab hac, noſtro ducti exemplo, deficerēt Babylone, quo fortaſſe à ſua impietate reſipiſceret citius. O vere typum geſſit Romana Curia occidentalis Babylonis, illa non modo propheticis, ſed etiam gentilium literis damnata Babylon, cui indultum ac licitum fuerat, vt Plutarchi reperam verba, pſallere, ſcorta alere, cauponæ indulgere, ſinuoſis tunicis amicire, pudicitiam proſtituere. An non æquat modo, imo etiam ſuperat Roma veriſſima Babylon iſta omnia? Nonne & corporis & rerum ſacratum caſtitatem impudentius proſtituit quam vel illic munditiem corporis impudentiſſima fœmina? Apud illas enim quæ ex fœdo coitu prouenerat, Veneri ſacra fuit ſtipes, hic quod rerum ſacratiſſimarum affert proſtitutio, Chriſto acceptum ferri dicitur. Sed ne hoc loci in Babylonem Romanenſem pluribus inueham, aliquantiſper me cohibebo, nam hæc alias pertinent.

RESPONSIO.

QVod tanto verborū ambitu conatur aduerſarius, perſtringam paucis. Non fuiſſe Romę ſcriptam priorem illam epiſtolam Petri, neq; per Babylonem illic tropice Romam intelligi debere, quoniam apud Coſmographos, duas conſtat eſſe Babylonias, alteram in Aſſyria, alteram haud procul ab Ægypto. Sed non multis ad hanc reſponſionem explodendam opus erit, præſertim, quum aduerſarius aut ex ſcripturis, aut ex aliquo ſacrorum interpretum, nullum prorſus afferat teſtimonium, ſed merum ſui capitis commentum, omnis rationis expers. Et eſſet profecto magna rerum Chriſtianarum inconſtantia, ſi quod à patribus per tot ſæcula ratum accepimus, iam ob vnius hominis tam futile commentum, & ob tam leuiſſimum aeris flatum, illico mutauerimus. Quid enim ſi prope Ægyptum altera quędam Babylonia fuerit? num propterea conſequetur, vt ex eo loco Petrus Epiſtolam illam ſuam catholicam ſcripſerit? Qua, precor, dialectica conſecutionem iſtam cōprobare poterit aduerſarius? An hoc ignorabant priores eccleſiæ proceres, de vetuſtiſſimis loquor, à quibus ad noſtra vſq; tempora per cæteros dimanauit, & quaſi per manus traditum eſt, quod Petrus eandem epiſtolam Romæ ſcripſiſſet, & quod in eadem ab eo Roma tropice vocata ſit Babylonia. Superius enim idipſum oſtendimus, non à Lyrano ſolum, verumetiam à Tertulliano, à Hieronymo, ab Euſebio, & demū à Papia epiſcopo Hierapolitano. Quod ſi recentiores quis autores deſiderauerit, Beda ſui temporis eruditiſſimus, in eiuſdem epiſtolæ commētariis ita ſcribit: Salutat vos eccleſia, quę eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Babylonē typice Romam dicit, videlicet, propter confuſionem multiplicis idolatriæ; In cuius medio ſancta eccleſia, iam rudis & perparua fulgebat, iuxta exemplum plebis Iſraeliticæ, quæ quondam paruo numero & captiuata, ſuper flumina Babylonis ſedens, abſentiam ſanctæ terræ deflebat, nec canticum Domini in terra aliena cantare valebat. Et paulo poſt: Marcum autem filium ſuum euangeliſtam dicit, qui eius in baptiſmate dicitur filius effectus. Vnde patet quod priuſquam Marcum Alexandriam de Roma ad euangelizandum mitteret, epiſtolam hanc ſcripſit. Tempore autem Claudij principis, & Petrus & Marcus Romam venerunt, & ipſe Marcus, deſcripto Romæ euangelio ſuo, Alexandriam miſſus eſt. Vnde colligitur, quia epiſtolam hanc Petrus, dum quæritur, vbi vel quando ſcripſerit, locus erat Roma, tempus Claudij Cæſaris. Hactenus Beda. Frontem igitur meretriciam indutus aduerſarius, nihil erubeſcit aduerſus totius eccleſiæ proceres, ſtolidam ſuam opinionē confingere, quum

nec vnum ex interpretibus ſacris, habeat ſui mendacij fautorem, ſed nec vllam afferre probabilitatem poteſt, aut ex literis ſacris, aut ex profana qualibet hiſtoria, quod Petrus vnquã prope partes illas acceſſerit. Et mirum eſt, ſi princeps apoſtolorum ad eam regionem acceſſiſſet, quod apud nullum ſcriptoré aliquod itineris eius veſtigium ſupereſſet, quum de quolibet altero totius peregrinationis ſuæ deſcripta ſit hiſtoria. Sed hæc ad reſponſionis eius conuulſionem ſufficiunt.

CAVILLVS III.

SI nihil aliud, hoc profectò ſolum, magno eſſet argumento, Petrum Romæ ante priorem etiam Pauli illac aduentum fuiſſe, quod dum è Hieroſolymis, vt Lucas in actis apoſtolorum tradit, militibus comitatus, Romam vinctus duceretur, occurrerũt ei fratres ad Appij forum, quibus viſis, gratias Deo egit ille. Nam quo monitore in Chriſtum credidiſſent, ſi tunc Petrus Romæ abfuerit.

Reſponſio.

Chriſtianos protinus poſt Chriſti paſſionem, & non duntaxat Paulo illac veniente Romæ fuiſſe, Oroſius, Tertullianus, Platina, imo Chriſtianorum hoſtis Suetonius Tranquillus teſtantur. Oroſius enim libro 7. ad hunc modum ſcribit: Poſtquam paſſus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & diſcipulos ſuos ad prædicandum miſit; Pilatus præſes Palæſtinæ prouinciæ ad Tiberium imperatorem, atq; ad ſenatum retulit, de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibusq; virtutibus, quæ vel per ipſum factæ fuerant, vel per diſcipulos eius in nomine eius fiebant. Et de eo quod certatim creſcente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius ergo cum ſuffragio magni fauoris retulit ad ſenatum, vt Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod nõ ſibi prius ſecundum morem delatũ eſt, vt de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſauit, edictoque conſtituit, exterminandos eſſe ex vrbe Chriſtianos, præcipue cum & Seianus præfectus Tyberij ſuſcipiendæ religioni obſtinantiſſime contradiceret. Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt, de quo Tertullianus in Apologetico aduerſus gentiles modeſtius aliquãto loquitur: Tiberius, inquit, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, aut nunciatum ſibi ex Syria Palæſtinaq;, illic veritatem illius diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij ſui. Senatus, quia nõ ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Omitto dicere quod ſcribant Suetonius & Platina, hic in Chriſti, ille vero in Tiberij vita. Quibus ſatis inſinuatur, tutam fuiſſe à Tiberij temporibus, ad Neronis vſq; imperium, & ſub eius imperio adusq; Pauli aduẽtum, Chriſtianam Romæ religionem, Tertulliano adſtipulante, his verbis: conſulite commentarios veſtros illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam Cæſariano gladio ferociſſe. Quare nullus mirari debeat tot fratres Romæ fuiſſe, qui Paulo venienti occurrerint, quoniam gliſcente etiam illic pietate, ordinatione Spiritus ſancti, nec presbyteri illic defuerant, vti Narciſſus, Andronicus, Iulias, & cæteri, quatenus nihil opus habuerint Petri præſentiam deſideraſſe, quos deinde Paulus quoque ipſe tum per epiſtolam faciendorum admonuerat, tum præſentialiter inuiſerat, vt iam abunde in priori noſtri libelli particula ſingula hæc indicauimus.

RESPONSIO.

OBiicit hic aduerſarius ſibi, quod neminem alium arbitror obiicere voluiſſe. Neque enim ex hoc vrgere quiſquam poteſt, fuiſſe Romæ Petrum. Nam nihil eſt neceſſe, quod illuc prius acceſſiſſet Petrus, quam vlli alij Chriſtiani. Simul & credibile eſt, fratres ipſos, qui tum obuiam Paulo venerant, aliquam ante cum Paulo neceſſitudinem habuiſſe, neq; primum Romę fuiſſe conuerſos ad Chriſtianiſmum. Debilis igitur obiectio eſt, nec ratione multo robuſtiori conatur aduerſarius eam confutare. Quid enim ſi dum Tiberius imperaret, fratres quidã, facta per Stephani mortem diſpoſitione, quemadmodum in actis traditur, conceſſiſſent Romam? num ob id non fuiſſet item præſentia Petri neceſſaria? An non legimus in actis, quod quum audiſſent apoſtoli, quod Samaria per Philippum recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem? Ecce quum accepiſſet eccleſia, Samaritas per Philippi prædicationem ad fidem fuiſſe cõuerſos, & baptizatos, operæ precium tamẽ fuiſſe duxit, vt nihilominus Petrus & Ioannes eo ſe conferrent. Eat nunc Velenus, & argutetur: Roma Narciſſum habuit, Andronicumq; & Iulian atq; Priſcillam & Aquilam, idcirco nihil opus habuit Petri præſentiam deſideraſſe. Neceſſaria ꝓfecto fuerat Petri præſentia Romæ, quũ ob alias cauſas, tumq; magi Simonis artes apprime callebat, cuius gratia potiſſimum & Samariam pridem acceſſit. Nam vt in actis proditur, ille apud Samariam artem exercebat magicam, ac gentem Samariæ dementabat, dicens ſe eſſe quempiam magnum, cui auſcultabant illi à minimo vſq; ad maximum, dicentes: hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. Hactenus ex actis, 8. cap. Ob huius nimirum artes apoſtoli qui tum erant Hieroſolymis, metuentes ne Samaria conuerſa relaberetur, Petrum & Ioannẽ eo miſerunt. Pudefactus itaq; Simon, ilico receſſit Antiochiã, quo & Petrus hauddiu poſtea ſe recepit. Cęterum & inde quum eſſet per Petrum fugatus, Romam ſe contulit. Ob quam rem, & eum ſecutus Petrus, tandem venit Romam. Nam eadem cauſa, quæ Petrum ante ad Samariam, & poſt hoc Antiochiam traxit, iam adegit quoque Romam adire. Si non eius conflictationis, quam Romæ cum Simone Petrus habuerat, plerique ſcriptores meminerint, inter quos & Ægeſippus eſt, nemo nobis credat. Sed iam ad Oroſium veniamus, ex cuius hiſtoria, nobis aduerſarius citat, Tiberij tempore Senatum edicto conſtituiſſe, exterminandos ex vrbe Chriſtianos. Quamobrem & oportuit Tiberij tempore, Chriſtianos Romæ fuiſſe. Sed audiat aduerſarius, quid idem Oroſius eiuſdem libri cap. 4. ſcripſerit, in hunc modum: Exordio regni Claudij, Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem

cunctis

cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbauit. Exin Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt. Hactenus Oroſius. Audiat iſtud Velenus, nempe cœpiſſe Romę Chriſtianos poſt aduentum Petri, & ori digitum apponat. Idem teſtatur & Euſebius cap. 14. lib. 2. de Petro loquens: Salutaris prædicationis verbo, primus in vrbe Roma euangelij ſui clauibus, ianuam regni cœleſtis aperuit. Ecce primus in vrbe Roma, Petrus verba ſalutaris prædicationis, hoc eſt, clauibus Euangelij ſui, cœleſtis regni ianuam Romanis aperuit. Nec contradicit Oroſius ſibi. Stat enim & conuerſos aliquos ex Iudæa, vt ſupra diximus, Romam ante Petrum veniſſe, qui nihil ibi publicitus docuerunt, & tamen Petrum primum fuiſſe, qui Romanis erat concionatus, & ex ipſis Romanis aliquot ad Chriſtianiſmum cõuerterit. Cæteri vero, quia præter Oroſium nihil alicuius momenti afferunt, nullam à nobis exigunt reſponſionem. Et hactenus pro reſponſione ad tertium Cauillum dictum ſit.

CAVILLVS IIII.

QVibus ea res magis comperta fieri debuit, atq; diſcipulis apoſtolicis, & qui proxime viguerunt poſt apoſtolos. At illi hoc nobis indubitato prodidere, Petrum & Paulum Romæ paſſos fuiſſe, quorum vnius videlicet Lini, Timotheum ſalutauerat nomine Apoſtolus dicens: Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus. Alterius autem in actis apoſtolicis celebratur memoria, inquiente Luca; Quidam vero viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Demaris, & alij cum eis. Præterea Aegeſippus, qui Aniceti X. poſt Petrum Romani pontificis tempore Romam aduenerat, in laudibus fidei Chriſtianæ verſatus, eiuſce paſsionis Petri & Pauli meminit.

Reſponſio.

*Si mihi nil aliud eſſet, quatenus probem paſsiones illas Petri & Pauli, ab eorum diſcipulis non fuiſſe conſcriptas, diuerſitatem illam & diſcrepantiam, quæ illic reperitur, firmiſsimæ probationis loco ponerem. Sed quia ſunt mihi pleraq; multa ad perditam hanc ſuſpitionem tollendam, illius ne meminero quidem. Perſuaſum eſt doctis omnibus, non modo diſcipulis apoſtolicis, ſed & ipſis apoſtolis adhuc ſuperuenientibus hanc iniuriam ſæpius factam fuiſſe, vt multa eorum ſub nomine Chriſtianæ, profeſsioni repugnantia, in publicum ederentur. Nomine enim Pauli (vt Origenes teſtis eſt) ad Theſſalonicenſes, à pſeudoapoſtolis quo facilius deciperentur, porrecta fuit epiſtola. Quos apoſtolus re tandem comperta, propria ad eoſdem data epiſtola admonet his prope verbis: Non cito moueamini, inquit, à veſtro ſenſu, neq; terreamini, neque per ſpiritum, neq; per ſermonem, neq; per epiſtolam tanquam per nos miſſam. Et Hieronymus viſionem Pauli & Teclæ, ac baptizati Leonis fabulam ſub nomine Pauli, à quodam Aſiæ Presbytero fuiſſe editam ſcribit, quod ipſemet poſtea, Tertulliano teſte, ſe feciſſe Pauli amore cõfeſſus eſt. Clementis item, cuius Apoſtolus ad Coloſſenſes ſcribens, mentionem facit, multis erroribus hæretici reſperſerunt libros, quorum quidam Eunomij hæreſim ſapiunt. Nam diſputat quodam in libro filium Dei ex nullis extantibus creatum. Item dæmones non voluntatis malitiam feciſſe, ſed creaturam eos eſſe diuerſa qualitatis ab aliis productam. Et longe plures alij inibi reperiuntur errores. Rurſum Dionyſij cuiuſdam Alexandrini epiſcopi vſq; adeo deprauati ſunt libri, vt eius autoritate Arrianorum hæreſis, filium Dei non eiuſdem ſubſtantiæ eſſe cum patre auſa ſit confirmare. Origenis nondum mortui, tot iam ſubdititijs erroribus ſcatebant libri, vt ſæpius eum hanc iniuriam deplorasse legatur. Et Ruffinus in Apologia pro Origene, De hæreticorum, inquit, temeritate, vt credi iſtud ſcelus facile poſsit, illa res maximum credulitatis præſtat exemplum, quod abſtinere impias manus, etiam à ſacroſanctis quidem euangelij vocibus non potuerunt. Apoſtolorum vero vel actus, vel epiſtolas qualiter polluerint, qualiter corroſerint, qualiter in omnibus macularint vel addendo impia, vel auferenda quæ pia ſunt, ſi quis vult plenius ſcire, ex his libris Tertulliani, quos aduerſus Marcionem ſcripſit, pleniſsime recognoſces. Et alibi inquit: Peruerſi homines aſſertionem dogmatum ſuorum, ſub virorum ſanctorum nomine tanquam facilius credenda inſeruerunt ea, quæ ipſi nec ſenſiſſe, nec ſcripſiſſe credendi ſunt. Et ideo Origenes homilia 26. ſuper Matthæo dicit: Oportet caute conſiderare, vt nec omnia ſecreta, quæ feruntur in nomine ſanctorum ſuſcipiamus. Quantum ad Dionyſium Areopagitam attinet, nulla eſt cunctatio, quin paſsio illa Petri & Pauli ei adſcripta non ſit ſubdititia, probant enim & Laurent. Val. & Eraſmus Rot. in annotationibus libros, qui ſub nomine eius circumferuntur, falſo ei attributos, vt ſunt de cœleſti Hierarchia, de Theologica Hierarchia, de diuinis nominibus, & cæteri. Nondum enim eccleſia, cuius tempore viguerat ille, tantam nouerat cæremoniarum turbam, quanta in eis libris traditur. De cætero autem Petri & Pauli ſub nomine Lini euulgata paſsiones, tantum habent permixta ſibi falſitatis vt in multis non modo Chriſto & Paulinis literis, ſed & Petri ipſius contradicant ſermonibus, quod equidem niſi me prolixitas arceret, promptum eſſet oſtendere. Perſuadeo tamen mihi graculum quempiam (vt Iuuenalis vtar verbo) mendacem, & lenonem potius aliquem, quam Linum has paſſiones commentum fuiſſe, qui Paulinam ad Timotheum epiſtolam olfecerit magis aliquando, quam intellexerit. Nam cum mendacem memorem eſſe oporteat, ille obliuione ſua ingenue ſe mentitum oſtendit. Arbitror eum legiſſe aliquando Paulum his verbis Timotheum ad ſeſe allectantem: Feſtina ad me venire cito. Demas enim me reliquit diligens hoc ſeculum, & abiit Theſſalonicã, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas eſt mecum ſolus; qui quidem impoſtor non habens perſpectum, vnde Apoſtolus epiſtolam ad Timotheum miſerit, & vbi ſe locorum expectaturum dixerit, & vbi Titus ac Creſcens recedentes apoſtolum reliquerint, paſsionem Pauli ad hunc modum exordiens: Cum veniſſent Romam Lucas à Galatia, & Titus à Dalmatia, expectauerunt Paulum in vrbe, quos cũ aduenientes Paulus vidiſſet, lætatus eſt valde, & conduxit ſibi extra vrbem horreum publicũ. Hæc verba illius, in quibus apoſtoli primũ oblitus eſt dicentis: Creſcens abiit in Galatiam, Lucas mecum ſolus eſt. Nam præpoſtere Lucam dicit rediiſſe è Galatia, quo nunquam abierat ipſe, ſed indiuiduus Apoſtoli fuerat miniſter. Et apoſtolus Creſcentẽ dixit petiiſſe Galatiã. Proinde credibilius fuiſſet ſi eundẽ redeuntem Galatia his leno poſuiſſet. Poſt

hæc

hac ſubinſert: Expectauerunt Paulum in vrbe, quaſi Paulus è carcere quopiam recedere potuerit, & non aduentũ Timothei ac Marci, quos optauerat ante hyemem ad ſe venire, expectauerit, quomodo ergo venerat Romam, vnde non receſſerat? Aut quomodo Lucas & Titus expectaſſent aduenturum apoſtolum, quem in carcere detineri ſciebant? nimirum cum Galatiam & Dalmatiam proficiſcentes illic eum reliquerint. Vlterius ſcribit: & conduxit ſibi horreũ publicum, vbi cum iis & aliis fratribus de verbo vitæ tractaret, cœpitq́; interea corrigere multitudinẽ maximam, & adiiciebantur per eum fidei multæ animæ, operante Dei gratia, ita vt per totam vrbem ſonus prædicationis, & ſanctitatis eius fieret, & exiret fama per vniuerſam regionem de illo. Hæc ipſe. ſed Paulus diuerſum quiddam in epiſtola ſua dicit: Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, ſed cum Romam veniſſet, ſolicite me quæſiuit, & inuenit. Confer verba Pauli ac Leonis huius. Hic inquit, conduxit ſibi horreum publicũ. Ille, Oneſiphorus catenam meam non erubuit, niſi forte cum catena ex aliquo carcere Romam Paulus profugerit, qua ſe liberare non poterat. Hic dicit quod fama non modo per vrbem, ſed & per omnem regionem vndiq́; de eo ferebatur, & concurſus hominum ad eum fiebat. Ille vero Oneſiphorum dicit ſolicite ſe quæſiuiſſe, ac vix tandem inter catenas inueniſſe mirum quod fama, quæ de Paulo volitabat, illuc eum nõ perduxerit. Atq́; in hunc modum totam illam paſſionem, & alteram Petri poſſem ſuppilare; ſed proprij voluminis hoc iam eſſet negotium. Hæc enim paucadeo refello, vt maximum eorũ oſtendam mendacium, qui paſſiones has commentitias, & incerto authore natas, in Linum transfundunt. Non enim tam rudis fuerat Linus, qui tunc Paulo adhærebat, cum epiſtolam ad Timotheum ſcripſerat, vt ſtatim dictorum obliuiſceretur, imo confunderet verba Paulina, & diuerſa ſcripſerit ab eo. Quod idem ſentiremus & de Aegeſippo, qualiter enim homo ille poſt multa tempora Romam veniens, hiſtoriæ ſeruare potuiſſet veritatem? Qui neq́; rei geſtæ aderat ipſe, neq́; Roma illa tempeſtate de eorum paſſionibus quicquam ſibi conſcia erat, ſiquidem multis poſt Aegeſippum temporibus fabulam hanc fuiſſe fictam certum eſt.

RESPONSIO.

FAcile fuerit ad hunc modum, ſcriptorem vnumquemq; reiicere, ſi propter eiuſmodi cauillos nullius eſſent autoritatis habendi. Nam quis mihi quemuis autorem dabit, cui, ſi meæ ſententiæ fuerit contrarius, non obiiciam: vel quod eius ſcripta per hæreticos deprauari potuiſſent, vel quod adeſſe nonnihil erroris in eo calumnisbor? At niſi quis vel deprauationẽ palam oſtẽdat, vel idipſum errorem eſſe conuincat, quo nobis autor ille ſubſcripſerit, nullo iure videri poteſt à nobis repellẽdus. Quid enim ſi Pauli nomine cõficta fuiſſet quædã ad Theſſalonicenſes epiſtola? num ob id cæteris minorem habituri ſumus fidẽ? Abſit. Sed ea ſola, quam conſtat eſſe commentitiam, nullius apud nos momenti putetur. Reliquis vero quibuſlibet, de quibus nulla prorſus eiuſmodi ſuſpitio fuerit, honor manebit inuiolatus. Doceat igitur Velenus ſi poteſt, qua ratione quiſquam hęreticorum fingere voluiſſet Petrum fuiſſe Romæ, aut cuius hæreſis hac opinione vel tantillum promoueri potuiſſet. Quod ſi nequeat, vt & profecto nequit, quum idipſum hæreticis longe magis aduerſetur, quam proſit, non video cur ſuſpicari quiſquã debeat, illud cuiuſpiam autoris operi fuiſſe ab hæreticis interſertũ. Nec obſtat illud Origenis, quum admonet non oportere omnia à nobis ſuſcipi, quæ ſub nomine ſanctorũ feruntur. Nã aliud eſt nõ ſuſcipere omnia, & aliud nulla ſuſcipere. Voluit igitur Origenes, vt non ſine delectu ſuſciperemus. Et propterea dixit: Oportet caute cõſiderare. Sed noluit vt illud repelleremus, in quo nulla eſſet mali ſuſpitio, quodq; ſemper à primordiis eccleſiæ fuiſſet ab omnibus receptum. Cuiuſmodi conſtat & iſtud eſſe, de quo iam conflictamur, nempe quod aliquando Romę Petrus fuiſſet. Nam ad hunc vſq; diem nemo repertus eſt, præter vnum Velenum, & hunc, vt nihil aliud dicam, eccleſiæ Romanæ capitalem hoſtem, qui negarit vnquam Petrum fuiſſe Romæ, quum tot & tam eximij ſcriptores, & iidem vetuſtiſſimi, de quibus ante diximus, idipſum toties & tam vnanimiter affirment. Eſto ſit nonnulla de anno, ſiue de die, quo fuiſſent apoſtoli necati, varietas. Nihil hoc obſtare debet, quin Romæ fuiſſent necati, ſicut nec de Chriſti morte Hieroſolymis facta, dubitare licet, quum tamen vt ſuperius oſtendimus, inter ſcriptores non de anno ſolum, verumetiam de die, quo fuerat crucifixus, haud parua controuerſia eſt. Varietas igitur, quæ inter ſcriptores contigit de tempore necis Apoſtolorum, non amputat fidem huius, quod Romæ fuiſſent necati, & præſertim, ſi nullũ aliud eſſet indicium, quam quod Romæ tanta Petri Paulique cineres, ad hodiernum vſq; diem habeantur veneratione. Sed ex tanto ſcriptorum numero, tres *Dionyſium, Linũ & Aegeſippum carbone notauit Velenus.* duntaxat carbone notauit aduerſarius, nẽpe Dionyſium, Linum & Ægeſippum. At expendamus, quid iſtis obiecerit. Quantum ad Dionyſium, inquit, Areopagitam attinet, nulla eſt cunctatio, quin paſſio illa Petri & Pauli ei adſcripta, ſit ſubdititia. Probant enim & Laurentius Valla & Eraſmus Roterodamus, libros, qui ſub nomine eius circumferuntur, falſo ei attributos. Atqui ſi Dionyſij ipſius non fuerint? num propterea quicquid in eis cõtineatur, ilico damnari debeat? Plurimum vtiq; Laurentij, ſed multo magis Eraſmi, iudicio tribuendum puto, qui nec reiicit tamen, quæ in ipſis libris tradita ſunt. Rurſum, Commenta mendaciaq; vocat aduerſarius, quæ Lino de Petri Pauliq; paſſionibus, attribuuntur. Sed qua ratione? Ea nimirum, quod quum Paulus epiſtola ad Timotheum ſecunda ſcripſerit, abiiſſe Creſcentem in Galatiam, Titum in Dalmatiam, & ſolum apud ſe Lucam tum eſſe, paſſio tamen Pauli ſic inchoat: Quum veniſſet Romam Lucas à Galatia, & Titus à Dalmatia, expectauerũt Paulum in vrbe. hactenus ex aduerſario. Sed quid iſta repugnant? Spectant enim ad diuerſa tempora, quæ vel ordinat prępoſtere, vel inter ſe perperam commiſcet aduerſarius. Nam id quod Linus ſcribit,

bit, factum eſt, priuſquam Paulus Romam ſecundo veoiſſet. At illud ad Timotheum ſcriptũ fuit, poſteaquam veniſſet, & eſſet in vincula cõiectus. Et quid prohibet, quo mious, vel ab Hiſpania, vel ab alia quauis regione rediturus Romam Paulus, præmiſiſſet Lucam in Galatiam, aliquorũ oegotiorum gratia, & Titum ſimiliter in Dalmatiam, & quod iidem rediiſſent Romam, priuſquã huc ſe recepiſſet Paulus? Et poſtea rurſum quã Romam aduenisset, quid vetat, Titum iterum in Dalmatiam miſiſſe, & Creſcentem in Galatiam, Luca ſolo ſecũ remanente. Sed dicit aduerſarius Lucam indiuiduum fuiſſe Pauli miniſtrum. Fuit vtique Lucas miniſter Pauli, ſed non ſic indiuiduus, vt nuuquã alicuius oegotij gratia diſceſſerit ab eodem. Id quod non ſolum ex Actis patet, verumetiam ex epiſtola ad Corinthios poſteriori, quam per Titum & Lucam fuiſſe Corinthiis redditam omnes confiteotur. Sed & ipſe Paulus in eadem ſcribit, vbi de Tito fecerat mentionem. Miſimus, inquit, vna cum illo fratrem eum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes eccleſias, nec id ſolum, verumetiam delectus eſt ab eccleſiis, comes peregrinationis noſtræ, hauddubiè Lucam aperte ſcribens. Porro quod de horreo publico dicit aduerſarius, quid vetat Paulum, horreum conduxiſſe, priuſquam denuo in carcerem fuiſſet detruſus? Nec diuerſum eſt, quod ait Paulus, det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigerauit, & catcoam meam non erubuit. Nam hoc factum eſt, poſteaquam eſſet Paulus ſecundo coniectus io viucula. Liquet igitur nullius eſſe roboris ea, quæ aduerſus Linum produxit aduerſarius. Neque profecto minus pueriliter ſuggillat Ægeſippũ. Quid enim ſi poſt multa tempora veniſſet Romã Ægeſippus? nunquid oon hiſtoriam ante ſcripſiſſe potuerit. Sed & illuc accedẽs, nonne q̃ fide publica didiciſſet ab aliis, ipſe literis pari fide potuit cõmendare? Cæterum hiſtoriam, quæ paſſim Ægeſippi oomine circumfertur, vel ex eo conſtat authenticam eſſe, quod eam diuus Ambroſius latinam reddiderit, id quod haudquaquã tantus vir feciſſet, oi certo ſibi conſtitiſſet de autore. Sed ſi dederimus aduerſario, trium horum libros fuiſſe commentitios, quid aduerſum reliquos hiſcere valebit. De quorum libris nemo dubitat, quique nec paruo numero ſunt, nec autoritatis à quouis contemnendæ. Cęterum pręter innumeros ſcriptores, tot eiuſdem rei monumenta ſuperextant, vt non poſſit non impudentiſſimus eſſe, qui contradicere moliretur. Prætereo conſtantiſſimam famam, quam hiſtoriæ legem, cum alij, tum Hieronymus nominatim appellat, taceo Myrſilij, Methaſteniſque Caoones quibus huius hiſtoriæ veritas exacte comprobari poſſit. Vereor enim ne mea prolixitas nimio lectorem affecerit redio. Sed candidiores boni cõſulent, ſcientes, quod argutationibus vſq; adeo prolixis, paucis verbis reſponderi oon poteſt. Cæterum iſta ſufficere putamus ad efficacem earum labefactatiooem.

CAVILLVS V.

AT eccleſia Romana, verba ex paßione Lini, quem tu leonem potius aliquem, quam Linum fuiſſe blaſphemas, deprompta annuatim decantat, id neutiquam factura, ſi eam non legitime deſcriptam ſciuerit. Inter caetera in paßione Petri & hæc ponuntur verba; Vt autem portam ciuitatis voluit egredi Petrus, vidit ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum ait: Domine quo vadis? Reſpondit ei Chriſtus: Romam venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus: Domine iterum crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus: Etiam, iterum crucifigar. Petrus autem dixit: Domine reuertar, & ſequar te. Et his dictis, Dominus aſcendit in cœlum. Petrus autem proſequutus eſt eum multo intuitu, atque dulciſſimis lachrymis. Et quo id magis factum credatur, hactenus extat ibi loco exadificatum ſacellum, vbi hæc habita ſunt verba.

Reſponſio.

Bene habet, quod vniuerſalis eccleſia ſancta prophanum hoc mendacium contra Chriſtum, contra Paulum, imo contra ipſummet Petrum, ac fidem catholicam non decantat. Orientales enim eccleſiæ, quod ſat ſcio, & multi etiam in occidente fidelium hanc vocem non recipiunt. Romanam vero eccleſiam hæc mendacia approbare, profiteri, decantare quid prohibet? quæ mendaciis eſt alioqui refertißima. Potuitné diſcipulus apoſtolicus hæc portenta horrendißima toto cœtui fidelium ſcribere vt iam Chriſtus Petro occurſurus tunc è cœlis deſcenderit? Et tanquam Petrus Chriſti verbis admonitus, rurſum Romam ſeſe receperit fratribus ea quæ euenerant nunciaturus. Quid Petrus enim hac fabula apud eos promouiſſet non intelligo, quam vt pro ſeductore & mendace haberetur ab omnibus. Qui quondam ad Iudæos de Chriſto loquutus, vt Actuum habetur tertio, dixerat: Oportet quidem cœlum Ieſum Chriſtum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium quæ loquutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum, à ſeculo prophetarum. Quomodo tunc ergo cœlum terris Chriſtum reddiderat ante conſummationem omnium, quæ circa diem iudicij primum eſt futura, dicentibus etiam Angelis ad eos, qui intuebantur Chriſtum in nube pergentem ad cœlum: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quod explanat Matthæus de aduentu eiuſdem ad iudicium. Videbunt, inquit, filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maieſtate. quemadmodum enim in nube aſcenderat, ſic in nube ad iudicandum veniet. Ecce quam inconueniat credere, vt vnquam Chriſtus in ea perſona, qua à nube correptus in cœlum deuolauit, in terras deſcenderit. Sed reuera ad diem iudicij primum à fidelibus expectatur rediturus. vt ad eam ſententiam Pſalmiſta quoque alludit: Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Vnde nunquam adhuc perſonaliter deſcendiſſe creditur, vt alicui ſanctorum in terris apparuerit. Enimuero in cœlis ſemper apparere dignatus eſt, & abinde ad eos & loqui. Stephanus enim intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Et Paulum appropinquantem Damaſco ſubito circumfulſit lux de cœlo, qui cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule Saule quid me perſequeris? Qui tremens ac ſtupens dixit, quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Quod ille, de ſua conuerſione

uerſione mirificatum illic cum Iudæos alloquitur, Act. 22. tum vbi apud Agrippam, & Feſtum præſidem, Act. 26 data ei ſeſe defendendi copia propriis verbis atteſtatur. Cum irem (inquit) Damaſcum, cum poteſtate & permiſſu principum ſacerdotum, die media in via vidi, rex, de cœlo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen. Et Petro olim, an gentibus prædicandum ſit Euangelium, hallucinanti, non quidem perſonaliter Chriſtus apparuit, ſed in extaſim raptum, ne quid commune diceret ac immundum, edocuit. Et nuſquam præterea poſt aſcenſionem ſuam alicui ſanctorum apparuiſſe, in eo habitu, quo poſt reſurrectionem ſuam, per dies quadraginta cõuerſatus eſt cum diſcipulis, conueſcebatur, & loquebatur eis de regno Dei, Chriſtum in ſacra ſcriptura legimus, imo nec aliquando apparitur um prius, quam dies iudicij venerit, credimus, fide catholica Chriſtiani inſtructi. Quantum flagitium ergo, tanta contra legem Dei mendaciorum ſimulacra diſcipulo apoſtolico attribuere, quibus bonum ille virtutis ſpecimen de ſeſe præbuerat, eorumq; doctrinam pulchre percalluit? Poſſem hic & de ſacello, quod in huius mendacij robur extructum eſt, nonnihil dicere, & probare copioſe, nullum ſacellum, nec aliquam baſilicam ad aliquot annorum centurias Romæ, & locis ei adiacentibus exædificatam fuiſſe, ſed Chriſtianos in latebris & ſpeluncis ſubterraneis conuenire ſolitos vel ad mortem Domini annunciandam; vel hymnis & orationibus Chriſti ſuffragium & diuinam gratiam ſibi demerendam.

RESPONSIO.

INtelligis lector, quid ex his aduerſarius moliatur. Nempe quod Chriſtus prędicta non ſit locutus Petro. At qua ratione? Nimirum, quia nunquam à cœlo deſcenderit Chriſtus, citra quam cò conſcendiſſet, ſed nec vnquam inde deſcenſurus eſt, ante iudicij diẽ, id quod ex ſacris literis aſtruere conatur. Et primũ, ex ipſius Petri verbis Act. 3. Oportet, inquit, cœlum Ieſum Chriſtum ſuſcipere vſq; in tempora reſtitutionis omnium, quę locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſeculo prophetarum. Quomodo ergo cœlũ terris Chriſtum reddiderat ante conſummationem omniũ, quæ circa diem iudicij primũ eſt futura? Reſpondemus, quod ex hac ſcriptura nihil amplius colligitur, quam quod Chriſtus in cœlo perpetuo ſit manſurus, donec ad iudicium venerit. Neq; iſtud quicquã aduerſatur hiſtoriæ priori, quandoquidem Chriſtus mirifica ſua poteſtate ſe pręſentem terris corporaliter exhibere poteſt, manẽs in cœlo nihilominus apud dexteram patris inconuulſibiliter. Nam iſtud omnes, quotquot orthodoxi ſumus, quotidie fieri nihil dubitamus, Chriſtũ enim in altaris ſacramento vere præſentem credimus, & nihilominus apud patrem quoq; vere præſentẽ in cœlis. Dedit enim hauddubie miniſtris eccleſiæ, ſui corporis cõſecrandi poteſtatem quum dixit: Hoc facite in meam cõmemorationem. Et rurſum. quod cõſecratum eſt, affirmauit vere ſuum corpus eſſe, quũ dixerit, Hoc eſt enim corpus meum. Perſpicuum eſt igitur, quod Petri verbis ab aduerſario recenſitis, nihil repugnat quod corporaliter, & perſonaliter Chriſtus præſens fiat in terris. Neq; enim ab eius perſona corpus eius quouiſmodo ſeparatur. Adde, quod niſi quis diuorum vitas, quæ ad magnam eccleſiæ totius vtilitatem conſcriptæ ſunt, penitus contemnere velit, ex eis abunde confirmabitur aſſertio noſtra. Nam vt illæ teſtantur, ſæpenumero Chriſtus ſemetipſum eis præſentem exhibuit, ad non mediocrem eorum conſolationẽ; vt nihil mirum fuerit, ſi Petro iam in tantis anguſtiis conſtituto, Chriſtus apparuiſſet. Ad hæc, non poteſt Paulus fuiſſe mendax, quum dixit ſe vidiſſe Dominum Ieſum. Sic enim primæ ad Corint. 9. teſtatur: Annon ſum Apoſtolus? inquit. Annõ ſum liber? Annon Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? Quod & dixit, ne cæteris apoſtolis qui Chriſtum in terris corporaliter ſecuti ſunt, habendus eſſet inferior. Et rurſum cap. 15. Poſtremo vero omniũ velut abortiuo viſus eſt & mihi. At quũ iſtud Paulus ad oſtendẽdam veram carnis reſurrectionem eo loci producit, oportuit eum vtiq; vidiſſe Chriſtũ corporaliter & perſonaliter. Præter hęc & locutũ ei multa Chriſtum fuiſſe, palam eſt ex Actis, tam 9. c. quam 22. Sed & Barnabas Act. 9. narrauit apoſtolis, quomodo Paulus in via Chriſtum viderit corporaliter, & audierit ad ſe loquentem, quid prohibet quo minus & idem contigiſſet Petro? Nam ſicut in Actis traditur, quod quum Paulus viſo circumfulgurãte lumine collapſus eſt in terram, audiuit vocem dicentem ſibi: Saul Saul quid me perſequeris? clamauit: Quis es Domine? Cui Dominus: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare. Et Paulus tremens & ſtupens, ait: Domine, quid me vis facere? Subiecit Chriſtus: Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Quid huic colloquio diſſimile refertur in hiſtoria Petri. Quamobrem vt vera fuit hiſtoria quæ de Paulo loquitur, ita & vera potuit eſſe quæ refertur de Petro. Nam vtriq;, tam Petro, quã Paulo, Chriſtus corporaliter adeo propinquus fuit, vt videri potuerit ab vtroq; pariter & audiri. Cęterum huius hiſtoriæ de Petro nec vnicus teſtis eſt, ſed pleriq; ſubſcribunt eidem & nominatim Euſebius, Linus, Ægeſippus, Ambroſius. Sed iſta quę iam reſpondimus, abunde ſatis deiiciunt aduerſarium.

CAVILLVS VI.

MArcus euangeliſta Petri diſcipulus, à præceptore admonitus Romæ ſcripſit Euangeliũ. Quod Petrus dum audiuit & approbauit, eccleſia ad legendum autoritate ſua edidit, vt & Clemens libro informationum ſcripſit, & Hieronymus de viris illuſtribus meminit. De quo Petrus in epiſtola ſua loquitur: Salutat vos Marcus filius meus; qui poſt conſcriptum tandem Euangelium Aegyptum perrexit, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, illic eccleſiam conſtituit, exantlatiſq; laboribus, Neroniani imperij anno 8. vita functus eſt. De cuius conuerſatione apud Alexandriam, Philo quoq; Iudæus librum concinnauit.

Reſponſio.

Qui Clementi adſcribuntur libri, minus eſt tutum eis credere,

credere, quoniam eorum quidam ſuppoſititij ſunt, ac falſo Clementi adſcripti, quidam vere magna ex parte deprauati, ac erroribus infecti, vt iam antea probauimus. Itaq; ſciendum quod in noui teſtamenti libris, duos Marci cognomine fuiſſe inſignitos inuenimus, quorum prior dicebatur Ioannes Marcus. Et de hoc legitur Act. 13. Quod Paulo cum Barnaba Antiochia inter prophetas & Chriſti nominis doctores exeunte, poſteaquā viſum eſt Spiritui ſancto, vt ad opus miniſterij ſegregarentur, ſeniores impoſitis ſuper eos manibus in miniſterium eos confirmarunt. Qui profecti in Seleutiam, venerunt tandem in Cyprum inſulam, & Salaminam eiuſdem inſulo vrbem, Chriſtum per Synagogas annunciantes; quibus erat adiunctus & hic Ioannes, qui cognominabatur Marcus, non reprobus quidem miniſterio. Poſtquam autem peruenerunt Paphum vrbem in Cypro inſula ſitam, & inde nauigare vellent Pamphiliam, iam dictus Ioannes Marcus renuit proficiſci cum eis, ſed econuerſo rediit Hieroſolymō, & poſthac Antiochiam, Quo aſcendentibus poſt aliqua temporū interualla Paulo & Barnoba, & aliquandiu Chriſtum illis docentibus, dixit ad Barnobam Paulus: reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo ſe habeāt, Act. 15. Barnabas vero ſecum volebat aſſumere & Ioannem cognomento Marcum, qui pridem iam ab eis deſciuerat, ſed Paulus hunc rogatum habuit, ne id faceret, eo quod nō cōueniat eum deinceps in munus euangelicum reaſſumi, qui antea ab eis defecerat. Et pergentes Pamphiliam relinquens, diſceſſit Hieroſolymam. Et hinc orta eſt inter eos diſſenſio, ita vt alterutrim ſepararentur. Nam Barnabas aſſumpto Marco perrexit Cyprum, & Paulus electo Syla recepit ſe in Syriam & Ciliciam. Qui quidem Marcus, Barnaba ob nomen Chriſti in Cypro impiiſſime trucidato, quod Aegyptum tandem iter occupauerit, nemo it inficias, cum Philo magni nominis ſcriptor in Alexandria vrbe Aegypti prope oſtium Nili ſita, Chriſti nomen ipſum annunciaſſe prodat. Et Petrus ex Chayro, hoc eſt, Babylone, quam Stephanus & Ptolomæus in Aegypto ſitam eſſe tradunt, epiſtolam ſcribens ipſius meminit, Salutat vos, inquiens, Marcus filius meus. Credibile eſt enim hunc Marcum Petro familiarem fuiſſe, cum Alexandria non procul à Chayro diſtet. Et de hoc Marco multa figmenta reperiuntur. Primum quod dum crediderit in Chriſtum, amputaſſet ſibi pollicem, vt ſacerdotio reprobus efficeretur. Deinde quod Romæ ſcripſerit euangelium ad voto Petri; quod protinus falſum eſt. Nuſpiam enim hunc Marcum perinde nec Petrum in libris Canonicis Romæ aliquando fuiſſe inuenimus. Et ſcriptorum varietas mendacium hoc declarat. Hieronymus enim Clementis authoritate ſcribit, Marcum rogatum à fratribus Chriſti Euangelium ſcripſiſſe. Alij vero, quorum è numero & Platina non ignobilis eſt hiſtoricus, tradunt quod Petrus Romanorum precibus motus, Marcoq; qui ad hanc rem videbatur idoneus, Euangelij conſcribendi negocium iniunxerit, quem omnes velut ex compoſito, octauo anno Neronis obiiſſe, Alexandriaq; ſepultum fuiſſe ſcribunt. Verum enimuero hos decepit eorum indiſcretio. Non enim alium Marcum inter apoſtolorum diſcipulos fuiſſe crediderant, & ideo quicquid de vtroq; legitur, ad vnum falſo retulerunt. Alter namq; fuerat Marcus, nomine Ariſtarchus, qui cooperator, & diſcipulus fuerat Pauli, de quo ipſe in priori captiuitate ſua, qua biennio Romæ à Nerone detinebatur, ad Philemonem ſcribens mentionem facit. Salutāt te Marcus Ariſtarchus, Demas, & Lucas adiutores mei. Demq; vbi iam ſecundario in manus deuenit Neronis & ingraueſcente ætate, ac laboribus cōfectus diem obitus accelerare videns, Timotheoq; è carcere ſcribens, eiuſdem Marci iterum meminit: Feſtina ad me venire cito, Lucas enim mecum ſolus eſt, Marcum itaque aſſume, & adduc tecum, eſt enim mihi vtilis in miniſterio: penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem & membranas. Quod Iacobus ille Stapulenſis nō omnium deterrimus apoſtolicus interpres, pulcherrime exponit inquiēs: Lucam ſecum habebat Apoſtolus. Marcum autem mandat obnixe, & membranas quæ apud Carpū erant deferri. Sed ad quidnam? niſi vt Luca & Marco, electis à Spiritu ſancto diuinis ſcribis, eas relinqueret ad reponendū ſanctum Euangelium. Quid apertius his verbis dici poterat, quam quod Marcus Ariſtarchus, & non Ioannes Marcus ſacrum Euangelium conſcripſerit? qui facile Neronis imperij annos ſuperauit, cum apoſtolus circiter tredecimū eiuſdem imperij annum, epiſtolam hanc ſcribens, eum ſibi à Timotheo adduci poſtulat. Neq; idem, ne quē id moretur, Ariſtarchus & Ioannes apud Hebræos ſonat. Ariſtarchus enim perinde Hebræis ſignificat ac ſi dicas, ſuſcitans coronam. Ioannes vero gratia Domini. Ex his euidentiſſime patet, fabulam eſſe quod de Petro & Marco quidam ſcriptitant.

RESPONSIO.

SVmma totius huius prolixæ reſponſionis in hoc cōſiſtit, quod duo fuerint, quorum vterque dictus ſit Marcus, alter Ioannes Marcus, de quo ſæpe in Actis fit mentio. Alter Marcus Ariſtarchus, cuius & meminit Paulus in epiſtola ad Philemonem dicens: Marcus Ariſtarchus, Lucas, adiutores mei. Et hunc Marcum Ariſtarchum aduerſarius aſſerit euangelium ſcripſiſſe, non illum Ioannem Marcum. in cuius rei partem & Fabrum citat teſtem. Sed nos hic primum oſtendemus, neminem in ſacris literis vocatum Marcum Ariſtarchum, non cum ſaltem, cuius Paulus ad Philemonem meminit. Nam in ea epiſtola prorſus alius eſt, quem Paulus Marcum vocat, & quē Ariſtarchum. Quod & ita fiet dilucidum. Eodē ipſo tempore, quo ſcripſit ad Philemonē Paulus, ſcripſit & ad Coloſſenſes, quod & ſupra docuimus ex Hieronymo. Nam etſi Tychicus ad has perferendas miſſus fuerit à Paulo, miſſus tamen fuit cum Oneſimo, qui ad alias pertulit ad Philemonē. Sic enim Paulus ad Coloſſenſes teſtatur, de Tychico locutus: Quem, inquit, miſit ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcat quid agatis, & conſoletur corda veſtra, vna cum Oneſimo fido ac dilecto fratre, qui ex vobis, hoc eſt, qui veſtràs eſt, nēpe Coloſſenſis, vt erant illi. Propter quod & Hieronymus ſubinfert: Ratio, inquit, ipſa & ordo deducit, ꝙ & Philemo quoq; Coloſſenſis ſit, & eo tēpore ad cōmunem & omnē eccleſiam Oneſimus epiſtolā tulerit, quo priuatas & ſui cōmendatrices ad Dominū literas ſumpſerat. Sed & aliud indicium annotauit Hieronymus, nimirū, quod in vtraq; epiſtolā meminerit Archippi. Nā in ea quæ ad Coloſſenſes inſcribitur, ſic ait: Dicite Archippo, Vide mi-

niſterium, quod accepiſti à Domino, vt illud impleas. In altera vero ad Philemonem, in ipſa mox epiſtolæ fronte ſalutat Archippum: Et Archippo, inquit, commilitoni noſtro. Tertinm inſnper indicium eſt, qnod in vtraq; ſe vinctum fuiſſe teſtatur. Sic enim ad Coloſſenſes ait: Propter q̃ & vinctus ſum. Et ad Philemonem: Paulus vioctus Ieſu Chriſti. Poſtremo qnartum indicium eſt, qnod & ad rem ooſtram maxime facit. Nempe qnod in epiſtolæ receſſu, totidem vtrobiq;, licet nõ eodem ordine, ſalutantes introducit. Sex enim memorat ad Coloſſenſes, videlicet Ariſtarcbnm & Marcũ, Ieſum & Epaphram, Lucamq; & Demam. Et totidem, ni fallor, apud Philemonem reperirentur, ſi non hallucinatum fuiſſet in nomine Ieſu. Sic enim ad Philemonem habetur: Salutant te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Mareus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei. Quod ſi nomen Ieſus in recto fuiſſet poſitum, iam totidem in bac epiſtola ſalutantes numerabis, quot in illa, quæ ad Coloſſenſes data ſuit, vt ſi ad hũc modum legeremus: Salutant te Epaphras concaptinus meus in Chriſto, deinde ſequatur, Ieſus, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas adiutores mei. Vtcunq; ſuerit, palam eſt Marcum & Ariſtarchum, quemadmodum in epiſtola ad Coloſſenſes duo ſunt, ita & in hac ad Philemonem duos eſſe, quum vtraq; epiſtola eodem tempore ſuiſſet cõſcripta. Huc accedit, quod aduerſarius fatetur bunc Marcum, cuius Paulus meminit ad Philemonem, Euangelium ſcripſiſſe, quod nos ſecũdum Marcum appellamus, & proinde negare non poteſt eundẽ à Petro vocatum fuiſſe filium. At is quem Petrus filium vocat, erat conſobrinus Barnabæ, vt ex Actis mos docebimus. Quamobrem & idem cum eo ſit oportet, de quo mentionem ad Coloſſenſes facit Paulus. Nam Paulus ibidem ita ſcribit: Salutat vos Marcus conſobrinus Baroabę. Sed age iam oſtendamus eundem fuiſſe dictũ Petri filium, & cognatum item Barnabæ. Primnm in Actis ca. 12. traditur, quod Petrus, protinns vt è vinculis Herodianis euaſiſſet, liber ad domum Marię matria Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, ſe receperit. Vnde facile coniicere licet, Petrum tantam erga Marcum beneuolentiam cõcepiſſe, vt deinceps eum vocaret filium. Veruntamẽ hand multo poſt, Paulus & Barnabas eundem aſſumpſerũt in ſuum miniſterium, vt in eiuſdem capitis calce palàm ſcriptum eſt. Cæterum vt in 13. cap. traditur, quum Paulus & Barnabas Pergen Pamphiliæ veniſſent, Marcus ab eis digreſſus, rediit Hieroſolymam; propter quod & Paulus, quũ poſtea Barnabas ei ſuaſit, vt Marcum denuo miniſtrum acciperent, non aſſenſit, atq; ita Barnabas aſſumpto ſecũ Marco ſecedens à Paulo, nauigauit Cyprum. Erat enim affinitate coniunctus Marco, qnod & hoc loco Beda palam teſtatur. Veriſimile igitur eſſe iam liquet ex iis, eundem fuiſſe Marcum, quẽ Petrus in epiſtola ſua filinm vocauit, & quẽ Paulus ad Coloſſenſes vocat conſobrinum Barnabæ. Porro qnum in Actis non ſemel Ariſtarchi mentio ſit, nunquã tamen appellatur Marcus. Quamobrem & omni probabilitate caret, ant quod is in epiſtola ad Philemonem Marcus Ariſtarchus dictus fuiſſet, aut quod in duabus illis epiſtolis, nẽpe ad Coloſſenſes, & ad Philemonẽ, duos expreſſiſſet Paulus, qui nomine Marci vocarentur. Hæc igitnr, vt argutatio. cui ſub cauillo 6. nititur aduerſarius, omnino refellatur, opinor ſufficere poſſe.

CAVILLVS VII.

PHilo Iudæus, vir literarum pollentiſſimus, ſub C. Caligula à gente ſua Romam miſſarius factus, dum nõ nihil periclitaretur, ſecunda vice ſub Claudij imperio illuc remiſſus, cum Petro apoſtolo de nonnullis contulit rebus, & tam arctiſſimas ſecum iniit amicitias, vt tandem quotiens modo licuit, in libris ſuis Chriſtianos honeſtis traduxerit laudibus. Et in Ioannis Marci praconiis, pleno libro verſaretur, vt Hieronymus in libro de viris illuſtribus prodidit.

Reſponſio.

Has nanias vel ſolus riſus potis ſit explodere. Quinam Philo Iudæus ſub Claudij imperio, Petrum Romæ cõuenire poterat, quem nunquam etiam Romæ fuiſſe tot iam rationibus perſuaſimus, ſiquidẽ Paulus in fine imperij Claudij Romanos literis ſuis fidei ac virtutum admonens, & omnes presbyteros, ſeniores & muneris euangelici coadiutores, tamen etiam quoſdam plebeios ſalutans, ſolius Petri ne tantillum quidem meminit. Tandem quarto Neronians imperij anno Romam perductus, Petrum illic non inuenit, & biennio ibi exiſtens nullam eccleſiam eius ſalutat nomine. Lucas ad quartum vſq; Neronis annum Hiſtoriam apoſtolicam Romæ ſcribens, Petri nullam mentionem facit, Paulus decem præterlabentibus annis ſecundario Romæ captiuatum, nullum Petri præſidium ſenſit, ſed ab omnibus fere deſtitutus rem euangelicam cum vno Luca tractauit: ſin vero ea ratione Philo Chriſtianos laudaſſe putatur, quod cum Petro inierit amicitiam, ego in Iudæa potius id contigiſſe crediderim, vbi Petrus Chriſtum prædicando, ætatem ſuam conſumpſit, & mortem inibi paſſus eſt. Aut nunquid ſolus Iudæorum Philo Chriſti nomen dignis encomiis extulerit? Ioſephus enim, qui non commemoratur alicubi Petrum vel vidiſſe, vel amicitias ſecum pactum fuiſſe, tamen adeo honeſtam Chriſti mentionẽ in ſuis de antiquitatibus fecit libris vt interim mirum videatur, è tam peruicaciſſima gente, aliquem reperiri potuiſſe, qui tanto laudis præconio Chriſtum extulerit. Sed quid mirum, Ioſephum talia de Chriſto dixiſſe, cum & dæmonum legiones Chriſtum prædicare cogerentur? Cuius & nos veritatem in multa diſcrimina perductam nunc defendimus, ſceleraq;, & errores occidentalis Babylonis patefacimus, præmia immarceſcibilis coronæ ipſius benignitate dubio procul adepturi.

RESPONSIO.

VIdes lector, qnibus hic ſtrophis adnerſarius vtitur. Quum enim debeat ad Hieronymi teſtimonium reſpoodere, non id facit, ſed iaculũ declinans, prætexit ſe validiſſimis ante rationibus firmaſſe, Petrum non fuiſſe Romæ. Atqui ſatius omnino fuiſſet iſtud non obieciſſe, quam tali vafricie ſnbtrahere ſe certamini. Quid enim boc aliud eſt, qnam ſe plane victum oſtendere? Neque enim tergiuerſari poteſt, quin Philo Iudæus aliquando

quando Romæ fuiſſet; tantus eſt ſcriptorum in hac vna re conſenſus. Atq; ideo ſubterfugiũ quęrens comminiſcitur Philemonem cum Petro in Iudæa potius amicitiam contraxiſſe. Verum hoc, ſi factum in Iudæa fuiſſet, æqua facilitate potuit ab hiſtoricis enarrari, qua modo referunt id Romæ fuiſſe geſtum. Cæterum quod in Iudæa cum Petro colloquium habuiſſet Philo, nec vnũ quidem autorem aduerſarius citare poterit. Et ſane probabile eſt, id non illibentius ab eis fuiſſe relatum, quam quod modo referunt Romæ fuiſſe factum. Neq; video, cur, eo præſertim tẽpore, quicquam fingi potuiſſet, aut Philonis, aut Petri, aut Marci gratia. Humilior enim Romanus Clerus, & rerum ſecularium contemnentior, adusq; Hieronymi tempora fuerat, quam vt ſuſpicari quiſquam poſſit, illos eiuſmodi mendacia voluiſſe confingere. Quod ſi coniecturas in hac re ſequi liceret, ego facile crediderim, quod Marcus ob eã neceſſitudinem, quam Romæ cum Philone iniit, dum is adhęſerat Petro, poſtea cõceſſerit Alexandriam. Nam & Romæ tum erat Marcus, vt & epiſtola ad Coloſſenſes teſtatur. Neque dubium eſſe poteſt, quin tum ibi fuerat Petri cauſa, magis quam Pauli, quandoquidem & Paulus illum ante repuliſſet, vt ex Actis manifeſte liquet. Sed & erat Philo vir Alexandrinus, vt teſtatur Euſebius, & ob ſeditionem inter Iudęos & Gręcos Alexandrię ſuſcitatam, miſſus Romam in legationem pro Iudæis contribulibus. Et bis vtiq; legatus mittebatur, quemadmodũ & Hieronymus affirmat. Porro quod aduerſarius ait Ioſephum, quãquam nec alicubi Petrum vidiſſe memoratur, haud minus dignis encomiis extuliſſe Chriſti nomen, quam fecerat Philo, nihil ad rem facit. Nam Hieronymus non de Chriſti nomine, ſed de Chriſtianis Alexandrię ſub Marco degentibus, multa ſcripſiſſe Philonem aſſeruit, & in eorum laudibus copioſe fuiſſe verſatum. Quæ res non parum adſtipulatur his, qui Philonem affirmant Romæ cum Petro familiaritatem iniiſſe. Ioſephus autem, etſi de Chriſto ſcripſerat, tamen ab Ægeſippo notatur, perfidiæ Iudęorum fuiſſe conſors, in hoc ipſo ſermone, quem de eorum ſupplicio manifeſtauit: Quorum (inquit) arma deſeruit, eorum tamen ſacrilegia non dereliquit. Deplorauit flebiliter ærumnam, ſed ipſius ęrumnæ cauſam noluit intelligere. Nec mirũ cuiuis eſſe debet, ſi Ioſephus Romæ Petrum non viderit, quum non ante Petri mortẽ Romã ipſe conceſſerit. Acceſſit enim Veſpaſiani temporibus, quum tamen Petrus ante ſub Nerone cruci fuiſſet affixus. Perſpicuum igitur ex his opinor cunctis factum eſſe, nihil aduerſarium hoc ſuo ꝓfeciſſe cauillo. Neq; enim ſuſtulit quin *Euſebius. Hieronymus.* Philo Petrum conueniſſet Romę, quod Euſebius & Hieronymus, haud leues autores, cõſtanter affirmant. Et profecto niſi pudorem omnem abieciſſet aduerſarius, potuit iis indiciis adeo manifeſtis frenari, ne diutius aduerſus Petri pontificatũ, quem is Romæ geſſit, oblatraret. Et inprimis ad hanc rem facit amicitia ipſa Philonis & Petri mutua, quam auſpicatam fuiſſe Romæ, hiſtorici fide digni prodiderunt. Referunt iidem, & Philonem Chriſtianos in Alexandria ſub Marco degentes, miris laudibus extuliſſe. Conducit & ſalutatio, qua Paulus è Roma Marcum in vna ſuarum epiſtolarum ſalutare Coloſſenſes facit. Confert & alia qua Marci nomine Petrus è Roma Iudęos ſparſim incolẽtes regiones gentium, ſalutat. Promouet inſuper eam rem & Euangelium, quod à Marco Romæ fuiſſe ſcriptum, ab omnibus aſſeritur. Adminiculatur & epiſtola Petri prior, quam veteres vnanimiter affirmant ex Roma fuiſſe miſſam. Adhæc haud paruum indicium eſt huiuſce rei, conflictatio quam cum Simone mago Romæ Petrus habuiſſe, tam ab Ægeſippo quam ab aliis enarratur. Adde, quod ab eiſdem refertur & colloquium, quod cũ Chriſto Petrus habuerat, dum è Roma fugã meditaretur. Accedunt his, & loci, tam vbi necatus Romæ Petrus fuerat, quam vbi corpus eius erat ibi ſepulturæ traditum. Et demum, quod negare nemo poteſt, cineres & oſſa Petri adhuc habentur Romæ, quemadmodum & Hieronymus ſuo tẽpore fuiſſe teſtatur. Sic enim aduerſus Vigilantium ſcribit: Male facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem puluiſculum offert domino ſacrificia, & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria. Sed pręter hæc indicia tam apertiſſima, nõ deſunt innumera clariſſimorum autorum teſtimonia, Græcorum iuxta ac Latinorum, qui paſſim vno ore confirmant, Petrum fuiſſe Romæ, quum aduerſarius nec vnius cuiuſpiã habeat ſcriptoris teſtimoniũ pro ſua parte, neq; aliud quicquam, pręter quaſdam negatiuas argutias, vt quia Paulus non ſalutauit, & Lucas non meminit, cuiuſmodi ſecundum nullam dialecticam, alicuius momenti ſunt. Tot igitur indiciis & teſtimoniis pro noſtra parte citatis, permonetur aduerſarius, ne diutius contra veritatem vſq; adeo dilucidam reluctaretur. Quinetiam pudor, vt ante diximus, hominem, ſi non perfrictiſſimæ frontis eſſet, cohiberet ab hoc mẽdacio tam inſigni. Cæterum Lutherani cuncti, malitiæ tantum aduerſus Petri ſedem imbiberunt, vt non aliter quam putris cloaca peſtilentem halitum euaporat ſemper, ſic iſti quicquid excogitare calumniarum & mendaciorum queunt, id omne in pontificem & ſedem illam euomere non ceſſant. Sed de iis hactenus.

Totius operis concluſio.

PErſpicuum igitur eſſe iam opinor, ex hac reſponſione noſtra, quam futilibus argutiis, quam friuolis ſophiſmatibus, quam nugaciſſimis nugis aduerſarius oſtendere molitus ſit, nunquam Romæ fuiſſe Petrum, & è regione, quam efficacibus rationibus, quam ſolidis autorum ſubſcriptionibus, quam apertiſſimis indiciis nos eundem Romæ fuiſſe monſtrauimus, vt nihil amplius pro hac re, iam deſiderare lectorem, credam. Veruntamen ex abundanti rurſum oſtendere conabimur, quantum huic rei

conquadrent ea, quæ in Euangeliis ſubſeruiunt inſtituto, nos tria duntaxat impræſentiarum memorabimus. Quorum primum eſt, quod Petrus, quanquam non eſſet primus à Chriſto vocatus, primus tamen inter apoſtolos à Chriſto fuerat conſtitutus. Alterum, quod idem à Chriſto Petra dictus ſit, ſuper quam eccleſiæ ſuæ ſtructura conſurgeret. Tertium eſt quod eidem à Chriſto dictum erat: Ego oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Hæc adeo manifeſta ſunt, vt negari, niſi ab impudentiſſimis, non poſſint. Expendat itaq; ſecum lector, iuxta primum horum, annon aptiſſime congruat, vt quum totus orbis ad Chriſtianiſmum eſſet conuertendus, vrbs ea, quæ totius orbis prima cenſetur, nulli alteri pro ſede, quam ei qui primus inter Apoſtolos erat, diuinitus obtingeret. Nam ſi quiſpiam alius apoſtolorũ eam ſedem fuiſſet ſortitus, iam non ſolum Petrus in hoc baberet ſuperiorem, verumetiam indecore præcipus ſedes apoſtolo non pręcipuo diſtribueretur. Quamobrem & Leo primus in concione quadam de apoſtolis, ad hunc modum ſcribit: Nam cum duodecim apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarũ, imbuendũ euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſſent, beatiſſimus Petrus princeps apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis, quę in omnium gentiũ reuelabatur ſalutẽ, efficacius ſe ab ipſo capite, per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non eſſent? aut quæ vſq; gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic conculcandæ philoſophicæ opiniones, hic reſoluẽdæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandus dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligẽtiſſima ſuperſtitione erat collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Hæc Leo primus, cui in Chalcedonenſi Synodo, ſumma patrum admiratione, ter ſanctnm acclamatum fuit. Secundum autẽ, quod ex euangeliis protulimus, eſt, quod à Chriſto ſolidum ſaxum & pręcipuum totius eccleſiæ poſt ſeipſum ſundamentum, conſtitutus fuit. Cui rei, tametſi Lutherani contradicant, tantus eſt tamen ſacrorum interpretum in eam conſenſus, vt quicquid illi deblaterent, haud aliter quam canum latratus exſibilari debeat. Cæterum vt ſacros interpretes omittamus, quibus Lutherani nec pilum deferunt, ipſæ ſcripturæ ſatis eam rem teſtantur. Annon apud Ioannem ſcribitur, Chriſtum Simoni dixiſſe, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod ſonat, ſi interpreteris, lapis? Et quid inter lapidem & petram intereſt? Nihil ſane, quantum ad hoc negocij ſpectat. Quamobrẽ & quum impoſuiſſet ei Chriſtus nomen iſtud, vocaſſetq; Simonem Cæphan, ſeu Petrum, hoc eſt, vel petram vel lapidem, aut ſi mauis ſaxum, nonne ſubiũxit: Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et quorſum alio Chriſtus illi nomen eiuſmodi præ cæteris apoſtolis imponeret, quod lapidem, ſaxum, aut petram ſignificat, quam quod ab ipſo velut à pręcipuo poſt ſeipſum fundamento eccleſiæ ſtructura conſurgeret. Et iſtud impręſentiarũ nunquid non apertiſſime cernimus impletum? Quis non aduertit eccleſiam, quam habemus hodie, non ab alio apoſtolo quam à ſolo Petro promanaſſe? Vbi iam locorum ſunt Chriſtiani, quos aut Andreas conuertit, aut Ioannes aut apoſtoli cæteri? Nuſquam omnino ſunt, ſed nec eorum aliqua ſucceſſio iam extat, de veris loquor Chriſtianis, non de hęreticis neq; de ſchiſmaticis. Neque enim omnes quibus in ore Chriſtus eſt, ſincere Chriſtiani ſunt habendi. Reliquum eſt igitur, vt huius cõgregationis, quã hodie vocamus eccleſiam, ſolus ipſe Petrus exordium habitus ſit, vt & eſſe debuit, nimirum ex oraculo Chriſti, Solus inquam, poſt Chriſtum. Nam lapis omnino Chriſtus, huius ſtructuræ Chriſtus fuit, quemadmodnm & Paulus teſtatur: Ipſo, inquit, ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio creſcit in templum ſanctũ in Domino. Sed deinde poſt Chriſtum primus fuit Petrus, ſuper quem ædificantur, quotquot hodie Chriſtiani ſunt, veluti viui quidam lapides (vt idem ait) in domum ſpiritualem, quæ nimirum eſt eccleſia. Nam eccleſia quid aliud eſt, quam fideliũ in quãdam vnitatem collectio, ſiue compoſitio? Quæ ſane iam non alia putari debet, quam quę temporibus Petri fuerat, tametſi nos qui iam extamus, plurimum ab illis ſumus diuerſi. Quum enim ipſa Chriſtianorum ſucceſſio, quæ cœpit à Petro, durauerit hueuſq; penitus interrupta, non immerito poteſt vna prorſus eccleſia dici tota ipſa collectio, quæ ab ipſo proceſſit. Quis non videt igitur, quantum illis Chriſti verbis congruat, quod Petrus aliquando ſediſſet Romæ, quum è Romana eccleſia tanquam ex primo fonte, verę fidei lux in cæteras, quæ iam per Chriſtianiſmum ſparſæ ſunt, eccleſias deriuata ſit? Poſtremo, ſi penſitauerimus id, quod tertio loco fuerat memoratum nempe de fide Petri, dilucide perſpiciemus haudquaquam congruere, vt Petro pro præcipua ſede contigiſſet earum aliqua, quas iam occupant infidelitatis tenebræ. Non inficias eo quin clara fidei lux olim Antiochię fulſerit, vbi primum ſedit Petrus, ſed ea nunc per infideles adminiſtratur. Hieroſolyma quoq;, quã rexit Iacobus frater Domini, iam Soldani regitur imperio. Andreas Achaiam conquiſiuit, at ea iam inimicis Chriſti, nimirum Turcis eſt ſubdita. Minorem inſuper Aſiam Ioannes obtinuit, at ibi nunc magnus ille Turcarum princeps dominatur. Sic & portiones orbis reliquas, quæ cæteris obtigerunt apoſtolis, nunc propemodum in infidelium manus cõſtat deueniſſe. Congruebat igitur vt eam demũ orbis partem occupaſſet Petrus, in qua fides euãgelica neutiquam extingueretur. Id quod, an cuiquam apoſtolorum alteri contigerit, vix auſim aſſerere. Nã & ſi Chriſtus in vnius, aut alterius eorum ſede, fuerit adhuc prędicatus, verendum eſt, ne ſic prędicetur, quemadmodum ab hæreticis & ſchiſmaticis fieri, nonnullis locis intelligimus. Et quanq̃ eadẽ ſit fides Petri, quę & cęterorũ fuerat, tamen

quia

quia Petro ſingulariter hoc erat dictũ, congruum fuit, vt alicubi locorum, in quo Petrus hanc fidem prædicarat, ea ad hunc vſq; diem vigeret indeſectibiliter, quod nuſquam ſane fieri, præterquã Romæ, poteſt à quouis affirmari. Sed ait forte quiſpiam: Nuſquam alibi vita Chriſtianorum Chriſto magis aduerſatur, quam Romæ, atque id quidem inter ipſos eccleſię proceres, quorum cõuerſatio pluſquam ex diametro cum Chriſti vita pugnat. Chriſtus enim paupertatis amator erat, illi paupertatem vſque adeo fugiunt, vt nulli rei ſtudeant magis quã diuitiis accumulandis. Chriſtus huius mundi gloriam auerſabatur, illi pro captanda gloria nihil non patiuntur & agunt. Chriſtus denique ſeipſum crebris ieiuniis & orationibus aſſiduis vehementer afflixit, illi nec ieiunãt, nec orant, ſed luxui libidinibuſq; toti ſunt dediti. Sed & iidem cunctis, qui ſincere Chriſtianeque viuunt, maximo ſunt offendiculo, quippe quorũ mores à Chriſti doctrina tam alieni ſunt, vt per eos Chriſti nomen in toto orbe blaſphemetur. Hęc fortaſſe nobis aduerſarius obiectabit. At iſta noſtrum inſtitutum confirmant. Nam quum cæterorum apoſtolorũ ſedes videmus iam paſſim ab infidelibus occupari, & hanc ſolam, quę Petri fuerat, ad hunc vſque diem, ſub ditione durare Chriſtiana, quæ tamẽ ob tot nefanda ſcelera flagitiaque deleri cum cæteris promeruit, quid aliud cogitare poſſumus, quam veraciſſimum eſſe Chriſtum, qui tot & tantis laceſſitus iniuriis, promiſſa tamen ſeruat vel inimiciſſimis. Fides per Petrum prædicata Romæ, non defecit hactenus. Et permanet adhuc eccleſiæ vera ſucceſſio, quæ à Petro ſumpſit exordium, cuius & ipſe velut ſaxeũ & ſolidum à Chriſto fundamentum erat conſtitutus. Quis iam itaq; non dilucide perſpicit quantum iſta mutuo ſe fulciunt, hoc eſt, quantum Petri ſedes, quam is Romæ diuinitus locauit, verbis Chriſti veracitatem aſtruat, ac viciſſim, quantum ipſa Chriſti verba, Petrum Romæ ſedere debuiſſe, valide corroborant? Nam quia Petrus fuit inter apoſtolos præcipuus, congruebat, vt & præcipuam ſedem ipſe ſortitus eſſet. Et quia petrinæ ſoliditatis ei nomen fuerat impoſitum, æquum erat, vt ab ipſo non euanida ſed ſolida quædam poſteritatis ſtructura promanaret. Deniq; quum ei particulariter à Chriſto fuiſſet dictum, Non deficiet fides tua Petre, decuit vt alicubi fidem Chriſti doceret Petrus, quę ſic duraret, vt aduerſus eam, infidelitatis tenebræ neutiquam præualerent. Quorum trium vix vnum aliquod hodie ſatis creditum eſſet, ſi cuiuſuis alterius apoſtoli ſedes, quæ nunc ab infidelibus occupatur, Petro poſtrema contigiſſet. Horum euenta ſic permouerunt Auguſtinum, vt is per ea ſe plane fateatur in eccleſiæ gremio fuiſſe colligatum. Sic enim inter alia ſcribit, aduerſus Manichæum: Tenet me ab ipſa ſede Petri apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotũ. Tenet ipſum catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes iſta eccleſia ſola obtinuit. Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis palam intelligimus ipſa tria. Primum, Petri ſedem. Deinde, perpetuam epiſcoporum à Petro ſucceſſionem. Tertium, quod inter tam multas hæreſes, hæc eccleſia, quæ à Petri ſede promanauit, vel ſola catholicæ nomen obtinuit. Opinor itaque iam vel ſole dilucidius apparere, Petrum vere fuiſſe Romæ, nihilque niſi meras calumnias eſſe, quas aduerſarius ex virulenta malitia contra Romanæ cathedræ principatum euomuit. Sic enim Lutheranos nihil pudet, quicquid poſſunt mendaciorum aduerſus eam ſedem confingere. Sed quum in hac re tam manifeſtaria velut impoſtores deprehenſi ſint, æquum eſt, vt quicquid de cætero ſcripſerint, ex hac metiamur, & ipſum, ceu venenum, ad fidelium perniciem propinatum, modis omnibus auerſemur.

F I N I S.

IOANNIS ROFFENSIS CONCIO HABITA IN CELEBERRIMO NOBILIVM CONVENTV LONDINI, EO DIE, QVO MARTINI LVTHERI ſcripta publico apparatu in ignem coniecta ſunt.

VERSA IN LATINVM PER RICHARDVM PACAEVM à Sereniſſimi Regis Angliæ Secretis.

Nicolavs Vvilsonvs Christiano Lectori.

VSque adeo infenſus eſt nobis, Chriſtiane lector, hoſtis cui nomina mille, mille nocendi artes, ut nihil relinquat intentatum, quo nos in communem ſecum perniciem & damnationem rapiat. Non dormit, non ceſſat, non placatur: ſed inuidiæ furiis actus, mira pernicitate circumit, ut leo, quærens quem deuoret. Nunc ſe veluti occultat & ſinit quietos agere, quo ſecuros & improuidos ex inſidiis ſubito adoriatur & opprimat. Nunc prodit & aggreditur hoſtiliter, & tamen adeo callide bellum mentitur, atque tot prætextis, pro aſtutia ſua, fucis obducit, ut vix prius ſentias te peti, quam ſis captus. Neque huic hoſti, quamuis per ſe ſatis formidando, deſunt, qui nefarium inſtitutum promoueãt, vel perniciosiſſimi miniſtri, vel peſtilentiſſima arma. Siquidem caro, quæ domeſticas vltro exercet intra nos inimicitias, & militat ſemper aduerſus animam, cum ſexcentis in peccatum illectamentis, aſtat ei, parata ad omne mandatum. Aſtat cum innumeris machinis mundus, ſed omnium longe peſſima, malis hominibus. Aſtant nequiſſimi ſpiritus ſocij pœnarum, viribus paulo inferiores, malitia pares. Iam, quod armorum genus abeſſe poteſt? quum & auxiliares copiæ peſtilentiſſima ſecum deferant, & ipſe, cuiuſlibet mali repertor pariter & author, fœdiſſimum huiuſmodi rerum, ſuis manibus fabrefactum aceruum, poſt ſe continuo trahat, ex quo, ceu ſceleratiſſimo quodam copiæ cornu, non ſolum ſibiipſi, ſed etiam ſatellitibus, ſi forte ſua minus valuerint, pro cuiuſque peritia, ac rei gerendæ cõditione, tela depromat facillime. Atq; adeo hinc porrigit quibuſdam, quod nos, vel incautos, vel ſegniter obniſtentes, ſuperbia inſoleſcere faciat, ira furere, cruciet inuidia, ad periurium ac blaſphemiam adigat, nonnunquam inſuper parricidium: Aliis, quod eneruet otio, ingluuie libidinibuſque fœde commaculet: parti, quod auaritia, furto, rapinis, iurgiis, ſimultatibus, & ſi quid his peius eſt, malis feris efficiat ſimiles aut deteriores: ipſe interim, & omnibus vtens, & conſtanter ſuis inſtans, ne ceſſent: hoc ſe fœliciorem miſerrime reputans, quo plures ſecum traxerit in interitum. Nunc Chriſtiane lector, pone ob oculos vitam noſtram, conſidera quot periculis pateat, quibus inimicorum aſſultibus continuo petatur, quantis vndique iactetur procellis fluctibuſque. Hoſtes armati circumcingunt, & illi quidem crudeliſſimi pertinaciſſimique, vtpote, quos odium perpetuo inſtimulat, qui nullas permittunt, niſi quas mentiuntur, inducias, nulla ſeruant fœdera, nulla patiuntur conditione victum redimi, hoc ſolo belligerantur, vt enecent, trucident, lanient. Et, id quo crudelius ſit, non corpus ſolum, ſed ſimul cum corpore, animam. Neque poteſt hæc immanitas vllà noſtrà ſatiari miſeriâ, vllo placari ſanguine, perpetuam exercebunt, ſi vincant. Quid videtur? an non veriſſime dictum eſt illud: militia eſt vita hominis ſuper terram? Quis enim patet, inter tam immanes hoſtes, inter tanta pericula, locus molliciei? quis ſomno? quis quieti? quis ceſſationi? Oportet in armis ſit, vigil ſit, in acie ſtet, teneat ſigna, forti inuictoq; animo pugnet Chriſtianus miles, qui cupit, fuſis hoſtibus, reportare triumphum. Sane diuus Hieronymus, hanc hoſtium in nos ſæuitiam, multo atrociorẽ iudicans, quam illam tyrannorum olim, nõ minus vere quam eleganter dixit, Chriſtianorum vitam perpetuum quoddam eſſe martyrium. Et tamen nos, tanquam omnia eſſent tutiſſima, in vtranq;, quod dicitur, aurem dormimus, agimus conuiuia, ludimus, otiamur, ambimus diuitias, honores, mundi gloriam. Atque adeo nullam adhibemus cautionẽ ne in hoſtium manus veniamus, vt illis nos ipſos offeramus etiam diripiendos atque laniandos. Quippe, qui noſtra ſponte, ac velocius quam vllus hoſtium poſſit ſequi, ferimur in omne nefas. Propterea nihil mirum, ſi videamus nunc cruentiſſimis bellis omnia commixta, terram Chriſtianorum ſanguine rubere, omnia

diuina

diuina pariter & humana, confundi, quod conſequamur citiſſime perituras diuitias, potentiam, honores, titulos, gloriam, voluptatem. Nam, vt hoſtis libentiſſime ad iſta impellit, ita nos facimus vt id poſſit abſque negotio. Cæterum, ne hic quidem quieſcit furibundi hoſtis inuidia, qui vtrumque æqualiter ad necem vſque odit, indulgentem vt repugnantem: nec ſatis habet denudaſſe bonis, mercibuſque ſpoliaſſe, niſi nauem quoque fidei, quæ vna relicta eſt, ſpes recuperandæ ſalutis, perforet: quo immergentes fluctus, nos in profundum, ſimul cum ipſa naue, detrudant. Inaudita ſane, & plus quam dici poteſt tyrannica, hoſtis crudelitas: ſed quam manifeſtius experimur, & antehac experti ſunt patres noſtri, quam vt poſſit vel negari vel diſſimulari. Nihilominus iſti negotio per ſe impar eſt: vt, qui ab omnib. cito cognoſceretur hoſtis, & exploderetur. Ac propterea, ſubtiliſſimis artibus adiungit ſibi, per quos hanc rem gerat, miniſtros, vafros ſcilicet & callidos homines, plus popularis auræ cupidos, quam veræ virtutis: tamen, vt poteſt, quoſque doctiſſimos. Quos, vbi ſemel plene poſſederit, ita ſuis artibus imbuit, ita eorum mentes præſtringit & exoculat: vt nihil non arrogent ſibi, ſolos ſeipſos putent doctos, germanamque ſacrarum literarum ſcientiam tenere: omnes alios, non ſuæ factionis, quantumlibet doctos, quantumlibet ſanctos, contemnant, eorumque dogmata ſuis aduerſa reſpuant. Immo, quod dictu quoque horrendum eſt, ipſi ſacro eloquio, ſicubi videatur, vel ſuis placitis repugnare, vel parum, quando vellent, conuenire, vim inferunt ſacrilegam. Poſtea, quum huiuſmodi reddiderit armis inuictos, docet ſimulare conſtantiam, frugalitatem, labores, humilitatem, ſummum ad Chriſti gloriam propagandam ardorem ac ſtudium, parem dolorem atque indignationem, quod ſint, qui tam ſalubri (vt illi volunt) inſtituto reluctentur: demum quiduis aliud quod ad vitæ probitatem aut ſanctimoniam attinet. Exiſtimans quod res eſt, per homines ſic perſonatos facilius ſe poſſe venena ſua cordibus ſimplicium inſtillare. Hos, ad hunc modum vtrinque munitos, emittit in pugnam: vt, quod per ſe non poteſt malum, per eorum miniſterium operetur: prius tamen lege pugnandi præſcripta, quæ ferme omnibus vna fuit: ſcilicet, vt non ſtatim capeſſerent apertum cum fide bellum, neque iugulum primo aggreſſu peterent: ſed ex obliquo, & velut aliud agentes, primum tentarent leuiter: deinde, poſtquam cernerent mentes incautorum occupatos, maiora paulatim molirentur. Fit enim quod vetus hoſtis non neſcit, vt malæ opiniones, dum tacitis auctibus, quaſi gradibus quibuſdam, ſuccreuerint, multos eo ducant, vt tanquam pium religioſumque comprobent, quod in initio repuliſſent tanquam impium & execrandum. Huius farinæ fuerunt alij, qui fidei nauem, ſua quiſque ætate, vehementibus iactauerunt procellis. Neque alterius eſt, ſicuti iudicauerunt patres, quibus me ſubſcribere Chriſtiana religio iubet, his noſtris diebus Martinus Lutherus, homo ſane admodum doctus, & qui magnopere illuſtraſſet Chriſti eccleſiam, ſi par ſuiſſet vitæ innocentia. Verum, ſeu humana gloria, ſeu vindictæ, in communem patrem noſtrum papam & ſuos, ſeu vtriuſque, quod vero propius videri poteſt, cupido, primum in hoc inſtimularit, ſeu aliud quippiam, in medio relinquo. Tamen, quod liquido conſtat, eo nunc tandem proceſſit inſaniæ, vt pleraque omnia, quæ in eccleſia Chriſti ab apoſtolis & patribus nobis tradita ſunt, atque in hoc tempus cum magna fideliũ religione, nec minori (ſicuti pie credimus) vtilitate, durauerunt, ore ſacrilego vociferetur, aut ſuperſtitiones eſſe, & tollenda, aut vſu corrupta, & ad modum neſcio quem, quem ille præſcribit mutãda. Quod, quum omnibus Chriſtianis intolerabile ſit: tamen illud nullo modo ferendum arbitror, vt huic tam ſcelerato inſtituto patrocinium à ſacris eloquiis extorqueatur repugnantibus. Namque ſi Dei ſermonẽ liceat ſemel impune trahere quo cupiunt mali, & inuertere pro quolibet mobili phrenetici capitis ſomnio, iam actum eſt de maieſtate ſacrarũ literarum, actum eſt de fide Chriſtiana. Iſtud, fecerit Lutherus an non fecerit, eruditus ac cordatus operum eius lector videat. Et, o miram cæcitatẽ, interim dum hæc agit, ſe, quaſi Spiritũ Dei ſolus haberet, iactat intelligere quid ille Spiritus in ſcripturis loquatur: eruditos illos ac ſanctos patres, quos eccleſia cũ magna veneratione obſeruat, vtpote quos habuit in eruendis ſcripturæ ſacræ myſteriis adiutores diligentiſſimos, multa nõ intellexiſſe, plerunque hallucinatos, detorſiſſe plura ad ſuũ negotiũ, nonnulla perperam expoſuiſſe: Inſuper, ſe à parte Chriſti ſtare, pro eius gloria hanc ſuſcepiſſe prouinciam: eos, qui reſiſtunt aut contradicunt, aduerſarios eſſe Chriſto, hæreticos, & mille modis flagitioſiſſimos. Nam illud, quod vitia, quæ in eccleſia Chriſti ſunt, quã plurima profecto & turpia, acriter inſectatus eſt, non feciſſet arbitror, extra tempus, ſi ad id Chriſtiana charitate magis fuiſſet impulſus, quam libidine, in eos quos ducebat aduerſarios, ſæuiendi. Quod, vt ille (haud dubito) ſanctiſſime confirmabit à ſe factum: ita res ipſa longe aliud declarat. Etenim, in qua nihil ſit cernere, præter criminationes, conuitia, hortationem ſuorum Germanorum ad vindicandum in eos, & cætera id genus, quæ piget recenſere, multo importunius in Chriſtianos ſcripta, quam ſcripſit vnquam Ethnicus in Ethnicum. Certe chariſſime lector, quantum ego mihi videre videor, homo tam inflatus & arrogans, tam nudus omni Chriſtiana modeſtia atque charitate, non poteſt non eſſe officina nequiſſimi hoſtis: in

QVVM VENERIT PAracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.

SÆPE accidit, vt, quum dies clara eſt, & lucidus ſol omnia irradiat, in aliqua cœli parte oriatur craſſa & tenebroſa nubes, quæ ipſius cœli totam faciem obſcuret, & claritatē luminis ſolaris nobis obumbret, horridam tempeſtatem excitet, tremendum denique ſulgur, & horrendum tonitruum inducat, quo fit, vt infirmæ animæ, & corda hominum debilia, magno afficiantur timore, & omni conſolatione deſtituta, in deſperationem ſere trahantur. Idem accidit in eccleſia Chriſti, quum, poſteaquam longo tēpore lumen fidei, à ſpirituali ſole, omnipotentis Dei filio, emiſſum, claruit & reſplenduit, repente exoritur hæreſeos omnia obfuſcans nubes, & talem mouet procellam, tam horrendum fulgur, ſimul & tonitruum concitat, vt multæ Chriſtianæ animæ in fide parum ſtabiles, inde pereant. Ecce huiuſmodi nubes fuit Arrius, qui tam magnam tempeſtatem concitauit, vt multis poſt annis Chriſti eccleſiam miſere vexarit. Hūc ſequuti ſunt Macedonius, Neſtorius, Eutyces, Heluidius, Donatus, Iouinianus, Pelagius, Ioannes Vuycliffus, vt alios omittam. Quorum ſinguli catholicam eccleſiam ſuis temporibus mirum in modum perturbarunt. Tales hereticos, ſanctus Iudas in Epiſtola, nubes vocat ſine aqua, quæ à vento circumferuntur, hoc eſt, nubes ſine humore gratiæ, quæ malignorum flatu ſpirituum mouentur. Talis nubes & nunc exorta eſt, Martinus, ſcilicet, Lutherus, profeſſione frater, qui validiſſimam tempeſtatem, & procellam in eccleſiam induxit, quibus clarum multarum ſcripturarum Dei lumen obumbrauit, & emittit ex ſeſe periculoſum fulgur, id eſt, falſum lumen mendacis ſcripturarum ſanctarū interpretationis, quæ non è ſpiritu veritatis, ſed erroris procedit, atque etiam Spiritu tempeſtatis illius periculoſiſſimæ hæreſeos. Præterea tonat contra Papæ authoritatem, contra generalia concilia, contra traditiones, & ordinationes nobis ab apoſtolis relictas, denique contra doctrinam omnium ſanctorum patrum noſtrorum, & eccleſiæ doctorum. Quamobrem Chriſtus ſeruator noſter, præuidens per diuinam ſuam prouidentiam, tam peſtilentes nubes & tēpeſtates futuras, in magnam ipſius Eccleſiæ vexationem, & perturbationem, pro intimo amore, & infinita charitate, qua ſanctam matrem noſtram Eccleſiam proſequitur, promiſit ſe, poſtquam ad Iohan. 14. 15. patrem aſcendiſſet, ad eam Spiritum Dei miſſurum, Spiritum veritatis, vt is apud eam in ſempiternū maneret, eamque de omni veritate (quoties res id poſtularet) certiorem faceret, cui, cum ipſa, tum omnes Chriſti fideles, indubitatā prebere fidem deberent: & vt idem ſanctus Spiritus in omnibus huiuſmodi concuſſionibus verus conſolator eſſet, ſecundum principium huius Euangelij ſuperius recitati: Quum venerit paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille de me teſtimonium perhibebit.

Hoc ſanctum Euangelium benigne offert nobis quatuor inſignes inſtructiones, cum contra omnes periculoſos hæreſium turbines, quandocunque oriuntur: tum præcipue contra iſtam pernicioſiſſimam tempeſtatem, quam Martinus Lutherus, noſtra ætate, ſuſcitauit. Et tres primæ inſtructiones, Deo bene fauente, & hoc ſancto Spiritu adiuuante, euertent tria præcipua fundamenta, quibus ille omnes ſere ſuas opiniones ſuperſtruit. Quarta autem reſpondebit iis, qui illum defendunt & illius factioni pertinaciter adhærent. Quorum nimirum culpa factum eſt vt Chriſtianæ animæ in fide parum ſtabilitæ, trahātur in pericula. Sed priuſquam has inſtructiones declarare aggrediemur, precabimur hunc ſanctum veritatis Spiritum, vt in hac dubia procella, & periculoſa tempeſtate, noſtra ſuſtineat corda teſtimonio veritatis ipſius, ne in catholica ſanctæ matris noſtræ eccleſiæ doctrina vacillemus: ſed firmiter credamus his eruditionibus, quæ ad nos, ab ipſo Chriſto, ſaluatore noſtro, per apoſtolos ipſius, & eorum ſucceſſores, ſanctos epiſcopos, patres, & eccleſiæ doctores, emanarunt. Quod vt aſſequamur, & gratia, cum vobis, tum mihi neceſſaria, infundatur, ſingulus quiſque Deum optimum maximum pia mente comprecetur.

Primam inſtructionem offerunt nobis prima euangelij verba: Quum venerit paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à patre procedit. His verbis promittitur nobis Spiritus veritatis, qui nos ſoletur in omnibus dubiis opinionibus, quæ in Chriſti eccleſia oriantur. Et, quod ad hanc attinet, tria faciam. Primo declarabo inſtructiones huius ſancti euangelij, ad vniuerſalem Chriſti pertinere eccleſiam. Secundo loco, Papam de iure diuino, vniuerſalis eccleſiæ eſſe caput. Tertio, quod Martinus Lutherus, qui ab hoc capite ſe ſeparat, non habet in ſe Spiritum veritatis. Et, vt primum aggrediar, Martinus Lutherus negare non poteſt, quin hæc promiſſio vniuerſali eccleſiæ facta ſit. Cui, ſua ipſius ratione, eum aſtringam. Nam ſcribit in libro ſuo de captiuitate Babylonica: Quod ſi demus vnam aliquam epiſtolam Pauli, aut vnum alicuius Epiſtolæ locum, non ad vniuerſalem eccleſiam pertinere, iam euacuata eſt tota Pauli authoritas. Quod ſi hoc verum ſit de verbis ſancti Pauli, longe verius eſt, de Euangeliis Chriſti, & ſingulis, quæ in eis continentur locis. In vniuerſali igitur eccleſia, remanet hic Spiritus veritatis, & in eadem permanebit vſque in finem ſeculi. Secundum illud: vt maneat vobiſcum in æternum, & docebit vos omnem veritatem. Hactenus de prima inſtructione.

Nunc

Nunc ad ſecundam, qua dixi, Papam iure diuino vniuerſalis eccleſiæ eſſe caput. Quando igitur videtis arborem erectam & altam, terra ſuſtentatam, eiuſque ramos hinc inde ſparſos, grauem foliis fructuque, ſi ſol ſplendeat, ea vmbram reddit, qua percipiatis figuram ramorum, foliorum, & fructus, & quælibet pars arboris habet aliquid in vmbra ſibi reſpondens, & contra, quęlibet pars vmbræ, aliquid in arbore, quod ſibi reſpondeat. Nam oculus cuiuſque, à ſingulis arboris partibus, ipſum ad ſingulas partes vmbræ ducet: rurſus à ſingulis partib. vmbræ, ad ſingulas partes arboris ei reſpondentis: ac licet cuiq;, digito monſtrare quamuis vmbræ partem, & dicere, hæc eſt vmbra huius vel illius rami, & hæc eſt vmbra huius vel illius follj, & hæc eſt vmbra imæ, hæc ſummæ arboris. Quod, quum ita ſit, lex moſaica, & gubernatio ſynagogæ Iudæorum, nihil aliud quam vmbra fuit, regiminis vniuerſalis Chriſti eccleſiæ, iuxta Apoſtolum, qui ſic loquitur, vmbram habens lex futurorum bonorum. Et ad Corinthios, omnia in figura contingebant eis. Ad rem igitur, in illa ſynagogę gubernatione, duo erant deputata capita, alterum ſub altero, Moſes videlicet & Aaron, ad populum, in terram ei promiſſam, conducendum. Scimus itaque, populum Iudaicum, vmbram fuiſſe Chriſtiani populi, & Iudęorum illud iter per deſertum, vmbram fuiſſe noſtri itineris, ex hoc miſero mundo, in terram cœleſtem. Sed Moſes & Aaron, qui illius capita fuere, cuius rei vmbræ ſunt? Profecto non alterius, quam Chriſti & eius Vicarij ſancti Petri: qui ſub Chriſto, Chriſtiani populi caput fuit.

Quod tribus rationibus à ſimili ſumptis, euidentius demonſtrabimus. Primum, Moſes & Aaron vterque ſacerdotes fuerunt. Moſes ab ipſo Deo delectus, Aaron vero à Moſe, mandante Deo; & huic, abſente Moſe, commiſſa fuit cura Iudæorum. Chriſtus itidem & Petrus, nouæ legis ſacerdotes fuerunt, Chriſtus quidē à patre ipſius, omnipotente Deo electus, vt de illo ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinē Melchiſedeck. Petrus vero à Chriſto, eiq;, quum abeſſet, curam populi ſui commiſit, dicens, paſce oues meas, paſce, paſce. Deniq;, Moſes internuncius erat inter omnipotentem Deum & Aaron, de cauſis populi, & Aaron inter Moſen & populum, de cauſis Dei, ſicut ſcriptura tradit, Exodi quarto. Deus locutus eſt Moſi de Aaron, in hæc verba: ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent. Age, iam videbis quomodo Chriſtus fuit os Petri ad Deum. Dixit enim Petro, Symon Symon, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. An non liquet ex his Chriſtum fuiſſe os Petri agentem eius cauſam apud Deum patrem, & obſecrantem, ne eius penitus periret fides? Econtrario, eratne Petrus os Chriſti, quando conuerſus confirmauit fratres ſuos? Intueamini igitur, quæ authoritas data ſit Petro confirmandi omnes reliquos eius fratres apoſtolos. Poſtremo Moſes aſcendit in montem ad loquendū Deo, & Aaron remanſit ad erudiendum populū. Aſcenditne Chriſtus pari modo, ad Deum patrem in excelſum cœli mōtem? Qua de cauſa autem aſcendit, declarat Paulus, quum ait, vt appareat vultui Dei pro nobis, & ibi ſit aduocatus noſter, vt Ioannes dicit. An non remanſit Petrus ad erudiendum populum, ipſius curæ commiſſum, ſicut Aaron relictus fuit ad erudiendum populū Iudaicum, quando Moſes erat in monte apud Deum? Hæc igitur argumenta aperte demonſtrant, quomodo illa vmbra & hæ res concordēt, & altera alteri clare reſpondeat. Sed miſſa faciamus hæc pauliſper. Confirmabo hanc figuram alio adhuc Chriſti facto in Euangelio. Iudæi tributarij erant Romanis, & ſingularum familiarū ſingula capita, cenſum capitum ſoluebant. Erat autem is cenſus, numiſma, nomine didrachma. Et quum exactores huius tributi veniſſent ad Petrum, ſeruator noſter mandauit ei, vt ad mare accederet, dixitque eum ibi reperturum, in vētre piſcis, ſtaterem qui ęquabat duas didrachmas, & iniunxit Petro, vt illum ſolueret exactoribus, pro ſe, & pro ipſo. Notate ergo hoc tributum, cenſum capitum, fuiſſe ſolutum pro illis, qui familiarum capita, & gubernatores habebantur, & Chriſtum commiſiſſe, vt ſolueretur, nō pro aliis, quam ſe ipſo dumtaxat & Petro, nam hoc modo liberabantur & reliqui. Si coniungamus itaque hoc Euangelij factum, cum figura, quam ſupra poſui, quid euidentius fuerit, ad probandum Petrum, ſub Chriſto, vniuerſæ ipſius familiæ caput fuiſſe? Veruntamen, tertio loco audiamus teſtimonium alicuius ſanctorum Patrum, quod hic ſit verus Euangelij intellectus. Auguſtinus in libro quæſtionum noui & veteris teſtamenti, quæſtione 75. ſic ſcribit: Didrachma, capitum ſolutio intelligitur. Sequitur poſt. Saluator quum pro ſe & Petro dare iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur, quia ſicut in ſaluatore erant omnes cauſa magiſterij: ita & poſt ſaluatorem, in Petro omnes continentur. Ipſum enim cōſtituit caput eorum. Hic notandum eſt ex Auguſtino, hoc tributum pro Petro ſolutum, ſolutum fuiſſe pro omnibus aliis. Idcirco, quod ille omnium caput fuit, & reliqui omnes in illo continebantur. Verum ex alia etiam ſcriptura, quam ſupra recitaui, Auguſtinus probat, quod reliqui omnes Apoſtoli in Petro continebantur. Symon Symon, ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret, ſicut triticum, ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Hæc verba exponens Auguſtinus, dicit Chriſtum non rogaſſe pro Iacobo, & Ioanne, & aliis, ſed pro Petro, in quo reliqui continebantur. Eſt ergo conſiderandum, quomodo hæc teſtimonia, alterum confirmet alterum. Primo, figura & vmbra legis veteris, deinde, teſtimonium euangelij, illis reſpondens, poſtremo, ſancti Auguſtini interpretatio. Hic nō niſi vnius eccleſia-

ſtici

ſtici doctoris teſtimonium produxi, qui, ſi trutina cordis alicuius fidelis Chriſtiani expendatur (meo quidem iudicio) Lutherum prægrauabit. Verum, diuus etiam Ambroſius, loquens de didrachmate vocat id capitum ſolutionem. & de ſancto Petro ait: Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus, fidei fundamentum poſuerit, & tanquam ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat. Item Gregorius: Certe, inquit, Petrus apoſtolus primū membrum ſanctæ & vniuerſalis eccleſiæ eſt, Paulus, Andre. Ioan. quid aliud, quam ſingularum plebium ſunt capita? Vnde apparet, quod ſicut illi ſingularum eccleſiarum, ita Petrus vniuerſalis eccleſiæ caput fuit. Porro Hieronymus de Petro loquens, in hunc modum ſcribit: Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio. His aſſentitur & Cyprianus, qui de Petro confitente Chriſtum eſſe filium Dei, verba faciens: loquitur, inquit, illic Petrus, ſuper quem ædificāda fuerat eccleſia. Sed qua ratione fuerat ſuper eum eccleſia ædificanda, ſi ipſe non erat caput, & præcipuum eccleſiæ membrum? Omnes ij, quos citaui, ſancti patres, ſunt de eccleſia Latina, & omnes, cum excellenti doctrina, tum ſingulari vitæ ſanctitate præditi. Quorum denique vitas, virtutem nunquam non ſectantia corroborarunt miracula, partim dum viuerent, partim poſt mortem ædita. Eiuſdem ſunt ſententiæ, Græci quoque ſancti patres, vt Chryſoſtomus, qui, quum laudaſſet ſanctū Paulum, ita de Petro loquutus eſt: quod ipſe qui fuit Apoſtolorum caput, talis fuit. Et ſæpe vocat ſanctum Petrum, eximium apoſtolorum, & os diſcipulorum, & verticem totius Collegij. Item Origenes ait: Magno illi eccleſiæ fundamento, Petrę ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit eccleſiam ſuam, vide quid dicatur à Domino, Modicæ fidei, quare dubitaſti? Quæ igitur ratio pati poteſt, vt non omnes iſti, tam Græci quam Latini, ſolum æquent Lutherum, & hunc fraterculum. Equidem cōfido, neminem eſſe Chriſti fidelem, qui non moueatur tot ſanctorum patrum teſtimoniis. Pręſertim, quum ea tam clara & perſpicua veteris legis figura, & lucidiſſimo lumine ſacrorum euangeliorum, nitantur. Cæterum, hic obiicit Lutherus, ſe non percipere, quonam modo duo poſſunt eſſe ſummi. Quod equidem miror, quum maniſeſtum ſit in ſcriptura, Aaron ſummum fuiſſe vocatum, & Moſen ſub eo minime fuiſſe. Vnde neceſſarium eſt, vtrumque fuiſſe ſummum, alterum ſub altero reſpectu populi. Sicut Paolus facit mulra capita, cum ait: Caput mulieris, vir eſt: Caput viri, Chriſtus: Chriſti vero, Deus. Ecce, mulier hæc tria habet capita, Deum, Chriſtum, & maritum: & præter hæc omnia, habet ſuum, quod dedit natura, caput. Mōſtroſum eſſet, videre mulierem ſine capite, & ex tali vxore, nullum conſolationis fructum perciperet maritus. Quocirca, ſi mulier, ſuper illud ſuum naturale caput, quo ita ſe regit, vt complaceat, ſatisfaciatq; marito, habet & alia quoq; tria, maritum, Chriſtum, Deum, quanto congruentius mater noſtra ſancta eccleſia, Chriſti ſponſa, ſuum habet caput, id eſt, Papam, & nihilominus Chriſtus Ieſus, maritus ipſius eſt & caput, ſicut & omnipotens Deus? Sed redeamus iam ad inſtructionem. Hoc modo intelligitis, qua ratione in vniuerſali Eccleſia Chriſti, remaneat Spiritus veritatis in æternum: & Papam ſub Chriſto, Eccleſiæ eſſe caput. Et ex his breuiter demōſtrabitur, Spiritum veritatis non eſſe in Luthero. Spiritus enim ſinguli cuiuſque naturalis corporis, vitam non præbet, niſi in membris & partibus illius corporis, quas natura capiti coniunxit. Conſimile eſt in myſtico corpore matris noſtræ ſanctæ eccleſiæ. Quare, quum iſte miſellus fraterculus ſeparauit ſe à capite huius corporis, qui Chriſti eſt vicarius, quomodo poteſt in ſe habere ſpiritum huius corporis, qui eſt Spiritus veritatis? Præſertim, quum tali ſuperbia, arrogantia, & præſumptione, quæ huic ſpiritui eſt odioſiſſima, ſeſe ſeparet: & adeo deſpectim & malitioſe contemnat, nihilipendat, & conuitiis inſectetur caput Eccleſiæ Chriſti: cui tanquam ſpirituali ſummo patri, religionis ſuæ cauſa, obedientiam promiſit, & vouit. Quî fieri poteſt, vt iſte habeat Spiritum Dei, hunc ſanctum Spiritum veritatis? Et hæc hactenus de prima inſtructione.

Ad ſecundā faciunt verba, quę ſtatim ſequuntur: Ille teſtimonium perhibebit de me. O quam mirabilis eſt vis, quam ſuſpicienda operatio in radiis ſolaribus, qui (ſicut hoc anni tempore videmus) ſparſi ſuper terram, vigore donant, & vitali quodam ſpiritu multas creaturas, quæ ante quaſi mortuæ apparuerant? Si quis in hyeme vidiſſet, & contemplatus fuiſſet arbores aridas, excuſſa folia, humorem omnem pulſum & demerſum in radicem, nihil viriditatis, aut vitę exterius appareret: & ſi nihil antea hac in re experientiæ habuiſſet, nequaquam veriſimile putaret hoc futurum, vt huiuſcemodi arbores reuiuiſcerent, & tam ſpecioſis foliis, germinibuſq; quam nunc videmus, ſe induerent. Hoc tamen fit ſubtili & ſecreta operatione radiorum ſolarium ſuper terram (vt dixi) ſparſorum. Verum enimuero, non omnis radius ſolaris hanc habet vim. Radij enim ſolares in hyeme lucent, ſicut & nunc hoc anni tempore, ſed illa lux adeo eſt imbecillis & debilis vt nihil donet vitæ. Nam ſi vitam donaret, non minus in hyeme quam in æſtate creſcerent herbæ, & arbores. Cauſa autem huius debilitatis eſt ſol longius tunc diſtans, & terram ita radens, vt eius radij ſuper eam tranſuerſi ferantur, nec cōgeminent ſe, nec ſolem verſus reſiliant. Videris experientia, pilam luſoriam, ſi in tranſuerſum iaciatur parietem, vltra ferri, & non recta reſilire in illum, qui iecit. Sed, ſi in parietem aduerſum magna iaciatur violentia, reſilit recta in iacientem. Eadem ratio eſt in radiis ſolaribus. Nam, quanto propinquius ſol, hoc anni tempore, ad nos accedit, tāto directius eius radij terram percutiunt, tantoque directius reſiliunt, & ſolem verſus retrocedunt, & quia radius radio eſt vicinus,

nus, tanto major vis & lumine plenior, oritur in radio. Quia omnis virtus vnita fortior eſt. Nam ſicut ſimplex filum, non æqne validum eſt atque duplex: ita, nec ſimplex radius ſolaris, æque validus, atque duplicatus & congeminatus per reſultum & reflexionem. Prætcrea, ex his duobus oritur tepor & calor, præcipui opifices vitæ, in omni creatura. Cæterum, non certi ſumus, aliquam arborem vitalem eſſe priuſquam germina eius & folia ſe proferant. Hoc exemplum (ſi quid percipitis) inducet vos ad comprehendendum, quam mirifice ſpiritualis ſol, id eſt, omnipotens Deus, operetur, per ſuos ſpirituales, & inuiſibiles lucis ſuæ radios, ſparſos ſuper animam humanam, vel eccleſiam, quarum vtraque in ſcriptura, ſpiritualis terra vocatur, iuxta illud, Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Radij omnipotentis Dei, ſuper animas noſtras ſparſi, eas ſuſcitant, & vita nos donant, & bonorum operum fructibus. Primum enim, authores ſunt luminis fidei: quod tamen eſt exiguum, niſi ei reſpondeat ſpes, & charitatis feruor. Nam, fides ſine ſpe, eſt radius manens, & vix vllius poteſtatis: Sed, ſi ſpem ei adiungas, quæ ad Deum in ſublime reſilit, & ad ea, quæ non videntur: tunc longe fortior eſt, quam ante fuit. Quia fides iam eſt duplicata in ſeſe, ſuſtentata, & collecta: & per id, potentior & valẽtior quam antea: Ante enim, ſimilis fuit fidei Petri, quam habuit quãdo Chriſtus ei mandauit, vt, ſuper mare ambulans, ad eũ veniret. Credidit enim magiſtro ſuo, ſed nõ ſperabat ſe poſſe ibi ambulare, iccirco, quod non erat in fide potens. Vnde ſaluator noſter ei dixit: Modicæ fidei quare dubitaſti? Sed de fide valida, quæ, fiducia & ſpe ſibi adiuncta, nititur, loquitur in loco alio. Si habueritis fidem, ſicut granũ ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit. Hæc eſt magna fides, & habet etiam confidẽtiam, & ſpem ſibi coniunctam. Granum ſinapis eſt admodum paruum, continet tamen in ſe magnam vim, compactam & vnitam. Pari modo, quando radij fidei ſimul coninncti ſunt, tunc fides eſt valde potens. Radij ſolares, quum, per reflexionem ſpeculi ardentis, colliguntur, tãtæ ſunt potentiæ, vt lignum vel pannum incedant. Eadẽ ratio eſt fidei & ſpei, quum coarctantur & vniuntur. Et ſi homo talem haberet fidem & confidentiam, poſſet tunc imperare magno monti, vt in gratiam ſuam ſe remoueret. Et hæc eſſet fides valde potens. Veruntamen, ſi quis talem haberet fidem, ei tamen deeſſet feruor charitatis, eſſet tanquam arbor mortua. Quia apoſtolus ait: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferã, charitatem autem non habuero: nihil ſum. Vnde & Iacobus dicit: Fides ſine operibus mortua eſt. In eandem ſententiam loqnitur & hæc noſtra inſtructio: Ille teſtimonium perhibebit de me. De quo? de Chriſto. Quid eſt Chriſtus? Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quis perhibebit teſtimonium huius luminis? Spiritus Dei: qnia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis. Hic feruor charitatis perhibebit teſtimonium, hoc lumen eſſe vitale. Quantumuis habeat homo luminis fidei, ſi tamen hunc etiam charitatis feruorem non habeat, qui animum eius excitet, & producat opera viua, eſt niſi mortuus ſtipes, & tanqnam arbor ſine vita. Quãnis enim, vt dixi, naturalis ſol ſplendeat quam maxime poteſt, ſuper arbore, ea tamen, nec quicquã habeat viriditatis, nec germina proferat, nec folia, nequaquam viuit. Itidem, quando radij ſpiritualis ſolis, ſuper animas noſtras ſparſi ſunt, ſi tamen non ſentiamus feruorem nos incitantem ad opera frugifera, animæ noſtræ non niſi mortuæ ſunt. Sed quorſum tendit hæc noſtra inſtructio? Ad ſubuertendum vnum magnum Martini Lutheri fundamentum, quo tradit, ſolam fidem ſine operibus iuſtificare peccatorem. Super quod fundamentum, multas quoque alias erroneas opiniones ędificat. Et inprimis illam, quod ſacramenta Eccleſiæ non iuſtificant, ſed ſola fides. Periculoſa eſt hæc opinio, & ſatis ad ſubuertendum vniuerſalis Eccleſiæ ordinem. Sed quod ad ſacramenta attinet, Maieſtas Regia tam fortiter aduerſus Lutherum calamo pugnauit, vt non dubitem omnes Chriſti fideles, quibus continget vt eius legant librum, iudicaturos diuina ſacramẽta clare eſſe defenſa, & à ſcandaloſo ore, & crudelibus dentibus, quos Martinus Lutherus eis infixit, eſſe liberata. Quare, cum totum hoc regnum, tum præcipue omnes literarum ſtudiis dediti, ſe conſolari poterunt. Plato ait tum beatas fore Reſp. quando aut philoſophi regnant, aut Reges philoſophãtur. Et ſcriptura ad illud idem principes hortatur: Et nunc Reges, intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Sed ad rem redeamus. Lutherus, ad comprobandum huius opinionis fundamentum, producit aliquot loca Pauli, dicentis hominem iuſtificari ſola fide, ſine operibus. Verum, ſanctus Auguſtinus docet verba Pauli in primitiua eccleſia non fuiſſe bene intellecta, & hinc eſſe, vt reliqui Apoſtoli in ſuis epiſtolis tendant in contrarium. Sed hic obiicitur, Martinum Lutherum, vel nihili, vel parui facere Auguſtinum. Fateor, & tamen hæc turpis eſt prę ſumptio. At credat ſaltẽ reliquis apoſtolis: quos, ſine manifeſtæ hæreſeos nota, negare non poteſt. Iacobus itaque ait: Ex factis iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Et hoc non tantum dicit, ſed etiam multis rationibus probat. E quibus hæc vna: Dæmones credunt, & contremiſcunt. Dæmones, inquit, fidem habent, nemo tamen aſſerere poteſt, dęmones fide iuſtificari. Pręterea, quot ſunt qni viuunt in peccatis deteſtandis, & fidem tamen Ieſu Chriſti habent, & mallent mori, quam eam negare? At non ſunt propterea iuſtificati. Sed ſi fides ſola iuſtificet, & iſti, & dæmones iuſtificarentur. Ad hoc, exemplo, quo Paulus vtitur ad Rom. ad probandum fidem, ſine operibus, iuſtificare peccatorem, eodem vtitur Iacobus, in contariam partem. Exemplum dico, Abraham: vt in eo patet loco. Sed, hic dixerit quiſpiam: Ergo apoſtoli ſunt inter ſe contrarij. Re-

ſpondet

ſpondet Anguſtinus, & negat, declarans ſanctum Iacobum, malæ interpretationi tantummodo contradicere Panli. Paulus enim ſignificat opera fidei præcedentia, & Iacobus opera quæ fidem ſequſitur. Siquidem, Paulus innuit opera circumciſionis, vel alia legis opera, minus neceſſaria fuiſſe ad iuſtificationem Abraham: ita, vt præcederent eius fidei: ſed fidem ſine illis, eum iuſtificaſſe. Iacobus vero; opera illa frugifera intelligit, quæ ſequuntur fidem, & de fide viua teſtimoniũ perhibent, & hæc hominem iuſtificant. Quæ ſi Abraham non habuiſſet, non fuiſſet, ſecundum Iacobum, iuſtificatus. Nam ſi Abraham non fuiſſet paratus filium ſuum Iſaac, mandante Deo, offerre, non fuiſſet iuſtificatus: ſed quia prompte id fecit, Abraham (inquit) ex operibus iuſtificatus eſt. Quocirca Iacobus non contradicit Paulo, ſed verborum illius malæ interpretationi. De qua & Petrus loquitur in ſecunda epiſtola, in hęc verba: In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionẽ. Patet igitur, & alios quoq; antehac Paulum male intellexiſſe, ſicut nunc facit Mart. Lutherus in ſuum ipſius periculum & damnationem. Sed auſculta. Vehementer miror illud à Luthero dictũ eſſe, nullum aduerſus ipſum in hac re teſtimoniũ in vniuerſa ſacra ſcriptura reperiri, præter hunc vnum locum ſancti Iacobi. Neque enim dubitandum eſt, quin plura alia produci poſſint. Et primo ſeruator noſter in Euangelio Lucæ: Date (inquit) eleemoſinam, & ecce omnia mũda ſunt vobis. Quænam alia eſt hæc mundicies, quam iuſtificatio animarum quæ promittitur per opera eleemoſinæ? Nam ſi credam quantum credi poteſt, & pauperi neceſſitate oppreſſo non ſubueniam, hanc mundiciam non conſequar. Prȩterea legitur in euangelio Matthæi: Si remiſeritis hominibus errata ſua, remittet & vobis pater veſter cœleſtis, quod ſi non remiſeritis hominibus errata ſua, nec pater remittet vobis errata veſtra. Item eodem euangelio: Non omnis (inquit) qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei. Et illud quoque in eodem: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorũ, nõ intrabitis in regnum cœlorum. Et hoc intelligendum eſt de iuſtitia operum, quod aperte declarant reliqua quæ ſequuntur. Addit & illud: Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ędificauit domum ſuam ſuper arenam. Item Paulus ait: Non auditores legis ſed factores iuſtificabuntur. In eandem ſententiam Iacobus: Eſtote (inquit) factores verbi & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. Rurſus apoſtolus ait: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et quod vltimum, Apoſtolus ſuam ipſius exponens ſententiam ait: Fides quæ per dilectionem operatur. Similiter Iacobus: Vides (inquit) quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.

Ex his igitur teſtimoniis manifeſtum fuerit, non ſolam fidem ſufficere, ſed dilectionem quoque & opera exigi ad animas noſtras iuſtificandas. Et hic finem imponam ſecundæ inſtructioni.

Pro tertia inſtructione ſequitur in Euangelio: Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Quibus perhibebũt teſtimonium? Nonne vniuerſali eccleſiæ? Quod ſi ita ſit, ab omnibus Chriſti fidelibus teſtimonium illorum comprobetur neceſſe eſt. Ex his verbis, & aliis ſupra recitatis apparebit & conſtabit, plus teſtimonij pro ſufficienti autoritate admittendum eſſe, quam continetur in Biblus. Quod vnum ſi explicare & ſtabilire poterimus, id ſubuertet magnam partem opinionum Lutheri. Sed vt hoc facilius aſſequamur, cõſiderandum eſt, quod tametſi opera harũ trium perſonarum, quarum hoc meminit euangelium, indiuidua ſint, nec alterũ ab altero ſeparabile, ſed connexa omnia, ſcriptura tamen illis certa aſſignat tempora, quibus humanum genus inſtruxerunt de veritate neceſſario credenda. Et primo Deus pater inſtruxit maiores noſtros per prophetas, vt ait Paulus: Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus, in prophetis. Paulus hoc in loco patres noſtros Iudæos intelligit, ex quibus nos ſpiritualiter originem duximus. Nam Abraham, qui illis carnalis erat pater, eſt & nobis pater ſpiritualiter. Deus itaq; pater illos docebat per prophetas ſuos, quorum prophetiæ licet in ſcriptura ſacra contineantur, multa tamen alia non ſcripta tradebant, quæ Iudæorum magiſtri vocant Cabala, quæq; alteri ab altero quaſi per manus traduntur verbo, & non ſcriptis. Deinde ſecunda perſona, filius Dei ſeruator noſter Chriſtus miſſus erat à patre in hunc mundum ad hominem erudiendum, tam per ſe, tum per apoſtolos ſuos, qui ab initio (vt euangelium hic loquitur) cum eo erant. Hi etiam ſancti Apoſtoli multa nobis verbo reliquerũt, quæ non ſcribuntur in Bibliis. Id quod Paulus demonſtrat, qui illos eſt ſequutus, & abſens fuit, quum Chriſtus illis hæc verba loqueretur, in ſecunda ad Theſſalonicenſes epiſtola: State, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Sanctus igitur Paulus, qui poſterior cæteris apoſtolis fuit, quibus hæc verba à Chriſto dicta fuerunt, vult traditiones obſeruari, non modo quas ſcripſit, ſed quas verbo etiam ædidit. Quare non etiam aliæ aliorum apoſtolorũ traditiones eiuſdem erunt poteſtatis ad fidem faciendum, & teſtimonium de veritate perhibendum? Ex his videtis, authore apoſtolo, expreſſam ſcripturam nos obligare, vt credamus aliis multis quam quæ in bibliis continentur. Quod etiam Origenis, antiqui doctoris autoritate comprobabimus, cui hac in re, magna fides eſt adhibenda. Is in libro Numerorum Homilia quinta, his vtitur verbis: Sed in eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ omnibus facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod (verbi gratia) genua flectimus orãtes, & quod ea omni-

bus cœli plagis, ad ſolam orientis partem conuerſi fundimus orationem, non ſacile puto eniquam ratione compertum. Sed & Euchariſtiæ, ſeu percipiendæ, ſeu quo ritu geritur, eaplicaodæ, vel eorum quæ geruntur in baptiſmo verborum, geſtorum, & ordinum, atque interrogationum, & reſponſionnm, quis facile explicet rationem? Et tamen hæc omnia, operta licet & velata, portamus ſuper hnmeros, qnnm Implemns ea, & exeqnimur vt à magno pontifice Chriſto, & à filiis eins tradita, atque commendata ſuſcepimus. Ex quibus Origenis verbis clarum eſt, multas traditiones Chriſtiano populo relictas fuiſſe, & à Chriſto, & ſuis apoſtolis, quas ſequamur oportet, licet non ſint ſcriptæ. In quam ſententiam, poſſem ſi vellē Damaſceni, Dionyſij, Hieronymi, Auguſti. & aliorum ſanctorum patrum teſtimonium proferre. Poſtremo, tertia perſona in trinitate, id eſt, Spiritus veritatis miſſus fuit ad commorandum nobiſcum in æternum, & vt perpetuus eſſet nobis in eccleſia Chriſti conſolator, quoties turbines hæreſium & tempeſtates orirentur, vt denique puram veritatem, qua ſtandum eſſet in omni vacillanti opinione nobis aperiret. Poſt diſceſſum Apoſtolorum à nobis, Spiritus ſanctus remanſit, remanet, & remanebit nobiſcum io finem mundi. Sed per quem quæſo nobis loqnitur? Per quem aliquid veritatis nos docet? Profecto non per alios quam per ſanctos patres, & eccleſiæ doctores, iuxta illud: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquirur in vobis. Quando ſanctus Baſilius baptizatus fuit, mirabilis lux circa eū ſplēdens viſa eſt. Et dubitandum non eſt, quin ea res ſenſibile ſignum fuerit Spiritus ſancti. Eodem modo, interea dum ſanctus Ambroſius Pſalmum 43. ſcriberet, conſimilis lux capiti eius ſuperſtetit in formam clypei, in ſignum Spiritus Dei. Quod & aliis quoque ſanctis patribus ſimiliter obtigit. Quare non eſt dubitandnm, quin in huiuſmodi Epiſcopis, & Eccleſiæ doctoribus Spiritus ſanctus loquatur. Sed longe amplius In generalibus conciliis, quando mnlti congregati in vnum conuenerunt. Nam quoties turbines & tempeſtates hæreticæ prauitatis oriebantur, toties per generalia concilia & ſynodos Epiſcoporum conuicti, oppreſſique fuerunt. In concilio Niceno 318. fuere epiſcopi, in quibus Spiritus ſanctus loqnntus eſt ad confutandam qnandam hæreſin qua tunc Eccleſia grauiter premebatur. Poſt hoc ad concilinm Conſtantinopolitanum conuenerunt 50. epiſcopi: & in illis etiam loquutus eſt Spiritus ſanctus ad delēdam aliam hæreſin in Eccleſia tunc ortam. Item concilio Epheſiano 300. interfuere Epiſcopi, in quibus eodem modo Spirirus ſanctus loquutus ad aliam hæreſim, quæ tunc emerſit, extirpandam. Similiter etiam deinceps, quotieſcunque tales nubes ortæ in eccleſia, tempeſtates induxerunt, & cœperunt fulmen falſæ & peruerſæ ſcripturarum interpretationis præmonſtrare, hic Spiritus paratus fuit vniuerſali Eccleſiæ indubitatam veritatem exponere.

Conſideremus ergo qnot quantaque habeamus, quæ confirment illa quæ Eccleſia nos docet. Primo loco ſunt prophetæ quos Deus pater erudinit, & eorum cabala, id eſt, ſecretæ traditiones in bibliis non ſcriptæ. Secundo apoſtoli, quibus ipſe Chriſtus ſaluator noſter magiſter fuit, & eorum traditiones nec ipſæ in biblus ſcriptæ. Tertio ſancti patres & Eccleſiæ doctores qui Spiritum veritatis præceptorem babuerunt tam in ſcripturis exponendis, quam in ſynodis, & generalibus conciliis in præteritum celebratis. Si eſſet in trinitate aliqua quarta perſona, vel alius Spiritns nobis ab omnipotente Deo miſſus, poſſemus aliqua ex parte dubitare, an Martinus Lutherus ei in itinere obuiam proceſſerit, cumque abduaerit, & nobis eripuerit. Vernm, quum conſtet nobis non eſſe plures quam tres perſonas in Deitate, de qnibus boc euangelium mentionem facit, & earum ſingulas veritatem nos diligenter docuiſſe: non alium deniq; Spiritum ſanctum eſſe, præter Spiritum veritatis, qui in æternum oobiſcum permanebit, ac veritatem nobis declarabit, indubitarum ſit nobis oportet, Martinum Lutherum hunc Spiritum veritatis oon habere: vt qui doceat contraria huic veritati, quam hic nos docuit Spiritus. Præcidit enim traditiones apoſtolorum, reiicit generalia concilia, deſpicit doctrinas ſanctorum patrum, & doctorum eccleſiæ, & totis laborat viribus, vt omnes eccleſię ordinationes ſubuertat, & præcipue ſeptem ſacramenta: tollit liberum arbitrium, & aſſerit omnia ex abſoluta prouenire neceſſitate, contra omnem Chriſti eccleſiæ doctrinam. Quocirca patet eum aliquem alium miſerum habere ſpiritum, id eſt, ſpiritum erroris, & non veritatis. Apoſtolus ait: In nouiſſimis temporibus, diſcedent quidam à fide, attendeotes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. Hoc loco notandum eſt illud verbuin, diſcedeot. Nam alio loco idem dicit: Erit diſceſſio primum, id eſt, ante aduentum Antichriſti erit notabilis diſceſſio à fide Chriſtianæ eccleſiæ. Et non abſimile vero eſt, hanc in præſentia eſſe, authore iſto tam periculoſo hæretico. Sed hic Lutherus, vt eſt vafri ingenij, nobis aliquanrulum reluctabitur, & dicet Concilia generalia interdum errare, & doctores ſæpe ioter ſe diſſentire, & ſicut in vno, ita & in alio loco eos errare poſſe, & ob id ſe non aſtrictum eſſe, vt cuique illorum fidem adhibeat. Reſponderi poterit, hanc rationem infirmam & inualidam eſſe, ſicut ex ſimilirudine patebit. Prophetæ interdum ſibi relicti, id eſt, meri bomines, aberrarūt à veritate. Nam prophetię ſpiritns nō ſemper propbetarum mentes irradiat. Eaempli gratia. Dauid rex, quū ſtatuiſſet templum omnipotenti Deo ædificare, conſuluit prophetam Nathan an perficiendum eſſet, quod facere decreuerat, & Nathan admonuit vt opns aggrederetur, & perficeret omnia, quæ animo deſtinarat, dicens: Omnia quę in corde tuo ſunt, fac, Dominus tecum eſt. Erat tamen Nathan deceptus, quia verum non dixit. Num igitur hæc deceptio faciet, vt nulli alij rei quam

prophe-

prophetauit Nathan, fidem habeamus? Abſit. Idem dicendum de Apoſtolis. Nam Petrus, quum diceret Chriſto: Tu es Chriſtus filius Dei viui, loquutus eſt per reuelationem, & Chriſtus ſaluator noſter eum laudauit, inquiens: Beatus es Symoo Bariona. At paulò poſt, dehortatus eſt Chriſtum à paſſione adeũda, quum diceret: Abſit à te Domine. Et hic male loquutus eſt. Num igitur illi quod primum dixit fidem non habebimus, propterea quod ſecundo loco errauit? Hoc certe alienũ eſt à ratione. Omnipotens Deus păſſus eſt, & prophetas & apoſtolos ſuos interdũ errare, vt nos intelligeremus, illos non niſi homines fuiſſe, & quoties veritatem dicerent, id ex Deo, quoties aberrarent vero, id ex ſeipſis proceſſiſſe. Eadem ratione, dico doctores eccleſiæ non iccirco in vniuerſum eſſe aboegandos, quod aliquando errarunt, vt nos intelligeremus illos & homines fuiſſe, & ſibi relictos. Itidem, tametſi aliqua ex nouiſſimis conciliis generalibus non fuerunt fortaſſe, ea qua decuit pietate & charitate conuocata (quod tamen non affirmo) & in aliquo particulari articulo ex permiſſu aberrarũt, longe tamen ab omni ratione alieniſſimum eſt, vt nos propterea reliqua omnia damnaremus. & hæc pro hac inſtructiooe ſuffecerint.

Quarta & oouiſſima inſtructio tollit rationes, quibus ſequaces Martinum Lutherum defendunt. Satis eſt enim hæc defenſio, ad multas infirmas animas facile euertendas, qoum audietur. Conſiſtit enim in tribus. Primum namque, dicunt Martinum Lutherum ſacrarum literarum inſigniter eſſe peritum, & authoritate ſcripturæ omnes ſuas comprobare opinioaes, religioſe viuere, & ex doctrina, aliiſque virtutibus multos ſibi ſectatores comparare: deinde, affirmant illum fixom animũ in Deum habere, & ita nullius parcere authoritati quin verum dicat, adeo, vt Papam excommunicauerit, tãtum ſua ſibi authoritate arrogans, vt non credat illos de catholica eſſe Eccleſia, qui ipſius dogmata ooo ſequãtur: poſtremo, zelum habet erga Deum mire feruentẽ, quo ioſtigatus, omni nixu laborat, vt totum mũdum io ſuam trahat opinionem, exiſtimans ſe, dum hæc facit, ſingulare ſacrificium offerre Deo. Hæc quum audit infirma anima, illico trahitur in periculum, permota videlicet vt his credat, & Eccleſiæ doctrinæ diffidat. Quis enim poteſt aliud cogitare, quam talem virum in via veritatis ambulare? Veruntamen, verba euangelica quæ ſuperſunt & ſubſequũtur, iis aperte reſpondent: Hæc loquutus ſum vobis, vt nõ ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos, ſed venit bora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequiũ ſe præſtare Deo. At, putauerit quiſpiam hæc verba pertinere tantum ad tempora Iudæorum, qui apoſtolos ex ſynagogis ſuis expulerunt, vel ad tempora tyrannorum, qui magnum numerum populi Chriſtiani in ortu eccleſiæ occiderunt. Sed, ſi hoc verum eſſet, non complecterentur generalem ad vniuerſalem eccleſiam inſtructionẽ, quod in principio ſermonis noſtri, contra Lutherum collegimus. Quamobrem, multo magis ad hæreticorum tempora ſpectant. Primo, quia hæc perſequutio diuturnior fuit aliis duabus. Nam, perſequutio Iudæorum cito ceſſauit, & tyrannorum aliquo temporis curriculo durauit. Sed heretici, ab aſcenſiooe Chriſti eccleſiam perſequuti ſunt, & vſque ad Antichriſti aduentum perſequentur. Præterea, perſequutio hæreticorum eſt, & ſemper fuit periculoſior. Nam Iudæi & tyranni erant manifeſti Chriſti hoſtes, & eius ſcripturam abhorrebant, ſed hæretici, prætexentes ſingularem erga Chriſtum fauorem, ſuas hæreſes, ſcripturarum miris coloribus depingunt. Item Iudæi & tyranni, qnorum Chriſtianorum corpora trucidarunt, eorum animas ad æternam miſerunt gloriam, ſed hæretici, ſcripturas Dei peruertentes, falſis doctrinis, erroneiſque opinionibus, & peſtilentibus ſectis, trucidant animas Chriſtiani populi, & in æternam mittunt damnationem. Hæc itaque verba, de hæreticorũ perſequutione potius, quam aliis intelligenda ſunt. Quare Chriſtiane homo, quando audis Lutherum magnæ eſſe doctrinæ, & in ſacris literis expertum, virtute præditum, multos babere ſequaces, cogita apud te, multos alios ante illum in eccleſia Chriſti fuiſſe, qui doctrina ſua, & peruerſa verborum diuinorum interpretatione, cõſimiles mouerũt tempeſtates. Qua enim tempeſtate, Arrius ille famoſus hæreticus, Chriſti eccleſiam afflixit? Quot animas ille perdidit? Eratne ille magnæ doctrinæ, ſingularis eloquentiæ, & ſanctæ (vt apparebat) vitæ? Opioiooeſne ille ſuas (quibus multas decepit animas) ſacra ſcriptura corroborauit? De illo ſic ſcribit Hieronymus: Arrius vna ſcintilla in Alexandria fuit, ſed quia non cito extincta eſt, totum orbem populata eſt flamma eius. Hęc ſcintilla tantiſper vexauit Chriſti eccleſiam, & inoumerabiles animas euertit, donec, procedente tempore, Spiritum ſanctum veritatis, qui conſolator Eccleſię Chriſti eſt, loquentem, vt ante dixi, in ore patrum & Eccleſię doctorum, hęc co ouicta fuit, & penitus reiecta. Sed hanc tempeſtatem illico inſequuta eſt alia nubes, nomine Macedonius, qui pari inſania eccleſiam perturbauit. Illum ſequutus eſt Neſtorius, huoc Eutices. Adeo, vt tempeſtas tempeſtati inhęreret, & vna ſuper aliam ſequeretur: & illico, extincta vna, authoribus malignis ſpiritibus, oriretur altera, in modum capitum hydræ lerneæ. Sanctus Auguſtinus 57. capitales commemorat hęreſes, quę ceu tot nubes & procellę, variis temporibus io eccleſia Chriſti, poſt eius aſcenſionem ortę ſunt: quæ tandem per ſanctum Spiritum veritatis conuictę fuerunt. Harum autem authores ſinguli ſingula ſua dogmata authoritate ſcripturarum comprobarunt. Et complures ex illis callidiſſimi fuerunt ingenij, altæ doctrinæ, in eruendis validis rationibus acuti, vitę denique ſuę, virtutem & ſanctitatem prætexuerunt, atque illam peculiarem vim habuerunt traheodi, & ita torquendi ſcripturas, vt viderentur ipſorum erroneas opiniones corrobora-

roborare. Poſtremo, talis erat illorum vita, doctrina, ſcripturarum interpretatio, vt compararent ſibi multos ſequaces & fautores, cum Epiſcopos, tum Imperatores & alios principes Chriſtianos, quibus mirum in modum ſunt abuſi. Quamobrẽ neceſſarinm fuit, vt Salnator noſter Ieſus Chriſtus, pro ſua inæſtimabili bonitate, & interna beneuolentia qua ſuam proſequitur eccleſiam, inſtructionem & admonitionem toti populo Chriſtiano, & vniuerſali eccleſiæ huius perſequutionis relinqueret, & ita fecit, dicens: Hęc loquutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Quid dixit nobis antea? profecto illud: qnod Spiritus veritatis remanebit in eccleſia in æternum, quodque idem, in omnibus procellis & tempeſtatibus, nobis erit conſolator. O popule Chriſtiane, audi hãc admonitionem ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, gratia pleniſſimam. Nota, & obſerua quod loquitur. Admonui (inqnit) vos harum rerum antea, vt quum euenerint, per tas in animabus veſtris non ſubuertamini. Ac ſi diceret. Quãdo videbitis has oriri procellas, quando contemplabimini illas craſſas in ſublimi nubes, quæ vniuerſam cœli obſcurabunt faciem, & vmbra ſua claritatem luminis ſolaris vobis eripient, & ſalſæ lucis ſplẽdorem, erumpentem ex ſupra dicta nnbe, & ſpiritum illius tempeſtatis præ ſe ferent, ac etiam horrendas futuri tonitrus minas percipietis, tunc in fide veſtra eſtote conſtantes, credite, vt credit veſtra ſancta mater Eccleſia, omnem ſpem veſtram in Spiritu veritatis collocate, qui vobis conſolator erit vſque in finem mundi. Præterea quando audies Martinum Lutherum habere conſtantem mentem, & in Deo fixam, & propterea nullius authoritati ita parcere, quin verũ dicat, & exiſtimare omnes qui illins doctrinas nõ ſequantur, ſeparatos eſſe ab eccltſia catholica, adeo, vt ipſum ſanctum pontificem excommunicarit, O mirabilem præſumptionem, O inſaniã intolerabilem, quando hæc inquam andies, pro comperto habeas, & alios quoqne hæreticos omnes ita ſe geſſiſſe. Putauerunt enim ſe ſolum, atq; ſnos ſequaces de eccleſia eſſe catholica, & opinati ſunt alios, qui eorum dogma non ſunt ſequuti, ſeparatos eſſe ab eadem. Hoc fecit Nonatianus Romæ, quum excluderet ſacerdotes catholicos, & Epiſcopos à ſuis eccleſiis. Ita fecerunt Arriani in Græcia, & Donatiſtæ in Africa. Veruntamen Eccleſia Chriſti, non niſi vna eſt, ſancta, catholica Eccleſia & Apoſtolica. Hæc Eccleſia eſt vna, vnnm habens caput, hoc eſt Papam, qui eſt vicarius Chriſti, à quo vna vocatur. Et licet ſint in hac Eccleſia multi peccatores, tamen propter ſancta Sacramenta, quæ remanent, & quotidie peccatores reſtitunnt, & etiam propter Spiritum ſanctum, qui continue in eadem permanet, vocatur ſancta. Et quia non eſt aſſignata vni certæ nationi, ſed eſt communis omnibus, vocatur catholica, id eſt, vniuerſalis. Ad vltimum, quia deriuatur ab Apoſtolis, & præcipue à principe Apoſtolorum ſancto Petro, vocatur Apoſtolica. Hæc eccleſia ſola eſt ſponſa Chriſti. Reliquæ de hac nõ ſunt, ſed ſynagogæ ſunt Satanæ, & concilia dæmoniorum. Quocirca, homo Chriſtiane, ne ſis attonitus qunm iſti excommunicent, & ſeparent veros Chriſtianos à ſuis ſynagogis, quia ſaluator noſter huius rei nos præmonuit, loquens quod ſequitur in euangelio: Abſque ſynagogis facient vos, hoc eſt, excommunicabunt vos, & ſeparabũt à ſuis ſynagogis. Poſtremo, quum audies Martinum Lutherum habere ſeruentem erga Deum zelum, & cogitare ſe aſtrictum eſſe conſcientia, vt ſaciat quod facit, & opinari, quod in his rebus ſaciendis placet Deo, & eidem præcipuum præſtet obſequium, ideo, quod reputat ſe omnipotẽti Deo lucrifeciſſe omnes illas animas, quas ſalſa ſua doctrina occidit & trucidauit: eſto & hic tamen in fide tua fortis, & vide, quod etiam bnius rei ſaluator noſter te admonuit, dicens: Sed veniet hora, quum omnis qui interficit vos, obſequinm ſe arbitrabitnr præſtare Deo. Sed, ſi alij hæretici Luthe. anteceſſores, idem non fecerunt, tum cogita apud te Lutherum eſſe aliquid. Nonne idem fecerunt Arriani? nonne furioſe in Epiſcopos & presbiteros catholicos, qui ipſis reſtiterunt, ſunt inuecti? Et non modo animas hominum peſtilentibus ſuis hæreſibus infecerunt, verum etiam, ipſis authoribus, magno numero corpora Chriſtianorũ crudeliter trucidata fuerunt. Nonne idem fecerunt Donatiſtæ? De quibus ſanctus Auguſtinus ad Bonif. ſic ſcribit: Quicunque dura illorum verba contempſerant, durioribus verberibus quod iubebant, facere cogebantur. Innocentinm, qui eos offenderant, domus, aut depnnebantur ad ſolum, aut ignibus cremabantur. Et ſequitur: quod plurimi cædibus eorum extincti ſunt. Nonne idem fecerunt diſcipuli Vuycliffi? Quanquam enim, timore legũ municipalinm, neminem auſi ſunt occidere, tamen porrexerunt ſchedulam articulorum Dominis ſecularibus, qua eos hortati ſunt ad ipſorũ aduerſarios è medio tollendos. Et qnid putatis Martinum Lutherum, & ſuos ſequaces facturos, ſi Papam eiuſque fautores haberet in ſua poteſtate, quos toties contumelioſe papiſtas, papaſtros, & papenſes vocat? Non humanius (vt equidem opinor) illos tractaret, quam tractauit eorũ libros? hoc eſt decretales, quos combuſſit. Nam & illos fortaſſe eadem inſania combureret, vel alios qnoſuis Chriſtianos, quos eredat ſuis aduerſari dogmatibus, & impedimento eſſe, quo minus ab omnibus approbentur: ac putaret ſe in hoc, acceptabile ſeruitium præſtare Deo. Quæ, quum ita ſint, ſatis intellexeritis, quod tametſi iſtiuſmodi hæretici, ſcripturas ad manus habuerint, callidiſſimi fuerint ingenij, & altæ ſolertiæ, vitę denique ſanctimoniam, & in Deum feruentem zelum, ſibi prætexuerint, putantes ſe conſcientia aſtrictos vt facerent, quæ fecerunt: decepti tamen fuęre, & per concilia generalia, & ſanctos patres eccleſiæ, erronearum opinionum conuicti; & quid impedimento eſt, quo minus & Lutherus eodem modo deceptus ſit, ſicuti alij omnes, qui ante eũ fuerunt. Præſertim, quum Spiritus veritatis ei

deſit,

deſit, qui & omnibus illis defuit. Nam ſi habuiſſent hunc Spiritum, nunquam erraſſent in ſcripturis peruerſe intelligendis. Non nego, quin in ſcripturis experti fuerint, & ſcierint eaſdem ad ſuos ſcopos mire trahere, & opinionib. ſuis acute accommodare, verum quia deerat illis Spiritus veritatis, eas male interpretabantur, & (vt ſanctus Petrus ait) deprauabant, vel, vt Paulus, inuertebant, ſuum cerebrum & fantaſiam ſequentes, ducti videlicet ſpiritu erroris & ignorantiæ, prout ſequitur: Hæc omnia facient vobis, quia non nouerunt patrem neq; me. Quod ſi habuiſſent Spiritum veritatis, is duxiſſet illos ad veram patris & filij cognitionem, id eſt, cognitionem prophetarum, per quos omnipotens Deus pater loquutus eſt, & veram etiam notitiam Apoſtolorum, per quos filius illius, Chriſtus Ieſus ſeruator noſter, ſua ædidit oracula. Sed quia non habuerunt hunc Spiritum veritatis, qui miſſus fuerat à patre & filio, ignorabant vtrumque. Qua ignorantia factum eſt, vt in huiuſmodi inciderent errores, in quos & Lutherus incidit. Hic igitur finem dicendi faciam. Expoſui vobis (vt pollicitus ſum) quatuor inſtructiones, quas hoc euãgelium nobis benigne obtulit. Prima, declaraui Spiritum ſanctum, tertiam perſonam in Deitate, miſſum fuiſſe ab omnipotente Deo patre, & filio eius Chriſto ſaluatore noſtro, vt eſſet Spiritus veritatis remanens in æternum in eccleſia Chriſti, futurus, quoties poſtularet tempus, conſolator aduerſus procellas & tempeſtates hæreſiom, ad certiores nos reddẽdos in omnibus rebus dubiis, de pura, qua nobis ſtandum eſſet, veritate. Et nactus ex hac inſtructione occaſionem, tria explicaui. Primum, quod hæc inſtructio, & totum euangelium ad vniuerſalem Chriſti eccleſiam pertineat. Id quod probaui ipſius Lutheri verbis. Secundum, quod Papa ſit vniuerſalis eccleſiæ caput ſub Chriſto, quæ vna res tollit vnum magnũ fondamentum Martini Luth. & concutit multas eius erroneas opiniones. Tertium, quod Lutherus ſeparans ſe à capite huius corporis, non poſſit in ſe habere hunc Spiritum veritatis. In ſecunda inſtructione, vobis aperui quomodo feruor charitatis, in cordibus noſtris ſparſus per Spiritum ſanctum, teſtimonium perhibeat de vero fidei lumine, relucenti ſuper animas noſtras ex ſaluatore noſtro Chriſto. & hæc inſtructio vnũ aliud Lutheri fundamentum euertit, quo tradere conatur, ſolam fidem iuſtificare peccatorem ſine operibus. Tertia inſtructione, vobis demonſtraui traditiones relictas eccleſiæ per ſanctos Apoſtolos, teſtimoniũ nobis perhibere de fide Chriſti, & quid in eius eccleſia credendum ſit. Vbi etiam aliud ſubruimus fundamentum Lutheri, qui nullum aliud teſtimonium admittere vult, quam quod contineatur in ſcripturis. Contra quam opinionem probaui, & traditiones Apoſtolorum non ſcriptas illi admittendas eſſe, ſicut & generalia concilia, in quibus ſanctus Spiritus eſt loquutus, & interpretationes ſcripturarum, æditas per ſanctos Epiſcopos & eccleſiæ Chriſti doctores, in quorum ore, tertia perſona in Deitate loquutus eſt, & loquitur erudiens eccleſiam in præſentiarũ, ſicut Deus omnipotens pater fecit ante, per prophetas, & filius eius ſecunda perſona, per Apoſtolos. Quarta inſtructione vobis explicaui, qua ratione, illa quibus ſequaces ſui Lutherum defendunt, & multas infirmas animas peſſundant, penitus tollantur, per amantiſſimam & pientiſſimam ſaluatoris noſtri admonitionem, vt audiſtis in fine Euangelij: At enim, pro ſumma eius charitate & dilectione, ſubinde admonet vniuerſum populum Chriſtianum, dicens, & repetens: Hæc loquutus ſum vobis, vt quum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia hæc dixi vobis. Qui igitur toties monitus, vult adhuc Martino Luthero fidem adhibere, vel alij cuiuis conſimili hæretico, potius quam Chriſto Ieſu, & Spiritui veritatis in Chriſti eccleſia relicto vſque in finem mundi, ad id præcipue, vt veritatem nos doceat, is longe aberrat à recta via, nec vnquam videtur peruenturus in portum æternæ tranquillitatis, quem deſideramus omnes, & expetimus, ad quẽ nos perducat, qui cum patre & Spiritu ſancto, Deus viuit & regnat in ſecula ſeculorum
Amen.

F I N I S.

IOANNIS ROFFENSIS DE VNICA MAGDALENA, LIBRI TRES.

DIDYMVS LYCOVCARVS STVDENS Pariſienſis, Nicolao Metchalphæ Anglo, Theologiæ profeſſori, & Roffeni Archidiacono. S. P. D.

NIſi virtutis (vir erudite) maior habenda eſſet ratio, quam fortunæ, cui patriam ſinguli ſuam debemus: vix æquo animo ferre ipſe poſſem tantam omnium laudum excellentiam Angliæ merito aſcribi. Nam vt omittam, Coletum, Linacrum, Paceum, Tunſtallum, Morum, Latymerum, & Grocinum, Roſcios omnis ſcientiæ numeris abſolutos: Qualis iam nunc iſtinc in arenam deſcendit Milo? Qualis (inquam) prodit Epiſcopus! Qui tantæ eccleſiæ moderamini, tantique Regni conſiliis addictus ſummam meruit eruditionis, diligentiæ, ac caſti ſermonis commendationem. Quique ita grauis ſtudio, multaque arte ſe exercuit in veriſſimo genere docendi, vt vel noſtro Fabro Athletæ alioqui non mediocrium virium, non modo non ceſſit, verum etiam neruoſior obſtitit. O exactum hominis iudicium: O mirabilem lectionis ſupellectilem. Quam obſecro, agminatim auctores allegat: quam narrat euidenter: quam ſtrenue colligit: quo rerum ordine infert: quibus lacertis, quo vigore aduerſarium quatit! Oblatrent nunc æmuli, obſtrepant factioſi, quod nonnullos gannire audio, Epiſcopum non ſynceri iudicis, ſed Momi, vel inuidi potius perſonam induiſſe, quum Fabri ſcripta tractaret. At æquus lector facile perſpiciet tuum Fiſcherum ita diſputare vt pium & Chriſtianum decet, nempe vt plus gaudeat vero inuento, quam victoria. Neque dubito quin denique iniquos quoque repugnans conſcientia dictis in viam reducet: facietque, vt aut nobiſcum vna Epiſcopum admirentur, aut eis deſinant maledicere, cui diua Magdalena in fruſta deſecti corporis receptam referet integritatem: cui omnes Theologiæ ſtudioſi ab alto tenebrarum carcere debebunt exemptionem, cuique ipſe Faber, vtpote vir probus & emendata vita, incomparabiliſque modeſtia, non agere ſolum, ſed & referre gratias ſtudebit, aut egregie me fallit opinio. Vale vir optime.

LONGE

LONGE REVERENDO ET OMNI OBSERVANTIA DIGNISSIMO, DOMINO IOANNI FISCHER, ROFFENSI, IN ANGLIA Epiſcopo meritiſſimo, & magno antiquiſſimæ apud Cantibrigiam academiæ Cancellario.

MAVRICIVS DVRAND ANGLVS, CVM OMNI veneratione Salutem.

FActis profecto Antiſtitum prudentiſſime, quę & ſapientiæ tuæ conſona, & priſtinis inſtitutis digniſſima comprobantur. Siquidem qui pulcherrimis & honeſtiſſimis gradibus ad ſummum & honoris & dignitatis culmen conſcendiſti, non deſinis inde quaſi è ſpecula alta (ſpeculatorem enim gentium conſtituit te Dominus) diſpicere quæ & tuæ prudentiæ & ſuſceptæ curæ fuerint aptiſſima. Nam qui à primis, & à teneris ferme vnguiculis, ſic virtuti atque omni ſcientiæ bonæ ſtuduiſti, vt in vtraque primus habearis & ſis (neque id ſine maximo & ſummi pontificis & Regis noſtri inuictiſſimi authoramento, ille enim te Roffenſem Epiſcopum confirmauit, hic Cantibrigienſem ſummum Cancellarium creatum laudat) non ceſſas in te collatis beneficiis pluſquam paria facere. In Cantibrigienſi enim antiquiſſima & nobiliſſima Academia, duo magnifica tuo ſuffragio inſtituta ſunt ſcholaſticorum Collegia, eaque & libris, & præceptoribus optimis & iuſtis ad victum vectigalibus ornare & locupletare contendis. Regi inſuper & toti regno indefatigabili ſtudio nō ceſſas conſulere. Omni vero populo & præcipue Roffenſi, laudatiſſimæ vitæ, & integerrimæ doctrinæ tuæ facibus ſic prę luces, vt glorificēt Deum patrem, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui te talem dedit eſſe hominibus. Quæ merita tua cum ſint maxima, & pauciſſimis data, in oculis tuis tamen ſic viſa ſunt exigua, vt ſatisfeciſſe ſuſceptæ prouinciæ tibiipſi non videaris, niſi etiam catholicæ eccleſiæ nunc ſuper Magdalenarum euangelicarum numero cum Iacobo Fabro diſceptanti, ſuppetias ferres: quas ſic tuliſti his tribus libellis tuis elegantiſſimis, vt omni controuerſię finem impoſuiſſe ampliſſime cenſearis. Legerunt enim eos quamplurimi Pariſien. Academiæ Doctores Theologi, non ſine ſumma admiratione, & ſub ſtupore quodam, cum neſcirent quid in eis primum demirarentur: doctrinæne copiam: qua tot auctores ſacros & tam appoſitos in tam breui ſpatio citare & ad negocium aſciſcere potuiſti, an ingenij argutias, quibus Fabri argumenta ſic improbaſti, vt nullo robore penitus videantur, an tandem dicendi elegantiam, quam cum minime affectaſſe videaris, ſummam tamen aſſecutus es. Dicis enim aperte, probas docte, moues potenter. Vnum eſt quod iis qui te non intus & in cute (vti ego) nouerint, ſtomachum mouere poſſit, quod Fabrum boni nominis bonæque vitæ, & excellentis ſcientiæ virum acerbius ſuggillare videris. Verum nos qui animi tui candorem & in omnes doctos charitatem nouimus, non dubitamus ita te ſubinde inuectum eſſe, non Fabri odio, ſed inuincibili ſtudio, quo & in eccleſiam, & in diuam Magdalenam, & in populum chriſtianum præſertim prudentiæ tuæ commiſſum, afficeris. Eorum enim omnium plurimum intereſſe videtur, vt vnica Magdalena in ſerie euangelica probetur. Eccleſiæ quidem, ne imprudenter per tot ſæcula vnam coluiſſe arguatur. Magdalenæ vero, ne tantis Chriſti elogiis ſpolietur, cum non vni ſed diuerſis aſſignentur. Porro populi, ne ſpem de obtinenda peccatorum venia eius exemplo conceptam, abiicere cogatur. Quas etiam ob cauſas cenſuimus præfatos libellos vt quamplurimis communicentur imprimendos. Boni itaque conſule Reuerendiſſime præſul, & me tuorum catalogo aſcribe ac Vale.

DE VNICA MAGDALENA.

LIBER I.

LIBELLVM quendam auctore Iacobo Fabro de tribus Magdalenis editum, & iam denuo impreſſum legimus: quo & nos donauit egregius Pater & Paſtor vigilantiſſimus, dominus Stephanus Epiſcopus Pariſienſis. Is enim quum eſſet in Anglia, in maximis Regni Regiſq; ſui negotiis, curæ tamen ſuæ paſtoralis non oblitus, me per literas ſuas hortatus eſt, quatenus in ea re quid ſenſerim, aperirem: adiecitq; rei Chriſtianæ referre plurimum, ſi tandem huic controuerſiæ finis imponeretur. Ego vero quanquam ipſum ante perlegiſſem, & multa præter titulum offendiſſem, quæ ſane diſplicuerunt, tanta tamen apud me Fabricij nominis exiſtimatio fuerat, vt credere non potuerim illum temere quicquã voluiſſe adeo aſſeuerare quod ſibi nõ eſſet compertiſſimum, aut de quo ſi rogaretur nõ illico rationem eſſet traditurus. Neq; enim ſatis aduerti, vt ingenue fatear, priuſquam ab optimo illo præſule fuerim admonitus, quantum periculi ſubeſſet, quantave poſſet vniuerſæ Chriſti eccleſiæ ex hac opinionum varietate confuſio atque ignominia oriri. Iam vero poſtquam accuratius introſpexi rem, & ſacra diligentius euolui euangelia, cœpit ipſa confeſtim veritas elucere. Intellexiq; protinus non modo nullam apud euangeliſtas ex vnica Magdalena diſcrepantiam eſſe, ſed & eos in hanc ſententiam adeo conſpiraſſe, vt niſi vnicam quis dixerit, aut mendacij reos ipſos conſtituet, aut Chriſti prædictionem fatebitur eſſe fruſtratam. Quæ res cum eſſet mihi compertiſſima, tum cœpi ſingula quæ Faber oppoſuit, penſiculatius excutere, atque occurrerunt illico lapſus aliquot haud tanta digni exiſtimatione, quam de Fabro iam diu conceperam. Aduerti quoque temerarias & plurimas quidem eiuſdem aſſertiones, legi conuicia in recentiores ſcripturæ ſacræ interpretes, ſimulque & concionatores huius temporis: neq; huius ſolum, verum & in cæteros quotquot citra Ambroſij fuerint ætatem, quantacunque ſanctimonia ſeu eruditione præſtiterint. Quin & grauiſſimos illos Eccleſiæ patres Gregorium, Auguſtinum, Bedam, Bernardum contemptos, & pro nihilo habitos, non abſque dolore perſpexi. Cogitaui ſubinde quot ex hac opinione Fabri, ſi reciperetur, incommoda toti eccleſiæ prouenirent, quot auctores eſſent damnandi, quot emendandi codices, quot ad populum olim factæ conciones iam reuocandæ ſint. Quantos præterea ſerupos inde multi conciperent, quot anſas arriperent malæ fidei, parum deinceps aut libris aut hiſtoriis credituri: ſed & de communi matre eccleſia, quæ iam per tot ſæcula id ipſum & cecinit & docuit, ſiniſtre admodum ſuſpicaturi. Hęc nimirum animaduertens, ſimulque & paſtoris optimi zelum conſiderans, qui mihi ſtimulos admouit, eius hortatibus acquieui, non de meis confiſus viribus, ſed de patrociniis diuorum, pro quibus decerto, & diuæ Magdalenæ inprimis, cui rem haud ingratam me facturum opinor, integram ei ſuam prærogatiuam tribuens, non, quod Faber facit, eam tribus impertiens. Neque enim vni fœminæ glorioſius quicquam euenire potuiſſe arbitror, quam vt toties apud euangeliſtas de illa ſermo habeatur. Nihil vtique dæmonia, nihilque peccata iam obeſſent, quantumuis maxima, quandoquidem, auctore Paulo, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ſed huic in primis ardentiſſimæ Ieſu dilectrici in gloriam redundant longe accumulatiſſimam. Verum iam ad Fabri opinionem refellendam accingamur, quod quidem hoc ordine facturi ſumus. Principio quam ſint rationes ipſius inualidæ, & teſtes ſibi inuicem male cohærentes oſtendemus, deinde ex ipſis euangeliis communem totius eccleſiæ ſententiam aſtruere conabimur, poſtremo multis ac neutiquam ſpernendis auctoribus in medium citatis eandem roborare enitemur. Porro ne fuerit obſcurum lectori qua parte Fabrum aggredimur, poſt ſingulas eius argumentationes, quas eadem qua ipſe ſcripſit ſerie, & ad verbum nihil omittentes recenſebimus, noſtras ſubiicíemus reſponſiones, ne lector quicquam deſideret, aut aliunde quærat, verum ſub oculis coram habeat vtrunq;, tam quid Faber pro ſuæ opinionis fulcimento in medium protulerit, quam quid nos contra reſponderimus. Nempe, vt ita facilius diiudicet, num ille ſuam opinionem ſolidius aſtruxerit, an nos eandem ſimus efficacius demoliti. In quo quanquam prolixior fuero, ero tamen (vt reor) haud obſcurus. Id quod in primis lectori expeten[illegible] opinor. Sed iam ad rem ipſam progrediamur.

Sic i[illegible]ur libellum ſuum Iac. Faber exorditur.

INterrogaſti me clariſſime Franciſce quidnam de Maria Magdalena vnitate pluralitateve ſentirem. Ego vero reſponſionem tunc paucis abſolui. Tres mea ſententia nomine Mariæ Magdalenæ celebrari ſolitas, & quod ſingulatim cuiq; conuenit, omnibus: & quod omnibus, ſingulatim cuiq; tribui ſolitum: & pleroſq; inſigniũ etiam ſcriptorum de illis confundere intelligentiam, vitã & officia: & eius rei veritatem à ſacris eloquiis potius quam ab auctoribus aut iis qui nunc aut ſcribunt aut ad populũ verba faciunt, eſſe requirendam. De poſteris autẽ non ſero iudicium quin potius putauerim eos facile vero acquieturos. FAB.

In his primis verbis multo maximam auctorũ partem & eos præſertim qui nũc aut ſcribunt aut concionãtur ad plebem, nõ minima reſpergit infamia, quum ſuadeat non ab iſtis petendam eſſe huius rei veritatem: ſed ab eloquiis ſacris. Verum ego hic illum percõtarer, num eloquia ſacra ſunt cuiuis ingenio vbiq; adeo clara & aperta vt nõ ſit opus interim enarratore aliquo & interprete ad ea intelligẽda. Quod ſi neget, tum dicat adhuc vnde ſunt tam variæ opiniones & ſcripturarum ſenſa apud auctores, niſi quod huic hũc ſenſum ſcriptura parit, alteri illum. Quod certe non fieret ſi cuique ingenio æque peruia fuerit & dilucida. At- EPISC.

qui ſi

qui ſi fateatur opus eſſe enarratore aliquo & interprete: Dicat igitur quiſnam erit cui fidem in hac re plebs Chriſtiana potiſſimũ adhibeat. Ego nimirũ id genus arbitror ſummos in primis pontifices: deinde patres & auctores orthodoxos: poſtremo concionatores ad populum: qui fideli ſtudio & diligentia verbum Dei adminiſtrant: in quibus ſi mendacium vnum quod communi omnium illorum aſſenſu aſſeueratur compertum fuerit, non video cur in cæteris fidem illis à populo adhibeatur: quod nimirũ aſſerere valde periculoſum eſt. Non ſatis itaq; tuto feciſſe videtur Faber vt illis ſpretis nos impelleret ad ipſa eloqa, quæ etiam maximas plerunq; difficultates pariunt, & multos plus ęquo ſuis ingeniis cõfiſos pręcipitarĩt in errorẽ. Sed nos ad reliqua pergamus.

Fab. *Verum hæc mea reſponſio tibi noua & non protinus admittenda forſitan haud ſine cauſa viſa eſt, vt qui longe aliter olim perſuaſus eras vnicam fuiſſe Mariam Magdalenam, & ego ipſe aliquando, ita vt iuxta illorum placita, & de vna etiam ſcripſerim: id quod ferme paſſim vulgoque receptum eſt. Quapropter æquum eſſe duxi breuitatem noſtra reſponſionis ad te ſcriptæ extendere, vt pro prudentia tua tecum cogites an poterit dicti mei veritas, nedum veriſimilitudo apparere. Principio igitur tres nomine Maria Magdalena celebrari, peccatricem inquam, & Mariam Marthæ ſororem, & eam à qua Dominum ſeptem eiecit demonia, oſtendamus oportet. De peccatrice enim Gregorius ſuper id euangeliũ, Rogabat Ieſum quidam Phariſæus vt manducaret cum illo: ad hunc inquit modum, cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet quam aliquid dicere: cuius enim vel ſaxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant? Ecce, peccatricem Mariam Magdalenam appellat Gregorius. Et Mariam Marthæ ſororem nomine etiam Magdalenæ celebrari adeo receptum eſt, vt nullam præter eam fuiſſe Magdalenam nunc paſſim credatur, cuius rei fides etiam ex euangelio capi poſſe videtur, quod & vberius mox aperietur. Sed & eam à qua Dominum ſeptem eiecit demonia nomine Maria Magdalena celebrari euangelij teſtimonio nulla controuerſia oriri poteſt. Inquit enim Marcus: Surgens autem mane prima ſabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem demonia. Item Lucas: & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalena, de qua ſeptem demonia exierant. Ecce, quomodo & hæc nomine Mariæ Magdalenæ celebratur. Conſtat igitur & peccatricem, & Marthæ ſororem ac eam à qua Dominus ſeptem expulit demonia, nomine Mariæ Magdalenæ celebrari.*

Episc. Hæc perinde ſunt ac ſi quis dixerit: is homo qui apud Marcum nono capite Leui Alphei filius dictus eſt: vocatur ab auctoribus Matthæus, & is de quo apud Matthæum ſcribitur quod ſedens in Teloneo iuſſus eſt ſequi Chriſtum, Matthæus item vocatus eſt. Et demum is qui apud Lucam conuiuium Chriſto feciſſe traditur in domo ſua, Matthæus itidem vocitatur. Quid igitur? Num ob id tres erunt Matthæi? Minime. Nam ad eundem hæc omnia ſpectant. Sic nimirum & quæ de Magdalena Faber ante commemorauit, cuncta de vna eademque fœmina accipienda ſunt. At nunc parans oſtendere tris fuiſſe Magdalenas, ſeorſum ex euangeliis petit teſtimonia quæ cuique inſeruiunt, & primum pro Magdalena ſorore Marthæ. Sed ipſum audiamus.

Fab. *At nunc ſecundum euangelij lucem exploremus, an vna eademq; ſit mulier in ciuitate peccatrix Marthæ ſoror: & ea ex qua Dominum ſeptem pepulit dæmonia; & primum Matthei verba citemus dicentis. Cum autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti precioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Per quæ certum eſt hanc mulierem eandem eſſe illi, de qua Marcus ait. Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi piſtici precioſi, & fracto alabaſtro, fudit ſuper caput eius. Nam & tempus & locus & vnctionis modus conueniunt. Sed & eandem eſſe cum ea de qua Ioannes meminit in hunc modum: Ieſus ergo ante ſex dies Paſcha venit in Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus: fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat, Lazarus vero vnus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici precioſi, & vnxit pedes Ieſu, & extersit pedes eius capillis ſuis, & domus impleta eſt odore vnguenti. Eadem quidem ex loco, tempore, vnguenti materia & conſequentibus. Ex loco & tempore. Nam in Bethania, & paucis ante dominicam paſſionem diebus. Inquit enim Ioannes, ante ſex dies venit Ieſus in Bethaniam ac biduo ante paſſionem celebratum eſt hoc conuiuium. Ex Matthæo, Scitis, inquit, quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur, & crucifigetur. Necnon ex Marco, Erat autem, inquit, Paſcha & azima poſt biduum. Ex vnguenti materia, ſiquidem nardo piſtica, id eſt vera minimeque adulterina, ſed probata & electa. Ex conſequentibus: nam Matthæus, Marcus, & Ioannes ſcribunt continuo ſuper effuſione vnguenti aliquot diſcipulorum indignatos. Matthæus quidem hoc pacto: videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes, ad quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo & dari pauperibus. Marcus autem ſic. Erant autem quidam indigne ferentes intra ſemetipſos, & dicentes, ad quid perditio iſta vnguenti facta eſt? poterat enim vnguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Ioannis vero hoc modo. Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus. Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis & datum eſt pauperibus? Et apud omnes, Matthæum, Marcum & Ioannem, mulier eo facto irreprehenſibilis aduerſus calumniatores Dominum habuit defenſorem. Quibus fit vt ea quam hic Matthæus & Marcus nomine communi mulierem ſolum vocant, & Ioannes proprio Mariam, vna eademque ſit. Verum hanc Mariam Marthæ ſororem fuiſſe, idem Ioannes aperuit pauloante in ſuſcitatione Lazari dicens. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius, ſcilicet Mariæ, nam eius, id eſt, αὐτῆς fœmininum eſt. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur.*

Episc. Nos quod vna & eadẽ mulier fuerit de qua his omnibus in locis agitur, non diffitemur: Verum vbi aſſerit conuiuium illud in quo mulier hæc vnxiſſe

Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum, & ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo. Et ſubdit. Reſpondens autẽ angelus dixit mulieribus, nolite vos timere. Scio enim quod Ieſum qui crucifixus eſt quæritis: non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit; venite & videte locũ, vbi poſitus erat Dominus: & cito eũtes, dicite diſcipulis eius: quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæã, ibi eũ videbitis, Ecce, prædixi vobis. Et exierunt cito de monumento cũ timore & gaudio magnó currẽtes nunciare diſcipulis eius. Ecce Maria Magdalena quæ vidit ſepulchrũ, Domino iam ſuſcitato, admonita ab angelo, & quæ credens Dominũ ſurrexiſſe, territa licet, gaudẽs tamẽ currit, vt nunciet diſcipulis. Et de eadẽ ſcribit Marcus. Et cũ tranſiſſet ſabbatũ, Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum: & valde mane vna ſabbatorũ veniunt ad monumentũ orto iam ſole. & dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidẽ ab oſtio monumẽti? Et reſpicientes, viderunt reuolutũ lapidem: erat quippe magnus valde, & introeũtes in monumentũ, viderũt iuuenẽ ſedentẽ in dextris coopertũ ſtola candida, & obſtupuerũt; qui dixit illis, nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenũ crucifixũ, ſurrexit, non eſt hic: ecce locus vbi poſuerunt eum: ſed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eũ videbitis, ſicut dixit vobis. At illæ eũtes fugerunt de monumẽto: inuaſerat enim eas tremor & pauor, & nemini quicquã dixerũt. Ecce ſimiliter Maria Magdalena, de qua ſupra factus eſt ſermo. Et quod adiecit Marcus, inuaſerat enim eas tremor & pauor, & nemini quicquam dixerunt, intellige nihil reſponderunt angelo, nec tunc inter ſe quicquã locutæ ſunt, non autẽ poſtea ſedato timore: nam dixerunt diſcipulis, vt Matthæus teſtatur, & ſubinde Lucas, dicens, Vna autem ſabbati valde diluculo venerunt ad monumentũ portantes, quæ parauerant, aromata, & inuenerunt lapidem reuolutũ à monumento, & ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. Et factũ eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti: cũ timerent autẽ & declinarent vultũ in terram, dixerunt ad illas Quid quæritis viuentem cum mortuis: nõ eſt hic, ſed ſurrexit; & ſubdit. Et egreſſæ à monumento nũciauerunt hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus Erat autẽ Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebãt ad apoſtolos hæc, nec ſolũ nunciauerunt apoſtolis: ſed & ex Matthæo Domini occurrentis eis in via ſacros amplexatæ ſunt pedes, ſic de eiſdem inquiente: & exierunt cito de monumento cũ timore, & gaudio magno currentes nunciare diſcipulis eius: & ecce Ieſus occurrit illis dicens, Auete. Illæ vero acceſſerũt, & tenuerunt pedes eius: & adorauerũt eum. tunc ait illis Ieſus. Nolite timere, ite nunciate fratrib. meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbũt. Neq; quicquam obturbet quod Lucas ponit duos angelos, Matthæus autem, & Marcus vnius mentionẽ faciunt, cum vnus multitudinem non excludat. Nam & vnus erat qui eas allocutus eſt, & qui incomitatus ad tantũ ſacramentum nunciandum minime venerat. verũ Matthæus, & Marcus de loquente ſolum meminerunt: Lucas autem, & Ioannes, de loquẽte pariter atq; comitante. Et cũ ait Lucas, dixerunt, & Ioannes, dicũt, nolunt vtrunq; ſimul locutum eſſe: & alterutrum alterius interturbaſſe ſermonem, aut alterũ poſtea eũdem reſumpſiſſe: ſed deſignant ipſos ad id myſterij diuina legatione miſſos. nã, cum principis cuiuſpiã legatorum vnus nõ quidẽ incomitatus: ſed ſolus locutus ſit, dicere ſolẽt: dixerũt legati principis: pari modo & cum aſcendente Domino in cœlũ ſcribitur: Cumq; intuerentur in cœlum euntẽ illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis qui & dixerũt. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlũ: hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum: vnus vicem duorum loquendo impleuiſſe intelligatur.

Ecce hic ex Matthæo & Marco docet tris fœminas, è quibus vna Magdalena fuerat nuncupata, ſimul inuiſiſſe ſepulchrũ & admonitas ab angelo, iuxta Matthæũ quidẽ cũ timore, & gaudio: & iuxta Marcum cum pauore, apud Lucam verò cum animi cõſternatione receſſiſſe, eaſdem poſthac in via pedes Chriſti occurrentis fuiſſe amplexatas: atq; tandem apoſtolis nõ credentibus eius reſurrectionem, quãquam incaſſum, annunciaſſe poſt multa demum concludit. EPISC.

Hæc igitur, quæ ſupra allata ſunt de ea, quæ comitata inuiſit ſepulchrum, de vna eademque Magdalena dicuntur. FAB.

Vt intelligas quorſum eius argumentatio tẽdit: Tris opinatur Magdalenas, vnã peccatricem, alteram è Galilæa, de qua Ieſus dæmonia ſeptem eiecit, & tertiã quam dicit Marthæ ſororẽ. De hac tertia proxime locutus eſt docens ex euangeliis veniſſe ad ſepulchrũ comitatã, & illã, quæ ex Galilæa fuit ſolã acceſſiſſe molitus eſt ante mõſtrare: ex quo & confici poſſe omnino confidit, hanc prorſus aliam fuiſſe à priori. Hoc nimirum iuxta priorem oportuit huius loci collectionem fuiſſe, alioqui ad quid tot coaceruauit teſtimonia, non ſolum ex Marco, de quo ſuam argumentationem proſequitur, verum etiam ex Matthæo, & Luca? At illius forte pollicitationis oblitus, nunc eandem iterato ſubdit. EPISC.

Sed age & aliam eſſe Mariam Magdalenam ab illa à qua ſeptem eiecta ſunt dæmonia, euangelij teſtimonio, cui ſenſum hominis quiſquis is ſit, præferre nefas & impium, nunc monſtremus. FAB.

Et quaſi prætermiſſa incœpta argumentatione ad nouam diuertit. EPISC.

Nam Marcus, vbi de pauloante dicta Maria Magdalena mentionẽ fecit, à ſtatim de altera Maria Magdalena ſubnectit ſermonẽ. cui ad diſtinctionẽ prioris adiicere videtur, de qua Dominus ſeptem eiecerat dæmonia. Quaſi dicat, non & illa Maria Magdalena priore: ſed & ea Maria Magdalena, à qua Dominus ſeptẽ eiecerat dæmonia. FAB.

Quæ res vt dilucidius appareat. ipſius Marci verba ſubiungit. EPISC.

Eius verba ſunt hæc: Surgens autem Ieſus mane prima ſabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ de qua eiecerat ſeptem dæmonia. illa vadens nunciauit his qui cum eo fuerant lugentibus, & flentibus, & illi audientes quia viueret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt. FAB.

Conatur itaq; ex eo diuerſam oſtendere Magdalenam, quod quũ Marcus paulo ſuperius bis Magdalenam nominauit, nunc tertio repetit: ſed cum nota diſcriminis, nempe hac, quod de ea Ieſus ſeptem eiecerat dæmonia, id quod neutiquã feciſſe credẽdus eſt Marcus, niſi hãc ab illa prorſus aliam EPISC.

ſus aliam & diuerſam eſſe putaſſet. Ego vero vt coniecturæ huic reſpondeam, explicandum cenſeo cur fuit neceſſe euangeliſtæ Marco de Magdalena tertio mentionem facienti hæc verba adiicere. Conſtat Marcum maxima ex parte Matthæum ſequi, atque in iis, in quibus cum eo conuenit abbreuiatorem illius eſſe: verum in aliquibus nonnihil adieciſſe quod Matthæus prius omiſerat. Quod cum ex aliis locis tum ex hoc ipſo de quo agimus liquet apertiſſime: nam cap. 27. Matthæus poſtquam ſcripſit, vere filius Dei erat iſte, protinus adiecit: Erant autem ibi mulieres multæ à longe ſpectantes, quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilęa miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalenę & Maria Iacobi & Ioſe mater, & mater filiorum Zebedęi. Et Marcus item cap. 15. poſteaquam dixit: vere homo hic filius erat Dei, illico ſubdit: Erant autem & mulieres procul ſpectantes, inter quas erat Maria Magdalenę, & Maria Iacobi parui, & Ioſe mater, & Salome: quæ etiam, quum eſſet in Galilæa, ſecutæ fuerant illum. Et rurſum dicto capite Matthæus mox poſt aduolutionem ſaxi magni ad oſtium monumenti: Erat, inquit, ibi Maria Magdalenę, & altera Maria ſedentes cōtra ſepulchrum. Et Marcus item poſtquam ſcripſit aduolutum lapidem ad oſtium monumenti adiecit: Et Maria Magdalena, & Maria Ioſe ſpectabant vbi poneretur. Ecce, quomodo Marcus Matthæo ſe bis conformat hoc vno capite. Deinde nomen Magdalenę tertio repetens Matthęus, ait proximo capite: Veſpere autē ſabbatorum quod luceſcit in vnam ſabbatorum, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria vt viderent ſepulchrum. Marcus vero ita: & quum præteriiſſet ſabbatum Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata vt venirent & vngerent Ieſum. Quo quidē loco quanquā eadem quæ Matthæus ante tradidit iam receſeat Marcus: alia tamen ſuperaddidit, vtpote aromatum emptionem & vngendi ſtudium, quæ Matthæus omnino prætermiſit. Volens itaque Matthæum ſequi, debuit quemadmodū & ille, iam tertio Magdalenam nominare: verum animaduertens Matthęū nihil per totum ipſius euangelium de ſeptem dæmoniis ab illa eiectis neque de apparitione Chriſt. primum ei facta ne verbum quidem ſcripſiſſe, aut quemadmodum illa apoſtolis non credentibus idipſum nunciauit, voluit hæc eadē ſuo more breuiter inſinuare. paucis igitur adiecit: Quum ſurrexiſſet autē Ieſus primo die ſabbati, apparuit Mariæ Magdalenæ de qua eiecerat ſeptem dæmonia: non quidem, vt diſcriminaret eam à Magdalena ſuperius nominata, quod pro ſua opinione Iacobus Faber contorquet: ſed quod rem nouam, & à Matthæo prætermiſſam Marcus hiſtoriæ ſuæ contexens eam dicere ſtuduit breuiter ſimul & dilucide. Ob quod & nomen Magdalenę non ſolum tertio, ſed & quarto repetiit. Cæterum iam videamus quem in modum confirmat hoc de Magdalena Galilææ accipiendum, & non de peccatrice. atque id de Ioannis teſtimonio.

FAB. *Et de hac ipſa, Ioannes dicit: Vna autem ſabbati Maria Magdalena venit mane quum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento. Subditque, Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans: dum ergo fleret, inclinauit ſe & proſpexit in monumentum & vidit duos angelos ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu dicunt ei illi: Mulier quid ploras? dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum & vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: mulier quid ploras? quem quæris? illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Ieſus, Maria. conuerſa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magiſter. Dicit ei Ieſus: noli me tangere.*

EPISC. Citatis his duobus teſtimoniis à Ioanne, ſic rem ſuam aggreditur.

FAB. *Ecce, Maria Magdalena ſola erat, altera Maria Magdalena multis comitata.*

EPISC. Ex hoc nimirū colligere volens, quod hæc ab illa diuerſa fuerit: quaſi non potuerit eadem fœmina prius comitata eſſe, deinde ſola, & aut antea ſola, & poſtea comitata. Id genus argumentationis ſi admitteretur, facillime conuincerem, duos item Petros fuiſſe. Erat enim Petrus quando primum ad monumentum acceſſit, aſſociatus Ioanni, verum poſtea quum illi Chriſtus apparuit, ſolus fuit. Quid igitur? num ob id non fuit idem Petrus? fuit hauddubie prorſus idem. Sic pari modo tametſi Magdalena primum comitata acceſſit, ac poſtea ſola remanſit: non propterea oportet vt à ſeipſa diuerſa ſit. Nemo ſophiſtarum, quos vocant, adeo rudis eſt vt conſecutionem iſtam non protinus agnoſcat, quam ſit inualida. Sed pergit Faber oſtendere eam fuiſſe ſolam.

FAB. *Nam ſi hæc ſola non fuiſſet, & aliis quoque Dominus apparuiſſet. aut certe apparitio ea illas minime latuiſſet. at primo huic Dominum apparuiſſe ſacra narrat hiſtoria.*

EPISC. Quibus verbis putat ſe oſtendiſſe eam fuiſſe ſolam. Et recte profecto ex his collegit eam aliquando fuiſſe ſolam, verum quod nuſquam toto illo mane cæteris fuerit Mariis comitata, id oſtendat oportet, alioqui nihil fit. Fuit quidem ſola quando Ieſum prima vidit, neq; id quiſpiam negat: verum potuit nihilominus & prius & poſtea cæteris conſociari. Quod & nos hauddubie factum credimus. Quamobrem niſi illud apertiſſimo euangelij conuicerit teſtimonio, fruſtra moliri eum non dubitamus. Nam & Cyrillus auctor grauis idipſum teſtatur de eadem loquens cui Ieſus primum apparuiſſe traditur. non, inquit, diſcrepat Ioannes ab aliis quod ſolius Magdalenæ mentionem fecerit: quum illi alias cum iſta fuiſſe aſſeuerant. Ecce, quomodo Cyrillus affirmat cæteros euāgeliſtas tradidiſſe eam aliis fuiſſe mulieribus comitatam. Sed nos reliquas illius aſſumptiones proſequamur.

FAB. *Altera cum ſuis territa fugit: hæc minime.*

EPISC. Et hæc ſimilis priori eſt. Nam vna & eadem prorſus fœmina, eadem inquam Magdalena

primum

primum fugit cum aliis territa. Nam vbi lapidem ſublatum vidit à monumento, cucurriſſe eam Ioannes affirmat & veniſſe ad Simonem Petrum. Quibus quęſo verbis fugã explicaſſe apertius potuit, quam quum dixerit eam cucurriſſe? Sed opponit Faber de ſola hac Ioannem loqui, non de cæteris. Quid igitur? Num propterea nullas habuiſſe comites putanda eſt? Non conſequitur. Nam & hoc creberrimum eſt apud Euangeliſtas, de vno rem geſtam narrare, perinde ac ſi ſolus eſſet, quũ tamen plures affuerint: vt exempli cauſa de angelis, quos apud ſepulchrum plures fuiſſe Ioannes & Lucas aperte docent, Matthæus tamẽ, & Marcus vnius duntaxat mentionem faciunt, de quo & ſuas contexunt hiſtorias tanquam ſi ſolus eſſet. Nihil igitur etiam hac aſſumptione aſſecutus eſt Faber. Quamobrem ad tertiam veniamus.

FAB. *Huic Dominus apparuit in horto iuxta ſepulchrum, alteri & comitibus eius in via dum irent ad diſcipulos.*

EPISC. Nos eandem penitus affirmamus, cui Dominus primum ſe prodidit: dum ſola ſtaret in horto iuxta ſepulchrum, & quæ poſtea comitatui cæterarum ſe adiunxit, vbi in via dum irent ad diſcipulos, ſimul omnibus manifeſtauit ſe Ieſus. nam quum Ioannis Euangelium teſtetur hanc, de qua Ieſus ſeptem eiecerat dæmonia, primum non inuento corpore Ieſu cucurriſſe ad Petrum, ad quẽ etiam per angelos miſſæ fuerant & mulieres cæteræ, credibile eſt eas ſimul omnes ad ſepulchrũ rediiſſe, & quum nihil certi à Petro poſtquam ille ad ſepulchrum fuerat, diſcere potuerint, cæteras præter Magdalenam alio diuertiſſe. Huic igitur ſoli ad ſepulchrum ſtanti eum apparuiſſet Ieſus, iuſſiſſetque, vt fratribus hæc nunciaret, quid mirum, ſi mulieres cæteras, quippe quæ triſti & lento paſſu præcedebant, hæc læta & alacris in itinere fuerit aſſecuta? id quod mihi perſuaſiſſimum eſt & erit, donec alius quiſpiam ex Euangeliis contrarium faciat eluceſcere. Sed interea quartam Fabri aſſumptionem recenſeamus.

FAB. *Illa comiteſque eius quum erant apud ſepulchrum nimio metu aſtrictæ, nemini quicquam dixerunt, hæc & Angelos & Dominum vitæ alloquitur.*

EPISC. Et hic rurſum aſſerimus eandem fuiſſe quæ primum quidem vna cum cæteris pauida è monumento regreditur, nemini quicquam locuta, in ipſo ſaltem egreſſu, & quæ poſt id à cæteris apud monumentum relicta, Domini & Angelorum colloquiis vel ſola fruebatur. Quod etiam prioribus teſtimoniis ex Ioannis Euangelio introductis, ſatis conſtare nõ ambigimus, & maxime quum Ioannes teſtetur eam bis ad monumentum fuiſſe, ſemel quũ adhuc tenebræ eſſent, longe ante Petri acceſſum, quando & vna cæteras affuiſſe mulieres nõ dubitamus. Nam idem tempus fuiſſe Cyrillus affirmat, de quo Ioannes ſcripſit, quum adhuc tenebræ eſſent, & de quo Matthæus quum dixit: veſpere ſabbati, quod luceſcit in prima ſabbati. Quod ſi tempus fuerit idem, quomodo non erant omnes illæ ad monumentũ ſimul? Sed rurſum teſtatur Ioannes eam affuiſſe poſt Petri diſceſſum: quando & Angelos, & Dominum vitę allocuta fuit. Nihil ergo pugnat eam prius abiiſſe pauidam, & cum ſilentio, ac poſtea in reditu Dominum fuiſſe allocutam. Sequitur iam quinta Fabri aſſumptio.

Altera & comites, vt ex Mattheo viſum eſt, tangunt tenentque ſacros Domini pedes, hæc ex Ioanne Dominum tangere prohibetur, & quid etiam tangere, niſi certe ſacros eius pedes? FAB.

Neque iſtud ſatis validum eſt, vt conuincat diuerſas fuiſſe Magdalenas. Nam quid vetat quo minus eadem fuerit quæ prius dum ſola eſſet ad contingendos ſacros Ieſu pedes non admittebatur, & quæ poſtea quum aliarum habuerit conſortium, vna cum illis permiſſa ſit contingere? Occurrunt paſſim in Euangeliis eiuſmodi multa. Nam & matri de vini miraculo ſuggerẽti non aſſenſit primum, cuius tamen poſtea votum adimpleuit: & alibi pleriſque adhortantibus quatenus ad diem feſtum aſcenderet: negauit primum id ſe facturum, & tamen poſtea nihilominus aſcendit. Sic nimirum & hoc loco, tametſi Mariam hanc primum cum ſola eſſet, à contingendis pedibus auerſabatur: poſtea tamen eandem cæteris comitatam potuit non repuliſſe. Sed iam tandem collectionem eius audiamus. EPISC.

Certum eſt igitur aliam eſſe Mariã Magdalenam, quæ comitata venit, cui Dominus ad ſepulchrum non apparuit: quæ nihil auſa eſt loqui, quæ territa fugit, quæ primum in via Dominum vidit, & pedes eius tenuit, quæ cum ſociis nunciauit diſcipulis, ab ea Maria Magdalena quæ ſola ad ſepulchrum venit, cui primo Dominus iuxta ſepulchrum apparuit, quæ audenter inibi locuta eſt, quæ neque territa fugit neque Dominum vitæ in via, ſed in horto vidit, & nequaquam eius pedes tenuit. FAB.

Non poſſum ſatis mirari nouam hanc Fabri dialecticam, quæ tot in collectione ſubinferre conatur: quorum in antecedente nulla facta eſt mentio. Vbi quæſo hactenus vel probatum vel aſſumptum fuit, quod vlla ex Magdalenis eius ſola ad ſepulchrum venit? Aliud quidem eſt Magdalenam aliquando ſolam ſepulchro aſtitiſſe, quod concedimus; & aliud ſolam adueniſſe, quod non credimus vſquam ex Euangeliis comprobari poſſe. Et illud rurſum, vbi quæſo ſtabilitum fuit: neque Dominum vitæ in via, ſed in horto vidit? Nos vtrumque, & in horto prius ac deinde in via Dominum vitæ illam & vidiſſe & adoraſſe, non dubitamus. Sed neque illud in antecedente aſſumptum fuerat, quod altera nequaquam Domini pedes tenuerit: ſed quod prohibita fuerit tangere, quæ longe diuerſiſſima ſunt. Nam prohiberi ante potuit ne tangeret, & tamen poſtea contingere, vti ſuperius diximus. Cæterum dictam argumentationem confirmare volens, ait. EPISC.

Et ne ſolus ſententiæ huius aſſertor videar eſſe, accedat idem ſentiens ſacer Ambroſius, ſic in Lucam de reſurrectione Domini ſcribens: Neſcit vna Maria Magdalena ſecundum Ioannem: ſcit altera Maria Magdalena ſecundum Mattheum. Nam eadem ante ſcire, & poſtea neſcire non potuit. Ergo ſi plures Mariæ, plures fortaſſe Magdalenæ, cum illud perſonæ nomen ſit, hoc locorum. Denique alteram eſſe cognoſce, illa admittitur pedes Domini tenere, & tan- FAB.

re, & tangere Dominum: iſta prohibetur, illa Angelum videre meruit, hæc primo tum venit, neminem vidit, illa diſcipulis Dominum reſurrexiſſe nunciauit, iſta raptum eſſe ſignificat, illa gaudet, hæc plorat, illi in gloria ſua iam Chriſtus occurrit, hæc adhuc mortuum quærit, illa Dominum vidit, & agnouit: hæc non potuit agnoſcere cum videret, illa fideli adorabat ſpiritu: hæc dubio mœſtificabatur affectu. Hactenus ſacer Ambroſius.

EPISC. Ego certe Ambroſij auctoritatem vbique veneror, vbi à Catholicæ Eccleſiæ communi ſententia non abhorret: verum Auguſtino potius in hac re fidendum opinor, quem conſtat illum aliquandiu audiiſſe, atque nonnulla, vt fit à non ſegnibus auditoribus, ſua diligentia in illo emendaſſe: & maxime, quum tantam poſt illum Euangeliſtis mutuo conciliandis operam impendiſſet. Et quamquam Ambroſius hoc loco duas fuiſſe Magdalenas opinatur, alibi tamen in aliis operibus aliud aſſeuerat. Ait enim ſermone de Maria Magdalenæ: Videne forte ad obiurgationem Mariæ vox iſta pertineat, cui paulo ante, inter ſepulchra Dominum quærenti dicitur: Quid quæris viuentem cum mortuis? Nunc additur: Noli me tangere. hæc Ambroſius. At nuſquam alibi id legitur, quod ei dictum fuit, Quid quæris viuentem cum mortuis, præterquam apud Lucam de illis mulieribus quæ ſimul ad ſepulchrum acceſſerunt, quarum vna etiam Fabro conſentiente, fuit Magdalena Marthæ ſoror. Quamobrem & Ambroſij ſententia, non diuerſa, ſed eadem fuit: quæ erat primum apud Lucam comitata, ac poſtea ſola apud Ioannem. Alibi etiam confitetur eandem fuiſſe peccatricem, & eam quæ fuerat Marthæ ſoror, in qua re longiſſime à Fabri opinione diſſentit. verum quicquid Ambroſius hoc loco dixerit, quando non iuſtas attulit probationes eorum, quæ aſſumpſit: liberum eſt cuique an velit ea recipere, & maxime cum Eccleſia Romana contrarium opinatur. Sequitur in Fabro.

FAB. *Videt igitur, tam ex ſententia aliorum, quam ex ipſo Euangelio ſumptum diuerſitatis inter hanc & illam irrefragabile teſtimonium: alioqui, ſi tantum vnam eſſe ſentias, vt & Iulianus apoſtata, Porphyrius, & alia aduerſantium Euangelio inſana turba voluiſſent, difficile effugias Euangeliorum diaphoniam quæ profecto nulla eſſe poteſt.*

EPISC. Ego profecto quantum ad Euangelium ſpectat, niſi lucernam efficaciorem adhibeat Faber, videre nequeo ex ipſo Euangelio depromptum ſufficiens diſcriminis inter eas teſtimonium. Et quod ait alioqui difficile eſſe, vt quis effugiat Euangeliorum diaphoniam, mihi id non perſuadet, quum plane non ambigam id diuum Auguſtinum docuiſſe, libro de conſenſu Euangeliſtarum ſecundo, vt nihil omnino formidemus, quicquid, aut Iulianus apoſtata, aut Porphyrius, aut reliqua aduerſantium Euangelio inſana turba oppoſuerit. At iam confirmationis dictæ poſtremam collectionem audiamus.

FAB. *Quare ſi duæ ſint, vt re vera ſunt, æquum fuerit vnam Mariam Magdalenam ſororem eſſe Marthæ, & alteram Mariam Magdalenam eam à qua Dominus ſeptem eiecit dæmonia.*

EPISC. Hoc ſane loco ſi quiſpiam lector oculatior fuerit, perſpiciet Fabrum aut pugnare cum iis quæ ſupra dixerat, aut nihil in Euangeliis reliquum peccatrici Magdalenæ relinquere, quantum ad Chriſti ſpectat reſurrectionem. Quæ res vt manifeſtior fiat, repetemus quæ per ordinem pro ſingulis Magdalenis ſuis attulit teſtimonia. Primum pro ea quam putat Marthæ ſororem, citat ea quæ de conuiuio apud Bethaniam habito Matthæus, Marcus, & Ioannes tradiderunt. Et demum id quod Iohannes peculiariter de Lazari ſcripſit ægrotatione, & tot pro ſorore Marthæ, deinde pro altera, de qua dæmonia ſeptem exierant: introducit Marcum de Chriſti apparitione primum ei facta, & Lucam qui inter Galilæas eandem numerat, ac Ioannem, qui & meminit apparitionis illi primum factæ, & Marcum denuo, qui eandem nunciare Apoſtolis facit, quæ & viderat & audierat à Chriſto. Et hactenus pro ea quæ dæmoniis olim plena fuerat. Poſtea vero, quũ hæc introduxerat teſtimonia, incepit rurſum & alia citare ex Matthæo & Marco & Luca, quem in modum vna cum aliis mulieribus Magdalena venit viſura ſepulchrũ, & de vnguentis quæ iuxta Marcum & Lucam, mulieres illæ parauerant, ac de pauore qui inuaſerat eas, poſtremo de amplexatis Domini pedibus, iuxta Matthæum ſolum; quæ teſtimonia ſi pro tertia Magdalena, hoc eſt, peccatrice introduxerit, quemadmodum iuſtus ordo poſtulat, manifeſte pugnant cum his quæ iam dicit. Nam qui fieri poteſt, vt eadem teſtimonia pro peccatrice & pro ſorore Lazari, ſi tamen duæ fuerint, accipiantur? Quod ſi non de peccatrice, ſed de ſorore Lazari intelligi velit: nullam profecto, quantum ad Chriſti reſurrectionem pertinet, peccatrici Magdalenæ partem ex Euangeliis reliquit. Nam pro duabus expendit omnia, vt perſcrutanti liquebit. Et non eſt veriſimile quod quæ iampridem in abluendis & abſtergendis Domini pedibus tam officioſa fuerit declarata, ſi tamen ab aliis diuerſa fuiſſet, quin alicuius obſequij ab ea deinceps Chriſto impenſi, & iam præſertim reſurgenti, Euangeliſtæ meminiſſent. Neque enim iſtam ab impendendo obſequio peccata quæ ante dimiſſa fuerant, arcere potuerunt, magis quam dæmonia illam, quam & Faber alteram opinatur atque diuerſam. Sed legamus quæ proxime ſequuntur.

FAB. *Cæterum Mariam Marthæ ſororem non fuiſſe mulierẽ illam in ciuitate peccatricem, quæ ad pedes Ieſu fuorum veniam peccatorum obtinuit, maiores noſtri, mea quidem ſententia, rectiſſime ſenſere: neque ego ſolus nobilem illam natalibuſque illuſtrem Marthæ ſororem ab hac iniuria vindico, quod ſordida fuerit in ciuitate peccatrix: ſed à primitiua Eccleſia ſic creditum puto: nam & hanc venerandam, ſanctam & inculpatã fuiſſe, talemque ſemper habitam, & nequaquam publicam in ciuitate peccatricẽ, ſcribit Origenes Homilia prima ſuper Canticum canticorum, ſic dicens: In Euangelio quoque mulier accipiens*

accipiens alabaſtrum vnguenti nardi piſtica precioſi, caput Ieſu pedeſque perfudit: obſerua, inquit, quæ de duabus ſuper caput effuderit ſaluatoris, ſiquidem peccatrix ſuper pedes: & ea quæ dicitur non fuiſſe peccatrix, ſuper caput eius fudiſſe monſtratur. Item ſecunda homilia, haud ita procul ab initio idem ſic ſcribit: Nardus mea dedit odorem ſuum, loquitur Euangelium: quia venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi piſtica precioſi: non illa peccatrix: ſed ſancta, de qua nunc mihi ſermo. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthæum vero, & Ioannem, & Marcum, non de peccatrice dixiſſe. Venit ergo non peccatrix illa: ſed ſancta, cuius nomen quoque Ioannes inſeruit, Maria quippe erat, habens alabaſtrum vnguenti piſtica precioſi: & effudit ſuper caput Ieſu. Hactenus Origenes. Certum iam eſt, eam quæ ex Matthæo & Marco, effudit vnguentum ſuper caput Ieſu, & ex Ioanne etiam ſuper pedes eius in domo Simonis leproſi, fuiſſe Mariam Magdalenam ſororem Marthæ. Ergo Maria Marthæ ſoror non erat illa in ciuitate peccatrix.

EPISC. Quod primum ait, maiores noſtros ſua quidem ſententia rectiſſime ſenſiſſe Mariam Marthæ ſororem non fuiſſe mulierem illam in ciuitate peccatricem: Ego ſane maiores noſtros eos maxime duco, qui id docuerunt quod catholica admiſit Eccleſia. Cæteros vero quantumuis eruditos, quantalibetve linguarum varietate præditos, ſi tamen aliter ſenſerit quam catholica ſentit Eccleſia, non nobis in hoc, aut patres, aut maiores habendos arbitror. Et quamquam nobis qui de latina Eccleſia ſumus, quatuor Eccleſiæ, quos vocant doctores, poſt ipſos Chriſti Apoſtolos tanquam maiores & patres merito colendi ſunt: græcos nihilominus in cunctis quæ recte dixerint libẽter amplectimur, & veneramur, tum ob eorum antiquitatem & vicinitatem ad Apoſtolorum tempora: tum ob eximiã eruditionem & eloquentiam ſingularem, tum etiam ob linguę neceſſitatem, ob quam in pluribus ad eos recurrere neceſſe eſt, verum ita, vt liberum fuerit ab eis diſſentire, vbi ipſi ab Eccleſiæ communi ſententia diſſenſerit. Neque enim cuiquam ambiguum eſſe poteſt eos aberraſſe quum in aliis multis, tum de purgatoriis ignibus, de pane fermentato, & de Spiritus ſancti proceſſione: quos errores conſtat à latinis auctoribus fuiſſe deprehenſos, partim ſua diligentia, partim ſacri Spiritus illuſtratione. Quod ſi græcos ipſos Deus optimus maximus vſqueadeo in Euangeliis hallucinari permiſerit, & ab eorum veritate vſqueadeo diſcedere, vt ſanum intellectum qui in illis à vere maioribus noſtris, hoc eſt, Apoſtolis & Euangeliſtis traditus fuerat, impugnarent: latinos contra auctores illuſtrauerit, vt verum Euangeliorum ſenſum aſſequuti, græcorum errores aperte conuincerent: quid eſt quod iſtis potius quam noſtris fidem adhibere compellamur, aut illis velut maioribus gloriemur, noſtros vero tanquã minores deſpiciamus? Hæc idcirco dixerim, vt ſi Faber ſexcentos auctores gręcos produxerit, qui nitentur aliud pręcipere quam quod communis Eccleſiæ conſenſio receperit, non illorum nudas aſſertiones, quibus doctoribus latinis aduerſantur, approbare cogamur: niſi prius irrefragabili ſcripturæ ſacræ teſtimonio id roborauerint. Quod quantum ad eam rem, de qua nunc agitur, ſpectat, ni fallor, neque ab illis, neque à Fabro factum eſt hactenus. Verum ne de auctoribus tantopere glorietur, quaſi plures habeat pro opinione ſua: ſi fides adaugeri poſſet ſuffragiorum numero, ſpero me longe plures adducturum, quos neque contemnendos arbitror, neque hæſitanter ſententiam ſuã aſſerturos, & aliquot ex eis qui maximam cõciliandis Euangeliſtis diligentiam adhibuerunt, quibus propterea confidendum eſt magis quam Origeni, aut Chryſoſtomo, quorum alter plerumquę neglecta litera magis allegoriam ſpectat, quàm hiſtoriæ veritatem, alter vero ad populum homilias ſuas declamitans, pro auditoribus ſuis Euangelia coaptauit. Et fieri quidem poteſt, vt quiſpiam prima facie Euangelicam hiſtoriam contemplans mox perſuadeat ſibi diaphoniam illic eſſe, quæ tamen altius & diligentius introſpicienti nulla apparebit. Quod nimirum & illis contigiſſe reor: id quod vel ex eo coniici poteſt, quod de Magdalenis ſuis verba facientes, neque Fabro qui eos introducit, neq; ſecũ, neque ſibinuicę conueniunt: ſed nunc vnicam, nunc vero plures fuiſſe affirmant pro rerum quas tractãt, & auditorum ad quos loquũtur, varietate. Quod & ſpero me protinus oſtenſurum. Magnam ſane rem aggredior, & quæ multis haud credibilis videatur: reor tamen idipſum me poſſe tam aperte monſtare, vt nemo niſi plane proteruiens, eat inficias. Et primum cum Chryſoſtomo rem aggrediar, quem Faber ita recenſet.

Cui etiam ſententiæ Chryſoſtomus acclamat, ſororem Marthæ ſanctam fuiſſe aſſerens, ſuper id Ioannis: Erat quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento. hoc in loco, inquit, nonnulli dubitarunt cur Chriſtus id tolerasſet? Ad quod id primum intelligendum: non fuiſſe hanc peccatricem illam de qua apud Lucam ſcribitur, ſed aliam: illa meretrix & infamis erat: hæc honeſta & ſtudioſa, quippe quæ Chriſtum hoſpitio accipere curabat, eumque cum ſorore diligebat. FAB.

Si mihi permitteretur auctores hunc in modum citare, nihil eſſet tam erroneum quod non verum eſſe, & multis quidem teſtibus comprobarem. Reſecuit namque Faber ex priore lectione id quod ſibi aduerſatur, vt totus ſcilicet opinioni ſuæ videatur applaudere Chryſoſtomus: quum tamen pugnet in pluribus: id quod ſpero fiet manifeſtum. Sic enim lectio Chryſoſtomi habet. Ad quod id primum intelligendum eſt, non fuiſſe hanc meretricem illam de qua apud Matthęum & Lucam ſcribitur. Ecce quomodo Chryſoſtomus affirmat de meretrice apud Matthæum & Lucam eſſe ſcriptum: in qua primum diſſidet à Fabro, qui ne verbum quidem peccatrici Magdalenæ apud Matthæum relinquit. Sed dicet Faber errorem hunc fuiſſe ſcriptoris, & non Chryſoſtomo imputandum, nempe quod apud Matthæum adiicitur. Ego vero ſcriptorem ab EPISC.

errore tuebor ex alia eiuſdem Chryſoſtomi homilia vbi ſuper Matthæum de conuiuio tractat, in Bethania facto: hæc, inquit, mulier vna & eadem apud omnes Euangeliſtas eſſe videtur: meo autem iudicio eadem apud tres: alia vero quædam, & admirabilis Lazari ſoror apud Ioannem. Non autem abſque cauſa lepræ Simonis mentionem facit Euangeliſta, ſed vt aperiat quare confidens acceſſit mulier. Nam quum immunda quædam res, & abominabilis ægritudo lepra eſſe videatur, vidit autem Simonē curatum à lepra, non enim aliter hoſpitatus apud leproſum fuiſſet: vehementer ſperauit animæ ſuæ ſordes facile poſſe ab eo detergi. & paulo inferius ſubnectit idem Chryſoſtomus: Quum igitur, inquit, vt diximus, apud Simonem, mulier ipſum vidiſſet, fiducia inde capta, ingreſſa eſt: nam ſi illa quæ ſanguinis fluxum patiebatur, quamuis talis flagitij conſcia non eſſet: tamen quoniam naturæ quodam defectu immunda videbatur, timens ac tremens acceſſit, multo magis timendum iſti erat, quæ conſcientię pondere premebatur. hęc Chryſoſtomus in dicta homilia, de muliere loquens quæ ſuper caput Chriſti effudit vnguentum: vbi dilucide confitetur apud Ioannem de ſorore Lazari ſermonem fuiſſe habitum: de peccatrice vero apud alios tris, Matthæum inquam, & Marcum, atque Lucam. In qua ſententia longiſſime à Fabro diſcrepat: qui, vt diximus, nullum apud Matthæum aut apud Marcum peccatrici Magdalenæ relinquit locum. Adde quod Chryſoſtomus hoc affirmans, nempe quod ea mulier quę apud Bethaniam in domo Simonis leproſi vnguentum fudit, eadem apud tres Euangeliſtas ſuo iudicio fuerit; non ſolum aduerſatur Fabro: ſed etiam id dicens tueri nequit quo minus vna & eadem fuerit apud omnes. Nam & perſpicuū eſt eam de qua Matthęus & Marcus ſup conuiuiū apud Bethaniam facto loquuntur, eandem omnino fuiſſe cum ea quam Ioannes in ſimili conuiuio introducit. Quo fit, vt ſi hæc eadem ſit quæ apud Lucam peccatrix dicitur, non poteſt non eadem apud omnes eſſe. id quod apertius eſſe arbitror, quam vt vlla longiori probatione fulciatur. Diſcrepat & ab Origene plurimum Chryſoſtomus, cuius ſententia eſt quemadmodum in homilia ſuper cantica per Fabrum citatur, quod quæ ſuper Chriſti caput vnguentum effudit, peccatrix non erat: ſed ea quæ ſuper pedes: obſerua, inquit, quę de duabus ſuper caput effuderit ſaluatoris: ſiquidem peccatrix ſuper pedes: & ea quæ dicitur non fuiſſe peccatrix ſuper caput eius fudiſſe monſtratur. verum de ea quæ ſuper caput effudiſſe ſcribitur, Matthæus & Marcus ſoli meminerunt: Ioannes vero de illa quæ ſuper pedes, nulla capitis omnino facta mētione: quum tamen Chryſoſtomus affirmet, Ioannem de ea quæ peccatrix non fuit, Matthæum autem & Marcum de peccatrice fuiſſe locutos. Vide igitur, an non manifeſte pugnet alter alteri, quum dicat Origenes: Ea quæ dicitur non fuiſſe peccatrix, ſuper caput Ieſu vnguentum fudiſſe monſtratur. Chryſoſtomus autem: ea quæ ſuper caput Ieſu vnguentum effudit, vehementer ſperauit animæ ſuæ ſordes facile poſſe ab eo detergi: & quod conſcientię ſuæ pondere premebatur. Et rurſum Origenes: Scio, inquit, Lucam de peccatrice, Matthæum vero & Ioannem & Marcum non de peccatrice dixiſſe. Chryſoſtomus: Ita meo iudicio eadem eſt apud tris, alia vero quidem & mirabilis Lazari ſoror apud Ioannem. Cæterum, vt præterea monſtremus Chryſoſtomum ab hiſtoriæ veritate diſceſſiſſe, neminem eſſe arbitror, qui mulierem illam quæ in domo Simonis leproſi apud Bethaniam à Matthæo & Marco vnguentum ſuper caput Ieſu ſcribitur effudiſſe, aliam eſſe putet quam Marthæ ſororem, verum iuxta Chryſoſtomum illa non fuit Marthæ ſoror: quod duobus ab eo depromptis teſtimoniis facile monſtratur. Primo quod ſororem Marthæ negat fuiſſe peccatricem, ſed honeſtam & ſtudioſam: hanc autem, de qua Matthæus & Marcus agunt, ſordidam fuiſſe peccatricem: & animæ ſordes habuiſſe aſſeuerat. Nam eam affirmat quum eſſet Ieſus in Bethania in domo Simonis leproſi, confidentia accepta, quod horrendam lepræ ægritudinem in ipſo Simone Dominus curauerit, acceſſiſſe cum vnguento: ſperaſſeque ſordes animæ ſuæ facillime poſſe ab eo detergi. Alterum vero teſtimonium illius eſt, quod quum propoſita dubitatione ſuper hac muliere, num vna & eadem fuerit apud Euangeliſtas, ſuum iudicium interponens eandem aſtruat eſſe quæ apud tris Euangeliſtas, Matthęum, Marcum & Lucam: aliam vero eſſe quæ apud Ioannem, fœminam mirabilem Lazari ſororem. Sunt enim hæc illius verba. Hæc, inquit, mulier vna & eadem apud omnes Euangeliſtas eſſe videtur: meo autem iudicio eadem apud tres: alia vero quædam, & mirabilis Lazari ſoror apud Ioannem. Hæc Chryſoſtomus; vbi dilucide confitetur apud Ioannem de ſorore Lazari ſermonem fuiſſe habitum: de peccatrice vero apud alios tris, Matthæum inquam, & Marcum, atque Lucam: in qua ſententia longiſſime à Fabro diſcrepat: qui, vt ſæpe diximus, nullum apud Matthæum, aut apud Marcum peccatrici Magdalenę relinquit locum. *Chryſoſtomus.* Porro vt Origenis teſtimonium vacillare monſtremus, *Origenes.* quod & erit facillimum, ſi tamen illius ea fuerit homilia quam ſuper Ioannem de Magdalena ſcripſiſſe traditur: illic enim liquet apertiſſime, vnam eandemque fuiſſe fœminam quæ apud Lucam peccatrix dicitur, & cui apud Ioannem Dominus Ieſus primum apparuiſſe traditur, verum quia Faber dictam homiliam contendit Origenis non fuiſſe quamquam nullius auctoritate ſuffultus: ne aliunde petamus opem quam ex iis quæ Faber ex eodem Origene citauit: ipſa priora teſtimonia ſi quis exactius expendat, comperiet non valde ſibi cohærere. Nam in altero obſeruatiunculam tradit qua peccatrix à non peccatrice dinoſcatur. Obſerua, inquit, quæ de duabus ſuper caput effuderit ſaluatoris: ſiquidē peccatrix ſuper pedes, & ea quæ dicitur non fuiſſe peccatrix, ſuper caput effudiſſe monſtratur. In

altero

altero ait, ſcio Lucam de peccatrice: Matthæum vero, & Ioannem & Marcum non de peccatrice dixiſſe, Num iſta ſibi mutuo non compugnant? Nam apud Ioannem, vt ſæpe diximus, nulla capitis meotio habita eſt: ſed de pedibus ſolum, quos ait vnxiſſe mulierem illam, & oihilominus apud Ioannem Origenes negat de peccatrice agi, quaſi de capitis vnctione ille ſcripſiſſet. Quod demum Origenes à Fabro longiſſime diſſidet, vel ex eo liquet: quod ille apud Matthæum & Ioannem diuerſas aſſerat mulieres fuiſſe: is vnicam haud dubie ſtatuit. Præſtitiſſe nos idipſum opinamur quod ante ſuimus polliciti, duos hos auctores quamquam eruditione inſignes, neque ſibi inuicem, neque Fabro admodum in hac re cõſentire: ſed in ferendis teſtimoniis ſuis vacillaſſe plurimum. Quamobrem his dimiſſis ad Hieronymum veniamus, quem & Faber citat pro parte ſua.

Fab. *Conſimilem habet Hieronymus ſententiam, id Matthei exponens: acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti precioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Nemo putet, inquit, eandem fuiſſe quæ ſuper caput effudit vnguentum: & quæ ſuper pedes. hæc enim & lachrymis lauat: & crine tergit: & manifeſte meretrix appellatur: de illa autem nihil tale ſcriptum eſt. Hæc Hieronymus.*

Episc. Ego vero adduci nequeo, vt credam tantum virum ſibiipſi fuiſſe contrarium. At conſtat eum alibi dixiſſe eandem fuiſſe mulierem. ait enim in prooemio ſuper Oſee: Hæc eſt mulier meretrix, & adultera, quæ in Euangelio pedes Domini lachrymis lauit, crine deterſit, & confeſſionis ſoæ hoooraui t vnguento. Indignantibus diſcipulis, & maxime proditore, quod non fuiſſet veoditum, & precium illius in alimenta pauperum diſtributum, Dominus reſpondit: Quid moleſti eſtis mulieri? opus bonum operata eſt in me, pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Ecce, quomodo Hieronymus hic vni & eidem mulieri aſcribit tam ea, quæ dicta ſunt apud Lucã de peccatrice: quam quæ apod Mattheum & Marcum, de ſorore Marthæ ſunt ſcripta. Vt ergo vitemus in tãti doctoris dictis, tam apertam cootradictionem, confiteamur oportet fœminã hanc eandem omnino fuiſſe, quantum ad perſonam: verum quantum ad mores, aliam & diuerſam: cuius interpretatioois anſam, & verba ipſa præbẽt quæ proxime io Hieronymo ſequootur: ſed per Fabrum reſecta: hæc nimirum, Non eoim poterat ſtatim capite Domini meretrix digna fieri: hoc eſt, non potuit illico ex proſtibulo veniens digna eſſe, quę caput Ieſu contingeret: ſed primum circa pedes congruebat exerceri, atque ita pedetentim conſcendere ad caput, poſtquam vitam veterem in nouam penitus cõmutauerit. Et quid prohibet, quo minus aliam ex alia factam potemus: quę ſic penitus fuerat immutata, & de meretrice facta nõ meretrix, vt ſcilicet prius, dum impudica fuit, pedes Ieſu lachrymis laniſſe credatur, poſtea vero quando pudica & ſancta effecta eſt, capot eius vnguento perfudiſſe? verum vtcuoque fuerit, quando ſuperius teſtimooium ex eodem Hieronymo citatũm, tam aperte pro nobis militat, nobis multo amplius quam Fabro ſauere putandus eſt. Cæterum vt neminem ex auctorib. quibus innititur, integrum ei ſinamus, age Ambroſium ipſum quẽ ſuperius introduxit, in noſtram partem longe propenſiorem eſſe doceamus. Etenim ſuper illod Lucæ: Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix: hanc, inquit, mulierem inducit ſanctus Matthæus ſuper caput Chriſti effundentem vnguentũm, & ideo forte noluit dicere peccatricem. Nã & peccatrix ſecundum Lucam ſupra Chriſti pedęs effudit vnguentum. hactenus pro nobis Ambroſius. Subdit tameo inferius diſſerens io vtranque partem: poteſt, inquit, non eadem eſſe, ne ſibi contrarium Euangeliſtę dixiſſe videantur. poteſt etiam quæſtio meriti & temporis diuerſitate diſſolui, vt adhuc illa peccatrix ſit, iam iſta perfectior. Etſi eoim non perſonam mutat Eccleſia vel anima, tamen mutat profectum. Hæc Ambroſius. perinde ac ſi dixerit: Si res geſtæ ad eundem temporis articulum referantur, contrarietatem apod Euangeliſtas non effugiet, qui dixerit eandem fuiſſe mulierem, verum ſi temporis & meriti diuerſa ratio ſpectetur, omnis facile tolletur ſcrupus, qnum poſſet eadem fœmina alio tempore, nunc quidem minoris meriti eſſe, nunc vero maioris: & eadem aliquando peccatrix dici, aliquando ſanctitate conſummatior. Quod exemplo, vel animæ, vel Eccleſiæ palam facit, quippe quæ perſonam, vt inquit, noo mutat, ſed morum profectum. Et hęc ſane dilucidatio per Ambroſium tradita, omnino illuſtrat ea, quæ per Hieronymum paulo ante dicta ſunt obſcurius. Conſtat igitur ex his quæ adduximus, Fabrum pauciſſimos habere qui ſuæ opiniooi aſtipulantur, & eos quidem noo ſatis aut ſibi, aut mutuo inuicem cohærentes: pro noſtra vero ſententia plurimos eſſe docebimus, non modo ſummos pontifices, verum etiam alios auctores orthodoxos, & eruditione & ſanctimonia præſtantes, & quod maximi faciendum eſt, ſanctam Romanam Eccleſiam, quæ per tot annorum centenarios, eandem ipſam eſſe, & tenuit & docuit publicitus. Cæterum iam tandem ad Fabri lectionem reuertamur.

Fab. *Perſpicuum igitur eſt, ex ſacrorum doctorum ſententia, Mariam Magdalenam Marthæ ſororem, & peccatricem illam, non vnam eandemq́, ſed alteram & alteram eſſe.*

Episc. Quam vero ſit perſpicuum ex dictis auctoribus, alij diiudicent. At mihi tantum abeſt, vt ſit perſpicuum, vt & contrariam huic ſententiam veriſſimam eſſe non dubitem. verum pergit adhuc Faber iterato ſuam ſentcotiam ex Euangelio Lucæ confirmare.

Fab. *Quod etiam ex Euangelio facile intelligi poteſt. nam vbi Lucas capitulo ſeptimo de peccatrice dixit: Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Ieſus accubuit in domo Phariſei, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit*

rigare pedes eius, & vnguento vngebat. ſubinde cap. decimo de ſorore Marthæ dicit: Factum eſt autem dum irent, & ipſe intrauit in quoddam caſtellum. & mulier quadam Martha nomine excepit illum in domum ſuam: & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.

EPISC. Porro quamobrem duo hæc teſtimonia ex Euangelio Lucæ attulerit iam aperit.

FAB. *Videſne, quomodo non de priore loquens adiecit: & huic erat ſoror nomine Maria: nam ſi fuiſſet mulier illa peccatrix, memor priorum inſinuare poterat eam ipſam fuiſſe, & quæ vnxerat pedes Domini.*

EPISC. Quid ſi potuerit? non fecit tamen. Sed neque ex eo quod non fecerit ſubinferre cuiquam licet, diuerſam hanc ab illa fuiſſe, neque enim oportet vt ſi prius nomen huius mulieris reticuerit, nunc autem exprimat, vt hæc à ſeipſa diuerſa ſit. Puderet me profecto tam friuolam rationem adduxiſſe, & maxime quum in Euangeliorum commentariis, paſſim ab auctoribus, tam conſentanea veritati cauſa tradita ſit: cur primum ſeptimo capite peccatrix iſta introducitur abſque nomine. Subinde vero octauo eiuſdem: quaſi iam in actiua proficiens vita, atque decimo demum, in contemplatiua ſeipſam exercens vtrobique nominatur: in qua re vel Bedam quæſo audiamus, qui ſuper 8. Lucæ capite diſſerens hæc tradit: Maria, inquit, Magdalenæ, ipſa eſt, cuius tacito nomine proxima lectio pœnitentiam narrat. Nam pulchre ac reuerenter Euangeliſta vbi eam cum Domino iter facere, eique de facultatibus ſuis miniſtrare commemorat: noto hanc vocabulo manifeſtat: vbi vero peccatricem, ſed pœnitentem deſcribit, mulierem generaliter dicit: ne videlicet tantæ nomen famæ quo per omnes hodie veneratur Eccleſias, priſci erroris nota fuſcaret. hæc Beda. Sequitur in Fabro.

FAB. *Noſſe autem oportet caſtellum hoc Magdalon illud fuiſſe: vnde Maria ſoror Marthæ ad differentiam aliarum Magdalena cognomentum ſortita eſt: plures enim illa tempeſtate erant, quæ nomine Maria dicebantur. Ac eo quidem inſignius atque iuſtius dici poterat Magdalena, quod etiam eſſet Domina loci: vnde nomenclaturam ſibi vendicauit, id quod teſtari videtur, cum ait: Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius. vbi inſinuat Dominium Mariæ & Marthæ fuiſſe Bethaniam, id eſt. caſtellum in quo Dominus à Martha & ſorore eius honorifico ſuſceptus eſt hoſpitio.*

EPISC. Vbi nos caſtillum habemus, in græco κώμη habetur, vti ſuperius diximus: quod vocabulum apud eos qui græce periti ſunt oppidulum ſiue vicum ſignificat, non arcem potentem: quæ nunc vulgo caſtella vocantur: neque Ioannis hæc verba magis indicant hanc Mariam alicuius arcis aut caſtri fuiſſe Dominam, quam quod alibi de Philippo, Andrea, & Petro eiſdem prope verbis, idem Ioannes ſcripſit. Illic dicitur, Erat autem Lazarus à Bethania de vico Mariæ & Marthæ ſororis eius. hic vero ita, Erat Philippus à Bethſaida: de ciuitate Andreæ & Petri. Quod ſi quiſpiam ex illis verbis contendat Mariam alicuius oppidi fuiſſe Dominam: cur non item Andreas alicuius vrbis Dominus fuiſſe exiſtimabitur, quem tamen omnes pauperem fuiſſe opinamur? Sed ponamus eam cuiuſdam arcis potentis fuiſſe Dominam, nunquid propterea non potuerit amore perdito fuiſſe capta? An non Dido quę Carthaginis regina erat, Æneam obſcœnis amoribus deperibat? num & Iuliam Cæſaris Octauiani filiã, quod nobilis fuerat natalibuſque illuſtris, libido luxuſq; non euicit? At ſubdit Faber.

Et vt exactius intelligat eas præclara honorificaque famæ fuiſſe, audi Ioannem ſic ſcribentem. Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam, quaſi ſtadiis quindecim, multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo. Et rurſum, de Maria quæ admonente pia ſorore Martha ſurrexit, vt veniret ad mundi redemptorem. Iudæi ergo qui erant in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam quia cito ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Hæc Ioannes de Maria & Martha nequaquam dixiſſet, niſi inſignis, & inculpati nominis fuiſſent, neque tam multi veniſſent, neque ei, quæ notata fuiſſet, tam diligenter aſſurrexiſſent, tam honorifice aſtitiſſent, tam officioſe comites ſeſe præſtitiſſent. FAB.

Nihil ambigo præclari nominis, & famæ vtramque fuiſſe, pro eo tempore quo Dominus Ieſus apud eas hoſpitatus fuerat: verum quid prohibet alteram earum pridem turpibus amoribus fuiſſe obnoxiam? neque enim ipſe Dominus meretricem abhorruit: ſed clementer paſſus eſt eam ad ſuos vſque pedes accedere. Porro quod à Iudæis tantus honor eis impendebatur, non vſquequaque conuincit eas omnis antea libidinis fuiſſe expertes. multas enim legimus, & peſſimi nominis, quibus honor exhibitus multo cumulatior erat quam Ioannes hic meminit à Iudæis iſtis Mariæ aut ſorori eius fuiſſe impenſum. Nũ Berſabee credimus, poſtquam illius adulterium innotuerit plebi: & illa prioris ſceleris pœnitens effecta fuerit, nullos honores à Iudæis fuiſſe exhibitos? Ex ſuperioribus demum ita colligit Faber. EPISC.

Qui ergo Euangelij energiam non ignorat, minime ſuſpicari debet Mariam Magdalenam Marthæ ſororem aliquando fuiſſe illam in ciuitate peccatricem, & famoſa nota mulierem, non igitur eadem erat mulier illa in ciuitate peccatrix, & Maria Magdalena Marthæ ſoror. FAB.

Tam ſcilicet occulta eſt, & abdita illa Euangelij energia, vt Auguſtino, Gregorio, Leoni, Bedæ, Rabano, Bernardo, Anſelmo, Remigio, cæteriſque magni nominis theologis ignorata ſit: & ſoli Fabro cum pauciſſimis intellecta. Verum iterato ad Fabri lectionem reuertamur. EPISC.

Sed nunc diſcutiamus oportet, anne forte mulier illa in ciuitate peccatrix ſit ea Maria Magdalena, de qua Dominus ſeptem eiecit dæmonia. quandoquidem Mariam Magdalenam Marthæ ſororem, neque hanc olim dæmoniacam, neque illam peccatricem fuiſſe iam oſtenſum eſt. Quamquam ſat ſcio continuo manifeſtum eſſe iiſce qui nonnihil habent iudicij. atque probe ſentiunt, publicam illam peccatricem non fuiſſe Mariam eam, à qua Chriſti virtute ſeptem deturbata ſunt dæmonia. FAB.

Hierony-

EPISCO. Hieronymus ergo nihil habet iudicij, neque probe ſentit, qui ſuper Marcum ita ſcribit: Surgẽs autem Ieſus primo mane ſabbati, Mariæ Magdalenæ primo oſtenditur, de qua eiecerat ſeptẽ dæmonia: quia meretrices & publicani præcedunt ſynagogã in regnum Dei. hactenus Hieronymus: quibus verbis meretricem illam fuiſſe teſtatur. Verum quas deinde probationes attulit Faber, audiamus.

FAB. *Nam perridiculum fuerit, ſi quis dicat mulierem dæmoniaco furore percitam terrificam, & cuilibet ſpectanti horrificam, etiã ſi vno ſolo poſſideatur dæmonio: quanto magis ſi ſeptem, eſſe publicam in ciuitate peccatricem. Quis enim tam perditæ mulieroſus eſt, qui cum ea quæ vel vno cruciatur dæmonio congredi vellet?*

EPISCO. Neminem legi ex auctoribus illis grauioribus prẹter Chryſoſt. aut ex Euangeliſtis quempiã qui Magdalenam aut publicam peccatricem, aut quẹ paſſim cũctis ſeipſam proſtituit, fuiſſe ſcripſerit, aut furore percitam dæmoniaco, atq; adeo terrificam, & ſpectatorib. horrificam, vt Faber affirmat. nihil enim einſmodi de illa opinantur. At ꝙ per ciuitatem habita fuerat olim vitæ incõtinentioris, obſcœnæque aliquando ſubiecta libidini, quippe quẹ nũc vnius, nunc forte pluriũ amoribus ardebat, atq; ita per eum modũ diaboli mancipium effecta, & dæmoniorum delubrũ, nemini dubium eſſe poteſt, qui vel Theologos orthodoxos, vel Euangelia diligentius euoluerit. Neq; enim oportet, vt quicunq; mancipium dẹmonum factus fuerit, is terrificus ſpectatoribus appareat. Quod quidem ex collatione Abbatis Sereni apud Caſſianum dilucidum eſſe poteſt. Nam ſunt quidam qui corpore ſolo à dæmonibus poſſidentur: id qđ ſanctiſſimis monachis Paulo & Moyſi contigiſſe idem Serenus illic refert capite 6. & 7. ſupra vigeſimum. Sunt & qui tã animo quàm corpore, quales erant multi ex iis qui in Euangeliis leguntur à dæmoniis vexati. vtriq; ſane horum à dæmonibus & malis ſpiritib. tam dire torquẽtur, vt terrori horroriq; ſint ſpectantibus. Atqui tertium genus eorum eſt, qui mente ſolum non etiã corpore à dæmoniis obſidẽtur: inter quos & Magdalenam iſtam annumeramus. Sed ne noſtrum illud commẽtitium exiſtimetur, Caſſianũ ipſum audiamus. Licet, inquit, multo grauius cõſtet vehementiuſq; vexari hos qui cum corporaliter ab ipſis ſuppleri minime videantur, animo tamen pernicioſius poſſidentur, eorum ſcilicet vitiis vel voluptatib. inuoluti. Secundum Apoſtoli namq; ſententiã, à quo quiſq; ſuperatur, eius ſeruus efficitur, niſi quod in hoc iſti deſperatius ægrotant, quod quum ſint eorum mãcipia: nec impugnari ſe ab illis, nec dominatũ eorum ferre cognoſcũt. Cæterum corporaliter traditos Satanæ etiam viros ſanctos nouimus pro leuiſſimis quibuſq; delictis. hæc Caſſianus 25. capite. Quibus ſi quis addiderit ea quẹ Dominus Ieſus in Euangelio Lucẹ dixit de immundo ſpiritu, eum ſeptem aliis ſe nequiorib. redeunte, & peccatorẽ inhabitante, ſpero apertiſſimum fiet, Magdalenã potuiſſe multa in ſe habere dæmonia: neq; tamen ſe ab illis impugnatam aduertere, aut eorum ſentire damnatum. Sed nouo rurſum argumento rem ſuam aggreditur Faber.

FAB. *Propterea eſt ne id dæmoniacæ argumẽtum, afferre alabaſtrum, lachrymari, oſculari pedes, agnoſcere peccata, pœnitere, amare toto corde monita æternæ vitæ præbentem? nunquam certe de dæmoniacis quamdiu eſſent einſmodi, talia aut prædicata aut audita fuere, quæ tamen de hac peccatrice leguntur. Stans, inquit Lucas, retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat: & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Et rurſus: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

EPISCO. Quid huic argumento dicendũ ſit, cõpertum eſſe arbitror ex reſponſione ſuperiore. Nullum enim ab infeſtantib. dæmoniis grauamen in corpore eã ſenſiſſe creditũ eſt, quo minus libere potuerit quocunq; libuit officio fungi: ſed neq; vim tantã libero illius arbitrio dæmonia intuliſſe, cui non reniti, modo voluerit, potuiſſet. Potuit itaq; ſi modo voluiſſet, afferre alabaſtrũ, lachrymari, oſculari pedes, agnoſcere peccata. verum quæ ſequũtur, hoc eſt, pœnitere, & toto corde amare Ieſum, nemo facit quãdiu eſt peccatis & dæmoniis obſeſſus. Nã pœnitenti & toto corde amãti, peccata illico dimiſſa ſunt: neq; confeſſionis tempua expectant. Quamobrem aut Magdalena venit ad Simonis domũ, tam peccatis quàm dẹmoniis obſeſſa, quod & multi opinãtur, & tũ illic ab vtriſq; fuiſſe expiatã credibile eſt: aut forte priuſquã illuc venerit, ab vtriſq; per Chriſtum ante curata fuerat, tunc in Simonis domo ſolum innotuit remiſſio iam pridẽ facta, quẹ per Chriſtum illic plane declarata fuit & indicata, non ſolũ iis qui eam peccatis obnoxiã exiſtimabant, ſed & ipſi mulieri. Verum quod dixerim eã priuſquã ad Simonis domum venerat, fuiſſe forte & à peccatis & à dæmoniis liberã, anſam eius dicti nobis præbet Lucæ caput 6. quo ſcribitur, quod multitudo copioſa plebis ex omni Iudæa & Hieruſalem, & maritima, & Tyro & Sidone venerant vt audirent eũ, & ſanarentur à morbis ſuis, & qui vexabantur à ſpiritib. immundis ſanabãtur. Et omnis turba quærebat eum tãgere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Ecce, inter hanc multitudinẽ copioſam potuit Magdalena de Hieruſalẽ veniſſe, & non ſolum à dæmoniis, ſed quod ſimul fieri oportuit, à peccatis erui. Quoniã alibi nõ legitur, quo tempore fuerat à dæmoniis liberata. Quod ſi Faber poterit oſtendere, vno quidem loco & tempore dimiſſa illi fuiſſe peccata, & tum alia dẹmonia fuiſſe eiecta, conuiciſſet nimirum duas fuiſſe mulieres. at iſtud ſcio nunquam faciet. Quamobrem par eſt cum orthodoxis patribus conſentiat vnam fuiſſe, quæ vel fuerat à peccatis & à dæmoniis liberata, priuſquam erat ingreſſa in domum Simonis, aut quæ fuerat ab vtriſque poſſeſſa, quando illuc acceſſit, tamen illius ope, qui eam inuiſibiliter attraxit, quique potuit vires infeſtãtium dæmonum tantiſper reſtringere, hæc prius dicta adimpleſſe. Et certe qui vere à dæmoniis acti ſunt, non ſemper æquabili

furore agitantur, ſed habere ſinuntur lucida quędam, vt aiunt, interualla, quibus mentium compotes effectos, nihil prohibet ſuperiora poſſe agere. quanquam de Magdalena nihil tale opinamur, quod ſcilicet corporaliter fuerat à dæmoniis infeſtata. Tertiam ſubinde contorquet argumentationem, ex eo quod Lucas de ea de qua loquitur capite 7. ait, dimiſſa ſunt ei peccata: de altera vero cap. 8. & de ſodalibus quod curatæ fuerint à ſpiritibus malignis.

FAB. *Et cum idem de hac capite ſeptimo locutus eſſet, mox capite octauo de alia quæ fuerat dæmoniis obſeſſa, vt de altera, hunc in modum meminit: Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalena, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Vidéſne ergo hanc curatam à malignis ſpiritibus: illi vero peccata dimiſſa? quandoquidem exagitari dæmonio, morbus eſt, non peccatum. Et proinde de hac & ſociis eius ait Lucas: Quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus. de illa vero: dimiſſa ſunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum.*

EPISCO. Fateor equidem exagitari dæmonio, quanquã peccatum non fuerit, peccati tamẽ vt plurimum effectus eſt, & à peccato pendens, tanquam à ſua cauſa. Quoniam igitur effectus tolli non poteſt, niſi prius fuerit ſublata cauſa, idcirco aptiſſime quadrat, vt Dominus Ieſus mulieri de qua dæmonia foret eiecturus, peccata primum remitteret. Quamobrem & dixit: dimiſſa ſunt ei peccata multa. Et quum peccata fuerunt dimiſſa, dæmonia nihil amplius nocere, neque vllum deinde ſuper muliere illa dominium vſurpare valuerunt. Potuit ſane vel ob eam cauſam, quemadmodum & Bedam voluiſſe ſuperius oſtendimus, potuit & ob aliam: verum vtcunque fuerit, perſona eadem eſt, cuius nomen altero ſubticetur loco, altero exprimitur. Sequitur in Fabro.

FAB. *Nomen huius poſuit: illius vero, peccatricis inquam, ſuppreſſit: & hoc, vt mea fert opinio, ne ei apud poſteros ſub ſuo nomine illa inureretur infamia. At inquies, poteſt Dominus eidem peccata condonaſſe, & malignos ſpiritus abieciſſe.*

EPISCO. Et merito quidem iſtud obiecit. Nam potuit vtrunque Dominus, neque ſolum potuit, ſed & valde congruebat, vt vno ſimul tempore vtrunque horum faceret. At quid reſponderit, audiamus.

FAB. *Certe omnia poteſt Dominus: quem & ego quidem credo ab hac Maria Magdalena & ſpiritus malignos abieciſſe, & ei peccata, ſi quæ habuit, dimiſiſſe. ab hac, inquam, quam ſatis conſtat non modo ex contextu Euangelij Lucæ fuiſſe Galilæam, ſed etiam ex Matthæi.*

EPISCO. Si potuit ex hac, cur non potuit item ex altera pari modo feciſſe? Et certe oportuit de vtraque, ſi fuerit vtraque & peccatis & dæmoniis infeſtata. & quamobrem quæſo fieri non potuit, vt non diuerſa, ſed vtrobique eadem exiſtente fœmina: altero tamen loco de peccatis dimiſſis: altero de eiectis dæmoniis Lucas faceret mentionem? non quod alio atq; alio tempore, peccatorum dimiſſio, & dæmoniorum eiectio fiebat: ſed quod vtriuſque mentio ſeparatim, & diuerſis locis haberetur, quum tamen ſimul factę eſſent. Cęterum audiamus quem in modum probat hanc, de qua Dominus ſeptem expulit dæmonia, Galilæam fuiſſe. Nam præter illud Lucæ proxime memoratum: ex Matthæo & Marco quædam introducit.

FAB. *Ait enim Matthæus: Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi. De quibus etiam Marcus ait: Et cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei. Sed & Dominum in Galilæa multos à ſpiritibus immundis liberaſſe, cum eſſet in domo Petri, quæ quidem erat in Bethſaida, teſtatur Matthæus. Veſpere autem, inquit, facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.*

EPISCO. Quaſi non potuiſſet hæc vel in Galilæa ſequi Ieſum, vel illic ab ipſo fuiſſe curata, niſi ſimul & inde fuiſſet oriunda. Paulo equidem ſuperius locum quendam ex Luca monſtraui, qui multitudinem copioſam indicat ex Iudæa & Hieruſalem in Galilęam ad Ieſum veniſſe, plurimoſque ex eis illic non ſolum à dæmoniis, ſed a peccatis vna fuiſſe abſolutos, inter quos, vt diximus, veri admodum ſimile eſt, & iſtam acceſſiſſe primum: ac deinde poſteaquàm Ieſus rediiſſet Hieruſalem, accubuiſſetque in domo Simonis, quâquam ea adhuc infamia notaretur, alabaſtrum attuliſſe, & cætera feciſſe quæ apud Lucam enarrata ſunt. verum vtcunq; fuerit, nihil horum quę Faber attulit conuincit eam fuiſſe Galilæam, & multo minus iſtud quod ſequitur.

FAB. *Et quod eius rei fidem adauget, haud procul à Bethſaida. ad oram maris Tyberiadis Magdalon ſitum eſt, vnde & hanc quæ à dæmoniis curata fuit, dictam Magdalenam putare, haud ſine ratione quiſpiam poſſit. hoc autem vel ex chorographiis cuiuis inquirere volenti facillime patet. Hanc igitur fuiſſe Galilæam, dubium non eſt.*

EPISCO. Miror hominem alioqui grauem, coniecturis tam vmbraticis & tam futilibus velle inniti, quũ neminem afferat per ſe ſolidum auctorem: ſed ex mera ſui capitis phantaſia moueatur. quid ſi apud aliquem chorographum repertum ſit oppidulum quod hac nomenclatura notetur? neque ob id protinus oportet concedamus, aliquam iſtarum inde cognomentum ſuſcepiſſe. verum ſi quis vrgeat, vt inde quædam ex iis cognomẽtum ſortita ſit: cur id Magdalenæ quæ Marthæ ſoror erat non aſcribemus potiſſimum? Cur enim illic aliqua forſan occaſione nobis incognita naſci non potuit, atque inde transferri Bethaniam? neque enim in Euangeliis legimus caſtrum aliquod in Bethania vocatum hoc nomine. Quid, ſi poſt-

hac

hac ex probis auctoribus oſtenderimus, rem ómnino ſic ſe habere? nempe, quod ab eodem Magdalo quod ipſe non procul à Bethſaida poſitum affirmat, hæc ipſa cognomen ſuſceperat. Faber tamẽ colligit, quaſi res eſſet ſolidiſſime comprobata. hanc igitur, inquit, fuiſſe Galilæam, dubium non eſt. Quia ſcilicet in Galilæa repertum eſt oppidulum quod Magdalon vocitatur. Pergit iam oſtendere Magdalenam quæ erat Marthę ſoror, ex Iudæa fuiſſe, molitus inde colligere quod omnino duæ fuerint, altera Galilæa, & Iudæa altera: quaſi non potuerit eadem, varia quidem ratione & Galilæa & Iudæa dici: altera quidem origine, altera vero conuerſatione. Num quæſo Dominus Ieſus, quantum ad originem & natiuitatem ex Iudæa fuit, vtpote Betbleemites: quãtum ad educationem & conuerſationem, ex Galilæa? Atq; ob id, aliquando Nazareth illius ciuitas, aliquando Capernaum in Euangeliis legitur. Sed nũc prolixam & omnino inualidam Fabri argumentationem audiamus.

FAB. *Vnde apertim conſtat non fuiſſe eam Mariam quæ erat ſoror Marthæ. Nam Lazarus, Maria, & Martha ſorores eius, ex Iudæa erant, non ex Galilæa. Quod vel aperte Ioannes inſinuat, cum de domino volentè venire ad Lazari ſuſcitationem dicit: dicebat enim diſcipulis ſuis, Eamus in Iudæam iterum. dicunt ei diſcipuli: Rabi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? & rurſus: venit Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam, quaſi ſtadiis quindecim. Hæc itaque Maria Magdalena, id eſt, ſoror Marthæ ex Iudæa erat, non ex Galilæa, atque ab altero Magdalo Magdalena nomen accepit. Præterea in reditu è Samaria Martham Dominum in domum ſuam hoſpitio ſuſcepiſſe oſtendit Lucas; Samaria autem Galilæam & Iudæam interiacet, id quod ex topographis facile agnoſces: vnde fit vt caſtellum Mariæ Magdalenæ non ex parte Galilææ, ſed Iudææ ſit. Nam & Lucas ad hunc ſcribit modum: Miſit nuncios ante conſpectum ſuum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi, & non receperunt eum: quia facies eius erat euntis in Hieruſalem. Et poſtea addit: Et abierunt in aliud caſtellum. Mox infra ſubiungit: Factum eſt autem dum irent, & ipſe intrauit in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria. Quod ſi diligenter attendas. caſtellum illud ex Ioanne erat Bethania, quæ eiuſdem teſtimonio quindecim ferme ſtadiis diſtat ab Hieroſolymis: nam ſic Ioannes loquitur de Martha: Et cum hæc dixiſſet, abiit & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, magiſter adeſt & vocat te. illa vt audiuit, ſurrexit cito & venit ad eũ. nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Ecce caſtellum Mariæ & Marthæ Bethania, vbi & mortuus erat Lazarus. Quare & Maria, & Martha, & Lazarus Iudæi non Galilæi erant.*

EPISCO. Conficitur nimirum ex ſuperioribus Bethaniam in Iudæa ſitam eſſe, eandemque fuiſſe apud quam hi tres conuerſabantur. At quid tum? num propterea nõ potuit hæc Maria ad Dominum in Galilæam veniſſe inter illam copioſam multitudinem, quæ ex omni Iudæa & Hieruſalem, vti ſacrum Euangelium narrat, ad eum dum in Galilæa fuerat, acceſſit? num incredibile eſt illam id facere voluiſſe, quæ verbo illius audiendo adeo intenta fuiſſe aſſeritur? Porro quod in ſuperioribus ait, hanc Magdalenam Marthæ ſororem, ab altero Magdalo nomen accepiſſe, auctorem quęſo proferat, qui docet vbi id ſitum ſit. At nos ad cætera infirmanda tranſeamus. Sequitur in Fabro.

FAB. *Sed ad eam quæ non Iudæa, ſed Galilæa erat, reuertamur. Eſto igitur illa Maria Magdalena Galilæa, & à ſpiritibus immundis ſanata ſit, & ſimul illi peccata, ſi quæ habuit dimiſſa ſint. nullo tamen modo iuſte ſiet, vt fuerit illa in ciuitate publica inſignisq́; peccatrix, quæ ad pedes Ieſu, qui ſumme miſericors eſt, peccatorum veniam obtinuit.*

EPISCO. Audacter nimium iſtud aſſeuerat, at quem in modum comprobet, aduertamus.

FAB. *Nam aut ei antequã obſeſſa eſſet, dimiſſa ſunt, id quod nullo pacto veriſimile eſt, cum tunc ſanctificatum vas Chriſti facta ſit non Belial, Chriſtum amans plurimum non Belial: ſed ipſum fallaciasque eius exoſa: quibus ante corruiſſet, & eam etiam Dominus remiſiſſet in pace. Sed quomodo in pace eius remitteretur, quæ in fauces multorum luporũ incideret. Id igitur ſentire perabſurdum eſt. At qui minus veriſimile eſt, eam poſteaquam curata fuit à ſpiritibus immundis, publicam illam peccatricem fuiſſe. Qui enim fieri potuiſſet, vt non timuiſſet per peccatum in tam horrendas fauces incidere, quas tam tanquam ouis ab ore ſauientium luporum excuſſa miſericordia ſaluatoris in terra regnantis euaſiſſet? Quod ſi etiã ipſa non horruiſſet peccare, tamẽ vniuerſi qui dæmoniacam prius fuiſſe intellexiſſent, cum ea peccare velle.*

EPISCO. Quid vero huic argumentationi reſpondendum ſit, abunde ex iis quę ſupra diximus, conſtare poteſt. Nos neutrũ horum credimus, aut quod antequam obſeſſa eſſet, dimiſſa ei fuiſſent peccata, aut quod poſtquam à ſpiritibus immundis liberata fuit, ea publica facta ſit in ciuitate peccatrix. Verum iſtud pro indubitato tenemus, eam quandiu mancipium diaboli fuerat, non minus à dæmoniis quàm à peccatis fuiſſe obſeſſam: & quũ talis eſſet, veniſſe ad Chriſtum: ſiue quum in Galilæa fuerat, ſiue alibi, nihil definimus. At veriſimile eſt, vt ſupra diximus, eam in Galilæã veniſſe cum cæteris qui ſimul à ſpiritibus immundis atq; aliis morbis curabantur. neq; ſolum à morbis & dæmoniis eos curatos fuiſſe, putandum eſt, ſed multo magis à peccatis vniuerſis. Venit igitur hæc, ſiue peccatis & dæmoniis onuſta, ad Simonis domum, id quod multis placere video: ſiue quod mihi perſuaſum eſt magis, ab vtriſq; iampridem purgata. Neque enim opinor cum tanta fide & dilectione, quantam in primo ſuo ingreſſu credimus hanc fœminam habuiſſe, mortale peccatũ potuiſſe conſiſtere. Acceſſit enim cum ingenti fide, ardentiq; amore, quod ſane ex Euangeliis eſt perſpicuum. Et quanquam vtriſq; purgata acceſſerat, fuit tamẽ adhuc pro peccatrice habita, atq; pro tali apud Simonẽ reputata, vt neceſſe tũ fuerit Domino Ieſu ab infamia purgare illam, peccatorum-

torumq; dimiſſionem ei factam, palam indicare, vt non ſolum mulier, quæ nōdum illud certo intellexit, plurimam inde conſolationem acciperet: ſed etiam Simon ex temerario iudicio confunderetur. Porro quod ſupra dixeram, mihi valde probabile viſum eſſe, mulierē iſtam ad Simonis domum acceſſiſſe, tam peccatis quàm dæmoniis liberam, ex ipſo Euangelio poteſt nonnihil apparere. Aiebat enim Chriſtus primum ad Simonem: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: deinde ad ipſam mulierem: fides tua te ſaluam fecit. perinde ac ſi dixerit, non iam primum ei remitto peccata, neq; iam primū huic mulieri tribuo ſalutem: ſed olim id eſſe factū intelligas. Neque enim iam primum aut credit aut diligit, verū ante & credidit & dilexit. Ergo propter eam ingentem fidem & amorem, quibus me complexa eſt, nempe quia dilexit multū, dimiſſa ſunt ei peccata multa, & pro fidei magnitudine quam in me prius habuit, ſalutē & mentis & corporis conſecuta eſt. Rurſum adiicit Faber:

FAB. *Ad hec, paſtor ille bonus, imo ſuperbonus, non eam ſolum eripuerat, ſed ab omni vulnere liberarat, nequaquam certo ita derelicta à Domino fuit, vt ſanata deterius poſtea ægrotaret immemor omnis ſuſcepti beneficij: imo quoad potuit referendæ gratiæ: referre enim pro dignitate nemo poteſt. Et proinde iuxta Euangelium, vita ſequebatur auctorem: & de facultatibus ſuis miniſtrabat ei, qui prouidet omni creaturæ.*

EPISCO. Recte profecto concludit, & pro nobis maxime facit. Nos enim perſuaſiſſimū habemus peccatricem iſtam à tot & tantis malis ſola Chriſti benignitate ereptam, nō immemorem tanti beneficij fuiſſe: ſed gratiæ referendæ ſtudioſam, vitæ auctorem fuiſſe ſecutam: eidemq; de facultatib. ſuis ſedulo miniſtraſſe, id quod Lucæ Euangeliū ſequenti cap. teſtatur. Noſtra igitur opinio nō rationi ſolum conſentanea eſt: ſed & Euāgeliis ipſis mirifice quadrat. Quum tamen Faber iuxta ſuam opinionem nuſquam in Euangeliis oſtēdere poteſt, vbi peccatrix illa, cui tot dimiſſa fuerant crimina, aliquod obſequiū alibi Chriſto impēderit. neq; tamen credibile eſt, hanc cui Dominus tam egregia impenderit beneficia, ſua nuſquā inpoſterum obſequia rependiſſe, neq; conſentaneum eſt, vt quū Euangeliſtæ de beneficiis præſtitis inſignem alicubi fecerint mentionē, nullā omnino de repenſis obſequiis faciant ſimiliter. Quod ſi velit eam in hac eadem reponere ſocietate, tamē dicat nobis, quum duæ ſint in eadem ſocietate, eiuſdemq; nomenclaturæ mulieres, ambæ à Chriſto curatæ, ambæ virtutis ingreſſæ viam: cur alterius quæſo nomen Euangeliſta memorabit, alterius ſubticebit? Et quomodo de ambabus hiſtoriam texens, alteram ab altera diſcriminabit, niſi vtriuſq; fecerit mentionem? Tertiam poſtremo ſubdit hanc argumentationem.

FAB. *Præterea, cur quæ facultates tantas habebat, vt etiam Domino & diſcipulis miniſtrare poſſet, ad ſtipem male ac perdite emerendam meretricata fuiſſet?*

EPISCO. Neq; nos arbitramur eam fuiſſe meretricem, niſi ampliter accepto vocabulo ꝓ impudica, neque enim Euāgelium eam appellat meretricem, ſed peccatricem dūtaxat. peccatricem vero nihil prohibet, vt diximus, & eam fuiſſe, de qua Dominus dæmonia ſeptē eiecit. Conſequi tandē ex his Faber putat, diuerſam fuiſſe hanc ab illa: quum nihil minus hactenus ab eo probatū ſit, id quod iudicio lectoris committendum arbitror. Subdit itaque.

FAB. *Non igitur hæc Maria Magdalena Galilæa publica illa fuit in ciuitate peccatrix. Et tanto minus illa nobiliſſima Marthæ ſoror Maria, quæ turres, pagos, & caſtella habebat.*

EPISCO. Miror quem poſſet auctorem producere pro iis turribus, pagis, caſtellis, quæ tam crebro memorat Mariam Marthæ ſororē habuiſſe. Demum ita concludit.

FAB. *Tres ergo ſunt. Mulier illa quæ olim famoſa in ciuitate peccatrix; ſed miſericordia Saluatoris nunc ſancta, & Maria Magdalena ſoror Marthæ, & Maria Magdalena à qua Dominus ſeptem eiecit dæmonia.*

EPISCO. Nos vero ex ſuperioribus compertiſſimū eſſe putamus, eandem omnino fuiſſe mulierem: quæ primum & peccatis & dæmoniis obſeſſa fuerit, & quæ deinde per Chriſti clementiam ab vtriſque expiata, eundem ſequebatur de ſuis facultatibus eidem adminiſtrans, ac quæ poſtremo dum ſoror illius Martha in cœna miniſtrabat, ſacros Ieſu pedes pretioſo inunxit vnguento. Sequitur pro nominibus, & cognomentis earum, in Fabro.

FAB. *Peccatricis nomen ex Euangelio & ſcriptoribus ignoratur, nec id abs re factum eſt. Nemo enim ſanæ mentis nomen quod Euangeliſta ad propriam modeſtiam, & ad peccatricis obtegendam verecundiam ſuppreſſit, diſquirere debeat. Et à quo item noſci potuit, niſi prodente Euangeliſta? Sororis Marthæ nomen cognoſcitur & ex Euangelio, & ex auctoribus. eſt enim Maria, & à domino cognomentum Magdalena: & liberata à dæmoniis nomen ſimiliter Maria, & à loco cognomentum Magdalena.*

EPISCO. Vide quantum laborat pro nominum & cognominum rationibus, vnde petantur, in quibus meras nugas tradit abſque iuſta aliqua probatione: nos multo expeditius, vt erat vnica mulier, ita nomen vnum ab Euangeliſtis ei impoſitum non dubitamus. Quoniam ſi tres aut duæ fuiſſent, & non vnica, quum verba toties de eis inculcaſſent Euangeliſtæ, apertiori inter eas diſcrimine fuiſſent vſi, neque de eis tam cōfuſe, & tam indiſtincte fuiſſent locuti. Nouiſſime, quātum ad patrias diſcriminare molitur eaſdem.

FAB. *Porro, peccatrix ex Euangelij contextu cōiicitur fuiſſe ex Galilæa: & ſimiliter Magdalena illa quæ à ſpiritibus immundis liberata fuit. At Maria Marthæ ſoror ex Iudæa.*

EPISCO. Vide quam ſolidum ſcilicet coniecit fundamentum: peccatrix, inquit, ex Euangelij contextu coniicitur fuiſſe ex Galilæa. Coniecturis vbique innititur, & meras capitis ſui phantaſias vbique ſectatur. Vbi quæſo ex Euangeliis id coniici poteſt, peccatricem fuiſſe Galilæam, quum de illa nuſquam agi in Euāgeliis Fabro placeat præter-

quam

quam apud Lucam? Quod vero illic geſtum fuiſſe ſcribitur, Ambroſius putat Betbaniæ fuiſſe factum, quæ in Iudæa eſt, neque Ambroſius ſolum, ſed & Chryſoſtomus atq; Origenes, quos inprimis auctores citauit.

Hactenus itaq; Iacobi Fabri argumentationes omnes, quibus ipſe confectum opinatur, vt tres Magdalenæ ſint nō vnica, nos refelliſſe putamus, & plane oſtēdiſſe eas parum eſſe efficaces. Teſtes quoq; quos citauit male ſibi cohærere, & coniecturas demum, quas ex Euangeliis accumulauit, haud ſatis validas eſſe. Quando igitur ea quæ ipſe pro ſua opinione introduxit euertimus, reliquũ eſt, vt noſtram immo totius Eccleſiæ cōmunem ſtabiliamus ſententiam.

DE VNICA MAGDALENA LIBER II.

NIHIL amplius à nobis iure poſtulari aut expectari debuit, optime præſul, quàm vt monſtraremus Iacobum Fabrum, non inconcuſſe ſuam opinionem ſtabiliiſſe, neque ſatis efficaciter comprobaſſe ex iis quæ produxerit. Nam ad illum pertinet, qui ſiue nouam, ſiue veterem ſuſcitat opinionem, atque ita communem Eccleſiæ catholicę quietem interturbat, eam adeo dilucidam facere, tamque validis communire probationibus, vt nemo poſſet eas reuincere, aut infirmare quouis pacto. Alioqui plane cenſenda eſt prior (quam communis Eccleſia ſecuta eſt) ſentētia, priſtinum robur & ſolidam habere firmitudinem. Quando igitur ex ſuperiori conflictatione noſtra, ſatis aperte conſtare arbitramur, nullas earum probationũ, quas Iacobus Faber pro ſua parte attulit, fuiſſe irreuincibiles, neq; ſuam opinionem tam ſolide ſtabiliiſſe, vt nō ſit funditus euerſa: non eſt quod amplius iure à nobis exigat tua reuerentia præſul obſeruandiſſime. Nos tamen quia literis & internunciis, atque id non ſemel à nobis petiiſti, vt quid in hoc negocio ſentiremus, ad Dominationem tuam ſcribere non grauaremur, conabimur in hoc altero libello, communem Eccleſiæ ſententiam, ex ipſis eloquiis (vt Fabri verbo vtamur) ad quæ nos miſit, roborare, & tam luculēter, quod ſpero, vt nemo, niſi qui nimium ſuæ indulget opinioni, huic eat inficias. Quod ſane tanto libentius aggredior, quod diuæ Magdalenæ, cuius tutelæ me iam annos multos deuoui, id acceptum fore confido, vt cunctis innoteſcat in ea ſuperabundaſſe gratiam, quemadmodum Ambroſius meminit, vbi aliquādo ſuperabundauit peccatum. Nempe vt miſeri peccatores non deſperent, ſed illius exemplo commoniti reſipiſcant, & multis lachrymis amaraq; pœnitudine diluentes admiſſa, ſperēt amiſſam gratiam ſe poſſe recuperare. Scriptum eſt à Moyſe duo magna in cœlo luminaria eſſe: alterum & maius, quod diei præeſt; alterum quod minus eſt, nocti. Id quod diuus Albertus meo iudicio non incongrue, duabus illuſtriſſimis in Eccleſia fœminis accommodat, alteri, quæ propter eximiam ſplendoris puritatem, quippe in qua nunquam labes aut tenuiſſima vitæ macula reperta fuerat, ſoli iure comparatur. Et hæc ſacratiſſima virgo eſt ac Dei mater Maria, hæc nimirum luminare maius non immerito creditur, quod diei præeſt. Nā ea iuſtis omnibus, quātumcunque ſplendeant bonis operibus, tanta adhuc ſupereminenti luce affulget, vt ſemper ex ea diſcere poſſint, vnde proficiant. Altera vero eſt & Maria quoque nominata, verum non adeo fulgida, neque tanta luce conſpicua, ſed quæ aliquando peccati contraxit maculam. Popter quod & lunæ aſſimilata, minus luminare recte appellatur: hæc nocti præeſt & tenebris, hoc eſt, miſeris peccatoribus, qui forte ſuam turpitudinem agnoſcentes, oculos attollere non auderent in conſpectu iubaris tam immenſi, quod nihil vnquam admiſit tenebrarum, quum tamen ſub lunæ radiis in pedes erigi, & greſſum tentare non formidarent. Hæc præfari operæprecium duxi, vt cuncti intelligāt, me nolle diuæ huic detrahere quicquam à dignitate ſua, ſed multo magis eam illuſtrare, nihil eorum auferens, quæ in Euangeliis eidem attributa ſunt. Plurimum illi derogat, meo iudicio, qui ſanctas illas lachrymas, dulciaque in Chriſti pedes infixa oſcula, atque laudem illam eximiam, qua Chriſtus illam apud Simonem extulit, quod dilexerit plurimum, ſubducere molitur. Hæc profecto qui ſubtrahit, haud exiguam diuæ Magdalenæ facit iniuriam. Neque vſquam in Euangeliis aliam legimus mulierem, tam feruida in Chriſtum dilectione fuiſſe, vt Chriſtus ore ſuo teſtaretur, eam dilexiſſe plurimum. Viderit itaque Faber, quomodo illi patrocinetur, à qua tantum præconium aufert. Neque enim adeo dedecus illi eſt, quod Lucas peccatricem eam vocat. Nam quæ mulierum precor eſt, quæ non aliquando peccauit, præter illam, cui non eſt altera comparabilis? Quod ſi cunctæ cæteræ peccatrices fuerint, quid eſt quod Faber tam moleſte ferat, hanc à Luca dictam fuiſſe peccatricem? Neque enim ſordidam aut publicam eam vocat meretricem, aut dæmoniaco furore percitam, & terrificam, ac ſpectatori cuilibet horrificam (vti recenſet Faber) ſed peccatricem duntaxat. Quo verbo quid potuit minus aut mollius dici, modo quicquam dixiſſet ad rem pertinens? Porro quæ aliquando peccatrix fuerit, eam etiam ſub diaboli fuiſſe poteſtate, non eſt dubium. Eſto igitur quod ante peccauerit diua Magdalena, ſubque diaboli iugo fuiſſet poſita, nunquid tanto magis in ea diuinæ gratiæ magnitudo extollitur, quo illa altius luto & cœno peccatorum fuerat immerſa? Audiat igitur Faber beatiſſimæ huius peccatricis laudem ab Eccleſia quotannis decantatam, in celeberrimo Paſchæ feſto, quando minime conuenit eam eſſe mendacem. Sic enim de Magdalena canitur, ſacratiſſimo illo feſto i Matri CHRISTI coæquata,

dum

dum fuiſti ſic vocata:ſed honore ſubdita illa mundi imperatrix, illa beata peccatrix, lætitiæ primordia ſuderunt in Eccleſia. Illa enim fuit porta, per quam fuit lux exorta. Hæc reſurgentis prænuncia, mundum replet lætitia. Ecce qnomodo ſacra mater Eccleſia mirificis hanc beatam peccatricem laudibus efferre, affirmans quod quanquam longe fuerit hæc honore inferior, quàm Maria virgo ſacratiſſima, in hoc tamen haud diſſimilis ei extat, quod eiuſdem eſt cum ea nomenclaturę, quodq; ſicut iſta Chriſtum natum mnndo protulit, ita & illa reſurgẽtem prima nunciauit. Moderetur itaque ſeſe Iacobus Faber in præſenti negocio, ne dum filiam ab iniuria putatitia ſtudet vindicare, communi matri, hoc eſt Eccleſiæ catholicæ, multo graniorem irroget, atque eam infamia reſpergat non tolerauda. Sed nos ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Principio digeremus per ordinem ſingula quæque loca, in quibus quiſquam Euangeliſtarum huius fœminæ fecerit mentionem, vt ea lector in promptu habeat, quoties neceſſe fuerit ad ea recurrere. Quinq; nimirum apud Matthæum extant loca, & quinque apud Marcum, ſex apud Lucam, & rurſum quinque apud Ioannem.

Testim. I. ex Matth. 26. Cum autem eſſet Ieſus in Bethania, in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habena alabaſtrum vnguenti precioſi, &effudit ſuper caput ipſius recumbentis. De ſorore Marthæ Faber intelligit.

II. Matth. 27. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu & his quę fiebant, timuerunt valde, diceotes, vere filius Dei erat iſte. Erant autem ibi mulieres multæ à looge, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedęi. De Galilæa dæmoniis plena, Faber.

III. Matth. 27. Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. Erãt autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum. De eadem Galilæa Faber accipiendum putat.

IIII. Matth. 28. Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria, videre ſepulchrũ. Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut ſulgur, & veſtimenta eius ſicut nix. prę timore autem eius, exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſnnt velut mortui. Reſpondẽs autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quod Ieſum, qui crucifixua eſt, quæritis, non eſt hic. Surrexit enim ſicut dixit. Venite & videte locũ, vbi poſitus erat Dominus. Et cito euntes, dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam; ibi eũ videbitis, ecce prædixi vobis. Et exierunt cito de monumeneo cum timore & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis eius. Hoc de Maria ſorore Marthæ, Faber.

V. Matth. 28. Cum autem iiſſent ad renunciandnm diſcipulis eius; ecce Ieſua occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuernnt pedes eius, &adorauerunt eum. Tunc ait illis Ieſus: nolite timere. Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Vtrunq; locum Faber intelligit de Maria ſorore Marthæ.

Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis le- Testim. I. ex Mar. ca. 14.
proſi, & recumberet, venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati precioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius. Hoc de ſorore Marthæ, Faber.

Quum vidiſſet autem centurio, qui aſtabat ex II. Marc. 15.
aduerſo illi, quia ſic clamans expiraſſet, ait, vere hic homo filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longè ſpectãtes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater, & Salome, & cum eſſet in Galilæa, ſequebaotur eũ, & mioiſtrabãt ei, & aliæ multæ, quæ ſimul aſcenderãt cum eo Hieroſolymam. Hoc de Maria Galilææ, Faber.

Et aduoluit lapidem ad oſtium monumenti. III. Mar. 15.
Maria autem Magdalenæ, & Maria Ioſeph, aſpiciebant vbi pooeretur. De eadem, Faber.

Et cum tranſiiſſet ſabbatum, Maria Magdale- IIII. Marc. 16.
nę, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valde mane vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam ſole, & dicebant adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderũt iuuenem ſedeotem in dextria, coopertum ſtola candida, & obſtupuerũt. Qui dixit illis: nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixũ, ſurrexit, noo eſt hic, ecce locus vbi poſuerunt eũ. Sed ita dicite diſcipulis eius, & Petro, quia pręcedet vos in Galilęam. Ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. At illę exeuntes ſugerunt de monumento, inuaſerat enim eas pauor & tremor, & nemini quicquam dicebant. Timebant enim. De ſorore Marthæ, Faber.

Surgens autem Ieſua mane prima ſabbati, ap- V. Marc 16.
paruit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptẽ dæmonia; illa vadens nunciauit iis, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus, & illi audientes quia vineret, & viſus eſſet ab ea, nõ crediderũt. De Galilæa olim dæmoniis plena, Faber.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, Testim. I.
vt cognonit quod Ieſus accubuiſſet in domo Pha ex Luc. cap 7.
riſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. De peccatrice, Faber.

Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per II.
ciuitates & caſtella, prędicans & euangelizana re- Luc. 8.
gnum Dei, & duodecim cum illo, & mulierca aliquæ, quæ erant curatę à ſpiritibus malignis & infirmitatibns, Maria quæ vocatur Magdalenæ, de qua dæmonia ſeptem exierant, & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. De Galilæa, Faber.

Factum

III. *Luc.10.* Factum eſt autem dum irent, & ipſe intrauit in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria. Quæ etiam ſedẽs ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequẽs miniſteriũ. Quæ ſtetit, & ait, Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et reſpondens, dixit illi Dominus: Martha Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima, porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. De ſorore Marthæ, Faber.

IIII. *Luc. 23.* Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens, vere hic homo iuſtus erat. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres quæ ſecutæ erant eum à Galilęa, hæc videntes. Hunc locum non appoſuit Faber.

V. *Luc.23.* Et poſuit illud in monumento exciſo, in quo nondum quiſquã poſitus fuerat, & dies erat paraſceue, & ſabbatum illuceſcebat. Subſecutæ autẽ mulieres quæ cum ipſo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguẽta, & ſabbato quidem ſiluerũt, ſecundum mandatum. Neque iſtum locum Faber adhibuit epilogo.

VI. *Luc.24.* Vna autem ſabbati, valde diluculo, venerũt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento, & ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. Et factum eſt, dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. Cum timerent autem & declinarent vultum in terrã, dixerunt ad illas, quid quæritis viuentem cum mortuis? non eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt vobis, cũ adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet filiũ hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere. Et recordatæ ſunt verborũ eius: & regreſſę à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erant autẽ Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæterę quæ cũ eis erant, quę dicebãt ad Apoſtolos hęc. De ſorore Marthę, Faber.

TESTIM. I. *ex Ioan.ca.11.* Erat autem quidam languẽs Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius, capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. De ſorore Marthæ, Faber.

II. *Ioan.12.* Ieſus ergo ante ſex dies paſchæ venit in Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus, fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat. Lazarus vero vnus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſticæ precioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis pedes eius, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. De ſorore Marthæ, Faber.

Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. De ſorore Marthæ, Faber. III. *Ioan.19.*

IIII. *Ioan.20.* Vna autẽ ſabbati, Maria Magdalenæ venit mane, cum adhuc tenebrę eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quẽ diligebat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum. De Galilæa, Faber.

V. *Ioan.20.* Maria autem ſtabat ad monumentũ foris plorans; dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum erat corpus Ieſu. Dicunt ei illi, mulier quid ploras? dicit eis: Quia tulerũt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt. dicit ei Ieſus, mulier quid ploras? quẽ quæris? illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam. dicit ei Ieſus, Maria: conuerſa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magiſter. Dicit ei Ieſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meũ. De Galilæa, Faber.

Digeſtis itaq; ſingulis per ordinem locis, tentabimus ſi fieri poteſt, oſtendere vnicam fuiſſe Magdalenã, de qua in his omnib. agitur: id quod faciemus à duobus poſtremis apud Ioannem locis exordientes, à quibus conſcendemus ad cætera omnia, quæ cum iſtis tanquam ad amuſſim cõquadrabimus, cõciliabimusq;. Neq; aliunde ſuffragium emendicabimus, vt hoc negocij conficiatur, præterquam ab illis eloquiis, ad quæ nos Faber ab initio miſit, & à ſuis ipſius auctoribus, quibus ille vel ſolis fidendum putat. Sed age rem aggrediamur. Principio nobis iſtud cum Fabro conuenit, vt duo poſtrema apud Ioãnem loca, in quibus ipſe Mariæ Magdalenę fecerat mentionẽ, de vna & eadem fœmina debeant intelligi, nempe vt eadem ſit, quę mane venerat ad monumentum, quum adhuc tenebræ eſſent, & quæ poſtea illic perſeuerãs, Ieſum prima videre meruit. Hoc tamen diſſidemus, quod Faber hanc Galilęã fuiſſe exiſtimat, de qua dæmonia ſeptem eiecta ſunt. Nos vero Marthę ſororem, quod & pluribus atq; id non obſcuris indiciis aperire conabimur, ex ipſo deprompetis Euangelio. Quorum primum iſtud erit: quæcunq; fuerit hæc mulier, quæ ad monumentum venerat, quum adhuc tenebrę eſſent, & quæ poſtea diſcipulis, Petro inquam & Ioanne diſcedentibus, perſeuerauit ad monumentum, ipſum ingenti lachrymarum imbre perfundens, atq; plorãs dilecti corporis abſentiã. Hæc inquã, quæcunq; fuerit, certũ eſt quod incredibili quodam ardebat amore, & præ cæteris illis mulierib. Chriſtum feruẽtiſſime diligebat. Æſtuabat enim præ mortui corporis deſiderio, adeoq; facta eſt amoris impatiens, vt nihil aliud cogitare neque cupere videretur. Neq; enim Angelorum colloquiis & viſione trahebatur ipſa quicquã, quorum EPISCO.

tamen aſpectus longe venuſtior eſſe creditur, & delectabilior, quàm hominis mortalis cuiuſpiã. At hæc ab Angelis auertit vultum, conuerſa ad illum quem hortulanum fuiſſe credidit, quẽ & rogauit, ſi ille Dominũ ſuſtuliſſet ſuum. Adeo fuit hæc mulier amore prorſus ebria, vt id ſolũ optabile habuerit, corporis concupiti præſentia potiri. De illa vero fœmina, de qua Ieſus dæmonia ſeptem expulit, ſub eo nomine, ſub ea inquam nota, quod ab ea fuerint eiecta dæmonia, nõ legitur inſigne aliquod amoris præconium. Imo conſtat, eam nuſquam ante Dominicam paſſionem ab aliquo Euangeliſtarũ fuiſſe laudatam, velut Chriſti præcipuam dilectricem. Marthę vero ſororem & præcipue dilexiſſe, & à Chriſto fuiſſe præcipue dilectam, Euangeliſtæ non ſemel inſinuarunt. Quam rem & Faber in epilogo ſuo, vbi tertium Ioãnis locum introducit, palam teſtatur. hoc, inquiens, de ſorore Marthæ dici conſentaneum eſt. Illuſtris enim & ſancta erat dilectrix Ieſu & virginis matris. matris inquam eius, qui & pauloante fratrem ſuum Lazarum ſuſcitauerat. hæc Faber illic. Quamobrem & hoc haud exiguum indiciũ eſſe poteſt, quod mulier hæc, de qua agimus, fuerit Marthæ ſoror. Afferamus & alterum. Non legimus in Euãgeliis, Ieſum aliquam mulierẽ proprio nomine compellaſſe pręter Martham ac Mariam ſororem eius. Neq; enim ita matrem filiorũ Zebedęi, quum illam alloqueretur, proprio vocauit nomine: neq; vllam aliam, quantum meminimus apud Euangelia. Cõſueuit autem illas Ieſus propriis cõpellare nominibus, quod apud eas libẽtius hoſpitabatur, & cum eis præ cæteris mulieribus maiorem habuiſſe creditur neceſſitudinem. Magnum igitur & hoc indicium eſt, hanc eandem fuiſſe Mariam Marthę ſororẽ, quod protinus audito ſuo nomine, quo illã vocare ſolitus erat Chriſtus, exiliit præ gaudio, magiſtrũ agnoſcens & confitens, atq; ad illius pedes corruens, priſtino ſuo more. Quando enim dixerat ei Ieſus, Maria, habuit ea vox Maria, tantam vim & energiam in illius auribus, vt protinus dicto verbo, Ieſum fuiſſe cognouerit. Quis hic non perſpicit vel ex hoc ſolo, eam Marthæ ſororem? Verum ſi pręterea poſſumus eandem ex Euangeliis oſtendere cæteris Mariis ante fuiſſe comitatã, quàm Ieſum ipſa viderit, ſpero Fabrum facilius nobis aſſenſurum. Age igitur idipſum aggrediamur. Qui Ioannis Euangelium diligentius introſpexerit, atque vna cum cæteris cõtulerit Euangeliis, in his præſertim locis, vbi de mane diei reſurrectionis geſta narrantur, deprehendet hæc tria. Primum has omnes Marias ſimul monumento affuiſſe, deinde pari feſtinatione illinc properaſſe, ac tandem ob eundem finem, nempe vt Petro rem geſtam aperirent. Quod ſi monumento ſimul omnes affuerint, atq; illinc deinde properauerint, & poſtremo ad Petrum venerint, quis ambigere poteſt vnius eas fuiſſe ſocietatis? Diſquiramus ergo ſingula. Primum inquam conſtat, eas ad monumentum ſimul affuiſſe, ex eo quod Ioannes dixit hanc veniſſe quando adhuc tenebræ eſſent, & Lucas tradidit eas veniſſe ὄρθρου βαθέος, hoc eſt, diluculo profundo, nempe quum adhuc noctis plurimum eſſet. Quod ſi eodem tempore, ad eundem præſentes locum & hæc & cæteræ fuerint, quis dubitare poteſt, eas omnes ad vnum ſpectaſſe ſodalitium, & hanc cum aliis fuiſſe comitatam? At dixerit quiſpiam, fieri potuit, vt Maria Magdalena, quæ præ cæteris animi vehementioris erat, illas præueniſſet. Id plane ex Euangeliis à veritate longe alienum eſſe conuincam. Nam in aduentu illarum apud Matthæum legitur, Angelum Domini facto terræmotu de cœlo deſcendiſſe, ac reuoluiſſe lapidem ab oſtio monumenti. De Magdalena vero apud Ioannem traditur, quod veniens vidit reuolutum lapidem. Quare fieri nullo modo potuit, vt hæc illas præueniſſet. Neque obſtant ea verba quicquam, quo minus cum eis iſta veniſſe potuerit. Quod ſi quis cõtendat eam ob hæc veniſſe tardius, non potuit tamen, aut eundo ad ſepulchrum, aut redeundo ad Petrum, in illarum ſocietatem non incidiſſe. Secundum item, nempe quod pari feſtinatione properabant à monumento, ex eo patet, quod iuxta Ioannem hæc à monumento cucurrit. Illæ iuxta Matthæũ, cito exierunt illinc currentes, iuxta Marcum vero cito abeuntes fugerunt à monumento. quid dici potuit quadrantius? Tertium denique quod ſcilicet ob eũdem finem inde feſtinauerint, perſpicuum erit ex eo, quod Ioannes teſtatur, hanc ad Petrum & ad ſe veniſſe. Illas vero conſtat iuxta Matthæũ iuſſas fuiſſe, vt diſcipulis, iuxta Marcum autem vt diſcipulis & nominatim Petro, hęc referrent. Adiiciamus adhuc & quartum ſi iſta nõ ſufficiant. Expendamus verborum diuerſitatem, quibus hæc mulier vſa fuerat ad Angelos, quum ſola ſtetit ad ſepulchrum, & quando cum cæteris comitata mulieribus, ad Petrum acceſſit. Illic nimirum dixit: Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Ad Petrum vero ita: Tulerunt Dominum meum, & neſcimus vbi poſuerunt eum: illic neſcio, hic neſcimus. Quid aliud quæſo, hæc loquendi varietas ſibi velit, quod nunc pluraliter, nunc ſingulariter enunciat hæc mulier, niſi quod primum comitata fuerat, & poſtea ſola? Comitata inquam, cum cæteris Mariis, quando illæ ad diſcipulos à monumento cucurrerunt, atque non inuento Ieſu, pluraliter enunciaſſe, neſcimus: poſtea vero, quum ſola ad monumentum remanſit, Angelos allocuta ſingulariter dixiſſe, neſcio. Quis hic non oculatiſſime cernit, eandem omnino fœminam fuiſſe, quæ prius erat ſociata, & poſtea cum Ieſu fuerat ſola? His igitur indiciis, hoc eſt, quod nulla alia fœmina tam vehementer Chriſtum dilexiſſet, quàm Marthæ ſoror, quod præterea tam repente ad nominis ſui compellationem Chriſtũ agnouit, ac poſtremo quod cęteris ante fuerat ſociata mulieribus, hanc omnino fuiſſe Marthæ ſororem, credimus eſſe clariſſimũ. Sed age, idipſum oſtẽdamus vel alia ratione. Certum eſt Ioannem in diſcriminandis perſonis, de quibus loquitur, maximam adbibuiſſe diligẽtiam, quod & dilucidum

dum eſſe poteſt iis, qui Euangeliũ eius haud oſcitanter legunt: & tum maxime, quum plures eiuſdem nomenclaturæ fuerint, cuique ſuas notas, & iuſtum adhibet diſcrimẽ. Exempli cauſa, quoniã erãt plures Simones, quoties de ipſo loquitur, qui præcipuus inter Apoſtolos fuerat, Simonem Petrum ipſum vocat, nempe vt certo cõſtet, de quo loquatur. Et quum eſſent plures qui Iudas vocabantur, quoties de proditore fit ſermo, eiuſmodi verbis illũ deſcribit, vt lectori protinus agnoſcatur. Sic & de Ioſeph, quod eius nominis quoque plures eſſent, quum loquitur, propriã notam adiũgit: Ioſeph, inquit, ab Arimathia; vt ſcilicet hoc diſcrimine certũ ſit, de quo Ioſeph intelligat. Et quum Andreæ mẽtionem facit, Andreas, inquit, frater Simonis Petri. Et quando Nicodemi, ille, inquit, qui venit ad Ieſum nocte. & de ſeipſo loquens, diſcipulus, inquit, ille quẽ diligebat Ieſus. Sed & rurſus, quum Marias introducit, quę & plures erant, cuiq; ſuum aſcripſit diſcrimen, eã quæ Chriſtum genuit, Chriſti matrem appellãs. Maria, inquit, mater Ieſu, & quum de ſorore eius loquitur, Maria, inquit, Cleophæ, & tertiam inde Mariam ſubiungens, Maria, inquit, Magdalenę. Dilucidum igitur eſt, Ioannẽ in exprimẽdis perſonis accuratiſſimum fuiſſe, nempe vt lectori omnis tolleretur ambiguitas. At quorſum iſta? inquies. Nempe, vt exploratiſſimum nobis ſit, quoties hanc Mariam Ioannes introducit ſub eodem cognomine, nulloq; alio diſcrimine adhibito, eãdem omnino fœminã voluiſſe intelligi. At iſtud feciſſe eum, tribus locis conſtat: ſemel, quũ iuxta crucem eam ſtetiſſe meminit cum Maria matre Ieſu, & cum Maria Cleophæ, atq; duobus item aliis locis, de quibus paulo ſuperius ſumus locuti. Quamobrem in his tribus locis neceſſe eſt confiteamur vnam fuiſſe Magdalenam. Cæterũ ea quę iuxta crucem fuit (id quod Faber ingenue cõfeſſus eſt) erat Marthæ ſoror. Conſequens igitur eſt, vt his tribus poſtremis locis apud Ioannem, vnicam eſſe Magdalenam, & eam itidem Marthæ ſororem intelligamus. Quando igitur & de duobus primis apud eundem locis nemo poteſt ambigere, quin ea fuerit Marthæ ſoror, de qua illic ſcribitur: reliquum eſt, vt apud Ioannem, nulla ſit alia Magdalena, quã ea quæ fuerat Marthæ ſoror. A Ioanne igitur diuertamur ad Marci Euangeliũ, & à poſtremo apud eum loco incipiamus. Is locus plane conuincet eandem fuiſſe Magdalenã, quæ Marthæ ſoror erat, & eã dę qua Ieſus eiecerat dæmonia ſeptem. Iam enim oſtendimus ex Ioanne eam, cui Dominus in Euangeliis ſe primum poſt reſurrectionẽ viſendum exhibuit, fuiſſe Magdalenam Marthæ ſororem. At Marcus apertiſſime teſtatur, eam Magdalenam, de qua hoc loco agitur, fuiſſe primã, cui Dominus poſt reſurrectionẽ apparuit. hanc igitur oportet non eſſe aliã, quàm Marthæ ſororem. Sed & hanc hoc ipſo loco Marcus tradit, eam fuiſſe fœminam, de qua Dominus dæmonia ſeptem eiecit. vna igitur & eadẽ eſt fœmina, quæ fuit Marthę ſoror, & de qua Dominus dæmonia ſeptem eiecit. Quod nimirum & alio

confirmabimus indicio nõ imbecilli. dilucidum erit conferenti ſingula Matthæi loca cum ſingulis Marci, eos in omnibus cõuenire, præterquam in vltimo vtriuſq; loco. Primus apud vtrumq; locus eſt de conuiuio apud Bethaniam habito, vbi & prorſus conueniunt, non ſolum quantum ad Simonis leproſi domum, & alabaſtrum vnguenti precioſi, atq; effuſionem eius ſuper caput Ieſu, & quorundam indignationem atq; reſponſionem Ieſu, deq; ſepultura & prædicatione Euãgelij, verum etiam neuter eorum hãc fœminam proprio nomine Mariam vocat, ſed mulierem duntaxat. Secundus locus eſt, vbi apud vtrunque agitur de mulieribus, quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilæa: Chriſtum in cruce pendentem conſpicantibus, inter quas vterq; hanc, quæ dicitur Maria Magdalenæ, primam locat. Tertius locus eſt, vbi facta mentione de Chriſti ſepultura, vterq; hanc Magdalenam introducit vna cum altera monumentum obſeruantem. Superſunt adhuc vtrique duo loca, quæ tamen apud Matthæum Faber vnicum facit. Quartus itaque locus, in quo & plurimum conueniunt, eſt de viſitatione ſepulchri per mulieres facta. Conueniunt inquam de tẽpore, quia poſt ſabbatum, & de Angelica viſione, & de verbis Angeli, & quomodo mulieres illæ mittebãtur ad Apoſtolos, & quomodo feſtinabant à ſepulchro: vt eandem omnino rem illic ab vtroq; fuiſſe tractatam, nemo poteſt ambigere. Poſtremus locus eſt de apparitione Ieſu, quam tradidit Matthæus eiſdem mulieribus fuiſſe factam, quem in modũ eas ſalutauerit, & quomodo illæ acceſſerũt & tenuerunt pedes eius, & cætera quæ illic dixerat illis Ieſus. Verum neque id protinus poſt fugam à monumento fuiſſe geſtum Matthæus inſinuat, tam ex verbo commutato, quàm ex modo narrationis ſuæ. id quod multo apertius in Græco habetur. nam in Latinorum libris deeſt nõnihil, ita enim Græce habetur poſt quartum Matthæi locum ſuperius deſcriptum: ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ hoc eſt Latine: Quum autem iiſſent ad renunciandũ diſcipulis eius. Ecce quomodo verbum quo prius vtebatur, iam mutauit. prius enim de curſu locutus eſt, nũc autem de inceſſu. Tunc enim currentes eas facit, iam vero euntes. & nunc etiam quaſi rem nouam aggreditur, iuxta conſuetudinem dictionis ſuę. Ait enim: Quum autẽ iiſſent ad renunciandum. Ex his itaque cõiici datur, quod illo interuallo aliud quiddam geſtum fuerat, quod Matthæus prætermiſit. Marcus igitur animaduertens illum de prima apparitione Magdalenæ facta penitus ſiluiſſe, & quomodo nuſquam per totum ipſius Euangeliũ de dæmoniis ab illa eiectis feciſſet mentionẽ, ſtuduit paucis vtrunq; dicere. Neq; de apparitione cæteris mulieribus facta, quicquam ipſe locutus eſt, ſatis fore exiſtimans, ſi de hac (quæ primaria inter illas fuerat) narrationẽ feciſſet dilucidam, ſimul & ne bis de eadem fœmina vtpote breuitati ſtudens, contexeret hiſtoriam. Neq; enim credibile eſt, ſi duæ fuiſſent Magdalenæ: hæc inquã, de qua ipſe agit, & illa de qua apud Matthæũ tra-

ditur, quum in cæteris ferme omnibus Matthæũ ſecutus ſit, illum iam voluiſſe de hac per Matthæum apparitione tradita, penitus ſilere. Inde igitur dilucidum eſſe poteſt, eandem omnino Magdalenam fuiſſe, quæ prius (quum ſola eſſet) Ieſum poſt reſurrectionem cõſpexit prima, & quæ paulo poſt vna cum cæteris, ſacros illius pedes fuerit amplexata. Quę res adhuc manifeſtior euadet, ita vt ſcrupus omnis penitus effugetur, ſi quis diligentius aduertat, cum Petro & Ioanne mulieres illas omnes ad monumentum rediiſſe. niſi enim quis dixerit eas rediiſſe: haud facile Marcum Lucæ conciliabit. Scribitur enim apud Lucam, quod venerunt profundo diluculo. Apud Marcum vero legitur, quod exorto iam ſole. vtrunque facile verum eſſe dinoſcitur, ſi bis acceſſerint, ſemel videlicet, quum adhuc eſſent tenebræ, atq; iterato, quando iam ſol eſſet exortus. Propter quod & Hieronymus ſuper Matthæum ita ſcribit: Quod diuerſa, inquit, tempora iſtarũ mulierum in Euangeliis deſcribuntur: non mendacij ſignum eſt, vt impij obiiciunt, ſed ſedulæ viſitationis officiũ, dum crebro abeunt ac recurrunt: & non patiuntur à ſepulchro Domini diu abeſſe vel longius. Hæc Hieronymus. Verum & alia ratione, ſi vis, idipſum tibi patefaciam. Rediiſſe nemini dubiũ eſſe poteſt Magdalenam, poſteaquam dixerit Petro: Neſcimus vbi poſuerunt eum. Nam ſtetit poſthac ad monumentum foris plorans. Et conſtat ex Marco cæteras fuiſſe miſſas ad Petrum, quem poſtea cum Ioanne feſtinantem ad monumentum, quomodo credibile eſt eas nõ fuiſſe ſecutas? præſertim cum in earum mentes venire facile potuit, Apoſtolos ipſos, Petrum inquam, & Ioannem, quorum alter princeps Apoſtolorum fuerat conſtitutus, alter ſingulari quodam amoris priuilegio diligebatur, maiora quædam atque certiora viſuros & audituros, quam illæ prius ab Angelis accepiſſent. Hoc certe priori adiunctum indicio, efficaciſſimum eſt, vt perſuadeat nobis & eas iam ſecũdo acceſſiſſe, vbi nihil ex reditu comperiſſent exploratius, neque Angelos audiſſent iterato, veriſimile eſt eas inde abiiſſe triſtiores, de re ipſa inter ſe conferentes, atq; ob id lentiori incedentes paſſu. Quid mirum igitur cuiquam erit ſi Magdalena, quæ interea (dum illæ lentius incedunt) ipſa viſo Chriſto ſupra modum hilaris alacriſque effecta poſt illas properans, ante ſit aſſecuta quàm eis Chriſtus apparuiſſet. Hæc qui penſiculatius annotauerit, nihil ambiget eandem fuiſſe Magdalenam, quæ apud Marcum prima Ieſum conſpexit, & quæ poſtea cum aliis ſacros illius contigit pedes. At video quidnam hic ſcrupi nobis oberit, id nimirum quod Chriſtus huic vetuit, ne ſe contingeret. Is itaque ſi fieri poteſt, tollendus eſt primum. Video placere nonnullis, mulierem iſtam ob id non fuiſſe à Chriſto paſſam vt ſe tangeret, quod videlicet fide caruit. Quibus ipſe non aſſentior, maxime quum dilucidum ſit Chriſtum ſe pleriſque tangendum obtuliſſe, qui non huius mulieris fidem æquabant. Nam & Apoſtolis primum qui putabant Chriſtum ſpiritum fuiſſe, dixit, palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habent. Thomæ quoque qui plurimum fuit incredulus, iuſſit, vt manum admoueret, & mitteret in latus ſuum. Mulier autem hæc protinus, vt eam Chriſtus proprio nomine compellaſſet, ipſum agnouit, & vere credidit illum fuiſſe, quem oculis conſpexit. Non igitur ob defectum fidei probibuit eam Chriſtus ne ſe tangeret. Quid ergo? Num forte mulieris huius amor carnem ſapuit magis quàm ſpiritum? Quid enim ex mortuo corpore quærebat aliud, quàm ſenſus ſuos paſcere? quippe quod dulce fuerat ei, & contueri, & tangere quod amabat, oblectationem videlicet ſenſui potius quàm ſpiritui quærens. Penſitemus itàque ne forte Chriſtus hunc amorem, vt pote qui carnis terrenitatẽ ſapuit magis, quàm ſublimem ſpiritus puritatem, corrigere volens, prohibuit mulierem à cõtactu, & maxime quum ſola eſſet: Noli, inquit, me tangere. Voluit igitur Chriſtus, & noluit, ſed diuerſa ratione: voluit quidem ſe tangi ad fidei confirmationem, quemadmodum ſupra de Apoſtolis patuit, voluit rurſum tangi ad Spiritus conſolationem, quod & dilucidum fuit in mulieribus ſimul accedentibus. Verum ad carnalem ſenſuum oblectationem, tangi noluit ab ea, quæ ſola acceſſit. Erudiuit igitur illam, quatenus mentem potius ad patrem erigeret, quo ſtatim ipſe foret aſcenſurus: Aſcendo, inquit, ad patrem; neque hic in terris oblectationem quæreret, ſed magis futuram expectaret in cælis: ſimulque hoc exemplo nos commouuit, ne fœminam aliquam (quãtumuis ſanctam) ſolam ad nos accedere patiamur. Fieri tamen potuit, vt ſic erudita, poſt id vna cum cæteris ad pedes ipſius complexandos àdmitteretur ad Spiritus ſui conſolationem, quod & credimus haud dubie fuiſſe factum. Reuertamur igitur vnde diſceſſimus, eandem pro indubitato Magdalenam habentes, quæ apud Marcum prima Ieſum contuita eſt, & quæ poſtea cum cæteris ſacratiſſimos ipſius pedes fuerat amplexata. At ea, quæ Ieſum prima vidit, fuit ea, de qua dæmonia ſeptem eiecta ſunt: quæ vero cum cæteris pedes Ieſu amplexata eſt, fuit, vel ex Fabri conceſſione, Marthæ ſoror. Eadem igitur eſt quæ Marthæ ſoror fuerat, & quæ à ſeptem dæmoniis fuerat expiata. Rurſum conſentaneum videri poſſe arbitror, cuiuis accuratius intuenti, & expendenti Marci & Matthæi verba, vt eadem ſit Magdalena, quam vna cum cæteris Matthæus & Marcus introducunt, primum vt ſpectatricem paſſionis Chriſti, poſtea vt obſeruatricem ſepulturæ eius, ac tertio, vt viſitatricem ſepulchri. Nam illius his tribus locis ambo meminerunt ſub eodem nomine & cognomine, abſque aliqua diſcriminis adbibita nota. Quamobrem admodum veriſimile eſt, eandem prorſus his tribus locis ab vtroque fuiſſe exiſtimatam. At certum eſt, vel Fabro aſtipulatore, eam quam hoc tertio loco Matthæus & Marcus doceat, vna cum cæteris inuiſiſſe ſepulchrum, fuiſſe

Marthæ

Marthæ ſororem. Erit igitur & Marthæ ſoror eadem, de qua locis duobus prioribus ipſi ſunt locuti. Conciliauimus itaque loca omnia in quibus apud Matthæum & Marcum de Maria Magdalena ſermo habitus eſt, præter primum, vbi & mulier quædam abſque nomine introducitur, quæ alabaſtrum vnguenti precioſi effudit ſuper caput Ieſu. Verum quum hæc ab omnibus pro Marthæ ſorore iam recepta ſit, conſequitur, vt apud Ioannem, Matthæum, & Marcum eadem omnino fœmina ſit habenda, quæ erat Marthæ ſoror, & de qua Ieſus dęmonia ſeptem expulerat. Neque pręter hanc alia (quæ & Maria Magdalenæ nuncupetur) vſquam apud illos poſſit inueniri. Colligamus demum id ipſum ex Luca, & à poſtremo ipſius loco inchoemus primum. Is locus agit de mulieribus, quæ cum aromatibus profundo crepuſculo venerunt ad monumẽtum, quarum nomina paulopoſt ſubiungit. Erat autem, inquit, Maria Magdalenæ, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant. Hanc Mariam Magdalenam Faber non dubitat eſſe Marthæ ſororem, & ego nõ refragor. At eandem fuiſſe, de qua ſeptem exierant dæmonia, habeo exploratiſſimum: id quod digito longe facilius, & multo paucioribus indicare poſſum, quàm calamo ſcribere. Primum id ſuadet nobis mira concordia Matthæi & Lucę, in his tribus locis, vbi mulieres (quæ à Galilæa Chriſtum ſecutę ſunt) introducit vterque, & primum vt ſpectatrices paſſionis, de quibus Matthæus ait: Erant autem ibi mulieres multæ à longe ſpectantes, quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilæa. Et Lucas ita: Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres, quæ ſecutæ eum erant à Galilæa. Poſt id, vterque rurſum eas introducit, vt ſepulturæ obſeruatrices. Matthæus quidem poſt magni ſaxi aduolutionem ad oſtium monumenti, ſubdit: Erant autem, inquit, Maria Magdalena, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum. Lucas vero poſt repoſitionem corporis Ieſu in monumento ſubiungit: Subſecutæ autem mulieres quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum fuerat corpus eius. Tertio vt ſepulchri viſitatrices, eaſdem iterum vterque producit. Matthæus ita: Veſpere autem ſabbatorum quod luceſcit in prima ſabbatorum, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria, vt viderent ſepulchrum. Lucas vero ſic: Vna autem ſabbatorum profundo crepuſculo, venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Perſpicuum igitur cuiuis eſſe poteſt, quum ſit inter iſtos tanta concordia, de eiſdem omnino mulierib. fuiſſe locutos. Et quoniam ſupra oſtendimus vnam & eandem fuiſſe Magdalenam, nempe Marthæ ſororem, de qua Matthæus tribus dictis locis mentionem fecit, conſequens eſt, vt eadem quoque ſit, de qua tribus locis refertur apud Lucam. Sed & Lucæ contextura idipſum admonet. Nam ſub eodem contextu cuncta hæc comprehẽdit, & primum quod ipſæ mulieres de quibus loquitur, è Galilæa cum Ieſu venerant, deinde quod monumentum diligentius obſeruabant, & quemadmodum in eo repoſitum fuerat corpus Ieſu. Tertio quod abeuntes à monumento parauerunt aromata & vnguenta, quibus demortui corpus inungerent. Quarto quod ſabbato iuxta legis mandatũ quieuerunt. Quinto quod vna ſabbati profundo crepuſculo venerunt ad monumentum. Nouiſſime vero inter has primam facit Mariam Magdalenam, cui adiungit Ioannam ſociam, nempe eandem quam illi alibi præbuit comitem, vbi & de eiectis dæmoniis apertam facit mentionem. Mulieres, inquit, aliquæ, quæ erant ſanatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalenæ, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chuzæ. Ecce iam vtroque loco eandem adiunxit illi comitem, nempe vt ex eadem comite, eandem penitus agnoſceremus Magdalenam. Et aduertat hic lector, quod dicit Lucas: Maria quæ vocatur Magdalenæ. Nam is primus locus eſt, quo illam ſub hoc cognomine introducit, quod ſane vehemens indicium eſt, quoties in hiſtoria ſua nominis & cognominis eiuſdem poſtea meminerit, eandem omnino fœminam eſſe, niſi verbis apertiſſimis aliam fuiſſe explicauerit, quod certe nuſquam fecit. Ad hæc, ſi duæ fuiſſent Magdalenæ, mirum eſt, quum toties occaſio fuerit, vt ſimul conuenirent, quod nunquam duarum ſimul quiſquam Euangeliſtarum fecerit mentionem. Neque dubium eſt, ſi duæ fuiſſent, eas fuiſſe ſimul, quum Apoſtolis reſurrexiſſe Chriſtum & eundem ſe conſpexiſſe renunciabant. Fuerunt item ſimul, quum vna Magdalena dixit ad Petrum: Neſcimus vbi poſuerunt eum. Neque iſtis modo locis, ſed & aliis pleriſque. Nuſquam tamen legitur Euangeliſta, duarum ſimul expreſſiſſe cognomenta, id quod par fuit feciſſe ſi modo Magdalenæ plures fuiſſent. At operæprecium arbitror, priuſquam ad alia tranſeamus, nodum vnum diſſoluere, quem Faber in epilogo ſuo nectere conatur. Illic enim, vbi tertium Ioannis locum introducit, duas inſinuat fuiſſe Magdalenas, ex eo, quod altera ſecus crucem cum Chriſti matre ſtetiſſe à Ioanne ſcribitur: altera iuxta Marcum, cum aliis mulieribus à longe crucem fuiſſe conſpicata. Qui nodus multo difficilior ad ſoluendum foret, ſi quiſpiam Euangeliſtarum vtrunq; horum narraſſet, atque ſimul eodem tempore tradidiſſet geſtum. Verum quod Magdalena iuxta crucem cum Maria matre Ieſu ſtabat, à ſolo Ioanne refertur, qui de his, quæ procul ſpectabant, nihil loquitur. At contra cæteri Euangeliſtæ meminerunt quaſdam procul ſpectaſſe, atque inter eas fuiſſe Magdalenam. De his vero, quæ iuxta crucem fuerant, ſilent penitus. Sed neque temporis idem articulus fuit, quo Ioannes ſcribit de illis quæ iuxta crucem, & quo cæteri Euangeliſtæ de illis, quæ procul erant, ſcripſere. Nam tunc iuxta crucẽ Chriſti mater ſtabat, quod & Faber ex Ioanne recenſuit, quando ad hoc verbum filij ſui: Mulier ecce filius tuus, ſuam ipſius animam doloris gladius pertranſiuit. At ſatis

conſtat id verbum non poſtremum è ſeptem fuiſſe, quæ Ieſus in cruce moriturus protulit, ſed tertium in ordine ſolum. Quamobrem & longum fuiſſe interuallum nemo poteſt ambigere, dum cætera quatuor diceret verba, antequam ipſe ſpiritum reddidit. Id vero quod de mulieribus refertur procul ſpectãtibus, factum fuit poſt omnia verba, & aliquandiu poſtquam expiraſſet. Nam Marcus ita ſcripſit: Quum autem vidiſſet Centurio qui aſtabat ex aduerſo illi, quod ſic emiſſo clamore expiraſſet, dixit: vere hic homo erat filius Dei. & tum ſubdit: Erant autem & mulieres procul ſpectantes, inter quas erat Maria Magdalenę. Quid ergo prohibet in hoc tam prolixo temporis interuallo Magdalenam, quæ prius iuxta crucem fuerat, ſiue ob turbam nimis comprimentem, ſeu ob aliam quamlibet occaſionem à cruce longius fuiſſe repulſam? Nihil ergo neceſſe fuerit ob ſcrupum iſtum delendum, duplicare Magdalenam, quum & plurima (quæ ab Euangeliſtis geſta narrantur) non ſolum duplicare, ſed triplicare, imo pluries multiplicare cogatur, qui leuiculis iſtiuſmodi coniecturis velit pertinaciter adhærere. Sed idipſum ex Hieronymo confirmemus. Affirmat Hieronymus aduerſus Eluidium, eandem fuiſſe Mariam, quæ apud Ioannem dicta eſt Maria Cleophæ, & quæ alibi dicta eſt Maria, mater Iacobi minoris. Sic enim Hieronymus colligit. Reſtat, inquit, concluſio, vt Maria iſta, quæ Iacobi minoris ſcribitur mater, fuerit vxor Alphei, & ſoror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangeliſta commemorat. Hæc Hieronymus. At conſtat eam ex Marco, poſtquam Chriſtus expirauit, à longe ſtetiſſe, atque in eadem ſocietate cum Magdalena. Nam Marcus ita ſcribit: Erant autem & mulieres de longe aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater. Ecce comitem Magdalenæ Mariam matrem Iacobi minoris & Ioſeph, quæ auctore Hieronymo, apud Ioannem dicta eſt Maria Cleophæ, nunc procul ſpectãtem, quæ prius iuxta crucem ſtetit. Nihil ergo is nodus impediet, quo minus vnicam exiſtimemus fuiſſe Magdalenam, tam hic, quàm in ſuperioribus omnibus locis, quæ ex Euangeliſtis ante commemorauimus, vt iam non alia reſtent, in quibus huius fœminæ mentio habita ſit, præter duo ſolum apud Lucam, in quorum altero luculentiſſimum eſt de ſorore Marthæ tractari, in altero de peccatrice. Solus igitur is de peccatrice locus ſupereſt cæteris conciliandis, vt & eam quoque (de qua hic agitur) ſororem Marthę fuiſſe oſtendamus. Multa nimirum idipſum ſuadent, nempe quod alabaſtrum attulit, quod Chriſti pedes inunxit, quod capillis exterſit, quod defenſa à Chriſto fuerit, & demum quod dilexit plurimum, quę omnia ſororis Marthæ inſignia ſunt. Quid ſi nomen eius Lucas hoc loco ſubticuerit, mulierem illam appellans? hoc ipſum & Matthæus & Marcus alibi fecerunt, vbi conſtat de ſorore Marthæ agi, nempe in conuiuio apud Bethaniam habito, vbi & mulierem vocant, ſuppreſſo illius nomine. Quod ſi nolit Iacobus Faber hæc admittere, proprios auctores, qui nimirum his ſymbolicis notis permoti fuerunt, in illum conuertamus. Audiat Chryſoſtomum, quem ille prius citauit, hoc loco de Magdalena iudicium ſuum interponentem: Meo, inquit, iudicio, eadem eſt apud tres, Matthæum, Marcum & Lucã. Hoc ſcripſit Chryſoſtomus homilia octuageſimaprima ſuper Matthæum ex traductione Trapezuntij. Audiat eundem alibi, vbi de proditione Iudæ hunc in modum diſſerit: Ante proditionis tempus, ante traditionis horam, acceſſit meretrix, vas alabaſtrum manibus portans, & vnguentum, Domini ſupra caput effudit. Grandem fidem, multam reuerentiam, mirandam correptionem oſtendit. Pauloante meretrix, ſubito pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis agnouit. Et quando proſtituta lupanar exiuit, tunc diſcipulus gehennam intrauit. Hæc Chryſoſtomus. Audiat Ambroſium quoque quem contra nos produxit, qui de hac fœmina ſuper Lucam diſſerens, de eadem cætera exponit, quæ apud Matthæum & Marcum ſuper diſcipulorum indignatione ſcripta ſunt, & tandem in fine concludit. Ex hac ergo, inquit, muliere intelligimus illud Apoſtolicum quid ſit: Superabũdauit peccatum, vt ſuperabundaret gratia. Nam ſi in iſta muliere non ſuperabundaſſet peccatum, non ſuperabundaſſet gratia. Hæc Ambroſius. Et Origenes in Homilia quadam ſuper Ioannem. Venerat, inquit, Maria ad monumentum, deferens ſecum aromata & vnguenta quæ parauerat, vt ſicut antea pedes viuentis vnguẽto precioſo vnxerat, ſic & nunc totum corpus defuncti, & vnguento vngeret, & aromatibus condiret. Et ſicut prius ad pedes eius lachrymas effuderat, flenerat prius, & lachrymis ſuis pedes eius rigauerat pro morte animæ ſuæ, veniebat nunc ad monumentum lachrymis illud rigare pro morte magiſtri ſui. Hæc Origenes. Sed & Hieronymus (quem ante citauimus ex proœmio ſuper Oſee) vtramque defenſionem à Chriſto latam, & eam quam tulit aduerſus Simonem pro peccatrice, & alteram quam in Apoſtolos, & præcipue Iudam vibrauit, pro ea, quæ fuerat Marthæ ſoror, vni & eidem aſcribit mulieri. Simili modo ſuper Marcum idem Hieronymus locum illum interpretatus, vbi Ieſus recubuit in domo Simonis: Recumbente, inquit, ipſo, id eſt humiliante, vt eum tangeret fides peccatricis, quæ de pedibus aſcendit ad caput. Vbi palam affirmare videtur, illam (quæ apud Lucam peccatrix vnxit pedes) iam humiliante ſe Ieſu, à pedibus aſſurrexiſſe ad capitis ipſius vnctionem. Ex his itaque manifeſtum eſt, eandem fuiſſe mulierem, quæ apud Lucam peccatrix dicebatur, & apud alios Marthæ ſoror. Cæterum & iſtud excutiendum arbitror, cur nuſquam in Euãgeliis apud quemquam Euangeliſtarum, iſtud cognomen Magdalenæ, huic mulieri tribuitur, quando vel Bethaniæ, vel Marthę ſororis eius mentio ha-

bita eſt. Diſquirat quiſquis velit, per ſingula prius memorata loca, & verum eſſe comperiet quod dicimus. Nam primis duobus apud Ioannem locis, non annectitur nomini Mariæ cognomen id Magdalenæ, & vtroqne loco de Martha meminit, & de Bethania. Apud Marcum item & Matthæum, vbi de conuiuio apud Bethaniam habito agitur, cognominis Magdalenæ nulla fit mentio. Apud Lucam quoque vbi ſororiam Mariæ & Marthæ propinquitatem aperit, de cognomine ne verbum quidem fit. & demum apud eundem, vbi de peccatis huic mulieri dimiſſis loquitur, quod & Ambroſius, & Chryſoſtomus, & Origenes Bethaniæ factum fuiſſe putant, de cognomēto nihil eſt dictum. In cęteris vero locis omnibus, nemo Euangeliſtarum eſt, qui non huius mulieris, & nomen, & cognomen exprimat. quod ſane primo auditu ſcrupum nobis iniicere poteſt, vt videatur non vna mulier fuiſſe, ſed duæ. Verum id in Fabrum æque militabit, atque aduerſum nos, quando & plurima ex his locis, in quibus cognomen iſtud Magdalenæ recenſetur, ipſe ſorori Marthę aſcripſerit. Excutiamus igitur hunc ſcrupum, ſi poſſumus, vt cuncta quę de hac beata peccatrice, in Euangeliis conſcripta ſunt, fiant aliquando perſpicua. Vetus traditio eſt, tribus iſtis nobilibus ſatis amplum fuiſſe relictum patrimonium, hoc eſt Mariæ, Marthæ, & fratri earum Lazaro. id patrimonium ita inter ſe partiti ſunt, vt Lazarus bonam Hieroſolymorum partem poſſideret, Martha Bethaniam & Maria deniqne Magdalon caſtrum, quod aiunt ſecundo à Tyberiade miliario ſitum eſſe: in qua re Faber non paruam huic fœminæ (quam tueri conatur) iniuriam facit, proprio eam ſpolians patrimonio, atque illi (quam putat alteram) hallucinanter tribuens. Nam ex hoc Magdalo, ſi magiſtro hiſtoriarum credimus, atque illis, qui vitas Mariæ, Marthæ, ac Lazari conſcripſerunt, cognomen hoc Magdalenæ, Maria Marthæ ſoror ſortita eſt, quod tamen Faber illi tribuit, de qua Ieſus dæmonia ſeptem eiecit, quam & alteram penitus opinatur. Poſſumus igitur, & non ab re, vehementer ſuſpicari, illis temporibus (quibus Euangelia conſcribebantur) fœminam iſtam, vtroque hoc indicio, cunctis fuiſſe conſpicuam, tam hoc quod Magdalene cognominabatur, nempe ex Magdalo, quod illi ex patrimonio contigit, quam hoc quod Marthæ ſoror dicebatur, cui & ſorti cecidit Bethania. Quo factum fuiſſe credibile eſt, vt quoties Euangeliſtæ, ſiue de ſororia cognatione harum fœminarum, ſiue de Bethania quicquam dixerint, nihil opus eſſe putarent, cognomentum adiicere: ſed Mariam duntaxat illam appellare. Et rurſum quoties illius cognominis fecerint mentionem, nihil oportere, vt ſororiam exprimerent cognationem. Liquet igitur hunc ſcrupum, qui & vtriſque noſtrum, hoc eſt tam Fabro quam nobis aduerſari videbatur, ita dilutum eſſe, vt pro noſtra parte vel maxime faciat. Sed iam ad primum Lucæ locum reuertamur, & Euangelico (ſi poſſumus) teſtimonio conuincamus ipſam mulierem, quæ illic aſſeritur peccatrix, Marthæ fuiſſe ſororem. Chriſtus in Euangelio Matthæi de muliere loquens, quæ ſupra caput ſuum, vnguentum effudit, in domo Simonis leproſi, diſcipulis indignantibus dixit: Amen dico vobis, vbicunqne prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam eius. Hic lector aduertat, quod, non coniunctionem eſſe, ſed relatiuum, & eius, non referri ad Chriſtum, ſed ad mulierem. Eſt enim ἀυτῆς fœminini generis. Sic enim græce habetur: λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη εἰς μνημόσυνον ἀυτῆς. quod eſt latine: Dicetur & quod hæc fecit in memoriam ſui. vbi ſi mediam periphraſim contrahas in vnicam voculam, id eſt, facinus, fiet ſententia apertior, vt ſic dicamus: Narrabitur id quod hæc fecit, id eſt facinus iſtud in memoriam huius mulieris. Vult igitur Chriſtus his verbis prædicere, mulieris huius factum per vniuerſum orbem fore prædicandum, ad æternum ipſius monumentum, quod ounquam intermoriturum eſt. At cuius quæſo mulieris ex hoc facto memoria celebris habetur, niſi Magdalenæ peccatricis? Aut cui mulieri per vniuerſum mundum, facinus iſtud aſcribitur, alteri quam illi Magdalenæ, quæ olim peccatrix apud Lucam fuiſſe traditur? Hanc nimirum cuncti paſſim celebrant, vbicunque Chriſtus colitur, & ipſius prædicatur Euangelium. Quod ſi quæpiam altera, quæ oon erat peccatrix, debeat ex hoc facto celebrari, prædictio Chriſti, quæ futurum iſtud affirmabat, plane fruſtrata eſt, aut Euangelium (quod hoc tradidit) mendax eſſe deprehendetur. Quamobrem ne vel Chriſtum dicamus in ſua prædictione aberraſſe, qnod etiam credere impiiſſimum eſt, vel Euangelium de mendacio reddamus ſuſpectum, quod non minus eſt execrabile, confiteamur oportet, eandem fuiſſe mulierē, quæ apud Matthæū ſuper Chriſti caput vnguentum effudit, & quæ apnd Lucam ſcribitur fuiſſe peccatrix. Illa profecto Chriſti prædictio Chryſoſtomum induxit, vt vnam & eandem vtrobique fœminam fuiſſe, pro indubitato haberet. Nam de muliere ipſa quæ apud Matthæum fudit vnguentum, locutus ait: Quis igitur poterit aduerſus veritatem hanc tam late longeqne patentem, quicquam opponere? factum enim iam videmus quod prædixerat, & quocumque terrarum ibis, hanc mulierem prædicari audies. Et certe nec inſignis quædam & nobilis fuit perſona, nec multitudine teſtium res celebrata eſt, nec in theatro, ſed in domo, & in domo leproſi confecta, vbi diſcipuli ſolummodo aderant. Quis igitur mulieris tam abiectæ factum ita exclamauit, vt per totum ſic orbem & ab omnibus audiretur? Virtus profecto eius, qui hæc prædixerat. Et quidem Regum ac Imperatorum res geſtæ, quorum nonnulla remanent monumenta, omnino tacentur: & de pleriſque eorum qui vrbes condiderunt, mœnia erexerunt, bella geſſerunt, trophæa ſtatuerunt, multaſque gentes ſubiugarunt, quamuis & ſtatuas ſibi fe-

 cerint,

cerint, & leges ſanxerint, nulla tamen fit mentio, multique ipſorum nec nomine quidem extant. Quod autem meretrix mulier, in domo cuiuſdam leproſi, decem viris præſentibus, oleum effudit, id per vniuerſum orbem tanto tempore tranſacto decantatur. Sed & Indi, Scythæ, Thraces, Sauromatæ, quique Mauritaniã, quique Ortygias inſulas habitant, quod in domicilio pauperis à flagitioſa fuerat factum muliere, magna prędicant voce. Hæc Chryſoſtomus Homilia 81. ſuper Matthæum, quo nihil vehementius, nihilque apertius dici poteſt. Atqui apud omnes iam receptum eſt, neque Faber diffitetur, mulierem illam quæ caput Ieſu apud Matthæum inunxit, Marthę fuiſſe ſororem. Quo fit, vt quia ſuperius oſtendimus, eam etiam fuiſſe, de qua Ieſus dæmonia ſeptem eiecit, conſequens ſit, vt eadem ſit apud omnes Euangeliſtas, Eadem inquam, & vnica Magdalena, quæ peccatrix fuerat, & Marthæ ſoror, & de qua Ieſus dæmonia ſeptem expulit. Hoc eſt igitur quod fuimus polliciti, nempe, quatuor Euangeliſtas ita mutuo conciliatos oſtendere, vt nõ plures, quam vnicam fuiſſe abſque omni controuerſia teſtentur Magdalenam. Pro qua re monſtranda, neque alium citauimus auctorem, quam quem Faber ante pro ſua opinione produxit. Verum quia non deſunt auctores plurimi, quibus eandem ſententiam confirmatiſſimam reddere poſſumus, illorum teſtimonia conſulto in proximum diſtulimus libellum, quamobrem & huius iam finis eſto.

DE VNICA MAGDALENA LIBER III.

QVONIAM iam ſatis abunde nullã in Euangeliſtis diaphoniã eſſe mõſtraui, ſi quis poſuerit vnicam fuiſſe Magdalenam: conſentaneum eſſe duxi, vt id multorum ſuffragiis cõfirmarem, & eccleſiæ Catholicæ, quæ communis eſt Chriſtianorum omnium mater, ſententiam facerem eſſe teſtatiſſimam. Sed quoniam ingens eſt eruditorum hominum numerus, qui & eam conſtãtiſſime aſſeuerant, volui non omnes, quod impoſſibile mihi foret, ſed aliquot ex eis proferre: quo res ipſa teſtatior prodiret. Verum, ne ſuperior libellus nimium excreſceret, par exiſtimaui vt alio ſeorſum libello illorum dicta recenſerem. In quo negocio & boc delectu vtemur. Principio ex vniuerſa diſputatorum ſchola, quæ tamen id conſtanter opinatur, ſolos duos producemus Albertum, & Thomam, vtrumque Pariſienſis Academiæ alumnum: quorum alter ob doctrinæ ſuæ amplitudinem magnus cognomento dictus eſt, alter vero flos Theologiæ nuncupatur. Ille ſuper Lucam de peccatrice diſſerens, an fuerit ſoror Lazari, poſtquam recenſuerit vtriuſque opinionis auctores, concludit tandem inquiens: Et ſic pro certo fecit Deus duo luminaria magna, duas Marias, matrem videlicet Domini, & ſororem Lazari: quam & peccatricem fuiſſe affirmat. Diuus autem Thomas ſuper Ioannem capite 12. eandem controuerſiam introducens, rationes eorum qui plures fuiſſe mulieres opinantur recenſitas confutat apertiſſime. ac rurſum capite 20. vbi Ioannes meminit eam ad monumentum ſtetiſſe foris plorantem, deuotionem eius laudans: Maria, inquit, Magdalena lachrymis quidem compunctionis abundauit tẽpore ſuæ conuerſionis, quando quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem lauit lachrymis maculas criminis. Lucæ 7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Abundauit etiam lachrymis deuotionis in Chriſti paſſione, & reſurrectione, vt habetur hic. Hæc diuus Thomas. Ego vero cur iſtis non debeat in hoc negocio credi, nõ video: quum neque ignorauerint quicquid priores dixerint: fuerintque ipſi ambo in ſcripturis exercitatiſſimi. Sed ob id Fabro diſplicent quod diſceptatores fuere. Citemus igitur & alios duos, qui ſtudio ſcripturarum magis quam quęſtionibus erant dediti: Simonem inquam de Caſſia, & Vbertinum de Caſali. Ille prophetiæ Spiritu, vt perhibetur, illuſtratus, quæ ab Euãgeliſtis breuiter enarrata ſunt, fuſius libris quatuordecim explicauit, in quibus vtiq; teſtatur eandem fuiſſe fœminã, quę peccatrix pedes abluit Chriſti, & quę poſtea ſanctiſſima facta caput eius precioſo inunxit vnguento. Tractans enim illud Euangelicũ, mulier quid ploras? Chriſtũ his verbis alloquitur. Tu, inquit, ſuſcepiſti lachrymas eius, nec abhorruiſti oſcula labiorum eius: tu illam dimiſiſti, vt à te per omnia iret in pace. Tu interpellatus iudex eius, aduocatus potius eſſe voluiſti, ne impediretur contemplatio dulcis, quum illam ſedere cognoſceres ad tuos diuinos pedes. Tu lachrymas ipſa vidẽte fudiſti ad germanicum funus, tu eam ſignis, atque ſignatis tibi ſancto amore per omnia colligaſti. Nunc priuatam ſolitis, tu inquiris: mulier quid ploras? Hæc Simon ille. At Vbertinus nihilo minori illuſtratione præditus, qui in prologo voluminis ſui, quod arborẽ Chriſti crucifixi appellat, confitetur ſe à Chriſto accepiſſe quæ quinque illis libris de Chriſti vita, doctrina, atque operibus digeſſerat. In tertio ita inquit: Iam reuertamur ad primum obſequium Magdalenæ, cuius per vniuerſum orbem adhuc fragrat vnguentum: & ſecundum triplicem ſignificationem eam legimus tribus vicibus paraſſe Domino vnctionem, ſecundum figuram inchoantium, proficientium, & perſectorum. In prima Domini pedibus parauit amaræ contritionis vnguentum. In ſecunda parauit capiti Ieſu deuotæ laudis iubilum, vt fieret vnguentum deuotionis. In tertia parauit toti corpori Ieſu, vt ſit vnguentũ piæ & fraternæ ſubuentionis. Hæc Vbertinus. Quod ſi ſermo incultior Fabro diſpliceat, ſciat hunc affirmare, vanitatem ſcientiæ, & curioſitatem loquendi magno ſibi impedimento fuiſſe, quo minus potuit illuſtrari à Chriſto: cuius eſt, vt ait, cum ſimplicibus ſermo: niſi prius ſanctã ſimplicitatem Chriſtianæ ſapientiæ, cum vere diſcipulis columbinæ ſimplicitatis Spiritus Ieſu addiſceret. Quod ſi lumine iſtorum non moueatur, ſed li-

ſed literas adeo deſideret: Druthmarum, & Bedã audiat, vtrumque literis & latinis & gręcis imbutum, atque in ſcriptura ſacra exercitatiſſimum. Is vbique prædicat eandem fuiſſe Magdalenam, & ſuper Lucam inprimis, vbi de peccatrice diſſerẽs, & poſt quorundam opinionem recenſitam: Qui diligentius, inquit, inueſtigant, inueniunt eandẽ mulierem, Mariam videlicet Magdalenam, ſororem Lazari, ſicut Ioannes narrat, bis eodem functam fuiſſe obſequio, ſemel quidem hoc loco, & ſecundo in Bethania. Druthmarus vero, qui & ob literarum peritiam grammaticus dictus eſt, ſuper illud Matthæi, Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet: Maria, inquit, eſt ſoror Lazari, quæ iam lauerat pedes eius, & exterſerat capillis capitis ſui: ſicut Ioannes Euangeliſta affirmat. Hæc bonis operibus inhærendo, & amando, ac ſeruiendo ſaluatori hoc promeruit, vt digna fieret manus ſuper caput ſaluatoris mittere, cunctis pœnitentibus ſpem veniç prætendens, ſi ex corde pœnituerint ſpem veniæ conſecuturis. hæc Druthmarus. Quod ſi neque iſtis fidem adhibeat, non ſpernat ſaltem eos, qui Parrhiſiis vænalem profitebantur ſapientiam, quique primi illic Academiam inſtituebant. Iſtos par eſt, vt reuereatur ob Lutetiæ honorẽ. Vnus horum, Alquinus nomine, poſtea Caroli magni præceptor effectus, ſuper illud Ioannis: Ieſus ergo ante ſex dies paſchæ; dicit, Hæc eſt illa mulier, quæ quondam peccatrix, in domũ Simonis venit ad Dominum cum alabaſtro vnguenti. & paulo inferius. Notãdum, inquit, quod primo pedes tantum vnxerat: hic autem pedes, & caput. ibi rudimenta pœnitentiũ: hic iuſtitia perfectarum deſcribitur animarum. Hæc Alquinus. Rabanus vero (qui & alter ex eorum numero fuit) ſuper Matthæum, ita diſſerens ait. Ipſa eſt, inquit, quæ quondam (vt Lucas ſcribit) peccatrix, ad Ieſum veniens, pedes eius lachrymis pœnitentiæ rigauit, & vnguento piæ confeſſionis liniuit: nunc vero iuſtificata, & familiaris effecta Domino, non tantum pedes (vt idem Ioannes narrat) verum etiam caput, vt Matthęus Marcuſque perhibẽt, oleo ſancto perfudit. Hæc Rabanus. Quod ſi malit alios audire, qui inter diuos relati ſunt, nõ deſunt, quos producamus, & plurimos ſane: verũ duo ſatis erunt, Anſelmus & Bernardus. Quorum alter, nempe Anſelmus, vbi de paſſione Chriſti agit, his verbis vtitur: Tunc, inquit, Maria Magdalena plus omnibus flere cœpit ſuper Dominum ſuum, dicens. Quis mihi modo peccata dimittet? quis me modo excuſabit apud Simonem, & apud ſororẽ meam? Bernardus vero ita. Fœlix, inquit, Maria vnxit pedes Ieſu, fœlicior eadem vnxit caput auctoris, fœliciſſima, quę rorem vnguentariũ toti corpori Chriſti præparauit. Et tandem concludit inquiẽs. Quis deſperare debeat, tanta peccatrice, non ſolum veniam, ſed & gloriam conſequente? Hæc Bernardus. Sed illos quærit Faber qui energian norunt Euangeliorum, quo diuerticulo ita ſe tutatur, vt neminem omnino recipiat, niſi quem ſuæ nouerit opinioni fauere. Et ego vero non intelligo: cur Auguſtinus capere non potuit Euangeliorum energian. Quum enim is fuerit mirifico ingenij acumine præditus, vitæq; ſanctimonia clarus, ac ſemper in exercitio literarum aſſiduus: omnem denique Euangeliorũ angulum excuſſerit, quatenus Euãgeliſtas ipſos mutuo poſſet conciliare. Ad hæc quum neque ignorauerit quid græci ante ſe dixiſſent, quorũ etiam libris ad veritatem inueniendam multo fuerit inſtructior: non video certe cur non debeat exiſtimari Euangeliorum aſſecutus energian. At is plane Euangeliſtas ita conciliauit, vt vbique oſtendat non aliam quam vnicam fuiſſe Magdalenam. Quid ſi loco vnico ſuper Ioannem dixerit? Ecce ipſa ſoror Lazari, ſi tamen ipſa eſt quæ pedes Domini vnxit. &c. Magna profecto hic Auguſtinus vſus eſt modeſtia. nouit ſe hominem eſſe, & falli potuiſſe. Ac propterea in prologo retractationum ſuarum ait: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. & ſubdit: Ego mihi hanc perfectionem nec nũc arrogo quum iam ſim ſenex. O mira doctiſſimi hominis modeſtia. vtinam Faber tanta fuiſſet vſus. Sed vide quantum ſint diſparibus animis, Auguſtinus & Faber. Ille quum ſolus in toto orbe doctiſſimus habebatur, & erat: noluit tamen ſibi tantum arrogare, vt falli non poſſet, & in re quam alioqui certã fuiſſe credidit. Faber id quod à veritate alienũ eſt ita certum eſſe prædicat, vt falli non poſſet, perinde, ac ſi iam ſolus in toto orbe ſaperet. Auguſtinum haud puduit in re de qua nihil dubitauit, cæteris etiam ei conſentientibus cum timore loqui. Fabrum non pudet manifeſtum errorem contra communem omnium ſententiam inuerecundiſſime aſſerere. Atque vtinam vel ſero id iam velit Faber, quod fecit Auguſtinus quum eſſet apud omnes auctoritatis maximæ. Nihil enim erubuit erratula reuocare ſua, ne cæteros traheret in errorem. Sed ad inſtitutum redeamus. Quid inquam ſi ſemel Auguſtinus pro ſua modeſtia dixerit, Si tamen ipſa eſt Lazari ſoror? num illum propterea ſenſiſſe exiſtimabimus, quod non fuerit eius ſoror? An non ea quę ſequuntur manifeſte contrarium huius indicant? Nam de eadem cætera explicat quæ ſequuntur apud Ioannem. Dicit enim eam melius fuiſſe ſuſcitatam, quam fratrem eius, quippe quod de magna malæ conſuetudinis mole liberata ſit. Adiicit & de eadem quum eſſet famoſa peccatrix, dictum fuiſſe: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. & infra capite vigeſimoprimo: Leguntur (inquit) etiam fœminæ poſt reſurrectionem antequam ad patrem aſcenderet, tetigiſſe Ieſum: in quibus erat etiam ipſa Maria Magdalena. Ecce quomodo non mutauit opinionem ſuam Auguſtinus, ſed eandem vbique confirmat. Nam ſi mutaſſet opinionem ſuam, aut ſi de illa dubitaſſet, certe non id tacuiſſet retractationum libro. Cæterum videre hic licet, quam minimam ex verbo auſam Faber arripere ſtudet, in viri huius doctiſſimi pariter atque ſanctiſſimi contumeliam, & nominis denigrationem, ne videlicet eius auctoritas ſuæ opinioni poſſet officere. Ego

veto(bona id venia dixerim)in hoc negocio plus vni Auguſtino credendum arbitror, quam centũ Fabris, niſi multo certiora & firmiora produxerint, quam ſit factum hactenus. Poſſum ſi neceſſe fuerit, & alios adducere, qui in ſacris Euangeliis ingenia ſua diligentiſſime exercuerunt: quique vnum ex quatuor compoſuerunt, idque commentariis illuſtrarunt ampliſſimis, cuiuſmodi erant Zacharias Chryſopolitanus, & Clemens Lathomienſis Eccleſiæ presbyter, atque alij plures. Sed iſtos ſat ſcio Faber non pluris faciet, quam Auguſtinum, cuius ſententiam quum tam inuerecunda fronte reiiciat, facile contemnet alios. de illo enim affirmat, quod ſi rem iſtã aſſeruiſſet, nihilo tamen ei plus deferendum eſſet, quam maioribus ſuis. Ego certe vel tantillo magis illi deferendum opinor, quod nonnihil ingenio & diligentia ſua maiorum ſuorũ lucubrationibus adiecit, & quod poſt illos veniens, illorum potuit errores deprehendere, quos ipſi dum vixerint, parum aduertetunt. Nam id cunctis n[...]ſſimum eſſe reor, Origenem, Chryſoſtomum, [...]mbroſium, nonnunquam dormitaſſe, ne erraſſe in aliquibus dicam. Et ne pro manifeſtatione huius aſſerti lõgius exempla petamus, aut vagemur extra limites diſceptationis propoſitæ, Origenes Homilia 35. ſuper Matthæum, mulierem illam de qua Matthæus & Marcus tradunt, diuerſam fuiſſe affirmat, ab illa de qua Ioannes agit. Similiter & Chryſoſtomus opinatur. At id à veritate lõge alienum eſt, quod vel Faber ipſe confitetur. Hunc vero errorem ſua diligentia reperit Auguſtinus, & primus illum prodidit, quem & iam exploſerunt cæteri omnes. At vnde illud deprehendit, quæſo? certe non ex maioribus: quoniam ſi illos ſuiſſet ſecutus, reliquiſſet & nobis errorem eundem. Sed & Ambroſius tradit ſuper Lucam, cap. 31. libri ſexti, peccatricis vnctionem cuius meminit Lucas, in Bethania fuiſſe ſactam, & in Simonis leproſi domo. Similiter & Origenes, homilia prima ſuper cantica, intra eandem Simonis domum, quæ hauddubie in Bethania fuerat, affirmat & peccatricem & ſanctam, illam pedes, iſtam caput Chriſti vnxiſſe. Sed & Chryſoſtomus idipſum homilia 81. ſuper Matthęum apertiſſime teſtatur. At docet Auguſtinus, nequaquam Bethaniæ fuiſſe factum, quem & omnes iam ſequuntur, atq; etiam Faber ipſe. Quod ſi in iſtis illi maiores hallucinati ſunt, cur nõ potuerunt etiam in aliis æque labi? Quando igitur hos errores deprehenderit Auguſtinus, tantillo certe amplius præ maioribus ſuis ei deferendum arbitror. Sed par eſt, vt ratiocinationem quoque Fabri recenſeamus, qua conuincere molitur Auguſtinũ ſuæ opinionis fuiſſe. Quum ipſe, inquit, hoc in loco diſcutiens alium fuiſſe fateatur Simonem phariſæum, & Simonem leproſum, & locum vbi peccatis & lachrymis lauit, terſit, & vnxit pedes Domini, alium à Bethania: conſequens fuerat, vt & aliam eſſe peccatricem, & aliam Mariam, quę in Bethania vnxit, dixiſſet. Hęc Faber ad verbum, verum ſi id ſatis dialecticę concluſum ſit: nemo poteſt vnius generis opus in diuerſis locis, variis item temporibus, & apud aliam atque aliam perſonam agere: niſi omnino fuerit à ſeipſo diuerſus: quod, quam ſit cunctis explodendum, facile conſtare arbitror. verum quod ſubiungit, à nemine altero fuiſſe dictum, quod eadem Maria bis vnxit, puto ſatis abunde ſuperius eſſe confutatum. Et quid ſi à nemine altero id fuiſſet dictũ, quis ante Auguſtinum quæſo dixit eandem fuiſſe mulierem, de qua Ioannes, & de qua Matthæus & Marcus agunt? Non Origenes profecto, neque Chryſoſtomus. Aut quis ante illum docuit, peccatricem extra Bethaniam vnxiſſe? non Chryſoſtomus certe, neque Ambroſius: ſed nec Origenes. At hoc ipſe ſuis ſtudiis, vigiliis, exercitatione, comperit Euangelicis aſſertionibus fuiſſe conſentaneum. Quod tandem de verbis Ioannis tam prolixe diſſerit Faber, rem profecto ſuperuacaneam agit, quum ex illis verbis neutra pars irreuincibiliter ſuam poſſet opinionem ſtabilire, liberum enim ſemper erit proteruienti dicere ea, aut per rememorationẽ, aut per anticipationem ſcripta fuiſſe, quemadmodum inſtituto cuiuſque magis inſeruire videbuntur. Veruntamen Faber modis omnibus annititur, vt ex illis conuincat erraſſe Auguſtinum, & quod verba illa omnino intelligi debeant per anticipationem à Ioanne fuiſſe dicta. quam rem vt manifeſtet, hoc argumento vtitur, Quod Euangeliſtis, inquit, locutio per anticipationem non ſit inſolita, palam eſt ex Luca, capite ſexto, vbi Lucas enumeratis Apoſtolis de Iuda facit mentionem in hunc modum, & Iudam, inquit, Iſcariotem qui fuit proditor (inquit Faber) Ioannes dicit per anticipationem, quod capite ſecundo declaraturus erat. Nõ enim Iudas fuit proditor, antequam Dominus elegiſſet eum in Apoſtolũ: ſed poſtea: ita & Ioannes, quando dixit, Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, per anticipationem dixit, vnxit, & exterſit capillis ſuis: non enim olim antequam frater eius Lazarus infirmabatur, vnxit, & exterſit: ſed paulopoſt. Hęc Faber, Auguſtini teſtimonium impugnans. Verum, vt donemus Fabro locutionem per anticipationem non eſſe Euangeliſtis inſolitam, haud recte tamen facit ad Lucam confugiens, vt illic petito exemplo probet Ioannem hæc anticipaſſe. Nam habet quiſque Euangeliſta ſuum morem, & alium ordinem Lucas obſeruat, & alium Ioannes. Quod ſi quiddam ſimile ex ipſo Ioanne produxiſſet, maiores habuiſſet profecto vires. Sed quid ſi nos ex conſuetudine Ioannis contrarium oſtenderimus? Age iſtud aliquot locis tentemus. Et primum, quoniam Faber de Iuda exemplum protulit, nos quomodo Ioannes Iudam introducit conſideremus. Nuſquam certe ante proditionis horam Ioannes ſcripſit illum tradidiſſe, ſed traditurum, Nam capite duodecimo priuſquam traditum fuiſſe Ieſum explicauerat, ita de illo ſcribit: Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes qui erat eum traditurus. Et capite rurſum ſexto, Dicebat, inquit, de Iuda Simonis Iſcariota. Hic enim erat traditurus eum, quum eſſet vnus ex duo-

ex duodecim. Ecce neutro loco Ioannes dicit: qui tradidit eum: ſed qui erat eum traditurus, & tamẽ quando ſuum ſcripſit Euangelium, non erat illud futurum ſed preteriit. Potuit enim vere dixiſſe Iudas Iſcariotes qui eum tradidit, quemadmodum & Lucas dixit. Sed alius Ioanni mos eſt, vt ante diximus. Sic nimirum & hoc loco de quo iam agimus, ſi Ioannes vnctionem illam intellexiſſet, quæ tum erat futura, dixiſſet in hunc modum: Maria autem erat quæ fuit vnctura Dominum vnguento, & pedes eius capillis ſuis exterſura, quemadmodum de Iuda ſcripſit, quod erat Ieſum traditurus. Sed & alium item locum afferamus his non diſſimilem, capite ſeptimo, quum dixiſſet Ieſus: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; mox Ioãnes ſubiicit: Hoc autem dixit de Spiritu quem eſſent accepturi credentes in eum. Ecce non dicit quem accepiſſent, quamquam & tunc reuera Spiritum acceperant, quando Ioannes hoc ſcripſit. ſed dicit quem eſſent accepturi, non ad tempus quo hæc ſcripſit: ſed ad ſeriem potiùs Euangelij ſui referens. Similiter & capite 18. vt ſermo, inquit, Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Nam adhuc iuxta hiſtoriæ ſuæ curſum futurum erat, vt Ieſus moreretur. Et quoniam hoc quantum ad Euangelij ſeriem, futurum erat, idcirco de re ipſa tanquam futura locutus eſt. At conſtat eum ſecus feciſſe, quoties de re quæ ſecundum ordinem hiſtoriæ præteriit, ſermonem habuerit, quemadmodum quum de Nicodemo loquitur, quod facit capite ſeptimo. Dixit, inquit, Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte. Et rurſum cap. 19. Venit, inquit, Nicodemus qui venerat ad Ieſum nocte. Et capite decimooctano: Dicit ei, inquit, vnus ex ſeruis põtificis cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam. Ex his itaque dilucidum eſſe puto, quod ſi Ioannes de futura vnctione intellexiſſet, quemadmodum Fabro placet, non dixiſſet, vnxit & exterſit, quæ verba perfectam indicant præteritionem: ſed vnctura, & exterſura, pro more ſuo quẽ in cæteris locis paſſim obſeruat. Hoc pro ſui defenſione, aut forte quiddam longe efficacius Auguſtinus credo reſpondiſſet, Sed opponet Faber Euangeliſtam non dixiſſe, exterſit & vnxit: ſed contra, vnxit & exterſit. Reſponderet forte Auguſtinus parum id referre, quum aperte conſtet vtrumque fuiſſe factum. Neque affirmet Euangeliſta quod alterum prius fecit, alteram poſterius, ſed quod fecerit vtrumque peccatrix illa, id quod ex Euangelio Lucæ clariſſimum eſſe patet. Quod ſi adhuc inſtet & vrgeat Faber ob verborũ ordinem, reſponderet fortaſſis peccatricem illam tum bis exterſiſſe, ſemel poſteaquam pedes Ieſu lachrymis abluerat, atque iterum poſtquam eos perfuderat vnguento. Nam credibile eſt eam pro more Iudæorum fuiſſe curioſam. Quando igitur id moris apud Iudæos fuit, poſt vnctionem extergere, quemadmodum ex Ioanne patet, fœminam illic etiam preciosum vnguentum exterſiſſe: quis ambiget peccatricem etiam idipſum feciſſe hoc loco? At opponet Faber, Lucam id non ſcripſiſſe. Quid ſi nõ ſcripſerit? Neque certe ſcripſit eam bis oſculatam fuiſſe, & tamen nemo dubitat eam pluries fuiſſe oſculatam. Quod autem contendit noluiſſe Ioannem dixiſſe, vnxit & exterſit, propter Lucę dictum: quia Euangeliſta, inquit, Euangeliſtam non citat. Quid ſi Euangeliſta Euangeliſtam non citet? Neque certe Ioannes hic citauit Lucam, potuit tamẽ quod Lucas multis ante verbis diſſeruerat, ipſe paucis hic inſinuare: quod & apud Euangeliſtas creberrimum eſt. Nam quod vnus pluribus explicat, alius comprehendit paucis. & non ſemel, quiddam fuiſſe factũ inſinuant, quod tamen nullus eorum quando factum ſit vſquam explicauit. An non Ioannes de Angelis ſuper Chriſtum deſcendentibus, & aſcẽdentibus mentionem facit? quod, vbi factum ſit, nuſquam certe explicat. Sed & Ioannes de aſello cui Ieſus inſedit, Hieroſolymam ingreſſus, vno verbo dicit, aſellum inueniſſe, de quo Lucas tamen prolixius egit, pluribus enarrans verbis, duos ex diſcipulis pro aſello perquirendo fuiſſe miſſos, inſtructoſque tam quo proficiſcerentur, quam quid præterea facturi dicturique eſſent. Quem in modum, & hoc loco Ioannes feciſſe creditur, nempe paucis inſinuaſſe Magdalenæ obſequium, quod tamen ante Lucas expoſuiſſet ſermone prolixiori. Verum nunc longe ab inſtituto digreſſi (fuit enim neceſſe vt his reſponderemus, ne Auguſtini auctoritas minoris haberetur) iterũ aliis auctoribus communem ſententiam roboremus. Et quoniam apud Fabrum longe maioris æſtimantur græci, græcos aliquot citabimus auctores. Chryſoſtomus primũ, quem ſæpe produximus, vbique & conſtanter aſſerit eandem fuiſſe mulierem, quæ apud Lucam peccatrix dicitur, & quæ apud Matthæum & Marcum traditur vnxiſſe pedes Domini. Quod ſi verum ſit, vt & ego haud dubie arbitror, conſequens eſt, vt apud omnes Euangeliſtas eadem ſit penitus. Eſt enim hæc maxima, cunctis notiſſima. Quæcunque duo cuipiam vni eadem fuerint, ea ſibi inuicem eadem eſſe neceſſum eſt. At conſtat mulierem de qua Ioannes agit eandem illi eſſe, de qua Matthæus & Marcus tradunt, quod & Faber confeſſus eſt. Sed & peccatrix rurſum (de qua Lucas tractat) eadẽ eſt illi de qua Matthæus & Marcus ſcribunt. iſtud aſſeuerat Chryſoſtomus. Quamobrem & peccatrix ipſa illi (de qua Ioannes tradidit) eadem ſit oportet. Ecce quomodo ex Chryſoſtomi aſſertionibus vna cum Fabri confeſſione manifeſte conuincitur vnicam apud omnes fuiſſe Magdalenam. Sed & alium ex græcis Cæſarienſem Euſebium citemus, qui ſecutus Ammonium Alexandrinum canones Euangeliorum compoſuit: illũ Hieronymus traduxit qui & primo Euangeliorũ canone, vbi quatuor Euangeliſtas conuenire notat, hos numeros in trãſuerſa deſcripſit ſerie. Primum pro Matthæo 278. deinde pro Marco 158. Rurſum pro Luca 74. & demum pro Ioanne 89. At ſub his numeris ſinguli tractant de prædicta muliere. Matthæus quidem & Marcus eam introducunt, quæ Chriſti caput vnxit in Bethania. Lucas vero ſub numero ſuo peccatricis

obſequia

obſequia in Ieſum docet. Ioannes deniq; ſub ſibi deputato numero Marthæ ſororem inducit pedes Ieſu perfundẽtem vnguento. Quamobrem & Euſebius & Ammonius ex his videri poſſunt fuiſſe opinati vnicam in his omnibus locis fœminam debere intelligi. Fuit igitur opinio de vnica Magdalena, nequaquam recens, aut neoterica, quod Faber affirmat: ſed pridem apud primitiuã Eccleſiam celeberrima. Nam & Origenis tempore plurimi ex græcis id ſenſere, eandem ſcilicet apud omnes Euangeliſtas fuiſſe mulierem, quod & ipſe confitetur Homilia 33. ſuper Matthæum, Multi, inquit, exiſtimant de vna eademque muliere quatuor Euangeliſtas expoſuiſſe: quia conſcripſerunt tale aliquid de muliere, & omnes ſimiliter alabaſtrum vnguẽti nominauerunt. Hæc Origenes, à quibus tamen ipſe diſſentiens, nullam vrgentem & efficacem attulit rationem, id quod cuique homiliam illam legenti perſpicuum erit. Poſſum & ex aliis græcis auctoribus ſuppetias huic negocio petere, vt ex Gregorio, Nazianzeno, Theophilo, Seueriano, niſi quod in aliud temporis opportunius ea reſeruauerim. Sed nunc ad Euſebij canones reuertamur: quibus permotum arbitror Iuuencum presbyterum, vt vnum ex quatuor Euangeliis componeret, quæ verſibus hexametris pene ad verbũ, eum tranſtuliſſe Hieronymus affirmat. In quo quidem opere non triplex conuiuium deſcripſit: ſed vnicum vnicamque fœminam introducit. Similiter & quiſquis ex Homero centones excerpſerit, ſiue Proba ea fuerit: ſeu quiſpiam alius, non duas, ſed vnicam Euangeliſtis mulierem facit. Et tamen opus vtrũque pene integre quatuor Euangelia complectitur. Verum ſi neque iſtis permoueatur quicquam Faber, ex reuerendiſſimis dominis Cardinalibus afferamus aliquot, quibus vel ob Eccleſiæ Romanæ dignitatem aſſurget aliquatenus, neque quoſlibet huc adducam: ſed electiſſimos, & Nicolaum in primis Cuſanum, quem Faber & eminentiſſimum doctorem, & excellentiſſimum ſine omni cõtrouerſia in omni diſciplinarum genere virum appellat. Is in dialogo quodam quẽ de remiſſione peccaminum Magdalenæ facta compoſuit, quẽdam ſub deuoti nomine inducit, cum eadem diua colloquentem, & admirantem quomodo ad tantam, & tam accumulatiſſimam gratiam, & tam conſummatiſſimum amorem aſcenderit, tanta iampridem peccatrix: & quomodo fuerit auſa ſacratiſſimos illius pedes contingere. Ipſa vero ſic admirantem inſtruit de variis gradibus, quibus ita cõſcenderit ſemper altius & altius in amore, & quomodo primũ admiſſa fuerat ad oſcula pedum per pœnitentiam in domo Simonis, & deinde ad oſcula manuum, quum eſſet Ieſus de cruce depoſitus per compaſſionem, & tertio ad oris oſculum per longam contemplationem, quum eſſet in deſerto, quos gradus ſubinde fuſius explicat: vnde cunctis dilucidum eſſe poteſt eandem fuiſſe quæ peccatrix fuerat: & quæ deſertum tot annos ſola incoluerat. Sed & alterum è reuerendiſſimis Cardinalibus accerſamus, Dominum Marcum Vigerium Saonenſem, virum cum doctiſſimum, tum eloquentiſſimum, qui & Decachordum Chriſtianum ſcripſit. Huius auctoritati ſpero Fabrum nonnihil delaturum, quod eum ille tutatus ſit, quum erat olim impetitus Pſalmo 30. annotaſſe ex ſententia Nicolai de Cuſa, animam Chriſti apud inferos paſſam eſſe cruciatus. Nam ſic Cardinalis ille cauſam Fabri tutatus eſt, vt ſatis haberet ſi illum ab hæreſeos nota liberaret. Audiat igitur hunc Senogallienſem patronum ſuum, quomodo Chriſtum ſub chorda nona capite nono, inducit ſorores duas alloquentem, & Magdalenã prius. Tu, inquit, Magdalena filia mihi chariſſima, en quales pedes lauiſti, abſterſiſti, vnxiſti: faciam, ne te pigeat laborum tuorum. In vaſta etenim ſolitudine contemplationi vacantem non deſeram: paſcam illic te per Angelum meum, & quum finis tuæ mortalitatis aduenerit: ſicut me Angelis comitatum, cœlum videbis aſcendere, te ab eiſdem eo faciam cum gloria ſociari. Hactenus pro Magdalena: nunc pro ſorore Martha. Et tu Martha, inquit, mihi beneficentiſſima, quoniã circa multa pro me ſemper occupata fuiſti, vnum, quod omnibus hominibus eſt maxime neceſſarium, tibi do: videbis gloriam meam, & poſtquam multa negocia tuæ actiuę vitæ conſummaueris, poſt quã multos Narbonenſis prouinciæ populos ad me cõuerteris, eiuſdem gloriæ te participem faciam. Hęc Senogallienſis. In quo citando fui prolixior, quod is tam apertam hiſtoriæ, quæ de his diuis traditur, & cui fama conſtantiſſima aſtipulatur, mentionem facit. Nam (qui diuarum harum vitas conſcripſere) concordi ſententia conueniunt omnes eandem fuiſſe, nempe peccatricem illam, & Lazari atque Marthæ ſororem, quam & tradũt in ſolitudine vixiſſe multos annos, ſeptieſque quotidie per Angelos in aëra ſubleuatam. De qua re Petrarcham qui non erat incurioſus harum rerum indagator audiamus. Is in tractatu quinto ſecundi libri, cui titulum de vita ſolitaria inſcripſit, capite primo, his verbis vtitur: Fecit idem Maria poſt peccatum. Non enim in populis longum conſpici, aut habitare in palatiis elegit: ſed patriam fugiens, in has terras velut in orbem alterum delata perſeueranter latuit hic in finem, & pro domo habuit nudam & concauam illam rupem, quam vidiſſe te arbitror: neque enim procul hinc abeſt, & locus eſt ſacro quodam horrore venerabilis, ac viſitari de longinquo etiam non indignus, vbi & ſæpe me fuiſſe, & tres olim noctes totidemque dies, non ſine voluptate, alia quàm quæ in vrbibus capi ſolet, exegiſſe memini. Illic dulcis ac felix Chriſti hoſpita non ornantium ſeruitio puellarum: ſed obſequentium miniſterio angelorum viuens ac moriens vſa eſt. At nihil tale fecit Martha ſoror, dicat aliquis, & tamen ſancta eſt. Non inficior quidem, ſed certè multo ſanctior Maria quæ id fecit. Hæc Petrarcha, qui & plurimum deuotus huic ſanctiſſimæ fuerat: in cuius honorem, & carmina quædam ſepulchro ipſius fecit appendi, quę iam ſubſcribere haud indignum duximus. Sic enim incipiunt:

Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere noſtris,
Atq; meas intende preces, noſtræq; ſalutis
Conſule, namq; potes, neq; enim tibi tangere fruſtra
Permiſſum, gemituq; pedes perfundere ſacros,
Et nitidis ſiccare comis: ferre oſcula plantis.
Inq; caput Domini precioſos ſpargere odores.
Nec tibi congreſſus primos à morte reſurgens,
Et voces audire ſuas, & membra videre,
Immortale decus lumenq; habitura per æuum,
Nequicquam dedit æthereі rex Chriſtus Olympi.
Viderat ille cruci hærentem, nec dira pauentem
Iudaicæ tormenta manus, turbæq; furentis
Iurgia, & inſultus, æquantes verbera linguas:
Sed mæſtam intrepidamq; ſimul, digitiſq; cruentos
Tractantem clauos, implentem vulnera fletu:
Pectora tundentem violentis candida pugnis:
Vellentem flauos manibus ſine more capillos.
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida ſuorum
Diffugerent pellente metu, memor ergo reuiſit
Te primam ante alios, tibi ſe prius obtulit vni.
Te quoq; digreſſus terris & ad aſtra reuerſus,
Bis tria luſtra cibi nunquam mortalis egentem
Rupe ſub hac aluit: tam longo tempore ſolis
Diuinis contenta epulis & rore ſalubri.
Hæc domus antra tibi ſtillantibus humida ſaxis
Horrifico tenebroſa ſitu, tecta aurea regum,
Delitias omnes ac ditia vicerat arua.
Hic incluſa libens longis veſtita capillis
Veſte carens alia ter denos paſſa decembres
Diceris, hic non fracta gelu nec victa pauore.
Namq; famem, frigus, durum quoq; ſaxa cubile,
Dulcia fecit amor, ſpeſq; alto pectore fixa.
Hic hominum non viſa oculis, ſtipata cateruis
Angelicis, ſeptemq; die ſubuecta per horas,
Cæleſtes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuiſti.

Hæc propterea ex Petrarcha recẽſui, vt conſtaret priores duos cardinales Cuſanũ & Senogallienſem, q̃ proxime ad hiſtoriæ teſtatiſſimæ veritatem acceſſiſſe, cuius eſt & fama cõſtans per omnes gẽtes huic ſepulchro vicinas, quibus ob id credendum eſt magis, q̃ aliis quæ plus remotæ ſunt, & externæ. Verũ ſi adhuc cardinalibus fidẽ adhibere nolit Faber, aliquot ex ſummis põtificibus huius opinionis aſſertores adducemus: quibus propter ſupremã eorũ in eccleſia auctoritatẽ facile ceſſurũ arbitramur. Nihil enim eſt in terris ſum̃o pontifice maius, ad quẽ in omnibus controuerſiis recurſum habere chriſtianos decet, atq; illius decretis obedire, maxime in his quæ ad fidẽ euangeliorum ſpectant: alioqui noſtra conditio multo eſſet deterior, q̃ Iudæorum olim fuit. Nã illis à Moyſe præceptũ fuit, vt ſi difficile & ambiguũ apud ſe iudiciũ eſſe perſpexerint, & iudicum ſuorũ verba viderint variari, tũ ſurgerent & aſcẽderent locũ quem elegit Dominus Deus, venirentq; ad ſacerdotes leuitici generis, & ad iudicẽ qui fuerit illo tempore, à quo audirent iudicii veritatẽ, quam ſequerentur. Et ſi quiſpiam ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore Domino Deo miniſtrauerit, is morte illico plecteretur. Hæc profecto nõ ſolum pro Iudæis erant ſcripta: ſed pro nobis etiã qui chriſtiani ſumus. Quamobrẽ ſi quando inter Iudices noſtros varias opiniones eſſe cognouerimus: vnde potius expetenda eſt eius rei certitudo, quã à ſummis pontificibus, qui loco præſunt, quem Dominus elegit, hoc eſt ſacræ ſedi apoſtolicæ? quorum ſententiæ ſtandum erit. Nam qui nolit horum ſententiis obtemperare, multo iuſtius meretur morte plecti, quam qui ſynagogæ pontificibus non obedierit. Non paruæ igitur auctoritatis id exiſtimandum eſt, ſi quid in hoc negocio Romanæ vrbis pontifices pro vero aſſeruere. Prodeat ergo in mediũ Leo primus, non minori ſanctimonia, quam doctrina inſignis, qui in concione quadam ita de Magdalena loquitur. Quando, inquit, proſtituta lupanar exiuit, tunc diſcipulus gehennam intrauit. quando illa mercedem ſui corporis abdicabat: tunc iſte precium ſanguinis magiſtri ſui poſtulabat. hæc præfatus Leo. Quod vel propterea dixiſſe videtur, quod Iudas tunc prodendi magiſtri ſui occaſionem ſumpſerit, quando mulier fracto alabaſtro, Chriſti caput vnguento perfudit. eãdem quippe faciens peccatricẽ cũ ea, quæ ſuper Chriſti caput vnguentũ effudit, quæ verba ſatis efficaciter noſtrũ inferunt inſtitutum. Sed quoniã in ore duorum vel triũ teſtium ſtabit omne verbum, producamus & ex eiſdem ſummis pontificibus, alterũ, qui rẽ dicat apertius, Gregoriũ I. Is de eadem fœmina loquens, ait: Lauit lacbrymis maculas cordis, & redẽptoris ſui veſtigia tetigit, quæ itinera ſua praua dereliquit. Sedebat ad pedes Ieſu, verbumq; de illius ore audiebat: viuenti adhæſerat: & (quũ ſepultus eſſet) mortuum quærebat: viuentem repperit quem mortuum quæſiuit: tantumque apud eum gratiæ locum inuenit, vt hunc ipſis quoque apoſtolis, eius videlicet nunciis, ipſa nunciaret. Hæc Gregorius, qui & vbique eandem fuiſſe fœminam conſtantiſſime aſſerit, quamquam Faber id ſcire diſſimulat. Sed iam tempus opportunum arbitror, vt quomodo Faber huius maximi pontificis auctoritatem impugnet, audiamus. Tu mihi, inquit, vnum eccleſiæ doctorem opponis: ego tibi plures. Hic ſane cuperem vt Faber aduerteret, cuiuſmodi hic vnus eſt, & quales illi ſint. Atque (vt de Hieronymo loquamur primum) eius teſtimonium multas ob cauſas Gregorii ſententiam explodere non poteſt. Et primũ quod ſingula dicta loca, quæ ab euangeliſtis memorantur, vni fœminæ ſe cõmodat, vti ſuperius oſtendimus: Deinde quod eius teſtimoniũ etiã interpretationẽ admittit, & eã certe, quæ diuo Ambroſio viſa eſt rationi conſentanea. Tertio quia ille in cunctis ſentẽtiã ſuã ſummorũ põtificũ cenſuræ ſubiicit, è quorũ numero Gregorius haud poſtremus erat. ita enim ad Damaſũ papã Hieron. ſcribẽs: Hæc eſt, inquit, fides papa beatiſſime, q̃ in eccleſia catholica didicimus, quãq; ſemper tenuimus, in qua ſi minus perite, aut parum caute aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri ſedẽ tenes, & fidẽ. Vide quantũ hic Hieron. illis tribuat, qui Petri ſedẽ tenuerunt, nempe quod ad illos pertineat de ſingulorũ opini-

opinionibus ferre ſententiã, & quas illi probauerint, à cæteris eſſe probandas. Nam continuo ſubiecit. Si autem, inquit, hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui iudicio comprobetur, quicunq; me culpare voluerit, ſe imperitum, aut maleuolum, vel etiam non catholicum ſed hæreticum comprobabit. Hæc Hieronymus ad Damaſum. Cui & parem in eccleſia poteſtatem Gregorium illum magnum geſſiſſe, nemini dubium eſt. Videre igitur ex his licet, cur debeat Hieronymi teſtimonium ſententiæ Gregorianæ cedere, quæ nec varie, neq; hæſitanter pronunciata eſt, neque interpretationem ſuſcipit aliquam. Sed & Ambroſius ſuper Lucam (vt & ſuperius oſtendimus) eandem opinatur fœminam fuiſſe, quæ illic peccatrix dicitur, & quæ apud Matthæum, & Marcum, vnguento perfudit Chriſti caput. Et quoniam plane ex eo conſicitur, vt non diuerſa ea ſit, de qua Iohannes ſcribit, Ambroſius (quantum ad hæc loca pertinet) nihil diſcrepat à Gregorio. Chryſoſtomus vero (quoniam & ipſe per omnis cum Ambroſio conuenit) quod ſit eadem mulier apud tres, Matthæum, Marcum, & Lucam, neque à Gregorio diſſidebit. Origenes poſtremo (qui duas facit apud Matthæum, & Iohannem) ab ipſa veritate longiſſime abeſt: quod vel Faber ipſe non ibit inficias. Manet igitur illis non obſtantibus integra & inconcuſſa Gregorii magni ſententia. Quantum vero ad ſeptem dæmoniorum eiectionem pertinet (de qua Faber multa prodigit verba) ſatis me primo libello dixiſſe arbitror, ex doctrina Caſſiani, quomodo nonnunquam aliqui à dæmoniis poſſidentur animo ſolum: nec tamen ab eiſdem corporaliter infeſtantur. ad quem modum potuit & hæc fœmina ſeptem fuiſſe plena dæmoniis. Sed nec Gregorius dæmonia ipſa peccata vocat, quamquam ex numero myſticam aperit ſignificationem. Septenarius equidem numerus vniuerſitatem quandam indicat. Et profecto vbi tot dæmonia ſedem ſibi poſuerunt, nemo poteſt ambigere vitiorum omnium fuiſſe ſentinam. Quam quid prohibet in Magdalena fuiſſe, in qua, vt Ambroſius dicit, gratia ſuperabundauit, vbi iampridem ſuperabundauit peccatum. Sed neq; græci ipſi à Gregorij diſſident interpretatione. Nam & Theophilus Græcus auctor de illa loquens, cui Chriſtus poſt reſurrectionem primum apparuit, de qua & Marcus ſeptem dæmonia eiecta fuiſſe teſtatur, ita dicit: Septem, inquit, dæmonia Maria habuit, quæ vniuerſis vitiis plena fuit: ſeptem dæmonia, ſeptem virtutibus contrarios ſpiritus dicit, vt ſunt ſpiritus abſq; timore, abſq; ſapientia, abſq; intellectu: & quæcunq; alia donis Spiritus ſancti opponuntur. Poteſt & Gregorius Nazianzenus idem ſenſiſſe videri: vbi in carminibus ſeorſum enumerat omnia miracula, quæ de Chriſto ſinguli euangeliſtæ retulerunt. Nam inter ea, quæ Lucas meminit, miraculum recenſet, quod de peccatrice fecerat Chriſtus, quod nullum aliud videri poteſt q̃ luſtratio, & expiatio à dæmoniis, de qua ita ſcribit: Vnguento autem vngentẽ ſanctos pedes luſtrauit verbo. hoc eſt, Chriſtus verbo expiauit eam, quæ ſanctos ipſius pedes vnxit. Sed iam ſatis dixiſſe putamus pro Gregorii defenſione, ſuper iis quibus illum mordebat Faber. Verum & aliud iam occurrit, nempe iſtud, quod & parum à conuicio abeſt. Si Gregorius interrogatus eſſet, à quonam è prioribus didiciſſet peccatricem, de qua Lucas agit, fuiſſe vocatam Mariam Magdalenam, mea quidem ſententia (quod omni bona gratia dixerim) plurimum in auctore inueniendo ſudaſſet. Ita Faber beatum illum patrem ſuggillat, verum iſtud ſi viciſſim in Fabrum retorqueretur, vt is auctorem proferret ex maioribus, quos vocat, qui nomen eius fœminæ, quæ apud Matthæum in Chriſti caput effudit vnguentum, Mariam Magdalenam eſſe diceret, quod tamen ipſe affirmat, aut ſi cogeretur aliquem ex græcis producere, qui tres aut duas affirmarent Magdalenas: nihil ambigo, quin ipſe multo ſudaret amplius: quam Gregorium putat fuiſſe ſudaturum. Atqui, quid opus eſt Gregorio aliunde citare auctorem, quum poſſet ex ipſis euangeliis id docere ſatis abunde? Quid enim poteſt apertius pro hac ſententia facere, quam quod Chriſtus prædixit æternam illius mulieris memoriam futuram, quæ (apud Matthæum) caput ſuum vnguento perfudit? Falli Chriſtus non potuit: Ipſe etenim certo certius prænouit, quid eſſet futurum. falli potuerunt homines, alteram pro altera capientes. Verum ſi illius cuius monumentũ nunquam intermoriturum prædixerat Chriſtus, memoria interiit, fruſtrata plane eſt prædictio Chriſti: caſſatum eſt oraculum ipſius: ipſius inquam qui dixit, verba mea non tranſient. At vaticinatus eſt Chriſtus fore, vt ea mulier, quæ (apud Matthæum) caput ſuum perunxit, perpetuum inde eſſet monumentum habitura: nunc vero ea, de qua Iohannes loquitur, quamquam reuera fuerat Marthæ ſoror, pauciſſimi tamen illam ſub eo nomine venerantur. At ſub nomine peccatricis apud cunctos per vniuerſum orbẽ eſt celeberrima, adeo vt vix pro Chriſtiano habeatur qui non tenuerit eius nomen. Sed hactenus pro Gregorio: vt eius teſtimonium à nemine contemnatur. Quod ſi Faber neque ſummos iſtos pontifices velit recipere, conabimur adhuc reuelationibus quibuſdam approbatis ſententiam noſtram, immo totius orbis communem roborare, neque illas huc adducam, quas ij conſtantiſſime referunt qui vitas harum ſororum mandanere ſcriptis, & certe nõ mẽdaciter, vt par eſt credere, ſed quas ſanctiſſima virago Birgitta (Chriſto reuelante) didicit, quas & Bonifacius nonus (poſtquam eas diligentius examinari fecit) auctoritate communiuit apoſtolica. Libro igitur quarto reuelationũ illius, & capite ſeptuageſimo ſecũdo, Chriſtus

Chriſtus introducitur loquens ad ſponſam in hunc modum. Quatuor (inquit) erant quæ ad reſuſcitandum Lazarum mouebant. Primum quia amicus meus erat dum viueret. Secundum dilectio ſororum eius. Tertium quia humilitas Mariæ tantum meruit in lotione pedum meorum. Ex his verbis liquet eandem fuiſſe Lazari ſororem, & quæ lachrymis lauit Chriſti pedes. Rurſum capite 108. Chriſtus ad Birgittam, Tres (inquit) ſancti mihi præ cæteris placuerunt: ſcilicet Maria mater mea, Ioannes Baptiſta, & Maria Magdalena. Et huius tertij cauſam annectens ait. Quando Maria Magdalena conuerſa fuit, dæmones dixerunt: quomodo reducemus eam, pinguem enim prædam perdidimus. Hactenus ex reuelatione. Ex quibus verbis diſcere licet hæc duo: alterum quidem quod Magdalena propter vitæ ſanctimoniam cum Maria matre Chriſti, & cum Ioanne Baptiſta connumerata fuit, alterum vero quod ipſa eadem prius ob vitæ turpitudinem fuerat dæmonum præda. Atqui vt illud nô poteſt, niſi de ſorore Marthæ intelligi, ita iſtud nequit de alia magis quam de peccatrice veritatem habere. Ad hæc Vincentius Beluacenſis qui copioſam ſcripſit hiſtoriam, & plurima diligenter enarrauit, non de vita ſolum huius ſanctiſſimæ peccatricis, & amatricis Chriſti, verum etiam de miraculis, quæ multa ſane Chriſtus ad huius nominis inuocationem operatus eſt, affirmat eandem ſibi diuam apparuiſſe, capite quinquageſimotertio libri 23. hiſtoriæ ſuæ, his verbis. Nobis quoq; inquit, dum ſuperius digeſta ſcribere conaremur, eadem Chriſti amatrix apparuit. miracula vero quiſquis deſiderabit, eodem comperiet libro. Qui vero neque miraculis, neque reuelationibus, neque ſummorum pontificum aſſertionibus flecti poteſt, vt vnicam credat Magdalenam fuiſſe, duræ admodum ceruicis eſt. At multo certe durioris, ſi nolit eccleſiæ fidem adhibere. Faber communem totius eccleſiæ ſententiam, communem totius vulgi opinionem vocat. Quod ſi nemo præter vulgum ita ſentiat, demiror plurimum quoſnam proceres eccleſiæ deputabit. Nam erit ex hoc vulgo ſummus pontifex, erunt & Cardinales, erunt & Archiepiſcopi, atque epiſcopi omnes. Neque enim quiſquam illorum, opinor, ſi fuiſſet percontatus (ante ſuſcitatam hanc à Fabro aſſertionem) reſpondiſſet tres fuiſſe Magdalenas. Solus itaque ſua opinione Faber ſapit, ſolus regnat, & triumphat ſolus, eccleſia ſi velit, ab illo veritatem diſcat, neque eſt, vt deinceps, aut Gymnaſiis publicis, aut Epiſcopis, neque ſummo ipſi pontifici quiſquam credat: ſed vni Fabro, qui ſolus euangeliorum energian noſſe ſe putat, & ex dilucida veritate confingere errorem poteſt faberrime. Sed vtinam aliquando ab hac ſententia, ne dicam inſania, reſipiſcat: & diſcat ſapere ad ſobrietatem: conuertaturque; & fiat ceu paruulus quiſpiam, & obſequenter audiat ſanctam matrem eccleſiam. Non enim ignorat dixiſſe Chriſtum: qui eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Audiat (inquam) eccleſiam non Donatiſtarum, non Origeniſtarum, non Fabriciorum, ſed eccleſiam illam quam ſancta Synodus Nicena catholicam cenſet vocandam: hoc eſt vniuerſalem, & quæ per totum Chriſtianitatis orbem diffunditur. Nimis equidem arcto Faber ſuam eccleſiam coangustauit loco, quum vix vnum aut alterum admittat ſecum. Neque enim Origenes (quantumcunque idipſum moliatur Faber) ad eius eccleſiam pertinebit. Nuſquam profecto tris ille fuiſſe Magdalenas aſſeruit: ſed vnicam potius. Quid enim ſi tris diuerſas ille fœminas opinatus fuerit, quas Euangeliſtæ ſcribunt vnxiſſe Ieſum: Num propterea totidem aiemus illum aſtruxiſſe Magdalenas? Nequaquam. At ſubinfertur ex eo, Faber aiet, tris fuiſſe Magdalenas. Donemus ſubinferri poſſe cum aliis quibuſdam adiectis, poſt multos tandem collectionum circulos tres fuiſſe Magdalenas. Verum nuſquam hoc primis verbis Origenes aſſeruit, quin contrarium magis opinari videtur omnibus in locis, quibus nomenclaturam ipſius exprimit fœminæ, neque vſpiam apud eum legiſſe memini, duas eius nomenclaturæ fuiſſe fœminas. Quod ſi friuolis illationibus inſiſtere licebit, ego ex Origenis vna cum Fabri verbis colligam apertiſſime quatuor fuiſſe Magdalenas. Nam ſi mulieres illæ, quæ Chriſtum apud Euangeliſtas vnguento perfuderunt, tres omnino diuerſæ ſunt (vt Origeni imputat Faber) & vnaquæque illarum vocata Magdalena. At nulla dictarum eſt illa: de qua Ieſus eiecit dæmonia ſeptem, primum, non illa quæ apud Lucam peccatrix appellatur, quod & Faber pluribus contendit, neque illa, quæ caput Chriſti contigit apud Matthæum, neque enim decuit (iuxta iſtos) neque auſa fuiſſet dæmoniaca Chriſti caput contingere: ſed neque Marthæ ſoror fuerat, eorundem ſententia. Quamobrem neceſſe eſt, vt non ſolum tres: ſed & quatuor ſint Magdalenæ, iuxta Origenem, & Fabrum. Id haud dubie rectiſſima conſecutione ſubinfertur ex eorum dictis. Quo fit, vt ſi velit Faber iſtiuſmodi illationes admittere, quatuor erunt. quod ſi non placet: ſed primis duntaxat verbis inſiſtere, nuſquam duas apud Origenem comperiet Magdalenas. Quamobrem & Origenes excluſus eſt ab eccleſia Fabri. Chryſoſtomus item nullo affirmauit loco duas fuiſſe, duas inquam vocatas Magdalenas: ſed & ipſe prorſus agnoſcit eandem apud Matthæum Chriſti caput inunxiſſe, quæ apud Lucam dicta eſt peccatrix aduerſus vtrumque, tam Fabrum quam Origenem. Quocirca, neque ipſe Fabri eccleſiam ingreditur. Hieronymus vero, quanquam & ipſe diſcrimen aliquod innuere videatur inter eam, quæ peccatrix fuerat: atq; illam, quæ caput Chriſti inunxit: nuſquam tamen memorat duas fuiſſe Magdalenas. Quare neque is ad

Fabri eccleſiam pertinebit. Ambroſius, deniq; quamquam duas parum conſtanter faciat, nuſquam tamen dicit ſe tres fuiſſe Magdalenas opinatum. Solus itaque Faber ſupereſt: qui quum cæteros omnes vnicam venerantes Magdalenã vulgo deputat, ſolus poteſt, aut cum admodum paucis intra anguſtos eccleſiæ ſuæ parietes de ſua ſingulari inuentione gloriari. Verumenimuero longe tutius illi foret (vt diximus) cum eccleſia Catholica conſentire: neq; tantopere eam ceu mendacem infamare, quippe quæ ſingulis annis per totum Chriſtianitatis orbem etiam in ipſa Romana curia in celeberrimo Paſchæ feſto per tot ſacerdotum buccas, per linguas tot pontificum, per tot cardinalium ora etiam ſummi ipſius pontificis voce pronunciat hymnum hunc de Magdalena: Maria ſoror Lazari, quæ tot cõmiſit crimina, ab ipſa fauce tartari redit ad vitæ limina. Si hoc verum eſt, verũ etiam erit vnicam fuiſſe Magdalenã. Sin mendacium eſt, ſolenne profecto mendacium eſt, & celebre, immo nihil celebrius. Sed inquiet Faber, nuſquam hoc ab eccleſia decretum fuit, neq; eccleſiæ iudicio inſtitutum. Hic oportet noſſe, iudicium poſſe bifariam intelligi, nempe aut expreſſum aut tacitum, quod & Ioannes Franciſcus Concordiæ comes, vir coniugij legibus aſtrictus, docte explicat, & docet non ſolum iudicio eccleſiæ expreſſo, ſed & tacito obediendum eſſe. Iam quis negare poteſt, id tacito eccleſiæ iudicio fuiſſe inſtitutum, cui certe nemo tot iam annorum ſeculis reclamauit, præter vnum Fabrum? Ad hæc non eſt credibile id in miſſa legendum decerni, abſque ſummi alicuius pontificis mandato, cui & græci ipſi tantum deferunt, vt ab illo quærendum exiſtiment quid credere, & quid tenere debeamus. Quod ſi laici tacitum eccleſiæ iudicium venerentur, & græci, pontificis Romani auctoritatem adeo reuereantur, Faber, qui ſacerdos eſt, & latinus, reclamabit, ſuggillabit, contemnet? At Euangelia (inquit Faber) aliud plane loquuntur. Si de Euangeliis controuerſia foret, & alius hunc ſenſum ex eis caperet, alius alium: quem, rogo, iudicem & litis huius diremptorem potius haberemus, quam aut eccleſiam, aut pontificem ipſum maximum? Verum quum iam Euangeliſtæ miro conſenſu vnicam fuiſſe teſtentur, abſque omni diſcordia, adeo, vt qui plures aſſerat, ipſis Euangeliſtis contradicat, & qui peccatricem neget ſuper caput Ieſu vnguentum effudiſſe, Chriſti confirmatiſſimam prædictionem interimat, & (quod horreo dicere) Chriſtum faciat mendacem. Quum hæc inquam ita ſe habeant, nihil Fabro reliquum eſt quo ſuam opinionem tueatur. Neque ſuppetias ei ferent illa, quæ Iodocus attulit. Primum, Irenæus nihil illi ſuffragatur. Neq; enim affirmat Irenæus de ea quæ fuerat peccatrix Lucam tradidiſſe ſolum: ſed quod nullus alius Euangeliſtarum præter Lucam, hiſtoriã peccatricis narrauit: quomodo ſcilicet recũbente Ieſu apud Phariſæum, ipſa pedes illius oſculabatur, atque vnguento vngebat, & quæ propter eam dixit ad Simonem Ieſus, de duobus debitoribus. hæc nimirum ſolus Lucas explicauit de peccatrice. Verum nihil prohibet cæteros de eadem fuiſſe locutos, atque alia præter hæc enarraſſe. Quantum vero ad Origenem ſpectat, ſatis nos ſuperius dixiſſe arbitramur. Eius enim teſtimonium pro magna parte ab omnibus exploſum eſt. Nam nunc nihil receptius eſt, etiam ab ipſo Fabro, quam eandem fuiſſe mulierem, quam Iohannes ſcribit vnguentum ſuper pedes, & quam Matthæus & Marcus tradunt ſuper caput effudiſſe. Verum vt donemus Iodoco Origenem tris affirmaſſe, non tamen adhuc ex Origene protulit tris fuiſſe Magdalenas. Vbi vero Gregorium inceſſit, quod angelum rationale animal appellat: quum omnis ſchola & teneat, & aſſerat oppoſitum: etiam contra id euangelij dictum aperte militet, Spiritus carnem & oſſa non habent; Ego certe neque illa animalia (de quibus Ezechiel ſcribit quod ibant & reuertebantur) carnem & ſanguinem habuiſſe puto: neque fuiſſe rationis expertia, ſed rationalia. Et quid vetat einſmodi animal rationale angelum dici? Similiter & Paulus, animam hominem appellat, quod quamquam Platonicum ſit, in hoc tamen ſenſu nemo reiicit Et ſi animus homo quocunque ſenſu dici poteſt, dicetur & animal, animal inquam haud rationis expers: ſed rationale: neque tamen eiuſmodi animal quod carnem habet aut oſſa. Neque profecto adeo rudis erat, & craſſo ingenio Gregorius, vt iſtud non intellexerit, nempe angelos ex carne & ſanguine non eſſe conſtitutos. Poſtremo quod ex Baptiſta Mantuano producit, in eius faſtis teſtatum, hanc de Magdalena controuerſiam in Italia verſari. Baptiſta vero non magis illic de Italia, quam de Britannia locutus eſt, niſi quod Iodocus inſinuare velit eam opinionem late fuiſſe ſparſam. Verum quod ait Baptiſtam huius controuerſiæ nolle ſe facere conſorẽ, nemini dubium eſſe poteſt, qui Baptiſtæ carmina legerit, cum opinioni ſubſcripſiſſe de vnica Magdalena, & illam quæ de tribus Magdalenis eſt reſpuiſſe, ceu rumores incertos. propter quod ait, Nos quoque rumores hominum contemnimus iſtos. Quem verſum Iodocus (haud ſcio quo ductus animo) penitus intermiſit. Reliqua vero per eundem introducta, mihi minus ſolida videntur, quam debeant à tanto viro proferri. Teſtantur ſane illa amicum animum quo in Fabrum Iodocus afficitur, qui quantis poteſt fulcimentis, illius opinionem ſtabilire molitur. Verum quum pro ea ſtabilienda, ad hæc tam friuola atque inania confugiat, iudicium eſt, validiora deeſſe quibus eam comprobet efficacius. Ob quod certe mea ſententia multo fuiſſet optabilius Fabro, ſi ne verbum quidem Iodocus dixiſſet, quamquam adeo frigide ieiuneq; cauſam egiſſet ſuam. Cæterum Baptiſtæ carmina, quæ in laudẽ huius diuæ cecinit, quia docta ſunt & ele-

& elegantia, atque ad rem noſtram conferentia plurimum, haud inidonea duximus, quæ his annecterentur:

Luce bis vndecima dum Iulius æſtuat, ecce
Magdalena ferens loculos ſpirantis amomi,
Panditur, effuſis per eburnea colla capillis.
O mulier, quæ ſpem veniæ mortalibus affers:
Et delere doces humana piacula, ſalue.
Illuſtri te ſtirpe ſatam, ſub purpura & auro
Tranſegiſſe ferunt teneros regaliter annos.
Et quoniam tempus iuuenile, licentia, forma,
Ocia, delitiæ, mortalia pectora ſoluunt,
In veneremq; trahunt, male cuſtodiſſe pudorem
Diceris, & cæci ſenſiſſe Cupidinis arma
Forma Helenæ tua forma fuit damnoſa pudicis
Mentibus & tetricos potis emollire Catones.
Hinc fas eſt ſpectare quibus ſuppoſita pericl̃is
Vita ſit, & quot ſint pelago ſymplegades iſto.
Mens falſis deluſa bonis magneta, poluumq;
Perdidit, & fracto paſſa eſt naufragia clauo.
At pater omnipotens, vt ſe cognoſceret ipſam
Fecit, & illudentem oculis diſpeſcuit vmbram.
Tum pertæſa graues maculas, heu pœnitet inquit,
Pœnitet atq; pudet vitæ infeliciter actæ.
Iratos patior ſuperos, me Numina terrunt
Proſpiciunt: in ſorde cubo tetrum ore ſepulta.
Manibus in prædam data ſum, me poſſidet orcus.
Deq; meis furiæ exuuiis poſuere trophæum.
Hæc vbi dicta, ſinum tracto velauit amictu,
Continuo & gemmas à fronte, à pectore, ab aure,
Diripiens clauſit loculis & pyxide eburna.
Quis vero abſcondit nauos & adulterat ora
In fornicas egit fucum, myrrhamq; Thymumq;,
Et quæcunq; tulit Venus vnguentaria, vaſis
Ad lapidem fractis, velut abiectiſſima quædam
Purgamenta, ſolo dedit, in nihilumq; redegit.
Talia dum fierent, magnum germana prophetam
Aduenit aſſe referre, hominum qui tollere poſſit
Nequitiam, ſcelera, errores, & reddere ſanctos.
Nec mora, proripuit celeri ſe concita greſſu.
Inuenitq; virum cum maieſtate loquentem
Grandia, conuiuaſq; graui ſermone docentem.
Et proſtrata ſolo lachrymis veſtigia Chriſti
Abluit, abſterſitq; comis, vnxitq; alabaſtro.
Officio talis ſcelerum de ſyrte ſuorum
Eruta, ſurrexit: ſeſeq; redemit amando.
Quæ Chriſti lauere pedes, lauere furorem
Lachrymæ, & inſanæ delıramenta iuuentæ.
Diſcite, quos cæcus facit inſanire Cupido,
Diſcite ab hac fœdo quod ſit medicamen amori.
Diſcite quo poſſit vitium iuuenile domari
Vomere, quæ vinci Cangrena libidinis arte.
Quærite diuinum mala qui lauat omnia fontem.
Hinc miſeri diſcant non deſperare ſalutem.
Nam quicunq; dolent vitam inſynceriter actam,
Innocui fiunt. ægrotis incendia cordis
Tanta valent: fiunt pueris inſontibus æqui.
Ipſa fuit magnæ comes atq; ancilla parenti,
Et Chriſti pars magna domus miracula vidit
Facta per Aſſyrias cunctis notiſſima gentes,
Affuit extremis Chriſti cruciatibus inter
Agmina rhomphæis grauibusq; horrentia pilis.
Ipſa triumphato vidit phlegethonte magiſtrum
Prima reſurgentem, lachrymis præ gaudio obortis.
Cum mala iam Chriſto ſors in ſua regna reuerſo
Chriſtigenas premeret, patriis de finibus ipſa
Et ſoror & frater venit ad regna ſecundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenſes noua fundauere coloni.
Magdalena ferens ſeſe in deſerta ſub altis
Delituit cryptis, manſitq; incognita longo
Tempore, & à ſolis habuit conuiuia diuis,
Cum quibus aſſidue ſeptem (quas dicere mos eſt)
Canonicas modulis celebraſſe ſuauibus horas
Dicitur, & dulci reſonaſſe per aera cantu.
Tandem vbi finito venit lætabile tempus
Exilio, poſitis iuit ſuper æthera membris.
Sunt qui turpe putent Marthæ infamare ſororem,
Sed memorant aliam quandam de gente puellam
Nominis eiuſdem, cui ſic illuſerit illa
Tempeſtate Venus iuuenum teterrima peſtis,
Gregoriumq; volunt. fœdi qui criminis auctor
Extiterit, peccaſſe: velut peccaſſe Maronem
Dicimus ob læſum caſtæ Didonis honorem.
Sed quoniam diui qui ſupra ſydera viuunt,
Non curant de ſe in terris quid fama loquatur:
Nectar enim quo veſcuntur deſiſcere terras
Cogit, & inducit perituri obliuia mundi:
Nos quoq; rumores hominum contemnimus iſtos.

Tribus igitur his libellis conſtare non ambigimus, diuæ Magdalenæ vnitatem, vt iam nullus omnino ſuperſit ſcrupus quam ſub eo nomine venerari debeamus. Illius itaque patrociniis meipſum commendo, opellamq; hanc noſtram quã eius nominis gratia ſuſcepi: ſuo iam aſſiſtat ipſa negocio quod Chriſtus multis quondam miraculorum indiciis, ad honorem huius tam ardentis amatricis ſuæ comprobauit: cui neq; iam defuturum confidimus indubitanter.

F I N I S.

REVERENDI PATRIS IOANNIS EPISCOPI ROFFENSIS COMMENTARII IN SEPTEM PSALMOS QVI DE POENITENTIA INSCRIBVNTVR, ab eo lingua vernacula habiti editique; , & latine redditi.

IOANNE FEN à MONTE-ACVTO INTERPRETE.

ITEM CONCIONES DVAE: ALTERA DE PASSIONE Domini, altera de iuſtitia phariſæorum & Chriſtianorum.

ITEM METHODVS PERVENIENDI AD SVMmam Chriſtianæ religionis perfectionem.

AVTHORIS PRÆFATIO.

CVm fructuoſas illas & longe præclaras illuſtrium theologorum lucubrationes magna ſacrarum literarum authoritate fundatas ad mentem reuoco: quibus illud præcipue propoſitum fuit, vt Chriſti ſaluatoris, Prophetarum, cæterorūq; diuinæ legis conſultorum verba (quorum vtiq; mens diuini Spiritus gratia illuſtrata fuit) non ſolum populo quotidie pro concione proponerent, ſed & quæ ab ipſis iam perorata fuerant, ſcriptis diligenter mandata ad non exiguam poſterorum, qui ea tum lecturi tum etiam auſcultaturi erant, vtilitatem propagarent: equidem hoc eorum conſilium tacita mecum conſideratione perpendens, mihi quoq; amplectendum & in exemplum trahendum eſſe duxi. Eaq; ratione permotus, cum nuper eas ſanctiſsimi regis & Prophetæ Dauidis ſententias, quæ ſeptem Pſalmis pænitentialibus continentur, publice declarandas ſuſcepiſſem (quibus concionibus interfuit magnamque ex eis voluptatem cepit illuſtriſsima princeps Margarita Richemūda & Darbeia comitiſſa, ſereniſsimi regis noſtri Henrici eius nominis ſeptimi mater) ipſius tandem longe humaniſsimæ meiq; ſemper ſtudioſiſsimæ patronæ hortatu ſeu magis imperio acquieſcens, conciones à me habitas in ſcripta redegi, vt typis mandari poſſent. Quod eo quidem conſilio à me factum eſt, vt quotquot eas diligenti ſeu lectione ſeu auditione excepturi ſint, ad æternæ ſalutis viam & capeſſendam & ſectandam excitentur: atq; ita demum cum ineffabili animorum gaudio ad longe præclariſsimam illam beatæ trinitatis ſpeciem inceſſanter contemplandam perueniant. A cuius clementia illud enixe contendimus, vt ampliſsimam heroinam, inuictiſsimumq; principem eius filium, cum vniuerſa regis ſobole tueatur, & cuncta eis animæ ac corporis bona tribuat, omnibuſq; mortalibus noſtras haſce conciones perlecturis concedat, vt in ſemita iuſtitiæ maiore in dies ſingulos cum animi alacritate perſeuerent.

IN PSALMVM VI.

Domine ne in furore, &c.

Nihil bodie dicturus ſum, cbariſſimi, nec in epiſtolam nec in Euangelium, quod hoc tempore fortaſſis eapectatis. Sed vt eorum ſtudio & poſtulationi ſatisfaciam, quibua nihil negare debeo, quod ſit ex officij mei & ipſorum ſalutis ratione, breuem quandam in Pſalmum primum pœuitentialem enarrationem facturum me recepi. q; vt præſtare queam, diuinam opẽ imploro, illud à Deo opt. max. ſubmiſſe contendens, vt pro ſua pietate & clementia eam mibi gratiam impertiat, vt quicquid hodie dicturus ſum, ſit illi gratum, animæ meæ miſeriis obnoaiæ ſaluti, peccatoribus omnibua ſolatio, quos vitæ male actæ pœuitet, ſeq; ad Deum ex toto corde conuertunt, viaſq; peccatorum & impietatis prorſus & ex animo deteſtantur.

Sed antequam Pſalmi huius enarrationem aggrediamur, operæ precium erit declarare, quis eiua authur extiterit, qua occaſione ſcripſerit, quid fructus, emolumenti, aut etiam beneficij inde conſecutus fuerit. Dauid filius Ieſſe, vir à Deo ſingulari quodam modo electus, multiſq; magnis ab eo affectua beneficiis, poſtea in ipſum ſanctaſq; eius leges atrociter peccauit: atque hac quidem perpetrati ſceleris occaſione Pſalmum hunc compoſuit, eaq; ratione peccati veniam impetrauit. Ecce quiſnam fuerit, quo loco oriundus, qua occaſione bunc Pſalmum compoſuerit, quem ex eo fructum retulerit. Sed hæc à me ſingula fuſius explicabũtur, vt ab vnoquoq; veſtrum melius intelligatur, cuiuſmodi peccator hic Propbeta extiterit, quantaq; fuerit ipſiua peccati magnitudo: vt & nos illius exemplo moniti inſtructiq; nullo modo animum deſpondeamus, ſed cũ animo vere pœnitenti pium ac miſericordem Dominum accedentes, veniam ab eo deprecemur. Sceleris autem ab eo perpetrati magnitudo & atrocitas à nobis facilius & melius deprehendetur, ſi magna ipſius in Deum opt. max. qui tot tantaque in eum contulerat beneficia, ingratitudo nobia ob oculos ponatur.

1. Reg. 16. & 17. Ieſſe Dauidis pater ſeptem filios ſuſceperat, quorum ille minimus natu, minimus ſtatura, minimique babitua, adeoq; paſcendis ouibus à patre deſtinatus fuit. Quem tamen vnum (cæteris eius fratribus repudiatis ac plane reiectis) diuina bonitas elegit, & Samueli epiſcopo ac Propbetæ diſertis verbia præcepit, vt eum ſacro ritu inunctum regno Iſraelis præficeret & inaugararet. An non bæc erat maxima diuinæ clementiæ dignatio, quod bomiuem tam humilem, tam abiectum, tam vili paſcendarum etiam beſtiarum miniſterio deputatum ad ipſum regiæ dignitatis culmen ſubuexerit, populoque ſuo vniuerſo principem ac ducem conſtituerit. Sed quid adhuc amplius illi præſtiterit, conſideremus.

Saul rex, cum ob violatum Dei mandatum 1. Reg. 16. ſpiritus Domini malus eum inuaderet miſereque torqueret, peritum aliquem citharædum vndique conquiſitum accerſiri iuſſit, quo canente & citbaram pulſante, dæmonis in eum ſæuientis furor & vis remiſſior fieret. Sed nemo repertus eſt, qui hoc præſtare poſſet, præter bunc, de quo verba facimus, Dauidem: qui ſingulari quodam diuini muneris beneficio illud aſſecutus eſt, vt citharam eleganter & eximie pulſaret. Cumque regem malignus ille ſpiritua occupatum diuexaret, aderat illi continuo Dauid, citharamque pulſabat. Quod quoties faciebat, toties & Saul aliquod leuamentum conſolationemque accepit, & ſpiritus ille malus ab eo recedens ad tempus, nulla iam amplius eum moleſtia afficiebat. An non & hoc magni beneficij loco habendum eſſe conſetis? Præterea cum 1. Reg. 17. bellum Iſraelitæ quodã tempore aduerſua Philiſtæos gererent, ea Pbiliſtæorum caſtris prodiit vir vnus, ſtatura pene gigantea, viribuſque plane inuſitatis, qui cum ſingulas corporis partes armis etiam quam optimia & impenetrabilibus munitas haberet, aduerſarum partium viros omnes ad ſingulare certamen prouocauit, ea quidem lege, vt ſi pugnando ſuperior euaderet Iſraelita, Philiſtæi omnes Iſraelitis ſeruire, ſin vero Pbiliſtæua victoria potiretur, Iſraelitæ omnes idem perpetuæ ſeruitutis iugũ vltro ſubire deberent. Quibus in rerum anguſtiis conſtitutus quantumuis numeroſus Iſraelis exercitua, neminem tamen in omnibus ſuis copiis babebant, qui Philiſtæum illum vaſtæ magnitudinis virum aggredi auderet, præter hunc puſillum Dauidem: cui Deus tantam animi magnitudinem audaciamque indiderat, vt quamuis ſtatura & viribus exiguua admodum ab omnibus haberetur, oblatum tamen certamen nullo modo detrectandum eſſe cenſeret. Itaq; licet nemo eſſet, qui Dauidem victoriã ab illo reportaturum ſperare poſſet, regiis tamen armis ſeſe induit. Sed quoniam huiuſmodi armaturæ nunquam fuerat aſſuetus, ſe rei bene gerẽdæ minua idoneum, omniaque corporis totiua membra multo, quam antea, impeditiora eſſe ſenſit. Eaque de cauſa depoſitis, quibus accingebatur armia, baculo ſolum & funda & lapide inſtructus, viro giganteo inermis plane & nudus obuiam proceſſit, prælium cum eo commiſſurus. cumque appropinquaret ex aduerſo Pbiliſtæus, magnamq; vultu truculentiam, verbis blaſphemiam præſeferret, Dauid vnico ictu (lapillo fronti penitus infixo) portentum hominis proſtrauit, ſtrictoque protinus, quem illi accinctum reperit, gladio, immanis beluæ caput præcidit. O Deum rerum mirabilium patratorem cuius ſolius virtute hic imbellis & puſillus ſed & inermis bumuncio, victoriam tam inſignem & ſtupendam ab hoſte ſuperbo reportauit. Sed quid biſce rebua immoror? cum ea quæ Deus opt. max. in bunc hominem beneficia contulerit, omnem prorſus

numerum excedant, nec fieri poſſit, vt à me ſin-
1.Reg.17. gula recenſeantur. Hunc enim Deus à fratrum
ſuorum eius felicitati oblatrantium malignitate
1.Reg.17. tutatus eſt. Hunc ab immaniſſimarum beſtia-
1.Reg.18. rum leonis & vrſi ſæuitia liberauit. Hunc ab o-
mnibus, quas Saul vitæ ſtruait, inſidiis immu-
nem reddidit. Hunc ab implacabili Philiſtæo-
rum iuratorum hoſtium odio ſemper proteait.
2.Reg.2. Hunc denique poſt Saul regis mortem vniuerſo
Iſraell regem dedit. Ea his igitur aliiſque pene
innumeris id genus beneficiis ei præſtitis facile
deprehenditur, quantum Dauid maieſtati diui-
næ deferre, quã demiſſe gerere ſe debeat, quam
ſit Deo tot tantorumq; donorum largitori ob-
noxius, quamque ingratus ſit ab omnibus (&
quidem merito) habendus, ni talem Dominum
ac creatorem ſibi ſynceere & ex animo colendum
2.Reg.11. eſſe ducat. Porro Dauid, rea iam conſtitutus, in
pace & ocio vitam tranſegit, multaſq; vxores ha-
buit: quibus tamen non contentus, diuinæ bo-
nitatis beneficentiæq; prorſus oblitus, alienam
etiam vxorem aſciuit, & contra quàm eſt diuina
lege ſancitum, tori coniugalis ius violauit. Hæc
autem mulier vxor erat Vriæ, qui tunc temporis
in caſtris agens, ſtrenuã & fidelem operam regi
nauabat. Dauid ergo cum videret fieri non poſ-
ſe, vt adulterij perpetrati crimen lateret, Vriam
accerſiri iuſſit, futurum non dubitans, quin ex
itinere defatigatus domum ſuam & vxorem ac-
cederet. Quod tamen ille conſtanter facere re-
cuſauit, nullo modo ſibi committendum eſſe
ratus, vt cum cæteri commilitones ipſique adeo
bellorum duces in tentoriis & humi cubarent,
ipſe interim genio & voluptatibus indulgeret.
Quam ob rem rex cum Ioab militiæ principe
per literas egit, vt Vriam in prima acie conſtitu-
tum (vbi fortiſſimum eſſet prælium) & à ſuis
derelictum certiſſimo necis periculo exponeret.
Quod ex regis imperio ſtatim præſtitum eſt: at-
que in hunc quidem modum optimus & lectiſ-
ſimus miles etiam vitæ finem habuit. Conſide-
rate hoc loco, chariſſimi, quemadmodum ſcelus
ſceleri cumulatum ſit. Non ſatis habuit, tam a-
trox adulterij crimen in Deum iam admiſiſſet
etiam nefarium cædis humanæ flagitium conti-
nuo adiiciendum curauit. Eſt quidem adulteri-
um eius generis vitium, vt apud quoſuis homi-
nes odium facile mereatur. At cum acceſſerit
homicidium, nemo eſt, qui non magnopere de-
teſtandum eſſe cenſeat, maxime vero, cum viri
tam ſynceri & pij cædes committitur, cui multis
etiam nominibus rex ipſe, ob fidem & diligen-
tem operam ſibi domi militiæq; ſæpius præſti-
tam, erat plurimum obnoxius. Multa præterea
fuerunt Dei opt. max. in Dauidem beneficia,
ante hoc tempus munificentiſſime in eum colla-
ta, de quibus tot tantiſque obligationum vin-
culis obſtrictus erat, vt vel minimam diuinæ le-
gis præceptionem ſine graui quadam ingratitu-
dinis nota violare non potuerit. Quorum ta-
men omnium tam parum memorem ſe fuiſſe
oſtendit, vt hæc peccata longe atrociſſima, adul-
terium ſcilicet & homicidium, & admiſerit &
multum temporis in eis perſeuerauerit. Sed &
illud nobis ob oculos ponamus, poſt hæc omnia
quanta pius Dominus in eum lenitate clemen-
tiſq; vſus fuerit.

Bonus ergo & miſericors Dominus pro immē- 2.Reg.12.
ſa ſua benignitate prophetam quendã ad Dauidē
deſtinauit, qui eum ſcelerũ in Deũ perpetrato-
rum moneret. Quē ſimulac ille monentem ſic
audiuit, vt ſcelꝰ agnoſceret diceretq; ex animo:
peccaui Domino: protinus reſponſum accepit,
remiſſa eſſe, quæcunq; in Dominum commiſſa
iam antea fuerant, peccata. An non hæc inſignis
eſt admodũ & ſummis laudibus celebranda Dei
noſtri miſericordia, quod Dauidem, poſt tam
multa in eum collata beneficia, poſt tam atro-
cia ipſius viciſſim in Deum retorta flagitia, poſt
tantam ingratitudinem contumeliamq; diuinæ
bonitati irrogatam, tam cito in gratiam recepe-
rit, veniamque vnico verbo deprecanti ſtatim
impenderit? Certe. Et tamen nõ multo poſt tē-
pore, Dauid harum rerum omnium plane ob- 2.Reg.24.
litus, in aliud longe atrociſſimum ſuperbiæ cri-
men incidit, eo nimirum nomine elatus animo,
quod inito contra præceptum diuinum totius
populi numero, magnam hominum imperio
ſuo obtemperantiũ multitudinem eſſe depre-
henderet: quo etiam facinore priſtinæ ingratitu-
dinis ſuæ memoriam & refricauit & auctiorem
reddidit. Quid igitur aliud nunc expectare po-
terat, quam exquiſitum aliquod ſupplicium ſibi
iuſto Dei iudicio infligendum? Quod cum ma-
gnopere pertimeſceret, vehementi pænitudine
ductus, ſceleris in Deum commiſſi atrocitatem
agnoſcens, culpãq; humiliter deprecatus, hunc,
de quo agimus, Pſalmum ingēti cum animi do-
lore & contritione compoſuit, per quem & er-
rati veniam rurſus impetrauit. Nunc ergo intel-
ligitis, quis ſit, qui hunc pſalmum ediderit, qua
occaſione ductus id fecerit, quid vtilitatis ea eo
conſecutus fuerit.

Iam vero quis eſt noſtrũm omnium, qui, ſi
membrum aliquod male affectum eſſet, ita vt de
vita periclitaretur, non ſtatim ſummam curam
& diligentiam adhiberet, vt opportunum malo
remedium inueniret, cumque præcipue virum
ſingulari ſtudio perquireret, quem de eodem
morbo iam olim conualuiſſe compertum habe-
ret? An non certa fiducia niteremur, fore, vt
medicamentum, quod ſimili morbo curando
iam antea vtiliter adhibitum fuiſſet, nobis quo-
que ad recuperandã ſanitatem parem vim & ef-
ficaciam haberet? Cum ergo certiſſima fide iam
acceperimus, quam grauiter & periculoſe labo-
rauerit iſte Dauid, non quidem corpore ſed ani-
mo, ſimulque intelligamus, quo pharmaco ſani-
tati reſtitutus ſit: nos quoq; non ſegnem noſtra
ſalutis curam agamus, ſed, ſi quando nos eodem
peccati morbo premi ſentiamus, vt cito cõualeſ-
ſcamus, eandem curandi rationem nobis quoq;
mature ſuſcipiēdam eſſe cogitemus. Dauid pec-
cator erat, quemadmodum & nos ſumus: ſed ille
ſaluta-

ſalutarem pænitentiam egit, & hunc Pſalmum compoſuit, quo & peccati veniam & priſtinam animæ ſalutem conſecutus eſt. Eodem plane modo & nos, ſi animo vere de peccatis dolente Pſalmum hunc ſæpius recitemus & legamus, ſi ad illius exemplum culpas in Deum admiſſas deprecemur, non eſt dubium, quin ſcelerum noſtrorum veniam ab optimo clementiſſimoque Domino facile ſimus conſecuturi.

Hic Pſalmus tria præcipue rerum capita cõplectitur. Primum imploratur diuina clementia. Deinde in medium adferuntur rationes, quibus diuina bonitas ad miſericordiam incitari ſoleat. Demũ ob delictorum veniam certo impetratam effuſa quædam lætitia nobis exbibetur. Quamuis Deus in ſeipſo & quantum ad æternam illam eſſentiam & naturam ſit omnis prorſus alterationis & mutationis expers, more tamen humano quidam affectus illi tribuuntur, perinde ac ſi nunc offenſus, nunc placatus; adeoq; ipſis mentis nunc auerſæ nunc rurſum reconciliatæ affectibus ſibi inuicem in eodem animo ſuccedentibus eſſet obnoxius, cum contra ex D. Iacobi
Iacob. 1.
ſententia: Apud Deum nulla ſit tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio. Quemadmodũ enim radius ſolaris, cum ſit vnus atq; idem, oculis impuris quidem & lippis cruciatum, puris vero ſolatium affert, ſine vlla tamen inſitæ virtutis alteratione: ſic & Deus erga homines peccati malitia contaminatos auſterus quidem & rigidus, erga iuſtos vero viros omniq; ſcelerum impuritate defæcatos mitis & clemens eſſe perhibetur, cum ipſe interim vnus plane atque idem nullique prorſus mutationi obnoxius exiſtat. Certe quãdiu quis in peccatorum ſordibus perſeuerat, tamdiu Deum ſibi infenſum habere videtur. Quod & oculo vſuuenire ſolet: cui, quãdiu æger eſt, radius ſolaris moleſtiam affert, nullo vnquam tempore voluptatem, niſi ſublata prius ægritudine, allaturus. Eaque de cauſa Dauid, cum ſcelerum ſuorum atrocitatem, quibus Deum ſibi infenſum reddiderat, ſecum perpenderet, neminemque eſſe mortalium, qui ſupplicia diuinarum legum contemptoribus deſtinata tolerare queat, illud à Deo enixis precibus contendebat, vt ſe nec æternis inferni cruciatibus addicere, nec temporaneis purgatorij tormentis coercere, ſed immenſa benignitate clementiaque proſequi dignaretur. Tribus igitur rationibus agit Deus cum peccatoribus, pro triplici eorum hominum conditione, qui in peccatis verſantur. Alij enim ſunt peccatores, qui in ſceleribus vſq; ad mortem perſeuerant: hos Deus æternis inferni ſuppliciis adiudicat (quo in loco diuinæ iuſtitiæ miniſtri ſunt ipſi dæmones) Alij ſunt, quos paulo ante mortem vitæ male actæ pænitet, emendationemque inſtituunt: hos Deus cruciatibus purgatoriis, qui finem habent, addicit (quo in loco diuinam iuſtitiam adminiſtrant fælices angeli.) Tertio demum loco ſunt illi, qui Dei gratiæ cooperantes, in hac etiam vita ob peccata in Deum perpetrata tam ſeuere in ſemetipſos animaduerterunt, vt diuinæ iuſtitiæ ſatisfecerint: hos Deus pro immenſa ſua clemẽtia acceptos & charos habet. His ergo rerum momẽtis adductus propheta dicebat: Domine, Pſal. 6.
ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum. Quod perinde eſt ac ſi dicat. Illud à te, pie Domine, vehementer peto, vt me nec æternis illis inferni cruciatibus arguendum, nec immanibus iſtis purgatorij ſuppliciis corripiendum addicas, ſed magis, habita meæ tum imbecillitatis tum fragilitatis ratione clementer mecum agere digneris. Certa quidem res eſt, omnes vtriuſq; ſexus homines nouiſſimo die Dei iudicis tribunali ſiſtendos eſſe. Quo tempore, qui nullam de peccatis in Deum commiſſis in hac vita pænitentiam agere voluerunt, acerbiſſimis illis & longe atrociſſimis inferni ſuppliciis addicendi ſunt, voceſque illas horribiles diuino etiam ore pronunciandas audituri: Ite, maledicti in ignem æternum. Ab eius conſpectu receſ- Matth. 25.
ſuri ſunt, cuius pulchritudo nullis verbis expli- 1. Petri 1.
cari poteſt, in quem deſiderãt etiam angeli proſpicere. Porro ab eo receſſuri ſunt, non plane vacui, ſed infauſta ipſius imprecatione onuſti. Denique receſſuri ſunt in locum non quidem voluptatum ſed tormentorum. Et quo tandem receſſuri ſunt? Certe non aliò, quam in ipſum gehennæ ignem nullo vnquam tempore extinguendum, in ignum æternum. Vbi nulla erit amicorum conſuetudo, quæ dolorem minuat, ſed vndique terribiles immũdorum dæmonum horrorem miſeris continenter incutientium aſpectus. Eſt enim ignis ille præparatus Diabolo & angelis eius. Cogitate ergo, chariſſimi, quanto cum dolore & acerbitate repudiandos, relegandos; & torquendos exiſtimetis, quos ignis ille cruciandos excipiet. Quæ res prophetam noſtrũm impulit, vt Deo opt. max. ſupplex fieret, & ab æternis illis cruciatibus liberari ſerio poſtulans, diceret: Domine, ne in furore tuo arguas me. In illo ſupplicio æterno tam ſeuerum & inexorabilem ſe præbiturus eſt Deus, vt etiam ſi vniuerſi angelorum ac ſpirituum beatorum ordines pro peccatoribus inferno addictis deprecatores accedant, nunquam tamen ſint exaudiendi. At cum animabus igne purgatorio expiandis melius & mitius agetur: pro quibus piorum hominum preces & vota ſuſcepturus eſt. Alioquin (vt in libris ſacris habetur) ſuperflu- 2. Maccab. 12.
um videretur & vanum, orare pro mortuis, vt à peccatis ſoluantur. Nemini ergo dubium aut obſcurũ eſſe poteſt, Deo gratas & acceptas eſſe preces, ſacrificia, cæteraque Chriſtianæ pietatis officia, quæ animarum pœnas illas temporaneas ſubeuntiũ cauſa eo fine offeruntur, vt tanta ſuppliciorum acerbitate maturius expediantur. Certum enim eſt in illo purgatorij loco tantam eſſe tormentorum atrocitatem, vt ab illis inferni cruciatibus non alio quam æternitatis diſcrimine diſtinguantur. Iſti enim finem habent, at illi nulla vnquam temporis diuturnitate termi-

nandi

nandi ſunt: eoque Deus iſtos licet tempore finiendos, valde tamen acerbos eſſe voluit. Qua de cauſa propheta noſter orationem ſuam in hunc modum inſtituit: Neq; in ira tua corripias me. Magna quidem eſt Dei miſericordia in peccatores, qui peccata ſua deſerentes ad eum conuertuntur. Quo fit, vt ſupplicia, quæ pro ſcelerum ratione ac merito ſempiterna eſſe debebant, per pœnitentiam in hac vita præſtitam remiſſiora & temporanea efficiant, poſt mortem in purgatorio plene perfecteque ſatisfacturi. Cumq; ſint huius loci cruciatus tam acerbi & immanes, vt omnem prorſus humani ſermonis facultatem excedant, pius Dominus contra tam eſt ad miſericordiam propēſus, vt, ſi peccata in Deum perpetrata deteſtati, in ſemetipſos animaduertere velint in hac vita, illud ſupplicium ſponte ſuſceptum (ſi modo iuſte reſpondeat) tam clementer acceptet, vt ſi vita decedant, nullum ſit ipſis nec ab illis inferni ſempiternis, nec ab iſtis purgatorij temporaneis cruciatibus periculū, quin ſtatim nullaq; prorſus interpoſita vel mora vel etiam obſtaculo, ad æternas illas beatorū ſedes ſint transferendi. Noſter igitur propheta de diuina offenſione ſollicitus ſibiq; conſcius, quam fuerit iam antea ad repellendas voluptatum illecebras infirmus, ac proinde iuſte timens, ne ad perferendam hanc tormentorum atrocitatem multo fiat imbecillior, ſic orat: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Quæ verba hanc habere ſententiam videntur. Qui iam nuper imbecillior extiti, quam vt leui voluptatis titillationi fuerim reſiſtendo, eſt certe quod timeam, ne hæc tam horrenda ſupplicia minus ſim perferendo, quin magis præ infirmitate mea plane ſuccūbam. Qua de cauſa tibi, Domine benigniſſime, ſupplex fio, vt me nec illis inferni, nec his purgatorij cruciatibus adiudices, ſed hāc qualemcunque pœnitentiam, quæ ab homine infirmo in hac vita præſtari poteſt, acceptam habeas. Tu, pie Deus, ſemper bonus es, nec cuiquam nocumētum, niſi ſua id culpa fiat, inferre potes. Nam quod radius ſolaris oculo ſano quidem voluptatem, ægro vero & malis humoribus ſuffuſo dolorem adferat, non eſt id ſolis ſed oculi vitio tribuendum. Eodem plane modo quod Deus alios præmiis alios pœnis afficiat, nulla id Dei ſed peccatoribus culpa fieri exiſtimandum eſt, qui peccati labe tam exitialiter eſt infectus, vt fieri non poſſit, (quamdiu in peccatis perſeuerat) quin de eo ſupplicium ſumat Deus, cum interim ille bonus ſit, nec ei de bonitate inſita quicquam decedat. Quamobrem propheta ſanctus graui, quo laborat, morbo, (quod eſt peccatum) liberari poſtulans, ſic Deum orat: Sana me domine. Ille certe curatione multùm indiget, qui morbo aliquo tam vehemēter diſcrucia tur, vt nulla ſit pars corporis doloris expers, nec ſolùm illa quæ robuſtiora habentur, ſed & infirmiora quæque corporis membra pari doloris ſenſu afficiantur. Ea autem eſt peccati vis & conditio, vt peccatorem in hunc modum inficiat. Nam (vti ab Iſaia dicitur) Cor impij quaſi mare Iſai. 57.
feruens, quod quieſcere non poteſt. Quid enim in vniuerſa rerum natura mari procelloſo ſæuius aut turbulentius excogitari poteſt? Tale quiddam eſt cor hominis peccatis obnuxij. D. Ambroſius ſic interrogat. Quis, inquit, eſt cruciatus intimo illo conſcientiæ vulnere acerbior? quod moleſtat, diuexat, pungit, lacerat, mentem crucifigit, memoriā ſurſum deorſum exagitat, rationem confundit, voluntatem deprauat, animam inquietam reddit. Eoque propheta in oratione ſua hæc verba ſubiungit. Quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde. Has vero motuum procellas in animo concitatas vnde profectas eſſe cenſemus? profecto non aliunde quam ab ipſo ſoloq; peccato, quo fit, vt Dei facies ſit nobis auerſa. Legimus in ſcriptura ſancta, quodam tempore, dum Matth. 8.
ſaluator noſter Ieſus in nauicula obdormiret, Mar. 4.
ingentem procellam in mari ortam fuiſſe, ſed Luc. 8.
mox, vt oculos aperuit, vnico verbo redditam fuiſſe tranquillitatem magnam. Hic autem motus & tempeſtas in mari orta, illius animæ conditionem referre videtur, quæ propter peccatum Deum habet auerſum. Nam & alibi ſcri- Pſal. 10.
ptum eſt: Auertente te faciem tuam turbabuntur. Nulla igitur ſpes eſt fore, vt hæc animæ diuexatio & tempeſtas prius ſedetur aut remiſſior fiat, quam pius & miſericors Dominus ſeſe ad peccatorem conuerterit. Quod, ſimulac peccator ſe à viis ſuis peſſimis conuerterit, ipſe Dominus facturum ſe recepit per prophetam. Con- Zachar. 1.
uertimini, inquit, ad me, & ego conuertar ad vos. O benigne Domine, quam prompta eſt clementia tua in peccatores, qui per pœnitentiam ad te redeunt: qui fidem etiam tuam obſtringere dignaris, te continuo ad ipſos conuerſum iri, cum ad te conuerſi fuerint. Eoque propheta noſter in hunc modum te alloquitur. Sed tu Domine vſquequo? quaſi dicat: Tu, Domine, noſti afflictionem meam. Nunc ergo, cum ſim ad te conuerſus, quid eſt, quod me tam diu diuexari permittis? Ventis impera, tempeſtatem ſeda, animam meam ab his tribulationum procellis libera. Quod ſi clementia tua ad me conuerſa ſolum reſpicere dignetur, futurum eſt, vt omnia non ſolum totius corporis membra ſed & anima ipſa pacem & quietem inueniant. Conuertere ergo Domine, & eripe animam meam ab hac calamitate, qua ob peccatum meum affligitur, ſana eam à peccati morbo per pœnitentiæ medicinam, libera eam ab acerbis iſtis purgatorij cruciatibus, libera etiam & ab illa tormentorum æternitate, quæ in inferno exercetur. Atque in hunc quidem modum propheta ſanctus Deum humillime deprecatur, vt ab his pœnis liberetur, dicitque: Saluum me fac, ab his nimirum omnibus, quæ iam recenſuit, tormentis.

Hactenus à nobis dictum eſt, quid propheta ſanctus à Deo poſtulauerit. Nunc quibus rationibus vſus fuerit, dicemus: quæ tantæ quidem virtutis

virtutis & efficaciæ fuerunt, vt Deus. quia res poſtulatas impetraret, facere non potuerit. Prima igitur ratio à clementia diuina ſumpta eſt. Sed quid de hac re dicemus? An eſt Deus ab omni prorſus miſeratione ac clementia alienus? Abſit. Eſt enim ſcriptum de eo per prophetam. Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multum miſericors. Eſt equidem Dominus noſter intimo affectu miſericors, eſt & in miſerationis affectibus foras producendis miſerator. Eſt ſemper patiens, eſt ſemper miſericors. Neceſſe eſt ergo, vt patientiam & miſericordiam in peccatores miſeros exerceat. Eſt etiam multæ miſericordiæ. Quod cum ita ſit, rebus ipſis exhiberi oportet. At in quos tandem? In homines iuſtos? Quid opus eſt, cum nullis ſint miſeriis obnoxij? Sunt enim à peccato immunes, quæ ſol: eſt miſeriis. Miſericordem igitur eſſe & miſericordiam exhibere officia ſunt peccatoribus neceſſario impendenda. Diues egeno, medicus ægroto neceſſe habet ex officij ratione miſericordiam præſtare. Sic & Deo optimo maximo incumbit, vt quod præſtat miſerationis officium, peccatoribus exhibeat. Scriptum eſt enim in euangelio: Non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui male habent. Peccatores, qui miſerabili peccati morbo deprimuntur, magnopere indigent medicina, qua priſtinæ ſanitati reſtituantur. Et quænam eſt illa medicina? Certe non alia quam miſericordia diuina. Quanto enim quis indigentior eſt, tanto magis opulentus vir quiſpiam illi opus eſt, qui inopiam ſubleuet: & quanto quis morbo aliquo periculoſius laborat, tanto præſtantiori medicina indiget. Cum ſit ergo tam miſerabilis & deploranda peccatorum conditio, quis non videt, immenſa Dei miſericordia quantopere ſit illis neceſſaria? Eaque de cauſa D. Paulus ex occaſione magnitudinis peccati diuinæ quoque gratiæ magnitudinem donatam eſſe affirmat, vt vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia. Sed hanc Deus miſericordiam illis nunquam impertit, qui ſpreta & repudiata ipſius gratia ſeſe ab eo per peccatum auertunt, niſi rurſum per pœnitentiam ad eum conuertantur. Nam procul dubio & miſericors eſt, & in eos, qui hæc præſtant, ſe miſericordem eſſe, rebus ipſis oſtendet. Eoque dicitur in Eccleſiaſtico: Quam magna miſericordia Domini, & propiciatio illius conuertentibus ad ſe? Dauid ergo, cum poſt peccatum admiſſum ſeſe rurſum per pœnitentiam conuertiſſet, Deum precatus eſt, vt pro immenſa ſua benignitate etiam ad ipſum viciſſim conuerti, eiuſque animam tot tantiſque periculis obnoxiam liberare dignaretur. Atque hanc quidem rationem diuinæ miſericordiæ conſideratione corroborandam eſſe duxit, cum diceret: propter miſericordiam tuam.

Pſal. 85.

Luc. 5. *Matth. 9.* *Mar. 2.*

Rom. 5.

Eccleſ. 17.

Deinde ad ſtabiliendam rationem propoſitam non ſolum miſericordiam ſed & prudentiam commemorat. Cum enim ſit ipſe opus & creatura Dei, eius prudentiæ minime conuenire exiſtimat, vt perire permittat. Videri enim poterat, quod fruſtra conditus fuiſſet, ſi finem, ad quem à Deo creatus & deſtinatus fuerat, conſequi non poſſet. In eum vero finem conditus & in hanc lucem æditus fuit, vt Deum cognoſceret, cognoſcendo amaret, amando ſemper ob oculos mentis haberet, nec vnquam à gratiarum actione de innumeris eius beneficiis deſiſteret. Sed hæc in Purgatorio præſtari non poſſunt, nedum in inferno. Nam in purgatorio tantus eſt dolor de immenſis, quæ ſubeunt miſeri, tormentis, vt præter ipſos, quibus continenter afficiuntur, cruciatus, vix quicquam reminiſci queant. Cum enim ita ſe res habeat, quod huius vitæ dolores animum vehementius afficiant, quam voluptates, ipſæ tamen voluptates (ſi magnæ ſunt admodum & copioſæ) non permittunt, vt anima ſui reminiſcatur, quanto minus expectandum eſt, vt illud tormentis ſubiecta præſtare poſſit? Porro, cum illa purgatorij ſupplicia omnes huius ſæculi cruciatus longe ſuperent, quis Deum (vti conuenit) meditari poſſit, in ea tormentorum atrocitate conſtitutus? Ac proinde dicit propheta: Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui. Quod ſi vero in purgatorio diuinæ laudes à nobis celebrari non poſſunt, in inferno quid fiet? Certe, tam eſt horribilis ille locus, vt fieri nullo modo poſſit, vt quiſquam eo relegatus Deum vel amare vel etiam laudare queat: ſed contra miſeri perpetuo quodam & implacabili Deum odio habebunt, ſanctiſſimumque eius nomen deteſtantes nullum vnquam conuiciandi blaſphemandique finem facient. Eaque de cauſa ſubiungit propheta: In inferno autem quis confitebitur tibi?

Tertio loco ratiocinationem ſuam à iuſtitia diuina in hunc modum confirmat. Deus, cum ſit iuſtus, in vnum idemque peccatum bis animaduertere non debet. Eſt enim iniuſtum, vt de eadem offenſa ſupplicium bis ſumatur. Cum ergo diuina clementia nobis pœnitentiæ tempus indulſerit, vt de peccatis in Deum commiſſis nobis ipſi pœnas infligamus, ſi illud ex diuinarum legum præſcripto præſtiterimus, ratum & gratum habet, quod egimus, nec amplius quicquam à nobis exigit. Quam rem confirmat Apoſtolus, cum ait: Quod ſi nosmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. *1. Corint. 11.* Si nos in cauſa noſtra per pœnitentiam ſeueri iudices exiſtamus, nunquam futurum eſt, vt ſuam Deus in nos ſeueritatem exerceat. Iam vero ſanctus propheta quam fuerit in ſemetipſum rigidus & ſeuerus, his verbis oſtendit. Laboraui, inquit, in gemitu meo. Gemitus, qui ex animo de peccato in Deum perpetrato proficiſcitur, tantæ virtutis eſt & efficaciæ, vt vel vnus ex intimo corde æditus illud apud Deum efficiat, vt omnem protinus culpam remittat. Quod ipſe nobis teſtatum facit, cum per prophetam ait. In quacunque hora peccator ingemuerit, ſaluus

ſaluus erit. Gemitus idem animæ, quod perfricatio ferro præſtat. Perfricatio rubiginem ferro inolitã aufert: gemitus animæ peccati labem abſtergit. Quemadmodum etiam ferrum perfricatione ſplendidum & illuſtre redditur: ita & anima gemitu pulchra & candida efficitur. Gemitus enim ex intimo animi dolore, non aliter quam peccatum ex illicitis corporis voluptatibus proficiſcitur: eaque de cauſa, quemadmodum dolor animi non fictus ipſas corporis voluptates expellit, ita & gemitus de peccato ſuſceptus culpam abſtergit, & offenſionem pro iuſtitiæ ratione compenſat. Sed hoc loco aduertendum eſt, prophetam non ſolum dixiſſe: Gemui: ſed: Laboraui in gemitu meo. Quibus verbis ſignanter dicere voluit, ſe pene ad laſſitudinem ingemuiſſe. Prophetam igitur multum ingemuiſſe oportet, cum præ gemitus magnitudine ipſe ſe tantum non ſuperatum exiſtimauerit. Quam quidem diſciplinam eo ſuſcepit, vt in hac etiam vita meritas de corpore ſuo pœnas exigeret. Præterea lachrymatus eſt, idque non remiſſe ſed vehementer & copioſe præſtitit: vt ſcilicet ſingula quæque peccata ſingulis lachrymarum acerbiſſimarum profluuiis dilueret. Quemadmodum fieri videmus, cum vaſiternula vel ahenula rubiginoſa nobis mundanda veniunt, prius rubiginem perfricatione abſtergimus, deinde aqua copioſe adhibita ſordes vniuerſas abluimus: ita & ſanctus hic propheta, primum gemitus perfricatione vſus eſt, vt animam ab omni ſcelerum ſuorum rubigine immunem redderet, deinde & lachrymarum aquam ad abluendas reliquas ſordes adhibuit, idque non ſemel & iterum ſed ſæpiſſime factu rum ſe recepit. Lauabo, inquit, per ſingulas noctes lectum meum lachrymis meis. Huius autem lecti nomine veniunt obſcœnæ corporis voluptates, in quibus ſeſe volutat & inuoluit peccator, non aliter quam ſus lota in volutabro
2.Pet.2. luti. Si vero placet, quod noctium etiam vocabulo nobis peccatorum obſcuritates deſignentur, lauare per ſingulas noctes lectum, nihil aliud erit, quam corporis voluptates deplorare: id quod fit, cum ex ſingulorum peccatorum recordatione ſingulari quodam doloris ſenſu afficimur. Quibus verbis ſtatim ſubiungitur: Stratum meum rigabo. Stratum hoc loco peccatorum aceruum & multitudinem ſignificat, cum ſcilicet omnia in vnum quaſi faſciculũ congeſta ſupra petram deponuntur: vbi, ſi ſingulæ peccatorum oblectationes lachrymis abluendæ mundandæq; ſunt, quantũ eſſe oportet lachrymarum imbrem ſeu magis torrentem, qui tantam rerum congeriem abluere & abripere debeat?

Quarto loco argumentationem ſuam ab immenſa Dei potentia corroborat. Nec enim tantæ maieſtatis eſſe videretur, ſi in rem tam debilem vires ſuas exereret aut etiam exerceret: ne
Iob 13. forte (quod à Iob tam olim dictum eſt) contra folium, quod vento rapitur, potentiam ſuam oſtendere exiſtimaretur. Non decebat enim, cuius eſt immenſa potentia, ſic agere, ſed magis eorum tutelam ſuſcipere, qui ſunt imbecilliores, quam vt ſemetipſos tueri poſſint. Nam & de iis, qui diuinæ bonitatis experimentum ſumere etiam temere volebant, ſcriptum eſt: Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam. Hoc modo diuina virtus procul dubio ſic oſtenditur, vt & ſanctiſſimi eius nominis gloria magnopere illuſtretur. Quam quæſo laudem reportaturus eſt gigas, ſi bellum aduerſus culicem ſuſcipiat: & ſi commiſſa pugna beſtiolam proſtrauerit, quid ea parta victoris conſequetur? Nec enim vel animi fortitudo vel etiam corporis robur hoc facinore ſic enitebit, vt fama hominis de re præclare geſta fieri poſſit illuſtrior: imo vero res illi potius in dedecus & ignominiam ceſſura eſt. Sed & brutis animalibus ratione carẽtibus laudi tribuitur, quod quodam quaſi miſericordiæ ſenſu prædita, in beſtias infirmiores, quæ ſuam imbecillitatem agnoſcentes vltro ſuccumbunt, ſolitam illam inſitamque ſæuitiam non exerceant. Quo in genere leonem tam nobilis & generoſi animi eſſe ferunt, vt, etiam cum ſæuit, beſtiis tamen imbecillioribus, quæ illi ſe proſternunt, nihil nocumenti adferat: qua de re ſic vulgato quodam elogio dicitur:

Parcere proſtratis vult nobilis ira leonis.

An Deum igitur, cui omnes, quæ in rebus creatis reperiri poſſunt, virtutes tribuuntur, hac ſola lenitatis & clementiæ laude carere exiſtimabimus? An vero tam mitem & humanum eſſe credi par eſt, vt infirmioribus quibuſque (qui ſuam ſaltem infirmitatem agnoſcentes ſe illi ſubmittunt) miſereri & parcere velit? Certe. Nam & in hominibus, qui viribus ſunt præſtantiores, mitiores & humaniores eſſe ſolent. Quanto igitur magis Deum, cuius immenſa eſt potentia, lenem & miſericordem eſſe oportet? Ac propterea hic noſter propheta ſuam illi debilitatem exhibet, vt eum ad pietatem commiſerationemque inducat. Turbatus eſt à furore oculus meus. Eſt quidem oculus mentis meæ benigne Deus, à ſuppliciorum tuorum immanitate immenſitateq; mire perturbatus ac perterritus. Quod alibi quoque dicit. Quis, inquit, Pſal. 89.
nouit poteſtatem iræ tuæ, aut præ timore iram tuam dinumerare? Cum enim diuinæ ſeueritatis ſupplicium tacita ſecum cogitatione verſat ac quodammodo metitur, multum eſſe deprehendit. Non eſt ergo mirum, ſi timeat, ac periculi iam imminentis terrore ſemper perculſus, etiam antequam perueniat, horrere incipiat. Porro, cum huius ſupplicij atrocitatẽ æternitatemque oculo mentis conſiderat & perpendit (quod, vti iam dixi, mitigari non poteſt) quomodo fieri poteſt, vt non & animo & corpore vehementer concutiatur? Ac proinde magno cum timore & tremore coram Deo proſtratus, dicit: Turbatus eſt à furore oculus meus. Nec hoc ſolum nomine conturbor, ſed & ab ho-

ab hoſtibus meis, carne, mundo, & dæmone ſæpius ita victum me ſentio, vt viribus plane deſtitutus eſſe videar. Ad nihilum redactus ſum, debilis effectus ſum, ſenio confectus: ita vt hoſtibus ex me reſiſtendo non ſim. Inueteraui inter omnes inimicos meos. Atque huius quidem poſtremæ rationis ſummarium hoc eſt: Cauſatur propheta ſummam imbecillitatem, & clementiam diuinam implorat, cui ſe totum commendat, eoque fieri non poſſe, quin ei Deus pro immenſa potentia ſua miſericordiam impendat.

Iam vero tertia huius Pſalmi pars nobis reliqua eſt, in qua propheta ſpe veniæ fretus effuſa quadam lætitia perfunditur, magnoque ac forti animo eſſe videtur. Mirabilis profecto eſt diuinæ gratiæ virtus, quæ poſteaquam animam ſemel penetrarit, tantam protinus audaciam fiduciamque ingerit, vt hoſtem rurſus aggredi manuſque conſerere nõ detrectet. Aduertite hoc loco, chariſſimi, & diligenter apud animos veſtros perpendite, quam ſubito Dei optimi maximi benignitas prophetam hunc in alium virum tranſmutarit: vt qui nuperrime totus horrore concuſſus & plane turbatus fuerit, nunc diuina gratia confiſus, eos animos ſumpſerit, vt hoſtes deſpectui habeat, eiſq; vt fugam meditẽtur, audacter imperet. Diſcedite à me omnes, inquit, qui operamini iniquitatem. Operarij vero iniquitatis ſunt, qui ſtudium ſuum & operam in eo collocant, vt peccata perpetrentur: cuiuſmodi fuerunt illi dæmones impuri, quorum illectamento effectum eſt, vt peccatum hominis animam primum inuaſerit. Hoc autem ingenio ſunt omnes impij & maligni ſpiritus, qui totis viribus in eam curam incumbunt, vt homines in fraudem & peccatorum laqueos inducant. Quamobrem propheta in hunc modum eos alloquitur. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Cuius etiam rei hanc rationem reddit, quod ſcilicet in eum iam nihil iuris habeant. Quamdiu enim peccati ſeruus erat, Satanæ eiuſque ſatellitibus mancipatus fuit. Sed iam, cum ſit per pœnitentiam ad Deum vere conuerſus, ſpretis ac repudiatis omnibus peccatis, eſt quidem ab omni dæmonum imperio prorſus immunis. Sed qua tandem ratione in hãc libertatem vindicatus eſt? Quoniam, inquit, exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Conſiderate, chariſſimi, quanta ſit lachrymarum vis, quæ cum à peccatore vere & ex animo de peccatis pœnitentiam agente fundũtur, ſtatim ad ſublimem Dei thronum aſcendunt, facilemque aditum inueniunt, nec ſolum admittuntur ſed & auribus æquiſſimis excipiuntur. Libellus quoque ſupplex, qui ab eis porrigitur, exporrecta fronte acceptus, in ipſo diuinæ maieſtatis ſinu reponitur. Eaque de cauſa dicitur. Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei: exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit. Penſate hîc mecum chariſſimi, quam effuſe gaudeat hic noſter propheta, eo quod ſit à Deo tam benigne exauditus, qui continere ſe non poteſt, quin & in voces erumpat, intimamq; illam animi lætitiam etiam bina & terna & frequenti verborum ingeminatione teſtatam faciat. Magnum profecto eſt illud hominis, quem ſcelerum vere pœnitet, gaudium, cum ſe peccati ſeruitute ac periculo aſſertum, priſtinoque libertatis loco reſtitutum eſſe cognoſcit. Quæ res prophetam mira lætitia afficit, quod nimirum hoſtium poteſtati ſit ereptus; quibus etiam infauſta precatur oratque, vt de malitia ſua magnopere pudefiant & cõfundantur. Eſt certe, quod dæmones pudore ſuffundi debeant (& quidem merito) eo quod in Deum conditorem ſuum ſint tam iniurij & contumelioſi. Nam eos homines, qui diuino cultui vitam omnem libenter impendunt, in ſuum etiam obſequium allicere ac pertrahere non verentur. Sed & illud maiori cedit dedecori, quod, quos ipſi ſuo iam imperio ſubditos & diuina ope plane deſtitutos eſſe perſuaſiſſimum habent, ſimulac eos vitæ male actę pœnitet vitiiſq; nuncium remittere ſtatuerunt, ſint protinus eorum manu ſic excuſſi, vt nihil in eos amplius moliri audeant. Quæ res eos vehementer angit & cruciat, quod prædam, cui diripiendæ tam auide inhiabant, ſuis iam faucibus (velint, nolint) ereptam eſſe vident. Ac propterea dentibus ſtrident, dolent, lamentantur, in rabiem vertuntur, furiunt, inſaniunt. Quod vt quam ſæpiſſime faciant, propheta his verbis imprecatur. Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei. Quæ quidem imprecatio pia eſt ac iuſta. Nam in Dei laudem & honorem magnopere cedit, hominibus vere pœnitentibus opem fert & auxilium, viros pios ac iuſtos de victis hoſtibus ſummo gaudio perfundit, & dæmonibus humani generis hoſtibus maximam adfert cõfuſionem. Quamobrẽ propheta rurſum imprecationem inſtituens, illud à Deo cõtendit, vt peccatores relictis vitiis ad eum cõuertantur, hac enim ratione futurum eſt, vt dæmones magis magiſq; ex eorum conuerſione confundantur. Conuertantur, inquit, & erubeſcant: idq; vt fiat valde velociter, impenſe precatur.

IN PSALMVM XXXI.

Beati quorum.

HIc Pſalmus conuenienter & merito pœnitentialis dicitur, eo quod in eo de pœnitentia tam diligenter tractatur. Primum ergo propheta eos deprædicat, quorum iniquitates per pœnitentiam ſunt remiſſæ. Deinde quam ſit miſera eorum conditio, demonſtrat, qui pœnitentiam detrectant & fugiunt. Demum occaſionem & rationem contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis oſtendit, quæ ſunt tres pœnitentiæ partes. Primo igitur loco contritionis virtutem laudat ſummopere, maxime vero, cum acceſſerit certum confitendi propoſitum. Tum docet, hæc virtus quam ſit neceſſaria. Deinde contritionis impedimenta & remedia proponit. Puſillanimes conſolatur ac erigit. Errantes reuocat, vtque ad certam beatitudinis viam redeant, hortatur ac quodammodo minitãdo impellit. Pœnitentiam recuſantibus æternæ damnationis ſupplicium, agentibus peccatorum veniam, in ea pergentibus ac proficientibus gaudium, ac demum perfectis æternam gloriam promittit. Hæc ſingula ſanctus propheta eodem, quo iam diximus, ordine breuiter perſtringit. Hominibus ergo illis, quorum peccata ſunt per pœnitentiam deleta, magnæ quidem laudi tribuitur, quod ea de re beati dicantur. Et certe nihil eſt in vniuerſa rerum natura, quod hominem tam cito beare poſſit, quam ſcelerum per pœnitentiam expiatio. Nam corporis ſanitas, forma, pulchritudo, robur, agilitas, honores, diuitiæ, cæteræque id genus mundi voluptates, hominem à vera beatitudinis via magis abducunt: quod in multis hominibus quotidie perſpicere licet, qui ſi voluptatibus huiuſmodi caruiſſent, multo diligentius ſemitam illam tenuiſſent, quæ ad vitam beatam ducit. Nemo eſt mortalium, qui aliquando non deliquerit. In multis enim (vti Diuus Iacobus ait) offendimus omnes. *Iacob. 3.* Quiſquis vero in multis offendit, hunc etiam in multis erraſſe viamq; rectam deſeruiſſe neceſſe eſt. Ad quam vtique reditus illi non alia ratione quam per pœnitentiam patefactus eſt.

Quamobrem illi ſoli, qui pœnitentiam agunt, beati ſunt: quandoquidem illi (& non alij) iter illud ſuſcipiunt, quod ad cœleſtem patriam ducit, vbi vera eſt beatitudo. In hac quidem vita per fidem veram & ſpem, in futura vero reipſa beati ſunt futuri. Sed quoniam pœnitentia tribus partibus conſtat, quanto quis diligentiorem operam poſuerit, vt ſingulas exerceat, tanto ad propoſitam æternę felicitatis metam propius accedit. His enim tribus partibus, non aliter quam totidem inſtrumentis, animæ noſtræ vitia perfecte obliterantur ac plane delentur. Quemadmodum enim cum ſcripturam aliquam delere molimur, primum quidem adhibito ſcalpello chartam abradimus: qua ratione illud efficimus, vt ſingulis quibuſque literis aliquid decedat, tantaque fiat apicum deformitas, vt ægre diſcernantur: deinde, ſi rurſum ſcalpatur, ſcriptura in eum modum aboletur, vt diſcerni omnino non queat: ac demum ſi etiam tertio fiat, ita penitus deleantur omnia, vt ne tenuiſſimum aliquod ſcripturæ veſtigium appareat: eodem plane modo tres pœnitentiæ partes peccatis animo delendis efficaces eſſe deprehendimus. Fit enim contritione, vt peccata condonentur, confeſſione, vt obliuioni tradantur, ſatisfactione, vt nullum prorſus ſuperſit deformitatis veſtigium, ſed anima ſit tam ab omni peccati macula immunis, quam prius culpa nondum contracta fuerat. Sed quamuis poſt contritionem & confeſſionem peccatum ſit plane ſublatum, manet tamen quoddam in anima debitum, quod omnino pœnæ alicuius toleratione liberandum eſt. Nam licet per contritionem & confeſſionem ſit effectum, vt cruciatibus illis æternis, qui nobis ſubeundi erant, liberati ſimus, ſupereſt tamen quædam mulcta ſeu taxatio, quæ nobis vel in hac vita vel etiam in purgatorio poſt hanc vitam aliqua temporanei cruciatus perpeſſione proculdubio præſtanda eſt. Sed ſi quis in hac vita ſatisfecerit, nihil eum poſtea ſupplicij manet, & eſt ab omni etiam debito ſic immunis, vt nihil vnquã ab eo exigi poſſit. Quamobrem à propheta dicitur. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Ecce primo loco eam peccatorum remiſſionem, quam ex contritione conſequimur. Et quorum tecta ſunt peccata: quod vtique per confeſſionem efficitur. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Ecce tertio loco plenam illam & omnibus numeris abſolutam peccati expiationem, quæ per ſatisfactionem fit. Multi quidem ſunt, qui peccata lugent, deplorant, ac etiam confitentur; ſed vix milleſimus quiſque reperiri poteſt, qui pro debiti ratione ſatisfaciat. Eaque de cauſa propheta, qui iam antea pluraliter enunciauit, vt deſignaret multos eſſe beatos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata, nunc contra ſingulari numero loquitur, vt oſtendat paucos admodum eſſe, qui dignam de peccatis ſatisfactionem ſuſcipiant. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Eſt certe pergrandis & ſtupenda Dei noſtri clementia in peccatores: qui quanto magis peccata ſua ad mentem reuocant exprimuntq;, tãto promptius ignoſcit & obliuiſcitur: deinde etiam quanto diligentius & abſque omni fuco produnt, vt per confeſſionem propalentur, tanto cautius tegit, vt omnino lateant: ac denique quanto ſyncerius culpas agnoſcunt propriæque ingratitudini tribuendas eſſe cenſent, ac propterea de ſemetipſis ſupplicium ſumunt, tanto minus alicuius eos criminis inſimulat, ſed contrà omnem prorſus offenſionem ſic delet, vt nihil plane ſuperſit. Quibus quidem rebus addicitur, non eſſe ſatis, ſi de peccatis ſolum conteramur & confiteamur, niſi & bonis etiam operibus

ſedulo

ſedulo inſiſtamus, quibus pro delictis ſatisfiat. Nam ſi in hac tertia pœnitentiæ parte (quæ eſt ſatisfactio) parum induſtrios nos præſtiterimus: timẽdum profectò eſt, ne fraus aliqua ſeu vitium latenter ſubſit, quod nos ſeducat & profectum impediat. Quemadmodum enim arborem, quæ, cum germen & flores produxerit, nullum poſtea fructum ferat, aliquo vitio intrinſeco & occulto laborare, eamque totius mali cauſam eſſe, perſuaſiſſimum habemus: ſic & de anima, quæ primas contritionis gemmas ac deinde confeſſionis flores emiſerit, ſi bona demum ſatisfactionis opera non producat, iuſte timeri poteſt, ne vitioſa ſit, ne ſcilicet dolus aliquis in anima lateat, quo effectum ſit, vt vere conteri vereq; confiteri non potuerit. Sed quiſquis omnes has pœnitentiæ partes, contritionem nimirum, confeſſionem, & ſatisfactionem rite ſuſceperit, is in fraudem impelli nunquam poteſt, ſed proculdubio recta ſemita incedit, quæ ad æternam beatitudinem ducit. Atque idcirco ſubiungit propheta: Nec eſt in ſpiritu eius dolus. Qui enim pro virili parte contenderit, ac ſeſe ad ſatisfactionem de peccatis ſuſcipiendam tam ſerio tamque frequenter adegerit, vt nihil iam culpæ ſuperſit, quod ei à Deo merito imputari queat, rectè in eius ſpiritu nullus nec minus perfectæ contritionis ſed nec ſimulatæ confeſſionis dolus ſubeſſe poteſt. Contritio in hac vita per Dei gratiam facili momento à nobis acquiri poteſt.

Sed & abſolutionis ſacramentum magno illis eſt adiumento, qui rite confeſſi ſunt. Eſt enim ad illos viros per ies quos eſt clauium poteſtas, diuino ore dictum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Magnas igitur vires habet quoduis pietatis opus, quod ſacerdotis imperio ſatisfactionis nomine alicui præſcribitur: ſed multo efficacius vtiliuſq; cenſetur, ſi ab eo, cui iniungitur, prompto & alacri animo ſuſcipiatur. Eſt enim ſcriptum: Melior eſt obedientia, quam ſtultorũ victimæ. Iam vero, ſi prophetam rectè monẽtem auerſamur & auſcultare negligimus, in magnam vituperationem (nec quidem immerito) venimus: cum hac ſolum ratione ad æternam fœlicitatem perueniatur. Niſi enim hiſce rebus, quæ à nobis in medium allatę ſunt, tribus ſcilicet pœnitentię partibus, animas noſtras emundare ſatagamus, ad miſerias calamitateſq;, non ad beatitudinem iter capeſſimus. Certe, quemadmodum in cœlo, vbi omne bonum & voluptates æternæ locum habent, ſumma eſt beatitudo: ita in inferno vbi viget malum, omni prorſus voluptate ſecluſa, ſumma eſt infelicitas: ad quam vtique calamitatem peccatum, quemadmodum contra ad beatitudinem ſola nos peccatorum expiatio perducit. Præterea, ſi peccati fœditas ſemel in animam fuerit admiſſa, & ſi diuturna etiam peccandi cõſuetudine penitus inolita mentem infeliciter occuparit, eam fœdam & horridam ac in dies ſingulos magis magiſq; infectam reddit. Quod in vrina vel alio quouis putenti liquore videre eſt: qui ſi vaſculo aliquo fuerit exceptus, quanto diutius aſſeruaueris, tantò magis inficit inficiturque, & vaſculum tantò fœdius fœtidiuſque redditur.

Ioan. 20. Eccleſ. 4.

Rurſum. Quemadmodum furunculus ſeu vlcus virulentum, quanto diutius celaueris, tanto purulentius euadit, maioremque in ſingula pene momenta ſaniei vim attrahit, adeo vt ipſa quoq; oſſa penetret ac inficiat: eodem plane modo peccata quanto maiori temporis ſpacio in anima latuerint, tanto eam infirmiorem reddunt, maiorique indies contagio labefactatam eneruant: ſed & partes animæ robuſtiores, ipſas nimirum potentias ſeu virtutes ſic inficiunt, vt in quandam bonorum operum deſuetudinem veniat. Quam rerum ſimilitudinem ſecutus propheta, hæc verba ſubiungit: Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea. Eo quod animam meam ſalutari contritionis & ſyncerę confeſſionis remedio à peccatis non expiaui, ſed magis tacendo celare & intra me continere volui, in peccatorum ſordibus multum diuque hærendo illud effeci, vt vires animæ temporis diuturnitate proſtratæ plane deficiant. Dum clamarem tota die. Atq; hoc quidem mihi accidit, quamuis tota die vociferatus fuerim. Sed illud à me fortaſſe quæretis, quomodo hæc ſibi conuenire poſſint, cũ propheta ſe iam antea conticuiſſe, nunc vero tota die vociferatum eſſe affirmet. Fieri poteſt, chariſſimi, quod aliud tacendo celauerit, aliud clamando in lucem prodiderit. Nam ipſi, ſi quid boni à nobis aliquando perpetratum ſit, libenter facimus, vt omnibus innoteſcat: at contra, ſi quid perperam geſtum ſit, ſummo ſtudio canemus, ne aliqua ratione prodatur. Res enim præclare geſtas ac laudabiles magnificis verbis illuſtrare & quibuſdam quaſi clamoribus vociferationibuſque propalare geſtimus: at vero res turpes ac vituperoſas tegere & ſilentio premere contendimus. Quod & prophetam feciſſe veriſimile eſt: qui fortaſſis ea, de quibus laudem meruerat, deprædicare; at peccata, de quibus accuſationem inſtituere debuerat, celare malebat. Qua de cauſa ab eo dictum eſt: quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Eo quod ſilentio vſus ſum, cum me de peccatis in Deum commiſſis incuſare debebam, quodque præterea res à me bene geſtas (quas vtique ſilere oportuerat) nimia quadam promptitudine oſtentaui, omnes animæ meæ virtutes in eam deſuetudinem venerunt, vt vim ſuam exerere nequeant. Totius igitur mali cauſa eſt, quod peccata noſtra per confeſſionem non prodimus, ſed magis celamus. Sed qua tandem ratione ſemitam illam inueniemus, quæ ad veram beatitudinem ducit? Dicit ſapiens: Timor Domini expellit peccatum. Eſt ergo timor Domini ipſum expiandi peccati principium. Ad mentem reuocemus illud Diui Pauli ad Romanos, vbi hominibus illis, qui peccatis intricati reſipiſcere nolebant, in hunc modum minatur: Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. Quibus

Eccleſ. 1. Rom. 2.

verbis ſignificatur, Deum optimum maximum ad ſumendum de nobis ſupplicium eo nomine prouoeari, quod refractarij ſumns, nec ad eum per pœnitentiam conuertimur: noſtraque hac contumacia occaſionem illi quodammodo præberi, vt vindictam ſumat necemque tum corpori tum animæ inferat. Certum quidem eſt imminere ceruicibus noſtris gladium virtute diuina continenter vibratum, cuius ictus tandem tanto erit atrocior, quanto maior eſt noſtra in eum ingratitudo, quantoque iuſtius eius bonitatem ſcelerum noſtrorum cumulo ad iracundiam concitauimus. Quam rem vt nobis, prophetæ exemplo, ſemper ob oculos poneremus, maximis votis optandum erat. Is enim ex huius acerbiſſimi ſupplicij terrore occaſionem ſumpſiſſe ſe ingenue fatetur, vt nuncio viciis remiſſo ſeſe ad pium ac miſericordem Dominum conuerteret. Quoniam, inquit, die ac nocte granata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum. Dauid enim de offenſione diuina certior factus fuerat, ea ipſis Nathan prophetæ verbis, qui eum in hunc modum allo-
2. Reg. 12. cutus eſt. Non recedet de domo tua gladius, eo quod deſpexeris me. Quæ quidem voces ipſius animum (cum peccati in Deum commiſſi recordaretur) non aliter quam ſpinæ acutiſſimæ ſauciarunt. Nam certe peccatorum recordatio, hominis (quem vere pœnitet) conſcientiam tam grauiter pungit ac lacerat, quam ſolet ſpina corpori infiaa. Sanctus igitur propheta ex hac graui & acerba conſciæ mentis punctione tam magno dolore afficitur, vt ad Deum redire neceſſe habeat. Sed & ad ſeipſum redit: nam etiam à ſeipſo iam antea receſſerat. Quiuis enim peccator, qui peccata deſerere non vult, à ſeipſo iam receſſit: quod ex ipſis ſaluatoris noſtri verbis aſtruitur,
Matth. 6. cum ait: vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Et Diuus Auguſtinus: Verius, inquit, eſt ibi animus, vbi amat, quam vbi animat. Dauid ergo cum Berſabæam deperiret, vehementius in eam ferebatur, quam in ſeipſum. Sed cum conſcientia ex peccatorum recordatione non aliter quam ex ſpina corpori inhæreſcente ſeu magis transfixa pungeretur, ad ſe rediens, ac timens dolenſque ad Deum relicto peccato conuerſus ait: Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Duæ igitur res ſunt, quibus efficitur, vt ad Deum conuertamur. Altera eſt, cum ſupplicij nobis intentati acerbitatem animo verſamus, Altera ex dolore proficiſcitur, quo ſcilicet afficimur, cum ſcelerum noſtrorum multitudinem ad mentem reuocamus, quibus optimum ac benigniſſimum Dominum nobis auerſum inſenſumque reddidimus. Eſt quidem hic ſupplicij diuini timor illius doloris, qui de peccatis nobis ingeritur, cauſa & parens. Quiſquis vero in hac ingentis timoris ac doloris calamitate verſatur, is procul dubio ſeſe ad Deum conuertit. Quæ cum ita ſiunt, hic animę motus, primum ea timore, deinde ea dolore profectus, ac ad Deum rite deſtinatus, contritio vocatur, quæ prima pœnitentiæ pars eſt: quam etiam ſubſequitur pars altera, quam (vti iam dictum eſt) confeſſionem appellamus. Nec enim ſatis eſt, vt pœnitens de peccatis contritionem ſuſcipiat: neceſſe eſt porro, vt ea ſacerdoti confeſſario ſua ſigillatim exponat, cum loci & temporis opportunitatem nactus fuerit. Nam ſi peccatis noſtris (quemadmodum iam antea diximus) ipſi velum obducimus, vt abſcondantur, futurum eſt, vt Deus ea reuelet. Sin vero nos ea detegimus, ipſe contra, vt tegantur obliuionique tradantur, diligenter curabit. Dauid ergo, cum ea peccatorum recordatione conſcientiæ ſtimulum fenſit (qui mentem non aliter quam ſpinę cordi infixæ torquebat) ad Deum toto animo conuerſus, prophetæ, qui ad eum diuino imperio deſtinatus fuerat, peccatum his ver-
bis expoſuit: peccaui Domino. Cuius viri ex- *2. Reg. 12*
emplo & nos, chariſſimi, cum ex ſcelerum noſtrorum multitudine, quibus diuinum numen nobis iratum fecimus, conſcientiam ſimili modo ſtimulatam ſentimus, ipſi nos incuſemus, veramque ac integram confeſſionem inſtituentes, peccata detegamus: vt cum propheta dicere poſſimus ſinguli: Delictum meum cognitum tibi feci. Cumq; in hunc modum ea, quæ ad contritionem & cōfeſſionem ſpectant, præſtiterimus, tertio loco nobis ſemper pro viribus conandum eſt, vt offenſas operibus ſatisfactoriis compenſemus, ne peccata noſtra vllo vnquam tempore vllaue ratione nobis imputari queant. Nam licet contritio illud efficiat, vt peccata condonentur, ac confeſſio ſimiliter præſtet, vt omnino tegantur, ne poſſint dinoſci, neceſſarium tamen eſt ſatisfactionis officium, qno fit, vt prorſus abradantur atque ita plane deleantur omnia, vt nullum poſtea cerni poſſit vel tenuiſſimæ labis veſtigium. In lege antiqua pro criminū varietate ac cōditione, varia quoque erant præſcripta ſacrificiorum, oblationum, & ceremoniarum genera, vt ſingulis delictis ſingulæ etiam expiationes reſponderent. Quibus tamen remediis Dauid vti noluit, illud nimirum timens, ne ſacrificij ritus crimen proderet. Equidem vereor, ne nimis multi ſint hodie, qui hac in re prophetam imitentur, qui flere nolunt, dolere renuant, vitiis, quibus iam diu ſunt aſſueti, abſtinere erubeſcant, ne forte ex ſuſcepto vitæ melioris inſtituto iam olim perperam egiſſe deprehendantur. Abſit à nobis, chariſſimi, vt hos mores induamus. Nos ſyncere
præferamus, quod ſumus. Certe ſumus omnes *1. Iohan. 1.*
peccatores: & ſi diaerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Cumq; peccatoribus maxime cōſentaneum ſit, vt lugeant, lachrymētur, ieiunent, omnibuſq; corporis voluptatibus abſtineant, nobis omnino faciendum eſt, vt lugeamus, vtq; lachrymas profundamus vel in hac vita vtiles, quibus anima peccatorū ſordibus abluatur, vel poſt hanc vitam prorſus inutiles, quibus continenter defluentibus etiam corpus miſere inurēdum nec vllum cruciatus finem habiturum ſit. Nos igitur

tur Mariæ Magdalenæ pœnitentiam imitemur: nullus nos pudor mundanus abſterreat, quo minus de peccatis lugeamus: nulla nos verecundia eo impellat, vt contra facere ſtatuamus: nec vllo vnquam tempore committamus, vt eam vitæ aut diſciplinę ſeueritatem detrectemus, quā peccata noſtra merẽtur: vt cum propheta vere dicere poſſimus: Et iniuſtitiam meam non abſcondi. Præterea fieri poteſt, vt quis ex animo doleat magnamque de peccatis contritionem ſuſcipiat, cui tamen prudens & idoneus confeſſarius ſtatim ex voto non adſit, etiamſi maxime velit. Contingit etiam aliquando, vt quis peccata & ſerio deploret & ſyncere confiteatur, quem tamen mors (cuius ictus & importunus & ineuitabilis eſt) tam cito adoriatur, vt ſatisfaciendi ſpacium non detur. Qua de cauſa, ne quiſpiam animum deſpondeat aut de immenſa Dei miſericordia diffidat, oſtendit ſanctus propheta, quam magna ſit contritionis vis, modo adſit conſtans & certa confitendi voluntas. Sola enim contritio (certo confeſſionis præſtandæ voto comitata) omnem peccati reatum aufert: adeo vt, ſi quis vere de peccatis conteratur, & apud ſe confiteri ſtatuat, cum poſſit, nec vllum deinceps peccatum admittat, nullum ſit illi damnationis æternæ periculum. Attamen ſi ſublato iam peccato, aliqua pœnæ diuinæ iuſtitiæ decreto inflictæ obligatio adhuc in anima ſuperſit, eſt quidem pœna illa nobis omnino ſubeunda, debitumque illud, quod per peccatum contractum eſt, vel ſatisfactoriis in hac vita operibus, vel atrocibus in purgatorio ſuppliciis liberandum eſt. Sed peccatum, vti iam antea diximus, ſolo contritionis remedio plane ſublatum eſt, modo certum adſit confitendi propoſitum. Quod per prophetam his verbis confirmatur. Dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ecce, peccatum eo nomine remiſſum eſſe, quod vere confiteri animo ſtatuerit. Multa ſunt, quæ ad confeſſionis rationem rite conſtituendam perficiendamq; à nobis exiguntur. Primum, vt pœnitens omnia peccata ſua ſimul exponat, nec vnum omittat. Qua de cauſa dicit: Confitebor: quod perinde eſt ac ſi dicat, ſimul fatebor vel etiam conn ciabo, quæ vllo vnquam tempore à me cõmiſſa ſunt peccata. Quod etiam dum faciam, non fatum aut conſtellationẽ aliquam, non dæmonem aut aliam quamuis rem creatam, ſed meipſum in crimen vocabo. Aduerſum me cõfeſſionem accuſationemq; inſtituam. Sed quid tandem confitebitur? Certe proprios errores, quoties ſcilicet à recta mandatorum Dei ſemita declinauerit. Nec alienā ſed ſuam culpam agnoſcat: qua de re ſubiungit: Iniuſtitiam meā, meam culpam agnoſco, meum peccatum, meam iniquitatem. Et cui demum ſe reum ſtatuet, & quorſum id faciet? Domino confitebitur, diuino ſe iudicio ſiſtet; atque in his quidem rebus omnibus Dei gloriam, dæmonis confuſionem, ſuę ipſius animæ ſalutem ſibi proponet. Quiſquis in hunc modum certam peccata confitendi voluntatem cum contritionis dolore ac pœnitẽtia ſuſceperit, etiamſi mortem ſtatim obeat, nec rem animo deſtinatam ad effectum vnquam perducat, æternæ tamen damnationis ſententiæ obnoxius non erit. Sed & hoc animaduerſione dignum eſt, fieri non poſſe, vt cõfeſſio, peccatorum explicatio, ſedula bonorum operum ſatisfactionis cauſa perpetratio ſine aliquali dolore ac pœnitentia ad ſalutem ſufficiant. Nam procul dubio ſunt pœnitentia & contritio illis hominibus, qui ſalutis ſuæ curam agunt ita neceſſaria, vt alia ratione (ſi modo deliquerint) peccatorum veniam impetrare nequeat. Et quis tandem eſt mortalium, qui nullum vnquam peccatum admiſit? Certe ſcriptura ſancta neminem eſſe teſtatur. Neque enim eſt homo, qui non peccet. Cum ergo ſimus omnes peccatis obnoxij, contritionem omnibus neceſſariam eſſe (cum aliter ad æternæ ſalutis felicitatem perueniri non poſſit) fateri neceſſe eſt. Petrus, cum Dominũ Ieſum negaret, grãde ſcelus admiſit, Paulus cum eccleſiã perſequeretur, graui ſe flagitio obſtrinxit, Maria Magdalena, cum obſcœnis corporis voluptatibus indulgeret, atrociter peccauit. Complures etiam alij, quorum certus numerus iniri non poteſt, alia atque alia crimina perpetrarunt. Sed & illi ipſi, qui in diuorum numerum relati iam ſunt, antequam ad eum beatitudinis ſtatum peruenerunt, neceſſe habuerunt omnes (pauciſſimis exceptis) illud à Deo ſubinde contendere, vt contritionis donum ipſis elargiretur. Eaque de cauſa dicit propheta. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Eſt quidem opportunitas in omni actione noſtra expectanda obſeruandaque: quæ cum ſeſe obtulerit, ea probe vti prudentis viri officium habetur. Sane, anima aliquando variis mundanarum voluptatum illecebris ſic deprimitur, tegitur, ac plane obruitur, vt emergendi ſibiq; conſulendi facultatem nõ habeat. Cumque ad patriam ſuam, ad cœleſtem nimirum beatitudinem, euocatur, ſurdas aures præbet, & ſalutem propriam, etiam cum vltro defertur, faſtidit & aſpernatur. Cuius rei non alia ratio redditur, quam quod importunum eſſe nec pro temporis ac loci ratione ſatis conuenire cenſeatur. Certe nihil eſt in rerum natura, quod veram contritionem tam fortiter impediat, quam variæ mundi huius voluptates, quæ animæ peſtem perniciemque adferunt. In ipſo rerum creatarum principio Deus optim. maximus Paradyſum licitarum voluptatum locum conſtituit. Vnde profluxit fluuius quidam in quatuor tandem riuos diſtinctus, qui quatuor virtutes cardinales, iuſtitiam, temperantiam, prudentiam, ac fortitudinem deſignabant, quibus anima non aliter quam totidem riuulis ablui vegetarique poterat. Sed contra dæmon alium Paradyſum, alium nimirum earum, quæ à corpore & ſenſibus ducuntur, voluptatum locum finxit: vnde etiam oriuntur quatuor fluuij, iis, quos iam diximus, plane oppoſiti: auaritiæ fluuius, qui iuſtitiam oppugnat: gulæ fluuius, qui temperantiæ contrarius

de peccatis cogitationem ſuſcipiamus. Atq: hæc quidem ad primam à nobis propoſitam rationẽ ſpectant. Deinde quoad ſecundam partem, quæ eſt confeſſio, ſubiungit: Inſtruam te: vt ſcilicet ſingulorum peccatorum vim & diſcrimen probè intelligas. Ac demum quod ad ſatisfactionem attinet, quæ tertio loco eſt, dicet: In via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Ego te ducam ac dirigã, vt ab hoſtium inſidiis ſis immunis: ego te ſemper gratia mea & clementia ſic firmabo, vt in bonis operibus ad finem vſque perſeueres. O miram Dei noſtri in peccatores, qui ad eum confugiunt, benignitatem: qui eos tam prompte conſolatur, auxiliumque præſtat, quo ſecuri fiant, ſe nulla vnquam momentanearum voluptatum inundatione ſubmergendos eſſe. Quam quidem Dei clementiam propheta ſanctus ad mentem reuocat, omneſque adeo mortales hortatur, vt pœnitentiam agant. Cumque de pœnitentia multis iam antea verbis diſſeruerit docueritque: Primum eos, qui pœnitentiam agunt, beatos, at contra, qui facere recuſant, infelices eſſe ac miſeros: deinde quibus de cauſis pœnitentia à nobis ſuſcipi debeat, quot ſint eius partes, quam vim habeat, quam ſit neceſſaria, quibus rebus impediatur, quæ contra remedia ſint à nobis adhibenda, quam ſit benignus Dominus noſter, quamque ad ſubleuandum & miſericordiam impendendam propenſus: nunc demum, poſt breuem harum rerum enumerationem, peccatorum animos ad pœnitentiam amplectendam exercitandamque erigere conatur. Duo igitur ſunt peccantium genera, qui pœnitentiam detrectant. Alterum eſt eorum hominũ, qui in omnẽ libidinem effuſi, iuſtar ferarũ, quibus nunquã iniectum eſt frenũ, in illicitas corporia voluptates præcipites ferũtur: atq; hi quidem equum referunt. Alterum eſt eorum, qui diu in vitiis enutriti, prauam illam ac pernicioſam perperam agendi conſuetudinem ad prouectiorem fortaſſis ætatem protraxerunt. Ac quoniam multo temporis ſpacio huiuſmodi moribus vſi ſunt, perſiſtere omnino volunt, nec vllo modo adduci poſſunt, vt itinera, quibus iam diu ſunt aſſueti, deſerere velint: iſti verò muli ſimilitudinem gerunt. O ſtupendam ac miſerabilem rerum metamorphôſim. Homo, qui in tanta dignitate cõſtitutus erat, qui, cum cætera animalia terram prona ſpectarent, ſolus vultum ſublimem & ad cœlos erectum gerebat, qui ratione ac liberę voluntatis arbitrio præditus erat, qui ad ipſam immortalis Dei imaginem creatus & eo fine ab eo productus erat, vt cæteris quidem creaturis omnibus præeſſet, ipſæ vero illius imperio obtemperarent, ſeſe per peccatum tam miſerè deprauauit, vt deformis ac degener effectus etiam in beſtiam rationis expertem tranſierit: porro & in eam Dei creatoris ſui obliuionem deuenit, vt equi & muli mores ingeniumq; volens induerit, eoquod pœnitentiam ſalutarem ſibi diuinitus oblatam aſpernatus, remedia contempſerit, quibus in priſtinum dignitatis locum reſtituendus erat. Propheta igitur, vt peccatorum animos in infauſta hac & miſerabili cæcitate captos excitet, eos in hunc modum alloquitur. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Sed cum præuideret paucos admodum futuros, qui recte monentem auſcultaturi erant, orationem ad Deum cõuertit. Certè fit ſæpenumerò, vt pius ac miſericors Dominus multos peccatores beneficiis ſuis ſuauiter illectos ad pœnitentiam ſuſcipiendã perducat. Matthęus, qui vectigalia publica exercebat, ſimulac Dominũ vocantẽ ſenſit, relicto vitæ prioris inſtituto, Chriſtum ſecutus eſt. Maria Magdalena funiculis amoris attracta, ſeſe ad Chriſti pedes proiecit, ac vitã malè actam deplorauit. Dominus Petrum, qui eum iam anteà ter negauerat, benignè tamen & clementer reſpexit: quo effectum eſt, vt ille de ſcelere perpetrato pudore affectus fleuerit amarè. Fieri poteſt, quòd Antonius etiam, eo ipſo tempore, quo verba illa ex euangelio recitata auſcultauit: Qui reliquerit patrem aut matrem, aut fratrem, *Matth. 19.*
aut ſororem, aut vxorẽ, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit: continuò relictis hiſce rebus omnibus ſeſe in ſolitudinem contulerit. fuerunt quidem omnes iſti ad agendam pœnitentiam blandiſſimis rationibus inuitati: quod & aliis penè innumeris contigit, maximè verò ſacerdoti cuidam (cuius meminit præclarus ille magiſter, qui à Pariſiis cognomen accepit) qui, vt de peccatis in Deum commiſſis pœnitentiam ſuſciperet, ſingulari quodam modo vocatus eſt. Sacerdos ille, cum eſſet multis Dei donis præclarè inſtructus & ornatus, in dies tamen ſingulos ſeipſo deterior euaſit, ac peccata peccatis cumulauit. Sed Deus opt. maxi. non propterea deſeruit hominẽ, ſed magis eum aliis atque aliis beneficiis auxit: adeo vt tandem etiam epiſcopatus ei maxima totius populi conſenſione delatus fuerit. Tum demum ille, cum diuinam in ſe bonitatem clementiamq; perſpiceret, ſimulq; ad mentem reuocaret, quamdiu quamque inſigniter in Deum conditorem ſuum impius & ingratus extitiſſet: in hunc modum eum allocutus eſt. Viciſti me, Domine benigniſſime, viciſti me, variaque tua gratiæ beneficia me tibi ſic obſtrinxerunt, vt deinceps mancipium tuũ eſſe me libenter agnoſcam, nec vllo vnquam tempore à te receſſurus ſum. Et quis eſt, quæſo, noſtrum omnium, chariſſimi, qui non fatebitur ingenuè, ſe quoque multis ac magnis Dei beneficiis ad reſipiſcentiam vocatum fuiſſe? Nobis in mentem ſubeat, quam clementer ſua nobis dona pius Dominus largitus fuerit. Sed & apoſtolum hac de re nos interrogantem auſcultemus. An ignoras, inquit, quoniam beni- *Rom. 2.*
gnitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Quod ſi blandis hiſce rationibus, copioſa videlicet beneficiorum Dei varietate adduci nolumus, vt reſipiſcamus, at ſaltem ſuppliciorum ac cruciatuum, quæ peccatores manent atrocitatem pertimeſcamus. Nam Deus aliquando in peccatores obſirmatos, quos blanditiæ non flectunt, ſeueritatem

exercet, & in eo voluptatem capere videtur, vt huiuſmodi viros in hac vita ſuppliciis clementer coerceat. Qua de cauſa propheta, ſublato ad Deũ clamore, illud ab eo vehementer contendit, vt homines illos refractarios, qui nullis rationibus adduci poſſunt, vt inauſpicatam peccandi conſuetudinem deſerãt, ſed magis equos indomitos & mulos ſibi imitandos proponunt, ſuppliciorũ ſtimulis ad pœnitentiam capeſſendam impellat. In chamo, inquit, & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Peccatores, Domine, qui ad te per pœnitentiam appropinquare renuunt, ſuppliciis & maioribus & minoribus in hac vita, vt vel ſic propius accedãt, compelle. Maiora ſupplicia vocãtur cenſuræ eccleſiaſticæ, cuius generis eſt excommunicatio maior vel etiam mors temporanea. Minora ſunt pœnæ temporales, quæ nobis in hac vita infliguntur; quo in genere habentur rerum damnum & iactura, aduerſa valetudo, & id genus alia. Multo quidem præſtantius eſt & optabilius, vt peccator res aduerſas & ſupplicium in hac vita perferat, quo demum fructum & premia referat, quam vt æternis illis inferni tormentis addicatur, vbi cruciatus omnes quantumuis atrores & acerbi inutiliter plane ac nullo fructu ſubeuntur. Eoque à D. Auguſtino dicitur: hîc vre, hîc ſeca. Quod ſi hic tam ſpectatæ pietatis & ſanctimoniæ vir illud à Deo poſtulauit, vt de ſe quoduis ſupplicium potius in hac vita ſumeretur, quam in futura, quo tandem æterna illa regni cœleſtis felicitate potiretur: quid de peccatoribus iſtis fiet, quorum mens praua peccandi conſuetudine ſic eſt obdurata, vt nullis Dei beneficiis emolliri velint, vt ad eum redeant? Quantò ſatius fuiſſet miſeris perpeti, quæcumque hic excogitari poſſunt tormenta? futurum eſt enim, vt à dæmonibus in tetrum illud & inextricabile tartarei carceris barathrum æternis cruciatibus ſubiiciendi detrudantur: vbi erit fletus & luctus & ſtridor dentium, vbi conſciæ mentis vermis nullo vnquam tempore moriturus eſt, vbi ignis nulla ſæculorum diuturnitate extinguendus eſt, vbi nonnulla tormentorum pars in alta quadam voragine exercebitur, quæ liquore quodam ardenti, & igne, & ſulphure continenter æſtuabit. Ac propterea ſubiungitur: Multa flagella peccatoris. Multa quidem & varia ſunt eorum hominum flagella, qui animum in peccatis ſic obfirmarunt, vt ad ſaniorem mentem redire nolint. Quiſquis vero in hac vita pœnitentiam agere ſtatuit, quantumuis atrocia ſint ipſius peccata, ſi de venia non diffidat, (miſericors eſt Deus) ſcelerum ſuorum omnium remiſſionem conſequetur. Nam, quemadmodum ad Auguſtino recte dicitur, ſi vniuerſa totius mundi peccata miſericordiæ diuinæ conferantur, nihilo plus erunt, quam ſi parua quædam ignis ſcintilla vaſto oceano comparetur. Sed & illud peccatori quantumuis impio cum aſſeueratione affirmo, ſi eum aliquando in hac vita de peccatis in Deum commiſſis verè pœniteat, culpamque ex animo deprecetur, futurum, vt pius Dominus pro immenſa ſua bonitate citius ignoſcat, quam vniuerſæ maris vndæ vel vnam ignis ſcintillulam extinguere valeant. Nam ſimulatque peccatorem vera pœnitudo ceperit, nihil in anima ſupereſt, quod diuinam miſericordiam iam vndique circumfuſam aditumque propenſius ambientem, ab ingreſſu prohibeat. Quam rem propheta his verbis exponit: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit. Peccatorem, qui magna cum fiducia ad Dominum reuertitur, certamque agendæ pœnitentiæ voluntatem ſuſcepit, miſericordia diuina vndique munitum cinget ac tuebitur. Multi ſint, qui magnam in peccatis & mundi oblectamentis voluptatem ſtatuũt. Certe, qui ſic ſentiunt, miſere allucinantur: res enim longe aliter habet, quam eorum fert opinio. Sed qui vere pœnitentiam ſuſcipiunt, ipſi proculdubio eam in Deo & rebus diuinis voluptatem fœlicitatemque capiũt, quæ omnes huius mũdi voluptates infinitis partibus ſuperat. Præterea quãto interna illa diſcernendi ac diiudicãdi facultas nobilior eſt & perfectior (quã capiẽdi ſeu percipiendi virtutẽ rite appellaueris) quantoq; res ipſa, quę ſenſus iudicio ſubiicitur, præſtãtior eſt & excellẽtior: tanto maiorem & diuiniorem inde percipi voluptatem oporter, cum res ſentitur: quæ quidem voluptas tanto etiam erit auctior, quanto vis illa animæ interna & res, quæ diiudicanda venit, ſibi inuicem propius applicantur arctiuſque contingũt. Exempli gratia. Quanto noſtra guſtandi vis perfectior eſt & perſpicacior, tanto res aliqua iucũdi ſaporis maiorem guſtata voluptatem affert: atque hæc quidem oblectatio tanto maius augmentum ſumit, quanto res ipſa, quæ ſenſu percipitur, linguæ propius admouetur. Cum igitur animæ noſtræ vis & capacitas multo melior ſit & perfectior, quam cæterorum non ſolum ſenſuũ ſed & rerum omnium creatarum, maioremque cum Deo & rebus diuinis neceſſitudinem ac propinquitatem habeat: quanto quis eam per pœnitentiam puriorem ac defæcatiorem reddiderit, tanto maiori dulcedine lætitiaque internam perfundatur neceſſe eſt: quam etiam tam ingentem eſſe oportet, vt omnes huius vitæ voluptates multis partibus ſuperet. Cum ex duabus rebus vtra ſit alteri præferenda diſceptatur, nulla id ratione certius deprehendi poteſt, quam ſi virum aliquem conſulamus, qui vtramque ſit expertus, eiuſque ſententiam ſequamur. Non eſt dubium eſſe multos, qui prius quidem huius mundi voluptates ſatis cognitas & perſpectas habuerint, deinde verò diſciplinæ aſperioris inſtitutum ſint amplexi. A quibus ſi interroganeris, vtrius vitæ ſtatus maiorem & ſolidiorem animi lætitiam attulerit, proculdubio reſpondebunt, multo maiori voluptatum copia affluere vitam illam, quæ pœnitentiæ ac contemplationis exercitationibus dedita eſt. Equidem mihi certo perſuadeo, neminem eſſe, qui internum illud animi gaudium, quod confeſſionem pœnitentiamque de pec-

de peccatis rite peractam comitari ſolet, non ſit aliquando expertus. Quod ſi vero prima pœnitentiæ pars tanta animam lætitia afficit, quaota, quæſo, futura eſt illa meotis exhilaratæ iocunditas, cum vniuerſis eius partibus plane abſolutis, tam pura ſit reddenda, vt nihil iam amplius expiandum ſuperſit? Qua de cauſa dicit propheta: Lætamini in Domioo & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde. Tria autem gaudiorum genera commemorat. Primum, gaudent illi, quorum peccata ſunt per contritionem remiſſa: quod quidem internum animi gaudium dicitur, inde natum, quod exaudita ſit eorum poſtulatio. Deinde, maiorem etiam in modum gaudent illi, quorum peccata ſic ſunt per confeſſionē tecta, vt nullo modo dinoſci queāt: quod externū gaudium appellari poteſt eo quod ſe iucundis etiam corporis motibus ſubinde prodat. Demum, effuſe lætantur illi, quorum peccata ita ſuut per ſatisfactionem penitus deleta, vt nullum ſuperſit offenſionis veſtigium: quod æternum gaudium recte vocatur, eo quod ad illuſtrandam Dei gloriam clementiamque in omnes ſæculorum æternitates ſit à nobia exercendum. Iam vero duo illa priora gaudiorum genera propheta iuſtis homioibus tribuit: Iuſti autem appellantur ij, qui veram contritionem cum certa confitendi voluntate ſuſceperunt: vel etiam, qui, poſt contritionem confeſſionemque integre peractam, peccatorum omnium remiſſionem ſacerdotis ſententia conſecuti ſunt. Hi enim ex virtute Sacramenti pœnitentiæ iuſti ſunt effecti: quam vtique vim & efficaciam pœnitentia ex ipſo Chriſti ſaluatoris ſanguine & morte deſumpſit. Sed recti corde vocantur illi, à quibus ſatisfactio tam abunde præſtita eſt, vt Deus nihil iam amplius ab eis exigere valeat. Atque idcirco à propheta dicitur: Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Qui per ſeriam contritionem veramque confeſſionem iuſtitiam adepti eſtis, lætamini in Domino & præ lætitia exultate: at vero, qui ſatisfactionis officia tam exacte præſtitiſtis, vt recti iam & perfecti ceoſeamini, quid vobis reſtat, niſi vt in Domino gloriemini eaque lætitia perfundamini, quæ nulla vnquam temporis diuturnitate ſit terminanda.

IN PSALMVM XXXVII.

Domine ne in furore.

PARS PRIMA.

NVLLA vos ſubeat admiratio, chariſſimi, quod ſermonem hodierna die ex inſtituti oostri ratione à tertio Pſalmo pœnitentiali oon exordiamur. Prius enim quam hos duos Pſalmos priores nobis enarrandos ſuſcepimus, de natiuitate beatiſſimæ virginis aliquid dicere in ipſo die ſtatueramus. Ad quod præſtandum cum eſſemus propenſiores, ſimulque amici quidam vrgerent, vt cœptam Pſalmorum enarrationem proſequeremur; quamuis id difficile admodum videretur, vt tamen eorum poſtulationi ſatisfieret, ſacratiſſimæ virgiois ope freti, rem aggreſſi ſumus, effecimuſque, vt prima huius Pſalmi pars rei à nobis propoſitæ conueniret.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens? Cant. 6.

POſt illam Adam & Euæ primorum generis noſtri parentum offenſam, erat hic mundus multis annis cæca quadam peccati caligine ac nocte totus confuſus: quam quidem caliginem & noctem ſcriptura ſacra ſæpenumero commemorat. Sed multi homines, ſynceri Dei cultores, quibus nox iſta & tenebræ magnam adferebant moleſtiam ac tædium, oraculo diuino certiores facti erant, futurum aliquando, vt ipſe inſtitiæ ſol vniuerſo mundo oriretur, qui diem longe illuſtriſſimum mæſtiſque mentibus ſingularem quandam lætitiam reſtitueret. Qua de re Zacharias propheta, de Chriſto ſermonem inſtituens, in hunc modum loquitur. Viſitauit nos Luc. 1. oricos ex alto, illumiuare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Chriſtus etiam io Euangelio D. Ioannis ſic ait: Abraham vidit diem Ioan. 8. meum, & gauiſus eſt. Naturalis hic dies, cuius luce fruimur, potius ſolis, à quo principium habet, quam noſter dies appellandus eſt. Ita & dies ſpiritalis, quo ſcilicet per fidem Catholicam in Spiritu viuimus, cum ſit ab ipſo iuſtitiæ ſole Chriſto Ieſu productus, illius magis proprie quam noſter dies haberi debet. Eaque de cauſa ſaluator noſter hunc diem ſuum appellauit. Vidit, inquit, diem meum. Abraham diem Chriſti præſentem non vidit, quemadmodum Apoſtoli viderunt. Ille ſolum in Spiritu per fidem veram venturum proſpexit: quamnis & ipſe & alij quamplurimi ſolem hunc ſpiritalem eiuſque diem præclarum videre votis ardentiſſimis optauerint. Multi re- Luc 10. ges & prophetæ, inquit Chriſtus ad diſcipulos, Matth. 13. voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Voluernnt quidem illi incarnatiouis meæ myſterium cernere, ſed voti compotes non fuerunt. Nec certe mirum, ſi homiues, qui in tenebris & cæca peccati nocte verſabantur (quæ vtique requies & dormitio nullam prorſus voluptatem adſerebant) ſolis illius ortum & ſplendorem vehementer optabant. Ante Chriſti ſaluatoris incarnationem & aduentum, ſancti patres, quos tenebrarum opera & peccati nox miro quodam tædio affecerant, illud à Deo vnuſquiſque in ſingulos dies enixis precibus contendebant, vt ille iuſtitiæ ſol ſuo ſeculo oriretur. Quæ tamen eorum ſpes & certa rei potiundæ fiducia 2. Corinth. 5. in multos annos protracta eſt: donec tandem pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, cum tempus idoneum ſuique conſilij decreto

creto præfinitum iam adeſſe cerneret, ordinauit, vt præclarus iſte iuſtitiæ ſol ſplendorem ſuũ in vniuerſum, qua late patet, orbem diffunderet. Qua etiam in re præſtanda recti ordinis ac decori rationem rite habitam fuiſſe perſpicimus. Nec enim conſentaneum fuit, vt, poſt tantas tamque horribiles profundæ noctis tenebras, inuſitatus ille ac plane mirabilis noui ſolis ſplendor continuo promicaret. Magis exigere videbatur ordinata rerum diſpoſitio, vt aurora quædam intercederet, quæ nec tenebris noctem nec ſplendore diem æquaret. Hæc autem ordinis ratio naturæ, ſcripturæ ſanctæ, ac rationi conuenit. Naturæ quidem maxime conuenire, exemplo noctis ac diei à nobis iam in medium allato demonſtratur. Intercedit enim quædam mediæ qualitatis lux, quã aurorã vocamus: quæ ſplendore ſuo noctem quidem vincit, ſed ſoli cedit. Hæc autem res nemini dubia aut obſcura eſſe poteſt, cum vſus quotidianus rem ita ſe habere doceat. Scriptura vero ſacra docet, in ipſo rerum creandarum principio, cum cœlum & terra iam producenda erant, omnia tenebris ad aliquod ſpacium obducta fuiſſe, & antequam ſol ſuum ſplendorem diffunderet, quandam lucem conditam fuiſſe, quę medium temporis ſpacium inter tenebrarum caliginem & ſolis claritatem occuparet. Sunt autem hęc à Moſe in ſuo Geneſeos libro ſecundo ſatis explicata. Gene. 2. Denique ratio, quæ rerum cauſas inueſtigat, diligenti cauſarum indagatione deprehendit, cum res aliqua contrariam ei, qua iam prædita eſt, qualitatem ſuſceptura eſt, exempli gratia, cum, quę iam frigida eſt, calorem inducere debeat, eam mutationem non repente, ſed quadam qualitatum ſibi ſuccedentium alteratione fieri. Aqua, quæ natura ſumme frigida eſt, non ſtatim ſubiecto igne ſumme calida efficitur: ſed intercedit modicus quidam calor, qui tepor dici poteſt, qui nec valde calidus nec valde frigidus, ſed media quadam temperie præditus eſt. Similiter & pomum, quod primum viride eſt, non continuo fuluum colorem induit, ſed prius ſubalbum ſeu citrinum efficitur, ita vt mediam quandam temperaturam inter colorem viridem & flauum referat. Atque his quidem rationum momentis oſtenditur conſentaneum non fuiſſe, vt poſt horridam illam & caliginoſam peccati noctem, ingens iſte ſolis æterni ſaluatoris noſtri ſplendor protinus ſuccederet, nulla prius orta præuię lucis aurora, quæ inter noctem & diem medium quiddam obtineret. Cum ergo & recti ordinis ratio poſtulet, & viri prudentis ſit non aliam quam hanc rei bene gerendę rationem inire: quis vnquam in dubium vocabit, quin prudentia diuina, in quam error cadere non poteſt, idem præſtiterit; maxime vero in hoc negocio, quo ſalutem operatus eſt in medio terræ? Pſal. 73. Nec enim hac in re ſolum ordinem peruertiſſe vel etiam parum curaſſe putandus eſt, cuius in cæteris rebus omnibus ex Apoſtoli teſtimonio Rom. 13. fuerit obſeruantiſſimus. Quæcunque enim ſunt, à Deo ordinata ſunt. Præterea, quo res propoſita fiat illuſtrior, tribus rationibus iam à nobis in medium allatis addicere conabimur, ſacratiſſimam hanc virginem ſaluatoris noſtri matrem auroram merito dici oportere, eo quod ante eam nemo peccati expers fuerit, at poſt eam ſol clariſſimus Chriſtus Ieſus mundo ortus ſit, qui tenebras illas, quibus mundus vniuerſus inuolutus & obductus fuit, lucis ſuæ ſplendore penitus diſpulit. Aurora igitur (vti quotidianus rei vſus docet) ex tenebris ortum habet: quod & Apoſtoli teſtimonio comprobatur. Deus, inquit, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere. 2. Corinth. 4. Quæ res Orpheum poetam in magnam admirationem rapuit, cum diceret: O nox, quæ lucem emittis. Et certe res eſt admodum ſtupenda, ſi ex humanæ rationis modulo metienda ſit, quod lux ex tenebris oriatur. Eodem plane modo & hæc beatiſſima virgo magnam nobis admirandi materiam præbet, eo ſcilicet quod ſit ab omni prorſus peccati labe immunis, quodque tam præclarum lucis ſplendorem emittat, cum ſit ab illis parentibus oriunda, qui peccati tenebris & nocte circumfuſi ac obducti fuerunt. Porro, poſt auroram oritur ſol, perinde ac ſi ab ea productus eſſet originemque duceret. Ita & ſaluator noſter Chriſtus Ieſus, ab intemerata virgine productus & natus, lumen ſuum in vniuerſum mundum diffudit. Deinde, quemadmodum ſol ab aurora ortus, ipſam luminis ſui diffuſionem multo illuſtriorem reddit: ita & Chriſtus ab intacta virgine natus, nulla matrem peccati labe contaminauit, ſed multo maiori, quam antea, luminis ac gratiarum acceſſione cumulauit & plane repleuit. Denique, quamuis ita videri poſſit, quod aurora ſoli cauſam tribuat, certa tamen res eſt, quod aurora contrà cauſam à ſole originemque hauriat. Ita & beatiſſima virgo, quamuis ipſa ſaluatorem noſtrum Chriſtum Ieſum in lucem ædiderit, ille tamen matrem creauit, eiuſque in hunc mundum producendæ cauſa extitit. Atque his quidem rationibus à natura ductis clarum efficitur, quam ſit rationi conſentaneum, vt ſacratiſſima virgo auroræ comparetur. Iam vero, quemadmodum ſcripturę ſacrę teſtimoniis & ſerie comprobetur, conſideremus. In libro igitur Geneſeôs ſic habetur. In principio creauit Deus cœlum & terram. Gene. 1. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebrę erãt ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Tũ primo die ſolo verbo præcepit Deus, vt fieret lux, & ſtatim facta eſt lux. Deinde quarto poſt die creatus eſt ſol. Atque hęc quidem ſunt, quę nobis in principio Geneſeôs deſcribuntur. Sed nunc quam habeant iſta ſignificationem, & qua ratione rem à nobis propoſitam corroborare videantur, videamus. Primum, cœli & terræ nomine vir & fœmina nobis venire poſſunt, eo quod fœmina viro nõ aliter ſubiecta eſt, quam terra cœlo. Eſt etiam fœmina ſterilis nec prolem generat, niſi vir õpẽ tulerit: quemadmodum & terra, niſi cœlorum influxus acceſſerit, in-

fœcunda

fœcũda eſt plane & inutilis. Similiter omnes hominum generationes ab ipſa Adami creatione peccati tenebris erãt obductæ. Et quamuis Spiritus Domini ſupra ſerebatur, ad infundendã gratiam ſemper propenſus, nemo tamen, qui eam ſuſciperet, repertus eſt: donec tandem ſanctiſſimæ Trinitatis cõſilio decretũ fuit, vt hæc ſacrata virgo in lucẽ æderetur, quæ diuina prouidẽtia ab omni prorſus peccati labe munita fuit, ita vt eã in
Cant. 4. hũc modum recte cõpellare poſſimus: Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te. Sed &
Luc. 1. angelus, cũ eam ſalutaret, his verbis vſus eſt: Aue gratia plena. Hæc igitur virgo diuinæ gratiæ radiis illuſtrata, & in eum finem à Deo ordinata, vt inſtar auroræ diem inchoaret, demum præſulgidum illum iuſtitiæ ſolem lucis ſuæ radios latiſſi-
Iohan. 1. me diffundentem ædidit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque ex his perſpicere licet, quam ſit ſacræ ſcripturæ conſentaneum, vt beatiſſima virgo aurora dicatur. Denique quod ratio maxime conuenire docet, vt inter duas res ſumme aduerſantes mediũ aliquod ſtatuatur, nõ eſt à propoſito noſtro alienum, vt ſcilicet auroræ nomen huic virgini recte tribui poſſe doceamus. Nam ſicut aurora inter magnum ſolis ſplendorem & ingentes noctis tenebras medio loco incedit, ita diua virgo inter ſplendidum iuſtitiæ ſolem ſaluatorem noſtrum & homines impios peccati tenebris obuolutos media exiſtit, & cum vtriſque participat: eſt enim illa & ipſius Dei filij & hominum peccatis obnoxiorum mater. Cum enim Chriſtus liberator noſter in Crucem ſuffectus penderet, D. Ioannem Euangeliſtam virgini matri commendauit, cumque vt filij loco haberet, diſertis verbis impera-
Iohan. 19. uit. Mulier, inquit, ecce filius tuus. Et ad Ioannem ſermonem conuertens: Ecce, inquit, mater tua. Ioannes ex vera nominis ratione diuinã gratiam deſignat: qua vocabuli ſignificatione illud monemur, Dei gratiæ non hominũ meritis tribuendũ eſſe, quod peccatores cœleſtis hæreditatis adeũdæ ius habeant: Peccatores igitur diuinæ gratiæ munere iuſti iã effecti, virginis matris tutelæ cõmendantur, vt nimirũ eos in ſuam fidem recipiat & maternam eorũ curam gerat. Eſt quidem nobilis hæc affinitas, ait D. Auguſtinus, quæ inter beatã virginẽ & peccatores cõtracta eſt. Illa enim quicquid boni accepit, peccatorum cauſa accepit. Erat enim peccatum in cauſa, quod illa Dei mater ſit effecta. Similiter & nos ſi quid boni habemus, illi acceptũ referre debemus. Iure igitur merito Maria virgo peccatorum mater habetur: vnde & in vniuerſa Chriſti eccleſia receptũ eſt, vt mater miſerorũ dicatur. Sed & miſericordiæ mater appellatur & eſt. Eſt enim Chriſtus ipſa miſericordia: quod propheta de eo verba faciens con-
Pſal. 58. firmat, cum dicit: Deus meus miſericordia mea. Cum ergo certum ſit, Chriſtum veram eſſe miſericordiam, illam vero Chriſti verã eſſe matrem, quin ſit etiam vera miſericordiæ mater diffiteri nullo modo licet. Qua de cauſa mediatrix neceſſario ſtatuitur (vti iam dictum eſt) inter Dei miſericordiã & peccatorum miſerias, inter Chriſtũ innocentiſſimũ & miſerrimos peccatores, inter luminis ſplẽdorem & tenebrarũ obſcuritatẽ, inter fulgentem diei ſolem & obſcuram noctis nubem. Nemo ante illam natus eſt, qui alicui peccato vel letali, vel veniali, vel etiam originali non fuerit obnoxius. fuerunt quidem complures ante illam multa virtutum laude vitæq; ſanctimonia nobilitati, cuiuſmodi erant Elias, Ieremias, & alij nõnulli. Sed, quia ab omni peccati labe prorſus immunes nõ extiterunt, erat eorum virtus & ſanctitas quadam quaſi nube obducta. Cuius rei cõſideratio beatos angelos permouit, cum, poſt tam longam tamq; denſam peccati noctem, præclaram hanc lucem ſine vlla vel tenuiſſima caliginis offuſione promicantẽ cernerent, vt in ſtuporem rapti mutuis ſe vocibus compellarent dicerentq;: Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora cõſurgens? Cũ igitur ſacratiſſima virgo Maria inſtar auroræ ſit, quæ inter noctem noſtrã & Chriſti diem, inter tenebras noſtras & ſaluatoris ſplendorem, deniq; inter peccatorum noſtrorũ miſerias & diuinæ bonitatis miſericordiã intercedat: quodnam aliud nobis implorandũ eſt auxilium, vt ab his miſeriarum nexibus explicati miſericordiam conſequamur, quàm quod ab hac gratioſa mediatrice expectatur? Quomodo fieri poteſt, vt quiſquam noſtrum in altera duarũ rerum diſſitarum extrema parte conſtitutus ad alteram perueniat, niſi mediis rationib. & adminiculis vtatur? Nos ergo, chariſſimi, ſacratiſſimæ virgini ſupplices ſimus, noſtramq; miſeriã agnoſcentes ingenue, eius opem imploremus. Illa vero, quin nos exaudiat, facere nõ poterit: eſt enim mater noſtra. filiũ ſuum miſericordẽ adibit, noſtramq; apud eum cauſam aget: nec dubiũ, quin, quodcunq; nobis ab illo poſtulauerit, facile cõſecutura ſit: eſt enim ipſius mater, eſt ipſius miſericordiæ mater. Nos ergo matrẽ adeamus, eamq; in hunc modum alloquamur. Sanctiſſima beatiſſimaq; virgo, tu Dei mater es, mater miſericordię, tu etiã hominũ peccatis obnoxiorũ & mater es & ſingulare præſidiũ, dulceq; eorũ omniũ, qui reb. aduerſis & mœſtitudine cõflictantur, ſolatiũ. Ad te igitur, in magnis rerũ anguſtiis cõſtituti, cõfugimus, Illud impenſe cõtendentes, vt preces, quas fundimus, exaudire, calamitates & mala, quæ patimur, cõſiderare, nobiſq; de remediis opportunis proſpicere pro materna pietate digneris. Sed quænã ſunt calamitates, quæ nobis hoc loco pręcipue declarandę veniũt? Illę profecto, quę cũctis peccatoribus ſunt cõmunes, quas, eccleſia ſancta nobis nutrix eſt & magiſtra, vt ſępius ad mentẽ reuocemus, quas etiã propheta Dauid in hoc 3. Pſa. pœnitentiali deſcripſit, de quo nũc nobis ſermo. Et quemadmodũ mulier Cananæa, cũ Domino ſupplex fieret, exaudita nõ fuit, mox tamẽ diſcipuli commiſeratione ducti, cauſã eius apud magiſtrũ, ea qua pollebãt, gratia promouerũt: ſic & nos, ne forte miſericors Domin' preces noſtras in Pſalmis ſuperiorib. fuſas propter ſcelerũ noſtrorum acerbitatẽ gratas nõ habuerit, nos ad clemẽtiſſimam ipſius & miſericordiæ matrẽ conuertamus, eius fidẽ implorãtes, vt cauſam noſtrã apud

filium

filium procuret, ſuaque aotboritate interpoſita
promoueat.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?

TRes anroræ cōditiones à nobis hoc loco pro-
ponentur, quæ quemadmodum ad ſacram
virginem referri ac competere videantur, paucis
ediſſeremus. Primum, ſi ſerena eſt aurora, opor-
tet vt aura lenis ſit & traoquilla, nec vlla vento-
rum, procellarum, aut tempeſtatum vi concite-
tnr. Deinde ſenſim oritur aurora, ortaque te-
nebras paulatim ſuperat, donec tandem vniuer-
ſam illam noctis obſcuræ nubem plane diſpel-
lat. Demum lucida eſt & clara, nec vllam admit-
tit nubium aut caliginis obſcuritatem. Iam ve-
ro, quomodo bis rebus omnibus inſtructa fue-
rit ſacra virgo, conſideremus. Quod ad primam
conditionem attinet, fuit illius mens tam lenis
& tranquilla, vt nullis vnquam nec ſuperbiæ
ventis nec iracundiæ procellis concitari potue-
rit, ſed omnibus ſe mitem & humilem præbue-
rit. Secundo loco, ſupra omnem peccati caligi-
nem ſublata, in eum modum ſuperauit, vt &
peccandi occaſiones pedibus ſuis proculcauerit,
ipſumq; adeo caput illius contriuerit, qui cæte-
ris mortalibus ad peccandum & author & inſti-
gator extitit. Denique fuit hæc beatiſſima vir-
go taoto lucis diuinę ſplendore illuſtrata, vt nul-
lis ignorantiæ tenebris obfuſcari potuerit. Ex
his rerum capitibus, multa quidem nobis ma-
teria ſuppeditatur, quæ ad diuinas buius virgi-
nis laudes deprædicandas plurimum faceret, ſi
hoc eſſet nobis propoſitnm. Sed alia eſt præſen-
tis inſtituti ratio. Nec enim nobis iam in animo
eſt de cœleſtium eius virtutum laude aliquid di-
cere, quæ omnem rerum creatarum facultatem
ſuperant: ſed illud nobis hoc loco propoſui-
mus, vt ad ſanctiſſimam virginem matrem o-
rationes inſtituamus, quo diuinam eius opem
rebus noſtris afflictis imploremus. Tria enim
ſunt miſeriarum genera, quibus nos obnoxij ſu-
mus: quæ tribus illis virtutum generibus op-
poſitę ſunt, quibus beatiſſimam virginem inſtru-
I. ctam eſſe iam memorauimus. Prima eſt timo-
ris ſeu terroris miſeria, quæ animam ſęua illa
malorum ingruentium procella ſic concutit &
II. exagitat, vt tranquilla eſſe non poſſit. Secunda
ſeruitutis eſt miſeria, cum quis ingenti peccati
mole ſic deprimitur, vt emergere non poſſit; quo
III. fit, vt peccati ſeruus efficiatur. Tertia eſt igno-
rantiæ cæcitatiſqne miſeria, quæ illnd efficit, vt
veritatis ſcientięque ſalutaris lumen quadam
quaſi nube ſubductum oculis noſtris ſubtraha-
tur. His igitur calamitatibus ſubiecti, ſanctiſſi-
mam virginem matrem ſupplices adeamus, cuius
ea eſt apud filium authoritas, vt, quę ſunt his ma-
lis contraria, facili momeoto nobis impetrare
valeat. Atqne hęc quidem miſeriarum genera
omnia ſunt nobis per propbetam in hoc tertio
Pſalmo pœnitentiali deſcripta: quod vobis mox
planum fiet, ſi dicentem diligenter auſcultaue-
ritis. Multæ calamitatum & diuexationum pro-
cellæ in nobis oriuntur, quæ tranquillam illam
mentis auroram varie perturbant. Aliæ nobis
ex illo æterni ſupplicij terrore proficiſcuntur.
Aliæ ex eorum cruciatuum, qui in purgatorio
ſubeundi ſunt, timore proueniunt. Alias variæ
corporū ęgritudines, quibus ob illam primi pa-
rentis culpam obnoxij ſumus, efficinnt. Alias in-
certæ mortis recordatio, quam demum ad cæte-
rarum calamitatnm cumulum accedere neceſſe
eſt, in nobis excitat. Præterea multæ ſunt affli-
ctionum procellæ, quæ ex eorum ſuppliciorum
metu ortum habent, quæ iuſto Dei indicio de
nobis in hac etiam vita ſumenda ſunt. Poſtre-
mo magnas in anima ſæuaſque tribulationum
procellas concitat ipſa peccati atrocitas: quo fit,
vt dininæ vindictæ ſeueritatem in ſingula pene
momenta (& quidem merito) pertimeſcamus.
Certe, harum diuexationum vel vna quælibet ſa-
tis magnam aliquando menti conſciæ moleſtiam
adferre poteſt. Noſter igitur propbeta ſingulas
ordine recenſet. Prima perturbatio, quæ ex æter- I.
ni ſupplicij peccatoribus infligendi formidine
naſcitur, neceſſe eſt, vt animum ſceleris conſcinm
vebementer ſtimulet & pungat. Cum enim æ-
terna illa tormēta hominum oculis conſpicien-
da patebunt, vultus Dei tam formidabilis eſt fu-
turus, vt miſeri peccatores, qui eius conſpectui
ſiſtendi ſunt, ſe non meliori loco, quam in ipſo
fornacis ardentis incendio conſtitutos eſſe arbi-
trentur. Quod ſcripturæ ſacræ teſtimonio con-
firmatur, vbi dicitur: Pones eos vt clibanum i- *Pſalm.20.*
gnis in tempore vultus tui. Sed & verba, quæ
tunc temporis ad eos babiturus eſt, tam amara
futura ſunt & acerba, eorumque animos tam a-
trociter vulneratura, vt ſi fieri poſſit, optaturi
ſint miſeri mille potius mortes oppetere, quam
ineluctabilem illam mortis æternæ ſententiam
in ipſos ferendam ſemel audire. Diſcedite, in- *Matth.25.*
quiet, à me maledicti in ignem æternum, qui pa-
ratus eſt Diabolo & angelis eius. O vocem a- *Heb.4.*
cerbiſſimam omnique gladio ancipiti longe pe-
netrabiliorem. Cui mortalium non erit ſupra
modum formidabile & horrendum, ab ipſo Dei
optimi maximi conſpectu arceri, ab illa regni
cœleſtis gloria probiberi, ab illa beatiſſimorum
& ſpirituum & hominum ſocietate ſeparari, &
cum dæmonibus crudeliſſimis infeſtiſſimiſque
hoſtibus in profundum illud infernalis incendij
barathrum deturbari. Propheta igitur huius æ-
terni ſupplicij metu concuſſus, clamorem ad
Deum in hunc modum inſtituit. Domine, ne
in furore tuo arguas me. Quod & nos illius exē-
plo faciamus, orationemq; ad ſanctiſſimam Dei
matrem conuertentes, dicamus: Domina beatiſ-
ſima, te mediatricem ſtatuas inter filium tuum &
nos peccatorum pondere depreſſos, & illud ab
eo contendas, vt nos æternis hiſce cruciatibus
non addicat. Quod ſi vero nos ex immenſa Dei II.
benignitate ab hoc inferni incendio immunes
reddamur: ſupereſt tamen alius ignis ille nimirū
Purgato-

Purgatorius) cuius tam vehemens eſt æſtus & tanta cruciatuum varietas immanitaſque, vt omnes huius vitæ ægritudines & tormenta cum illo collatæ nihil eſſe deprehendantur. Cui ſententiæ diuus Auguſtinus his verbis aſtipulatur: Ille, inquit, ignis grauior eſt, quàm quicquid homo pati poteſt in hac vita. O nos miſeros peccatores: quam durus eſt hic ſermo? An vero deſunt acerbi cruciatus etiam in hac vita? Qui veſicæ calculo, vrinæ difficultate, & dyſenteria laborant, an non vehementer diſcruciantur, cum præ doloris magnitudine ab eiulatu & clamoribus continere ſe non valeant? Quid de illis dicam, qui capitis, dentium, ſeu etiam oſſium doloribus torquētur? An eos ab omni cruciatus ſenſu prorſus immunes eſſe dixeris? De ſanctiſſimis etiam martyrib. quid cenſendum eſt: quorum multi interfecti, nonnulli aquis feruentibus cocti, alij ferris diuiſi, alij feris raptantibus dilacerati, alij ſubiecto igne aſſati, alij in picem liquentem & reſinam iniecti fuerunt? An non àtrocia fuerūt horum virorum tormenta? Et tamen ſæuum illud ignis purgatorij incendium hæc omnia, ſi in vnum conferantur, multis partibus ſuperat. Nō eſt ergo mirum, ſi nos peccatores, tantorum cruciatuum terrore perculſi, cum propheta dicamus: Et ne in ira tua corripias me. Inuocemus & beatiſſimam Dei matrem, illud ab ea flagitantes, vt apud filium ſuum iudicem noſtrum intercedat, vt nos nec in illis inferni cruciatibus nullo vnquam tempore finiendis arguat, nec in his purgatorij tormentis finem ſuo tēpore habituris corripiat. Tertia perturbatio, quæ nos exagitat, ex vulnerib. illis cauſam & originem trahit, quæ ob primorum noſtri generis parentum culpam corpori noſtro inflicta fuerunt & continenter inhærent. Cum enim Adam in paradiſo, voluptatum, deliciarum, & quietis loco conſtitutus erat, denunciauit ei Deus, fore, vt quo tempore illum arboris interdictæ fructum guſtaret, vulnus ei infligeretur, quod tam ei quàm vniuerſæ poſteritati eius mortem inferret. Arcus Dei iam tenſus erat, quo & Adam violata lege ſtatim feriendus erat: de quo ſcriptū
Pſal. 7. eſt: Tetendit arcum ſuum. Ille tamē rem aggreſſus, peccatum admiſit, eamque ob rem protinus à Deo percuſſus eſt. Cuius quidem ictus atrocitatem, nos omnes, qui ab Adamo ſumus oriundi, perſentimus, & vulnera, quibus nos telum illud ſaucios reliquit, adhuc manent, verius obducta quàm ſanata. Vultis dicam, quęnam ſint hæc vulnera? Cibis corporalibus aliquantiſper abſtineamus; ſtatim famis inopiā ſentimus. Potus ad tempus ſubtrahatur, mox ſiti laboramus. Iter aliquot milliarium pedibus conficiatur; laſſitudo protinus ingraueſcit. Digitus igni propius admoueatur; ardorem continuo, quem ferre non poteſt, experitur. Comedatur obſonium aliquod noxium: extemplo morbus ingeneratur. Atque hæc quidem ſunt vulnera, quæ nobis, niſi remedia maturè adhibeantur, proculdubio mortem inferunt. fuit Adam ab omnibus his vulnerum malis prorſus immunis, antequam illum in corpore ictum excepit. Et nos ſimiliter immunes extitiſſemus, ſi ille diuina manu percuſſus non fuiſſet. Sed ictus ille vnicus nos omnes in Adamo lætaliter vulnerauit. Eaq; de cauſa à propheta dicitur: Quoniam ſagittæ tuę infixæ ſunt mihi. Verum enimuero, ſi fieri poſſet, vt ſagittæ iſtæ vel adhibita medicina vel alia quauis arte nobis eximerentur, in ſpem bonam & vulnerum curādorum eademque opera etiam mortis euitādæ venire poſſemus: cuius timor (quod quarto loco propoſuimus) immenſis nos afficit moleſtiis; quam rem Sapiens his verbis exprimit: O mors, quam ama- *Eccleſ. 41.*
ra eſt memoria tua homini pacem habēti in ſubſtantia ſua? Quam acerba eſt mortis cogitatio iis hominibus, quibus hic mundus arridet, qui huius vitę gaudia ſectantur, qui voluptatibus indulgent, quorum mens in res præſentes tanto impetu fertur, eiſque tanto amoris affectu inhæreſcit, vt de futuris nullam vnquam cogitationem ſuſcipiant. fieri nō poteſt, quin huiuſmodi viris longe amariſſima ſit mortis recordatio: cuius tamen tela ſeu ſagittæ nec illis nec cæteris quidem mortalibus vlla ratione euelli poſſunt. Quod cum à nobis præſtari nullo modo poſſit, eaque de re nec alicuius medicamenti vulneribus noſtris vtiliter adhibendi ſpes vlla ſit relicta, mors omnino nobis obeunda eſt, ad quam etiam in ſingulos dies magis magiſq; appropinquamus. Omnes (vt eſt *3. Reg. 14.*
in ſcriptura ſancta) morimur. Et D. Auguſtinus hoc verbum, Morior, eſſe indeclinabile affirmat, eo quod nemo ſit mortalium, qui eam euadere, effugere, vel etiam declinare valeat, tam atrociter ſumus hiſce Dei telis confoſſi. Quamobrem propheta noſter ſubiungit: Et confirmaſti ſuper me manum tuam. Sunt ſagittæ tuę, Domine, corpori meo tam alte infixæ, vt vulnus nullam plane curandi rationem admittat, eoque nihil aliud mihi iam ſupereſt, quam vt morti, quam declinare nō valeo, vltro ſuccumbam. Quintam autem perturbationem ex diuini ſupplicij metu natam eſſe diximus, quam propheta in hoc Pſalmo faciē iræ Dei appellat. Nam furoris diuini nomine veniūt æterna ſupplicia, quę homines reprobos in inferno manent. Sed facies iræ diuinæ ea nobis ſupplicia deſignat, quib. homines in hac vita plectuntur, quæ mirum etiam in modum terrent & perturbant. Quis enim eſt hominum, qui, cum ſupplicia de peccatoribus ſumpta ad mentem reuocat (ob leuiora fortaſſe peccata, quàm quæ ſunt ab ipſo ſæpius perpetrata) non timeat, ne ſimilib. vel etiam atrocioribus tormentis ob ſua flagitia in Deum commiſſa aliquādo ſubiiciatur. Adam, contrà, quàm diuina lege ſancitum fuit, pomum tantum guſtauit: ſtatimque ex amœniſſimo illo voluptatum horto turpiter eiectus, in hanc terrā ſentes & tribulos germinantem ablegatus eſt: &, cum hoc parum videretur, & ipſe & poſteri eius omnes mortales impoſterum ſunt effecti. O nos miſeros, quoties ſpretis violatiſque ſanctiſſimis Dei legibus, diuinum eius numen ad ſumendam de nobis vindictam prouocauimus? Populus Iſraeliticus Moyſis ductu & auſpiciis per deſertum

iter facientes, cum per multos dies nihil carninm guſtaſſeot, tandem earum carnium, quibus in Ægypto veſci conſueuerant, vehemens eos appotitio cepit: qui noo ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Sed adhuc eſcæ eorum erant io ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Poſt hæc, illi prolixis itineribus deſatigati, in Deum murmurauerunt: qua de cauſa ignis repente cælitus delapſus plurimos abſumpſit, poſtremamque eorum aciem penitus deleuit. An vero, quę ſunt à nobis in Deum commiſſa flagitia, hæc eorum peccata non longe ſuperant? Certe. Cum enim nos nulla ciborum inopia laboraremus, ſed maxima eſſet earum rerum copia, quæ ad vitam tuendam oeceſſariæ vel etiam cōmodę habentur, an non his rebus omnibus, quæ nobis ſuppetebant, parum contenti, etiam requiſita quædam fercula & delicias appetiuimus & ſectati ſumus? An non & modicus corporis labor magnam oobis & moleſtiam & tædiũ ſæpe attulit, cum templũ & loca ſacra adire, cum diuinis officiis intereſſe, cum ſalutarem verbi Dei doctrinam auſcultare oportebat? Et quis eſt ooſtrûm, qui, cum hęc audiat & ſit eorundem etiam facinorum ſibi conſcius, non ſolum præſentis, ſed & futuræ vitæ ſupplicia timeat & perhorreſcat? Maxime vero, cum propheta ſanctus harum rerum recordatione tam vehementer perculſus fuerit, vt prę timoris magnitudine toto ſe corpore contremuiſſe affirmet. Non eſt, inquit, ſanitas in carne mea. Quod perinde eſt ac ſi dicat: Ex ſuppliciorum tuorum cōſideratione tantus carnem meam horror inuaſit, vt viribus omni ex parte deſtituta plane deficiat.

Pſal. 77.

. Illi profecto ſunt longe feliciſſimi beatiſſimique, qui nullo vnquam tempore peccato ſe contaminarunt, ſed ab omni prorſus eorum criminum, quæ actione peraguntur, macula ſe diligenti cura & ſtudio munierunt. Certe qui hæc præſtiterunt, magnam in anima tranquillitatem ſentiant neceſſe. Sed contra, qui vitia ſectati ſunt, ex vitæ male actæ recordatione luctam quandam internam diramque mentis conſciæ lanienam perferre coguntur, quæ miſeros tanto tædio afficit, vt cætera foris negocia libentius procurent, quàm ſeipſos domi couſiderent. Eſt quidem hæc pollutæ mentis carnificina tam ſæua & immanis, vt quem ſcelerum conſcientia pungit ac ſtimulat, tormentum ſuum ipſis etiam inferni cruciatibus aliquando ęquandum eſſe exiſtimet. Quam multi extiterunt, qnos, poſt atrocia flagitia in Deum commiſſa, vitæ infelicis ita pertęſum fuit, vt ipſi ſibi manus intulerint? Quæ res Lucretiæ matrona Romanæ multorumq; aliorum exemplis illuſtrior eſt, quàm vt declaratione indigeat. Iam vero & tres illæ virtutes, quæ principatum io anima obtinent omneſque vitæ humanæ actiones moderantur & adminiſtrant, cum horrendum iſtud & execrabile peccati monſtrum conſpiciunt, mutuis ſe crimiuationibus adoriuntur. Aduerſus memoriam inſtituitur accuſatio, qnod cæleſtis doctrinæ monita, ſacris ſæpe concionibus hauſta, non tam bona fide, quam par erat, recondiderit, reconditaque ſeruauerit. Rationi culpæ datur, quod maiori conatu reluctata non fuerit, eoque tam fœdam peccati labem in animam admiſerit. Voluntas io crimen vocatur, quod fræoo nimia temeritate laxato, memoriæ rationiſque imperium detrectauerit, qua re effectum eſt, vt anima multas peccatorum ſordes contraxerit. Atque in hunc quidem modum conſcientia peccatorum ſtimulis exagitata mire diſcruciatur. Quem cruciatum propheta agnoſcere videtur, cum dicit: Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Perpendite igitur diligenter, chariſſimi, quam variæ ſint diuexationum procellæ, quæ vitæ noſtræ pacem & tranquillitatem ita perturbant, vt nulla ſit quies, ſed vndiqne moleſtiæ & afflictiones: quæ nobis proueniunt, partim ex eorum ſuppliciorum formidine, quæ in inferno & purgatorio exercentur, partim ex ipſis corporis noſtri ægritudinibus & morte, partim etiam ex diuini ſupplicij metu, quod hominibus in hac vita infligitur, ac demum ex ipſa peccati fœditate & horrore. Quas ob res ad ſacratiſſimam virginem tranquillam noſtri diei auroram confugiamus, eius opem implorantes, vt oos ab his miſeriarum procellis in hac vita liberare, & in futura ad æternæ felicitatis quietem perducere dignetur. Atque hæc quidem, quod ad primum miſeriarũ genus ſpectat, nobis ſufficiant.

Secundam vero miſeriæ ſpeciem eam eſſe diximus, qua quis peccati tenebris & nubi ſubiectus, miſerabile ſeruitutis iugum ſubit & captiuus efficitur. Peccatum ſæpenumero ſerpenti comparatur. Serpens caput, corpus, & caudam habet: quæ res ſimiliter & in peccato reperiuntur. Cum enim quis primam illam peccati inſtigationem ſeu motum ſentit, eſt illud proculdubio ſerpentis caput. Deinde cum inſtigationi conſenſum præbet, ſerpentis corpori aditum tribuit. Ac demum, cum facinus perpetratur, etiam venenoſa ſerpentis cauda admittitur. Niſi operam dederis, vt capiti, id eſt, primis peccati ſuggeſtionibus obſiſtas, peccatum prohibere longe difficillimum erit. Si enim ſerpens caput ingeſſerit, reliquum corpus facili momento inſinuabit. Eodem plane modo ſe res in peccato habet. Si primis peccati motibus anguſtum illum aditum pateſeceris, ſtatim vniuerſum corpus intrudit: nec prius deſiſtit, quam ſupremam etiam animæ partem cōſcenderit, ipſamque adeo mentem ſuperauerit, quam vtique animæ caput eſſe oportebat. Atque hæc quidem ſumma eſt miſeria, de qua ſanctus propheta in hunc modum queritur: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Quaſi dicat: Sũt omnes corporis mei partes mira quadã inquietudine affectæ, eo quod peccata caput meum ſupergreſſa ſunt. Tantum peccato ceſſimus, tantaque in ſerpentem facilitate vſi ſumus, vt iam admiſſus loco cedere non velit, ſed inſtar tyranni, quod ſemel ſeu arte ſeu per vim occupauit, omnino tueri ac poſſidere decreuerit. Principio, priuſquam peccatum admiſſum

miſſum erat, quidam ad peccandum motus & incitamenta in nobis ſentiebantur: ſed hæc omnia in inferiori ſolum animæ parte gerebantur. At nunc, poſteaqnam permiſſu noſtro aliquod in nos quaſi ius acquiſiſſe videtur, ſeſe altius attollit, ſupremam animæ noſtræ arcem conſcendit & occupat, ibique ſedem figit, imperium exercet, & animam iam ſubditam tam graui mole deprimit, vt ſæpenumero ad eas res perpetrandas, quas volens non ſuſciperet, vel inuitam & reluctantem impellat. Sed dicet fortaſſe quiſpiam: Equidem nullam peccati molem ſentio, quantumuis multa in dies ſingulos admittam. Cui in hunc modum reſpondemus: Cum canis, ingenti ſaxo ad collum alligato, ex altiſſima turre præcipitatur, in ipſa deturbatione molem non ſentit: ſed poſtquam ad terram peruenerit, ſaxi deprimentis pondere colliſus perit. Eodem plane modo peccator, qui rectis itineribus infernum petit, adhuc in via conſtitutus, nullam peccati molem aduertit: ſed ſimulatque ad profundiſſimam illam voraginem peruentum fuerit, cruciatus acerbiores ſentiet miſer, quàm volet. Sed & quiuis homo, qui peccati iugum excutere apud ſe decreuit, conatum aliquem adhibeat, qno rem animo deſtinatam perficiat, & ſtatim peccati pondus & moleſtiam ſentiet. Cuius rei experimentum propheta ſanctus in ſeipſo ſumpſiſſe videtnr, cum dicit: Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Abſit à nobis, vt affirmemus, fieri non poſſe, vt quiſqnam peccatum in animam ſemel admiſſum eiiciat. Non hoc dicimus. Si enim ita ſe res baberet, qnid aliud nobis ſupereſſet, quàm vt omnem ſalutis conſequendæ ſpem deponeremus: cum nemo ſit mortalium, qui non ſit peccatis obnoxius? Sed hoc eſt, quod nos aſſeueramus, eſſe difficile admodum, vt peccatum, quod longam moram in animam traxerit, nimiſque licenter in eam dominium exercuerit, prorſus exterminetur. In quam etiam ſententiam ſancti patres pedibus eunt: & Anſelmus (cuius verba mihi iam primũ ad mentem redeunt) ſic ait: O peccata, quam felices aditus habetis, & quam difficiles exitus? Poſſunt quidem peccata expelli, ſed qua tandem ratione? Certe per ſeriam contritionem, per accuratam confeſſionem, per non modicam ſatisfactionem, quæ corporeis exercitationibus abſoluitur. Sed poſtquam peccata fuerint his rationibus eiecta, niſi nos magna cum animorum conſtantia ad obſiſtendum bellumque vitiis inſerendum obfirmemus, facili momẽto in eam animam, quam ſemel occupauerint, ſibi reditum parabunt: &
Matth.12. erunt nouiſſima hominis illius deteriora prioribus. Si hoc nobis contingat, deteriori loco erimus, quàm antea fuimus. Futurum eſt enim, vt peccatorum & vulnera recrudeſcant, & cicatrices ex noſtra ſtultitia negligentiaque plane computreſcant. Quam miſeriam propheta in bunc modum deplorat. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Qui vero his malis captus & implicatus eſt, an non eum miſerum & infelicem dicemus? Certe. Nam præter peccatum nihil eſt, quod bominem miſerum reddere valeat. Quantumuis enim magna rerum egeſtate quis prematur, ſi tamen peccati ſit expers, felicem omnino & beatum eſſe oportet. Nam & Salomon ait: Miſeros fa- *Prouerb.14.*
cit populos peccatum: & dinus Paulus, qui miſeriam bene cognitam & perſpectam habebat: Infelix ego bomo, inquit, quis me liberabit de *Rom.7.*
corpore mortis huius? Socrates (vti refert Plato in ſuo Georgico) interrogatus à quodam Polo, an Archelaum, qui tunc temporis imperio Macedonico potiebatur, felicem ac beatum haberet, ſe nihil certi ea in re ſtatuere poſſe reſpondit. Tum Polus, at vero, inqnit, rex eſt. Cui Socrates, quamuis, ait, rex ſit, fieri tamen poteſt, quod & miſer ſit. Ad hæc Polus ſubiunxit: Sed & regnum, inquit, ampliſſimum, & familiam copioſam, & opes ingentes poſſidet. Tunc demum Socrates: quid tum? inquit: Hæ vitæ commoda bominem non reddnnt beatum. Nam & ſub his omnibus latere poteſt animus miſeriis implicatus. Si vis, inquit Socrates, vt ſententiam de hoc homine feram, an beatus an vero miſer cenſeri debeat, animam oſtende, & ſtatim rem à te propoſitam definiam. Nam ab anima pendet totius negotij deciſio. Anima igitur, quæ peccatis eſt obnoxia, proculdubio miſera cenſenda eſt. Quam rem propheta noſter teſtatam facit, cum dicit: Miſer factus ſum: eo ſcilicet, quod peccata in Deum admiſerat. Cuius quidem voluntas rationis imperio prompte obtemperat, id eſt, cuius anima ſic conſtituta eſt, vt ratio & gratia diuina principatum in ea obtineant, omneſque vitæ actiones moderentur, ille demum, quiſquis ſit, beatus eſt. Ratio enim & Dei gratia ea ſunt, quæ rectum & ęquum in nobis tuentur. Sin vero res contrà ſe habeat, efficitur, vt peruerſitas & iniuſtitia locum in anima authoritatemque vſurpent. Quæ res vt illuſtrior fiat, exemplo declaranda eſt:

Quando linea ſic ducitur, vt centrum vtriſque finibns æqualiter reſpondeat, ita vt nec dextram nec ſiniſtram verſus iuſtam menſuræ longitudinem excedat, linea recta dicitur. Sed ſi ad alteram partem protenſior vel etiam finium alterutro eminentior exiſtat, non iam linea recta ſed curua dicitur. Idem plane de præcipuis illis animæ partibus ſeu potentiis, ratione, voluntate, & intellectu ſentiendum eſt. Intellectui enim voluntas, voluntati vero ratio ducatum præbeat neceſſe eſt. Nam voluntas inter rationem & intellectum medium locum occupat, eodemque modo ſe habet in anima, quo in linea centrum. Si ergo voluntas, quam medio loco conſiſtere ac rationis imperium expectare oportebat, ſupremum arcis faſtigium conſcendere & rationi leges dicere præſumat, an non res eſt plane abſurda? An non & rectum rerum ordinem peruertit, & animam incuruam præpoſteramque efficit? Certe. Quod & propheta ingenue fatetur, cum ait: Et curuatus ſum vſque

 in fi-

in finem. Quod perinde eſt ac ſi dicat: Peccatum illud in me effecit, vt in terram vſque ſim incuruatus, eo quod res terrenas peruerſo iudicio cæleſtibus prætulerim. Iam vero, poſteaquam anima in hunc modum incurua & deformis reddita fuerit, quid ei ſupereſt? Profecto nihil aliud, quam pœnitentia. Philoſophi duo itinera, alterum virtutis, alterum vitiorum ſtatuerũt. Quod quidem ad virtutes ducebat, arduum & vepribus obſitum, ſed finem admodum iucundum eſſe. quod vero vitiorum iter erat, omni voluptatum genere abundare, ſed demum luctuoſum ac acerbum finem ſortiri voluerunt. Philoſophus quidam, cui Demoſthenes nomẽ fuit, cum quodam tempore mulierem quandam impudicam libidinis explendæ cauſa ſollicitaret, atque illa viciſſim ab eo magnam pecuniæ ſummam exigeret, reſpondit à diſciplinæ ſuæ inſtituto alienum eſſe, vt tanti emeret pœnitere. Quibus verbis illud ſignificare voluit, poſt obſcœnam corporis voluptatem nihil aliud nobis ſupereſſe, quàm pœnitentiam & dolorem: quibus rebus comparandis ille tantam pecuniæ ſummam non libenter impendebat. Qua ratione adductus propheta noſter, ſtatim poſt agnitam peccati prauitatem ſubiunxit: Tota die contriſtatus ingrediebar. Multa ſunt rationum momenta, quibus ad pœnitentiam ſuſcipiendam induci debeant illi, qui ſeſe in has peccatorum miſerias, non vlla quidem vi coacti, ſed ſua ſponte præcipitarunt: vnde ſine maxima difficultate & labore emergere non poſſunt, tum propter eam, quam peccatum in illos exercet, tyrannidem, tum etiam quod ægre ab illis deſeruntur peccatorum occaſiones ex voluptatibus oriundæ, quæ carni propter diuturnam peccandi conſuetudinẽ ſemper adlubeſcunt. Nam, vti diuus Hieronymus affirmat, qui virginitatem colunt, non tam vehementes voluptatum ſtimulos ſentiunt, quàm qui libidinem ſemel aut etiam ſæpius expleuerunt. Corpus enim, quod impuram libidinem ſemel admiſit, multo maioribus poſtea frequentioribuſque carnis iam pollutæ motibus ad repetendam voluptatem ſollicitatur, quàm quod colendæ caſtitatis propoſitum nullo vnquam tempore deſeruit. Nam corpus turpi vitiorum cœno conſpurcatum quibuſdam quaſi ſuaſionibus vtitur, immundas & impias cogitationes animæ ſubminiſtrat, obſcuraſq; voluptatum præteritarum imagines fingit & animo præſentat: quibus rebus anima ſæpiſſime in fraudem inducta illuditur. Eoque à propheta dicitur: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus. Quaſi dicat: Sunt quidem illæ corporis mei partes, in quibus voluptatum fomenta ſedem habent, ſanis & illuſionibus repletæ. O ſtultam & inſanam carnem, quæ tot tantorumque malorum inſtigatrix eſt in ſuam ipſius peſtem & perniciem. Corpus enim animam ſæpe ad turpiſſimas voluptates inſtigat: quibus nihil excogitari poteſt ipſi etiam corpori pernicioſius: eo quod vitales etiam ſpiritus, à quibus caro vitam & motum accipit, vna cum ſemine profunduntur: quo fit, vt corpus magnam virtutum ſuarum & virium iacturam faciat. Affirmant enim medici, hominem ex effuſione modici ſeminis plus damni accipere, quàm ſi decuplum ſanguinis emitteret. Quam rem veriſimile eſt Apoſtolum ſigni- 1.Corinth.6. ficare voluiſſe, cum in fornicarios inuectus diceret: Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus ſuum eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Eſt profecto grandis hæc miſeria, vt, cum quis corpori tam impenſe indulgeat, ex ipſa tamen nimia indulgentia voluptatumque ſectatione tot tantiſque malis ipſum afficiat. Quam quidem miſeriam ſibi ob oculos poſuiſſe videtur propheta noſter, cum diceret: Et non eſt ſanitas in carne mea. Peccatum igitur & corpus & animam affligit, nec vllum alterutri commodum aut vtilitatem, ſed multa plane incommoda & damna vtrique adfert. Anima quidem ex conſcientiæ pollutæ conſideratione, ex peccati victoria (quam comitatur æterna damnatio) ex graui eius pondere, ex veterum peccatorum repletione, ex miſeria, quæ peccantem ſubſequitur, ex praua peccati ſemel repudiati conſuetudine, denique ex pœnitudine ac dolore mire diſcruciatur. Corpus vero ex voluptatum carnalium ſtimulis, & ex ea, quæ voluptatum comes eſt, virium ſuarum iactura miſerum in modum torquetur. Ita vt peccator merito cum propheta dicere poſſit: Afflictus ſum, in anima nimirum & in corpore. His autem tormentis, quibus miſer peccator afficitur, tunc etiam magna fit acceſſio, cum ad mentem reuocat, quàm diu domino tam inhumano ſeruierit. Dicit enim diuus Ioannes: Qui facit peccatum, Ioan.8. ſeruus eſt peccati. Quiuis ergo peccator dominum habet peccatum, cui & operam locauit. Qualis vero dominus ſit peccatum, ex ipſa, quam demum ſeruis ſuis largitur, mercede ſeu ſtipendio deprehendi poteſt. De quo diuus Paulus ſic Rom.6. ait: Stipendia peccati mors. At quæ mors? Certe æterna. Tale enim ſtipendium à tali domino expectandum erat. Quam enim mercedem ſuis dare debuit dominus inauſpicatiſſimus, niſi eam, quæ rerum omnium, quæ dici aut excogitari poſſunt, longe deterrima habetur? Quiſquis ergo tam execrabili & maligno domino ſe addixit, is proculdubio durum ſeruitutis iugum ſubiit. Quamobrem propheta ſubiungit: Et humiliatus ſum nimis. Per peccatum ſeruus effectus ſum. At cui tandem domino? Illi profecto, qui Peccatum appellatur.

Iam audiſtis, chariſſimi, quam variis miſeriarum procellis expoſiti ſimus, ſub hoc peccati iugo & ſeruitute conſtituti: & quemadmodum huic obſcuræ peccati nubi & tenebris ſubiecti ſimus. Ad ipſam igitur ſereniſſimam auroram noſtram, ſanctiſſimam Dei matrem confugiamus, quæ inſtar diei orientis ſeſe ſupra omnem tenebrarum caliginem ſuſtulit, & humilitate ſua dæmonis caput contriuit, qui primus peccati & tenebrarum author extitit. Eius opem & im-

plore-

ploremus & ſperemus in hac altera miſeria conſtituti, de qua iam verba fecimus, ipſis prophetæ verbis & ſententiis ex inſtituti noſtri ratione ita ſemper inſiſtentes, vt nuſquam ſit digreſſum.

Supereſt adhuc tertium miſeriæ genus, quod ignorantiæ & cæcitatis eſſe diximus, quo veritatis lumen oculis noſtris quaſi nube quadam interpoſita ſubducitur. Multis quidem modis oſtendi poteſt, quantum ſit hoc cæcitatis malum: quod his duabus primum rationibus à nobis mox proponendis manifeſtum fiet: eo ſcilicet, quod nec ipſius horrenda deformitas, nec Dei optimi maximi reuerentia, cum ſemper adſit, nos à peccando abſterrere queant. Res illa valde horrenda & deteſtabilis (& quidem merito) cenſeri debet, quæ earum calamitatum, miſeriarum, & acerbitatum omnium, quæ ſunt à nobis iam commemoratæ, cauſa extat. Nam nec de inferno nec de purgatorio vnquam cogitatum fuiſſet, ſi peccatum non extitiſſet. Nec genus humanum aliquam ex labore laſſitudinem aut dolorem ſenſiſſet, ſi peccatum admiſſum non fuiſſet. Nec frigoris & caloris intemperies aliquam corpori moleſtiam intuliſſet, ſi peccatum eis locum non dediſſet. Nec à fame, ſiti, ægritudine, morbis, vel vi corporibus illata aliquid nobis mali vnquam accidiſſet, ſi peccatum his rebus omnibus cauſam non præbuiſſet. Sed nec anima inſcitiæ, obliuioni, inconſtantiæ, aliiſque id genus vitiis obnoxia fuiſſet, nec intellectus detrectato rationis imperio perduellis extitiſſet, ſi peccati expertes fuiſſemus. Hæ miſeriæ omnes & aliæ quam plurimæ, quas hoc loco miſſas facio, nobis ex peccato acciderunt. Quid? Lucifer ille, an non eximij ſplendoris Angelus extitit, antequam in infernum deturbatus fuit? Et quid tandem erat, quod eum tam obſcurum & deformem effecit? Non aliud quam ipſum & ſolum peccatum. Nihil eſt enim in rerum natura, quod Deum offenſum reddit, niſi

Geneſ.1. peccatum. Nam (vt à Moyſe dictum eſt:) Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.

1.Timoth.4. Omnis creatura Dei bona eſt & illi grata, ſi ſit peccati expers. At vero creatura, quantumuis præclara, ſi peccati labe ſit aſperſa, diuinis oculis odioſa eſt & abominabilis, multo quidem magis, quam hominum oculis eſſe ſolet vel canis raucidus vel etiam vermis aliquis venenoſus, quum proiecti aerem inficiunt. Quam ob

Eccleſ.21. cauſam ſcriptura ſancta vnicuique noſtrum præcipit in hunc modum: Quaſi à facie colubri fuge peccatum. Et diuus Anſelmus præclare dicit: Si ex vna parte gehenna foret, ex altera peccatum: mallem in gehennam ire, quam inquinari peccato. Eſt ergo cæcitas noſtra valde miſeranda, qui cum à ſacris concionatoribus toties edocti ſimus, quam ſit pernicioſum & horribile hoc peccati monſtrum, & quantopere à nobis fugiendum, non ſolum tamen non fugimus, ſed ſummo ſtudio & diligentia ſectamur, amplectimur, & quaſi exoſculamur; &, ſi quando peccandi occaſiones ſeſe vltro non ingerunt, ægre ferimus & dolemus. Nulla vnquam leæna prædæ ſuæ tam auide inſidiata eſt, quam peccatores peccandi occaſiones captant: ipſaq; adeo fallacium voluptatum blandimenta non aliter ſectantur, quam leones famelici feræ diripiendæ inſiſtunt. Et ſi quando eos ſpe ſua vel fruſtrari vel etiam prorogari contingat, continuo ſe luctu & mœſtitia conficiunt. Quam etiam miſeriam propheta noſter exprimere videtur, cum ait: Rugiebam à gemitu cordis mei. Magna quidem eſt hæc cæcitas, de qua verba iam fecimus: ſed multo maior eſt ea, de qua nunc dicturi ſumus. Si peccati fœditas & abominatio ſatis ponderis apud nos non habent, vt à peccato nos abſterreant, at ſaltem Dei conditoris & conſeruatoris noſtri præſentia habere debet, penes quem eſt vitæ noſtræ & necis poteſtas, qui etiam tanquam ſpeculator aſtat deſuper, & nos omneſque vitæ noſtræ actiones non aliter, imo multo perſpicacius & melius, quam ego quemquam veſtrûm, proſpectat. Licet enim aſpectus humanus ita conſtitutus eſſet, vt ab anima promanans per ſpeculum quoddam lucidiſſimum cælos ſublimiores penetrare, ac ſuperatis deinde aſtris vlteriora conſiderare, & ad ipſam demum diuini numinis ſedem pertingere valeret, nullo tamen modo cum illo Dei oculo conferri poſſet, qui tantæ virtutis eſt, vt hæc omnia multo melius ex loco ſuperiori deſpicere & penetrare, ipſoſque adeo remotiſſimos cordis noſtri ſinus & intimos animæ receſſus penitius intueri ac perluſtrare poteſt. Ad nos, obſecro, deſcendamus, vt aliqualem huius rei æſtimationem ex nobis facere poſſimus. Viſus quanto eſt alieni perſpicacior, tanto remotiora videt. Et ſi alius quiſpiam tanto acumine præditus ſit, vt eum duplicatis partibus ſuperet, etiam quæ ſunt duplo maiori ſpaciorum interuallo diſſita, eadem facilitate proſpicias neceſſe eſt: atque in hunc quidem modum in infinitum proceditur. Deus igitur, cuius aſpectus vniuerſas res creatas vincit, omnia quantumuis immenſis ſpaciis remota videre poteſt. Eſt quidem inter hanc hominum & illam Dei aciem magnum diſcrimen. Aſpectus humanus quanto longinquius profertur, tanto debilior euadit: eò ſcilicet quod ſit certis quibuſdam terminis præfinitus. At Dei aſpectus magnis viribus pollet, nec vllis eſt limitibus præſcriptus: eaque de cauſa, quocunque ſe prodat, ad loca etiam remotiſſima, eaſdem ſemper vires habet, nec vlli eſt vel diminutioni vel etiam alterationi obnoxius. Quæ res hoc ſacræ ſcripturæ teſtimonio confirmatur. Attingit à fine vſque ad finem fortiter. Et in alio loco ſic habetur. Non vlla eſt creatura inuiſibilis in con- *Heb.4.*
ſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. Eſt igitur magna & miſerabilis cæcitas noſtra, qui formidabilem illam ac plane horrendam peccati faciem non conſideramus. Sed ea profecto multo inſignior & miſerabilior eſt cæcitas, quod ſummi & præpotentis Dei aſpe-

ctum non pertimeſcimus, qnodque ipſo nos inſpectante, cuius oculum nihil fugit, rem tam obſcœnam & odioſam quam eſt peccatum, animo fouemus & appetimus. O tenebras ingentes, ô nubem obſcuram, ô caliginem denſam, quæ veritatis lumen prohibet, ne peccatores ſplendore ſuo illuſtret. Ad lucidiſſimam igitur ſplendidiſſimamq; auroram Mariam virginem Dei matrem nos conferamus, eique ſupplices ſimus, vt hãc obſcuram peccati nubem & tenebras depellat: quo diuina gratia muniri, & peccati fœditatẽ horrere, & Dei tremendi iudicis noſtri præſentiam reuereri poſſimus.

Nunc, cum à nobis præſtitum ſit, quantum & præſentis inſtituti & temporis ratio poſtulabat, res ipſa exigere quidem videtur, vt hoc loco ab huius Pſalmi explicatione deſiſtamus: niſi quod verſiculus, qui mox ſubiungitur, earum ſere rerum omnium, quæ ſunt à nobis iam antea explicatæ, ſummam & anacephaleoſin quandam complectatur. Dicit igitur propheta: Cor meum conturbatum eſt. Conſiderate hoc loco, chariſſimi, & diligenter aduertite primum miſeriæ genus, ſæuas nimirum afflictionum procellas, quibus peccatorum animi conturbati miſerum in modum diſcruciantur. Quæ quidem perturbationes (vti iam dictum eſt) oriuntur, ex æterni illius ſupplicij, quod in inferno exercetur, tremore, ex cruciatibus illis, quibus nos in purgatorio afficiendos timemus, ex mortis incertæ quidem ſed ceruicibus ſemper impendentis formidine, ex variis calamitatibus & pœnis, quas nobis in hac vita iuſto Dei iudicio infligendas eſſe pertimeſcimus, ac demum ex ipſa peccatorum noſtrorum deformitate & horrore. Quibus de cauſis vnuſquiſque noſtrum cum propheta merito dicere poteſt: Cor meum conturbatum eſt: & quod ſtatim adiungitur: dereliquit me virtus mea. Quæ verba ſecundam miſeriæ ſpeciem referunt, qua ſcilicet miſerabile peccati iugum ſubimus, victi ſuccumbimus, mancipia efficimur, veteres peccatorum cicatrices computreſcunt, infelices, curui, ac triſtes reddimur, flagellis cæſi duriſſima ſeruitute ita premimur, vt ab vnoquoque noſtrum recte dici poſſit: Dereliquit me virtus mea. Denique ſubiungitur: Lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum. Quibus vocibus tertium miſeriæ genus nobis ob oculos ponitur, illa nimirum caligo, quæ nos ita excæcat, vt neque ob peccati deformitatẽ (quod vtique monſtrum eſt horrendum) nec ob diuini numinis reuerentiam, quem ſemper præſentem habemus, à ſcelerum perpetratione deſiſtere, ſed magis flagitia flagitiis in dies ſingulos atrociter cumulare velimus. A quibus nos miſeriis tueatur beatiſſima virgo mater, cuius hodie diem natalem celebramus, per filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem illa tanquam aurora ſereniſſima in hanc lucem edidit, vt luminis ſui ſplendore cunctos homines peccatis obnoxios illuſtraret.

PSALMI XXXVII. tertij pœnitentialis,

PARS ALTERA.

DEBEMVS omnes, qui Chriſtiano nomine cenſemur, gratias agere quas poſſumus maximas prophetæ ſancto Dauidi, & vt eam rem præſtemus, magnis certe ſumus obligationum vinculis obſtricti, eo quod Pſalmos ſuos pietatis plenos tam accurate conſcriptos nobis poſteriſque omnibus legendos reliquit. Quod ab eo tribus præcipue de cauſis factum eſſe, mihi quidem videtur.

Primum, vt ex ſacrorum carminum lectione non aliter quàm dulci quodam muſicorum inſtrumentorum concentu, peccatorum animi ad ſuſcipiendam ſectandamque pulcherrimarum virtutum diſciplinam excitentur. Deinde, vt, ſi quiſpiam ſeſe criminibus quantumuis magnis & atrocibus obſtrinxerit, non tamen ſpem omnem deponat, ſed ad Deum cum certa veniæ impetrandæ fiducia accedat. Demum, vt homines peccatis obnoxij hos Pſalmos libellorum ſupplicum & precationum efficaciſſimarum loco habeant, quibus ſcelerum ſuorum remiſſionem à Deo conſequantur. Solebant Pythagorici ſingulis diebus, cum è lecto ſurgendum erat, citharam audire. Quod eo conſilio faciebant, vt eorum animi hoc muſices concentu ad capeſſenda virtutum ſtudia promptiores alacrioreſque redderentur. Perſuaſum enim habebant hanc ingenuam plane ac nobilem eſſe mentium excitandarum rationem, nec quicquam ad eam rem excogitari poſſe conducibilius & homine dignius. Nec dubitari poteſt, quin hebetes eorum & torpidæ mentes plurimum ex ea re tum vigoris, tum etiam alacritatis receperint. Sed & malignos ſpiritus ipſa citharæ pulſatio aliquando fugauit. Quæ res iam olim in Saulo geſta eſſe memora- 1.Reg.16.
tur: cui, cum ab impuro dæmone correptus diuexaretur, præſentiſſimum & vnicum remedium erat Dauidis cithara, quo pulſante, ſpiritus continuo abactus regem deſeruit. Atque huius quidem tantæ poteſtatis dæmoni in regem conceſſæ cauſam extitiſſe peccatum pro certo habetur. Quemadmodum & conſtans eſt patrum ſententia, eos omnes, qui vitia ſectantur, in alicuius immundi dæmonis poteſtatem ceſſiſſe. Nos igitur ad dulces prophetæ noſtri Dauidis odas reuertamur, quas ille ſuæ iam olim citharæ magno pietatis affectu attemperauit: vt omnem prorſus deſidiam & torporem dæmonum opera nobis immiſſum excutiamus. In quibus cantionibus audire eſt tantam modorum copiam & varietatem, vt dici aut excogitari maior non poſſit. Aliquando enim de Deo optimo maximo rerum omnium cõditore loquitur, aliquando de maligno dæmone immaniſſimo noſtri generis hoſte: aliquando de bonis & beatis Angelis,

gelis, qui gloria cœleſti perfruuntur, aliquando de malis & infauſtis Angelis, qui pœnis æternis addicti. Nunc de æternis inferni cruciatibus verba facit, nunc de temporaneis purgatorij ſuppliciis: nunc de iuſtitia diuina, nunc de miſericordia: nunc de timore, nunc de ſpe. Nunc corporis, nunc animæ miſerias & calamitates commemorat: nunc vitia reprehendit, nunc virtutes deprædicat: nunc de pietatis & iuſtitiæ cultoribus, nunc de impietatis & iniuſtitiæ ſectatoribus ſermonem inſtituit. Qua quidem vocum & modorum varietate ſi peccatores à vitiorum ſomno ad pias vigilias excitari non poſſunt, plane pro mortuis habendi ſunt. Sed & qui miſeri ſunt & peccatis implicati, ex pia carminum iſtorum ſacrorum modulatione (quod ſecundo loco eſt à nobis propoſitum) ſcelerum ſuorum veniam à Deo conſequuntur. Cuius rei exemplo nobis eſſe poteſt hic ſanctus propheta. Nemo eſt enim, qui ignorat Dauidem miſerum & flagitioſum extitiſſe: qui tamen poſtea ſuſcepto vitæ ſanctioris inſtituto virtutum ſuarum meritis in cælum ſublatus eſt. Medicina, quam ille ad expellenda peccata adhibuit, non alia fuit, quàm pura & ſyncera pœnitentia: quam ille frequenti Pſalmorum iſtorum recitatione tam diligenter elaborauit, vt ſtatim perfecte mundatus fuerit.

Quid eſt igitur, quod nobis miſeris, quin à peccatis omnibus quantumuis atrocibus expiari & prorſus expediri poſſimus, ſcrupulum aliquem iniiciat; cum certum habeamus, prophetam hunc noſtrum tantis iam olim peccatorum ſordibus conſpurcatum, demum tam defœcatum tamque ab omni vitiorum macula purum euaſiſſe per pœnitentiam: (quod vtique proprium eſt ſceleratæ vitæ piaculum?) An vero ſcelera ab eo commiſſa parum atrocia fuiſſe exiſtimas? fuerunt profecto atrociſſima: quod etiam ipſe fatetur ingenue, cum dicit: Peccaui
2. Reg. 24. valde. An non eadem medicina, pœnitentia nimirum, cuius ille virtute ſanitatem recepit, vnicuique noſtrûm perinde ad manum eſt ac illi fuit? Certe. Eſt enim ad omnes hominum
Matth. 3. ordines dictum: Pœnitentiam agite. An non & nos eundem Deum habemus, quem ille habuit? An non & nunc tam copioſus & diues eſt in miſericordia, quam vnquam alias eſſe ſolebat? Eſt proculdubio. Quod diuus Paulus di-
Rom. 8. ſertis verbis affirmat. Idem, inquit, Dominus omnium, & diues in omnes qui inuocant illum. An vero partium ſtudia ſectari, nec, vt gratiæ ſuæ dona omnibus elargiatur, paratum ac propenſum eſſe arbitraris? Hæc res multo eſt illuſtrior, quam vt in dubium vocari poſ-
Act. 10. ſit. Diuus enim Petrus ſic habet: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet Deum & operatur iuſtitiam, hic acceptus eſt illi.

Si nos igitur Deum timemus & iuſtam pœnitentiam de peccatis in Deum commiſſis agimus, certa fiducia niti poſſumus fore, vt ſcelerum noſtrorum veniam impetremus, & in gratiam recipiamur. Ad eam vero rem præſtandam ſanctus hic propheta nos ſæpe in ſacris hiſce Pſalmis & monet & hortatur: Quæ res magnam profecto cunctis mortalibus peccatorum mole depreſſis & conſolationem & impetrandæ veniæ ſpem adſerre debet. Iam vero, quod tertio & vltimo loco diximus, ſunt iſti Pſalmi inſtar libellorum ſupplicum, qui Deo optimo maximo porriguntur, tanquam rationes efficaciſſimæ ſeu magis incitamenta, quibus immenſa Dei miſericordia nobis conciliatur. Cuius rei ratio nobis hoc modo conſtare poteſt. Si quis forte ſit, qui cauſam habeat regiæ maieſtati proponendam, ſuaque plurimum intereſſe videat, vt regis animus ad commiſerationem propenſior reddatur, an non ſtatim virum aliquem in hiſce rebus multum verſatum adibit, & ab eo contendet, vt ſupplex libellus accurate ducatur, quo regis gratiam ſibi in ſuo negotio conciliandam eſſe exiſtimet? Nec enim tantum tribuet ingenio ſuo, vt cauſam agere, vel formulam proprio marte & verbis conſcriptam, regi exhibere præſumat. Eadem plane eſt noſtra omnium cauſa, qui ſub peccati pondere laboramus. Multa ſunt nobis negotia in ſublimi illa ſupremi regis aula, quæ vt rite procurentur, omnino concilianda nobis eſt diuina eius gratia, rationeſque incundæ, quibus ad commiſerationem permoueatur. Quis vero inter omnes illius aulæ principes prudentior eſt, & rei, quam molimur, expediendæ magis idoneus, (quæ ſcelerum deprecatione abſoluitur) quam regius hic propheta: qui iam olim in eadem cauſa & periculo verſatus eſt. Certe Dauid peccator erat, quemadmodum & nos ſumus: & vt ſedulus deprecator, hos ſacros Pſalmos diligenter compoſuit, quos etiam tanquam libellos ſupplices magno pietatis affectu in dies ſingulos Deo optimo maximo porrigebat: eaque ratione diuinam clementiam ad ignoſcendum vehementer impulit.

Nos igitur, chariſſimi, cognita iam ſacrorum carminum vi & efficacia, Dauidis exemplo & ſucceſſu prouocati, in eodem negotio eaſdem adhibeamus cauſæ promouendæ rationes: nec dubium aliquod nobis ſubrepat, quin peccatorum veniam conſecuturi ſimus, ſi eundem, quem ille, amoris affectum afferamus. Eſt quidem omnis precatio, quæ ab animo vere pœnitenti proficiſcitur, benigno ac miſericordi Domino noſtro valde grata & accepta: ſed illa demum eſt longe gratiſſima, quæ ſanctæ matris Eccleſiæ iudicio probata eſt, & ab aliquo ſpectatæ pietatis & ſanctimoniæ viro compoſita: in qua etiam primum poſtulantur, ſcelerum venia, animæ robur ad obſiſtendum peccato, & in virtutum exercitatione perſeuerantia. Quæ res in omnibus Dauidis Pſalmis eſt eximie præſtita: maxime vero in his ſeptem Pſal-

mis pœnitentialibus, quorum explicationem in nos recepimus. Nos ergo petitiones iſtas alacriter & amanter inſtituamus, eaſqne Deo ſæpius offeramus, & peccata, quæ ſunt à nobis in diuinam eius bonitatem ſumma cum ingratitudine commiſſa, ſubmiſſe & ex animo deprecemur.

Tria igitur ſunt, quæ à ſancto propheta in hac altera Pſalmi parte præſtantur. Primum miſeriam ſuam ad mentem reuocat. Deinde multa colligit, quæ veniæ impetrandæ ſpem faciunt. Ac demum oſtendit, ſe non alia re quam ope diuina ſuffultum in ſancto propoſito perſeueraſſe. Nihil eſt eorum omnium, quæ vel ſub aſpectum cadunt vel etiam tacita cogitatione comprehenduntur, quod maiores vires habeat ad excitandam Dei miſericordiam, efficiendumque, vt vim ſuam & operationem exerceat, quàm miſeria noſtra: quæ quanto etiam maior eſt, tanto efficacius Dominum clementiſſimum impellit, vt noſtri miſertus ſcelerum à nobis perpetratorum remiſſionem impertiat. Quam rem ſibi proponens propheta noſter, omnia, quæcunque ſunt vllo vnquam tempore ab eo in Deum commiſſa flagitia recordatur & commemorat, quo miſeriam ſuam prægrandem & cumulatam eſſe oſtendat.

De internis miſeriarum partibus iam antea locutus eſt: nunc vero & de externis verba facit: atque in hunc quidem modum loquitur. Miſeria mea non ſola cordis mei diuexatione terminatur, quæ tamen valde magna eſt, nec hac virium debilitate, quæ ſub vitiorum tyrannide labefactatæ & plane depreſſæ iacent, nec illa animæ cæcitate, quæ res eſt omni commiſeratione digna: ſed aliunde etiam augmentum ſumit, inde nimirum, vnde conſolationem & remedium expectare debebat: quod eſt infeliciſſimum miſeriæ genus. Certe, qui ſunt amici & proximi, eos mihi maxime aduerſos & infeſtos experior. Abſurdum fortaſſe videri poſſit, quod dicimus, eos videlicet, qui nobis & amici & proximi ſunt, potius hoſtium quàm amicorum loco habendos eſſe. Sed ſi volumus ad mentem reuocare, quot quantiſque modis illi noſtram animarum ſalutem & remorentur & præpediant, nemini vnquã dubium aut obſcurum eſſe poterit, quin res ita ſe habeat, quemadmodum eſt à nobis dictum. Quid enim precioſius & nobis charius eſſe debet, quam ipſum tempus & diuturnum vitæ ſpacium: quo de peccatis iam olim commiſſis pœnitentiam agere, & bonis operibus inſiſtendo ampliſſima vitæ futurę præmia nobis acquirere poſſimus? Atque hoc quidem bonum & bonæ rei propoſitum vt plurimum ſurripiunt illi, qui nobis proximi ſunt & amici vocantur. Quos quidam magiſter eſſe fures affirmat, eo quod tempus nobis & benefaciẽdi opportunitatem in hac vita ſuffurentur. Rurſus, ſi mundo renunciare, & auſterius aliquod vitæ inſtitutum ſuſcipere ferat animus, quinam homines maiorem curam & diligentiam adhibituri ſunt, vt nos à ſancto propoſito deducant, quàm iſti, quos proximos & amicos habemus? Et ſi quis tam pie ſit affectus, vt ex Chriſti ſaluatoris conſilio facultates ſuas omnes diuendere, pecuniamque ex eis redactam pauperibus elargiri velit, vnde maiores illi expectandæ ſunt moleſtiæ conflictationeſque, quàm ab iis, quos aliqua vel naturæ vel etiam loci neceſſitudine coniunctiores habet? Sępe etiam contingit, vt in conuiuiis commeſſationibuſque per intemperantiam repletiores & ad vitia propenſiores reddamur, quàm vel ſalutis vel etiam honeſtatis ratio ferat. Quæ quidem omnia nõ aliorum quam proximorum & amicorum inuitatu & hortatu fiunt. Porro cum certum ſit, ſingulorum etiam verborum, quæ nobis ocioſe & inutiliter exciderint, rationem Deo eſſe reddendam, amici tamen, cum apud eos verſamur, non ſatis habent, niſi multa verba profundamus, ex quibus non ſolum nihil vtilitatis, ſed plurimum etiam damni tum animæ tum corporis referamus. Præterea quibuſnam ex rebus grauiora conſcientiæ noſtræ vulnera infliguntur, quàm ex amicorum cauſis negociiſque: dum eis opem ferre, tueri, apud alios deprædicare, vel etiam pręſentibus nimias laudes tribuere volumus? Deniq; ſi amici & proximi quippiam in nobis laude dignũ conſpiciant, ſtatim ſic adulantur & immodice dilaudant, vt vanis eorum vocibus inflati, altius de nobis, quam par eſt, & ſentire & ſapere incipiamus. Et ſi quid in nobis fortè deprehendant, quod merito reprehendendum erat, illud caute aut celant aut diſſimulant: quibus rebus fit, vt ad veram noſtri cognitionem peruenire nõ poſſimus: eaque de cauſa potius hoſtes quàm amici cenſendi ſunt. Videntur quidem nos accedere in commodum & vtilitatem noſtram: ſed tantum abeſt vt commodum aliquod aut vtilitatem ab eis referamus, vt nobis etiã peſtem & perniciem adferant. Quamobrem à propheta noſtro dicitur. Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Propheta hoc loco eos non dicit, qui vere ſunt amici: (qui rari ſunt admodum, de quibus ſic habetur: Beatus, qui inuenit amicum verum:) Horum fortaſſe nemo regi aderat, cum hæc loquebatur. Sed carnales & vſitatos amicos intelligit, quorũ magnus eſt numerus. Deinde ſubiungit: Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt. Quem vero iuxta aliquem eſſe dicemus, ſi vicinus & amicus non ſint? Quis enim proximior cenſendus eſt, quam vicinus & amicus? Certe nemo. Sed fortaſſis propheta proximorum & amicorum nomine iſtos notauit, quorum omnis cura & ſtudium ad corpus ſolum referebatur: per eos vero, qui iuxta erant, illos ſignificare voluit, qui curam animarum gerebant: quibus præ cæteris omnibus proximorum & amicorum nomen merito debetur: eò quod anima iuxta corpus ſit, eiq; multo arctiori neceſſitudinis vinculo cõſtricta, quàm cęteræ res omnes. Et quãuis vnicuiq; mandauerit Deus *Eccleſ. 17.* de proximo ſuo, vt ſcilicet eũ delinquentẽ fraterno more corripiat, ex illa ſaluatoris noſtri ſententia: Si

Matth.18. tia: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum: ipſum tamen corripiendi munus ad antiſtites Eccleſiarum & eos, qui curam habent animarum, præcipue ſpectat: qui à Deo populi duces & epiſcopi conſtituti ſunt, illud in mandatis habentes, *Esai.58.* vt annuncient populo ſcelera eorum. Sed illi (vti eſt à propheta dictum) de longe ſtant, nec pro commiſſi muneris ratione verbum veritatis annunciant. Recte etiam dici poteſt, quod pontifices & paſtores de longe ſtant, (quod ſenſum literalem magis referre videtur) cum iſti diœceſim illi parochiam deſerentes, alibi viuũt, nec debitam plebi curam impendunt. Nec certe abſurdum eſt, vt & illi de longe ſtare dicantur (vt ſpiritualem etiam verborum ſententiam ſectemur) qui de vitiis quidem ad populum verba faciunt, ſed ipſam peccatorum obſcœnitatem eorum oculis non ſubiiciunt. Multis enim verborum ambagibus & circumſtantiis vtimur omnes, cum ſcelera inſectamur, nec rem ipſam attingimus. Quo fit, vt populus interea temporis in peccatis ſuis pereat. Quam etiam calamitatem propheta in bune modum deplorat: Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt: quaſi dicat: quibus incuınbebat animæ meæ cura, de commiſſo ſibi munere parum ſolliciti fuerunt.

Sunt quidem miſeri, qui peccatorum ſuorum mole depreſſi durum & miſerabile ſeruitutis iugum ſubeunt. Sed sd multo maiores miſeriarum anguſtias rediguntur, cum eos amici & proximi delinquentes non corripiunt, ſed in cœpto vitiorum inſtituto perſeuerare permittunt. At vero, tunc demum deplorata eſt eorum ſalus, cum etiam paſtores & antiſtites peccata non annunciant, nec ad vitam melius inſtituendam hortantur, ſed msgis conniuent & tolerant. Quid enim aliud expectandum eſt, quam vt anima de ſuo iam interitu læta, ſine fræno curſum inſtituens, amicorum ope deſtituta, ab epiſcopis & aliis, quibus animarum cura demandata eſt, plane neglecta, in dæmonum poteſtatem veniat, qui vt hoſtes infeſtiſſimi, imo vt *1.Pet.5.* leones rugientes circumeunt, quærentes quem deuorent, & in eam rem totis viribus incumbunt, & certe multum præſtant, cum ſæpenumero vſuuenire videamns, vt fortiſſimos quoſque imperio ſuo ſubiiciant. Quid igitur mirum, ſi miſellam animam omni prorſus auxilio deſtitutam capiant, captamque in profundiſſimam illam inferni voraginẽ pertrahant. Quamobrem dicit propheta: Et vim faciebãt, qui quærebant animam meam. Quod perinde eſt, ac ſi dicat: Qui animæ meæ inſidiati ſunt, vt eam diriperent & voto potirentur, magnas vires adhibuerunt. Sunt quidem maligni dæmones, magnis viribus præditi, vt eſt in ſcriptura ſacra *Iob 41.* proditum. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur eis: quam ſi in generis humani perniciem exercere permitterentur, non eſt dubium, quin omnes homines facill momento ita delerent, vt nec vnum ſuperſtitem relinquerent. Sed pius & benignus Deus illud, quo minus fiat, pro immenſa bonitate ſua contiñenter prohibet: eaque de canſa ſeſe ad fraudes & dolos conuertunt, quibus inſtructi ad nos audacter accedũnt, immanes mundi huius voluptates ob oculos ponunt, falſa carnis gaudia ſæpiſſime obiectant, atque bis quidem rebus nobis in dies ſingulos illudunt: non aliter quàm illudi ſolent homines in ſomniis, qui inter dormiendum miris quibuſdam voluptatibus affluere videntur, quas ſtatim à ſomno nullas eſſe comperiunt. de quibus ſcriptum eſt: Dormierunt ſomnum ſu- *Psal.75.* um, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Certum quidem eſt, peccatoribus miſerum in modum illudi, nec aliud quicquam eſſe, quæ ab ipſis fiunt omnia, quam vanitates & mera ſomnia. Quam rem adiungit propheta, cum ait: Et qui inquırebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: id eſt, qui mihi peſtem perniciemque macbinabantur, opes mundanas, voluptates fallaces, falſa carnis gaudia promittebant. Quibus rationibus ſi, quod animo deſtinarunt, non aſſequuntur, alias atque alias eſcas multo quidem ſubtiliores & cautius occultatas obtrudunt. Eſt enim illis propoſitum, nos continuls nunc harum nunc illarum tentationum procellis defatigatos in eam demum cogitationem lmpellere, vt Deum plane auerſum & inſenſum eſſe, nec ſuam nobis opem amplius ferre velle exiſtimemus, vt vel ſic omni ſalutis ſpe depoſita, animum deſpondeamus. Aut enim illud moliuntur, vt quis perfectius aliquod viuendi inſtitutum ſuſcipiat, quo eum tanquam à loco ſublimiori deturbatum maiori præcipitio collidant; aut etiam, vt locum mutet, ei ſunt authores, ſpecie qnidem maiorem virtutum capeſſendarum opportunitatem promittentes, ſed reipſa illud modis omnibus ſatagentes, vt eum loco moueant, & inſtituti, in quo pie verſatur, deſerendi ſcrupulum iniiciant. Qua in re artis piſcariæ technam imitantur, qui, vt piſces ad retia perducant, contis immiſſis aquam turbant, eo quidem fine, vt ſolita latibula deſerere cogantur, vbi fortaſſis tutius agebant. Nonnunquam etiam perſuadere conantur, vt quis relicto ſuſceptæ diſciplinæ propoſito, auſterius aliquod & arctius vitæ genus ſectetur, quam vel ipſe vel alius quiſpiam perferre queat. Quod eo conſilio faciunt, vt is poſtea tædio affectus à pio inſtituto prorſus reſiliat. Cuinſmodi quandam artem ab eis, qui ſimiis inſidiantur, adhiberi perhibent. Eſt enim animalibus illis inſitum, vt, quod ab bominibus factitatum vident, ipſæ libenter imitentur. Venator igitur ante ſimiam conſtitutus, calceos ſemel atque iterum induit. Quam rem conſpiciens beſtia (venatore paululum ſecedente) calceos ſuis etiam pedibus ſimiliter adaptat. Atque in hunc quidem modum induta, eò quod more ſolito ſalire ſeque in arborem recipere non valet, in caſſes decidens ſtatim capitur. Fit etiam quandoque, vt venenum ſpecioſo virtutis pallio honeſtatum proponãt, illud

perſua-

perſuadentes, vt quis animum opibus acquirendis cumulandiſque addicat, quibus multa Chriſtianæ pietatis officia exercere poſſit: vel etiam, vt corpus ſuum immoderatius & ſupra quam vires ferunt, ſubigat, ne forte obſcœnæ libidini victum aliquando ſuccumbat. Atque his quidem aliiſque innumeris id genus fraudibus impuri dæmones nos à virtutum cultu exercitatione que totis viribus auertere conantur. Quamobrem propheta ſubiungit: Et dolos tota die meditabantur. Sed ſæpe vſu venit, vt, cum nos tentatione aliquâ pulſari aduertimus, res, quæ ſuggeritur, tanta nos voluptate afficiat, nobiſque tantopere adlubeſcat, vt dolum aliquem ſubeſſe non aduertamus, vel ſaltem intelligere non velimus. Eoque fit, vt quædam quidem audiamus, quædam verò audire nolimus. Quæ ad corporis voluptatem libidinemque ſpectant, ſolum auſcultamus: ſed quæ de fraude libidini inſerta callideque occultata dicuntur, auerſamur & quaſi in tranſitu ſurdam aurem præbemus. Quod propheta in perſona noſtrûm omnium his verbis deplorat: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam. Magnum quidem aduerſus peccata remedium ferret, ſi is, qui tentatur, rem ipſam, quæ tunc temporis animæ per ſuggeſtionem obiicitur, diligenter apud ſe conſideraret, proſpiceretque, quid inde ſubſecuturum videretur, quem demum exitum, quos fructus, bonóſne an malos res ea promitteret. In hac vero cognitione poterit ipſe ſciſcitari, poterit & ad interrogata reſpondere. Quod cum fecerit, ex hac diligenti rerum indagatione tandem ratione dictante manifeſtum euadet, ſi quid ſubſit fraudis & periculi. Quod ſi nihil deprehenderit, ad Deum optimum maximum confugere, eiuſque opem implorare poterit: quæ nulli vnquam hominum deeſt, qui ſpem omnem in eo repoſitam habet. Verumenimuero peccatores longe alias ſæpe rationes ineunt: nullam apud ſeſe rerum cognitionem inſtituunt, diuinam opem non implorant, ſed contra ruinam ſibi præcipitiumque conciliant. Quinetiam tanquam homines muti & elingues ſilentium ſibi indicunt, nec vlla ratione induci volunt, vt in peccatum quicquam dicant vel etiam ſtatuant. Qua de cauſa ſubſequitur: Et ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Iacob. 4. Diuus Iacobus eos, qui ab impuri dæmonis infeſtationibus ſibi metuunt, monet, vt ſeſe totis viribus opponant. Quod ſi præſtiterint, futurum affirmat, vt is amplius accedere non audeat, ſed ab incepto deſiſtat. Reſiſtite, inquit, diabolo, & fugiet à vobis. Quam rem Gulielmus ille à Pariſiis confirmat, hominem quendam commemorans, qui cum à dæmonibus fœdæ libidinis faces animæ ſubiicientibus infeſtaretur, magna cum indignatione dicere ſolebat: apage, apage, apage: atque hac ratione tentationes illas propulſauit.

Eccleſ. 28. Sed & Sapiens conſulit, vt aures noſtras ſpinis muniamus. Sepi, inquit, aures tuas ſpinis. Quibus verbis illud dicere voluit: Si quid audieris, quod mali ſpeciem habere, vel dictu indignum eſſe, vel etiam tentationem aliquam à malo dæmone immiſſam referre videatur, ſpinas protinus adhibeas, hoſtique malum ſuggerenti acriter & magna cum animi acerbitate obſiſtas: quo fiet, vt eum in fugam coniicias. Sed qui tentationibus ſuccumbunt, deueniût primum quidem cæci, vt peccati obſcœnitatem deformitatemque non conſiderent, deinde etiam ſurdi, vt diaboli fraudes & aſtutiam aduertere nolint, ac demum muti, vt peccati fœditatem nec quidem prudenter vituperare velint. Quos praua etiam conſuetudo perinde ſurdos & mutos reddit, ac ſi vocis vſus ipſis plane ademptus eſſet. Quam ob cauſam à propheta dicitur: Et factus ſum ſicut homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones.

Hactenus igitur propheta miſerabilem ac infelicem peccatoris conditionem delineauit, variaſque illius ſtatus calamitates, quemadmodum audiſtis, nobis ob oculos poſuit. Nunc autem ſecundo loco multa commemorat, quibus induci ſolet diuina clementia, vt veniam peccatoribus impendat. In quibus principem locum ſpes occupat, ſine qua, quicquid à nobis ſuſcipitur, nullius eſt momenti. Quantumuis enim peccata noſtra deploremus, quantumuis ea aliis atque aliis ſacerdotibus per confeſſionem aperiamus, quantûmuis etiam variis Chriſtianæ pietatis operibus ſatisfacere ſatagamus, niſi ſpes adfuerit, hæc omnia à nobis fruſtra & ſine fructu aguntur. Nam & Iudas an non magnum de peccatis dolorem ſuſcepit? imo vero. Eſt enim à diuo Matthæo ſcriptum, quod Iudas pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum. *Matth. 27.* An non & crimen publice teſtatum fecit, cum ſublato etiam clamore diceret: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum? Denique an non ſatisfactionem multo etiam copioſiorem præſtitit, quam clementiſſimus Dominus ab eo poſtulaturus erat, cum abiens laqueò ſe ſuſpendit? Quod enim, quæſo, ſatisfactionis opus præſtare potuit acerbius aut profuſius, quam quod eſt ab eo præſtitum? Certe nullum. Et tamen, eo quod ſpem depoſuerat, erant hæc omnia ab eo fruſtra & inutiliter ſuſcepta. Certum enim eſt veniæ conſequendæ diffidentiam tam craſſum & ingens eſſe ſalutis obſtaculum, vt niſi ſubmoueatur, diuinæ gratiæ ſplendor animam penetrare illuſtrareque nullo modo queat. Nobis igitur, chariſſimi, danda eſt opera, vt ſublato hoc, de quo verba facimus, obſtaculo, animæ noſtræ ſinus per ſpem certam aperiamus, vt diuinæ gratiæ aditum præbeat. Quod cum à nobis præſtitum fuerit, ipſa, quin eam confeſtim adeat, facere non poteſt. Deus enim (vt eſt ab Apoſtolo dictum) negare ſeipſum non poteſt: *2. Timoth.* nec eſt poſſibile, vt miſericordiam ſuam peccatoribus miſeris, qui ſpem omnem in eo collocarunt, non impertiat. Eſt enim à Deo opt. max. tam alienum, vt lucis ſuæ radios illis ſubtrahat, cum iam animas ſuas per ſpem immobilem patefecerint & ad ſuſcipiendam gratiam diuinam

capaces

capaces & idoneas reddiderint, quàm eſt à ſole, vt ſplendorem ſuum apertis feneſtris ſubducat. Eaq; de cauſa propheta dicit: Quoniã in te, Domine, ſperaui, tu exaudies me, Domine Deus meus. Certum quidem eſt ſpem magnam & immobilem eſſe ſemper exauditam, ſi tamẽ paucas haſce conditiones habeat annexas. Si res, quæ à Deo petitur, licita ſit, nec eius, qui petitionem inſtituit, ſaluti aduerſetur. Si pœnas de peccatis in Deum admiſſis volens ac prompte ſubeat. Si erratum ſerio deploret, ſi ſeipſum libenter incuſet & reum ſtatuat. Denique ſi deinceps maiorem adhibeat cautelam, omneſq; malorum occaſiones ſtudioſius deuitet. Hæc omnia propheta noſter, eodem plane ordine, quo ſunt à nobis commemorata, recenſuit; quibus illud effecit, vt ipſius oratio Deo grata & exaudita fuerit. Quam vero ob cauſam à Deo exaudiri debuerit, his verbis indicat: Quoniam, inquit, in te Domine ſperaui. Sed & quem finem in hac petitione inſtituenda ſibi propoſitum habuerit, oſtẽdit: ne ſcilicet hoſtes ſuperiores effecti, de culpa contracta effuſius lætarentur. Non poſtulauit propheta ſanctus opes terrenas, non mundi huius dignitates, non carnis voluptates, non aliquod huius vitæ commodum: ſed contra hoſtes opem diuinam implorauit, ne illi de ruina ipſius aut damno gloriarentur. Magnam quidem lętitiam dęmonibus affert, ſi quando nos paululum declinare aut in ſanctas Dei leges impingere conſpiciant. Sed ſi nos in aliquod obſcœnioris peccati volutabrum prolapſos & in eo ſic hęrentes videant, vt nec vlla ſit emergendi voluntas, immenſo quodam gaudio perfunduntur. Propheta igitur hæc omnia commemorauit, vt Deum ea ratione ad miſericordiã exercendam opemq; mature ferendam prouocaret, eo quidem fine, ne ſua in peccatum prolapſione hoſtibus inſultãdi materiam præberet. Quia dixi, inquit, ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei. Sunt enim hoſtes iſti ad inſidiandum nobis ſemper intenti, nocte dieq; in eam curam incumbunt, nec dormientibus, nec vigilantibus, nec edentibus, nec bibentibus, nec laborantibus, nec aliud quiduis agẽtibus parcunt, ſed omni loco & tempore ſtrenuam dant operam, vt animas noſtras retibus ſuis implicatas miſere diſperdãt. Hos autem noſtros agones, pericula, & cum malignis ſpiritibus conflictationes ab alto proſpectat omnipotens Deus cum vniuerſo cælitũ beatorum cœtu, qui cum nos victos conſpiciunt, dolore, cum victores, ſummo gaudio perfundũtur. Ex aduerſa etiam parte nos decertantes ſpectant & intentiſſime cõſiderant impuri dæmones: qui ſi forte aliquod in nobis vel tenuiſſimum animi nutantis indicium deprehendant, ſtatim certiſſimam ſibi victoriam promittentes gloriantur & triumphos agunt. Quam ſentẽtiam hæc prophetæ verba habere videntur: Et dum commouẽtur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt. Etiã tunc, cum cogitationes meæ ſolum à Deo fluctuare & in peccatum paulo propenſiores eſſe videbantur, hoſtes tanquam iam de victo magnificis vocibus inſultare, contumeliis proſcindere, cachinnis excipere cęperũt. Deinde, qui à Deo exaudiri cupit, tam humili animo eſſe debet, vt pœnas de peccatis vel ſibi ſponte irrogare, vel ſaltem irrogatas prompte ſuſcipere velit. Eſt enim æquũ & rationi conſonum, vt is, qui voluntati ſuæ contra diuinum imperiũ obſecutus fuerit, ad cõpenſandum erratum voluntati diuinæ, contrà quam ſuus fert animus aut libido, obtemperet. Peccatum enim omnino pœnã exigit, nobis vel noſtra vel Dei manu infligendam. Quæ cum à nobis cum voluntate ſuſcipitur, fit, vt de peccatis in Deum perpetratis ſatisfaciamus. Quod tunc demum reipſa præſtamus, cum res aduerſas, cum ſupplicia diuinitus inflicta, cum iniurias ab hominibus illatas, cum ſpontaneas corporis caſtigationes, cũ pœnas nobis epiſcoporum & ſacerdotum, qui confeſſiones excipiunt, arbitratu adiudicatas prompto ac libenti animo toleramus. Sunt autem hæc omnia flagella quædam, quibus peccati virus exigitur, peccator emendatior efficitur, & iniuria diuino numini irrogata cõpenſatur. Quibus reb. adductus eſt propheta, vt diceret: Quoniam ego in flagella paratus ſum. Nullum eſt pœnitentiæ opus tam aſperum & acerbum, quod ego ad redimẽda peccata mea ſubire non velim, idq; non ficte aut fucate, ſed vere & ex animo. Sed præter hanc ſatisfaciendi rationem, peccatori neceſſarius omnino eſt intimus animi dolor & pœnitentia: eo quod imaginem Dei in ſe polluerit, æternæ damnationis ſententiam ſubire meruerit, & cæleſtis regni gaudiis ſit excluſus, & vel maxime, quod Dominum longe optimum benigniſſimumque ſibi reddiderit infenſum, qui nos in hoſtis immaniſſimi poteſtate conſtitutos tam care tamq; copioſe, precioſo nimirum vnici filij Chriſti Ieſu ſanguine in libertatem aſſeruit. Hæc autem eius generis ſunt omnia, vt ea peccator omnino dolere & deflere debeat, quoties ei in mentẽ venerint. Nam & de Petro Apoſtolorum principe memorat ſacra ſcriptura & ſancta patrum hiſtoria, quod illud abnegati Domini crimen in dies ſingulos & agnouerit, & profuſis etiam lachrymis deplorarit. *Matth.26.* O quam ſunt Petri diſſimiles peccatores iſti longe miſerrimi, qui, cum male fecerint, lætãtur, *Prouerb.2.* & exultant in rebus peſſimis: quæ quidem lætitia eſt Deo opt. max. magis inuiſa & odioſa, quam ipſum crimen, quod eſt ab eis cõmiſſum. Res quidem eſt admodum difficilis, vt quæ ſunt à nobis aliis atq; aliis temporibus perperam facta, ea ſemper recordemur ſemperq; defleamus. Sed illud apud animos noſtros omnino ſtatuere oportet, vt, quoties peccata ad mẽtem redeunt, toties non deſit certa dolendi ſaltẽ voluntas & propoſitum. Quod etiam à nobis totis viribus totoque affectu præſtandum eſt. Eſt enim à propheta noſtro dictũ: Et dolor meus in conſpectu meo ſemper. Sed intimus iſte dolor & pœnitentia non ſufficiunt, niſi acceſſerit & cõfeſſio. Eſt enim neceſſe, vt peccata noſtra idoneo ſacerdoti per confeſſionẽ ſuo tẽpore aperiam'. Quod ſi minus à nobis præſtitũ fuerit, omnis dolor de peccatis ſuſcept', omniſq;

pœniten-

pœnitentia quantumuis atrox & acerba ioutilis
erit prorſus, nec vllum ſortietur effectum. In hac
vero coofeſſione oobis explicandæ veniunt, non
fabulæ, nec aliena peccata, ſed propria tantum.
Nec eſt confeſſio noſtra ſic inſtituenda, vt leuio-
ra quæq; enumeremus, grauiora vero & quæ ma-
iori nos crimine obſtringunt, miſſa faciamus: ſed
omoino oobis explicaoda ſunt omoia, idque pu-
re & ſyncere ſine vllo orationis fuco, ita vt oec
excuſationem obteodere, oec aliquid de iuſta re-
rum magnitudine detrahere, ſed ipſam peccato-
rum atrocitatem vniuerſaſque rerum à nobis ge-
ſtarum circumſtantias ob oculos ponere videa-
mur. Qua de cauſa pœnitens propheta ooſter
addidiſſe videtur: Quoniam iniquitatem meam
aonunciabo: id eſt, peccata mea ſimplici ac nudo
ſermone declarabo. Denique ſumma cura oobis
adhibenda eſt, oe deioceps ad priſtioa vitia re-
uertamur, eaque re efficiamur, tanquam canis ad
2. Pet. 2. vomirum reuerſus, vel ſus lota in volutabro luti.
Prouerb. 26. Cui certum ac deliberatum eſt vitam emendati-
orem ducere, is in eam rem totus intentus eſt, vt
omues peccandi occaſiones deuitet, & opportu-
na remedia vodique cooquirat. Tacitis enim co-
gitationibus apud ſe perpendit, quàm impru-
denter iam antea ceciderit, quam breuis volu-
ptas quam importuoum exitum ſortita fuerit,
quamque diuturnam demum adduxerit pœni-
tentiam, non aliter oimirum quam cum ipſa vita
finiendam. Quiſquis vero hæc in coospectu ſuo,
ob oculos ſcilicet mentis ſuæ, habere continen-
ter poterit, is non facile ſibi perſuadebit, vt ad ſo-
litam vitiorum impuritatem redeat. Eoque dicit
propheta: Et cogitabo pro peccato meo, & dili-
genter curabo, ne quid conſpectum fugiat, quod
oon ſit à me prius per cootritionem & confeſſio-
nem rite expiatum. Qui ergo, quæ ſunt à nobis
commemorata, præſtiterit, qui rem aliquam à
Deo ad ſalutem animæ promouendam poſtula-
uerit, qui magna cum fiducia petitionẽ inſtitue-
rit, qui pœnas prompto ac libeoti animo ſubie-
rit, qui dolorem de peccatis ſuſceperit, qui ea per
confeſſiooem ſincere prodiderit, qui denique o-
mnes peccandi occaſiooes in poſterum vitare de-
creuerit, oon eſt dubium, quin is ſit exaudiendus
& optatum petitionis ſuæ fructum à Deo cooſe-
cuturus. Nunc supereſt, vt de eo, quod eſt à nobis
tertio loco propoſitum, verba faciamus.

Affirmat propheta, fieri oon poſſe, vt hac ra-
tione in Dei gratiam per pœnitentiam receptus,
in ſuſcepto pietatis inſtituto ſine ope diuina per-
ſeueret. Qui ſeſe fraudibus texẽdis multum diu-
que aſſueuit, is hominem iotegrum & impruden-
tem dolo ſeductum, quocunque libuerit, facili
momento impellet. At vero, ſi magnus ſit eorum
numerus, qui facinus huiuſmodi machinentur,
omneſque iuoctis & animis & viribus vni viro
ſimplici peſtem perniciemque afferre mediteo-
tur: qua ratione fieri poterit, vt is tantam eorum
malignitatem, præſertim vero malis etiam arti-
bus tam probe inſtructam & exercitatã effugiat?
Res eſt profectò, quæ ſpem omnem excedit: niſi
forte adſit alius quiſpiam viribus & ingenio prę-
ſtantior, qui miſerum hominem in his rerum an-
guſtiis cõſtitutum ab iniuria vindicet, & in ſuam
fidem ac tutelam recipiat. Eſt autem hæc, chariſ-
ſimi, noſtra omnium cauſa. Nemo eſt enim no-
ſtrûm omniũ, qnem noo malignus aliquis dæmõ
implacabili odio proſequatur: eſtq; ille longo re-
rum vſu ſic inſtructus, vt mille oocendi ac deci-
piendi artes bene cognitas & perſpectas habeat.
Nam ab ipſo rerum creatarum exordio ſemper
viuus & dolis malis cootinenter aſſuetus, eas ar-
tes didicit, quibus fortiſſimum quemq; ſupplan-
tare ac ſubuertere queat. Porro & quoties aliquẽ
quauis ratione ſuperat, toties ipſe quidẽ ex parta
victoria & ad impugnandum audacior & ad im-
pooendum inſtructior, & quodam etiam modo
robuſtior efficitur: qui vero dæmonis aſtutia vi-
ctus ſuccumbit, accepta clade debilior & ad pu-
gnam redintegrãdam ineptior euadit. Quapro-
pter hic propheta, noſtram omniũ perſouam in-
duens, ſic ait: Inimici autem mei viuunt, & con-
firmati ſunt ſuper me. Viuere quidem eos recte
dico: ſunt enim immortales. Confirmari vero &
viribus præſtare dicuotur, eo quod ſunt ex fre-
quenti victoria animoſiores effecti. Quod ſi pec-
cator aliquando ad ſanctam pœnitẽtiam coofu-
giens, vitæ melius inſtituendæ propoſitum ſuſce-
perit, ſi diligentiã adhibuerit, vt cooſcientiæ ſor-
des fletu & lachrymis diluantur, eaq; ratiooe dæ-
mooem malignum, qui bellum inferebat, in fu-
gam coniecerit, non tamen eſt continuo prorſus
immuois & liber. Eſt enim ſpiritus ille oequam Matth. 12.
ſtatim reuerſurus, & ſeptem alios ſpiritus ſecum
adducturus oequiores ſe: qui homini ſimul inſi-
diantur, & nouas in ſingula pene momenta ma-
chinatiooes excogitant, quibus eum io poteſta-
tem ſuam redigant. Quod & ſaluator noſter in
Euangelio D. Matthæi cõfirmat, & propbeta oo- Matth. 12.
ſter hoc loco deplorat, cum dicit: Et multiplicati
ſunt, qui oderuot me inique. Nec dæmones ſoli
mihi aduerſantur, ſed & omnes eorum ſocij, per-
uerſi nimirum & perditi homines, quibus quic-
quid eſt à nobis beoe geſtũ, inuiſum eſt & odio-
ſum: maxime vero, cum virum aliquem conſpici-
unt, qui ſpretis ac repudiatis, quas ipſi ſectantur,
conuerſationis mundanæ blãditiis, per pœniten-
tiæ ſanctæ ſtudium nouum bominem ioduerit.
Tunc enim hi mali dæmoois miniſtri & malitiæ
promouendæ commilitones, qui, glirium inſtar,
tenebras diligunt magis quàm lucem, hominem Ioan. 3.
illum pietatis ſtudüs deditum calumoiis & coo-
uiciis proſcindunt, boſtiliter inſectantur, con-
temptui ac ludibrio habent: cui contrà ſummas
& laudes tribuere & gratias agere (& quidem me-
rito) debebant. Quanto enim maior eſt eorũ bo-
minum numerus, qui piis pœnitentiæ operibus
inſiſtunt, tanto plures in dies ſingulos orationes
tantoq; Deo gratiores offeruntur; quibus placa-
tus, pœnas atroces peccatoribus intentatas dif-
fert, nec ſtatim de eis vindictam ſumit, qui diui-
nam eius clementiam ſuis ſceleribus ad ſuum i-
pſorum exitium irritare non deſinũt. Sunt igitur
pecca-

peccatores ingrati, & in eos, qui vitæ melioris ra-
tionem ſectantur, admodum iniurij, & bona eo-
rum officia peſſime compẽſant. De qua ipſorum
ingratitudine propheta noſter: Qui retribuunt,
inquit, mala pro bonis, detrahebant mihi, quo-
niam ſequebar bonitatem. Cuins rei rationẽ red-
dit ſaluator noſter his verbis ad diſcipulos. Si de
Ioan. 15. mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt dilige-
ret. Sed quia de mundo non eſtis, propterea odit
vos mundus. Qui pœnitentiæ propoſitum ſuſci-
piuot, mundi vitam reſpuũt, nec vlla ratiooe ad-
duci poſſunt, vt ad eius mores ſeſe conſormare
velint: eaq; de cauſa mundus eos viciſſim tãquam
transſugas & deſertores aſpernatur. Quid ergo
nobis agendum, chariſſimi? Dæmon infeſtus eſt,
mundus nos odio habet & inſectatur: nobis tan-
ta hoſtium multitudine cinctis vndiq; & obſeſſis
vnde petendum erit remediũ? Certe noo aliun-
de, quam ab ipſo qui eſt omnipotens: eius auxiliũ
nobis implorandum eſt. Cumque aduerſarij ſint
ad mala nobis inſerenda continenter intenti, nos
etiam in oratione continenter defixos eſſe opor-
tet. Quæ res ipſa ſaluatoris noſtri ſententia con-
Luc. 18. firmatur, cum ait: Oportet ſemper orare. Et ſi di-
uinum auxilium orantibus aliquando præſto nõ
fuerit, omnino nobis faciẽdum eſt, vt caput ſub-
mittamus & prophetam ſaoctum hac in re nobis
imitãdum proponamus. Quemadmodum enim
ægrotus, qui in maximis cruciatibus ſummoque
vitæ diſcrimine verſatur, illud à medico vehemẽ-
ter contendit, ne ſe vllo vnquam tempore deſe-
rat, neve vſpiam recedat, ſed diligentiam & con-
tinnam ſanitatis reſtituendæ curam gerat: ita &
propheta noſter, & nos omnes in eiſdem pericu-
lis cõſtituti, eandem precandi ſormam adhibea-
mus, & vna cum illo ad Deum io hunc modum
magno affectu elamemus: Ne dereſinquas me
Domine Deus, ne diſceſſeris à me: intende in ad-
iutorium meum. Malignorum autem dæmonũ,
cum aliquem in ipſorum poteſtatem veniſſe &
quaſi à Dco derelictum vident, vox hæc eſt: De-
Pſal. 70. us dereliquit eum: perſequimini & comprehen-
dite eum, quia nõ eſt qui eripiat. Siquidem à Deo
deſeramur, nemo eſt, qui nos ab eorum poteſtate
vindicare poſſit. At vero, ſi Deus nobis adſit, ad-
uerſarij omnes nihil vnquam in nos audebunt.
Rom. 8. Eſt enim ſcriptum: Si Deus nobiſcum, quis con-
tra nos: Eaq; de cauſa dicamus ſinguli cum pro-
pbeta: Ne derelinquas me Domine Deus meus.
Præterea ſi quando Deus à nobis recedat, hoſtes
continuo inſidias ſtruent, breui etiam expugna-
turi, niſi auxilium mature ſeratur. Quamobrem
conſultum fuerit, vt cum propheta ſubiunga-
mus: Ne diſceſſeris à me. Dicunt ſancti patres a-
liquando fieri; vt Deus alicui pugnam iam ſuſce-
pturo præſentiam ſuam ſubducat, dæmonibuſq;
tus in eum & tentandi ſacultatem tribuat: eo qui-
dem conſilio, vt ille & victoriam illuſtriorem &
brauium magnificentius ex re bene geſta conſe-
quatur, ſi tamen ſtrenue ſe geſſerit, impiaſq; ho-
ſtium machinationes & impetum magno & ex-
celſo animo ſuſtinuerit. Quam quidem rem iam
olim in D. Antonio præſtitam eſſe legimus: qui
poſt multa verbera vulneraq; ab impuris dæmo-
nibus inflicta, Deum ad ipſum redeuntem in hũc
modum allocutus eſt: Vbi eras, bone Ieſu, vbi e-
ras? Cui Dominus, Antoni, hîc eram: ſed expe-
ctabam videre certamen tuum. Nunc autẽ, quia
viriliter dimicando non ceſſiſti, tibi ſemper au-
xiliabor. Hæc autem res prophetam impulit, vt
diceret: Intende in adiutorium meum, Domine
Deus ſalutis meæ. Quibus quidem verbis eximi-
am quandam vim & efficaciam ſubeſſe Caſſianus
affirmat, eaq; de cauſa conſultum eſſe, vt à nobis
ſemper vſurpentur, nec vnquam excidant. Quod
etiam ab Eccleſia diligenter obſeruatũ videmus,
quæ Dei opem imploratura ſingulas fere diui-
norum officiorum partes ab his vocibus auſpica-
tur. Nos igitur chariſſimi, qui ſumus omnibus
hiſce malis & miſeriis, quæ ſunt à nobis explica-
ta, obſeſſi plane & obuolnti, ad optimum clemen
tiſſimumque Dominum cum ſpe certa & pœni-
tentia vera confugiamus, & diuinam eius clemen
tiam imploremus, illud ab eo ſubmiſſe conten-
dentes, vt, cum ipſe ſolus iniurias nobis ab hoſti-
bus intentatas propulſare valeat, ſolus præſtare,
nec nos vllo vnquã tempore deſerere, ſed ad opẽ
nobis ſerendam cõtinenter intentus eſſe digne-
tur: quoniam ipſe eſt Dominus Deus ſalutis oo-
ſtræ, in hac quidem vita temporaneam corpori
ſanitatem, & animæ ſalutẽ, quæ à Dei gratia pro-
ficiſcitur, impertiens; in futura vero & generali
omnium reſurrectione, æternam (vti certo ſpe-
ramus) tum corpori tum animæ ſalutem imper-
titurus: ad quam nos ineffabilis & immenſa Dei
opt. max. clementia feliciter perducat. Amen.

IN PSALMVM L.

Miſerere mei Deus, &c.

Pars prior.

SI quis ſupra puteum præaltum, nõ
alia re quàm tenui quodam & in-
ualido fune ſuſtentatus, penderet,
& in ipſo putei fundo ſylua eſſet
immanium omois generis ſerarũ,
quæ maxima cum auiditate prædæ inhiantes ex-
pectarent, vt corruentem inuolarent, diſcerpe-
rent, deuorarẽtque; ſi porro ſunieulus iſte, à quo
miſeri hominis ſpes omnis & ſalus penderet, in
alicuius viri poteſtate & manu eſſet, quẽ ille iam
antea ſummã per ingratitudinem ſibi inſenſum
infeſtumq; reddidiſſet: nemini dubium eſſe po-
teſt, quin is in magno rerum diſcrimine verſare-
tur. Idem plane iudicium de vooquoq; veſtrûm,
chariſſimi, faciendum eſt. Quod ſi infra hunc lo-
eum, in quo ipſe nune cõſiſto, buiuſmodi puteus
immenſæ profunditatis exiſteret, in quo leones,
tigrides, & vrſi me dilaniandum & deuorandum
diductis faucibus opperirentur, nec quicquam a-
liud eſſet, quod ſubſidentem exciperet, niſi ſitula
quædam vetuſta, quæ ſibi male cohæreret, & fu-

niculo non ſatis firmo ſuſtentaretur, atque hoc
qualecunque ſubſidium etiam ab illius arbitrio
penderet, quem ego tot tántiſq; affeciſſem iniu-
riis, vt me non alio quàm hoſtis loco habere de-
beret: an non periclitari exiſtimaretis? imo certe.
Atq; hoc quidem noſtra omnium cauſa eſt. Eſt
enim nobis ſubiectus terribilis ille ac perhorren-
dus inferni puteus: vbi cacodæmones inſtar im-
manium ferarum ruinā noſtram auidiſſime ex-
pectant. Nullus vnquam leo, nulla tigris, nullus
vrſus, etiam cum fames maxime vrget, tam acri-
ter in prædam intentus eſt, quàm illi nobis inſi-
diantur. De quibus recte dici poteſt illud, quod
Deuter. 32. iam olim à Moyſe dictum eſt: Dentes beſtiarum
immittam in eos, cum furore trahentium atque
ſerpentum. Deinde quotquot in hac vita ſumus,
tam infirmo ſunt tamq; fragili vaſculo ſuſtenta-
mur, ne in hunc inferni puteum corruamus, vt
infirmius fragiliuſve dici à nobis aut excogitari
non poſſit. Quod enim, quæſo, vaſculum fragili-
us aut caſui magis obnoxium cēſeri debet, quàm
hoc corpus noſtrum, quod quotidiana repara-
tione indiget? Et niſi reſeceris, perit ſtatim & ad
nihilum redigitur. Domus lutea, niſi lutum ſub-
inde recenter temperatum induxeris, paruo tem-
poris ſpacio deficiet & collabetur. Et multò qui-
dem magis hæc domus noſtra carnea, hoc animæ
noſtræ domicilium, hoc vaſculum, in quo anima
noſtra ſuſtentatur & circumfertur, niſi potu, ci-
bo, aliiſque rebus ad vitam tuendam neceſſariis
frequenter reſeceris, fortaſſis intra triduum ita
concutietur, vt etiam ruinam minetur. Sed & i-
pſe quotidianus rerum vſus nos docet, quam ſit
infirmum & fragile corpus humanum: cum ſcili-
cet videmus, quam ſpecioſa quamq; robuſta eti-
am iuuenum corpora, quam breui imo quā mo-
mentanea morbi alicuius intemperie proſternā-
tur & pereant. Atque idcirco Salomon in eo li-
Eccleſ. 12. bro, quem Eccleſiaſten inſcripſit, corpus homi-
nis vaſculo fictili comparat. Memento, inquit,
creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam
cōteratur hydria ſuper fontem: antea nimirum,
quàm illud corporis tui vas fictile contritum in
profundum illum inferni puteum corruat. Hoc
autem corporis humani vaſculū ab infirmo ad-
modum & tenui funiculo pendet, quem ille ar-
genteum vocat, vbi mox ſubiungit: Et antequam
rumpatur funiculus argenteus. Funiculi vero ar-
gentei nomine, quo anima in hoc corporis va-
ſculo vtcunque ſuſtentatur, vitam hominis deſi-
gnare voluit. Quemadmodum enim funiculus
paucis quibuſdam filis intextis, ita & vità quatuor
illis humoribus componitur: qui quamdiu iuſta
quadam proportione contemperantur, tamdiu
eſt vita ſana & incolumis. funiculus etiam iſte ab
ipſa Dei manu & poteſtate pendet. Quam rem D.
Iob 12. Iob his verbis confirmat: Quoniam in illius ma-
nu eſt anima (id eſt vita) omnis viuentis. Sed nos
In diuinam eius maieſtatem tam ingrati ac rebel-
les extitimus, cumq; ad iracundiā tantopere pro-
uocauimus, vt mirum ſit plane, quod funiculum
iſtum præcelſa virtute ſua tamdiu ſuſtinuerit: qui
ſi deficiat, neceſſe eſt continuo, vt hæc corporis
noſtri hydria conteratur, & anima corpore exuta
in altam illam inferni voraginem feratur, infau-
ſtis illis & immanibus beluis dilanianda. O Deum
immortalē, quam formidabilis eſt ſtatus noſter,
ſi pericula hæc, in quibus verſamur, conſidera-
mus? Si non aduertimus, quid ſupereſt, niſi vt di-
camus, imo ſublato etiam clamore vociferemur:
O miram ac ſtupendam cæcitatem vel magis in-
ſaniam noſtrā, nulla vnquam temporis diutur-
nitate ſatis deplorandam? Supra nos cœlum eſt,
vbi Deus opt. maximus ſedem ſuam collocauit,
qui ſeſe nobis vt patrem exhibet, ſi nos viciſſim
obtemperamus illi, & diuina eius præcepta nobis
obſeruanda proponimus. Infra nos inferni pute-
us eſt, locus horribilis, dęmonum ſedes. Ante nos
ſunt, quæ in Deum vllo vnquam tempore à no-
bis admiſſa ſunt peccata. A tergo ſunt temporum
ſpacia & opportunitates nobis ad agendam pœ-
nitentiam & de peccatis ſatisfaciendum diuini-
tus conceſſa, quæ tamen à nobis per incuriam
neglecta fuerunt. A dextris ſunt beneficia nobis
ab optimo benigniſſimoque Domino collata. A
ſiniſtris innumera ſunt infortunia, quæ nobis ac-
cidere potuiſſent, niſi Deus ea pro ſua immenſa
bonitate auertiſſet. Intra nos eſt peccati fœtor &
obſcœnitas, quibus rebus effectum eſt, vt imago
Dei in nobis ſplendore amiſſo obſoleuerit, & nos
illi hoſtes effecti ſimus. His autem omnibus diui-
num eius numen ſic auerſum & infenſum reddi-
dimus, vt merito nobis timendum ſit, ne vitę no-
ſtræ funiculum manibus excidere, corporis ol-
lam confringi, & animam ad inferni puteum de-
turbari patiatur. Quid igitur nobis, chariſſimi, in
his rerum anguſtiis conſtitutis faciendum: vnde
petendum aut etiam ſperandum auxilium? Quo
tandem ſacrificio tantam maieſtatem à nobis læ-
ſam placare & faciliorem reddere poterimus?
Certe præſentiſſimum remedium eſt pœnitentia
de peccatis mature ſuſcepta. Solus Deus remedi-
um pœnitentibus adhibere nouit. Solo contriti
cordis ſacrificio eius ira & offenſio mitigari po-
teſt. Solis pœnitentibus Deus benigniſſimus mi-
ſericordiæ beneficium impartire ſolet. Adeamus Heb. 4.
ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt mi-
ſericordiam conſequamur, & cum Dauide pœni-
tētiam agēte dicamus. Miſerere mei Deus. Nos i-
gitur diuina gratia freti, alterā huius Pſalmi partē
(quod à nobis iam antea in Pſalmo præcedēti eſt
pręſtitū) explicabimus: in quo propheta tria prę-
cipua rerum capita perſtringit. Primo loco peti-
tionem ſuam inſtituit, quam quiuis pœnitens ſi-
bi adaptare poteſt. Deinde orationem exauditam
eſſe multis rationum momētis addicit. Demum
rei poſtulatæ ſpem certam & indubitatam ſibi
facit. Si homines peccatorum nexibus implicati
rite apud animos ſuos perpenderent, quis ſit eo-
rum ſtatus & conditio (quam rem paucis iam at-
tigimus) credo certe ſe magno in periculo verſa-
ri exiſtimarent. Quod ſi non aduertunt, tanto
profecto deterior eſt eorum cauſa & ſalus deplo-
ratior. Nam ſi de alterutro iudicium ferendum
ſit,

ſit, ille meliori loco animæque ſaluti vicinior eſſe cenſendus eſt, qui periculum, cui obnoxius eſt, præuider & conſiderat, quàm qui nullas vnquam ea de re cogitationes ſuſcepit. Qui enim calamitatem imminentem non proſpicit, prementem effugere nunquam poterit.

Nos igitur, chariſſimi, cum periculi nobis impendentis magnitudinem bene cognitam & perſpectam habeamus, ſupereſt, vt remedium opportunum quæramus: quod aliunde, quàm ab ipſo Deo, haberi non poteſt. Mar. 2. Quis enim poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quapropter ad eum clamorē inſtituamus vniuerſi, & cum propheta dicamus: Miſerere mei Deus. Sed fortaſſis alicui huiuſmodi tacita obrepet cogitatio. Quod ſi nulla remedij ſpes nobis relicta ſit, niſi in Deo ſolo, cuius diuinum numen ego longe infeliciſſimus homuncio peccata peccatis cumulando toties & tam atrociter offendi: quomodo ſperari poſſit, vt ſeſe ad miſericordiam præſtandam tam facilem præbeat, & non magis vindictam ſuppliciumque de me ſumat, cum ſit & ſumma poteſtate præditus & æquitatis obſeruātiſſimus? Nam in magnatibus, qui rerum in hoc mundo potiuntur, hoc fere obſeruatur, vt quanto quis eſt potentior & de iuſtitia adminiſtranda ſollicitior, tanto ſeuerius in homines perditos & legum violatores animaduertat. Cum ergo ſupremam Deo tum potentiam, tum etiam iuſtitiam tribuendam eſſe certum ſit, quomodo fieri poteſt, vt is mihi clementer indulgeat, ac non potius de tot tantiſq; flagitiis in eum perpetratis exactam vindictam & ſeueritatem pro ſcelerum indignitate exerceat?

Ad hæc in hunc modum reſpondemus: eos, qui ius dicunt in hoc mundo, (ſi qui tamen ſynceri ſunt & malitiæ expertes) legibus ita ſubiectos eſſe, vt ex earum præſcripto ſolum, non arbitratu ſuo aliquem liberare liceat, quantumuis ſint in eam rem propēſi: porro eam pluribus eorum imo pleriſque inſitam eſſe malignitatem, vt iniurias illatas offenſioneſque remittere, etiam ſi maxime liceat, nulla tamen ratione adduci poſſint, vt velint: eo quod exiguus admodum aut plane nullus eorum manibus inſit humanitatis & miſericordiæ ſenſus. Matth. 19. Scriptum eſt: Nemo bonus, eſt, niſi ſolus Deus. Ille ſolus tanta clementia tantaque benignitate præditus eſt, vt nihil nec malitiæ nec fraudis in eum cadere poſſit. Ille etiam ſolus eſt omnibus legum ſuarum decretis ſuperior, nec vllis conditionibus aſtringitur. Quibus rebus addicitur neceſſario, illi ſoli iure optimo competere, vt, cui voluerit, ignoſcere & miſericordiam impartire queat. Quod & re ipſa præſtabit, miſericordiamque non exiguam (quod eſt ab immenſa illius bonitate alienum) ſed magnam & copioſam impendet. Magna profecto eſt Dei noſtri longe optimi potentiſſimiq; miſericordia, tam magna quidem, vt omnes magnitudinis numeros facile complectatur. Quædam arbores propter eximiam quandam & ſpectabilem proceritatem magnæ appellantur. Putei & foſſæ à profunditate magnitudinis nomen ſortiuntur. Itinera, eò quod longa ſunt & prolixa, etiam magna dicuntur. Plateis & viis, quæ ſpacioſæ ſunt & latæ, magnitudo tribuitur. Sed miſericordia diuina non vnam aliquam, ſed omnes prorſus dimenſionum ſpecies complectitur. Quod ad altitudinis menſuram ſpectat, ſic habetur. Domine, vſque ad cælos miſericordia tua. Psal. 56. Profunditas ex eo dinoſcitur, quod ad infimam vſque inferni partem pertingat. Quod his prophetæ verbis aſtruitur. Miſericordia tua magna eſt ſuper me, & Psal. 85. eruiſti animam meā ex inferno inferiori. Quam vero lata ſit & ſpacioſa Dei clementia, vel inde deprehendi poteſt, quod vniuerſum, qua late patet, terrarum orbem occupet & ambiat. Quam rem confirmat propheta, cum ait: Miſericordia Psal. 32. Domini plena eſt terra. Sed nec longitudine caret, quod idem propheta his verbis teſtatum facit: Miſericordia eius ab æterno & vſque in æter- Psal. 102. num ſuper timentes eum. Cum ergo miſericordia diuina tantæ ſit altitudinis, tantæ profunditatis, tantæ latitudinis, tantæque longitudinis, quis eſt, qui eam exiguam dicere aut etiam habere, ac non potius omnes iuſtæ magnitudinis numeros & dimenſiones ei tribuere audeat?

Quiſquis igitur eſt mortalium, qui culpam ſuā deprecari & ſeſe huic Dei noſtri clementiæ ſiſtere voluerit, his verbis vti poterit. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Duo autem ſunt in miſericordia nobis conſideranda, internus ſcilicet commiſerationis affectus, & externum miſericordiæ opus. Iacet fortaſſis in platea pauper vlceroſus: quo medicus iſtâc iter faciens conſpecto intima quidem commiſeratione afficitur, ſed pertranſit tamen, nec quicquam ei medicamenti adhibet. Itaque medicus quamuis erga pauperem hunc aliquo modo clementer affectus eſſe videatur, nullum tamen clementiæ officium præſtat. Et nos ſæpenumero multos inopia vel etiam morbo aliquo laborantes conſpicimus, quibus tamen nihil opis conferimus, etiam ſi non deſit aliqualis animi propenſioris affectus. Sed propheta noſter, cum in alio quodam loco diuinæ miſericordiæ præconium inſtitueret, recte dixit: Miſericors Psal. 110. & miſerator Dominus. Miſericors ille quidem dicitur, qui hoc interno miſericordiæ motu afficitur: miſerator vero is eſt, qui externum aliquod charitatis officium etiam exhibet. Eſt igitur benignus Dominus noſter non ſolum affectu miſericors, ſed & effectu miſerator. Nec enim aliquis inde fructus ad nos rediret, niſi & re ipſa miſericordiam præſtaret: quandoquidem nec malis iſtis, quibus affligimur, ſolus miſericordiæ affectus remedium aliquod adferre poſſet, niſi & reipſa uobis impenderetur. Non ergo ſatis eſt, vt Deus optimus maximus miſericors ſit, niſi & miſerator exiſtat, & ipſum miſericordiæ opus nobis exhibeat. Exhibere autem quid aliud eſt, quàm miſerias noſtras depel-

lere, ipſa nimirum peccata noſtra, quibus miſeri efficimur? *Prouerb.14.* Eſt enim ſcriptum: Miſeros facit populos peccatum. Opus eſt profecto, vt Deum optimum maximum oremus, illud ab eo vehementer contendentes, vt noſtri miſertus ipſum miſericordiæ opus in nos exercere, id eſt, peccata delere & miſericordiam impendere dignetur, idque ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum. Si vnicum peccatum admiſeris, vnica tibi opus eſt miſeratione, vt peccatum illud deleatur. Quod ſi duobus vel tribus vel etiam pluribus te ſceleribus obſtrinxeris, neceſſe eſt, vt peccatorum multitudini miſerationum numerus iuſta proportione reſpondeat. Certa quidem res eſt, miſerationes diuinas omnem prorſus menſuram excedere, nec fieri poſſe, vt aliquis earum certus numerus ineatur. Quemadmodum enim prægrandis ille ſolis ſplendor innumeros emittit radios: ita ab immenſa Dei miſericordia infinitæ miſerationes oriuntur. Radios ſolares enumera, ſi potes: quod ſi præſtiteris, diuinæ tamen miſerationes infinitis eos partibus ſuperant. Quantumuis enim magna, quantumuis atrocia ſint noſtra flagitia, à diuina tamen clementia, quæ nobis impendi poteſt, magnitudine vincuntur. Quantumuis etiam magnus ſit eorum numerus, ſunt tamen miſerationes eius multo numeroſiores, quibus omnia, quæcunque ſunt à nobis vnquam tempore in eum commiſſa, facili momento condonare ac prorſus abolere poteſt. Qusmobrem eum adeamus magna cum fiducia, & diuinam eius clementiam his prophetæ vocibus imploremus: Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam? Si tabula ſordibus multo tempore contractis ac penitus inolitis obſoleſcat, primum quidem ſcalpro abradimus, deinde adhibitis vndis abluimus, ac demum ipſam etiam ablutionem panno abſtergimus: eaque ratione efficimus, vt priſtino nitori reſtituatur. Anima noſtra tabulæ aſſimilatur, in qua nihil erat depictum: ſed aliis atque alüs vitiorum maculis nos eam in conſpectu Dei turpem ac deformem reddidimus. Quam ob cauſam abraſione, ablutione, abſterſioneque opus habet. Abraditur quidem intimo cordis dolore & compunctione, cum peccati à nobis perpetrati nos vere pœnitet. Abluitur vero lachrymis à nobis profuſis, cum peccatum agnognoſcimus & confitemur. Denique abſtergitur & ſplendorem amiſſum recipit, cum peccati compenſationem ſerio meditamur, & ad eam rem præſtandam piis ſatisfactionis officiis diligenter inſiſtimus. Hæc autem tria nobis proculdubio ex gratuita Dei miſeratione proueniunt. De peccato doles? Dei donum eſt. Peccatum cum fletu & lachrymis agnoſcis? Dei donum eſt. Bonis operibus ſedulo incumbis, vt de peccato ſatisfiat? Dei etiam donum eſt. Illud à Deo iam poſtulauimus, vt animæ tabulam abradendo peccata noſtra deleret, quod fit per contritionem. Nunc rurſum orandus eſt, vt animam abluat, vt ſcilicet lugendi ac peccata deplorandi gratiam nobis tribuat. Nam luctum aliquando ſuſcipimus, qui à Deo non proficiſcitur. Quemadmodum, cum res aduerſæ nobis etiam inuitis ac renitentibus perferendæ ſunt, diſcruciamur quidem & infortunia deplo-
C ramus, ſed iſtæ lacbrymæ nihil plsne vtilitatis, imo plurimum detrimenti adferunt. Id quod Apoſtoli verbis confirmatur, cum ait: Sæculi *2.Corinth.7.* triſtitia mortem operatur. Huiuſmodi dolores & lachrymæ animæ ſordes non abluunt, ſed aſpergunt. Sunt & aliæ lachrymæ, quæ ab eo dolore proficiſcuntur, qui ſecundum Deum eſt, cum nimirum dolemus nos erga eum tam ingratos extitiſſe, qui tot tantaque in nos beneficia contulerit. Atque hæc quidem triſtitia (vt *Ibidem.* eſt ab Apoſtolo dictum) ſalutem ſtabilem operatur.

Et in eandem ſententiam diuus Chryſoſtomus: Hæ lachrymæ, inquit, lauant delictum. Tribuuntur etiam pœnitentibus ab ipſo Dei Spiritu. Nam ſcriptum eſt: Flabit ſpiritus eius, & fluent a- *Pſal.147.* quæ. Porro ſuper has aquas veloci quodam & expedito motu graditur ac volitat Spiritus ſanctus: quam rem Moyſes in ipſo ſtatim ſcripturę ſanctę *Geneſ.1.* exordio typo quodam adumbrauit. Et Spiritus, inqnit, Domini ferebatur ſuper aquas. Quarum aquarum vim & efficaciam D. Chryſoſtomus his verbis deſcribit. Sicut poſt vehementes imbres mundus aer ac purus efficitur: ita & poſt lachrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur atque tranqnillitas.

Nos igitur, chariſſimi, illud à Deo poſtulemus, vt peccatorum noſtrorum ſordes his lachrymarum vndis abluantur, & cum propheta dicamus: Amplius laua me ab iniquitate mea. Sed poſteaquã anima noſtra abraſa fuerit, quod fit per contritionem: poſteaquam fuerit etiam abluta, quod in confeſſione abſoluitur: neceſſarium eſſe iam antea diximus, vt abſtergatur & munda efficiatur, quod vtique per pia ſatisfactionis officia, msxime vero per eleemoſynas largaſque in pauperes facultatum noſtrarum elargitiones præſtatur. Eſt enim à ſaluatore noſtro dictum: Date eleemoſynam, & ecce omnia mun- *Lucæ.11.* da ſunt vobis. Eleemoſynæ igitur & bona opera ſunt, quæ noſtras peccatorum ſordes penitus abſtergunt, noſque ab omni ſcelerum macula puros efficiunt. Quæ quidem Chriſtianæ pietatis opera cum eius generis ſint omnia, vt nemo mortalium ea ex ſe ſine ope diuinæ gratiæ præſtare valcat (nec enim ſufficientes ſumus, vti dicit Apoſtolus, cogitare aliquid ex nobis quaſi ex *2 Corinth.3.* nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt) nobis omnino faciendum eſt, vt Deo optimo maximo ſupplices ſimus, illud ab eo flagitantes, vt ad quam plurima pietatis opera perfecte præſtanda noſtras animas permouere dignetur: quo fiat, vt prorſus abſterſis peccatorum omnium ſordibus ac contagione, priſtinam munditiem &nito-

& nitorem recipiant. Quam rem vt conſequamur, has prophetæ voces vſurpare poterimus ſinguli: Et à peccato meo munda me. Atq; hunc quidem finem habet vniuerſa petitio noſtra: in qua primum poſtulauimus, vt Deus noſtri miſereatur ſecundum magnam miſericordiam ſuam, vtque animas noſtras ab omni peccati macula prorſus abradat, abluat, abſtergatque, ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum.

Iam vero (quod ſecundo loco propoſuimus) propheta noſter alias atque alias magni momenti rationes in medium affert, quibus tanta vis ineſt & efficacia, vt Deus, quin petitionem noſtram exaudiat, facere non poſſit. Tria igitur iam antea poſtulauimus. Primum, vt Deus peccata noſtra per contritionem abradat. Deinde, vt per confeſſionem abluat: demum, vt per ſatisfactionem prorſus abſtergat. Nunc autem in hac prima ratione ſeu magis ratiocinatione, alia tria, quæ tribus illis iam propoſitis apposite (licet nō eodem ordine) reſpondent, proponuntur. Peccata delere (quemadmodum iam diximus) eſt ea ſic penitus abradere, vt nulla prorſus macula in anima noſtra conſpiciatur. Eodem plane modo, quo literas deletas eſſe dicimus, cum ſunt ita abraſæ, vt nihil omnino ſuperſit, quod à quoquam legi aut etiam diſcerni queat. Certum quidem eſt, ſi nos peccata noſtra prius agnoſcamus, fore, vt ea Deus non agnoſcat. Et ſi nos peccata, quæ ſunt inſcripta ſeu magis inſculpta in anima noſtra, pro eo ac debemus, legere ac conſiderare ſatagamus, ipſe continuo pro ſua bonitate cuncta è conſpectu ſuo penitus amouebit. Quamobrem, chariſſimi, pium ac benignum Dominum accedamus, & ex animo vere contrito dicamus ſinguli cum propheta: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Res eſt Deo optimo maximo valde grata & accepta, ſi peccator ad mentem reuocet, & debita cum contritione apud animū ſuū verſet & perpendat: primum peccati ſui magnitudinem: deinde quibus hominibus offenſam quamque atrocem præbuerit: porro in quam multa damna & incommoda propter peccatum inciderit: denique quam multa bona & commoda per peccatum amiſerit. Non eſt dubium, chariſſimi, quin ſi harum rerum conſiderationi mentem ſerio intendere velimus, non contemnendos ex ea re fructus & commoda ſimus reportaturi. Si enim peccata noſtra in hunc modum agnoſcamus, Deus ea ſtatim cōdonat & delet. Et quanto ſæpius hoc à nobis præſtitū fuerit, tanto citius ea obliuioni traduntur. Præterea ſi non ficte, ſed ſyncere & abſque omni fuco ſcelera à nobis perpetrata ad mētem reuocantes, illud vere agnoſcamus, quātum impedimenti bonis operibus ſuſcipiēdis abſoluendiſq; continenter præſtent, fieri non poteſt, quin pius ac benignus Dominus ea ſtatim obliuiſcatur, atq; in eū modum aboleat, vt nullum poſtea ſuperſit vel tenuiſſimæ labis veſtigium, ſed anima, priſtino nitore recepto, ex omni parte conſpicua & illuſtris appareat. Qua de cauſa, quod à propheta noſtro mox ſubiūgitur, ex animo vere cōtrito dicamus: A peccato meo munda me: quoniam peccatū meum contra me eſt ſemper. Et quomodo tandem contra me eſt? Eſt quidem è regione poſitum, & oculis meis ſic plane ſubiectum, vt nihil ſit prorſus impedimenti, quo minus illud continenter aſpiciam. Nunc de peccati abolitione, deq; anima per contritionem abradenda, & quid ſit, quod Deum ad hæc nobis præſtanda impellat, dictum eſt. Supereſt iam, vt & illud declaremus, quamobrem Deus animam etiam abluere debeat: vt partes, de quibus nos verba facturos recepimus, ſingulæ ſingulis conuenienter & apte reſpondeant. Lachrymæ, quibus animarum noſtrarum ſordes abluuntur, ex ſingulari Dei dono proueniunt: maxime vero, quæ in cōfeſſione à nobis ante tremendum illud diuini numinis tribunal conſtitutis ex conſiderata ſcelerum noſtrorum magnitudine atrocitateque profunduntur. Peccatorum autem noſtrorum magnitudo facile deprehendi poteſt: primum, ſi bene perpendamus, quàm magnæ ſit ille dignitatis & potentiæ, in quem ea perpetrauimus: deinde, ſi cōſideremus, quanta fuerit noſtra in eum ingratitudo, qui nos tam multa tamque atrocia flagitia perpetrantes continenter proſpectat. Deus ſolus tantæ poteſtatis eſt, vt, ſi quicquam in diuinam eius bonitatem admittamus, quo ille nobis infenſus reddatur, nos æternæ mortis reos ſtatuamus. Dauid atrociter quidē in Vriam peccauit, cum eum imperio ſuo hoſtibus trucidandum obiecit. *2. Reg. 11.* Graui etiam ſcelere ſe obſtrinxit, cum Berſabeam eius vxorem, vt tori coniugalis fidem violaret, ſollicitauit. Attamen, ſi hiſce flagitiis diuinarum etiam legum decreta non violaſſet, eius generis non erāt, vt propterea ſuppliciis æternis addici debuerit. Nec enim vllum facinus in hominem aut aliam quamuis rem creatam patratum tam atrox eſſe poteſt, vt eū, qui ſcelus admiſit, æternæ morti obnoxium reddat, niſi & læſæ maieſtatis diuinæ crimen accedat: quæ quidem offenſio eò grauior cenſeri debet, quod quæcunq; à nobis perperam fiunt, eius oculis nuda & aperta ſint omnia, ſiue *Heb. 4.* ea parua ſiue etiam magna æſtimentur. Quam ob cauſam Deum optimum max. adeamus, cumq; in hunc modum deprecemur. Domine Deus meus, equidem indignus peccator me diuinæ celſitudini tuæ ſiſto, reum eſſe agnoſco, crimen aperio, non diſſimulo, non abſcondo, imo ipſam peccati mei atrocitatem tuæ bonitatis oculis nudam expono. Sed obſecro te, benigne Domine, vt me lachrymis meis è copioſa pietatis tuæ gratia profluentibus abluere digneris. Ablue, miſericordiarum pater, peccati mei ſordes: nam ingenue fateor, quod tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Dele, Domine, iniquitatem meam, quoniam inquitatem meam ego cognoſco. Amplius laua me ab iniquitate mea, eo quod me tibi ſoli peccaſſe agnoſcam. Denique munda me, eo quod peccatum meum contra me eſt ſemper, atque ita ob oculos verſatur, vt nullo loco con-

ſiſtere permittat. Iam vero, ſi hæc omnia parum momenti apud clementiam tuam habere videntur, illa ſaltem ratio te ad miſericordiam nobis impertiendam excitet, vt iuſt ficeris in ſermonibus tuis. Ab Ezechiele propheta tuo ſancto ſcriptum eſt, quale iudicium iam olim in populum tuum generatim exercueris. Sed & illud à te di-

Ezech. 33. ctum eſt: Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat. Et rurſum: Impietas

Ibidem. impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. Et: Si egerit pœnitentiam à peccato ſuo, vita viuet & non morietur: omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei. Benigniſſime Domine, tuæ diuinę clementiæ ſupplices ſumus, illud à te ſubmiſſe contendentes, vt te compellandi & hanc vnam rem interrogandi facultatem nobis tribuere digneris. An non hæc tua ipſius verba fuerunt? An non hæc omnia iam olim ad prophetam tuum locutus es? An vero ille nobis verba dedit, qui hæc à te dicta eſſe affirmabat? Nam certe propheta hos ſermones omnes à te ad ipſum habitos fuiſſe in

Ibidem. ſcriptis reliquit, vbi ſic habetur: Tu itaque fili hominis, dic ad filios populi tui. Nemini ergo dubium aut obſcurum eſſe poteſt, quin hæc tua ſint verba. Clementiſſime Deus, ecce, nos miſeri peccatis obnoxij à viis noſtris peſſimis ad te conuertimur, & de peccatis in te perpetratis pœnitentiam agimus. Illud ergo nobis, obſecro, concedas, vt ad te conuerſis non noceant, nec vllo vnquam tempore imputentur, ſed pro tua pietate abradantur, abluantur, abſterganturque, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Tu, Domine, probe noſti, quam temerarium iudicium populus de ſententia à te lata iam olim habuerint, cum dice-

Ezech. 18. rent: Non eſt æqua via Domini. Arrogabant illi ſibi iudicium de ſententia, quam à te dictam eſſe agnoſcebant. Quibus in hunc modum reſpondiſti: Nunquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt? Tum deinde quæ à te iam antea dicta fuerant, in hunc modum roboraſti: Quando auerterit ſe impius ab iniquitate ſua, feceritque iudicium & iuſtitiam, vita viuet & non morietur: omniumque iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor. Quibus verbis, pie Domine, tibi certum ac deliberatum fuit, temerarias eorum voces, quibus ſententiam tuam miſericordiæ plenam reſcindere nitebantur, prorſus excludere & irritas facere: quod vt nunc præſtes, te iterum atque iterum rogamus.

Sed hoc eorum de te iudicium alia ratione conuellere & labefactare nunquam poteris, niſi te veracem eſſe rebus ipſis oſtendas. Quamobrem nunc, pientiſſime Domine, impietatem noſtram deleas, nunc iniquitatem noſtram obliuiſcaris (quam & nos plane deteſtamur) vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum à ſtultis & temerariis hominibus iudicaris. Sunt peccata noſtra, fatemur, & ingentia & innumera. Nos ea non tradimus obliuioni, non velamen obducimus, non celamus, non excuſationem aliquam prætendimus, non defenſionem ſuſcipimus: ſed agnoſcimus, aperimus, & accuſationem inſtituimus. Veruntamen, miſericordiarum pater, pro immenſa clementia tua, proque infinita illa miſerationum tuarum multitudine nos reſpice, maxime vero figmentum noſtrum conſidera: quod vtique quam ſit infirmum & fragile te non latet. Tibi rurſum ſub-

eat illa cogitatio, nos aliud non eſſe, quam pul- *Geneſ. 3.*

uerem & lutum, porro & in membris noſtris eſ- *Rom. 7.*

ſe aliam legem repugnantem legi mentis noſtrę, & nos captiuantem in lege peccati, quæ eſt in membris noſtris. Si quis imbecilliori corpore præditus in mandatis haberet, vt magni ponderis lapidem molarem ad montis alicuius crepidinem voluendo deferret, cumque is ſummum conatum adhibuiſſet, lapis tamen hominis vires prægrandi mole ſuperans, ad imam vallem deuolueretur: an non venia & commiſeratione dignior (habita promptæ voluntatis ratione) cenſendus eſſet, quam alius, qui viribus præſtaret? Nos in eadem plane cauſa verſamur, qui corpus hoc ad montem ſanctũ tuum euehere ſatagimus: quod contrà peccati mole prægrauatum, ſic reprimitur, vt ſæpe retro cedens deorſum feratur. Illud enim primorum noſtri generis parentum peccatum in omnes homines deriuatum, nos inſtar magni oneris deprimit, & in dies ſingulos magis magiſque ingraueſcit, & ad cætera etiam vitia omnia propenſos reddit. Quam ob cauſam miſerere noſtri Deus. Eſt enim hoc, quod à primis parentibus accepimus, peccatum, eſt hoc, quod nos aggrauat, onus, non aliunde importatum, ſed nobis in ipſo ſtatim primi conceptus exordio innatum: quemadmodum à propheta noſtro dicitur: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Verumenimuero, pie Domine, te veracem eſſe ſcimus, & quæcunque ſunt à te dicta, bona fide præſtanda eſſe omnia. Tu profecto dixiſti, eam demum aduentus tui cauſam extitiſſe, vt homines peccatis obnoxios ad pœnitentiam ſuſcipiendam vocares. Non veni, in-

quis, vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœniten- *Mar. 2.*

tiam. Tu eos, qui duris in mundo laboribus defatigati, quive ſub graui pœnitētię onere depreſſi ingemiſcunt, ſemper inuitaſti, & adhuc ſem-

per inuitas, cum ais: venite ad me omnes, qui la- *Matth. 11.*

boratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tu etiam fidem tuam obſtrinxiſti, neminem eorum, qui ad te acceſſuri ſunt, aditu prohibendum, ſed omnes in gratiam recipiendos eſſe, ſi tamen ita, vt decet, accedant. Sic enim, inquis:

Qui venit ad me, non eiiciam foras: non com- *Ioan. 6.*

mittam, vt repulſam tuliſſe videatur. Ecce Domine, nos ſumus ex eo hominum genere, quorum cauſa tu in hunc mundum veniſti, quoſque, vt ad te accederent, verbis humaniſſimis inuitaſti. Nos grauis peccatorum ſarcina deprimit. Nos in iſtis impietatis itineribus plane defatigati & tædio affecti deficimus. Dic ergo nobis, pie Domine, venite ad me; & continuò accedimus, noſque ſubmiſſo capite pro tuæ miſericordiæ tribu-

tribunali proſternimus. Nam in te ſolo ſpem omnem repoſitam habemus. Quod ſi hæc omnia parum virium habent ad conciliandam nobis miſericordiam tuam, ſi nec ob id, quod noſmetipſos in crimen vocamus reoſque vltro ſtatuimus, nec vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, nec etiam ex fragilitatis infirmitatiſque noſtræ conſideratione adduci potes, vt miſericordiam nobis impendas: at ſaltem, clementiſſime Domine, miſerere noſtri propter veritatem tuam. Tu enim verax es, nec apud te quicquam eſt veritate antiquius. In mentem ſubeat, quid iam olim vnicuique noſtrûm de peccatis pœnitentiam agenti & ad te accedenti pollicitus ſis, fore nimirum, vt non ſolum non eiiciatur foras, ſed etiam reficiatur. Qua ſpe freti, ad te, Deus optime, accedimus, tuam pietatem implorantes, vt nos non eiicias foras, ſed tua gratia miſericordiaque reficias. Ecce enim veritatem dilexiſti.

Sanctus igitur propheta, poſt petitionem ſuã in hunc modum inſtitutam, poſt varias etiam rationes in medium allatas, ob quas à Deo exaudiri debeat: nunc tertio loco magnam animo ſpem lætitiamque concipit, ſibi certo promittẽs, fore, vt rem à Deo poſtulatam conſequatur, & voti compos fiat. Quod eo etiam conſilio facit, vt omnes homines peccatorum nexibus implicati, hoc ipſius exemplum ſibi imitandum proponant. Magno quidem interuallo inter ſe diſſident deſperatio & fiducia. Niniuitæ, cum propheta ciuitatem eorum penitus delendam eſſe prædixiſſet, de miſericordia impetranda nec magnam fiduciam habebant, nec omnem plane ſpem depoſuerant. Ionas ergo ſecundo ad eos à Deo deſtinatus, in hunc modum publice denunciauit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Quibus verbis illi perterriti, & vindictæ diuinæ ſeueritatem iam imminentem pertimeſcentes, ieiunium ſingulis & viris & fœminis, ſed & paruulis indixerunt, & veſtiti fuerunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Tum communi regis & omnium regni procerum decreto ſancitum fuit, vt & homines & iumenta, & boues & pecora nihil quicquam guſtarent, nec paſcerentur, nec aquam biberent: ſed & homines & iumenta ſaccis operirentur, & ad Deum clamarent in fortitudine, & ſerias pœnitentiæ cogitationes ſuſciperent. Sic enim ſeſe inuicem cohortabantur: Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Ex quibus vocibus, eos nec certam aliquam veniæ impetrandæ fiduciam habuiſſe, ſed nec omnem prorſus ſalutis ſpem abieciſſe certum eſt. Et tamen pœnitentiam agebant, illud præſtolantes ſinguli, quid de ipſis benigniſſimus Dominus ſtatuere vellet: cuius & miſericordiam demum bene cognitam & perſpectam habebant, de qua tamen conſequenda ipſi paulo ante nec omnino ſperare nec penitus diffidere videbantur.

Iona 3.

Sed noſtra longe alia eſt conditio. Nobis enim, qui Chriſtiano nomine cenſemur, Deus optimus maximus immenſæ clementiæ ſuæ theſauros, ipſa nimirum fidei myſteria & ſalutia ſacramenta aperuit: quæ nobis culpas deprecandi ſpem certam faciunt. Erant hæc iam olim abſtruſa & hominibus plane incognita: ſed nuper vnigenitus Dei filius ea nobis recluſit & patefecit. Quod ipſe teſtatum facit, cum ad patrem ſermonem inſtituens ſic ait: Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Chriſtus Ieſus à patre cæleſti in hunc mundum deſcendens, arcana illa & penitus abſcondita diuinitatis myſteria Eccleſiæ ſuæ manifeſtauit. Quam rem ipſe nobis his verbis confirmat: Quæcunque, inquit, audiui à patre meo, nota feci vobis. Ac demum in aſcenſione ad patrem reuerſurus, ſe Spiritum ſanctum Eccleſiæ ſuæ largiturum pollicitus eſt, qui perfectam & numeris omnibus abſolutam rerum omnium diſciplinam traditurus eſſet: quo fit, vt nihil eſſe poſſit nobis certius aut exploratius, quam quod eſt ab Eccleſia ſancta traditum ac firmatum. Nec enim in fidei negotio aliqua deprehendendæ veritatis ratio tam certa & expedita eſſe poteſt, quam quod Eccleſia ſancta ſic affirmauerit aut etiam ſanciuerit. Nam in iis rebus, quæ ad fidem & indubitatam animæ ſalutem ſpectant, fieri non poteſt, vt Eccleſia Dei fallat aut in fraudem inducat. Quis igitur eſt omnium noſtrum, qui Chriſto nomen dedimus, qui non merito poſſit orationem ad Deum conuertere & cum propheta dicere: Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi? Sed quorſum voluit Deus, vt hæc rerum cæleſtium arcana nobis patefierent? Quid vero fructus, quid vtilitatis, quid conſolationis ex eo referimus, quod ſunt hæc omnia nobis diuinitus manifeſtata? Plurimum profecto, ſi ſcelerum à nobis iam antea perpetratorum nos vere pœnitet. Sin minus, ipſa etiam myſteriorum declaratio nobis in damnum magnopere cedit. Nam (vti recte ab Apoſtolorum principe dictum eſt) melius erat non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti. Sed ſi vitiis nuncium remittere, & ad Deum conuerti, vitamque ex ſanctiſſimis eius legibus inſtituere nobis rectum eſt ac deliberatum, ſi de ſacramentis nobis à Deo traditis recte ſentientes, certa ſpe nitimur, fore, vt ab eis malorum omnium remedia hauriamus, non eſt dubium, quin ex eorum vi & efficacia peccatorum veniam miſericordiamque ſimus conſecuturi. Sed dicet fortaſſe quiſpiam: nos probe videmus, quid in ſingulis ſacramentis adminiſtrandis agitur. In baptiſmo infans aqua abluitur, & pauca quædam verba à ſacerdote pronunciantur. In cõfirmatione frons pueri ſacro chriſmate ſigno crucis adhibito inungitur, & adduntur nonnulla verba ab epiſco-

Luc. 10.

Ioan. 14.

Ibidem.

2. Pet. 2.

po. In ſacramento pœnitentiæ, poſt cõfeſſionem exceptam & præſcriptam ſatisfactionem, ſacerdos quædam etiã verba ſubiungit. Sed hęc quemadmodum ad ſalutem animæ conducant, non video. Nam verba, ſimulatque pronunciata fuerint, in aerem reſoluuntur, nec quicquam eorum manet. Aqua ſimiliter & oleum à corpore non tranſeunt, vt animam penetrent. Hæc fortaſſis & horum ſimilia alicui in mentem venire & ſcrupulum inĳcere poſſint. Certum quidem eſt aquæ & oleo nullam huiuſmodi vim à natura inditam eſſe, vt animam penetrare aut aliquid in ea boni malíve efficere queant: ſed hanc virtutem occultam ex merito paſſionis & ſanguinis Chriſti Ieſu peccatorum cauſa in cruce profuſi acceperunt. Eſt enim ſanguis ille ſacer ac precioſus nobis redimendis impenſus tantę efficacię, tantamque tribuit ac tam copioſam ſacramentis virtutem, vt quoties eorum aliquod à nobis ſumitur vel etiam adhibetur, toties ipſas ſanguinis illius longe precioſiſſimi guttas ſumentibus aſpergi certum ſit: cuius vis ad ipſam vſque animam pertingit ac penetrat, eamque ab omni peccatorum ſorde emũdat. Sed vnde hæc ita ſe habere cognoſcimus? Certe non aliunde quàm ex eo, quod ille incerta & occulta ſapientiæ ſuæ nobis manifeſtauit. In lege veteri hic peccati expiandi ritus à

Leuit.14. Iudæis receptus fuit. Si quis ex tactu cadaueris vel alia quauis ratione contaminatus erat, is ſtatim hyſſopo in ſanguine quorundam animalium intincto aſperſus, à culpa, quam contraxerat, purgationẽ accepit. Quæ piationis lex à Moyſe quidem populo Iudaico promulgata, ſed ab ipſa Dei ſapientia profecta & ſancita fuit. Attamen ea tempeſtate, quid ſibi vellet ritus ille ſollennis, quámve ſignificationem haberent ea, quæ gerebantur, nondum innotuerat. Erat enim adhuc incertum, erat occultum, quid ſapientia diuina ex illa ſanguinis aſperſione deſignari voluit. Sed poſtquam benignus liberator noſter ſanguinem ſuũ

Apocal.5. in cruce fuderat, & nos (vti à diuo Ioanne dicitur) in ſanguine ſuo lauerat à peccatis noſtris, omnibus continuo conſtare cœpit, quam hyſſopus, quam etiam illa ſanguinis aſperſio ſignificationem haberet. Hyſſopus herba eſt, quæ humi naſcitur, & naturali quodam calore prædita eſt, & gratum odorem reddit: quibus rebus Chri-

Philip.2. ſtum refert, qui ſemetipſum humiliauit vſque ad mortem, mortem autem crucis, & ex magno quodam & ingenti charitatis affectu (quod eſt à diuo Paulo alibi dictum) tradidit ſemetipſum

Epheſ.5. pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Nec dubitare cuiquam licet, quin omnis illa ſanguinis animalium aſperſio ante Chriſti in terras aduentum hanc ſacerrimi ſanguinis ipſius effuſionem ſignificarit, quodq; precioſus iſte ſaluatoris noſtri ſanguis ſit ad abolenda peccata infinitis partibus efficacior atq; præſtantior, quàm typicus ille, qui præceſſit, beſtiarum ſanguis extiterit. Sed & illud non minus certum eſt, quoties ſacramẽta ex ſanctiſſimo Eccleſiæ præſcripto à nobis adminiſtrantur, toties aſpergi ſanguinem hunc ſacratiſſimum ad diluendas delendaſq; peccatorum ſordes. Cuius aſperſionis effectum vt conſequamur, cum propheta ſancto dicamus: Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor. Quod perinde eſt, ac ſi à nobis dicatur: Eſt, Domine, fides noſtra nunc (diſcuſſa omni typorum & ambiguitatum caligine) plane illuſtrata, ex merito paſſionis filĳ tui Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri: qui ſanguinis ſui effuſione eam virtutem & efficaciam ſanctis Eccleſiæ ſacramentis contulit, vt, cum eorum aliquod à nobis ſumitur, precioſo redemptoris noſtri ſanguine non aliter quam hyſſopo aſpergamur. Quam etiam aſperſionem ſtatim ſubſequitur diuinæ gratiæ aqua, quæ in animas infunditur: cuius ea vis eſt, vt eas omni niue candidiores efficiat. Eaque de cauſa continuo ſubiungitur: Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Nulla dicendi facultas explicare poteſt, quam ingentẽ animò lætitiã ſentiat peccator, cum peccatorũ ſarcinã per pœnitẽtiam excuſſam videt & intelligit; cũ, quanto in periculo iam antea verſatus fuerit, conſiderat; cum animæ ſerenitatem & pacem conſcientiæ redditam contemplatur. Tunc demum audit, quid loquatur in eo Dominus: quoniam loquetur pacem in *Pſal.84.* ſeruos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Quæ quidem pax tantam recipientibus conſolationem adfert, tantaque eos lætitia perfundit, vt propheta rem animo verſans dicat: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Quod ſi vero pax huius temporis interno animæ auditui tantopere expetenda ſit, & mentem tam vehementer afficiat, illam futuri temporis lætitiam quam immenſam fore cenſetis, chariſſimi, cum pax ſempiterna nobis proponetur, cum rex ille pacificus, qui æternæ pacis & author & largitor eſt, vere pœnitẽtibus dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, *Matth.25.* percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. An non interno tunc animæ gaudio perfruemur? An non externam tunc etiam corpus iucunditatem præferet? An non & in corpore & in animo tunc effuſe lætabimur, cum vitę ſtatum adepti, qui nec rerum aduerſarum viciſſitudinem nec felicitatis terminum habiturus eſt? An non & voces illæ conſolationis pleniſſimæ, ab Ipſo etiam ſeueri iudicis ore profectæ, auditui noſtro intimum de ſalute animæ gaudium dabunt? An non ingens gaudium dabit, cum rem à nobis tantopere expoſitã concedet & voti compotes efficiet? An non æternum nobis gaudiũ dabit nulla vnquam triſtitię nubecula obfuſcandũ? Imo vero gaudium dabit, & quidem multiplex. Dabit nobis gaudium internum, quod intimo contritionis dolori reſpondebit. Dabit nobis gaudium externum, quod fletum exteriorem & lachrymas in confeſſione profuſas excipiet. Dabit & æternum nobis gaudium, quod omnia ſatisfactionis officia & labores, quibus perfuncti ſumus, abunde compenſabit. Tunc exultabunt oſſa humiliata. Tunc ſuperiores illæ animæ partes, voluntas, ratio, & memoria, quæ peccati mole iam antea deprimebantur,

tur, in lætitiam ſempiternam emergent, nec quicquam impoſterum aduerſi patientur. Voluntas ex diuinæ bonitatis perfruitione gaudebit. Rationem clariſſima Dei viſio exhilarabit. Memoriam illa demum cogitatio ſumma lætitia perfundet, quod voluptatem iſtam tam eximiam nulla vnquam temporis diuturnitate finiendam eſſe ſecuri ſimus. Iam vero, quod in ipſo ſtatim orationis initio propoſuimus, eſt à nobis in hac priori Pſalmi parte præſtitum. Declaratum eſt enim, primum quidnam ſit, quod nos, qui pœnitētiæ inſtitutum ſuſcipimus, à Deo petere debeamus. Deinde quibus rationibus diuinam clementiam impellere poſſimus, vt rem à nobis poſtulatam facile concedat. Ac demum certa nos fiducia niti debere, fore, vt à Deo exaudiamur: quod ipſe nobis pro immenſa miſericordia ſua præſtet, qui viuit & imperat Deus in omnes ſeculorum æternitates. Amen.

PSALMI L. QVARti pœnitentialis,

Pars altera.

Auerte faciem tuā à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

QVANDOQVIDEM in priori Pſalmi huius parte explicanda de diuinæ miſericordiæ laudibus multa ſunt à nobis iam dicta, quibus eſt effectum, vt eorum animi, qui peccatorum pondere deprimuntur, in certam veniæ impetrandæ ſpem veniant: nunc, priuſquam alteram Pſalmi partem aggrediamur, non erit à re nobis propoſita alienum, ſi pauca quædam de timore etiam diuino dicamus. Multa quidem ſunt eaque præclara rationum momenta, quæ certiſſimam nobis veniæ conſequendæ ſpem oſtendunt, ſi miſericordiæ diuinæ pœnitentibus iam olim præſtitæ exempla ad mentem reuocemus. Multæ ſunt etiam timoris cauſæ, ſi ſcelerum noſtrorum ſubeat memoria, quibus diuinam eius bonitatem in dies ſingulos nobis infenſam reddimus.

Cum igitur tot tantæque ſint tum timoris tum etiam ſpei cauſæ, ille conſultius facere mihi quidem videtur, qui alterum alteri, timorem ſcilicet ſpei, & ſpem timori adaptat. Quiſquis vero hæc præſtat, nec ſpem ſuam in Deo ſic repoſitam habet, vt timoris omnino ſit expers, nec Deum ita formidat, vt ſpem omnem abiiciat. Si enim in alteram partem propendeamus, continuo in fraudem incidimus: & periculum eſt, nè vel ſpe nimia elati fiducia ſtulta & temeraria nitamur, vel terrore nimio depreſſi in profundum illud & ineluctabile deſperatæ ſalutis barathrum feramur. Sed qui hæc duo iuſta quadam proportione contemperat, is nec præſumptione efferri, nec deſperatione deprimi vllo vnquam tempore poterit. Eoque homini peccatis obnoxio nihil vtilius eſſe cenſetur, quàm vt in his rebus iuſtam moderationem adhibeat: quemadmodum econtra nihil eſt periculoſius, quàm vt in alterutram partem ſit propenſior. Quamobrem ſpes & timor duobus lapidibus, quibus farina in mola conficitur, à diuo Gregorio comparantur: quorum alter ſine altero nihil præſtat, ſed ſi vtrunque ſic adaptaueris, vt ſuperior inferiori iuſte promineat, inferior vero ſuperiorem æqualibus ſpaciis reſpiciat, fiet, vt frumentum molæ iniectum breui temporis ſpacio ſubigatur, & paulatim in partes minutiores contuſum, demum farina efficiatur. Eodem plane modo cum peccatoribus agitur, cum hæc duo ſibi inuicem exacta quadam proportione ſic reſpondent, vt animum nec ſpes nimia ſurſum, nec timor immodicus deorſum ferat. Hac enim ratione efficitur, vt ſcelerum noſtrorum quātumuis atrocium multitudo ab his duobus molaribus comprehenſa & in partes minutiſſimas contrita tandem etiam prorſus è medio tollatur. Sed quorſum hæc dicimus? Hæc quidem à nobis eo fine dicuntur, vt, quantumuis de peccatorum remiſſione certi eſſe videamur, illum tamen Dei timorem non ita penitus excutiamus, quin eius memoria nobis continenter ſubeat. Quod à D. Petro factum eſſe ſcimus, qui cum peccatum ſuum ſibi iam remiſſum intelligeret, ſuam tamen impietatem in dies ſingulos deplorauit, nec vnquam impoſterum animo excidere paſſus eſt, quod in dominum tam benignum ingratus extitiſſet. Sed & beata illa Magdalena, cum ob eximium illū, quem in Chriſtum gerebat amorem, peccata ſibi cōdonata eſſe ab ipſo veritatis ore accepiſſet, pœnitentiæ tamen operibus vehementer inſtitit, & illam vitæ prioris obſcœnitatem ſemper ob oculos poſitā lachrymarum profluuio diluere, eaque ratione cōſpectui diuino ſubducere ſatagebat. Idem plane præſtitit & noſter propheta, ſuoq; peccatores omnes exemplo docuit, quid ab ipſis in cauſa ſimili fieri conueniat. Is enim, cum de peccatorum venia optime ſperaret (ea de re certior vtique factus ex iis rebus, quas in illis diuinæ ſapientiæ incertis & occultis contemplatus fuerat) eorum tamen memoriam refricandam eſſe cenſuit, eaque de cauſa Deum in hunc modum allocutus eſt: Auerte faciem tuam à peccatis meis.

In ipſo ſtatim orationis meæ exordio, quod reliquū eſt huius Pſalmi, in tria præcipua rerum capita diſtinguendum eſſe duximus. Primum, propheta nouam petitionem inſtituit. Deinde, oſtendit, quem finem in hac petitione inſtituenda ſibi propoſitum habuerit: qui fuit, vt Deo placeret. Poſtremo docet, hac ſua poſtulatione nihil eſſe melius aut efficacius, ſi quis Deo placere & de peccatis in eum cōmiſſis ſatisfacere certū ac deliberatum habeat. Res autem à Deo poſtulata Spiritus ſanctus eſt: qui niſi in mundis cordib. nō manet. Nō enim habitabit (vt eſt à Sapiēte dictū) in corpore peccatis ſubdito. In vniuerſa quidē rerū Sap. 1.

natura

natura nihil eſt, quod Deus optimus maximus perinde deteſtetur, ac peccatum, nihil eſt, de quo tam atrocia ſumat ſupplicia, nihil eſt diuinis eius oculis tam odioſum ac infenſum. Primum enim in cælo, cum peccatum in Angelicis illis ſpiritibus repertum eſt; continuo quotquot erant ea labe infecti, Deus aula cæleſti eiectos ad infima loca deturbauit, nec eximiis illis & nobilitate præſtantibus creaturis parcere voluit. Deinde, cum pernicioſa hæc peccati contagio primos etiam generis noſtri parentes in paradyſo *Geneſ.3.* conſtitutos inuaſiſſet, nec illis quidem pepercit Deus, ſed amœniſſimo illo voluptatis loco protinus exactos in hanc calamitatum vallem relegauit. Præterea, quamuis poſt multa annorum ſecula Deus populum Iſraeliticum, vt ſibi peculiaris eſſet, ex vniuerſa hominum multitudine ſelegiſſet, cum tamen hanc peccati labem *Numer 16.* admittere cœperunt (quod de Dathan & Abiron aliiſque quamplurimis memoratur) eos terra diuina virtute dehiſcens viuos abſorpſit. Atque in hunc quidem modum Deus peccatum primum cælo, deinde paradyſo terraque exterminauit: adeo vt, cum hæc peſtis in omnem ter- *Geneſ.7.* rarum orbem dimanaſſet, (quod ætate Noe patriarchę contigit) vniuerſum pene hominum genus aquarum diluuio deleuerit. Ac demum, cum nec his ſuppliciis omnibus peccatum expelli potuerit, miſit Deus filium ſuum vnigenitum in mundum, vt mortem ſubiret ſanguinemque ſuum longe precioſiſſimum miſeris peccatoribus redimendis impenderet.

Nos ergo, chariſſimi, apud animos noſtros ſerio perpendamus, quam horrenda res ſit peccatum, quamque diuinis oculis inuiſa, cum eam ſolum ob cauſam Angelos ſuos, primarias vtique creaturas, cælo deturbauerit, primos generis noſtri parentes paradyſo eiecerit, populum peculiarem ſingulari quadam ratione electum dilectumque etiam terris exegerit, omnes propemodum homines aquarum inundatione ſubmerſerit; denique filium vnicum in terras deſcendere, in crucem ſuffigi, & mortem atrociſſimam ſubire permiſerit, vt eos omnes, qui peccati iugo & ſeruitute premebantur, in libertatem aſſereret. Atque hæc quidem omnia præſtitit, vt peccatum locis omnibus exactum, non aliam ſedem, quam profundam illam inferni voraginem haberet. Quam peccati conditionem fœditatemque ſibi fortaſſis ob oculos ponens propheta noſter inhorruit, eaque de cauſa Dominum ſic deprecabatur: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Sed fieri non poteſt, vt Deus faciem ſuam à peccatis noſtris auertat, quamdiu animæ inhærent, quin eadem opera nos etiam auerſetur. Nec enim poſſibile eſt, vt quis parietem aliis atque aliis rerum imaginibus depictum conſideret, niſi & ipſas imagines parieti inductas prius aſpiciat: in quas vtique, tanquam in velamenta quædam ſeu magis ſuperficiem oculis ſtatim obiectam, viſus primum intendatur neceſſe eſt.

Cum ergo peccata noſtra eodem plane modo ad animam, quo velamina ſeu imagines ad parietem ſeſe habeant, omnino oportet, vt Deus prius peccata quam animam intueatur. Quod cum ita ſit, quid nobis in his miſeriarum anguſtiis conſtitutis faciendum eſt? Hæc vnica profecto nobis reliqua eſt recuperandæ ſalutis ratio. Si quis parietem nudum videre cupiat, is non alia ratione illud conſequi poterit, quàm ſi linimenta, imagines, & quæ ſunt foris obducta prius amoneat. Similiter & nos, ſi volumus vt anima conſpiciatur, peccata vero nequaquam, illud omnino nobis faciendum eſt, vt peccata prorſus aboleantur. Quamdiu enim aliqua vel tenuiſſima peccati labes animæ noſtræ inhæſerit, nullo modo fieri poteſt, vt anima videatur, quin & peccatum ſimul cum ipſa ſeſe conſpiciendum obiiciat. Quapropter propheta noſter, vt nihil ſit impedimenti, quo minus Deus animam clare videat, illud ab eo vehementer contendit, vt omnes plane peccati maculas penitus deleat. Et omnes, inquit, iniquitates meas dele. Sed non ſatis eſt, vt peccata omnia deleantur, niſi & ſcaturiginem ipſam, vnde ea promanant, puram & defœcatam reddideris. Si enim aqua putida & inſalubris ex lacuna aliqua in hortum continenter defluat, niſi aggerem obiecteris, qui perennem aquæ curſum præpediat, futurum eſt, vt hortus ille quantumuis amœnus paruo temporis ſpacio totus inficiatur. Eodem plane modo nobiſcum agetur, ſi cor noſtrum ab omni vitiorum ſorde repurgatum non fuerit. Nam (vt à ſaluatore noſtro dicitur) de *Matth.15.* corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Aduertite, chariſſimi, quam impura & peſtifera ſit hæc corruptela, quæ ex corde noſtro profluit, qua totum nō ſolum corpus, ſed & anima inficitur. Vnde & à ſaluatore noſtro ſtatim ſubiungitur: Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. Fieri ergo non poteſt, vt peccata omnia penitus auferantur, niſi & cor ipſum, à quo mala vniuerſa proueniunt, prius mundetur. Qua de cauſa propheta ſanctus petitionem ſuam ad Deum in hunc modum inſtituit: Cor mundum crea in me Deus. Multi artifices ſatius habent rem aliquam ex materia rudi facere, quàm poſtea vitiatam vel etiam vetuſtate corruptam reficere: ipſeque rerum vſus docet, facilius eſſe pallium aut veſtem aliquam nouam conficere, quàm eandem forma ſemel amiſſa reconcinnare.

Sed cor hominis diuturna vitiorum conſuetudine deprauatum ad eum, quem prius habuerat, integritatis ſtatum reducere, multo eſt difficilius, quàm pallio formam priſtinam reſtituere. Nec enim à re quacunque longo temporis ſpacio inolita facile receditur. Et à diuo Auguſtino dicitur; Cor hominis diu vitiis aſſuetum ad rectam virtutis viam traducere, maius eſſe opus, quàm cęlum & terram denuo creare. Eoque propheta ſanctus Deo optimo maximo, cui nihil eſt impoſſibile, ſupplex eſt, vt cor nouum in ipſo creare dignetur. Cor mundum, inquit,

crea.

crea in me Deus. Porro neceſſe eſt, vt res noua & recte compoſita, etiam recte inſtituatur. Quid enim proderit horologium quantumuis affabre factum, ſi ſine motu conſiſtat, nec orbiculi ad peragendum ſuum quiſque curſum temperentur? Ita & cor, cum nouum iam effectum fuerit, neceſſe habet præterea, vt & in nouo rectoque virtutum curriculo ſtatuatur. Proinde has voces mox ſubiungit propheta: Et Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. Quibus verbis impertiri ſibi poſtulat Spiritum ſanctum, cuius ductu & auſpiciis viam mandatorum Domini ſine offenſione & errore percurrere valeat. Propheta hoc loco tribus verſibus continuis ter Spiritum ſanctum commemorat. Quæ res quid ſibi velit, incertum plane eſt: nec ego audeo rem in medio poſitam definire aut aliquid certi ſtatuere. Interim tamen, quia Theologis ſemper integrum fuit, ſuam in rebus dubiis ſententiam dicere (modo nihil adferant, quod cæteris ſacræ ſcripturæ locis aduerſetur) equidem dicam, quid eum hac in re voluiſſe exiſtimem. Mihi dubium non eſt, hiſce tribus nominibus, quæ à propheta hoc loco commemorantur, Spiritum ſanctum in ſacris literis deſignari. Nam diuus Paulus, cum de variis Spiritus ſancti donis

1 Corint.12. ſeu operationibus verba faceret: Hæc, inquit, omnia operatur vnus atque idem Spiritus. Iſaias quoque propheta, alia atque alia ſancti Spiri-

Eſa.11. tus nomina commemorans, ſic ait: Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilij & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, ac Spiritum timoris Domini. Quibus verbis non plures Spiritus, ſed vnum eundemque Spiritum ob varias actiones tot nominibus inſignitum ſignificare voluit.

Sed quod ad præſentis inſtituti rationem attinet, refert ſancti Euangelij hiſtoria Spiritum ſanctum ſeſe ter & in triplici rerum ſpecie hominibus videndum præbuiſſe. Primum quidem in columbæ ſpecie deſcendit, eo tempore, quo Chriſtus baptiſmum accepit: quod nobis ex Euangelio conſtare poteſt, vbi ſic habetur: Et de-

Luc.3. ſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in eum. Deinde poſt Chriſti reſurrectionem diſcipulis in ſpecie ſufflationis donatus fuit; quam rem diuus Ioannes in Euangelio ſuo

Ioan.20. his verbis deſcribit: Et inſufflauit in eos, dicens: accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Tertio loco, poſt Chriſti ſaluatoris ad cælos aſcenſionem, Spiritus ſanctus Apoſtolis & reliquæ turbæ in eundem locum coactis apparuit, ignis figuram præ-

Act.2. ferens: qua de re diuus Lucas in hunc modum loquitur. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.

Quæ quidem tres apparitiones totidem Spiritus ſancti dona hominibus in diuerſo rerum ſtatu poſitis collata ſignificant. Primum baptiſmo initiatis tanquam paruulis, ſecundum pœnitentiam ſuſcipientibus, tertium donum perfectis tribuitur. Quod ad primum attinet, in baptiſmo recti efficimur ſtatuimurque in noua innocentiæ via: quam rem ſignificauit columba illa, quæ ſupra Chriſtum in baptiſmate viſa fuit. Di-

uus Paulus ad huiuſmodi Chriſtianæ militiæ tirones verba faciens, eos hortatur, vt in nouitate Rom.6.

vitæ ambulent. Iubet etiam Chriſtus ſaluator, Matth.10.

vt ſint ſimplices ſicut columbæ. Hanc igitur ſancti Spiritus operationem propheta ſanctus animo verſans, Deum ſic precatur. Et Spiritum rectum innoua in viſceribus meis: quo ſcilicet vitam recte & innocenter inſtituam. Secunda ſancti Spiritus operatio pœnitentibus conuenit: quæ, cum Apoſtolis conferebatur, ſufflationis ſpeciem (vti iam dictum eſt) referebat. Illud experimento compertum habemus, halitum noſtrum, ſi in aliquam rem frigidam feratur, puta ferrum aut vitrum, continuo in aquę guttas denſari: quod & in peccatore pœnitenti ſæpe animaduerti poteſt. Solent enim peccata illud efficere, vt intenſus charitatis ardor frigeſcat & remiſ-

ſior fiat: de qua re ſaluator ſic ait: Quoniam Matth.24.

abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas. Tum peccator conſciæ mentis ſtimulis agitatus, ſibique ob oculos ponens ſcelerum ſuorum fœditatem, ſi vitæ prioris eum vere pœnitet, facere non poteſt, quin lachrymas profundat: (quod vtique ſancti Spiritus animum inhabitantis magnum

eſt indicium.) Scriptum eſt enim: flabit ſpiritus Pſal.147.

eius, & fluent aquæ. In hunc modum Dominus Petrum, poſteaquam eum abnegauerat, vultu placido benignoque ſancti Spiritus afflatu reſpexit: & is continuo lachrymari cœpit. Quod di-

uus Matthæus in Euangelio ſuo his verbis teſta- Matth.26.

tum facit: Conuerſus Dominus reſpexit Petrum: & egreſſus foras fleuit amare. Peccatum animam contaminat, & ab ea Dei vultum auertit. Sed hoc ſancti Spiritus donum, quam pœnitentiam vocamus, animam lachrymis abluit, & ſanctam reddit, efficitque, vt Deus eam rurſum ſereno vultu aſpiciat. Eaque de cauſa ſic ait propheta: Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me: tribuas mihi, vt gratiæ tuæ munere peccata mea agnoſcam, per confeſſionem ſacerdoti rite aperiam, & pœnitentiæ operibus diligenter inſiſtens, etiam lachrymas profundam: vtque cæteri mortales omnes exemplo meo prouocati, orationem ad te inſtituant, illud vehementer contendentes, vt ſi quando diuinum numen tuum per negligentiam offendant, non tamen eos auerſeris & è conſpectu tuo ableges, ſed rurſum pie reſpicere & lachrymarum donum largiri digneris, quibus animæ denuo ſanctæ efficiantur. Quod ſi præſtiteris, futurum eſt, vt non ſolum peccata, ſed & ſupplicia peccatis infligenda vi lachrymarum penitus è medio tollantur. Benigniſſime Ieſu, quid eſt, quod te adegit, vt Petrum tam clementer reſpiceres? Ille iam antea baptiſatus fuerat, Spiritumque acceperat, quo in virtutum ſtudio cultuque perſeuerare potuiſſet. Multa ſanctæ conuerſationis exempla, multa vi-

tæ ſe-

tæ recte inſtituendę pręcepta iam hauſerat, ſacris concionibus interfuerat, miracula viderat, etiam in monte transfiguratum contemplatus fuerat, & voces illas ab ipſo patre cæleſti profectas aurib. *Matth 3.* exceperat: Hic eſt filins meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et tamen te negauit: quod etiam ſe facturum eſſe iam antea te monitore didicerat. Pie Domine, quænam maior vnquam dici aut excogitari potuit ingratitudo? Ergo Ieſu clementiſſime te ſubmiſſe precamur & obſecramus, vt quemadmodum illum iam olim, ita & nos miſeros nunc reſpicias, qui nondum, vt ille, à te deſciuimus, cum tamen nobis nec tam magna ſit rerum ſalutarium ſcientia, nec tot & tam præclara ad vitam pie formandam adminicula, quam illi fuerunt. Quod ſi Petri flagitium te permouit, vt illi miſericordiam veniamque impenderes, ſumus & nos peccatores. Tu vero, benigniſſime Deus, idem nunc es, qui ſemper fuiſti, nec aliquid tibi de priſtina clementia deceſſit: & nos ad te conuerſi veniam deprecamur. Qui igitur Petrum tam clementer nec quidem rogatus aſpexiſti, nobis etiam culpam inceſſanter deprecantibus miſericorditer ignoſce. Ne proiicias nos à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis.

Tertia ſancti Spiritns operatio eſt reliquis duabus multo fortior: qua fit, vt, qui perfecti ſunt, in omni virtutũ genere tam firmi efficiantur & immobiles, vt nullo vnquam tempore vacillẽt. Hoc autem donum quo tempore Apoſtolis primum impertiebatur, ignis ſpeciẽ gerebat. Illorum vero mens, priuſquam hic ignis in eos deſcenderat, in fide dubia, nutans, & pauida huc illucque facili *Matth 26.* momento impellebatur. (Quæ res in Petro clare perſpecta eſt, qui ſe Domini cauſa mortẽ quidem ſubiturum recepit, ſed paulo poſt muliercula voce perculſus, eũ plane abnegauit.) Sed poſtea, accepto hoc diuini numinis dono, eos animos vna cum eo ſumpſerunt, vt ſpretis omnibus huius vitæ terroribus & tormentis, gaudentes iuerint *Act 5.* à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Propheta igitur noſter hoc loco Spiritum ſanctum tertio commemorat aitque: Et Spiritu principali confirma me: ſancti Spiritus munere eam mihi fidei & charitatis conſtantiam tribue, vt impoſterum in peccata nunquam relabar. Sed primam hnius verſus partem omiſimus: cuius rei rationem ſic habetote. Poſtquam Chriſtus Ieſus ſaluator noſter, quem propheta Salutaris nomine ſæpe appellat, ſeſe in cælum receperat, vnde & Spiritus ſanctus ex fide Apoſtolis iam data in ignis ſpecie deſtinandus erat, illi maxima triſtitia de Domini ſui receſſu afficiebantur. Sed mox vt miram illam ſancti Spiritus conſolationem acceperunt, lętitia quadam inuſitata & plane inenarrabili fuerunt perfuſi: adeo vt tota illa hominum multitudo, qui tunc aderant, eos muſto ebrios æſtimauerint. *Act 2.* Eaque de cauſa propheta conſolationem illam à Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro emiſſam lætitiam ſalutaris appellat. Cum enim quis ab alio deſtinatus aliquid nunciat, quod magnam excipientibus conſolationem adferat, lætitia hæc vtrique & nuncium deſtinanti & rem lætam renuncianti communis eſſe cenſetur, ac proinde vtrique ex ęquo tribuitur. Qua ratione hanc ſancti Spiritus conſolationem lætitiamque, quæ à patre cæleſti per filium ſuum Chriſtum Ieſum ad nos transfunditur, non quidem alteri ſed vtriq; acceptam referẽtes, vtriuſque donum eſſe agnoſcimus. Idcirco Dauid patrem cæleſtem in hunc modum precatur: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me: quaſi dicat: primum quidem peto, vt illam Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri lętitiam mihi reſtituas, quam ob peccata mea amiſſam eſſe agnoſco: deinde vero & illud vehementer contendo, vt imbecillitatem meam ſancti Spiritus virtute corrobores, ne vnquam peccata, quibus nuncium iam remiſi, rurſus admittam. Hactenus de petitione verba fecimus, qua propheta Spiritum ſanctum ſibi dsri poſtulat, cui & tria nomina tribuit. Primo loco Spiritum rectum, deinde Spiritum ſanctum, ac demum Spiritum principalem appellat: cuius etiam nomenclaturæ rationem reddidimus, vel ſaltẽ, quæ ſit noſtra de hac titulorum diſtinctione ſententia, paucis explicauimus. Quoniam vero Spiritum ſanctum recipere nemo poteſt, niſi qui mundo ſit corde, mundo autem corde nemo eſſe poteſt, niſi peccatis vniuerſis omnino deletis, nec peccata aliter deleri poſſunt, quá ſi Deus faciem ſuam ab eis auertat: ideo propheta ſanctus hæc tria à Deo flagitauit, vt eorum adminiculo metam illam ſibi propoſitam, ipſum nimirum recte agendi & in bonis actionibus perſeuerandi donum conſequeretur.

In hac ſecunda parte oſtendit propheta, quo fine Spiritum ſanctum petierit, vt ſcilicet proximum iuuaret. Eximia quędam res eſt & Deo longe gratiſſima, cum quis alium quempiam errantem vel perperam agentem conſpicit, hominem ſtatim comiter adire, errati monere, blandis verbis dehortari, ſatagereque, vt à prauis vitiorum itineribus ad rectam iuſtitiæ viam traductus ad Deum redeat. Quod qui præſtiterit, cũ maximis ampliſſimisq; præmiis, ipſa videlicet æternæ ſalutis pollicitatione, ſcelerumque ſuorum remiſſione remunerandum eſſe D. Iacobus his verbis *Iacob. 5.* affirmat. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Quæ quidem verba nõ ad eos ſolum ſpectant, quibus ex ſuſcepti muneris ratione delinquentes corrigendi cura incumbit, ſed ad omnes prorſus homines habita ſunt, qui Chriſtiano nomine cẽſentur. Nam *Eccleſ. 17.* vnicuiq; mandauit Deus de proximo ſuo. Vnuſquiſque igitur, cum fratrem delinquẽtem videt, eum amice compellare ac delicti cõmonefacere debet. Quod ſi à nobis fieret, plus fortaſſis in hoc animarum negocio præſtaremus, pluresque homines correptio fraterna quàm denunciatio publica Deo lucraretur. Et certe parũ eſt, quod facimus, ſi poſt agnitã ſcelerũ à nobis iã olim perpetra-

petratorum fœditatem periculumque, non alios in eodem luto hærentes de vita inpoſterum melius inſtituenda ſaltem mouemus. Curandum tamen nobis eſt in hac re, vt decori & ordinis ratio habeatur. Nec enim cuique pro libitu ſuo docendi munus vſurpare licet. Nam vt aliis quis inſtruendis idoneus fiat, neceſſe eſt, vt ipſe prius & boni & mali rationes omnes bene cognitas & perſpectas habeat. Quam rerum cognitionem ſi minus aſſecutus fuerit, periculum eſt, ne fratrem ſuum, quem erudiendum ſuſcipit, in fraudem inducat. *Matth.15.* Eſt enim à ſaluatore noſtro dictum: Si cęcus cęco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Iſtud docendi legeſque diuinas aliis proponendi munus ſuſcipere, res eſt non parui & momenti & periculi: cuius rei recordatio mihi ſubinde timorem incutit. Nam ſæpe illud Apoſtoli dictum in *1.Corinth.9.* mentem ſubit: Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero. Equidem mihi timendum eſſe video, ſi legem diuinam non promulgauero, ſi donum mihi diuinitus conceſſum celauero, ſi talenti meæ fidei commiſſi rationem non reddidero, ne in die illo nouiſſimo mihi dicatur, quod in Euangelio *Luca 19.* ſcriptum eſt: Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam? Deinde verò, etiamſi docendi muneri diligenter & fructuoſe inſiſtamus, res t... nen ingenti periculo non caret, ne, cum nos aliquam pręſtantioris ſcientiæ opinionem apud multitudinē nactos eſſe eaque de re dilaudari comperimus, vanis hominum vocibus inflati ſuperbe ſapere aut etiam inaniter efferri incipiamus. Eſt enim naturæ noſtræ corruptio tam miſerabilis & caducæ, vt, ſi quid à nobis quantumuis exiguum perpetretur, quod aliquam laudem mereri videatur, mirum ſit, ſi nullam inde inanis gloriæ maculam contrahamus. Verum, ſi hæc alios inſtruendi prouincia à nobis (vti eſt iam dictum) recte & ordine geratur, habita cuiuſque tum literaturæ tum facultatis ratione, ſi demus operam, vt noſtra ipſorum vita melius inſtituatur, vtque animæ noſtræ ab omni prorſus vitiorum ſorde purę & defecatæ reddantur, ſi totis viribus in eam rem incumbamus, vt ſapientiam diuinam ipſi aſſequamur, ſi precibus aſſiduis illud à Deo contēdamus, vt nobis cordis munditiem eamque ſancti Spiritus gratiam tribuat, qua noſtri ipſorum pedes in ſemita mandatorum Dei recte incedant, ſi denique hæc omnia eo conſilio à nobis agantur, non vt laudes humanas aucupemur, ſed ſolum vt prauis itineribus inſiſtentes ad rectam veritatis viam reuocemus, quo & ipſi noſtris tum documentis tum vitæ exemplis prouocati ad pium ac benignum Dominum noſtrum conuertantur: non eſt dubium, quin quæ à nobis hoc animo ſuſcipiuntur, ſint omnia in Dei gloriam & proximorum vtilitatem ceſſura. Atque huc quidem ſpectat, quod à propheta mox ſubiungitur. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Quarum vocum ſententia hæc eſt. Obſecro te, benigniſſime Deus, vt peccata mea non reſpicias, ſed magis deleas iniquitatem meam, & cor mundum in me crees, & Spiritum rectum innoues in viſceribus meis. Quod cum mihi præſtiteris, ego viciſſim errantes inſtruā, docebo iniquos vias tuas, ſatagamque, vt impij ad te colendum conuertantur. Atque hoc quidem eſt, quod Dauid pro ſua in Deum graui offenſa præſtitit. D. etiam Paulus, poſteaquam ſæuam illam in Chriſti Eccleſiam perſecutionem exercuiſſet, demum peccato in Deum admiſſo emundatus & ſancti Spiritus gratia perfuſus, quibus itineribus ad cœleſtem beatitudinem perueniatur publicè docuit, ſtrenuámque operam nauauit, vt viæ Domini rectæ hominibus iniquis vbique terrarum innoteſcerent. Sed & ſaluator noſter nos omnes monet, vt idem faciamus. Si peccauerit, inquit, in te *Matth.18.* frater tuus, corripe eum. Nos igitur, chariſſimi, cor mundum à Deo & Spiritum ſanctum efflagitemus ſinguli, eo quidem fine, vt iniquos æternæ ſalutis vias doceamus, vt & ipſi noſtris monitis excitati ad Deum reuertantur. Sed quid eſt, quod nos de reliquis duobus Spiritus ſancti donis nullam hoc loco mentionem facimus? Certè, ne rerum ordinem à nobis inſtitutum peruertamus. Nam propheta tria diuerſa Spiritus dona petit, ſingularumque petitionū ſuarum ſingulas rationes mox eadem ſerie ſubiungit. de primo igitur dono, qui Spiritus rectus dicitur, & vnicuique noſtrum, vt iam dictum eſt, in baptiſmo confertur, verba fecimus. Nunc ſupereſt, vt de reliquis duobus ſigillatim tractemus.

Secundum ſancti Spiritus donum, qui pœnitentiæ Spiritus appellatur omneſque vere pœnitentes ſanctos reddit, ſecundum locum obtinuit: cuius rei ratio in hac etiam ſecunda parte redditur. Peccati fœditas & infectio in multis ſcripturæ ſacræ locis ſanguini infecto comparatur. Qua ratione ad omnes homines peccatis obnoxios dicitur: Manus veſtræ plenæ ſunt ſan- *Eſai.1.* guine: quod perindè eſt acſi dicatur: Opera manuum veſtrarum ſunt peccati infectione polluta. Fortaſſis autem hæc ſanguinis corruptio ab ipſa carnis concupiſcentia cauſam & originem trahit: eoque ab Apoſtolo dicitur: Caro & *1.Corint.15.* ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Quemadmodum vero ſermo, eo quod à lingua ortum habet, etiam lingua vocatur (quo ſenſu linguam maternam dicimus: & qui plura linguarum idiomata nouit, plures linguas callere dicitur:) ita & peccatum, quod à ſanguine præſertim cauſam habet, ſanguis appellatur, & plura peccata plures ſanguines dicuntur. Hanc ob rem in lege veteri animalium ſanguis ad expianda peccata fundebatur, quo ſcilicet Deus peccatorum fœditate læſus facilius placari poſſet. Omnia enim, vt ait *Hebr.9.* Apoſtolus, in ſanguine mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Sed profecto ſanguinis illius effuſio tantæ virtutis non erat, vt vi ſua & efficacia peccata delere poſſet. Hæc ſanguinis infectio, quæ animis noſtris penitꝰ inſidet, illius cruoris aſperſione expiari nō poterat: quod his & Pauli verbis teſtatum fit: Impoſſibile eſt *Heb.10.* ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. At ſanguis ille tunc temporis effuſus precioſum

antiquæ legis ſacrificiis fiebat, Deo opt. maximo ex ſe grata admodum nõ fuit: quod ipſe quodam in loco, cultores quodammodo vituperans, his *Pſal. 49.* verbis teſtatur. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? quaſi dicat: nullam ex ea re voluptatem capio. Præterea, ſi Deus non alia ratione quam beſtiarum immolatione placari & ad miſericordiam hominibus impendendam adduci poſſet, miſere profecto cum eis ageretur, quorum tenuis eſt fortuna: quibus omnino in peccatis ſuis infœliciter moriendum eſſet, eo quod non haberent, vnde peccatorum ſordes ſemel contractas eluere poſſent. Sed pius Dominus leges æquiores tulit, quæ tum opulentis tum etiam egenis ſunt communes: nec aliud à nobis exigit ſacrificium, quam quod à pauperibus quibuſque eadem & forte maiori facilitate præſtari poteſt, quam ab eis, qui opibus pollent. Non enim doni magnitudinem ſed mentis affectum ſpectat. Quæ res in Euãgelio *Marc 12.* D. Marci confirmatur: vbi ſic habetur, Chriſtum *Luca 21.* Ieſum ſaluatorem noſtrum, dum quodam die in templo ſederet, multos diuites aſpexiſſe, qui multa in gazophilacium mittebant, inter cæteros vero vnam viduam pauperculam, quæ duo minuta mittebat, quod eſt quadrans; quam tamen plus cæteris omnibus miſiſſe affirmauit, non vtique rem donatam, vti iam diximus, ſed pium donantis animum conſiderans. Quibus rebus cum clarum efficiatur, ſacrificij cuiuſque acceptationem non à rerum precio ſed ab hominum animo pendere, porro & ſacrificia legis antiquæ etiamſi mille boues immolentur, Deo tamen grata eſſe non poſſe: idcirco propheta has voces ſubiungit: Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium dicebatur, cum animalis pars quæpiam; holocauſtum, cum totum offerebatur. Si vero totum, cum immolabatur, Deo parum gratum erat, de parte aliqua quæ ſpes eſſe poterat? Atqui propheta ſanctus hoc loco aliud ſacrificij genus Deo longe gratiſſimum commemorat, quod intimus animi dolor & vera pœnitentia nuncupatur. Quæri poteſt, quodnam crimen ab animalibus ratione carentibus perpetratum ſit, vt eorum ſanguis propterea fundendus fuerit, quonam ſcelere ſeſe obſtrinxerint taurus, hircus, & agnus, quamobrem morti addici debuerint? Nullo plane: quamobrem nec vlla ratio adferri poteſt, quę beſtias criminis expertes mortis reas ſtatuere potuerit. Sed homo rationis particeps, qui ſpreta diuina voluntate illicitæ ſenſuum voluptati obſecutus fuerit, eaque ratione Deum conditorem ſuum atrociter offenderit, omnino par eſt, vt tantundem doloris & cruciatus ſubeat, quantum iam antea voluptatis ceperat, dum iniquis carnis & ſenſuum appetitionibus obtemperaret. Hæc vera eſt & iuſta de peccatis in Deum admiſſis compenſatio. Hic hominis peccata deplorantis Spiritus ſacrificium illud eſt, quod ad iram Dei placandam diuinamque eius miſericordiam nobis conciliandam vim maximam habet, de quo propheta: Sacrificium, inquit, Deo ſpiritus contribulatus. Chriſtus Ieſus hanc rem in Euangelio Lucæ ſubiecto exemplo confirmat. Duo homines, inquit, aſcendebant *Luc. 18.* in templum, vt orarent, vnus Phariſæus, & alter publicanus. Apud Iudæos Phariſæi in externo cultu maiorem vitæ ſanctimoniam præferebant quam cæteri homines, multaque virtutum officia hominum oculis obiiciebant: publicani contra opes, lucrum, omniaque vitiorum genera pari ſtudio ſectabantur. Cum autem in templo conſtituti orationi operam darent, primo loco Phariſæus Deo optimo maximo de ſanctiſſimo vitæ ſuæ inſtituto gratias agere, ſeipſum laudibus efferre, merita ſua commemorare etiam in cæterorum omnium vituperium, quaſi nemo eſſet mortalium, quem ſibi conferendum eſſe duceret. Sic enim dicebat: Non ſum, ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, vel- ut etiam hic publicanus. Vitam caſte inſtituo, ieiuno bis in ſabbato, vitiis omnibus abſtineo, decimas do omnium, quæ poſſideo. Atque in hunc quidem modum Phariſæus virtutum ſuarum præconia iactanter & ſuperbe celebrabat. At publicanus, ſcelerum ſuorum multitudinem ſibi ob oculos ponens, templique, in quo verſabatur, ſanctitatem ſuſpiciens, & timore perculſus & loci dignitatem reueritus, à longe ſtabat, tantoque de peccatorum fœditate pudore affectus eſt, vt nec oculos ad cœlum leuare auſus ſit, ſed ex intimo intenſoque animi dolore pectus ſuum percutiebat, agnita nimirum flagitiorum immanitate, quam etiam his verbis deprecabatur: Deus propitius eſto mihi peccatori. Tãta autem erat huius viri pœnitentia, tanta cordis contritio (vnde & ſacrificium, quod Deo offerebat, tam gratum erat & acceptabile) vt dimiſſis, quæcumque admiſerat, peccatis, in gratiam receptus, Phariſæus contra ſpretus ac repudiatus fuerit.

Quibus rebus clarum euadit, quanti ſit apud Deum momenti contribulati Spiritus ſacrificium. An non & Achab olim Rex Iſraëlis, poſt innumera flagitia in diuinum numen perpetrata, ex ſimili tamen ſacrificio ſimilem ſcelerum omnium remiſſionem impetrauit? Memo- *3. Reg. 16.* ria proditum eſt, eum facinoroſe vitam egiſſe, diuinarum legem ſanctiones violaſſe, cæteros principes, quibus in imperio ſucceſſit, impietate viciſſe, Baali cultum diuinum adhibuiſſe, eius quidem idoli ſacerdotibus impenſe fauiſſe, Dei vero prophetas regni ſui finibus exactos deſpectui habuiſſe. Quem tamen pius ac miſericors Deus noſter aliis atque aliis rerum inuſitatarum portentis pro immenſa bonitate ſua coercere & errati commonefacere voluit. Primum, vt Rex *3. Reg. 17.* Deum ſibi infenſum agnoſceret, toto trium annorum & ſex menſium ſpatio nihil pluuiæ in terram decidit. Deinde alio quodam tempore *3. Reg. 18.* in conſpectu totius populi, tantam Deus virtu-

tem prophetæ ſuo indidit, vt ipſius rogatu ignis
cœlitus emiſſus eorum holocauſtum penitus ab-
ſumpſerit. Præterea, poſt diuturnam illam aëris
intemperiem ſiccitatemque, cum Achab pluuiæ
impetrandæ ſpem omnem depoſuiſſet, Elia rur-
ſus orante, cœlum continuo maximam dedit a-
quarum abundantiam. Quis eſt mortalium,
quem tot tantaque ſigna non eo impellerent, vt
emendatioris vitæ propoſitum ſuſciperet? Et ta-
men his rebus omnibus Achab nihilo melior eſt
effectus, imò vero in cœpta malitia perſeu.rauit.
Sed bonus ac benignus Dominus, cuius miſeri-
cordiæ non eſt finis, aliis adhuc rationibus ho-
3. Reg. 20. minem aggreditur. Cum Benadab Syriæ Rex
Achab regem ſuo ſubiugaturus imperio Sama-
riam vndique cum maximo inſtructiſſimoque
exercitu cingeret, non permiſit Deus vt aliqui-
bus hoſtium inſidiis circumſcriptus in eorum
poteſtatem veniret, ſed certam ei victoriam &
Ibidem. prædixit & præſtitit. Rurſus, cum Benadab anno
ſubſequenti reparatis viribus bellum in eum re-
dintegrare ſtatueret, Deus prophetam ad regem
deſtinauit, qui eum de vniuerſa rei gerendæ ſerie
probe inſtructum etiam de victoria certiorem
faceret. Porro, cum Achab nec his rebus omni-
bus adduci poſſet, vt ad ſaniorem mentem redi-
ret, ſed in dies ſingulos ſeipſo deterior euaderet,
3. Reg. 21. adeo vt Naboth virum iuſtum trucidare eiuſque
vineam dolo malo occupare non vereretur: tum
Deus, additis etiam minis fore denunciauit, vt
omnem eius poſteritatem demeteret & interfi-
ceret de Achab mingentem ad parietem. Quod
cum audiſſet Achab, intimo tactus dolore & vi-
tæ prioris pœnitudine ductus ſcidit veſtimenta
ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauit-
que, & dormiuit in ſacco, & ambulauit dimiſſo
capite. Sed clementiſſimus Dominus inſigni re-
gis pœnitentia & animi humilitate conſpecta,
hominis miſertus, Heliam prophetam in hunc
modum alloquitur. Nonne vidiſti humiliatum
Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei
cauſa, non inducam malum in diebus eius. Quid
hoc eſt, miſericors Deus? Cur ſic egiſti: cur tibi
ab ira temperaſti: cur de homine illo ingrato vin-
dictam non ſumpſiſti? Certe, eo quod in ipſo
Spiritum dolentem & contritum conſpexeras,
quod eſt eximium illud ſacrificium, quo ad miſe-
ricordiam præſtandam maxime induci ſoles. Sa-
crificium Deo Spiritus contribulatus: cor con-
tritum & humiliatum Deus non deſpicies. Iam
vero, quiſquis in hunc modum vitæ ſuæ rationes
ita conſtitutas habet, vt ex intimo animi dolore
cor vere contritum habeat, is ſublimi ſupernæ
ciuitatis illius cœleſtis ſtructuræ iam aptus eſt &
idoneus, cuius muris nondum impoſita eſt ſu-
prema manus. Multi enim adhuc deſiderantur
lapides, qui neceſſarij ſunt, vt opus perficiatur.
Nam illa angelorum qui beatis ſedibus excide-
runt, ruina eſt omnino reparanda: in quorum v-
tique locum homines, tanquam lapides viui, ſuf-
ficiendi ſunt: non aliter, quam fieri videmus,
cum lapides ad vrbem aliquam vel etiam turrim
ſublimem reficiendam ſubleuantur. Sed conſen-
taneum eſt, vt ad hanc tam præclaram & nobi-
lem ſtructuram nullus omnino lapis aſſumatur,
niſi prius elaboratus, & loco, cui deſtinatur, ad-
aptatus fuerit. Nec enim in illo cœleſti palatio
vllus eſt poliendi, quadrandi, aut etiam coaptan-
di locus. Hic ea prius in terris præſtanda ſunt o-
mnia: ne poſtea, cum lapidis ſubleuandi ſtatuen-
dique tempus aduenerit, eo quod nuſquam loci
quadrare poſſit, tanquam inutilis & reiectitius
ad profundas inferorum ſedes deturbetur. Mul-
tas autem & varias poliendi rationes adhibet cœ-
leſtis architectus, & lapides, quos muris ſuis ex-
truendis deſtinauit, aliis atque aliis modis ada-
ptat. Alios quidem, vtpote molliores, leuiori ma-
nu perficit: alios vero, quos forte duros & refra-
ctarios reperit, durius etiam tractare oportet.
De Achab iam dictum eſt: ſupereſt, vt & de Ma-
naſſe verba faciamus, qui Rex etiam fuit, & A- 4. Reg. 21.
chab veſtigia multis in rebus ſecutus eſt. Manaſ-
ſes idolum à ſe factum in ipſo Dei templo ſtatuit, 2. Paral. 33.
aras Baali erexit, & ariolatus eſt, & obſeruauit au-
guria, fecit pythones, & aruſpices multiplicauit:
quibus rebus Deum ſibi infenſiſſimum reddi-
dit: qui tamen eum per prophetas crrati com-
monefactum, vt alias vitæ rationes iniret, horta-
tus eſt. Sed ille animo elato & contumaci eorum
minas paruifecit, & inſtar hominis perditi in
profundo peccatorum conſtituti prophetas re-
cta monentes contemptui ac ludibrio habuit.
Tum Deus optimus maximus cum Manaſſem
nec beneficiis flecti, nec minis terreri, ſed nec ali-
qua ratione indulgentiori adduci poſſe videret,
vt caput ſubmitteret (quod vtique maxime cu-
piebat) aſperius cum eo agendum eſſe cenſuit.
Effecit, vt Babylonij, regis Aſſyriorum principes,
magnas copias inſtruerent, bellum inferrent, vi-
ctoria potirentur, & regem catenis ferreis com-
pedibuſque vinctum & Babylonem abductum
in carcerem conijcerent. Quibus in ærumnis
conſtitutus, ſcelera iam olim in Deum admiſſa
ad mentem reuocauit, impietatem ſuam in-
gratitudinemque & cum lachrymis agnouit
& humillime deprecatus eſt. Quam eius oratio-
nem benigniſſimus Dominus pro immenſa cle-
mentia ſua ſtatim audiuit. Atque in hunc qui-
dem modum Manaſſes, quamuis difficilem ſe
præbuerit, tandem tamen vera animi contritio-
ne lapis viuus & cœleſti ſtructuræ idoneus effe-
ctus eſt. Multo minori negocio elaborata erat &
aptata beata Magdalena: quæ nullis nec ſuppli-
ciis nec minitationibus, ſed ſolo Chriſti ſaluato-
ris amore ad contritionem ſuſcipiendam attra-
cta fuit. Quibus rebus clarum fit, quod Deus,
qui ſummus eſt architectus, lapides ſuos hîc in
terris poliendos non vna omnes ratione coaptet,
ſed pro varia ipſorum conditione variis modis
tractet perficiatque. Vellet quidem ille (quæ eſt
ipſius bonitas) omnes homines lapides viuos &
cœleſtibus ædificiis idoneos effici: vellet ille (vti 1. Timoth. 2.
eſt ab

eſt ab Apoſtolo dictum) omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Qua de cauſa propheta noſter, qui copioſo ac intimo charitatis igne tam vehementer ardebat (eſt enim ignis ſacrificiis rite peragẽdis neceſſarius) hoc acceptabile contriti cordis ſacrificium non ſibi ſolum ſed & aliis poſtulauit: nec ſuam vnius vtilitatem, ſed & proximi ſalutem & Dei gloriam ſibi propoſitam habuit. Quamobrem dicebat: Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.

Quicquid hactenus egit propheta, ad harum trium rerum alteram referebat. Vel enim ſuam ipſius animæ ſalutem, vel propriũ commodum, vel Dei laudem ſpectabat. Primum, in oratione, proximi cauſa Spiritum rectum; ſibi Spiritum ſanctum, ad illuſtrandam Dei gloriam Spiritum principalem petiit. Deinde Spiritu ſancto illuſtrari flagitauit eo fine, vt errantes rectam ſalutis viam doceret, quod officium proximis impenditur: vt à peccati & ſanguinum infectione liberaretur, quod ſui cauſa faciebat: vt diuinis laudibus celebrandis continenter inſiſteret, quod ad Deum refertur. Porro in eam curam ſedulo incumbebat, vt ſpiritus contribulati & cordis contriti ſacrificium ipſe Deo præſtaret: qua in re ſibi conſuluiſſe videtur. Idem & ab aliis præſtari optabat, quo ſcilicet muri Hieruſalẽ cęleſtis ędificarentur: quod in proximorũ vtilitatem cedit. Deniq; hæc omnia diuinis laudibus terminari oſtendit, cum Deum in hunc modum alloquitur. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitię, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Quod perinde eſt acſi dicat: poſteaquam cœleſtis illa triumphantis Eccleſię ciuitas fuerit conſummata & omnibus partibus abſoluta, futurum eſt, Domine, vt tui numinis laudes & præconia ab vniuerſis ciuium ordinibus magna vocum & animorum conſenſione celebrentur.

Quicquid olim ſacrificij in lege veteri offerebatur, hunc ſacrificij noſtri morem deſignabat. Sacrificium vero quod à nobis nunc in lege gratiæ fit, ipſam rei veritatem, quæ in æterna illa felicitatis & gloriæ lege futura eſt, refert. Fuerunt quidem Iudæis priſcæ legis cultoribus quædam oblationes & ſacrificia, quæ nunc prorſus antiquata nec amplius Deo grata ſunt.

Sunt & nobis in hac noua Euangelij lege quædam ſimiliter oblationes & ſacrificia, quæ ſuum etiam finem habitura ſunt. Nam in cœlo nullum nec ſpiritum contribulatum nec cor contritum
Apoc.21. futurum eſſe, diuus Ioannes in Apocalipſi ſua diſertis verbis aſſeuerat. Præterea in hac vita tam puri & defæcati ad ſacrificia præſtanda eſſe non poſſumus, quam par eſt, vt ſimus. Semper enim, quamdiu hic verſamur, aliquo peccati puluere
1.Ioan.1. aſpergimur. Sumus omnes peccatis obnoxij, & ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Sed enim illud tempus adueniet, quo in cœleſtem illam Hieroſolymam transferendi ſimus, tam firmi & immobiles diuina gratia efficiemur, vt nullum poſtea peccatum nec letale ſed nec veniale quidem ſimus admiſſuri. Quam ob cauſam propheta ſanctus Deum in hunc modum alloquitur. Tunc acceptabis ſactificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Tunc noſtra tibi ſacrificia longe gratiſſima erunt, vtpote ab omni peccati labe prorſus immunia. Tunc populus tibi dilectus ſacrificium offerent acceptabile, non quidem carneorũ aut etiam aureorum vitulorum, ſed gaudij & lętitiæ, & ſempiternæ laudis, & gratiarum actionis, quemadmodum Iſaias propheta futu- Iſai.51.
rum prædixit. Tunc demum immenſas gloriæ tuæ gratias agemus nullo vnquam nec fine nec intermiſſione abrumpendas. Ad quod præſtandum vt nos perducas, tuam clementiam imploramus, per merita Chriſti Ieſu filij tui ſaluatoris noſtri, qui omnium hominum peccatis obnoxiorum cauſa mortem in cruce ſubire dignatus eſt. Amen.

PSALMI CI. QVINTI pœnitentialis,

PARS PRIOR.

QVANDOQVIDEM Pſalmus iſte prolixior eſt, quàm vt vna concione commode explicari poſſit, alteram eius partem vobis hodie proponemus, alteram vero in diem dominicum declarandam prorogabimus. Hæc autem pars, quam impræſentiarum tractandam ſuſcepimus, in tria rerum capita diſtinguitur. Primo loco petitionem ſuam inſtituit propheta, & Deum ſubmiſſe rogat, vt exaudiatur. Deinde ſuam ipſius miſetiam proponit. Demum ſibi ad mentem reuocat, quidnam & quantum ſit, quod ab ipſo ad promerendam Dei gratiam & miſericordiam præſtari queat. De quibus quidem rebus ego iam (tanquam cæterorum omnium perſonam gerens) verba faciam. Veſtrum autem erit dicentem diligenter auſcultare, & quæ à me dicentur, alta mente recondere.

Pater cœleſtis, filius tuus vnigenitus Chriſtus Ieſus Dominus noſter, quem eo fine in hunc mundum deſtinaſti, vt nos miſeros & peccatis obnoxios viam veritatis inſtrueret, inter cætera, quæ nobis propoſuit, documenta, orationem ſingulis hominibus neceſſariam eſſe docuit, & pollicitus eſt, ſi quid magna animi contentione petamus, quod iuſtum ſit & nobis expediat, fore, vt voti compotes ſimus. Petite, inquit, & accipie- Matth.7.
tis: quærite & inuenientis: pulſate & aperietur Luc.11.
vobis. Hoc erat filij tui, benigniſſime Domine, Ioan.14.
promiſſum, quem fidem ſuam liberaturum eſſe certiſſimum nobis quidem omnibus eſt, qui eum

veracem imo veritatem ipſam eſſe cognoſcimus. Eſt præterea tibi lõge chariſſimus: quod ipſe, de eo ſermonem inſtituens, nobis his verbis teſtatum feciſti: *Matth 17.* Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Cui teſtimonio præceptum etiam mox ſubiunxiſti: Ipſum, inquis, audite. Docentem auſcultate, præcipienti obtemperate. Ergo pientiſſime Deus, creator optime, poſtquam filius tuus ſuam nobis fidem in hunc modum obſtrinxit, ad te certa ſpe fretus accedo, tuamque fidem & clementiam magna cum animi fiducia imploro. Cum enim filius tuus ſit, vnicus, chariſſimus, & cælitus in hunc mundum ea ipſa de cauſa miſſus, vt ea nos doceat, quæ nobis ſunt factu maxime conducibilia: cumque ille probe ſciat, quid ſit, quod nobis conueniat, quid vero facere non expediat: cum etiam poſſibile non ſit, vt is nos in fraudem inducat, aut aliquid dicat, quod certiſſima veritate non nitatur: quid tandem eſt, quod me deterreat, quo minus bonitatem tuam confidenter adeam, certiſſimum habens, fore, vt à te exaudiar, quicquid petiero, quod iuſtum ſit & mihi neceſſarium? Si fieri poſſet, vt filio tuo vel ob imprudentiam illuderetur, vel vt ille ex animo alieno cuiquam imponeret, poſſet fortaſſis hæc res nobis eſſe ſuſpecta. Sed in illo erat ſumma prudentia, ſumma prouidentia: erat ille altitudo ſapientiæ & ſcientiæ tuæ. Erat etiam ille noſtri ſemper ſtudioſiſſimus & ad docendum nos ipſam veritatis viam paratiſſimus. Porro & mortem noſtri cauſa ſubiit, quod maximum eſt animi propenſioris indicium. *Ioan. 15.* Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Volens ac lubens in crucem ſuffectus, ſumma cum ignominia mori voluit, vt peccata noſtra deleret: quę res nullum dubitandi locum relinquit, quin fuerit ſemper optime in nos affectus & ad ignoſcendum propenſus. Quamobrem illud nobis certum eſſe debet, (eo ſcilicet, quod ab eo ſic edocti ſumus) ſi tuæ benignitati ſupplices ſimus, futurum eſſe, vt rem poſtulatam referamus. Sed fortaſſis peccata, quæ ſunt à nobis admiſſa, obſtabunt, efficientque, vt lætum clementiæ tuæ vultum auertas. Certum quidem eſt, benigniſſime Domine, nos legum tuarum ſanctiones ſæpe & atrociter violaſſe. Sed & illud non minus certum eſt, dilectum tibi filium non ſolum iuſtos, ſed & peccatores docuiſſe, vt orarent. Ad quos enim ſpectant hæc verba: *Matth. 6.* Dimitte nobis debita noſtra, niſi ad peccatores? Et bonos igitur & malos orare docuit. Tibi quidem integrum eſt iure tuo vti, rem omnem pro arbitratu tuo definire licet, ſeu peccatores ob eorum flagitia in te commiſſa ſuppliciis afficere ac penitus auerſari, ſeu magis pro reuerentia filij tui eorum precibus aurem benignam præbere velis: quod ille te facturum pollicitus eſt. Tua parum refert (nec enim ad te vlla commiſſi muneris ratione ſpectat) quid de nobis fiat, præmiis an ſuppliciis addicamur. Tu nos, cum nihil eſſemus, in rerum naturam produxiſti: eoque liberum eſt tibi de rebus à te creatis pro animi tui voluntate ſtatuere. Interim tamen eſt ea filij tui pollicitatio ſerio penſanda. Ea enim res & tuum & ipſius honorem fidemque ſpectat, quæ violari nullo modo poſſunt, vt non in maximum etiam eorum, qui te diligunt, dedecus & vituperium cedat. Quibus rerum & rationum momentis audacior effectus, & magna petitionis conſequendæ fiducia fretus, tuæ clementiæ ſupplex fio, illud à te vehementer contendens, vt quæ à me dicentur, pio cum animi affectu auſcultes. Domine, exaudi orationem meam. Poteris quidem preces meas alicuius Angeli miniſterio porrectas audire, ſi ita tibi viſum fuerit. Quod ſi feceris, magni etiam beneficij loco habebo. Sed maius quiddam eſt, quod à te poſtulo. Nam hominis in dolore aliquo vel morbo conſtituti viua vox audientem magis afficit, quàm ſi res ab alio quopiam referatur. Habet enim (vti eſt à diuo Hieronymo Eccleſiæ tuæ doctore dictum) neſcio quid latentis energiæ viua vox, & de ipſo authoris ore in aures aliorum transfuſa, fortius ſonat. Quod & Æſchinis exemplo confirmat: qui, cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, ſuſpirans ait. Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam ſua verba reſonantem? Quibus verbis illud ſignificare voluit, propriam cuiuſque vocem maiorem vim & efficaciam habere ad permouendos hominum animos, quàm ſi eadem plane verba ab alio recitentur. Quæ res ſubiecto exemplo etiam clarior euadit. Cum ad nos verba fiunt de pauperibus & mendicis, qui in vrbibus & oppidis celebrioribus iacent in plateis ac viarum compitis, fame, frigore, & vlceribus conflictati; audimus quidem, & intimo quodam humanitatis ſenſu afficimur. Sed ſi miſerabiles eorum voces & clamores ipſi audire vellemus, non eſt dubium, quin maiorem in nobis commiſerationis affectum excitarent, & ad miſericordiam calamitoſis hominibus impendendã fortius impellerent. Nemo eſt enim, qui hominis infirmi vel vlceroſi dolorem tam efficaciter exprimere queat, quàm ipſe ſuum. Iam vero, ſi clamores & eiulatus eorum hominum, qui corporum doloribus & ærumnis diſcruciantur, tantam vim habent ad permouendos mortalium animos: mihi dubium non eſt, quin tu, benigniſſime pater, qui totus es miſericors, ad clementiam præſtandam omnino ſis impellendus, ſi miſerabilis clamor meus ac poſtulatio ad aures tuas perueniant. Quamobrem bonitatem tuam enixis precibus imploro, vt orationem meam exaudias, & clamor meus ad te veniat. Sed præter hæc ſupereſt adhuc vnum, quod te oratum cupio, vt ſcilicet laborantem & ad te miſerum in modum eiulantem, gratiæ tuæ ac miſericordiæ oculis reſpicere digneris. Quod ſi præſtiteris, maiorem etiam facies mihi conſequendæ petitionis fiduciam. Nam ſi tu & miſeriam meam agnoſcere,

& cla-

& clamores ad te ſublatos clementer auſcultare, & calamitoſum, in quo verſur, ſtatum benignis oculis conſiderare volueris, nibil ambigo, imo certum habeu te miſericordiam rebus ipſis præſtiturum. Quis enim tam inhumanus & durus eſſe poteſt, vt, cum ærumnoſum aliquem viderit, voces miſerabiles audierit, & ſaniem vlceribus deflueotem conſpexerit, hominem præterire, nec aliquod ei miſericordiæ officium impendere velit. *Luc.10.* Refert Chriſtus Ieſus filius tuus ſaluator noſter virum quendam Hieroſolymis Ierichonta profectum in latrones incidiſſe, qui eum rebus umnibus exutum, & multis vulueribus affectum, ſemiuiuum reliquerunt: Samaritanum autem quendam ſecus hominem iter facientem, commiſeratione ductum, acceſſiſſe, & vulnera alligaſſe. Eſt quidem hæc noſtra omnium condicio. *Galat.4.* Nam anima ouſtra, quæ cælitus originem trahit, ab ea, quæ ſurſum eſt, Hieruſolyma in hoc terrenum corpus variis rerum mutatiunibus obnoxium (quod Ierichontis nomine deſignatur) deſcendens, in latrones impuros nimirum dæmones iocidit: qui eam ſpecioſis diuinæ gratiæ veſtimentis ſpoliatam, multisque ac variis peccaturum vulneribus ſauciam, ſemiuiuam reliquerunt. Vita etenim gratiæ ſublata, ſolam naturæ vitam nobis reliquam fcceruot. Quibus in anguſtiis conſtituti, tuam, Domine, clementiam deprecamur, vt nobis Samaritanus eſſe, iacentes reſpicere, aceedere, pietatis officium exercere & curam agere digneris. Hoc illud eſt, quod à te, benigne Samaritane, poſtulamus ſinguli: Ne auertas faciem tuam à me. Sed & poſt hoc miſericordiæ tuę beneficium mihi ſemel impenſum, vehemeuter timeo, ne rurſus iu eorum manus incidam, tuæque gratiæ donis denuo per incuriam meam expolier, eoque fiat, vt multo deteriori loco ſim, quàm iam antea fueram. *Matth.12.* Cum enim ſpiritus immundus exierit ab homine (vti ſumus ab vnigenito filio tuo edocti) nunquam deſiſtit, ſed ambulat per loca arida, eorum nimirum hominum corda perambulat, qui huius vitæ voluptatum humiditate deſtituti, aruerunt. Cumque requiem uon inueniat, continno reuertitur in domum ſuam, vnde exiuit. Et vt inſtructior accedat, aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi, & finnt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Eodem plane modo nobiſcum agitur, pie Domine. Si quando latrones iſtos lunge nequiſſimos gratiæ tuæ munere à nobis abigi contingat, mux redeunt, maiores & copias inſtruunt & animos ſumunt, & animnlas rurſum, accepta iam clade labeſactatas, iuoctis viribus aggrediuntnr. O miſeros. Niſi tu, Domine, laborantibus opem tuleris, quid agere debeamus, plane iocertum eſt. Quomodu enim hoſtium multitudini & numeru iam & viribus auctiori reſiſtendo eſſe poſſimus? Qui ſi victores euaſeriut, multo deploratior erit cauſa noſtra, quàm iam antea fuerat. Nam primum nobis de priſtino robore multum decedet: quo fiet, vt ad ſuſtinendum eorum impetum minus validi efficiamur. Deinde multo etiam maiur futura eſt vulnerum, id eſt, peccatorum recrudeſcentium atrocitas. Demnm & diuina bonitas tua, quam rurſus per ſummam ingratitudinem nobis infenſam reddidimus, diuturoiori temporis ſpacio aliena reddetur, noſqne fortaſſis tam vehementer anerſabitur, vt, cnm maxime opus fuerit auxilio, clamantes nuo exandiat. Quam ob cauſam ego, cæterorum omuium perſonam gereus, orationem ſic ioſtituo: In quacunque die tribulor, ioclina ad me aurem tuam. Quocuoque tempore me ab his latronibus infeſtari & ſalutem in diſcrimen vocari contigerit, te iterum atque iterum oro, vt aurem benignam mihi præbeas, gratiæque tuæ donum tribuas, quo vim & perniciem intentantibus obſiſtam. Sed nec ſie quidem ſecurus ſum, optime Deus, imo vero mihi ſummopere formido. Nam & de muliere quadam Chauanæa perhibet ſacra Euangelij biſtoria, qnod relicta patria magnum iter cunſecerit, vt filium tuum ſaluatorem noſtrum, afflictam filiæ valetudiuem commendatura, aceederet: quem his verbis allocuta eſt: Miſerere mei, Domine fili Dauid, filia mea male à dæmooio vexatur. *Matth.15.* Primum hoc loco ingentes labores ab hac fœmina ſuſceptos conſidero, dum huc tantum iter faceret. Deinde magnam animi conſtantiam perpendo, eo quud ipſos etiam patriæ fines tranſgreſſa fuerit. Porro, aduentus cauſam mihi ub oculos pono, omni profectu commiſeratione dignam. Aceeſſit enim pia mater, vt filiæ laburanti upem imploraret. Præterea, ipſam filiæ cauſam plane deplorandam aduerto, quæ ab impuro dæmone miſerum in modum diuexabatur. Ad hæc mulieris fidem ſuſpicio, quæ illum & Dominum & Dauidis filium agnouit. Denique maternum fletum & einlatiunem conſidero: quæ Chriſtum Ieſum filium tuum ſubſecuta, importunis vociferationibus perſtrepuit, nec vllnm clamandi finem fecit: cui tamen ille ne verbum quidem reſpondit. O mulier, quibus in anguſtiis tunc verſabaris, quid animi habebas, cum Dominum illum, quem omnium hominum longe optimum mitiſſimumque iã antea publica fama acceperas, te auerſantẽ vidiſti? Certe mirum nõ eſt, ſi, cum iſtud videret, illa & fletum ſuſceperit & vuces ad eũ more muliebri ingeminarit: adeo vt ipſi etiam diſcipuli, partim commiſeratiooe ducti, partim impurtunis eius clamoribus victi, Chriſto Domino filio tuo ſupplices fuerint, piamq; matris cauſam ſeriis verbis cõmendauerint. At ille diſcipulis mulieris cauſam promouentibus, ſe nõ niſi ad oues, quæ perierũt, domus Iſrael cęlitus in hunc mundum miſſum eſſe reſpondit. O mulier, cum triſte illud reſponſum retuleras, cum nec te nec filiam tuam ex eorum homiuũ numero eſſe, quibus ille ſalutem impertiturus erat, acceperas: quid eſt, quod oon ſtatim abſceſſeris, imo vero quid eſt,

quod non etiam vita præ doloris magnitudine exceſſeris? Sed quamuis ſaluator nec ſupplicanti reſpondere, nec clamantem reſpicere, ſed nec diſcipulis intercedentibus miſericordiam impendere voluerit: illa tamen non deſtitit, ſed ad pedes eius prouoluta, bis verbis orauit: Domine, adiuua me. Attamen benignus Dominus filius tuus, cuins beneficentia in omnes homines tam mirabilis iam extiterat, quem etiam ipſum pietatis & clementiæ fontem eſſe certiſſimum habemus, non aliter quam ſi omnem prorſus bumanitatem exuiſſet, durioribus eam verbis vel potius conuitiis excepit. Non eſt bonum, inquit, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. O pie Domine, tu noſti omnia, tu noſti, quid cuique conueniat, tu noſti conſentaneum eſſe, vt cum infirmo aliquo & imbecilli mitius agatur, quàm cum eo, qui viribus eſt præſtantior. Voluit quidem filius tuus de hac robuſta & fideli muliere periculum facere noſtri cauſa, vt nos, illius patientiam & fidem nobis proponentes, animum non deſpondeamus, ſi ſtatim, vt vocauerimus, non exaudiamur. Demum, cum eius conſtantiam tot rebus ſpectatam reddidiſſet, & illa ſe cane nihilo meliorem agnoſcens, indignam quidem fateretur, quæ filiorum panem ſumeret, ſubmiſſe tamen oraret, vt ad micas de menſa dominorum cadentes vnà cum catellis admitteretur: ille continuo patefactis miſericordiæ ſuæ ianuis, eius petitioni acquieuit & ait: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis. Sed longè alia eſt mea conditio. Equidem, benigniſſime Deus, infirmus ſum & timidus: eoque tuam bonitatem obſecro, vt poſtulationem meam non protrahas, ſpem diu ſuſpenſam eſſe non patiaris, nec facias, vt rem vehementer expetitam diuturno temporis ſpacio expectem, quod huic Chananææ feciſti; ſed orantem cito auſcultes. In quacunque die inuocanero te, velociter exaudi me. Hactenus de petitione noſtra verba fecimus. Nunc miſeriam noſtram proponemus, qua diuina bonitas ad miſericordiam nobis præſtandam petitionemque noſtram concedendam incitetur. Vita hominis, quæ hîc agitur, temporanea eſt, finem breui habitura. Nulla vnquam datur vacatio, nullum ocium, nulla intermiſſio:
Iob 14. ſed ſemper ad finem properat. Nunquam in eodem ſtatu permanet, nunquam quieſcit, nec quidem ad vnum horæ momentum. Siue enim manducamus, ſiue bibimus, ſiue vigilamus, ſiue dormimus, ſiue ridemus, ſiue lugemus, vita noſtra continenter ad finem contendit.

Vbi nunc ſunt reges & principes, qui iam olim vniuerſum terrarum orbem imperio ſuo ſubiugarunt, quorum gloria & triumphi tantopere celebrata fuerunt? Vbi nunc ſunt numeroſæ illæ Xerxis & Cæſaris copiæ? vbi inſignes Alexandri & Pompeij victoriæ? vbi immenſæ Crœſi & Craſſi diuitiæ? Quid vero de illis dicemus, qui aliquando regiam & ſupremam magiſtratus dignitatem in hac noſtra republica obtinuerunt? Vbi nunc ſunt illi, quos noſtra etiam ætate tantis opibus, tantoque cæterarum rerum omnium ſplendore præditos vidimus, vt multi propterea perſuaſum habuerint, eos ex hac vita nunquam exceſſuros, eorumque memoriam nulla vnquam temporis diuturnitate delendam eſſe? Voluptatibus ad ſatietatem vſque diffluebant: delitiarum & in victu & in reliquo cultu nihil deerat. ferarum & volucrum venationibus animi cauſa vacabant: aderant equi forma & viribus eximij, omne genus accipitres, canes plurimi, alij curſu, alij odorandi ſagacitate præſtantes, palatia magnifice extructa, arces munitæ, oppida penè innumera, ingens auri & argenti copia, frequens famulorum & ſatellitum caterua, ſplendida ſupellex, inſignis non ſolum corporum, ſed & parietum ornatus. Penes ipſos erat leges tum ſanciendi tum etiam adminiſtrandi poteſtas. Quibus bene volebant, ad ſummas in republica dignitates euebere, quibus infenſi erant, deboneſtare ac deprimere valebant. Proditores & perduellos morte afficiebant. Omnes in eorum ſententiam pedibus ire, omnes placitis acquieſcere, omnes imperio obtemperare, omnes res ab eis bene geſtas deprædicare conabantur. Sed vbi nunc ſunt? An non inſtar fumi euanuerunt? de quibus alio in loco ſic habetur: Mox vt bonorifica- *Pſal. 36.*
ti fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Diuus Iacobus vitæ huius va- *Iacob. 5.*
nitatem vapori comparat, quam etiam tanquam *Iacob. 1.*
fœni florem ſoli expoſitum exareſcere perhibet. Eò igitur quod vita noſtra ad finem properat, & niſi tu, benigne Domine, mature nos exaudias, periculum eſt, ne mors prius occupet, quàm auxilium feratur: idcirco te ſupplices oramus, vt, habita vitæ breuioris ratione, ſimulatque ad te clamorem inſtituerimus, ſtatim aurem præbeas. Recte enim ab vnoquoque noſtrûm dici poteſt, quod hîc ſubiungitur: Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. Poterunt fortaſſis illi, qui viribus & nobilitate præcellunt, tantam aliquando in cauſis ſuis promouendis & tam indefeſſam induſtriam adhibere, vt ij, quibuſcum eis eſt negocium, continuis ipſorum vocibus & importunitate victi, citius expedire cogantur. Quod ab iis hominibus quotidie fieri videmus, qui ob magna negocia regiam vel aliorum principum aulam ſectantur. Quorum quanto maior eſt in cauſis ſollicitandis diligentia, tanto citius voti compotes fiunt. Qui vero remiſſiores exiſtunt, nec illis, quibus cauſam procurandam crediderunt, ſemper præſto ſunt, optatum negocij finem tardius aſſequuntur. In Euangelio diui Lucæ ha- *Lucæ 18.*
betur, extitiſſe iam olim iudicem quendam, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur: ad eum vero acceſſiſſe viduam quandam, & illud ab eo contendiſſe, vt iniuriam ab aduerſario ſibi irrogatam vlciſceretur. Quod ille diu facere recuſauit, nec adduci voluit, vt mulieri ius diceret. Tandem, cum viduam obfirmato animo eſ-

ſe, nec

ſe, uec vllum compellandi finem facere velle cerneret, rem lu hunc modum tacitis ſecum cogitationibus verſare cœpit: Etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor; tamen, quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, & ſententiam pro ea feram. Aduertite, chariſſimi, cum rem aliquam magnam & neceſſariam molimini, quanti ſit momenti ſtrenuam & inuictam operam nauare.

Labor improbus omnia vincit.

Atque hac quidem ratione, pie Domine, nos prouocare voluiſti, vt bonitatem tuam precibus importuuis ſollicitemus; cumque natura benignus ſis, noſtra tamen importunitate fieri vis benignior. Sed ego hæc præſtare non valeo, eò quod animæ viribus deſtitutus ſum, & deuotionis dulcedinem mihi plane ademptam ſentio: quo fit, vt ſimulatque orare cœpero, ſtatim tædio afficiar. Nam potiores animæ virtutes, intellectus, voluntas, & ratio, quæ eam inſtar neruorum & oſſium ſuffulcire debebant, ita penitus exaruerunt, vt nulla ſuperſit deuotionis humiditas. Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Sunt quidem cum in modum exiccata & plane arida effecta, vt ipſa ſeui ad ignem deſpumati defæcatique reiectamenta referre videantur. De illa vero deuotionis pinguedine & humiditate, in alio quodam loco ſic ſcriptum recordor: Sicut adipe & pinguedine replcatur anima mea. *Pſal.62.* Illud à te, benigne Deus, enixe flagito, vt & anima interna charitatis adipe, & corpus externa piorum operum pinguedine imbuatur. Sed (me miſerum) illa prauæ concupiſcentiæ flamma omnem hanc adipem & orationis dulcedinem penitus abſumpſit, effecitque, vt anima omni deuotionis humectatione deſtituta, ſterilis & arida remaneat. Quemadmodum enim herba vel ſeges, quæ nunc vireſcit, niſi ſubinde rore aut pluuia humectetur, ſolis ardore percuſſa paulatim inſtar fœni marceſcit: ita & anima mea vario noxiarum cupiditatum æſtu arefacta, omnem pietatis dulcedinem prorſus amiſit: adeo vt non ſolum firmiores animæ partes, intellectus & ratio, aridæ ſint effectæ & obtuſæ, ſed & ipſe totus viribus vndequaque exhauſtis plane elangueam. Percuſſus ſum vt fœnum. Imo vero multo deterior eſt mea, quàm herbæ quantumuis exuſtæ, conditio. Nam herba viridis, vtcunque ſolis ardore torrefacta emarcuerit, quamdiu tamen radix in terram altius demiſſa ſalua eſt & incolumis, habet, vnde humorem per radicem attractum in ſingulas ſui partes deriuare, eaque ratione vires ac vitã reparare queat. Quod frequens rei vſus docet. Cum enim gramen aliquando ſic exaruerit, vt mutato etiam colore omnino periiſſe videatur, ipſaque adeo terra, in qua naſcitur, intenſum ſolis ardorem fiſſuris & hiatibus teſtetur: ſimul tamen atq; imbrem acceperit, quo radix denuo irrigetur, vnius noctis ſpacio fieri videmus, vt priſtinum & virorem & ſpeciem reſumat. Sed nihil excogitari poteſt, vnde anima aliquam humectationem, aliquem liquorem, aliquam deuotionis dulcedinem haurire queat. Et ſi quidem alicunde ſperari poſſit, omnino à corde proficiſci oportet: quemadmodum eſt à ſaluatore noſtro dictum: Bonus homo, inquit, de bono theſauro cordis ſui profert bonum. *Matth.12.* Certe à corde expectanda eſt hæc bona deuotionis pluuia, qua tota anima irrigari, reſtaurari, & ad orandum excitari debeat. Quid igitur mihi faciendum eſt, pie Domine? Eſt enim cor meum eiuſcemodi humore plane vacuum: ac propterea non ſolum anima ſæua cupiditatum vredine tacta emarcuit, ſed ipſum etiam aruit cor meum. Nec certe mirum. Nam qui fieri poteſt, vt herba aliqua, omni prorſus humore deſtituta, virorem tueatur? An non magis expectandum eſt, vt ſtatim areſcat & pereat? Similiter & quæ vitam agunt, niſi continenter alimento aliquo reficiantur, neceſſe eſt, vt ſucco vitali paulatim exhauſto tabeſcant ac demum intereant. Eodem plane modo ſuum anima cibum habet, quo ali & reſtaurari debeat: quem ſi ſumere renuerit, arida ſtatim & deuotionis expers efficitur. Animæ vero cibus verbum Dei eſt: de quo ſic ſcriptum habetur: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Matth.4.* Nam homo duplici ſubſtantia, corpore nimirũ & anima conſtat: & quemadmodum hoc pane corporali, ſic illa ſpirituali paſcitur. Cibus autem iſte ſpiritualis animam ſucculentam, pio deuotionis liquore plenam, fortem, & ad ſubeunda perferendaque aduerſa animoſam reddit. At vero, quiſquis hunc panem non comedit, eius anima macilenta redditur & ſtrigoſa, ac tandem prorſus exiccata perit. Eò igitur, quod hoc ſalutare verbi tui alimentum, Domine, ad reficiendas animæ vires ſumere neglexi, percuſſus ſum vt fœnum. Sed & cor ipſum, vnde dulcem illum deuotionis fructũ naſci oportebat, penitus exaruit: Quia oblitus ſum comedere panem meum. Hunc autem ſpiritualem panem comedere non eſt verbum Dei ſolum audire. Multi enim verbum diuinum auribus excipiunt, qui tamen illud non comedunt, ad animarum reſtaurationem vegetationemque non ſumunt. Quemadmodum enim multi panem communem ore quidem ſumunt, ſed nec dentibus conficiunt nec in ventriculum demittunt, (hi autem vere comedere non æſtimantur:) ita multi ſunt, qui hunc verbi diuini panem à ſacro concionatorum ore accipiunt, ſed non manducant, non deglutiunt, vitam nimirum ex eorum præſcripto non inſtituunt. Nam iſtud diſciplinæ cæleſtis alimentum ipſorum palato non arridet. Sed contrà plurimi ſunt, qui dæmonis impuri panem auide vorant, illius verba vitiorum obſcœnitatem ſpirantia libenter auſcultant, & affectum praua peccandi conſuetudine teſtatum faciunt. Quicquid eorum mentibus ſuggerit, quod ad illicitam & infauſtam corporis voluptatem ſpectet, illud protinus arripiunt & ſummo ſtudio ſectantur. Sed hic animæ non cibus eſt, ſed venenum: non iuuat, non alit, imo vero æternam animæ peſtem perniciemque affert: efficitque, vt praua carnis libido

& cupi-

& cupiditas imperio potiatur, ratio vero ſubdita perperam iubenti obtemperet: cum contra verbi diuini panis rationi principatum tribuat, carnem ſubiiciat, cogatque, vt inſtar ancillę famulatum præſtet. Verbum Dei vniuerſorum animæ bonorum cauſa exiſtit: eamque humectat & producendis bonorum operum fructibus vegetam & pinguem reddit. Verbum dæmonis animam exiceat, & ad bene agendum ſegnem ac torpidam efficit. Verbum Dei aduerſus ſæuum libidinis æſtum munimen eſt: verbum dæmonis ardorem illum vehementius accēdit. Verbum Dei animam corroborat: verbum dæmonis eam eneruat & imbellem facit. Verbum Dei illud efficit, vt caro ſpiritui obediat: verbum dæmonis contrà, vt ſpiritus carni obſequatur. Hoc illud eſt, optime Deus, quod me triſtitia & dolore afficit. Eo enim, quòd dæmonis maligni verbis & illecebris aurem magis præbui quàm tibi, idcirco animæ meæ virtus, ipſa ſcilicet ratio, quæ eam inſtar columnæ ſuffulcire debebat, inclinata eſt & carni morem geſſit. Quæ res magnum mihi timorem incuſſit. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Iam vero chariſſimi, vt, quæ à nobis in has ſecunda partitione fuſius dicta ſunt, preſſius complectamur, rerum ſumma hæc eſt: Vita noſtra breuis & momentanea & boni fructus expers, vt fœnum areſcit. Nos tam infirmi ac debiles ſumus, vt ipſæ etiam robuſtiores animæ partes, intellectus & ratio, viribus deſtitutæ prorſus elangueant. Anima variis cupiditatum ardoribus exuſta plane marceſcit. Cor aridum eſt & ſterile, deuotionis cæterarumque virtutum omnium inane. Horum autem malorum cauſam eam eſſe agnoſcimus, quod immundi dęmonis quàm Dei verbum auſcultare, & ex eius imperio mores & vitam formare maluerimus. In his igitur malis & miſeriis conſtituti, quanto maiori calamitatum mole deprimimur, tanto magis expedire imo neceſſarium eſſe intelligimus, vt Deus optimus maximus ſuam nobis opem & auxilium mature ferat.

Supereſt iam orationis noſtræ pars tertia, in qua ipſos pœnitentiæ actus vobis proponam.

Tres autem ſunt pœnitentiæ partes, quas propheta totidem auium, Pellicani nimirum, Nycticoracis, & paſſeris ſimilitudine typoque obſcure deſignauit. Primo igitur loco, quodnam ſit harum volucrum ingenium, quib. moribus præditæ ſint, paucis explicandum eſt. Pellicanus locum ſolitarium, in quo nihil fere naſcitur, naturaliter appetit & colit. Nycticorax in parietinis libenter verſatur. Paſſer ædium tecta frequentat, & in eis quietem capit. Locus quidem deſertus & ſterilis nihil prorſus habet, quod ad ædificium conſtruendum pertineat, niſi ſolum rude & incultum. In muris vero ceu vetuſtate collapſis ceu nondum conſummatis aliquid eſt, quod ad ſtructuram perficiendam conducat. Sed tecto ſemel addito domus ſupremam manum accepit.

Contritionem igitur, quæ prima pœnitentiæ pars eſt, pellicanus: confeſſionem, quæ ſecundum locum obtinet, nycticorax: ſatisfactionem, quæ pœnitentiam abſoluit, paſſer ſignificat. Pellicanus (vti diuus Hieronymus in epiſtola ad Præſidium diaconum declarat) hunc morem habere dicitur: Cum pullos ſuos à ſerpente quodam interfectos deprehendit, dolere, lugere, ac latera ferire ſolet, eo quidem fine, vt pulli extincti ſanguinis profuſione ad vitam redeant. Certe qui veram de peccatis contritionem ſuſcipiunt, hac in re pellicanum referunt. Cum enim conſcientiæ ſuæ nidum conſiderant, liberosque ſuos (quæ pia ſunt opera) letali ſerpentis morſu enecatos reperiunt, ſtatim in luctu & ſqualore verſantur, plangunt, & pectora doloris roſtro feriunt, vt peccati ſanies effluat. Certum enim eſt, ſimulatque peccatum aliquod mortale admiſſum fuerit, perire omnia, quæcunque à nobis iam antea recte geſta fuerunt, nec vllum ſortiri effectum. Diuus Hieronymus in ſolitudine vitam agens hanc diſciplinæ ſeueritatem exercuit: timenſque, ne parum aſpera eſſet, adhibito etiam ſilice pectus percutiebat. Et publicanus ille, qui mox vt templum ſubiit, ex conſiderata peccatorum atrocitate pectus tundebat, quid aliud voluit, quàm vt animæ purulentum peccati ſanguinem eximeret? Peccator vero, cum ad hanc normam ſeſe compoſuerit, cum de ſceleribus in Deum perpetratis certam ac perpetuam dolēdi voluntatem habet, cumque ex intimo doloris ſenſu & acerbitate pectus eo quidem ferit, vt ſanguinis infecti virus euacuet: cuncta eius pia opera, quæ peccati veneno extincta perierant, vitam recipiunt, & ipſe mortis æternæ vinculis & carcere ereptus, in nouam lucem nouamque vitam aſſeritur. Ita vt cum propheta dicere iam poſſit: Similis factus ſum pellicano ſolitudinis. Nycticorax (quemadmodum eſt itidem à D. Hieronymo memoriæ proditum) interdiu ad obſcuriorem aliquem antiqui vel muri vel domicilij locum ſeſe recipit, & hominum conſpectum ſtudioſe declinat. Sed poſt ſolis occaſum, tenebris iam increbreſcentibus, deſerto quietis diurnæ latibulo, cum clamore quodam lugubri & miſerabili foras prodit, nec vllum eiulandi finem facit, donec dies rurſus illuceſcat. Hanc autem volucrem referre videntur illi, qui peccata ſua ſacerdoti per confeſſionem aperiunt: quibus iam olim Baptiſmi ſacramento initiatis & à peccato originali mūdatis oriebatur ſol iuſtitiæ, qui eorum animas gratiæ ſuæ lumine tam diu quidem illuſtrauit, quàm illi peccati letalis immunes extiterunt. In hoc enim integritatis ſtatu conſtitutos nullus eos conſciæ mentis ſtimulus exagitabat, ſed rebus omnibus certa pace firmatis, tanquam in arce probe munita ſecuri degebant. At vero, ſimulatque ſcelus aliquod mortiferum eſt admiſſum, ſol ille iuſtitiæ ſtatim occidens, non amplius ſuum cis lumen præbet, eſtque eorum conſcientia peccati tenebris obducta. Quamobrem

confeſſione dolenter inſtituta, & peccatis omni-
bus, quæcumque yllo vnquam tempore ab eis
commiſſa fuerunt, rite expoſitis, ſeſe ſacerdoti ſi-
ſtunt, & reos agnoſcunt: eaque ratione fit (ex i-
pſa ſacramenti pœnitentiæ vi & efficacia) vt ſol
eorum mentibus rurſum oriatur. Quiſquis vero
hæc præſtiterit, illud prophetæ, quod ſubſequi-
tur, recte dicere poterit: Et factus ſum ſicut ny-
cticorax in domicilio. Ex dolore de peccatis ſu-
ſcepto, & ex confeſſione pœnitentiaque rite per-
acta illud demum aſſecutus ſum, vt nullas pror-
ſus conſcientiæ mordicantis moleſtias ſentiam,
eoque certa pace & ſecuritate fruar, non aliter,
quam ſolet nycticorax, cum locum in domicilio
latebræ opportunum nacta eſt.

Sed poſteaquam in hunc modum dolorem de
peccatis ſuſceperimus & contritionem, eaque ſa-
cerdoti per confeſſionem aperuerimus, opus eſt
præterea, vt hoſtis maligni laqueos vigilanti ſtu-
dio curaque deuitemus, omnes animi neruos in
eam rem continenter intendentes, ne aliis atque
aliis inſidiarum machinationibus irretitos abre-
ptoſque in ſuam denuo poteſtatem redigat. Qua
de re diuus Apoſtolus Petrus nos his verbis mo-
1.Pet.5. net: Vigilate, inquit, quia aduerſarius veſter dia-
bolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quē
deuoret. Quod ſi à nobis præſtitum fuerit, pote-
rimus & nos dicere, quod à propheta noſtro alio
Pſal.123. quodam in loco dictum eſt: Anima noſtra ſicut
paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Quamuis
enim corpora noſtra multis hic moleſtiis ac do-
loribus afficiantur, anima tamen his rebus om-
nibus immunis euadit, inſtar paſſeris, qui aucu-
pum vitæ inſidiantium tendiculas effugit. Paſſer
enim, ſi quando laqueos humi ſtructos ſuſpica-
tur, continuo domicilij tectum petit. Et ſi fame
aliquando vrgente deſcendere cogatur, ſibi ta-
men metuens, eō ſe ſtatim recipit. Ibi refugij lo-
cus eſt & ſecuritatis, quicquid imminet periculi:
ibi roſtrum mundat aptatque: ibi plumas diſpo-
nit: ibi pullos ædit & fouet: ibi denique poſt la-
bores ſuſceptos ſuo more ociatur & voluptatem
capit. Ad hunc modum qui ſatisfactionem de
peccatis meditantur & inſtituunt, diaboli laque-
os & decipulas (quorum plenus eſt mundus) cau-
tè vitare, ad cœlum, (quod vniuerſo mundo te-
ctum eſt) confugere, res cœleſtes non corporis
Phil.3. voluptates in bonis habere debent. Noſtra e-
nim conuerſatio in cœlis eſſe debet. Et ſi deſcen-
dere quandoque contingat, vt rem aliquam pro-
curemus corpori neceſſariam: illud nobis curæ
ſit, vt mature redeamus, ne fortè moram in ter-
ra trahentes voluptatum nos viſcus occupet &
inuoluat. In quocunque rerum diſcrimine verſe-
mur, ad cœlum confugiamus, & noſtram in re-
bus diuinis fœlicitatem ſtatuamus: cuius loci
contemplatio & amor efficiet, vt nos ab omni
vitiorum inquinamento mundare ſatagamus.
Nec enim in illud æternitatis regnum intrare
poterit quicquam peccati labe temeratum. Dan-
da etiam nobis eſt opera, vt pennæ (quæ ſunt vi-
tæ noſtræ actiones) ſuo quæque modo ſericeque
ſic inſtruantur, vt ad eum felicitatis locum vo-
latu contendamus. Porro ibi nidus eſt, vbi no-
ſtri piorum operum pulli ædendi ſunt & occul-
tandi: quemadmodum eſt à ſaluatore noſtro di-
ctum: Theſaurizate, inquit, vobis theſauros in Matth.6.
cœlo. Denique ibi requies nobis in hac vita la-
borantibus certa cum fiducia captanda eſt, nec
vllo vnquam tempore à laudibus diuinis deſiſten
dum eſt. Sic enim à propheta dicitur. Et laus eius Pſal.33.
ſemper in ore meo. Quiſquis vero ad hanc nor-
mam vitæ ſuæ rationes omnes exegerit, is procul
dubio (vti iam diximus) de peccatis rite ſatisfaci-
et, & merito cum propheta dicere poterit: Vigi-
laui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.
Vigilantem curam adhibui, vt ſæculi ac volupta-
tum laqueos effugerem, & propoſito mihi paſſe-
ris exemplo, ſi quando ingruebat periculum, me
ſtatim ad cœleſtis ædificij tectum contuli, rebuſ-
que diuinis animū addixi, vnde opem auxilium-
que ſperabam.

Verumenimuero qui hoc pœnitentiæ inſti-
tutum ſuſceperint, illis expectandum eſt, vt plu-
rimorum etiam hominum inuidiam offenſio-
nemque ſubeant: eo quod nulla mundi pars ſit,
quæ ſuos non habeat obtrectatores. Nemo enim
vnquam mortalium extitit, cuius vita tam incul-
pata, virtutes tam ſpectatæ, actiones tam præcla-
rè ac prudenter inſtitutæ fuerint, vt hominum
maledicorum linguas effugere potuerit, quibus
tanta mores alienos inſectandi libido eſt, vt ne-
mini parcendum eſſe exiſtiment. Semper qui
vitijs addicti ſunt, viris probis & integris infenſi
ſunt infeſtique. Semper in inſidiis verſantur:
ſemper liuore ſe conficientes piis hominum ve-
rè pœnitentium ſtudiis aduerſantur: maxime ve-
ro eorum, qui aliquod diſciplinæ aſperioris in-
ſtitutum amplexi ſunt. In quibus ſi forte quem-
piam, quem aliquando improbitatis ſuæ conſci-
um & conſortem habuerint, mutata ſententia vi-
tam melius inſtituentem conſpiciant, quid mi-
rum, ſi multas criminationes affingant, quibus
hominem proſcindere, & quod ab eo ſuſceptum
eſt emendatioris vitę conſilium eleuare modis o-
mnibus contendant? Qui ſæculi vita & volupta-
tibus afficiuntur, eorum quidem hominum mo-
res magnificis verbis deprædicare ſolent, qui ea-
dem cum illis ſtudia ſectantur: quos vero contra
ex pio contritionis & pœnitentię propoſito cun-
ctis vitæ huius oblectamentis nuncium remiſiſſe
cōpertum habent, eos ſtatim odio inteſtino pro-
ſequuntur. Quæ res multorū hominū mentes ab
agenda pœnitētia auertit: qui vanis eorū ſermo-
nibus territi rem facere verentur, vnde maximos
in futuro certiſſimoſq; fructus expectare debe-
bant: magiſq; hominum iniquorum voces, quàm
diuini numinis offenſionem ac ſupplicia formi-
dant: cum tamen ab ipſo veritatis magiſtro edo-
cti ſimus, ob quoduis opprobrium ipſius cauſa
patienter hîc toleratum, ampliſſima nobis in cæ-
lo repoſita eſſe præmia. Beati eſtis, inquit, cum
maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fue
rint, & dixerint omne malū aduerſum vos, men-
tientes

tientes propter me: gandete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Nos igitur, chariſſimi, primum pœnitentiæ operibus diligenter inſiſtamus, deinde & hominnm maledicorum conuicia criminationeſque æquo animo feramus. Quæ cum à nobis præſtita fuerint, Deũ opt. max. operum noſtrorum ſpectatorem ac remuneratorem in hũc modum alloqni poſſumus: Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Nec inimici ſoli hæc faciunt, ſed & quos aliquando amicos habuimus, qui tunc temporis, quæ à nobis gerebantur, eximüs etiam laudib. ornare ſtudebant. Solet mnndus eos homines laudare ac beneuolentia complecti, qui vana ipſius gaudia ſectantur ſuamque in eis felicitatem repoſitam habent, qui comeſſari, potare, ridere, choreas ducere, cantare, currere, ſaltare, aliiſq; id genus rebus operam dare in ſingulos dies & horas ſunt parati. Solet etiam muudus eos in precio habere, qui faſtum maiorem & arrogantiam præferunt, qui congerrones ſunt & verboſi, qui ſeſe vario corporis geſtu oſtentant ſuperciliumque attollunt, qui alinm atqne alium veſtimentorum cultum in ſingula penè momenta excogitant & adbibẽt, qui noua rerum inuenta ſemper affectant. Nihil iam de heluonibus illis loqnor, quorum omnis cura in eo verſatur, vt corpus probè ſaginetur; nihil de illis, qni crapulis, ebrietati, obſcœnæ libidini indulgent; nihil de illis, quibus etiam diſſimulare, fallere, peierare ludierum habetur. Atq; his quidem moribus prẹditos mnndus in delicis babere ſolet. At vero qni modeſtiam, fidem, temperantiam, æquitatem, ac veritatem colunt, exoſi ſunt mundo & iis omnibus, qui mundi voluptates ſectautur. Qui innctis viribus & animis in eã rem incumbunt vniuerſi, vt probum quemq; ac vitam rectè inſtituentem deprimant. Quam perditorum hominum conſpirationem Sapiens ſuſcepta corũ perſona his verbis expreſſit: Circumueniamus, inquit, iuſtum, quia contrarins eſt operibus noſtris. *Sap. 2.* Quiſquis igitur eas vitæ rationes & voluptates, quas mundus probat, reſpuere con temptuique habere, & recta pœnitentiæ itinera ſuſcipere ſtatuerit, is procul dnbio virnlentis obtrectatorum linguis ſæpiſſime patebit, multaque excogitabuntur criminationum genera, quibus pium eins propoſitum cõuellatur: fortaſſis etiam ab eis, qnos iam olim ſtrennos laudum ſuarum præcones habuerat. Id quod prophetæ ſancto contigiſſe videtur; eoq; ſubiungit: Et qni laudabant me, aduerſum me iurabant. Qui mibi ſumma neceſſitudine coniuncti erant, & de me præclara omnia referebant, quamdin eorum flagitia conſectabar, ipſi magna animorum conſenſione inſidias mihi ſtruxerunt, (eo quidem conſilio, vt me à colendæ pietatis ſentẽtia deducerent:) quia cinerem tanquam panem manducabam. Peccata cum contritione & pœnitudine ſæpius ad mentem renocabam. Quis enim cinerem tanquam panem manducare dicẽdus eſt, niſi is, qnem peccatorum verè pœnitet? Nam cum peccatum aliquod nullo vnquam tempore ſibi excidere patitur, ſed animo rei patratæ couſcio verſat continenter & ruminat, rectè dici poteſt, quod illud quodammodo mandncet. Quo ſenſu ſaluator noſter, cuius omnes animi cogitationes eò ſpectabant, vt patris imperium ſuſciperet & exequeretnr, perpetuam illam ac memorem paternę voluntatis perficiendæ curam cibum ſuum appellauit. Habeo, inquit, alium cibum manducare, quem vos noſcitis. *Ioan. 4.* Has autem peccatorum reliquias variaſque ſordinm contractarum ſpecies, quarum memoriam pœnitens quotidie tam diligenter refricat, etiam cineres non abſurde dixeris. Quemadmodum enim lignis vel arboribus igne abſumptis, quæ reſtat ſubſtantia cineres vocantur: ita poſt varios cupiditatum æſtus (ſi modo à nobis peccata conſumentur) quod ſupereſt in anima, qnonam aptiori quàm cineris nomine vocari poterit? Poſt perpetrata ſuperbiæ, inuidiæ, luxus, impudicitiæ crimina, quid aliud eſſe cenſebimus illas, quæ manent, vitiorum reliquias, quàm quoſdam (vt ita dicamus) ſuperbiæ, liuoris, luxuriæ cineres: qnos verè pœnitens, cùm frequenter recordatur & apud animum ſuum ſeriò conſiderat, tanquam panem comedere videtur. Nec in hac ſugi peccatorum recordatione potus illi aliquãdo deeſſe poterit. Quiſquis enim ſcelera ſua omnia cum vera animi contritione ad mẽtem reuocat, via fieri poteſt, vt is ſibi à lachrymis temperet: quæ in alio quodam ſacræ ſcripturæ loco potus nomine veniunt, vbi ſic habetur; Et potum dabis nobis in lachrymis in menſura. *Pſal. 79.* Atque hic quidem potus multum condncit & ad minnendos cupiditatum ardores, & ad ſedandos extinguendoſque obſcœnæ libidinis æſtus: eoq; pœnitenti eſt perneceſſarius. Sæpe enim vſuuenire ſolet, dum veteres ſcelerum noſtrorum cineres verſamns, vt ſcintilla aliqna à nobis ſuſcitata rurſus accendatur, ipſa nimirum peccati recordatio aliqualem voluptatis ſenſum menti adferat: quem vtique oblectamenti calorem hoc, de quo verba facimus, lachrymarum potu extingui oportet. Quod cum à pœnitentia præſtitum fuerit, cum propheta dicere poſſit: Quia cinerem tanquam panem manducabam; & potum meum cum fletu miſcebã. Peccata mea per pœnitentiã veram abſumpſi: & mundum ideo contempſi, vt in poſterum cœleſte regnum adipiſcar. Inter cętera, dno præcipue ſunt, quibus homo peccatis implicatus adduci debeat, (& quidem meritò) vt hunc pœnitentiæ panem & lachrymarum potum adhibeat. Alterum eſt diuini numinis offenſio, alterum ruinę magnitudo, cui propter peccatum ſubditur. Quis eſt mortalium, qui non doleat & perhorreſcat, cum tremendam Dei maieſtatem conſiderat, & perpendit, quanto ille peccatum odio proſequatur, quàm toruis peccatorem oculis aſpiciat, quanto cum terrore iuſtitiæ ſuæ gladium vibret, cnius & ictus ęternam mortem affert, & vulnus nullam curationem admittit. Nec eſt quicquam in rerum natura, quod ſæuum illum interitus æterni ictum venientem cohibere aut etiam mitigare poſſit, niſi ſola pœnitentia cum

intimo

intimo dolore ac profuſis lachrymis peracta. D. Auguſtinus ſuæ ad Deum conuerſionis cauſam extitiſſe affirmat, ſeriam quãdam cogitationem de hac ſuppliciorum æternitate ſuſceptam. D. quoq; Hieronymus ſeſe hac ipſa tormentorum inferni formidine addactum fuiſſe teſtatur, vt corpus in ſolitudine ieiuniis, vigiliis, fletibus, & reliqua vitæ auſterioris diſciplina coerceret. Deniq; quiſquis rite pœnitet, is profecto quãtopere ſibi ab vltione diuina pertimeſcendum ſit non ignorat, eaq; de cauſa luget, lachrymas profundit, & Deum cum propheta pœnitentiam agente in hunc modum alloquitur. Cinerem tãquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam à facie iræ indignationis tuæ. Alterum vero, quod hominem peccatis obnoxium ad pœnitentiam ſuſcipiendam impellere debeat, magna eſt ruina, cui propter peccatũ ſubiicitur. Quanto enim quis per peccatum altius cadit, tanto bonitatem diuinam ſibi reddit infenſiorem, tantoque atrociori plectendus eſt ſupplicio. Huius autem ruinæ magnitudo ex illius, qui cadit, ſtatu, conditione, vel eruditione metienda eſt. Quanto enim altiorẽ quis dignitatis locum obtinet, tanto cadentis deterior eſt cauſa, tantoq; maiori, cum delinquit, ſe crimine obſtringit. Quamobrem vos hortor, chariſſimi, vt ſuæ quiſque ruinæ magnitudinem recte conſideretis. Nec quiſquam ſibi blandiatur dicatq;: Equidem non ſum ſacris initiatus: nullam arctioris vitæ diſciplinã ſuſcepi: nullo me religionis voto obligaui. Sumus omnes Chriſtiani: Illud igitur cogitemus, quis ſit noſter locus, quis ſtatus, quæ cõditio. Illud ſerio perpendamus, Chriſtianum eſſe quantæ ſit dignitatis. Qui Chriſtianorum omnium minimus, infimus, abiectiſſimus eſt, is ſummo & æterno Deo affinis eſt, is Dei optimi max. filius eſt, is regni cœleſtis hæres eſt, is Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri frater eſt & cohæres, immenſo ſanguinis ipſius longe precioſiſſimi precio redemptus. Is eiuſdem ſanguinis vi & efficacia in ſacro baptiſmate ſemel, poſt baptiſmum ſemel atq; iterum & ſæpius per pœnitentiæ ſacramentum lotus eſt & mundatus. Is deniq; Chriſti Ieſu vnici Dei filij corporis & ſanguinis alimento paſtus ac potatus eſt. Quod ſi quis noſtrũm ſeſe ab hoc tantæ dignitatis loco per peccatum deturbauerit, certum eſt eum in profundam inferni voraginem & altius demergendum & acrioribus ſuppliciis afficiendum eſſe, quam Saracenum quempiam aut Iudæum. Qua de re Arſenius monachus vitæ ſanctimonia illuſtris: Nemo, inquit, culpam in Deum conferat, ſi huiuſmodi cruciatibus addicatur. Cum enim architectus lapidem prægrandem ad ſummum alicuius ſtructuræ magnificentioris faſtigium ſubleuare modis omnibus contendit, laudatur quidẽ hominis voluntas, eo quod omnem conatum adhibeat, vt lapidem in loco tam eminenti & conſpicuo ſtatuat, quo nullis viribus ſuis aſcendere poterat: & ſi forte artificis manibus elapſus corruat, id non eius voluntati ſed lapidis magnitudini ponderiq; tribuitur. Eodem plane modo non eſt quod Deum incuſemus, ſi, cum ille nihil non præſtet, quo nos ad ſublimem gratiæ locum ſubuehat, nos interim peruerſæ voluntatis noſtræ mole depreſſi manibus ipſius excidamus. Ipſi profecto in culpa ſumus, nõ Deus, eoque magis deploranda eſt ruina noſtra, cum ille ſuam nobis ſubleuandis operam libenter impendat, noſtra tamen ipſorum incuria & voluntatis prauitate decidamus. Quæ res prophetam impulit, vt diceret: Quis eleuans alliſiſti me: quod perinde eſt ac ſi ab eo dicatur. Tu quidem, pie Deus, ſategiſti, vt me ab infimo peccati loco ſubleuatum ad ſummum illum diuinæ tuæ gratiæ ſtatum ac dignitatem eueheres: ſed mea ipſius culpa prauaque animi propenſione (qui vitiis ſic addictus eſt, vt ab eis diuelli non velit) effectum eſt, vt me peccatorum ſarcina prægrauatũ manibus tuis elabi permiſeris. Atq; hic quidem finem habet tertia concionis noſtræ partitio. Nunc ſupereſt, vt quæ à nobis fuſius explicata ſunt, breuiter perſtringamus. Omnipotens Deus, illa ſuppliciorum tuorum æternitas atrocitaſq; me peccatorem miſerum & infælicem adeo terruit, vt ipſa flagitiorum meorum recordatio, (quæ mihi tanti metus & periculi cauſam dederunt) panis loco ſit, & lachrymarum profluuiũ potus vicem ſuppleat. Effectumque eſt, vt contritione pellicanum, confeſſione nyctycoracem, ſatisfactione paſſerem referre videar. vnde auſam arripiunt, & inimici, vt calumniis ac maledictis inceſſant, & qui iam olim amici videbantur, vt in me conſpirẽt. Quæ quidem omnia, benigne Domine, æquo animo fero, ea ratione futurum ſperans, vt tuam mihi gratiam & miſericordiam conciliem. Quocirca bonitatem tuam ſubmiſſe imploro, vt me velociter exaudire & miſericordiam impendere digneris. Nihil eſt, quod mentem hominis exulceratam magis emollire & ad iniuriam remittendam miſericordiamque præſtandam fortius impellere ſoleat, quam ſi eum, à quo ſe læſum dolet, caput ſubmittentem, ad pedes abiecte prouolutum, culpam humiliter & agnoſcentem & deprecantem conſpiciat. Et quanto quis generoſioris eſt animi, tanto ſupplicem promptius exaudit, & veniam petentem facilius in gratiam recipit: id quod etiam in animalibus ratione carentibus obſeruatur. Eſt enim à viris eruditione præſtantibus memoriæ proditum, leonem eo eſſe ingenio, vt, cum maximus eſt pugnandi ardor, ſi hoſtis ita ſuccumbat, vt ſe victum agnoſcere veniamq; precari quodammodo videatur, non amplius in eum ſæuiat, ſed, quaſi iniuriæ ſibi irrogatæ plane oblitus, illæſum & intactum relinquat. Quam rem poeta quidam hoc luculento carmine expreſſit.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni:
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.

At cæteris feris omnibus, quarum tanto eſt vilior & abiectior conditio, vt leonis imperio ſubdi videantur, ea eſt inſita ſæuitia & vindictæ

ſumendæ rabies, vt ab innata feritate immanitateq; nulla eas ſubmiſſio deducere queat. De quo mox ab eodem poeta ſubiungitur.

At lupus & triſtes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Illud demum maximum eſt ac certiſſimum viri magno & excelſo animo præditi indicium, quiq; ſuis viribus fretus nullum non periculum intrepide & conſtanter adeat, ſi ſupplici facile ignoſcit, nec vllam in eum, qui ſe victum agnoſcit, ſæuitiam exercet. Cum igitur Deus opt. max. ſumma ſit nobilitate, ſumma quoque potentia conſtantiaq; præditus, nec vllus in eum cadere poſſit metus, (nihil enim eſt in vniuerſa rerum natura à quo ſibi timere debeat) fieri certe non poteſt, quin ſit etiam longe optimus benigniſſimuſq;, & ſuam nobis miſericordiam omni virium auxilio deſtitutis ſit promptiſſime impenſurus, ſi modo ad pedes eius ſupplicum more proſtrati, reos nos ſtatuamus, &, quæ ſunt à nobis in eum commiſſa, humiliter deprecemur. Quamobrẽ, chariſſimi, pium ac miſericordem Dominum capite ſubmiſſo accedamus, ipſum quidem ſemper vnum eundemque immobilem, immutabilem, omnipotentem, & æternum, nos vero fragiles, infirmos, variis rerum caſibus obnoxios, & hac vita breui exceſſuros agnoſcentes: eoq; cum propheta ſancto ſic eum alloquamur ſinguli: Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui: tu autem Domine in æternũ permanes. An igitur illud in tui nominis gloriam, ac non magis (quod pace tua dixerim) in aliquod honoris tui detrimentum ceſſurum eſſe cenſendum eſt, ſi tu, cum ſis omnipotens & immortalis, in homines nunc viribus plane deſtitutos mox etiam vita deſtituendos vires tuas exeras ac vindictam ſumas? Nam nos quidem ſimulatque vita exceſſerimus, ſtatim obliuione ſumus obruendi, nec vlla poſtea futura eſt noſtri memoria. Sed miſericordiæ tuæ, quam nobis præſtiteris, memoriale, nulla vnquam temporis diuturnitate delendum erit. Quod ſi nos miſeros ad te per pœnitentiam conuerſos, pro throno gratiæ tuæ conſtitutos, tuæq; maieſtatis pedes cum intimo cordis dolore ac lachrymis cõplectentes non admiſeris, quis impoſterum ſcelerum ſuorum veniam petere audebit? futurum eſt plane, vt cæteri mortales, hoc ſeueritatis exemplo deterriti, eo quod te adire ac peccata deprecari vereantur, animum deſpondeant. At vero, ſi precibus noſtris aurem benignam facilem præbueris, fiet proculdubio, vt quiuis peccator & tuæ dulcedinis abundantiam ſibi continenter ob oculos ponat, & diuinæ potentiæ immenſitatem perpetuis laudibus celebret, quam vtique omnipotentiam tuam (vt nos ſancta tua docet eccleſia) parcendo maxime & miſerando manifeſtas. Nec tamen dico, quin ſit in eos ſeuerius animaduertendum, qui refractarij ſunt & contumaces vitiiſq; ſuis ſic addicti, vt nulla ratione ab eis diuelli & ad te redire velint, ſed magis flagitia flagitiis in dies ſingulos cumulent, & à te volentes recedant. Quibus Hieremias propheta his verbis comminatur: Nõ flectetur, nec parcet, nec miſerebitur. Quibus verbis illud dicere *Ierem. 13.*
voluit, huiuſmodi flagitioſis hominibus nihil aliud expectandũ eſſe, quã vt iuſtitiam tuã experiantur. Eſt enim æquitati conſentaneum, vt qui tam diu ſceleribus perpetrandis immorari, nec vnquam, vt ab eis recederent, adduci voluerint, æternis inferni cruciatibus addicantur. Sed de illis, benigniſſime Deus, verba facio, quos vitæ in vitiis peractæ vere pœnitet, qui ſe tuæ diuinæ maieſtati reos ſtatuunt, quique ex animo ad te conuertuntur. Tu, qui diſſimulas peccata *Sap. 11.*
hominum propter pœnitentiam, & miſereris omnium, quia potens es (quod eſt à Sapiente dictum) facere certe nõ potes, quin eos ad te clamorem inſtituentes clemẽter exaudias. Quamobrem tibi, pater miſericordiarum, ſupplices ſumus, illud à te ſubmiſſa precatione contendentes, vt nos ſeruos & deprecatores clementer in gratiam recipias. Quod ſi præſtiteris, efficies quidem, vt tui nominis gloria apud omnes omnium hominum ordines illuſtretur, & vt de tanta tamque inſigni benignitate nobis impenſa celebretur memoriale tuum in generatione & generationem. Amen.

PARS ALTERA.

Poſterior hæc Pſalmi pars, quam nunc declarandam ſuſcipimus, chariſſimi, eſt illa priori obſcurior & intellectu difficilior, ea maxime de cauſa, quod quædam complectatur quæ maiores mentibus imperitis tenebras offundant. Qui enim in ſacris literis parum verſati ſunt, nõ facile aſſequũtur, quid ſibi velint Sion & Hieruſalem & alia quædam, quæ ex antiquis prophetarum oraculis ſunt deprompta. Quamobrem adhibenda eſt cura, vobis quidem, vt dicentem maiori cum attentione auſcultetis, mihi vero, vt, quæ ſuæ ſunt proponenda, accuratius ediſſeram, quo, diſcuſſa rerum dubiarum caligine, ſententia prophetæ verbis ſubiecta clarior euadat. Tria ſunt loca celebriora (quorum frequens in ſacra ſcriptura fit mentio) quæ tria hominum in diuerſo rerum & temporum ſtatu degentium genera ſignificant. Primus locus mons Sinai vocatur, qui Iudæos ex lege Moſaica vitã inſtituentes deſignat. Secũdus mons Sion appellatur, eoſque refert, qui in lege gratiæ Chriſtiano nomine cenſentur & ritu viuunt. Tertius eſt ſublimis illa & cœleſtis Hieruſalem, quæ beatum illum æternitatis ſtatum cœtumque ſignificat. Primum igitur in monte Sinai fuit lex Moſaica Iudæis magno cum terrore promulgata. Nam nudiuſtertius quam lex *Exod. 19.*
ederetur, indicta fuit omnibus expiatio: vt ſcilicet veſtes ablueren & ſeſe ab omni prorſus fœminarum complexu prohiberent: quo ſanctificationis ritu præmuniti tertio poſt die mõtem Sinai accederent, rei diuinitus gerendæ exitum præſtolaturi. Deinde cautum fuit, pœna

etiam capitali propoſita, ne quis montem conſcenderet aut fines præſtitutos tranſgredi auderet: huius vero ſanctionis violatorem, ſiue hominem ſiue iumentum, vel lapidibus obruendum vel iaculis confodiendum eſſe denunciatum erat. Demum, cum tertio iam die populus vniuerſus cum maxima rei expectatione adeſſet, ecce cœperũt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem. Sed & clangor buccinæ vehementius perſtrepebat, qui paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur. Et Dominus deſcendit, & in ipſo montis vertice conſtitit in igne: vnde effectum eſt, vt fumus vndiquaque ex eo quaſi de fornace aſcenderet. Eratq; mons in hunc modum & aditu & conſpectu terribilis, tum ob nubis denſitatem caliginemq; ac ignem inde promicantem, tum ob fulgura & fumum ingentem monti circumfuſum, tum etiam ob tonitrua & vehementem illum tubæ clangorem. *Exod. 20.* Quibus rebus mirum in modum perculſi fuerunt Iudæi: adeo vt Moyſen conſuluerint, quid ipſis facto opus eſſe cenſeret: ſimul & illud ab eo contenderint, vt ipſe populum alloqueretur, non Deus. Tantus enim terror eorum mentes inuaſerat, vt omnino ſibi præ timore pereundum eſſe exiſtimauerint. Porro & Moyſen tam ingens pauor occupauit, vt ipſe, teſte Apoſtolo, dixerit: *Heb. 12.* Exterritus ſum & tremebundus. Quodſi Moyſes, quem Deus tam familiariter adhibuerat, cuius etiam manu & opera tot tantaq; prodigia ædiderat in Ægypto, ſic territus fuit, vt ipſe inuſitatam quandam & animo formidinem ſenſiſſe & corpore tremorem pertuliſſe ſe fateatur: quid mirum, ſi reliqua multitudo Panico quodam timore correpta & plane conſternata fuerit? Hac autem ratione Deus legem illam Hebræis in monte Sinai datam promulgari voluit, vt illi tanti terroris ſuis iam olim mentibus incuſſi memores, maiorem curam adhibendam, eaſq; legum ſanctiones nullo vnquam tempore violandas eſſe exiſtimarent. Quod Moyſes ipſe eorum legislator his verbis teſtatum facit. Vt probaret vos, inquit, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.

Sed optimus ac benigniſſimus Deus noſter potiora gratioraq; habet, quæ à nobis prompte & cum amore ſuſcipiuntur, quam quæ vis & metus quaſi ab inuitis extorquet: eſtque ille ad miſericordiam præſtandam quam ad vindictam de nobis ſumendam multo propenſior. Beneficentia enim illius naturæ conſentanea eſt: vlciſci *Iſai. 28.* vero (vt eſt ab Iſaia dictum) peregrinum opus eſt ab eo: quod non ab eius voluntate, ſed à prauitate noſtra & diuinæ legis violatione cauſam habet. Adeo vt, cum ſeueritas neceſſario in aliquem exercenda eſt, non illud ſua ſponte ſed *Iſai. 1.* dolenter faciat. Quod ipſe per prophetam alio quodam in loco teſtatur. Heu, inquit, conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor in eis. Quas ob cauſas nouam quandam legem non quidem timoris ſed amoris ſancire & in mõte Sion promulgare voluit. In quem locum conuenerant Apoſtoli & diſcipuli, (quemadmodum refert D. Lucas:) & erant omnes perſeuerantes in oratione & obſecratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu & fratribus eius: *Act. 1.* vt his pietatis officiis digni efficerentur, qui legem diuinitus publicandam acciperent. Et ſanctus quidem Spiritus in eos ſic coactos deſcendit, linguarum ignearũ ſpeciẽ præferens, & ſedit ſupra ſingulos eorum, & ipſi continuo variis linguis loqui & diuinas laudes inceſſanter deprædicare cœperunt. Et quæ ab eorũ vnoquoq; dicebantur, ab omnib. qui aderant, probe intellecta fuerunt. (Confluxerat autem magna hominum multitudo ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.) Quæ res omnes in ſummam rei admirationem adduxit: maxime vero, quod eos & tam intrepide verba facientes & tam indeſinenter vociferantes conſpicerent. Adeo vt nouo rerum ſpectaculo obſtupefacti, alij quidem in has voces eruperint: quidnam vult hoc eſſe: alij vero contemptui ludibrioq; habentes muſto plenos eſſe affirmauerint. Sed rei euentus, quæ ab ipſis fiebant, non eſſe muſto tribuenda, apertiſſime declarauit. Petrus enim vnus ex eis, qui Chriſti diſciplinam colebant, de loco ſurgens, totius rei geſtæ rationem reddidit, eamque rebus neceſſariis ex ſacra ſcriptura depromptis ſic addixit corroborauitque, vt tria plus minus hominum millia eo die ad fidem conuerterit. Præterea Chriſtus Ieſus Dominus ac redemptor noſter in monte Sion pro noſtra omnium ſalute immolatus eſt: illic ſacras ad plebẽ conciones habere, illic ad pietatem colendam adhortari voluit. Illic vitæ recte inſtituendæ præcepta ſæpius dedit & exẽpla: illic, vt fidẽ dictis aſtrueret, multa etiam ædidit miracula. Quibus rebus fit, vt locus ille celebris admodum habeatur, & quemadmodũ mons Sinai Iudæorum ſynagogam, ita mons Sion Chriſtianorũ eccleſiam ſignificet. Mons Sinai timoris & ſeruitutis, mons Sion amoris & libertatis legem dedit. Vtraq; lex quinquageſimo die poſt agni Paſchalis comeſtionem promulgata fuit. Erat quidẽ ille prior typicus, iſte vero poſterior verus eſt agnus Chriſtus Ieſus, qui tollit peccata mundi. *Ioh. 1.* Tertius locus (vt iam diximus) illa eſt Hieruſalem cœleſtis in montibus altiſſimis magnifice extructa: quæ quidem ciuitas hominibus iuſte ac pie vitam inſtituentibus tanquam certum virtutum in hoc ſeculi tranſitu ſuſceptarum præmium promittitur: quemadmodum Hieruſalem iſta terreſtris (quietis vtique & pacis locus) iis hominibus promittebatur, qui rubri maris & deſerti tranſitũ, procellas & labores forti ac patienti animo pertulerunt. Nam ex Apoſtoli ſententia, *1. Timoth. 5. Matth. 10. Luc. 10.* dignus eſt operarius mercede ſua. Quamobrem nobis hîc ſyncere laborandũ eſt, chariſſimi: vt poſt ſuſceptos ſuperatoſq; vitæ huius momentaneæ labores, æternis in patria cœleſti præmiis potiamur: vbi ſempiterna vacatione perfruemur, vbi quies erit omnis prorſus laboris expers, vbi pax futura eſt nulla vnquam temporis diuturnitate terminanda. Hieruſalẽ enim idem ſonat, quod pacis viſio.

Pacem ergo in illo cœleſti palatio nullis perturbationibus obnoxiam poſſeſſuri ſumus: Pacem nobiſcum, pacem cum proximis, pacem cũ Deo. Deum enim videbimus; non ea ſpecie, quæ Iudæis in monte Sinai conſtitutis viſa fuit, terroremq; intuentiũ mentibus incuſſit; nec quemadmodum in monte Sion Chriſtianis conſpectus fuit, quorum oculis linguarum ignitarum formas obiecit; ſed eũ videbimus, ſicuti eſt, clare & diſtincte videbimus intuebimurq; nõ vlla rei alienius creaturæ ſpecie interpoſita, ſed facie ad faciem videbimus: & ipſe erit lex noſtra. Et quidem lex antiqua quam Moyſes in monte Sinai acceptam Hebræis tradidit, tabulis lapideis in- 2. Corinth. 3. ſculpta; noua vero, quam Chriſtus liberator noſter ſui nominis cultoribus dedit, in tabulis cordis carnalibus ſcripta fuit: ſed illa, quæ nobis in æternam illam cœleſtis Hieroſolymæ gloriam receptis danda eſt, in ipſa diuini numinis mente ſcribetur. Horum autem trium locorum meminit diuus Paulus in ſua ad Hebræos Heb. 12. epiſtola. Non acceſſiſtis, inquit, ad tractabilem montem, & acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum: quam qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum: non enim portabant, quod dicebatur: Et, ſi beſtia tetigerit mon- Exod. 19. tem, lapidabitur. En primum Sinai montem, in quo lex Moſaica tanto cum terrore promulgata fuit, vt eſt à nobis iam dictum. Deinde ſubiũgit: Sed acceſſiſtis ad montem Sion: montem vtique ſecundum, in quo nouam euangelij legem accepimus. Ac demum addit: Et ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem. Ecce tertium montem, quo licet adhuc peruentum non ſit, iam dudum tamen appropinquauimus. Et ſi vitam ac mores ex præſcripto legis nobis à Chriſto ſaluatore noſtro traditæ componamus, non eſt quod de aditu dubitemus. Certum eſt enim Hieroſolymam illam cœleſtem ex hominibus Chriſtianam pietatem hîc colentibus reſtaurandam eſſe perficiendamque: quemadmodum eſt à nobis ſub finem pſalmi quinti iam antea declaratum. Quo etiam ſpectare videntur verba prophetæ, quæ mox ſubiiciuntur, cum Deum in hunc modum alloquitur: Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hieruſalem. Ex iis igitur, quæ hactenus à me dicta ſunt, chariſſimi, tria loca perſpicitis, quæ totidem hominum genera locis ac temporibus diſtincta deſignant. Sinai Iudæos, Sion Chriſtianos, Hieruſalem cœleſtium gaudiorum participes & conſortes futuros ſignificat. Tempore quidem Iudæorum, quod iam elapſum eſt, ingens diuinæ ſeueritatis & ſuppliciorum metus erat. Tempore vero Chriſtianorum, quod nunc eſt, propter immenſos diuinæ gratiæ miſericordiæque theſauros magna veniæ impetrandæ ſpes eſt. Sed tempore remunerationis, quod nunc futurum expectatur, præmiorum ſecuritas erat, ingentibus & nunquam deſituris gaudiis confirmanda. Quamobrem ad Deum optimum maximum confugiamus, chariſſimi, eiuſque opem ſubmiſſis precibus imploremus, vt rebus à me de triplici hoc locorum ſtatu propoſitis inſtructi, quod reliquum eſt huius pſalmi facilius aſſequamur. Omnis vero oratio, quanto fuerit in charitate altius fundata, tanto illi futura eſt gratior, cuius mandata omnia nihil aliud quam charitatem ſpirant. In priori quidem huius pſalmi parte vnuſquiſque pro ſemetipſo orationem inſtituit. Hæc autem poſterior pars nos docebit, vt etiam pro proximis & vniuerſa prorſus Chriſtianæ plebis eccleſia preces ad Deum fundamus. Ipſe vero nouit (quem profecto nihil latere poteſt) quantopere nobis ſit neceſſaria precatio. Quam fortaſſe neceſſitatem ſaluator noſter nobis quaſi ob oculos ponere voluit, cum in naui conſtitutus dormitabat. Refert enim in euangelio ſuo D. Marcus Mar. 4. ortam in mari magnam venti procellam, nauimque, in qua ſomnum capiebat, tantum non fluctibus obrutam fuiſſe.

Quod ſi nos, chariſſimi, ſerio perpendere voluerimus, quot quantaq; vitiorum mala hodie tum in plebe tum etiam in clero vigeant ac dominẽtur, & quam multi ſint in eccleſia Dei, qui, cum Chriſtiani dicantur, à probatis tamen maiorum noſtrorum moribus & vitæ inſtituto plane deſciuerint: fortaſſe timebimus, ne Chriſtus Ieſus ſaluator noſter non ſolum dormitaſſe, ſed & altum ſomnum, idque iamdiu, cepiſſe videatur. Nulla nunc recti ordinis in rebus, nulla integritatis ratio habetur. Videri certe poſſit, Deum graui quodam quaſi ſopore detineri, qui tanta tamq; atrocia flagitia tam diu toleret. Nos igitur, fratres, diſcipulorum Chriſti exemplum nobis imitandum proponamus, qui eum in naui dormientem ſtrepitu & vociferationibus in hunc modum excitarunt. Magiſter, inquiunt, non ad te pertinet, quod perimus? Similiter & nos Deum opt. max. precibus clamoribuſq; importunis exſuſcitemus, & diuinam eius opem rebus afflictis imploremus. Saluator enim, qui tam immenſo nos precio liberauit, inficias profecto nõ ibit, quin ad eum ſpectet, ne pereamus, & ne ſuæ nauis eccleſiæ ſæuiſſimis irruẽtiũ procellarum fluctibus vſq; iactetur. Is eorum preces, qui nondum fuſi ſanguinis precio redempti erant, clementer exaudiuit. Ipſorum enim petitionibus acquieſcens ſurrexit, comminatuſque eſt ventis & mari: quæ ſuſcepto ſtatim conditoris imperio ſæuire deſierunt, & magna ſubſecuta eſt tranquillitas. Quocirca & nos pio redemptori ſupplices ſimus: quem certum eſt non eſſe procul à nobis; cuius hæc ſunt verba. Ecce ego Matth. 28. vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi. Cum magna ergo petitionis impetrandæ fiducia precationem ad eũ in hunc modum inſtituamus. Tu exurgẽs, Domine, miſereberis Sion. Quod perinde eſt, ac ſi à nobis dicatur. Tu quidem benigne Deus, ita te geris, vt obliuiſci, ac diſſimulare, nunc etiã & obdormire videaris. Sed certo ſperamus, fore, vt, ſimulatque fueris experrectus, de miſericordia eccleſiæ

cleſiæ tuæ Catholicæ præſtanda voluntatem ſu-
ſcipias. Vide, Domine, & conſidera, quibus ca-
lamitatum procellis hæc eccleſiæ tuæ militan-
tis nauicula agitetur. Chriſtianæ religionis cul-
tui multum profecto deceſſit: cultorum nume-
rus plurimum imminutus eſt, quiq; iam olim in
vniuerſum pene terrarum orbem diffundeba-
mur, in maximas nunc locorum anguſtias reda-
cti ſumus. Hoſtes Aſiam & Aphricam, duas illas
longe ſpacioſiſſimas orbis partes nobis ereptas
poſſident. Magnam quoque huius, quam inco-
limus, Europæ partem occuparunt: ita vt ea-
rum regionum, quarum poſſeſſio penes nos o-
lim erat, vix ſeſtantem nobis reliquum fecerint:
cui etiam in dies ſingulos inſidiantur. Quam-
obrem, niſi tu periclitantibus opem tuleris, de
nomine Chriſtiano prorſus actũ eſt. Certũ qui-
dem eſt nos maiorem ſuppliciorum acerbitatẽ
Geneſ.19. meruiſſe, quam vllam vnquam Sodomã & Go-
morrham: quæ cum vrbes eſſent celebres, ob fla-
gitia ſua, (iuſtitia tua pœnas ab eis ſeuerius exi-
gente) fuerunt omnino deletæ. Sed illud à te,
mitiſſime Deus, vehementer contendimus, vt,
quam illis miſericordiam Abrahamo depreca-
tore libenter impenſurus eras, eam nobis re ipſa
præſtes. Quamuis enim non ignoremus, eſſe
nos omnes peccatis obnoxios, nobis tamen du-
bium non eſt, imo pro certo & explorato habe-
mus, in eccleſia tua militiam hic agente multos
eſſe viros, quorum iuſtitia pietaſq; tibi proba-
3.Reg 19. tur. Nam & Heliæ, ſe ſolum ex omnibus tui no-
Rom.11. minis cultoribus ſuperſtitem exiſtimanti, diui-
num reſponſum dediſti, adhuc reſtare tibi ſe-
ptem virorum millia, qui nullo vnquam tem-
pore Baali fecerant ſacrum, vel etiam genua cur-
nauerãt. Ergo, miſericordiarum pater, ſi ſeptem
hominum millia vitam pie Chriſtianeque inſti-
tuentium in eccleſia tua reperiantur, clementiæ
tuæ ſupplices ſumus, vt eorum ſaltem cauſa re-
Geneſ.18. liquæ multitudini parcas: qui iam olim Abra-
hamo pollicitus es, te quinque illis ciuitatibus
ampliſſimis parciturum eſſe, ſi 50. tantũ viri iuſti
in eis reperti fuiſſent: cui etiã numero ſi quinq;
defuiſſent, eſſe tamen miſericordiæ locũ. Porro,
ſi 40. nec plures inueniſſet, etiã propter ipſos te
cum cæteris omnibus clementer acturum eſſe
recipiebas. Inſignis profecto erat illa Abrahami
benignitas, qui ne ſic quidem ſuſceptam eorum
cauſam deſerere & ad alia trãſire, ſed magis ſup-
plicibus verbis vrgere, tuamq; miſeris clemen-
tiam implorare voluit: adeo vt à quadraginta vi-
ris ad triginta, deinde & ad viginti, ac demum
etiam ad decem paulatim deſcenderit: illud o-
rans obſecranſque, vt ſi decem tantum pietatis
ac iuſtitiæ cultores inuenirentur, vniuerſæ ci-
uitates illæ ab internecina ſtrage propter ipſos
immunes eſſent. Quam eius poſtulationem et-
iam miſericorditer admiſiſti: (quæ tua eſt ſem-
perque fuit in peccatores clementia.) Nec il-
lud exigis, vt decem omnino ſint non pauci-
ores: cum interdum vel vnum ſpectatæ probi-
tatis virum pro infinita hominum multitudine
deprecatorem exaudias. Quam rem Ezechiel
propheta tuis ipſius verbis nobis teſtatam facit:
vbi ſic habetur. Et quæſiui virum de eis, qui Ezech.22.
interponeret ſæpem, & ſtaret oppoſitus con-
tra me pro terra, ne diſſiparem eam: & non
inueni. O ſingularem & immenſam Dei opti-
mi maximi miſericordiam, cuius tam propen-
ſus in nos eſt amor, vt vnius viri iuſti orationem
pro vniuerſa prorſus hominum multitudine be-
nigne ſuſcipiat. An vero credibile eſt, non eſſe
in omni eccleſia tua vnum quempiam hac iuſti-
tia præditum? Abſit, vt ita ſentiamus: maxime,
cum ipſe Petro fidem tuam obſtrinxeris, fore
diſertis verbis aſſeuerans, vt fides eius nunquam
deficiat. Quamobrem ſi quidẽ multi ſunt, mul-
torum deprecatio tuam nobis miſericordiam Luc.22.
conciliet. (Noſtra ipſorum cauſa eſt, quam tibi
proponimus, ꝓ nobis verba facimus: & quãuis
puluis ſimus & terra, multiſq; flagitiis implica-
ti, ne tamen indigne feras, quod diuinũ numen
tuum de hac re compellemus.) Si vero pauci
ſunt, tanto calamitoſior eſt noſtra conditio,
tantoque magis miſericordia tua nobis oppor-
tuna, imo neceſſaria eſt. Ergo, benigniſſime De-
us, tuam bonitatem imploramus, vt eorum cau-
ſa, quorum iuſtitiam agnoſcis, (ſiue ij plures ſi-
ue pauciores exiſtant) eccleſiæ tuæ parcas, & mi-
ſerearis Sion, quia tempus miſerendi eius eſt.
Nam in tanta hominum iuſtorum paucitate tu-
um eſt tempus, vt eccleſiæ tuæ miſericordiã præ-
ſtes. Reminiſcere miſerationum tuarũ, Domi- Pſal.24.
ne, & miſericordiarum tuarũ, quæ à ſæculo ſunt.
Nec enim vllum vnquam tempus fuit, in quo
non fueris ad miſericordiam impendendã pro-
penſus. Omnia quidem, vt eſt à Salomone dictũ, Eccleſ.3.
tempus habent. Et tu, creator optime, quemad-
modũ cæteris rebus omnibus, ita & miſericor-
diæ præſtandæ ſuum quoq; tempus ſtatuere cõ-
ſueuiſti: id quod tuis ipſius verbis addicitur, cũ
ſic ais: In tempore accepto exaudiui te. Tempus Iſai. 49.
antiquæ legis tempus iuſtitiæ, ſeueritatis, & vin- 2. Corinth.6.
dictæ iam olim extitit: de quo D. Paulus: Irritã, Heb.10.
inquit, quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſe- Deu.17.
ratione duobus aut tribus teſtibus moritur.
Nullus erat tunc temporis miſericordiæ locus.
Si quis adulterij, homicidij, aut legis alia quauis
in re violatæ duorum vel trium hominum teſti-
monio conuictus erat, is ſine vlla veniæ impe-
trandæ ſpe morte afficiebatur. Sed aliud nunc
tempus agitur. Nũc enim illa tẽporis eſt pleni-
tudo in qua, apertis cœli cataractis, diuinæ gra-
tiæ miſericordiæq; theſaurus inſtar fontis perẽ-
nis & inexhauſti in omnes hominũ ordines co-
pioſe diffunditur. De quo quidẽ tempore Apo-
ſtolus ſic loquitur. Ecce nunc tempus acceptabi- 2. Corinth. 6.
le, ecce nunc dies ſalutis. Nunc illud nouæ legis
eſt tẽpus, in quo Chriſtus Ieſus ſaluator noſter
latronẽ & homicidã in ipſa mortis hora depre- Luc.23.
cantẽ abſoluit, ſed & mulieri in adulterio depre- Ioh. 8.
henſæ aliiſq; quamplurimis veniam clementer
impertiuit. Quare, ſi vllo vnquã tẽpore conſen-
taneum fuit, vt clementiam tuam exerceres, cer-

te nunc vel maxime: eſt enim hoc tempus miſericordiæ proprium. Et, ſi tũc temporis, cum abundauit ſeneritas, facere tamen ſubinde non poteras, quin te benignum & miſericordẽ præberes, multo magis illud à te nunc expectari debet, poſteaquam ſuperabundauit gratia: Quia *Rom.5.* venit tempus. Ad hæc, pie Deus, vnum iſtud tua pace addiderim, quod nonnihil momenti habere videtur ad permouendum animum tuum, vt noſtri commiſeratione ductus miſericordiam impendas. Sunt quidem inter nos Chriſtianos nonnulli tam leues & caduci, vt quouis tentationis vento impulſi ſtatim ſuccumbant, nec vllam peccatis obſiſtendi voluntatem habent, ſed magis ſluxas huius vitæ voluptates & corporis ſpurcitias toto animi affectu propenſioneq; ſectantur. Interdum etiam blandis antiqui hoſtis ſermonibus & illecebris aurem præbent, eique perperam ſuadenti libenter obtemperant: quos propterea propheta ſanctus pulueri (& *Pſal.1.* quidem recte) comparat, quem proiicit ventus à facie terræ. Sunt & alij ab his diuerſi, qui quamuis ſubitaneis tentationum flatibus ſuperati ſæpiſſime deiiciantur, breui tamen reſurgunt, & culpã lacbrymarum aqua diluunt, vireſq; iã fractas aliis atq; aliis pœnitentiæ officiis reſtaurãt. Non aliter quam fieri videmus, cum puluis aqua contemperatus coaleſcit & ſolidum corpus efficitur; quo fit, vt non tam facili momento quam prius, quouis ventorũ impulſu huc atq; illuc feratur: Nec tamen iſti tam robuſti euadunt, vt virtute ſua diu conſiſtere, & ſine aliorum ope, qui viribus ſunt præſtantiores, tentationibus reſiſtere valeant. Quemadmodum enim paries, qui terrea ſolum materia conſtat, nec vllos habet lapides inſertos, parum firmitatis habere ſolet: ita & qui per pœnitentiam ſeſe conſolidarunt, breui labaſcunt, ſi deſint lapides, ſi non adſint & alij, qui fide firmiores, & in bonis operibus exercitatiores conſtantioreſque, velut immobili quodam lapidum fundamento nixi, exiſtant. Qui vero in hunc modum & ſeſe & alios in eccleſia Dei ſoliditate ſua cõſtantiaq; ſuſtentant, columnas, quæ vniuerſam ſtructuræ molẽ ſuffulciunt, referre videntur. Quales iã olim extiterunt martyres inuicti, qui Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri cauſa ſanguinem ſuũ cõſtanter profuderunt, confeſſores eximij, qui fidem Catholicam per vniuerſum, qua late patet, terrarũ orbẽ ſuis & verbis & exemplis illuſtrarunt, virgines ſanctæ, quæ ab Chriſti amorẽ à piu caſtitatis colendæ propoſito diuelli nullo vnquã tẽpore potuerunt. Atq; hi quidem tanquã lapides quadrati tanta fortitudine firmitateq; præditi fuerunt, vt nulla eos dæmonis aſtutia in fraudẽ inducere, nulla tẽtationis vis eorũ conſtantiã conuellere aut labefactare potuerit. Sed lapides iſti, benigne Deus, ſanctis angelis, qui tuo diuino numini miniſtrant & ſacrificium offerunt, tantopere placuerunt, vt ad ſupernã illã Hieroſolymæ cœleſtis fabricã ſint ab ipſis ſublati. At nos hic in terris reſidui, debiles ſumus & infirmi, ac cuiuis tẽtationis vento obnoxij. Quam ob cauſam diffiteri certe non potes, quin ſit tẽpus miſerendi eccleſiæ tuæ, quin etiã nunc venerit tẽpus illud, quãdo miſericordia ſit ei omnino præſtanda: quoniã placuerũt ſeruis tuis lapides eius. quoniã columnis, quæ labaſcentẽ ſuſtinere debebant, deſtituta eſt: quibus vtiq; ſublatis, quid aliud nũc reſtat, quã terra mollis; quæ ſimulatq; aruerit, leuiſſimo quoq; ventorũ impulſu hinc inde fertur? futurum eſt profecto, vt hæc terra noſtra, hæc dico corporũ noſtrorum terra breui temporis ſpacio arida prorſus ac bonorum operum fructibus ferendis inepta reddatur, niſi tu, pie Deus, diuinæ gratiæ tuæ rorẽ clemẽter maturèq; perfuderis. Quod ſi à te præſtitum fuerit, fiet, vt lachrymarum à nobis profuſarum ſcaturigines terram noſtrã irrigent conſolidentq; & aduerſus ingruentiũ tentationũ procellas muniant. Quæ res adminiſtratoriis illis ſpiritibus, qui tibi in aula tua cœleſti famulantur, magnam adferet lætitiã. Nã (vt eſt à ſaluatore noſtro dictum) Gaudium eſt corã angelis Dei ſuper vno *Luc.15.* peccatore pœnitentiã agente. Iam vero, poſteaquã fuerimus in hunc modũ humectati conſolidatique, nihil aliud in nobis deſiderabitur, quã tuæ charitatis ardor, qui nos igne ſuo excoctos inſtar lapidũ duros, id eſt, in fide ac bonis operibus exercendis firmiores conſtantioreſq; efficiat. Magna autẽ illis fortitudine opus eſt conſtantiaq;, qui ſunt euangelium tuũ in orbẽ vniuerſũ diſſeminaturi: quã rem nondũ præſtitam, ſed impoſterum ſuo tẽpore præſtandã eſſe, multis ſanctorũ patrũ teſtimoniis confirmatur. Primum Chriſtus Ieſus filius tuus ſic ait. Prædicabi- *Matth.24.* tur hoc euangeliũ regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio. His ergo ſaluatoris noſtri verbis certiores efficimur, mundum hunc non prius finem habiturum, quam lex iſta fuerit in omnibus eius partibus promulgata. Quod Origenes in omnibus Græcorum regionibus, & D. Auguſtinus per vniuerſam Aphricam ad ſuã vſq; ætatem factum non fuiſſe commemorant. Qua de re ad Eſichiũ ſcribens, vniuerſalẽ illã euangelicæ legis prædicationẽ, omniũ nationũ ad fidẽ Chriſti conuerſionẽ, & eccleſiæ Catholicæ in omnes mundi partes propagationẽ adhuc futurã eſſe, rebus addidit neceſſariis: quod etiã D. Thomas in prima ſuæ ſummæ parte quæſtione prima cõfirmat. Sed quẽ tandẽ deſignabis, optime benigniſſimeq; Deus, qui tam ſublimi prædicationis muneri ſit idoneus, qui hanc legis diuinæ in vniuerſo terrarũ orbe publicandæ prouinciã digne ſuſcipiat, niſi tu prius miſericordiam & (quidẽ mature) impendas? Nã qui iã olim functionem hanc & ſuſcipere & reipſa præſtare poterãt, ſunt nunc (vti eſt à nobis iã dictũ) in cœleſtem illam Hieroſolymã ſubuecti, eo quod apud omnes illos beatorũ ſpirituũ ordines tã gratioſi, quodq; ad reſtaurandã perficiendamq; ſupernæ ciuitatis ſtructurã tam apti & videbantur & erant. Sed tuam, Domine, potentiã agnoſcimus: ex molli hac terra, quæ reliqua eſt, nouos lapides pro tuo libitu creare, ex nobis, quos illi hinc recedentes in

tes in eccleſia tua ſuperſtites reliquerunt, tã fortes & validos fidei tuæ ac mandatorũ præcones, quam ipſi fuerunt, efficere te poſſe non dubitamus. Eſt quidẽ hæc terra ſanctis angelis tuis nũc valde grata: ſed profecto multo gratior erit, ſi eam tuæ gratiæ donis ac virtutibus auctiorẽ feceris. Quod vt eccleſiæ tuæ hîc in terris militiam agenti nunc clementer præſtes, vehementer à te contendimus. Sed & angelici ſpiritus illi, qui tibi miniſtrant, pro eo, quem erga genus noſtrum gerunt, amore, tuæ diuinæ maieſtati ſupplices erunt: & terræ eius miſerebuntur. Quid? eccleſiæ tuæ fundamenta iacturus, an multos lapides, an multos hac fidei cæterarumq; virtutũ firmitate præditos inueniſti? An non & illi, quos in ipſo ædificij fundamento collocaſti, mollis & lubrica terra erant? Certe, donec tuæ charitatis ardore cocti, inſtar lapidum ſoliditatem & duritiam

Matth.26. acceperunt. Petrus ipſe, quem cæteris omnibus
Mar.14. præfeceras, an non vnius ancillæ voce perculſus,
Luc.22. ſtatim animum deſpondit, & Chriſtum Ieſum
Ioh.18. filium tuum Dominum ac magiſtrum ſuum abnegauit?

Luc.22. An nõ & inter cæteros Apoſtolos, dum
Matth.20. ſinguli principatum ambiebant, magna erat de
Mar.10. primatu contentio æmulatioq;. An non omnes
Matth.26. metu perterriti, dum eorum magiſter iudici ſiſtendus abduceretur, in turpem ſe fugam coniecerunt? En quanta in eis tunc temporis fuerit animorũ abiectio, puſillitas, incõſtantia? Sed ſimulatq; tuæ charitatis ardor, ignis cœlitus emiſſi ſpeciem præferens, eorum mentes inuaſit, cõtinuo tam firmi & conſtantes euaſerunt, vt nullis deinceps nec minis nec tormentis abſterreri potuerint, quo minus, quæ à te in mandatis habebãt, vbiq; terrarũ diuulgarent, euangeliumq; tuum regibus, principibus, ac cæteris huius ſæculi viris prudentibus intrepide proponerent: quos etiam (cum infinita aliorum hominũ multitudine) verbi tui vi & efficacia ſuperatos ad tui nominis & fidei agnitionem perduxerunt. Idẽ & nunc, clementiſſime Deus, eccleſiæ tuæ aliis atq; aliis rerum periculis hîc expoſitæ præſta: fac, vt terra iſta fragilis & molliuſcula in duros lapides tranſeat: columnas in ea validas & immobiles erige, quæ magnos labores, vigilias, inopiam, famem, ſitim, frigus, calores ſuſtineant perferãtq;, qui nullas principum comminationes, nullas perſecutiones, ſed nec mortẽ ipſam formident; qui pro tui nominis gloria illuſtranda cõtumelias, opprobria, ignominiã & omnia cruciatuũ genera ſponte ſubire certum ac deliberatũ habeant. Hac ratione fiet, vt euangelij tui veritas in vniuerſum plane mundum diffundatur, & timebunt gentes nomen tuũ, Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Hic autem diuini numinis & timor & contemptus omnis à viris eccleſiaſticis cauſam fere ac fundamentum accipit: qui ſi vitam recte inſtituant, aliiſq; virtutum ſplendore præluceant, non eſt dubium, quin populus vniuerſus eorum exempla ſibi libenter imitanda ſint propoſituri. Sin vero illi deprauatis moribus vtantur, perinde ac ſi nulla eis vitæ hîc tranſactæ ratio reddenda foret, an nõ expectandum eſt, vt & prophana hominũ multitudo idem ſciant? Certe. Quid vero inde ſubſecuturum ſit, nemo eſt qui non videt: nempe, vt aut de Deo parũ penſi habeant, aut omnẽ prorſus eius timorem. A nobis igitur, qui in clerum aſcripti ſumus, pendet omnis iſte Dei metus aut etiam neglectus. Certa enim res eſt, ſi quiſq; noſtrûm eam, quam oportebat, ſui loci, dignitatis, & ordinis in eccleſia rationem habere, ſi cum fide non frigida ſed accenſa rerum adminiſtrationem ſuſcipiens, quæ ſui ſunt muneris, omnia diligenter, expedite, ſyncere & ſine vllo ſui vel etiam partium ſtudio procurare vellet, neminem eſſe in vniuerſa fidelis populi multitudine tam peruicacem & refractarium, qui ſeſe ad Deum & timendum & amandum non vehementer illectum, imo vero ad ſuſcipiendum eius diuini nominis cultum noſtris virtutũ exemplis quodammodo impulſum agnoſceret. O fælices & beatos oculos, qui hanc partium rite diſtributarum harmoniam & decorem tandem aliquando in domo Domini, ſingulos nimirum eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordines à ſummis ad infima ſic inſtructos conſpecturi ſunt, vt in ſuã quiſq; prouinciã recte adminiſtrandã vigilãter intendat. Miſericors & benigne Deus, te ſupplices oramus, vt hanc eccleſiæ tuæ ſtructuram, à te iam olim inchoatã, ab eo vero tempore, iniuriis cõtinenter ac varie impetitã, ſemel abſoluas, & terræ eius, noſtræ vid. fragilitatis miſerearis: vt ex Apoſt. dicto, ſuperædificemur ſuper fundamẽ- Ephes.2.
tũ Apoſtolorũ & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Tum demum timebunt gẽtes nomen tuum & omnes reges terræ gloriam tuam, tuiſq; ſe miniſteriis ſyncere ac ſancte mancipabunt. Mille ad te pagani, mille Saraceni, mille Iudæi conuertentur: non aliter quam tunc fiebat, cum prima eccleſiæ tuæ iacta ſunt fundamenta, quo tempore nunc tria nunc quinq; hominum millia, aliquando plures aliquando pauciores fidem vno die ſuſcipiebant. Quod ſi tunc, cum ædificium adhuc vix cœptũ erat, res tam vtiliter ceſſit: quid ſperare par eſt, cum iam perfectum & numeris omnibus abſolutum erit, cum ipſe operis iam cõſummati ſplendor, ordo, decus, diuinam architecti maieſtatẽ prodet, eoq; indicio manifeſtũ reddet, quoniã ædificauit Dominus Sion? Quæ quidem domus Dei magnificentia, non in tapis holoſericis multa colorũ varietate & arte diſtinctis, non in crateribus & vaſis aureis argẽteiſq;, non in reliquo veſtiũ & ornamentorum nitore ſita eſt, quãtumuis ſint ea multis gemmarum ordinibus cõſpicua. Erat hic rerum precioſarũ ſplendor põtificibus in lege veteri ſacerdotibuſq;, q tunc tẽporis in tẽplo miniſtrabãt, decorandis neceſſario adhibitus. Sed quæ ab illis fiebãt & adhibebãtur omnia, nihil aliud erant, q̃ rerũ futurarũ typus & figura: eoq; non eſt, quod nos de hoc externo corporis ornatu magnope-

re laboremus. Omnia ſint noſtra ad internũ animi cultum & profectum referenda. Aurũ enim in iege antiqua conſcientiæ puritatem, gemmæ varias animæ virtutes deſignabant. Qua de re A- 2. Corinth.1. poſtoius ſic ait: Gioria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Hæc autem mentis bene ſibi conſciæ ſerenitas & gaudium iam olim in Apoſtolis tenuem vitam agentibus plua habuit ſpiendoris & magnificentiæ, quam omnis iſte, qui à nobis nunc adhibetur, ornatarum veſtium & aureorum calicũ apparatus. Glorioſius profecto ſpectaculum erat, D. Paulum tum videre, cum ex duris laboribus & arte pauperem ſibi victum comparabat, cum fame, ſiti, vigiiiis, frigore & nuditate conflictstus Chriſti legem & euãgeiium vbiq; terra marique ferebat, quam nnne eſt archiepiſcopum aiiquem cõſpicere, vniuerſo pontificum & præſuium cœtu comitatum, quãtumuis magno cum ſplendore & pompa incedat. Ea quidem tempeſtate calices ex auro nulli erant, ſed sacerdotes aurei paſſim reperiebantur: nunc vero contra, csiices aureos vbique, ſed ſacerdotes aureos vix vſpiam reperias. Illud perſuaſiſſimum habetote, chariſſimi, non aurum, non gemmas, non ſpienuidas corporum veſtes in csuſa eſſe, quod huius ſæcnli reges & principes Deũ & eius eccieſiam reuereautur (his enim rebus omnibus abundant illi magis quam nos) ſed doctrina ſana, morum integritas, ſanctæ cõuerſatioois exempla, ea ſunt, quæ bomines non ſolũ probos ac ſanctos, ſed & impios immaneſq; ad ſuſcipiendum Dei timorem & amorem inducunt. Sæuus Atilas Leonem pontificem, Totila ſceieſtus Benedictum monacbum, Theodoſius imperator Ambroſiũ epiſcopũ timnit. Et quid tandem erat, quod eos tautis viris tam formidabiles reddidit? Nihil certe aliud, quam ſpectata eorum tum doctrinæ tum etiam vitæ ſynceritas. Dulciſſime Deus quam ſpecioſa & illuſtris futura eſt ecclesia tua, ſi eam huiuſmodi ornamentis decorare volueris. Si eam tam præciaro virtutũ lumine conſpicuam reddideris, procui dubio timebunt gentes nomen tuum & omnes reges terræ gloriam tuam: eo quod in bunc modum ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua. Videbitur enim eccieſia, ſplendido tuæ gratiæ amictu veſtita, diuinarum prudentia ſcripturarũ inaurata, variiſque præſtantiſſimarũ virtutum gemmis vndiq; inſertis illuſtrata. Atq; hic quidem inuſitatus tanti iuminis ſpiendor ipſorum etiã regũ ocuios perſtringet, & principũ mentes ab omnibus buius vitæ voiuptatibus abreptas in ſe conuertet, omniumq; prorſus hominũ animos & altius penetrabit & fortius impellet, quã quaſcuuq; hic mundus opes aut delitias promittit. fuerũt Apoſtoli ſpectabiies admodum & auguſti: ſed ea ſanctorũ virorũ gloria nõ auro & argẽto, nõ byſſo & gemmis, ſed ſolo virtutũ ſplendore conſtabat. Nam Petrus ingenne teſtatus eſt: Aurum, inquit, & argentũ nõ eſt mi- Act.3. hi: qui tamen, diuina Chriſti potentia, & ciaudũ mẽbrorũ integritati, & muiierẽ defũctã vitæ reſtituit. Paulus ſimiliter, qui diues nõ erat ſed victum manu & arte quærebat, ciaudũ etiam natum ſanauit, & aliũ quendam ab immundo ſpiritu correptũ ac miſere diuexatũ inuocato Chriſti Ieſu nomine iiberauit. D. etiã Ioannes iectiſſimus ilie Cbriſti virgo, arborũ ramos orationis vi & efficacia in aurũ conuertit, venenũ ſine vlla læſione bibit, & multos vita defunctos reſuſcitauit. Sed & Bartoiomæus orationis virtute dæmonem impurum & borribilem idolum quoddam incolentem (ipſo etiam rege Polemio ſpectante) exegit. His igitur & horũ ſimilibus virtutũ ornamẽtis cõſpicui ſuerunt Apoſtoli, eoq; apud Deum tam gratioſi, vt ipſis ſæpiſſime poſtuiantibus mirabiles ac ſtupendos rerum effectus produxerit. Non enim ille ſplendidas eorum veſtes (quas certe nuilas habebant) ſed ſolam animæ munditiem puichritudinemque ſpectabat. Erat eorum fides iliuſtris, ſpes certa, charitas accenſa. Hunc in eis cœieſtium virtutum nitorem agnouit: quam etiam ob rem eorum orationes lõge gratiſſimas babuit. Quiſquis vero tanta fide munitus eſſet, nihil eſt tam difficiie, quod præſtare non poſſet. Eſt enim ab ipſo ſaiuatore dictum: Si habueritis fidem, Matth.17 ſicut granum ſinapis, dicetis monti buic, tranſi hinc iliinc, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis. Granum autem ſinapis, ſi cæteris grauis comparetur, & quantitate minimum & conditione non flaccidum ſed mordax eſſe deprebenditur: quorum aiterum bumilitatem, alterum fidei viuacitatem & ardorẽ deſignat. Quibus vtique virtutibus inſtructi ſi montibus imperemus, vt ſeſe de alio in alium locum transferaut, dubium non eſt, quin ſint nobis obtemperaturi. Sed pie Deus, vnde banc tantam Apoſtoli fidem acceperunt? Profecto non aliunde quam à te. Te enim his verbis precati ſunt: Domine, adauge nobis fidem. Quamobrem, cum Luc.17. ſciamus te vnum & eundem Deum ſemper eſſe, nec minus benignum & copioſum bonorum tuorum largitorem, quam iam oiim fuiſti: tibi ſuppiices ſumus, vt eccieſiæ tuæ nũc denuo miſerearis, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus: eo quod fides pauiatim iabaſcere & in dies ſingulos imminui videtur. Domus tuæ ſtructuram perfice, iliuſtrem redde, fidem adauge, vt à te benigne exaudiri & res mirandas perpetrare valeat. Quibus rebus efficietur, vt omnes omnium gentium bomines timeant nomen tuum, omnes reges terræ gloriã tuã, fietq; demũ, vt vniuerſus plane terrarum orbis tui ſanctiſſimi numiuis timorem, amorem, ac cuitum prompte ſuſcipiat, & ab omnibus prorſus hominum ordinibus magna animorum conſenſione dicatur, quia Dominus ædificauit Sion, quæ nunc videtur in gloria ſua, reſpexit in orationem bumilium, & non ſpreuit precem eorum.

Hoc ioco initium ſumit ſecunda pars à nobis propoſita: quæ nos docet & inuitat, vt diuinam nobis ciementiã ex iugi quadã & grata beneficiorũ ipſius in nos coiiatorũ memoria cõciiiemus.

Certa

Certa quidem res eſt, maguam referendæ gratiæ partem in eo verſari, vt quis beneficij accepti memorism nnuquam deponat: contra vero maximam quandam ingratitudinis notam eſſe, ſi aliquod humanitatis officium nobis aliquando impenſum animo excidere patiamur: nec eſſe quicquam, quod oobilem ac liberalem animum magis alienare ſoleat. Quid igitur nos facere, chariſſimi, quàm gratiam de tanto beneficio in nos collato, de hac dico magnifica Chriſti eccleſiæ ſtructura, quæ in terris cœpta eſt, referre par eſt? Certe, vt tam inſigne beneficium non ſolum noſtra, ſed & eorum omnium, qui nobis ſucceſſuri ſunt, memoria celebre fiat, omnino faciendum eſt, vt ſcriptis mandatum ad vniuerſos etiam poſteros transferatur. Hæc enim certiſſima eſt rei non ſolum memoria conſeruandæ ſed & futuris ſæculis commendandæ ratio, vt omnibus omnium ætatum hominibus & innoteſcat & illuſtris fiat diuina in nos miſericordia bonitaſque. Eam ob rem Moyſes multas res mirabiles ſacræ ſcripturæ monumẽtis prodidit, quæ ſua ætate ad inſtituẽdam Iudæorum plebem diuina virtute per ipſum æditæ fuerunt. Quod ſi ab eo præſtitum non fuiſſet, rerum fortaſſe tunc temporis geſtarum notitia ad nos nunquam perueniſſet. Sacri ſimiliter euangeliſtæ ſuam nobis hiſtoriam reliquerunt, qua ſanctiſſimã Chriſti ſaluatoris noſtri vitam & miracula ab eo hîc in terris ædita complectũtur, digna quidem illa, quæ ſemper ab hominibus recolantur: quæ tamen nos forſan ignoraſſemus, ſi ab eis ſcripta non fuiſſent. Cum igitur has cogitationes ſuſcipimus, chariſſimi, quam multa nobis dona & beneficia largitus ſit optimus ac miſericors Deus noſter, quam fuerit ſemper in genus noſtrum munificus & liberalis, tum in illa Moyſi antiqua, tum in hac Chriſti noua lege: porro quemadmodum nos ipſo filij vnigeniti ſanguine redemerit, magnificam hanc eccleſiæ ſtructuram exædificarit, ſalutaribus vitæ monitis & exemplis munierit, æditisque primum miraculis deinde & multo ſanctiſſimorum virorum ſanguine corroborarit: denique quam ſit etiam nunc noſtræ ſalutis ſtudioſus, quamque multas ac varias continenter adhibeat rationes, quibus nos terra ſubleuatos ad ſe pertrahat, cum nos interim graui ſcelerum noſtrorum pondere depreſſi manibus ipſius excidamus ſæpiſſime, & deorſum corruentes in fœdiſſimas cupiditatum mundanarum lacunas feramur: ſi iam, poſt tanta diuinæ largitatis dona tanta cum ingratitudine viciſſim à nobis compenſata, adhuc rurſus misereri & ſuam hominibus impijs & ingratis clementiam impendere dignetur: an non meretur tam inſignis animi lenitas, tam inuſitata & ſingularis miſericordia, vt non ſolum nullo vnquam tempore tradatur obliuioni, ſed & ad omnem prorſus poſteritatis memoriam ſcriptis tranſfuſa, perpetuis laudibus celebretur? Plane. Quamobrem ſcribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Sed mala arbor non poteſt bonos fructus facere. *Matth. 7.* Quod cum ita ſit, & populus malus ſit & in peccati malitia immerſus, quomodo fieri poteſt, vt eorum poſteri boni euadant, niſi Deus opt. max. ex nihilo illud efficiat? (Poteſt enim ille bonos & pios, quales ipſe voluerit, etiam ex lapidibus ſuſcitare) Cum igitur nos nunc mali ſimus, variiſq; & atrocibus flagitiis implicati, non eſt profecto expectandum, vt illi, qui ex nobis oriundi ſunt, vitam recte & ordine inſtituant, niſi diuina bonitas eos tales ex nihilo fecerit. Quod cum ab eo præſtitum fuerit, & illi tales iam effecti, ex ipſis rerum geſtarum monumentis deprehenderint, quam fuerimus nos impuri & calamitoſi, ipſi contra quam purum & fælicem vitæ ſtatum ſint gratuita Dei miſericordia conſecuti: facere certe non poterunt, quin agnita ſtatim accepti beneficij magnitudine, in laudes diuinas magno quodã affectu prorumpant. Nam ſane fieri nõ poteſt, vt quiſquam exactum de magno aliquo dono beneficioue iudicium ferat, qui non nouerit, quantum eius rei inopia nocumenti aliis attulerit, quantumq; ipſe detrimenti paſſurus eſſet, ſi ea careret. Atque idcirco dicitur: Populus, qui creabitur, laudabit Dominum: qui ſcilicet magna Dei beneficia noſtris temporibus collata ſuis temporibus recte æſtimantes, diuinas laudes inſtituent. Nec quidem immerito. Sed quid eſt, quod diuinam illi miſericordiam deprædicabunt? Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo. Quid ita? An non videt Deus, quæ à nobis hîc geruntur, omnia? An non ſunt omnia eius oculis nuda & aperta? Quid igitur opus erat dicere quia proſpexit de excelſo ſanctu ſuo? Niſi forte proſpicere idem ſit, quod à longinquo ſpectare. Certum enim eſt, quanto atrociora à nobis in Deũ admittuntur flagitia, tanto nos ab eo longius recedere. Cũ igitur poſt innumera Dei in nos beneficia (quæ etiam tanta extiterunt & tam præclara, vt maiora ab eo nec expectari quidem potuerint) nos tamen vitiis continenter inſiſtentes, in alias atq; alias peccatorũ ſordes in dies ſingulos prolabamur: nemini dubiũ eſſe poteſt, quin hæc noſtra tã inſignis ingratitudo nos ab eo quam longiſſime ſemouerit, tantoq; iã ſpaciorũ interuallo diſſiti ſimus, vt mirum ſit plane ꝙ ex tam alto ſanctitatis loco homines infimos, impuros, tantorumq; beneficiorum immemores aſpicere dignetur. Primũ enim (vt res ſubiectis exemplis illuſtrior fiat) is populũ Iſraeliticũ Ægypti ſeruitute, æditis etiã multis oſtẽtis prodigijsq; liberauit: tranſitũ per mare rubrũ etiã ſicco pede dedit: cœleſtibus eos alimoniis, manna & coturnicibus, in deſerto pauit: ſiti laborantibus perennem aquæ ſcaturiginẽ ex ſaxo duriſſimo produxit: ab omnibus, qui bello vrgebãt, hoſtibus victoriã conceſſit: effecit, vt Iordanis, contrà ꝙ impetus fluuij ferebat, retro ad tẽpus cederet: Terrã eis promiſſã ꝑ tribuũ & cognationũ numero (quib. adeũdarũ poſſeſſionũ ius cõpetebat) partitus eſt & diſtribuit.

Quæ

Quæ cum eis tam amanter & munifice præſtitiſſet, homines tamen ingrati, tanquam barum rerum omnium plane obliti, relicto ac repudiato diuini numinis cultu, nefario ſeſe idolatriæ cri-
1. Corint. 12. mine non ſemel obſtrinxerunt. Deinde & nos, cum iam gentes eſſemus, ad ſimulacra muta, prout ducebamur, euntes, ex naturali gentili-
Rom. 11. tatis oleaſtro exciſos, veræ populi Iudaici oliuæ, fractis etiam ramis naturalibus, Inſeruit, & ſuæ gratiæ radicis ac pinguedinis ſocios effecit.
Rom. 8. Demum nec proprio quidem filio pepercit, ſed
Epheſ. 5. pro nobis omnibus tradidit illũ hoſtiam & ob-
Tit. 2. lationem Deo in odorem ſuauitatis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem. Quæ quidem omnia cum ſint certiſſima ſummæ ipſius in nos tum dilectionis tum etiam beneficentiæ non argumenta ſed indicia, nos tamen homines longe ingratiſſimi, imo vero vltra omnes ingratitudinis fines prouecti, nec amorem conſideramus, nec beneficiorum magnitudinem agnoſcimus, ſed tantorum nobis bonorum authorem largitoremque magis aſpernamur & quaſi contemptui habemus; nec tam inſignis miſericordia peccatoribus continenter præſtita nos mouet, vt ex ſanctiſſimo eius præſcripto vitam & mores componamus. O rigidos & peruicaces animos: O ferrea pectora, quæ omnem etiam ſaporum duritiem ſuperant. O deteſtandam ingratitudinem, quæ nos à Deo tanta locorum intercapedine ſeiunxit, vt omne prorſus miraculum vincat, quod is tanto maieſtatis faſtigio conſtitutus, tam profundum ingratitudinis noſtræ barathrum proſpectare non dedignetur. Digna plane ſunt hæc, quæ ſcribantur in generatione altera ad perpetuam rerum memoriam, vt omnes, qui inpoſterum Chriſtiano nomine cenſendi ſunt, tantam Dei in nos benignitatem agnoſcentes, à diuinis eius laudibus celebrandis nullo vnquam tempore deſiſtant: Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo. Et quiſnam eſt ille, qui tam longinque proſpexit? Certe non alius, quam ipſe Deus noſter, omnipotens, qui omnia, quæ in vniuerſa rerum natura exiſtunt, ſua & potentia condidit & arbitratu moderatur. Vnde, quæſo, proſpexit? De ſublimi ſanctuario ſuo. At quo tandem proſpexit? In locum infimum, alienum, & ſanctitatis omnis expertẽ. Cœlum quidem ſublime eſt; illud, dico, cœlum cœlorum tam altum eſt, vt nihil aduerſi eo pertingere queat; tam ſanctum, vt nullam peccati labem admittat; tam Deo proprium, vt aduerſarum partium neminem tanti boni participem ferat. Hæc vero, quam incolimus, terra, non in ſublimi aliquo, ſed infimo loco ſita eſt, peccatis & impietate referta eſt, impuriſſimorum etiam Dæmonum ſedes eſt:
Epheſ. 6. qui ab eo, quod hîc occupant, imperio, principes, & poteſtates, & mundi rectores ab Apoſtolo dicuntur. Proſpexit igitur clementiſſimus Deus noſter à cœlo illo præcelſo in hanc imam calamitatum vallem, ab habitaculo ſancto ſuo in hanc ſcelerum & impuritatis ſedem, ab illo beatitudinis loco, vbi nullus hoſtium in aliquam fælicitatis partem admittendus eſt, in has infimarum regionum munitiones, vbi principatus & imperium penes hoſtes eſt, vbi etiam mille in dies ſingulos iniuriæ contumeliæque eius diuino numini ab hominibus ingratis irrogantur. Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Sed quorſum tandem huc deſpectare voluit? Quonam animo fuiſſe, quem finem ſibi propoſitum habuiſſe credendum eſt? An eo fecit, vt aliquid inde voluptatis humanæ referret, vt forte piorum hominum diuinas ipſius laudes celebrantium voces auſcultaret? Minime: ſed ſolum vt hominum miſerrimorum ingratiſſimorumque clamores, gemitus, & eiulationes audiret: & vt eorum etiam vocibus aurem præberet, qui iam olim in magno honoris & fælicitatis loco conſtituti, ſuæ dignitatis ſtatum non agnouerunt, nec, vt par erat, gratias egerunt; qui variis maximiſque à Deo beneficiis affecti, non eam curam ſuſceperunt, vt munificentiſſimum rerum omnium largitorem debitis laudibus ornarent, ſed magis, depoſita tantæ benignitatis memoria, in omnem prorſus obſcœnæ libidinis intemperantiam effuſi, in eam rem totis viribus incubuerunt, vt ſacroſanctum eius nomen (quantum in ipſis erat) dehoneſtarent. Sed quid inde ſubſecutum eſt? Permiſit præpotens Deus, vt homines flagitioſi in hoſtium poteſtatem venirent: à quibus in captiuitatem abducti, ſæuis peccatorum funibus, vinculis, & cõpedibus conſtricti & miſerum in modum diſtenti fuerunt.

In quo quidem calamitoſo rerum ſtatu multi ex maioribus noſtris perierunt, & æternis addicti fuerunt ſuppl[illegible]s. Sed eorum poſteri, cognita parentum ſuorum clade, vehementer perculſi fuerunt: eoq; ſummam Dei quidem bonitatem, ſuam vero ingratitudinem ad mentem reuocantes, de peccatis in diuinam eius maieſtatem admiſſis ex animo pœnitere cœperunt. Quare clementiſſimus Deus ad miſericordiam denuo præſtandam permotus, de illo ſublimi cœlorum cœlo proſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptorum. Iam, quod miſerabiles captiuorum voces, qui peccatorum compedibus ſunt deuincti, clementer auſcultare, quodque filios pœnitentiam agentes (quorum patres æternis ſunt ſubiecti tormentis) ſcelerum nexibus expeditos in libertatem aſſerere dignetur: Hæc vero benignitas humanitaſque tam ſingularis eſt, vt digna omnino à nobis habeatur, quæ literis exarata ſempiternæ poſteritatis memoriæ conſecretur, vt omnes prorſus homines, qui nobis ſunt ſucceſſuri, & intelligant & ſuis quiq; referant, q̃ miſericorditer nobiſcum egerit bonus ac benignus Deus noſter. Quod ſi hic ſubſtitiſſet, tantam tamẽ hac vna in re nobis miſericordiã præſtitiſſet, quãtã nec verbis quidẽ aſſequi poſſimus.

Sed

Sed pius Dominus, qui diues & copioſus eſt in miſericordia, non hunc liberalitati ſuæ terminum ſtatuet: ſed, quaſi hoc parum eſſe exiſtimet, aliis atq; aliis nos adhuc beneficiis augebit. Non enim ſatis habebit, nos malis & miſeriis omnibus liberatos eſſe, niſi & ad ſummos honores proueхat. Equidem non video, quæ poſſit maior gloria cuiquam homini calamitoſo accedere, quam ibi ad aliquem eximium dignitatis locum euocari & deliciis affluere, vbi hoſtes infeſtiſſimi ad honores conſequendos maximopere aſpirabant. Duo autem præcipue ſunt loca, in quibus impuri dæmones honorem vehementer ambierunt, cœlum & terra. In terra quidem rem ita ſe habere Hebræi magno ſuo malo experti ſunt: quos eo veſaniæ adegerunt, vt honorem & cultum, quem Deo ſoli deferri oportebat, ipſis etiam idolis impenderint. Sed & nunc mille modis nobis inſidiantur, ſibique huius mundi principatum & imperium vendicant. In cœlo autem, vnde ob ſuperbiam exciderunt, diuinum tibi honorem vſurpare volebant. Eſt enim à Lucifero eorum duce & coryphæo dictum: (cum quo complures alij conſpirauerant:) Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſſimo. Vt igitur ad rem nobis propoſitam redeamus, munificentiſſimus Dominus ac magiſter noſter nos vtrobique honoratos & illuſtres efficiet. Nam primum nobis in terra, in eccleſia dico Catholica militiam adhuc agente conſtitutis facultatem conceſſurus eſt, vt ſanctiſſimi nominis eius virtutem in vniuerſo, qua late patet, terrarum orbe deprædicemus: (quod vtique eximiæ dignitatis eſt munus.) diuus enim Paulus ab eo vas electionis ab ipſo Deo eſt appellatus, vt ſcilicet ſacratum eius nomen vbique terrarum portaret, eiuſque ſanctitatem omnibus non ſolum plebeiis & infimæ conditionis hominibus; ſed & regibus & principibus annunciaret. Qua re nihil eſt, quod maiorem hoſtibus animi dolorem & cruciatum adferat: quorum omnis cura & ſtudium in eo poſita ſunt, vt diuinum eius nomen modis omnibus blaſphement. Eoque à ſancto propheta ſubiungitur: vt annuncient in Sion nomen Domini. Deus enim ſuos in eccleſia miniſtros in ſummo dignitatis loco conſtituet, vt eius nominis gloriam apud omnes omnium hominum ordines annuncient. In cœlo etiam, vnde turpiter eiecti & deturbati fuerunt Lucifer & cæteri nefariæ conſpirationis ſocij, diuini nominis gloriam ſine fine celebraturi, miſericordias Domini in æternum cantaturi, & ſempiternas illi gratias acturi ſumus: eo quod laqueos & inſidias nobis ab hoſtibus ſtructas ipſius gratiæ beneficio euaſerimus. In cæleſtem illam Hieroſolymã, vnde ſpiritus immundi præcipitati fuerunt, etiam ipſi (ex illo ſacræ ſcripturæ teſtimonio) ſubleuandi ſumus. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Porro, quæcunq; hîc à nobis aguntur (ſiue precationi, ſiue diuinis laudibus celebrandis, ſiue aliis quibuſcunque pietatis officiis operam damus) ea quidem omnia in illã ſupernæ ciuitatis arcem angelorum miniſterio perferuntur: eaq; de cauſa ſtatim additur: Et laudem eius in Hieruſalem. Iam vero, poſteaquam Deus nos in hunc modum omnibus hoſtium vinculis, compedibus, & ſeruitute exemptos, præclariſſimarumq; virtutum ornamentis inſtructos, ad illuſtrandã ſui nominis gloriam aptos & idoneos reddiderit: procul dubio futurum eſt, vt ad ſuſcipiẽdum diuini nominis cultum & laudem ab omnibus vndiq; confluatur. Tunc timebunt gentes nomen tuum, Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Poſtquam puluis iſte noſter luteus, diuinæ gratiæ beneficio, lachrymis cæteriſque ſynceræ pœnitentiæ officiis humectatus in ſolidum corpus coaluerit, ac deinde terra iam facta (mollis tamen adhuc & lubrica) vehementi charitatis igne percocta lapideam induerit firmitatem duritiemq;, ita vt maximis laboribus ſubeundis perferendiſque idonei Dei munere effecti, vniuerſum prorſus orbem peruagari, longiſſima itinera conficere, euangelij ſemẽ ſpargere, Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri virtutem audacter & verbis & vitæ exemplis illuſtrare valeamus, fiet, vt omnes gentes forma ſancti gregis in vnum ouile coactæ, vno fidei, ſpei, & charitatis ſymbolo connectantur, & nomen Domini in Sion pariter annuncient, in conueniendo populos in vnũ, & reges, vt ſeruiant Domino. Quæ res ſi ſumma Dei clementia noſtra ætate contingeret, mereretur quidem tam inſigne beneficiũ, vt nulla vnquam temporis diuturnitate traderetur obliuioni, ſed magis literis accurate mandatum ad omnes poſteros tranſmittatur: quo & ipſi nobiſcum, ſua quiq; ætate, Deum opt. Max. de tanta miſericordia nobis præſtita in omnes ſæculorũ æternitates & ament & deprædicent. Sed quia ſine diuino auxilio nihil eſſe poteſt in hac vita firmum & ſtabile, ideo propheta ſanctus in hac tertia parte nos inſtruit, qua ratione petitionem noſtram ad Deum inſtituere debeamus, vt is eccleſiam ſuam in eo, qui à nobis iam deſcriptus eſt, præclaro rerum ordine ac curſu cõſtitutam tueri dignetur; quo demum, emenſis huius vitæ itineribus, ad optatos illos & fœlices æternitatis annos perueniat.

At vero, priuſquam conſummandus ſit eximius iſte & ordinatus militantis eccleſiæ curſus, multæ profecto ſunt ei experiundæ anguſtiæ, multæ calamitates, multa mala, qualia ab ipſo mundi naſcentis exordio ad eum vſq; diem nec vnquam ab hominibus conſpecta, nec auditione quidem accepta fuerunt. Quam rem ſaluator noſter nobis his verbis teſtatam facit. Erunt inquit, dies illi tribulationis tales; quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam cõdidit Deus, vſque nunc, neq; fient. Tradunt enim patres ſacratum ſcripturarum interpretes, omnes omnium ætatum calamitates non eſſe cum ea ſæuitia, quæ Antichriſti temporibus exercenda eſt, cõferẽdas: quæ tanta futura eſt & tam immanis, vt,

Eſai.14.

Actor.9.

Mar.13.

niſi

niſi pientiſſimus Deus ſuorũ miſertus manum
auxiliatricem maturius ferret, vix fieri poſſet, vt
quiſquam tantæ cladi ſuperſtes euaderet. Quod
Ibidem. ipſe confirmat, cum ſic ait. Niſi breuiaſſet Do-
minus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro. Atque
in hunc quidem modum Chriſtus Ieſus beni-
gniſſimus Dominus ac magiſter noſter eccleſi-
am ſuam calamitatum impendentium præmo-
nitam eſſe voluit, ne poſtea, ſi ſecurã & nihil tale
cogitantem ex improuiſo adorirentur, grauius
afficerent. Et quamuis ea ſaluatoris noſtri ver-
ba magnam eccleſiæ triſtitiam adferebant, ma-
gnam tamen ex aliis eius dictis conſolationem
accipere poterat, maxime vero, cum dicebat:
Matth. 28. Ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque
ad conſummationem ſæculi: & quod rem pro-
Mar. 13. poſitam propius attingit: Sed propter electos,
quos elegit, breuiabit dies. His igitur ipſius Dei
verbis de periculis ingruantibus certior facta
ſancta mater eccleſia, nihil mirum, ſi, poſtquam
in recto virtutum & ſanctæ conuerſationis ſta-
dio curſum iam inſtituerit, finem laboribus & æ-
rumnis ipſique adeo vitæ præſtitutum ſcire ve-
hementer contendat: eoque ſequitur. Reſpon-
dit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum me-
orum nuncia mihi. Dubium non eſt, quin hæc
de Sione ſcripta ſint, Sion autem eccleſiam de-
ſignet: quæ cum ſit in virtutibus ſingulari quo-
dam modo fundata & ædificata, maioremque in
dies ſingulos profectum meditetur, Chriſto Ie-
ſu ſaluatori noſtro futuras moleſtias prædicen-
ti reſpondet in via virtutis ſuæ, & quã pauci ad-
huc reſtent dies, ſcire cupit. Et quoniam oratio,
quæ ſyncera intentione fit, inanis & irrita eſſe
non poteſt; idcirco in his rerum anguſtiis con-
ſtituta, diuinum implorat auxilium, Chriſti ver-
Luc 21. bis freta, vbi ſic ait. Vigilate itaq;, orantes omni
tempore, vt digni habeamini fugere iſta omnia,
quæ futura ſunt. Cum nauis in mari curſum ſe-
mel inſtituerit, ſi forte interea ventus aliquis cõ-
trarius aut tempeſtas oriatur, neceſſe eſt, vt na-
uigationem plurimum impediat. Eodem plane
modo, poſteaquam eccleſia diuini numinis du-
ctu rectum virtutum iter ſuſceperit, ſi ſæuæ ten-
tationum tribulationumq; procellæ inter cur-
rendum irruentes aduerſentur, certum eſt eas
multum & damni & impedimẽti allaturas. Qua-
propter eccleſia, quæ Chriſto denunciante iam
didicerat, has rerum aduerſarum procellas om-
nino expectandas eſſe, vnicumq; malis remedi-
um eſſe orationem, Deum opt. Max. precatur, vt
ea cuncta clementer auertat, quæ recte inſtitu-
tam & in ſemita mandatorum Dei ſedulo cur-
rentem remorentur. Ne reuoces me, inquit, in
dimidio dierum meorum. Tot tantaq; ſunt ma-
ris pericula, tot caſus aduerſi, tot rerum diſcri-
mina, vt, quiſquis ea experitur, fieri non poſſit,
quin portum vehementer exoptet, maxime ve-
ro eum portum, vbi ſtationem fidam, ſecurita-
tem, & quietem laboris omnis expertem ſpera-
re queat. Id quod nobis in hoc vaſto mundi pe-
lago nauigantibus euenire ſolet. Tot enim nos

vndique cingunt pericula ex innumeris aliarum
atque aliarum tentationum continenter irru-
entium vndis ac procellis, vt, cum portus nobis
propoſitus tantam promittat ſecuritatem, mi-
rum non ſit, ſi eccleſia tantis hîc malis obnoxia,
omnem prorſus operam & feſtinationem adhi-
beat, vt eo ſe quamprimum appellat, vbi quiete
perfruatur, adeoque moleſte ferat, ſi quid fiet
quod properanti moram aliquam obiiciat. Eaq;
de cauſa nihil eſt ei in hac vita tam volupe, vt
eius cauſa velit hîc diutius hærere. Videt enim
probe, nihil eſſe ſub ſole, quod permaneat, ſed *Eccleſ. 1.*
omnia vanitatem eſſe. Generatio præterit, & ge- *Eccleſ. 1.*
neratio aduenit. Qui ante nos fuerunt, iam præ-
terierunt, nec eſt quiſquam, qui conſideret,
quã opportuni nobis fuerint eorũ multi, quan-
tumq; detrimenti ex eorum abſentia patiamur.
Quis eſt nunc hominum animo tam peruerſo
& prorſus obfirmato, cuius mens non liquefie-
ret & charitatis igne ſuccenſa penitus incale-
ſceret, ſi Apoſtolos pro concione verba facien-
tes audire, ſi inuictam martyrum conſtantiam
& fidem cõſpicere, ſi ſanctiſſimos confeſſorum
mores & vitæ conſuetudinem propius intueri
liceret? Si tam multi nunc viri ſancti ſimul in ec-
cleſia ſuperſtites eſſent, quam iam olim aliis alij
ſæculis atque locis extiterunt, ita vt vnicuique
noſtrũm liberum eſſet eorum cõſortio, familia-
ritate, colloquio frui, quoties id nobis liberet:
dici non poteſt, quantum inde voluptatis, quan-
tum etiam commodi & vtilitatis ex eorum præ-
dicatione ſancta, fide inconcuſſa, & morum ſyn-
ceritate nobis acceſſurum erat. fieret plane, vt
mens noſtra portus illius cõſequendi deſiderio
vehementer afficeretur, vbi nulla eſt generati-
onis ſucceſſio, ſed omnia æternitas, alterationis
expers & viciſſitudinis, vbi ſedem ſuam Deus ipſe
omnipotens, æternus, & incommutabilis. In cu-
ius loci pulchritudine defixa ſancta mater eccle-
ſia, timenſque ſibi, ne curſus iam inſtitutus vari-
is huius mundi tentationibus retardetur, opem
diuinam in hunc modum implorat. Ne reuoces
me in dimidio dierum meorum: in generatione
& generationem anni tui. Hîc quidem in terris
habentur iſtæ generationum diſtinctiones, vbi
alia dilabitur, alia ſuccedit: ſed apud te nihil ho-
rum eſt, anni tui nulla temporum variantium
diſcrimina admittunt. Eſt tui ſtatus æternitas
longe præſtantiſſima, quæ ipſam etiam cœli &
terræ firmitatem ſtabilitatemque infinitis parti-
bus ſuperat. De terra quidem ſic habetur. Gene- *Eccleſ. 1.*
ratio præterit, generatio aduenit: terra autem in
æternum ſtat. At Deus hanc terræ æternitatem
præceſſit, præterea ſuam terra virtutem perfe-
ctionemq; (quod vſus docet) alij, ſoli nimirum,
acceptam ferre debet: quo recedente quidem,
ſqualida, triſtis, & quaſi mortua apparet, redeu-
nte vero vitam, virorem & hilaritatẽ reſumit.
Res ergo, quæ ſuam aliunde perfectionẽ ſumit,
ſuam etiam eſſentiam ab alio mutuetur, neceſſe
eſt. Quorum alterum cum in terra manifeſte
ſe prodat, (quod eſt à nobis rebus iam addictũ
neceſſa-

neceſſariis) de altero certe non eſt, quod dubitemus. Porro, cum terra ſuā aliunde tum perfectionem tum etiam originē accipiat, quin ea res, à qua iſta ſumuntur, ſit etiam terra & antiquior & diuturnior, diffiteri nullo modo licet. Terræ autem conditor nō alius quam ipſe Deus eſt: id quod propheta ſancta agnoſcit, cū eum in hūc modū alloquitur. Initio tu, Domine, terrā fundaſti. Quibus rebus omnibus Deū opt. max. terræ initiū dediſſe, eoq; priorem ac præſtantiorem extitiſſe clarū efficitur. Nec terrā ille ſolū ſed & cœlos ipſos præceſſit. Nā lunam interdū lucidā, interdum lucis omnino expartē videmus. Quicquid vero ſplendoris habet, illud omne à ſole, quemadmodum & reliquarum ſtellarum lumē, proficiſcitur. Sed & ſol ipſe ſe nobis nunc ſubducit, nūc rurſus exhibet: ſtatis temporibus oritur, ſtatis etiam temporibus occidit, ſuiq; motus leges nullo vnquam tempore violat. Et quis tandem eſt, qui hūc eius curſum & inſtituat & moderetur? Procul dubio non alius quā ipſe Deus, cuius imperio ſuſcepto, ſuis ſol orbibus, ſicut & cætera corpora cœleſtia, circumfertur. Quibus rerum & rationum momentis manifeſtum euadit, ea omnia ſuam & originem & inſtitutionem à Deo traxiſſe, eoq; ſubiicitur: Et opera manuū tuarū ſunt cœli: Deus igitur ea omnia ſua virtute mirabili condidit: Deus ea nunc ſumma prudētia conſeruat & moderatur: Deus eā, quam nunc obtinent, conditionē, cū ei viſum fuerit, immutabit. Eſt enim ſcriptum: Cœlum & terra tranſibunt. O mirā hominū cæcitatem, quæ non permittit, vt ſuſpiciamus & mentis noſtræ oculos in illis beatæ æternitatis annis defigamus: maxime vero, cū probe ſciamus, huius vitæ omnia fluxa & caduca, ipſumq; adeo mundū vniuerſum finē breui habiturū eſſe. Cū ad eam æternitatis quietem, quæ breui & exiguo labore acquiri poteſt, potius tota mentis cōtentione properamus, q̄ hic fallacia voluptatū gaudia ſectamur, quibus ad æternā inferni defatigationē demū perueniatur? Nā vbi bonus eſt Deus, ibi bona ſint omnia oportet: cuius bonitas & inenarrabilis eſt & æterna. Quæcunq; in hac vita habētur, fluxa ſunt & momētanea, voluptates omnes breui tēporis ſpacio deficiūt, nulla res generata diu permanet, ſuū cœli & terra finē habebunt. Ipſi peribunt: tu autē permanes. At quo tandem modo peritura, quem finem habitura ſunt? Certe non alium, quam quod longe aliam, quam nunc habent, formam & conditionem induent. Non enim illa nouam ſubſtantiam (quemadmodum nec corpora noſtra) ſed nouam ſubſtantiæ conditionem habebunt. Eadem plane corpora eum, quem nunc habent, ſtatum, tanquam veſtem aliquam veterem & tritam exuent. Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Sed depoſito vetuſtatis veſtimento, nouum continuo induent.

2.Petri 3. De quo diuus Petrus ſic ait. Nouos cœlos & nouam terram expectamus. Poſtquam enim veſtimentum illud vetus exuerint, nouum (Deo tribuente) accipient, quod multo erit & ornatius & magnificentius. Cuius quidem veſtimenti ſplendorem cōſideraſſe videtur propheta, cum Deum in hunc modum allocutus eſt. Et ſicut opertoriū mutabis eos & mutabuntur. Eſt quidem rationi conſentaneum, vt vnaquæque res creata ſuoque loco & ordine conſtituta, demum ad vnum aliquod referatur, quod ſit ſummum, optimum, perfectiſſimumque: à quo cætera omnia pendeant & originem trahant, ipſum vero à nullo dependeat, ſed omnes rerum omnium perfectiones in ſemetipſo abunde complectatur, eoque nullius egeat, cum interim alia quæque, non ſolum homines & animalia, ſed & terra ipſa & cœlum & quæcunque terræ cœliq; ambitu continentur, ipſius indigeant. Nam de hominibus cæteriſque vitam agentibus, certum eſt eorum omnium generationem propagationēq; breui deſituram eſſe, niſi terra fructus & reliqua alimenta ſubminiſtraret. Terra vero, niſi & ipſa calorem humectationemque cælitus acciperet, ſterilis cōtinuo & frugibus ferendis inepta redderetur. Deinde inferiores iſti cœlorū orbiculi ab illo primo & ſupremo orbe mouentur. Ac demum ille ab ipſo Deo vniuerſitatis moderatore, qui rebus creatis augmentū præſtat, ſuā omnem & virtutem & efficaciam accipit. Iam vero, cum Deus nihil habeat ſuperius, à quo quicquam ſumere queat, quod ad ſui ſtatus perfectionē conferat, idcirco ille ſummus, perfectiſſimus, totus bonus imo bonitas ipſa cenſetur, ſtabilem quandam habet perdurationem principij ac finis expertem, ante res omnes rerum omniū cauſa exiſtit, omnia ex nihilo creauit, & rebus à ſe cōditis congruas vires tribuit, quas etiam, cū ipſi viſum fuerit, auferre poteſt, ipſe interim vnus atq; idē & prorſus incommutabilis permanēs. Quapropter propheta hæc ad eum verba habet: Tu autē idem ipſe es, & anni tui non deficient. Eſt igitur Deus rerum omnium author & conditor; is mirabiles iſtos rerum à ſe creatarū ordines ducit: is terrā herbis, ac bobus, beſtiis, is aquā piſcibus, is aerē volucribus, is cœlos ſyderibus ornat: quarū rerū pulchritudo mira ſpectantiū oculos voluptate afficit. Atq; hæc quidē omnia optimus ac benigniſſimus Deus noſter iuſtis iniuſtiſq;, amicis & inimicis communia eſſe voluit: q ſolē ſuū facit oriri ſuper bonos & malos. Iā vero ſi Deus opt. max. tantā his rebus caducis & momētaneis pulchritudinē indidit, de illis æternis quid ſentiendū eſt? Deinde ſi mundo huic hominū domicilio tot tantaq; bona & commoda cōferre voluit, regium illud ſui numinis palatium quanto rerum pulcherrimarum ſplendore conſpicuum eſſe oportet? Denique, ſi huic vitiorum officinæ tam varias & tam ingentes voluptates largitus eſt, eaſque ſui nominis & cultoribus & hoſtibus communes fecit: quas tandem delitias amicis eo in loco repoſitas eſſe credendū eſt, vbi lux eſt inacceſſibilis, quæ omnē humani non ſolū ſermonis ſed & cogitationis facultatē ſuperat. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderūt, quæ præparauit Deus ijs, q diligunt 1.Corinth.2. Iſai.64.

ligunt illum & ex ſanctiſſimo legum ipſius præſcripto vitam hîc inſtituunt. Illius autem habitaculi cœleſtis & ſedem poſſidebunt & voluptatibus tandem perfruentur germani ſanctæ matris eccleſiæ filij, quotquot hoc loco Dei ſeruorum miniſterio in verbo veritatis ſunt regenerati: De quibus eccleſia ſic Deum alloquitur. Filij ſeruorum tuorum habitabunt. Quam inſignis eſt hæc eccleſiæ modeſtia humilitaſq;, quæ iſtos regni cœleſtis hæredes non quidem ſuos ſed ſeruorum Dei filios appellat. In quo ſeruitiorum numero erat D. Paulus Chriſti ſeruus & Apoſtolus vocatus: qui eos, quos euangelicæ legis prædicatione Chriſto genuerat, filios appellat. Vt filios, inquit, charißimos moneo. Huius autem nomenclaturæ rationem ſubiungit: eo, inquit, quod per euangelium ego vos genui: Serui Dei, qui prædicationis munere funguntur, patres, eccleſia mater, qui vere Chriſtiani ſunt, filij vocantur. Iſti quidem omnes poſt conſummatú huius vitæ curſum illud Dei ſanctuarium æternis temporibus habitaturi, & ineffabilibus perſundendi ſunt delitiis. Et ſemen eorum in ſeculum dirigetur. Seminis nomine veniunt hoc in loco pia eorum opera: Nemo enim eſt in hac vita in bonis operibus tam ſtabilis & immobilis, quin labaſcere interdum & errare poſſit. Eaque de cauſa Iob dicit: Verebar omnia opera mea: & D. Paulus: Qui ſtat, inquit, videat ne cadat. Sed quiſquis in ſupernam illam Hieruſalem ſemel ſubleuatus fuerit, nihil erit illi deinceps periculi, ne vllo vnquam tempore vel latum vnguem à recto diſcedat. Tantum enim à diuina gratia roboris ac firmitatis accepturus eſt, vt nutare non poſſit: adeo vt, quæcunq; illic ab eo fiant, exactiſſimam æqui ac boni rationem habitura ſint. Nunc igitur, vt dicendi finem faciamus, Deo opt. max. ſupplices ſimus chariſſimi, primum vt eccleſiam ſuam hîc in terris militiam agentem multiſq; malis ac calamitatibus conflictatam clementer aſpicere dignetur: deinde vt aptos & idoneos eccleſiæ ſuæ miniſtros cõſtituat, qui verbi diuini ſemen in vniuerſum terrarum orbem diffundant, vt fructum ſuo tempore reddat immenſum: ac demum, vt eccleſia in hoc pulcherrimarum virtutum curriculo conſtituta & firmata, nihil inueniat, quod currentem remoretur aut impediat, ſed recta & expedite ad æternas illas futuræ vitæ voluptates contendat, quibus veri eccleſiæ filij perfruituri ſunt in omnes ſæculorũ æternitates. Amen.

Rom. 1.

1. Corinth. 4.

Iob. 9.

1. Corint. 10.

IN PSALMVM CXXIX.

De profundis clamaui ad te, Domine, &c.

QVinis peccator, cum legum diuinarum ſanctiones violat, à Deo recedit, & ſeſe retrocedẽdo in varia, maxima altiſſimaq; pericula conijcit, adeoq; ad ipſam illam inferni voraginem magis magiſque in dies ſingulos delabitur. Cuius rei typus in illa Ionæ prophetæ hiſtoria nobis ob oculos ponitur: quo in loco ſcriptura ſacra deſcribit, quibus ille gradibus quoque ordine, ſpreto Dei mandato, deſcenderit. Nos igitur, chariſſimi, ſeptem hîc rerum capita paucis annotabimus, eodem plane modo & ordine, quo ſunt illic ab eo deſcripta. Primum eſt, cum Ionas, violato Dei imperio, ſeſe auertit, vt fugeret à facie Dei. Secundum eſt, cum Ioppen vrbem maritimam profectus eſt: vbi & nauem cõduxit, vt inde cœptum iter proſequeretur. Tertium, cum nauim ingreſſus eſt, & quamuis ingenti orta tempeſtate moneretur vt à ſuſcepta fuga deſiſteret, obtemperare tamen & ad terram redire noluit. Quartum, cum ad interiorem & infimam nauis partem deſcendit: vbi & alto ſopore correptus fuit. Quintum cũ ex naui in mare ſæuũ & æſtuoſum proiectus eſt. Septimũ cum à balæna exceptus, deglutitus, & in imum ventrem demiſſus eſt. Septimum & poſtremum illud eſt: in his rerum anguſtiis conſtitutus, niſi ſtatim Dei recordatus, diuinam eius opem imploraſſet, vt ab eo continuo ſuiſſet liberatus, euadere certe nunquam potuiſſet: ſed belluæ marinæ cibus effectus, ſimulatq; in eius ventriculo decoctus extitiſſet, in mare, excrementorum more, protinus egeſtus, non prius ſubſidendi feciſſet finem, quam ad ipſum pelagi fundum fuiſſet peruentum. Atq; hi quidem ſeptem gradus, quibus Ionas à Deo, neglecta eius iuſſione, receſſit, varium nobis hominis per peccatum prolabentis ſtatum & conditionem referunt, cum is diuinæ voluntati non obtemperans, paulatim & quaſi gradatim in alias atque alias periculorum profunditates prolabitur. Nec refert (quod ad rem nobis propoſitam attinet) quod Ionas in ſcriptura ſacra Chriſtum ſignificet: cum vna atque eadem res diuerſa ratione duo ſibi ex diametro pugnantia deſignare poſſit. Nam leo in ſacris literis interdum Chriſtum ſaluatorem, interdum & impurum dæmonem refert. Petrus enim in epiſtola de Diabolo ſic habet: Tanquam leo rugiens circuit: & Iohannes in Apocalipſi de Chriſto ſermonem inſtituens, Vicit leo, inquit, de tribu Iuda. Quas vero res inuenias, quæ ſibi inuicem magis aduerſantur, quam Deus & Dæmon? Cum igitur res eadem Deum ac dæmonem referre queat: quid obſtat, quo minus Ionas nunc Chriſti nũc peccatoris typum gerat? Sed vt rem inſtitutam proſequamur, dabimus operam, vt intelligatis, qua ratione ſeptem gradus iſti, quos in Iona iam recenſuimus, totidem hominis à Deo per peccatum deſciſcentis prolapſionibus reſpondeant. Primus igitur huius in peccatum deſcenſionis gradus eſt animi conſenſus, cum certa & deliberata voluntate aliquid faciendi, quod lege Dei prohibetur: quæ res ſubiecto exemplo illuſtrior fiet. Adeſt fortaſſis adoleſcens quiſpiam, qui corporis caſtimoniam adhuc ſemper coluit. Eius animum ſubit recordatio mulieris

Ion. 1.

1. Pe. 5.

Apoca. 5.

cuiuſdam

cuinſdam forma præſtantis: nec ille cogitationi obſiſtit, ſed magis fonet. Multa ſecnm tacitis cogitationibus verſat de eximia corporis venuſtate, libidine potiunda, ac demum aſſenſum præbet, ſi detur temporis & loci opportunitas. Hic animi conſenſus hominem læsali crimine obſtringit, etiamſi res effectum nunquam ſortiatur. Eſt enim à Chriſto Ieſu Saluatore noſtro in euangelio dictum. Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mæchatus eſt eam in corde ſuo. Es ſi vel ſic è vita diſcedat, nec pœnitentiam agat de ſcelere, quod iam animo deſtinauit, dubinm non eſt, quin ſit æternis inferni cruciatibus addicendus. Sed cogitationes, quæ ſubito mentibus obrepunt, quantumuis obſcænæ, ſi nullum eis aſſenſum præbeamus, ſed magis pro virili parte reluctemur, nullam peccati non ſolum mortalis ſed nec venialis quidem ſæpenumero rationem habent: imo vero nobis ex hac luctatione (ſi modo deſit omnino conſenſus) plurimum fructus & vtilitatis accedit. At qui rei alicui creatæ animum magis addicit quam Deo, & à creatore auerſus, rem creatam, contra quam fert lex diuina, ſectatur (qui quidem illicitus animi conſenſus appellatur) ille à Deo inſtar Ionæ recedit: Ion. 1. qui cū in mādatis haberet, vt Niniuen proficiſceretur, diuino imperio obtemperare noluit. Quam rem ſcriptura ſancta in hunc modum commemorat. Et factum eſt verbum Domini ad Ionam filiū Amathi, dicens. Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia aſcendit malitia eius coram me. At Ionas ſurrexit, vt fugeret à facie Domini. Quibus rebus manifeſtum vobis euadit, quemadmodum prima illa hominis in peccatum prolapſio (qui conſenſus dicitur) huic Ionæ fugæ reſpondeat, & quomodo hæc illam referat.

Secundus peccati gradus eſt, cum quis temporis, loci, & cæterarum rerum opportunitatem ſedulo excogitat, vt rem iam meditatam actu perficiat. Quæ quidem cogitationes cum ab eo ſuſcipiuntur, altius vno gradu decidit, & atrociorem ſibi noxam contrahit, quam cum ſolum aſſenſus eſt. fit enim, vt peccatum peccato cumulet, & labem prius contractam multo fœdiorem & diuinis oculis magis odioſam reddat. Nam profecto certiſſima eſt hæc regula, cum res aliqua cum deliberato animi conſenſu deſtinata peccatum eſt mortale, quæcunq; à nobis ad eā rem perficiendā fiunt, etiā peccati mortalis vim & naturam habere. Exempli cauſa. Statuiſti fortaſſis alicuius fœminæ pudicitiam tentare, & (ſi quidem res ferat) cum ea libidinem explere. Vtque voti compos fias, alias atque alias rationes ſedulo excogitas. Quicquid à te hoc animo fit, ſiue verbis eam procacibus ſollicitas, ſiue vultu & geſtibus impudicis allicias, ſiue frequenti donariorum miſſitatione in ſententiam perducere coneris, ſiue ornatius incedas aut veſtiaris, ſiue aliam quamcunque rem facias, (quantumuis leuis aut etiam nullius momenti eſſe videatur) quò rem optatam conſequaris, peccatum eſt mortale. Adeo vt, ſi feſtucam tantum eo fine tollas, vt negotium animo deſtinatum promoueas, lætalis te flagitij reum ſtatuas.

Hanc autem ſecundam peccatoris prolapſionem deſignat illa Ionæ in Tharſis profectio, vt nauem conduceret. Qua de re ſcriptura ſacra ſic ait. Et deſcendit Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tharſis, & dedit naulum eius. Ion. 1.

Tertius ruinæ gradus eſt, cum res animo diu multumque agitata tandem actu perpetratur. Conſenſum quidem præbere peccato, malum eſt. Poſt conſenſionem vero in eam curam ſedulo incumbere vt perficias, deterius eſt. Sed tandem ſcelus ipſum, cui conſenſeris & multum animo verſaris, patrare deterrimum eſt, tribus præſertim de cauſis. Primum, quia rei illicitæ diutius inhæretur, deinde, quia maior in ea voluptas capitur: demum, quia plus inde detrimenti tum animæ tum corpori accedit. Maior eſt eius in Deum offenſa, qui, cum ſcelus aliquod admiſerit, in eo diutius iacet, quā illius, qui in peccatum aliquod prolapſus, ſtatim dat operam, vt ſe recipiat. Is etiam culpæ minus eſt obnoxius, qui poſt aſſenſum præſtitum à re tamen perpetranda ſe cohibet, quam qui diu perſeuerat ac demum perficit. Nam Immodicam illam & inordinatam corporis voluptatem atrociorem reddit, cum accedit ipſa rei illicitæ perpetratio, quam ſi ſola animi cogitatio vel etiam conſenſus peccatum terminaſſet. Quamuis enim, cum mens in obſcænam aliquam libidinem vehementer procumbit, (quæ res animam magnopere diuexat) ac deinde, cum & animæ & corpus in eam rem conſentiunt, grauis omnino noxa contrahatur: multo tamen grauior tunc demum fit, cum res impura à nobis etiam exercetur: eo quod cogitatio & conſenſus animam ſolum, ſed ipſe rei impudicæ actus & animam & corpus & quandoque duo etiam corpora vitiat & polluit, quod in adulteris & fornicariis aduertitur.

Atque hunc quidem tertium peccati gradum referre videtur illud, quod de Iona tertio loco commemoratum eſt. Quemadmodum enim peccator prius quidem rationes excogitat, deinde vero rem deſtinatam etiam actu perficit: ita & Ionas nauim primum conduxit, quam & poſtea ingreſſus eſt. Quam rem ſcriptura ſacra his verbis explicat. Et deſcendit in eam. Et quemadmodum interdum fit, vt peccator ipſa facinoris ſuſcepti fœditate perculſus formidet quidem, ſed tamen non deſiſtat: ita & Iona nauim ingreſſo, magna confeſtim orta eſt tēpeſtas in mari, quæ tamen eum à cœpto itinere reuocare non potuit, efficereq;, vt ad littus rediret.

Quartus huius deſcenſionis gradus eſt ipſa

peccandi conſuetudo. Quanto enim quis diutius ſe vitiis aſſueuerit, tanto grauior eſt eius in infernum ruina, quamuis id ipſe non ſentiat. Nam ſenſim & ſine ſenſu in turpe voluptatum cœnum ſubſidit inſtar equi: qui quanto mollius eſt lutum, in quo ſe voluitat, tanto quidem placidius decumbit, tantoque altius ſuam in eo imaginem imprimit. ſed cum conſurgere tentarit, nihil ſolidi aut firmi reperit, quo pes nitatur, eoque emergendi facultatem non habet. Conſuetudo cum natura magnam habet ſimilitudinem. Nam fere fit, vt, cum fame aut ſiti aut aliarum rerum inopia laboramus, ea naturaliter appetamus, quibus aſſueti ſumus. Eſt autem hæc peccandi conſuetudo multo atrocior, multoque maiorem diuini numinis offenſionem conciliat, quam vnica ſceleris alicuius perpetratio. Vnicus enim in peccatum prolapſus aliqualem fortaſſis excuſationem admittit ob fragilitatem nobis inſitam. Humanum enim eſt cadere (vti vulgo dicitur.) Sed pergere in lapſum & perſeuerare diabolicum eſt. Cum malignus dæmon hominem hucuſque pellexerit, vt peccatum non ſolum perpetret, ſed & in eo perſeueret, altum quendam illi ſomnum induxiſſe videtur, à quo via vllo vel ſtrepitu vel etiam vociferatione expergefieri queat. Et eſt iſte quartus peccati gradus in illa re nobis adumbratus, quã Ionas quarto loco fecit: qui cum ſæuam tempeſtatem iam ingruentem cerneret, non tamen de ſuo ad terram reditu cogitauit, ſed ad infimam nauis partem ſeſe contulit, vbi & ſomno ſe dedit. Quam rem ſcriptura ſacra his verbis deſcribit: Deſcendit in interiora nauis, & dormiebat ſopore graui. Eodem plane modo peccator, poſteaquam vitiis ſemel fuerit aſſuetus, profundum petere & alto quaſi ſopore detineri videtur.

Quintus hominis in peccata prolapſi gradus eſt, cum de ſceleribus à ſe perpetratis gaudet & gloriatur, de quibus merito pudore ſuffundi & formidare debebat, ſi pœnas manifeſtis legum violatoribus propoſitas conſideraret. Qui huc vſque malitiæ prouecti ſunt, omnem prorſus & timorem & verecundiam exuerunt: adeoq; perfrictæ frontis tandem euadunt, vt flagitiorum ſuorum obſcœnitatem & ſæpius & publice in ipſis etiam tabernis apud perditos quoſque & profligatos homines ſui ſimiles deprædicent; vbi nunc hanc nunc illam fœminã nominatim perſtringunt, quaſi in ſuã ſententiam perductas fuiſſe calumnientur: ſed & illas quandoque matronas in crimen vocant, quas tantum abeſt, vt in libidinis conſenſum aliquando pertraxerint, vt nec extremis vnquam digitis aliquam corporis partem attigerint. Hæc autem eorum venditatio eo ſpectat, vt à rebus turpiſſimis præclaras etiam laudes accipiant. De quibus recte dici poteſt illud Oſeæ prophetæ: Profunde peccauerunt. *Oſea 9.* Tanta enim eſt huius flagitij profunditas, tamque deploratus eſt eius viri ſtatus, qui crimen in hunc modum & ſibi & aliis per calumniam irrogat, vt eum ſaluator homini graui pondere depreſſo & imum maris fundum petenti comparet. Vtilius, inquit, eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius & proijciatur in mare. *Luc. 17.* Huic vero peccati gradui reſpondet illud, quod de Iona refert ſcriptura ſancta, cum in mare præcipitatus & aquis abſorptus fuit. Ita & homines nefarij, qui ſuam ipſorum nequitiam propalare & quodammodo celebrare cupiunt, ſunt ab immodicis ſcelerum ſuorum fluctibus ſuperati ac plane ſubmerſi.

Sextus peccati gradus eſt, cum quis eo peruenerit, vt vitia tueri & virtutes impugnare velit. Sunt enim, qui tam diu ſeſe vitiis aſſueuerint, & tantopere de rebus turpiſſimis à ſe perpetratis gloriati ſint, vt eas in peccatis non habeant, adeoque totis viribus in eam rem incumbant, vt cæteri mortales omnes idem ſentiant. O miram cæcitatem. O mortiferam peccati profunditatem. Cum quis hucuſque ſcelerum ſuorum mole delatus fuerit, recte monentes, quorum opera & conſilio ad mentem redire debebat, omino reſpuit & auerſatur. Nam impius (vt eſt à Sapiente dictum) cum in profundum venerit, contemnit: malorum remedia abhorret, ſalutis adiumenta reiicit; *Prouerb. 18.* qui de vitæ emendatione verba faciunt, non auſcultat: omnes ſui ſimiles eſſe cupit; qui deprauatos hominum mores reprehendunt, ferre non poteſt; animæ ſuæ vulnera non ſolum non aperiri ſed nec attrectari quidem permittit.

Qui ſic affectus eſt, is totus in poteſtatem impuri dæmonis iam ceſſit. A diuo quidem Petro dictum eſt, *1. Pet. 5.* quia aduerſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret. Sed vereor profecto, ne non ſit illi nunc opus tanta circumcurſitandi quærendique induſtria: cum res, quam molitur, nullo ſit ei negotio pene confecta. Plurimi enim ſunt hodie, quos ille non ſolum deuoraſſe, ſed & degluttiſſe & in imum adeo ventrem tranſmiſiſſe videatur.

Huius vero ſexti gradus figuram habere videtur illud, quod Ionæ ſexto loco contigit: cum ab immani belua deuoratus, in infimam vaſti corporis partem deſcendit. Idem prorſus iudicium eſt de hominibus iſtis refractariis ac nefandis, qui ſceleribus & ſuis & alienis patrocinantur: qui ab immaniſſimo illo noſtri generis hoſte deuorati ac penitus abſorpti videntur.

Septimus & poſtremus huius infauſtæ deſcenſionis gradus eſt, cũ quis immenſæ Dei miſericordiæ diffiſus ſalutis ſpem omnem deponit: qui quidem gradus profundiſſimus, longe periculoſiſſimus, & ipſis inferni penetralibus proximus eſſe cenſetur. Qui ſeſe in hanc deploratæ ſalutis abyſſum ſemel deiecerit, is difficillime emerget. Deſperatio enim (quod eſt à D. Chryſoſt. dictum) non ſinit peccatorem poſt lapſum exurgere. Puteus altiſſimus eſt: eius orificium prægrandi

grandi etiam lapide obſtructum eſt: quem niſi amoueris, fruſtra exitum tentes. Amouere autem alia ratione nunquam poteris, niſi per firmam ac conſtantem de miſericordia diuina fiduciam. Quæ quidem immenſa Dei in nos miſericordia tantis eſt à nobis laudibus celebrata in pſalmis ſuperioribus, vt niſi vbique in ſacris ſcripturis obuiam eſſent, quæ ad eam rem auctius præſtandam facerent, omnino timendum eſſet, ne nos dicendi materia deficeret. Sed has inexhauſtas diuinæ benignitatis opes nullus eſt eloquij ſacri locus, nullus plane angelus, qui non & magnificis verbis referat & ſummis etiam laudibus exornet: quæ res omnibus quos vitæ in vitiis tranſactæ vere pœnitet, maximam ſpem conſolationemq; (meo quidem indicio) adferre debet. Porro eſt hæc Dei noſtri clementia tot rerum ſimilium figuris & metaphoris ſignificata, tanta nobis cum aſſeueratione promiſſa, tam multis hominibus peccatorum mole depreſſis rebus ipſis præſtita, vt, quem tot tantaque rerum momenta non eo impellunt, vt agnita diuinæ bonitatis immenſitate & caput ſubmittat & in certiſſimam veniæ impetrãdæ ſpem veniat, obfirmatus ſit plane & inſanabilis. Qui in hunc modum affectus eſt, is in ipſo dæmonis immundi ventriculo iam concoctus & eius ſubſtantiæ quodammodo incorporatus eſſe videtur: non aliter quam edulia, quæ à nobis ſumuntur, cum in carnis & ſanguinis naturam tranſierunt. Nam inter cætera omnia, deſperatio illud eſt peccatum, quod nos diabolicos facit, quodque ad ipſam dæmonum conditionem quam proxime accedit. Dæmones enim de ſalute ſemper deſperant, nec vllo vnquam tempore futurum eſt, vt meliora ſperare queant. Sed, vt ad rem nobis inſtitutam redeamus, ſi Ionas tunc temporis in immm ceti ventrem demiſſus, & omni ope humana deſtitutus Deum optimum maximũ ſibi præſentem & propitium non habuiſſet, quis, quæſo, prohibere potuiſſet, quo minus ille, altera eius parte in ipſam piſcis ſubſtantiam tranſeunte, altera vero inſtar excrementorum per inteſtinum in mare tranſfuſa, totus periiſſet? Sic & peccator ex alio in alium nequitiæ gradum prolapſus, niſi mature ad priſtinum gratiæ ſtatum per emendationem vitæ redierit, niſi de immenſa Dei creatoris miſericordia confiſus, diuinam eius opem rebus afflictis implorauerit, nihil aliud expectandum eſt, quam vt depoſita ſalutis ſpe dæmonis ſubſtantiæ penitus incorporatus & per eius ventrem tranſiens, demum in infernum egeratur. Sed Ionas in omnibus hiſce rerum anguſtiis poſitus, ad miſericordem Deum noſtrũ clamorem inſtituens, culpæ veniam petiie: & ſtatim exauditus eſt. Nam iuſſu diuino cunctis periculis ereptus, rurſum in terra conſtitutus eſt. Quod ſi quis noſtrũm, chariſſimi, peccatis obnoxius, idẽ præſtiterit, dubium non eſt, quin eandem à Deo miſericordiam conſecuturus, & æternæ damnationis periculo tandẽ liberandus ſit. Quamobrem ea nobis cura omnino ſuſcipiẽda eſt, vt qui ſe peccati nexibus implicatum agnoſcit, is diligenter & ſerio apud animum ſuum perpendat, quot quantaque ſubſint, quæ enim etiam lateant pericula. Deinde & illud prudenter ac ſollicite proſpiciat, quam multas & quam varias hæc illi impoſterum calamitates minentur. Deniq; cum ex hac rerum conſideratione perſpexerit, quanto in diſcrimine verſetur, ſublatis in cœlum animæ ſuæ oculis, Deum cum propheta ſancto his verbis precetur: De profũdis clamaui ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meã. Expedit etiam, vt & ij, qui vitã recte ac pie inſtituunt, hunc tamen verſum ſibi ſæpius repetendum eſſe exiſtimẽt, quo varia huius ærumnoſæ vitæ pericula deuitent. Nemo enim mortalium tam firmus eſt & ſtabilis, quin in hoc peccati profundum delabi poſſit: eoque Apoſtolus ſic monet. Qui ſtat, videat ne cadat. Qui recta via incedit, eam curam agat, ne aliquando diuertat. Quod vt præſtare queas, plurimum cõducet, vt diuinam opem in hunc modum ſæpius imploret dicatq;: De profundis clamaui ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam. Equidẽ multis ac magnis, quæ me vndiq; circumſtãt, malis obnoxius, mihiq; ab hoſtibus meis, carne, mũdo, & dæmone vehemẽter pertimeſcens, ad te, Domine, cõfugio & ſupplex fio, vt clamantem auſcultes, & ab omnibus, quæ mihi ab illis intentantur, periculis clementer eripias. Tertio loco, eſt hic verſus nobis ſæpe repetendus in eorum gratiam, qui hac vita defuncti ſæuis purgatorij tormẽtis ſubiecti ſunt, quibus ſubleuandis eccleſia Chriſti hunc pſalmũ peculiari quodã modo deſtinauit. Nam animæ cruciatibus addictæ, ſi non magnũ illum tãdem clementiæ diuinæ oceanum, interim ſaltem vnam eius guttulam noſtris precibus impetrandam cõtinenter præſtolantur, quo eorum pœna fiat aliquãto remiſſior. Quamobrem, vt hoc eis ſolatium afferamus, quanto maximo poſſumus affectu dicamus ſinguli, De profundis clamaui ad te, Domine; Domine exaudi vocem meam. Iam vero, quia pſalmus iſte à ſanctis patribus in eorum numero habetur, qui de pœnitentia inſcribuntur, cõſentaneum eſt, vt in ipſo declarationis exordio aliquam eius rei rationẽ reddamus, pauciſque verbis ediſſeramus, quidnam ſit, quod huiuſmodi titulo prænotetur, & quas tandem res complectatur, quæ ad pœnitentiam ſpectare videantur. Tres igitur pœnitentiæ partes eſſe docent omnes Theologi, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: quæ res à nobis iam antea eſt aliis atque aliis rerum figuris explicata. Multa autẽ ſunt ſacræ ſcripturæ loca, in quibus ternarius numerus has nobis partes deſignare videtur. Plurimas Iſraelitici populi commigrationes in ſolitudine, ſed præcipue trium dierum iter ſæpius refert Exodi liber: quo trium dierum myſterio eximius ille ſacrarum literarum interpres Origenes tres iſtas

1. Corint. 10.

Exod. 15.

pœnitentiæ partes ſignificari affirmat. Similiter & hæc, de qua modo verba fecimus, Ionæ hiſtoria, prophetam in ipſo ceti ventre tres dies extitiſſe, & inde clamorem ad Deum inſtituiſſe, ac
Ion.2. tertio demum die cœlitus exauditum, immanis beluæ poteſtate ereptum, & terræ redditum fuiſſe commemorat. Tres ergo dica tres pœnitentiæ actus referunt (vti eſt à nobis iam dictum:) quibus peccator diaboli tyrannide liberatus in priſtinum libertatis ſtatum aſſeritur. Quod quidem numeri ternarij myſterium propheta noſter vſurpare videtur, cum Deum his vocibus deprecatur: De profundis clamaui ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam. fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Primo enim loco contritionem petit, cum ait. De profundis clamaui ad te Domine. deinde confeſſionem his verbis poſtulat. Domine, exaudi vocem meam. Deniq; vt & ſatisfactionem aſſequatur, ſubiungit: fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Primum itaq; contritio ingens eſt & intimus animi dolor, ab ipſa cordis profunditate proueniens, quem in nobis efficit etiam profunda quædam recordatio conſideratioque de peccatis noſtris ſuſcepta. Magna profecto eſt peccati profunditas, (quod eſt à nobis iam antea declaratũ.) Quamobrem & conſcientia noſtra profunde peruestiganda, & cuiuſque peccati magnitudo cum magna animi humilitate ab intimo etiã corde profecta nobis perpendenda eſt. Profundum eſt enim cor hominis. Quiſquis vero in hunc modum ex ipſa cordis profunditate clamauerit, is omnino exaudiendus eſt. Nec enim fieri poteſt, vt eius orationem Deus ſpernat aut auerſetur.
Pſal.50. Nam cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Quæ autem maior humilitas aut contritio à nobis exigi poſſit, quam ea eſt, cum ex intima hac & profunda ſcelerum noſtrorum æſtimatione Deo optimo maximo ſupplicum more proſternimur, & diuinã eius miſericordiã imploramus? Nec ſatis eſt, vt modicus ſit iſte dolor & pœnitudo: ingens ſit plane & vehemens neceſſe eſt, vt Dei auribus ingentem ſonum ædat. Qui in hunc modum vociferatus fuerit, is vere contritus eſt, & cum propheta noſtro recte dicere poterit: De profundis clamaui ad te Domine. Quem tamen clamorem tacitum eſſe oportet & ſilentem, quique in ipſo ſolum interiori cordis receſſu audiatur, abſque ſono, abſque voce, abſque omni prorſus externo verborum ſtrepitu. Nihil enim aliud eſt contritio, quam internus animi dolor, qui in ipſa cordis latebra collocatus confeſſionem illam, quæ ore fit, ſemper neceſſario præcedit: quod niſi fiat, confeſſio parum vtiliter & fructuoſe ſuſcipitur. At quamuis contritio occulta ſit nec cordis ſeptum excedat, confeſſio tamen verbis promẽda eſt. Sunt enim ſingula peccata, & quæ peccata circumſtant ac prauitatem valde augẽt, ſacerdoti diſtincte, plane, ſyncere, ſine omni fuco & occultatione patefacienda: quod vtique alia ratione, quam verbis fieri non poſſe perſpicuum eſt. Quapropter hoc ſecundo loco inſtruitur quiuis pœnitens, vt Deum accedat, & illud ab eo precibus contendat, vt confeſſionem ipſius gratam habeat & acceptam: quod his verbis fit: Domine, exaudi vocem meam.

Tertiam pœnitentiæ partem eſſe ſatisfactionem iam dictũ eſt: cuius tria ſunt officia, eleemoſyna, ieiuniũ, & oratio. Inter hæc vero principem locum obtinet oratio, & totam fere ſatisfactionis rationem abſoluit: quod tribus rationibus adducitur. Nam primum reliqua duo, eleemoſynam & ieiunium complectitur. Deinde præſtantioris ac nobilioris rei ſacrificium eſt, quam ea ſunt. Demum ex earum rerum genere eſt, quæ communiores habentur: quo fit, vt & minori negotio comparari & facilius à quouis homine præſtari queat. Oratio quidem eleemoſyna eſt, & veram eius naturam induit, maxime vero, cum hominibus peccatorum calamitate miſerum in modũ depreſſis impenditur. Quod cum à nobis fit, eleemoſyna ſpiritualis animæ confertur, quæ corporalem multis partibus ſuperat. Præterea, ſi ab intimo animi affectu, vti par eſt, proficiſcatur oratio, corpus fatigat & debilitat, efficitq;, vt animæ promptius obtemperet: quod propriũ ieiunij munus eſſet cenſetur.

Atq; his quidem rebus clarũ efficitur quemadmodum oratio reliqua duo ſatisfactionis officia comprehendat, quæ ſunt eleemoſyna & ieiunium. Ad hæc, eſt oratio eius rei ſacrificium, quæ nobilior, excellentior, & diuino numini multo gratior eſt, quam vel eleemoſyna vel etiã ieiunium. Nam cum eleemoſynas pauperibus elargimur, de rerum terrenarum ſubſtantia, & cum ieiunamus, de corporum noſtrorum ſubſtantia Deo ſacrificium facimus. At cum inſiſtimus orationi & mentem ad Deum attollimus, ipſius animæ fit ſacrificium, quod eſt oculis diuinis longe gratiſſimum. Quamobrem quanto anima corpori cæteriſq; huius mundi rebus omnibus dignitate ac nobilitate præſtat, tanto eſt orationis quam eleemoſynæ aut ieiunij ſacrificium præſtantius & diuinæ maieſtati acceptius. Poſtremo, eſt oratio ex iis rebus, quæ ab omnibus hominum ordinibus & communius haberi & facilius præſtari poſſint. Non enim cuiuis homini tantæ ſunt facultates, vt pauperioribus erogare, nec corpus tam firmum ac validum, vt diu aut frequenter ieiunare queat. Sed quis tandem eſt hominum tam fracto aut imbecilli corpore, qui Deum interdum orare non ſufficiat? Certe nemo.

Quibus rationum momentis conuincitur, orationem eſſe communiorem, & ab vnoquoq; noſtrûm facilius & acquiri & exerceri poſſe, quam eleemoſynam & ieiunium. Eſt igitur oratio præcipua ſatisfactionis pars: quam idcirco propheta ſanctus nobis commendat, & pœnitentem

tentem hoc loco docet, vt Deum accedens illud ab eo magna cum fiducia contendat, vt deprecanti aurem benignam præbeat. fiant, inquit, aures tuæ inteudentes in vocem deprecatinnis meæ. Cuius quidem petitionis ſumma eſt, vt Deus pœnitẽtiam noſtram ex bona voluntate profectam, & cum debita contritioue, confeſſione, ac ſatisfactione præſtitam, acceptare, noſque ſua manu ſuſtentare dignetur, ne in horrendum illud æternæ damnationis baratbrũ corruamus. Nam ſi Deus ſe durum & immitem & ob quodnis delictum à nobis In diuinam eius bonitatem admiſſum ita prorſus inexorabilem oſtendat, vt ſuam deprecantibus elementiam iam amplius impertire non velit: periculum eſt, ne nos dimiſſa, quam eius cauſa ſuſcipimus, patientia, æternum pereamus. Qua de re ſic ait Sapiens: Væ his, qui perdiderunt ſuſtineutiam. Hanc autem ſuſtinendi voluntatem non alia res in nobis tuetur ac ſuſtentat, quam ſola veniæ per Dei miſericordiam impetrandæ fiducia. Eaque de cauſa propheta ſanctus nos inſtruit, vt in Deum ſpẽ firmam & inconcuſſam babeamus, eaque re animas conſolemur: fore promittens, vt is omnibus veram contritionem ac pœnitentiam ſuſcipientibus miſericordiam ſuam impẽdat. Cuius promiſſi fidẽ tribus rationibus corroborat: ex occaſionibus, quæ peccatorum remiſſioni obſtare ſolent; ex fide ſingulis hominibus vere pœnitentibus data; ex immẽſa Dei miſericordia, quæ cunctis mortalibus eam rite petentibus & vitiis ex animo renunciantibus ſemper præſto eſt. — *Eccleſ.2.*

Tria igitur ſunt, quæ veriſimiliter Deum impedire poſſint, quo minos peccata condonet. Primum eſt, ſcelerum ipſorum magnitudo & acerbitas: ſecundum exacta Dei iuſtitia: tertium, diuinæ legis ſanctio. Sed à nobis mos oſtendetur, hæc tria eam vim non habere, vt peccatorũ remiſſioni obſiſtere queant, nec Deum quidem ipſum facere poſſe, quin peccatoribus veniam clementer impertiat, quantumuis atrocia ſint eorum flagitia, modo eos ſcelerum à ſe perpetratorum vere pœniteat. Nam quod ad peccati enormitatem, ſi nobis certũ eſt & deliberatum vitiia relictis. vitam impoſterum rectius inſtituere, nulla vnquam ſcelerum noſtrorum immanitas diuinam benignitatem præpedire poterit vt veniam ad ſe conuerſis non largiatur. Quod ſi fieri poſſet, nos profecto vniuerſi magno in diſcrimine verſaremur. Si enim, poſt admiſſum ab aliquo noſtrûm peccatum, nobis certo conſtaret, nullum eſſe veniæ locum, nec velle Deum amplius peccantibus indulgere: quid nobis reſtaret aliud, quam vt animos plane deſpondentes in profundiſſimam illam deſperatæ ſalutis foueam corrueremus? Nam deſperare quid aliud eſt, quam de miſericordia diuina veniaq; ſpem omnem deponere? Sed proculdubio, chariſſimi, res longe aliter ſe habet: eſt Deus noſter ſemper miſericors, ſemper ad ignoſcendum propenſus. Cui rei fidem faciunt innumeri viri ſancti in cœlum recepti, qui tamẽ iam olim diuinarum legum violatores & grauiſſimis peccatorum nexibus impiicati fuerunt. Et quis tandem eſt omnium hominum, qui nullo vnquam tempore in peccatum prolapſus eſt? Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato. Omnes, inquit D. Paulus, peccauerunt, & egent gratia Dei. Sed hæc Dei noſtri benignitas & humanitas, hæc ipſius In peccatores gratia petentibus ſemper patuit, ſemper patebit. Quæ res non alia confirmatione, quam, quod à nobis iam adductum eſt, Ionæ exemplo indiget. Is enim in quam altam & ineluctabilem malorum abyſſum ſuo ſcelere prolapſus, quam mirabiliter immenſa Dei clemeutia ereptus fuerit: quẽadmodum in ſummo etiam vitæ diſcrimine cõflictatus, cum omnia plane deplorata, nec quicquam vel auxilij vel ſpei in humanis reliquum eſſe cerneret, ad Deum tamen miſericordiarum patrem clamauerit ac diuinam eius opem rebus afflictis & implorarit & confeſtim retulerit, me referente iam audiſtis. — *Prouerb.40.* — *Rom.3.*

Nunc igitur, ô homo, quiſquis es, qui ſcelerum tuorum mole prægrauatus ſalutis ſpem depoſuiſti (ſi talis quiſpiam hic forte nunc adſit) diligenter auſculta, quam fuerit atrox Ionæ Dei mandatum detrectantis flagitium: cui tamen ille culpam deprecanti veniam non negauit, ſed benigne largitus eſt. Certa quidem res eſt, quanto Deus in aliquem munificentior extiterit, quantoque altiorem ei dignitatis locum contulerit, tanto maius eſſe hominis crimen & offenſionem, ſi Dei legem & præceptum violauerit. Fuit Ionas ad ſublime quoddam munus à Deo vocatus. In mandatis habebat: vt pro vniuerſa republica verba faceret (Apoſtolica eſt illa functio, quæ omnes huius mundi dignitates longe ſuperat.) Prophetiæ ſpiritu præditus erat: quod admirabile donum eſt & paucis admodum conceſſum. Prouincia ei delegata non generali aliqua præceptione (quod epiſcopis in eccleſia & cæteris fere curam animarum gerentibus vſu venit) ſed ratione quadam magis propria & peculiari, reuelatione diuinitus facta, ipſo Dei loquentis verbo & oraculo Ionæ delata fuit. Sic enim in ſcriptura ſacra habetur: factum eſt verbum Domini ad Ionam. Regis vero mandatum, quod ad vnum aliquem ſigillatim deſtinatur, longe aliter ſe habet, quam quod ad multitudinem ex æquo ſpectat. Præterea negocium, quod ab eo exigebatur, & non parui erat momenti & eius tamen generis, vt ab eo facili momẽto præſtari potuiſſet. Rem quidem magnam extitiſſe vel inde æſtimare quiuis poterit, quod ab eius legatione centũ & viginti animarũ milliũ ſalus pendebat (tot enim erãt in ea ciuitate, ad quam Ionas deſtinatus fuit.) Nec prolixa aliqua & elaborata oratione opus erat ad permouendos hominũ animos. Sufficiebãt paucule voces iſtæ: Adhuc 40. dies, & Niniue ſubuertetur. Quorum vtiq; verborum enunciatio res erat nõ operoſa

ſed facilis, & quæ ab illo quam optime & nullo pene negotio geri potuiſſet. Sed Ionas in ſe propenſior quam par erat, hæc tacitis ſecum cogitationibus, vane quidem & inepte, verſabat. Eſſe Deum natura tam benignum ac miſericordem, vt, ſimulatque illi crimen deteſtantes ſeſe diuino numini reos ſtatuerint, continuo ſit miſericordiam impenſurus: atque ita futurum, vt ipſe ab omnibus mendax, & nulla dictis fides impoſterum habeatur. Hac de cauſa fugam meditatus eſt, nec eius imperio obtemperare voluit, magis de ſua apud homines fide tuenda ſollicitus, quam de eo, ne tot animarum millia perirent.

Quæ quidem omnia ſi à nobis rite perpendantur, perſpiciemus, quam atrociter Ionas diuinum & numen contempſerit & mandatum violarit. Sed optimus & benigniſſimus Deus noſter, omnem iniuriam ſibi irrogatam obliuioni tradens, ſtatim vt Iooam ex hoc periculorum profundo ad ſe clamantem ſuomque in Deum conditorem ſcelus & ingratitudinem deprecantem aodiuit, miſericordiam ac veniam clementer impertiuit. Quodſi Deus hoc ingrati hominis facinus memoria retinere voluiſſet, ille malis, quibus immerſus erat, nulla vnquam ratione liberari potuiſſet. Sed pius ac miſericors Dominus pœnitentiam, quam agebat, pluris faciebat, quam crimen, quod ab eo iam patratum erat. Atque eodem plane modo cum vnoquoque noſtrûm agit, cum vitam in vitiis tranſactam ex animo deteſtantes veniam precamur. Quod ni faceret, nec Ionas, nec quiſquam mortalium hoc in profundam deſperationis foueam prolabēdi periculum euadere vllo modo poſſet. Eoq; à propheta noſtro dicitur: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Atque ex his quidem rebus manifeſtum euadit, fieri non poſſe, vt peccata noſtra aliquod immenſæ Dei miſericordiæ impedimentum obiiciant, ſi nos eorum vere pœniteat. Nunc & illud docebimus, nec Dei iuſtitiam eius conditionis eſſe, vt diuinæ illius miſericordiæ obſtare queat. Illud omnino exigit iuſtitiæ ratio, cum quis læſus eſt, vt aliqua de damno illato compenſatio fiat, antequam offenſa penitus remittatur. Leuit. 16. & 23. Numer. 29. Eaque de cauſa in lege antiqua Moyſes ex imperio diuino ſolennem quandam feſtiuitatem inſtituit ſingulis annis celebrandam, quam expiationis feſtum & propitiationis diem vocarunt. Solebat in ea feſtiuitate offerri holocauſtum pro vniuerſis totius populi peccatis. Pontifex animalia quædam in exteriori templi parte ſanctificabat. Deinde veſtibus ſacratis ſolenni ritu indutus, ſanctuarium ingrediebatur ipſe ſolus. Et progreſſus ad eum locum, qui Sancta ſanctorum dicebatur, partem ſanguinis beſtiarū ſecum ſumpſit, qui ſepties ab illo ante thronum Dei (quem illi propitiatorium, id eſt, miſericordiæ locum appellabant) aſpergendus erat. Atque hoc quidem ſacrificio Deus placatior effectus, miſericordiam populo præſtabat: eoque feſtiuitatem illam diem propitiationis dicebant. Iam vero, chariſſimi, quæcunque à pontifice in lege veteri gerebantur, nihil aliud erant quā typus & (vt ab Apoſtolo ad Hebræos dicitur) futurorum bonorum cognitæque veritatis vmbra & ſignificatio. 1. Corinth. 10. Heb. 10. Quamobrem, cum ſint hi noſtri dies copioſæ gratiæ ac miſericordiæ dies, non debemus æſtimare nos deteriori loco eſſe, quam fuerunt iam olim Iudæi. Erat illius temporis ſacrificium Deo gratum, eiusque iram placauit. Multo igitur magis nunc, cum ſuperabundauit gratia, ſacrificium eſſe oportet, quod vim habeat & ad peccata penitus expianda & ad Deum conciliandum permouendumq; vt ſuam in nos miſericordiam exerceat. Ad mētem reuocemus, chariſſimi, quis noſter ſit pōtifex, quale ſacrificiū, cuiuſmodi ſanguis, quodnā ſanctuarium, quo ſine ſint hæc omnia diuinitus inſtituta. Magnus ille magiſter diuus Paulus in ea mirabili, quam ad Hebræos ſcripſit, epiſtola, ſic habet. Heb. 9. Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt, nō huius creationis neq; per ſanguinē hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinē introiuit ſemel in Sancta, æterna redēptione inuenta.

Eſt ergo Chriſtus Ieſus pontifex noſter, precioſum eius corpus ſacrificiū noſtrum, quod in ara Crucis pro ſalute omnium hominum immolauit. Sanguis noſtræ redemptionis cauſa profuſus nō erat vitulorum aut hircorum (quēadmodum in lege antiqua) ſed agni innocentiſſimi Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri. Templum, in quo pontifex noſter ſacrum faciebat, nō manufactum, ſed Dei ſolius potentia exædificatum fuit. Sanguinem enim ſuum in conſpectu mundi profudit: quod vtique templum eſt ſola Dei manu fabrefactum. Hoc vero templum duas partes habet; altera terra eſt, quam nos nunc incolimus; altera nobis mortalibus adhuc eſt incognita. Primum quidem, ſacrificium immolauit hîc in terra, cum mortem acerbiſſimam ſubiit. Deinde vero, cum nous immortalitatis veſte indutus per proprium ſanguinem in Sancta ſanctorum, id eſt, in cœlum introiuit: vbi & illum immenſi precij ſanguinem, quem pro cunctis hominibus peccato obnoxiis ſepties effuderat, ante thronum patris cœleſtis exhibuit. Hoc autem ſacrificium tam eſt Deo gratum & acceptum, vt ſimulatque illud conſpexerit, facere non poſſit, quin noſtri ſtatim miſertus, clementiam omnibus vere pœnitentibus impendat. Eſt porro æternum: nec ſingulis ſolum annis (vt apud Iudæos fiebat) ſed & ſingulis diebus ad noſtram conſolationem, adeoque ſingulis etiam horis & momentis offertur, vt fortiſſimum ſolatium habeamus. Qua de re ab Apoſtolo ſubiungitur: Æterna redemptione inuēta. Heb. 6. Huius vero ſancti & æterni ſacrificij participes

cipes fiunt omnes, qui veram contritionem ac pœnitentiam de ſceleribus admiſſis ſuſceperunt, quibus certum eſt ac deliberatum vitia deinceps non repetere, ſed in cœpto virtutum
1. Iohan 2. ſtudio conſtanter perſeuerare. Quæ res à D. Ioanne his verbis aſtruitur: Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Nos igitur omnes, qui de peccatis iam perpetratis ex animo dolemus, quibus impoſterum vitam melius inſtituendi ac per Dei gratiam perſiſtendi conſtans eſt voluntas, certa fiducia niti poſſumus, fore, vt pater cœleſtis hoc precioſi corporis Chriſti Ieſu filij ſui noſtræ redemptionis cauſa quotidie immolati ſacrificio conciliatus, iniquitates noſtras non obſeruet ſed remittat, ſuamque in nos miſericordiam, quoties illud ab eo poſtulauerimus, prompte exerceat. Eſt enim ſacrificium iſtud propitiatio pro noſtris omnium peccatis: eaque de re propheta noſter ad Deum ſermonem inſtituens, ſic ait. Quoniam apud te propitiatio eſt. Quæ cum ita ſe habeant, cum ſanctum hoc ſacrificium tantas vires habeat ad conciliandam Dei miſericordiam, cumque ſit ipſa etiam pœnitentiæ noſtræ vis & robur, quo de peccatis quamtumuis atrocibus diuinæ iuſtitiæ ſatisfacimus: quis vnquam exiſtimabit, fieri poſſe, vt iuſtitia Dei ſuæ miſericordiæ aliqua ratione obſiſtat? Quod ad legis diuinæ ſanctionem attinet, ſimilis omnino eſt ratio. Nihil enim eſt, quod de venia peccatorum impetranda metuamus, ſi modo rite poſtulemus. Erat quidem illa lex Iudæis data formidabilis admodum & immitis, eaque de cauſa lex timoris & mortis appellata eſt. Sed nunc omnes illæ ceremoniæ, terrores, ſeruitus, & ſeueritas, legis violatoribus propoſita, ſunt plane antiquata: & eorum loco noua lex (vti dicit Apoſtolus) ſancita eſt & promulgata, quæ libertatis & gratiæ, vitæ & miſericordiæ lex appellatur. De priori illa Moyſe legiſlatore publicata diuus Paulus in hunc modũ loquitur. Irritam quis faciens legẽ Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Ecce quantus fuerit legis illius rigor & ſeueritas. Sed quid in lege Chriſti ſcriptum ſit, etiam auſcultemus. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Ergo ex lege Chriſti ſalutatoria noſtri Deus ad miſericordiam nobis præſtandam propenſus eſt, ſi nos ſcelerum noſtrorum vere pœniteat. Et vt quilibet de hac re certus reddatur & ſecurus, idcirco hæc tam inſignis peccata relaxandi poteſtas apud nos in eccleſia relicta eſt, cuius diſpenſatio penes ſacerdotes eſt, quibus diuinitus conceſſum eſt, vt pœnitentibus peccata omnia remittant. Atque hæc eorum authoritas ipſis ſacræ legis verbis nititur
Iohan.20. vbi Chriſtus ſaluator ſic ait. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quamobrem, chariſſimi, quiſquis eſt noſtrûm qui ſe peccatis prægrauantibus depreſſum agnoſcit, is cum animo vere contrito ſacerdotem accedat, peccata omnia ſyncere & ſine omni fuco confiteatur, & ea illius arbitratu ac præſcripto ſubmiſſe ſatisfaciat: & dubium non eſt, quin ea ipſa ſacramenti huius vi & efficacia ſit ſcelerum ſuorum omnium quantumuis immanium veniam conſecuturus. Eſt lex iſta mitis admodum & miſericordiæ plena, ab ipſo Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro Dei filio promulgata. Nullo igitur modo nobis committendũ eſt, vt eam violemus. Quod qui fecerint, iis expectandum eſt, vt magnam apud Deum offenſionem ſuſcipiant. Et quinam tandem ſunt illi, qui huius Chriſti legis violatores habendi ſunt? Certe, qui magna hac legis Chriſti ſuæ lenitate freti, eo quidem audacius & effrenatius peccant, quod Dei miſericordiam tam promptam & expoſitam eſſe vident. Nos (ob diuini numinis reuerentiam) cautius ambulemus, vitamq; noſtram & mores ex leniſſima Chriſti legislatoris noſtri norma componamus. Quodſi nos in hoc gratiæ abundantioris tempore Dei leges tranſgredimur, tanto eſt atrocius, quod à nobis perpetratur, flagitium, quanto maiora ſunt eius in nos beneficia. Sed ſi forte cõtingat aliquando, nos ex inconſiderantia vel etiam ex infirmitate humana aliquid facere, quod Deum nobis infenſum reddere queat, non tamẽ animum deſpondere vel ab eo penitus recedere, ſed magis adhæreſcere, inniti, & noſmetipſos veniæ impetrandæ ſpe ſuffulcire debemus: trabis inſtar, qui parieti ſubnixus, videri quidem poſſit, quod eum ſuſtentet, cum reipſa magis ab eo ſuſtentetur. Quod tum demũ manifeſte deprehenditur, cum pariete deficiente trabes vnà in terrã corruit. Pari modo ſi nos magna cum fiducia diuinæ miſericordiæ inniti & adhærere voluerimus, ita vt Deũ in nobis quodammodo ſuſtentare videamur: fiet plane, vt, licet ipſe ſua nos gratia magis ſuſtentet, vnicuiq; tamen noſtrûm ob id, quod à nobis præſtatur, cum propheta dicere liceat: Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Hactenus à nobis declaratum eſt, nec peccata noſtra, nec Dei iuſtitiã, ſed nec diuinæ legis ſanctionem obſtare poſſe, quo minus pœnitentes ſcelerum ſuorum veniam omni tempore cõſequantur. Nunc ſupereſt, vt ſecundo loco eam rẽ ipſis Dei verbis & promiſſione ex ſacris ſcripturis deprompta demonſtremus. Deus opt. max.
per Ezechielem prophetam fidem ſuam nobis obſtrinxit, fore, vt quiuis peccator, cui certum ac deliberatum eſt vitiis renunciare, veniam ſit impetraturus. Hæc ſunt ipſius verba. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Poteſtne quiſquam mortalium, quantumuis flagitioſus, omnẽ ſalutis ſpem deponere, ſi hoc promiſſum ab ipſo Deo generatim omnibus datum certa cum fide ſibi proponat? Quid eſt igitur, quod æternam damnationem Ezech.18.
quis

Heb.10.

Matt.3.& 4.

quis amplius formidet? Qua tandem alia, quam
Dei ſolius, authoritate & imperio cruciatibus
illis addicendus eſt? Ille quidem ſi mandauerit,
nullus detrectationi, nullus fugæ locus: nihil
auxilij, nihil ſpei reliquum eſt. Illius imperi-
um omuiuo ſuſcipiendum eſt & ferendum. Sed
louge aliud eſt, quod beniguus Deus pro ſua
iu uos bonitate mandat. Is enim ſic ait. Con-
uertimini & agite pœnitentiam ab omnibus
iuiquitatibus veſtris: & non erit vobis in rui-
nam iniquitas. Aduertite chariſſimi: ſunt hæc
ipſius verba. Au nou ſunt hæc ad omues homi-
nes peccatis obnoxios habita? An vero ipſi Deo
ad nos verba facienti fidem derogabimus? Cer-
te quicquid dicit, fides illius verbis omniuo ha-
Pſal.144. beuda eſt. fidelis enim Dominus in omuibus
verbis ſuis. Nos igitur dictis illius coufidamus,
reique uobis promiſſæ fiducia freti, noſmeti-
pſos à profuuda deſperationis voragine ſuſten-
temus; vt cum propheta dicere poſſimus ſingu-
li: Suſtinuit anima mea in verbo eius. Immen-
ſa illius potentia fidem magnopere corroborat:
quam vtiq;, niſi omnipotens eſſet & incommu-
tabilis, omni tempore liberare non poſſet. Nam
vſu experimur, fieri, vt hominum promiſſioues
& couſilia iu ſingulos fere & dies & boras mu-
tentur, interdum ob virium imbecillatem aut
voluutatis iuopiam, iuterdum ob id, quod vita
ex iufirmitatis humanæ vitio ſucciſa, quæ face-
re deſtiuariut vel forte etiam in ſe receperint,
præſtare nequeaut. Eſt enim tritum ſermone
prouerbium: Homo propouit, & Deus diſpo-
uit. Poteſt quidem Deus hominum conſilia &
decreta pro ſuo arbitratu irrita facere cuiuſcun-
que ſint illi conditionis aut fortuuæ. Sed tanta
eſt ipſius potentia, vt iu vniuerſa rerum creata-
rum natura nihil ſit, quod ei obſtare valeat. de
Rom.9. qua re diuus Paulus: Voluutati eius quis reſiſtit?
2.Timoth.1. Et in alio quodam loco. Scio, cui credidi, & cer-
tus ſum, quia poteus eſt depoſitum meum ſer-
uare. Sed hæc res non ſolum ab Apoſtolo, ſad
& ab vniuerſa prorſus ſcriptura ſacra teſtimo-
Eccleſ.2. nium habet. Nam in libro Sapientiæ ſic habe-
tur. Reſpicite filij, nationes hominum: & ſci-
tote, quia uullus ſperanit iu Domiuo, & confu-
ſus eſt. Si nobis veniæ impetraudæ certa fidu-
cia eſſet, nec tamen demum conſequeremur:
dubiũ nou eſt, quin ea res nos vebementer con-
funderet. Quæ enim maior & inſignior coutu-
melia cuiquam irrogari poſſet, quam ſi is diui-
no numini ſiſteretur, ſpectantibus vniuerſis
beatorum & ſpirituum & hominum ordinibus,
& cum ſeſe iu eorum cætum aſcribendum ſpera-
ret, contra ſpem omnem in tenebras exteriores
eiiceretur? Quid igitur faciemus miſeri? Quid
enim turpius, quid ignominioſius accidere cui-
quam poteſt, quam vt tam frequentem tamque
glorioſam concionem ſui dedecoris ſpectatri-
cem ac teſtem habeat? Sed verbi tui (benigniſ-
ſime Deus) authoritas nos certos & ſecuros
reddit, ex iis omuibus, qui ſuam in te ſpem re-
poſitam habuerunt, nemiuem adhuc pudore
affectum fuiſſe. Nullus ſperanit in Domiuo,
& confuſus eſt. An vero ſtatues, vt uos primum
locũ occupemus? At fortaſſe, nos non tam ſe-
rio de peccatis in te commiſſis dolemus, quam
cæteræ iam olim nationes fecerunt. Certe pa-
rem cum illis dolorem babere cupimus, bona
voluutas eſt, vere & ex animo pœnitendi affe-
ctus eſt. Et ſi dolor noſter & pœuitudo adiu-
ſtam magnitudinem non perueuiant, tuæ boni-
tati ſupplices ſumus, vt ea reddas auctiora: quo
fiat, vt nos æternam bæreditatem ex promiſſi-
onis tuæ fide adituros eſſe certò ſperemus, tuæ
potẽtiæ magnitudine freti, qua rem nobis pro-
miſſam, quantumuis iugentem, præſtare vales:
vt demum ab vnoquoq; noſtrûm magna cum
fiducia dicatur: Sperauit anima mea iu Domi-
no. Sed dicet fortaſſe quiſpiam. Equidem ſcio
Deum veracem, ſcio & præpotentem eſſe: nec
dubito, quiu ſi quid promittat, ſit bona fide
præſtiturus. Sed cum peccatori ſemel ignoue-
rit, quod ad fidem liberandam attinet, ſatis eum
iam feciſſe videri, uec ab eo exigi, vt, ſi pecca-
tum rurſus perpetretur, deprecãti rurſus igno-
ſcat. Non deerit fortaſſis, qui hæc & horum ſimi-
lia apud animum ſuum verſet, maxime vero cum
aduerſarius noſter Diabolus huiuſmodi cogi-
tationes obtrudat vt aliquem facilius in deſpe-
rationis harathrum pertrahat. Sed quiſquis is
eſt, ſunt eius cogitationes à veritate prorſus ali-
enæ: quod rebus addicemus neceſſariis. Nam
iu euaugelio D. Lucæ monemur, vt ignoſca-
mus nou ſemel tautum, ſed quoties proximus
iu nos peccauerit. Saluator ipſe ſic ait: Si pec- *Luc.17.*
cauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœ-
nitentiam egerit, dimitte illi: Et ſi ſepties in die
peccauerit iu te, & ſepties in die conuerſus fue-
rit ad te, dicens, pœnitet me: dimitte illi: Quibus
verbis illud uobis præcipitur, vt culpam ex ani-
mo condonemus, nõ ſemel aut iterum, ſed quo-
ties frater, vel qui nobis eodẽ legis Chriſtianæ
ſymbolo couiunctus eſt, aliquid in nos admiſe-
rit. Quid? an uon maior iu Deo expectanda eſt
clementia, quam in hominibus? omniuo. An ve-
ro exiſtimabimus bomiues ad ignoſcendum vel
propenſiores vel etiam copioſiores futuros eſſe,
quam Deum? nequaquam: Cum enim omnis
clementia, omnis miſericordia, omnis pietas, o-
mnis beuignitas in Deo maxime reperiantur:
quem taudem illi adæquandum cenſebimus?
Eſt à ſaluatore uoſtro dictum: Nemo bonus, ni- *Mar.10.*
ſi Deus. Nemo mortalium tam exactam boni
rationem aſſequitur, uemo tam purus, tam ſyn-
cerus, tam ab omni ſimulationis & malitiæ labe
immunis ac prorſus alienus eſt, quam Deus.
Quamobrem, ſi homines, ex quibus nemo eſt
peccati expers, ſibi tamen inuicem ignoſcunt;
quanto magis diuina bonitas, in quam malitia
cadere nou poteſt, illud præſtabit, quoties nos
ſcelerum à nobis perpetratorũ vere pœnituerit,
& culpam ex animo deprecaturi ſimus: maxime
vero, cũ ipſe ſuam uobis fidẽ ea de re obſtrinxe-
rit: dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Et alibi:
Qua

Mar.11. Matth.7. Mar.4. Luc.6. Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quibus rebus manifeſtũ euadit, eos toto (quod aiunt) cœlo errare, qui ſemel tantum apud Deum veniæ locum eſſa exiſtimant. Quantumuis enim uumeroſa & atrocia ſint uoſtra flagitia, ſi quaudo ad eum per pœuiteutiam couuerſi, veniam imploremus, uou ſeremus repulſam. Sed ea cura nobia omuiuo ſuſcipieuda eſt, charisſimi, vt priusquam ex hac vita migremus, veniam deprecemur. Veniet enim mors immitis, quæ uobis lucidum hoc remiſſiouis ac ſalutis tempus ſubtractura eſt: eique ſucceſſuræ ſuut noctis tenebræ, iu quibus nihil à uobis fieri poterit, quod ad veniam impetrandam conducat. De qua quidem uocte à ſaluatore noſtro ſic dicitur: *Iohan.9.* Veniet nox, quaudo uemo poteſt operari. Ergo quamdiu in hac vita calamitoſa verſamur, ab ipſo uimirũ natalis noſtri exordio ad extremum vſque ſpiritum, dies eſt, iu qua pœnitentia noſtra Deo grata & acceptabilis eſſe poteſt, eoq; de venia peccatorum conſequenda bene ſperare licet. Quæ quidem dies in horas duodecim diſtincta eſt: *Iohan.11.* quod iu euangelio D. Iohannis ſaluator noſter parabola quadã expreſſit. Si te vere pœnitet, quacuuque hora acceſſeris, Deus opt. max. accedeutem nou auerſabitur. Siue citius ſiue ſerius petitiouem inſtitueris, bouo animo eſto, *Luc.23.* veniam peteutem clementer exaudiet. Nam latro in extrema mortis hora, ſimul atque miſericordiam implorauit, uoune ſtatim conſecutus *Ion 2. 4.Reg.20.* eſt? Idem Ionæ eoutigit, cum iam in ſummo vitæ diſcrimiue verſaretur. Ezechias quoque, cum ex communi medicorum ſententia deploratus haberetur, diuinam in ſe miſericordiam expertus eſt. *Daniel. 4.* Sed & Nabuchodonoſor, qui Deum ſæpius auerſatus, ſæpius ad eum reuerſus eſt, au uõ demum ſcalerum ſuorum omnium veuiam impetrauit? Similiter & Dauid propheta, cum poſt admiſſum adulterium & homicidium aliud ad- *2.Reg.24.* huc flagitium perpetraſſet, noune & ipſe aguito ſcelere ex immenſa Dei miſericordia iu gratiam receptus eſt? Quis igitur audebit affirmare, Deum peccati veuiam nõ amplius quam ſemel impendere: cum ſit etiam ſcriptum: In quacunque hora ingemuerit peccator, ſaluus erit. Ergo, quiſquis in hac vita peccata ſua ea animo deplorat, ſiue illud maturius ſiue tardius præſtiterit, is veniam à beuigniſſimo Domiuo ſperare poterit. Quod vt faciamus, propheta ſanctus uos his verbis hortatur. A cuſtodia matutiua vſque ad noctem ſperet Iſrael iu Domiuo. Ab eo tempore, quo in hanc lucem ædimur, ad illam vſq; horam, qua uobis ex hac vita migrandum eſt, inuitat propheta, vt de immenſa Dei miſericordia & peccatorum ſuurum remiſſione coufidat Iſrael (quo uomine deſignantur omnes vere pœnitentes, qui Deum per fidem & ſpem contẽplantur.) Quamobrem illud nobis certum & exploratum eſſe debet, fore, vt Deus miſericordiam iu eos omnes exerceat, qui de peccatis in eum admiſſis rite pœnitentiam agunt. Qua de re nos ſecuros reddũt, primum quidem certum Dei promiſſum, deinde & ſumma eius potẽtia, qua rem promiſſam omui tempore præſtare poteſt, ac deuique mira ipſius in homines benignitas & ad ignuſcendum propenſio: quam nunc poſtremo loco infiuitam plane & iuenarrabilem eſſe docebimus. Quia apud Dominum miſericordia. Diuinam miſericordiam omuino magnam eſſe oportet quæ nullos fines aut terminos admittit. Nam vnaquæque res creata, quæ modica eſt & certis quibuſdam temporis aut numerorum limitibus circũſcribitur, & cui aliquid vel addendo accedere vel ſubtrahendo decedere poteſt, imperfecta ſit neceſſe eſt. Sed quicquid Deo tribuitur, perfectum eſt: eoq; diuina miſericordia omnem & temporis & uumeri menſuram excedat oportet, cuius magnitudo nullis finibus terminatur. Sic enim ſcriptum eſt: Secundum magnitudinem illius, ita & miſericordia illius cum *Eccleſ.2.* ipſo eſt. Potentiam vero ipſius immenſam eſſe, ſcriptura ſacra his verbis docet. Et magnitudinis *Pſal.144.* eius uou eſt finis. Eſt ergo Dei miſericordia infinita, & ſemper eadem, nec vnquam vel augeri vel diminui poteſt. Quod D. Iacobus hiſce verbis affirmat. Apud quem nou eſt tranſmutatio nec *Iac.1.* viciſſitudinis obumbratio. Et Dauid iu eo Pſalmo, qui à nobis iam explicatus eſt, Deũ in hunc modum alloquitur. Tu autem idem ipſe es. Quã *Pſal.101.* rem fortaſſis & hoc loco innuit, cum de miſericordia diuina abſolute loquitur. Nec enim myſterio vacare exiſtimandum eſt, quod ſine certa aliqua præteriti, præſentis, aut futuri temporis determinatione dicit: Quia apud Dominũ miſericordia: hac enim ratione æternam & infinitam indicare videtur. Et quemadmodũ præclara hæc Dei miſericordia omnes numerorũ & ſpaciorum terminos ſupergreditur, ita nec vllis tẽporum limitibus comprehendi poteſt: ſed omni tempore, omnibus horis, omnibus momentis, quandocunq; peccator ad recipiendum idoneus eſt, & ipſe ad largiẽdum promptus eſt. Quod alio quodam in loco ſcriptura ſacra nobis teſtatum facit, vbi ſic habetur: Quis inuocauit eum, *Eccleſ.2.* & deſpexit illum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet iu die tribulationis peccatum. O voces longe iucundiſſimas, quæ omnem mellis & faui dulcedinem vincunt. Illud mihi tribuas, benigniſſime Deus, vt eas vſu & experientia ediſcam. Tu neminem vnquam culpã deprecantem auerſatus es: eo quod pius, clemẽs & ad ignoſcendum propenſus es. An non ſunt hæc verba ex ipſis ſcripturæ tuæ ſanctæ monumentis deprompta? An non & bona fide à te præſtita? Tu enim nos ex nihilo creaſti: tu ad tuam miſericordiam quotidie confugientes quotidie clementer excipis. An vero timendum eſt, ne nos ſoli excludamur? Certum quidem eſt, magna eſſe, quæ à nobis perpetrantur, flagitia: ſed miſericordia tua omnem plane magnitudinem & mẽſuram ſuperat. Numeroſa ſunt ſcelera noſtra: ſed miſericordiæ tuæ non eſt numerus. Nos peccata, quæ ſunt à te iam remiſſa, ſæpenumero repetimus: ſed miſericordia tua nullis eſt tempo-

rum

rum ſpaciis concluſa, imo vero nobis omnibus, quos vitæ prioris vere pœnitet, eſt omnibus boris parata & eapoſita. Quia apud Dominum miſericordia. Cōtingit ſæpius, vt quis homini malis conflictato condoleat quidem, cui tamen laboranti opem ferre non queat: Exempli gratia. Tenuioris fortunæ quiſpiam carcerem ingreſſus, multos captiuos ferro & vinculis conſtrictos videt: atque hoc calamitoſorum hominum ſpectaculo permotus, intimo quodam humanitatis ſenſu afficitur, ſed nihil babet, quo miſeris ſubueniat. Si hæc eſſet Dei noſtri conditio, ipſius miſericordia parum vtilitatis nobis adferret. Sed res aliter ſe habet: ille pauper non eſt, longe opulentiſſimus eſt, opeſque poſſidet ingentes & inexhauſtas, quæ vniuerſo etiam mundo ex impuri dæmonis carcere & captiuitate redimendo ſufficiant. Opes vero huic rei opportunæ ſunt, non corruptibile aurum & argentum (vti à D.
1. Pet. 1. Petro dicitur) ſed precioſus ſanguis quaſi agni immaculati & incōtaminati Chriſti Ieſu vnici æterni patris Filij; qui, quæcunq; ſunt in vniuerſa rerum natura, omnia fecit in numero, pondere, & menſura Medicus quidem, cum ſanguinem alicui minuendum cenſet, certam aliquam porportionem decernit. Sed pius ac benignus redemptor noſter ſanguinem ſuum tam copioſe profudit, vt ne vnam quidem guttam in toto
Iohan 19. corpore reliquam fecerit. Cui rei fidem facit, quod, perforato demū latere, & ſanguis & aqua ex corde profluxit. Et quamuis vnica ſanguinis effuſio ſufficere potuiſſet ad liberandum omnes mortales peccatis obnoxios quantumuis innumeros, ipſe tamen non ſatis babuit, ſed ſponte ſua permiſit, vt noſtræ redemptionis cauſa ſanguis corpore precioſo pluries & copioſius pro-
Luc. 2. flueret. Nam ſtatim à natiuitate in ætate tenerrima, caro præputij petra acutiſſima præciſa fuit: quo ex vulnere ſanguis effluait, qui ad redemptionem omnium hominum præſtandam ſatis eſſe potuiſſet. Deinde, cum in monte ante paſſi-
Luc 22. onem patrem cœleſtem prolixius oraret, bumana eius natura tantis anguſtiis conflictata fuit, vt ſudor ea vultu dimanarit, tāquam guttæ ſan-
Iohan 19. guinis in terram decurrentis. Tertio, cum detractis veſtibus nudus & ad columnā ligatus fla-
Mar. 15. gellis immaniter cæderetur, ſanguis ea omni corporis parte ſcaturiuit. Quarto, cum corona illa ea ſpinis acutiſſimis contexta capiti magna vi compingeretur, & vndiq; penetraret, ſanguis per capillos deriuatus, ad frontem, oculos, & genas abunde promanauit. Quinto, cum Iudæi eū in hunc modum cæcidiſſent, veſtes reſumptæ corpori ſi adhæreſcebant, vt, cum eſſent poſtea rurſus exuendæ vel magis auellendæ, ſanguis refricatis vulneribus tanta denuo copia fluxerit, vt iam antea non maiori. Sexto, cum corpus illud
Luc. 23. longe delicatiſſimum tot cruciatibus affectum
Iohan. 19. in crucem ſubleuabatur, & manus pedeſq; clauis ferreis trabalibus magna cum ſæuitia configebantur. O miram & ineffabilem Iudæorum immanitatem: quāto cum impetu procurriſſe ſanguinem tunc temporis ex vulneribus tam ſænis & ingentibus exiſtimandum eſt. Septimo, cum *Iohan. 19.*
poſt hæc omnia latus lancea aperiebatur: quo ex vulnere tanta ſanguinis vis effluait, vt nihil plane in toto corpore remāſerit: quæ res aquæ cum ſanguine dffluentis indicio comprobata fuit. Iſtæ ſunt opes, iſti theſauri, quibus noſtræ redēptionis precium exoluitur, non eorum ſolum, qui iam vita exceſſerunt, ſed & qui nunc ſuperſtites, & qui futuri ſunt, ac deniq; quotquot vllo vnquam tempore ſunt diuinam miſericordiam & ſcelerum ſuorum veniam ex animo vere pœnitēti deprecaturi. Hic inæſtimabilis precij ſanguis (vt à nobis iam dictum eſt) noſtra omnium cauſa abſq; numero, abſq; pondere, abſq; menſura, & ſepties effuſus eſt: quo ſeptenarij numeri myſterio deſignantur vniuerſa prorſus tempora: vt intelligamus omnia peccata, quantumuis ingentia, quantūuis numeroſa, quātumuis atrocia, nobis huius virtute ſanguinis omnibus horis, imò omnibus horarum momentis expianda & penitus dolenda, noſque tantæ redemptionis ſemel factæ participes eſſe futuros, ſi Deum vllo vnquam tempore, dum in hac vita ſumus, pœnitentes accedimus, eiuſque diuinam clementiam ob ſcelera in eum admiſſa imploramus. Vnica ſanguinis huius gutta (quemadmodum nobis ſancti viri Bernardus & Anſelmus teſtantur) vniuerſo plane mundo, imò pluribus mundis redimendis abunde ſufficere poterat. Quid igitur de vniuerſo hoc ſanguine toties & tam copioſe profuſo cenſendū eſt? An non redemptionem noſtram numeris omnibus abſolutam eſſe exiſtimabimus? An non cum propheta ſancto dicemus: Et copioſa apud eum redemptio? Quamobrem, cum miſericordia Dei ſit tam ingens & expoſita, tūq; redemptio noſtra ſit tam liberaliter & copioſe præſtita: quis eſt hominum, qui animum merito deſpondere & ſalutis conſequendæ ſpem omnem deponere debeat? maxime vero, cum certo ſciamus, Deum opt. max. & ex gratuita volūtate ſua redemptionem noſtram præſtitiſſe, & miſericordiam redemptis (ſi modo imploremus) pari benignitate præſtiturum eſſe. Itaque, ſi pereat peccator, non eſt illud Deo, ſed ipſi tribuendum. Nam Dei tanta eſt in nos bonitas & tam copioſa miſericordia, vt nolit aliquos perire, (vt à D. Petro dicitur) ſed omnes ad pœnitentiam reuerti: Iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem ita tēperat, & eſt omni tempore ad ignoſcendum tam impenſe deditus, vt obſcurum non ſit eum cupere, vt à nobis magis celebretur miſericordiæ lenitas, quam Iuſtitiæ potentia. Si rex aliquis publice proteſtaretur, ſe de hoſtibus vindictam ſumpturum eſſe, quod tamen reipſa demum non præſtaret: quid aliud expectandum erat, quam vt potentiæ ſuæ magnam dedecoris labem aſpergeret, & vt homines clandeſtinis eum ſermonibus paſſim traducerent? Eſt enim adagium vulgo receptum: Verbum regis ſtet oportet. Denunciauit quidem per prophetas Deus noſter, (cuius ſumma eſt poten-

eſt potẽtia) fore, vt hoſtes ſuos deleret. Sed, poſteaquam huiuſmodi cladem comminatus fuiſſet, maior ei cura fuit de miſericordia calamitoſis hominibus impendenda, quàm de ſuis aut prophetarum ſuorum verbis reipſa præſtandis. Adéo vt multi ex prophetis ſuam apud homines fidem & authoritatem pluris facientes, quam populi ſalutem, diuinum imperium detrectauerint, nec periculum (vti in mandatis habebant) denunciare voluerint. Ionas propheta, poſtquam bonus ac miſericors Deus noſter multis cum magniſque periculis liberaſſet, Niniuen rurſus ciuitatem ingentem (quemadmodum iam audiſtis) deſtinatus fuit, vt populo prædiceret, vniuerſam vrbem poſt quadraginta dies exactos penitus ſubuertendam eſſe. Quo audito, rex & cum eo plebs omnis, ieiunio ſuſcepto, & ſaccis induti, ſuam in Deum impietatem deplorarunt, (quod eſt à nobis in expoſitione Pſalmi iam dictum.) At Deus, conſpecta eorum pœnitentia, hominum miſertus, iracundiam cohibere, nec malum, quod per Ionam interminatus fuerat, inferre voluit. En chariſſimi, quã fuerit ingens & prompta Dei noſtri miſericordia. Tum Ionas re intellecta, cum quadraginta dies iam pene elapſos, nec vllum cladis à ſe denunciatæ, indicium vel etiam ſignum videret, nullam ſibi impoſterum apud homines fidem habendam eſſe veritus, vehementer animo diſcruciabatur, quod Deus cum eo tam duriter egiſſet, eumque in hunc modum alloquebatur.

Ion.4. Obſecro Domine, nunquid non hoc eſt verbum meũ, cum adhuc eſſem in terra mea. Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharſis. Scio enim, quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia. Et nunc, Domine, tolle quæſo animam meam à me: quia melior eſt mihi mors quàm vita. O quã diuerſa eſt Dei & hominis conditio? Si lenitas alterius & clemẽtia cum altero comparetur, quàm inſigne eſt diſcrimen? Ionas iſte homo mortalis tanto ſui amore captus fuit, vt in eam curam magis incubuerit, ne hominum de ſe periret opinio, quam cogitauerit de miſericordia aliis præſtanda. Sed Deus opt. max. qui eſt immortalis, ſuam apud homines fidem in diſcrimen vocari, quàm in homines pœnitentiam ſuſcipiẽtes miſericordiam non exercere maluit. Eoque Ionæ ſic expoſtulanti breue quidem reſponſum dedit. Putáſne, inquit, bene iraſceris tu? Poſt hæc Ionas vrbe paululum ſecedens, ſeſe ad montis latus è regione ciuitatis contulit, vbi & vmbraculum ſibi aduerſus intenſos ſolis calores fecit, vt eo loci rei euentum præſtolaretur. Tum Deus vt prophetæ inſipientiam redargueret, effecit, vt hedera ſubito exorta hominis caput & vmbraculum protegeret. Qua de re ſummopere lætatus eſt Ionas, & maximam inde voluptatem cepit. At Deus, cuius conſilium aliò ſpectabat, hanc ei voluptatem diuturnam eſſe noluit. Itaque poſtera nocte, in ipſo ſubſequentis diei diluculo vermem creauit, quæ radicem arboris abraſit: vnde factum eſt, vt hedera, ſimulatq; ſol caloris ſui vim exerere cœpit, ſtatim exaruerit, maioremque prophetæ dolorem attulerit repentina vmbraculi clades & damnum, quàm inſperatus eius ortus & vſura voluptatem iam ante attulerat: adeo vt ille partim ſolis ardoribus exuſtus, partim ira excandeſcens ipſam etiam mortem ſibi imprecatus fuerit. Quẽ Dominus tam vehementer animo perturbatum cernens, in hunc modum allocutus eſt: Putáſne, bene iraſceris tu ſuper hederam? Tu doles ſuper hederam, in qua nõ laboraſti, neq; feciſti, vt creſceret: quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit. Et ego non parcam Niniuę ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam? Permitte, vt tot animarum à me creatarum ſaluti conſulam, poſteaquam tu vnicam hederam tam charam habueris. O inſignẽ creatoris noſtri clementiam creaturis præſtitam, O lenitatem inæſtimabilem. O miſericordiam, quę omnem linguę facultatẽ ſuperat. Quantumuis ingratæ, quantumuis immites, quantumuis impiæ ſint creaturæ, earum tamen interitum dolet. Et ſi, poſt innumera flagitia in eum perpetrata, conditorem ſuum ex animo ſyncere pœnitẽti reſpicere velint, ipſe in gratiam eos recipiet, imo & ad ſemetipſum clementer admiſſos, illius præclaræ redemptionis participes efficiet, quæ iam olim immenſo ſanguinis Chriſti Ieſu filij ſui theſauro abunde præſtita fuit. Quam rem propheta ſanctus nobis his verbis teſtatam facit. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius. Ipſe quemuis peccatorem in partẽ huius redemptionis ſemel factę ſtatim admiſſurus eſt, ſimul atque is oculum pœnitentem direxerit ad Deum (nam tum demum Iſrael recte dicendus eſt, quod eſt, videns Deum) à quo iam antea per peccatum auerſus erat. Nunc, quæ fuerunt hactenus à nobis fuſius explicata, breui quadã anacephaleoſi complectamur, atque ita dicendi finem faciamus. Vos omnes, chariſſimi, qui dicentem auſcultaſtis, oro obteſtorque, vt ad mentem reducetis, quibus gradibus quiuis peccator & quam periculoſe deſcendat, quamq; repente in ipſam inferni voraginem (niſi mature ſibi caueat) prolabatur. Quamobrem vos hortor, vt pœnitentiã in hac vita quamprimum ſuſcipiatis, Deoq; opt. max. ſupplices ſitis, vt eam gratam & acceptam habeat. Quod ſi à vobis præſtitum fuerit, certò confidite, nec peccata veſtra, nec Dei iuſtitiam, nec diuinę legis decreta obſtare poſſe, quominus peccatorum veniam conſequamini. Qua de re vos ſecuros reddit, primum Dei fides vobis data; deinde immenſa eius potentia, qua fidem præſtare valet; ac demum ſumma ipſius benignitas, qua in ſingulas horas, imo in ſingula horarum momẽta ad ignoſcendum propenſus eſt. Proculdubio ſunt hæc Dei beneficia ingentia tamq; præclara, vt quilibet peccator, quãtumuis flagitioſus extiterit, ſcelerum à ſe perpetratorum veniam ſibi certo polliceri queat, ſi modo cum verè pœniteat, & ſe diuinæ gratię ope ſuſtentet, ne in profundam illam deſperatæ ſalutis abyſſum prolabatur: quod no-

bis elementer præſtet Chriſtus Ieſus Dominus ac liberator noſter, cui gloria, bonor, & imperiũ in omnes ſeculorum æternitates. Amen.

IN PSALMVM CXLII.

Domine exaudi orationem meam.

Luc. 15.

REFERT Chriſtus Ieſus ſaluator noſter in Euangelio diui Lucæ, hominem quendam duos filios habuiſſe, quorum adoleſcentior eam paternæ ſubſtantiæ portionem, quæ ad eum ſpectabat, & petiit & impetrauit, ac deinde rebus omnibus eonflatis, & in regionem longinqnam profectus, bona ſua in luxu & voluptatibus abliguriuit. Cumque in bunc modum omnia diſſipaſſet, fame in regionibus illis inualeſcente, eo quidem ob rerum inopiam adactus eſt, vt ſeſe ciui cuidam mancipartt: qui eum in villam ſuam ablegatum porcis paſcendis deſtinauit. Quo in loco fame miſerum in modnm eruciabatur: adeo vt nec glandibus & ſiliquis, quas porci quotidie ſpectãte ipſo manducabant, ventrem ſatiare licuerit. Tandem ad ſe reuerſus, & ſuæ conditionis calamitatem tacitis ſecum cogitationibus ſerio perpendens, ſimul & illud recordstus, quam copioſe in domo paterna ſingulis etiam vernis & mercenariis de pane, potu, & cæteris rebus omnibus ad vitam tuendam neceſſariis proſpectum eſſet, cum interim ipſe in terra aliena fame periret: apud animum ſuum ſtatuit, patrem rurſus adire, culpam agnoſcere ac deprecari, obſecrareque, vt impoſterum non iam filij ſed ſerui loco babeat; eo enim nomine indignum eſſe. Cumq; adhuc in itinere cõſtitutus eſſet, & domũ pergeret, pater veniẽtem longe conſpicatus, cõmiſeratione permotus, ſtatim obuiã accurrit, & in collum proruens oſculatus eſt, & ſeruis imperauit, vt nouis eum veſtibus ornarẽt, deinde & conuiuium grande ac magnificum inſtruerent. Poſtremo loco narratur, quam blandis vocib. pater filij natu maioris indignationem & malitiam demulcere voluerit, qui hanc fratri ſuo veniæ felicitatem inuidit. Atq; hæc quidem ſunt Chriſti ſaluatoris noſtri verba, eo fine in Euangelio deſcripta, vt nemini dubiũ ſit aut obſcurum, qnam magna ſit patris noſtri cæleſtis miſericordia, cunctis peccatoribus pœnitentiam ex animo ſuſcipientibus præſtita. Ergo filins iſte prodigus, qui ad patrem reuertitur, pœnitentem ſignificat, qui à Deo quidem per peccatum quaſi in regionem longinquam receſſit, eoque loci conſtitutns variis eius donis & beneficiis perperam vſus eſt, ſed demum cum dolore ac pœnitentia reuerſus ſcelerum ſuorum veniam petit. Certum enim eſt nos omnes patris cæleſtis filios eſſe. At quiſquis noſtrûm ſeculi huius vanitates ſectatur, eisque ſemel ex praua peccandi libidine addictus eſt, is proculdubio in regionem à patre cæleſti longe diſſitam profectionem ſuſcepit. Et quãto diutius in hoc itinere perſeuerauerit, tanto longius ab eo recedit. Subſtantlam ſibi gratis donatam luxurioſe diſſipat, cum Dei dona male collocat, & ſenſuum appetitiones ſectatur. Nec dubium eſt, quin is fame inſatiabili in hac vita miſerrime crucietur, cuius animus caducis huius ſeculi volnptatibus vehemẽter afficitur, earumque vſnm magis magisque in dies ſingulos appetit. Sed quinam ſnnt huius regionis ciues? Certe non alij, qnàm dæmones impuri, quos Apoſtolus huius mundi rectores appellat. Et cum quis noſtrûm peccato aſſenſnm præbet, ſeſe eorum alicui mancipium addicit: qui eum cõtinuo in villam ſuam tanquam dominus ſerunm amandat. Villa quidem dæmonis recte dicitur quæuis hominum vitiis deditorum multitudo. Tot autem ſunt in hac regione longinqua dæmonum villæ, quot ſunt improborum hominum cœtus. Peccator ad paſcendos porcos ablegatur, cum in eã curam totns incumbit, vt obſcœnia corporis voluptatibus ſatietur. Ventrem etiam famelicum ſiliquis exaturare cupit, cum relicta ſpretaq; doctrinæ cæleſtis alimonia, alia atq; alia voluptatũ oblectamenta quærit; quæ mentem vtiq; ſatiare nõ poſſunt. Porro ad ſe reuertitur, cum intimas conſcientiæ ſuæ latebras diligenter ſcrutatur, ſuaque peccata in Deum commiſſa ad mentem reuocat: quo fit, vt & ſummam Dei benignitatem ſibi pręſtitam, & ſuam viciſſim in optimũ patrem ac conditorem ingratitudinem agnoſcat. Pręterea, eorũ hominum, qui Deo rite ſeruiunt, felicitatem, ſuã contrà infelicitatem miſeriamq; intelligit. Vnde & ſuum ipſius erratũ plane damnat deteſtaturq;, & inſignem temeritatẽ ſerio deplorat. Sed diuinę miſericordiæ fiducia ſubleuatus, relicta omni vitiorum obſcœnitate, ad patrem cæleſtem animæ paſſibus cõtendit, ſeſe improbum & ingratũ proclamat, indignum plane, qui filij nomine honeſtetur, eoq; ad ſeruile aliquod miniſteriũ admitti ſubmiſſe poſtulat. Tum pius ac miſericors pater noſter cæleſtis filium longe venientẽ proſpectãs, ſua eum gratia pręuenit, nullam moram facit, ſed cõfeſtim obniam procedit, amice complectitur, familiariter adhibet; vtq; omnem prorſus iniuriã offenſamque ex animo remiſſam eſſe doceat, domum ſuam reducit, ſplendidis eum gratię ſuæ veſtib. exornat, cœnã inſtruit, vituli ſaginati noſtræ redemptionis cauſa occiſi Chriſti Ieſu ſaluatoris noſtri participẽ facit, ac demum illud efficit, vt omnes adnerſarij penitus abſcedãt. Quatuor ergo ſunt, quæ nobis in hoc filio prodigo & in quouis homine, qui pœnitentiam ſuſcipit, conſideranda veniunt. Prinum, quam longe is à patre recedat. Deinde, qualis ſit eius ad patrem reditus. Tertio loco, quidnam à patre petendum ſit. Deniq;, quã tandem mercedem accepturus ſit. Qnæ quidem quatuor rerũ capita eodem, quo à nobis ſunt ordine propoſita, in hoc Pſalmo pœnitẽtiali explicabuntur. Quod vt præſtare poſſimus, diuinam opẽ imploremus. Primum igitur, chariſſimi, ad mẽtem reuocemus, quomodo filius iſte prodigus ad patrẽ acceſſerit, quemadmodũ ſeſe in omnib. geſſerit. Dubiũ non eſt, quin is in ſuo ad patrẽ reditu

ditu maximam pœnitentiam maximumque de peccatis in Deum admiſſis pudorem prætulerit: adeo vt, agnita ſua tum ingratitudine, tum indignitate, ſeruus impoſterum quam filius appellari maluerit. Non ſum, inquit, dignus vocari filius tuus. Nos, chariſſimi, eundem cum filio prodigo affectum induamus: Dei optimi maximi beneficia in nos collata nobis ob oculos ponamus: noſtram item ingratitudinem, peccata, nequitiam agnoſcentes, de ipſa rerum à nobis geſtarum turpitudine pudore ſuffundamur: pœnitentia ſuſcepta patrem cæleſtem adeamus, cumque cum intimo animi dolore in hunc modum alloquamur: Non ſumus digni, qni filij tui vocemur, cò quod nos tuo diuino numini tam diſſimiles per peccatum effecerimus. Patrem ore polluto nominare minime conſentaneum exiſtimemus: ſed magis vti Domino nos humiliter proſternentes, cum propheta dicamus ſinguli: Domine, exaudi orationem meam. Duæ res ſunt, quæ cum aliqua veriſimilitudine peccatoribus aduerſari poſſe videntur, quo minus tam facile exaudiantur, quam aliàs fortaſſe ſperare poterant. Altera eſt Dei veritas, altera iuſtitia: veritas quidem, quæ peccatoribus mortem æternam comminatur; iuſtitia vero, quæ ſuam cuique peccatori pro delicti ratione & merito pœnam ſtatuit. Sed proculdubio neutrum horum eam vim habet. Tantum enim abeſt, vt cauſam noſtram apud Deum etiam multum promoueant, efficiantque, vt precationem inſtituentes & facilius & benignius exaudiat. Certum quidem eſt, æterna ſupplicia peccantibus eſſe propoſita. Sed & illud perinde certum eſt, ſi vitiis nuncium remittere & ad Deum conuerti voluerint, eos in gratiam recipiendos, nec ob peccata iam perpetrata in crimen amplius vocandos eſſe. Hæc res certiſſima veritate nititur, quam ſua Deus ipſe nobis authoritate confirmauit. Ergo certo nobis conſtat, & peccati pœnam & peccati veniam peccatoribus eſſe propoſitam. Sed quo tandem modo? Certe res ſic ſe habet. Pœnitentiam reditumque ad vitam meliorem detrectantibus pœnam quidem æternam, ſed pœnitentibus certumq; peccata impoſterum vitandi propoſitum ſuſcipientibus, ſcelerum veniam Deus optimus maximus promiſit, Hæc ſunt ipſius verba: Quandocunque peccator ex corde ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor. *Ezech. 18.* Quamobrem patri miſericordiarum ſupplices ſimus, vt poſtulationi noſtræ ex animo vere contrito profectæ aurem benignam præbeat: vt ipſius verbis fides etiam in nobis aſtruatur. Eoque fine has prophetæ voces vſurpemus: Auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua. Quod perinde eſt ac ſi ab eo dicatur: Illud à te, benigniſſime Deus, vehementer contendo, vt preces meas clementer auſcultes, vtque peccatorum veniam tribuas: quod omnibus vere pœnitentibus præſtiturum te recepiſti. Tuæ autem pollicitationis fidem irritam aut vanam eſſe omnino eſt impoſſibile. Deinde, nec iuſtitia diuina eſt peccatoribus tantopere formidanda: maxime vero iis, quibus certum ac deliberatum eſt vitam recte, id eſt, ex ipſo legum diuinarum præſcripto inſtituere, & pœnitentiam de ſceleribus iam perpetratis ſuſcipere. Qui hoc animo ſunt, non eſt quod Dei iuſtitia aliquem illis terrorem incutiat, à qua maximam potius & conſolationem & opem ſibi certo promittere debeant: eo quod & ipſa promiſſi fides & exacta iuſtitiæ ratio illud omnino exigat, vt Deus illis hominibus veniam tribuat, qui confeſſione rite inſtituta pœnitentiam ſponte ac libenter ſubeunt. Quam rem diuus Ioannes Euangeliſta nobis *1. Ioan. 1.* his verbis teſtatam facit: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Eaque de cauſa & nos cum Dauide orationem ad Deum ſic inſtituamus: Exaudi me in tua iuſtitia. Præterea fieri poteſt, quod nobis reddenda ſit etiam ratio ſubſtantiæ à patre cæleſti acceptæ, quam, inſtar filij iſtius prodigi, illicitas corporis & ſenſunm oblectationes ſectando male diſſipauimus. Et quis noſtrûm eſt, chariſſimi, qui non mnlta eaque præclara Dei dona & beneficia tum in anima tum in corpore cum cæteris mortalibus acceperit? Sed prius, quæ corpus ſpectant, commemoremus: ſine quibus vtique præſidiis vita corporalis conſtare non poſſet. Quam multi ſunt homines in hoc mundo, qui Deum ſyncere colunt; quibus tamen deeſt panis, quo fames leuetur; potus, quo ſitis extinguatur; veſtes, quibus nuditas operiatur; ignis, quo vis frigoris fiat remiſſior; lectus, quo membra defatigata reficiantur? Quam multi porro ſunt, qui libertate amiſſa in carcerem coniecti, ibique vinculis ac compedibus fortaſſis etiam ferreis conſtricti contabeſcunt? At noſtra (ſit ſuperis gratia) multo æquior eſt conditio. Nobis nec edulia, nec potus, nec veſtes, nec ignis, nec lectus, nec libertas deſunt: cum res poſtulat, hæc omnia abunde ſuppetunt. Cum eximenda eſt fames, magna eſt epularum etiam exquiſitarum copia. Ad ſitim ſedandam præſto ſunt plurima potionum genera. Tegendo corpori varius ad manum eſt veſtimentorum apparatus. Aduerſus omnem frigidioris aeris intemperiem abundant ligna & reliqua ignis materia. Quoties decumbere & quietem capere libuerit, adeſt lectus mollis, multo ſtragulorum ſplendore inſtructus. Quocunque fert animus, nobis & equo & pedibus concedere liberum eſt: nulla nec manibus nec pedibus iniecta ſunt vincula. Quam vero iucunda ſint hæc quantiqne æſtimanda Dei beneficia, illi melius norunt, qni tetris carceribus mancipati, in obſcurum aliquem ſubterraneæ cauernæ angulum detruſi, vinculiſque ferreis conſtricti, fame, ſiti, pedore conflictantur, quibus, cum hyems maxime ſæuit, nec veſtis eſt, nec ignis, quo frigus depellant. Deinde, vt & ea bona, quæ corporis integritatem & formam conſtituunt, proſequamur (cuius generis ſunt

Ipſa corporis membra) quam multi ſunt, qni brachiis, manibus, pedibus, cæteriſqne corporis partibus omnino manci exiſtunt? quam multi, quibus oſſa caſu aliquo confracta vel etiam luxata ſunt? Quam multi, quibus magna carnis pars varia carcinomatum arroſione exeſa eſt? Quam multi deformes & diſtorti ſnnt, qui iam olim ob eximiam oris venuſtatem luſtamque membrorum omnium proportionem ſpectabiles fuerunt? Quam multi in plateis & compitis iacent aliis atque aliis vlcerum generibus miſerum in modum afflicti, quæ nullam omnino admittunt curationem: quæ res nobis quotidie ſpectantibus etiam horrorem ingerit? Quam multi ſunt, quos intolerabiles articulorum & dentium dolores diuexant? Quam multi cæci ſunt, ſurdi & muti? Qui his & horum ſimilibus malis & incommodis afficiuntur, hi commoda, quibus nos diuino munere fruimur in hac vita, probe intelligunt. Sed & præter hos omnes, qui tabe Gallica laborant, quique propter vias publicas ad commiſerationem excitandam ſternnntur, pauperes, egeni, dum adhuc in viuis agunt, putidi & tantum non putridi effecti, quos etiam intimus oſſium dolor noctes dieſque continenter diſcruciat, hi malis ſuis edocti facile agnoſcunt, quantum nos Deo rerum omninm largitori debeamus, qui nos tot tantiſqne beneficiis cumulare & ab huiuſmodi malis immunes eſſe voluit. Denique præclara & vtilia Dei dona animæ collata & pluſrima ſunt & plurimi facienda. Nam innumeros homines videre eſt, qui ratione, memoria, & voluntatis arbitrio carent, qnæ tres ſunt imaginis diuinæ partes, quibus hominis anima nobilitatur. Multos etiam videmus, qui hæc quidem dona habent, ſed rectum eorum vſum non habent: qui licet res quaſlibet & loquantur & faciant; nihil tamen recte & ordine loqui ant facere nonerunt. Sunt homines ingenio tam obtuſo & indocili, vt ſi qnid monſtrare coneris, fruſtra operam impendas: nec enim aliqua ratione fieri poteſt, vt docentem aſſequantur. Multi ſunt, qnorum mens tam lubrica eſt, vt, ſi quid addiſcant, vnius horæ ſpacio retinere non valeant. Nonnulli etiam reperluntur, quorum voluntas tam praua, peruerſa, & intractabilis eſt, vt, in quoſcunque homines inciderint, non poſſit eorum eſſe tam grata conſuetudo, quin ſtatim tædio afficiantur. Nihil adhuc loquor de ſtultitia, cæcis affectibus, cæteriſque animi vitiis, quæ nobis proculdubio multum adferunt incommodi, quemadmodnm & virtutes huiuſcemodi vitiis contrariæ in eximiis beneficiis habentur. Quam vero ingentia beneficia cenſeri debeant, ex innata hominum iſtorum, qui nobis qnotidie ob oculos verſantur, ſtultitia deprehendi poteſt: quibus ſi liberum eſſet vlterius de ſe ſuiſque rebus ſtatuere, multo profecto deterior eſſet eorum conditio, quam quorumlibet animalium ratione carentium. Et cui tandem tanta hæc beneficia accepta referre debemns; quis eſt, qui nobis ea contulit? Certe benigniſſimus Deus & pater noſter cæleſtis ea nobis largitus eſt: nos contingebat præclara hæc ſubſtantiæ portio, inſignes theſanri; quos fortaſſe magna pars noſtrûm vane & inntiliter, non tam ad ipſius gloriam illuſtrandam, quàm contrà (quod in nobis erat) ad eius contumeliam abſumpſimus.

Quid igitur faciemus, chariſſimi, quo modo nos geremus, cum pater ac dominus noſter in illo iudicij die nos ſibi ſiſtet, & vnumquemque noſtrûm pro accepta ſubſtantiæ iſtius portione exactam rationem depoſcet? Illud omnino nobis ſaciendum eſt, vt faciem eius in confeſſione & pœnitentia de peccatis ſuſcepta præoccupemus, & nos filiorum vocabulo plane indignos ſtatuentes, in ſeruitiorum numerum aſcribi optemus. Cumque nos etiam ſeruos inutiles agnoſcamus, cum propheta dicamus ſinguli: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Quod ſi vitæ noſtræ actiones ad exquiſitam illam iudiciorum tuorum amuſſim exigere volueris, nec nos nec quiſquam eſt hominum, qui damnationis æternæ periculum euadere queat. Sumus enim omnes peccatis obnoxij, nec aliquis eſt mortalium, qui ſeſe eximere & illud vere affirmare poſſit, ſe nihil vnquam in tunm diuinum numen perpetraſſe. Si dixerimus, inquit Ioannes, quoniam non peccauimus, mendacem facimus illum. *1. Ioan. 1.* Mendacem quidem facimus ipſum Ieſnm Chriſtum ſaluatorem noſtrum, qui nobis anthor & magiſter eſt, vt orationem ad patrem cæleſtem in hunc modum inſtituamus: Dimitte nobis debita noſtra. *Matth. 6.* At quænam ſunt hæc debita noſtra? Proculdubio non alia quam peccata noſtra, quorum cauſa certum eſt nos æternis cruciatibus addicendos eſſe, niſi detur opera, vt liberentur, antequam ex hac vita migremus. Nemo eſt, qui hæc debita non contraxerit: nemo eſt à peccato immunis. Quod ſi quis aliter ſentit, is ſaluatorem noſtrum inſimulat mendacij, nec certa docuiſſe exiſtimat; qui nobis præcepit, vt peccatorum veniam peteremus. Iob quoque vir pius ac iuſtus ſic ait: *Iob. 9.* Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Iam vero, ſi Ioannes lectiſſimus ille Chriſti virgo, qui tanta præ cæteris mortalibus apud Deum gratia pollebat, ab omni tamen peccati labe purus ac defæcatus non erat; nec Iob, cuius tam illuſtris erat iuſtitia, exactam illam Dei noſtri cognitionem ſubire audebat; quis noſtrûm audebit cum illo iudicio contendere? Quapropter, cum ipſi etiam filij paterno imperio longe obſequentiſſimi examen iſtud detrectent, ſibi metuentes, ne cauſa cadant: nos, chariſſimi, qui ſeruorum nomine vix ac ne vix quidem digni cenſemur, diuinam eius clementiam imploremus, vt non intret in iudicium cum ſeruis ſuis: Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Præterea & illud ad noſtram ipſorum ignominiam ingenue ſateamur, quam obſcurus & nequam ſit iſte ciuis, cui in regione

hsc

hac à patre noſtro cæleſti tam longe diſſita operam noſtram locauimus. *Philip.3.* Quiſquis Dei fidus eſt ſeruus (quod nos omnes eſſe oportebat) eius conuerſatio in cælis eſt, cum patre cæleſti, cum beatis illis cæleſtis patriæ ciuibus. Eſt etiam ab hac mundi regione immunis, in qua impurus dæmon imperium & principatum obtinet. Nam *Ioan.12.* & Chriſtus ſaluator noſter eum mundi principem, *Ephes.6.* & Apoſtolus dæmones animarum in peccata prolabentium rectores appellat.

Quiſquis vero huius vitæ vanitates ſectatur, is in regionem à Deo longinquam proficiſcitur, eiuſque donis vtilibus & præclaris male vtitur. Porro & fame inſatiabili cruciatur. Quanto enim magis bonis & voluptatibus affluit, tanto maior eſt in dies ſingulos earum rerum ſitis & appetitio. Itaque, vt rebus tantopere expetitis potiatur, ſeſe vni ex ciuibus, vni nimirum ex impuris dæmonibus ſeruum addicit: qui multa quidem promittit, ſed vane & fraudulenter: cui illud ſolum propoſitum eſt, vt animam in ſuam naſſam pertrahat. Senſus in eam rem intenti ſunt, vt voluptatibus perfundantur: caro etiam eiſdem rebus vehementer afficitur: ſed interim animula miſerrime perit. Nemo eſt, qui ciuem iſtum alio quam hoſtis infeſti loco habeat. Quo nomine appellatur *Matth.13.* in Euangelio: vbi ſic habetur: Inimicus homo venit, & ſuperſeminauit zizania. Nec temere nomen iſtud ſortitus eſt, cuius omnis cura in eo verſatur, vt animæ (quam vtique rerum omnium longe precioſiſſimam habemus) peſtem perniciemque adferat. Quamobrem & vnicuique noſtrûm, quibus in hunc modum inſidiatur, dicere licebit: Quia perſecutus eſt inimicus animam meam. Ad hæc, nos in villam ſuam ablegauit, vt porcos paſcamus. Cui quidem vili officio quemlibet hominem deſtinare ſolet dæmon, qui ſeſe illi per peccatum mancipauit, & perſeuerare ſtatuit. Illa vero porcorum immunditia quam rem nobis aptius referre videatur, quam obſcœnam carnis appetitionem & libidinem? Qui enim voluptatibus corporis intemperanter indulget, is proculdubio porci nomen rectius meretur, quàm ipſa beſtia, quæ ſe quotidie cœno immergit. Quod à diuo Petro bene animaduerſum videtur, à quo quiuis homo vitiis effuſe deditus ſus dicitur lota in vo- *2.Pet.2.* lutabro luti. Væ nobis Chriſtianis, quorum vita ex vitiorum vilitate tam deſpicabilis effecta eſt & abiecta. Quæ noſtra eſt conditio? Qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei creati, precioſiſſimo filij eius ſanguine redempti, & regni cæleſtis hæredes ſcripti ſumus, ſpreto ac repudiato patre longe benigniſſimo, dominum elegimus, patri quidem cæleſti infeſtum, nobis vero etiam hoſtiliter inſidiantem: qui nos in ſuam clientelam ſuſceptos, porcorum, turpiſſimarum ſcilicet & inſatiabilium voluptatum mancipia ſtatuit. O ſummam abiectionem. O conditionem longe viliſſimam & modis omnibus execrandam. Quapropter conſultum eſt, vt vnuſquiſque noſtrum patrem cæleſtem adeat, diuinam eius opem imploret, agnitaque ſuæ conditionis humilitate cum propheta dicat: humiliauit in terra vitam meam. Sed aduerſarius iſte noſter diabolus non ſatis habet, quod nos huic infimo ac vili miniſterio deputauit, ſed præterea, recte agendi lumine ſubtracto, nobis tenebras, denſam nimirum concupiſcentiarum nubem obduxit. Quo fit, vt & patris noſtri cæleſtis, & ipſius in nos beneficiorum, & noſtri etiam ipſorum obliti, nullam plane ſalutis curam agamus, inſtar phreneticorum, imo mortuorum quam vitam agentium ſimiliores effecti. Nam qui gratiæ diuinæ lumine ſunt illuſtrati, viuunt, & intelligunt, & vitam ex diuinæ legis præſcripto inſtituere nouerunt. Sed qui gratiæ ſunt expertes, ſpiritualiter mortui ſunt. Quorum mens omnes vires ſuas in eam curam intendit, vt vitam animalem expleant, vtque ſenſus ſuos rebus vanis oblectent: ſunt illi ab immundis dæmonibus huius mundi rectoribus mirum in modum excæcati; quem vtique locum ſcriptura ſacra mortis regionem ſæpius appellat. De quibus etiam Apoſtolus ſic *Ephes.4.* ait: Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei. Cuius rei tædio affectus propheta noſter, hæc querimoniæ ſuæ verba ſubiunxit: Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi. Humani generis hoſtis me in ipſa vitiorum caligine collocauit, bonum intellectus lumen ſubduxit, & gratiæ expertē tanquam mortuum reliquit.

Hactenus de longinquo peccatoris à Deo receſſu verba fecimus: nunc & de fauſto ipſius reditu pauca dicamus. Quantumuis peccator diaboli fraudibus obcæcatus exiſtat, aliqua tamen in anima ſupereſt ſcintilla, quæ non facile extinguitur, ipſa nimirum animæ pars ſuprema, quæ ſemper peccato reluctatur, & corpus (quantum in ſe eſt) ad recte agendum inuitat: ſi [illegible] do inuitanti annuere & obtemperare libeat. Sed multi ſunt, quorum omnis cogitatio rebus vaniſſimis impenditur, earumque ſtudio tam vehementer afficiuntur, vt in ſui ipſorum obliuionem veniant. De quibus recte dici poſſit, quod magis apud res illas caducas, quas tantopere affectant, quàm apud ſemetipſos verſentur. Nam mens (vti à diuo Auguſtino dicitur) verius ibi eſt, vbi amat, quàm vbi animat. Optandum quidem erat, vt hi, qui in hunc modum affecti ſunt, tandem aliquando ad ſe redire, auſcultare, intendere, omneſque conſcientiæ ſuæ latebras rimari velint; quod filium iſtum prodigum feciſſe iam docuimus: qui poſt prolapſionem ſuam ad ſe reuerſus, omnes conditionis ſuæ miſerias agnoſcebat. O ſi diuina bonitate contingat, vt vnuſquiſque noſtrûm, hoc ſibi propoſito exemplo, animæ ſuæ tectum ſubeat, turbaſque ibi conſcientia mouente concitatas mature conſideret. Quod qui præſtiterit, futurum eſt plane, vt is earum rerum, quas illic conſpicaturus eſt, horrore concuſſus, in eas continuo

prophetæ voces erumpat: Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus. Iſta quidem ſcelerum noſtrorum recordatio veræ ad Deum conuerſionis initium eſt. Certum enim eſt (quemadmodum à nobis iam dictum eſt) cum quis vitæ prioris errata, quibus multo temporis ſpacio inuolutus extitit, ad mentem reuocat, & in ea cogitatione perſeuerat, fieri non poſſe, quin cum ſuæ temeritatis multum pœniteat: maxime vero, ſi illud ſerio perpendat, quem deſeruerit, & cui ſeſe obnoxium reddiderit, quam magna ſit rei amiſſæ iactura, quam exiguum repertæ lucrum. Deſeruit ille, non hominem, non Angelum, non rem aliquam creatam. Quid igitur? profecto Deum rerum omnium conditarum authorem, qui omnia etiam ex nihilo creauit, & eſt potẽtiſſimus, liberaliſſimus, optimus, ac pulcherrimus. Eſt quidem benignus hic Deus ſummo in precio habendus, eſt & ſummo amore dignus, ob ſolam eius bonitatem inæſtimabilem, etiam ſi nihil præterea nobis contuliſſet. Sed (quod hæc omnia ſuperat) ſe nobis etiam patrem conſtituit, noſtri quidem tam amantem, vt proprio ac con-
Rom. 8. naturali filio non pepercerit, ſed noſtræ redemptionis cauſa eum etiam in mortem tradiderit. Hunc igitur patrem tam dulcem ac benignum deſeruit peccator, & dæmonem humani generis hoſtem infeſtiſſimum crudeliſſimumque, maxime etiam horrendum, noſtræ ſalutis inuidum, peccati & omnium prorſus malorum authorem ſectatus eſt. Et quid tandem ex hac eius defectione impietateque conſecutus eſt? Certe nihil aliud, quàm probrum, animæ conſpurcationem & mortem æternam: quibus malis liberari nunquam poterit, niſi in hac vita pœnitentiam ſuſceperit. Ad hæc, damnum, quod fecit, haud leuioris eſt momenti, quàm vitæ ac felicitatis æternæ. O miſeros peccatores & infelices. Quod ſi quis noſtrûm magnam pecu[...]ncturam feciſſet, ſi capitis damnatus eſſet, ſ[...] manus hoſtium infeſtiſſimorum incidiſſet, vel ſi amicum aliquem, quem longe fidiſſimum haberet & chariſſimum, è medio ſublatum audiret: non veriſimile eſt, quod hæc res magnam illius animo triſtitiam & perturbationem allatura erat? Certe. Redeamus ergo, chariſſimi, ad conſcientias noſtras, & damni noſtri magnitudinem æſtimemus. Quod qui fecerit, dubium non eſt, quin is, ſublato ſtatim ad patrem cæleſtem clamore, dicturus ſit: In me turbatum eſt cor meum. Benigniſſime pater, animus meus vehementer concuſſus eſt, prudentia confuſa: de peccatis in tuum diuinum numen admiſſis dolet me pœnitetque. Sed quia fieri poteſt, vt quis immodice doleat, atque ita de conſequenda ſalute deſperet: omnino excogitandum eſt remedium huic malo opportunum: quæ eſt certa veniæ impetrandæ fiducia. Quam quidem facile aſſequemur, ſi ad mentem reuocemus, quam immenſa ſit patris cæleſtis miſericordia. Certum eſt, genus humanum tam prauum tamq; ad perpetranda mala propenſum eſſe, vt neceſſe ſit magnum aliquem illis ex intemtatis diuinæ iuſtitiæ ſuppliciis timorem incutere; quod in lege antiqua fiebat: quo tempore, qui legem violabat, duobus vel tribus teſtibus con- Heb 13.
uictus ſine vlla miſeratione morti addicebatur. Nec tamen in illo tantæ ſeueritatis tempore tam rigidum & immitem ſe præbuit bonus Dominus, vt iuſtitiam clementia non temperârit. Nam & per prophetas, omnibus, qui pœnitentiam ſuſcipere volebant, ſpem veniæ ſæpiſſime proponebat. Vnde Hieremias: Tu, inquit, fornicata es cum a- Hier. 3.
matoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te. O voces Dei noſtri ſummam clementiam & dulcedinem ſpirãtes. Et in alio quodam loco ſic habetur: Si pœnitẽtiam egerit gens Hier. 18.
iſta à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Quod ſi tunc temporis, cum lex Moyſi adhuc exercebatur, miſericordiæ tamẽ locus erat: quanto magis nunc, poſteaquam ſuperabundauit gratia? Non ex- Rom 5.
pectandum erit, vt pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis inexhauſtos miſericordiæ ſuæ theſauros nunc abundantius depromat, ac peccatores promptius in gratiam recipiat? Certe. Quamobrem miſericordiæ diuinæ temporibus antiquis præſtitæ recordatio pluſimum momenti habere cenſetur ad confirmandos animos noſtros, vt nullo vnquam tempore ſpem deponamus, ſed veniæ impetrandæ ſpe certa nitamur. Cuius rei gratia in Pſalmo ſubiungitur. Memor ſui dierum antiquorum. Eſt & aliud, quod ſpem noſtram magnopere corroborat. Vniuerſa Dei opera mente contemplemur: & in omnibus copioſam miſericordiam depræhendemus. Quoties, quæſo, in Iſraelitas miſericordiam exercuit, cum ipſi ſupra modum ingrati ac flagitioſi extitiſſent? Quam clementer egit cum regibus Dauide, Nabuchodonoſore, & Ezechia: & cũ Niniuitis, vti ſacra nobis ſcriptura teſtatur? Quam inſignem miſericordiã exhibuit Petro Dominum ſuum ac magiſtrum abneganti, Paulo in eccleſiam immaniter ſæuienti, Mariæ Magdalenę vitiis conſpurcatę, mulieri in adulterio deprehenſæ? Quam benigne & miſericorditer publicanum lucro inhiantem, & latronem illum ſeditionis & homicidij conuictum, ſed & alios innumeros complexus eſt? Nemo eſt, qui hæc ignorat: eoque dicitur: Suauis Dominus v- Pſal 144.
niuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Et rurſum: Vniuerſæ viæ Domini miſeri- Pſal 24.
cordia & veritas. Cuius rei frequens conſideratio ad confirmandam ſpem noſtram magnas vires habet, eaque de cauſa propheta noſter ſtatim addit: Et meditatus ſum in omnibus operibus tuis. Sed cum hæc tam certa ſint & explorata: quid eſt, chariſſimi, quod nos in hunc modum torpemus? Quin relicta vitiorum ſorde ſtatim exurgimus, quin properamus, quin ad patrem noſtrum cæleſtem cum filio prodigo contendimus? An vero adhuc supereſt aliquid? Imo. Nam filius iſte prodigus non ſolum ſuam ipſius miſeriam, ſed & eorum felicitatem conſiderauit, qui in do-

in domo paterna verſabantur, quemadmodum illi rebus omnibus ad vitam tuendam neceſſariis abundabant. Quod & nobis faciendum eſt. Penſanda eſt noſtra infelicitas: penſanda eſt & feliciſſima eorum conditio, qui in familiam patris noſtri cæleſtis recepti, illi famulantur. Quorum vtrumque conſideraſſe videtur prodigus ille, cum ait: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. Lilium non magni precij res eſt, nec ratione nec intellectu prædita: quam tamen [Luc.12.] ſaluator noſter nobis in Euangelio Lucæ contuendam conſiderandamque proponit. Conſiderate, inquit, lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, neque Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis. Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio? & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo. Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Quibus verbis ſignificare voluit, nihil eſſe in rerum natura tam exiguum, quod Deo curæ non ſit, omniaque ab illius prouidentia pendere. Quam rem propheta ſanctus in quodam Pſalmo teſtatam facit: vbi Deum optimum maximum in hunc modum [Pſal.103.] alloquitur: Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Nonne pluris ſunt homines apud Deum, quàm cætera omnia rationis expertia: nonne & hominum cauſa fuerunt ea omnia à Deo producta? Certe. Si ergo cæterarum creaturarum omnium tantam curam gerat, eiſque de rebus opportunis proſpiciat: de rationali creatura ſua quam ſollicitum eſſe oportet, quam ad ſuam ipſius imaginem & ſimilitudinem creauit? Quæ res vnumquemque noſtrûm permouere debet, vt eas prophetæ voces, quæ ſubiunguntur, ſæpius vſurpet, dicatque: Et in factis manuum tuarum meditabar. Illud, Domine, libenter animo verſabam, quanta ſit tua in creaturas omnes ſuauitas: quarum nulla tam exigua & vilis eſt, vt eam obliuioni tradendam eſſe exiſtimes. Iam vero, cum peccator calamitoſum animæ ſuæ ſtatum cernit, & intimas illas conſciæ mentis moleſtias experitur, ac propterea dolore afficitur & pœnitudine: deinde cum his rebus perculſus, patrem cæleſtem adire & culpam deprecari apud animum ſuum ſtatuit; denique cum ſummam illam rerum abundantiam recordatur, cuius in domo paterna participes ſunt omnes etiam ſerui, ſeſe vero ab hac tanta felicitate ob ſuam ipſius culpam excluſum intelligit: an facere poteſt, vt non ſtatim exurgat, ad patrem feſtinet, & ad pedes prouolutus ſeſe reum ſtatuat, ſuam in patrem ingratitudinem profiteatur, & ſceleris admiſſi veniam precetur? Quod à filio iſto prodigo præſtitum eſſe videmus: qui poſt has rerum conſiderationes (quemadmodum eſt à nobis iam dictum) in hæc verba continuo prorupit: Surgam, & ibo ad patrem meum, dicamque: pater peccaui. O miſeros peccatores. Cur moras nectimus? Cur non ſtatim exurgimus, & nuncio vitiis remiſſo ad patrem cæleſtem properamus? Cur mentes manuſque ad cælum non extollimus, vt cum propheta dicere poſſimus ſinguli: Expandi manus meas ad te. Quod perinde eſt, ac ſi ab eo dicatur. Aliam viuendi rationem, opera longe diuerſa (quæ manuum nomine veniunt) ſuſcepi; quique hactenus vana huius vitæ oblectamenta & voluptates ſectatus ſum, nunc dabo operam, vt animus rerum cæleſtium dulcedine perfruatur. Vtque bonus iſte animi noſtri affectus vehementius accenſus maioribus ſeſe indiciis prodat, operæ precium erit, vt ſubinde meditemur, quam ſint vanæ huius mundi voluptates, & quam breui temporis ſpacio dilabantur & euaneſcant. Quanto etiam quis in hac voluptatum oblectatione magis eſt defixus, tanto maior earum & potiundarum & augendarum inceſſit libido, nec vllam animo ſatietatem adferunt: quod ipſis Chriſti ſaluatoris noſtri mulierem Samaritanam alloquentis vocibus aſtruitur. [Ioan 4.] Qui bibit, inquit, ex hac aqua, ſitiet iterum. Qui mundi huius diuitiis, honoribus, aut voluptatibus ſatiari appetit, is maiorem in dies ſingulos ſitim contrahet, nec vllo vnquam tempore voti compos fiet. Sed eſt aliud aquæ genus, ex quo ſi quis ſemel tantum biberit, is abunde ſatiabitur, ita vt nulla deinceps ſiti cruciandus ſit. Promanat vero hæc aqua ex ipſo voluptatum omnium fluuio, quo omnes illi cæleſtis patriæ ciues perpetuis temporibus potantur, & ſatietatem accipiunt. De quo ſic ſcriptum habetur: Satiabor, cum apparuerit gloria tua. [Pſal.16.] Deus optimus maximus huius aquæ fons eſt, quam omnes animæ piæ vehementer appetunt: ex quibus vna ſitim ſuam his verbis prodit. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Quorum verborum ſententia hæc eſt: [Pſal.41.] Quemadmodum ceruus hauſto veneno ad fontem maxima contentione feſtinat, vnde remedium ſumat & ſolatium: ita & anima mea, poſteaquam letalis ei peccati recordatio ſubiit, ad te per ſalutarem pœnitentiæ fontem toto affectu contendit. Cum ergo ſciamus, quænam ſit hæc tantæ virtutis aqua, & quo loco reperiatur; animas noſtras expandamus, vt ex ea ſatientur: (eo quod ex nobiſmetipſis ſumus omni bonitatis ac virtutum humectatione expertes prorſus & alieni;) & cum propheta dicamus: [Pſal.142.] Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Quemadmodum enim terra, niſi irrigetur, ſuapte natura ſterilis eſt & arida: ita & anima mea ex ſe omnis boni expers eſt & infructuoſa. Quocirca tibi, benigniſſime Deus ſupplex fio, vt eam gratiæ tuæ rore perfundere digneris: quo fiat, vt bonorum operum fructus ferat, ac demum ad te perueniat, perenni gloriæ tuæ fonte ſatianda.

Hactenus hominis in peccatum prolabentis ruinam, deinde quemadmodum ſe prolapſus recipiat, audiſtis. Nunc danda eſt opera, vt intelligamus, in gratiam receptus quas res à Deo poſtulare debeat. Primum igitur orat, vt exaudiatur. Secundo loco Deum precatur, vt eum clementer reſpicere & ab hoſtibus tueri velit. Demum doceri poſtulat, qua ratione omnes vitæ ſuæ rationes ad diuinæ voluntatis normam dirigere queat. Singularum autem petitionum ſingulas adfert rationes, ob quas exaudiri debeant.

Cum tenuioris fortunæ quiſpiam principem accedit, qui apud magnates comparere non ſit aſſuetus, is ſtatim metu perculſus pallorem in vultu oſtendit, lingua hæſitat, animo ſic concidit, vt verba formare & recte proferre non ſufficiat. Id quod ipſo rei vſu comprobatur, non ſolum in iis, qui verecundi ſunt & puſillanimes, ſed & in illis, qui ſatis magno & conſtanti ſunt animo. Nam & de Regina Saba refert 3.Reg.10. ſacra regum hiſtoria, cum Salomonis ſapientiam, regiæ domus magnificentiam, menſæ apparatum, cultus ſplendorem, ſummam in rebus & gerendis & ordinandis prudentiam, inſtructos miniſtrorum & ſeruitiorum ordines, & cætera, quæ ab ipſo fiebant, conſideraret, quamuis inſignis habita ſit mulieris prudentia & animi fortitudo, eiuſque adeo illuc aduentus fuerit, vt alia atque alia regi ænigmata proponeret, in eam tamen rerum admirationem veniſſe, vt quaſi emotæ mentis extiterit, & dicere incipientem ipſa etiam vox & ſpiritus defecerint. O Deum immortalem: ſi tantum terrorem incutere poteſt hominis alicuius conſpectus, quid faciet anima vitiis conſpurcata, quomodo ſe geret miſera, cum ſeſe diuino numini exhibebit, 1.Timoth.6. cum tremendæ illius maieſtati ſiſtenda erit, qui Pſal.75. rex regum eſt & Dominus dominantium, qui auſert ſpiritum principum, qui terribilis eſt apud reges terræ? Mirum profecto non eſt, ſi in his rerum anguſtiis conſtituta, ita conſternetur animo, vt quid dicere aut quid facere debeat, non ſatis exploratum habeat: maxime vero, ſi is ſe difficilem præbeat, nec poſtulationem ſtatim admittat. Quamobrem expedire videtur, vt vnuſquiſque noſtrûm peccatis obnoxius, orationem in hunc modum inſtituat: Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus. At vero, cum princeps ſupplicem iam admiſerit, ſeque ad petitionem auſcultandam vtcunq; promptum oſtenderit: niſi & hominem præterea metu perterritum blando vultu & verbis confirmet, ſed contrà ſeſe iracundum & alienum præbeat: periculum eſt, ne non ſolum ſpiritus immodico timore ſuperatus ſuccumbat, ſed & ipſe vniuerſis totius etiam corporis viribus deſtitutus in terram corruat. Nam indignatio regis (vt à Salomone dicitur) nuncius mortis eſt. Et Prouerb.16. Ibidem. contrà: In hilaritate vultus regis vita. Quod ſi regis indignatio, qui homo mortalis eſt, tam periculoſa cenſetur: de Deo quid ſentiendum erit, cuius ira (quemadmodum & ipſe) immortalis eſſe poteſt? Quam multi enim ſunt, qui diuinam indignationem & pœnas (quas vtique meruerant) immodice formidantes, omnem ſalutis ſpem depoſuerunt, atque ita demum in profundam illam inferni voraginem prolapſi ſunt? Rurſum, quam multi ſunt, qui ſcelerum quidem ſuorum mole depreſſi in infernum ferebantur: ſed diuinæ miſericordiæ fiducia ſubleuati, in vitam æternam emerſerunt. Cuius rei conſideratio vnumquemque hominem, qui peccatorum ſuorum pondere prægrauatur, impellere debet, vt Deum agnita periculi magnitudine ſic precetur. Ne auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Sed ſi princeps & poſtulationem benigne auſcultauerit, & hominem fronte quantumuis exporrecta & ſerena conſpexerit, niſi porro & miſericordiam reipſa præſtiterit: quid inde fructus aut vtilitatis referet ille, qui petitionem inſtituit? Nihil plane. Qua de cauſa miſericordia eſt tertio loco omnino petenda. Certa quidem res eſt, Deum optimum maximum cæteras res creatas omnes miſericordia longe ſuperare. Eſt ille multo propenſiori in homines affectu, & maiori eos amore proſequitur, quam quiſquam maritus vxorem, mater prolem, aut pater filium. Dubium non eſt, quin ſit magnus viri in vxorem amor: Sic enim ſcriptum Geneſ.2. eſt: Relinquet homo patrem & matrem, & adhæ- Epheſ.5. rebit vxori ſuæ. Quibus verbis planum fit, vxorem arctiori dilectionis vinculo complectendam eſſe, quam patrem aut matrem. Quod enim ita ſit, multæ tamen ſunt cauſæ, ob quas vxor à marito iure ablegari poſſit: & ſi ſic ablegata ad eum reuertatur, permittunt leges, vt eam domo eiiciat & plane repudiet. Sed multo maior eſt Dei, multo conſtantior in nos affectus. Nam quantumuis numeroſa, quantumuis atrocia ſint noſtra in eum flagitia, ſi tamen redire voluerimus, ille continuo nos in gratiam eſt recepturus. Quam rem ſuis ipſe verbis nobis teſtatam facit. Hieremias enim ſic ait: Si dimiſerit vir v- Hier.3. xorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Sed quid ait bonus ac miſericors Dominus? Tu autem, inquit, fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Quibus rebus clarum efficitur, eſſe Dei in nos amorem multo conſtantiorem, quam viri in vxorem. Deinde, quanta ſit matrum in filios teneritudo, ex laboribus & moleſtiis, quas eorum cauſa perferunt, dum nutriũt & educant, manifeſtum euadit. Sed & hunc maternæ dilectionis affectum diuinus amor longe ſuperat. Nam matres, cum filios aliquando parum obſequentes & ingratos experiuntur, eorum curam deponunt & obliuiſcuntur. Sed Deus optimus maximus longe aliter nobiſcum agit: quod ſuis ipſius verbis apud Iſaiam pro- Iſai.49. phetam nobis confirmat, vbi ſic ait: Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit,

rit, ego tamen non obliuiſcar. His igitur verbis addicitur neceſſario, nos Deo chariores eſſe, quam ipſos matribus ſuis infantes.

Poſtremo nec ipſi patres (quorum tamen in liberos amor diuturnior & conſtantior eſſe ſolet) ſunt Deo conferendi. Qua de re ſic primum *Pſal. 102.* habetur. Quomodo miſeretur pater filiorum, ita miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Sed Chriſtus ſaluator noſter, in Euangelio patres carnales alloquens, etiam illud addit. Si vos, *Matth. 7.* inquit, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Quæ res in filio illo prodigo illuſtris fuit, cum ad patrem, culpam deprecaturus, reuertebatur. Nam ſimulatq; pater longe venientem conſpexit, commiſeratione permotus, obuiam illi ſtatim proceſſit, & collum complectens oſculatus eſt. O ſingularem patris amorem. O pietatem inſignem ſtupendamque.

Nos, chariſſimi, qui à Deo per peccatum receſſimus, hoc filij exemplum nobis imitandum proponamus, vitiis renunciemus, ad patrem cæleſtem contendamus, & delictorum veniam cum animo vere pœnitenti & certa impetrandi fiducia poſtulemus: (aliter enim fruſtra petitur) & cum hæc præſtiterimus, cum propheta dicamus ſinguli: Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui. Sed poſteaquam peccator miſericordiam ſemel impetrauerit, ſumma illi deinceps adhibenda eſt cura, ne in eaſdem peccatorum ſcopulos rurſus impingat: quo fiat, vt multo deterior ſit eius conditio, quam antea fuerit. Quæ quidem peccatorum iteratio tribus fere modis contingit. Primum ex eo, quod illa vitæ bene inſtituendæ præcepta ignorentur, quæ homini recte conſtituto ad pergendum perſeuerandumque neceſſaria erant. Deinde periculum eſt, ne hoſtis verſutus hominem rurſus in fraudem inducat, etiamſi omnes illas viuendi rationes & monita quam optime calleat. Demum & à ſua ipſius innata fragilitate maximaque in peccatum propenſione periclitari poteſt ille, qui recta via incedit, ne forte deflectat. Hæc igitur tria pericula proſpiciens ſanctus propheta, totidem petitiones ad Deum inſtituit, & ab eis muniri poſtulat. Ea fuit ſemper Dei miſericordia & benignitas in omnes, qui rebus dubiis & obſcuris perplexi diuinam eius opem ſyncere & bono fine ſibi propoſito implorarunt, vt eius ſci- *Act. 10.* entiæ lumen tribuerit. Quod in Cornelio illo nobili viro cohortis Italicæ præfecto perſpicitur: qui quamuis Gentilis eſſet, nec Iudaicis nec Chriſtianis legibus imbutus, ad Deum tamen aſſiduas preces fundebat, vt recti ac veri lumen acciperet. Quem Dominus deſtinato etiam Angelo monuit, vt Simonem Petrum accerſeret, cuius voti compos fieret. Idem eunucho illi, *Act. 8.* qui Candaci Æthiopum reginæ à gazis erat, vſuuenit. Is in precatione frequens erat. Cumque quodam die Hieroſolyma (quo voti cauſa ſe contulerat) rediret: Philippus Apoſtolus diuino iuſſu ſeſe illi viæ comitem adiunxit, & Chriſti legem homini prius ignotam edocuit. Et quid tandem eſſe cenſebimus, quamobrem Deus hominibus iſtis viam, qua incedere debebant, monſtrare voluerit: niſi quod eorum mens in eum intenta fuit, & opem cæleſtem votis ardentiſſimis, bono fine, ſine omni fuco & ſimulatione implorarunt. De quibus alio quodam in loco ſic habetur: Prope eſt Dominus omnibus inuocan- *Pſal. 144.* tibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Quocirca, cui in denſis errorum & ignorantiæ tenebris amplius verſari non libet, is Deum in oratione adeat, ipſumque non ſimulate, ſed integro & ſyncero mentis affectu his verbis precetur: Notã fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam. Ad hæc, cum peccator viam mandatorum Dei iam notam habuerit: fieri tamen poterit, vt ſibi metuat à graſſatoribus, qui viam obſident & viatoribus inſidiantur, ne forte illi recta incedentem aggrediantur, & ſuis fraudibus circumſcriptum in ſolitos errorum tramites abducant. Sunt quidem dæmones noſtri generis hoſtes maximis viribus præditi: quod ſcriptura ſacra his verbis confirmat. Non *Iob 41.* eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur eis. Qui cum aliquem vitiis abdicatis pœnitentiæ inſtitutum ſectari vident, in eam rem totis viribus incumbunt, vt eum à ſuſcepto pietatis colendæ propoſito deducant. Quod vt aſſequantur, vanas quaſdam & fallaces artes adhibent, quibus tamen nemo eſt mortalium qui reſiſtere valeat ſine ope potentiſſimi Dei noſtri: quo conſpecto contremiſcunt & ſeſe in fugam ſtatim coniiciunt. Ille ſolus eſt, qui nobis opem ferre poteſt, cum à dæmonibus iſtis immaniter ſæuientibus periclitamur. Eſt ille turris fortitudinis à facie *Pſal. 60.* inimici: cuius ambitu quiſquis continetur, non eſt, quod vim ſibi ab hoſtibus intentatam formidet. Cadent enim à latere eius mille, & decem *Pſal 90.* millia à dextris eius: ad eum autem non appropinquabũt. Quamobrem qui ſibi à malignis horum machinationib. timet, ne forte à cœpto virtutum itinere abſtrahatur, is in arcem hanc munitam ſe quamprimum recipiat, ibique conſtitutus has voces totis viribus profundat. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi. Poſtremo, quicunque pœnitentiæ ſemita inſiſtit, is iuſtam timoris cauſam habet, ne ſua eum fragilitas rectis itineribus pergentem remoretur, & retrorſum in varios errores coniiciat: quod multis poſt ſuſceptam pœnitentiã contingit. Eſt vero hęc fragilitas noſtra tam magna, vt, niſi Deus noſtri miſertus auxilium ferat, fieri non poſſit, quin à recta via declinemus. Non enim volentis neque *Rom. 9.* currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Qua de re quidam vir prudens Deum ſic alloquitur. Sciui, quoniam aliter non poſſum eſſe continuus, niſi tu dederis. Et diuus Auguſtinus: Da Domine, inquit, quod iubes, & iube quod vis. Quo ſignificare voluit, voluntatem diuinam ſine ope diuina nobis præſtari non poſſe. Ille nos creauit

ratio-

rationeque ac libero voluntatis arbitrio prẹditos eſſe voluit, vt mandata ipſius obſeruaremus: qui certe, quicquid à nobis præſtari poteſt, iuſtiori titulo exigere poteſt, quam dominus quiſpiam à ſeruis ſuis. (Et tamen huius mundi dominus ac princeps multa ſuis imperat, & expectat omnino, vt imperanti obtemperent.) Quamobrem quem vitẹ prioris vere pœnitet, is Deum ac creatorem ſuum his verbis precetur: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Hactenus à nobis dictum eſt, primum de hominis per peccatum ruina: deinde, quemadmodũ per pœnitẽtiam cum Deo in gratiam redeat: tertio, quid ab ipſo reuerſus poſtulet. Nũc ſupereſt, vt quarto loco paucis expediamus, quodnam ſit illud præmiũ, quod à patre accepturus eſt. Quid igitur aliud à patre optimo clementiſſimoq; expectandum eſt, quàm vt filium ſuum cum tanta pœnitentia & cum certo vitæ emendatioris propoſito redeuntem humaniter excipiat & in domum ſuam ſtatim introducat? Quod filij huius prodigi patrem feciſſe commemorat ſacra Euangelij hiſtoria: qui ſeruis etiam imperauit, vt nouis eum veſtibus induerent, & cõuiuium grande pararent. Nõ ergo exiſtimabimus patrem cæleſtem peccatori ad eum reuertenti ſimilia humanitatis & amoris officia præſtiturum eſſe? Imo vero & multo maiora. Nam ille filium ſuum ducet nõ in domum aliquam anguſtam, ſed in regnum ſuum longe ampliſſimum, in regionem optimam & vberrimam: quam qui ſemel ingreſſus fuerit, errare iam amplius aut deficere nunquam poterit. Ac proinde regnum Dei in ſcripturis nunc terra recta, nunc terra viuentium dicitur, eò quod ibi, & ſine errore & in æternum viuatur. Multi quidem ſunt patres, qui filios immorigeros, ſi redirent, etiam in carcerem & vincula coniectos grauiſſimis ſuppliciis afficerent. Sed multo clementior
Luc.9. eſt pater cæleſtis, qui diſcipulis vindictam in Samaritanos expoſcentibus reſpondit: Neſcitis cu-
Sap.12. ius Spiritus eſtis. Et in libro Sapientiæ ſic habetur: O quam bonus & quam ſuauis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus? Cum ergo ille ſolus
Ephe/.3. patris nomen præ cæteris mereatur, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, conque ſpes ſit fore, vt maiorem in nos exerceat miſericordiam: idcirco pœnitens magna cum cum fiducia accedit dicitque: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum, Domine. Quaſi dicat: Spiritus tuus, Domine, benignitatis & miſericordiæ plenus, me demum in illam æternarum voluptatum regionem perducet. Atque hæc quidem felicitas mihi continget, non ob aliquod meritum meum; ſed propter nominis tui gloriam. Præterea dubium non eſt, quin filius iſte prodigus ex illa paterni ſermonis dulcedine non ſolum miram conſolationem, ſed & vitam quodammodo receperit: vnde ſacra ſcriptura eum & mortuũ fuiſſe & reuixiſſe commemorat. Et quid tandem illud erat, quod eum vitæ reſtituit? Nihil certe aliud, quam æquitas paterna. Eſt autem æquitas illud, quod philoſophi ἐπιείκειαν appellabant, quæ proprie mens legis eſt, quam iudex de re aliqua ſententiam laturus, non ipſa legis verba ſpectare debet. Nam ſæpe fit (vti à Cicerone dicitur) vt ſummum ius ſumma ſit iniuria. Quæ res ſubiecto exemplo fiet illuſtrior. Lege cautum eſt in aliqua ciuitate, vt ſi quis poſt ſtatam noctis horam mœnia tranſcendat, capite plectatur. Poſt legem promulgatam, hoſtes repente accedunt, vrbem cingunt obſidione, & poſtera nocte inuadere ſtatuunt. Nec quiſquam eſt, qui hoc eorum conſilium reſciſcat, præter vnicum ciuẽ, qui forte fortuna porta excluſus ſeſe hoſtibus ingerit. Is igitur re intellecta, mœnia conſcendit, conciues imminentis periculi monet, eaque ratione ciuitatem vniuerſam excidio liberat. Iam, ſi ex verbis legis ferenda eſt ſententia, ciuis iſte capitali ſupplicio afficiendus eſt: ſed ſi legiſlatoris mentem conſideramus, res longe aliter ſeſe habet. Nam iuſtitia (ipſa videlicet legis ſcriptæ ſeueritas) hominem morti addicit: at legis æquitas & ratio contrà maximos ei honores & præmia decernit. Eadem plane eſt legum diuinarum conſideratio: in quibus
illud habetur: Anima, quæ peccauerit, ipſa mo- *Ezech.18.*
rietur. Quæ quidem legis ſanctio ſi ad rigidam verborum ſignificationem exigeretur, quam deplorata eſſet noſtra omnium conditio: cum nulli vnquam homines in lucem æditi ſint, (paucis admodum exceptis) qui non fuerint peccatis obnoxij? Sed huius decreti magis attendenda eſt ſententia quam verba: quam vtique ſententiam ex aliis ſacræ ſcripturæ locis eliciemus. Dicit rur-
ſum Dominus per Ezechielem prophetam. Nolo *Ezech.33.*
mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat. Quibus verbis intelligimus, peccatorem, qui ſe letali crimine obſtrinxerit, mortis æternæ reum eſſe: at ſi relicta peccandi voluntate ad Deum per pœnitentiam conuerſus fuerit, denuo ad vitam æternam admiſſum iri: hoc omnino voluiſſe legiſlatorem, hanc eſſe legis ſententiam & æquitatem. Quæ res ingentem peccatori conſolationem adferre debet, cum iam Deum his prophetæ verbis magna cum animi fiducia compellare poſſit. Viuificabis me in ẹquitate tua. Qui peccati mortalis veneno ſpiritualiter extinctus, omnino perieram, ad tuæ clementiæ antidotum confugio, vt inde vitam & ſanitatem recipiam. Immenſæ prorſus ſunt ciuitatis illius cæleſtis voluptates & mira felicitas. Quiſquis enim in eum locum ſemel admiſſus, & magnifici conuiuij particeps effectus fuerit, is nullam deinceps nec animi nec corporis miſeriam experietur. Primum,
corpus non erit iam amplius mortale: & quod *1. Corinth.15.*
in corruptione ſeminatum fuit, reſurget in incorruptione, nec fieri poterit, vt moriatur. Deinde, quod nunc naturaliter infirmum eſt & debile, tunc ineffabilem virtutem accipiet. Præterea, ſublata membrorum obſcuritate, tantus futurus eſt corporis ſplendor & gloria, vt ipſum etiam ſolem æquare poſſit. Porro quod hic animale eſt & ſenſuum obiectis afficitur, ibi fiet omnino ſpirituale, appetitioneſque omnes & mo-

tus

tus rationis imperio continenter obtemperabunt. Præterea nulla erit ſubſtantiæ deprimentis moles, nulla grauitas: ſed ſumma prorſus agilitas celeritasque. Nulla craſſities impediet, quo minus lapidem quantumuis denſum penetret. Nullum plane vitium erit, nulla macula: ſed omnia decora & illuſtria. Corpus nullam vnquam rem corruptibilem vel appetet vel indigebit, eò quod immortale fiet & impaſſibile. Sic erit ſpirituale, vt inter corpus & animam nullum ſit amplius diſſidium, nulla inuidia, nulla honoris ambitio, nulla diuitiarum cupiditas, quæ aliquam corpori moleſtiam adferat: ſed vnuſquiſque de aliena non aliter quàm de ſua felicitate gaudebit: nec vllus rerum caducarum vſus erit. Amœnitatum illic & oblectamentorum abunde erit. Deus enim ex ipſo voluptatum omnium torrente perpetuis eos temporibus ad ſatietatem vſque potabit. Qua
Pſal.16. de re propheta: Satiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. Ad hæc, in illa regione cæleſti pax erit & tranquillitas omnis perturbationis expers. Nam ſinguli ſua ſorte contenti ac læti ſine murmure plane acquieſcent. (Contrà, in hac mundi regione labores & tædium eſſe neceſſe eſt.) Siue enim mundo conformamur, ſiue mores Ipſius & conſuetudinem fugimus, nobis omnino ſubeundæ ſunt animi diuexationes & moleſtiæ. Quod in hunc modum rebus additur neceſſariis. Qui mundi voluptates ſectaris, nonne mille laboribus, mille te periculis exponis, vt rebus optatis animi potiaris? Deinde cum voti compos effectus fueris, nonne mille rationes, mille artes excogitas, quibus res tanta cum difficultate acquiſitas conſerues ac tuearis? Denique quis æſtimare poterit, quam intimus ſit animi tui cruciatus, quoties mentem ſubit illa cogitatio, fore aliquando tempus, cum hæc omnia, quibus nunc tantopere afficeris, tibi vel per vim eripienda, vel caſu aliquo peritura ſint. Certe qui mundi voluptatibus addicti ſunt, illud Sapientis dicere
Sap.5. poterunt: Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.

Propterea quiuis peccator, quem vitæ prioris pœnitet, tertium illud commodum poſt hanc vitam conſequetur, vt ſit ab omnibus hiſce perturbationum moleſtiis prorſus immunis, & quiete ſempiterna perfruatur. Cuius rei fiducia etiam in hac vita conſtitutus Deum ſic alloquitur. Educes de tribulatione animam meam. Illud etiam in Euangelio proditum eſt, fuiſſe nonnullos, qui eam filio prodigo felicitatem inuidebant, quod à patre tam humaniter & benigne acceptus fuerit. Nam & frater natu maior, qui ſemper in domo paterna permanſerat, rem ægre ferebat; cuius animum etiam ſerui nequiſſimi ſubiectis inuidiæ facibus magis exulcerarunt. Quibus rebus duo aduerſariorum genera deſignantur. Alterum eſt eorum, qui ſeſe plus aliquid meritos eſſe arbitrantur, quàm cæteros mortales: cuius generis ſunt illi, qui pietatis officiis ſine vlla peccati letalis intermiſſione ſemper inſiſtentes, de rebus à ſe geſtis præſumunt. Alterum eſt eorum, qui ad inuidiam ſtimulant: atque hi quidem dæmones ſunt, qui vanam hanc meritorum opinionem piis mentibus frequenter ingerunt. Hoc & in alia quadam Euangelij parabola oſtenditur: vbi refert Matth.20.
ſaluator, eos, quorum opera circa horam vndecimam conducta fuit, parem cum illis mercedem accepiſſe, qui pondus & æſtum diei ſuſtinuerant, eaque de cauſa quoſdam ex illis in patremfamilias obmurmuraſſe. Sed ille eorum inuidiam continuo molli hoc reſponſo compeſcuit. Non licet, inquit, mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Eodem plane modo & frater iſte ætate prouectior ad patrem: Ecce, inquit, tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum. Quibus verbis proditur, quam magna fuerit eius in fratrem indignatio, & quam acerbus liuor de miſericordia illi præſtita.

Sed pius ac benignus pater, filij mentem vehementer exaſperatam cernens, accedit & blandis eum verbis ſic demulcet: Fili, inquit, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perieras & inuentus eſt. Ad eundem modum & pater noſter cæleſtis aduerſariorum noſtrorum obiecta retundet, & filij ſui pœnitentiam ſuſcipientis cauſam aget. Quod ille viciſſim beneficium agnoſcit aitque: Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. Prius quidem iſtud aduerſariorum genus deficiet & ſuo tempore finem habebit. Sed poſteriores illi, quos dæmones eſſe iam diximus, qui dies ac noctes in rem ſedulo incumbunt, vt ardentes inuidiæ ac malitiæ faces piorum hominum mentibus ſubiiciant, funditus peribunt & ad nihilum redigentur. Sunt profecto illi hoſtes nobis longe infeſtiſſimi: ſemper in inſidiis verſantur, & aliquid doli in ſingula horarum momenta moliuntur, vt homines incautos in ſuos caſſes perducant: nec quicquam eſt illis antiquius, quàm vt animas in captiuitatem abductas æternis demũ tormentis afficiãt. Interim in hac vita alias atq; alias inferunt moleſtias, flagella, diuexationes; quas etiam æternas eſſe cupiunt. Inter cætera vero, ſi quem à vitiis auerſum magnum aliquem in virtutibus profectum feciſſe, magnoque ac conſtanti animo ipſis innitis perſeuerare cõſpiciant: ſæpe illos, quos alioquin bene affectos vident, ad inuidiam concitant, quemadmodum ſeruus ille fratrem natu maiorem concitauit, cum iis verbis ad eum vſus eſt: frater tuus venit, & occidis pater tuus vitulum ſaginatũ, quia ſaluum illum recepit.

receptit. Quæ quidem voces hominem ſic affecerunt, vt præ iracundia domum intrare nõ voluerit. Sed futurum eſt poſt hanc vitam, vt & peccator, qui ſcelera ſua ex animo deplorat, hiſce malis omnibus eximatur, & illi, à quibus has moleſtias nunc patitur, in ipſam inferni voraginem deturbati, æternis cruciatibus addicantur. Quam rem propheta his verbis ſignificauit: Et perdes omnes qui tribulant animam meam. Hæc igitur commoda & beneficia benigniſſimus Dominus & pater noſter cæleſtis libenter in eum conferet, qui prorſus excuſſo dęmonis iugo, diuino ſe cultui & ſeruitio manciparit. Nec enim facere poteſt prudentiſſimus iſte & peritiſſimus artifex, vt opificiũ ſuum non agnoſcat: maxime vero, cum maculæ, quibus dæmones impuri animæ nitorem obfuſcauerant, per pœnitẽtiam & intimum dolorem de peccatis ſuſceptum penitus deletæ fuerint. Nunquam permiſſurus eſt Deus, vt anima in hũc modum reſtituta pereat, eo quod ipſum iam opificem referat. Deus opt. max. hominem ad ſuam ipſius imaginem & ſimilitudinem ex nihilo creauit: quo fit, vt homo ad Deum duplici iure ſpectet. Primum quidem, quod ſumma illius potentia conditus, deinde quod ad ipſam etiam opificis imaginem efformatus ſit. Sed alia adhuc ratio eſt, qua multo maiori cum æquitate hominem ſibi vendicare poſſit: eo ſcilicet quod immenſo cum precio, ipſo nimirum vnici filij ſanguine mercatus ſit. Tam iuſtus eſt hic iuris titulus, vt propterea illum tãquam peculium aliquod habere & adhibere meritò debeat. Quare fretus peccator, benignum Dominum accedat, dicatque: Reſpice, clementiſſime Deus, creaturam tuam, quam ad tuam ipſius imaginem creaſti, quam etiam precioſo filij tui ſanguine redemiſti: tuam in eo ſimilitudinem agnoſce: & quicquid in eo tuum non eſt, dele. Eandem, obſecro, iuris æquitatem in me exerceas, quam iam olim in alios quam plurimos exercuiſti. Ex peccati cœno ad te contendenti opem feras. Tuũ ex hac miſerabili dæmonum ſeruitute, in qua iam diu detineor, clementer eximas: non quod mihi filij dignitatem arrogo (cuius me nominis honore indignum eſſe fateor ingenue) ſed quoniam ego ſeruus tuus ſum.

Hæc igitur à nobis dicta ſunt & explicata. Primum cuiuſmodi ſit hominis per peccatum ruina & miſeria. Deinde quemadmodum per pœnitentiam reſurgat. Tertio loco, quas res à patre cæleſti iam reſtitutus poſtulet. Ac demum quam inſignes ex ea re fructus & commoda ſit tandem reportaturus: quæ nobis concedat bonus miſericordiarum pater, cui honor & imperium in omnes ſeculorum æternitates. Amen.

F I N I S.

IOAN-

IOANNIS ROFFENSIS CONCIONES DVAE, VNA DE PASSIONE DOMINI; ALTERA DE IVSTITIA PHARISÆORVM ET Chriſtianorum.

PRAEFATIO AD ELISABETHAM SOROREM ſuam dilectiſſimam.

NIhil eſt, ſoror mea Eliſabetha, quod ad bonam vitam conciliandam maiorem vim & efficaciam habeat, quam ſi anima, cum ſe ſegnem, aridam, deuotionis expertem, & ad orationem cæteraque pietatis officia torpentem conſpicit, fructuoſam aliquã meditationem inſtituat, eaq; ratione ſeſe rurſum excitet viuificetque. Qua de cauſa hanc tibi meditationem efformaui, illud à te poſtulans, vt & mea & animæ tuæ cauſa illis eam temporibus perlegas, cum te grauem maxime & ad aliquod opus bonum ſuſcipiendum habetem ſenſeris. Eſt vero hæc meditatio inſtar lamentationis ſeu planctus hominis à morte ſubitu præoccupati. Quæ res (mihi crede) vnicuique mortalium accidere poteſt. Nec enim alia nobis datur ſecuritas, quamdiu in hoc mundo verſamur. Sed ſi aliquem inde fructum referre cupis, tria ſunt tibi omnino præſtanda. Primum, cum meditationem iſtam lectura es, danda eſt opera, vt, quantum fieri poſſit, omnes hominis in hunc modum deprehenſi conditiones animo complectaris, eoque in loco te conſtitutam agnoſcas, continuo moriendum eſſe, animam hinc ſtatim relicto mortali corpore migraturam, nec vllo vnquam tempore poſt hanc ipſam horam reuerſuram eſſe, vt quæ perperam geſta ſunt per pœnitentiam emendet, aut aliquod ſaltem leuamen accipiat. Deinde, vt ad legendum nunquam accedas, niſi ſola & à turbis ſemota, vbi maxime attenta eſſe poſſis, & cum animo plane vacuo omnibuſq; reliquarum occupationum ac cogitationum moleſtiis expedito. Quod ſi aliter tegeras, futurum eſt, vt meditatio hæc omnem vim ſuam protinus amittat, nec animam torpeſcentem excitet, etiam cũ maxime velis. Demum vt meditationem ſuſcepturæ mentem prius ad Deum attollas, diuinam eius gratiam & opem implorans, vt lectio, quam mox inſtituis, non ſit infructuoſa, ſed vitæ piæ & ex ſanctiſſima eius voluntate formandæ propoſitum in anima tua generet efficiatque. Eoque fine huiuſmodi quiddam præmittas: Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri &c. Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ. Amen. Eheu, eheu, equidem præmature rapior: mors nec opinantem inuaſit: eſt eius ictus tam grauis & atrox, vt diu ferendo non ſim: iam (probe video) tempus eſt, vt viam vniuerſæ carnis ingrediar: eſt hoc corpus nunc deſerendum: omnino ex hac vita ſtatim migrandum, nec vlla vnquã reuertendi ſpes eſt. Sed quo tandem conceſſurus ſum: vbi me recipiam: quis me locus hac nocte excipiet hoſpitio? Quales mox comites ſortiturus ſim, quæ me regio ſit ſuſceptura, quoue modo ſim tractandus, (Deus nouit) ego plane ignoro. Quid ſi tenebricoſus ille inferorum carcer mihi ſubeundus ſit: vbi cruciatus ſunt nullo vnquam nec numero nec fine terminandi? O quam calamitoſus erit eorum hominum ſtatus, quos ille locus excipiet: qui mortem quidem ipſam ſemper optabunt, quam tamen nunquam conſequentur? Si mihi in lecto quantumuis molli & delicato ad vnius anni ſpacium decumbendum eſſet, dubium non eſt, quin ea res magno me tædio afficeret. Quam igitur moleſtum erit, in ſæuiſſimo illo tartarorum incendio nõ ad vnum duntaxat annum, ſed ad mille annorum myriades, imo ad omnes temporum æternitates verſari? Quam horrendum, ſocios habere teterrimos illos dæmonũ cœtus malignitatis & ſæuitiæ pleniſſimos? Me miſerum & infælicem. Potuiſſem quidem ex diuina Chriſti Ieſu Domini mei gratia & munere omnes vitæ meæ rationes ita inſtituere, vt hæc hora mihi valde iucunda & optabilis exiſteret. Hanc horam plurimi viri ſancti vehementer expetierunt, eo quod certum habebant, animas ſuas per mortem in vitam nouam transferendas eſſe, in vitam vtique deliciis ac voluptatibus ſempiternis affluentiſſimam; ab anguſtiis & ſeruitute corporis iſtius corruptibilis, in veram illam & beatam cum cœlitibus libertatem; à miſeriis & ærumnis huius ſæculi, ad ſupernum illud & ſolidum in Deo gaudium, quod omnem humani & ſermonis & intellectus facultatem ſuperat. Certa enim fiducia nitebantur illi diuinæ pollicitationis præſtandæ, quæ talia Dei famulis bona fide inſeruientibus præmia propoſuit. Quod ſi à me ſimili modo præſtitum fuiſſet ad hanc vſque horam, mihi perinde certum eſt, quod & anima mea earum ſimiliter promiſſionum particeps futura eſſet. Sed me miſerabilem, qui de hac diuini numinis cultura hucuſque nihil penſi habui: eoq; nunc doloribus miſerum in modum diſcruciatur conficiturq; cor meum, & mortis iam ingruentis neceſſitatem & meam totius vitæ incuriam ſocor-

diamq; conſiderans. Mihi certe vix vnquã ea ſubiit cogitatio, fieri poſſe, vt in has anguſtias iã ſubito venirem. Sed eheu, mors nunc incautum præuenit, aggreſſa eſt repente, & potentia ſua grandi oppreſſit: ita vt, quo me vertam, quidue faciam aut vnde petendum ſit auxilium, plane ignorem. Si mihi daretur aliquod temporis ſpacium, quo pœnitentiam & ſerium vitæ emendatioris propoſitum ſuſciperem, non quidem hac impendentis periculi neceſſitate coactus, ſed ſponte mea, libere, & partim ob Dei amorem, excuſſo penitus omni torpore negligentiaque: poſſem quidem ex hac vita ſine vllo timore decedere, imo vero mihi iucundum foret tot tantiſque miſeriarum implicamentis liberari. Sed quo modo mihi perſuadeam, hanc à me nunc ſuſceptam pœnitentiam & emendandæ vitæ propenſionem à libero voluntatis arbitrio profectam eſſe, qui iam antea, priuſquam ictus iſte letalis inflictus erat, tam tardus ad omnia pietatis officia & torpidus extiterim? Quo modo exiſtimem, ea, quæ à me nunc geruntur, magis à Dei amore prouenire, quam ſupplicij metu extorqueri: quandoquidem, ſi meus in illum amor ſyncerus fuiſſet, diuinum eius imperium multo promptius multoq; alacrius iam olim ſuſcepiſſem? Videtur mihi, quod meam nunc tarditatem & pigritiam non aliter excutiam, quam ſolet mercator ſuas è naui merces proiicere: qui rerum ſuarum iacturam, niſi inuitus & vi tempeſtatis adactus, nunquam faceret. Eodem plane modo mecum agitur. Niſi enim hæc me mortis ingruentis tempeſtas occupaſſet, veriſimile eſt, nunquam futurum eſſe, vt iſtum à me languorem ac recte agendi incuriam propulſarem. O ſi vita mihi aliquanto adhuc productior diuino munere tribuatur, quo ſponte mea reſipiſcere ac vitam deinceps rectius inſtituere queam. O ſi fieri poſſit, vt mors precibus meis exorata, parcat aliquantiſper. Sed nulla impetrandi ſpes eſt: eſt enim mors inexorabilis. Nullas preces, nullas inducias, nullam prorogationem admittit: etiamſi vniuerſas huius mundi opes illi proponam; ſi omnes porro cognati, affines, amici, mea cauſa flexis ei genibus ſupplices fiant: imo vero ſi & ego & ipſi ſimul congregati tantam lachrymarum vim (ſi modo eſſet poſſibile) profundamus, quantas habet oceanus aquæ guttulas: nullo tamen commiſerationis affectu emolliri aut flecti poterit vt ſe contineat. Eheu, plurimas opportunitates in vita oblatas neglexi: quibus ſi recte vſus fuiſſem, pluris nunc æſtimarẽ, quam omnes regum omnium theſauros. fieret enim, vt, anima præclaris operum bonorum veſtibus induta & decorata, cum Deo meo ſiſtendus erã pudore non ſuffunderer; qui nunc contra, infelici peccatorum meorum ſarcina onuſtus, ad meam ipſius ignominiam & probrum comparebo. Sed me miſerum, qui bonas horas tam inutiliter contriuerim, non perpendens animo, nec quã precioſa res ſit ipſum, quod iam male à me collocatum eſt, tempus, nec quam ingentes opes ſpirituales mihi contrahere licuiſſet, ſi in eam rem totis viribus incumbere voluiſſem. Certum eſt enim, nihil eorum omnium, quæ à nobis hîc geruntur, quantumuis exiguum, fruſtra aut ſine mercede fieri: adeo vt nec aquæ frigidæ calix Chriſti cauſa elargitus ſit ſua remuneratione cariturus. Nec facta ſolum, ſed & dicta quælibet, ipſæque adeo tacitæ mentis cogitationes ſunt à Deo ſimili modo remuneranda. O quam multæ cogitationes bonæ animo verſari, quam multa verba vtiliter fieri, quam multa pietatis opera à nobis vnius diei ſpacio exerceri poſſent? Vnus ergo dies ſi tantum emolumenti nobis adferre poteſt, vnum annum integrum quantum poſſe cenſendum eſt? O negligentiam meam inſignem, O cæcitatem abſurdam, O amentiam ſceleratam, qui cum hæc omnia certa haberem, nullam tamen curam egi, vt à me rebus ipſis præſtarentur. O ſi omnes omnium ordinum homines adeſſent & conſpicerent, quanto in diſcrimine nunc verſer ex hoc ſubitaneo mortis ictu. Adhortarer omnes, vt meam ſibi calamitatem proponant, meoque edocti exemplo ſalutis ſuæ curam non negligant; ſed, dum ſuppetit tempus, excuſſa ignauia, peccata in Deum admiſſa lugeant, & bonis actibus cumulandis diligenter inſiſtentes, nullum vnquam tempus ſine aliquo boni operis fructu elabi permittant. Nam ſi diuina clementia mihi nunc concederet, vt aliquanto diutius in humanis agerem: alias profecto vitæ rationes ſuſciperem, quam quas hactenus ſectatus ſum. Nunc quidem, vt detur aliquod temporis ſpacium, votis expeto: quod tamen iure merito negatur. Eò enim quod tempore, cum ſeſe offerebat recte vti recuſabam, nunc etiam vehementer optanti & rectum eius vſum animo proponenti non conceditur. Vos igitur, quibus integrum nunc eſt hac præclara temporis opportunitate pro arbitratu veſtro vti, nullo modo contemnendum eſſe, quod offertur, neque tanti rem precij profundendam eſſe exiſtimetis: ne forte, cum maxime velitis, repulſam ſimiliter feratis. Sed meæ nunc negligentiæ valde pœnitet, ac vehementer dolet, quod tam exiguam ſalutis animæ meæ curam hactenus egerim, magis manibus corpuſculi huius oblectamentis & voluptatibus addictus. O carnem corruptioni obnoxiam, ô putidum cadauer, ò terram putreſcentem, cuius ego appetitiones tam diu ſectatus, cuius imperio tam diligenter obſecutus ſum: nunc teipſam prodis, nunc qualis ſis, rebus ipſis indicas. Illa oculorum tuorum acies & ſplendor, illa auditus viuacitas, illa reliquorum ſenſuum vis ſagacitaſque à calore naturali prouenientia, illa corporis agilitas & vigor, illa partium rite compoſitarum forma & decus, à te non erant, ſed tibi ſolum ad tẽpus commodata. Quemadmodum enim paries luteus, ſi foris inſigni aliqua pictura seu etiam auro decoretur, præclaram quidem ſpeciem ad tempus obiicit ſpectantium oculis, qui externas tantum rerum formas contemplantur, nec penitius conſiderant; ſed, ſimulatq; linimentum illud vna cum coloribus obductis & auri nitore collapſum fuerit, ſtatim apparet ipſa, quæ prius latebat, terræ ſcabrities: eodem modo & miſerum hoc corpuſculum, in ætate quidem virenti floridum apparebat &

magna

magna quadam firmitate præditum, ipſaque ſpecies externa animũ fefellit, nihil plane de occultato iſtu ſqualore cogitantem; at nunc turpem, quam hactenus cælauit, figuram oſtendit. Nunc, ô corpus meum longe miſerrimũ, alia eſt rerum facies, tua nunc ſpecies abſceſſit, forma emarcuit, vigor, alacritas, virtus omnia prorſus euanuerunt. Nunc priſtinũ rurſus præfers colorẽ: nunc liuidum es frigidumq;, ac inſtar maſſæ terreæ ponderoſum. Oculorum tuorum acies obducta tenebris, audiendi vis obtuſa eſt: lingua balbutit, corruptio ex omnibus tui partibus emanat. Corruptio tibi in vtero matern o principium dedit: corruptio tui eſt ſtatus perſeuerantia. Quicquid vllo vnquam tempore ſumpſiſti, quantumuis precioſum, illud omne in corruptionem ceſſit: nec quicquam à te profectum eſt vnquam, niſi corruptio: & nunc in corruptionem etiam ipſum conuerteris. Omnino deforme nunc es & horridum, quod iam olim ſpecioſum & aſpectu iocundum extitiſti. Sed ſpecies illa nihil aliud erat, quam pictura vel inauratio parieti luteo inducta: ſub qua latebat hæc, quæ nunc proditur, materia, putida plane & horroris plena. Verum ego non tam alte penetraui: ſed in externa illa pictura defixus, in ea contemplanda magnam cœpi voluptatem. In eam rem ſummo ſtudio incumbebam, vt te colerem, vt aliis atq; aliis veſtium coloribus ornarem, vt appetitionibus tuis obſequerer, earumque rerum obiectia ſatiarem, quæ vel pulchra oculis ſpectacula præberent, vel aures ſonorum ſuauitate afficerent, vel gratum naribus redderent odorem, vel palatum ſaporum varietate oblectarent, vel tactu mollia eſſent & delicata. Illud etiam mihi curæ fuit, vt tibi de quiete tam ſomni quam cæterarum rerum proſpiceretur. Eoque fine cubicula amœna comparaui: & ſategi, vt plura eſſent rerum ſingularum, non ſolum cubilium, ſed & ciborum & potuum & veſtimenturum genera: quo fieret, vt, cum aliorum pertæſum eſſet, alia continuo ſuccederent, quæ faſtidium leuarent. Eheu, hæc mea erat exercitatio, vana quidem & mala: in qua omnes animi vires maximamque dierum meorum partem inutiliter collocaui. Nec tamen his rebus contenta mens diu acquieuit, ſed continenter obmurmurauit, eo quod nunc hoc, nunc illud parum ex animi ſententia ſuccederet. Et quid tandem lucri ex hiſce rebus omnibus conſecutus ſum? Quam ſuſcepti laboris mercedem, quid magni beneficij ex omni hoc ſtudio, ſollicitudine, ac induſtria expectare debeam? Nihil profecto lucri, ſed contra plurimum detrimenti accepi. Nam anima multum corruptionis & ſordium contraxit: adeo vt nunc turpis ſit & aſpectu horrida. Merces vero non alia mihi expectanda eſt, quam tormenta vel inferni æterna, vel purgatorij temporalia: (ſi tamen ea mihi fœlicitas contingat, vt vel ſic euadam.) Et beneficia laboribus meis debita ſunt hæc, quibus nunc inuoluor, curæ, mœſtitudo, & conſciæ mentis carnificina. An non exiſtimem, præclaram me nauaſſe operam in hoc tam infructuoſo tamq; infauſtu negocio? Non cenſeam labores omnes corpori colendo impenſos inſigniter à me collocatos eſſe. Non arbitrer vnum tempus, quod hiſce ſtudiis impenderim, vtiliter inſumptum: vnde nihil nunc refero ſolatij, ſed mœſtitiam ſolum & pœnitudinem? Eheu, audiui ſæpius, fore, vt eos qui damnationis æternæ ſententiam ſubituri eſſent vehementer pœniteret, multoque maiorem de vita male acta dolorem caperent, quam vnquam voluptatem ceperant; nec tamen ex hac tam ſeria ipſorum pœnitentia quicquam fructus aut emolumenti conſequerentur: at vero ab hiſce pœnis ac malis omnibus liberari poſſe ob modicam pœnitentiam mature ſuſceptam. Equidẽ hæc ſæpenumero audiui, ſed ſurdam aurem præbui. Nunc vera eſſe, quæ accepi, reipſa comperio & doleo: ſed dolor iſte ſerua eſt & inutilis. O ſi cæteri mortales omnes meo nunc exemplo edocti ſibi melius proſpiciant, periculum, in quo infœlix iam verſor, diuini numinis ope deuitent, & maiori vtantur diligentia, quam eſt à me hactenus adhibita, vt hæc eos mortis hora inſtructiores inueniat. Eheu, quam vtilitatem nunc capio ex omnibus illis ciborum potuũq; deliciis, quas miſerũ hoc corpus tam inſatiabiliter ingurgitauit? Quid mihi nunc conducit omnis illa ſeu veſtimentorum ſeu reliquæ ſupellectilis magnificentia & ſplendor? Quid conferunt illa omnia putidæ carnis oblectamenta: quæ præclaram quandam voluptatem præſeferebant, ſed rebus ipſis nihil aliud erant, quam obſcœna ſuum in cœno volutantium gaudia. Iam vero, poſteaquam voluptates iſtæ præterierunt, corpus quidem nihilo melius, anima vero etiã multo deterius habet: nec aliud quicquam ſupereſt, niſi dolor & animi cruciatus, iſq; tam acerbus & atrox, vt voluptatem omnem à me iam antea perceptã mille partibus ſuperet. O corpus nequam & ſceleſtum, quod me in has rerum anguſtias adduxiſti: ô lacunam fœculentam; ô ſaccum ſtercoreum Mihi nunc migrandum eſt, vt nequitiæ tuæ rationem reddam: tuæ, dico: nam à te, quicquid eſt nequitiæ, profectum eſt. Anima his rebus, quas tu tanto opere appetis, nihil indiget. Cũ enim ſit immortalis, quorſum illi cibus, potus, aut veſtis? Quorſum illi res corruptibiles aurum & argentum, quorſum domus aut lectus, aut quæcunque ad hanc rationem ſpectant? Tibi, ô corpus meũ corruptibile, (quod inſtar parietinæ labaſcentis continua quadam ciborum potuumq; reſtauratione & varia veſtimentorum munitione indiges aduerſus calores & frigora) tibi, dico, hæc omnis impenſa eſt cura. Et tu viciſſim ob hoc meum in te ſtudiũ quam præclaram refers gratiam, vt me nunc deſeras, cum mihi maxime ſis opus, cum ſeueriſſimo iudici ſiſtendus ſim, vt de noſtris vtriuſq; rebus perperam geſtis ſententiam accipiam. In hoc rerum diſcrimine cõſtitutum auerſaris, vt totius negocij moles miſero incumbat. Eheu, complurium annorum deliberatio non ſufficiat, vt tanto me iudici probatum exhibeam: qui ſingulorum etiam verborum rationem exiget, quæ mihi vllo vnquam tempore vel incaute exciderint. O quam multa erunt verba ocioſa, quam multæ cogitationes inutiles, quam multi actus noxij, quorũ exacta ratio mihi reddenda erit?

da erit? Et plurima quæ nobis nunc leuia habentur, diuini numinis cenſura permagni ponderis eſſe depræhendentur. Me miſerum: quid eſt, quod à me præſtari poſſit, quod in hac hora tam grauiter periclitantem aliquo modo iuuet? Vnde petendum auxilium? Quo me cõferre queam, vt aliqualem ſaltem conſolationem accipiam? Corpus me deſerit, voluptates inſtar fumi euanuerunt, bona recedentem comitari renuunt: hæc terrena omnia mihi ſunt omnino relinquenda. Si qua ſpes ſit, illam vel in piis amicorum precationibus, vel in bonis operibus à me iam antea præſtitis ſitam eſſe oportet. Quod ad opera bona ſpectat (quæ alicuius apud Deum momenti ac meriti eſſe debeant) pauca admodum aut nulla agnoſco. Nam, vt ea, quæ à nobis ſuſcipiuntur, opera, Deo probentur, illud exigitur, vt præcipue ac ſyncere ad eum referantur, & ob eius amorem fiant. Sed opera mea, etiam cum eius generis erant, vt in bonis cenſeri deberent, meo tamen ſcelere deprauata vitium & labem contraxerunt. Eo enim fine à me fiebant, vel vt hominibus placerem, vel vt propriæ obſequerer voluntati, vel etiam vt infamiam aut ſupplicia vitarem. Adeoq; raro aut vix vnquam aliquid boni operis feci, cum ea, qua decuit, animi ſynceritate & recti ordinis ratione. At mala à me perpetrata, quæ pudorem nũc & horrorem incutiunt, omnem prorſus numerum excedunt: ita vt plane exiſtimẽ, nullum in omni vita nec diem nec forte horam ex legum diuinarum præſcripto tam vtiliter impenſam fuiſſe, vt non plurimæ tum cogitationes, tum voces, tum etiam actus vitioſi ſeſe interſeruerint. Quam igitur tenuem eſſe oportet ſpem illam, quæ meis operibus nititur? Iam vero, quod ad amicorum precationes attinet, quos moriens ſuperſtites relinquam, timeri poteſt, ne multi eorum alieno precum ſubſidio non minus indigeant, quam ego: eoq; cum ſint eorum preces ipſis opportunæ, ſibi fortaſſe prodeſſe queant, aliis non item. Nec dubium eſt, quin eorum complures deſides admodum futuri ſint & remiſſi meiq; forſitan immemores. Et quid mirum? Quis enim mihi proximior eſſe debebat, quam ipſe mihi? Igitur, ſi ego, ad quem res hæc proprie ſpectabat, meam ipſius ſalutẽ in vita neglexi, nihil mirum, ſi cæteri mortales de me, poſteaquam è viuis exceſſero, parum penſi habeant. Aliud amicorum genus eſt, quorum orationes eas vires habent, vt animabus noſtris opem ferre queant. Hi vero ſunt ſancti & beati viri in patriam cœleſtem iam admiſſi: qui procul dubio eorum hominum memoriam nũquam deponent, qui, dum hîc agerent, debitum eis cultum præſtiterunt. Sed me miſerum: pauci admodum ſunt ex illis, quibus ego me in vita peculiari aliquo deuotionis affectu addixi: eoſq; ipſos tam frigide colui ac remiſſe, vt nunc eorũ opem rebus meis afflictis implorare omnino pudeat pigeatq;. Deſtinaueram quidẽ animo maiorem illis hoc tempore obſeruantiã præſtare, animam meam miſeriis implicatam eorum precibus diligentius commendare, eaq; ratione efficere, vt & ipſi arctiori quadam neceſſitudine mihi cõiuncti, maiorem ſalutis meæ curam agerent. Sed mors me præuenit: ita vt nulla omnino ſpes reliqua ſit, niſi in ſola Dei clementia. Cui me nunc ex animo commendo, illud ab eo flagitans enixe, vt non merita mea, ſed ſuam ipſius bonitatem immenſam pietatemq; reſpiciat. Eheu, oportuerat quidem horam iſtam tantopere formidandam animo diligentius verſare, periculi magnitudinem ſemper ob oculos habere, meaſq; rationes ſic inſtituere, vt mors aduentans paratiorem inueniret: quam demum venturam eſſe certo ſciebam, licet quo tempore, quo loco, quoue modo ventura eſſet, penitus ignorarem. Sciebam quidem in illius eſſe poteſtate ſingulas & horas & horarum momenta. Sed (ô dementiam meam nullis vnquam lachrymis ſatis deplorandam) quantumuis & certum eius aduentum & horam incertam haberem, nihil tamen à me præſtitum eſt, quo tanti rei momenti ac periculi mature proſpiceretur. Sæpiſſime in vita ſummo ſtudio curaq; vſus ſum, vt pericula quædam leuiora cauerem, ea ſolum de cauſa, quod eius generis erant, vt accidere aliquando poſſe formidarem: (quæ tamẽ nunquam acciderunt.) Ea vero ludicra erant plane ac vana, ſi periculo, quod mox ſubiturus ſum, comparentur. O quanto maiorem curam & operam adhibere oportebat, vt aduerſus hoc tam inſigne periculum munirer: quod mihi omnino ſubeundum eſſe ſemel, nec vlla ratione declinari poſſe certiſſimum erat? Quæ res vtique maiorem prouidæ mentis intentionem & cautelam exigebat: eo quod inde pendebat tota noſtri ſtatus fælicitas. Nam ſi quis recte moriatur, futurum eſt, vt nihil ei deſit earum rerum omnium, quas optare poſſit, ſed appetitiones ſuum quæque finem ac ſatietatem conſequantur: ſin vero male, fruſtra ſit omnis ab eo tam antea ſuſceptus labor & prouidentia. Eſt igitur hæc prouiſio ſumme neceſſaria, eoque nobis ſerio meditanda: quæ ſi adſit, etiamſi cætera deſiderentur, vel ſola ſufficiat: ſi non adſit, à cæteris rebus omnibus opem nequicquam expectes. Quamobrem vos hortor quotquot nunc ſalutis procurandæ tempus diuino munere conceſſum habetis, vt opportunitatem vobis oblatam non negligatis, nec negocium in alios atque alios dies procraſtinetis, quemadmodum à me factum eſt. Mihi enim ſœpius in vita ſubiit cogitatio, fore aliquando, vt per ociũ hæc à me procuratio ſuſciperetur: ſed leuiſſima quauis de cauſa à propoſito deductus, ſuperſedi, & in aliud vſq; tẽpus diſtuli: ſtatũ aliquod mihi tẽpus præfiniẽs, quo erã omnino præſtiturus. Sed cũ illud tẽpus iã aduenerat, aliquid noui ſẽper emergebat negocij, quod rẽ animo deſtinatã impediebat. Itaq; in aliud rurſum tẽpus, & (me miſerũ) in alios atq; alios cõtinẽter dies, mẽſes, annos trãſtuli donec nũc tandẽ à morte occupatus præſtare nequeã. Bonum quidẽ erat illud animi mei propoſitum, ſed nihil à me boni præſtitũ: voluntas recta, ſed nullum ſortita effectum meos rite intenta, ſed nulla demum vtilitate aut commodo: idque non alia de cauſa, quam quod ea, quæ apud me decreueram toties differre, nec vnquam effecta dare voluerim. Quamobrem vos oro obteſtorque, vt ne moras nectatis, quemadmodum ego iam feci: ſed ea vobis præcipua ſit cura, vt de hac re ſecuri ſitis.

Illud

Illud enim omnino ſtatuendum eſt, eſſe primum hoc & præcipuum negocium. Quod ſi defuerit, nec collegiorum extructio, nec ſacræ à vobis habitæ conciones, nec bonorum in pauperes largitio, nec quicquam eorum omnium, quæ ab hominibus in hac vita geri poſſunt, iuuare poterunt. Nullo igitur modo committendum eſt, vt hoc tanti momenti negotium prætermittatis aut etiam protelетis. Quod ſi feceritis, idem vobis euenturum eſt, quod mihi iam euenit, vt vos ſimiliter falſos eſſe depræhendatis. Equidem de multis hominibus legi, de multis accepi, multos etiam noui, qui in hunc modum fruſtrati fuerunt. Eoque ſemper mecum cogitaui, dixi, & animo ſtatui, illud omnino ſuo tempore curare me velle, vt hæc res mihi certa eſſet & ſecura, nec permittere, vt mors repentina minus paratum offenderet. Sed licet hæc à me fuerint ſæpius mente agitata, mors tamen nunc incautum, & alto ſopore depreſſum, nihilq; minus quam vllas eius inſidias cogitantem inuaſit; eo etiam tempore, quo me proſperrima frui valetudine, & in medio negociorum meorum curſu ſecundo vento & flumine verſari exiſtimabam. Quapropter vos moneo, vt meo territi exemplo, negocium iſtud non prorogetis, nec amicorum precibus vel auxilio nimium fidatis. Vobis fidite, & veſtri, dum tempus & facultas ſuppetunt, curam agite. Illius rei præſtandæ vobis author eſſe cupio, quam ipſe libenter præſtarem, ſi mihi diuino munere contingeret, vt vita aliquantulum produceretur. Cogitate apud animos veſtros, eſſe vos iam vita defunctos, & animas in tetrum illum purgatorij carcerem coniectas, ibiq; permanendum eſſe, donec iuſtum redemptionis precium perſoluatur: quod vtiq; alia ratione, quam vel cruciatuum acerbiſſimorum toleratione, vel amicorum hîc in terris degentium ſuffragiis fieri non poteſt. Hanc vobis amicitiam præſtate, hæc veſtris ipſorum animabus ſuffragia impendite; ſiue ſint ea piarum precationum, ſiue eleemoſynarum, ſiue aliarum rerum ad pœnitentiam ſpectantium officia. Quod ſi vobis ipſi deſitis, nec iſta prompto ac libenti animo præſtetis, fruſtra profecto expectetis, vt ab aliis veſtri cauſa fiat. Accedit etiã, quod ea, quæ à vobiſmetipſis hîc ſponte ſuſcipiuntur, opera, mille ſint partibus præſtantiora, quam quæ ab aliis quibuſuis perpetrantur. Meum igitur conſilium ſectamini, & ex eo veſtras actiones inſtituite. Quod ſi feceritis, fœlices eritis & beati: ſin vero, futurum eſt procul dubio, vt vos imprudentiæ veſtræ ſerio quidem, at ſero pœniteat.

Innocentius pontifex maximus & quidam alij S. R. E. Cardinales ſuis oculis videntes bene cognitam & perſpectam habebant.) Erat enim viri ſancti meditatio ſeu vis animi imaginatrix tam ſerio & tam continenter in hunc librum intenta, vt ipſa Chriſti vulnerum ſigna in ſuo etiam corpore expreſſa cernerentur. Sed ad hunc ſublimẽ fructũ pauci admodum (quemadmodum iam antea dixi) aut pene nulli præter eum perueniunt. Eſt hoc ſingulare Dei donum, hominum multitudini nec conceſſum nec quidem ſperandum. Attamen ſi quis ſe in hoc documẽto exercere voluerit, etiamſi ad ſummum hunc perfectionis apicem non peruenerit, multum tamen proficit magnamq; & Chriſti & ſuiipſius cognitionẽ adipiſcetur: facile erit cuiuis homini imaginem Crucifixi corde intuenti hæc verba apud ſe cogitare & dicere: Quis es tu? &: Quis ſum ego? hæc quiuis, ſiue diues ſiue pauper, cogitare poteſt, non ſolum hîc in eccleſia, ſed & in omni alio loco & negocio, in quo verſatur. Hæc agricola, cum terram aratro ſulcat, cum ad paſcua ſe confert, vt pecudes & arua inuiſat, cum domi ad focum aſſidet, cum in lecto decumbit inſomnis. Hæc diues in iis, quæ ad eum ſpectant, negociis. Hæc tenuioris fortunæ fœminæ, cum fuſum trahunt aut pullos gallinacios ſaginant. Hæc etiam opulentiores, quicquid honeſti operis pro ſuæ cõditionis ratione moliũtur. facile erit cuiuis ſeu viro ſeu fœminæ hæc duo apud ſe tacitis cogitationibus proponere: ô Domine mi, qui mea cauſa mortem crucis ſubiiſti, quam nobilis & præclarus es tu? & rurſus: quam miſer & miſerabilis ſum ego? Dubium non eſt, anima Chriſtiana, quin is, qui pro te in crucem ſuffectus eſt, vere filius Dei fuerit,
Math.27. id quod nobilis ille Centurio affirmauit. Cum enim in morte ipſius tot ſigna ſtupenda conſpexit, ſolem lucis ſuæ radios ſubtrahentem, aerem tenebris obductum, terram vniuerſam tremore concuſſam, & petras diſciſſas: vere, inquit, filius Dei erat iſte. Perpende igitur tecũ, anima Chriſtiana, quam magnus ſit iſte, qui Dei filius eſt. Rurſum perpende, quam vilis & abiectus ſis tu
Geneſ.18. in comparatione ipſius. Quid enim aliud es tu,
Pſal.38. quam cinis? Cinis es, & in cinerem reuerteris. Erat quidem Abrahã præcelſæ perfectionis vir: qui tamen, cum ad Deum verba facturus eſſet, in hunc modum locutus eſt, Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. Et Dauid: vniuerſa, inquit, vanitas omnis homo viuens, eo ſcilicet, quod homo vniuerſas vanitatum ſpecies in ſe vno complectatur. Porro & Iob de ho-
Iob.14. mine ſermonem inſtituens: Quaſi flos, inquit, egreditur & cõteritur, & fugit velut vmbra. Homo terra eſt & cinis, demum inſtar vmbræ euaniturus. At Chriſtus contra & erat & nunc eſt & ſemper erit cœlorum rex, angelorum Dominus,
Eccleſ.1. rerum omniũ creaturarum opifex. Qui fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt. Eſt eius potentia & immenſa & maxime tremenda.
Rom.11. Omnipotens rex & metuendus nimis. Eſt eius ſapientia incomprehenſibilis. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam ſunt incomprehenſibilia iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius. Eſt eius magnitudo immenſa. Magnus *Pſal.144.*
Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non eſt finis. Denique cum omnia dixeris aut cogitaueris, quæ ad eius gloriam illuſtrandam dici & excogitari poſſunt, ille tamẽ omnia tua & verba & cogitata infinitis partibus ſuperabit, quemadmodum ſacra ſcriptura teſtatur. Glorificantes Dominum quantumcunq; pote- *Eccleſ.43.*
ritis ſuperualebit adhuc admirabilis magnificentia illius. Nunc igitur, creatura peccati obnoxia, admirare præclaram illius dignitatem, qui in Crucem ſuffectus eſt: admirare etiam tuam ipſius indignitatem, cuius cauſa in Crucem ſuffectus eſt. Sic enim fecit beatus ille Franciſcus, cum diceret: Quis es tu? &: Quis ſum ego, Domine? Quis es tu, Domine lõge præcellẽtiſſime? &: Quis ſum ego, pro quo tot tantosq; cruciatus ſubire voluiſti? Intuere anima Chriſtiana, librum hunc, & dic cum viro illo ſancto: Quis es tu? &: Quis ſum ego, Domine? Admirare & obſtupeſce, quod tam inæſtimabilis bonitas pro tam miſerabili vanitate mori voluerit. Atque per hanc quidem admirationem in gratioſa illa Chriſti cognitione proficies, ſentiet cor tuum miram dulcedinẽ, & odore illius præclariſſimæ bonitatis ſatiabitur. Sed miraberis fortaſſe, quid ſit, quod Crucifixum libri nomine appello. Equidem eius rei rationem reddam. Liber fere hæc habet; tabulata, folia, ſcripturas, lineas, literas & maiuſculas & minores. Primum igitur hic liber duo tabulata habet, quæ ſunt duo Crucis ligna. Quemadmodũ enim cũ liber aperitur & explicatur, folia hinc inde ſubſidentia tabulatis adnituntur: eodẽ plane modo beatum illud corpus duobus Crucis lignis innixum adhæreſcebat. Huius autem libri folia ſunt, brachia, manus, tibiæ, pedes, cæteraq; corporis mẽbra. Nullam vnquam membranam in tendiculis fortius diſtentam vidimus, quam fuit ſacratum illud corpus in Cruce diſtractum. Carnifices illi, qui eum in Crucem ſuſtulerunt, tantam vim adhibuerunt, vt beata illa brachia ad deſtinata vtriuſque lateris loca funibus pertraherẽt, vt ipſos etiam neruos diuulſerint. Et primũ quidem manus vtraſque clauis ferreis patibulo affixas, deinde pedes pari ſæuitia ad foramen inferius factum pertractos clauoq; ſimiliter trabali terebratos Crucis ligno confixerunt. Quo facto corpus illud in altum ſublatum erexerũt, non aliter quam ſolet membrana extendi ſolis calore ſiccanda. Eam nimirum ob cauſam in ſublime erectus & expanſus eſt liber, vt ab vniuerſo, qua late patet, mundo cõſpiceretur. Hic liber ſcriptus erat intus & foris. Intus quidem erat vnicũ tantũ verbum: quod tamen, Apoſtolo teſte, vniuerſos diuinæ ſcientiæ & ſapientiæ theſauros complectitur. In quo, inquit, ſunt o- *Coloſ.2.*
mnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, de hoc verbo ſic loquitur D. Iohannes. In prin- *Iohan.1.*

cipio erat verbum, ante omnes videlicet res creatas. Hoc verbum ſecunda erat in deitate perſona, Dei filius, in interiori membranæ huius parte ſancti ſpiritus opera exaratum. Erat enim deitas Chriſti humanæ formæ velamine tecta & veſata. Calamus vero Dei patris erat Spiritus ſanctus, per quem præpotens hoc verbum Chriſti corpori in vtero diuæ virginis Mariæ vniuit. Atque in hunc quidem modum intus ſcriptus erat
1.Corinth 2. hic liber. Nam, vt D. Paulus affirmat: Si cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Quod perinde eſt ac ſi diceret. Si eum Dei filium cognouiſſent (qui vtiq; erat & eſt ſempiternæ gloriæ Dominus) nunquam in animum induxiſſent, vt eum Crucis ſupplicio afficerent. formam hominis externam, vt pote corporis oculis obiectam cernebant: ſed naturam diuinam ſub humana forma latentem non intuebantur. Erat igitur interior pagina forma Dei, exterior forma hominis. Præterea cum aperitur & explicatur liber, multas in foliis videmus lineas multaſq; literas, alias quidem minio, alias vero cæruleo colore ductas. Quod in hoc etiam libro, ſacro videlicet ſaluatoris noſtri corpore videre erat. Erat enim vniuerſum illud corpus ita verberibus cæſum, vt funium ceu flagrorum vibices, non vno tantum loco, ſed paſſim, ab ipſa nimirum ceruice ad infimas pedum plantas reliqua cute eminentiores extarent: adeo vt nullus in toto libro margini locus eſſet relictus, nihil vacuum, ſed omnia erant partim linearum ductu partim literarum varietate obducta. Illa etenim flagella non ſolum corpus vniuerſum lineis hinc inde deductis diſtinxerunt, ſed multas etiam poſt ſe reliquerunt per omnes corporis partes literas minutiores, alias quidem nigro, alias cæruleo, alias vero etiam rubeo colore diſtinctas. Tanta enim vi inflicta fuerunt illa verbera, vt ſanguis toto corpore abunde promanarit. Et ne vlla huius libri pars eſſet ab hac ſcriptura immunis, erat etiam caput ipſius corona ſpinea redimitum. Coronã enim ex ſpinis acutiſſimis contextam capiti eius impoſuerunt ſæuiſſimi carnifices, eãq; quanta maxima vi poterant comprimentes, etiam validæ arundinis adminiculo fortiter adigebant, quemadmodum
Mar.15. in ſacra ſcriptura dicitur: Et arundine percutiebant caput eius.

Videtis igitur, quemadmodum liber iſte fuerit lineis & literis minutioribus deſcriptus, quæ etiam fuerunt colorum varietate diſtinctæ. Aliæ enim, vt dixi, erant nigræ, aliæ rubeæ, aliæ cæruleæ, aliæ liuidæ: quibus rebus ſignificabantur tumores & verbera, quibus cutis mille locis dirupta & dilacerata fuit. Sed præter has literas minutiores fuerunt & alij characteres maiuſculi ſeu capitales roſeo colore magnificentiſſime exornati & illuſtrati: quem colorem ſanguis ille longe precioſiſſimus, qui ex manibus, pedibus, & latere profluxit, nobis exprimit. Eo igitur ſanguine quinque capitales ſtupendi huius libri characteres inſigniti fuerunt. Maiuſculos enim characteres dico inſigniora illa manuum, pedum, & lateris vulnera: quæ clauis acutis & aſperis, clauis videlicet & lancea in ſacrato illo corpore fuerunt inciſa, nobiſque (vti iam dixi) capitales huius libri admirabilia literas referunt. Ex iis igitur, quæ à me dicta ſunt, intelligitis, quænam ſint huius libri tabulata, quæ folia, quemadmodum ſcriptus ſit intus & foris, quo modo lineis & literis diſtinctus, quænam ſint literæ & minutiores & maiuſculæ. Nunc dabimus operam, vt & præclaras huius libri ſcripturas intelligamus. Sed antequam ad earum rerum explicationem accedamus, diuinæ gratiæ opem imploremus, illud à Deo optimo maximo ſubmiſſe contendentes, vt corda noſtra gratiæ ſuæ radiis illuſtrare dignetur, quo libri huius ſcripturas perſpicacius intueamur, maioremque ex illis in animis noſtris fructum referamus.

Nunc auſcultabimus, quaſnam ſcripturas hic liber complectatur. In eo libro, quem vidit Ezechiel propheta, deſcripta fuerunt tria rerum genera, lamentationes, carmen, & væ. quæ quidem tria ſunt in hoc Crucifixo libro ſimiliter deſcripta. Primum igitur, quod ad lamentationes attinet, ſunt illæ quidem conuenientiſſime in hoc libro deſcriptæ. Quiſquis enim cum Chriſto gaudere cupit, oportet vt prius cum Chriſto lamẽtum ſumat. Per luctum enim & lamenta ad gaudia peruenitur. Qui vero in hac vita lugere cum Chriſto recuſat, ille demũ ad eum locum deueniet, vbi ſempiternum eſt væ, luctus nimirum & lamenta nullo vnquam tempore terminanda. Atque hæc quidem tria in hoc libro ſcripta reperiuntur. Primum ergo de lamentatione verba faciemus. Lamentatio ex quatuor animi affectibus naſcitur, ex ingenti ſcilicet vel timore, vel pudore, vel dolore, vel odio. Cum Holofernes belli imperator terram Iudeæ cum maximo inſtructiſſimoque exercitu iam inuaſiſſet, omniaque longe lateque deuaſtanda eſſe denunciaſſet, omnis populus magno terrore concuſſus, ne ab hoſtibus opprimeretur, cecidit in faciem, adorantes Dominum & communi lamentatione & fletu vnanimes preces ſuas Domino effuderunt. Cauſa autem huius lamentationis nulla alia fuit quam ingens timor, in quo verſabantur. Hoc ergo in loco diſcamus & nos timere. Et certe, anima Chriſtiana, longe maiorem hic habes timoris materiam, quam Iudæi tunc temporis habuerunt. Illis enim periculum erat, ne mortem obirent temporalem, tibi vero etiam æternam. Tecum perpende, O homo, quam grauiter peccaueris tum conſidera, quam grauiter in peccatum animaduerſum eſt in hoc ſancto corpore, & ex eo facile deprehendes, quam iuſta tibi ſit timoris & cauſa & materia. Referunt hiſtoriæ Cambiſem Perſarum regem, cum quidam ex iudicibus iniuſtam tuliſſet ſententiam, iudiciumque peruertiſſet, eum magiſtratu mouiſſe aliumque in eius locum ſubrogaſſe. Porro, quia etiam falſi-

Iudit 6.

tatis

tatis cõuictus fuerat, cum extremo affeciſſe ſupplicio, pellemque interfecto detractam eodem loco ſuſpendiſſe, quo iniuſta ſententia lata fuerat; eo quidem conſilio, vt ei, qui in eius locum ſufficiendus erat cæteriſq; ſucceſſoribus & terrori & documento eſſet, ne & ipſi ius violare aliterve quam ex legum præſcripto ſententiam de re aliqua ferre auderent. Eodem planemodo imaginem Chriſti in Crucem ſuffecti in omnibus templis nobis ob oculos poſitam conſpicimus, vt ea conſpecta nobis in mentem ſubeat, quam atrox vindicta de peccato ſumpta fuerit in illo longe ſanctiſſimo liberatoris noſtri Ieſu Chriſti corpore, qui tamen non ſua cauſa nec ob peccata propria (quæ nulla habuit) ſed propter nos & propter ſcelera noſtra tot tantiſque ſuppliciis affectus fuit. Nos in cauſa fuimus, nos flagitia perpetrauimus: quorum tamen pœnas & pondus humeris ſuis portanda ſuſcepit. Peccata enim noſtra, vt ait D. Petrus ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum Crucis. Nos igitur cum Chriſti crucifixi imaginem alicubi erectam contemplamur, illud animo verſare debemus, quanta cum ſeueritate peccatum in corpore ſaluatoris noſtri vindicatum ſit, & ex ea pœnarum acerbitate hunc fructum referre, vt atrocia ſupplicia peccatis merito infligenda & vtiliter formidare & opportune cauere diſcamus. 1. Petri 2.

An non exiſtimas, miſer, hanc iuſtam fuiſſe timoris cauſam, hanc, inquam, quod ipſe Dei filius atrociſſimam iſtam Crucis mortem pro peccato tuo ſubierit? Si hæc non credis, ipſis etiam dæmonibus es deterior. Nam, vt diuus Iacobus ait, dæmones credunt & contremiſcunt. Iac. 2. Si autem hæc ita ſe habere credis, facile inde exiſtimare potes, quanto peccatum odio se deteſtatione & ſaluator noſter & pater cœleſtis proſequantur. Cum enim audis patrem illum cœleſtem Deum omnipotentem ita affectum fuiſſe, vt filium ſibi longe chariſſimum in mortem tam horrendam tradiderit ea ſolum de cauſa, vt peccatum aboleret & extingueret, tibi iam amplius dubium aut obſcurum eſſe non poteſt, quin ille peccatum maximopere deteſtetur. Quod vero etiam ſaluatori noſtro ſummopere ſit inuiſum, vel ea eo cõſtare poteſt, quod mortem hanc ignominiæ pleniſſimam ſubire maluerit, quam ferre, vt peccatum in animabus noſtris dominium & tyrannidem exerceret. Cũ ergo certum habeas, vtrumque (patrem videlicet & filium) tanto peccatum odio habere; quanto tibi eum timore inuigilandum eſſe cenſes, vt omnem illi in animam tuam aditum præcludas: Si peccatum patri cœleſti tantopere diſplicuit, vt potius habuerit filium etiam vnicum eius abolendi cauſa in mortem tradere, quam peccatum impunitum relinquere: quanto magis nunc ei diſplicere credendum eſt, poſteaquã dilectiſſimus patri filius mortem pro eo ſubierit? Et tamen peccatum etiam nunc imperium obtinuit, quod quidem latius quam antea propagauit. Præterea, ſi peccatum tam acerbe vindicatum fuit in eo, qui peccatum non fecit, quam atrociter in te animaduertetur, homo peccatis obnoxie, qui tot tantaque enormia flagitia perpetraſti? Certe pro ſingulis clauis, quibus beatæ illius manus terebratæ fuerunt & pedes, tu centum, pro ſingulis ſpinis, quibus ſacrum illius caput penetratum fuit, tu mille, pro ſingulis verberibus, quæ venerando illius corpori fuerunt inflicta, tu, ſcelerate, innumera meruiſti. Iam vero, ſi quis ea, quæ à me dicta ſunt, attente conſiderauerit, ſæpiuſque ac ſerio librum hunc, quem vtcunq; deſcripſimus, contemplatus fuerit, mirabor profecto, ſi nullã timoris & cauſam & materiam non inueniat.

Hoc etiam in loco poterit quiuis peccator in ſe pudoris affectum excitare (niſi omnem prorſus verecundiam excuſſerit.) Nec enim credi poteſt, fieri poſſe, vt quiſpiam peccatis implicatus hanc Crucifixi imaginem ſine pudore intueatur. Si peccator ſuam in Deum ingratitudinem ad animum reuocet, eamque pro aliquali ſaltem peccato habeat, equidẽ ſic ſtatuo maximo eum pudore ſuffuſum iri, quod erga Dominum tam benignum ſe tam male & ingrate geſſerit. Dic mihi, O homo peccator, an non expectas ab aliis, cum aliquod in eos beneficium contuleris, vt ſaltem gratum & memorem animum in te gerant? Rurſum, ſi aliquem erga te ingratum deprehenderis, an non contumelioſe hominem excipis ſceluſq; exprobrabis, vt eum de re perpetrata pudore ſuffundas? Certe. Nunc igitur videamus, vbi eſt pudor tuus? vide & conſidera ſingulas huius beati corporis partes, quæ tormenta tua cauſa tulerit. Non vides oculos illos ſanguine, ſaliua, & amaris lachrymis ſuffuſos? Non vides aures illas contumeliis, opprobriis, & blaſphemiis onuſtos; Non vides genas & collum alapis & funibus deformata? Non vides humeros Crucis pondere depreſſos? Non vides os illud, cui extrema ſiti laboranti acetum & fel propinare voluerunt? Non vides dorſum, quanto cum doloris ſenſu duriſſimo Crucis ligno nitatur? Non vides latera dire flagellis cæſa? Non vides brachia funibus diſtenta? Non vides manus clauis arctiſſime cõfixas? Non vides tibias laboribus defatigatas? Non vides pedes, quam ægre vniuerſam corporis molem ſuſtentent? Hæc omnia, peccator ingratiſſime, tua cauſa pertulit. Nulla vnquam maiora extiterunt (nec certe eſſe potuerunt) beneficia, quam quæ ſunt hîc tibi, & quidẽ tua ipſius cauſa, à dulciſſimo Ieſu præſtita. Vbi eſt ergo nũc tuus gratitudinis affectus? Tu nullum prorſus gratitudinis officium, ſed contra ſæpiſſime multiſq; in rebus te longe ingratiſſimum præſtitiſti. quarum tamẽ omnium nihil te pudet. ô miſerũ hominem, vbi eſt verecundia tua? Tecũ perpende, quam multa quãq; horrenda contra diuinã eius voluntatẽ commiſeris, perſuaſiſſimũq; habe, quod vel minimũ quodq; eorum, quæ à te perpetrata ſunt, ipſius animũ multo acerbius vulnerauerit, quã quæ ſunt in vniuerſa vita tua ab ingratis hominibus in te cõmiſſa. Qua de cauſa D. Bernard. in perſona Chriſti cũ vniuerſos paſſionis cruciatus Bernard.

enume-

enumeraſſet, hæc verba demum ſubiunxit: Ex-
tat interius planctus meus grauior, te cum in-
gratum tantum experior. Nam ex peccatorum
multitudine ingratitudinis magnitudinem me-
titur, quæ quanto ſunt atrociora, quantoq; ma-
gis diuturna conſuetudine inueterata, tãto ma-
iorem inurunt ingratitudinis notam. Si ex mul-
tia, quæ à te perpetrata ſunt, vel vnum aliquod
leuioris notæ peccatum in lucem erumpens ſe-
ſe hominum oculis conſpiciendum obtuliſſet,
nulli dubium eſſe poteſt, quin te magno affeciſ-
ſet pudore. Christus vniuerſa nouit, teque talia
Heb. 4. perpetrantem conſpexit. Omnia enim nuda &
aperta ſunt oculis eius: & tamen tuæ te ingrati-
tudinis nõ pudet. Auſculta, O homo, regem il-
lũ & prophetam, quibus verbis in cauſa ſimili v-
Pſal 43. ſus fuerit: Tota die, inquit, verecundia mea cõ-
tra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.
Hæc verba habuit rex ſanctus, cum adhuc ſalua-
tor noſter tam atroceẽ pro eo mortem non ſub-
ierat. Nondum exhibuerat illi Christus ſum-
mum hoc gratitudinis officium: & tamen eum
peccati ſui pudebat. Tu fortaſſe, etiam poſt tot
tantoſq; paſſionis ipſius cruciatus tua cauſa ſu-
ſceptos, multo plura & grauiora cumulaſti faci-
nora, teq; magis ingratum præſtitiſti, quam rex
ille vllo vnquam tempore fecit: quæ res ſcele-
rum tuorum atrocitatem mirum etiam in mo-
dum auget. Tu poſt fidem illi datam promiſſis
non ſtetiſti, imo multa eaq; obſcena & neſaria
ſcelera perpetrando fidem ſemel atq; iterum ac
ſæpius pactam prodidiſti. Tu ſemel in Baptiſmi
ſacramento tuam ſaluatori fidem aſtrinxiſti, te-
que dæmoni & omnibus eius operibus renun-
ciaturum pollicitus es. Spectatæ probitatis vi-
rum aut etiam fœminam multum puderet, ſi fi-
dem alicui datam non liberaſſe conuinceren-
tur, maxime amico. Sed mũdus hodie pernicio-
ſa hac perfidorum hominum fæce plenus eſt,
qui eadem facilitate, cum res poſcit, promiſſum
violant, qua, cum ſitiunt, ſitim ſedant. Quoties
fidem feſelliſti? Diſce, homo, pudore ſuffundi
1. Eſd. 9. & cum Eſdra propheta dicere Deus meus, con-
fundor & erubeſco leuare faciem meam ad te:
quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt
ſuper caput noſtrum. Si vobis, O fœminæ, fuſcũ
quippiam in vultu conſpici, ſi capitis ornamen-
tum macula aliqua dehoneſtari, ſi veſtem luto
reſpergi contingat, nonne vos pudet? Certe. At
vero ego dicam, cuiuſnam rei pudere vos debe-
at. Sane, ſi animas veſtras aliqua peccati letalis
immundicia conſpurcatas cernitis eſt quod me-
rito pudore ſuffundi debeatis. Poſtquam enim
liberator noſter eas tam care, immenſo nimirũ
ſanguinis precioſiſſimi & eorum omnium, quos
pertulit, cruciatuum, precio ab omni peccati
mortalis macula lauerit, terſerit, mundauerit:
pudendum profecto facinus erit eaſdem rur-
ſum ſordes inducere. Si de ſolea cæno leuiter
aſperſa erubeſcitis, de anima vero putẽti & ran-
cida non item, certe rebus ipſis oſtenditis pluris
vos ſoleas facere quam animas. Et ſi leuiſſimam
quamque in veſtibus maculam cum pudore a-
ſpicitis, maximas vero in anima ſpurcities im-
pudenter negligitis: quid aliud de vobis dicam,
quam ꝙ eſt à propheta dictum: frons meretricis
facta eſt tibi, non vis enim erubeſcere. Si ergo Ierem. 3.
tacitis tecum cogitationibus perpendere velis,
ô homo, quam multæ quamque infames pecca-
torum maculæ animæ tuæ inhæreant (quæ qui-
dem omnes ſunt omnipotentis Dei & vniuer-
ſorum illorum cœleſtis aulæ principum oculis
nudæ & expoſitæ:) deinde etiam, ſi cogitati-
onem mire volueris de fide tua Deo optimo
maximo iam olim data, quemadmodum eam
ſceleribus à te perpetratis turpiter violaueris:
demum, ſi & illud animo verſes, erga immen-
ſam illam & ineffabilem benigniſſimi ſaluatoris
noſtri charitatem tantoſque tua gratia ſuſce-
ptos & in Cruce perfunctos labores quam fue-
ris ingratus & impius: equidem mihi vere per-
ſuadeo, te iuſtam pudoris & materiam & cau-
ſam deprehenſurum eſſe, ſi tamen vlla ſit in te
relicta verecundiæ ſcintilla.

Tertio loco copioſam hîc reperire eſt dolo-
ris materiam. Ipſe enim ſaluator miſerabilem in
modum eiulat, ſuoſque his verbis exprimit do-
lores. O vos, inquit, qui tranſitis per viam, attẽ- Thre. 1.
dite & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor
meus. Eheu, virum tam generoſum & nobilem,
tam ab omni non ſolum crimine ſed & criminis
ſuſpicione alienum, tam dire in ſingulis delica-
tiſſimi corporis partibus cruciatum, tam miſe-
rabiliter de ſuis querentem tormentis, quis eſt
hominum, qui ſine intimo doloris ſenſu videre
aut etiam audire poſſit? Certe nemo, niſi ſit ani-
mo ſic obfirmato, vt omnem plane ſilicum aut
etiam adamantis duritiem ſuperet. In omni igi-
tur animo humanitatis ſenſu prædito, hæc qua-
tuor ſolũ, quæ attigimus, ad excitandum dolo-
ris affectum ſufficere poterunt: præclara ſcilicet
nobilitas, innocẽtia, quam patitur ſæuitia, & la-
mentatio. Si tu, Chriſtiane, vel hoſtem in hunc
modum cæſum & vulneratum conſpiceres, eius
certe calamitatem commiſerandam duceres. Si
Iudæum aut Saracenum huiuſmodi tormentis
cruciatum cerneres, non eſt dubium, quin
tam triſte ſpectaculum magnum in te compaſ-
ſionis affectum excitaret. Quanto igitur magis,
cum Dominum tuum, Deum tuum, tua cauſa tã
immaniter cruciatum, propter te tam dire in
crucem ſuffectũ cernis, magno quodam te hu-
manitatis ſenſu afficere debeat? Dic age: cuius
cauſa Chriſtum Ieſum ſaluatorem noſtrum tot
tantoſq; ſubiiſſe cruciatus exiſtimas? Certe pro- Rom. 5.
pter peccata tua. Pro impiis enim Chriſtus mor-
tuus eſt. Nulla alia cauſa fuit quam peccatum.
Peccatum tuum illi mortis cauſam dedit: pecca-
tũ tuum eſt, quod illum letali vulnere affecit.
Quã iuſta igitur tibi eſt, O homo peccator, do-
lendi cauſa, qui totius huius doloris (per pecca-
tũ) fõs eras & principiũ: & tamẽ peccata peccatis
cumulãdo dolorẽ eius augere nõ d·ſiſtis? Quos
olim lacrymarũ fluuios deduxit b.ata illa Mag-
dalena, cũ peccatorum ſuorũ enormitatẽ ad mẽ-
tem reuocabat? Primum quidem magnum de
peccatis

peccatis commiſſis timorem in anima cõcepit. Deinde magno quodam & intrinſeco pudore de peccatorũ fœditate ſuffuſa fuit. Multo enim magis de interno illo conſcientiæ quam de externo hoc mundi pudore ſollicita erat: ac proinde in multorum hominũ præſentia ad pedes ſaluatoris noſtri accedere & ſe peccatricem oſtendere non eſt verita: vbi & multũ doluit, pluri maſq; pro peccatis lachrymas effudit. Atq; in hunc quidem modũ in hac beata fœmina præcefferunt magnus quidam timor & magnus pudor: tum deinde ſubſecutus eſt & magnus dolor. Et quo tandem tempore tantus eam peruaſit timor, pudor, dolor? Certe, antequã ſaluator noſter mortem Crucis ſubierat. Nondum intellexerat mulier peccatum ſuum illi mortis cauſam extitiſſe. Sed poſtquam eum in Cruce tanto cum dolore pendentem cõſpicata fuerat, ſimul & illud animo verſarat, quod propter peccata ſua omnem illam tormẽtorum acerbitatem ſubiret, tum demũ fuit cor ipſius tam ingenti dolore affectũ, vt parum abfuerit, quin præ inuſitata illa doloris magnitudine ipſam etiã animã exhalaret. Tu igitur, peccator, ſi dolere neſcis, hanc piã fœminam accede, eamque magiſtram adhibe, vt de peccatis rite doleas. Sic tecum ſtatue, peccatũ tuum eorum cruciatuum omnium, quos benignus Dominus & ſaluator tuus in Cruce pertulit, cauſam & occaſionem extitiſſe. Nec Magdalena ſola tibi dolendi exemplum præbet, ſed & beatiſſima ſaluatoris mater in morte filij abũde

Luc. 2. luxit, cuius animam tunc temporis ille, qui iam antea denũciatus fuerat, doloris gladius pertrãſiuit. Luxit etiã D. Ioannes: luxit & Petrus & fleuit amare: Deniq; luxerunt & quidem vehemẽter omnes Apoſtoli: Sed quorſum hiſce doloris

Mar. 15. exemplis inſiſto? Ipſum etiam templi velum in

Luc. 23. duas partes ſciſſum corruit, ſol lumen ſuum ſubtraxit, aer caligine obductus fuit, terra tremuit, petræ diſciſſæ fuerunt, monumenta aperta ſunt & mortuorum corpora ſepulchris exceſſerunt. fuerunt quidem hæc omnia ad commiſeratione propẽſa: tu vero, peccator miſerrime, cuius cauſa omnem hanc ſuppliciorum acerbitatem perpeſſus eſt omnem prorſus humanitatis ſenſum exuiſti. Quam magna eſt cordis tui duritia, quã obſtinatus animus, qui omnẽ commiſerationi aditũ præcludis? Ipſis profecto cautibus duriorẽ te exhibes, quæ Chriſti ſaluatoris morte fuerunt tam vehementer concuſſæ, vt etiam in partes fuerint diſruptæ. Petræ enim ſciſſæ ſunt. Si ergo petræ aliæq; creaturæ ratione carẽtes fuerũt ſic affectæ vt in morte Chriſti aliqualẽ humanitatis ſenſum induiſſe viderentur, cuius tamẽ beneficium nullum ſenſerunt. quo modo te affectũ eſſe cõuenit, cuius cauſa omnes illos cruciatus & ſuſcepit & pertulit? Tu igitur hunc Crucifixi librũ diligenter conſidera, & iuſtiſſimam in eo doloris & cauſam & materiã deprehendes.

Quarto loco, ſi dolere neſcis, ſaltem odiũ diſce. Diſce peccatũ odio habere, quod horũ malorũ omniũ cauſa extitit. Non fruſtra eſt, quod ſcriptura ſacra dicit. Quaſi à facie colubri fuge Eccleſ. 21. peccatũ: dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Peccatum res eſt tam odioſa tamq; in Deum contumelioſa, vt, pro tantæ iniuriæ diuinæ maieſtati irrogatæ compẽſatione, ipſe Dei filius atrociſſimũ hoc Crucis ſuppliciũ ſubire neceſſum habuerit. Peccatum patrẽ cœleſtem ad iram indignationemq; & ad vindictam de peccatoribus ſumendã tam vehementer prouocauit, vt non alia re quam proprij filij ſacrificio in ipſo Crucis patibulo immolando placari & hominibus reconciliari voluerit. Rurſus peccatum animã hominis tam letaliter vulnerauit & infecit, vt ſine effuſione ſanguinis precioſiſſimi ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti nulla peccatoribus vita reſtitui, nec animæ ab horrendis illis, quas contraxerant, peccatorũ ſordibus ablui & mundari potuerint. Peccatũ regni cœleſtis ianuas ita clauſit & obſerauit; vt nõ alia ratione quã acerbiſſimæ mortis eorũq;, quibus ſaluator noſter in Cruce perfunctus eſt, cruciatuũ merito reſerari valuerint. Peccatum inferni portas ita reclufit & dilatauit mundũq; vniuerſum in eam diaboli ſeruitutem redegit, vt niſi precioſus hic theſaurus pro nobis in Cruce profuſus captiuos in libertatem vindicaſſet, in profundiſſimo illo tartarei carceris barathro abſorpti æternũ periiſſemus. Quæ cũ ita ſe habeãt, O homo peccatis obnoxie, an nõ iuſtæ tibi ſunt cauſæ, propter quas peccato ſuccenſere debeas, quod te ad tam calamitoſum rerum ſtatum perduxit? An nõ iuſtum eſt, vt odio etiam implacabili proſequaris, cũ per peccatum Deum opt. max. ad iram indignationemq; prouocaueris, cũ per peccatũ animam tuã letaliter vulneraueris, cũ per peccatũ te diabolo humani generis hoſti obnoxiũ reddideris, cũ per peccatũ æternæ te dãnationi addixeris, cũ per peccatũ regni cœleſtis aditum tibi præcluſeris? O miſerũ hominẽ, an his maiores odij cauſas mente & animo complecti te poſſe exiſtimas? Si quiſpiam ex vicinis leui aliqua te afficiat iniuria, in eius odiũ ſtatim exardeſcis, eũq; tanto proſequeris odio, vt etiam verbis conteſteris, fieri non poſſe, vt amicabilẽ erga eum animum geras. Peccatũ omnibus his, quas recẽſuimus iniuriis te affecit: & tamen peccatũ nõ odio ſed amore complecteris? O quanta eſt hæc inſania? Ioab olim regem Dauid in hunc modũ al- 2. Reg. 19. locutus eſt. Diligis, inquit, odiẽtes te, & odio habes diligentes te. Poteſt quidem hoc verbũ recte in eos omnes dici, qui vicia ſectantur. Vicia ſectatoribus ſuis peſtem perniciemq; adferunt: & tamen homines ea libenter ſequuntur. Saluator noſter cũ omni gratiarũ & virtutum largitione hominũ peccatis obnoxiorũ ſalutẽ procurat: at non facile induci poſſunt, vt eũ recte monentẽ auſcultẽt, aut ea ipſius præceptis vitã inſtituant. Quod quid aliud eſt, quã extrema inſania? Si enim ſaperent, longe alias inirent rationes: Chriſtũ Dominũ, qui tã benigne eorũ cauſa atrocia illa Crucis tormẽta tolerauit, amore proſequerẽtur, Dæmonẽ vero & peccatũ, qui cauſam illis interitus

interitus dederunt, odio haberẽt. Ex his igitur, quæ à me dicta ſunt, intelligere poteſtis, in hoc libro inueniri poſſe copioſam lamentationis materiam: quandoquidem vniuerſa libri huius lectio iuſtiſſimas nobis timoris, doloris, & odij cauſas ſubminiſtrat. Atq; hæc quidem eſt prima ſcriptura, de qua nos verba facturos recepimus.

Alterum ſcripti genus, quod hic liber (vt dixi) complectebatur, Carmen erat, id eſt, cantus. Et quidem, ſi animus vel amore, vel ſpe, vel gaudio, vel etiam conſolatione ad cantandum induci poteſt, eximias in hoc libro reperire eſt cantandi occaſiones. Primum ergo, eſt hîc copioſa amoris materia, tanta quidem, vt, ſi quis amorem ſuum vel gratis donare vel certo aliquo precio æſtimare velit, ille, qui in Cruce mortem ſubiit, ſit longe digniſſimus cæteriſque omnibus merito præferendus. Si cœlum & terram luſtraueris vnum aliquem ſelecturus, in quem amorem tuum optime collocatum exiſtimes, neminem reperies, quem cum Christo Ieſu ſaluatore noſtro conferre poſſis, tam prudentem, tam potentem, tam humanum, tã gratum, tam benignum. Ille cæteros omnes longe ſuperat, tuumq; amorem etiam vehemẽter ambit. Deu. 23. Cum enim Moyſes præclara Dei beneficia in hominem collata recenſuiſſet, tandem hæc verba ſubiunxit. Et nunc audi, quid Dominus Deus tuus requirat à te, niſi vt diligas tũ. Nunc igitur ſi amorem tuum gratis collocare volueris, non poteris prudentius aut melius impendere, quam in eum, qui ea omnia, quæ amorem vel conciliare vel promereri ſolent, tam eximie complectitur; maxime vero, cum ſit etiam amoris tui longe cupidiſſimus. Sin vero amorem tuum venalem habeas; nemo, credo, liberalius aut maiori propoſito precio licitabitur, quam ille iam olim fecit. Vbi enim reperias, qui vel vnam ſanguinis guttam ex ipſis præcordiis tua cauſa libenter hauriat? vbi reperias, qui ob tuum amorem ſuam ipſius animam & vitam profundat? hoc ſummum eſt precium, quo nihil proponi poteſt à quoquam vel precioſius vel præſtantius. Ioan. 15. Maiorem enim charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Sed dices fortaſſe: Si hæc omnia mea ſolius cauſa præſtitiſſet, beneficium agnuſcerẽ, meumq; viciſſim amorem totũ in eum (& quidem optimo iure & merito) refundendum eſſe exiſtimarem. Itane vero? Itane inuidus es, vt hoc tantum precioſiſſimæ mortis beneficium non tibi cum aliis commune ſed proprium eſſe velis? Eſſet quidem hoc iniquum plane & impium, cæteros omnes à tãti boni participatione excludere: præſertim vero, cum nihil tibi nec vtilitatis nec meriti decedat, quantumuis multos habeas tuæ fœlicitatis conſortes. Hoc enim tibi dico, ô homo, imo & aſſeueranter affirmo, tibi eum tam vtiliter & fructuoſe mortuum eſſe (ſi modo te ita componas, vt mortis eius fructũ referas) quam ſi nemo mortalium fuiſſet tecum in eius rei conſortium aſcitus. Certa quidem res eſt, præter te multos eſſe mortis illius participes: ſed & illud non minus certum eſt, etiamſi millies mille hominum myriades, imo ſi infinitis partibus plures quam nunc ſunt, eſſent ad tãti beneficij ſocietatẽ vocati, ne micam quidem eius meriti, quod ad te ſpectat, ex tanta ſociorũ acceſſione tibi periturã eſſe. Porro, ſi & tu multo vberiorem inde fructum capere velis, quam nunc capis, quicquid tibi lucri accedit vel amplius acquiritur, nulli id cæterorum omnium in damnum ceſſurum eſſe. Huius rei veritas, placetnẽ, vt aliquo exẽplo propoſito fiat illuſtrior? Cum tædam vides accenſam in aliqua domo, vbi multi homines conueniunt, an non omnibus perinde lucet, acſi vnus tantum adeſſet? Verum quidem eſt, pro viſus perſpicacitate alium alio plus minuſue vtilitatis ab eo lumine haurire: ſed qui plus haurit, non eſt aliis impedimento, quo minus & ipſi pro oculorum habitudine accipiant, nec qui minus accipit, aliis plus accipiendi occaſionem tribuit. Iam vero, ſi hoc certum eſſe deprehendatur in eo lumine, quod à tæda proficiſcitur, multo certius conſtabit de huius precioſiſſimæ mortis & ſanguinis merito, qui ex diuinæ naturæ acceſſione eas vires acquirit, vt innumeris animabus (quantumuis multa, atrocia, & horrenda ſint peccata) redimendis abunde ſufficiat. Sane, vti D. Ioannes ait, ipſe 1. Iohan. 2. eſt propiciatio pro peccatis noſtris, nõ pro noſtris tantum, ſed & totius mundi. Ipſe fuit & eſt ſacrificium, expiandiſq; omnibus omnium hominum ſceleribus ſufficit. Cũ ergo conſtet eum mortem hanc acerbiſſimam tua cauſa ſubiiſſe, quæ quidem tam atrox & horrenda fuit, vt ipſa cruciatuũ iam imminentium recordatio ſudorem ei ſanguineum expreſſerit, idque tanta copia, vt ad ipſam vſque terram defluxerit (ſi autẽ ſola mortis recordatio talis fuit, tolerantiã qualem fuiſſe cenſebimus?) quæ maiora aut illuſtriora ſui erga te amoris iudicia facere, quidue amplius amoris tui conciliandi cauſa præſtare potuit quam quod præſtitit? quemadmodum ipſe dicit: Quid vltra facere debui, & non feci? Eſa. 5. Copioſam ergo inuenire eſt in hoc libro amoris materiam.

Eſt & hîc grandis ſpei materia, maxime peccatoribus, qui peccatis prorſus renunciare vitãq; melius inſtituere deliberarunt: quorũ vtiq; cauſa Chriſtus mortẽ acerbiſſimam ſubiit. Pro impiis enim Chriſtus mortuus eſt. Rom. 5. & in alio loco D. Paulus. 1. Timoth. 1. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere. Suſcipe, ô anima Chriſtiana, pœnitentiæ Crucem & cum eo in Crucẽ ſuffigere: & proculdubio cruciatuum & ſalutaris paſſionis meriti particeps eris. Quid enim te ab hac miſericordia ſecludet? An pater cœleſtis? Rom. 8. Minime. Is enim proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo ergo nõ etiam cum illo omnia nobis donabit? Quodnam maius remittendi peccati indicium poſtulare à Deo potes, quam illud, quod tua cauſa filium ſuum morti addixerit, ipſum

dico

dico filium lõgè chariſſimum, de quo dictum eſt: *Matth. 3.* Hic eſt filios meus dilectus, in qoo mihi bene cõplacui? Quodnam maius aot certius veniæ peccatis impetrandæ ſignum petere vales, quàm quod ille theſaurum ſuum longe præſtantiſſimum & inæſtimabilem tot tantiſque periculis tua cauſa obiecerit, cum ſcilicet eum huic atrociſſimo crucis ſupplicio afficiendum exponeret? Sed fortaſſe tibi ſubrepit, quod ſaluator, eò quod in eum tam ingratus extiteris, te in gratiam recipere non velit. Dico ergo: peccato ouocium remittes, teque ingratum fuiſſe & agnoſcas & doleas: quo facto nihil omnino dobites, quio tuam in eum ingratitudinem & condonabit & obliuioni tradet, teque io priſtinam gratiam clemeoter recipiet. Cuius rei cauſa per Ieremiam pro- *Ierem. 3.* phetam dicit: Si mulier, inquit, recedens à viro ſuo duxerit virum alterum, ounqoid reuertetur ad eam vltra? quaſi dicat: oon eſt veriſimile, qood reuertetur. Sed audi tamen, quam blandis verbis animam peccatricem alloquatur. To autem, inquit, ſornicata es cum amatoribus moltis, tamen reuertere ad me & ego accipiam te. Sed hic vide, anima peccatrix ne teipſam ſeducas: poteſt enim videri quod ſis conuerſa, cum reipſa oon ſis. Niſi enim tergum omnibus peccatis, cor vero ſaluatori plene dederis, noodum conoerſa es. Redi verè & ex animo, nihilque dubites. Chriſtum Ieſum ſaluatorem tuum ſerio intuere, quemadmodum in cruce tua cauſa pendeat, & proculdnbio magnam videbis ſpei & miſericordiæ materiam, ſi tamen vere redeas. Quis, inquit D. Bernardus, non rapiatur ad ſpem impetrandique fiduciam, quaodo conſiderat corporis eius diſpoſitionem: ſcilicet caput inclinatum ad oſculum, brachia extenta ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedum confixionem ad nobiſcum manendum, corporis extenſionem ad ſe nobis totaliter impendeodum? Sane, ô homo, qui in hunc modnm corpus ſuom tibi in cruce exhibuit, ſi tu viciſſim conatum feceris, non te reiiciet, ſed magis in gratiam recipiet. Sanguis iſte, quem io cruce profudit, continenter miſericordiam clamat peccatoribus, qui in hunc modum redeunt. Ac pro- *Heb. 12.* inde diuus Paulus ait: Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel. San- *Geneſ. 4.* guis enim Abel, qnemadmodum in libro Geneſis habetur, clamat vindictam de terra, ſuper quam fuſus eſt: ſed hic ſanguis Ieſu ſaluatoris miſericordiam clamat omnibus peccatoribus, quos vitæ prioris vere pœnitet. Et ſaluator noſter vulnera ſua & ſanguinem ſuum precioſum in conſpectu patris ſui etiam nunc exhibet & offert, nullumq; miſericordiæ illis impetrandæ finem facit. Quod *1. Ioan. 2.* à dioo Ioanne diſertis verbis aſſeritnr. Filioli, inquit, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis: ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis oostris. Ipſe eſt iuſtus, ſanctus, *Heb. 7.* innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & verum ſacrificium, quod pro omnib. omnium noſtrum peccatis abunde ſatisfacit. Quiſquis igitur hunc crucifixum attente & ſerio intuetur, vereque apud ſe ſtatuit io hac cruce pro peccatoribus omnibus numeratum fuiſſe iuſtum redemptionis precium, qoomodo fieri poteſt, vt is non certa fiducia nitatur, omoia ſibi peccata, ſi modò deprecetur, remiſſum iri, ſeque io priſtinam gratiam recipiendum eſſe? In hoc ergo libro quiuis homo peccatorum mole depreſſus copioſam ſpei & cauſam & materiam inuenire poterit.

In hac etiam cruce reperire eſt gaudij materiam, tantam illam quidem & tam vberem, vt anima, quæ vere eam guſtat, oon poſſit non ſumma lætitia perfundi: quod diuus Paulus illis verbis oobis plane teſtatum facit. Mihi autem, in- *Gal. 6.* quit, abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hic certe cuiuis homini, q. Chriſtianæ vitæ diſciplinam ſyncere colit, maximæ ſeſe offerunt lætandi occaſiones, ob tres quidem potiſſimum cauſas. Primum quidem, eò quod per mortem ſaluatoris noſtri & per ſanguinem eius in cruce pro nobis effuſum, quoties ſcelerũ iam perpetratorum nos vere pœnitet, firmumque ſuſcipimus vitam melius inſtituendi propoſitom, Deo opt. maxi. perfecte reconciliamur. Quam rem diuus Paulus in hunc modum oobis expreſſit. Complacuit, inquit ille, per eum reconciliari *Coloſſ. 1.* omnia io ipſum per ſanguinem crucis eius. Sed ſi à me quæris, quidnam ſibi velit hoc vocabulum (reconciliari) reſpodeo perinde eſſe, ac ſi dicas, cum Deo optimo maximo gratiam & amicitiam rurſum compoſitam eſſe; quod in duobus hominibus, qui diſſidentibus animis aliquandiu fuerint, cõtingere ſolet, cum ſublatis diſcordiæ cauſis mutuo conſenſu in gratiam redeunt. Eodem plane modo offenſio diuina de ſceleribus à nobis perpetratis ſuſcepta deponitur, magna eius in nnsira placatnr, & nos, qui prius per peccatum filij eramus diaboli, nũc rurſum ad ſortem dignitatemque filiorum Dei, ſimulque ad regni cæleſtis hæreditatem aſciſcimur. An non hæc eſt, ô anima Chriſtiana, magna lætitię cauſa? Si tibi pater eſſet prædiues, qui te iam olim paterno etiam affectu cõplexus fuiſſet, ſed propter morum improbitatem tandem reieciſſet, eaq; de cauſa, quæ iure hæreditario ad te ſpectabant, ſummopere periclitarentur: ſi fratris cuiuſpiam tui opera illud effici poſſet, vt pater eo te, quo prius, loco haberet, atque ita priſtinam filij dignitatem ſimulqoe adeuodæ ius hæreditatis conſequereris: an non hoc maximæ felicitatis loco duceres, eoque maxima lætitia perfundereris, qnod & in paternam gratiam & ad ea omnia, quæ inde pendebãt, vitæ ornamenta & commoda receptus eſſes? Ita plane ſe res habet cum vnoquoque peccatore. Is enim per improbitatem ſuam & malorum perpetrationem, tãtam patris offenſam indignationemque ſuſcepit, vt merito priſtino loco motus in magoo etiam diſcrimine verſetur amittendæ hæreditatis, quam benigous illi pater acquiſiuit. Sed vnigenitus Dei filius, propter inæſtimabilem illam ſuam bonitatem charitatemque, acer-

biſſimum crucis ſupplicium ſubiens ſanguinemque precioſiſſimum in eorum, quæ à nobis perpetrata ſunt, ſcelerum compenſationem effundens, nos patri cæleſti reconciliauit, in priſtinam gratiam reſtituit, pacem, concordiam, vnitatemque perfectiſſime compoſuit. Atque hæc quidem de prima lætitiæ cauſa dicta ſint.

Deinde huius crucis & eorum, quibus ſaluator noſter in ea perfunctus eſt, cruciatuum virtute, ſunt hoſtium noſtrorum vires multum labefactatæ ac fractæ. In hac enim cruce per mortem ſuam victoria potitus eſt. Qua de cauſa ab Apoſtolo dictum eſt: Expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, triumphans eos in ſemetipſo. Chriſtus enim Ieſus expoliatis eorum copiis & potentiis, detectiſque, quibus nitebantur fraudibus, in ſua ipſius perſona vere de ipſis triumphũ egit: ac proinde nihil eſt iam immundis dæmonibus formidabilius, quàm illud, in quo ſe victos agnoſcunt, crucis ſignum. Beata virgo Chriſtina eam fiduciam in hoc ſacro ſigno collocatam habuit, vt, quoties ab hoſte impeteretur, ſtatim ſe crucis ſigno munierit, eaque ratione in ſingulis aſſultibus præclaram de immundis dæmonibus victoriam reportauerit, ac demum in turpem fugam vſque conuerterit. *Coloſſ. 2.*

Tertia lætitiæ cauſa eſt, quod per crucem perque eam, quam in ea ſaluator noſter perpeſſus eſt, mortem, chirographum illud, quod nobis contrarium erat, deletum eſt penitus & è medio ſublatum. Quomodo, inquis? vbinam ſcriptum eſt? in ipſo conſcientiæ noſtræ libro. Nullum eſt peccatum à nobis vllo vnquam tempore commiſſum, quod non ſit in hoc propriæ conſcientiæ libello ſcriptum. Cuius niſi nos pœniteat, & crimen ſit à nobis per confeſſionem deletum, antequam ex hac vita migremus, iſte conſcientiæ noſtræ liber in illo tremendi iudicij die contra nos proferetur. At vero, ſi dolemus, ſi confitemur, ſi pœnitentiam ſalutarem in hac vita ſuſcipimus, per ipſam paſſionis Chriſti virtutem & meritum ex hoc cõſcientiæ noſtræ libro prorſus delebitur. Eaque de cauſa diuus Paulus peccatum chirographi nomine appellat. Delens, inquit, quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Cum ergo audis, homo peccator, per crucem, per quecum, qui in cruce tua cauſa profuſus eſt ſanguinem precioſiſſimum, te quidem apud Deum in gratiam receptum eſſe, deinde & hoſtium vires plurimum debilitatas, demum ipſum etiam peccatum, quod tibi maxime infeſtum erat, eidem plane cruci vna cum ſaluatore affixum eſſe: maximas profecto etiam effuſe lætandi cauſas in hoc longe fauſtiſſimo crucifixo nobis oblatas eſſe vel ipſo ſole meridiano clarius eſt & illuſtrius. *Coloſſ. 2.*

¶Poſtremo loco, in hac cruce copioſa eſt etiã cõſolationis materia. Si quis criminis alicuius cõuictus ſupplicioque addictus eſſet, quod inſignem aliquam infamiæ notam inureret, & tempus iam iam inſtaret, quo in publicum producendus foret: in his rerum anguſtiis conſtituto ſi quiſpiam opportune adeſſet, qui ſuam illi operam nauare periculoque non iam imminenti, ſed tantum non prementi liberare vellet, an non hanc honoris ſui vindicationem reum longe gratiſſimam habiturum exiſtimatis? Certe. Suſannam fœminam illuſtrem (vti refert Daniel propheta) licet innoxiam, in crimen tamen vocarunt duo ſenes, eo quod in eorum libidinem non conſenſerat, illud matronæ impingentes, quod iuuene quodam admiſſo tori coniugalis fidem violaſſet, huiuſmodi commento ſe maculam nullo vnquam tempore delendam pudicæ fœminæ aſperſuros arbitrati. Sed poſtea cauſa cognita, mulier intentata & mortis & infamiæ periculo diuinæ bonitatis prouidentia liberata, maximam ex ea re conſolationem accepit. Illa etiam beata Magdalena, cuius vita turpiter acta magnam ignominiæ notam meruerat, poſtquam ad ſaluatorem accedendo lachrymiſque ad illius pedes profuſis, eam, quam iam antea contraxerat, labem penitus abſterſam eſſe veritatis ipſius oraculo didicerat, magnam protinus animo redditam ſentit tranquillitatem ſerenitatemque. *Daniel. 13.* *Luc. 7.*

Porro & illa mulier, cuius meminit Euangelium, quam in adulterio deprehenſam variiſque criminibus coram frequenti etiam populo oneratam iudicio ſaluatoris ſubiecerunt cui dubium eſſe poteſt, quin ex illa infamiæ nota magnum animo ſenſerit dolorem & triſtitiam? Sed poſtea quam ſaluator, criminatione in delatores retorta, eam ſententia ſua liberauerat, dubitari non poteſt, quin ipſius animus ingenti rurſum fuerit, lætitia perfuſus. Sed quorſum his rerum exemplis immoror? Certe, vt intelligamus, quot quantaſque lætitiæ cauſas hæc fauſtiſſima crux nobis adferat. Noſtrorum enim ſcelerum fœditati atrocitatique magna quædam debetur infamia, tanta quidem & tam inſignis, vt ſi iuſtam rei æſtimationem facere poſſemus, ignominiæ noſtris peccatis merito inurendæ vel ſola recordatio fieret nobis plane intolerabilis. Sed ab hoc æternæ infamiæ periculo immenſa illa benigniſſimi ſaluatoris noſtri clementia nos immunes reddidit, cum dira illa crucis ſuæ probra noſtra cauſa ſuſtinuit, quæ ſine horrore referri non poſſunt. Ibi noſtræ infamiæ molem in humeros ſuos ſuſtulit. nec eorum quicquam ibi deerat, quæ ad ſummam ignominiam ſummeque horribilem efficiendam concurrere ſolent. Tunc enim temporis inter omnia cruciatuum genera, quibus flagitioſi homines & nefarij afficiebantur, habebatur ſupplicium crucis maxime ignominioſum & execrabile. Deinde ſumptum fuit hoc ſupplicium, non in aliquo loco ſecretiori, ſed eminentiori, excelſo, conſpicuo, in monte, vt omnium hominum oculis eſſet expoſitus. Porro & medio loco inter duos latrones ſuſpenſus fuit, vt perditiſſimorum hominum princeps & ductor agnoſceretur. Præterea in ipſam ſacri paſchatis feſtiuitatem res incidit, quo tempore frequentes ex omnibus *Ioan. 8.*

omnib. locis ad templum Hieroſolymitanũ confluebant. Ad hæc, ipſe ſupplicij locus Hieroſolymorum vrbi vicinus erat, eoq; populus vniuerſus cruẽto ſpectaculo & commodius intereſſe & diutius ſpectare poterat. Deniq; ne quid deeſſet ad ſummam infamiam, res clara luce geſta eſt. Ab ipſo enim meridie per tres horas integras & amplius viuus in cruce pepẽdit: aduenæ omnes, quibus illâc iter erat inuſitato rei ſpectaculo ſtupefacti ſubſtiterunt: milites verbis contumelioſis exceperunt: latrones, qui hinc inde in cruces erant ſuffecti, in voces etiam blaſphemas eruperũt: aduerſarij de parta victoria læti & inſolentes triumphos egerunt. In quem vnquam hominum probroſius aut immanius ſæuiri potuit, quam in ſaluatorem noſtrum hîc cruci affixum ſæuitur? Certum quidem eſt ex morte Chriſti multum dignitatis cruci acceſſiſſe, eaq; de cauſa magno iam in precio haberi: ſed tunc tẽporis, vti iam dixi, nulla furca, nullum patibulũ, nullum ſupplicij genus maiori reum afficiebat infamia. Ad quæ omnia etiam illud accedit, quod cum in crucem ſuſtulerunt tam infeſtis animis, tanta etiam cum ſæuitia contumeliaq;, quanta maxima ab hominibus dici aut excogitari potuit. Iam vero, ô anima Chriſtiana, Chriſtus Ieſus Dei filius omnem hanc confuſionem tua cauſa in ſe ſuſcepit, eam quidem ob rem, vt tu, ſi vitam emendare, vitiis nuncium remittere, deq; eis vere pœnitere velis, ipſius confuſione ab omni prorſus confuſione immunis reddaris. Illius enim confuſio peccatis tuis velũ obducet. Ille etenim nudus & veſtibus omnibus ſpoliatus fuit, vt tuam nuditatem confuſionemque pallio ſuo tegeret. Eaq; de cauſa per Ezechie-
Ezech. 16. lem prophetam dicit: Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Vnuſquiſque igitur hoc loco ſecũ perpendat, quàm multa mala perpetrauerit ingenti cõfuſione digna: quæ ſi in lucem prodita hominibus innotuiſſent, magnum illi quidem in hac vita pudorem, publicã vero pro Chriſti tribunali (ni Dei clemẽtia præueniret) cõfuſionem, immortalem deniq; ac indelebilẽ apud inferos infamiæ labem erãt aſperſura. Sed ab omnibus his infamiæ probris multi ſunt gratioſo Chriſti pallio protecti ac muniti: ille ſuam eis veſtem expandit, & ab his intolerabilis ignominiæ malis tutatus eſt. De hoc etiam velamine in hunc modum loquitur Dauid pro-
Pſal. 31. pheta. Beati, inquit, quorum tecta ſunt peccata. Si perſpicere poſſes, peccator, quanta ſit peccatorum fœditas, quamq; ingentem mercantur infamiam, hoc, de quo verba facimus, velamen magnam tibi conſolationem adferret. Sed peccatorum tuorum fœditatem & horrorem non vides: ac proinde nec quam infamiã merueris aduertis. Quid eſt, quod ſcortum publicũ de ſpurcitia ſua nullo pudore ſuffunditur? quid eſt, quod infamẽ illum vitæ ſtatum non magis perpendit? Certe, quantum coniecturis aſſequi poſſum, totius mali cauſa hæc eſt, quod omne probitatis lumen in ea prorſus extinctum eſt; ſic eſt à ſuis libidinib. obcæcatã, vt omnem plane exuat pudorẽ, nec vllam illius luminis ſcintillã in ſe reliquam habet, quo ſcelerum ſuorũ turpitudinẽ cõſiderare iuſtamq; rerum æſtimationẽ inire poſſit. Leuiſſimã quamque aſperginem in vultu vel etiam capitis ornamento pluris facit, quàm trecẽtas in anima letalis peccati maculas. Sed ſi aliquem ſaltem probitatis ſenſum haberet, quo ſcilicet intelligeret, q̃ ſit fœdum & horrendum illud, quod ſectatur, vitæ inſtitutum, non eſt dubium quin eam ſui multum puderet. Thamar Dauid regis filia, cum pu- 2. Reg. 13.
dicitiæ ſuæ vim intentari ab Ammon fratre ſuo videret, his eum verbis eſt allocuta. Noli, inquit, facere hanc ſtultitiam: ego enim ferre non potero opprobriũ meum. Habuit illa mulier aliquod in pectore probitatis lumen, quo excitata vim ſibi a fratre nefarie illatam propulſare ſatagebat. Quædam etiam matrona Romana, cui nomẽ Lucretia, cum abſente viro à Sexto Tarquinio per vim conſtuprata fuiſſet, quamuis res omnes homines lateret, tanto tamen de ſcelere perpetrato pudore ſuffuſa fuit, vt ferre nõ potuerit, ſed marito paulo poſt domũ reuerſo gladiũ arripuerit, ipſoq; rem omnem ſpectante ſibi mortem conſciuerit. Habuit & hæc mulier quoddam inſitæ probitatis lumẽ, quo videbat, quam obſcœna & deteſtabilis res eſſet adulterium. Sed ſcortum & quæ pudicitiam ſuã proſtituit, huius luminis ne ſcintillam quidem habet, quo vitæ ſuæ fœditatẽ deprehendat, cuius rei cauſa omnem prorſus abiicit pudorẽ. Eodem plane modo cum vnoquoq; peccatore agitur, qui fidei lumine deſtitutus eſt. Is neq; peccati magnitudinem neque Dei cuncta ſpectantis præſentiam conſiderat: non Angelos beatos, quos conſcientiam ipſius variis criminibus conſpurcatam cernentes non parua triſtitia afficit, ſed nec impuros dæmones ſalutis ſuæ hoſtes infeſtiſſimos, quibus vita turpiter acta parem adfert iucunditatem. Si peccator hæc omnia pro iuſto rerum merito ac momento æſtimaret, procul dubio magno illum & pudore & dolore afficerent. Veruntamen anima, quam peccatorũ vere pœnitet, quam etiam ingens illa premit & vrit confuſio (cuiuſmodi fuerunt illę, quas ſupra memorauimus, Suſanna, Magdalena, & mulier in adulterio deprehenſa) talis, inquam, anima in huiuſmodi ſubeundæ infamiæ anguſtiis conſtituta, cum illud animo verſat, quod benigniſſimus ſaluator probroſam illam & infamem crucis mortem eo quidem ſubierit, vt peccatoribus vere pœnitentibus omnem prorſus infamiam depelleret (ipſe enim ignominiam eorum peccatis merito infligendam in humeros ſuos ſuſtulit) miram ex hac ſacratiſſima cruce (& quidem merito, vt mihi videtur) voluptatem capit & ſolatium. Ex quib. quidem rebus omnibus, iuſtiſſimã (vti iam dixi) veri ineffabiliſq; ſolatij & cauſam & materiã hîc etiã ſubeſſe facile cuiuis cõſtare poteſt. Vt igitur iis, quę ad ſecundam huius libri ſcripturã ſpectãt, finem ſemel imponamus, ſi vel amor, vel ſpes, vel gaudium, vel cõſolatio nos ad cantum ſuſcipiendum inuitant, non deſunt in hoc crucifixi libro maximæ cantãdi occaſiones. Si prius cum Chriſto

vere lugeas, demum etiam cum illo alacriter cantabis. Hęc enim ſingula ſingulis aditum præbent. Peccati odium Chriſti amori viam ſternit in animom tuum: timor ſpei, dolor gaudio, pudor peccatorum cauſa ſuſceptus æternæ gloriæ viam aperit & munit. Atq; hæc quidem de altero huius libri ſcripto.

Tertia huius libri ſcriptura, quemadmodum iam antea dixi, eſt Vę, id eſt, dolor & luctus. Vę io ſacris ſcripturis æternam damnationem ſignificat. Huiuſmodi autem væ ſeſe hic legendum offert peccatoribus, qoi nec lugere nec cãtare cum Chriſto in cruce voluerunt, quod illa verba ad
Matth. 11. Iudęos habita innuunt: Cecinimus vobis, inquit, & nõ ſaltaſtis; lamentauimus vobis, & non planxiſtis. Et paulo poſt refert Euangelium eum ciuitatibus quibuſdam exprobraſſe, eo quod, cum multa apud eos eaque pręclara edidiſſet miracula, illi tamen oullam de ſceleribus perpetratis pœnitentiam egiſſent. Ad eos vero huiuſmo-
Ibidem. di verbis minacibus vſus eſt. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida. Quibus verbis nobis datur intelligi illos, qui hos, quos deſcripſimus, affectus in ſemetipſis excitare oeglígunt, vt ſcilicet cum Chriſto lugeant vel cantent, ad æternum væ peruenturos eſſe. Qui hunc in cordibus timorem, hunc pudorem, hunc dolorem, hanc peccati deteſtationẽ & odium oõ excitant & vere cum Ieſu dolent: rurſum qui hunc in cordibus amorem, hanc ſpem, hoc gaudium & conſolationem non excitant & cum Ieſu cantant, eos procul dubio æternæ damnationis væ addicendos eſſe: quod quidem væ tertia eſt ſcriptura, quam in hoc crucis libro deſcriptam eſſe iam antea retulimus. Vide hoc loco, anima Chriſtiana, & cõſidera quàm exquiſitos dolores & cruciatus ſaluator noſter peccatorum tuorum cauſa in cruce pertulerit. Et niſi tu viciſſim, eos quos iam memorauimus affectus excitando, eo te adegeris, vt horũ cum Chriſto tormeotorum conſors & particeps fias in hac vita, in futura certe vita horum ſimilia vel inuitus ſubibis, & ea quidem æterna, cum, quæ Chriſtus in cruce perpeſſus ſit, ſolum ad tempus fuerint. Nos igitur eos, quos ſaluator noſter in cruce pertulit, cruciatus alta cogitatione & ſerio perpendamus. Primum ergo, cum cruci affigendus
I. erat, veſtimentis omnibus ſpoliatus & plane nudatus & ſuper illud durum patibuli liguum magna vi deturbatus fuit, vbi pedes & manus fuerũt clauis immaniter terebrati, quemadmodum ipſe
Pſal. 22. in Pſalmo dicit: Foderunt manus meas & pedes meos. Ipſe aotem hæc omnia tua cauſa, peccator, tolerauit. Quod ſi tu vitam tempeſtiue emendare neglexeris, veſtimentis omnibus oudatus ad infernum deturbaberis, lectum ibi ſortiturus cruce multis partibus duriorem. Huiuſmodi vero peccatorem hiſce verbis alloquitur Iſaias pro-
Iſa. 14. pheta: Subtus te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermis. Tineæ dilacerantes & contineuter rodentes corpori tuo ſubſternentur: at vermiculi ardentes & ſerpentes igniti ſupra reptantes lodicis loco erũt, qui minutiſſimas quaſque corporis tui partes morſibus aculeatis penetrabunt & effodient. Tecũ perpende, quam horrẽdum eſſet ſupplicium in lecto anguibus, viperis, & bubooibus ſcatente decumbere, qui per vniuerſa corporis membra libere ſpaciãtes tardoque motu repentes morſib. & puncturis diuexa-
rent. Deinde, cum ſaluator ooſter in crucem ſuf- II.
fectus in altũ ſublatus fuit, illa corporis vniuerſi diſtenſio maximum illi cruciatum attulit. Illud animo verſa, peccator, quanta doloris acerbitate affectum fuerit corpus iſtud teuerrimum delicatiſſimumq;, cum in illa tendicula tanto temporis ſpacio penderet. Sed ille ad tempus in cruce pependit: tu vero, niſi reſipiſcas, in patibulo illo infernali ęternum cruciaberis. Hoc enim perſuaſiſſimum habeas, ſi propriorum ſcelerum pœnas in inferno tibi luẽdum erit, multo grauius multoq; atrocius te manere ſupplicium, quàm quod ſaluator ooſter perpeſſus eſt, idque æternum. Nam,
vt in Apocalypſi dicitur, fumus tormeutorum Apoc. 14.
aſcendet ſemper. Tormẽnta, quæ ille ſubiit, fuerunt crux, claui, ſpinę, funiculi, flagella, & lancea. Sed quæ te manent, ſunt mille partib. acerbiora. Quanto enim dæmooibus malitia eſt maior & intellectus perſpicacior quàm fuit Iudæis, tanto quę ſunt ab ipſis excogitata cruciandis animabus tormentorũ inſtrumenta, immaniora eſſe oportet, quam quæ ſuot à Iudæis in Ieſum ſaluatorem
noſtrum excogitata. Tertio loco, ſaluator ooſter III.
calore ſeu magis ardore quodam valde intenſo cruciatus eſt, cuius tanta vis erat, vt io agooia laboranti præ nimia cõtriſtatæ meotis anguſtia ſudorem etiam ſanguineum expreſſerit. Sed ardor iſte nihil eſt, ſi illi, qui apud inferos eſt, igni conferatur, cuius incendium ex Euangelij fide, nulla voquam temporis diuturnitate extinguen-
dum eſt. de quo Iſaias propheta io huuc mo- Iſa. 33.
dum loquitur: Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus ſempiternis? Iam vero, peccator, horum duorum vocabulorum (ſemper & nunquam) amplitudioem tibi ob oculos mentis ponas. Cnnſiderns, quam ſit acerbum in illo recrudeſcenti incendio ſemper verſari, & ab illis cruciatibus nunquam liberari poſſe quam ſit intolerabile. Si vel in lecto plumeo quantumuis molli ad ſeptem dierum ſpacium oeceſſario decumbendum eſſet, magnum, credo, tibi tædium adferret. Quanto igitur tædio afficiendum exiſtimas, ſi horrendum illud æſtuarium tibi & neceſſario ſubeundum, & ſioe intermiſſione perfe-
rendum erit? Quartum, Chriſtus ſaluator oo- IIII.
ſter ingens frigus pertulit, noo tam ſolum ob rem, quod nudus extiterit, ſed quod corpus inſito & natiuo calore ex ipſa mortis neceſſitate deſtitutum fuerit. Sed peccatori cruciatibus æternis addicto frigus tolerandum eſt longe in-
tenſiſſimum; de quo beatus Iob ſic ait: Tranſi- Iob. 24.
bunt, inquit, ab aquis niuium ad calorem nimium. Pie Ieſu, cum manus tenera, quæ ex niue vel gelu intenſum frigus cõtraxit, ignis calori ſubito admouetur, magno protinus dolore afficitur: ſed nihil ad illum cruciatum infernalem, vbi à tam immen-

immenſo frigore ad tam immenſum calorẽ tráſ-
V. itur. Quintum, ſaluator noſter in crucem ſuffe-
ctus, opprobria, blaſphemias, varias aduerſario-
rum inſultationes audiuit, quæ proculdubio ma-
gns eum moleſtia affecerunt. Sed qui ſuppliciis
æternis ſubiiciẽdi ſunt, nihil aliud audient, quàm
vociferationes continuas, inſultationes contu-
melioſas, dæmonum aliorumq; eandem cum il-
lis damnationis ſententiam ſubeuntium blaſphe
Apoc.16. mias. Blaſphemabunt enim Deum cæli prę dolo-
ribus & vulneribus, maximeq; horrendos ac mi-
naces dæmonum hoſtium immortalium vultus
VI. continenter ob oculos habebunt. Sextum, ſalua-
tor noſter in cruce conſtitutus, cum clamore &
Heb.5. lachrymis (vti Apoſtolus ait) peccata aliena plan-
xit. Sed peccatores tormentis infernalibus adiu-
dicandi, qui cum Chriſto in hac vita lachrymas
ſalutares abluendiſq; animarum ſordibus vtiles
profundere noluerunt, in inferno conſtituti pro
ſuis ipſorum flagitiis lachrymas quidem effun-
dent, ſed quæ defluentes ipſam etiam reliqui cor-
poris cutem inurendi vim habebunt, nec quic-
Matth.8. quam proderunt: ibi erit fletus & ſtridor den-
tium. fletum quidem fumus ille denſiſſimus ex i-
gne proueniens, dentium vero ſtridorem frigus
illud intolerabile ex niuibus promanans efficiet.
Quodq; admirabilius eſt, nec frigus calorem nec
calor frigus temperabit, ſed alterius ab altero vis
auctior & intenſior reddetur. Non aliter quàm
in foco ferrario ſubinde fieri videmus, vbi aquã
frigidam aſpergunt, vt ignis vehemẽtius ardeat.
VII. Septimum, ſaluator noſter in cruce maxima ſiti
Ioan.19. laborauit, de qua etiam querebatur dicens, Sitio.
Nec mirum certe, ſi poſteaquam tot tantoſque
labores & cruciatus tolerauerat, poſteaquam ſu-
dorem & ſanguinem ex ſingulis beati corporis
partibus tam copioſe profuderat, vt nihil pene
humorum iam reliquum fuiſſe veriſimile ſit, ſiti
quadam plane inuſitata cruciatus fuerit. Quanta
igitur & quam intolerabili ſiti torquendos eſſe
exiſtimatis eos, quos ob ſcelera perpetrata infer-
Luc.16. nus ſuis flammis plectendos excipiet? Diues ille
epulo, quem in inferno ſepultum legimus, quan-
ta ſit eo in loco ſitis, nos probe monet: qui vel v-
nicæ aquæ guttæ comparandæ vniuerſas huius
mundi opes libenter impendiſſet, quo linguæ ſæ-
uis illis æſtibus vehementer exiccatæ cruciatum
aliquali ſaltem refrigerio remiſſiorem reddere
VIII. potuiſſet. Octauum, ſaluator noſter in cruce ſua
magno quodam dolore & triſtitia affectus fuit.
Si enim iam antea cruciatuum mox ſubeundo-
rum ſola recordatio tam intimum ei doloris ſen-
ſum attulit, vt aquam & ſanguinem ſudauerit: i-
pſa rerum iam præſentium & prementium per-
peſſio quam fuerit acerba & atrox, quis verbis vel
etiam tacita cogitatione aſſequi poterit? Sed qui-
libet eorum, qui damnationis ſententiam ſubi-
turi ſunt, eo quod eorum cruciatus & perpetui
ſint futuri & æterni, multo maiori quàm ſalua-
tor noſter dolore mœſtitiaque afficietur. Qua
Sap.5. de cauſa in libro Sapientiæ de ipſis dicitur: pœni-
tentiam agentes & præ triſtitia ſpiritus gemen-
tes. Ex intimo enim corde eos pœnitebit, ipſaque
animi mœſtitudo doloris & gemitus etiam voces
extorquebit, cum in mentem ſubibit, pro quan-
tilla momentaneæ voluptatis vſura æternis ſeſe
& gaudiis exuerint & tormẽtis cumularint. No- IX.
num, ſaluator noſter in cruce multa probra mul-
tamque infamiam perpeſſus eſt, eam quidem
pręcipue ob rem, vt peccatores (quemadmodum
iam antea dictum eſt) qui vitiis renunciare vi-
tamque melius inſtituere proponerent, ab æter-
no probro & infamia immunes redderet: qui ve-
ro hæc præſtare negligerent eam, quam ſcelerum
ſuorum atrocitas meruerat, infamiam ſubirent.
Id genus homines alloquitur Deus per prophe-
tam Naum in hunc modum: Reuelabo pudenda *Naum 3.*
tua in facie tua. Et rurſum per Ieremiam: Satura- *Thren.3.*
bitur opprobriis. Decimum, cęteros cruciatus o- X.
mnes, quos ſaluator noſter in cruce tolerauit,
longe ſuperabat illud, quod nihil prorſus à pa-
tre conſolationis accepit, ſed inſtar hominis à
Deo proiecti, omni plane ope & auxilio deſtitu-
tus fuit. Qua de re miſerabilem in modum ſub-
lato etiam ad patrem clamore querebatur: Deus *Matth.27.*
meus, inquit, Deus meus, vt quid dereliquiſti
me? Hæc autem deſtitutio ad tempus erat: nam
paulo poſt ad vitam beatam & immortalem reſu-
ſcitatus fuit. Sed peccatores, qui ſcelerũ ſuorum
pœnas in inferno luent, ad omnes ſeculorum æ-
ternitates deſtituentur, priuati prorſus omni nõ
ſolum gaudio & conſolatione, ſed ipſa etiam glo-
rioſa Dei optimi maximi viſione, in qua totius
felicitatis & conſolationis ſumma conſtat & per-
ficitur. Atque hæc quidem priuatio animas æter-
nis cruciatib. deſtinatas atrocius cruciabit, quàm
quæcunque præterea illis infligentur tormenta.
De quo diuus Chryſoſtomus ſic ait: Ego autem *Chryſoſt.*
multo grauiores quàm gehennam duco crucia-
tus, remoueri & abiici ab illa gloria. Denique ſal- XI.
uator noſter in cruce ipſum mortis ſupplicium
ſubiit pro peccatis noſtris, quæ nos morti obno-
xios reddiderãt: eaq; de cauſa morte affectus eſt,
vt nos eo, quod ſceleribus noſtris cõtraxeramus,
debito liberaret. Illum veró hæc mortis vincula
nõ diu detinuerunt. Sed peccatores, qui in gehen
nam relegandi ſunt, vt iuſtum flagitiorum ſuorũ
debitum perſoluant, ęternam mortem ſubibunt.
Quod non ita dictum exiſtimetis, quaſi nullum
omnino vitę ſenſum ſint habituri, ſed quod ita ſe
habebunt ſemper, quaſi in ipſo mortis articulo &
cruciatu conſtituti, ſenſus quidẽ habentes inte-
gros & ad perferenda tormenta acutiſſimos, ſed
mortis expertes. Erunt eorum cruciatus tã atro-
ces & intenſi, vt mortẽ millies & continenter ſint *Apoc.9.*
exoptaturi: ſed votis nunquã potientur. Deſide-
rabũt.n. mori, & mors fugiet ab eis. O Ieſu bone,
quã calamitoſus erit illorũ vitæ ſtatus, qui mortẽ
ipſam in votis cum ſemper habeãt, nullo nunquã
tamen tẽpore ſint cõſecuturi. Dauid propheta de
de illorũ cruciatib. verba faciẽs, in hunc modum
loquitur: Mors, inquit, depaſcet eos. Quorũ ver- *Pſal.48.*
borũ ſentẽtia triplex eſſe põt. Primũ.n. ſic intel-
ligi poſsũt. Mors eorũ paſtor & ductor erit, eoſq;
curabit & ad paſcua ducet. Duo autem in inferno
ſunt paſcua, alterũ niue alterũ igne plenũ. Cuius

rei cauſa dictum eſt à Iob: Ad calorem nimium tranſibunt ab aquis niuium. Atque hæc quidem prima horum verborum ſententia eſſe poteſt. Deinde & hanc interpretationem admittunt: Ipſi cõtinuum mortis pabulum erunt. Quemadmodum in agris, vbi paſcuntur oues, vſu venire cernitis; herbam ſemper naſcentem ſemper decerpunt & premunt; quo fit, vt herba continenter & depaſcatur nec vnquam tamen plane abſumaturita cum infauſtis illis hominibus in inferno agetur: mors continua quadam eos depaſtione ſubactos deprimet, ſed ita tamen, vt nulla vnquam temporis diuturnitate ſint prorſus interituri. Demum & in hunc modum interpretari licet. Mors perpetuum ipſis alimentum erit. Ipſi enim continua quadam conſequendæ mortis fame laborabunt & affligentur, votiſque eam longe ardentiſſimis expetent; atque hæc quidem eorum appetitio perinde recena & intenſa ſemper erit, nec vllam præterea in illa cruciatuum acerbitate vel conſolationem vel etiam remiſſionem conſequentur. Sed harum interpretationũ quæcunque fuerit admiſſa, facile tibi conſtare poteſt, anima Chriſtiana, quod, ſi locus ille neceſſario ſubeũdus ſit, vt in eo ſcelerum tuorum debitum perſoluas, multo quidem futurus ſit acerbior multoque intolerabilior, quam vt ferre poſſis. Nam, vt iam antea dixi, eorum quæ ſaluator noſter in cruce pro noſtris omninm peccatis pertulit, vnumquodlibet conſideres, & certum habeas, niſi nos eos, quos iam deſcripſimus, affectus in cordibus noſtris ante mortem excitemus, eaque ratione tolerantiæ ipſius conſortes ac participes reddamur, cruciatus illos vniuerſos in inferno, nec quidem ad tempus, ſed æternum ſubituros eſſe. Quibus quidem ex rebus certum eſſe deprehenditur, nobis in hoc crucifixi libro verſantibus non deeſſe vberem luctus & lamentationis materiam, quod tertium eſt ſcriptum, de quo nos verba facturos ſuſcepimus. Iam vero, ô homo peccatis obnoxie, hunc admirabilem librum tibi ob oculoa poſitum ſæpius intuere, qui, vti iam dixi, ſcriptus eſt intus & foris: in quo etiam legere poteris tria rerum genera, lamentationes, carmen, & væ. Quod ſi cum Ieſu lamentari cœperis, illud inde conſequeris, vt cum Ieſu cantes. Quo etiam fiet, vt plenum eius paſſionis conſortium aſſecutus, peccatorum tnorum debito libereris, ſempiternumque illud væ feliciter euadas. At vero ſi repudiato hoc conſilio, mundi & carnis illecebras ſectatus fueris, certum habeas, iuſtum peccatorum tuorum debitum vnà cum dæmonibus in gehenna & væ ſempiterno tibi neceſſario perſoluendum eſſe: cuius loci aditu nos clementer prohibeat ille, qui propter eum, quem erga nos gerebat, amorem, hoc ſacro die acerbiſſimam & doloris pleniſſimam in cruce mortem ſubiit ſaluator noſter Chriſtus Ieſus.

Amen.

F I N I S.

CONCIO REVERENDISSIMI DOMINI, D. IO. FISCHERII ROFFENSIS EPISCOPI, DE IVSTITIA PHARISÆORVM ET CHRISTIANOrum, ex Anglico in Latinum conuerſa.

A IOANNE FENNIO SACERDOTE ANGLO.

Matth. 5. Geneſ. 2.

NISI abũdauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Dei. Refert ſcriptura ſacra, auditores Chriſtiani, Adam primum generis noſtri parentem in quodam voluptatis loco collocatum fuiſſe, qui paradyſus appellabatur, in quo varij erant gratiſſimi iucũdiſſimique saporis fructus, maxime vero duæ arbores, quarum altera vitæ, altera ſcientiæ boni ac mali dicebatur: atque illius quidem arboris fructus fuerunt ei ad veſcendum conceſſi, huius vero eſus plane interdictus. Interdixerat enim illi Deus, ſub mortis comminatione, ne de arbore illa ſcientiæ boni ac mali veſceretur. Sed Adam neglecto diuinæ ſanctionis imperio, voluntatique vxoris obſecutus, relicta hac, quæ illi conceſſa fuit, arbore, illius alterius (cuius eſus erat illi prohibitus) fructum comedit. Ob quam inobedientiam iniuſtitiamque ac violatum, quod diuinitus acceperat, mandatum, Deus illum paradyſo, loco longe amœniſſimo & omni voluptatum genere affluentiſſimo, deturbatum, in hanc calamitatum vallem, in hunc dico, quem nos incolimus, mundum miſeriis plenum relegauit. Ac demum quendam Cherubini ordinis Angelum cum gladio flammeo & verſatili paradyſi cuſtodiæ præfecit, ne ſcilicet vel Adamo vel cuiquam ex poſteris (niſi recuperata, quam amiſerant, iuſtitia) aditus in eum locum pateret. Hæc igitur ſcripturæ ſacræ hiſtoria, illa quæ ſupra retulimus, Chriſti ſaluatoris noſtri verba quam optime exponit, eorumque ſententiam nobis valde perſpicuam & illuſtrem reddit, neminem vnquam in illud cælorum regnum admittendum eſſe, qui ſit aliqua peccati vel iniuſtitiæ labe conſpurcatus. Quæ res vt fiat illuſtrior, tria mihi hoc loco diſſerenda ſeu magis perſtringenda propoſui. Primum, quemadmodum ea, quæ fuerunt ab Adamo perpetrata, vniuſcuiuſque peccatoris in hoc mundo conſtituti nobis ſtatum referant. Deinde, quemadmodum propter iuſtitiam violatam, & pro eo, quod præceptis diuinis non obtemperamus, nos cęli voluptatibus excludimur, eodem plane modo, quo ille paradyſo eiectus fuit. Demum, quid ſibi velint illa obſtacula, quæ Deus in ipſo paradyſi aditu poſuit, in eum quidem finem, vt quiuis peccator ab eius loci ingreſſu, niſi prius iuſtitiæ redditus, arceatur. Vnuſquiſq; igitur in hac vita conſtitutus ſeu vir ſeu fœmina hos duos, Adamũ ſcilicet & Euam (ſecundum aliqualem rerum ſpeciem) in ſe habent. Anima enim & corpore præditi ſunt. Anima quidem Adamũ, corpus vero Euam refert. Quemadmodum enim vir vxori præeſſe, ita anima corpori præeſſe & imperare debet: & quemadmodum vxorem viro ſubiici, ita corpus animæ ſubiici & obtemperare oportet. Vbi penes animã imperiũ eſt, ibi prudẽtia gubernat, ibi ratio imperat, ibi Adam dominio potitur, omniaque recte & ordine geruntur. Vbi vero penes corpus imperium eſt, ibi temeritas præeſt, ibi vis animalis imperat, ibi Eua dominio potitur, & rerũ ordo peruertitur. Sed hoc loco tria cognitu neceſſaria nobis declarãda veniunt. Primum, quidnam ſibi velint hi fructus, & quid nobis innuant. Deinde, quando ex huius fructus guſtatione peccatum contrahatur, quando minime demum, magnam Adami temeritatem, omneſque peccata perpetrantes eodem temeritatis vitio implicatos eſſe docebimus.

Tria ergo fructuum genera in paradyſo erant. Primus quidem fructus ex illa vitæ arbore proueniebat: quem Adam toto eo temporis ſpacio, quo in paradyſo degebat, nunquã guſtauit: quod ex iis verbis, quæ mox ſubinferuntur, elicitur; vbi ſic habetur: Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & viuat in ęternũ, emiſit eum Dominus Deus de paradyſo voluptatis. Erat & alius fructus, qui ex illa, de qua iam dictum eſt, arbore ſciẽtiæ boni ac mali naſcebatur, cuius guſtus Adamo fructus mortis extitit. Sed pręter hos duos fructus, erat etiã tertium genus, quod manducantibus nec vitam nec mortem, ſed quandam ſolum voluptatem adferebat, eoq; nec inter hos nec inter illos, ſed media quadam (vt ita dicã) virtute præditum cenſebatur. Iam vero hi tres fructus tria voluptatum genera, quæ nos vtriuſq; ſexus homines in hoc mundo guſtamus, ſignificare videntur. Voluptas enim fructui (& quidẽ recte) comparatur, eo quod inſtar fructus guſtum oblectet. Eaque ratione diuerſarum arborum fructus diuerſarum etiam voluptatum oblectamenta referunt, quæ nobis in hoc mundo degentibus ſeſe offerũt. Primi igitur ordinis voluptates vitæ voluptates dicuntur, eo quod fructus ille à vitæ arbore, à Chriſto nimirum Ieſu ſaluatore noſtro proficiſcatur, qui vtiq; in ſacris literis arbor vitæ appellatur. Ex hac arbore plurimum fructus de- Geneſ. 3.

licatiſſimi nobis prouenit, quem guſtare nihil aliud eſt quàm vitæ æternæ participes fieri. Hunc autem fructũ guſtamus, cum ex verbis ipſius voluptatem capimus, cum eius doctrina nobis conſolationem adfert, cum ex natiuitatis, paſſionis, & reſurrectionis meditatione lætitia perfundimur, cum beatiſſimæ illius vitæ lectio nobis grata eſt & iucunda. Ac generatim, omnes voluptates, quas in Deo & rebus diuinis percipimus, fructus ſunt, qui ex arbore illa longe gratioſiſſima nobis producuntur. Nam per ipſum nobis & ex ipſo oriuntur ſalutares illæ & ſanctæ voluptates, ex quarum guſtu æternæ vitæ præmium conſequemur. Hunc autem fructum tunc guſtamus & comedimus, cum ob Chriſti amorem eleemoſynas pauperibus elargimur, cum contumelias iniuriaſq; nobis irrogatas condonamus, cum orationi, vigiliis, ieiuniis inſiſtimus. Quiduis enim horum Chriſti cauſa facere, eſt vitæ æternæ fructus & arborem guſtare. Secundi ordinis voluptates, mortis voluptates vocantur, eo quod nos ad mortem ſempiternam ducant. Sunt enim Dei optimi maximi legibus nobis interdictæ: ac proinde quiſquis eas ſectatur & hũc fructum guſtat, legum diuinarum ſanctiones violat. Huius generis ſunt omnes adulteri, qui fidem coniugalẽ non ſeruant, viri, qui alias quã ſuas vxores accedunt, fœminæ quæ alios quàm ſuos maritos admittũt, qui de Deo & eius doctrina aliter ſentiunt, quam catholica docet Eccleſia, qui ſe periuriis aut iuramentis temere ſuſceptis impie contaminant, qui dies feſtos ab Eccleſia indictos non obſeruant, qui diuinis officiis non interſunt, qui verbum Dei ex recepto Chriſtianę plebis more non audiunt, qui aliena bona aut per potentiam extorquent, aut per vim diripiunt, aut alia quauis fraude ſubducunt, qui ſuum parentibus honorem non deferunt, qui homicidium perpetrant vel etiam conſilio aut conſenſu promouent, qui rei falſæ teſtimonium dicunt, qui famæ alienæ crimen per calumniam inferunt. Sunt omnes quidem iſtæ mortiferæ voluptates & fructus lætales: nec harum voluptatum & fructuum aliud in fine præmium eſt expectandum, quàm mors & interitus ſempiternus. Tertij ordinis voluptates ſunt illæ, quæ ἀδιάφορα vocantur, quas nec magnum aliquod præmium manet nec ſupplicium: quandoquidem rebus omnino neceſſariis, edendo, bibendo, dormiendo, ambulando, loquendo, aliiſque id genus oblectamentis innoxiis conſtant, ſine quibus plane non viuitur. Ex his igitur nec mortem meremur ęternam nec vitam. Sunt autem iſtæ voluptates omnibus omnium hominum ordinibus bonis ac malis communes: nec quiſquam eſt mortalium, qui ſine his vitam tueri poſſit: omnino enim edendum, bibendum, dormiendum eſt. Quæ quidem omnia eius generis ſunt, vt, quamdiu neceſſitatis terminos non excedunt, hominem nec bonum nec malum reddant, nec peccati vim & naturam induant, ac proinde, qui hæc cum ea, qua decet, moderatione faciat, nec præmio nec ſupplicio afficiendum ſtatuant. Ex iis ergo, quæ hactenus à me dicta ſunt, intelligere poteſtis, quinam ſint hi tres fructus, & quid ſinguli ſibi velint. Iam vero, quod ſecundo loco pollicitus ſum, declarabo: quando ſcilicet ex huius fructus guſtu peccatũ mortale contrahatur. Aduertite viri & fœminæ, aduertite quotquot adeſtis hoc, quod propoſiturus ſum, documentum: quando nimirum illud eueniat, vt huius fructus guſtus peccati letalis formam induat. Aduerte igitur, ô homo, diligenter & attente. Cum corporis tui appetitiones ſectaris, Eua præeſt. Cum animæ tuæ & rationis deſideria ſectaris, Adam dominio potitur. Eaque de cauſa à D. Auguſtino dictum eſt Cum aliquam voluptatem illicitam in te naſcentem ſentire incipis, tũc Eua pomum guſtat & Adamo comedendum porrigit. Sed Adam adhuc ſui iuris eſt, an velit pomũ guſtare, vel etiam recuſare, id eſt, poſteaquã corpus ad libidinem incitatum fuerit, anima tamen rationalis arbitratu ſuo vti poteſt, an huiuſmodi corporis motibus acquieſcere velit. At vero ſi cõſenſum præbuerit, tunc Adam pomum comedit. Si ratio & voluntas tua illicitæ voluptati conſenſerit, tunc & tu pernicioſum hunc mortis fructum guſtas. Hic enim fructus (vti iam dixi) omnes voluptates illicitas ſignificat, maxime vero eas, quæ ſunt diuinis legibus interdictæ. Et quoties alicuius voluptatis potiundæ cauſa Dei præceptum violamus, toties hunc fructum lætalem guſtamus. Caro noſtra & appetitiones carnales ad guſtandum hunc mortis fructum & ad ea omnia, quæ animarum ſaluti maxime aduerſantur, ſemper pronę ſunt ac propenſæ. Caro voluptates carnales ſectatur, opes mundanas, huius vitæ commoda & honores expetit. Hæc in nobis deſideria ratione carnis naſcuntur omnia: nec quiſquã eſt, qui harum rerum aliqualem ſaltem appetitionẽ non ſentiat. Cui tamen ſi anima & voluntas non conſentiant, nondum guſtauit Adam hunc fructum pernicioſum, nec diuinum adhuc pręceptũ violauit. Multi ſunt viri, multæ fœminæ etiã pietatis ſtudiis impenſe addictæ, qui tamen magnas tentationes, ingentes motus, vehementes propenſiones ſentiunt, nunc ad libidinem, nunc ad ſuperbiam, nunc ad auaritiam. Sed ſi animas ſuas caute muniãt, luctamq; contra eos corporis motus ira ſuſcipiant, vt animo & voluntate prorſus alieni, carnis illecebris non acquieſcãt, ſunt quidem illi adhuc à letali pomi huius morſu immunes. Nec iſtud in peccatis cenſetur, ſed ad lucri & meriti cumulum accedit. Hæc autẽ bella, quæ aduerſus huiuſmodi carnis motus & appetitiones ſuſcipiuntur, quãdiu Adam pro virili parte contra nititur, nec illicitæ voluptati cedit, recte & ex re noſtra geruntur. Sed cũ Adam, id eſt, ratio humana & voluntas in eſum pomi noxialis conſentiunt, cum in voluptatẽ aliquam illicitam contra diuinæ ſanctionis decreta cõcedunt, tunc peccatum contractum eſt, tunc ſcelus in animo perpetratum eſt, etiamſi vlterius non progrediaris. Ipſe animi conſenſus peccatũ eſt. Aduerte quod dico. Mulierem formoſam forte conſpicis, & erga eam

impure

impure aſſiceris, formamque iam ſpectare ac etiam conſiderare lubet, adeo vt corpus aliquo potinndæ libidinis affectu in eam feratur: ſi anima nullum his motibus incitationibuſque conſenſum prębeat, nullius adhuc certi criminis reus es: niſi forte ſis arguẽdus incuriæ, eo quod huiuſmodi cogitationem non ſtatim repuleris, ſed in animo diutius, quam par erat, hærere permiſeris (quod quidem antiqui ecclеſiæ patres pro peccato habuerunt.) Sed ſi voluntas huic carnis propenſioni motuiq; aſſenſum dederit, quamuis vlteriorem progreſſum non feceris, quamuis rem iam animo deſtinatam nullo vnquam tempore ad effectum perduxeris, eo tamen ipſo quod aſſenſu præſtito tentationi ſuccubueris, peccati letalis noxam cõtraxiſti. Veruntamen ſi hunc, quẽ præſtitiſti, aſſenſum mature reuocaueris, & te facti pęnituerit, multo leuior erit offenſa, culpamque facilins deprecaberis, quam ſi res effectum ſortita fuiſſet. Ex iis ergo quæ à me dicta ſunt, intelligere poteris, quo demum tempore ex huius fructus guſtu peccatum cõtrahatur. Nunc quanta ſit hominum peccatis ſeſe implicantium temeritas & ſtultitia, paucis expediã. Multi ſunt mortales, qui veteris Adami veſtigia ſectantur, qui relicto fructu longe vtiliſſimo fructum plane inutilem decerpunt. Adam fructum vitæ reliquit, & fructum mortis ſumpſit. Adam toto eo temporis ſpacio, quo in paradyſo vixit, arborem vitæ nunquam tetigit: quod ex ipſis ſacræ hiſtoriæ verbis manifeſte conſtat, vbi ſubiungitur: Ne forte ſumat etiã de ligno vitę & viuat in ęternũ. Placuit enim Deo opt. max. vt quamprimũ paradyſo eiiceretur, ne forte de arbore vitæ guſtaret, quẽadmodũ de mortis arbore iã antea guſtauerat. Guſtauit Adam de arbore mortis, qua re Dei præceptũ trãſgreſſns eſt, atq; inde mortalis effectus, certum mortis reſpõſum accepit. Quod ſi hoc mortis fructu abſtinuiſſet atq; illũ vitæ fructũ mãducaſſet, nõ quidẽ morti obnoxius, ſed immortalis euaſiſſet. Eodẽ plane modo ſe res habet cũ omnibus, qui peccata perpetrãt. Salutarẽ illum fructũ, ex cuius eſu vitã ęternã promereri poterant, omnino repudiãt: & pernicioſum hunc fructũ, cuius eſus mortẽ adfert ſempiternam, audacter guſtãt & comedũt. Quod ſi Adam aliquod ſuppliciũ de peccato ſumptum iam antea vidiſſet, & tali exemplo præmonitus fuiſſet, quale in ſeipſo propter violatam diuinæ ſanctionis legem primum expertus eſt, veriſimile quidem eſt eum nullo modo commiſſurum fuiſſe, vt facinus illud patraret: ſed huiuſmodi exemplum nullum vnquam viderat. Cuius rei cõſideratio eorum inſaniam, qui hunc vetitæ arboris fructum guſtant, multo atrociorem & Dei creatoris oculis multo magis odioſam & inuiſam reddit. Cum enim non ſolum huius ſupplicij acerbitatem ſemper ob oculos habeant, ſed multis præterea abundent exemplis, nulla tamẽ ratione induci poſſunt, vt ſibi caueant, ſed in ſuſcepta temeritate & inſania continenter perſeuerant. Poterat quidem hoc vnicum exemplum, etiam ſi nullũ aliud nobis in ſacra ſcriptura proditum fuiſſet, ſufficere ad deterrendum peccatorem ab illis voluptatibus, quæ ſunt diuinarum legum decretis interdictæ, cum videat in primo illo noſtri generis parente Adamo ob noxam tam leuem tam atrox ſumptum fuiſſe ſuppliciũ. Tali enim ac tanto affectus eſt ille ſupplicio, eo quod pomum comederat. Itaq; qui propriis ipſius Dei manibus tam perfecte creatus, & ab ipſo ad tam eminentem dignitatis locum non multas ante horas ſubleuatus fuerat, propter vnam tamen etiam primi criminis noxam, omni hac, quam adeptus erat, dignitate ſpoliatus, paradyſo (loco deliciis omnibus affluẽtiſſimo) turpiter eiectus, infinitis huius vitæ calamitatibus expoſitus, ac demum morte, nec ipſe ſolus, ſed vna cum poſteris omnibus ſublatus fuit. Si hoc vnicum crimen in eo, qui nullo iam antea ſumpti ſupplicij exemplo monitus deliquerat, tanta pœnarum ſeueritate vindicatum fuit, quantam eos cruciatuum acerbitatem manere credendum eſt, qui, cum varia, eaq; valde atrocia ſuppliciorum genera de hominibus ſceleratis diuinarumque legum violatoribus ſumpta ſæpiſſime & audierint & viderint, multis tamen ſe criminibus cumulant? Si in hoc leue crimen tam ſæue animaduerſum eſt, quanta cum ſæuitia in enormia illa & horrenda flagitia demũ animaduertetur, quæ fœtore ſuo ipſas immortalis Dei nares offendunt, quæ clamorem ædunt tam horribilem, vt diuinas etiam aures penetrent ac vindictam clament, quæ tam publice tamq; inuerecunde geruntur, vt ipſum Dei creatoris aſpectũ ſubeãt, oculoſq; tã grauiter afficiãt, vt ad vindictã de nefariis ſanctionũ ſuarũ cõtemptorib. ſumendã vel inuitũ cogãt? Quod.n. aliud de rebus iudiciũ facere poteſtis? Si hominẽ iſtum, qui nihil prius admiſerat, nec pœnã alicui ob crimen irrogatã viderat, tanta protinus ob primũ & vnicũ delictũ excepit pœnarũ ſeueritas; ꝗd aliud illis hominib. expectandũ erit, qui multo tẽporis ſpacio in flagitiis perſeuerarunt, peccata peccatis impune cumularũt, & in dies ſingulos ſeipſis deteriores euaſerũt (idq; poſt tot tãtaq; ſupplicij de alienis peccatis ſumpti exẽpla) ꝗ̃ vt in nouiſſimo illo iudicij die multo formidabilior in ipſos ſententia feratur, niſi eos prius vitæ male actę pœnituerit, & culpas mature deprecati fuerint? Iã vero magna Adami temeritas & ſtultitia multis ex rebus deprehẽditur. Primũ ex eo, ꝙ huius vitæ voluptates diuinis voluptatib. prętulerit. Deinde, ꝙ relicto arboris vitæ fructu, mortis fructũ guſtauerit: qua de re, amiſſis, quib. aliâs frui potuiſſet, paradyſi deliciis, in oẽs huius vitæ moleſtias calamitateſq; deturbat᷒ eſt (quas etiã mille pene annos ꝑtulit) ac demũ mortẽ ipſam ſubiit, cui, niſi ob crimẽ admiſſum, nunquã fuiſſet obnoxi᷒. Deniq;, ꝙ poſt mortẽ in tenebricoſum quendã carcerẽ, qui Limbus patrũ dicebatur cõiectus fuerit, vbi viſione diuina priuat᷒, & cęli gaudiis excluſus, tria annorũ millia ꝑſeuerauit. Atq; his quidẽ ſuppliciis omnib. eo ꝙ pomũ guſtauerat, affect᷒ eſt. An nõ erat hæc inſignis plane temeritas? Sed multo maior eſt eorũ inſania, qui Adami veſtigia ſectãtur: cuiuſmodi sũt oẽs peccatores, q̃ præcepta Dei violãt, q̃ voluptatẽ carnis diuinis voluptatib.

præſe-

præferunt, qui letalis illius arboris fructum libenter guſtant, at vero hanc vitæ arborem nec attingunt quidem. Ac proinde, quemadmodum Adam paradyſi, ita iſti conſcientiæ mundæ gaudiis priuantur. Et quemadmodum Adam paradyſo eiectus in varias huius vitæ miſerias incidit, ita & iſti puræ mentis lætitia priuati, ſurdum illum & perpetuo tundentem cōſcientiæ malleum ferre cogũtur. Adam mortem temporaneam, iſti etiam æternam ſubibunt. Adam obſcuro carcere exceptus, Dei opt. max. conſpectu & cæleſti felicitate ad tria annorum millia priuatus extitit: iſti obſcuris illis & tetris inferni carceribus incluſi, diuina viſione & ęterna cæleſtis aulę gloria ad innumeras annorum myriades, ad omnes nimirũ ſeculorum æternitates carebũt. Ex his igitur magna hominum peccata perpetrantium ſtultitia deprehenditur, qui propter exiguam momentaneæ voluptatis vſuram, æternæ ſe voluptatis loco excludunt.

Sed dicet fortaſſe quiſpiã. Nos in eum finẽ nati & conditi à Deo ſumus, vt cæleſtes illas voluptates & gaudia hæreditario iure poſſideamus: quam nobis hæreditatem Chriſtus ſaluator noſter magno paſſionis acerbiſſimæ precio cōparauit, certamque adeundi cautionem, ipſum, quem noſtra cauſa fudit, ſanguinem dedit. Ad hæc reſpondeo & aſſeuero, nullius vnquam hominis hæreditatẽ tam certis legibus illi addictam eſſe, vt ſua culpa perire aut etiam alienari non poſſit. de multis enim viris illuſtrib. relatu accepimus (cuiuſmodi ſunt reguli, comites, & cæteri regni alicuius proceres) qui, propter crimen aliquod vel violatę legis in rempub. vel læſæ maieſtatis in principẽ patratum, fuerunt bonis omnibus exuti, quæ tamẽ ad ipſos iure hęreditario ſpectabant, & eodem iuris titulo ab eorum maiorib. multis fortaſſe iam ſeculis occupata fuerant. Et tu, Chriſtiane, quoties letaliter offendis, toties læſæ maieſtatis crimen in principem tuum admiſſum arbitrare, in Chriſtum, dico, Ieſum ſaluatorem noſtrum, qui eſt rex regum & dominus dominantium. *1. Timoth. 6.* Cui fidẽ tuam aſtrinxiſti, dæmonique ac omnibus eius operibus renunciaturum pollicitus es. Hoc enim te præſtiturum in baptiſmo ſuſcepiſti, cum in album Chriſtianorum primum aſcriptus es. Sed facta promiſſis contraria ſæpiſſime fuerunt, fidem datam nō ſemel fefelliſti, prodito etiam ipſo, cui nomen dediſti, principe. Ad hoſtem ipſius iuratum deſciuiſti, eiq; multis in rebus perperã ſuadenti libenter acquieuiſti, ſpreto interim ac plane repudiato ducis tui (longe optimi benigniſſimiq; principis) imperio. Arcem illam munitam, quam ille tantopere affectabat, cuius etiã acquirendæ cauſa ad ſanguinẽ vſq; ſudauit, vt ſibi propriam & peculiarem haberet, illam dico tui cordis arcem in ipſas impuri dæmonis manus turpiter prodidiſti, eique aditum & principatum in ea prębuiſti, & (quod omnem prorſus indignitatem ſuperat) vt in ea ſterquilinium faceret, contra ſacrum tui principis imperiũ, contra fidem tuã illi ſanctiſſimis etiam verbis pactã, abſurdiſſime conceſſiſti. Atq; his quidem de cauſis adeundæ hęreditatis iure (& certe merito) excluſum te ſcias. Iã vero quod dicis Chriſtum Ieſum ſaluatorem noſtrum hanc tibi hæreditatem immenſo illo fuſi ſanguinis precio comparaſſe; certum quidem eſt: ſed & hoc in maiorem tuæ damnationis cumulũ cedit. Quanto enim ille maiores cruciatus pertulit, vt huius tibi hæreditatis ius acquireret, tanto maior tibi inuſta eſt ingratitudinis nota, tantoq; execrabilius eſt, quod in tam pium principẽ à te cōmiſſum eſt, proditionis crimen. Sed hanc rem perſuaſiſſimam habeas, cum non aliter hanc tibi hęreditatem vel cōparaſſe vel etiam adeundi fidẽ dediſſe, quã ſub certa quadã legum æquiſſimarũ conditione: quam ſi rite obſeruaueris, hæreditatẽ tibi omnino adeundam eſſe, ſin minus, omnino adimendam eſſe tam eſt certum, quam quod eſt certiſſimũ. Hoc quotidie obſeruatis, cum de fundis, ædibus, vel aliis id genus rebus locandis agitur; ducitur inſtrumẽtum emphyteuticum, conducenti leges ſcribuntur, prout res poſtulat, quas ſi emphyteuta præſtiterit, ſaluũ eſt illi ius ſuum, ſin vero, irritus eſt plane contractus. Inſtrumenti tui conditio, Chriſtiane, ſic habet, contractus tui lex hæc eſt. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Matth. 19.* Si regni cæleſtis aditũ affectas, vbi vere & beate viuitur, quæ ſunt hîc tibi diuinitus imperata, vide vt diligenter obſerues. Hãc legem ſi obſeruaueris, ſecurus es, patebit tibi ad vitam aditus. At vero ſi hanc obſeruare neglexeris, periit tibi ius, ſyngraphum tuum emphyteuticum plane irritũ factum eſt. Quamobrem ô homo, ſi hanc conditionem præſtare nō vis, ſi Chriſti ſaluatoris mandata obſeruare renuis, non eſt quod eius hæreditatem adire, non eſt quod fidem aliquã tibi datã, vrgere, non eſt quod aliquẽ ex eius morte & ſanguine fructũ aut vtilitatẽ referre te poſſe ſperes. O miſeros peccatores, ô ganeones putidiſſimos, qui ſpretis Chriſti Ieſu ſaluatoris ſanctiſſimis legib. tam inuerecunde vitã inſtituitis, qui in turpi voluptatũ cœno volutãtes & corpora exhauritis & animarũ iacturã facitis, ad vos hæc ſpectat oratio. Sed & in vos, qui verba blaſphema facitis, qui iuramenta temere ſuſcipitis & peieratis, qui dies feſtos ab eccleſia indictos nō obſeruatis, in vos & veſtri ſimiles, q legũ diuinarũ ſanctiones & mãdata paruipenditis, dicta hæc eſſe exiſtimetis, vos nullo vnquã tempore hæreditatẽ illã cæleſtẽ adituros eſſe, eo ꝙ hãc legẽ & conditionẽ à Deo datã non præſtatis, eo quod nō datis operã, vt vitã ſobrie, iuſte, & pie ducatis. Ac proinde hæc nō à me ſed à ſaluatore noſtro ad vos dicta arbitremini. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorũ, nō intrabitis in regnũ Dei.

Nunc quod tertio loco propoſuimus, expediamus, de obſtaculis ſcilicet in ipſo aditu cōſtitutis, in eum quidem finem, vt homines, quorũ iuſtitia non eſt numeris omnibus abſoluta, ab ingreſſu prohibeant. Hæc autem ſunt tria. Primum eſt gladius verſatilis. Secundum, flamma ardens. Tertium Cherubini ordinis Angelus. Hæc enim ſingula nos (niſi iuſtitia perfecta fuerimus inſtructi) ab illius regni cæleſtis aditu arcebunt. Vt igitur rem paucis abſoluamus, ſi

peccati

peccati letalis labe conſperſi comparebimus, gladius ille verſatilis de nobis ſupplicium ſumet, cuius altera quidem acies corpus, altera vero animam, vnico tamen ictu interficiet. Si aliquam delictorum venialium æruginem contraxiſſe deprehendemur, erit quidem illa impuritas flammis ardentibus purganda & plane abſumenda, antequam nobis in eum ſummæ felicitatis locum liber detur tranſitus. At vero, etiam ſi nulla peccati nec mortalis nec venialis macula in nobis conſpecta fuerit, non tamen ſtatim ſumus admittendi, niſi animæ ſplendida bonorum operum veſte ornatæ compareant. Atque harum quidem rerum cognitio penes Angelos erit: qui ſingulos homines aditum petentes tam diligenter & tam accurate luſtrabunt examinabuntque, vt nihil plane ſit, quod eorum oculos effugere poſſit. Gladius ergo, illud terribile, illud tremendum, illud æternæ mortis ſupplicium ſignificat, quod corpus & animam interimet. Multum quidem intereſt inter hunc & illum principum enſem, maxime vero ob duas cauſas. Primum, eſt hic gladius valde mirabilis, qui primo ictu corpus & animam perimit: quod regum & principum gladius non præſtat. Illi enim cum corpus
Luc 12. occiderint, non habent amplius quod faciant. Nam principum gladio corpus ſolum obnoxium eſt, quo mortuo ſæuire iam amplius ille non poteſt. At hic in vtrumque, corpus nimirum & animam, vim ſuam exercet, eaque de cauſa duplicem etiam aciem præferre deſcribitur. Porro, ille principum gladius ſi quempiam morte afficiat, corpus ſtatim omni doloris ſenſu deſtituitur, adeo vt, ſi tundatur, pungatur, ſecetur, vratur, nihil horum omnium ſentiat. At hic gladius, ſi quē feriat, ſenſus non extinguit, ſed multo quàm antea & acutiores & ad ſentienda tormenta perſpicaciores reddit. Ac propterea ſaluator noſter, cum de tormentis, quibus affectus erat ille diues epulo in incendio infernali, verba faceret, inter cæteros cruciatus magnam quandam ſitim commemorabat, qua tantopere torquebatur miſer, vt linguæ refrigerandæ vnam aquæ guttulam continuis precibus emendicaret, quam tamen impetrare nunquam potuit. Multi fortaſſe ſunt peccatores, qui illud à Deo ſummis etiam votis contendere vellent, vt nullam poſt hanc vitam ſentiendi facultatem nec in corpore nec in anima haberent: ita enim fore exiſtimarent, vt ab iis, quibus merito afficiendi ſunt, cruciatibus immunes redderentur. Sed res miſeris longe aliter cedet. Tanta enim & tam atrocia futura ſunt tormenta, ſingulique ſenſus ad ſingula quæque perferenda tam viuaces & excitati, vt continenter non aliter quàm in ipſo mortis complexu conſtituti videantur. Eaque de cauſa deſiderabunt mori, at mors fugiet ab eis. Mortem quidem millies optatam nunquam conſequentur, cruciatus vero quantumuis acerbos & intolerabiles nunquam tamen effugient. Ac proinde ſaluator noſter, cum immania illa tormenta, quæ Iudæ propter ſuam in ipſum offenſam infligenda erant, conſideraret, hæc verba habuit: Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Matth. 26.
Quod in eos etiam omnes recte dici poterit, qui cæleſtis regni aditu prohibiti in profundum illud inferni barathrum deturbandi ſunt: quibus multo ſatius fuiſſet in hanc lucem nunquam editos fuiſſe, quàm ineluctabilem gladij huius verſatilis ictum ſemel ſubire. Ex his igitur ſatis intelligitis, quod gladius iſte ſupplicium illud æternum deſignet, quodq; illis omnibus, qui alicuius peccati letalis ſibi ſunt conſcij, viam præcludat, illis dico omnibus, qui leges & præceptiones diuinas violarunt, eoq; crimen aliquod mortiferum contraxerunt, de quo in hac vita prorſus merito pœnitentiā non egerint. At vero qui diuina mandata rite obſeruauerint, quósve ſcelerum à ſe perpetratorū ante mortem vere pœnituerit, illis gladius ille impedimento eſſe non poterit, quo minus hæreditatē cæleſtem adeāt, nec eſt, quod ſibi ab eius ictu quantumuis exitioſo formidandum eſſe cenſeāt.

Huius autem gladij flamma ignem ſignificat, qui hominibus illis deſtinatus eſt, qui delictis venialibus implicati deprehendentur. Sunt enim hæc ſingula animabus noſtris prorſus eximenda, priuſquam in eum locum admittendi ſumus. Sed hoc loco illud à me fortaſſe quæretis, quænā ſint illa peccata venialia. Reſpondeo, peccata venialia illa eſſe, quæ à nobis in dies ſingulos admittūtur, ſine quib. in hac vita (quæ eſt fragilitas humana) diu non viuitur. Huiuſmodi autem peccata quotidie contrahimus, cū potus & cibi plus ſumitur, quā ipſa poſtulat neceſſitas, cū ſuperfluis & ocioſis ſermonib. vacatur, cum oblata loquendi occaſione verbis neceſſariis parcitur, cum ob timorē humanū fraternæ correptionis officiū proximo nō impenditur, cū in oratione remiſſiores ſumus quàm par eſt, cum pauperibus & egenis non tam prōpte ſubuenitur, quam exigit charitatis ratio, cum corpora noſtra nimis indulgēter tractantur fouenturq;, cum tēpus & horas infructuoſe fallimus, cū in officiis diuinis torpentes & deſides ſumus, cū ſermones ineptos & infrugiferos miſcemus, cum maiori verborū vel aſperitate vel etiā blanditia vtimur, quàm pro rerū & perſonarū ratione conuenit. Hæc & horum ſimilia (ex D. Auguſt. ſentētia) illa ſunt, quæ igne purganda & abſumenda veniunt. Sed rurſum dicetis: Nemo eſt mortalium, qui vitam tam exacte inſtituat, vt in horum aliqua quotidie non labatur. Certa quidem res eſt, ac proinde idem Auguſtinus viros etiam illos vitæ ſanctimonia illuſtres non ſine pluribus huiuſmodi næuis vixiſſe, ſed maculam ſtatim agnouiſſe, agnitamque ſerio deploraſſe affirmat. Quod & nobis vtiq; ex eorum exemplo faciendum eſt. Si quādo in huiuſmodi delicta prolabimur, infirmitatem deploremus, culpam in Deum commiſſam agnoſcamus & deprecemur; quod ſi præſtiterimus, miſerebitur noſtri Deus noſter. Sed nullo modo nobis cōmittendum eſt, vt ea vel in peccatis non habēda vel leuia eſſe exiſtimemus: ſic enim fiet, vt ea nimis grauia eſſe deprehendamus (præſertim vero, cum ignis illius

incen-

incendium nobis ſubeſidum erit.) Si enim vt res nullius momenti contempſerimus, ex noſtra incuria efficietur, vt maior in dies ſingulos fiat acceſſio, quæ tam magnum tandem capiet augmentum, vt ab ipſa rerum multitudine & mole ſimus plane obruendi. Sunt quidem iſta delicta expiatu facillima: & quamdiu hic ſumus, obuia ſunt vbique remedia. Cuius generis ſunt, pectoris tunſio, (ſi ex animo de peccatis contrito proficiſcatur) frequens eorum verborũ recitatio, quę ſunt in oratione Dominica: Dimitte nobis debita noſtra: infirmorum viſitatio, lugentium conſolatio, iniuriarum remiſſio, mitis rerum aduerſarum tolerantia, & alia id genus plurima. Sed prorſus contemnenda non ſunt. Nam (vt dicit D. Auguſtin.) qnamuis ſint exigua, multa tamen exiguarũ partium corpora magnam molem conſtituunt. Exiguum quiddã eſt, inqnit ille, vnicum arenæ granum; quorum tamẽ multitudo nauem deprimit. Tot enim exiguis arenæ granis nauem onerare poſſis, vt non ſolum deprimenda ſed & demum ſubmergenda veniat. Quod eodem plane modo tibi euenire poterit. Si in his minutioribus peccatis remiſſius te geſſeris, tam ingens tãdem ex diutina illa delictorum acceſſione congeretur aceruus, vt periculum ſit, ne anima tanto rerum oneri ſuccumbat & in profundum feratur. Et alibi D. Auguſt. peccata venialia quidem vlceribus ſeu variolis, letalia vero vulneribus mortiferis comparat. Multa enim vlcera ſiue etiã variolæ quamuis corpus non interimant, deforme tamen & aſpectu horridum reddunt: ita & peccata iſta minutiora animam dehoneſtant, teque turpem & diuino aſpectu prorſus indignum efficiunt. Hæc etiam delicta minora ferruginem gladio leuiter contractam, ſcelera vero maiora ſerpedinem penitus inolitam ſerrumq; ipſum altius depaſcentem referunt. Quod leuiter aſperſum eſt rubiginis vitium, leui quaqne perfricatione detergitur, multoque minori opera curatur, quàm quod penitius inuaſit cancri rodẽtis & ſerrum abſumentis malum. Quod & in his leuioris notæ delictis vſu venit: quæ licet inſtar cancri animam non abſumant (qnod peccata grauiora faciũt) quandam tamen rubiginem obducunt, quæ omnino abſtergenda eſt vel in hac vita, vel per ignem in vita futura. Quamuis enim nihil ſit tibi periculi à gladio illo verſatili, ſi anima ab omni peccato letali ſit immunis, futurum tamen eſt, vt flamma noxas veniales abſumat, antequam libera tranſeundi detur facultas. Tertium obſtaculum, quod nos aditum molientes prępediet, ordinis Cherubini Angelus erit. Quo nomine ſignificatur accuratum illud examen, quod ſingulis hominibus prius ſubeundum eſt, quam ſint ad regiam cæleſtem admittendi. Angeli enim iſti ſingulos quoſque in beatas illas ſedes recipiendos diligenter obſeruabunt, ſi bonorum operum iuſtitia veſtiti, & pro loci dignitate ſatis elegantes & ornati compareant. Quemadmodum in aulis regum ianitores in atriis & pro foribus conſtitntos videtis, qui, ſi quem veſte lacera vel minus decora indutum conſpiciant, aditu prohibent: ita & Cherubini iſti (quod ſciẽtiæ plenitudinem deſignat, eò quod tantæ ſunt perſpicacitatis, vt nihil poſſit eos latere) facillime deprehendent, ſi veſte decora, bonorum ſcilicet operum iuſtitia deſtituti accedamus. Nec enim ſatis eſt illis, qui regni cæleſtis ingreſſum ambiunt, vt ſint operibus malis negati, ſed & bonis ornatos eſſe oportet. De qua eorum veſte in hunc modum loquitur propheta: *Pſal. 14.*
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Cui interrogationi hoc ſtatim reſponſum ſubiungit. Qui ingreditur ſine macula & operatur iuſtitiam. Quibus verbis indicare voluit, illud à nobis exigi, non ſolum, vt omni vitiorum ſcabie mundati, ſed & præclara iuſtorũ operum veſte induti compareamus. Quod & ſaluator noſter aſtruere vide- *Matth. 22.*
tur, cum de illo verba facit, qui veſtem nuptialẽ non habebat: qua de cauſa imperatum eſt, vt ligatis manibus ac pedibus mitteretur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Tibi igitur omnino concinnanda eſt bonorum operum veſtis: quod ni præſtiteris, nulla regni cæleſtis adeundi ſpes eſt. Quantumuis enim à peccatis & letalibus immnnis & venialibus mundatus exiſtas, ſi tamen iuſtitiæ bonorumq; operum ornatus deſideretur, fruſtra aditum expectes. Neceſſe eſt, vt mnndum iuſtitiæ veſtimẽtum tecum feras, quod ſignificabat veſtis illa candida, quam in ſacramento Baptiſmi de manu ſacerdotis accepiſti, quando ad te his verbis vſus eſt: Accipe veſtem candidam, quam proferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hanc autem veſtem ſi forte amiſiſti, laceraſti, vel etiam vendidiſti, danda eſt opera, vt mature per bona opera recuperetur. Sed ô miſeros, timeo, ne multi mortales eam tam longe à ſe ablegarint, vt ſit recuperatu valde difficilis. Alij eam affectuum mũdanorum fumo obfuſcarunt: alij plurimas delictorum venialium maculas aſperſerunt: alij peccatorum etiam letaliũ ſordes induxerunt: alij per ſuperbiam contaminarunt: alij per iracundiam & inuidiam dilacerarunt: alij per luxum & illicitas voluptates putentem plane ac horridam reddiderũt: alij per auaritiam turpiter exutam prorſus abiecerunt. Atque horum quidem omnium nemo eſt, teſte Apoſtolo, qui regnum Dei poſſidebit. Nobis igi- *1 Corinth. 6.*
tur ſerio cogitandum totiſque viribus adnitendum eſt, vt candidam hanc veſtem per iuſtitiæ opera, perq; legum diuinarum obſeruationem recipiamus. Nam proculdubio (quod ſaluatoris *Matth. 5.*
noſtri verba à me in medium allata, nobis omnibus minantur) niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Iam vero ex iis, quæ à me dicta ſunt, ſatis intelligere vos arbitror tria illa, quę ſub orationis principium mihi declaranda propoſui. Primum, quemadmodum ex Adami & Euæ exemplo, qui præceptum diuinum violarunt, cæteri omnes peccatum admittunt. Deinde, quemadmodum propter peccati iniuſtitiam & legis diuinæ violationem, peccatoribus omnibus, qui vitæ emendationem nõ ſuſcipiunt, regni

cæleſtis

cælestis aditus præcludetur. Demum eſſe quæ-dam id genus obſtacula in ipſo aditu conſtituta, vt, niſi vitam melius inſtituere (quod in præceptorum diuinorum obſeruatione conſiſtit) iuſtitiamq; à nobis perditam recuperare ſatagamus, in eum locum nunquam ſimus admittẽdi. Quapropter valde conſentaneum eſſe videtur, vt omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, diuinarum legum ſanctiones addiſcant, in eum quidem finem, vt & obſeruare conentur, & adeundæ hæreditatis ius recipere valeant. Quod ſi à nobis præſtitum fuerit, futurum eſt, vt ad præſtantiſſima regni illius admirabilis ſpectacula feliciter admiſſi, voluptatum præclariſſimarum, quas locus ille & plurimas, & vbique obuias, & æternas habet, participes efficiamur. Ad quem nos felicitatis ſtatum perducat ille, qui noſtra cauſa in crucem ſublatus eſt, ſaluator noſter Chriſtus Ieſus.

Amen.

FINIS.

METHODVS PERVENIENDI AD SVMMAM RELIGIONIS PERFECTIONEM, QVAM REVERENDISSIMVS EPISCOPVS ROFFENSIS iam in carcerem coniectus ex arce Londinenſi ad ſororem ſcripſit.

CVPIO quidem, ſoror Eliſabeta, aliquid ad te ſcribere, quod ad ſalutem animæ, pietatisque ac religionis ſtudium promouendum conducat. Sed certũ eſt, abſq; aliquali diuini amoris feruore fieri non poſſe, vt religionis inſtitutum tibi ſapiat, vel aliquod pietatis officium iucundum ſit & delectabile, ſed contrà, quicquid boni operis moliaris, laborem continuo & tædium adferat. Nam amor illud efficit, vt quoduis opus facile videatur & iucũdum, quantumuis alioquin ſuapte natura difficile ſit & arduum. At vero labor etiam leuiſſimus grauis apparet ac moleſtus, cum animæ, cui negotium incumbit, nullus eſt amor nullumque rei gerendæ ſtudium. Quam rem nobis perſpicuam & illuſtrem reddit illa venatorum vita: quę cum multo ſit aſperior multoq; laborioſior, quàm vlla monaſticæ vitæ diſciplina, nihil eſt tamen, quod eos in hac laborum aſſiduitate ſuſtentet, niſi ſolus amor ac vehemens prædæ inſectandæ potiundæq; deſiderium. Verum non æſtimes, ſoror cariſſima, dictis meis propterea minus tribuendum eſſe, quod venatores uobis imitandos proponam. Omnes enim animæ vere Chriſtianæ venatrices appellantur: & proprium earum munus & cura eſſe debet, vt Chriſtum Ieſum inueſtigent capiantque. Quamobrem & ſcriptura ſacra nos multis in locis hortatur, vt eum quæramus, illud aſſeuerãs, fore, vt ab iis inueniatur, qui eum diligenter quærunt. O felices illos quibus Chriſtum inuenire aut aliqualem eius odorẽ in hac vita haurire contigerit. Eſt enim odor ille (quemadmo-
Corinth. 12. dum ab Apoſtolo dicitur) odor vitæ ad vitam. Quem cum animæ piæ ſemel hauſerint, cõtinuo curſu effuſo ſectãtur. Curremus, inquit Sapiens, in odorem vnguentorum tuorum. Quibus rebus cum manifeſtum fiat, animas omnes pietatem propenſius ſectantes rite venatrices dici poſſe: de hac vitæ religioſæ & venatoriæ ſimilitudine, & quemadmodum alterius inſtituta & officia alteri reſpondeant, fuſius in hunc modum dicemus.

Vitæ religioſæ & venaticæ comparatio.

Quodnam eſt vitę genus, quod plus habeat laborũ & aſperitatis, quàm illud venatorum? Venator ſummo mane ſomnum interrumpit, & lectum deſerit, cum alij adhuc quietem capiũt. Inter venandum non commoda viarum ſtrata quęrit, non molle pedibus gramen: ſed per noualia & ſulcos inæquales curſitat, ſepimenta tranſcendit, dumeta ſubinde & ſenticeta etiam reptando penetrat, canibus animandis continenter vociferatur; his aliiſq; id genus occupationibus intentus, totum diem ſine cibo potuque agit: nec prius deſiſtit, quam multa cum veſpera & tenebrę increbreſcentes domum redire vel inuitum compellant. Atq; hos quidem labores vniuerſos illi dulces ac iucundos reddit amor & cupido ſpectandi lepuſculum canum ſagacitate varie exagitatum. Qui tamen, ſi non ſponte ab eo ſuſciperentur, ſed coacte ſubeundi eſſent, difficiles profecto & graues admodum viderentur, & magna hominem moleſtia tædioque afficerent. Nec enim induci poſſet, vt tam mane ſurgeret, ieiunium tam diu produceret, cæteroſq; venationis labores ac moleſtias perferret, niſi in eam rem incenſo quodam

 ſtudio

ſtudio & amore ferretur. Mens enim in eo feræ inſectandæ ſtudio ſic defixa eſt, vt labores omnes quantumuis graues, non quidem laborum, ſed maximarum voluptatum loco habeat. Eaque de cauſa recte à me dicitur, amori tribuendum eſſe præcipue, quod opus aliquod natura ſua arduum facile videatur: nec fieri poſſe, vt labor aliquis ſuſcipienti ſolatium adferat, niſi adſit amor. Venationis amor hominis animum tam vehementer oblectat, vt omnes mundi honores nihili æſtimet, ſed ſimplici cultu contentus ea ſolum ſtudia ſectetur. Bona fortunæ non expetit, nec de huiuſmodi rebus vel acquirendis vel etiam conſeruandis magnopere ſollicitus eſt. Vniuerſas etiam carnis voluptates obterit aſſiduus labor, & laſſitudo, & corporis maceratio. Totis animæ & corporis viribus in eam rem incumbit, vt lepuſculi latibulum reperiat. Illud animo verſat, illud loquitur, illa de re loquentem libentiſſime auſcultat: quicquid præterea dixeris, ſurdus eſt. Ad alias res omnes torpidus eſt & inutilis: hûc ſolum promptus & alacris. Ad quod etiam præſtandum, nullum eſt officium tam abiectum, & vile, quod ſubire non velit. Suorum ipſe canum miniſter eſt, eorumque pedes ſordidos quidem balneo, ſaucios vero vnguentis ſouet: nec indignum arbitratur, etiam ſœtentia ipſorum cubilia ſuis manibus purgare, in quibus perſuncto venationis labore quieſcunt. Profecto, ſi moniales, & quæ vitæ religioſæ inſtitutum ſuſceperunt, pari ſtudio & alacritate Chriſto inſeruirent, quo venatores iſti leporem inſectantur, eſſet earum vitæ ſtatus magna quædam voluptas & gaudium. Quid enim aliud ſunt omnia religioſi cultus officia, quàm quæ ſunt à me hactenus cõmemorata: vigiliæ multæ, ieiunia prolixa, frequens ad chorum acceſſio vociferatioque, opum, honorum, ac voluptatum abdicatio volũtaria, ſermonum ſecularium & inutilium fuga, erga maiores obedientia & obſequium, cum æqualibus tranquilla & dulcis conuerſatio? Hæc à venatoribus multo abundantius ſolo venandi ſtudio, quam à multis ſanctimonialib. ob Chriſti amorem præſtantur. Quamuis enim illæ nocte intempeſta ſurgant (quod proculdubio moleſtum eſſe oportet) at illud iuuat, quod lectum & petunt maturius, &, abſoluto officio, quãtocius repetunt. Sed venator primo mane ſurgit, & ſubdiu totum agit diem, nec vſque ad multam noctem reuertitur: licet fortaſſe magnam noctis præcedentis partem, & quandoque plures etiam noctes inſomnes duxerit. Deinde moniales illud fere obſeruant, vt ieiunium vſque ad Nonam protrahant (quod vtique graue eſt.) Sed venator multo plus tolerat, qui ad ipſam vſq; noctem ieiunus perſeuerat, nec vnquã de cibo potú ve illi ſubit, tantus eius mentem occupat venandi ardor & voluptas. Porro moniales in choro conſtitutæ omnes horas antemeridianas cantando tranſigunt; quæ res, quin ſit laborioſa, fieri certe non poteſt. Sed venator quamuis non cantet, clamat tamen aſſidue, & vociferatur, & canibus animandis quanta maxima poteſt vocis contentione per totum diem inſiſtit, quod maiorem adſerat laborem neceſſe eſt. Præterea moniales multum laboris ſuſcipiunt, cum chorum frequentant, ibique diuturno temporis ſpacio ſedent immobiles. Sed venator multo plus habet laboris & moleſtiæ, cum arua diſcurrit, cum ſepes trãſilit, cum vepreta perrepeat. Iam vero quod ad reliqua ſpectat, opes, honores, ac voluptates: optandum quidem erat, vt monaſticæ vitæ profeſſores (ſaltem eorum multi) ex intenſo & memori Chriſtum quærendi ſtudio tantum proficerent, quantum venatores ex ſerio illo prædæ indagandæ deſiderio; vt ex iucunda illa Chriſti & iugi memoria in obliuionem harum rerum omnium venirent; vt de illo ſolo meditationem & ſermonem ſic inſtituere liberet, vt cætera confeſtim vileſcerent omnia, & audientibus tœdium parerent: (quod venatoribus vſuuenire ſolet, ſi quid, præterquam de lepore & re venatica loquaris.) Optandum etiam erat, vt eam præpoſitis obedientiam & obſequium, eam æqualibus charitatem & complexum, eum in his omnibus animi affectum, promptitudinem, alacritatemque præſtarent, quam venatores canibus ſuis exhibent. Et certe rationi magis eſt conſentaneum, vt quis hominem colat creaturam rationalem & ad ipſam Dei ſimilitudinem & imaginem factam, quàm vt canibus rationis expertibus ſuum vel amorem vel operam impendat. Nos etiam, qui Chriſtiano nomine cenſemur, magis decere videtur, vt de Chriſto & diuino eius cultu, quàm de mundi rebus & honoribus, quæ mera ſunt nugamenta, verba faciamus. Nec dubium eſt, quin multo maiori cum animi intentione nobis quærendus ſit Chriſtus Ieſus ſaluator noſter, vt in eo ſolida & vera experiamur gaudia (hac enim in re ſitum eſt magnum animarum noſtrarum meritum) quàm venatoribus lepus; quem cum inuenerint, nihil magnæ rei aſſecuti eſſe videntur. Sed, quod tam multi vitæ monaſticæ cultores non pari cum venatoribus ſtudio inſtituti ſui itineribus inſiſtant & ſectentur, ea ratio eſt, (quemadmodum eſt à me iam dictum) quod parem cum illis prædæ ſibi propoſitæ obſeruationem, parem vtique amorem non habent. Illud enim perſuaſiſſimum habeo, prædæ amorem eſſe, qui labores omnes venatoribus leuiſſimo iucundos efficiat. Quod ſi monachis tam intimus eſſet & tam vehemens Deo inſeruiendi affectus, proculdubio tota eorum conditio paradyſum quendam nobis cæleſtem etiam in hac vita, referret: quibus econtra hoc ardore deſtitutis ſingula quæque pietatis officia laborem continuo & tædium ingenerent neceſſe eſt. Mihi ergo nunc propoſitum eſt, ſoror cariſſima, conſiderationes quaſdam communes tibi exhibere: quas ſi diligenter animo verſare, & eum, de quo loquimur, amorem à Deo precibus aſſiduis contendere volueris, diuini numinis gratia fiet, vt rem petitam conſequaris.

CONSI-

CONSIDERATIO PRIMA.

Prima conſideratio hæc eſſe poteſt. Deus optimus max.ſponte ſua & ex ſola bonitate ſua, te, cum nihil eſſes, creauit, & in rerũ naturã produxit: nulla, vt id ſaceret, nec neceſſitate impulſus, nec emolumento allectus, quod vllo vnquã tempore ſibi ex ea re emerſurũ ſperare poterat. Nulla enim omnino res eum permouit, vt te faceret, niſi ſola ipſius bonitas, & amor ſingularis, quo te proſequebatur, etiam multo tempore, antequam ab eo fieres. Hanc rem, ſoror cariſſima, certam & indubitatam habeas; certiſſima enim fide nititur. Potuiſſet quidem ille, ſi ita viſum fuiſſet, & alias res innumeras producere, plures, quàm quæ ab eo hactenus conditæ vel imposterum condendæ ſunt. Quam multi enim coniuges iam extiterunt, quam multi nunc in terris verſantur, qui liberis procreandis operam dederunt, fueruntq; ſobolis propagandæ longe cupidiſſimi, qui tamen nullam vnquam prolem ſuſceperunt, nullam vnquã ſuſcepturi ſunt: quamuis is fuerit eorum corporum ſtatus & habitudo, vt generationi valde apti habiti ſint, ſi modo Deus fœtibus vitam infundere, eoſque prole optata beare voluiſſet? Sed illos omnes reliquit increatos, quemadmodum & te ſimiliter increatum relinquere in eius erat arbitrio, ſi placuiſſet. Sed ob eximium quendam, quem in te gerebat amorem, diuinæ eius bonitati ſic placuit, vt, omiſſis aliis infinitis (vt iam dictum eſt) nec ad hanc creationis conditionem admiſſis, te eligeret & illis omnibus præferret; qui, ſi ab eo conditi fuiſſent, maiorem fortaſſis in conditorem exhibuiſſent animi gratitudinem, quam à te hactenus exhibita eſt, & maius ſtudiũ adhibuiſſent, vt ſanctiſſimæ eius voluntati in omnibus obtemperarent, quam tu feciſti. Et tu nũc eum occupas locum, quem eorum quiſpiam occupare potuiſſet, ſi Deus ſimili eum fauore & gratia dignatus fuiſſet. Vide ſoror cariſſima, quãtum momenti habere debebat vel hæc ſola conſideratio, ad impellendum animum tuum, vt talem Dominum & tui tam amantem toto ſinu complectaris: qui te ad hanc creaturæ ſuæ dignitatem aſciuit, & præ aliis complurib. elegit: cum eorum quemlibet ad eum, in quo nunc conſiſtis, locum euehere, & te nullum adhuc in rebus creatis locum ſortitam, vt non exiſtentem & nihilum repudiare potuiſſet.

CONSIDERATIO SECVNDA.

Secunda conſideratio hæc eſt. Vbi plura ſunt rerum exiſtentium genera, aliæ præclariorem, aliæ minus claram eſſentiam ſortiuntur. Qua ratione margaritam lapillo, aurum fulgidum ferro rubiginoſo, phaſianum ſpectabilem ſerpenti venenoſo, bellum hinnulum bufoni horrido, animam rationalem beſtiæ rationis experti præcellere recenſemus. Iam vero dubitare non licet, quin potuerit Deus vnicuique rei creatæ illam tribuere eſſentiam, quam ipſe voluit, efficereq; pro arbitratu ſuo, vt aliarum rerum natura & forma in alias transfunderetur. Potens eſt enim Deus (quemadmodum à ſaluatore noſtro in Euangelio aſſeritur) de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ potens eſt & econtra de hominibus lapides facere: cui rei fidem facit vxor Loth in ſtatuã ſalis conuerſa. Quibus rebus addicitur, Deo integrum fuiſſe, vt me aut te aut alium quemuis hominum, lapidem, ſerpentem, vel etiam bufonem faceret. Nec enim vlla eſt creatura tam vilis, fœda, & horribilis, cui te quoque omnino ſimilem & conformem, quemadmodum & illam tuæ conditionis ac naturę conſortem facere non potuerit. Illud igitur, ſoror cariſſima, apud animum tuum conſideres: ſi Deus tibi ſimiæ vel bubonis. vel etiam bufonis formam indidiſſet, quàm inſignis fuiſſet ea deformitas, quã miſerabilis & abiecta conditio: & ex ea re occaſionem ſumas maximas Deo tuo gratias agendi, qui tibi naturam multo præſtantiorem dedit; eam quidem naturam, quæ dignitate nobilitateque ſua omnes res corporeas multis partibus ſuperet. Eſt enim ad ipſam Dei ſimilitudinem & imaginem facta: quam conditionis tuæ dignitatem nulla prorſus natura corporea non ſolum aſſequitur, ſed nec propius accedit quidem: non metalla, nun gemmæ quantumuis precioſæ, non herbæ, non arbores, non piſces, non volucres, non vllum animalium genus quantauis naturæ ſuæ excellentia præditum, non denique quicquid eſt in hac rerum corporearum vniuerſitate. Nihil enim eorum omnium admiſit Deus ad hoc ſublime nobilitatis faſtigium, vt diuina ipſius imagine inſigniretur: hunc ille honorem homini peculiarem eſſe voluit. Cum igitur certum habeas, in eius poteſtate fuiſſe, vt eminentiſſimam huius loci dignitatẽ te neglecta in beſtias, aues, piſces, arbores, herbas, metalla, lapides, aliaſque creaturas innumeras conferret; cumque id potuerit, non feciſſe tamen, ſed magis ſtatuiſſe, vt te, repudiatis illis omnibus, tanto honore dignaretur, animam tibi rationalem infunderet, eamque ſua ipſius imagine nobilitarer: ô quam ingentes ſtimulos habere debeat hæc diuinæ beniguitatis conſideratio ad impellendum animum tuum, vt agnita beneficij magnitudine tuum viciſſim amorem in eum conferendum, omneſque & corporis & animi vires in eam rem (& quidem merito) impendendas eſſe exiſtimes?

CONSIDERATIO TERTIA.

Tertia conſideratio hæc eſt. Cum iam poſtacceptum pręgrande iſtud & pręclarum Dei donũ, per peccatum tamen originale (quod vtique naſcẽtem comitabatur) pulcherrimam illam regni cæleſtis hæreditatem amiſiſſes, eiuſq; loco æterni carceris ærumnis addicta fuiſſes: Deus optimus maximus, vt te tãtis malis eximeret, illud pro immenſa bonitate ſua effecit, vt intra ipſos ditionũ Chriſtianorum fines naſcereris: vbi fidei præceptis imbuta, & Baptiſmi ſacramento initiata, no-

men Chriſto dediſti: qua ratione ſactum eſt, vt, reſciſſa, quam ſubiéras, mortis æternæ ſententia, hæreditatis, quæ tibi iam perierat, adeundæ ius rurſum acceperis. O quam multos eſſe mortales in vniuerſo hoc mundo exiſtimas, qui nec fidei Chriſtianæ legibus eruditi, nec ſacri fontis lauacro abluti vnquam ſuerunt: quam multos & viros & fœminas, nec ſolum priuatæ condicionis homines, ſed & magiſtratus & præfectos ſumma etiam in rebus gerendis prudentia præditos, adeoque principes ipſos ac reges: quorum multi ſi eandem, quam tu, diuinarum legum diſciplinam accepiſſent, vitam fortaſſis ex earum præſcripto multo exactius inſtituiſſent, multoque maiorem Chriſto ſeruatori fidem, amorem, obſequiũ pręſtitiſſent, quam vnquam fuerunt à te pręſtita? Et tamen ex gratia ſingulari tibi melius quam illis omnibus proſpexit, & Chriſtianam fieri voluit, eorumque bonorum ac beneficiorum omnium participem eſſe, quæ vniuerſæ populi fidelis multitudini ſunt conceſſa: quæ quidem tot & tanta ſunt, vt omnem non ſolum numerum, ſed & dicendi & cogitandi facultatem excedant. Hoc igitur loco, ſoror cariſſima, illud apud animũ tuum diligenter verſes & alte perpendas, quantopere mentem tuam excitare debeat hic Dei tui ſingularis in te amor, vt in illum viciſſim toto cordis impetu feraris: qui, cum alios mortales, quorum certus iniri numerus non poſſit, æternum perire ſinat (in quibus cõplures forte ſint, qui te cunctis naturæ dotibus & in corpore & in animo ſuperent, in ipſo etiam legis diuinę ſtudio & profectu, ſi ad eam rem admitterẽtur, longe ſuperaturi) tui tam ſtudioſus extet, eamque ſalutis tuæ curam gerat, vt cæteris pereuntibus tibi próſpectum eſſe velit. Cuius beneficij magnitudo cum tam ingens ſit, vt parem referre gratiam nũquã poſſis, certe illud totis viribus adniti debes, vt ineffabilem eius bonitatem ſaltem admirari, & amare, & de ea gratias agere nunquam deſiſtas.

CONSIDERATIO QVARTA.

Quarta conſideratio hæc eſt. Cum iam poſt ſuſceptum baptiſmi ſacramentum, & fidem Chriſto datam, per ſummam ingratitudinem rurſum in peccatum letale ſępius prolapſa fuiſſes, ſanctiſſimas Dei leges ac præcepta violaſſes, & quaſi depoſita accepti beneficij memoria, illicitis voluptatibus aſſenſum præbuiſſes, eaque re inſignem irrogaſſes diuino numini iniuriam cõtumeliamque: non tamen ille continuo vindictam ſumpſit aut in ream ſeuerius animaduertit (quod quidem exacta iuſtitiæ ratio poſtulabat:) ſed contra pro bonitate ſua pepercit, & te multum diuque expectauit, vt ad eum per pœnitentiam redires. Quam etiam pœnitudinem ſi quando ſyncere & ex animo ſuſceperas, ſtatim redeuntem paterno affectu complexus, in gratiam recepit, & immanibus illis inferni cruciatibus, quibus te ſcelerum tuorum atrocitas obligarat, ſacramenti virtute & efficacia liberauit. Nec enim diffiteri licet, ſi modo cum recta ratione iudicium ferre velis, quin æterna merueris ſupplicia, ob tuam nimis abſurdam præſumptionem, quæ repudiato Dei conditoris tui imperio, tuam ipſius voluntatem, appetitiones, voluptates ſanctiſſimæ illius voluntati legibuſque prætuleris. O quam calamitoſa & miſerabilis fuiſſet tua nunc cõdicio ſi ſtatim poſt violatum Dei tui imperium vltio te diuina repẽte occupatam ad infernum obligaſſet, ſæuis illius loci tormentis non ad tempus ſed æternum ſubiiciendam? vbi etiam nulla vnquam ſperanda erat cruciatuum remiſſio, nec à piis amicorum precationibus, nec à bonorum in pauperes elargitione, nec ab aliis quibuſuis Chriſtianæ charitatis officiis. Hæc igitur charitas, ſoror chariſſima, pectori tuo penitus inſideat, nec vllo vnquam tempore patiaris, vt tibi excidat tanta & tam inæſtimabilis Dei tui in te clementia, quod præuaricatricem & à ſe per peccatum deſciſcentem non confeſtim morte affecerit, ſed contra patienter ac diu tolerauerit, eo quidem fine, vt pęnitentem & culpam humiliter deprecantem benigne reciperet. Nam ſunt innumerę tum virorum tum fœminarum animæ perpetuis inferorum carceribus iam emancipatæ, ob delicta leuiora, quam quæ ſunt à te commiſſa. Quas ſi Deus eadem, qua te, patientia expectaſſet, & pœnitendi locum tempuſque tribuiſſet, maiorem de peccatis dolorem ſuſcepiſſent, quã tu hactenus ſuſcepiſti. Imo & nunc vehementius dolent, ſed fruſtra: eſt enim ſera eorum & inutilis pœnitentia. Quomodo ergo (vt ad rem nobis propoſitã redeamus) æſtimare potes, benignam hanc Dei patientiam, qua & nondum pœnitentem expectabat, & ſeriam de ſceleribus pęnitentiam agẽtem in gratiam recipiebat, aliunde profectam eſſe, quam à ſingulari quodam amore ac beneuolentia tibi præ illis omnibus præſtita? Quod cum ita ſit, an fieri poſſit, vt hæc diuinę benignitatis conſideratio & animum tuum non alte penetret, & ad eum redamandum fortiter impellat?

CONSIDERATIO QVINTA.

Quinta conſideratio hæc eſt. Poſteaquam in hunc modum pœnitendo & culpam humiliter deprecando in gratiam Dei creatoris tui redieras in alia rurſum peccata forte prolapſa es prioribus grauiora, nec de ſuſcepto vitæ emendatioris propoſito tam ſollicita, quam oportuerat, ſed contra magis inuerecũda, in Deum ingrata, in vitia pręceps & effuſa exiſtens, diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contempſiſti. Eaque re animam diuinis oculis tam turpem & horribilem reddidiſti, vt etiam ſuem luti volutabro immerſam ſpurcicie, & canem rancidum in foueam proiectum fœtore ſuperarit. Nec tamen hæc animæ tuæ tam inſignis turpitudo & obſcœnitas piũ Dominum auertere poterat, quo minus te, pro inæſtimabili bonitate ſua, ab illa vitiorum impuritate reuocaret, eamq; porro redeunti mentem inde-

inderet, vt, relictis vitæ ſæcularis itineribus, vixq; ſalutis denuo inſiſtens, etiam pium religioſæ culturæ inſtitutum ſuſciperes. Quo fit, ex communi patrum ſententia, vt anima eandem plane, quam in baptiſmo acceepit, nunc rurſum puritatem & innocentiæ nitorem recipiat. Nec in eo terminatus eſt eius in te amor: ſed te præterea in earum numerum cooptauit, quas ſibi ſponſas demum futuras delegit. Quam vero eximium eſt hoc ſingularis cuiuſdam amoris indicium? Nam quam multæ ſunt fœminæ, multis etiam partibus te præſtantiores: quæ tamen ad hunc religioſitatis locum nunquam admittuntur? Cum Aſſuerus ille rex magnus imperaſſet, (quod ſacris literis proditum eſt) vt virginum pulcherrimarum vndiq; coactarum delectus haberetur, eiſque regio ſumptu proſpiceretur de rebus omnibus, quę ad formam excolendam opportunę viderentur, vt rex, ſingulis ad ſe pro libitu accerſitis conſideratiſque, ex vniuerſo illo virginum lectiſſimarũ numero vnam aliquam forma præ cæteris ſpectabilem ſibi deſponſaret: dubium non eſt, quin hæc res magnam illis, quæ in hunc modum ſeligebãtur, conſolationem attulerit: & quod aliis ob formę præſtantiam præferebantur, & quod ſingulæ in ſpem veniebant, fieri poſſe aliquando, vt ad regium conſpectum, & fortaſſis ad ipſam etiam regiæ ſponſę dignitatem admitterentur. Cuius rei potiundæ illud ſpem alebat, quod ad hũc honoris locum ſolæ, cęteris omnibus excluſis, erant iam prouectæ. Eodem plane modo cum omnibus vitę monaſticæ ſectatricibus agitur. Sunt enim illæ ſingulari quadam illius magni cœlorum regis gratia in eodem Deo religioſe inſeruiendi propoſito congregatæ, & ab omni reliquarum fœminarum ſeculi mores ſectantium cõſuetudine prorſus ſemotæ. Et in hoc vitę inſtituto manent ad tempus, donec tandem frequenti ſacramentorum vſu & exacta ſacræ diſciplinæ obſeruantia excultæ ornatęque, dignæ cenſeantur, quæ ad conſpectum regium, ac demum ad ipſum etiam interiorem cœleſtis ſponſi thalamũ perducantur, eo loci eum illo in omnes temporum æternitates permanſuræ. O beatam illam, quæ ad breue tempus, quod hic agit, ſeſe piis precationibus, meditatione, contemplatione, lachrymis, & incenſo Dei amore ſic præparat, vt, poſt momentaneam huius vitæ vſuram, ad ſublime illud honoris faſtigium cum gloria admitti, non contra cum dedecore & probro reiici mereatur.

CONSIDERATIO SEXTA.

Sexta conſideratio hęc eſt, Illud apud animum tuum diligenter perpendas, quiſnam ille ſit, qui te ad amandum hortatur. Profecto is eſt, qui, ſiue amorem tuum gratis collocare, ſiue venalem habere velis, ſit cæteris omnibus merito præferendus. Nam primum, ſi gratis amare ſtatueris, erit tamen conſultum, vt eum tibi amandum deligas, quem tam ob formæ præſtantiam, quam etiam ob potentiam, prudentiam, ac morum comitatem amore tuo dignum arbitreris. Si enim vitium aliquod aut deformitas in eo deprehendatur, quem amare velis, fieri non poteſt, quin ea res amori magno ſit impedimento. Sed in Chriſtum Dei filium ſaluatorem noſtrum nihil horum cadere poteſt. Eſt enim ille forma tam eximia & præſtanti, vt alios omnes infinitis partibus ſuperet: eoque à Dauide propheta de eo dictum eſt: Speciosus forma præ filiis hominum. Et certe valde ſpecioſum eſſe oportet, qui tot rebus à ſe creatis ſpeciem tam inſignem contulerit. Conſidera roſam, lilium, violam, conſidera pauones, phaſianos, pſittacos: conſidera cætera, quæcunque ſunt in vniuerſa rerum natura. Sunt quidem hæc omnia ab eo creata, omnemque pulchritudinem ſuam illi acceptam ferunt. Ex rebus igitur creatis coniice, quanta ſit creatoris pulchritudo: quam propterea in libro Canticorum ſponſa his verbis deſcribit. Dilectus meus, inquit, candidus & rubicundus, electus ex millibus. Porro, hæc eius ſpecies non eſt mortalis & corruptioni obnoxia, quemadmodum eſt ea exterorum hominum: quæ inſtar floris hodie vegeta eſt & aſpectu grata, at cras leui aliquo morbo tacta marceſcit, & perit. Et tamen humanæ naturæ ſpeciem omnino refert: quæ res vtique illud apud homines naturaliter efficere debet, vt illis grata ſit & accepta. (Eſt enim ſimilitudo amoris conciliandi fundamentum: & ſimilia ſimilibus gaudent: quantoque maior eſt rerum ſimilitudo, tanto facilius arctiuſque ſibi inuicem colligantur.) Tui per omnia ſimilis eſt: ſimile corpus, ſimilis anima, quod ad humanam eius naturam ſpectat. Sed & anima diuinum eius numen aſſimilat: eſt enim ad ipſam Dei imaginem & ſimilitudinem creata. Deinde, ſummam eius eſſe potentiam hac ratione addicitur: quod is hanc rerum vniuerſitatem ſolo verbi imperio produxit; & herbis, arboribus, metallis, cęteriſque rebus conditis eam, qua nunc præditæ ſunt, virtutem tribuit. In eius etiam poteſtate ſitum eſt de creaturis omnibus pro arbitratu ſuo ſtatuere, ſiue velit eas in cœlum ſubleuatas ęternę glorię, ſiue ad infernum deturbatas æternis cruciatibus addicere. Præterea, ſi de prudentia dubitas, contemplare mundum vniuerſum, pulcherrimum rerum ordinem, quam conuenientem ſibi locum res vnaquæque obtineat, quam apte ſingula ſingulis reſpondeant, quemadmodum cœlum ſtellis, aer volucribus, aqua piſcibus, terra arboribus, herbis, animalibus, ſtellæ lumine, volucres plumis, piſces ſquamis, beſtiæ pilis, arbores & herbæ foliis, flores odoribus veſtiantur. Et ex hoc mirabili rerum conditarum ordine & ornatu colligę, quanta ſit conditoris prudentia. Denique quod ad morum comitatem attinet, eſt ille tam bonus, amicus, ac liberalis, tam pius & clemens, tam promptus ad opem miſeris ferendam, tam ſuorum memor, prudens animi, & cautus, tam dulcis & affabilis, vt fieri omnino

nino non poſſit, quin grata ſit admodum eius conſuetudo & ſamiliaritas, animumque mira quadam iucunditate perfundat: quam rem ſcriptura ſacra his verbis nobis teſtatam facit. Non habet amaritudinem, inquit Sapiens, conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Sed ſortaſſis hoc loco dices: & quomodo amare poſſim, quod nunquam viderim? Si mihi liceret ſemel illum his, quas deprædicatis, virtutibus decoratum oculis conſpicere, poſſem quidem ex animo complecti. O ſoror, tempus illud nondum adeſt, ſed futurum expectatur. Interea tuum eſt cum omni corporis & animi puritate ſic te præparare, vt cum tempus illud aduenerit, ad diuinum eius cōſpectum admitti, non cum fatuis virginibus arceri merearis. Quas propterea cum ignominia & probro excluſas memorat euangelium, quod in hanc præparandi ſe curam non tam diligenter & ſollicite, quam par erat, incubuiſſent. Quamobrem ſoror chariſſima, illud omnino negligendum nō eſt, vt te bonis operibus inſtructam exhibeas, quo fiat, vt ad eius viſionem admittaris, à qua prohiberi res eſt, quæ omnes prorſus etiam inferni cruciatus ſuperat. Nam (quod à Diuo Chryſoſtomo dictum eſt) ſi decem mille gehennas quis dixerit, nihil tale eſt, quale ab illa beata viſione excludi.

CONSIDERATIO SEPTIMA.

Septima conſideratio hæc eſt. Ex his, quæ à nobis iam dicta ſunt, manifeſtum euadit, ſi amorem tuum gratis impendere velis, neminem eſſe cum Chriſto Ieſu Mariæ virginis filio conferendum. Nunc & illud oſtendemus: ſi amorem tuum non gratis donare, ſed precio æſtimare velis, non eſſe tamen aliquem, cui iuſtius addici debeat quàm illi. Quod ſi quis accedat emptor, qui maiori precio propoſito mercari contendat, non renitor, quin habita maioris emolumēti ratione, res plus offerenti cedat. Sed illud dico & cum aſſeueratione affirmo, non eſſe quemquam, qui amorem tuum tam carum ac precioſum habeat, nec reperiri poſſe, qui precij illius, quod ille & iam olim in eam rem & nunc continenter impendit, non ſolum iuſtam magnitudinem, ſed nec minimam quidem partem adæquare valeat. Si diuinam eius benignitatem & beneficia in te collata rite perpendas, (de quibus iam antea paucis dictum eſt) profecto exigua non ſunt: maxime vero, ſi amorem illum conſideres, qui talem ac tantum principem impulit, vt tui curam ageret, & creaturis ſuis innumeris præferret: idque, cum nullus tibi amoris aut gratitudinis ſenſus ineſſet, nec plane, quæ res amor eſſet, adhuc intelligeres. Sed & illud ſummam eius in te charitatem commēdat, quod cum adhuc inimica eſſes, vt tamen ſcelerum tuorum ſordes ablueret, & te mortis æternæ periculo liberaret, ſanguinem ſuum longe precioſiſſimum profundere, acerbiſſima turpiſſimaque, ipſa quidem crucis morte affici, caput ſpinis præacutis penetrari, manus ac pedes clauis perfodi, latus lancea aperiri, corpus vniuerſum virgis ac flagellis cedi voluit. Hoc certum habeas, ſoror chariſſima, illum hæc omnia tua ipſius cauſa perpeſſum fuiſſe, non aliter, quam ſi præter te nemo fuiſſet in toto terrarum orbe: quæ res à nobis capite ſubſequenti fuſius declarabitur. Interea rem ita ſe habere firmiſſime credas: nam certum eſt. Quod niſi indubitatum habeas, te illi, qui hæc omnia tibi præſtitit, maxime & iniuriam & ingratam oſtendes. Quod ſi certa huius rei fides pectori tuo penitus inſederit, equidem mirabor, ſi poſſit animus alia quacunque in re quieſcere, illius amore deſtitutus: illius dico, qui in te tam benignus extiterit, & etiamnum extat. Quis enim alius amator ob tui amorem ea facere, quæ ſunt ab eo iam facta: quis omnium hominum vel mortem ſubire, vel etiam vnicam ſanguinis vitalis guttam effundere velit? Cum igitur Dei filius, princeps cœleſtis, angelorum Dominus hæc omnia tua cauſa ſubierit, quæ nemo vnquam mortalium induci poſſet vt ſubiret: qualenam gelu, quam intenſum frigus eſſe oportet, quo concretum eſt cor tuum, ſi tanto amoris æſtu non emolliatur & liquefiat? Nam ſi ille, qui omni nobilitatis ſplēdore tam illuſtris & præclarus exiſtit, te gratis ſolum oculis cœlitus aſpicere dignaretur, certe tam ingens eſſet illud beneficium, vt nullo modo parem gratiam referre poſſes, etiamſi temetipſam totam in illum effunderes. Nec enim fieri poſſet, vt amor tuus quantumuis effuſus hanc vnam rem adæquaret.

Sed nunc, poſteaquam ob eum, quem erga te gerebat, amorem, & in hunc mundum deſcendere, & homo fieri, & omnes humanæ conditionis miſerias (præter peccatum & ignorantiam) tolerare, & demum etiam atrociſſimum iſtud mortis genus perſerre voluerit: quomodo ſperare poſſis, vllo vnquam tempore fore, vt tot & tam inuſitata eius in te beneficia vllo vel amore vel obſequio promerearis? Nec iſta ſolum hîc præſtitit, ſed præterea poſt hanc vitam ea tibi præmia in cœlo præparauit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. O ſoror, cum anima tua ex hoc corporis domicilio migrabit (quam certum eſt hîc diu morari non poſſe) quis eam hoſpitio ſuſceptam vel ad vnius horæ ſpacium fouebit? Quapropter conſultum eſt, vt tibi mature proſpicias, & amorem tuum in illum conferas, quem bonum, liberalem, & de te quam optime meritum hactenus experta es, quique poſt mortem amorem omnem & operam ſibi à ſuis impenſam præmio quodam & prorſus inæſtimabili & nunquam perituro remunerabit.

CONSIDERATIO OCTAVA.

Octaua conſideratio hæc eſt. Licet complures ſint, qui à Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro vna

tecum

tecum amentur: non tamen ea re fit, vt minor ſit eius in te amor quam ſi te ſolum, nec quenquam preterea mortalium amaret: id quod ſubiecto exemplo declarabitur. Si ſtatueretur aliquo in loco ſaluatoris noſtri imago, & ex aduerſo plura ſpecula longa ſerie diſpoſita, alia quidem ampliora, alia vero anguſtiora, alia paulo æditius, alia inferius aliquanto collocata, non maiori tamen locorum interuallo diſtarent ab imagine, quam vt formam commode recipere poſſent: dubium non eſt, quin vnumquodque eorum hoc modo & ordine conſtitutum, ſpeciem illam obiectam protinus referret. Equidem non dico, qnin ſpecula maiora maiorem ac longiorem formam reciperent, & quæ puriora eſſent vel imagini propius admota, figuram oppoſitam clarius referrent & melius, quam quæ minus pura eſſent vel etiam multo remotiora. Sed quod ad ſimilitudinem attinet, ipſa non minus plena & integra conſpiceretur in omnibus, quam ſi vnum duntaaat ſpeculum eſſet. Iam, vt ad rem nobis propoſitam veniamus, illa tibi ſubeat conſideratio, omnes quidem animas peccati letalis ærugine purgatas ſpecula quædam eſſe, ſno quodque loco & ordine digeſta, ad recipiendum Chriſti redemptoris noſtri amorem: eas vero animas, quæ pœnitentiam rite ſuſcipientes, gemitibus, lacbrymis, oratione, ieiunio, vigiliis, aliiſque pietatis officiis illud effecerunt, vt ab omni ſcelerum rubigine ac malitia terſæ præ cæteris exiſtant, ſpecula eſſe reliquis illuſtriora & ad amorem diuinum concipiendum magis idonea, adeoque ad Deum optimum maximum per mundiciem propius accedere (nihil enim eſt præter peccatum, quod noſtrum ad eum acceſſum prohibeat:) denique animas illas, quæ pro viribus nituntur, vt auctiorem in dies amorem ac feruorem acquirant, illud pio conatu aſſequi, vt ampliores effici & maiorem amoris diuini copiam ſuſcipere queant; at contra, quæ in hoc amoris augendi ſtudio remiſſæ ſunt & deſides, anguſtiores fieri & amoris cœlitus infundendi minus capaces. Quemadmodum nobis vſuuenire ſolet: cum enim ſinum qnis laxat, rem quampiam maiorem capere poteſt, quam cum ſtringit. Interim tamen vnaquæuis anima (vti de ſpeculis iam dictum eſt) tam ſolidum ac plenum Chriſti Ieſu amorem accipit, quam ſi ea ſola eſſet. Eſt enim illius amor res quædam infinita: eoque quamuis animæ quamplurimæ tantum hauſerint, quantum earum fert natura & conditio, non tamen exhauritur aut minuitur, ſed supereſt, quod aliis etiam innumeris ſufficere poſſit. Nihil cuiquam decedit ratione multitudinis: nec quiſquam eo plus amatur, quod neminem habeat amoris conſortem: ſed quiſque pro ſua animæ mundicie, capacitate, & ad Chriſtum acceſſione plus minuſue percipit. Qamobrem hortor, ſoror chariſſima, vt animæ puritati procurandæ conſeruandæque diligentar inſiſtas, & in eam curam totis viribus incumbas, vt Chriſtum Ieſum ſponſum tuum & ardenter ames, & ad eum ex intimo quodam ac ſyncero deuotionis affectu propius in dies accedas. Quibus rebus fiet proculdubio, vt maior amoris diuini copia tibi cedat: nec impedire poteſt reliqua hominum multitudo, quos ſimiliter caros habet, quo minus ſit tui tam ſollicitus ac memor, tuæque ſalutis tam ſeriam & vigilantem curam gerat, quam ſi nemo eſſet in toto terrarum orbe, quem præter te ſolam amaret.

CONSIDERATIO NONA.

Nona conſideratio hæc eſt. fortaſſis in hunc modum obiicies. Si res, mi frater, ita ſe habeat, quemadmodum tu prædicas: ſi Dominus meus ac ſaluator Chriſtus Ieſus tanto me amore complectatur: ſi tantam mei curam & ſollicitudinem gerat, meamque ſalutem tam vehementer deſideret: quid opus eſt, vt ego aliquam mei rerumque mearum curam ſuſcipiam? Non enim proiiciet, quod tam carum habet, nec patietur, vt pereat. Dubium quidem non eſt, ſoror chariſſima, (quod iam dictum eſt) Dominum ac redemptorem noſtrum tui valde ſtudioſum eſſe & memorem: maior eſt eius in te amor, quam vt vllis à me verbis explicari poſſit. Eoque illud certum habeas, nunquam fore vt is te proiiciat aut auerſetur, niſi te prius ipſa proiicias, & auerſeris. Sed ſi peccato locum cedis aditumque in animam tuam præbes: ipſa profecto à te deſciſcis, & tuam ipſius ſalutem turpiter prodis. Eſt hoc tibi omnino tribuendum, non Deo: qui neminem vnquam deſerit, niſi qui Deum & ſeipſum iam deſeruerit. Qui vero ſeſe in hunc modum deſerunt, hi, quantumuis gratioſi apud Deum iam antea extiterint, omnem continno gratiam amittunt. Quæ res in primoribus illis ſpiritalis naturæ creaturis Lucifero & ſociis apparet: qui, cum conderentur, miro quodam ſplendore pręditi & Deo conditori longe chariſſimi fuerunt. Sed ſuperbia elati Deum ſibi offenſum reddiderunt: eaque re fecerunt, vt non ſolum gratia, qua tantopere apud eum pollebant, exciderint, ſed præterea ſummo ſplendore in ſummam obſcuritatem cōuerſo, & beatis illis cœleſtis regni ſedibus eiecti, & æternis tartarorum carceribus addicti fuerint. Simile quiddam Adamo contigit primo noſtri generis parenti. Is in ſublimi dignitate creatus, & in paradyſo quodam amœnitatis loco à Deo conſtitutus fuit, vt vitam ibi ſuauiter degens omni deliciarum genere perfrueretur: (quod vtique ſingularis cuiuſdam in eum amoris indicium erat.) Sed ſimulatque in peccatum prolapſus eſt, protinus illo voluptatis loco ſimiliter excluſus, & in hunc mundum relegatus fuit, vt variis hic miſeriis & ęrūnis ſubiiceretur. Quod ſi creaturæ illę tā nobiles & eximiæ, & apud creatorem tam gratioſæ, ſublimi tamen illo & dignitatis & gratiæ loco tam leuiter excuſſæ fuerant: non eſt profecto, quod quiſquam morta-

lium ſibi blandiatur, exiſtimetque, eidem ſe damni & ruinæ periculo non eſſe obnoxiam, ſi vllam peccati labem in animam ſuam admiſerit. Nam peccatum res eſt Deo optimo maximo tam odioſa & inuiſa, vt neminem vnquam hominum tam carum habuerit, quem, ſi vel vna peccati letalis macula in eius anima poſt mortem deprehendatur, non propterea regni cœleſtis aditu prohibeat. Adeo vt, ſi fieri poſſet, vt vel Maria Magdalena, cuius tam inſignis in eum amor deprædicatur, vel etiam ipſa virgo ſacratiſſima, quæ eum in hunc lucem ædidit, vnius tantum ſceleris rea ſtatuerētur, eſſent confeſtim ob vnam illam admiſſi criminis noxam in tenebras exteriores deturbandæ.

Quamobrem, ſoror chariſſima, non committas, vt ea tibi ſubeat cogitatio, ſummum eſſe Dei tui in te amorē ſummamq; ſalutis procurādæ cupiditatē, ac proinde licere iā tibi, quicquid libet, nec multum referre, quaſnā vitæ rationes ſuſcipias. Imo vero, quāto impēſior eſt eius in te amor & maior ſollicitudo, tanto cautiorē eſſe te oportebat, nequid facias, quod diuinum eius numen offendat. Id quod à diua Magdalena, de qua verba iam fecimus, præſtitum eſt: quę, quantumuis magnum eſſe ſciret & Dei in ſe & ſuum viciſſim in Deum amorem (ob quem etiam peccata ſibi remiſſa eſſe intelligebat) poſt mortem tamen ſaluatoris noſtri & ad cœlos aſcenſum, ſeſe in ſolitudinem contulit: ibique repudiato prorſus omni hominum conſortio ſolatioque, ſe totam luctui, lachrymis, ieiunio, orationibus, aliiſque id genus corporis afflictationibus dedit. Nec amor diuinus iam olim præſtitus de peccato impoſterum cauendo ſecuram vel etiam minus anxiam reddidit: ſed contra, quanto maiorem experta fuerat Chriſti ſaluatoris in ſe amorem & clementiam, tanto maiorem curam & ſollicitudinem ſibi adhibendam eſſe exiſtimauit, vt ea vitaret omnia, quæ diuinam rurſus offenſionem conciliare poſſent.

CONSIDERATIO DECIMA.

Decima conſideratio hæc eſt. Vtilem quidem operam nauaueris, & quæ multum allatura ſit momenti ad confirmandam rem nobis propoſitam, ſi de tuo ipſius amore rectum iudicium feras, quam leuis, vana, & ludicra res ſit, quantilli facienda, quam panci reperiantur, qui aliquo ſaltem in pretio habere velint: eo quod eius generis ſit, vt paucis admodum aut pene nulli vſui eſſe poſſit. Econtra vero contemplari oportet, qualis ſit ſponſi tui dulciſſimi Ieſu amor, quam præclarus, quam ſolidus, quam certus, quam perdurabilis, qnam multis amatoribus etiam votis lōge ardentiſſimis expetitus. Sanctiſſimi martyres, & viri & fœminæ, quorum certus numerus iniri non poſſit, pro eius amore ſanguinem ſuum fuderant, omneſque cruciatus quantumuis exquiſitos & immanes prōpte & alacriter pertulerūt. Nullis hominū minis terreri, nulla pœnarū acerbitate arceri poterāt, quo minus amorē illū ſectarentur, (tantus eorū animis inſedit eius potiūdi ardor:) potiuſque habebant à mundo vniuerſo adeoque à vita ipſa quàm ab illo ſeparari. Tam carus ac precioſus erat illis amor Chriſti, vt omnia huius vitæ bona, honores, & voluptates, in comparatione illius meras nugas eſſe duxerint.

Cum ergo ſcias, amorem hunc illis quidem tanti habitum fuiſſe, quorum tam illuſtris erat & tunc in terris ſanctimonia, & nunc in cælis gloria, tibi vero etiam mercabilem eſſe, idque non alio qnam amoris tui pretio (qui tamen, ſi cum illo conſeratur, vilis eſt plane & nihili:) quantum curæ ac laboris in eo ponendum eſſe exiſtimas, vt rem tam eximiam & præſtantem, non ſolum diligenter acquiras, ſed & ſemel acquiſitam ſtudioſe conſerues: nec committas vnquam, vt tanti boni poſſeſſione cedas vel exuaris. Ille (quæ eius eſt in nos benignitas) neminem mortalium ab amore ſuo reiicit: ſed, ſi quis eum cum amoris affectu accedat, certo promittit, fore, vt amanter recipiatur, & pro ſuo valde deſpicabili amorem diuinnm longe precioſiſſimum referat. Ego, inqnit, diligentes me diligo. Et alio quodam in loco: Qui venit ad me, non eiiciam foras. Quæ quidem res ſi à te, chariſſima ſoror, attente conſideretur, animum tuum permouebit, vt ſponſum tunm genibus in terram ſubmiſſis, & ex intimo corde in hunc modum alloquaris: Itane vero benigniſſime Ieſu, Domine ac ſaluator? Túne amorem meum ambis: tu cor meum affectas; & vt amorem meum concilies, tuum largiris? Cuiuſmodi rem eſſe oportet, qnam tu, dulciſſime Ieſu, qui tam præclarus es & præſtans, tibi expetendam eſſe ducas? Profecto, ſi cor meum tam magni eſſet precij, quam ſunt omnia hominum corda in vnum conflata, quicunque ab orbe condito in terris extiterunt: ſi tam præcellens ac nobile, vt omnes Angelorum & Archangelorum hierarchias ſuperaret: ſi denique omnes theſanros & corporeos & ſpirituales complecteretur, qui cæli ambitu vel vſpiam in vniuerſa rerum conditarum natura continentur: exile tamen munus eſſet, & indignum plane, quo tanti principis tantiqne pretij ac dignitatis amorem mihi promerendum eſſe exiſtimem. Quanto igitur minus nunc illud ſperare debeam, cum probe ſciam, quam ſit cor meum vile, abiectum, & miſerabile? Sed qualecunque ſit, poſteaqnam tibi ſic viſum eſt, vt amorem meum petere velis, diſertiſque verbis dicas: Præbe mihi cor tuum: en, benigniſſime Ieſu, petenti aſſentior, & dono libenter; tuæque pietati ſupplex fio, vt, qnod datur, gratum & acceptum habeas: vt tua me gratia ſic munias, vt cor meum nullius vnqnam rei amorem admittat, quæ ſanctiſſimis legum tuarum decretis aduerſetur: & vt tui quidem amoris ignem in pectore meo ſemper foueam, alienum vero & cum tua voluntate pugnantem omnino reſpuam.

CON-

CONCLVSIO.

Nunc igitur, ſoror cariſſima, ſi conſiderationes iſtas ſępius cum ea, qua decet, maturitate perlegere, animoque tuo altius imprimere volueris: ſpes eſt fore, vt cor tuum diuino Chriſti Ieſu amore aliquantulum accendant. Quo quidem amore ſemel firmato, cæteræ vitæ religioſæ obſeruationes & ritus faciles erunt & iucundæ: omniaque pietatis officia alacriter & ſine omni prorſus tædio moleſtiáve præſtabis. Quod ſi forte contingat aliquando, vt mentem tuam paulo remiſſiorem fieri perſentiſcas: ad torporem illum protinus excutiendum adhibere poteris eam, quam iam olim ad te deſtinaui, mortis meditationem, vel orationem aliqnam efficacem; dulciſſimum Ieſu nomen & diuinam eius opem vehementer implorans, & illud apud animum tuum ſtatuens, (nam certum eſt) quicquid tibi acciderit aduerſi, ab eo ſolo, non aliunde petendum eſſe auxilium. Iam vero, ſi & hiſce precatiunculis, quas hic ſubiicimus, vti volueris, ſingulis hebdomadæ diebus ſingulas attribuens, ſperamus tibi futuras eſſe non infructuoſas. Quocunqne enim in loco vel etiam conſortio verſeris, nihil eſſe poteſt impedimenti, quo minus breues iſtas precum formulas ad Deum ſubinde, mente ſaltem, eiaculeris.

Dulciſſime Ieſu, fac vt te ex intimo cordis af- I.
fectu complectar.

Dulciſſime Ieſu, cupio quidem, ſed ſine ope II.
tua præſtare non poſſum.

Dulciſſime Ieſu, da, vt tui in me amoris magni- III.
tudinem alte perpendam.

Dulciſſime Ieſu, illud gratiæ tuæ munere mihi IIII.
tribuas, vt de tuis in me beneficiis ex animo tibi gratias agam.

Dulciſſime Ieſu, largire mihi promptam tibi V.
ſeruiendi atque patiendi voluntatem.

Dulciſſime Ieſu, da mihi ingennam paſſionis VI.
tuæ memoriam.

Dulciſſime Ieſu, poſſide cor meum, & tuere, & VII.
tibi ſoli ſerua.

Quas quidem precatiunculas ſi ſæpius & cum totis animæ viribus fundere volueris, amorem iſtum in corde tuo mirum in modum accendent, efficientque, vt ſemper viuat ardeatque: quod vtique ſummopere deſidero. Nihil enim eſt, quod maiorem mihi conſolationem adferre poſſit, quàm vt audiam te magnnm in pietate & inſtituti monaſtici obſeruatione profectum feciſſe: cuius rei præſtandæ facultatem Deus optimus maximus tibi pro immenſa clementia ſua concedat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. [illegible] V. EMANUELE

EPISTO-

EPISTOLA D. IOANNIS EPISCOPI ROFFENSIS AD D. HERMANNVM LETMATIVM GOVDANVM, DOCTOREM THEOLOGVM ET Decanum Eccleſiæ D. Virginis, apud Traiectum inferius.

De Charitate Christiana.

S. P. QVOD tam amice nos monueris habemus gratiam. Satis enim perſpicio quod ex animo beneuolo proficiſcitur quẽ erga nos geris. Quãobrem & tuis conſiliis paruiſſem libens, modo potuiſſem ex tuis literis errorem deprehẽdere meum, ſimul & quid tu velles prorſus intelligere. Neque enim certum habeo, quid per charitatis latitudinem velis accipi, neque 17. diſtinctione Thomam id ſcripſiſſe comperio. Si pleniſſimam charitatem intelligis, iam illam in hac vita nemo conſecutus eſt, vtq; ita nemo fuerit, qui non in quouis actu peccabit, quum quicquid agat, ab ipſa charitatis plenitudine, quam ex præcepto (quod & Lutherus contendit) habere tenetur, aliquanto deficiat. Quamobrem ſi Thomas & Egidius ita latitudinem charitatis accipiunt pro ſumma plenitudine, ſimul & affirment vt tu recenſes, ſcilicet eũ peccare, qui (dum in charitate eſt) non ſecundum totam charitatis latitudinem operatur, nihil prorſus à Lutheri ſententia diſſident. Cęterum non ignoras quam Lutherus nihil aut Egidio deferat aut Thomæ, neq; admittit quicquam, quod non ſcripturis aperte comprobari queat. Non igitur cum illo pro diſputatorum placitis agendum eſſe cenſui, ſed ratione potius ipſis innixa ſcripturis. Habet vtique Lutherus pro ſui articuli defenſione præceptum illud maximum: Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde, &c. Quod præceptum contendit à nemine pro hac vita fuiſſe penitus impletum. Iactat & ſententiæ ſuæ diuum Auguſtinum omnino ſubſcripſiſſe, qui negat quenquam in hac vita pleniſſimam charitatem aſſecutum fuiſſe. Ex his iam colligit id quod ipſe molitur, nempe quum omnes ad pleniſſimam charitatem obligentur, quam nullo opere quantumuis bono præſtant, conſequens eſſe, vt in omni opere quantumuis bono, nemo ſit qui non peccet. Nam peccatũ nõ eſt aliud quam carentia rectitudinis quæ deberet ineſſe actui. Ego igitur vt nodũ iſtum diſſecem, hominum tria genera conſtitui. Primum eorum, qui nonnihil operis faciũt quod aduerſatur charitati. vt qui furtum, adulterium, homicidium agunt. Nemo iſtos à mortali poterit excuſare peccato. Alterum eorum, qui (tametſi) quicquid agunt non repugnet charitati, ſubrepit tamen inter agendum aliqua negligẽtia, vel incogitantia, ſeu quæpiam alia fragilitas, qua non quantis poſſint virib. animum adhibent, vt opus Deo gratũ euadat, & hos opinor peccare venialiter. Quod dixi potius, vt excluderem eos à mortali, quam vt diffinirem eos ſemper venialiter peccare. Tertium eſt eorum qui quantum licet per carnis fomitem, & cum adiutorio gratiæ, totã animi contentionem adhibent operi charitatis eliciendo. Et hos contra Lutherum affirmo nec mortaliter, nec venialiter peccare. Nec video quanam alia ratione facilius euertere queam, quod ille tã acerrime conatur. Cęterum hoc te offendit quod (exempli gratia) Paulum in ſecundo membro produxerim, memorãs eum peccaſſe venialiter, quũ à faſtigio cæleſtium myſteriorum, ad curam penulæ ſuæ deſcenderet. Quod non tam ego quam Hieronymus ipſe teſtatur aduerſus Pelagianos ſcribens, cuius verba ſubiexam: Hoc & nos dicimus (inquit) poſſe hominem, non peccare ſi velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus eſt animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod ſi paululum ſe remiſerit, quomodo qui aduerſo flumine Lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentib. aquis, quo non vult ducitur; ſic humana conditio ſi paululum ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe nõ poſſe cognoſcit. Putas ne Paulum Apoſtolũ eo tempore quo ſcribebat Lacernã ſiue penulam quam reliqui Troiade apud Carpum, veniens affer ac libros & maxime membranas, de cęleſtibus cogitaſſe myſteriis, & non de iis quæ in vſu communis vitæ, vel corporis neceſſaria ſunt? Da mihi hominem qui non eſuriat, non ſitiat, neque algeat, non doleat, non febricitet, non torminibus & vrinæ difficultatibus torqueatur, & ego tibi concedam, poſſe hominem nihil niſi de virtutib. cogitare. Ceditur Apoſtolus à miniſtro & contra Pontificem qui cedere imperauerat ſententiam dirigit: Percutiet te Deus paries dealbate. Vbi eſt illa patientia ſaluatoris, qui quaſi agnus ductus ad victimam, nõ aperuit os ſuum, ſed clementer loquitur verberanti: Si male loquutus ſum, argue de malo. Si autem bene quid me cedis? Non Apoſtolo detrahimus, ſed gloriam Domini prædicamus, qui in carne paſſus, carnis iniuriam ſuperat & fragilitatem, vt taceam illud quod commemorat: Alexander ærarius multa mihi oſtendit. Red-

det

det illi Dominus in illa die iuſtus iudex. Hactenus ipſe Hieronymus. In quibus verbis, nec non tãtum loco docet venialiter peccaſſe Paulum. Et quid te quæſo prohibet Paulum aliquoties venialiter peccaſſe, nunquid non confitemur omnes peccaſſe Petrum, etiam poſtea quam non ſolum à Chriſto Spiritũ inſufflatus accepiſſet, verum etiã eodem Spiritu rurſum poſt aſcenſionem Chriſti fuiſſet afflatus, & inceſſiſſe contra veritatẽ Euangelij. Quod ſi Petrus Apoſtolorũ princeps ita bis afflatus venialiter peccauit, cur Paulus qui neutri fuerat afflatui præſens, putari debet aduerſus peccatum fuiſſe confirmatiorem? Sed ais Hieronymum in eam quæ apud Philemonem eſt, affirmare Paulum etiã quum hæc humilia ſcripſerit Spiritu fuiſſe afflatum, quanquam iſtud illic ego nõ comperio, lego tamen in eiuſdem epiſtolæ Prologo, quid dicat aduerſus eos, qui negant eã fuiſſe Pauli, inde permotos, quod hoſpicij pro ſe parandi meminerit. Valde (inquit) eos & ſimpliciter errare, ſi putent cibum emere, hoſpiciũ præparare, veſtimenta conquirere, eſſe peccatum. Iſtud in ſpeciem pro te facit, & tuæ ſententiæ fauet. Sed aduerte quid illico ſequitur: Et aſſerere (inquit) à ſe refugari Spiritum ſanctum, ſi corpuſculi pauliſper neceſſitatibus inſeruiamus; intelligis iam de quo peccati genere loquatur. Nimirum de mortali, quo ſolo fugatur Spiritus ille ſanctus. Affirmet itaq; manere Chriſtum, maneréq; Chriſti Spiritum in Paulo, dum hæc humilia ſcripſiſſet, ſed tamẽ interim, vbi animum ab ipſo feruore ſubduxerit, mentemq; laxarit, ac citharæ neruos remiſerit, eundem peccaſſe confitetur. Quod & feciſſe Paulum autumat, vti ſuperius recenſui, quum à cogitandis cæleſtibus myſteriis, ad penulæ ſibi deportãdæ curam deflexit animũ, & quum reſpondit Pontifici, percutiet te Deus paries dealbate, ac demum cùm Alexandro fabro ærario fuerat imprecatus: Reddat illi Dominus iuxta facta ſua. In his omnibus nihil Hieronymus dubitauit, quin citharæ chordas laxarit Paulus, & more trahẽtis Lembum, aduerſo flumine manus remiſerit, ac proinde retrolapſus quo non voluit ducebatur. Quod ſi Thomæ potius cr[illegible]dendum cẽſeas quam Hieronymo, audi quid ipſe ſcripſerit in epiſtolam ad Galatas ſecundo cap. Om[illegible]es inquit actus Apoſtolorum & motus fuerunt ſecũdum inſtinctum Spiritus ſancti. Verumetiam haud multo poſt eodem cap. ſic ait: Poſt gratiam Spiritus ſancti nullo modo peccauerũt Apoſtoli mortaliter, & hoc donum habuerunt per potentiam diuinam, quæ eos confirmauerat iuxta Pſalmum: Ego confirmaui columnas eius. Peccauerunt tamen venialiter, & hoc fuit eis ex fragilitate humana. Vides igitur quod nihil obſtat inſtinctus Spiritus ſancti, quin peccare nihilominus potuerint venialiter. Bene valeas & fautorem te precor exhibeas noſtris laboribus, quos catholicæ veritatis defendendæ zelo ſuſcepimus. Ex Roffa.

Poſteaquam hę ſcriptę fuerant non occurrente tabellario, relegi tuas aliquanto diligentius. Suſpicor te voluiſſe dicere: Non peccare eum qui quum in charitate ſit, non ſecundum totam latitudinem charitatis operatur. Nam iſtud magis quadrat ſententiæ, qua contendis Paulum non peccaſſe. Tu tamẽ aſſertiue ſcripſiſti Thomam & Egidium ſentire, quod is peccat, qui dum in charitate eſt, non ſecundum totam latitudinem charitatis operatur. Quæ ſententia non ſolum propter latitudinem charitatis anceps eſt, verum etiam propter verbum peccare. Nimirum an velint eum peccare mortaliter an venialiter ſolum. Sed hoc te fallere potuit rurſum & feſtine ſcribẽtem, quod illi de tota latitudine charitatis varie loquantur. Diſtinguit enim Thomas duplicem in charitate perfectionis totalitatem, & recentiores tres gradus faciũt ipſius totalitatis. Lege Gabrielem 27. diſt. 31. & Gerſonem in eo libello cui titulum fecit de perfectione cordis. In hoc conueniunt omnes, quod nemo ſit qui non deficiat à primo gradu latitudinis charitatis. Cæterũ quantum ad Paulum attinet, ego nuſquam affirmo quod peccauerit. Tantum exempli cauſa memoro, quod ante me Hieronymus de illo tradidit & affirmauit. Si Hieronymus errauit, hoc alij viderint, ego tantum quæ ille ſcripſit, in medium exempli gratia produxi. Nec occurrebat ex quouis alio authore, qui cum illo conferendus eſt quod meas partes aduerſus Lutherũ corroboraret magis. Nam ex inſtituto Hieronymus in eo libro docet, neminem carere prorſus omni peccato, quãquam interdum opere aliquo non peccet, vnde pro noſtra parte ſolide colligitur aduerſus Lutherum non in omni opere bono peccatum eſſe. Quamobrem quum id teſtimonij nobis vt vides, vſq; adeo neceſſarium ſit æquanimiter feras precor ſi non idipſum obliteremus, & è libello prorſus eradamus noſtro. Maximas pro Addiſono noſtro tibi gratias agimus, cui precor adſis in quib. poteris, potes autem in pluribus. & bene vale. Ex Roffa.

Nec hactenus occurrebat quiſpiam, cui meas has ad te literas darem perferendas; Opinor eas nolle proficiſci, ni prius abs me tuis votis pluſculum ſatisfiat. Vide quantum propendeant in tuas partes, quum tamen adhuc nihil omnino tecum neceſſitudinis habuerint. Quid ergo facturæ ſint vbi te penitus dinouerint, & abs te familiarius fuerint acceptæ. Libenter profecto vellem tibi ſatisfacere ſi liceret. Sed plane video ſi facerem quod ſuades, totam argumẽtationem meam aduerſus Lutherum, ſuis omnino viribus deſtituendam. Cæterum iſtud ſaltem faciã. Vbi collectionem e[illegible] Hieronymi verbis infero ad hunc modũ. Erat ergo tempus quando mortaliter peccauit Paulus, &c. Hic intercalabo parentheſin hanc: Si Hieronymo credimus. atq; ita fiet, vt ego nuſquã affirmem peccaſſe Paulum, & tamen ratiocinatio noſtra, ſuum robur ſibi ſeruabit integerrimum. Iam tertio vale.

F I N I S.

IOAN-

IOANNIS ROFFENSIS

TRACTATVS DE NECESSITATE ORANDI.

QVvm ſpectet ad omnes Chriſtianos id quod in Euangelio Lucæ Chriſtus affirmat, nempe qnod oportet ſemper orare; quis nõ videt operæpretium eſſe cuinis Chriſtiano, precationi ſtudioſius incumbere, neqne rem adeo neceſſariam & ſalutarem pro vanis & noxiis voluptatibus quouis pacto negligẽdam. Quamobrem vt precatio nobis dulceſcere queat, primum vtile fuerit ad manum habere quaſdam rationes, quibus veluti ſtimulis quibuſdã noſipſos quoties frigeſcimus & torpore quodam opprimimur, excitare poterimus ad orandum. Deinde conferet haud mediocriter ſi fructus egregios & commoda, quæ per orationem multi ſunt aſſecuti, nõ ignorauerimus: nam & ita facilius ad orandum noſmetipſos inuitabimus. Et demum proderit ſi modus ipſe nobis compertus fuerit, quem inter orandum obſeruare quis potiſſimum debeat, quum in omni opere modus agendi cognitus non minimi momẽti ſit ad ipſum opus, quod molimur. De tribus itaq; per ordinem (Deo nobis propitio) differere ſtatuimus, hoc eſt, de neceſſitate, de fructu, & de modo orationis. Verum quum prædicta verba, pleriſq; ſcrupulum quendam iniiciunt; non abs re fuerit, ſi prius quem in modum intelligi queant, explicuerimus. Principio ſane veriſſimum eſt quod Chriſtus dixit, oportet ſemper orare: Nam nullo non momento nobis oratio neceſſaria eſt. Neque tamen adeo ſeuerus exactor Deus optimus maximus eſt, vt nos obliget ad indeſiocntem oris precationem, id quod ante nos nullus vnquam obſeruauit aut potuit obſeruare. Verum quia nullum vnquã præterit momentum, quo non vehementer egeamus auxilio diuino, idcircò neceſſitas maxima nos impellit, vt ſemper opem eius aſſidua precatione flagitemus. Quis enim, ſi diligeoter aduertat, non intelligit, nos in puluerẽ & cineres è veſtigio redituros, ſi Deus auxiliatricem manum ſuã à nobis retraheret; nec eſt quiſquã qui poſſit ad momentum durare: Nam vt Iob ait, In eius manu eſt anima omnis viuentis; ſic enim agitur cum vnoquoq; noſtrum, atq; ſi quis per funem in cophino penderet ſuper puteum: is enim haud dubie plurimũ eget illius auxilio, qui manu ſua funem tenet & hominẽ cohibet ne ruat in puteum. Nam protinus vt ille funem dimiſerit, alter qui prius attollebatur, præceps in puteum decidit. Neque aliter cuiuis noſtrum eueniret, ſi non ſua manu nos inceſſanter ſuſtentaret Deus. Ipſe funem ſua manu retinet, ne nos protinus conteramur in nihilum, vt cætera taceam præcipitia, quæ nobis imminent è periculis, quibus omni momẽto circundamur. Quis igitur vſq; adeo craſſus & cæcus eſt, vt non intelligat, nullũ eſſe tempus; imo nullum articulum temporis, quo non ſit nobis neceſſarium interpellare Deum & eius præſidium pariter & ſubſidium implorare, hoc eſt, quo nos oporteat ſemper orare. Cæterum quoniam ad hunc ſenſum nemo hominum eſt, qui huic verbo per actualem (vt aiunt) orationem ſatisfacit, hoc eſt, qui ſemper omni momento precatur; idcirco ſenſus alius exquirendus eſt. Poteſt igitur & iſtud Chriſti verbum iuxta modum alterum intelligi; nimirum, hunc quem iam dicemus. Rogatus quidam ex veteribus monachis, quem in modum illud Chriſti verbum adimpleret, quo dicitur: Oportet ſemper orare; mox reſpondit, ſe completis quotidianis orationibus ſuis, quod reliquũ erat temporis (vt per corpus ei licebat) labori manuum impendere conſueuiſſe. quo factũ eſt, vt nonnihil quotidie lucraretur, quo non ſeipſum ſolum, ſed & alios item egenos vtcunq; ſuſtentaret. Hos igitur aſſeruit pro ſe orare, quoties per corporis curã id ſibi noo licuit, atq; per hunc modum ſe credidit præcepto ſatisfeciſſe. Cuius nimirũ opinioni ſcriptura ſacra ſuffragatur, quæ ait: Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis & ipſa pro te orabit. Ecce quomodo ſcriptura confirmat eleemoſynam noſtram pro nobis orare. Si quis igitur in alios ſtuduerit eſſe miſericors; ſi pupillos & orphanos tuetur; ſi viduas omni ſolatio deſtitutas conſoletur; ſi per vim oppreſſos liberet ab iniuria, & denique, ſi quibus poteſt indigentibus opem adminiſtret ſuã, modo non negligat interim orandi tempora per eccleſiam inſtituta, is prioribus identidem Chriſti verbis obtemperare videbitur. Semper enim is aut per ſeipſum orat, aut habet eleemoſynam ſuam per ſe orantem, quæ & ſupplebit quicquid propriæ defuerit orationis. Ad hunc itaq; modum intelligi poteſt verbum Chriſti prædictum, quo docuit oportere nos orare ſemper, hoc eſt, ſemper bene viuere & recte agere, quod & nobis interim dormientibus cõtingit. Nam quoties dormimus aut vigilamus, quoties deambulamus aut ſedemus, quoties edimus aut bibimus, quoties infeſtamur aut conſolamur, quæcunq; demum agimus aut patimur, ſi cum vera fide in Dei gloriam cuncta referantur, ad bonam & rectam vitam haud dubie pertinent. Alioqui non iuſſiſſet Paulus Corinthiis, vt quicquid agerent, agerent in gloriam Dei, ſiue editis (inqnit) ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et certe ſi Deus verbis mouetur vt ſit beneficus, idem, & longe magis ad hoc ipſum bonis noſtris operibus incitatur, quandoquidem opera iam verbo-

rum

rum vices obtineant. Flectitur itaq; diuina benignitas operibus noſtris, quæ ſtudio complacendi maieſtati ſuæ facimus, quum & ipſam vim precum exprimant, & multo ſane validiorem, quam preces ipſæ. Quiſquis igitur omnia quæ facit & patitur, in Dei gloriam refert, is nullo non orat momento, ſemperq; ſatisfacit verbo Chriſti prædicto. Nam qui ſemper ad Dei gloriam opera ſua dirigit, is & ſemper orare non iniuria dici poteſt. At quamquam ad hunc ſenſum intelligi poſſit, quod dicitur, oportet ſemper orare, tamen quia Chriſtus ex inſtituto diſcrimen inter orationem & opera ſtatuit, & quaſi res diuerſas facit, eleemoſynã, orationẽ, & ieiunium, idcirco modum tertium, quo poſſit illud verbum intelligi, iam ſubdemus. Paulus vtique Theſſalonicenſes monet vt indeſinenter orent, ſine intermiſſione (inquit) orate. Et in aliis nõnullis epiſtolarum ſuarum locis, aſſerit ſe memoriam quorundã in ſuis precibus habere ſine intermiſſione. Ad hæc in actis Apoſtolorum traditur, quod dũ Petrus in carcere tenebatur, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deũ pro illo. Quibus verbis, dilucidũ eſt, quod vere Chriſtianus in quovis opere, etiam inter dormiendum ſemper orat, id quod omnino fieri nequit, niſi per orationem, continuum animi diſiderium, quod ſemper in corde viget & agitatur, intelligamus: Quemadmodum enim quũ quis in carcere ferreis cõpediis ingentium ponderum alligatur, tedio miſeriarum & afflictionũ quas perpetitur, impulſus, vehementer cupit & quærit libertatẽ, & ſi quippiam ſpei de ſua libertate conceperit, indeſinenter optat & affectat ab illis vinculis eximi: Sic nimirum & ſingulus quiſq; Chriſtianus qui non ignorat quam grauiter ad peccandum infeſtetur à carne, mundo, dæmonibus, quamque varias & quàm multiplices in hac miſeriarum valle ſuſtineat erumnas, quot & quantis huius vitæ periculis ac diſcriminibus expo natur indies, adigitur quatenus omni momento deſideret opem & auxilium Diuinæ gratiæ, qua poſſit aliquando tandem ab iis malis ad lucidiſſimum Dei conſpectum & æternæ beatitudinis fruitionem euolare: Et hoc deſideriũ in ſacris literis ſeu clamor quidem in auribus Dei crebrius intelligitur, deſiderium (inquit Propheta) Pauperum exaudiuit Dominus. Nam eorum qui vexantur & affliguntur deſiderium celeriter ad Dei præſentiam erumpit, & in eius auribus ingentem excitat vociferationem. Quoniam igitur in piorum cordibus deſideriũ eiuſmodi nũquam ceſſat, ſed indeſinenter mouetur & agitatur ſemperq; affectant opem diuinam atq; id ſiue dormiant ſiue vigilent, edant aut bibant, ſeu quid aliud egerint nocte dieque merito ſemper orare putantur & ſine quauis intermiſſione. Quamobrẽ & Auguſtinus ait ſine intermiſſione orate, quid aliud eſt quam beatã vitam ſine intermiſſione deſiderate. Semper hãc à Domino deſideremus & oremus ſemper. Hæc Auguſtinus. abſq; hoc deſiderio nulla verborum obmurmuratio quãtumuis prolixa diuinas excitat aures. At iſtud ſi ferueat etiam ſi nullus omnino fiat verborum ſtrepitus, facillime penetrat & exauditionẽ impetrat citra moram aliquã vt mox dicemus apertius. Quiſquis ergo verbum Chriſti prædictum iuxta modum hũc intellexerit meo iudicio rectiſſime ſentiet. Neq; aliter facile concipere poſſumus quempiam orare Deum ſemper & citra quamuis intermiſſionem die noctéq; precari. Verum hoc deſiderio quod intra piorum corda nunquam extinguitur ſemper & indefectibiliter oratur coram Deo perpetuoque pulſatur ad fores miſericordiæ Dei pro gratia & auxilio conſequendo. Veriſſimum igitur eſt quod Chriſtus aiebat, oportet ſemper orare & non deficere. Verum nõ ita quod precatio quæpiam certis cõcepta verbis ore ſemper aut mẽte debeat à nobis proferri ſed quod nullus nos prætereat temporis articulus, quo nõ deſideremus auxilium gratiæ futuramq; beatitudinem. Cæterum quoniam de hac re pluſculum inferius dicturi ſumus iam rationes quaſdam in medium afferemus, quibus ſi diligentiam nonnullam adhibuerimus, torpẽtes nosmetipſos excutere poſſumus, & ad orandum quoties libuerit, excitare.

PRIMA RATIO.

Illud inprimis excitare nos debet, quod oratio ad inſtar cuiuſdam aurei funis eſt ſeu catenæ cuiuſdam è cœlo demiſſæ qua Deum ad nos trahere molimur, quum tamen ab eo verius trahamur. Fit enim plerumq; vt ſiquis in editiori loco poſitus velit alterũ qui in meliori loco eſt, ſurſum ad ſe tollere funem quendam ad eũ demittit, quẽ is quantis viribus poteſt ad ſe trahẽs tandem eleuatur. Huiuſmodi igitur funem ſeu catenam auream, ſacer Dionyſius orationẽ appellat quæ vere de cœlo ad nos vſq; demittitur noſtriſq; pectoribus affigitur à Deo. Nemo enim vere orat niſi inſpirante Deo, quum neq; ex nobis ipſis (vt ait Paulus) ſufficientes ſumus vel cogitare quidquam boni. Demittitur itaque funis iſtiuſmodi ad nos quatenus ex eo continue pendentes, tandem ad Deum noſtrum eleuemur in cœlum. Sed rem iſtam adhuc fuſius aperiamus. Quum quis penſiculatius aduertit, ex parte quidem vna ſummam Dei bonitatẽ, pietatem, benignitatem: Ex altera vero ſuã tenuitatem, inopiam ac miſeriam, tum impellitur aſſide quærere Dei ſui hoc eſt benigniſſimi conditoris ſui & ſupremi propugnatoris præſentiam quemadmodum ait propheta Regius: Quæſiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, Et quum præſentem vere credit, tum miſerias exponit ſuas, deſideria memorat, pie conqueritur, benignitatẽ eius multis gemitibus multiſq; lachrymis implorat quatenus opituletur in neceſſitatibus neq; ſe deſerat in tribulationibus, ſed & gratiam auxiliatricem ſibi tribuere dignetur, qua poſſet in omnibus eius Maie-

ſtati placere. Hæc dum agit anima, quidnam aliud molitur quam trahi ad Deum ſuum per orationis funem, quam vniri & colligari ſuauiter conditori ſuo, quam intellectum ſuum cum luce illa incomprehenſibili coniungere, quam affectum ſuum adunare cum incomparabili ipſa bonitate, quam mentem deniq; ſuam ſupra cuncta quæ creata ſunt extollere, nempe vt ita ſpiritus tandem vnus fiat cum Deo ſuo, coadunatus orationis funiculo & catena illa vere aurea colligatus. Ecce cuiuſmodi vinculũ eſt oratio. O funem pluſquam aureum, ô catenam votis omnibus expetendam, ô ſuauiſſimum amoris vinculũ. Quis nolit hoc dulciſſimo fune colligari? Quis non cupiat hac nobili catena conſtringi: aut demum quis non totis optet viſceribus inter brachia tam amantiſſimi principis & regis potentiſſimi conquieſcere? Hæc vna profecto cogitatio ſufficere poteſt, ſi diligentius penſitetur, vt quempiã vel frigidiſſimũ accendere queat ad frequentandam orationis gratiam & maxime quum quiſq; quantumcunq; miſerrimus peccator fuerit, ſperare poſſet & debeat haud dubie, quod quanquã diuina maieſtas ſupereminentiſſimę fuerit celſitudinis, eſt nihilominus adeo pia, clemẽs, & dulcis, vt non dedignetur aures ſuas ſacerrimas, ad profanas & immundas noſtras preces inclinare, modo non deſit nobis animus reſiſtendi peccatis. Eſt enim adeo propenſus Deus vt noſtri miſerratur, noſtraſq; animas tam obniae diligit, vt tametſi fuerit ſuprem' totius mũdi moderator & dominus, nos vero nihil pręter immundũ puluerem & cineres viliſſimos, ille tamen inopiam noſtram haud contemnit, neq; fugit ob peccata priſtina (quorũ nos pœnitet) quantumcunq; grauiſſima, ſed mox gemitibus noſtris attẽtus eſt, lachrymis permouetur, miſeretur ærumnarum, votis annuit, ſed & gratia ſua præuenit nos vt priuſquam orare cœperimus, ab ra cõcitemur. O Dei noſtri charitatem inæſtimabilẽ, ô clementiam incomparabilem. Adeo noſtras animas deamat Deus optimus maximus, vt dulciter inuitare nos & allicere ſtudeat, ac modis omnibus impellere conetur, vt vacemus, & contemplemur ſui luminis ſplẽdorem, ſuæ dulcedinis ſaporem deguſtemus, munificẽtiæ largitatẽ amplectemur, ac indicibilea demum oſculemur oris ſui delitias. O miſeri qui nõ pro viribus enituntur hoc impulſu trahi. Sed miſeriores qui tam dulcẽ tractũ non ſequuntur: at omnium & miſerrimi & infœliciſſimi ſunt, qui ſi tracti ſua ſponte renituntur & recalcitrant aduerſus tam ineffabilẽ clementiã omnipotẽtis Dei. Atq; hæc quantũ ad primã rationẽ ſufficiãt.

SECVNDA RATIO.

Sed alteram quæ nos identidem ad orandũ ſtimulet rationem afferamus. Conſtat ſummũ hominis bonũ beatitudinem dici, qui & ſupremus homini finis à Deo conſtitutus eſt. At ad hunc finem pertingere nemo quibit, abſq; iuſtis mediis quę perducant ad eum. Media vero ſunt inter cętera duo, quæ qui habet cęteris nõ carebit, quę ad ipſam beatitudinẽ conſequendã erũt: neceſſaria. Et eę quidẽ ſunt oratio & bona opera. In his duobus (quemadmodum in Actis legitur) creber fuit Cornelius centurio, quibus ita placuit Deo, vt per Angelum, quũ tamen eſſet Ethnicus, diceretur. Orationes tuę & eleemoſynæ tuæ aſcenderũt in memoriam corã Deo. Quiſquis igitur iis duobus exercuerit ſeſe, hoc eſt, bonis operib. & oratione, cæteris non carebit, quæ recta perducent ad beatitudinem. Vult enim Deus quatenus in conſpectu maieſtatis ſuæ noſmetipſos humiliemus, prorſus agnoſcentes, quod noſtris viribus haudquaquã fieri poteſt, vt bene operemur, ſed quod recta vita, hoc eſt vita bonorum operum, ab ipſo per orationem petenda ſit, atq; ita tandẽ ad ſupremum hominis finem hoc eſt ad æternam conſcendamus beatitudinem. Quoniam igitur ad hunc ſupremum hominis finem abſque gratia bonorum operum à nemine peruenitur, neq; ad hanc quiſquam abſq; oratione pertingit, reliquũ eſt, vt ſi nolimus in æternam ruere miſeriã, in oratione ſimus aſſidui. Hic mihi nemo ſtolidã illam de Dei prænotione ratiunculã introduxerit, quod ra falli non poterit. Aiunt enim nõnulli quod Deus omnium præſcius, prænouit certo (quicquid ſit futurum) priuſquã fiat. Et iã haud dubie ſcit me vel ſaluandum fore, vel perpetuis cruciatibus adiudicandum. Quod ſi iam prænouerit me ſaluandũ, non erit opus vt precer. Quoniam abſq; vllis precibus ęternam aſſequar beatitudinem, nempe ex virtute prænotionis quæ falli non poteſt: ſin vero me condemnandũ pręſcierit, nullę omnino preces mihi proderũt, quũ pręſcientiã eius nemo fruſtrari poterit: hoc profecto dilemma ſeduxit plurimos, & quam ſit fallax mox deprehendemus, ſi periculum ante fecerimus, quomodo cæteris in rebus (quæ nobis obueniunt) neutiquam conſequitur. Nam exempli gratia, qui morbo quopiam laborat, nullum hac ratione medicamẽ admittet, præſcit enim Deus, an ex eo morbo conualeſcet an minime. Quod ſi illud prænouerit, nullo opus erit medicamine. Nam ſi haud dubie nullo adhibito medicamine ſanus euadet, cum nequeat falli diuina prænotio. Quod ſi præſcierit Deus eum ex eo morbo periturum, nihil proderit medicamen, cum nequeat vllo pacto caſſari, quod ille futurum præuiderit. Vides igitur hac ratione ſublatam penitus artis medendi commoditatem. Tenemus & aliud. Dicet rurſum agricola: Nõ ſeram. Nam prænouit Deus an ager iſte fruges anno proximo laturus ſit an ſecus. At ſi prænouerit laturum, abſq; mea opera id faciet ager. Sin contrarium præſcierit ipſe, fruſtra laborabo. Atq; ad hunc modũ etiã agricultura peribit, idemq; in cęteris (ſi diſquiramus) eueniet. Dilucidũ igitur ex his eſt, rationẽ priorem inualidã eſſe & prorſus fallacem, quoniã ita neq; ęgroto medicamen vllum aſſumere, neq; agricolæ terram ſuã colere neceſſe fuerit. Quamobrem vt agricolæ non licet ex agris frugem expectare, niſi colat & ſerat, neq; ſanitatem ęgrotus aſſequitur, niſi medici conſiliis pareat, ita nemo Chriſtianus ad beatitudinẽ perueniet, niſi prius recte viuendi gratiam habuerit, neq; ad hanc vnquam pertinget abſq; oratione. Et vt plerumque comper-

compertum habemus, ægrotos hauddubie perituros niſi medicaminibus & medicorum conſiliis vtantur, & agros abſque cultura & bono ſemine nullam frugem eſſe reddituros, ita & nobis conſtare poterit, quod abſq; oratione & bonis operibus æternam beatitudinem haud conſequemur ipſi. Quanquam igitur Deus æternam ipſam beatitudinem, ſeu ſupremum finem hominib. cunctis inſtituit, noluit tamen vt ad eã abſq; iuſtis mediis perueniremus. Et primum niſi quis hic prius bonam vitam inchoauerit, gloriã illam (quæ futura eſt) nunquam expectet. Sed & bonã vitam nemo habet, niſi qui precib. aſſiduia eã flagitauerit. A precibus igitur inchoandũ eſt, è quibus proueniet bona vita, per quã ad cœleſtem tandem gloriam perducemur, nempe ad dilucidam omnipotentis Dei viſionem, à qua quamdiu abſumus, non poſſumus nõ eſſe miſerrimi. Id quod manifeſtiſſime liquet ex animorum noſtrorũ inexplebili cupiditate. Quærimus enim vbiq; bonũ aliquod quod faciet nos ac expleat. putamus autem id haberi poſſe vel ex voluptatibus, val ex diuitiis, vel ex honoribus, vel ex iis omnibus ſimul. Quo fit vt horum appetendorum nullus eſt finis. Sed & propter ea conſequenda totius ordinis iuſti perturbatio, rerumq; omnium cõfuſio, per vniuerſum orbẽ naſcitur. At nihil tamen horum, noſtros animos ſaciare valet quum tãtæ capacitatis ſint, vt nullo niſi ſummo illo bono queant vnquam expleri. Huius igitur boni contemplatio & fruitio modis omnib. quærenda eſt, ne tandem in perpetuam miſeriam dilabamur. Cæterum quum ea non aliter quam per bonã vitam obtineri poteſt, neq; bona vita niſi per orationẽ, fit vt cunctis (qui cupiunt fruitionem illam non amittere) neceſſarium ſit, orationi cum primis frequentem operam dare. Atq; hactenus pro ſecunda ratione.

RATIO TERTIA.

Permouebit nos & tertio loco, ſi meminerim' Chriſtum Ieſum ore ſuo admonuiſſe nos vt libenter oraremus: Oportet, inquit, ſemper orare. Quis enim rectius erudire nouit de iis quę noſtrę ſaluti conducerent quã filius omnipotentis Dei, in quo repoſuit Deus Pater theſauros ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, quiq; ob id in hunc mundum deſcendit, vt rectum iter in cœlum oſtenderet; aut quis efficacius eniteretur docere nos idipſum, quam ille, qui noſtri captus amore moleſtiſſimã, ignominioſiſſimam, horrendiſſimam ſubiit crucis mortem. Neq; ſolum admonuit nos, ſuper orandi neceſſitate, verum etiam pollicitus eſt aſſecuturos nos, quicquid per orationem ſanctã petierimus: Petite (inquit) & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Hoc Dei filius Chriſtus Ieſus (qui & ipſa veritas eſt) neminẽ ſeducens, ore ſuo pollicitus eſt. Adeamus igitur cum fiducia thronum clementiæ ipſius, vbi & iugiter precemur recte viuendi gratiam & indeclinabilem in bonis operibus perſeuerantiam, nihil hæſitantes, quin ille multo liberalius impartiet nobis, quam nos aut petere aut cogitare nouerimus. Quamobrem quum ipſe nos docuit orandi neceſſitatem, & quod oporteat ſemper orare, nemini poteſt ambiguum eſſe, quin ita facere cum primis neceſſarium ſit. Nobis igitur Chriſtianis (qui inter mundi huius miſerias à facie Dei noſtri peregrinamur) adeo neceſſarium eſt huic ſaluberrimo Chriſti verbo obtemperare, vt quiſquis apud ſe definierit, ſe non oraturum, aut obicem orandi ſtatuat in animo ſuo, is letaliter peccat. Sed & qui vehementer negligit orare, quum tamen crebra datur oportunitas, & maxime cum aduertit ſalutis ſibi diſcrimen imminere, ea negligentia mortifera eſſe poteſt, quum tamen negligentia (quantum ad rationem ſuam attinet) venialis culpa ſit, minor aut grauior pro magnitudine ſua. Cæterum ſi præfatum Chriſti verbũ diligentius excutiamus, liquebit aperte quãta ſit orandi neceſſitas. Salus haud dubie cuiuſq; Chriſtiani præcipue pẽdet à Deo, à quo & neceſſe fuerit eam cuiq; implorare. Quoniam igitur hæc ſalus omni momento periclitari poteſt. & nemo eſt qui non propriam ſalutem curare teneatur. Inde nimirum colligitur, vt nullo momento non immineat nobis orandi neceſſitas. Semper enim in cælum oculos attollere, ſemperq; ad Deum corda leuare tenemur, quum nequeat aliunde quam ab ipſo, noſtra ſalus vel perpetuari vel obtineri. Neq; pro noſtro ſolum, ſed & pro proximorum item ſalute precemur, oportet. Vt enim quiſque tenetur proximo ſuccurrere, quum perſpexerit eum laborantem inopia, corporiſq; pati iacturã, ita multo magis obligatur, quando vehementem animi iacturam cernit, & manifeſtum ſalutis ſpiritualis imminere diſcrimen. Nunc igitur maxima nobis orandi incumbit neceſſitas, quum tempora cernemus tam plena periculis, adeoq; peccatores creuiſſe ſuper terram, peccatiſq; tantam eſſe factam acceſſionem, quemadmodum iis noſtris diebus fieri conſpicimus. Iam in hoc miſerrimo ſeculo peccatis applauditur, tanquã operib. iuſtis, operaque bona velut peccata reputantur. Nunc peccare benefacere eſt, & retrorſum, benefacere peccare. Væ nobis quod nati fuerimus hac miſerrima tẽpeſtate, in qua (flens dico) quiſquis aliquo in honorem Dei zelo prędítus fuerit, oculoſque ſuos in eos (qui iam ſuperſunt) viros & fœminas iecerit, facile concitabitur ad fletũ & lachrymas, nempe contuitus omnia ſurſum deorſumque inuolui, pulcherrimumq; virtutis ordinem ſubuerti funditus, ſed & viuidum recte viuendi lumen fugatũ eſſe penitus & deletum, propeq; nihil in Eccleſia Chriſti iam relictum aliud, quam aut apertam iniquitatem, aut ſanctitatem ſimulatam. Nunc prorſus in his extinctus eſt fulgor exemplaris vitæ, qui velut luminaria quædã orbi vniuerſo fulgere deberet, quiq; ſeipſos tanquam ſpectacula in monte poſita, & tãquam lucernæ ſupra modium ſplendentes, exhiberent cũctis. Neq; enim lux iam ab eis vlla diffunditur, ſed caligo potius horrenda, peſtilentiſſimaq; per-

nicies, quibus innumeri letaliter inſecti ducuntur indies ad exitium. O miſerandum ſtatum. O conditionem maximopere deplorandam, in quã nunc decidit ſponſa Chriſti, ſancta mater Eccleſia, quæ precioſiſſimum amantiſſimi ſponſi ſui ſanguinem adeo parui iam æſtimat, imo velut inſenſata quędam mulier nihil aduertit neq; alicuius momenti reputat excellẽtiſſimum illud precium quo redempta fuerat tam cariſſime. hæc nimirum cõſideratio iure nos impelleret quatenus humiliati vereq; compuncti ianuam clementiæ Dei precibus aſſiduis pulſitaremus, nõ modo pro noſtra, ſed & pro proximorum ſalute recuperanda, quos iam videre licet in miſerrima conditione poſitos, & ad extremam redactos neceſſitatem atq; in ſupremo iam conſtitutos animarum diſcrimine: vnde reſipiſcere omnino non licet, niſi per indeſinẽtem & efficacem diuinæ opis implorationem.

POSTREMA RATIO.

Quarta demum & poſtrema ratio colligi ad hunc modum poteſt. Nemo hominum viuit carne fragili circumdatus, qui non aliquando peccauerit, ſed neque qui compertum habeat, ſe deinceps non peccaturum. Erit igitur ob horum vtrumque nobis vehementer neceſſarium, quatenus Deum opt. maximum aſſiduis interpellemus precibus, non ſolum vt prioribus delictis ignoſcat, ſed & ne in alia denuo ruamus, quibus æternum incurramus ſupplicium. Primum nemo eſt, qui iamdudum peccato cõmaculatus fuerit, cui certum exploratumq; ſit, in gratiam ſe cum Deo rediiſſe, niſi fuerit hoc ipſum ei reuelatum. Propter quod & Salomon ait in Eccleſiaſte: Sunt iuſti (inquit) & ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrum amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta. Cuncta nimirum futuro ſeruantur examini vbi nihil erit opertum, neque tunc diſtrictum iudicẽ vel minima fugiet cogitatio, quæ cuiuſquam animum irrepſerit vnquam. Et quanquam nemini pro hoc ſtatu compertum fuerit, in gratia ſe conſtitutum, quibuſdam tamen coniecturis id certo credere licebit. Et præſertim eũ nullo crimine letali (cuius nõ pœnituerit, quodque ſacerdoti ſuo non prodiderit, aut ſit ſtatuto tempore proditurus) ſe ſciat irretitum. Siq; præterea ſe propenſum agnoſcat ad ea libenter agenda, quæ diuinum ſpectant honorem, ſed & delectatur ſcripturas audire ſacras, diuiniſque laudibus frequenter intereſſe, & demum ab omni deinceps peccati contagione quoad liceat abſtinere decreuerit. Is nimirum credere haud dubie poteſt, ſe iam in ſtatum gratiæ repoſitum eſſe. Veruntamen hoc certo ſcire nemo quibit, niſi maiori aliquo lumine fuerit illuſtratus. Ob hanc igitur cauſam neceſſe fuerit omnibus intra metas & limites aliquanti metus ſe continere, atque ad ianuam diuinæ clementiæ perſeuerare, ſedulis eam pulſitãdo precibus. Hunc profecto metũ & ſcriptura ſacra nobis ſuadet, inquiens: De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu. Et ſane vſq; adeo conducet is metus, vt ſi dolor pro peccatis ante ſuſceptus haud ſuffecerit, nũc (Deo metum iſtũ approbante, ſimul & orationem quæ ex eo naſcitur acceptante) ſatisfaciet vbertim ad plenam & integram omnium admiſſorum cõdonationem. Cæterum, ſi largiti fuerimus quempiam eſſe, cui ſit exploratum de peccatorum plena remiſſione, quodq; iam integre Deo reconciliatum & certo conſtitutũ in gratia ſe nouerit, is tamen ambigere poteſt nunc ex eo ſtatu ſit forſan aliquo lapſu ruiturus, quum nemo ſit vſque adeo ſtabilitus in gratia, vt nequeat ex ea decidere: Ob quod & Paulus ait ad Romanos ſcribens: Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Hoc eſt, ac ſi dixerit: Si per firmam fidem quis in gratia ſteterit, nõ ideo præſumat nimium de ſeipſo, ſed metuat potius, quum ex eo ſtatu labi facillime poſſet. Securus enim hic nemo eſſe debet. Quod & idem Paulus ad Corinthios ſcribens, teſtatur: Qui ſe exiſtimat (inquit) ſtare, videat ne cadat. Quamobrẽ & neceſſarium erit nobis oculos & manus in cælum attollere, atq; Deum indeſinentibus interpellare precibus, quatenus perſeuerandi gratiam nobis tribuat, ne ex hoc ſtatu poſthac dilabamur. Nam pleroſque legimus, qui velut columnæ dudum in Eccleſia Chriſti ſteterunt, fulſeruntque perinde atq; luminaria quędam, ſplendore ſanctitatis coruſcantes; verum quia ſeipſos humili quodã metu omnino continuerunt, in malorum omnium abyſſum pręcipites dilapſi ſunt, non cum ſuo ſolum damno & ignominia, verum cum pernicie multorum. Id quod tum ſacrorum doctorum teſtimoniis tum annalibus fidedignis (niſi prolixitatis tædium vererer) confirmare potuerim. Cæterum ex iam dictis dilucidum eſſe poteſt, cuiq; ſemper orandum eſſe, tam vt veterum delictorũ veniam conſequi queat, quam vt imminentium vitet pręcipitia. Et has quatuor rationes commemoraſſe, quum iam (quantum opinor) ſatis fuerit; de fructibus orationis quod & ſecundo loco polliciti fuimus, aliquid dicere conabimur.

DE TRIBVS PRAECIPVIS ORATIONIS fructibus.

QVamquam ſupradictæ rationes perualidæ videantur ad concitandos animos in orationem, ſunt plerique tamen ad hoc officium tardiores, & maxime quod non guſtant ſuauitatem illam quam alij deuoti crebrius inter orandum ſentiunt. Aiunt enim ſe libenter oraturos, modo guſtare liceret ſuauitatem illam. Verum iſti parum aduertunt quod oportet orationem antecedere, ac deinde tandem eiuſmodi ſubotiri ſuauitatem. Naſcitur enim animo ſuauitas illa, longo quodam vſu & diuturnitate quadam orãdi, quemadmodum & corpori ſolet ex lõga deambulatione prouenire calor. Nam vt qui ſurſum deorſumq; aliquandiu graditur & vltro citroq;

troq; ſpaciatur, is poſt aliquantam corporis agitationem calorem ſeutit: ita poſtqnam aliquis orationi diutius aſſueuerit, ſubnaſcitur eius animo tandem ſuanitas quædam ſpiritalis qna ſnpra modum delectatnr. Verum qnamqnam hoc ſuauitatis guſtu noo qniſquis orat ſemper inter orandnm afficitur, noo deſunt tamen alij fructus qnos ex oratiooe colligat. Sunt enim tria præcipua fructuum genera qui nobis ex oratione prouehinnt. Et primnm ſane, meritū ipſnm eſt, qnod Deus conſtituit ſe datnrum nobis orationis gratia. Alterum eſt, tei (quam orātes poſtulamus) impetratio. Tertium eſt miræ cuiuſdam dulcediois guſtus qoo dum oramns afficimnr. Quæ tria fructuū genera adeo diuerſa ſunt, vt quis primum aſſequi poterit abſq; duobus reliquis. Poteſt enim quis per orationis opus mereri & non impetrare tameo quod petiit. Quēadmodum Paulus qūi ſeſa ter oraſſe Dominum teſtatur quaten⁹ ei carnis auferret ſtimulū quo grauiter affligebatur, nō aſſecutus eſt quod petiit, & tamen certum eſt eum orationis ſuæ meritum nō amiſiſſe. poſſunt & ſine tertio rurſum priora duo ſimul comparari, id quod multis indies vſuuenire nō eſt dubium. Plnrimi haud dubie qui veniam admiſſorum implorant, aſſequūtur idipſum quod poſtulant, & præter hoc item handquaqnam fruſtrātnr ſuo merito, nec tamen ſemper ſuauitate reficiuutnr ſpiritali. Nam publicanns ille (cuius in Euangelio Chriſtus meminit) quum orans in templo criminū ſuorum petierit veniam dicens. Deus propitius eſto mihi peccatori; vtrumq; cooſecutus eſt, tā orationis meritū quam criminum cōdonationem. Deſcendit enim iuſtificatns io domum ſnam. Veruntameo quod aliqnam in corde ſpiritalem cooſolationem acceperit oon legimns. Conſtat itaque fructns iſtos adeo varios eſſe, vt non ſimul omoes cuiuis oranti contingāt ſemper. Cæterum vt quantæ præſtantiæ fuerit horum qniſque clarius dinoſcatur, de ſingnlis per ordinem pauca dicemus, & primum quid ſit orationis meritum.

DE PRIMO PRECATIONIS FRVCTV, HOC EST, de merito.

PRimum orationis fructum meritum eſſe diximus. Neq; tamen de quouis merito volumus intelligi, ſed de illo duntaxat cui reſpondet præmiū in cœlo, qnod vocāt eſſentiale. Certum equidem eſt neminem (quantumuis grauiſſimis onuſt⁹ peccatis fuerit) orationis ſuę merito prorſus omni cariturum. Remunerabitur enim aut in præſenti ſeculo prēmiis qnibuſdam temporariis, aut ſaltem quantum ad pœnas, mitius in futuro tractabitur, verum cæleſtis gloriæ portiunculam eius gratia ne minimā quidem aſſequetur. Id ergo meritū nemini conuenit, niſi cuius oratio iam ex radice charitatis proficiſcitur, hoc eſt, qui tum in ſtatu gratiæ fuerit quum orat. Quiſquis igitur huins meriti non expers eſſe cupiat, primum enitatur oportet, vt charitas in eius animo radicetur. Atq; ita non ſolum oratio eius, verum etiam operatio quæque meritoria cenſeri debet, ſed & quāto magis ex charitate proficiſcitur, tantō magis erit meritoria. Quo fit vt & maxime mereantur, hi qui pro ſuis inimicis obnoxij erant, qnum id genus orationis ex tam alto gradn charitatis enaſcatur. Operæprecium igitur fuerit cuiq; qui meritū huiuſmodi ex oratione ſna reportare voluerit, vt ſtudeat in primis non carere charitate, hoc eſt, vt ſit in ſtatu gratię. Quod & facillimū fore cuiq; quātumuis grauiſſimo peccatori, Diuus Chryſoſto. ſuper Euangelium Ioannis pluribus affirmat. Tantum à peccatis reſipiſcat quiſquis eiuſmodi velit eſſe, ac nouam in Chriſto vitam ingredi conſtituat ſecum, & iam iuſtus ex peccatore factus eſt, habetq; charitatē, & eſt in ſtatu gratiæ. Quæ ſententia nimirum ex Ezechiele confirmari poteſt, quin & omnipotentis ore pollicetur, quod in qnacunq; hora peccator ingemuerit, omnes iniquitates eius obliuioni tradentur. Omnium (inqnit) iniquitatum eius non recordabor. At peccata non per alia creduntur è Dei memoria deleri, niſi per donū gratiæ & charitatis. Quo fit vt peccator (qui reſipuerit à peccatis) hoc eſt, quem vere pœnitet prioris vitæ, totus iam factus obediens Chriſto, vere creditur in ſtatu gratiæ charitatiſq; repoſitus. Quamobrem qnum à priſtinis delictis reſipiſcentia, ac veteris vitæ cōmutatio partim à propria voluntate pendeat quæ cuiq; libera eſt, partim ex auxilio diuinæ gratiæ, quæ nemini deeſt niſi qui defuerit ſibi, facillimū erit cuiq; peccatori, vt iam vel hoc momento iuſtus ex peccatore fiat, modo velit idipſum efficaciter, ac ſpem in Deo ſolidam repoſuerit. Quicūque igitur iam quum ſit oraturus fidem ſuam reoouat in Chriſtum Ieſum & vitæ prioris impuritatem deteſtatus ſtatuat ſecum deinceps à peccatis abſtinere, cæteraque facere qnæ decretis Ecclcſiæ conueniunt, is in ſtatum charitatis & gratiæ putandus erit hauddubie, neqne fructu carebit orationis ſuæ, hoc eſt, merito eiuſmodi; cui præmium in ęterna beatitudine reſpōdebit. Atq; hactenus de primo orationis fructu.

DE REI POSTVLATAE IMPETRATIONĒ, QVI SEcundus fructus dicebatur.

ALterum fructum eſſe diximus, impetrationē rei poſtulatæ. Quiſquis hoc fructu potiri velit, non ſolum ei ſatis fuerit, vt charitatis ſit particeps, verum etiam oportet, vt baſi profundæ hnmilitatis innitatur, ſic vt orantis animus indignū exiſtimet ſeſe cui beneficium aliquod à Deo conferatur, aut quicquam inſpiretur boni, nec tamē ceſſet gratias agere pro iis quæ ſuſceperit, ſibi nihil

hil tribuens, ſi quid ſit recte actum, ſed Deo totum acceptum referens, quicquid boni fuerit, ſibi vero quicquid fuerit mali. Poſſumus enim reuera confiteri, quod ex nobiſipſis nihil vnquam operis boni profectum ſit, ſed quæcunque nos egimus (quatenus à ſolis nobis proceſſerint) peccata magis & iniuſtitię dici mereantur, quam virtutum opera. Nos vtiq; quoties recte operamur, in Dei manu poſiti ſumus, quemadmodum in fabri manu tenetur malleus. Et vt faber inter operandum ſuo malleo velut inſtrumento quodam vtitur, ſic Deus nobis tanquam inſtrumentis vtitur, quoties recte operamur. Nam quæcunq; per nos recte agi videntur, non ipſi ex nobis ſed Deus in nobis operatur. Quamobrem vt malleo ſeipſum aduerſus fabrum iactare non licet, nec ſibi aſſcribere quod vel hunc clauum vel eam clauem effinxerit (malleus enim haudquaquam clauem, ſed faber malleo ſeu inſtrumento quodam vtens effingit) ita neque nobis aduerſus Deum licebit aſſerere quod ex nobis ipſis aut noſtris duntaxat viribus hæc egimus opera, ſed per auxilium gratiæ ſuæ qua nos (vt faber malleum) concitat ad opus, & per nos tanquam per inſtrumentum producit opera. Gratias igitur Deo maximas & quãta poſſumus humilitate cuncti debemus agere, quod in iis operandis nobis velut inſtrumentis quibuſdam ſit dignatus vti, quum per alios, ſi tamen id eius benignitati libuiſſet, eadem licuiſſet operari, & tanto fortaſſe fructuoſius quo fuiſſent illi (quam ſumus ipſi) diuinæ gratiæ obſequentiores. Cæterum quando quis hac conſideratione ſeipſum in conſpectu diuinæ maieſtatis humillime depreſſit, opus eſt præterea vt quod in oratoria ſua fuerit poſtulaturus, diligentius examinet, num ſaluti propriæ forſitan aduerſetur. Nam eiuſmodi nihil cuiquam à benigniſſimo Deo licet expectare. Deus enim cum ſit ſuapte natura benigniſſimus ac beneuolentiſſimus, non poteſt ſupplici ſuo concedere, ſi quid is petat, quod eſſe ſciat ei damno pariter & exitio futurum. Et nouit ſane Deus omnia tam quæ nobis obfutura quam quæ profutura ſunt, priuſquam petamus quicquam. Atque ob id non ſemper quæ petimus, ab eo protinus aſſequimur, & maxime quum viderit in noſtram pernicien ea verti poſſe. Sed & tertium quiddam exigitur, vt hunc fructum impetremus, nempe vt ad ſeipſum ſpectet id, quod quis precatur. Quanquam enim pro proximis noſtris orare teneamur, haud ſemper tamen ad eum modum orantes exaudimur, & præſertim quantum ad hunc fructum attinet. Nam ille fortaſſis cui rem impetrare conamur, aut indignus eſt cui concedatur, aut res ipſa ſaluti eius minime conducibilis. Veruntamen, etſi rem quam petimus, non conſequimur, oratio non erit prorſus inanis, neque prorſus omni fruſtrata merito. Meretur enim ipſe nihilominus qui ſic orat, quum & propheta dixerit: Oratio mea in ſinum meum conuertetur. Perinde ac ſi dixiſſet. Mea quidem oratio, ſi quum pro aliis effunditur, non eis proderit, non omni tamen carebit fructu, ſcio quod ad meum ſaltem conuertetur meritum, ad me redibit vtilitas eius, & in ſinum meum haud abſque fenore reuertetur. Si precatio igitur cuiuſuis ſuper humilitatis baſi fundata fuerit, & pro ſeipſo ad Deum fuſa ſit, nihilque poſtulans, quod proprie ſaluti repugnet, pergat in nomine Domini quiſquis eiuſmodi fuerit, nihil hæſitans, quin (quod ita poſtulat) ſit impetraturus. Non hæſitans, inquam, quoniam ita diuus Iacobus pollicetur: Poſtulet (inquit) in fide nihil hæſitans & dabitur ei. Et Dominus item in Euangelio: Quicquid (inquit) orantes petitis, credite quia accipietis & fiet vobis. De ſecundo igitur orationis fructu & quomodo ipſum conſequemur, hæc dicta ſufficiunt.

DE TERTIO ORATIONIS FRVCTV.

TERTIVM orationis fructum, ſpiritualem quandam dulcedinem (qua noſter animus inter orandum afficitur) eſſe diximus. Cuius quidem fructus quiſque voluerit particeps eſſe, eum non ſolum charitatem & humilitatem ac cætera paulo ſuperius enumerata poſſidere neceſſum eſt, verum etiam oportet orationi quam tractat, vehementer attentum eſſe, neque permittere, vt animus quoque foras euagetur. Quanquam enim attentio quibuſcunque neceſſaria ſit, qui cupiunt ex oratione ſua priores duos reportare fructus, hoc eſt meritum & rei poſtulatæ impetrationem. Poterit nihilominus ad vtriuſuis horum conquiſitionem ſufficere, ſi precantis animus in ipſo orationis principio fuerit attentus, ſic tamen vt ſua ſponte vagari neutiquam ſinatur. Nam ſi (quum primum orationi incumbat) mens ipſa velit & ſtudeat intendere, tametſi poſtea fragilitate quadam abducitur, aut obliuioſa quapiam negligentia, non ob id prædictos fructus eſt amiſſura, ſed virtute primæ illius attentionis valebit & meritum & rem poſtulatam impetrare. Quæ res dilucidior fiet exemplo quod iam expromemus. Si cui fuerit animus iaciendi lapidem ad locum deſtinatum, non erit neceſſe, vt manus eius qui iacit, perpetuo cum ipſo lapide feratur, ſed virtus primi impulſus quam ipſo initio, iactoris manus impreſſit lapidi ſufficiet vt lapis ipſe deſtinatum ſcopum attingat. Nec ſane diſſimiliter eueniet cuipię oraturo, qui ſuas ad Deum preces iaculatur. Satis enim erit, ipſo principio fuiſſe attentũ, ſi tamen ad finem vſq; bonam habuerit ita perſeuerandi voluntatem. Nam is haud dubie (quanquam animus ilico vagetur) neutro tamen orationis fructu iam dicto carebit. Cæterum qui tertio fructu potiri velit, hoc eſt ſpiritualis dulcedinis conſolatione refici, neutiquam ei ſufficiet, ſi (quum primum cœperit orare) fuerit animo collectus & attentus, verum ab initio ad finem vſque perſeueret neceſſe eſt, animum alio nuſquam deflectens aut diſtrahi ſinens, ſed in illum

lum ſolum (quem orat) mentis aciem dirigens. Operæprecium igitur illi fuerit, qui ſpiritualem in oratione dulcedinem guſtare cupit, quod priuſquam orationem aggrediatur, animum ſuum à vagis cogitationibus excutiat, ſpiritumque ſuæ mentis diligentius præparet, ſed & animi neruos omnes intendat & pro viribus coadnuet in Deum ne per ſucceſſum orationis, leui quapiam negligentia, mens ad alia cogitanda diſtrahitur. Ob quam cauſam & patres antiqui magna præditi ſanctimonia quoties eſſent oraturi ſuos animos colligere ſtuduerunt, ac variis modis intra ſeipſos deuotionem excitare, nunc flectentes genua, nunc ſolotenus proſtrati iacentes, aliquando brachia tenentes in crucis modum, nonnunquam manus in cælum leuantes, interim ſolitarij & cogitabundi ſedẽtes, ac dulciter cum Deo colloquentes, deuote Pſalmum aliquem aut hymnũ cantilantes. His nimirum & aliis modis qui ſibi commodiores videbantur, ſeipſos ad cõtemplatione & deuotione mire efficaciter excitare conſueuerunt, vſq; adeo vt ſuauitatem omni ſaccaro delicatiorem & prorſus ineffabilem deguſtarint quam crebèrrime. Præcellit equidem vnicus huiuſce ſuauitatis guſtus incomparabiliter omnem huius mundi voluptatem. Nam ex eius rei præſentia naſcitur, quæ intra ſeipſam amplectitur omne ſuanitatis genus, quæque fons eſt & origo cuiuſuis bonitatis, cui demum quicquid aliud contuleris, nullius momenti exiſtimabitur. Et ea res nimirũ Deus eſt, qui ſæpenumero ſuis deuotis contemplatoribus ſe cum maxima gratia præſentem exhibet. Quo fit vt quum illa præcellentiſſima bonitas ſpiritu mentis noſtrę deguſtatur, ſuauitas ilico miranda per animum diffunditur, omnem vſque adeo cogitationem humanam ſupergrediens, vt lingua mortalium explicari nulla poſſit. Verum ſuauitas iſtiuſmodi non paſſim ab omnibus neque omni tempore ſentitur, ſed tum quum fuerit oportunius profutura. Nam vt medicus non ſemper quoties ægrotus poſtulat, medicinam adhibet, ſed differt aliquoties, nempe commodiorem expectans oportunitatem, quando plus viderit ipſum ægroto profuturum, ita nimirum & Deus bẽnigniſſimus facit. Differt enim aliquoties ſpiritualem iſtiuſmodi conſolationem adminiſtrare in tempus vſque magis oportunum, quippe quum nouerit huius ſuauitatis donum in noſtris animis fore conducibilius maioremque fructum nobis allaturum. Quocirca plerique tametſi Deum precibus aſſiduis pulſitent quatenus hac ſpiritali dulcedine reſocillentur, non tamen adeo celeriter impetrant, atque cupiunt ipſi, quam Deus velut peritiſſimus medicus ſuum tempus nempe magis oportunum exſpectat. Atque ideo forte, quod ſi protinus exaudiret orantem, aduertit eum, aut facile inde ſuperbiturum aut ſorte crediturum ſe ſuis viribus (quoties voluerit) hanc gratiam poſſe conſequi. Differt itaq; ſæpenumero ſanctiſſimus Deus negotii huius expeditionẽ quoad viderit orantis animum depreſſius humiliatum, & bonis inſtitutis ſolidius confirmatum, ſanctiſque ſedulo deditum exercitiis, vt ita cum ampliori tandem fœnore, conſolationis huius efficiat participem. Vt igitur in ſumma dicã: Quiſquis huius dulcedinis guſtu quærit affici, hunc imprimis oportet ſeipſum quanta poteſt humilitate ſupprimere, minimique momenti ſeſe exiſtimare, & plane indignum cui non ſolum huius ſuauitatis guſtus, verum etiam quodlibet aliud à Deo donum conferatur, ſed & cibum quo veſcitur ac ſolum quod pedibus terit nullo ſuo opere mereri poſſe. Oportet linguæ ſuæ iuſtum adhibere moderamen & parce loqui, ac ſilentium potius quam ſermonis licentiam affectare, niſi quum aut charitas vrgeat aut vehemens impellat neceſſitas, aut demum aliqua commoditas, vel ſibi vel proximo ſit inde veriſimiliter euentura. Sed & modis omnibus enitendum eſt vt quoad fieri poterit, Dei ſemper ſit memor, præ oculis eum habeat, præſentemq; cogitans velut inſpectorem omnium, quæ ſit acturus. Chriſti quoq; incarnationem crebra memoria repetat, ſimulque & vitę proceſſum ac paſſionem & mortem eius frequenter inculcet, ſed & cæleſtem gloriam, qua nunc Angeli & beatorum animę perfruuntur, ſæpe meditetur, ſemper fugiens (quantum licebit) inanes & infrugiferos animi cogitatus. Heu miſeris nobis, qui plerumque mentem noſtram tam eximiam Dei creaturam, cogitatibus eiuſmodi non ſolum inutilibus, ſed & vehementer exitialibus occupamus, quum illarum quas præmiſimus rerũ memoria, ſit negotium longe conducibilius, occupatio multo iucundior, ac ſtudium denique pręſtantiſſimum, quod mortalibus in hac vita cõtingere poſſit. Eſt enim quaſi ſubobſcura cęleſtis voluptatis choruſcatio, & quaſi quædam ſcintilla futuræ beatitudinis, ac demum arra quępiam vitę perpetuo duraturæ. Quod ſi quiſpiam in hac moribunda vita felix beatuſque dici poterit, is eſt profecto qui in dictarum rerum memoria ſedulo verſatur, quiq; ſe totum contradidit orationi, deuotioni, contemplationi. Sed quoniam de tribus iis orationis fructibus iam ſatis nos dixiſſe putamus, ad orandi modum aliquatenus explicandum conuertemur.

TERTIA PARS DE MODO ORANDI.

ORandi modus quis debeat accommodatior exiſtimari, facilius intelligem', ſi tria de quibus iã tractaturi ſumus perſpecta nobis fuerint & plane cognita. Quorum primum eſt. Cui potiſſimum rei debeamus inter orãdum attendere. Nũ verbis ipſis? an verborum ſenſui? An potius ei cui preces porrigimus? Alterum eſt quantam in orãdo vel breuitatẽ vel prolixitatẽ nos oportet tenere, hoc eſt an breues an prolixas facturi ſumus orationes. Tertium denique, num orare ſola mẽte fuerit conducibilius, quam mente ſimul & ore proferre? Hæc tria profecto ſi nobis cõperta fuerint & explorata, dilucidum erit deprehendere, quis orandi modus præſtantior haberi debeat & potẽtior. Quamobrem & de ſingulis aliquid diſ-

quiramus, boc eſt de attentione, de prolixitate, & de pronunciatione.

Cui rei magis intendere debeamus inter orandum.

PRincipio iſtud excutiamus, in verbisne, an in verborum ſenſu, an potius in eum (quē oramus) noſtræ mentis acies dirigenda ſit, bic primū dicimus, quod ſi quis tantæ fuerit dexteritatis, vt ſimul poſſet iis omnib. intendere ſic quod attentio vel ad verbā, vel ad verborū ſenſum nihil remitteret attentionem mentis in Deum, is orandi modus eſſet potiſſimus. Verum quia vix fieri poteſt, vt vna dictarum attētionum aliam haud impediat, idcirco de tribus illis quę ſit potior, ſingulatim diſquiramus. Ex iis nimirū nemo qui rem diligentius expedit ambigere poteſt eam attētionem quæ in Deum fertur præcipuam eſſe & maxime meritoriam, cæteris paribus, hoc eſt ſi nihilo remiſſior fuerit ea quæ ad Deum fertur, quam quæ ad verba vel ad verborum ſenſum, Idque nō ſolum intelligi volumus in iis orationibus, quas quis admittit ſua ſponte, verum etiam in aliis ad quas per Eccleſiæ conſtitutiones obligatur. Pleriq; ſane tam imbecilles & ſcrupuloſos habent animos, vt quoniam verētur vel in aliquo verbulo ſe lapſuros, aut ſyllabam aliquam in dicendis officiis ſuis prætermiſſuros, omnes animi neruos ad verba diſtinctius explicanda teudunt. At ij nunquam (vt opinor) aut quam rariſſime deuotionis guſtant ſuauitatem, ob quā præcipuę priores patres officia diuina, quas horas canonicas appellamus, dicenda conſtituerunt. Nam eo ſpectabant maxime priſci illi & ſancti viri, hoc eorum inſtitutum & ſtudium erat acerrimum vt ſacerdotum animi qui mediatores inter Deum & plebem forent his officiis dicendis ad cōtemplandum Deūm excitarentur in amorem ipſius. Quocirca ſi quis verbis exprimendis attentus fuerit vſq; adeo vt ſcopum illum quem ſanctiſſimi patres (quū ipſa diuina officia nobis tradiderint) maxime ſpectandum iudicarunt, non attingat, huius orandi modum tanquam & præ cæteris maxime frugiferum comprobare nequeo. Nolim tamen vt alij qui tam properanter officia dicenda percurrunt, vt vix à ſeipſis intelligi queant, nihil aduertentes, neq; præcellentiam eius quem orant, neque verborum ſenſum. Nolim inquam, vt hi ſuis erroribus deſenſiunculam aliquā ex meo ſermone prætexant. Neq; enim illud dixi eo animo vt prorſus condemnē eos qui verbis dicendis intendunt, quoſq; legibus non dubito ſatisfacere, ſed potius vt ſuaderem eis præſtantiorem orandi modum ſimulq; & frugiferū magis. Cæterum & illi qui cum primis intenti ſunt verborum ſenſui fieri poteſt, vt plerumq; ſpiritalis cuiuſq; dulcedinis conſolationem accipiāt. Verum (quantum opinor) haud meram ipſam & ſynceram ſuauitatem deguſtant, quę conſurgit ex vnione quadam & cōiunctione animorum noſtrorum ad Deum. Fieri quidem poteſt, vt per iucundū alicuius ſcripturæ ſenſum ad hanc vnionem perducamur, atque ita tandē in ipſa meræ ſuauitatis penetralia. Verum ea dulcedo quæ ex ſolis ſcripturis oritur, longe remiſſior eſt quam quæ proxime manat ex ipſo diuinitatis ſonte. Scriptura namq; Dei quanquam ex Deo proceſſerit, creatura tamen eſt. Et quicquid creatū noſtras mentes occupat, quantumcunq; præſtantiſſimum, quod tamen non eſt Deus ipſe, id inter nos & Deum interponitur, ita vt noſtris mentibus impedimento ſit, quo minus intime cum Deo copulentur. Ac proinde ſinceram illā (quæ ex ipſo ſonte guſtatur) minuit ſuauitatē. Quamobrem licet illi qui verborum ſenſum dūtaxat intendunt aliquam interea ſpiritalem conſolationem ſentient, longe tamen remoti ſunt ab illa mera ſuauitate, de qua ſum locutus, quam ſoli deguſtant hi, qui nihil cogitant præter ipſum Deum, quique nihil inter Deum & ſuas mentes habent interpoſitum, ſed Deo ſoli proxime copulentur. Id quod fit quoties amicus relicta cuiuſlibet alterius rei cogitatione cunctas imagines & phantaſmata creaturarum ſupergrediens nihil aliud in memoria ſua verſat quam ipſum Deum, tunc enim proximi & coniunctiſſimi Deo ſumus. Cui ſi corda noſtra dulciter affigi & cohærere ſenſerimus, ſuborietur tandem ſuauitatis illius guſtus quā ſolus is intelligit, cui guſtare datum eſt. Sed illud aduerte, quod cogitatio quam ſibi de Deo format animus, nec ſub ratione coloris eſſe poteſt aut lucis aut figuræ, aut demum alicuius imaginis corporeæ. Nā hæc omnia cum ſint creata plane, citra Deum ſunt. At nos animi noſtri cum ſolo Deo coniunctionem quærimus, & nō cum alia re quauis citra Deū. Si quis igitur ipſum Deum cogitare velit, mente ſua volitet ſupra omne quod creatum eſt, ipſum ſolum animo concipiens, quod ſummum eſt, quod pręcellentiſſimum eſt, quodq; cæteris omnibus immenſo ſupereminet interuallo, hoc ſi potes, præſens tibi cogita, nec tamen ſub oratione coloris aut lucis, aut imaginis, aut figuræ cuiuſuis, & iam ipſum Deū cogitaſti, in quo negotio ſi fueris aſſiduus & teipſum diligenter exercueris, peruenies tandē ad ipſius indicibilis ſuauitatis guſtū, atque ita ſimul triplicem orationis tuæ fructum conſequeris. Veruntamen ſi modus iſte cuiquam, ipſo principio difficilis videatur, ſeipſum primū exerceat de Chriſto Ieſu cogitando, qui pręter hominem etiam verus Deus eſt. In hunc igitur ceu verum Deum aciem ſuæ mentis eleuet, incarnationis, ac ærumnarum, & diræ necis eius memor, ſed & gloriæ quoq; qua nunc in cęlis totus perfunditur ad dexterā Patris reſidens. Quiſquis vel huic vel alteri cuiuis de Deo cōmodiori meditationi diligentē nauauerit operā, emerget tandē ex bac humanitatis Chriſti corporea cogitatione in ſpiritualē quandā contemplationē diuinitatis eius. Quæ via nimirū proxima eſt, qua pertingat quis ad ipſius puriſſimæ ſuauitatis guſtū. Cæterū ſi guſtū hunc non aſſequatur, nēpe Deo ſubtrahente, vel quia videt id nobis adhuc parū profuturum, vel quia tepidiores in orando ſumus, ac pro rei dignitate non ſatis attenti, certum eſt tamen,

quod

quod orationis meritum non amittemus. Optimus igitur & puriſſimus orandi modus fuerit, ſi quis poſtquam animum collegerit, & mentis aciẽ in Deum ipſum direxerit vt vere præſentẽ, hunc maximo cordis affectu, preces (quas dicturus eſt) ſeu intellectas ſiue non intellectas offerat, ſeque totum inſinuet & affigat Deo. Ad hunc ſane modum ſi perrexerit, hoc eſt, ſi fixus in Deo nuſquã alio vagetur, multo magis proficiet in amore Dei (qui verus precandi finis eſt) quam ſi verbis aut verborum ſenſui fuerit intentiſſimus. Nam hæc affixio mentis in Deum plerunque comitem habet tãtam cordis eleuationem, quod animus creberrime rerum omnium terrenarum oblitus neſcit vbi ſit, perinde quaſi à ſeipſo fuerit alienatus. Sed & nõnunquam tanta ſpiritus fieri ſolet commotio, vt non aduertens, vociferetur aut quippiam aliud agat, cuius poſtea non fuerit conſcius. Quoniam Spiritus adeo potenter operatur in eo, vt ab eiuſmodi motibus, nequeat ſeipſum cohibere. Et quemadmodũ pleriq; ſanctiſſimi patres qui & in hac arte peritiſſimi fuerunt, atteſtantur, quod ſæpenumero tanta ſuauitas inter orandum guſtatur, quod & in carnẽ ipſa redũdat, ita quod caro etiam tantæ ſuauitatis fiat particeps, & talis nimirum, qualem nunquam antea ſenſit. Cui rei & propheta Dauid aſtipulatur, inquiens: cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Perinde ac ſi dixerit: Cor meum benignitate quadã Spiritus, adeo mirificam ex Deo concepit dulcedinem, vt eius delectatione caro etiam perfundetur, qua & vſq; adeo exultauit caro, vt præ voluptate ſeipſam cohibere non valuit. Hæc nimirum exultatio ſcintilla quædam eſt æternæ vitæ, quam poſt vniuerſalem corporum ſuſcitationẽ habituri ſumus. Tunc enim animi gloria exuberabit, adeo vt diffluet in corpus, & vtrumq; tam corpus quam animus voluptatis exuberãtia plene ſatiabitur. Quantum igitur ad hanc primam quæſtionem ſpectat, ex dictis colligi poteſt, quod potiſſimus inter orandum attendendi modus eſt (ſi quem oramus) hoc eſt Deũ velut præſentem animis noſtris adeſſe cogitemus, atq; indeſinenti memoria complectamur, præque cordium oculis quaſi aſpectu quodam indeclinabili teneamus ſemper. Quod quanquam huius exercitij principio difficile videbitur & moleſtum, vſu tamen & ſucceſſu quodam temporis gratius ac iucundius euadet, iis præſertim animabus, quæ Chriſti bono quodam odore ſunt nonnihil afflatæ. Sed iam ad alteram quæſtionem accedamus.

Quam prolixa ſit futura oratio.

QVantę prolixitatis oratio debeat eſſe, iam ſecundo loco diſquirendum eſt. Poteſt enim & breuior eſſe & prolixior, verum quanta breuitas aut quanta prolixitas expediat magis, id ad orationis modum attinere videtur. Dici igitur poteſt, quod tametſi Chriſtus Ieſus ſemper orandũ eſſe monuerit, non ita intelligi debet, quod actu ſemper oremus, quum nemo poſſit in ipſo opere orationis durare ſemper. Neq; enim humana fragilitas quenquam ſinit, vt omni momento ſit orationi, ſiue quæ voce, ſiue quæ mente formatur, intẽtus, ita quod nunquam alio deflectat animũ. Et tamen Chriſtus verum admonuit, quãdoquidem omni momento nobis imminet orandi neceſſitas. Nullum enim temporis momentum eſt, quo non ſit opus nobis ope diuina. Quamobrem & ipſa nobis à Deo ſemper implorãda eſt, tametſi noſtra nequeat infirmitas in hoc negotio perſeuerare ſemper. placet igitur grauiſſimis authoribus, vt eatenus oratio protrahatur, quatenus ad finẽ conducat, cuius gratia fuerat primum inſtituta. Nam vt medicamen haudquaquã ampliori magnitudine miniſtratur ægroto quàm quanta fuerit ſatis ad ſanitatem cõſequendam, quæ eſt finis artis medicæ, ita & oratio tantæ prolixitatis futura eſt quanta ſufficiet vt finis proximus comparetur. Porro finis proximus præcipuus, ob quem oratio fuit inſtituta, charitatis feruor eſt, quæ & vera ſanitas eſt animorum. Tepidos enim aſpernatur Deus, quibus & in Apocalypſi frigidos anteponit: Vtinã (inquit) calidus eſſes aut frigidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere. Ecce quantum ſuper tepidis nauſeat animus Dei. Conandũ eſt igitur modis omnibus, vt ſimus in charitate feruidi. Ob quem ſane feruorem in nobis concitanda oratio cum primis neceſſaria eſt, quẽ vbi aſſecuti ſumus, ad opus omne (quodcunque ſperamus Deo gratũ) alacres efficimur, pro quibus & tandem æterna donabimur beatitudine. Præcipuus itaq; noſter conatus inter orandũ eſſe deberet, vt charitatis feruor in noſtris cordib. accenderetur, atq; ita prolixitate orationis moderari conueniet, quatenus is finis in nobis acquiri ſimul & enutriri poſſet. Quando igitur inter orandum deprehendimus hunc feruorẽ ſemel accẽſum iam per corporis laſſitudinem frigeſcere, tum ab oratione ſurgendum eſt, neq; diutius orandum, ſed alteri cuipiam virtutis inſiſtendum eſt exercitio. Nam ſi feruorem hunc in nobis penitus extingui ſinamus, non ſolum non aſſequimur finem qui per orationem intenditur, verum etiam haud leuem anſam præbemus inducendi contrarium. Nam protinus vt per nimiam orãdi prolixitatem is feruor in animo noſtro tepuerit, interno mentis ſolatio deſtituimur. Quo fit vt plerumq, foris vagemur, aliquã nobis cõſolationem è ſenſib. quæritantes, quæ ſæpenumero pernitioſam animi diſſolutionẽ introducit, atq; ad alia quæ non conueniunt ſenſim pertrahit mala. Id quod minime contigiſſet, ſi priuſquam feruor iſte prorſus extingueretur, ab oratione ſurrexiſſemus. D. igitur Auguſtinus quoſdam in Ægypto monachos laudat, qui breuiſſimis vſi ſunt orationibus. Dicuntur (inquit) fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, ſed tamen breuiſſimas & raptim, & quodammodo iaculatas. Ob id certe crebrius vſi fuiſſe videntur, vt feruorem dictum ſæpius renouarent, verum breuiſſimis non alia ratione ſunt vſi, quam ne prolixitatis faſtidio feruor conceptus tepeſceret. Iſtud igitur in primis enitendum eſt oranti, vt feruor

iſte

iſte ſemel accenſus non protinus emoriatur, ſed quamdiu vel augeri vel perpetuari poterit (niſi magna corporis deſatigario aut alia ſimilis vrgeat neceſſitas) non eſt ab oratione deſiſtendum, quamobrem & breuitas & prolixitas orationis hoc fine metienda eſt. Nam vt medicus finem ſpectans, hoc eſt ſanitatem, medicamen temperat, ipſumque miniſtrat ægroto nequaquam in tanta mole quanta poteſt, ſed quanta par eſt ad ſanitatem vel conſequendam vel conſeruandam, ſic & orans non quantum prolixe poterit, ſed quantum expediat pro ſeruore vel concipiendo vel perpetuando ſuam producere cõueniet orationem. Orans igitur quum ſe deprehendit ex vnione cum Deo ſuauiter affectum ac dulciter ardentem, pergat iam cum gemitibus & lachrymis gaudio plenis quod reliquum eſt orationis peragere, quemadmodum ſanctus ille Spiritus inter orandum ſuggeret. Nam quamdiu feruor iſte iam conceptus durauerit, niſi quippiam aliud obſtiterit quod vel Deo magis ſuerit honorificum, vel ipſi oranti magis neceſſarium aut proximo demum conducibilius, non conſulerem vt ab oratione ceſſaret. Verum quamprimum aduerterit hunc ſeruorem ob ſui corporis imbecillitatem tepeſcere, tum ſuo lucro quod iam acquiſiuit contentus intermiſſa oratione ad aliud negotium ſuo ſtatui congruum ſe diuertat, donec iterum orandi nouus excitetur affectus ſeu noua detur oportunitas. Porro quoties nouo quodam affectu ſe ſtimulatum ſentiat, hunc nullo pacto perire ſinat, quin ſaltẽ aliquo quanquã breuiſſimo Dei clementiam orationis iaculo petat. Nam cum is affectus, vt par eſt exiſtimare, à diuino Spiritu concitatur, non potes eum non complecti, niſi ſpiritui gratiæ te præſtiteris ingratum. Quamobrem & illi poſtpoſitis aliis negotiis (quantum neceſſitas patitur) magnopore inſeruiendum eſt, neque vllo pacto ſinendus eſt interire. Verum inquiet aliquis: Quomodo fiet vt quiſpiam in mediis ſeculi negotiis conuerſatus, poſſet ad hunc modum orationi intendere? Poterit, inquit Chryſoſto. & quam facillime, quanquam foro fuerit affixus ſeculari, & quanquam ante tribunal ipſum fuerit conſtitutus. Neque enim (vt idem ait) tam voce opus eſt quam cogitatione, neque tam extenſione manuum quam animi intenſione, ſi mentem tantum feruentem exhibeas, orationis perfectionem conſummaſti. Hæc Chryſoſtomus. Poteris igitur vbicunque fueris orare. Etſi forte fueris in quorundam ſodalitio, poteris vel ad momentum ab eis te ſubtrahere, & quaſi furtim breuem aliquam precatiunculam offerre Deo, quum dicat ſcriptura: Aquæ furtiuæ ſunt dulciores. Et reuera preces ita raptim & furtim in Deum iaculatæ ſæpiua vberiori gratia noſtras mentes perfundunt, & ardentiori quodam amore noſtra percellunt corda, ſuntque demum vt experti confirmant, ſponſo noſtro Ieſu Chriſto longe acceptiores. Quod ſi nullo pacto poſſes à conſpectibus eorum; quibus tum forte morem geris te ſubtrahere, potes ſaltem dum adſis apud eos mentem ad Deum leuare, quem tibi præſentem eſſe nec dubites, atque illum paucis verbis, mente ſola conceptis pulſitare dicens cum propheta. Intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ; aut illud: Deus in adiutorium meum intende. Quibus verbis Caſſianus affirmat nihil efficacius dici poſſe. Hæc paucula verba ſi corde dixeris, oratio tua cælos penetrauit, & his vbicunque locorum fueris vti poteris. Vbicunque fueris (inquit Chryſoſtomus) potes altare tuum conſtituere. Nihil enim locus prohibet, licet in officina ſedentem, & ſuentem pelles, animum Domino dedicare, licet ſeruo heri negotiis occupato precationem ſacere, licet idipſum in ſoro, licet in carcere, ſed & in media turbarum multitudine, ſicut Paulus orauit in carcere, Eſaias in cœno, Ezechias ad parietem, in lacu leonum Daniel, Ionas in ventre ceti, latro in cruce, & paucis exauditi ſunt. Hæc ſparſim Chryſoſtomus. Quiſquis igitur ad hunc modum de tempore in tempus ſeipſum exercitare voluerit, hoc eſt, nunc orando, nunc recte operando, ſemper incumbens feruori charitatis, vel comparando, vel augendo, vel enutriendo, nunquam ſinens hunc ſeruorem quoad commode licebit vel frigeſcere ſua culpa vel extingui, neque pios affectus, cum per Spiritum diuinitus inſtructi ſuerint, abſque omni prorſus fructu permittens interire, is haud dubie perueniet tãdem ad ingentem animi tranquillitatem, & placidiſſimam cordis requiem, ſimulque ad ineffabile mentis gaudium in Spiritu Dei. Quod certe gaudium incomparabiliter excellet riſus, ioca, ſolatia, voluptates, gaudia mundi huius, qui nihil eſt aliud quam merus ſicophanta præſtigiatorque vaniſſimus. Cæterum ad tertiam quæſtionem iam veniamus.

Num ſolius cordis oratio conducibilior fuerit, quam ea qua tam ore quam corde formatur.

SVpereſt vt iam diſcutiamus: Soliusne cordis oratio conducibilior oranti fuerit quam ea quæ ſimul ore cordeque profertur. Proteſtor hic inprimis quod non eſt animi mei inſtitutum quicquam in detrimentum orationis vocalis aſſerere, quæ vel conſuetudine quadam admiſſa eſt, vel per Eccleſiæ conſtitutiones introducta, ſiue per pœnitentiæ modum inflicta, ſeu denique per votum & animi ſponſionem quouis modo ſuſcepta, quibus quiſquam ad orationes vocetenus proferendas obligatur. Opinor tamẽ ei qui nullis eiuſmodi voculis ſuerit irretitus, ſed integra ſit in Chriſto libertate potitus, & qui puriſſimo & ſalutifero precandi ſtudet modo, plerumq; magis obfuerit ſi vocali ſemper oratione fuerit vſus, quam ſi cordis vnius orationi ſe dederit. Quoniam vt D. Auguſtinus in epiſtola quadam ad Probam de fructu ſcribens orationis, ait: Plerunq; negotium hoc, plus gemitib. quàm ſermonibus

monibus

monibus agitur, plus fletu quam affatu. Quod ſi negotium orandi gemitibus peragitur magis quam ſermonib[9], profecto plus valet oratio cordis vnde gemitus prorũpit quam oris vnde prodeũnt verba. Et iure quidem. Quoniã (vt Cypria. teſtatur) Deus non vocis ſed cordis auditor eſt, nec admonendus eſt clamorib. qui cogitationes videt. Homunculus igitur quiſpiam, qui ſumma cum humilitate proſtratus in terrã abiectiſſime iacet ſe peccatorem agnoſcẽs, ac ſuas miſerias detegens, intimaq; ſui cordis effundẽs coram Deo, neq; verba ſed lachrymas & gemitus edẽs, is haud dubie, quæ poſtulat impetrabit quam celerrime. Quæ res in Anna Samuelis matre clariſſime conſtitit. Optabat.n. Anna vehementer (quemadmodum in 1. Reg. ſcribitur) ſibi cum eſſet ſterilis filium dari. Ob quod & templũ frequentabat, diuinã benignitatẽ aſſiduis implorans precibus, quatenus in hoc negotio propitia foret ſibi. Neq; tñ ore formabat verba, ſed corde ſolũ. Nã ſcriptura teſtatur, quod ipſa loquebatur in corde ſuo nullaq; vox audiebatur, ſed labia mouebantur ſolũ. Quid multis moror? Hac nimirũ oratione nẽpe cordis, quod petiit impetrauit. Accepit enim filiũ quẽ tantopere concupiuit, quemq; multis gemitib. magnoq; lachrymarũ profluuio nullis tamen verbis ore prolatis poſtulauit. Is nimirum orandi modus aures diuinæ clementię vehementer mouet ac ſtipulatur. bis Hierony. explicãs illud Matthæi: Tu autẽ cum oraueris, in cubiculum tuũ, & clauſo oſtio ora Patrẽ tuũ. Mihi (inquit) videtur magis eſſe præceptũ, vt incluſa pectoris cogitatione, labiisq; cõpreſſis oremus Dominum: quod & Annam in Regũ volumine feciſſe legimus: Labia (inquit) eius commouebãtur & vox illius nõ audiebatur. Hæc Hieron. potẽter inclinat, vt nos velociter exaudiat. Sed & ſacer Dei Spiritus, hui[9] orationis dux & director, quẽadmodũ & Paulus teſtatur: Quid oremus, inquit, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitib. inenarrabilibus. hoc eſt, haud ſatis perſpectũ eſt nobis, quo debeamus modo quicquã petere, ſed ipſe Spiritus Dei noſtra interius exſtimulans corda, facit nos gemitibus inenarrabilib. id quod noſtræ ſaluti conducibilius eſt poſtulare. Neq; tamẽ inficias eo, quin deuotus quiſpiã exordiri ſuã orationẽ poterit verbis (quibus velit) ex ore prolatis, verum quamprimũ aduerterit cor eius aliquatenus accendi & ex diuino Spiritu dulci quadam iucunditate perfundi, tum cõmodiſſimũ foret dimiſſa verborum prolatione ductui diuini Spiritus intendere, & cũ ſilẽtio ſe totũ illius permittere moderamini. Nã vti paulo ſuperius dixi, finis quẽ in oratione præſtituere debemus, potiſſimũ eſt charitatis feruor, quo tandẽ accendũtur animi, quum per vigilantiſſimã orationem corda fortiter excitantur, & mẽtes ſublimiter erigũtur in Deũ. Quamprimũ igitur aduertimus, nos hũc finẽ eſſe conſecutos, tum operã impendamus oportet, vt idem quoad fieri poteſt perpetretur in nobis. Quod haud dubie melius tũ procedit ductu & ope te ſacerrimi Spiritus, quam verbis vllis noſtra prolatis induſtria. Quamobrẽ totis virib. iam diuini Spiritus inſtinctus & impulſus quocunq; ducat ſequendus eſt, neq; noſtra deinceps opus erit verborũ prolatione. Quemadmodum ſi quis vbi poſt ingẽtes labores traiecto mari portũ aliquẽ appulerit, naue dimiſſa qua venit in portum fini & inſtituto cuius gratia iam applicuit inſeruire ſtudet, neq; de naui illi amplius cura eſt. Sic nimirũ & qui vocalis orationis vſu tanquam vehiculo quodã ad intimã animi conſolationem atq; ſpiritalẽ in Deo feruorẽ peruenit, nunc præcipua cura & ſtudium intentiſſimũ illi eſſe debet, ne feruor iſte quouis pacto tepeſcat, & vocali iã oratione dimiſſa, Spiritũ huius feruoris miniſtrũ & impulſorẽ quocunq; rapuerit oportet ſequi. Iã non tuis verbis vtendũ eſt amplius, ſed quicquid Spiritus ille ſacer intus in corde ſuggeſſerit tibi, idipſum inflãmatis gemitibus, nulla expreſſa voce poſtulandum eſt. Cæterũ vt certius & apertius dinoſcas hunc orandi modum, hoc eſt, qui Spiritu & mente fit, multo præſtantiorẽ eſſe quam qui voce profertur. audi quid in Euangelio Chriſtus dicit. Spiritus eſt Deus, & qui adorãt eũ, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ecce quemadmodũ Deus res quædã eſt ſpiritaliſſima, ita & ſacrificiũ quærit maxime ſpiritale. Gratior igitur illi eſt oratio, Spiritu & mente oblata, quã craſſa prolatio vocum quæ non abſq; corporeo formari queunt aëre. nec te moueat quod hic dicitur, adorare, & non orare. Neutrum enim horũ ſine altero recte fiet vnquã, ſed cum oratur Deus, tum vere adoratur, & quum adoratur oratur quoq;. Ab electiorib. igitur & eleuatiorib. mentibus hoc eſt ſpiritaliſſimis vult Spiritu & mente Deus exorari, & tales quærit quẽadmodũ in Euangelio dicitur, qui adorẽt eum. Quamobrẽ & ſpiritales homines qui ſeipſos in orãdo non ſegniter exercuerunt, ſed & corda ſurſum cũ Deo leuata iugiter habere cõſueuerunt, guſtumq; feruoris huius aliquoties conceperũt, nihil ambigo quin multo magis oratione cordis profecerint, quàm ſi preces & Pſalmos ore pronunciãdos accumularẽt abſq; numero. Id quod pleriq; faciunt, ſuos animos onerãtes & ab ipſo potius orationis fine ſeipſos excludentes, ne ſpiritalẽ orationis dulcedinẽ guſtare queant vnquam. Et proculdubio ſtudium iſtud ac conatus explendi tã immenſum Pſalmorum numerũ, Dei viſitationẽ ſæpius ab eorum cordib. impedit & auertit quã ipſe alioqui paratus eſſet exhibere. Nã vt ſol vbiq; ſpargit ſui luminis radios, ſic & Deus vbiq; ſuæ bonitatis ſuauitatem diffundere præſto eſt, ſi nõ his obſtaculis, perinde ac denſis quibuſdã nebulis omnes animorũ aditus occluderẽtur. Neq; enim alij cuiuis rei oportet eſſe intentum, ſed vni Deo vacare, atq; id quidẽ tota mẽte quiſquis illius velit ſuauitatis eſſe particeps. At hi nõ vacãt Deo, ſed verbis raptim & ore proiectandis. Neq; diuinæ maieſtatis præſentiã aduertunt, ſed quãta poſſunt celeritate Pſalmorum numerum percurrere. Cuius rei ſtudio tantopere ſuos animos occupant & obruũt, vt ne ſtilla quidẽ ſupernæ dulcedinis ad eos valeat aſpirare. Et tamen ad hunc modum ſe Deo maxime placituros perſuadent ſibi, neque ſuis ante ſatisfacere conſci-

entiis

entiis quærunt, quam immenſam illam vtcumque percurrerint pſalmorum multitudinem. Quod ſi quicquam ex his (non dico quæ per Eccleſiam præcipiuntur) ſed quæ ſua ſponte dicenda ſuſceperunt, irrecenſitũ prætermiſerint, grauem inde ſibi formant conſcientiæ ſcrupulum, quo miſere torquentur, lacerantur, laniantur eorum corda: hi profecto non ſatis expendunt quod à diuo Hieronymo traditum eſt. Nempe quod melior eſt. S. pſalmorum decantatio cum cordis puritate ac ſerenitate ac ſpirituali hilaritate quam totius pſalterij modulatio cum anxietate animi. Mirum equidẽ eſt quod Chriſtum ſaltem in Euangelio non audiunt vel nõ aduertunt, quum orantes admonet ne multũ loquantur. Orantes (inquit) nolite multum loqui. Nõ quod his verbis intelligi debet quod Chriſto diſpliceat oratio prolixa quum & ipſe legitur in oratione fuiſſe prolixior, ſed noluit quod in verbis multiplicandis confideremus & præſertim quum affectus defuerit neue ſperaremus ꝙ ipſe vocum magis quam affectuum multitudine flecteretur. Deus enim vnico cordis noſtri affectu monetur magis quam quantacunq; precum numeroſa multitudine quæ ſunt affectuum expertes propter quod & D. Auguſtinus ait aliud eſſe multum loqui & multum affici. Aliud eſt inquit ſermo multus, aliud diuturnus affectus. Multum ille Deo loquitur qui verborũ numeroſa multitudine putat clementiam eius poſſe permoueri. Verũ ille non vocũ multitudine ſed affectuũ magnitudine ſolet inclinari. Et labiorum clamor obtuſum admodum in eius auribus ſonum efficit: At vehemens & ardens animi affectus penetrat quam celerrime. Quoniam affectibus noſtris multo magis quam vocibus delectatur Deus, & maxime cum ignitis ſuſpiriis & copia lachrymarum comitati cœlos petunt. Is nimirum orandi modus Deũ alioqui inuincibilem vincit & ligat omnipotentẽ. Et is haud dubie ſpiritu ac mente peragitur magis, Deoq; potius offertur, quam vllis verbis ore formatis. Nam ſpiritus vbi ſemel concitatus fuerit & ardore quodam ſuccenſus multo celerius expedit officium ſuum quam labiorum motus aut oris corporea formatio peragere poſſet. Quæ res vel ſola dilucidum facit id de quo iam prolixe diſſeruimus, nempe quod oratio ſolius mẽtis ac ſpiritus potior quam oris habenda ſit, quandoquidem & tardior eſt labiorũ agitatio corporeaque linguæ moles verba fabricantis ineptior eſt, ſed & oris nunc claudendi nunc aperiendi motus impeditior quam vt agilitati ſpiritus, & mentis queant inſeruire & præcipue quum ſpiritus ſemel excitatus fuerit iamq; factus ardentior. Sic enim tanta celeritate rapitur vt oris linguæ, labiorum & corpulentia ſequi nequeat, & ſi ſequatur nihil tamen afferet ſpiritui præter onus & grauamen: cunctos igitur quibus in deliciis habetur oratio, quique libenter huic inſeruire ſtudent & maxime quibus ocium eſt, plurimum huic impartire tẽporis admonitos eſſe velim ne ſe ipſos inutiliter onerẽt nimia precũ multitudine, ſed quantũ illis precibus parũ frugiferę ꝑcurrendis inſumpſiſſent tẽporis, tantũ iam affectibus ſuis in Deũ accendendis viſitationiq; Dei intra cordiũ ſuorũ penetralia ſuſcipiendæ largiter impẽdant vt ita demũ ſuauitatis inenarrabilis guſtum queant apprehendere. Quod ſane fiet ſi iuxta modũ quẽ præmiſimus ſe digne præparent animoſq; ſuos humiliter offerant in cõſpectu Dei, ſed & preces deniq; ſuas cum omni cordis attentione perſoluere ſtudeant. Licebit etiam & à vocalibus orationibus inchoare, talibus præſertim ex quibus ante facile conſueuerunt accendi. Verum vbi ſe poſt ingreſſum deprehenderint accenſos & ſuauiter affectos ac in Deum dulciter allectos, tum oratione vocali dimiſſa ſpiritus ductum ſequantur & cum gemitibus, ſuſpiriis, lachrymis orationi mentis incumbant. Id ſolum tunc poſtulantes quod ſpiritus ſuggeſſerit & maxime quod Deus eos non deſerat, ſed id inprimis tribuat quod ſuæ ſaluti viderit ſalubrius expedire: Ad hunc certe modum ſi perrexerint non ſolũ indies Deo gratiores euadẽt ſed & in feruore charitatis magis magiſq; ꝓficient, ſimileſque fient ſupernis illis Angelicis mentibus quæ Deum aſſidue contemplantur. Quid enim prohibet (quamuis hic in terris poſiti & putri carnis operti ſunt vaſculo) ſimilimos Angelis dici, quum ſimiliter orent vt Angeli hoc eſt ſpiritum, ſimilemq; guſtent, vt Angeli ſuauitatem, ſed & ſentiunt intra ſe pignus & arram beatitudinis qua iam Angeli perfruuntur, adeo vt nihil ad conſummatã ſimilitudinẽ iam deſit illis, præter futuram gloriam, qua protinus vt ex hac denſa terrarum caligine fuerint exempti potientur in cœlis, certa quadam & ſecura fruitione nunquam eis in poſterum auferenda.

PSAL-

PSALMI SEV PRECATIONES, DOMINI IOHANNIS EPISCOPI Roffenſis.

ITEM

PSALMI ALIQVOT SELECTI EX DAVIDE.

PSALMVS PRIMVS AD IMpetrandam remiſſionem peccatorum.

O Dominator Domine, Deus omnipotens, magne & terribilis, qui cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, verbo tuo feciſti.

Cuius potentia irreſiſtibilis, & miſericordia ſuper omnia opera tua.

In ditione tua vniuerſa ſunt poſita, anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ humanæ carnis.

Tu miſereris cui volueris, & clemens es in quem tibi placuerit.

Conſilium tuum in ſempiternum perſiſtet, & omnis tua voluntas fiet.

Tua eſt potentia, & imperium & gloria, qui es ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus nobis.

Pater miſericordiarum, & Deus omnis gratiæ, paciſque ac conſolationis, qui non vis mortem impij, nec delectaris in perditionibus animarum.

O Deus, miſericordia diues, qui propter nimiam charitatem tuam, qua dilexiſti nos, etiam cum inimici tui eſſemus, vnigenitũ filium tuum Ieſum Chriſtum miſiſti in hunc mundum, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam:

Miſerere mei, miſerere mei, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele tranſgreſſiones meas.

Laua me, Deus ſancte, ab iniquitate mea, & ab immunditiis meis purga me.

Scelera enim mea agnoſco Domine, & iniuſtitias meas contra me pronuncio.

Confiteor aduerſum me impietatem cordis mei, nam erga te cor perfidum ſemper habui ac rebelle.

Filius infidelis, & exaſperans, prouocaui te in vanitatibus meis.

Pater ſancte, peccaui in cœlum, & coram te, neque iam ſum dignus vocari filius tuus.

Quoniam irritaui iram tuam in multitudine iniquitatis meæ, & mentitus ſum in omnibus iuſtitiis tuis.

Reuerſus ſum à viis tuis, vt facerem malum in cõſpectu tuo, impie egi, & inique me geſſi, relinquens mandata tua, & detrahẽs correctioni tuę.

Auerti me, & non cuſtodiui fędus tuum, ambulaui in via non bona poſt cogitationes meas, eligens ea, quæ tu noluiſti.

Non te metui Domine Deus omnipotens, neque vultum tuum reueritus ſum, inobediens fui, & ceruicem meam induraui.

Frons meretricis facta eſt mihi, neſcio erubeſcere, ecce loquor ad te, ſed facio male magis ac magis.

Deſerui bonum, retrorſum abij, non poſui ſpem in te Deo factore meo, ſed aliunde præſidium & ſecuritatem parans.

Araui impietatem, iniquitatẽ meſſui, comedi fructum mendacij, quia cõfiſus ſum in via mea.

Proieci legem tuam poſt tergum, non attendens mandato tuo, nec recedens à ſtudiis meis prauis.

Non dedi cor vt reuerterer ad ſemitas tuas, te enim agnoſcere nolui, at impegi propter iniquitatem meam.

Non ſum reuerſus ad te in toto corde meo vſque in hunc diem, ſed mendaciter, & quemadmodum fidem frangit mulier viro ſuo, ſic fidem fregi tibi, ô Domine Deus.

Abominabilia enim feci, & malorum nihil me pœnituit, de malo ad malum tranſiens poſt concupiſcentias cordis mei prauas.

Tu ſcis omnia Domine, quo modo irritaui te in adinuentionibus meis malis, & vniuerſa mea delicta à te non ſunt abſcondita.

Eo ſam habui diſciplinam tuam, & ſermones tuos proieci retrorſum.

De malitia mea pęnitentiam non egi, ſed pręualui in vanitate multa.

In corde meo non fuit veritas, & iniuſtitiam operatæ ſunt manus meæ

Locutus ſum iniquitatem, & dolos parturiui, meditatus ſum cum corde meo verba mendacij, & conſumpta eſt in viis meis veritas.

Adſueſeci linguam meam loqui vanitates, perficiens voluntatem carnis & cogitationum, ſtudia & adinuentiones meæ contra te Domine Deus, vt prouocarem oculos maieſtatis tuæ.

Vidiſti hæc omnia Domine, & tacuiſti, ſed malum fuit in oculis tuis, & non placuit tibi.

In indignatione tua repudiaſti me, & diuiſus es à me tam multis diebus.

Tradidiſti me in deſideria cordis mei, vt ea facerem, quæ non conueniunt.

Væ mihi quod receſſi à te, multa mihi calamitas, quoniam flagitioſe vitam duxi.

Væ mihi deſertori, vt facerem conſilia & non

ex te,& perficerem cogitationes,ſed non ex ſpiritu tuo: propterea congregationes peccati ſuper peccatum.

Quotidie ignominia mea mihi ob oculos, & pudor faciem meam obtegit.

Et tu Domine Deus, quare obliuiſceris mei, & tam diu contines miſericordiam tuam à me?

Suſcipe cauſam meam poſt longam iram tuam: miſericors enim es, ne iraſcaris obſecro in perpetuum.

Ne repellas contritum & humiliatum, miſerum & abiectum, qui nomen tuum ſuppliciter inuocat.

Reuertere aliquantulum Domine Deus, & exorabilis eſto ſuper ſceleribus meis.

Ne facias mihi iuxta peccata mea, & ſecundum iniquitates meas ne reddas mihi.

Ne oſtendas potentiam tuam in miſerum, nec eum, cui nulla eſt virtus, tam dure perſequaris.

Veniant preces meæ ante vultum tuum, & iuxta promiſſa tua, recipias me in gratiam tuam.

Tuus enim ego ſum Pater iuſte, quem pretioſo ſuo ſanguine redemit vnicus tibi natus.

Et iam abominatur anima mea vitam meam, & te iudicem omnium veniam peto.

Humilio me ſub potenti tua manu, quoniam cum iratus fueris, miſericordiam facis, & in tempore tribulationis peccata dimittis.

Et ego peccatorem me confiteor, obſecrans te Domine Deus omnipotens pro bonitate tua, vt facias mecum iuxta magnam miſericordiam tuam.

Confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam delicta mea adſcenderunt in cõſpectum tuum.

In te, in te Pater peccaui, & quod malum eſt in oculis tuis admiſi, multa ſiquidem eſt iniquitas mea coram te. Profecto in te præuaricatus ſum ab incunabulis meis vſq; in hunc diem, iugiter faciens malum ab vberibus matris meæ.

En ego in iniquitate genitus ſum, & peccato inquinatum enixa eſt me mea mater.

Granum enim ſeminis mali ſeritur in corde meo, & ab eo quantum impietatis pullulauerit vſque ad hunc diem?

Tranſgreſſiones meæ mecum ſunt, & huc vſq; fero opprobrium adoleſcentiæ meæ.

Ecce Domine ſub peccato vænundatus ſum, & non inuenio in carne mea bonum.

Siquidem quod volo bonum, illud non ago, ſed quod odio mihi eſt malum, id facio.

Cuncta cogitatio cordis mei apposita eſt ad malum omni tempore, ab adoleſcentia mea.

Et quare morior in peccatis meis Domine Deus omnipotens? quũ tibi non ſit volũtas vt moriatur impius, tantum vt reuertatur, & viuat.

Tu etenim bonus es & propitiabilis, qui etiam indignos ſaluas iuxta magnam miſericordiam tuam.

Quanquam enim inſuſtentabilis ſit ira ſuper peccatores cõminationis tuæ, immenſa tamẽ & inperueſtigabilis miſericordia ꝓmiſſionis tuæ.

Tu feciſti miſericordiam in millibus à retro temporibus, quo magnum redderes nomen tuum, quemadmodum etiam nunc permanet.

Patres antiqui in anguſtiis ſuis ad te clamauerunt, & tu liberâſti eos: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

Cum non haberent vltra, quod agerent, hoc ſolum reſtabat, vt oculos ſuos ad te dirigerent.

Saluâſti eos propter nomen tuum, vt oſtenderes in eis fortitudinem tuam.

Multis vicibus prouocabant te iniquitatibus ſuis, & ad iracundiam concitauerunt bonitatem tuam.

Et quum tribulationem eorum & eos ſupplices tibi vidiſſes.

Recordatus pacti tui, pœnituit te, iuxta multitudinem miſerationum tuarum.

Miſerere mei, miſerere mei ô Domine Deus omnipotens: nam miſer & infœlix ego ſum, ſana me obſecro, quem percuſſiſti, propter iniquitatem meam.

Anima mea vehemẽter turbata eſt, & tu Domine, quouſq; non reſpicies?

Quouſque reprobabis orationem ad te vociferantis? anne in perpetuum? quouſque auertes faciem tuam à me.

Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, quas firmâſti in veritate tua?

Num iam deſines miſereri Deus? aut reprimes per iram bonitatem tuam?

Num proieciſti in æternum, vt nunquam poſthac ſis placidus?

Et manus tua non eſt inualida, quin iuuare poteſt: nec grauatæ aures tuæ, vt audire renuant.

Quamdiu voluam cogitationes amaras cum animo meo? quanto tempore dolor cor meum torquebit?

Quouſq; tandem ſuperabit me inimicus meus? reſpice & exaudi me ô Domine Deus.

Illumina oculos meos: diutius enim obdormiui in morte, & præualuerunt aduerſum me iniquitates meæ.

Reuertere Domine, reuertere, vt eripias animam meam, & ſaluum me facias propter magnam miſericordiam tuam.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis & gratiæ.

In morte quænam erit memoria tua? aut in inferno quis confitebitur tibi?

Viuens, viuens, ipſe te laudabit, & notam faciet miſericordiam tuam.

Domine, in ira tua ne arguas me, neq; in furore tuo vltionem de me ſumas.

Ne iacias ad me tela tua, neq; aggraues ſuper me manum tuam.

Iram tuam diutius tuli, & de calice furoris tui plus ſatis bibi.

Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, nulla mihi pax à facie peccatorum meorum.

Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ, & velut pondus immane quotidie me premunt.

Fætorem exhalant cicatrices meæ, propter ſtultitiam meam.

Miſer

Miſer ſum,& abiectus à facie tua,omni die męrens ingredior.

Anima mea plena eſt immunditiis,&in me toto nihil eſt ſanum:

Hinc fit, vt inimici mei crudelius me perſequantur, obrugio præ magnitudine doloris mei.

Cor meum in me fluctuabundum eſt, & fortitudo mea à me receſſit.

Domine, notum eſt tibi deſiderium meum, & neceſſitas mea te minime latet.

Propitius eſto peccatis meis propter temetipſum,ô Domine Deus omnipotẽs,& ſcelera mea coram te deleantur, nam ſecundum bonitatem tuam promiſiſti pœnitentiam remiſſionis peccatorum.

Propter gloriam nominis tui Domine miſerere mei, & ſolue tuam erga me indignationem, & tum vere iuſtus agnoſcẽris in verbis tuis, & vinces quum de te iudicabitur.

Siquidem per hoc annũciabitur immenſa tua gloria,cum miſertus fueris eorum,qui nõ habent vnde glorientur in conſpectu tuo.

Et bonitatem tuam diſcent omnes habitatores terræ, quum benefeceris nobis propter nomen magnum tuum, & non ſecundum vias noſtras malas,neque iuxta ſcelera noſtra praua.

Profecto Domine Deus, ſi nõ multiplicaueris miſericordias tuas erga nos, non viuificabitur ſæculum cum eis qui habitant in eo, & ſi non donaueris de bonitate tua, quomodo erigẽtur illi, qui iniquitatem fecerunt,de peccatis ſuis?

Miſerere mei,miſerere mei,ô Pater bone,&noli diutius mecũ iraſci propter nomen magnũ tuum.

Et propter nomẽ ſancti filij tui Ieſu, quem miſiſti propitiationem pro peccatis noſtris per fidẽ in ſanguine ſuo, propitius eſto mihi peccatori.

Ecce pater ſancte, ecce puerum tuum, quem elegiſti, en dilectum tibi filiolum, in quo bene cõplacitum eſt animæ tuę, ponens ſpiritum tuum ſuper eum, & mittens eum, vt euangelizaret pauperibus,ſanaret contritos,vt conſolaretur omnes lugentes,& prædicaret captiuis indulgentiam, & cæcis viſum.

Ecce paruulum tuum, qui natus eſt nobis: ecce filium tuum, qui datus eſt nobis, cui etiam non peperciſti,ſed pro omnibus ad mortem tradidiſti, oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis.

Vere languores noſtros ipſe in corpore ſuo tulit,& dolores noſtros ipſe portauit.

Infirmatus eſt propter peccata noſtra, & vulneratus propter ſcelera noſtra.

Diſciplina pacis noſtræ irruit ſuper eum, & liuore ſuo vulnera noſtra ſanata ſunt.

Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq; in viam ſuam declinauit, & tu Domine poſuiſti in eo iniquitates omnium noſtrũm, percutiens ipſum propter ſcelera populi tui.

Corpus ſuum dedit percutientibus, & genas vellentibus, faciem ſuam nõ auertit ab increpantibus & conſpuentibus in eum.

In dilectione & miſericordia ſua perditos redemit, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ, quæ in cœlis,& quæ in terris ſunt omnia.

Tradidit in mortem animam ſuã, & pro tranſgreſſoribus preces effudit.

Reſpice clementiſſime pater,quiſnam ille qui paſſus eſt,& reminiſcere obſecro,pro quibus paſſus eſt.

Hic eſt enim innocens ille, quem (quum eſſemus peccatores) pro nobis ad mortẽ dediſti: nũ non multò magis iuſtificati, nunc in ſanguine ipſius,ſalui erimus ab ira per ipſum?

Si reconciliati tibi ſumus(quum adhuc inimici eſſemus)per mortem filij tui, an nõ multò magis reconciliati ſalui erimus in vitam ipſius?

Ecce agnum immaculatum,qui peccata mundi tollit,cuius precioſo ſanguine redempti ſumus de iniquitatibus noſtris.

Ecce mitiſſimum innocentem, qui tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & dum male tractaretur,os ſuum non aperuit.

Ecce vnicum tibi natum, quem etſi ex omnipotente virtute tua genuiſti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluiſti.

Qui eum in forma Dei eſſet,nec rapinam arbitratus eſſet ſe æqualem Deo,ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & in ſimilitudine carnis peccati veniens, damnauit peccatum in carne,humilians ſemetipſum, tibi pater vſque ad mortem crucis:illicque chirographum,quod aduerſum nos erat decretum, delebat, & tollens de medio ſuffixit illud cruci,in qua expoliãs principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans eos in ſemetipſo.

Reduc, Domine Deus, oculos tuæ maieſtatis ſuper opus ineffabilis pietatis.

Intuere dulcem tuum natum toto corpore extenſum.

Obluſtra partes omnes à vertice capitis vſq; ad plãtã pedis,& nõ inuenieſ dolor ſicut dolor illius.

Attende, pie Pater,dilecti tibi filioli caput venerandum, horridis circumſeptum ſpinis, diuinum vultum viuo vndique ſpargens cruore.

En impube flagellatur corpus, nudum tũditur pectus,perfoditur cruentũ latus, anhelãs cor obpalpitat,extẽſi ſtringuntur nerui, decora languẽt lumina, regia pallent ora,melliflua exæſtuat lingua,interna areſcunt viſcera,liuida rigẽt brachia, oſſa diuellũtur ſolida, ſpecioſa debilitãtur crura, pedes immaculatos vnda purpurei ſãguinis eluit.

Adſpice mitiſſime conditor chariſſimæ prolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi figmenti tui debilitatem.

Specta glorioſe genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare obſecro quantula eſt mea ſubſtantia.

Conſpicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam.

Vide redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum.

Viam ſceleratam procul à me pelle, & doce me per Spiritum tuum ſanctũ viam veritatis eligere.

Obſecro te ô Rex ſanctorum,per hũc ſanctum ſanctorum,per hunc redemptorem meum,vt re-

Confuſus ſum in mēdacio, pœ dolore agnoſcere nolui, ſed ſeqnebar prauitates cocdis mei.

Arrogantia mea me decepit, & audacia cordia mei indenia me perdnxit.

Conſilia & cogitationes meæ fececunt hæc mihi: hæc eſt malitia & cebellio, quæ cocda hominnm poſſidet.

Depellituc à tranquillitate anima mea, & bonotum obliuio me conuoluit.

Aggrauatum eſt iugum tranſgreſſionũ mearum, eleuatum eſt & im plexnm collo meo.

Tu locutus es mihi, audice nolui: tu vocâſti me, non ceſpoodi, non credidi verbis tuis, nec ſuſtinui cooſilium tuum.

Verbum tuum vice opprobcij fuit mihi, & non poſui coc in ſermonibus tuis.

Peccuſſiſti me, at nihil doluit mihi, emendauiſti me, ſed diſciplinam cecipere oolui.

Cogitaui in corde meo, quod omois malitiæ meæ noo eſſe a mcmoc.

Ore meo & labiis meis glorificaui te, ſed coc meum longe fuit à te.

Occultaui ſicut Adam ſcelus meum, vt abſcooderem in occultis iniquitatem meam.

Os tuum non interrogaui, & nolui audire de lege tua.

Peccaui coram oculis tuis, & propterea inſtabilis facta eſt anima mea.

Te enim deſerui fontem aquarnm pecennium, vt effoderem mihi conculcatos puteos & lutoſos, qui non babent aquas.

Et in iis omnibus non ſum ceuerſus ad te, neque faciem tuam precatus ſum, vt cecedecem à viis meis prauis.

Vide Domine & intuere, qnam vilis facta ſum, periit à me omoia decor meus. vt te iā pcorſus adſpicece non poſſim.

Et nulla fuit cauſa, vt te dcſererem, & vanua vana ſectarec.

Domine, miſecece mei, & exaudi preces meas, quoniam tu Deus meus. nō eſt abſq; te ſalnator.

Auertatur furor tuus à me, nec me deuaſtes pcopter peccata adoleſcentiæ meæ.

Peto obſecrās te Domine, rcmitte mihi, pcopter magnam miſericordiam tuam.

Domine Deua excecituum, ſi decreueris ſalnare, quis poterit reſiſtece? ſi extenderis manum tuam, quis te auertet?

Tu enim inſtar figuli potes mihi facere, ecce ego in manu tua perinde atque lutum in mano fictoris.

Emenda me Domine, ſed in miſericocdia, non in ira tua, ne me in nihilum redigas, vt intelligam & cognoſcam, quam pernitioſum ſit atq; noxium, deſerere te Dominum Deum meum. & timorem tuum à me cepellere.

Nullus eſt, qui poteſt ſanare me, neque medicari plagæ meæ: nemo qni liberet me, præter te Domine, qni vulnera infers & ſanas, pcccutis & cncas.

Perditio mibi ex me ipſo, tantummodo in te auxilium meum, & ſalus mea.

Tibi enim nullus ſimilis eſt, magnus es tu, & magnum eſt nomen fortitndinis tuæ.

Conuerte me Domine ad te, & cōuertar, auſer à me cor malignum, vt faciat in me lex tua fructum.

Memor eſto mei propter bonitatem tuam Domime, & amorem tuum erga me integrum.

Eheu Domine Deus ecn tu es, qui feciſti cœlum & terram virtute tua magna, & brachio extento, & nihil eſt tibi difficile.

Tu es Deus ille magnus & fortis, cui nomen eſt Dominus exercituum, magnus & mirabilis in conſilio tuo.

Ipſe enim es, qui ſimul atque verbum pcotulecis, cuncta fiunt, quum tu præceperis conſtant ces, & vccbum tuum non ceuertituc ad te vacuum.

Domine Deus, miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas ad peccata hominū pcopter pœnitentiam.

Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil corum odiſti quæ facta ſunt, non enim per odium aliquid feciſti, aut conſtituiſti.

Parcis autem omnibus, quia tua ſunt omnia, qui amas aoimas.

Tu miſericocdiam, æquitatem, & iuſtitiā facis in terra, quapropter & iis vnice delectaris.

Iuſtus quidem & boous tu Domine, ego autem vultum tuum offendi, tranſgceſſus ſum fœdus tuum, in te præuacicatus ſum.

Vidiſti Domine facinora mea, ſuſcipe cauſam meam, recordare quam viiis factus ſim, inſpice & contemplare opprobrium meum.

In tempore reconciliationis exaudi me, & in die ſalutis miſerere mei.

Miſerere mei, miſerere mei, nullum alind auxilium babeotis præter te, cuius voluntati nibil reſiſtece poteſt, dummodo decceneris ſaluare.

Exandi me miſecnm tibi ſupplicantem, da mihi fiduciam nominis tui, & libera me in manu tua.

Attende de cœlo Domine, reſpice de habitaculo ſancto tuo, & de ſolio gloriæ tuæ.

Ne allidas me in manu iniquitatis meæ, nec obliuiſcaris doloris & afflictionis meæ.

Ne iraſcaris ſatis Domine, ne cecorderis vltra omnis iniquitatis meæ.

Veniat ad te ocatio mea, dic animæ meæ: en ego ſalus tua iam adſum. Amen.

PSALMVS III. DE PECCATORVM remiſſione.

DEus æterne, iuſte, ſancte, qni cuſtodis pactum & miſericordiam cum iis, qui te diligunt, & mandata tua ſeruant:

Reſpice ad me, & miſerere mei, quoniam in te pcccaui, & feci malum ante oculos tuos.

Effunde ſuper me viſcera miſericordiæ tuæ, vt inueniat ſeruus tuus cor ad orandum te.

Non proſterno pceces meas ante faciem tuam in iuſtificationibus meis, ſed in miſericordiis tuis multis.

Nam ego immundus totus, & quaſi pannus mulieris menſtruo pollutæ vniuerſæ iuſtitiæ meæ.

Tibi Domine iuſtitia & miſericordia & propitiatio, mihi autē confuſio faciei propter iniquitates meas.

Certe ab initio ſuperbe egi contra te, faciens iniquitatem, & non ceſſans.

Tu redemiſti me Domine, ſed ego aduerſum te mendacia dixi, & cor meum non fuit rectum coram te.

Tu eruiſti me, & confirmâſti brachium meū, & ante cogitaui malum, factus vt arcus doloſus.

Et reſpondit arrogantia in facie mea, obrutus ſum in iniquitate mea, quæro te Domine, obſecro vt inueniam, diuiſus es à me, quia cupide poſt ſordes abij.

Veruntamen vias meas coram facie tua arguam, donec miſerearis mei & recipias me in gratiam tuam.

Abſit longe à me vt iterum à te recedam, & promiſſa tua non exquiram.

Non tacebo, & non dabo ſilentium, donec confirmes meum fœdus, quod conſtituiſti retro temporibus.

Quod ſicut iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: ita impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuerſus fuerit ab iniquitate ſua.

In hoc expectabo te, Domine Deus, nam bonus es tu in te fidentibus, animæ quærenti te.

Tu ſeruas veritatem tuam in æternū, & quod egreditur de labiis tuis, non fiet irritum.

Ne perdas me Domine propter iniquitates meas, neq; in æternum reſerues mihi mala.

Aperi oculos tuos, & vide magnitudinem mali mei, multa eſt enim iniquitas mea in conſpectu tuo, & peccata mea reſponderunt mihi.

Ne redigas me penitus in conſumptionem, neue deſeras me in peccatis meis, quoniam Deus miſerationum, & clemens es tu.

Pœnitest te mali, quod in me decreueras, & ſecundum nomē tuum facito: quanquam multæ ſunt defectiones atq; peccata mea.

O Domine Deus meus es tu, & nomen tuum impoſitum eſt mihi, ne derelinquas me in profundo malorum meorum.

Tu eruiſti multos, & manus laſſas conſortâſti, nutantem erexerunt ſermones tui, & genua incurua ſta direxiſti.

Et propterea requiram te Domine Deus, qui feciſti magna, imperueſtigabilia & innumerabilia.

Suſcitâſti de puluere inopes, abiectos exaltaſti tuo auxilio.

Tu etenim es, qui liberas pauperem in miſeria ab ore anguſtiæ lato, ſub quo nullum eſt firmamentum.

Tu clemens es & miſericors, eo quod miſerearis eorum, qui nōdum in ſæculum venerunt, & multum miſericors es illis, qui verſantur in lege tua, & longanimus es erga eos, qui peccauerunt concedens tempus & locum, per quæ poſſunt mutari à malitiis.

Exaudi me miſerum tibi ſupplicantem, quoniam in te, & nomine tuo fiduciam meā poſui.

Suſcipe ſeruum tuum in bonum, & ne confundas me ab exſpectatione mea.

Redi Deus, vt ſalues animam meam, ne diſpergas me, quē redemiſti in magnitudine brachij tui.

Ne adſpicias duriciā cordis, & impietates meas, ſed ignoſce mihi in miſericordiis tuis multis.

Exaudi Domine, placare Domine, attende, & facias iuxta magnam nomen tuum.

Exſpectabo ſalutem tuam Domine, omni die ipſa meditatio mea eſt.

Quoniam miſericordiæ tuæ ſunt immenſæ, & innumerabilis bonitas tua.

Audi me iuxta beneplacitum tuum, & diutius ne contineas à me miſerationes tuas.

In via iudiciorum tuorum exſpectabo te erga nomen tuum, & erga memoriam tuam, deſiderium animæ meæ.

Inclina cor meū ad faciendum præcepta tua, & dirige vias meas in conſpectu meo ſemper.

Ne permittas me poſthac errare à viis tuis, nec iam relinquas me in profundo malorum meorum.

Ne ſubducas à me oculos tuos, ſed inſtrue me facere, quæ placita ſunt in cōſpectu tuo Domine.

Paciſcere mecum fœdus in ſempiternū, quod timorem tuum daturus ſis in cor meum, vt non deficiam à te omnibus diebus.

In æternum ne auferas à me bonitatem tuam, nec fallas mihi veritatem tuam.

Benefac mihi in beneuolentia tua, miſericors enim es, nec iraſcaris in perpetuum.

Memor eſto mei in beneplacito tuo, & viſita me in ſalutari tuo.

Scio quod tu Deus clemens es & miſericors, patiens & multæ miſerationis.

Tu bonus ac propitius, ſeruans pactū & miſericordiam cum ſeruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo.

Nec eſt alius præter te Deus, cui cura eſt de omnibus.

Magna ſiquidem ſemper fuit in me miſericordia tua, eripiens animam meam de inferno profundo.

Sit ſemper bonitas mecum tua Domine: nam à te pendet omnis mea ſalus.

In tēpore anguſtiæ te inuoco Domine, quoniam prope es iis, qui inuocant nomen tuum ſanctum.

Succurre mihi Deus, illumina vultum tuum ſuper me, in te confidit anima mea, de te exaltat cor meum.

Peruenit ad thronum tuum precatio mea, inclina aurem tuam clamori meo.

Exaudi pœnitentem Domine, quem vt reſipiſceret cum patientia, huc uſq; miſericorditer exſpectâſti.

O Deus

O Deus, vitam meam annunciaui tibi, ſaluum me fac propter nomen tuum, quoniam in te ſperaui.

Quid mihi ſupereſt in terra, hoc vno tantum indigeo, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo.

Quamobrem obſecro Domine Deus, eripe mihi hunc dolorem, aut minue ſaltem, aut conſolatione, aut conſilio, aut quocunq; tibi modo recte viſum fuerit. Amen.

PSALMVS IIII. QVERITVR QVOD À peccatis premitur & ſuperatur.

DOminator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax.

Qui propter nimiam charitatem tuam & ſecundum miſericordiam tuam magnam, eripuiſti nos de poteſtate tenebrarum, & ſaluos feciſti per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudiſti in nos abũde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.

Si inueni gratiam in conſpectu tuo, permitte me loqui verbum ad te, & non iraſcaris mihi.

Quare in perpetuum obliuiſceris mei? & deſeris me in medio malorum meorum?

Vbinam eſt zelus tuus, & fortitudo tua? vbi multitudo viſcerum tuorum & miſerationum tuarum?

Nunquid, qui cecidit Domine; non reſurgat? aut, qui auerſus eſt, non reuertatur?

Num dolor meus erit perpetuus? num deſperabilis plaga mea nunquam curabitur?

Qui fit, vt auertat auerſione perpetua? augeſcit mihi peccatum meum, nec poſſum reuerti.

Quum non ſit homini datum, vt vias ſuas dirigat, & greſſus ſuos perfectos reddat.

Siquidem in manu tua eſt anima omnis viuẽtis, & ſpiritus vniuerſæ humanæ carnis.

Tu miſericordiam tuam oſtendis quibus volueris, & clemens es, in quos animum habes.

Tu mortificas & viuificas, deducis ad portas inferi, & reducis.

Oculi tui ſuper vias vniuſcuiuſque, & corda hominum ſcrutaris.

Non ſunt tenebræ neq; obſcuritas, vt abſcõdant ſe illic, qui faciunt iniquitatem.

Nec in latebris occultabit ſe quiſquam, quin tu reſpicias eum, cum cœlum ac terram vndiq; imples.

Quare proieciſti me à facie tua, & reputas me inimicum tibi?

Quorſum appendiſti pondus peccatorum ſuper caput meum, cum iram tuam nullus ferre poteſt?

Quid eſt, quod contra miſerum potentiam tuam oſtẽdis? vt quid deuaſtes me propter peccata adoleſcentiæ meæ?

Si peccauerim, quid faciam tibi? & ſi multiplicatæ fuerint impietates meæ, quid agam tibi?

Si iuſte egero, quid dabo tibi, aut quid tandem de manu mea accipies?

Mihi impietas mea nocebit, & iuſtitia mea mihi proderit.

Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & ſi (quemadmodũ omnes) ego peccauerim, quid poſſum facere?

Nunquid mundus erit homo coram te, aut in operibus ſuis irreprehenſibilis vir?

Quidnam eſt mortalis, quod purus eſſet in cõſpectu tuo, aut quod iuſtificaretur natus mulieris?

Memento obſecro Domine, quod ex luto finxeris me, & rurſus in puluerem mortis reduces me.

Dies mei ſicut fumus euaneſcunt, cõſumantur quotidie, nulla mora, quaſi ventus vita mea fugit, nec vidit bonum.

Iam pridem vſtus eram, moxque morti cedam, nunquam in eodem conſiſto ſtatu.

Dies vitæ meæ breues ſunt, terminum ſtatuiſti, quem non tranſibo.

Nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, illicq; nudus reuertar, certe vanitas omnis homo viuens.

Miſerearis te Domine miſerorũ, & opera manuum tuarum ne contemnas.

Etenim ſi peccauerimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam, & ſi non peccauerimus, certum eſt, quod apud te ſumus computati.

Domine Deus, ceſſet à me indignatio tua, & proiice poſt tergum omnia peccata mea.

Remoue à me plagas tuas, ab exagitatione manus tuæ ego defeci.

Etenim dum tu hominem propter iniquitates caſtigas, ilico tabeſcere eum facis.

Perit in eo quidquid deſiderabile eſt, ſicut veſtem depaſcit tinea.

Vtinam eſſet qui me paululum protegat, donec conuertatur ira tua: aut tu conſtituas mihi tempus, in quo recordaberis mei.

Abiectus ſum ex oculis tuis, nonnunquam poſthac videbo faciem tuam?

En ſuper me effunditur anima mea, apprehenderunt me dies doloris mei.

Torrentes tribulationis inuoluunt me, & gurgites furoris tui ſuper me pertranſeunt.

Et clamo ad te Domine Deus, at nõ exaudis: miſericordiam peto, ſed preces meas excludis.

Quare miſerum à facie tua detrudis? cur deſeris tanto tempore?

Quare non aufers iniquitatem meam, & tollis impietatem cordis mei?

Conſurge, ne ceſſa diutius Domine, excita te, ne depellas perpetuo.

Memorare mei obſecro: nam pauor occupat me & tremor, totusq; in me exterritus ſum.

Veruntamen non prohibeo os meum, quin ad te loquar in mœrore ſpiritus mei.

Deflecte à me vltionem, & animum meum parumper à moleſtiis abducas.

Peregrinũ hîc ago, ſicut omnes alij mortales.

Et quid eſt homo, vt ei indigneris? ac genus corruptibile, vt ita amarus ſis erga ipſum?

Nunquid addes dolori dolorem? anhelans laboro,& requiem non inuenio:

Ante cibum dolor meus me cruciat, & adoriuntur in me, ſicut aquæ, ſuſpiria.

Tanquam oſſa mea confringerentur eſt mihi, cum prubria adſiciunt me inimici mei, dicentes ad me omni die, vbi nam eſt Deus tuus?

Quare ad hæc faciem tuam abſcondis Domine? nullam habens afflictionis meæ rationem?

Effundo quotidie preces meas in conſpectu tuo,& mœrorem meum coram te pronuncio.

Anxius eſt in me ſpiritus meus, in me deſperabundum eſt cor meum.

Placetne tibi Deus, vt reprobes laborem manuum tuarum?

Libera animam meam, ne abeat in corruptionem,& vita mea non videat lumen.

Quid proderit quod vnquam natus fuerim, ſi mox demander in perditionem æternam: quum non mortui laudabunt te, neque omnes qui deſcendunt in infernum.

Peccaui: quid faciam tibi? quare poſuiſti me contrarium tibi?& factus ſum mihimet ipſi moleſtus?

Quid tam exacte iniquitatem meam quæris? quum nemo ſit, qui de manu tua poſſit eripere.

Si iuſtum me dixerim, merito me condemnares ad ignem paratum.

Sed ego peccatorem me confiteor, & humilio cor meum in conſpectu tuo.

Certe ſi cui placuerit contendere tecum in iudicio, non reſpondebit vnum pro mille.

Hinc fit vt verear omnia opera mea, ſciens quod delinquenti non parces.

Si ad potentiam tuam reſpexero, ô quam robuſtus es, ſi ad iudicium prouocauero, quis pro me cauſam dicet?

Ad te Domine vociferor, tibi ſupplico, ô mi Deus.

Quieſcat à me ira tua, vt intelligam, quod ſis mihi magis propitius, quam peccata mea ferât.

Quæ eſt fortitudo mea, vt perdurē? aut quis finis, vt patiens ſit anima mea?

Virtus mea non eſt virtus lapidea, nec ænea eſt caro mea.

Nonne potius nullum in me auxilium, & robur meum à me fugit?

Et licet abſcundas hæc in corde tuo, noui tamen, quod tandem recordaberis mei.

Verus enim & iuſtus es tu Domine Deus, non iniuſte condemnas, qui opus ſuum homini rependis.

Totum hoc accidit mihi, quod oblitus ſum tui,& perfide me habui in teſtamento tuo.

Deflexit retro cor meum,& ſequutus ſum deſideria carnis meæ.

Et tu exploratum hoc habuiſti, qui noueris recondita cordia.

Ne imputes mihi Domine peccata adoleſcentiæ meæ, nec veterem iniuriam in memoria teneas.

Obruit me quotidianus dolor, & mœſtitia cor meum occupat.

Exſpectu pacem, at res nihilo meliores ſe habent, tempus ſanitatis, ſed ecce timor.

Et præteriit tempus iræ tuæ, venit miſericordia, ego autem infelix ſum magis ac magis.

Heu mihi quod peccaui, idcirco mœret cor meum,& deſiit gaudium meum.

Quomodo vaſtatus ſum? quam miſere confuſus? quoniam dereliqui legem tuam.

Adſcendit mors per feneſtras, penetrans ad interiora cordis mei.

Dum quotidie nunc tacitus mecum cogito, nūc voce infremo, vita mea inferno ꝓpinquat.

Quis dabit mihi diuerſorium à moleſtiis, & deſeram homines, atq; ab eis recedam?

Quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontem lacrymarum, vt noctu diuq; peccata mea defleam?

Et exſpectabo eum, qui me ſaluare poteſt, & eripere ab ira ventura.

Nō eſt mihi vidēdi neq; moriendi fiducia, iudiciū tuū vereor ô Deus,& pœnas paratas impij.

Pauor peccati ſollicitat me, & pōdus conſcientiæ meæ me premit.

Amator hominum Deus,& iudex æquiſſime, parce mihi obſecro modo dum tempus eſt.

Remitte quod timeo, dele quod vereor, prius quam abeam,& poſthac non ſubſiſtam.

Peccata mea me ſupra modum cruciant, quibus maiora eſſe quæ poſſunt?

Eheu contritionem meam,& dolorem plagę meæ: certe hæc iniquitas mea eſt,& reputabo, & feram. Amen.

PSALMVS V. PRO IMPETRANDA Sapientia diuina.

DOmine Deus miſericordiæ, qui omnia verbo tuo feciſti, & ſapientia tua conſtituiſti hominem:

Deus æterne, & abſconditorum cognitor, qui omnia noueris priusquam fiunt:

Aperi labia mea,& os meum, vt nunciem laudes nomini tuo.

Cor nouum & ſpiritum rectum intra me pone, omneque deſiderium prauum procul à me repelle.

Stultus ſum ego Domine, & rerum ignarus, & ſcientia tua non eſt mecum.

Neſcio ego nec intelligo, quoniam hebetudo tanta, vt nō videant oculi mei, & cor meum non cognoſcat.

Etiam puer ſum & paruulus, ignorans ingreſſum & exitum meum.

Vir pollutis labiis ego, exiguique temporis, & minor ad intellectum legis tuæ.

Da obſecro cor docile ſeruo tuo, vt ſciā quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Mitte de cœlo ſpiritum ſapientiæ tuæ, & ſenſu illius cor meum imple.

Sapientia tua dat veram ſcientiam, & ex ore tuo conſilium & intelligentia.

Sapien-

Sapientia tua os mutorum aperit, & linguas infantium eloquentes reddit.

Si quis videtur perfectus inter filios mortaliũ, ſi tamen effugerit ab illo ſapientia tua, in nihilum computabitur.

Hominibus theſaurus indeficiens eſt ſapientia tua, qua qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.

Quam bene ſe habet homo ille, qui ingenioſus eſt, & qui animam ſortitus eſt ſapientia præditam.

Quiſnam inter homines conſilium tuum noſcit? aut quis poterit cogitare quid velis tu?

Senſum tuum quis intelligat, niſi tu dederis ſapientiam illi, & inſtruas eum per Spiritum tuum ſanctum?

Nam rationes hominum in multis deficiunt, & parum ſecuræ adinuentiones eorum.

Corruptibile enim corpus animum grauat, & terrenum domicilium retardat mentem multa cogitantem.

Superne conſilium & ſucceſſus, & illic prudentia ac etiam virtus.

Tecum ſunt diuitiæ & gloria, opes incorruptibiles & iuſtitia.

Qui te inuenerit, inueniet vitam, & te qui non amat, diligit mortem.

Domine Deus tange os meum, vt recedat iniquitas mea, inhabita cor meum, vt peccata mea purgentur.

In maleuolam animam ſapientia non intrat, nec manebit in corpore, quod peccatis ſubditur.

Doce me Domine Deus ne augeſcat ignorantia mea, & delicta mea multiplicentur.

Spiritus me doceat quæ tibi placita ſunt, & ducat in viam rectam: nam in erroris via diutius erraui.

Firmetur ſapientia in animo meo, & legẽ tuam in corde meo ſcribe.

Super omnia, quæ ſpecioſa ſunt & pulchra, ſapiẽtiam deſidero, in comparatione illius diuitias non æſtimo.

Quam amo ſapientiam tuam Domine, quæ vnica meditatio mea eſt?

Quam dulcia cordi meo eloquia tua? multo magis quam mel ori meo.

Verbum tuum pedibus meis lucerna eſt, & viis meis lumen.

Magis mihi placet ſapientia tua, quam millia auri vel argenti.

In via ſapientiæ tuæ delector, magis, quam ingenti diuitiarum copia.

Vtinam dirigantur viæ meæ, vt ſapientiã tuam, & ſermones tuos diſcam.

Eloquium tuum ignitum eſt, hinc fit, vt vehementer illud cupiam.

O beatum illum quem tu inſtruis Domine, & in lege tua doctum facis.

Anima eius ſapientiam meditabitur, & lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei in corde ſuo ſcribetur, & non ſupplantabuntur greſſus eius.

O Domine Deus ſalutis meæ, exaudi preces meas, & lingua mea miſericordias tuas ſemper loquetur.

Da ſedium tuarum adſiſtricem ſapientiam, vt bonum & malum diſcernere poſſim, & occulta tua cognoſcam.

Reuela oculos meos, vt admirãda perſpiciam, quæ in tua lege ſunt.

Memor eſto verbi tui te inuocãtis nam in illo ſpem meam poſui.

Viam ſapientiæ notam fac mihi, & ſcientiam tuam ne celes à me.

Fac mecum iuxta miſericordiam tuam, & ne confundas me ab expectatione mea.

Recte ſapere & intelligere doceto me, nam ſapientia tua totum quod volo.

Da verbum tuum in ore meo, & in corde meo ſapientiam tuam fige.

Sapientia tua cogitationes meas reget, vt placeant coram oculis tuis ſemper.

Mirabilia ſunt eloquia tua, quapropter delectatur in eis anima mea.

Sapientia tua perfecta eſt, ſcientia tua lucida, & oculos illuminans.

Amabiliora ſuper aurum & gemmas, & dulciora quam mel de fauo.

Sapientia tua immaculata, animas confortans, eloquium tuum verax, intellectum docens paruulos.

Quando ſciet errans ſpiritu intelligentiam? & ignorans doctrinam diſcet?

Quando effundetur de excelſo ſpiritus tuus? quando cor inſipientis ſcientiam callebit: quando lingua balbutiens diſerta erit?

Paruulus & inſipiens ſum Domine, auxilio ſit mihi manus tua fortis.

Noui quod omnia potes, & nihil eſt tibi difficile.

Tu magnus es incognoſcibilis. & ſapientiæ tuæ nullus eſt numerus.

Annunciaui coram te cauſam meam, fac cum ſeruo tuo iuxta magnam miſericordiam tuam.

Reſpice ad me & miſereri mei, vt hoc, quod credens per te poſſe fieri cogito, perficiam.

Viam ſapientiæ tuæ notam fac mihi, & intellectu illius cor meum imple.

Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine, ſecundum iudicium mecum agito.

Da gloriam nomini tuo Domine, tu enim ſolus es bonus & ſapiens, & non eſt alius prætér te Saluator.

Exaudi me domine propter nomen tuum, & ne contineas à me miſericordiam tuam.

Eructabunt labia mea laudem, cum docueris me ſapientiam tuam.

Tum enarrabo mirabilia tua, vt alii etiam ad te conuertantur.

Et benedicant nomen tuum in ſempiternum, & in ſæculum ſæculi. Amen.

PSALMVS SEXTVS.
vt exaudiatur à Deo.

DOmine exaudi preces meas, & clamor meus ad te perueniat.

Ne auertas faciem tuam à me, in die tribulationis meæ.

In quacunque die te inuocauero, exaudi me ô Domine Deus.

Magnus enim es tu, & admiranda faciens, tu es Deus ſolus.

Magna etiam ſunt opera tua, nimis profundæ cogitationes tuæ.

Inclina ad me aurem tuam, & exaudi me, inops enim & pauper ego ſum.

Miſerere mei Domine, ad te enim, cum anguſtia mihi imminet, confugio.

Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te animam meam leuaui.

Tu Domine bonus es & propitiabilis, ac multæ miſericordiæ omnibus te inuocantibus.

Exaudi orationem meam, & preces meas clementer ſuſcipe.

In te confido Domine Deus, obſecro vt non confundar, in tua iuſtitia eripe me.

Intende voci clamoris mei, ô rex meus & Deus meus, quoniam tibi ſupplico.

Audi vocem meam, qua te inuoco, miſerere mei, & ſalua me.

Preces meæ ſemper ad te Domine, ſi quando venerit tempus beneplaciti tui, Deus in multitudine miſericordiæ tuæ, vt exaudias me in veritate ſalutis tuæ.

Attende mihi Domine, quoniam ſuauis eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me.

Ne longe abeas à me, ô mi Deus, in auxilium meum feſtina.

Verba mea grata tibi ſint, accepta ſit coram te meditatio cordis mei.

Et ne auertas faciem tuam à ſeruo tuo, tribulatio vndique mihi imminet, adiuua me.

Te deſiderat cor meum, quęrit te anima mea, faciem tuam exſpecto.

Ne auertas multum à me, ne reiicias per iram ſeruum tuum, auxilium mihi fuiſti ſemper, ne deſeras me iam in anguſtiis meis, ô Domine Deus.

Ad te quotidie clamo, ne deſileas à me, ne obſurdeſcas mihi.

Ingrediatur coram te precatio mea, clamor meus ante te veniat.

Exaudi me Domine, animum enim meum extollo ad templum ſanctum tuum.

Da auxilium in tribulatione, quia vana eſt ſalus ab homine.

Exſpecto adiutorium tuum Domine, & iudicia tua voluntas mea.

Reſpice ad me, & miſerere mei, quia ſolus pauper ſum ego.

Domine Deus exercituum, ſi velis, potes me iuuare, fortitudinem tuam nihil ſuperare poteſt.

Eli, Eli, ne deſeras me in anguſtiis, propter nomen magnum tuum.

Deus ad liberandum me, Domine in auxilium meum feſtina.

Placeat tibi vt eripias me, quia in te confido Domine Deus.

Ecce non eſt auxilium mihi in me, nec eſt qui reſpicit ad neceſſitatem meam.

Pauper ſum ego, & in miſeriis ac calamitate multa, & robur meum à me receſſit.

Excita te Domine, & manifeſtetur ſeruo tuo gloria tua.

Veniat ad me ſalus tua, vt pudefiant omnes inimici mei.

Tuum brachium potens eſt, & cum volueris, omnia tibi ſubſunt.

Tui ſunt cœli, etiam tua eſt terra, orbem & plenitudinem eius fundâſti.

Fiat miſericordia tua vt me conſoletur, certe optabiliorem hac vita longe eam duco.

Adhæreo teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere.

De profundis te inuoco Domine, Domine exaudi vocem meam.

Aures tuæ attentæ ſint in vocem precationis meæ.

Commiſſa mea ſi imputes Domine, quomodo poſſum gratiam tuam expectare?

Sed miſericordia tua omnia excellit, & veritas cœlos ſuperat.

Et idcirco anima mea ad te reſpicit, & preces tibi ſuppliciter fundit.

Deus ne taceas, ne ſileas, propter temetipſum facito, vt non polluatur nomen tuum ſanctum.

Protrahe miſericordiam tuam te inuocantibus, & iuſtitiam iis, qui te quærunt.

Proieci ſuper te onus meum, ſuſtēta me, ne des in æternum fluctuationem in te confidenti.

Adhæret anima mea poſt te, corroboret me dextera tua contra potentiam inimicorum meorum.

Exaudi me Domine, & eripe me, inclina aurem tuam ad preces meas, & ſalua me.

Quoniam egenus ſum ego, Domine curam habe mei, auxilium meum, & ſaluator meus tu es Domine Deus.

O Deus, ſancta & iuſta eſt via tua, quis Deus magnus, ſicut tu Deus noſter?

Tu es qui facis mirabilia, nomen tuum eſt Dominus, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.

Placatus ſis erga ſeruum tuum, & ne faciem tuam diutius à me abſcondas.

Benefac mihi in bonitate tua, vt glorier de te omnibus diebus vitæ meæ.

Geſtiunt labia mea, vt tibi canam, æque & anima mea, quam redemiſti.

Cor meũ omni tempore meditabitur iuſtitiam tuam, cum cõfuſi ſint, qui malum mihi quærunt.

Et viam mandatorum tuorum percurram, quum dilataueris cor meum. Amen.

PSALMVS VII. PRO RECTE VIVENdi directione.

AD te Domine Deus animum leuo.

In te confido Domine Deus, ne confundar, ne lætentur de me inimici mei.

Vias tuas Domine notas fac mihi, ſemitis aſſueſacito me.

Dirige in veritate tua, & inſtrue me, quia tu es Deus ſaluator meus, te exſpecto omni die.

Dulcis & rectus tu Domine, & propterea reducis errantes in viam tuam.

Dirigis manſuetos in iudicio tuo, doces mites teſtimonia tua.

Tu ſanas contritos corde, & dolores eorum mitigas.

Suſtentas omnes qui caſuri ſunt, & omnes collapſos erigis.

Tu das viſum cæcis, & ſoluis vinctos.

Prope es omnibus qui te inuocant, dummodo te inuocant in veritate.

Voluntatem timentium te facis, & preces eorum exaudis, eosq; ſaluas.

Miſerere mei Deus, miſerere mei, quia in te confidit anima mea.

Certe ad te reſpicit anima mea, à te enim ſalutare meum, gloria mea, & robur fortitudinis meæ.

Propter temetipſum Domine Deus, ne imputes mihi peccata mea.

Errores omnes non intelligo, circumuoluunt me mala, quorum nõ eſt numerus, apprehenderunt me iniquitates meæ, & videre non poſſum.

Sit manus tua mihi in auxilium, & dirigat me in omnibus operibus meis.

Perfice greſſus meos in viis tuis, vt non dominetur mei omnis iniquitas.

Pone cuſtodiam ori meo, & ſerua oſtium labiorum meorum.

Sint placentes ſermones oris mei, & meditatio cordis in conſpectu tuo ſemper.

Ne recedat de ore meo ſermo veritatis, & cor meum malitia non inhabitet.

Domine erue animam meam à labiis mendacij, & à lingua doloſa libera me.

Verbum verum & ſanctum inſere in os meum, & otioſos ſermones longe à me ſemoueas.

Redime me à calumniis hominum, ſecundum iudicium tuum moderare me.

Auerte oculos ne vana videant, in via tua illos fige.

Fornicationem & immunditiã omnem aufer à me, & amor carnis non me decipiat.

Etiam à ſuperbia libera animam meam, ne dominetur in me, & tunc immaculatus ero à peccato maximo.

Ab omni via mala prohibe pedes meos, ne deflectant veſtigia à ſemitis tuis.

Oculi mei ad te Domine, quoniam prope es, & omnes viæ tuæ veritas.

Miſericordiæ tuæ multæ Domine, beatus ille quiſquis in te confidit.

Ego enim quum dicerem tibi, moti ſunt pedes mei: miſericordia tua Domine ſtatim ſuſtentauit me.

Doce facere voluntatem tuam, & deduc me per ſemitam rectam, quia Deus meus es tu.

O Domine ſalua animam meam, & de poteſtate tenebrarum redime me.

Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, quia ad te confugi ô Domine Deus.

Reſpice ad me, & miſerere mei, quia ſolus & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam & eripe me, ne confundar, quoniam in te ſperaui.

Domine Deus, ne derelinquas me, quamquã nihil boni fecerim coram te.

Præſta mihi pro bonitate tua, ſaltem modo aſſumere initia bene viuendi. Amen.

PSALMVS VIII. VT PROTEGATVR ab inimicis.

DEus omnipotens, ſerua me ab inimicis meis, & in virtute fortitudinis tuæ protege me.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus es tu, ſaluum fac ſeruum tuum qui in te confidit.

Alieni enim quotidie me oppugnant, & animam meam quærunt, vt perdant eam.

Deus adiuua me, Domine ab inſurgentibus libera me.

Deus in adiutorium meum intende, Domine vt me iuues feſtina.

Eſto mihi in protectionem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, propter nomen tuum deduc me, & dirige me.

Mi Deus eripe me de manibus inimicorum meorum, nec proiicias me in tempore tribulationis, cum omnis defecit mea virtus.

Adiuua me Domine Deus, & ſalua me propter miſericordiam tuam.

Miſerere mei ô Domine Deus ſalutis meæ, & in iuſtitia tua eripe me.

Ab infeſtatione me perſequentium, ab hoſtili incurſu, qui me vndique obcingunt.

Confundantur & deficiant, qui animæ meæ aduerſantur, operiantur opprobrio & confuſione, qui malum mihi quærunt.

Reuertantur cum ignominia multa illi qui dicunt, Deus deſeruit eum, perſequamur & comprehendamus: nam non eſt qui eripiet.

O Deus, adiunge te animæ meæ, conforta eã, ab inimicis meis eripe me.

Diſperde illos in virtute tua, & fortitudinem illorum confringe.

Ne dicant inter ſe, hunc ſuperauimus, & omnino deiecimus.

Saluum me fac Domine Deus, in te enim ſperaui, dic animæ meæ: ne metuas, quia ego tecum ſum.

In manu tua ſors mea, libera me ab inimicis meis, quoniam adhuc non ceſſant.

Indies augeſcit ſæuitia eorum, & cœtus robuſto-

Accinge me fortitudine ad prælium, proſterne inſurgentes in me ſubtus me.

Inſtrue me in via qua ambulem, conſule ſuper me oculo tuo.

Concide ante faciem meam hoſtes meos, & odio me habentes diſperde.

Ne ſupetent me inimici mei, & cœtus robuſtorum non obruant me.

Pone ſtabiles pedes meos, & rectas facito ſemitas meas.

In defectione mea lætantur, collecti ſunt aduerſum me, percutiunt; & non nouerim vt interficiant in via.

Omni die verba mea execrantur, cõtra me vniuerſæ cogitationes eorum in malum.

Anima mea quaſi in medio leonum ferocientium, quorum dentes velut lanceæ, & lingua vt acutus gladius.

Et quis ſtabit pro me aduerſus omnes iſtos: aut quis expugnabit operantes iniquitatem?

Ab increpatione tua Domine fugient, à voce tonitrui tui præcipites ruent.

Qui reſpicis terram, & tremit tota: tangis mõtes, & fumant.

A facie tua iudicium prodit, oculi tui æquitatem probant.

Cuſtodi me Domine ab inimicis meis, ſub vmbra alarum tuarum protege me.

Iudica, mihi nocentes, pugna contra oppugnatores meos.

Abeant retrorſum, qui me perſequuntur: opprobrium ferant, qui malum mihi volunt.

Sint ſicut puluis ante faciem venti, & angelus tuus eos exagitet.

Sicut propellitur fumus, euaneſcant: ſicut liqueſcit cera à calore ignis, ſic pereant illi à facie tua Domine.

Confringe eos, vt non poſſint conſiſtere, ne ceſſes, donec eos deleueris.

Sint viæ eorum obſcuræ ac lubricæ, & angelus tuus eos vrgeat.

Et tu Domine Deus miſerere mei, opem mihi ferto, & reſiſtam eis.

Ego enim infirmus ſum & dolens, & ſalus tua me ſuſcipiat.

Corrigat & caſtiget me dextera tua, inimicis autem meis ne me tradas.

Multum repleta eſt anima mea, & deriſione me infeſtantium, & contemptu ſuperborum.

Detecta eſt in me anima mea, aduerſum me fremit, ſed ego ſperabo in te, quoniam iterũ pro ſalute mea reddita, gratias agam tibi.

Propter veritatẽ tuam adiuua me, ô ſalus mea, ſpeſque omnium finium terræ & maris immenſi.

Qui virtute tua ab æterno imperas, oculi tui omnia contemplantur.

Quis Deus præter te? quis fortis ſicut tu Deus noſter?

In vmbra alarum tuarum ſperabo donec prætereat malitia.

In te fortis ero, & ſecurus in ſempiternum, & in ſæculum ſæculi. Amen.

PSALMVS XI. DE FIducia in Deum.

DOmine lux mea, & ſalus mea, à quonam metuam?

Domine fortitudo vitæ meæ tu, in quo ſemper ſperabo.

Quemadmodum enim ceruus ad riuulos aquarum, ſic deſiderat anima mea ad te ô Deus.

Sitit ad te anima mea, quoniã apud te eſt fons vitæ, & refrigerium in tribulatione.

Hic labor atq; dolor, calamitas atq; miſeria.

Quotidie bellum cum inimicis, nulla requies nec pax in vita noſtra.

Sed quiſquis in adiutorio tuo fiduciam poſuit, ſecurus protectione tua in æternum conſiſtet.

Is tibi dicet, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus in te ſperabo.

Tu liberabis me de laqueo venantium, & à periculis perſequentium.

Sub ſcapulis tuis vmbram ei facies, & ſub alis tuis illæſus erit.

Scuto circumdabit eum veritas tua, & malum ad eum non appropinquabit.

Et propterea, ſi inimici mei aduerſum me prę lientur, vt me totum deuorent, terga minime vertam.

Si ſteterint aduerſum me caſtra potẽtium, nõ timebit cor meum, ſi ingruat mihi mors, in te ſecurus ero.

Tu abſcondes me in tabernaculo tuo, in die malorum abſcondes me in ſecreto tentorij tui, ſuper petram me conſtitues.

Leuabis me ſupra inimicos meos me circumuallantes, & de manibus eorum eripies.

Si ambulauero in medio tribulationis, me cuſtodies aduerſus inimicos tuos, manum tuam extendes, & dextera tua me ſaluabis.

Domine tu omnia pro me perficies, ô Deus in æternum miſericordia tua, opus manuum tuarũ non deſpicies.

Educes me de reti, quod expanderunt pro me inimici mei, & de fouea eorum me ſubduces.

Quanta ſunt bona, quæ reponis iis qui te timent, quæ oſtendis etiam confidentibus in te coram filiis hominum?

Occultas eos in occulto vultus tui, à conturbatione hoſtium, & à contentionibus eorum.

Quam precioſa eſt bonitas tua Domine? & filiis hominũ in vmbra alarum tuarum ſperabũt.

Saturabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente deliciarum eos potabis.

De fonte vitæ tecum bibent, & in tuo lumine lumen videbunt.

Iuſtitia tua ſicut montes altiſſimi, & iuſtitia tua abyſſus multa.

Cœlos pertingit miſericordia tua, & vſque ad cœlos veritas tua.

Deus tu refugium fuiſti nobis, à generatione in generationem.

Priusquam fundamenta terræ iacerentur, à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.

Deus meus tu opem mihi tuliſti à iuuentute

mea, & vſque ad ſenectam & canos, ne derelinquas me.

Fortitudinem meam adſcribã tibi, quoniã tu es protectio mea, Deus meus, & Saluator meus.

Et ideo quacunque die territus fuero, ego in te confidam.

In quacunque die te inuocauero, ſcio quod Deus meus es tu.

In æternum cuſtodi mihi miſericordiam tuã, & fœdus tuum fidele mecum perſtet.

Et ſi deſeruerim legem tuam, & in iudiciis tuis non ambulauerim.

Si ſtatuta tua prophanauerim, & præcepta tua tranſgreſſus fuerim.

Iam virga tua viſita præuaricationes meas, & verberibus tuis ſcelera mea.

At miſericordiam tuam à me ne tollas, neque fidem tuam irritam reddas.

Ne ſcindas fœdus quod nobiſcum iniiſti, & quod egreſſum eſt de labiis, ne immutes.

In te enim ſalus & gloria noſtra conſiſtit, Deus adiutor nobis, in quo ſemper ſperamus.

Et hoc certum eſt, quod omnes qui in te confidunt, non confundentur.

Quis enim ſperauit in te, & confuſus eſt? aut quis inuocauit te, & deſpexiſti illum?

Propter nomen tuum Domine remittis peccata noſtra, licet multa ſint & grandia.

Tu firmamentum es timẽtibus te, & teſtamẽtum tuum illis oſtendis.

Et ego ad te clamo Domine, & credo quod ſaluabis me propter magnam miſericordiã tuã.

Redimes in pace animam meam ab ira, quæ ventura eſt in extremo die.

Immolabo tibi hoſtiam laudis, & reddam altiſſimo vota mea.

Me exſpectant impij, vt perdant me, ſed ego in miſericordia tua confido.

Protector meus, & ſcutum meum es tu, Deus meus fortitudo mea, refugium meum & liberator meus.

Exſpecto ſalutem tuam Domine, beatus homo qui in te confidit.

Quanta mihi in cœlis Domine, vt nihil præter te placeat in terra?

Tibi adhærere peroptime mihi placet, & in te fiduciam meam collocare.

In manus tuas Spiritum meũ cõmitto, redime me de poteſtatib. tenebrarũ ſæculi huius. Amen.

PSALMVS XII. SI DEVS PAVLO *diutius auxilium ſuum differat.*

DEus meus, Deus meus, ecquare me derelinquis? cur nõ reſpicis ad neceſſitatem meam?

Nũquid deficiet in æternũ miſericordia tua? num vnquam placidus eris vltra?

Quouſque indignaberis mihi Domine? anne penitus accendes velut ignem iram tuam?

Quando tandem reſpicies, vt eripias animam meam? deuaſtatione inimicorum vnicam meã?

Vſquequo clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis?

Domine Deus exercituum, quouſque iraſceris ſuper precibus ſerui tui?

Redi ad me ô Deus Saluator meus, & ſolue tuã erga me indignationem.

Deus, tu cõuerſus omnia reſtituis, & qui prius mœſtus erat, de te lætitiam capiet.

Adſit manus tua figmento dexteræ tuæ, filio hominis, quem tibi magnificaſti.

Inimici mei proſpere viuũt, & fortes ſunt, augeſcunt quotidie, qui me odio habent.

Conſilium meum vituperant, eo quod Deus ſpem mihi conſtitui.

Dicunt mihi indies, tu ſperaſti in Domino, is te eripiat, ſaluum te faciat, ſiquidem complacentiam habet in te.

Inſiliunt in me tanquam canes, cœtus iniquorum me oblatrãt, manus ac pedes meos obſidẽt.

O Domine ne lõge abeas à me, fortitudo mea in auxilium meum feſtina.

Erue de interitu animam meam, & de rabie canum declina viam meam.

Salua me ex ore leonum, & de profundo lacu libera me.

Tu ſanctus es & fortis, & nullus reſiſtet tibi, ex quo ſerueſcit ira tua.

Quis non timebit te Domine, aut ex principibus tibi non morem geret?

Ab indignatione tua contremiſcit terra, & nõ ferunt gentes comminationem tuam.

Adiuua me Deus Saluator meus, & propter gloriã nominis tui, & placare ſuper ſcelerib. meis.

Quoniam iniquitatem meam annuncio tibi, & peccatum meum vehementer me vexat.

Surge Domine in auxilium meum, & redime me propter miſericordiam tuam.

O Deus refugium, & robur, auxilium in tribulatione inuentus ſemper valde ſum.

Tu excepiſti me de ventre prodeuntem, & auxilium mihi fuiſti ad vbera matris meæ.

In te coniectus ſum à partu, ab vtero matris meæ, Deus meus es tu.

Ne ſubtrahas te longe à me, quoniam tribulatio iam appropinquat, & nullus eſt qui opem mihi ferat.

Circumdant me inimici mei, infeſtatores mei vndiq; me cingunt.

Et ego infirmus ſum, & comminutus vehemẽter, eiulatum exprimit mihi dolor cordis mei.

Sicut aqua proiectus ſum, ſeparata eſt fortitudo mea, & inſtar teſtæ exaruit tota.

Miſerere mei Deus, miſerere mei, nec imputes mihi peccata, quæ ſtulte commiſi.

Noli meminiſſe meorũ retro peccatorũ, anteuertãt ea miſericordię tuę, quia miſer ſum nimis.

Debilitatus & attritus ſum valde, mœrens ingredior omni die.

Et nunc quid exſpecto Domine? certe anima mea ad te reſpicit.

Oſtende mihi bonitatem tuam & ſalutare tuũ à me ne contineas.

Satiatur malis anima mea, & inferno appropinquauit.

Egenus & pauper ego ſum, & cor meum conturbatur intra me.

Ne abiicias me anguſtiæ tempore, & cum iam virtus mea deficit, tu ne deficias.

Ab inimicis meis eripe me, opprobrium mihi inſultantibus ne me ponas.

Libera me de rugientibus ad eſcam paratis, de manibus quærentium animam meam.

Clamo ad te Domine, quoniã tu es ſpes mea, & portio mea in terra viuentium.

Educ de carcere animam meam, & in ſpacioſo loco pedes meos ſiſtas.

Ne auertas faciem tuam à me, ne ſimilis fiam deſcendentibus in lacum.

Intende ad preces meas, quia humiliatus ſum nimis.

Libera me à perſequentibus me, quia robuſti ſunt ſupra me.

Velociter exaudi me Domine, ne deficiat in me ſpiritus meus.

Educ de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperde omnes inimicos meos.

Et perde eos, qui me perdere volunt, quoniam ego ſeruus tuus ſum. Amen.

PSALMVS XIII. IN QVO GRATIAS agit Deo, quod non præualuerunt hoſtes.

LAudibus te celebrabo Domine Deus, quoniam exaltaſti me, & non præualuerunt inimici mei ſuper me.

Domine exercituũ, ad te clamaui, & tu ſaluaſti me.

Extraxiſti ab inferis animam meam: tenuiſti me, ne ruerem in profundum lacum, vnde nullus reditus.

Non concluſiſti me in manibus inimicorum meorũ, imo ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos.

Quæſiui te, & exaudiuiſti me, & de anguſtiis meis liberum me feciſti.

Conuertiſti dolorem in gaudium mihi diſſoluiſti luctum meum, & circundediſti me lætitia.

Magnificâſti ſalutem tuam ſeruo tuo, feciſti miſericordiam mecum in miſeriis meis.

Non contempſiſti afflictionem pauperis, nec auertiſti à me faciem tuam.

Miſericordias tuas in æternum cantabo, notam faciam veritatem tuam in vita mea.

Os meum narrabit iuſtitiam tuam, omni tempore beneficia tua, certe non noui numerum.

Sed gratias agam donec mors rapiat, tibi pſallam quamdiu fuero.

Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti in neceſſitates meas, & cognouiſti in anguſtiis animam meam.

Fuiſti mihi infirmo refugium, & in fortitudinem fiduciæ meæ.

Gratulor tibi Domine pro ſempiterna bonitate tua immenſa.

Tu conſolatus es me in tempore malo, Deus tu propitius mihi fuiſti, & vltus es iniuriam inimicorum meorum.

Pro multitudine cogitationum mearum intra me, conſolationes tuæ lætificauerũt animã meã.

Gaudiũ mihi dediſti pro diebus quibus afflictus fui, pro annis quibus mala tuli multa.

Recordatus es opprobrij ſerui tui, & in furore quomodo perſequebantur me inimici mei.

Domine Deus exercituũ, quis ſimilis tibi? fortiſſime Deus, magnus es tu, & laudabilis multũ.

Tu excelſus es ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Gloria & decor ante vultum tuum, ſanctitas & magnificentia in ſanctuario tuo.

Iuſtitia & iudicium firmamentum throni tui, miſericordia & veritas faciem tuam præcedunt.

Benedictus es Domine, qui non retinuiſti miſericordiam tuam à ſeruo tuo.

Quam diu expauiſſem te Domine, tandem attendiſti mihi, & clamorem meum audiſti.

Eduxiſti me de lacu miſeriæ, & de luto limi ſtatuiſti ſupra pedes meos, & greſſus meos ſolidâſti.

Deſiderium meum mihi dediſti, vidi lætitiam vultus tui.

Percuſſiſti omnes aduerſarios meos, & virtutem eorum confregiſti.

Increpaſti turbã infeſtantium, & euulſiſti me de manibus eorum.

Præcipitaſti eos in foueam ſuam, in reti, quod pro me abſconderũt, pedes eorum illaqueãtur.

Reuerſi ſunt inimici mei retrorſum, corruerunt & perierunt à facie tua.

Fuiſti munimentum inopi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Feciſti iudiciũ pro me, & egiſti cauſam meam contra accuſatores meos.

Et licet ad momentum exardebàt ira tua, tamen vita iam in repropitiatione tua.

Putabam equidem, quod penitus abiectus eſſem à conſpectu tuo.

Sed tu preces meas audiſti, & pro abundantia miſericordiæ tuæ recepiſti me in gratiam tuam.

Domine in voluntate tua robor animæ meæ dediſti, cũ abſcõderes faciẽ tuã, quũ turbatus erã.

Ad te clamaui de tribulatione mea, reſpondiſti mihi, cum anguſtiaretur in me anima mea, tui Domine recordabar.

Deguſtaui & vidi quam ſuauis es tu, certe felix eſt, quiſquis in te ſperat.

Secundum nomen tuum, ſic eſt laus tua, ſed conſilia tua, erga nos exemplo carent, & maiora ſunt, quam manifeſtari poſſint.

Tuum eſt imperium, & potẽtia, & gloria, quia tu feciſti omnia, & propter voluntatem tuam ad- -conſiſtunt.

[illegible]t nomen tuum benedictum, ex hoc nunc & vſq[illegible] in ſempiternum Amen.

PSAL. XIIII. IN QVO DIVINA laudatur bonitas.

DOmine Dominus noſter, quam admiranda eſt maieſtas tua per vniuerſam terram? qui dediſti laudem tuam ſuper omnes cœlos.

Quid eſt homo, quod vſq; adeo eum magnificas? aut filius hominis, quoniam viſitas eum.

Magnus es Domine, & multum laudandus in monte ſanctitatis tuæ?

Tibi hymnus Deus, tibi vota noſtra in omni tempore ſoluantur.

Coofeſſio & magnificentia opus tuum,& iuſtitia tua in æteroum permanet.

Multa feciſti tu Domine Deus mirãda & magna, & in operibus tuis oon eſt qui ſimilis tibi.

Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ: quis non timebit te, & nomen tuum magnificabit?

Gratias ago tibi Domioe Deus ex toto corde meo,& nomen tuum in æternum ſanctificabo.

Fortitudo mea & laus mea tu Domine, qui humiliaſti inimicos meos,qui iudex ab initio.

Dextera tua fortiſſima, dextera tua multas operatur virtutes.

Tuum brachium cum potentia,&in voluntate tua infirmitatem meam roboraſti.

Confitebor nomini tuo magoo & terribili, quoniam ſanctum eſt.

Quaoquam ceciderim, non ſum alliſus, nam tu manum meam ſuſtentaſti.

Releuaui tibi viam meam, & in te ſperaui, & tandem optata ſeciſti.

Fregiſti capita inimicorum meorum, & verticem eorum, qui ſuperbe incedebant in delictis ſuis,humiliaſti.

Tu dominaris poteſtati eorum: & dum eleuãtur in viis ſuis,tu compeſcis eos,&in brachio fortitudinis tuæ illos diſperdis.

In nomine tuo exultabo ſemper, & in tua miſericordia omnis mea gloria.

Diligis iuſtitiam & iudicium,miſericordia tua impleta eſt terra.

Oculus tuus timentes te reſpicit, & eos qui in miſericordia tua confidunt.

Quærentibus te oon deerit omne bonum, & nulla erit inopia iis,qui te tĩoent.

Tu etenim dirigis vias eorum& aurem prębes ad clamorem eorum.

Vt eripias à morte animas eorum,& in preſſura lenias dolores eorum.

Ades enim confractis corde, & ſpiritu contritos manu tua ſuſtentas.

Redimis animas ſeruorum tuorum,& non deuaſtabuntur omnes qui ſperant in te.

Et propterea canet liogua mea laudem tuam, Domioe Deus in æternum confitebor tibi.

Diligam te Domine,ſortitudo mea Domine, firmamentũ meum es tu,& robur meum, ſaluator meus,& refugium meum.

Deus meus,& propugnator meus,ſcutũ meũ, cornu ſalutis meæ,& ſuſceptor meus.

Poſtquam cum laude te inuocauerim, ab inimicis meis me ſaluaſti.

Cum tribularer inuocaui te, exaudiſti me de templo ſancto tuo vocem meam,& clamor meus introiuit coram te in aures tuas.

Seruaſti me ab inimicis meis,qui inſurrexerũt aduerſum me,ab hoſtibus iniquis eripuiſti me.

Ex cœtu maligoantium rapuiſti me, & ſuper inimicos meos optata vidit oculus meus.

Et propterea ſi ſortaſſis tranſeuodum eſt mihi per vallem vmbræ mortis, impauidus incedam, nam tu mecum eris, virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolabuntur.

Tu mihi refugium eris à tribulatione, cuſtodies me ab iis,qui me perdere quærunt.

Oculi mei ad te Domine, quoniam educes de laqneo pedes meos.

Ad te ô Deus ſunt vota mea,reddã tibi gratiarum actiones,& nunc in ſæcula ſæculorũ. Amen.

PSALMVS XV. DE BENEFICIIS Dei,cum gratiarum actione.

COllaudet te anima mea ô Deus,& omnia quę intra me ſunt nomen tuum ſanctum.

Gratias tibi agit anima mea, & nunquam tradam obliuiooi vniuerſa tua beneficia.

Qui propitiaris omnibus meis delictis,& ſañas omnes infirmitates meas.

Qui redemiſti de morte vitam meam, oſtendens in me gratiam, & miſericordiam tuam.

Qui ſatias bonis deſiderium meum, & olim reſtitues iuuentutem meam.

Feciſti mecum miſericordiã in omni tempore, & vltionem ſumpſiſti de inimicis meis.

Fuiſti mihi ô Domioe in munimentum, & in partem ſecuram ſalutis meæ.

In cõſilio tno dux mihi fuiſti, & in miſericordia tua aſſumpſiſti me.

Multiplicaſti in me magnitudinem tuam, & poſt iram tuam conuerſus, conſolatus es me.

Oſtendiſti mihi tribulationes multas& malas, ſed tandem de profundis abyſſis eduxiſti me.

Notas mihi feciſti vias tuas, non abſondiſti à me conſilia tua.

Miſericors & plenus es gratia Domine Deus, tardus ad iram,& propenſus ad bonitatem.

Non iraſceris in perpetuum, neque in æternũ retines in ira miſerationes tuas.

Non reddis nobis iuxta peccata noſtra, nec punis nos iuxta iniquitates noſtras.

Quãtum cœlum excelſius eſt,quam terra, tãtum miſericordia tua præualuit erga nos.

Quantum diſtat Oriens ab Occidente,tam lõge ſemouiſti à nobis tranſgreſſiones noſtras.

Sicut miſeretur pater ſuis liberis,ita ſuper nos miſertus es Domine Deus ooſter.

Non oblitus es Plaſmatis tui,recordaris quod caro ſumus omois homo viuens.

Quodq; ætas mortalinm tãquam fœnnm eſt, ac inſtar florum agri ſe habet.

Quos protinus vt auſterior ventus flabris ſuis vexauerit,nulli ſunt,neq; loci eorum vltra inueniuntur.

Miſericordia autem tua Domine perpetua eſt ſuper timẽtes te,&iuſtitia tua ſemper perſeuerat.

Dummodo ſeruamus fœdus tuum,& mandatorum tuorum memores ſumus, vt ea faciamus.

Domine in cœlis thronum tuum firmaſti, & imperio tuo voiuerſa regis.

Exaltabo te ô Deus, & nomen tuum in æternum laudabo,& in ſæculum ſæculi.

Omni tẽpore gratias tibi agam,&nomẽ tuum illuſtre reddam in perpetuum,& ſi quid vltra eſt.

Magnus es tu Domine, & ſupra omnẽ laudẽ, & magnitudinis tuæ nulla eſt perueſtigatio.

Genera-

Generatio ad generationem opera tua dicēt, & virtutes tuas antiquas enunciabunt.

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ & memoriam multæ bonitatis tuæ ſemper landabunt.

Quoniam omnibus bonus es tu, & miſericordia tua ſuper vniuerſa opera tua.

Oculi omnium te exſpectant, vt des eis cibum ſuum in tempore.

Aperis manum tuam, & imples omne, quod viuit, refectione.

Iuſtus es Domine in omnibus viis tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis.

Cuſtodis omnes te diligentes, & non tanget eos tormentum malitiæ.

Laudē tui loquetur os meū, & omne viuens celebrabit nomē tuū ſanctū in perpetuū & ſemper.

Laudate Dominum ô vos angeli eius, potentes virtute, facientes iuſſus eius, obedientes voci verbi illius.

Collaudate Deum vniuerſi exercitus eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum.

Laudate Dominū omnes ſancti eius, cuius ſolius nomen ſublime eſt, cuius laus cœlos ac terram ſuperat.

Collaudate Dominum vniuerſa opera eius, in omni loco imperij eius, Omne quod viuit laudet te Domine. Amen.

PSAL. XXII. DAVIDIS: DEVS DEVS MEVS reſpice in me, quare me dereliquiſti.

DEus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me, videor non impetraturus, quamuis id magnis agam clamoribus, liberationem.

Mi Deus clamabo per diem, ſed non reſpondebis, & per noctem, abſque vlla intermiſſione.

Interim tu ô ſanctiſſime, veluti ſecurus horū quæ patior, deſidere videris, qui ſuccurriſti toties, & materia fuiſti carminum ipſi Iſraëli, quibus gratias tibi pro beneficiis agebant.

Spem tuam ponere in te ſolebant patres noſtri, & quoties id faciebant, tu liberabas eos.

Quotidie ad te clamauerūt, liberati ſunt: quotidie ſeſe tibi crediderūt, pudore nō ſunt ſuffuſi.

Ego vero vermis eſſe videor magis quam vir, ſterquilinium Adæ, & infimæ plebis fex.

Quotquot videbant me, ſubſannabant me, conuiciabantur, & moto capite irridentes inſultabant mihi.

Gloriari ſolet hic, inquiētes, charū ſe eſſe Domino, liberet ergo nunc eū, ſi tantopere amat eū.

Te procurante prodij ex vtero, & bene ſperare iuſſiſti me, quū adhuc ſugerē vbera matris meæ.

Opera tua eiectus ſum è vulua, & curæ tuæ relictus, quum eſſem adhuc in vtero matris meæ, Deus eras mihi tu.

Ne procul igitur abſceſſeris à me, quia periculum præſentiſſimum eſt, nec quemquam video, qui auxilio futurus ſit.

Cinxerunt me tauri multi fortes, & velut ſaginati in paſcuis Baſan circumdederunt me.

Aperuerunt aduerſum me os ſuum, non aliter quam leo inhians prædæ: & præ fame rugiens.

Tamquam aqua fluitus factus ſum, & ſoluta ſunt omnia membra mea, cor meum veluti cæra diffluxit intra præcordia mea.

Exaruit tanquā teſta omne robur meū, & lingua mea agglutinata eſt palato meo, & tandē in puluere, quemadmodū mortui ſolēt, ſepelies me.

Circūdederunt namq; me canes, conſpirauerunt aduerſum me peſſimi quiq;, foderunt manus meas & pedes meos.

Tractatus ſum ab eis tam inhumaniter, vt numerare potuerim facile omnia oſſa mea, ipſi adhuc poſt omnem cruciatum toruum adſpiebant & contemplabantur me.

Partiebātur veſtes meas, & de tunica mea ſortiebantur.

Quare tu Domine, ne longe abſceſſeris hinc, quin potius (quum ſis fortitudo mea) ferre mihi ſuppetias feſtina.

Eripe à gladio animā meā, & à violentia cania vnicam meam, omni humano auxilio deſtitutā.

Salua me ab ore leonis, & à cornibus vnicornium eripe me.

Commemorabo maieſtatem nominis tui fratribus meis, in frequentiſſima populi turba laudes tuas prædicabo.

Quotquot eſtis cultores Domini, laudate eū: vniuerſi poſteri Iacob, magnificate eum, & reuerenter colite illum omnes poſteri Iſraelis.

Quia non deſpexit, neq; vilipendit ob miſeriam pauperem, neq; auertit cōtemptim faciem ſuam ab eo, quin potius quum pauper clamaret ad illum, diligenter auſcultauit.

Te laudabo carminibus meis publice in frequentia populi, & quæ noui, perſoluam videntibus illis, qui reuerentur te.

Comedēt pauperes, & ſaturabūntur: laudabūt Dominum quicunq; ſtudent placere illi, viuent corda veſtra, quotquot eſtis tales perpetuo.

Conſiderabunt hæc, & conuertentur ad Dominum cuncti fines terræ, & ſupplices fient tibi Domine vniuerſæ nationes gentium.

Domini enim eſt poteſtas regia, & imperium habet etiam in gentes.

Comederunt, & quum guſtaſſent ſpiritualia Domini dona, ſupplices facti ſunt potentiſſimi quiq; eorum, qui terram inhabitant, & in venerationem illius genua flectent, etiam mortui omnes in terra ſepulti, quia propriam vitam non eſt dedignatus impendere pro illis.

Poſteri noſtri colent eum, ſcribentur hęc Domino, vt poſteri intelligant.

Vt & illi veniant & annuncient populo, qui ab ipſis naſcetur, quod hæc fecerit tam ſtupēda Dominus.

PSAL. C. GRATIARVM ACTIO. Iubilate Deo omnis terra.

IVbilate in honorem Domini, quotquot in terra verſamini. colite Dominum cum lætitia, venite in conſpectum ipſius cum exultatione.

Agnoſcite Dominum eſſe illum Deum, qui fecit nos, neq; enim ipſi fecimus nos, ſed populus eius ſumus & grex, quem ipſe paſcit aſſidue.

Intrate per portas illius, gratias acturi pro ac-

ceptis ab eo innumeris beneficiis,&per atria cantaturi laudes illius, laudate illum, & celebrate laudibus nomen illius.

Benignus eſtenim Dominus,& infinitę miſericordiæ, & in ſeruandis promiſſis conſtantiſſimus,non vni generationi tantum, ſed omnibus.

PSALMVS XII. PETITIO ADVENTVS Chriſti accelerandi, propter ſuperborum principum,& hypocritarum in populo multitudinem inualeſcentem.

SAluum fac Domine,quoniam deficit ſanctus, quoniam defecerunt fideles à filiis hominũ.

Vana loquũtur vnuſquiſq; cum proximo ſuo, labium adulationum in corde &corde loquẽtur.

Perimat Dominus omnia labia adulationum, linguam loquentem magna.

Qui dixerũt linguis noſtris, magnificabimur, labia noſtra nobiſcum,quis Dominus nobis?

Præ vaſtitate pauperum, præ gemitu mẽdicorum nunc exſurgam dicet Dominus, ponam in ſalute,loquetur pro ipſo.

Eloquia Domini,eloquia mũda,argentũ igne examinatum,à Domino terræ purgatum ſepties.

Tu Domine cuſtodies eos, cuſtodies eum à generatione hac in æternum.

In circuitu impij ambulat, cum exaltabuntur opprobria filiis Adam.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

Matth. 6.

PRECATIO DOMINICA.

PAter noſter, qui es in cœlis: Sanctę eolatur nomen tuum.Veniat regnum tuum.Fiat voluntas tua,vt in cœlo,ſic & in terra. Victum noſtrum alimentarium da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, vt & nos remittimus debitoribus noſtris.Neue nos in tẽtationem inducito,ſed à malo tuere:Quoniam tuum eſt regnũ, & potentia,& gloria in ſempiternum. Amen.

Matth. 11. Ieſu.

Ago tibi gratias Pater cœli terręque Domine, qui hæc ſapientes peritoſq; celaueris, & infantibus patefeceris: & quidem ô Pater, quoniam ita tibi viſum eſt.

Matth. 26. Ieſu.

Mi pater, ſi fieri poteſt,euadam hoc poculum: quamquam non vt ego volo,ſed vt tu.

Et paulo poſt.

Mi pater,ſi hoc euadere poculum nõ poſſum, quo minus id bibam,fiat voluntas tua.

Luca 1.

Agit Deo gratias Maria per quem grauidata ſit eo, qui ſit Iſraelitis ſalutem allaturus.

MARIÆ IESV MATRIS CARMEN.

Magnificat animus meus Dominũ, exaltatq; mea mens de Deo Seruatore meo:qui ſpectauerit humilitatẽ ancillæ ſuæ, vnde me in poſterũ beatã prædicatura ſunt omnia ſecula. Quoniam mihi magna fecit præpotens ille, cuius & nomen ſanctum eſt,& miſericordia perennis: erga reuerentes eum. Qui fortia patrat ſuo brachio,profligat animi mẽte ſuperbientes. Deturbat potentes de ſoliis,& humiles extollit.Eſuriẽtes bonis explet, & diuites inanes dimittit. Subuenit Iſraelitis ſuis miſericordiæ memor: quemadmodũ maioribus promiſerat noſtris, Abrahamo, & eius futuræ poſteritati.

Luc. 1.

Deo gratias agit,qui promiſſum miſerit Seruatorem, cui precurſurus ſit Ioannes.

ZACHARIÆ IONN. CARMEN, BAPTIS. PATRIS.

Grates Domino Iſraẽlitarũ Deo,qui populi ſui liberationẽ procuret,erigatq; nobis cornu ſalutis in domo ſui Dauidis, quemadmodũ promiſit priſcorũ ore ſanctorum ſuorum vatum,quo vindicemur ab hoſtibus noſtris, &ex omniũ manu, qui nos odere. Vt vtatur miſericordia erga maiores noſtros, recordatione ſui ſancti fœderis: quã iureiurãdo promiſerit Abrahamo patri noſtro, daturũ ſe nobis, vt intrepide, ex hoſtiũ noſtrorũ manu liberati,eũ corãm pie iuſteq;colamus,toto vitæ noſtræ tẽpore:Et tu puer Supremi vates vocabere:praibis enim Domino,paratũ vias eius:ad dandam ſalutis cognitionẽ eius populo,per eorũ veniã peccatorum,per intimam Dei noſtri miſericordiã,qua nos ex alto viſit ortus: qui appareat iis,qui in tenebris&atra nocte degunt,ad dirigẽdos pedes noſtros in viam pacis.

Luca 2.

Laudant Genij Deum,nato Chriſto.

Deo gloria ſupremis in locis, & in terra pax, erga homines bęneuolentia.

Luca 2.

Agit Simeon Deo gratias,ob miſſum Seruatorem.

Nunc dimittis tuum me Domine, ſecundum promiſſionem tuam placide: quãdoquidem vidi meis oculis ſalutẽ tuam,quam omnibus expoſitã populis paraſti,lumen gentibus patefaciendum, & Iſraelitarum gloriam tuorum.

Luc. 18.

Phariſæi precatio ſed ſuperba & vitioſa.

Deus ago tibi gratias, quod nõ ſum quales reliqui hominum,rapaces, iniuſti,adulteri,aut etiã qualis hic Publicanus: Ieiuno bis intra ſingula ſabbata:decimas do omnium quæ poſſideo.

Luc. 18.

Publicani precatio modeſta & bona.

Deus propitius eſto mihi ſonti.

Luca 23.

Latronis cum Chriſto crucifixi.

Memento mei Domine, cum ad tuum regnũ perueneris.

Luca 23.

Ieſu exſpirantis.

Pater, tibi in manus cõmendo ſpiritum meũ.

Ioannis 11.

Ieſu Lazarum in vitam reuocaturi.

Pater ago tibi gratias,qui me audias. Equidem ſcio,vt me ſemper audias:ſed propter circumſtãtem turbam dico,vt credant a te miſſum eſſe me.

Alte-

Actorum 1.

Apoſtolorum ſuper ſubrogatione Ioſephi, Barſabæ, aut Matthiæ, in Iudæ locum.

Tu Domine, qui omnium mentes perſpicis, oſtende, vtrum horum deſtinaueris ſubeundæ huius muneris & legationis ſorti, ex qua Iudas excidit, in ſuum iturus locum.

Actorum 4.

Precantur Apoſtoli Deum, vt ſe contra aduerſarios confirmet ad docendum Euangelium.

Domine, tu Deus es, qui cœlum, terram, mare, & quæcunque in eis inſunt, feciſti: qui ore tui Dauidis ita dixiſti, Quid tumultuantur gentes? populi vana conantur? conſpirant orbis reges? Coeunt optimates contra Dominum, contraq; eius vnctum? Coiuerunt enim vere aduerſus tuũ ſanctum Ieſum quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentib. & populis Iſraeliticis, facturi quæcunq; tu tua manu, conſilioq; facienda deſtinaſti. Quamobrẽ Domine adſpice minas eorum, tuiſq; da cum omni libertate tuum ſermonẽ eloqui, manũ tuam extendendo ad ſanationes, prodigia & oſtẽta edenda, per nomen tui ſancti Ieſu.

Actorum 7.

Stephani morientis.

Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum.

Tum demiſſis genibus:

Domine, noli in eos hoc vindicare peccatum.

EX EPISTOLIS.

Rom. 1.

Ago Deo meo gratias, per Ieſum Chriſtum de vobis omnibus, quod veſtra fides toto orbe diuulgatur.

Rom. 16.

Ei qui vos confirmare poteſt ſecundũ Euangelium meum, & Ieſu Chriſti precationem, ſecũdum patefactionem myſterij æternis temporib. taciti, nunc autem declarati, & per vaticinias litteras, ex Dei immortalis inſtituto ad obediendũ fidei, ad gentes omnes explicati, ſoli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum gloria in perpetuum. Amen.

1. Corinth. 1.

Ago Deo meo ſemper de vobis gratias, ob Dei beneficiũ, quod vobis collatũ eſt in Ieſu Chriſto.

1. Corinth. 16.

Gratia Domini Ieſu Chriſti vobis adſit, Mea charitas cum omnib. vobis in Chriſto Ieſu. Amẽ.

2. Corinth. 1.

Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Grates Deo & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti patri miſericordiæ, omniſque ſolatij Deo.

2. Corinth. 13.

Gratia Domini Ieſu Chriſti & Dei charitas, & ſancti Spiritus communio vobis adſit omnibus. Amen.

Galat. 6.

Gratia Domini Ieſu Chriſti adſit animo veſtro fratres. Amen.

Ephes. 6.

Adſit omnibus gratia, Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum amantibus incorrupte.

1. Tim. 1.

Gratia, miſericordia, pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto, Domino noſtro.

Tit. 1.

Gratia, miſericordia, pax à Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto, Seruatore noſtro.

1. Pet. 1.

Gratia vobis & pax multa ſit. Grates Deo & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos pro ſua ſingulari miſericordia iterum genuerit in viuam ſpem, per Ieſu Chriſti reſurrectionẽ ex mortuis.

Sunt & alia huiuſmodi in epiſtolis: quæ hîc repetere non eſt opus.

Apocal. 5.

Cum cepiſſet agnus librũ, quatuor animalia, & illi 24. ſenatores acceſſerunt agno, habentes ſinguli cytharas & phialas aureas, ſuffimentorum plenas, quæ ſunt ſanctorum preces, canebantque carmen nouum, ita dicentes:

Dignus es qui librum accipias, eiuſq; ſigilla aperias, quoniam mactatus es, noſq; Deo tuo ſanguine, omnibus ex nationibus, linguis, populis, atque gentibus emiſti, & Deo noſtro reges ac ſacerdotes feciſti, regnaturos in terris.

Tum adſpiciens, audiui multorũ vocem Geniorum circa ſolium, ſenatorumq;, quorum numerus erat millies cẽtena millia, & decies centena millia, qui magna voce ſic dicebant:

Dignus eſt agnus immolatus, qui potentiam, & opes, & ſapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, atque felicitatem adipiſcatur.

Tum res omnes quæ ſunt in cœlo, & in terra, & ſub terra, & in mari, breuiter quæ ſunt in eis omnia, audiui ita dicere:

Sedenti in ſolio, & agno, felicitas, & honos, & gloria, & imperium in perpetua ſæcula.

Et quatuor animalia dicebant, Amen.

Apoc. 7.

Poſtea animaduerti tantam turbam, vt eam numerare nemo poſſet, ex omnibus gẽtibus, nationibus, populis, linguis: qui ante ſolium & agnum ſtantes, albis induti veſtibus, & palmas in manibus habentes, magna voce clamabant, in hunc modum:

Salus ſedenti in ſolio Dei noſtri, & agno.

Tum omnes Genij, qui ſolium, ſenatoreſque, & quatuor animalia circumſtabant, proni ad ſolium, acciderunt, Deumque venerati ſunt, dicentes:

Etiam. Felicitas & gloria, & ſapientia & gratiarum actio, & honos & potentia, & vires Deo noſtro: in perpetua ſæcula. Amen.

INDEX

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM QVAE IN TOTO HOC opere continentur.

A.

AAron ſacerdotum princeps. 565. fuit figura Petri. 564. 566. fuit os Moſis. 1377
Aaronis ſacerdotium vnde. 449. Ad eius preces plaga ceſſat. 499
Abihu & Nadab puniti. 804
Abraham coram Deo iuſtus. 620. ex quibus operibus iuſtificatus. 1383. eſt noſter pater ſpiritualis. 1384
Abſolutio ſacerdotis non tollit totam pœnam temporalis. 118
Abſolutionis gratia quibus præſtetur verbis. 332. poſt eam plerumq; manent in anima reliquiæ peccatorum. 386. Ad hoc ſacr. accedentibus tota noxa remittitur 386. poſt hoc ſacr. pœnæ impunitas. 386. quis abſolutus ſit ex Lutheri ſententia 440 Hoc ſacramentum confert ſalutem. 455
Abſurdo vno dato ſequuntur infinita. 523
Abuſus non tollit vſum. 397
Abuſus non eſt commendandus. 818
Achab regis Iſraelis ad Deum conuerſio. 1552
Acephalorum hæreſis. 653
Aceſius Peruicax. 303
Adæ peccatum. 498. eius libertas ante lapſum. 665. poſt lapſum. 666
Adelmannus Epiſcopus Brixienſis ſcripſit contra Berengarium. 991
Aer nubilus aut ſerenus animos hominum variat. 1375
AEgeſippus. vide Egeſippus.
AEſchinis dictum de Demoſthene. 1558
Affectus ab amico erga amicum explicatur. 1093
Africani credunt Chriſti corpus in Euchariſtia. 779
Agapetus Iuſtinianum ad fidem Chriſti conuertit. 653
Agnetis teſtimonium de Euchariſtia. 1009
Agnus Paſchalis ſignificat veritatem corporis Chriſti. 870
Agrippa. 1334
Albigenſium malitia. 925
Albenſium ſexaginta millia vno prælio ceciderunt. 924
Albertus Magnus. 990 Mariam matrem Domini & Mariam Magdalenam vocat duo luminaria magna. 1443
Alcuinus Caroli Magni præceptor. 991
Alexander Anacleti ſucceſſor miſſam eſſe ſacrificium docet. 195
Alexander Euariſti ſucceſſor. 1296. Eius dictũ de dignitate ſacerdotum. ibid.
Alexander hæreticus. 280
ex Allegoriis non ſumitur argumentum. 1007
Alquinus de vnica Magdalena. 1445
Altare Moſeos quid ſignificet. 1157
Altaribus offerre non eſt credere. 1111
Altaris ſacrificium. vide ſacrificium.
Alueredus Abbas. 990
Ambroſius 13. eius dictum de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. 13. 22. De miſſa. 22. coniuges ab amplexibus in quadrageſima iuſſit abſtinere. 40. eius dictum de neceſſitate Confeſſionis. 44. de iure abſoluẽdi. 45. De lapſu Petri. 46. de pane Euchariſtico. 174. de præparatione ad Euchariſtiam. 460. de paſſione Chriſti. 491. de Petro 538 539. 174. pro ſacrificio miſſæ. 194. de fide Eccleſiæ habenda. 283. de puritate baptiſmate oblata. 358. de pœnitẽtia 389. de excommunicatione 528. de primatu Petri. 553. de peccato quod ſit voluntarium. 609. de libero arbitrio 662. de Purgatorio. 718. cur ſcripſerit de ſacramentis. 795. credit Chriſtum in Euchariſtia. 806. 993. 1167. 1168 ſimul ſuit in diuerſis locis 939 duplicem cibum animæ explicat. 1002. eius expoſitio ſuper Pſalmum, Beati immaculati, pro Euchariſtia. 1010 de participatione ſanguinis Chriſti è calice. 1170 ſcripſit librum de Euchariſtia. 1185. eius ſententia de Euchariſtia. 1185. de differentia ſacramentorũ veteris & noui Teſtamenti. 1221. de gradibus officiorum Eccleſiaſticorum. 1234 de ſacrificio Melchiſedeck in pane & vino. 1265. de morte Petri & Pauli, quod Romæ obierint. 1342. 1343. Egeſippi de hac re ſcripta latinitate donauit. 1358. de primatu Petri. 1379
Ambroſio ſcribenti lux capiti eius in formã clypei ſuperſtetit. 1385
Ambroſij error de duabus Magdalenis. 1407. eius dictum de Maria Magdalena reſipiſcentia à peccatis. 1440. de atrocitate malæ conſcientiæ. 1471
Ambroſius Catherinus. 749
Ammonius Alexandrinus. 1450. vnicam Magdalenam, cuius in Euangeliis toties fit mentio, fuiſſe ſenſit. 1451
Amor & fides ſunt alæ ad Dei myſteria. 762
Amor Dei in nos quantus. 1634
Anacletus ſucceſſor Clementis. 195. ſcripſit decretales. 565. eius dictum de ordinatione epiſcoporum primitiua Eccleſia. 1296
Ananias & Sapphira percutiuntur à Petro. 40. 87
Ananus pontifex Hieroſolymitanus. 1334. Iacobum fratrem Domini cum aliis tradidit lapidandum. 1334
Andreæ Apoſtoli Acta. 195. eius verba de Euchariſtia. 99. 1009
Angeli paſcuntur verbo Dei. 965. non ſola cõtemplatione paſcuntur. 968
Angelus poteſt dici animal rationale quodã reſpectu. 1460
ordinis Cherubini Angelus quid denotet. 1614
Angelomi ſententia de Euchariſtia. 991
in Angliæ eccleſiis Lutheranorum contagium cohibetur. 14
Anicetus. 1238. poſt Petrum vndecimus. 1295
Anima ab igne patitur. 384
Anima media eſt inter Spiritũ & carnẽ 684. 698. quomodo dicatur à Deo derelicta ibid. appellari poteſt homo 1460 vt fiat mũda, tribus opus habet. 1529. tabula nudæ ſimilis. 1529
Animæ cibus duplex. 1002
Anima & corpus Adami & Euæ teſtatur. 1675
Anima per ignem & aquam purganda quomodo. 721. in purgatorio non peccant. 737. 738 739. Animo concupiſcente homo dicitur concupiſcere. 365
Annunciationis diuina nouem modi. 783
Anſelmus Arch. epiſcopus Cantuarienſis 998. eius ſententia de vnica Maria Magdalena. 1445
Antichriſtus nondum venit. 584
Antiochus Seleuci filius in 8. cap. Danielis depingitur. 589
Antiochus, 2. Mach. 9. à Domino non exauditur. 832
Antiqui. vide Patres.
Apoſtoli præter ſpeciale mandatum Chriſti multa ſtatuerunt. 40 293. multa tradiderunt viua voce quæ ſcripta non ſunt. 30. 293. 294. 313. 802. 594. legẽ de nõ edendo ſuffocato & ſanguine gentibus impoſuerunt, quæ tamen poſtea eſt immutata. 595
Apoſtoli non viderunt externa in Euchariſtia miracula 796. Quotidie communicabant. 796. Ante paſſionem habuerunt gratiam S S. 809. Nihil abhorrent corpus Chriſti. 810.

810. crediderunt corpus Chriſti in Euchariſtia. 818. non turbabantur ad Euchariſtiæ ſumptionem. 822
Apoſtoli vocis etymologia. 1282. competit etiã 70 diſcipulis. ibid.
Apoſtoli nominis non fit mentio apud Ioannem. 1282
Apoſtoli poteſtatem ſibi à Chriſto datam non tranſtulerunt in ſuos vicarios. 228 in eligẽdis diaconos ſibi reſeruãt. 260. Fuit inter eos poteſtatis diſcretio 283. Nonnunquam errarunt 290 miraculis doctrinam ſuam confirmarunt. 580
Apoſtolis data eſt ſoluendi poteſtas 446 491. præter Petrum parem condonandæ culpæ facultatem acceperunt. 452. Mutarunt inſtituta Chriſti. 483 tribus Apoſtolis tantum nomina indidit Chriſtus. 530
Apoſtoli cur ſacerdotii vocabulum in diſtributionibus officiorum Eccleſiaſticorum nõ vſurparunt. 1240. 1279
Apoſtoli duodecim à Chriſto ad munus Euangelicum cooptantur. 1245. Iudæorum & Gentium curam eis credidit. 1245
Apoſtoli & diſcipuli differunt. 1247
Apoſtoli & cæteri Dei miniſtri comparantur cœlis. 1248
Apoſtoli fuerunt ex infima plebe 1249 à Chriſto mittuntur ad prædicandum Euangelium. 1250. longe excellentiora dona habuerunt quam ſeptuaginta diſcipuli, vel tota reliqua plebs. 1251. Prophetis ſunt præponendi. 1255
Apoſtolis contemporanei qui patres. 1280
Apoſtoli non omnia ſcripturis probant. 131. ſunt fundamenta Eccleſiæ. 139 quaratione Petro pares. 548
ſoli Apoſtoli biberunt ex calice. 135. 475
Apoſtoli dicuntur panes 1017. quomodo ibid. non omnib. Apoſtolis reuelatũ fuit ante paſſionem, Chriſtum eſſe filium Dei. 581
Apoſtolis à Chriſto humilitas commendatur. 704
Apoſtolorum ſedes omnes ſunt vacuæ præter ſolam Petri. 552
Apoſtolorum quædam ſcripta interierũt. 195. ipſorum verbis non carnis paſcimur. 1014. ipſorum hodie nulla extat ſucceſſio quam Petri. 1369
Apoſtolorum fides à ſolo Deo. 1586
Appollonius mortuam oſſa reſtituit. 807
Aqua cum vino cur miſceatur in calice. 28. 31
Aquam vino miſcendam etiam ſacra ſcriptura aſſerit. 152. 153
Aqua & vini mixtio multum habet momenti. 154. ſignificat redemptionem humani generis. 155 eſt ſymbolum adunationis populi cum Chriſto. 911
Arbitrij libertas 93. vide liberum arbitrium.
Archelaus an fœlix & beatus habendus, Socratis & Poli cuiuſdam colloquium. 1504
Archippus Coloſſenſium Epiſcopus à Paulo Apoſtolo conſtitutus. 1310
Argentinenſes OEcolampadij partibus magis fauent quam Lutheri. 850
Argumentis multa induci poſſunt quæ primũ ſunt obſcura. 256
Arnobius in ſuis ſcriptis diuerſa vtitur phraſi. 1185. hæreticos feris, ſacerdotes, tauris aſſimilat. 1239. eius dictum de ſacrificio Melchiſedech in pane & vino. 1265
Arrius hæreticus 57. eius blaſphemia in S. Trinitatem. 51. Scripturas ſacras pro ſe citauit. 63. eaſque calidiſſime in ſuam hæreſim detorſit. 236. in Pontifices fuit calumnioſus. 124 gloriatur ſe nihil niſi Chriſti verba dicere 125. probat ſe ſuoſq; errore vacare. 234. negat filiũ patri conſubſtantialem. 248. eius confeſſio. 251. in hæreſim lapſus. 279 ſuo ingenio confidit. 301. fuit eloquens & ſancta vt apparebat vita 1388. ſcintilla primum deinum per vniuerſum orbem flamma effecta populata fuit. 640. Nicea fuit condemnatus. 923
Arriani. 637. eorum error circa vnitatem eſſentiæ Patris & filij. 855 omnia dicta ſcripturæ ad ſuam hæreſim detorſerunt. 829. furioſe in Epiſcopos & presbyteros ſunt inuecti. 1350
Arriani ſum multos ſeduxit. 247
Arſenius monachus in pœnis peccatorum Deũ extra culpam ſtatuit. 1571
Articuli in ſcriptura probe ſunt attendendi. 160. 165
Articuli vnius alicuius credulitas non facit Chriſtianum. 725
Poſt aſcenſionem Chriſtus ſæpenumero ſe in terris præſentem Deum exhibuit. 1361
Athanaſius de Romana Eccleſia. 283. de Petro. 543. de libero arbitrio. 663. de orationibus pro mortuis. 728
Athenarum Eccleſia. 1348
Atomus accipitur bifariam. 866
Atoma caro datur. ibid.
Attilæ erga Leonem I. obſeruantia. 653
ex Attritione per ſacramentum ſuperueniens fit contritio. 42
Auguſtinus. 22. panem & vinum poſt conſecrationem vocat ſpecies. ibid eius dictum de ſacrificio Miſſæ. 32. de efficacia aquæ Baptiſmi. 38. de officio & poteſtate magiſtratus. 40. de pœnitentia 44. 45. de confeſſione delictorum 46. de ſatiſfactione. 48. de ſacramento matrimonij. 56. 57. de autoritate Eccleſiæ. 62. de ſacramento ordinis. 67 de vocabulo fidei 91. cõtraria decuit errorumq; palinodiam cecinit. 117. de Petro. 541. æquat ſynodorum decreta cum ſcriptura ſacra 142. pro vino aqua miſcẽdo. 155. de Euchariſtia. 464
Auguſtinus. 180. de ſacrificio Miſſæ 194. 470. de fide Eccleſiæ habenda. 232. de hæreſium origine. 282. de primatu Eccleſiæ Romanæ. 284. 540. de conſuetudine. 295. non contemnit præ ſe alios authores. 308. de fide & operibus. 329. de ſubſtantia panis. 332. de peccato 344. 345. de peccato infantium. 356. 357 360 368 de dilectione. 357. de concupiſcentia. 369. 371. 378. de reatu. 372. de amore erga fœminas. 376 de pœnitentia. 389. de timore. 403. de dolore. 413. de vna ſpecie laico danda 472. de noua vita. 486. de oratione dominica. 488. de mortuorum ſacrificio 490 de excommunicatione. 528. de continua ſummorum Pontificum ſucceſſione. [illegible] de primatu Petri. 554. de didrachmate quod Petrus ſuo & Chriſti nomine exactoribus dedit. 6[illegible]
Auguſtinus de oratione Chriſti pro Petro 567. de authoritate Eccleſiæ. [illegible]
Auguſtinus facit diſcrimẽ pe[illegible]cat[illegible]um. [illegible] eius dictum de peccato ori[illegible]nario. [illegible] poſſibilitate ſeruandi præcepta [illegible] 612. de duplici iuſtitia homi[illegible]nis. [illegible] de operibus piorum carentibus pe[illegible]cat[illegible] eius reſponſio ad Donat[illegible] cu inferenda. 634
Auguſtinus de licentia belligerandi. [illegible]04 de hæreticorum mutuo diſ[illegible] in r[illegible] 661. de libero arbitrio. [illegible]id. de [illegible]tione in filios Dei. 66[illegible]
Auguſt. elegans dictum de præd[illegible]ſtinatione Dei. [illegible]
Auguſtinus de præſcientia Dei. 696 de modo retrahendi impios ad pœnitentiam [illegible]. de cooperatione gratiæ diuinæ in conu[illegible] ne peccatoris. 705. 706. de prompt[illegible] Dei in remittendo peccata [illegible] de i[illegible]menſa Dei miſericordia erga pe[illegible]cat[illegible] 709. eius conſilium quomo[illegible] ore[illegible] ſit libero arbitrio. 707. de cauſis [illegible] interitus hominum. 713. de diu[illegible] nerum operum. 714. de pœnitentia [illegible] 715. purgatorium eſſe vnde pro[illegible] probat orationem pro mortuis ex [illegible] Machabæorum. 724. omnino pro[illegible] crandum docet. ibid. qui ſint in [illegible] hæretici. 725. de fide. 764. de na[illegible]te. 766. de baptiſmo. 768. de [illegible] Chriſti. 769. qualia ſcrip[illegible] Euchariſtia. 776. 777. 778. 7[illegible] 788. 814. 815. 913. 992. 1022 10[illegible] miraculorum. 783. de pane pro[illegible] 784. de ſacramentis.
Auguſtinus verba illa (niſi manduc[illegible] carnem & &c.) de ſacramento [illegible] ſa intelligenda eſſe dicit. 8[illegible] a[illegible] na figuraſſe panem vinu[illegible] [illegible]ſtum. 858. Quid ſibi velint d[illegible] cramenta nobis & Iudæis [illegible] aliud quiddam eſſe in noſtro ſ[illegible] quam in Manna. 903. pro[illegible] beas, non opus eſſe promit [illegible] non reprehendis ſententia[illegible] Euchariſtia. 1035 panem [illegible] 1035. coarguit aſſerentes [illegible] corpus Chriſti manducant[illegible].

non aſſerit verbum vel ſcripturã eſſe corpus Domini. 1045. cur Moyſe à ſanguine ſacrificiorum abſtinendum Chriſtus vero ſanguinem ſuum bibendum mandarit. 1169. ſcabellũ pedum Domini, allegoricè explicat de corpore Chriſti in Euchariſtia. 1195. explicatio dicti: Caro non prodeſt quicquã. 1200. quod ſextum caput Ioannis de Euchariſtia agat. 1120. 1140. 1196. de victima corporis Chriſti. 1133. 1134. de diſcrimine veteris & noui paſchatis 1.44. de exiſtẽtia Chriſti 1212. de diſtinctione naturarũ in Chriſto. 1214. de ſacerdotum ordinatione. 1234. de ſacrificio Melchiſedek in pane & vino 1265. de lege noui Teſtamenti cordibus hominum inſcripta. 1275. de authoritate Eccleſiæ Romanæ 1371. 57 hæreſes contra Eccleſiam Chriſti poſt eius aſcenſionem ortas memorat. 1388. de crudelitate Donatiſtarum in Chriſtianos. 1390. quid de Maria Magdalena ſenſerit. 1446. 1447

Auguſtini modeſtia agnoſcendo ſe eſſe hominem & labi poſſe. 1446 eius Conuerſionis ad Deum cauſa. 1571

Aurora ex tenebris ortum habet. 1494

Auroræ conditiones tres quomodo D. Mariæ conueniant? 1497

Aurum & gemmæ in lege antiqua quid ſignificent. 1585

Authorum qui citantur, loca deſignanda 886

Auium Pelicani, Nycticoracis & paſſeris natura & ingenium. 1365

Azyma quid ſignificet. 1164

B.

Babylonia cuius Petrus in ſua Epiſtola priore facit mentionem, eſt vrbs Roma. 1345. Beda de hac re teſtimonium. 1351

Babylonia duæ apud Coſmographos inueniuntur. 1351

Babylonica Lutheri. 91

Balaam non potuit maledicere populo Iſraelitico. 886

Balduinus Ciliciam Turcis eripuit. 645

Balduinus rex Hieroſolymitanus Gazim Turcarum regem prælio ſuperatum in carcerem coniecit. 649

Balthaſarus quidam diuerſam à nouis hæreticis ſectam inchoauit. 750

Baptiſma eſt calculus nouus. 359

Baptiſmus cedit impiis in cumulum damnationis. 37

Baptiſmi efficacia. 38

Baptiſmus nõ purgat à peccato originali. 1074

Baptiſmus vocatur ſepultura. 1192. eſt ſacramentum fidei. 1193

Baptiſmus eſt neceſſarius. 1218

Baptiſmi myſterium. 359. In eo plena peccatorum remiſſio. 370. 376

ſine perceptione Baptiſmi etiam credens ſaluatur, modo ipſum in voto habeat. 1046. Magis neceſſarius eſt quã Euchariſtia. 472

Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramenta differunt. 1194

Baptiſmo omnes concupiſcentiæ partes abluuntur. 357

Baptiſmum negligens damnatur. 1027

Omnis Baptiſatus duos homines in ſe complectitur. 354

Baptizati etiam adulti peccati fomite non carent. 618

Baptizati olim mox ſumpſerunt Euchariſtiã. 1022

in Baptiſatis non manet peccatum actu. 368

Baptizatum ab Hæretico, non eſſe rebaptizandum in ſcripturis non extat. 585

Baptiſta Mantuani carmen de vnica Magdalena. 1461

Baſilidis hæreſis. 719

Baſilius baptizatur. 288 eius dictum de confeſſione 419. de primatu Petri. 543. 553 de miſericordia Dei immenſa 708. de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. 954. verborum eius duplex ſenſus. 955

Baſilij Miſſa. 867

circa Baſilij baptiſmum quid contigerit. 1385

Baſilius Monachus. 994

Barnabas vna cum Paulo ad euangelizandũ ordinatus. 1253. 1261

Bartolomæus quid egerit. 1586

Beatitudo ſumma in cœlo, ſicut è contra infelicitas ſumma in inferno. 1479

Beda de efficacia Baptiſmi. 38. de neceſſitate confeſſionis peccatorum. 45. diſputat pro aqua cũ vino miſcẽda. 155. de hæreticis 252

Bedæ teſtimonium de morte Petri quod Romæ obierit. 1343. 1349. de vnica Magdalena. 1445

Belgradi oppidum. 645

Bella gerere Chriſtianis licet. 644

Bellũ geſturus quibus rebus opus habeat. 646

Benedictio Dei operatur iuxta capacitatem eorum quibus benedicitur. 267

Benedictio myſtica. 1080

Bene agendi via triplex. 722

Beneficia diuinitus corpori & animæ conceſſa quanti æſtimanda. 1624

Beneficiis Dei omnes quotidie ad reſipiſcentiam inuitantur. 1488

Beneficiorum Dei in populum Iſraeliticum collatorum ſeries. 1588

Beneficiorum corporis & animæ enumeratio. 1624.

Berẽgarius hæreticus. 920. forma abiurationis Berengarij. ibid.

Bernhardi dictum de ſacramento matrimonij. 58. de hæreticis ſacramenta Eccleſiæ impugnantibus. 60. de vnica Magdalena. 1445

Bernhardus Clareuallenſis refutauit Petrum Abelardum de Euchariſtia praue ſentientem. 990

Beſeleel peritus ſculptor. 1249

Biſſario Cardinalis ſcripſit de ſacramento altaris. 996

Bethania in Iudæa ſita. 1421

Bizantium. vide Conſtantinopolis.

Blondus. 544

Boanerges qui ſint. 530

Bohemi ſe ſegregarunt ab Eccleſia. 113. 143. 164. 544. ob communionem ſub vtraque ſpecie ſunt ſchiſmatici. 477

Bohemundus Antiochiam Turcis eripuit. 643

nihil tam Bonum quo non queat quis in aliorum perniciem abuti. 716

Bona propalare, mala vero reticere ſolemus. 1480

Bonifacius IX. Brigittæ reuelationes autoritate Apoſtolica muniuit. 1456

Bonorum conſortium malis prodeſt. 526

Bonauentura de igne purgatorio. 384

Bonauentura, Seraphicus dictus. 989

S. Brigitta habuit reuelationes. 1456. eius reuelationes de motiuis, quæ Chriſtum mouerunt ad reſuſcitandum Lazarum. 1457. de tribus Sanctis, quæ Chriſto præcipue placuerunt. ibid eiuſdem viſio & reuelatio. de pœnis quæ manebunt Græcos poſt hanc vitam, non agnoſcentes Papam pro capite Eccleſiæ. 577. 578. Poſt hæc Diua minas Conſtantinopolis Mahumeti in prædam ceſſit. ibid.

Britannia ad catholicam fidem redacta. 652

C.

Cabala Iudæorum. 1383. ſunt ſecretæ traditiones in Bibliis non ſcriptæ. 1386

Caiphas pontifex verũ iudicium protulit. 283

Calix non eſt nouum teſtamentum. 183. 188. 466 non eſt dandus Laicis. 475

Calix myſticus dicitur in Euchariſtia. 1170

per Calicem intelligitur ſanguis Chriſti. 166. 168

Calixtus II. in Aſiam exercitum contra Turcas miſit. 649

Calixtus III. 645

Cambyſes rex Perſarum iudici iniuſto pellem detraxit. 1650

Campanarum meridianus ſonitus à quo inſtitutus. 650

Capernaitarum error. 1202

Capernaitæ non habuerunt ſenſum literalem verborum Chriſti. 1015

Capito VVolfgangus. 750

Cardinalis Cameracenſis quid ſentiat de tranſubſtantiatione. 160. eius opinio de pane in Euchariſtia non eſt tuta. 163

Carmen, alterum ſcripti genus quodnam. 1660

Carnifices in Anglia morti addictis ſecuri caput amputant. 2

Caro noſtra adiungitur Chriſto in communione Euchariſtiæ. 1053

Caro diuerſimode capitur. 1203
Caro Apoſtolorum nō reficit Chriſtianos. 1015. non eſt cibus. 1018.
Caro licet non recipiatur in mente, eam tamen reficit. 978. 1206
Caro Chriſti reſiſit abſq; ſui iniuria. 1059
Caro Chriſti non paſcit carnaliter. 986
Caro Chriſti in Eucharistia eſt viuificatrix. 1080. 1083. 1120. 1181
Caro Chriſti dentibus exponitur. 1092
Caro Chriſti non permutatur in noſtram ſed cōtra. 964. 1053. 1204. commiſcetur carni noſtræ. 964. fouet corpus noſtrum. 1054
Caro noſtra nutritur carne Chriſti in Eucharistia. 1069. 1072
Caro ſemper aduerſatur ſpiritui. 348
Caro non prodeſt quicquam, Dictum explicatur. 1199. 1200
Carnis Chriſti eſu ſanctificamur. 1084. eius viuificatio probatur inſigni exemplo. 1206
Carnis humanæ prærogatiua. 1072
Carnis ſuæ edendæ modum Chriſtus diſcipulis ſuis oſtendit, Iudæis autem abſcondit. 1179. 1180.
Carnem Chriſti aliter edimus quam alias carnes. 1152
Carnem Chriſti manducandi ratio 1121 modus ſumendi carnem Chriſti in Eucharistia non eſt ſcrutandus. 1086. 1092
Carnales qui: quot & quales 234. caro peccatum amat 411. caro laude Dei cohibenda. 413. carnis mortificatio an cadat ſub præcepto. 509
Carolſtadiani à Lutherianis diſſident. 749
Carolus V. VVormatiæ damnat Lutherum. 96.
Caſſanus magnis prælijs Turcas fudit. 645
Caſtanus de authoritate patrum. 295. de pœnitentia 363. quid ſcripſerit. 400. de timore. 402. de Euchariſtia. 462. de Maria Magdalena adhuc peccatrice. 1417
Catechumeni multa bona opera ante Baptiſmum operantur. 672. non habent tantam gratiam quæ ſufficiat ad obtinendum regnum cælorum. 713
Celeſtinus hæreſin Neſtorij Roma damnauit. 1084
Ceremoniæ cur inſtitutæ. 811. 812. circa Euchariſtiam merito ſeruantur. 811. ceremoniæ Apoſtolorum tempore obſeruata 812.
Ceremoniæ cur ſeruentur. 818
in Ceremonijs non eſt quærenda ſalus. 587. ſunt tamen neceſſariæ in Eccleſia. ibid.
Ceremoniarum Eccleſia autores. 1233
Charitas quid. 442. nō omnia quæ extra charitatē fiūt, ocana ſunt. 405. non eſt omnino nihil quod charitatem antecedit. 415. Expurgat peccatorum reliquias. 488
Charitas eſt radix boni operis. 618
abſq; Charitate nemo iuſtificatur. 316
Charitas perfecta quid 382. non ſtat cum peccato. 381
tres deficiētiæ gradus in opere Charitatis. 610
à Charitatis ſumma plenitudine tres deficientiæ modi. 628
Non quæuis deficientia à Charitate eſt peccatum. 609
Χειροτονία quid. 1262
Chiliaſtarum error de regno Meſſiæ. 1176
Chore aduerſus Moyſen & Aaronem inſtigat populum. 123
Chriſtianus quilibet debet habere omne ſymbolum. 570
Chriſtianus quilibet ſibi rex eſt & ſacerdos. 1268. 1278. 1284
Chriſtiani legibus ſubſunt. 40
Chriſtiani Roma pulſi. 1306
Chriſtiani multi ante Petrum Romam venerūt, ſed nō publicitus ibi docuerunt. 1354
Chriſtiani vocabitur lapides. 130
Chriſtiani quomodo paſcantur corpore Chriſti. 988
Chriſtiani debent aſſentire Chriſti & patrū verbis. 249. Chriſtiani peritiores conſulendi ſunt 253. dicuntur vnum corpus. 289
Chriſtiani hæreſi & ſchiſmatibus decipiuntur. 1225
Chriſtiani non ſunt omnes ſacerdotes. 1259. Non omnes eadem ratione ſunt vncti. ibid.
Chriſtiani offerunt hoſtiam ſua probitate. 1569. non omnes ſanctificantur, ibid. alter pro altero ad Deum orabit. 1272. in ſacris literis quo ſenſu appellentur ſacerdotes. 1279 Non omnes Chriſtiani regunt Eccleſiam. 1282
Chriſtiani ſunt palmites. 673
Chriſtianis licet bella gerere. 643
Chriſtianum quidnam in ſtuporem & admirationem rapere debeat. 1652
Chriſtianorum vita eſt perpetuum martyrium. 1372 aliorū pro alijs orationes ſunt vtiles. 1273
Chriſtianos decet omnia modeſte loqui. 140
inter Chriſtianos animorum conſenſus requiritur. 590. index inter eos eſt conſtituendus. 501
inter Chriſtianos & Iudæos multa eſt differentia. 896
Chriſtiana vita in quibus conſiſtat. 354
Chriſtus dicitur à Chriſmate. 51
Chriſtus non deſerit Eccleſiam potiſſimum in periculis. 135 1251
Chriſtus conuertit panem in carnem. 158. 160
Chriſtus multifariam dat ſemetipſum. 172
Chriſtus non eſt panis triticeus. 173. 174
Chriſtus de corpore ſuo loquens non meminit Teſtamenti. 188
Chriſtus ex vtero matris illæſo natus eſt. 161
Chriſtus ſe in cæna immolauit. 1145
Chriſtus in his terris non corporaliter ſed virtute præſens eſt Eccleſiæ. 569
Chriſtus manducatur multipliciter. 1013. 1021
Chriſtus immolatur in miſſa. 198. immolationis ceremonia. 202. pleraque fecit quæ alijs ſanctis ſunt impoſſibilia. 227
Chriſtus fuit petra ſpiritualis. 845
Chriſtus miſcuit aquam vinum in cæna. 98
Chriſtus Euchariſtiam inſtituit ſub vna ſpecie. 473
Chriſtus fecit miracula Apoſtolis quoque facienda cum certitudine affectus. 228. dehortatur audire falſos prophetas. 241
Chriſtus promiſit Eccleſiæ ſuæ S. S. 262. 286. eſt ſponſus Eccleſiæ 262 comparatur ouo. 262. Eccleſiæ prouidet. 281. Multa fecit quæ ſcripta non ſunt. 293. Eius ſacerdotiū vnde. 448. editis miraculis increpabat hypocritas. 124
Chriſtus in terris fuit pauper. 742. paupertatem Apoſtolis commendauit. ibid.
Chriſtus varios in Eccleſia ſtatuit gradus. 60. abſq; ſui iactura corpus & ſanguinem dedit. 881
Chriſtus ſapienter inſtituit ſacramentū corporis & ſanguinis ſui. 930 in Euchariſtia nobis eſt præſentior quam priſcis 1141 permiſit ſe adorari. 944. tactu ſuæ carnis fecit miracula. 979. ſimul eſt in cælo & in Euchariſtia. 942. manet cum fidelibus in mundo. 749. adhuc ſe humiliat. 954
Chriſtus ſimul atque verbatim reficiunt hominem. 981
Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto. 1099
Chriſtus non permittit Eccleſiam in erroribus. 835
Chriſtus orat pro Petri fide. 50. ſimul eſt in cælo & ſacramento. 871. in vltima Cæna participauit ſibi carnem & ſanguinem. 1104. ipſe Paſtores ſuæ Eccleſiæ præfecit. 1245. varietates ordinum inſtituit. 1247. non ſeipſum glorificauit vt fieret pōtifex. 1253 eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeck. 1263. Iacobum & Ioannem vindictam ab ipſo petentes reprehendit. 619
Chriſtus tradidit Apoſtolis verum corpus & ſanguinem in vltima Cæna. 1026
Chriſtus vere editur in Euchariſtia. 1141
Chriſtus in pane & vino ſacrificauit 1267 tres gradus edendi Chriſti. 1013. vnū aliquē ſuo gregi præeſſe voluit. 550. Cur pro Petro potiſſimum orauerit. 567. cælum aſcenſurus Petro gregis ſui curam commiſit. ibid.
Chriſtus & Petrus Chriſtianorum Duces, quemadmodū genti Iudaicæ Moſes & Aaron. 563. eſt ſacerdos in cælo & in Eccleſia. 1221. Ipſa miſericordia. 1495. Cur inter duos latrones ſuſpenſus ibid. 1665. Cur ob feſtum Paſchatis crucifixus. ibid. voluit ſub ſacramento corpus conficere ex pane. 889. idque certa ratione 891. non patitur Eccleſiam ſuam errare. 1240 quomodo in nobis maneat carnaliter. 1103 per Euchariſtiā in nobis manet. 104. Chriſtus verus panis Apoſtoli autem ſimilitudine. 1017 in Euchariſtia veritatem corporis & ſanguinis repræſentauit. 1174
Chriſtus duplex paſcha comedit. 1133
Chriſtus eminentiori in loco cur crucifixus. 1665

Chriſtus ſeptem diuerſis vicibus ſanguinem profudit. 1617
Chriſtus biſariam reficit. 1018
Chriſtus paſcit Eccleſiam corpore ſuo. 1134
Chriſtus & Melchiſedek iiſdem rebus ſacrificarunt. 1267
Chriſti humilitas in abluendo pedes diſcipulorum. 827
Chriſti humilitas ſemper durabit. 962
Chriſti ſermo qualis. 869
Chriſti verba vere intellecta viuificant. 981
Chriſti præſentia ad quid nos impellat. 794
ad Chriſti incarnationem homines multis figuris erant præparandi. 895
Chriſto incorporamur per ſacram communionem. 1055
præſentia Chriſti in Eucharistia non dicitur aduentus. 1209
Chriſti vehementia in Phariſæos. 123
Chriſti præmunitio ad omnes fideles ad reſiſtendum inſultibus Diaboli & hæreſibus. 1388.1389.1390.
Chriſtum in nobis eſſe, poſſumus eſſe certi. 1021
Chriſtum multi ardentiori edunt deuotione ſpiritualiter quam in Eucharistia. 1118
Chriſtum Patri ὁμοούσιον ſcriptura nuſquam tradit. 585.602
Chriſtum eſſe filium Dei, non omnibus Apoſtolis ante paſſionem fuit reuelatum. 581
inter Chriſtum & verba eius diſcrimen. 981
Chryſoſtomus. 180. *de ſacrificio Miſſæ.* 193. 470. *de confeſſione.* 420. *de ſacerdotio.* 450. *de vna ſpecie danda.* 473. *de pœnitentia.* 514. *de Petro.* 542
Chryſoſtomi ſententia vera pro veritate corporis Chriſti in Eucharistia. 108.1075.1091. 822.826.927.128.1068. *de vera pœnitentia apud Deum acceptatione* 709. *de libero arbitrio.* 663. 707. *Petram ſpiritualem Chriſtum nominat.* 845. *de tranſmutatione panis in corpus Chriſti.* 847. *quomodo intelligatur, Iohannes eſt Elias.* 851. *ſacramentum altaris vocat ſacrificium.* 875 876. *Petrum & Paulum Romæ fuiſſe ſcribit.* 1345. *eius dictum de primatu Petri.* 552.553.1379. *de verbis Chriſti: Ego ſum panis vitæ.* 1125. *docet tranſſubſtantiationem.* 910. *de præſcientia Dei.* 695. *de commemoratione ſanctorũ defunctorum in actione cœnæ Dominicæ.* 726
Chryſoſtomi Miſſa. 867
Chryſoſtomus docet tres partes pœnitentiæ. 43. *eius dictum de confeſſione.* 44. *de puritate baptiſmi.* 359. *de pœnitentia.* 387. 391. 399. *de virtute & viribus quibus animãtur Chriſtiani ex Eucharistiæ ſumptione.* 1087. *de electione ſacerdotum.* 1236. *de fructu cœnæ Dominicæ.* 1206. *de poſſibilitate ſeruandi præcepta diuina.* 612. *de differentia veteris & noui paſchatis.* 1144. *de vnione noſtra cum Chriſto.* 1127. *explicatio dicti: caro non prodeſt quicquam.* 1199. *de ſacrificio Melchiſedeck in pane & vino.* 1265. *concionandi forma à Chryſoſtomo obſeruata.* 910
Chryſoſtomus pro auditoribus, plerunq; ſua Euangelia accommodauit. 1410. *eius ſententia de vnica Magdalena.* ibi.1411.1443. *de Maria Magdalenæ conuerſione.* 1440.
Chryſoſtomus & Oecolampadius quam non conſentiant de ſacramento altaris. 878
Citharæ pulſatio malignos ſpiritus aliquando fugauit. 1510
Cibus corporalis non mittitur totus in ſeceſſum. 1204
Claudius Imperator. 1304. *Anno nono ſui imperij Roma eiecit Iudæos pariter & Chriſtianos.* ibid.
Clemens diſcipulus Petri. 192
Clemens III. Chriſtianos ad bellum aduerſus Turcas ſuſcipiendum hortatus eſt. 649
Clementis dictum de Eucharistia. 996. *de dignitate paſtorum Eccleſiæ.* 1263. *de obedientia Epiſcopis præſtanda.* 1240
Clemens Latomus. 1447
Clementia Dei in peccatores pergrandis ac ſtupenda. 1479
pro Clerico non relapſo Eccleſia poteſt intercedere. 643
Cœlum & terra duo loca, in quibus impuri Dæmones honores ambierunt. 1541
Cœlum & terra quo nomine veniant. 1494
Cœleſtis ciuitatis ſtatus qui ſit. 1638
ad Cœleſtia ſummopere nitendum eſt per debita media. 1221
Cœleſtium influentia perpetuat inferiora. 1247.1252
Cœlibatus ſacerdotum. 478. *quid differat ab aliis ſacrificiis.* 479
in Cœnobiis multi adhuc pij inueniuntur. 925
Columba apud Lucam eſt figura Spiritus ſancti. 856
Commemorationis verbum plura ſignificat. 1161.
Communicatio ſub vna ſpecie non repugnat legi diuinæ. 133.145. *per duo Concilia generalia eſt approbata.* 484
conſuetudo Communicandi à Spiritu ſancto eſt. 134
conſuetudo Communicandi introducta eſt communi populi conſenſu. 134
Communicatio pertinet ad ſalutem animarum. 134
conſuetudo Communicandi ab Eccleſia approbata eſt. 134
digne Communicanti delentur peccata. 181
fructus digne Communicantium. 964.1040. 1041
digne Communicantes efficiuntur vnum cum Chriſto. 996
Communicationis tres modi. 1106
vero Chriſtiano prodeſt ſacra communio. 1061
Concilium Africanum prohibetur à Pontifice. 292. *negat pontificem vniuerſalem.* ibi.
Concilium Carthaginenſe baptizatos ab hæreticis, non rebaptizandos docet. 585
Concilium Chalcedonenſe Gregorio nomen vniuerſalis Epiſcopi obtulit, quod ille recuſauit, & quare. 575
Concilium Chalcedonenſe damnauit Dioſcorum. 924
Concilium Conſtantienſe damnauit Iohannem Huß. 603
Concilium Conſtantienſe & Baſilienſe approbarũt communicationem ſub vna ſpecie. 478.135
Conſtantienſi aduerſatur Nicenum & Africanum. 291
Concilium Conſtantinopolitanum damnauit Macedonium. 923
Concilio Conſtantinopolitano 50. *interfuerunt Epiſcopi.* 1385
Concilium Epheſinum damnauit Neſtorium. 923
Concilij Epheſini ſententia de Eucharistia. 1080
Concilio Epheſino 300. *interfuerunt Epiſcopi.* 1385
Concilium Florentinum ſeptem ſtatuit Sacramenta. 262. *Facit matrimonium Sacramentum.* 270
Concilium Hieroſolymitanum SS. inſtructũ. 291
Concilium Lateranenſe determinauit panem non reſtare cum corpore. 164
Concilium Lateranenſe reprimit exceſſum indulgentiarum. 492. *Turcis bellum in Aſia inferendum decreuit.* 649. *docuit tranſſubſtantiationem.* 592
Concilium Meldenſe nõ fuit plenarium. 599.
Concilium Nicenum de miſſa. 196
Concilio Niceno 318. *interfuerunt Epiſcopi.* 1385
Concilium Veronenſe Chriſtianos principes hortatur ad bellum Turcis inferendum. 649.
Concilium ſeptimum (367. patrum) ſanctorum cultum inſtituit. 585
Concilium à quo Pontifex, vel quod à Pontifice diſsidet, eſt ſuſpectum. 598
Concilium legitimum quod. 598
Concilij cuiuſuis decreta non ſunt probanda. 197
Concilij generalis decreta cur ſint ſeruanda. 476
Concilia generalia aiunt Miſſam eſſe ſacrificium. 196
Concilia quatuor approbata. 920
Concilia à ſummo Pontifice legitime conuocata non poſſunt errare. 584.597
Concilia Donatiſtarum, Ariminj & aliorum hæreticorum non ſunt probanda. 597
Concilia generalia poſſunt inſtituta Chriſti immutare. 144
Concilia in aliquo particulari articulo interdum errarunt. 1387

quando Concilijs ſidendum ſit. 164
reuelationes in Concilijs audienda. 600
Concionibus verbi diuini multi ad virtutem capeſſendam ſunt conuerſi. 692
Concionandi forma à Chryſoſtomo obſeruata. 910
in Concubitu coniugali eſt culpa. 377
Concupiſcentia nunquam poteſt domari 700
Concupiſcentia in baptiſatis non ſunt peccata. 348.622
Concupiſcentia aliquando non eſt peccatum. 357.364.365 369.374
Concupiſcentia paruus baptiſmo abluuntur. 357
Concupiſcentia bifariam dicitur. 362
Concupiſcentia voluntatis per preceptū prohibita. 363
Concupiſcentia carnis non eſt contra legem. 364. manet in homine reatu tranſeunte. 370.374
Confeſsio 43. mandatur in ſacris literis. 44. nihil ex ea mali enatum. ibid.
Confeſsio ab Apoſtolis eſt inſtituta. 418. à patribus. 421
Confeſsio clancularis non eſt recens. 418. cur inſtituta. 419
Confeſsio auricularis. 421. non ſufficit qua ſoli Deo fit. 421 423. delectus & iudicium ei adhibendum. 453
Confeſſurus quomodo ſe gerat. 455
Confeſsio non leuiora tantum ſed & grauiora peccata enumerat. 1521
Confeſsionis vera multa ſunt requiſita. 1483
Confirmatio ſacramentum 49. eius fructus. 15. ratio inſtituti huius ſacramenti. ibid.
Coniuges ab amplexibus in quadrageſima abſtinere iubet Ambroſius. 40
Coniugium, vide Matrimonium.
Conradus Pelicanus. 107.108
Conſecratio pertinet ad miſſam. 207
Conſecrationis verborum prolatio neceſſaria eſt. 208
Conſecratio mali ſacerdotis eſt bonum opus. 209. non requirit fidem formatam. 211 probatur ex priſcorum authoritate. 228. pertinet ad ſolos ſacerdotes. 483. fit Spiritu diuinitatis operante. 785
Conſenſus hominem crimine obſtringit. 1599
Conſtantij crudelitas in Paulinum. 1235
Conſtantinus Cæſar ſacerdotum mutuas criminationes ignibus iniecit. 654
Conſtantini Cæſaris in Sacerdotes pia affectio. 582
Conſtantinopolis quomodo in Mahumetis poteſtatem venerit. 645
Conſtantinopolis in prædam Mahumeti data & quare. 578
Conſuetudo longa non excuſat crimina. 136
Conſuetudo bona cōmunibus ſuffragijs comprobata pro lege in ſcripturis habetur. 131. 132.228.476.
Conſuetudo duplex eſt. 132
Conſuetudinis decem ſunt conditiones. 132
bona Conſuetudinis eſt non aduerſari Euangelio. 136 249
Conſuetudini probata magis eſt fidendum quam nudis Euangelij verbis. 228
in Conſuetudinis præuaricatorem æque eſt animaduertendum atque in legis. 296
Continentia eſt poſsibilis. 748
Contraria quæ ſint exiſtimanda. 116
Contritio. 41
Contritio duobus modis paratur. 400
Contritio ſine gratia deteriorem facit peccatorem. 244
Contritio quid ſit 404. quid efficiat. 406.
vera Contritio in peccatore. 404. vnde oritur. 409 410
Contritio non habetur ſine gratia. 416 nemo certus eſt an ſua contritio ſit ſufficiens 437. Deo grata eſt. 439. multipliciter dicitur. 453
Contritio ſola omnem peccati reatum aufert. 1483
Contritio omnibus neceſſaria. 1484
Contritionis cauſa. 42
Contritionis vera impedimenta, mundi voluptates. 1484
Contritioni non obſtat ignoratio peccatorum 455
Conuerſio in Chriſtum duplex. 1086.1090
Conuerſionis ad Deum duplex modus. 1481
Conuitijs non eſt certandum. 109
Cooptatio quomodo fiat. 260
Corban (vox Chaldaica) quid ſignificet. 1267
Corde & toto corde agere differunt. 406
Coricij ſpecus. 754
Corinthius excommunicatur. 524
Corinthij quamuis in omnibus diuites, carnales vocantur. 234. cur ſint filij Pauli, 258. condonatur ijs à Paulo non culpa, ſed pœna. 507
Corinthiorum Eccleſiæ Paulus præfuit annum & ſex menſes. 1348
Corinthus Achaiæ metropolis. 1289
Cornelius Centurio. 415. quomodo excitatus vt crebrius oraret & eleemoſynas largiretur. 712
Cornelij Centurionis opera antequam accepit gratiam. 672
Corpus Chriſti poteſt eſſe cum pane abſq; mutatione panis. 162
Corpus Chriſti eſt incorruptibile. 163
Corpus Chriſti fieri per conſecrationem non probatur ex nudis Euangelij verbis ſine pia interpretatione. 220. eius paſsio fuit opus meritorium & ſatisfactorium. 490
Corpus Chriſti & ſanguis vocatur ſacrificium. 226
in eis operibus duo ſunt, ſatisfactio & meritum. 493
Chriſtus tribus Apoſtolis tantum nomina indidit. 530
Corpus Chriſti trifariam ſignificatur. 769
verum eius corpus. 770
de eius ſacramentis non eſt dubitandum. 772. eius caro non atteritur dentibus. 773. ſeipſum portat in manibus. 777
eius caro in ſacramento impaſsibilis. 779
modus eius præſentiæ in cœna eſt ignotus. 782. continetur ſub ſpecie panis. 788.821.
eius præſentia quid nobis proſit. 794
non videtur in Euchariſtia. 794.813.821
non fecit miracula pro ſingulo dogmate. 808.
in Euchariſtia adorandus. 813.814
cur eius corpus in ſacramento credatur. 825.
dedit Apoſtolis verum corpus. 82
vere eſt in Euchariſtia. 827
Corpus & ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini continentur. 839.84.
Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt exemplar ad ſacrificium eius. 879
Corpus Chriſti in cruce fuit paſsibile, ſed non in hoſtia. 888
Corpus Chriſti eſt glutinum amoris. 933
Corpus Chriſti ſeorſim non adoratur latria. 944.
Corpus Chriſti viuificat digne ſumentes. 953. ore manducatur. ibid.
Corpus Chriſti manducatur dupliciter. 1036 eſt totum in qualibet parte ſpeciei panis. 1202. differt à pane propoſitionis. 1174. non paſcit carnaliter ſumentes. 961
Corpus Chriſti oſtendendum fidelibus. 932. reſeruandum pro infirmis. 938
Corpus Chriſti paſcit animas. 1004. eſt panis de cœlo. 1005
Corpus Chriſti ſeruatur pro infirmis. 947
Corpus Chriſti in Euchariſtia differt à corpore eius in propria ſpecie, ratione. 894
Corpus Chriſti eſt ſuipſius exemplar. 893
Corpus Chriſti eſt ſub minima panis ſpecie. 866
Corpus Chriſti adorandum. 943
Corpus Chriſti quod ipſe obtulit, & nos offerimus 933. ſacrificatur quotidie. 934
Corpus Chriſti quare ſub aliena ſpecie detur. 1133
Corpus Chriſti totum hominem reficit. 978
Corpus Chriſti reficere hominem eſt gloria Dei. 963
Corpus Chriſti non vertitur in ſubſtantiam panis. 962
Corpus Chriſti vocatur panis. 864
Corpus Chriſti eſt ſacramentum & res ſacramenti. 1185
Corpus Chriſti oportet corporaliter ſumere. 1133
Corpus Chriſti alit vt aurum & gemma. 1055
Corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſt figura atque res corporis Chriſti crucifixi. 876
Corpus Chriſti non eodem modo eſt in cœlo quo in altari. 847

Corpus

INDEX.

Corpus Chriſti in Euchariſtia probatur multipliciter. 1215
Corpus Chriſti verum in Euchariſtia credentium maxima refocillatio. 983
Corpus Chriſti diuerſimode conſideratur. 1197
Corpus Chriſti poteſt eſſe vbique. 1212
Corpus Chriſti habet ſuam quantitatem. 1214. triplicem habet eſſendi modum. 1214
non omnes qui Corpus Chriſti manducant ſaluantur. 1036
Corporis Chriſti in Euchariſtia effectus. 1059
Corporis Chriſti in Euchariſtia veritas à diſcipulis Apoſtolorum eſt credita. 1054
Corporis Chriſti in Euchariſtia veritatem fide cognoſcimus. 870
Corporis Chriſti in Euchariſtia veritas verbis Irenæi probatur. 1065
ad Corporis Chriſti ſumptionem fides eſt neceſſaria. 954
Corporis Chriſti manducatio duplex. 1187
diſcrimen inter hoſtiam Corporis Chriſti & ſacrificium Miſſæ. 873
oblatio quotidiana corporis Chriſti non eſt ſolum exemplar. 877
ex Corporis Chriſti communicatione firmi efficimur in ſpe. 972
Corpori Chriſti quomodo digne communicandum. 994
Corpori Chriſti cõmunicare ſæpius, plurimum confert. 982
Corpore & ſanguine Chriſti efficimur eius membra. 1067
Corpus idem ſimul in pluribus locis. 872. 926
Creaturæ cuique Deus cooperatur. 689
Cruciatuum quos Saluator in cruce pertulit, enumeratio & cogitatio. 1668
Crucis & Paſſionis Chriſti effecta. 1664
Crucis ſupplicium ignominioſum & execrabile. 1665
Crucifixus cur libri nomine appelletur. 1654
Crux Chriſti conſolationis plena. 1664
Crux Chriſti habet materiam gaudij. 1663
Cyprianus non prius admiſit in Eccleſiam negantes primatum Pontificis, quam eundem denuo confiterentur. 574
Cyprianus de rebaptizandis iis qui ab hæreticis fuerunt baptizati, male ſenſit. 585. 926. aſſerit neminem ſaluari extra Eccleſiam. 998
Cyprianus de diuina virtutis præſentia in cœna. 847 de ſanguine Chriſti. 911
de ſatisfactione. 392
ſententia ipſius de Euchariſtia. 460. 779. 803. 995. 911. 1032. 1185.
de Eccleſiæ cathedra, in ſola Roma fundata. 605. 606 de miſcenda aqua cum vino. 153. de ſacrificio miſſæ. 193. 469
de ortu hæreſium. 283
de authoritate traditionum. 244
de pontifice. 299
de Baptiſmo. 360
de ſacerdotio. 450
de primatu Petri. 540. 553. 1379.
de indigne corpus Chriſti tractantibus. 926. de autoritate ſacerdotum. 1235
de ſacrificio Melchiſedeck in pane & vino. 1265.
de falſis hæreticorum martyriis. 1224
de fructu pœnitentiæ. 708
Cypriani ſententia ſuper ſextum caput Ioannis. 1125. 1126
Cypriani exempla de vnione hominum cum Chriſto. 1042
Cyprianus Romanam Eccleſiam vocat Petri cathedram. 1342
Cyrillus Neſtorij hæreſim Epheſi damnauit. 1014. docet conuerſionem panis in corpus Chriſti. 22 eius dictum de confeſſione. 419. de Petro. 542. de Euchariſtia. 1037. 1040
Cyrilli exhortatio ad frequentem communicationem. 1038. eius explicatio ſuper verba Niſi manducaueritis carnem filij hominis. 1125. de carne Chriſti viuificatrice. 1181. 1205. de fructu ſæpe communicantium. 1039.
de coadunatione corporis Chriſti cum noſtris corporibus in Euchariſtia. 1206
Cyrillus veritatẽ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia atteſtatur. 1177
eius dictum de ratione hominis. 771
de pane propoſitionis. 785
Cyrilli exemplum de edente Euchariſtiam. 1017. Corpus Chriſti totum hominem reficere aſſerit. 978

D.

DAmaſcenus. 180. de ſacrificio miſſæ. 193. de viris gratiam SS. adeptis. 288. de traditionibus. 294. de libero arbitrio. 660. de tranſſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. 1210. de precibus ſacerdotum pro fidelibus defunctis. 1235. de præſcientia Dei. 695. de Euchariſtia. 993. de ſacerdotio Melchiſedeck in pane & vino. 1266
Damaſus Papa decreta Concilij Ariminî reſcidit. 597
Danielis hebdomades. 1302
Danielis caput octauum Patres interpretati ſunt de Antiocho filio Seleuci. 589
Dauid rex & propheta iuſtus. 620. inimicis ſuis imprecatur. 1477
Dauidis vita deſcribitur. 1464. 1465. 1466. 1467
Dauidis pœnitentia. 390. 395. 507.
Dæmones impuri è cœlo ob ſuperbiam exciderunt. 1591
Dæmones in Deum iniurij & contumelioſi. 1477.
Diuinis vacantes in ſuum obſequium allicere conantur. ibid. eorum manu pœnitentes excruciantur. ibid. magnis ſunt viribus præditi. 1515
Dæmones mira edunt prodigia. 800
Dæmoniorum expulſio eſt peccatorum remiſſio. 370
nemo eſt, quem non malignus aliquis Dæmon implacabili odio proſequatur. 1522
Decretum diſtinct. 21. cap. in nouo de Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, quomodo intelligatur. 576
Decreta Patrum vera ſunt. 135
Demonſtrationes ſunt rei exiſtentis. 864
Demoſthenis apologus de amicitia luporum cum paſtoribus, amotis canibus. 833
Deſperatio vnde contingat. 111
Deſperatio & fiducia maximo interuallo diſſident. 1535
Deus curat opera noſtra. 48
non eſt cauſa peccati. 106
Deus terræ initium dedit. 1595
Deus terra prior & præſtantior. ibid.
Deus quinque ciuitatibus propter 50. tantum viros iuſtos parcere voluit. 1579
Deus ſumme potens & iuſtus. 1527.
Deus eſt omnis mutationis expers. 1468
ipſius in reſipiſcentes clementia. 1472
Deus quæ iubet, bona ſunt. 264
Deus non præcepit impoſſibilia. 368. 383. 612
Deus placatur muneribus. 933
Deus vocatur agricola. 1258
Deus eſt autor omnium actionum. 1050
Deus in peccatorum conuerſione maxime cooperatur. 707
Deus in Euchariſtia & Sacramentis eſt adorandus. 798
punivit incredulos propter fidei confirmationem. 802. 803
diuerſimode remunerat hominum credulitatem. 805
Deus agit per media. 1252
Dei verbum multiplex. 987
Dei præcepta cuique poſſibilia. 612
Dei verbum audiendi negligentia reprehenditur. 1120
Dei verbum viuificat. 967
non niſi creditum paſcit mentem. 968
Omnia Dei ſunt. 223
quando perfectâ nobis inhabitet. 357
eius mandata ſeruari poſſunt. 360
Dei attributa non explicant eius naturam. 839
qui Deo placere ſtudet, etiam bene geſtam ſe timeat. 565
Dei auxilium omnibus eſt paratum. 706
Dei præcepta ſeruatu ſunt poſſibilia. 620
pulchra huius rei comparatio. 621
conſiderationes ad amorem Dei inuitantes. 1690
Deum patrem ingenitum ſcriptura nuſquam dicit. 385

Diploma-

Diplomatis ad deuotionem incitantur quidam. 817
Diabolus author eſt errorum. 137. quis eius filius. 373
Diabolus ſponte ſua euaſit impius. 684
Diabolus varie homines obſidet. 1417.1455
Diabolus eſt diſſenſionis ſpiritus. 194. erroris ſpiritus. 252
Diaboli in genus humanum odium. 1372 1373
Diabolo exagitari non eſt peccatum, ſed peccati vt plurimum effectus. 1419.1455
Diaconi per impoſitionem manuum conſequuntur gratiam. 1262
Dialectica omnium vna. 871
Didrachma duplex quod Petrum Chriſtus dare iubet exactoribus, duo Eccleſia capita ſignificat. 566
Didrachma quo pro Chriſto & Petro duntaxat ſolutum. 546.1378
Didymus Lycoucarus Studens Pariſienſis. 1393
Dies dominica non præcipitur obſeruanda in ſcripturis. 585
Dies naturalis qui, 1491. Spiritualis qui. ibid.
Dignitas amplior debetur his qui gratiis præſtant. 105
Dilectio ad ſalutem hominis maxime eſt neceſſaria. 1382.1383
Dilectio Dei in hac vita per cæteris iuſtificat. 367
Dionyſius. 65. ſcripſit Hierarchiam. 66. de ſacrificio miſſæ, 192. de traditionibus. 294. de confeſſione. 419. de pontifice. 534. de Petro. 543. de priuilegiis ſacerdotum, non iudicanderum à iudice ſeculari. 1239
Dionyſius Areopagita ad fidem Chriſti conuerſus. 1348. ſcripta quæ eius nomine circumferuntur de paſſione Petri & Pauli, ſunt ſubdititia. 1357
Dioſcorus in Concilio Chalcedonenſi damnatus. 653.924
Diuortia ſunt lege diuina prohibita. 53.59
Diuerum honeratio ad Dei gloriam refertur. 798
de Diuinis rebus modeſte loquendum. 1098
Docendi munus ingenti periculo non caret, 1547
Docendi munus non cuiq; pro libitu vſurpare licet. 1547
Doctoribus opus eſt in Eccleſia. 1271
Docentur homines & à Deo & à Doctore. 1273.1276
Doctrina minori præditus ſæpe plus proficit quam qui eſt eruditior. 1253
Dogmata in Eccleſiis inſolida quomodo debeant eſſe compoſita. 759
Dolendum continue eſt de peccato. 413
Dolere vere & digne quid. 455
B. Dominici teſtimonium de Euchariſtia. 924 celebrauit Miſſam ante miracula. 925
Donatus hæreticus criminatur Papam. 124
Donatiſtæ. 637
Donatiſtæ hæretici in Africa. 1389. eorum crudelitas in Chriſtianos. 1390
Donatiſtarum gloriatio. 233
Donatus hæreticus. 279
Druthmarus de vnica Magdalena. 6445
Durandus. 990

E.

EBion hæreticus. 836
Ecbertus Abbas. 990
Eccleſia eſt congregatio. 143
Eccleſia opus habet capite. 652.1245
Eccleſia ſola iudicat de controuerſiis theolog. 282. 286
Eccleſia vnus ſacerdos. 283
Eccleſia Romana caput omnium eccleſiarum. ibid. inſtruitur Spiritu S. 287. 289. cur acceperit doctores & paſtores. 288. eius & naturalis corporis conuenientia. 289. eius traditionibus adhæreſcendum. 294
Eccleſiæ conſuetudo æqualis legi ſcriptæ. 295 non errat. 298
Eccleſiæ primitiuæ encomium. 496
Eccleſiæ poteſtas tribus modis conſideranda. 503. poteſt liberare pœnitentes à gehenna. 508. eius vnitas dependet ab vnitate epiſcopatus Petri. 540. poſt Chriſtum à Petro dimanat. 541
Eccleſia ſemper credidit in Euchariſtia eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. 765.1116. non nititur ſolis miraculis. 803
Eccleſia habet multa perquirere. 836
ab Eccleſia recepta nõ ſunt ad diſputationem reuocanda. ibid.
Eccleſia habet vnum caput. 1389
Eccleſia cur vocatur catholica. 1389. & apoſtolica. ibid.
in Eccleſia multi ſunt peccatores. 1389
Eccleſia eſt firmamentum veritatis. 588. non poteſt efficere Euangelium quod ante Euangelium non fuit. 593. poteſt pro ratione temporum & perſonarum præceptis aliquid adiicere vel detrahere. 595. ordo loquendi in Eccleſia. 600
Eccleſia catholica verum ſcripturæ ſenſum tenet. 829
Eccleſia eſt Chriſti ſponſa. 262.267. comparatur fœminæ. 263. baſis eſt & columna veritatis. 272.296. vna eſt. 273 480
Eccleſiæ fides ſacra ancora. 273. eius caput. 278 299
in vna Eccleſia Romana, cathedra diuina diſpoſitione eſt fundata. 606
Eccleſia non poteſt omnes hæreſes extirpare. 639
Eccleſia ſemper à Chriſto protegitur. 1251. donorum varietate illuſtratur. 1252
Eccleſia opus habet paſtoribus & Doctoribus. 1271
Eccleſia catholica eſt corpus ex fidelibus collecta. 998
Eccleſia quid. 1368
Eccleſia quandiu manſerit incontaminata. 1295. patrum quæ. 1242. ſine capite non poteſt ſubſiſtere, multis rationibus. 1243. ſpiritualis orbis eſt. 1248. regitur à SS. 134 141 153.163.192.249.454.475. non poteſt carere iudice. 134.139.282.303
quando Eccleſia ſuper longitudinem temporis & ſanctos ædificetur, & quando ſecus. 139.249
Eccleſia Romana eſt à Petro. 148
Eccleſia mutare poteſt inſtitutiones Chriſti. 147.151.472. 480. Spiritu Chriſti ſemper & ſufficienter inſtructa eſt. 125.141.164. 192.228.231. 249. 260. 276. 280.286.288.
Eccleſia multa credit, quæ in ſcriptura nuſquam inueniuntur. 156.220.227.228.229. 284.385.471.472
Eccleſia ſemper manebit in fide 556. non poteſt quicquid vult. 583
Eccleſia Chriſti ædificata eſt ſuper Petrũ 552
Eccleſia abſque Pontificis paſtu poteſt eſſe. 572
Eccleſia non poteſt errare. 63. 228. 231. 238. 475.584.592
Eccleſia nutritur carne & ſanguine Chriſti. 1127
Eccleſiæ prælatus rite vocandus. 1254
Eccleſiæ præſidum & populi differentia. 1258
Eccleſiæ paſtores ſcriptura autoritate vocantur ſacerdotes. 1263
Eccleſiæ traditiones non ſcriptæ ſunt veneranda. 50.230 293
Eccleſiæ autoritas. 584
Eccleſiæ obediendum. 584
Eccleſiæ militantis & triumphantis differentia. 1274
Eccleſiæ potius credendum quam vnius fraterculi impudentiæ. 96.486.
Eccleſiæ fundamentum. 585
Eccleſiæ veræ indicium eſt fidei vnitas. 624. Eccleſiæ prælati à Chriſto præfecti. 1249. vocantur agricolæ. 1258. Eccleſiæ primitiuæ ſincera ſimplicitas. 1237
cõmunis Eccleſiæ ſententia de Euchariſtia 928
claues Eccleſiæ à Petro. 451
Eccleſiæ iudicio non expreſſo ſolum ſed & tacito eſt obediendum. 1459
quod toti Eccleſiæ dicitur non dicitur ſingulis eius membris. 253
Eccleſiæ veritas tribus ſtabilitur rationibus. 261
Eccleſiam paſcere & regere non ſunt vnum & idem. 570
Eccleſiam Chriſtus non patitur in errore. 834 998
facilius eſt Eccleſiam Catholicam propugnare quam eandem ſtatuere. 175.176
extra Eccleſiam nemo ſaluatur. 998. 1106. 1114. 1224
ab Eccleſia approbata non oportet rationibus fulcire. 192.285
in Eccleſia neceſſe eſt eſſe certos gradus dignitatum. 44

in Eccleſia

in Eccleſia ceremoniæ ſunt neceſſariæ. 587
in Eccleſia oportet eſſe maieſtatem & mandandi autoritatem. 1290
in Eccleſia oportet eſſe diſtinctos ordines & gradus. 550
Eccleſiæ plures fuerunt ab aliis nonnullis Apoſtolis. 643
Eckius reſpondet Luthero. 291
Edoardi Angliæ regis & coniugis Egica temperantia. 1485
Effectus tolli nõ poteſt niſi ſublata cauſa 1491
Egeſippus de puritate fidei Eccleſiæ Corinthiorum ſuo tempore. 1238. de conſtanti fide primitiuæ Eccleſiæ 1295. conflictationem Petri cum Simone mago deſcripſit. 1353
Egeſippi teſtimonium de curriculo vitæ & mortis S. Petri. 1344. 1345. ſcripta eius quæ de hac re ipſius nomine circumferuntur, ſunt authentica, & à D. Ambroſio latine reddita. 1358
Egidius Romanus. 991
Eginus Telesphori ſucceſſor. 1597
Electio non fit ſuffragio populi. 260.
Eleemoſyna ad gratiam confert. 414. 417
habet retributionem. 468
facit ad pœnæ remiſſionem. 487 499.
peccata redimunt. 505
Eleemoſyna habet apertas Chriſti promiſſiones. 257. 487
Eleemoſyna à morte liberant. 363
Eluidius hæreticus. 279
Mariamaſtyx negat perpetuam virginitatem Mariæ. 285
Eludij hæreſis. 719
Eleutherius. 1238
Enoch iuſtus, 620
Epheſiorum Eccleſia. 1348
Epiſcopus presbyteri lex eſt. 573
Epiſcopus Chriſto, presbyteri Apoſtolis comparantur. 573
Epiſcopus honorandus. 1238
Epiſcopo non licet ſoluere aut ligare in aliena diœceſi. 45
Epiſcopi ſunt Apoſtolorũ ſucceſſores. 576. 1282
Epiſcopi primum gradum tenent in Eccleſia. 1247
Epiſcopi & presbyteri idẽ qui ſacerdotes. 1234
Epiſcopi & presbyteri diſcrimen. 1234
Epiſcopi debent docere. 1239
Epiſcopi ſoli vngunt & manus baptizatis imponunt. 51. 52
Epiſcoporum diſtinctio. 213
Epiſcoporum, Sacerdotum & Diaconorum diſcrimen. 573
Epiſcoporum ordinatio in primitiua Eccleſia. 1296
Eraſmus 124. eſt impugnator hæreſeos Lutheranæ. 748
Eraſmus de libero arbitrio. 1108
Eraſmus de non ſcrutandis myſteriis Dei. 754
Prædicat Thomæ eruditionem. 758
Errare humanum eſt. 290
Eſau non inuenit pœnitentiæ locum. 832
Eſſentiæ ſuæ nemo eſt cauſa. 689
Ethnici non credunt Chriſtum in Euchariſtia. 778. eorum miracula non efficiunt Chriſto. 806
Euangelium morte Chriſti confirmatur. 988. manet in fidelium cordibus, etiamſi ſcriptum non eſſet. 50. eſt antiquius omnium Euangeliſtarum codicibus. ibid.
Euangelij veritatẽ per patres accepimus. 249
Euangelij ſenſus ex patrum ſententia petendus eſt. 217. plerunque certior eſt, quam ipſa Euangelij verba. 230 231. in Euangelio nonnulla ſunt exponenda 496
Euangelia recepta ſunt inſtinctu S. S. 231
Euangelia eſſe Euangelia, ab Eccleſia diſcimus. 584
Euangeliſta conſilia plura quam ſolius virginitatis. 606
nullus Euangeliſtarum Sacramentum poſt conſecrationem vocat panem aut vinum. 18. Semel in anno communicamus. 35
Euariſtus Anacleti ſucceſſor. 1296. de officiis Eccleſiaſticis. ibid.
Euchariſtia eſt adoranda. 787. 814. eſt memoriale omnium mirabilium. 792. eius miraculum eſt cæterorum periodus 794 negantes verum corpus in ea puniuntur. 803.
Euchariſtia fuit in cinerem verſa. 813
Euchariſtia miracula propter difficultates fidei. 804. ea ipſa eſt corpus & ſanguis Chriſti. 805. fide ſimplici credenda eſt. 805 eius adoratio eſt cultus latriæ. 811. deuote ſuſcipienda. 816
in verbis Euchariſtiæ non ineſt tropus. 834
Euchariſtia cur inſtituta. 1172
per Euchariſtiã veritatẽ teſtamur Chriſtum eſſe paſſum. 1172
Euchariſtia res & figura eſt. 913. 1149. 1154
Euchariſtia ſignificat gratitudinem. 936
Euchariſtia eſt memoriale Chriſti præteriti. 1153
Euchariſtia dicitur exemplar. 843
Euchariſtia eſt adoranda. 856
Euchariſtia eſt medicina ſpiritualis 1166. 1167
Euchariſtia continet eandem ſubſtantiam in cruce oblatam. 877
Euchariſtia vocatur panis & vinum. 912
Euchariſtia incorporat nos Chriſto, non Chriſtum nobis. 980
Euchariſtia à ieiunis ſumenda. 15. 150 840
Euchariſtia vocatur myſterium. 1098
Euchariſtia eſt veneranda ob ſui præſtantiam. 1041 non remoratur nos à cogitatione Chriſti. 1219
Euchariſtia dicitur bona gratia. 955
Euchariſtia ſignificat corpus Chriſti myſticum. 840. 1020
Euchariſtia præſtat aliis Sacramentis. 906
Euchariſtia quando ſit inſtituta. 989
Euchariſtia dicitur panis. 841. 842. dicitur gratitudo. 841. vocatur ſacrificium. 841. vocatur cibus Dominicus. 842. nominatur viaticum. 842
Euchariſtia eſt Chriſti gloria. 1038
Euchariſtia dicitur ſupplementum. 842. vocatur conuiuium. 842
Euchariſtia vocat[illegible] communio. 840
Euchariſtia inti[illegible] nos iungit Chriſto quam alia Sacra[illegible] 980
Euchariſtia [illegible] Sacramentum & myſterium. 1102
Euchariſtia vocatur myſtica benedictio. 1079
Euchariſtia non eſt tantum figura. 891. 1163. 1164 1166
Euchariſtia non eſt res inutilis. 976. corroborat promiſſionem & iuſiurandum ante mortem Chriſti. ibid.
Euchariſtia quomodo differat ab aliis Sacramentis. 145
Euchariſtia quibuſdam iure ſubtrahi poteſt. 145
Euchariſtia omnibus neceſſaria eſt. 121
Euchariſtia plurimum facit ad tollendas peccatorum reliquias. 181. 182. 219
Præparatio ad eam. 458. 465
Euchariſtia pro arbitrio Apoſtolorum adminiſtratur. 145
Euchariſtia olim adminiſtrabatur ſub vtraque ſpecie. 146 477
Euchariſtia recte appellatur panis. 178
Euchariſtia non eſt ſacramentum remiſſionis peccatorum ſed vnionis. 180. 181. 219
Euchariſtia eſt precioſior agno paſchali. 849
Euchariſtia ſumenda eſt, ne gratia eius priuemur abſtinentes. 1033
Euchariſtia carere eſt graue damnum & malum. 1033
Euchariſtia libenter ſumenda, 1042. ſignificat benedictionem. 1042
Euchariſtia ſacramentum eſt Deo gratiſsimũ ſacrificium. 1056
Euchariſtia ex duobus conſtat. 1057. 1019
Euchariſtia ſacramentum eſt neceſſariũ. 1130
Euchariſtia præſtat ſacramentis Veteris legis. 1141. 1143
Euchariſtia eſt ſacramentũ permanens. 1195
Euchariſtia vocatur ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. 839
Euchariſtia præſtat beatitudinem & vitam. 902. 1096
Euchariſtia diſpoſitio relinquitur proceribus Eccleſiæ. 151
Euchariſtia ſacramentum ſignificat mortem Chriſti. 840
Catholici non intelligunt tropum in verbis conſecrationis Euchariſtiæ. 848
in Euchariſtia ſuſceptione credimus conferri nobis gratiam, etſi in verbis inſtitutionis non eſt promiſſa. 64
in Euchariſtiæ verbis per pronomen, Hoc, ſubſtantia corporis demonſtratur. 862
cauſa inſtitutionis Euchariſtiæ. 909
gratiarum actio per Euchariſtiæ oblationem

Deo placet. 935
Euchariſtia fides confert ad ſpem renouationis. 975
ſacramento Euchariſtia Deus firmauit veritatem promiſſionis. 975
per Euchariſtia ſumptionem inchoatur in nobis vita aeterna. 1100
Euchariſtia & precum diſcrimen. 1030
Euch. ſacramentum incitat ad deuotionē 1113
Eucha ſacramētum ſumentiū vtilitates. 1087
Euchariſtia ſacramento frenantur haereticorum ora. 1077
Euchariſtia ſpecies non ſunt tantum ſpectandae. 1076
Euchariſtiae ſumptio efficit nos vnum cum Chriſto. 1099
Euchariſtia communicatio eſt neceſſaria. 1105
Euchariſtia effectus. 840
Euchariſtia conficiendae autoritas. 1250
in Euchariſtia conſecratione fit miraculū. 1186
abſque corporali Euchariſtia manducatione homines poſſunt ſaluari. 1069
Euchar. effectum recipiunt boni. 843
Euchariſt. oblatio ordies frequentanda 842
per Euchariſtia ſumptionem quid conſequamur. 1039
Euchariſtia ſacramentum corporaliter ſumentes conſequūtur gratiā ampliorē. 1085
poſt Euchariſtiae communionem Chriſtus aliter inhabitat hominem quam antea 1207
per communionem dignam augetur gratia. ibid.
in verbis Euchariſtia non eſt tropus. 869
per Euchariſtia ſumptionem fides informis fit formata. 1069
Euchariſtia ſacramētū caeteris praecellit. 767
Euchariſtia ſumptio eſt coena ſpiritualis. 773
Euchariſtia quid. 774
Euch vſus eſt neceſſarius. 1027
fides formata per Euchariſt. ſumptionem 840
Euchariſtia veritatē confirmat fides de Chriſto. 1055
Euchariſtia materia 1048
Euchariſtia ritus nō eſt ſuperuacaneus 1044
Euchariſtiae ſacramentum varia ratione eſt inſtitutum. 938
Euchariſtia frequentatio praeſtat incorruptionem. 1038. 1055
Euchariſtia ſacramētum & res eius qua 1194
propter Euchariſtia ſpiritualem refectionem quidam ſunt paſſi extaſin. 843
Euchariſtiam adorantes non idololatrant. 760
non poteſt humana ratione indagari. 764. 766.
ad Euchariſtiam verba Chriſti ſufficiunt. 765. 1198.
per Euchariſtiam incitamur ad fidem. 1076
miracula quae circa Euchariſtiam contigerunt. 921. 922
Euchariſtiam ſumere opus eſt adultis. 1023
diſcrimen inter Euchariſtiam & Manna. 857. 858. 902.
motus corporalis Euchariſtiam praecedentes. 1048
Euchariſtiā contemnentes nō ſaluantur. 1071
effectus fidei circa Euchariſtiam. 880
ad Euchariſtiam digna praeparatio. 1043
Non licet niſi pura conſcientia ad Euchariſtiam accedere. 181. 182. 219. 334.
per Euchariſtiam participes efficimur paſſionis Chriſti. 938. 940
Differentia inter Euchariſtiam & alia ſacramenta. 145
in Euchariſtia adoratur Chriſtus totus. 944
in Euchariſtia adorāmus non ſpecies panis & vini, ſed Chriſtum ſub illis. 944
honor impendendus Euchariſtiae. 945
in Euchariſtia Deum adoramus. 945
ratio ceremoniarum in Euchariſtia. 946
tota Eccleſia adorat Chriſtum in Euchariſtia. 946
in Euchariſtia communicamus corpori pariter ac ſanguini. 198
Non poteſt ſumi citra formatam fidem. 211
Nemo eam accedat cum mortalis peccati conſcientia. 219
Nullam habet apertam gratiae promiſſionem. 256
Quid in eius perceptione faciendum. 459
Chriſtus poſt reſurrectionē hanc ſub ſpecie panis diſcipulis tantum dedit. 472
Dupliciter Euchariſtia conſideratur. 478
veritas corporis Chriſti in Euchariſtia non ex vno teſtimonio tantum conſtat. 958
in Euchariſtia Euangeliſtae non diſſident. 188
calicis in Euchariſtia conſecratio. 859
aliter paſcimur Euchariſtia quam Iudaei Manna. 858
qui abſq; legitima cauſa ab Euchariſtia communicatione abſtinet, damnum patitur. 1032
ſpecies ipſas in Euchariſtia non niſi ſigna corporis & ſanguinis Chriſti veneramur. 839
in Euchariſtia Chriſtum fide ſuſcipimus corporaliter. 1021
Accidentia in Euchariſtia non miſcentur corpori Chriſti. 177
Chriſtus in Euchariſtia vſus eſt verbis conuenientiſſimis. 863
in Euchariſtia fit gratiarum actio pro omnibus beneficiis. 940
Euchariſt. adigne communicare eſt vtile 1113
manducatio ſpiritualis in Euchariſtia. 1116
in Euchariſtia panem in corpus mutari, omnes concorditer tenent. 1029
qui authores ſint magis praeclari ex iis qui de Euchariſtia ſcripſerunt. 997
nemo ex Catholicis vnquam negauit praeſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. 998. 1001.
panis non remanet in Euchariſtia 856
in Euch. vere mādūcatur corpus Chriſti. 1069
in Euchariſtia omnia panis accidentia remanent. [illegible]
de Euchariſtia, Patrum omnium communis conſenſus. [illegible]
uſque potius fides habenda quam omnibus haereticis. [illegible]
verbis Pauli de Euchariſtia, non [illegible] *tropus.* [illegible]
corpus & ſanguis in Euchariſtia [illegible] *ſentene.* [illegible]
propter Chriſti verba credimus [illegible] *Euchariſtia.* [illegible]
Chriſtus non infudit aquā in Euch[illegible]
Chriſto credendum qui corpus [illegible] *Euchariſtia eſſe aſſeruit.*
diuerſitas locorum & temporum [illegible] *praeſentia Corporis Chriſti in* [illegible] 874
in Euchariſtia non remanet ſubſt[illegible] 879
miracula in Euchariſtia fiunt ad [illegible] *corporis Chriſti.* [illegible]
in Euchariſtia tantum ſub vna [illegible] *tum ſub vtraque conſtitutus* [illegible]
Corpus Chriſti in Euchariſtia [illegible] *Catholica.*
in Euchariſtia adoramus & [illegible] *carnem Chriſti.*
in Euchariſtia eſſe corporaliter [illegible] *riam auget.*
ratio inſtituti ſacramenti Euch[illegible]
in Euchariſtia fit communio [illegible]
abſtinentia ab Euchariſtia eſt [illegible]
in Euchariſtia ante manduc[illegible] *mendatur nobis Dei ſapientia & be*[illegible]*lentia*
in Euchariſtia Chriſtus datur plenus. [illegible]
in Euchariſtia opus eſt corpora[illegible]*tione.*
Euchar. effectus ſaluberrimus 924. [illegible]
in Euch fit tranſubſtantiatio. [illegible]
triplici ratione Chriſtus eſt in [illegible] 936 937.
in Euchariſtia eſt Diuinitas. [illegible]
in Euchariſtia ſumptione verbum [illegible]*tur.*
manducationis duplicis in Euchar[illegible]*men.*
Euchariſtia varia appellatio. [illegible]
Euchariſtia eſſuruimus Chriſto. [illegible]
in Euchariſtia eſt verum corpus [illegible] *guis Chriſti* 777 1099 1101.
Qui plura de Euchariſtia petit, re[illegible] *nempe Corpus Chriſti & c. vel* [illegible] *ſextum caput velim P. Panis, &* [illegible] *Sacramentum altaris.*
panis non remanet in Euchariſtia. [illegible]
Eu. herij ſententia de Euchariſtia. [illegible]
Eugenius III expeditionem aduer[illegible] *ſuadet.* [illegible]
Eugenius IIII. [illegible]
Eunomij error de fictu Daemonū [illegible]

…nomij hæreſis. 719
Euſebius Cæſarienſis aliquandiu errauit. 238
Atrq; dogmata amplexus eſt aliquãdiu. 248
Euſebius Emiſſenus docuit tranſubſtantiationem. 22
Euſebius Cæſarienſis Canones Euangeliorum compoſuit. 1450. vnicam fuiſſe Mariam Magdalenam ſenſit. 1451
Euſebij teſtimonium de Petro, quod & Romæ 25. annis ſederit, & ibidem morte afflictus ſit. 1345. 1354. quod Petrum Romæ conuenerit. 1366
Euſebij dictum de moribus primitiuæ Eccleſiæ. 1237. de traditionibus Apoſtolorum. 1260.
Euſebij dictum de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia. 1188
Eutropij teſtimonium de morte Petri & Pauli, quod Romæ obierint. 1343
Eutyces hæreticus. 276 1383. in Concilio Chalcedonenſi damnatus. 653
Examinatio ſufficiens qua 427
Excommunicatio habet aliquid analogum in veteri teſtamento. 528
Excommunicatio nõ eſt facile tentanda. 528 pertimeſcenda eſt. 528
Excommunicatio etiam nocet animæ. 524
Excommunicatio eſt medicinalis 526. 528
Excommunicatio diuerſimode à Lutheranis tractatur. 1034
Excommunicatus iniuſte non priuatur gratia ſacrificij. 935
Excommunicati à corpore Eccleſiæ exciduntur. 326
Excommunicati Satanæ mancipantur. 524. 525. 326.
Non omnes poſſunt excommunicari. 527
Expiationis feſtum. 1609
Expiationis feſti ritus & ceremoniæ. ibid. 1609.
Explicatio dicti Iob. 3. Maledicant qui maledicunt diei. 127
Ezechielis viſio. 1652

F.

Fama conſtans hiſtoria lex eſt. 1358
Federicus I. ſruſtra in declinando bellum aduerſus Turcas. 651
Fermentum quid ſignific. et 355. 906. 1164
Ferri cum igne ſimilitudo non quadrat ad Euchariſtiam. 23
Feſtus Ethnicus quid de Paulo ſenſerit. 762
Ficiexecratio ſacta eſt propter Apoſtolorum fidem. 827
Fides vera per dilectionem operatur. 89
Fides virtutum Theologicarum prima 433. 434 457.
Fides qualis ſit 120. quid ſit 402.
Fides quid ſit ex Lutheri ſententia. 122
Fides eſt motus. 122. habitus. 321
Fides Catholica non fallit, alias Deus datæ operæ deciperet. 125
Fides circumſtantiũ non impedit miſſam. 210
Fides formata non exigitur ad conſecrationem. 211
Fides triſariam deeſt. 230
Fides formata non requiritur ad miraculorum operationem. 330
Fides Eccleſiæ Romanæ eſt à Chriſto & Apoſtolis. 141. à primis Eccleſiæ columnis permanauit. 239
Fides Eccleſiæ eſt ſacra ancora 273
Fides à charitate & ſpe differt. 316. 317. 401. 402.
Fides coniuncta eſt cũ bonis operibus 317. 444
Fides in ſacramento requiritur. 39
Fides ſine operibus eſt corpus ſine ſpiritu 317
Sola fides non ſufficit adulto 223. Sola non iuſtificat. 155. 317. 323. 324. 326. 337. 392. 433 435. 437 446. 465. 483. 584.
Fides Abrahæ operibus conſummata eſt. 325
Fides informis 406. non iuſtificat. 465. quid efficiat fides 408.
Fides multifariam dicitur. 432
Fides ſine Sacramentis mortua. 432
Fides per baptiſmatis regenerationem cœlum infantibus infunditur 320 1193.
Fides in infantibus Lutheranis non eſt. 321
qua Fides hæſitationem compatiatur & qua non. 433
Fides in Chriſtum ſola non ſufficit. 935
Fides pœnitentia exigitur. 438
qua Fides peccata profligat. 443
Fides per gratiam redditur efficax ad iuſtificationem. 445
Fides eſt ſanctum inchoatio bonæ vitæ. 1131
Fides eſt difficilium creditu. 1155
Fides & amor ſunt alæ ad Dei myſteria. 762
Fides vel charitas perfecta, & fides ſumma differunt. 734
Fides ſola non ſufficit ad ſalutem. 895. 1095. 1130.
Fides duplex. 731
Fides in multis exercenda. 952
Fides fefellit plurimos. 949
Fides nihil prodeſt Schiſmaticis. 1114
Fides poteſt augeri. 937
Fides ſola in quibuſdam ſufficit. 1164
Fides non eſt cibus. 1095
Fides Eccleſiæ eſt vnica. 750
Fides eadem antiqua & noua legis. 1138
Fides non ſemper eſt viua. 493
Fides non eſt Eccleſiæ fundamentum. 56. 585.
Fides catholica per ſucceſſionem deriuata eſt in poſteros. 1224
Fides exercetur in pluribus. 1170
Fides ſine Spe eſt vix vllius poteſtatis. 1381
Fides in ſeſe duplicata potentior eſt. 1381
Fides vera qua. 1381. 1382.
Fides ſola abſque operibus non iuſtificat. 1382
Fides alicuius rei ſuffragiorum numero non poteſt adaugeri. 1410
Fides diuerſa acceptio. 1192
in rebus Fides aſſenſus hominis eſt neceſſarius. 950. conatus noſter vna cum dono Dei eſt neceſſarius. ibid.
Fides notio omnium certiſſima. 778
Fidei diſparitas arguit nondum conſummatum Eccleſiæ ædificium. 1252
Fidei formatæ nihil prodeſt confeſſio. 457
Fidei opera. 471
quæ Fidei ſunt, rationem ſuperant. 927
Fidei articuli qui ſint ab Eccleſia diſcim⁹. 584
Fidei articuli ſunt incomprehenſibiles ingenio hominis. 848
Fidem noſtram Deus explorat. 952
per Fidem dilectione formatam peccata remittuntur. 435
Fidem formatam ſe habere non omnibus compertum eſt. 386. 456. 840.
Fidem noſtram oportet niti verbo Dei. 138
Non omnia quæ ad fidem ſpectant, in ſcripturis ſunt expoſita. 585
qui Fidem habeant ſecundum Lutherum. 314
an Fidem viuam habeat, nemo poteſt ſcire. 1131.
aſſerta aduerſus Fidem nihil efficiunt ſins demonſtratione. 176. 191.
Fide viua duntaxat ſaluamur. 1129
Fide & promiſſione ſacramenta non tolluntur 340 436.
Fide ſola pauci ſaluati ſunt. 842.
nemo certus eſſe poteſt ſe ſola Fide iuſtificari. 335.
ſine Fide nemo iuſtificatur. 320
iuſtus ex Fide initiatus ex bonis operibus conſummate iuſtificatur. 318
Figura rerum incorporalium eſt relatio. 886
Figurarum multitudo in veteri teſtamento fuit neceſſaria. 896
Filius Dei fieri non neceſſitatis eſt ſed voluntatis. 666
Filius perditionis. 632
Hiſtoria Euangelica de filio perdito. 1621
Quot in Filio prodigo & quouis pœnitente conſideranda veniant. 1621
Fœmina, vide mulier.
Fornicatiam Satanæ tradit Paulus. 40
Franciſcus & Dominicus ordines mendicantium inſtituerunt. 743
B Franciſci teſtimonium de Euchariſtia 924
Franciſcus Aretinus. 1173
Franciſcus Mire. 990
Fulgentius de Euchariſtia. 991
Funiculus argenteus quid deſignet. 1525

G.

Galatæ à Gallis oriundi. 1244
Gaudiorum tria genera. 1491
Gelaſius vir ſanctiſſimus Turcorum impetum repreſſit. 640
Genuflexiones. 813
Gennadij Epiſc. Conſtantinop. dictum de conferendis dignitatibus ſacerdotij. 1235
Germania non fuit fœdata Bohemorum hæreſi. 189
Germania per vnicum fraterculum ſeducitur 251.

conſequendis indulgentiis quotannis pecuniam erogant. 275
Germaniæ principes non ſauent Luthero. 98
Germani male ſentiunt de purgatorio. 381
Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus Britãniam ad Catholicam fidem conuertit. 652
Gilbertus Porotanus. 990
Gilbertus Ciſtercienſis. 990
Gladius verſatilis quid. 1682
Gothifredus rex Hieroſolymorũ cõſtitut⁹. 645
Gothifridi Hieroſolymorũ regis humilitas. 651
Gratia quid. 618
Gratia duplex. 714
Gratia Dei triplex. 682
an Gratia non detur niſi pro peccatis. 677
Gratia olim dabatur manuum impoſitione. 1262.
Gratia Dei nemini deeſt, niſi qui ſibi defuerit. 682
Gratia Dei ſpeciali qui ſint deſtituti. 682. Sine ipſa nemo quicquam poteſt boni velle. 683
nec ſufficit influxus generalis. ibid.
Gratia iuſtificat. 493
Gratia ſeruat bona coniugij. 266
non infunditur niſi cum concuſſione animi. 314
Gratia diuina auxilium cunctis ad manum eſt præſens. 665
abſque Gratia auxilio non fit aſſenſus in articulos fidei. 692
Gratia vocabulum eſt ambiguum. 678
Gratiam nemo poteſt mereri. 679
à Gratia nemo qui totis viribus eam quærit, eſt repudiandus. 679
via ad Gratiam & greſſus ad Deum quomodo in poteſtate hominis ſunt. 682
Quas res receptus in Gratiam à Deo poſtulare debeat. 1633
dupliciter ad Gratiam peruenitur. 322
per ſacramenta datur. 322
per Gratiam Dei adiuto non eſt impoſſibile mandata ſeruare ſingula. 364. 366.
Chriſtus ſaluator omnes qui dolent & reſipiſcunt, in Gratiam recipit. 1662
pulchra comparatio ſolis cum Gratia diuina quæ excitat hominem ad pœnitentiã. 712
Gratiarum dona ſunt varia & menſurata. 1257
Gratianus. 990
Gratiani incuria in citatione autorum excuſatur. 872
Græcia paret Rom. Pontifici. 11. paret Eccleſiæ. 543
in Græcanica Eccleſia olim pro mortuis fiebant exequiæ. 726
Græca Eccleſia damna quæ ex defectione ab Eccleſia Romana ſenſit. 726
Græca Eccleſia reuerentia erga ſummum Pontificem. 1459
Græca Eccleſia patres credunt purgatorium. 725
Græca Eccleſia patribus quatenus credendum. 1409. Ipſorum errores à latinis patribus fuerunt deprehenſi. ibid.
Græci non agnoſcunt Papam pro capite Eccleſiæ. 577. Luent ob id pœnas poſt hanc vitam. 578
Græci ſunt hæretici. 169. errant de proceſſione S. Sancti. 477
fatentur Petri præ cæteris Apoſtolis autoritatem. 542
Græci credunt vere corpus Chriſti ſub ſpecie panis eſſe. 839
Græci non credunt purgatorium. 496
Græcis ſcriptoribus, qui fuerunt ex Chriſtianiſmo, omnino fides adhibenda. 1342
Gregorius Ariminenſis. 990
Greger. Niſſen. myſtice interpretatur diſceſſum ex Ægypto. 1694 docet tranſubſtantiationem. 22
Gregorius Niſſenus frater Baſilij. 994
Gregorius Nazianzenus comparat corpus humanum cum Eccleſia. 449
Gregorij Nazianzeni ſententia de Euchariſtia. 994
Gregorij Nazianzeni carmen ad Epiſcopos. 1236.
Gregorius cur nomen vniuerſalis Epiſcopi recuſauerit. 575
Gregorius VIII. ad recuperandam Hieroſolymam fuit intentiſſimus. 649
Gregorius de primatu Petri. 540. 554.
Greg. de impœnitentium peccatis. 673
Gregorius I. 653
Gregorij I. dictum de Maria Magdalena in Chriſtum amore. 1454. quo reſpectu angelum dixerit animal rationo. 1460
Gregorij dictum de operibus quibuſdam carentibus culpa. 623. eius dictum quod humana iuſtitia ſit iniuſtitia, quomodo intelligendum. 623. 624. 625.
Gregorij dictum de ſacrificio Miſſæ. 32. de reſipiſcentia. 46. 47. de ſacramento ordinis. 67. de neceſſitate ſeruandi vota 87. de pœnitentia. 387. 390.
Greg. dictum de operibus Iobi. 656. de tribus munerum acceptionibus. 657. de Euchariſtia. 991. de primatu Petri. 1379.
Guido Abbas S. Lenfredi ſcripſit contra Berengarium. 991
Guilelmus Minoius Baro. 1374
Guillielmus Varro. 990
Guillielmus Pariſienſis. 990
Guillielmus Abbas S. Theodorici. 990
Guilielmus Meltonus. 749
Guimundus Auerſanus ſcripſit contra Berengarium de Euchariſtia. 991

H.

HEbræa lingua non habet genus neutrum. 19. 165.
Hebræi idololatræ facti vitulũ adorant. 233
Hebræorum infantibus ab incunabilis verba legis inculcantur. 347
Hebræorum & Latinorum in temporum ſupputatione diſcordia. 250
Hebræorum Rabbinis locum Geneſ. 14. de oblatione Melchiſedeck in pane & vino, re[illegible] de ſacrificio interpretantur. 1[illegible]
Helias ſe ſolum ex hominibus diuini cultoris ſuperſtitem arbitratus fallebatur. [illegible]
Heluidius negauit Mariæ perpetuam virginitatem.
Henrici VIII. regis Angliæ exhortatio ad [illegible] candas hæreſes & ſchiſmata 79 [illegible] ſponſio ad epiſtolam Lutheri. 82 [illegible] bellũ priorem de ſacramentis à ſe editum affirmat 83. diſſimilis admodum Luthero. ibid. Eboracenſem Epiſcopum a calumniis Lutheri vindicat. 84. Regis modeſtia in intelligendis ſacris literis. 89. Cur Luthero reſponderit. 94. Regis modeſtia 99. Regis cõmendatio. 102. Edidit librum, de [illegible] Catholica contra Lutherum. 104 Cur in eum inuehatur Lutherus. 109. Arguit in conſtantiam & cõtrarietatẽ Lutheri. 103. 123. 147. Exprobrat Luthero cõtumaciã in Magiſtratũ. 126. Defẽdit Thomiſtas. 14[illegible]. Corrupit fundamenta Lutheri 147. Affirmat cõtra Lutherum tranſubſtantiationẽ. 1[illegible]. Euertit Lutherũ affirmantem pronomen, hoc, ad corpus referri. 165 defenditur à calumniis Lutheri. 220. Gladio & calamo protegit Eccleſiam 274. in acie ſtat contra Lutherum. 2[illegible]
Henricus Gandauenſis. [illegible]
Hermogenes hæreticus. [illegible]
Hærodes regni cælorum. 184
Hæreditas Chriſtianorum quæ. [illegible]
Hæreſis eſt pernicioſiſſima peſtis. 039
Hæreſium fœcunditas. 633
Hæreſis quid. 72
Hæreſis quaſdam ſcripturas repudiat. 79 Vndo oriatur 279. 282.
Hæreſes ex ſcripturis perperam intellectis oriuntur. 1228
Hæreſes quantorum malorum ſint cauſa. 748. 749. 750.
Hæreſes quantas in Eccleſiis moueant procellas. [illegible]
Hæreticus quid. 71[illegible]
de Hæretico ſemel aut iterum admonito [illegible] ſpes eſt reſipiſcendi. 640
Hæretici quandoq; damnant multitudinem, quandoque commendant. 23[illegible]
Hæretici olim oppugnabãtur ex patribus. 247 Ex ſcriptura male intellecta exiſtunt. 248 quid efficiant 251. mutilant ſcripturam. 252. Hæretici damnati. 2[illegible]
Hæretici plerique ex ſcripturis ſua dogmata ſtatuerunt. 63. pertinaciter ſcripturis adhærent. [illegible]
Hæreticis cauſa fuerunt, quod hodie et articuli Chriſtianæ fidei extant. [illegible]
Hæretici dicuntur feræ. 1235. cauendi. [illegible]
Hæretici ſibi ipſi contrarij. [illegible]
Hæretici detrahunt miraculis. [illegible]

INDEX.

Hæretici Deum timendum negant. 637
Hæretici q; ſint 282. nō ducuntur S. Sancto. 302
nolunt ſcripturam iudicem dogmatum ſuorum. 302
non intrant per oſtium. 303
Hæretici in perfidia perſtant. 750
Hæretici per Patres confutati ſunt. 1130
Hæretici traduntur poteſtati ſeculari. 642
Hæretici vocantur nubes ſine aqua. 1375 peiores ſunt tyrannis & inratis Chriſti hoſtibus. 1388
Hæretici interimendi vbi non aliter tueri poterit gregem. 633
Hæretici aſpernantur Prophetas. 971
Hæretici ſunt reuincendi. 982
Hæretici occidendi. 638. 639
Hæretici vnde oriantur. 639
Hæretici ex ſcripturis erroris occaſionem ſumunt. 1130
Hæretici autumant ſe ſcripturas rectè intelligere. 821
Hæretici verba Chriſti amplectuntur, ſed non ſenſum. 828. 829. 831
omnes aſſerunt ſcripturas ſcrutandas. 836
Hæretici noui ſubinde noua dogmata indagant. 836. ſunt vitandi. 837
Hæreticorum mos. 330. 426
eorum ordinationes quales. 450
eorum congregationes ſunt conciliabula Satanæ. 544
Hæreticorum inteſtina bella. 603
erroris ſunt euidens indicium. ibid. 605
Hæreticorum diſſenſio de Euchariſtia. 928
Hæreticorum crudelitas. 1390
Hæreticorum Eccleſia eſt Synagoga Satanæ. 1390
Hæreticorum varietas vetat eos ſectari. 1131
Hæreticorum mores. 756
Hæreticorum mutua diſſidia. 744. 750
Hæreticos mutuo ſe conficere iucundum eſt Orthodoxis ſpectaculum. 133
Hæreticos quam variis modis Papa reuocare tentauerit. 642
religionum diuerſitas Hæreticos ſemper malè habuit. 589
apud Hæreticos Chriſti verbū non paſcit. 985
in Hæreticos qualiter olim fuerit animaduerſum. 635. non eſt cum iis diſputandū. 278
vitandi. 280. 273
Hæreticis non eſt blandiendum. 756
Hæreticis ſcripturarum interpretatio eſt interdicta. 559
Hæreticis cur non ſit credendum. 607. 608
Hæreticis commune eſt Papas criminari. 124
Herigerus Abbas ſcripſit contra Berengarium. 991
Hierocles æquauit Apollonium Chriſto. 800
Hieron. dictum pro charactere Baptiſmi. 67
de præſtantia epiſtolæ Iacobi. 72. de votatis. 87. eius epiſtola ad monacham lapſam & Diaconum qui eam violauerat. ibid. de Eleemoſynis. 511. de Petro. 385
de pœnitentia. 395. de timore. 403. de confeſſione. 420. de fide. 456
de Euchariſtia. 464 de Petro. 541. de conciliis hæreticorum. 597. de concilio Apoſtolorum Act. 15. 601. de iuſtitia veteris legis comparata ad puritatem Euangelicam. 613. pro aſſerenda aqua cum vino miſcenda. 154. pro ſacrificio Miſſæ. 194. de iudicio Eccleſiæ. 282. de fomite. 358. de baptiſmo. 359. de preceptis Dei. 366. de primatu Petri. 582. qua occaſione presbyteros in aliquo loco tantopere extulerit. 573. de peccato. 610. de poſſibilitate ſeruandi præcepta diuina. 612. de æqualitate presbyterorum & ſacerdotum 1234 de dignitate paſtorū Eccleſiæ. 1263. de nouo paſchæ Sacramento in nouo Teſtamento. 1140. de Eccleſia. 290 de conſuetudine 294. confitetur ſcripturæ obſcuritatem 306. de vita humana fugacitate & inſtabilitate. 680. de Euchariſtia. 993. de veteri & nouo paſchate. 1133. de extirpandis hæreticis 641. de purgatorio. 717. de ſacrificio Melchiſedech in pane & vino 1265. de libero arbitrio 661. de mulieribus requirentib. Ieſum in ſepulcro. 1435 de Euchariſtia. 1174. 1175. de natura hominis ad malum prona. 621. de hæreſi Arrij. 1388. de præſcientia Dei 694. quomodo explicauerit locum Gen. 6. de natura hominis ad malum prona 676. libros Machabæorum ad Canonem refert. 724. de corpore Chriſti. 813. 815. de morte Petri & Pauli. 1339. Romæ Petrum occiſum fuiſſe ſcribit. 1343. inter paſcha ſimpliciter & paſcha ſacramentum nullum facit diſcrimē. 1173. Petrum 25 annis Romæ fuiſſe ſcribit. 1304 1339. Petrum ex Antiochia Romam veniſſe ſcribit. 1323. 1339
Babyloniam, vbi Petrus ſuas Epiſtolas conſcripſit, Romā eſſe teſtatur. 1345. ſententiā ſuam in cunctis Papæ cenſuræ ſubiicit. 1183. 1454. eius dictum de ſacramento confirmationis. 51. quamuis eſſet ſub Hieroſolymitana diœceſi, tamen Romanā vocat matrem ſuam. 143. in ſupputatione annorum prædicationis Petri Romæ, variat. 1347. Philonem Romæ Petrum conueniſſe ſcribit. 1366. eiuſdem Petri ſicut & Pauli oſſa Romæ ſeruari ſcribit. 1367. eius dictum, de miſeria Chriſtianorum in hoc mundo 1372. de primatu Petri. 1379. tormentorum inferni formidine reſipuit. 1571
Hieronymus Emſerus. 748
Hieronymus Florentini vaticinia fuerunt ſubitanea. 109. in contemptū adduxit excommunicationem. ibid.
Hieronymus Sauanarola cur exuſtus. 637
Hieroſolyma ſub Paſchali II. recuperata. 645
Hieruſalem vrbs duplicem vltionem non duplicem gratiam recepit de manu Domini. 678. cæleſtis. 1217. in his terris eſt ſancta mater Eccleſia. 1217
Hilarius. 180. de traditionibus 294 de primatu Petri. 539. 554. de crudelitate Conſtantij in Paulinum 1235. ratiocinatio contra Arrianos. 1100. 1101 de libero arbitrio. 666. de Euchariſtia. 1113 de perſecutionibus Eccleſiæ. 1328 de verbis Chriſti: Caro mea verè eſt cibus, &c. 1126 eius Canon de non affingendo nouum ſenſum ſcripturis. 926.
Hilarius tuba latinis ſermonis. 995
Hildebertus Thurinenſis. 990
Hiſpania à Paulo fidem Chriſtianam accepit. 1339
Hiſtoriæ non ſemper probant, cum pleraq; teſtentur de facto non de iure. 576
Holofernes Iudæam inuadit. 1653
Homo quomodo poteſt non peccare. 610. tribus rebus à vitiis abſterretur. 403. animo concupiſcente homo dicitur concupiſcere. 365 natura procliuis ad omne malum. 1244. facilè deſciſcit à fide. 1243. in quem finem à Deo creatus. 1473
Hominis via triplex. 682 tres partes quæ. 698
Hominis in latrones incidentis, Luc. 10. allegoria. 1560
tria ſunt in Homine. 364 410
Hominum tria ſunt genera. 609
Hon. III. res in Aſia turbatas compoſuit. 649
Honorius presbyter Eccleſiæ Auguſtudinenſis. 990
Hoſtiæ fractio ſymbolum eſt paſſionis. 889
Hugo Linconenſis de ſignis. 793
Hugo Victorinus. 990
Hugo de S. Victore ſcripſit librum de Sacramentis. 21 37. eius dictum de fructu ſacramenti confirmationis. 51. de ſacramento matrimonij. 611
Horatius. 66
locus Gen 6. de humani cordis malitia explicatur. 675
Humani cordis cogitatio ad malum prona, quomodo intelligendum. 674
tempora quibus Deus genus humanum vocauit, eſt triplex. 914
Humanæ vitæ inſtabilitas. 681
ſoli Humiles agnoſcunt veritatē ſcripturæ 300
Humilitas. 402
Humilitas Chriſtianos decet. 704
Hypocrita. 406. qui ſint. 406
Hymenæus hæreticus. 280
Hypocriſin deteſtatur Spiritus S. 831
Hyſſopi deſcriptio, & quomodo ad Chriſtum referatur. 1537

I.

IAcobus Domini frater celebrauit Miſſam. 195 à Petro inſtituitur Epiſcopus. 536. in concilio Apoſtolorum, Act 15. cum Paulo à Petro diſſenſit. 601. lapidibus fuit obrutus. 1335.
an Iacobi epiſtola ſit recipienda. 238. nō docet fomitem eſſe peccatum. 380. à Patribus vt Canonica ſuſcepta eſt. 61 digna Apoſtolico ſpiritu 75. reiicitur à Luthero. 114
Iacobi dictum de iuſtificatione hominis, ex operibus, explicatur. 1382
Iacobus & Paulus in negocio iuſtificationis non contrariantur. 1383

Iacobus Faber vnicam fuiſſe Magdalenam negat. 1395. quam ab Auguſtini modeſtia ſit alienus. 1446. ſuggillat Gregorium L. 1454. 1456 ipſius arrogantia. 1452
ex Iacobi Fabri aſſertione non tres duntaxat ſed quatuor erunt Magdalenæ 1458. quam diſcrepet à Patribus quantumuis hac de re hallucinantibus ibid. 1459.
Iacobus Latomus. 749
Iacobus Iuſtus Archiepiſcopus Hieroſolymitanus. 1296
Idiota vide Plebs.
Idololatria impia eſt & damnata. 137
Ieiunia faciunt ad remiſſionem pœnæ. 489
Ieremias propheta ſeipſum annumerat peccatoribus. 614
Ieremias dictus de prophetis. 246
Ignatius Martyr de hæreticis 761. eius liber de Traditionibus deſideratur. 797. de ſacrificio Miſſæ. 192 ſcripſit traditiones Apoſtolorum. 1260
Ignatij dictum de dignitate Epiſcopi. 1238. 1239
Ignis conflagrationis. 723
Ignis purgatorius quamuis corporeus, tamen etiam affligit ſpiritus. 384
Ignis ſubſtantia non mutatur in ferrum. 162
Ioannes Baptiſta propter adulterij correptionem occiditur. 262
Ioannes Baptiſta fuit lux. 1017
Ioannes Baptiſta hiſtoricus. 1344
Ioannes Bacho. 990
Ioannes Capnion de Miſſa. 204
Ioannes Carnotenſis. 990
Ioannes Coclæus 748. eius laus. 1134
Ioannes Columna Cardinalis. 649
Ioannes Dietenbergius. 748
Ioannes Duns, alias Scotus. 990
Ioannes Eckius. 748
Ioannes Faber. 748
Ioannes Fen à Monte-acuto. 1463
Ioannes Euangeliſta è Pathmo rediens, eccleſiis præfecit ſacerdotes. 1237
Ioannis caput ſextum pertinet ad Euchariſtiam. 1032. 1020. 1227
Ioannis ſextum caput agit de corporali manducatione corporis Chriſti. 1196
Ioannis cur tacuit exhibitionẽ corporis Chriſti ſub ſpecie panis. 1132
Ioan cap 6. Chriſtus tractat de triplici pane. 1128 non abs re hic dixit: Dabo. ibid.
Ioannis Euangeliſta caput 6. loquitur de Euchariſtia. 774. agit de ſacramentaria manducatione. 959. 1088
Ioh. 6 nihil in Chriſti verbis eſt ſuperuacaneum. 1128
Ioannes Euangeliſta Epheſi ſcripſit ſuum Euangelium. 1325. in feruens oleum demerſus nihil ex eo damni paſſus eſt. 1342. in Pathmos inſulam relegatur. 1342
D. Ioannis geſta recenſentur. 1586
Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis. 1. Henrico VII. Angliæ regi ſecundas nuptias priore coniuge ſuperſtite molienti, contradicit. ibid. mancipatur carceri. ibid. capite plectitur. 2. caput eius truncum, viuidum colorem non mutauit. 3. eius conſtantia in ſubeundo martyrio. ibi in vinculis renunciatus eſt Cardinalis ibid. eius ſcripta ibi. potius morietur quã credat patres errasse. 249. quot ſtatuat Sacramenta. 257
Ioannis Roffenſis tractat de neceſſitate orandi 1708. ſemper orare quid ſit 1709. zelus. 836. epiſtola de charitate Chriſtiana. 1704
Ioannes Franciſc de autoritate Eccleſiæ. 1459
Ioannes Huniades Mahumetem fugauit. 645 eius ſolicitas in bellis aduerſus Turcas. 646
Ioannes Huß hæreticus. 562. in concilio Conſtantienſi condemnatur 603. non in omnibus cum VViclefo conſentit ibid. monarchiam in Eccleſia debere eſſe credidit. 605
Ioannes Oecolampad. Vide Oecolampadius.
Ioannes Picus Mirandulanus 758. excuſat Hieronymum Florentinum. 109
Ioannes Pouelus. 749
Ioannis I. mors. 653
Ioannes Scotus 583. eius dictum cur credenda communicatio ſubſtantiæ panis quæ eſt in corpus Chriſti. ibid. de poteſtate Pontificis & Eccleſia. ibid.
Impij etiam ſua peccata damnant. 351
Impij magis magiſque peccant. 410
Impiorum damnatio. 673
Impœnitentes non cõmunicant digne. 182. 219
Impoſitio manuum fiebat inſtinctu S.S. 260
per Impoſitionem manuum Diaconi & presbyteri ordinantur. 260
ab Impoſtoribus cauendum. 1218
Incorporamur Deo dupliciter. 1105
Increduli pelluntur à myſteriis. 765
quomodo ſub Incredulitate omnia Deus concluſit. 660
Indi ſegregati ſunt ab Eccleſia. 143
Indi ſubijciunt ſe Rom. Pontifici. 11
Indulgentiæ ſemper fuerunt in vſu apud Eccleſiam. 8
non derogant iuſtitiæ diuinæ. 492
Indulgentiæ non ſunt ſpernendæ 647
Indulgentiæ pendent ex purgatorio. 496
Indulgentiæ liberant à pœnis Purgatorij. 502
Indulgentiæ fundantur ſacra ſcriptura. 117
Indulgentiæ non ſunt bonorum operum remiſſiones. 501
Indulgentiæ morituris ſunt neceſſariæ. 519
Indulgentiæ quid efficiant. 494 499
Indulgentiæ præbent quærendæ gratiæ occaſionem. 494
Indulgentiæ Luthero ſunt impoſturæ. 123
Indulgentiarum neceſſitas. 507
Indulgentiarum vtilitas. 118. 506. earum litera. 492. earum ſcopus. 501
Indulgentiarũ origo ignota. 496. vnde emanarint. 497. non ſunt contemnendæ. 499
ad indulgentias tria notanda. 485
per Indulgentias iram Dei effugimus. 500
Indulgentiarij. 397
Quomodo ij cum Luthero conueniant. 399
Infantes baptiſati omni carent peccato. 356 617.
Infantes habent fidem. 295. 321
in Infantibus baptiſatis nullum vere peccatum. 343
Infantes olim ad communionem admittebantur. 15. 148
Inferorum portæ poſſunt præualere aduerſus Petrum, ſed non aduerſus poteſtatem Petri. 556. 55.
Infirmiores in fide, lacte Chriſtianæ fidei primum ſunt imbuendi. 1250
Influentia generalis omnibus rebus eſt neceſſaria. 638
Ingenij humani craßities in rebus fidei. 1244
Inuntia fraterna diuiſio ex Lutheri ſententia poteſt eſſe ſacramentum. 256
Innocen III. docuit tranſſubſtantiationem. 583. 592 teſtimonio Platinæ fuit ſanctus Pontifex. 592
Innocentius III. ad bellum Turcis inferendum fuit intentiſſimus. 649
Innocentius III. quid decreuerit in Concilio Laterani. 492
Innocentius III. ſiue Lotharius. 990
Innocentij III. mandatum quod durante bello Turcico ad Deum placandum à Chriſtianis fieri debeat. 650
Innocentius de tribus eſſendi modis corporis Chriſti. 1214
Interceſſoribus aliis præter Chriſtum nobis opus eſt. 1272
Interpretatio fidelis quomodo fiat. 1133
an Iohã 3. mandetur vt Papatus maledicatur. 127. miraculi Chriſti de quinque panibus ratio. 1128
Ionas propheta ſeſe à Deo auertit. 1597
Ionas à balæna deglutitur. 1597
Ionas Chriſtum denotat. 1597
Septem gradus receßionis Ionæ à Deo, quid ſignificent. 1597
vocatio Ionæ prophetæ. 1607
Ionathan peccat contra edictum patris. 171
Ioppe vrbs maritima [illegible]
Ioſephi venditio Iſmaelitis à fratribus ſponte non coacte facta eſt. 690
Ioſephus de morte Petri nullam facit mentionem. 1331
Ioſephus etſi de Chriſto honorifice ſcripſerit, perfidiæ tamen Iudæorum fuit conſors. 1366. poſt Petri mortem Romam venit. ibidem.
Iouinianus hæreticus. [illegible]
eius hæreſis. 318
Iouinianiſtarum hæreſis. 6[illegible]
Ira eſt grauiſſimum peccatum. [illegible]
Irenæus Petrum & Paulum Romæ fuiſſe [illegible] ſtatur. 134
Irenæus ſcripſit aduerſus hæreticos. 9[illegible]5

Irenæus

Irenæus quam intelligat vitam incorruptibilem.1061. aſſerit incorruptionem ex ſacra communione. 1061
Irenæus pater & Epiſcopus integerrimus.243
de vnione noſtra cum Chriſto in Euchariſtia. 1127
ſenſit ſub ſpeciebus ſacramentalibus eſſe verum corpus Chriſti. 1058
apertè docet veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia. 996.1062
de inſertione Chriſtianorū corpori Chriſti per eſum eius. 1235
Irenæi argumentū contra eos qui negant reſurrectionem carnis. 1067
Irenæi dictum de conſtanti fide primitiuæ Eccleſiæ. 1295. exhortatio ad hæreticos negantes Chriſtum Dei filium. 1055
Irenæi verbérum ſententia quod dignè communicantes reſurgent. 1068
Iudas proditor multipliciter peccauit. 1013
Iudas buccellam à Chriſto cur accepit. 525
Iudas in poteſtatem Satanæ venit. 524
Iudas accepit verum Chriſti corpus in Cœna. 993
Iudæ buccella & Euchariſtia differunt. 1028
Iudæ proditio an ſpontanea an neceſſaria fuerit. 693
Iudæi multa habuerūt à ſuis maioribus per manus tradita, quæ non ſunt ſcripta in lege. 1384
Iudæi cur toties à ſuis hoſtibus fuerunt fuſi. 645
Iudæi & Gentes in vnum ouile ſunt coadunandi. 546
Iudæi fingunt Meſsiam mille annos in omni voluptate bi[illegible] peracturum. 1273
Iudæi ſcrutantur an Danielis quæſtio ſit vera. 309
Iudæi Romanis tributarij 566
Iudæorum cura etiam ſpectat ad Pontificem. 345
Iudæorum religio mutata. 897
Iudæorum ſiliis reprobaeſt. 137
inter Iudæos & Chriſtianos multa differentia. 896.1138
Iudicium de aliqua re bifariam intelligitur. 1450
Iudæas fœminæ non annumeratur 72.diſcipulis. 1313
Iuſtus opera quædam habere poteſt pura. 658
Iuſtus quis dicendus. 621.698
Iuſtus etiam errat. 349
Iuſti per gratiam intus iuſtificantem nonnunquam propter peccatorum reliquias iniuſti dicuntur. 318
Iuſti quinam appellentur. 1491
Iuſtorum quorundam catalogus. 620
Iuſtificatio duplex. 318 400.443 618
Iuſtificationis prima gratia eſt ex ſola fide. 256
Iuſtificationem operari quid. 444
ad iuſtificationem præter fidem ſunt & alia neceſſaria. 316.367
ad iuſtificationem ex operibus miſericordia duo concurrunt. 326
non iuſtificari & damnabile eſſe differunt. 427
dictum pſalmi, non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, quomodo intelligendum. 629
Iuſtinianus quomodo ad fidem Chriſti conuerſus. 653
Iuſtitia & iudicium magnam in ſe continent ſatisfactionem. 518
Iuſtitia etiam exiſtit ex operibus. 255.320
Iuſtitia triplex. 619
Iuſtitia legis ad comparationem Euangelicæ puritatis immunditia eſt. 613
Iuſtitia noſtra Dei iuſtitiæ comparata eſt nulla. 623
Iuſtitia perfectio duplex. 624
Iuſtitiæ nomen ob paruulas labes non deperditur. 621
Iuſtitiæ conſummatio fit per Opera. 1129
abſq; inchoata iuſtitia nihil mereri poſſumus. 320
Iuuencus presbyter vnum ex quatuor Euangeliis verſibus redegit. 1451
Iuo Epiſcopus Carnotenſis. 990.1297

K.

Katherina de Bore monialis, poſtquam per biennium VVitebergæ ſcortata fuit, Luthero ceſſit in vxorem. 100
Kimhi Iudæorum Rabbi, Pſalmum 72. de Meſsia & eius ſacrificio rectè interpretatur. 1267

L.

Lachrymæ duplices, & quid operentur. 1530
Lachrymæ peccatorum vnde proueniant. 1532
ad Lachrymarum compunctionem dupliciter peruenitur. 402
Lactantij error de Iudæorum Meſsia mundano 1273
Ladiſlaus rex Vngariæ Amuratem prælio fudit. 645
Laici tantundem accipiunt ſub vna ſpecie, quantum ſacerdotes ſub vtraq; 28.476. 480
Laici ex conſuetudine ſub ſola panis ſpecie communicantur. 132
Laici rectè ſub vna ſpecie communicantur. 152
Laici non poſſunt conſecrare. 481
Laicis non eſt datum ius clauium. 46
nec competit eis ius eligendi aut ordinandi Eccleſiaſticos. 69 70
Laicis res vxoria ad tempus interdicitur. 479
Lambertus apoſtata. 75
Lamentatio vnde naſcatur. 1653
Lanfrancus Cantuarienſis ſcripſit contra Berengarium de Euchariſtia. 990
Lapſorum pœnitentia in exemplum nobis lapſis trahenda. 1467
Latinorum Patrum autoritas. 1409
Latinorum & Hebræorum in ſupputatione temporum diſcordia. 1302
Laurentius Valla. 1357
Lazari fratris Mariæ Magdalenæ hereditas. 1441
Λειτουργία. 1281
Liturgiam patres ſacrificationem dixerunt. 1254
Leo I. de Maria Magdalena. 1454
Leoni I. in Concilio Chalcedonenſi ter SANCTVS acclamatum fuit.653. Acephalorum hæreſim confutauit. 653.1368
Leo de primatu Petri. 554
Leo Papa de præſcientia Dei. 694
Leonis I. ſententia de Euchariſtia. 992
Leonis Papæ dictum de libero arbitrio. 662
Leonis Papæ in ſermonibus de Apoſtolis teſtimoniū de morte Petri, quod Romæ obierit. 1343
Leonis I. dictum de primatu & Apoſtolatu Petri Romæ. 1368
Leonis Papæ dictum de poteſtate Eccleſiæ in imponendis ſatisfaltionibus. 45
Leo X. fuit inculpata vita à iuuentute. 123 142
Leo X. etiam ipſius Lutheri teſtimonio, fuit vir ſanctus. 8
Leo in ſcriptura quid denotet. 1597
Leonis generoſitas in parcendo animalibus imbecillioribus. 1475
Leo in hoſtem deuictum non amplius ſæuire dicitur. 1572
Leuiathan ſuſcitatur. 127
Lex vetus typus futurorum bonorum. 1610
Lex non cogit inuitum ad peccandum. 408
Legis veteris exhibitio & eius merces non ad idem tempus pertinent. 1275
Legum diuinarum conſideratio qua ſit. 1638
Legibus homines neceſſario coercentur. 40
Liber ab Ezechiele viſus quid continuerit. 1653
Libri interior pagina quid ſignificet. 1652
exterior quid. ibid.
Libri linea & litera quid denotent. ibid.
Libri tabulata quæ ſint. 1654
Libri folia quæ ibid.
quid in Libro illo ſcriptum fuerit. ibid.
quos & quæ res in libro conſideranda ſint. 1654
Libertas voluntatis humanæ. 93
Libertas in ſcripturis trifariam ſumitur. 664
Libertas Chriſtiana. 594
Libertas arbitrij in peccatore remanet. 715

Libertas arbitrij naturæ malitiam poteſt frenare. 674
Libertas primi hominis ante peccatum. 665
Libertas transfugientium ab Eccleſia Chriſti ad Lutherum. 35.87
Liberum arbitrium quid. 699
Liberum arbitrium. 660
Liberum arbitrium non figmentum ſed vera res eſt. 687
Liberum arbitrium quiſquis negauerit, non eſt catholicus. 668
Liberi arbitrij verus vſus. 707
de Libero arbitrio quid ſenſerit Auguſtinus. 668.669
de Libero arbitrio ſententia Patrum 661 662 663. 664
in articulo de Libero arbitrio Orthodoxi cum Pelagianis neutiquam conſentiunt. 692
de Libero arbitrio errores. 661
Ligandi & ſoluendi facultas non toti Eccleſiæ ſed Petro datur. 118 *ſacerdotibus.* 329
Sponte nos vult Deus effici bonos, non neceſſitatis violentia. 702
Ligatio differt à ſolutione. 505
Limbus Patrum. 731 1679
Linguam hominis quomodo gubernet Deus. 686
Linus poſt Petrum ſecundus Romanæ Eccleſiæ fuit Epiſcopus. 1345
Linus deſcripſit hiſtoriam Petri & Pauli. 1334.1357
Londinum. 1374
Lucas ſcripſit ſuum Euangelium græce. 166
Lucas cum Paulo commoratus eſt in captiuitate Romæ. 1323. *non omnia deſcripſit quæ Paulus ſuſtinuit.* 1325. *fuit indiuiduum Pauli miniſter.* 1338
Lucas in verbis Cœnæ Dominicæ de ſanguine obſcurius loquitur. 1136
Lucifer Dæmonum malignorum dux & Coryphæus. 1591
Lucretia matrona Romana per vim conſtuprata ſibi mortem conſciuit. 1667
Lucius III. Chriſtianos principes ad bellum contra Turcas hortatur. 649
Lucius Cyrenenſis. 1255
Ludouicus Gallorum rex Cruce ſignatus aduerſus Turcam proficiſcitur. 649
Lunæ ſplendor & aliarum ſtellarum à Sole proficiſcitur. 1595
Lutheri ſimulata ſanctitas. 8
Indulgentias ſpernit. ibid.
Catholicos quos ſcripſit libros, deuouit igni. 10
Contrariè ſentit de Papatu. ibid.
Bohemos ſeſe ab obedientia Romanæ Sedis abſcindentes, damnat. ibid.
Excommunicationem ſpernit. ib. *Triplici vinculo Rom. Pont. cenetur aſtrictus.* 12
Vnum tantum ſacramentum admittit. ibid.
Vt coluber cauendus. ibid.
Sacramentum corporis Chriſti vocat Sacramentum panis. 13
Damnat miracula quæ fiunt circa Eucharistiam. 14
Contumelioſe loquitur in Clerum. 15
Bohemos quos execratus fuerat, mox demulcet. 16
Captat popularem fauorem. 16.25
libertas quam docet, Ægyptiaca ſeruitute eſt deterior. ibid.
Fatetur nihil eſſe periculi ſi quis cum tota Eccleſia credat tranſſubſtantiationem. 23
Quæ ſibi obijcit ipſe, non diluit. 24
Miſſam omni fructu pro ſua virili ſpoliat. 24.25
Adulterat Chriſti teſtamentum. 26
Argutiæ eius contra Miſſam confutantur. 27.28.29 & *ſeq*
Patres contemnit. 33
Miſſam eſſe fingit de reliquiis ritus Iudaici 33. *Eius inſtitutiones Eccleſiaſticæ.* 34
Populum abigit à miſſa. ibid.
Perperam docet de fide. 36
Parum tribuit ſacramentis. 37
Chriſtianis ſummã licentiam decernit. 39
Contritio ipſi in totum diſplicet. 41
Confeſſionem occultorũ relinquit in medio. 43
Omnia confundit. 44
Mulieribus permittit autoritatem audiendi confeſſiones. 45
Fidem abſque operibus ſatis eſſe ad ſalutem ſentit. 48
Pœnitentiam quam prius dixerat, iam negat eſſe Sacramentum. 49
Multa dicit, neque quicquam probat. 50
Patres vocat oſcitantes lectores. 56
Inter ſacerdotes & laicos nullum eſſe diſcrimen ſacerdotij ſentit. 61
Cœlibatum ſacerdotum damnat. ibid.
Debacchatur in Dionyſium. 66
Omnes Chriſtianos ſacerdotes eſſe nugatur. 68
Iacobi epiſtolam vt indignam Apoſtolico Spiritu reſpuit. 72
autoritatem adimit Apoſtolis inſtituendi ſacramenta. 72
eius ſuperbia. ibid.
eius fides. 74
eſt corporum & animarum occiſor. 75
eſt infenſus epiſtolæ Iacobi. ibid. 104
Baptiſmum in contumeliam pœnitentiæ patitur eſſe ſacramentum. 76
futilibus rationibus omnia eludit. ibid.
eſt alter Proteus. 77
ceu peſtis vitandus. ibid.
eius ſtudium. ibid.
eſt immedicabilis. ibid.
qua via primum graſſari cœperit. 78
Friuola eius appellatio ad Concilium. 78
Impudentia vnica ratio eſt Luthero probandi omnia. 83
Scripta ipſius meretriciis ſcatent maledicentiis. ibid.
Ipſe inſanus omnibus ſanitatẽ inuidet. 84
Interpretationes Patrum ſpernit. 84.
Nihil vocat Euangelium, niſi quod ipſe probat. 85
Mos diſputandi. 85
Lutherani Spiritus inditia. 88
eius apoſtaſia & ſcortatio cum monialibus. ibid. 91
inſignis eius impudentia. 88
Omnem Dei timorem tollit. 89
Opera bona contemnit. 90
quid dicat fidem. ibid
eius Babylonica. 91
docet Chriſtianum nullis obligari humanis legibus. 92
Sacroſanctos Canones publice combuſſit. ibid.
Deum autorem eſſe malorum docet, quippe quod neceſſario omnia eueniant. 93
ſuſtulit arbitrij libertatem. 93.94.116
cum ipſo neutiquam diſputandum. 94
Catalogus aliquot dogmatum eius. 54
Impia in Chriſti matrem blaſphemia. 95
publica ei prærepta diſputandi licentia. ib.
iudicio Pariſiorum ſi bolæ, quorum iudicio ſe ſtaturum promiſerat, damnatus 96
VVormatiæ ipſius hæreſes damnantur. ib.
appellat ad generale Concilium ibid *ruſticorum ſeditionem cauſatur* 98. *inſignem cladem ipſius doctrina cauſatur.* ib *Eblanditur liberam facultatem ſpargendi ſuas hæreſes* 99. *In crucem Chriſti blaſphemia* 100 *malitia eius depingitur.* 102. *Inſaniam corrupit ſcripturas.* 104. *iudicium fecit erroneum.* 107. *elenchi eius erratum.* ibid *Ingenue fatetur fallacia ſua in ſcripturã commentaria.* ibi. *an ſit è cælo* 108. 179 *non eſt ſui animi compos* 108. *inſignis eius calumnia* 109. *contumelioſus eſt in omnem magiſtratum.* 110. *triumphans de Satana, Chriſto eſt diſſimilimus.* 111 *diſpe ratione impetitur.* ibid *dogmata eius non poſſunt non eſſe diabolica.* 111. *non vult videri inconſtans* 112. *bis in eodem mendax eſt.* 113. *taxat epiſtolam Iacobi.* 114 *quod modo ait, modo negat.* ibid. 296. *de duobus ſcribit.* 115. *ſibi ipſi etiam pugnat de indulgentiis.* 115. *à Satana decipitur, atque ſemper eſt θεοδίδακτος.* ibid. *doloſe explicat Paulum* 116. *malè negat dogmatum ſuorum proprietatem.* 117. *docet ſcripturas apertiſſimas eſſe & grammaticè debere intelligi.* 118.163. *contra ſcripturam docet omnem pœnam peccati condonari.* 119 *contrarius ſibi eſt in doctrina de fide.* ibid. 119 & 122. *docet ad Euchariſtiã ſufficere fidem* 122. *docet fidem eſſe notam.* ibid. *Lutheri mordacitas eiuſdemq; defenſio.* 123. *Phariſæorum perſonam refert.* 180
Lutheri epiſtola ad Henricum VIII. regem Angliæ

INDEX.

Anglia. 80. militum ventuum. 273 carnificina. 432. eius dogmata quid. 125
Contumelioſus in Pontifices noui ſacerdotij principes. 126
Præcurſor Antichriſti. ibid.
Silentio quædam à rege ſibi obiecta diluit. 126
Contorquet ſcripturas. 127.187.188.274. 241.254.274
Suſcitat Leuiathan. ibid.
Non intelligit ſe mentiri. 128
Qualem habeat regem. 129
Non pudet mentiri. 131.139.156
Eius cauilli in abrogandam conſuetudinẽ ſub vna ſpecie communicandi confutantur. 136
Vix dignus eſt reſponſione. 136
Potius vr'ateſt & belua quam homo. 137
Diabolicis conuiciis tumet. 139.274
Totus eſt carnalis. 142.173.239. ſeptem roboribus contendit Laicis etiam calicem dandum. 144. contrarius ſibi de communione ſub vtraque ſpecie. 150
Mutilat verba regis. 150 152.214
Impudentiſſime temerat regis verba. 153. 205
Propriũ ſenſum orthodoxis patribus opponit. 155. 168. idque inſtinctu diaboli. 194. 247.252. opponit è diametro. 272
Negat tranſſubſtantiationem panis. 157. 158.159.171 173
Contemnit concilia. 164.250.297 311
Falſo interpretatur verba Euangelij. 168. 188
eſt Hæreticus omnibus aliis deterior & ſchiſmaticus. 169.234 252.272.337
Sophiſtico inſectatur Ambroſium. 174
Tranſſubſtantiationem vocat blaſphemiã. 179. ſeipſum excommunicat. 179
Non diſtinguit inter Miſſam, ſacramentũ altaris, & nouum Teſtamentum. 182 216
Definit Teſtamentum. 184. perniciosa eſt eius doctrina. 188. 232. negat miſſam eſſe ſacrificium. 191. perſpicacior eſt omnibus patribus. 203.312.313. miſſæ duplicem facit acceptionem. 207
Chriſtum crucifigit. 222. contemnit Canonem miſſæ. 222. mentitur omnia oblata fuiſſe incenſa. 223. adſtruit omnia ſcriptura æqualiter pertinere ad Chriſtianos. 231. plebi quoque defert dogmatum diiudicationem. 232. aliquando tamen damnat. 233. defert iterum. 241.252 253. 254. ſolam fidem ſufficere ait. 235. 432. 440. negat Iacobi Epiſtolã eſſe catholicam. 239.273.323. condemnatur populi antiqui iudicio 240 eſt pſeudopropheta 243. 252. dirimit conatum obſeruandarum legum Dei. 243. quos per ſuam doctrinam pariat fructus. 244.252. ducitur erroris ſpiritu. 252.296. negat ſacramentum ordinis. 255. definit ſacramentum. 255 perperam docet Timotheum à Paulo baptizatum. 258. negat matrimonium eſſe ſacramentum. 263. fidei ſubuerſor. 273. 274. capitalis Eccleſiæ hoſtis 278. 319. malitioſus & inſcius. 343 319 purgatorium credit. 284
canit palmodiam. 296. ex ſolis ſcripturis vult omnia probari. 297.307.311 381. definit fidem. 315. 443. cupit dialecticam ſublatam 324. egregius dialecticus. 405. quædam Auguſtino ſed falſo tribuit. 370. 375. iuſtum in omni opere bono peccare ait 381
Autor eſt ad rebellionẽ. 477. aſſerit fœminas poſſe conſecrare 477. ordinem auſert ab Eccleſia 504 definit pœnitentiam. 508. negat deleta culpa manere pœnam. 516. 517. papam eſſe Antichriſtum ait. 519 cur damnet excommunicationẽ. 523. diſtinguit fidelium communionem. 523
Ipſius documenta de non admittendo in Eccleſia primatu, confutantur. 565. 573. Gregorij teſtimonio ſeſe iugulat. 575. fruſtra conatur Papæ autoritatem imminuere. 579. nullo miraculo doctrinã ſuã poteſt probare. 580. Impudentia ipſius in ſummũ Pontificem. 582. 586. eius ortia notantur. 586 Inanis eius Philoſophia. 587. ſpecioſa eius libertas. ibid. ipſe eſt abominatio & Pſeudopropheta. 588. ingenium ipſius Anaxagoricum. 589 frequenter ſecum diſſidet. 590. Chriſtianis licere diuerſa ſentire docet ibid. quare ſcripturam velit eſſe iudicem 592. Ioannem Huß magnopere effert, à quo tamẽ ipſe in pluribus diſſentit. 603. 605. non integre allegat ſcripturas. 614
arbitrij libertatem funditus tollit. 622
omnia opera iuſtorum, peccata eſſe ſentit. 627
ingentem peccandi feneſtram omnibus peccatoribus aperit. 632
abſoluendi poteſtatem etiam pueris & mulieribus concedit. 636
eius à ſuis maioribus diſſidium. 637. à ſeipſo diſſidet. 644. eius impudentia. 647. bellum aduerſus Turcam cur diſſuaſerit. ibid iniquitas in allegando patres. 668
inſania, gratiam non dari niſi pro peccatis. 677. eius hæreſis de Gratia Dei. 679.
Paulum Epheſ. 1. non recte citat. 688
Deum omnium flagitiorum authorem facit. 693
eſt Manichæus. 700. Manichæo deterior. 707
veſania in reluctando, etiamſi validiſſimis rationibus fuerit conuictus. 709. eius dogmata pernicioſiſſima. 710 eius Theologia qua ratione merito crucis Theologia dicatur. 711
liberum arbitrium opinatur eſſe prudentiam carnis 715 eſt Nouatianus 715 VVicleſiſta. 716. Purgatorium eſſe confitetur. 717
quale purgatorium ſomniauerit. 728
argumenta circa purgatorium refutantur. 732.733.734 735 736
cur purgatorium impugnauerit. 740
author eſt cladis Germanorum. 748
peruerſum ipſius ingenium. 751 aduerſatur OEcolampadio. 971. credit in Euchariſtia corpus Chriſti eſſe. 1166
malitia qua in Papatum inuehitur. 1230
Inconuenientia ad Lutheri aſſertionem de ſacerdotio. 1241
Omne ſacerdotium quod eſt viſibile & externum, damnat. 1243
Vnumquemque Chriſtianum ſacerdotem eſſe contendit. 1258.1270
Conuitia. 1279.1280
Deum Baal facit. 1284
ambit ſuperioritatem. 1290
docendi in mulieribus cum viris communem eſſe docet. 1292
ſe ſolum habere ſpiritum Dei iactat. 1373
eius libri Londini igne combuſti ſunt. 1374
eſt hæreticus. 1375
tonat contra doctrinã omnium ſanctorũ. ibid. Spiritus veritatis non eſt in Luthero. 1380
eius ementita ſanctitas & Zelus. 1387
Decretales Papæ combuſſit. 1390
Lutherus & Carolſtadius multorum malorũ excitatores. 1209
Lutherus plus OEcolampadio affinis eſt veritati. 1225
Lutheri & OEcolampadij diſſidium. 749
Lutherani quid 234. ad maledicta paratiſſimi. 274. ad viuum depinguntur. 275. 276. pro ſuo ſenſu ſcripturas inuertunt. 275. mos eorum. 304
Lutherani ab Anglia arcentur. 84
Lutherani OEcolampadio præferendi. 1034
Lutherani verbum Dei adulterantur. 1226
Lutherani perperam interpretantur verba Cœnæ Dominicæ. 861
Lutherani ſtragibus occaſionem præbuerunt. 750
Lutherani carent fide. 841
Lutherani quare prolapſi ſunt in hæreſin. 748
in ſectas pugnantes ſunt diuiſi. 749.750
Lutherani onde cacutiant. 895
Lutherani propriis ſpiculis iugulantur. 749. ſunt ſcortatores. 750. verſutia ſunt pleni. ibid.
Lutherani quaſq; calumnias & mendacia in Romanam ſedem euomunt. 1367
Lutherani dicunt, ſubſtantiam panis in Euchariſtia manere cum corpore. 879
Lutherani contrarie interpretantur ſcripturas. 791. fatentur in pane verum Chriſti corpus. 792.1120
Lutherani diuerſimode tractant excommunicationem. 1034
Lutheranorum diſſenſio eſt vltio diuina 749

Lutheranorum ſtrages. 748
Lutheranorum vita impuritas. 748
Mentis elatio. 749
Lutheranorum errores recenſentur. 1126
Lutheranis Deus eſt infenſus. 748
Lutherana hæreſis multo peſtilentior quam Pelagianorum. 622
Lutherana philoſophia præſtantia. 691
Lutheriana præparatio ad Euchariſtiam. 34
Lutheriani ſacerdotes laici. 68
Lutheriana diſſenſionis fructus. 751
Lutheriana hæreſeos impugnatores. 748
Lycaones immolaturi Paulo & Barnabæ. 233
Lyranus, de morte Petri & Pauli. 1339

M.

M*Acedonius hæreticus.* 279 1388
Macedonius in Synodo Conſtantinopolitana condemnatus. 923
Macedonij hæreſis. 1130
Macedoniorum Eccleſia. 1348
Machabæorum libros Eccleſia pro Canonicis habet. 723
Magdalon ſignificat caſtellum. 1399. *in Galilæa fuit ſitum.* 1421
Magiſter ſententiarum. 14
Magiſtratus ad quid gladium portat. 641
Magiſtratus iure punit Hæreticos. 642
Magiſtratus electio. 1262
Magiſtratui parendum. 39
pro Magiſtratu orandum. 1273
Mãdata Dei obſeruare eſt recte credere. 244. 367. *poſſunt obſeruari.* 366
Aliud eſt ea violare, aliud ea non perimplere. 356
Manahen, Herodis Tetrarchæ familiaris. 1255
Manichæi. 622
Manichæi duos faciunt Deos. 684
Manichæorum hæreſes. 660. 719
Manna non præſeruauit à morte. 858
Manna duplex 1002 *triplex.* 1004
Manna fuit Euchariſtiæ figura. 793
Mannæ miracula. 792
inter Mannã & Euchariſtiam diſcrimen. 857. 858. 902 1042
Manuum impoſitio. 1254
Manuum impoſitione confertur gratia. 1256. 1262
Marcus ſcripſit ſuum Euangelium græce. 166
Marcus eſt veluti abbreuiator Matthæi 166
Marcus conſobrinus Barnabæ, cum Petro fuit Romæ. 1320
Ibi ſcripſit ſuum Euangelium. ibid. 1345. 1567
fuit Petro chariſſimus. 1320
in Baptiſmate, Petri filius eſt effectus. 1351
Marcus cuius in Epiſtolis Petri & Pauli fit mentio, vnus fuit non duo. 1364
M. Aemilius Scaurus, Varij Sucronenſis futilem accuſationem paucis eludit. 46
Marcus Magus Valentini hæretici diſcipulus quod effecerit. 801
Marcus Vigerius ſcripſit Decachordum Chriſtianum. 1452
Chriſtũ introducit ad Mariam Magdalenam & Martham loquentem. ibid.
Maria Magdalena cuius apud Euangeliſtas fit mentio, vnica fuit, non plures. 1395
Euangeliſtarum hac de re conſenſus. 1402. 1403. *&c. Eius commendatio.* 1426. 1427
Maria Magdalena ſingulare pœnitudinis exemplar. 455
Maria Magdalena ſepties quotidie per Angelos in aerem fuit ſubleuata. 1452
Eccleſiæ hymnus de Maria Magdalena. 1459
Magdalenam vnicam fuiſſe, pluribus rationibus probatur. 1430. 1431 *&c. illius patrimonium.* 1441
Patrũ teſtimonia de vnica Magdalena. 1440. 1443. 1444. *&c variant.* 1447
an ex Ambroſio poßit probari, non vnicam ſed plures fuiſſe Magdalenas. 1407. *Quid hac de re extet apud Chryſoſtomum.* 1410. 1411
Petrarcha & Baptiſta Mantuani Carmina de Maria Magdalena. 1454. 1461
cur Chriſtus noluerit, Mariam Magdalenam ipſum tangere. 1426
Maria virgo beata virginitatem ſuam Deo conſecrauerat. 417. *nævo & originalis & actualis peccati caruit.* 490
Maria quod mater Dei effecta, peccatum in cauſa fuit. 1495
Maria ab omni peccato immunis. 1494
Maria peccatorum Mater. 1495
Maria mediatrix inter Dei miſericordiam & peccatorum miſerias. 1495
Maria ſuper omnes priuilegiata, Eccleſiam ſuo cantico docet. 1294
Mariæ laudes minuentes punientur. 1294
Maria dicitur mater miſerorum. 1495
Maria mater Chriſti & Maria Magdalena comparãtur duobus luminaribus magnis. 1426
Maria mater ſaluatoris noſtri cur dicatur aurora. 1494
Mariæ perpetua virginitas ex ſcripturis non probatur, & tamen eã vere credimus. 50. 63
Marcion hæreticus. 759. 836. 1233
Marcion negans Chriſtum habere verum corpus. 848
Marcionis errores. 719 888
Marcioniſtæ. 637
Martinus Bucerus Roffenſi quadam imprudenter obiecit. 257
Martinus Lutherus. Vide Lutherus.
Maßiliani male de Euchariſtia ſapiebant. 998
Marthæ ſororis Lazari hæreditas. 1441
Matrimonium. 52. *atque in veteri atque in nouo teſtamento fuit ſacramentum.* 53. *ſacramentum eſſe probatur.* 54. 55
Matrimonia gentilium quidã negant fuiſſe ſacramenta, Auguſtinus affirmat 58
Matrimonia fidelium magis ſunt ſacramenta quam infidelium. [illegible]
Matrim. ab Auguſtino vocatur ſacramentum nuptiarum. 56
Matrimonium eſt ſacramentum. 261. *eſt honorabile.* 268
Matrim. eſt ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia. 63
Matrimonium digne ſuſcipientibus confertur gratia. 66 [illegible]
Matrimonium dum Paulus vocat m[illegible], recte interpretamur ſacramentum. 6
Matr. ipſe Deus benedixit. 58. *Chriſtus miraculo nobilitauit.* ibid.
eſt res quadam fide percepta. [illegible]
definitur. [illegible]
Matrimonij inſtitutio. [illegible]4
Matrimonij ſacramento infunditur gratia. 57
Matrimonij bona non ſeruantur ſine gratia. 266. 267. *eius benedictio eſt bene[illegible]entia & ſpiritualis & corporalis.* 267
eius ſigna ſenſibilia. 269
Matrimonij indiſſolubilitas non eſt [illegible] abſoluta niſi per fidem in Chriſtum. 265
Actus coniugalis non eſt de ſe ma[illegible]. [illegible]04. 268
Matthæus apud corpus Dominicum necatur. 997
Matthæi Apoſtoli vita. [illegible]
Matthias à Petro in Apoſtolum electus. 46
an Mathias impoſitione manuum fit [illegible] tus. [illegible]
Matthias apoſtolus precatione Apoſt[illegible] & ſorte fuit electus. [illegible]
Mauritius Durand Anglus. [illegible]
Maximinus Chriſtianorum per[illegible]utor. [illegible]37
feſtiuitates in Eccleſia ſuper eius morte. ibid.
Media à Deo ordinata. 1253
Melchiadis dictum de fructu ſacramenti c[illegible]firmationis. [illegible]
Melchiſedeck ſacrificat. [illegible]
Melchiſedeck non ſacrificauit co[illegible] & ſanguinem Chriſti. [illegible]
Melchiſedeck ſacrificauit in pane [illegible] 1263
aliquot teſtimonijs & auctoritat[illegible] probatur. 1264. 1265. 1266. 1267
fuit rex & ſacerdos. [illegible]
Notatio nominis. [illegible]
Iiſdem rebus cum Chriſto [illegible]. 1267
Memoriale apud Moſen quid ſignifi[illegible]. [illegible]
Mendacia animi hominum [illegible]. 1228
Mendicantium ordo à quibus inſtitutus [illegible] in ſcripturis fundatur. [illegible]4
Mercede ſua omnia compenſanda. [illegible]
Mereri poſt hanc vitam nemo pote[illegible]. 739.

M[illegible]

Merendi ſtatus pluſculum aliquid imperat præter charitatem. 656
Metaſtheni Canones. 1358
Michaelis Archangeli cum Diabolo altercatio, ex Epiſtola Iudæ. 570
Miles Chriſtianus qualis eſſe debeat. 751
Milites cruceſignati Terram ſanctam recuperarunt. 651
Miniſtri malitia non officit ſacramento. 208
inter Miniſtrum abſolutionis & miniſtrum verbi diuini quid ſit differentia. 441
Miniſterij nomen quibus competat. 1281
Miſeriarum genera tria. 1497
Miſeriarum vitæ humanæ enumeratio. 1161
Miſericordia Dei omnes dimenſionum ſpecies complectitur. 1528
Miſericordia Dei vaſto Oceano, & omnia totius mundi peccata parua ſcintillæ ab Auguſtino comparantur. 1490
Miſericordia diuina exempla. 1630
Miſſa eſt opus bonum. 27. eſt ſacrificium. 30. prodeſt vniuerſis. 33. definitur. 201. eius deriuatio. 201.203 218
Miſſa non eſt promiſſio 190 191. 197. 205. 212. 213. 215. 220 227
Miſſa non eſt teſtamentum. 190 227
Miſſa eſt repræſentatio mortis Chriſti per ſacramentum &c. 190. 201
Miſſa quid complectatur. 201. 217. quomodo græcis & hæreticis dicatur. 204
eſt Deo gratum ſacrificium. 205
inſtituitur à Chriſto. 206
pro ea licet temporarias opes accipere. 207
neceſſario exigit conſecrationem 206. 217.
tria ad eam pertinent. 208
Miſſa eſt opus bonum 208. 209 à bono & malo poſſunt celebrari. 209
Miſſa non eſt ſi verbis tantum credas. 209. 210
non impeditur fide circumſtantium. 211
Miſſa eſt à primitiua Eccleſia. 192. 194. 195. 201. 203
Miſſa non eſt ſacramentum. 182. 185. 188. 190
Miſſa eſt ſacrificium & opus. 191. 192. 193. 195. 205. 206 1979 1082. 1285
Miſſa Chryſoſtomi. 267 Baſilij. ibid.
Miſſa vocabulū antiqui pro ſacrificio vſurpāt. 201 203 in miſſa offertur Chriſtus. 469
Miſſa virtus non ſubſiſtit in remiſſione peccatorum. 214. 216. multa exigit. 218 eius canon reſtituitur & vindicatur. 222. non eſt teſtamentum. 466
Miſſa vſus à fructu differt. 211
in Miſſa ſacramento repræſentatur & conſecratio in cœna, & oblatio in cruce. 27
Miſſæ excellentia. 33
Miſſam eſſe ſacrificium Pontificum acta declarant. 195
in Miſſa Chriſtū ſub aliena ſpecie offerimus. 878
in Miſſa offertur ſacrificium pro viuis & mortuis. 212 plurimum refert ſi quis ei interſit. ibid.
in Miſſa eſt incruenta ſeruitus. 109. 1082
ceremoniæ in Miſſa ſunt ſeruandæ. 932
Mirabilia per angelos ad quid fiant circa ſacramenta. 799
Miraculum in Eucharistia eſt cæterorum periodus. 794
viſibile Miraculum vocat ad illuminationem. 793
finis Miraculi ſpectandus. 803
Miracula Chriſti. 228. eorum promiſſiones ſunt impleta. ibid.
Miracula ſua Chriſtus non ſemper commendauit. 1155
propter falſa Miracula non eſt veris detrahendum. 801. eorum veritas cognoſcitur ex circumſtantiis. 802
Miracula fiunt in Eucharistia. 794
Miraculis non ſemper opus eſt. 228 ad eorum operationē non requiritur fides formata. ibid.
Miraculis ad doctrina catholica confirmationem non eſt opus.
Miraculorum natura. 793
Miraculorum variationes. 807
Mordacitas verborum prohibetur. 128
Mordere quid ſignificet. 128
Mors Chriſti non eſt teſtamentum, ſed eius corroboratrix. 184 185
Mors Chriſti repræſentatur in ſacramento Altaris. 197
Mors ineuitabilis eſt. 1481
Moſes & Aaron fuerunt typus Chriſti & Petri. 564
Moyſes fuit ſummus præfectus Iſraelitarum. 236. prouide curat ſynagogas. 281. orat pro populo. 489
Moſes fuit figura Chriſti. 1167
Moyſes multa literis prodidit. 1586
Moyſis Cathedra. 282 283
Moſi cum impar eſſet gubernando vniuerſo populo, Deus adiunxit 70. ſeniores. 1249. 1258
Lex Moſaica vide Teſtimentum vetus
Moſes Hadarſan Iudæorum Rabbi. 1266
Mulieri non eſt confitendum. 46
Mulierem quātumuis ſanctam non patiemur ad nos accidere. 1436
in Muliere Chananea Matth. 15. quæ conſideranda veniant. 1560
Mulieres vetantur docere in Eccleſia. 1292. 1293. 1294. non poſſunt ad miniſterij Eccleſiaſtici ſortem aſſumi. 1295
Mulieribus quando foras prodire liceat. 195
Munerum acceptiones tres. 657
Mulus mulum ſcabit, prouerbium. 1203
Myrſily Canones. 1358
Myſterium ſiue ſacramentum dicitur quādoque Euchariſtia. 840
Myſterium res vera eſſe poteſt. 1102
Myſteria diuina operationis prohibemur ſcrutari. 790. 791
Myſteria poſſunt etiam eſſe res ipſa. 1171
Myſticum corpus multiplex. 1128

N.

NAbuchodonoſor quomodo ad pœnitentiā ſe conuerterit. 713
Nadab & Abihu puniuntur. 804
Narciſſus presbyter. 1311. Romæ peregrini functus eſt officio. 1313
Naſcendi tres ſpecies. 766
Naturalium rerum agendi neceſſitas. 687
Neceſſario an omnia fiant. 644
Neceſſitate abſoluta non omnia fiunt. 688. 689 690 691
à Negatiuis nō valet argumentum. 1325. 1330
Neotericorum contra Lutherum defenſio. 21
Nero 1304. anno vltimo ſui imperij interfecit Petrum & Paulum. 1308. 1339. 1344. imperauit 14. annis. 1339
Neſtorius hæreticus. 279. 1388
Neſtorius condemnatur in Synodo Epheſina. 652. 923
Neſtorij circa Euchariſtiam error damnatur. 998 1034
Neſtorij hæreſis. 1130
Nicodemi incredulitas. 771
Nicolaus de Lyra. 14. 149
Nicolaus Cuſanus de conuerſione Mariæ Magdalenæ. 1458
Niniuitæ non omnem ſalutis ſpem prorſus abiecerunt. 1535
Noe à ſcriptura vocatur vir iuſtus & perfectus. 620
Noua dogmata miraculis ſunt confirmanda. 125. 138
Nouatus hæreticus criminatus eſt papam. 124
Nouatus Romæ condemnatus. 923
Nouati hæreſis. 1130
Nouatianus hæreticus Romæ excluſit ſacerdotes catholicos & Epiſcopos à ſuis Eccleſiis. 1389
Nouatiani redeunt ad Eccleſiam. 235
Nouatiani dicuntur Cathari. 1019
Nouatiani. 637

O.

OBlata omnia in lege non accendebantur. 223. 224
OEcolampadius eſt hypocrita & pertinax. 831. 537. omnes aſpernatur. 832. 835. contentionem ſuſcitauit. 832 peior quouis hæretico eſt. 837. cum republica Chriſtiana nihil ipſi eſt commercij 838. perperam interpretatur ſcripturas. 846. inficiatur efficaciam baptiſmi. 851. plus Lutherano inſanit. 866. ipſe hæreticus damnat aliorū hæreſin. 868
non ſyncere recenſet verba Chryſoſtomi. 873. 877
Chryſoſtomum in ſuam ſententiam conatur trahere. 874
eius doloſa ſimulatio. 876. in interpretandis Patribus varias. 879. 884. abſurditates ad eius aſſertionem de Euchariſtia. 880
eius inſtabilitas. 890

non intelligit Tertullianum. 892
eius verba perperam exponit. ibid.
male interpretatur verba Chryſoſtomi de Euchariſtia. 909
conſpurcat bonos authores. 912
ſentit contra Lutherum. 928
Iobum perperam interpretatur. 958
non præſtat pollicitam religionis fidem. 967
ſuperat Arrium ingratitudine. 976
omnia inuoluit. 981
cur ex eius libello de Euchariſtia multi ſint corrupti. 989
malo dolo negat libros Ambroſii. 1001
truncat ipſius verba. 1002
Ignatij ſententiam de Euchariſtia corrūpit. 1009
malo dolo non exprimit locos authorum quos citat. 1019
proprio enſe iugulatur. 1029
ſeipſum depingit. 1034
Cyrilli verba de Euchariſtia deprauat. 1040
abutitur Chriſto. ibid.
Auguſtini verba falſificat. 1045.1048
non conuenit ei cum Auguſtino. 1046
autores truncat. 1047
Auguſtinum truncat. 1048
eius mendacium de Auguſtino. 1051
veterum authoritati multum derogat. 1053
Tertulliani verbis de Euchariſtia quædam addit. 1073
Oecolampadij Euchariſtia nihil ipſi confert. 1075
eius ſermo de Euchariſtia. 1086
Chryſoſtomi verba de Euchariſtia truncat. 1091
non conuenit ei cum Hilario. 1095
quos authores fucis obducat. 1096
concio ipſius de Euchariſtia ante apoſtaſiam, commendatur. 1096
verum Chriſti corpus in Euchariſtia verbis fatetur. 1150
nullum ex ipſius dogmate ſequitur diſcrimen inter agnum Paſchalem & Euchariſtiam. 1165
Ambroſii verba de cœna Domini mutilat. 1167
Chryſoſtomum de cœna Domini peruertit. 1172
Autores præcipuos rapit in diuerſum. 1189
Euchariſtia quam ipſe aſsignat nullius eſt valoris. 1222
Eſt peior Luthero. 1229
Mendacia ipſius plurima recēſentur. 1230. 1231
ſecum pugnat. 753.755
Inconſtantia eius vnde. 753
à Satana agitur. 754.755.800
Negat in Euchariſtia eſſe corpus Chriſti. 757.762.772
Fraudibus & dolo victoriam captat. 774
docet 6 caput Ioannis pertinere ad Euchariſtiam. 774
eſt impoſtor. 775
multifariam peccat. 775
miſere & falſarie torquet Auguſtinum. 786.787.788.789.816
detruncat Chryſoſtomum. 826
Oecolampadius & Lutherus perperam verba conſecrationis interpretantur. 968
Offerendum Deo quid. 462
Oneſiphorus Pauli ſtudioſiſsimus. 1327. multa in Paulum contulit beneficia. 1358
Oolial peritus ſculptor. 1249
Opus operatum & opus operantis. 208
Opus exigitur ad promiſsionē explendā. 431
bona Opera ad contritionem & confeſsionem requiruntur. 1479
Opera fidem præcedentia non iuſtificant. 1383
Opera bona extra Eccleſiam facta non proſunt ad ſalutem. 1226
Opera ſine fide non ſaluant. 48
mala Opera damnant. 329
non omnia Opera hominum ſunt peccata. 616
bona Opera ad ſalutem exiguntur. 584
poſſunt ſuſtinere Dei iudicium. 617
Opera conferunt ad iuſtitiam. 255.317
non omnia hominū Opera ſunt peccata. 623
Opera quædam ab omni fraude ſunt aliena. 657
Opera quibus nobis placemus, non ſunt peccata. 657
Opera bona à malis ſeparantur. 659
Opera quædam pura eſſe neceſſario fatendum eſt. 659
Opera quomodo laudanda. 468
bona Opera quare timenda. 636
ad Operis puritatem quæ requirantur. 657
non omnia bona Opera ſaluant. 714
Opera bona expetuntur ad ſalutem. 939
Opera meritoria ſunt munera Dei. 625
Opera moraliter bona quæ. 714
Operibus malis quomodo Deus cooperetur. 683
Opera bona ſunt neceſſaria. 1009
merces bonorum Operum vita æterna. 328
Quatuor operum genera, quæ mortuis proſunt 490. opera piorum aliquando ſunt ſatisfactoria. 495. teſtimonia ſcripturæ de operibus quibuſdam piorum carentibus peccato. 626
Iuſtiores efficimur bonis operibus. 1906
Operibus bonis multi Deo placuerunt. 631
abſque Operibus quomodo iuſtificemur. 319. 330
Operibus bonis efficitur quis iuſtior. 1026
Orandum pro fidelibus defunctis. 1235. male Orantes non exaudiuntur. 831
Oratio vt exaudiatur quibus ſit opus. 831
Orationis & Euchariſtiæ diſcrimen. 1031
in Oratione pro mortuis ſpirituales diuitiæ lōge præponderant tranſitoriis quæ ad bonorum impenduntur. 928
Orationes non ſanctificant aliquem. 1031
Ordinandus qualis eſſe debet. 1238
Ordinatio eſt ſacramentum. 621
tria ad Ordinationem requiruntur. 261
per Ordinationem confertur donum gratiæ iis qui ordinantur. 1257
in Ordinatione confertur gratia Dei per manuum impoſitionem. 257
Ordinationes ſiūt manuum impoſitione. [illegible]
Ordinationes quomodo olim fiebant. [illegible]
ceremoniæ in Ordinationibus obſ[illegible] [illegible]
Ordinis ſacramentum. 61. 255. [illegible] inſtitutur. 257
in ſacramento Ordinis confertur gratia. 63. 70.255
Ordinis ſacramentum non iteratur. 67
Ordines Eccleſiaſtici & politici non ſunt confundendi. 1239
Ordinum diſtinctio. 1239.1255. Ordinum varietatis ratio. 1247. à Chriſto inſtituta. 1247
Origenes ſacrarum literarum eximius interpres. [illegible]
Origenes pleraq; in allegorias tradu[illegible] 410. eius dictum de Maria Magdalena [illegible] Chriſtum amore. 1440. de ſacrificio miſſæ 192. de obſeruationibus traditionum. 243. de puritate per baptiſmū collata. [illegible] de concupiſcentia. 362. de peccato 391. [illegible] de confeſsione. 418. de clauibus. 452. de dignitate communicantium. 461. de primatu Petri. 543.555
damnat Chriſtianum qui prædicabat eloquentiā Pauli. 1605. de libero arbitrio. [illegible]
de panibus propoſitionis. [illegible]
verbum Dei confert cum panibus propoſitionis. [illegible]
de præſcientia Dei. [illegible]
de purgatione animarum poſt hāc vitam. 721
ſuper Matthæum omnia tradit allegorice 1906
per corpus Chriſti allegorice intelligi verbum nutritorium. ibid.
eius allegoriæ non ſunt improbandæ. [illegible]
ſentit panem in corpus mutari. [illegible]
de ſacramētis veteris Teſtamenti, eorumque figuris. 26
de purgatione animarum. [illegible]
non omnia quæ ſub ſanctorum nomine [illegible]runtur ſuſcipienda, quomodo intelligatur. 1357. de primatu Petri. 79
de Euchariſtia. 99
de requiſitis in ordinatione Epiſcopi 238
quod omnia in ſcripturis ſint allegorica, reprobatur. [illegible]
de traditionum non ſcriptarum obſeruatia. 1384. 1385
de poſsibilitate à peccando ſeſe continere. 627
Originale peccatum. vide Peccatum.

Oroſius 1306. eius teſtimonium de morte Petri quod Romæ obierit. 1344
quod Romæ docuerit. 1353.1354
Orthodoxi vtuntur vocabulis antiquorum. 236. antiqui pugnabant contra hæreticos ex Patribus. 243
Oues Chriſti interdum audiunt vocem alienorum. 248

P.

PAlladius Epiſcopus. 653
Palmes quatenus habet rationem hominis peccatis obnoxij. eſt duplex. 673
Panis conuertitur in carnem. 158.167.169. 172.177.219
Panis ſpecies in ſacramento corrumpitur. 163. 169.175.177
Panis dicitur pro ſpecie panis. 169.170
Panis variè accipitur. 333
Panis nomine omnis cibus deſignatur. 170. 333
Panis alius eſt ſpiritualis, alius triticeus. 172
Panis non ſuppoſitatur in Chriſto. 178
Panis triplex. 1128
Panis Euchariſtiæ quis. ibid.
Panis mutatur in corpus. 1052
Panis à patre datus eſt doctrina Patris. 1090
Panis in Euchariſtia tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti. 907 758
Panis in Euchariſtia potius dicitur paſcha Chriſti quam agnus. 883
Panis propoſitionis quid ſignificet. 1118
Panis multiplex. 1090
Panis Domini dicitur Euchariſtia. 772
Panis non remanet poſt conſecrationem. 157. 161.1157.174.176 177.332.758 915
Panis noſter duplex eſt. 1024. vel ſecundum Auguſtinum triplex. 1035.1046
Panem aliter dedit pater, aliter filius. 978
Panem propoſitionis non licebat edere Chriſtianis. 785
Panis propoſitionis figurabat Chriſtum. ibid.
Panormitanus non fuit Theologus. 599
eius dictum de autoritate Papæ. ibid.
eius error. ibid.
Papias Hieroſolymitanus Epiſcopus. 1345.1351
Papa non poteſt nouos articulos fidei conſtituere. 583
quicquid tamen conſtituerit, tanquam articulus fidei recipiendum. 584
ei obediendum. ibid.
nuſquam ſe regem cœli Deumque terrenum nuncupauit. 586
Vna cum Concilio Eccleſiam vniuerſalem repræſentat. 592
non poteſt quicquid libet, indiſcriminatim conſtituere. ibid.
quæ explicitè non fuerunt credita, poteſt facere neceſſariò credita. 598
eſt caput Eccleſiæ. 491.530
eſt Vicarius ſuper omnes Eccleſias. 545
poteſt diſpenſare in Eccleſia. 491
condonat pœnas. 499
ab omni vinculo ſoluit. 506
poteſt mutare ius diuinum. 510
condonans culpam liberat à gehenna. 517
Papa ex Patrum & Scripturæ ſententia largitur indulgentias. 119
Papa quam varijs modis hæreticos reuocare tentauerit. 642
Papa caput Eccleſiæ ſub capite Chriſto. 825
Rationes quibus congruit, vt vnus Eccleſiam regat. 550
Papa eſt vicarius Chriſti. 1395
contra ſententias patrum poteſt ſtatuere. 1454
Papa audit narrantem reuelationes. 1290
eius autoritas. 1290
Papa ab omnibus hæreticis impetitur. 124
Papa ſucceſſor Petri & vicarius Chriſti. 40
Papæ ſuorum prædeceſſorum Concilia ſæpius omnino ſuſtulerunt. 598
Papæ pia cura erga Lutherum. 77.78
Papæ faſtigio, longo interuallo reges ſunt impares. 99
de Papæ poteſtate non de ſceleribus debet controuerti. 549
Papæ autoritas. 1454
Papæ nomen ſemper in Eccleſia permanebit. 654
Papæ belligeri non laudantur. 643
ad Papam ſpectat & regere & paſcere. 571
Papatus propter peccata non amittitur. 571
Papatus amplitudo & antiquitas. 11
Papatui an ſit maledicendum. 127
ei maledicitur. 278
Parabolarum verba non habent omnia myſticam veritatem. 248
non faciunt ad autoritatem dogmatum. 354
tres fructus Paradyſi quid συμβολικῶς innuant. 1576
voluptates triplices. ibid.
Paradyſi quatuor riui quid deſignent? quid riui Diaboli his oppoſiti. 1485
tria fructuum genera in Paradyſo. 1675
Pariſiorum ſchola cuius iudicio ſe Lutherus ſubmiſerat, ipſius hæreſes damnat. 96
Paruuli qua ratione credant. 1192.1193.1194
Paſcha noſtrum. 198
in Euchariſtia immolatur. 202
veteris paſchatis requiſita. 202
Paſcha vt non alio quam Dominico die celebretur in ſcripturis non inuenimus. 585
Paſcha nouum à Chriſto præcipuè deſideratum. 1148
Paſcha verum & paſcha ſacramentum Hieronymo idem eſt. 1173
Paſchalis II. 645
Paſchalis II. quantis votis à populo fuerit ad munus Pontificium ſuſcipiendum rogatus, 648
Paſchaſius pro aqua vino miſcenda. 155
Paſchaſius librum edidit de Euchariſtia. 922
Chriſti Paſſio per ſacramenta nobis imputatur. 200
Chriſti merita. 489
meritum Paſſionis applicatur hominibus. 223
per hoc damnatur in nobis quicquid reatum habet. 361
quid ſit. 490
Paſſionis dies dicitur paſſio Domini. 1191
opinionum varietas in ſupputando tempore Paſſionis Chriſti. 1032.1357
Paſſionis Chriſti repræſentatio. 1031
Paſtores Eccleſiæ. vide Sacerdotes.
Paſtus hominum varius eſt. 1219
Patres non fuerunt ambitioſi, auari, maligni. 194.247
horum dogmata ad ſcripturam exigenda. 310
Patres in veteri Teſtamento habuerunt Spiritum ſanctum & Chriſtum quod ad Deitatem ipſius attinet. 897. non ſicut Chriſtiani edebant Chriſtum. 903
Patres qui Apoſtolis contemporanei. 1280
Patres præcipui, qui intra mille quingentos annos ab aſcenſione Domini vixerunt, atque vnanimiter veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia docuerunt, recenſentur. 989.990.991 992.993 994. 995.996.
omnes præcipui autores crediderunt præſentiam Chriſti in Euchariſtia. 997
Patres, (vt & Prophetæ) ſibi relicti interdum errarunt. 1387.1447
Patres in rebus fidei conſentiunt. 1224
Patres quandoque in ſuis ſcriptis hallucinati ſunt. 728
Patres verum ſcripturarum ſenſum tenuerunt. 831 832
ſummopere quæſierunt ſacramenti veritatem. 835
per Patres Euangelij veritatem accepimus. 249.272
Patres ſunt vitæ tanquam ſydera. 272
præſtantes & in quibus à nobis excellantur. 280
permiſſi ſunt errare. 289.313
eorum veritas quomodo deprehendi poſſit. 290. antiqui glorioſos auerſabātur titulos. 292 errarunt. 307
Patres rectè ſenſerunt de dogmatib. fidei. 306. 308. vbi conſentiunt, ibi eſt Spiritus ſanctus. 308
Patrum ſententiis acquieſcendum. 1242
Patrum in Chriſto conuocatorum decreta vera credenda ſunt. 135.249.291.475
Patrum concordantia eſt ab vnitatis Spiritu. 194.228 231 249 298 301 308
Patrum iudicium damnare eſt perpetuo fluctuare. 240
Patrum vnus aut alter errare poteſt, ſed non omnes. 231.249

Ex communi Patrum conſenſu monemur ſacramenta non negligere. 1131
Patribus repugnare non licet ſine hereſi. 170. 177.178.194.228.249.281.289.295.451. 475.
Patribus fides habenda. 1131
explicatio ſcripturarum à Patribus facta valet. 227.231.249
Paulinus Treuerenſis Eccleſiæ ſacerdos relegatur. 1235
Paulini teſtimonium de morte Ambroſij. 1011
Paulus non ſemper collegarum ſuorum meminit in ſuis Epiſtolis. 1317
nec omnium. 1320
fuit feruidus in doctrina. 1319
raptus fuit Romæ ad prætorium. 1315
reſtitit Petro Antiochiæ. ibid.
per triennium docuit Epheſi. ibid.
Paulus in inſtitutione cœnæ Dominicæ cur bis nominet corpus Chriſti. 1132 1162
Paulus non inſeruiit ſacramentis adminiſtrandis. 811
Paulus benedicit domui Oneſiphori. 1358
Chriſtum in via verſus Damaſcum vidit corporaliter. 1361
Paulus rariſſime baptizauit. 1261
non legitur Timotheum baptizaſſe. ibid.
circumcidit Timotheum propter Iudæos. ibid.
Paulus claudũ ſanauit, & alium quendam ab immundo Spiritu liberauit. 1386
Paulus multos Romæ ex aula Cæſaris ad fidem Chriſti conuertit. 1325
vita ipſius curriculum breuiter recenſetur. 1348
Paulus non vſus eſt eloquentia. 990
Paulus ſcripſit quædam intellectu difficilia. 326.
eius conuerſio qualis. 415
ea cœpit à timore. 416
excommunicat Corinthium. 524
pollicitus eſt Corinthiis ſe poſt ſuum reditum multa diſpoſiturum, quæ tamen in ſcripturis non extant. 585
animorum vnitatem Corinthiis iniungit. 590
Paulus apoſtolus electus eſt vocatione Chriſti. 1252.
impoſitione manuum ad Apoſtolatum ordinatus. ibid.1255
ad quid miſſus. 1254
ante ordinationem Saulus, poſt vero Paulus dictus. 1255
ordinauit Timotheum. 1257
aliorum pro ſe ad Deum preces optat. 1272
non ſalutauit Petrum in Epiſt. ad Rom. & cur. 1214. in Epiſtolis quas ad Eccleſias dedit, neminem ex Epiſcopis aut presbyteris ſalutauit. ibid.
Paulus quatuor Epiſtolas Romæ in cuſtodia ſcripſit. 1317
Paulus & Iacobus non de iiſdem operibus loquuntur in negocio iuſtificationis. 1383
Paulus in Actis citat quædam Chriſti verba quæ tamen nuſquam in Euangelio exprimuntur. 1777
multa addidit teſtamento Chriſti. 1283
Paulus non permittit carnalibus iudicium de ſpiritualibus. 239
non reliquit omnibus communiter iudicandi facultatem. 250
non baptizauit Timotheum. 258
cur ſit à Chriſto miſſus. ibid.
graphice depingit Lutheranos. 278
iubet traditiones bonas obſeruari. 293
probat conſuetudines. 294
eius epiſtola quædam repudiantur. 325
Paulus vehemens eſt in concionibus ſuis. 123
Paulus Romæ capite truncatus eſt. 142
Paulus reprehendit Petrum. 601
Pauli triplex defectio à charitate. 610
Pauli Dialectica. 563
Pauli epiſtolæ ſunt difficiles intellectu. 1383
conuerſio Pauli cœpit à timore. 416
Pauli verba de iuſtificatione per ſolam fidem in primitiua Eccleſia non ſunt recte intellecta. 1382
de quibus operibus loquatur, quæ in iuſtificatione excludantur. 1383
licuit Paulo male Chriſtianos redarguere. 125
Paulo bis manus fuerunt impoſitæ. 1260
Pax ſeruat vnitatem Spiritus. 289
Pacem conſcientiæ qui habeant. 431
Peccatum quid. 608
arguere Peccatum quid ſit. 128
originale duobus conſtat. 378.380
Peccatum hoſtia ſeu peccati vindicta dici poteſt. 360
Peccatum mortale fugat à nobis gratiam 630
Peccatum ſemel admiſſum magis magisq́ inficit. 1479
Peccatum veniale eam amicitiam non dirimit qua Deus iuſtum proſequitur. 668
Peccatum circumſtans quid. 352
non in omni opere eſt Peccatum. 610 611 612
Peccatum eſt voluntarium. 366.661.654.685
inter peccatum Adæ & noſtrum plurimum intereſt. 498
Peccatum Deo deteſtabile. 1541
nullum Peccatũ nobis excidere patiemur 47
Peccatum varie apud Paulum accipitur. 341. 343 361
lethale non eſt tegendum ſilentio. 427
Peccata multa nobis ſunt incognita. 430
Peccata remittuntur propter dilectionem. 435
Peccatum cur ſæpenumero ſerpens dicatur. 1502
Peccatum exigit pœnam vel noſtra, vel Dei manu infligendam. 1520
Peccatum vrinæ vel putenti liquori comparatur. 1480.
Peccatum furunculi ſeu vlceris virulenti naturam habet. ibid.
Peccatum potentias animæ inficit. ibid.
non omnis Peccati ſtimulus peccatum eſt. 352
Peccati fomes non eſt vere peccatum. 617
Peccati fomitem nemo poteſt abijcere. 617
Peccati fomes & reatus fomitis differunt. 345
nobis eſt congenitus. 350
cum corpore interit. 352.389
aliquando minuitur. 355
fomes cur immundus. 356
fomes non eſt peccatum. 358.365.379
fomes ad corpus pertinet. 379
non eſt peccatum actuale. 381
Peccati magnitudo ex peccantis ſtatu, conditione vel eruditione metienda. 1571
Peccati expiandi ritus in lege veteri, quis fuerit? 1537
Peccati molem cur nemo ſentiat. 1505
Peccati venialis à mortali diſcrimen. 628
Peccati pœnarum exempla horrenda. 1142
opera manifeſto Peccato carentia, quæ. 615
abſq́ Peccato eſſe dupliciter intelligitur. 627
Peccato omnes ſunt obnoxij. 556
aliud eſt iuſtum neminem carere peccato, aliud, iuſtum in omni opere ſuo peccare. 608
Peccata venialia. 609
quot Deum impediant, quo minus peccata condonet. 1607
Peccata virga Dei viſitari quid ſit. 521
ſuis viribus nemo Peccata fugit. 615
Peccata terreſtria quæ. 1221
Peccata digne communicanti delentur. 181
Peccata ſunt à Diabolo. 255
Peccata venialia quæ ſint. 1683
Peccata ſemper ob oculos ponenda. 403
Peccatorem oportet coram ſacerdote peccata confiteri. 420
venialia ſunt confitenda. 425
à venialium cõfeſſione nemo arcetur. 426
Peccata quæ vere dicantur. 369
in baptiſmo remittuntur. 370
non imputare peccata quid. 274.375.445
Peccata quæ ſiunt poſt hanc vitam, ſunt irremediabilia. 739
Peccatorum remiſſio non eſt regnum cælorum. 189
Peccatorum magnitudo quomodo deprehendatur. 1532
venialium Peccatorum remedia, quæ. 1684
Peccatorum recordatio, ceu ſpina corpori infixa. 1481
Peccatorum expiatio duplex. 1453
Peccatorum circumſtantia confitenda. 46
Peccatis omnes obnoxij ſunt. 1484
ſolutis Peccatis nihil animam ab ingreſſu cæli arceret. 378
quidam à Peccatis ſubito ſanantur. 353
Peccator à peccatis abſtinens, ita ſe poteſt continere, vt nunquam deinde peccet. 627
non quiuis peccator a quouis ſacerdote abſoluitur. 447

Peccatis nemo caret. 658
Peccator non eſt idoneus cœleſtium diſcipulus. 1179
ordo quo Peccator redit ad gratiam. 701
Peccator eſt ceu membrũ in ſe mortuum. 527
Peccator quando dicatur ſibi relictus. 672
Peccatoris conatus ad gratiam non eſt peccatum mortale. 704
in reditu Peccatoris ad gratiam tria momenta poſſunt diſtingui. 702
in Peccatoris poteſtate eſt parare ſe ad gratiam. 666.669 670.671.672
Peccatoris ad pœnitentiã tractus duplex. 701
Peccatoris impietas quid. 388
Peccatoris nomen deletur de libro vitæ propter peccatum. 389
Peccati cicatrix in anima reſidet. 391.423
reditus Peccatoris ad Deum. 1628
Peccatori liberũ eſt ſe parare ad gratiã. 696
Peccatores duobus modis Deo reconciliantur. 385
quales ſint peccatores. 342
Peccatores ad pœnitentiam agendam monẽtur. 1471
Peccatores ſublato reatu nihilominus ad pœnam tenentur. 498
Peccantium duo ſunt genera. 1487
Peccatorum diſcrimen. 606
Peccantium triplex genus. 1468
cauſæ propter quas diuina clementia veniam Peccatoribus impendat. 1518
Peccare aliquis poteſt trifariam. 619
Peccare & non peccare homo poteſt ſemper. 662
Peccandi occaſio deuitanda. 1521
nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. 609
omnis homo Peccat venialiter. 993
an Peccant homines Dei voluntate. 693
Pelagius hæreticus. 279. ſuo ingenio confiſus labitur. 301
Pelagianorum hæreſis. 371.676 679
Pelagianorũ hæreſis, quæ docent nos ſine gratia poſſe ſaluari, damnatur. 707
Pelagianorum error de viribus liberi arbitrij. 622
Perícula ſub ſpecie vini communicandi. 132
methodus perueniendi ad ſummam religionis perfectionem. 1687
Perſonarum duarum Chriſti vnio nõ quadrat Euchariſtiæ. 23
cathedra Peſtilentiæ quid ſit. 282
Petra aluit hominẽ per integrã hyemem. 1058
Petra Chriſtus & Petra Petrus dicitur, ſed diuerſa ratione. 553
Petra ſpiritualis fuit Chriſtus. 845. idque teſte Paulo Apoſtolo. 846
per Petram intelligi Petrum, multis rationibus euincitur. 551.552.553.554.555.556
non ſuper Petram ſolum ſed & ſuper Petrum ædificata eſt Eccleſia. 557.558
Petrarcha de Maria Magdalena poſt conuerſionem ſolitaria & auſtera vita. 1452. carmina in ſepulchro Magdalenæ curauit appendi. 1453
Petrus à Chriſto accepit claues Eccleſiæ. 9. 284. ſuper eum eſt Eccleſia. 284
Petrus nominat Chriſtianos lapides. 130
à Chriſto accepit Chriſtianorum curam. 448. ei data ſunt claues Eccleſiæ. 451. 503. duplex eius poteſtas. 452. ei ſoli pœna & culpæ condonandæ facultas data eſt. 452. 531. Chriſtus eum præpoſuit cæteris Apoſtolis. 504. D. Petrus in ſuis ſucceſſoribus repræſentatur. 504 eius prærogatiua. 530. 532. eſt princeps & caput aliorum. 538. 541. cur permiſſus labi. 540. eſt os Apoſtolorum. 542
Petrus à Chriſto accepit plenariũ primatũ licet eius executionem plenam non exercuerit. 547. cæteros confirmare à Chriſto iubetur. 548 numerum duodenariũ Apoſtolorum reintegrauit. 549. qua ratione ſummus dictus. 566
Petrus ex pacto neceſſe habuit venire Romam ad confirmandos Iudæos in fide. 1315
Petrus princeps Romæ concionatus eſt. 1354
Petrus Eccleſiæ fundamentum. 554
Petrus quid ſignificet. 561
Petrus peculiariter à Chriſto paſtor eſt conſtitutus. 1246
Petrus & Philo prima amicitia mutua fundamenta iecerunt Romæ. 1366
Petrus Epiſtolam ſuam priorem ſcripſit Romæ 1367. à Chriſto dictus Cephas. 1368
Petrus inuerſis veſtigiis cruci eſt affixus. 1345
Petrus Simonis magi fraudes detexit. 1313. 1343 1345.1353.1367
Petrus fuit primus Antiochiæ Epiſcopus. 1325
Petrus & Ioannes ad Samaritas in fide confirmandos mittuntur. 1353
Petrus Romæ ſedit 25. annis. 1304. 1309 1339. paſſus eſt vltimo Neronis anno. 1339.1366
Petrus anno 4. Claudij venit Romam. 1306
Petrus Hieroſolymis non eſt occiſus. 1338
Petrus & Paulus eodem die occiſi ſunt. 1339
annorum quibus Petrus Romæ fuit, ſupputatio. 1347
Petri & Pauli cineres hodierno adhuc die Romæ ſeruantur. 1357.1367
Petri Cathedra. 282. iudex eſt hæretici & orthodoxi. 286
Petri ſucceſſor eſt caput Eccleſiæ. 298
Petri ſedes Romæ eſt firmata. 552. ipſi ſoli ſua ſedes manet incolumis. ibid. 561. eſt exordium Eccleſiæ Chriſti. 555
Petri cathedram perpetuo manſuram Chriſtus promiſit. 711
Petri ſedes proſperabitur. 580
Petri primatus aſſeritur. 1368.1369.1370.1371. 1378.1379
per Petri vmbram quidam ſanati ſunt. 808
reluctatur lotioni pedum. 810
nulla Apoſtolorum hodie extat ſucceſſio quam Petri. 1369
Chriſtus Petro Romæ fugam adornanti, fit obuius. 1361.1367
Petro ter à Chriſto oues paſcendæ mandantur & cur. 568
ei bis totius cura Petro commiſſa. 568
Petro traduntur claues Eccleſiæ. 1297
Petro à Chriſto commiſſa eſt cura populi ſui. 1377. fuit os Chriſti poſt aſcenſionem. ibid. os reliquorum Apoſtolorum. 1379
Petrum Romæ fuiſſe, omnes aſſerũt. 1357.1303. ibidemque occiſum. 1334. ex Græcis & Latinis ſcriptoribus probatur. 1342
Petrus Abelardus male ſenſit de Euchar. 990
Petri Abelardi error de Euchariſtia. 998
Petrus Bleſenſis. 990
Petrus Cantor. ibid.
Petrus Comeſtor. ibid.
Petrus Damiani. ibid.
Petrus Lombardus. ibid.
Petrus Lombardus non ſeiunxit ſe ab Eccleſia. 758. nõ execratur Auguſtini ſententiã. 780
Per. Lombardus qua occaſione errauerit in citandis authoribus. 1188
Petri Lombardi ſententiæ diſcutiuntur à Theologis. 990
Petrus de Palude. ibid.
Petrus de Riga. ibid.
Pharaonis peccata cur Deus tantopere puniuerit. 685
in Pharaone manſit liberum arbitrium. 713
Phariſæi taxantur à Chriſto. 123
Phariſæis ſimilis eſt Lutherus. 124
Phaſe qualem ſignificet tranſitum. 202
Phaſe dicebatur religio agni Paſchalis. 860
Phaſe quid ſignificet. 1155
Philippus Apoſtolus Samaritas ad Chriſti fidem conuertit. 1353
Philippus Diaconus. 1259. ab Apoſtolis ordinatur. 1262
Philo ad Claudium legatus cum Petro Romæ collocutus eſt. 1343. 1366. bis illuc legatus venit. ibid.
Philo familiaris Petri ſcripſit librum de vita theorentica ſupplicum. 1239
Philoſophi duo itinera virtutis alterum, alterum otiorum ſtatuerunt. 1504
Phinees zelus. 631
in ſuſcepto Pietatis inſtituto nemo ſine ope diuina perſeuerat. 1526
ad Pietatem conducentia. 924
Pinhas Iudæorum Rabbi locum Geneſ. 14. de pane & vino rectè interpretatur de ſacrificio Melchiſedeck. 1266
Pius Egini ſucceſſor. 1297. eius dictum de dignitate Sacerdotum. ibid.
Pius Papa de conſuetudine. 295
Platina. 1344. parum fouit ſacerdotibus. 592
Platonis adagiũ de ignauo gallo. 1071. eius dictum de republica bene conſtituta. 1382
Plebs in ſcriptura appellatur Dei agricolatio. 1258.1285
Plebs exemplis potius quã verbo docetur. 1288

Plebis & ſacerdotum appellationes diuerſæ. 1286
Plebis iudicia incerta & noxia ſunt. 232.236
non eſt ei deferendũ iudicium de dogmatibus. 233.236.242.250
eius iudicio non eſt fidendum. 235.238
plebi non licet diſſentire ab orthodoxis. 236
Plebis iudicio in recipiendis Euangeliis non ſtatur. 238
populus antiquus condemnat Lutherum. 240
debet aſſentire Chriſto & Patribus. 249
non pertinet ad quoſuis ſpirituum diſcretio. 251
tutius ſequitur patres quam ſuum ingenium. 253
non habet ius eligendi. 260
Plebi non competunt gradus & officia in Eccleſia. 1259.1277
Plebi non licet vſurpare munus docendi. 1288
Pœna omnis ſi præſens eſt charitas, eſt ſalutaris. 736
Pœna Euangelica dicitur ſatisfactoria. 509
Pœna Euangelica cautelam futuro duntaxat proſpicit. 511
culpa deleta remanet pœna peccatis debita. 485.494.506.510
Pœna meminiſ poteſt eſſe dulcis quoad manet pœna. 733
pro Pœna ſatisfactio differt ab obligatione ad pœnam. 501
aliena caſtigatio Pœnam tollit. 520
Pœnæ ſiue intentæ ſiue inflictæ per pœnitentiam auferuntur. 516
Pœnæ aliæ ſunt medicatoriæ aliæ ſatisfactoriæ. 521
Pœnæ debitum tribus modis tollitur. 487.520
Pœnæ crucis Chriſto erant acerbiſſimæ, quanquam ex ſumma charitate pertuliſſet eas. ibid.
ſex ſunt pœnarum genera. 507
noua vita eſt optima Pœnitentia. 414
noua vita non ſufficit ad ſalutem. 486
Pœnitentia arbitraria. 395
alia eſt à noua vita. 398
optima Pœnitentia. 414
Pœnitentia publica. 428
Pœnitentia. 41
eius tres partes. 43
Pœnitentia remedium præſentiſſimum in anguſtiis. 1526
Pœnitentiæ tres ſunt partes, contritio, confeſſio & ſatisfactio. 1478
Pœnitentia neceſſario ſuſcipiendæ cauſa tres. 1486
ad ſacramentum Pœnitentiæ tria requiruntur. 338
non eſt eo opus propter Peccatum veniale. 373
tres ſunt Pœnitentiæ partes. 385.363
Luthero quid ſit. 508
eius fructus. 387.389.398
Pœnitendi modus. 389.391.392
tres Pœnitentiæ actiones. 390
Pœnitentiæ partes tres typo trium auium propoſitæ. 1565
Pœnitentiæ exemplum Sacerdotis cuiuſdam impij inſigne. 1488
tres Pœnitentiæ partes tribus ſcripturæ aliculus raſuris elegãter comparantur. 1479
reditus ad viam rectam per Pœnitentiam patet. 1478
cauſæ impellentes ad pœnitentiam. 1488
qui debeant Pœnitentiam agere. 508
præmium Pœnitentiam agentium quoddam. 1637
ſoli beati Pœnitentiam agentes. 1478
Pœnitens ſacerdotis iudicio ſubijcitur. 390
non eſt differenda. 392
crimine maior erit. 393.394.399
Pœnitens quid mereatur. 363
digne Pœnitens qui ſit. 454
Pœnitenti promittitur peccatorum venia. 41
Pœnitentes plurimorum hominum inuidiæ obnoxij. 1568
Pœnitentibus omnibus ſpondetur peccatorum venia. 708
Pœnitere quid. 413
Polycarpus epiſcopus Smyrnenſis acerbe inuehitur in Marcionem. 755
Polycarpus Ioannis diſcipulus. 1295
Polycarpi viri ſanctiſſimi exclamatio. 243
Polycarpi diſcipuli Ioannis dictum de obedientia ſacerdotibus præſtanda. 1239
Pontifex pater & caput eſt Eccleſiæ. 278.298
Papa poteſt contraria ſtatuere. 291
Pontifex à Luthero æquatur populo. 123
Pontifex non poteſt fallere, adeoque nec Antichriſtus. 519
ſummi Pontificis poteſtas maior eſt quam aliorum. 505
exempla ſummorum Pontificum qui magnis prælijs Turcas fudexunt. 649
Pontificum ſummorum ſucceſſio hactenus nõ eſt interrupta. 551
Pontificibus potius quam vni fratereulo credendum eſt. 126
Porphyrij error de fictis Dæmonum tormentis. 927
Prædeſtinati tandem conuertuntur. 248
Prædeſtinatio Dei non impellit cupiditates & malignitatem peccantium, ſed prædeſtinauit iudicium ſuum peccatoribus. 693
Prædeſtinationis doctrina impia & falſa. 684 685.686 687.688 689.690.691.692.693
ex Prælatorum negligentia naſcuntur errores. 102
Præſcientia Dei non cogit hominem, vt talis ſit qualem Deus præſciuit. 693.694
Præſcientia Dei contingentia rerum non præiudicat, & vice verſa. 695
de Præſcientia Dei ſententiæ Patrum. 693. 694.695
mores peruerſi Præſidentium in Eccleſia non probantur. 710
formula quotidianæ & breuis Precationis. 1703
Presbyteri à Paulo & Barnaba creati bis acceperunt Spiritum S. 259
à Tito Epiſcopo non à plebe conſtituti. 448
Presbyteri ab Hieronymo quodam in loco magnopere extolluntur & quare. 573
Presbyteri quomodo olim creabantur. 1256
tam pro ſuis quam pro populi peccatis immolant. 1268
Presbyteri & Epiſcopi idem qui ſacerdotes. 1234
Presbyteri & Epiſcopi nomina ſæpe confunduntur. 1281
Presbyteri vocantur ſacerdotes minores. 1283
Presbyteri vox late accepta communis eſt omnibus natu grandioribus. 1281
Principes in perniciem Eccleſiæ Lutherum defenſant. 102
Proba ex Homero Centones dicitur excerpſiſſe. 145[illegible]
Prodigia, tempore paſſionis. 1658
Primatus manere poteſt, vbi tamen non fuerit amer. 570
Primatus bifariam accipitur. 547
in Primatu ſunt certi gradus. 1379
Prophetæ apud Iudæos 300. annis ante Chriſtum fuerunt. 24.
veri Prophetæ dehortantur à malorum auditu. 246
Prophetæ non omnia ſcriptis ſed quædam per manus voluerunt tradi. 1384
interdum ſibi relicti aberrarunt à veritate. 1380
Prophetæ & Sacerdotes dicuntur Chriſti 1291
Prophetarum ſcripta multa iam non extant 1276
Prophetare multifariam accipitur. 1293
Prophetia munus. 1236
falſi Prophetæ non ſunt audiendi. 241
falſi Prophetæ qui ſint. 242
quid efficiant. 251
falſi Prophetæ quibus indicijs dignoſcuntur. 242.246
Propheta dupliciter dicitur. 245
falſi Prophetæ puniuntur. 247
Prophetæ de pace docuerunt. 287
Prophetæ aliquando errarunt. 290
Prouidentiæ diuinæ omnia ſunt ſubiecta. 1040
Prouidentia Dei in omnibus. 1631
Pſalmi Dauidis tribus de cauſis legendi. 1510
Pſalmi Dauidis ſunt inſtar libellorum ſupplicum. 1512
Pſeudoprophetæ cauendi. 1245
Publicanus quomodo iuſtificatus. 409
eius fides. 411
hiſtoria Publicani & Phariſæi glorioſi. 1552
Pueli gratiam ex benedictione Chriſti acceperunt. 267

Pueri

Pueri olim communicabant infirmos. 815
Punici quid de Baptiſmo & Euchariſtia ſentiant. 901
Purgatoriũ cur non dicatur Punitorium. 735
Purgatorium noſſe eſſe, Chriſtianis omnibus eſt neceſſarium. 718
Purgatorium quid. 718
ex ſcripturis oſtenditur. ibid.
Purgatorium eſt. 406
Purgatorium Græca Eccleſia negat. 1409
Purgatorium auget bonum dilectionis Dei. 736
Purgatorium non à papa confictum. 741
Purgatorium eſſe probatur. 717.719
Purgatorium eſſe affirmant patres. 717
animæ antequam in Purgatorium conijciantur, prius de ſingulis factis, dictis & cogitatis examinantur. 730
Purgatorij tormenta quomodo ab inferni tormentis differant. 1469
quædam mulcta vel in hac vita vel in Purgatorio pœnitentibus præſtanda reſtat. 1479
fruſtra in Purgatorio blandimur nobis, merendi tempus. 731.739
teſtimonia Patrum de hac re. 732
animæ in Purgatorio conſtitutæ, omnes de ſua ſalute ſunt ſecuræ. 731
animæ in Purgatorio propter tormentorum atrocitatem Deum laudare non poſſunt. 1473
animæ ex Purgatorio precibus viuentium liberantur. 1469
Pythagoræ miraculum. 807
Pythagorici ſingulis diebus mane ſurgentes cur Cytharam audirent. 1510

R.

RAbanus. 1399. *de vnica Magdalena.* 1445
Rationis motus non officis ſimplicitati. 951
Reatus pœna temporalis poſt abſolutionẽ remanet. 118
Reatus eſt in originali & actuali peccato. 344
per ſacramenta remittitur. 344
Reatus ſomitis & reatus differunt. 345
remittitur in baptiſmo 370.378.384. *quid ſit.* 372. *vbi conſiſtat.* 372.379. *pertinet ad animam.* 379. *qua iuſtificatione tollatur.* 493
Redhi cur de qui vocentur. 1491
Redemptio generis humani in cruce peracta eſt. 220
Redemptionis participem fieri quid ſit. 200
in verba Regenerationis apud Apoſtolos omnia myſteria humanitatis intelliguntur. 105
Reges longo interuallo Pontificio faſtigio ſunt inferiores. 99
Relationum diuerſarum vnicum eſt fundamentum. 893
Religionum diuerſitas hæreticos ſemper male habuit. 588
Remiſſio peccatorũ non eſt regnũ cœlorũ. 186
Reprobi non auctore Deo ſed propria nequitia prolabuntur. 614
Repudij in ademptum cõiugibus à Chriſto. 59
Res nominatur nomine rei vnde facta eſt. 912
Reſurgemus ad immortalitatem. 167
Reſurrectio Chriſti multis eſt probanda. 797
Reuelationes quæ piis de corporis Chriſti in Euchariſtia veritate, diuinitus monſtratæ fuerint. 922
Reuelationes ſunt attendendæ. 1290
Reuelationes plerumque ſunt fallaces. 108
Rex quilibet ſibi eſſe poteſt. 1268 1278.1284
Richardus de Purgatorio. 384
Richardus Anglorum rex Turcas Hieroſolyma exturbare eſt molitus. 649
Richardus Pacaus vir nunquam ſatis laudatus. 1374
Richardus Victorinus. 990
Robertus Lincolnienſis. 990
Roboam. 266
Roma vocatur Babylonia. 1345
multifariis idolatriis primum fuit confuſa. 1351
Romanus clerus vſque ad tempora Hieronymi humilis & rerum ſecularium fuit contemtentior. 1366
Romana ſedes ſummam autoritatem habuit apud S. Hieronymum. 83
Romana Eccleſia contra Patrum priuatum ſenſum poteſt ſtatuere. 1407.1409
Romana Eccleſia à Cypriano vocatur Petri cathedra. 1342
Romana Eccleſia eminentia. 1342.1371
ex Romana Eccleſia vera fidei lux in cæteras eſt diuiſa. 1368
Romana Eccleſia etſi moribus eſt deprauata, eam tamen Chriſtus vt fundamentum conſeruat. 1370
Romanæ Eccleſiæ mores peruerſi non probantur. 711. *Non quæ facit ſed quæ docet, ſunt obſeruanda.* ibid.
Rupertus Tuitienſis. 1134
Rupertus Abbas Tuitienſis. 990
Ruſtici Lutherana libertate ſeducuntur ad ſummam ſuam ipſorum calamitatem. 98

S.

SAbellicus. 1344
Sabellij hæreſis. 1130
Sacerdos quamuis malus bonum facit opus, dum conſecrat. 209. *in miſſa facit bonum opus.* 221
Summus ſacerdos ſacri ſui author eſt. 294.
ſacerdos an poſſit abſoluere. 442
Sacerdos facit miſſam ſed plebs accipit eã. 218
Sacerdos in miſſa idem facit quod Chriſtus in cœna & in cruce. 222
Sacerdos quilibet habet ordinem, ſed non quilibet habet authoritatem iudicandi 45. *Nihil amplius ligat aut ſoluit, niſi quatenus illi Epiſcopus permiſerit.* 45
Sacerdos ſoluit haud dubie & peccata remittit. 446. *non habet poteſtatem culpam & pœnam remittendi.* 449
Quilibet fidelis rex eſt & ſacerdos. 1268
Sacerdos eris in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeck, quid ſit. 781
Sacerdotis officium. 127.
Apoſtoli cur non vtebantur nomine ſacerdotis. 1279
Sacerdotis officium nemo legitime exercet niſi per Eccleſiæ præſides ordinatus. 1238
Sacerdoti conſiderandum. 420.421.434
Sacerdotes à plebe differunt. 200.218
Modus eligendi & ordinandi ſacerdotes 1254
non vocati ſeſe ingerentes vocantur fures & latrones. ibid.
a Spiritu ſancto aſciſcuntur. 1255.1256
Vnguntur ad euangelizandum. 1259
Exemplo Chriſti & Apoſtolorum ſacrificant. 267
Soli ſacerdotes poſſunt conſecrare. 413
Sacerdotes non culpandi ſunt ob ſubtractionem alterius ſpeciei. 150.471
Sacerdotes vocantur tauri. 1236
Sacerdotes ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. 1283
Sacerdotes minores qui. 1283
Sacerdotes ſunt angeli diuinorum iudiciorũ. 1239
Sacerdotes in veteri Teſtamento audire nolens, morte plectebatur. 14
Sacerdotes non celebrantes communica vna tantum ſpecie.
Sacerdotes dicuntur præſides.
à plebe ſecernuntur. ibid. *ſunt Dei co rarij.* ibid. *bis vnguntur.*
Sacerdotes ſunt presbyteri.
Sacerdotes morituri communicantur ſu na ſpecie. 947
Sacerdotes maiores & minores. 1258.1259
Sacerdotes in Eccleſia ſunt neceſſarij. 1271. 1277
Sacerdotum crimina tegenda. 512
Sacerdotum erat iugulare & excoriare pecora. 226
Sacerdotum & Laicorum maxima differentia. 68.69.76
Sacerdotũ diuerſi gradus eſſe neceſſe eſt. 1282
eorum negligentia plurimum obeſt. 1298
Sacerdotum officia & conditiones. 1235 *electio quomodo fiat.* 1235
Sacerdotum varia appellatio. 1240
Sacerdotum in nouo Teſtamento etſi non verbotenus, ſenſu tamen fit mentio. 1279
Sacerdotũ officiũ eſt cõcionari nõ plebis. 1288
Sacerdotibus æqua poteſtas eſt delendi culpam. 445.447
Sacerdotium regale. 449.474
Sacerdotium duplex. 1268.127
Sacerdotium diuinitus eſt inſtitutum. 128.
pro Sacerdotij defenſione axiomata quædam. 1243.1244. & vſque ad 1269
Sacerdotij dignitas. 1239.1296.129
Sacerdotij dignitas non eſt mercanda pretio 1235
Sacerdotalis ritus ab Apoſtolis eſt & Chriſto 1233

Sacramentum quid. 74 fide opus habet. 334
in ſuſcipiente Sacramentum potius optanda quam exigenda fides. 39
Sacramentum altaris non eſt promiſſio. 190
Sacramentum corporis in pixide repoſitum manet Sacramentum Altaris. 190
Sacramentum ſupplet quod deeſt homini. 42
Sacramentum fit inuiſibilis gratia Spiritus ſancti. 1151
Sacramentum non poteſt ſufficienter inſinuari. 839
Sacramentum altaris eſt figura Chriſti crucifixi. 875. eſt ſacrificium ſecundum Chryſoſtomum. ibid.
Sacramentũ & res ſacramenti differunt. 118
Sacramentum quodlibet accipit nomen rei ſignificatæ. 1194
Sacramenti vſus in quibus conſiſtat. 197
Sacramenti effectus. 906
ſine vſu Sacramenti fides non ſufficit. 1061
Sacramenti, verbi & fidei non eſt æqualis effectus. 1021
per Sacramenti ſuſceptionem augetur charitas. 1019
non in omni Sacramento eſt verbum promiſſionis. 331
Sacramenta ſunt gratiæ ſigna certiſſima licet non ſemper ſequantur. 270
Sacramentum abſoluitur verbo & elemento. 331. per ea ſuppletur quod fidei deeſt. 335. per ea facilis eſt via ad gratiam. 339
Sacramenta non tolluntur fide & promiſſione. 340
Septem ſunt ſacramenta. 256. 257. 261
Sacramenta non ſunt tantum ſigna. 906
Sacramenta vtriuſque Teſtamenti ſunt diuerſa. 905. 914
Sacramenta Eccleſiæ ſanctificant digne recipientes. 935
Sacramenta proſunt habenti fidem informẽ. 1074
Sacramenta ſunt duplicia. 766 ſacr. Euchariſtia eſt incomprehenſibile. 766. omnia ſacramenta ſunt admiranda. 768 ſola fide cognoſcuntur 768. 769. virtutem habent à ſanguine Chriſti. 805
Sacramenta neceſſaria ſunt & vtilia. 1131
Sacramenta noui Teſtamenti ſunt potiora ſacramentis veteris Teſtamenti. 900
Sacramenta omnia præter Euchariſtiam ſunt ſacramenta in vſu. 949
Sacramenta credenti in voto ſufficiunt vbi opportunitas habendi ſit. 1074
Sacramenta nouæ legis ſunt præſtantiora veteribus. 1003
Sacramenta Eccleſiæ Chriſtiani non debent aſpernari. 1217
Singula ſacramenta vnde virtutem ſuam habeant. 1537
Sacramenta habent virtutem ex inſtitutione Chriſti. 906
Sacramenta ad quid inſtituta. 1131
Fides abſque voto ſacramenta recipiendi eſt inanis. 1105
Sacramẽta ſunt reconciliationis media. 1269
inter Sacramenta veteris & nouæ legis longum diſcrimen. 1138
character Sacramentorum quid. 67
Sacramentorum nouæ legis præſtantia. 1139
Sacramẽtorum perceptione efficimur iuſtiores. 1025
per Sacramentorum ſuſceptionem fides viuificatur. 1132
Sacramentorũ vtriuſq; legis diſcrimen. 1163
Sacramẽtorum vſus nobis eſt neceſſarius 1023
Sacramentis gratia promiſſa eſt. 256. definitio eorum catholica. 257
character in tribus Sacramentis imprimitur quæ iterari non poſſunt. 67
pro Sacramentis nouis Deo gratiarum actiones ſunt exhibendæ. 1144
Sacramentis Deus aſſiſtit. 708
Sacramentalis manducatio corporis Chriſti, cur dicatur carnalis. 1200
Sacramentales ſpecies non ſunt res ſacramẽti. 1183
Sacramentales ſpecies ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti. 1187
Sacrificium Aaronis eſt antiquatum. 199
in omni lege fuit Sacrificium. 199
Sacrificium in Euchariſtia incoatum, in cruce eſt abſolutum. 220
Sacrificium duplex. 780
Sacrificium laudis. 1284
Sacrificium altaris præmonſtratum eſt figura. 1265. nunquam ceſſabit. 1266 Deum placat. 1268 dicitur λειτουργία. 1281
altaris Sacrificium dicitur immolatio. 1191
Sacrificium crucis & cœna fuit idem. 1154
Sacrificium & holocauſtum quid differãt. 1551
Sacrificium crucis & altaris eſt vnum. 877
Chriſtus in altari eſt præſens. ibid.
Sacrificium non eſt ſolummodo ſignum. 1172
Sacrificium in lege veteri deſignabat noſtrũ. 1555
in Sacrificio altaris gloria Chriſti eſt. 939
Sacrificio altaris reiteratur victima Chriſti. 1270
Sacrificia veteris Teſtamenti ſunt figura futurorum. 214
Sacrificia ſunt promiſſiones. 214. ad ſacrificia quid pertineat. 462
Sacrificia antiquæ legis Deo nõ ſunt grata 1551
Sacrificiorum præſcripta varia pro criminũ varietate. 1481
Sacrificiis adiungebantur promiſſiones. 215
Sacrificare quid ſit. 260
ad Salutem alia præter verbum Dei & mortem Chriſti ſunt neceſſaria. 974
ad Salutem non ſufficit ſola veritatis agnitio. 983 984
de ſua Salute nemo poteſt eſſe certus. 119
Samaritæ à Philippo diacono ad fidem cõuertuntur. 1295. 1335. Manuum impoſitione Petri & Ioannis ſenſibiliter accipiunt Spiritum ſanctum. [illegible]
Sanctificatio differt à ſanctificato. 473
Sanctificatio hominis fit pluribus modis. 12.
Sanctorum merita [illegible]
Sanctorum imagines vt venerentur, in ſcripturis non extat. [illegible]
Sanctorum imagines miniantes per [illegible] ipſos ſanctos. [illegible]
Sanctorum vita ad vtilitatem Eccleſiæ [illegible] conſcripta. [illegible]
Sanctorum communio fit in Euchariſtia [illegible]
Sanctorũ defunctorum memoria vt [illegible] agerctur, ab Apoſtolis eſt inſtit[illegible] [illegible]
Sanctos qui in Eccleſia debent coli, ſummus pontifex deſignat. [illegible]
Sanguis Chriſti exhibet peccatorum remiſſionem 186. eo ſolo iuſtificamur. [illegible]
Sanguis Chriſti in calice teſtificatur mortem eius 1170 non eſt teſtis diuini beneficii. [illegible]
Sanguis Chriſti non eſt Teſtamentum. [illegible]
Chriſti verus ſanguis in calice, teſte Irenæo. 1067
Sanguis Chriſti verus eſt in calice. [illegible]
Sanguis Chriſti effuſus eſt pro animabus [illegible]. 1169 [illegible]
Sanguis Chriſti verus ampliorem [illegible] nem aggenerat.
Sanguis non eſt nouum Teſtamentum [illegible]
Sanguinis effuſio in V. Teſtamento quia purgificarit. [illegible]
Sanguinis animalium aſperſio quid denotarit. [illegible]
Satanica inſidia. 1344
Satanas, vide Diabolus.
Satisfaciens in hac vita, amplius nihil debet. 1479
Satisfactio. 387. 394. 398. eſt compenſatio. 392 à merito in operibus ſecernenda. 495. Satisfactio pro pœna differt ab obligatione pro pœna. 501. neceſſaria eſt. 511. eſt opus quiddam. [illegible]
Satisfactio pœnitentia confitẽtibus eſt neceſſaria. [illegible]
Satisfactio Chriſti pro nobis, non excludit noſtram ſatisfactionem [illegible]
Satisfactio bifariam accipitur. [illegible]
Satisfactionis officia quæ.
Satisfactione reliquiæ peccatorũ expiã[illegible] [illegible]
Satisfactoria opera non iniunguntur pro præteritis, vt indulgeatur futuris.
Satyrus credidit Chriſtum eſſe in Euchariſtia [illegible]
Scabellũ pedũ Dei quod iubemur in ſcriptura adorare, allegorica interpretatio. 119
Schiſmatici, vide hæretici.
Schiſmata in Eccleſiis diuinitus permittuntur. 726
Schiſmaticis nihil prodeſt fides. [illegible]
Sceleſtinus III. ingentem pecuniæ ſummã ad recuperandã Hieroſolymam impendit. 649
Scientia ſola non ſufficit. 1008
Scotus de infundẽda gratia. 328. immerito taxatur. 340. de igne purgatorio. 384

I N D E X.

Scripti vnius deprauatio non continuo omnia reddit ſuſpecta. 1356
Scriptores non ſunt truncatim allegandi. 1410
Multa quæ non ſcripta ſunt, recipi oportet. 50. 63. 64. 131.
Scriptura alicubi difficilis eſt intellectu 279. 304. non ſemper poteſt eſſe iudex 284. 301. 396 præter hanc alio ſubſidio etiã opus eſt. 310. 285. variè poteſt torqueri. 285. interpres eius eſt. SS. 297. eam exponere rationibus ſine authoritate periculoſum eſt. 299 eius Spiritus. 300. eius veritas ab hominibus cognoſcitur. 300
Scriptura S. non eſt iudex in cõtrouerſiis religionis. 592. poteſt tamen eſſe iudex, ſi Catholicus non hæreticus eam interpretetur. 597
Scriptura non præcipit omnibus communicationem ſub vtraque ſpecie. 152
Scriptura vocat interdum quippiam non id quod eſt ſed quod ante fuerat. 20
Scriptura non eſt pro libitu vniuſcuiuſlibet interpretanda. 847
Scriptura ſacra opus habet interprete. 1396
Scripturam adire quiſque poteſt. 301
excæcat impios & ſuperbos. 304. ex ea ſæpe datur aberrandi occaſio. 304. eius interpretationes non ſemper ſunt concluſiones. 305. explicatur per homines. 305. 311. eſt certior quam commentarij. 305. eius obſcuritas. 306. ex Deo habet certitudinem. 311. 313
proprio ſenſu explicare Scripturã quid ſit. 299
Scripturæ propter hæreticos non ſunt mutandæ. 881
Scripturæ in venenum vertuntur. 969
Scripturæ non ſunt truncatim allegandæ. 562
non omnia quæ credenda ſunt, in ſcripturis continentur. 584. 585
Scripturarum interpretatio hæreticis eſt interdicta. 559
in Scripturis interpretandis ſeruanda modeſtia. 85
Scripturis falli poſſumus. 966
in Scripturis non ſunt omnia intelligenda ſpiritualiter. 1014
in Scripturis ſacris non omnia quæ ad fidem Chriſtianam pertinent, ſunt comprehenſa. 1281
conſentanea Scripturis doceri oportet. 140
non omnia fidei dogmata in Scripturis continentur. 1384
ex S. Scripturis plurima in nouo teſtamento citantur, quæ tamen ſcriptura non extant. 1277
plurima oportet credi in Scripturis non expreſſa. 1259
Ternarius numerus in S. literis quid deſignet? 1604
contra Scripturas nihil eſt recipiendum ſed præter ſcripturas. 1283
contra Scripturas nemini credendum. 854
ad Scripturas non ſemper eſt prouocandum. 640.
Scyluri morituri pulchra ad filios adhortatio. 562
Sedulij carmen de Euchariſtia. 992
Selomon Iudæorum Rabbi, Pſalmum 72. de Meſſia eiuſque ſacrificio rectè interpretatur. 1267
Semuel Iudæorum Rabbi locum Geneſ. 14. de pane & vino, rectè interpretatur de ſacrificio Melchiſedeck. 1266
Semuel Rabbi, quomodo explicauerit locum Geneſ. 6. de natura hominis ad malum prona. 677
Seneca de populari fauore. 232
Seneca dictum de vera laude. 99
Seneca epiſtola ad Paulum non probat Petrum non fuiſſe Romæ. 1331
Senſuum humanorum alij aliis ſublimiores. 1248
Seruire quid ſit. 349
myſterium Septenarij numeri. 1618
Septuaginta interpretes ab Hebraica computatione variant. 1302
Septuaginta ſeniores dubia apud Iſraelitas determinant. 236
Septuaginta duo diſcipuli Chriſti præter Apoſtolos. 1246. formam presbyterorum tenent. 1247
Septuaginta millia hominum qui Luthero fauebant, paucis menſibus interempti. 98
Serenus Abbas. 1417
Signum alicuius rei eſt quadam ratione res ipſa. 1191
Signa Dei vocantur ſacrificia. 222
Simon Cananæus Hieroſolymis crucifixus. 1338
Simon de Caſſia, de vnica Magdalena. 1444
Simon hæreticus. 836
Simon Magus à Petro confuſus. 1313. 1343. 1345. 1353. 1367.
Simon magus quomodo homines dementauerit. 1353
Simon Magus facultatem conferendi Spiritus ſancti ſtudet pecuniis ſibi comparare. 1259
Simon Niger. 1255
Sinai, Sion, & Hieruſalem, in S. ſcriptura quid ſignificent. 1574
Grani Sinapis deſcriptio, & quid denotet. 1586
Sine me nihil poteſtis facere dictum quomodo intelligendum. 669. 672
Sixtus, Alexandri ſucceſſor. 1296. eius dictum in Decret. de dignitate ſacerdotum. ibid.
Socrates de multitudinis iudicio. 235
Sodoma & Gomorrha ob flagitia deleta 1579
Solarium radiorum mira operatio. 1380 1468 cur non æquè in hyeme atque in æſtate terra germina producat. ibid. pulchra accommodatio ad vim & efficaciam fidei. 1381
Soluendi & ligandi poteſtas. 582. 583
Soluendi poteſtas latius protenditur quam ligandi. 582
Soter. 2238
Soter poſt Petrum duodecimus. 1295
Spes. 402
Spes abſque voluntate bona, mortua eſt. 1069
Spes & timor duobus lapidibus molæ farinariæ à D. Gregorio comparantur. 1540
Spes quas conditiones annexas habeat. 1519
Spes cauſa veniæ. 1518
Spiritus ſanctus regit Eccleſiam. 134. 163. 228. 231. 487
Spiritus ſanctus nobis Dei veritatem reuelat. 760
SS. inuiſibiliter agit in Euchariſtia. 819
SS. eſt author Sacerdotij. 450
Spiritus ſanctus diuerſimode confertur. 258
Spiritus ſanctus eſt conſolator Eccleſiæ. 1376
Spiritus ſanctus dicitur columba. 850
SS. eſt ſacræ ſcripturæ interpres. 297
SS. eſt Spiritus vnitatis. 299. 308
SS. eſt ſcripturæ oſtiarius. 303
idem Spiritus tam Euangelio quam patrũ vnanimi explicationi præeſt. 231. 249. 289. 496
Spiritus ſanctus in Eccleſia remanet vſque ad finem mundi. 1385
Spiritus ſancti trium apparitionum allegoria. 1543
Spiritus ſanctus eſt fons omnium gratiarum. 1257
multa edocet Eccleſiam quæ non ſunt literis mandata. 1260. 1383
Spiritus ſanctus ter & in triplici rerum ſpecie hominibus ſe videndum præbuit. 1543
Spiritus ſanctus cur variis nominibus inſignitur. 1543
Spiritus ſanctus dicitur Spiritus pœnitentiæ. 1548
Spiritus ſanctus Dei calamus. 1652
Spiritus ſancti inſpiratio abſque Doctoris opera non vſquequaque ſufficiens eſt. 1277
Spiritus ſancti gratia cunctis rite ſacramenta ſuſcipientibus communicatur. 708
Spiritus ſancti varia nomina. 1543
Spiritus ſancti præſentia ſigna aliquot. 288
per eum qui loquantur. 288
Spiritus vnitatis in vinculo pacis. 289
Spiritum accipere ex operibus aliud eſt quam ex operibus legis. 414
Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, in ſcripturis non inuenimus. 585
Spiritus non ſunt vbique. 1215
Spirituum diſcretio non pertinet ad ſingulos 251
Spiritualis omnia dijudicat. 254
Spirituales qui ſint. 254
Stephanus Diaconus. 1262
Stephanus Hieroſolymis lapidatus. 1338

poſt eius lapidationem multi Chriſtiani periculum effugituri, Romam conceſſerunt. 1353
Stephanus Epiſcopus Pariſienſis. 1395
Stephanus Longulus. 749
Stephanus Papa Concilium Conſtantinopolitanum de non venerandis Sanctorum imaginibus reſcidit. 598
Stephanus VI. Concilium prædeceſſoris ſui Formoſi ex odio reprobauit. 548
Succeſſores Apoſtolorum non ſunt ſpernendi. 136
Suggerere quid ſit. 134
prouerbium, Summum ius, ſumma iniuria. 1638
Synagoga curatur à Moyſe. 281. eius lites ad iudicem deferebantur. 281

T.

Tabernaculum fœderis elegantibus ſculpturis exornatum fuit. 1249 & 1257
Tantali cibus. 1208
Thamar regis Dauidis filia caſtitas. 1667
Teleſphorus Sixti ſucceſſor. 1296
eius dictum in Decret. de dignitate ſacerdotum. 1296
in Temporum ſupputatione varietas. 1302
Tertull. de hæreticorum verſutia & hypocriſi. 636
de conſuetudine. 192
de ſacrificio Miſſa. 193
de hæreticis. 278
de ijs vitandis. 281.285
de confeſſione. 420
de ſacerdotio. 450
de primatu Petri. 553
de hæreticis ad ſcripturarum interpretationem non admittendis. 559
Tertullian. in hæreſim prolapſus. 759.836.881
de libero arbitrio. 662
de vero catholico. 725
de effectu ſacramentorum. 1072
ſenſit corpus Chriſti, ſub ſpecie panis in ſacramento. 881.887.996
quinq; libros ſcripſit contra Marcionē. 885
ſcripſit librum de præſcriptione aduerſus hæreticos. 1233
aduerſus Martionem & Hermogenem praſcribit. ibid.
de præeminentia ſacerdotum. 1235
de Scripturæ imperfectione in dirimendis controuerſiis religionis. 641
latinus ſcriptor. 1342
eius teſtimonium de morte Petri & Pauli quod obierint Romæ. ibid.
Babyloniam, vbi Petrus Epiſtolam ſuam conſcripſit, Romam eſſe teſtatur. 1345
Tertulliani dictum, quatenus liceat ſcripturas ſcrutari. 836
Tertulliani ratio ob quam vocat corpus Chriſti figuram. 886. eius autoritas non eſt ſpernda. 889

Teſtamentum Nouum eſt lex noua. 186.188
Teſtamentum Nouum eſt ſanguine Chriſti confirmatum. 186.187.489
Teſtamentum quid ſit ſecundum Lutherum. 184
Teſtamentum quibus proſit. 974
Teſtamentum ante mortem teſtatoris non habet robur. 27.184.206.221
Teſtamentum Chriſti ſanguine certa ratione conſtitutum. 1169
nouum Teſtamentum quomodo veripiatur. 1159
vetus Teſtamentum eſt vmbra noui. 199
vnicum eſt Teſtamentum nouū 183. 189. 467
Teſtamenti veteris & noui differentia. 897
Teſtamenti veteris & noui præcepta eadem ſed non eadem ſacramenta. 905
Teſtamenti veteris Patres ſpiritualiter incorporati ſunt Chriſto. 1128
Teſtamenti noui lex cordibus Chriſtianorum eſt inſcripta. 1275
non omnia fidei dogmata noui Teſtamenti ſcriptis ſunt comprehenſa. 1281
Teſtamenti noui definitio, eius q; cauſæ. 185
Teſtamenti veteris vmbrarum, pulcherrima ab arbore ſumpto exemplo, explicatio. 563
diſcrimen veteris & noui Teſtamenti. 184. 185
in veteri Teſtamento terrena promittebantur. 189
Theodoricus diuinitus punitus. 653
Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Bedæ præceptor. 991
Theologi neminī parcunt errantī. 990
etiam Petro Lombardo non parcunt in diſcutiendo eius ſententias. 990
in Theologia non exprimitur ſermonis elegantia. 990
ad Theologiam ſcientia conducunt. 870
ad eam neceſſaria quæ. 871
ad Theologiam ſcholaſtica exercitatio eſt neceſſaria. 871
Theonas Abbas de Eucharistia. 993.
Theophilus de Petro. 543
Theophilus docet tranſſubſtantiationem. 22
Theophili ſententia de Eucharistia. 993
Theophylactus Petrum & Paulum Romæ fuiſſe ſcribit. 1345
D. Thomas de vnica Magdalena. 1444
Thomas Aquinas fuit vir ſanctiſſimus & eruditiſſimus. 14.149 990.727
non omnia eius ſcripta Romanus Pontifex approbauit. 728
eius encomium. 738
Thomas Morus. 748
Thomæ Mori caput truncum aqua feruenti decoquitur. 3
eius deſiderium in ſubeundo martyrio. ibi.
S. Thoma ſuper 8. cap. ad Heb. expoſitionis intellectus. 1158
Themiſta & D. Thomas laceſſuntur. 130.139
Tiberius Imperator. 1353

eius tempore Chriſtiani Romā pulſi. ibid.
Timor qualis in animabus in purgatorio. 735
Timor duplex. 735
Timor ſalutaris nonnunquam antecedit gratiam. 416
Timor excutit obſtacula gratiæ. 417
Timor Chriſti in ſubeunda morte fuit abſolutus, non ſeruilis. 725
Timor ſeruilis. 402
Timor Domini quam neceſſarius. 89 90
Pauli conuerſio cœpit à Timore. 416
Timotheus à Paulo fuit ordinatus epiſcopus. 1257.1261
non legitur ab eodem baptiZatus. 1261
Timotheus non eſt baptiZatus a Paulo. 258
Timotheo manus bis fuerunt impoſitæ. 1260
Titus Eccleſiæ Cretenſium fuit Epiſcopus. 1245.1261
Tobias de matrimonio. 267
Traditiones non ſcriptæ non minus quam ſcripta ſunt ſeruanda. 1385
Traditiones Apoſtolorum ab Ignatio ſunt ſcriptæ. 1260
Traditiones bonæ obſeruandæ ſunt. 293
Traditiones Dei diſcernendæ à traditionibus hominum. 63
Tranquillus Chriſtianos ex vrbe Roma pulſos ſcribit. 1306
Tranſſubſtantiatio probatur multorum autoritate. 178
Tranſſubſtantiatio ab origine creſcentis Eccleſiæ credita eſt. 759
eſt. 767
Tranſſubſtantiatio fit in Euchariſtia. 847
Tranſſubſtantiationis verbum ex ſcripturis. 1052
Tranſſubſtantiationis poſſibilitas aſtruitur exemplis. 864
Tranſſubſtantiationis vocabulum etſi nouū, res tamen & veritas non eſt noua. 21
ad Tranſſubſtantiationem tria conſideranda ſunt. 161
Trecenarij quinq; à Chriſti paſſione enumerantur. 990.991 992.993.994.995.996
Triſtitia ſecundum Deum operatur pœnitentiam in ſalutem. 89
Triſtitia ſecundum Deum pœnitentiam operatur. 506
Triumphus aduerſus Satanam res eſt perdifficilis. 110
Tropus in ſcripturis admittitur. 1212
Tropi in ſcripturis vſitati ſunt. 850
Tropos opportunè admittere licet, non autem intempeſtiuè. 133
abſque Tropis ſermo eſt apertior. 849
Turca multoties a Romanis Pontificibus bello deuictus eſt. 645
Turca Italia expulſi. 646
Turcarum in Chriſtianos immanis crudelitas. 648
Turcarum cura etiam ſpectat ad Pontificem. 545

Conſuetudo

INDEX.

Conſuetudo Turcarum diuerſa eſt à Chriſtianorum conſuetudine. 137
Turcis omnes ſere nationes & ciuitates in quibus Apoſtoli prædicarunt, ſunt ſubdita, præter Romam, quæ eſt Petri ſedes. 1339
Bellum aduerſus Turcas neceſſarium. 646
in bello aduerſus Turcas Oratio ad Deum in primis neceſſaria. 650
Turcis omnino bellum inferendum. 544
Turcicæ fidei diuturnitas quomodo conferenda cum religione Catholica. 136

V.

VAE in ſacris ſcripturis quid ſignificet, 1668
Valentinus hæreticus. 836
Valentinianus Cæſar Catechumenus ſaluatur. 1074
Valentiniani. 637
Varro de igne purgatorio. 384
Vbertini dictum de vnica Magdalena. 1444
Velenus. 1251
diffidentia Veniæ conſequendæ obſtaculum. 1518
Verbum Dei cur aliis ad ſalutem aliis ad damnationem vergat. 713
antitheſis Verbi Dei & Dæmonis amplificata ex effectu. 1565
Prouerbium: Verbum regis ſtet oportet. 1618
Verbum idem ſæpe diuerſo ſenſu capitur. 1202
Verba explicanda ſunt Chriſti mente. 127
qua ratione Verba diuina grammaticè & propriè ſint intelligenda. 157
Verba Chriſti iuxta mentem hæreticorum fiunt hæreſes. 125
Verborum etiam ſingulorum ratio Deo reddenda. 1514
Veritates ſunt diuerſa. 969
Veſpaſianus cæco viſum reſtituit. 807
Veſpaſianus. 1334. 1336
Veteres crediderunt in Eucharistia corpus & ſanguinem Chriſti. 815. 817
Veterum dogmata non ſunt corrumpenda 1071
Vetuſtas non eſt vere peccatum. 354
Victima qua Deus placatur eſt ſacrificium altaris. 1268
Victimæ Chriſtum ſignificantes non erant ſacrificium corporis Chriſti. 780
Vincentius multa miracula receſſet quæ circa Euchariſtiam contigerunt. 922
Vincentius Beluacenſis ſcripſit hiſtoriam de vita & miraculis Mariæ Magdalenæ. 1457
ſub ſpecie Vini communicandi multa ſunt pericula. 132
Virga Aaronis in colubrum verſa. 159. 333
Virgines veſtales olim apud Romanos, ſi ſcortabantur, viuæ ſepultæ. 86
Vita incorruptibilis quæ. 1060
Vita humana quid, ratione omnium loci ſpectorum. 1526
Vita religioſa & Venatica comparatio. 1657
Vitæ æternæ deſcriptio. 1274
Vitam nouam nemo inchoat, niſi veteris eum pœniteat. 413
ratio conciliandi bonam Vitam. 1643
à malis Vituperari laus eſt. 274
à Vitiis homo tribus modis abſtertetur. 401
Vlricus Velenus. 1299. frigide ſibi ipſi obiicit, & nihilo frigidius ſibi ipſi reſpondet. 1347 impudenter negat quod ab omnibus receptum eſt. 1357
Velenus Dionyſium, Linum & Egeſippum carbone notauit. 1357
Vnctio extrema. 71. eſt ſacramentum. 73. 74
Vnctio ſacra. 450
Vnctio omnibus Chriſtianis competit ſed diuerſimode. 1259
Vnctio Lutheriana homines reddit immortales. 74
non Vnguntur in quolibet leui morbo infirmi. 73
Vnio hominum corporalis cum Chriſto eſt neceſſaria. 1127
Vnitas noſtra cum Chriſto, differt ab eius vnitate cum patre. 1100
Vnitatem cum Chriſto vnde adipiſcamur. 1103. 1104.
Vnum ſumus cum Deo. 1098
Vnum ſecundum ſubſtantiam diuerſificatur penes rationem. 875
Volaterranus. 1344
Voluntas hominis duci poteſt, cogi non poteſt. 686
Voluntas inter rationem & intellectum eſt quaſi centrum in linea. 1504
Voluntas eſt media inter Carnem & Spiritum. 347
Eius concupiſcentia per præceptum prohibita eſt. 363
Voluptates mundi, hominem à vera beatitudinis via abducunt. 1478
Vota ſeruanda. 87
Votiſta & votarij. 38
Vrbanus II. 645. Chriſtianos ad bellum aduerſus Turcas ſuſcipiendum animauit. 684
Vulgus eſt præceps in fiduciam conſequendæ de venia 41. facile ab hæreticis ſeducitur. 101
Vulgus, vide plebs.
Vulgatum dictum de ſacrificio Melchiſedeck in pane & vino. 1266

VV.

VVEſſeli Groningenſis mirum exemplum. 1058
VVicleſus hæreticus. 755. damnatur. 832. eius hæreſes. 871
VVicleſus negat in Euchariſtia ſubſtantiam panis. 175. negat Chriſtum conſecraſſe in cœna 227. hæreticus. 279. verum Chriſti corpus negat in Euchariſtia. 603
VVicleſus neotericorum Hæreticorum antesignanus. 636. eius cadauer exhumatum, ignibus eſt iniectum. ibid.
VVicleſi hæreſis. 660
VVicleſi error de Euchariſtia. 998
VVicleſi diſcipuli, Dominis ſecularibus ſe conati ſunt inſinuare. 1390
VVicleſiſtæ ſunt authores Lutheranæ religionis. 141. 519
VVitebergenſes male gloriantur, quod Chriſtus ad ſe venerit. 276
in conuentu VVormacenſi Lutheri dogmata damnantur. 96

Z

ZAcharias cur mutus factus. 236
Zacharias Chryſopolitanus. 1447
Zuinglius hæreticus OEcolampadium hæreticum commendat. 1204

FINIS.